BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
E'
14"
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

V. U. E. 14/1

SUMMA
CONCILIORUM
OMNIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA CONCILIORUM OMNIUM,

ORDINATA, AUCTA, ILLUSTRATA

EX MERLINI, JOVERII, BARONII, BINII, CORIOLANI, SIRMVNDI, Aliorumque Collectionibus, ac Manuscriptis aliquot.

SEV

COLLEGIUM SYNODICUM

In sex Classes distributum.

I. Conciliorum Veteris Testamenti.
II. Conciliorum in Oriente celebratorum.
III. Generalium in Occidente.
IV. Vulgatorum Provincialium per cuncta sæcula.
V. Additorum ex variis Regionibus, maximè ex Gallia.
VI. Aliquot Decreta Pontificum ac Synodos Diœcesanas exhibet.

EDITIO RECENS,

Cum Annotationibus & Controversiis partim Historicis, partim Dogmaticis, ab A denuò ante obitum emendata ac plurimùm aucta.

Opera ac studio M. L. BAIL, Abbavillæi, Doct. Theol. ac Propœnitentiari.

Accessit Index Rerum & Verborum locupletissimus, ordine Alphabetico d qui in præcedentibus Editionibus desiderabatur.

TOMUS PRIMUS

Tres priores Classes continens.

Bibliothèque Nationale

PARISIIS.

Apud FREDERICVM LEONARD, Typograph. Regium sub signo Scuti Veneti.

M. DC. LXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

C

Digitized by Google

VERBO INCARNATO,

Lumini de lumine, Deo vero

DE DEO VERO.

NOBILISSIME Fili DEI, *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ Patris Æterni, fons veritatis & vita expectatiſſima animæ meæ, Summam hanc Conciliorum quibus Eccleſiam tuam in terris conſervaſti hactenus, ſoli Majeſtati tuæ, ut ſit mihi vivo & mortuo propitia, defero, dedico, conſecro. Quantumvis enim accreverint ignorantiæ meæ & à multa ſapientia longè factus ſim: at non in tantum, ut neſcirem quanto ſollicitius animæ quærenti te, Salus mea optatiſſima, ſatagendum eſſet ſibi amorem tuum conciliare ac devincire, ac idcirco aliquo munere placare te & placare tibi, ſine quo etſi univerſum mundum lucraretur, inopia laboraret & languerent oculi ejus. Unde dum hæc animo volverem in eo profundius impreſſiſti veritatem hanc, ſummum eſſe malum ſeparari à te, & animam à corpore exeuntem, niſi te propitium ac benigno vultu contuentem ſe inveniat, & miſericordes tuos oculos niſi te propitium ac benigno vultu contuentem ſe inveniat, & miſericordes oculos ac ſole ipſo pulchriores ad ſe convertentem, in deploratiſſimo omnium ſtatu conſternatam eſſe: quare non ſemel exclamavi hac pulſatus cogitatione: Verè ſummum malum eſt, Jeſu mitiſſime, ſeparari à te. Heu me miſerum, ſi non adhæſero tibi ex omni me, cujus ego privationem ſicut mortem duriſſimam & amariſſimam timeo. Non ſis tu mihi formidini tante, ô vita vitaliſſima, cujus preſentia & intuitu recreari & paſci in æternum deſiderant oculi mei. Sed nec iraſcatur Majeſtas Tua contra me, ſi æmulatus unum ex ſervis tuis Amori tuo addictiſſmum, incompoſita hæc verba audacter loquar: Quis mihi det poculum amatorium ad propinandum tibi, ô dilecte viſcerum meorum & jucunditas animæ meæ, ut te jam volentem ſuaviter ducam ad explenda deſideria languentis amoris mei? Quamdiu licuit ad conquirenda tibi plurimorum corda laboravi; etſi ſæpe irrito conatu: credo equidem, propter defectus meos nimios factus ſum ſæpe velut æs ſonans ac cymbalum tinniens, ſparſi te inſpirante ria ſcripta partim ſecus viam, partim inter ſpinas, quæ etiam mihi infixæ ſunt; partim et in terram bonam: at aliquid aliud longè difficilius ſupereſt, aliquid parturire quod ad illa ce demulcenda aptum eſſe poſſit, quæ in tot regnis vel in fide nutant, vel ab ea omnino aliena ſunt. Ad hoc gigantes gumere ſub aquis & difficultatum fluctibus obruti pæne J. Quis mihi det ergo ut Cæleſtibus ardeam deſideriis propter animas in omni parte à fide devias & producam illis ignitum eloquium tuum vehementer? quis mih ut puriſſimo calamo ſcribam ad lineam rectiſſimæ voluntatis tuæ? Hoc exopto clementiſſime ac cordis humani avidiſſime Fili DEI, ut multis modis conciliem tibi multa & animas innumeras, quaſi virgines caſtas; tibi deſpondeam. Atque cum hic ſit Collegij hujus, cui magis quam tibi ipſi, Sapientia æterna quæ ex ore Dei prodiiſti, debe cum totum ſit in explicandis myſteriis & mirabilibus tuis; in aſſerenda Divinitate, conſi*

Digitized by Google

rialitate ac generatione ineffabili; in Humanitate tua ſacro-ſancte defendenda, in Vicario tuo, quem in terris Eccleſiæ tuæ dediſti preſidem, tuendo; in Sponſa tua, quæ ipſa eſt Eccleſia, vendicanda; in Hierarchia rite adſtruenda; in honore præcelſo Matris tuæ amantißimæ ſuſtinendo; in Sacramentis, iis denique omnibus quæ ad cultum tui ſanctiſſimi Nominis ſpectant contra inſurgentes de die in diem recentes adverſario, ſicut & contra antiquos, muniendis, ac ipſos ſimul exarmandis, ac ſi fieri poſſet Imperio tuo ſubjugandis, ut proſperè omnium corda poßideres, tu qui dignus, accipere virtutem, gloriam & honorem? Subſiſto hic, quia non pluribus verbis ad te mihi opus eſt, ſereniſſima lux animæ meæ, qui præparationem cordis noſtri & ſolam illius cogitationem quaſi clamorem validum percipis, ut prolixiori ſermone non ſit neceſſe tibi pandere appenſam eſſe tibi victimam hanc, ut ſub velamento alarum tuarum poſita, ab ea diſcerpenda deterreantur qui detrahunt mihi ſine cauſa, & ſi forte viſcera tua erga me inclinare valeam donec adſpiret dies & inclinentur umbræ.

Digitized by Google

PRÆFATI

AD LECTOREM

QUANTO in pretio fidelis Conciliorum omnium collectio
ſit, prodit eorum origo clariſſima, quod illa à magnis viris en
de rebus maxime arduis ſint, & ope plerumque Spiritus S
pientiſſimos Eccleſiæ Præpoſitos affiantis edita ſint. Prodit e
litas eximia, quod myſteria Dei magis abſcondita explicent
ejus ſummopere commendant ac provehunt, damnant, elimi
res improbos, juſtitiam prædicant, Clericos perficiunt, il
laïcos, officiique Eccleſiaſtici ac politici partes omnes indi
hinc ferme hauſerunt quicquid magnificum de iis dixerunt qui iis compingendis
operam aliquam impenderunt, inter quos qui noviſſimis iſtis ſæculis è pulvere é
revocanda & in lucem proferenda Concilia cenſuit Jacobus Merlinus Theolo
ſienſis è Navarræ familia, (illuſtris ob carceres & exilia quæ cauſa tutandæ l
contra ſubdolas hæreticorum machinationes pertulit, & quem columnam totiu
giæ firmiſſimam vocitabat Democares) eorum Doctrinam vocat ſolatium ſimul
medium languenti & prope deficienti orbi, ac velut quoddam ægritudinis refrig
enim perfidorum quorumdam hominum damnatæ redeunt opiniones, conſent
prope neceſſarium fuit, illa repetere inſtrumenta, unde dudum cum ſuis erroribu
ti, jugulati, confoſſique authores ſint, ut qui ſenſui hærent proprio & veritate
opprimere moliuntur, morum integritatem labefactare, jura item pervertere, ve
ſtaurare blaſphemias, priſcorum ſententiis teneantur, atque merito Sacro-ſancto
ciliorum cenſuris coërceantur. Quod fuſius proſequitur in Epiſtola nuncupator
phanum & Franciſcum Poncherios Senonenſis & Pariſienſis Eccleſiæ Præſules, c
etſi pluſcula, repetere non pigebit, cum fere ſola hæc Epiſtola ex ejus marte prod
ejus primo affixa, qui collectionem Iſidori continet, cum brevi Præfatione ad Lec
tio tomi ejus ſecundi, ubi aliquot Generalia Concilia quatuor primis poſteriora
complectitur. Sic in ea Epiſtola extollit Concilia, quibus conducibilius reipul
fere exiſtimat, quippe cum tam copioſè tamque Catholicè ſingula, quæ aut ad
mortalium errores, aut ad inſtaurandum jam prope collapſum orbem præ ſe feran
nunc ex iis quiſque ad manum habeat, unde hæreſes & hæreticos jugulet, elatos
voluptuoſos defatiget, excitet torpentes, exinaniat ambitioſos, vulpes capiat pa
neam Eccleſiaſticam demolientes. Si igitur poſthac monſtra à republica arcere,
quiſpiam contendat, quid præſtantius lapidibus David, quos hic Jordanis copioſ
miniſtrat? ſi item votis eſurientium ſatisfacere tentet, quid copioſius, ſuaviuſq
quas hæc de remotiſſimis oris venientis navis attulit? ſi vero ſemitam & veritatis ſ
concupiſcat, ex quibus optimo jure pellantur errorum tenebræ & procul abean
authoribus, quid apertius Patrum parentumque ſententiis, quas impellente ſan
in hunc acervum comportarunt? hic nempe velut ex prato floribus univerſis pleno
ceduntur quæcumque ad rem conferunt Eccleſiaſticam, quæcumque ad comprim
extinguendóſque concupiſcentiæ ardores conducunt. Hic præſtantiſſima marg
(ſi paululum effoderis) occurret. Hic quoſcunque denuo ſuſcitavit hæreticos,
confoſſos, proſtratoſque intueberis. Hic rituum atque Orthodoxæ Eccleſiæ Sa
rum oſores, plagis impoſitis, ſemimortuos agnoſces. Hic quo ſponſi Eccleſiæ ju

Digitized by Google

hic ſponſæ libertates, & quæcunque reliqua quæ ad pacificum convictum hominum conſpirant, facile depromes. Hic velut ad Petram parvuli, Novatus, Helcheſaite, Sabellius, Cherintus, Nepotianus cum Paulo Samoſateno eliduntur. Hic ſcintilla Arianæ perfidiæ, ne magnum tandem præberet incendium, Photius item, Eunomius, Hebion, Montanus, Priſca emoriuntur. Hic velut condenſiſſima ſylva latitant Orthodoxi, qui inſtar urſorum, Pelagium, Apollinarem, Priſcillianum, Neſtorium & Cathaphrygas cum filiis Hierico laniant, lacerantque. Hic Eutiches Manichæus, Acephali, Dioſcorus, & Theodorus proſternuntur. Hic Severus Aquilegienſis gladio Phinees jugulatur; hic Monothelitæ mandibula aſini dejiciuntur, hic Sergius, Pirrhus, Macharius velut vulpes parvulæ tenentur, hic Huſſitæ perfidi, Uviclefiſtæ inſani, & Bohemi apoſtatæ atque Schiſmatici, cum ſua tota poſteritate, ut ſingularis ferus, perpetuo feriuntur anathemate. Hic Regum & Imperatorum tyrannis velut chamo & fræno reprimitur. Hic Præſulum & Pontificum luxus coarguitur. Si diſſentiant Principes, hic ſincera pax, latitat. Si de Primatu diſceptent Præſules, hic magni conſilii Angelus præficiendum cæteris patefacit. Si peſtilens zizania agrum Dominicum labefactare incipiat, mox pater excitatur Evangelicus qui in faſciculos, incendio dandam colligere præcipiat, &c.

Hæc ille Theologus, qui facem prætulit aliis Synodorum collectoribus poſt Iſidorum Mercatorem, ex quibus cum alii ſtrictius ſe coarctent, ut Carranza & Coriolanus, qui breviores Summas inſtituerunt, vaſta illa ſpatia plurium voluminum ſic in breve compendium redigentes, quaſi Homeri Iliadem in nucis unius cortice concluderent: alii vero largius ſeſe effundant, ut Petrus Crabbe Franciſcanus de obſervantia Mechlinienſis, Laurentius Surius Carthuſianus Agrippinæ, ac qui editionibus Venetæ ac Romanæ præfuerunt, maximè verò Severinus Binius Canonicus Colonienſis, nos media via ibimus, & nimiam jejunitatem quorumdam & aliorum luxuriantem copiam evitantes, ne aut brevitate nimia curioſiores magiſque ſtudioſos ea utilitate privemus quæ ex Conciliorum ſaluberrima lectione ſperari ſolet, aut nimia magnitudine, mole & multitudine voluminum occupatiores exterreremus, aut ninus re nummaria inſtructos ab emptione retraheremus.

Franciſcus Joverius.

Atque in hoc ſcopo præ oculis habuimus Franciſcum Joverium Theologum alium Pariſienſem è Sorbonæ familia, qui ante centum annos, cum nondum ad finem eſſet perductum Concilium Tridentinum, cumque tam multæ variæque hæreſes dæmonis aſtu aut novæ orirentur, aut abolitæ reviviſcerent, ut afflictæ opem ferret Eccleſiæ, ſanctiones Eccleſiaſticas edidit, opus tripartitum ac trium Claſſium, quarum prima eſt Conciliorum Generalium, ſecunda Provincialium, tertia decretorum Summorum Pontificum, quod que expers eſt & nimiæ quorumdam brevitatis, ac nimiæ aliorum prolixitatis. Hanc methodum ſequutus, quod, ut ipſe ait in Præfatione, cum Conciliorum lectionem aggreſſus eſſet, videbatur ſibi quaſi in ſylva errare & de re eadem alios conqueri obſervabat: quare, inquit, cupiebam mihi offerri aliquam methodum qua hujuſmodi lectio utiliſſima, facilior ac ſuavior redderetur. Et obſervans omnium artificum dexteritatem ac ſolertem induſtriam, qui ut promptius faciliuſque actiones ſuas expediant & abſoluant, ſingula rerum quas tractaturi ſunt genera, ſeorſim collocant, eam mirum in modum probavi. Tropezita namque, ut cæteros omittam pecuniarum cumulum numeraturus, habita prius ratione materiæ, valoris deinde in partes eam ſecernit, ut cito rationem ſubducere poſſit. Idem uſu evenire ſolet Imperatoribus exercitus cum hoſte congreſſuris, prius nimirum milites & pedites & equites, hos deinde in cataphractos & velites dividentibus. Haud abſimilem ordinem naturæ atque doctrinæ convenientem in hac ſanctionum Eccleſiaſticarum diſpoſitione imitatus ſum. Hac enim methodica diſtributione niſi mea me fallit opinio aperitur aditus Theologiæ candidatis ad facilius, brevius, certiuſque intelligendam Synodorum lectionem & firmius fideli memoriæ infigendam. Hæc ejus verba, quibus ſatis ordo ille, quem hic obſervamus probabitur plurimis quibus confuſio obcuritatis parens odio eſt.

Quia vero in hac ejus elucubratione plurima deſiderantur, cum nondum tot exercitati antiquarij exiſterent, qui veteres cartas nobilium Bibliothecarum cum ſumma Theologiæ peritia perquirerent, apicibus literiſque inviolatorum manuſcriptorum ſedulò inſpectis ac ventilatis, nec tot præclarorum virorum ingenio difficultates Conciliorum ſcrutati eſſent, quod poſtea poſt incomparabilem diligentiam Eminentiſſimi ac de tota Eccleſiâ benè meriti Cardinalis Baronii, nec tot Concilia ex antiquis manuſcriptis aut ſcriptoribus medii ſæculi jam vulgatis prodiiſſent quos poſtea in lucem emiſſa ſunt, unico tomo magnitudinis convenientis totum illud opus concludi non poſſe vidimus, idcirco duplici tomo rem conficimus, duplicatis Joverij claſſibus, ut pro tribus ſex tribueremus huic noſtro Collegio Synodico, quarum prima eſt Conciliorum Veteris Teſtamenti, quæ nova eſt nec ab aliquo hactenus inſtituta; ſecunda eſt Conciliorum Generalium Orientalium; tertia etiam Generalium ſed Occidentalium; quarta Conciliorum Provincialium ultimis collectoribus notorum, per ſexdecim ſæcula digeſtorum. Quinta eſt Conciliorum additorum de novo, in qua Additio noſtra ad Summam Conciliorum poſt editionem priorem anni 1645. denuo inſtauratur ac locupletior reſtituitur ſervato ordine Regnorum ac variarum orbis partium.

Sexta

Sexta denique Claſſis Pontificum decreta Synodoſque aliquas Diœceſanas complectitur, quæ in hunc locum rejecta ſunt, ne Concilia Generalia ac Provincialia non poſſemus uno eodemque tractu proſequi, ſi iis illa interſeruiſſemus. Præmittimus autem Apparatum de Triplici Verbo Dei, ſeu de Scriptura ſacra, ſcilicet de Traditionibus ac de ipſis Conciliis in genere, quod præambula de Scriptura ſacra & Traditionibus ſint fundamenta Conciliorum, de quibus etiam plures quæſtiones breviter attingimus, quod hæc viam ſternant ad melius percipienda ipſa Conciliorum dubia. Etſi vero ad idem utiles etiam eſſent quidam Tractatus Theologici, maximè vero de Incarnatione, quæ eſt, ut loquuntur nonnulli, materia materiarum, fonſque & erigo difficultatum quæ in Conciliis agitatæ ſunt, abſtinuimus tamen brevitatis cauſa; & quia hæc alibi dedimus, nec difficile ſit aliquem ex Theologis ſcolaſticis adire.

De Indicibus, plures deſiderari poſſe ab aliquibus, non neſcius ſum, ſed mihi non probatur quod tertia pars voluminis ab indicibus occupetur, nec quod aliqui ſcriptores nihil dicunt quod non ſe dicturos antea dixerint, ſicut nihil dixerunt quod non dicant poſtea ſe dixiſſe. Concordantia Canonum omnium ordine alphabetico tomum integrum poſtulat qualis eſt Crepetii. Concilia ipſa legenda ſunt in ſeipſis potius quam in Indicibus in quibus plures terunt tempus parum feliciter Sed & pleraque Concilia ſuos habent indices, ut hoc opus foris & intus plenum ſit Indicibus. Quibus etiam addidimus Indicem Hæreticorum, cum id quoſdam à nobis poſtulare audiremus. Monemus autem latius patere hunc Indicem, ut nemo mihi propterea moleſtus ſit, cum etiam ſit eorum qui de hæreſi ſuſpecti vel accuſati fuerunt; cum tamen ab ea excuſari poſſint, ſeu quod dogmata non omninò fidei contraria docuerint, ſeu quod palinodiam tandem recantârint.

Et ſi vero Summam tantum polliceamur in frontiſpici Operis; at aliquid amplius præſtamus, dum majorem Conciliorum partem ſic exhibemus, ut non magis integra pleraque apud Severinum Binium, aut in ipſa Collectione Regiâ voluminum 37. ex ipſo maximè conflata reperias, potiſſimum ubi res majoris ponderis viſæ ſunt. Aliorum porro decreta tantum quædam ſed ſelecta dedimus, ac quaſi de magno triticia cervo, ſic ex multitudine Canonum in aliquot Conciliis ſplendidiora tantum collegimus ac congeſſimus, id quod optimum viſum eſt aſſequi cotendentes, omiſſis aliis aut crebrius repetitis aut nihil ſingulare præferentibus, ut in iſtis verum videri poſſit aliquando, partem toto eſſe meliorem, cum magis eximia adjunctione vulgarium obſcurentur: hac in re ducti partim mentis noſtræ judicio, partim opportunitate exemplarium Typographo tradendorum poſt recenſionem noſtram, cum illa nec omnia ſemper continerent, nec omnia ex aliis exſcribere vacaret, nec limes duorum tomorum nobis propoſitus, aut ratio Summæ aliud pateretur, quamuis ſæpe etiam brevius ab illis dicta dilatemus, id non inutile aut injucundum Lectori opinati.

Quod autem ſpectat ad pleraſque notas & controverſias Conciliis non paucis appoſitas, aliquæ ex illis exſcriptæ erant ex Baronio per Severinum Binium & ejus abbreviatorem Coriolanum quas non contemnendas ſemper duximus, cum tantus ſit vir Baronius, ut non minus Cardinalitiam purpuram illuſtraverit, quam ab ipſa ſit illuſtratus. Illa enim omnia abjicere quid aliud eſſet, quam parto jam ingenti ſubſidio privare ſe, & ſibi novum laborem aſſumere per ſeſe faciendi quod magno laboris compendio nec minori utilitate factum reperiri poteſt? Non tamen iis nos ita adſtrinximus, quin plures ex iis veluti ſpongia deleverimus ut minus utiles, aut imminuerimus, auxerimuſve, multo vero plures varia induſtria & labore noſtro hinc & inde conquiſitas addiderimus ad plura difficilia, in quibus caligarent oculi plurimorum, aperienda & enucleanda. Et ne Summa hæc velut cadaver oſſeum ſine carne & nervis deformior videretur, habita tamen ſemper ratione Summæ quæ nos uſquequaque effundere cohibebat; ut non pauca etiam acriori Lectorum indicio relicta eſſe voluerimus, quis enim in iſtis terminus aut finis eſſet? Sed nec ingenio meo ac labori ita confido, ut difficultatum earum obſcura & aſpera æquatis ad amuſſim omnibus ſalebris me explanaviſſe exiſtimem, aut in rebus tam multis & arduis omnia ad quadrum ita concinnaſſe ut non ſuperſit Momo quod carpat. Meliora & profundiorum quæſtionum ſolutioni aptiora proferenti, præjudicium in his controverſiis fieri nolim: ſæculum hoc viris abundat exculti ſſimis qui ſi altius ſapiant, etſi aliquid probabilius inquirendi occaſionem ex his deſumant, nec oleum operamque me perdidiſſe arbitrabor; nam & ſi quid aptum & idoneum in iis proferamus, non defuturi ſunt qui æquitatem cauſæ noſtræ tueantur: at ſi quid abſonum ſit, quid emendari ab aliis metuimus?

Videant tamen qui aculeum in aliorum opera infigere pruriunt, quid aſſerendo, quid referendo tantum, qui id aſſertivè, quid hiſtoricè ſcripſerimus, plura enim ſunt à nobis narrata non probata, nec laudata, ſicut & in ipſa Scriptura ſacra Veteris Teſtamenti, quam lib. 22. cap. 45 contra Fauſtum Manichæum, non aliter defendebat D. Auguſtinus, cum opponeret aut Patriarchas malos fuiſſe, aut ſcriptores qui eorum acta narrarent falſos & mendaces. Scriptura quippe nullius perſonam adulandam ſuſcipit & inſtar ſpeculi fidelis pulchra indicat & deformia; videant ne in dictis meis tricentur, ne ex ſolo ſuo guſtu de probabilitate

doctrinæ judicent, ne ex avulsis à contextu reliquo aliquot verbis pronuntient, priora ne posterioribus defraudent quibus aliqua magis elucidantur. Atque si ita se habeant, potius gratias illis agere parati sumus, seu in hac vita seu extra eam degamus, cum nihil nobis ingratum magis ac invisum esse possit, quam tantillam erroris ansam posteris relinquere. Non quæro in illis gloriam meam nec utilitatem ullam, sed cum zelus domus Dei excitarit me ad aliqua jamdudum evulganda scripta in juvamen animarum, earum maximè quæ in gremio Ecclesiæ Catholicæ perseverant, quidni etiam me impulerit ad aliquid tentandum, quo tot homines litterari & in hoc Galiæ Regno & in exteris nationibus Lutheri aut Calvini dogmate delusi, in quorum manus forsan hæc Summa incidet, ex attenta meditatione aliarum hæresum in Conciliis præscriptarum, agnoscant se ex collatione sæculorum, non in alia se esse sorte quam fuerint hæretici veteres adversus Pontificem rebelles & ab Ecclesia Christi in terris militante extranei?

In Epist. 18. Romæ damnatis 6 Septembris 1657.

Nec ad alium scopum tendunt quæ contra sectam Prædestinianorum in Jansenistis redivivam, excepto inferno in quo non conveniunt, variis in locis pro data occasione agitantur, cum hæc post damnationem adhuc vigeat & variis artibus se sustentet. Etsi vero videatur jam aliud agere nec dogmata fidei ut ante, sed dogmata morum discutere: si tamen rem penitus inspiciamus; eam proculdubio eumdem lapidem adhuc movere inveniemus, sed sub alio pretextu, quo plures zeli ferventioris decipiantur, ut non omninò frustra ante oculos pennatorum rete suum adhuc jaciat. Nam cum antea persuadere vellet mandata Dei impossibilia esse, pluribus impossibile esse vitare peccatum ac necessariò in illud impingere, gratiam pluribus deesse & alia iis antecedentibus consentanea, vix longè diversum molitur in Theologorum moralium impugnatione, cum illis improperat tanquam errata quæ suis assertionibus damnatis opposita sunt, cum tot regulas generales sine ulla exceptione sicut & sine ratione statuit, cum tam arduum absolutionis beneficium efficit, ac tot spinas in itinere spargit, ut si tantisper adhuc progrediatur, impermeabile multis persuasura sit: denique cum tot Theologos, ac orbis magistros proscribit & dilacerat. A judicio temerario liberet me Deus, sed in his persentio easdem insidias quas primo moliebatur, eoque magis fugiendas quo sub pallio perfectioris viæ viros bonos etiam alliciat, etiam si procul amandatis Topicorum locis nullis demonstrationibus munita sit, sed jocis abundet. O nos cæci & miseri qui ubi de peccato mortali & gehennæ incendiis agitur, jocamur & colludimus.

Franciscus Salesius, Episcopus Gebenens.

Simile quidpiam passus est aliàs B. Franciscus Salesius Gebenensis Episcopus cum Philoteam evulgasset primum, seu librum præ notatum titulo Introductionis ad vitam devotam: (quamvis omnis comparatio claudicet, nec discrimen aliquod desit:) insurrexerunt enim plures zelo æstuantes, professione etiam Religiosi, contra librum illum qui pietatem cum secularium vita componebat, qui inter aulicos etiam illi locum assignabat, qui sponsi terrestris amorem cum sponsi cœlestis amore pacem inire posse non diffitebatur, qui nubilibus puellis comptiorem ornatum permittebat, qui easdem, se posito periculo, choræis interesse sine creatoris offensa docebat. Hæc & similia quædam adeo videbantur illis intolerabilia ut librum passim tanquam pernicioſum & maximè noxium traducerent palam: adeout unus ex illis, referente illustrissimo Episcopo Bellicensi inter varia gesta ejusdem Gebenensis Episcopi pluribus voluminibus descripta, cum ex suggestu cononciatorio multa in illum librum debacchatus fuisset quem in manibus habebat, illum etiam in terram projecerit, factus iracundior pœnas quaslibet Authori illius imprecatus, qui tam latam salutis viam ac laxas in vita Christiana opiniones doceret, quas quibuslibet atris caracteribus inficiebat, ut quæ magis perderent quam ædificarrent animas. Quid tandem consequuti qui tantopere fremuerunt? dissipata est cum sonitu tempestas ista, liber toties editus est & divenditus ut Typographos suos divitiis auxerit, tot fœlices progressus in vita spirituali apud plurium animas habuit ut id sermonè vix possit explicari, & quo utilitas tanta ad plures nationes derivaretur pluribus linguis redditus fuerit non sine fructu maximo ad propagandam undequaq; religionem. Quod etiam non minimum momentum habiturum est ad Authorem suum inter Cœlites solemni Ecclesiæ decreto inscribendum.

Dans l'esprit de M. de Geneve.

Nec ista à me scribuntur quasi tam sancto ac illustri Episcopo Theologos omnes morales æquiparare velim, ut jam insinuatum est. Absit hoc à me, quotus enim quisque est ex illis quem sine erroris saltem dubii suspicione inoffenso decurras pede sicut de libris D. Hilarij Pictavensis Episcopi scribebat D. Hieronimus ad Lætam. Sed modus servandus est & à nimio cavendum: unde cum hanc ultimam nostri temporis controversiam minus enucleare mihi propositum fuerit, in expectatione constitutionis alicujus Pontificiæ si expedire visa fuerit, ac ab eo tempore quo opus hoc metam attigit, dum quibusdam illius appendicibus insisto, varia Episcoporum judicia emanasse, quibus etiam subscripserunt plus, ut fertur, Parochi rurales, qui ex auditu solo aliquot ejus momenta satis breviter audierunt, etsi illa legisse nondum concessum sit, alia quoque in dies emanatura audio; quæ ad majorem judicij æquitatem conferre aut inservire possunt, alienum non est ab instituto Theologi si modestè proponat sine cujusquam præjudicio; ne forsitan in turba errorum circa res mora-

les, aliquid etiam inferatur quod fidei dogmatibus non sit consonum aut Authoritati Summi Pontificis deroget. Itaut magis suggerendo quam quid quam definiendo hic agam, multo magis desiderans ab aliis doceri quam quemquam docere: etsi mihi grave sit, sapientissimos Theologos qui cum scholasticâ moralia conjunxerunt pro nihilo reputari, ac illos qui probationem habent, quâ vix major potest desiderari extra Concilia Oecumenica, sic pessumdari in pluribus ex suis assertionibus, ut nobis novis Theologicarum rerum Magistri quærendi sint, cum antiquiores qui suo tempore tanquam oracula quædam consulebantur in perplexis conscientiæ casibus, in errorem nos miserint, si omnia illa vera sunt quæ obtruduntur.

Etsi vero generatim tantum hanc controversiam moralium attingamus donec præterlabitur torrens ac data opera singulares difficultatum nodos minimè dissolvamus: Attamen nobis tacentibus loquuntur Provincialia aliquot Concilia ex iis quæ à Summo Pontifice confirmata sunt, nam Mediolanense primum sub S. Carolo Boromæo cui vix in severitate morum par quisquam, præscribit Parochis Summam Antonniam vel aliam ab Episcopo delectam: ac Mechlinienſe per Mathiam Hovium Archiepiscopum Mechlinienſem anno 1607. celebratum designat confessariis ad hauriendam scientiam necessariam pro exercendo judicio pœnitentiali super animas, sanguine Christi redemptas, aliquos Casuitas, quorum lectioni maxime vacent, scilicet Directorium Polanci, Manuale Navarri aut ejus compendium, Summam Toleti & Enchyridion Binsneldij & similes. Quod proculdubio avertens oculos à propriæ Provinciæ decretis non advertebat R. Yprensis Episcopus, cum in libro proœmiali cap. 8. sui Augustini tam atrociter post exsibilatos Theologos scolasticos sævit in morales, quasi vitiorum antistites essent, quasi uniuscujusque cupiditati improbè servirent laxis nimium opinionibus, si eorum sensa noscantur, itaut tantum necesse sit sceleratiores fieri homines, ut nova regula magis licentiosa fabricetur ab ipsis, ut loquitur, neminem ex his nominatim excipiens.

At quot sunt in solis memoratis Casuum definitoribus, quæ Epistolarum sub nomine amici ad Provincialem conscriptores irridenda exponunt? Siccine nullius sunt ponderis apud ipsos, Canones horum Conciliorum quæ firmavit authoritas Apostolica, quæ etiam Cardinalis Bellarminus (licet hoc nondum definiamus) infallibilem authoritatem obtinere docuit l. 2. de Conciliis c. 5. Siccine lectionem horum librorum probabunt Concilia & Pontifices quæ corruptioni morum & quibusvis flagitiis patrocinia impenderent? quasi salutaria essent in Gallia Belgica quæ in Celtica rejici mererentur, sicut quædam poma quæ non nisi in patrio solo venenata sunt. Quo ergo se vertet homo laïcus? à quo se deceptum dicet in hujusmodi conscientiarum anfractibus? Atqui tres ex illis fulciunt sententiam unanimi consensu, (Navarrus, Toletus, Binsfeldius) ad quam concutiendam tot arietum & catapultarum machinas erigunt. An falluntur Concilia & Pontifices cum tales viæ Duces confessariis tribuunt? ad quem ibimus ergo qui in via mandatorum rectà nos deducat inter tot itinerum ambages? de quibus nihil determinans, non potui saltem non monere ut suggestio hæc amplioris tractatus loco sit, & ne viderer Theologorum clarissimorum causam omninò neglexisse, si parcior sim in hac ultima controversia nostri temporis, quam gravissimam existimo & dignam quę pro plurium quiete animarum & salute, sedatis affectibus, discussis ignorantiæ nebulis, fraudibus detectis, abjecto eo omni quod vile & reprobum est in aliquot scriptoribus, retento eo quod integrum, dicernendo consilia à præceptis & ea quæ non prohibita lege divina à prohibitis, similiter perfecta ab imperfectis & ea quæ non licent ab iis quæ non decent, ponderatis casuum circumstantiis & restrictionibus; servato etiam varii juris discrimine, attentis constitutionibus & Bullis Pontificum Romanorum ne iis derogetur, inspectis Doctorum ac professorum Theologiæ qui præcesserunt conclusionibus, ne à discipulis damnentur Magistri, pupilla mentis non cæcutiente ab experto & studioso illustretur. Addo insuper, ut omnis res habet duas ansas juxta tritam priscis paræmiam, arripiendo vasculum per illam ansam, quæ ab igne distat, non per eam quæ cum igni sit proxima calore exæstuat & nigredine fuligineque fœtet. Nec negligendo rationem quæ divinum quid est in homine, nec pariformiter philosophando in disparitate rerum, nec in earum paritate difformiter ac diversimodè cum id absurdum sit, denique comparatis inter se Epistoli illis ac Casuitis per Concilia illa laudatis, maximè propter confirmationem Pontificis, qu cum tantum pondus addat Conciliis Oecumenicis, nonnihil etiam confert Provincialibus est enim successor D. Petri, in quo post traditam actu potestatem clavium & non tantum p futuro promissam, D. Hieronimus hæreticorum malleus errori locum non agnoscebat Math. cap. 16. *ædificabo*, inquit, *super te Ecclesiam meam & tibi dabo claves*, &c. qu si statim dedisset ei, numquam in eo pravæ confessionis error invenisset locum. Quæ cu ita sint, nec nos debemus vereri ejus ductum sequi in doctrina fidei & morum, ejus judi nos sistere, ac scripta omnia corrigenda, ubi opus fuerit, humillimè submittere sicut n submitto.

SUMMA PRIVILEGII PER REGEM Chriſtianiſſimum conceſſi.

LUDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus diplomate ſuo ſanxit, ne quis, *Summam Conciliorum cum additionibus & emendationibus M. LVD. BAIL. Doctoris Pariſienſis*, præter prædicti M. L. BAIL voluntatem, ullo modo intra ſeptennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Galliarum Regis ditiones importet, venalemque habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & alia gravi pœna mulctabitur, uti latiùs patet in Privilegio DATO Lutetiæ Pariſiorum 7. Octobris M. DC. LXVIII.

Signat,

LEGER.

Prædictus D. L. BAIL, jus illud ceſſit Margaritæ le Blond, Viduæ defuncti Gervaſij Alliot, Jacobo Dallin, & Ægidio Alliot Bibliopolis Pariſienſibus.

Jus autem illud ſuum ceſſerunt, prædicta Vidua Alliot, Franciſco & Gervaſio Clouſier, Jacobus autem Dallin Frederico Leonard, Bibliopolis item Pariſienſibus.

Inſcriptum Regeſto Bibliopolarum Pariſienſium juxta decretum Senatus. Die 14. Februarij 1669.

ANDR. SOUBRON, Syndic.

Editio præſens perfecta eſt Die 15. Julii 1672.

INDEX CHRONOGRAPHICUS CONCILIORUM

Hujus Tomi primi.

SYNODUS Sanctiſſimæ Trinitatis de Salute Hominis per Chriſtum Redemptorem ab æterno in mente Dei. pagina 113

Concilium Angelorum celebratum anno mundi 2399. in Auſitide regione Aſiæ ad providendum rebus S. Iob, præſidente aliquo Hierarcha ex ſuperioribus Angelis. 114

Synodus ad renovandum fœdus cum Deo, habita in terra Sichem ſub Eleazaro Summo Pontifice ac Ioſue Principe, anno mundi 2593. 116

Synodus Ieroſolymitana ſub ſummis Pontificibus Sadoch & Abiatar regnante David anno mundi 3020. pro diſtribuendis Levitis in varias Claſſes ad miniſterium templi, 117

Synodus Hieroſolymitana ſub Ezechia Rege & Azaria Summo Pontifice pro reſtituenda religione & ad eam revocandis à fide deviis Iraelitis, an. mundi 3308. 118

Synodus Ieroſolymitana ſub Rege Ioſia & Helcia Pontifice de reſtituenda religione, an. mundi 3412. *ibid.*

Synodus Ieroſolymitana ſub Eliazibo ſummo Sacerdote ac Duce Nehemia pro reſtituendo Codice ac Canone ſacrarum Scripturarum circa annum mundi 3609. 119

Synodus Hieroſolymitana de vertendis in Græcum ſcripturis ſacris & mittendis in Ægyptum interpretibus ſub Eleazaro Pontifice anno 230. ante Incarnationem: Mundi vero 3793. 120

Synodus Alexandrina ſub Ionatha Pontifice & Ptolomæo Philopatore Rege Ægypti de veritate religionis ac ſanctitate templi Hieroſolymitani, circa annum mundi 3859. *Ibidem.*

Synodus ſub Iuda Machabæo contra Saducæos hæreticos, circa annum mundi 3890. 121

Concilium Hieroſolymitanum ſub Herode Rege & Matthia ſummo Sacerdote, de hac quæſtione ubi Chriſtus naſceretur, anno Chriſti primo, mundi 4051. 122

Synodus Ieſu-Chriſti in Cæſarea Philippi anno 33. ejuſdem Chriſti. 125

Concilium Hieroſolymitanum ſub Caïpha Pontifice & Imperat. Tiberio propter miracula Chriſti celebratum, an. ejuſdem Chr. 31. 126

Concilium Hieroſolimitanum ſub Caïpha Pontifice Tiberio Imperatore dum captus eſſet Chriſtus an. ejuſdem Chr. 34. 129

SECVNDA CLASSIS,
Conciliorum Generalium quæ in Oriente celebrata ſunt.

CONcilium Apoſtolorum Generale Hieroſolymis habitum pro condendo fidei ſymbolo ac Canonibus regiminis Eccleſiaſtici, nec non aſſignandis Regionibus unicuique ex ipſis, D. Petro præſide anno Chriſti 44. 130

Canones Apoſtolorum de bono ordine Eccleſiaſtico per S. Clementum Romanum in unum congeſti, 135.

Concilium Nicænum I. ſub Sylveſtro Pontifice præſidentibus ejus Legatis Hoſio, Victore & Vincentio pro defenſione Verbi Divini contra hæreſim Arii, &c. tempore Conſtantini Magni anno Chriſti 325. 148

Appendix Concilii Nicæni, ſeu Concilium Sardicenſe in Thracia ſub Iulio Pontifice, præſidentibus ejus Legatis Hoſio Epiſcopo cum Archidiamo Philoxeno Presbyteris contra Arianos tempore Conſtantii & Conſtantis Imperatorum, anno Chriſti 347. 182

Concilium Conſtantinopolitanum I. tempore Damaſi Papæ & Theodoſii Iunioris, 150. Patrum contra hæreſim Macedonii & Apollinaris, &c. anno Chriſti 381. 191

Concilium Epheſinum ſub Cœleſtino Papa præſidente Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, tempore Theodoſii Iunioris contra Neſtorium alioſque hæreticos celebratum anno Chriſti 431 202

Concilium Chalcedonenſe, ſeu quarta Synodus Oecumenica 630. Epiſcoporum contra Eutychem Abbatem & Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum ſub Leone I. ſummo Pontifice & Valentiniano & Marciano Imperatoribus, anno Chriſti 451. 244

Concilium Conſtantinopolitanum II. ſeu Synodus quinta centum ſexaginta Epiſcoporum propter Controverſiam trium Capitulorum ac errores Origenis repullulantes, congregata ſub Vigilio Papa & Iuſtiniano Imperat. anno Chriſti 553. 274

Concilium Conſtantinopolitanum III. Generale, ſeu Synodus ſexta ſub Dono Papa Rom. convocata, ſub Agathone præſidentibus ejus Legatis celebrata & ſub Leone II. finita contra hæreticos Monothelias tempore Conſtantini dicti Pogonati anno Chriſti 681. Patrum 289. 290

Concilium Nicænum II. Generale ſeu ſeptima Synodus ſub Adriano I. hujus nominis Pontifice Rom. & Conſtantino quarto Imperat. ac Irene ejus matre, Epiſcoporum 350. contra Iconomachos ſeu Imaginum ſanctarum hoſtes habitum an. 787 tempore Caroli-Magni, 345

Concilium Conſtantinopolitanum IV. Generale ſeu octava Synodus 102. Epiſcoporum an. Chriſti 869. die 5. Octob. inchoata & anno ſequenti 870. ult. Februarii abſoluta. In cauſa Photii & Ignatii pro Patriarchatu Conſtantinopolitano tempore Adriani II. & Baſilii Imperat, 382

TERTIA CLASSIS.
Conciliorum Generalium quæ in Occidente celebrata ſunt.

COncilium Lateranenſe I. Generale IX. trecentorum & amplius Epiſcoporum pro pace & concordia inter Eccleſiam & Imperium ineunda celebratum anno Domini 1122. in Quadrageſima tempore Calixti Papæ II. & Henrici Imperatoris V. 396

Concilium Lateranenſe II. Oecumenicum X. anno 1139. approbatum ſub Innocentio II. ſummo Pontifice tempore Coradi Imperatoris, 400

Concilium Lateranenſe III. Oecumenicum XI. anno 1179. approbatum, 300. Epiſcoporum pro reformanda in fide & moribus Eccleſia contra hæreſes Catharorum (quos Vualdenſes & Albigenſes alii appellant) & ſchiſmaticos ab Antipapis ordinatos, celebratum anno Domini 1179. tempore Alexandri Papæ III. & Friderici Imperat. I. 404

Concilium Laternnenſe IV. Generale XII. an. 1215. approbatum, 400. Epiſcoporum 800. aliorũ Patrum, Abbatum, Decanorum & Priorum Conventualium, contra Albigenſium & Almarici hæreſes & Abbatis Ioachimi errores; pro Eccleſia in fide & moribus reformanda, proque terra Sancta à Turcis recuperanda, celebratũ an. 1215. tempore Innocentii Papæ III. & Friderici Imper. vel potius adhuc Regis Germaniæ II. 413

Concilium Lugdunenſe I. Generale XIII. an. 1245. approbatum, 140. Epiſcoporum, in cauſa Friderici Imperat. expeditioniſque in Terram Sanctam ſuſcipiendæ, celebratũ tempore Innoc. IV. 438.

Concilium Lugdunenſe II. Generale XIV. contra Græcorum errores ac pro recuperatione Terræ Sanctæ, celebratum anno 1274. tempore Gregorii X. ac Rodulphi Imperat. 446

Concilium Viennenſe Generale XV. trecentorum & amplius Epiſcoporum quo Tẽplarii extirpantur: hæreſes Petri Ioannis, Begardorum & Beguinarum condemnantur, expeditioque pro recuperanda Terra Sancta ſuſcipienda decernitur an. 1311. tempore Clementis Papæ V. & Henrici Imperat. 454

Additio ad Concilium Viennenſe Generale ſub Clemente V. tempore Philippi Pulchri Regis Galliarum, celebratum anno 1311. 455

Concilium Conſtantienſe Oecumenicum 150. Epiſcoporum Imperante Sigiſmundo, cauſa Schiſmatis tollendi cum tres pro Pontificibus ſe gererent anno 1414. 472

Concilium Baſileenſe univerſale ex parte reprobatum, Sigiſmundo Imperante, pro reformanda Eccleſia inchoatum anno 1431. Pontificatus Eugenii IV. anno 1. 491

Concilium Florentinum 141. Epiſcoporum ſub Eugenio Papa IV. an. 1438. & 1439. &c. celebratum contra errores Græcorum in præſentia Ioannis Palæogoli Conſtantinop. Imperatoris. 514

Concilium Lateranenſe V. ſub Iulio II. & Leone X. tempore Maximiliani Imperat. an. 1512. pro reformatione & pacificatione Eccleſiæ, 607

Concilium Tridentinum ſub Paulo III. & Iulio III. ac Pio IV. contra Lutheri ac aliorum hæreticorum errores nec non pro pace inter Principes ac reformatione Eccleſiæ inchoatum ann. 1545. ac cum aliquamdiu fuiſſet interruptum, finitum tandem an. 1564. tempore Caroli V. & Ferdin. I. 621.

Concilium Generale ultimum Iudicii univerſalis ſuper omnia Hominum Opera, præſide Ieſu-Chriſto, aſſidentibus Apoſtolis, anno incerto, 796.

TABULA JOVERIANA CONCILIORUM G

Anno Domini.	*Concilia OEcumenica.*	*Intercesserunt Anni.*	*Summi Pontifices.*	*Imperatores.*
330	Nicænum primum.		Sylvester.	Magnus Constantinus Augustus.
		54		
372	Constantinopol. I.		Damasus.	Magnus Theodosi
		41		
413	Ephesinum.		Cœlestinus.	Theodosius junic
		30		
443	Chalcedonense.		Leo I.	Marcianus.
		102		
545 554	Constantinopolitanum II.		Vigilius.	Iustinianus.
		129		
719	Constantinop. III.		Agatho.	Constantinus Pogonatus.
		109		
794	Nicænum II.		Adrianus I.	Constantin. & Ir mater ejus.
		120		
514	Constantinop. IV.		Adrianus II.	Basilius Macedc
		466		
1180	Lateranense.		Alexander III.	Corradus Suevu
		35		
1215	Lateranense.		Innoc. III.	Henricus VI. G manus Cæsar.
1246	Lugdunense.			
			Gregorius X.	Vuilhelmus Ger nus Cæsar.
1305	Viennense.		Clemens V.	
				Albertus Germa Cæsar.
1415	Constantiense.		Ioan. 24. cui depositio succedit Mart. V.	Sigismundus.
1431	Basileense, Florentinum.	*Tollitur schisma Pont.*		
			Eugenius IV.	Maximilianus & Fredericus.
1513	Lateranense.		Iulius II. & Leo X.	Maximilianu Cæsar.
1545	Tridentinum.		Paulus III.	Carolus V. Ger nus Cæsar.

Videt hic aliquot deesse Concilia ex generalibus, quod de eorum numero apud em

SUMMA

APPARATUS
AD SUMMAM
CONCILIORVM.

De Triplici Verbo Dei.

VNICVM est Verbum Dei personale, æternum & consubstantiale Patri, immensum, infinitum, subsistensque ante tempora, quod cum Patre & Spiritu sancto universam condidit creaturam, & quod propter humanam incarnatum est in tempore, mirabili modo uniens semetipsum cum humana carne, ut in eâ agendo & patiendo satisfaceret pro peccatis hominum, & quæ damna illis intulerat primus Adam, ea resarciret, mediaque omnibus suppeditaret, quibus gloriam æternam consequi possent. Præcipuus autem cardo salutis hominum in eo est, ut cognitione & amore Verbo adhæreant: quod triplici verbo perfici potest, verbo scripto quod est Scriptura sacra, verbo non scripto quod est traditio, & verbo explicato, cum debitâ authoritate per Ecclesiam ad quam pertinet quæ difficilia sunt, operta, aut dubia in verbo scripto & non scripto propalare, explicare, determinare. Quod fit præsertim per summum Pastorem seu extra Concilia seu in Conciliis. Isque modus ultimus magis probatus est, & cum majori suavitate ei plures acquiescunt, ut nihil ulterius contendendum existiment. Hinc est quod in hac Summâ Conciliorum præludium hoc præmittimus de triplici Verbo Dei, scripto, non scripto, ac definito in Conciliis, in quibus certiorem cognitionem habeamus Verbi Incarnati, ejus doctrinæ sanctissimæ, legis immaculatæ illius, Ecclesiæ, Sacramentorum, per quæ omnia ad ipsum afficiamur & cum eo societatem talem habeamus, quâ ad visionem Patris æterni perveniamus.

Ratio hujus apparatus.

DE VERBO DEI SCRIPTO.
PARS PRIMA.

Quid est Scriptura sacra?

Definitio Scripturæ sacræ.

VErbum Dei hominibus revelatum & per Scriptores ab Ecclesiâ approbatos litteris consignatum, ad docendum primario Jesum Christum Redemptorem humani generis ex servitute peccati, mortis ac diaboli, ut homines in eumdem Christum credant, & credentes vitam æternam habeant.

Idem. alit.

Omne Verbum Dei hominibus revelatum continetur-ne in Scripturâ sacrâ?

Minimè, est enim aliud etiam Verbum Dei traditum, hominibus quidem à Deo aspiratum, non tamen scriptis mandatum, unde traditiones. Sed & plura Dei verba quæ scripta erant, perierunt.

Quomodo dividitur Scriptura sacra?

Divisio Scripturæ sacræ.

Communiter dividitur in Vetus & Novum Testamentum, seu in libros ad legem veterem seu Mosaïcam spectantes, & libros ad novam seu Christianam legem.

Quid Vetus Testamentum?

Collectio illa librorum sacrorum quæ promittunt venturum liberatorem cum præceptis legis antiquæ.

Quid Novum?

Collectio illa librorum sacrorum quæ promissum liberatorem ut præsentem exhibent cum præceptis novæ legis, ita ut venturum adhuc in carne gloriosa ad judicium repræsentent.

Qui libri illi?

Œconomia Scripturæ sacræ.

Libri veteris Testamenti ad legem Mosaïcam spectantes dividi possunt in quatuor classes, scilicet in Legales: quales sunt quinque libri Moysi, seu Pentateuchus, Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum & Deuteronomij. Historiales, scilicet Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Job, Esdras, Tobias, Judith, Ester, Machabæi. Sapientiales, ut Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Et libri Prophetales, Psalmi David, quatuor majores Prophetæ, Isaïas,

Jeremias, Ezechiel, Daniel: & duodecim minores Oſee, Joel, Amos, Michæas, Abdias, Jonas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Quæ diviſio in quatuor claſſes intelligenda eſt quantum ad id quod in illis præcipuè & copioſiùs tractatur, non enim impermiſtæ ſunt omninò, ſed unaquæque pars aliquid participat de cæteris partibus. Porro libri novi Teſtamenti & ad Legem Chriſtianam ſpectantes ſunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, legalibus libris correſpondentia. Acta Apoſtolorum, quæ hiſtorialibus correſpondent. Epiſtolæ D. Pauli 14. una D. Jacobi, duæ D. Petri, tres D. Joannis & una Judæ, quæ libris Sapientialibus correſpondent, & Apocalypſis quæ Prophetarum libris.

Quare Librorum illorum collectiones vocantur Teſtamentum vetus & novum?

Duplici ratione, prima quod quemadmodum Teſtamentum, carta eſt ſcripta in quâ declaratur ultima voluntas hominis, ſic in illis libris continetur ultima Dei voluntas & lex quam Deus velit ab hominibus ſervari: ſecunda, quod Teſtamentum eſt quo bonorum defertur hæreditas, intercedente teſtatoris morte, quâ contingente, cùm eſſet antea clauſum & obſignatum, aperitur: ſic enim per Libros ſacros defertur nobis hæreditas cœleſtis, & Chriſti morte in eâ confirmamur, iiſque apertis legimus in eis nos eſſe Dei hæredes ac cohæredes Chriſti, ſi cum illo ſuſtineamus.

Quomodo cognoſcimus Libros illos eſſe à Spiritu ſancto?

Per teſtimonium Eccleſiæ, quæ continuâ ſucceſſione ab initio uſque ad hæc tempora hos Libros ut à Spiritu ſancto inſpiratos recepit, ut ex iis fidei aſſertiones certæ conſtarent, quorum ſententias in dubium revocare non liceret, ex quibus via ſalutis diſcenda eſſet, Dei voluntas inveſtiganda, religio haurienda, & convincendi omnes veritatis adverſarij. *D. Auguſtinus.* Quâ de re D. Auguſtinus lib. 3. contra Fauſtum c. 6. Quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus auctoritatis ſi Evangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo Libro certum erit cujus ſit, ſi litteræ quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia ab ipſis Apoſtolis propagata & per omnes gentes tantâ eminentiâ declarata utrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt? Platonis, Ariſtotelis, &c. Libros unde noverunt homines quod ipſorum ſunt, &c. Unde conſtat quid cujus ſit niſi ſucceſſione? quis dicat hoc meteri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam tam fidam tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent, cum eorum cathedras uſque ad præſentes Epiſcopos firmiſſimâ ſucceſſione ſervaverint.

Quales ſunt Libri illi Scripturæ præ aliis Libris?

Declarat D. Auguſtinus lib. 3. Confeſſ. cap. 5. Inſtitui, inquit, intendere animum in Scripturas ſanctas ut viderem quales eſſent: & ecce video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam & velatam myſteriis. Adde quod nulla ſcriptura in tanta unquam veneratione habita eſt, totque linguarum litteris cuſtodita. Nulla tam incontaminata & pura ab omni falſitatis ſuſpicione, quantumvis Authorem probatum habuerit. Nulla quæ ſic veritates doceat ad ſalutem animæ neceſſarias, cum Chriſtum doceat qui ſolus eſt via, veritas & vita, & vera lux ſine quâ totum quod agit homo tenebroſum eſt.

Ut quid tam obſcura ſunt?

Reſpondet idem D. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 6. id proviſum eſſe divinitus ad edomandam labore ſuperbiam & intellectum à faſtidio renovandum, cui facilè inveſtigata facilè vileſcunt.....Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus in ſcripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Sed & plures alias hujus obſcuritatis rationes ſuppeditat in Bibliothecâ Photij Presbyter Jobius.

Quod argumentum aut objectum Scripturæ ſacræ?

Chriſtus Deus & homo. Siquidem vetus Teſtamentum ipſum præfigurat ac promittit hominibus, Novum Teſtamentum ipſum præſentem exhibet. Et quidquid tractatur aut agitur in illis Libris eſt propter Chriſtum & ad ejus myſteria delineanda, ut homines illi fide, ſpe & charitate adhærerent. Chriſtus ubique librorum illorum mihi occurrit & reficit, ait D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. & ipſe Chriſtus Joan. 6. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem ille miſit.* Quaſi Deus nihil aliud intenderet ſatageretque omnibus ſcriptis & operibus, quam ut in Chriſtum crederent homines. *1. Chriſtus objectum Script. &c.*

Nunquid plura inveniuntur in his libris quæ ad Chriſtum nihil pertinent?

Nihil prorſus: nam & ea quæ nihil videntur ad Chriſtum attinere, ſunt propter ea quæ ad Chriſtum pertinent: ſicut in aratro, quæ terram non ſcindunt ſunt propter ferrum, quo terra ſcinditur. Et ubi nihil auditur de Chriſto, aliquid agitur ut figuretur, juxta quod ſcribit D. Auguſtinus lib. 4. contra Fauſtum cap. 2. Illorum hominum non tantum lingua, ſed & vita prophetica fuit. & lib. 2. c. 7. omnia quæ illis continentur libris vel de ipſo ſunt vel propter ipſum.

An hoc æquè dici poteſt de utroque Teſtamento?

Omninò, ſervato diſcrimine duplicis Chriſti adventûs, primi quidem in carne paſſibili & in ſtatu mortali ad patiendum pro redemptione hominum: Secundi verò in ſtatu impaſſibili & glorioſo ad judicandum homines, juſtoſque beatitudine æternâ donandos. Nam lex antiqua & vetus Teſtamentum remittit homines ad primum Chriſti adventum, ut in ejus fide ac ſpe & dilectione ſalutem invenirent. Lex verò nova & novũ Teſtamentum magis remittit homines jam de primo adventu redemptos ad ſecundum adventum, ut in ejus fide, ſpe ac dilectione perfectionem ſuam conſequantur: ſicque Chriſtus objectum eſt in quod collineant omnes ſcripturæ & quod intuentur omnium ſæculorum homines, Chriſtiani maximè, à quorum oculis velamen remotum eſt, quod poſitum erat ſuper oculos Judæorum, dum Moyſem & ſcripturas ita legerent, ut in illis Chriſtũ non aſpicerent; Et quorum perfectio in eo eſt, ut ſicut Judæi primum Chriſti adventum expectabant ad illumque aſpirabant, ſic illi ſecundum Chriſti adventum ad Judicium expectent, ac ad illud ſe præparent juxta quod dicitur Lucæ 12. *Et vos ſimiles expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à Nuptiis.* *Duo adventus Chriſti.*

Qua verſio Scripturæ ſacræ aliis præferenda?

Jamdudum ſolvit hanc quæſtionem D. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 14. in ipſis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur: nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ, Eſt autem hæc Itala interpretatio à D. Auguſtino commendata vulgata noſtra editio, à D. Hieronymo correcta non mutata, quam retinendam cum omnibus ſuis partibus decrevit Synodus Tridentina.

Nunquid ſatius eſſet ad fontes ipſos recurrere textum nempe Hebraum aut Græcum alioſve in quibus ſcripturæ primum traditæ ſunt?

Rectè hoc fieret, ſi textus ipſi originales puri remanſiſſent. Sed corrupti ſunt partim per malitiam Judæorum & Hæreticorum, partim per errores aliorum. Cum autem vulgata editio ex iis textibus nondum corruptis ac depravatis deprompta fuerit, jure merito purior & magis immaculata debet haberi.

Qua ergo utilitas textus Hebraïci aut Graci ad cognoscendas scripturas?

Pleraque magis sunt significativa in textu originali, ubi nulla est repugnantia & contradictio, confirmat versionis vulgatæ fidelitatem, æquivocatio quæ in ea aliquando reperitur, per inspectionem textus originalis aliquando dissolvitur, in cujus verbis non est eadem ambiguitas, sed & plurium versionum inspectio obscuriores aliquas sententias elucidat, illustratque, dum res eadem pluribus modis exprimitur.

Probandane tot interpretationes ejusdem sententiæ Scriptura sacræ?

Si eæ interpretationes textui congruant & veritati aliorum locorum Scripturæ non contradicant, nec Ecclesiæ definitionibus Sanctorumque Patrum sententiis, nihil est in eis metuendum, quippe Spiritus sanctus per eadem verba potuit plura intelligere, ac plures interpretationes lectori occursuras prævidit, imò ut occurrerent cum veritate sint subnixæ providit, ut sic multa addiscerentur in paucis Scripturæ paginis.

An licet novam aliquam interpretationem sanctis Patribus incognitam afferre?

Nec istud repugnat, cùm manus Domini non sit alligata, nec adhuc penitus exhaustus scientiæ sacræ Thesaurus. Sed cavendum ne interpretatio illa contradicat Patrum sententiis, ita ut etsi sit præter mentem Patrum non sit contra illam. Nec aliud intendit Concilium Tridentinum Sess. 4. prohibens ne quis præter unanimem Patrum consensum scripturas interpretetur.

Quo animo accedendum erit ad lectionem Librorum sacrorum?

Cum animo humili erga Deum cujus verba & veluti quædam epistola de cœlo missa legitur, cui summa debetur reverentia, & admiratio quæ omnem contemptum amoveat, & si verba minus culta appareant, existimando stylum scripturæ dignum esse Deo cui alia congruit eloquentia quam hominibus, ita ut pro sua authoritate fide omni dignus sit, quamvis non probet quæ dicit, nullasque afferat rationes. 2. Cum animo constanti qui citò non frangatur obscuritate ac difficultate plurium sententiarum. 3. Cum animo incenso ac inflammato magnâ cupiditate quærendi & inveniendi Jesum Christum in omnibus scripturæ libris, cùm eum principaliter intendant. Ita ut si quis non inveniat Christum in aliquo scripturæ libro, non putet se quidquam in illo intelligere, seque tantùm habere litteram quæ occidit, non Spiritum qui vivificat, cùm sensus scripturarum de Christo Domino hominum redemptore sit veluti earum anima ac Spiritus vivificans. Et omnia gesta veteris Testamenti sint quædam figuræ & picturæ & signa & exemplaria & parabolæ, respectu gestorum Christi in novo Testamento, in quantum ea figurabant ac significabant, ita ut Lector spiritualis Scripturæ sacræ debeat procedere à lectione veteris Testamenti ad lectionem novi, tanquam à figura ad suum figuratum, à signo ad signatum, ab exemplari ad exemplatum, & à parabola ad suam veritatem: Joan. 1. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, inquantum ipse est Author gratiæ spiritualis ad implendam legem, & in seipso ac per sua gesta adimplevit quæcumque figurabantur per vetus Testamentum. Hæc enim sunt, ut fusè scribit Joannes Driedo Doctor Lovianensis in l. *de captivitate & redemptione generis humani*, quæ in Scripturis passim designantur, quæ in omni fermè Scripturæ loco iterum atque iterum inculcantur, exagerantur & repetuntur. Universa hæc in sacris litteris omnes quidem legunt, sed non omnes intelligunt quæ legunt, & idcircò mens legentium manet sæpè sine fructu. Hæc sunt de quibus tanquam de propria materia tractat totus liber Scripturæ sacræ: quæ etiam in hoc differt ab omnibus scientiis Philosophorum & aliis disciplinis, quia illæ tractant de operibus conditionis, hæc sola de operibus instaurationis. Proinde nisi quisque harum rerum habuerit verum intellectum, non poterit attingere verum Scripturæ sensum, neque Prophetas, neque Psalmos, neque legem, neque Evangelia, neque Apostolorum doctrinas rectè interpretabitur. Nam in lege & in omnibus fermè Psalmis, Scripturisque Propheticis insinuat Dei Spiritus operum redemptionis humani generis sublimia, veneranda, profundaque mysteria, &c. Quanti verò sit momenti eo spiritu Scripturas legere, sentiebat Doctor alius in Gallia Cardinales inter nominatus, qui congregationem Sacerdotum Oratorij eum ob finem instituit, ut quærerent Jesum Christum in Scripturis.

Jesus Christus quærendus in Script. sacris.

Testantur Sammarthani in Gal. Christiana &c.

Nunquid etiam in Scripturis sacris habenda est ratio sensus Litteralis, moralis & anagogici?

Ita est equidem. Nam quadruplex est sensus Scripturæ sacræ. Litteralis quo intelliguntur singula verba & periodi Scripturæ ac quid immediatè significant juxta leges ac præcepta Grammaticorum. Moralis quo referuntur ad ædificandam charitatem Dei & proximi, ac bene operandum verba ipsa ac sententiæ Scripturarum. Anagogicus quo referuntur ad spem firmandam æternorum bonorum. Allegoricus quo referuntur ad significanda mysteria Christi & Ecclesiæ. Nec dubium esse debet quin Spiritus sanctus hos quatuor sensus in variis locis intenderit: Attamen primarius ac palmaris sensus est iste allegoricus, quatenus Christum & Ecclesiam designat, quia Christus est finis & scripturarum & rerum omnium creatarum, ita ut lector Scripturæ potissimum sollicitus esse debeat de eo quærendo ac inveniendo in ea, juxta illud Cant. 3. *Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*, per vicos (id est) per libros veteris Testamenti, ac per plateas (id est) per libros novi Testamenti, in quibus sine difficultate deprehenditur.

Quanto tempore in Scripturis studendum est?

Docet D. Augustinus Epist. 3. ad Volusianum sic scribens: Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quod ad ea quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit sine qua piè rectèque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet (Eccles. 18.) cùm consummaverit homo tunc incipit.

Prior ne est Scriptura an Ecclesia?

Sumpto latiùs Ecclesiæ nomine pro congregatione servientium Deo in vera Religione, prior est Ecclesia, fuit enim hæc ante Scripturam & ipsi Ecclesiæ jamdudum existenti data est Scriptura.

Ecclesia prior est Scripturâ sacrâ.

An probanda vera Ecclesia per Scripturam vel è contra?

Quibus Scriptura credibilior est quàm Ecclesia, probanda erit Ecclesia per Scripturam, sicut fecit D. Augustinus contra Donatistas, qui Scripturas admittebant, Ecclesiam veram negabant. Lib. de unitate Ecclesiæ cap. 3. *Sunt certè libri Dominici quorum auctoritati utrique consentimus, utrique*

credimus, utrique ſervimus, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Quibus verò credibilior eſt Eccleſia, per ipſam probanda erit vera Scriptura: ſicut idem D. Auguſtinus contra Manichæos, qui pleraſque Scripturas negabant eſſe à Deo, lib. contra epiſt. fundamenti cap. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas.* Quod ſi nec Eccleſia nec Scriptura videatur cuiquam credibilis aut credenda, probanda erit primùm Eccleſia ex motivis fidei ſeu credibilitatis, ut cultus Dei rationabilioris, ordiniſque melioris, & ex aliis. Tum ex Eccleſia probanda erit Scriptura & in dubiis verus ejus ſenſus à falſo diſcernendus ex eodem D. Auguſtino lib. 1. contra Creſconium Grammaticum cap. 32.

Quæ partitio commodior librorum tam veteris quàm novi Teſtamenti?

Libri veteris Teſtamenti dividuntur in legales hiſtoriales, morales & prophetales, & quia vetus Teſtamentum nihil ferè aliud eſt quam figura & adumbratio novi Teſtamenti, his veteris Teſtamenti libris correſpondent libri novi Teſtamenti: Evangelia legalibus, Acta Apoſtolorum hiſtoricis, Epiſtolæ D. Pauli & aliorum Apoſtolorum ſapientialibus, Apocalypſis Prophetalibus.

Ad libros legales pertinent Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium.

Inter hiſtoriales reponuntur Joſue, Judices, Ruth, 4. libri Regum; duo Paralipomenon, Job, Eſdras, Tobias, Judith, Æſter, Machabæi.

Morales dicuntur Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus.

Prophetales ſunt Pſalmi David, quatuor Prophetæ majores, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel & 12. minores Oſee, Joël, Amos, &c.

Quod argumentum libri Geneſis qui eſt primus librorum omnium ſacrorum?

I. PARS LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI.

Hiſtoria creationis mundi, lapſus primi hominis in peccatum unde mala omnia in orbem inundaverunt, vitaque primorum hominum qui ferè per bis mille annos poſt peccatum variis ſubditi caſibus terram incoluerunt.

Quid in primo capite Geneſis perpendendum?

Tria in illo capite attendenda.

1. Quod Deus ſe unum & trinum in perſonis manifeſtat. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Eſt enim iſtud principium Verbum Divinum per quod facta ſunt omnia. Deus qui creavit, Patrem deſignat, & cùm additur *& Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, indicatur tertia perſona adorandæ Trinitatis.

Præcipua verò annotatione dignum videtur quod Moyſes in primis Scripturæ verbis, *In principio Deus creavit cælum & terram*, univerſam idololatriæ radicem penitus evulſerit, homines Deo obedientes reddiderit, vagamque ac incertam Philoſophiam de principiis mundi, ob quæ litigabant inter ſe ſapientes hujus mundi correxerit: quæ tria homini collata beneficia paucis verbis nemo queat ſatis expendere. Etenim, hoc ſemel poſito, quod Deus ſit illius mundi artifex & conditor, à cujus largitate & poteſtate profluunt omnia, non eſt quod homines ſibi aliud numen conſtituant, cui cultum & latriam deferant. Ex hoc principio pietas & religio ſecurè propagetur, ut non alteri contra ipſum ſuum authorem ſubmittant ſe, eique obſequantur. Sed & multiplicitas opinionum de principiis hujus univerſi, quæ in abſurda & ridicula dogmata impegit, conticeſcere debet, audito hoc effato Moſaico quod Deus è nihilo cuncta creavit. Valeant ergo ſcolæ Philoſophorum antiquorum Parmenidis, Meliſſi, Heraclidi, Democriti, qui vel Chaos, vel aquam, vel atomos, vel aliud quidpiam commentati ſunt ex quo res exordia ſumpſerint. Authoritas horum verborum has omnes ſententias contemnit, quandoquidem *in principio creavit Deus cælum & terram.* huic ergo ſoli honos, glòria & religio debetur.

Quantum virtutis in primis Scripturæ verbis.

2. In operibus ſingulorum dierum apparet Dei potentia, cùm tot res producit verbi unius, *fiat*, virtute: ſapientia in earumdem rerum diſtinctione, ac bonitas in earum quoque utilitate.

3. Quod ultimum & nobiliſſimum opus Dei ſit homo donatus gratiâ Dei & principatu ſuper hunc infimum orbem, dolorumque vacuitate ac immortalitate illuſtris.

Caput ſecundum Geneſis poſt brevem recapitulationem operum creationis in primo capite contentorum, explicat tria beneficia primo homini à Deo collata. Primum eſt, pulchra domus ad habitandum, ſcilicet paradiſus terreſtris. verſu 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis ab initio*, &c. *Tulit ergo Dominus Deus hominem & poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum.* *Tria beneficia Dei in hominem.*

Secundum eſt præceptum facillimum nihil grave & moleſtum continens: ac quaſi liberalis aliquis Dominus domum magnam alicui concredens, & ut dominium ſibi ſalvum maneat, parvum pecuniæ cenſum dandum ab illo præſcribens, verſu 16. *Præcepitque ei dicens, ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Magnam pœnam decernens, ut vel timore coercitus, mandatum cuſtodiret, & dato beneficio in æternum frueretur.

Tertium beneficium datum homini in illo ſtatu, fuit uxor longè pulcherrima, quam Deus condidit tunc miro modo, ut eam in matrimonium illi daret, illiuſque adjutorio & ſocietate viveret felicius & beatitudinis ſuæ ſtatum, filios progignendo & filias, alios communicaret. verſu 20. *Ada verò non inveniebatur adjutor ſimilis ejus: immiſit ergo Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus*, &c. nullius quippe boni ſine ſocio jucunda eſt poſſeſſio.

1. Beneficium.

Circa primum advertendum quam Deus fuerit beneficus erga hominem locum amœniſſimum, omnique bonorum ad vitam ſuſtentandam abundantia locupletem illi præparando: ſingularem enim illi amorem teſtatus eſt, non paſſus ut more cæterorum animalium huc illucque in terra vagaretur, ac victum quæritaret: Sed hoc in horto abundè omnia illi ſuppeditans quæ ad vitam felicem dolorumque expertem ducendam deſiderari poſſent. Illud ſiquidem annotare operæ pretium eſt, à loco illo voluptatis abfuiſſe omnes miſerias quas in pœnam peccati inflixit Deus Adamo & Evæ. Neque enim Deus, cùm juſtus ſit, tot miſeriis hominem ad ſui imaginem conditum abſque culpa ſubdidiſſet. Quare merito excandeſcit D. Auguſtinus contra Pelagianos qui has omnes miſerias homini in paradiſo terreſtri innocenti non defuturas putabant, & mortem & morbos & dolores parturientium & labores ad ſudorem uſque & ſpinas & amara plura. O inimici gratiæ Dei, ait, inimici paradiſi Dei, quo ampliùs progredi poteritis, quàm ſanctarum deliciarum dulcedinem amariſſimis pœnis impleatis, nihilque velitis eſſe paradiſum quam gehennam minorem! Unde tam ex deliciis paradiſi, quàm ex miſeriis præſentibus rectè infert peccatum originale;

2. Beneficium.

Circa ſecundum advertendum eſt, Evam jam fuiſſe productam, cùm præceptum datum eſt Adamo. Id quod indicat verſio ſeptuaginta Interpretum

quæ habet in plurali numero, *ne comedatis, morte moriemini.*

Deinde minimè attendendum esse ad levitatem materiæ præcepti istius, rectè monent quidam, sed magis ad obedientiam quæ exigebatur ab homine, ut quæ sit virtus rationabili creaturæ maximè conveniens, homini maximè recens creato, qui tanta beneficia à suo Creatore acceperat.

Gravissima autem pœna transgressioni mandati facillimi, concupiscentiâ nondum impediente, injuncta est, ut vel sic homo quodammodo cogeretur statum illum primævum omnis fœlicitatis servare: ut satis mirari quispiam posset quomodo tam facilè ac tam temerè homo corruerit, ac præmium tantum in immortalitate sibi propositum post-habuerit pusillæ escæ, nisi quod, pueri instar, utilia neglexerit, noxia dilexerit. Quam amentiam quotidie imitantur mortales, dum caduca bona tanti æstimant, quæ sunt nullius momenti, æterna parvipendunt. Sed & gravissimè puniri merentur scelerum authores, qui præeunt aliis sicut Judas Judæis: *qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum*, act. 1. tales sunt qui in cathedra pestilentiæ sedent peccandi magistri & doctores. Unde & primi transgressores legis Mosaicæ in violatione Sabbati, in quo aliquot ligna collegerant, graviter puniti sunt: sicut Ananias & Saphira in lege Evangelica. Adde etiam leve peccatum Adami, si materiam spectes, gravissimè puniri, cùm gravissima peccata adulterorum, publicanorum sæpè condonentur, ut scilicet terreantur homines ne vel leviter peccent in Deum, cùm de levissimis erratis gravissimas pœnas exigit: non desperent verò de gravioribus peccatis, cùm nunquam de eis sera pœnitentia, ad quam vel scelestissimos Deus adducit. Benedictus Fernandius in c. 2. Genes. sect. 8.

Levitas Adamo.

Primi transgressores legis puniti acerbè.

Ad perspiciendam autem gravitatem pœnæ illius, intelligenda est triplex mors, quam transgressioni primi hujus præcepti, imposuit Deus. Prima est mors spiritualis animæ per privationem gratiæ sanctificantis, ac justitiæ originalis: ita ut Adam & ejus filij spoliati essent gratiâ sanctificante: adeoque peccato originali nascerentur infecti, subditique concupiscentiis, quæ non amplius retentæ per dona gratuita primi statûs, variis motibus concuterent homines. Secunda mors est corporalis per separationem animæ à corpore & hujus in pulverem reductionem, cum omnibus morti annexis, morbis scilicet, infirmitatibus, doloribus, cruciatibus, sœroribus, & aliis hujusmodi miseri hominis calamitatibus. Etsi enim homo habitâ ratione compositionis suæ naturalis ex diversis humoribus in se invicem agentibus & agendo repatientibus, mortalis esset, Deus tamen ex pura gratia provideret, vel per lignum vitæ, vel per virtutem intrinsecam justitiæ originalis, ne stante innocentiæ statu, mors homini taliter constituto accideret; atque idcircò etsi ex constitutione naturali mortalis esset, beneficio tamen Creatoris immortalis erat & poterat non mori. Tertia mors est ea quæ dicitur in Scripturis secunda mors, quæ est mors inferni per separationem æternam animæ à Deo ejusque paradiso cœlesti ac combustionem sempiternam in profundo barathro ac inextricabilibus tenebris, in igne qui splendore careat, & qui urendi vim habeat privatus lumine, qui intolerabiles dolores afferat inter Angelos deformes vultus præ se ferentes atque ignem spirantes cum acerbo odio in genus humanum juxta ea quæ scripsit Basilius magnus in Psal. 33. Atque hæc triplex mors cõprehenditur sub illa interminatione, *morte morieris*. Quod insinuat Tostatus Abulensis in c. 13. Geneſis, ad quod tractat quæstiones ad primum hominem spectantes, & paulò expressiùs D. Thomas ad c. 2. Geneſis, si tamen illius sit genuinum opus, hic commentarius.

Mors triplex.

Insuper intelligendum est in illis verbis, idque maximè attendendum ad faciliùs percipiendam Christianæ Theologiæ rationem, vitandosque errores plurium, qui ex mala intellectione hujus rei decepti sunt, in illis verbis comprehendi quoddam pactum Dei cum hominum capite Adamo ejusque posteris, quod tale erat, ut servato hoc præcepto homo maneret immortalis ac in gratia Creatoris: quæ gratia omnis boni fons est & scaturigo: illo verò violato, naturali conditioni relictus, moreretur, ac insuper nisi reconciliaretur Creatori, privatus gratiâ illius, etiam damnaretur: ex quo originem sumit peccatum originale in omnibus ejus filiis per propagationem carnis quæ efficit, ut quis sit filius Adæ. Ex hoc enim, vi hujus pacti, nascuntur homines privati gratiâ sanctificante propter transgressionem Adami: atque in hac privatione consistit peccatum originale, quod humanarum miseriarum atque mortis seminarium est. Hocque non obscurè indicant verba præcepti juxta versionem 70. Interpretum, *morte morieris*: quasi id de omnibus ejus filiis etiam dicere voluisset, cùm multi putent Evam non adfuisse. Porro hujus pacti expressè meminerunt multi ex Patribus, D. Augustinus lib. 16. de civit. Dei c. 27. hæc refert verba Geneſis c. 17. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* D. Hieronymus verba illa Osee 6. *ipsi autem sicut Adam prævaricari sunt pactum, prævaricati sunt in me.* D. Joan. Chrysost. hæc verba Epist. ad Colos. 2. *delens quod adversùs nos erat chyrographum decreti*, quasi Adam se suosque posteros manuscripto proprio obligasset ad triplicem illam mortem si præcepto deesset. Quod manuscriptum delevit Christus per mortem, ut liber esset homo.

Pactum Dei cum homine S. Patres agnoscunt.

Peccatum originale.

Tertium caput perhibet lapsum Adami voci Evæ nimium creduli, quem mox pœna à Deo injuncta excepit. Unde fit transitus ad statum naturæ corruptæ. Ante peccatum siquidem omnia bona à Deo Optimo condita erant & benedictione ipsius donata absque ulla maledictione: sed post peccatum maledicto sunt subdita. Ante peccatum videre est hominem cum bona gratia Conditoris sui fœlicem fuisse, liberum, ab omni miseria animæ & corporis immunem, sed post peccatum terroribus concussum & metu gravis alicujus calamitatis nullibi securum constitisse, latebras quæsivisse, correptioni & correctioni ac punitioni divinæ obnoxium, & demum ejectum turpiter & ignominiosè è paradiso deliciarum, ut pœnam inobedientiæ cum tota sua progenie pateretur ærumnas in laboribus plurimis, tenebras erroresque in intellectu, rebelliones in appetitu, infirmitates in corpore, & ægritudines ac ipsam mortem & mala quæ post ipsam consequuntur. Unde transiit à statu naturæ innocentis ad statum naturæ corruptæ. Qui tamen status naturæ corruptæ vix per aliquot momenta duraverit, cùm statim post lapsum Deus infinitæ misericordiæ de remedio opportuno provideat, promittens filium suum incarnandum per quem in libertatem statûs naturæ innocentis restituatur, & maledictiones per peccatum Adami invectæ reparentur ex benedictionibus, quas humanogeneri conferre Filius Dei incarnatus debebat. In hac spe & expectatione solatur Deus hominis miseriam, dicens dæmoni, qui radix peccati exiterat, *inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, & ipsa conteret caput tuum*, seu *ipsum*, nempe semen quod est Christus, ut legunt 70. Interpretes, vel ipse in masculino, ut alij legunt. Quamvis sensus sit idem, cùm quod præstitit Christus, tribuitur Virgini, non quod

Status peccati & natura corrupta.

Maria virgo.

per ſeipſam ſed quod per Filium præſtiterit.

Quia verò iſta verba quæ prima ſunt in Scripturis de Chriſto Domino, continent myſterium reparationis humani generis, quod eſt argumentum totius Scripturæ ſacræ & quod in ea variis figuris, prophetiis, ſimilitudinibus ubique adumbratur aut etiam peſpicuè annuntiatur, idcirco ſcribit Genebrardus l. 1. *Chron.* hæc illa prima Dei promiſſio, Evangelij fons, multis ſæculis deinceps repetita, variis figuris delineata, oraculis & vaticiniis inculcata, quâ ſe conſolabantur Patriarchæ uſque ad adventum ejus. Quod Rupertus Abbas luculentiùs oſtendit per tredecim libros, miros certè *de victoria Verbi Dei*, ubi totam ferè Scripturam id agere probat, ut inimicitias illas hoſtileſque animos & conatus dæmonis contra Chriſtum patefaciat, ut ſit Scriptura liber bellorum Domini, ac jacto hoc fundamento tota utilius percurratur, & ipſius intentum primarium agnoſcatur, quod eſt Chriſtum liberatorem humani generis nobis exhibere in duplici adventu, in primo in carne paſſibili ut eſſet hoſtia pro peccato, & liberationem illam quodammodo inchoaret, in ſecundo in carne glorioſa dum veniet judicare vivos & mortuos, ut liberationem illam integrè perficiat, & caput ſerpentis omninò conterat circa electos ſuos, contra quos nihil poſtea poterit in æternum. Eritque hoc judicium, tam hominum perfecta redemptio, quàm ipſius Verbi incarnati conſummata victoria.

An non alia de Chriſto in Geneſi?

Imò verò liber Geneſis primos & antiquiores Chriſti progenitores nobis exhibet cum eorum actis, ut ſit ille liber delineatio genealogiæ paternæ Chriſti, juxta deſcriptionem illius à D. Matthæo factam c. 1. in qua ſupponendo Joſephum & Mariam, quod in comperto erat apud Judæos ex duobus fratribus eſſe generatos, dum videtur texere catalogum patrum, avorum, atavorumque omnium anteriorum Joſephi, texit etiam ipſius Mariæ, ex quâ natus eſt Jeſus, quia propter conſanguinitatem ex eodem communi patre ortam eandem genealogiam paternam communem habebant.

Continet inſuper inſignem promiſſionem factam Abrahamo de Chriſto cap. 26. *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, eſt enim iſtud ſemen Chriſtus.

Quid præter ea de Chriſto in Geneſi?

Prophetia Jacob.

Illuſtris prophetia ad litteram de Chriſto à Jacob moribundo prolata, ad Judam c. 49. *non deficiet ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Super quem locum Auguſtinus Steuchus Eugubinus, inter paucos eruditiſſimus Scripturarum Interpres, inter alia ſcribit. Dimiſſis omnibus fabulis & deliramentis Hebræorum & extortis expoſitionibus, clarum eſſe cognoſcimus, hunc locum de Meſſia eſſe intelligendum, adjuvante nos editione Chaldaïcâ, quæ ſolet eſſe tanquam aſylum Hebræis quo confugiant, ubi aliquid obſcurum & ſenticoſum occurrit. Quæ ſi quid in divinis libris propter Prophetiam aut ſermonem Hebraïcum minùs clarum dictum fuerit apertiſſimè explicat. Ea itaque hoc loco habet, *donec veniat Meſſias*, mutavitque *Scillo* in *Meſſiam*. Rabbi quoque Salomon exponens, *donec veniat Scillo*, ſic ait, *donec veniat ille Meſſias, quia regnum eius eſt*. Omnes quidem Reges Iſraël Meſſiæ vocabantur, ſed unus Κατ' ἐξοχὴν Meſſias nihilo addito vocatur. Credo igitur, etiam ipſum Chaldæum interpretem legiſſe in contextu Hebraïco, *Saliaç*, id eſt, miſſum, non *Scilo*, ſicut & Hieronymum. Eamque vocem mutavit in alteram ejuſdem formæ, ſcilicet *Maſſiaç*. Unùm igitur poterat convincere pertinaciſſimos Judæos, qui ut ſuos errores tueantur, non ceſſant quotidie ad ſua mala placita divinas literas torquere.

A Advertit autem corrupiſſe hunc locum Judæos mutando litteram *Chet* in litteram *He*, propter utriuſque in ſcriptione affinitatem. Retentâ enim litterâ *Chet*, nomen Hebræum *Shilach* aut *Saliach* ſignificat miſſum: at poſita littera *He* legitur *Scillo*, de quo nihil certi eſt in Scriptura.

Quomodo vertunt Septuaginta?

Ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, donec veniat cui repoſitum eſt. Scilicet cui paratum eſt regnum paratum eſt regnum perenne. Suſpicaturque prædictus Steuchus eos diviſim legiſſe nomen Scilo, *Sci*, id eſt, quod & *Lo*, id eſt, ei; ut totum ſit hoc modo legendum, *donec veniat quod ei*, aut *cujus eſt*. Cætera quæ de hac re videnda fuerunt, videantur apud Nicolaum, non malum Authorem. Samaritana verſio habet *donec veniat pacificus*, & Oleaſter *donec veniat quietus*.

Quid eſt expectatio gentium?

Hoc ſignificat Chriſtum deſiderabilem eſſe omnibus populis, ut qui ſit mediator ſalutis, ſpes omnium, via, veritas & vita. Vertunt quidam, *& ipſi erit collectio gentium*, alij *aggregratio populorum*: Chaldaïca editio habet *& ipſi oſculabunt populi*. Quæ omnia ferè eodem tendunt. Bonfrerius legit *& ipſe* vel *ipſi munditia gentium*.

Quare quinque libri Moyſi vocantur Legales?

Quia in his libris traduntur ea quæ ſpectant ad legem antiquam datam in monte Sina per Moyſem.

Quo ordine illa traduntur?

Primò in libro Geneſis repræſentatur Deus Legiſlator ut Creator mundi & ut Judex bonorum & C malorum: illis quidem proſpera multa immittens, his verò adverſa plura, ut in diluvio & in incendio Sodomæ & aliis juſtitiæ actibus ibidem exhibitis, ut per hæc intelligamus Deum eſſe Legiſlatorem idoneum, quia enim mundum & omnia creavit, oſtenditur illum habere jus & dominium in omnes ac proinde poſſe illis leges imponere. Quia verò bonos proſperitatibus cumulat ut Adam innocentem, Noe, Abrahamum & alios Patriarchas; malos verò ſuppliciis variis excruciat, oſtendit ſe talem futurum Legiſlatorem qui bonos legis ſuæ cuſtodes remunerare poſſit, malos verò pœna condigna afficere poſſe.

2. In libro Exodi deſcribitur qualitas internuntij ac famuli cujus miniſterio legem proponere volebat, D ut ei fides adhiberetur propter varia miracula & opera ejus admirabilia, & hoc 19. primis capitibus. Reliquis verò capitibus proponuntur leges Dei morales quidem cap. 20. Judiciales verò quibus politia ſervatur & juſtitia & pax civilis inter homines cap. 21. 22. & 23. Leges verò ſacræ & ad cultum Dei ac Religionem pertinentes cap. 24. & uſque ad finem.

3. In libro Levitici expreſſiùs deſcribuntur ea quæ ad Religionem & ad officia Levitarum ac Sacerdotum pertinent. Quid offerendum in ſacrificiis 7. primis capitibus. De ipſis offerentibus ac eorum conſecratione cap. 89. & 10. Deinde de rejiciendis à ſacrificio & tabernaculo, ut erant leproſi, ſeminiflui, &c. Tum diebus Feſtis & ſolemnitatibus cap. 23. 24. 25. Tum de bona voluntate & votis offerentium E ad finem libri.

4. In libro Numerorum variæ continentur enumerationes ſeu eorum quæ ad res ſacras ſpectabant, ſeu quæ ad res prophanas.

5. In libro Deuteronomij recapitulantur quaſi per epilogum plurima ex antea dictis ut magis memoriæ infigantur. A capite autem 26. & 32. continentur benedictiones in fidelibus legum obſervatoribus, maledictiones verò contra earum prævaricatores, ac cap. 33. & 34. benedicitur populus ut probè legem ſervare poſſit.

Quid ad Chriſtum iſta?

Quod ad Chriſtum libri illi referri debeant vel Chriſtus ipſe teſtatur dicens, Joan. 5. Moyſem de ſeipſo ſcripſiſſe. Teſtatur Apoſtolus ad Epheſ. 3. ubi loquens de Matrimonio Adam & Evæ expreſsè aſſerit, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, &c. ad Rom. 5. Dicit de primo Adam qui eſt forma futuri nempe figura Chriſti. Fit dormienti conjux de latere vivo ſic Chriſto morienti Eccleſia de Sacramento ſanguinis, qui de latere mortui profluxit. Sed omnes inter Adamum & Chriſtum analogias perſcrutari argumentum eſſet integri voluminis nec parvæ molis.

Eſto, præfiguraretur Chriſtus in Adamo,
Sed quid ad Chriſtum cæteri Patriarchæ
Quorum annales in Geneſi deſcribuntur?

Quot Patriarcharum vitæ delineantur, tot tabellæ & figuræ geſtorum Chriſti quæ in iis repræſentantur.

Ut enim occiditur Abel minor natu à fratre majore natu, ſic occiditur Chriſtus caput populi minoris natu à populo Judæorum majore natu. Ille in campo, iſte in Calvariæ loco.

Ut Noë ſalvat mundum per Arcam omnia animalium genera continentem, ſic Chriſtus per Eccleſiam in qua ſunt omnium nationum homines, mundum liberat. Ut ille nudatus & inebriatus deridetur à filio: ſic Chriſtus amore hominum inebriatus & nudatus in cruce deridetur à Judæis, quibus poſtea maledixit.

Ut Abraham exiit de terra ſua & de cognatione ſua, ut apud exteros locupletaretur & eſſet in gentem magnam: ſic Chriſtus relicta cognitione Judæorum præpollet nunc in populis gentium.

Quid de Melchiſedech ſacrificium offerente panis & vini, & Iſaac ſemetipſum offerente ad ſacrificium dicere opus eſt, cùm res ſit notior quàm ut eam explicari neceſſe ſit?

Ut benedictus Jacob: ſic Chriſtus cujus nominis odore mundus impletur, cujus benedictio eſt de rore Cœli ſc. de verborum pluvia divinorum, & de pinguedine terræ, id eſt, de congregatione populorum. Ipſe eſt Dominus Fratrum ſuorum, quem qui maledixerit, maledictus eſt; quem qui benedixerit, benedictionibus replebitur. Hora me deficeret ſi omnia quæ de Joſeph à Patre præ cæteris dilecto, tunica polymita nudato, & fratribus vendito, in Ægypto poſtea exaltato multis ſermonibus enarrantur, in Chriſto adimpleta eſſe explicarem. Nihil evidentius horum hominum vitam propheticam fuiſſe & ad Chriſti gloriam referri.

Forſan iſtud ſpeciem veri habet in Geneſi, ſed quid de Chriſto occurrit in Exodo & ſequentibus libris?

Paginæ etiam horum librorum Chriſto prædicendo vigilant, ſi quis cum debita pietate eas perſcrutetur, nec labori ſuo parcat in eo perquirendo.

Moyſes. An non Moyſes figura Chriſti eſt per omnes vitæ ſuæ mirabilis decurſus? natus ille eſt in aliena terra Ægypti, hic in aliena terra Bethleem: ille poſitus in ſiſcella, hic in præſepio: ille perſecutionem patitur cum pueris Hebræorum in infantia per Pharaonem, hic cum Innocentibus per Herodem. Ille eduxit populum ex ſervitute Ægypti, hic ex ſervitute diaboli. Ille duxit populum per deſertum, hic per baptiſmum. Ille legem dedit veterem, hic novam. Uterque quadraginta diebus jejunavit, antequam legem promulgaret. Ille ſponſam accepit Æthyopiſſam cujus non potuit mutare colorem: hic Eccleſiam ex gentibus quam ex nigra formoſam reddidit. Ille inſtituit ſeptuaginta ſeniores, hic totidem diſcipulos. Ille miſit duodecim exploratores in Palæſtinam, hic duodecim Apoſtolos per orbem univerſum. Ille per virgam mira operatus eſt, hic mirabiliora per crucem. Ille dedit manna populo, hic corpus ſuum in Euchariſtia. Ille mortuus eſt in monte jubente Domino, hic in Calvaria factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, ut de his alias extiterit commentarius Ammonij de Moſæ & Jeſu conſonantia inſcriptus, apud Nicephorum Eccleſ. hiſt. lib. 5. cap. 13.

Sed quid in iiſdem libris ſignificat Aaron, qui accipiens thuribulum iram Dei placavit, & objectu ſui ſtans inter vivos & mortuos, quaſi quidam mutus ruinam à populo avertit, niſi eumdem Chriſtum Sacerdotum Principem, qui ruinam mortis in mundo adſpiciens, occurrit à ſummo Cœlo, naruſque & mortuus ſtetit inter vivos & mortuos, odore ſuavitatis ſacrificij ſui, iram Dei mitigans, ſuſpendit iguis æterni ſupplicium? *Aaron.*

Quin etiam totus liber Exodi Catechiſmus eſt quidam Religionis Chriſtianæ, ut hunc librum vocarunt Ederus ſuper Exodum, & Caſtanæus Pictavienſis Epiſcopus ſuper Acta Apoſtolorum.

Percurre librum integrum. Prima capita exhibent ſervitutem & captivitatem populi Hebraïci ſub jugo duriſſimo Pharaonis. Quid hoc aliud ſignificat quam ſervitutem generis humani ſub dæmone? *Liber Exodi Catechiſmus eſt.*

Sequentia exhibent difficultatem maximam ad liberandum hunc populum, indurato toties corde Pharaonis ne liberum dimitteret. Quid hoc aliud niſi quod ſalvari non poterat humanum genus per quamcumque creaturam?

Cap. 12. immolato Agno Paſchali liberum fit populo exire de Ægypto. Quid hoc aliud quàm quod Chriſto tanquam Agno immaculato in cruce immolato, ſolvitur captivitas humani generis & licèt cuicumque exire è tenebris Ægypti, id eſt, peccatorum?

Quid tranſitus per mare rubrum in quo Pharao cum Ægyptiis mergitur, quam Baptiſmum denotat in quo peccata Originale & alia abſorbentur, in quo populus credidit Deo & Moyſi, id eſt Fideles illuminantur & Deo ſe obſtringunt? Quid in conſequentibus Capitulis, manna è cœlo decidens, niſi Euchariſtiam, quid lex promulgata moralia, cæremonialia & judicialia præcepta continens, præmiſſa præfatione ad cognoſcendum Legiſlatorem, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, quid, inquam, iſta, niſi poſt legem fidei præcepta morum Sacramentorum & propria cujuſque officii proferunt.

Quid ſacrificia cruenta animalium in iiſdem libris tam diligenter exarata, niſi cruentum Chriſti ſacrificium exhibent? Benè Origenes Homil. 3. in Levit. omnis hoſtia quæ offertur habet aliquid formæ & ſimilitudinis Chriſti: in ipſum namque omnis hoſtia recapitulatur. Quid ſerpens æneus cujus aſpectu vulnerati à ſerpentibus ſanabantur, niſi illud quod dignatus eſt ore proprio Chriſtus edocere nos Joan. 3. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat &c.* Etiam expreſsè ſermo eſt de Chriſto Deuteronomij c. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loquenturque ad eos omnia quæ præcepero eis: qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Quæ verba de Chriſto interpretatur D. Petrus Act. 3. Itemque D. Stephanus Act. 7. ut nullus ſuperſit locus dubitandi. Cur autem Chriſtus ſimilis dicatur Moyſi, jam abundè declaratum eſt: & patet iterum quod uterque fuerit Legiſlator; Moyſes legis veteris, Chriſtus legis novæ: uterque populum ſuum liberavit, Moyſes ex Ægypti ſervitute, Chriſtus ex ſervitute diaboli & vitiorum. Moyſes debellavit hoſtes Iſraël, Chriſtus hoſtes ſalutis noſtræ. Moyſes omnes quidem Iſraelitas ex Ægypto liberavit, non tamen omnes è ſervitute erepti in terram bonam *Terribile verba Chriſti non audire.*

introducti ſunt: Sic Chriſtus etſi omnes homines è A servitute diaboli eripuerit, non tamen omnes in cœlum introducuntur; ſed ſuâ culpâ, ſicut accidit Iſraëlitis in quorum pluribus *non eſt beneplacitum Domino*, ut loquitur D. Paulus. Quare verè dixit Nathanaël Joan. 1. *quem ſcripſit Moyſes in lege*: & Chriſtus Joan. 5. *De me enim ille ſcripſit*. Nec defuit vindicta in eos qui Chriſto non crediderunt, cum civitas Jeroſolymitana per Romanos everſa in ultionem infidelitatis ipſius: nec deerit unquam cum uſque ad finem mundi, qui Chriſti præceptis & legibus non obaudiunt, pœnis ſubjacent æternis.

Porrò cum hæc ſatis perſpicua ſint, jure meritò Facultas Pariſienſis dum animadvertit in quaſdam propoſitiones imperitè adſertas ab Interprete Miſſalis in linguam Gallicam, hanc etiam caſtigavit quod B Moyſes de Chriſto non eſſet locutus. Scripturæ enim evidenter id refragatur; quamvis ut probè monet Steuchus ad Deuteron. c. 6. perquirendum diligenter, ut ubi de Meſſia dicitur attentè cognoſcamus: ubi autem nihil ejuſmodi prædicitur non violentè trahamus. Fit enim ex hac cauſa, ut fœdiſſimis fabulis divinas litteras inficiamus, notatque concionantes, qui ſæpè divinas extorquent litteras, acciditque ut oculatis in nos Judæis ludibrio ſimus.

Ne verò citò prædictum Steuchum Hebraïcæ linguæ & Græcæ callentiſſimum dimittamus ad c. 31. Deuteron. obſervat alia duo. 1. Quod ubi vulgata habet & receſſit à Deo, in Hebræo poni pro Deo nomen Jeſu, ſcilicet Jeshus. Ita dum ſcribitur, eaque eſt deductio relictis cabaliſticis ſuperſtitionibus. C 2. Eſt quod in fine Cantici ubi habetur Laudate gentes: ſeptuaginta Exultate cœli, ſanguis ei eſt, & adorent eum omnes Angeli Dei. Et fortè is locus eſt qui citatur in Epiſtola ad Hebræos. Quid quam facilè ſit Chriſto adaptare, quis non videat?

Dicet aliquis iſtas ſimilitudines ingeniſ arte confictas eſſe?

Dicat hoc Judæus aut paganus, Chriſtianus certè non poterit, quin illi cervicem premat Apoſtolica authoritas 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis.*

Quid in libris hiſtoricis continetur?

II. Pars librorum Veteris Testamenti. Geſta Dei circa populum Iſraël ex quo Chriſtum Redemptorem mundi oriri volebat.

1. In libro Joſue Deus introduxit mirabiliter populum Iſraël in Paleſtinam ſeu terram quam promiſerat, excluſis ab ea ferè omnibus colonis antiquis, niſi quod aliquos voluit remanere, ut per eos populus exerceretur ac puniretur, ſi legem non ſervaret per capita 24.

2. In libro Judicum Deus varios ſuſcitat Judices ſeu Duces 12. qui per intervalla cùm populus Iſraël in afflictione converteretur, ac Dei opem efflagitaret, eum ab hoſtibus mirabiliter liberaret, uſque ad regum tempora: ut ex libro iſto pateat è vera religione retenta, reipublicæ bonum ſtatum pendere, ex ea neglecta fœdum ejus exitium ſequi.

3. In libro Ruth hiſtoria proponitur ad tempora Judicum pertinens de extera & paupercula muliere Moabitide quæ aſſumpta eſt in uxorem à Boos atavo Regis David, ut exhinc pateret genealogia David & Jeſu Chriſti. E

4. In primo, ſecundo & parte tertij libri Regum Deus mutato regimine populi Iſraël pro ejus voto ac deſiderio in regimen Monarchicum varios Reges ei præficit quorum narrantur acta. Reliqua verò parte libri tertij, ac toto libro quarto Deus ſenſim populum ingratum ac idolorum cultui obſtinatè deditum de regno deturbat, debellarique, capi, ac in captivitatem transferri per Aſſyrios & Chaldæos ſatagit.

5. In libris Paralipomenon exhibita in primis capitibus genealogia totius penè humani generis ac maximè populi Judaïci, per reliqua capita repetuntur geſta regum ac multa ſupplentur, quæ relicta & omiſſa fuerant, unde nomen Paralipomenon, id eſt, relictorum ſortiuntur, in 4. libris Regum.

6. In libris Eſdræ & Nehemiæ populus Iſraël libertate donatur ſub Regibus Aſſyriorum Cyro & Dario, ferè quingentis ac quinquaginta annis ante Incarnationem.

7. In libris Tobiæ, Judith & Æſter proponuntur Hiſtoriæ quorumdam virorum piorum ac mulierum ſanctarum, quibus innoteſcit Deum ſuis adeſſe in calamitatibus, ut bono animo ſint qui & quæ in eum ſperant.

8. In duobus libris Machabæorum ultima bella Judæorum deſcribuntur ante Chriſti adventum: in quo tempore cum gentem illam ex quo proditurus erat Meſſias mundi Salvator, Sathan omnino perdere ac abolere procuraret, potentiſſimorum Aſiæ Regum armis in eos converſis, non ſine divina ope per varios Duces evaſerunt. Unde liber primus Machabæorum conſtat capitibus ſexdecim. 1. & 2. Capitibus continetur liberatio populi ſub Matathia.

3. 4. 5. 6. 7. Liberatio populi ſub Juda.

9. 10. 11. 12. Liberatio populi ſub Jonata.

13. 14. 15. 16. Liberatio populi ſub Simone.

Scitè autem animadvertit D. Thomas in præfatione ſua ſuper libros Machabæorum, in iſto libro nova bella deſcribi juxta illud Judicum 5. *Nova bella elegit ſibi Dominus*. Quod patere aſſerit ex tribus diſcriminibus inter antiqua bella & hæc quæ hîc deſcribuntur.

Nova bella Machabæorum.

1. Enim antiquitus pugnabant ut ſibi adquirerent novas terras in quibus inhabitarent. Hic autem Judæi pugnant pro conſervatione templi & cultus divini obſervatione.

2. Antiquitus pugnabant in pœnam & punitionem criminum, hic autem pugnant ad vitandam legis tranſgreſſionem & idololatriam.

3. Antiquitus pugnabant ad propulſandam & vindicandam injuriam ſibi illatam, hic eo fine ne recipiant injuriam.

An in his Libris Hiſtoricis aliquid ad prænuntiationem Chriſti pertinens?

OMninò, nam Joſue, qui & Jeſus Nave appellatur, Dux populi, ſucceſſor Moyſi in ſemet- D ipſo Dominum Jeſum & vocabulo oſtendit & facto. Qui quod Moyſes non egit, ipſe peregit, poſt legem veniens quæ nihil ad perfectum adducebat. Introduxit Joſue populum Iſraël in terram promiſſionis fluentem lacte & melle, introduxit homines Chriſtus Dominus in cœlum quod per peccatum Adæ clauſum fuerat. Ut Joſue urbem Jericho deſtruxit, dum per ſeptem dies, ferentes Arcam Iſraëlitæ æneis tubis canentibus eam circumeunt: ſic in hoc tempore quod ſeptem dierum ſpatio circumvolvitur, dum clangunt tubæ prædicationum Verbi Divini, corruunt muri infidelitatis & ſuperbiæ hujus ſæculi, & unica domus Raab quæ denotat unicam Eccleſiam, ſalvatur, qui extra eam ſunt pereunt, dum per feneſtram ſuam coccum mittit, quo deſignatur ſanguinis Chriſti confeſſio ad ſalutem. Ut Joſue pugnans in Gabaon ſtare fecit Solem & Lunam donec delerentur ejus inimici: ſic Jeſu pugnante in Calvaria contra ſalutis noſtræ hoſtes, ſtare facit Solem & Lunam. Ut Joſue ejectis gentibus ſorte diviſit populis terram repromiſſionis: ſic Chriſtus ejectis ſpiritibus malignis dona cœleſtia unicuique diviſit. *Joſue.*

In libris Judicum qui totidem fuerunt ſalvatores Iſraël, non minus Chriſtus ſplendet in Gedeon, qui cum trecentis militibus contra & hoſtes armatis tubis, lampadibus lagenis pugnavit. Hi ſunt Martyres qui ſonuerunt tubis dum prædicant: confregerunt lagenas, dum frangenda in paſſione ſua corpora *Gedeon.*

corpora hostium gladiis opponunt : resplenduerunt lampadibus dum post solutionem corporum miraculis coruscarunt. Moxque hostes in fugam versi sunt : quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti quod impugnarunt crediderunt. Turicque talia acta sunt quæ quantò magis usum pugnandi transeunt, tantò amplius à mysterio prophetandi non recedunt, ait Isidorus cap. 5. enarrationis in Josuë.

Jephte. Fulget Christus in Jephte, qui à facie fratrum suorum Judæorum abscedens in gentibus principatum accepit, qui quasi filiam carnem suam pro salute Israëlis Domino obtulit. Juralle enim patri ac voviſſe unigenitum legimus Psal. 131. *Sicut juravit Domino votum vovit Deo Jacob.* Ait idem Isidorus cap. 7.

Samson. Typus quoque Christi est Samson Nazaræus cujus B nativitas ab Angelo nuntiatur. Qui Leonem interfecit in cujus ore demortui favum melliſ invenit, sicut Christus mortem in qua favum resurrectionis reperit. Qui occidit plures moriens quam vivens, sicut Christus plures post mortem ab infidelitate convertit, quàm dum viveret.

Quàm plura alia in libris Judicum? quid enim mu- *Zahel.* lier Zahel tempora Siſaræ ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ Cruce Christi regna diaboli perimens? quid vellus complutum aream siccâ, & postea completa area sicco vellere; nisi primo una gens Hebræorum habens occultè in sanctis mysterium Dei quod est Christus: nunc autem totus orbis id habet, illa vacuata est, ait Divus Augustinus lib. 12. contra Faustum, cap. 32. C

Isti Judices, ut observat Rupertus *de victoria verbi* Dei l. 4. c. 6. sacra Scriptura nuncupat Salvatores qui à Deo dabantur ad clamorem populi qui eos desiderabat, nam Jud. 3. *Clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur & suscitavit eis Salvatorem Othoniel.* Item & postea, *clamaverunt ad Dominum & suscitavit eis Salvatorem vocabulo Ahud*, nam quid clamabant ad Dominum, nisi ut Salvator qui mittendus erat jam veniret? verbi gratiâ ut diceret quisque illorum illud Moysi : *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*, Sed quia tempus illius adventûs *Exodi 4.* nondum erat, illi qui interim mittebantur, ut liberarent populum temporaliter rectè sic dici merebantur, quia erant unici & veri Salvatoris Vicarii. Salvatio per illos duplici modo, videlicet judicando & D præliando administrabatur. Judicando quippe populum ab idolorum servitute cohibebant, præliando ipsi in fronte gradientes, de hostibus quibus servierant fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina judices, in prælio duces, in utroque Salvatores, sacramenta, victoriasque Salvatoris æterni gestis præclaris & victoriis mysticis præfigurantes.

Samuël. In libris Regum commutatum Sacerdotium in Samuëlem reprobato Heli, & commutatum Regnum in David reprobato Saüle clamat prænuntiari novum Sacerdotium novumque Regnum in Christo, ait ibidem D. August. c. 33.

Arca capta a Philisthæis propheticè denotat testamentum Dei transiturum ad gentes : quando autem nuntiatum est Heli Sacerdoti captam fuisse Aream Domini, cecidit de sella & mortuus est, in signum quod E transeunte testamento Domini ad gentes, perit atque interiit Sacerdotium Judæorum Pontificesque Judæorum sedem habent vacuam.

David. David inter omnes manifestior Christi figura extitit, ut propterea dictus sit Christus filius David, non Noë, non Jacob aut alterius ita dilectus fuit Deo, ut de ipso diceret ; *Inveni David secundùm cor meum.* Similiter dicit de Christo Deus Pater Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Saül Rex ex invidia persequebatur David, quod magis amaretur : Sic Pharisæi & Scribæ Christum ex invidia impetebant quod esset in majori quadam æstimatione apud populum. Ad Davidem confugerunt

A omnes amaro corde dum esset in spelunca Odellam, usque ad quadraginta : at quàm plures in afflictione sua ad Christum accurrunt Matth. 11. *Venite ad me omnes*, ait, *qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos* &c.

Salomon templum ædificat ita ut & malleus & se- *Salomon.* curis & omne ferramentum non audiretur : & Christus domum Deo in cælestibus ædificat ex hominibus sanctis, nec ullus ibi malleus disciplinæ resonat, quia dolati atque perfecti illic lapides ducuntur : ideo enim foris hic tundimur, ut illic sine reprehensione inveniamur. Locutus est autem Salomon tria millia parabolas & fuerunt ejus carmina quinque millia. Quantò excellentior Christi sapientia, quàm ab ultimis mundi partibus excitata audit Ecclesia.

Elias plura gerit Christi lineamenta, ut quasi viva & *Elias.* aspirans ejus imago videri possit : sicut enim Eliasà Judæis persecutionem passus est, sic Christus à Judæis contemptus. Elias reliquit gentem suam, & Christus deseruit Synagogam. Elias abiit in desertum & Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascebatur, & Christus in deserto mundi hujus fide gentium reficitur. Ille oravit in Monte Carmeli, hic in Mõte Oliveti, ut in cordibus humanis gratia Dei descenderet, sicut pluvia in terram venerat ad preces Eliæ. Ille in fame pascitur à Sareptana, hic à Martha & Magdalena, quorum nihilominus fratrem permittit mori, & è mortuis excitat, sicut Elias filium Sareptanæ. Ille jejunat in deserto quadraginta diebus, hic totidem. Ille ascendit in cœlum cum triumpho currus ignei & equorum igneorum, hic etiam ascendit in cœlum, Angelis pompam deducentibus, donec veniat sicut alter Elias contra Antichristum pugnaturus. Ille abiens in cœlum pallium quo inducbatur reliquit, hic corpus suum quo quasi vestimẽto induta erat occulta ejus divinitas. Sed & uterque Virgo, uterque in depravatissimo populo Propheta magnus, uterque zelo pro gloria Dei incensus. Uterque discipulos post se reliquit, Elias Prophetas ac religiosos ejus Philosophiam profitentes, Christus verò Apostolos ac Christianos.

Sed quid insuper Elisæus, cui pueri insultantes & *Elisæus.* clamantes, *calve, calve*, à bestiis comeduntur, nisi Christus quem in Calvaria deridentes invasi à dæmonibus pereunt? quid lignum ferro in aquam immerso redditum, nisi Corpus Christi ejus spiritui qui in inferni profunda descenderat restitutum per resurrectionem? denique hi libri pleni sunt mysteriis Christi.

Nec mysterio vacat in Babyloniam Judæorum transmigratio, sicut & eorum reditus post 70. annos & templi reædificatio, ut est in libris Esdræ. Nam & per ea designatur transitus virorum Apostolicorum ad gentes illuminandas & reditus quandoque futurus ad cœlestem Jerusalem per Jesum Christum, cujus figuram gerebat Pontifex Jesus, cujus tempore soluta est captivitas.

Tobiæ porro liber in Angelo Raphaële, qui tam op- *Tobiæ.* portunè juniorem Tobiam deducit, à monstro liberavit, & omnibus bonis locupletavit, Christi speciem exhibet qui ista omnia multò abundantiùs suppeditavit, & tandem ad eum à quo missus fuerat rediit, Joan. 16. *Ego exivi à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum.*

In libro Ester convivium Regis Assueri, convivij *Esther.* Eucharistici à Christo Rege præparati symbolum est. Extensio virgæ aureæ in signum clementiæ significat eum eis misericorditer se agere, quos Passionis & Crucis reddit participes. Sicut Regina Ester quæ populum suum liberavit à crudelitate Aman & à morte umbra est virginea, Matris Christi potentissimum suffragium denotans, sed & ejus immunitatem à peccato originali, cum pro ea lex mortis lata non fuerit sicut nec pro Regina Ester.

In libro Judith adumbratur Christi Ecclesia quæ *Judith.*

Holophernem ejuſque copias dæmonem & hæreticos profligat, eique lætabunda gratias agit.

Machabæi. Libri quoque Machabæorum in quibus ultima bella Iſraëlitarum deſcribuntur, in quibus tam fortiter & generosè ſe geſſerunt, adumbrant futurorum martyrum certamina, maximè eorum qui in finibus ſæculorum cùm proximè imminebit adventus Chriſti ad Judicium adversùs Antichriſtum impiolque ejus ſatellites toto corde & totis viribus dimicabunt. Sicque patet libros omnes Hiſtoriarum Sacrarum Chriſtum ſapere, docere, prænuntiare.

Liber Iob. *Nunquid liber Iob inter hiſtoriales libros reponitur?*

Omnino cùm non fictam & comicam, ſed veram & meram contineat narrationem calamitatum Job, ac diſputationum illius cum amicis: ſicut & reſtitutionis in priſtinum honoris & fœlicitatis gradum etiam cum augmento: cujus hiſtoriæ author exiſtimatur ab Origene lib. 1. in Job. Moyſes, qui hiſtoriam hanc conſcripſit ad conſolationem filiorum Iſraël cùm in Ægypto affligerentur, ut exemplo tam conſtantis viri in terra gentium habitantis anguſtias & calamitates hujus vitæ fortiori mente tolerarent. Blandè, inquit Origenes, & benignè ac placidè loquens ad eos ac dicens: Conſtantes eſtote filij Iſraël, animæquiores eſtote poſteritas Abrahæ, ſuſtinete dolores, ſufferte hæc mala, quia & olim erat quidam homo in regione Auſitide cui nomen erat Job, qui cùm eſſet juſtus & verax & ſine querela, ingentes ſuſtinuit dolores, amara ſuſtinuit tormenta propter zelum adverſarij, &c. Attamen libri hujus præſtantia meretur ut non in turba aliorum proponatur.

Quod eſt argumentum libri Iob?

Exhibitio exempli patientiæ ad ferendas quaſcumque paſſiones & afflictiones hujus vitæ cum animo conſtanti & ſemper bene affecto erga Deum: ſicut fuit Job vir ſanctus ſedens in ſterquilinio ſicut Rex miſerorum in throno miſeriæ.

Quomodo dividitur liber iſte?

Poteſt dividi in duas partes principales, quarum prima continet tria genera certaminum. Primum contra

1. certamen Iob. dæmonium à quo percutitur ulcere peſſimo & omnibus poſſeſſionibus ſpoliatur: ſecundum contra propriam uxorem quæ illum à laude Dei avertere conatur, & hæc continentur in duobus primis capitibus. Tertium eſt contra homines qui ſe amicos illius oſtentabant. Quod continetur triginta quinque capitibus à cap. tertio ad trigeſimum octavum.

Secunda pars principalis continet coronam & præmium Job tanquam Athletæ fortiſſimi à cap. trigeſimo-octavo ad 41. in quibus Deus defenſionem Job ſuſcipit, & poſt aliquot ſermones eum ad ſtatum duplò fœliciorem quam anteà evehit reddens ei omnia duplicia.

Duo prima certamina ſatis nota ſunt ex lectione, tertium explicat paulò accuratius.

Tertium illud certamen diſputationem celeberrimam continet inter Job & ejus amicos Eliphas, Balda, & Sophar, quibus ſe junxit juvenis quidam Eliu nomine.

Quæ fuit materia iſtius diſputationis?

Diſputatio Iob. Quod Job doloribus multis excruciatus deflens vocé lugubri calamitates ſuas dixiſſet ſe innocentem & ſine peccato percuſſum eſſe, nec tam gravia crimina perpetraſſe ut ſecundùm curſum ordinarium providentiæ Divinæ, tam graviter vexari debuerit. Sic enim Job loquitur in fine capitis tertij, *Nonne fleui, nonne quieui, nonne diſſimulaui, & venit ſuper me indignatio?* quaſi diceret, nec verbo quemquam offendi ſilentium ſervans, pacificè & quietè cum omnibus converſatus neminem lædens opere, quin etiam corde non peccavi diſſimulans injurias mihi irrogatas, & tamen indignatio Dei ſuper me effuſa eſt, quaſi ſuper ſceleratiſſimum hominem. Hoc autem illius dictum refutare conantur amici illi ac conſolatores oneroſi, ut eos vocat, ex eo quod ſtante Dei providentia calamitates hujus vitæ cuiquam non contingunt niſi in vindictam & punitionem peccatorum: quare inferunt ipſum gravia aliquot ſcelera commiſiſſe qui tam graviter affligatur, & debere pœnitentiam agere ac ad Deum converti, ſanctoſque interceſſores invocare ut à tanto malo liberetur. Sic Eliphas cap. 4. *Recordare obſecro te quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt, &c.*

Quid ad hæc Iob reſpondet?

Reſpondet cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera, ſicut arena maris hæc gravior appareret, &c.* Contendens ſe, etſi aliqua leviora juventutis peccata admiſerit, minimè tamen graviora illa ob quæ Deus ſolet aliquando punire homines inſigni aliquâ pœnâ in

¶ eos immiſsâ. Interim graviſſimè detlet ſuam calamitatem verbis ad luctum compoſitis. Nunc mira de Dei infinita magnitudine ſtupendiſque ejus operibus effatur, ut probet ſe minimè mentem ab eo averſam gerere inter tot adverſa. Etſi boni in hac vita concutiantur, ſpem illis eſſe pro futura vita, ſicut impios proſperitate fœlices in hoc ſæculo, in altero mulctabit. Atque in hiſce contentionibus excurrit liber ille Job à cap. 3. ad cap. 38. ipſo ad omnia objecta reſpondente, excepto ultimo Eliu juvene inflato & inſolente, qui à cap. 32. ad cap. 37. improperat peccata Jobo, qui cùm audiret eum patientiſſimè, ipſemet Deus pro Job reſponder ac totam diſputationem terminat, vocem intelligibilem de nubis denſitate emittens, ſicut in monte Sinaï dans Moyſi præcepta ſua Exodi 20. Hoc eſt quod exhibetur cap. 32. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit: Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis, &c.* Propter verba contumelioſa quæ in Job dixerat. Ac poſt aliquam paternam increpationem contra ipſum Job qui in modo loquendi exceſſerat tantiſper & ſcandali cauſa eſſe poterat, tum cùm diceret ſe velle diſputare cum Deo, tum cum nimium extolleret ſuam juſtitiam; quod non tam decet homines pios, ipſum ad priſtinum ſtatum fœlicitatis reſtituit.

Quomodo dicitur cap. 42. Et addidit Dominus quæcumque fuerant Iob duplicia, cùm plures filios & filias non habuerit quàm antea?

Reſpondetur priores ſeptem filios ac priores tres filias ſemper manſiſſe quoad animas immortales, ac ſic natis aliis ſeptem filiis ac filiabus, non obſtaret quidquam, quin etiam duplicia habuerit in filiis & filiabus. *Duplicia Iob.*

Nunquid graviſſimè peccavit Iob maledicendo?

Peccatum maledictionis menſurari debet ex gravitate mali, quod quiſpiam alicui imprecatur: at Job rei quæ non erat maledicebat, & quæ detrimenti alicujus vix erat ſuſceptiva.

Eſtne liber Iob utilis ad docendum Chriſtum?

Job afflictum & percuſſum plaga multiplici, & ex ea tandem liberatum & ad priſtinam imò & ampliorem fœlicitatem reſtitutum figuram fuiſſe Chriſti patientis, & ex morte ad vitam reſurgentis, communis eſt Patrum ſententia, ut D. Gregorij in Præfatione c. 6. Philippi Preſbyteri in caput Job 13. & aliorum, ut Job loquendo & patiendo Chriſtum Dominum expreſſerit ac de eo prophetaverit, nec difficile ſit Chriſtum in Job invenire, ſi tantiſper Lector attentum ſe reddiderit in ejus volumine percurrendo. Univerſum enim Chriſti myſterium ſparſum hic illic in eo continetur, ait Polychronius in catena Græcorum Patrum in Job in proëmio. *Iob figura Chriſti.*

Hoc luculenter aſſerit & multis comprobat Caſtaneus Pictavorum Epiſcopus exercitationibus ſuis in Job, à quibus hoc caput inchoare viſum eſt; ſic enim capite 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* Eminet ipſo in aureoli hujuſce ac planè ſententioſi voluminis lumine Jobi & Salvatoris ſingularis convenientia, à permultis ſolertiſſimè, non tamen ex hoc capite decantata. *Iob* enim qui dolens & gemens, ſicut *Hus* ſo-

ſtinans, lignum & fixus exponitur, virum dolorum Chriſtum refert Dominum, qui nunquam ridere, ſed interdum flere viſus eſt, graduque feſtino, ut reapſe priſcum illud Davidis prænuntij verbum *exultavit ut gigas ad currendam viam*, comprobaret, in Salutiferum Crucis ſtipitem cui affigendus erat, advolavit.

Porro *nati ſunt ei ſeptem filij & tres filiæ*, & fuit ei *familia multa nimis*. Quibus vult deſignari ſeptem Evangelicæ legis ſacramenta è lateris vulnere prodeuntia, nec non tres Domini circa paupertatem, caſtimoniam & obedientiàm ſuaſiones. Unde innumerabilis ei variarum gentium ac cœtuum familia quæ in mundi finem perrectura ac duratura eſt.

Denique quemadmodum Job ſedentem in ſterquilinio tres amici, iidemque ut ex Tobiæ 2. liquet, Reges conſolari conati ſunt, ita tres Magi Regum titulo ab antiquioribus Patribus decorati, Salvatorem adhuc in natali ſtabulo, haud longè forſan à ſubſtraminis humo jacentem, cujus ærumnæ Jobi angores longè erant ſuperaturæ, cum muneribus velut ſolandum adeunt.

Atque hæc initio exercitationum ſuarum adnotat, quibus multa addit ſingularia in progreſſu. Indicaſſe nobis ſatis ſit, ſicut ea quæ Pineda ad noſtrum ſcopum colligit cap. 6. Præfationis in Job. Rex Regum, inquit Chriſtus, Rex quoque ac Rex Regum Job, magnus inter omnes Orientales, & Chriſtus cujus oriens nomen eſt Princeps eſt ac caput omnium orientalium ac illuminatorum à Deo *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Dicit Job de ſeipſo cap. 29. *Qui me audiebant expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum.* Et de Chriſto teſtatur Evangelium Luc. 8. *Quod ſequebantur eum turbæ & de civitatibus properarent ad eum.* Scilicet nunquam ſic hominem loquentem audierant.

Dicit iterum Job de ſeipſo *oculus fui cæco, pes claudo, &c.* Cùm eſſet in afflictos omnes beneficus: ac ſic Chriſtus Pater erat pauperum *qui pertranſiit benefaciendo.* Act. 1.

Non comedi, inquit Job, *buccellam meam ſolus.* & cap. 31. Peregrinos ad epulas ſuas vocabat. Sic Chriſtus ſæpe multitudinem pavit ſequentium ſe, & Paſcha cum Apoſtolis manducavit.

Cap. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei*, inquit Job cap. 31. *Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur?* Atqui hoc ipſum eſt deſiderium manducandi paſcha & ſatiandi ſe carne ejus in Sacramento Euchariſtiæ, ob amorem in illum ferventiſſimum.

Tres amici Job conticuerunt ejus dolorem percipientes ac cum eo in terra ſederunt cap. 2. Sic tres Apoſtoli agoniæ illius ſocij in horto Gethſemani. *Erant enim oculi eorum gravati pra triſtitia.* Marci 13.

Permittitur Job poteſtati ſathanæ ut eum percutiat, & Chriſtus poteſtati ejuſdem. Unde illud Luc. 22. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

Amici Job eum non agnoſcebant & de Chriſto ſcribitur Iſaiæ 58. *vidimus eum, & non erat aſpectus.*

Job irriſus eſt à familiaribus ſuis cap. 30. *In eorum canticum verſus ſum & factus ſum eis in proverbium.* Non diſſimilis Chriſtus quem irridebant in cruce *blaſphemantes & moventes capita ſua.* Matth. 27.

Quæ prius, inquit Job cap. 6. *Nolebat tangere anima mea, nunc pra anguſtia cibi mei ſunt.* Et Chriſtus in cruce felle & aceto potatus eſt.

Dicit Job cap. 16. *Conſcidit me vulnere ſuper vulnus*: atque hoc ipſum Chriſto adaptari poteſt, cùm poſt tot vulnera lancea latus ejus aperuit.

Offert Job ſacrificium pro amicis, de quo dicit Deus, *faciem ejus ſuſcipiam ut non imputetur vobis ſtultitia* cap. 42.

Sic Pater æternus reſpexit in faciem Chriſti ſeipſum hoſtiam offerentis pro peccatoribus omnibus.

Tandem Job reſtitutus priſtinæ incolumitati ac fortunæ, colitur ab omnibus ſuis qui priùs eum noverant, cap. 42.

Itidem Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam à diſcipulis agnoſcitur & adoratur Marci 16.

Unum deſiderari poſſet ut Job Chriſti patientis perfecta eſſet imago, ſi nimirum reipsà inter cruciatus mortem obiiſſet: ſed ad hoc ſufficit quod lethalia vulnera Job perpeſſus ſit, & voluntate ſe morti obtulerit, quemadmodum Iſaac qui perfecta Chriſti in cruce immolati figura eſſe non deſivit, quamvis reipsà mortem non ſubierit.

Qui ſunt libri Sapientiales dicti?

III. PARS LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI.

Quinque libri, qui attribuuntur Salomoni, qui quoniam à Deo poſtulavit & impetravit ſapientiam dictus eſt ſapiens, ſunt autem iſti libri Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientiæ liber, & Eccleſiaſticus.

An Author quinque iſtorum librorum Salomon?

Author eſt principalis quoniam vel ab ipſo ſcripti ſunt, ut liber Proverbiorum majori ex parte, Eccleſiaſtes & Canticum, vel ex ejus ſententiis collecti ſunt, ut liber ſapientiæ qui exiſtimatur vulgò à Philone Judæorum diſertiſſimo ex ſententiis Salomonis conſcriptus, & liber Eccleſiaſtici, cujus Author & collector ex iiſdem Salomonis dictis habetur Jeſus filius Syrach tempore Simonis filii Oniæ. Unde nec repoſiti ſunt in priore catalogo librorum Canonicorum apud Judæos tempore Eſdræ confecto, quod nondum in lucem emiſſi fuiſſent.

Quare liber Proverbiorum ita dictus?

Quod conſtet ex ſententiis quibuſdam obſcurioribus quibus aliud ſignificatur quàm quod in cortice litteræ appareat, ut cum dicit cap. 1. *Fruſtra autem jacitur rete ante oculos pennatorum*, volens ſignificare fruſtra malignos proponere deceptionem ſapientibus, qui ſunt oculati ad videndum ſequens malum & per virtutem alas habent ad illud effugiendum. Proverbium enim ſignificat quandam ſententiam obſcuriùs dictam, ut cùm dicitur Joan. 16. *Ecce jam palam loqueris & proverbium nullum dicis.*

Nunquid etiam appellatur liber iſte parabolæ in principio ipſo libri, cur ita?

Parabola verbum Græcum eſt à *para* quod eſt juxta, & *bole* ſeu βολὴ quod eſt ſententia, quod parabola non accipiatur directè ſecundùm verba prolata, ſed juxta, propter aliud ſignificatum verbis ipſis correſpondens & ab iis non omnino extraneum, ut cùm per rete intelligitur deceptio, & per pennatorum oculos intelligitur ſapientia hominum virtute præditorum, cùm hæc ſimilitudinis propinquitatem inter ſe habeant.

Quid proponit liber Proverbiorum?

Varia monita ac præcepta quæ ſapientem decent, & ſapientem hominem reddunt. Sicut dicitur in primo capite, *Parabolæ Salomonis filij David Regis Iſrael ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligendo verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, juſtitiam, judicium & æquitatem.*

Quomodo dividitur?

In tres partes ſecundùm triplicem collectionem; Pars 1. à cap. 1. ad 10. excluſivè. Pars 2. à cap. 10. quod ita incipit, *Parabolæ Salomonis, filius ſapiens lætificat patrem, &c.* ad cap. 25. excluſivè. Pars 3. à cap. 25. quod ita incipit. *Hæ quoque parabolæ Salomonis quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda: gloria Dei eſt celare verbum*, quod tempore Ezechiæ cùm floreret pietas & ſtudium librorum ſacrorum de ejus Regis mandato viri illi aſſiſtentes, plures Salomonis ſententias addiderunt duabus prioribus collectionibus, ad quas de cedulis variis in quibus ſcriptæ inveniebantur illas tranſtulerunt, & hæc pars durat ad cap. 31. quod eſt ultimum.

Quid docet circa Chriſtum liber Proverbiorum?

Abbas Rupertus, cui multa ex divino Spiritu creduntur revelata in Scripturarum SS. interpretatione, do-

Rupertus.

Salomon docet fidem, ſpem, & charitatem erga Chriſtum.

cet Salomonem ſecundùm tres virtutes Theologicas fidem, ſpem & charitatem tres libros compoſuiſſe Proverbia, Eccleſiaſtem & Cantica Canticorum, ut in illis iſtas virtutes doceret, in libro Proverbiorum fidem, ſcilicet erga Chriſtum: in libro Eccleſiaſtes ſpem, in libro Cantici Canticorum charitatem. Scilicet vetus Adam à charitate, ſpe & fide excidens, ſe & poſteritatem ſuam defraudavit, & longè fecit à ſimilitudine beatæ Trinitatis. Et è contra novus Adam, reciprocis gradibus per fidem & ſpem & charitatem nos reformavit ad eandem ſimilitudinem Dei, & omnis ſcriptura divinitùs inſpirata ad hoc intendit, maximè autem ſive manifeſtiùs tres illi libri. ita l. 6. de Proceſſione Spiritus Sancti c. 19.

Præparatio ad fidem.

Id autem oſtendit in Proverbiis quoad fidem. Primus eſt actus, inquit, in parabolis mundare animam per doctrinam moralitatis, quatenus accipere poſſit myſterium fidei ſic incipiendo, *Fili mi ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*, &c. Quia ergo non eſt locus apertus fidei, niſi priùs vaſa munda ſint ab amore ſæculi, ab avaritia cæteriſque vitiis criminoſis, maximè à prudentia carnis, pulchrè ab hujuſmodi prius revocat filium quem vocare vult ad intellectum fidei, eandem ſapientiam ſæculi clamans eſſe fugiendam. *Favus diſtillans labia meretricis, nitidius oleo guttur ejus*, Unde in ſeptem primis capitibus præparat animam ad ſuſcipiendam fidem Chriſti, diſſuadendo à meretrice & procaci muliere, quæ eſt hæreſis ac ſæculi ſapientia.

Cap. 8. proponit Chriſtum iiſdem ferè verbis quibus D. Joannes Evangeliſta de Verbo loquitur. *Audite quia de rebus magnis loquutura ſum. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum* &c. paululum voces ſeu nomina differùnt, ſed eædem ſunt. Hic ſapientia, illic verbum, hic *initium viarum*, illic *principium*. Hic ego ſapientia *concepta eram*, illic non factum eſt, ſed *erat Verbum*, ait Evangeliſta. Hic *cum eo eram*, inquit, *cuncta componens*, illic dictum eſt *Verbum caro factum eſt, omnia per ipſum facta ſunt*. Hic taliter dictum eſt, *Sapientia ædificavit ſibi domum*, illic dictum eſt *Verbum caro factum*, & ipſam carnem Verbum incarnatum ſuum nominat templum. Hic taliter dictum eſt: *Excidit columnas ſeptem*, illic certum eſt in templo corporis Dominici habitare ſeptem Spiritus. Hic taliter dictum eſt: *Immolavit victimas ſuas miſcuit vinum & poſuit menſam*, illic taliter factum eſt ſicut experti ſumus & experiuntur omnes, quod proprium corpus ſuum tradidit in mortem, & in eo commemorationem mortis ejuſdem quotidie proponit nobis panem & vinum corpus & ſanguinem ſuum.

Conflictus inter bonos & malos.

Quæ autem ſequuntur in eodem libro oſtendunt conflictum inter bonos qui Chriſto adhærent, & malos qui ejus fidem reſpuunt, ſecundùm quod ipſa incarnata Sapientia dixit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. atque illorum quidem in initio Sapientia mater conſtituitur, horum verò ſtultitia. Fines verò quàm diverſi utriuſque filiorum ſeries libri per antitera declamare intendit.

Eccleſia fortis mulier.

In ultimo capite deſcribitur Eccleſia Chriſti in qua confidit revelans ei ſecreta ſua ſub typo mulieris fortis, cujus etiam dicitur *Vir nobilis quando ſederit cum ſenatoribus terræ*, Chriſtus nempe in judicio ultimo cum Apoſtolis omnium Judex. Sic mirabiliter fidem in Chriſtum prædicat totus hic liber.

Quid de Chriſto liber Eccleſiaſtes?

Spes in Chriſto.

Spem in Chriſto Deo habendam docet hic liber, dum in cunctis rebus vanitatem eſſe oſtendit, ſic exordiens, *Vanitas vanitatum dicit Eccleſiaſtes & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore ſuo qui laborat ſub ſole?* ſub auditur, niſi vanitatem, quod pluries repetit, ut judicet homo rationalis in nulla re hujuſce mundi cujus figura præterit ponendam eſſe ſpem, ſed in eo qui cuncta adducet in judicium; quod enim ait: *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum ſtat*. idem eſt ac ſi apertè diceret, homines cupidos fruſtrà conari ſibi ſubjugare terram, agrum agro copulando, contentione horribili uſque ad effuſionem multi ſanguinis, quia terra ſemper hic remanet, nec illos ſequuta eſt, aut ſequutura, qui adveniunt aut adventuri ſunt. Quare concludit Deo adhærendum eſſe, & ejus mandatis.

D. Hieronymus verba illa capitis ſexti: *Quid eſt quod futurum eſt, jam vocatum eſt nomen ejus, & cognitum quia homo eſt, & non poterit judicari cum fortiori ſe.* ad litteram interpretatur de Chriſto. Apertè, inquit, de Salvatoris prædicatur adventu: quod qui futurus eſt antequàm in corpore cerneretur, jam vocatum eſt in Scripturis nomen ejus & cognitum Prophetis & Sanctis Dei, quia homo ſit, & juxta hoc quod homo eſt non poſſit ſe conferre cum Patre, & in Evangelio dicat, *qui me miſit major me eſt*, &c. Librum hunc ferè integrum explicavimus in Sapientia foris prædicante ſeu Bibliotheca concionatorum par. 1. c. 7.

Charitas docetur in Cantico Canticorum.

De libro Cantici Canticorũ res notior eſt quod charitatem Chriſti prædicet. Cunctæ voces, ait Rupertus l. 7. de proceſſ. Sp. S. c. 13. ſunt voces charitatis, Chriſti deſiderabilis, Eccleſiæ deſiderantis, amicorum & adoleſcentulorum intendentium audire vocem ſponſi dilecti & ſponſæ dilectæ, &c. illum librum tribus meditationibus elucidavimus in Theologia Affectiva 2. 2. in Tract. 4. de perfectione, quibus ſequentia addimus.

Quid vocas Canticum Canticorum?

Librum Salomonis quem divino Spiritu movente edidit in quo canit epitalamium. id eſt, carmen nuptiale, ob conjunctionem ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia. Vocaturque Canticum Canticorum phraſi Hebraïcâ, ad deſignandum Canticum eſſe excellentiſſimum inter omnia Cantica, ſicut dicitur Rex Regum pro magno Rege, & ſolemnitas ſolemnitatum pro magna ſolemnitate.

Quomodo Spiritus Sanctus potuit exprimere amorem Chriſti ad Eccleſiam ſub involucro amoris carnalis?

Id ad dignationem divinæ Bonitatis referendum eſt, qui ad teſtificandum ſuum erga creaturam amorem, etiam quoſdam terreni amoris terminos non abhorruit, metaphoraſque ac ſimilitudines à nuptiis carnalibus deſumptas, quas methaphoras celeriter tranſire debet idoneus hujus libri lector, ut ad arcanos ſenſus perveniat, perpetuamque de Chriſto & Eccleſia prophetiam cogitet.

Littera Cantici hujus continet ne veram Hiſtoriam an fictam narrationem?

Probabilius eſt, continere quid mixtum ex parabola & Hiſtoria, narrationem iſtam varia eventuum diverſitate contextam, eorum etiam quæ per ſomnum & imaginationem contigerunt, neque ex toto Hiſtoriam neque ex toto parabolam, ſed eſſe & Semi-hiſtoriam de nuptiis inter Salomonem, & puellam Ægyptiam Pharaonis filiam, vel aliam priùs ruſticam & ignobiliter natam, & eſſe Semi-parabolam propter multa quæ ibi narrantur, etſi forſan nunquam contigerint ſecundùm litteram. Ita ut tamen iſta omnia ſcripta ſint ad figurandum ſub cortice amoris terreni ſpiritualem amorem inter Deum & Eccleſiam ſeu inter Chriſtum & animam multâ charitate erga illum incenſam, hæcque ſit primaria Spiritûs ſancti intentio.

Nunquid offendunt caſtas aures quæ dicuntur de oculis, unguentis, umbilico, cruribus, &c.

Reſpondetur non alium amorem deſcribi quam caſtum & conjugalem, à quo tamen celeriter tranſeundum eſt ad Spiritum & amorem ſpiritualem, illique inhærendum, omiſſo litteræ velo & cortice ſecundùm intenſionem Spiritûs ſancti: ſicque hoc magis extinguit quam accendit carnalem omnem cupiditatem.

Quo pacto fiet ille tranſitus ad ſpiritum?

Conſiderandum eſt ad delibandum tantiſper myſterium iſtius Cantici animam ibi repræſentari ſub figura

Modus procedendi.

ſponſæ quæ mille modis affectus ſuos circa ſponſum prædilectum prodit, ejus oſcula, amplexus, præſentiam continuam, protectionem, colloquia, inſtructiones, deſiderando, eum ad ſe ſuaque omnia poſſidentia invitando, eum ſuper omnia & præ omnibus æſtimando, appretiando, eum laudibus innumeris extollendo, ejus perfectiones admirando, ut tota pareat extra ſe rapta, nihilque extra illum & præter illum amare. Ex altera parte Chriſtus & ſponſus fideliſſimus & potentiſſimus, amantiſſimuſque reciproquo amore ſponſam illam proſequens nihil prætermittit ex iis quæ ſperare poſſet ſponſa à tali ſponſo. Eam inſtruit ut magiſter diſcipulam, ejus pacem & quietem procurat, incommoda quælibet ab illa ſatagit avertere, eam collaudat, ad ſe invitat ſæpiùs, negotia ejus procurat quaſi tutor ſuæ pupillæ, denique omnia agit ut ſe fervidum illius amatorem demonſtret. Et hic eſt Spiritus hujus libri latens in cortice litteræ, cujus ſingula verba non ſunt nimis anxiè expendenda, & diſcernenda, cùm ſufficiat agnoſcere in iis involvi actus amoris ſolliciti & ferventis ſponſi ergà ſponſam & ſponſæ erga ſponſum: ſicut in parabolis non eſt neceſſe in ſingulis verbis anxium eſſe, nec omnia inveſtigare, quaſi neceſſaria eſſent, cùm ſufficiat ad id attendere quod Author parabolæ in ea præcipuè intendit, atque ad id aptare eas partes parabolæ quæ eo directè tendunt, cæteris omiſſis.

Quis modus procedendi in Cantico Canticorum?

Per modum dialogi in quo Deus & Eccleſia colloquuntur inter ſe: ità ut Deus duplicem gerat perſonam, & magiſtri ſuam diſcipulam docentis, & ſponſi qui ſponſam ſuam Eccleſiam & miris laudibus afficit, & variis gratiarum favoribus proſequitur. Cui etiam correſpondens Eccleſia laudes laudibus remunerat, & ſe non indocilem diſcipulam teſtatur.

Eſtne continuus aliquis ſenſus hujus libri an diſcurſus aliquis ſine nexu & ordine, ſicut arena ſine calce?

Eſt ſecundùm aliquos ſenſus continuus, ſi quis diligenter attendat, nam initia & velut infantiam Eccleſiæ deſcribuntur in primis duobus capitibus: progreſſus verò ejus & ſtatus perfectior dum per gentes crevit, per quatuor ſequentia capita: tandem duobus ultimis capitibus ſtatus ejus finalis adumbratur cum ex ipſa & Synagoga Judæorum ultimis temporibus ad fidem conversâ fiet unum ovile & una Eccleſia quæ finem mundi adventantem ſpectans ad Cœlum adſpirabit. Sed iſti veriùs Ænigmata loquuntur, neque enim patet ille ſic continuus tripartitus Eccleſiæ ſtatus in tot obſcuris Canticorum verbis.

An licita omnibus lectio hujus Libri?

Apud Judæos non paſſim juvenes ante ætatem Sacerdotalem triginta annorum admittebantur ad lectionem trium primorum capitum Geneſeos nec ad principium & finem Ezechielis à cap. 40. propter obſcuritatem: nec ad ullam partem hujus libri, propter periculum ſalacis titillationis in iis in quibus affectus nondum deferbuerint: quamvis nulli hodie tam malè eſſe debeant imbuti divinis litteris, ut illas neſciant caſtimoniæ omnis magiſtras eſſe, & ſub figuratis locutionibus ad noſtras loquendi formas accommodatis divini amoris aculeos ſicut & alia myſteria declarari. Nil enim in hoc cantico hiſtoricè, ſed omnia ad Spiritum perpetuâ allegoriâ transferuntur. *Genebr. in cap. 1. Cant. ex quo etiam plura ex ſequentibus.*

Quomodo ſacer & Canonicus liber qui de Deo haud verbulum habet?

Theodorus Mopſueſt.

Hæc fuit objectio Theodori Mopſueſteni Neſtorianorum Magiſtri, & ab ipſis mare ſcientiarum dicti, cùm nullum ex decem Dei nominibus in eo reperiatur. Sed dubium eſſe non debet, quin nomine ſponſi Deus juxta Rabbinos, aut juxta nos, Chriſtus intelligatur ſponſus Eccleſiæ Catholicæ. Sed nec in libro Eccleſiaſtis nomen tetragammaton reperitur: in volumine

A Eſteræ de Deo, nehilum quidem quatenus apud Hebræos extat.

Quid hoc initium Cantici, *oſculetur me oſculo oris ſui?*

Nomen Hebræum *nazak* & oſculum & eruditionem ſignificat: petit igitur ſponſa Eccleſia erudiri à Chriſto. Eruditione oris ſui: non modo inviſibili, ſed palam: quod factum eſt in adventu Chriſti. De quo dicitur, ad Hebræos 1. capite. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus, &c. noviſſimè nobis locutus eſt in filio.* Addit ſponſa, *quia meliora ſunt ubera tua vino*, id eſt, Vetus & Novum Teſtamentum præſtant cæteris hujus mundi deliciis: aut ubera deſignant dulcedinem Evangelij, quod vinum veteris legis paulò durioris melius eſt. *Caput 1. Cantici Canticorũ.*

B Quid eſt *trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum?*

Hic tangit ordinem ſalutis, cujus primus gradus eſt electio ſeu attractio Dei. Secundus ex parte noſtri concurſûs. Ideò dicit trahe me poſt te curremus, *non ego ſolus ſed gratia Dei mecum*, ut loquitur Apoſtolus.

Quid eſt *nigra ſum, ſed formoſa?*

Per prolepſim occurrit objectioni huic quæ fieri poterat Eccleſiæ, ſi tibi ſponſus tam præſtans, cur tu ſpeciei ejus non reſpondes, cur tu nigra & deformis perſecutionibus. Cui reſpondet Eccleſia interiorem eſſe ſuam pulchritudinem, ſed deforis ſole perſecutionis & ardore deformem eſſe, *quia filij matris meæ*, (quæ eſt humana natura mater Eccleſiæ) pugnaverunt C *contra me*. infideles & hæretici. Unde petit auxilium & opem à ſponſo, *indica mihi quem diligit anima mea, &c. ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Ne adhæream gregibus hæreticorum qui ſe ſodales tuos dicunt.

Quid eſt *ſi ignoras te? &c.*

Hinc inſignis locus contra Hæreticos, nam ibi docetur ubi tempore perturbato & difficili vera ſit Chriſti fides nempe in ovium & paſtorum perenni ſucceſſione, quæ una eſt è notis Eccleſiæ. Contra hæreſis ſecta non poteſt indicare ordinem paſtorum ſuorum, neque ſuos cenſus deferre ad aliquem ex Apoſtolis aut Apoſtolicis viris. Qua de re Tertullianus lib. *de præſcriptionibus.* *Succeſſio paſtorum.*

Quid eſt *equitatui meo in curribus Pharaonis, &c.*

Hoc deſignat celeritatem Eccleſiæ & diligentiam in D effundendo nominis Chriſti unguento per prædicationem ad omnes gentes. Unde ad Romanos D. Paulus capite 1. *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.*

Quid eſt *murenulas aureas faciemus tibi?*

Hoc eſt variis te donis, gratiis ac privilegiis ornabimus.

Quid eſt *dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum?*

Id eſt, Dum ſponſus eſt nobiſcum per præſentiam ac in ſacramentis, fides noſtra profilit in opus, virtutes fructus afferunt.

Quid eſt *oculi tui columbarum?*

Per oculos intelligenda Eccleſiæ perſpicacitas in iis quæ ad fidem, cultum Dei moreſque pertinent in E quibus Eccleſia non hallucinatur.

Quid eſt *tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra Cipreſſina?*

Hoc denotat ædificium Eccleſiæ firmum eſſe & ſtabile; benè enim fundata eſt domus Dei conſtructa ex trabibus cedrinis nunquam putreſcentibus & cipreſſinis ſuave olentibus, ut cujus artifex opifexque Deus ſit, ad Hebr. 11.

Quid capite ſecundo continetur? *Caput 2.*

Alternis Chriſtus & Eccleſia laudant ſe & virtutes ſuas canunt.

Quid eſt *Sicut lilium inter ſpinas?*

Hoc eſt quantum lilium præcellit ſpinas, tantùm Eccleſia cæteros hominum cœtus.

Quid eſt *ſicut malus inter ligna ſylvarum? &c.*

Hoc eſt quantum malus & odore & guſtu præſtat ſuper arbores ſylveſtres, tantum Chriſtus reliquis omnibus.

Quid eſt vinaria?

Arcana Dei & ſecreta myſteria quæ animos meditantium amore inebriant. Unde continuò addit, *ordinavit in me charitatem*, quia cognitio arcanorum Dei gignit amorem, eſtque affectiva. Legunt 70. Interpretes *vexillum ejus ſuper me dilectio.* Quia amor eſt quo Deus congregat & attrahit Eccleſiam, & ad pugnandum excitat.

Quid eſt *lævæ ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me?* ..

Id eſt cunctis modis me proteget, fovebit, ſuſtentabit.

Quid eſt *ſimilis eſt dilectus meus capreæ, & en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum? &c.*

Celeritatem deſignat ſponſi Chriſti ad opem ferendam Eccleſiæ, ut quaſi ex improviſo & inſcius hoſtibus præſto adſit, ſicque veluti ver novum præſens ſentiatur diſſipatis hyemis tempeſtatibus, id eſt, adverſitatum ex hæreſibus & perſecutionibus.

Quid eſt *capite nobis vulpes parvulas?*

Vulpes Hæreſiarchæ, vulpeculæ Hæreticorum diſcipuli aut hæretici tenuiores & minoris ſcientiæ ac potentiæ.

Quid eſt *donec adſpiret dies & inclinentur umbræ: revertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ? &c.*

Cerva ad ruptas rupes ducit ſæpe hinnulos, ut ſciant quò confugere debeant à canibus agitati: unde deſiderat Eccleſia, ut Chriſtus in tutum locum ſe recipiat, ne quid detrimenti illi accidat a graſſantibus perſecutionibus, *donec adſpiret dies* alterius ſæculi & inclinentur umbræ, id eſt, præſentis nox prætereat. Ac ſic uno contextu ſine interpunctuatione legendus integer iſte verſus.

Quis ſcopus capitis tertii?

Caput 3. Cant. Propalare Eccleſiæ ſtudium ad quærendum Deum cum omni cura, labore ac ſollicitudine, ejuſque fortitudinem ſub ſchemate lectuli ac ferculi Salomonis adumbrare.

Quid eſt *in lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea?*

Nocte ſic nos gerere debemus ut unum Dominum ſomniemus, cogitemus, alloquamur, precemur, juxta illud Apoſtoli, 1. Theſſ. 5. *Sive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.* Illud autem denotat ſponſæ ſtudium & piarum animarum per noctes ac adverſitates hujus mundi ad quærendum Deum.

Quid eſt invenire Deum?

Ejus gratiam, dulcedinem & Spiritum ſentire qui teſtimonium conſcientiis noſtris perhibeat quod filij Dei ſimus, vel ab eo Domino liberationem à malis conſequi propter quæ abſentem illum putabamus.

Quid eſt *donec introducam illum in domum matris meæ? &c.*

Zelus Eccleſiæ deſcribitur ad introducendum Chriſtum per fidem in Synagogam, ſicut fiet in fine mundi cum *omnis Iſrael ſalvus fiet*, ad Rom. 11. & Judæi converterentur. Nec vult in illo zelo à quodam interturbari.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum?

Deſcribitur Eccleſia plena gratiis & charismatibus, ac odore famæ ſanctitatis per deſertum hujus mundi inter feras & innumeros adverſarios incedens Deo grata & accepta.

Quid lectulus & ferculum Salomonis?

Ipſamet Eccleſia, quam ſexaginta fortes ambiunt, ideſt, Paſtores & Doctores vigilantes ac tenentes gladios propter timores nocturnos ignorantiæ, errorum, hæreſeon, ne quid detrimenti capiat. Eadem quoque Eccleſia ferculum eſt, ſeu geſtatorium portatile, quo Chriſtus defertur per fidem ad omnes gentes. *Media charitate conſtravit.* Id eſt interiora omnia obduxit, A obtexit, ornavit charitate, id eſt, iis quæ amorem concilient, & ad Chriſtum amandum pelliciant: unde invitantur filiæ Jeruſalem, id eſt, animæ omnes, ut derelictis ſæculi curis, Chriſtum in Eccleſia contemplentur ac diligant in hac vita quæ tota eſt dies deſponſationi illius dicata, quâ ſibi in fide & charitate ſponſat animas ut illi adhæreant.

Quod argumentum capitis quarti?

Chriſtus extollit pulchritudinem Eccleſiæ ab enume- *Caput 4.*
ratione partium, quia omnia ejus membra pulchra ſunt, omnes ordines, omnia ejus opera. *Oculi tui columbarum*, id eſt, doctores ejus ſunt perſpicaces, *capilli tui ſicut greges caprarum.* Multitudo credentium ſignificatur, quæ optimis paſcuis doctrinæ & ſacramentorum paſcitur. *Dentes tui ſicut greges tonſarum.* B Denotantur viri ſpirituales, qui firmiori ſunt animo, omnes ſibi concordes in uno ſenſu & doctrina, omnes mundi, nullus inter eos ſterilis, qui non lucretur aliquem Deo. *Sicut vitta coccinea labia tua*, preces ſunt Eccleſiæ cruore Chriſti perfuſæ *ſicut fragmen mali punici, ita & gena tua.* Verecundia & eſt pudor. *Sicut turris David collum tuum.* Denotantur præcones Verbi divini per quos tranſmittitur cibus ſpiritualis in corpus Eccleſiæ, & qui inſtructi ſunt armis ſpiritualibus ad debellandos aut ſuſtinendos hoſtes Eccleſiæ. *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli*, ſunt duo Teſtamenta, vel Paſtores Eccleſiæ.

Quid eſt *donec adſpiret dies & inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris?*

C Pollicetur ſe Chriſtus, donec dies alterius ſæculi eluceſcat, ſe adfuturum Eccleſiæ, quam vocat montem myrrhæ & collem thuris, propter bonorum operum fragrantiam.

Quomodo vocat eam totam pulchram, cùm in ſingulis ejus membris macula ſit & peccatum?

Etſi Eccleſia diviſim, diſtributimve interdum erret in fide vel in moribus; attamen conjunctim, collectimve in Concilio Oecumenico non hallucinatur propter præſentiam Spiritus Sancti: ideò ibi tota pulchra eſt & macula non eſt in ea.

Quid eſt *Veni de Libano ſponſa mea?*

Vocat animas ad fidem ex omnibus mundi partibus magiſque efferis gentibus, quas vocat cubilia Leonum.

Quid eſt *vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum & in uno crine colli tui?*

D Hoc denotat quantum Chriſto beneplacitum ſit *Concordia Doctorum.*
concordia Doctorum in eodem ſenſu fidei, ac etiam populi iis adhærentis, etſi ex diverſis nationibus coaleſcat Eccleſia. Hinc ſe extendit ad laudandam pulchritudinem mammarum & uberum Eccleſiæ, hoc eſt Paſtorum qui lac parvulis propinant, hinc preces illius illi gratæ ſunt, favus diſtillans labia tua ſponſa? hinc opera ejus per veſtes deſignata, accepta illi ſunt.

Quid eſt *hortus conclusus, fons ſignatus?*

Hoc eſt, Eccleſia hortus eſt omni plantarum ſpecie conſitus quas hic deſcribit ut laudes ejus amplificet, ſed eſt concluſus Dei præſidio ne quid noxij in illum irrumpat. Eſt quoque fons ſignatus ne hæreticorum cœno limpida ejus aqua turbetur, eſt quoque E puteus aquarum viventium, è quo petendæ ſunt aquæ vivæ & perennes ſalientes in vitam æternam, quibus ſingulares Eccleſiæ copioſiſſimè rigantur, dum omnibus doctrinam veram ſuppeditat.

Quid eſt *ſurge aquilo & veni auſter, perfla hortum meum?*

Poſt apoſtrophen Chriſtus alloquitur Spiritum Sanctum qui per Aquilonem ventum frigidum denotatur in quantum refrigerat ardorem malæ concupiſcentiæ, & per Auſtrum ventum calidum in quantum ad charitatem corda inflammat, ipſumque invocat ut ſemper ſpiret in Eccleſiæ horto, & fluant aromata illius, ſpargatur ubique odor & fama virtutum illius.

Caput 5.

Quid eſt in cap. v. *veniat dilectus meus in hortum ſuum? &c.*

Eccleſia ſponſi beneficiis affecta ei totam ſe dedicat & viciſſim ſponſus ſe probatos habere fructus operum illius teſtatur, quaſi cibum quemdam delicatum. Sed & narrat ſodalibus ſuis, id eſt Angelis & cœlitibus quæ ſunt opera Eccleſiæ, quæ preces, quæ negotia, ut inciteturad ſuccurrendum. *Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſtimi.*

Quid eſt *ego dormio & cor meum vigilat?*

Deſcribit Eccleſiam in alio ſtatu, quando magna ex parte populorum inertium minus vacat rebus ſpiritualibus, corruptis plurium moribus: tunc etiam ſomnus eſt & dormit quodammodo Eccleſia, licèt cor ejus Spiritus ſanctus aut Chriſtus vigilet, ut ipſam ad priorem ſtatum reducat. Unde conſequenter deſcribit ſponſum ad fores ejus pulſantem ut aperiat, cui tamen difficilè obſequitur dicens, *expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illa?* Sanctam converſationem exui, quomodo illam reſumam, jugum Domini excuſſi, ut quid iterum ſubibo? *lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Splendidam jam vitam ago, cutem meam curo, ut quid vitæ ſqualidæ & aſperæ indulgebo? Inſtat tamen ſponſus per varias prædicationes, reformationes, inſpirationes vult ſponſam reducere, *dilectus meus miſit manũ ſuam per foramen & venter meus intremuit ad tactũ ejus.* Commovetur & timore concutitur Eccleſia, quærit ſponſum nec invenit quem priùs contempſerat, nec enim tam facilis eſt ſecunda juſtificatio quam prima, quæ magis gratuita eſt; non ita facilè ad ſtatum primæ gratiæ revocantur peccatrices animæ, etſi manus earum myrrham ſtillent per opera pœnitentiæ. Iterum affligitur Eccleſia per cuſtodes mundi, per Principes, per Hæreticos, per Judæos, Sarracenos punitur, vaſtatur, percutitur. *Invenerunt me vigiles qui cuſtodiunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* En ſtatus perſecutionis quæ ſæpius in Eccleſia commovetur ob dormitionem Paſtorum: unde tandem excitatur Eccleſia ad magis quærendum ſponſum, eumque pacandum unde exclamat, *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Excitat & hortatur ad fundendas ubique preces quo ſponſam ſibi reconciliet, atque ut ad amorem ejus provocet omnes; occaſione ſumptâ ex interrogatione Sionidarum ſub ſpecie ſponſi perfectiſſimi & omnibus virtutibus decorati virtutes Chriſti & excellentias exhibet; quia nihil potentius ad ſinceram converſionem quam Jeſum Chriſtum prædicare ac ſummas ejus perfectiones, ob quas ab eo coli & amari debet, propalare.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?

Particulatim per membra ſponſus Chriſtus deſcribitur ut innoteſcat quam ſit amabilis. *Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus.* In genere eſt candidus totus ſinceris moribus ſine fuco & hypocrili rubore modeſtiæ ſuffuſus, cui nullus par aut ſecundus inter innumeros: *Caput ejus aurum optimum*, divinitas ejus ſuper aurum & omnia pretioſiſſima eſt. *Coma ejus ſicut elatæ palmarum, nigra quaſi corvus.* Multitudo gratiarum ejus ex divinitate velut capite profluens eſt abſque ulla canitiei aſpergine in florenti ſemper ſtatu. Juxta illud ad Hebr. 13. *Chriſtus heri & hodie & ipſe in ſæcula*, nunquam veteraſcit. *Oculi ejus ſicut columbæ*: perſpicacitas mentis illius, judicium, providentia ad omnia attendunt cum ſumma puritate. *Gena illius ſicut areolæ aromatum quæ conſitæ ſunt à pigmentariis.* Suavitas converſationis illius, quaſi cornucopia omnium virtutum & perfectionum. *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.* Suavis ejus eloquentia quæ ſolis improbis ut myrrha amara eſt. *Manus ejus tornatiles aureæ plenæ hyacintis.* Opera ejus pretioſa ſuper aurum & topazion ad redemptionem totius mundi ſufficientia, quorum valor pro omnibus eſt & ad omnes ſeſe extendit. *Venter ejus eburneus diſtinctus ſapphiris.* Cogitationes ejus internæ puriſſimæ ſunt cœleſtes. *Crura ejus columnæ marmoreæ quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Vires illius in ſubeundis quibuſvis laboribus non fatigantur, non ſuccumbunt oneri in agendo, conſolando, Evangelizando, patiendo, *Species ejus ut libani, electus ut cedri.* Denique totus quantus eſt ſpeciem habet admirabilem & oculos ſpectantium rapientem, qualis eſt ſaltus libani aut præaltæ cedri. *Guttur illius ſuavisſimum & totus deſiderabilis.* Iterum redit ad verba illius, quibus mirè afficitur: verba vitæ æternæ habet, quibus nihil deſiderabilius, voces ejus ſunt de juſtificandis, adoptandis, glorificandis hominibus, de remittendis peccatis, conſolandis mœrentibus, ad beatitudinem alliciendis; ſic totus eſt deſiderabilis: unde excitatio profilit ad amandum.

Quo charus ille tranſiit
O Virginum pulcherrima,
Quo ſe repente contulit,
Ut te ſequentes ſedulo
Poſſimus una quærere
Quem tu potenter diligis.

Quid cap. 6. exhibetur?

Reſtituta ſponſa ex tepido ſtatu ad priſtinum perſeverat in unitate geminæ charitatis & dilectionis erga Deum & proximum, dum interim laudibus multis cumulatur à ſponſo. Caput 6. Cantici C. literarum.

Quid eſt, *dilectus meus deſcendit in hortum ſuum?*

Reſpondet inquiſitioni puellarum quo Chriſtus divertiſſet, ac reſpondet in hortum ſuam in ſedem Religionis in Eccleſiam, extra quam non invenitur, in ea paſcit ſe liliis bonorum operum quæ probata habet ac colligit ut remuneret, omnia enim memoriæ commendat. Unde tam ſollicitè hic bona quæ ſunt in Eccleſia hîc deſcribit, quia nihil apud eum perit, apud quem calix aquæ frigidæ non erit in oblivione: atque hoc eſt lilia colligere.

Quid hoc *averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt?*

Anthropopathos id dicitur, propter ſummam vim, quæ eſt in Eccleſia, dum omnes ſunt in florenti ac debito ſtatu, ut omnia precibus à Deo extorqueat, quibus ipſe ex bonitate inſita reſiſtere nequeat.

Quid eſt, *una eſt columba mea?*

Dum unam Eccleſiam laudat, cæteras congregationes paganorum ſchiſmaticorum, hæreticorum reprobat, ait Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum. Una eſt genitrici ſuæ ſynagogæ ex qua unicâ Eccleſia prodiit, quam laudarunt cæteræ gentes dum ei ſe adjunxerunt.

Quid eſt quod vocatur *aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?*

Quia Eccleſia ut aurora conſurgens à parvis cœpit initiis, ut luna ſplendet in nocte hujus ſæculi in quo omnia caliginoſa, ut Sol diſpellit tenebras errorum, tuncque eſt terribilis dæmonibus & hæreticis ut caſtrorum acies ordinata, quâ eorum vires ſuperantur. *Eccleſia.*

Quid eſt, *quod Eccleſia dicitur deſcendere in hortũ nucũ?*

Id fit dum ad nationes à fide Apoſtatrices, quales pleræque ſemper fuerunt, ad fidem reducendas convertitur, ſunt enim hæ nationes horti nucum propter amaritudinem quam matri Eccleſiæ inferunt ac duritiem teſtæ & mentis obſtinatæ; unde dicit Eccleſia. *Neſcivi*, id eſt, non agnovi quod ullus fructus veræ pietatis parturiant. Unde addit, *anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*, quod interpretatur populus ſpontaneus. Turbatur enim Eccleſia ex inconſtantia & volubili mente populorum, qui non niſi propriæ voluntati ac ſenſui adhæſi ſunt, mutatâ Patrum ſuorum religione antiquâ.

Quid eſt, *revertere Sulamithis, revertere?*

Eſt vox Eccleſiæ ad hæreticas nationes aut infideles, ut revertantur toto corde, tota anima, ex omnibus

Chriſtus perfectus omni ex parte.

viribus ac toto pectore. Nec obſtat nomen Sulamithis, quæ vulgò Hieroſolymitana à Salem, quæ poſtea Jeruſalem dicta eſt. Nam Jeroſolymitana civitas Prophetis centies adverſa, non incongruè hujuſmodi gentes repræſentat. Unde capite ſeptimo ſequenti additur, *quid videbis in Sulamithe niſi choros caſtrorum?* Quod nimis verum docet quotidiana experientia, dum toties hæretici armis ſpiritualibus & corporalibus impugnant orthodoxos.

Caput 7. Cant. *Quid illa ſponſæ laudatio in cap. ſeptimo per enumerationem membrorum, propter quæ ſpectatu & admiratione digna eſt?*

Variæ perfectiones Eccleſiæ enuntiantur. Laudantur greſſus ejus, ut celeritas in annuntiando Evangelio deſignetur. Laudatur junctura femorum, quaſi eſſet monile fabricatum manu periti artificis, ut conſonantia inter Apoſtolos, & iis credentes indiceretur, in illa enim conjunctione peculiariter ars & induſtria Spiritûs ſancti apparuit, & ſine illa inanis fuiſſet eorum prædicatio.

Quid hoc *Umbiculus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis?*

Rabbi Salomo refert ad doctrinam Concilii Sanedrim centum Judices habentis in Jeruſalem medullio Terræ ſanctæ. Genebrardus ad Concilia Generalia *Concilium.* in medio Eccleſiæ celebrata palàm & publicè, ut ex omnibus partibus eo conveniri poſſet tanquam ad centrum in medio ſitum. Eorum conſeſſus eſt veluti crater rotundus in quo omnes partes æqualiter propinent potum à ſe temperatum contra violentiam Hæreticorum.

Quid *Venter ſicut acervus tritici?*

Propagatio fidelium per Sacramentum matrimonij quod pudicitiâ & caſtitate conſervatur.

Quid *duo ubera ſicut duo gemelli capreæ? &c.*

Duo Teſtamenta, ut duæ leges, ſcripta & tradita, quæ lac ſubminiſtrant doctrinæ, ſuntque velut gemelli capreæ, quia ſunt ejuſdem authoritatis & ab eodem procedunt. *Genebr.* collum ſicut turris eburnea deſignat Prædicatores & Doctores qui robur præſtant Eccleſiæ: oculi Prophetas ad quod ſicut ad piſcinam in Heſebon confluit populus ad hauriendam doctrinam & conſolationem, ut qui omnibus expoſiti ſunt. Naſus ſagacitatem Eccleſiæ ad detegendas Hæreticorum fraudes. Caput Eccleſiæ præaltum ut Mons Carmeli denotat ejus confidentiam propter teſtimonium conſcientiæ, quia non confunditur aut deprimitur, quaſi in aliquo rea ſit aut erraverit in doctrina. Comæ capitis illius denotant multitudinem populi illi adhærentis, quem velut purpuram recentem ac canalibus tinctoriis adhuc alligatam pretioſam habet Deus. Statura aſſimilata palmæ, denotat ejus fortitudinem & conſtantiam quâ nullis ſuccumbit adverſitatum oneribus propter invictam patientiam. Ubera botris aſſimilata rurſus Doctores deſignant, qui verbis ad amorem Dei accedunt ac quaſi mentes inebriant.

Quid, eſt *dixi aſcendam in palmam & apprehendam fructus ejus?*

Complacentia eſt Chriſti, quâ probat Eccleſiam, ejuſque labores in Evangelio annuntiando ac populis ad ſe adducendis. Gratos enim habet hujuſmodi fructus. *Et erunt ubera tua*, Prædicatores, *ſicut botri vineæ*, ad inebriandas mentes cœleſti amore: *& odor oris tui ſicut odor malorum.* Fama quæ ſpargetur ubique de verbis prædicationum, magna erit & ſuavis. *Guttur tuum ſicut vinum optimum.* Iterum iterumque verba ſponſæ laudat, nihil enim excellentius in Eccleſia quàm verbum perpurgatum & doctrina ſana, cùm reliquæ mundi congregationes ac Hæreticorum cœtus non niſi errore paſcantur, quo nihil miſerabilius homini poteſt accidere. Reſponder verò ſponſa, doctrinam illam dignam eſſe ſponſo ſuo Chriſto qui illius Author, eamque in mundo annuntiavit. *Dignum dilecto meo ad potandum, labiſque & dentibus, illius ad ruminandum.* Quia eloquia Domini caſta ſunt, proba-

A ta ſeptuplâ, eaque pluries Chriſtus ipſe meditatus eſt.

Quid eſt *ego dilecto meo? &c.*

Sponſa Eccleſia novum opus aggreſſura ad gloriam Dei priùs ſe ſponſo devovet, ejuſque in amorem inardeſcit. Eſt autem illud opus inſtructio ruſticarum gentium, quales hoc tempore Indi Canadenſes Hurones, ac multi paganorum incolæ, ad quos aliquando inviſendos ac excolendos excitarunt verba iſta. *Veni dilecte mi*, inquit, *egrediamur in agrum, commoremur in villis*, hoc eſt opus miſſionum, quæ hiſce ſæculis frequentiores fuerunt, ac cum fructu ubertimo ad quas zelus S. Ignatij, ac noſtro tempore P. Pauli Vincentij plures ſuſcitavit. *Inſtructio rudium.*

Quid eſt *ibi dabo tibi ubera mea?*

B Quia viri Eccleſiaſtici in iſtis laboribus maximum erga Deum teſtantur amorem & exercent, ſi fideliter ſe gerant.

Quid eſt, *Mandragoræ dederunt odorem?*

Mandragoræ in radicibus aliquam hominis ſpeciem gerunt: ſecundùm utrumque ſexum & repræſentant barbaros ac ruſticos valde homines, de quibus propter ruſticitatem eorum dubitarunt aliqui an verè homines eſſent. In iſtis miſſionibus hi homines quantumcunque rudes dant odorem ſuum, dum in virtute ac religione floreſcunt, & in converſione antiquantur.

Quid eſt *in portis noſtris omnia poma nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi?*

In portis, id eſt in promptu, in præſentia, omnis generis fructus habemus, & fideles ac juſtos veteres, & novos credentes ac pœnitentes, veteres & novos C ſanctos. Omnes tibi conſecravi, ô Chriſte, omnes tibi devovi, omnes tui ſunt, omnes tibi obtuli.

Quid docet caput obſcurum Cantici? *Caput 8. Cantic.*

Repræſentat ultima tempora Eccleſiæ quando Judæis ad fidem venientibus Synagoga pro ſorore parvula erit Eccleſiæ.

Quid eſt *quis mihi det te fratrem meum?*

Actus amoris Eccleſiæ ad Chriſtum exhibitus ſub ſpecie amoris puellæ grandiuſculæ, quæ parvulum fratrem foris in platea repertum in domum reducit, tenerimè colloquendo & oſculando.

Quare teſtatur iſtum amorem?

Mos eſt iſte Eccleſiæ ab actu amoris & charitatis erga Deum ardua opera exordiri. In fine autem ſæculi arduum erit & maximum opus Eccleſiæ Judæos ad D fidem adducere, Quod explicat per hæc verba, *apprehendam te, & ducam in domum matris meæ*, Synagogæ ex qua prognata Eccleſia.

Quid eſt *ibi me docebis & dabo tibi poculum, &c.*

Quia Eccleſia à Synagoga edocta eſt ac in libris ejus ac figuris Veteris Teſtamenti inſtruitur de myſteriis Chriſti, quæ dum concipit inardeſcit amore ad Chriſtum, ac veluti vino optimo ipſum reficit dum ardenter eum diligit.

Quid eſt *læva ejus ſub capite meo? &c.*

Hoc eſt favebit me ac omnimodo proteget undique, unde & ſubjungit. *Adjuro vos, &c.* Propalans quantum probatum habeat hunc ejus ſtatum.

Quid eſt, *quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?*

Chriſtus prodit amorem ad Eccleſiam, quæ in fine ſæculi in perſecutione Antichriſti de deſertis in quibus ſeſe abſconderat, proditura eſt auxilio gratiæ ſubnixa E ac ſuſtentata.

Quid eſt, *ſub arbore mala ſuſcitavi te?*

Sub Crucis arbore redemi te, à lapſu peccati erexi. *Ibi* ſub eadem arbore mater tua Synagoga modo ad mentem rediens, horrendo ſcelere polluta eſt & commaculata dum morti meæ cooperata eſt.

Quid eſt, *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ſignaculum ſuper brachium tuum?*

Expetit Chriſtus ab Eccleſia & à ſingulis fidelibus diligi ac ut ſibi omnes conformes ſint corde & opere, quandoquidem ipſe tantopere omnes dilexit, ut nullâ vi tormentorum charitas ejus extingui potuerit, nec ullâ re ſatis æſtimari.

Quid

Quid eſt *ſoror noſtra parva eſt & ubera non habet?*

Sollicitudo demonſtratur Eccleſiæ adultæ pro Synagoga recens converſa ad fidem in fine mundi, ut illa coram tyrannis & adverſariis fidei non vacillet. Hæc verò pro ſeipſa reſpondet ſe firmiter Chriſto adhæſuram, *ego murus & ubera mea ſicut turres, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.*

Quid eſt *vinea fuit pacifica in ea quæ habet populos?*

Vox eſt ſodalium ſponſi; puta Angelorum inter ſeſe colloquentium de progreſſu Eccleſiæ, fructuſque ejus Chriſto ipſi tribuentium ob perpetuam ejus circa eam curam & vigilantiam: nec paſtores probos prætermittunt.

Quid eſt *quæ habitas in hortis amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam?*

Judicium ultimum. Vox eſt Chriſti Eccleſiam invitantis ad locum judicij ultimi, in quo adſtantibus & audientibus Angelis Eccleſia viciſſim Chriſtum poſt prolatam ſententiam, ut in Jeruſalem cœleſtem remigret, tota feſtiva & hilaris provocabit his verbis. *Fuge dilecte mi & aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum ſuper montes aromatum*, quaſi diceret, remigrando quantocius in Cœlum rape me tecum ut hinnuli & capreæ dum venatores fugiunt catulos ſecum rapiunt, ne in prædam eorum fiant.

Liber Sapientiæ cur ita dictus?

Liber Sapientiæ. Quod veram ſapientiam doceat, quæ non tam ſpeculativa eſt quam practica; vera ſcilicet Dei cognitio cum ejus timore & cultu quo perducatur homo ad bonum ſuum æternum.

Quis author hujus Libri?

Rabinus quidam ac Doctor Hebræus incognitus, qui temporibus Ptolomæi Philadelphi cum plures è Judæis captivi agerent in Ægypto, ad eorum conſolationem librum hunc ſcripſiſſe exiſtimatur; utque ipſum Regem Rempublicam probè adminiſtrare doceret, nec durius exigeret Iſraëlitas, propoſito adhoc exemplo Pharaonis cui malè ceſſit durior erga hunc populum animus.

Nunquid Philo Judæus à pluribus Author habetur hujus Libri?

Improbabile omnino id eſt, ut liber tam ſanctus & quem Eccleſia expenſis omnibus Canonicum tandem habuit: quique recenſetur inter libros Veteris Teſtamenti, ab homine Judæo & in infidelitate Judaiſmi poſt Chriſtum remanente Platonique addicto, ex quo aliquos ſuos hauſit errores in l. *de opificio ſex dierum*, conſcriptus fuerit.

Cur ergo inter libros Salomonis reponitur?

Quod multas Salomonis ſententias contineat, authorque ejus perſonam induat illumque loquentem inducat: quod itidem de libro Eccleſiaſtici poteſt dici. Unde & Salomon principalis Author horum duorum librorum dici poterit. Unde & in Græcis Bibliis inſcriptus eſt hic liber Sapientia Salomonis.

Quæ partitio hujus Libri?

In tres partes præcipuas dividitur. Prima Pars hortatur ad ſapientiam variis ejus propoſitis elogiis per ſex priora capita, quorum 1. ſic orditur. *Diligite juſtitiam qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum* Secunda Pars aperit originem ſapientiæ à Deo, ideoque illam debere æſtimari, amari & a Deo poſtulari cap. 7. & 8. exordiens hanc partem à ſeipſo qui à Deo ſapientiam obtinuit, etſi eſſet mortalis homo ſimilis omnibus & ex genere terreni illius qui prius formatus eſt. Tertia Pars oſtendit ſapientiæ fructum & effectus exemplis Adami, Noë, Abraham, Loth, Jacob, Joſeph, Moyſis, qui omnes beneficio ſapientiæ ex magnis calamitatibus liberati ſunt, miraque opera patraverunt, & maximè Moyſes, in cujus geſtis enarrandis plura impendit capita ſub finem Libri. Et hæc pars durat à cap. 9. ad 19. quod eſt ultimum.

Quid Liber iſte de Chriſto habet?

Manifeſtè cap. 2. de Chriſto loquitur, inſignem- A que exhibet Propheriam de ejus morte ac paſſione, repræſentans dicta impiorum Pontificum contra ipſum. *Circumveniamus ergo juſtum, quoniam inutilis eſt nobis & contrarius eſt operibus noſtris, &c. Promittit ſe ſcientiam Dei habere & filium Dei ſe nominat, factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum, &c.* Quæ omnia referri videntur ad Concilium Caiphæ. Unde Lactantius l. 4. inſt. cap. 16. nonne ita deſcripſit nefarium illud conſilium ab impiis initum contra Deum, ut plane interfuiſſe videatur?

Eccleſiaſtici Liber cur ita dictus?

Eadem ratione quâ Liber Eccleſiaſtes nomen ſuum ſortitus eſt. Liber nempe eſt concionatorius Eccleſiæ ædificandæ plurimum utilis, omnium virtutum & morum doctrinam continens & quam concionatores ibi B utiliſſimè haurient, ut in auditores effundant.

Quæ partitio hujus Libri?

In tres ſectiones.

Prima à cap. 1. ad cap. 43. coacervat multitudinem præceptorum ac ſententiarum moralium ad inſtruendos homines omnis ferè ſtatus & conditionis, ſine nexu & ordine, non pauca hinc inde intermiſcens in commendationem ſapientiæ.

Secunda ſectio laudem continet virorum nominatorum qui ſapientiæ ac virtutis laude floruerunt; ante legem Enoch, Noë, Abraham cap. 44. ſub lege Moyſes, Aaron, Phinees cap. 45. tempore Judicum Joſue, Caleph, Samuël, &c. cap. 46. tempore Regum Nathan, David, Joſias, cap. 47. 48. 49. Poſt Reges Zorobabel, cap. 49. & Simon Oniæ filius Sacerdos C magnus qui optimè functus eſt officio Pontificis. *Qui in vitâ ſuâ ſuffulſit domum & in diebus ſuis corroboravit populum. &c.* cap. 50.

Sectio tertia ultimum caput, quod eſt 51. complectitur, in quo collector ſeu Author hujus Libri ſingulari gratiarum actione librum concludit, in quo apparet eum à quibuſdam æmulis graviter fuiſſe falſis criminibus delatum apud Regem Ægypti, itaut periclitaretur de vitâ & gravibus ſuppliciis. *Confitebor tibi Domine Rex & collaudabo te Deum Salvatorem meum, &c. Et liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, &c.* Exhortaturque in fine ad ſapientiam hac ſententiâ imponens finem ſuo operi, *Operamini opus veſtrum ante tempus & dabit vobis mercedem in tempore ſuo.* Id eſt, benè agite antequam pereat tempus benefaciendi, &c.

Nihil ne ergo habet de Chriſto Liber iſte?

Imitatur Salomonem Libri hujus Author: ut enim ille cap. 8. Proverbiorum ſapientiam mirabilia ſua prædicantem introducit, ſimiliter & hic cap. 24. eamdem ſapientiam quæ Dei filius eſt, exhibet de ſeipsâ loquentem. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, &c. Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient, &c. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quæ de Chriſto Domino plurimi Patres etiam ad litteram intellexerunt.

Qui ſunt Libri Prophetales?

Liber Pſalmorum, quatuor Prophetæ majores, & E Liber duodecim Prophetarum minorum. 4. PARS LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI.

LIBRVM PSALMORVM QVIS compoſuit.

SI credimus D. Auguſtino lib. 17. de Civit. Dei cap. 17. David Author eſt centum quinquaginta Pſalmorum: at ſi D. Hieronymo in Prologo ſuper Pſalmos, quem magis auſcultandum quidam putant ob diligens ejus ſtudium circa textum ſacræ Scripturæ, decem ſunt Authores horum Pſalmorum, David, Moyſes, tres filij Chore, Aſaph, Ethan, Heman & Idithun, quamvis aliis videatur filios Chore, Aſaph & alios fuiſſe tantum cantores, non Authores Pſalmorum.

Quæ materia Pſalmorum?

Laus divina de rebus ferè omnibus in ſcripturâ ſacrâ

contentis, ut in his omnia ferè divina Myſteria dicantur, & in his velut in communi quodam theſauro omnia bona recondita ſunt ac conferta, maximè verò quæ pertinent ad Chriſtum aut ejus Eccleſiam.

Quare partes iſtæ ſcripturæ vocantur Pſalmi?

Quod compoſiti ſunt cum quadam modulatione delectabili humanum animum ad Deum laudandum mulcente, ut dum ſuavitate carminis paſcitur auditus, divini ſermonis utilitas inſeratur, ſicut accidit in poculo quo remedium porrigitur, quod ex præſcripto medicorum aliquando melle circumlinitur.

Quæ diviſio Pſalmorum?

Vix poteſt ulla aſſignari artificioſa Pſalmorum diviſio præter illam generalem quæ eſt in centum quinquaginta Pſalmos, propter diverſitatem materiarum quæ in iis tractantur: & quamvis admittamus diverſos Authores fuiſſe horum Pſalmorum, quia tamen Pſalmi illi in uno libro repoſiti ſunt, prout diverſo tempore inventi fuerunt & collecti, ut omnes inter ſe mixti ſint, non poteſt ex parte Authorum commodè dividi.

Poſſuntne omnes Pſalmi de Chriſto intelligi, cum ſæpe videantur de aliis rebus eſſe compoſiti?

Dixit quiſpiam ex antiquis: nullus non Pſalmus de Chriſto eſt. Ideſt, omnes de illo ſunt. Quia vel Prophetа vel toto Pſalmo vel in parte de Chriſto loquitur, vel ipſum loquentem introducit. Aut de ejus Eccleſiâ aut Apoſtolis, vel de ejus geſtis: aut aliquid narrat quod iſta aut iſtorum aliquid repræſentet, aut ad iſta referatur. Chriſtum igitur ſonant hæc omnia, caput & corpus: ſicut enim in cytharis non quidem omnia quæ tanguntur canorum aliquid reſonant, ſed tantum chordæ: cætera autem ideo fabricata ſunt, ut eſſet ubi illæ vincirentur, unde, & quo tenderentur: ita in Pſalmis ac Propheratum Libris omnia vel Chriſtum ſonant, vel ad hoc interponuntur, ut ſit ubi & unde connectantur illa quæ Chriſtum ejuſve membra ſignificant.

Nunquid tituli Pſalmorum ſæpe indicant Chriſtum non eſſe argumentum Pſalmi, ſed quidpiam aliud?

Tituli Pſ. interum. Reſpondetur quod etſi in illis Pſalmis Hiſtoria aliqua tractetur quæ per titulum ipſum ſignificetur: hiſtoria tamen illa tractatur quaſi umbra & figura alicujus rei in Chriſto gerendæ, itaut in illa Hiſtoria, Spiritu ſancto illuſtrante, Chriſtum Propheta intellexerit. Sic tituli Pſal. 3. 21. 68. & 87. denotant hiſtoriam David ibi exhiberi, ſunt nihilominus in his Pſalmis voces Chriſti Patrem orantis ſecundum infirmitatem carnis. Et D. Petrus in Actis Apoſtolorum expoſuit de Chriſto Pſalm. 2. & 15. etſi titulus aliud denotet. Unde in nullo Pſalmo David dici debet ſimplex hiſtoricus, ſed etiam Propheta, qui polleat gratiâ ſpeciali Spiritus ſancti ad deſignandum futurum aliquod Sacramentum de Chriſto & ejus Eccleſiâ.

Quem finem ſibi propoſuit David in conſcribendis Pſalmis?

Intendebat inducere populum Judaïcum ad fidem & ſpem in Chriſtum futurum & homines paſſione ſuâ redempturum, ſine quo fœlicitatem nullus conſequi poſſet, & cum prævideret Pſalmos illos in Novo Teſtamento cantandos eſſe, intendebat quoque excitare omnes populos ad laudandum Deum & gratias illi agendum de operibus ſuis, iis potiſſimum quibus per Chriſtum tam mirabilia operatus eſſet. Ideoque in horum Pſalmorum lectione multum intereſt, ut quis diligentiſſimè attendat quomodo unuſquiſque Pſalmus vel ex toto vel ſaltem ex aliquâ parte ad Chriſtum ejuſve myſteria aut ejus Eccleſiam adaptari poſſit, ne magis ſenſu Judaïco ſoli litteræ occidenti adhærente, quam Chriſtiano ad Spiritum aſſurgente, intelligatur.

Clavis David. Ita docent plures de omnibus Pſalmis, D. Hilarius in prologo in Pſalmorum explanationem. D. Hieronymus ſeu quis alius in Pſalm. 117. tomo 9. operum. Luculenter verò Jacobus Valentia Parez totum Pſalterium de Chriſto interpretatur. Atque hæc ſcientia eſt Clavis David, ut ſequitur.

Pſalmus 1.

Pſalmus 1. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* De Domino noſtro Jeſu Chriſto, ait Ruffinus Aquileienſis, accipiendum eſt, qui non abiit in conſilio impiorum ſicut homo terrenus qui uxori conſenſit deceptæ à ſerpente, *& in via peccatorum non ſtetit.* Venit quidem in via peccatorum, naſcendo ſicut peccatores: ſed non ſtetit, quia illecebra ſæcularis eum non tenuit, *& in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, noluit enim terrenum regnum cum ſuperbia. Vel cathedra peſtilentiæ pernicioſa doctrina intelligi poteſt. Deinde conſiderandus eſt ordo verborum, *abiit, ſtetit, ſedit.* Abiit ille qui receſſit à Deo: ſtetit cum delectatus eſt in peccato: ſedit cum in ſuâ ſuperbiâ confirmatus redire non potuit, niſi per eum liberatus, qui neque abiit in conſilio impiorum, nec in viâ peccatorum ſtetit, nec in cathedrâ peſtilentiæ ſedit. *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Quod Chriſtus in lege Dei Patris fuerit, textus Evangelij ſatis oſtendit (Luc. 2.) nequaquam puer Jeſus invitis parentibus in templo Domini remanſiſſet, ſi in lege Domini voluntas ejus non fuiſſet: ac in die ac nocte prædicavit, nam in die docebat turbas, nocte Verbi myſteria diſcipulis revelabat, & à præceptis Patris nunquam Filius diſcordavit. *Et folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur.* Per folium intelligitur verbum: quod enim folia agunt arboris, hoc per ſimilitudinem agunt verba Redemptoris: fructu quidem ejus ſpiritualiter paſcimur: ſermone vero ipſius à vitiis obumbramur. Quomodo autem verbum ejus non defluat, ipſe in Evangelio teſtatur, ubi ait (Matth. 24.) *cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*, & (Matth. 5.) *iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Porro unigenitus Dei Filius in carne veniens, quia verus Deus & verus homo extitit, alia ut Deus, alia ut homo & docuit & fecit. Sed quod fecit aut docuit ut Deus, nobis profuit ad rectè credendum. Quod verò ut homo, profuit nobis ad rectè vivendum: implerum eſt ergo quòd dicitur, *& omnia quæcunque faciet proſperabuntur.* Sed fortaſſe non creditur proſperè egiſſe quando à Judæis occiſus eſt. Immo tunc proſperè egit, quia morte ſua mortem noſtram deſtruxit, nec profuiſſet naſci in carne, ſi non contigiſſet mori & reſurgere.

Tres gradus progreſſus Chriſti.

Verba Chriſti.

Pſalmus 2. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.* Dictum eſt quare, ac ſi diceretur fruſtra, nam Judæi, Herodes, Pilatus, Annas, Caïphas, meditati ſunt inania, *non* enim eſt (Proverb. 21.) *ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* ſequitur, *ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Non præcepta, ſed præceptum dicit, fortaſſe nobis charitatem innuit. Hoc præceptum nobis quotidie prædicat Chriſtus, *reges eos in virga ferrea*, virga ferrea accipitur inflexibilis juſtitia, quæ ideo virga quia recta: ideo ferrea quia dura, recta bonis, dura malis, ſcilicet lex Chriſti à bono non deflectit, nullam iniquitatem approbat, ideo eſt inflexibilis circa malum aliquod. Unde ſequitur, *& tanquam vas figuli confringes eos*, quid enim terrena ſunt corda, niſi vaſa fictilia, quæ Dominus per virgam ferream conſtringit, cum per juſtitiæ rectitudinem ſuam in eis carnalitatem deſtruit, cum mentis elationem conterit? Unde ſic confringit ut melius reſtituat, dum vaſa iræ commutat in vaſa miſericordiæ, & vaſa apta ad interitum, facit apta ad gloriam (ad Rom. 9.) &c.

Pſalmus 3. *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me, multi inſurgunt adverſum me?* Vox eſt Chriſti, ſub ſpecie Davidis cum fugeret à facie Abſalom, de multitudine adverſariorum conquerentis. *Multi*

dicentes animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo ejus, qui dicebant Chriſtum non eſſe Deum, *tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum*, quia Verbum ſuſcepit humanitatem Chriſti, & illi gloriæ & exaltationis cauſa extitit. *Ego dormivi & ſoporatus ſum & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*, mortuus enim Chriſtus & reſurgens, in gloria Patris ſuſceptus eſt, vel dic ſuſceptionem per unionem hypoſtaticam fuiſſe cauſam reſurrectionis Chriſti per quam admodum exaltatus eſt, non enim decebat humanitatem vitæ principio unitam in mortis tumulo remanere.

Reſurrectio Chriſti.

Pſalmus 4. *Cum invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ.* Orabat David pro adventu Meſſiæ & ſentiens ſe exauditum ait: *& ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum*, conjungitque prolationem veritatis in voce cum viſione quæ fit in corde, quod ſolent Prophetæ, aſſerens Chriſtum fore mirabilem in ortu, in progreſſu, in exitu, in verbis, in factis, in judiciis, in omnibus, & quia Chriſtus eſt mediator hominum potentiſſimus, ſubjungit *Dominus exaudivit me cum clamavero ad eum*, ad Chriſtum, qui ſi pro nobis orat Patrem, repulſam nunquam patietur. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ & ſperate in Domino*: ſacrificium juſtitiæ, opera ſunt juſti poſt pœnitentiam, quid enim juſtius quam ut quiſque propriis peccatis iraſcatur potius quam alienis? Unde David in hoc Pſalmo prævidens Chriſtum adhibet ſtimulos ad parandam ei viam per vitæ rectitudinem, *multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*, hoc lumen Chriſtus eſt, qui eſt ſplendor gloriæ Dei Patris (ad Hebræos 1.)

Pſalmus 5. *Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ Rex meus & Deus meus.* Quando in ſcripturâ ſcribitur Rex & Deus, ſemper intelligitur Chriſtus, qui eſt Deus & homo & caput & Rex Eccleſiæ & civitatis Dei quam gubernat & regit, ait Jacobus de Valentia, unde Pſalmus iſte continet orationem Davidis ad Chriſtum quem invocat & quem aſſerit malos odio habiturum, & bonos amore proſequuturum. *Mane aſtabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, propter quam deſtruendam ſtatim paſſus es in hunc mundum ingrediens, *neque habitabit juxta te malignus*, ſpecialiter autem per excommunicationem ejiciuntur ex Eccleſia hæretici & homicidæ, unde *perdes omnes qui loquuntur mendacium*, quales ſunt hæretici, *virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus, & gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices juſto*, & nunc per gratiam ſanctificantem, & in judicio, vocans benedictos Patris eos, qui tibi paruerint.

Pſalmus 6. *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.* Loquitur in perſona generis humani peccati originalis plaga ſauciati, cujus miſerias exagerat ad invocandum Chriſti auxilium per quod ſanari poterat, *convertere Domine*, per Incarnationem, *& eripe animam meam* per mortem & paſſionem tuam: *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui.* Ad confitendum tibi. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum* ab Adami tempore innumeras paſſus ſum perſecutiones: tempus iſtud fuit tempus lachrymarum: *diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Inſultat dæmonibus genus humanum poſt exauditam orationem ſuam de adventu Chriſti, *erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Exſufflantur enim dæmones in baptiſmo, ejiciuntur per Chriſtum ab obſeſſis corporibus, & ab omni populo gentili in quo per Idololatriam habitabant.

Chriſtus debuit eſſe ſine peccato.

Pſalmus 7. *Domine Deus meus in te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me & libera me.* Petit Chriſtus à Deo Patre liberari à perſecutionibus Judæorum, *Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis: ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Si quod mihi imponitur admiſi, & ſi peccatum in me eſt, ſine fructu ibit paſſio mea, quia per hominem innoxium redemptio fieri debebat. *Exurge Domine in irâ tuâ, & exaltare in finibus inimicorum meorum.* Hîc petit punitionem Judæorum qui invocantem occiderunt, *conſumetur nequitia peccatorum & diriges juſtum*, i. Chriſtum exaltabis.

Pſalmus 8. *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum: quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos*, per Aſcenſionem & ſeſſionem ad dexteram Patris, *ex ore infantium*, ô Jeſu Chriſte, *& lactentium perfeciſti laudem tuam.* Non poſſum, ait Ruffinus Aquileienſis, accipere alios infantes atque lactentes, quam eos quibus dicit Apoſtolus (1. Cor. 3.) *Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi*, ſequitur. *Ut deſtruas inimicum & ultorem* populum Judaïcum te perſequentem. *Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum?* Admiratur Propheta exaltationem humanæ naturæ in Chriſto. *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*, quia eum paſſibilem & mortalem feciſti. *Gloria & honore coronaſti eum* per Reſurrectionem & Aſcenſionem.

Pſalmus 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.* Canitur iſte Pſalmus pro occultis filij, ut habet titulus, & quia non dicit cujus, intelligendus eſt unicus Filius Dei. Nam & ipſe cum ſine additamento ponit filium, ſeipſum vult intelligi, ut ubi ait (Joan. 8.) *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis*, ſequitur *in convertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua.* Hîc incipit ea enarrare quæ ſentit de occultis filij. Quando tentatus eſt Dominus (Matth. 4.) retro converſus eſt inimicus, dictum eſt illi, *vade retro Sathana.* Tunc infirmatus eſt diabolus cum ſuis miniſtris quando poteſtatem quam in humano genere habuit amiſit. *Quoniam feciſti judicium meum & cauſam meam, ſediſti ſuper thronum qui judicas juſtitiam.* Sumendo humanam naturam & pœnalitates ejus ut pro me ſatisfaceres, & cauſam meam feciſti adverſario meo condemnato. *Increpaſti gentes & periit impius.* Hoc factum eſt per prædicationem Apoſtolorum qui gentes arguerunt de Idololatriâ. *Periit memoria eorum cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet*, memoria Idolorum in fumos abiit cum ſonitu prædicationis Apoſtolicæ, & Chriſtus Dominus regnat inter gentes.

Pſalmus 10. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?* Vox eſt Eccleſiæ vel Catholici hominis contra hæreticos, qui ſe montes præ ſuperbia exiſtimant & alios paſſeres nullius pretij, vellentque ut quâ levitate paſſer ad montem evocat, eadem levitate Catholici, mutata fide ad ipſos tranſirent. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum*, id eſt, ſanctam Scripturam hæretici ſuis erroribus & ſuis ſenſibus applicaverunt. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt.* Quia ſanctus & Catholicus ſenſus, quem nos Deus docuit penè ab ipſis deſtructus eſt. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus.* Chriſtus in Eccleſia eſt qui idem in cœlo eſt, dijudicabit omnia & hæreticos acerrimè puniet. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Quod in Epiſtola Judæ Apoſtoli evidentius manifeſtatur.

Pſalmus 11. *Salvum me fac Deus quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*, ſeu ij Gentiles ſint ſeu Judæi, ubi autem defecit veritas, ibi neceſſe eſt ut abundet vanitas, ideo ſequitur, *vana locuti ſunt ad proximum ſuum*, &c. ſed Deus miſertus eſt infœlicitatis hominum. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exur-*

Pſalmus 11.

gam, dicit Dominus. Apparebit in carne Filius meus, *ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Non dicit quid poneret, ſed intelligendum Deum poſiturum in Chriſto, id quod valeat ad ſublevandam pauperum miſeriam. Unde conſequitur, *Eloquia Domini eloquia caſta*, & caſta dicit ſine corruptione ſimulationis; multi enim prædicant veritatem non caſtè, quia vendunt illam pretio commoditatum hujus ſæculi. Vel ita dicit, quia vera ſunt verba Chriſti qui nullo modo mentiri poteſt.

Pſalmus 12. *Vſquequo Domine oblivisceris me in finem, uſquequo avertis faciem tuam à me?* Propheta hic orat ferventer pro adventu Chriſti, quem etiam faciem Dei vocat. *Illumina oculos meos* per Chriſtum, *ne unquam obdormiam in morte* peccati; ac ſentiens Chriſtum tandem adventurum ait: *Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi & pſallam nomini Domini altiſſimi.* Ubi tria memorat: exultat corde: cantat voce: pſallit opere. Hæc tria circa Chriſtum impendenda ſunt, quia enim altiorem & meliorem Dominum invenire non poſſumus, juſtum eſt, ut quidquid in nobis eſt, in ejus laude, amore & obſequio ponamus.

Pſalmus 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt*, non eſt qui *faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Cum omnes & gentiles & Judæi ante adventum Chriſti peccatis omnium generum ſcaterent, inſtar ejus qui in urbem ingreſſus videt omnes ſine medico variis febribus æſtuantes, ipſum medicum præſentem expetit: ita hic David Jeſum Chriſtum deliderat, qui univerſos generis humani morbos curet. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël?* Quis ex cœlo illum diducat in remedium tantæ infœlicitatis? *Cum averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob & lætabitur Iſraël.* i. populus Chriſtianus. In eo, inquit D. Hilarius, quod ſalutare eſt, virtus eſt nominis, non nos aptamus aut fingimus, ſed in veteris teſtamenti libris ſalutare Dominum Deum noſtrum nuncupari docemur.

Pſalmus 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Quærit hic David quis capax & idoneus ſit in cœlum conſcendere & in Chriſto requieſcere: nam ut editiſſimæ humi partes montes nuncupantur, ait idem D. Hilarius, ita neceſſe eſt in his quæ cœleſtia ſunt, maxima atque ſublimia ſub montis nomine opinari, & quid ſublimius Chriſto qui eſt ſuper omnem principatum & poteſtatem & omne nomen? Ad id autem quod quæſitum eſt reſpondet Spiritus Sanctus, *qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam, & qui loquitur veritatem in corde ſuo, & non egit dolum in lingua ſua.* Ut catholicæ profeſſionum doctrinæ, & ita ſentiendi ac prædicandi judicium etiam operatio conſequatur, ſed arctum hoc & per ſæculi nefas difficile judicium.

Oratio Chriſti. Pſalmus 15. *Conſerva me Domine quoniam ſperavi in te: dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Hic Pſalmus orationem Chriſti continet pro ſuis membris infirmis: ac ait Deum non egere ſuis bonis, quia ſola charitate non neceſſitate pius patet nos redemit. *Sanctis qui ſunt in terra ejus.* i. in cœlo, *mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Senſerunt enim quid eis profuerit voluntas mea moriendi pro ipſis, & lex qua eos direxi in viâ ſalutis. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, quâ ſe privaverat Chriſtus ad aliquod tempus. *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei*. i. Judæi ex quibus ortus ſum uſque ad mortem increpaverunt me & blaſphemaverunt, unde ex hoc benedicam Dominum. *Propter hoc lætatum eſt cor meum & exultavit lingua mea. inſuper & caro mea requieſcet in ſpe*, in ſepulchro. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nec animam meam in A lymbo patrum permanſuram permittes, neque ſanctificatum corpus, per quod & alij ſanctificandi ſunt, corrumpi patieris. Notari poteſt in hoc Pſalmo quanta fuerit animæ Chriſti jubilatio ad Patrem.

Pſalmus 16. *Exaudi Domine juſtitiam meam: intende deprecationem meam.* Et hic quoque Pſalmus orationem Chriſti ad Patrem, qui allegare poteſt ſuam juſtitiam in oratione, quia ſine peccato eſt. *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, & non eſt inventa in me iniquitas.* Deus Pater Filium probavit quando pati eum permiſit. *Mirifica miſericordias tuas qui ſalvos facis ſperantes in te.* Cum pro amore Dei quæ mundi ſunt deſpicit avarus, ad humilitatem convertitur ſuperbus, ad manſuetudinem iracundus, ad caſtitatem luxurioſus, nonne miſericordias tuas mirificavit Deus? *Mirabilis miſericordia Dei.*

B Hoc orat Chriſtus. *Proficientes me nunc circumdederunt me, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, cum deberent Judæi Chriſtum adorare, projecerunt extra urbem & crucifixerunt, dumque non Deum ſed purum hominem exiſtimaverunt, ſic oculos in terram declinaverunt. *Domine à paucis de terrâ divide eos in vita eorum.* Diſperge eos per orbem terrarum. *Saturati ſunt filij & dimiſerunt reliquias ſuas parvulis ſuis.* Dicentes, ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros. *Ego autem in juſtitiâ apparebo conſpectui tuo.* Qui apparui peccator conſpectui Judæorum. *Satiabor cum apparuerit gloria tua* in his qui me norunt & intelligunt, deſiderium totum Chriſti eſt ut Deus glorificetur. *Deſiderium glorificandi Dei.*

Pſalmus 17. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum.* Vox eſt Chriſti ad C Patrem, cujus humanitas ſubſiſtentia Verbi fulciebatur. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Hoc factum eſt quando Judæi cum Juda quæſierunt Chriſtum ad mortem. *Commota eſt, & contremuit terra* in paſſione, ubi terræ motus factus eſt magnus. Aſcendit *fumus in ira ejus* per lachrymas pœnitentiæ, *& ignis à facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt* Apoſtoli à ſuſcepto ſpiritu in linguis igneis ſuaviter arſerunt. *Inclinavit cœlos & deſcendit & caligo ſub pedibus ejus*, miſit Apoſtolos, qui cœli dicuntur ad prædicandum & contrivit Sathanam, qui caligo eſt, ſub pedibus eorum, *& aſcendit ſuper Cherubim & volavit, volavit ſuper pennas ventorum* per prædicationem Apoſtolorum qui velut Cherubim pleni erant ſcientia, velociter pervenit ad omnes gen- D. tes. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum*, ſcilicet obſcuritatem Sacramentorum ac maximè Euchariſtiæ in qua latet quaſi in obſcuro loco. *In circuitu ejus tabernaculum ejus*, multitudine enim credentium circumventus eſt. *Tenebroſa aqua in nubibus aëris*, quia obſcura eſt ſcientia in Prophetis. *Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.* Apoſtoli à Judæis ad gentes tranſierunt. *Et intonuit de cœlo Dominus & Altiſſimus dedit vocem ſuam* per Apoſtolos. *Et miſit ſagittas ſuas.* i. Evangeliſtas, *fulgura multiplicavit* quæ ſunt miracula, *& conturbavit eos* bonâ conturbatione ad pœnitentiam, *& apparuerunt fontes aquarum.* i. dona Spiritus Sancti. Legendus D. Auguſtinus in hunc Pſalmum. *Apoſtolorum miſſio.*

Pſalmus 18. *Cœli enarrant gloriam ejus, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Apoſtoli & E Evangeliſtæ qui cœli ſunt propter celſitudinem, & firmamentum propter fidei & charitatis ſoliditatem, enarrant gloriam Divinitatis & opera humanitatis. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, ſpirituales prædicant ſpiritualibus, & peccatores peccatoribus. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, vel in Chriſto Eccleſiam, vel quia Deus in Chriſto inexiſtit, *& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, de utero virginali. *Exultavit ut gigas ad currendam viam* incomparabili virtute prædi- tus ſtadium hujus vitæ decurrit uſquequo ad Patrem rediret, *nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, cum non ſit qui non aliquam Spiritus Sancti gratiam per-

espiat. *Lex Domini immaculata convertens animas.* Lex est Evangelica.

Psalmus Judæis exosus.

Psalmus 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.* Vox est Prophetæ optantis prospera omnia Christo suo, in Passionis die, ac ut omnia ejus desideria à Patre cœlesti impleantur pro salute animarum. *Memor sit omnis sacrificij tui*, & cruenti & incruenti; *tribuat tibi secundum cor tuum*, quo salutem omnium desideras. *Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum*, in quo princeps hujus mundi quidquam non habet. Salvum illum fecit in passione confirmando, in obedientia conservando, à mortuis resuscitando. Testatur Rabanus *adversus Judæos*, hunc Psalmum ita Judæis exosum esse, ut illum in Synagogis suis non amplius recitent aut cantent, ne Christo bonum precari videantur.

Psalmus 20. *Domine in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer.* Prima pars hujus Psalmi multa prospera de Christo prædicat. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Priusquam enim homo fieret, ab omnibus Patriarchis & Prophetis benedictus est: ab ipso quoque Angelo dicente ad Mariam benedictum esse fructum ventris ejus. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, quæ corona est Ecclesia ex vivis lapidibus constans. *Vitam petijt à te*, resurrectionem petijt petens se clarificari à Patre Joan. 12. Secunda pars narrat pœnas Judæorum qui Christum oderunt.

Psalmus 21.

Psalmus 21. *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* totus Psalmus magis Historiam Passionis Christi sonat quam propheriam. Præfigitur ei titulus. *Victori pro cervo matutino Psalmus David.* Juxta Hebræum, *Vincenti super cerva auroræ Psalmus.* Quod in Christum in sua Passione Judæi quasi cervum venati sint ac persecuti, unde in eodem habetur, *circumdederunt me canes multi.* Observat Cajetanus humanitatem Christi rectè nomine cervæ significari, ac in passione cervæ assimilari. Est enim cerva adeo simplex animal, ut admiretur hominem sagittam parantem contra se, & est exemptum à febre, adeo ut caro illius præservet alios à febre, habet quoque cum serpente specialem inimicitiam. Sic Christus in Passione admiratur se derelictum. Immunis fuit à peccato & cum serpente antiquo bellum in ea gessit. Vide quæ diximus 3. p. Bibliothecæ concionatorum in Michaele Menoto, qui Passionem Christi venationi comparat alicujus cervi non sine artificio. Addunt alij cervam abundare copiâ lactis præ cæteris animalibus, & præ alijs sollicitam esse circa alendos & custodiendos hinnulos, nam summo mane surgit ad ipsos lactandos. Quæ Christo haud difficulter adaptantur. David autem in hoc Psalmo prævidens totum Passionis Mysterium, primo introducit Christum suam Passionem exponentem apud Patrem per modum querelæ. 1. Quod sit derelictus à Patre, *Deus Deus meus quare dereliquisti me?* 2. Quod sit contemptus & irrisus à Judæis & militibus, *omnes videntes me deriserunt me, &c.* 3. Quod sit varijs tormentis afflictus, *foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* At secundo introducit Christum petentem liberari per resurrectionem, *tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.* Nempe me resuscitando à morte ad vitam: *Salva me ex ore leonis*, Diaboli nempe, quem canem, leonem & unicornidem vocat ad insinuandam multiplicem ipsius crudelitatem. Tertio introducit Christum gratias agentem Patri post suam resurrectionem, *narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te &c.* Apud te laus *mea in Ecclesia magna* ex omnibus populis congregata. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes & saturabuntur.* Quod maximè intelligitur de Sacrificio & Sacramento Eucharistiæ, quod Christus voverat se oblaturum usque ad finem mundi per ministerium Sacerdotum, postquam in cœlos ascendisset, ubi habet Sacerdotium æternum secundum ordinem Melchisedech, ut non semel indicat D. Paulus in Epistola ad Hebræos, & quia magni fructus sunt hujus sacrificij subjungit. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium, &c.*

Christus cervus.

Porro quidam Theodorus Presbyter in quadam Synodo Toletanâ damnatus est, quod hunc Psalmum 21. de Davide exposuisset; nam totus Psalmus manifestè Christum Dominum loquêtem inducit. Primum quidem de suâ derelictione conquerentem, deinde & hostium suorum crudelitatem passionumque suarum magnitudinem enarrantem: postea pro liberatione rogantem & pro eâ promittentem Patri gratiarum actionem & prædicationem nominis sui apud gentes: Ita observat Jansenius Gandavensis. Proinde hic Psalmus nominari jure poterit, Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Davidem, & pro concione exponi.

Passio secundum Davidem.

Psalmus 22. *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Hunc Psalmum de Eucharistiæ Sacramento & ejus effectibus post Joannem Viguerium interpretati sumus in Theologia affectiva parte 3. ubi de Sacramento Eucharistiæ agimus, nec obscurè indicat ille versus primus. Pro, *regit me*, legit D. Hieronymus, *pascit me*, sequitur, *parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Fortior enim ex Eucharistia redditur anima contra tentationes quaslibet.

Eucharistia.

Psalmus 23. *Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo.* Postquam descripsit dominium Dei super orbem ac soli innocentiæ & sanctitati aditum ad cœlum patere asseruit, inde concludit Christo, qui justitiæ fons est, aperiendum esse cœlum ut in illud cum gloria ingrediatur. *Attollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* scilicet Christus, *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ,* ideoque illi competit in montem ascendere, cum sit ipse innocens & mundo corde, & ipsarum virtutum omnium Rex & Dominus per excellentiam.

Psalmus 24. *Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido non erubescam.* In hoc Psalmo Propheta in persona generis humani ad Christum & ejus legem Evangelicam suspirat. *Dirige me in veritate tua & doce me: quia tu es Deus salvator meus,* petit dirigi secundum veritatem clausam in litera, *delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Petit salvari per Christum à peccatis perpetratis in Paradiso terrestri, hic quippe erat veluti juventus naturæ humanæ. *Dulcis & rectus Dominus propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Christus propter mansuetudinem suam dabit legem pœnitentiæ peccatoribus. *Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.* Scilicet pœnitentes qui sese humiliabunt in mansuetudine spiritus. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos,* de tentationibus.

Psalmus 25. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, petit hic Propheta discerni à malis ac omnem immunditiam carnis à se auferri, *quoniam misericordia tua ante oculos meos: & complacui in veritate tua.* Misericordia illa Christus est, quem præsentem oculis suis David exhibebat, & veritas idem Christus, unde cum in eo amore complacentiæ delectaretur, fugiebat malorum conventicula solam bonorum societatem desiderans.

Psalmus 26. *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* Tria sunt quæ dicit de Christo quæ hominem reddunt intrepidum, est enim lux quæ omnem illuminat hominem, redemit animas, protegit ne amittant quæ ex ejus misericordia adepti sunt:

Hinc ſpes magna in Chriſto. *Si exurgant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.* Contra impiorum exercitus, vitiorum impetus, dæmonum cœtus. *In die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.* In triplici die malorum, ait Jacobus de Valentia, in die malorum peccati originalis per Baptiſmum, in die malorum peccatorum actualium per pœnitentiam, in die malorum judicij per ſententiam miſericordiæ indicem. *In petra exaltavit me* &c. quæ Petra Chriſtus eſt, multoties enim idem reperit.

Pſalmus 27. *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me.* Dividitur in tres partes ſecundum Albertum magnum, in prima Chriſtus agit de ſua Paſſione, in ſecunda de inimicorum deſtructione, in tertia gratias agit pro ſua Reſurrectione. *Ne ſileas à me* .i. ne verbum tuum à me ſubtrahas, quid eſt enim ſilere niſi verbum ſubtrahere? Subſtractio autem verbi eſſet verbi ſeparatio: & dicit *à me*. i. ab anima mea, *& aſſimilabor deſcendentibus in lacum*, in duplicem enim lacum deſcendebant homines ante reſurrectionem Chriſti, in lacum inferni quantum ad animas, in ſepulchrum incinerandi quantum ad corpus: & ab utroque Chriſtus liberatus eſt, etſi verò de iis certus eſſet Chriſtus, id tamen petit ut det exemplum orandi, & ſignificet ſe id ex gratia habuiſſe. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate confitebor ei.* Laudat Chriſtus Deum pro reſurrectione per quem caro florens in ſtatu innocentiæ, marceſſens per peccatum, refloret abjectâ omni pœnalitate. *Dominus fortitudo plebis ſuæ & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt*, juxta tres gradus redemptionis per Chriſtum à nobis explicatos in libro de beneficio crucis contra Janſenij diſcipulos edito, ſcilicet redemptionis ab impotentia ſalutem conſequendi per media & auxilia ſufficientia. 2. à peccato ipſo per juſtificationem. 3. & ab omni miſeria per glorificationem. Tres ſalvationes Chriſti Domini diſtinguendæ ſunt, quarum omnium Deum protectorem aſſerere nunc poſſumus, evaneſcente jam mala doctrina.

3. *Gradus Redemptionis.*

Pſalmus 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Non extra rem à pluribus ad ſeptem Sacramenta Pſalmus iſte adaptatur, itaut invitet omnes Prophetas ad laudandum Deum propter inſtitutionem eorum, *vox* Domini ſuper aquas in baptiſmo. *Vox Domini in virtute*, in confirmatione. *Vox Domini in magnificentia* in Euchariſtia. *Vox Domini confringentis cedros* in pœnitentia, in qua duriora corda conteruntur. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, in matrimonio in quo concupiſcentiæ ignis deferveſcit. *Vox Domini concutientis deſertum* per ordinationem Sacerdotum, per quos excitatur mundus ad virtutem. *Vox Domini præparantis cervos* in Extrema-Unctione, Card. Turrecremata ad vocem prædicationis Chriſti ejuſque mirabiles effectus refert.

7. *Sacramenta.*

Pſalmus 29. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec deteciaſti inimicos meos ſuper me.* Vox eſt Chriſti Domini multas gratias Deo Patri rependentis pro beneficio reſurrectionis & eductionis ſacro-ſanctæ ſuæ animæ ab inferis. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum.* ſcilicet inferi, *ad veſperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia.* Indicatur fletus B. Virginis & piarum mulierum, cum deponeretur Chriſtus è cruce & ſepulchro mandaretur, ac lætitia quæ mane in die Reſurrectionis adfuit. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſciditi ſaccum meum & circumdediſti me lætitia*, id eſt, Corpus meum permiſiſti conſcidi in paſſione, ſed ipſo facto glorioſo per reſurrectionem lætitia me circumdedit.

Pſalmus 30. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Vix in aliquo ſcriptore tam honorificè ſpes & fiducia in Deo celebratur ac in Pſalmis, ſed quod noviſſet David ſpem telum eſſe ad retundendam audaciam adverſariorum, ſeu quod maximè virtus hæc præfulſerit in Chriſto Domino, cujus fiduciam maximam repræſentat hic Pſalmus; hujus enim vox eſt; *Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus, in manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.* Item quæ poſt aliquot verſus ſequuntur. *Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis & timor notis meis, qui videbant me fugerunt à me, oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde, &c.* Unde ſpem ſuam exacuit vehementius poſtea, & licet intelligere multa verba protuliſſe Chriſtum in Cruce præter ſeptem annotata ſpecialibus ab Evangeliſtis. Legendus Albertus in hunc Pſal.

Pſalmus 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata.* Etſi Pſalmum hunc compoſuerit David cum à Nathan Propheta ſibi remiſſum eſſe peccatum audiit, & in eo peccatores erudiat ut ad Deum confugiant abjecto peccandi deſiderio, non deſinit tamen Chriſtum invocare & ejus paſſioni tribuere remiſſionem peccati in hoc verſu. *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me*, hæc enim verba ad Chriſtum diriguntur, in cujus fide remiſſio peccatorum & pœnarum omnium ſperabatur. Pſalmus 31.

Pſalmus 32. *Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio.* Hortatur David ad laudandum Deum propter Chriſtum cujus prædicat potentiam, juſtitiam, miſericordiam. Primum ibi, *quia rectum eſt verbum Domini, & verbo Domini cœli firmati ſunt.* Secundum ibi, *Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum: & reprobat conſilia principum.* Chriſtus enim ſuo adventu tres potentias diſſipavit, ſcilicet ſuperſtitionem & falſam ſapientiam gentilium, malitiam Judæorum in ejus mortem conſpirantium, & conventicula Principum ac tyrannorum ad delendam Eccleſiam. 1. per prædicationem. 2. per reſurrectionem. 3. per protectionem. Tertium, ibi *beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus:* ſcilicet gens Chriſtiana Chriſtum pro Deo agnoſcens. *De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum*, omnes filios Adæ peccato corruptos, *qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*, ac ſic deſcendit & caro factus eſt ut ſinguli juvarentur. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem &c. fallax equus ad ſalutem*, quaſi diceret, non eſt in aliquo ſalus niſi in Chriſto, de quo ſubjungit: *ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus, ut eruat à morte animas eorum.* Unde *anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adjutor & protector noſter eſt*, hoc eſt, patienter Chriſtum expectat.

Pſalmus 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Hunc Pſalmum compoſuit David cum ex Rege Achis, coram quo faciem immutaverat & ut fatuus habitus fuerat, liber evaſiſſet ad laudandum Deum pro hoc beneficio: ſed quia per deſcenſum ſuum in Get deſcenſum Dei ad mundum hunc agnoſcebat: atque ut vultum mutaverat aſſumens naturam humanam, quapropter deriſus etiam fuit, ideo David fecit etiam hunc Pſalmum pro perſona Chriſti quem benedicit & laudat. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Quia Chriſtus dedit gratiam & modum evadendi confuſionem ſempiternam damnatorum, quæ enim bona ab eo juſti non recipient, qui ejus lumen & doctrinam ſequuntur, nec à mundo illuminari ſe aut verius ſeduci patiuntur? Hortatur etiam Propheta ad Euchariſtiam, *guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*, ſuavis peccata dimittens, virtutibus ornans animam & vitam æternam largiens.

Pſalmus 34. *Judica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.* Albertus Magnus dicit hunc Pſalmum ſecundum eſſe inter vos qui latè agunt de paſſione Chriſti, primus enim erat 21. incipit autem in illo verſu de paſſione agere, *ſurgentes teſtes iniqui quæ ignorabam interrogebant me, retribuebant mihi mala*

pro levis ſterilitatem animæ meæ. Tripliciter enim Judæi Chriſto fuerunt ſteriles. 1. Quia non retribuerunt Chriſto fructus legis & doctrinæ. 2. Quia pro beneficijs collatis præmium non reddebant. 3. Paraverunt illi mortem quæ eſt ſterilitas & privatio vitæ. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* Cilicium hîc appellat carnem ſimilem peccatrici: quia cilicium fiebat de pilis caprarum. *Domine quando reſpicies? Reſtitue animam meam à malignitate eorum: à leonibus unicam meam.* i. à Principibus ſacerdotum carnem meam: primò quia ſine peccato concepta, nata & perſeverans, ſecundo quia ab unico principio, ſcilicet beata Virgine, dicitur unica.

Pſalmus 35. *Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus.* Expoſita in hoc Pſalmo malitia hominum exponit conſequenter miſericordiam Dei per Chriſtum. *Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes.* Id eſt, magna ſunt, vehementer extenſa ſunt. *Homines & jumenta ſalvabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.* Scilicet per Chriſtum, in tantum enim, ait Ruffinus Aquileienſis, ſuam miſericordiam pius Dominus multiplicavit, quod non ſolum homines rationales, ſed etiam brutos & idiotas ſalvavit. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Quis eſt fons vitæ niſi Chriſtus? Venit in carne, roravit ſitientem, ſatiavit ſperantem. Hic aliud eſt fons, aliud lumen: ibi non ita. Quod enim fons hoc eſt & lumen. Et quidquid vis illud voca, quia non eſt quod vocas, quia non potes congruum nomen invenire. Non remaneat in uno nomine. Fons eſt quia ſatiat. Lumen quia illuminat cæcos, in hoc lumine videmus lumen, quia illuminati à Chriſto videmus ſapientiam, juſtitiam, charitatem. Vel videmus lumen in hoc lumine, ſicut ipſe ait (Joan. 14.) *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Conſonat huic interpretationi Bruno Aſtenſis.

Pſalmus 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arefcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.* Etſi in hoc Pſalmo deſcribat David proſperitatem malorum quæ brevi in adverſitatem mutetur, quia tamen etiam Prophetam agit in hoc Pſalmo, intendit etiam repræſentare excidium Judæorum & tyrannorum qui Chriſtum ejuſve Eccleſiam perſecuti ſunt, quantùmvis enim florens & opulēta videretur Jeroſolyma, brevi tamen ſubverſa, ſicut & tyranni extincti qui Eccleſiam affligebant, de quibus dictum puta, *& adhuc puſillum & non erit peccator: & quæres locum ejus & non invenies: manſueti autem hæreditabunt terram & delectabuntur in multitudine pacis.* Quod utique factum eſt poſt mortem tyrannorum. *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros libani, & tranſivi & ecce non erat.* Quod ad Anti-Chriſtum quidam referunt, cujus imperium tribus annis & ſex menſibus finietur.

Pſalmus 37. *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.* In hoc Pſalmo introducit Propheta duos, Adam primum & ſecundum qui Chriſtus eſt. Primus deflet peccatum originale & mala exhinc prodeuntia. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam,* corruptio carnis & pœnalitates mihi infixæ ſunt & confirmaſti ſententiam tuam me expoliando & in terram miſeriæ emittendo. *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus,* ſpecialem poteſtatem exercet dæmon ex permiſſione Dei ſupra pudendas partes quæ magis pronæ ſunt ad ei obediendum. *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis,* nihil enim tantum proſternit hominem ſpiritualem quantum ſenſus hujus corruptionis. *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Hîc Adam petit liberari per Chriſtum, ſine quo ſalvari non poterat. *Cor meum conturbatum eſt: dereliquit me virtus mea,* videlicet immortalitas, impaſſibilitas, innocentia, juſtitia; ſed inter has voces, addit ad conſolationem noſtram 2. Adami capitis noſtri voces in paſſione; ait ergo: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt,* quaſi dicat quid conquereris? Vide me afflictum, crucifixum, peccata tua portantem, mundi miſerias ferentem & auferentem, & hoc eſt quod dicit, *amici mei,* id eſt, Judæi qui ſe finxerunt amicos meos &c. Ruffinus Aquil.

Adam primus & ſecundus.

Pſalmus 38. *Dixi cuſtodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.* In hoc Pſalmo deſcripta generis humani miſeria ſpem ſuam reponit in Chriſto; *& nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus, & ſubſtantia mea apud te eſt,* propter aſſumptionem naturæ humanæ quæ eſt noſtra ſubſtantia: ergo *ab omnibus iniquitatibus meis erue me.*

Pſalmus 39. *Expectans expectavi Dominum & intendit mihi,* non eſt laborandum ad quærendum Chriſtū, in hoc Pſalmo ſatis manifeſtè prodit ſeipſum. *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi: holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi ecce venio.* Ad offerendum meipſum pro peccatis naturæ humanæ. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* In primo Pſalmo hujus libri ſcriptum eſt ut faciam voluntatem tuam, dicitur enim ibi, *& in lege Domini meditabitur die ac nocte,* hîc autem dicitur, *& legem tuam in medio cordis mei,* quæ ſatis æquipollentia ſunt. Iſte verſus. *Annuntiavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum,* denotat prædicationem Chriſti ſeu per ſe, ſeu per Apoſtolos, quâ auditâ multi venerunt ad ſocietatem credentium qui non ſunt in numero electorum, teſte veritate quæ ait Matth. 20. *multi ſunt vocati, pauci verò electi,* ſuper numerum ergo prædeſtinatorum ad vitam multiplicati ſunt credentes. Porro in hoc Pſalmo & alijs inculcatur frequenter prædicatio Chriſti, ut ejus bonum magis æſtimemus. *Annuntiavi juſtitiam tuam in Eccleſia magna. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti.*

Pſalmus 40. *Beatus qui intellipit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Pſalmus iſte bona refert plura quibus afficitur is qui Chriſtum ſapit & intelligit. Sûper egenum enim & pauperem intelligere, eſt ſuper infirmitatem & humanitatem Chriſti aliud altius cogitare. Hoc utique intelligendum eſt quod Redemptor noſter dives apud Patrem pauper apud nos eſt, ſed tamen paupertates ejus noſtræ divitiæ ſunt. Intelligere etiam oportet quia ejus paupertas exemplum nobis tribuit humilitatis. Hæc intelligere, cogitare, imitari vera beatitudo.

Pſalmus 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Exprimitur in hoc Pſalmo magnum & ardens ad Chriſtum deſiderium. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quid aliud deſiderat, ait incognitus, niſi Incarnationem, quæ rectè per faciem deſignatur, dicit enim Philoſophus, non eſt rectum ut in aliquo vocetur facies, niſi in homine (l. 1. de animalibus) *abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum.* i. novum Teſtamentum vetus aſſumit in voce prædicationum Apoſtolicarum. *Pſalmus 41.*

Pſalmus 42. *Judica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Hîc petit Propheta in nomine generis humani judicium quod factum eſt in cruce, quo liberatus eſt homo à dæmone. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Iſta lux quæ eſt peccatorum correctiva, viatorum directiva, adverſorum lenitiva, Chriſtus eſt, qui etiam veritas dicitur, cujus fructus eſt multiplex, cum per ipſum adducamur ad cœlum & ad altare cœleſtis Hieruſalem. Vel ad Eccleſiam militantem & ſacrificium Euchariſtiæ, unde Albertus Magnus ait, hîc apertè inſtrui ſacerdotes ut non accedant ad altare Dei, niſi lætificati ſpirituali-

ter : non enim decet, lugentes ſervire Domino, Pſal. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Levit. 19. *Hodie oblata eſt hoſtia pro peccato, quomodo potui eam comedere ut placerem Domino mente lugubri? & introibo ad altare Dei ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

Sacerdotes cum lætitiâ celebrent.

Pſalmus 43. *Deus auribus noſtris audivimus, patres noſtri annuntiaverunt nobis.* In hoc Pſalmo exhibet Propheta perſecutiones quæ ſub tempore Machabæorum contigerunt, in quibus proſpiciens miſerias generis humani, petit liberationem ab omnibus per Chriſtum. *Exurge quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem, quare faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ?*

Pſalmus 44. *Eructavit cor meum verbum bonum: dico opera mea Regi.* Verbum illud bonum quod hîc Propheta pronuntiat, laus eſt ſponſi Chriſti & laus ſponſæ Eccleſiæ, hæc enim apta eſt diviſio Pſalmi. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa eſt gratia in labiis tuis.* Et laudat Chriſtum à formâ, à doctrinâ, à virtute. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Hic gladius verbum Dei eſt. *Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum Regis.* Verba Apoſtolorum qui ſicut ſagittæ miſſi ſunt, penetrabunt corda infidelium. Commendat quoque Chriſtum à judiciaria poteſtate, ab ornatu veſtis, demum à pulchritudine ſponſæ quæ eſt Eccleſia. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato* &c. legendus Cardinalis de Turrecremata, ubi ſingula breviter & dilucidè explicat.

Pſalmus 45. *Deus noſter refugium & virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Hoc fit per adventum Chriſti, *propterea non timebimus dum turbabitur terra* Judæorum per prædicationem Apoſtolorum, *& transferentur montes in cor maris,* Apoſtoli ingredientur ad gentes uſque ad extrema maris. *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Loquitur hîc Meſſias, *exaltabor in gentibus & exaltabor in terra, Dominus virtutum nobiſcum ſuſceptor noſter* per Incarnationem *Deus Jacob.*

Pſalmus 46. *Omnes gentes plaudite manibus: Jubilate Deo in voce exultationis.* Vox eſt Apoſtolorum Chriſtum Deum laudantium quod ipſis populos gentiles ſubjecerit. *Subjecit populos nobis & gentes ſub pedibus noſtris*, hinc aſſurgunt ad triumphum Chriſti prædicandum. *Aſcendit Deus in jubilo* per Aſcenſionem in cœlum. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham* per converſionem ad Chriſtum, *quoniam dij fortes terræ* (Apoſtoli) *vehementer elevati ſunt.*

Pſalmus 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.* Hæc de Chriſto dicta ſunt, ſicut & alia hujus Pſalmi quæ fundationem Eccleſiæ Chriſtianæ ſpectant, *fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion.* Vix enim quiſpiam fidem de novo ſuſcipit quin lætitia afficiatur. *Ibi dolores ut parturientis*, in paſſionibus Apoſtolorum & Martyrum, *in ſpiritu vehementi conteres naves Tarſis.* i. Tyrannos quos conteres virtute prædicationis: ſicut naves maris conteruntur per ventos Aquilonares. *Ponite corda veſtra in virtute ejus*, ad bene vivendum excitat, *& diſtribuite domos ejus ut enarretis in progenie altera.* Diverſos gradus in Eccleſia conſtituit, diverſas Parochias, ut prorogetur fides per plures generationes.

Pſalmus 48. *Audite hæc omnes gentes: auribus percipite qui habitatis orbem.* Terribile quid contra iniquos dicturus Propheta tali utitur exordio, illud autem terribile eſt, *quid timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Iniquitas illa eſt divitum ad finem vitæ perſeverans, dum aliena detinent, propter quam malè habebunt in die judicij: *frater non redimit, redimet homo?* Quaſi diceret, Chriſtus frater hominum non redimet eos in inferno, multo minus quiſpiam alius : idcirco tales divites in æternum,

Mali divites.

exemplo divitis Evangelici in inferno ſepulti. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me.* Chriſtus è lymbo me educet, cum carnem ex me acceperit juxta illud ad Hebræos 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Hic Pſalmus merito terrere deberet malos divites.

Pſalmus 49. *Deus deorum Dominus locutus eſt & vocavit terram*, argumentum totius Pſalmi eſt adventus Chriſti ad judicium, & mutatio antiquæ legis in novam. *Deus manifeſtè veniet: Deus noſter & non ſilebit.* Sicut in primo adventu tacebat coram Pilato: at hic examinabit ſeverè arguetque mala hominum opera, *ignis in conſpectu ejus exardeſcet* in terrorem malorum. *Congregate illi ſanctos ejus qui ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia.* i. qui præferunt teſtamentum Chriſti novum veteris legis ſacrificiis.

Pſalmus 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Hîc petit Propheta in perſona generis humani liberari à peccato originali, maximè per magnam Chriſti miſericordiam. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris:* hæc tes, ait Arnobius in hunc Pſalmum, in judicio Salvatoris impleta eſt, vicit enim cum judicatus eſt in paſſione ſua, & ſic vicit ut obtineret omnem principatum & virtutem & poteſtatem. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas & impij ad te convertentur.* Hoc completum eſt in die Pentecoſtes, in qua Apoſtoli cum exultatione quadam cœleſti accepto Spiritu ſancto impios docuerunt per prædicationem Evangelij.

Pſalmus 51. *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate.* Etſi Pſalmum hunc David compoſuerit contra Doech Armigerum & Conſiliarium Saül quod accuſaſſet Achimelec à quo in Nobe civitate (1. Reg. 22.) benignè ſuſceptus fuerat tempore ſuæ perſecutionis, quia tamen David in ſuis perſecutionibus prævidebat perſecutiones quas paſſurus erat Meſſias, ideo retulit hunc Pſalmum ad accuſationem illam quam Synagoga inſtituit contra ipſum coram Pilato; *tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua: ſicut novacula acuta feciſti dolum*, imponendo Chriſto falſum teſtimonium, *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei ſperavi in miſericordia Dei in æternum & in ſæculum ſæculi.* Vox eſt populi gentilis qui cum antea eſſet oleaſter inſertus in bonam olivam ſynagogæ, retinet nomen olivæ, ſperatque in miſericordia Chriſti.

Pſalmus 51.

Pſalmus 51. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* i. Chriſtus non eſt Deus, *Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinaverunt.* Quando Dominus, ait Arnobius, de cœlo proſpexit per Jeſum ſuper filios hominum, videns eum ſtultus populus Judæorum dicit in corde ſuo, non eſt Deus, & ut dicendo uſque ad unum, de his dicit qui dicunt de Chriſto, non eſt Deus. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël:* Namque ſecundum alium Prophetam: ex Sion exiet lex & verbum Domini ex Hieruſalem, ait D. Hilarius, hoc Verbum Domini caro factum eſt, una erat hæc ſpes reliqua humanæ infirmitatis, hinc ſalutaris, hinc Jeſus, Jeſus enim ipſo nomine ut ſæpe diximus, ſalutaris eſt.

Pſalmus 53. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.* Ubi nota, ait incognitus, quod duplex eſt nomen Verbi incarnati, ſcilicet proprium & appellativum, proprium nomen eſt Jeſus, ſed appellativum eſt Chriſtus, quia omnes inuncti Reges & Sacerdotes vocabantur, hic autem loquitur de proprio nomine quod eſt Jeſus, ſic ergo dicit, imple in me rem nominis tui, quæ eſt ſalvatio, quia Jeſus Salvator interpretatur, *& in virtute tua judica me.* Duplex eſt judicium, diſcuſſionis & diſcretionis, hoc non illud poſtulat, *quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me.* Secundum ſenſum propheticum intelliguntur dæmones. *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus ſuſ-*

cepter

erpor eſt anima mea. Ubi ſciendum quod David ſpiritu prophetico elevatus vidit Verbum pro noſtro adjutorio incarnandum.

Pſalmus 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam.* Pſalmus iſte oratio eſt Chriſti Domini in paſſione ſua afflicti & ſolliciti pro membris ſuis. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici*, quando ſcilicet dixit in oratione ſua, triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates*, falſò ipſum accuſando, bene autem dicit, *declinaverunt*, quia rectà non poterant peccata in ipſum convenire. *Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columba & volabo & requieſcam?* tranſibo de hoc mundo ad Patrem, ſe autem aſſerit eſſe ſicut columbam, quia innocens & ſine felle amaritudinis erat. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.* Quæ contra Judam traditorem dicuntur.

Pſalmus 55. *Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit me homo.* Invocat auxilium Chriſti contra bellantes adverſum ſe, Chriſtus enim videns homines multis modis per dæmones impugnatos, fecit quod ſcriptum eſt 3. Reg. ultimo, Rex Iſraël mutavit habitum ſuum & ingreſſus eſt bellum. *Ab altitudine diei timebo*, quæ eſt potentia mundi; *ego verò in te ſperabo*, ô Chriſte, *quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, ut placeam coram eo in lumine viventium*, hic nempe finis eſt liberationis per Chriſtum, placere Deo.

Pſalmus 56. *Miſerere mei Deus miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.* Vox eſt Chriſti, Patris auxilium implorantis in ſua paſſione. *Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas*, ad finem vitæ quouſque per condignam ſatisfactionem deleatur iniquitas. *Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam.* Reſurrectio Chriſti opus eſt miſericordiæ & juſtitiæ divinæ: *& eripuit me de medio catulorum leonum* à principibus & plebeis Judæorum. *Dormivi conturbatus*, mortuus ſum timore & anguſtia percuſſus. *Laqueum paraverunt pedibus meis* ipſum doloſè interrogando.

Pſalmus 57. *Si verè utique juſtitiam loquimini, rectè judicate filij hominum.* In hoc Pſalmo redarguit acriter Propheta malitiam Judæorum contra Chriſtũ ac tandem eorum exterminium prædicit. *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringet Dominus*, ipſorum verba doloſa reprimet Chriſtus. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*, quia Judæi inſtar aquæ defluentis inſtabiles ſunt effecti. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rammum ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.* Spinæ filij ſunt Judæorum qui Chriſtum crucifixerunt, qui priuſquam creſcerent in ramnos, id eſt, ſeneſcerent ſicut veteres ramni, abſorpti ſunt per Titum & Veſpaſianum in excidio Jeroſolymitano. Non diu procraſtinabitur eorum punitio.

Pſalmus 58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.* Oratio eſt Chriſti Domini ſecundum humanitatem rogantis Deum Patrem ut liberaret ipſum, allegatque ad impetrandum innocentiam ſuam; *neque iniquitas mea, neque peccatum meum* dederunt cauſam cur tam ſævè in me inſurgerent. *Sine iniquitate cucurri* viam mandatorum tuorum, *& direxi* qua prædicatione qua exemplo pravos & diſtortos homines direxi alioſque ad juſtitiam deduxi. Sanctiſſimus ergo animarum director fuit Chriſtus, ideo mihi ad te venienti benignus occurre, *exurge in occurſum meum & vide: & tu Domine Deus virtutum Deus Iſraël*, tibi virtus ac potentia non deeſt, qua me revertentem ad te ſuaviter ſuſcipias. Deinceps prædicit calamitatem Judæorum, *fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, quaſi diceret Chriſtus, potentiam omnem meam ad te acceptam referam, aut pro tua gloria impendam.

Pſalmus 59. Etiam aliquod myſterium Chriſti & Ecclеſiæ continet, nec in eo tantum hiſtoriographum agit David, ſed etiam Prophetam: nam ſub figura populi Iſraël qui variis perſecutionibus agitatus eſt uſque ad tempora David qui ipſum liberavit, ejuſque imperium dilatavit in plures gentes, deſcribit perſecutiones Eccleſiæ uſque ad tempora Conſtantini, in quibus liberata eſt & in varios populos dilatata. *Da nobis auxilium, ô* Jeſu Chriſte, *de tribulatione, quia vana ſalus hominis: in Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Judæos, Gentiles, Hæreticos.

Pſalmus 60. *Exaudi Deus orationem meam* &c. Repræſentat ſtatum Eccleſiæ per tyrannos afflictæ, Dei auxilium invocantis ut regnum Chriſti ſit æternum, eam autem Deus exaudivit. *Dediſti hereditatem timentibus nomen tuum*, magnum patrimonium in Italia per Conſtantinum, ſed etiam in cœlo. *Dies ſuper dies regis adjicies: annos ejus uſque in diem generationis & generationis*: ſcilicet Regni Chriſti non erit finis. *Permanet in æternum in conſpectu Dei*, reſurgens ex mortuis jam non moritur. Hæc enim cum excedant Davidem & quemcumque hominem manifeſtè, excepto Meſſia, de ipſo intelligenda veniunt, ut ſcitè ad hunc Pſalmum ait Cajetanus, quod etiam ibidem teſtatur Thargum. Dies mundi futuri ſuper dies regis Meſſiæ appones. Sedens ad dexteram Patris. *Miſericordiam & veritatem ejus quis requiret?* Per miſericordiam pœnitentibus parcit, per veritatem & juſtitiam ſuperbos & impœnitentes ſupplicio afficit, quis conſilia ejus perſcrutabitur? *Sic Pſalmum dicam nomini tuo: ut reddam vota mea de die in diem.* Propter hoc quia ſic Chriſtum exaltaſti, quotidiana officia & laudes in Eccleſia celebrabo.

Pſalmus 61. *Nonne Deo ſubjecta erit anima: ab ipſo enim ſalutare meum.* Chriſtus in quo eſt ſalus. Excitat ſeipſum David & quemlibet fidelem ad conſtanter permanendum in fide contra quaſlibet perſecutiones. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti.* Præmium meum mihi auferre moliuntur, pro quo in ſiti & ardore deſiderij curro & laboro in hac vita: *ore ſuo benedicebant & corde ſuo maledicebant.* Blanda & adulatoria verba ad Martyres habebant, ſed mala mente ut animas à charitate Chriſti averterent. *Sperate in eo*, in Chriſto, *omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra* per confeſſionem laudis & peccatorum, *Deus adjutor noſter in æternum.* *Pſalmus 61.*

Pſalmus 62. *Deus Deus meus ad tè de luce vigilo*, etſi occaſione anguſtiarum quas aliquando paſſus eſt David in deſerto Zif editus ſit, orationem tamen Chriſti ad Patrem continet, nec deſunt qui Pſalmum iſtum quotidie à Chriſto Domino recitatum putant, dum in hac terra mortali coarctabatur ad Patrem ſuſpirans, donec Baptiſmus paſſionis ſuæ perficeretur, bonitatiſque illius conſideratione ſe conſolans, ac hoſtium ſuorum prævidens interitum, unde totus Pſalmus perfectè Chriſto convenit, ultimus etiam verſus ipſum ſpecialiter deſignat, *Rex verò lætabitur in Deo*, Meſſias ſcilicet, *laudabuntur omnes qui jurant in eo*, illi ſubjectionem ac fidelitatem promittendo ſicut Regi, *quia obſtructum eſt os loquentium iniqua*, ac falſo ipſum accuſantium, cum manifeſta ſit ejus virtus ac potentia.

Pſalmus 63. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor.* Oratio eſt Chriſti contra Judæos perſecutores ſuos, qui ſuis conatibus contra ipſum nihil profecerunt, ſed perditionem ſibi pepererunt potius, propter quam ſtupent omnes gentes, mirabilia Dei judicia laudantes. *Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*, dum teſtimonia eorum ut ad mortem damnaretur non erant convenientia, *accedet homo ad cor altum*, profundè excogitabit modos ipſum perdendi, quamvis D. Auguſtinus id tribuat Chriſto qui alto conſilio & arcano ad paſſiones & crucem acceſſit. Etſi enim Chriſtus ſecundum ſpeciem exterio- *Altum Dei conſilium.*

rem ſine ſpecie & decore fuerit opprobrium hominum & abjectio plebis, vermis & non homo ob humilitatem Paſſionis, rem altiſſimam & ſublimiſſimam volvebat animo, *& exaltabitur Deus*, vincebat ibi Dæmones. Non crux ſed triumphus fuit, gloriam immenſam Deo pariebat in ſalute hominum.

Pſalmus 64. *Te decet hymnus Deus in Sion.* Commendat ſub typo Hieruſalem terreſtris ſanctitatem Eccleſiæ in qua Chriſtus laudabitur ab omnibus gentibus. *Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti.* Quod priùs intelligitur de Chriſto capite, poſtea de membris: nam Verbum prius hunc hominem aſſumpſit in unitate ſuppoſiti, ſecundo Chriſtus aſſumpſit Eccleſiam in unitate corporis myſtici. *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter*, Jeſu Salvator, *ſpes omnium finium terræ & in mari longè. Præparans montes in virtute tua*, id eſt Sanctos Apoſtolos in virtute Spiritus Sancti. Hinc deſcribit commotionem & converſionem gentium & abundantiam donorum ſpiritualium.

Pſalmus 65. *Jubilate Deo omnis terra.* Excitat gentes ad laudes Chriſti propter opus redemptionis & quia reprobatis Judæis electæ ſunt. *Dicite Deo quam terribilia ſunt opera tua Domine:* in morte, in deſcenſu ad inferos, ac maximè in reſurrectione, juxta mentem incogniti: *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*, Judæi mendacia de reſurrectione comminiſcentes. *Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum: induxiſti nos in laqueum: poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, uſque ad tempora Conſtantini, ſævi Imperatores Chriſtianos maximè exercuerunt.

Pſalmus 66. *Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos &c. ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.* Continet invocationem adventus Chriſti. *Confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.* Virgo Maria ex ſola cœleſti influentia germinavit Chriſtum ſine Virginitatis detrimento. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ:* indicatur Sancta Trinitas, cujus ſecunda perſona dicitur *Deus noſter*, propter Incarnationem.

Pſalmus 67. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus, &c.* Excitat Chriſtum ad reſurrectionem & omnes fideles ad celebrandam illam reſurrectionem cum lætitia, ac conſequenter varia dona & ornamenta Eccleſiæ ab ipſo collata, ſub figura eorum quæ in populo Iſraël geſta ſunt in itinere per deſertum, ſub ductu duplicis columnæ. *Cantate Deo & Pſalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, quoniam aſcendit ſuper occaſum*, cum expoliavit infernum, & mortem ſuperavit in reſurrectione, totus Pſalmus plenus eſt arcanis Chriſti Myſterijs.

Pſalmus 68. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam, veni in altitudinem maris.* Paſſionem Chriſti evidentius repræſentat quam ut dicere opus ſit. *Et operui in jejunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi, & poſui veſtimentum meum cilicium*, macerando carnem pro peccatis hominum. Porro ex hoc Pſalmo ſex vicibus deſumpta teſtimonia Chriſto applicantur in novo teſtamento, ut advertit Janſenius Gandavenſis in argumento ejuſdem Pſalmi.

Pſalmus 69. *Deus in adjutorium meum intende*, &c. Exhibet triplicem Chriſti petitionem. 1. Ut liberetur. 2. Ut puniantur ejus perſecutores. 3. Ut præmium fideles conſequantur.

Pſalmus 70. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*, &c. Continet invocationem qua anima ſuſpirat ad Chriſtum ut liberetur, *in juſtitia tua libera me & eripe me*, quippe Chriſtus ex rigore juſtitiæ ſatisfecit pro hominibus, eoſque eripuit de jugo Sathanæ. *Eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum ut ſalvum me faciat, quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu*, &c.

Pſalmus 71. *Deus judicium tuum Regi da & juſtitiam tuam filio Regis.* Sub typo Salomonis cui David fauſta precabatur, exhibet plures Chriſti excellentias. 1. Judiciariam ejus poteſtatem, ibi, *Deus judicium tuum Regi da.* 2. Perpetuam regni ejus durationem, ibi, *& permanebit cum ſole & ante lunam.* 3. Ejus Incarnationem ibi, *deſcendet ſicut pluvia in vellus:* ſicut enim ros deſcendit de cœlo in vellus Gedeonis ſine ſtrepitu ac læſione velleris, ita Chriſtus in B. Virginem. 4. Perpetuam pacem illius tempore futuram, ibi, *orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis.* 5. Ejus regni magnitudinem, ibi, *& dominabitur à mari*, & 6. ejus cultum & latriam ibi. *Coram illo procident Æthiopes &c.* *Pſalmus 71.*

Pſalmus 72. *Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde.* Graviſſimam tractat quæſtionem cur boni hîc flagellentur, proſperè verò agant ſæpe impij. Quam quæſtionem ſe tandem cogniturum aſſerit ex inſpectione eorum quæ in Chriſto videbuntur. *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc: labor eſt ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei & intelligam in noviſſimis eorum.* Per Sanctuarium Dei, ait incognitus, accipe Chriſtum qui eſt Sanctus Sanctorum in qua nobis dicta quæſtio ſolvitur. Unde ait Magiſter in gloſſa. Sanctuarium Dei Chriſtus in quo ſunt omnia conſilia ſuper filios hominum, qui ut Deus merita ſingulorum cognoſcit. Et eſt ſenſus, *donec intrem in Sanctuarium Dei*, id eſt, mente in Chriſtum tendam, qui hic proſpera non habuit, nunc autem regnat in æternum cum Patre, *& intelligam in noviſſimis eorum*, id eſt, per Chriſtum intelligam finem bonorum & malorum, quia ipſe in judicio dabit bonis regnum, ſed malis æternum ſupplicium. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me & cum gloria ſuſcepiſti me.* Fortitudinem Chriſti Pater diffetri volebat. Compreſſit potentiam ſuam obediens Patri nec deſcendens de cruce ut poterat, eum tamen cum gloria ſuſcitavit à mortuis & in aſcenſione ſua ſuſcepit. *Quæſtio de afflictione bonorum.*

Pſalmus 73. *Ut quid Deus repuliſti in finem?* Expoſitis perſecutionibus Eccleſiæ ſub typo afflictionum quas paſſi ſunt Judæi tempore Antiochi Regis & Macabæorum, invocat Chriſtum ut veniat in ſecundo adventu ad liberandam Eccleſiam ſuam. *Exurge Deus judica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.* A Mahometo & Antichriſto præſertim, ut fideles tuos ab hujuſmodi beſtijs liberes.

Pſalmus 74. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur & invocabimus nomen tuum: narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus ego juſtitias judicabo.* Vox Chriſti eſt promittentis ſe venturum ad judicium .i. quod non effugient ulli impij, *quoniam neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus quoniam Deus Judex eſt, hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.* Calix eſt retributionis merum vinum infundens bonis, mixtum malis, quia ſi hic aliquid proſperi ſentiunt, in fundo & in finem reperient fæcem pœnæ æternæ, quæ nunquam evacuabit.

Pſalmus 75. *Notus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus.* Venit Chriſtus in mundum cum pax vigeret ubique, *& factus eſt in pace locus ejus*, cum omnia arma quaſi confracta eſſent. Et tunc per prædicationem Apoſtolorum mundum illuminavit mira luce Evangelij. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Sed viri divites & potentes dormierunt, & ſtupidi facti ſunt, unde excandeſcit ira ejus ut in judicio ſuo eos puniat, *Tu terribilis es & quis reſiſtet tibi, ex tunc ira tua*, quando homines non attendunt ad lucem Evangelij.

Pſalmus 76. *Voce mea ad Dominum clamavi.* David invocat Meſſiam ſuſpiratque poſt ejus adventum,

nec in alia cogitatione consolatur, *renuit consolari* A
Consolatio in Christo. *anima mea, memor fui & delectatus sum*, meditando in Christo, & occupans me assiduè in ista contemplatione. Hoc sancti viri exercitium est sperare in misericordia Christi venturi, cujus mira opera describit sub figura eorum quæ gessit Deus liberans populum Israël ab Ægypto & eum deducens ad terram promissionis. *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Scilicet bona est ratio cur recordetur operum Christi, quia recordatur operum eorum quæ Deus gessit ab initio quæ in figura Christi contingebant. *In mari via tua & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.* Juxta quod
Difficilia dicitur Proverb. 30. tria esse difficilia & quartum penitus ignotum, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari & viam viri in B
adolescentula. Quæ denotant quatuor Christi mysteria, ascensionem, resurrectionem, conversationem in mundo & Incarnationem in B. Virgine. Absque violentia fecit Christus ista mysteria.

Psalmus 77. *Attendite populе meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.* Vox est Christi invitantis ad attentionem legis Evangelicæ quam ore proprio promulgavit: & hic explicat sub typo eorum quæ in veteri lege contigerunt: quia lex nova est veritas & spiritus legis veteris, & vetus testamentum nihil aliud est quam occultatio novi, sicut novum est manifestatio veteris: idcirco dicit, *Aperiam in parabolis os meum*, quia ad rem aliam significandam ista adducit. Quod nempe Religio à Judæis ad gentes transferenda sit, sicut sacerdotium à domo He- C
li translatum est, & regnum à domo Saül, & tabernaculum à tribu Ephraïm. *Januas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* Rupertus l. 1. super Matthæum de Christo istud intelligendum esse contendit ex Joan. 6. capite. Januas autem cœli aperuit Dominus, scilicet januam mentis, cum credidit Maria & januam ventris cum sine viro concepit & peperit.

Psalmus 78. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, prævidens David sub typo calamitatum quæ acciderunt in Judæa tempore Antiochi & Machabæorum persecutiones Ecclesiæ inferendas per tyrannos & Mahumetanos aliosque veræ Religionis hostes, invocat auxilium Christi. *Anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salutaris noster & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, quod est Jesus, quod nomen importat salutem & liberationem, in quo ideo speramus: & quia Ecclesia debet liberari ab hujusmodi afflictione, addit, *nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ*, qui Sacramentis tuis reficimur, *confitebimur tibi in sæculum*, gratias agendo.

Psalmus 79. *Qui regis Israel intende qui deducis velut ovem Joseph.* Suspirat post Messiam. *Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim Benjamin & Manasse. Excita potentiam tuam & veni* .i. manifesta te in filio qui est virtus tua per Incarnationem ejus, *ut salvos facias nos*, de potestate Diaboli. *Deus converte nos & ostenda faciem tuam* .i. filium tuum, *& salvi erimus.*

Psalmus 80. *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.* Sub typo populi Judaïci quem hortatur ad celebranda festa cum gaudio in gratiarum actionem pro liberatione ab Ægypto, invitat populum Christianum ad congaudendum Christo, qui transplantavit Synagogam in Ecclesiam, legem in libertatem: & à peccato in gratiam nos eduxit. *Inimici verò Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula.* Ju-
Judæi mentiti sunt. dæi Christum negarunt, & tempus pœnarum erit eis in æternum. Mentiti sunt quia promiserant Moysi & Josuæ servare legem atque adeo Christum recipere. Item falso dicunt se filios Abrahæ, item falso interpretantur scripturas sacras easque pervertunt.

Psalmus 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum.* Deus *Psalmus* factus homo, ait Card. Turrecremata, in conventu *81.* Judæorum bonorum, juxta morem illum quo dicuntur dij quicumque magni viri, in medio horum stetit Christus in assumpta natura, secundum illud, medius autem vestrûm stetit, *in medio autem Deos dijudicat*, discernit bonos ac justos qui majestatis suæ monita fidemque sequuti sunt. *Usquequo judicatis iniquitatem* vos mali Judæi contradicentes legi quam vobis dedera. *Humilem & pauperem justificate, eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.* Christum scilicet de manu majorum. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Judæi infideles & increduli. *Surge Deus judica terram.* Exurge Deus Chriſte de sepulchro, damna eos qui te crucifixerunt, *quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*, pro unâ gente ex omnibus mundi nationibus populi tibi servient.

Psalmus 82. *Deus quis similis erit? ne taceas, neque compescaris Deus.* Admiratur Propheta Christum venientem ad judicium in magna majestate, *ne taceas*, da in impios sententiam, nec miretcas à vindicta. *Quoniam inimici tui sonuerunt & qui oderunt exultaverunt caput.* Antichristi membra tumultuosis vocibus doctrinæ tuæ contradixerunt.

Psalmus 83. *Quàm dilecta tabernacula tua.* Postquam Propheta admiratus est tabernacula cœlestis beatitudinis, celebrat viros justos qui auxilio Christi ad ea conscendent. *Beatus vir cujus est auxilium à te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit*, ascendit per gradus virtutum in hac valle miseriarum quæ locus est ad merendum homini a Deo constitutus. *Etenim benedictionem dabit legislator*, Christus, & sic *ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* In cœlo. *Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.* Si non propter nos acceptæ tibi sint preces nostræ, saltem respectu meritorum filij tui qui est imago tua, exaudi nos.

Psalmus 84. *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ.* Christus remisit peccatum quo tenebatur captivum genus humanum. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi*, in adventu Christi, misericordia D
qua filius Dei assumpsit carnem, & veritas, qua impleta est promissio tantâ patribus veteris testamenti. *Justitia & pax osculatæ sunt.* Justitia qua Deo Christus satisfecit, pax quâ nos Patri reconciliavit, *etenim Dominus dabit benignitatem*, Christus dabit gratiam, *& terra nostra dabit fructum suum*, anima nostra producet bona opera. *Justitia ante eum ambulabit & ponet in via gressus suos.* Prima justitia hominis est ut puniat se malum & faciat se bonum: & hæc est viâ Dei ut veniat ad eum & ponat in eo vestigia suæ imitationis, ait Card. de Turrecremata.

Psalmus 85. *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inopi & pauper sum ego*: Christus in forma servi Patrem orat. *Omnes gentes quascumque fecisti venient & adorabunt coram te Domine.* Indicatur conversio gentium per totum orbem. *Quoniam magna est misericordia tua super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori, Deus iniqui insurrexerunt super me.* Christus per resurrectionem ex inferno liberatus est. *Respice in me & miserere mei. da imperium tuum puero tuo*, judiciariam potestatem, *& salvum fac filium ancillæ tuæ*, Beatæ Virginis quæ se ancillam nominabat. *Fac mecum signum in bonum.* Signum Jonæ Prophetæ.

Psalmus 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* *Privilegia Ecclesiæ* Commendat Ecclesiam à fundamentis quæ sunt Apostoli, à portis quæ sunt Sacramenta, *diligit Dominus portas Sion.* A celebritate famæ, *gloriosa dicta sunt de te*, à multitudine civium, *memor ero Rahab & Babylonis*, à prædicatione mysterij mirabilis,

quod qui fundavit Ecclesiam in ea natus sit, *nunquid Sion dicet homo: & homo natus est in ea.* Deus homo factus. Hoc in Ecclesia narrabitur & persuadebitur à fœlicitate superna incomprehensibili qua post judicium donabitur. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

Psalmus 87. *Domine Deus salutis meæ in die clamavi & nocte coram te.* Oratio est Christi ad Patrem clamantis & quæ Passionis suæ sunt evidenter demonstrantis. *Quoniam repleta est malis anima mea.* Ibidem orat Christus pro majoribus peccatoribus, *nunquid mortuis facies mirabilia aut medici suscitabunt tibi?* mirabile enim cum obstinati convertuntur, optat eis Christus medicum qui eos sanet. Urget denique Christus precatione valde vehementi, ut aliquis ex perditissimis peccatoribus ad Deum redeat. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua & justitia tua in terra oblivionis?* Verè enim peccatores terrâ sunt oblivionis qui Dei non recordantur. *Ut quid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam à me? pauper sum & in laboribus à juventute mea*, quasi diceret dura & dira pro hoc passus sum ut peccatores converterentur. Quæ verba valde sunt pathetica: mirũ quod ex horum lectione corda non scindantur.

Psalmus 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Gratias agit Deo Propheta de promissione sibi facta per Nathan, de Messia ex se nascituro, cujus regnum esset æternum. *Quoniam dixisti in æternum misericordia ædificabitur in cœlis &c. Juravi David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum & ædificabo in generationem & generationem sedem tuam* Quæ minimè Salomoni conveniunt. Inde protumpit in laudes Dei, *quia Domini est assumptio nostri & sancti Israël Regis* nostri, assumptio nostræ humanitatis, cujus etiam magnitudinem describit, *ipse invocabit me*, Christus Patrem, *Pater meus es tu:* per naturam, *& ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ; misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Scilicet magna Dei misericordia, qua voluit dare Christum, unde alibi. Deus susceptor meus: Deus misericordia mea. Prævidens verò David afflictiones & ruinas domus Regiæ quasi essent obstacula promissioni sibi factæ, *tu verò repulisti & distulisti Christum tuum*, urget prece ardentiori adventum Messiæ. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine sicut juraſti David*, &c.

Psalmus 89. *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem.* Prævidens Propheta, ait hîc Rupertus Abbas, in perfidia semper & errore permansuros, ostendit hîc homines per solum Christum esse redimendos. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur 1. Cor. 15. concessâ itaque mortalitate hominis per hæc verba, *mane sicut herba transeat, induret & arescat, quia defecimus in ira tua & in furore tuo turbati sumus*, communem Resurrectionis spem continuo subjicit, *repleti sumus mane misericordiâ tuâ*, mane .i. Resurrectionis die, sumus, quia videlicet fide certissimâ, quasi jam peracta Resurrectio est, quam in Christo factam in nobis futuram speramus.

Psalmus 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi in protectione Dei cœli commorabitur.* Non timebit ille qui spem in Deo posuit ab aliquo genere tentationis, sed, ô Christe, *mille* qui præsumunt se futuros in latere tuo, tecum sessuros ad judicandum cum Apostolis & alijs viris perfectis, *cadent à latere tuo* .i. non deputabuntur cum illis qui consiliarij & judices tecum erunt, *& decem millia* .i. infiniti qui præsumunt se ponendos à dextris .i. inter salvandos, cadent, *à dextris tuis*, qui à sinistris ponentur: mille dicit à latere cadere & plures à dextris, quia plures sunt illi qui præsumunt se salvandos, quam qui præsumunt se cum Christo judicaturos. Cardinalis Turrecremata.

Psalmus 91. Psalmus 91. *Bonum est confiteri Domino & psallere nomini tuo, Altissime, ad annuntiandum mane misericordiam tuam & veritatem tuam per noctem*, mane .i. in die gratiæ bonum est annuntiare misericordiam Christi & ejus justitiam per noctem .i. tempore judicij in quo infideles damnabuntur ad noctem inferni. Quia delectasti me Domine in factura tua & in operibus *manuum tuarum exultabo*, in operibus scilicet redemptionis, *quam magnificata sunt opera tua Domine*, Jesu Christe.

Psalmus 92. *Dominus regnavit.* Canit hîc Psalmista gloriam Christi resurgentis, per Resurrectionem enim quatuor adeptus est, 1. immortalitatem & omnes perfectiones corporis glorioſi, *decorem indutus est.* 2. Fortitudinem & potentiam ad expoliandum infernum, *indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* 3. Fundavit totam Ecclesiam supra firmam petram, *etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur.* 4. Judiciariam potestatem, *parata sedes tua ex tunc*, licet secundum divinitatem sit æternus. Hinc jubilatio Ecclesiæ. *Testimonia tua*, ô Christe, *credibilia facta sunt nimis*, scilicet Patriarcharum, Prophetarum, Angelorum, Patris in Baptismo, miraculorum, Apostolorum, *Domum tuam*, quæ est Ecclesia, *decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum*, non decet illam in fide vacillare & infirmari post tot testimonia fide omnino digna.

Fructus Resurrect. Christi.

Psalmus 93. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* Christi majestatem in judicio in quo unicuique secundum opera dabit & retribuet. Prophetа hîc repræsentat, arguit quoque impios qui persequuntur Ecclesiam quasi judicium futurum non esset, *& dixerunt, non videbit Dominus nec, intelliget Deus Jacob*, &c. *& reddet illis iniquitatem ipsorum & in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster.*

Psalmus 94. *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* Littera Hieronymi habet, *venite laudemus Dominum, jubilemus Petræ Jesu nostro.* Invitat David gentiles ut relictis Idolis, & Judæos ut dimissis cæremonijs legalibus conveniant ad credendum in Christum, *quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos.* Supple, Christus est, *hodie si vocem ejus*, Evangelicam, *audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione &c. quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, quia vagi erunt Judæi per orbem.

Psalmus 95. *Cantate Domino canticum novum.* Filio Dei, qui est Rex Regum, cantate novum canticum qui est novus homo natus in mundo, dicentes cum Angelis, Gloria in excelsis Deo, *Cantate Domino omnis terra*, quia adventus Christi omnibus fuit in salutem. *Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus*, nativitatem de Virgine, quomodo mortuos suscitavit & similia miracula. *Dicite in nationibus quia Dominus regnavit.* Translatio Psalterij Ro. quam hodie servat Vaticana Ecclesia, addit *à ligno*, & sic legit D. Augustinus, atque etiam Justinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium, docetque Genebrardus additum per 70. cum in Hebræo non habeatur, *etenim correxit orbem terræ*, ab errore Idololatriæ & sanctissimis legibus munivit, &c.

Psalmus 96. *Dominus regnavit exultet terra.* Describit gloriam Christi ad judicium ultimum descendentis, ut enim per ascensionem adeptus est possessionem Regni sui in Cœlo, sic per descensum ad judicium possessionem Regni sui in terra accipiet, *Nubes & caligo in circuitu ejus, justitia & judicium correctio sedis ejus.* Veniet in nubibus cum potestate & majestate magna, & correctio orbis procedet ex sede & potestate ejus judiciaria. *Ignis ante ipsum præcedet &c.* Verisimile enim est, ait hîc Cajetanus, quod sicut in primo adventu veniens homo humilis implevit omnia quæ fuerunt humanæ humilitatis humano more, ita in secundo adventu veniens glorioſus implebit ea quæ majestatis sunt etiam humano more: & ita adventus ille quamvis in principio futurus sit sicut fur in

nocte (hoc eſt improviſus) tamen non in ictu oculi, ſed multo interjecto ſpatio temporis durabit: multo magis quam duret ingreſſus alicujus principis in aliquam civitatem, *viderunt omnes populi gloriam ejus* 4. videbunt, tam certo enim Propheta res dicit futuras ac ſi jam factæ eſſent: tam juſti quam injuſti videbunt honorem Chriſti, ſed hi ad cumulum doloris, illi ad cumulum gaudij.

Pſalmus 97. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Tota vita Chriſti plena eſt novis operibus & miraculis. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum* (Jeſum Chriſtum) *in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam*, qua pro peccatis hominum ſatisfecit Chriſtus ex rigore juſtitiæ, *Judicabit orbem terrarum in juſtitia & populos in æquitate*, in tribunali pœnitentiæ per Sacerdotes. *Tribunal pœnitentiæ.*

Pſalmus 98. *Dominus regnavit, iraſcantur populi: qui ſedes ſuper Cherubim, moveatur terra.* Chriſtus etſi ante humilis apparuerit, regnum ſuper omnẽ creaturam obtinuit, & quaſi deridens inimicos ejus qui ei non crediderunt, iraſcantur quantum voluerint qui ei nocere non poſſunt *Dominus in Sion magnus, excelſus ſuper omnes populos*, Chriſtus in cœleſti Jeruſalem: ergo omnes ei laudes concinant, *& adorate ſcabellum pedum ejus*, humanitatem ejus in qua divinitas ſicut ſuper ſcabellum ſtetit. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* Antiqui enim patres prophetaverunt, adoraverunt & invocaverunt Chriſtum.

Pſalmus 99. *Jubilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitia.* Monet Propheta ut abjecto ſpiritu timoris & ſervilis cujuſdam coactionis, jam Chriſto ad mundum advenienti in ſpiritu amoris & filiorum, læti omnes ei ſerviant. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus*, ipſe Meſſias Deus eſt. *Populus ejus & oves paſcuæ ejus introite portas ejus in confeſſione*, qui ejus doctrina paſcimini, introite portas baptiſmi in confeſſione peccatorum & in confeſſiſione laudis. *Laudate nomen ejus, quoniam ſuavis eſt Dominus, in æternum miſericordia ejus* erga peccatores pœnitentes.

Pſalmus 100. *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine: pſallam & intelligam in via immaculata quando venies ad me.* Hæc melius Chriſtum loquentem repræſentant quam ipſum Davidem, cui non æquè omnia poſſunt adaptari. Finem porro Pſalmi ſoli Chriſto adaptat Turrecremata, *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* In matutino, inquit, id eſt in futuro judicio quando vera lux incipiet oriri bonis, interficiam omnes morientes impœnitentes, & diſperdam de ſocietate Sanctorum omnes operantes iniquitatem permanentes in voluntate peccandi, mittam eos in ignem æternum. Conſentit Author incognitus totum iſtum Pſalmum virtutibus Chriſti applicari, ac ſpecialiter iſtum verſum *pſallam & intelligam in via immaculata quando venies ad me;* in carnem enim venit Chriſtus ſine peccato, vixit ſine peccato, tranſivit ex vita iſta ſine peccato, unde intellexit viam immaculatam in adventu Chriſti, vel aliter, inquit, per viam immaculatam intelligitur Virgo Maria. Ille autem Pſalmus habet tres partes; 1. oſtendit qualiter David ſe devotè habuit circa Deum. 2. qualiter mundè erga ſeipſum. 3. qualiter juſtè erga ſubditum ſibi populum, quæ Chriſto etiam adaptari poſſunt.

Pſalmus 101.

Pſalmus 101. *Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat, non avertas faciem tuam à me.* In perſona generis humani peccato Adami corrupti invocat auxilium ſecundi Adami, repræſentans miſerias omnes quas ex peccato illo contraxit, ac primò mortalitatem, *quia defecerunt ſicut fumus dies mei*, ſicut deficiente ligno deficit fumus, ſic deficiente humore radicali deficit vita, ſecundò varias infirmitates corporis, *percuſſus ſum ut fœnum & aruit cor meum*, tertiò exilium in hanc vallem miſeriarum, *ſimilis factus* *Peccati miſeria.*

A *ſum pelicano ſolitudinis*, quæ avis longa inedia tota eſt macilenta, *& factus ſum ſicut nicticorax in domicilio*, id eſt, ſicut noctua quæ diem fugit & nocte tantum apparet, *& ſicut paſſer ſolitarius* qui corpore & pretio parva admodum eſt avis, ut nihil ſit triſtius & abjectius homine poſt lapſum Adami, quartò perſecutiones variorum adverſariorum, *tota die exprobrabant mihi inimici mei*, inde exſurget ad invocandũ potentius Dei auxilium, *tu exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus*, cum ſcilicet Chriſtus reſurrexit à mortuis miſertus eſt Eccleſiæ & gentes ad eum converſæ ſunt, *& timebunt gentes nomen tuum Domine*, &c.

Pſalmus 102. *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.* Excitat ſe Da-
B vid ad benedicendum Domino pro beneficio Incarnationis & multitudine miſericordiarum quibus hominem cumulavit, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis qui ſanat omnes infirmitates tuas*, per paſſionem & ſacramenta delet omnia peccata, *quantum diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras*, quas verè delet per gratiam juſtificantem cum qua non manent ulla peccata. Inde exaltat regnum Chriſti cui omnes Angeli ſerviunt. *Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam & regnum ipſius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes Angeli ejus*, non enim ſolum homines invitat Propheta ad laudandum Deum, ſed omnes etiam Angelos, quorum Chriſtus eſt caput.

Pſalmus 103. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, etſi videatur
C David velle laudare Deum in hoc Pſalmo propter opera creationis præterita, non minus tamen eum laudat propter opera redemptionis quæ adumbrata erant per opera creationis, ac videtur inchoare ab opere reſurrectionis in qua Chriſtus confeſſione laudis & decore gloriâ indutus eſt, ac deinceps Eccleſiam fundavit ac diverſos in ea ordines ſtabilivit. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus & miniſtros tuos ignem urentem*, i. reddis Apoſtolos tuos homines ſpirituales & ardentes zelo charitatis. Verba illa *Sol cognovit occaſum ſuum* adaptantur Chriſto ab Auguſtino. Quid eſt, inquit, *Sol cognovit occaſum ſuum?* Chriſtus agnovit paſſionem ſuam: occaſus Chriſti paſſio Chriſti.

Pſalmus 104. *Confitemini Domino & invocate nomen ejus: annuntiate inter gentes opera ejus.* Sub ty-
D po operum mirabilium quæ geſſit Deus circa populum Judæorum quos ex Ægypto per Moyſem liberavit, deſcribit opera quæ Chriſtus geſſit ut ſalvaret genus humanum à ſervitute peccati: concludit autem Pſalmum per hæc verba, *& dedit illis regiones gentium & labores populorum poſſederunt ut cuſtodiant juſtificationes ejus: & legem ejus requirant*, ſcilicet ut inquirerent myſteria, quæ in ea clauſa erant & contenta de Meſſia futuro.

Pſalmus 105. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Deſcribit Propheta quo pacto Deus ſæpe liberavit Iſraëlitas variis pœnis ab ipſo affectos, cum peccarent, idque ob eam rationem quod Abrahamo promiſerat ex ſtirpe illius
E Meſſiam oriturum, *& vidit cum tribularentur, & audivit orationem eorum, & memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.* Iſtud enim teſtamentum promiſſio Dei eſt facta ad Abraham, Iſaac & Jacob de Chriſto.

Pſalmus 106. *Confitemini Domino &c. dicant quì redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici de regionibus congregavit eos.* Populum Chriſtianum redemptum à Chriſto excitat ad ipſius laudes, enarratque varia beneficia in adventu Chriſti exhibita, non ſolum liberando à peccato Adami, ſed etiam à variis perſecutionibus per tyrannos ac hæreticos illatis, hic hi vocantur redempti, ait Proſper Aquitanicus, qui in toto orbe terrarum de magna & lata Ægypto, quaſi per mare rubrum Baptiſmum ſacratum Chriſti ſanguine, liberantur.

Pſalmus 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo & pſallam in gloria mea.* Magnum prodit zelum ad laudanda Chriſti myſteria, quippe qui noverat Deum ignem eſſe, idcirco quæ de Deo foris prodire expediebat deberent eſſe ignea, *Exurge pſalterium & cythara exurgam diluculo.* Vocat Chriſtum pſalterium & cytaram, quaſi diceret objectum ſuorum pſalmorum & cantionum ſpiritualium. Reſpondet autem Chriſtus ſe diluculo, nondum orto ſole, è tumulo exiturum. *Confitebor tibi in populis Domine* &c. Vox eſt Chriſti patrem laudantis & amore complacentiæ diligentis : *exaltare ſuper cœlos Deus & ſuper omnem terram gloria tua, ut liberentur dilecti tui* qui per univerſum orbem ſparſi ſunt, hinc progreditur ad explicandam dilatationem Eccleſiæ, *exultabo & dividam Sichimam*, &c.

Pſalmus 108. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt.* Pſalmum illum, ait Proſper, de Chriſto habere prophetiam quiſquis actus Apoſtolorum fideliter legit, agnoſcit, ubi evidenter (Act. 1.) oſtenditur de Juda traditore Domini prophetatum quod hîc ſcriptum eſt, *fiant dies ejus pauci & epiſcopatum ejus accipiat alter*, &c. *Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa*, tunc utique quando eum tanquam magiſtrum bonum captioſa adulatione laudabant. *Sicut umbra cum declinat ablatus ſum & excuſſus ſum ſicut locuſta*, fugati ſunt à perſecutoribus fideles Chriſti & de loco in locum tranſilierunt.

Pſalmus 109. *Dixit Dominus Domino meo : ſede à dextris meis.* Hunc Pſalmum Chriſtus Matth. 22. de ſeipſo interpretatur, ac probat ex eo ſe Deum eſſe quia vocabatur Dominus à Davide patre ſuo. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Ab Jeruſalem incipit virtus & poteſtas prædicationis Evangelicæ. *dominare in medio inimicorum tuorum*, ſcilicet viget religio Chriſtiana & regnum Chriſti in medio paganorum, Judæorum, hæreticorum, falſorum fratrum, ut non miremur ſi tot ſint ubique infideles. Facilè omnia Chriſti adaptantur; totus Pſalmus eſt de Chriſto initium regni ipſius in aſcenſione, progreſſum, & finem in judicio exhibet.

Pſalmus 110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo : in conſilio juſtorum & congregatione*, eorum ſine dubio qui ſedebunt ſuper duodecim thronos judicantes duodecim tribus Iſrael. *Magna opera Domini : exquiſita in omnes voluntates*, inter quæ opera videtur numerare duo Sacramenta pœnitentiam & Euchariſtiam : primum, *confeſſio* peccatorum *& magnificentia* in abſolutione opus ejus : *& juſtitia ejus* in ſatisfactione *manet in ſæculum ſæculi.* Secundum ibi, *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus : eſcam dedit timentibus ſe.* Panem ſcilicet illum incorruptibilem Euchariſtiæ, *memor erit in æternum teſtamenti ſui : virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo*, nunquam deſinet hæc Sacramenta dare, *ut det illis hæreditatem gentium. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo* per Chriſti paſſionem, *mandavit in æternum teſtamentum ſuum*, nunquam lex Evangelica mutabitur.

Pſalmus 111.

Pſalmus 111. *Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.* Etſi totus videatur eſſe Propheta in enarrandis præmiis temporalibus & ſpiritualibus eorum qui miſericordiæ opera exercent, nihilominus non obſcurè Chriſtum indicat remunerantem opera miſericordiæ in judicio & punientem immiſericordes & avaros. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde* Chriſtus Judex *miſericors & miſerator Dominus, beatus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in judicio : quia in æternum non commovebitur*, ſecurè accedet ad judicium ibi benedicendus ad dexteram, *ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus ſperare in Domino* reputante ſibi factum quod datum fuit pauperi, cum repellet avaros à ſe, excluderetque Virgines fatuas ſine oleo miſericordiæ ; At contra de avaris & immiſericordibus qui furati ſunt Chriſto illa ſuperflua quæ pauperibus non erogaverunt. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit*, amore divitiarum non tenebuntur, cum ſe maledictos in ignem æternum mitti audient.

In avaros divites.

Pſalmus 112. *Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini.* Excitat Propheta ad laudandum Chriſtum ubique terrarum, qui cum ſit excelſus non deſpicit humiles & abjectos, ſed in hoc maximè demonſtrat potentiam quod inſtar Regis, ex parvis magna facit. 1. Adam & poſteros ad Hierarchias Angelorum poſt peccatum evexit. *Suſcitans à terra inopem.* 2. Apoſtolos ad principatum Eccleſiæ & de ſtercore erigens pauperem *ut collocet eum cum principibus.* 3. Gentiles ex ſpurcitia Idolorum ad dignitatem populi Chriſtiani : itaut gentilitas prius ſterilis, nullos Deo pariens filios, jam velut fœcunda mater, innumerabiles Deo filios pariat : *Qui habitare facit ſterilem in domo : matrem filiorum lætantem*, jam enim gentilitas in domo Dei quæ eſt Eccleſia habitat.

Pſalmus 113. *In exitu Iſraël de Ægypto : domus Jacob de populo barbaro.* Benè Proſper Aquitanicus, per propheticum eloquium magis futura indicantur, quam præterita retexuntur : & ideo quædam aliter hîc dicuntur quam ibi acta ſunt, ut vigilanter intelligatur propheria ubi non conſtat hiſtoria. Primum enim non Jordanem reverſum eſſe retrorſum, ſed ſtetiſſe legimus, & unde intelligit per exitum Iſraël de Ægypto, converſionem populorum ad fidem & amorem Chriſti, derelicto hoc ſæculo quaſi Ægypto, *facta eſt Judæa ſanctificatio ejus : Iſraël poteſtas ejus*, dedit enim eis poteſtatem filios Dei fieri. *Mare vidit & fugit :* obſtacula ſæculi verbo Dei tremefacta ceſſerunt. *Jordanis converſus eſt retrorſum*, quoniam qui averſus à principio Creatorem ſuum deſerit, tanquam fluvius in mare labitur, cui bonum eſt ut retrorſum convertatur & rediens ad authorem ſuum, retro ſibi faciat mare, ad quod ante tendebat. *Montes exultaverunt ſicut arietes : & colles ſicut agni ovium*, Apoſtoli montes ſunt & duces gregum qui pabulis montiſi opimantur, *Quid eſt tibi mare quod fugiſti ?* unde amota ſunt impedimenta ſæculi. *A facie Domini mota eſt terra* à præſentia illius qui dixit ſe nobiſcum fore ad conſummationem ſæculi : ipſe enim commovet terram, ipſa pigra & inertia corda convertit. *Qui convertit petram in ſtagna aquarum : & rupem in fontes aquarum* qui doctrinam quæ prius rigida videbatur in multa fluenta dividi & ſermonem ſuum fecit eſſe potabilem quem diſcipulis inſinuarat, incipiens à Moyſe per omnes Prophetas, quia ſic oportebat Chriſtum pati Luc. 24. *Non nobis Domine non nobis : ſed nomini tuo da gloriam*, gratia prædicatur.

Pſalmus 114. *Dilexi quoniam exaudiet Dominus.* In hoc pſalmo Propheta in perſona generis humani per Adamum perditi repræſentat Deo ſuas miſerias & petit à Chriſto liberari per Incarnationem. *Circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni invenerunt me*, &c. ■ *Domine libera animam meam*, deinde quaſi factum perſpiciens quod optabat gratias Deo rependit. *Convertere anima mea in requiem tuam.* Ceſſent tuæ anguſtiæ. *Quia Dominus beneficit tibi*, gratias ſuas in te effudit, *quia eripuit animam de morte*, ad quam damnatus eram : *Oculos meos à lachrymis* quibus deflebam ſtatum felicitatis à quo excideram, *pedes meos à lapſu*, præſervando me, ne tentationibus ſuccumberem. *Placebo Domino in regione vivorum*, in Eccleſia militante, vel triumphante.

Pſalmus 115. *Credidi propter quod locutus ſum : ego autem humiliatus ſum nimis.* In perſona populi gentilis fidem Chriſti recipientis cum humilitate loquitur hic Propheta. *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Agnovi in illuminatione Spiritûs ſancti, aut in receſſu ab errore gentilium totum mundum errare ac minimè à prima veritate illuſtratos eſſe homines,

quia præter veritatem fidei Chriſtianæ traditiones aliæ mendacia ſunt, ac inde exurgit ad gratiarum actionem pro beneficio illuminationis in fide Chriſti. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Quia non eſt facilè dignum quid illi rependere. *Calicem ſalutaris accipiam.* Etiam pro illo ſanguinem effundam, quod præſtiterunt Martyres. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus,* publicè ipſum confitebor.

Pſalmus 116. *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.* Mittit enim Deus Pater filium in hunc mundum: ac tunc confirmavit miſericordiam quam promiſerat ſe daturum. *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus:* veraque eſſe oſtendit quæcumque in ſcripturis erant, ut unum iota aut unus apex non præteriret, quin omnia adimplerentur; *& veritas Domini manet in æternum.*

Pſalmus 117. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Invitat fideles omnes ad laudandum Deum de beneficio Incarnationis ac miſericordia per Chriſtum exhibita, in qua ſpem omnem repoſitam habet contra quaſlibet perſecutiones. *Bonum eſt ſperare in Domino quam ſperare in principibus &c. Aperite mihi portas juſtitiæ & ingreſſus in eas confitebor Domino,* i. conferte mihi Sacramenta Eccleſiæ Baptiſmum, Pœnitentiam. Hæc quippe viam aperiunt juſtitiæ. *Confitebor tibi quoniam exaudiſti me & factus es mihi in ſalutem. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, factus eſt in caput anguli.* Ut duos conderet in ſemetipſum in unum novum hominem, circumciſionem ſcilicet ac præputium, ac duos populos Judaicum & gentilem ſub eadem fide & iiſdem Sacramentis conjungeret, hoc præſtitit Chriſtus, quamvis rejectus fuerit à Sacerdotibus & Pontificibus Judæorum, qui debebant Synagogam ædificare. *A Domino factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris,* in oculis interioribus credentium, ſpectantium, diligentium.

Sacramenta.

Pſalmus 118. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.* Iſte Pſalmus multa habet ſingularia præ cæteris, nam ſemper loquitur cum Deo & conſtat viginti duobus octonariis juxta numerum literarum alphabeti Hebraïci, quorum unumquodque incipit ab unâ literâ Hebraïcâ, nec eſt verſus in quo ſub variis nominibus non fiat mentio legis divinæ, per quam lex Evangelica intelligenda venit, ad quam adſpirat, quam laudat & celebrat, ut per eam liberetur & dirigatur in omnibus viis ſuis. *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & vivam.* Vox eſt humanæ naturæ à Verbo ſe aſſumi cupientis. *Defecit anima mea in ſalutare tuum.* Scilicet amore languebat poſt adventum Meſſiæ, *& in verbum tuum ſuperſperavi.* Tota in eo ſpes. Item, *erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum quia mandata tua non ſum oblitus,* quaſi diceret, non poſſum obliviſci quæ in lege tua promiſiſti de Chriſto.

Pſalmus 119. *Ad Dominum cum tribularer clamavi & exaudivit me.* Cum affligerer ex peccato Proto-plaſtis, invocavi auxilium ejus. *Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingua doloſa.* Serpentis qui decepit Adamum & Evam in Paradiſo terreſtri, unde profluxit ſtatus miſeriarum hujus vitæ, quippe lingua illa doloſa inſtar ſagittæ potentis acutæ, omnia vulneravit, inſtar ignis & carbonis omnia vaſtavit: unde adſpirat ad alium ſtatum fœlicioris vitæ. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Si quid enim tædioſam hanc vitam poſſet reddere, maximè afflictio quæ ex malis oblocutionibus provenit, vel vox illa eſt pœnitentis animæ ac dolentis ſe diu nimium in malis habitibus involutam fuiſſe.

Pſalmus 120. *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino* Jeſu Chriſto, *qui fecit cœlum & terram.* Conſequenter deſcribit quanta bona ab illo provenant. *Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui cuſtodit te.* Dixit enim Chriſtus ſe futurum cum ſuis uſque ad conſummationem ſæculi, nec ſuos derelinquit.

Pſalmus 121. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Totus exultat in ſpiritu David propterea quod de Chriſto ſibi revelatum fuerat per eum ad cœleſtem domum aditum patefaciendum eſſe hominibus. Hinc multiplicibus ſuſpiriis domum illam concupiſcit, cujus etiam bona aliqua enumerat, ut pacem, concordiam, abundantiam & alia, idque ob amorem proximorum, ut inflammentur ad eam poſſidendam, *propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.* *Pſalmus 121.*

Pſalmus 122. *Ad te levavi oculos meos qui habitat in cœlis.* Anhelat Propheta ad Chriſtum, illum ſolum ſuſpicit à quo liberari debeat ab opprobrio peccati: *ſicut ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Non alia majori cura angitur, quia totum bonum hominis à Chriſto eſt.

Pſalmus 123. *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, niſi quia Dominus erat in nobis,* ſcilicet Emanuël Jeſus Chriſtus, i. nobiſcum Deus. *Torrentem pertranſivit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Quia ſine Chriſto mala hujus vitæ intolerabilia eſſent, nemo calicem paſſionis potare poſſet. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini,* ſine quo non eſt ſalus.

Pſalmus 124. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jeruſalem.* Sicut mons non mutat quicumque venti inſurgant contra: ſic ille eſt qui ſpem in Deo ejuſque promiſſione de Meſſia venturo repoſuit: qui habitat in Jeruſalem eſtque civis Eccleſiæ Chriſtianæ, illius ruinam non timebit, cum montes ſanctorum Angelorum eam cuſtodiant, ipſeque Deus illam tueatur. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.* Hoc præſtitit Chriſtus virtute Paſſionis dæmonum poteſtatem conterens, nec tyrannos diu vivere ſinens, ne puritati ſanctorum officerent. *Bene fac Domine bonis ac rectis corde.* Hoc Chriſtus exequetur in judicio. *Declinantes in obligationes,* in Hebræis eſt, ad pravitates, quippe peccata obligant ad pœnam, *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem,* cum dicet improbis, *ite maledicti* &c.

Pſalmus 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti ſumus ſicut conſolati.* Quando à captivitate diaboli liberatum eſt genus humanum per Chriſti paſſionem. *Converte Domine captivitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro,* i. accelera adventum tuum ea celeritate qua torrens decurrit flante Auſtro & glaciem diſſolvente. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Hic fructus eſt Incarnationis ut pœnitentes de peccatis quandoque maxima afficiantur lætitia.

Pſalmus 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Eccleſia ſine Chriſto ædificari ac ſubſiſtere nunquam poterit. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere,* id eſt laborare ante Chriſtum & ſine Chriſto qui lux eſt mundi. *Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.* Expectanda eſt lux iſta quæ in tenebris lucet donec advenerit. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Cum dederit pretium mortis ſuæ & ex latere dormientis in cruce exierit ſanguis & aqua, quæ ſunt Sacramenta, ex quibus ædificatur Eccleſia, ecce ipſa Eccleſia vera Domini hæreditas Domini filij unigeniti, quæ Eccleſia eſt merces & præmium fructus ventris, id eſt ipſius Chriſti qui ex ventre Virginali prodijt: *ſicut ſagittæ in manu potentis ita filij excuſſorum,* i. Apoſtoli filij Prophetarum qui excuſſi fuerunt vel per perſecutionem, vel per miſſionem in fines terræ. *Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum*

ex ipsis .i. qui Apostolicæ prædicationis particeps est, *non confundetur*, in judicio, *cum loquetur inimicis suis in porta*. Nam in portis civitatum exerceri solebant judicia.

Psalmus 127. *Beati omnes qui timent Dominum qui ambulant in viis ejus*. Jacobus de Valentia hæc prima verba Christo adaptat, qui primus totaliter implevit voluntatem Patris, de quo in capite libri scriptum est: ideo Propheta conversus ad Christum dicit. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit*, quia Christus perfectius fruitur pane cœlestis beatitudinis. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, quia Ecclesia sponsa Christi dilatat palmites suos per universum fœcunda multitudine prolis. *Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ*. Christiani in magno numero altaria circumstant ad manducandum panem Eucharistiæ. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum*. Etsi verò iste Psalmus de quibuslibet timentibus Deum in veteri testamento possit intelligi: quia tamen David, ait prænominatus Interpres, non fuit minus Propheta in hoc Psalmo quam in alijs: ideo, inquit, esset peccatum & sacrilegium dimittere mysticam & veram expositionem, & occultare ac contemnere & dimittere tam pretiosum thesaurum in prædicto & cæteris Psalmis absconsum.

Ecclesia fœcunditas

Psalmus 128. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Israël*. David enarratis Ecclesiæ varijs persecutionibus per tyrannos, per hæreticos, per Antichristum, dicit Christum omnes puniturum in judicio. *Dominus justus concidet cervices peccatorum, confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur exaruit*. Quia impugnatores Ecclesiæ diu non poterunt prosperè agere, sed Christus tanquam justus judex eorum potestatem conteret.

Psalmus 129. *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*. Vox est hominis per Adamum perditi de profundo carcere hujus mundi, vel ex lymbo inferni ad Christi auxilium suspirantis & in eo sperantis, *quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus*. Christus enim pro peccatis abundè satisfecit.

Psalmus 130. *Domine non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*. Adam in Paradiso exaltavit cor suum appetens Dei æqualitatem & volens scire bonum & malum. Quod quidam interpretantur de numero prædestinatorum & reproborum. Illud autem peccatum Adami transiit ad omnes ejus posteros, excepta Virgine, sed in primis ipso Christo, cui specialiter competit dicere, *Domine non est exaltatum cor meum*, qui in Adamo non peccavit, nec ambivit honores, sed omnia ad Patrem retulit, sentiens de se humiliter etiam in omnibus suis miraculis. Non ergo hunc Psalmum composuit David ad placandum Deum postquam populum enumeraverat, ut quidam volunt, nam peccatorem potius se dixisset. Nota ergo, ait Jacobus de Valentia, quod magnus thesaurus est in hoc Psalmo absconditus, & quo modo peccant qui nolunt pulsare ut eis aperiatur. Per gratiam tamen potest verificari ratione personæ Virginis Mariæ ratione gratiæ prævenientis.

Psalmus 131.

Psalmus 131. *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus*. Monet Prosper Aquitanicus sermonem Propheticum hujus Psalmi altiore sensu accipiendum esse, ut scilicet ad illum hominem qui in capite & in corpore .i. in Christo & Ecclesia unus homo est, hæc verba referantur, qui homo cupiat esse habitaculum Spiritus Sancti & in æternum à Deo possideri. *Exurge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ*. Vox est Ecclesiæ desiderantis ut Christus post conturbationem crucis gloriâ Resurrectionis fruatur, atque etiam membra illius quæ sunt arca sanctificationis Deo. *Sacerdotes tui induantur justitiâ & sancti tui exultent*, te resurgente à mortuis & eunte ad Patrem regale illud Sacerdotium induatur fide; lætentur membra spe Resurrectionis quæ præcessit in capite. *Juravit Dominum David veritatem & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Promisit Deus Davidi Messiam ex ejus stirpe nasciturum. Poterat dicere, ait D. Augustinus, ex fructu femoris tui, sed significantius dicere voluit, *ex fructu ventris tui*: quia de fœminâ natus est Christus quo vir non accessit. *Sacerdotes ejus induam salutari*. Salutaris, id est, salutem afferens Christus est, quo quisque regeneratus induitur (ad Galatas 3.) *paravi lucernam Christo meo*: id est, præmisi ante ipsum Prophetiam, cujus lumine uterentur qui erant in tenebris ignorantiæ constituti, & ipse Dominus ait de Baptista Joan. 5. *ipse erat lucerna ardens & lucens*.

Promissa Messiæ.

Psalmus 132. *Ecce quam bonum & quam incundum habitare fratres in unum*. Quod tunc verè impletur cum in unum caput quod est Christus omnia fidelium membra concurrunt & in solum Christum conspirant ut eum diligant. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem*, cum misit Christus Spiritum Sanctum ad discipulos in unum congregatos, ipsi enim, ait Prosper, in unum habitant qui in Christo concorditer vivent: & in diligendis non solum fratribus, sed etiam inimicis servant præceptum: quando pro inimicis suis est mortuus Dominus, qui eos facit participes æternitatis, quos imitatores habuerit dilectionis.

Bonum est omnes conspirare ex amore in Christum.

Psalmus 133. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini*. Excitat Propheta omnes fidelium status qui sunt in Ecclesia ad laudandum Deum in humanitate latentem. *Benedicat te Dominus ex Sion qui fecit cœlum & terram*. Id addit ordinariè ad distinguendum Deum Israël à dijs gentium, qui non credebant creationem mundi à Deo, cum æternum esse mundum arbitrarentur.

Psalmus 134. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum*. Excitat fideles omnes ad laudandum Deum contemptis Idolis. *Laudate Dominum quia bonus Dominus: psallite nomini ejus quoniam suave*. nam nomen ejus, quod est Jesus, est suave, quia significat salutem.

Psalmus 135. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus*. Idem est scopus hujus Psalmi ac præcedentis: *quia in humilitate nostra memor fuit nostri, & redimet nos ab inimicis nostris qui dat escam omni carni*. Cum essemus in statu abjectionis & captivitatis, Christus non despexit nos, cum fuerimus in humilitate pœnitentium Christus remittet nobis peccata, & dat escam Sacramenti altaris omni fideli, propter ea confitemini Deo cœli.

Psalmus 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion*. Universi fideles gemunt de habitatione terrenâ, quæ in quacumque sui parte Babylonia est, ait Prosper, & flumina ejus sunt omnes illecebræ temporales sive in moribus sive in opinionibus, quas sibi quisque delegerit, in quibus nihil firmum, sed omnia fluida. Adspirant omnes fideles ad Sion cœlestem, & quia medium ad illam perveniendi est nascenti malæ cupiditati priusquam consuetudine robusta fiat, resistere, concludit hunc Psalmum, *beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram*, id est primos concupiscentiæ motus tenebit, ne progrediantur ulterius, & conteret ad petram quæ Christus est (1. Cor. 10.) qui intuitu & amore Christi non perficiet malum quod suggerit.

Primi motus.

Psalmus 137. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*. Vox est gratiarum actionis ipsius David cum ab Absalone liberum se sensit, quæ adaptatur fideli Deo gratias agenti pro liberatione & peccatis per Passionem Christi, ut magis specialiter patet in his versibus.

Si

Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me .i. in peccatis ſi fuero, per Paſſionem & Sacramenta vitam mihi reddes. *Dominus retribuet pro me, Domine miſericordia tua in ſeculum.* Offeret Chriſtus pro me ſuæ Paſſionis merita in compenſationem pœnarum mihi debitarum, ſolvet pro me & patietur pœnam quam ego debeo ſolvere.

Pſalmus 138. *Domine probaſti me & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam.* Verba iſta prophetica Chriſti ſunt Patri dicentis *Domine* quia, ait Proſper, ei & Pater & Dominus eſt, Pater formæ Dei, Dominus formæ ſervi. Sedere autem eſt humiliari, ſurgere exaltari, unde ſedit Dominus in Paſſione, reſurrexit in Reſurrectione. Quod, inquit, tu voluiſti Domine, approbaſti, & ideo ſic factum eſt, quia ſic tibi placuit. Poſtquam autem Chriſtus ſe cognoſci a Patre multipliciter explicavit, ait ſe cognoſcere numerum electorum & reproborum: *mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus*, & de reprobis ſubjungit, *viri ſanguinum declinate à me*, ſcilicet gratos habet omnes quos Pater elegit, odioſos quos reprobavit, amici illi ij ſunt qui prædicantibus Apoſtolis in magna multitudine fidem amplexi ſunt. Viri ſanguinum Judæi ſunt & pagani qui irridebant ſpem Martyrũ de Reſurrectione. *Qui dicitis in cogitatione accipiẽt in vanitate civitates ſuas*, id eſt, corpora. Concludit per aſſertionem ſuæ innocentiæ in amore illorum & horum odio. Verius enim quam David aut quivis alius gloriari poteſt Chriſtus non fuiſſe in ſe aliquam viam iniquitatis ac iniquitatem perfecto odio habuiſſe, præeligens moti ne regnaret iniquitas. Ideo ſecurè loquitur, *proba me Deus & ſcito cor meum, interroga me & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt & deduc me in viâ æternâ.* Petit ſe regi à Patre in judicio ubi erit via æternitatis. Interpres Cajetani, *& vide ſi via deriſionis in me eſt, deduc me in via ſeculi*, ſcilicet via iniquitatis via eſt deriſionis. D. Hilarius egregiè totum Pſalmum Chriſto adaptat.

Pſalmus 139. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.* Oratio eſt Chriſti poſtulantis liberari à populo maligno Judæorum qui illi mortem machinabatur. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labijs eorum*, cum multa illi falſo impoſuerunt & clamaverunt, *tolle tolle crucifige eum.* Sequitur. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operit eos*: caput .i. cauſſa cur circumdati ſunt obſidione per Romanos, eſt labor labiorum ipſorum propter verba multa contumelioſa in Chriſtum. Hinc ignis belli in ipſos exarſit, *cadent ſuper eos carbones: in ignem dejicies eos, in miſerijs non ſubſiſtent.* Quæ etiam ad pœnas inferni referri poſſunt.

Pſalmus 140. *Domine clamavi ad te exaudi me*, & in hoc Pſalmo duos verſus Chriſto adaptat D. Proſper, primo illum, *abſorpti ſunt juncti petra judices eorum* .i. Magiſtri ipſorum qui ſibi judicium vindicant de mundanorum dogmatum diſciplinis, ſi Petræ jungantur, id eſt, Chriſto comparentur, *abſorpti ſunt*, id eſt, nihil loci habebunt, ſed in ſua vanitate deficient. Secundo finem Pſalmi: *ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* Solus Chriſtus Martyrum fortitudo, pro quo nullus eſt prius mortuus quam ipſe moreretur: ſicut dicit (Joan. 12.) *cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum, & niſi granum frumenti mortuum fuerit, ſolum manet.* Priuſquam ergo moreretur & tranſiret ad Patrem ſingularis fuit, nec habuit ſocios Paſſionis, qui poſtea in multiplicem ſegetem de unius grani fœcunditate creverunt. Non deſunt autem qui ſingulos verſus Chriſto attribuunt oranti pro diverſis membris Eccleſiæ.

Sapientia mundi inanis eſt præſcientia Chriſti.

Pſalmus 141.

Pſalmus 141. *Voce mea ad Dominum clamavi*, oratio eſt Chriſti in ſua Paſſione ab omnibus derelicti clamavi ad te Domine: *dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.* In ſolo Deo ſpem Chriſtus repoſuit, non in auxilio humano. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo*, de ſepulchro, de lymbo, inde corpus, inde animam per Reſurrectionem libera, *me expectant juſti donec retribuas mihi.* Quia Patres Sancti in lymbo concluſi expectabant Chriſti Reſurrectionem ut liberi exirent. Jam vox quæ ſequitur, ait D. Auguſtinus, ex capite ſonat Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & eſt talis ipſa qualis heſterna ultima. Heſterna enim ſi meminiſtis hæc fuit, *ſingulariter ſum ego donec tranſeam*, & hic quæ eſt ultima, *me ſuſtinebunt juſti quoadusque retribuas mihi.*

Patres in Lymbo expectabant.

Pſalmus 142. *Domine exaudi orationem meam &c. & non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Vox eſt hominis corrupti ex prævaricatione Adami, propter quam nullus eſt ſine peccato, imo multipliciter à dæmonibus impugnatur. Quapropter recogitans dies antiquos & antiquas figuras quibus delineabatur & promittebatur Chriſtus Redemptor, ipſius præſentiam & auxilium ardenter efflagitat. *Eripe me de inimicis meis ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu*, ô Jeſu Chriſte, doce me legem Evangelicam, *ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, ſpiritus ille eſt vel tertia Trinitatis perſona, vel eſt imitatio ſpiritus illius, zeli ſcilicet & fervoris ad Deum, hic diriget me ad terram viventium.

Pſalmus 143. *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium.* Hunc Pſalmum compoſuit David in gratiarum actionem poſt devictum Goliath, ac quia vidit ſub figura hujus victoriæ adumbrari victoriam Chriſti qui caput Diaboli abſcinderet, id eſt peccatum originale cum baculo crucis, vel illi gladium auferret quo omnes vulnerabat, inde ad Chriſtum ſeſe attollit. *Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei*, quia per illam victoriam Chriſti victoria illi innoteſcebat. *Domine inclina cœlos tuos & deſcende*, de cœlo ad terram per Incarnationem, *tange montes & fumigabunt*, montes enim ait D. Proſper, id eſt, elati quique & tumidi tangente eos Dei gratia fumigabunt & accenſi cordis vaporem cum lachrymis confeſſionis emittent. Sed & coruſcatio Evangelij & fulgura miraculorum illuſtrant corda credentium. Sagittæ autem Dei verba ſunt quibus diſſipatur conſideratio ſuperborum.

Pſalmus 144. *Exaltabo te Deus meus rex & benedicam nomini tuo in ſeculum & in ſeculum ſeculi.* Contemplabatur ſanctus Propheta varias Jeſu Chriſti excellentias propter quas illum cum jubilo & exultatione cordis illum celebrat in hoc Pſalmo. *Magnus Dominus & laudabilis & magnitudinis ejus non eſt finis*, propter immenſam ejus divinitatem. *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur*, quia Chriſtus eſt Sanctus Sanctorum per quem omnes alij ſancti ſunt, *& virtutem terribilium tuorum dicent*, cum tot mira ſunt in Myſterio Incarnationis. *Suavis Dominus univerſis & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, in opere Redemptionis qua liberavit omnes aut à toto aut à tanto. *Gloriam regni tui dicent*, &c.

Excellentia Chriſti exaltando.

Pſalmus 145. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiu fuero.* Idem intentum proſequitur David, at maxime ad ſpem in Chriſto habendam hortatur. *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non eſt ſalus*: quia nulla creatura poterat ſatisfacere pro peccato hominum, id ſoli Verbo incarnato competebat. *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus: ſpes ejus in Domino Deo ipſius qui fecit cœlum & terram*, quaſi diceret beatus cujus Deus Jacob .i. ipſi Jacob Chriſtus promiſſus cum vidit ſcalam Geneſis 28. & cum dixit, *non auferetur ſceptrum de Juda* &c. *& ſalutare tuum expectabo Domine*, perſentiens Anti-Chriſtum in Benedictione Dan, beatus inquam cujus Chriſtus Deus Jacob adjutor eſt. *Qui cuſtodit veritatem in ſeculum.* Adimplens omnia quæ in veteri te-

ſtamento promiſſa erant. *Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit eliſos : Dominus diligit juſtos &c.* An non hæc omnia Chriſto conveniunt?

Pſalmus 146. *Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus : Deo noſtro ſit jucunda decoraque laudatio.* Amor quo erga Chriſtum Redemptorem fervebat cor Davidis ſatiari non poteſt, quin ſemper encomia & laudes ejus celebret. *Ædificans Jeruſalem Dominus diſperſiones Iſraëlis congregabit*, ut ex omnibus populis coaleſcat Eccleſia. *Qui ſanat contritos corde & alligat contritiones eorum*, per remiſſionem peccati & ſatisfactionem in remedium recidivi. *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat.* Qui novit electos omnes ſicut Paſtor qui proprias oves cognoſcit & eas etiam nominatim vocat. Joan. 10. *Magnus Dominus & magna virtus ejus & ſapientiæ ejus non eſt numerus, ſuſcipiens manſuetos Dominus : humilians autem peccatores uſque ad terram*, dum in infernum eos præcipitabit.

Pſalmus 147. *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Primâ parte hujus Pſalmi alloquitur David cœleſtem Jeruſalem, cujus filij omnes benedicti ſunt à Domino & pace perfruuntur æterna. Parte vero ſecundâ aſſurgit ad authorem illius fœlicitatis qui eſt Chriſtus Dominus. *Qui emittit verbum ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus :* Verbi miſſio, ait D. Proſper, eſt Incarnatio : cujus Evangelio currente per omnem terram omnium gentium fit vocatio, præveniente gratiâ Dei credentium fidem. *Qui dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit.* Sublimius in his gratiæ Dei opera ſentiuntur, per nivium vellera, vocatione gentium figurata, quæ ad conficiendum veſtimentum Chriſti quod eſt Eccleſia in unum confluit. Per nebulam autem caligo ignorantiæ intelligitur, quæ ad cinerem pœnitentiæ confugit. *Qui mittit chryſtallum ſuam ſicut buccellas*, ſeu fruſta panis. Significantur lapidea corda infidelium quæ gelu nimiæ veruſtatis obſtricta nullum calorem S. Spiritus receperunt, ſed tam potens eſt gratia Dei, ut tam annoſam glaciem faciat ſuperno igne ferveſcere, ut etiam ipſi qui vitæ cibum neſciebant, panem verbi incipiant miniſtrare, ſicut in beato Paulo factum eſt. *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea, flabit ſpiritus ejus & fluent aquæ.* Verbo Evangelicæ prædicationis obduratio infidelium ſolvitur.

prædicatio Evangelij.

Pſalmus 148. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis.* Congratulando ſupernæ Jeruſalem jam ædificatæ hunc Pſalmum compoſuit David, invitatque omnes creaturas ad laudandum Deum, ſpecialiter autem invitat creaturas rationales ad eum laudandum propter exaltationem nominis Jeſu Chriſti. *Reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ : juvenes & virgines ſenes cum junioribus laudent nomen Domini*, ac proponens illis cauſam laudis, ait, *quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius : confeſſio ejus ſuper cœlum & terram*, cum in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. *Hymnus omnibus ſanctis ejus, filijs Iſraël populo appropinquanti ſibi.* Laudatio iſta ob cauſam propoſitam ſpecialiter ſanctis propria eſt, illorum eſt laudare Deum ob exaltationem Jeſu Chriſti, per quem redempti ſunt & ad cœlos evecti, ac ipſo propinqui redditi ſunt ut cum ipſo regnent in æternum.

Pſalmus 149. *Cantate Dominum canticum novum, laus ejus in Eccleſia Sanctorum.* Vult novum canticum Propheta decantari, non habens ſatis in præcedentibus cauſis quas propoſuit de laudando Deo. Materia autem hujus novi cantici eſt, quod non ſolum Chriſtus exaltetur, ſed etiam quod per ipſum omnes ſancti ejus, qui in hac vita abjecti fuerunt, de adverſarijs ſuis triumphum agent. *Exaltabit manſuetos in ſalutem. Lætabuntur in cubilibus ſuis*, jam non lachrymis ſtratum rigabitur, ait D. Hilarius, nec in hoc mortis corpore degentium ob peccati neceſſitatem ac dolorem noctibus ſingulis lectus lavabitur. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conſcriptum : gloria eſt hæc omnibus ſanctis ejus.* Hoc ergo canticum novum, dum humiles corde tribulatique corde regibus conſtituantur in reges, vinciunt eos quorum vinculis carceribuſque concluſi fuerant, ſicque conſcriptum in eos judicium exerceent. Nam & gladium venit Dominus mittere in terram, ut poteſtas ſanctorum omnis à Deo ſit.

Cantium novum.

Pſalmus 150. *Laudate Dominum in ſanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Concludit Chriſtum laudandum eſſe in omnibus ſanctis & in omnibus eorum operibus, quia Chriſtus omnia eis communicavit. *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, quotquot pollent mente & ſpiritu laudent ipſum. Alia verſio habet omnis flatus, alia omnis anhelitus, alia omnis reſpiratio, ut non ſæpius reſpiremus quam de ipſo cogitemus.

Quare alij majores alij minores Prophetæ dicuntur?

Dicuntur quidam majores quod fuerint præcipui Prædicatores ac Doctores populorum quibus Spiritus ſanctus magis adfuit in magnâ plenitudine ſententiarum, quales fuerunt Iſaïas, Jeremias cum Baruch ejus amanuenſi ac ſcriptore, Ezechiel & Daniel. Alij dicuntur minores & ſunt 12. quod iis Spiritus ſanctus in tanta plenitudine & abundantiâ ſententiarum non adfuerit, unde & eorum prophetiæ breviores ſunt.

Quid porro tractant Prophetæ?

Quatuor potiſſimum, quæ in primo capite Iſaïæ annotare licet. Proponunt enim larga & ampla Dei ad populum beneficia, ut cum dicit Iſaïas *filios enutrivi & exaltavi.* Secundum ingratitudinem hominum Divinis beneficijs oppoſitam, ut cum ſubjungit continuo Iſaïas, *Ipſi autem ſpreverunt me.* Tertiò prædicunt propter hæc ventura & impendentia ut cum addit. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.* Quartò poſt flagella immittunt conſolationes in promiſſione futurorum aliquot bonorum ac maximè futuri Meſſiæ Jeſu Chriſti ad quem præcipuè collimant verba Prophetarum. Cum enim Prophetæ munere concionatorum fungerentur apud Iſraëlitas, ea etiam quæ ad emendationem vitæ pertinebant attingere debebant, ut reprehenſiones, promiſſiones, comminationes, præcipuè tamen myſteria Chriſti, ut in eum venturum fidem haberent.

4. Tractata Prophetæ.

Nunquid etiam Prophetæ multa interſerunt de exteris gentibus ac populis ad quid iſta in Libris ſacris?

Ita profecto. Sed id certo Spiritus ſancti conſilio, ut cum Prophetæ multa prædicerent quorum veritas experimento ipſo ſtatim patebat, non dubitaretur quin etiam vera eſſent quæ non tam citò ventura eſſe annuntiabant : ſicque etiam in authoritate eſſent quamvis ipſis Judæis ſæpe inviſi & odioſi, itaut etiam morte afficerentur quod eorum ſcelera arguerent. Denique ut oſtenderetur etiam gentes ipſas non fuiſſe extra providentiam Dei, ſed illi etiam curæ fuiſſe, cum inſpiraret Prophetas ad ea prædicenda quæ ipſos ſpectabant.

Quot modis prophetabant Prophetæ.

Duobus, factis & verbis. Factis quidem cum aliquid agebant quo denotarentur & figurarentur res futuræ. Ut cum Jeremias carbenis onuſtus incedebat in ſignum futuræ captivitatis populi Iſraël. Vel cum Oſeas meretricem ducit uxorem, ex qua tres ſuſcipit filios, primum vocat Zezrael. Secundum abſque miſericordiâ. Tertium non populus meus. Quo ſignificabatur, quod Deus duxerat in ſponſam Synagogam cum Idolis fornicantem. Ex quâ populus poſt Oſeam naſciturus tres habiturus erat ſtatus. Primus à Jeſu ad Zachariam ejus abnepotem ſtatus populi, vocatur Jezrael quaſi liber, ſecundus à Zachariâ ad Oſee Regem in quo ceſſavit regnum Iſraël ſtatus ejus, vocatur abſque

miſericordiâ. Tertius ſtatus in quo gentiles in ejus terram adducti ſunt vocatur, non populus meus.

Quid magis ſpectandum in Libris ſingulorum Prophetarum ac primo Iſaiæ?

Iſaïas in 66. capitibus plura exprimit de Chriſto ac ejus Eccleſia quam ullus Prophetarum, ut non tam res futuras, quam præteritas narrare videatur, & non tam Propheta quam Evangeliſta appareat. Unde & Propheta Evangelicus dicitur. Hunc que idcirco Chriſtus inter cæteros Prophetas ſelegit quem primum in Synagogâ patriæ ſuæ publicè legeret & exponeret. Nec ullius Libri lectio tantum profuit ad convertendos gentiles ad Chriſtum poſt exemplum Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopum; cum magnâ ſiquidem venuſtate ſermonis ac elegantia Chriſti myſteria non tam adumbrat quam elucidat. Interſerit nihilominus quædam de Regibus ſub quibus prophetavit Ozia, Joathan, Achas & Ezechia, nonnullaque pronuntiat contra Judæam & Jeruſalem ac finitimas gentes, quarum onera ac punitiones prædicens majorem ſibi fidem conciliat, oſtenditque majorem neceſſitatem adventus Redemptoris, omnibus oneratis & oppreſſis peccatorum & pœnarum pondere immenſo & graviſſimo.

Quæ ſunt ea quæ de Chriſto magis expreſsè docet Iſaias?

Mira de Chriſto in Iſaia.

Cap. 2. Docet ſtudium gentilium ſeſe invicem exhortantium ad Eccleſiam, & initium prædicationis Evangelicæ ex Jeruſalem & pacem illorum temporum ut detur locus prædicationi Apoſtolorum in omni gente, *& ibunt populi multi & dicent venite aſcendamus ad montem Domini*, &c.

Cap. 7. Docet nativitatem Chriſti ex Virgine ad gloriam majorem nominis Dei quam Achab Rex impius impedire volebat ne fama idolorum ſuorum imminueretur. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emanuel*, &c.

Cap. 8. Docet myſterium Chriſti reſurgentis quod jubetur ſcribi in titulo grandi juxta Hebræum, quia eſt myſterium maximum. *Sume tibi librum grandem, ſcribe in eo ſtylo hominis. Velociter ſpolia detrahe, cito prædare.* Quæ verba Chriſto reſurgenti conveniunt cum velociter Infernum ſpoliavit.

Cap. 9. Docet plura de Chriſto, ut ejus prædicationem qua populi liberati ſunt à jugo diaboli. Primo tempore *alleviata eſt terra Zabulon*, &c. juxta cap. 4. Matthæi. *Et noviſſime aggravata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium.* Cum nempe exprobravit civitatibus Corozaïn & Betſaida Matth. 11. *Væ tibi Corozain*, &c.

Cap. 10. Docet magnitudinem ejus Imperij per Crucem, *& factum eſt principatus ejus ſuper humerum ejus*, &c. Docet ruinam Iſraëlitarum ex occaſione ipſius adventus. Zelus Domini exercituum faciet hoc. *Verbum miſit Dominus in Iacob & cecidit in Iſraël.* Scilicet tanquam pondus quo oppreſſi ſunt Iſraëlitæ non credentes.

Cap. 11. Docet Chriſti nativitatem, ſanctitatem, ſublimitatem, *& egredietur virga de radice Ieſſe*, &c. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, &c. *Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Ad quod honorandum plures proficiſcuntur.

Cap. 12. Docet gratiarum actiones reddendas eſſe Deo pro beneficio Incarnationis. *Et dices in illa die, confitebor tibi Domine quia iratus es mihi*, &c. Itemque gratias ex fontibus Sacramentorum abunde manaturas. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Cap. 19. Prædicit converſionem Ægypti ad Chriſti fidem. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*, &c.

Cap. 25. Narrat exultationem renatorum in Chriſto. *In illa die cantabitur Canticum iſtud in terra Iuda urbs fortitudinis noſtræ: Salvator ponetur in ea muros & antemurale. Aperite portas & ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abiit: ſervabis pacem quia in te ſperavimus*, &c.

Cap. 35. Conſolatur Judæos de tribus tempore adventus Meſſiæ futuris. 1. De multiplicatione gentium in Eccleſia *lætabitur deſerta*, &c. 2. De credentium roboratione, *confortate manus diſſolutæ*, &c. 3. De dæmonum ejectione *in cubilibus in quibus dracones habitabant orietur viror calami & junci, & erit ibi ſemita & via ſancta vocabitur.* Scilicet ſemita reſpectu eorum qui ſervant conſilia Evangelica, via reſpectu eorum qui viam mandatorum currunt. *Præcepta & conſilia.*

Cap. 40. Prædicit Prædicationem D. Joannis Baptiſtæ qua gloriam Chriſti annuntiat, & vanitatem carnis ac mundi *Vox* clamantis in deſerto, &c. *Super montem excelſum aſcende tu qui Evangelizas Sion*, ô Joannes. *Dic civitatibus Iuda* ecce Deus veſtet, &c. *Ecce merces ejus cum eo.* Scilicet divinitas quæ erit præmium beatorum.

Cap. 42. Laudes Chriſti annuntiat in perſona Dei. *Ecce ſervus meus ſuſcipiam eum. Electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper eum*, &c.

Cap. 45. Tranſiens à figurâ ad figuratum & à litterâ ad Spiritum ſub perſonâ Cyri qui ſolvit captivitatem populi, Chriſtum prædicat qui liberavit homines à peccato. *Rorate Cæli deſuper & nubes pluant juſtum*, &c. *Cyrus Rex*

Cap. 49. Introducit Chriſtum loquentem & conquerentem quod Judæi ad ejus prædicationem converſi non fuerint. *In vacuum laboravi, ſine causâ & vane fortitudinem meam conſumpſi.* Quem Deus Pater conſolatur promiſſione converſionis gentium, *parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob & fæces Iſrael convertendas. Dedi te in lucem gentium ut ſit ſalus mea uſque ad extremum terræ*, &c. *In tempore placito exaudivi te & in die ſalutis auxiliatus ſum tui*, &c. *Ut diceres his qui vincti ſunt, exite: & his qui in tenebris revelamini*, &c.

Per cætera libri capita proſequitur Chriſti & Eccleſiæ myſteria apertiùs, maximè capitibus 53. & 63. ut non putes eum de futuris vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere concluditque cap. 66. omnem hominem in Judicio viſurum Chriſtum, & pœnas impiorum, qui in eum prævaricati ſunt futuras ſempiternas. *Vermis eorum non morietur*, &c.

Quid Ieremias Propheta?

Jeremias per 52. duo capita quatuor illa exequitur quæ Prophetis propria ſunt, modo unum, modo aliud ſine ordine, prout Spiritus ſancti mentem ejus, linguam, calamumque ducebat. Multaque paſſim de ſeipſo narrat, ac ſuis perſecutionibus. Senſuum majeſtate interim ſublimis ac potentiſſimè movens animos. Nec de Chriſto tacet cum ait, cap. 8. *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Confuſi ſunt ſapientes perterriti & capti ſunt; Verbum enim Domini projecerunt & ſapientia nulla eſt in eis.* Id enim de Verbo Incarnato intelligitur, quod ut ſcribæ abjicerent, ſcripturas corruperunt, à vera ſapientia extorres, quæ ſine Chriſti cognitione nulla eſt. Sed & apertius Chriſtum promittit cap. 23. & alibi. Theodoretus refert ad Chriſtum illa verba cap. 12. juxta verſionem 70. Interpretum. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam* &c. Principes enim Sacerdotum, inquit, Scribæ & Phariſæi decipientes populum & Dominum crucifigentes, vulgata illa mala Judæis acciverunt, idque docet clarius. *Propter me deletione delota eſt omnis terra*, omnem terram Iſraëliticam dicit: quoniam ob ea quæ commiſſa ſunt in eum, tunc quidem ipſorum regio reducta eſt ab hoſtibus in ſolitudinem: modo vero celeberrimâ ſuâ metropoli prorſus privati ſunt. *Non eſt vir qui ponat in corde.* Quaſi dicat, non utuntur piis cogitationibus, ſcilicet, ſuper Chriſtum non advertunt. *Scripturæ à Judæis corruptæ.*

Plura alia habet Jeremias. Ac maximè in Threnis

seu lamentationibus in quibus plura ad Christum referuntur, imò fere omnia à Paschasio Radberto.

Quid considerandum in Threnis seu lamentationibus?

Triplex Lamentatio Ieremiæ.

Possumus animum nostrum intendere circa triplicem lamentationem, quam exhibet Jeremias Propheta in arte lamentationis peritissimus.

1. Enim cap. 1. Lamentatur statum naturæ humanæ per peccatum Adami corruptæ & in servitutem dæmonis redactæ.

2. Cap. 3. Lamentatur de multiplici dolore ac afflictione Christi Domini in suâ amarissimâ passione.

3. Cap. 5. Lamentatur de hominum statu post illam passionem, quæ licet valde meritoria & potens fuerit ad liberandos miseros mortales, suâ tamen culpâ & socordiâ innumeris adhuc involvuntur calamitatibus, quas nullus satis deflere possit.

De 1. Aleph. *Quomodo sedet sola civitas plena populo, &c.* Non me fugit quin Jeremias Propheta in hoc capite civitatem Jerusalem defleat & calamitates omnes quibus afflicta est in excidio per Babylonios, qui ejus cives ensi, igni famique superstites captivos duxerunt in Babylonem. Juxta quem sensum Jeremias tria deflet in illa civitate florentissima ac cultui Divino quondam consecrata.

1. Quod omnia sua privilegia ac excellentias quæ in ipsâ fuerant amiserit, quæ Cardinalis Aureolus ad undecim reducit, scilicet Authoritatem qua dominabatur pluribus tempore David & Salomonis 1. versu. Lætitiam & jucunditatem in 2. Securitatem in 3. Celebritates festorum in 4. Securitatem contra hostes in 5. Fortitudinem ducum in 6. Copiositatem divitiarum in 7. Præconium & famositatem nominis in 8. Formositatem & pulchritudinem in 9. Cæremoniarum sanctitatem exclusis ab iis gentibus in 10. Abundantiam & saturitatem panis. in 11. Propter quorum omnium amissionem ipsa dicit. *O vos omnes qui transitis per viam, &c.*

Deflet secundo Jeremias, quod Deus contra illam habuerit se instar incendiarij, vindemiatoris, venatoris, & ligantis per manum & collum, ut omnibus illam bonis spoliaret; hi sunt enim quatuor modi quibus homines solent omnia spoliare. Ibi incipit. *Quia vindemiavit me, &c.*

Tertio deflet Jeremias implacabilitatem divinæ iracundiæ super Jerusalem ibi. *Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longe factus est à me consolator convertens animam meam.*

Lamentatio status animæ.

Porro si statum naturæ humanæ post Adami peccatum spectemus, easdem aut similes lamentationum causas haud difficulter invenire licebit. Quippe natura humana bonis omnibus quibus fruebatur in statu innocentiæ privata est per peccatum, non secus ac Jerusalem per Babylonios. Deus contra naturam illam sic incensus est, ut vindemiatoris instar, incendiarij, venatoris, ac calcantis in torculari eam habuerit. Denique ipsa impotens erat, quæ Deum placaret pro offensa: est quippe Deus offensus infinitus qui requirebat satisfactionem infinitam. Hinc tot voces Prophetarum Redemptorem desiderantium Psalm. 13. *Quis dabit ex Sion salutare Israël, &c.* Dicam ergo de natura humanâ & flebo cum Jeremia. *Quomodo sedet sola civitas?* Civitas hæc supremi Regis quæ cum tanta authoritate creata erat, ut omnia ei subjecta essent. Jam facta sub tributo & ditione Principis Inferorum. *Plorans ploravit in nocte.* Heu ubi lætitia illa perennis status innocentiæ. Quot lachrymæ ab oculis mortalium per omnia sæcula fluxerunt, &c.

Lamentatio Passionis Christi.

De 2. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Solus Christus per mortem suam poterat sanare quod Adam vulneraverat & resuscitare quod occiderat. Passio ejus atrociſſima requirebatur, ut convenientiori modo repararetur genus humanum. Ideo Christus tot dolores subiit quos deflet Jeremias in tertio capite lamentationis suæ. 1. Paupertatem ejus multiplicem in 1. versu. Deinde ejus captionem & alligationem. *Me minavit & adduxit in tenebras & non in lucem.* 3. Ejus vexationem per totam noctem in domo Annæ & Caiphæ. *Tantum in me vertit & convertit manum suam.* 4. Ejus acclavationem. *Circumedificavit adversum me ut non egrediar.* 5. Repulsam orationis illius non exauditæ in horto & in Cruce. *Sed & cum clamavero & rogavero excludet orationem meam.* 6. Multam ejus irritionem. *Posuit me quasi signum ad sagittam.* 7. Ejus cibationem ex felle & aceto. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* 8. Recordationem peccatorum nostrorum, ob quam tristabatur. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* 9. Ejus lachrymas in Cruce. *Divisiones aquarum deduxit oculus meus.* 10. Ejus sepulturam. *Venatione ceperunt me quasi avem, lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me, &c.* Et post omnia ista deflet mortem Christi ut quæ sit occasio punitionis Judæorum. *Persequeris eos in furore & conteres eos sub Cælo.* Deflet quoque peccata humani generis quæ mortis illius causa fuerunt, *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus in umbra illius vivemus inter gentes*, cap. 4. Quia nihil aliud in ore habent, nisi verbum veritatis quod Christus est: nihil in corde, quonjam ex abundantia cordis os loquitur: ac per hoc Sanctorum est iste gemitus & ululatus. *Paschasius Radbertus.*

Leva ergo oculos cordis tui & intuere quomodo exaltatur à terra filius hominis ut fortissimis cathenis amoris & gratitudinis omnia trahat ad se. Aspice corpus illud pro te in altum elevatum, cujus adspectu perturbantur insensibiles etiam creaturæ, & tu ne sis durior petris quæ scinduntur, ac si reprehenderent insensibile cor tuum. Miteſce jam peccator fili Adæ, dum rumpuntur fontes Abyssi magnæ & fluit sanguis meus quasi aqua magni maris. Recordare quid tunc acciderit stupente mundo, &c. *Ioannes Carmel. in stimulo compunct. cap. 36.*

De 3. *Recordare Domine quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum, cap. 5.* Ubi continetur oratio Jeremiæ Prophetæ, in qua deflet punitionem Judæorum & mala quæ illis ob Christi mortem illata sunt. Sed sub horum velamine verè spectare possumus statum animarum post mortem Christi. Nam cum deberent esse in statu prosperitatis spiritualis, sic in multis omnia misera sunt, ut verè digna sint Jeremiæ lamentationibus. Unde nec sine causa dicebat Christus ad mulieres *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros.* Verè enim dolendum est quod tam parum profit Passio Christi, ut adhuc post illam innumera mala regnent in Ecclesia & inter homines. Ut quæ mala corporaliter Judæis acciderint, sint in figuram malorum spiritualium quæ sunt in plerisque mortalium. Hæc attenta mente perpendamus coram oculis Dei. *Recordare Domine quid acciderit nobis. Intuere & respice opprobrium nostrum.* Heu opprobrium hominum, post passionem illam unigeniti filij Dei, quæ nos in gloriosam libertatem filiorum Dei asserere debebat: adhuc dæmoni turpiter servimus. *Hæreditas nostra versa est ad alienos.* Regna quondam Christianissima ad Turcas defecerunt, ab hæreticis possidentur. *Pupilli facti sumus absque Patre.* In plerisque provinciis desunt Sacerdotes & Patres Spirituales. Plerique Christiani dicent sine mendacio. *Ægypto dedimus manum & Assyriis ut saturaremur pane*, cum scilicet ob lucrum aliquod temporale tentationi in peccatum consentimus. *Patres nostri peccaverunt & non sunt & nos iniquitates eorum portavimus.* Hæc est conditio plurium peccatorum, maxime eorum qui ab Hæreticis nati sunt. Non ex hoc tempore malitia terram inhabitat. Fere semper ingratum & rebelle Deo fuit genus hominum. *Servi dominati sunt nostri.* Qui illi servi, nisi vilissimi dæmones? *Et non fuit qui redimeret de manu eorum.* Ita infatuati sumus ut pessimam hanc servitutem eop-

Lamentatio status Christianorum.

temus, & redemptores noſtros, monitores probos, Doctores & Paſtores oderimus, &c. *Mulieres in Sion humiliaverunt & Virgines in civitatibus Juda.* Peccata quævis perpetrantur à Chriſtianis, qui cùm deberent corpora ſua ex aquis baptiſmi templum Spiritus ſancti reddita, munda ſervare, in quodvis luxuriæ genus proſternunt. Magnates quique peſſima præbent operum exempla. Nec ſenes meliores ſunt ſæpe. Nec Juvenes piis addicti pſallentium exercitiis. *Deſecit gaudium cordis noſtri.* Devotio exinanita eſt. Torquemur recordatione peccatorum noſtrorum. *Cecidit corona capitis noſtri. Væ nobis quia peccavimus.* Quæ illa corona niſi Clericorum ac multorum Sacerdotum quibus non placet vitam Sacerdotio dignam ducere? *Propterea mœſtum factum eſt in dolore cor noſtrum: ideo contenebrati ſunt oculi noſtri.* In craſſa degimus ignorantia. *Propter montem Sion qui diſperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Hæretici fraudulenti templum Sion perſæpe occupant. Denique cum ſanctitas poſt mortem Chriſti ubique florere deberet, diluvium peccatorum inundat in orbe univerſo. O miſera facies Eccleſiæ. O calamitas animarum. O Religionis ſtatus vel ſanguineis lachrymis deflendus! quis tibi dabitur novus Jeremias qui propter te lamentationes ſuas edat? Sed cum omnia tam ſint in perverſo & corrupto ſtatu, quibus verbis aptius lamentationem iſtam concludemus, quam iis ipſis quibus ipſe Jeremias plorans finem ſuis fletibus imponit. *Tu autem Domine in æternum permanebis. Solium tuum in generationem & generationem.* Agant homines omnia pro libidine: at Deus in æternum ſubſiſtit fœliciſſimus, potentiſſimus. Pſal. 90. *Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sibi ipſis noxij ſunt peccatores, non Deo. Quare in perpetuum oblivíſceris noſtri, &c. *Converte nos Domine & convertemur, &c.* Sed quam metuenda ultima verba & utinam in Chriſtianos non quadrent ſicut in Judæos. *Sed projiciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer.*

INTRODUCTIO AD LEGENDUM Ezechielem Prophetam.

EZECHIEL Propheta tranſlatus de Judæa in Caldæam in tranſmigratione Regis Jechoniæ. Atque ejus tranſmigrationis anno 5. mundi verò 3440. Spiritum Prophetiæ à Domino accepit juxta fluvium Chobar, qui eſt Brachium quoddam Euphratis fluminis, initio Prophetiæ facto ab inſigni viſione majeſtatis Dei ac ejus potentiæ in curru illo ſplendido animalium quatuor ac totidem rotarum. Id enim maximè fuit Prophetis familiare, ut primum aliqua Dei viſione donarentur antequam prophetarent. Quod ſæpe ſæpius obſervari poteſt in ſcripturis Prophetarum.

Eſt autem acerrimus in Prophetando, in arguendo ſcelera grandia Iſraëlitarum, ac ſupplicia horribilia comminando. Quippe quod in imum impietatis tunc deveniſſent ſub Rege Sedechia, ut patet ex lib. 2. Paralyppomenon cap. ultimo. Ideo Prophetis incumbebat non palpare eorum crimina adulando; ſed cum duro ſermone coarguere comminando horrenda omnia, niſi reſipiſcerent. Unde cum ex malitiâ potius ſubſannarent Dei nuntios, à quibus arguebantur, juſto Dei Judicio permiſſi ſunt recedere à Rege Nabuchodonoſor, unde profluxit deſolatio civitatis Jeruſalem ac amiſſio Regni Juda. De quibus multa in hac Prophetia.

3. partes Ezechielis. Poteſt autem dividi Liber totus in tres partes præcipuas.

1. Eſt, in qua imponitur Ezechieli officium prophetandi ac prædicandi tribus primis capitibus. 1. enim Deus ſeſe illi oſtendit ſub figura hominis ſedentis in throno excelſo ſub quo apparebant quatuor animalia & quatuor rotæ horribiles, quibus deſignabantur quatuor Monarchæ ſeu Imperatores quatuor Monarchiarum, ſcilicet Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum. Quæ omnia motibus ſuis volvebantur ſub nutu providentiæ ac omnipotentiæ Divinæ. 2. vero & 3. capite mittitur Ezechiel à Deo & corroboratur, ut fortiter, ac generosè munus obeat prædicandi. Quod etiam reipsâ præſtitit ut eâ de causâ à quodam Principe Iſraël interfectus ſit, cum ab eo authoritate magna corriperetur ob impietatem ſacrilegij. Ut teſtatur Iſidorus Hiſpalenſis in ejus vita.

2. Pars eſt, in qua deſcribuntur pœnæ & culpæ Iſraelitarum ac Judæorum ſub variis tropis, figuris ac ſimilitudinibus, inter quas inſeruntur aliquæ viſiones, aliquæ de Chriſto Prophetiæ, nec non etiam contra exteras gentes quarum crimina non impunita fore prædicit. Idque à cap. 3. ad 36. excluſive. Incipit autem prophetare factis: ut cum cap. 4. Jubetur in latere deſcribere obſidionem civitatis Jeruſalem, & veſci hordeaceo pane ac ſimo boum in ſignum famis quam paſſuri erant obſeſſi, & cap. 5. Sibi radere pillos ad denotandum quod ſicut pili capitis, gladio perirent Jeroſolymitæ. Deinde prophetat verbis expreſſis contra populum, contra Sacerdotes, paſtores ac Principes, nemine excepto, ut mira & jucunda varietate pars iſta decurri poſſit.

3. Pars eſt, in qua promittuntur læta & proſpera, poſt amara illa ac luctuoſa. Revocatio ſcilicet Iſraëlitarum à captivitate, reſtauratio templi, ac Regni Iſraëlitici erectio: A capite 37. ubi vidit oſſa ſicca & arida reſurgere in figuram Iſraëlitarum, qui cum eſſent velut mortui & privati rebus omnibus ad vitam & bonorum copiam reſtituerentur, ad cap. 48. quod eſt ultimum. In qua parte tractat de bellis Got & reædificatione templi. Quæ cum omni ex parte non conveniant reſtiturioni temporali Judæorum, nec benè de reſtitutione ſpirituali poſſint explicari quoad omnia, hinc fit quod finis & principium Ezechielis magnis involvantur obſcuritatibus. Ut propterea teſtetur D. Hieronymus in proëmio 1. Libri commentatiorum in Ezech. ad Euſtochium, vetitum fuiſſe apud Judæos ex veteri traditione, legere initium Geneſis, Cantica Canticorum, & exordium ac finem Ezechielis, niſi ætatem Sacerdotalem, hoc eſt, annum trigeſimum 1. quis attigiſſet. Quare Lector hujus Libri non debet tædio affici aut mirari ſi aliqua non intelligat: capiat quod poterit, in ijs quæ non capiet humiliet ſe, ac Dei ſapientiæ relinquat, quam omni ex parte penetrare, homini mortali minimè convenit. Quamvis non omnino impenetrabilia ſint ea, ſi advertamus Prophetis familiare eſſe conjungere figuram cum re figurata & corporalia cum ſpiritualibus, prout fert impetus Spiritus, continuando ſpiritalia cum corporalibus: ac rem figuratam cum ipsâ figurâ, quaſi unum & idem eſſent. Unde aliquando interrumpunt typum & figuram, ut de reipſa ſine typo & figurâ loquantur. Sic igitur legenda erit tertia iſta pars ut intelligatur Propheta loqui de reſtitutione corporali Iſraëlitarum, quamdiu textus hanc poterit ferre interpretationem, ubi vero non poterit, intelligatur de reditu ſpirituali, & redintegratione quæ fit in Eccleſiâ Chriſtianâ. Prophetâ nimirum tranſeunte à corporalibus ad ſpiritualia, & jungente ea quæ intelliguntur per corporalia cum ſpiritualibus quo pacto poterunt omnia quadrare. Quæ ſi minus placent in prophetia difficillimâ, recordetur Lector D. Hieronymum in undecimum commentariorum in Ezech. ſcripſiſſe, multum ſe dubitaſſe, an cum perveniſſet ad calcem hujus libri, ad ſpirituale templum manus mittere deberet, an apertè ignorantiam confiteri: præſertim, inquit, cum apud Judæos & apud nos ſuper interpretatione ejus grande ſit ſilentium, alijs in futuro tempore extruendum eſſe cenſentibus: alijs bono quidem animo ſed imperito, ſcientibus ſpiritualia eſſe, quæ dicuntur, & tamen ipſa ſpiritualia quomodo differi debeant, neſcientibus.

ad Euſtochium Virginem.

Quæ Idea Prophetiæ Danielis?

Mortuis Jeremia & Ezechiele in captivitate Babylonica, divinitus ſervatus eſt Daniel ad conſolationem & inſtructionem gentis Hebrææ, ut illi renovaret memoriam Chriſti venturi ac futuri regni illius.

Argumentum libri illius etſi ex majori parte Hiſtoricum videatur, utiliſſimam tamen doctrinam ac prophetias de præcipuis fidei Chriſtianæ myſterijs ac maximè de Chriſti regno complectitur.

Sex primis capitibus varias viſiones impijs factas ſecundum verum ſenſum explicat.

Septimo capite proprias viſiones inchoat de ſucceſſione Principum impiorum, de adventu Chriſti ac perſecutionibus ultimorum temporum.

Octavo capite de ruina Perſarum ac Medorum B agit ac Græcorum Imperij origine ſub Alexandro magno.

Nono capite reſumit Prophetiam de Chriſti adventu, ipſius tempus conſignans in fine ſeptuaginta Hebdomadarum.

Decimo & undecimo capite regreditur ad hiſtorias gentium.

Duodecimo capite redit ad myſteria Chriſtianæ Religionis, de Judicio ac reſurrectione ſermonem faciens.

Decimo tertio, & decimo quarto capitibus hiſtoriam Suſannæ & Idoli Bel continet, quam recipit Eccleſiæ authoritas contra Judæorum mentem.

Porro quæ habet de Chriſto Daniel valde ſunt illuſtria. Inter alia.

Cap. 2. Eum exprimit per lapidem de monte abſ- C ciſſum ſine manibus per quem comminuta eſt ingens ſtatua Regis Nabuchodonoſor ex auro, argento, ære & partim ferro ac terra conflata, ad denotandum quatuor majora mundi regna Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum: eſt enim hic lapis Chriſtus ſine manibus, id eſt, ut interpretatur D. Iræneus Q. 3. c. 23. abſque coitu & humano ſemine de utero virginali abſciſſus, qui contritis omnibus regnis factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram. Quo modo vero contriverit univerſa regna, explicat Albertus magnus in Danielem, *& comminuit teſtam & ferrum & æs & argentum & aurum.* Hoc eſt, *Regnum Chriſti.* quicumque ſunt hujus mundi, omnia enim tamquam nihil reputavit Phil. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta & ar-* D *bitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifacerem.*

Cap. 7. ubi eadem quatuor regna deſcripſit ſub typo quatuor immanium beſtiarum, videt Antiquum dierum, quo nomine intelligitur Pater æternus ac tota ſanctiſſima Trinitas judicate de iſtis regnis, omnemque poteſtatem ab ipſis auferre poſt præfixum tempus regnandi elapſum, tumque offerri illi Chriſtum cui confertur poteſtas ſuper omnes. *Et ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat & uſque ad Antiquum dierum pervenit & in conſpectu ejus obtulerunt eum & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum...poteſtas ejus poteſtas æterna & regnum ejus quod non corrumpetur.* Quæ verba ſive ad tempus aſcenſionis Chriſti, ſive ad tempus judicij generalis referantur, mirificè extollunt regnum Chriſti, ſu- E per omnia regna mundi quæ coram Deo nullius ſunt momenti præ regno filij ſui, quod ſolum meretur nomen regni, juxta illud Sap. 18. *omnipotens ſermo tuus...inſimulatium imperium tuum portans*, de quibus vide Rupertum de victoria verbi Dei l. 7. c. 13. & 14. iſtud autem obtulerunt cum, refert Albertus ad id quod offertur Chriſtus in cruce, in altari & in devotione orationis.

Cap. 9. Dum erat ferventi zelo Daniel, ita ut ejus oratio poſſit eſſe forma & regula debitè orandi, exaudirur à Deo qui illi revelat tempus determinatum Incarnationis ac regni Chriſti, miſſo ad eum Gabriele Angelo, qui eum inſtruit, futurum illud poſt ſeptuaginta hebdomadas, *ut conſummetur prævaricatio &* A *finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna & impleatur viſio & prophetia & ungatur Sanctus Sanctorum.* Certè ait Veldius in illud caput, qui labyrinthum illius ſupputationis ingredi vellet, huic eſſet ad manum facile materia ſcribendi operis immenſi: nec minus opinor, ſi quis beneficia quæ Chriſtus attulerit in primo ſuo adventu, de quo hic ſolum ſermo, explanare vellet ex occaſione præſentis textus, quam ſplendida enim hic omnia. Omnis vero ejus Prophetia Myſterijs licet plena ſit, ait Proſper p. 2. c. 33. quædam tamen pars ejus ita elucet claritate ſui fulgoris, ut etiam tempus ſignaverit, quo venturus eſſet ipſe Salvator & Dominus. Quæ res certè providentiæ Divinæ ſingularis effectus eſt: Sic enim Deus voluit providere ſaluti hominum, ut faciliori negotio crederent in Chriſtum cum jam veniſſet, videntes adventum ipſius multo ante prædictum fuiſſe ab ijs qui tempore multo anteceſſerant, de quibus proinde nulla ſuſpicio oriri poſſet, quod id in favorem cujuſpiam annunciaſſent.

Quid ſignificant 70. Hebdomades Danielis?

Quod cum in captivitate Babylonica ablatum eſſet regnum à Tribu Juda, nec dum adventaret expectatus omnium deſiderijs Meſſias, Daniel ſollicitus fuit de mora adventus illius cujus jam tempus veniſſe videbatur: aſſignataque ſunt illi novæ induciæ illius adventus, ut ſemper populus Judæorum in expectatione Chriſti perſeveraret. Et hoc ſignificant 70. illæ Hebdomades, quæ ſunt Hebdomades non ſeptem dierum ſed ſeptem annorum, de quibus Levitici 25. ſermo eſt, comprehenduntque annos 490. *70. Hebdomades.*

Computandi ſunt illi anni ab anno ſeptimo Artaxerxis, quo anno remiſit Eſdram in Judæam cum multis alijs (Eſdræ cap. 8. verſu 7. & 8.) cum permiſſione, ut credi par eſt, reædificandi Jeruſalem. Ab illo enim anno uſque ad Baptiſmum Chriſti, in quo declaratus eſt dux à Patre his verbis *hic eſt filius meus dilectus, &c.* fluxerunt anni 483. Patet, quia annus ſeptimus Artaxerxis incidit in annum quartum Olympiadis octogeſimæ, concurritque cum anno urbis conditæ 297. Chriſti vero Baptiſmus qui fuit anno 15. Tiberij incidit in annum quartum Olympiadis 201. & ab anno 297. urbis conditæ ad annum 781. fluunt anni 483. Hoc eſt ſexaginta novem Hebdomades, quas ſequitur nonageſima in cujus medio Chriſtus occiſus eſt.

Nec morari quemquam debet terminus *donec* in vaticinio Jacob, quia non ſemper ſignificat tempus poſt quod aliquid non eſt amplius, ſed aliquando denotat rerum conſecutionem. *Quam difficiles 70. Hebdomades Danielis.*

Sic autem ardua eſt hujus quæſtionis diſquiſitio, ut feratur doctum hominem in ea enucleanda amentiam aliquando incurriſſe.

Qui ſunt duodecim Prophetæ minores?

Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias. Qui omnes uno libro comprehenduntur, quod breviores fuerint eorum prophetiæ in comparatione majorum Prophetarum qui prolixiora volumina condiderunt, licet illis in gravitate ſententiarum, verborum majeſtate, ac rerum contentarum magnitudine non cedant: & forſan etiam non pauciora ad populum verba habuerint quam alij, ſed paucæ eorum conciones velut è plurium ſcripturarum naufragio erutæ ac Dei beneficio incolumes, inter libros Scripturæ ſacræ receptæ ſunt.

Quod argumentum tractant hi Prophetæ.

Idem quod majores. Populum Hebræorum, à diviſione decem à duabus alijs, Idololatriæ deditum ac vitijs pleriſque corruptiſſimum tanquam magiſtri vitæ ſanctiſſimi ac zelo æſtuantes à ſceleribus avocare ad meliorem frugem ſatagunt, exprobrando Dei beneficia, improperando crimina, comminando ſupplicia, tum etiam conſolando tam promiſſione urbis reædificandæ ac captivitatis Babylonicæ ſolvendæ, quam

promiſſione futuri Meſſiæ cujus pleraque myſteria A prænuntiant.

Quid de Chriſto prædicit Oſeas Propheta, Chriſtum enim maximè juvat quærere in Prophetis?

Cap. 1. Prædicit multos Iſraëlitas ad Chriſti fidem convertendos. *Et erit in loco ubi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis filij Dei viventis & congregabuntur filij Juda & filij Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum* (ſcilicet Chriſtum) *& aſcendent de terrâ.* Quia tota vita Chriſtianorum aſcenſus eſt, de terra ad Cœlum, ſiquidem *converſatio noſtra in Cœlis eſt.* Ad Philip. 3. ait Apoſtolus.

Cap. 2. Prædicit prædicationem Chriſti in finibus Iſraëlitarum propter hoc *ecce ego lactabo eam,* & ducam eam in ſolitudinem & loquar ad *cor ejus*, &c. Ubi numerat 12. bona per Chriſtum Iſraëlitis præſtanda. Inter quæ Chriſtus lacte ſuæ doctrinæ populum demulcebat atque in ſolitudines trahebat. *Et ſponſabo te mihi in juſtitiâ & judicio & in miſericordiâ & miſerationibus, &c.* Id eſt in rigore juſtitiæ in Chriſti Paſſione ſervato, &c. B

Cap. 3. Prædicit converſionem Iſraëlitarum ad Chriſtum circa tempora proxima Judicio. *Poſt hæc revertentur filij Iſrael & quærent Dominum Deum ſuum & David Regem ſuum: & pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus noviſſimo dierum.* Per bonum Chriſti intelligit Euchariſtiam quæ cum tremore ſuſcipienda eſt, ſic Zach. 6. *Quid enim eſt bonum ejus, &c.*

Euchariſtia.

Cap. 9. Prædicit Reſurrectionem Chriſti tertia die futuram quæ eſt cauſa & exemplar noſtræ Reſurrectionis. *Vivificabit nos poſt duos dies: in die tertiâ ſuſcitabit nos & vivemus in conſpectu ejus, &c.* C

Cap. 11. Prædicit regreſſum Chriſti ex Ægypto. *Quia puer Iſrael & dilexi eum: ex Ægypto vocavi filium meum.* Juxta quod Matthæus c. 2. ex figurâ figuratum altiſſimè intulit.

Cap. 13. Prædicit victoriam Chriſti contra mortem. *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos, Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero ô Inferne.* Citat D. Paulus 1. Cor. 15.

Cap. 14. Iterum bona 12. conferenda Iſraëlitis per Chriſtum. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſponte, &c.* Concluditque obſcuram ſuam prophetiam his verbis. *Quis ſapiens & intelliget iſta, intelligens & ſciet hæc? Quia rectæ viæ Domini & juſti ambulabunt in eis. Prævaricatores vero corruent in eis.* D

Quid Propheta Joel de Chriſto?

Cap. 2. Prædicit Chriſtum futurum Doctorem. *Et filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem juſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum ſicut in principio, &c. Et erit poſt hæc effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, ſed & ſuper ſervos meos & ancillas effundam Spiritum meum, &c.* Quia Spiritus Sanctus non ſolum afflat homines honoratos, ſed etiam ancillulas & vilia plerumque mancipia.

Cap. 3. Prædicit Chriſtum venturum ad Judicium in valle Joſaphat. *Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. Mittite falcem quia maturavit meſſis.* Hæc ad Angelos dicet, & meſſis eſt conſummatio ſæculi Matth. 13. *Et Dominus ſpes populi ſui: & fortitudo filiorum Iſrael, &c.* E

Quid vero Amos ex boum Paſtore Propheta, agnovitne etiam Chriſtum?

Crux eſt altare.

Cap. 9. Prædicit ſacrificium Chriſti in cruce & mortem ejus ex avaritia Judæorum profluentem, quam eis exprobrat. Simulque eorum exterminium. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare.* Statione enim difficili & laboriosa ſteterit Chriſtus factus ſacrificium in modum ſtantis, *Et dixit percute cardinem & commoveantur ſuperliminaria.* Templi ſcilicet ob mortem Chriſti everſi *avaritia enim in capite omnium & noviſſimum eorum in gladio interficiam, &c.*

Ibidem prædicit ſub finem gentium converſionem ad Chriſtum. *In die illâ ſuſcitabo tabernaculum David quod cecidit: & edificabo aperturas murorum ejus: & ea quæ corruerant inſtaurabo. Et reædificabo eum, ſicut in diebus antiquis, ut poſſideant filios Idumeæ, & omnes nationes, eo quod invocatum ſit nomen meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc, &c.* Hæc omnia de Chriſto interpretatur D. Jacobus in Apoſtolorum Concilio Act. 15. in eo enim reſtaurata eſt ſedes David & domus ejus reparata quæ perierat in captivitate Regis Jechoniæ: nam pro Regibus venit Chriſtus, pro Principibus Apoſtoli qui ſuper omnem terram Principes conſtituti ſunt: ſanctitas & religio quæ florebat tempore David præſtantior juventa eſt tempore Chriſti. De quo Angelus ad Virginem Luc 1. *Dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus.*

Quid Abdias de Chriſto?

Cap. unico poſt varios bellorum eventus prædicit in monte Sion mira ſanctitatis opera per Chriſtum futura, *& in monte Sion erit ſalvatio & erit ſanctus, &c.* Quia ſcilicet Chriſtus in monte hoc inſtituit Euchariſtiam quæ eſt ſalus noſtra & in eodem monte ſuper Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus. Cœnaculumque illius montis in templum converſum eſt, quod etiam uſque nunc durat.

Quid vero Jonas qui nullum verbum habet de Chriſto, Prophetavit ne de illo?

Prophetavit non linguâ & calamo, ſed geſtis & hiſtoria vitæ ſuæ.

Similitudo inter Jonam & Chriſtum.

1. Ut Deus volens ſalvare Ninivitas dixit ad Jonam *vade in Ninivem:* ſic Deus miſit Verbum in hunc mundum, cujus malitia coram Deo aſcenderat, ut gentes ſalvaret.

2. Fugit Jonas à facie Domini, & Verbum deſcendit de Cœlo.

3. Jonas deſcendit in Joppem, quam interpretantur pulchram: & Verbum in Mariam, ut carnem aſſumeret, ſicut in Joppe neceſſaria vitæ Jonas ſumpſerat.

4. Jonas egreſſus è Joppe civitate invenit navim euntem in Tharſis, quam interpretantur contemplationem gaudij, naulumque ſuum dedit: & Chriſtus egreſſus ex utero Matris invenit Synagogam, cujus finis erat contemplatio gaudij Cœleſtis ſicut eſt omnium hominum, illaque navis erat ſuos ad portum fœlicitatis ducens. Deditque naulum ſuum in ea in die Purificationis. Jona in navim ingreſſo mare tempeſtatibus agitatur, & in Synagoga omnia turbantur per Herodem & alios Reges.

5. Jonas deſcendit in interiora navis ubi ſopore opprimitur, Chriſtus vacat interim ſecretæ contemplationi multumque vitæ in deſertis impendens. Excitatur tamen zelo ſuo & Spiritus ſancti impulſu, ut ſurgat & navi opem det, idcirco orat, prædicat, diſcipulos vocat, mira edit opera ad ſalutem Synagogæ. Nihilominus venti intumeſcunt, perſecutiones in pios omnes ac in ipſum Chriſtum excitantur. Pontifices conſilium habent inter ſe, tandem cecidit ſors ſuper Chriſtum, dicente Caipha, *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo.* Joan. 11.

6. Navigantes Jonam interrogant *quis es tu?* timent multi ipſum in mare immittere. At quot Chriſtum interrogarunt, quis eſſet, quot etiam timuerunt quidquam iniquius in illum agere?

7. Interim ſe Jonas offert ut mittatur in mare: & Chriſtus ſe offert Judæis in horto. Joan. 12. *Ego ſum ſi me quæritis, ſinite hos abire.*

8. Mittitur Jonas in mare procelloſum & Chriſtus de ſe dicit Pſal. 60. *Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me,* in paſſionum multitudine. Sed Deus præparat cetum Jonæ in cujus ventre recipiatur, & Deus præparat Corpori Chriſti ſepulchrum, animæ ejus lymbum.

9. Sed ut tertio die vivus emissus est Jonas è ventre ceti, sic Christus tertiâ die surrexit Psal. 13. *Non derelinques in Inferno animam meam, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

10. Jonas egressus Ninivitas & eorum Regem Sardanapalum convertit prædicatione sua, & Christus gentiles eorumque Reges ad pœnitentiam prædicationibus Apostolorum induxit. An insignior Prophetia?

Quid Michæas de Christo doceat?

Cap. 2. Prædicit mundi conversionem per Christum. *Congregatione congregabo Iacob totum te, &c. Ascendit enim pandens iter ante eos* (in Cruce) *dividunt & transibunt per portam, &c.*

Cap. 4. Idem. *Et erit in novissimo dierum* (diem legis gratiæ intellige novissimum præ die legis Mosaïcæ & die legis naturæ) *mons Domini præparatus in vertice montium, &c. Et properabunt gentes multæ & dicent. Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis, &c. &c. Non discent ultra belligerare, &c.*

Cap. 5. Aperit duplicem Christi nativitatem temporalem & æternam quia Deus est. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel: & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Ubi dicit Deus *mihi egredietur*, quia Christus nihil in commodum suum egit, plenissimè nudus ac se totum Dei voluntati tradidit.

Cap. 7. Prædicit desideria piorum pro Christo & ejus opera. *Dominum Deum nostrum desiderabunt & timebunt te. Quis Deus similis tui? qui aufers iniquitatem, &c. Deponet iniquitates nostras, projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris à diebus antiquis.* Scilicet Christus super se peccata nostra posuerat, jam non sunt illa super humeris ejus, sed sub pedibus illa calcat, & quantum est ex lege & spiritu ejus peccare non licet. O infœlicitatem, si iniquitatem in profundo jacentem ad nos revocamus, ait Paulus Palatius in hoc caput.

Quid Nahum de Christo, qui totus in Ninives Clade describenda est?

Et hic Propheta cap. 1. juxta mentem D. Augustini lib. 18. de Civit. Dei cap. 61. & Theodoreti ac Theophilacti, qui commentariis illustrarunt Prophetas, prædicit Apostolorum prædicationem, ut quemadmodum occiso Sennacherib impio nuntij ab Ezechia missi pacem nuntiaverunt: sic liberato mundo à diaboli tyrannide, Apostoli omnia verè bona nomine pacis & Evangelij significata prædicaverunt. *Ecce super montes*, inquit, *pedes evangelizantis & annuntiantis pacem.* Ubi pro re nova & insitata posuit Apostolos nunciaturos esse pacem, cum omnia discordiis turgerent, & si aliquando pax aliqua in mundo appareret, non tam Dei quam mundi pax erat. Christi autem doctrina tota spirat pacem seu cum mundo seu cum Deo, cum sit mediator inter Deum & homines. 1. ad Timoth. 2.

An etiam Habacuc de Christo locutus est?

Cap. 2. Prædicit adventum Messiæ. *Super custodiam meam stabo & figam gradum super munitionem: & contemplabor ut videam quid dicatur mihi & respondit mihi Dominus & dixit, scribe visum & explana eum super tabulas: ut percurrat qui legerit eum. Quia adhuc visus procul: & apparebit, in finem & non mentietur. Si moram fecerit expecta illum quia veniens veniet & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso, justus autem in fide sua vivet.* Et si ab hac Prophetia elapsi sint 617. ad adventum Christi, hoc visum est breve Prophetæ qui annos æternos in mente habebat. Grandisque ista vox ad Judæos. Qui incredulus est Messiæ rectam non habet animam: nec Deus animas non rectas amare solet: ergo credite.

Cap. 3. Canticum profert plenum mysterijs Christi. *Domine audivi auditionem tuam & timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Ostendens Christum venisse cum pluribus sceleribus orbis terrarum pollutus esset, quibus nequaquam præpeditus est à promissi exhibitione. *Ante faciem ejus ibit mors, egredietur diabolus ante pedes ejus.* Quibus verbis significat insignem Christi victoriam contra dæmonem. *Egressus es in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo.* Quo denotatur Christum in specie humana populum ex Ægypto liberasse, sicut ait Apostolus Judas in suâ Canonicâ. Scientes omnia quod Jesus populum suum de terrâ Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit. Tandem Prophetæ ardorem suum ad Christum expromit in fine Cantici. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea: ponet pedes meos quasi cervorum & super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.* Scilicet Christus est fortitudo in initio vitæ Christianæ, dans robur ad dissolvenda vincula peccati. In progressu dat alacritatem ad currendum in viâ mandatorum. In exitu & termino ipse deducit nos ad excelsa Cœlorum quæ nostra sunt, nobis parata & acquisita, cum carmine exultationis.

Quid in Sophonia de Christo?

Cap. 3. Prædicit Resurrectionem Christi & qualis futurus sit status mundi qui eam secuturus est. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia Judicium meum ut congregem gentes & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra* (quia scilicet tunc omnis gentilitas quæ antea utcumque salvari poterat, in statu erit damnationis Christo manens incredula.) *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent nomen Domini, & serviant ei humero uno.* Hic Ecclesiæ unitatem repræsentat qualis erat in principio, cum credentium erat cor unum & anima una. Act. 2. & Christo subdendus est humerus unus ipse subdet humerum alterum ut adjuvet. Eadem Crux cum Christo ferenda est & illi subjiciendus humerus unus, eum bajulantem Crucem suam sequendo. Demum in vita humerum dextrum ab homine posuit, sinistrum relinquit necessitati suæ. *Ultra flumina Æthiopiæ inde supplicet mibi, &c. Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum & sperabunt in nomine Domini.* Religiosos scilicet qui non sperant in pecunia & thesauris.

Habet ne etiam Aggæus aliquid de Christo?

Nec ipse tacet de Christo cap. 2. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, adhuc unum modicum est, & ego commovebo Cælum & terram & mare & aridam, & commovebo omnes gentes & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ &c. Magna erit gloria domus istius novissimæ quam primæ.* Adhuc erant anni 471. usque ad adventum Christi, & hoc spatium modicum, quia apud Deum mille anni sicut dies unicus. Moventur omnia in adventu Christi, quia datur hominibus novus spiritus, nova anima. Homines è terrenis fiunt cœlestes, spirituales Dei filij, transeunt à statu peccati ad statum gratiæ, sicut in secundo ejus adventu transeunt à statu miseriæ ad statum gloriæ. Vocatur Christus *desideratus cunctis gentibus*, quia in ipso est thesaurus bonorum omnium. Unde & ipsius sola præsentia plus illustrat templum quam cætera quæ in priori templo reperiebantur, ut ignis de cœlo comburens holocausta, arca testamenti, virga Aaronis, &c. ut hinc discamus quanta gloria Christiano ex perceptione Eucharistiæ. Demum vocatur domus novissima, quam cum Titus incendio absumpserit, frustra alteram expectabunt Judæi. Sed quis sufficiat tot explicandis mysterijs quæ in paucis Prophetarum verbis includuntur?

Canticum habacuc.

Religiosi

Quod

Quid quoque prænuntiat de Christo Zacharias?

Et hic quoque Propheta plenus est mysterijs Christi, cap. 2. de Eucharistiâ loquens. *Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabunt gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te, dicit Dominus.* Refricatur mysterij Eucharistiæ memoria, quia mirabilis est dignationis & mirabilem excitat lætitiam in pijs.

Cap. 9. Prædicit ingressum Christi in Jerusalem & liberationem Sanctorum Patrum è Limbo, & gesta ejus a die Palmarum ad diem Ascensionis. *Exulta satis filia Sion: jubila filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium ejus. Et disperdam quadrigum ex Ephraim, & equum de Jerusalem & dissipabitur arcus belli. Et loquetur pacem gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos de lacu in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem* (ad cœlum) *vinctis spei. Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.* Scilicet visionem divinitatis & humanitatis. Et in die Ascensionis gloriam loci & societatis.

Vigor Apost. ex Eucharistia.

Ibidem, attribuit Victorias Apostolorum in conversione gentium Eucharistiæ. *Dominus exercituum proteget eos: & devorabunt & subjicient lapidibus fundæ, inebriabuntur quasi à vino, &c. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Ponderanda hic singula verba quæ digna adoratione censet Paulus Palatius.

Cap. 11. Describit modum quo Christus pavit Judæos, eique opponit Pastorem stultum Antichristum modo contrario se gerentem. *Sic dicit Dominus Deus, pasce pecora occisionis*, &c.

Cap. 13. Prædicit Christi mortis fructum. *In illa die erit fons patens domui David & habitatoribus Jerusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ*, &c. *Framea suscitare super Pastorem meum & super virum cohærentem mihi* (& unione hypostasis & voluntatis) *percute Pastorem & dispergentur oves* (Apostoli) *& convertam manum meam ad parvulos* (revocando statim Apostolos) *& erunt in omni terrâ, dicit Dominus. Partes duæ in ea dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in eâ. Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* En status mundi post mortem Christi. Tertia ejus pars conversa est ad fidem, & hæc tertia pars varijs probatur tribulationibus in hac vitâ, ut dignè suppleat tertiam partem Angelorum, quos cauda draconis è Cœlo deturbavit.

Tertia pars vix salvabitur

Cap. 12. Prædicit Christi doloribus compassuros homines. *Et effundam super domum David & super habitantes Jerusalem Spiritum gratiæ & precum & adspicient ad me quem confixerunt* vox Prophetæ. *Et plangent eum planctu quasi super unigenitum & dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti.*

Quid Malachias de Christo qui totus videtur esse in arguendis Sacerdotum peccatis?

Malachias Propheta arguit Judæos ac inter illos potissimum sacerdotes, & hoc est onus verbi Domini.

1. Quod non agnoscerent se dilectos à Deo. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis in quo dilexisti nos? nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, Esaü autem odio habui*, &c. In hoc autem maxime dilexit Jacob, quod de ipso Christum nasci fecit. Quot inde bona in Judæos fluxerunt, quibus privati sunt Idumæi filij Esaü: ut præ Jacob solitudo & desertum draconum fuerit terra ipsorum.

Vix peccata Sacerdotum.

2. Arguit quod despicerent nomen Dei. *Ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare verum panem pollutum, & dicitis in quo polluimus te? in eo quod dicitis mensa Domini despecta est.* Quibus verbis significatur ipsos non satis æstimare sacrificium Eucharistiæ quæ est mensa Domini. Ideo eam extollit mirum in modum.

3. Arguit de avaritiâ in rerum sacrarum administratione. *Quis est in vobis qui claudat ostia & incendat altare meum gratuito?* Nihil fit ex pura intentione, omnes quærunt retributionem. Iste sacerdos nunquam celebrat nisi adsit præsens stipendium.

4. Arguit de hypocrisi & simulata devotione c. 2. *& hoc rursum fecistis, operiebatis lachrymis altare Domini, fletu & mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.* Rupertus quales sunt lachrymæ, qualis fletus, qualis mugitus miserorum qui tam graviter offendunt misericordiæ Dominum? Sed non miremur, nam ipsorum fletus sceleratus & criminosus est, quia venit de amore præsentis sæculi contemptum habens futuri. Talis erat fletus & ejulatus Esaü &c.

5. Arguit quod putarent se non indigere conversione & pœnitentiâ quasi essent justi. *Revertimini ad me & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum, & dixistis: in quo revertemur? Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis in quo configimus te?* &c. c. 3. Quibus indicat eorum contumaciam, qua quodammodo Deum crucifigunt, putantes se proximos Deo & filios Abrahæ, nec indigere reconciliatione.

6. Arguit de verbis contra providentiam divinam c. 2. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris & dixistis, in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certè ubi est Deus judicij?* quibus opponit adventum Christi: *Ecce ego mitto Angelum meum* &c. Item c. 3. *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus, & dixistis, quid locuti sumus contra te? Dixistis vanus est qui servit Deo & quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum.* Contra quæ objicit secundum Christi adventum ad judicium. *Et convertimini & videbitis quid sit inter justum & impium, inter servientem Deo & non servientem ei.* c. 4. *Ecce enim dies venit succensa quasi caminus* &c.

Inter istas reprehensiones ac querimonias de peccatis Sacerdotum, quæ non minus haberi possent contra plerosque viros Ecclesiastici ordinis, Malachias in remedium tot malorum extollit dignitatem Sacrificij incruenti, cujus meditatione purissimè deberent Sacerdotes vivere ab omni scelere immunes. Ac quoniam idem Propheta qui ultimus est & finem imponit Prophetijs de Christo, prævidebat futuram cœcitatem & incredulitatem Judæorum, quod non distinguerent in scripturis duplicem Christi adventum, primum & secundum; primum in statu humilitatis, secundum in statu gloriæ & majestatis; primum ut pateretur, secundum ut judicaret, ideo utrumque disertè prænuntiat.

Sacrificium instructum.

Cap. 1. Prædicit Sacrificium Eucharistiæ Deo fore gratissimum. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, &c.

Cap. 3. Prædicit venturum D. Joannem Baptistam & adventum Christi in templum in die Purificationis: *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis & Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus?* &c. Quis oratione aut ingenio consequi possit quâ reverentiâ in templum intrans Patrem adô-

Purificationis festum.

rat? Quantâ animi demiſſione illi ſe offerat ad mortem pro peccatis, quo dilectionis ardore illi ſe ſiſtat? quis vero cogitabit quàm benignè Pater Filij vota ſuſcipiat, quam ſtupeant & attoniti ſint Angeli, in quâ devotionis extaſi Maria & Joſeph iſta meditentur? *Et quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans* (cum dura corda igne ſui amoris liquavit, ut Matthæi, & Magdalenæ, *& quaſi herba fullonum* cum molliora pectora, ut Apoſtolorum velut ſapone mundavit.

Cap. 4. Prædicit judicium ultimum ut oſtendat quod ſit diſcrimen inter eſſe pium & impium, & quam Chriſtus futurus ſit pijs exoptabilis. *Ecce enim dies venit ſuccenſa quaſi ignis, & erunt omnes facientes impietatem: ſtipula & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen? Et orietur vobis timentibus nomen ſol juſtitiæ & ſanitas in pennis ejus* (ſupple juſtitiæ quæ pijs cauſa erit omnis boni) *Egredietimini & ſalietis ſicut vitulus de armento, calcabitis impios cum fuerit cinis ſub planta pedum veſtrorum in die quâ ego facio, dicit Dominus exercituum.* Ubi indicatur non in uno loco fixos conſiſtere, ſed exultabundos hinc illinc diſcurrere lætos, ſplendidos, bene affectos, etiam conſpecturos è propinquo quomodo Deus effundat iram in vaſa iræ Pſal. 57. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam* in impios, quorum pallida & cinerulenta corpora teſtabuntur flammas interiores quibus devorabuntur.

Judicij dies

Habemus ergo in omnibus libris Veteris Teſtamenti cauſam non modicam contemplandi Verbum incarnatum Chriſtum Dominum, finem legis, cujus gloriæ ſerviunt Patriarchæ ac Prophetæ ſanctique omnes antiquæ legis, qui ſynceri ejus amatores fuerunt, etiam antequam ex Deipara Virgine naſceretur, & de facto illa amoris argumenta exhiberet in pretioſi ſanguinis effuſione, & tot vitæ myſterijs, quibus nulla paria non modo ſperari, ſed nec cogitari poſſent, ut pigeat tot antiquis exemplis ad amorem ejus non provocari. Quæ eſt ergo miſeræ hujus ætatis cæcitas in qua tot literati homines ſcripturas legunt, in Chriſtum verum Deum & hominem non ingrati modo ſed etiam impij, ſimiles illis gentilibus de quibus dicit Apoſtolus ad Rom. 1. ſine affectione, ſcilicet ſine ullo ſenſu reverentiæ, æſtimationis & amoris erga ipſum, per quem & propter quem genus humanum Deo reconciliari poteſt? Nec ſolum id de Judæis qui in lectione ſcripturarum ore ſacrilego gloriam ejus obſcurare ac impia in eum verba proferre non verentur, aſſeri poteſt, ſed etiam de pleriſque Chriſtiano nomine ac caractere inſignitis, quibus inter legendum tot ſanctos Libros, nihil ſapit de Chriſto, quique de ejus gloria propugnanda, ejuſque injurijs arcendis nihil cogitant, nec ad illi complacendum in minima re magis exardeſcunt. Quid ſentire par eſt de his Scripturæ ſacræ lectoribus Patrem Æternum à quibus filium ſuum dilectiſſimum pro nihilo duci intuetur. Da ergo nobis omnipotens æterne Deus, qui promiſiſti filio tuo gentes in hæreditatem, ut ipſum quæramus in ſtudijs noſtris & inveniamus per quem ad te acceſſum habeamus. Illumina oculos noſtros, ut ſciamus ſupereminentem virtutis illius magnitudinem, nobiſque largire digneris cum ſcientia Scripturarum Sacrarum ſanctiſſimum ejus amorem, ut omnia noſtra illi ſubjiciamus corda, voces & opera, cujus hodie tantum eſt in Cœlis decus, tanta pulchritudo, virtus, gloria, magnificentia, majeſtas, ſplendorque ſuper omnem Sanctorum conſpectum, ut ſi quotidie nos oporteret tormenta perferre, ſi ipſam gehennam, (ſcripſit quiſpiam ex antiquis Patribus) parvo tempore tolerare, ut illum videre digni eſſemus in gloria venientem & Sanctorum ejus numero ſociari, dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur.

Concluſio veteris teſtamenti.

Invectiva in lectores indevotos ſcripturæ.

Beda ſerm. 18 de ſanctis

ISAGOGE AD NOVVM TESTAMENTVM.

Quid eſt novum Teſtamentum?

PArs illa Scripturæ ſacræ in quâ continentur libri Sacri a Spiritu Sancto inſpirati qui poſt Chriſtum natum ſcripti ſunt ad promulgationem ac confirmationem legis Chriſtianæ, ad quam Chriſtus hortabatur dicens Marci 1. capite *pœnitemini*. 1. Fugite à Legis littera *& credite Evangelio*, id eſt, legi meæ quæ veterem legem abolevit.

Quare collectio illorum librorum vocatur Novum Teſtamentum.

Vel ita vocantur in comparatione librorum Teſtamenti veteris, vel propter novitatem ſpiritus quam affert lex Chriſtiana in ijs contenta, quæ novos affectus novoſque ardores erga Deum excitare ſolet in ijs qui illam intelligunt.

Quæ prima & nobilior pars Novi Teſtamenti?

Quatuor Evangelia hiſtoriam ſanctiſſimæ vitæ ac mortis Chriſti Domini continentia, quæ ſunt veluti ſanctæ Quadrigæ quibus Filius Dei incarnatus per orbem vectus eſt ac ſubegit populos, ut de ijs loquitur D. Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib. 1. cap. 7.

4. Evangelia.

Conſentiuntne inter ſe quatuor Evangelia?

Ut verum vero congruit, neceſſe eſt aſſerere ſic concordare inter quatuor Evangelia, ut ſibi invicem in nullo contradicant, quaſi ab uno affirmetur quod ab altero negetur. Quod pluribus explicatur à D. Auguſtino in Libris *de conſenſu Evangeliſtarum.*

Videmus tamen res vario modo narrari ab Evangeliis, nec omnia eadem eſſe in omnibus?

Reſpondeo ſententias Evangeliorum non eſſe contrarias inter ſe, quamvis diverſis verbis ſignificentur. Neque ſibi invicem adverſantur, quamvis alio & alio ordine res narrent, neque ſi unum dicat quod aliud prætermittit, aut ſi in uno Evangelio res narretur brevius, in alio fuſius & prolixius, ut cuique Evangeliſtæ res narrandas ſuggerebat Spiritus Sanctus. Quia non obſtantibus iſtis differentijs, non poteſt dici quod quidpiam ab uno ſimpliciter affirmetur quod ab altero negetur.

Evangeliſta conſentiunt.

Quid neceſſe erat per quatuor Evangeliſtas ſcribi quatuor Evangelia, nunquid unicum ſufficiebat?

Id procurante Spiritu Sancto factum eſt ad majorem veritatis confirmationem. Et ut hiſtoria Chriſti Domini non uno modo dicta, ſed pluribus melius intelligeretur. Sed & ſinguli Evangeliſtæ in unâ Chriſti vitâ texendâ peculiarem intentionem habuerunt. Nam primus eorum Matthæus qui hebræo ſermone ſcripſit, præcipuè intendit oſtendere Chriſtum Dominum Meſſiam fuiſſe ac hominem illum promiſſum in Veteri Teſtamento in Redemptorem cæterorum hominum, unde ſæpius quam alij addit ſuis narrationibus de geſtis Chriſti, id fuiſſe factum, ut adimplerentur ea quæ de ipſo ſcripta aut prædicta erant per Prophetas alioſque Veteris Teſtamenti ſcriptores. Quare & denotari ſolet per figuram hominis. Marcus vero quaſi breviator Matthæi, intendit maximè narrare res eas in quibus magis elucet potentia ac fortitudo Chriſti, ut non immerito propterea per Leonem denotetur. Lucas vero ea quæ magis redolent benignitatem ac miſericordiam Chriſti in ſanandis hominum vulneribus, unde & per vitulum deſignatur non ita ferum animal. Joannes vero præcipuè divinitatem Chriſti qua Patri eſt æqualis, probare intendit contra Hæreticos qui tunc temporis eum eſſe Deum negabant. Ut bene illi aquila aſſignetur pro ſchemate, quæ ſublimis fertur in aëra, nec in terram niſi raro deſcendit. Quæ omnia fuſe proſequitur Petrus Aureolus.

Scopus Evangeliſtarum.

Nunquid alia eſt ratio cur quatuor Evangeliſtæ per illa quatuor animalia ſignificentur?

Quibuſdam etiam placet diverſa illa adſcribere ſin-

gulis Evangeliſtis propter initium ſuorum Evangeliorum : quippe Matthæus exorditur ab humanitate Chriſti, cujus humanam generationem exequitur, ideo ſub hominis figura repræſentatur. Marcus vero exorditur à prædicatione D. Joannis Baptiſtæ in deſerto, quem velut leonem rugientem ac peccatores voce ſua terrentem exhibet, ideo Leo illi eſt inſigne. Lucas vero initium duxit Evangelij ſui à Sacrificio Zachariæ Sacerdotis, unde pro inſigni bovem habet animal Sacrificio deſtinatum. At Divus Joannes longè altius ſuper cæteros ſe efferens à divinitate Chriſti incepit, dicens, *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum*, quapropter per Aquilam deſignatur.

De Principijs Evangeliſtarum iſta ſunt confectaria: vellem à te ſcire quod ſit eorum totale argumentum & intentio?

Partitio Evangelij in quatuor capita.

Sive ſigillatim ſpectentur Evangelia, ſeu conjunctim ut fiat monotefſaron & unum Evangelium ex quatuor, videntur commodè reduci poſſe ad quatuor capita quæ continentur in Evangelijs, quæ ſunt.

Ingreſſus miraculoſus Chriſti in hunc mundum.
Progreſſus ejus virtuoſus.
Egreſſus doloroſus.
Et regreſſus ejus glorioſus.

Perſpicua eſt iſta partitio, ſed eam enucleatim explices: quid ad ingreſſum Chriſti in Evangeliis pertinet?

Ad ingreſſum Chriſti in hunc mundum ea ſpectant in Evangelijs quæ ſunt de ſtatu Verbi Divini antequam incarnaretur, quæ continentur cap. 1. D. Joannis altius rem iſtam enarrantis. Sunt autem iſta. Verbi Divini Æternitas *In principio erat Verbum*. Ejus in Patre inexiſtentia *& Verbum erat apud Deum*, unde & ejus immenſitas innoteſcit cum Deus ſit ubique. Ejuſdem Divinitas *& Deus erat Verbum*. Ejuſdem operatio in mundi creatione, *omnia per ipſum facta ſunt*, item in conſervatione cum ſine ipſo omnia in nihilum redigerentur, *& ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. Item in reparatione hominum, quorum ſalus in ipſius bonitate ſita erat. *In ipſo vita erat & vita erat lux hominum.* Quia ſcilicet vita ſpiritualis hominum, quæ in luce æterna in lumine gloriæ conſiſtit, tota à Verbo pendebat, cum per Verbum ſuum homines ſanare ac ſalvare Deus decreviſſet. His autem præmiſſis de ſtatu Verbi Divini antequam incarnaretur, ſubjungitur ab eodem D. Joanne ejuſdem Incarnatio quoad ſubſtantiam. *Et Verbum caro factum eſt.* Id eſt Filius Dei factus eſt homo. Quem quidam non cognoverunt in mundo, *& mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*, alij vero ei crediderunt non ſine fructu & utilitate, *quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* per adoptionem ad æternam hæreditatem cœleſtis beatitudinis.

Explicata autem Incarnatione ſecundum ſubſtantiam & magis in genere, eadem explicatur ſecundum circumſtantias & magis ſpecialiter. Ad id pertinent ea, quæ ſunt de Conceptione & ortu præcurſoris illius, Joannis Baptiſtæ Luc. 1. & poſtea de Conceptione & Nativitate Chriſti ibidem. Tum de legalium obſervatione circa Chriſtum, Circumciſione ſcilicet ac Purificatione variiſque horum legalium circumſtantijs, Luc. 2.

Demum ad eumdem ingreſſum reduci poſſunt quædam quæ Chriſto contigiſſe narrantur in ijſdem Evangelijs uſque ad annum illius trigeſimum ſeu virilem ætatem, in quâ mundo ſeipſum manifeſtare volebat per prædicationem & miraculoſa plura opera. Hæc autem ſunt perſecutio Herodis, ejus tranſlatio in Ægyptum, reditus in Nazareth Matth. 2. Ejus peregrinatio in Jeruſalem cum eſſet duodennis, manifeſtatio ejus ſapientiæ coram Doctoribus in templo, in quo à matre & patre putativo Joſeph valde afflictis de ejus abſentiâ inventus eſt, & denique ejus ſubjectio & obedientia erga Mariam & Joſeph ab anno duodecimo ad trigeſimum, in quo è latebris vitæ abſconditæ ſicut Sol è nebula obſcuriore exiit ut toti orbi ſplendeſceret, Luc. 2.

Quæ ſunt quæ in Evangelijs ſpectant ad progreſſum Chriſti virtuoſum?

Miracula.

1. Edidit miracula quibus ſe Deum oſtenderet, regaliſque ejus poteſtas & miſericors gratia ipſum expectantibus appareret. Poſtquam enim primo anno prædicationis, poſt baptiſmum, Apoſtolos ac diſcipulos elegiſſet, eo revoluto, die eadem qua baptizatus fuerat aquam in vinum convertit in nuptiis Cana Galileæ. Deinde tempeſtatem in mari ortam imperio ſuo ſedavit. Multiplicavit quinque panes & duos piſces, ſimiliter ſeptem panes. Staterem in ventre piſcis inveniri fecit. Ficulneam ſubito arefecit. Hominem habentem ſpiritum immundum curavit. Socrum Petri febricitantem reſtituit ſanitati. Infirmos, languidos, energumenos ſanat. Leproſum curat de monte deſcendens. Puerum centurionis liberat. Reſuſcitat filiam Jaïri Archinagogi, Lazarum quoque à quatuor diebus mortuum. Paralyticum per tectum depoſitum, filium reguli, Emorrhoiſſam ſanitati reddit. Illuminat duos cæcos. Mutum & dæmonium habentem, alterum manum aridam habentem, dæmoniacum cæcum & mutum, filiam Chananææ, ſurdum & mutum, alterum cæcum in Bethſaïde, infirmum ad probaticam piſcinam, lunaticum ſurdum & mutum ſpiritum immundum habentem, mulierem curvam, hydropicum, decem leproſos, duos cæcos prope Jericho, cæcum natum potenter ſalvat ab infirmitatibus ſuis. Ambulat ſuper aquas, & Petrum ne in iis mergatur impedit. Hæc & plura alia quæ totus mundus capere non poſſet, fecit Jeſus ut mundus in ipſum crederet, quæ quatuor Evangeliſtæ fideliter narrant.

Parabolæ.

2. Parabolas multas protulit, ut facilius quæ tardior non conciperet intellectus ex ore ipſius apprehenderet. Parabolam mundi propoſuit de amico ad alium amicum media nocte euntem, ut ſibi tres panes accommodaret. Item parabolam ſeminantis ac tres partes ſeminis amittentis, ad inſinuandum quod non niſi tertia pars mundi ipſius Evangelio crederet. Item tritici & zizaniorum ad exprimendum bonorum & malorum ſtatum. Item grani ſinapi quod virtutem prædicationis denotat. Item & fermenti ad idem. Item theſauri abſconditi in agro ad ſe deſignandum propter quem omnia relinquenda ſunt. Item margaritæ pretioſæ ad eundem ſcopum. Item ſagenæ miſſæ in mare ad deſignandum ſtatum Eccleſiæ in qua boni ſunt & mali. Item ſcribæ periti. Item hominis incidentis in latrones. Item divitis epulonis & Lazari. Itemque aliæ plures quæ paſſim occurrunt in Evangeliis. Rupertus in volumen 4. Evangeliſtarum, duodecim aſſerit à Chriſto introductas eſſe parabolas juxta numerum XII. Apoſtolorum.

Similitudines.

3. Varias ſimilitudines induxit ad inſtructionem hominum quibuſcum agebat, ut ex viſibilibus ad inviſibilia & ſpiritualia mens eorum aſcenderet. Ac primo doctores Eccleſiæ ſali comparavit, quod ſi deficiat iis quibus in uſu eſt ut applicetur, inſulſitas & putredo in iis exoritur: ſic in populis ſimilia damna proveniunt, ſi Rectorum virtus deficiat: Luci eoſdem comparavit. Similitudine volatilium, ac liliorum agri avarorum ſollicitudinem reprimit. Revertentes ad eadem peccata impudenter, canibus comparat quibus ſancta non ſunt danda. Falſos Prophetas lupis comparat, homines arboribus bonis & malis quarum varij ſunt fructus. Angelos è Cœlo cadentes fulguri. Nam retineri non poteſt impetus fulguris nec ad ſuperiora revertitur cum ad inferiora deſcenderit, cadendo quoque cædit plurimos & quidquid de Cœlo cecidiſſe Joannes narrat in Apocalypſi tertiam partem læſiſſe deſcribit: quibus nihil aptius ad deſcribendam ruinam ſpiritualium virorum. Sic omnes ejus ſimilitudines quibus ſcatent Evangelia, apuſſimæ erant ad propoſi-

tum, ut in iis explicandis mira mens ſuavitate afficiatur.

Sermones 4. Varios ſermones habuit de virtutum actibus, ac contra vitia: id enim unum maximè intendebat, ut regno peccati everſo virtus triumpharet. Ad hoc miſit Apoſtolos in univerſum orbem. Modo laudat ſtudioſos, modo exprobrat malis ac vitioſis. Deterret ab omnibus peccatis, hortatur ad omnes virtutes, ut nihil ſit Evangelio ſanctius.

Diſputationes Chriſti. 5. Diſputationes varias habuit cum hominibus, mulieribus, diſcipulis, Phariſæis, Scribis, Judæis, legiſperitis, paganis, plebeis, ut omnes lucrifaceret: qui enim humanum genus in omnibus bonis deperditis nobiliori modo reparaturus advenerat, paravit occaſiones ut primo quærens quæreretur, quæſitus inveniretur, inventus teneretur & amaretur, amatus beatitudinem ultimam largiretur. Hinc diſceptationem habuit cum Samaritana, cum Nicodemo, cum Judæis murmurantibus de Sacramento Euchariſtiæ, cum Phariſæis ſuper munditia ſpiritus & corporis. De doctrina ſua á quo eſſet. De adultera punienda. De eo quod dixit ſe eſſe lucem mundi, & quod dixit ſe eſſe Principium, & quod eſſet ante Abraham, & alia plura quæ totas paginas Evangeliorum occupant, in quibus omnibus mira Chriſti ſapientia elucet, ſi cum debita attentione & non feſtinanter nimium percurrantur.

De doloroſo egreſſu Chriſti quid continent Evangelia?

Tria in paſſione Chriſti. Quædam ſunt præambula, alia executiva, alia etiam concomitativa.

Præambula Paſſionis & doloroſi egreſſus Chriſti ex hoc mundo ſunt Principum Sacerdotum ſub Caïpha conſultatio de Chriſto capiendo & morte ei inferenda Matth. 26. legalium obſervatio in agni Paſchalis comeſtione cum diſcipulis, ubi & ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit poſt lotionem pedum, Luc. 22. & Joan. cap. 13. Triſtium Apoſtolorum ob ſcandali proximi prædictionem conſolatio in ſermone, quo eos ad dilectionem exhortatur ac Spiritum ſanctum promittit, multumque orat pro eorum conſervatione ac unione. Joannis 12. 13. 14. 15. & 16.

Executiva ſunt ea quæ paſſus eſt partim à Judæis per malitioſam comprehenſionem Marci 14. per doloſam examinationem, partim in domo Annæ, partim in domo Caiphæ Matth. 26. & per invidioſam præſentationem, qua cum vinctum tradiderunt Pontio Pilato Marc. 15. & per falſam accuſationem qua de multis eum coram Pilato accuſarunt ſollicitè & importunè urgentes ut crucifigeretur ibid. Ea etiam quæ paſſus eſt a gentibus per ſollicitam examinationem factam, partim per Pilatum, partim per Herodem Matth. 27. Luc. 23. per flagellationem, coronationem, & oſtenſionem ad populum Marc. 15. Joan. 17. Demum per horribilem crucifixionem quam exaſperant ignominioſa eductio, Crucis bajulatio, latronum aſſociatio, fellis potatio, militum deriſio, & doloroſa ſpiritus emiſſio Joan. 19. Luc. 23.

Concomitantia Paſſionis ſunt lateris apertio, de Cruce depoſitio, mira immutatio in elementorum concuſſione, veli fractione, & populorum ſua pectora percutientium confeſſione Marc. 15. Matth. 27. & honorabili tumulatione adhibitâ ad ſepulchrum militum cuſtodiâ. Joan. 19.

Quid inſuper ad glorioſum Chriſti regreſſum narrant Evangelia?

Ad illum regreſſum pertinent victorioſa Chriſti reſurrectio, Marc. 16. Ejuſdem reſurrectionis indubitata manifeſtatio per decem apparitiones ipſius & quaſdam miras operationes, ac plures allocutiones quibus ſe eundem eſſe qui crucifixus fuerat demonſtravit. Denique è monte Oliveti ad Cœlum adſpicientibus omnibus diſcipulis ad Cœlum Aſcenſio, ubi ſedet ad dexteram Dei, cum quo & Spiritu ſancto eſt benedictus in ſæcula, dum interim Eccleſia militans eum in terris fide, ſpe & charitate colit & adorat, quæ omnia cum pluribus circunſtantiis in Evangeliis deſcribuntur, & in Monoteſſaro ampliori redacta ſunt jamdudum per Antonium à Konyſtein.

An ſolum ſpectandus ſenſus litteralis in iis quæ narrant Evangeliſtæ de Chriſto?

Omnia Chriſti alio ſenſu ſtruunt. Reſpondetur, in omnibus quæ de Chriſto narrantur ultra ſenſum litteralem etiam quærere oportet ſenſum ſpiritualem; eo quod omnia facta ac dicta Chriſti ſacramenta ſunt ac ſigna ſenſibilia alicujus rei ſacræ inviſibilis quam præſentem ſignificant. Sic omnia ejus miracula, ſi bene intelligantur linguam ſuam habent. Si ſanat ægrotos, cæcos illuminat, mortuos vivificat, operationem ejus circa peccatores iſta deſignant. Verba quoque ejus præter res præſentes etiam præteritas & futuras quandoque deſignant, ut videri poteſt in parabola de homine deſcendente à Jeruſalem in Jericho qui incidit in latrones, per quem & mala ab Adamo exorta, & bona per ipſum Chriſtum homini allata denotantur. Sic Evangelium breve eſt & prolixum, ut dicebat D. Bartholomæus à Dionyſio laudatus de myſt. Theol. c. 1. amplum & magnum rurſuſque compendiarium, paucis quippe verbis multa ſecreta & occulta complectitur. Omnis actio cariſſime (ſcribit S. Baſilius conſt. monaſtic. cap. 2.) omnis item ſermo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti excolendæ pietatis virtutiſque regula eſt, &c. Quapropter quodcumque factum tu audieris memorari vel dictum, ea nolito negligere, & tanquam aliud agens audire: quin ſtude potius, ut mente tecum ipſe cogitando rimandoque ad eorum profundum pervenias, eorumque quæ ibi apertè traduntur particeps fieri contendet.

QVÆDAM DIFFICILIA IN EVANGELIIS.

Quare hiſtoria vitæ Jeſu Chriſti dicitur Evangelium?

QUia Evangelium bonum & lætum nuntium ſignificat, quale eſt illa ſacra hiſtoria quæ Jeſum Chriſtum Salvatorem exhibet, per quem à peccato liberantur homines & aperto regni cœlorum oſtio quod antea per Adami noxam clauſum fuerat, ad gaudia æterna introducuntur: quod enim nuntium jucundius?

Cur orditur D. Matthæus ſic: *Liber generationis Jeſu Chriſti*, quaſi ſolos Chriſti progenitores deſcriberet?

Reſpondetur hoc eſſe initium ſolius primi capitis, quamvis etiam non repugnet eſſe etiam totius libri, ſumendo generationem non pro illa quam à progenitoribus accepit, ſed pro illa quam operibus complevit: ſicut dicitur de Noë Geneſ. 6. *Fuit perfectus in generationibus ſuis*. Sed & ab illa aliqua notabili parte libri inſcribi & denominari non eſt infrequens: eſt autem catalogus progenitorum Chriſti pars valde illuſtris totius hiſtoriæ Evangelicæ D. Matthæi, cum ſit compendium quoddam totius ſcripturæ veteris teſtamenti, cujus ſcopus fuit repræſentare Chriſti progenitores incipiendo ab Adamo & de illis hominibus potiſſimum agere per quos Chriſtus venit in hunc mundum, porro tituli appoſiti Evangeliſtis, ut Evangelium ſecundum Matthæum, non ab ipſis ſcriptoribus ſacris, ſed ab Eccleſia fuerunt. *Progenitores Chriſti.*

Poteſt ne afferri concordantia aliqua inter Matthæum & Lucam qui in Genealogiâ Chriſti plures & alios refert progenitores Chriſti quam Matthæus?

Hoſtes pietatis ut Julianus Apoſtata apud D. Cyrillum & alij ob hanc difficultatem magnificaverunt ſe, quaſi fidem Chriſtianam obnubilaſſent obſcuritate hujus argumenti. Reſpondetur intentum tam Matthæi quam Lucæ fuiſſe deſcribere generationem Joſeph cui Maria Virgo conſobrina erat ex parte Patris & Matris, ut exinde innoteſceret, unde Chriſtus ſolius Mariæ filius genus traheret, ſcilicet à David & Abraham quibus repromiſſio de Chriſto facta fuerat. Sed hoc diſcrimen eſt quod Matthæus deſcribat lineam paternam Joſeph, Lucas lineam maternam: quare hic alias perſonas refert uſquequo Davidem attigerit utriuſque lineæ communem ſtipitem ac radicem. Quod autem *Generatio Chriſti.*

Matthæus non tot perſonas recenſeat, id ita fuit, partim quia illas tantum perſonas recenſere voluit quibus quidpiam inſigne accidit, partim quia voluit intra tres tesſeradecades ſeu quatuordecim ex quibus conflatur numerus quadraginta duarum generationum ſe continere, ut cenſet D. Hieronymus: & ipſe Matthæus indicat c. 1. ut concinerent inter ſe 42. manſiones deſerti per quas ad terram promiſſionis pervenerunt filij Iſraël, & 42. generationes per quas Chriſtus promiſſus antiquis Patribus tandem attingitur, ſic autem intelligendus Lucas dicens de Joſeph *qui fuit Heli* quod nempe Heli Pater fuerit matris ipſius Joſeph; qua de re legi poteſt Perez Abbas Matritenſis Benedictinus *in Authenticâ 5. quatuor Evangeliſtarum fide controv.* 1. *c.* 22. ſicut & alij Interpretes antiqui & recentiores, quibus nihil detractum volumus.

Quomodo poteſt citare tanquam prophetice dictum ex Ægypto vocavi filium meum c. 1. *cum prophetia ſit de populo Iſraël*, Oſeæ 11.?

Reſpondetur omnem populum Iſraël figuram Chriſti fuiſſe; ideo quod de filiis Iſraël hiſtoricè aſſeritur, de Chriſto allegoricè allegatur, quod frequenter ſolent Evangeliſtæ.

Quo ſenſu dicit idem D. Matthæus c. 3. in perſona D. Ioannis Baptiſtæ Chriſtum baptizaturum eſſe in Spiritu ſancto & igne, *cum nunquam in igne contulerit baptiſmum?*

Reſpondetur ignem ſumi ibi myſticè & propoſitionem non eſſe copulativam ſed explicativam, quaſi diceret baptiſabit in Spiritu ſancto qui ignis eſt conſumens, impura quæque, illuminans claritate ſcientiæ, inflammans ardore charitatis, transformans mutatione vitæ, ac ſurſum rapiens per deſideria, quæ imprimit cœleſtis vitæ. *Spiritus S. Ignis eſt.*

Nunquid eſt contradictio in c. 11. Non ſurrexit major Joanne Baptiſta, qui autem minor eſt in regno cœlorum major eſt illo. *Quia ſi major quomodo minor minimo?*

Regnum cœlorum vel ſumitur pro Eccleſia triumphante, & ſic minoris beatorũ melior eſt conditionis, quam Joannes Baptiſta in terra & prælio hujus vitæ militans: vel ſumitur pro Eccleſiâ militante, & ſic Chriſtus minimus omnium æſtimatus à Judæis, major erat Joanne Baptiſta.

An Chriſtus improbat obedientiam quæ redditur ſuperioribus dicens c. 15. ſine cauſâ colunt me docentes doctrinas & mandata hominum?

Per doctrinas & mandata hominum non intelliguntur præcepta illa quæ quocumque modo veniunt ab hominibus. Nam illis aliquando obtemperandum eſſe edicit Matth. 22. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæcumque ergo dixerint vobis facite.* Hîc igitur intelliguntur illa mandata quæ ex ſapientia carnis, quæ inimica Deo eſt dictantur. Agit enim contra Phariſæos qui ſenſus ſcripturæ pervertebant.

Quo pacto Elias reſtituet omnia cum venerit c. 17. *cum tunc temporis judicium aderit in quo omnia potius ſunt ſubvertenda?*

Reſpondetur, id intelligendum de reductione Judæorum ad fidem per Eliam juxta ea quæ luculenter docet Apoſtolus ad Rom. 11.

An licitum vivente priori uxore aliam ducere ex verbis c. 19. Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur?

Certo certius eſt non licere, vivente priori uxore etiam adulterâ, aliud matrimonium contrahere, quidquid hæretici contra ſentiant. Id aſſeritur Marci 10. Luc. 16. idem ex parte Dei injungit Apoſtolus 1. Cor. 7. uxorem ſi à viro diſceſſerit manere innuptam aut viro reconciliari. Sic igitur intelligenda propoſitio quaſi duplex ſit non unica, & duo Chriſtus aſſerat, in quibus ut magiſter perfectionis corrigit legem Moſaïcam. Unum eſt quod illa quacumque ex causâ permittebat divortium: aliud quod facto divortio permittebat viro aliam ducere, etiam vivente primâ. Contra quæ Chriſtus pronuntiat, 1. quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem mœchatur quia cauſa eſt ut mulier ſic dimiſſa peccet adulterio. 2. Qui dimiſſâ uxore ob fornicationem aliam ducit, mœchatur.

Maledictio ficulneæ non habentis fructum cum nondum eſſet tempus Matth. 21. *nonne improbanda?*

Chriſtus erat Dominus omnium, & illa maledictio fuit potius Prophetica, quam iracundiæ fructus. Deſignare volebat Chriſtus maledictum iri Judæos, qui ficulneæ inſtar tantum externi ſplendoris habebant & tantam ſpeciem Religionis in lege & templo, ſi fructus non facerent: inter arbores enim majorem ſpem præbet ficulnea ferendi fructus.

Numquid falſo citatur Jeremiæ Propheta c. 27. *ad illa verba*, appenderunt mercedem meam triginta argenteis, *cum ne verbum quidem apud Jeremiam, ſed tantum apud Zachariam?*

Lucas Brugenſis in libello varietatum lectionum, quibus perfectior reddi poſſet Bibliæ vulgatæ correctio, ſi accederet Ro. Pontificis auctoritas, notat hunc locum inter alios, in quo omitti poſſet nomen Jeremiæ, non ſubſtituendo tamen Zachariam. Alijs placet hoc deſumptum eſſe ex quibuſdam traditionibus non ſcripto, ſed oretenus vulgatis à Jeremia. Denique plures codices non habent Jeremiam. Quidquid ſit, nihil hîc contra fidem & bonos mores.

Quâ fide D. Marcus initio Evangelij attribuit Iſaiæ quæ ſunt in Malachia. Ecce ego mitto Angelum meum &c.

Reſpondetur junxiſſe D. Marcum verbis Malachiæ verba Iſaiæ, *vox clamantis in deſerto parate viam Domini*, & citando Iſaiam, ad poſteriora hæc verba reſpexiſſe non ad priora quæ ſunt Malachiæ. Sed & in græco habetur ſicut ſcriptum eſt in Prophetis, non autem cum vulgatâ, ſicut ſcriptum eſt in Iſaïa.

Quomodo concordat dictum illud c. 4. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, *cum illo Luc.* 6. menſuram bonam & refertam & coagitatam & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum.

Reſpondetur, Marcum addidiſſe, *& adjicietur vobis*, ut ſic pareat concordantia inter ipſum & Lucam: quia ſemper Deus præmiat ultra condignum. Cum *non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ad Ro. 8.

An verè dicitur c. 6. & non poterat ibi virtutem ullam facere, *nam quis illi compedes poteſt injicere?*

Non ex defectu potentiæ, ait ibi Cajetanus, ſed ex impedimento imo repugnantiâ objecti. Eſt enim ſermo de potentiâ non abſolutâ ſed ordinariâ. Nam ſicut potẽtiæ naturales non poſſunt ut proprios effectus producere niſi in patiente diſpoſito: ita potentiæ extraordinariæ ad curationes & miracula non poſſunt producere effectus niſi in patiente diſpoſito per fidem: quæ Nazaræis deerat. Nec obſtat quod gratia detur & miracula fiant ut homines credant, non quia credunt, vult enim Deus res fieri non abſolutâ voluntate quocumque modo ſeſe habeant homines, ſed ſi non apponant impedimentum & cooperentur, unde hortatur ſcriptura 2. Cor. 6. *ne in vacuum gratiam Dei recipiamus* ad Hebr. 3. & 11. *ne quis deſit gratiæ Dei*, quia ut ait D. Aug. de ſp. & lit. c. 33. vocationi Dei conſentire vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.

Quo modo verè dicit Chriſtus de die judicij, quod nemo illam ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius niſi Pater c. 13.

Et ſi Chriſtus ut homo diem illum ſciret, ut qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum hocque ad ſuum ſtatum & officium pertineat, attamen quia ſub ſecreto illi revelatum erat à Patre, itaut nemini manifeſtaret, potuit dicere ſe neſcire: ſicuti confeſſarius poteſt affirmare ſe crimina neſcire, quæ ipſi ſub ſigillo confeſſionis aperta ſunt.

An verum eſt iſtud verbum Chriſti Marci 16. qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, *cum tot pereant qui crediderunt & baptiſmum ſuſceperunt?*

Reſpondetur, in his verbis ſubintelligendam eſſe conditionem hanc, & in fide & gratia perſeveraverit uſque in finem, cum Jacobi 2. dicatur fides ſine operibus mortua eſt, & qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Senſus itaque eſt qui crediderit fide vivâ & continuâ & baptizatus fuerit ſalvus erit.

Quid de ultimo capite Marci cenſendum eſt, cum D. *Hieronymus quæſt. ad Hedibiam, dicat, non recipimus hæc Marci teſtimonia, quia in raris feruntur Evangeliis, omnibus græcè libris pene hoc capitulum in fine non habentibus* &c.

Reſpondetur poſt Concilium Tridentinum revocari non poſſe in dubium, quin ultimum Marci capitulum ſit canonicum ſicut cætera. D. autem Hieronymus hæc dicebat propter quoddam additamentum adulterinum de quo meminit Dialogo 2. contra Pelagian. ut veriſimile eſt per Manichæos aut Montaniſtas affutum verſui 14. quod ſæculum illud iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt &c. quod aſſertum tanquam falſum répudiavit & expunxit Eccleſia, nec habetur in ullis jam exemplaribus. Qua de re vide Cajetanum ad cap. Marci 16. & Mariani notas ad l. 2. dial. D. Hieronymi contra Pelagianos.

Quare vocatur Evangelium ſecundum Lucam, cum Paulus illud ſuum nominet ad Ro. 2. *&* 2. *ad Timoth.* 2. *juxta communem opinionem?*

Verum eſt quod dicit Tertullianus adverſus Marcionem l. 4. Lucæ digeſtum Paulo adſcribere ſolent, non ita tamen quaſi Lucas Amanuenſis Pauli fuerit, ſed quia contulit cum D. Paulo de hiſtoria ſua priuſquam ſcripto illam traderet ut ab Apoſtolis audierat & à Spiritu ſancto illuſtratus erat, qui illi ſingula verba inſtillabat, unde potiſſima ſuo Evangelio authoritas.

Digeſtum Luca.

Quæ Marcionis hæretici de Evangelio Lucæ ſententia?

Illud ſolum canonicum eſſe inter Evangelia, licet mutilaverit illud in principio, medio & fine: multa ubique ſubtrahens quæ ſenſui ſuo incommodare videbat. Ut autem ab illo mutilatus eſt initio, medio ac fine decurtatis, corroſo à tineis veſtimento ubique ſimillimus eſt, ait D. Epiph. hæreſi 42. licet ex reliquiis quas intactas reliquit, ſatis multa habeantur ad confutandum illius errores tam contra veritatem carnis Chriſti quam de lege ac Prophetis quos abjiciebat, Chriſtum ideo de Cœlo deſcendiſſe confingens ut Deum legis conditorem redargueret. Deum enim mundi hujus conditorem malum dicebat, & Chriſtum alterius Dei incogniti filium aſſerebat, ne ſibi repugnare videretur. De quibus legendus Epiphanius hæreſi 42. ubi accuratè & ſtudiosè artificia peſſimi illius nebulonis detegit & refellit maximè ex D. Luca.

Marcionis hæreſis.

Cur Lucas c. 3. *undecim generationes numerat à Noë uſque ad Abrahæ, cum tantum decem numeret Moyſes, omiſſo Cainan.*

D. Lucas ſecutus eſt verſionem ſeptuaginta Interpretum qui de Cainan generatione meminerunt, qui ſunt ſecuti codices Hebræos magis abſolutos & exactos quam qui nunc extant: vel ex Hebræorum traditionibus illam haurire potuerunt & ſuæ verſioni ex Spiritus ſancti impulſu inſeruerunt.

Quomodo Lucas narrat c. 4. *Chriſtum legiſſe in Iſaiæ volumine*, Spiritus Domini miſit me dimittere confractos in remiſſionem: *quod tamen verbum non reperitur in Iſaia?*

Reſpondetur, iſtud haberi Iſaiæ c. 61. ſi non quantum ad verba: at quantum ad rem: in hunc enim ſenſum recidunt verba 70. Interpretum *prædicare captivis remiſſionem*, varij enim generis ſunt confractiones, quare, ut ait Palatius ad c. 61. Iſaiæ, Lucas à ſenſu Iſaiæ nihil deſciſſit.

Quid eſt Sabbatum ſecundo primum c. 6. *Numquid repugnat eſſe ſecundò primum?*

Tria erant Sabbata apud Judæos prima ac primaria ſcilicet azimorum Pentecoſtes & tabernaculorum: & ut Sabbatum azimorum, dici poterat primo primum & tabernaculorum tertio primum: ſic Sabbatum Pentecoſtes hic appellatur ſecundo primum.

Tria Sabbata.

Quis & quantuplex fuit amor pius Magdalenæ? c. 7.

Duplex amor diſtinguendus eſt, unus qui eſt cauſa diſpoſitiva ad remiſſionem peccati de quo intelligitur illud, *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Amando enim Deum peccatores diſponuntur ad remiſſionem peccatorum: eſt alter amor qui conſequitur remiſſionem peccatorum gratitudinis ergo, de quo intelligitur illud, *ille cui plus dimittitur plus diligit.* Uterque autem amor fuit in Magdalena quæ ante & poſt remiſſionem peccati ferventer Deum dilexit.

An non mandata Dei volentibus & conantibus poſſibilia, unde ergo iſtud c. 13. Multi quærent intrare per anguſtam portam & non poterunt.

D. Baſilius reg. Moral. c. 5. intelligit illud dictum eſſe de his qui è vitâ exceſſerunt extra gratiam Dei ut ſequentia verba indicant, *cum autem intraverit Pater familiæ* &c. ſic fatuis Virginibus enixè roganti-bus clauſa eſt janua Matth. 25. unde monet Paulus 2. Cor. 8. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* & ad Gal. 6. *ergo dum tempus habemus, operemur bonum*, & dicit Chriſtus ſimiliter Joan. 9. *venit nox in qua nemo poteſt operari.*

Mandata poſt hanc vitam impoſſibilia.

Quomodo verum eſt iſtud 2. 16. habent Moyſem & Prophetas: Si hos non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credunt: *cum teſtis oculatus majorem fidem facere ſoleat?*

Reſpondetur, verbum Chriſti etſi acerrimum ſit, fide tamen dignum eſſe, quia facile homines inducerentur ut phantaſma vel dæmonium putarent mortuum apparentem, quare dixit Petrus 2. epiſt. c. 1. *habemus firmiorem Propheticum ſermonem*, & certè quid dicerent mortui de inferno, quod ſufficienter expreſſum non ſit in ſcriptura?

De quo vino intellexit Chriſtus c. 22. non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat?

Beda & aliqui alij de vino non conſecrato intelligunt, de quo non amplius bibit Chriſtus niſi cum regnum Dei venit quod eſt tempus ſuæ reſurrectionis, cùm ad probandam veritatem ſuæ reſurrectionis, bibit cum diſcipulis. Alij Patres communius intelligunt de vino conſecrato, ſed quo pacto illud bibat in regno Dei cum ibi non miniſtratur Euchariſtia? certè delitiæ Chriſti ſunt in cœlo Sacerdotis magni partes agere, & miniſterio ſacerdotũ ſeipſũ offerre in omni loco & hora.

An vera hiſtoria de apparitione Angeli & Chriſti ſudore in horto, quæ deeſt in quibuſdam codicibus?

Reſpondetur de aliquot ſcripturæ partibus olim fuiſſe diſſidium & controverſiam, ſed hodie lis omnis ſopita eſt per Concilium Tridentinum, quod probavit vulgatam editionem ſecundum omnes partes, ut legi conſuevit, vide Xiſtum Senenſem bibliot. l. 7.

Cum in ore duorum aut trium ſtet omne verbum, quid opus erat quarto D. Joannis Evangelio?

Octogenarius cum eſſet illud ſcripſit D. Joannes contra hæreſes Ebionis & Cerinti qui æternam Chriſti generationem negabant, tantumque hominem fuiſſe aſſerebant: ideo ab illa æterna generatione ſuum Evangelium orditur, ſed & colloquia Chriſti & quædam alia ab aliis Evangeliſtis non relata ſupplevit: nec enim in uno Evangeliſta habentur omnia quæ ad Chriſtum pertinent, ne alios veluti eadem penitus repetentes faſtidio haberemus.

S. Joannis Evangelium.

Quinam apertè impugnant Evangelium iſtud?

Hæretici quidam dicti à D. Epiphanio hæreſi 51. Alogi, id eſt, ſine verbo & bruti homines qui verbum non admittunt, dicuntque illud Evangelium conſcriptum

Tres impugnant Evang. D. Joannis.

à Cherinto. Quo nihil abſurdius, cum hæreſim Cherinti manifeſtè deſtruat. Sed & eorum rationes inanes ſunt, quod nempe myſteria infantiæ Chriſti prætermittat, & primum Chriſti miraculum vocet converſionem aquæ in vinum, cum antea in templo omnibus doctoribus ſtuporem injecerit ob doctrinam. Sed hæc argumenta frivola ſunt, cum non curarit D. Joannes ſatis ab alijs Evangeliſtis expoſita narrare: & miraculum illud vocaverit primum ex ijs ſcilicet quæ poſt Baptiſmum patravit Chriſtus.

2. Fauſtus Manichæus vocavit iſtud Evangelium corruptum quod Chriſtus à Moyſe teſtimonium acciperet dicens c. 5. *ſi crederetis Moyſi, crederetis & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Verba enim à falſarijs addita fuiſſe credidit. Quaſi vero quia ille Moyſem & verus teſtamentum tanquam eſſet à malo Deo profectum rejiciebat, Chriſtus quoque rejicere debuiſſet.

3. Anabaptiſtæ conqueruntur multa in eo ſuperaddita, ut inter cætera hiſtoriam mulieris adulteræ, quam dicit Papias ſcriptam eſſe in Evangelio quod dicitur ſecundum Hebræos, quaſi non alibi etiam: deinde hiſtoriam paralytici quem Chriſtus ſanavit ad probaticam piſcinam: quia de illa piſcina nihil refert Joſeph rerum Judaïcarum ſatis accuratus ſcriptor. Quod eſt argumentum ab auctoritate negativâ non magni ponderis. Quaſi nihil credere de Chriſto deberemus niſi quia Joſephus ſcripſit. Sed & ſi antiquiores hiſtorici de eâ taceant, quid mirum? non erat ille locus adhuc celebris, nec à multis annis deſcendebat Angelus de cœlo ad movendam aquam. Vide Xiſtum Senenſem Biblior. l. 7.

Quomodo verum eſt illud cap. 1. *Quod Chriſtus*, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *cum tam multi ignorent myſteria fidei?*

Gratia ſufficiens. Id intelligendum de illuminatione ſufficienti pro loco & tempore juxta illud Proverb. 1. *Sapientia foris prædicat*, ut nullus, niſi velit, in tenebris maneat. Sed ſole totam domum ambiente, aliqui fores feneſtraſque occluſas tenent, & rebelles ſunt lumini, ut dicitur Job. c. 24.

An non neceſſitatem communionis ſub utraque ſpecie adſtruit D. Joannes c. 6. his verbis Chriſti: niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis?

Reſpondetur eſſe Hebraïſmum in ſcripturis frequentem quem Joannes more ſuo ſequitur, ponere *&* pro *vel* *&* copulativam pro *vel* diſiunctivâ. Sic Exodi 21. *Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem*, in Hebræo eſt conjunctio & Interpres ſenſum ſecutus eſt: ſic Job. 30. *Si ſecutus eſt oculus cor meum & ſi in manibus meis adhæſit macula* &c. ſic Ezech. 58. *Qui in montibus comederit & uxorem proximi ſui polluerit &c. morte moriatur.* Vide Stapletonem in Antidotis in Joan.

An non etiam realem præſentiam corporis Chriſti deſtruit eadem capite his verbis: Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam &c.

Prophetia. Mirum eſt quod cum toties repetat Chriſtus veritatem carnis ſuæ in Sacramento, per hæc verba quæ Chriſtus dixit ad inſtruendum de modo quo tam magna præſtaret caro ipſius & pacandos quorumdam animos gravitate doctrinæ ſuæ attonitos & deterritos, vellet deſtruere & irrita facere quæcumque ante tam expreſſe & tam ſæpe dixerat. Vult ergo tantùm Chriſtus ſignificare carnem ſuam à ſpiritu ſuo & anima vivificante, tantam vim accipere ut det vitam mundo. Caro illa per ſe & ſeparata à ſpiritu non præſtat tam magna, Spiritus eſt cui unita eſt qui dat gratiam. Unde ſubjungit, *verba quæ loquor vobis Spiritus & vita ſunt*, de ſpiritu & ſpiritualiter intelligenda, de Spiritus virtute qua caro perfuſa vivifica eſt, & eſt cibus quo paratur vita.

Quo pacto c. 10. *vocantur fures & latrones qui venerunt ante Chriſtum? Quid ergo Prophetæ?*

Reſpondetur id dictum de ijs qui aliunde venerunt quam ex parte Dei & Chriſti qui ſe dicit oſtium; Prophetæ autem venerunt cum Chriſto, ut aſſerunt D. Auguſtinus & Beda in illud caput, & ſecum Chriſtum detulerunt in illum credendo & illum annuntiando: quare illos receperunt oves. Fruſtra ergo Manichæus ex hoc loco totum vetus teſtamentum condemnare juſtè ſe putat.

Ubi gratia ſufficiens poſt hæc verba c. 12. propterea Judæi non poterant credere, quoniam dixit Iſaïas: *Excæcavit oculos eorum & induravit?*

Iſtud, *non poterant*, non deſignat impoſſibilitatem phyſicam ſed moralem, quæ eſt cum aliquid fieri non poteſt niſi ægrè & difficulter: ſicut qui ægritudine oculorum laborat, dicitur non poſſe videre lumen: abſolutè enim ſi velint homines poſſunt credere, licet quidam difficilius quam alij ob varia impedimenta. Unde Iſaïæ 15. dicitur *non dicas, per Deum abeſt*, & Oſee 13. *perditio tua ex te Iſraël, in me tantum auxilium tuum.* Nec quemquam Deus excæcat aut indurat per ſe. Unde Auguſtinus Epiſt. 105. non obdurat Deus impertiendo malitiam ſed non impartiendo miſericordiam. Scilicet illam, quâ de facto corrigantur errantes, licet non deſit alia qua poſſent ſi vellent. Sic Pharao induratus eſt ex indulgentia Dei, quia dimiſit ipſum poſt 10. plagas ultorius punire: ad ſingulas enim plagas convertebatur, quod obſervat etiam D. Auguſtinus in quodam ſermone.

Quid eſt illa lotio pedum c. 13. qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet.

Vel intelligit expiationem à venialibus neceſſariam eſſe poſt baptiſmum aut pœnitentiam de mortalibus, vel poſt pedes intelligit affectus ad terrena qui purificatione egent, ne ſi conſenſum ſuggeſtione abducant, polluantur & inquinentur, difficile enim eſt in terrenis actionibus hujus vitæ iter agere & nulla ex labore itineris vulnera ſuſtinere, aiebat D. Gregorius l. 2. Moral. c. 12. *Venialium expiatio.*

Quis ſenſus hujus dicti c. 14. Philippe qui videt me videt & Patrem meum?

Vel refertur ad viſionem beatificam in quâ una perſona non poteſt videri ſine alia, vel ad viſionem obſcuram fidei, quia nemo perfectè credit in Chriſtum qui eſt filius Dei Patris qui non credat totam Trinitatem, vel etiam refertur ad Chriſtum mira opera patrantem, non enim poteſt conſpici Chriſtus tot mirabilia operans, quin mentis intuitu agnoſcatur Deus qui hæc in ipſo & per ipſum operabatur, unde dicit *Pater in me manens ipſe facit opera.* Unde dicit Paulus Deũ illuxiſſe nobis in facie Chriſti 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Jeſu.* Divina natura, ait ibi Theodoretus, per aſſumptam humanitatem divinâ luce reſplendentem & fulgura emittentem adſpicitur. *Dei per Chriſtum agnitio.*

Quomodo verum eſt cap. 15. omnia quæcumque audivi à Patre nota feci nobis, *cum ſcientia* Chriſti præcellat ſcientiæ Apoſtolorum?

Secundum Rupertum in Joannem intelligitur de iis quæ audierat Chriſtus ſibi toleranda eſſe pro peccatis hominum, in quibus audiens fuit, id eſt obediens: vel ſecundum Cajetanum, cum non dicat omnia quæ novi, ſed quæ audivi, inſinuat ſe loqui de iis quæ audivit ut legatus.

Quam claritatem dedit Chriſtus Apoſtolis dicens. Joſ. 17. Ego claritatem quam dediſti mihi dedi eis?

D. Auguſtinus in Joannem tract. 110. intelligit de gloria immortalis vitæ quam Chriſtus habebat per prædeſtinationem. D. Chryſoſtomus intelligit de gloria miraculorum, promiſit ſi quidem etiam grandiora facturos. D. Hilarius & Cyrillus ipſam divinitatem intelligunt in Sacramento Euchariſtiæ ipſis communicatam: unde additur, *ut ſint unum ſicut & nos.* *Euchariſtia. D. Hilar. l. 8. de Trinitate D. Cyrillus in Joan. l. 11. c. 26.*

Quid eſt quod Chriſtus ſingulariter dicit Petro, paſce oves meas, paſce agnos meos? Joan. 21.

Quia antea parem poteſtatem dederat omnibus Apo-

ſtolos prædicandi, baptizandi & remittendi peccata, ne ex pari illa poteſtate daretur aliquando ſchiſmatis occaſio, ideo octavo die poſt reſurrectionem Petrum præfecit cæteris, ac univerſæ Eccleſiæ Paſtorem illum conſtituit, tuncque illi dedit claves quas ante promiſerat Matth. 16. dicens *tibi dabo claves regni cælorum.* Unde rectè ſancti Patres in primis Eccleſiæ ſæculis intellexerunt D. Petrum fuiſſe jure divino omnibus Apoſtolis præpoſitum, non obſtante pari illa facultate prius omnibus conceſsâ circa populos ad quos mittebantur, unde & ſemper honoraverunt Cathedram D. Petri ac Romanam Eccleſiam ut matricem & caput univerſalis Eccleſiæ. Nec enim iſta duo repugnant inter ſe, quod prius æqualem facultatem dederit Apoſtolis: ac poſtea & ultimo loco unum cæteris præpoſuerit, ut eſſet unus Epiſcopatus ex quo cæteri numeroſi per orbem diffuſi Epiſcopi penderent ad ſervandam unitatem in Eccleſia in unitate unius capitis, unde & Matthæus c. 10. Apoſtolorum numerum deſcribens ſic loquitur. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Quod non poteſt intelligi quod Petrus fuerit primus tempore aut vocationis ordine, quoniam frater ejus Andræas prius Chriſtum ſecutus erat. Dicitur ergo Petrus eſſe primus Apoſtolorum dignitate ac prælationis ordine; quod illi convenit, non quod primò nominetur, ſed quod primus.

D. Petri auctoritas.

An non hoc derogat Chriſto cui convenit eſſe caput & fundamentum Eccleſiæ?

Neutiquam: ſemper enim intelligitur Chriſtus præcellentiori modo eſſe caput & fundamentum Eccleſiæ quam Petrus, qui tantum auctoritate participata à Chriſto caput eſt & fundamentum Eccleſiæ, nam Chriſtus propriâ ſuâ virtute ædificium & compagem membrorum Eccleſiæ continet intus operans eique robur præſtans, ut inter blandimenta & adverſa hujus ſæculi ſtabilis immobiliſque perſeveret. Petrus autem eſt caput ſub Chriſto ac ipſi ſubordinatum: neque eſt caput ſuper omnem Eccleſiam triumphantem, militantem & patientem, ſicuti Chriſto ſoli proprium eſt eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam in cœlo & in terrâ.

Chriſtus quam præcellat D. Petro.

LIBER ACTVVM APOSTOLORVM.

An magni momenti eſt librum iſtum diligentius excutere, qui totus hiſtoria eſt?

ID ex Calvino diſci poterit qui majorem induſtriam, laborem & contentionem circa librum illum adhibuit, in Acta enim Apoſtolorum, ut obſervat Stapleto in præfatione ad lectorem Antidotorum Apoſtolicorum, quæ contra venenatam illius doctrinam præparavit, & prolixius & accuratius & vehementius ſcripſit quam in ullam aliam Scripturæ partem: ut enim liber hic Eccleſiæ Chriſtianæ exordia & primos progreſſus narrat, ideo non doctrinam modo variam ex Petri & Pauli divinis concionibus, ſed & quæ ad praxim Eccleſiæ Chriſtianæ tunc in herbâ ac novellæ complectitur, ubique arripit occaſionem ad ſuæ novellæ ſectæ patrocinium & ad antiquæ Eccleſiæ detrimentum plura verba torquendi, trahendi ac invertendi, longas in pleriſque diſputationes texens circa quaſlibet controverſias: itaut audeat ſibi polliceri nefarius impoſtor in ſuâ præfatione nullam certiorem vel magis dilucidam neque ab Euclide neque ab Archimede afferri demonſtrationem poſſe, quod Eccleſia Romana fœtidum ſit Belial ſcortum, Sathanæ lupanar, porcorum hara (ſic enim ille amarus & virulentus eſt) quam ſi Eccleſiæ, qualis à Luca in Actis deſcribitur, cum Synagoga Papali fiat comparatio.

Acta Apoſtolorum.

Calvinus in Acta Apoſtolorum plura ſcripſit.

At quid dignum tanto hiatu profert hic promiſſor?

Doctrinam ſæpius impuram in dictione puriori, quam & Marloratus in ſuâ cathenâ in novum teſtamentum ſollicitius intexit, ſtolidos paralogiſmos, pugnantes ſecum ſententias, craſſa mendacia, impoſturas, calumnias, licet omnia verborum lenociniis ac pigmentis artificioſe colorata ad fucum faciendum incautis. Quæ diligenter & eruditè excutit Stapleto in illis Antidotis, docens in illo Actorum libro nihil contineri quod vel doctrinæ vel politiæ Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ adverſetur: dogmataque fidei, ſacramentorum doctrinam, cultum, cæremonias, quorum in hoc libro per occaſionem facta eſt mentio, catholicæ, & Ortodoxæ doctrinæ, quam Romana hodie tenet Eccleſia, planè convenire. Quare hic labor Stapletonis in Acta jure merito pro optimo omnium commentario haberi poterit, ac contra nuperam Criticorum Bibliam opponi, in qua inſertus Marlorato Calvinus, Antidoto hoc curari indiget.

Biblia nuperæ Gallicana.

An quidquam in eo libro pro Papatu juris divini ac ſummo Sacerdotio D. Petri, hoc enim ſemel conſtituto, non licebit quibuſvis licenter & impune prorſus omnia agere, & confuſionem Babylonicam introducere in rebus Religionis?

Ita profecto. Nec propter utiliorem cauſam Deus in lege naturæ Primogenitos Sacerdotium gerere voluit, & in lege Moſaica a Primogenitis aliarum tribuum ad illam quæ Levi erat Sacerdotium tranſtulit (Nu. 16.) & ut Sacerdotum illius tribus multitudo aut acephala aut biceps non foret, unum Aaronem, cui alij in pari honoris gradu ſuccederent ſupremum eſſe voluit Sacerdotem qui populi Dei regimen & moderamen in rebus ſacris teneret, & non quivis pro ſuo arbitrio populi gubernaculum ſibi vendicaret: quare cum Eccleſia non ſit inferior Synagoga, ut hæc Summum Sacerdotem habuit jure divino, illa quoque ſuum habere debuit nec juris minoris quam divini, ne ejus Sacerdotium diceretur habere quam Synagoga. Continet autem liber ille variam & multiplicem executionem Summi illius Sacerdotij ac Papatus, quem Chriſtus ante Reſurrectionem D. Petro promiſerat, & poſt Reſurrectionem, evacuato tum Sacerdotio Aaronico, reipsâ donaverat.

D. Petri Primatus juris divini.

Vbi illa multiplex executio Papatus?

In quinque rerum negotijs Summi Pontificij munus Petrum palam & egregiè obijſſe liber ille manifeſtè declarat. Primo in electione Matthiæ (Act. 1.) ubi congregata Eccleſia ſurgens Petrus, tanquam omnium caput & Primas de ſupplendo Apoſtolatu Judæ proditoris, cæteris ora ſua prementibus, ſolus verba facit. Secundò (c. 2.) exprobrantibus Judæis, quod Chriſti Apoſtoli varijs linguis idcireo loquerentur, quod muſto maderent: ſurgens Petrus tanquam Pontifex pro Chriſti tuenda Eccleſia maximus, eos prorſus ab omni inſimulata ebrietate per ſcripturas fortiter defendit, & tanquam dux in acie adverſarios expugnat. Tertiò convocatis Apoſtolis coram Anna & Caipha (Act. 4.) primoribuſque Judæorum ut de claudo ſanato rationem redderent, non alius à Petro, ſed ipſemet tanquam Apoſtolorum caput & princeps cunctis ſpectantibus & audientibus orationem habuit, cauſamque omnem intrepidus tractavit, ac principum malitiam fugavit. 4. Sacrilegium Ananiæ & Saphiræ facinus, non niſi unus Petrus ut Eccleſiæ Pontifex Maximus inſolitâ pœnâ punivit. 5. In controverſia de ceſſatione legalium, quis litem hanc dirimit & ad plenum definivit? Unus Petrus veluti Eccleſiæ Pontifex maximus? Act. 15. *cumque magna inquiſitio fieret ſurgens Petrus dixit ad eos*, &c. ac de cætero ambigendum Catholicis non fuit, quin Petrus egregiè Pontificium maximum omnibus in rebus ubique exercuerit. Atque ad idem ſpectat, quod ipſe prima miracula patraverit ad confirmationem fidei quæ univerſus mundus ſtupens admiraretur, ut non minus virga ejus floreret, quam quondam Aaronis, poteſtaſque ipſius maximè illuſtris & honorata redderetur.

Exercitio Papatus D. Petri in quinque occaſionibus.

Quæ D. Petri miracula narrantur in Actibus Apoſtolorum?

1. Eſt quod cap. 3. ſimul cum Joanne claudum ab utero

utero matris ſedentem ad portam templi Specioſam curavit.

2. Quod cap. 3. Ananiam & Saphyram uxorem mendacij convicit & repente occubuerunt.

3. Quod Act. 5. Petri umbra ægros curabat quos pertingebat.

4. Quod cap. 9. Æneam paralyticum ab octo annis in grabato decumbentem curavit.

5. Quod eodem c. in urbe Joppe mortuam Dorcadem quæ Tabitha dicebatur, oratione excitavit à mortuis.

6. Quod cap. 10. vidit vas è Cœlo deſcendens plenum omni genere animalium.

7. Quod vinctus cathenis in carcere cap. 12. per Angelum ſolutus eſt, Herodeſque à vermibus eroſus expiravit.

Quæ D. Pauli miracula in iiſdem actibus recenſentur?

1. Eſt cap. 9. quod vidit Chriſtum è Cœlo ſibi apparentem in itinere, ac continuo Evangeliſta ex perſecutore factus eſt.

2. Eſt cap. 13. Quod in Cypro Elymam magum increpavit, & magus ipſe cœcus factus eſt.

3. Quod cap. 14. Lyſtris claudum à nativitate per nomen Jeſu Chriſti ſanavit.

4. Cap. 16. Per viſionem viri Macedonis ad prædicandum in Macedoniâ vocatus eſt, atque in eodem capite mulierem habentem Spiritum divinatorem Philippis in Macedonia liberavit; conjectuſque in carcerem cum Sylla per terræ motum à vinculis ſolutus eſt, &c.

5. Cap. 19. Super languidos deferebantur à corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores & ſpiritus nequam egrediebantur.

6. Cap. 20. Adoleſcentem Eutychum è feneſtrâ collapſum & mortuum ad vitam excitavit Troade.

7. Cum navigaret cum pluribus aliis cap. 27. verſus Romam in magnâ tempeſtate Angelus illum monuit quod Deus propter ipſum omnibus vitam daret, incolumeſque evaſerunt.

8. Morſus à viperâ in inſulâ Melitenſi illæſus permanſit, cap. 28. ac pro Deo habitus eſt ab incolis. Atque ibidem patrem Publij febribus & dyſſenteriâ vexatum cum pluribus aliis infirmis curavit.

An hæc tantum miracula Apoſtoli ediderunt?

Nec Acta omnia, nec omnium Apoſtolorum liber hic continet, ſed quædam dumtaxat aliquorum Apoſtolorum, cum de omnibus ſcriptum ſit in iiſdem Actibus cap. 4. *Virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti* & cap. 5. *Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.* Hiſtoria quippe Apoſtolorum in Actibus contenta, extenditur ad annum Chriſti ſexageſimum primum, poſt quem plures ex iis plura alia patrarunt opera.

Quomodo D. Lucas aſſerit de ſeipſo initio hujus libri ſermonem ſe feciſſe de omnibus quæ cœpit Jeſus facere & docere, cum dicat D. Joannes cap. ult. ſi omnia Chriſti ſcribenda eſſent, mundus eorum libros non caperet?

Reſponderur, in ſcripturis terminus *omnia* ſæpe ſumitur pro plurimis vel pro primoribus, ut cum dicitur Iſaiæ 60. *Omnes de Saba venient*, & in hoc libro cap. 20. dicit D. Paulus, *non ſubterfugi quo minus annunciarem omne conſilium Dei in vobis.*

An verum eſt quod dicitur cap. 2. Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit. *Cum non omnis qui invocat intret in Regnum Dei?*

Intelligitur de omni qui invocat in toto corde ſicut oportet, cum vera fide & ſpe quam animet charitas, rebelles enim & impœnitentes, tanquam infideles in hac parte reputandi ſunt.

Quomodo D. Petrus tam atroci ſupplicio potuit punire Ananiam & Saphiram, quorum peccatum non adeo magnum videri poſſet?

Reſponderur Ananiam & Saphiram ejus uxorem more Monachorum communem ſpopondiſſe vitam, itaut proprium nihil haberent: unde cum ſurreptio pecuniarum aliquot ſacrilega fuerit, pœnam mortis ſubierunt. Et licet Canones vitiũ proprietatis in Monachis tam gravi ſupplicio non mulctent, tamen legum initia ad terrorem incutiendum ſeveriori vindicta commendantur. Unde in veteri lege qui primi ſabbatum violaverunt colligendo parva aliquot ligna, Numerorum 15. lapidati ſunt. *Ananias & Saphira.*

Quomodo eodem capite Gamaliel dixit, Si ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſolvetur: ſi vero ex Deo eſt, non poteſtis illud diſſolvere. *Cum illud idem poſſent dicere novorum dogmatum aſſertores, abſque eo quod poſſent puniri ab Eccleſia.*

Reſponderur Gamalielem verum dixiſſe in particulari facto Apoſtolorum, movente eum ad hoc Spiritu ſancto. Ex hinc verò non poteſt regula generalis pro omnibus aliis conſtitui. Nam cum Judæi Meſſiam expectarent, Apoſtoli autem miraculis teſtarentur eum veniſſe, ac ſcripturis apertis, nec de contrario conſtaret certo apud Judæos, æquum erat pro loco & tempore conſilium Gamalielis: at nunc agnita veritate divina fidei, exitiòſum eſſet uti hoc conſilio erga novitatis in fide Authores, cum conſtet eos pravorum dogmatum ſeminatores eſſe, ac eſſe zizania non triticum, itaut in iis damnandis periculum non ſubeat veræ doctrinæ triticum; ſi enim ſatis non diſcerneretur pravitas eorum doctrinæ, cauſæ eorum diſquiſitio maturè ac tempeſtivè facienda eſſet, ac interim judicio divino committenda juxta verum ſenſum parabolæ Zizaniorum Matth. 15. ne pro zizaniis triticum eradicaretur. *Gamalielis conſilium.*

Quid eſt quod dicitur de Antiochenis cap. 13. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam, *quaſi prædeſtinatio eſſet cauſa fidei?*

Reſponderur in Græco eſſe Τεταγμενοι, id eſt, ordinati, ſcilicet quotquot erant bene diſpoſiti ac bene affecti propria voluntate ex gratia præveniente, cum alij eſſent malè diſpoſiti prædicationi Apoſtolicæ contradicentes, quorum tamen aliqui poſtea potuerint credere, cum non ſit probabile omnes qui tunc crediderunt fuiſſe reprobos. Unde particula illa *præ* non ſpectat Deum, ſed magis fidem, quam ut quis amplectatur, debet habere piam quamdam voluntatem ad illam, quæ pia voluntas ordinat animam ac præparat ut facilius illam ſuſcipiat.

Quot ſunt D. Pauli Epiſtolæ? D. *Pauli Epiſtolæ.*

Quatuordecim: ad Romanos una: duæ ad Corinthios, ad Galatas una, ad Epheſios una, ad Philippenſes una, ad Coloſſenſes una, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timothæum, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una. In quibus Epiſtolis teſtatur D. Petrus 2. Epiſt. cap. 3. eſſe *quædam difficilia intellectu quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

Quod intentum habuit in illis Epiſtolis D. Paulus?

Tria potiſſimum videtur in iis intendere.

1. Perſuadere fidem vivam & charitate formatam in Chriſtum cujus ferventi amore æſtuabat.

2. Avocare à pravis moribus & ad probos mores incitare.

3. Solvere varias quæſtiones ac difficultates quæ tunc temporis movebantur.

Quid in Epiſtola ad Romanos intendit Apoſtolus? *Epiſtola ad Romanos difficilis.*

Habet in eâ Elephas ubi ſubmergatur & ubi majora ingenia humilientur propter profunditatem ſenſuum hujus Epiſtolæ: attamen re maturius & diutius expenſa, videtur Apoſtolus in primis undecim capitibus, quæ difficiliora videbantur Ro. in lege Chriſti explicare, itaut paſſim perſuadeat multis argumentis ſine nexu & ordine coacervatis fidem vivam in Chriſtum ac amorem in eum. Unde Naclantus.

Unum præcipuè & præ cæteris intendit Apoſtolus, fidem Chriſti vivam ex quo ſalus hominum omnium profluit, illis perſuadere. Quamquam Apoſtolus nuſ-

Fides viva in Chriſtum.

quam non ardet, quamquam tota Epiſtola tota plena eſt tonitruis, id tamen paſſim ac potiſſimum urget, imò uti ſcopum ac totius negotij cardinem ſtatuit ac perſuaſos nos penitus eſſe contendit: ſalutem noſtram proficiſci ex gratia Dei & beneficio Chriſti. Mirum tamen videri poteſt, cur adeo multiplicem doctrinam in illa Epiſtola incluſerit, ut præcipua fidei myſteria exhibeat, explicans quæ conveniunt homini in ſtatu naturæ legis & gratiæ: in qua quidem diverſorum ſtatuum notitiâ ferè univerſa Theologia conſiſtit & Dei notitia ſimul & noſtri, ut obſervat Catharinus ad c. 1. illius Epiſtolæ. Sed quid aliud ſperares à tali homine, cum totum Spiritum ſuum effundit, ut in hac Epiſtola? cum, ut ſcribit Seneca Epiſt. 115. talis ſit hominibus oratio qualis vita, unius Pauli ſtylus ex ſapientiæ magnitudine gravis ac ſublimis, ex charitatis ardore affectuoſus & abruptus eſt, ait Stapleto in præf. ad hanc Ep. quare nec facile ab omnibus capitur. Ab ijs tamen ad quos ſcribebat non ita difficilè intelligebatur, quia ipſi noverant ſuas res, ſua dubia, ſuaſque difficultates: ſicque illico videbant quo verba tenderent.

Scopus D. Pauli.

Namque ſedulò conſiderandum eſt, Apoſtolum ſcripſiſſe ſuas Epiſtolas pro neceſſitate temporis, eorumque utilitate ad quos ſcribebat, ut eorum difficultates diſſolveret, eorum dubia tolleret, ægritudines ſpirituales curaret, ut bonus animarum medicus: ac in fide & dilectione Jeſu Chriſti per quem juſtificatio & ſalus advenit, ſolidè confirmaret contra remoras omnes, quas patiebantur. Unde cum ſciret Apoſtolus ſtatum Chriſtianorum Romanorum partim ex paganis, partim ex Judæis ad fidem Chriſti converſorum, antequam ipſis vivâ voce prædicaret Chriſtum crucifixum & virtutem mortis ipſius pro more ſuo, in hac Epiſtola tollit varia impedimenta & dubia quæ inter ipſos erant, & accommodatè ac reſpectivè ad illa variam & multiplicem doctrinam inſerit, ut eos inſtruat ac in fide & amore Jeſu Chriſti confirmet & illuminet eorum mentes, diſcuſſis nebulis quibus obſcurari poterant, ſicque viam ſibi paret ad ipſos adeundum.

Quinque difficultates tetigit D. Paulus in Epiſt. ad Ro.

Quinque autem erant potiſſimum, quibus hæc Romanorum naſcens Eccleſia turbabatur, quibus remedium apponit Apoſtolus per totam Epiſtolam poſt ſalutationem initio appoſitam & præter commendationem in ultimo capite 16. interim dum hæc curat ſemper & identidem ad adhærendum fide viva Chriſto inculcans & beneficium mortis ejus commendans, hoc enim ipſius erat magna ſollicitudo & primarium negotium.

1. Difficultas; gloriatio contra ſeſe invicem.

1. Ergo laborabant Romani illi Chriſtiani quodam inter ſe diſſidio, quod excitaverat inter ipſos malignus Sathan auctor & ſeminator diſcordiarum, quia qui erant ex Judæis gloriabantur de obſervatione legis & Patriarchis ac Prophetis ſuæ gentis, propter quæ deſpiciebant gentiles ad fidem converſos: contra illi gloriabantur de ſapientia Philoſophorum & virtutibus politicis ſuorum, quæ minus æſtimabant Judæos, ſeque illis haud impares arbitrabantur. Ideo Apoſtolus 1. parte Epiſtolæ per quatuor prima capita hunc utriuſque faſtum deprimit, oſtendens nemini juſtificationem contigiſſe (loquitur autem de prima juſtificatione, quâ quis ex infideli & impio fit juſtus coram Deo) poſt lapſum humani generis in Adamo, niſi per fidem in Chriſtum, inaniaque fuiſſe opera utriuſque gentis, imo & ipſos omni peccatorum genere contaminatos fuiſſe: ac juſtificationem ſoli Chriſto tribuendam eſſe. Incipit hæc pars ab illis verbis cap. 1. *Non enim erubeſco Euangelium, virtus eſt enim Dei in ſalutem omni credenti, Judæo primum & Græco. Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem.* Finitur autem in his verbis capitis 5. *Juſtificati ergo ex fide* (non ex operibus in Judaiſmo aut paganiſmo peractis) *pacem habeamus ad Deum per Jeſum Chriſtum.* Sic autem progreditur ut remota fide in Chriſtum omnes tam gentiles quam Judæos omni ſcelerum ſpurcitie contaminatos eſſe oſtendat c. 1. & c. 2. licet lex non deſierit eſſe utilis per quam cognitio peccati aderat, quod tamen non vitabatur, ut nihil haberet Judæus quod gloriaretur de ſanctitate contra gentilem. Ideo cum omnes Judæi & Græci eſſent in peccato, Dei conſilium fuit omnes ſanctificare per fidem in Chriſtum. Sic docet. c. 3. *nunc autem ſine lege juſtitia Dei* (qua Sancti ſunt homines) *manifeſtata eſt teſtificata à lege & Prophetis, juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio, ubi eſt ergo gloriatio tua? exclusa eſt. Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei.* Quæ communis eſt Judæo & Græco. Quia vero objici poterat Abrahami ſanctitas ſine fide in Chriſtum oſtendit c. 4. hanc fidem Abrahamum habuiſſe. *Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, &c. unde infert concluſionem initio c. 5. *Juſtificati ergo ex fide pacem*, &c. ut ſupra.

2. Difficultas; diffidentia ex corrupto ſtatu naturæ.

2. Laborabant Romani quadam diffidentia, quod natura hominis corrupta eſſet per peccatum originale ex primo Adamo contractum. Hanc diffidentiam ſanat Apoſtolus in c. 5. & 6. oſtendens Chriſtum mortuum fuiſſe ad tollendum iſtud peccatum: ac bona per Chriſti mortem hominibus collata prævalere malis omnibus per Adamum invectis. Hinc ergo eos conſolatur. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus* &c. *Ut quid enim Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus* (per peccatum) *ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt*, &c. *regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem* (inclusivè uſque ad Chriſtum regnavit mors peccati originalis) *ſed non ſicut delictum ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis, Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Quia vero inferri poterat, ſi tanta bona occaſione peccati per Chriſtum allata erant, permanendum eſſe in peccato, hoc ſolvit c. 6. magiſque potius in gratia per Baptiſmum quo ſublatum eſt peccatum originale, permanendum hortatur. *Quid ergo*, inquit, *permanebimus in peccato ut gratia abundet? abſit, qui enim mortui ſumus peccato quomodo vivemus in illo*, &c. per totum caput.

3. Difficultas; amor veteris legis.

3. Laborabant illi Chriſtiani illo errore quo tenebantur non pauci ob auctoritatem legis veteris à Deo ipſo datæ in monte Sinaï, quod ſervanda eſſet lex illa cum lege Chriſti. Etſi enim Concilium Apoſtolorum errorem illum profligaſſet, pronum erat multis illi adhærere ac maximè Judæis recenter converſis. Hanc ægritudinem curat Apoſtolus per duo capita ſequentia 7. & 8. ac capite 7. id oſtendit per comparationem mulieris quæ mortuo viro ſoluta eſt à lege ipſius: Quaſi diceret legem veterem mortuam jam eſſe, non habere amplius vim ligandi conſcientias. Ideo eam vocat legem mortis, licet non deſineret eſſe bona quæ peccatum oſtenderet ac malum concupiſcentiæ, illam prohibendo: cum tamen non daret gratiam ex ſuâ virtute ad illam curandam, ſed illa à Chriſto profluxit. Ideo oſtendit quam miſer fuerit ſtatus hominis ſub illa lege, quâ non obſtante videbat aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Ideo exclamat quaſi in perſonâ omnium qui erant ſub lege veteri. Si non adjuvaretur gratia Chriſti ad non conſentiendum motibus involuntariè excitatis ex parte carnis: *Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato*, non quod non eſſet in gratia, ſed quod corpus aggravaret animam, variéque illam deprimeret propter motus involuntarios: propter quos ſubjungit. *Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi illud facio: & velle adjacet mihi*, nempe immunem eſſe ab omni motu concupiſcentiæ, oprare poſſum: *perficere autem non invenio*: id eſt, eſſe ſine omni motu concupiſcentiæ non valeo in vita præſenti. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum.* Eſt enim caro ſubjectum concupiſcendi. Unde patet quanta eſſet in anima Pauli puritas, & quam tædioſum illi eſſet motus rebellionis etſi involuntarios perpeti, quamvis propriè peccata non eſſent, ſed tantùm

in aliquo periculo peccandi conſtituerent hominem: propter quod periculum mortem vitæ præferebat, ut reciperet corpus in gloria ſanatum ab omni languore concupiſcentiæ carnis, ad quod tendit illa vox gemebunda, quam multo magis uſurpare deberent, qui ſuccumbunt talibus concupiſcentiæ titillationibus: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* (quod lex Moyſis non ſanat) *gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, non enim amplius Moyſes cum lege ſua eſt Dominus noſter, ille mortuus eſt, *ut ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit ut fructificemus Deo.* Ac cap. 9. concludit. *Nihil ergo eſt damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant*, id eſt, cæremonias legis quæ magna ex parte carnalia ſpectabat, ut propter id in Epiſt. ad Hebræos, vocet eam, mandatum carnale. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto liberavit me à lege peccati & mortis*, id eſt, lege Moſaica. Ac conſequenter per reliquum capitis octavi urget bona quæ in Chriſto habemus, ſi nempe ipſius legi ſubditi maneamus, ipſius ſpiritum ſequamur eodem zelo & intentione ducti ad glorificandum Deum quo ipſe fuit, ad amandum Deum ut Patrem tanquam filij, non ſervi ſicut Judæi. Si etiam ipſi compatimur ut & glorificemur, adverſa hujus vitæ æquo animo ferentes, ut magna & inenarrabilia & incomparabilia alterius vitæ gaudia conſequamur. Ad quod anhelat omnis creatura quæ in renovatione hominis nova gloria ipſa donabitur, ſicut ſervi cum ad magnam dignitatem exaltatur ipſorum Dominus, & ipſi & tota familia novo ſplendore coruſcant. Hoc autem ita ſperandum. Nam inquit. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſanctis. Nam quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui* (in gloriâ æternâ) *ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, &c. Ac poſt hæc totus extra ſe rapitur Paulus in amorem Chriſti ob tot bona ac maximè bonum prædeſtinationis, erumpens in hanc amoris flammam ut Chriſto omnes adhæreant. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an angustia*, &c.

4. Difficultatis hæſitare de promiſſione facta abraha.

4. Laborabant plures ex ipſis Romanis hæſitatione quadam ob promiſſa facta Abrahæ de ſemine ejus, id eſt, filijs benedicendis, cum tamen per legem Chriſti jam excluſi & privati benedictione apparerent. Quia, inquit Theodoretus, Judæi Patriarchæ Abrahæ promiſſa producebant, quaſi illis contraria eſſet prædicatio Apoſtolica ad gentes, oſtendit Apoſtolus promiſſiones Abrahæ factas de ſpirituali Iſraëlita non carnali intelligendas eſſe. Interim Deum non repudiaſſe Judæos abſoluto ſuo decreto, quaſi illos reprobaſſet ſine ipſorum culpa. Ipſe enim quantum in ſe fuit omnes vocavit ad ſalutem per prædicationem Apoſtolorum, non propter horum aut illorum opera, ſed ex vocatione ſua quâ procurat ſalutem omnium. Ideo ſi Judæi exciderunt à benedictione filiorum Dei, id ſibi ipſis imputent qui noluerunt Chriſto adhærere.

Atque hanc partem exequitur Apoſtolus per tria capita 9. 10. & 11. rediens enim ad ſe ex raptu amoris ſui erga Chriſtum orditur cap. 9. ac quia hæſitabant ob promiſſa facta Abrahæ de benedictione ſuæ prolis, reſolvit hoc dubium, interpretans benedictionem illam non ſpectare ad filios & Iſraëlitas ſecundum carnẽ titulo ortus carnalis & operum legis, ut gloriabantur illi dicentes, *ſemen Abrahæ ſumus*, Joa. 8. ſed ſpectare ad filios & Iſraëlitas ſpirituales qui imitarentur fidem quam habuit Abraham in Chriſtum, ſicque ijs ſimiles eſſent in fide. Poſtquam enim affectum ſuum illis expoſuit, ne ex malevolo animo in gentem ſuam, ea procedere quiſpiam exiſtimaret, *veritatem dico in Chriſto* &c. ubi dolet ſe in tantum illos amaviſſe, quod etiam à Chriſto anathema & ſeparatus eſſe deſideraſſet, rem ipſam proponit. *Non autem quod excidit verbum Dei.* Hoc eſt, quòd deſit promiſſio facta Abrahæ in favorem ſuorum filiorum, vera eſſe. *Non enim*, inquit, *omnes qui ex Iſrael ſunt ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, non qui filij carnis ij filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine*, id eſt, ij ſunt verè filij Abraham qui magis nati ſunt viâ extraordinariâ quaſi dono Spiritus Sancti, ſicut Iſaac, qui hæres habitus eſt, non Iſmael ſecundum viam carnis ordinariam natus. Sed nec iſta benedictio Abrahæ facta, contingit filijs Abraham titulo bonorum operum in adimpletione legis ſcripræ: ſicut patet in Jacob, qui filius habitus eſt præ Eſaü qui minora bona obtinuit, non ratione operum, ſed ex propoſito ac beneplacito divino. *Cum enim nondum nati fuiſſent aut aliquid boni egiſſent aut mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Ex quibus exemplis oſtendit Apoſtolus Deum computare filios Abrahæ alijs titulis, quam ortus carnalis, ut in Iſaac patet, & operum legis, ut in Jacob patuit. Filij ergo Abrahæ æſtimantur ex fide in Chriſtum: ij ſunt Iſraëlitæ ſpirituales in quibus adimplebitur benedictio facta Abrahæ de poſſidendâ terrâ viventium & gloriâ æternâ, quæ eſt complementum iſtius promiſſionis.

Sed contra hoc fieri poterat objectio, quod Deus ſic præferendo Iſraëlitas tales ſpirituales alijs qui erant tantum ſecundum carnem, iniquè videretur agere. Contra quod aſſerit nihil iniquitatis eſſe in Deo, ſi ſpiritualibus illis det gloriam, non alijs. *Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum? abſit: Moyſi enim dicit, miſereor*, dando gloriam, *cujus miſereor*, vocando ad fidem. Iſtud opus eſt miſerentis Dei erga Iſraëlitas ſpirituales juxta illud Pſalmi. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Ita enim eſt quod primus gradus gloriæ eſt donum divinæ miſericordiæ. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Sed nec obligatur erga Iſraëlitas ſecundum carnem, ſi tales maneant & indurentur. Nihil illis debet ſicut nec Pharaoni indurato quidquam debuit: *Ergo cujus vult miſeretur & quem vult indurat*, permittendo illum ſuæ voluntati. Quod diſcrimen inter eos de quibus nunc pronuntiat Apoſtolus, *cujus vult miſeretur* &c. dum non attendunt nec volunt attendere plures tam ex ortodoxis quam Eterodoxis, implicant ſe in difficultatibus inſolubilibus, erroribuſque periculoſiſſimis, ac diſputationibus mutiliſſimis.

Prima gratia datur ex miſericordia.

Sed fit inſtantia: quia ſi jure dominij ſuæ voluntatis ita diſcernit Iſraëlitas ſpirituales à carnalibus, & voluntati nullus juſtè reſiſtit, quid conqueritur Deus & querulatur contra induratos ſicut pſ. 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper hi errant corde: ipſi verò non cognoverunt vias meas*, & Proverb. 1. & alibi de Judæis conqueritur. *Dicis itaque mihi: quid adhuc queritur, voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Ad hoc Apoſtolus tria reſpondet, primo non eſſe minus in poteſtate Dei ex duobus illis Iſraëlitis unum glorificare, quam figulo ex eadem maſſâ facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, & hæc quidem de poteſtate Dei, nam de actu nihil hìc reſolvit Apoſtolus. Secundò reſpondet, ſi Iſraëlitæ carnales tales ſint, nec in ſpirituales commutentur, id non provenire ex ſuâ parte quaſi eos ad fidem non vocaverit, aut diu ſatis non expectaverit, ut fidem in Chriſtum caperent. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ aptata in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam, quos & vocavit.* Quæ verba tam ad hos quam ad illos referri poſſunt. Tertiò reſpondet non omnes Iſraëlitas ſecundum carnem tales manſiſſe, aliqui enim licet pauci amplexi ſunt fidem, ut B. Virgo, Apoſtoli, & diſcipuli, & qui

Tria reſponſa D. Pauli perpendenda attente.

Nota Iſraëlitas duplicis generis.

ex Judæis fidem amplexi erant. Et hoc est quod dicit, *Isaias autem clamat pro Israël, si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquæ salvæ fient*, id est, aliqui ex ipsis, idque virtute prædicationis Apostolicæ quæ fuit verbum consummans & verbum abbrevians in æquitate, rescindens tot cæremonias legis. Quia *verbum breviatum*, Evangelium scilicet, *faciet Dominus super terram*. Ex prædicatione porro, qui credent in Christum salvabuntur ac completam promissionem Abrahæ factam de terrâ viventium referent: qui non credent condemnabuntur. En status quæstionis & resolutionis D. Pauli.

Ultima resolutio quæstionis de electione quorundam.

Quare concludit istas quæstiones hac ultimâ resolutione, *quid ergo dicemus, quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est: Israël vero* (majori ex parte) *sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit? quare? quia non ex fide sed quasi ex operibus.* Noluit credere prædicationi de Christo crucifixo & à mortuis resurgente. Scandalum passus est de cruce, *offenderunt enim in lapidem offensionis*, &c. Mansit qualis erat, non sibi induxit in mentem fide Christo adhærendum, operibus legis Mosaïcæ totaliter confidens prædicationem respuit. Dubium autem an asserat D. Paulus in hoc capite prædestinationem & reprobationem sine præviſis meritis ex gratia Dei.

D. Paulus non asserit prædestinationem ante prævisa merita.

Id putant plures, quia D. Paulus duo exempla assumit unum ex Jacob & Esaü fratribus uterinis & in statu æquali natis, quorum ex mera Dei voluntate unus dilectus, alter odio habitus, *antequam quidquam boni vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Aliud exemplum est ex figulo qui ex eadem massâ potest aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, prout voluerit, fabricare, & hæc quidem in speciem satis sunt probabilia. Verum si spectemus attentius scopum Apostoli & ad quid illa exempla adaptat ac quæ habet sub finem capitis, à mente ejus hæc sunt aliena. Considerandum enim est, propositionem Apostoli de ijs circa quos Deus, quæ vult pro sua voluntate, operatur, non esse de duobus in eadem massâ vel in pari statu constitutis, sed in dispari prorsus scilicet de duobus Israëlitis: carnali uno qui sibi omnia deberi putat titulo prosapiæ & cæremoniarum legis quas observat, spirituali altero qui fidem in Christum, habet de quo Joan. 3. *Ecce est verè Israëlita in quo dolus non est.* Apostolus asserit hunc non illum filium esse Abrahæ ac promissiones ipsi Abrahæ factas consecuturum, Deo ita volente, & miserente. Hoc nihil juvat prædestinationem & reprobationem extra prævisa merita, cum potius includantur aliqua merita, saltem ex congruo, in personis circa quas est assertio Apostoli, puta in Israëlita spirituali.

Status quæstionis.

Exemplum Esau & Jacob.

Nec obstat primum exemplum de Esaü & Jacob fratribus, quoniam ibi agitur de temporalibus in quibus voluit Deus Jacob, minorem licet prælatum fuisse Esaü; non enim caret temeritate asserere illum damnatum esse, cum deposito semel odio fraterno potuerit religionem paternam servando, salutem consequi: tantumque assumit hanc historiam de terrenis Apostolus, ad ostendendum quod Judæus carnalis titulo operum legalium non habeat jus ad promissionem Abrahæ factam sicuti contendebat, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, propositum scilicet glorificandi Israëlitam spiritualem præ carnali. Sic enim exempla rerum terrenarum figuræ sunt rerum spiritualium.

Similitudo figuli.

Non etiam obstat secundum exemplum de figulo luti, quoniam etiam adaptari potest utrique Israëlitæ qui sunt mediatè ex eadem massâ peccati originalis, licet immediatè ex eâ massâ non discernantur, ut unus sit vas in honorem, alius in contumeliam. Nec est necesse ut comparationes quadrent secundum omnia. Vasa terræ nihil conferunt ad suam fabricationem qualiter fiant & permaneant: vasa autem rationabilia aliquid possunt conferre ut taliter fiant & permaneant, prout indicat idem Apost. 2. Timot. 2. *in magna domo sunt vasa aurea, & fictilia alia in honorem, alia in contumeliam. Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem utile domino.* Quare consequenter ostendit Apostolus potuisse Israëlitam carnalem fieri vas in honorem, si nempe patientia Dei abusus non fuisset: si verbum prædicationis audijsset, si ex fide in Christo non ex legalium operibus benedictionem sperare voluisset. Hinc intelligere licet D. Paulum à multis malè intelligi qui non capiunt suppositionem D. Pauli & inter quos comparationem instituit. Sed quis in scolis alteri velit cedere?

Cap. 10. Amplius urget quod nono proposuerat obiter de verbo Evangelij quasi omnibus annuntiatum fuisse, ut omnes illi crederent & Christo adhærerent, qui est finis legis, per quem vult Deus homines justificari, non per opera legalium. *Ignorantes enim justitiam Dei & suam* (in lege) *quærentes statuere, justitiæ Dei* (qua vult justificare homines per fidem in Christum) *non sunt subjecti. Finis enim legis Christus est ad justitiam omni credenti.* Ideo, opus est corde in illum credere & ore ipsum confiteri ad hoc ubique & omnibus annuntiatur, nec enim aliter in ipsum credere possent homines. *Sed non omnes obediunt Evangelio.*

Cap. 11. Verumtamen si nunc plures Judæi non credunt, prædicit in fine mundi convertendos. Interim ex præsenti eorum incredulitate occasionaliter factum est, ut prædicaretur gentibus & gentiles salvarentur. *Illorum delictis salus est gentibus ut illos æmulentur. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium: Quanto magis plenitudo eorum?* Scilicet in fine mundi, cum omnes convertentur Judæi & ad eorum exemplum plerique gentiles.

Ex hoc porro duo infert Apostolus. Primò ut non glorientur gentiles & sibi caveant ex exemplo Judæorum qui nunc à fide ceciderunt. Idem enim posset gentibus contingere, ut & ipsi caderent qui sicut oleaster inserti sunt in bonam olivam, quales erant Judæi, ante prædicationem Evangelij. Sic enim Judæi erant veluti rami naturales bonæ olivæ religionis, gentiles rami adventitij & insiti. *Dicu ergo fracti sunt rami, ut ego inserar bene, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas noli altum sapere sed time.*

Miratur D. Paulus tres altitudines.

Secundò ex ista varietate & mutatione hominum circa fidem & statum salutis adsurgit mente ad mirabilia judicia Dei. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus! quis enim cognovit sensum Domini?* ubi tria miratur Apostolus 1. altitudinem & abundantiam divinarum, gratiarum nempe quibus omnibus sufficienter providit; 2. altitudinem sapientiæ ac rerum altissimarum, quæ in ipso sunt; 3. altitudinem scientiæ & præscientiæ, quâ futura omnia de singulis cognovit.

Atque hactenus difficiliora Epistolæ ad Romanos in quatuor reliquis capitibus componit eorum mores: ac primo quidem in genere.

5. difficultas. Moralis doctrina plurium capitum.

Cap. 12. *Obsecro itaque vos fratres* (cum Deus taliter se habeat) *per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum & nolite conformari huic sæculo &c.*

Deinde magis specialiter cap. 13. circa superiores. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Item circa æquales ibidem. *Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit.*

Cap. 14. & 15. Informat ut se debent habere circa infirmos, qui angebantur scrupulis circa comestionem ciborum in lege prohibitorum. *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia, qui autem infirmus est olus manducet.* Quia illo tempore dubia

ista nondum soluta erant per Synodum Apostolorum, ideo unicuique permittebatur in suo sensu abundare. *Scio & confido in Domino Iesu quia nihil commune per ipsum: nisi ei qui existimat, quid commune esse, illi commune est.* 1. prophanum & vetitum. *Omne autem quod non ex fide* (quod licitum sit) *peccatum est.*

Cap. 16. Varias habet commendationes.

Quid insuper epistola hac habet præter doctrinam fidei?

Decem argumenta D. Pauli ad amorem Christi provocantia.

Decem argumenta pro charitate Christi.

Quæ sunt illa argumenta & à quibus verbis incipiunt, rem enim mihi narras parum notam?

1. Argumentum D. Pauli ad persuadendam fidem in Christum est, quod omnes tam Gentiles quam Judæi defectu illius fidei in Christum fuerint corruptissimi in moribus & omni supplicio digni. Quod primum argumentum incipit tractare primo capite, prætermissâ salutatione, ac testificatione sui boni affectus ac desiderij pro eorum salute illis Evangelium annuntiandi; hinc enim sensim delabitur ad enarranda vitia gentilium, ac maximè Romanorum, qui tanquam orbis Domini alios judicabant ac puniebant, cum ipsi rei essent nec excusabiles, testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum ac synderesi, ut secundo capite explicat, ubi & incipit narrare peccata Judæorum, quæ persequitur cap. 3. ubi, non obstante privilegio sacrorum Librorum, eos æquat gentibus in malitiâ & sceleribus, ut omnibus fides in Christum necessaria fuerit. *Non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu, &c.* Ut sic nullus super alium elevetur, cum sola fides viva in Christum justificet tam gentes quam Judæos, qui omnes sine illâ pleni sunt peccatis.

2. Argumentum ad credendum & amandum Christum ducit Apostolus ab exemplo Abraham, qui ex fide viva in Christum justificatus est, non ex operibus, *quid enim dicit scriptura? credidit Abraham Deo & justificatus est.* Quod argumentum prosequitur toto capite quarto.

3. Argumentum ducit à morte Christi & amore illius in nos, qui quod Adam peccando destruxerat ipse reparavit. Sicut enim per obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituentur multi. Hocque explicat cap. 5.

4. Argumentum ducit à baptismo in quo Christiani ex aquis emergunt, in quibus immersi erant in similitudinem Christi ex sepulchro ad vitam gloriosam resurgentis, ut sic discamus omnes ex veteri vitâ peccaminosa ad novam totam sanctam elevari à qua nunquam relabamur per præteritorum peccatorum reiterationem. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, &c. Hocque explicat Apostolus cap. sexto.

5. Argumentum ducit ex hoc, quod per Christum liberati sint homines à lege Mosaica, imo & à lege concupiscentiæ dominante in membris, in quantum gratia per Jesum Christum collata suppeditat vires & robur ad illi resistendum & non consentiendum: unde sequitur nullum supereſſe obstaculum ad adhærendum Christo per fidem & charitatem. Exemplo mulieris cujus si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro, &c. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et hoc cap. 7. differit.

6. Argumentum ducit Apostolus à virtute & excellentia Spiritus Jesu Christi, quo qui repleti sunt & à peccatis liberantur & bonis plurimis locupletantur. Est autem ille Christi ardor quidam vehemens & insatiabilis glorificandi Deum, & salutem omnium procurandi qualis erat in Christo, itaut propterea nullius rei dispendium timeatur, nec ipsius sanguinis effusio nec vitæ propriæ amissio. De quo spiritu dictum est Joan. 7. *Quem accepturi erant credentes.* De hoc spiritu & ejus effectibus mira dicit Apostolus toto capite 8. *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu qui non secundùm carnem ambulant, &c.* Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filij Dei, &c. *Similiter autem & spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, &c. Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*, scilicet in participatione illius spiritus: quo æstuans Apostolus in fine capitis veluti totus extra se rapitur & seipsum non continens amplius prorumpit in plures affectus amoris erga Christum. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* &c. *Spiritus Christi.*

8. Argumentum ducit Apostolus ex reprobatione Judæorum propter defectum fidei in Christum. Aperto enim ferventi zelo quo ferebatur erga eorum salutem describit eorum rejectionem non obstante eorum vocatione, & post varias meditationes de altitudine ac potentia Dei ad facienda vasa in honorem & contumeliam, finalem causam ac resolutionem rejicit in hoc quod Christo non adhæserunt sicut gentes. *Quid ergo dicemus quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, &c. Israël verò sectando legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide sed quasi ex operibus, offenderunt enim in lapidem offensionis & petram scandali, & omnis qui credit in eum non confundetur.*

Quasi diceret, rejecti sunt quia operibus jam mortuis legis Mosaicæ postquam abrogata est nihilominus dura cervice adhæserunt, cum deberent fidem ac Religionem Christi amplecti, quam potius contempserunt. Non enim debemus imaginari sicut aliqui in verbis hujus Epistolæ decepti, causam derelictionis Israëlitarũ fuisse quod non fuerint prædestinati, aliam enim causam insinuat Scriptura sacra, ut cum dicit eis Christus Matth. 15. *Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus ejus.* Et ipsemet Divus Paulus eos alloquens Act. 13. *Quoniam indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Juxta illud Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Sic est igitur quod quemadmodum Deus prædestinavit Aquilam ut volaret sed cum alis: unde si in pullis Aquilarum, pennæ crescere incipiant, spes est quod volaturi sint: sic homines prædestinavit ut volarent ad gloriam cœlestem cum alis bonorum operum: unde qui incipit bene operari spem habeat prædestinationis. Inspirat autem Deus omnes homines ad bona opera. Et ut ait D. Augustinus de Eccles. dogmatibus cap. 21. ut acquiescamus salutari inspirationi, hoc nostræ est potestatis. Non acquieverunt autem Judæi.

9. Argumentum persuadens fidem & amorem in Christum ducit Apostolus à vocatione omnium ad credendum in illum sine acceptione personarum, sublato obice legis veteris quæ separabat Judæos à gentibus & cui Christus finem imposuit, ut omnes in suo amore coadunaret præsens omnibus, paratus omnibus sine distinctione Judæi & Græci se communicare, disseminato & evulgato Evangelio in omnem terram: itaut non alia re opus sit quam ore confiteri Christum & corde credere fide viva, nec ex abyssio inferorum avocandus est. *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, &c. Dicit enim scriptura, omnis qui credit in illum non confundetur: non est enim distinctio Judæi & Græci. Nam idem Dominus omnium dives in omnes qui invocant illum*, &c. Unde nulli est locus excusationi si quis Christo non adhæreat. Hoc fusius cap. 10.

10. Argumentum ducit ab exemplo Judæorum qui cum essent filij Dei, rejecti sunt à promissionibus Evangelij, *Sed illorum delicto salus gentibus ut illos æmu-*

lentur. Judæorum nempe abjectio occásio fuit gentibus fidem capessendi ex quadam æmulatione, videntes enim alieni filios ab hæreditate dejectos, majorem spem concipiunt illius potiundi. Sed & exemplum Judæorum omnes sollicitos tenere debet, ne sicut ipsi excidant, & ideo constanter perseverent in fide. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.* Denique ne quisquam scandalisetur & à fide avocetur ex eo quod Judæi ab ea sint extranei, concludit Apostolus ipsos etiam Judæos in fine mundi convertendos ad Christum: *Nam etsi tu* gentilis ex gentili patre oriundus *ex naturali excisus es oleastro* gentilitatis, *& contra naturam insertus es in bonam olivam* conversus ad religionem Christianam: *quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suæ olivæ?* Idest Judæi, qui resecti sunt ab oleâ veræ religionis in quâ nati erant, in eam inseri poterunt. *Nolo enim ignorare vos fratres mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.* Hoc autem de Judæis & gentibus in eorum locum substitutis usque ad ultima mundi tempora, tam mirabile putat Apostolus, ut suas omnes ratiocinationes quibus ad Christum invitat cunctos, sic finiat. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* in primas causas tantæ rei mentem suam & aliorum attollens.

Quid post hæc validissima argumenta agit D. Paulus in quatuor reliquis capitibus 12. 13. 14. & 15.

Exhortatur ad bonos mores quos decet habere credentes in Christum, ad mortificationem, misericordiam, mansuetudinem, obedientiam ad superiores, ad vitandum judicium temerarium, & scandalum infirmorum. Et hæc est series mirabilis illius Epistolæ, cujus sensus sublimes & reconditi omnium sapientiam ac ingenia maxima exercere & acuere possunt.

Quod est argumentum primæ Epistolæ ad Corinthios?

Scopus Epistolæ ad Corinthios

Intendit Apostolus varios errores ad Corinthiorum, quos ad fidem per Evangelij prædicationem converterat, corrigere: ac ipsos instruere in quibusdam, quæ minus intelligebant.

XII. Errores Corinthi. sunt.

XII. Errores Corinthiorum.

I. Eorum error erat quod meliorem baptismum esse putabant a meliori ministro collatum, unde gloriabantur contra se invicem quod ab hoc aut illo potius baptizati essent, dicebantque *ego sum Pauli*: ego vero Cephæ, ego autem Apollo: ego autem Christi. Hoc corrigit Apostolus in quatuor primis capitibus, adductis variis ad humilitatem inducentibus, ex mysterio Crucis per quam Deus salvat homines, quæ stulta sunt mundi eligens, ut confundat sapientes; ex miseriâ & infirmitate hominum, qui ex se nihil possunt: & ex eo quod Christus sit fundamentum omnis boni spiritualis. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est Christus Jesus*: itaque omnis gloria ad eum referenda est, non ad homines, qui ex se nihil habent.

Quod autem subjungit. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos: ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit* &c. Omissis variis interpretationibus quæ locũ potius obscurant quam elucidant, commodè intelligi potest secundum mentem Ambrosij Catharini de doctrina quæ superadditur à prædicatoribus fidei principiis jam ab ipso firmatis quæ convellere non licet. Monet igitur Doctores, ut videant quomodo superædificent, nam quidam aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant qui de divinis sapienter loquuntur & quæ dignè correspondeant sanctitati, dignitati & charitati Christi Domini, ut sunt opera virtutum. *Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne examinatum,* & vera sapientia aurum est pretiosum. Quidam verò superædificant lignum, fœnum, stipulam, quorum doctrina mundana, & opiniones falsæ, quales eorum qui meliorem baptismum putabant, a meliore collatum. Dies autem Domini, nempe dies mortis quæ in igne revelabitur, id est, in examinatione exactâ, quæ sicut ignis cuncta penetrabit & elucidabit secundum veritatem, uniuscujusque opus probabit; ac primi quidem mercedem accipient, manebit eorum superædificatio, doctrinaque a Deo commendabitur tanquam aurum, argentum, ac lapides pretiosi, sicque persistet in illo igneo judicio, in quo non reprobabitur: alij verò quorum doctrina & prædicatio levior, etsi non pereant, quod fundamentum tenuerint, detrimentum tamen patientur, quia nihil mercedis pro tali doctrinâ ac prædicatione recipient, illâ veluti amissâ, oleum & operam perdidisse invenientur, quod significatur his verbis, *si cujus opus arserit, detrimentum patietur*: dicitur enim opus illud ardere, quod ignem divini examinis severissimi sustinere non potest: sicut lignum, fœnum, stipula ab igne correpta comburuntur. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quâ similitudine vult ostendere Apostolus igni puniendos esse doctores qui fidei Christi vana & curiosa superædificarunt, absque tamen interitu sempiterno inferni: quod ipsorum doctrina etsi fuerit quodammodo præter Christum, non tamen extra aut contra. Itaque dicit, *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est ad modum illius qui ex incensâ domo elabitur semi-ambustus per medium ignem; quem ignem purgatorium esse traditio est, ut nihil amplius requiratur: & est sensus Cõcilij Florentini. Quare inde habent, unde metuant illi verbi Dei præcones, qui omnia alia præter Christum & quæ ejus dignitatem, puritatem, reverentiamque sapiunt, annuntiant, levibus conceptibus luxuriantes ac sibi ipsis ac gloriolæ suæ studentes. Quanto magis timebunt qui sive per ignorantiam sive malitiosè & per affectionem ad sectas quibus addicti sunt, redemptionis Christi mysterium sive a fronte sive à latere, quod ferè omnium est hæreticorum, impugnant, hoc enim non est superædificare, ad sensum Apostoli, sed magis destruere fundamentum, quod ipse ut sapiens architectus posuit.

Monitum ad prædicatores.

II. Error quod conversabantur cum homine incestuoso quem excommunicaverat. Hoc arguit cap. 5.

III. Error quod lites inter se haberent coram judice ethnico: & hoc prima parte cap. 6.

IV. Error quod fornicationem non adeo magnum malum existimarent. Quod corrigit secunda parte ejusdem capitis. *Nolite errare neque fornicarij*, &c. Digreditur que cap. 7. ad eos instruendos de usu licito matrimonij, & præcellentiâ virginitatis.

V. Error, quod Idolothyta, id est escas Idolis sacrificatas aut oblatas manducare non reformidarent, cum conscientia peccati & scandalo infirmorum, qui putabant eos id facere ad cultum & honorem Idoli. Hoc corrigit Apostolus, ostendens Idolum nihil esse, & hæc manducare indifferens esse. Abstinendum tamen ab esca, si scandaliset fratrem & malè ædificet, hoc cap. 8. Unde cap. 9. sequenti hoc amplius probat sui exemplo, quod escas aut aliud quidpiam non acceperit ab eis, etsi jure id potuisset, ne offendiculum aliquod poneret Evangelio. Et cap. 10. idem tractat argumentum ex eo quod meliores escas habeamus in participatione Eucharistiæ, & Idolis immolatum nihil sit; vivendum tamen sine offensione & ab eo abstinendum, si propter hoc proximus putaret nos in honorem Idoli facere, cum omnia in gloriam Dei facienda sint.

VI. Error in hoc erat quod viri cooperto capite orabant, mulieres sparsis crinibus. Hoc corrigit prima parte cap. 11. Quia enim homo à Deo profluxit estque ejus imago & gloria, decet eum aperto esse capite ut pateat Dei gloria, quia vero mulier ex viro est, estque ejus imago & gloria, decet eam velato esse capite, ut non pateat gloria hominis.

VII. Error erat circa Eucharistiam quam indigne

Psal. 11.

recipiebant & cui præmittebant varias cœnas in Ecclesiâ. Hoc arguit Apostolus, cum deceat potius à jejunis Eucharistiam manducari, reliqua parte ejusdem capitis: ac polliceetur se ijs traditurum ea quæ pertinent ad decentem usum illius cum fuerit præsens.

VIII. Error erat circa gratias spirituales, ut prophetandi, loquendi linguis, faciendi miracula & alijs, quas putabant unicuique pro merito contingere. Hoc arguit cap. 12. Asserens has gratias provenire ex mero Spiritus Sancti beneplacito, qui dividit singulis prout vult, quasdam uni, quasdam alteri, ut quisque alterius operâ indigeat, sicut unum membrum in corpore alterius membri adjutorio eget.

IX. Error quod istas gratias gratis datas loquendi linguis & faciendi miracula nimis æstimarent quasi in ijs esset magna perfectio. Hunc errorem destruit Apostolus cap. 13. ostendens charitatem qua Deus & proximus amatur excellentiorem esse.

X. Error in eo quod non bene discernebant inter ipsos gratias datis datas, magis præferentes donum linguarum. Hoc corrigit cap. 14. præferens donum Prophetiæ quâ explicantur ad utilitatem proximi Scripturæ sacræ eloquia.

XI. Error erat circa resurrectionem mortuorum circa quam aliqui dubitabant. Hoc corrigit cap. 15. Eam probans varijs argumentis & modum quo fieri debeat enarrans disertis verbis.

XII. Error quod collectæ pro succursu Christianorum Jerosolymis degentium qui abjectis omnibus suis possessionibus ad pedes Apostolorum ex Eleemosynis sustentabuntur, non fierent debito ordine. Hunc defectum supplet cap. 16. alia quædam familiariter addens Epistolæ.

Quid porrò continetur in 2. Epistolâ ad Corinthios.

In eâ Epistolâ Apostolus multa dicit ferè per omnia capita in sui ipsius laudem ac commendationem, miscens hinc inde aliquas ardentes & affectivas exhortationes ad benè agendum.

Probari-ne potest virum Apostolicum sui ipsius laudatorem esse ac laudatorem?

* *Laudatio sui ipsius, quo licita.*

Respondeo viros sanctos seipsos etiam aliquando laudasse inculpabiliter. 1. Ad conservandam honestam sui existimationem juxta illud Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine.* 2. Ad facilius rem desideratam à Deo impetrandam sicut fecit Rex Ezechias Isaïæ 38. *Obsecro Domine memento quæsò quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, &c.* Obtinuitque sanitatem: sicut etiam David Rex sæpius laudat seipsum ut in Psalm. 25. *Judica me Domine quoniam ego in innocentiâ ingressus sum, &c.* 3. Ob proximi salutem & ædificationem. Quo pacto Apostolus Paulus sæpius in Epistolis vocationem suam, labores, miracula, revelationes commemorat, maxime in Epistolâ hac, in qua multa dicit familiariter de suis perfectionibus ac revelationibus, patientia, veritate, diligentia, compassione, præsentis vitæ contemptu, compassione erga pauperes, recta intentione, resistentia contra tentationes, de raptu suo ad tertium Cœlum, quod quidam mali Christiani ac pseudo-Apostoli niterentur cum calumnijs & detractionibus contemptibilem reddere: cujus autem vita contemnitur, quid restat nisi ut ejus etiam doctrina despiciatur. Idcircò necessitate adactus, ne Corinthij parvi facerent quæ illos docuerat, cum præjudicio animarum, seipsum laudat per tredecim capita, in quorum duodecimo sic se excusat. *Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus sum ab ijs qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum:* Sic cavens superbiam in humili sui ipsius cognitione inter tot laudes & dona Dei.

Quis sensus Epistolæ ad Galatas?

Epistola ad Galatas.

Revocat Galatas Asiæ populos ab errore: decepti enim illi à Pseudo-Apostolis & Hæreticis qui docebant servandam esse Legem Mosaïcam cum Religione Christianâ; quasi lex vetus abrogata non fuisset per Christum: etiam seipsos circumcidebant ac alia legalia servabant, quasi id necessarium esset ad salutem. Id autem improbat Apostolus multisque rationibus concludit solam Legem Christi servandam quam illis prædicaverat, atque identidem aliquas amoris sui ad Christum scintillas emittit.

Legalium abrogatio.

Cap. 1. Id probat ex eo quod Evangelium quod illis prædicaverat non ab homine corruptæ naturæ, sed à Jesu Christo acceperit: idcoque cum sit à Deo, mutari non debere, sed debere ipsos in eo perseverare.

Cap. 2. Ostendit illud quod idem Evangelium approbatum est ab alijs Apostolis. Et improbatus ab ipsomet D. Petrus, quod simularet se aliqua ex legalibus observare. Et quod non justificatur homo ex operibus legis Judaïcæ, sed per fidem Jesu Christi.

Cap. 3. Idem probat ex eo quod ex auditu fidei & fide in Christum non ex operibus legis acceperint Spiritum Sanctum qui dabatur visibilibus signis in initio Ecclesiæ. Deinde quod inutiliter passi essent hactenus pro Christo si legem ejus mutarent. Et quod credentes in Christum miracula apud ipsos patrarint non alij. Unde fit ut lex illius retinenda sit. Idem probat ex exemplo Abrahæ qui ex fide justificatus est, non ex operibus legis quæ nondum erat, & quod benedictio illi promissa adimpleta fuerit in Christo. Denique quod lex vetus fuerit tantum instar Pædagogi nos ducens ad Christum: idcirco cum simus sub Christo ad Pædagogum minimè redeundum est, sicut pueri cum ad perfectionem scientiæ pervenerint, ad Pædagogum non revertuntur.

Cap. 4. Idem urget duobus exemplis: unum est parvuli qui sub tutoribus est usque ad tempus præfinitum à patre: qui cum hæreditatem acceperit, non redit ad tutores: sic cum jam per legem Christianam in adoptionem filiorum recepti simus, minimè ad statum servitutis & tutelæ redeundum est: aliud exemplum est duorum filiorum Abrahæ Ismael & Isaac, quorum ille ex ancilla natus erat, hic ex libera. Ejecta est autem ancilla & Ismael filius ejus, retentâ Sarâ muliere liberâ & filio ejus. Porro hæ duæ mulieres duo sunt testamenta, seu duæ leges vetus & nova. Vetus autem ejecta est, abrogata est: sola ergo nova retinenda.

Cap. 5. Alias adhuc rationes adducit, quod Christus nihil illis proderit si circumcidantur. Quod ex circumcisione obligent se ad omnia legis opera quæ sunt difficillima. Denique invehitur in Pseudo-Apostolos à quibus seducti fuerant. *Utinam & abscindantur qui vos conturbant:* Tum eos hortatur ad charitatem & opera spiritualia, ad mortificationem vitiorum & concupiscentiarum.

Cap. 6. Prosequitur moralem exhortationem ad bona opera omnis generis. Testaturque suum amorem ad Christum & ejus Crucem. *Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos.* Sic dissuadens omnem aliam legem.

Quæstiones in Epist. ad Galatas.

Quomodo Apostolus vocat Ecclesias Galatiæ nomine Ecclesiarum cum errarent in fide?

Respondetur nondum convictos fuisse, judicatos & damnatos de pertinaciâ in errore. Incipiebat tantummodo error necdum contumaces erant.

Qua potestate Apostolus seipsum aut Angelum de cœlo excommunicat? Sed licet nos aut Angelus de cœlo *&c.* anathema sit.

Respondetur figurativam hanc esse locutionem, non quod D. Paulus ullam exerceat potestatem, ad insinuandum quod omnis hæreticus ipso jure excommunicatus est. Idque loquitur ex hypothesi, ad ostendendam fidei Christianæ certitudinem.

Quid est istud: modo enim hominibus suadeo? an Deo?

Declarat se ad honorem Dei prædicare, non ad honorem hominum: quare subjungit, *an quæro hominibus placere: si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Quis ille uterus matris ex quo se à Deo segregatum dicit?

Mater illa Synagoga est, ex quâ per fidem in Christum segregatus est. Sunt autem uterus Pharisæi Synagogæ secretarij qui ei filios generant. Matt. 23. *Circumeunt mare & aridam ut faciant unum proselytum. Quid istud.* Sed neque Titus cum esset gentilis compulsus est circumcidi? *an si Iudeus compulsus fuisset?*

Respondetur scandalum passos fuisse Galatas ex circumcisione Titi, ad quod amovendum dicit Apostolus, id non fuisse ex necessitate, quasi cæremoniæ legis ad salutem necessariæ essent. Quamvis si fuisset Judæus, aliquo modo compelli potuisset ad inutilem hanc observantiam majorum præcepto ad tollendum scandalum, dum adhuc tolerarentur ad aliquod tempus cæremoniæ legis: sic Gentiles ex Synodo Hierosolymitana obstricti sunt abstinere à sanguine & suffocato ad aliquod tempus.

An rectè Paulus in faciem restitit D. Petro quia gentium consortio se separabat, ne scandalum præberet quibusdam Iudæis, cum venisset autem Cephas Antiochiam in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat.

Porphyrius arguit D. Paulum

Porphyrius Apostata à fide in hoc D. Paulum arguebat, quod D. Petro suo superiori restitisset: etsi enim nondum fuissent Imperatores Christiani à quibus fingunt hæretici Pontificis Romani primatum emanasse, D. Petrus primum locum tenebat in Ecclesia, sicut & Pontifices ei succedentes. Sed nihil prohibet minorem auctoritate superare majorem sapientiâ & prudentiâ. Debetque superior interdum etiam ab inferiori argui si sit persona idonea, cum de præjudicio fidei agitur. Quare & Pontifex Ro. Cardinales habet sibi assistentes ut eorum utatur consilio, sapientiâ & admonitionibus, qui etiam possunt zelo Spiritus sancti accensi eidem resistere, si opus esset, unde non est verendum admittere veram fuisse D. Pauli reprehensionem, ut æstimat D. Augustinus contra D. Hieronymum, qui simulatam esse credidit.

Non tamen quod D. Petrus tunc errarit in fide, sed in nimiâ indulgentiâ erga Judæos, quibus specialiter datus erat in Apostolum & prædicatorem sine præjudicio prælationis super omnes.

Quis sensus reprehensionis D. Pauli: si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis & non Judaicè, quo modo gentes cogis Judaïzare?

Legalia viva mortua & mortifera.

Hoc est, si tu rectam fidem habes quod non amplius obliget lex Mosaica, scisque non vivendum esse Judaicè, æstimando se obligatum ad cæremonias legis: sed potius more gentium, id est liberè & sine ullâ alligatione ad leges Moysis (ita enim pro subjecta materia locus ille intelligendus est) quomodo tuo exemplo inducis gentes ad Judaïsmum, subtrahendo te à gentilibus, quasi prophani & immundi essent, cum quibus manducare non licuerit? Ita enim se res habet quod ante passionem legalia viva erant & observanda: post passionem nondum promulgato sufficienter Evangelio mortua & inutilia: at promulgato Evangelio mortifera.

Quid istud ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam?

Christus revivens in Paulo.

Intelligit de lege veteri per cujus auctoritatem constat non esse amplius illi adhærendum. Deuter. 18. *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus, ipsum tanquam me audies.* & Levit. 26. *Novis supervenientibus vetera projicietis.* Itaque utitur argumento ad hominem: si legem æstimatis, ipsa se abolendam docet, quare subjungit: *Christo confixus sum cruci*, clavis fidei, spei & amoris in ipsum, *vivo autem jam non ego*, qui eram Judæus antea mutatus sum in virum alterum. *vivit verò in me Christus*, ipse mihi dat vitam spiritualem & motum. Sic enim Pater mortuus dicitur vivere in filio, cum ejus similitudinem gerit filius & mores refert & intenta à Patre prosequitur, eademque negotia procurat quæ sunt de salute animarum. Juxta quod scribitur Eccles. 30. *mortuum est enim Pater ejus & non est mortuus, reliquit enim similem sibi.*

De qua fide loquitur Apostolus dicens, qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ? c. 3.

Fides in Christum semper erat omnis boni merito.

De fide in Christum, per quam justificatus est Abraham & quotquot præcesserunt sancti ante Incarnationem: itaut opera legis quantumvis non mala, sine fide in Christum non sanctificarent. Hoc dogma urget præcipuè ad Ro. scribens & ad Galatas, ut firmius fidei in Christum adhæreant, quod idem ad Hebræos scribens inculcat, ut omnem justificationem Christo attribuamus, & benedictionem Abrahæ, non nisi per Christum adimpleri, certò persuasi simus.

Quis ille mediator in cujus manu ordinata est lex per Angelos?

Moyses mediator ad impediendo plura mala.

Mediator ille est Moyses per quem dedit legem, quæ propter transgressiones posita est, id est, ad impediendo majora peccata, *donec veniret semen*, id est Christus, per quem vera justificatio contingit: Itaque Moyses per legem impedivit plura peccata ne fierent, & hoc fuit bonum legis sicut & bonorum omnium operum moraliun: quia tamen ad salutem non sufficit malum non feciſſe: sed insuper oportet bonum feciſſe, *ut oportet*, sicut loquuntur scolæ: ad quod bonum prærequiritur gratia per Christum: ideo lex per se non sanctificavit homines ad vitam æternam. Quia tamen discessus à malo est quid valde æstimandum, Moyses fuit mediator Hebræorum illisque emolumentum non parvi faciendum contulit. Unde subjungit Apostolus *mediator autem unius non est, Deus autem unus est*, ut indicet fuisse mediatricem & procuratorem multis Hebræis ne deteriores fierent, ut sic pararetur via Christi per remotionem malorum. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo ut ex fide justificemur. Sic ergo intelligendum est quod cum justitia Christiana duplici parte constet, declinare à malo & facere bonum ut oportet, ad primam partem valebat lex, ad secundam fides in Christum.

Quam vocem cupiebat mutare Apostolus dicens, vellem autem apud vos esse modo & mutare vocem meam, c. 4.

Hoc est multiplici sermone vos præsentes adhortari, suadendo, rogando, nunc imperando, nunc blandiendo, nunc etiam objurgando, ut quoquo modo vos hucrifacerem in Christo.

Quomodo Sina mons in Arabiâ conjunctus est ei quæ nunc est Ierusalem, cum tantopere distent?

Respondetur conjunctionem illam non esse ex approximatione loci, sed mysterij, ut enim in Sina data est lex vetus, sic in monte Sion lex Evangelij, unde versio Ariæ pro conjunctivâ *est* habet *quadrat*, alia versio, *coordinatur*.

Quo passo dicit Apostolus Ismaëlem persecutum fuisse Isaac, cum liber Geneseos dicat tantum quod luderet?

Persecutio ludus est.

Ut detur intelligi omnem persecutionem malorum adversus justos ludum esse puerorum, qui cito transit & nihil tandem nocebit iis qui amore justitiæ patienter sustinent.

Qua lege debitor est universæ legis faciendæ is qui se circumcidit? c. 5.

Lex conscientiæ.

Lege conscientiæ: qui enim credit se ex præcepto legis obligari ad circumcisionem, eadem ratione tenetur ad cætera legalia. Sic consequenter addit, *modicum fermentum totam massam corrumpit*, id est, una circumcisio si recipiatur trahit ad totum Judaïsmum, ut postea sitis toti fermentati & perversi.

An non optat malum proximo Apost. dicens, abscindantur qui vos conturbant?

Resp. non livore vindictæ, sed amore justitiæ id optasse Apostolum, sic autem peccatum non est.

Quomodo istud verum est, quod si spiritu ducimini non estis sub lege?

Intelligit Apostolus de lege veteri: vel de lege ut terrente ac per minas premente ad sui obligationem: quia

quia qui ducuntur ſpiritu amoris & charitatis ſponte & ultro legi obediunt. A

Ut quid inter opera carnis numerantur plura quæ nihil habent voluptatis carnalis, putà veneficia, rixæ, diſſenſiones?

Reſpondetur, iſta facile ortum ducere ex amore carnis & voluptatis; Vel Apoſtolus per carnem intelligit quæcumque ſpiritui amoris & charitatis divinæ opponuntur.

An vetat Apoſtolus durè arguere delinquentes cum ait, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.

Correctionis modus. Reſpondetur, Apoſtolum hic loqui de delicto ex inconſideratione & fragilitate commiſſo, ut indicat verbum *præoccupatus*. Ideo pro ratione peccati adhibendus modus correctionis à ſpiritualibus & ſapientibus. B

De quibus peccatoribus dicit Apoſtolus, nolite errare, Deus non irridetur?

De iis qui fraudabant ſuos Catechiſtas & Doctores meritis ſtipendiis, quos eluſiſſe putabant cum lite forenſi non pulſarentur. Ut inde agnoſcant homines vitandam ingratitudinem erga Paſtores & eos qui ſpiritualia ſeminant.

Quo ſenſu dicit Apoſtolus, per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo?

Hoc ſenſu, quod ſicuti crucifixus erat quoddam in horrore omnibus: ſic ipſe mundo erat quoddam veluti abominabile, & idem mundus ſibi ipſi, itaut ſe invicem deſpiciant.

Quare tantum gloriatur in cruce Chriſti: mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti? C

Mors Chriſti fons bonorum. Quia crux Chriſti fons eſt omnium benedictionum ſpiritualium. Quidquid ad pietatem & ſalutẽ pertinet, totum promanat de fontibus Salvatoris ac merito ſanguinis ipſius. Quæcumque enim egit Chriſtus, haud aliter acceptata fuerunt à Patre æterno quam in ordine ad mortem crucis, juxta quod ſcriptum erat Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, nec ſibi ipſi repugnat Apoſtolus 2. Cor. 1. *gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, & 2. Cor. 2. *libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, quia ubi unum propter alterum utrobique idem, bonum autem teſtimonium conſcientiæ fundatur in fide crucis, ſicut & gloria in infirmitatibus in imitatione ejuſdem crucis. D

Quæ ſtigmata Chriſti portanda ad imitationem Apoſtoli dicentis: ego ſtigmata Domini Jeſu &c.

Stigmata Chriſti ut ſerenda. Notat Gorranus Chriſtum ſtigmata paſſionis habuiſſe in capite per ſpinarum compunctionem, in latere per lanceæ perforationem: in pedibus per clavorum infixionem: in manibus propter manum cruci affixionem. Ita nos ſpiritualiter debemus notas paſſionis gerere in capite per aſſiduam ejus cogitationem 1. Petri 4. *Chriſto in carne paſſo & vos eadem cogitatione armamini*. In latere ſeu corde per affectionem, & devotionem: in manibus & pedibus per operationem. Cant. 8. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* E

Epiſtola ad Epheſios quid continet?

Epiſtola hæc non eſt reprehenſiva ſicut præcedens. Sed magis eſt congratulativa in duobus primis capitibus, in quibus præmiſsâ ſalutatione recenſet varia beneficia à Deo ipſis, qui gentes erant & alieni à Deo in hoc mundo ſine ſpe, collata, ac ipſis congratulatur de vocatione ad fidem Chriſtianam. In tertio capite orat pro ipſis cum affectu intimo flectendo genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ut corroborentur ac perſeverent minimè deficientes propter tribulationes varias quibus concutiebantur. In tribus reliquis capitibus eſt exhortativa ad pios mores & ad actus virtutum omnis generis. Quæ omnia legendo ſatis aperta ſunt.

Tom. I.

Difficilia ſuper Epiſtolam ad Epheſios.

An prædeſtinationem ante prævisa merita adſtruat Apoſtolus c. 1. dicens: Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti &c.

Reſpondetur negativè, quia tangit tantum Apoſtolus ſubſtantiam prædeſtinationis, & ipſius finem ultimum qui eſt ſanctitas omni ex parte completa *in conſpectu Dei*, id eſt, in viſione Dei, ut Doctor Gorranus ibi commentatur. Modum verò non tangit, an ſit ante prævisa merita ex gratiâ præveniente, vel poſt? imo cum electio non ſit niſi meliorum, videtur inſinuare aliquid melius Deum intellexiſſe in electis quam in aliis. Nec obſtat quod ſubjungit, *qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* *D. Paulus non aſſerit prædeſtinationem ante merita prævisa.*

Quia propoſitum & beneplacitum Dei non excludit prædeſtinationem ex prævisis bonis operibus ex gratiâ Chriſti aliquando futuris: quia ita complacuit Deò prædeſtinare: ſicut etiam bona opera Chriſti prævisa, ob quæ prædeſtinavit homines, nullo modo idem propoſitum voluntatis & beneplacitum impediunt. Aliter nodum iſtum ſolvit Catharinus de quibuſdam prædeſtinatis inſignibus, inter quos erat ipſe D. Paulus ante omne meritum, cum alij ſint prædeſtinati alio modo poſt conſtitutionem mundi προόρισις ſecundum D. Hieronymum, ante jacta fundamenta mundi, id eſt, antequam mundus, id eſt, cæteri qui ſunt de communi ſorte, haberent ſuæ ſalutis exordia, quibus idcirco dicitur paratum regnum à conſtitutione mundi, legi poterit prædictus Ambroſius Catharinus qui ſe ipſum fuſius explicat.

Quæ eſt omnis Eccleſia ſupra quam Chriſtus eſt caput, & dedit ipſum caput ſupra omnem Eccleſiam?

In hoc includit tres partes Eccleſiæ: ſanctos qui in cœlo, qui in purgatorio & qui in terrâ, in quos omnes influit Chriſtus ſenſum & motum ſpiritualem.

Quare dicit c. 2. Epheſios aliquando in peccatis ambulaſſe: in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi hujus?

Morale de vario ſtatu peccantium. Reſpondeo, homines varios ſitus & ſtatus in peccatis habere ſecundum Gorranum, quidam in iis jacent, Thr. 2. *Jacuerunt in terra foris.* Joël. 1. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo*, qui proponunt in eis manere. Quidam ſedent qui in parte remanent in peccatis, in parte ſurgunt, Luc 1. *& in umbra mortis ſedent*, ſic Exod. 16. filij Iſraël ſedebant ſuper ollas carnium in Ægypto. Quidam ſtant, qui à futuris abſtinent, de præteritis non ſatisfaciunt, Matt. 20. *Quid hic ſtatis tota die otioſi.* Quidam currunt qui paſſim per ſcelera ruunt, Job. 15. *Cucurrit adverſus Deum erecto collo*: ſic duo ſenes cucurrerunt ad Suſannam Dan. 13. Prov. 13. *Pedes eorum ad malum currunt.* Quidam ambulant qui paulatim in peccatis proficiunt, Pſ. 67. *Verumtamen Deus confringit capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis.* Ad Phil. 3. *multi enim ambulant de quibus dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti.* Tales aliquando Epheſij.

Quare vocat charitatem Dei nimiam qua dilexit nos?

Charitas Dei magna major maxima. Charitas Dei eſt magna, major, maxima & nimia. 1. nos ab æterno prædeſtinando, 2. in tempore vocando. 3. per gratiam juſtificando. 4. in gloria magnificando, Pſalm. 138. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Item magna in creatione, major in conſervatione, maxima in redẽptione, nimia in glorificatione. Vel adhuc magna cum filium miſit in Virginis uterum per incarnationem, major cum in mundum per nativitatem, maxima cum in notitiam hominum per converſationem, nimia cum in crucem per paſſionem, de quo ultimo Luc. 9. *& dicebant exceſſum.* Idem Gorr. Attamen in Græco non habetur nimia, ſed multa.

Qui ſunt filij diffidentiæ in quibus operatur princeps aëris hujus Dæmon?

Sunt hi qui vix credunt, & parum confidunt in bo-

H

nis alterius vitæ, in quibus etsi non habeat potestatem coactivam propter eorum liberum arbitrium, habet tamen maximè inductivam. Tales maximè abhorrebat Apostolus qui spe valde eximia pollebat, ut ad Ro. 8. ostendit his verbis. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit usque ad hoc, non solum autem illa: sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri: spe enim salvi facti sumus.*

Cur tantopere exagerat statum pristinum infidelitatis Ephesiorum dicens: qui eratis in illo tempore sine Christo. Alienati à conversatione Israël & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes sine Deo in hoc mundo?

Ut magis beneficium suæ vocationis ad fidem Christi agnoscant & in ea constantius perdurent: videntes quantum distet inter statum peccati & statum gratiæ. Quod discrimen hic disertè exprimit Apostolus. Maximè ex hoc quod homo in statu peccati est sine Deo. Ah quantum malum in hoc mundo! tantum est ac esse in mari magno sine gubernatore. Quod sentiens David dicebat Ps. 60. *Salvum me fac Deus.* Tantum est ac esse in gravi bello sine duce, Exod. 33. *Si tu ipse non præcedas, ne educas nos de loco isto.* Tantum ac esse in tenebricoso carcere sine lumine. Ideo Luc. 1. *Illuminare his qui in tenebris & in umbrâ mortis sedent.* Tantum ac esse in longâ viâ sine viatico pane, Matt. 8. *Si dimisero eos jejunos deficient in viâ.* Tantum ac esse in diuturno exilio sine consolatore. Ideo Apost. 2. Cor. 1. *Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*

Status peccati sine Deo esse.

Quis medius paries maceriæ quem solvit Christus, *inimicitias in carne suâ, legem mandatum decretis evacuans?*

Hic paries lex erat Mosaica, propter quam inimicitiæ erant inter Judæos & gentiles. Hunc parietem sustulit Christus: etsi enim legem impleverit quoad moralia: at quoad cæremonialia, evacuavit, vigore omni obligandi privavit, ut in unam Ecclesiam coirent duo populi hactenus divisi, & faceret *utraque unum* in eadem fide.

Quomodo in veritate c. 3. vocat se Apostolus sanctorum minimum?

Id sentiebat Apostolus reputando suam pristinam conversationem, in Græco est, *minor minimo.* Tantum sese deprimebat.

An Ecclesia possit quidquam facere ut Angelis innotescat?

Est scientia quædam experimentalis, secundum quam non repugnat aliquid per Ecclesiam Angelis innotescere.

Sapientia Dei cur vocatur multiformis?

Vel quia cum consilium Dei fuisset se reddere venerandum ac colendum hominibus per opera potestatis & magnificentiæ in creatione mundi, consilium istud mutavit in redemptione generis humani, volens se reddere amabilem omnibus per opera stultitiæ, qualia reputantur à multis passiones & ignominiæ crucis. Ideo vocat sapientiam Dei multiformem ac multifariam.

Sapientia Dei in cruce.

Cujus tantæ rei gratia flectebat genua Apostolus ad Patrem Jesu Christi?

Ut interior homo Christiani hominis per Spiritum Sanctum corroboraretur, & Christus per fidem charitate formatam in cordibus habitaret: Est enim Christus vir cordis humani & quasi anima cordis humani ut illud moveat ad opera bona, quæ tunc erunt meritoria, si ipso impellente & excitante interius fiant ex ejus amore & reverentiâ, & desiderio ipsi complacendi. Estque istud maximum hominis bonum in hac vitâ: unde Apostolus orabat humillimè Patrem æternum ad illud hominibus impetrandum. Sed & desiderabat in hominibus non modicam & qualemcumque notitiam dilectionis Dei ad se ipsos, volebat omnes

Fides Paulus ut amaretur Christus.

ejus dimensiones agnoscere, longitudinem in æternitate, latitudinem in diffusione, sublimitatem & profunditatem in abyssis providentiæ & modis inenarrabilibus adducendi ad se peccatorem: itaut charitas Christi esset supereminens scientiæ, quia homines quamtumcumque intellectuales eam non penetrarent & penitus agnoscerent.

Quo ordine hortatur ad bonos mores in tribus ultimis capitibus 4. 5. & 6.?

More suo: non per continuos discursus sicut Aristoteles & Philosophi aut nostrates etiam Theologi Ethicam tractant, sed per breves gnomas, nervosasque sententias sine ordine coacervatas. Qui erat mos Hebræis veteribus Ethicam tradendi, ut ex Proverbijs & Ecclesiaste Salomonis nec non Ecclesiastico Jesu Syracidæ colligere est.

Ethica Judæorum.

Quæ dona dedit Christus hominibus ascendens ad cælum?

Viros pietate, doctrina & potestate conspicuos ad ædificationem corporis Ecclesiæ, *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos: quosdam autem Prophetas: alios verò Evangelistas: alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum:* ubi non disiungit Pastores & Doctores ac si essent diversæ personæ. Quia ijdem qui sunt Pastores debent esse Doctores: si non bullati, at certè litterati.

Dona Dei.

An intelligibile est istud c. 4. Ex quo totum corpus compactum & connexum, *&c.?*

Respondeo, Apostolum in ista periodo tria dicere 1. ex Christo capite esse quod corpus ejus mysticum *compactum & connexum*, per fidem & charitatem scilicet, *augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*, id est, seipsum auget & perficit in charitate. 2. dicit modum quo fit istud augmentum: scilicet *per omnem junctturam subministrationis*, dum unusquisque suum Symbolum confert, ea jungendo simul omnia in unum quæ subministrantur, dum unus docet, alter orat, alter temporalia ministrat, alter jejunat, alter aliud subministrat pro bono proximi: junctura enim & cõjunctio horum omnium, facit ut crescat corpus Ecclesiæ. 3. dicit quod illa subministratio non fiat æqualiter in eadem mensura ab omnibus, sed prout quisque potest, *secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri*, nec enim unumquodque membrum idem præstat quod aliud: sic in Ecclesia dum unus sic, alter autem sic agit, fit augmentum ipsius.

Quid est istud, alienati à vitâ Dei per ignorantiam, *&c.?*

Arguit ibi infideles & peccatores quod sint alienati & aversi à vita Dei, quæ est quadruplex. 1. vita gratiæ præsentis. 2. vita gloriæ futuræ. 3. modus vivendi præscriptus à lege Dei. 4. vita ipsa substantialis Dei, quam parum curant qui tenebris obscuratum habent intellectum. Licet præcipuus actus amoris Dei sit, ut Deus sit & vivat fœlix: Sicur amicus desiderat amicum esse & vivere.

Alienati à vita Dei quatuor modis.

Cur fornicationi jungitur immunditia, fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, *&c.?*

Nisi, inquit D. Hieronymus in commentario, quidam Cynicus extitisset qui doceret omnem titillationem carnis & fluxum seminis ex quocumque attritu tactuque venientem, in tempore non vitandum, & nonnulli sapientes sæculi in hanc turpem & erubescendam hæresim consensissent, nunquam S. Apostolus scribens ad Ephesios ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset, & ad immunditiam junxisset avaritiam, non hanc qua pecuniam cupimus congregare, sed illam de qua supra diximus, ne supergrediatur & avarus fraudet in negotio fratrem suum.

Peccatum pollutionis.

Quid est redimentes tempus quoniam dies mali sunt?

In græco est, *ementes opportunitatem*, scilicet benè agendi, quoniam dies hujus vitæ *mali sunt*, pleni tentationibus & periculis malè agendi & damnandi seip-

sum. Significatur ergo quærendam esse sedulo & ar- A
ripiendam occasionem bene & studiose operandi vel
etiam *redimentes*: iterum iterumque etiam cum ali-
quo dispendio rerum suarum si opus sit.

Qui illi principatus, mundi rectores tenebrarum harum, adversus quos est nobis colluctatio?

Respondetur, præter tentationem humanam, quan-
Tentationes ex Dæmonibus. do caro concupiscit adversus spiritum, aliam esse pro-
venientem immediatè ex malis Angelis seu dæmoni-
bus in hoc aëre habitantibus & diversa ministeria ex
arbitrij libertate sortitis: itaut unus habeat provinciam
fraudium, alius hæreseon, alius blasphemiæ & alio-
rum vitiorum: contra quos est hominibus colluctan-
dum, exemplo Jacob qui tota nocte luctatus adversus
hujusmodi potestates, de quibus lege D. Hierony- B
mum hîc.

De Epistola ad Philippenses?

Quatuor constat capitibus, estque Epistola valde af-
fectiva erga Christum & Philippenses, quos ipsius
exemplo sæpius proposito, ad tolerantiam Passionum
aliosque virtutum actus excitat cum magno ardore va-
ria illis dans monita ac præcepta per 4. capita.

Quæ summa Epistolæ ad Colossenses?

Ferè similis est præcedenti Epistolæ, suum ad eos
pandit affectum, ac identidem proponens Christi
perfectiones varia dat monita ad vitam piam in qua-
tuor capitibus.

Quid verò Epistola 1. ad Thessalonicenses?

Et hæc ferè tota moralis & inductiva ad benè agen-
dum per capita quinque, in quorum duobus ultimis
aliqua habet singularia de resurrectione mortuorum C
& eorum ordine, ac occursu Christi & Sanctorum in
medio aëre, cum aderit dies judicij, qui sicut fur ve-
niet cum minus expectabitur.

Quid secunda Epistola ad eosdem Thessalonicenses?

Cap. 1. Ijs congratulatur pro parientia in tribulatio-
nibus quas patiebantur, comminando vindictam flam-
mæ ignis eorum persequutoribus.

Cap. 2. Consolatur eos contra timorem futuri Ju-
dicij quasi proximi, movens, ut non moveantur. Quo-
niam *nisi venerit discessio primum, & revelatus fue-*
rit homo peccati filius perditionis, &c.

Cap. 3. Exhortatur ad probos mores, ipsosque
pro seipso ut orent postulat: ac pro ipsis ipse etiam D
orat.

Quæ summatim complectitur Epistola prima ad Timotheum?

Sex Epis- Hæc instructiva est Episcopi qualem constituerat
coporum officia. D. Paulus Timotheum Ephesi in Asia, monetque eum
de officijs Episcopalibus.

1. Officium est impedire malam & inutilem vanilo-
quorum doctrinam. De hoc monet cap. 1. præferens
omnibus sermonem de misericordia Christi erga pec-
catores, *fidelis sermo & omni acceptione dignus:*
quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores
salvos facere.

2. Officium est supplicare pro populo ut ira Dei ab
eo avertatur. Hoc præstat cap. 2. *Obsecro igitur pri-*
mum omnium fieri obsecrationes, orationes, postula-
tiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, E
&c.

3. Officium est ordinare Ministros Ecclesiæ cum de-
bitâ caurelâ. Et hoc exequitur cap. 3. ubi ostendit qui
sint ad Episcopatum evehendi, *qui domui suæ præesse*
nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?
Item qui ad Diaconatum assumendi, &c.

4. Officium est præbere exemplum. Et hoc urget
cap. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conver-*
satione, in charitate, in fide, in castitate, &c. *At-*
tende tibi & doctrinæ: insta in illis, hoc enim fa-
ciens & teipsum salvum facies, & eos qui te au-
diunt.

5. Officium est justitiam distributivam servare circa
varias personas. Et hoc præstat cap. 5. *Viduas honora*
quæ verè viduæ sunt. Idest tuis facultatibus sustenta
juniores vitando. *Qui bene præsunt Presbyteri, du-*
plici honore digni habeantur, maximè qui laborant
in verbo & doctrina. Ad Episcopos quippe pertine-
bat initio Ecclesiæ singulis Presbyteris assignare vi-
ctum & vestitum ex bonis Ecclesiæ. Adversus Pres-
byterum *accusationem noli recipere nisi sub duobus*
aut tribus testibus, &c.

6. Officium est prædicare ea quæ pacem foveant
inter omnes, quæ mundi contemptum sapiunt, quæ
spem ad Deum erigant. Hoc quoque indicat, cap.
sexto.

Secunda Epistola ad eundem Timotheum quid complectitur?

Exhortatur cum multo ardore Timotheum ut insta- *Prædica-*
toris in-
B prædicationi Evangelij, scribens cum esset in vinculis *structio.*
Romæ & brevi se martyrio coronandum sub Nerone
præsciret, ut sic hominem haberet qui pro seipso spi-
raret, & Jesum Christum annuntiaret, ac negotium
fidei promoveret, quod maximè in corde habebat.
Totus itaque est in hac Epistolâ, ut monita illi plura
præbeat ad prædicandum Christum. Et hoc præstat in
4. capitibus.

1. Cap. Monet ut prædicet Evangelium cum auda-
cia. *Noli itaque erubescere testimonium Domini no-*
stri neque me vinctum ejus: sed collabora Evangelio
secundum virtutem Dei.

2. Cap. Monet ut cum fortitudine & strenuitate
prædicet, proposito illi præmio vitæ æternæ ex me-
moria Christi à morte redivivi, & ex differentia va-
C sorum quorum aliqua sunt in honorem, alia in contu-
meliam. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*, ut
nempe suum regnum illi asseratur. *Laborantem agri-*
colam oportet primum de fructibus percipere. Tibi
merces reddetur laboris tui sicut agricolæ, &c.

Quare comparat Apostolus prædicatorem Agricolæ? *Prædicator*
agricolæ
Quod Prædicator Evangelicus *similis.*

1. Debeat terram arare, vitia & terrenitatem totam
vomere Prædicationis evertendo, Oseæ 10. *Arabit*
Judas & confringet sibi sulcos.

2. Semen spargere, virtutes inserendo, Lucæ 8.
Exijt qui seminat seminare semen suum.

3. Semen occultare, non sua sed Dei gloriam ex
prædicatione quærendo, 1. Thess. 2. *Nec quærentes ab*
hominibus gloriam.

4. Fructum expectare patienter sustinendo. Jac.
ult. *Ecce Agricola patienter expectat.*

Ecce digressi sumus à scopo Apostoli, quid alijs duobus capitibus agit?

3. Cap. Monet ut novas opiniones quas inducunt
quidam homines in fide periculosi, *habentes speciem*
quidam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes. Qui
ferè in omnibus sæculis emergunt, magis autem in
novissimis diebus, ut resistant veritati, sicut Jannes &
Mambre restiterunt Moysi. *Tu verò permane in iis*
quæ didicisti & credita sunt tibi, sciens à quo didi-
cerit, &c. Ne te abripiat novitas opinionum, unde
hæreses oriuntur.

4. Cap. Monet ut perseveranter Christi Evange-
E lium annuntiet. *Prædica verbum, insta opportunè, im-*
portunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia &
doctrina. Quod addit Apostolus quod multis Prædi-
catoribus contingat, molles esse ac delicatos, & quo-
rum corda cito franguntur ac immutantur, ut non
amplius pro Christi regno pugnare velint contra ejus
innumeros adversarios.

De Epistolâ ad Titum quid narrare poteris?

Titus Archiepiscopus erat Cretensis, eumque erudit Apostolus quomodo circa omnes personas sese ge-
rere debeat, ut omnes erudiat & ad salutem dirigat. Sic que officio probè defungatur. *Officia*
Episcopi.

Ac primo quidem capite eum erudit ut se gerere de-
beat in assumendis majoribus & minoribus Presbyte-
ris, Episcopis nempe & Curatis. *Hujus rei gratiâ*
reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas & con-

ſtituas per civitates Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi.

Cap. 2. Eum erudit ut omnis generis perſonas inſtruat, accommodando ſe uniuſcujuſque capacitati & conditioni, exemplo Chriſti. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem ſobrii, juſtè & pie vivamus.* Nempe ſobrie quoad nos, juſtè quoad proximum, Deum.

Cap. 3. Eumdem erudit ut ſe gerat erga eos qui ſubditi ſunt alicui Principi, obedientiam illis commendando: & erga hæreticos, qui prius corripiendi ſunt, deinde per excommunicationem à cœtu fidelium reſecandi, niſi velint reſipiſcere. *Hæreticum hominem poſt unam aut alteram correptionem devita*, &c.

Quid Epiſtola ad Philemonem omnium brevior?

Charitatem ſuam prodit circa Oneſimum, qui conditione ſervus à Domino Philemone fugitivus Romam venerat, ubi à D. Paulo in carcere exiſtente baptiſatus fuerat. Hunc autem obligavit Paulus, ut rediret ad Dominum ſuum: & ne malè ab eo habeatur propter fugam, eum Philemoni Chriſtiano & ſibi amico commendat, promittens etiam ſe reſtituturum, ſi quod damnum illi forſan intuliſſet. *Obſecro te pro filio meo quem genui in vinculis Oneſimo*, &c. cap. unico.

Epiſtola ad Hebræos cur ultima eſt?

Epiſtola ad Hebræos.

Quia Hebræi poſtpoſiti ſunt gentibus, & non niſi in noviſſimis mundi temporibus ad Chriſtum convertendi ſunt: ideo Epiſtola ad eos noviſſimum locum tenet: etſi gravitate ſententiarum, & ſtili elegantia aliis non cedat, cum ſcripta fuerit Hebræo idiomate, in quo D. Paulus peritior erat.

Quis ſcopus Epiſtolæ ad Hebræos?

Confirmare Hebræos Chriſtianos in fide Chriſti contra conatus infidelium Judæorum. Nota ergo, ut in præfatione ad hanc Epiſtolam indicat Theodoretus, Hebræos ad fidem converſos 1. variis à ſuis affectos fuiſſe perſecutionibus. 2. etiam ludibrio habitos à ſuis quod homini mortuo credere non dubitaſſent. 3. quod Moyſem dereliquiſſent. 4. quod etiam hoſtijs & ſacrificijs templi ſeſe privaſſent. 5. nec deſinebant novitatis accuſare fidem in Chriſtum.

Quinque difficultates Hebræorum.

Ad hæc Apoſtolus c. 1. oſtendit Chriſti divinitatem, c. 2. oſtendit eum majorem eſſe Angelis, tantumque in aliquo minoratum fuiſſe Angelis ut pro omnibus guſtaret mortem & Pontifex fieret. c. 3. oſtendit majorem fuiſſe Moyſe, cui reſiſtere non minus formidandum eſt quam ipſi Moyſi. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto*, &c. Quod amplius urget c. 4. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum, vivus eſt enim ſermo Dei & efficax*, id eſt Chriſtus. Deinceps à cap. 5. ad 10. Pontificatum Chriſti extollit & ſacrificij ejus virtutem ſupra hoſtias & ſacrificia veteris legis, identidem hortans ad permanendum in ejus fide, abjectis veteris legis cæremonijs & pœnitentijs ad quas impoſſibile aſſerit Chriſtianos factos recurrere ut mundentur. c. 11. oſtendit fidem in Chriſtum non fuiſſe rem novam, *in hac*, inquit, *teſtimonium conſequuti ſunt ſenes.* Oſtenditque omnes ſanctos fidem illam habuiſſe. Ideo c. 12. hortatur ad perſeverantiam. *Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium: deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, adſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Jeſum.* Ac deinceps & c. 13. confortat ad ferendas fortiter perſecutiones, quas patiebantur ob fidem in Chriſtum ad quem ſemper eos revocat. Quaſi unicum & totum hoc foret ipſius negotium Chriſti ſui amore omnium corda accendere.

Qui ſequetur hanc regulam & methodum, legendo hanc Epiſtolam, haud ita difficulter ejus ſenſum percipiet. In fine ait, *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum enim gratia ſtabilire cor non eſitis.* Sic taxat veteris legis cæremonias. *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſervient*, &c. *Jeſus extra portam paſſus eſt: exeamus ergo ad eum extra caſtra* (relictis templi cæremonijs) *improperium ejus portantes*, &c. Extra portam paſſus eſt, ut intelligas pro omnibus mortuum.

Quid præter ea intendit Apoſtolus?

Intendit declarare excellentias Jeſu Chriſti, in decem primis capitibus. Et ijs excellentijs manifeſtatis fortiter monet, & ſuadet ipſi ſoli adhærendum eſſe fide viva, quam charitas & bona opera comitentur, ut cum ſolus Chriſtus ſufficiat, non detineantur amplius amore veteris ac Moſaicæ legis, quæ ad perfectionem novæ legis non attingit, nec ad illam redire cogitent accepto Chriſti Baptiſmo, ſed firmiter contra varias tentationes in illa perſeverent.

Probatiſſimus mihi eris, ſi clare mihi oſtendas hoc eſſe intentum Apoſtoli. Die ergo quo ordine excellentias iſtas deſideratiſſimas docuerit hic Apoſtolus?

Excellentia Chriſti ſupra Angelos, Magiſtros & Pontifices.

1. & 2. Capitibus oſtendit D. Paulus excellentias Chriſti ſupra Angelos, qui in magna veneratione ſemper fuerant apud Hebræos. Quod nimirum Chriſtus ab Angelis ſit adoratus in ſua nativitate, quod ſit filius Dei, quod ſit in dextera Patris, dum Angeli omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Quod ei ſubjectus ſit orbis terrarum. Nec obſtat excellentiæ ejus, quod in morte minor Angelis apparuerit, guſtavit quippe mortem pro omnibus: pro modico tempore illam in ſe admiſit ad ſalutem omnium, ad deſtruendum dæmonis imperium, ut potens eſſet omnibus auxiliari, ſed cum tantum guſtarit mortem ac tantiſper ad tres dies illam paſſus ſit, hoc nihil derogat ejus excellentiæ. Unde infert hanc concluſionem cap. 2. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus & omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem.* Hoc eſt ſi impunè non tulerunt, qui legem veterem violarunt, quæ data erat per Angelos, quid ſi negligamus legem novam datam per Chriſtum multo meliorem Angelis effectum?

Capite 3. Oſtendit excellentias Chriſti ſupra Moïſem, quem poſt Angelos in majori pretio habebant Judæi, quod Moyſes tanquam famulus Dei in domo ejus fuerit, at Chriſtus tanquam filius. Unde concludit, ſi ij, qui à Moyſe diſceſſerunt perierunt in deſerto, multo magis perituros qui à Chriſti fide diſceſſerint. *Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo vivo*, &c. *participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.* Ubi intelligit per initium ſubſtantiæ Chriſti ipſam fidem, quæ eſt initium bonorum omnium, quæ ab ipſâ ſperamus.

Cap. 4. eamdem adhortationem proſequitur, & incipit alias Chriſti excellentias propalare ſupra excellentiam Aaronis & Pontificum veteris teſtamenti, quos magni faciebant omnino Judæi. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos Jeſum filium Dei, teneamus confeſſionem.* Ubi excellentiam Chriſti ſupra Pontifices veteris teſtamenti in hoc reponit, quod hic tum maxime illuſtris apparebat, cum ſemel in anno ingrediebatur in Sancta Sanctorum ſeu intima templi materialis ad interpellandum pro populo: at Chriſtus ingreſſus eſt poſt paſſionem in ipſummet cœlum ad interpellandum pro nobis.

Cap. 5. Ingreditur explicationem alterius Chriſti excellentiæ ſupra Aaronem & Pontifices veteris teſtamenti, quæ in eo eſt ſita, quod Chriſtus declaratus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: *Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech. De quo nobis grandis ſer-*

me, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

Cap. 6. digreditur tantisper à propositæ excellentiæ explicatione, ut eos ad eam intelligendam magis disponat. *Quapropter*, inquit, *intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectiora feramur.* Eosque disponit, primò proponendo se nolle, cum illis agere de rebus minimis ac de rudimentis fidei, quasi eos præpararet ad recipiendam pœnitentiam baptismi, quæ nunquam reiterari potest. Secundò congratulando eis de laboribus præteritis ac bonis ipsorum operibus.

Cap. 7. Resumit inchoatum sermonem de excellentia Christi, ex eo quod sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Est quippe Melchisedech Rex Salem excellentior Aarone. Probat, quia Abraham decimas dedit Melchisedech, & ab eo tanquam minor benedictionem accepit: at Levi ex quo Aaron erat, erat tunc in lumbis Abrahæ: unde censetur decimas dedisse Melchisedech, & ab eo benedictus: ergo minor est Melchisedech, ergo etiam Christo, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Secundò idem probat ex æternitate sacerdotij Christi, qui est sacerdos in æternum, cum Aaron & alij Pontifices morte commutarentur. Est enim sacrificium Missæ in Ecclesia perpetuum, quod est sacrificium Christi ipsius, qui est principalis offerens: ergo Christus major est, & Abrahamo, & Aarone, aliisque Pontificibus.

Cap. 8. Probat alio argumento excellentiam Christi supra Aaronem. Quia Christus sedet ad dexteram Patris, & in cœlis Pontificatum exercet, sive interpellando pro nobis, ac humanitatem in qua passus est illi repræsentando, seu offerendo seipsum per ministros suos ac sacerdotes in terra sacrificantes nomine ipsius, est enim primarius ipse sacerdos offerens ac transubstantiationem peragens: at Aaron tantum in terra Pontificatum suum exercebat. Probat iterum eodem capite, quia *Christus melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est:* Est quippe officium sacerdotis assecurare homines de promissionibus, quæ habet religio, ut in ea fideliter persistant: at testamentum vetus ejusque religio non erat quid perfectissimum, cum aliud quandoque futurum Deus promiserit.

Cap. 9. Probat & magis confirmat excellentiam Christi sacerdotis supra Aaronem, & Pontifices legis Mosaicæ: descripto enim apparatu tabernaculi eorumque, quæ inserviebant sacrificiis: ait Pontificem veteris testamenti oblatis hostiis externis animalium: ac eorum fuso prius sanguine per tabernaculum transeundo introisse semel per singulos annos in sancta sanctorum, quæ reliquo tempore anni clausa manebant in figuram, quod nondum sanctis cœlum propalatum esset: *At Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum.* Sed ex purissima Virgine procreatum: per proprium corpus scilicet: *Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta* (nempe in cœlum ad quod ingressum, sibi paravit per passionem) *æterna redemptione inventa.* Nec enim opus est, ut per singulos annos idem sacrificium repetat moriendo pluries, unica ejus mors ad omnium expianda peccata sufficit: at non ita efficacia erant veteris legis sacrificia.

Christus sacerdos à momento incarnationis.

Interpretatio Galeni Westcapelij aliquid augustius exprimit juxta Syriacam versionem; *Christus autem accedens fuit sacerdotum princeps bonorum quæ facti: & intravit habitaculum magnum & perfectum quod factum non est manibus:* &c. Quæ intelligit de adventu Christi in hunc mundum & in corpus ex virgine desumptum per incarnationem, in qua inauguratus est sacerdos, non studiorum prolixorum merito aut electione hominum, sed titulo primogeniti omnis creaturæ, à momento enim incarnationis incipit ejus sacerdotium & factus est princeps bonorum quæ fecit, quia non est alieni boni largitor & administer, sed idem auctor eorum bonorum quæ plena manu in suos effundit, in quo multum præstat Aaronico sacerdoti. Sed & cum hic per tabernaculum prius transiret ad sancta sanctorum, effuso prius hircorum sanguine pro peccatis, quotannis hanc repetens cæremoniam, Christus per proprium corpus & proprium sanguinem non alienum *intravit semel in sancta æternâ redemptione inventâ*, ubi Syriaca versio habet, *intravit uno tempore in domum sanctuarij & invenit redemptionem æternam.* Cœlum nempe intelligens per illam domum sanctuarij, sicut intellexit corpus per habitaculum magnum & perfectum. Utitur autem verbo *invenit*, quia respectu nostri fuit præter omnem spem & meritum nostrum, quod taliter redempti fuerimus.

Cap. 10. Idem argumentum prosequitur probans excellentiam Christi ex eo, quod per oblationem cruentam sui corporis, ac sanguinis effusionem semel factam peccata expiavit, cum ad hoc non sufficerent sacrificia veteris legis, quæ non producebant internam gratiam sanctificantem ex opere operato. Id ex Christi oblatione expectandum erat, *umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quæ offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere*, &c. unde infert necessitatem adventus Christi, ut una sui ipsius oblatione cruenta, quæ nunquam repetitur, ingressus est in cœlum tanquam in sancta sanctorum, ibique sedet ad dexteram Patris in requie, & gloria, peractis quæ ad remissionem peccatorum sufficiebant, cum oblatio illa sit infiniti pretij. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* His porro excellentiis Christi supra Angelos, supra Moysem, supra summos Pontifices legis antiquæ explicatis concludit sub finem capitis Christo adhærendum: nunquam ab eo ejusque fide discedendum metu judicij divini: *voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis: jam non relinquitur hostia pro peccato, terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Ubi loquitur de ijs, qui actu ita peccant voluntariè, ut etiam perseverent in peccato.

Cap. 11. Incœptam adhortationem ad adhærendum Christo per fidem immotam, & constantem prosequitur, allatis sanctorum exemplis, qui per fidem mira opera patraverunt.

Cap. 12. Iterum hortatur ad adhærendum Christo, & constanter patiendum dura quæque præsentis vitæ, ac vitanda peccata. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, &c.

Cap. 13. & ultimo ad varias virtutes impellit, ad charitatem, hospitalitatem, castitatem, obedientiam, unitatem in fide, orationem pro seipso. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*, &c. quæ ex sola lectione pervia sunt, & aperta. Estque hæc mens recondita illius Epistolæ ad Hebræos.

Difficilia quædam Epist. ad Hebræos.

Quid est illa pœnitentia, ad quam impossibile dicit Apostolus. c. 6. renovari *eos qui post illuminationem prolapsi sunt?*

Quidam intelligunt de pœnitentia competentium, quæ fit ante Baptismum propter antecedentia verba, *non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis:* non enim reiteratur baptismus: Alij intelligunt de pœnitentiâ post baptismum, & dicunt eam impossibilem lapsis in gravia peccata, id est, valde difficilem, juxta Aristotelis dictum, l. 1. de cœlo, c. 11. impossibile dupliciter dicitur, aut quod omnino fieri non potest, aut non facile nec cito nec benè. Utraque interpretatio probabilis & sufficit contra Novatianos, qui hoc loco Apostoli abutebantur. Non improbabile tamen Apostolum intelligere de pœni-

pœnitentia reiterata.

tentiâ Judaicâ, in qua recurrebatur ad ſacrificia Moſaica pro expiatione peccati. Ad hanc pœnitentiam cum inducerentur Hebræi jam Chriſtiani, ut ad Judaiſmum redirent, ejurato Chriſto, diſſuadet Apoſtolus, affirmans impoſſibile per talem remigrationem & pœnitentiam, prætenſam renovationem & expiationem conſequi; *impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum aut hircorum peccata remitti*, ut poſtea idem repetens aſſerit.

Hæc expiicatio quadrat intentioni & ſcopo Apoſtoli in tota Epiſtola, confirmare in fide Chriſti Hebræos baptiſatos, quos ad priorem Judaïſmum reducere nitebantur Judæi obdurati, propoſita ſpe remiſſionis ex ſacrificiis Moſaicis: idcirco illorum modicam virtutem tota Epiſtola exagerat, præ ſacrificio Chriſti. Quadrat etiam verbis antecedentibus in quibus D. Paulus ſe ad perfectionem ferri dicebat, id eſt, ad ea quæ perficiunt hominem: qualis eſt victima & oblatio Chriſti, non autem ſacrificia Moſaica, unde ad illa reditus, per malam pœnitentiam à fide ad infidelitatem, nihil boni conferre valebit. Quadrat denique ſequentibus, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei*: Eſt enim talis Judaïſmus, ut ſi fieri poſſet iterato propter odium, Chriſtum cruci affigeret. Quod exemplis pluribus demonſtrari poſſet, ut per imaginem quam in urbe Berit transfixerunt, vel per pueros, Chriſti ex odio, cruci affixos. Quaſi vellet indicare Apoſtolus Judaïſmum iteratam eſſe Chriſti crucifixionem, tanto odio illum proſequuntur impij. Denique ad hoc videtur tendere reliquæ Epiſtolæ contextus, eſt quoque idem ſenſus ſimilis ſententiæ, c. 10. *voluntariè enim peccantibus nobis non relinquitur hoſtia pro peccato.* Hoc eſt, remigrantibus à Chriſti fide ad Judaïſmum, non eſt hoſtia apud Judæos pro peccato delendo, ne ſpem habeatis in talibus hoſtiis, quarum vim tantopere jactant: adeoque in Chriſti fide permanere fortes.

Judaïſmi malitia.

Cum c. 7. dicat & alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat ſempiternum habet ſacerdotium, *numquid per hoc damnatur multitudo ſacerdotum in nova lege?*

Minimè. Si quidem Apoſtolo ſermo eſt de ſummo ſacerdote, quem Græci vocant Ἀρχιερέα principem ſacerdotum, qui non niſi unicus erat durante vitâ, & ſub quo multi erant inferiores ſacerdotes: unde quia Chriſtus ſempiternum habet ſacerdotium illudque ſummum, convenit illi habere ſacerdotes inferiores plures, quales ſunt omnes legis novæ ſacerdotes, etiam ipſi ſummi Pontifices, qui reſpectu Chriſti ſunt tantum inferiores: cum ipſi Chriſto non alij competat dignitas ſummi ſacerdotij, ſine ullo ſucceſſore, quia manet in æternum: & ſua oblatione non ceſſat mundum redimere.

Sacerdotij Chriſti prærogativa.

Quomodo ſine ſanguinis effuſione poteſt ſacrificium Euchariſtiæ remittere peccatum contra dictum c. 9. ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.

Reſp. nec ſacrificium Altaris in Eccleſiâ eſſe ſine ſanguinis effuſione: ſed non cruento modo, ponuntur enim corpus & ſanguis Chriſti ſub diverſis ſpeciebus vi verborum. Sed nec id abſolutè verum eſt, cum dicat Apoſtolus: *Omnia pene in ſanguine mundantur ſecundum legem.* Aliqua enim cum ſola aqua mundabantur. Levit. 16. Item 21. & Numer. 19. ut oſtendit Ribera ibid.

D. Paulus, c. 10. colligit neceſſitatem pluriuum victimarum, eo quod perfectos non facerent & à peccatis expiarent: alioquin, *inquit*, ceſſarent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati: *ergo ſi ſacrificium crucis vel altaris remittit peccata, quid ultra opus eſt idem pluries offerri?*

Ad hoc dicitur ſubinde nova peccata committi poſt dimiſſa vetera, ideo neceſſe iterari ſacrificium: & ſi hodie expiatus ſum, cras labor.

Atqui idem poteſt dici de ſacrificijs Moſaicis, quod & ſi remitterent vetera peccata, quia tamen recrudeſcerent novâ, opus fuiſſe nihilominus eaſdem victimas repeti: attamen id negat Apoſtolus.

Reſpondetur, eam objectionem ſibi ipſis feciſſe antiquos Patres, D. Joan. Chryſ. Theophilactum, & alios: ac nihilominus aſſeruiſſe ſacrificium altaris; tam conſtans eſt ejus veritas & fides apud ipſos: nec propter hanc objectionem fidem mutaverunt, ſicut Lutherus, Calvinus, & alij. Ad objectionem autem reſponderunt, eamdem eſſe numero victimam quæ offertur in cruce & in altari, non varias numero: ſicut per ſingulos annos in feſto expiationis ſummus ſacerdos Aaronicus varias offerebat.

Imo, inquit Calvinus, ſunt diverſæ numero oblationes.

Reſp. unicam eſſe victimam corporis Chriſti, nec non unicam oblationem ex parte primarij offerentis Chriſti, licet illa fiat per diverſa media vel per Judæos crucifigentes, vel per ſacerdotes miniſteriales. Eſt enim Chriſtus in cœlo vultui Dei pro nobis apparens qui offert corpus ſuum in altari, illudque ibidem ſiſtit velut mortuo modo ſub ſpeciebus velut ad nihilum redactum ac privatum vitâ ſenſitivâ in actu ſecundo, ſine ullâ ſenſatione, quaſi mortuum eſſet: atque ad hoc efficiendum utitur ipſe Princeps ſacerdos miniſterio ſacerdotum, qui illi accommodant manus & vocem in pronuntiatione verborum, ſecundum quod ita id inſtituit. Quare & Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum*, non propter ſolum effectum ſacrificij cruenti, ſed quia uſque ad finem exercet actionem ſacrificalem, talem qualem habuit ab initio ſuæ conceptionis, ubi incipit ſacrificium tam cruentum quam incruentum quod completum eſt in cruce, & completur adhuc in altaribus quotidie, remanente ſemper unâ numero oblatione illâ interiori & nunquam interruptâ, quam fecit ingrediens in hunc mundum: cui oblationi interiori potius quam exteriori attribuenda eſt virtus ſacrificij, cum actus externus ab interiori bonitatem ſuam hauriat. Hoc pluribus explicat Pignatelus *in Monte Propitiatorio*, l. 2. qu. 11. ex verbis D. Pauli in eodem c. 10. *ideo ingrediens in hunc mundum dicit*, &c. & iſtis ſequentibus: *una oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos*, illos ſcilicet qui quotidie baptiſantur: verè enim una oblatione ſanctificantur, nimirum quando per ſacramenta vis ejus ipſis applicatur. Legendus Cornelius à Lapide, & noſtrum ſuppl. Theol. Affect.

Oblatio unica multiplicata.

Epiſtolæ Catholicæ cur ita vocantur?

Quia continent doctrinam, quæ univerſis Chriſtianis poteſt eſſe utilis, nec res dumtaxat privatas, & ſingulares continent, ſicut Epiſtolæ quædam familiares.

Epiſtola VII. Catholica.

Cur Canonicæ ab aliis dicuntur?

Quia præbent Canonem, normam ſeu regulam probè vitam inſtituendi, propter monita ac præcepta conformia Evangelicis, ac ſancti Pauli Apoſtoli, quæ continentur in ipſis.

Quot ſunt illæ Epiſtolæ?

Septem, una Jacobi minoris Epiſcopi Jeroſolymitani primi, duæ D. Petri, tres D. Joannis, & una Judæ.

Cur D. Jacobi minoris Epiſtola prior eſt ordine cæteris; cum D. Petrus, & D. Joannes priores ſint in Apoſtolatu?

Quod prima ſcripta fuerit, nam omnes parem habent authoritatem, cum dictatæ ſint à Spiritu Sancto.

Quid tractat illa prima Epiſtola Jacobi, & qua occaſione ſcripta eſt?

Cum poſt mortem D. Stephani ſæviret perſecutio adverſus omnes Chriſtianos in Judæa, itaut cogerentur huc illucque per oras finitimas vagari, nec in ferenda Chriſti cruce, ac tolerandis fortiter adverſis animo deficerent, occaſionemque hanc exercendæ virtutis detrectarent, jam ſenex hanc ſcripſit Epiſtolam, qua eos conſolatur, ad patienter ferendam tribulatio-

nem hortatur, rerum mundanarum contemptum, cœ- A leſtium proſecutionem, divinorum eloquiorum amorem, denique plura præcepta morum per quinque capita congerit. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum tentationes varias incideritis*, &c.

Quid prima Epiſtola D. Petri?

Simili occaſione qua ſuam Epiſtolam ſcripſerat D. Jacobus ad corroborandos animos Judæorum, per varias Provincias & regna Aſiæ minoris diſperſos, ac vagantes propter ſævitiam perſecutionum, per Magiſtratus Gentiles, ſcribit hanc Epiſtolam D. Petrus animans eos, ut ſpe cœleſtis hæreditatis, ac revelationis Jeſu Chriſti: ac ejus intuitu animi virtutem in adverſis conſervent, multaque addit ad mores probos hortamenta, viros ac mulieres, ſenes ac juniores inſtruens, ut omni ſtatui utilis ſit hæc Epiſtola, ijs etiam B quibus animarum cura concredita eſt. *Paſcite*, inquit, cap. 5. *qui in vobis eſt gregem Chriſti: providentes non coacte, ſed ſpontanee, neque turpis lucri gratia, ſed prompte: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Omnium quippe ſollicitudo inerat D. Petro, ut paſtori totius Eccleſiæ.

Quid textus ille cap. 3. in quo & ijs, qui in carcere erant ſpiritu veniens prædicavit?

Textus obſcuritate ſua illuſtris denotat Chriſti animam ad limbos deſcendentem pijs, qui cum fabricaretur arca increduli fuerant Noë, ſperantes in Dei bonitate, quod non foret diluvium, propter quam confidentiam Deo non ita diſplicuerant, prædicaſſe ſpecialiter, id eſt, annuntiaſſe redemptorem ſe eſſe.

Quæ partitio illius 1. *Epiſtolæ D. Petri?* C

In tres partes. Exordium cap. 1. narrationem cap. 2. 3. 4. & concluſionem cap. 5.

Exordium, narratio, concluſio. In exordio captat benevolentiam primò ſalutando, *Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti electis advenis*, &c. Secundò gratias agendo de bonis ipſorum, *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Tertiò in malis quæ patiuntur conſolando. *In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus*, &c. ad finem capitis.

Quid ſunt illa de quibus dicitur, Spiritu Sancto miſſo de cœlo in quæ deſiderant Angeli proſpicere?

Illa ſunt promiſſa Patribus veteris teſtamenti de redemptione hominum per Chriſtum, quæ beati ſpiritus inexplebili contemplantur deſiderio, & quotidie adimpleri peroptant ad gloriam Chriſti & ſalutem ho- D minum.

In narratione, quæ incipit à verſu 13. primi capitis & progreditur ad verſum 10. quinti capitis, hortatur ad fidem in Chriſtum, quæ ſit viva & per dilectionem operetur ac in pluribus pietatis operibus ſeſe prodat, hortaturque nunc omnes generatim nunc certi ſtatus perſonas alloquitur. Sic autem orditur, *quapropter ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfectè ſperate in eam quæ adfertur gratiam*, &c. modum loquendi obſervans in quo quædam ſtrenuitas oſtenditur, & ad quidpiam fortiter agendum apparatus & diſpoſitio. Paſſim autem ſtimulos addit ad virtutum opera ex exemplo Chriſti & redemptione ipſius pretioſâ.

Quomodo hortatur c. 3. *verſu* 15. his verbis parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos ratio- E num de ea quæ in vobis eſt ſpe, *cum non omnes ſcientes ſint*?

Reſpondetur ſecundum gloſſam, quod duobus modis fit hæc ſatisfactio. 1. verbis, & hoc pertinet ad ſapientes. 2. facto & opere, & hoc pertinet ad omnes, qui poſſunt per patientiam oſtendere quam rationabiliter credunt & ſperant in Deum, pro quo nec adverſa pati, nec mortem ſubire formidant.

Quare ibidem loquens de Arca Noë, ait, in quâ pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam?

Paucitas ſalvandorum. Ut ſignificetur paucitas ſalvandorum, quæ præfigurata fuit primo tempore legis naturæ, in qua tam pauci ad præſidium arcæ confugientes ſervati ſunt à diluvio. Secundo tempore legis Moſaïcæ nu. 14. cum ex ſexcentis millibus ex Ægypto egreſſis non niſi duo Joſué & Caleb in terram promiſſionis ingreſſi ſunt. Tertio tempore Prophetiæ, cum filij Iſraël in captivitatem ducti ſunt, paucis in terra remanentibus, Ezech. 11. *Relinquam ex eis viros paucos à gladio & fame & peſtilentia.* Expreſſè vero annuntiata per Chriſtum Matt. 22. *multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Colluvies ergo hominum innumerabilis ſubmerſa per diluvium innumerabilem turbam damnandorum portendebat, etſi Eccleſiæ Baptiſmus in ſe perdurantes ſalvet.

Quare dicit c. 4. Chriſto igitur in carne paſſo & vos eadem cogitatione armamini.?

Quia Chriſti memoria in cruce paſſi inſtar omnium armorum eſt ad vincendos inſultus adverſariorum animæ. Thren. 3. *dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* Quid enim tam durum quod non æquo animo toleretur?

Quare ibidem dicit de Chriſto, reddent rationem ei qui paratus eſt judicare vivos & mortuos?

Chriſtus ex paſte ſua paratus eſt ad judicandum. Ad differentiam judicum hujus ſæculi, qui prius debent informari & diſcutere momenta partium, cum Chriſtus ob perfectiſſimam ſcientiam ſemper paratus ſit ferre ſententiam de nobis, ut propterea nobis incumbat ſemper eſſe paratos. Matt. 25. *& vos eſtote parati.* Quod addit D. Petrus, *propter hoc enim & mortuis Evangeliſatum eſt.* Nempe mortuis ſpiritualiter, ut ſcilicet vivant vita gratiæ, antequam æquiſſima lance judicis librentur eorum opera.

Quid continet illa hortatio ad Paſtores: paſcite qui in vobis eſt gregem Dei providentes non coactè ſed ſpontanèe ſecundum Deum &c.

Officium Paſtorum. Docet modum paſcendi animas triplicem, 1. ſponteneè & volenti animo, non coactè ut ſonant verba. 2. promptè addens, *neque turpis lucri gratiâ*, ſed promptè, ut legitur, opponens promptitudinem avaritiæ, quia Paſtores lucro inhiantes tardè quæ ſunt officij adimplent, ubi merces non ſperatur. 3. humiliter non ſuperbè, *non dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Scilicet forma ad cujus adſpectum informentur ſubditi, & concipiant fœtus bonorum operum, ſicut oves Jacob ad adſpectus virgarum Geneſ. 30. additque, *ex animo*, non ſicut hypocritæ, quia omnia faciunt ut videantur ab hominibus. Sicut & dixit, *ſecundum Deum*, licet in Græco non habeatur, ut Dei honorem habeant pro fundamento, ut rectè rem agant.

Ad quid provocat juniores dicens, ſimiliter juniores ſubditi eſtote ſenioribus?

Juniorum officium. Officium in quatuor rebus maxime ſitum illos docet. 1. in ſubjectione & obedientia reſpectu ſuperiorum: *ſubditi eſtote*, & 2. in ſervandâ & inſinuandâ humilitate ad invicem, itaut ditiores non contemnant pauperes: *omnes invicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 3. in tranquilla reſignatione ad Dei providentiam, anxiam futurorum ſollicitudinem apud illum deponendo, æc enim vera Philoſophia niti Deo Pſalm. 54. *Jacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.* Ex Hebræo clarius, *rejice in Dominum onus tuum, & ipſe te ſuſtentabit.* 4. ſobriè ſe habendo in victu & potu contra adverſarios ſalutis: *ſobrij eſtote & vigilate: quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* In eo quod dicit Adverſarius notatur ejus perverſitas, ut noceat, ait D. Thomas, unde Zachariæ 3. *Sathan ſtabat à dexteris eius ut adverſaretur ei.* In hoc quod dicitur *leo* notatur ejus fortitudo, ne quis reſiſtat, Job. 41. *non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei.* In hoc quod dicitur *rugiens*, notatur ejus crudelitas ne cui parcat, Jerem. 6. *Crudelis & non miſerebitur.* In hoc quod dicitur *circumiens*, notatur ejus ſollicitudo, ne quis effugiat, Job. 1. *Circuivi terram & perambulavi eam.*

Sathanæ qualitates.

Denique Apoſtolus apponit concluſionem Epiſtolæ Deum laudando, & indicans per Sylvanum hanc ſe mittere Epiſtolam ex urbe Romana dicens verſu 13. qui eſt ultimus. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone colleſta & Marcus filius meus.* &c. Vocans Romam Babylonem propter confuſionem Idololatriæ omnis generis, in cujus inedio ſancta Eccleſia adhuc rudis & parva jam fulgebat, ſicut quondam in Babylone Gens Iſraelitica captivitatis tempore. Non ergo ſanè fugillat hanc interpretationem Baptiſta Folengius. Alij, inquit, hic Romam allegoricos ob morum religionumque portenta intelligi arbitrantur, ſed meo judicio, duriuſculè, perinde quaſi tantus Apoſtolus atque imperterritus Chriſti præco vererentur Romam appellare nomine, incuſareque impietatis & reprehendere, in qua ob Chriſti religionem libertatem que prædicandi occiſus fuit. Hæc ille minus apte; nec enim ex metu diſſimulabat nomen urbis, nec mundi Dominam timeS Romam, ait D. Leo ſerm. in Nat. Apoſt. Petri & Pauli, qui in Caïphæ domo expaveras ſacerdotis ancillam. Ita ergo vocavit hanc urbem D. Petrus ex fletu & compaſſione ob miſerrimum ipſius ſtatum ex confuſione Idolorum.

Roma Babylon.

Quid continetur in ſecundâ Epiſtolâ D. Petri?

Epiſtola ſecunda D. Petri conſtat tribus capitibus. In primo hortatur ad conſervandam fidem Catholicam, *gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Omnia enim bona ſpiritualia à cognitione Chriſti proveniunt, cum hæc ſit vita æterna ut animæ Deum cognoſcant & quem miſit Jeſum Chriſtum: eo enim cognito ſtatim animus inflammatur, rapiturque in deſiderium rerum cœleſtium contempto mundo. Nec verò nudam ac mortuam fidem exoptat, ſed vivam & cui bona virtutum opera ſuperſtruantur: unde illa graditio. *Vos itaque cura omni adhibita ſubminiſtrate fidei veſtræ virtutem, virtuti ſcientiam, ſcientiæ temperantiam, temperantiæ patientiam, patientiæ pietatem, pietati verò fraternum charitatem, fraternæ verò charitati dilectionem.* Ubi ponit octo gradus virtutum quibus aſcenditur in cœlum, præcunte fide, quæ ſit efficax & operoſa, cujus fructum poſtea deſcribit, & alia motiva ad permanendum in fide.

Graditio

In ſecundo capite revocat à ſeductione hæreticæ pravitatis. *Fuerunt verò & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant.* Similes latronibus qui non diligunt eum per quem à patibulo liberati ſunt. Negant eum cui in Baptiſmo nomen dederant, nec qualis eſt in veritate eum agnoſcunt, ſed per errores ſuos aliquid ipſi detrahunt, ſicut Arrius æqualitatem cum Patre, Manichæus qui illi humanitatem tollebat, Apollinaris qui animam rationalem, & alij aliud. Revocat autem ab eorum ſeductione ex conſideratione perditionis ipſorum, multo magis futuræ quam fuerit Angelorum prævaricantium. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit: ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Item ex conſideratione diluvij quo abſorpti ſunt tempore Noë, qui ipſius prædicationi non crediderunt. Item ex punitione Sodomorum, &c.

In tertio capite, in confirmationem monitorum in utroque capite priori de conſervanda fide & cavenda hæreſi repræſentat ultimum Chriſti adventum ad judicium generale, cujus meditatio quoſvis, ſi ſint ipſius memores, poteſt in officio continere. *Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo Epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem: ut memores ſitis eorum quæ prædixi verborum à Sanctis Prophetis.* Juxta quod in priori Epiſtola dixerat, firmiorem habemus Propheticum ſermonem. Probat autem judicium Dei futurum per ignem ex priori & præterito judicio per aquam. *Latet enim eos hoc volentes quod cœli erant prius & terra de aqua & per aquam conſiſtens verbo Dei*, &c.

Judicij memoria.

Prius autem judicium fuit per aquam quæ eſt refrigerans, & purificans contra luxuriam in qua ſunt ardor & fœtor. Alterum judicium fiet per ignem, quia tunc vigebit avaritia ex defectu charitatis, Matth. 24. *Abundabit iniquitas & refrigeſcet charitas multorum.* Et ſi vero ſint qui judicium non credant futurum, quod omnia videantur in eodem ſtatu permanere & diutius preteletur iſtud judicium: *Attamen, inquit, unum hoc vos non fugiat, chariſſimi, quod unus dies apud Dominum æque eſt ut mille anni & mille anni ut dies unus. Non tardat Dominus promiſſiones ſuas, quemadmodum nonnulli tarditatem exiſtimant, ſed longanimis eſt erga nos dum non vult ullos perire, ſed omnes ad pœnitentiam accedere.* Quaſi diceret, eſto, cæterorum pro humani fragilitate ingenij obliti ſitis, unum tamen iſtud memoriam veſtram non prætereat quod omnia quæ videntur remota, Deo ſint præſentia, occulta ſint nota, nullaque ſit apud ipſum temporum intercapedo.

al. ſicut:

Ac ubi valde terribilem diem judicij exhibuit, concludit. *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint: quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus.... Quapropter chariſſimi hæc expectantes date operam, ut immaculati & incontaminati ab illo reperiamini in pace, Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini. Quemadmodum & dilectus frater noſter Paulus juxta datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, etiam in omnibus ferè Epiſtolis loquens de his, inter quæ ſunt nonnulla difficilia intellectu*, &c. Ubi indicat D. Petrus ſermonem haberi de Adventu Chriſti ad judicium in omnibus D. Pauli Epiſtolis. Adeo verum eſt novum teſtamentum Chriſtum judicem ſpectare.

Difficilia in D. Paulo.

Cæterum quod ait c. 3. incutiens terrorem noviſſimorum temporum ac judicij: *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur*, &c. Verba hæc *nolens aliquos perire*, ut ſonant intelligenda ſunt: ait ibi Cajetanus, poſſunt enim intelligi de voluntate antecedente, hoc eſt, de velleitate, &c.

Quod argumentum trium Epiſtolarum Ioannis?

Ut Theologus tendit ad inſinuandas tres virtutes Theologicas. Nam prima, quæ conſtat quinque capitibus, commendat fidem, ſpem, fiduciam, & charitatem in Deum, & proximum: totaque in his tribus conſiſtit vario ordine repetitis, cum plurimis affectibus divini amoris, ut digna ſit Epiſtola ſpiritu diſcipuli præ ceteris à Chriſto ſpecialiter dilecti. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt: & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis.* Quibus verbis ad fidem incitat, ſicut alijs ad ſpem & fiduciam, alijs ad charitatem, ut diligenter & attentè legenti patebit.

Tres virtutes Theologicæ in epiſt. D. Ioannis.

Secunda Epiſtola ad mulierem Babyloniam nomine Electam, magis eam incitat ad amorem Dei. Unico capite.

Tertia Epiſtola ad Caïum, magis incitat ad amorem proximi ei congratulando de hoſpitalitate. Unico capite.

Quid autem Epiſtola Iudæ?

Cum videret Judas Thadæus Chriſti Apoſtolus vix ſparſum eſſe verbi divini ſemen, cum ſtatim zizania pullularet in medio tritici per inimicos homines Pſeudo-prophetas hæreticos, qui nullo unquam tempore deſunt in Eccleſia ad probationem fidelium, ad Judæos Chriſti fide initiatos ſcribit hanc Epiſtolam, qua eos confirmat, ut in fide conſtantes permaneant, nec per hæreticos, quos hic ſuis coloribus depingit, aliquibus figuris veteris teſtamenti, naturalibuſque exemplis, improbos eorum mores deſcribens, à vera religione

Epiſtola D. Iudæ.

religione abduci se patiantur. *Charissimi omnem solicitudinem faciens scribendi vobis, de communi vestra salute, necessè habui scribere vobis, deprecans supertertari semel traditæ sanctis fidei*, &c. Ubi vult eos certamina certaminibus jungere, prælia prælijs contra hæreticos, quod assiduè ijs reluctandum sit, quod exprimit verbum *supercertari*.

Quomodo si Epistola hæc sit canonica, Liber Enoch, qui est Apocryphus, in ea citatur?

Distinguntur quatuor genera Librorum Aprochryphorum. Quidam sunt quorum veritas, & author ignoratur, ut Liber de infantia Salvatoris. Quidam quorum veritas, & non author ignoratur, ut itinerarium Clementis. Quidam quorum author, sed non veritas ignoratur, ut Hester, Sapientia. Quidam quorum nec author, nec veritas ignoratur, ut liber Enoch. Ex duobus autem ultimis testimonia possunt peti ad confirmationem veritatis. Gorram in 2. ad Timoth. cap. 3. Porro Liber Enoch notus erat Apostolis, nec incredibile est librum illum in arca servatum fuisse: vel si hoc non admittatur, potuit Noë pronepos Enoch Scripturam illam abolefactam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Judaïcæ literaturæ per Esdram constat esse restitutum: sed à Judæis tandem rejecta est, quod de Christo testaretur, sicut de his Pseudo-prophetis. *Nec utique mirum hoc*, ait Tertullian. l. de habitu muliebri c. 3. *si Scripturas aliquot non receperunt de eo loquentes, quem & ipsum coram loquentem non essent recepturi.*

Liber Enoch.

Quid est quod ibi dicitur, *quoniam Jesus secundo eos, qui non crediderunt perdidit?*

Id de Christo intelligitur non in quantum homo, sed in quantum Deus est, qui Israëlitas ex Ægypto liberatos perdidit & occidit, propter incredulitatem: sicut perditurus est Christianos per baptismum ex originali & alijs peccatis redemptos, si hæreticis adhæreant.

Quæ est historia illa de Michaële Archangelo de Moysi corpore contendente cum diabolo, an non ipsud fabulam redolet: cum in scriptura alibi non reperiatur?

Historiam hanc narrat Apostolus Judas, ex scriptis Hebræorum apud quos multa extabant, quæ hodie perierunt. Nec propter hoc minor fides ei adhibenda, quod in scripturis alijs non inveniatur, quia non est necesse scripturam à scriptura probari, sed ab Ecclesia. Nam & Joannes Evangelista cap. 5. refert historiam piscinæ probaticæ, cujus aqua semel in anno movebatur ab Angelo, primusque ex infirmis, qui in eam descendebat sanabatur, cum purum sit silentium in veteri testamento, & apud Josephum de tam insigni miraculo. D. quoque Paulus 2. Timot. 3. refert de duobus Magis Jannes & Mambre, quæ nulla scriptura commemorat. Et Act. 20. de præclara illa Christi sententia: *Beatius est magis dare quam accipere*, de qua nihil invenitur in Evangelijs. Erat autem ista altercatio de Moysi corpore, quod vellet diabolus illud notum esse Judæis, qui ad Idololatriam promptissimi facile divinum aliquem cultum, ac indebitum illi exhibuissent, quod ut Michaël Archangelus impediret, cum modestia verborum contendebat, ac prævaluit, cum hæretici verbis impudentissimis pugnent contra veritatem, itaut blasphement ac convitientur magis quæ ignorant, ut vim sacramentorum, & mysteria fidei.

An conveniant hæreticis hodiernis, quæ de veteribus, & primis hic afferuntur?

Omnino 1. *Væ illis*, inquit, *qui in via Cain abierunt*. Cain invidus. Sic illi propter invidiam meliorum, nomen sibi doctorum assumunt. Cain pejora Deo offerebat, & illi Deo pejorem cultum. Cain crudelis, & illi animas & sæpe corpora interficiunt. Sed & Cain primus in dubium revocavit, quæ erant

Hæretici

fidei ut Caldæus Paraphrastes Gen. 4. testis est, contendens contra Abel, non esse judicem, nec mercedem bonis operibus, nec peccatis supplicium, nec ullam providentiam. Quibus cum Abel repugnaret, ab eo occisus est.

2. *Et errore Balaam mercede effusi sunt.* Effunditur enim ille, qui non se continet in officio ac virtute, sed aliquo falso bono, sicut esca illectus in illud se præcipitat: sicut moderni hæretici in libertatem vitæ, excusso legum & præceptorum jugo.

3. *Et in contradictione Core perierunt.* Sic enim illi summo Pontifici, ac principibus Ecclesiæ, obmurmurant & contradicunt.

4. *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes.* Quia dum convivunt cum aliis, errores suos evomunt, quibus alij maculantur.

5. *Sine timore.* Non cogitant quantum scelus sit simplicium animas à patrum religione avertere, & gehennæ reas reddere.

6. *Semetipsos pascentes.* Quia ob suiipsorum æstimationem pascuntur semetipsis, ac proprijs suis opinionibus.

7. *Nubes sive aquæ.* Se enim à terra quasi elevandum se magistros aliorum arbitrantur, qui possint in illos salutaris doctrinæ aquam effluere: sed revera sunt nubes sine aqua, instabiles pro voluntate sathanæ, modo hac, modo illac impulsi, nullamaquam veræ doctrinæ, sed solos errores reddunt.

8. *Arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Qui cum sint in hac vita velut in Autumno, ac tempore fructuum, nihil utile afferunt: sed bis sunt mortui, & sibi & alijs, quibus mortis animæ causa sunt, quod à reliquo Ecclesiæ corpore præscissi omnem vitam interiorem gratiæ perdiderunt.

9. *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Odio intestino in Ecclesiam agitati, nec ulla conscientiæ pace fruentes: Quorum verba & opera pudenda, ignominiosa, probrosa.

10. *Sydera errantia.* Quia aliquid lucis præ se ferre videntur: nec enim aliter deciperent nisi mendacijs vera aliqua intermiscerent, quasi venenis mella. Sed & inconstantes in erroribus.

11. *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Hic finis hæreticorum, per tenebras punientur, qui tenebras errorum invexerunt.

Cur liber dictus Apocalypsis?

Apocalypsis nomen Græcum est, detectionem, seu revelationem significans, quod liber ille revelationem excellentissimam contineat de rebus futuris. De cujus libri præstantia scripsit D. Hieronymus Epist. ad Pamachium. Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba, parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est, in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Hinc Cardinalis Cajetanus finem imponens commentarijs suis, in novum Testamentum, post explicatam Epistolam B. Judæ Apostoli, addit, Apocalypsim enim fateor me nescire exponere juxta sensum literalem, exponat cui Deus concesserit.

Apocalypsis.

Quis scopus D. Joannis in Apocalypsi?

Repræsentare nobis Christum tanquam judicem vivorum & mortuorum, qui post monita salutis omnibus data, accepta à Patre Deo potestate judiciaria in acceptione libri septem sigillis signati, tandem elapso tempore hujus mundi judicabit pios & improbos, secundum merita operum, his supplicia, his vitæ æternæ præmia decernens.

Quæ partitio libri Apocalypsis?

In tres sectiones perspicuitatis causa dividi poterit.

Prima in qua Christus apparet D. Joanni vestitus podere in habitu sacerdotali, illi injungens, ut scribat monita & exhortationes salutares ad Episcopos septem Ecclesiarum. Quibus denotatur Christi providentia super universas orbis Ecclesias, est enim monens, arguens, adhortans unumquemque prout expedit magis ad ejus animæ salutem; per Angelos Ecclesiarum,

1. sectio Apocalypsis.

paſtores ac ſacerdotes, & prædicatores intelligens. Atque hæc ſectio continetur à primo capite, poſt præfationem, & ſalutationem prævíam, ad finem capitis tertij.

Quæ ſecunda ſectio, & ubi incipit ac deſinit?

2. Sectio apocalypſis.

Incipit ab initio quarti capitis, & excurrit uſque ad finem noni capitis. In qua Chriſtus accipit à patre æterno poteſtatem judiciariam, per acceptionem libri ſignati ſeptem ſigillis, cujus ſignacula ſolus poteſt diſſolvere, atque Joanni revelat ſigillatim, quæ in eo continentur. Procedit autem hæc ſectio tali ordine, ut in quarto capite appareat illi pater æternus ſupra ſedẽ, & thronum mitæ gloriæ & ſplendoris, quem circumſtant ſeptem majores Angeli, ac ſancti illuſtriores, deſignati per quatuor animalia plena oculis ipſum jugiter laudantia, ac viginti quatuor ſeniores ante eam procidentes, quibus deſignantur illuſtriores ſancti, qui merita majora in vitæ diuturnitate ſibi comparaverunt.

In quinto capite Chriſtus ſub figurâ agni apparens, quod in Cruce pro hominibus immolatus ſit, accipit de dextera ſedentis ſuper Thronum librum ſignatum ſigillis ſeptem, quo denotatur poteſtas ejus judiciaria quam in traditione Libri illi concedit pater, velut per quamdam ſolemnem inaugurationem. Capitibus ſequentibus ſexto, ſeptimo, octavo, nono, revelantur Joanni omnia quæ continentur in illo Libro apertis ſigillis ſingulis.

Quæ ſunt illa quæ continentur in illo libro?

Illa quæ antecedunt magis remotè vel proximè judicium, & illa quæ conſequuntur nempe ſupplicia malorum & felicitas piorum qui Chriſto adhæſerunt: quæ omnia ſub variis ſcematibus & viſionibus repræſentantur D. Joanni uſque ad caput 19. incluſivè, cum illa qui habentur à capite 20. ad finem, videantur magis ſummaria recapitulatio & magis clara repetitio antea dictorum cum quadam obſcuritate, ob eorum multitudinem.

Nunquid nova eſt hæc interpretatio & aliis incognita?

Convenit in multis cum aliorum interpretationibus & ad eundem ſcopum tendit, licet diversâ tantiſper viâ, qua tamen explicatio Apocalypſis, quæ valde obſcura eſt, elucidatur.

Explica ergo ſeptem illa ſigilla eorumve apertionem.

Cap. 6. Continet apertionem primorum ſex ſigillorum.

Primo ſigillo aperto, *Ecce equum album & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiit vincens ut vinceret.* Quo denotantur Imperatores qui in variis certaminibus victores fuerunt ac ſæpe de adverſariis triumpharunt, parta ſibi ingenti nominis fama ac multis populis ſubjugatis. In quibus multa judicio divino per Chriſtum diſcutienda & præmianda vel punienda invenientur. Ac hujuſmodi bellicoſi Principes, denotantur per equum album in ſignum gloriæ & ſplendoris.

Regnorum mutat.

Secundo Sigillo aperto exivit alius equus rufus & qui ſedebat ſuper illum, *datum eſt ei ut ſumeret pacem de terra & ut invicem ſe interficiant.* Quo denotatur alius quiſpiam Imperator crudelis & ſanguinis ſitiens, ſub quo omnia bellis & præliis turbantur. Magna judicij Divini materia.

Tertio Sigillo aperto, *Ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua, &c.* Quo denotatur quiſpiam Princeps juris & æqui tenax, qualis vix unus inter multos reperitur, cum ex Regibus Iſraël nullus, ex Regibus vero Juda tres tantum Deo placuiſſe reperiantur.

Quarto Sigillo aperto, *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors & infernus ſequebatur.* Quo denotatur alius Imperator qui ſub prætextu religionis perſequutionem contra fideles excitat. Quales fuerunt plures Imperatores hæretici, ac Mahumetani Principes, tribunali Chriſti quandoque ſiſtendi, coram quo potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.

Cur Imperia & Imperatores per equos deſignantur?

Imperatores per equos deſignati.

Quia equus animal eſt ſuperbum ac imperioſum. Imperia quoque à Deo gubernantur laxatis vel retentis habenis quoad varios ſucceſſus. Equus celer eſt ad curſum in quo nonnunquam ruit in præcipitia ſeſſoremque deturbat, ſicut accidit in Imperiis quorum gloria brevis eſt & inconſtans. Dẽnique equus petulans & laſcivum eſt animal: ſic enim Imperia ob divitiarum magnitudinem laſciviam, inſolentiam ac omne genus vitiorum ſæpe invehunt. Adde equum bellicoſum eſſe animal, ſicut ſunt Imperatores ſæpius, quaſi ad fundendum humanum ſanguinem nati eſſent, ut in paucis pax vigeat.

Quinto Sigillo aperto cum in bellis & perſecutionibus plures interfecti fuiſſent, videt Joannes animas interfectorum ex zelo juſtitiæ, vindictam à Deo poſtulantes contra eorum interfectores, quas ſolatur Deus attributa illis ſtola alba beatitudinis animæ, & expectatione majoris numeri eorum qui parem cum illis ſortem habere debent.

Animæ ſub altare.

Quod vero Joannes vidit illas animas, quæ ſunt animæ Martyrum ſub altare, ne inferas propterea nondum in cœlo exiſtere ac viſione divinâ frui, ſicut quidam cenſuerunt, differentes earum beatitudinem ad finem judicij ultimi, nam altare illud erat in cœlo. Deinde denotat ipſum Chriſtum ſub cujus protectione requieſcunt fœlices iſtæ animæ: non autem quod ſolam ipſius humanitatem videant, ut videtur docere D. Bernardus, ſerm. 4. in feſto omnium Sanctorum. Sed & animæ ſumuntur pro ipſis ſanctis, more uſitato ſcripturæ quæ per animas homines ipſos intelligit. Dicuntur autem clamare ſubtus altare ubi eorum corpora poni ſolebant, quod tacitè vindictam clament de tyrannis ipſorum iniquis interfectoribus, ad modum ſanguinis Abel, qui dicitur de terra clamaſſe ad Dominum, Geneſis 4.

Sexto Sigillo aperto apparent illi homines conterriti ex conſideratione futuri judicij in quo omnia commovebuntur. Quo denotatur ſtatus plurium pœnitentium qui elongantur à via ſæculi & ſolitudines amant, metu judiciorum divinorum.

Cap. 7. Continet continuationem ejuſdem ſexti Sigilli, quo aperto, videt inſuper Joannes quo fructu pro animabus laborant boni Angeli, ut plura ſignatorum millia ex tribubus Iſraël ab impiis ſecernant, nec non gentes innumeras quæ ad Cœlos evehuntur ex omnibus populis & nationibus, parta gloriosè victoria de omnibus adverſariis.

Angeli.

Cap. 8. & 9. Aperto Sigillo ſeptimo ſub variis metaphoris denotantur varij caſus eorum maximè qui ex aliquo perfectionis ſtatu ad hæreſes prolabuntur, quibus innumeras animas in terra ac mari interficiunt, pluresque qui cœleſtem vitam ducebant antea miſerè pereunt errorum caligine obſcurati. Unde clamatur *Væ, væ, væ, habitantibus in terra.*

Ac primo cum aperuiſſet Agnus Sigillum ſeptimum, fit ſilentium in Cœlo quaſi media hora, quo denotatur admiratio cœlitum ſuper iis quæ aperto hoc Sigillo apparere incipiebant. Interim orationes Deo per Angelum offeruntur, quo factum ut ignem mitteret in terram, id eſt amorem Dei inter homines effunderet, & facta ſunt tonitua & voces & fulgura & terræ motus magnus. Per quæ omnia ſignificantur Doctores igne charitatis accenſi, qui multorum animos ad Deum amandum & avertendum ſe à terrenis per mutationem vitæ excitaverunt. Sic enim ſe habet liber iſte, ut quædam bona malis permiſta contineat.

Tum ſeptem Angeli tuba incipiunt canere, ut quaſi ad pugnam homines excitent, cum viderint quæ hic præfigurantur, caſus ſcilicet plurimorum in hæreſim aliaque peccata, ne ſi inertes dormiant in aliorum ruina ac perditione involvantur.

IV. Tuba ſunt Hæreſiarchæ.

Cenſent autem multi quatuor Hæreſiarchas denotari per tubas quatuor primorum Angelorum, qui in quatuor primis Conciliis Generalibus damnati ſunt. Arrius, Macedonius, Pelagius, Eutyches. *Hæreſiarchæ.*

Primus Angelus tuba cecinit & facta eſt grando & ignis miſta in ſanguine. Hic eſt caſus Arrij, prædicatio ejus non pluvia quæ terram aleret, ſed grando fuit quæ ſegetem Eccleſiæ devaſtaret. Hanc ignis furorque zeli comitatur, & omnia nũſta ſunt ſanguine cum plures variis modis cruentæ morti addixerunt: Unde tertia pars Eccleſiæ devaſtata eſt, *Tertia pars arborum*, eorum ſcilicet qui ut arbores videbantur fortiores, nam *omne fœnum viride combuſtum eſt.* Infirmi quique à vera fide abducti ſunt.

Secundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare. Hic eſt caſus Macedonij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qui zeli impij ardore exæſtuans in Spiritum ſanctum inſaniit, ac plures monachos ſuo errore infecit, unde dicitur mons ille miſſus in mare, in ſtatum, ſcilicet pœnitentium ac lugentium pro peccatis: ac bona pars eorum interijt, naviumque tertia pars, id eſt, monaſteriorum in quibus ſpirituale reputabatur, Spiritum Sanctum Deum non agnoſcere.

Tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo ſtella magna ardens tanquam fuſcula, & cecidit in tertiam partem fluminum, &c. Hic eſt caſus Pelagij, qui Neſtorium peperit. De cœlo religioſi ſtatus velut ſtella cecidit, quæ dicta eſt abſinthium, quod divinæ gratiæ dulcedinem auferre conaretur, negans ſtatum ſupernaturalem hominis, gratiæque ac baptiſmi neceſſitatem tollens; unde dicitur cecidiſſe in tertiam partem fluminum, & aquas amaritudine infeciſſe, ut de aquis multis morerentur, cum infantes non baptizarentur.

Quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars ſtellarum, itaut obſcuraretur tertia pars eorum. Hic eſt caſus Eutichetis Abbatis, qui naturam humanam in divinam converſam docebat, ut Chriſtus ſic non eſſet verus homo, unde tertia pars Solis dicitur percuſſa, quia tollebat à Chriſto veram carnem. Et tertia pars Lunæ, id eſt Eccleſiæ, quæ huic errori adhæſit, & tertia pars ſtellarum, id eſt Religioſorum, quos hic error corrupit. *Et diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter*, quia fuligine hujus hæreſis, & qui magis illuminati videbantur, & qui majoribus ignorantiæ tenebris obſiti, errore illo obtenebrati ſunt.

Caſus viri ſpiritualis in luxuriam.

Cap. 9. *Quintus Angelus tuba cecinit, & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi.* Hic eſt caſus Lutheri ſecundum multos, nec abſurda eſt interpretatio, quamvis quorumlibet hæreticorum caſus in præcedenti capite ſatis adumbrati ſint. Magis placet hic denotari caſum cujuſlibet viri ſpiritualis perſonæ ex alto quodam ſtatu perfectionis vitæ in barathrum luxuriæ prolabentis. Tunc enim dici poteſt, quod ſtella de cœlo cadat, ſeu Epiſcopus, ſeu Sacerdos, ſeu Religioſus, aut Religioſa ſit. Aperit puteum abyſſi, cum opere peccatum conſummatur. *Obſcuratus eſt Sol & aër de fumo putei: & de fumo putei exierũt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.* Fumus ille mala fama eſt, quæ de hoc peccato ubique ſpargitur: locuſtæ autem illæ ſcorpionum vim habentes, ſunt remorſus conſcientiæ, quæ poſtea exoriuntur ac imaginationes fœdæ peccati illius, quibus ſicut ſcorpionibus pungitur infœlix peccator, ac ij maxime, qui accelerata confeſſione ac emendatione perfecta corpora ſua non mortificant, nec in corporibus ſuis mortificationem Jeſu Chriſti, quæ eſt ſignum illius, ac eorum qui ipſius ſunt, non circumferunt. Unde fit etiam, ut quandoque in deſperationem adducantur. Et ſimilitudines locuſtarum, ſimiles equis paratis in prælium, &c. *Et habebant capillos, ſicut capillos mulierum*, &c. Hæ ſyndereſes impœnitentium ac imaginationes fœdæ, quaſi prælium aſſiduè committunt contra hominem, nihilque non molle ac effœminatum animo repræſentant, tumultumque perpetuum in animo excitant ac fovent: *Et habebant ſuper ſe regem Angelum abyſſi.* Præſidet nimirum hujuſmodi locuſtis Aſmodæus dæmon impudicitiæ omnis inventor, qui in omni lingua, Hebraica, Græca, Latina nomen habet, tam latè diffunditur regnum hujus dæmonis, cui major pars terræ addicta eſt.

Et ſextus Angelus tuba cecinit, &c. Hic alius eventus eſt, de quo etiam judicium ferri debet in fine ſæculi. Bella ſcilicet geruntur pleraque inter homines, cum numeroſis exercitibus, ac cum tanta ferocitate, ut in dæmones aut leones verſi videantur homines, qua vi & ferocia, qua arte & calliditate ſerpentina in ſe invicem ſævientes, ut ſæpe poſt aliquot annorum curricula in quibus bella iſta geruntur, tertia pars hominum defeciſſe videatur variis modis abſorpta. Solvuntur vero quatuor Angeli mali, qui hujuſmodi bellis præſideant. Quia tam inhumana ſunt, & ab omni humana ratione aliena, quæ in iſtis accidunt ſeu inter Chriſtianos, ſeu inter Gentiles ac Idololatriæ deditos adhuc populos, ut non unum dæmonem, ſed plures agitare tales milites non dubitandum ſit. Porro tum hæc omnia Joanni oſtenſa fuiſſent in apertione ſeptimi ſigilli, in quibus exerceri debet judicium Chriſti, ultimo adhuc illi manifeſtatur poſt hæc ac ſimilia acta hominum, finem mundo huic imponendum eſſe. *Milites.*

Quid tertia ſectio continet, & ubi incipit?

Incipit à capite decimo uſque ad finem libri, ubi poſt innumera mala ab hominibus perpetrata Deus de omnibus judicium ferat, ſicque hæc ſectio de ultimis temporibus agit.

Ac cap. 10. Angelus de cœlo deſcendens annuntiat hominibus inſtare ultima tempora: quo denocatur inſignis aliquis prædicator vitæ cœleſtis, qui in terra & in mari, in continente & in inſulis magno apparatu ac authoritate finem mundi inſtare annuntiabit, nec ultra Deum velle ferre impios homines. Cumque Joannes librum quem manu tenebat ab eo accepiſſet ac devoraſſet: *Et erat in ore meo*, inquit, *tanquam mel dulce: & cùm devoraſſem eum amaricatus eſt venter meus.* Quo denotatur judicium ſpecie tenus aliquid dulcedinis continere, quod ſancti in eo vindictam malorum debeant adſpicere: ſed talis futura eſt eorum pœna, ut merito de ea contriſtari debeant omnes.

Cap. 11. Inſtante judicio jubetur Joannes metiri templum Dei, id eſt perpendere qualia ſunt merita eorum, qui in Eccleſia, & in fide permanebunt. Deſcribiturque adventus Enoch & Eliæ, eorum prædicatio, mors & glorificatio.

Cap. 12. Deſcribit in genere ultima prælia, quæ adverſus Eccleſiam dæmon ſuſcitaturus eſt. Mulier enim amicta Sole eſt Eccleſia veritatibus fidei ſplendens, & Lunam ſub pedibus habens in ſignum firmitatis, ut adverſus quam portæ inferi non prævalebunt: coronata eſt quoque duodecim ſtellis, quæ denotant vel duodecim Apoſtolos, vel duodecim articulos fidei. *In utero habens, clamat parturiens, & cruciatur ut pariat.* Chriſtum ſcilicet, nam quemadmodum Synagoga Chriſtum in ſtatu paſſibili enixa eſt, & quodammodo peperit ſuis precibus: ſic Eccleſia innumeris malis affecta per impios & infideles magnis gemitibus deſiderabit Chriſtum in ſtatu glorioſo, & ut æquum judicem & vindicem tot malorum, ſicque quodam novo modo ipſum paritura eſt, rugiente licet & fremente dracone, i. dæmone ipſam Eccleſiam crudelius ob id perſecuturo per Antichriſtum & ſuos ſatellites. Aut certè ipſum paritura eſt partu ſpirituali in fide & charitate credentium: at hoc nititur draco impedire, dæmon- *Mulier amicta ſole.*

ſcilicet, Chriſtum extinguere volens in animis fidelium: inde fiet prælium in cœlo Eccleſiæ militantis. in hoc prælio victus reintegrat pluries certamen, perſequiturque mulierem in fine mundi, quæ in ſolitudines & deſerta ſeſe recipit: nec tamen ibi omnino tuti erunt fideles, nam *Miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* Excitando perſequutiones contra Eccleſiam latitantem in deſertis, quam tamen Deus protegit. Porrocum hæc deprehendiſſet Joannes ait ſe ſteriſſe in littore maris, *& ſteti in littore maris.* Ut novam viſionem haberet, qua magis in ſpeciali hæc eadem illi deſignarentur c. 13. & ſequentibus.

Cap. 13. Deſcribit ipſum Antichriſtum in ſpeciali magis, ſub figura beſtiæ horribilis, quæ de mari aſcendit, id eſt, ex multitudine impiorum, habebatque capita ſeptem & cornua decem, id eſt, decem regna, ſicut etiam Daniel. 7. repræſentatur. Habere autem dicitur & decem & ſeptem regna, quia initio ex decem regibus, qui in Romano Imperio exiſtent, tres ab ipſo occidendi, & evellendi ſunt in prælio, reliquis ſe illius Imperio ſubmittentibus, ac in Chriſti Eccleſiam eum ipſo conjurantibus, blaſphemiaſque in eum jactantibus. Poſtea videt D. Joannes alterum velut prophetam ſub ſpecie beſtiæ de terra aſcendentis, qui falſa etiam miracula aget, ut adducat homines ad adorandam imaginem Antichriſti. Ut ſic vi ac fraude inducat homines ad infidelitatem. Hic promovebit conatus impios Antichriſti, illius malitiæ cooperando.

Cap. 14. Repræſentatur maxima exultatio eorum, qui Antichriſtum vicerunt. *Et cantabant quaſi canticum novum.*

Cap. 15. Continuatur hæc exultatio. Et ſub finem capitis incipiunt repræſentari pœnæ eorum, qui Antichriſto adhæſerunt ſub ſcemate ſeptem Angelorum, qui habent phialas plenas ira Dei.

Cap. 16. Deſcribuntur pœnæ illæ quibus afficiuntur impij per effuſionem ſeptem phialarum. Ibique incipit deſcribi deſtructio Babylonis, Romanæ ſcilicet civitatis quæ tunc temporis Idololatriæ dedita erit, mutato regimine.

Cap. 17. Apertè deſcribitur deſtructio Babylonis.

Cap. 18. Exultatio Angelorum ſuper ruina Babylonis, lamentationeſque amatorum ac admiratorum illius.

Cap. 19. Laudes redduntur Deo à ſanctis propter illam deſtructionem, ſimulque Chriſtus ſe accingit ad ultimum judicium, & ad ſtragem impiorum, ad quam invitantur omnes ſancti quaſi ad cœnam magnam: ac Antichriſtus & pſeudo-propheta vivi mittuntur in ſtagnum, id eſt, in infernum ac eorum ſectatores gladio feriuntur.

Recapitulatio ſpecul.

Cap. 20. Recapitulatio eſt eorum quæ hactenus dicta ſunt juxta antiquos & modernos Interpretes, ad finem uſque decurſa oratione, ad initium ſcriptor hujus hiſtoriæ redit & recapitulando, ut in tropicis locutionibus fieri ſolet, quæ prætermiſerat, percurrit, ait Angelomus. *Et vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi & catenam magnam in manu ſua.* Quem autem alium in Angelo deſcendentem de cœlo accipimus niſi illum de quo per prophetam dicitur, vocabitur nomen ejus magni conſilij Angelus, videlicet Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ſemetipſum exinavivit? Quid vero clavis deſignat abyſſi, niſi vim divinæ diſcretionis quæ perſecutores Eccleſiæ, & cum opportunum fuerit de latebris vitiorum ad ſævitiam exire permittit: & rurſum ne quantum volunt noceant, includit? Quid quod abyſſi vocabulo, niſi eorumdem perſecutorum corda figurantur quæ & per lapſum fluida & per duplicitatis ſunt caliginem tenebroſa? Quid etiam per catenam dicimus figurari, niſi inevitabilem atque omnia conſtringentem divinæ majeſtatis potentiam? Manus ſiquidem illius Angeli eſt divinitas per quam virtutes & miracula operatur & omnia moderatur.

Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum qui eſt diabolus. Propter malitiam enim draco eſt, propter verſutiam ſerpes, propter iniqua atque exercitata conſilio antiquus, *& ligavit eum per annos mille & miſit eum in abyſſum.* Dei enim filius in carne infirmus, in divinitate fortis mortalium viſitans regionem fortior alligavit fortem, compeſcuit virtutem dæmonis ne ſeduceret gentes, ex quibus conflata eſt Eccleſia, per annos mille, quibus deſignatur totum tempus ab Incarnatione ad adventum Antichriſti: non quod poſt illud elapſum tempus debeat eas ſeducere, tales enim ſic ad certamen præparabit quod tanto ejus impetu vinci non poterunt, cum eorum virtus omnibus ſignis & verberibus Antichriſti futura ſit potior. *Et clauſit & ſignavit ſuper illum ut non ſeducat amplius gentes,* per Idololatriam maximè per quam antea ſeduxerat. Quid eſt autem dicere clauſit, niſi aditum illi interdixit, ne alibi greſſus malitiæ extendere præſumat, niſi quo occulta ſed juſta Dei iudicia abire permittant. Signavit etiam, id eſt, ſigillavit ſuper eum, quaſi enim ſub quodam ſigillo clauſus tenetur in abyſſo, quia ignorat qui ſunt ex prædeſtinatis & reprobis, ne aut ab eorum tentatione recedat, aut reprobi cum quadam excuſatione pereant dicentes, ſe fruſtra laboraturos, ſi jam nota eſſet dæmoni ipſorum reprobatio.

Diabolus neſcit qui ſunt electi aut præſciti.

Et vidi ſedes & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis. Quæ verba aptius intelliguntur de judicio ultimo poſt Antichriſtum futuro, cujus nequitiæ qui non adhæſerunt dicuntur regnaturi cum Chriſto mille annis, id eſt, per æternitatem; variat enim hic Joannes in mille annis non uno modo eos intelligendo, quod non eſt inſolens in ſcripturis, ut obſervat Blaſius Viegas ſect. 2. in hoc caput. *Cæteri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille anni.* Hæc eſt reſurrectio *prima* quæ intelliguntur de mortuis in peccato, qui vivent tantum vita corporis in reſurrectione generali, occiſo prius Antichriſto cum ſuo exercitu per ignem de cœlo deſcendentem, atque ipſo cum ſuo Pſeudopropheta ac inſigni præcurſore miſſo in ſtagnum ignis inferni, ubi in perpetuum crucietur. Verba enim ut ſonant, accipienda ſunt in hoc loco. His porro peractis expreſſius repræſentat D. Joannes ultimum judicium & quam terribile futurum ſit, rethoricâ plane mirabili, quæ paucis verbis ſic majeſtatem judicis Chriſti exponit, ut ſuperet omnem artem oratoriam.

Et vidi thronum magnum & candidum & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit cœlum & terra. quam ergo terribilis & auguſtus ille iudex, cujus præſentiam ac intuitum nec cœlum nec terra ſuſtinere valent, ſed quaſi ipſo apparente velut in nihilum rediguntur. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni: & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Libri illi conſcientiæ ſunt ſingulorum ac libros illos aperiri, eſt cunctos legere ac noſſe quid quiſque egerit ſive pravum ſive bonum: intellectus enim ſingulorum à Deo tunc elevati cuncta comprehendent. Vel librorum illorum apertio denotat notitiam omnium actionum humanarum quam Deus habet, propter quam metaphoricè dicitur habere librum in quo benè & malè geſta ab hominibus, præmiaque ac ſupplicia ijs debita continentur. Hæc porro Dei notitia quæ infallibilis eſt, omnibus explorata erit & unicuique ſecundum opera retribuetur. Quod vero ſit mentio de libris in plurali & de libro vitæ in ſingulari, per hoc inſinuatur diſcrimen malorum & bonorum operum. Libri enim plures ſunt pro malis operibus, tam numeroſa illa fuerunt ut pluribus voluminibus conſcribi debuerint, unicus vero eſt liber vitæ tam rara & pauca fuerunt opera omni ex parte perfecta, *& qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Hic eſt liber prædeſtina-

Liber & libri.

bonis, qui unicus est, cum multi sint reprobationis: A Qui legit intelligat & stupens dicat cum Davide Psal. 138. *Domine probasti me & cognovisti me*, &c.

Cap. 21. Describit locum cœlestis gloriæ, civitatem scilicet cœlestem, ejus opes, splendorem, & gloriam: quæ nihil vetat secundum litteram majori ex parte intelligi.

Cap. 22. Describit beatitudinem essentialem, seu visionem beatificam sub duplici typo, fluvij scilicet aquæ vivæ, quia sanctorum sitim ac desideria omnia satiat, ac ligni vitæ, quia immortalitatē confert. Quod etiam singulis mensibus novos fructus affert, quia semper ita nova, sapida, ac jucunda beatis videtur visio Dei, ac si primo die illam experirentur, sine ullo fastidio. Tum adhortatur ad tanti boni desiderium: ac confirmata fortiori assertione suæ prophetiæ veritate, ad B illam beatitudinem ipsemet Joannes suspirans exclamat: *Veni Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus vobis. Amen.* Atque in his votis ac desideriis post Jesum Christum, qui est finis scripturæ, finem accipit Scriptura sacra.

Cur iste finis Apocalypsis, & Librorum omnium novi Testamenti?

Scilicet utraque lex antiqua & nova cursus est, & via ad Christum, & propter Christum sunt sicut cursus, & via sunt propter terminum: & Christus est finis utriusque legis. Sed cum hoc discrimine, quod est finis veteris legis quatenus est redemptor, in primo adventu, & est finis novæ legis quatenus est glorificator & beatificator in secundo adventu: ideo finis Librorum sacrorum novæ legis expressius nobis repræsentat Christum in secundo adventu, in quo homines beatificabit, ac gloriæ suæ largitione consummabit in æternum, atque in hoc finiuntur, sicut adepto fine cessat motus.

Scopus novi Testamenti.

Quomodo libri novi Testamenti annuntiant secundum Christi adventum in gloria?

Quia Christum venturum in gloria prædicant aut promittunt partim verbis expresse id significantibus: partim variis figuris ac parabolis idem significantibus.

Ostende id in Matthæo primo Evangelistarum.

Cap. 1. Angelus apparens in somniis Joseph indicit illi, ut Christo nomen imponat Jesus: *& vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Id autem complebitur perfectè in secundo adventu, in quo à peccatorum reliquiis, pœnis nempe corporis liberabit electos suos per salutem omni ex parte consummatam, ab omni impotentiâ, nequitiâ & miseriâ.

Cap. 2. Regum adoratio cum muneribus designat honorem, gloriam & cultum Christo in cœlis exhibendum ab omnibus beatis. Præmittit mysterium circumcisionis D. Lucas, cujus anagogiam sic interpretatur Alanus de insulis in libro sententiarum. Per hoc quod Christus circumcisus est in carne octava die, figuratum est quod octava die resurrectionis circumcidendum esset à carnis passibilitate, & corpus suum, id est, fidelis populus octava ætate à corporis & animæ pœnalitate.

Cap. 3. D. Joannes Baptista apertè prædicat Christi adventum ad judicium, *cujus ventilabrum*, inquit, *in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Est autem ventilabrum instrumentum quo grana in altum projecta à pulvere & paleis purgantur, designatque potestatem Christi judiciariam.

Cap. 4. Exinde cœpit Jesus prædicare & dicere: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*

Cap. 5. Christus sermonem habet de beatitudine hominis ad finiendam illam controversiam toties agitatam inter Philosophos de fine ultimo & beatitudine hominis. *Et aperiens os suum docebat eos dicens, beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* &c.

Cap. 6. Docet orationem Dominicam in qua instruimur adspirare ad illum Christi glorioſum adventum per illa verba. *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum* &c.

Cap. 7. *Intrate per angustam portam: quia lata porta est & spatiosa via quæ ducit ad perditionem & multi sunt qui intrant per eam, quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.* Item. *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* &c.

Matthæi per singula capita species secundum Christi adventum.

Cap. 8. & 9. Multos infirmos curat in signum & figuram, quod in secundo suo adventu omnem languorem & defectum tollet à corpore & anima.

Cap. 10. Convocat duodecim Apostolos qui ejus regnum & adventum ad judicandum orbem annuntiaturi erant, ac inter alia illis loquens ait. *Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël donec veniat filius hominis.* Item. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.*

Cap. 11. *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi, tu es qui venturus es an alium expectamus?* Item versu 24. *Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicij.* G

Cap. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.*

Cap. 13. Proponit varias parabolas, inter alias illam quæ est sagenæ missæ in mare & ex omni piscium genere congregantis. *Quam cum impleta esset educentes & secum miserunt: sic erit in consummatione sæculi* &c. Item parabolam zizaniorum &c.

Cap. 14. Christus multiplicat panes & pisces, *& manducaverunt omnes & saturati sunt.* Figura est convivij cœlestis &c.

Cap. 15. Iterum multiplicat panes.

Cap. 16. Hanc profert sententiam versu 26. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* D

Cap. 17. Christus transfiguratus præbet speciem illius gloriæ & pulchritudinis quam in gloria sua habiturus, *& resplenduit facies ejus sicut sol* &c.

Cap. 18. Profert parabolam regis qui voluit rationem ponere cum servis suis, in signum futuri judicij.

Cap. 19. Dixit Petrus ad Christum, ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis, *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* E

Cap. 20. Affertur parabola hominis patrisfamilias qui conduxit operarios in vineam suam, & in fine jubet, per procuratorem per quem Christus designatur, reddit unicuique mercedem. *Voca operarios & redde illis mercedem.*

Cap. 20. Affert parabolam hominis patrisfamilias, qui plantavit vineam, quam parabolam concludit hac terribili sententia. *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem vero ceciderit confringet eum.* Quod erit evidens in judicio.

Cap. 22. Multa habet quæ ad idem judicium pertinent, ut est parabola hominis regis, qui fecit nuptias filio suo, quam concludit hac sententia, *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Item cum probet ad

Phariſæos loquens ſe eſſe Deum ex illo loco Davidis, quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens, *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?*

Cap. 23. Minatur Scribas & Phariſæos. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Serpentes geniminа viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?* & concludit his verbis; *non enim videbitis me amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Cap. 24. Manifeſtè deſcribit Chriſtum venientem ad judicium. verſ. 30. *& videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majeſtate, & mittet Angelos ſuos cum tubâ* &c.

Cap. 25. In parabola decem virginum, & talentorum idem argumentum tractat, ſubjungitque. *Cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſua & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes,* &c.

Cap. 26. Interrogatus Chriſtus à Principe Sacerdotum ſi eſſet Chriſtus filius Dei, dicit illi Jeſus, tu dixiſti, *verumtamen amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli.* Quæ verba dixit Chriſtus cum veroſimiliter illi improperaret paupertem & ſtatum infirmitatis ſuæ minimè competentem Meſſiæ, cujus duplicem adventum non ſatis attendebat Princeps ille Sacerdotum.

Cap. 27. Mors ipſius deſcribitur & crucifixio inter duos latrones, quorum uni paradiſum promittit, alterum ſine venia dimittit, in ſignum eorum quæ acturus eſt in judicio circa prædeſtinatos & reprobos.

Cap. 28. Surrexit Chriſtus è ſepulcro ſtatumque glorioſum aſſequitur, dicit quoque Apoſtolis, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, ut qualis futurus ſit per totam æternitatem intueri liceat.

An etiam liber Actuum Apoſtolorum ſecundum Chriſti adventum exhibeat?

Apoſtoli annuntiant ſecundum Chriſti adventum.

Omnino: idque per ſingula ferè capita, in quibus ſermo eſt de concionibus Apoſtolorum: id enim maximè urgebant, Chriſtum jam veniſſe ad ſalutem hominum in ſtatu paſſibili in quo mortem pro redemptione generis humani ſubijſſet, iterato autem venturum in fine mundi ad judicandum homines & eis pro meritis operum ſupplicia aut gloriam retributurum: atque in fide iſta pendere ſalutem omnium: ut vero hæc per omnia ferè capita inſinuentur, ſunt quædam alia capita in quibus id apertius enuntiatur.

Cap. 1. Angeli dicunt Apoſtolis ſtupentibus & attonitis ex intuitu Chriſti ad cœlum aſcendentis. *Viri Galilæi quid ſtatis adſpicientes in cælum? hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum. Sic*, nempe in eadem formâ humanâ. *Sic*, propriâ virtute non alienâ ope adductus. *Sic*, cum eadem animâ & eodem corpore, quod nullo tempore alterabitur. *Sic*, in eadem gloriâ & majeſtate. *Sic*, in nubibus deſcendet ad judicium ſicut in nube evectus eſt ad trium hum.

Cap. 10. Prædicat D. Petrus de Chriſto. *Hunc ſuſcitavit Deus tertia die & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus prævordinatis à Deo nobis qui manducavimus & bibimus, cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum.*

Cap. 17. D. Paulus prædicans Athenis apud Areopagitas, & tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, *eo quod ſtatuit diem in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.*

Cap. 24. Idem D. Paulus Felicem Præſidem in Judæa inſtruit in fide Chriſti, *diſputante autem illo de juſtitiâ & caſtitate & de judicio futuro, tremefactus Felix reſpondit* &c. Conſuetum hoc erat argumentum D. Pauli, gloria & majeſtas Chriſti ad judicium venturi, unde & cap. 28. de ſe teſtatur ob hanc cauſam dira quæque paſſum eſſe. *Propter ſpem enim Iſraël catenâ hac circumdatus ſum.* Et licet periculum capitis ſubiret tunc Paulus, Felicem de adulterio reprehendendo, Druſillam enim opere cujuſdam Magi ad ſuum thorum pellexerat ob pulchritudinem, cum eſſet nupta Ameſæ Regi, major tamen erat animus Pauli, quam ut metu mortis ab opportunâ commonitione deterreretur, quare apud illum prædicat de juſtitia ſervanda ad proximum, de caſtitate ſervanda ad ſeipſum & de judicio futuro, cujus conſideratio timorem & venerationem inducere poterat, ut horum conſideratione revocaretur à peccatis. Et notavit Eſtius ibid. in notis, quod non fidem ſpecialem, qualem nempe requirunt hæretici ad ſalutem, prædicaverit Paulus dicens: credite vobis per Chriſtum donari peccata, voſque per ipſum juſtos eſſe & certiſſimè ſalutem conſecuturos. Quod ſi dixiſſet, nihil fuiſſet opus terribilis judicij commemoratione per quod Felix contremiſceret. Undè obiter licet animadvertere omninò aberrare à ſcopo novi Teſtamenti, quod ubique terrorem judicij venturi ingeminat, ut ſalutari metu homines concuſſi reſipiſcant: cum ipſi hæretici ex oppoſito, ſolam fiduciam & ſecuritatem de remiſſis peccatis ob fidem in Chriſtum nitantur perſuadere. Sed væ iis doctrinis iiſque hæreſibus quæ omnem metum auferentes omnem ætatem ſexumque decipiunt. Certè nihil tam ſuſpectas reddit converſiones plurium fidelium in Paſchate, qui ſtatim redeunt ad priorem vivendi modum, niſi quod ſatis non percellantur timore judicij divini, verè enim dixit Sapiens, *qui ſine timore eſt non poterit juſtificari.* Eccluſ. 25.

Falſa fidelia hæreticorum refutantur.

Quid Epiſtolæ D. Pauli & aliorum Apoſtolorum, etiam ne Chriſtum judicem & adventum ejus glorioſum proponunt?

Epiſtolæ D. Pauli paſſim inculcant 2. Chr. adventum.

Vix ulla eſt Epiſtola ſacra quæ idem argumentum non verſet cum non alia ſcripto quam voce docuerint Apoſtoli.

Epiſtola ad Ro. cap. 2. *Teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum, ſecundum Evangelium meum, per Jeſum Chriſtum.*

Cap. 4. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Nempe ipſum in gloriâ reſurrectionis, fidei oculo ſpectantes & cum ſpe expectantes venturum in gloriâ, juſtificamur.

Cap. 5. *Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in quâ ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.*

Cap. 14. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut quare ſpernis fratrem tuum? *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: Scriptum eſt enim, vivo ego dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.* Ita unuſquiſque pro ſe rationem reddet.

Epiſt. 1. ad Corinthios cap. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium: tunc laus erit unicuique à Deo.*

Cap. 15. *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra.*

Si in hac vitâ tantum (quam paſſibilem duxit Chriſtus) *ſperantes ſumus, miſerabiliores omnibus hominibus ſumus. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus.*

Epiſt. 2. ad Corinthios cap. 5. Et ideo contendimus

sivè absentes sive præsentes placere illi. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.*

Epist. ad Galatas.

Epist. ad Ephes. c. 1. & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, *& constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro & omnia subjecit sub pedibus ejus.*

Epist. ad Philip. c. 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Græca habent *in gloriam Dei Patris*, unde origo est & principium omnis dominationis ac propter quam Christus omnia agit etiam in judicio.

Cap. 3. Nostra autem conversatio in cœlis: *unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem qua possit etiam subjicere sibi omnia.*

Epist. ad Colossenses c. 3. Igitur si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & apparebitis cum ipso in gloria.*

Epist. 1. ad Thessalonicenses c. 2. *Quæ est enim nostra spes aut gaudium aut corona gloriæ nostræ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum in adventu ejus?* Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Cap. 4. Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Itaque consolamini invicem in verbis istis. Verè nulla potest, Apostole sancte, major consolatio hac in fragili ac miserabili vita, quam quæ de resurrectione futuræ vitæ percipitur. Hanc qui non credunt vel non sentiunt, verè infœliciores sunt omnibus hominibus, & pejoris quam pecudes conditionis &c. ait Ambrosius Catharinus ibidem. Per eos qui primi mortui sunt in Christo, intelligit Martyres ac eos qui peculiariter pro Christo mortui sunt, ac qui non judicandi, sed cum ipso judicaturi sunt, illi primi dignitate & meritis resurgent ante alios, invenientur que cum Christo in nubibus, quando alij sancti judicandi tamen è terra venient obviam Christo è cœlis descendenti, reprobis in terra remanentibus.

Epist. 2. ad Thessalon. c. 1. itaut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesijs Dei pro patientiâ vestrâ & fide, in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis, *in exemplum justi judicij Dei*, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini &c. qui pœnas dabunt in interitu æternas, *a facie Domini Jesu Christi & a gloriâ virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.*

Atque cum existimarent instare diem adventus Christi c. 2. instruit eos ne seducantur, monetque antea venturum Antichristum, *nisi venerit discessio primum & revelatus fuerit homo peccati.* Ubi per discessionem magnam & insignem defectionem à religione in plerisque, notat, cum pro Christo reputabitur Anti-Christus.

Epist. 1. ad Timotheum c. 6. Præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile, *usque in adventum Domini nostri Jesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens*, &c.

Epist. 2. ad Timot. c. 4. *Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos & mortuos per adventum ipsius & regnum ejus, prædica verbum, insta importunè, opportunè, argue, obsecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ.*

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Epistola ad Titum c. 2. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, *expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Epist. ad Hebræos c. 4. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum, vivus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum: & discretor cogitationum & intentionum cordis. *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Quæ verba videntur de judicio Christi intelligenda.

Cap. 7. *Secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus se in salutem.* Scilicet tunc non vocabit peccatores sed solos justos.

Cap. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Epistolæ canonicæ.

Epist. D. Jacobi c. 5. *Patientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini.* Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum.

Epist. Petri 1. c. 5. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. *Et cum apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.*

Epist. Petri 2. c. 3. Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quod unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies: non tardat Deus promissionem suam, sed patienter agit propter vos nolens perire aliquem, sed omnes ad pœnitentiam reverti. *Adveniet autem dies Domini sicut fur*, &c. *quales vos oportet esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini*, &c.

Epist. 1. D. Joan. c. 2. Et nunc filioli manete in eo: *ut cum apparuerit habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.*

Cap. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

Cap. 4. *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicij: quia sicut ille est & nos sumus in hoc mundo.* Sensus est, sicut Christus in hoc mundo erat in statu meriti, non præmij saltem completi: sic nos sumus in hoc mundo in expectatione status gloriæ.

Epist. 2. *Hæc prædixi vobis ut in die Domini non confundamini.*

Epist. Beati Apostoli Judæ. Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes*, &c.

Scopus totius Scripturæ sacræ.

Apocalypſis D. Joannis tota eſt ut nobis exhibeat Chriſti adventum ſecundum ad judicium eumque vocat c. 1. *Qui eſt, qui erat & qui venturus eſt.* Quod cum ſatis pateat & declaratum fuerit infra, non eſt quod quiſquam dubitet quin tota ſcriptura novi Teſtamenti ſpectet adventum Jeſu Chriſti in gloria, ſicut tota ſcriptura veteris Teſtamenti eum ſpectat in paſſione. Unde & ſolerter annotant quidam D. Joannem Evangeliſtam in Evangelio deſcripſiſſe primum Chriſti adventum in carne, in Apocalypſi vero deſcribere ſecundum Chriſti adventum ad judicium.

D. Joannes Evangeliſta.

Objiciet quiſpiam Joan. 12. Chriſtum dicere. *Non veni ut judicem mundum*, ad quod apte reſpondet D. Thomas. in commentario ad hoc cap. lect. 8. duplicem eſſe adventum filij Dei. Unum quo venit ut Salvator, alterum quo venit ut judex. Sed cum omnes eſſent in peccatis, ſi primo veniſſet ut Judex, nullum ſalvaſſet, quia omnes eramus filij iræ, & ideo oportuit ut veniret primo ad ſalvandum & poſtmodum ad judicandum & fideles & peccatores, & hoc quod dicit, *non veni ut judicem mundum*, modo ſcilicet &c.

Ordo duplicis adventus.

Sic igitur oculi omnium in te ſperant Domine Jeſu Chriſte. Tu ſolus ſpes & expectatio es univerſorum. Tu objectum perpetuum ad quod collimant omnium deſideria & qui præcedunt & qui ſequuntur omnes clamant. *Oſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Tu ſemper expectatio gentium; tu deſiderium collium æternorum, in te unum omnium vota conſpirarunt ab initio mundi, & etiamnon adhuc conſpirant & conſpirabunt ad finem ſæculorum.

Matth. 21.

Genebrardus in Cant.

Tot expetitus ſæculis
Tot prædicatus patribus
Tot ante dictus gentibus
Tot nuntiatus litteris
Tot perſonatus vatibus
Tot adumbratus figuris
Tot lineatus formulis
Tot cordibus inſpiratus
Tot Chriſtianis ſperatus
Tot concupitus Angelis
Suæ gloriæ fructibus
Nos ſatiet perenniter.

De verbo Dei non ſcripto, ſeu de traditionibus, pars ſecunda Apparatus.

An præter tot Libros Canonicos in quibus verbum Dei ſcriptum continetur, opus eſt adhuc traditione aut definitione Eccleſiæ?

Quia, inquit Vincentius Lirinenſis: *Commonitorij parte* 1. *c.* 2. Scripturam Sacram pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremo Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij amfractus errores, ut propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.

Ubi ille Eccleſiaſticus & Apoſtolicus ſenſus requiretur?

Partim in traditionibus, quæ in antiquorum Patrum ſcriptis continentur: partim in definitionibus Eccleſiæ. Illæ verbum Dei non ſcriptum, hæ verbum Dei definitum ac cum authoritate explicatum exhibent.

Quid traditio in genere?

Definitio traditionis.

Doctrina viva voce accepta, & continua ſuſceptione ab authoribus in poſteros derivata, ac conſuetudine firmata, licet in Libris ſcripturæ Canonicis conſignata non ſit, ſed in aliis fide dignis monimentis.

Quæ illa monimenta?

Maximè ſcripta Sanctorum Patrum, de quibus dicit D. Auguſtinus lib. 2. contra Julianum: *Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt, & cætera. Talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, Paſtoribus crevit.*

Quot ſpecies traditionum?

Aliæ ſunt Veteris Teſtamenti, aliæ Novi Teſtamenti: traditiones Veteris Teſtamenti aliæ erant Moſaicæ & legitimæ quæ ad ſalutem neceſſariæ erant; ut quod libri in Canone Judæorum conſignati divini eſſent. Quod fœmellæ habebant aliquod remedium contra peccatum originale, quodcumque illud fuerit, & quod cruenta ſacrificia mortem Chriſti ſignificarent, non enim aliter expiare peccata credebantur hæc ſacrificia quam ex meritis Chriſti, cum tamen in Veteri Teſtamento, nuſquam id aſſeratur. Aliæ traditiones Phariſæorum, ut quod ſæpius lavandæ eſſent manus inter prandendum, Marc. 7. Quod cum peccatoribus non eſſet ſumendus cibus, Matth. 19. Quod in Sabbatho non liceret ægros ſanare, Luc. 6. Quod jurare per templum nihil eſſet, grave vero admodum per aurum ac oblationes templi jurare, Matt. 23. Cujus generis ſimilia paſſim inveniuntur in Evangeliis, ac quæ Chriſtus arguit, licet earum quædam eſſent ex ſe bonæ aut indifferentes, quod Phariſæi ex iis intumeſcerent venarenturque opinionem ſanctitatis apud homines, minimaque plura diligenter obſervando, graviora legis præcepta non curarent, *excolantes culicem, camelum autem glutientes*, Matth. 23.

Diviſio traditionis.

Traditiones Novi Teſtamenti aliæ ſunt divinæ, aliæ Apoſtolicæ, aliæ Eccleſiaſticæ: quædam ad fidem, quædam ad mores ſpectant. Nonnullæ ſunt univerſales pro tota Eccleſia, nonnullæ locales quæ ſpectant ad certum locum: aliæ perpetuæ, aliæ ſunt temporales.

Traditiones Divinæ ſunt quæ doctrinam exhibent ab ipſo ore Chriſti diſcipulos ſuos docentis promanantem, quæ tamen in Evangelicis aut Apoſtolicis libris expreſſa non eſt. Talis eſt doctrina ad materiam & formam Sacramentorum pertinens.

Traditiones Apoſtolicæ quæ ab Apoſtolis ex inſtinctu Spiritus ſancti inſtitutæ ſunt, nec in eorum Libris ſeu Epiſtolis continentur, ut eſt jejunium Quadrageſimale, de quo S. Leo Serm. 9. de Quadrageſima ſcribit. A ſanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus ſancti majora hæc ordinata fuiſſe jejunia.

Traditiones Eccleſiaſticæ ſunt conſuetudines quædam vel à Conciliis, vel Prælatis, vel nonnullis hominibus ſanctis, vel à populis in quibuſdam locis, quæ paulatim tacito fidelium conſenſu vim legis paſſim obtinuerunt.

Cæterum ex parte materiæ traditiones quædam doctrinam fidei continent, ut quod ſunt tantum quatuor Evangelia, quod B. Maria ſemper Virgo fuerit, quod infantes ſint baptizandi, in baptiſmo pronuntianda iſta verba *Ego te baptizo*, &c. Quædam vero ſpectant ad mores & ritus quoſdam externos, ut cæremoniæ Baptiſmi, trina merſio, Chriſmatis renovatio annuatim, mixtio aquæ cum vino in calice, ad orientem precatio, aquæ benedictio & hujuſmodi alia.

Diſtinguntur quoque traditiones ex parte loci, unde quædam ſunt univerſales pro tota Eccleſia, aliæ pro certo quodam loco, dicunturque particulares ſeu locales. Similiter ex parte temporis; ſunt enim quædam perpetuæ, aliæ ad certum tempus, ut ſanctio de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato per Apoſtolos decreta in Concilio Jeroſolymitano, Act. 15. Inſuper ex modo quo præſcribuntur, aliæ quoque ſunt neceſſariæ cum dantur in forma præcepti, ut diei Dominicæ ſanctificatio & jejunium Quadrageſimæ: aliæ liberæ quæ dantur per modum conſilij, ut ſunt quædam conſuetudines in Eccleſia ſine ulla lege expreſſa inductæ, qualis eſt Crucis ſignatio in fronte, oratio ad orientem, aſperſio aquæ benedictæ, &c.

An traditiones illæ omnes æqualem inter ſe habeant authoritatem?

Minimè; ſolum enim divinæ traditiones parem vim habent

habeng eum Scripturâ ſacrâ, quod ſicut mandatum principis eandem vim & authoritatem habet apud ſubditos ſive ſcripto, ſive viva voce proferatur: ſic etiam verbum Dei, ſive ſcriptum ſit, ſive traditum. De his

Tertullianus.

Tertullianus de corona militis, cap. 3. Hanc (ſcilicet traditionem) ſi nulla ſcriptura determinavit, certè conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de traditione manavit, & cap. 4. *Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, fides obſervatrix.*

Quid de Apoſtolicis traditionibus?

Diſcrimen aliquod eſt: quia Apoſtoli quædam docuerunt & tradiderunt tanquam à Deo promanantia & hæc parem quoque cum Scriptura ſacra authoritatem habent: quædam vero inſtituerunt ex authoritate propria Paſtorali ad regimen Eccleſiæ, & hæc non tantæ ſunt authoritatis, ut jus divinum conſtanſque ac perpetuum ſtatuant.

Quibus argumentis probabis traditiones?

Magni momenti eſt validiſſimis rationibus eas adſtruere, nam ut diſertè Jodocus Clictoveus in compendio veritatum contra erroneas Lutheranorum aſſertiones materiam hanc pertractat, & quem hic verbatim ſequi non pigebit, Hæreticorum clypeus adamantinus & umbo ferreus ad reluctandum veritati & ſanctæ Eccleſiæ, eſt hæc improba & erronea aſſertio; Nihil eſſe credendum, recipiendum vel faciendum, niſi quod expreſsè in ſacra Scriptura dicitur. Quæ ſanè propoſitio tanquam ſtygia palus & lacus tartareus, multarum hæreſum mater eſt viperea infauſtáque otigo, quas ex orco ſæpiùs produxit infeliciter in ſuperas auras & noſtram hanc regionem: ad quam interimendam hæc prorsùs oppoſita nunc proponitur veritas, ſacrarum Litterarum teſtimoniis & rationibus muniendа.

Jodocus Clictoveus

Aliqua ſunt in Eccleſia indubiè tenenda (quorum nonnulla à Chriſto & Apoſtolis ſunt profecta) quæ non expreſsè in ſacra Scriptura continentur, nempe multa dixiſſe Chriſtum diſcipulis ſuis, quæ in Evangeliis ſcripta non ſunt, vero eſt conſentaneum, cùm dicat B. Joannes in penultimo ſui Evangelij capite:

Joan. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu ſuorum diſcipulorum, quæ non ſunt ſcripta in Libro hoc.* Et paulo poſt in ultimo capite: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos,*

Joan. 21. *qui ſcribendi ſunt, Libros:* Quòd ſi fecit Jeſus multa quæ non ſunt ſcripta, conſimili certè ratione putandum eſt & credendum, multa eum dixiſſe diſcipulis ſuis & turbis, quæ non ſunt ab Evangeliſtis conſcripta; quale eſt iſtud dictum, *Beatius eſt magis dare quàm accipere:* quod B. Paulus Act. 20. cap. perhibet Chriſtum dixiſſe, & tamen ab Evangeliſtis non exprimitur inter ea, quæ dicta ſunt à Domino. Inſuper circa principium hiſtoriæ Actuum Apoſtolorum ſcribit B. Lucas de Domino noſtro, quòd poſt reſurrectionem ſuam

Act. 1. præbuit ſeipſum diſcipulis ſuis vivum, *in multis argumentis, per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei*, id eſt, de Eccleſia triumphante aut etiam militante (quæ hæc frequenter in Evangeliis per Regnum Cœlorum deſignatur) admonens quomodo eam gubernarent & regerent: eam tamen quæ de regimine Eccleſiæ Chriſtus diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem locutus eſt, non ſunt ſcripta. Multa igitur creditur dixiſſe Chriſtus diſcipulis, quæ ſcripta non ſunt, ſed ſolo verbo ab eo excepta, & per Apoſtolos Eccleſiæ ſunt tradita atque commendata, non minoris tamen authoritatis quàm alia.

1. Cor. 11. Præterea B. Paulus in 1. ad Cor. Epiſtola ſic ſcribit: *Laudo autem vos, fratres, quia per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Ubi de iis loquitur traditionibus & præceptis, quæ dederat Corinthiis verbo, antequam iis ſcriberet. Et paulo poſt in eodem cap. poſt doctrinam ſalutarem, quam ſcripſerat eis de ſumptione Euchariſtiæ, ſubnectit: *Cætera autem, cùm venero, diſponam.* Quo ver-

Ibidem.

bo promittit ſe & alia daturum eis præcepta ac monita circa eandem materiam, quæ ſcripto non comprehenderat in ſua Epiſtola. Rurſum in 2. ad Theſſal. Epiſt. idipſum etiam inſinuat ipſe idem Doctor gentium, di-

2. Th. 2. cens: *Itaque fratres ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Ubi aliqua innuit ſe tradidiſſe illis ſermone verbique miniſterio, quæ non docuerat eoſdem per Epiſtolam ſuam. In ſequenti quoque ejuſdem Epiſtolæ

2. Th. 3. cap. ſic ſcribit eiſdem: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubſtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Illa autem traditio forma erat piè vivendi à Paulo ipſis verbo definita, non inſcripta quidem chartis, ſed ſermonis communicatione tradita. Conſonat iiſdem & illud ipſum, quod in 2. Epiſtolæ ad Tim. 2. ſcribit Apoſtolus, ad eundem verba faciens: *Tu ergo*, inquit, *fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Jeſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Itaque audivit aliqua Timotheus à Paulo, quæ non ſunt ſcripta. Adde quod in Actuum Apoſtolicorum cap. 15. narrat ſacra illa Hiſtoria, quòd *B. Paulus electo Sila comite perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſiam & præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.* Hujuſmodi autem præcepta nequaquam in ſacrarum litteratum pagina ſunt expreſſa, ſed verbo tantùm erant tradita Eccleſiæ, & ex Apoſtolis in alios transfuſa. In proximè verò & continuò ſequente ejuſdem libri cap. contexitur de B. Paulo & Timotheo ejus comite hæc narratio, quòd *cum pertranſiſſent civitates, tradebat eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis.* Talia verò dogmata & decreta nequaquam in toto ſcripturæ ambitu continentur.

2. Th. 2.

Luc. 1.

Act. 15.

Act. 16.

Adhæc ante ipſius Moyſi, (qui ſcripſit Pentateuchum) tempora erat Synagoga, immo Eccleſia ſancta ſub ætate Adæ, Noë, Abrahæ & Sanctorum Patriarcharum, erantque tunc & præcepta Dei & cæremoniæ & ſacrificia, pro illius temporis conditione & ſorte offerenda: attamen nulla tum habebatur Scriptura ſacra, ſed tantùm divinæ revelationes & locutiones ad ſanctos Patres, quemadmodum in ſuo Cantico cecinit ſacrata Deo Virgo Maria: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula.* Idem etiam Spiritu ſancto repletus Zacharias Pater S. Joannis Baptiſtæ, poſt revolutam divino beneficio linguam, decantavit; *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus.* Non igitur ipſius Eccleſiæ ſubſtantia aut integritas, nec etiam divini juris authoritas omninò & in univerſum pendet ab ipſa divinorum librorum ſcriptura.

Ibid.

Rurſus non ſtatim poſt primitias ſancti Spiritus in diſcipulos Domini effuſas, conſcripta ſunt Evangelia ſacra, ſed poſt aliquantum temporis curriculum, ab ipſa ſancti Spiritus in terram miſſione, ut exempli gratiâ, ſex annorum aut octo, qui interceſſerunt ab ipſo Aſcenſionis Dominicæ die uſque ad primam Evangelij conſcriptionem, à B. Matthæo factam, per hypotheſim: Toto itaque illo tempore intervalli erat Eccleſia ſancta, Chriſtianæ legis obſervatrix, per Apoſtolos ſub adminiſtrationibus Sacramentorum & doctrinæ Evangelicæ gubernata, & tamen tunc nulla erat adhuc Scriptura ſacra novi Teſtamenti, neque Evangelia, neque Epiſtolæ Apoſtolicæ, nec Actus Apoſtolorum, nec ſacra Apocalypſis; quomodo igitur Eccleſiam in has detrudemus anguſtias, ut nec credenda habeat nec agenda quæ non abſtringant, niſi ea tantùm quæ in ſacris Litteris continentur? Quomodo itidem eam redigemus in id priſtinum, ut ex ſcripturæ præſidio omninò pendeat? Cùm nec ipſe Legiſlator noſter Chriſtus quidquam legis ipſius ſcriptum in membranis reliquerit, nec diſcipulos iuſſerit ſcribere libros, ſed

Matt. 28.

docere omnes gentes & baptizare.

Huic accedit quod non minùs efficax inſtrumentum ad docendum ſacra fidei & morum rudimenta, eſt vox docentis, quàm manus ſcribentis, immò longè efficacius: Viva enim vox (ut Author eſt Quintilianus) alit pleniùs & vehementiùs ac acriùs afficit: cui reſpondet illud etiam Beati Hieronymi verbum in Epiſtola ad Paulinum, de omnibus ſacræ Scripturæ Libris: Habet neſcio quid latentis energiæ vivæ vocis actus, & in aures diſcipuli de authoris ore transfuſa fortiùs ſonat. Non igitur minus erat aut infirmius, ipſa Eccleſia novâ plantatione fundata ſub Apoſtolis, cùm necdum eſſet aliqua Scriptura ſacra novi Teſtamenti, quàm fuerit poſteà, quando conſcripta ſunt divina illius volumina. Quomodo igitur aſſerere quis rectè poſſit, nihil credendum vel agendum niſi quod in ſacra continetur Scriptura, cùm tunc credenda & agenda vivâ tantùm voce ex uno in alterum transfunderentur atque communicarentur?

Quint.

D. Hier.

Aqua miſcenda vino

Cæterùm ut non ſolis rationibus, ſed exemplis veritatem in hoc cap. propoſitam adſtruamus, id primo in limine conſtituamus præſentis negotij exemplum. In toto ſacræ Scripturæ decurſu atque contextu expreſſum id nequaquam habetur, quod aqua ſit miſcenda vino in Miſſæ officio: id tamen indubiè tenendum eſt & factitandum, quod à Chriſto credatur Apoſtolis, ut fiat, traditum, & ab illis toti Eccleſiæ commendatum.

S. Cyprianus.

Cyprianus in Epiſtola ad Cæcilium fratrem: Si quis, inquit, de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter hoc non ſervaverit (ſcilicet aquam vino non miſcuerit in calice Domini) quod nos Dominus facere, & exemplo, & magiſterio docuit, poteſt ſimplicitati ejus, indulgentia Domini, venia concedi: nobis verò non poteſt ignoſci, qui nunc à Domino inſtructi ſumus, ut calicem Domini, cum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus. Hæc ille. Adſtipulatur ſupradictis & Innoc. 3. c. *Cum Marthæ*, titulo de celebratione.

Signum crucis.

Inſuper indubitato tenendum eſt, laudabilem hunc eſſe morem meritóque commendandum, quo Chriſtiani ſignant ſe ſigno Crucis, & ſignaculum illud in fronte depingunt, nequitiiſque ſpiritualibus, ut ſcutum quoddam & munimentum objiciunt. In totâ tamen Sacra ſcripturæ pagina id nequaquam expreſsè poſitum comperitur, quod debeant ſe fideles illo vivifico munire ſigno.

Symbolum fidei.

Præterea nullæ ſcripturæ ſacræ traditione id proditum habemus, quod Apoſtoli compoſuerunt Symbolum fidei, quod vulgo Symbolum Apoſtolorum dicitur: de illo tamen nemini licet hæſitare, aut dubitandi occaſionem aliis ingerere, quandoquidem id ipſum unanimi totius Eccleſiæ ſententiâ approbatum ſit, & probatiſſimorum Authorum concordi ſententiâ confirmatum. B. itidem Auguſtinus in ſermone primo pro vigilia Pentecoſtès, eidem aſtipulatur ſententiæ, dicens: Sancti Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolicum, duodecim ſententiis comprehenſam, Symbolum vocaverunt, per quam credentes Catholicam tenerent veritatem, & per quam hæreticam convincerent pravitatem. Sermone autem ſecundo Dominicæ in Ramis Palmarum, idem eximius Doctor nominatim cuique duodecim Apoſtolorum ſuum aſſignat articulum fidei quem in unum cum cæteris contulerit, ad componendam hanc certiſſimam fidei regulam. Quo teſtimonio quid apertius à quopiam expeti, aut verius efflagitari poteſt? Eandem præterea ſententiam probat uno conſenſu tota antiquorum patrum corona & ſacer chorus haud dubiè ſentientium, & ſcriptis ſuis atteſtantium, illud Symbolum à ſanctis Apoſtolis editum eſſe. Id & univerſalis Eccleſiæ ritus corroborat, quotidie ad officium Primæ, & Completorij in horis Canonicis, illud Symbolum tanquam Apoſtolicum dici debere conſtituens, ut & in cujuſque diei principio & exitu, ac fidei regula, & confeſſione muniantur fideles atque ſtabiliantur.

S. Auguſtinus.

Plura ſunt hujuſmodi, quæ traditiones probant, ut etiam hæretici vix ullam actionem ſacram peragant, in qua non inveniantur plures circumſtantiæ, ſi bene expendantur, quas nullatenùs per verbum Dei ſcriptum probare poſſint ut patere poteſt in adminiſtratione ſacramentorum, quæ recipiunt, ut quod ſermone negant, opere ipſo admittant.

Quid reſpondendum objectionibus contra traditiones?

Primò itaque objiciunt illud verbum Moyſi, populum Iſraëliticum de edictis Domini: *Non addetis ad verbum, quod loquitur vobis, nec auferetis ab eo.* Et ejuſdem libri Deuter. cap. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam nec minuas.* Conſonat eidem ſententiæ & illud Proverb. 30. c. *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe, noli addere quidquam verbis illius, & arguaris inveniariſque mendax.* Demum Apoc. ultimo terribiliter comminatur B. Joannes iis, qui tentarint quidpiam ſuperaddere verbis Domini, *Contеſtor*, inquit, *omni audienti verba Prophetiæ libri hujus, ſi quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſanctâ.* Verbis igitur divinis, quæ in ſacrâ explicantur ſcripturâ, nihil eſt addendum, tanquam jus divinum & neceſſarium ad credendum.

Deuter. 4.

Deuter. 12.

Prov. 30.

Apoc. 22.

Reſponſio. Per authoritatem geminam libri Deuteronomij, & unam Proverbiorum ſupra adductam, id ſolum prohibetur, ne verbis Domini ſuperaddamus aliquid, tanquam verbum Dei ab eo dictum, quod non ſit ejus: non tamen ex illis id rectè colligitur, quod ipſemet Deus prioribus ſuis dictis non addiderit poſtea alia, quæ verbo & non ſcripto ab eo habuerimus, quæ certè nos non addidimus, ſed ipſe fuit qui addidit. Multa ſiquidem eorum, quæ dicimus eſſe divini juris & non ſcripta, à Chriſto Apoſtolis ſunt denunciata. Per authoritatem verò Apocalypſis ſupra citatam, id ſolum vetatur, ne libro Apocalypſis oſtenſæ B. Joanni in Pathmos inſula, aliquid addatur tanquam pars illius Apocalypſis, quod tamen ipſe non ſcripſerit nec addiderit, & certum quidem eſt Eccleſiam, idipſum ad unguem obſervaſſe, nec ſuperadditiſſe quidquam extraneum, tanquam partem libri illius. Quocirca per prædictam authoritatem non prohibentur acceptari aliæ revelationes ad eum librum nihil facientes, neque traditiones Apoſtolorum, aut conſtituriones Eccleſiaſticæ non repugnantes ſacris litteris, ſed adminiculatriæ, & adjutrices ad ea melius & expeditius agenda, quæ in ſacris litteris continentur.

Auguſtinus.

Secundò ſic inſtant. Auguſtinus in Epiſtolâ quadam ad Hieronymum hanc præclaram ſcribit ſententiam, quæ etiam in volumine Decretorum, diſt. 9. cap. *Ego ſolis*, recitatur in hunc modum à Gratiano. Ego ſolis ſcripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut earum nullum authorem aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Si autem aliquid in eis invenero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendoſum codicem eſſe, vel non aſſecutum interpretem quod dictum eſt, vel minimè me intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, quantalibet ſanctitate, vel doctrina polleant, ut non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerint, ſed quia per alios authores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quia à vero non aberrant, mihi perſuadere potuerunt. Ex quibus Auguſtini verbis colligitur, quia ſolum libris Canonicis, qui in Biblia continentur, neceſſe eſt fidem certiſſimam adhibere, non autem aliorum aſſertionibus, quæ extra ſacræ ſcripturæ ambitum ponuntur: & ita non æquo gradu tenenda ſunt aliqua non ſcripta in Biblia, cum iis quæ ibidem plane exprimuntur. Conſimiles autem prædictæ ſententias Auguſtini, in eundem ſcopum tenden-

tes', etiam complusculas recitat in loco supradicto Gratianus 9. scilicet dist. libri Decret. cap. *Quis nescit*, cap. *Noli*, & cap. *Neque*.

Responsio. In prædicta authoritate, & cæteris in eadem dist. 9. adductis, B. Augustinus solum loquitur de sacra Scriptura & ejus libris in comparatione ad alios libros, qui ab humanis Authoribus ingenio humano & absque divina revelatione sunt editi, quod ex ipso verborum ejus contextu in prædictis sententijs satis constat. Et idcirco per divinam Scripturam in illis suis dictis intelligit Augustinus, quidquid per divinam revelationem habetur in Ecclesia, sive id in Biblia scriptum sit, sive extra eam repositum, & per traditionem Apostolorum aut Christi vivâ voce communicatum. Hanc autem ejus esse intelligentiam, eo ipso convincitur, quòd ipse sacer Author omnino etiam tendat in veritatis hoc cap. prolatæ sententiam, ut ex multis capitibus 11. dist. decret. potissimùm ex c. *Ecclesiasticarum* dilucidè constat.

Tertiò insistunt, extra illam Scripturam nulla Catholica veritas invenitur, in qua omnis veritas utilis ad salutem habetur, & omnis falsitas inimica saluti, damnatur. Atqui secundum B. Augustinum in scriptura divina quidquid utile est, invenitur, & quidquid noxium fidei & bonis moribus damnatur. Ergo extra sacram Scripturam nulla invenitur veritas Catholica.

Augustinus.

Responsio. In illa B. Augustini sententia, quæ secundo hic assumitur loco, sacra Scriptura non debet contractâ & constrictâ ratione concipi solùm pro ijs, quæ in libris Canonicis scripturæ expressa sunt & palam explicata; sic enim à veritate esset aliena prædicta propositio Augustini, sed secundum generalem amplamque significationem, est ibidem accipienda sacra Scriptura, quâ ambiat & complectatur omne jus divinum, seu revelationem ab Ecclesia acceptam uti divinam, sive sit conscripta in corpore Bibliæ, sive non, sed solo verbo tradita. Siquidem quia potissima & multo major pars divinarum Revelationum nobis communicatarum, est exarata & scripto expressa in ipsa Biblia; idcirco nomine sacræ Scripturæ sancti Authores comprehendunt etiam pauca divinitùs nobis indulta, quæ extra sacram Scripturam & libros Canonicos habemus in eodem divini juris gradu.

Quartò & hunc movent cavillum, Non minùs sufficiens est pro fidelibus Christianis Novum Testamentum unà cum veteri, quàm fuit solummodo vetus Testamentum pro Hebræis: sed tota fides, ad quam adstringebantur Hebræi, fuit expressa in Veteri Testamento & libris ejus: ergo etiam & tota fides, ad quam de necessitate salutis obstringuntur Christiani, continetur in Novo & Veteri Testamento. Non igitur obligantur verè fideles ad aliquid credendum, quod in Biblia non exprimitur, aut ex ea non potest recta consequutione deduci.

Respõdeo Judæos, præter Libros Veteris Testamenti habuisse alia nonnulla ad fidem & mores spectantia, ex ore Prophetarum & antiquorum Patrum sine scripto excepta, sed ab avis ad nepotes, voce, verborumque communicatione transfusa, ad quæ nihilominùs agenda vel credenda ipsi obstringebantur. Et has traditiones sine scripto per sermonis transfusionem, nonnulli Cabalam Hebraicâ voce nuncuparunt, sive Latinâ, receptionem, quòd à majoribus suis juniores illas traditiones receperint solo verbi commercio sine scriptura, quemadmodum diligentissimi earum rerum indagatores, arcanorumque Linguæ Hebraïcæ ac legis perscrutatores litterarum monumentis tradiderunt.

Quid Cabala.

Demùm postremò sic insurgunt in nos adversarij. Illud quod eadem facilitate contemnitur, quâ probatur, ad fidem Catholicam minimè spectat, nec debet inter veritates Orthodoxas annumerari: at secundum B. Hieronymum, quod ex Scripturis sacris authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ approbatur; tale igitur ad fidem Catholicam nequaquam attinere putandum est; ea verò quæ in libris Bibliæ Canonicis expressa non sunt, non habent à sacris Litteris authoritatem, talia igitur contemnenda sunt & non firmiter tenenda.

Hieronymus.

Respondeo. In propositione secundo loco assumpta, B. Hieronymus sacram Scripturam secundum generalem & amplam acceptationem, quâ complectatur etiam omnia divini juris documenta, quæ revelatione aut ordinatione divinitùs facta sive accepta à fidelibus, sive scripto expressa sint, sive solâ verborum communicatione tradita: quemadmodum etiam in tertiæ objectionis dissolutione paulò ante dictum est, B. Augustinum sic accepisse sacram Scripturam, in una propositione ex eo ibidem deductâ. Neque B. Hieronymi mens est & sententia, quòd in authoritate hic ex eo citatâ, capiatur sacra Scriptura contractè, & secundum constrictam hanc rationem, quâ solùm complectatur libros Canonicos exaratos scriptoque relictos, & quæ in eis continentur; nunquam enim sentiret ipse B. Pater id non contentum in eâ esse reprobandum (ut superioribus utamur exemplis) quòd in Augustissimo Missæ sacrificio aqua vino misceatur, aut quòd signaculo sanctæ Crucis fideles frontem insigniant, aut Symbolum legant Apostolicum eâ contemplatione, quod ab Apostolis conditum sit & ad nos ita traductum: nullum tamen ipsorum expressum est scripto in Biblia, sed aliunde, scilicet verbo, est jam olim inductum.

Cæterum hoc argumentum luculenter & eruditè tractat Lindanus in Panopliæ Evangelicæ opere disertissimo, in quo laborans ut verè fideles Christiani habeant unde catholicam doctrinam tueantur illæsam, posterisque sartam tectam tradant, ne inter tam varias diaboli fraudes numquam insurgentis acrius, numquam oppugnantis infestius mutiletur, aut in alium sensum depravetur, quam à Christo ejusque Apostolis accepit Ecclesia, ut id fiat facilius, hæreticorum axioma, scilicet quod nihil credendum quod non sit scriptum, primo libro funditus evertit, ac in sequentibus libris, secundo, tertio & quarto, confirmatis præcipuis capitibus doctrinæ catholicæ contra Lutheranos & Calvinistas. In quinto demum libro plures eorum objectiones contra verbum Dei agraphum seu non scriptum proponit ac dilucidè dissolvit, Brentij nempe, qui Apostolorum traditiones comparat cabalisticis Rabinorum nugis, Calvini cujus captiunculæ Sophisticæ aperiuntur ac calumniæ refutantur, confessionis Witerbergensis quæ inutilibus aliquot seu Patrum fragmentis doctrinam traditionis nititur obruere, maximè illo loco D. Augustini tract. 49. super Joannem quem sicut Achillem opponit. *Electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur*, fragmentum hoc, inquit Lindanus, extra suum locum cogitatum haud parum sanè habet verisimilitudinis: sed suo consarcitum corpori, unde est divulsum, nihil prorsus ad rem facere cognoscetur: non enim quod ait D. Augustinus, *quæ saluti credentium sufficere videbantur*, ita dictum est, quasi Augustinus dicat electa esse omnia quæ ad omnia fidei dogmata confirmanda adversus omnes hæreses sufficerent, sed tantum quæ saluti credentium sufficerent quantum ad illud caput fidei quod sibi D. Joannes sumpserat corroborandum, videlicet, Jesum esse Christum eundemque esse Dei filium. Sic telum istud adversariorum facilè perfringitur, sed & alia arma parricidalia quibus suam in matrem quæ ipsos Christo regeneravit sese armarunt, ibidem de manibus ipsorum excutiuntur. Quod indicasse nunc nobis satis sit ad aliud Dei verbum, si tamen est aliud, festinantibus.

Lindani Panopliæ.

DE VERBO DEI DEFINITO AVT EXPLICATO per Concilia. Pars tertia apparatus.

An verbum Dei definitum aliud eſt à verbo Dei ſcripto aut tradito?

IDem eſt verbum quod à Deo revelatum eſt. Sed cum Deus aliqua revelet magis explicitè & clarè, alia implicitè & magis obſcurè, illud ſolet definiri ab Eccleſiâ quod tantum implicitè & magis obſcurè revelatum eſt à Deo, maximè cum ſolet revocari in dubium aut non ſanè intelligi.

Quid de verbo Dei definitur?

Tria potiſſimum de Verbo Dei definiri ſolent. Primò quod ſit. Secundò quid ſignificet. Tertiò quid ipſi æquipolleat, ſeu quod ex ipſo per neceſſariam conſequentiam infertur. Tria enim circa verbum Dei revocari ſolent in dubium, quæ niſi determinentur, turbatur fides Chriſtiana invertiturque ac evertitur. Dubitatur enim primo an hi & illi libri ſint canonici & à Spiritu ſancto inſpirati. Secundò quis ſit ſenſus verborum imo & rerum, cum eodem ſenſu illa non accipiant, univerſi ſed aliter atque aliter alius atque alius interpretetur, utpene quot homines ſunt tot illic ſenſus erui poſſe videantur, ait Lirinenſis. Tertiò dubitatur etiam quid implicitè lateat in verbo Dei, & quid inde erui & conſequi poſſit neceſſariò, propter hæc enim digladiantur inter ſe plures & in periculum fides adducitur. Idcirco circa verbum Dei tria ſolet definire Eccleſia. Primo quodnam ſit verbum Dei, unde determinat canonem librorum Sacrorum & catalogum facit. Secundò determinat de ſenſu legitimo & à Spiritu ſancto intento. Tertio de his propoſitionibus quæ conſequuntur neceſſariò ex verbo Dei, unde fiunt poſtea propoſitiones ac definitiones fidei. Unde ad quæſtionem

§. *Dubia circa verbum Dei.*

Commonit. p. 1. c. 2.

Eſt ne præter Scripturam & traditiones opus Concilijs?

Reſpondetur, ſi homines fideliter & cum debita obedientia verbo Dei ſcripto & præceptis Apoſtolicis acquieviſſent, vix Conciliorum auxilio indigerent: verum quia Scripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, eamque perverſi homines corruperunt (non enim ait D. Auguſtin. lib. 83. quæſt. q. 69. Poſſet error oboriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de ſcripturis non intellectis) quia etiam verbum Dei traditum ſub varijs prætextibus neglexerunt, itaut quæ per ſe ſatis obſcura erant, obſcuriora reddiderint, varias lites ac controverſias ſuſcitando, ad avertendos plures à vera fide, opus fuit judicio Eccleſiæ ad componendas definiendaſque eas controverſias, quæ vel nullo modo, vel non niſi obſcurè in verbo Dei ſcripto aut non ſcripto continentur: aliàs ſiquidem Deus non providiſſet ſufficienter Eccleſiæ ſuæ, quam neceſſe eſſet ſine remedio in perpetuis ſchiſmatibus ac diſſenſionibus ſeipſam conſumere, niſi ab eo authoritas quædam inſtituta eſſet, quæ de controverſijs in dies ſubnaſcentibus ſententiam clarè & perſpicuè pronuntiaret, cui tenerentur omnes ſe ſubmittere. Patere hoc poteſt exemplo controverſiarum civilium, quæ judicem requirunt qui de eis dijudicet, licet enim lex ſcripta ſit in Codice & Digeſtis, extetque inſuper conſuetudo annorum tractu firmata, hæc tamen non ſatis ſunt, ſine Principe vel Magiſtratu qui fungatur officio judicis, advocatis etiam cum opus fuerit ſenatoribus pluribus ad rem diſcutiendam: idem dicas in Eccleſia præter codicem Scripturarum & conſuetudinem traditionum, opus eſt judice qui eſt Summus Pontifex, qui vel extra Concilia vel in illis pro rei gravitate clarè & apertè definiat. Unde dicit idem D. Auguſtinus lib. de utilitate credendi cap. 14. Quod ſi providentia rebus humanis præſidet, deſperandum non eſt ab ipſo Deo authoritatem aliquam conſtitutam qua velut certo gradu innitentes ad Deum attollamur.

Index fidei.

A *At Chriſtus nos remittit ad ſcripturas*, Joan. 5.

Reſpondetur, eo in loco dicere Chriſtum *ſcrutamini ſcripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me.* Non dicere, quia illæ judicium perhibent de me: at teſtium officium non eſt ferre ſententiam, ſed ſolum teſtimonium dicere. Ad judicem verò ſpectat teſtium dicta audire, ſcrutari, conferre inter ſe, & ex his ſententiam ferre ac judicare.

Quid eſt Concilium in genere?

Congregatio ſive conventus hominum prudentium publica authoritate convocatorum, ad tractandum communi intentione de neceſſarijs ſive commodis Reipublicæ.

Quotuplex illud Concilium?

Vel ſæculare eſt & pro rebus temporalibus ac terre-
B nis congregatum: vel Eccleſiaſticum eſt & pro rebus ſpiritualibus ac Eccleſiaſticis convocatum. Hocque diſtingui ſolet in tres ſpecies quæ ſunt Concilium Generale ſeu Univerſale, Provinciale, ac Epiſcopale. Univerſale eſt congregatio majorum Prælatorum Eccleſiæ Catholicæ, de toto orbe Chriſtiano nullo excluſo, authoritate. Romani Pontificis convocata ad aliquod communi intentione ſolemniter tractandum in religione Chriſtiana, ipſo Pontifice Romano præſidente vel aliquo loco ſui. Aliquando autem minus propriè ſumitur generale reſpectu alicujus provinciæ aut nationis, quo pacto multa Concilia vocantur generalia, etſi non omnes orbis Chriſtiani Prælati ad illud vocentur.

Provinciale Concilium illud vocatur quod Primas
C vel Metropolitanus, aut Patriarcha habet cum ſuis Epiſcopis ſibi ſubditis. Aut legatus Summi Pontificis cum Epiſcopis ſuæ legationis ſeu Provinciarum intra ejus terminos contentarum. Unde illud Provinciale dicitur aut Provinciæ delegatæ ac commiſſæ, qualia ſolent eſſe Concilia Legatorum Summi Pontificis in diverſis regnis: aut ſunt Provinciæ ordinariæ, qualia ſunt Archiepiſcoporum, Primatum, aut Patriarcharum ſolemnes convocationes Epiſcoporum, ſibi jure ordinario ſubditorum ad tractandum & decernendum de rebus ſpiritualibus.

Epiſcopale Concilium quod & Synodus Epiſcopalis vulgo dicitur, illa eſt quam celebrat Epiſcopus in Diœceſi ſua cum Abbatibus & Clericis ſibi ſubjectis.

Unde origo celebrandi Concilia?

D Partim à Patribus veteris Teſtamenti, partim ab Apoſtolis. Nam de illis legitur num. 16. *Viri proceres Synagogæ qui tempore Concilij per nomina vocabantur.* De his habetur in Actis Apoſtolorum. Quod pluries congregati ſunt ad naſcentis Eccleſiæ informationem. Sed nec Angelorum deeſt exemplum. Qui etiam inveniuntur aliquando adſtitiſſe coram Deo ad providendum ſaluti hominum ſuæ cuſtodiæ concreditorum.

Quomodo probares ad Pontificem Romanum pertinere convocare Concilium Univerſale ac in illo præſidem agere?

Quia illi cura univerſæ Eccleſiæ demandata eſt cum D. Petro Apoſtolorum Principi cui ſuccedit, oves omnes Chriſti commiſſæ ſunt ut eas paſceret, unde ad illum præſertim ſpectat ea agere & diſponere quæ ad univerſam Eccleſiam ſpectant. Deinde ad illum pertinet convocare Concilia univerſalia cui omnes obedire tenentur, quique poteſt coërcere negligentes aut contemnentes ad illud adeſſe, nam aliàs convocatio illuſoria eſſet: ſoli autem Rom. Pontifici ut primatum habenti omnes obedire tenentur: & niſi ita eſſet ac quilibet de majoribus in Eccleſia poſſent Concilium cogere, facillimè ſchiſma oriretur, dum unuſquiſque ad ſe Eccleſiam trahere vellet. Unde Synodus Alexandrina in qua erat D. Athanaſius ſcribit in hunc modum Fœlici Papæ. Scimus in Nicæna magna Synodo ab omnibus eſſe concorditer roboratum, non debere abſque Rom. Pontificis ſententia Concilia celebrari nec Epiſcopos condemnari. Et 1. Machab. 4. attribuitur Simoni

Papa ad Baritas.

Sacerdoti magno Hebræorum ut Conventus ſine ipſo non fieret in regione. Quod privilegium eo magis convenire debet Summo Sacerdoti legis Chriſtianæ, quanto amplioris eſt dignitatis ſupra Pontificem veteris legis. Unde etiam Summi Pontificis eſt dirigere Concilium, ea proponere quæ in eo tractanda, judicanda ac definienda ſunt, eadem definita confirmare, cum robur & poteſtas Concilij ab eo pendeat quem Chriſtus Vicarium ſuum generalem ſuper univerſam Eccleſiam conſtituit, ac proinde omnes Eccleſiæ Prælati, etiam in Concilijs, Romanum Pontificem maximè debent revereri, colere ac venerari, ne ſi deprimatur aut contemnatur, inanes ſint eorum definitiones ejus authoritate deſtitutæ, & illegitima habeantur Concilia, ut ſæpe factum eſt.

Nec obſtat quod legitur Act. 6. convocatam fuiſſe multitudinem diſcipulorum per duodecim Apoſtolos. Quia ex hinc non ſequitur authoritate D. Petri, non fuiſſe convocatos, licet expreſsè id non commemoretur, major enim fuit reverentia Apoſtolorum ad B. Petrum tanquam ad caput & Principem ſuum, cui in omni negotio primum locum ceſſerunt.

Nec ſimiliter quod legantur Imperatores convocaſſe aliquot Concilia, quia non aliter id fecerunt quam ex conſenſu & authoritate Pontificis Rom. cujus voluntatis fuerunt exequutores. Ut ex infra dicendis clarius patebit.

Qui ad univerſa Concilia neceſſariò vocandi ſunt?

Epiſcopi Epiſcopi qui locum Apoſtolorum tenent. Juxta illud Pſalm. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Cum enim univerſitas tota Eccleſiæ convocari non poſſit, ij convocandi ſunt in quibus ipſa continetur & per quos regitur & adminiſtratur, quibuſque à Chriſto poteſtas judiciaria concredita eſt in diſcernendis cauſis. Si enim inferiores Prælati aut laïci vocandi eſſent ut judicarent in Concilijs cum ſuffragio deciſivo, tunc magis regerentur ab ijs, quam eos regerent Epiſcopi, cum enim longè plures ſint numero ſi oriretur inter ipſos diſcordia, tota authoritas Concilij revolveretur ad inferiorum vota, cum à majori parte concluderetur, quod valde abſurdum eſſet. Sed & cum Epiſcopi exiſtimentur habere cuſtodes Angelos ſuperioris cujuſdam ordinis, eorum judicia majori firmantur veritate & authoritate.

Aſſiſtentes concilio qui. Poſſunt autem alij vocari, ut habeant vocem deciſivam ex privilegio, ut Generales Ordinum, ac aliqui Abbates: alij quoque ut habeant voces conſultivas, ij ſcilicet qui majori pollent prudentia doctrinaque divini aut humani juris, ſicut ſunt plures eximij Doctores ſeu ſæculares, ſeu religioſi. Alij quoque ut inſerviant Concilio, ne vis illi inferatur, locus tutus ſervetur, omniaque in illo peragantur cum debito ordine, contra adverſantium aut protervorum nequitiam, fraudes, ac inſultus qui diverſis artibus Concilia interturbare moliuntur. Denique cum forma & modus celebrandorum Conciliorum univerſalium ex diſpoſitione & authoritate Pontificis pendeat, illius eſt pro varietate temporum ac negotiorum tractandorum providere de ijs qui præter Epiſcopos vocandi erunt, abſque eo quod ex modo vel forma ſervata in aliquo Concilio, etiam ſi fuerit Apoſtolorum, efficax argumentum deſumi poſſit, cum unum aut aliud exemplum legem pro futuris temporibus non poſſit imponere.

An Concilia univerſalia errare poſſint in dogmate fidei & rebus ad ſalutem neceſſarijs?

Eccleſia in Concilio univerſali docens neceſſaria ad ſalutem ſeu in fide, ſeu in moribus, errare & fallere non poteſt propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quam uſque ad finem mundi Eccleſiæ Paſtoribus non defuturam promiſit Chriſtus, Joan. 14. *Paracletus manebit vobiſcum in æternum ſpiritus veritatis, ille vos docebit omnia.* Et quando Chriſtus ad docendum miſit Apoſtolos. *Docete omnes gentes*, adjecit, *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Matt. ult. Idem ſcriptura indicat cum hos titulos tribuit Eccleſiæ ac ejus Paſtoribus, qui certitudinem & infallibilitatem eorum arguunt. Matth. 5. *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*, Oſee 2. Vocatur Eccleſia deſponſata Dei in fide, nec unquam relinquenda promittitur 1. ad Tim. 3. Vocatur *columna & firmamentum veritatis*. Ut ſcilicet per ſapientiam Eccleſiæ loquentis ſuccurratur infirmitati & ignorantiæ hominum in rebus fidei & ab omni errore noxio conſerventur, juxta illud ad Epheſ. 4. *Quoſdam dedit Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, &c. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia & circumventione erroris.* Itaut fideles qui obediunt Eccleſiæ & in ejus unione permanent, ab hæreſi immunes ſint. Quare Chriſtus cum rogaſſet pro Apoſtolis, *Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt, &c.* Pro cæteris fidelibus qui crediturі erant per verbum eorum orat *ut omnes unum ſint*, id eſt maneant per charitatem & obedientiam concordes in Eccleſia, quo ſic ab errore liberentur. Porro cum in illis verbis Chriſtus reſpexerit ad perpetuitatem Eccleſiæ, & finis dati in Eccleſia miniſterij æquè requirat aſſiſtentiam Spiritus ſancti in ſucceſſoribus Apoſtolorum, minimè ipſis ſolis hanc aſſiſtentiam competere judicandum eſt, cum etiam illis data ſit ratione poteſtatis eorum Paſtoralis ac ordinariæ, in qua ſucceſſores uſque ad finem mundi habituri ſunt, & ſimilis vigebit neceſſitas fideles in veritate paſcendi contra exorientes ſubinde novos errorum Doctores.

Quid ſi Eccleſia in Concilijs non adhiberet ea media quæ neceſſaria ſunt ut non erret? *Media ad bene definiendum.*

Reſpondetur, Deum, qui diſponit omnia ſuaviter, eo ipſo quod promittat abſolutè aliquem finem, eo ipſo providere ne deſint media ad illum conſequendum, & ne aliqua obſtet ad ejuſdem finis conſequutionem: quare cum Deus promiſerit futurum, ut Eccleſia aſſiſtente Spiritu ſancto veritatem doceat in omnibus, & ſi id fieri debeat cum certis quibuſdam medijs, ut diligenti examine, auxilij ſupernaturalis invocatione, & alijs, non debemus exiſtimare defutura iſta media neceſſaria: quemadmodum ſi cui Deus revelaſſet ſuam beatitudinem futuram eamque illi in particulari promiſiſſet, & ſi non videret media quibus illam attingeret, deberet Deo ſimpliciter revelanti & promittenti credere, & ſi illa media nondum explorata haberet. Debet enim confidere illa non defutura unquam, Deo providente de medijs neceſſarijs ad finem illum quem promiſit. Quare vanum eſt quod quidam objiciunt contra infallibilitatem Conciliorum circa concluſiones fidei & morum dogmata, non conſtare ſi in ijs debita media adhibita fuerint ac de ijs medijs dubitari; acquieſcendum eſt enim ſimpliciter promiſſioni Divinæ, quod Eccleſia per Spiritum ſanctum in omnem veritatem inducetur, & quod qui finem promiſit, in medijs neceſſarijs non deerit. Unde ſibi parum conſtant hæretici, qui cum nullam aliam veram fidem juſtificantem agnoſcant, quam quæ innititur promiſſionibus divinis, firmitatem tamen & certitudinem Eccleſiæ in definitionibus impugnant, pro libito fidei objectum intra ſolas Chriſti promiſſiones concludentes, modo illas ab objecto fidei excludentes, cum infallibilem Eccleſiam nolunt admittere.

Circa quæ verſatur infallibilitas Eccleſiæ in Concilijs?

Circa ſubſtantiam ipſam fidei, publica dogmata & res ad ſalutem neceſſarias. Finis enim infallibilitatis Eccleſiæ eſt conſummatio Sanctorum ac ſalus publica fidelium ad quam ſufficit circa iſta infallibilitas Eccleſiæ. Deus autem & natura ut non deficit in neceſſarijs, ſic nec ſuperabundat in ſuperfluis. Nec providentiæ Dei repugnat multos particulares defectus in gubernatione univerſi permittere ad decorem ipſius, & multos privatos errores, multarumque rerum non *Objectum infallibilitatis.*

neceſſariarum ignorantiam in doctiſſimis etiam, ad ipſorum ſalutem, cum illis expediat multa neſcire ut ab elatione reprimantur.

Unde aſſerendum multa in Concilijs ad fidem non pertinere, ſed ſolum ea decreta quæ tanquam de fide univerſis fidelibus ſub pœnâ anathematis communiter credenda proponuntur, itaut ſola ipſa decreta nuda quoad ſubſtantiam ſint de fide: non vero omnia adjuncta: ut putà rationes vel aliquæ circumſtantiæ locorum, perſonarum, aut temporis, & hujuſmodi quæ ſolum facerent ad deſignandum expreſſius ſenſum & mentem Concilij, ne daretur locus æquivocationi. Qualia nonnunquam adhibere neceſſarium eſt. Unde docèt Almainus in 3. diſt. 25. quæſt. 1. ad generandum actum fidei oportere de neceſſitate habere unum actum ſaltem qui non êſt de fide Theologicâ ſed topicâ, &c.

Quid ſi argumento dubio aut fallaci innitatur Eccleſia in definitione?

Reſpondetur etiam in hac hypotheſi, quod quibuſcumque medijs nitatur Eccleſia in definitionibus, non tamen in illis errare, quia non procedit argumentatione ſcientifica ſicut Philoſophus naturalis, ſed concludit definitiones ſuas ex ſuggeſtione Spiritus ſancti, quia definitio Eccleſiæ eſt concluſio fidei non ſcientiæ, nec creditur Eccleſiæ argumentanti aut probanti, ſed docenti ex aſſiſtentia Spiritus ſancti, ut ſic noſtra religio non ſit ſcientia ſed fides, qua Deo per Eccleſiam loquenti creditur, non probanti per certa argumenta. Ut ſic nulla reſtet occaſio in protervis rixandi, ex infirmis argumentis aut medijs malè Eccleſiam concluſiſſe.

Admiranda quædam in Concilijs.

Ex Boſio de ſignis Eccleſiæ Dei l. 5. c. 7. in ſigno 5.

Univerſalia Concilia vocamus ad quæ non modo patet acceſſus cuilibet nationi, ſive ad differendum, ſive ad decernendum, quod extremum eſt Epiſcoporum in unam fidem conſpirantium, ſed quibus interfuerunt è qualibet celebriori natione totius orbis Chriſtiana aliqui Epiſcopi, vel per ſe, vel per procuratores, vel conſenſere eorum decretis veluti univerſalium Conciliorum, quæ Pontifex Romanus approbavit. Hæc autem nullomodo labi poſſunt: Idcirco neceſſe eſt, cui faveant illa, eſſe ibi Eccleſiam Dei, populum Dei, cujus decretis univerſalibus nulla ſubeſt labes.

Concilia univerſalia infallibilia.

Oſtendamus clariſſimè labi illa non poſſe: & primo loco producamus argumentum adverſus quoſvis commune. Mirabiliſſimum namque eſt illud, ac manifeſtiſſimus divinitatis aſſiſtentis effectus, quod cum tot annorum millia numerentur ab orbe condito uſque ad ætatem noſtram, nulla ratione potuit effici unquam ſæculo ullo, ut celebriorum nationum primarij Antiſtites à nobis alieni, qui in urbibus ſacra quælibet adminiſtrarent, convenerint ad decreta religionis ſancienda unanimi conſenſu. Legimus priſcis temporibus ſolitos agi conventus publicos à Sacerdotibus Ægyptijs, quorum meminere Plato in Timæo, Herodotus, Strabo, & alij multi. Similiter idem legimus de Magis Perſicis, quod Herodotus idem & Strabo teſtantur. Græci etiam publicos agebant conventus de rebus communibus Græciæ: de quibus poſt prædictos Thucydides, Quintus Curtius, Diodorus, & alij. Sed ad illos non veniebant omnium illuſtriorum gentium, aut ſapientium Præſules ſacri.

Eadem de Druidibus Gallorum ſacerdotibus ſcribit Cæſar in commentarijs ſuis. Rurſus poſtquam Conſtantinus noſtræ Religioni ſe addixit, plurimi Imperatores omnibus modis, vi, dolo, promiſſis, pecuniâ, opibus, dignitatibus conati ſunt, cum maximas, nobiliſſimaſque imperio gentes continerent, hujuſmodi Concilia celebrare, & nunquam tamen potuerunt in unum locum adducere Epiſcopos è qualibet aut illuſtriori aut ſapientiori gente. Tentavere id Conſtantius totius orbis Romani Imperator, & Theodoſius junior totius orientis in Synodo Epheſina prædatoria, Juſtinianus junior, item Leo Iſauricus, Conſtantinus Copronymus, Michael Theophili filius orientis Imperatores. Poſt hos idem conati ſunt nonnulli Imperatores Germani, Henricus tertius, Ludovicus Bavarus ac majorum noſtrorum ætate Concilium Baſilcenſe, cui magni Principes favebant, & ex aliquot nationibus multi. Mirabiliſſimum ſit igitur uni Eccleſiæ Catholicæ, adverſus quam ſæpe maximi Imperatores ac Reges omnia moverunt, hoc fuiſſe divinitus datum ut decem & octo Cõcilia univerſalia celebraverit, immo, ſi addas Sardicenſe, decem & novem: ut colligimus ſigno de prudentia politica cap. de Pontificis Romani gubernatione ad finem. Ad quæ quidem Concilia convenere in unum locum, & conſenſere ex omni totius orbis celebriori natione Chriſtiana aliqui Epiſcopi, vel per ſe, vel per procuratores, quod liquet ex actis eorum, cum ſit itaque hoc maximè divinum, ut cogantur Concilia Univerſalia, neque viribus humanis ea potuerint unquam cogi, ſoli verò Eccleſiæ noſtræ ac Pontifici Romano id contigerit, palam ſit, nobiſcum Deum adeſſe.

Mirum omnes Epiſcopes convenire ad eundem locum.

Aliud ſuccedit huic argumentum commune adverſus omnes. Duodecim ſunt maximè admiranda, quæ ſemper adſunt in Concilijs Univerſalibus, ex quibus fit haud poſſe fieri ut illa accedente Pontificis Romani conſenſu errent. Horum primum eſt, quod plerique ex Epiſcopis ad illa convenientibus ſunt maximæ ac præſtantiſſimæ doctrinæ. Secundum, plerique item ſunt maximæ experientiæ in tractandis rebus publicis, ac ſacris. Tertium, plerique ſunt admirandæ ſanctitatis & innocentiæ. Quartum, cunctas res examinant ac multis diſputationibus habitis perpendunt, antequam ſanciant. Quintum, doctiſſimos viros ex omni gente ad illa accerſunt, adhibent, ac diſputantes audiunt. Sextum, ſanctos item viros aliqua doctrina excellentes ſimiliter advocant, & audiunt. Septimum, ſunt Epiſcopi ex adverſis regionibus, ita ut vix fieri poſſit eos in malum vel falſum convenire. Octavum, ſunt ætatum diverſarum, quod ſolet inducere facillimè diſcrepantiam: juvenes enim facilius à ſenibus, ſenes à juvenibus diſcordant. Nonum, diverſorum ſunt morum, exceptis ijs, quæ pertinent ad fidem Chriſtianam, quod etiam facillimè diſſenſionem gignit. Decimum, ſunt è regnis inter ſe non modo diverſis, ſed ſæpe etiam contrarijs, quantùm ad jura rerum prophanarum: veluti Hiſpani, Galli, Scoti & Angli, Poloni & Germani, Dani & Sueci, antiquitus Hungari & Bohemi, aut ſi qui ſunt hujuſmodi: opus eſt igitur hoc divinitatis, ut iſti in unum congregentur, & conſentiant volentes. Undecimũ ſit, quod in illa conſentiunt Epiſcopi jam ſæculorum ſexdecim, & ante hæc ſæcula labentia conveniebant diverſorum ſæculorum. Verbi gratiâ Epiſcopi Concilij Sardicenſis approbarunt acta ab Epiſcopis Concilij Nicæni, deinde Epiſcopi Concilij Conſtantinopolitani, geſta ab Epiſcopis Sardicenſis, ac Nicæni. Mox Epiſcopi Concilij Epheſini decreta ab Epiſcopis Conſtantinopolitani, Sardicenſis, ac Nicæni. Idemque aſſerimus de Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano ſecundo, tertio & quarto, Nicæno ſecundo, Lateranenſibus quinque, Lugdunenſibus duobus, Viennenſi uno, Florentino, ac Tridentino.

XII. miranda in Concilijs.

Eſt igitur admirandum tot ſæculis nunquam diſſenſiſſe Epiſcopos tot, ac tantos inter ſe, ſed ſemper eadem decreviſſe. Duodecimum ſit, quod quibus jus eſt decernendi in Concilijs, ij ſunt Epiſcopi, nimirum cuncti Principes, principatumque inter ſuos tenentes, ac doctrina plerumque excellentes, inter quos ſolent, ſi humana ingenia ſpectemus, exoriri facillimè diſſenſiones: ac tantum abeſt ut aliquando fuerint exortæ, ut potius ſi quæ exſtarent, fuerint ſublatæ. Quis igitur hic dicat univerſalia Concilia non eſſe opus ipſius Dei, ſi hæc conſideremus, & maximè ſi cum ſuperioribus jungamus? Nunc igitur ad aliud veniamus.

Cùm non modo hæreſis, ſed etiam mendacium quodlibet ab uno inceperit, quem deinde, ſive multi fuerint illi, ſive pauci, ſunt alij ſecuti, neceſſe eſt is omnium mortalium fuerit impudentiſſimus. Ac ſic, qui Conciliis univerſalibus abrogaverit fidem ſibi abrogavit, & eodem morbi genere tenebuntur, quicumque illum ſequentur. Eſt enim ſtultiſſimi, magis uni credere, quam tot, tam ſanctis, tam doctis, tam bene perpenſa qualibet re judicantibus per omnes ætates, è qualibet cognita ac celebriori, & ſapientiori natione viris. Et ex hoc aliud ſequetur abſurdum, quod nihil erit in terris certum. Fieri enim poteſt ut pleræque nationes errent, quia ſapientes illarum & innocentiæ opinione præſtantes nunquam convenerunt ſimul in unum locum ad res controverſas examinandas ac dijudicandas: ac ſic errarunt ante adventum Chriſti, & errant, qui ſupra adducta nunquam potuerunt efficere: ſed cum poſt adventum Chriſti fuerint tot inter ſe conſona Concilia univerſalia celebrata eo quem explicavimus modo, aut nihil in terris eſt certum (quod eſt hominis turpiſſimi aſſerere) aut illud certum quod à Conciliis eſt univerſalibus decretum. Id niſi etiam ſit, præterea fiet, ut nihil non impudentia ſibi poſſit arrogare, mortales neceſſario tenebris involvantur, & hoc ipſum ſit incertum an ſit aliquid certum vel incertum.

Quàm abſurdum Concilius reſiſtere hæreticos.

Quàm varia ſunt Concilia?

Quatuor ſunt genera Conciliorum, univerſalia, nationalia, provincialia, diœceſana.

Partitio Conciliorum.

Univerſalia ſeu generalia quæ etiam dicuntur œcumenica, ſunt ea ad quæ convocati ſunt totius orbis Epiſcopi Catholici & jus habent intereſſe, nullo excluſo, niſi ſit aliquod impedimentum; itaut convocatio ſit generalis in nomine Chriſti ejuſve in terris Vicarij ad quem pertinet præſidentia: non honoraria tantum ſed cum auctoritate conjuncta, innoteſcatque ſaltem majoribus Provinciis, adſint etiam aliqui ex majori parte Chriſtianarum provinciarum, ut hactenus obſervatum. Nationalia ſunt, in quibus conveniunt Archiepiſcopi & Epiſcopi unius regni vel nationis, quibus præeſt aliquis Primas, Patriarcha aut Legatus Papæ, quæ Concilia vocantur aliquando generalia non abſolutè, ſed reſpectivè ad regnum aut nationem ad quæ revocari poſſunt illa quæ ſunt veteris teſtamenti: niſi malis generalius partiri primum Concilia in ea quæ ſunt antiquæ & ea quæ ſunt novæ legis.

Eſt etiam Provinciale Concilium & Synodale, ut ſupra dictum eſt.

Quin etiam ſcribit de Cuſa l. 2. concor. Cath. Curatum ſuæ Parochiæ ſynodum congregare, ſupra quam eſt diœceſana.

Porro ex iis omnibus conflatur hæc ſumma eo ordine diſpoſitis, qui utilior viſus eſt ad tollendam confuſionem, facilioremque notitiam omnium ingenerandam, percurrendo gradatim varias eorum claſſes.

Cujus eſt convocare Concilium univerſale?

Reſpondet Card. de Cuſa l. 3. concord. Cathol. c. 15. quoniam Papa ut primus & habens præceptivam poteſtatem ex principatu ſacerdotij ſui in omnes Epiſcopos, quo ad eam congregationem, reſpicientem univerſalem Eccleſiæ ſtatum in qua ipſe primam curam gerit: ex qua creditâ poteſtate, præcipere habet Chriſti fidelibus, ut conveniant, maximè ſubjectis omnibus Sacerdotibus. Imperator vero exhortatur & ſuadet Epiſcopis ac principibus laicis. Neque Ro. Pontifex dicit convocationem ad ſe pertinere tantum: ſed quod ſine ſuâ auctoritate Synodus fieri non debeat &c. Sed ex his naſcuntur innumeræ quæſtiones apud eundem Cardinalem, apud Auguſtinum de Ancona, Turrecrematam, apud Jacobatium, Bellarminum, Stapletonum & alios, quæ volumina integra, & magnæ molis exquirerent, ſi ſingula diſcutienda eſſent. Ad quorum omnium ſolutionem maximi eſſet momenti, diſquirere primum, quid eſſet de jure divino & de jure humano, & intelligere quam poteſtatem Chriſtus dederit Apoſtolis ſimul junctis cum D. Petro, & quam dederit D. Petro ſeparatim ab aliis Apoſtolis, & ſi quam dederit Apoſtolis ſeparatim à D. Petro, cum præſens non eſſet in ipſorum cœtu. Suppoſitâ enim harum rerum intelligentiâ, circa quam eſt maxima diſputantium diſcordantia, ſpes aliqua oriretur concordiæ ſaltem inter eos qui ſyncerè credunt Evangelio, ut nec plus huic aut illis tribueretur à quibuſdam, nec minus ab aliis, in ruinam pacis Eccleſiaſticæ.

Pia ad pacem.

Quid ergo prodeſt doctrina in Conciliis?

Doctrina inſervit ad diſponendas, proponendas, diſcutiendaſque controverſias, juxta quod factum eſt in Concilio Jeroſolymitano de controverſia legalium, de quibus magna diſquiſitio habita eſt, licet definitio non ſit ex doctrina humana aut habituali, ſed ex revelatione Spiritus ſancti, prout in eodem Concilio definientes Apoſtoli dixerunt *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, Act. 15. Nam ſi, ut ait Div. Auguſtinus l. 4. de doctr. Chr. c. 11. præparatis omnibus ad dicendum, ad horam ipſius definitionis illud bonæ menti convenire cogitandum eſt, quod Dominus ait Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Quanto magis in Conciliis & cauſis Cardinalibus Eccleſiæ reſolvendis per plenam ſententiam, præparatis omnibus ad rectè prudenterque definiendum in illa hora aderit Spiritus ſanctus, ut definitio Eccleſiæ nequaquam debiliorem partem mediorum ſequatur, ſed invincibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam & erroris omnibus expertem illuminationem. Unde & determinatio Eccleſiæ vox divina eſt, & verbum Dei eſt, non vox humana nec verbum hominum. Prout dicebat Chriſtus Joan. 17. de Apoſtolis *Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut ego non ſum de mundo.*

Nunquid eſt diſcrimen inter ſcripturam & definitionem Eccleſiæ, an non ſcriptura majoris eſt authoritatis?

Cogit importunitas Hæreticorum qui omnibus modis Eccleſiæ authoritatem deprimunt, & ſcripturam extollunt improbo conſilio, ut hæc ipſa quæſtio ventiletur, etſi comparatio iſta odioſa & parum grata videri poſſit. Ac primo dicendum eſt Eccleſiam non eſſe majorem Scripturâ ſacrâ, quaſi poſſet contra & aliter quam ſcriptura loquitur quidpiam docere, quare calumniosè improperant Catholicis Doctoribus Hæretici, quaſi id docerent. Secundo reſpectu eorum quæ tam ſcriptura quam Eccleſia loquitur, æqualis eſt authoritas ad obligandum fideles, unde dicit Concilium Tridentinum, Seſſ. 4. Pari pietatis affectu & reverentia ſuſcipiuntur. Et ratio eſt quia utrobique vox Dei eſt. Tertio vox Eccleſiæ tam eſt à Deo & tam vox Dei eſt quam verbum Scripturæ ſacræ, & tam Deus loquitur per Eccleſiam quam per Scripturam, & Deus utrobique æqualiter verax eſt, & æquali fide & obedientia dignus. Quarto quo ad nos in pluribus eſt evidentior Eccleſiæ authoritas quam Scripturæ ſacræ, in quantum explicatior eſt & manifeſtior Eccleſiæ vox quam Scripturæ ſacræ, cum ob perplexos & obſcuros ſenſus minus nota eſt. Quinto latius patet Eccleſiæ vox quæ tam verbum ſcriptum quam non ſcriptum ſeu traditum loquitur aut loqui poteſt explicitè. Atque adeo aliquid de fide determinare & decernere, quod ſcriptura non docet nec decernit. Patet quia ſcriptura tantum verbo Dei ſcriptum complectitur, at Eccleſia loquitur verbum non ſcriptum, cum veras & legitimas traditiones definit ac determinat. Denique etſi ſcriptura vox Dei ſit, ſed non ſimpliciter nec ſemper. Nam & diabolus & impoſtor hæreticus ſcripturæ ſententias loquitur voce ſua non voce Dei, eſt autem ſcriptura vox Dei quando Eccleſia per quam Deus loquitur, ſcripturam ipſam loquitur. Vox autem Eccleſiæ eſt ſimpliciter & ſemper vox Dei, quia nunquam niſi ex Deo loquitur quando de fide loquitur & nunquam fallit aut fallitur.

Conferuntur inter ſe ſcriptura & Eccleſia.

Diſſidia de Conciliis.

Adde ex Suare tract. 1. de fide diſp. 5. ſect. 3. Scripturam ſacram eſſe à Spiritu ſancto quoad ſenſum & verba: at definitiones Eccleſiæ ſeu Conciliorum tantum quoad ſenſum, non quoad ipſa verba.

Quæ authoritas Concilij generalis ſupra Provincialia aut Nationalia?

Quod generale Concilium poſſit obligare fideles omnes tam in rebus fidei ad eas credendas, quam in materia morum ac diſciplinæ ad eam ſervandam: minora vero alia Concilia non poſſunt obligare totam Eccleſiam, nec habent Juriſdictionem univerſalem, poſſuntque tantum ferre leges accommodatas & proportionatas Juriſdictioni ſuæ, tam quoad territorium quam quoad materiam legum, ut in gravioribus Summo Pontif. reſervatis, aut ad univerſalem Eccleſiam ſpectantibus non ſe immiſceant.

Docet etiam Suares de cenſuris diſputat. 40. ſect. 4. eumque ſequitur Bonacina de irregularitate diſp. 7. q. 1. puncto 2. Ac laudat quod egregiè de iſtis pro ſuo more diſſeruerit, per ſtatuta Synodalia aut Provincialia non poſſe induci novam irregularitatem ac quoties nova aliqua irregularitas ex aliqua Provinciali Concilio deſumitur, in tantum habere vim in quantum per Pontificem vel univerſalem Eccleſiæ morem fuerit approbatum & receptum tanquam Canonicum & univerſale jus. Quia nullum jus particularis Diœceſis, Provinciæ aut Nationis ſufficere videtur ad irregularitatem ferendam. Hanc aſſertionem, inquit, non inveni hactenus ſub his terminis ab authoribus aſſertam, eam tamen colligo ex dicto cap. *is qui* in illis verbis, *cum id non ſit expreſſum in jure*: nam ſine dubio loquitur de jure Canonico, ut notavit Hoſtienſis in cap. *ſi celebrat* de Clerico excommunicato miniſtrante num. 5. & eſt communis ſententia, conſtatque ex abſoluta juris appellatione: nam jus particulare cujuſcumque privatæ Eccleſiæ vel Nationis non appellatur jus ſimpliciter, præſertim in jure Canonico & à Summo Pontifice, ſed appellatur ſtatutum Epiſcopi aut Synodale vel Provinciale, juxta cap. 2. *cum ſimilibus* de conſtitutionibus in ſexto.

Cujus tranſgreſſio violatio inducit irregularitatem.

Confirmat hoc, quia licet ex natura irregularitatis non repugnet quod poſſit in una parte Eccleſiæ imponi pro uno delicto, non in alia, tamen de facto id non eſt in uſu. Hinc etiam nullæ inveniuntur irregularitates propriæ alicujus Epiſcopatus vel nationis, ſicut dantur cenſuræ ſeu reſervationes Epiſcopales. Et ideo omnes Authores ad irregularitates cognoſcendas ſemper nos remittunt ad commune jus, &c.

Congruentia item reddi poteſt, quia irregularitas non fertur principaliter per modum pœnæ, ſed per modum cujuſdam impedimenti vel conditionis neceſſariæ ad decentiam & reverentiam ſacris Ordinibus debitam, quæ res ad univerſam Eccleſiam ſpectant: & ideo illius judicium ſeu ſtatutum univerſalis Paſtor ſibi reſervaſſe videtur.

Suarez.

Hoc Suaris judicium quod hîc proponimus non comprobando, ſed ut magis diſcutiatur à peritis, ſi veritati conſentaneum ab iis judicaretur, multos profecto Sacerdotes ac Curatos liberaret in quibuſdam Diœceſibus, in quibus multæ prohibitiones Epiſcopales violantur quæ inferunt pœnam ſuſpenſionis à Divinis, ac ſi non ſervetur irregularitatem in eos ſtatuunt, quæ non invenitur per Concilia generalia aut per Summum Pontificem inducta. Tuncque dicendum foret violationi ſuſpenſionis annexam eſſe irregularitatem quando ſuſpenſio lata fuerit à Concilio univerſali aut à Pontifice cum decreto expreſſo irregularitatis ſi violetur, ut aliquoties in *Sexto* exprimitur, non autem ſemper. Attamen ſemper peccatum eſſet mortale ſuſpenſionem violare quam decreviſſet quodlibet ſtatutum Synodale, aut Provinciale, ſed de hoc infra in Concilio quodam Germanico ſub Cumano Cardinali, ex quo putamus invaluiſſe opinionem magis communem de irregularitate ob violationem cujuſlibet cenſuræ.

An poſſit Concilium Provinciale de fide ac de jure divino quidquam determinare?

Hiquæus ſuper 4. lib. ſentent. Scoti diſt. 17. quæſt. unica, corrigit quoddam dictum Vaſqueſij aſſerentis Concilia Provincialia non habere authoritatem ad determinandum jus divinum, ſed ſolum id ſpectare ad Summum Pontificem & Eccleſiam. Sed hæc ratio, inquit, non mihi placet, neque videtur quadrare antiquis Concilijs Provincialibus: unde non video quare etiam in præſenti id ſtatuere non poſſent; cum nullibi id inveniatur reſervatum à Pontifice aut ab Eccleſia univerſali.

An Concilia Provincialia indigent approbatione Summi Pontificis?

Ad obligationem legum quæ fiunt ab his Conciliis non eſt neceſſaria confirmatio Papæ, quia hæc Concilia intra ſe habent vel habere debent caput ſibi proportionatum, ſcilicet Patriarcham aut Primatem, Archiepiſcopum vel Epiſcopum reſpectivè; & ideo ſufficiunt ad ferendas & confirmandas ſuas leges in particulari: quamvis hęc Concilia per ſe ſumpta non ſint infallibilis authoritatis: ſed errare poſſint & corrigi per plenaria Concilia aut per ſummum Pontificem, cum ſola Eccleſia univerſalis extra omnem aleam erroris poſita ſit, non Eccleſiæ particulares. Notandum tamen quod Barboſa in ſumma Bullarij teſtatur declaratum fuiſſe per ſacram congregationem, per approbationem Concilij ab ipſa factam non intelligi Concilium eſſe approbatum à Summo Pontifice, ſed tantum permiſſum. *Verbo* Concilium Provinciale.

Approbatio Conciliorum Provincialium.

Quid diſpenſare poteſt in lege Concilij minoris?

Reſpondetur, quod ſi agatur de Concilio Provinciali, nec Metropolitanum nec Epiſcopos ſuffraganeos poſſe abſque juſta cauſa & neceſſitate diſpenſare in legibus Concilij, quod eſt ſupra ſingulos eorum, à quibus ad Synodum ipſam appellatur tanquam ab inferioribus ad ſuperiorem: unde neceſſe eſſet ad Summum Pontificem recurrere vel iterum congregari Synodum. Sic Suares de legibus lib. 6. cap. 15. Poſſe tamen ex cauſa legitima unumquemque Epiſcopum pro ſua Diœceſi diſpenſare in lege Concilij Provincialis, nec recurrendum ad Metropolitanum, docet Diana part. 8. tract. 3. reſolut. 12. erat enim maximè expediens hanc eos habere facultatem, ne ſubditi obligati eſſent pro diſpenſatione obtinenda ad Pontificem recurrere vel aliud Concilium expectare: ſicut Parochis competit diſpenſatio in Feſtorum & jejuniorum obſervatione, ob frequentes caſus expoſtulantes hanc diſpenſationem. De Synodo autem unius Epiſcopi, ipſemet diſpenſare poteſt, cum ſolus in ea habeat ſuffragium deciſivum, reliqui tantum conſultivum. ibid. reſol. 18. & ut ibidem docet Suares, juriſdictio Synodi unius Epiſcopi eſt ſolius Epiſcopi, tantumque congregatur, ut matutius res ordinentur ac ſuavius.

De annis & ſæculis quibus celebrata ſunt Concilia.

Plura in iſtis incerta & dubia, obſcura & tenebris obſita, ex quibus docti fatentur aliquando ſe erumpere non poſſe, eaſque difficultates diſcutere, ut perinde ſibi eſſe faciendum putent ac venatori qui tamdiu fugientem feram ſequitur, donec eam ab ſe capi non poſſe ſenſerit. Interim quod ſunt oſſa, quod nervi in corpore hoc ipſum eſt Chronologia in Hiſtoria, ait Chiffletius animadverſione in Ferrandum redivivum. Succiſis nervis & confractis aut laxatis oſſibus, labaſcit ac deficit corpus: ſic & neglectis temporum rationibus perſonas aut plures conflari in unam, aut unam in plures extendi, alia ſubinde pro aliis loca uſurpari ac rerum geſtarum ordinem omnem perturbari neceſſe eſt. Hoc in Conciliis eveniſſe pluries variantibus ſcriptorum antiquorum ac recentium ſententiis demonſtrabunt maximè Arelatenſes, Carthaginenſes, aliæque Synodi, nec ſine cauſa fatetur Baronius ad annum 529. ſe collectorem Conciliorum ſecutum bis erraſſe. Ad hanc obſcuritatem multum attulit varia ratio conſignandi acta Eccleſiaſtica ſeu prophana per annos Conſulum

Chronologia Conciliorum.

Conſulum aut Imperatorum, ſeu per Olympiades, quarum unaquæque quatuor annos complectitur, & incipiunt annis 776. ante Chriſtum natum ſeu per indictiones, quarum unaquæque quindecim eſt annorum & quarum dubia eſt origo, ſeu per æram quæ ſupra communem computationem ab Incarnatione octo addit annos ſupra triginta, ſeu alia multiplex ratione temporum. Cœpit autem Dionyſius Exiguus Synodorum collector ab annis Chriſti acta Eccleſiaſtica conſignare, quem cæteri poſtea ſequuti ſunt, cum tempus Incarnationis Chriſti Epocha ſit omnium illuſtrior. Sed dum omnia cum his annis quadrare volunt ſcriptores, mirum quot diſſidia inde profluxerint. Nos magis vulgatam conſignationem annorum ſequimur, niſi aliquando vehemens aliqua conjectura aliud ſuadeat. Adeundus de iſtis Covarruvias variarum reſolut. lib. 1. cap. 12.

A

B

An non Concilia hæreticorum tam legitima ſint quam alia?

Non habent illa Concilia judices legitimos qui polleant authoritate leges ullas imponendi: nam nec habent legitimos Epiſcopos qui leges ferant & ſubſcribant. Votum in iis obtinere ſolent ſeniores & laici. Ordinem non habent, cum miniſtros faciant omnes æquales: nec antiqua forma Conciliorum in iis ſervatur. Soli enim Eccleſiæ collata eſt poteſtas in Chriſti corpus verum ac myſticum, unde qui ſunt in ea præſides ac duces jus habent pro regimine populi leges ferendi, Canones condendi, corrigendi errata, dubia determinandi, viſitandi, in melius reformandi, & ea omnia agendi quæ per antiqua Concilia agi conſueverunt. Quæ omnia ſi præſumunt hæretici ſe poſſe agere, probent primum authoritatem ſuam ac Juriſdictionem ac à quo illam hauſerint acceperintque. Cum non ſit Laicorum illam conferre, ac in rebus fidei ac religionis quæ ſalutem animæ concernunt, oves ſint non Paſtores. Unde etiam ſi authoritate Magiſtratus aut Principis cœtus ſuos ineant Paſtores miniſtri aut prædicantes ab Eccleſiæ Catholicæ ſupremo in terris capite divulſi, nulla tamen major authoritas in iis cœtibus, quam in prophanorum aliquot aut latrunculorum congregationibus: quippe quoad ſpiritualia ipſi Principes & Magiſtratus ut oves ſuis Paſtoribus ſubditi ſunt, quorum Legibus & Canonibus regantur, non quibus poteſtatem impertiunt leges canoneſve ferendi. Sic dicit D. Chryſoſtomus in Matt. Homil. 33. *Si dux quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi quis diademate ornatus adeat indignè, cohibe, majorem tu illo poteſtatem habes.* Et Gregorius Nazianzenus Orat. ad cives timore perculſos. *An me liberè loquentem æquo animo feretis: nam vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſelliis lex Chriſti ſubjecit.* Sic præfectum Imperatoria poteſtate præditum alloquitur. Sed & Magnus Oſius apud Athanaſium in Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem ſic eum aggreditur: *Deſine quæſo & memineris te mortalem eſſe, reformida diem judicij: ſerva te in illum diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce: tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ Deus concredidit.* Sed & Athanaſius ipſe, cui ab immortalitate nomen eſt, ſic clamat adverſus eundem Conſtantium. *Quando à condito ævo auditum eſt? quando judicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro judicio acceptum eſt? plurimæ ante hac Synodi, multa Eccleſiæ judicia habita ſunt: ſed neque patres hujuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt: nec Princeps in rebus Eccleſiaſticis ſe curiosè præbuit.* Et paulo poſt rem magis exagerans. *Quis videns Conſtantium Principem ſe facere Epiſcopum & præſidere judiciis Eccleſiaſticis non merito dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt.* Unde patet ex hac parte vana eſſe Conciliabula Lutheranorum & Calviniſtarum; cum non ſit niſi uſurpata & invalida Magiſtratus authoritas circa ſpiritualia.

C

Laici ſunt ſubditi quoad ſpiritualia.

D

At ſi inter hæreticos ſint Epiſcopi qui Concilia celebrent, cur non obtinebunt?

Quia tales Epiſcopi, ſi qui ſint inter eos, privati ſunt omni poteſtate ac Juriſdictione regendi Eccleſiam, reformandi religionem & ſtatum Eccleſiæ, abrogandi feſta & vota Monaſtica, ac oppugnandi Doctrinam Catholicorum: à quo enim poteſtatem hanc acceperunt, cum ſæcularis Princeps ac Magiſtratus eam non tribuat? nec communionem habeant cum Summo Eccleſiæ capite ac Divi Petri legitimo ſucceſſore Pontifice Romano. Sed & Eccleſia Canonem edidit latæ ſententiæ quoad privationem beneficiorum & poteſtatis Eccleſiaſticæ contra Hæreticos 4. qu. 1. cap. *didicimus.* Didicimus omnes omnino ſchiſmaticos & hæreticos nullam habere poteſtatem Eccleſiaſticam, &c. Docetque Almainus de ſumma poteſt. Eccleſiaſt. cap. 3. An non ridiculum eſt quod etiam ipſi ſe venditant pro ſucceſſoribus D. Petri, cui à Chriſto dictum eſt, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matth. 16. An ſucceſſorem alium Clodovei agnoſcet populus, quam illum qui ejus throno cum ſimili Imperio inſidet? at ſemper Pontifices Romani Cathedram D. Petri cum poteſtate regendi Eccleſiam obtinuerunt uſque ad Clementem IX. hodiernа die ſedentem & moderantem Eccleſias fideles. Compara mihi cum illo aliquem inter Lutheranos aut Calviniſtas, Epiſcopi, Archiepiſcopi, aut ſi lubet, Primatis ſibi titulum arrogantem in Germania, Anglia aut alibi. Quem potiori jure ſucceſſorem Divi Petri nuncupabis? obcæcatos eſſe oportet qui extra lineam & ſeriem tot Pontificum Rom. poſiti ſe D. Petri ſucceſſores prædicant. Videant ergo à quo miſſi ſint, à quo vocati, quamdiu fuerint à Pontifice Romano ſejuncti. Nec exiſtiment ſe præclarè principatum ſuum in Synodis & Eccleſiis ſtabiliviſſe, ſi conviciis & contumeliis Pontifices Rom. impetant, cum nihil magis indicet eos omni vero jure deſtitutos eſſe.

Epiſcopi hæretici.

E

At nunquid Pariſienſes docent Eccleſiæ ipſi traditam eſſe omnem poteſtatem, ac regimen ejus Ariſtocraticum? quid ergo officit Concilio abſentia Papæ aut Epiſcoporum.

Qui illi ſint Pariſienſes Theologi narrandum eſſet, & quot & quo tempore & in quibus circumſtantiis aut caſibus id docuerint, quibuſve libris doctrinam hanc poſteritati conſignaverint, ac quo ſenſu intellexerint: an ſit illa doctrina omnium: an unius paucorumve, qui à communi aliorum doctrina abhorreant. Nihil profuit Marco Antonio de Dominis Archiepiſcopo Spalatenſi pallio hujuſmodi Pariſienſium, errores librorum ſuorum de republica obtegere voluiſſe: cum talia ſcribens ad elevandam Summi Pontificis poteſtatem ac Monarchicum Eccleſiæ regimen, ſubito ejus pondere ſe oppreſſum ſenſerit, ut eorum authoritas ad errorem perſuadendum non valeret, quorum ſenſus à concipiendo errore longè aberat. Ac quoniam cenſura contra ejus Libros, jam pluſquam à quadraginta annis condita & evulgata, poſtulante apud Facultatem Iſamberto tunc Scindico, cujus acumen produnt plura ejus volumina in D. Thomam, mentem Pariſienſium maximè ac velut in meridiana luce manifeſtat, qualis illa fuerit in ſingulares propoſitiones ejuſdem ſtudioſo Lectori lubens expono, cum aliunde mihi propoſitum ſit & incumbat neceſſitas in ſpinoſis controverſiis harum rerum, quæ ſæpius occurrunt in hac Summâ, à decretis Facultatis Pariſienſis non diſcedere, & non deſint hodie qui his, de republica damnatis Libris ſuffulti Paſtorem primum Eccleſiæ arietant, dura cervice & incircumciſis cordibus ſemper Spiritui ſancto reſiſtentes. Illius certè cenſuræ, quot penè verba tot ſententiæ ſunt: quot ſenſus tot victoriæ: ſed etſi jam devios ad ſui conſenſum impellere non valeat, ſuadebit forſan alios ne iis adhæreant: & ſi ne id quidem aſſe-

Cenſura Facultatis Pariſienſis.

cutus fuero, ſplendorem afferet illa ponduſque addet plurimis hujus Summæ propoſitionibus.

Propoſitiones aliquot inter innumeras aliàs ſelectæ ex quatuor prioribus Libris de Republica Eccleſiaſtica, Auctore Marco-Antonio de Dominis, Archiepiſcopo Spalatenſi per ſacram Theologorum Pariſienſium Facultatem damnata.

Errores Marci Antonij de Dominis notantur.

IN expoſitione conſilij ſuæ profectionis num. 10. Eccleſia ſub Romano Pontifice non eſt amplius Eccleſia, ſed reſpublica quædam humana, ſub Papæ Monarchia tota temporali: vinea eſt ad ſolum Noë inebriandum: grex eſt quem Paſtor emungat ad ſanguinem, tondeat, immo radat, immo excorier & macter.

Cenſura. Hæc propoſitio prima ſui parte eſt hæretica: dicit enim veram Eccleſiam (cum non alia ſit quam quæ Romano Pontifici paret) jam deſiiſſe: pro reliqua vero parte eſt calumnioſa & ſcandaloſa.

Lib. 1. cap. 1. num. 1. Qui de Republica Eccleſiaſtica ſicut de purè humana philoſophantur, mihi videntur non parum à recto tramite aberrare: non modo quia in ea requirunt veram juriſdictionem, hoc eſt, vim coactivam & ſubjectionem externam; ubi tamen omnis gloria ejus ab intus.

Cenſura. Hæc propoſitio qua parte veram Juriſdictionem, ideſt, vim coactivam & ſubjectionem externam Eccleſiæ denegat, eſt hæretica & totius ordinis Hierarchici perturbativa, atque confuſionem Babylonicam in Eccleſia generans.

Num. 13. Sacerdotes omnes mortales in Eccleſia Chriſti quicunque illi ſint, non tam dicuntur propriè Sacrificium offerre, quod verè & propriè ſolus Chriſtus obtulit, quam ſacrificij illius memoriam celebrare: hoc facite in meam commemorationem.

Cenſura. Hæc propoſitio, ſi intelligat actionem Sacerdotum Miſſam celebrantium non eſſe verum & proprium ſacrificium, eſt hæretica.

Act. 6. Cap. 2. num. 7. Inquiunt Apoſtoli, *nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus:* non dicunt, nos legibus coactivis condendis ac tribunali vacabimus: nos pro arbitrio præcipiendo, puniendo, dominando, ſed orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus, qui aliud ſibi commiſſum officium non agnoſcebant.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica in illis verbis, quia aliud ſibi commiſſum officium non agnoſcebant.

Poteſtas extraordinaria in Apoſtolis.

Cap. 3. num. 18. Diſparitatem poteſtatis inter Apoſtolos eſſe humanum inventum in ſacris Evangeliis & divinis Novi Teſtamenti ſcripturis minimè ſubſiſtens.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, de Juriſdictione Apoſtolica ordinaria quæ in ſolo D. Petro ſubſiſtebat intellecta.

Num. 23. Monarchiæ formam non fuiſſe immediatè in Eccleſia à Chriſto inſtitutam.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, ordinis Hierarchici ſubverſiva & pacis Eccleſiæ perturbativa.

Cap. 4. num. 2. Si de vero & proprio Vicario loquamur, qui perfectiſſimè Chriſti vices poſt ejus in Cœlum aſcenſum plenè geſſerit, geratque in terris & geſturus ſit uſque ad conſummationem ſæculi, quis dubitat eſſe Spiritum ſanctum Paracletum?

Spiritus ſanctus.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt erronea & periculoſa atque hæreſim Macedonij expreſsè redolens, in verbo Vicarij propriè ſumpti.

Cap. 6. num. 35. Petrus fermè ſtatim ab illa eadem fide decidit, ſcilicet poſt confeſſam Chriſti divinitatem, Matth. 16. Neque ſemel ſed ſæpius titubavit, etiam poſt Chriſti Aſcenſionem & Spiritus ſancti illapſum.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt erronea, temeraria & in B. Petrum contumelioſa.

Joan. 21. Matt. 15. ad Rom. 15. Cap. 8. num. 10. *Paſce oves meas*, hoc eſt, Iſraëlitas, qui tunc ſoli erant oves Chriſti: unde & dicebat *non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël:* & Paulus ipſum Dominum vocat miniſtrum Circumciſionis.

Cenſura. Hæc propoſitio in verbo ſolos Iſraëlitas, eſt hæretica & ignorantiam craſſiſſimam Auctoris prodit.

Cap. 12. num. 5. Tametſi articuli Joannis Hus aliquid ſimile cum meis aſſertionibus continerent, damnatos tamen non eſſe legitimè, quia eorum ſingulorum examen non apparet.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, erronea ac in Concilium Conſtantienſe, quaſi legitimè non proceſſerit in damnandis erroribus Huſſitarum, contumelioſa.

Numero eodem. Doctrina in articulis Hus contenta, nimirum in Eccleſia non dari unum caput ſupremum & Monarcham præter Chriſtum: Chriſtum ſuam Eccleſiam per multos miniſtros ſine uno iſto Monarcha mortali regere perfectè & gubernare; eſt doctrina Catholica à ſanctis Patribus egregiè explicata & confirmata.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica quoad ſingulas partes.

Num. 12. Si quid incommodi habet Ariſtocratia, cui Monarchia poſſit obviare; Eccleſiam Spiritu Chriſti inſtructam, propterea & in ſingulis Eccleſiis voluiſſe Monarchiam, & in ſe tota Ariſtocratiam.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, quatenus vult Eccleſiam univerſalem ſecundum ſe totam, eſſe Ariſtocraticam.

Num. 41. Deus Spiritum ſuum toti Eccleſiæ promiſit, non alligando ipſum certis perſonis ſive certo generi perſonarum, aliiſve Clericis ad miniſteria Eccleſiaſtica deputatis; ſed ipſum voluit eſſe per omnes, licet non per ſingulos diffuſum: & conſenſus totius Eccleſiæ in aliquo articulo non minus intelligitur in laïcis quam etiam in Preſbyteris & Prælatis. Sunt enim etiam laïci in Eccleſia, immo ex Eccleſia, ipſiuſque ſolidam & majorem partem conſtituunt.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſtatus Eccleſiæ perturbativa, quatenus ad fidei propoſitiones ſtatuendas conſenſum laïcorum requirit.

Epiſcopi.

Lib. 2. cap. 1. Sicut Apoſtoli ſimul & in ſolidum Ariſtocraticè curam gerebant Eccleſiæ, cum poteſtate æquali & univerſali: ita Epiſcopi omnes ſimul & in ſolidum, eamdem regunt Eccleſiam ſinguli cum plena poteſtate.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, quoad ultima verba; ſinguli cum plena poteſtate.

Num. 13. Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores, qui in eorum officio quod erat Apoſtolorum omnium commune, ſuccedunt, omnes omnibus in ſolidum.

Cenſura. Hæretica eſt & ſchiſmatica, cum agat de Juriſdictionis Apoſtolicæ poteſtate.

Num. 15. In poteſtate univerſali ſuccedunt Epiſcopi, non modo univerſi, ſed etiam ſinguli.

Cenſura. Hæretica eſt & ſchiſmatica ut duæ præcedentes.

Cap. 4. n. 17. De ordine nihil prorſus habemus quo ipſius inſtitutio ad modum Sacramenti appareat.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica, ſcandaloſa, & ſtatui Sacerdotali & Epiſcopali contumelioſa.

Ordinis Sacramentum.

Num. 26. Non eſt Ordo verum Sacramentum, ſed mera ad miniſterium deputatio ſine iſtis characteribus & impreſſionibus.

Cenſura. Hæc propoſitio tota eſt hæretica ſecundum utramque partem: & prout negat Ordinem eſſe verum Sacramentum, & prout in ea characterem non imprimi aſſerit.

Num. 27. Si quis ex laïco ſeu Diacono aliòve gradu infra Preſbyteratum immediatè in Epiſcopum ordinetur, is pleniſſimè erit Epiſcopus, & ex tali ordinatione habet totam etiam Preſbyteralem poteſtatem.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſcandaloſa per ſaltum volens aliquos ad Epiſcopatum promoveri poſſe.

Num. 33. & 41. Auguſtinus agnoſcit tantum duo vera & propria Sacramenta, quæ clarè & expreſsè pateant, à Chriſto eſſe inſtituta. A

Cenſura. Hæc propoſitio falſa eſt, & in B. Auguſtinum contumelioſa.

Cap. 6. num. 16. Dicat mihi noſter hic Deus ridiculus, ſeu vice-Deus, ſi nemo præter ipſum poteſt Epiſcopum ab una Eccleſia ad aliam transferre.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt contumelioſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiva.

Eccleſia Romana. Cap. 8 num. 13. Dico Romanam Eccleſiam, & ex magnitudine civitatis, & ex eo quod eam duo primi Apoſtoli fundaverunt Petrus & Paulus, & ex alijs capitibus, extra jus divinum, habuiſſe, ut ſemper reputata ſit Eccleſia principalis, non tamen domina & regina ſuper univerſas Chriſti Eccleſias: neque Auguſtinus neque ullus ex antiquioribus patribus ſummam Eccleſiaſticarum rerum in Romana Eccleſia poſuerunt. Erat ergo & eſt Eccleſia præcipua, nobilitate, exiſtimatione, nomine & dignitatis auctoritate, non regiminis & juriſdictionis principatu. B

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, quatenus apertè inſinuat, Romanam Eccleſiam jure Divino, auctoritatem in alias Eccleſias non habere.

Cælibatus. Cap. 10. In titulo. Sacros miniſtros ad cælibatum jure non teneri.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſtatus clericorum & totius Reipublicæ Chriſtianæ perturbativa.

Num. 70. Quamvis Epiſcopi inducta conſuetudine, ut ſi conjugati eſſent, in ſui promotione ceſſarent in poſterum ab opere nuptiarum: id tamen non faciebant ex religione aut cautione, quaſi putarent id eis jam minimè licere; ſed ex devotione & perfectioris cujuſdam puritatis amore, & hanc tamen devotionem non omnes Preſbyteri, qui ſunt multo plures, ſunt amplexi, ſed ſoli qui liberè voluerunt. Et ita Preſbyteris liberum manſit, ut qui poſſent capere caperent. C

Cenſura. Hæc propoſitio pro prima ſui parte falſa eſt; pro ſecunda vero, qua dicit, Preſbyteris liberum manſiſſe matrimonium, eſt hæretica.

Cap. 11. Num. 40. Cælibatus à libera pendet clericorum voluntate & electione: & ſi poſt ſacros Ordines, quis contrahat matrimonium, id firmum erit & legitimum. D

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica, quatenus univerſalis Eccleſiæ conſuetudini, & conſenſui repugnat.

Num. 43. Concludimus primo votum ſolemne monachorum, ſi quid efficit ultra votum ſimplex eorumdem jam vitam monachalem amplexorum, id totum ſola Eccleſiaſtica conſuetudine efficere. Concludimus ſecundo ſolemnitates has, voti ſcilicet, impedire quidem ac vetare ne matrimonium contrahatur, contractum tamen poſt illas ex eis non dirimi, ſed eſſe ratum, firmum & validum tam in monacho quam in moniali, ſicut poſt votum ſimplex. *Votum Religionis.*

Cenſura. Hæc propoſitio, quoad ſecundam illam partem; contractum tamen, &c. eſt hæretica, ſcandaloſa & Eccleſiæ ſtatus perturbativa. E

Num. 45. Si propria auctoritate, ſine cauſa legitima, quis monachus profeſſus fiat defertor; hic ſane peccat contra Deum, & damnationem habet: ſed Eccleſia nihil habet contra illum in foro externo; habet tantum cum illo negotium in foro conſcientiæ propter peccatum, ut non abſolvatur niſi redeat; aut ſi legitima cauſa abſolvatur etiam non rediturus per irritationem, vel commutationem voti. Quod ſi uxorem duxerit, pœniteat de peccato defertionis, ſed permaneat in conjugio: neque enim amplius indiget ulla diſpenſatione; ipſe enim per aſſumptionem ſtatus incompoſſibilis cum monachatu ſecum ſatis diſpenſavit; quia longè arctius eſt vinculum connubij quam monachalis profeſſionis.

Cenſura. Hæc propoſitio quoad ſecundam partem, Eccleſia nihil habet, &c. eſt hæretica. Quoad illam aliam partem, ſi uxorem duxerit permaneat in conjugio, &c. eſt etiam hæretica, ſcandaloſa, & Eccleſiæ perturbativa.

Lib. 3. c. 7. num. ultimo. Totus Concilij Tridentini ſcopus fuit, ut ampliſſimam jam ex innumeris uſurpationibus Papalem poteſtatem non modo ſtabiliret, ſed etiam faceret ampliorem: ſolus enim Papa ſolaque Roma Concilium illud rexit, ſtruxit & inſtruxit. *Concilium Tridentinum.*

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, contumelioſa, & viam aperiens ad multas hæreſes in hoc Concilio condemnatas, renovandas.

Cap. 8. num. 14. Unumquemque Epiſcopum jure divino eſſe univerſalem.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, ac unitatis Eccleſiæ ſubverſiva.

Cap. 10. num. 42. Monarchiam ſemper Chriſtus à ſua Eccleſia amovit, & eam ipſa Eccleſia eſt abominata. *Monarchia in Eccleſia.*

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, & ordinis Eccleſiaſtici perturbativa & ſubverſiva.

Num. 44. Falſum eſt, unionem Eccleſiæ Catholicæ in unitate rectoris viſibilis conſiſtere.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, quatenus negat unitatem rectoris viſibilis ad unionem Eccleſiæ facere.

Lib. 4. c. 1. num. 1. Supremus Eccleſiæ Romanæ primatus, ipſiuſque ſupra cæteras omnes Chriſti Eccleſias, imperium, nullis revera ſolidis innititur fundamentis.

Cenſura. Hæc falſa eſt & viam ad hæreſes, & ſchiſmata ſternens.

Num. 25. Neque Antiochiæ, neque Romæ Petrus proprie ſedit, quia non ut ſederet, ſed excurreret Apoſtolatum accepit: & quocumque pergeret ſemper ſuam Cathedram, hoc eſt Epiſcopalem poteſtatem ſecum deferebat: quam nulli certo loco alligatam habebat. *D. Petrus.*

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, & quæ ignorantiam auctoris prodit.

Cap. 2. num. 11. Tota, ut vidimus, antiquitas univerſalitatem Romani Epiſcopatus penitus ignoravit.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt, ut præcedens falſa, & eandem ignorantiam auctoris oſtendit.

Num. 36. Romanam Eccleſiam eſſe conſtat perfectiſſimè ſchiſmaticam, quæ ſe à corpore Eccleſiæ univerſalis tunc abſcidit, quando membrum ipſius eſſe recuſavit: & quod pejus eſt, & ſchiſmati addit tyrannidem verè Antichriſtianam, caput ſe contra Chriſtum, qui ſolum & verum ſuæ Eccleſiæ caput eſt, conſtituit.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica.

Cap. num. 2. Omnes ſane Epiſcopi ſunt omnium Apoſtolorum etiam Petri in ſolidum ſucceſſores. *Et paulo poſt.* Non enim Petrus habuit quidpiam peculiare, in quo ei dari debeat magis, quam cæteris omnibus ſucceſſio.

Cenſura. Prior propoſitio, qua parte ſtatuit ſingulos Epiſcopos eſſe Petri ſucceſſores, eſt captioſa: quia Petrus ultra poteſtatem ordinis, in qua ei ſuccedunt Epiſcopi, aliam habuit juriſdictionis Apoſtolicæ, cui ſolus Romanus Pontifex ſuccedit: poſterior eſt hæretica, ſchiſmatica, & Hierarchici ordinis perturbativa. *Poteſtas juriſdictionis.*

Num. 7. Planum eſt papatum hunc eſſe totum fictitium, commentum hominum à Chriſti inſtitutione remotiſſimum.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica, ut jam ſupra notatum eſt.

Num. 19. Abſolutè nego Romanum Pontificem

esse Petri peculiatem, quocumque jure successorem: ex jure enim divino colligimus Romanum Pontificem non posse ulla peculiari ratione, Petro succedere.

Censura. Hæc propositio est hæretica & schismatica atque adeo Pontifici contumeliosa.

Cap. 7. num. 6. Potestatis plenitudo, ut optime docent Parisienses, data est Ecclesiæ universæ, hoc est, omnibus & singulis Episcopis in solidum.

Censura. Hæc propositio est contumeliosa in facultatem Parisiensem in particulâ, singulis Episcopis.

Eodem numero. Sciant etiam de jure divino veram jurisdictionem in Ecclesia nullam esse; sed totam charitate regi, &c.

Censura. Hæc propositio est hæretica, & ordinis Hierarchici subversiva.

Num. 9. Parisiensium doctrina enucleatè intellecta, nihil discrepat à mea his Libris tradita doctrina, & ab ipsa veritate. *Et paulò post.* Schola itaque Parisiensis, & nostra est, & reipsa potestati studet Aristocraticæ non Monarchicæ. Quare ex ejus quoque doctrina Papatus, nullo potest solido subsistere fundamento.

Schola Parisiensis.

Censura. Mera contra Facultatem Parisiensem impostura.

Cap. 8. num. 53. Sed ego quoque illiteratum, & notoriè ac insigniter scelestum, ex sanctorum Patrum dictis insinuavi, sacrum ordinem non suscipere: & sacrum ordinem posse amitti.

Censura. Hæc propositio est hæretica, & inter hæreses Bohemorum in Concilio Constantiensi condemnata.

Cap. 10. num. 11. Concilia Occidentalia, ut Lateranense, sub Innocentio III. & Lugdunense sub Gregorio X. & Florentinum, &c. Sub jugo Monarchæ Romanæ Ecclesiæ jam dominantis, gemendo applaudere tanto Monarchæ sunt coacta.

Concilia Occidentalia.

Censura. Hæc propositio est falsa, calumniosa, & scandalosa.

Num. 45. Bedam, Anselmum, Hugonem Victorinum, & Bernardum, inter Monarchicos non quidem decipientes, sed potius deceptos reponimus. *Et paulo post.* Alios vero posteriores magna ex parte parasitos, & assentatores, malæque fidei deceptores, & contra propriam scientiam & conscientiam contentiosos, & verbosos disputatores, ist hac in causa rejicimus penitus, ne dicam contemnimus.

Censura. Hæ propositiones sunt contumelioſæ.

Num. 99. Si quis vero opponat in Concilio Constantiensi fuisse Vvicleſi & Hussi, articulum de primatu Papæ ab eis negato condemnatum, &c. Respondemus Patres Concilij Constantiensis Monarchiam Ecclesiasticam tenuisse, & communissimo jam errore fuisse infectos.

Censura. Hæc propositio quoad ultima verba, est hæretica, & in Concilium Constantiense contumeliosa.

Electio Papæ.

Cap. 11. num. 15. Si sede vacante, Canonici Lateranenses, cum reliquo Romanarum Ecclesiarum proprio clero, & senatu, populoque Romano conjuncti, Pontificem Romanum eligerent & eumdem, sic electum facerent ab Episcopis, circumvicinis etiam non Cardinalibus (si Episcopi Cardinales renuerent) consecrari; is verus & legitimus esset Romanus Pontifex, multo magis, quam ille quem in Conclavi eligerent Cardinales, & consecrarent.

Censura. Hæc propositio est seditiosa & scandalosa, hæretica quoad formam, & modum electionis.

Eodem numero. Quod Parisienses, Cardinales solos faciunt totius Ecclesiæ universalis nomine Papæ electores, est mera vanitas; quia supponunt in Ecclesiâ universali unum Papam universalem, qui toti præsit Ecclesiæ universali, tanquam Episcopus universalis,

Censura. Hæc propositio est erronea, cujus error cadit in particulam *mera vanitas*, & quoad suppositionem quam Parisiensibus tribuit, falsa: ejusque falsitas in hæc verba, *tanquam Episcopus universalis*, cadit; quasi alij Episcopi sint tantum Papæ Vicarij.

Prædictarum propositionum, qualificatio lecta & approbata est in præfata Facultatis Theologiæ Parisiensis congregatione, & in ordinem redacta, anno & die præfatis.

Ann. 1657. die 15. Decembris.

De mandato dictorum D. D. Decani & Magistrorum Sacratissimæ Facultatis Theologiæ Parisiensis.
Philippus Bouvot.

HActenus Parisiensis censura, & animadversio in Marcum Antonium Spalatensem Archiepiscopum, quam integram cum sua præfatione reperies in Apologia lib. 1. Franciſci Rotomag. Archiepiscopi & in libro M. Andreæ Duvalij contra Vigorium. Licet autem in ea advertere mentem Parisiensium esse, regimen Ecclesiæ à Christo institutum Monarchicum esse non Aristocraticum: illud autem intelligi solet regimen unius, qui nec superiorem, nec æqualem agnoscit. Jurisdictionem Apostolicam ordinariam in solo Petro non in cæteris Apostolis extitisse. Monarchiæ formam in Ecclesia à Christo immediatè institutam fuisse. Dari præter Christum unum caput supremum & Monarcham in Ecclesia. Christum non regere Ecclesiam, nec gubernare per multos ministros sine illo Monarcha mortali. In Ecclesia Romana supremum esse primatum. Pontificem Rom. peculiarem esse Petri successorem. Unitatem rectoris visibilis ad unionem Ecclesiæ facere, itaut falsum sit unionem Ecclesiæ Catholicæ in unitate rectoris visibilis non consistere. Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias habere. Hæc & similia doctrinæ Parisiensis Facultatis capita, ut quod etiam ibidem continetur de Concil. Florentino & alijs, longe aliena sunt ab ijs, quæ nonnulli his temporibus libris suis circumforaneis in Christi Vicarium blateraut sub velo Parisiensium, quasi paucorum ex ijs opiniones essent omnium.

Porro contra eumdem *de Dominio*, scripserunt inter alios Becanus breviter & solidè, & Zacharias Bonerius Capucinus censuram Paræneticam, Mediolanensibus typis, edidit facundiæ & eruditionis titulo illustrem: uterque vero censuram hanc Parisiensem, quam aliquos sugillare audivimus, honorificè habent.

An extra Concilia generalia nulla sit certa definitio in rebus fidei?

ITa videtur quibusdam: unde fit ut locus detur hæreticis novorum dogmatum authoribus aut jam damnatorum renovatoribus in Ecclesias grassandi, dum nullus erit judex constitutus à Deo, extra tempora Conciliorum, qui eos reprimat, cum semper excepturi sint, nihil certi definiri posse ab ullo. At cum prima sæcula Ecclesiæ sine Conciliis generalibus extiterint: Cum à quarta Synodo generali ad quintam numerentur anni 102. à quinta ad sextam 129. à sexta ad septimam 109. à septima ad octavam 120. ab octava ad primam Lateranensem 225. & jam ferè fluxerint plusquam centum anni à Concilio Tridentino, quanta animarum strages edenda est, si interim, quidquid statuunt Pontifices Rom. liberum sit arbitrari errori obnoxias esse eorum constitutiones, ut dicunt qui ultimos motus in Ecclesiâ excitarunt. Propterea censent alij melius à Christo provisum esse Ecclesiæ, ac conscientiarum tranquillitati, dum asserunt summum Pontificem loquentem de rebus fidei, ex cathedra, nec falli, nec fallere. Ac dixi alias in libro de beneficio crucis parte 1. c. & iterum dixi in sexta classe hujus Summæ intelli-

gendum esse summum Pontificem loqui ex cathedra, cum docet universam Ecclesiam, jubetque Christianis omnibus ex authoritate supremi Pontificatus, quam à Christo accepit, ut teneant aliquam doctrinam fidei, quæ ad salutem necessaria est.

Sciendum enim cathedram præter Grammaticalem significationem vario sensu à probatis authoribus usurpari. Ac 1. pro Episcopatu frequenter usurpat Gregorius Turonensis lib. 3. histor. c. 1. *Dimisso*, inquit, *cathedram Pontificatem ascendit.* Ac ejusdem libri c. 35. in eodem sensu usurpat. In Martyrologio 15. Kalend. Februarij *cathedra S. Petri*, id est, Episcopatus. Idem Turonensis l. 2. c. 28. pro ipsa regis curia. *Egressus autem à Turonis Parisios venit, ibique cathedram regni constituit.* Ex his porro acceptionibus dum volunt exprimere quidam Theologi discrimen illud, quod est in eodem Pontifice Romano, cum loquitur tanquam privatus homo, aut Doctor, mentem suam de aliqua difficultate aperiens sine ulla jussione, ut eam sequantur alij, & cum eandem manifestat omni Ecclesiæ cujus est pastor, adhibito imperio ex authoritate supremi Pontificatus qua pollet sub pœnâ anathematis, ut ei acquiescant omnes, ad significandum hunc secundum modum loquendi in Pontifice Rom. dixerunt, tunc summum Pontificem loqui ex cathedra, metaphoricè scilicet cathedræ nomine accepto pro authoritate sui Pontificatus super universam Ecclesiam. In quo loquendi modo elegantiores fuerunt, quam antiqui Theologi, qui crassiori minerva dicebant Pontificem nunc *Magistraliter*, nunc *Papaliter* loquutum fuisse, ut notari potest ex Vincentio Belvacensi in Bibliotheca mundi lib. 7. c. 56. ubi de solutionibus contrarietatum juris tractat. An propter hoc ridiculi sumus? Explicet ergo nobis qui hoc improperat, quid voluerit Christus Dominus Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite.* Ubi, inquit Jansenius Gandavensis, quidam nimis literaliter intelligendum putant sedem antiquam constitutam in singulis Synagogis, ad hoc ut ex ea in Sabbathis lex Moysi populo recitaretur, & explanaretur, quæ ob id Moysis cathedra sit dicta. Ideoque sic intelligendum volunt, quod hic dicitur de cathedra Moysi, ut hinc ostendant Scribis & Pharisæis non obediendum fuisse nisi in his, quæ populo ex hujusmodi cathedra recitabant, quæ scilicet in scripturis continebantur. Atque hunc modum interpretandi refellit Jansenius, quod non sedendo, sed stando Scribæ & Pharisæi, populum docerent. Itaque, inquit, rectius dicendum, quod quemadmodum Psalmo 1. metaphoricè dicitur cathedra pestilentiæ pro officio docendi pessima: ita & hic metaphoricè dicitur Moysi, authoritas docendi & jubendi, quæ ad cultum Dei pertinent, quam authoritatem primus in populo Judaico obtinuit Moyses, & ideo ab eo nomen accepit, ut dicatur cathedra Moysi, sicut Romanæ Ecclesiæ authoritas dicitur cathedra Petri, &c. Ex quibus videas modum præfatum loquendi ex cathedrâ in summo Pontifice Rom. à Sapientiâ æternâ, Verbo scilicet incarnato usurpatum fuisse, cum quo nos haberi ridiculos non abnuimus, imo gloriamur ludibrio, cum Christo Domino haberi, nec lugendo sicut Jeremias Thren. sed magis exultando dicemus: *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Cum illi cœlestia & Evangelica verba, si proferantur, pro nihilo ducunt, & risu procaci contemnunt, atque etiam quasi delira verba commemorant.

Loqui ex Cathedrâ quid?

At vult ille, ut nos cum Petiliano quem lib. 1. contra ipsum 51. hoc nomine D. Augustinus cujus (utinam hic sensa sequeretur) afferamus, Pontificem sedere in cathedra pestilentiæ, ut prava & perniciosa, doceat in dogmatibus ad salutē necessariis (sic enim nos restringimus, ut sæcularia regnorum negotia nobis, hic non obtrudantur, ad invidiam nobis conciliandam) vult, inquam, ut admittamus Ecclesiam infallibilem esse, nec suscipere posse illum dogma erroneum, quod libenter fatemur, & nihilominus illi à Christo assignatum esse Doctorem, qui pessima illam doceat? Vult oves non posse pabulis reficī venenatis, cum teneantur sequi pastorem, qui inter pabula vitalia & mortalia non discernat. Certè quod sapienter adverterunt quidam Politici, assumptionem alicujus ad summum Pontificatum opus esse non merè humanum & naturale, quidquid circa illam ratiocinentur humana ingenia, sed divinum prorsus, & cœleste ac omnem humanam rationem superans: æquo jure dici posse existimo de regimine Ecclesiæ per summos Pontifices, maximè in tuendâ fide, quæ religionis primarium est fundamentum, ne quid detrimenti grex Christianus ex ejus corruptione capiat. Non inititur regimen illud virtuti, aut rationi merè humanæ, aliquid supernaturale agnoscendum est aliquid gratiæ divinæ tribuendum. Ac si quos Deus vocat, ad aliquod munus, etiam gratis ad illud obeundum necessariis cumulat, juxta dictum Apostoli 2. Cor. 3. *idoneos nos fecit ministros*: quanto magis cum quempiam ad primatum Ecclesiarum attollit, cujus officium est confirmare fratres suos, ac conscientias inter tot dubia corrobare, ne incerta sit religio ac omni vento doctrinarum fluctuans.

Labrent. Molet. lib. 3. disquis. 4.

Nec existimet quis me per viam ab aliis non tritam incedere: facile enim est liberare illum ab hac suspicione, si oculum mentis intendat in primum caput censuræ Parisiensis Theologicæ Facultatis, quæ lata est in Henoticum seu Pacificum Theophili Bracheti Millitierij, anno 1644. dicebat ille minimè necessarium esse consulere sanctam Sedem nec alibi authoritatem ejus requirere, quam ubi judicium ejus irrefragabile haberemus, *Secundum verum & solum statum in quo omnes ejus in fide definitiones sunt infallibiles, qui status est in Concilio universali.* At quid Facultas contra hanc, & similes propositiones? *Hæ propositiones*, inquit, *inquantum infallibilitatem Ecclesiæ universali in nullo alio statu, quam in solo Concilio Oecumenico congregatæ tribuunt, & ipsam aliquo tempore legitimi usus pœnitentiæ cognitione caruisse supponunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ & hæreticæ.* Siste gradum parumper & agnosce me pro communi causa fatigari.

Agnoscebat ergo illo tempore definitiones aliquas esse certas extra Concilium, quas cui alteri aptius tribuemus quam summo Pastori, non facile invenio; cum definitæ non sit Ecclesiæ dispersæ, quamvis longius hic progressa videri posset cuipiam, quam ego huc intendam, cum non tam de possibili quam de facto hic agere mens sit: aliud enim est non errare & non posse errare: de quo ultimo silere mihi propositum est, nec refutare nec asserere, saltem ex propriâ sententiâ. Præterquam enim res est periculosa, hoc tempore inutilem esse judico ad conciliandam debitam obedientiam ei cui debetur, juxta dictum sapientis Ecclesiæ S. *ne judices contra judicem, quoniam secundum quod justum est, judicat*, sive infallibilitatem in actu primo habeat, seu illâ careat, cum hæc ad hunc finem minimè sit necessaria: sic enim nec Principibus nec Magistratibus, nec patri aut matri deberetur obedientia, sub hoc prætextu, quod non sunt hoc modo infallibiles.

Intentum auctoris ex sola quæstione de actu secundo.

Quod utinam adverterent qui tam facile vituperant quæcumque à Sede Apostolicâ emanant fidei definitiones: quasi verò non aliter salus hominis periclitaretur quam dum refragatur auctoritati cuidam infallibili, & hæresis incurritur, etsi interim peccatur peccato inobedientiæ contra quartam legem decalogi, ut nihil dicam de peccato temeritatis, & sæpe sæpius etiam scandali quod inde enascitur. Quale solatium miseræ animæ in inferni igne detineri potius ob peccatum inobedientiæ quam hæresis? O quot adversarij hominum ad decipiendas animas etiam pennatorum & qui quasi supra cæteros in sublime attolluntur. Dubium mihi fuit aliquando magnum nec sine animi dolore, an qui superbientibus Angelis non pepercisset,

inſontes haberet tales Conciliorum generalium propugnatores, ut præter eorum decreta a nullo ſe ligari poſſe arbitrarentur ſub præfato reſpectu. Monuit aptè ultimus Conciliorum deflorator, quique eorum notitiam brevem ſed perutilem dedit ad canonem 13. octavæ Synodi. Notabilis, inquit, admodum eſt in eos qui Concilia etiam œcumenica cum ſummo Pontifice temerè committere atque in diſſidium vocare præſumunt. *Si quis*, inquit, *tantâ efferatus audaciâ quemadmodum Photius & Dioſcorus, ſive ſcripto ſive non ſcripto, inſanias quaſdam contra Cathedram Coriphæi Apoſtolorum Petri audeat jactare, eandem atque illi damnationis ſententiam ſubeat. Si quâ verò œcumenicâ Synodo collectâ de Romanâ Eccleſiâ controverſia extiterit, licebit cum decenti reverentia de propoſita quæſtione percontari, reſponſumque admittere, vel utilitatem accipere vel dare, non tamen audaciter contra ſenioris Romæ Pontifices ſententiam dicere.* Ita viſum eſt Spiritui ſancto ad continendos ſpiritus eorum, qui Photio ſchiſmaticorum duci tunc ſuffragabantur, quos in ſubſequentibus ſæculis varios motus excitaturos prævidebat, ad præfigendum limitem poteſtatis in ſummo Paſtore Eccleſiæ. Quæ res non minus ardua eſt quam cum ſubditus regiæ auctoritati in temporalibus terminum finemque determinat, cui ſæpe tutius eſſet ſilentij præmium in iis de quibus major eſt controverſia.

Canon octavæ Synodi.

Certum itaque ſit, etiam extra Concilia generalia, certam aliquam eſſe definitionem in rebus fidei & ad ſalutem communem omnium neceſſarijs, ſeu ſit illa certitudo fidei ſeu tantum moralis, cui teneantur fideles in conſcientiâ obtemperare.

At impeccabilis non eſt, quis dubitat? Nec impeccabilitas ad hoc requiritur, cum ad hoc ſufficiat, ut quæcumque ſit mens aut voluntas illius, ſpecialis providentiæ regimine, quo innumeros homines à pluribus peccatis quotidie impedit, & eundem ſuum Vicarium propter amorem ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, ab hoc unico peccato impediat, ne hæreſim cum effectu fidelibus ſuſcipiendam, cum imperio proponat. Quod ſunt interim, bone Deus, aliorum peccatorum genera, & ſi illum ab hoc uno ſpecialiter liberet. Nonne putas te miſericordia illius à pluribus peccatis ereptum? Nunquamne dixiſti cum D. Auguſtino, gratiæ tuæ, Domine, deputo quæcumque non feci mala? Quid enim facere non potui? Et cum Deus tam potenter te dilexerit & cuſtodierit, ferre non potes æquis auribus quod plures melioris notæ Theologi, quorum colluctatio aſſidua fuit non tantum contra carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes tenebrarum hatum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus, inter quæ hæreſes repono, ferre, inquam, non potes, quod ab unico peccato inter innumera quibus homo obnoxius eſt, ſuum in terris Locumtenentem miſericordia ſua præſervet, doceant aut ſcribant. Neque id tanquam dogma fidei ſtatuant, cui neceſſe ſit aliquos ſubſcribere, in quo expoſtulandi ratio non ita abſurda eſſet, ſed tantum tanquam doctrinam probabilem ac aliquot æquis rationibus ſubnixam. Utinam non ab hoc ſolo peccato liberet Deus, ſummos Pontifices, ſed à quibuſvis aliis, nec ſolum ipſum, ſed & omnes totius Eccleſiæ paſtores, imo, & nos omnes ſimul. Quamvis nec ab ullo peccato immunem eſſe ſummum Pontificem neceſſe ſit, cum in quacumque diſpoſitione fuerit, Deus pluribus modis ſibi notis poſſit impedire tanti mali executionem, ipſo in pari reatu manente, cum voluntas pro facto reputari ſoleat.

Sed plura hujus controverſiæ momenta infra à nobis exponuntur, ac præcipuè in controverſiis Concilij Florentini, unde recruduit hæc diſputatio: ſicut & quæ nobis objecta ſunt de Bibliis Sixti V. in ſexta claſſe elucidantur contra calumnias Calviniſtæ Angli, contra quem ſolum nos agere putabamus. Interim mirati non poſſum quonam conſilio, quæ eruditorum idiomate acerbius ſcripſerunt hæretici contra Chriſti Vicarium in terris, ad abſorbendam omnem ejus poteſtatem, omnia vulgato ſermone populis, & ipſis mulierculis exponantur? Quis ſcopus harum ſcriptionum? An Hierarchiam tuentur ea ſcripta, quæ magis anarchiam inducere apta ſunt, & hæreſim fovere quæ viget, ac eam denuo excitare, quæ ſopita eſt. Neque enim, ait D. Cyprianus aliunde hæreſes obortæ ſunt aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti non obtemperatur: *Nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* Quod etiam confirmat his verbis. Lib. 4. Epiſt. 9. unde enim ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur: *Niſi quod Epiſcopus, qui unus eſt & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus judicatur.* Sed avertat Deus hoc malum ab Eccleſia, ut liceat mihi fluctibus his ſedatis aut ad rupem confractis aliquando exclamare. O fallacem hæreticorum ſpem, fragilemque ſchiſmaticorum invidiam, & inanes contentiones mortalium contra immortalem Chriſti, qui jam non moritur, ſponſam Eccleſiam! novatorum profecto ſtudia medio in ſpatio, quaſi portæ inferi, vel franguntur vel corruunt: & ante in ipſo curſu obruuntur, quam ſibi quem adfingunt portum conſpicere poſſint, uno illis relicto communi, cum pœnitentibus illo portu mutatione conſilij. Quod jam ex aliqua parte deprehendimus, pluribus Calviniſtis ad Eccleſiam redeuntibus.

Lib. 1. Epiſt. 3. & l. 4. Epiſt. 9.

In Apologia Evang. franc. Rotomag. arch.

Nam ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccaſſe, pœne eſt innocens.

ATque ne hic deſit, quod in omnibus operibus altiſſimi inveniri monet ſapiens, ut unum contra unum, ac duo contra duo, reperiantur, *Eccl.* 33. iſtis regulis alias opponimus ex duobus Theologorum principibus excerptas. Præſtat certè nos iſtos ſermones cõjunctim colloquentes audire. Securius incedemus ac progredientur, ſub his ducibus inter multa Conciliorum difficilia. Nec ullum acerbius verbum contra quemquam nobis excidet dum aliena referemus, ſicque lectori meo magis inſerviam, ac neminem pungam, etſi provocatus.

Mens D. Auguſtini, de ſummo Pontifice & Eccleſia.

SEntit & docet D. Petrum fuiſſe caput Eccleſiæ. *In Pſalmum contra partem Donati.* Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in illo ordine patrum, quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt Petra, qua non vincunt ſuperborum inferorum portæ.

Lib. 1. retract. cap. 21 Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata ſit Eccleſia: qui ſenſus cantatur etiam in ore multorum in verſibus B. Ambroſij, ubi de Gallo ait: Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Sed ſcio ſæpiſſimè expoſuiſſe de Chriſto. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector.

Lib. de correp. & gratia cap. 8. Quando rogavit, ut non deficeret fides ejus, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem.

Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 51. Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua ſedet Anaſtaſius, &c. quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolicam? *Hæc quibus dictum putabimus.*

Lib. contra Epiſtolam fundamenti Manichæi cap. 4. Ut omittam ſapientiam quam in Eccleſia Catholica concreditis, multa ſunt alia, quæ in ejus gremio me teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium. Tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſa-

cerdotum. Tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta ſola Eccleſia obtinuit, ut enim omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum aut Baſilicam vel domum audeat oſtendere. Ita ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia, etiam ſi veritas nondum ſe apertiſſimè oſtendat.

Salus in ſola Eccleſia.

In concione ad Catechumenos. Apud Catholicam dilectiſſimi noveritis tantum eſſe veram fidem, germanam pacem, perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed ubique tota eſt. Et ſi quis ab ea diſceſſerit, ut ſervus fugitivus judicabitur, nec ad vitam æternam reſurget.

Epiſt. 162. *ad Glorium Eleuſium*, Et qui poſſet non curare conſpirantem contra ſe inimicorum multitudinem, cum ſe videret Romanæ Eccleſiæ, in qua Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, &c. eſſe conjunctum. *Hic me conſolatur D. Auguſtinus.*

Lib. 1. *contra Creſconium Grammaticum cap.* 32. Quamvis hujus rei de Scripturis ſacris non proferatur exemplum, earumdem tamen hic etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat authoritas, ut quoniam ſacra Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eam Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat.

Synodus non ſemper neceſſaria.

Lib. 4. *contra duas Epiſt. Pelagianorum cap.* 12. Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia, &c. hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis, Synodus congregetur: orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cum potius vigilantia paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque lupi iſti apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur, ſive ut ab aliorum ſalute vitentur, adjuvante paſtore paſtorum. *Vel hoc ſolo ex textu palinodiam recantare deberet, vel contiteſcere, ac iſtis D. Auguſtini regulis cedere.*

Lib. 1. *de Baptiſ. cap.* 5. Homines enim ſumus. Unde aliquid aliter ſapere quam res ſe habet, humana tentatio eſt: nimis autem amando ſententiam ſuam, vel invidendo melioribus uſque ad præcidendæ communionis, & condendi Schiſmatis, vel hæreſis ſacrilegium pervenire, diabolica præſumptio eſt, in nullo autem aliter ſapere, quam res ſe habet, Angelica perfectio eſt.

D. Thomas explicat auctoritatem Papæ.

His D. Auguſtini ſententijs, alias addimus Doctoris Angelici D. Thomæ, quem non minus doctrinæ, quam vitæ miracula ad ſanctos evexerunt. Atque id agimus magis narrando, quid ille ſenſerit, quam aſſerendo quidquam, ut ſi quid in ijs ſapienter ſcriptum judices non defraudetur ſuo honore; ſi quid vero ubi non arriſerit, tuaque ſenſa tanti Theologorum principis ſenſibus, & rationibus præferenda exiſtimes, ut qui acutius ipſo, veritatis reconditæ arcana penetres, mihi non tribuas, ſicut nec plura alia, quæ in hoc opere ex aliorum mente propono. Hanc autem D. Thomæ doctrinam, utile aliàs judicavit Cardinalis de Turrecremata in unum faſciculum ex variis ejus operibus colligere, id ab ipſo poſtulante Juliano Cardinale, eo tempore quo ſimiles quæſtiones agitabantur ob diuturnum ſchiſma Eccleſiæ, quales noſtro tempore videmus excitari ad aliud ſchiſma renovandum, niſi novantium conatus ſæpe irriti deciderent. Ut fruſtra ſibi vellent uſurpare dictum hoc Marci 14. *Percutiam paſtorem & diſpergentur oves*; ſed alios ventos aliaſque procellas experta Sedes Apoſtolica, & has ſuperabit. Quia tamen in ſimilibus prælijs juvanda eſt Eccleſia, unitæ S. Doctoris vires per prædictum Cardinalem de Turrecremata hic adſunt. Ut cum damnatæ quorumdam hominum redeunt opiniones, inſtrumenta illa repetantur, quibus dudum proſtratæ, jugulatæ, ac confoſſæ ſunt. Præmonemus tamen quaſdam citationes ex libro Theſauri D. Cyrilli in dubium revocari. Forſan Doctor Angelicus alio codice uſus eſt operum D. Cyrilli, aut æquipollentia refert. Qua de re extant aliquæ diſſertationes non ita pridem vulgatæ à duobus Theologis. Notat autem clariſſimus vir Joannes Aubertus in præfatione ſuæ editionis Græco-Latinæ operum D. Cyrilli in ſex tomis, non paucos ex Græcis codicibus in ſitu ac tenebris periiſſe, cum eſſet opportunitas Latinæ verſionis: ac Gregorium Trapezuntium male habuiſſe Cyrilli opera, multis in Epitomen redactis, & perperam ſæpe tranſlatis. Quod in Theſauro expertus eſt Bonaventura Vulcanius eruditus ejuſdem Cyrilli Interpres, ut minus mirum ſi citationes D. Thomæ non quadrent cum textu hodierno.

Solutio ſeptuaginta trium quæſtionum ſuper poteſtate, & auctoritate Papali, ex ſententijs S. Thomæ.

Primatus Pontificis Rom.

Quæſtio prima eſt, utrum ſupra Epiſcopos aliquis dandus ſit ſuperior in Eccleſia.

Ad hanc quæſtionem reſpondet S. Thomas affirmativè, quod ſic in multis locis. Primo in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. ult. ubi rationem aſſignans loquitur. Ubicumque multa ſunt ordinata in unum, oportet eſſe aliquod univerſale regimen ſuper particularia regitiva, quia in omnibus virtutibus & actibus, ut dicitur primo Eth. eſt ordo ſecundum ordinem finis. Bonum autem commune eſt divinius, quam bonum ſpeciale, ideo ſuper poteſtatem regitivam, quæ communicat bonum ſpeciale, oportet eſſe poteſtatem regitivam univerſalem reſpectu boni communis, aliàs non poteſt eſſe colligatio ad unum. Et ideo cum Eccleſia ſit unum corpus, oportet, ſi iſta unitas debeat ſervari, quod ſit aliqua poteſtas regitiva reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem, qua unaquæque Eccleſia ſpecialis regitur, & hoc eſt poteſtas Papæ. Et ad argumentum, quo ſic arguitur in oppoſitum, quod omnes Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores; ſed poteſtas quæ data eſt uni Apoſtolorum, ſcilicet Petro, Math. 16. etiam data eſt omnibus Apoſtolis: Ergo omnes Epiſcopi ſunt pares, & ita unus non eſt ſuper alterum.

Reſpondet S. Thomas in eodem loco ſic, quod quamvis omnibus Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi & ſolvendi, tamen in hac poteſtate, ut ordo aliquis ſervaretur, primo ſoli Petro data eſt ut oſtenderetur, quod ab eo debeat iſta poteſtas deſcendere, propter quod etiam ei dixit ſingulariter, *Confirma fratres tuos*, &, *paſce oves meas*, id eſt, loco mei. Et ut dicit Chryſoſtomus, Præpoſitus & caput eſto fratrum, ut ipſi te in loco meo aſſumentes, ubique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent & confirment.

Cæterum ſecundo ad eandem quæſtionem inducit idem Doctor ſanctus plures rationes in 4. contra Gentiles cap. 77. ubi ita ait: Manifeſtum eſt autem quod quamvis populi per diverſas dioceſes & civitates diſtinguantur, tamen ſicut eſt una Eccleſia, ita oportet eſſe unum populum Chriſtianum. Sicut ergo in uno ſpeciali populo Chriſti requiritur unus Epiſcopus, qui ſit totius populi caput; ita in toto populo Chriſtiano requiritur, quod ſit unum totius Eccleſiæ caput. Item ad unionem Eccleſiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa verò ea quæ fidei ſunt, con-

venit quæſtiones movere, per diverſitatem autem ſententiarum divideretur Eccleſia, niſi in unitate per unius ſententiam conſervaretur. Exigitur ergo ad unitatem Eccleſiæ ſervandam quod ſit unus, qui toti Eccleſiæ præſit: manifeſtum eſt autem quod Chriſtus Eccleſiæ non deficit in neceſſariis, quam dilexit & pro qua ſanguinem ſuum fudit, cum etiam de Synagoga dicatur per Dominum: *Quid ultra debui facere, & non feci vineæ meæ?* Eſa. 5. Non ergo dubitandum quin ex ordinatione Chriſti unus toti Eccleſiæ præſit. Adhuc nulli dubium quin Eccleſiæ regimen ſit optimè ordinatum: utpote per eum diſpoſitum, per quem reges regnant, & legum conditores definiunt juſta. Optimum autem regimen multitudinis eſt, quod regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, quæ eſt pax. Pax enim & unitas ſubditorum eſt finis regentis, unitatis autem cauſa congruentior eſt unus quam multi. Manifeſtum eſt igitur regimen Eccleſiæ ſic eſſe diſpoſitum, ut unus toti Eccleſiæ præſit. Amplius Eccleſia militans à triumphanti Eccleſia per ſimilitudinem derivatur; unde & Joan. Apocal. 21. *Vidi Jeſum deſcendentem de cœlo.* Et Moyſi dictum eſt, ut faceret omnia ſecundum exemplar, quod ei in monte monſtratum eſt. In triumphante autem Eccleſia unus præſidet, qui etiam præſidet in toto univerſo, ſcilicet Deus. Dicitur enim Apoc. 21. *Et ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*; igitur & in Eccleſia militante unus eſt, qui præſidet univerſis. Hinc eſt quod Joëk. 1. dicitur: *Congregabuntur filij Juda & filij Iſraël pariter, & ponent ſibi caput*, unde & Dominus dicit Joan. 10. *Et fiet unum ovile, & unus paſtor.*

Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.

Si quis autem dicat, quod unum caput & unus paſtor eſt Chriſtus, qui eſt unus & unius Eccleſiæ ſponſus, non ſufficienter reſpondet. Manifeſtum eſt enim quod omnia Eccleſiæ Sacramenta ipſe Chriſtus perficit, ipſe enim eſt qui baptizat, ipſe eſt qui peccata remittit, ipſe eſt verus ſacerdos, qui ſe obtulit in ara Crucis, & cujus virtute corpus ejus in altari quotidie conſecratur. Et tamen quia corporaliter, non cum omnibus fidelibus præſentialiter erat futurus, elegit miniſtros Eccleſiæ per quos Sacramenta fidelibus diſpenſaret, ut ſupra dictum eſt. Eadem igitur ratione, quia præſentialiter erat Eccleſiæ ſubtracturus, oportuit, quod alicui committeret, qui loco ſui univerſalis Eccleſiæ gereret curam; hinc eſt quod Petro dixit ante Aſcenſionem: *Paſce oves meas* Joan. ult. & ante paſſionem: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. & ei ſoli promiſit, *tibi dabo claves regni cœlorum*, ut oſtenderetur poteſtas Clavium per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem. Hæc ille.

Quæſtio 1. eſt, utrum Romanus Pontifex ſit primus & maximus omnium Epiſcoporum.

Ad hanc quæſtionem reſpondet S. Thomas affirmativè, in tractatu contra errores Græcorum in cap. 66. ubi titulus talis eſt, Quod Rom. Pontifex eſt primus & maximus inter omnes Epiſcopos. Pro una parte inducens auctoritates ſic ait: Quod enim Romanus Pontifex ſucceſſor Petri & Chriſti Vicarius, ſit primus & maximus omnium Epiſcoporum, Canon Concilij expreſsè oſtendit ſic dicens. Veneramur ſecundum ſcripturas, & Canonum definitiones Sanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe, & maximum omnium Epiſcoporum, hoc autem auctoritati conſonat ſacræ Scripturæ, quæ inter Apoſtolos Petro attribuit primum locum tam in Evangeliis, quam in Actibus Apoſtolorum; unde dicit Chryſoſt. ſuper Math. ſuper illud: *Acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes. Quis major eſt in regno cœlorum?* quiquidem humanum ſcandalum conceperunt, quod & jam in ſe occultare non poterant, & tumore cordis non ſuſtinebant in eo, quod viderant Petrum ſibi præferri & præhonorari.

Quæſtio 3. eſt, utrum Romanus Pontifex exiſtat cæteris Patriarchis prælatus.

Ad hanc quæſtionem reſpondet S. Thomas affirmativè, in tractatu ſupradicto capite 71. ubi ita dicit, patet etiam quod ipſe Patriarchis prælatus exiſtat ex hoc quod Cyrillus dicit, quod ipſius ſcilicet Apoſtolici throni Romanorum Pontificum ſolius eſt reprehendere, ſtatuere, corrigere, diſponere, ſolvere & loco ipſius ligare, qui ipſum ædificavit. Et Chryſoſtom. ſuper Actus Apoſtolorum dicit, quod Petrus eſt vertex ſanctiſſimus Beati Apoſtolici throni paſtor bonus. Et hoc etiam patet ex auctoritate Domini dicentis Luc. 22. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Quæſtio 4. eſt, utrum Papa in totam Eccleſiam Chriſti univerſalem prælationem habeat.

Ad hanc quæſtionem reſpondet S. Th. affirmativè, in præfato tractatu contra errores Græcorum in c. 67. ubi ita dicit, quod prædictus Chriſti Vicarius in totam Eccleſiam Chriſti univerſalem prælationem obtineat. Legitur enim in Chalced. Concilio, quod tota Synodus acclamaverit Leoni Papæ, Leo Sanctiſſimus & Oecumenicus, id eſt, univerſalis Patriarcha per multos annos vivat. Et Chryſoſt. ſuper Math. Filius qui patris eſt, & ipſius filij poteſtatem Petro univerſalem conceſſit ubique terrarum, & homini mortali omnium, quæ in cœlo ſunt, dedit auctoritatem dando ei Claves, ad hoc ut etiam Eccleſiam ubique amplificet. Et ſuper Joan. in hom. 85. Jacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis Magiſtrum & Doctorem ordinat, id eſt, ſuper actus Apoſtolorum. Petrus à filio ſuper omnes, qui filij ſunt poteſtatem accepit, non ut Moyſes in gente una, ſed in univerſo orbe. Hoc etiam trahitur ex authoritate Scripturæ ſacræ. Nam Petro indiſtinctè oves ſuas Chriſtus commiſit dicens, Joan. ult. *Paſce oves meas*, & Joan. 10. *fiet unum ovile & unus paſtor.*

Quæſtio 5. eſt, utrum ſit error dicere Romanæ Eccleſiæ Pontificem non habere univerſalis Eccleſiæ primatum. *Univerſalis ecclæſiæ.*

Reſpondet S. Thomas, affirmativè in antedicto tract. contra errores Græcorum, in cap. 66. ubi ſic dicit: Similis autem error eſt dicentium Chriſti Vicarium Romanæ Eccleſiæ Pontificem, non habere univerſalis Eccleſiæ primatum, errori ducentium Spiritum Sanctum à Filio non procedere. Ipſe enim Chriſtus Dei Filius ſuam Eccleſiam conſecrat, & ſibi Spiritu Sancto, quaſi ex ſuo caractere, & ſigillo, ut ex ſupra poſitis auctoritatibus manifeſtè habetur. Et ſimiliter Chriſti Vicarius ſuo primatu, & providentia univerſalem Eccleſiam, tanquam fidelis Miniſter Chriſto ſubjectam ſervat.

Et ad illud quod dicitur, diſtinct. 49. cap. *nullus*, Nullus Patriarcharum univerſitatis vocabulo unquam utatur. Et in capite ſequenti, ubi Gregorius prohibet ſe univerſalem vocari, reſpondet S. Thomas, in tract. contra impugnantes religionem, ſic dicens, Quod autem Papa univerſalem Pontificem ſe prohibet nominari, non hoc ideo eſt, quod ipſe non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in qualibet Eccleſia, ſed quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ, ut proprius & ſpecialis illius Eccleſiæ rector. Sic enim ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates. Et hoc caput inductum, pro ratione inducit.

Quæſtio 6. eſt utrum Papa ſit ſuperior in tota Eccleſia.

Reſpondet S. Thomas affirmativè. Patet primo ex jam dictis. Sed ſecundo hoc idem aſſerere videtur in quarto diſtinct. 15. ubi quæritur an omnes teneantur ad jejunium, arguendo in tertio argumento, dicit ſecundum Bern. in lib. *de diſpenſ. & præcepto.* In præcepto ſuperioris non poteſt diſpenſare inferior, ſed quælibet ſingularium perſonarum eſt inferior, quam Eccleſia, quæ jejunium ſub præcepto ſtatuit; niſi forte ille, qui eſt caput totius Eccleſiæ, vel loco capitis, ſcilicet Papa. Ergo ſequitur quod nullus poteſt diſpenſare.

Quæſt. 7. eſt utrum Papa ſit caput univerſalis Eccleſiæ.

Reſpondet

Reſpondet affirmativè S. Thomas, in multis locis, ſed potiſſimum in 3. part. quæſt. 8. art. 6. ubi quærens utrum ſit proprium Chriſto, eſſe caput Eccleſiæ, ita dicit, quod caput in alia membra dupliciter influit, uno modo quodam intrinſeco fluxu, prout virtus motiva & ſenſitiva, à capite derivatur ad cætera membra. Alio modo ſecundum exteriorem quamdam gubernationem, prout ſcilicet ſecundum viſum, & alios ſenſus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ, non eſt ab aliquo, niſi à ſolo Chriſto, cujus humanitas ex hoc, quod eſt divinitati conjuncta, habet juſtificandi virtutem. Sed influxus in membra Eccleſiæ, quantum ad exteriorem gubernationem, poteſt alij convenire, & ſecundum hoc alij poſſunt dici capita Eccleſiæ, ſecundum illud Amos 6. *Optimates capita populorum.* Differenter tamen à Chriſto: primo quidem quantum ad hoc quod Chriſtus eſt caput omnium eorum quæ ad Eccleſiam pertinent ſecundum omnem locum, & tempus, & ſtatum. Alij autem homines dicuntur capita ſecundum quædam ſpecialia loca: ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum, vel etiam ſecundum determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ſcilicet tempore ſui Pontificatus; & ſecundum determinatum ſtatum, prout ſcilicet ſunt in ſtatu viatorum. *Caput duplister ratione.* Alio modo, ſecundum quod Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, propria virtute. Alij vero dicuntur capita inquantum vicem gerunt Chriſti, ut 2. Corinth. 2. *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti*, & 2. Corinth. 5. *pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.*

Et ſi dicatur, ex hoc Chriſtus dicitur eſſe caput Eccleſiæ, quod gratiam influit Eccleſiæ membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam aliis præbere, ſecundum illud Epheſ. 4. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, ut gratiam det audientibus.* Ergo videtur quod etiam alij quam Chriſto competat eſſe caput Eccleſiæ.

Reſpondet idem D. Thomas: Ad ſecundum dicendum, quod homo non dat gratiam interius influendo, ſed exterius perſuadendo ad ea quæ ſunt gratiæ.

Quæſtio 8. eſt, utrum Papa ſit tantum caput fidelium.

Reſpondet S. Thomas affirmativè. In reſponſione data ante proximam quæſtionem dicens, quod Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ſcilicet tempore ſui Pontificatus, ſecundum determinatum ſtatum, ut ſcilicet ſunt in ſtatu viatoris.

Papa ſponſus Eccleſiæ. *Quæſtio* 9. eſt, utrum Papa ſit ſponſus univerſalis Eccleſiæ.

Reſpondet S. Thomas affirmativè, in tract. contra impugnantes religionem ita dicens, quod ſponſus Eccleſiæ propriè loquendo Chriſtus eſt, de quo dicitur, *qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Joan. 3. ipſe enim de Eccleſia ſuo nomine filios generat. Alij autem dicuntur ſponſi, ſicut miniſtri ſponſi, exterius cooperantes ad generationem ſpiritualium filiorum, quos quidem non ſibi, ſed Chriſto generant. Quiquidem miniſtri in tantum ſponſi dicuntur, inquantum vicem veri ſponſi obtinent; & ideo Papa qui obtinet vicem ſponſi in tota Eccleſia univerſalis Eccleſiæ ſponſus dicitur. Eſt autem huic adjiciendum ad dicti illius Bernardi intelligentiam ad Eugenium dicentis, quod Papa non ſit ſponſus Eccleſiæ, ſed paranimphus & amicus ſponſi, quod S. Thomas in 4. diſt. 38. dicit ſic, Quod Epiſcopus, cui Eccleſiæ cura committitur, virgines deſponſat non ſibi, ſed Chriſto, quia eſt ſponſi paranimphus & amicus.

Quæſtio 10. eſt, utrum Chriſtus, & Papa dicendi, ſicut duo ſponſi univerſalis Eccleſiæ.

Reſpondet S. Thomas negativè, in tract. immediate allegato ſic dicens: Epiſcopus autem ſuæ Diœceſis ſponſus eſt, & Preſbyter ſuæ Eccleſiæ; unde & Diœceſis ſponſus Papa eſt, & Epiſcopus parochiæ, nec propter hoc ſequitur, quod ſint plures ſponſi unius Eccleſiæ, quia ſacerdos ſuo miniſterio cooperatur Epiſcopo tanquam principali, & ſimiliter Epiſcopi Papæ & Papa ipſi Chriſto. Unde Chriſtus & Papa, Epiſcopus & ſacerdos non computantur, niſi unus ſponſus Eccleſiæ.

Quæſtio 11. eſt, utrum præter Papam, qui eſt caput & ſponſus, & paſtor univerſalis Eccleſiæ ſint neceſſarij alij prælati in Eccleſia.

Reſp. S. Thom. affirmativè, in 4. diſt. 19. ubi quærens q. 1. art. 2. an ſacerdos quilibet uti poſſit clave in quemlibet, ita præfatam quæſtionem probat dicens, ea quæ ſingularia oportet operari non eodem modo omnibus competunt, unde ſicut præter generalia medicinæ præcepta oportet adhibere medicos, quibus præcepta univerſalis medicinæ ſingulis infirmis, ſecundum quod debeat, aptentur: ita in quolibet principatu præter illum, qui univerſaliter præcepta legis tradit, debent eſſe aliqui, qui ea ſingulis ſecundum quod debent, aptent. Et propter hoc etiam in cœleſti hierarchia ſub poteſtatibus, qui indiſtinctè præſunt, ponuntur principatus, qui ſingulis provinciis adſcribuntur, & ſub his Angeli, qui ſingulis hominibus in cuſtodiam deputantur. Unde & ita eſſe debet in prælatione Eccleſiæ militantis, ut apud aliquem eſſet prælatio indiſtinctè in omnes, & ſub hoc eſſent aliqui qui ſuper diverſos diſtinctam poteſtatem acciperent. *Neceſſitas Epiſc. & curatorū.*

Quæſtio 12. eſt, utrum reges & principes Chriſtiani, & per conſequens omnes fideles teneantur eſſe ſubditi Rom. Pontifici.

Reſpondet S. Thomas affirmativè, l. 1. in tract. ſuo de rege ad regem Cypri, ubi in c. 14. loquens de regno Eccleſiæ, & regali ſacerdotio ita ait: hujus regni miniſterium, ut à terrenis ſpiritualia eſſent diſcreta non terrenis regibus, ſed ſacerdotibus eſt commiſſum, & præcipuè ſummo ſacerdoti Chriſti Vicario Rom. Pontifici, cui omnes Chriſtianos reges oportet eſſe ſubjectos, ſicut ipſi Domino Jeſu Chriſto. Sicut (dictum eſt) ei ad quem ultimi finis pertinet directio ſubjici debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & etiam imperio dirigi, & quia ſacerdotium gentium, & totus divinorum cultus erat propter temporalia conquirenda, quæ omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune cujus regi cura convenit, convenienter ſacerdotes gentilium regibus ſubdebantur. Sed etiam in veteri lege promittebantur bona temporalia ſive terrena non à dæmonibus, ſed à bono Deo religioſo populo exhibenda. Unde & in veteri lege ſacerdotes leguntur regibus fuiſſe ſubjecti; ſed in nova lege eſt ſacerdotium altius per quod homines traducuntur ad bona cœleſtia. Unde in lege Chriſti reges debent eſſe ſacerdotibus ſubjecti. Unde mirabiliter ex divina ſapientia factum eſt, ut in Ro. urbe, quam Deus præviderat Chriſtiani ſacerdotij principalem ſedem futuram, hic mos paulatim inoleſceret, ut civitatis rectores ſacerdotibus ſubjicerentur. Sic enim Valerius Maximus refert, omnia poſt religionem ponenda ſemper veſtra civitas duxit, etiam in quibus ſummæ majeſtatis decus conſpici voluit. Quapropter non dubitaverunt ſacris imperia ſervire. Ita ſe humanarum rerum habitura regimen exiſtimantia, ſi providentiæ divinæ benè conſtanterque fuiſſent famulata. Quia etiam futurum erat, ut in Galliâ Chriſtiani ſacerdotij plurimum vigeret religio, divinitus eſt proviſum ut etiam apud Gallos gentiles ſacerdotes, quos Druidas nominabant, totius Galliæ jus definirent, ut refert Julius Cæſar, in lib. Comment. quem de bello Gallico ſcripſit. *Reges ſpiritualibus Papæ ſubdati.* *Gallia.*

Quæſtio 13. eſt, an ſit de neceſſitate ſalutis ſubeſſe Romano Pontifici.

Reſpondet S. Thomas affirmativè, in l. de erroribus Græcorum cap. 72. ubi ſic ait. Oſtenditur etiam quod ſubeſſe Rom. Pontifici ſit de neceſſitate ſalutis, dixit enim Cyrillus in lib. *theſaurorum*. Itaque fratres mei ſic Chriſtum imitemur, ut ipſius oves vocem audiamus manentes in Eccleſia Petri, non inflemur vento ſuperbiæ, ne fortè tortuoſus ſerpens propter noſtram contentionem nos ejiciat, ut Evam de paradiſo. Et Maximus in Epiſt. Orientalibus directa dicit, coadunatam, & fundatam ſupra Petram confeſſionis Petri dicimus univerſalem Eccleſiam, ſecundum definitionem Salvatoris, in quâ de neceſſitate ſalutis animarum noſtrarum eſt manere, & ei obedire ſuam ſervantes fidem & confeſſionem.

Obedire Papæ oportet.

Quæſtio 14. eſt, utrum ſit hæreticum dicere non eſſe obediendum ſtatutis Papalibus.

Reſpondet S. Thomas affirmativè, in lib. contra impugnantes religionem ſic dicens. Dicitur in decretis. diſt. 22. cap. *omnes*. Qui Romanæ Eccleſiæ, privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, proculdubio in hæreſim labitur. Et infra. Fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ eſt fidei mater; hoc autem privilegium dedit Chriſtus Rom. Eccleſiæ, ut omnes ei ſicut Chriſto obediant, unde dicit Cyrillus Alexand. Epiſcopus in l. 2. *theſaurorum*, ut membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere quid credere, quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes pro omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſolvere & in loco illius ligare, qui ipſum ædificaverit & nulli alij: quod ſuum eſt plenum. Sed ipſi ſoli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino Jeſu obediunt. Unde patet quod quicumque dicit non eſſe, obediendum in his quæ per Papam ſtatuuntur, in hæreſim labitur. Item ad idem è ſumma contra gentil. l. 4. c. 78. ubi poſt aſſignatas rationes pro prima concluſione ſuperius adducta, concludens ita dicit: per hoc excluditur quorundam error præſumptuoſus, quo ſe ſubducere nitantur ab obedientia & ſubjectione Petri, ſucceſſorem ejus Rom. Pontificem univerſalis Eccleſiæ paſtorem, non recognoſcentes.

Quæſtio 15. eſt, utrum non obedientes Roman. Pontifici ſint Schiſmatici.

Reſpondet S. Thom. affirmativè, in 4. ſent. diſt. 13. ubi ſupra ponit rationes probantes, quod neceſſarium ſit dare unam poteſtatem regitivam reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem; cujuſmodi eſt poteſtas Papæ dicens ſic. Et ideo illi qui hanc poteſtatem negant Schiſmatici dicuntur, quaſi diviſores Eccleſiaſticæ unitatis. Cæterum hoc idem in 2. 2. quæſt. 39. art. 1. repetit ita dicens, Sicut dicit Iſid. in l. *Etimol.* Nomen Schiſmatis à ſciſſura animarum vocatum eſt; ſciſſio autem unitati opponitur, unde peccatum Schiſmatis dicitur, quod directe, & per ſe opponitur unitati. Sicut enim in rebus naturalibus, id quod eſt per accidens non conſtituit ſpeciem, ita etiam in rebus moralibus, in quibus, id quod eſt intentum per ſe, eſt; quod autem ſequitur præter intentionem eſt quaſi per accidens; & ideo peccatum Schiſmatis propriè eſt ſpeciale peccatum ex eo quod intendit ſe ab unitate ſeparare, quam charitas facit, quæ non ſolum alteram perſonam alteri unit ſpeciali dilectionis vinculo, ſed etiam totam Eccleſiam in unitate Spiritus, & ideo propriè Schiſmatici dicuntur illi, qui propria ſponte & intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant quæ eſt unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad totius corporis unitatem Eccleſiæ, ſicut compoſitio ſingulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Eccleſiæ autem unitas in duobus attenditur, ſcilicet in connexione membrorum Eccleſiæ ad invicem ſeu communicatione. Et iterum in ordinatione omnium membrorum Eccleſiæ ad unum caput, ſecundum illud Coloſſ. 2. Inflatus ſenſu carnis ſuæ & non tenens caput; *Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones membrorum ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei*. Hoc autem caput eſt ipſe Chriſtus cujus vicem in Eccleſia gerit Summus Pontifex, & ideo ſchiſmatici dicuntur qui renuunt ſe ſubjicere Rom. Pontifici & qui membris Eccleſiæ ejus ſubjectis communicare recuſant.

Quæſtio 16. eſt, utrum magis ſit obediendum Papæ quam alteri poteſtati cuicumque inferiori.

Reſpondet S. Thomas affirmativè in 2. ſent. diſt. ult. in expoſitione litteræ, ubi quærens utrum magis ſit obediendum majori poteſtati quam minori ſic dicit, quod poteſtas ſuperior & inferior dupliciter ſe poſſunt habere, aut ita quod inferior poteſtas ex toto oriatur ex ſuperiori & tunc virtus tota inferioris fundatur ſuper virtutem ſuperioris, & ideo ſimpliciter in omnibus eſt magis obediendum poteſtati ſuperiori quam inferiori. Sicut etiam in naturalibus cauſa prima plus influit ſuper cauſatum cauſæ ſecundæ quam etiam ipſa cauſa ſecunda, ut in lib. de *Cauſis* dicitur, & ſic ſe habet poteſtas Imperatoris ad poteſtatem Proconſulis, ſic etiam ſe habet poteſtas Papæ ad omnem poteſtatem in Eccleſia: quia ab ipſo Papa gradus dignitatum diverſi in Eccleſia diſponuntur & ordinantur, unde ejus poteſtas eſt quoddam Eccleſiæ fundamentum ut patet Matth. 16. & ita magis tenemur obedire Papæ quam Epiſcopis vel Archiepiſcopis, vel etiam quam Monachus Abbati abſque ulla diſtinctione. Poſſunt iterum poteſtas ſuperior & inferior ita ſe habere quod ambæ oriantur ex una quadam ſuprema poteſtate quæ unam alteri ſubjecit, ſcilicet quam vult: & tunc una non eſt ſuperior altera, niſi in illis in quibus una ſupponitur alteri à ſuprema poteſtate & in illis tantum eſt magis obediendum ſuperiori & inferiori. Et hoc modo ſe habent poteſtates Epiſcopi & Archiep. deſcendentes à poteſtate Papæ.

Aliud eſt poteſtas ordinis, aliud Iuriſdictionis.

Quæſtio 17. eſt, utrum Papa poſſit præcepto ſuo cogere aliquem ad ſuſcipiendum Epiſcopatum.

Reſpondet S. Thom. affirmativè in 4. ſent. in fine diſt. 18. ubi ſic ait. Quidam dicunt quod Papa non poteſt præcipere alicui quod accipiat Epiſcopatum, quia conſenſus debet eſſe liber. Sed hoc poſito periret Eccleſiaſticus ordo. Niſi enim quidam poſſent cogi ad ſuſcipiendum regimen Eccleſiæ, conſervari non poſſet, cum quandoque illi qui ſunt idonei onus hoc nolunt ſuſcipere niſi coacti. Hæc ille.

Quæſtio 18. eſt, utrum qui facit contra conſtitutionem Papæ per ignorantiam peccet.

Ignorantia

Reſpondet S. Thomas in quodlibeto 1. quæſt. 19. quod quandoque ſic, ſcilicet quando ignorantia eſt peccatum. Pro quo notat quod ignorantia quæ eſt actus cauſa, cauſat involuntarium, unde ſemper excuſat niſi ignorantia ſit peccatum. Eſt autem ignorantia peccatum quando quis ignorat quod poteſt ſcire & tenetur. Conſtitutionem autem Papæ omnes ſuo modo ſcire tenentur. Si ergo aliquis non ſciat per negligentiam, non excuſatur à culpa ſi contra conſtitutionem agat. Si vero aliquis habeat ſufficiens impedimentum propter quod ſcire non poterit, putà ſi fuerit in carceribus ſive in terris extraneis ad quos conſtitutio non pervenit vel aliquid ſimile, talis ignorantia excuſat ut non peccet contra conſtitutionem Papæ agens. Hæc ille.

Quæſtio 19. eſt, utrum Rom. Pontifex ſuccedat B. Petro in ea perfectione poteſtatis & dignitate Vicariatus Chriſti, qua ipſe B. Petrus a Chriſto in Eccleſia fuit ſublimatus.

Ad hanc quæſtionem S. Thomas reſpondet affirmativè. Primo in lib. 4. contra Gentil. cap. 16. Ubi poſt

ſermonem de inſtitutione qua B. Petrus à Chriſto caput & Paſtor univerſalis Eccleſiæ conſtitutus eſt, ita loquitur. Non poteſt autem dici quod ſi Chriſtus Petro hanc poteſtatem dederit, quod ad alios non derivetur. Manifeſtum eſt enim quod Chriſtus ſic Eccleſiam inſtituit ut eſſet uſque ad finem ſæculi duratura, ſecundum illud Iſaiæ 9. *Super ſolium David & ſuper regnum ejus ſedebit ut confirmet illud & corroboret in judicio, & juſtitia amodo & uſque in ſempiternum.* Manifeſtum eſt igitur quod ita illos qui erant tunc in miniſterio, conſtituit ut eorum poteſtas derivaretur ad poſteros pro utilitate Eccleſiæ uſque ad ſæculi finem, præſertim cum ipſe dicat, Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Per hoc autem excluditur quorundam error præſumptuoſus qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubjectione Petri ſucceſſoris ejus, Rom. Pontificem univerſalis Eccleſiæ Paſtorem non recognoſcentes. Hæc ille. Cæterum hanc quæſtionem determinat ipſe S. Thomas in tract. contra errores Græc. ubi in cap. 69. ita loquitur. Oſtenditur etiam quod Petrus ſit Chriſti Vicarius & Rom. Pontifex Petri ſucceſſor in eadem poteſtate, ut à Chriſto collata dicitur, cum dicat Canon Chalced. Concilij. Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ quem habemus Petrum Petram refugij, ut ipſi ſoli libera poteſtate Dei loco ſit jus diſcernendi Epiſcopi infamiam ſecundum claves à Domino ſibi datas. Et infra. Et ideo omnia definita ab eo teneantur tanquam à Vicario Apoſtolici Throni. Item Cyrill. Hieroſolymit. Patriarcha dicit ex perſona Chriſti loquens. Tu cum ſine & etiam ſine fine cum omnibus quos loco tui ponam plenè & perfectè ſacra auctoritate cum eis ero ſicut ſum & tecum. Et Cyrill. Alexand. in lib. *Theſaur.* dixit quod Apoſtoli in Evangeliis & Epiſtolis affirmaverunt in omni doctrina Petrum eſſe loco Domini & ejus Eccleſiam eidem dantes locum in omni Concilio & Synagoga in communi electione & confirmatione. Et infra. Cui ſcilicet Petro omnes jure divino caput inclinant & Primates mundi tanquam ipſi Domino Jeſu omnes obediunt. Et Chryſoſt. dicit ex perſona filij loquens, *paſce oves meas*, ideſt, loco mei præpoſitus eſto fratrũ.

Quæſtio 20. eſt, utrum Papa in Eccleſia habeat plenitudinem poteſtatis.

Ad hanc quæſtionem S. Thom. reſpondet affirmativè in tract. contra errores Græc. in cap. 58. ubi dicit ſic. Habetur etiam ex prædictorum auctoritatibus quod Rom. Pontifex habeat in Eccleſia plenitudinem poteſtatis. Dicit enim Cyrill. Patriarcha Alexand. in lib. *Theſaur.* Sicut Chriſtus accepit à Patre duplex ſceptrum Eccleſiæ gentium & Iſraël egrediens ſuper omnem principatum & poteſtatem & ſuper omne quodcunque eſt, ut ei genua cuncta curventur pleniſſimam poteſtatem: ſic & Petro & ejus ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit. Et infra. Nulli alij quam Petro Chriſtus quod ſuum eſt plenum & ipſi ſoli dedit. Et infra. Pedes Chriſti humanitas eſt ipſe homo, cui tota Trinitas dedit pleniſſimam poteſtatem & ſuper omne quodcunque eſt ut ei genua cuncta curventur; & adorent eum omnes Angeli Dei. Dimiſit per Sacramentum & poteſtatem Petro & ejus Eccleſiæ. Et Chryſoſt. ad Conſulta Bulgarorum ex perſona Chriſti loquens: Ter te & interrogo ſi me diligis, qui ter me trepidus & timidus negaſti. Nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam & auctoritatem clavium amiſiſſe, quia amas me coram ipſis jam tibi confirmo quod meum eſt plenum. Hoc etiam trahitur ex auctoritate ſacræ Scripturæ. Nam Dominus, Mat. 16. univerſaliter Petro dixit; *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis, &c.*

plenitudo poteſtatis.

Quæſtio 21. eſt, utrum errent contra unitatem Eccleſiæ qui Rom. Pontificem negant plenam habere in Eccleſia poteſtatem.

Reſpondet S. Thom. affirmativè in tract. prænomi-

nato contra errores Græcorum, in c. 73. ita dicens: Sicut autem prædicti errantes contra unitatem corporis myſtici peccant Rom. Pontificis poteſtatem plenariam abnegantes: ſic contra paritatem corporis Chriſti ſacri delinquunt dicentes ex animo panem non poſſe corpus Chriſti conſecrari.

Quæſtio 22. eſt, utrum Papa habeat plenitudinem Pontificalis poteſtatis ſicut Rex in regno.

Reſpondet S. Thom. affirmativè in 4. ſent. diſt. 19. Ubi quærens an Epiſcopus poſſit dare indulgentias, dicit ſic: Papa habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis quaſi Rex in regno: ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis quaſi judices ſingulis civitatibus præpoſiti: propter quod etiam ſolos eos in litteris ſuis fratres vocat: reliquos autem omnes vocat filios. Notandum etiam breviter quod idem Doctor in eodem diſt. 7. quæſt. 1. art. 1. dicit quod in regno tota poteſtatis plenitudo penes Regem reſidet, in Ariſtocratia autem apud unum non reſidet plenitudo poteſtatis, ſed apud omnes.

Quæſtio 23. eſt, utrum à Papa derivetur poteſtas in aliis prælatis.

Ad hanc quæſtionem reſpondet S. Thom. affirmativè in locis ſuperius annotatis. Primo in 4. contra Gentil. cap. 76. ubi ita dicit, Petro ſcilicet præmiſit ſoli dicens: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, ut oſtenderetur poteſtas clavium per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem. Item hoc idem dicit in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. ult. ſub his verbis: Quamvis Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi atque ſolvendi: tamen in hac poteſtate ut ordo aliquis ſervaretur, primo ſoli Petro data eſt, ut oſtendatur quod ab eo debeat iſta poteſtas deſcendere. Cæterum ſecundo hanc quæſtionem plenius declarat in fine ultimæ diſtinctionis ſecundi ſententiarum, uti allegatum eſt in reſponſione 16. quæſtionis ſic ait: Poteſtas ſuperior & inferior dupliciter ſe poſſunt habere, aut ita quod inferior poteſtas ex toto oriatur à ſuperiori, & tunc virtus tota inferioris fundatur ſuper virtutem ſuperioris, & ideo ſimpliciter in omnibus eſt magis obediendum poteſtati ſuperiori quam inferiori, ſicut etiam in naturalibus cauſa prima plus influit ſuper cauſatum cauſæ ſecundæ quam etiam ipſa cauſa ſecunda, ut in lib. de Cauſis dicitur, & ſic ſe habet poteſtas Dei ad omnem poteſtatem creatam. Sic etiam ſe habet poteſtas Imperatoris ad poteſtatem Proconſulis: ſic etiam ſe habet poteſtas Papæ ad omnem poteſtatem in Eccleſia: quia ab ipſo Papa gradus dignitatum diverſi in Eccleſia diſponuntur & ordinantur, unde ejus poteſtas eſt quoddam Eccleſiæ fundamentum, ut patet Matth. 16. &c.

Poteſtatis derivatio ad alios.

Quæſtio 24. eſt, utrum Papa poſſit uti poteſtate clavis in quemlibet de Eccleſia.

Reſpondet S. Thom. in 4. diſt. 39 art. 3. ita dicens, Quod uſus clavium requirit aliquam prælationis poteſtatem, per quam illa ad quem uſus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus; & ideo ille qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, poteſt uti clavibus in quemlibet. Illi autem qui ſub illo diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quemlibet uti poſſunt clavibus, ſed in eos qui eis in poteſtatem veniunt, niſi in neceſſitatis articulo, ubi nemini Sacramenta ſunt deneganda. Cæterum ſecundo S. Thom. idem declarat in tract. contra impugnantes religionem dicens: Epiſcopi in Eccleſia tenent locum Domini noſtri Jeſu Chriſti, unde dicit Dionyſ. 5. cap. Eccleſ Hierarch. Pontificum ordo primus quidem eſt divinarum ordinationum ſublimiſſimus & noviſſimus idem, etenim in ipſum perficitur & impletur omnis noſtræ Hierarchiæ diſpoſitio; ut enim omnem Hierarchiam videmus in Chriſtum conſummatam, ſic unaquæque in proprium divinum ſuum Sacerdotem, ideſt Epiſcopum. Unde etiam primæ Petri 2. dicitur. *Converſi eſtis ad Paſtorem animarum veſtrarum & Epiſcopum.* Hoc autem præcipuè verum eſt de Romano

Pontifice, cui ut Cyrillus dicit, omnes jure divino caput inclinant & tanquam ipsi Domino Jesu obediunt, ut etiam Chrysost. dicit super illud Joan. ult. *Pasce oves meas.*

Potestas absolvendi ipsum Papam.

Quæstio 25. est, utrum Papa possit concedere potestatem alicui, qua quis utatur potestate clavium in eum, in foro conscientiæ.

Respondet S. Thom. affirmativè in 4. dist. superiùs assignata quæst. 9. ita dicens. Potestas clavium quantum est de se extendit se ad omnes, sed quod in aliquem Sacerdos non possit uti potestate clavium, contingit hoc quod ejus potestas ad aliquid specialiter est limitata. Unde ille qui limitavit potest extendere in quem voluerit, & propter hoc etiam potest sibi dare potestatem in seipsum: quamvis in seipsum uti potestate clavium ipse non possit: quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subjectum & ita alium; sibi ipsi enim aliquis esse subjectus non potest. Hæc ille.

Quæstio 26. est, utrum Papa possit concedere potestatem alicui, ut utatur in eum potestate clavium in foro exteriori, videlicet quod aliquis excommunicet eum.

Respondet S. Thom. negativè in eodem loco ita dicens in solutione unius argumenti. Judicium exterius est secundum homines, sed judicium confessionis est quoad Deum, apud quem aliquis redditur minor ex eo quod peccat: non autem apud hominem prælationes, & ideo in exteriori judicio sicut nullus in seipsum sententiam excommunicationis dare potest, ita nec alteri committere nec se excommunicare, sed in foro conscientiæ potest alteri committere suam absolutionem quâ ipse uti non posset: vel dicendum quod absolutio in foro confessionis est principaliter potestatis clavium, & ex consequenti respicit jurisdictionem. Quantum autem ad potestatem ordinis omnes sunt æquales, non autem quantum ad jurisdictionem, & ideo non est simile.

Quæstio 27. est, utrum Papa sit proprius Sacerdos dicendus aliquomodo cujusliber Parochiæ.

Respondet S. Thom. affirmativè in tract. contra impugnantes religionem ita dicens; Ad id quod objicitur, quod quilibet tenetur semel in anno confiteri proprio Sacerdoti, dicendum quod proprius Sacerdos non solum est Sacerdos Parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura ejus quam ad Sacerdotem, ut multipliciter ostensum est:

Proprius Sacerdos.

proprium enim hic non accipitur secundum quod dividitur contra commune, sed solum secundum quod dividitur contra alienum, unde qui confessus est Episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio Sacerdoti. Hæc ille.

Quæstio 28. est, utrum Papa sit immediatus prælatus cujusliber fidelis.

Respondet S. Thom. affirmativè in 4. dist. 17. quæst. 47. dicens, inconveniens esset quod duo æqualiter super eandem plebem constituantur. Sed quod duo, quorum unus est principalior alio, super eandem plebem constituantur, non est inconveniens, & secundum hoc super eandem plebem immediatè sunt, & Sacerdos Parochialis & Episcopus & Papa, & quilibet horum potest committere ea quæ sunt Jurisdictionis ad ipsum pertinentia alteri. Hæc ille. Item in eodem tract. ait, Papa habet immediatam Jurisdictionem in omnes Christianos, quia Rom. Ecclesia nullis Synodicis constitutionibus cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris sui Primatum obtinuit, ut habetur in decret. dist. 21. cap. quamvis. Hæc ille.

Delegatus à Papa.

Quæstio 29. est, utrum Papa possit committere aliquibus prædicare & fidelium confessiones audire, & audiendo uti potestate clavium, irrequisitis propriis Sacerdotibus Parochialibus.

Resp S. Thom. affirmativè in 4. dist. 17. art. 3. cujus inter alias una est ratio hæc. Quidquid potest inferior, potest & superior, sed ipse Sacerdos Parochialis potest dare licentiam suo Parochiano ut confiteatur alteri, ergo multo fortius superior ejus hoc potest. In corpore vero quæstionis ita dicit. Dicendum quod Sacerdos aliquis potest dupliciter impediri ne confessionem audiat, uno modo propter defectum Jurisdictionis; alio modo propter defectum executionis ordinis, sicut excommunicati & degradati & hujusmodi. Quicunque autem habent Jurisdictionem, possunt ea quæ sunt Jurisdictionis committere; & ideo si quis impediatur quod alterius confessionem audire non possit per Jurisdictionis defectum, potest sibi per quemcumque habentem Jurisdictionem immediatam in illos committi quod confessionem audiat & absolvat, sive per ipsum Sacerdotem, sive per Episcopum, sive per Papam. Si autem propter executionis ordinis impedimentum audire non possit, potest ei concedi quod confessionem audiat per eum qui impedimentum amovere potest: demum secundo hanc quæstionem in tract. contra impugnantes religionem manifestam facit & clarissimam ex consuetudine quæ in Rom. Ecclesia ab antiquissimis temporibus observata est, ita dicens post multas alias rationes. Ad hoc facit consuetudo Romanæ Ecclesiæ ad quam ascendentes à Pœnitentiariis Papæ ad quoscunque Sacerdotes litteras impetrant ut eis confiteantur. Item Legati Papæ & eorum Pœnitentiarij confessiones audiunt non petita licentia à Parochialibus Presbyteris, & etiam auctoritate Papæ unicuique prædicant, & ita patet quod prædicare & audire confessiones potest aliis committi sine licentia Parochialium Sacerdotum. Hæc ille.

fc. ordinariam.

Quæstio 30. est, utrum præter duos ordines institutos à Deo, scilicet Episcoporum & Sacerdotum Parochialium, posset Papa instituere tertium ordinem talium prædicatorum qui propria auctoritate prædicarent.

Ordo prædicatorum

Ad hanc quæstionem respondet S. Thom. affirmativè 2. 2. quæst. 188. art. 3. ostendens quomodo expediat hujusmodi prædicatores institui, & quomodo eos instituere potest, præcipuè Papa qui habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, sicut & in primitiva Ecclesia fuerunt duo ordines sacri, scilicet Presbyteri & Diaconi, & tamen postea minores ordines sibi constituit, ut dicit Magister in sententiis.

Quæstio 31. est, utrum Papa possit compellere Collegia generalium studiorum, ut ad eorum societatem Religiosi admittantur.

Respondet S. Thom. affirmativè in præfato tract. sic dicens in responsione ad unum argumentum. Quod autem objiciunt quod nullo modo potest cogi ad societatem invitus, ut lex dicit, patet quod intelligitur de privata societate quæ consensu duorum vel trium constituuntur, at ad societatem publicam quæ non potest constitui nisi ex superioris consensu à superioris auctoritate compelli potest, sicut princeps qui præest Reipublicæ potest compellere cives ut in sua societate aliquem recipiant. Sic Collegium alicujus Ecclesiæ cogitur ut aliquem recipiat in Canonicum & in fratrem; unde cum Collegium studij generalis sit publica societas, ad eam potest aliquis induci auctoritate superioris cogente ut infra, unde nullum dubium esse debet sæculares compelli posse auctoritate Apostolicâ ut ad societatem studij religiosos admittant. Hæc ille.

Academia instituta.

Quæstio 32. est, utrum ad Papam maximè pertineat ordinatio studiorum & Universitatum.

Respondet S. Thom. affirmativè in tract. proximè nominato, ubi ita dicit. Ad eum enim qui regit Rempublicam pertinet ordinare de nutritionibus & adinventionibus juvenum in quibus exerceri debeant, ut dicitur 10. Eth. & politia ordinat, ut dicitur 1. Eth. quas disciplinas debitum est esse in civilibus & quales etiam unumquemque addiscere & usquequo. Et sic patet quod ordinare de studio pertinet ad eum qui præest Reipublicæ & præcipuè ad auctoritatem Sedis

Apoſtolicæ, qua univerſalis Eccleſia gubernatur, cui per generale ſtudium providetur. Hæc ille.

Quæſtio 33. eſt, utrum ſolus Papa habeat plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in votis diſpenſabilibus.

Variorum diſpenſator.

Reſpondet S. Thom. in 4. diſt. 34. quæſt. 4. art. 2. ſic dicens: Plenitudo poteſtatis in diſpenſando reſidet penes ſummum Pontificem. Aliqui autem de hac poteſtate participant, quantum eis conceſſum eſt. Sed quia omnes ad unum concurrere non poſſunt, unde in votis illis quæ non de facili diſpenſationem recipiunt, nec frequenter, ſed raro, ſicut votum religionis & alia hujuſmodi vota perpetua, ſolus Papa diſpenſare poteſt. In alijs vero temporalibus votis, ſicut peregrinationum, jejuniorum & hujuſmodi, poſſunt etiam Epiſcopi diſpenſare, niſi aliquod horum ſibi Papa reſervaret, ſicut diſpenſatio in voto terræ Sanctæ. Ad quod inter alia talem rationem inducit S. Thom. ibidem. In corpore humano ſunt quædam actiones quæ ſolis membris principalibus conveniunt & quædam ſoli capiti, ſed in Eccleſiâ vicem capitis tenet Papa & vicem principalium membrorum Prælati majores, ut Epiſcopi, igitur aliquæ diſpenſationes ſunt quas ſolus Papa poteſt facere, Præterea ad idem eſt 2. 2. quæſt. 88. art. ult. in reſponſione ultimi argumenti, ubi ſic dicit. Quod quia ſummus Pontifex gerit plenariam vicem Chriſti in tota Eccleſia, ipſe habet plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in omnibus diſpenſabilibus votis. Alijs verò Prælatis inferioribus committitur diſpenſatio in votis quæ convenienter fiunt & indigent frequenti diſpenſatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrant, ſicut ſunt vota peregrinorum, jejuniorum & aliorum hujuſmodi, Vota autem majora, putà continentia & peregrinationis Terræ Sanctæ reſervantur Summo Pontifici.

Quæſtio 34. eſt, utrum Papa poſſit diſpenſare in voto continentiæ ſolemnizato per profeſſionem Religionis.

Quæſtio 35. eſt, utrum Papa poſſit facere quod ille qui profeſſus eſt religionem non ſit Religioſus.

Ad has duas quæſtiones reſpondet S. Thom. negativè in 2. 2. quæſt. 88. art. 11. ubi narrata opinione dicentium quam etiam proſecutus fuerat in 4. ſent. diſt. 38. Quod in voto ſolemni continentiæ propter aliquam communem utilitatem, ut putà propter pacificationem terrarum ex aliquo matrimonio contrahendo: & hac opinione dimiſſa, quia in oppoſitum ejus videtur militare decretalis illa in cap. *Cum ad Monaſterium* de ſtatu Monachorum. Abdicatio enim proprietatis, ſimiliter & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ Monachali, ut nec Summus Pontifex poſſit indulgere, dicit ſic, & ideo aliter videtur dicendum quod ſupradictum eſt & habetur Levit. 6. Illud quod ſemel ſanctificatum eſt Domino non poteſt in alios uſus mutari. Non autem poteſt aliquis Prælatus Eccleſiæ facere, ut illud quod eſt ſanctificatum ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, putà quod calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus ſi manet integer. Unde multo minus hoc poteſt facere Prælatus aliquis, ut homo Deo conſecratus, quamdiu vivit, conſecratus eſſe deſiſtat. Solemnitas autem voti conſiſtit in quadam conſecratione ſeu benedictione voventis, ut dictum eſt, & ideo non poteſt fieri per aliquem Prælatum quod ille qui votum ſolemne emiſit, deſiſtat ab eo ad quod eſt conſecratus, putà quod ille qui eſt Sacerdos non ſit Sacerdos; licet Prælatus ob aliquam cauſam poſſit exequutionem ordinis inhibere, & ſimili modo Papa non poteſt facere quod ille qui eſt profeſſus Religionem non ſit Religioſus, licet quidam Juriſtæ ignoranter contradicant: Eſt igitur conſiderandum utrum continentia ſit eſſentialiter annexa ei ad quod votum ſolemnizatur, quia ſi non eſt ei eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolemnitas conſecrationis ſine debito continentiæ, quod non poteſt contingere ſi ſit eſſentialiter annexum & ad votum ſolemnizatur, non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ Ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Unde videtur quod per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri Ordinis. Eſt autem debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis per quam homo abrenunciat ſæculo totaliter Dei ſervitio mancipatus, quod non poteſt ſimul ſtare cum matrimonio in quo incumbit neceſſitas procurandæ uxoris & prolis ac familiæ & rerum quæ ad hoc requiruntur, unde Apoſt. 1. Corinth. 7. *Qui eſt cum uxore, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo uxori placeat, & divisus eſt.* Undecumen Monachi ab unitate ſumitur per oppoſitum ad diviſionem prædictam, & ideo in voto ſolemnizato per profeſſionem Religionis non poteſt per Eccleſiam diſpenſari & rationem aſſignat decretalis: quia caſtitas eſt annexa regulæ Moniali. Hæc ille.

Quæſtio 36. eſt, utrum Papa poſſit diſpenſare in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri Ordinis.

Reſpondet S. Thom. affirmativè quod ſatis patet ex proximè dictis.

Quæſtio 37. eſt, utrum Papa in voto obedientiæ poſſit diſpenſare ſimpliciter cum Religioſo.

Reſpondet S. Thom. 2. 2. quæſt. 86. art. 8. in reſponſione ad 3. ita dicens: Papa in voto obedientiæ in his quæ ad perfectionem vitæ pertinent diſpenſare non poteſt. Non enim poteſt ipſum à ſua obedientia eximere, poteſt tamen eum eximere ab inferioris Prælati ſubjectione, quod non eſt in voto obedientiæ diſpenſare.

Relaxatio juramentorum.

Quæſtio 38. eſt, utrum ad Papam maximè pertinet diſpenſatio vel commutatio aut relaxatio juramentorum.

Reſpondet S. Thom. affirmativè in 2. 2. quæſt. 89. art. 9. ubi in ſolutione tertij argumenti ſic ait, notandum quod quandoque illud quod cadit ſub juramento promiſſorio eſt manifeſtè repugnans juſtitiæ, vel quia eſt peccatum, ſicut cum quis jurat ſe facturum homicidium, vel quia eſt majoris boni impedimentum, ſicut cum aliquis jurat ſe non intraturum Religionem. Et tale juramentum diſpenſatione non indiget, ſed in primo caſu tenetur aliquis juramentum tale non ſervare. In ſecundo autem caſu licitum eſt & ſervare & non ſervare, ut dictum eſt: quandoque verò ſub juramento aliquid promittitur, de quo dubium eſt utrum licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum, vel ſimpliciter vel in aliquo caſu, & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare. Quandoque verò ſub juramento promittitur aliquid quod eſt manifeſtè licitum & utile, & in tali juramento non videtur habere locum diſpenſatio, ſed vel commutatio in aliquid melius ſi occurrat facienda ad communem utilitatem, quod maximè videtur pertinere ad poteſtatem Papæ qui habet curam univerſalis Eccleſiæ, vel etiam abſoluta relaxatio quod etiam ad Papam pertinet, in omnibus generaliter quæ ad diſpenſationem pertinent rerum Eccleſiaſticarum ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis, ſicut & ad unumquemque pertinet irritare juramentum quod ſibi à ſubditis factum eſt, circa ea quæ ejus poteſtati ſubduntur, ſicut patet poteſt irritare juramentum puellæ & vir uxoris, ſicut dicitur num. 30. & ſupra de voto dictum eſt.

Quæſtio 39. eſt, utrum ſolius auctoritate Papæ poteſt Epiſcopus curam Epiſcopalem deſerere.

Reſpondet S. Thom. affirmativè in 2. 2. quæſt. 18. art. 4. ubi ſic dicit, Poſt multa, oportet tamen quod ſicut curam regiminis aſſumit aliquis per providentiam ſuperioris prælati, ita etiam per ejus auctoritatem ex cauſis prædictis deſerat ſuſceptam. Unde *extra de renuntiat.* dicit Innocent. 3. Si pennas habeas quibus ſatagas in ſolitudinem evolare, ita tamen aſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas abſque permiſſione volatum. Soli enim Papæ licet in voto perpetuo diſpenſare, quo quis ad curam ſubdito-

rum se adstringit Episcopatum suscipiens.

Dispensatio.

Quæstio 40. est, utrum solus Papa possit dispensare in votis perpetuis ad vacandum divinis obsequijs.

Respondet S. Thom. affirmativè in 2. 2. quæst. 189. art. 9. ubi quærens an Presbyteri Curati possint religionem ingredi, sic dicit: Sicut dictum est, obligatio voti perpetui præfertur omni aliæ obligationi, obligari autem voto solemni & perpetuo ad vacandum divinis officijs competit propriè Episcopis & religiosis; Presbyteri autem Curati, & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & solemni ad curam animarum retinendum; sicut ad hoc obligantur Episcopi, unde Episcopi præsulatum non possunt deserere quacumque occasione absque auctoritate Rom. Pontificis, ut habetur *extra* de Regular. & transeuntibus ad Relig. cap. *licet*. Archidiaconi autem & Presbyteri Curati possunt liberè abrenunciare Episcopo Curam ejus commissam absque speciali licentia Papæ, qui solus potest in votis perpetuis dispensare, unde manifestum est, & Archidiaconos Presbyteros posse religionem intrare.

Quæstio 41. est, utrum Papa ex plenitudine potestatis possit committere simplici Sacerdoti, quod confirmet seu conferat Sacramentum Confirmationis.

Quæstio 42. est, utrum Papa possit committere Diacono absolvere aliquem in foro pœnitentiali.

Quæstio 43. est, utrum Papa possit committere simplici Sacerdoti conferre ordinem Sacerdotij.

Quæstio 44. est, utrum Papa possit committere simplici Sacerdoti conferre minores ordines.

Ad has quatuor quæstiones respondet S. Thomas simul, in 4. dist. 7. quæst. 13. ad primam & ult. affirmativè, ad duas medias negativè, ubi sic formaliter dicit, quod cum Episcopatus non addat aliquid supra Sacerdotium per revelationem ad corpus Domini verum, sed solum per revelationem ad corpus Domini mysticum, Papa propter hoc quod dicatur Episc. summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus Domini verum sed solum ad corpus mysticum. Et quia gratia Sacramentalis per quam gratia datur, dependet ab operatione Sacramentali super corpus Christi verum, ideo solus Sacerdos potest absolvere in foto pœnitentiali, & baptisare ex officio. Et ideo dicendum quod promovere ad illas perfectiones, quæ non respiciunt corpus Christi verum, sed solum corpus mysticum, possunt à Papa per plenitudinem potestatis Pontificalis committi Sacerdoti, qui habet actum summum supra corpus Domini verum; non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Dominicum, sicut nec absolvere in foro pœnitentiali: non autem potest simplici Sacerdoti committere promovere ad perfectionem, quæ respicit aliquo modo corpus Domini verum, & ideo simplex Sacerdos ex mandato Papæ non potest conferre Ordinem Sacerdotij, quia oportet quod Ordines sacri habeant actum supra corpus Domini vel supra materiam ejus: potest autem concedere simplici Sacerdoti, quod conferat minores Ordines, quia isti actum non habent supra corpus Christi verum vel supra materiam ejus, nec etiam supra corpus Christi mysticum, actum per quem gratia conferatur: sed habent ex officio quosdam actus Sacerdotis secundarios, & præparatorios, & similiter potest concedere Sacerdoti quod confirmet, quia confirmatio perficit eum in actu corporis mystici, non autem relationem aliquam habet ad corpus Domini verum. Item ad idem est in 3. p. quæst. 62. art. 11. ita dicens in respons. ad 1. arg. Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex quo potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum committere inferioribus quibusdam, sicut Presbyteris cõferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem, & ex plenitudine potestatis concessit B. Greg. Papa quod simplices Sacerdotes conferrent hoc Sacramentum, scilicet Sacramentum Confirmationis. Hæc ille.

Plenitudo potestatis in Papa circa corpus Christi mysticum: non verum.

Quæstio 45. est, utrum solus Papa possit dare plenas indulgentias.

Respondet S. Thomas affirmativè, in 4. dist. 12. quia Thesaurus Ecclesiæ est communis toti Ecclesiæ, sed illud quod est Ecclesiæ totius, plenè non potest dispensari nisi per illum qui toti Ecclesiæ præest, cujusmodi est Papa. Pro cujus clariori intelligentia prosequitur sic. Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi rex in regno, sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus præpositi, propter quod etiam solos eos in suis litteris fratres vocat, reliquos autem omnes filios vocat: & ideo potestas faciendi indulgentias plenè residet in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima, sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papæ, & idcirco possunt facere secundum quod eis taxatum est, & non amplius.

Indulgentia plena à Papa cur.

Quæstio 46. Est, utrum, Papa possit novos articulos fidei facere, aut editos removere.

Respondet S. Thomas negativè, in 4. dist. 17. qu. 41. dicens quod ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclesia divinitus fundata, & ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum; sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ, & quia Ecclesia fundatur in fide & Sacramentis; ideo ad ministros Ecclesiæ, nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova Sacramenta instituere aut edita removere pertinet, sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli Christo debetur, qui est Ecclesiæ fundamentum: & ideo sicut Papa non potest dispensare, ut quis sine Baptismo salvaretur, ita quod nec salvetur sine confessione secundum quod obligat ipsa vi Sacramenti: sed potest dispensare in confessione, secundum quod obligat de præcepto Ecclesiæ, ut possit aliquis diutius confessionem differre, quam ab Ecclesia sit institutum.

Novi articuli fidei non sunt à Papa.

Quæstio 47. est, utrum ad Papam pertineat determinare ea quæ sunt fidei.

Respondet S. Thomas affirmativè, in tract. contra errores Græcorum in cap. 7. ita dicens. Ostenditur etiam quod ad ipsum Pontificem pertineat, quæ sunt fidei determinare. Dicit enim Cyrillus in lib. *thesaur.* ut membra maneamus in capite nostro throno Apostolico Romanorum Pontifice, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus. Et Maximus in Epistola Orientalibus directa dicit, quod omnes fratres orbis, qui Dominum sincerè susceperunt, & ubique terrarum Catholicè veram fidem confitentes in Ecclesiam Romanorum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipso sole lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt; nec immerito, nam Petrum legitur primo perfectam fidem esse confessum Domino revelante. Math. 16. *tu es Christus Filius Dei vivi*, unde & ei Dominus dicit. Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Quæstio 48. est, utrum ad Summum Pontificem pertineat Symbolum ordinare.

Symbolum.

Respondet S. Thomas affirmativè, in 2. 2. quæst. 1. art. ult. sic arguens primo. Editio Symboli facta est in Concil. generali, sed hujusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari, ut habetur in dec. dist. 17. ergo editio Symboli pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis. Pro cujus ampliori intelligentia ulterius procedens ita dicit, nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius igitur auctoritatem pertinet sententialiter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores quæstiones & difficiliores referuntur, ut dicitur in decret. dist. 17. unde & Dominus, Luc. 22. Petro quem Summum Pontificem constituit, *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, & hujusmodi ratio est, quia una

fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud 1. Corinth. 1. *Idipsum dicatis omnes & non sint in vobis scbismata*, quod servari non potest, nisi quæstio de fide exorta determinaretur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia teneatur firmiter: & ideo ad auctoritatem solam Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, sicut congregare Synodum generalem & alia hujusmodi.

Si arguatur in oppositum.

Illud quod est anathemate interdictum ab universali Ecclesia non subest potestati hominis: sed nova editio Symboli interdicta est sub anathemate universalis Ecclesiæ auctoritate. Dicitur enim in gestis primæ Synodi Ephes. quod completo Symbolo Nicænæ Synodi, decrevit sancta Synodus nulli licere aliam fidem proferre vel scribere vel componere præter definitam à sanctis Patribus qui in Nicæna Synodo congregati sunt à Spiritu sancto. Et subditur etiam anathematis pœna. Et idem reiteratur in gestis Chalced. Synodi. Igitur videtur quod non pertineat ad auctoritatem Summi Pontificis nova editio Symboli. Respondet idem S. Thom. quod prohibitio & sententia Synodi se extendunt ad personas privatas quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam, sic enim quælibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens Synodus exposuerat propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis, unde pertinet ad Summum Pontificem cujus auctoritate Synodus congregatur & ejus sententia confirmatur.

Quæstio 49. est, utrum auctoritas universalis Ecclesiæ in determinatione fidei principaliter resideat in Papa.

Ecclesiæ potestas residens in Papa.

Respondet S. Thom. affirmativè in 2. 2. quæst. 11. art. 3. in solutione ad 3. argumentum ita dicens, postquam autem aliqua essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis illi determinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, dicitur enim 24. quæst. art. 1. quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres meos & Coepiscopos non nisi ad Petrum & sui nominis auctoritatem recurrere debere, contra cujus auctoritatem nec Hieronymus nec Augustinus, nec aliquis Sanctorum suam sententiam defendit, unde dicit Hieronymus, hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus peritè aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem hæc nostra Confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel malevolum vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.

Quæstio 50. est, utrum ad Papam pertineat Sanctorum Canonizatio?

Quæstio 51. est, utrum Papa in definiendo ea quæ sunt fidei aut in Canonizatione Sanctorum possit errare.

Ad has duas quæstiones respondet S. Thom. affirmativè & negativè ad secundam simul in quodlibet. 8. art. ult. ubi quærere an omnes sancti qui sunt Canonizati per Ecclesiam sint in gloria vel aliqui eorum sint in Inferno. Respondet sic dicens, aliquid potest judicari possibile secundum se consideratum quod relatum ad aliquid extrinsecum impossibile invenitur. Dico igitur quod judicium eorum qui præsunt Ecclesiæ errare in quibuscumque, si eorum personæ respiciuntur tantum, possibile est; si vero consideretur divina Providentia quæ Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit ut non erret sicut ipse promisit, Joan. 14. Quod Spiritus sanctus doceret eos omnem veritatem de necessarijs ad salutem, certum est quod judicium universalis Ecclesiæ errare non potest in his quæ ad fidem pertinent, hoc enim impossibile est, unde magis est sententiæ Papæ standum ad quem pertinet determinare de fide quam in judicio proferet, quam quorumlibet sapientum hominum in scripturis expertorum; Cum Caiphas quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legitur inscius prophetasse, Joan. 11.

Sanctorum canonizatio.

In alijs vero scientijs quæ ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus vel hujusmodi possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes: Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo. Quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quædam protestatio est fidei quoad Sanctorum gloriam, piè credendum est, quod nec in his etiam judicium Ecclesiæ errare possit. Et cum arguitur primo sic, quod nullus potest esse certus ita de statu alicujus sicut ipsemet: *quæ sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis qui in ipso est est*, sicut 1. Corinth. 1. Sed nemo potest esse certus de seipso utrum sit in statu salutis, Eccles. 9. *Nemo scit utrum dignus odio vel amore.* Ergo multo minus Papa scit. Igitur potest in Canonizatione errare. Respondet quod Summus Pontifex, cujus est Canonizare sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, per attestationem miraculorum & præcipuè per instinctum Spiritus sancti qui omnia scrutatur etiam profunda Dei. Secundo arguitur sic, quicumque innititur in judicio medio fallibili potest errare, sed Ecclesia Canonizando innititur medio fallibili, scilicet testimonio humano, cum inquirit per testes de vita & miraculis; igitur cum testimonium hominum sit fallibile videtur quod Ecclesia in Canonizando sanctos possit errare. Respondet quod divina Providentia præservat Ecclesiam ne in talibus per fallibile testimonium fallatur.

Quæstio 52. est, utrum solius Papæ auctoritate habeat universalis Synodus congregari.

Quæstio 53. est, utrum ad Papam pertineat confirmare sententias Synodorum.

Quæstio 54. est, utrum ad Papam à Synodo appelletur.

Quæstio 55. est, utrum necesse habeat Papa congregare Concilium universale, quotiescumque habet aliquid de fide determinare.

Ad omnes istas quæstiones simul respondet S. Th. ad primas tres affirmativè, ad quartam negativè in quæstione de potentia Dei, quæst. 10. art. 4. ubi quæritur utrum Spiritus sanctus procedat à Filio, ubi respondere 14. art. facto in contrarium dicit sic. Sicut posterior Synodus habet potestatem interpretandi Symbolum à priori conditum ac ponendi aliquid ad ejus explanationem, ita etiam Rom. Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus sola auctoritate potest Synodus, & à quo sententia Synodi confirmatur & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Concilij sic dicentis: Non est necessarium quod ad hujusmodi expositionem faciendam universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in 6. Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dixit quod propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit; sed tamen illi qui convenerunt quædam dubia in fide orta sequentes sententiam Agathonis Papæ determinaverunt, scilicet quod in Christo sint duæ voluntates & duæ actiones, & sic Patres in Chalcedon. Synodo congregati secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinavit Christum esse in duabus naturis post Incarnationem. Hæc ille.

Quæstio 56. est, utrum Patres existentes in Concilio universali, possint aliquid statuere sine auctoritate Papæ.

Respondet S. Thom. negativè in tract. contra impugnantes religionem, dicens quod sancti Patres in Concilio congregati nihil statuere potuissent nisi au-

ctoritate Summi Pontificis interveniente, sine qua A etiam Concilium congregari non potest.

Concilia.

Quæstio 57. est, utrum subjiciantur statutis Conciliorum.

Huic quæstioni respondet S. Thom. sub distinctione in 1. 2. quæst. 96. art. 6. ubi quærit an omnes legi subjiciantur, ita dicens, secundum quod lex de sui ratione duo habet, scilicet quod est regula humanorum actuum & quod habet vim coactivam, dupliciter potest quis esse subditus legi. Uno modo sicut regulatum regulæ, & hoc modo omnes qui subduntur potestati, subduntur legi quam fert potestas. Alio modo sicut coactum cogenti, & hoc modo homines virtuosi & justi non subduntur legi sed soli mali. Et infra tractans illud quod dicit legisperitus, quod princeps dicitur solutus a lege quantum ad vim coactivam legis, nullus enim propriè cogitur à seipso. Lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis potestate. Sic igitur princeps dicitur solutus a lege, quia nullus potest in ipsum judicium condemnationis ferre si contra legem agat, unde super illud Psal. 50. *Tibi soli peccavi &c.* Dicit quod Rex non habet homines qui facta ejus dijudicent; sed quantum ad vim directivam legis princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur extra de Constit. cap. *cum omnes.* Ibi quod quisque juris in alium constituerit, ipse eo debet uti: & sapientis dicit auctoritas, patere legem quam ipse tuleris.

Subjectio duplex.

Quæstio 58. est, utrum Papa possit mutare statuta Sanctorum Patrum in Concilijs universalibus aut in eis dispensare?

Respondet S. Thom. affirmativè in tract. contra impugnantes religionem, ubi respondet ad illud Zozimi Papæ quod habetur in cap. *contra* 25. quæst. 1. Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare; auctoritas quidem hujus sedis non potest, sic dicit. Dicendum quod hoc est verum in illis qui Sanctorum Patrum statuta decreverunt esse de jure divino, sicut articuli qui determinati sunt per Concilia, sed illa quæ sancti Patres determinaverunt de jure positivo sunt relicta sub Papæ dispositione ut ea possit mutare vel dispensare secundum opportunitatem temporum vel negociorum. Sancti enim Patres in Concilijs congregati nihil statuere potuissent nisi auctoritate Rom. Pontificis interveniente, sine qua etiam Concilium congregari non potest, nec tamen Papa quando aliquid aliud facit aliter quam à sanctis Patribus statutum sit, contra statuta facit, quia servatur intentio statuentium, etiam si non serventur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus & in omnibus temporibus observari, servata intentione statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ, sicut & in omni jure positivo accidit, nec derogatur prioribus statutis per statuta sequentia. Hæc ille.

Jus divinum & positivum humanum

Quæstio 59. est, utrum Papa habeat plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus statutis constitutis per Eccesiam vel Ecclesiæ Prælatos.

Quæstio 60. est, utrum Papa possit dispensare circa ea quæ sunt juris divini vel juris naturalis.

Quæstio 61. est, utrum Papa possit dispensare cum bigamo ut promoveatur.

Quæstio 62. est, utrum Papa possit dispensare quod aliquis Sacerdos non indutus vestibus sacris consecret Corpus Christi.

Ad has quatuor quæstiones respondet S. Thom. similiter & in quodlibet. 4. art. 14. ad primam 3. & 4. affirmativè, ad 2. negativè sic dicens. Non dicendum est quod Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita tamen quod quæcumque sint instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos sint dispensabilia à Papa: hæc enim sunt quæ dicuntur esse juris humani vel juris positivi: circa ea quæ sunt juris divini vel juris naturalis dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione divina. Jus autem divinum est quod pertinet ad legem novam vel veterem; sed hæc est differentia inter legem utramque, quia lex vetus determinabat multa tam in præceptis ceremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quam in præceptis justicialibus pertinentibus ad justitiam inter homines conservandam; sed lex nova quæ est lex libertatis, hujusmodi determinationes non habet, sed est contenta præceptis moralibus naturalis legis & articulis fidei & Sacramentis gratiæ. Unde etiam dicitur lex fidei & lex gratiæ propter determinationes articulorum fidei & efficaciam Sacramentorum; cætera verò quæ pertinent ad determinationem judiciorum humanorum, vel ad determinationem divini cultus, liberè permisit Christus qui est novæ legis lator prælatis Ecclesiæ & Principibus populi determinanda. Unde hujusmodi determinationes pertinent ad jus humanum in quo B Papa potest dispensare. In solis vero his quæ sunt de lege naturæ & in articulis fidei & Sacramentis novæ legis dispensare non potest, hoc enim non esset posse pro veritate sed contra veritatem. Manifestum est autem quod bigamum promoveri, non est de lege naturæ, nec pertinet ad articulos fidei, nec etiam est de necessitate Sacramenti, quod patet ex hoc, quia si bigamus promoveatur seu ordinetur, ordinis recipit sacramentum, sed hoc pertinet ad quamdam determinationem divini cultus; unde circa hoc Papa potest dispensare, licet dispensare non debet, nisi ex magna & evidenti causa, sicut etiam posset dispensare circa hoc quod Sacerdos non indutus vestibus sacris consecret Corpus Christi, & eadem est ratio de omnibus alijs hujusmodi quæ ex institutione humana processerunt. C Hæc ille.

Lex vetus & nova.

Quæstio 63. est, utrum Papa possit dispensare aut aliquid facere contra Apostolum?

Respondet S. Thom. affirmativè in quodlibeto & art. supra notatis ubi respondens ad 2. arg. sic ait. Quia Apostolus dupliciter in sua doctrina aliqua posuit, quædam namque sicut promulgans jus divinum, sicut est illud quod habetur ad Galat. 5. *Si circumcidimini Christus vobis nihil proderit*, & multa hujusmodi; & in hoc Papa non potest dispensare, quædam vero posuit sicut propria auctoritate aliqua statuens, nam ipse dicit 1. Corinth. 11. *Cætera cum venero disponam.* Et infra 16. *Ut collectæ quæ fiunt in sanctos per unam sabbati fiant*, quod non pertinet ad jus divinum: & similiter etiam quod dicit de bigamo non D promovendo, non est juris divini, sed institutio humanæ auctoritatis divinitus homini concessæ. Hæc ille. Ad idem in 4. dist. 28. in solutione unius argumenti, cum arguitur quod non possit dispensare circa ea quæ dicuntur in Canone, dicit, quod est quantum ad ea quæ sunt de necessitate Sacramentorum & fidei; sed de his quæ sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi & discernendi quam tunc habuit, potest per eum qui primatum tenet in Ecclesia dispensari. Cæterum ad idem est in tract. contra impugnantes religionem, respondens ad illud quod dicit Urbanus Papa in cap. *sunt quidam.* 25. quæst. 1. videlicet; Si quid docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere, quod absit, niteretur scilicet Pontifex Rom. non sententiam dare, sed magis errare convinceretur, sic dicit: Non est verum E quod Papa non possit aliquid facere contra Apostolum. Dispensat enim cum bigamo & in pœna quam Canones Apostolorum statuerunt Presbytero fornicanti, ex decreto autem inducto non potest amplius haberi, nisi quod Papa non potest destruere Canonicam scripturam Apostolorum & Prophetarum quæ est in Ecclesia fidei fundamentum. Hæc ille.

Apostolus dupliciter aliquid statuens.

Ad quæ extenditur potestas dispensandi.

Quæstio 64. est, utrum in Papa resideat utraque potestas tam sæcularis quàm spiritualis?

Respondet S. Thom. affirmativè in 2. sent. dist. ult. in fine sic dicens, Potestas sæcularis & spiritualis utraque deducitur à potestate divina, & ideo in tantum potestas sæcularis est sub spirituali, in quantum ei à Deo suppositа est, scilicet in ijs quæ ad salutem pertinent

Non eſt hoc abſolutè intelligendum.

tinent animæ, & ideo in iis magis eſt obediendum teſtati ſpirituali, ſecundum illud Mat. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, &c.*

Quæſtio 65. eſt, utrum Papa poſſit committere ſimoniam?

Reſpondet S. Thom. affirmativè in 2. 2. quæſt. 100. art. 1. ubi ſic dicit in reſponſione ad arg. Dicendum quod Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ ſicut & quælibet alia perſona. Peccatum enim in aliqua perſona tanto eſt gravius quanto majorem obtinet locum,

Res Eccleſiæ cujus ſunt.

quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus ut diſpenſatoris principalis, non tamen ſunt ejus ut domini & poſſeſſoris; & ideo ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniam de reditibus alicujus Eccleſiæ, non careret vitio ſimoniæ, & ſimiliter etiam poſſet ſimoniam committere, recipiendo pecuniam ab aliquo laïco non de bonis Eccleſiæ.

Quæſtio 66. eſt, utrum opinio dicens Papam non poſſe committere Simoniam & maximè cum perſona Eccleſiaſtica; quia res Eccleſiæ ſunt ſuæ, ſit erronea.

Reſpondet S. Thom. affirmativè in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 15. dicens in reſp. ad 3. arg. quod opinio illa erronea eſt, ſi enim Papa pro aliqua re ſpirituali munus acciperet, ſimoniam committeret ſicut & alius homo; quia in ipſo Petro cui Papa ſuccedit, ſimoniæ vitium damnationem inchoavit in Novo Teſtamento, quamvis enim res Eccleſiæ ſint aliquo pacto Papæ, non tamen ſunt ejus omnibus modis habendi, ſicut illud quod à manu habet non eſt dubium quod ſimoniam committeret, ſi quis aliquid ſpirituale debitori ſuo daret ut quod ſuum recuperaret, & ita etiam in propoſito Papa à ſimonia non excuſaretur, ſi, quod abſit, ſpiritualia pro temporalibus rebus Eccleſiarum daret.

Quæſtio 67. eſt, utrum Clerici teneantur decimas dare Papæ ſi ab eis exigat?

Quæſtio 68. eſt, utrum teneatur communitas religionis Chriſtianæ providere Papæ de neceſſariis ad regimen & gubernationem ipſius Eccleſiæ?

Ad has duas quæſtiones reſpondet S. Thom. affirmativè in 2. 2. quæſt. 87. in reſp. ad 3. arg. ſic dicens, In veteri lege primitiæ debebantur Sacerdotibus, decimæ autem Levitis, & quia ſub Sacerdotibus Levitæ erant, Dominus mandavit ut ipſi loco primitiarum ſolverent Sacerdoti ſummo decimam decimæ, unde nunc eadem ratione tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare, ſi exigeret. Naturalis enim ratio dictat, ut illi, qui habent curam de communi multitudinis ſtatu, provideatur, unde poſſit exequi ea quæ pertinent ad communem ſalutem. Hæc ille.

Quæſtio 69. eſt, utrum Papa utatur baculo ſicut Epiſcopi.

Baculus Epiſcopi curvus cur

Reſpondet S. Thom. in 4. diſt. 24. in fine negativè, duplicem ad hoc rationem aſſignans; primo quia Petrus miſit ipſum ad ſuſcitandum quemdam diſcipulum ſuum qui poſtea factus eſt Epiſcopus Trevirenſis, ideo in Diœceſi Trevirenſi baculum portat & non in aliis; vel ſecundo in ſignum quod non habet poteſtatem coarctatam quod curvatio baculi ſignat.

Quæſtio 70. eſt, utrum ſit laudabile in Papa viliorem habitum extra metas habitus aſſumere?

Reſpondet S. Thom. negativè in tract. contra impugnantes religionem dicens: Quidam ſunt ſtatus hominum quibus habitus eſt determinatus, ſicut quælibet religio ſuum determinatum habet habitum, ita etiam antiquis temporibus in dignitatibus conſtituti determinatos habitus habebant quaſi ſuæ dignitatis inſignia: & ſic nunc ſummus Pontifex determinato habitu utitur, unde ſicut religioſo unius religionis non liceret aſſumere viliorem habitum qui ſuæ religionis metas excederet; quamvis intra metas ſuæ religionis, ſi vilioribus utatur, non ſit reprehenſibilis, ſed laudetur, ita etiam non fuiſſet laudabilis in antiquis principibus nec modo eſſet in Summo Pontifice ſi viliorem habitum aſſumeret extra metas habitus aſſueti, ſecus autem eſt de principibus & aliis hominibus qui non habent certum habitum deputatum; in eis enim non eſſet vituperabile ſi vilioribus utantur quam eis convenire poſſit, unde legitur 2. Reg. 6. quod Michol deridens David aiebat, *quam glorioſus fuit Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur unus de Scurris*, & David reſpondit, *Ludam & vilior plusquam factus ſum fiam & ero humilis in oculis meis*. Et Eſther 14. *Tu ſcis infirmitatem meam & neceſſitatem quod abominer ſignum ſuperbiæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in die oſtentationis meæ, & non portem illud in diebus ſilentij mei*. Ex quo patet quod in regibus & principibus eſt laudabile quod humilibus ſint contenti, quando ſine ſcandalo fieri poteſt & ſine detrimento propriæ auctoritatis.

Quæſtio 71. eſt, utrum correctio fraterna ſe extendat ad Papam.

Reſpondet S. Thomas affirmativè in 2. 2. quæſt. 33. art. 4. ita dicens, Correctio, quæ eſt actus juſtitiæ, per correctionem pœnæ, non competit ſubdito reſpectu prælati, ſed correctio fraterna, quæ eſt actus charitatis, pertinet ad unumquemque reſpectu cujuſlibet perſonæ ad quam charitatem debet habere, ſi in eo aliquid corrigibile inveniatur. Actus enim ex aliquo vel potentia procedens ſe extendit ad omnia quæ continentur ſub objecto ejus; ſed quia actus virtuoſus debet eſſe moderatus debitis circumſtantiis; ideo in correctione quæ ſubditi corrigunt prælatos, debet modus congruus adhiberi, ſcilicet ut non cum protervia & duritia, ſed cum manſuetudine corrigant, unde Apoſt. dicit 1. Tim. 4. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem*: Et ideo Dionyſius redarguit Demophilum Monachum, quia Sacerdotem irreverenter correxerat eum percutiens & de Eccleſia ejiciens.

Quæſtio 72. eſt, utrum Papa in aliquo caſu ſit à ſubditis publicè arguendus?

D. Paulus arguit D. Petrum

Reſpondet S. Thom. in 2. 2. quæſt. 2. art. proximè nominato tractans auctoritatem Apoſtoli ad Galat. 2. *In faciem ei reſtiti*, & Gloſſ. ait ut par. dicit ſic; In faciem reſiſtere coram omnibus excedit modum fraternæ correctionis, & ideo ſic Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo par eſſet quantum ad fidei defenſionem, ſed in occulto admonere & reverenter, hoc etiam poteſt ille quando eſt par, unde Apoſt. ad Coloſſ. ult. ſcribit ut prælatum ſuum admoneant, cum dicit, dicite Archippo, *miniſterium tuum imple*. Sciendum tamen, quod ubi immineret periculum ſcandali contra fidem, publicè eſſent prælati à ſubditis etiam corrigendi, unde & Paulus qui erat ſubditus Petro propter imminens ſcandali periculum contra fidem, Petrum publicè arguit, & ſicut Glorioſus Auguſtinus dicit ad Galat. 2. ipſe Petrus majoribus exemplum præbuit, ut ſicubi fortè rectum tramitem reliquiſſent, non dedignentur etiam à poſterioribus corrigi. Item idem S. Thom. ſuper Epiſt. ad Galat. præfatam auctoritatem tractans cum dicitur quod gloſſa ait, reſtitit ei tanquam par, dicit quod Apoſtolus fuit par Petro in executione auctoritatis, non autem regiminis. Ex prædictis igitur habemus exemplum prælati ſcilicet humilitatis, ut non dedignetur à minoribus & ſubditis corrigi, ſubditi exemplum zeli & libertatis ut non vereantur prælatos corrigere, ſi crimen eſt publicum & in periculum totius multitudinis verſatur; in 4. vero ſent. diſt. 19. dicit quod hoc quod Paulus Petro in faciem reſtitit excedit modum fraternæ correctionis quæ prælatis à ſubditis debetur. Non enim prælati à ſubditis coram multitudine, ſed humiliter in privato corripiendi ſunt, niſi immineret periculum fidei, tunc enim prælatus minor fieret ſi in infidelitatem laberetur, & ſubditus fidelis major.

Quæſtio 73. eſt, utrum Papa correctus à ſubditis poſſit aut debeat corrigi per correctionem pœnalem?

Reſpondet S. Thom. negativè in 4. diſt. 2. quæſt. proximè nominatis, ubi reſpondens ad 5. arg. ita dicit; quod quamvis prælati à ſubditis ſint corrigendi, non

tamen eſt eis pœna infligenda, ſed recurrendum vel ad ſuperiorem denunciando, vel ſi non habent ſuperiorem, recurrant ad Deum ut eum emendet, vel de medio ſubtrahat.

Expliciunt Flores ſententiarum B. Thomæ de Aquino, de auctoritate Summi Pontificis, collecti per Magiſtrum Joannem de Turrecremata in Concilio Baſileenſi anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo: Ordinis Fratrum Prædicatorum ſacri Apoſtolici Palatij Magiſtrum, &c. Deo gratias.

Card. de Turrecremata.

Has porro ſententias Principis Scholaſticorum D. Thomæ explicatas fuſius majori ex parte, pluribuſque authoritatibus ac rationibus firmatas, cum dilucidis ſolutionibus omnium objectionum, in ſumma de Eccleſia ejuſdem de Turrecremata, quem doctrinæ merita ad Cardinalatum evexerunt, inveniet avidus harum rerum Theologus; ex quibus agnoſci poterit quam infirma ſunt argumenta quibus adhuc hodie cum hæc ad prælum currebant impetitur auctoritas ſpiritualis D. Petri ac ſucceſſorum ejus. Quæ diſſimulare non debui, non tantum quia laceſſitus, ſed quia ſancta mater Eccleſia juvanda eſt cum filij ejus contra ipſam pugnant: & timendum ne de ſilentio intempeſtivo, in his neceſſitatibus ſevera à nobis aliquando exigenda eſſet ratio, & dicendum *væ mihi quia tacui*, Iſ. 6. Ac ſi exinde gravius aliquod inſtet certamen, ſperamus auxilium omnipotentis Dei non defuturum, quo imbecillium fortitudo mutatur, aſſumunt pennas ſicut Aquilæ, volant & non deficiunt.

Et ſi vero iſtæ ſint Doctoris Angelici ſententiæ, ne propterea exiſtimes illum ſtatum Epiſcoporum ac Curatorum in detrimentum Hierarchiæ minus venerari voluiſſe, cum de iis tam magnificè ſentiat ac ſcribat in ſumma, parte 3. Ac quæſtione ejus partis 82. art. 1. ad 4. vocat Epiſcopum Principem totius Eccleſiaſtici ordinis, &c. ac quæſt. 67. ejuſdem partis de Curatis ſermonem habens, minores Principes Eccleſiæ nuncupat: baptizare, inquit, pertinet ad minores Principes Eccleſiæ, ideſt, ad Preſbyteros, qui tenent locum ſeptuaginta duorum diſcipulorum. Quæ annotamus ad præveniendum eorum calumnias, qui ſi quid ab aliquo ſcribatur ac dicatur de Summo Pontifice, quod à ſaliva quam ſemel imbiberunt, diſſentiat, illico adverſarios Hierarchiæ exclamant ac Juriſdictionis Epiſcoporum aut Parochorum: quaſi omnibus non conſtet ſine alterutrius depreſſione ſua dignitas, poteſtas, ac coram Deo meritum.

D. Th. veneratur Epiſcopos & Curatos.

Poteſtas Papæ in reges.

Porro quod ſcribit de poteſtate Pontificis ſuper Reges, ne ultra ſpiritualia extendas, quidquid aliqui ex ejus verbis philoſophari velint. Atque juxta hunc ſenſum, verè ſcripſit Bellarminus inter opuſcula, ipſos principes quatuor habere ſuperiores, nempe in ſpiritualibus, Papam, proprium Epiſcopum, proprium Curatum, & ſuum Confeſſarium cui in interiori foro ſubditus eſt, tanquam Patri & judici ſpirituali. Cætera, de quibus diſputant aliqui, hic non attingimus.

Opuſc. de confeſſario regum.

Veterane an ultima Concilia præferenda?

Monet ſapiens Eccleſiaſtes cap. 7. *Ne dicas quid putas cauſæ eſt, quod priora tempora meliora fuere quam nunc ſunt? ſtulta eſt enim hujuſmodi interrogatio?* Attamen multis in ore eſt hujuſmodi interrogatio, qui exiſtimant priora Eccleſiæ ſæcula juſtiora, pientiora, ſanctiora, ac omnino aurea fuiſſe præ ultimis: atque adeo omnia quæ in illis fuerunt, ſummis laudibus extollunt, præſentia parvipendunt: vitium enim eſt malignitatis humanæ; ait Tacitus lib. de orator. ut vetera ſemper in laude, præſentia ſint in faſtidio: & vetera antiquaque miremur, noſtrorum temporum ſtudia rideamus & contemnamus. Hinc nonnulli nonniſi antiqua Concilia celebrant, ad præſentia queruloſi & nauſeabundi. Ac ſi de generalibus ſermo eſt, horum conqueſtuum iniquitas facile ſe aperit, cum enim ſit idem Spiritus ſanctus qui in omnibus lumen ſapientiæ ſuæ infundit, ac eadem Eccleſia heri, hodie & ad finem mundi, & eadem fides ac religio conſervata ac defenſa contra milleformes dæmonum hæreticorumque incurſus, non relinquitur locus cur antiqua præferantur noviſſimis aut hæc contemptui habeantur præ aliis. Cum etiam Tridentinum ſit veluti Anachephaleoſis & recapitulatio præcedentium, cujus beneficio floret pietas & religio in multis orbis Chriſtiani Provincijs. De Provincialibus in quibus cum tanta plenitudine non ſe effundit Spiritus ſanctus, plura relinquuntur præſtantiæ hominum, eorum doctrinæ, ingenio ac ſanctitati ut non immerito quædam aliis præcellere videantur. Rem vero tantum in genere ac non nimis ſpeciatim attingentes, quod ſpectat ad res fidei, & ſit nobis cum hæreticis concertatio, plus valent antiqua ac in primis ſæculis coacta, cum Patres primorum ſæculorum plus authoritatis apud ipſos obtineant: unde non incaſſo labore fidem Catholicam ex primis Eccleſiæ Conciliis vindicarunt nonnulli, ac horum indicem ad calcem hujus apparatus apponere utile nobis viſum eſt.

Spiritus ſanctus præſidet antiquis & novis Concilijs.

Quod vero ſpectat ad mores & diſciplinam in rebus ex jure divino non neceſſarijs ad ſalutem ac quæ pro diverſis temporibus ac locis mutari poſſunt, non ita ſolis antiquis inhærendum quin etiam ex recentioribus, unde vitam moreſque componamus hauriri poſſit, cum Patres qui decreta morum & diſciplinæ in iis condiderunt, temporum præſentium naturam & ſtudia penitus introſpexerint: ac quod in antiquis Conciliis præſentibus temporibus magis accommodatum eſſe potuit, retinere ac renovare conati ſint, ut in fine Synodi Carnotenſis ſexta claſſe deprehendi poterit. Antiqua Concilia decreta habent multa quæ majorem pietatem redolent, leges pœnitentiæ ſeveriores exhibent, ac perfectionem Chriſtiano homine dignam magis imprimunt: ſed hæc ferebant tempora illa: at ut monet in Concilio II. Colonienſi Archi-præſul Adolphus, cum rigor antiquorum Canonum ſtatim revocari non poſſit in uſum abſque motu graviori hac tempeſtate, ad media quædam ſacris tamen Canonibus conſentanea, confugiendum eſt. Quid quod multa decreta Conciliorum antiquorum plus in Cartophilaciis quam in uſu hominum fuerint, multa contraria conſuetudine paulatim introducta ac recepta obligare deſierint. Nam & alias nobis à ſanguine & ſuffocato abſtinendum eſſet, & diebus Dominicis genua non flectenda in Eccleſia, ut de aliis taceam. Denique adeo pia ſunt aliquot decreta ultimorum Conciliorum, Mediolanenſium maximè, ut nihil minus quam antiqua ad perfectionem vitæ conferant, ſi ſedulos nanciſcantur obſervatores.

Ultima Concilia defenduntur.

An etiam per Concilia antiquiora hæreſes noviſſimæ damnentur?

Quin etiam hæreſes Lutheranæ ac Calvinianæ per Concilia damnatæ ſint, nulli dubium eſſe poterit qui collectionem Creſpetij Cœleſtini *de diſciplina Eccleſiaſtica* percurrerit, in qua ordine alphabetico, quæ contra has hæreſes ex toto Conciliorum corpore educi poſſunt, luculenter exponit. Quod etiam præſtiterunt alij polemicæ Theologiæ ſcriptores, ut Bellarminus & alij. Sed quia ita diſpoſiti ſunt Hæreticorum animi, ut parum apud eos valeat authoritas Patrum ac Synodorum extra quatuor ultima ſæcula, aggreſſus eſt jampridem vir non indoctus Simon Vigorius in magno Conſilio Regio Conſiliarius, ex generalibus aut particularibus Synodis quatuor primis aut circiter ſæculis poſt Chriſtum celebratis fidem Catholicam ſacraſque ceremonias & ritus Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ aſſerere. Quæ lucubratio anno 1618. cum privilegio & approbatione Doctorum *Boucher & Hollandre* Pariſiis prodiit, ſub titulo aſſertionis fidei Catholicæ, quam in illa ex antiquis Synodis vindicat, ut fructu non careret apud Hæreticos aut ſaltem apud Catholicos ad eoſdem in antiqua fide firmandos. Nec ab ullo ex Orthodoxis impugnata eſt, ſicut quædam alia ejus opuſcula, in quæ ſcripſit Doctor Andreas Duvallius & Durandus Doctor alter.

Simon Vigerius.

Ac quòniam hæc utilia mihi viſa ad plura difficilia in Concilijs intelligenda, quia integram hic exſcribere non vacat, ſaltem ejus præcipua capita ac maximè indices capitum hic ſubjungo, quibus Summæ Conciliorum majoris ponderis quædam prælibare Lectori ſtudioſo liceat, & quibus inter legendum magis deceat immorari perſpiciat, ut utiliori lectione illam percurrat, ijs reſciſſis quæ omittenda, vel ad ſcopum noſtrum, minus conducere viſa ſunt.

Scripturæ ſenſum à Communione Sanctorum petendum & non à ſingularum interpretatione. Synodus Epheſina, Hieroſolymitana ſub Apoſtolis, Nicæna, Alexandrina, Conſtantinopolitana, Chalcedonenſis, Aquileienſis, Conſtantinopolitana ſub Flaviano.

Auctoritas SS. Patrum.

Utque de priori modo diſſeramus, profectò ſolemne fuit Patribus qui in Synodis ad controverſias definiendas confluebant, fidem Catholicam aut communionem doctrinæ hoc modo aſſerere, ut primum ſacræ Scripturæ textus figerent, deinde ab Apoſtolorum temporibus ad ſua uſque tempora, omnium Patrum & doctorum Eccleſiæ concordes, & conſentientes ſententias in acie exponerent, hocque aut illo modo ſemper, ubique & ab omnibus creditum eſſe convincerent: & ita quidem in Concilijs generalibus quorum acta integra extant, perpetuò obſervatum videmus. Nam ſi Patrum ſententijs, atque apertis ſcripturæ teſtimonijs controverſia minus planè definiri poſſet, id Synodo definiebatur, & Patribus congregatis ex omnibus mundi nationibus & provincijs, quænam eorum eſſet fides eliciebatur, & ſanctorum Communione quid credi oporteret, ſtatuebatur. Hoc ipſum certè Lirinenſis apprimè confirmat atque illuſtrat ſub finem ſui doctiſſimi commonitorij.

Synodus Alexandrina habita adverſus Arrium, & à Patribus Nicænis in Epiſtola ſynodica ad Alexandrinam Eccleſiam laudata, de hac ſanctorum Communione & convenientia, contra Arrianos: *Non deterruit eos antiquarum ſcripturarum Deo amabilium explanatio, non comminiſtrorum concors reverentia.* In Synodo Conſtantinopolitana, error Macedonij etiam communione ſanctorum damnatur, & contunditur. Unde Theodoſius Imperator *admiratur Patrum concordiam circa fidem.* Idem quoque Neſtorio in Epheſina, & Eutychi in Chalcedonenſi Synodo contigit. Similiter in Concilio Aquileienſi in quo ſanctus Ambroſius præſidebat, cum Palladius hæreticus frequens in ore haberet, *ſecundum ſcripturas vobis reſpondemus.* Et in particulari Synodo Conſtantinopolit. ſub Flaviano, interrogatus Eutyches, cum reſpondiſſet, *ſe aſſentiri fidei Nicænæ, quatenus conveniret cum ſcripturis, nec admittere duas naturas in Chriſto, quod in ſcripturis hujuſmodi forma non eſſet definita:* utrique Palladius, atque Eutyches damnati, quod à ſenſu ſcripturæ, quem Eccleſia probabat deſciſcerent, & ita palam fit à primis Eccleſiæ incunabulis, ſenſum aut interpretationem ſcripturæ ſanctorum communione, aut Catholico conſenſu firmatam, ſemper paris fuiſſe auctoritatis, atque ipſummet ſcripturæ contextum: imò verò præpoſitum litteræ ſcripturarum, quæ ſine Catholico ſenſu, tanquàm corpus ſine anima, & æquivocè ſancta ſcriptura appellantur.

1. *Petrus primus Apoſtolorum. Carthaginenſis.*

2. *De Patriarchis. Nicæna, Conſtantinopolitana, Chalcedonenſis.*

3. *De Primatu Pontificis Romani. Conſtantinopolitana, Chalcedonenſis, Trullana.*

4. *Pontificem Romanum ſucceſſiſſe Petro in ſede Apoſtolicâ. Africana, Tarraconenſis, Gallicana.*

5. *De Metropolitanis. Nicæna, Arelatenſis II. Laodicena, Carthaginenſis II. Antiochena, Carthaginenſis V. Romana.*

6. *De gradibus Eccleſiaſticis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Pſalmiſtis, Exorciſtis, Oſtiarijs. Carthaginenſis IV. Laodicena, Antioch. Sardic. Toletana, Afric, Chalced.*

7. *De litteris dimiſſorijs. Nicæna, Carthaginenſis III. Africana.*

Auctoritas Papæ Romani.

Inter diſcipulos, Paſtores, Doctores, & alia membra Eccleſiæ, Apoſtoli primum locum obtinent. Epheſ. 4. Inter Apoſtolos autem ex Chriſti inſtituto Petrus primatus prærogativam obtinuit, non ratione ætatis, cùm Andream natu majorem fuiſſe teſtetur antiquitas: neque etiam quod priùs alijs vocatus ſit ad Apoſtolatum, nam alioqui Nathanaël, qui inter primos diſcipulos vocatus eſt, Joannis 1. & ad finem uſque inter diſcipulos perſeveravit, Joannis *ult.* cenſendus eſſet Apoſtolus: ſed quod placuerit Chriſto duodecim eligere diſcipulos, vitæ ſuæ, morum atque myſteriorum teſtes, quos Apoſtolos vocavit Luc. 6. & ſpeciatim cooptavit, Marc. 3. *Aſcendens in montem vocavit ad ſe quos voluit, & fecit ut eſſent duodecim cum eo*, quæ vera eſt vocatio ad Apoſtolatum. Nam ante adſciti quidem erant in numerum diſcipulorum, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5. Joan. 1. igitur inter Apoſtolos Petrus primus numeratur, & à Matthæo primus appellatur. Synodus Carthaginenſis, in Epiſt. ad Innocentium, *Beatiſſimo Petro primo Apoſtolorum.* Certè hac in re omnes Patres conſentiunt.

An non corpori Eccleſiæ viſibili, caput exterum viſibile debetur? ita certè. Neque vero quia Chriſtus omnium regnorum mundi Dominus, & caput, ideo Franciæ Reges minus habendi ſunt capita Regni Galliæ. Primis Eccleſiæ ſæculis Pontifex, ut Petri ſucceſſor, primum locum obtinebat inter Epiſcopos qui ſedes Apoſtolicas occupabant, quos Primates, & Patriarchas appellabant. Hicque ordo Patriarcharum à primis Eccleſiæ incunabulis incepit. Nam de ijs loquens Synodus Nicæna ſtatuit cap. 6. & 7. ut antiqui mores ſervarentur: ſi antiqui mores, ergo pridem ante obſervati & inſtituti ſunt: at hoc decretum in Conſtantinopolitana, cap. 7. & Chalcedonenſi act. 16. renovatum legitur. Hi autem Primates ordinabant Metropolitanos d. act. 16. Concilij Chalced. & inſpectionem habebant in Epiſcopos ſuæ Diœceſeos, ſeu Patriarchatus. Nicæna Synodus, cap. 6. *Antiqui mores ſervantur in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut horum omnium Epiſcopus Alexandrinus poteſtatem habeat, quandoquidem hoc moris eſt Epiſcopo Romano.* In Conſtantinopolitana idem ſtatuitur, ut refertur act. 16. Chalcedonenſis Synodi, *Alexandrinus Antiſtes, quæ ſunt in Ægypto regat tantummodo, & Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent.*

Patriarchæ.

Inter Patriarchas autem primus erat Romanus. Hoc ex Canone 2. Conſtantinopolitano, quo decretum eſt Patriarcham Conſtantinopolitanum primatum obtinere inter alios Patriarchas, Romanum autem in Conſtantinopolitanum: *Conſtantinopolitanus habeat primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum.* Idem in Concilio Chalcedonenſi, additque *& in Eccleſiaſticis habeat majeſtatem negotijs.* Et infra, *Glorioſiſſimi judices dixerunt, &c.*

Orientales, primatum ad Epiſcopum Romanum pertinere ante Conſtantinopolitanum, agnoverunt in Synodo in Trullo, Can. 36.

Metropolitani.

Secundus ordo eſt Metropolitanorum, ideſt qui Metropoles tenent ſedes, qui Epiſcoporum ſuæ provinciæ capita erant, qui & Archiepiſcopi, & aliquando Primates etiam dicuntur. Hi inſpectionem habebant in Epiſcopos ſuæ Metropoli ſubjectos, itaut nullus Epiſcopus abſque ejus conſenſu in ſua provincia conſtitui poſſet. Nicæna Synodus. Can. 4. *Epiſcopum oportet ab omnibus Epiſcopis, &c.*

Arelatenſis, 2. cap. 6. *Illud autem ante omnia clareat, eum qui ſine conſcientia Metropolitani conſtitutus fuerit Epiſcopus, juxta magnam Synodum, eſſe Epiſcopum non debere.* Laodicenſis, cap. 12. *Epiſcopum non oportere præter judicium Metropolitanorum & finitimorum Epiſcoporum conſtitui ad Eccleſiæ principatum.* Carthaginenſis II. cap. 12. *Placet em-*

nibus ut inconsulto Primate cujuslibet provinciæ, nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, in quocumque loco, sine ejus præcepto Episcopum ordinare. Episcopi etiam provinciæ aliquid facere magni momenti prohibentur inconsulto Metropolitano. Antiochena, Can. 9. *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum solicitudinem totius Provinciæ gerere, &c.*

Episcopi. Tertius ordo est Episcoporum, quorum & Apostolici ipsi sæpius meminerunt. Hi potestatem habent in Presbyteros & Clericos suæ Diœcesis, quos ordinare, & singula totius Episcopatus suo judicio comprehendere debent, ut ait Canon Antiochenus. At nimis vulgare est ordinationes fieri ab Episcopis, & gradus Ecclesiasticos tales fuisse, quales hodie, Presbyterorum scilicet, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, Cantorum, seu psallentium; quos omnes enumerat Synodus quarta Carthaginensis, Laodicena, cap. 24. *Quoniam non oportet Clericos servientes à Presbyteris, usque ad Diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes, usque ad ministros, aut Lectores aut Psalmistas, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut etiam eos qui in proposito continentiæ sunt tabernas intrare.*

Gradus variy clericorum. Subdiaconorum meminit Elibertina, cap. 30. *Subdiaconum cum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuit mœchatus.* Antiochena, cap. 33. Laodicena, cap. 21. Acolythorum, Cyprianus Epist. 3. Exorcistarum, Antiochena, cap. 10. Lectorum, Sardicensis, cap. 13. Laodicena, cap. 23. Toletana, cap. 3. Africana, cap. 21. Chalcedonensis, cap. 14. Ostiariorum, Toletana, cap. 2. Laodicena, cap. 24. & 43. Cantorum, Chalcedonensis, cap. 14. Laodicena, cap. 15. *Non licere præter canonicos Psaltes, idest qui regulariter Cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, & de Codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.*

Ritus autem eorum ordinandorum declaratur ex Canonibus Carthaginensis quartæ Synodi Presbyteri, cap. 3. & sequent. tom. 2.

Littera dimissoria. 7. Nec prætereundum mihi videtur nullum Episcopum ordinasse Clericos, nisi suæ Diœcesis, aut sine litteris dimissorijs, quæ consensum sui Episcopi continerent. Nicæna Synodus, cap. 17. *Si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in sua Ecclesia, cum non habeat consensum Episcopi ipsius, à quo recessit Clericus, irrita erit hujusmodi ordinatio.* Carthaginensis III. cap. 44. & Africana, cap. 21.

Et hæc de Ecclesiastica Hierarchia quæ ex Synodis collegimus, quæ adhuc apud nos vigent.

1. *Quales debeant esse Monachi. Chalced.*
2. *Potestas Abbatis in Monachos. Agath.*
3. *Monachi apostatæ pœna. Arelat. II.*
4. *Vota paupertatis & castitatis. Chalced.*
5. *Habitus Monachorum, & Sanctimonialium Chalced. Agath. Carthag. IV.*
6. *Abbas duobus Monasterijs non debet præfici, Agath.*
7. *Monasterium, & bona Monasterij, Chalced.*
8. *Ætas Monachorum, & Monialium. Agath. Milevit. Carthag. III.*
9. *Pœna Monialium quæ vota castitatis ejurâverunt. Arelat. Elibert. Tolet. Venet.*
10. *Monasteria Episcopis subjecta. Chalc.*
11. *Mos servandarum virginum antequàm votum emittant. Africana.*

MOnachatus, si Eusebio credimus, lib. 2. c. 15. incepit sub Marco Evangelista, vivente Petro, & de eo Philo Judæus colloquium habuit Romæ cum Petro, dum legatione fungeretur ad Claudium Imperatorem.

Monachi in clerum adsciti. Porrò Monachos in Clerum primùm ascitos, circa tempora Siritij patet ex ejus Epistola cap. 13. quam in conventu fratrum, id est, in Synodo scriptam fuisse testatur initium Epistolæ. *Monachos, quos tamen morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officijs congregari, & optamus & volumus, itaut qui intra trigesimum ætatis annum sunt digni in minoribus per gradus singulos, crescente tempore promoveantur ordinibus, & sic ad Diaconatus, vel Presbyterij insignia, maturæ ætatis, consecratione perveniant: nec per saltum ad Episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ de singulis dignitatibus superiùs præfiximus tempora fuerint custodita.* Clericos autem fieri nisi permissione Abbatis non licebat. Agathensis Synodus, cap. 27. *Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu, & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.*

Vota autem paupertatis, & castitatis emittebant, nec eis postea aut uxorem ducere, aut militiam assequi licebat. Chalcedonense Concilium, cap. 7. *Hos qui semel in Clero taxati fuerint, &c.* Tom. 2. pag. 130.

Qualem autem obedientiam debeant Abbati, & qualis erat Abbatis in Monachos potestas, Agathensis Can. 27.

Et Can. 38. *Clericis sine commendatitijs epistolis Episcopi sui, licentia non pateat evagandi. In Monachis quoque præsentis sententiæ forma servetur.*

Monachi autem habitu distinguebantur à sæcularibus, ut refertur cap. 4. Chalced. Concilij, *Quoniam quidam utentes habitu monachali.* Virgines autem velocaput tegebant, ut ait d. cap. Agathensis. Milevitana Synodus can. 26. *Placuit, &c.*

Et Carthaginensis IV. cap. 11. *Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni, & sanctimoniæ aptis.*

Monasteria autem consecrabant, nec postea fieri poterant sæcularia habitacula. Chalcedonensis, cap. 34. *Quæ semel consecrata fuerint Monasteria, &c.*

Ætas qua Moniales votum emittebant variè constituta est à Synodis. Quadragesimus annus ab Agathensi Synodo can. 13. *Sanctimoniales, quantumlibet vita & mores probati fuerint* (unde anni probationis) *ante annum suæ ætatis quadragesimum non velentur.* Milevitana, vigesimum quintum statuit d. cap. 26. & Carthaginensis III. cap. 4. *Placuit ut ante viginti quinque annos, nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.* In Oriente, auctore Basilio decimus octavus constitutus est, ut refertur cap. 40. Synodi in Trullo, quod ea ætate jam firmata sit vitæ professio. Quæ tempora præscripta sunt, ne propter sexus fragilitatem lapsæ, ab Ecclesia ejicerentur.

Quæ enim votum ejurassent castitatis, vix in fine communione corporis Christi donabantur. Arelatensis, cap. 33. *De puellis quæ se voverunt Deo, &c.* pag. 51.

Et iisdem fermè verbis Valentina can. 2. Elibertina can. 13. &c.

1. *Non licet uxorem ducere post assumptos ordines. Nicæna, Ancyrana, Neocæsariensis, Chalcedonensis, Trullana.*
2. *Digami in Clerum non admissi, Arelatensis II. Valentina, Carthaginensis IV. Toletana, Agathensis, Arausicana, Arelatensis III.*
3. *Assumptus in Clerum uxore ducta, ab ea abstinebat, Arelatensis II. Arausicana I. Agathensis, Tauritanensis, Elibertina, Toletana, Carthaginensis I. & V.*
4. *De Canone Trullensi.*
5. *De Canone Neocæsariensi.*

QUantum ad primum, Neocæsariensis Synodus can. 1. *Presbyter si uxorem duxerit ab ordine suo deponi debere.* *Celibatus sacrorum hominum.*

Synodus Trullana cap. 6. *Quoniam in Apostolis*

Canonibus diſtum eſt eorum qui non ducta uxore, in Clerum promoventur, ſolos Lectores & Cantores, uxorem poſſe ducere: & nos hoc ſervantes decernimus, nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, poſt ſui ordinationem conjugium contrahere licere. Vigeſimus ſextus autem canon Apoſtolorum, ita conceptus eſt, *Ex ijs qui non ducta uxore ad Clerum promoti ſunt, jubemus, ſi velint uxorem ducere, Lectores, & Cantores ſolos.* Quæ regula in quibuſdam locis etiam Subdiaconos complectebatur, quæ tamen generaliter non obtinuit, ut & Lectores, & Cantores, ſicut innuit Synodus Chalcedonenſis cap. 14. *Quoniam in quibuſdam provincijs conceſſum eſt Lectoribus, & Pſaltis uxores ducere, &c.* Ex hoc autem quod ait, in quibuſdam provincijs indicat, in alijs quibuſdam non permiſſum fuiſſe. Attamen in Diaconis aliquando aliter obſervatum in quibuſdam Eccleſijs, docet Synodus Ancyrana, can. 9. ut ſcilicet qui inviti cooptabantur in Clerum, ſi proteſtarentur ſe non poſſe conjugibus abſtinere, nuptiæ illis non eſſent fraudi, quominus ordinem retinerent, & ut oſtenderet id regulariter non fieri, addit Synodus hoc illis permiſſum ex Eccleſiæ indulgentia. *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt dicentes ſe velle habere uxores, nec poſſe ſe continere, bi poſtea ſi ad nuptias venerint, maneant in miniſterio, propterea quod Epiſcopus bis licentiam dederit.*

3. Quantum ad Digamos, certiſſimum eſt in omnibus Eccleſijs, nuſquam in Clerum admiſſos, juxta præceptum Pauli de Digamis. Inter Digamos autem cenſetur qui viduam duxiſſet. Synodus Arelatenſis II. c. 16.

Carthaginenſis IV. c. 69. &c.

Prius in Eccleſia Orientali ortum diſſidium, Quibuſdam aſſerentibus, alijs verò negantibus ſecundum Canones Preſbyteros uxoratos à mutua conſuetudine uxorum abſtrahendos. Harum contentionum maximè altrix libido hominibus à natura innata, cui Orientales magis obnoxios monimenta teſtantur: ob eamque cauſam omnibus artificijs Canones eludere nitebantur. Itaque in tantam audaciam proruperunt, ut ſtatim poſt Synodum Trullanam, Canones, qui Preſbyteros factos cœlibes nuptijs interdicebant, privata, & nova conſtitutione ludificarint, ſtatuentes, ut Preſbyteris intra biennium aſſumpti ordinis uxorem ducere, eamque poſtea retinere liceret. Quam ſanctionem, ut PP. decretis contrariam abrogavit Leo Philoſophus Imperator conſtitut. 3.

Orientales minus nubes.

Quod autem ad Occidentales Eccleſias, inviolabilis erat uſus, ut qui ante aſſumptos ordines uxorem duxiſſent, in poſterum thori uſu abſtinerent. Hoc teſtantur cùm privatæ Synodi Galliæ, Hiſpaniæ, & Africæ, tùm ſecunda Arelatenſis generalis Occidentalium Eccleſiarum, cui intererant legati ex omnibus provincijs Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Africæ, Britanniæ, Germaniæ, cujus Synodi canon. 2. ita conceptus eſt. *Aſſumi aliquem ad Diaconatum, vel Sacerdotium non poſſe vinculo conjugij conſtitutum, niſi promiſſa fuerit converſio, non oportet.* Arauſicana, c. 23. &c.

Quantum ad Orientales Eccleſias, variè obſervatum eſt ante Synodum Trullanam. Attamen id certum eſt, hoc regulariter obtinuiſſe ut abſtinerent. Sed ante Concilium Nicænum veteres aliam habuiſſe opinionem patet ex hiſtoria Paphnutij. Cum enim frequentes irent in eam ſententiam Patres, ut omnes in ordinibus conſtituti à conjugibus abſtinerent, reſtitit Paphnutius, cujus auctoritate moti, ne latiùs illæ contentiones in Eccleſiæ ſcandalum ſerperent, prudentiſſimè ab edendo canone abſtinuerunt, *rei quæſtionem diſſimulantes*, ut ajunt Sozomenus & Suidas, ne regulas & mores Eccleſiaſticos lædere viderentur. Nam ſi in poſterum ex ſententia Paphnutij uxorum uſus permiſſus fuiſſet, certè de eo aliquid ſtatuiſſent, maximè cum Euſebius doceat temporibus Nicænis ſacerdotes à proprijs uxoribus abſtinuiſſe: & Hieronymus idem inter Orientales, & hoc regulariter Epiphanius. Euſebius lib. 1. de demonſtrat. Evang. cap. 9. *Oportet enim, dicit ſermo divinus, Epiſcopum unius uxoris virum eſſe, verumtamen eos qui ſacrati ſunt, atque in Deo miniſterio cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos à commercio uxoris decet.* Hieronymus adverſus Vigilantium. *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt:* Epiphanius lib. 2. tom. 1. hæreſ. 59. Adhuc *viventem* (fortè conviventem) *& liberos gignentem unius uxoris virum non ſuſcipit Eccleſia, ſed eum qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum, Epiſcopum & Subdiaconum, maximè ubi obſervant Canones Eccleſiaſtici.* En teſtes ampliſſimi, etiam inter Orientales ante Concilium Trullanum, continentiam à proprijs uxoribus regulariter, & ſecundum Canones Eccleſiaſticos obſervatam. In eo enim Concilio primùm, abſolutè permiſſum fuiſſe Preſbyteris, & Diaconis uxorum uſum apertiſſimè hæc verba demonſtrant, *Deinceps, ex hoc temporis momento.*

Verum quoniam illi qui ab Eccleſia Romana deſciverunt, ſemper illam Synodum contra cœlibatum objiciunt, quid de ea ſentiam, proferam: Canonis 13. verba hæc ſunt. *Quoniam Romanæ Eccleſiæ pro Canone, &c.*

Primùm conſtat illos Canones non eſſe Concilij œcumenici ſexti, in Trullo celebrati ſub Conſtantino Pogonato, unde ab Orientalibus hæc Synodus quæ hos Canones condidit, *τρυλλικη*, id eſt, quinisexta vocatur. Cujus appellationis rationem reddit Balſamon in proœmio Synodi in Trullo, quod ſcilicet iſta congregatio fuerit ſub Juſtiniano tertio, in ſupplementum quintæ Oecumenicæ ſub Juſtiniano magno, & ſextæ item Oecumenicæ ſub Conſtantino Pogonato, in quibus nulli Canones de diſciplina Eccleſiaſtica editi fuerant. In præfatione autem hujus Synodi apparet nullos editos eſſe Canones in ſexta Synodo in Trullo, excepto decreto de duabus voluntatibus in Chriſto. *Quod Imperator Conſtantinus ſuo ſigillo munierat ad futuram in omnia ſecula ſecuritatem.* Alios autem Canones ſigillo confirmaſſe Synodus non affirmat, imò in tertio Canone videre eſt illam Synodum Canones ediditſſe poſt alloquutionem Imperatoris Juſtiniani. Ex quo neceſſariò infertur iſtos Canones nihil ad ſextam Synodum Oecumenicam pertinere: Profectò ipſemet Balſamon fatetur, nullos ex Occidentalibus interfuiſſe quinisextæ Synodo, idcòque Latinos negare fuiſſe univerſalem. Quæ cum ita ſint, non mirum eſt, ſi in odium Romanorum aliqua miſcuerint, quibus Occidentalium mores carperent, ut tertio, decimo-tertio, & quinquageſimo-quinto Canonibus. Hæc autem apud nos ideo obſervata non ſunt, quod minimè liceat Orientalibus abſque Occidentalium conſenſu, & ſententia, Canones ſub nomine Concilij generalis edere, & mores atque inſtituta Occidentalium abrogare.

Quid Trullanæ canones de cœlibatu.

Theodorus Balſamon ſchiſmaticus.

Quod verò Orientales hujus Canonis edendis rationem prætexunt, quaſi ſimilia ſtatuta fuerint à Patribus Africanis, qui erant Eccleſiæ Occidentalis, hoc ipſum pridem multis doctiſſimorum virorum lucubrationibus diſcuſſum eſt; breviſſimè tamen explicabo. In Concilio II. Carthaginenſi, circa continentiam duo decreta ſunt, quæ anteà in prioribus Synodis, quæ non extant, agitata fuerant, nempe de modo continentiæ, & de ordinibus, ut qui eos adepti erant, ab uxoribus continere deberent. Hujus Synodi decreto, generaliter prohibitus eſt uxorum uſus Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis, cap. 2. Carthaginenſis II. qui eſt 3. & 4. Concilij Carthaginenſis apud Balſamonem. Quos canones Græci dum ſuis moribus officere viderent, illos nova interpretatione detorſerunt & corruperunt, ut ipſe Balſamon, in dictum Ca-

Quid africani.

Paphnutius.

nonem IV. agnoſcit. Nam cum Græci verba Canonis Carthaginenſis inſeruiſſent in 13. Canonem Trullanum, *Canonem Carthaginenſem interpretantes*, inquit, *addiderunt, quod ſi quis auſus fuerit Presbyteros, vel Diaconos, vel Subdiaconos legitima uxoris conjunctione privare, deponatur.* Ex quo relinquitur, hæc verba non eſſe Synodi Carthaginenſis. Porrò quiniſexta Trullana ut ſuam vitioſam interpretationem tueatur, addit decretum in eadem Synodo Carthaginenſi, Preſbyteros & Diaconos proprijs terminis abſtinere ab uxoribus, qui eſt Canon 74. apud Balſamonem, qui eſt tertius quinti Concilij Carthaginenſis, p. 99. & 37. Africani Concilij ſub Aurelio. Cæterùm fefellit Græcos, primùm quidem vitioſa lectio, quam Græcus interpres expreſſerat: deinde ambiguitas vocis ὅρος. Nam cum in Concilio Carthaginenſi legerent quidam codices *priora ſtatuta*, poſteriorem lectionem ſequutus κατὰ τοῦτο ὅρον vertit. Cumque ὅρος hic παρὰ τὸ πέρας, vel τὸ διάστημα, ſtatutumque ſignificet Trullani ἐκθέσεμον potiùs intellexerunt, ſive tempus præſtitutum, quaſi tunc, cum Sacerdotes inſerviant, quemadmodum Zacharias Luc. 1. *in ordine vicis ſuæ.* Atqui cum hoc de Epiſcopis intelligi non poſſet, neque enim in una Eccleſia plures ſunt Epiſcopi, mala fide integrum Canonem Africanum non exſcripſerunt, quod ſola Canonis lectione facile fuiſſet dolum deprehendere. Nam ille Canon non tantum agit de Preſbyteris, & Diaconis, ſed etiam de Epiſcopis, quod mala fide ſubticuerunt Græci: quia etiam apud Orientales, Epiſcopi perpetuò abſtinere cogebantur.

Æquivocatio vocis Græca.

Addo nec in Synodis, nec apud ullum Patrum reperiri ullum veſtigium hujus rei, quam Græci ex illo Canone inferebant, nimirùm in Africa Preſbyteros per vices ſolitos inſervire. Id enim hæc verba, *in proprijs terminis*, ſignificare fingunt. Unde ut & mores Africanorum imitari, quemadmodum & Canones obſervare viderentur, hanc rationem per vices miniſtrandi alternis hebdomadibus in Eccleſiam Conſtantinopolitanam poſt Synodum Trullanam induxerunt, ut refert Balſamon in 74. cap. Concilij Carthaginenſis. Attamen nec canone Trullenſi, nec illo novo ſtatuto Conſtantinopolitano efficere potuerunt, quo probabilis eorum ratio videretur, ut ſalvis Canonibus, generaliter uſus uxorum Preſbyteris concederetur. Nam apud eos non erat idem miniſtrandi ordo Sacerdotum. Quidam enim in majoribus Eccleſijs, in quibus erat maximus miniſtrorum numerus, per vices ideſt, alternis hebdomadibus, ſacris famulabantur, ut in Eccleſia Conſtantinopolitana, in qua erant ſexaginta Preſbyteri, Diaconi centum, Subdiaconi nonaginta, Lectores centum & decem, Cantores viginti quinque, novel. *ut determ. ſit Cleric. num. &c.* Alij autem Sacerdotes ſinguli in oratorijs, & minoribus Eccleſijs non per ſeptimanas, nec in proprijs terminis, ſeu per vices, ſed quotidiè deſerviunt, ut refert Balſamon in d. c. 74. Carthaginenſis Synodi. Hinc verò movet quæſtionem, quid dicendum ſit de his qui quotidie ſacrificant? Nam non ſolum uſus, ſed ipſemet Canon Trullanus conſortium uxorum illis omninò tollunt. Cujus rei teſtis Timotheus Patriarcha Alexandrinus unus ex Patribus Conſtantinop. primi Concilij, qui in reſponſionibus ſuis neceſſariò *abſtinendum affirmat his diebus quibus ſpirituale Sacrificium Domino offertur.* Idem Dionyſius Alexandrinus can. 3. & noſter Canon Synodi quiniſextæ: *Oportet eos qui divino altari aſſident, in Sanctorum tractandorum tempore eſſe omnino continentes*, hæcque mirum in modum Balſamonem torſerunt: Itaut etiam cogatur pronuntiare eos qui perpetuò ſacrificant ſecundum Canonem Trullenſem, continere debere.

Quid tempore ſacrificij.

Sed longè difficiliorem quæſtionem proponit, an & ijs qui quotidiè ſacrificant abſtinere ſufficiat, ſed etiam an debeant ab uxoribus ſeparari? Quis enim ſui, inquit, *Quomodo & quando ab uxore contineat is qui eſt in ſacris, ut non continens deponatur? Dico, quod omninò comprehenditur eſſe prohibitum ſacra celebrare eis qui ſunt ſacrati, & qui non per ſeptimanam, ſed ſingulis diebus ſacra celebrant, tenentur Canone, & aperte offendunt tanquàm non continentes, licet revera contineant.* Antiquitus enim multi non ſolùm a conſuetudine uxorum abſtinebant, ſed etiam ſeparatis domicilijs continentiam profitebantur. *Video de Chriſtianis*, inquit Cyprianus lib. de ſingularitate Clericorum, *pleroſque maritos pariter & uxores continentiam deſtinantes, domicilia ſingularia magis eligere, ut conſenſu communium votorum ſine irritatione præſentiæ, & concordante ſeceſſu valeant obtinere.* Quibus verbis apparet utrumque licitum, & cum uxore continentem habitare, & ſeparatis domicilijs continentiam exercere: niſi fortè aliquid occurrat, quod ſeparatim habitare cogeret, cujuſmodi eſt ſi uxor adultera fuerit, cap. 8. Synodi Neocæſarienſis. *Clericum, cujus uxor poſt ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam convenit. Quod ſi cum illa convixerit, miniſterium ſibi commiſſum obtinere non poteſt.* Ex his autem quæ diximus, certiſſimum eſt memoratum Canonem Trullenſem generalem non fuiſſe, & nullo modo poſſe officere moribus Eccleſiæ Occidentalis, in qua nullus niſi cœlebs ordinatur, & qui non liberè ac ſpontaneè continentiam profiteatur. Quod ſi initio contractus ſunt voluntatis, ex poſt facto neceſſitatis, multo magis illi, qui cum Deo ineuntur.

Latinos, Græca lingua in myſterijs aliquando uſos. Synodus Vaſenſis, cap. 5. Arelatenſis III. can. 4.

Pſalmos lingua vulgari conceptos prohibitum in Eccleſia canere. Synodus Laodicena. can. 59.

HOc ideo quia Biblia ſacra corrupiſtis ô hæretici. Quod vobis multoties exprobratum, & loci notati, quibus manus infeſtas injeciſtis, maximè qui dirimunt quæſtiones controverſas, quæ hodie Eccleſiam perturbant. Omitto quàm ridiculis interpretationibus margines inferciatis, ut Patrum, & Synodorum interpretationi nullus ſit relictus locus. Nec populo committendi ſunt libri ſancti, illis maximè qui ſenſus litteralis capaces eſſe poſſunt: & ſi quid ambigui emergat, communi Eccleſia, non privatorum ſenſu dirimatur, cum ſolius ſit Eccleſiæ ſcripturas interpretari. Itaut ſi quid alienum à ſenſu Eccleſiæ velimus admittere, id ſpurium habeatur, quia ſine patre, & meretricis non ſponſæ Chriſti eſt. Habemus libros ſacros, qui olim juſſu Caroli quinti Regis pientiſſimi in idioma Gallicum verſi ſunt. Habemus & à doctiſſimis, & piiſſimis hominibus alios elucubratos, à quibus nemo prohibetur. Sed ne quis in electione decipiatur, illis recognoſcendi meritò proponuntur, qui ab Epiſcopo habent Provinciam.

Verſio Bibliæ ab hæreticis falſa.

Delegenda delicta, Arelatenſ. Antiochen. Laodicena.

Pœnitentes exomologeſim poſtulabant. Carthaginenſ. IV. Gangrenſ.

De Pœnitentia publica. Carthag. III.

Pœnitentiæ gradus. Ancyran. Neocæſarien. Nicæn. Arelatenſ. II. Elibert.

Mos Pœnitentium publicorum. Tolet.

Secundus Pœnitentiæ gradus. Neocæſ. Carthag. IV. Ancyr. Nicæn. Arelat. II.

Exomologeſis. Ancyr. Nicæn. Elibert. Antioch. Carthag. 2. 3. & 4. Arauſic.

De manuum impoſ. Carthag. IV. Arauſ. Ancyran.

Remiſſio temporis Canonici, & origo indulgentiarum. Nicæn. Carthag. Arauſic. Ancyr. Elibert. Carthag. 3. & 4. Neocæſar.

Clericorum Pœnitentia. Neocæſar. Carthagin. V. Agath. Tolet.

Quæ circa Pœnitentiam publicam obſervabantur, Carthagin. IV. Tolet. Agat. 2. & 3.

De Sacramento Confirmationis, Unctionis, &

Chrisante. Constantinop. Arelat. II. Laodic. Satisfactio. Antiochen. Valentina, Tolet. Agat.

ETsi autem varij ritus Exomologesis primis Ecclesiæ sæculis reperiantur, illud tamen semper obtinuit, ut Pœnitentia non statueretur, nisi post Confessionem delicti: *Confessione enim Pœnitentia nascitur*, inquit Tertullianus, & non fieret Exomologesis sine Pœnitentia. Arelatensis Synodus, can. 23. *De iis qui apostatant, & antequam ad Ecclesiam se repræsentent, nec quidem Pœnitentiam agere quærunt, & postea in infirmitate arrepti petunt communionem, placuit, eis non dandam esse communionem, nisi revelaverint, & egerint dignos fructus Pœnitentiæ.* Antiochena, cap. 2. *Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, &c.*

Confessio peccatorum prævia pœnitentiæ seu satisfactioni.

Hinc est quod legimus ipsos esse Pœnitentes qui admitti ad Pœnitentiam postulabant, quod fieri non poterat absque delictorum Confessione. Synodus Carthag. IV. can. 74. *Ut Sacerdos Pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, Pœnitentiæ leges injungat.* Toletana c. 16. *Devota quæ maritum acceperit non admittatur ad Pœnitentiam, nisi adhuc ipso vivente marito, castè vivere cœpit, aut postquam ipse decesserit.* Gangrensis in præfatione, *Ab Ecclesia habeatur extorris, donec deprecetur Episcopos.* Agathensis, c. 15. *Pœnitentes, qui Pœnitentiam petunt,* Qui enim peccaverant, ad Episcopos confugiebant, ut eis normam & modum pœnitendi præscriberent, secundum genus delicti, itaut necesse sit delictorum cognitionem habuisse Presbyteros, antequam de modo Pœnitentiæ statuerent.

Duo autem erant genera Pœnitentiæ, una publica, altera privata. Quæ autem peccata essent quæ Pœnitentiam publicam desiderabant docent Synodi, nempe ea quæ delicta animæ vocat Synodus Nicæna, can. 9. Mortalia, Valentina, can. 4. Capitalia, Agathensis, can. 50. crimina mortis, Elibertina, c. 76. crimina ad mortem, Innocentius Epist. 23. Ad Episcop. Macedoniæ, in fine. Ut Apostasia, can. 11. Nicæn. Synodi. Homicidium, can. 2. Toletanæ: crimen falsi, & falsum testimonium, Agathensis, c. 33. Adulterium, ex Augustino, & alia gravissima, & immania peccata, quæ legibus sæculi ultimo supplicio vindicari solent. Illud tamen solemne erat, ut Pœnitentia publica non statueretur, nisi publicum, & notissimum esset crimen, quod totori Ecclesiæ scandalum inferret. Nam qualecunque esset crimen, nisi publicum fieret, aut delicti confessione publica, aut notoria facti manifestatione, Pœnitentia publica non infligebatur. Hoc ex Cyrilli Epistola ad Amphilochium multis in locis patet. Unde ut publicum crimen erat, sic & publicè manus Pœnitenti imponebatur ante absidem Ecclesiæ: Carthaginensis III. can. 32. *Cujuscunque Pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod Ecclesiam universam commoverit, ante absidem manus ei imponatur.*

Pœnitentia seu satisfactio duplex, publica & privata.

Pœnitentiæ autem publicæ multi gradus erant à Canonibus præscripti. Ancyrana Synodus, cap. 22. *Hos qui non voluntariè, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem annorum Pœnitentiam communioni sociavit, secundum gradus constitutos.* De his gradibus specialiter Ancyrana Synodus, cap. 19. 20. 23. & 24. Neocæsariana, can. 3. Nicæna, cap. 8. Arelatensis II. c. 10. 11. Elibertina, c. 3. & passim in aliis Synodis, ex quibus desumpti sunt canones Pœnitentiales, quos habemus, & quatenus Pœnitentes jejunare tempore Pœnitentiæ, tenebantur. Ex Gregorio Nisseno, & Basilio Epist. ad Amphilochium, can. 56. quinque gradus fuisse didicimus. Primum, deflere stantem ante fores oratorij, & fideles ingredientes rogantem, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntiantem. Secundum, inter audientes recipi: tertium, ut sint cum iis qui in substratione erant, quod in Synodis est inter Pœnitentes: quartum ut orationis non autem oblationis fierent participes; postremum,

Pœnitentiæ gradus.

ut per manus impositionem, ad sacram communionem admitterentur, nisi tale crimen esset, ut communio eis, etiam in fine vitæ negaretur, cujusmodi multos Canones habemus, & potissimum in Concilio Elibertino. Quod tamen Innocentius abrogatum fuisse etiam ante sua tempora testatur in Epistola ad Exuperium, cap. 2.

Quamvis autem ex Canonibus certis criminibus tempus attributum erat, tamen aliquando mitiùs cum pœnitentibus agebatur: ut cum propter infirmitatem tempus à Canonibus statutum implere non poterant, ut ostendi ex Canonibus Carthaginensibus, Arausicano, & Ancyrano. Idem Elibertina Synodus, c. 9. Carthaginensis IV. can. 81. Arausicana, can. 11.

Innocentius ad Decentium. Cœlestinus Epist. 2. Cyprianus lib. 3. Epist. 17. *Occurrendum puto fratribus nostris ut qui libellos à martyribus acceperunt* (hi autem erant, qui lapsi & resipiscentes fortiter persecutiones pertulerant, quibus libello martyres testimonium præbebant) *si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, cùm apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgeri exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.* Enimvero non propter infirmitatem tantum Episcopis licitum erat nondum peractâ pœnitentiâ, in pauciores annos contrahere, verum etiam ob alias gravissimas causas, inspecta vita pœnitentium. Ancyrana, can. 5. Nicæn. can. 11. Neocæsar. can. 3.

Quibus ex locis nota est indulgentiarum doctrina, quas arbitrio Episcopi certis de causis condonandas pœnitentibus Synodi statuerunt. Idque in suo quilibet Episcopatu. Quidni ergo Pontifex maximus Princeps Episcoporum? quod si strictè observandi essent Canones, quid illis fieret, quibus & communio in fine negatur, nisi esset qui de Canonibus dispensaret iis casibus, qui si accidissent tempore legislatoris, & ipse dispensasset? Cujusmodi occurrit cap. 37. Concilij Agathensis, in quo certis conditionibus tempus lapsis præscriptum à Canonibus breviatur: quibus si minus satisfaciat pœnitens, *statuta tempora præteritorum Canonum implere jubetur.* Talis casus recensetur d. can. 11. Nicænæ Synodi. Quales sunt illi qui neglectis indulgentiis, Canones ad se nihil pertinere putant. Quis etiam de pœnitentia publica generaliter dispensasset, nisi is cui generalis inspectio Ecclesiarum potissimum incumbit? illud autem priscis temporibus Pontifici consuetum patet ex Tertulliano, lib. de pudicitia, qui errore Montani contaminatus, sic in Pontificem maximum bacchatur: *Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum dicit, Ego, & mœchiæ, & fornicationis delicta, pœnitentia functa, dimitto.* Hinc patet ex more, laxandi vigorem Canonum & usum indulgentiarum à primis Ecclesiæ incunabulis originem duxisse: & Pontificem id sibi meritò sumpsisse. Cæterum Synodis Constantiensi, & Tridentina prudenter cautum est, ut in concedendis Indulgentiis moderatio juxta veterem approbatam in Ecclesia consuetudinem adhibeatur.

Indulgentia satisfactionum à primis temporibus.

Carthaginensis Synodus 3. can. 32. & Toletana can. 20. apertè docent qua ex causa pœnitentia publica fieri soleret, nempe quando peccatum vulgatissimum erat, & toti Ecclesiæ erat offendiculo, ex quo infertur necessariò, quando peccatum occultum erat, & non tale, quod totam Ecclesiam commoveret, pœnitentiam privatam duntaxat celebratam fuisse. Si quidem in minoribus delictis factitatam exomologesim fuisse nos docet Cyprianus, l. 3. Epist. 14. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus Episcopi, & Cleri jam communionis accipiunt.* In quibus notanda sunt verba,

Peccatum occultum.

ſecundum diſciplinæ ordinem, quibus expreſſiſſimè A conſuetudo Eccleſiæ deſignatur. Et rurſum *jus communionis accipere*: ut intelligamus eo tempore nullum acceſſiſſe ad ſynaxim, niſi priùs exomologeſim peregiſſet: quod etiam ex Socrate ſupra notare licet. Aliud argumentum eſt, quod Tertulliani error ab Eccleſia reprobatus eſt, qui Montani dogma ſecutus unicam duntaxat poſt baptiſmum admittebat pœnitentiam. At ille error erat de pœnitentia privata, ad quam multoties pœnitentes admittebantur, etiam poſt publicam peractam. Etenim ſi duntaxat pœnitentiam publicam ſolemnem iterandam negaſſet; in eo nullius erroris fuiſſet conſcius, propterea quod certum eſt pœnitentiam ejuſmodi niſi ſemel imponi non conſuevisſe. Auguſtinus Epiſt. 44. ad Macedonium. Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10. *Meritò reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè egerunt pœnitentiam, iterandam poſteà non putarent, quia ſicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum levium, illa gravium.* Confeſſionis etiam privatæ exemplum nobis ſuppeditat Cyprianus, ſermone de lapſis. *Denique quantò & fide majore, & timore meliore ſunt, qui quamvis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis ſcilicet & modicis vulneribus exquirunt.* Leo Epiſt. 78. ad Epiſcopos per Campan. & Samni. & Picen. conſtitutos. *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam, præſumptionem, quam nuper novi à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri. De pœnitentia ſcilicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cum reatus conſcientiam ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem, apud homines erubeſcere non veretur, quia non omnium hominum hujuſmodi ſunt peccata, ut ea quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſua facta referare, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio quæ primum Deo offertur, & etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Tertulliani error de unica pœnitentia.

Confirmatio.

Profectò hac eadem de cauſa Confirmationem ſacramentum eſſe contendimus, quia manuum impoſitione, & ſancti chryſmatis unctione ſignamus confirmandos, ut ait Synodus Conſtantinopolitana prior Oecumenica, praxim Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus inſtitutam referens can. 7. *Arrianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui dicunt ſeipſos catharos, hoc eſt mundos, vel ſiniſtros, Teſſareſdecaritas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit ut ſancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, & ſignatos ſive unctos primum ſancto chryſmate, & frontem, & oculos, & nares, & aures, & os ſignantes dicimus, ſignaculum Spiritus ſancti.* Quod, quid aliud eſt quam ſacramentum, cujus rem ipſam inviſibiliter Spiritus ſanctus format, atque efficit? Arelatenſis II. can. 17. *Bonoſianos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arrianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, cum interrogati fidem noſtrum ex toto corde confeſſi fuerint, cum chryſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Laodicena, can. 7. &c.

Verum quia de Pœnitentia egimus, notandum ſupereſt non ſolum Patres, ſed etiam Synodos pœnitentiam paſſim ſatisfactionem appellare, & hoc quidem non ut crux Chriſti, meritumque paſſionis evacuetur, *nec ut ab illa morte liberemur, quam ſemel ſanguis Chriſti extinxit, & à qua nos ſalutaris Baptiſmi, & Redemptoris noſtri gratia liberavit, ſed ab ea quæ per delicta poſt modum ſerpit*, ut ait Cyprianus lib. 4. Epiſt. 11. Antiochena Synodus, can. 4. *Si quis Epiſcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, vel Diaconus à ſuo Epiſcopo auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro contingere, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed communicantes ei omnes abjici de Eccleſia, qui communicare eis tentaverint.* Valentina can. 2. *Decrevimus ut pœnitentia hujus non ſtatim detur, & cum data fuerit, niſi plenè ſatisfeceris Deo, inquantum ratio poposcerit, eidem communio differatur.* Et can. 3. *Circa eorum perſonas, qui ſe poſt unum, & ſanctum lavacrum, vel prophanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut hos juxta Synodum Nicenam, ſatisfactionis quidem aditus non negetur, &c.* Toletana, can. 5. *Si Clericus ad Eccleſiam aut ad ſacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur, ſi caſtigatus per ſatisfactionem, veniam ab Epiſcopo voluit promereri.* Agathenſis, c. 27. *Cenſuimus homicidas, & falſos teſtes à communione Eccleſiaſtica eſſe ſubmovendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.* Idem Innocentius ad Decentium cap. 17. Idem Chryſoſtomus homil. 6. in 1. cap. Joan. *Errata tua in Deum confitere, ut juſtificeris.* Et id probat multis ſcripturæ locis. Proculdubio mirabile, ne dicam monſtruoſum eſt, Calvinum conſenſui Catholico omnium antiquorum ausum fuiſſe adverſari, lib. 3. inſtit. cap. 4. ſect. 38. *Nam*, inquit, *video veteres nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes ferè quorum libri extant, aut in hac parte* (de ſatisfactione loquitur) *lapſos eſſe, aut nimis aſperè, & durè loquutos*, quam igitur communionem Sanctorum poteſt profiteri, quando omnes antiquos rejicit?

Satisfactio.

Calvini confeſſio.

1 *Qualis ſit fides Eccleſiæ circa Euchariſtiam: & 6. capite Ioannis agi de Euchariſtia. Synodus Epheſina Oecumenica.*
2 *Eſſe ſacrificium corporis Chriſti, Nicena, Epheſina, Chalcedonenſis, Africana, Arelatenſis, Elibertina, Carthaginenſis III. Toletana.*
3 *Offerre ſacrificium, oblationis Sacramentum, Anoyrana, Arelatenſis, Gangrena.*
4 *Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, Nicæna, Epheſina.*
5 *Panis conſecrandus, Carthaginenſis IV. Arauſicana, Laodicena.*
6 *Panis conſecratus, & ſanctificatus, Neocæſarienſis.*
7 *De Canone 24. 3. Carthag. Syn.*
8 *Altare, Carthag. 1. & 3. Laodic. Antioch.*
9 *Altaris conſecratio. Agathenſ. Hypponenſ. Laodic.*
10 *Vaſa ſacra. Carthagin. IV. Calcedon. Agathenſ.*
11 *Veſtes ſanctæ. Carthag. IV. Laodic.*
12 *Conſecratio Eccleſiarum. Carthag. V. Araufi-cana.*
13 *Sacrarium, & ſecretarium, in quo aſſervabatur corpus Chriſti. Arelatenſis II. Laodic.*
14 *De viatico, quod eſt corpus Chriſti IV. Nicæna, Ancyrana, Carthagin. IV. Agathen. Elibertina.*
15 *Omnes qui ſacris aderant non communicaſſe. Antioch. Agathen.*
16 *Panis benedictus. Laodicenſ. Antioch.*
17 *Sal benedictum. Carthag III.*
18 *Miſſa privata. Vaſenſis, Gangrenſ. Reginenſ. Agathenſ.*
19 *Audire Miſſam. Agathenſ.*
20 *De Communione ſub utraque ſpecie. Arelatenſe. III.*
21 *De Canone Conſtantienſis Concilij.*

Quando

QVando ratio communisque experientia docent bonum & prudentem patremfamilias nunquam clariùs, aut apertiùs loqui, quàm dum testamentum conditurus familiam proprioſque liberos de iis, quæ post mortem ſuam peragere debent, erudire vult, & potiſſimum ut pacem, & concordiam inter ſe ſervent, ne de voluntate patris, tanquam ambigua digladientur: certè magnam faciunt injuriam Chriſto Domino, qui perhibent illum, dum conderet teſtamentum, propriumque corpus in cibum, & ſanguinem in potum daret, verbis uſum ambiguis, obſcuriſque tropis, aut metaphoris, cum certiſſimum ſit illum vocabula propria, & perſpicua uſurpaſſe, quod ipſum omnes confirmant Evangeliſtæ, Apoſtoli, & Patres antiqui. Unde mirabile eſt hoc ſæculo repertos homines novitatis ſtudioſos, qui verba Chriſti & Evangeliſtarum detorquerent ad manducationem imaginariam, ſymbolicam & chimæricam, cum tamen nihil clarius ſit, quàm Chriſtum verum corpus ſuum edendum & ſanguinem bibendum Diſcipulis promiſiſſe, Joan. 6. & porrexiſſe, Luc. 22.

Proculdubio Patres Epheſini, ex ſexto capite Joannis dogma Catholicum Eccleſiæ de vera corporis Chriſti manducatione in Euchariſtiæ Sacramento comprobant adverſus Neſtorium. Hic enim dum contenderet Chriſtum nobis ſuam carnem communem, & naturalem, perſonâ ſeparatam à Verbo comedendam dediſſe: contra Patres ſtatuunt nobis carnem Chriſti cum perſona Verbi tribui.

Contra autem ſancta Synodus Epiſtola Synodali ad Neſtorium: *Annuntiantes*, inquit, *ſicut ſecundum carnem mortem unigeniti filij Dei, id eſt Jeſu Chriſti, & Reſurrectionem ejus, & in Cœlos Aſcenſionem pariter confitentes, incruentum celebramus in Eccleſiis ſacrificij ſervitutem. Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes facti corporis, & ſanguinis pretioſi Chriſti omnium noſtrûm Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod abſit, nec ut viri ſanctificati, & verbo conjuncti ſecundum dignitatis unitatem, aut ſicut divinam habitationem, ſed verè vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, ut Deus exiſtens, quia propriæ carni unitus eſt, vivificatricem eſſe profeſſus eſt. Et ideo quamvis dicat ad nos, Amen dico vobis niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem, non tamen eam ut hominis unius ex nobis exiſtimare debemus (quomodo enim juxta naturam ſuam vivificatrix eſſe poterit caro hominis?) Sed ut verè propriam ejus factam, qui propter nos filius hominis eſt factus & vocatus.* Magna igitur Synodus, Joannem capite ſexto egiſſe de doctrina Euchariſtiæ teſtata eſt: notandumque omnes hujus Synodi actiones recognitas in Concilio Chalcedonenſi, & magno omnium Patrum conſenſu approbatas.

D. Joan. c. 6. agit de Euchariſtia.

Porrò maximè notandum, Epheſinam Synodum, cum de ſanctis Myſteriis loquitur *ſacrificij* meminiſſe. Sic & Nicæna can. 14. *Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his, qui offerunt, corpus Chriſti porrigant.* Chalcedonenſis, Act. 3. *Ex hoc neque terribile, & incruentum ſacrificium celebratum eſt.* Item Synodus Africana, de qua Cyprianus lib. 1. Epiſt. 4. Arelatenſis can. 20. Elibertina, can. 55. Carthaginenſis III. can. 24. Toletana, can. 5. Pariter Ignatius ad Smyrnenſes apud Euſebium lib. 5. cap. 24. Ambroſius in oratione præparat. ad Miſſam. Auguſtinus lib. 18. de civit. cap. 35. quorum mox verba ſubjiciemus.

Sacrificium Miſſæ.

Cæterùm longè ſua opinione falluntur, qui putant Euchariſtiam eo modo ſacrificium indigitari, quòd in ſcripturis legimus, ſacrificium cordis contriti, ſacrificium & hoſtiam labiorum, id eſt orationis, & precum. Hoc ſi ita haberet, abſurdè Concilium Arelatenſe can. 20. decreviſſet, *ut peregrino Epiſcopo locus ſacrificandi detur.* Quod nihil aliud eſt quàm quod Euſebius memorat, Anicetum poteſtatem conceſſiſſe Polycarpo obeundi ritum qui in Eccleſia Romana peragi ſolet, lib. 5. cap. 24. & Ignatius ad Smyrnenſes, *Non licet ſine Epiſcopo offerre, nec ſacrificium immolare, neque Miſſam celebrare*, Græcè ἀγάπην. Nec enim ad preces fundendas, aut ad gratiarum actionem petendus, aut dandus eſſet locus, cùm ubique ejuſmodi ſacrificia Deo offerre poſſimus. Quod autem peregrinis Epiſcopis non licebat Euchariſtiæ ſacrificium in Eccleſiis aliis celebrare, aut ſine Epiſcopo ſacrificare, id neceſſario convincit ejuſmodi ſacrificium non conſiſtere in ſimplici gratiarum actione. Accedit præterea Ignatium hac uti formula, *ſacrificium immolare*, quod de gratiarum actione intelligere, ridiculum eſſet, cùm idem ſignificet atque offerre, quod vocabulum Patres in Synodis paſſim uſurpant, ut jam ex Synodis Nicæna, Epheſina, Chalcedonenſi notavimus. In Epiſtola Concilij Carthaginenſis vetuſtiſſimi apud Cyprianum lib. 1. Epiſt. 4. *In ordinationibus Sacerdotum non niſi immaculatos Antiſtites eligere debemus, qui dignè, & ſanctè ſacrificia Deo offerant.* Qua etiam notione Tertullianus lib. de cultu fœminarum, & Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. *dicunt offerre ſacrificium.*

Obiectio ſolvitur de ſacrificio ſpirituali.

Unde & Ancyrana Synodus vocat *oblationis Sacramentum* cap. 16. *In qua quinquennio perdurantes, tum demum oblationis Sacramenta percipiant.* Gangrenſis can. 4. *quicunque diſcernit à Presbytero qui uxorem habuit, quod non oporteat à miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit.* Arelatenſis, can. 15. Ancyrana, can. 17. de quo inferiùs. Neocæſarienſis, can. 13. *Presbyteri qui corregionales ſunt in Eccleſia præſentibus Epiſcopis, vel Presbyteris civitatis offerre non poſſunt.* Cum igitur Euchariſtia ſit ſacrificium, & oblatio, oportet eſſe, & qui offerat, & qui ſacrificet, & cui offeratur, & quod offertur, quæ accuratiſſimè deſcribit Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. *Nam ſi Jeſus Chriſtus Dominus, & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Chriſti fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur. Et ſacrificium verum, & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Auguſtinus lib. 18. de civitate, cap. 35. In illud Malachiæ. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda, quia nomen magnum in gentibus, dixit Dominus. Hoc ſacrificium*, inquit, *per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cum in omni loco à Solis ortu uſque ad occaſum Deo jam videmus offerri.* Quod igitur offertur, Euchariſtia eſt, Euchariſtia autem corpus Chriſti. Sic enim Nicæna Synodus, *Pervenit ad ſanctam Synodum, quod in multis locis, & civitatibus, Diaconi dant Presbyteris Euchariſtiam, quod neque Canon neque conſuetudo tradidit, ut qui offerendi ſacrificij poteſtatem non habent, his qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Eadem Epheſina ſupra laudata. Theodoretus, dial. 3. *Euchariſtia eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Objiciunt ex Synodis, & Patribus panem & vinum offerri, igitur non verum Chriſti corpus.

Reſpondeo panem, & vinum quidem offerri, ad conſecrandum ſcilicet, minimè verò quod panis duntaxat poſt conſecrationem remaneat. Synodus Carthaginenſis IV. c. 35.

Sed objiciunt canone 24. Carthaginenſis 3. Synodi ſtatui, *ut in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Domi-*

mum tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum. Ex quo concludunt panem communem, & non verum corpus Chriſti in ſacramento exhiberi. Sed profectò illos fugit ratio hujus canonis. Cum enim quidam primitias una cum pane, & vino in altari, quaſi una & eadem benedictione conſecrandas offerrent, hoc Patres Africani meritò prohibuerunt, & quid offerendum eſſet ad conſecrationem ex inſtituto Chriſti, & quæ in primitiis ad benedictionem, caverunt, ut patet ex fine canonis. Addit enim, *neque ampliùs in ſacrificijs*, (legit canon 4. Africani Concilij, *primitijs*) *offeratur quàm de uvis, & frumentis.* Idque ampliùs innoteſcit d. c. 4. Africani Concilij, in quo exſcriptus & explicatus eſt ille canon 3. Carthagin. *Ut in ſacramentis corporis, & ſanguis Domini, nihil ampliùs offeratur quàm quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò ſeu mel, & lac, quod uno die ſolemniſſimo in infantium myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen propriam habent benedictionem, ut à ſacramento Dominici corporis, & ſanguinis diſtinguatur. Nec ampliùs in primitijs offeratur, quàm de uvis & frumentis.* Hinc autem explendeſcit quidnam ſibi velit canon 28. Synodi in Trullo. *Quoniam in diverſis Eccleſijs intelleximus uvam ad altare allatam, &c.*

Enimverò imperiti miniſtri omnia quæ in altari benedicenda afferebantur ſub una benedictione conjungebant, in quo graviter errabant, cum alia ſit conſecratio panis à benedictione primitiarum.

Primum igitur ſine altari nuſquam veteres ſacrificabant. Unde & *ſacramentum altaris* vocatur cap. 29. Synodi Carthaginenſis 3. quo vocabulo adhuc hodie utimur. De eo Laodicena, c. 19. *Poſtquam Presbyteri Epiſcopo panem dederint, tum etiam laicos dare, & tunc oblatio offeratur. Soliſ autem miniſtris altaris licet ingredi ad altare.* Antiochena, cap. 5. *Si quis Presbyter vel diaconus proprio contempto Epiſcopo ab Eccleſia ſeipſum ſegregaverit, & privatim congregationem fecerit, & altare erexerit, &* Carthaginenſis, canon 10. *Si quis fortè Presbyter à proprio Epiſcopo condemnatus, tumore quodam & arrogantia elatus, exiſtimaverit debere ſeparatim Deo ſancta offerre, vel aliud altare erigendum putaverit, &c.* Idem Canone Apoſtolorum 2. & 3. Cyprianus Epiſt. 12. *Euchariſtia in altari ſanctificatur.*

Altare.

Sed ut appareret illuſtrior ſacramenti hujus majeſtas, altaria ipſa conſecrabant. Synodus Agathenſis, can. 14. *Altaria placuit non ſolum unctione chryſmatis, ſed & Sacerdotali benedictione ſacrari.* Hypponenſis, canone 6. *Altaria ſi non fuerint lapides chryſmatis unctione non conſecrentur.* Quare & hodie ſacra non celebrantur in Eccleſiis, quæ non dicatæ ſunt, niſi cum lapide conſecrato. Quamobrem non licebat ea contingere laicis, aut minimè initiatis.

Vaſa ſacra.

De vaſis ſacris, Carthaginenſis 4. can. 5. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu vacuam accipit, & calicem vacuum.* In libello Preſbyterorum Edeſſeæ contra Ibam, act. 5. Concilij Chalcedonenſis. *Calicem gemmatum magni precij oblatum noſtræ Eccleſiæ à ſancto viro ante annos undecim inter vaſa ſanctæ Eccleſiæ non repoſuit.* Canon Apoſtolorum 79. *Vas aureum & argenteum ſanctificatum, & velamen linteum nemo ampliùs in ſuos uſus aſſumat.* De illis Photius in Nomocanone cap. 2. & iis aſſervandis præpoſitus erat qui in Concilio Chalcedonenſi, act. 7. vocatur *excuſtos ſacrorum vaſorum.* Ab Agathenſi, c. 6. *Præpoſitus.*

Veſtes ſacræ.

De veſtibus ſacris, Carthaginenſis 4. can. 41. *Ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis alba induatur.* Hieronymus ad Heliodorum, de morte Nepotiani, *Apprehenſa manu evangeli, hanc,* A *inquit, tunicam, qua utebar in miniſterio Chriſti, mitto, dilectiſſimo mihi.* & lib. 1. adverſ. Pelagianos, &c.

Sed & ipſa templa etiam conſecrare ſolebant. Carthaginenſis Synodus 5. canon 6. *Qui nullo teſtimonio ſe baptizatos noverunt, baptizentur: ſimiliter de conſecratione Eccleſiarum faciendum eſt.* Arauſicana 1. canone 10. *Epiſcopus in alieno territorio Eccleſiam ædificans, ab ejus conſecratione abſtineat, ut quæ ad eum pertineat Epiſcopum in cujus territorio Eccleſia extitatur.* Eccleſiarum autem conſecrationes maxima celebritate fiebant, *& incruenta ſacrificijs, & myſtica conſecrationibus divinum numen placabant*, inquit Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini, cap. 45.

Corpus Chriſti ſervatum.

B In ſacrario autem aſſervabatur corpus Chriſti in gratiam infirmorum, & abſentium, quod & ſecretarium dicebatur. Arelatenſis Synodus ſecunda, canone 15. *In ſecretario Diaconi corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumant.* De eo, canon *tribus gradibus.* De conſecrat. diſtinct. 2. quod inſacratis miniſtris ingredi nefas. Laodicenſis Synodus canon 21. *Non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſacrarium, ſeu Secretarium quod Græci ἀπόθετον appellant, ingredi, & contingere vaſa Dominica.* Inſacros autem miniſtros vocat Subdiaconos, ut & interpretatur Zonaras, quibus non eſt manus impoſita, ut ait Carthaginenſis 4. Synodus canone 5. Vaſa autem Dominica ſunt ubi aſſervatur corpus & ſanguis Chriſti, ut interpretatur Balſamon. Patenam enim & calicem vacuas Subdiaconis contingere licebat diſt. can. 5. Carthag. 4. Synodi. Altaria igitur conſecrata, vaſa ſacra, veſtes ſanctæ, Sacrarium, longè aliud panem illum exiſtimaſſe Eccleſiam, quam panem communem demonſtrant.

C

Viaticum.

Verùm quid illud eſt viaticum, cujus omnes fere Synodi mentionem fecerunt? Quid fortius magiſque inexplicabile ad confirmandum dogma catholicum Eccleſiæ? Nicæna can. 13. *De ijs qui excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque ſervetur, ut ſi quis vita excedat, ultimo & maximè neceſſario viatico ne privetur. Si autem deploratus, & communionem aſſecutus, rurſum in vivos relatus ſit, cum ijs qui orationum ſunt tantùm communionis participes. In ſumma autem de quolibet excedente, & Euchariſtiæ participationem petente, Epiſcopus eum cum examinatione oblatione impertiat.* Ancyrana can. 7. *Si periculum mortis, expectatioque ex morbo vel alia occaſione evenerit, ij ſub definitione recipiantur.* ἐπὶ τῷ, ut interpretatur Balſamon, ſub diſtinctione, ſub conditione, id eſt, hac conditione, ut ſi in vivos relatus ſit, maneat cum iis qui orationum ſunt tantum participes, ut ait Synodus Nicæna. Carthaginenſis 4. canone 77. *Pœnitentes qui in infirmitate ſunt, viaticum omnibus in morte poſitis pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare, quod morientis ſufficit reconciliationi, ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem viaticum nominaverunt.* Hoc autem apertè Euchariſtiam vocat Carthaginenſis 4. canone 76. ut & Nicæna, dicto canone 13. Unde Elibertina, canone 47. dicit, *Edere de communione pacis.* Hoc egregiè deſcribit Cyprianus epiſt. 2. *Meritò trahebantur dolentium pœnitentia, &c.*

D

Auguſtinus lib. 2. de viſitatione infirmor. *Illud etiam vivificum Dominici corporis ſacramentum ſuſcipere filii mi non renuas, quin potius illud avidiſſimè quæras, fideliter comedas. Cibus enim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi ſaluberrimum, redemptionis tuæ pretium, redemptoris monimentum, & redempti monimentum.* Quo viatico, & ſuperſubſtantiali pane hetetodoxos minimè uti in extremo vitæ articulo poſitos nihil mirabile eſt, quippe qui præter panem communem & prophanum hîc aliud

E

hòn cogitènt. Ideoque illum in arca domeſtica, & prophana, minimè verò in ſacrario concludunt contra Eccleſiæ Catholicæ ſanctum morem & inſtitutum, quæ Euchariſtiam in uſum infirmorum ſemper in Sacrario religiosè aſſervare conſuevit, ut nos docet hiſtoria Serapionis apud Euſebium lib. 6. cap. 36. ex Epiſt. Dionyſij Alexandrini.

Quod etiam decrevit Synodus 4. Carthaginenſis, canone 74. *Vt ſi continò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur, ori ejus Euchariſtia.* Et ita apparet ſervatam fuiſſe Euchariſtiam, & infirmis ſub una duntaxat ſpecie communicatam.

Quod autem ex Evagrio, & Nicephoro objicitur, quæ ſupererant ex communione, puerulis edenda propoſita fuiſſe Conſtantinopoli, hic uſus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ non neceſſario includit Euchariſtiæ Sacramentum minimè ſolitum ſervari in uſum morientium. Nam & in Eccleſia Romana in ſacrario corpus Chriſti aſſervabatur in uſum morientium, & nihilominus quæ ſupererant in altari à miniſtris eò ſumebantur. C. *Tribus gradibus.* De conſecrat. diſt. 2. Verùm non tantum in ſacrario ſervabatur Euchariſtia, ſed in quibuſdam provinciis Presbyteri populo in manum diſtribuebant, quibus licitum erat vel domi aſſervare, & ibidem ſumere: & nihilominus eoſdem participare ſacramento corporis Chriſti, ac ſi de manu Sacerdotis in Eccleſia percepiſſent. Ex quo infertur, eundem panem eſſe extra Synaxin, qui in Eccleſia edendus proponitur. Cyprianus Sermone de lapſis. *Cum quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Baſilius, in Epiſtola ad Cæſarium. *Omnes qui ſunt in deſerto Monachi ubi non eſt Sacerdos, illic habentes communionem, ex ſeipſis illam ſumunt. Alexandriæ autem, &c.*

Hoc tamen pòſtea interdictum eſt ab Eccleſia, ut ſupra oſtendi ex Synodo Carthaginenſi.

Adoratio Euchariſtiæ.

Nunc de adorandæ Euchariſtiæ ritu pauca dicenda ſunt. Id autem probari facile non poteſt ex Synodis antiquis, niſi quatenus verum Chriſti corpus in ſacra cœna porrigi concedunt, ut continuò, & adorandum præcipiant. Certè adverſarij Euchariſtiam primis ſæculis ſolitam oſtendi populo, admittunt. Ad quid autem corporis Chriſti elevatio, & oſtenſio, niſi ut à populo coleretur? Chryſoſt. ſerm. 3. ad Epheſ. Meminit veli cujuſdam, quod durante liturgia tollebatur. Verùm quia Auguſt. & Theod. apertiſſimè docent morem adorandæ Euchariſtiæ, ideo totis viribus illorum ſententiam deſtruere conantur. Auguſtinus in Pſalm. 98. in illud, *Adorate ſcabellum pedum ejus. In illa carne*, inquit, *hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adoraverit.* Quem ad locum Auguſtini, Synodus Francofordiana ſub Carolo Magno alluſit art. 4. *Non ex uſu hominis debemus æſtimare ſcabellum, non enim corporalis Deus, aut non immenſus, ut tanquam fulcrum pedibus ejus, ſcabellum putemus: neque adorandum quidquam præter Deum legimus, quia ſcriptum eſt, Dominum tuum adorabis, ubi idem dicit, quid ſit ſcabellum. Cælum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum. Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem corpus Chriſti, quam hodie in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorant.* Quæ verba Synodi demonſtrant, quam fallantur ij qui adorationis uſum ad poſteriora ſæcula referunt, cum hæc Synodus adorationis meminit, ut veteris Eccleſiæ inſtituti & uſus. Veniamus ad Theodoretum. *Dialog. 2.* *Signa*, inquit, *myſtica non recedunt poſt ſanctificationem à ſua natura. Manent enim in priore ſubſtantia, & figura, & forma, ſed concipiuntur ut ſuſſa ſunt, & creduntur & adorantur ſuſſa ut creduntur.* Rationem reddit cur adorentur, *quia ipſa facta ſunt ut creduntur.* Creduntur autem facta caro, & ſanguis Chriſti, alioquin non adorarentur. Porrò cum Theodoretus apertè doceat ſymbola alia facta eſſe in myſteriis poſt ſanctificationem, quàm antea erant, & concipi, & credi, & adorari ut ipſa facta ſunt, quid illuſtrius adduci poteſt ad confirmandam totam doctrinam Eccleſiæ de Sacramento Euchariſtiæ?

Dum verò contendunt adverſarij omnes qui ſacris interſunt, myſteriis debere communicare, minus videntur ad Apoſtoli ſententiam attendiſſe, qui admonet illos qui ad menſam Domini accedunt ſe ante diligenter probare, nequaquam autem myſteriis intereſſe prohibet. Pari quoque ratione Antiochena Synodus canone 2. eos qui per inſolentiam à perceptione Euchariſtiæ abſtinebant, reprehendit, & tamen myſteriis adeſſe non vetat. *Omnes qui Eccleſiam ingrediuntur, & ſacras ſcripturas audiunt, orationi autem cum populo communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participationem, propter aliquam inſolentiam averſantur, eos ab Eccleſia expelli, donec poſtquam confeſſi fuerint, fructuſque pœnitentiæ oſtenderint, & imploraverint, veniam aſſequi poſſint.* Hieronymus poſt Paulum, in caput 3. 2. ad Timoth. prohibet laïcis ne accedant ad ſacram ſynaxim niſi ab officio conjugali ceſſarint, & tamen ſacris quotidianis illos minimè arcet.

Miſſa privata.

Quod attinet ad Miſſas privatas, earum meminit Auguſtinus c. & hoc. de conſecrat. diſt. 1. Synodus Valenſis canone 6. *In omnibus Miſſis, &c.* Agat. canone 14.

Si quis etiam extra parœciæ, in quibus legitimus eſt ordinariuſque conventus, & oratorium habere voluerit, reliquis feſtivitatibus, ut ibi Miſſam audiat, propter fatigationem familiæ, juſſa ordinatione permittimus, &c.

Quo Canone maximè notandum eſt patres hujuſce Synodi uſurpaſſe verbum, *audire Miſſam.* Quod tamen Novatores nuſquam reperiri aſſerunt.

Item canone 15. Arelatenſis Synodi prohibetur Diaconis *præſente Presbytero corpus Chriſti tradere.* De corpore autem, non de calice loquitur. Nunquam enim auditum vinum conſecratum in ſacrario ſervari conſuevisſe, quoniam cito aceſceret, & corrumperetur. Porro varium fuiſſe uſum communicandi in Eccleſiis inde colligimus, quia aſſignari non poſſit tempus, quo laici in Occidentali Eccleſia cœperint ſub una ſpecie communicare. Ex quo facilè conjicitur primis Eccleſiæ ſeculis non ſemper præceptum fuiſſe, ſub utraque ſpecie communicare.

De memoriis martyrum, & ſacris conventibus, & feſtis quæ in iis fiunt. Gangrenſ. Synodus.

Invocatio Sanctorum. Chalcedonenſis.

Eccleſiæ, & altaria edificata in locis ubi erant martyrum reliquiæ. Carthaginenſis V.

Hiſtoriæ martyrum in Eccleſia recitatæ. Africana. Can. 15.

Martyria viſitata orationis & curationis gratia. Laodicenſis. Can. 9.

Sanctorum cultus.

SI veritas hæreſi antiquior eſt, ut rectè Tertullianus lib. 1. adverſus Marcionem, nihil eſt in Eccleſia quod vetuſtas magis commendet quam reliquiarum cultum. Eo enim ipſo Eunomiana, & Caïna hæreſes damnatæ, quod reliquiarum venerationem deſpectui haberent, teſte Hieronymo adverſus Vigilantium. At certum eſt Caïnam hæreſim exordium ſumpſiſſe à Valentino, cujus hæreſis Eccleſiam infeſtare incepit temporibus Antonini Pij, anno à paſſo Chriſto centeſimo decimo octavo.

Hanc etiam hæreſim circa tempora Nicænæ Synodi Euſtathius renovaverat in Paphlagonia, contra quem Gangrenſis Synodus coacta, in eos qui eam

doctrinam damnant, anathema pronuntiat can. 10. *Si quis superbiæ, &c.*

Preces & invocatio nominatim consignatur in Concilio Chalcedonensi, act. 11. ubi acclamant Patres, *Flaviano æterna memoria, ecce ultio, ecce veritas. Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret.* En sexcentorum triginta Patrum testimonium.

Usum imaginum fuisse in Ecclesia ex Elibertina Synodo, Romana sub Constantino Pontifice, Constantinopolitana V. Oecumenica, Trullensi. De Canone Elibertino.

Imagines. IMaginum autem usum à primis nascentis Ecclesiæ primordiis viguisse docet Elibertina Synodus can. 36. quo vetatur in parietibus Ecclesiæ depingi imagines rerum, quas colimus, & adoramus. Hinc conspicuum evadit ante Concilium Elibertinum usum pingendi imagines invaluisse. In Ecclesia Constantinopolitana depictæ erant imagines SS. Patrum, qui quatuor prioribus Conciliis interfuerant. Nam Philippicus Imperator damnatus est à Synodo Romana sub Constantino Pontifice, quod eas delevisset. In Concilio 5. Oecumenico act. 1. Clerici, & Monachi Antiochiæ, queruntur de Severo Antiocheno Episcopo, quod columbas aureas, & argenteas, in formam qua Spiritus Sanctus apparuerat, super divina lavacra, & altaria appensas, cum aliis in proprios usus convertisset. Nec eas columbas eo tantùm tempore in Ecclesiam introductas & super altaria collocatas, ex ipso textu facile est colligere, ut nec imaginem B. Joannis Baptistæ, de qua sic statuit Synodus in Trullo, *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas, Agnus qui digito Præcursoris monstratur, &c.*

Preces, oblationes, & sacrificia pro defunctis, Carthaginensis IV. Arelatensis II. Vetus Concilium Africanum ante tempora Cypriani, Vasense, Carthaginense III. Arelatense III.

Inferum. DEscensui Christi ad inferos quàm infensi sint sectarij docet Calvinus lib. 2. instit. cap. 16. sect. 8. Cùm in incerto relinquit, utrum inter fidei articulos numerandus veniat. Id autem facit ne cogatur plures locos in inferno constituere, & tamen fatetur invitus, *Descensum illum Domini ex piorum communi omnium sensu fuisse desumptum, quando nemo est Patrum, qui non in suis scriptis descensum Christi ad inferos commemoret, tametsi interpretatione diverse.* Porrò nullius alius interpretationis meminit Calvinus, quàm ejus quæ est Ecclesiæ, & Patrum, nempe *quod Christus descenderit ad animas Patrum, qui sub lege erant mortui, ut nuncium perattæ redemptionis perferret, & erueret eos de carcere ubi conclusæ tenebantur.* Agnoscitque caput 3. prioris Epistolæ Petri, ad id probabiliter aptari posse, *Christum prædicasse spiritibus qui in spelunca erant. Nam & eo contextus nos ducit, fideles qui ante id tempus defuncti fuerant, consortes fuisse ejusdem nobiscum gratiæ: quia vim mortis inde amplificat, quod ad mortuos usque penetraverit.* Et inferius. *Quod autem Petrus non ita distinctè loquitur, non ita accipiendum est, quasi nullo discrimine pios simul ac impios permisceat.* At quid hoc est, nisi plures locos in inferno constituere? Tollamus si licet, Lymbi vocabulum, concedit tamen fuisse locum animabus piorum destinatum, sed separatum à damnatis, quæ est fides Ecclesiæ.

Synodus Vasensis canone 6. *In omnibus Missis sive matutinis, sive Quadragesimalibus, sive in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus dici debet.* Hoc autem fiebat non tantum die depositionis, sed annuis diebus. Unde nomen anniversariorum invaluit. Tertullianus in exhortatione ad castitatem: *Jam repete apud Deum, pro cujus spiritu postules, pro quo oblationes annuas reddas.* Et lib. de corona militis. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.*

Quadragesimam celebratam fuisse in prioribus seculis, Synodus Nicæna. Laodicensis. Agathensis. Vasensis.

SYnodus Nicæna, can. 5. *Synodi fiant, una & quidem ante Quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis, purum munus Deo offeratur.* Laodicensis, can. 50. &c.

Synodus in Trullo, can. 56. testatur ova, & caseum fuisse prohibita per universum orbem, &c.

Objectiones hæreticorum adversus Concilia per Thomam Bozium dissolutæ.

MIrum quam sint hæretici impudentes: nam cum velint sibi omnia tribui, cæteros nihili haberi, sicut sibi cuncta arrogant, reliquos nullo loco ducunt: aiunt rationi non convenire, ut in Conciliis judicio majoris partis stetur. Id quam sit appositè dictum, quivis perpendere potest. Et ut videas quam sint cæci, inspice quid afferant.

In Nicæno, inquiunt illi, confessu, Paphnutius solus restitit liberè omnibus Episcopis volentibus prohibere Sacerdotibus usum conjugij, & protinus omnes rejecta priori sententia illi assensum dedere. Hæc isti ineptissimè. Non enim negamus esse in potestate cujuslibet apertè contra omnes dicere suam sententiam, antequam quidquam decernatur: at ubi res est diffinita, secus sentire prorsus flagitiosum, & impium. Igitur unius opinio cunctis præstabit, ubi omnes accedent illi, consilio priori mutato. Atque ita contra hæreticos erit, quod adducunt. Quamvis figmentum sit, quod de Paphnutio narratur. Socrates enim qui hæreticus fuit Novatianus, & indignus cui fides adhibeatur, ac Sozomenus cum secutus, qui id recitant, vixere annis centum post acta Nicæna: neque unde quod scribunt, acceperint, vel ipsi dicunt, vel aliunde apparet: contrarium vero constat ex Eusebio & Ruffino æqualibus eorum temporum, qui scriptis acta Concilij Nicæni sunt complexi: & Epiphanius, qui paulo post floruit, contra hæresim quadragesimam nonam scribens asserit, contra Canones Ecclesiasticos esse ut Sacerdos, & Diaconus liberos gignant. Et Hieronymus contra Vigilantium testatur in toto Oriente, & Ægypto, non licere conjugatis ad ordines sacros assumi, nisi desinant esse mariti. Basilius autem, Epistola ad Gregorium, vetat omnino Sacerdotem priori uxori adhærere, quasi sit contra sanctiones. Quid plura? Canone tertio Concilij Nicæni interdicitur nominatim, ne in domibus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, mulieres ullæ habitent, nisi sit mater soror, aut amita. Est itaque apertissimum mendacium, quod Socrates & Sozomenus scribunt.

Lib. 5. de signis Ecclesiæ Dei c. 8.

Suffragia unius.

Paphnutium.

Euseb. lib. 3. de vita Const. Ruf. lib. 10.

Circa celibatum Sacerdotum.

Urgent tamen Hæretici, & adducunt Nazianzeni dictum, Epistola ad Pompeium scribentis se omnia Episcoporum Concilia fugere. Sed de sui tēporis Conciliabulis verba facit Nazianzenus, in quibus Hæretici à Constantio Episcopi perperam constituti passim bacchabantur. Hinc illæ factiones Arimini, Seleuciæ, Tyri, Syrmij: & quî potuit Concilia improbare Nazianzenus, qui Nicænum sic amplexatur, & Constantinopolitano subscripsit? Basilius alibi, quæ mens fuerit Nazianzeni declarat ad Athanasium scribens: videri sibi fieri non posse, ut legitimum Concilium fiat, & ideo opus esse mitti ad Pontificem Romanum qui interponat authoritatem suam. Hæc intimus Nazianzeni Basilius.

Epist. 52. ad Athan.

Adducunt ijdem Augustinum, qui contra Maximinum, sic loquitur: Neque ego Nicænum neque tu debes Arrium tāquam præjudicaturus proferre judicium Concilij: neque ego ejus authoritate, neque tu illius detineris: Sed Augustinus non rejicit ullo modo ijs verbis Concilium; ait autem Maximinum non detineri authoritate Concilij Nicæni, quod respuebat: idque

Lib. 3. contra Maxim. c. 14

dicebat, quod in animo haberet ex alijs efficacioribus illum confutare: alioquin antea dixerat eodem libro: hoc eſt illud ἰμάτιον, quod in Concilio Nicæno adverſus Hæreticos Arianos à Catholicis Preſbyteris veritatis authoritate & authoritatis veritate confirmatum eſt. Hæc Auguſtinus, quibus quid illuſtrius? Sed quantùm detulerit Auguſtinus Concilijs univerſalibus, paſſim colligitur ex ejus ſcriptis, in quibus ſit ſatis adduxiſſe Epiſtolam centeſimam ſexageſimam ſecundam: & ideo quod alibi ait idem, Concilia plenaria à poſterioribus emendari intelligitur de Concilijs non legitimis, quale erat illud Cypriani, & alijs, quæ à Petri ſucceſſoribus non fuerint approbata: referri etiam poteſt ad morum ſanctiones, quæ pro temporum varietate variari poſſunt.

Ep. Auguſtini. Concilius quantum detulerit.

Lib. 2. de Bap. cap. 3.

Neque eſt, quod objiciant Hæretici Synodo Chalcedonenſi attribui inconſultam temeritatem à Leone. Poteſt enim Pontifex Romanus habere Concilia rata, eademque reprobare. Eſt enim Petri ſucceſſor, cui traditæ ſunt claves regni cœleſtis, & ſuper quem jacta ſunt Eccleſiæ fundamenta. Cum verò reprobat, tunc Epiſcopi ſequuntur ejus reprobationem, ſententiamque mutant, atque ita, quod ipſe ſancit, à Concilio univerſali ſancitur: in Concilijs verò id ſpectatur, in quod poſtremo convenitur. Quamvis id, quod Leo reprobat, non fuerit ritè in Concilio Chalcedonenſi tractatum, ſed quorundam factione, & ambitu dolosè inductum, ut ex ejus actis liquet. Cùm porro Gratianus ait, diſſentientibus inter ſe Concilijs, antiquioribus ſtandum, magiſque probatis, id refertur ad ea, quæ ſpectant ad morum diverſitatem, vel quæ Pontifex Romanus non habuit rata, vel univerſalia non ſunt. Ideirco bene idem dixit, Concilia Epiſcopalia invalida eſſe ad aliquid conſtituendum pertinens ad fidem.

Leo Epiſt. 53. ad Anat. 54. ad Marci. 55. ad Pulcher.

Diſt. 55. cap. Denique.

Neque verò facit adverſus nos, quod in Concilio Judæorum, præſidente Caipha, Chriſti doctrina fuerit rejecta, idemque morti adjudicatus. Hoc namque inter nos & antiquos eſt diſcrimen. Poterat univerſitas illorum excidere ab amicitia Dei, noſtra non poteſt, ob arctiſſimam, de qua diximus, conjunctionem. Accedit huc quod illud Judæorum Concilium nullomodo legitimum fuit.

Idem 9. & 11. Marc. 14.

Caiphas enim, qui præerat, per vim fuerat delectus, & ex hæreſi erat Sadducæorum. Adhuc ſenatus ille ſeptuaginta duorum virorum à Moyſe de juſſu Dei conſtitutus, cui jus erat unà cum Pontifice de rebus Religionis decernere, jam fuerat à Romanis ſublatus. Sic itaque nullum erat illud Concilium, cum neque Pontifex jure electus, neque ſuperſtites eſſent Hebræorum divinitus inſtituti Conſiliarij, & legum latores. Adde prædictum fuiſſe Judæorum, Synagogam divinitatis afflatu derelinquendam, Chriſtum morti ab illo dandum, veritatemque repudiandam. Contrarium de Eccleſia Chriſtiana, & Petri Cathedra prænunciatum, portas inferorum nihil adverſus eam valituras, Chriſtum fore nobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Sed de hoc in 1. claſſe.

Concilium Judæorum quomodo erraverit adhuc. 3.

Iſa. 6. & 9.

Illud ineptum quod ſubjiciunt in Hieroſolymitano Concilio diſſenſiſſe à Petro Jacobum, quod ille abrogandas omnes antiquæ legis cæremonias judicarit, hic verò retinendas aliqua ex parte, & Petri quidem ſententiam fuiſſe veram, conſtat ex ijs, quæ diſputat Paulus in Epiſtola ad Galatas, & tamen Concilium Jacobo, falſitati ſcilicet (ſic aiunt modeſtiſſimi hæretici) adhæſit. Sed falſum diſſenſiſſe à Petro Jacobum: addidit aliquid ad ſententiam Petri Jacobus: Idque Petro gratum ratumque fuit, quod nondum venerat illi in mentem: Convenereque Apoſtoli inter ſe, ut abrogarentur quidem ritus antiqui: quædam tamen retinerentur, ne irritarentur animi Judæorum palam, ſed paulatim allicerentur. Atque ita quæ cunctis patebant, ut ſuffocati uſus ac ſanguinis, noluerunt proti-

Circa diſſenſionem D. Petri à Jacobo.

nus antiquari. Nam & Paulus ipſe poſtea Titum circumcidit, templumque ingreſſus eſt obſervans vetuſtos ritus, ut ex Apoſtolicis actis conſtat: & circumiens Civitates decreta illius Concilij prædicabat. Ubi verò jam cultu Chriſti propagato diminuti ſunt Judæi, & cæremoniæ prorſus deletæ.

Neque verò cuiquam negotium faceſſere debet, quod aiunt iidem Hæretici, Neocæſarienſis Synodi lege cautum, ne Preſbyter convivio ſecundarum nuptiarum interſit, piaculumque imponat hominibus hiſce: atque ita ſecunda matrimonia vetantur: quod eſt contra Apoſtolum dicentem: *Si dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat in Domino:* En ut Apoſtolus adverſetur illi decreto, quod reſpuit ſecundas nuptias, & tamen approbatur à Leone quarto, & Synodo Nicæna, ut habetur in Florentina. Verum pertinet illa ſanctio Neocæſarienſis ad eos, qui prima vivente ſecundam ducunt uxorem: tamen ad illos referri, qui mortua prima ſecundam ducunt, nihil adhuc ad rem facit. Aliud eſt enim vetari aliquid aliud, ſi fiat ratum eſſe quidem, ſed locum deberi alicui expiationi ob incontinentiæ vel præſentis ſuſpicionem, vel futuræ coërcitionem: neque fruſtra Apoſtolus dixit: *nubat in Domino.* Quod ſcilicet periculum foret, ne qui convolat ad ſecundas nuptias libidine ductus, in Domino haud nubat, ut accidit maritis Saræ qui à dæmone ob incontinentiam occidebantur. Quid? nonne indicitur jejunium ſacro flumine abluendis, & ordinandis? Quis autem vecors dicat ob id vetitum Baptiſmum, vetitos ordines? Sic in Concilio Laodicenſi ſtatuitur ut ex indulgentia communio reddatur ijs, qui duxerint uxorem ſecundam: nam & Paulus uſum tam primi, quam ſecundi matrimonij ait ſe concedere ſecundum indulgentiam. Optat ille, ut omnes ſint, ſicut ipſe, immunes ab omni uſu matrimonij, ait ſe concedere: ſed quando non omnibus idem datum, Paulus imbecillioribus indulget.

Circa ſecundas nuptias.

1. Cor. 7.

Theſ. 5.

1. Cor. 9.

Quod autem Canone undecimo Concilij Arelatenſis cavetur non poſſe conſecrari ſacerdotem conjugio obligatum, niſi fuerit promiſſa converſio, at Concilio Gangrenſi communio interdicitur ei, qui nolit intereſſe ſacrificio Preſbyteri conjugati, quod approbatur à Leone quarto: rurſuſque in Concilio Nicæno, & referunt Socrates ac Sozomenus, permiſſum, ut Sacerdotes retineant uxores antea ductas neque uſus earum interdictus: non efficiunt hæc quod Hæretici volunt, ut veritas ſibi diſſideat, & Arelatenſe decretum ſit contrarium Gangrenſi, & Nicæno. Nam diverſa ſanciri pro diverſitate regionum in his, quæ ſpectant ad mores, ut poſſunt, ſæpe debent: verbi gratia, Græcis licet conſecrare fermentatum, ut aiunt, nobis non licet: ſed tamen adhuc eſt aliud, quod ijs ſanctionibus continetur. Gangrenſe Concilium coactum eſt adverſus Manichæos, & Euſtarium Sebaſtenum, qui nuptias à Deo deteſtabantur, ut nollent homines intereſſe ſacris Preſbyteri cui fuiſſet uxor, ſic enim Canon ille. *Quicumque à Presbytero, qui uxorem habuit, decernit non licere, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.* Viden ut per ſummum ſcelus truncata Canonum verba adducantur ab Hæreticis? Quantum ad Concilij Nicæni hiſtoriam, diximus eſſe figmentum, & id è Concilio Arelatenſi magis liquet, in quo ſanctiones Concilij Nicæni eodem reperiuntur ordine, quo ſcripta fuerunt Nicææ. Sed ponamus eſſe verum, quod aiunt, nihil tamen Socrates & Sozomenus aſſerunt diffinitum, tantum rem veniſſe in conſultationem, non in leges relatam.

3. diſt. c. de libellis.

Decreta morum mutantur.

Atque hic etiam licet Hæreticorum imperitiam cognoſcere. Nam cum in Concilio Nicæno ſcripta ſit hæc: qui vero per Dei gratiam vocati primò quidem oſtenderunt fidem ſuam depoſito militiæ cingulo; poſt hæc autem ad primum vomitum reverſi ſunt, ut & pecunias darent & ambirent rurſus ad militiam redire,

Cap. 5.

Circa militiam.

isti decem annis sint inter pœnitentes: putarunt stolidi isti hac sanctione militiam damnari, & ideo vociferantur adversus illam sanctissimam Synodum, quasi execretur quod Joannes approbat in Evangelio Lucæ: neque advertunt ibi fieri verba de militibus, qui maluerunt imperantibus Diocletiano, Maximiano, & Licinio, paulo ante illum conventum deponere cingulum militare, & omni dignitate privilegioque spoliari, quam Christum abiurare, ut Eusebius tradit: ob id de Valentiniano Rufinus ait, à Deo recepisse imperium pro cingulo, quod spreverat tempore Juliani. Agi vero de lapsis eo loco, tradit idem Rufinus alibi, quem secutus est Balsamon Antiochenus.

Luc. 3.

Euſ. lib. 8. c. 4. lib. 9. cap. 10 c. 2. & 6.

Cap. ult. Rursus aiunt Hæretici, in Concilio Laodiceno libri Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi inter Canonicos haud reponuntur, & in Cõcilio Carthaginensi reponuntur, & tam Laodicense recipitur in Synodo sexta, quam Carthaginense approbatur à Pontifice Romano. Sed quid consequitur ex ijs quæ adducunt Hæretici? Nihil profectò. Episcopi Conventus Laodiceni nihil definierunt de ijs libris quod eis non esset adhuc authoritas eorum comperta quæ Episcopis Africæ erat explorata. Ideo neque hi, neque illi lapsi: perinde ac si Judex multos absolvat, multos autem, de quorum causa nihil illi liqueat neque absolvat, neque condemnet, vel in aliud tempus, vel ad rei definitionem rejiciat: nunquid hic à veritate aut justitia recessit? Sapienter egisse nemo poterit diffiteri.

Circa libros Canonicos.

Cap. 17. Objiciunt Hæretici præterea verba Concilij Toletani, quæ sunt hujusmodi: Is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à Communione non repellitur tantùm ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit conjunctione contentus. Hæc Hæretici, qui cum sint imperitissimi Historiarum, & agantur à furore transversi, neque sciunt, neque advertunt quid apud majores fuerit in more positum. Sciendum verò concubinarum duo fuisse antiquitus discrimina, quarum quæ pro uxoribus habebantur, non repellebantur à cœtu Christianorum: aliæ verò nullo modo admittebantur. Vocabantur illæ concubinæ, quod neque nuptiæ celebratæ essent, neque nuptijs adfuisset Sacerdos: sed tamen conjugum justarum loco reputabantur, ut observavit Gratianus. De his verba facit illud decretum.

Concubinarum duo genera antiqua.

Dist. 34. cap. omnibus.

Quod vero addunt ijdem in Canonibus sextæ Synodi multos esse errores (in secundo namque recipitur Concilium Cypriani de rebaptizandis ijs, qui ab Hæreticis sunt baptizati: septuagesimus secundus nulla declarat Catholicorum conjugia cum Hæreticis, quæ tamen valent, quamvis Catholici peccent, atque si canones ab Hadriano primo in Epistola ad Tharasium dicuntur divinè & legaliter prolati, citantur à Nicolao primo Epistola ad Michaelem, ab Innocentio tertio, & à Concilio septimo, nihil colligunt. Atque ut intelligamus, quot & quantis mendacijs perverse Hæretici oppugnent veritatem, sciendum canones illos nullo modo editos à sexta Synodo, ut constat ex actione quarta septimi Concilij. Sexta namque Synodus habita est tempore Agathonis Papæ, & Constantini Pogonati. Hi verò canones editi fuerunt antea tempore Justiniani secundi ac Sergij Papæ ab aliquot Episcopis, ac falsò sexto Synodo adscripti, rejectique palam fuere à Pontifice Romano, ut Beda scribit libro de sex ætatibus in Justiniano & apparet è tertio canone illos editos anno mundi, juxta Græcos, sexies millesimo centesimo nonagesimo nono qui incidit in annum secundum Justiniani junioris, ex quo recipit imperium, ut observavit etiam Stephanus Syncellus Tharasij Episcopi Constantinopolitani. At Concilium sextum est habitum anno sexies millesimo centesimo septuagesimo secundo: atque ita intercedunt anni viginti septem. Apertius autem in canone primo id apparet. In eo namque numerantur, ac recipiuntur universalia Concilia, & inter alia sic habetur: Prætereà sextæ quoque Synodi, quæ in hac civitate Imperatoria congregata fuerat, fidem, quæ majorem ex eo firmitatem accepit, quod pius Imperator noster ejus decisiones suo signaculo munivit, ad futuram per omnia sæcula securitatem non amplius movendam neque agitandam, nos servare profitemur. Hucusque Synodus illa, è quibus apparet hos canones non esse sextæ Synodi, defuncto jam Constantino, quem divæ memoriæ vocat hic canon, quod defunctus esset.

Circa Canones sextæ Synodi.

Inno. c. à multis de etat. ordin. Syn. sept. c. 3. 4. & 5. 6.

Canones dicti quinisexti sunt in Trullo recepti à Papa.

Amplius ex ipso initio canonum, liquet eos editos imperante Justiniano post Synodum sextam, à qua nullos conscriptos canones constat ibidem: sic enim dicitur: quoniam verò sanctæ & universales duæ Synodi in hac imperante & Dei observatrice civitate congregata, una quidem temporibus divinæ recordationis Justiniani: altera verò sub piæ memoriæ Imperatore Constantino tuæ mansuetudinis patre: ad paternæ declarandum fidei mysterium sacros canones nequaquam conscripserunt. Hæc ibi.

Sed afferamus adhuc alia adversus Hæreticos, & eorum solvamus objecta: dicamusque in secundo canone nullo modo approbari Concilium Cypriani de Baptismo iterando. Sic enim verba canonis: Prætereà verò recipimus, & à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus, & Martyr, & Synodo, quæ sub ipso fuit, emissum canonem, qui in prædictorum Præsulum locis, & solum secundum traditam eis consuetudinem servatus est. At sub Cypriano multa sunt habita Concilia præter illud, quod de iterando Baptismo est actum. Inter alia unum de lapsis, ut apparet ex Epistola Cypriani ad Cornelium, aliud de baptizandis infantibus. Hæc igitur approbari credendum est omnino, non illa quæ certissimum est fuisse rejecta: & patet quia loquitur de canone qui fuerit servatus, at ille de renovando Hæreticorum Baptismo non est receptus. Quantum ad septuagesimum secundum canonem, dicimus non esse absurdum, ut diversæ edantur constitutiones, pro temporum atque hominum diversitate: & quæ prius editæ fuerant, aboleantur in ijs quæ pertinent ad mores. Itaque possunt à Concilijs irrita fieri Concilia Catholicorum cum Hæreticis, rursus alio tempore haberi rata. Ad verba Hadriani, dicimus referri ab Hadriano verba ipsius Tharasij asserentis eos canones divinè & legaliter sextæ Synodi prædicatos. Quin necesse à Tharasio non citari canones istos editos imperante Justiniano, sed alios, quorum memoria non in scriptis, sed in hominum prædicatione supereſt. Tharasius namque optimè sciebat nullos exstitisse canones Synodi sextæ ex electione eorum, quos recitavimus. Nicolaus autem profitetur apertè se citare eum canonem Græcorum, quemadmodum citavit Paulus verba Poëtarum, obtestans nihil ijs deferri, nisi quantum appareret in ijs boni, aut potius quantùm tribuerent ijs Græci.

Lib. 7. Epiſt. 2. lib. 3. Epiſt. 6.

Idem dicimus de Innocentio ac septimo Concilio, citari scilicet ab ijs canones hujusmodi, non ut certæ & indubitatæ fidei decreti, sed quatenus in ijs inerat boni ac verisimilis, exceptum forsitan à sexta Synodo fictionibus nonnullis admixtis, ut fieri solet, quamvis in septimo Concilio afferantur ij canones à privatis ad quos non spectabat eos sancire.

Adducunt etiam Hæretici Concilium quoddam Francofordiense, in quo septimum reprobatur, & imagines damnantur. Sed quæ exstat legitima Synodus Francofordiensis in libris Conciliorum, nullo loco vel reprobat septimum, vel imagines damnat. Sciendum à Constantino Copronymo omnium sceleſtissimo Imperatore coactum quendam Conventum Constantinopoli ante septimam Synodum Nicænam secundam, ut Paulus Diaconus & Zonaras tradunt, ideo appellatum ab eo Concilium hujusmodi septimum, neque enim Nicænum secundum cæteris adnumerabat. In Francofordiensi igitur hæc Synodus

Circa imagines.

ſeptima rejicitur ut ſcribit Aymonius.

Lib. 4. c. 5. Nihilominus anno M. DXXXXIX. emiſſus eſt ab Hæreticis liber quidam nomine Eliphili, in quo Carolus magnus quatuor libris fingitur imagines oppugnare. Sed eos eſſe commentitios, & ab Hæreticis confictos, plurimis neceſſario probatur, ut nemo rem diffiteri poſſit. Ac primo conſtat apertiſſimè ex Hiſtorijs Zonaræ, Cedreni, Landulphi ſagacis, Gregorium tertium, Hadrianum primum, Leonem tertium ideo abjunxiſſe ſe ab amicitia Imperatorum Græcorum, & totos ſe dediſſe Pipino, & Carolo Magno Regibus Francorum, quod illi quidem imagines exſecrarentur. Sic enim Zonaras de Gregorio tertio: Gregorius, deſerta Imperatoris obedientia ob perverſam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cum priùs ſæpe dediſſet operam, ut Leonem per literas ob odio Dei revocaret, utque ad imaginum ſacratum cultum reduceret. Hæc ille. Deinde Carolus Magnus coluit maximè præ cunctis Hadrianum, ut conſtat tum ex alijs, tum ex carminibus, quæ viſuntur adhuc inciſa in tabula ænea pro Templo Vaticano in laudem Hadriani, è quibus placet hîc exſcribere quatuor.

Libri Carolini.

Origo diſſenſionis inter Latinos & Græcos, & unionis cum Francis.

Poſt patrem Carolus lachrymans hæc Carmina ſcripſit.

Tu mihi dulcis amor. Te modo plango Pater.
Tu memor eſto mei, ſequitur te mens mea ſemper.
Cum Chriſto teneas regna beata Poli.

At Hadrianus inter cætera librum ſcripſit ad Carolum Magnum, quo defendit imaginum cultum: extat adhuc ille, & tanquam Hadriani adducitur ab Yvone quarto libro ſui decreti. Quî ergo fieri potuit, ut Carolus Magnus diſſenſerit ab Hadriano, cui primas detulit ſemper? Præterea Regino ſcribit anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo in Gentiliaco villa, habitam Synodum à Rege Pipino Caroli Magni patre inter Romanos & Græcos de ſancta Trinitate, & imaginibus ſacris. In ea tradit Ænilius illarum cultum ſancitum. Ex eodem Sigeberto que conſtat, haud paulo poſt defuncto Pipino miſſos à Carolo Magno Romam multos Epiſcopos, ac Stephano Papa præſidente, aliiſque Epiſcopis præſentibus, iterum imaginibus honor ſancitus. Quin Jonas Aurelianenſis Epiſcopus è Francis qui fuit imperante Carolo Magno, & Ludovico pio, ſcribit Felicem Urgeſitanum, & Claudium Taurinenſem, imaginum ſanctarum inimiciſſimos, toto tempore quo Carolus Magnus vixit, nihil auſos hiſcere adverſus illas. Quod ſi Carolus Magnus ediditſet illa ſcripta, quomodo non latraſſent? Et hæc quantum ad Caroli Magni commentitios libros.

Lib. 5.

Circa irritationem actorum Formoſi.

Quod verò objiciunt Hæretici Concilium Romanum Stephano ſeptimo præſidente coactum, irrita feciſſe Formoſi Papæ acta, deinde illud abrogatum à Joanne nono, & Formoſi acta reſtituta, id non facit ad rem. Nam leges ad inſtitutionem morum pertinentes tolli poſſunt pro temporum varietate, & Pontifex labi poſſet in ijs, quæ ſtatuit, non ut Pontifex ac Petri ſucceſſor, univerſalis ſcilicet Eccleſiæ moderator, ſed ut princeps. Neque illa ſunt univerſalia decreta vel fidei, vel morum, quibus jubeat, ut cuncti habeant fidem. Quamvis Luitprandus Ticinenſis, qui fuit ſub ea tempora, tradat cum Pontificem, qui reſcidit acta Formoſi, non fuiſſe rite, ſed vitio creatum, expulſo per vim qui legitimus erat, qua tamen de re nihil nunc affirmamus.

Quod autem poſtremo dicunt à Conſtantienſi & Baſilienſi Conventibus conſtitutum ſubeſſe Concilijs Papam, contrarium verò in Florentino, & Lateranenſi, id totum nihil eſt. Nam quæ conſtituta fuere Conſtantiæ & Baſileæ, hac parte non fuere confirmata à Pontificibus Romanis, quibus eſt jus convocandi Synodos legitimas & ſancicndi illarum Conſtitutiones.

Plures alios errores objiciunt Hæretici, quorum errorum tantum tertia pars indigeret aliqua diſcuſſione. 1. enim objiciunt quoſdam errores veros & craſſos Conciliorum illegitimorum & reprobatorum à Summo Pontifice. 2. objiciunt alios errores, non tamen veros ſed fictos, quia omnia quæ ipſi non probant vocant errores ſenſu ſuo. 3. Alios objiciunt qui in noſtro & ipſorum ſenſu ſpeciem aliquam erroris continent, quorum jam aliqui hactenus diluti ſunt, alij infra diluentur. De quibus fusè admodum Bellarminus l. 2. de Concilijs c. 7.

Enumerant denique adverſarij, inquit, errores Conciliorum, & præcipuè Hermannus lib. 3. cap. 15. & 16. prolegomenorum, & liber Proteſtantium, qui inſcribitur, cauſa cur electores, & cætera. Sed è maximo numero errorum, ſolum tertia pars eget aliquâ diſcuſſione. Trium enim generum errores in Concilijs adverſarij obſervarunt. Quoſdam errores veros & craſſos, ſed Conciliorum illegitimorum & à Pontificibus reprobatorum, ut Ariminenſis, Seleucienſis, Epheſini 11. quos fruſtra enumerant, cum nihil faciant contra nos. Vide quæ diximus de Concilijs reprobatis, libro 1. cap. 7. & 8.

Alios deinde errores non veros, ſed fictos Conciliorum legitimorum, & probatorum: omnia enim quæ ipſi non probant, vocant errorem. Hoc modo dicunt erraſſe Concilium Chalcedonenſe, in quo ſanctimoniales prohibentur votum continentiæ violare, & Concilium Carthaginenſe V. in quo ſtatuitur, ne altaria erigantur ſine reliquijs Martyrum, ſed dum hæc dicunt, aſſumunt quod probandum erat.

Alios denique errores obſervant in veris, legitimiſque Concilijs quæ revera ſpeciem aliquam erroris habere videntur, ideſt, ejuſmodi ſententias videntur continere, quæ & noſtro & illorum conſenſu judicantur erroneæ, atque hos duntaxat examinare, & diluere debemus.

Primo loco Calvinus adducit Concilium quadringentorum circiter Prophetarum, qui omnes erraverunt ipſo Deo proteſtante ſe miſiſſe ſpiritum mendacem in ore ipſorum 3. Regum. 22. ſed quale, quæſo, Concilium illud fuit? Primum non erant illi Prophetæ Domini, nam cùm quadringenti illi Prophetæ ſententias ſuas dixiſſent, legimus quæſi viſſe Regem Joſaphat à Rege Achab, an non eſſet aliquis Propheta Domini, per quem Dominus interrogari poſſet? Achab autem reſpondiſſe, remanſit unus, ſed ego odi illum. Deinde Concilia, non Prophetarum, ſed Sacerdotum eſſe debent. Denique Concilium illud ab Achab Rege, non à Summo Pontifice, coactum fuit, proinde nil mirum ſi erravit.

Proponunt ſecundo Calvinus & Brentius Concilium Judæorum, præſide Summo Pontifice Caipha, in quo excommunicati ſunt, qui confitebantur Jeſum eſſe Chriſtum, Joan. 9. & poſtea Chriſtus reus mortis judicatus eſt, Joan. 11. & Marc. 14.

Reſpondeo. Quidam aiunt, quæſtionem fuiſſe de facto, non de jure, quam Concilium illud judicavit, videlicet, num Jeſus necandus eſſet: in ejuſmodi autem judicijs Concilia errare poſſe, non dubium eſt; at quæſtio illa etiam ſi de facto eſſet, tamen involvebat quæſtionem de fide graviſſimam, nimirum an Jeſus eſſet verus Meſſias, & Dei Filius, atque adeo Deus verus. Quocirca erravit in fide perniciosiſſimè Caiphas cum univerſo Concilio, cum judicavit Jeſum blaſphemaſſe, qui ſe Dei filium appellaverat. Sed de hoc infra claſſe 1.

Tertio videtur Lutherus reprehendere Concilium Apoſtolorum, de quo Act. 15. dicit enim in aſſertione art. 29. Jacobum mutaſſe Petri ſententiam. Conſtat autem ſententiam Petri, qui judicaverat, non debere gentes cogi ad legalia, fuiſſe bonam & veram: nam eam tuetur Paulus in tota Epiſtola ad Galatas, ergo ſententia Jacobi, quam tota Synodus ſequuta eſt, fuit

mala eſt falſa, quòd nimirum juſſit gentes abſtinere à ſanguine, & ſuffocato, quod nihil aliud eſt, quàm Judaizare. Item Lutherus in libro de Conciliis, parte prima, multa dicit de hac lege Apoſtolorum, & quamvis non audeat aſſerere fuiſſe malam, tamen inde probat, Concilium nihil prodeſſe, quia non poteſt defendi iſta lex, niſi dicamus Concilium nos obligare. Sed de hac difficultate in 4. claſſe.

Alij denique plura objiciunt contra Concilium Tridentinum ſub nomine Andreæ Judithij Epiſcopi Quinqueccleſienſis, ferè in ipſo limine Hiſtoriæ Concil. Trid. Petri Suavis Polani, quem Fra-Paulum communiter dicunt. Quod ſcilicet in eo numerarentur, non ponderarentur voces. Quod quotidie novi Epiſcopi ex majori parte barbatuli adoleſcentes Tridentum adventarent ad ſententiam ſecundùm Papæ voluntatem dicendam. Quod nihil habuerit commercij cum illo conventu Spiritus Sanctus, omnia erant humana Concilia quæ in tuenda Pontificum dominatione conſumebantur. Omitto cætera horrore plena, ſed & ridicula, & mendacijs, ſicut & hiſtoria Fra-Pauli, qui nomen ſuum ſub anagrāmatiſmo mentitus eſt, ſcatentia. Quæ quoniam iſti opponunt ſententiæ Edmundi Campiani Soc. Jeſu. diſerti diſputatoris, verius eamdem ipſius ſententiam iſtis opponam nunc, donec ad ipſum Concilium ſuo ordine veniamus, in quo atrocES illæ calumniæ falſæ appareant.

Obiectio contra Concilium Tridentinum.

Tridentina Synodus, inquit, quo magis inveteraſcet, eo magis in dies efflореſcet. Bone Deus! quæ gentium varietas, qui delectus Epiſcoporum totius orbis, qui Regum & Rerumpublicarum ſplendor; quæ medulla Theologorum, quæ ſanctitas, quæ lachrymæ, quæ jejunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta ſubtilitas, quantus labor, quam infinita lectio, quantæ virtutum & ſtudiorum divitiæ auguſtum illud ſacrarium impleverunt?

Quàm benè ergo iſtud Canticorum 4. adaptarè poterimus iſti ultimæ Synodo. *Sicut turris David collum tuum mille clypei pendent ex eo, omnis armatura fortium.* Ideò cum id ſentiunt Eteredoxi, tantopere illi adverſantur.

Sed de hac difficultate & alijs infra ſuis locis plura diſcutiuntur & reſolvuntur. Sufficiat nunc de his hæreticorum querimonijs & accuſationibus præmoniſſe lectorem. Hiſque poſitis principijs proœmialibus, jam primam claſſem Conciliorum, quæ eſt veteris teſtamenti adſpirante Spiritu ſancto ad honorem Verbi incarnati, & Redemptionis humani generis notitiam fidemque ingenerandam, ingrediamur.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis. Pſal. 118.

SVMMA

SVMMA
CONCILIORVM
ordinata, aucta, illuſtrata
A. M. LVDOVICO BAIL
DOCTORE THEOLOGO PARISIENSI.

PRIMA CLASSIS CONCILIORVM VETERIS TESTAMENTI.

SYNAGOGA *ſeu Eccleſia Iudæorum à Moyſe ducens initium poſt egreſſum ex Ægypto, circa annum à creatione mundi 2450. Eccleſiæ Chriſti figura fuit ac veluti imago & pictura, duravitque uſque ad mortem Chriſti, in quâ è latere ejus nata eſt, ſicut Eva mater viventium ex primi Adami coſta ædificata fuerat, ac varios ſtatus paſſa eſt, modo pacifica, nunc bellorum fluctibus agitata, nunc proſperis gaudens, nunc adverſis concuſſa, ut fert rerum humanarum conditio mutationi obnoxiarum. Sicut autem Eccleſia Chriſti Sacerdotes, Epiſcopos, Pontifices ſque ſuos ſemper habuit, qui pro rerum neceſſitate ad ejus conſervationem & exaltationem cœtus varios habuerunt, qui Concilia ac Synodi magis vulgato nomine dicuntur: Itidem & Synagoga Iudæorum Sacerdotes diverſorum ordinum ac ſummos Pontifices; à quibus etiam habita ſunt Concilia ac Synodi congregatæ, prout neceſſitas temporum poſtulabat. Quia vero hæc antiquiora Concilia hactenus omiſſa ſunt ab iis qui Concilia in ſummas aut plura volumina coëgerunt, cum in animo nobis ſit aliqua ſupplere in ſumma Conciliorum quæ ab aliis prætermiſſa ſunt, operæ pretium duximus ab ipſis Synagogæ Conciliis chorum agere, ne deſiderari amplius poſſint, præmiſſo tamen tum Sanctiſſimæ Trinitatis, tum quodam Angelorum Concilio, quorum cœleſtis hierarchia Eccleſiaſticæ eſt exemplar.* Synagoga figura Eccleſiæ.

SYNODVS SANCTISSIMÆ TRINITATIS DE SALVTE hominis per Chriſtum Redemptorem ab æterno in mente Dei.

HANC Synodum ampliſſimè repræſentat in digreſſionibus ſuper caput 1. ad Epheſios Jacobus Naclantius Epiſcopus Clugienſis unus ex Patribus Tridentinis, vocatque nunc Sacro-ſanctam Triadum Synodum, nunc magnum ac ſuperveneradum totius Trinitatis conſilium quo decretum eſt ut tempore definito ſuus Unigenitus carnẽ induceret, & in ſe non ſolum ærumnas ſed errata noſtra reciperet: ut illa fœliciſſimo crucis ſacrificio expiaret, noſque ad vitam gratiæ, nec non gloriæ quæ ex ea conſequitur, reſtitueret. Igitur vita gratiæ à principio erat in Chriſto quoniam ex decreto Patris, nemini erat concedenda niſi per eum, ut hoc pacto à capite dimanaret ad membra: & non ſecus ac unguentum Aaronis uſque in oram veſtimenti. Hæc vita *erat lux hominum*: eo quod ſolâ gratiâ Chriſti illuſtres evadimus apud Deum: & præſertim electi quibus non impartitur ad tempus, ſed abſolutè: *& lucet in tenebris*; quoniam & reprobis gratia prædicatur, cum prædicetur omnibus Evangelium, quod eſt verbum gratiæ: ſed tenebræ non apprehenderunt; quoniam ſi quando *opertum eſt Evangelium, in his qui pereunt opertum eſt*, ut Apoſtolus dicit. 2. Cor. 4.

In Chriſto vita hominum.

Ioan. 1.

Quo ordine iſtud redemptionis humanæ myſterium quod eſt ferè argumentum perpetuum Conciliorum omnium quæ illius nunc principia, nunc extenſionem & ſubſtantiam, nunc modos ac media quibus applicatur, ſtabiliunt, explicant ac defendunt contra varias hæreticorum molitiones, qui inſtigante Sathana fidem illius vivam & integram, in quo juſtitia & ſalus hominis corrupti per Adami lapſum, ſita eſt, quo inquam ordine iſtud myſterium decretum fuerit, tractat fusè prædictus Auctor: ſicut & plerique Theologi, apud quos legere & diſcere ſtudioſis licebit. *Redemptio Chriſti ab æterno decreta.*

Illud tantum nobis nunc vacat annotare, quod etſi in rigore Theologico non ſit hæc Synodus accipienda,

ſicut & quædam aliæ ſequentes, non fuit tamen à nobis omittenda : cum nomine Synodi ac Concilij viſum ſit probatis Scriptoribus appellare, inter quos & Franco Abbas in duodecimo ſæculo tom. 9. de Gratia Dei in Bibliothecâ Hieromelitâ à Joannis Euſebij, baptiſato Domino Cœlum patuit, Spiritus ſanctus in columbâ affluit, Pater in voce de cœlo ſonuit : *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Hæc eſt illa baptiſmatis gratia, hæc virtus, hæc ſanctificatio, per hanc ſanctæ Trinitatis fidem baptiſatis tribuitur remiſſio omnium peccatorum. *O quam glorioſum de præſentia Patris, Filij & Spiritus ſancti Concilium!* O quam lætum ipſis ſupernis virtutibus ſpectaculum! Non enim minus hæc exclamatio locum habere poteſt habitâ ratione ad decretum Dei æternum, quam ad baptiſmum aut ad transfigurationem temporalem Chriſti. Tunc enim Deus reſpexit Chriſtum ut filium primogenitum omnis creaturæ, & eo titulo ut Pontificem magnum, qui daret ſemetipſum redemptionem, oblatione ſui ipſius, tanquam victimæ ſolius, qua Deus dignè honoraretur ſupremo cultu, quo nullus major, & quo placaretur adverſus peccatores. In nullo enim hominum ſibi complacuit Deus, cum omnes de cœlo adſpexerit peccato obnoxios; ideo dicit Geneſ. 6. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Nec holocautomata illi placuerunt pro peccatis oblata. Id uni Chriſto Deo-homini competebat. Idcirco ab æterno dixit Deus futura videns tanquam præſentia, *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Fidem in illum vivam, quæ ex auditu eſt, integram & inviolatam ſervate. Hæc eſt juſtitia quæ ex fide tantopere commendata ab Apoſtolo. Ad quam tuendam contra milleformes dæmonum, hæreticorum, ac improborum tepidorumque hominum incurſus, coacta ſunt Concilia, ſeu generalia quæ magis directè in hoc laborarunt modo quo ſupra, ſeu etiam Nationalia aut Provincialia quæ majori ex parte generalibus ſubſerviunt, vel ut ea præparent antequam habeantur, vel poſtquam habita ſunt, ut ea promulgent eorumque decreta tueantur contra prævaricatores canonum in ipſis ſancitorum, non alium ob finem, quam ut redemptio Chriſti fructu ſuo non careat.

Matt. 16.

Pignatellus in monte pretioſi.

Scopus Conciliorum redemptionem aſſerere.

Atque hoc ipſum redemptionis myſterium (quod decet magis attendere ſtudioſos in lectione Conciliorum) complebitur in ipſo ultimo die generalis judicij, in quo Chriſtus verè colophonem imponet myſterio, juxta dictum Evangelij Luc. 21. *Ecce appropinquat redemptio veſtra*, cum electos ſuos ab omni reprobotum conſortio, ideſt, oves ſuos ab hœdis ſeparabit ac fœlicitate omni ex parte tam animæ quam corporis completâ feliciter donabit.

Complementum redemptionis judicium ultimum.

Quæ divinæ mentis arcana etſi, ait idem Naclantus, in patria pertingemus illuſtrius : imo cum cogitationes Dei longe diverſæ ſint à cogitationibus noſtris; mirum non eſt, ſi magna ex parte recondita ſunt nobis, dum hic agimus : Attamen cum ſine præſumptione ſubeque cenſurâ (prout facimus) ſacro-ſanctæ Eccleſiæ aliquid attentamus & luce divini verbi ſuffulti, illud pro noſtro captu humiliter balbutimus : non ſolum Deum non offendimus, ſed veneramur, & Eccleſiæ imbecillioribus membris non raro proficimus.

Attendat ergo lector ſedulus Conciliorum ad hunc finem redemptionis humanæ, quam omnia Concilia contra dæmonum aſtus, quibus tanquam organa fuerunt hæretici (etſi forſan non adverterent variis fucatæ veritatis aut pietatis prætextibus deluſi) perpetuò defendunt, ne fides ejus, cui ſalus humani generis illigata eſt, aliqua ſui parte violaretur in præjudicium ſalutis. Sic enim percurrendo Concilia dilatabitur anima, & affluet deliciis cum multo fructu non ſcientiæ modo, ſed etiam pietatis : ſicque mirabitur propoſitum Dei æternum de ſalvando homine quem dæmon dejecerat per Chriſtum, quem propoſuit propitiationem per fidem in ſanguine ſuo ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, ad exitum felicem perductum fuiſſe, Chriſto tandem exaltato ad dexteram Patris, ubi cum electis in æternum regnat; & dejecto dracone cum capitibus ſuis, puta hæreſiarchas & ſequaces, nec non tepidos in fide, ac infideles principes, per quos primo ante Incarnationem ipſam conatus eſt impedire ne naſceretur, volens pluries extinguere ſemen Iſrael per Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Antiochum, Herodem & alios, & poſt Incarnationem peractam, veram fidem ipſius myſterij interturbare ac ſi fieri poſſet omnino extinguere per Arrios, Neſtorios, Pelagios, Lutheros & ſimiles humani generis peſtes uſque ad Anti-chriſtum. Ut ſic tandem victoria Verbi Dei celebretur, & propoſitum Dei invictum appareat, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque futura, neque inſtantia, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia avertere potuerunt.

Victoria verbi Dei.

ad Rom. 8.

Concilium Angelorum celebratũ anno mundi 2399. in Auſitide regione Aſiæ ad providendum rebus S. Iob, Præſidente aliquo Hierarchâ ex ſuperioribus Angelis.

HVjus Concilij Angelici acta habentur in libro Iob cap. 1. His verbis. *Quadam autem die cum veniſſent filij Dei, ut aſiſterent coram Domino, affuit & inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus : Vnde venis? cui reſpondens, ait : Circuivi terram & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum, Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod non ſit ei homo ſimilis in terra, homo ſimplex ac rectus ac timens Deum, & recedens à malo? Cui reſpondens Satan ait : Nunquid Iob fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum, ac domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum? operibus manuum ejus benedixiſti, & poſſeſſio ejus crevit in terra : ſed extende paululum manum tuam & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce univerſa quæ habet in manu tua ſunt : tantum in eum ne extendas manum tuam.*

Hunc conventum Angelorum, qui per filios Dei hic intelliguntur & diſertè nominantur in verſ. 70. agnoſcit D. Ambroſius in Pſal. 37. Itemque Ioannes Pineda in c. 1. Iob, Concilium vocat, aitque fuiſſe eorum Angelorum qui cuſtodes erant Iob tum domeſticorum ejus omnium filiorum ac filiarum, ſervorumque ejus ac ancillarum, ob eam cauſam habitum, quod dæmonem viderent accuratè nimis inſidiari ipſi Iob. Quare in unum convenerunt, ut ipſius rebus ſeu protegendis, ſeu etiam promovendis proſpicerent ſimul, ac novam illuminationem peterent ſuper ejus ſalute. Sed & anxij eſſe poterant illi omnes Angeli de magna Iobi proſperitate conjuncta magnæ innocentiæ ac ſanctitati, vix enim ſimul conſiſtunt ad diuturnum temporis ſpatium magna proſperitas & ſanctitas, quippe ſolent ſancti adverſis rebus exerceri ex Dei providentia, unde ſuſpectus eſſe potuit Angelis cuſtodibus ſtatus ille Iobi tam fœlix ac tam purus ab omni peccato. Ideo magis ſpeciali curâ pro ipſo invigilantes in cœtum congregati ſunt, ut communi ſollicitudine ipſi providerent. Tantus eſt amor Angelorum cuſtodum ad homines, tam perſpicax vigilantia. Quidam non

Concilium, ſed quaſi Concilium vocant. Sic Turinus & Ioannes de la Haye in c. 1. Iob. Dubitari autem poteſt de loco illius Concilij Angelici, ac etiam de præſide, nec non de tempore.

Quod ſpectat ad locum Ianſonius in cap. 1. Iob, cœlum fuiſſe putat, eo non obſtante quod inter illos Angelos adfuerit Satan reali præſentia, quamvis per peccatum è cœlo præcipitatus fuerit, dicente Domino, Luc. 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur è Cœlo cadentem.* Vtique, inquit, ſed non inde ſic præcipitatus eſt, ut non fuerit ipſi ſubinde quaſi furtivus aliquis in Cœlum ingreſſus, cum Angelis enim ad Dominum venientibus in Cœlum irrepſit, quo modo inter cives civitatem ſuam repetentes eandem, civibus permixti, nonnunquam ingrediuntur & hoſtes: & quidem adfuit inter Angelos in Cœlo, ſic tamen ut oculi ejus tenerentur ne quid cœleſtis beatitudinis aut pulchritudinis videret, prout hoſtium nuntiis in civitatem admiſſis, obligantur oculi ne civitatis ſtatum videant. Voluit autem Satan, Deo conveniente, Cœlo & primariæ ſtationi cœleſti adrepere, ut quod eſt Apocalyp. 12. ante tribunal Domini accuſaret fratres Angelorum, quod ipſi permiſſum eſſe videtur uſque ad Aſcenſionem Chriſti, quia rapto filio mulieris ad Deum & ad thronum ejus cum magna Angelorum gratulatione, projectus eſt draco in terram, ut non fuerit amplius ipſi locus in Cœlo, ne ultra fatigaret aures Angelorum calumnioſis accuſationibus Chriſtianorum. Porro alia eſt ſententia Ioannis Pineda, ibi habitum eſſe hoc Concilium, ubi res ipſa & Iob atque filij verſabantur: ſcilicet in terra Hus, ſeu juxta 70 in Auſitide regione Aſiæ, ad quam etiam alij Angeli accurrerint, ad comprimendam dæmonis audaciam, & hunc localem conventum & Concilium potius res ipſa peragenda petebat, quàm neceſſitas propinquioris loci ad colloquendum. Hæc probabilior eſt ſententia, tum quia mos eſt celebrare Concilia in iis locis, unde naſcitur neceſſitas ea convocandi, cùm *ſecundum decretales paginas & ſcita Canonum*, ait Yvo Carnot. Epiſt. 278. *Omnes controverſiæ Eccleſiaſticæ in locis in quibus ortæ ſunt, primò ſint diſcutiendæ, & niſi appellatum fuerit terminandæ.* Tum quia, juxta plurimorum interpretationem, ejectio Angeli è Cœlo deſcripta cap. 12. Apoc. facta eſt initio mundi. Poſt hanc autem dicitur, *& non eſt amplius eorum locus inventus in Cœlo.*

Locus Concilij.

Quis Præſes.

De Præſide hujus Concilij major eſt difficultas. Fuerit ne Deus an aliquis Angelus excellentior. Et quidem Deum fuiſſe Præſidem, probari poſſet ex eo quòd illi filij Dei dicuntur adfuiſſe coram Domino. In Hebræo eſt nomen *Iehova* quod non attribuitur niſi Deo vero. Aliunde Olympiodorus in Catena Græcorum Patrum in Iob cap. 1. intelligere licet, ait, Angelorum quemdam divino mandato obſequentem cum diabolo collocutum eſſe, & quemadmodum principis cujuſpiam ſatelles cum reſponſa defert ad aliquem, principis illa reſponſa eſſe non dubitamus: ita Angelorum voces, quæ Dei voluntate proferuntur, ipſius Dei eſſe creduntur.

Probabilius tamen eſt Angelum quemdam ex ſuperioribus fuiſſe qui toti Concilio præfuerit. Hoc enim magis conforme eſt legi ordinariæ Dei qui inferiora per ſuperiora adminiſtrat, ac Angelos inferiores per ſuperiores illuminat: & quamvis qui dicitur Dominus in verſione Latina, in textu Hebraïco dicatur *Iehova*, non deſinit propterea eſſe Angelus, quoniam etiam hoc nomine vocatur Angelus, quando Deum repræſentat ac ejus vices gerit ut Geneſis 12. 13. 15. 18. ubi Angelus qui dicitur loqui aut apparere, dicitur *Iehova*, quia nomine Dei apparebat aut loquebatur, ut obſervat idem Pineda loco citato.

Quoad tempus hujus Concilij ſequimur Spondanum in Annalibus ſacris, qui ad ann. 2399. reponit tentationem Iobi, cum ipſe natus eſſet annos 71. Quamvis res non careat omni difficultate, ut ibidem videre eſt propter diverſas opiniones de tempore quo duravit ejus calamitas.

Tempus Concilij.

ANNOTATIO.

Angelorum cuſtodia.

POtro conſignari etiam poſſet aliud Concilium Angelorum quod ſtatim poſt illud primum habitum eſt ab iiſdem, cum dæmon bona Job ac facultates ejus omnes devaſtaſſet, ut refertur 2. cap. Job. Sed iſtud ſecundum Concilium ſatis ex primo intelligi poteſt, ſimulque indefeſſa cuſtodum Angelorum ſollicitudo, ſeu cùm proſperitas arridet hominibus, ſeu cùm ingruit adverſitas, & veriſimile ſæpius Concilia hæc pro diverſis hominum neceſſitatibus à beatis illis ſpiritibus celebrari ad propulſandos dæmonum inſultus; ut ex his diſcant Epiſcopi, qui nomine Angelorum deſignantur Apoc. 2. & 3. ſacros conventus habere pro cuſtodia animarum ſibi concreditarum, ſive in bono ſtatu eſſe videantur, ne in pejorem dilabantur, ſive cùm malè habere ſeſe incipiunt, & quam citius reſtituantur, non otioſo ac dormiente hæreticorum ac dæmonum cœtu, ad earum perniciem.

Nec vero quemquam moveat hæc, Angelorum ſollicitudo pro hominum ſalute. Quid enim illi beati ſpiritus non moliuntur ad juvandos homines? obſequuntur, inquit Origenes Homil. 1. in Ezech. *Angeli ſaluti tuæ, conceſſi ſunt ad miniſterium filij Dei & dicunt inter ſe: ſi ille deſcendit & deſcendit in corpus, ſi mortali indutus eſt carne & ſuſtinuit Crucem & pro hominibus mortuus eſt, quid nos quieſcimus? quid parcimus nobis? eia omnes Angeli deſcendamus de Cœlo.* Hæc Origenes. Vix ulla eſt in mundo creaturarum ſpecies, quantumvis humilium & abjectarum, quibus præfici dedignentur ut hominibus proſint. Aſtra regunt, ait probus Author recenter ex prælo exiens, Cœlos circum-agunt, elementis præſunt, imo & beſtijs ac cuilibet alteri creaturæ. Eſto, ſed quid amabo hic magnum aut honorificum exiſtimas? Alexandrum cogita, Xerxem, Auguſtum, aut quemvis alium ex antiquis illis Monarchis è ſolio Regio ad remos ablegari. Cedo quid Angelus facit cum cœlos rotat? utique quod molitor aut piſtor, qui molam vel piſtrinum verſat: ut non modo tibi panem, ſed & beſtijs terræ & ſerpentibus cibum procuret. Qui Solem, Lunam & ſtellas regit, quodnam munus exercet

aliud, quàm quod puer qui face aut laterna hero ſuo prælucet, (Pſal. 90.) *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum?* igni qui præeſt, nonne coquum aut ſubcoquum: qui terræ olitorem, qui beſtiis opilionem, bubulcum aut ſubulcum agere cenſendus eſt? & ſic de reliquis. O demiſſionem admirandam! ô obedientiam ſtupendam! ô charitatem incomparabilem! Ex quibus infero multo minus ſtupendum eſſe, ſi Epiſcopos ac Paſtores ſpirituales agant, in Synodum congregari ad providendum oviculis ſibi à ſummo creatore concreditis. Et ſi enim juxta cenſuram Facultatis Pariſienſis ante annos quadraginta, in quoſdam libros Anglicanos editam, doctrina ſit falſa, temeraria & hæretica, quæ Angelis ſicut Epiſcopis tribuit munus Paſtorum, & quamvis Angeli curam cuſtodiendarum ovium Dei habeant, probari tamen non poſſit ipſos Angelos appellari Epiſcopos aut Sacerdotes, ſumptis his nominibus in propria ſignificatione, latè tamen & improprié ita nuncupari quid vetat? cùm expient, illuminent ac perficiant terrenos homines, ac multa paſtorum munia, excepta ſacramentorum adminiſtratione, circa eos obeant. Unde & audet Zeno Veronenſis, *Serm. in Pſal.* 129. Angelum tutelarem cujuſlibet Diœceſis nuncupare Epiſcopum inviſibilem. Diſcant ergo Epiſcopi ab Angelis ipſis Synodos celebrare, ut proſpiciant gregis Chriſtiani incolumitati, ne tepor obrepat, ne hæreſes obtineant, ne peccatum regnet, ne ſcandalum perduret, ne ovile Chriſti aliquâ ſui portione per lupum rapientem vaſtetur.

Cenſura Facultatis Pariſ.

Porro hæc bonorum Angelorum Concilia probabiliora fiunt per argumentum à contrario ex conventiculis dæmonum ad inferendum hominibus detrimentum, quæ Pſeudoſynodorum hæreticarum imaginem referunt. Tale eſt quod refert Gregorius magnus Dial. l. 3. cap. 7. quod habitum eſt à dæmonibus in quodam templo Appollinis in Italia, ubi is dæmon qui cæteris præſidebat, ſingulorum ſpirituum obſequentium ſibi cauſas actuſque diſcutiens, & quantum quiſque illorum nequitiæ contra homines exercuiſſet, ſuper omnia dæmonem illum magis inhianter & gratè audijt, qui referebat ſe tentationem carnis immiſiſſe in ſanctum virum Andream Fundanæ civitatis Epiſcopum, atque uſque ad hoc, die præterito, veſpertinâ horâ, mentem ejus traxiſſe, ut in terga Sanctimonialis in Epiſcopo habitantis, blandiens alapam dediſſet. Tale quoque eſt illud conventiculum de quo meminit Vvadingus in Annalibus Minorum tomo 1. ad annum Chriſti 1219. qui erat duodecimus Ordinis, quod convocavit dæmon multorum millium ſui generis contra exorientem ſancti Franciſci Religionem in quodam hoſpitali Cruciferorum, in quo multis prolatis vafrorum dæmonum ſuffragijs ad infirmandam Religionem, eamque à concepto fervore dejiciendam, probatum eſt magis unius ex aſtutioribus arbitrium, non tam agendum *aperto marte quàm arte*, ſi nempe dæmones omnes in hoc conſpirarent ad inducendum novum hoc ſodalitium, quatenus ſub ſpecie boni & æqui in ſe reciperet nobiles, litterarios magiſtros & pueruloſ. Nobiles quidem ut viverent inter eos cautius ſuſpirantes ad delicias quibus enutriti ſunt: litterarios Magiſtros ut ſuis ſcientijs tumentes viam conculcent humilitatis: puerulos ut relaxent regularem diſciplinam quam terrena ætas perhorret. Quod Sathanæ conciliabulum non latuit D. Franciſcum, qui adhibens omnem conatum ad eludendas artes diaboli, ut converteretur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcenderet, æquum non judicavit, tales ab ordine repellere, cùm non deſint rationes eos admittendi, adhibitâ ſufficienti cautelâ.

Synodi dæmonum.

Cautela pro caſtitate.

2. Cauſa inordinationis religioſarum.

Joannes Carmelita in c. 3. Thren. ad ea verba, *ſeſſionem eorum & reſurrectionem eorum vide, ego ſum Pſalmus eorum.* Hæc dæmonum concilia iniri ab ipſis aſſerit, juxta diſciplinam militarem quâ ad conſultandum ſedetur; deinde ad invadendum ſurgitur. Sic hoſtes tartarei modo inter ſe conferunt, inquit, & quaſi ſeſſiones habent: modo ad mala concilia exequenda quaſi efferati leones exiliunt. Poteſt quoque hæc conſultatio dæmonum de animâ perdendâ conſultantium, Eccleſiaſticis Synodorum ſeſſionibus, ubi de animarum ſalute agitur opponi; omnino quippe certum eſt conciliabula a generis humani hoſtibus & ab Eccleſiâ malignantium haberi. Seſſiones nimirum celebrant per ſeipſos ac per homines ſceleratos. Adſtipulatur S. Franciſcus Saleſius de vexillo S. Crucis l. 3. c. 10.

Synodus ad renovandum fœdus cum Deo, habita in terra Sichem ſub Eleazaro ſummo Pontifice, ac Joſue Principe anno mundi 2593.

GEnebrardus linguæ & legis Iſraëlitarum peritiſſimus, ſic habet l. 1. Chronologiæ ad annum mundi 2709. prima Synodus in Sichem Eleazaro Pontifice, Joſue Judice, ſenioribus aſſidentibus, de prohibenda ſocietate cum gentibus, auferendis dijs alienis, ſepeliendis oſſibus Joſeph, Joſue 24. probabile eſt in ea legem ore traditam ſive cabalam ſenioribus fuiſſe commiſſam, quam per ordinem Prophetis traderent, ut Hebræi referunt in *Pirkè Aboth.*

Cabala.

Porro textus ipſe Scripturæ ſacræ hanc Synodum primam inter Hebræos indicat his verbis Joſue cap. 24. *Congregavitque Joſué omnes tribus Iſraël in Sichem, & vocavit majores natu ac Principes & Judices & Magiſtros, ſteteruntque in conſpectu Domini, & ad populum ſic locutus eſt*, &c. Exhortans eos cùm mortem proximam ſibi imminere videret, ut in verâ religione ac præceptorum Dei obſervantiâ conſtantes perſeverarent, novo ab ijs propoſito emiſſo de fidelitate ſua erga Deū. Quia vero 70. Interpretes habent hunc conventum factum fuiſſe in Sylo ubi erat tabernaculum & in eo Arca Domini, hinc naſcitur controverſia de loco illius, quibuſdam aſſerentibus habitum fuiſſe in urbe Sichem, ita ut tamen omnes vultus ſuos verterent verſùs Siluntem ubi erat Arca, ut ſic eſſent in conſpectu Domini; aut arcam allatam fuiſſe in Sichem, ut in ejus præſentia deliberarent ſeniores ac maximè Sacerdotes. Primum docet Cajetanus, ſecundum Maſius in Joſue, alijs vero exiſtimantibus per Sichem, intelligi totum agrum Sichemicum, in quo erat Silo urbs, ad quam omnes convenerint.

Libri Concil.

ANNOTATIO.

FInis hujus primæ Synodi omninò pius eſt, ut magis Deo populus conſtringeretur renovato cum eo fœdere de mandatis ejus obſervandis, *ne forſan poſtea negare velitis*, aiebat Joſue, *& mentiri Domino Deo veſtro.* Atque ut omnia quæ in veteri teſtamento geſta ſunt, in figura contingebant eorum quæ in nova lege peraguntur, in eo Concilio primo obſervare poſſumus conventus perſonarum religioſarum, qui certo die anni fiunt in conſpectu Domini & præſente ſanctiſſimo ſacramento, ad renovandum fœdus & pactum cum Deo in profeſſione ſolemni initum. Ideo qui præeſt & exhortationem habet, jure merito inſignem Joſue orationem imitari poterit, in qua enumeratione facta illuſtrium Dei beneficiorum à temporibus antiquis mirum in modum animos excitat ad ſacro-ſanctum Dei cultum, etſi enim his verbis utatur. *Optio*

Concio pro renovatione votorum religioſorum.

vobis datur, eligite hodie quod placet, non tamen volebat aut velle poterat, ut Deorum falsorum cultum eligerent, sed vehementius hoc loquendi modo, eos impellebat ad veri Dei verum cultum assumendum, cùm enim inter duo datur optio, quorum unum constat esse optimum, alterum pessimum, adhortatio est potentissima, quâ quædam veluti necessitas imponitur hominibus ratione præditis, ut relicto eo quod pessimum est, illud quod est optimum amplectantur, ut rectè Tostatus Abulensis observat quæst. 11. in cap. 24. *Iosue*, ut si dicam, ait Serarius in idem cap. quæst. 5. vultis exleges prorsus esse & pecudum more vitam agere, an hominum more bonisque ac honestis legibus? alterutrum vobis mortales agendum, ut vel æterna in Cœlis perfruamini beatitudine, vel æternis apud inferos supplicijs dies noctesque macteminiq? vobis datur optio, utrumvis eligite; atque hoc etiam exhortandi modo usus est Elias Propheta 3. *Reg.* 18. imo & Pilatus Matt. 26. *Quem vultis dimittam vobis Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus?* Quamvis Pilatus nihil profecerit ptopter cæcitatem & vecordiam populi, ut Jesum optārent. Similiter quod ibidem ait Josue ad Israëlitas, *non poteritis servire Domino.* Alia est etiam vehementissima ad serviendum Deo cohortatio. Qui enim aliquos aliquid velle vident, idque eos adhuc magis velle optant, solent illis dicere, non poteritis hoc facere aut consequi. Hoc enim loquendi modo sæpe acuitur magis desiderium ut rem aggrediantur majori animo, ac totis viribus. Sicut hic factum est ab Israëlitis. Sicut indicat sacer textus. *Dixitque populus ad Iosue, nequaquam ut loqueris, erit, sed Domino serviemus: & Iosue ad populum, testes, inquit, vos estis quod ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei. Responderuntque, testes: nunc ergo, ait, auferte Deos alienos de medio vestri & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël: dixitque populus ad Iosue: Domino Deo nostro serviemus, & obedientes præceptis ejus erimus. Percussit ergo in die illa Iosue fœdus & proposuit populo præcepta atque judicia, in Sichem. Scripsitque omnia verba hæc in volumine legis Domini.*

Synodus Hierosolymitana sub summis Pontificibus Sadoch & Abiatar regnante David anno mundi 3020. *pro distribuendis Levitis in varias classes ad ministerium templi.*

SEcunda Synodus Sadoch & Abimelech filio Abiatar Pontificibus, Paral. 24. (nempe vices gerebant Abiataris summi Pontificis) Gad vidente & Nathan propheta 2. Paralip. 29. in ea congregavit David omnes principes Israël, Sacerdotes & Levitas. De reformanda Ecclesia & Ecclesiæ ministris, Sacerdotibus in 24. ordines distinguendis, Levitis in diversa templi ministeria, officia, sortes distribuendis 1. Paralip. 24. 25. 26. Hoc tangit Ioseph. l. 7. Antiquit. cap. 9. ubi docet Davidem reformasse institutum Mosis (Deuter. 18. versu 7.)

De eadem Synodo Serarius ad cap. 1. l. 3. Regum, loquens de Davide tam Politicorum quam Ecclesiasticorum Concilium congregavit, ubi Levitarum 38000. numerando invenit. Demum omnes istos ab officio distinguit. Primò ut essent certo officio dicati, eamque veluti dignitatem gererent. Secundò ut ejus functionem actu exercerent.

Primo modo Levitarum alij essent Sacerdotes Aaronici, alij simpliciter Levitæ, & horum quatuor genera. Primi dicuntur ministri templi, ut præessent ejus ædificationi ac Sacerdotibus ministrarent. Alij præfecti ut essent populi Doctores. Tertij cantores. Quarti janitores ad quos revocantur thesaurorum & vasorum custodes.

Posteriore modo factæ sunt singulorum generum viginti quatuor classes, quæ vicissim in orbem ministrarent, singulæ unâ Hebdomade à sabbato in sabbatum, & hæ classes interdum vocantur turmæ, divisiones, sortes, quia sortitione factæ sunt, vel vices, ut Luc. 1. erant igitur viginti quatuor classes Sacerdotum, à quibus nominantur itidem plures Sacerdotum Principes, licet Pontificesnon essent, singularum enim classium erat unus Princeps.

Commentarius apud Ambrosium, 1. Tim. ait veteribus idcirco concessum esse Levitis aut Sacerdotibus, uxores ad usum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio aut Sacerdotio. Multitudo enim erat Sacerdotum & magna copia Levitarum, & unusquisque certo tempore serviebat divinis ceremonijs secundùm institutum David, reliquo tempore domus curam gerebat.

Adhuc clarius ista enucleat Spondanus in Annal. sacris anno mundi 3020. insuper recensuit idem David filios Aaronis (1. Paral. 24.) hoc est Sacerdotes per familias suas, quæ inventæ sunt viginti quatuor, ortæ ex duobus filijs Aaronis, nempe sexdecim ex Eleazaro & octo ex Itamare, in quorum quidem Sacerdotum munijs, nihil à Davide immutatum invenimus; quippe cujus primarium scopum apparet fuisse tantummodo curare, ne tum Sacerdotes, tum Levitæ nimis gravarentur, si cuncti tam varijs templi ministerijs præstò semper esse tenerentur. Quapropter operæ pretium esse duxit (ut etiam tradit Iosephus 7. Ant. c. 11.) totam tribum Leviticam in viginti quatuor classes ac vices distribuere: itaut tam Sacerdotibus quàm Levitis sepreni ministerij dies obvenirent, quibus per singulas quique vices, hebdomadasque, interdiu noctuque circa cultum divini numinis versarentur; interim ab ipsis uxoribus sejuncti & in ipsis templi ædibus & exedris habitantes, reliquo tempore rebus domesticis vacare possent. Hisque omnibus constituendis celebratam esse Synodum, quam secundam vocat, Genebrardus observat; cui interfuerunt cum Pontificibus Gad & Nathan Prophetæ, uti etiam traditur in locis Scripturæ sacræ, ubi hæc tractantur.

ANNOTATIO.

QUod vero tunc fuerint duo summi Sacerdotes; non hoc tam ex institutione David factum est suo tempore, quàm ex tolerantia. Sadoc enim fuerat factus summus Sacerdos tempore Saülis, & videbatur ei ejus quæsitum divina prænuntiatione quæ habetur 1. Regum 2. & Abiatar etiam videbatur habere jus ex successione, quia erat filius summi Sacerdotis Achimelech: David autem non videbat quomodo posset istis auferre jus suum, & credidit forte quod voluntate

Duo fuerunt summi Sacerdotes simul.

Dei acciderat, cùm alioqui ſecundùm legem non deberet eſſe niſi unus ſummus Sacerdos qui eſſet maximus inter fratres & qui perciperet reditus ſummo Sacerdoti attributos. De quibus Toſtatus ad cap. 24. libri 1. Paral. quæſt. 13. & 14.

Addunt alij iſto tempore incœpiſſe nomen Principis Sacerdotum uſurpari.

Synodus Hieroſolymitana ſub Ezechia Rege & Azaria ſummo Pontifice pro reſtituenda religione, & ad eam revocandis à fide devijs Iſraëlitis anno mundi 3308.

SYnodus tertia de reſtituenda religione, templo, feſtis & re divina, juxta diſpoſitionem & canones David Regis, Aſaph & Gad videntis & Nathan Prophetæ 2. Paralip. 29. & 30.

Et addit in ea etiam Synodo de reliquijs decem tribuum colligendis ad paſcha & alia legis ſtatuta convocandis tractatum eſt. ibid. Genebr.

Ibi & actum videtur de libris Prophetarum conquirendis, maximè Salomonis, Proverb. 25.

Hæc Synodus indicatur 2. Paralip. cap. 29. ubi de initio regni Ezechiæ ſic habetur. *Ipſe anno & menſe primo regni ſui aperuit valvas domus Domini & inſtauravit eas, adduxitque Sacerdotes atque Levitas & congregavit eos in plateam orientalem, dixitque ad eos*, &c. Quo menſe ait Spondanus Epiſcopus Apamenſis in Annal. ſacris ad annum mundi 3308. Cùm celebrari ſecundùm legem Paſcha debuiſſet, quod tamen nondum res neceſſariæ parari potuiſſent, fierique illud majori apparatu cuperet Ezechias; de conſilio & ſententia Sacerdotum & Principum & univerſi cœtus Ieruſalem, (quam tertiam Synodum Hebræorum, pro reſtituenda religione ac cultu divino, Genebrardus in ſua Chronologia numerat) remiſſa ejus celebratione in menſem ſecundum juxta præceptum (Numerorum 9.) quo quicumque primo menſe fuiſſent impediti aut immundi, illud agere debebant, mittens interim curſores cum literis Regijs in univerſum Iſraël & Iudam, invitavit omnes Ieroſolymam ad domum Domini & celebritatem paſchatis, quam ſolemniter reſtituere cogitabat. Hoc enim primo exordio regni ſui, cum divino fervore reſtituendæ pietatis flagraret, Ezechiam præſtitiſſe, cum multis credimus, &c. Cæterum Iudæi omnes ad mandatum Ezechiæ uno animo convenerunt Ieroſolymam: Iſraëlitæ vero plerique, in impietatis ſuæ ſtudio perſeverantes, nuntios Regis irriſerunt & ſubſannarunt, exceptis quibuſdam ex Aſere, Manaſſe & Zabulone, qui obſequentes ſe præbuerunt, &c.

ANNOTATIO.

Difficultas congregandi Concilii.

IDem fere aut quidpiam ſimile contigit, cùm Pius IV. continuare intendens Concilium Tridentinum legatos ſuos mittit ad omnia regna quæ nomine Chriſtiano cenſebantur, ea etiam quæ à Romana fide deſecerant, quibus tamen pauci admodum ſuffragantur. Eliſabetha Angliæ Regina non permittit ut legatus mare ad ſe tranſeat, nec alloqui dignata eſt, excuſatione frivola dicens, non licere ſibi cum Pontifice Romano ullo modo agere, cujus authoritatem publico decreto ordines regni exegiſſent. Lutherani Naumburgi congregati, reſpondent ſe Concilium non recuſare, ſed ubi verbum Dei Judex eſſet, non Pontifex, ubi juramentum illi ab Epiſcopis præſtitum remitteretur, atque Theologi jure ſuffragij gauderent. Fridericus Daniæ Rex non permittit legatum ad ſe accedere, dicens ſibi nihil negotij cum Pontifice intercedere: nec ſe legationis audiendæ cupidum eſſe. Ferdinandus Cæſar reſcripſit, ſe; qua Ferdinandus eſſet ad nutum, Pontificis omnia paratum agere, ſed qua Imperator, non ſibi licere ſententiam promere, quoad exitum vidiſſet conventus Naumburgi. Reges Galliæ & Hiſpaniæ alias difficultates ingerunt. De quibus Spondanus ad annum Chriſti 1561. *Sic via Sion lugent eo quod non ſit qui veniat ad ſolemnitatem.*

Synodus Ieroſolymitana ſub Rege Ioſia & Helcia Pontifice de reſtituenda religione, anno 3412.

DE hac Synodo Genebrardus l. 2. Chronol. ad annum 3526. Synodus quarta in templo, Helcia Pontifice, de renovando legis fœdere, repurgando templo & Religione à ſuperioribus Principibus pollutâ, de Paſcha celebrando juxta majorum ritus, tollendis aruſpicibus, Pythonibus, ariolis, Idolis, effodiendis è tumulis pſeudo-Prophetarum & Hæreticorum cadaveribus, 4. Reg. 23. 2. Paralip. 34.

Nimirum ſub impijs regibus omnia ſacra peſſumdabantur, etiam templum Idolorum abominationibus prophanabatur: quâ de causâ Sacerdotes arcam efferebant extra templum, ne ſimul cum Idolis eſſet. Id permittentibus Idololatris Regibus, non tam amore pietatis, quàm timore pœnarum, cùm memores eſſent terribilium ultionum, quas olim Dominus exercuiſſet contra Philiſtæos, Bethſamitas & Ozam, qui erga illam minus reverenter ſe habuiſſent. Ideo inter cætera geſta Ioſiæ illud memoratur quod arcam fœderis Domini reportari præceperit in ſanctuarium templi, & non amplius aliò transferri.

ANNOTATIO.

Sub bonis regibus pietas floret.

ADvertendum maximè ſub probis Regibus Synodos celebratas eſſe, ſub Davide in fine vitæ illius, ſub Ezechia in initio regni ſui & hîc ſub Joſia decimo-octavo regni ſui. De quo dicitur Eccleſiaſtici 49. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij, in omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini. Ipſe eſt directus divinitus in pœnitentiam gentis & tulit abominationes impietatis, & gubernavit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Præter David & Ezechiam & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt. Nam reliquerunt legem Altiſſimi Reges Iuda & contempſerunt timorem Dei.* Non aliter in Eccleſiâ ſub pijs Principibus Conſtantino Magno, Carolo Magno, Sancto Ludovico & alijs, habita ſunt Concilia ad retundendas hæreſes, ad cõfirmãdam Religionem, ad corroborandã pietatẽ, ad pravos mores corrigendos, & ea de medio tollenda quę divino cultui adverſabantur. Et inter Archiepiſcopos,

qui majori ſanctitate præditi fuerunt, plures Synodos ex totâ ſuâ Provinciâ congregare adniſi ſunt, ut exemplo ſancti Caroli Boromæi & aliorum manifeſtum eſſe poteſt. Cùm enim in eorum animo eſſet cultum Dei ac pietatem promovere, ſitque Conciliorum convocatio medium ad id potentiſſimum, qui voluerunt finem, voluerunt & media, juxta vulgatum axioma Philoſophorum, qui vult finem, vult etiam media. Sed hæc obiter, nam ut ad Joſiam revertamur, notat Spondanus, cùm liber legis, quem Deuteronomium multi interpretantur, in templo inventus fuiſſet, ac ad ipſum perlatus, intelligens horrenda plura maledicta, quæ legem non obſervantibus intentarentur, ſcidit veſtimenta ſua præ dolore, ac metuens ob præteritas Regum ac populi tranſgreſſiones, Synodum hanc convocavit, In quâ lecto, cunctis audientibus, volumine legis, renovavit fœdus ac pactum coram Domino, univerſoſque adjuravit, eamdem legem ex toto corde ſervare, omnibus ei acquieſcentibus.

Synodus Ieroſolymitana ſub Eliazibo ſummo Sacerdote ac duce Nehemia, pro reſtituendo codice ac canone ſacrarum Scripturarum, circa Annum mundi 3609.

GEnebrardus lib. 2. Chronol. ſub anno mundi 3710. Synodus magna (quinta) in qua editus canon Hebræorum de ſacris Scripturis: cujus ſcriba aſſeritur Ezras in Tractatu *de votis*, qui ejus authoritate in ordinem hodiernum veteris teſtamenti libros reduxerit. Elias præfat. 3. *Maſoreth.*

Interfuiſſe affirmantur Nehemias, Mardochæus, Iorobabel, Ioſue, Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, Haggæus, Zacharias & Malachias. Ibidem.

Ezras & viri Sinagogæ ſive Synodi magnæ afflati divino ſpiritu Scripturas in *peſukim*, id eſt, verſus diſtinxerunt. Vnde & Codices Iudæorum per ſententias, membra & verſus diviſi, & intervallis quibuſdam diſtincti fuerunt, qui antea veluti unicus erant verſus, &c.

Elementa quibus jam olim hodieque Iudæi utuntur, ſunt Aſſyriorum non veterum Hebræorum, Auctore Ezra, qui ideo litteras (idque opinor hujus Synodi Concilio & auctoritate) mutavit, quod has Samaritani poſt exilium callerent, vel quia etiam veterum Hebræorum quam Aſſyriorum operoſior erat ſcriptura. *In talmud. tractatu Sanedrin. c. 2. pag. 21.*

Non mutavit tamen antiquam litteram *Tau* ut quæ gereret formam Crucis. Nam hæc poſt captivitatem Romanam, vel à Maſoretis immutata eſt, vel à Rabbinis odio Crucis, ut ex Hieronymo & Origene colligi poteſt, qui ſuo tempore Crucem expreſſiſſe narrant.

Partitio librorum ſacrorum in tres claſſes.

Hæc Synodus diſtribuit libros ſacros in tres partes, Legem (1. quinque libros Moſis) Prophetas (octo) nempe quatuor priores Ioſue, Iudices, Samuël & Reges, & quatuor poſteriores, Eſaïam, Ieremiam, Ezechielem & duodecim minores (nam illorum unus appellatur liber) & hagiographos (novem) Pſalmos, proverbia, Canticum, Eccleſiaſtem, Iob, Danielem, Ezram, Paralipomenon, Heſter. Nam Ruth ſubjiciunt veluti appendicem libro Iudicum, & Ieremiæ Lamentationes.

In eadem lex videtur diſtributa non tantum in quinque libros, verum etiam in parſijoth & Sedarim (i. ſectiones & ordines) 54. pro numero Hebdomadarum anni Symbolici expreſſos tribus majuſculis. Item in Hittoth ſive paragrafos repræſentatos minuſculis, & denique in verſus deſignatos intervallis vel virgulis, vel duobus punctis. Nam 70. hoc ſecuti ſunt, libri qui apud nos ſuperſunt, ut Iudith Machabæorum, &c. poſt hanc Synodum conſcripti ſunt.

ANNOTATIO.

GRaviſſima autem eſt controverſia an omnes libri veteris teſtamenti in captivitate Babylonicâ perierint, quando civitas & templum à Babyloniis everſa ſunt, itaut Eſdras Spiritu ſancto ei dictante ſicut primis ejus ſcriptoribus, eos reparaverit: an vero tantum eos in unum corpus redegerit, collegerit & ordinaverit, cum variè diſperſi eſſent. Priorem ſententiam ſequitur D. Baſilius Epiſt. ad Chilonem, utiturque teſtimonio libri quarti Eſdræ cap. 14. ubi diſertis verbis ſcribitur totis quadraginta diebus divino ſpiritu afflatum Eſdram dictaſſe quinque viris ſummâ celeritate ſcribentibus quæ ab eo dicebantur, atque eo modo Scripturam ſacram univerſam, quæ perierat inſtauratam fuiſſe. Sed cùm hic liber ſit Apocrifus ac in multis fabulas Judaïcas redoleat, detrahit potius fidem quam afferat huic ſententiæ, ait Bellarminus l. 2. *de verbo Dei*, cap. 1. Qui ideo poſteriorem defendit negatque memoriter Eſdram dictaſſe omnem ſcripturam, etſi enim volumen ſcripturarum in templo aſſervatum in ejus incendio pericrit, tamen incredibile eſt, non fuiſſe etiam aliqua exempla, vel certè partes eorum apud privatos homines, præcipuè apud Ezechielem, Danielem, Hieremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum & ipſum Eſdram, quibus ſine dubio curæ fuit lex Domini. Inter has ſententias alia eſt quaſi media: Eſdram ſcilicet partim collegiſſe libros ſacros qui adhuc ſupererant, partim è ſinu fœlicis memoriæ reparaſſe, eos nempe qui deperditi erant. Ita videtur opinari Suidas verbo *Eſdras*. dicens: *Eſdras ſub Xerxe Rege Perſarum, legis peritiſſimus, libros qui deſiderabantur è memoria depromptos conſcripſit, gentique ſuæ tradidit.* Suffragatur quoque D. Joannes Chryſoſtomus docens homil. 8. in Epiſt. ad Hebræos, Eſdram ex reliquiis Scripturæ iterum eam compoſuiſſe, qui locus perperàm allegatur à Bellarmino. Sic enim habet, nunc autem nec quid ſunt Scripturæ norunt aliqui: ſed Sanctus quidem Spiritus tam multa geſſit & adminiſtravit, ut ea cuſtodirentur &c. Moſem inſpiravit, tabulas inſculpſit, quadraginta dies cum tenuit in monte rurſus totidem ut daret legem. Poſtea autem miſit Prophetas mala perpeſſos innumerabilia. Ingruit bellum, omnes ſuſtulerunt, conſciderunt, *exuſtæ fuerunt tabulæ*: aljum rurſus virum inſpiravit admirabilem ut eas exponeret, Eſdram, inquam, & fecit ut componeretur ex reliquiis. Poſtea autem curavit ut eas ſeptuaginta interpretarentur, &c. ubi manifeſtè docet omnes tabulas ſcripturarum exuſtas fuiſſe. Ac ideo priori ſententiæ magis adhærendum eſt, quam etiam fulciunt verba Suidæ. Nec obſtat quod liber tertius ac etiam quartus ſit Apocrifus, cùm ſæpè citetur à Patribus, nec minorem fidem mereatur quàm hiſtoria prophani auctoris inter antiquiores, ſed & de his ita Euſebius circa annum 4740. Olympiadis 80. an. 2. Ezras Sacerdos apud Hebræos inſignis agnoſcitur, cujus ætate Pontifex Maximus habitus eſt Necliaſib filius Joachim, filij Jeſu, filij Je-

Canon librorum ſacrorum.

Liber ſapientiæ.

ſedech. Fuit autem Ezras eruditiſſimus legis divinæ, &c. affirmaturque *Divinas Scripturas memoriter condidiſſe*, & ut Samaritanis non miſcerentur, litteras Judaicas commutaſſe.

De libro Sapientiæ quem à Salomone compoſitum lingua Chaldaica, ut ad quemdam Orientis Regem mitteret, opinantur Judæi, orta eſt quæſtio, cur non relatus in canonem ab Eſra. Ad quam reſpondet Rabbi Azarias in Obſervationibus ad proœmium Pugiouis fidei à clariſſimo viro Joſepho de Voiſin nuper editi. Ezras Sacerdos non miſit manum ſuam niſi in libros qui compoſiti erant à Prophetis, eâ ſpecie prophetiæ, quæ dicitur Spiritus Sanctus, & qui linguâ ſanctâ editi erant. Sapientes autem noſtri prudenter & intelligenter non retulerunt in canonem, niſi libros qui ab Ezra in canonem ſanctum relati.

Plura de his controverſiis Nicolaus Lombardus q. 7. præambula in Eſdram.

Synodus Hieroſolymitana de vertendis in Græcum Scripturis ſacris & mittendis in Ægyptum interpretibus ſub Eleazaro Pontifice anno 230. ante Incarnationem: mundi 3795.

SYnodus Hieroſolymitana ſexta de vertendis in Græcum ſcripturis & mittendis in Ægyptum 72. interpretibus. Ariſteas, Ioſippus. In qua videtur editus ſecundus Hebræorum Canon: nam præter viginti duos Libros ſacros, alij in Ægyptum delati ſunt, ut Tobiæ & ut Epiphan. l. de menſuris & ponderibus, Eccleſiaſticus inter libros legis (.i. ſacros) reponitur à Ioſepho Græco l. 2. contra *Appionem*, ut alibi docemus, ait Genebrardus ad annum 3860.

ANNOTATIO.

QVa occaſione Synodus hæc habita fuerit, deſcribit Joſephus l. 12. *Antiq.* cap. 2. etſi illius non faciat mentionem. Regnante nimirum in Ægypto Ptolemeo Philadelpho, Principe Librorum ac Bibliothecæ ſtudioſo, in tantum ut omnes totius orbis libros, ſi fieri poſſet, colligi mandaverit per Demetrium Phalereum Regiarum Bibliothecarum præfectum. Qui rogatus aliquando à Rege, quam multa millia jam comparaſſet, ait ſe jam habere circiter ducenta millia, ſed brevi habiturum quingenta millia: præterea compertum ſibi certis indiciis multos eſſe apud Judæos qui legem eorum contineant dignos cognitu & Bibliothecâ Regiâ, eſſeque ſcriptos ipſorum linguâ & litteris, & exhibituros negotium his qui eos velint in Græcum ſermonem vertere. Quod conſilium Rex collaudavit, ſcripſitque ſummo Pontifici Eleazaro, ut ad ſe mitteret hos Libros quos divinos eſſe audierat, ac homines ſapientes qui ex Hebræo Græcos facerent. Atque quo libentius id præſtaret, Judæos in Ægypto ſervos numero centum viginti mille dimiſit liberos, pluraque dona ad uſum templi liberaliter erogavit. Hac ergo de causâ Synodus congregata per Eleazarum ob rei momentum magnum: in quâ divino inſtinctu concluſum eſt, verſionem ſacrorum Librorum ex Regis ſententiâ conficiendam eſſe, ac nominati ſunt ſeptuaginta duo ſeniores, ſex ex qualibet tribu, qui in Ægyptum ad Regem ſe conferrent, ſacrum Codicem ex Arca ſanctuarij extractum illi oblaturi, ac cum verſionem peregiſſent illum reportaturi. Res igitur ſic acta eſt. Voluit Rex ut ſapientes illi ex Judæis miſſi, in inſulâ Pharos, quæ Alexandriæ adjacet, in ſingulis cellulis verſioni huic darent operam. Traditur ſanè, inquit D. Auguſtinus l. 19. *de civit. Dei.* cap. 42. tam mirabilem ac ſtupendum, planeque divinum in eorum verbis fuiſſe conſenſum, ut cum ad hoc opus ſeparatim ſinguli fuerint (ita enim eorum fidem Ptolemeo Regi placuit explorare) in nullo verbo quod idem ſignificaret, & tantumdem valeret, vel in verborum ordine, alter ab altero diſcreparet, *ſed tanquam ſi unus eſſet interpres: ita quod omnes interpretati ſunt unum erat: quoniam revera ſpiritus erat unus in omnibus.* Idem teſtatur Euſebius l. 5. *Hiſtoriæ Eccleſ.* cap 8. ac plures ex antiquis ſuffragantur, ut minus probanda ſit D. Hieronymi ſententia contraria, ſed & Philo Judæus lib. 2. *De Vita Moſis* cap. 9. teſtatur ſingulis annis in dictâ inſulâ feſtos dies celebrari, eóque non Judæos ſolum, ſed & plures alios navigare, ut locum illum honorent in quo primum eluxit interpretatio, & Deo propter vetus beneficium, cujus ſemper memoria eſt recens, gratias agant. Hæc ille. Et ſanè negari non poteſt ex ſingulari Dei Providentia verſionem hanc factam fuiſſe, cum adhuc in ſua puritate eſſet textus Hebræus, nec dum per Judæos depravatus in odium Religionis Chriſtianæ. Unde cum multum verſio illa prodeſſet ad convincendam Judæorum perfidiam, primus Aquilâ ex gentili Chriſtianus, & deinde ex Chriſtiano Judæus, illam pervertit, teſtimoniis de Chriſto corruptis in odium Eccleſiæ à quâ ejectus fuerat, quod aſtrologiæ Judiciariæ addictus eſſet, apud Epiph. 1. *De Menſuris.*

Verſio Septuaginta interpretum.

Interim licet advertere cum quantâ circumſpectione verſio ſacrorum librorum decreta ſit, præhabitâ Synodo cum maturâ deliberatione, electis ad hoc opus eximiis viris: cum hodie ac noſtris temporibus tot ſe idoneos exiſtiment qui ſcripturas pro ſua libidine vertant, ne dicam, invertant ac ſiniſtrè interpretentur. Quod conſilium jampridem improbavit Facultas Theologiæ Pariſienſis, nec admittit Eccleſia Romana.

Dolent autem Judæi de verſione iſta 72. interpretum tanquam de re infauſtâ, quod putent Ptolemæum voluiſſe verba Dei viventis vertere in hæreſim, quare ſolent jejunare eo die quo facta eſt, die quinto lunationis *Thebet*, id eſt, Decembris, ut ex eorum Talmud & ex Azaria refert vir eruditus Joſephus de Voiſin Preſbyter Burdigalenſis, Obſervationibus in Proœmium pugionis fidei Raymundi Martini: tantum abeſt, ut miraculum admittant de conſenſu interpretum in 72. cellulis incluſorum.

Sed & ibidem diſquiritur ex quâ linguâ immediatè facta fuerit verſio, an ex antiquâ Hebræâ vel ex Caldaicâ aut Syriacâ quæ erat in uſu populi tunc temporis. Magis autem probatur poſterior modus, eique ſuffragatur Philo ubi ſupra. Reddita propria propriis nominibus, inquit, Græcis ad Chaldaica exactè reſpondentibus. Unde fit ut multæ citationes novi Teſtamenti ex Hebræo textu antiquo, non reperiantur in græco textu 70. interpretum: qui ita dicuntur breviandi cauſa, licet fuerint ſeptuaginta duo. Conſulendus præindicatus author.

Synodus Alexandrina ſub Ionatha Pontifice & Ptolemeo Philopatore Rege Ægypti de veritate Religionis ac ſanctitate templi Hieroſolymitani, circa annum mundi 3859.

SYnodus ſeptima Alexandriæ de verâ Eccleſiâ præſente Ptolemeo Philometore contra Samaritanos, in qua Andronicus ſanctitatem, authoritatem, & Religionem Cathedræ Hieroſolymitanæ docuit è teſtimoniis ſcripturæ, continuâ ſucceſſione ſummorum Pontificum & omnium gentium, præſertim Aſianarum communione. Ioſeph l. 13. c. 6. pag. Græci exemplaris 387. apud eumdem Genebrardum.

Non

Non tam Synodus videtur quam placitum aut disputatio publica de Religione habita coram Rege Ægypti Ptolemæo Philopatore, in cujus regno vigentibus bellis Machabæorum plures Iudæi ac Samaritani habitabant. Sic enim de his Iosephus l. 13. *antiq.* cap. 6. apud Alexandriam vero inter Iudæos & Samaritas, qui sub Alexandro Magno Garazitani templi Religionem induxerant, seditio est exorta de sacris ipsorum, ita ut res ad Regis cognitionem perveniret: dum Iudæi contendunt, juxta Moysi præcepta, Hierosolymitanum templum esse legitimum, Samaritæ vero Garazitanum: provocatumque ad Regem & amicorum ejus consessum, ut ab his causa audiretur, & utriusvis partis causidici succumberēt, morte mulctarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabæus cum Theodosio, Hierosolymitanis Messalami filius: juraveruntque per Deum & Regem, quod ex lege probationes allaturi essent, & rogaverunt Regem ut necaret eum qui jusjurandum non servasse deprehenderetur, &c. sed cùm Sabæus & Theodosius concessissent Andronico ut prior diceret, orsus ex lege approbare ejus sanctitatem & Religionem, ostendensque per continuas Pontificum successiones, Sacerdotij usque in sua tempora propagationem, & ab omnibus Asiæ Regibus Majestatem ejus loci donariis honoratam: Garazitani vero ac si omnino nullum esset, nunquam ab his habitam rationem. His & talibus rationibus persuasit Regi, ut decerneret Hierosolymitanum esse ex sententia Moïsis conditum, Sabbam vero & Theodosium addiceret supplicio.

Disputatio de fide pervadosa.

ANNOTATIO.

Pontificum successio.

ADvertendum hic probatam esse antiquam Judæorum Religionem contra Samaritas hæreticos ex successione Pontificum. Sic etiam probatur veritas Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ contra novatores Hæreticos ex perpetuâ successione Pontificum Romanorum à Petro ad Clementem IX. nunc in ejus Cathedrâ sedentem. Sic D. Irenæus l. 3. cap. 3. enumerat Episcopos Romanos à Petro usque ad Eleutherium suo tempore sedentem, ac dicit per hanc successionem confundi omnes Hæreticos. Tertullianus l. de præscriptionibus. *Cedant*, inquit, *Hæretici ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolicis virū habuerit Auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert.* Sic Optatus Milevitanus ad Hæreticos sui temporis l. 4. contra Parmenianum. *Vos vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctum Ecclesiam vendicare*, & D. Augustinus lib. contra Epist. fundamenti, *Tenet me in Ecclesiâ ab ipsa sede Petri Apostoli, cui Dominus oves suas pascendas commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum, &c.* Quæ si diligenter ab Ecclesia Romana segreges perpenderent, haud aliam in orbe veram esse Christi Ecclesiam, cui salus animæ committenda sit, agnoscerent.

Synodus sub Iuda Machabæo contra Saduceos Hæreticos circa annum mundi 3890.

SYnodus sapientum septima de probandis Pharisæis quorum duces Samai deinde Hillel, damnandisque Sadoc & Bajethos Saducæorum conditoribus, qui proinde ad Samaritanos confugerunt. Vbi confirmati libri Iudith, Tobiæ & tertius Hebræorum canon conditus. Hæc Genebrardus. Cui consonat quæ alij referunt circa hæc tempora, Iudam Machabæum templum repurgasse, cultumque Dei restituisse propter bella ac persecutionem Antiochi non leviter imminutum, ac sacros libros huc illucque dispersos collegisse, inter quos etiam inventæ sunt Ieremiæ descriptiones, quæ hodie non extant, in quibus Historia ignis sacri ab eodem Ieremia absconditi continebatur, quâ de re obiter meminit liber 2. Machabæorum c. 2. quidni ergo cum tunc omni studio pius Princeps ac Pontifex Religioni restaurandæ incumberet, grassantes hæreses non comprimeret?

ANNOTATIO.

FVsè Becanus in Analogia veteris ac novi Testamenti Pharisæorum & Sadducæorum discrimina recenset cap. 16. ubi de sectariis Synagogæ agit post Serarium in *Mineruali*, ubi errata Scaligeri corrigit de Sadducæis. Præcipua discrimina referuntur Matt. 22. *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utraque confitentur.* Sed & Saducæi tantùm admittunt quinque Libros Moisis tanquam canonicos, nec ullam traditionem aut interpretationem legis ore tenus traditam per Josuë (Cabalam vocant multi) admittebant: animam quoque mortalem esse ac simul cum corpore extingui ac corrumpi docebant. Refert refellitque eorum hæreses Guido Carmelita agens de hæresibus Judæorum cap. 9. 10. & 11. in summâ *de hæresibus & earum confutationibus.* In his Pharisæi non errabant, sed magis in hoc quod omnia fato evenire credebant ac bonorum animas de corpore in corpus migrare; qui errores cum tempore eorum animis insiderunt, cum initio eorum secta probanda esset, ut propterea Sadducæi malè audirent præ Pharisæis, ac inter Samaritas Hæreticos, cum quibus in pluribus concordes erant, computarentur. Ideo non mirum si eorum præcipui Doctores reprobati sunt à conventu sapientum Judæorum, perstiterunt tamen in erroribus suis etiam post constitutum canonem Scripturarum. Hæreticis, inquit Serarius *Minerual.* l. 4. cap. 14. parum pensi est, aliquid ante vel post constitutum alicujus Synodi decretum negare; quæ nostris novatoribus, ante Tridentinam Synodum filix erant, non sunt post eandem triticum. Inexpugnabilis quippe est & contentionis maximè studiosa improbitas, ait Nicephorus Callistus l. 15. cap. 5. Hinc videas plerosque ex Arrianis post damnationem sui dogmatis in Concilio Niceno, tam obstinato animo contra illud ferri. Sic Eutichiani & eorum proles Monothelitæ, tot Tragœdias excitarunt postquam damnati & anathemate percussi fuerunt. Quin etiam, ait idem Nicephorus cap. 9. ejusdem libri ea enarrans quæ Concilium Calcedonense secuta sunt, Monachi quidam qui Synodo interfuerant & diversa à decretis ejus sentiebant, cum Hierosolymam venissent, proditam esse fidem clamitarunt, lamentantes & Monasticum ordinem concitare atque impellere satagentes, ut quæ in Synodo

Hæretici in synagoga.

Pernicies hæreticorum.

ritè acta erant reſcinderent, &c. nec abſimiles ſunt noſtro tempore ij, quos doleamus non ſine cordis amaritudine, Janſenij Iprenſis Epiſcopi doctrinam à ſummis Pontificibus damnatam, ſectari. Conquieſcere illi debebant & à turbandâ Chriſti Eccleſiâ abſtinere, ſi ſummus Pontifex Innocentius X. quinque propoſitiones in quibus doctrina prædicti Epiſcopi continebatur, damnaret. Damnavit Innocentius X. conſtitutionemque Catholicam contra illas edidit. At quam multi promiſſi & obedientiæ Vicario Chriſti debitæ immemores, ſententiam ſuam non correxerunt: nequaquam ſecundùm ſenſum Janſenij damnatas eſſe, prætexentes? quamvis etiam iſtud Synodus ſapientum, ſcilicet Facultas Pariſienſis, hoc anno quo hæc ſcribimus, cenſurâ ſuâ declaravit poſt diuturnam diſceptationem. Occurrit memoriæ quod D. Gregorius Nazianzenus orat. 49. ad Arrij aſſeclas graviter pronuntiabat. Vel *Il* Arrianus non es, verum Filium de vero Patre natum, non factum agnoſcis, cur non eum cum Patre unius ſubſtantiæ confiteris? *Fruſtra times, ô homo, profiteri quod credis: aut fruſtra credis ſi ita non profiteris, & merito hæreticum denotaris.*

Concilium Hieroſolymitanum ſub Herode Rege & Matthia ſummo Sacerdote, de hac quæſtione ubi Chriſtus naſceretur, anno Chriſti primo, mundi 4051.

MAtthæi cap. 2. exponitur hoc Concilium habitum fuiſſe ex occaſione triũ Regum qui Ieroſolymam venientes cum muneribus ſtatim poſt Chriſti nativitatem quærebant, ubi natus eſſet Rex Iudæorum, Chriſtus ſcilicet ac Meſſias in lege promiſſus ac tamdiu expectatus à Iudæis. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo, & congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur, at illi dixerunt ei: in Bethleem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam, & tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſraël.*

ANNOTATIO.

QVem Draco ne naſceretur impedire pluries voluit per Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Amanum, Antiochum & alios ſui odij in Meſſiam ſatellites jam natum ex muliere interficere molitur per Herodem, ne redemptio humani generis ſortiatur effectum. Sic Rupertus l. 12. *De victoria Verbi Dei.* Sic Herodes egit & ſic peragere voluit, ut verè unus vel præcipuus Diaboli filius, de quibus dicitur. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis perficere, ille homicida erat ab initio*, quia videlicet veritatem, id eſt, Chriſtum odit ab initio, odiumque ſuum deſiderabat complere homicidio. Atque ad hoc tendebat congregatio hujus Concilij, ſi non illuſus fuiſſet, Deo ſic diſponente, à Magis.

Odium demonis in Chriſtum.

Dubitatur autem ab aliquibus quinam intelligantur per Principes Sacerdorum. Nam aliqui intellexerunt eos omnes qui fuerant in ſummo Pontificatu, qui ferè per ſingulos annos mutabantur pro Herodis voluntate, alij verò intelligunt viginti quatuor capita aut primates Sacerdotalium familiarum, juxta earum diſtributionem à Davide factam. Omnes autem hos intelligi probabilius eſt, ſaltem eos qui tunc Hieroſolymis degebant, qui cum ſummo Sacerdote, qui tunc vocabatur Matthias, ac Scribis & Doctoribus legis, in Synodum congregati, Regis Herodis quæſtioni ſatisfacerent: ad habendam enim certitudinem de aliqua re tria requiruntur, ait D. Thomas Angelicus, an Angelicus, alius ab Angelico Doctore in Matth. cap. 2. creditur enim multitudini, authoritati & literatis. Unde congregavit multos & authoritatem habentes & ſapientes. Prompta autem fuit reſponſio Synodi propter Prophetiam Micheæ omnibus illis ſapientibus notam, Chriſtum naſciturum in Bethleem. Chriſtus enim voluit naſci in Bethleem propter tria. Primò ad vitandam vanam gloriam; propter hoc enim elegit duo loca, unum in quo naſci voluit, ſcilicet Bethleem; alium in quo pati voluit, ſcilicet Jeruſalem: & hoc eſt contra illos qui gloriam quærunt, qui volunt naſci in ſublimibus locis & nolunt pati in loco honoris. Joan. 8. *Ego gloriam meam non quæro.* Secundò ad confirmationem ſuæ doctrinæ & oſtentationem ſuæ veritatis. Si enim natus fuiſſet in aliqua magna civitate, virtus ſuæ doctrinæ potuiſſet adſcribi humanæ virtuti. Tertiò ad oſtendendum eſſe de genere David, cui promiſſio facta fuerat de Meſſia ac Redẽptore mundi, qui ex ejus ſanguine ac familia oriri debebat, ac conſequenter ad inſinuandum ſe eſſe Meſſiam qui habebat conditiones, quas illi Prophetæ aſſignaverant, quarum una erat, quod in Bethleem naſceretur, quæ ſi deficeret, continuò concluderent Judæi illum non eſſe Chriſtum ac Meſſiam quem expectabant. Ac quoniam eo devenimus, operæ pretium ducimus hic tantiſper excurrendo, aliquas ex conditionibus Meſſiam tangentibus aperire, quas cum Chriſto ſoli convenire manifeſtum fuerit, hinc concludatur illum ſolum eſſe Meſſiam, hoc enim argumento ſolo Hieronymus *de ſancta fide* Judæus ad fidem converſus ac, Benedicti decimi tertij Medicus, evidenter intulit ſolum Chriſtum eſſe Meſſiam in quodam libello ea de re à ſe compoſito, tanto fructu ut ultra quinque millia Judæorum ad fidem ex ejus recitatione converterentur.

3. Ad hanc beudam certitudinem.

1. Conditio adventus Meſſiæ eſt in tempore aſſignato in fine templi ſecundi ante ejus deſtructionem. Hoc patet per Malachiam cap. 3. *Ecce ego mittam Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis.* Ex hoc enim patet quod Chriſtus venire debebat ſtante adhuc templo: at jamdudum everſum eſt: ergo venit Chriſtus. Item hoc poteſt liquidè probari per quandam authoritatem, quæ eſt *in Sanhedrim* capitulo *col Iſraël* (alij allegant hoc caput *hillec*) & in Abadazara capitulo primo legitur in ſtudio Heliæ, ſex millia annorum mundus eſt, duo millia vanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Meſſiæ. Item, notorium eſt autem quod Paſſio Chriſti fuit circa tempus illud quo erant quatuor millia anni elapſi à mundi creatione. Item poſſumus per Prophetias Danielis concluſionem iſtam probare, qui illas 70. Hebdomadas inducit in libro ſuo cap. 9. Quæ nequaquam de alio quam de Rege Meſſia intelligi poſſunt. Et ſic exponitur per Magiſtrum Moiſem de *Zirona* in gloſsâ hujus libri, ubi ſic ait. *Et ungatur Sanctus SS.* id eſt, Meſſias ex filiis David ſanctificatus, &c.

Hieronymi de ſancta fide probationes contra Iudæos, quod Ieſus ſit Meſſias.

2. Conditio eſt, quod Meſſias naſciturus erat in civitate nuncupata Bethleem de terrâ Juda. Patet per vaticinium Micheæ cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata, nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te etiam egredietur qui ſit dominator in Iſraël & egreſſus ejus ab initio in diebus æternitatis.* Hanc Prophetiam gloſſat Rabbi Salomon hoc modo: Et tu Bethleem de qua egreſſus eſt David, ſecundum quod per ipſum ſcriptum eſt, filius ſervi tui Jeſſe Bethleemitæ, Ephratum nuncupavit, parvulus eſt in millibus Juda, dignus erat fieri minor in generationibus milliarium Juda, & hoc propter labem Ruth Moabitis quæ eſt in te. *Ex te mihi egredietur*, de te exiet mihi Meſſias filius David, de quo dicit ſcriptura, *lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Et ſic eſt Caldaicè interpretatum, de te coram me Meſſias egredietur, & egreſſus ab æterno à diebus æternitatis. Et hoc eſt quod dicit ſcriptura *ante ſolem permanet no-*

men ejus, quod interpretatur Chaldaïcè. Et nomen ejus ab antiquo dierum & sæculo nuncupatum. Huc usque verba Rabbi Salomonis. Ex quibus colligitur sicut & ex vaticinio Michææ duplex Christi generatio humana in Bethleem, & divina ab omni æternitate, quia erat Deus homo.

3. Conditio est, quod Messias nasciturus erat de quadam virgine. Patet Jerem. 31. *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga. Quia creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum.* Et habetur in *Berezith Rabba*, dicit Rabbi *Osua* filius Levi. Veni & videbis, veni & videbis, qualiter non est modus Dei sicut modus carnalis hominis. Homo enim carnalis lancea percutit & emplastris medetur, sed Dominus Deus noster non sic, quia cum eo quod percutit, cum eo ipso medetur, quod quidem reperimus in Joseph & Israël, Joseph per somnia percussus est & per somnium curatus est. Et Israël in Virgine peccavit, ut habetur Ezech. 23. *Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentiâ suâ fornicatæ sunt.* Et in Virgine punitus est, ut habetur Thren. ult. mulieres in Sion humiliatæ sunt, & Virgines in civitatibus Juda, & in Virgine sunt consolati, sicut ait Jeremias, *quia creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum*, dicit Rabbi *Hamna*, quia hic est Rex Messias de quo David prophetaverat. Patet etiam Ezech. 44. *Et converti me ad viam portæ sanctuarij exterioris quæ respiciebat ad Orientem erat clausa, & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa, erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Nulla talis porta invenitur, ideoque verè intelligenda est hæc porta de beata Virgine. Item Isaïæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël.* In Hebræo est *alma* significans Virginem & puellam, qualis est beata Virgo, & cum offerret Isaïas mirabile signum Regi Achaz, qui illud recusavit, convertit se ad domum David, cui dedit pro signo adventus Messiæ, Virginem parituram.

Virginitas Deipara.

4. Conditio est quod Rex Messias debebat esse filius Dei, nec debebat habere Patrem carnalem. Hoc patet per quamdam authoritatem quæ est in *Berezith Rabba* de Rabbi Moïse Prædicatore supra illud Thren. ult. *pupilli facti sumus absque patre.* Dicit Rabbi Barrachias. Deus Israël sic ait. Vos dicitis vos esse pupillos sine patre. Talis erit mundi Redemptor, quem ex vobis suscitabo, quia non habet Patrem, sicut scriptum est, Zachar. cap. 6. *Ecce vir Oriens nomen ejus, & subter eum orietur*, & Israël cap. 53. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terrâ sitienti.* Et de ipso David, *ante Lucifetum genui te.* Et alibi. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu.* Item habetur in libro vocato, *midras Hirhasirim*, id est, glossa libri Canticorum, cap. 3. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius & in die lætitiæ cordis ejus.* Dicit Rabbi *Hanna.* Investigavimus per scripturam universam & non invenimus, quod Bersabee Salomoni filio suo diadema fecisset. Est igitur stupendum quid diadema illud significare, velit. Dicit Rabbi *Iohanna.* Quæsivit Rabbi *Simeon* à Rabbi *Elyager*, filio Rabbi Joseph, dicens: Audivisti unquam à Patre tuo, quid esset diadema illud, quo fuerit Salomon à Matre suâ coronatus, qui respondit, Etiam. Et ille, Quid & Rabbi *Elyager*: Ille Salomon est Deus, qui à principio diligens Israël vocavit eos, filia, ut habetur Ps. 43. *Audi filia & vide.* Deinde pro majori dilectione, vocavit eos soror. Cant. 5. *Aperi mihi soror mea*, postea jam summè eos diligens vocat eos mater Is. 51. *Attendite ad me populus meus & Tribus mea mater mea est.* Eadem horâ surgens Rabbi Simeon, osculatus est eum in capite, dicens: Posito quod non verè, nam nisi quod hoc verbum audiverim, sufficit mihi. Itaque diadema quo Salomon à matre coronatur, est humanitas nostra, quæ divinitati ejus unita est.

5. Conditio erat quod Reges Orientis & Reges Saba ad Regem Messiam adorandum venturi erant, & auri atque thuris munera oblaturi. Quod patet per illud quod habetur in *Berefith Zota*: dixit Rabbi *Osua.* Si dixero tibi unum verbum bonum dices tu nomine meo? qui ait: Quod est? & ipse: Novimus, inquit, quod omnia munera illa quæ Jacob Pater vester dedit Esau, gentes pro tempore restituere habent Regi Messiæ. Scriptum est enim: *Reges Tharsis & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.*

6. Conditio quod ejus adventus fuerit annuntiatus per certum præconem in deserto, qui fuit Joannes Baptista. Is. 40. *Vox clamantis in deserto parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Et Malachias cap. 3. vocat eum Angelum: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam, & statim veniet ad Templum sanctum suum dominator quem vos quæritis.* Et in fine suæ Prophetiæ Heliam eum appellat convertentem cor PP. &c.

7. Conditio quod ante ejus adventum omnes animæ humani generis propter peccatum primi parentis descendebant in infernum. Habetur enim in *Midras Thillim* super illud Psalm. 48. *Quique terrigenæ & filij hominum simul in unum dives & pauper.* Quique terrigenæ. Isti sunt filij Adæ & filij hominum, isti sunt à Noë usque ad Abraham. Dives ille est, qui de legis scientia ditatus, & pauper ille est, qui pauper est legis. Simul in unum descendunt in infernum pariter, etiamsi Princeps studiorum existat. Item Psalm. 85. *Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Dixit Rabbi *Joda.* David dixit, Domine Deus, adulterantium supplicium est, ut mittantur in profundum inferni, & inde liberasti me. Dixit Rabbi Salomon, quod hoc fuit quando dixit ei Nathan. *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Item in *Midras Chalet*, & Glossâ Ecclesiastis super illud *Justus perit in justitia sua*: dicunt sic Doctores. Hoc dicitur de Moïse, qui quidem factus est similiter filius cujusdam mulieris, quæ cum esset prægnans, in vinculis posita est causa criminis, ubi post partum mortua est, & filius ejus nutritus est in carcere, ac ibi mansit. Cum autem post aliquod temporis spatium Rex per ostium carceris transiret, juvenis ille clamavit dicens: Domine hic natus & nutritus sum, cum ego nihil peccaverim, cujus delicto sum hic? & Rex ei: Propter delictum matris tuæ. Quod autem istud esset usque ad Christum probatur ex libro *Berefith Rabba*, ubi de Messia explicatur istud Osee 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*, & Is. 35. *Redempti à Domino convertentur & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum.* Sion in isto loco nihil aliud est quam paradisus.

Limbus Patrum.

8. Conditio est quod debebat tertia die resuscitari, & deinde ad cœlum ascendere & sedere ad dexteram Patris. Osee 6. *Vivificabit nos post dues dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* Rabbi *Moïses* Prædicator in Genesi magno super id Genes. 22. dicit autem, *die tertio elevatis oculis vidit locum procul*: dixit, multæ sunt in Scriptura sacra dierum Trinitates, quarum una est resurrectio mortuorum. Et in *Midrasitilim* dixit Rabbi *Joda* in nomine Rabbi *Hanna*, futurum est quod Deus Messiam sedere faciat ad dexteram tuam sicut scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, Et in Chaldaïca translatione sic habetur. *Dixit Dominus verbo suo.*

9. Conditio, quod Messias legem atque doctrinam novam daturus erat, probatur ex Is. cap. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi,*

& dicent: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Glossa Rabbi *Salomon:* elevabitur super colles, quia miracula quidem habent fieri in eo, majus erit miraculis montis Sinai atque Carmeli & Thabor. Quod ergo miraculum illud erit? subditur, quia *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*, id est, *omnibus gentibus.* Item habetur Jerem. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, &c.* Item Is. 11. *In die illa erit radix Jesse qua exstat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus glorioſum.*

Sacrificium panis & vini.

10. Conditio erat, quod sacrificia in templo offerri solita debebant annullari excepto sacrificio panis & vini. Patet per istud Malach. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, &c. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Per quam authoritatem ostenditur quod non in solo templo, sed ubique offerri debebat sacrificium ex re aliqua purâ & mundâ, non ex adipe & sanguine cum igne & fumo. Sæpius etiam repetitur in *Talmut*, in tempore futuro universa sacrificia, excepto sacrificio confessionis, annihilata erunt. De Sacrificio etiam panis & vini habetur in Beresith Rabba, & Rabbi Moïse Prædicatore supra illud Genes. 14. *Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei summi.* Dixit Rabbi filius *Enachinam.* Iste Melchisedech erat Sem filius Noë. Sed quid vult dicere proferens panem & vinum? Ostendit quod docuit eum Sacerdotij actum, qui erat panem & vinum sacrificare. Et hoc est quod habetur Psalm. 109. *Juravit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quis est ille? ille est Rex Messias, de quo scriptum est: *Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator.* In hoc quod dicit proferens panem & vinum, correspondet ei quod habetur Psalm. 75. *Erit placentula panis in summis montium.* Et in Caldaïca translatione habetur: Erit sacrificium panis in terra in capite montium Sinagogæ. Qui cæcus non est videre potest quod clarè hæc authoritas probat nostram intentionem. Montes Sinagogæ Sacerdotes Ecclesiæ sunt, qui de facto cunctis diebus Messiam elevant super capita sua. Quod minimè potest negari, nisi ab illis quibus venit maledictio Isaïæ ut oculis & corde cæci fiant, quos Deus illuminare dignetur.

11. Conditio erat, quod cibaria in veteri testamento prohibita permittantur. Patet per authoritatem, quæ est in *Berezith Rabba*, de Rabbi Moïse Prædicatore, ubi sic habetur. Quid docet in Psalmo 45. dicens *Dominus solvit compeditos?* omnia animalia quæ fuerant prohibita velut immunda in hoc sæculo, Deus mundificabit atque licentiabit in futuro tempore Messiæ, sicut filiis Noë primitus munda erant, ut scribitur Genes. 9. ubi habetur, *& omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, sicut olera virentia tradidi vobis omnia.*

Conversio gentium.

12. Conditio, quod post ejus adventum Idololatria in mundo cessare debebat, & omnes gentes in eum credituræ. Patet per illud quod dicit Jacob Patriarcha Genes. 49. *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Item Psalm. 101. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Is. 45. *Convertimini ad me & salvi eritis omnes fines terræ:* & de Christo ibidem dicitur. *Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad ultimum terræ*, &c. Et hodie omnes cognoscunt Deum mundi creatorem esse, etiam Mauri, Judæi, Mahumetani, etsi aliis erroribus non careant. Atque ex gentilibus assumuntur in Sacerdotes. Quod valdè displicet Judæo, qui non nisi de genere Aaron assumendos putat, cum post adventum Messiæ Sacerdotij gratia mirabiliter ampliata sit, quod patet per authoritatem quæ est in *Mechilta.* Dixit Rabbi *Barachias* de quo dicebat Job *foris non mansit peregrinus*; hoc est utique, quia parati sunt peregrini, ut tempore Messiæ Dei Sacerdotio fungantur.

13. Conditio est, quod per baptismum aquæ sanctificari animæ debebant. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab omnibus Idolis vestris mundabo vos.* Habetur in libro de *Joma* cap. *Tam hac qui purim.* Fons Israëlis Dominus est, quia sicut fons mundat sordes, sic Deus Israël peccata cum aqua mundat.

14. Conditio est, quod conversatio Messiæ nobiscum in paupertate & humilitate futura erat. Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion. Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & ipse pauper, ascendens super asinam & pullum filium asinæ.* ubi dicit Rabbi *Salomon*: Quod impossibile est textum illum de alio declarari quam de Rege Messia, quia mox sequitur: *Et loquetur pacem gentibus & potestas ejus à mari usque ad mare.* Ubi designatur ejus fides per universum orbem extensa. Ideo autem venit in paupertate contra imaginationem Judæorum, ut nos doceret quod ejus adventus non erat, ut divitias vel fœlicitates corporibus daret, sed animabus, quia regnum ejus non est de hoc mundo.

15. Conditio est, quod multa vulnera & passiones passurus erat, Isaïæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit & peccata nostra ipse portavit; & nos reputavimus eum quasi leprosum, percussum à Deo & humiliatum.* Habetur in *Beresith Rabba* de Moyse Prædicatore, quod Sathan dixit coram Deo, Domine mundi, sinè me tentare Messiam & generationem ejus, &c. Et cœpit Deus facere cum Messia, pactum dicens ei, Messia juste meus, parata sunt peccata istorum qui sunt inclusi, ut te in labore terribili ponant: oculi enim tui videbunt, aures tuæ magnum repudium à mundi gentibus audient, nares tuæ multos fœtores odorabunt; os tuum amaritudinibus satiabitur, lingua tua palato tuo adhærebit, cutis tua siccabitur super ossibus tuis, corpus tuum præ tristitia confractum erit. Si hæc omnia sustinere libet, bene quidem, sin autem, noveris quod ego de mundo illos expellam. Respondit Messias: Domine mundi cum his sum ego jucundus, & super me has passiones volo recipere, sub tali conditione, quod resuscitem mortuos qui ab Adam primo parente usque ad præsens mortui sunt, & non solum illos servabis, verum & quos lupi & leones devorarunt, & qui in mari & in flumine perierunt, & non solum hos, sed etiam abortivos, &c. Et Deus illi ait: Ego hæc omnia tibi concedo. Eadem horâ Messias omnes passiones supra se amore magno percepit. Et hoc est quod Isaïas cap. 53. *Oblatus est quia ipse voluit.*

Cæca

16. Conditio est, quod Judæorum captivitas fuit propter ingratitudinem illorum erga Messiam, quæ odium gentis nuncupatur, & quod abinde Deus Pater cœlum clausit ne orationes Judæorum audiantur. Verumtamen conversionis januam semper pœnitentibus & baptizari volentibus apertam patefecit. Repetitur enim in *Talmut*, quod Doctores legis temporis illius dicunt: Quomodo fieri potuit quod in templo secundo in quo nulla fuit idololatria, nec alia ignominiosa peccata, ubi erant quam multi viri religiosi, viri probi, homines sapientes & justi, tam sævæ punitionis rei facti sunt, tibi nullum aliud scelus erat nisi invidia & odium gratis? Et certè verum dicunt Judæi hujus temporis: non tamen intelligunt id esse propter odium & iniquitatem quam erga Messiam habuerunt. Et habetur in Talmut in libro *Berachoth*, id est, benedictionum in cap. *ben vendim*, id est, non sta-

bunt. Dixit Rabbi *Eliezar*: A die quo templum fuit destructum, orationis portæ clausæ sunt, sicut scriptum est in lamentatione Jeremiæ cap. 3. *Sed cum clamavero & rogavero, excluſit orationem meam*, &c. Attamen si bene probabimus quod portæ orationis clausæ sint, certum tamen est quod portæ conversionis omnibus temporibus sunt apertæ, & hoc patet per quamdam authoritatem in *Midraſtilim*, dixit Rabbi *Samuël Baranchina*. Scriptum est Psalm. 64. *Spes omnium finium terræ & in mari longè*. Sicut mare est apertum & quilibet volens omni tempore poterit se in eo balneare: ita est conversio, quod quicumque voluerit converti, omni anni tempore poterit & à Deo recipietur, quod apertius dicit Isaias cap. 60. *Et aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium.*

17. Conditio est, quod Messias futurus esset verus Deus & verus homo. Quod enim sit verus Deus probatur per illud quod habetur in *Midraſtilim* super illud Psalmistæ: *Quoniam apud te est fons vitæ.* & dicit Rabbi *Ioanna.* Simile est hoc homini qui per auxilium cujusdam lucernæ pergit ad lucē in nocte, quam quidem extinctam à vento iterum accendit, & rursum incendit, & hoc fecit sæpe. Demum ipse dicit, ut quid tantus labor erit? Volo expectare donec sol exeat, ad cujus lucem faciam iter meum. Simili modo fuerunt filij Israël subjugati in Ægypto & evenientes Moses & Aaron liberarunt eos: deinde fuerunt subjugati in tempore Siſaræ & evenientes Barach & Debora liberavit eos, & sic in quolibet tempore, donec dixerunt, valde sumus in liberationibus fatigati, quia eo quod fuerint per carnales homines, confestim sicut prius tribulamur. Sed jam post hac non placet nisi per Deum liberati, & hoc est quod dicit David in Psalmo 118: *Deus Dominus & illuxit nobis*, &c. Item in quodam libro vocato *Thorat Cohanim*; id est, lex sacerdotum, scribitur quod sonat illud quod habetur. Levitic. 20. *Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis mihi populus.* Simile est istud cuidam regi, qui perambulabat hortum suum ad habendum solatium, quem cum hortulanus vidisset, abscondit se, & rex dixit ei: Noli timere, ne abscondas te à me quoniam similis tui sum. Similiter tempore futuro Deus ambulabit inter justos ut delectetur cum illis: justi autem videbunt eum & expavescent, quibus Deus utique dicit: Nolite formidare me; quia similis vestrum sum, attamen licet vobis similis existam, ne forte credatis quod timor meus non sit super vos, scitote quod Deus vester sum, vos autem populus meus.

Atque licet in istis aliqua sint fabulosa (ut proprium est Rabinorum quarto modo, fabulari) licet tamen in luto aurum quærere, & Judæos propriorum doctorum quibus credunt, & quorum Theologiæ assueti sunt, testimoniis convincere, atque ex his omnibus simul collectis concludere adversus ipsos, Jesum Christum esse Messiam promissum & expectatum ab initio mundi, ut assereret mortales in libertatem gratiæ & gloriæ, quam per primi parentis lapsum amiserunt: & mirum est cur his perspectis non conquiescat gentis Judaicæ odium adversus Christianos, qui eorum Patriarchas tanta veneratione complectuntur, ac Apostolos ex eorum gente oriundos divinitus inspiratos fateantur. Sed ut advertit idem Hieronymus à sancta fide in fine libri primi contra Judæos, cum authoritates quæ sunt pro Christo in Talmut legunt, relinquunt & negligunt. Sed & mulierum filiorumque ac uxorum amor viam conversionis & veritatis cognitionem impedit. Itemque amor pecuniarum, quæ cum usuris ac aliis fraudibus acquirunt. Itemque eorum intellectus, imaginatio & studium, oppositionibus, constitutionibus, cerimoniis atque moribus Magistrorum Talmut vehementer inclinantur, in quibus diebus omnibus vitæ suæ fuerunt enutriti. Magna enim virtute & magnanimitate opus est ut quis à moribus in quibus longo tempore inveteratus fuerit, velit se separare ac semetipsum superare. Quamvis aliquibus id accidat, qui Divinæ gratiæ quæ omnes ad veritatem invitat, morigeros se præbentes bona temporalia comparatione spiritualium flocci-pendentes Christi fidem amplectuntur, nec alium Messiam frustra expectant, sicut Arthurum Britannia. Denique Litteræ sacrarum Scripturarum nimis adhærent, non attendentes ad altiora mysteria, quæ Deus in eis significare voluit, pueris similes, qui solas libri figuras & imagines inspiciunt non ea quæ figurantur. Dixit autem Apostolus, littera occidit, spiritus autem vivificat. Sæpe in Scripturis Deus promittit liberationem populi per Messiam, restitutionem Jerusalem in statum amplissimum; miseri Judæi qui nihil nisi terrena sapiunt, hæc intelligunt de liberatione à captivitate terrena, ac de regno terrenæ Jerusalem, Deus vero, cujus consilia sunt altissima, cujus cogitationes excelsiores sunt humanis cogitationibus, ad spiritualia in his intendebat, de liberatione à peccato & ab inferno loquebatur, ac de Jerusalem cœlesti quæ paradisus est, in quo regnat Christus cum suis electis quos fœlicitatis perfectissimæ reddit participes. In hoc vero mundo quæ vilia sunt, quæ minima sunt, quæ contemptibilia elegit, sapientiam prudentium hujus sæculi reprobans, ut propter ea etiam voluerit nasci in minima civitate Bethlehem. Excursionem hanc Lector æqui bonique consule, etsi instituto nostro non necessariam. Audivimus hoc anno inter aulicos etiam per sequiorem sexum, librum igne dignum lectitatum fuisse, in quo inducebantur ex omnibus fere mundi Religionibus, qui causam suam tuerentur, & in quâ Christus causâ suâ cadens exhibebatur. Tam scelerato scripto occasione acceptâ digressiunculam hanc opponimus, ad resarciendum hoc dedecus ab iis qui ut Christiani audire volunt Christo Dei filio illatum. Sed & doctrina hæc ferè fundamentalis est ad ea quæ de Christo in majori parte Conciliorum discutienda venient.

Judæorum modo difficilis conversio.

Cæterum de eodem argumento contra Judæos prodiit in lucem an. 1651. Parisiis nusquam antea editus liber inscriptus Pugio fidei Raymundi Martini Ordinis Prædicatorum, adversus Mauros & Judæos, non ab simili methodo revincens Judæos per textus veteris Testamenti & testimonia veterum Rabinorum. Ac sicut Poëtæ ex Homero: sic ex hoc Raymundo nondum edito hauserunt qui adversus Judæos scripserunt, Petrus Galatinus ex Judæo Christianus in duodecim libros arcanorum transfudit omnia ipsius Raymundi melioris notæ an. 1515. post 237. circiter annos à Raymundo. Item Porchetus Carthusianus Genuensis ditatus est in sua victoria.

Synodus Jesu Christi in Cæsareâ Philippi ad designandum D. Petrum in Vicarium suum & Pontificem totius Ecclesiæ, anno ipsius Christi 33.

Non me auctorem constituo hujus Synodi, sequor D. Joannem Damascenum in oratione de Transfiguratione cujus hæc sunt verba. In Cæsarea Philippi (Paneas autem hæc Philippi Cæsarea nunc appellatur, urbs olim clara ac celebris, quæ in divinis litteris Dan vocabatur. Numeravit enim, inquit, David populum à Dan usque ad Bersabée. In eaque urbe Dominus mulieris sanguinis fluxu laborantis cruentum fontem siccaverat) in eâ inquam urbe cum primum discipulorum suorum Concilium coegisset, atque illa vitæ Petra cathedram sibi in petra quadam ex tempore struxisset, interrogabat discipulos suos, dicens *quem dicunt homines esse filium hominis?* & oret nimirum ut homo percunctationem proponit: ut autem Deus occulte eum erudit qui primus vocatus ac primus secutus fuerat quem pro suâ præscientiâ dignum Ecclesiæ Antistitem prædestinaret. Hunc ut Deus afflat. Quænam autem erat interrogatio? *Vos autem quem me esse dicitis?* At Petrus ardenti quodam zelo inflammatus ac sancto Spiritu instinctus, *tu*, inquit, *es Christus Filius Dei vivi.* O beatum

os! ô prorsus beata labra! ô Theologam animam! ô Deo afflatam mentem &c.

Atque inde Christus Petrum designat in Summum Pontificem, beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quibus verbis promittit D. Petro auctoritatem illam in Ecclesia quam vivens exercuit post Ascensionem Christi, & quam Romani Pontifices ipsius D. Petri successores hactenus exercuerunt, ipso illos mirabiliter conservante, per quem cœli firmati sunt terraque constabilita est atque inconcussa manet, quantumvis inferorum portæ hæreticorum ora, dæmonum organa impetum fecerint in quo nunquam ita prævaluerunt, quin dici possit, *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*. Psalm. 63. Qua de re multa hactenus dicta sunt & passim in toto hoc opere dicuntur. Tanta virtus fuit in his Christi Verbis *tu es Petrus* &c. Græcus textus Damasceni habet τὴν συναγωγὴν τῶν ἁγίων μαθητῶν συναγείρας σύνοδον, cum congregaret primam Synodum discipulorum. Interpres vertit Concilium.

Addam hic tantum verba celebertimi quondam concionatoris Leonardi de Utino ser. 39. de Sanctis qui est de D. Petro. Christus beatum Petrum summum Pontificem fecit & Vicarium sum instituit quando ei dixit *Pasce oves meas*. Ad quam prælationem concurrunt quatuor. Primò Pater ipsum elegit Matth. 16. *caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*. Secundò filius electum examinavit & maximè in duobus, scilicet in fide recta quando dixit. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et Petrus respondit *Tu es Christus filius Dei*. Et in dilectione sincera: Quando dixit, *Simon Joannis diligis me plus his?* & Petrus respondit. *Tu scis Domine quia amo te*. Tertiò Spiritus sanctus electum & examinatum confirmavit, quando in Pentecoste ad roburse sibi effudit. Ps. 74. Ego confirmavi columnas ejus. Quarto tota Trinitas electo examinato & confirmato potestatem prælationis ei donavit in remissione peccatorum &c.

Sed nihil luculentius dici potest quam quod habet D. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ, ubi hanc D. Petri potestatem ad tollendam omnem schismatis occasionem & ad agnoscendam in dubiis veram fidem *compendio quodam veritatis*, contra hæreticos penitus asserit. Quæ si quis consideret, inquit, & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus* &c.

Advertetamdem D. Damascenum benignè esse interpretandum, cum D. Petrum primum vocatum esse asserit, nam prius tempore D. Andræas frater ipsius vocatus est. Sed varij sunt prioritatis modi apud Dialecticos, de quorum aliquo loqui potuit D. Joannes Damascenus.

Concilium Hierosolymitanum sub Caipha Pontifice, & Imperatore Tyberio, propter miracula Christi celebratum anno ejusdem 34.

EX occasione miraculi quod cum omnium admiratione patravit Christus resuscitando Lazarum jam quatuor dies habentem in monumento ac fœtentem, ut aiebat soror ejus Martha, verita præ amoris teneritudine ne ex tetro odore offenderetur, coactum hoc Concilium exhibetur Ioan. 11. in quo Concilio quæritur consilium. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani & tollent gentem nostram & locum. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit quod Iesus moriturus esset pro gente.*

ANNOTATIO.

RESTAT quæstio, ait Divus Thomas in cap. 11. Joannis, an Caiphas verba ista instinctu Spiritus sancti dixerit vel maligni. Et cum loquutus sit mendacium, ex invidiâ & æmulatione innocentem morti adjudicans, videtur quod prophetaverit instinctu Spiritus maligni arreptitij. Hoc autem, ait idem Doctor, non videtur consonare dictis Evangelij: nam si ita esset Joannes non addidillet (*cum esset Pontifex anni illius:*) ideo ergo Caiphæ dignitatem addidit, ut insinuaret eum instinctu Spiritus sancti fuisse loquutum. Ex quo datur nobis intelligi, quod etiam malos in dignitate constitutos Spiritus sanctus movet ad loquendum aliqua vera & futura pro utilitate duntaxat subditorum. Hæc ille. Sed & ex hoc discendum est quo pacto Deus mala in bonum convertat, quibus enim verbis cruentus hic Pontifex commovere voluit Judæos ad occisionem Innocentis, qui magis colendus erat ob miracula quam morti tradendus, iisdem verbis usus est ad Prophetiam de morte Christi quâ humanum genus liberare debebat: sicut usus est impiâ Nabuchodonosor voluntate ad castigationem & emendationem sui populi: & quamvis pessimè erraret si intentionis ejus habeatur ratio, non tamen si verba ipsa per se considerentur. Unde sicut linguæ Balaam motor fuit Spiritus sanctus, ita linguam Caiphæ movit ad annunciandam Redemptionis gratiam: nam Balaam libenter maledixisset verbis suis, quæ Deus præter intentionem illius ad bonum inflexit, Numer. 10. 14. *Non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Usque enim ad linguam, ait Albertus in Joan. cap. 11. operamur in talibus Spiritus sanctus, & non ad sensum, vel imaginationem, vel intellectum, ideò non sunt Prophetæ, quamvis prophetent. Sed melius, ut annotationem istam verbis Simonis de Cassia l. 11. cap. 45. locupletemur, qui author eloquentiæ præconio illustris est inter Scripturæ sacræ interpretes. A sæculo, inquit, consilium tanti mysterij per homines factum non fuit, in quo ab æmulis veritatis & à nescijs perfidis nescienter per mortem de vitâ omnium agebatur, ac ignari mysterij de vitâ & morte consultabant, divinum ab æterno consilium tractabant. Iniqui de magnâ virtute, injusti de summa justitia, Captivi de redemptione, venditi de pretio. Infirmi de conferenda sanitate, nihil boni præter commodum temporale intendentes pro seipsis. Invidi tractabant de magno beneficio atque officio charitatis. Cæci de lucis mysterio. Terreni de Cœlo. Homines de Deo. Filij diaboli de filio Dei, & hæc & similia ignota ignotè ab illis fiebant, & ut erant varij Oratores quorum poterat quis in concilio sic orare. Hominem nobis infestum extorrem fieri à Patria, ut pax sit his, qui illam affectu primò colunt, sentio dignum.

Alius. Si adversus hunc abs re odio exardescimus, cum tamen eum insequendi justa causa prærogata non fuerit, nulla excusatio criminis remanet.

Alius. Quo jure desævitur in hominem servientem?

Alius. Deperit omne honestum, si sancitur in pœna pro cultore honestatis.

Alius. Nescio ad quid instituta sunt jura, si non servantur in causa: ventiletur ergo causa hominis criminati, antequam judicium pœnale procedat.

Alius. Divinæ atque humanæ legis non est sine propria culpa judicare hominem in persona, quid fecit homo ille?

Alius. Ad quid lex si ejus non custoditur honestas?

Alius. Divinum est, nec non humanum est, quempiam præservare, si eum legis prævaricatio non accusat.

Alius. Crimen & delictum quibus impetere satagimus hominem, aut fecit, aut nos facimus impostura. Si fecit, secundùm legem non procedere turpe sit: si fecimus impostura, versa vice mulctandi sumus.

Alius. Cur sævimus in justum nostras injustitias arguentem? & si deforis audaciam fingimus, nostra conscientia nos accusat.

Alius. Quam turpe censendum quod constitutus in causâ, quæratur ad judicium, si primo non sollicitatur examine.

Alius. O quam turpius, si quispiam invenitur innocentiæ tutor atque defensor, etiam si suspectus esset in causa, tentandum esset pro ejus tuitione, ne publico judicio deperiret.

Alius. Lex non agit, nisi adversus eos propter quos posita est, si prævaricator est legis, convincat eum malitia sua, non impetuositas nostra.

Alius. Etiam si justus esset, plectendus est pœna, cum ipsius verbis & moribus respublica commovetur.

Alius. Non est necessaria ista virtus, per quem sæpe civitas tumultibus inhorrescit.

Alius. Homo factionis periculo est Patriæ, sit igitur abolendus.

Alius. Is qui sibi vendicavit plebeiorum fidem, facilè potest ad id quod voluerit eorum corda inflectere, quorum est pernicioſa seditio.

Alius. Etsi justus vel injustus, omninò à politicis moribus dissimilitudinem habet: nulla ratione tolerandus est amplius.

Alius. Etsi justus, aut illum avellamus ad nos, aut nos sibi honestè sociemus.

Alius. Si illi societate copulemur, aut eum justum aut nos fatebimur peccatores.

Alius. Exilio tradere mitius ac honestius est.

Alius. Captus mittatur ad Cæsarem.

Alius Sub interminatione cujusdam supplicij pellatur à finibus nostris.

Alius. Alligetur compedibus in silentio, &c.

Vnus autem ex eis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis. Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat. Atrociter iste hominem innocentem determinavit ad mortem, causâ necis non quæsitâ. Omnibus oratoribus auditis velut animosior in nece justi, & astutior in verbo mortifero, arguens de ignorantiâ oratores ait: *Vos nescitis quidquam.* Non placent mihi nec expediunt patriæ vestra consilia: impertinentes sunt orationes vestræ. Ego autem utilius cogitavi ut iste solus moriatur: jam adimplebatur Prophæticum dictum Psalm. 30. *In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Et sufficientiam Christi etiam volens dixit, quod unus & quidem mortuus omnibus valeret ad vitam. Quid igitur vivus, si sub tremēdo mortis imperio omnes à morte liberat? quid regnans erit facturus, qui talia facit morti subjectus. Hæc & plura Author ille magis verosimilia quam vera, saltem majori ex parte.

Porro hoc Caïphæ judicium simul cum sequenti in proximo Concilio locum dedit pluribus adagiis. 1. Est novus Caïphas. In eos dictum qui non meritis, sed argento sibi gradum faciant ad gradus Ecclesiasticos. Sic Isidorus Peluſiota lib. 1 Epist. 3. premit quemdam Zozymum Presbyterum. Nonne prophanè prophano modo accepisti Sacerdotium, rem videlicet cœlestem pecuniâ suffuratus, *novumque Caïphan te præbens*, ut qui res arcanas ac mysticas argento tibi comparasti. 2. Est Caïphæ Concilium. Gregor. Nazianz. orat. 31. *sive Caïphæ Concilium quo Christus condemnatur*, sive quocunque tandem nomine conventus hic appellandus est, qui omnia evertit ac perturbavit. 3. Est filius Caïphæ, pro homine scelerato ac sacratum rerum temeratore. Petrus Damiani lib. 1. Epist. 20. Quicumque se ad hoc flagitium impulerunt *filij Caïphæ, primogeniti, dicendi sunt Sathanæ.* Adjutores Anti-Christi, adversarij veritatis & est aula Caïphæ. Sic in cujusdam Epistola qui exilium Martini Papæ describit. Eduxerunt autem sanctum Apostolicum virum de cellâ judicij, *magis autem ex aula Caïphæ.* Apud Aloysium Novarin. in adagiis Sanctorum Patrum.

Quid boni huic Concilio, & quid mali?

Nihil ex omni parte beatum, neque undequaque miserum. *Balsiceus in Codice Evangelico seu conc. 25. in pass.*

Malo isti Concilio hæc insunt bona. *Bona huius Concilij.*

Dignitas triplex quæ ab

1. Sacris. Nam ibi Sacerdotes, ijque proceres.

2. Literis, nam ibi scribæ, doctores, literarum SS. professores.

3. Ætate senecturis. Nam ibi seniores. Senes Concilioſi. In senibus prudentia, experientia, visque exemplorum. Rara datur longo prudentia temporis usu, ait ille tertius Cato de Cœlo lapsus.

3. Reg. 13. Hieroboam consilio juvenum usus, regni decem partes amisit.

Concilij hujus exemplo, auctor ego, ad Concilium etiam bellicum non solum palliatos aut paludatos advocandi, sed & togatos, ac imbelles senes.

At dux & miles, inquis, experientia melior. Certe, sed non rerum omnium. Qui enim? Nam paucis annis quisque militavit, etsi vitâ totâ. Vita brevis, ars verò longa, ait medicus.

Literati autem, helluonesque librorum, è libris, omnia omnium temporum experimenta in promptu habent, stratagemata Alexandrorum, Annibalium, &c. legunt: pleraque ab ipsis scripta, qui aut gessere, aut, cum gererentur, interfuere.

Mala vero illi, à *Mala mali huius Concilij.*

1. Tempore: nocte enim coïtum est.

2. Loco, in domo privata Caïphæ.

3. Modo: non invocatâ numinis ope.

4. Præcipitantiâ: vix dum benè captus, judicatus est, etiam ante auroram.

5. Affectibus: iras enim & odia, sequutus quisque.

6. Falsi studio: quæsiti enim studioſe falsi testes.

1. Tempore noctis negotia suspecta, cum nihil nocet mora expectatæ lucis, ut hic.

Qui malè agit, odit lucem.

Job. *Oculus adulteri observat caliginem.*

Varronis sanctio fuit S. C. ante exortum, aut post occasum solis factum, ratum non esse.

Senec. l. 1. de tranquil. vitæ c. 14. majores nostri novam relationem post horam decimam fieri vetabant.

Nox profundior, & Cæna lautior ac lætior ab Agno Paschali judices hos faciebat somno graves, dormitabundos, & ad censuram tantam ineptos.

Plutarch. in apopht. bene Machetes quidam, qui à Philippo ad Philippum damnatam causam appellavit, quod pro tribunali sedens Rex dormitabundus, nec satis ad causæ æquitatem advertens judicasset.

Stob. ser. 13. & anus illa non male, quæ pari fortunâ, ad Philippum appellavit vigilantem.

Si Areopagitas noctu ut plurimum judicasse ais: ego respondero, hoc eo id fecisse eos, ut ne affectus ullus cognitos reos temerè aut absolveret, aut premeret.

Rursus, hoc illos ex more fecisse: nos vero loqui de ijs, quibus etsi inusitata nocturna Comitia, nocte tamen convenire, affectus præceps imperitat.

2 Loco. Nam in domibus privatis Annæ, Caïphæ.

Judæorum veteri more, in portis urbium judicatum.

Romanorum vet. judicia in agro.

Propert. lib. Eleg. de antiqua Româ. buccina cogebat priſcos ad verba quirites. A

Areopagitæ ſub dio judicavere.

Publicum amat, quod decorum.

Plutarch. In apopht. Reg. Antigonus, Marſiæ fratri poſtulanti de ſua cauſa, domi cognoſci: ſi nihil, inquit, præter jus agimus, melius fiet in foro, cunctiſque audientibus.

Sed, nec Romanis quidem locus quiſlibet publicus, juſtus locus ſenatus habendi, ſed templa tantum, neque univerſa, id eſt, omnis alicujus Dei ædes.

Zonaras inſinuat: nam, Ulſinenſium legatos clam miſſos Romam, ægre impetraſſe narrat, ut in ædibus privatis (ne eorum legatio evulgaretur) ſenatus conveniret.

Et Dion. lib. 5. ultimis temporibus cum in rempub. B invaſiſſet Octavianus, decrevit, ut & ſenatores ture, ac mero ſupplicarent illi Deo, in cujus templo ſenatus habebatur.

Concilia Romanis, potiſſimum in deorum immortalium templis, ut, veneratione quoque loci, ſenatores à pravis cogitationibus ſabducerentur.

Servius in illud 7. Æneid. augusta ad mœnia, &c. niſi in auguſto (i. augurio conſecrato) loco, ſenatus Concilium habere non poterat. Unde templum Veſtæ non fuit augurio conſecratum, ne illuc conveniret ſenatus, ubi erant virgines; nam hæc fuerat Regia Numæ-Pompilij. Ad atrium autem Veſtæ conveniebatur, quod à templo remotum fuerat.

Tertiò. Modo. Non primum implorato Deo, niſi valde ſero, cum dixit: *adiuro te* &c.

Varro & Appian. l. 2. priſcus mos ut magiſtratus ſe- C natum habiturus, hoſtiam immolaret, auſpicaretur-que.

Dion. lib. 54. Octaviani decreto cautum, ut & ſenatores ture ac mero ſupplicarent illi Deo, in cujus templo ſenatus habendus.

Sueton. in vita Aug. quo autem lecti probatique & religioſius, & minori moleſtia, ſenatorio munere ſuggerentur, ſanxit Auguſtus, ut priuſquam conſideret quiſquam ture ac mero ſupplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur. Certè, ſi reliquarum rerum agendarum à diis capienda exordia, maximè judiciorum, criminum inſectandorum, & fati de vita ac necis.

Quarto. Præcipitantia. Vix dum bene una hora captus Jeſus, judicatur, damnatur conjurationis id ſimilius, quam Concilio. Quantulum temporis, horu- D la, ad deliberandum cenſendumque de morte, ac quidem viri tam illuſtris?

Juvenal. ſatyr. 6. nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Mors inflicta non profligatur.

Plutarch. In laconicis prudenter Lacedæmoniorum ſenes, qui plures dies poſcerent cognoſcendis cauſis de capite, quod ſc. ſi hic error nullius correctioni locus: ſin vero indulgentius quis abſolutus, liceat rectius poſtea ſtatuere.

Ut in bello, ita in damnatione capitis, ſemel erraſſe, plus ſatis.

Anton. Ser. de incorruptis judicibus Democrito, jure is judex probatus qui cito intelligit & lentè judicat.

Senatores Rom. in foro voluere ſex horas accuſatori, E reo novem dari; ne paucioribus clepſydris tempore præſcripto, cauſæ præcipitarentur.

Cn. Pompeij juſſo, tandem reſciſſus hic numerus, atque accuſatori duæ horæ, tres reo relictæ.

Quintò. Affectibus. Hos illi Conſiliarios peſſimos ſequuti.

Perit enim omne judicium, cum res tranſiit in affectum.

Nam exurgens Pontifex *ſcidit veſtimenta ſua.* Furor itaque mente præcipitat.

Ira æſtus, Pontificem de throno deturbavit, & furor veſtem conſcidit.

Ab irato Alexandro, ad non iratum Alexandrum elim provocatum, nunc à Caipha ad Caipham, etiam provocandi juſta cauſa.

Sed omnes unam unius hominis bacchantis vocem ſequuti, eodem invidiæ morbo omnes ægri, in partem ejus tranſiere.

Sextò, falſi ſtudio. Ipſi judices, falſos teſtes aucupati. *Principes Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum* &c. ait Evang.

Cæterum de iſto Concilio Judæorum plura ſuppedi- *7. voces clamantis Chriſtum ad mortem.*
tat Oſorius inter conciones quadrageſimales. Magis placet ſubjungere quod præteriti ſæculi concionator Ambroſius de Spiera piè meditatur circa præſens Concilium, ſeptem voces fuiſſe paſſionis tempore Chriſtum clamantes ad mortem.

1. Vox æterni Patris, clamabat enim moriatur filius meus. Eſdræ 3. moriatur quia venit hora ejus. At quare, Pater ſancte, an te offendit, an non diligens te, an non obediens? non. Sed propter nimiam charitatem qua diligo mundum.

2. Vox benedicti filij. Volo mori. pſ. *clamavi, rauca facta ſunt fauces mea.* At quis deſiderat ſibi mortem? Non poterat modo congruentiori reparari natura humana & honor Patris reparari. Infinitum honorem ſibi uſurpaverat natura humana peccando, infinitum honorem Deo reddere poterat filius moriendo & in victimam ſe offerendo, ideo dixit, volo mori. *Deus meus volui.*

3. Vox Spiritus ſancti. Quia Pater propter nimiam charitatem non parcit filio, & filius pro inimicis vult mori. Numquid ego, inquit, qui ſum amor Patris & Filij ab eorum voluntate diſcors ero? Quid dicam? clamabo, moriatur ut charitas noſtra cognoſcatur. O duri filij Adam quorum viſcera non commoventur!

4. Vox omnium beatorum Angelorum. Moriatur dulciſſimus Dominus noſter Jeſus. At ſunt ne inimici, an malum ipſis intulit? Non. Sed quia decretum Dei eſt, nec melius reparari poſſunt ruinæ noſtræ. Ad Coloſſ. 1. *pacificans per ſanguinem ejus, ſive quæ in cœlis ſive quæ in terris ſunt.*

5. Vox omnium Spirituum reproborum. Quia, aiebant, animas nobis tollit, ſedentem in telonio Matthæum ad ſe vocavit, Magdalenam peccatricem convertit &c. ipſo moriente mala noſtra finientur. O peſſimæ feræ neſcitis quid ſub illâ carne lateat. Job 39. *in oculis ſuis quaſi hamo capiet Leviathan.*

6. Vox omnium juſtorum in Limbo expectantium januæ cœli reſerationem, ſoluto pretio redemptionis: quia pœna privationis viſionis Dei per paſſionem debet tolli. Quoties clamavit Iſaias, *utinam dirumperes cœlos & deſcenderes*, quoties David *quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus* &c. Luc. 11. *cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt omnia* &c. moriatur ergo Dominus noſter.

7. Vox eſt omnium, malorum quorum peccata clamant in cœlum *crucifige, crucifige.* Sed quid mali fecit? *venient Romani & tollent locum noſtrum* &c. O dira impietas; nonne dixit, *regnum meum non eſt de hoc mundo?* nos dicimus, *expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.*

O Jeſu Redemptor omnes mortem tuam ſitiunt & ardenti perunt animo.

Subjungo iſtis alia quæ piè meditatur Baptiſta Delanuza hom. 39. quadrag. hodiernum Evangelium pelagus eſt immenſum, in quo etiam Angelorum ac ſu- *Duo Concilia & diversum & humanum.*
premorum Seraphim abſorbentur intellectus. Duo nobis proponuntur concilia à Joanne Evang. unum ab hominibus celebratum: alterum vero in cœlis plenum.

Convocarunt Concilium in Jeruſalem Pontifices & Doctores, illi qui mundi totius erant oculi, flos ſapientiæ Concilium ſine Concilio: quia non eſt, conſilium in Concilio contra Dominum. In unum convenerunt capita ſine capite, & ſine regimine rectores, &

& ejus examinant actiones, ex quibus constabat manifestè quod ipse esset Messias. Suffragia dant & colligunt, eumque reum esse mortis conclamant universi. Stuporem omnem excedit ad tantam posse delabi cæcitatem, & quidem tales.

At vero multo magis illud admiror Evangelistæ, quod ait in cœlo aliud celebratum fuisse Concilium, in quo interfuere tres sanctissimæ Trinitatis personæ & in eamdem convenire sententiam.

In uno convenit & præsidet tota barathri malitia, in altero vero tota Dei bonitas: in uno tota dirigit ignorantia & cæcitas, in altero cœli totius infinita sapientia; & nihilominus ambo Concilia unum idemque determinant. Illud causa fuit totius ruinæ Jerusalem, hoc reparationis Angelorum ratióque magnitudinis cœlestis regni. Quis sapiens & intelliget? &c.

Ne tibi persuadeas mortem Christi ab isto Concilio initium duxisse ac decreto Caïphæ. Ab alio longè Concilio traxit originem, ab ipso scilicet Deo cœterno, priusquam essent stellæ, Angeli, ullave creatura, ut manifestè pateat quam ab antiquo nos Deus dilexit, ut nobis illi dicere liceat *charitate perpetua dilexi te.* Hieron. 31

Consiliarij cœlestis Concilij fuerunt potentia infinita, suprema sapientia & immensa bonitas. Expedit *ut unus moriatur homo pro populo*, & cætera quæ ibi explicantur, expensis accuratè singulis verbis. Digitum ad fontem intendisse sufficiat.

Concilium Hierosolymitanum sub Caipha Pontifice & Tiberio Imperatore, dum captus esset Christus anno ejusdem 34.

SYnodus hæc est ultima veteris testamenti, dignior nomine Pseudo-Synodi, ac Concilij malignantium seu conciliabuli impiorum, quibus non Spiritus sanctus, sed Spiritus malignus & potestas tenebrarum præfuit. Sic de ea Matthæus cap. 26. *Principes Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium adversus Jesum & non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.* Ac cum eorum testimonia convenientia, non viderentur, Caïphas cupidus mortis Iesu, moræ impatiens memorque prioris sententiæ in alio præcedenti conventu latæ, paucis ut causam absolveret, sic Iesum capriosè alloquitur. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus, Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus Cœli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, Reus est morte.* Hæc Evangelistæ Matthæus & Marcus.

ANNOTATIO.

EX errore hujus Concilij in quo erravit summus Pontifex Hebræorum cum toto Concilio, volunt inferre Hæretici Pontificem Romanum cum toto Concilio errare posse. Nam quamvis Pontifex Hebræorum ex veriori sententia fuerit infallibilis cum suo Concilio in controversiis fidei & Religionis dijudicandis, ut ex eo patet quod *Deuter.* 17. promiserat Deus, quod ad eum provocantes judicij veritatem acciperent, & quod sub pœna mortis tenerentur ejus sententiæ acquiescere: quod Deus non jussisset nisi post ejus sententiam securi esse debuissent de veritate, præsertim in negotio fidei & Religionis. Attamen cum jam Synagoga exspiraret, cum habitum est hoc Concilium contra Christum in vinculis positum, defuit illi assistentia Spiritus sancti, quæ paulatim illi subtrahebatur. Quod ostendit Becanus in Analogiâ veteris ac novi Testamenti cap. 6. ex tribus Conciliis quæ post Christi Nativitatem à Pontifice & Sacerdotibus celebrata sunt. Primum tempore Herodis, cujus decisio fuit vera ac ex infallibili Dei assistentiâ profecta, cum respondit in Bethleem nasciturum Christum. Secundum fuit post Lazarum resuscitatum, cum disputaretur quid de Christo tot operante miracula statuendum esset. Quod partim erravit in eo quod Christum ex odio humano morti adjudicaret, partim non erravit in eo quod prædiceret Caïphas ex instinctu divino eum morituram pro salute Judæorum. Tertium fuit instante passione, in quo lata est mortis sententia contra Christum, ex instinctu, & afflatu diabolico, ut etiam Christus antea dixerat Joan. 8. *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere.* Cæterum putat Baronius hoc Concilium fuisse Concilium Sanhedrim ex septuaginta Judicibus conflatum (an. 34.) sed cum scriptura tantum meminerit Sacerdotum qui adfuerint, Concilium autem Sanhedrim ex Sacerdotibus & Laïcis constaret, ex senibus scilicet Israël *Num.* 11. idem censendum est de hoc Concilio ac de altero sub Herode congregato. Ecclesia infallibilis.

At hæc satis de Conciliis testamentis veteris. Cum illius status in morte Christi finem acceperit, hic signum statuimus, nec ultra progredimur in hac classe, etsi alia subministrare posset liber Actuum Apostolorum, nec non historia Josephi. Sed quid juvat legis jam mortuæ Synodos perscrutari cujus cæremoniæ nullius erant vigoris ac fructus: & si nondum etiam mortiferæ, id est, sub pœna peccati prohibitæ omnibus? Quod tantum contigisse post excidium urbis Jerusalem per Christum, in quo Deus sufficienter ostendit se Judæos legemque ipsorum reprobasse in pœnam mortis Christo illatæ, multi arbitrantur: cum id antea apertè in urbe Romanâ prædicaret D. Petrus Apostolus cladem illam Judæis eventuram, ob occisum ab ipsis Christum & gaudium quod de ejus morte conceperant, si fides adhibenda Lactantio l. 4. de vera sapientia c. 21.



Propert. lib. Eleg. de antiqua Româ. buccina cogebat priſcos ad verba quirites. A

Areopagitæ ſub dio judicavere.

Publicum amat, quod decorum.

Plutarch. In apopht. Reg. Antigonus, Marſiæ fratri poſtulanti de ſua cauſa, domi cognoſci: ſi nihil, inquit, præter jus agimus, melius fiet in foro, cunctiſque audientibus.

Sed, nec Romanis quidem locus quiſlibet publicus, juſtus locus ſenatus habendi, ſed templa tantum, neque univerſa, id eſt, omnis alicujus Dei ædes.

Zonaras inſimuat: nam, Ulſinenſium legatos clam miſſos Romam, ægre impetraſſe narrat, ut in ædibus privatis (ne eorum legatio evulgaretur) ſenatus conveniret.

Et Dion. lib. 5. ultimis temporibus cum in rempub. invaſiſſet Octavianus, decrevit, ut & ſenatores ture, ac B mero ſupplicarent illi Deo, in cujus templo ſenatus habebatur.

Concilia Romanis, potiſſimum in deorum immortalium templis, ut, veneratione quoque loci, ſenatores à pravis cogitationibus ſabducerentur.

Servius in illud 7. Æneid. auguſta ad mœnia, &c. niſi in auguſto (i. augurio conſecrato) loco, ſenatus Concilium habere non poterat. Unde templum Veſtæ non fuit augurio conſecratum, ne illuc conveniret ſenatus, ubi erant virgines; nam hæc fuerat Regia Numæ-Pompilij. Ad atrium autem Veſtæ conveniebatur, quod à templo remotum fuerat.

Tertiò. Modo. Non primum implorato Deo, niſi valde ſero, cum dixit: *adiuro te* &c.

Varro & Appian. l. 2. priſcus mos ut magiſtratus ſe- C natum habiturus, hoſtiam immolaret, auſpicaretur-que.

Dion. lib. 54. Octaviani decreto cautum, ut & ſenatores ture ac mero ſupplicarent illi Deo, in cujus templo ſenatus habendus.

Sueton. in vita Aug. quo autem lecti probatique & religioſius, & minori moleſtia, ſenatorio munere ſuggerentur, ſanxit Auguſtus, ut priuſquam conſideret quiſquam ture ac mero ſupplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur. Certè, ſi reliquarum rerum agendarum à diis capienda exordia, maximè judiciorum, criminum inſectandorum, & fati de vita ac necis.

Quartò. Præcipitantia. Vix dum bene una hora captus Jeſus, judicatur, damnatur conjurationis id ſimilius, quam Concilio. Quantulum temporis, horu- D la, ad deliberandum cenſendumque de morte, ac quidem viri tam illuſtris?

Juvenal. ſatyr. 6. nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Mors inflicta non profligatur.

Plutarch. In laconicis prudenter Lacedæmoniorum ſenes, qui plures dies poſcerent cognoſcendis cauſis de capite, quod ſc. ſi hic error nullus correctioni locus; ſin vero indulgentius quis abſolutus, liceat rectius poſtea ſtatuere.

Ut in bello, ita in damnatione capitis, ſemel erraſſe, plus ſatis.

Anton. Ser. de incorruptis judicibus Democrito, jure is judex probatus qui cito intelligit & lentè judicat.

Senatores Rom. in foro voluere ſex horas accuſatori, reo novem dari; ne paucioribus clepſydris tempore præſcripto, cauſæ præcipitarentur. E

Cn. Pompeij juſſo, tandem reſciſſus hic numerus, atque accuſatori duæ horæ, tres reo relictæ.

Quintò. Affectibus. Hos illi Conſiliarios peſſimos ſequuti.

Perit enim omne judicium, cum res tranſiit in affectum.

Nam exurgens Pontifex *ſcidit veſtimenta ſua*. Furor itaque mente præcipitat.

Ira æſtus, Pontificem de throno deturbavit, & furor veſtem conſcidit.

Ab irato Alexandro, ad non iratum Alexandrum olim provocatum, nunc à Caipha ad Caiphan, etiam provocandi juſta cauſa.

Sed omnes unam unius hominis bacchantis vocem ſequuti, eodem invidiæ morbo omnes ægri, in partem ejus tranſiere.

Sextò, falſi ſtudio. Ipſi judices, falſos teſtes aucupati. *Principes Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum* &c. ait Evang.

Cæterum de iſto Concilio Judæorum plura ſuppedi- *7. voces clamantis Chriſtum ad mortem.*
tat Oſorius inter conciones quadrageſimales. Magis placet ſubjungere quod præteriti ſæculi concionator Ambroſius de Spiera piè meditatur circa præſens Concilium, ſeptem voces fuiſſe paſſionis tempore Chriſtum clamantes ad mortem.

1. Vox æterni Patris, clamabat enim moriatur filius meus. Eſdræ 3. moriatur quia venit hora ejus. At quare, Pater ſancte, an te offendit, an non diligens te, an non obediens? non. Sed propter nimiam charitatem qua diligo mundum.

2. Vox benedicti filij. Volo mori. pſ. *clamavi, rauca facta ſunt fauces mea.* At quis deſiderat ſibi mortem? Non poterat modo congruentiori reparari natura humana & honor Patris reparari. Infinitum honorem ſibi uſurpaverat natura humana peccando, infinitum honorem Deo reddere poterat filius moriendo & in victimam ſe offerendo, ideo dixit, volo mori. *Deus meus volui.*

3. Vox Spiritus ſancti. Quia Pater propter nimiam charitatem non parcit filio, & filius pro inimicis vult mori. Numquid ego, inquit, qui ſum amor Patris & Filij ab eorum voluntate diſcors ero? Quid dicam? clamabo, moriatur ut charitas noſtra cognoſcatur. O duri filij Adam quorum viſcera non commoventur!

4. Vox omnium beatorum Angelorum. Moriatur dulciſſimus Dominus noſter Jeſus. At ſunt ne inimici, an malum ipſis intulit? Non. Sed quia decretum Dei eſt, nec melius reparari poſſunt ruinæ noſtræ. Ad Coloſſ. 1. *pacificans per ſanguinem ejus, ſive quæ in cœlis ſive quæ in terris ſunt.*

5. Vox omnium Spirituum reproborum. Quia, aiebant, animas nobis tollit, ſedentem in telonio Matthæum ad ſe vocavit, Magdalenam peccatricem convertit &c. ipſo moriente mala noſtra finientur. O peſſimæ feræ neſcitis quid ſub illâ carne lateat. Job 39. *in oculis ſuis quaſi hamo capiet Leviathan.*

6. Vox omnium juſtorum in Limbo expectantium januæ cœli reſerationem, ſoluto pretio redemptionis: quia pœna privationis viſionis Dei per paſſionem debet tolli. Quoties clamavit Iſaias, *utinam dirumperes cœlos & deſcenderes*, quoties David *quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus* &c. Luc. 11. *cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt omnia* &c. moriatur ergo Dominus noſter.

7. Vox eſt omnium, malorum quorum peccata clamant in cœlum *crucifige, crucifige.* Sed quid mali fecit *venient Romani & tollent locum noſtrum* &c. O dira impietas; nonne dixit, *regnum meum non eſt de hoc mundo?* nos dicimus, *expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.*

O Jeſu Redemptor omnes mortem tuam ſitiunt & ardenti petunt animo.

Subjungo iſtis alia quæ piè meditatur Baptiſta Delanuza hom. 39. quadrag. hodiernum Evangelium pelagus eſt immenſum, in quo etiam Angelorum ac ſu- *Duo Concilia & divinum & humanum.*
premorum Seraphim abſorbentur intellectus. Duo nobis proponuntur concilia à Joanne Evang. unum ab hominibus celebratum: alterum vero in cœlis plenum.

Convocarunt Concilium in Jeruſalem Pontifices & Doctores, illi qui mundi totius erant oculi, flos ſapientiæ Concilium ſine Concilio: quia non eſt, conſilium in Concilio contra Dominum. In unum convenerunt capita ſine capite, & ſine regimine rectores, &

& ejus examinant actiones, ex quibus conflabat manifestè quod ipse esset Messias. Suffragia dant & colligunt, eumque reum esse mortis conclamant universi. Stuporem omnem excedit ad tantam posse delabi cæcitatem, & quidem tales.

At vero multo magis illud admiror Evangelistæ, quod ait in cœlo aliud celebratum fuisse Concilium, in quo interfuere tres sanctissimæ Trinitatis personæ & in eamdem convenire sententiam.

In uno convenit & præsidet tota baratri malitia, in altero vero tota Dei bonitas: in uno tota dirigit ignorantia & cæcitas, in altero cœli totius infinita sapientia; & nihilominus ambo Concilia unum idemque determinant. Illud causa fuit totius ruinæ Jerusalem, hoc reparationis Angelorum ratióque magnitudinis cœlestis regni. Quis sapiens & intelliget? &c.

Ne tibi persuadeas mortem Christi ab isto Concilio initium duxisse ac decreto Caïphæ. Ab alio longè Concilio traxit originem, ab ipso scilicet Deo cœterno, priusquam essent stellæ, Angeli, ullave creatura, ut manifestè pateat quam ab antiquo nos Deus dilexit, ut nobis illi dicere liceat *charitate perpetua dilexi te.*

Consiliarij cœlestis Concilij fuerunt potentia infinita, suprema sapientia & immensa bonitas. Expedit *ut unus moriatur homo pro populo*, & cætera quæ ibi explicantur, expensis accuratè singulis verbis. Digitum ad fontem intendisse sufficiat.

Concilium Hierosolymitanum sub Caipha Pontifice & Tiberio Imperatore, dum captus esset Christus anno ejusdem 34.

SYnodus hæc est ultima veteris testamenti, dignior nomine Pseudo-Synodi, ac Concilij malignantium seu conciliabuli impiorum, quibus non Spiritus sanctus, sed Spiritus malignus & potestas tenebrarum præfuit. Sic de ea Matthæus cap. 26. *Principes Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium adversus Jesum & non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.* Ac cum eorum testimonia convenientia, non viderentur, Caïphas cupidus mortis Iesu, moræ impatiens memorque prioris sententiæ in alio præcedenti conventu latæ, paucis ut causam absolveret, sic Iesum capriosè alloquitur. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus, Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus Cœli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis.* Hæc Evangelistæ Matthæus & Marcus.

ANNOTATIO.

EX errore hujus Concilij in quo erravit summus Pontifex Hebræorum cum toto Concilio, volunt inferre Hæretici Pontificem Romanum cum toto Concilio errare posse. Nam quamvis Pontifex Hebræorum ex veriori sententia fuerit infallibilis cum suo Concilio in controversiis fidei & Religionis dijudicandis, ut ex eo patet quod *Deuter.* 17. promiserat Deus, quod ad eum provocantes judicij veritatem acciperent, & quod sub pœna mortis tenerentur ejus sententiæ acquiescere: quod Deus non jussisset nisi post ejus sententiam securi esse debuissent de veritate, præsertim in negotio fidei & Religionis. Attamen cum jam Synagoga exspiraret, cum habitum est hoc Concilium contra Christum in vinculis positum, defuit illi assistentia Spiritus sancti, quæ paulatim illi subtrahebatur. Quod ostendit Becanus in Analogiâ veteris ac novi Testamenti cap. 6. ex tribus Conciliis quæ post Christi Nativitatem à Pontifice & Sacerdotibus celebrata sunt. Primum tempore Herodis, cujus decisio fuit vera ac ex infallibili Dei assistentiâ profecta, cum respondit in Bethleem nasciturum Christum. Secundum fuit post Lazarum resuscitatum, cum disputaretur quid de Christo tot operante miracula statuendum esset. Quod partim erravit in eo quod Christum ex odio humano morti adjudicaret, partim non erravit in eo quod prædiceret Caïphas ex instinctu divino eum morituram pro salute Judæorum. Tertium fuit instante passione, in quo lata est mortis sententia contra Christum, ex instinctu, & afflatu diabolico, ut etiam Christus antea dixerat Joan. 8. *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere.* Cæterum putat Baronius hoc Concilium fuisse Concilium Sanhedrim ex septuaginta Judicibus conflatum (an. 34.) sed cum scriptura tantum meminerit Sacerdotum qui adfuerint, Concilium autem Sanhedrim ex Sacerdotibus & Laïcis constaret, ex senibus scilicet Israël *Num.* 11. idem censendum est de hoc Concilio ac de altero sub Herode congregato.

Ecclesia infallibilis.

At hæc satis de Conciliis testamentis veteris. Cum illius status in morte Christi finem acceperit, hic signum statuimus, nec ultra progredimur in hac classe, etsi alia subministrare posset liber Actuum Apostolorum, nec non historia Josephi. Sed quid juvat legis jam mortuæ Synodos perscrutari cujus cæremoniæ nullius erant vigoris ac fructus: & si nondum essent mortiferæ, id est, sub pœna peccati prohibitæ omnibus? Quod tantum contigisse post excidium urbis Jerusalem per Christum, in quo Deus sufficienter ostendit se Judæos legemque ipsorum reprobasse in pœnam mortis Christo illatæ, multi arbitrantur: cum id antea apertè in urbe Romanâ prædicaret D. Petrus Apostolus cladem illam Judæis eventuram, ob occisum ab ipsis Christum & gaudium quod de ejus morte conceperant, si fides adhibenda Lactantio l. 4. de vera sapientia c. 21.



SVMMA
CONCILIORVM.
SECVNDA CLASSIS CONCILIORVM
Generalium quæ in Oriente celebrata ſunt.

Concilia Orientalia priora ſunt.

VT lux quæ mundi purpura eſt, maleficiorum inimica, navigantium directrix, oculus noſtis, faciesque rerum omnium quæque illis decorem tribuit, primò in Oriente paret: ſic eximia quæque in hac mundi parte primò exorta ſunt. Ibi formatus eſt primus inter homines: ibi regna & imperia primum fundata fuere: ibi artes & ſcientiæ florere cœperunt: ibi primùm Religio, quâ nihil potius habet homo, duxit initium: unde nihil mirum ſi & Concilia, quibus ipſa fovetur ac firmatur Religio, ſimul ortum ſuum invenerunt. Quare cum nos eorum ſummam hic exhibeamus, Orientalia, ante cætera, proponimus.

CONCILIVM APOSTOLORVM GENERALE HIEROSOLYMIS habitum pro condendo fidei Symbolo ac Canonibus regiminis Eccleſiaſtici, nec non aſſignandis Regionibus unicuique ex ipſis, D. Petro Præſide, anno Chriſti 44.

FRanciſcus Joverius Valentinus Academiæ Pariſienſis Doctor Theologus, in eâ eſt ſententiâ ut ex omnibus cœtibus Apoſtolorum de quibus tractatur in libr. Actuum Apoſtolorum, nullus habeatur pro Concilio Generali, unde fit ut Nicænam Synodum ſtatuat pro primâ œcumenicâ & generali. Sic enim ille in exordio ſuæ collectionis ſanctionum Eccleſiaſticarum, in velitatione de Apoſtolorum Synodis.

Priuſquam noſtræ contentionis præcipuum attingamus ſcopum, operæpretium erit difficultatem, triam quidem eam & apud doctos ſæpè diſcuſſam, de prima œcumenica Synodo in medium obiter proponere: ut ejus diſcuſſione, primariæ theſi de Apoſtolorum Synodis intelligendæ ſternatur via, adituſque paretur facilior. Et quamvis nodi hujus ſolutio multorum exercuerit ingenia: curioſior tamen videtur quàm ut tractatione egeat longiore, quod de nomine potius quàm de re inſtituatur diſputatio. Sed ut ad rem cominus accedamus; proponatur controverſia in particulari, facta collatione primæ Synodi Nicænæ, ad Synodum aliquam ſub Apoſtolis celebratam, utra fuerit prima œcumenica. Si ad œcumenicam Synodum exigas generalem convocationem, revera non dicentur œcumenicæ quæ ab Apoſtolis habitæ ſunt. Præcipua ſiquidem inter eas habetur Acto. 15. Sed quia non fuit omnibus indicta, quorum intererat adeſſe, (tantum enim aderant Apoſtoli quatuor, & aliquot pij & prudentes viri, quos beatus Lucas Eccleſiam vocat) non dicetur œcumenica. Erunt igitur media hæc concilia inter œcumenica & Provincialia. Habita enim ratione materiæ (agebatur ſiquidem de fidei negotio) erunt univerſalia: habita verò ratione congregationis, quæ non fuit univerſalis, potius accedent ad provincialia quam ad œcumenica. Sed quia aderant Apoſtoli peculiariter donati muneribus & chariſmatibus Spiritûs ſancti, poterant illi quidem pauci numero, de fidei rebus tutò ſtatuere, quod non liceret hoc tempore, aliis non accerſitis Eccleſiis. De numero Synodorum quas Apoſtoli celebrarunt, maxima eſt inter Theologos contentio. Probabiliorem tamen ſententiam, aliis non omninò neglectis, in medium proponemus.

Pluries Apoſtoli congregati.

Sæpè fuiſſe Apoſtolos congregatos ad Religionis negotia tractanda, conſtat ex Actis Apoſtolicis. Teſtimonio tamen multorum Patrum, quatuor præcipui cœtus memorantur Acto. 1. 6. 15. & 21. quibus additur etiam cœtus cujus fit mentio Acto. 4. Prima igitur poſt Aſcenſionem Domini congregatio fuit Hieroſolymis, ad eligendum aliquem in locum Judæ proditoris, cui tunc ſorte divina ſuffectus eſt Mathias, ut habetur Act. 1. cap. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum*, &c. ad finem uſque capitis. Secunda congregatio habita eſt etiam Hieroſolymis, anno primo poſt Chriſti mortem, & Spiritus ſancti miſſionem: ante Pauli converſionem (quæ eodem anno contigit) ad eligendum ſeptem diaconos, ut ſatis fieret expoſtulationi gentilium adverſus Judæos: quòd gentilium viduæ non honorarentur in miniſterio, eſt, dum eleemoſynæ diſtribuerentur, non haberetur ratio gentilium viduarum: neque his ſubveniretur ut viduis Hebræis, ut legitur Acto. 6. ab initio capitis uſque ad finem. Quidam eam congregationem quæ fuit poſt Spiritus ſancti miſſionem, ſecundam appellant, cujus meminit Lucas Acto. 4. cap. Dimiſſi autem venerant ad ſuos, &c. ad finem uſque. Sed hic cœtus propriè non dicetur Concilium, cum non fuerit de aliqua re definitum: nec ea de cauſâ convenerant Apoſtoli: ſed Petrus & Joannes à vinculis liberati, eò ſe receperunt ubi erant alij Apoſtoli, & omnes unanimes orarunt pro augmento gratiæ Spiritus ſancti, & abundantiore ejuſdem confirmatione. Quidam inter eam congregationem quæ habetur Acto. 6. & eam quæ Acto. 15. eliciunt quandam intermediam ex Acto. cap. 8. Cum audiſſent Apoſtoli, quod Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt Petrum & Joannem ut imponerent eis manus. Tertia Apoſtolorum congregatio ſeu Synodus, ex qua deſumpta eſt œcumenicorum formula decretorum in Eccleſia obſervata, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, Acto. 15. habita eſt anno 14. à Chriſti reſurrectione, qui fuit ſecundus annus Claudij Cæſaris, cujus meminit Paulus ad Galat. 2. Deinde poſt annos 14. *aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus*, &c. Subdit, *Et cum cognoviſſent gratiam quæ data eſt mihi, Jacobus & Joannes & Cephas, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem*, &c.

Ex contextu Paulino colligitur, agitatam fuiſſe hoc A 14. anno, eam quæſtionem de circumciſione, à gentibus converſis, ſimul cum baptiſmo, recipienda: quæ lis, Actor. 15. dirempta eſt. Quia hæc Synodus fuit magna cum ſolemnitate celebrata, eam ad longum deſcribere libuit, tametſi quatuor ſoli Apoſtoli interfuere: Petrus, Paulus, Jacobus, & Barnabas, & ſeniores, qui caſu adeſſent Hieroſolymis. Quarta deſumitur ex cap. 21. Actor. propter contentionem de legis obſervatione, ad tempus Judæis permiſſa. Tunc Paulus purificavit ſe cum aliis: & ex Apoſtolis ſolus Jacobus interfuit cum Paulo illi congregationi. Inter eam quæ habetur Act. 15. & hanc quæ Act. 21. quidam interponunt eam quæ habetur Act. 20. cui ſolus Paulus ex Apoſtolis interfuit: reliqui fuere Preſbyteri, vocanturque majores natu Eccleſiæ Epheſinæ, qui ad Pauli B præceptum convenere Mileti, ubi habita eſt hæc congregatio: quæ fuit velut Typus Dioeceſanarum Synodorum poſtea in Eccleſia celebrandarum.

Quaſdam alias fuiſſe Apoſtolorum congregationes non dubito, quarum ſacra Scriptura expreſsè non meminit, ex receptis tamen colliguntur hiſtoriis, qualis eſt illa in obitu ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, cui omnes Apoſtolos adfuiſſe probabile multi exiſtimant, inter eos etiam Nicephorus affirmat. Lege velitationem in Apoſtolorum Canones, quæ hanc proximè ſequitur. Præterea Symbolum quod ab Apoſtolis habemus, tanquam fidei formulam, in Concilio ab eiſdem habito editum eſt, poſtmodum traditum Eccleſiæ, ad nos uſque per manus derivatum: ut teſtatur Clemens *Falluntur Valla. Eraſ. & Polyd. Virg. tribuentes Apoſtolorum Symbol. Concil. Nicæn.* Romanus in Epiſtola ad Jacobum fratrem Domini, & C Irenæus lib. 1. cap. 2. In mundum enim univerſum diſpergendi, in unum coacti antequam abirent, teſſeram illam fidei unanimem & concordem fidelibus deſcribere voluerunt: quod Leo ad Pulcheriam Auguſtam ſcribit. Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio duodecim Apoſtolorum totidem ſignata eſt ſententiis. Eandem rem propius explicans Ambroſius, Clavem, inquit, iſtam arbitror duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apoſtolorum Symbolo fides ſancta concepta eſt: qui veluti periti artifices in unum convenientes, clavem ſuo Concilio conflarunt. Exiſtimat igitur Ambroſius, ad condendum Symbolum Apoſtolos in unum fuiſſe congregatus. Hactenus Joverius.

Nicæna Synodus quomodo prima. Sed ut iſtis aſſentiamus, arbitramur tamen Nicænam Synodum non poſſe dici abſolutè primam generalem, ſed tantùm primam poſt tempora Apoſtolorum. Quia ſaltem hoc Concilium quod modo exhibemus, in ipſo diviſionis ac ſeparationis tempore collectum, in quo Principes Apoſtolorum Apoſtoli congregati ſunt & convenerunt in unum, & de quo tacet Scriptura ſacra, meritò pro generali haberi poteſt: quod a ſummo Pontifice convocatur, ad quod omnes Epiſcopi vocantur, à quo nullus excluditur, cum in eo omnes qui ſupererant Apoſtoli, poſt primas Judæorum perſequutiones, præſentes adfuerint. Primò quidem ut regulam fidei ſtatuerent quam unuſquiſque eorum qui prædicationibus eorum obaudiret, profiteretur corde & ore ad ſalutem. Id enim ante omnia neceſſarium videbatur, tum rectè de Deo ſentire fundamentum ſit omnis juſtitiæ, quâ Deo gratum ſe homo exhibeat. Eſt ſiquidem aureum dictum perdocti viri. Deus amor eſt, ſpes eſt homo, utriuſque vinculum eſt fides. Tanta nempe neceſſitas eſt fidei Chriſtianæ, ut abſque illâ homo ſpe magnarum rerum plenus, Deo bonorum omnium Authori ac datori optimo conjungi non poſſit, ſpeſque omnes illius evaneſcant. *Quicumque vult ſalvus eſſe ante omnia opus eſt*, ait D. Athanaſius in Symbolo, *ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.* Detrimentum quippe eſt illud maximum ſi fides non habeatur, quod pereundum ſit: qui enim, ait Dominus Joan. 3. *non credideris jam judicatus eſt*, & Marci ult. *Qui non crediderit condemnabitur.* Sed notandæ hîc particulæ duæ, poſt Serarium diſp. 1. *de Symbolo Athanaſiano*, quibus hoc tantum mali Athanaſius exprimit. Peribit, ait, qui Catholicam fidem integram inviolatamque non tenet, peribit, inquam, non itaut, poſt temporis aliquantulum, meliore aliquâ fortunâ recreetur, ut ſi aliquis exitio & calamitati finis præſtitutus; non, ſed in æternum. Verum fortè iſtud quidem dicitur, at certum non eſt. Fortè Judicis ea clementia & benignitas erit, ut æterno incredulos cruciatu mactare nolit. Fortè alia quæpiam ratio intentata hæc ſupplicia evadendi. Nihil horum, ait Athanaſius, ſed omnis omninò qui veræ Catholicæque fidei, quoad omnem ſuam integritatem & ſynceritatem expers eſt, abſque dubio in æternum peribit. Hoc mi Lector expende.

Neceſſitas fidei ad ſalutem.

Hinc eſt quod Apoſtolis ſanctis ducibus à Deo conſtitutis generis humani ad beatam æternamque vitam, prima cura fuit fidem Ortodoxam per univerſum orbem diſſeminare, maximè poſtquam excitatâ perſecutione in Palæſtinâ ac oſtensâ D. Petro lintei è cœlo demiſſi viſione, intellexerunt apertum eſſe Eccleſiæ oſtium gentibus. Idcirco diſpergendi cum eſſent à ſe invicem prius in Concilium conveniunt, ac ne in prædicatione Evangelij ullâ ex parte vel apparens inter eos diverſitas eſſet, quoſdam fidei canones, quibus univerſam fidem perſtringentes firmarent ac ſtabilirent, conſtituerunt, quos proprio nomine Dei Eccleſia nominare conſuevit Symbolum Apoſtolorum: vel quoniam qui Chriſtiani eſſent eo Symbolo velut teſſerâ militari datâ dignoſci poſſent. Unde & notat Ruffinus Aquileïenſis Preſbyter in expoſitione Symboli Apoſtolorum, quæ inter opera D. Cypriani inſerta eſt, unde & quidam illam D. Cypriano attribuerunt, non ſcribi carthulis atque membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt, ut certum eſſet neminem ex lectione quæ interdum etiam ad infideles pervenit didiciſſe, ſed ex Apoſtolorum traditione. Diſceſſuri ergo ad prædicandum iſtud & unanimitatis & fidei ſuæ indicium Apoſtoli poſuere: non ſicut filij Noé diſceſſuri ad alterutrum turrem ex latere cocto & bitumine conſtruentes, cujus cacumen ad cœlum uſque pertingeret: ſed munimenta fidei quæ ſtarent adverſus faciem inimici ex lapidibus vivis & margaritis dominicis ædificantes, &c. Meritò ergo illi ab invicem ſeparandi turrim ſuperbiæ ædificantes, linguarum confuſione damnati ſunt; uti ne unus quidem poſſet advertere proximi ſui loquelam: iſti vero turrem fidei conſtruebant, omnium ſcientiarum cognitione & ſcientiâ donati ſunt; ut illud peccati, hoc fidei probaretur judicium. Talis autem Concilij in quo conditum ſit iſtud Symbolum expreſsè inter alios, meminit Albertus magnus de ſacrificio Miſſæ tract. 1. c. 8. tomo 21. operum ultimæ editionis Lugdunenſis.

Aureum dictum.

Apoſtoli authores Symboli.

Sic autem ſe habet iſtud Symbolum ut in duodecim articulos dividatur hoc modo.

Symbolum Apoſtolorum.

Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli & terræ.

Et in Jeſum Chriſtum, filium ejus unicum Dominum noſtrum.

Qui conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.

Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum.

Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum Communionem.

Remiſſionem peccatorum.

Carnis reſurrectionem.

Vitam æternam. Amen.

Hoc Symbolum primum non fuit inter Symbola fidei, verisimile enim non defuisse in lege Mosaïca aliquod Symbolum quo Judæi fidem suam de uno Deo & expectatione Messiæ ac Redemptoris venturi profiterentur adversus infidelitatem gentilium. Sed & Caramuel Doctor Lovaniensis commentario in regulam D. Benedicti numero 113. & 114. insinuat filios Dei & filios hominum distinctis Symbolis usos fuisse, Sethiades nempe & Caïnitas: hi si quidem filij hominum seu Adami dicti quod non Deum, sed Adamum primum mortalium principium agnoscerent, mundumque non à numine sed casu & fato effectum asserebant jurantes in verba Caïni quibus exponebat causam homicidij fraterni juxta Paraphrastem Chaldaïcum Genesis 4. capite. *Non est judicium nec judex nec seculum aliud, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impijs, nec Dei misericordiâ creatus est mundus, nec ejusdem misericordiâ gubernatur, eo quod recepta sit oblatio tua cum beneplacito.* Econtra autem Sethiades dicebant in eodem Paraphrastæ loco. *Est judicium, est judex atque seculum aliud, merces etiam bona pro justis & pœna pro impijs: misericordiâ quoque Dei conditus est mundus, atque illius misericordia gubernatur: quia autem majora fuerunt opera Abelis operibus Caïni, suscepta fuit oblatio illius cum beneplacito.* Hoc præfatus Doctor non incongruè in indice rerum sui commentarij, vocat Symbolum Sethiadum contra impietatem Caïnitarum, quos ut anathemate damnatos & ut Hæreticos habuerunt, nominaruntque filios hominum seu Adami, quod ipsum absolutam hominum originem credetent, nec se à Deo tanquam primo fonte provenire prædicarent. Unde nec judicium nec providentiam admittebant, contradicentes vero Symbolo fidei eorum qui à Seth pro Abele substituto nati erant. Qua in contentione jam tunc à primordio mundi erumpente, videre est imaginem Hæreticorum, qui per omnia sæcula articulis Symboli veræ & Catholicæ fidei per distincta & corrupta Symbola adversati sunt. Unde tantæ pugnæ & tot dissensiones in gestis & decretis Conciliorum leguntur pro formulis fidei, pro ecthesibus, henoticis ac Symbolis, quocumque nomine vacabat insignire.

Symbolum filiorum Dei & fil. hominum.

Mihi religio prætermittere doctam observationem Cardinalis Bellarmini in præfatione ad tomos controversiarum, humani generis hostem etsi totus alioqui perversus & ordinis perturbator esse soleat, tamen non sine ordine catholicam veritatem in Symbolo contentam oppugnasse. Itaque primis CC. annis ab Ecclesiæ Christianæ exortu, totus fuit in primo articulo Symboli labefactando occupatus. Quid enim aliud volebant Simoniani, Menandriani, Basilidini, Valentinistæ, Marcionistæ, Manichæi & universa Scola Gnosticorum, quam non esse unum Deum Patrem omnipotentem? ubi vero id non successit, rursus tempore consequente post annum Domini CC. nova castra Diabolus instruxit & articulum secundum quo Christi Domini nostri Divinitas explicatur, exagitare aggressus est per Praxeam, Noëtum Sabellium ac Paulū Samosatenum, quibus poll annum CCC. Arrius & Eunomius alia arte. Ac his nondum extinctis post annum CCCC. Theodorus Mopsuestenus & ejus discipulus Nestorius, deinde vero Eutiches ac Monothelitæ Sergius, Parrhus Paulus c. p. Episcopus nec non Macharius Antiochenus & inter ipsos Apollinaris Mysterium Incarnationis quinque sequentes articulos varijs artibus ac machinis destruere studuerunt.

Hæretici eum ordine articulos Symboli impugnarunt.

Postquam autem de ijs triumphavit Ecclesia tam Summorum Pontificum quam Conciliorum auctoritate, Diabolus alium exercitum reparavit contra articulum de Spiritu sancto per Photium & Græcos in sæculo nono temporibus Nicolai primi Ro. Pontificis. Etsi enim id tentasset prius per Macedonium, tamen tum totum prælij pondus incumberet contra veritatem Divinæ ac humanæ Christi naturæ, non nisi leviter impugnatus erat iste articulus, habitâ ratione controversiarum sæculi noni & sequentium.

Cùm vero Dæmon circa articulos de personis divinis ubique non proficeret, totum se convertit ad destruendos articulos sequentes de Ecclesiâ, de Communione sanctorum, de remissione peccatorum, in quibus doctrina sacramentorum continetur, varios submde suscitans Hæresiarchas in Occidente, quales fuerunt Berengarius, Petrus de Bruis, Vvaldenses, Albigenses, Lutherani, Anabaptistæ, Calviniani & alij quidam.

Restarent duo ultimi articuli de resurrectione carnis & vitâ æternâ, sed satis per pravos mores plurium eos impugnare non cessat.

Atque hæc fuit causa cur ipse Bellarminus scribens quatuor tomos controversiarum contra ultimos Hæreticos, versatur præcipuè circa duos articulos Symboli Apostolorum nonum scilicet & decimum *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, de varijs ejus membris agens *Sanctorum communionem* in qua includuntur sacramenta, *remissionem peccatorum* ad quam pertinent tractatio de gratiæ primi hominis amissione & reparatione, deque justificatione & meritis bonorum operum.

Bellarmini libri controvers. fiarum.

Sic Symbolum istud positum est non minus in ruinam & in resurrectionem multorum, ac in signum cui contradicetur, ut per omnia præterita sæcula Ecclesiæ Christi ejusque Pastoribus desudandum fuerit in illo asserendo, ut sartum tectum esset à machinis Hæreticorum. Fuitque hoc præcipuum opus Conciliorum: nec enim mutatum unquam aut inversum, sed explicatum & elucidatum amplius.

Utrum autem singuli Apostoli suum proprium articulum composuerint, & omnes singuli articuli communi omnium voce postea approbati sint, ut communior fert opinio, an vero alio modo in eorum conventu editum sit, ut populis ad discendum proponeretur, quis certò audeat asserere? Si enim prior modus tenetur, dicendum esset non tunc cum dispergendi erant, compositum fuisse, quia jam Jacobus, cui attribui solet tertius articulus, occubuerat gladio Herodis, sed multo ante. Quod solerter advertit Cardinalis Baronius ad annum 44. ubi & notat sermonem D. Augustini de tempore qui est in ordine 155. in quo singulis Apostolis suus articulus tribuitur, à multis revocari in dubium an illius sit. Ideo cum de substantiâ ipsâ istius Symboli constet, de modo non putamus litigandum esse diutius. Nam de tempore quo conditum est istud Symbolum, & quo Apostoli per orbem dispersi ad Christum prædicandum variæ sunt sententiæ, quibusdam asserentibus statim post Pentecosten ac Spiritus sancti descensum in suas regiones, edito prius Symbolo abiisse, alijs opinantibus per triennium eos prius Judæis prædicasse, quod temporis spatium abundè eis satisfacere poterat, ita Cornelius à Lapide in cap. 12. Actorum; alijs non nisi post duodecim annos à resurrectione Christi: asserente Clemente Alexandrino 6. *Stromat.* Apostolis dictum esse à Christo. *Si quis velit ex Israël duci pœnitentiâ, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos, egredimini in mundum, ne quis dicat non audivimus*, &c. Sic enim punctum subjungendum est post *peccata*, ne desit sensus aut fiat obscurior. Alijs vero alium annum consignantibus, ut inter cæteros Cardinalis Baronius faciendum existimat, quem ut Patrem Historiæ Ecclesiasticæ sequendum esse duximus. Andræas autem Saussajus Episcopus Tullensis vir singularis eruditionis, novissimè in suo Andræa parte prima lib. 2. cap. 4. hasce quæstiones ad Symbolum Apostolorum pertinentes fusius discutit, diligentissimè collatis omnibus quæ ad earum elucidationem pertinent: ac ipse in eâ est opinione ut divisio Apostolorum contigerit anno Domini 49. ac cum essent in suæ dispersionis procinctu composuisse Symbolum, & quod spectat ad difficultatem illam de Jacobo Zebedæi, qui huic constituendo non contulit suffragium, martyrio præoccu-

Quando & quomodo conditum Symbolum.

pàtus, unde quiſpiam inferret non eſſe duodecim Apoſtolorum, ſed tantum undecim. Ardua, inquit, non eſt nodi hujus ſolutio: nam Paulus jam cum Apoſtoli ediderunt Symbolum, Apoſtolatum ſuſceperat, cui etiam Petrus & Jacobus alter ac Joannes dexteras aſſociationis dederant, Galat. 2. ubi & advertit cap. 1. ejuſdem libri Calviniſtas, cum puerum baptiſant, ſedulo hortari ſuſceptores ut curent infantem cum idoneus fuerit eruditioni, in eâ doctrinâ inſtitui quæ ſummatim comprehenditur in eâ confeſſione fidei quam tenemus omnes, videlicet; *Ie croy en Dieu le Pere tout puiſſant*. Sed cavent ab expreſſione genuini ejus tituli, videlicet *Symbolum Apoſtolorum*, ne cogantur fateri aliqua myſteria vocali tantum traditione Apoſtolos Eccleſiæ reliquiſſe. Gravatim enim ferunt ſic vocitari, licet illud recitent in baptiſmo ut dedecus effugiant falſæ jactationis Chriſtianiſmi, cum nemo hactenus ab ipſo Religionis Chriſtianæ exordio verè Chriſtianus habitus ſit, qui ſine profeſſione Symboli Apoſtolorum extra extremam neceſſitatem baptiſmum ſuſceperit.

XII. Articuli Symboli.

Iſtud autem Symbolum ex duodecim articulis conſtans variè in Scripturis figuratum eſt, ac primo Joſuë cap. 4. ad quem dixit Dominus. *Elige tibi viros ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo ubi ſteterunt pedes Sacerdotum, duodecim duriſſimos lapides quos ponet in loco caſtrorum ubi fixeritis hac nocte tentoria.* Verba enim iſta ſunt Dei Patris ad filium Jeſum, qui elegit duodecim viros, quos & Apoſtolos nominavit: duodecim duriſſimi lapides ſunt duodecim articuli fidei. Tolluntur autem de medio Jordanis alveo, id eſt, de mediâ profunditate Scripturæ, ubi ſteterunt pedes Sacerdotum, id eſt affectiones Sanctorum Patrum, Prophetarum, Patriarcharum. Ponuntur autem in loco caſtrorum, id eſt, in Sanctâ Eccleſiâ quæ eſt *ut caſtrorum acies ordinata*, in quâ nocte præſentis vitæ, quæ eſt ſpeculum in ænigmate, figunt tentoria omnes fideles, ut Diabolo reſiſtant fortiter in fide 1. Petri 5. Hoc idem ſignatur in myſterio ſtellarum quæ erant in corona mulieris Apoc. 12. Mulier enim eſt Eccleſia, corona fides, duodecim ſtellæ duodecim articuli. In eodem Apoc. cap. 21. aſſignantur duodecim lapides pretioſi in fundamento muri civitatis Jeruſalem. Per quos plerique Interpretes intelligunt duodecim articulos Symboli Apoſtolorum. De quo modo plura dicere inſtituto noſtro non convenit, cum plura quæ in eo Symbolo obſcuriora videntur, in ſequentibus Conciliis ob Hæreticorum aberrationes elucidari neceſſe erit, novis quæſtionibus ſupervenientibus.

Diſperſio Apoſtolorum in varias orbis regiones.

In eodem conventu Apoſtolorum actum eſt de regionibus, ad quas quiſque illorum proficiſceretur ad annuntiandum Evangelium: hoc enim videbatur poſtulare præſentis Eccleſiæ ſtatus, ut omnia cum ordine fierent, ac mediator Dei & hominum Jeſus Chriſtus ab omnibus populis agnoſceretur, & adimpleretur verbum iſtud prophetícum. *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ideo quadruplici prærogativâ fulſerunt, (ut ex fontibus concionatorum hic quidpiam hauriamus in eorum laudem qui primi Evangelici prædicatores extiterunt) Prima fuit præeminentia dignitatis, ſunt enim Principes Eccleſiæ militantis, aſſeſſores æterni Judicis, Paſtores Dominici gregis. Tales autem decebat humani generis Paſtores & Doctores conſtitui, qui & dulces eſſent & potentes & ſapientes: Dulces ut me blandè & miſericorditer ſuſciperent, potentes ut fortiter protegerent, ſapientes ut ad viam & per viam quæ ducit ad civitatem, perducerent. Secunda prærogativa fuit ſanctitatis, ut vita & converſatio Chriſti in eis tanquam in ſpeculo reluceret. Miſit ſiquidem eos Chriſtus quaſi ſol radios ſuos, quaſi roſa odorem ſuavitatis ſuæ, quaſi ignis ſcintillas ſuas diſperſit: ut ſicut ſol in radiis ſuis apparet, ſicut roſa in odoribus ſuis ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur, ſic in illorum virtutibus Chriſti potentia agnoſcatur. Tertia fuit præeminentia poteſtatis, dedit enim eis Chriſtus poteſtatem ſupra naturam ut eam curarent, ſupra Dæmones, ut eos fugarent, ſupra elementa, ut ea mutarent, ſuper animas, ut eas à peccatis ſolverent, ſupra mortem, ut eam contemnerent, & ſupra Angelos ut corpus ſuum conſecrarent. Quarta prærogativa fuit utilitatis. Nam ex abjectiſſimis, imperitiſſimis & pauciſſimis nobilitantur, illuminantur, multiplicantur, altiſſimi, fœcundiſſimi ac copioſiſſimi homines, cum derelictâ Judæâ gentibus Evangelium prædicaverunt. Quæ vero dici poſſent de illa diviſione Apoſtolorum paucis complexus eſt Jordanus Serm. 1. *in diviſione Apoſtol.* cujus librum à mendis repurgatum edi curavit ante centum & triginta annos Dominus Petrus *Montmartre* Cluniacenſis ſacræ Theologiæ Doctor, ex quo pauca hîc attexam, quia vix liber iſte reperitur. Pſalm. 77. *Sorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis.* De Apoſtolorum diviſione tanguntur hîc tria, inquit, primò eorum per mundum diviſio, cum dicitur *diviſit eis terram.* Secundò tangitur diviſionis modus & conditio, cum dicitur *ſorte.* Tertiò tangitur terrarum per quas dividebantur diſtributio, cum dicitur *in funiculo diſtributionis.* Quoad 1. ſed quis diviſit eis terram? certè Spiritus ſanctus, quem omnes antea acceperant, qui diviſit eos per univerſas terras, ut impleretur in eis illud quod ſcribitur Geneſ. 11. *Diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras.* Nam ſicut legitur in Eccleſ. Hiſtoriâ, præceptum fuit Apoſtolis à Chriſto ut poſt paſſionem ſuam duodecim annis prædicarent in Judæa. Expletis autem illis, ex tunc convenientibus Apoſtolis in Jeruſalem, dixerunt ad Judæos, *Vobis quidem oportuit primum annuntiari verbum Dei, ſed quoniam illud repellitis, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes.* Ex tunc Apoſtoli celebrato Concilio, cœperunt paulatim de Judæa tranſire ad gentes. Quoad 2. putat iſte Author orantibus Apoſtolis per radium divinitus emiſſum vel exterius in quodàm ſplendore, vel interius in eorum mentibus ipſis oſtenſum fuiſſe, quæ provincia cuique eorum cederet. Simili enim modo Matthias ſorte in Apoſtolum electus eſt. Quoad 3. poſſibile eſt, ait, quod Apoſtoli tenſo fune conſiderationis omnes terras mundi menſuraverunt, & ita diviſi ſunt in univerſas terras, &c. Quæ verba ideo à me afferuntur, quia ibi exprimitur celebratum Concilium ab Apoſtolis, ac in anno illius Concilij non multum diſtat à Baronio qui in eo inveſtigando multum laboris ſe ait ſubijſſe, ac multum temporis inſumpſiſſe, revocatque illam diviſionem ad annum Chriſti 44. Ac illius memoriam 15. Julij in multis martyrologiis conſecratam aſſerit. Apud illum cætera Lector ſtudioſùs inveniet, quæ nobis levirer attigiſſe ſufficit.

Pſalm. 18.

4. Prærogativæ Apoſtolorum.

Serm. de diviſione Apoſtolorum.

De Canonibus Apoſtolorum.

Dubitari etiam poſſet num aliud etiam actum ſit in hoc Concilio propter Canones qui dicuntur Apoſtolorum & ab iis vivâ voce traditi feruntur ad regendam Eccleſiam. Hoc enim ſuppoſito quod ij Canones, ſaltem quinquaginta priores, de quibus minor eſt difficultas, ab iis ſint, mihi admodum probabile eſt etiam cum Canone fidei conditos fuiſſe Canones morum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, nam par fermè erat ratio ut conformes eſſent populi in exercitio Religionis ac in profeſſione fidei, & munteris erat Apoſtolorum, ut cum promulgato Evangelio multi fidem amplecterentur quibus dirigendis imponerent Preſbyteros ac Epiſcopos, iis etiam traderent quoſdam Canones quibus uterentur in regimine Eccleſiaſtico, quod idem ubique eſſet ad vitandas diſcordias, vix enim fides una & eadem diu ſervari potuiſſet alio modo. Sicque hoc Con-

5. Canones Apoſtolorum minus dubii.

cilium aliorum norma & exemplar censeri potest, cum in perfecto Concilio res fidei & morum, ac ea quæ sunt doctrinæ & disciplinæ, tractari soleant. Accedit quod si alio tempore convenerint Apostoli, non ita commodè eorum decreta ab iis tradi potuissent Episcopis, quos per civitates constituebant, cum eos ad eadem Regiones regredi necesse fuisset, post aliam congregationem, quod minimè gestum invenimus. Nam etsi aliud Concilium Apostolorum habitum sit posterius, in illo tamen tres aderant tantùm primarij Apostoli cum aliis Presbyteris, scilicet, Petrus, Jacobus & Joannes, cæteris per orbem dispersis. Nec obstat quod habet S. Clemens lib. 6. *Const.* cap. 12. omnes Apostolos per orbem dispersos instinctu Spiritus sancti in Jerusalem convenisse ad hoc Concilium. Nam liber iste habetur Apochryphus, propter multa à veritate dissona, quibus scatet, quæ frustra interpretari ac molire conatur Turrianus. De quibus videri potest apud Cornel. à Lapide *in Acta Apost.* cap. 15. & apud Bellarminum, *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in Clemente Romano. Quare verosimilius est, etsi nullius animo vim facere intendam, Apostolos ante dispersionem suam communi consilio convenisse tam de articulis fidei, quàm de regulis regiminis Ecclesiastici, ut his muniti, ubique eamdem fidem disseminarent, & cum Ecclesiæ constitutæ essent iisdem Canonibus regerentur.

Nec obstat quod tam citò usus horum Canonum necessarius non esset, nam eo fine instituerunt eos ut tempore opportuno in praxi essent. Inspirati enim Spiritu sancto Divini illi æternitatis fatores prævenire potuerunt tempus, quo executioni demandari poterant & decernere authoritate Apostolicâ ea quæ aliquo tempore utilia ac necessaria futura essent, ut sic ante malos mores, bonæ istæ leges instituerentur: præclarè enim dicit Leo magnus Serm. in Pentec. *O quam velox est sermo sapientiæ, & ubi Deus Magister est quàm citò discitur quod docetur.* Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium. Ex quibus solvi posset magna pars objectionum, quas contra illos Canones afferunt Centuriatores Magdeburgici, quæ non alio fundamento nituntur, nisi quod tempore Apostolorum nondum tales Canones requirerentur.

Canonum necessitas.

Alij vero stupent ad solum nomen Canonum Apostolorum, quasi alienum fuisset à fundatoribus Ecclesiarum per universum orbem eas regulas iis præscribere quibus in bono statu servari potuissent; aut Ecclesiam vellent relinquere sine legibus, sine regulis, sine ordine, ut ad illa tempora revocaretur de quibus scriptum est, *Iudic. 17. In illis diebus non erat Rex in Israël, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.* Carolus autem Molinæus Jurisconsultus in suis notis ad decretum Gratiani dist. 16. ait longè post tempora Apostolorum eos fuisse editos, multaque in iis superstitiosa contineri, & cum videret Haloandrum eos magnifacere in fine Novellarum, ait indoctè id facere. Nihil tamen probat, & quâ facilitate id asserit homo Calvinista, eadem contemnitur.

Prudentia Apostolorum in Canonibus.

Præstat autem in eâ re audire quid ante plusquam mille annos scripserit Constantinus cognomento ἰσαπόστολος in præfatione collectionis Canonum Apostolorum ac Synodorum. Discipuli, inquit, Christi iidemque Apostoli, quin etiam qui eis successerunt & Ecclesiæ sanctæ Episcopi & Doctores fuerunt, quibus multitudinem gentium ac Judæorum, fallaciâ & tyrannide Diaboli liberatam & ad Regem ac Dominum gloriæ recto animo ac fide conversam Spiritui sancto regendam commisit, non sunt arbitrati decere, ut qui peccarent, verberibus afficerentur, ut civiles leges faciunt: hoc enim valdè flutrum esse videbatur ac nimis indecorum: imo potius studebant ut quàm promptissimè periculis se pro eis objicerent: retro regressos revocarent, errantes adhuc & à rectâ deflexos sine morâ corrigerent, in profundum præcipitatos omnibus modis extrahere curarent. Qui verò jam putrescerent ac valdè ægrotarent, sapienter gladio Spiritus abscinderent, confractos & viribus defectos quibusdam blandis pharmacis & vinculis rationalibus alligarent, & eis pristinam valetudinem, divinâ gratiâ & Spiritu sancto adjuvante restituerent. Igitur qui illis successuri erant, ut eos quibus quisque eorum suo tempore præesset, salvos & incolumes conservarent, habitis Conciliis leges quasdam & Canones non civiles sed divinos, de iis quæ agenda essent aut non, ad corrigendos cujusque mores & vitam ediderunt, qui eos quidem qui rectè ingrederentur fulcirent, actos in transversum punirent, &c. Ex quibus rectè infert Turrianus lib. 1. *pro Canon. Apost.* c. 28. primos legum Ecclesiasticarum latores Apostolos fuisse, qui primùm Ecclesias per totum orbem Apostolicis institutis & Canonicis legibus fundarunt: & eorum exemplum reliquos Patres qui Ecclesias regendas susceperunt, variis Conciliis habitis in ferendis Ecclesiasticis legibus, ut ratio cujusque temporis & novarum rerum necessitas poscere visa est, secutos esse. Atque si de potestatibus civilibus dixit Apostolus à Deo ordinatas esse, non sunt autem ordinatæ sine justis legibus Principum sæculi, consequens est ut neque potestates Ecclesiasticæ, quibus illas ut divinis oportet subjectas esse, sive legibus Principium Ecclesiæ qui fuerunt Apostoli, à Deo ordinatæ sint, &c. Si quis verò quærendum putet cur Apostoli sancti has Ecclesiasticas leges non scripserunt, si tantopere necessarias esse judicarunt, in promptu ratio est, non conveniebat ea quæ ex causis, quæ aliquando abesse possunt, pendebant, scripto jubendo aut vetando sancire, ne si scriptæ essent ab illis, cum aliquis lege solveretur, quia ratio legis abesse judicaretur, quæ dici solet dispensatio, is qui hanc causam & rationem ignoraret, scripturam solvi existimaret, atque ita assuescerent homines qui ista non discernunt, contemnere divinæ Scripturæ authoritatem. Sed & sancti Patres, ac antiqua Concilia sæpe laudant Canones Apostolorum. Quod etiam fecit Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 1. *de ref.* Quibus productis à Crepetio in Summa disciplinæ Ecclesiasticæ verbo *Canones Apostolorum*, rectè concludit: Possem, inquit, & alia innumera afferre testimonia, confirmantia & roborantia Canones Apostolorum verè esse Apostolorum. Sed si his non creditur, nec amplioribus fides adhibenda est; quibus etiam suffragatur dictum D. Augustini lib. 1. contra Donatistas de baptismo, *Quod universa tenet Ecclesia, neque Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Et nisi ita res sese haberet, eodem jure possent negare Canones Synodorum; unde enim sciunt esse Canones Synodorum, nisi ex testimoniis eorum qui eos citant nomine Synodorum, sicut Canones Apostolorum nomine Apostolorum citantur à Patribus atque etiam à Conciliis universalibus in quibus plures eorum renovati sunt variis temporibus? quin etiam auctoritate scripturæ act. cap. 16. probari potest. Lucas enim scribens de S. Paulo, Sila & Timotheo ait. *Cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata & quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus.* An non illa sunt Canones Apostolorum, quos aliqui tantopere elevant?

Placet in istis Sixti Senensis *Bibliotheca sancta* lib. 2. procedendi modus, ubi Clementis Romani libros discutiens, quæstionem hanc bipartitam esse docet: altera pars authoritatem horum Canonum, altera numerum respicit. Prioris autem assertionis pars est certissima, videlicet Canonum Apostolorum authoritatem receptam esse & indubitatam. Athanasius enim inter hagiografa eos enumerat. Epiphanius lib. 3. *adversus hæreses*, Audianos confutans, institutionem Apostolorum citat dum agit de paschate. Tertullianus *adversus Praxeam* dicit hos Canones Apostolorum esse per manus traditos, sed & Imperator Justi-

nianus ſæpiſſimè in Novellis mentionem horum introducit, & ſecundum illos profitetur ſe leges condere & expreſſis verbis Canones Apoſtolorum vocat. Quod vero ſpectat ad poſteriorem partem de numero horum Canonum, incertum eſſe oſtendit, cum Iſidorus tantum quinquaginta recenſeat, alij plures, alij etiam arbitrentur eos à Nicolaitis hæreticis contaminatos eſſe, ac aliis multis aprocryphis reſperſos. Bellarminus autem lib. *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* ejuſdem Clementis Romani ſcripta diſcutiens, diſſidium hoc componit. Nam allatis pro utraque parte authoritatibus, ut Joannis Damaſceni *l. 4. de fide Orth. c.* 18. ubi videtur eos ponere inter ſacras Scripturas; & contra Gelaſij Papæ in Concilio Romano, unde extat caput *Sancta Romana* diſt. 15. Qui expreſsè dicit librum Canonum Apoſtolorum apocryphum, quod idem confirmatur *diſt.* 16. *Can.* 1. *&* 2. Sed hæc, ait, conciliari poſſunt, ſi dicamus Canones legitimos eſſe ſolum quinquaginta priores, reliquos non eſſe legitimos, quamvis à Græcis recipiantur. Sic enim Urbanus II. apud Gratianum *diſt.* 12. Canon. *præter* §. *ſciendum*, dicit Canones Apoſtolorum ex toto à Græcis, ex parte à Latinis recipi: & Humbertus Cardinalis idem dicit, cujus teſtimonium ſub nomine Leonis noni, ita A refert Gratianus *diſt.* 16. *Can. Clementis*. Apoſtolorum, inquit, Canones numerant PP. inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt fidei Catholicæ tractatores adjungenda. Hincmarus quoque, ut teſtatur Franciſcus Turrianus lib. 1. *pro Epiſtolis decretalibus cap.* 15. ſcribit Canones Apoſtolorum ab Eccleſiâ nobis traditos eſſe ſolum quinquaginta, & ante hos omnes Dionyſius Exiguus quinquaginta ſolum Canones in ſuâ Collatione poſuit. Denique in antiquis codicibus Conciliorum non inveniuntur Canones Apoſtolorum niſi quinquaginta, & verè Canones qui errorem ſapiunt & ab hæreticis ſuperadditi videntur, ſunt Canones poſteriores, ut Canon 65. de Sabbato non jejunando, & 67. de baptiſatis vel ordinatis ab hæreticis, & 84. de numero Librorum Sacrorum; in quo Canone multa ſunt errata manifeſta. Quod vero Gratianus dicit auctoritate Zephyrini Papæ initio *diſt.* 16. Canones Apoſtolorum eſſe ſexaginta; fortaſſe vitio librorum erratum eſt in numero. Hæc Bellarminus. Quia autem in veruſtis codicibus inſcripti ſunt τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ideo hunc illis præfigimus titulum cum majuſculis litteris, ſequimurque verſionem Dionyſij Exigui, variis notis etiam, quæ in iis difficiliora ſunt, elucidamus.

CANONES APOSTOLORVM DE BONO ORDINE ECCLESIASTICO.

PER S. CLEMENTEM ROMANVM in unum congeſti.

CANON I. *De Ordinatione Epiſcopi.*

EPiſcopus à duobus aut tribus Epiſ- A copis ordinetur.

NOta. Non verè hic citatur à Caranza & Cariolano Canon 16. Africani Concilij ſub Bonifacio I. quaſi unus Epiſcopus cum pluribus Abbatibus infulatis poſſet ordinare Epiſcopum: requirit enim ſaltem duos Epiſcopos ad ordinationem Epiſcopi, cum plures non poſſunt haberi. Aliquando tamen unus poſſet, nempe ut in Confirmatione ordinarius miniſter eſt Epiſcopus: & ex diſpenſatione ſummi Pontificis ſimplex Sacerdos: ita licet tres Epiſcopi ſimul ſint ordinarius miniſter ordinationis, non vetuit tamen Chriſtus quin ex diſpenſatione ſummi Pontificis unus Epiſcopus poſſit alium ordinare in Epiſcopum, juxta primam praxim quâ unus Apoſtolus Epiſcopos ordinabat. Sic cenſet Bellarm. l. 4. de notis Eccleſiæ c. 8. Dominicus à Soto lib. 10. *juſtitiâ & jure* qu. 1. art. 5. & alij apud Hallier de Sacris ordin. part. 2. ubi multa in utramque partem afferuntur.

CANON II. *De ordinatione Preſbyterorum, Diaconorum & cæterorum.*

PReſbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.

CANON III. *Nil aliud in Sacrificio præter quod Dominus inſtituit, offerendum.*

SI quis Epiſcopus aut Preſbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat ſuper Altare, id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur. B

Nota. Ex his quædam offerebantur pro ſacrificio, quædam pro ſuſtentatione miniſtrorum.

CANON IV. *Quæ ſpecies ad Altare, non ad Sacrificium, ſed ad benedictionem ſimplicem debeant exhiberi.*

OFferre non licet aliquid ad Altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & tymiama, id eſt, incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio.

CANON V. *Quæ in Eccleſia offerri non poſſunt, ad domos Sacerdotum à fidelibus deferantur.*

RElIqua poma omnia ad domum primitiæ Epiſcopo & Preſbyteris dirigantur, non offerantur in Altari. Certum eſt autem, quòd Epiſcopus & Preſbyteri dividunt & Diaconis, & reliquis Clericis.

CANON VI. *Epiſcopus aut Presbyter uxorem ſuam non abijciat.*

Diſt. 28. Si quis dixerit.

EPiſcopus, aut Preſbyter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abijciat: ſi verò rejecerit, excommunicetur; ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur.

Intellige quod non abjiciat quoad victum & veſtitum: ſed quoad cohabitationem & coitum.

Dices, Canone 15. VI. Synodi ſtatutum eſt, ut conjugati ad ſacros Ordines allecti, uxores, quas habebant, retinerent, iiſque, certis tantùm diebus exceptis, adniſcerentur. Reſp. conſtare, ſextam Synodum Univerſalem nullos Canones edidiſſe: evulgatos autem 102. ſub hujus nomine Canones, omnes ſpurios eſſe; quippe qui non à ſexta Synodo, ſed potiùs à quodam illegitimo & reprobato Cenciliabulo in Trullo (à quo Trullani Canones nominantur) habito, editi ſunt. Baronius anno Chriſti 58. n. 8. & ſeqq. Bellarm. l. 1. de Verbo Dei, cap. 20. & l. 2. de Rom. Pont. c. 17. & 18. & l. 1. de Concil. cap. 7. Item lib. 1. de Cleric. c. 21. Balſamonis igitur hujus Canonis expoſitio, velut hæretica fugienda eſt, ait Binius in notis.

Canones Trullani.

CANON VII. *Sacerdotes & Miniſtri Altaris ſæcularibus curis abſtineant.*

EPiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, nequaquam ſæculares curas adſumat: ſin aliter, dejiciatur.

CANON VIII. *Quo tempore Paſcha celebretur.*

SI quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus ſanctum Paſchæ diem ante vernale Æquinoctium cum Iudæis celebraverit, abjiciatur.

ANNOTATIO.

IVdæi, ſicut & Quartodecimani hæretici, 14. Lunæ primi menſis Paſcha celebrarunt ante vernale Æquinoctium. Ne igitur Eccleſia novum Paſchale feſtum, ad Leges cæremoniales paulatim abrogandas inſtitutum, ſimul cum Judæis eodem tempore celebret, auctoritate Petri aliorumque Apoſtolorum decretum eſt, ne unquam id ante vernale Æquinoctium, fiat. *Si quis enim cum Iudæis*, inquit ſanctus Ignatius Epiſt. 8. ad Philipp. *Paſcha celebrat, aut Symbola eorum recipit, particeps eſt eorum qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos ejus.* Ut autem hæc incommoda faciliùs & ſecuriùs evitentur, addiderunt ijdem Apoſtoli, ut Paſcha die Dominico celebretur. Id conſtat ex Epiſt. S. Protherei Epiſcopi Alexandrini ad S. Leonem Romanum Pontificem, quæ extat apud Bedam de Ratione temporis, cap. 41. qua ait, Petrum Apoſtolum Romæ hoc docuiſſe, & eadem accepta S. Marcum Ægyptis tradidiſſe. Adde teſtimonium Ignatij, qui temporibus Apoſtolorum vixit, & Sedem Apoſtolicam Antiochenam, à Petro fundatam, adminiſtravit: is enim in Epiſt. 6. ad Magneſianos ſic ait: *Celebrandum diem Dominicum, ut dierum principem, Reſurrectioni Domini conſecratum.* Hanc autem ſanctam Apoſtolicam de Paſchate traditionem, Judaïzantium Eccleſiarum conſuetudine violatam, Pius Pontif. edito Decreto quidem firmavit & ſtabilivit (ut eſt apud Euſebium in Chronico) non autem primus illius de Paſchate ſanctionis Eccleſiaſticæ auctor eſt. Vide Baronium anno Domini 159. num. 4. & ſeqq. & Bellarminum de ſanctis, lib. 3. cap. 12. Et noviſſimè temporibus noſtris, Gregorij XIII. Pontificis Maximi juſſu emendatum fuit Kalendarium Romanum, ob hoc præcipuè, ne cum Judæis Paſcha in 14. Luna Martij celebraremus: pro quo vide in libro de Ratione emendandi Kalendarium. Idem.

CANON IX. *Miniſtri Altaris oblatione celebrata communicare debent.*

SI quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit; aut cauſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur: aut ſi non dixerit, communione privetur, tamquam qui populo cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo qui ſacrificavit, quòd rectè non obtulerit.

SUb pœna excommunicationis mandatur omnibus & ſolis Clericis, ut dum ſolemnibus diebus ſacrificanti in Miſſa ſolemniter miniſtrant, & Altari aſſiſtunt, niſi juſta aliqua de cauſa excuſentur, communicent. Hæc expoſitio confirmatur ex Epiſtola Anacleti, ubi hunc Canonem citans, de ſolis Clericis, Altari aſſiſtentibus loquitur. Itaque probabile eſt, hanc ob cauſam fortaſſe in Concilio Altiſſiodorenſi cap. 19. ſtatutum eſſe, ut Clerici, qui nimirum in Miſſa communicaturi erant, jejuni ad miniſterium Altaris accederent. Totum tamen hoc Decretum non divino, ſed humano Jure conſtitutum, jam contraria conſuetudine eſt abrogatum. Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 10. Suarez Tom. 3. diſp. 69. Sect. 3. Turrianus lib. 1. cap. 22. de Can. Apoſtol. Idem.

CANON X. *Fideles Laici ingredientes Eccleſiam, communicare debent.*

OMnes fideles qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec ſanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari.

De Conſecr. diſt. 1. cap. Omnes fideles.

Stravoſcius in hunc Canonem, illum limitat ad dies feſtos ab Eccleſiâ ſtatutos ad Communionem. Carranza & Cariolanus ad eos qui ex ſuperſtitione aut ex aliquâ pravâ opinione, juxta decretum Concilij Antiocheni cap. 2. & Bracarenſis 2. Decreto 83. communionem averſabantur, unde improbabile quod quidam aſſerunt, ut Caſaubonus & quidam alij, impoſitum fuiſſe omnibus laïcis ex præcepto, quotieſcunque Miſſæ intereſſent, ut communicarent. Quod fuiſſet onus graviſſimum. Id tantum miniſtris ad altare inſervientibus præceptum fuit. Nec aliter decretum Anacleti Papæ intelligendum venit, juxta alios.

CANON XI. *Cum excommunicatis non eſt orandum.*

SI quis cum excommunicato, ſaltem in domo, ſimul oraverit, iſte communione privetur.

CANON XII. *Cum damnatis Clericis non eſt orandum.*

SI quis cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, ſimul oraverit, iſte damnetur.

Prohibetur

PRohibetur in his duobus Canonibus ſub pœna excommunicationis exterior communicatio cum excommunicato, etiam in privata oratione. Idem ſtatuitur in cap. Excommunicatos. 11. quæſt. 3. ibi, *Ne cum eis in oratione communicent*, & cap. Cum excommunicato. cap. Qui communicaverit. eod. tit. In quibus Juribus ſermonem eſſe de communicatione in oratione privata, colligitur ex eo, quòd conjungantur cum communicatione in cibo, potu, & communi ſermone. Hæc eſt communis interpretatio & ſententia, quam ſequuntur Covarruvias cap. *Alma mater.* part. 1. §. 3. num. 8. Suarez Tom. 5. diſp. 22. Sect. 2. Ratio eorum eſt, quia excommunicato omnis exterior communicatio cum alijs fidelibus ſit interdicta; oratio autem privata ſit quædam exterior communicatio.

Dices cum Navarro in Manuali, cap. 27. num. 36. §. Ad quintum. Conſortium in oratione privata eſt utile ad ſalutem excommunicati: quomodo ergo hîc prohibetur? Reſpondeo: Triplex eſt communicatio; una in crimine, altera in divinis, tertia in humanis. Prima prohibita eſt, quia ex ſe mala eſt: duæ poſteriores malæ ſunt, quia expreſſo Jure prohibitæ. Cùm ergo orare privatim cum excommunicato, nimirum ſi cum eodem recitentur Horæ Canonicæ, vel Officium B. Virginis, aut Defunctorum, ſit cum eodem communicare; illicita eſt & mala, quia Jure Eccleſiaſtico prohibita. Nam illi dum ſimul orant, non intendunt ſpiritualiter promovere ipſum excommunicatum, quod utiliùs fortaſſe facerent, ſi per ſe ac ſeparatim uterque oraret, ſed ſolùm ad invicem ſe juvare, & communi opera illud Officium ſeu miniſterium perficere intendunt. *Idem Binius.*

CANON XIII. *Nullus fidelium præter commendatitias ſuſcipiatur epiſtolas.*

SI quis Clericus aut Laïcus à communione ſuſpenſus, ſeu communicans, ad aliam properet civitatem, & ſuſcipiatur præter commendatitias literas: & qui ſuſceperunt, & qui ſuſceptus eſt, communione priventur. Excommunicato verò proteletur ipſa correptio, tamquam qui mentitus ſit, & Eccleſiam Dei ſeduxerit.

PRoteletur. Herveti verſio habet. Sin autem eſt ſegregatus, ejus intendatur ſegregatio. Puto ſenſum eſſe, quo excommunicatio ita aggravetur. Unde forſàn aggravationes & reaggravationes excommunicationum.

CANON XIV. *Ab Epiſcopis aliena parochia minime pervadatur.*

EPiſcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere, licet cogatur à plurimis. Niſi fortè quis cum rationabili cauſa compellatur, tamquam qui poſſit ibidem conſtiturus plus lucri facere, & in cauſa religionis aliquid profectus proſpicere. Et hoc non à ſemetipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio & maxima ſupplicatione perficiat.

CANON XV. *Clerici proprias Eccleſias non relinquant.*

SI quis Preſbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam Parochiam, pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Epiſcopi ſui conſcientiam, in aliena parochia commoretur, hunc ulteriùs miniſtrare non patimur, præcipuè ſi vocatus ab Epiſcopo, redire contempſerit, in ſua inquietudine perſeverans. Verumtamen tanquam Laïcus ibi communicet.

CANON XVI. *Epiſcopus Clericos alterius ſuſcipiens, communione privetur.*

EPiſcopus verò, apud quem moratos eſſe conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſſationem pro nihilo reputans, tanquam Clericos fortè ſuſceperit, velut magiſter inquietudinis communione privetur.

CANON XVII. *Bigami non admittantur ad Clerum.*

SI quis poſt Baptiſma ſecundis fuerit nuptijs copulatus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus, non Preſbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum, qui miniſterio ſacro deſerviunt.

CIrca illa verba Canonis; *Aut concubinam habuerit*, nota, quòd tam vagus, quàm adulterinus concubitus pœna dignißimus eſt, tamen irregularitate puniri non ſolet, ut rectè notat Covarruvias Clement. *Si furioſus*, 1. pag. §. 2. numero ſecundo, quia nulla bigamia hoc caſu committitur: unde id quod hîc dicitur, Covarruvias nunc uſu revocatum & ſublatum eſſe tradit. Quanquam meliùs dicatur, publicum concubinarium, tam vagum quàm adulterinum, ratione infamiæ hîc irregularem eſſe, conſtitui, & declarari: infamis enim ad ſuſceptionem Ordinum non eſt admittendus, cap. *Infamis*, 6. quæſt. 1. Suarez Tom. 5. diſp. 49. ſect. 1. Binius.

CANON XVIII. *Viduam, vel ejectam, vel meretricem accipiens, non admittatur ad Clerum.*

SI quis viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam; vel aliquam de ijs quæ publicis ſpectaculis mancipantur, non poteſt eſſe Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero qui miniſterio ſacro deſerviunt.

CANON XIX. *Duas ſorores habens, non admittatur ad Clerum.*

QVi duas in conjugium ſorores acceperit, vel filiam fratris, Clericus eſſe non poterit.

CANON XX. *Clericus fidejuſſor eſſe non poteſt.*

CLericus fidejuſſionibus inſerviens, abjiciatur.

CLericum pro alio in temporalibus vadem ſe conſtituere, etſi officio bonum eſt ac pium aliquando, peccatum tamen eſt, quia prohibitum. 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus.* Satis habent Clerici pro animabus fidejubere. Proverb. 6. *Fili mi, ſi ſponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam*, &c. *ne dederis ſomnum oculis tuis.* Ubi Carthuſianus. Pro amico ſpondet qui per prælationem alios accipit gubernandos.

CANON XXI. *Qui non ſponte eunuchizati ſunt, ſuſcipiantur ad Clerum.*

EVnuchus, per inſidias hominum factus, eſt, vel ſi in perſecutione ejus ſunt amputata virilia, vel ſi ita natus eſt; & eſt dignus, efficiatur Epiſcopus.

HOc Canone decernitur, quòd involuntaria virilium membrorum præciſio nullam irregularitatem inducit: quòd autem ſpontanea ſui ipſius procurata caſtratio ipſum caſtratum irregularem efficit, etiamſi bono zelo pietatis contigerit, ſequentibus Canonibus ſtatuitur. Idem in cap. *Eunuchus*, diſt. 25. Ob hanc cauſam Origenes ſpontaneam virilium exciſionem perpeſſus, & poſt per Alexandrum Jeroſolymorum Epiſcopum in Sacerdotem initiatus, de perperam ſuſcepta Ordinatione accuſatur, & tandem à Demetrio Alexandrino Epiſcopo damnatur. Euſebius lib. 16. Hiſtor. cap. 7. & 17. Baronius anno Chriſti 208. num. 1. & 2. De Leontio olim Preſbytero, poſtea Epiſcopo Antiocheno Arrianæ factionis, hæc Athanaſius Ep. ad Solitar. ſcribit: *Inter eos Leontius ille caſtratus, quem nec ſub laici quidem ſpecie ad communionem admitti oportuit, eò quòd ſeipſum abſcidit, ut liberè cum Euſtolio dormiret, reverà quidem muliere, quam ipſe virginem prædicaret.* Socrates lib. 2. cap. 2. de eodem habet, ipſum ea de cauſa Preſbyterio privatum, & poſteà Arrianum factum eſſe. *Is cùm Presbyter eſſet dignitate*, inquit, *privatus eſt.* Plura apud Baronium 230. num. 5. *Binius.*

CANON XXII. *Qui ſe eunuchizavit, Clericus non fiat.*

SI quis abſcidit ſemetipſum, id eſt, ſi quis amputavit ſibi virilia, non fiat Clericus, quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei conditionis inimicus.

CANON XXIII. *Clericus qui ſe eunuchizavit, ejiciatur à Clero.*

SI quis cùm Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omnino damnetur, quia ſuus eſt homicida.

CANON XXIV. *Laicus qui ſe eunuchizavit, tribus annis communione privetur.*

LAïcus ſemetipſum abſcindens, annis tribus communione privetur, quia ſuæ vitæ inſidiator extitit.

CANON XXV. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ſi pro criminibus damnati fuerint, minimè communione priventur.*

EPiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipſum.

CANON XXVI. *Similiter & reliqui miniſtri Eccleſiæ.*

SImiliter & reliqui Clerici huic conditioni ſubjaceant.

CANON XXVII. *Qui Clerici debeant conjugibus copulari.*

IStis autem qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant: ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo.

CANON XXVIII. *Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus fideles peccantes verberare non debent.*

EPiſcopum, aut Preſbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut fideles iniquè agentes, & per hujuſmodi volentes timeri, dejici ab officio ſuo præcipimus, quia nuſquam nos hoc Dominus docuit. E contrariò verò ipſe cùm percuteretur, non repercutiebat: cùm maledicetur, non remaledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. *Diſt. 45. cap. Epiſcopi.* *Iſaiæ 53. 1. Petr. 2.*

CANON XXIX. *Officium priſtinum damnati uſurpare non debent.*

SI quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus depoſitus juſtè ſuper certis criminibus, auſus fuerit attrectare miniſterium dudum ſibi commiſſum, hic ab Eccleſia penitùs abſcindatur.

CANON XXX. *Non debent officia Eccleſiaſtica pecunia obtineri.*

SI quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuit dignitatem, dejiciatur & ipſe, & Ordinator ejus, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro. *Concilium Chal. c. 29.*

CANON XXXI. *Eccleſia ſæculari potentiâ non pervadatur.*

SI quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes qui illi communicant. *Si quis Epiſcopus 16. qu. 7.*

CANON XXXII. *Presbyter contempto Epiſcopo, ſeorſum conventus congregare non tenet.*

SI quis Preſbyter contemnens Epiſcopum ſuum, ſeorſum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habens quo reprehendat Epiſcopum in cauſa pietatis & juſtitiæ, deponatur, quaſi Principatus amator exiſtens; eſt enim tyrannus: & cæteri Clerici quicumque tali conſentiunt, deponantur: laïci verò ſegregentur. Hæc autem poſt unam, ſecundam, & tertiam Epiſcopi obſecrationem fieri conveniat.

Seorſum collegerit. Gentiani verſio habet. Seorſum congregationem fecerit.

CANON XXXIII. *Clerici damnati non debent ab aliis recipi.*

SI quis Preſbyter aut Diaconus ab Epiſcopo ſuo ſegregetur, hunc non licet ab alio recipi, ſed ab ipſo qui eum ſequeſtraverat: niſi forſitan obierit Epiſcopus ipſe, qui eum ſegregaſſe cognoſcitur. *Concilium Nic. c. 5. Antioch. cap. 6.*

CANON XXXIV. *Nullus Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis.*

NVllus Epiſcoporum peregrinorum, aut Preſbyterorum, aut Diaconorum, ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis: cùm ſcripta detulerint, diſcutiantur attentiùs, & ita ſuſcipiantur, ſi prædicatores veritatis extiterint. Sin minus, nec quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per ſubreptionem multa proveniunt.

CANON XXXV. *De primatu Epiſcoporum.*

De Metropolitanis Conc. Antioch. c. 9.

EPiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quàm illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & ullis quæ ſub ea ſunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid: ſic enim unanimitas erit & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto.

CANON XXXVI. *Non liceat Epiſcopum in aliena provincia Clericos ordinare.*

EPiſcopum non audere extra terminos proprios Ordinationes facere in civitatibus & villis, quæ illi nullo jure ſubjectæ ſunt. Si verò convictus fuerit hoc feciſſe, præter eorum conſcientiam, qui civitates & villas detinent, & ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt ordinati.

EXhinc nata occaſio diſſidiorum plurium in Eccleſiâ Pariſienſi, quæ modo ſopita ſunt. Porrò Nicæna Synodus can. 6. & Epheſina illis Actis quæ poſt 7. can. edita ſunt, hos Apoſtolorum Canones ſequuntur, ſtatuentes, ut ſinguli Epiſcopi ſuum Primatem & Metropolitanum agnoſcant, atque extra ſuam Diœceſim nihil agant. Idem ſtatuit Calixtus I. Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ, & allegat Yvo lib. 4. Decret. cap. *Nullus Primas*. Sixtus II. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Concilium Ancyranum cap. 15. Gratianus cap. *Si quis*, diſt. 71. Julius I. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales, cap. 9. Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricum Epiſcopum Rhotomagenſem, cap. 7. Concilium Antiochenum I. ſub Julio I. can. 13. & allegat Gratianus cap. *nullum*. 9. quæſt. 2. Concilium Sardicenſe can. 18. & 19. Siricius I. Epiſt. 4. ad Africanos, cap. 6. quæ ſcripta eſt Romæ in conventu & Concilio 80. Epiſcoporum, quæ lecta & approbata eſt in Concilio Telenſi, quia ſine iſtâ regulâ omnia confunderentur.

CANON XXXVII. *De ordinatis Epiſcopis, nec receptis.*

Concilium Antioch. cap. 18.

SI quis Epiſcopus non ſuſceperit officium & curam populi ſibi commiſſam, hic communione privetur, quoadùſque conſentiat, obedientiam commodans: ſimiliter autem Preſbyter, & Diaconus. Si verò non pro ſua ſententia, ſed pro malitia populi, ipſe quidem maneat Epiſcopus, Clerici verò civitatis communione priventur, eò quòd eruditores inobedientis populi non fuerint.

CANON XXXVIII. *Bis in anno Concilia celebrentur.*

BIs in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, ut inter ſe invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant, ſemel quidem quarta ſeptimana Pentecoſtes, ſecundò verò duodecima die menſis Hyperboretbei (id eſt Octobris.)

OB inobſervationem hujus Canonis qui fruſtrà repetitur in aliis Conciliis, locus eſt plurimus declamationi Iſaïæ Prophetæ cap. 1. *Omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*, &c. hinc tot Regna & Provincias hæreſis ſibi ſubdidit. Iſtud vero *Hyperboretbei* verbum eſt Macedonicum (ſunt porro Macedones Græciæ populi) ſignificans menſem Octobrem, & emendandum eſt ac legendum *Hyperberetbei*, ut ſcitè advertit De la Cerda *adverſar. ſacrorum* cap. 140. num. 4. ex Suida dicente. *Hyperberetbeus menſis apud Macedonas October eſt. Vnde proverbium Hyperberetbeus de longævis dicitur, quod ultimus menſis annò dicitur Hyperberetbeus apud Macedonas.*

CANON XXXIX. *Epiſcopus ſolùm rerum Eccleſiaſticarum curam habeat.*

OMnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet: nec ei liceat, ex his aliquid omnino contingere aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare: quòd ſi pauperes ſunt, tanquam pauperibus ſubminiſtret, ne eorum occaſione Eccleſiæ negotia deprædetur.

CANON XL. *De dignitate Pontificis, & quod rerum ſuarum habeat poteſtatem.*

PReſbyteri & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent: nam Domini populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem. Sint autem manifeſtæ res propriæ Epiſcopi (ſi tamen habet proprias) & manifeſtæ Dominicæ, ut poteſtatem habeat de propriis, moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere. Nec ſub occaſione Eccleſiaſticarum rerum, quæ Epiſcopi eſſe probantur, intercidant: fortaſſis enim aut uxorem quam ante ordinationem duxiſſet habet, aut filios, aut propinquos, aut ſervos. Et juſtum eſt hoc apud Deum & homines, ut nec Eccleſia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Epiſcopus vel ejus propinqui, obtentu Eccleſiæ proſcribantur, & in cauſas incidant qui ad eum pertinent, morſque ejus injurijs malæ famæ ſubjaceat.

IDem omnino ſtatuit Damaſus Papa Epiſt. 4. ad Proſperum, & reliquos Numidiæ Epiſcopos, Gelaſius Epiſt. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ, Bruttiorum, & Siciliæ cap. 30. & allegat Gratianus capite *Quapropter*, 2. quæſt. 2. Idem & Antiochenum Concilium I. cap. 25. *Sunt autem manifeſta*, &c. Hoc antiquis Canonibus vetitum eſſe, teſtantur Patres Concilij Chalcedonenſis can. 22. Et cùm nullus alius quàm Apoſto-

licus Canon id ſtatuiſſe inveniatur, per antiquos Canones, unum ex his intellexiſſe, conjicere licet.

CANON XLI. *Epiſcopus rerum Eccleſiaſticarum pro diſpenſatione pauperum habeat poteſtatem.*

PRæcipimus, ut in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Preſbyteros & Diaconos, & cum timore omnique ſollicitudine miniſtrentur. Ex iis autem, quibus indiget (ſi tamen indiget) ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum uſus, ipſe percipiat, ut nihil poſſit eis omnino deeſſe. Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deſerviunt, de altari paſcantur: quia nec miles ſtipendiis propriis contra hoſtes arma ſuſtulit.

CANON XLII. *Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, aleator & ebrioſus eſſe non debet.*

EPiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aleæ atque ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut certè deponatur.

SIc multi Canones & Lateranenſe Generale ſub Innoc. III. cap. 15. ubi ſic habetur: *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant: unde vinum ſibi temperent, & ſe vino.* Et infrà: *Si quis autem ſuper his culpabilem ſe exhibuerit, niſi à Superiore commonitus ſatisfecerit competenter, à Beneficio vel Officio ſuſpendatur.* Coriolanus.

CANON XLIII. *Clerici & Laici ſi permanſerint in alea, communione privetur.*

SVbdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens; aut deſinat, aut communione privetur; ſimiliter etiam Laïcus.

CANON XLIV. *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus non debet uſuras accipere.*

EPiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus uſuras à debitoribus exigens; aut deſinat, aut certè damnetur.

CANON XLV. *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus non debet cum hæreticis orare.*

EPiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus, qui cum hæreticis oraverit, tantummodo communione privetur; ſi verò tanquam Clericos hortatus eos fuerit agere, vel orare, damnetur.

CANON XLVI. *Baptiſmata Hæreticorum non debent comprobari.*

EPiſcopum, aut Preſbyterum, hæreticorum ſuſcipientem Baptiſma, damnari præcipimus. Quæ enim conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?

HÆreticorum Baptiſma non eadem forma, qua confertur ab Eccleſia, collatum, nullum eſt, adeoque rejiciendum. Hoc modo baptizarunt illi, qui Apoſtolorum tempore can. 49. & 50. in tribus patribus, ſeu in nomine trium principij expertium, aut trium Filiorum, vel trium Paracletorum, vel in morte Domini baptizabant: quique, ut glorioſiſſimæ Trinitatis confeſſionem deſtruerent, Catholici Baptiſmatis formæ aliquid vel addebant, vel ſubtrahebant. Ita baptizaverunt Gnoſtici, teſte Irenæo libro 1. cap. 18. in nomine ignoti Patris omnium, & in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu ad unitionem, & redemptionem, & communionem virtutum. Hoc modo forma Baptiſmi corrupta Pauliani ſtæ baptizarunt, ideoque ab his baptizati, venientes ad Eccleſiam Catholicam iterum baptizari præcipiuntur Canone 19. Concilij Nicæni. Nicephorus lib. 10. Hiſtor. cap. 35. refert, quendam Epiſcopum Arianum, nomine Deutrum, baptizaſſe in nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto: & addit, miraculosè accidiſſe, ut aqua, quæ ad Baptiſmum parata erat, repentè in deteſtationem Arianæ hæreſis, quam ille prædictis verbis profiteri intendebat, diſparuerit. Tempore Apoſtolorum, formam Baptiſmi mutaſſe & corrupiſſe Cherintum, ex eo collegit Baronius anno Chriſti 167. numero 2 quòd Chriſti divinitatem negaverit: atque ut docet Irenæus libro 1. capite 25. Chriſtum à Jeſu ſejunxerit. Ita intelligendum eſt quod in Vita Pij legitur in Romano Pontificali: *Hic conſtituit, hæreticum venientem ex Judæorum hæreſi, ſuſcipi, & baptizari.* Suarez Tomo 3. diſp. 21. ſect. 3. Idem.

CANON XLVII. *Eccleſiæ Baptiſmate baptizatus, denuò baptizari non debet: & non ita baptizatus, debet baptizari.*

EPiſcopus, aut Preſbyter, ſi eum, qui ſecundùm veritatem habuerit Baptiſma, denuò baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens crucem & mortem Domini, nec Sacerdotes à falſis Sacerdotibus jure diſcernens.

QVi ſecundùm veritatem habuerit, &c. Hoc dicit, quia etiamſi ab hæreticis miniſtratum ſit, modò in forma illius cum Eccleſia conſenſerunt, valet Baptiſma, ideoque nequaquam reiterandum eſt. Hanc ſententiam Stephanus Papa contra Cyprianum, multoſque alios Africanos, ſola Apoſtolica (ut inquit Euſebius) traditione fretus, defendit. Qui verò juxta formam ab Eccleſia præſcriptam per expreſſam ſanctiſſimæ Trinitatis invocationem non ſunt baptizati, ſi ad Eccleſiam veniant, Baptiſmo Catholico baptizandi ſunt. Marcion hæreſiarcha non tantùm anabaptiſmum hîc damnatum introduxit, ſed etiam tertium ad peccata diluenda conceſſit. Epiphanius hæreſi 42. Baronius anno Chriſti 146. num. 12. Idem.

CANON XLVIII. *Laïcum pellentem ſuam conjugem, communione privandum.*

SI quis laïcus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.

CANON XLIX. *In nomine Trinitatis debet baptizare.*

SI quis Epiſcopus, aut Preſbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; ſed in tribus ſine initio principijs, aut in tribus Filijs, aut in tribus Paracletis, abjiciatur.

CANON L. *Non una, ſed trina merſio debet dari in Baptiſmo.*

SI quis Epiſcopus, aut Preſbyter, non trinam merſionem unius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, ſed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

IN hoc Canone directè damnatur error eorum, qui baptizabant in nomine Domini, una merſione. Contra hos ergo docetur, invocandam eſſe Trinitatem; & additur, ter eſſe mergendum, tum propter conſuetudinem illius temporis: tum in deteſtationem illius erroris. Et quamvis forteſſe hinc, & ex capite *Multi ſunt*, de Conſecr. diſt. 4. trina merſio neceſſitate Sacramenti ad Baptiſmum requiri videatur; ideòque ſancti Patres (Dionyſius cap. 2. Cœleſtis Hierarch. Baſilius libro de Spiritu ſancto capite 27. Athanaſius quæſt. 115. ad Antioch. Hieronymus Dialog. contra Lucifer. Auguſtinus ſerm. 91. & 201. de Tempore; Ambroſius libro 2. de Sacrament. cap. 7.) hanc trinam merſionem ex Apoſtolica traditione ortam ſcribunt; & quod maximum eſt, in Concilio Conſtantinopolitano I. canone 7. error Eunomij docentis, ut teſtatur Theodoretus libro 4. Hæreticarum fabularum, non oportere baptizandum ter immergere, damnatus ſit; tamen ex communi Theologorum conſenſu, certum eſt, ad eſſentiam hujus Sacramenti conſtituendam, ſufficere quamlibet ablutionem aquâ factam, ſive per aſperſionem, ſive per immerſionem unâm, aut tres fiant. Ex Concilio Toletano IV. cap. 5. conſtat trinam merſionem neceſſariam non eſſe. Ubi etiam refertur reſponſio Gregorij Papæ ad Leandrum, quæ habetur libro 1. Regiſtr. epiſt. 41. qui conſultus hac de re, quoniam in Hiſpania quidam triplici merſione, alij una tantùm baptizabant; reſpondit: Utramque retineri poſſe, ſive trina merſio adhibeatur, ad ſignificandam Trinitatem Perſonarum; ſive una tantùm, ad confitendam Divinitatis unitatem. Addit autem conſultius fuiſſe tunc poſteriorem baptizandi modum retinere, ad vitandum Arianorum errorem, qui naturarum diviſionem, & Trinitatem in trina merſione profitebantur. Aſperſionem ſufficere, Cyprianus libro 4. Epiſtola 7. §. *Quæſiſti*; teſtatur, & ex Baptiſmo Apoſtolorum Act. 2. uno die tribus millibus hominum collato: ſicut etiam ex conſuetudine Eccleſiæ, & facto ſancti Laurentij colligitur. Modus autem baptizandi is uſurpandus eſt unicuique, qui ex conſuetudine Eccleſiæ ſuæ præſcriptus eſt. Ex auctoribus autem ſuprà commemoratis nihil aliud probatur, quàm quòd illo tempore ritus baptizandi per trinam merſionem conſuetudine vulgari receptus fuerit. Eunomius per Concilium Conſtantinopolitanum damnatus fuit, quoniam hæretico ſpiritu, & ad introducendos falſos errores illam cæremoniam auferebat. Idem.

CANON LI. *A nuptijs, carnibus, & vino abſtinentes propter abominationem, damnantur.*

Ex merſione Gentilium & Sectarii.

SI quis Epiſcopus, Preſbyter, vel omnino ex Sacerdotali numero, à nuptiis, carnibus, & vino, non propter exercitationem, ſed propter abominationem abſtinet, oblitus, quòd omnia valdè bona, & quòd maſculinum & fœmininum fecit Deus hominem, ſed blaſphemans calumniatur opificium, vel corrigatur, vel deponatur, & ex Eccleſia dejiciatur: ſimiliter & Laïcus.

IMpius Saturninus ejuſque gregales, primi à matrimonio & à propagatione, ac manducatione carnis animatæ, cujus auctor diabolus ſit, abſtinendum eſſe, Apoſtolorum temporibus docuerunt; ut patet ex Ignatio Epiſt. 9. & 13. Irenæo lib. 1. cap. 22. Hos, teſte Hieronymo lib. 1. contra Jovin. Spiritus ſanctus venturos deſignavit, eorumque doctrinam per Apoſtolum Paulum 1. Tim. 4 condemnavit: atque ideò optimo jure cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjiciuntur, quicumque à nuptiis & carnibus, quaſi per ſe malæ & prohibitæ ſint, abſtinent. Baronius anno Chriſti 57. num. 188.

CANON LII. *Revertentes ad pœnitentiam, recipi debent.*

SI quis Epiſcopus, Preſbyter, vel Diaconus, eum qui à peccatis convertitur, non recipit, ſed ejicit, deponatur: quoniam Chriſtum moleſtia afficit, qui dixit: Gaudium eſt in cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.

HIc Canon ab Origene lib. 3. contra Celſum citatus, Stoïcorum Philoſophorum errorem, quem Montanus & Novatiani, in Eccleſiam à ſe invectum, pertinaciter defenderunt, nimirum lapſos ad pœnitentiam recipiendos non eſſe, damnat. Hæc ex Cypriano Epiſt. 52. Baronio anno Chriſti 254. num. 104. & ſeqq. Hæc eadem ijdem Apoſtoli in Conſtitutionibus ſuis iterùm replicant, ut docet Clemens I. lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 12. Idem docet Ignatius Martyr Epiſt. ad Epheſios, Tertullianus lib. de Pœnitentia; & Abdias lib. 5. Certaminis Apoſtolici, de recipiendis pœnitentibus, exemplum proferè ex Joanne Evangeliſta, qui duos juvenes legitur admiſiſſe, præſignatis & præſcriptis 30. pœnitentiæ diebus; quibus expletis, indulgentiam dedit, & gratiam priſtinam, quam amiſerant, receperunt. Idem ſtatuitur in Concilio Laodicenſi can. 2. Toletano III. cap. 11. & Concilio Generali VIII. Act. 1. idem.

CANON LIII. *Eccleſiaſticus non ſumens carnem & vinum in Feſtis, deponatur.*

SI quis Epiſcopus, Preſbyter, vel Diaconus in feſtis diebus carnem & vinum non ſumit, abhorrens, & non propter exercitationem; deponatur, ut qui habeat juſtam conſcientiam propriam, & ſit multis offenſionis cauſa.

CANON LIV. *Clericus in caupona comedens, quando ſegregandus.*

SI quis Clericus in caupona comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur, præterquam ſi in publico diverſorio, in via propter neceſſitatem diverterit.

HVnc Canonem allegat & citat Gratianus diſtinct. 44. cap. *Nulli*, ubi nec Sacerdoti permittitur cauponariam habere tabernam: & ſi non ceſſaverit, deponi debet. Idem prohibet Conc. Carthagin. III. can. 27. Concilium Hipponenſe can. 18. Concil. African. ſub Bonifacio I. can. 7. Unde etiam ſtatuit Concil. Turonenſe III. can. 21. hoc modo: *Servandum Preſbyteris firmiter ſtatuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi bibendive cauſa. Quòd ſi poſt hæc ſtatuta facere propoſuerint, minuta decernimus ſententia feriendos.* Idem repetit Concilium Cabilonenſe II. can. 44. & Concilium Rhemenſe, can. 26. ubi allegatur memoratum Concilium Carthaginenſe III. & Laodicenſe can. 24. Vide etiam Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 16.

Concil. Ratiſponenſe can. 4. & ſtrictiſſimè Concilium Colonienſe III. part. 2. cap. 25. & Concil. Moguntinum IV. can. 74. Itaque tot prohibentibus decretis, vide, ait Crepenius in ſummâ, quam peſſimè Sacerdotes & Clerici converſentur, &c.

CANON LV. *Clericus Epiſcopum contumelia afficiens, deponatur.*

Exod. 22. vſ. 28. SI quis Clericus Epiſcopum contumelia affecerit, deponatur: Principi enim populi non maledices.

HOc etiam vetat Cyprianus lib. 3. Epiſt. 9. ad Rogatianum. Proclus Conſtantinopolitanus in Epiſt. Synodica ad Domnum Epiſcopum Antiochenum pro cauſa Athanaſij Epiſcopi Patronorum, qui injuriam à ſuis paſſus fuerat, quæ inſcribitur Act. 14. Concilij Chalcedonenſis; & hoc etiam confirmat Concilium Arvernenſe can. 3. ſic inquiens: *Ne à potentibus ſæculi Clerici contra Epiſcopos ſuos ullo modo erigantur.* Vide Concilium Carthaginenſe I. can. 11. & allegatur à Gratiano c. Si quis 15. quæſt. 7. Carthaginenſe IV. can. 57. Concilium Agathenſe ſub Cœleſtino I. cap. 2. Concilium Aurelianenſe V. ſub Pelagio I. cap. 14. Vide cap. *Clericus.* diſt. 46. & cap. *Contumaces*, diſt. 50. *Idem.*

CANON LVI. *Idem de Clerico erga Presbyterum, vel Diaconum.*

SI quis Clericus Preſbyterum vel Diaconum injuria affecerit, ſegregetur.

CANON LVII. *Clericus irridens claudum, ſurdum, vel cæcum, ſeparetur.*

SI quis Clericus claudum, vel ſurdum, vel eum cui vitioſus eſt inceſſus, irriſerit, ſeparetur; ſimiliter & Laïcus.

CAnon hic citatur à Juſtiniano, Conſtitut. 6. ad Epiphanium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, de rectè ordinandis Epiſcopis. Turrian. capite 21.

CANON LVIII. *Epiſcopus vel Presbyter, Clerici vel populi curam non gerens, ſegregetur.*

EPiſcopus vel Preſbyter, qui Cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur: & ſi in ſocordia perſeverat, deponatur.

CANON LIX. *Epiſcopus vel Presbyter Clericis egenis non præbens neceſſaria, puniatur.*

SI quis Epiſcopus vel Preſbyter, cùm ſit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ ſunt neceſſaria ei non ſuppeditat, ſegregetur: ſin autem perſeverat, deponatur, ut qui fratrem ſuum interfecerit.

DEponatur intelligendum eſt quoad exercitium, nam caracter qui imprimitur in ordinatione eſt indelebilis.

CANON LX. *Libros impiorum in Eccleſia publicans deponatur.*

SI quis falsò inſcriptos impiorum libros tamquam ſanctos, in Eccleſia publicat ad populi & Clerici perniciem, deponatur.

CLemens I. lib. 1. Conſtit. Apoſt. cap. 6. & 7. ſic Apoſtolos memorat ſtatuiſſe: *Abſtinete ab omnibus Gentilium libris: quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falſis prophetiis, quæ quidem leves à fide abducunt? Nam quid tibi deeſt in lege Dei, ut ad illas Gentium fabulas confugias? Nam ſi hiſtorica percurrere cupis, habes Reges: ſi ſophiſtica & poëtica, habes Prophetas, & Job, & Proverbiorum auctorem, in quibus omnia poëtica ac ſapientiæ accuratam rationem invenies: quoniam Domini Dei, qui ſolus eſt ſapiens, voces ſunt. Quod ſi cantilenas cupis, habes Pſalmos: ſi rerum origines noſſe deſideras, habes Geneſim: ſi leges & præcepta, habes glorioſam Dei legem. Ab omnibus igitur externis & diabolicis libris vehementer te contine.* Bibliotheca mendata.

CANON LXI. *Convictus de falſa accuſatione, vel alicujus prohibitæ actionis, ad Clerum non provehatur.*

SI adverſus fidelem aliqua accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterij, vel alicuius alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit; ad Clerum ne provehatur.

CANON LXII. *Clericus negans propter metum nomen Chriſti, ejiciatur.*

SI quis Clericus propter metum humanum, vel Iudæi, vel Græci, vel hæretici, negaverit, ſiquidem nomen Chriſti, ejiciatur; ſi autem nomen Clerici, deponatur. Pœnitentiam autem agens, vel laïcus, recipiatur.

CANON LXIII. *Clericus in ſacris, comedens carnes in ſanguine, vel morticinium, deponatur.*

SI quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali catalogo, comederit carnes in ſanguine animæ ipſorum, vel quid à feris captum, vel morticinium, deponatur: hoc enim Lex prohibuit: ſi autem ſit laïcus, ſegregetur.

CANON LXIV. *Ingrediens Judæorum vel hæreticorum Synagogam ad orandum, deponatur, & ſegregetur.*

SI quis Clericus, vel laïcus, in Iudæorum vel hæreticorum Synagogam ingreſſus ſit ad orandum, deponatur, & ſegregetur.

CANON LXV. *Clericus in pugna occidens aliquem, deponatur.*

SI quis Clericus in pugna pulſatum aliquem uno ictu occiderit, deponatur, propter ſuam proclivitatem & temeritatem.

CANON LXVI. *Clericus jejunans in die Dominico, vel Sabbato, deponatur.*

SI quis Clericus inventus fuerit die Dominico jejunare, vel Sabbato, præterquam uno ſolo, deponatur: ſin autem laïcus, ſegregetur.

HVnc Canonem ſuppoſititium eſſe, Baronius anno Chriſti 102. num. 15. probat his rationibus. Primò, Quòd à nullo ſanctorum Patrum, & ne quidem ab Epiphanio in Compendio doctrinæ, ubi ſolùm

Dominicos dies à jejunio Quadrageſimæ excipit, citatus eſſe reperiatur: cùm tamen ſæpè Canones Apoſtolorum citare ſoleant. Secundò, Quia Romana Eccleſia jejunium Sabbati à Petro & Paulo ſibi traditum, vel ad imitandum exemplum biduo mortis Chriſti, jejunantium & mœrentium ſuſcepit, ut patet ex Auguſtino Epiſt. 85. Innocentio Epiſt. 11. cap. 4. Concilio Elibertino can. 21. Concilio Agathenſi can. 12. Quod ſanè Eccleſiam Romanam contra Apoſtolicam prohibitionem feciſſe; Clementem, qui Canones Apoſtolorum à ſe conſcriptos noverat, permiſiſſe; Petrum & Paulum obſervari mandaſſe, nequaquam cogitari aut dici poſſet, ſi hic Canon Sabbati, præterquàm Paſchalis, jejunium vetans, Apoſtolis auctoribus conditus eſſet. Verùm, cùm S. Ignatius Epiſt. 8. ad Philippenſes hæc ſcribat: *Si quis Dominicam diem, aut Sabbatum (uno excepto) jejunarit, hic Chriſti interfector eſt*, & de corrupto hoc loco Ignatij per Græcos; ſuſpicio eſſe non poſſit: quia hujus jejunij Sabbatini, non tantùm apud Ignatium prædicto loco, & can. 55. Trullanæ Synodi; ſed etiam apud Clementem libro 7. Conſtit. cap. 24. Gregorium Nyſſenum, Orat. contra eos qui ægrè ferunt reprehenſiones: item apud Anaſtaſium Nicænum l. Quæſt. quæſt. 77. mentio fit; hanc repugnantiam, ſi qua eſt, ſic poſſe reconciliari exiſtimo: De jejunio Sabbati non fuiſſe Canonem Apoſtolicum, ut rectè Baronius & Bellarminus ſentiunt; ſed diverſas tamen & contrarias fuiſſe conſuetudines Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ. Orientalis ex pia conſuetudine Sabbati, uno Paſchali excepto, non jejunabat, idque in odium & deteſtationem hæreticorum illorum, qui Deum auctorem mundi, cum omnibus à ſe creatis rebus malum eſſe; atque ideò à carnis eſu & propagatione per matrimonium abſtinentes, die Sabbato jejunandum eſſe, ne Creator mundi, qui die ſeptima requievit, honorari videatur, docebant, & obſervabant: ut conſtat apud Irenæum lib. 1. cap. 20. & ſeq. Epiphanium hæreſi 21. & 41. Orientalis proinde Eccleſia, ut dictam Deo illatam contumeliam vindicaret, ac honorem Dei Creatoris univerſi contra ſævos Dei & Eccleſiæ hoſtes defenderet ac propugnaret, communi conſenſu recepit, ne quis die Sabbati jejunaret, ſed potiùs illum magna cum hilaritate tranſigeret, ac inſtar diei Dominicæ celebraret. Hoc ſenſu Ignatius dixit prædicto loco: *Si quis Sabbatum jejunarit, Chriſti interfector eſt, quia nimium Deo debitum honorem & gloriam adimere conatur.* Occidentalis autem Eccleſia hæreſi prædicta jam extincta & propulſata non licitè tantùm, ſed etiam piè Sabbato jejunat, ut longiſſimè quàm poteſt, à Judæis Sabbato epulantibus recedat, memoriam humilitatis Domini, qui die Sabbati mortuus & ſepulchro incluſus jacuit, veneretur; Apoſtolos alioſque Domini diſcipulos, qui ſponſo ſuo ablato, Feria ſexta & Sabbato in luctu & mœrore fuerunt, imitetur; & ad Dominicæ diei celebritatem præparetur. Vide Baronium ubi ſuprà, Bellarminum lib. 2. de Rom. Pont. cap. 27. & libro de Bonis operibus in particulari, capit. 18. Sed cur die Dominico neque Orientalis neque Occidentalis Eccleſia jejunare ut hæreticos, Chriſti reſurrectionem negantes, ideoque diem Dominicam in luctu, mœrore, ac jejunio tranſigentes, telis & armis quaſi iiſdem retortis, vincat ac ſuperet. Baronius ibidem. *Binius*:

Jejunium dominica & Sabbato.

CANON LXVII. *Deflorans virginem, ſegregetur.*

SI quis virginem non deſponſatam, vi allata habet, ſegregetur: ei autem aliam accipere non liceat, ſed illam retinere quam elegit, etiamſi pauper ſit:

CANON LXVIII. *Duas ordinationes eaſdem accipiens deponatur.*

SI quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus ſecundam Ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinavit, niſi utique conſtiterit, quòd ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati vel ordinati ſunt, ut fideles vel Clerici ſint, fieri non poteſt.

IDem etiam habes in Concilio Nicæno I. can. 19. ubi de Cataphrygibus, Concilio Generali VI. can. 95; vide etiam Cyprianum, de Cardinalibus Chriſti operibus, Serm. de Ablutione pedum, in initio: *Baptiſmum repeti, Eccleſiaſtica prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manu iterùm conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros Ordines ſemel datos iterùm renovat, nec ſacro Oleo lita iterùm linit & conſecrat, nemo impoſitioni manuum vel miniſterio derogat Sacerdotum: quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi evacuari poſſet quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emundaret quod ille ſemel ſtatuit & confirmat.* Coriolan.

SEcunda pars hujus Canonis intelligenda eſt de hæreticis, qui juxta ritum Eccleſiæ Catholicæ nec baptizabant, nec ordinabant, ut Paulianiſtæ & Cataphryges qui ſine invocatione trium perſonarum baptizabant. Unde ab iis baptizati rebaptizandi erant, ut canon 19. Nicæni Concilij explicat. *Carranza.*

CANON LXIX. *Clericus Quadrageſimam non jejunans deponatur.*

SI quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor ſanctam Paſchæ Quadrageſimam non jejunat: vel quartum diem, vel Paraſceven, præterquam ſi per imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: ſi ſit autem laïcus, ſegregetur.

QVadrageſimale jejunium, quod ante Paſcha 40. vel 46. ferè diebus ſemper hucuſque celebratum eſt, ab Apoſtolis Domini inſtitutum eſt, atque univerſæ Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis aut depoſitionis obſervari mandatum eſt. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam, adverſus Montanum: *Nos*, inquit, *unam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anni tempore nobis congruo jejunamus.* S. Leo ſerm. de Quadrag. *Quod ergo, dileĉtiſſimi, in omni tempore unumquemque convenit facere Chriſtianum, id nunc ſollicitiùs & devotiùs eſt exequendum, ut Apoſtolica inſtitutio* 40. *dierum jejuniis impleatur.* Bellarminus ubi ſuprà, cap. 14. Baronius anno Chriſti 57. n. 194. & ſeqq.

Modus obſervandi hoc jejunium Quadrageſimale, non omnium unus & idem erat: alij enim uno die, alij duobus, alij tribus, alij ſex diebus ab omni cibo abſtinebant, ut patet teſtimonio Irenæi, quod eſt apud Euſebium lib. 5. Hiſtor. cap. 24. Epiphanium in Compendiaria doctrina, Hieronymum Epiſtola ad Marcellam, Auguſtinum Epiſt. 118. cap. 4. Prioribus ſæculis aliquot jejunatum fuit (quatuor Dominicis exceptis) per dies 36. quibus, ut compleretur numerus quadragenarius, quatuor dies Eccleſia addidit, & ubique recepit. Cauſa inſtituti Quadrageſimalis jejunij una eſt, ut Chriſtum, qui eſt caput noſtrum, quadraginta diebus jejunantem, noſtri cauſa patientem, nos etiam, quantum poſſumus, quadraginta dies jejunando, corpus noſtrum affligendo, imitemur. Ignatius Epiſt. ad Philipp. Baſilius Orat. 1. de Jejunio, Gregorius Nazianzen. Orat. in ſanctum lavacrum; Hieronymus in

Jejunandi varij modi.

Jejunij quadrageſimalis ratio varia.

cap. 58. Iſaïæ. Altera eſt, ut Chriſtiani omnes pro negligentiis toto anno commiſſis, quaſi communem & publicam pœnitentiam agant. Ita S. Leo ſerm. 4. de Quadr. Tertia eſt, ut ad ſacram Communionem ab omnibus in Paſchate ſumendam, præparemur. Chryſoſtomus Hom. 1. in Gen. Hieronymus in cap. 3. Jonæ. Vide Baronium & Bellarm. ubi ſuprà.

VEl *quartum diem, vel Paraſceven, &c.* Sub eadem cenſura, qua jejunium Quadrageſimale, præcipitur obſervari jejunium Feriæ quartæ & ſextæ, idque ad commemorandum Chriſtum Dominum Feria quarta venditum, & ſexta Feria crucifixum. Apoſtolica autem authoritate hæc nobis tradita, ac demandata eſſe, inde probatur, quòd ſanctus Ignatius Epiſt. 8. ad Philip. Tertullianus libro de Jejunio, Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. ultra medium, Origenes Homil. 10. in Levit. Epiphanius in Comp. doctr. Hieronymus in cap. 4. ad Galat. Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum, &c. hujus jejunij velut antiquitus inſtituti meminerunt. Cùm igitur ſecundum Regulam ſancti Auguſtini in Epiſt. 118. ad Januar. & lib. 4. de Bapt. cap. 24. illa omnia ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendant, quæ in univerſa Eccleſia obſervantur, & in nullo Eccleſiæ Concilio inſtituta inveniuntur; certum eſt, jejunia Quadrageſimæ, quartæ & ſextæ Feriæ ab Apoſtolis inſtituta eſſe: nam horum fit mentio apud Authores, qui omnia Concilia, exceptis Apoſtolicis, præceſſerunt. Extra Quadrageſimam Feria ſexta & quarta, nunc Sabbato (jejunium enim Feriæ quartæ in Latina Eccleſia nunc tranſlatum eſt in Sabbatum) jejunantes, ex lege & præcepto, à carnibus; ex arbitrio & beneplacito, à prandio abſtinent. Vide Baronium ann. Chriſti 57. num. 199. & ſeqq. Bellarm. lib. 2. de Bonis Operibus. *Binius.*

CANON LXX. *Clericus jejunans, vel dies Feſtos agens more Judaïco, deponatur; laicus verò ſegregetur.*

SI quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejunat cum Iudæis, vel cum ipſis feſtos dies agit, vel ab ipſis xenia accipit, ut verbi gratia, azyma, vel quid tale, deponatur: ſi verò ſit laïcus, ſegregetur.

CANON LXXI. *Chriſtianus deferens oleum in templum Gentium, vel in Synagogam Iudæorum, ſegregetur.*

SI quis Chriſtianus oleum deferat in templum Gentium, vel in Synagogam Iudæorum, in eorum Feſtis, vel lucernam accendat, ſegregetur.

CANON LXXII.

SI quis Clericus vel laicus à ſancta Eccleſia ceram vel oleum auferat, ſegregetur.

CANON LXXIII. *Vaſa ſacra in uſum profanum non convertantur.*

VAs aureum vel argenteum, vel velum ſanctificatum, nemo ampliùs in ſuum uſum convertat: hoc enim fit, præter jus, & contra leges. Si quis autem deprehenſus fuerit, mulctetur.

CANON LXXIV. *Contra Epiſcopum accuſatum quomodo procedendum.*

EPiſcopum à viris fide dignis ob aliquid accuſatum, ipſum ab Epiſcopis vocari neceſſe eſt: & ſi ſe quidem ſtiterit, & confeſſus vel convictus ſit, ſtatuatur pœna. Si autem vocatus non paruerit, ſecundò etiam vocetur, miſſis ad ipſum Epiſcopis duobus. Si etiam ſic non obedierit, vocetur & tertiò, duobus ad eum rurſum miſſis Epiſcopis. Si autem vel ſic aſpernans & contumax non ſtiterit, Synodus ea quæ videntur, adverſus eum pronuntiet, ne lucrifacere videatur, dum judicium ſubterfugit.

DE judicandi Epiſcopos forma, vide Victorem I. Epiſt. 1. ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, Zephirinum I. Epiſt. 1. ad Epiſcopos Siciliæ, & allegatur à Gratiano cap. *Primates* 2. quæſt. 1. cap. *Detractores* 3. quæſt. 14. cap. *Abſens verò* 3. quæſt. 9. & cap. Duodecim. 5. quæſt. 4. Melchiades ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Sixtus II. epiſtola 1. ad Gratum Epiſcopum, Julius I. ep. ad Orientales Epiſcopos pro Athanaſio, Felix I. ep. 1. ad Paternum Epiſcopum, & epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliarum, Fabianus I. epiſt. 3. ad Hilarium Epiſcopum. Concilium Roman. ſub Felice I. epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, generalem formam præſcribit, quæ in judicandis Epiſcopis ſervanda eſt. Concilium generale II. Conſtantinopolitanum I. ſub Theodoſio Seniore, can. 6. Carthaginenſe III. cap. 7. & allegatur à Gratiano cauſa 4. 5. & 6. Lateranenſe Concilium generale ſub Innocentio III. cap. 8. & noviſſimè Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7.

Judicialis damnatio Epiſcoporum.

CANON LXXV. *Ad idem.*

IN teſtimonium adverſus Epiſcopum Hæreticus ne admittatur: ſed nec unus ſolus fidelis. In ore enim duorum vel trium teſtium, ſtabit omne verbum.

CAnon hic citatur ab Anaclero Epiſt. 1. & ab Alexandro ep. 1. & Damaſo Ep. 3. Conſtantini Imperatoris facto ac dicto hæc confirmantur, qui libellos Hæreticorum adverſus Epiſcopos & Preſbyteros ſibi oblatos combuſſit, ut teſtatur Sozomenus lib. 1. cap. 16. & ad Epiſcopos converſus, hæc, quæ extant apud Ruffinum lib. 1. cap. 2. dixit: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis judicandi; & ideò nos à vobis reſtè judicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, propter quòd Dei ſolius inter vos expectate judicium, & veſtra jurgia, quæcunque ſunt, ad illud divinum examen reſervantur. Vos autem nobis à Deo dati eſtis Dij: & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in medio Deorum: in medio autem Deos diſcernit,* Theodoretus lib. 1. c. 11. addit, *Conſtantinum jurejurando adjecto dixiſſe, ſe ne verbum quidem in illis ſcriptum perlegiſſe. Nam Sacerdotum,* inquit, *vitia non ſunt populo aperienda, ne ille inde cauſa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoque adjeciſſe memorant: Si ſuis oculis Epiſcopum alienæ uxori ſtuprum inferre forte videret, ſucinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne ſucinoris aſpectus eos qui idipſum cernerent, ulla ex parte læderet.* Baronius anno Chriſti 325. num. 42. & anno 342. num. 30.

Conſtantini reverentia ad Epiſcopos

CANON LXXVI. *Epiſcopi ſucceſſores conſanguineos vel alios non eligant.*

QVod non oportet Epiſcopum fratri, vel filio, vel alij cognato gratificantem, humana affectione ad Epiſcopatus dignitatem, quem vult, eligere. Epiſcopatus enim

hæredes

hæredes facere, juſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt, largientem. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipſe autem ſegregatione mulctetur.

CAnon hic citatur à Concilio Antiocheno can. 23. Sicut enim hîc vetatur Epiſcopo ſucceſſorem eligere, ita eidem præcipitur, ut non conſtituatur Epiſcopus, niſi poſt mortem prædeceſſoris, idque in conventu Epiſcoporum ſecundùm legem Eccleſiaſticæ conſuetudinis. Turrianus lib. 1. cap. 14. Praxis autem hujus temporis eſt, ut omnes Epiſcopi à Summo Pontifice creentur.

CANON LXXVII. *De qualitate Epiſcopi eligendi quoad corpus.*

SI quis vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.

CANON LXXVIII. *Ad idem.*

QVi autem eſt ſurdus, & cæcus, ne ſit Epiſcopus: non ut polluctus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur.

CANON LXXIX. *De qualitate Clerici promovendi.*

SI quis dæmonem habet, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem, recipiatur, & ſi ſit dignus, fiat.

HÆc Apoſtolica Conſtitutio poſterioribus temporibus, creſcente numero fidelium, qui ſine his incommodis poſſent ad hoc munus aſſumi, ampliùs reſtricta eſt. Arreptitij enim, qui à dæmone vexantur, nunc per cap. *Maritum*. diſt. 33. ad ſuſcipiendos Ordines, perpetuò irregulares ſunt. Quamquam ex voce *recipiatur*, apertè colligatur, etiam hunc ſine interventu diſpenſationis purgatum à dæmonio ad ſuſcipiendos Ordines non fuiſſe admiſſum. Vide Suarem Tomo 3. diſput. 51. ſect. 1. num. 7.

CANON LXXX. *Ad idem.*

EVm qui ex vita gentili acceſſerit, & baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non eſt æquum protinus Epiſcopum fieri. Iniquum eſt enim, ut qui ſui nondum experientiam oſtenderit, ſit aliorum magiſter, niſi fortè hoc divina gratia fiat.

SIc accidiſſe refert Nicephorus lib. 12. cap. 12. dum Nectarius electus eſt in Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui nondum fuerat baptizatus. Idem accidit in Ambroſio Mediolanenſi; nam adhuc catechumenus, Epiſcopus factus eſt, ut ipſemet teſtatur libro 10. Epiſt. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam. Pro hoc Canone, vide Concilium Nicænum I. generale, can. 2. & allegat Gratianus capite *Quoniam*. diſtinct. 48. cap. *Miſerum*, diſt. 61. cap. *Vbi*, diſtinct. 59. *Ordinatos*, diſtinct. 59. ubi ſic ait: *Epiſcopos quoſdam, qui nullis Eccleſiaſticis Ordinibus ad tanta dignitatis faſtigium inſtituti, contra Patrum decreta, hujus uſurpatione, qui ſe hoc retognoſcit feciſſe, dejicimus, cum ad Epiſcopatum bis gradibus, quibus frequentiſſimè tantum eſt, debeat perveniri, ut minoribus initiati officijs ad majora firmentur. Debent enim antè eſſe Diſcipuli, qui Doctores eſſe deſiderant, ut poſſint docere qui didicerunt.* Tum de quodam Daniele tractat, qui ſacrarum Virginum inceſtu pollutus erat & multorum ſcelerum accuſatione pulſatus, & Epiſcopus ordinatus eſt. Idem etiam prohibet Concilium Arelatenſe III. canone 2. Concilium Aurelianenſe V. canone 9. Leo I. epiſtola 85. & allegat Gratianus cap. *Miramur*, diſtinct. 61. Epiſcopos corripit, eò quòd Epiſcopatum homines indignos, triviales, & laicos provecherent. Adrianus I. epiſtola miſſa ad Conſtantinum Imper. & ad Irenem matrem ejus, quæ habetur & inſeritur Act. 1. Concilij generalis VII. Nicæni II. graviter tulit, quòd Tharaſius ex Laïcorum ordine à caliga militari, contra ſanctorum Canonum cenſuram, factus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus. Et quia Photius ex Neophyto ordinatus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Nectarium ſanctiſſimum, & Ambroſium, & hunc Tharaſium in ſui defenſionem aſſumebat, ut habes in Concilio generali octavo Conſtantinopolitano IV. Act. 4. ſic Nicolaus I. in epiſtola ad Photium, reſpondet: *Quod de Nectario objicis, neceſſitas magna urgebat, ne Domini Eccleſia in peſſimæ hæreſeos nimboſa caligine, deſtitutione Paſtoris viduata remaneret, nec Synodus, ut hoc iterùm fieret, confirmavit, nec inſtituit: & ideò privilegia paucorum legem communem non faciunt. Nam Ambroſius non inſtinctu hominum, ſed divina vocatione per Miraculorum prodigia electus eſt; & Tharaſius ſtatim ac Epiſcopus factus eſt, ne quis de ſua fide dubitaret, prolixam texuit Fidei confeſſionem.* Hinc Concilium Conſtantinopolitanum IV. generale, Act. 1. acclamavit anathema Photio, qui contra Regulas ſacras, & ſanctorum Pontificum Romanorum veneranda Decreta, repentè de curiali adminiſtratione ſæcularique militia ſublatus, ſuperſtite Ignatio, tyrannicè à quibuſdam ſchiſmaticis ſubrogatus eſt: & canone 3. ejuſdem Photij ordinationem irritam ducunt; & can. 5. pro futuro ſtatuunt hoc modo: *Proinde canonicam ſtabilitatem in Eccleſiis ſemper manere in Chriſto cupientes, renovamus, & confirmamus terminos & ſanctiones, quæ olim à ſanctis Apoſtolis & ſanctis Patribus noſtris editæ ſunt*, &c. *Si verò præter hanc diffinitionem noſtram quiſquam ad eum ſtatum ſuprèmum honoris provectus extiterit, reprobetur, & ab omni Sacerdotali operatione prorſus abjiciatur, utpote qui extra ſacros Canones ſit promotus.* Coriolan.

CANON LXXXI. *Ad idem.*

DIximus, Non oportere Epiſcopum, vel Preſbyterum ſeipſum ad publicas adminiſtrationes demittere, ſed in Eccleſiaſticis negotijs verſari. Vel ergo ita facere perſuadetur, vel deponatur.

CANON LXXXII. *Ad idem.*

SErvos in Clerum provehi ſine voluntate dominorum; non permittimus, ad eorum qui poſſident, moleſtiam: domorum enim everſionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus ſervus viſus ſit, qui ad gradum eligatur, qualis noſter quoque Oneſimus viſus eſt; & Domini conceſſerint, ac liberaverint, & ex ædibus miſerint, fiat.

CANON LXXXIII. *Clericus Romanum Magiſtratum & Sacerdotalem adminiſtrationem non exerceat.*

EPiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utráque obtinere volens, Romanum ſcilicet Magiſtratum, & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur: Quæ ſunt enim Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

CANON LXXXIV. *Principes non sunt contumelia afficiendi.*

QVisquis Regem vel Principem, præter jus, contumelia affecerit, pœnas luat: & si is sit quidem Clericus, deponatur; si verò laïcus, segregetur.

Nonnulli istud interpretantes, ait Balsamon, dixerunt, sæpè etiam justam reprehensionem pro injuria accipi.

CANON LXXXV. *De libris sacris.*

SInt vobis omnibus, Clericis & Laïcis, Libri venerandi & sancti, veteris quidem Testamenti, Moysis quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Iesu Nave, unus; Iudicum, unus; Ruth, unus; Regum, quatuor; Paralipomenon, id est, Derelictorum, duo; Esdræ, duo: Esther, unus; Machabæorum, tres; Iob, unus; Psalterium, unus; Salomonis, tres; Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum; Prophetarum XII. unus: Isaïæ unus: Ieremiæ, unus; Ezechiel, unus; Daniel, unus. Extrinsecus autem à vobis intelligatur, debere vestros adolescentes discere Sapientiam eruditissimi Syrach. Nostra autem. i. Novi Testamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; Pauli Epistolæ quatuordecim; Petri Apostoli, duæ; Ioannis, tres; Iacobi, una; Iudæ, una; Clementis, Epistolæ duæ, & Ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ propter ea quæ sunt in eis mystica; & actus nostri Apostolorum.

HIc Canon apocryphus est & subreptitius: tùm quòd Scripturarum Canoni contra omnium Conciliorum & Patrum communem sententiam, quosdam libros apocryphos, nimirum Constitutiones & Epistolas Clementis addat: tum quòd sacram S. Joannis Apocalypsim à Græcis rejectam, ab universa autem Ecclesia, à multis & antiquissimis Conciljs ac Patribus receptam, eidem sacræ Scripturæ Canoni fraudulenter adimat. Quis enim unquam antiquorum Latinorum ac Græcorum, Apocalypsim S. Joannis inter Canonicos Libros annumerare præsumpsisset, quam sciret in Apostolorum Canone velut apocryphan esse rejectam? Accedit, quòd hoc Canone Libri sacri veteris Testamenti, hi, Esdræ, Judith, Tobiæ, Sapientiæ, & Ecclesiastici omittantur, qui tamen ab antiquissimis Patribus, Dionysio, Irænco, &c. inter sacros Libros citantur ac numerantur. Vide Baron. anno Christi 202. num. 5. & Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei, cap. 20. Si urgeas Canonem secundum sextæ Synodi, quo 85. Canones recepti esse dicuntur: Respondeo, Canonem objectum spurium esse & illegitimum, ut qui editus sit à Conciliabulo Trullano, non autem à sexta Synodo. *Carranza, Binius. Coriolan.*

Cæterum ex prohibitione divulgandi ordinationes Clementis in octo libris, quas etiam legi vetat canon secundus in Trullo, quidam inde argumentum se habere putant ad consignandum tempus quo collecti fuerunt Canones Apostolorum circa annum 300. quod tunc tantum incepisse putant legem de non evulgandis indiscriminatim ad quosvis, Christianæ religionis mysterijs. Ita Albaspinæus c. 13. observa-

A tion. Cùm, inquit, primi sæculi Christiani sua haberent mysteria, ut vel ex Justino constat, nunciarent. Verum ex canone Apochrypho quid certum inferri poterit? prudentiæ fuit Apostolorum quædam reticere propter illud præceptum Christi Matt. 7. *Nolite proficere margaritas vestras ante porcos.* Alia publicè annuntiare, ut quæ erant expressè credenda de fide. Quæ etiam super tecta prædicare, in mandatis habebant. Et cum hic canon solas Clementis constitutiones prohibeat, de reliquis veniam videtur dare, quia exceptio firmat regulam. Ut sic nihil occultaretur Baptismi candidatis de articulis fidei expressè credendis. Sed de his non pauca scripsimus occasione controversiæ de perpetuitate fidei præsentiæ corporis Christi in Eucharistia, quamvis liber noster vulgari idiomate editus sit sub
B titulo fidelitatis perseverantis Susannæ contra ultimam senum accusationem. Quod de argumento, plures alij etiam nuper scripserunt contra librum Hæretici de grege Calvini.

CONCLVSIO CANONVM Apostolorum.

HÆc verò de Regulis constituta vobis sint per nos, ô Episcopi; vos autem obtemperantes, salvabimini, & pacem habebitis. At si non parueritis, puniemini; & bellum mutuò perpetuum habebitis, pœnam inobedientiæ congruam daturi. Deus porrò, *Balsamon non habet ipsam conclusionem.*
C qui solus est æternus, ac universorum Creator, vos omnes in pace, in Spiritu sancto confortabit, & aptos reddet ad omne opus bonum, immutabiles, irreprehensibiles, sine crimine, dignosque faciet vita æterna nobiscum, per intercessionem dilecti Filij sui Iesu Christi, Dei & Salvatoris nostri, cum quo gloria sit ipsi supra omnia Deo Patri cum sancto Spiritu Consolatore, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Canonum Apostolorum Finis.

D *SATISFIT OBIECTIONIBVS Lutheranorum Magdeburgensium.*

ADvertendum deinde Centuriatores Magdeburgenses Lutheri asseclas, cum viderent Canones Apostolorum contrarios esse operibus suis & Ecclesiæ novæ quam instituerent, derelictâ verâ Christi Ecclesiâ Catholicâ & Romanâ, eos omni authoritate spoliare decrevisse, aliquid simile dicentes, ut est in sapientiâ Salomonis c. 2. de falsis in Dominum testibus prophetarum, Venite negemus Apostolicos Canones, quia inutiles sunt nobis & contrarij operibus nostris, & improperant nobis peccata legis Evangelicæ & Apostolicæ, & diffamant in nos peccata disciplinæ nostræ, &c. Ideo eos criminantur ac multis impetunt objectionibus, quas doctissimè refellit Franciscus Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apostolorum. Sunt autem
E eorum sex argumenta.

1. Est quod reperiuntur inter istos Canones qui Apostolorum doctrinæ adversantur ut Canon 17. Qui secundas nuptias damnat quas tamen Paulus, 1. Timoth. 5. & 1. Cor. 12. mandat & præcipit. Sed ut idem D. Paulus 1. Timoth. 3. non damnavit nuptias cum præcipit ut sit Episcopus aut Presbyter unius uxoris vir, ideſt, ne sit secundis nuptijs copulatus: sic nec canon ille Apostolicus qui majorem continentiam & castitatem requirit in eis qui sacris ordinibus initiandi sunt. Ad idem argumentum pertinet quod aiunt canonem 27. tantum clericis, lectoribus & cantoribus nuptias permittere: alijs vero non obscurè vetare.

Quod eſt, inquiunt, contra doctrinam Pauli. 1. Timoth. 3. & 1. Corint. 9. ſed non intelligunt quod dicit Apoſtolus Timoth. 3. Epiſcopum debere eſſe unius uxoris virum, ideſt, debet ſemel tantùm nupſiſſe, ſi hon ſit omninò inexpertus matrimonij, ac ab uxore omninò abſtinere, cum fuerit ad ſacros ordines promotus: quod verò 1. Cor. 9. idem ait, *nonne habemus poteſtatem mulierem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli*, nequaquam de uxore intellexit, & corrupta eſt verſio Bezæ Calviniſtæ, anni 1556. & 1598. quæ habet, an non licet nobis ſororem uxorem circumducere? quem doctè refellit Cotonius in Genevâ plagiariâ, depravatione 71. non uxores, ait Tertullianus lib. *de monogamia*, demonſtrat ab Apoſtolis ductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi & bibendi habent, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes, miniſtrabant. Sed & cum *ſororem* addidit, ſatis indicat nullum fuiſſe carnis commercium.

Judicio ieiunii non eſt laqueus.

2. Objiciunt, Canones illos ad jejunia in quadrageſima Paſchæ & Feriæ quartæ, & Paraſceves alligare conſcientias in can. 67. contra illud Pauli, nemo vos judicet in cibo & potu, aut parte diei feſti. Sed indicio jejunij non eſt vocanda illaqueatio conſcientiæ, cum illa grata Deo ſit ac ad placandam iram ejus utilis. Sicut exemplo Regis Ninivitarum Sardanapali clarum eſt. Nec Jonas laqueos conſcientiæ prædicabat jejunium prædicans, nec Chriſtus Dominus injecit conſcientiæ laqueos prædicens de diſcipulis: Venient dies cum ablatus fuerit ab illis ſponſus & tunc jejunabunt. Nec ad rem eſt locus Pauli ad Coloſ. 2. quo tantum prohibet Judaïcas ciborum obſervationes de cibis mundis & immundis ſecundum legem Moſaïcam, quas cum quidam vellent revocare, inhibentur ab Apoſtolo, quia lex Moſaïca ut umbra futurorum evanuerat.

3. Objiciunt, reperiri Canones inter ſe repugnantia præcipientes, quales ſunt 5. 16. & 17. 40. & 41. Quorum alij nuptias Sacerdotum damnant: alij vero admittunt. At canon 5. jubens ut Epiſcopus, Preſbyter vel Diaconus uxorem ſuam prætextu religionis non ejiciat, tantum vult eos non eſſe inhumanos erga uxores quibuſcum ante ordinationem duxerant, ſed de earum victu ac veſtitu curam habeant. Quod non repugnat cum Canone 17. qui requirit ut ſacris ordinibus initiandi digami non fuerint, quia ſignum eſt incontinentiæ plures duxiſſe uxores aut concubinam habuiſſe, quod à ſacris viris abeſſe convenit qui orationi & ſacrificijs vacare debent. Norunt dialectici non eſſe idem præcipere pugnantia ac diverſa. Quod idem apparet de alijs canonibus quos pugnantes putant, cum unus non affirmet quod alius neget, ut aliqua quæ ſunt inter ſe pugnantia. Sola lectio & collatio ad invicem horum Canonum evidenter oſtendit objecta iſta digna magis eſſe quæ rideantur, quam ut refellantur ex doctrinâ oppoſitorum, quam notam habere debuerant.

4. Objiciunt, Canones iſtos ob res leves excommunicare. Nam Can. 13. excommunicat ſuſcipientes excommunicatos, Canon 27. vaſa ſacra in prophanos uſus aſſumentes, &c. At Apoſtoli nunquam leguntur uſi ſive abuſi potius excommunicatione ob res tam leves. Imo Paulus 1. Cor. 15. in catalogo excommunicatorum tales peccatores non annotat. Sed in catalogo Apoſtolus non numerat omnes excommunicatos, ut ſine causâ obtrudatur iſte locus, quæ autem cenſent levia Magdeburgenſes, verè gravia ſunt. Nam ſi ſuſcipiantur excommunicati, diſſolvitur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & impij quique cenſuras Eccleſiæ irridebunt. Et quod ad vaſa ſacra attinet, ſupplicium Baltazaris Regis Babyloniæ Daniel. 5. ſatis prodit quam grave ſit vaſa ſacra ad prophanos uſus transferre. Sed illi omnis Scripturæ obliti ſunt, non enim magis ſacra & religioſa debent exiſtimari vaſa templi Salomonis, quam vaſa templi illius qui dixit,

Excommunicatio.

Ecce pluſquam Salomon hic.

5. Objiciunt, Canonem 24. excommunicari tribus annis laïcum qui ſe caſtraverit, cum Apoſtoli nuſquam cuiquam tempus pœnitentiam agendi præſcripſerint, quando oporteat eum ad pœnitentiam admitti. Sed iſtud omnino à ratione & conſuetudine Eccleſiæ alienum, cum ratio poſtulet ut juxta peccatorum gravitatem tempora pœnitentiæ præſcribat. Sed illis diſplicet quod omnia agantur in numero, pondere & menſura, unde etiam Roſariorum uſum impugnant hæretici, quia, inquiunt, vos Catholici preces veſtras certo numero circumſcribitis. Quibus reſpondetur precationes in roſarijs & coronis identidem repetitas, cum optimæ ſint, non poſſe ex certâ & determinatâ repetitione in malas degenerare. David Pſalm. 137. ſepties & vigeſies ad verſiculi cujuſvis calcem repetivit, *quoniam in æternum miſericordia ejus.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus Crucі proximus ter Deum precatus eſt ijſdem ſemper verbis. Matth. 26. *oravit tertio eumdem ſermonem.* Refert Palladius hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 20. & 21. qui circa annum 390. in rebus humanis agebat. Paulum Abbatem in Ægypto ſingulis diebus trecentos lapillos ſinu geſtaſſe, quos ſingulos ad precationis exactæ finem depromebat, trecenties quotidie orans. Ac ſi illi lapides inter ſe uno filo conjuncti fuiſſent, germánam roſarij noſtri ſpeciem prætuliſſent, ait Caſtanæus Epiſcopus Pictavienſis, notis in Matthæum cap. 6. qui & in exercitationibus in Lucam cap. 20. alia exempla apponit in roſariorum defenſionem. Nam, inquit, Moiſes Abbas 50. orationes quotidie peragebat: Pachomius Abbas Monachis ſuis leges ſcribens conſtituit ut per totum diem facerent duodecim orationes, & in nocturnis vigilijs duodecim, & in matutino duodecim, & horâ nonâ tres. Ex eodem Sozomeno hiſt. lib. 3. cap. 14. apud quem plura alia reperias, ut pœnitentiam & orationem certo numero peragere, damnare non poſſit.

Roſarij uſus.

Ex Sozomeno hiſt. l. 7. cap. 29.

6. Objiciunt, Can. 25. Epiſcopum, Preſbyterum aut Diaconum in fornicatione aut perjurio aut furto deprehenſum deponi ab officio præcipere, ac communione privari vetare, cum Paulus 1. Cor. 13. fornicatores & fures inter excommunicatos numeret. Sed in hoc perpendendum eſt pœnam eſſe ſatis gravem hominibus ſacris ab officio deponi. Unde Hincmarus Remenſis in lib. de varijs capitulis Eccleſiaſticis cap. 18. & 24. obſervat laïcos abſque Eccleſiaſticâ communione ſolere pœnitentiam agere: ſicut & clericos abſque officij adminiſtratione, unde non mirum ait ſi clerici per manus impoſitionem remedium pœnitendi pro criminibus pro quibus laïci excommunicari jubentur, non accipiant. Et D. Baſilius can. 31. Clerici qui peccatum ad mortem peccant, gradu ſuo quidem amoventur, Eccleſiâ tamen non prohibentur, non enim bis in idipſum vindicandum eſt.

7. Objiciunt, Canonem 8. de Paſchæ celebratione, ut ne fiat cum Judæis, non conſonare veritati hiſtoriæ, cum Joannes & Philippus Apoſtoli alijque Paſcha cum Judæis celebraverint nempè 14. Lunæ primi menſis. Sed quod duo ex Apoſtolis fecerunt ut omnibus omnia fierent, quemadmodum Paulus Timotheum circumcidit, & ſe in templo cum ijs qui votum ſuper ſe habebant ſanctificavit, non probat legalia eſſe ſervanda, de quibus etiam in Concilio Apoſtolorum alio ſtatutum eſt ut non obſervarentur Act. 15. Cæterum Synodus Nicæna eumdem Canonem Apoſtolorum renovavit. Qua de re infra agetur in Concilio Lugdunenſi ſub D. Irenæo.

8. Objiciunt, Canonem 20. damnare in Clericis fidejuſſiones, cum Apoſtoli illis temporibus non abhorruerint à politicis, juſtis & honeſtis & verbo Dei non repugnantibus. Sed hic canon juſtiſſimè conditus eſt, cum dicat ſcriptura Proverb. 6. Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum animam tuam: illaqueatus es verbis oris tui, &c. ex quibus patet quam moleſtæ ſint fidejuſſiones & quantum

moleſtiæ & turbarum habeant, ut propterea homines ſacros valdè dedeceant, qui Deo militantes rebus ſecularibus ſeſe immiſcere ac implicare non debent.

9. Objiciunt, Canonem 36. prohibere fieri ordinationes extra proprios terminos, cum in hoc ſæculo termini ſingulorum Epiſcoporum nondum fuiſſent determinati. Sed ad hoc reſponſio in promptu eſt, Apoſtolos in ſuis Canonibus futuris temporibus providiſſe, cum nihil iniquius eſſe poſſit, & nullum diſſenſionis ſeminarium majus, quam ut clericum alterius civitatis ordinet Epiſcopus.

10. Objiciunt 1. Canonem 38. bis in anno Concilia celebrari jubere, cum ejus rei teſtimonia in antiqnis hiſtoriis non extent, ſed una Synodus ab iis celebrata legatur Act. 15. Sed iterum reſpondendum eſt futuris temporibus proſpexiſſe Apoſtolos, cum utiliſſima ſit frequens Synodorum convocatio, unde & Antiochena Synodus can. 20. & Nicæna can. 5. bene ſe habere dicunt quod bis in anno in unaquaque provincia Synodi habeantur.

Atque hactenus Magdeburgenſium objectiones, quæ quaſi nullæ aut leviſſimæ ſunt & facillimè refelluntur, ut appareat exinde parum conſideratè iſtos canones impugnaſſe, nihil curantes niſi ut quod primo adſpectu aliquam præfert difficultatem opponant, ut ſuos Germanos fallant, quos nihil examinaturos eſſe, nec alia præterquam eorum ſcripta lecturos eſſe confidunt. Ut ſcitè advertit Turrianus cap. 9. lib. 1. pro Canonibus Apoſtolorum, ubi cum eorum dedecore his objectionibus ampliſſimè reſpondet.

Severii cenſura de Can. Apoſtolorum.

Subjungam hìc judicium Joverij in velitatione de his Canonibus, ubi propoſitis majoribus hujus controverſiæ difficultatibus, ait. Res eſt difficilior, in quâ malim doctiorum audire ſententiam, quam meam exhibere jejunam ac tenuem definitionem. Videtur quibuſdam idem contingere huic libro quod pleriſque aliis piis & catholicis, ut hæreticorum nequitiâ fuerint depravati, conſperſis quibuſdam, &c. ut fortè à Nicolaïtis qui fuerunt ex primis Sathanæ miniſtris. Ego vero ſicut nollem certâ & indubitatâ fide hos omnes Canones tribuere Apoſtolis: ſic nolim tam facilè apparentem fidem, propter unum aut alterum Canonem eis derogare. Id autem quod habetur in ultimo Canone in approbatione Librorum Canonicorum de Joannis Evangelio, non parvam habet difficultatem. Fortè ex libri margine, cui ab aliquo ſciolo additum, irrepſit in contextum: quæ ſolutio trita & communis, ſi alicubi recipitur, hac in re habeat locum oportet. Fieri etiam potuit, ut aliquis pietate quadam ſimplici adductus, Evangelium Joannis inter alios Canonicos Libros addiderit, niſi forſitan dicamus Petrum Apoſtolorum Coriphæum, cum aliis prævidiſſe Joannem editurum Evangelium quod videtur ſatis extortum, & quaſi argumento urgente dictum, quocirca id quod jam prius dictum eſt, probabilius nobis appareat.

Quod tamen opinatur hic author de loco ubi hi Canones ab Apoſtolis condati fuerint, non ſatis probari poteſt. Ex eo ſiquidem quod Innocentius primus qui floruit anno 406. Epiſtola 18. ſcribens ad Alexandrum Epiſcopum commendans Eccleſiam Antiochenam, ſubjungit. *Quæ conventum Apoſtolorum apud ſe fieri meruit*, probabiliter colligi aſſerit Antiochiæ à Senatu Apoſtolorum fuiſſe hos Canones editos, quemadmodum de Apoſtolorum Symbolo tradunt Patres. Verumtamen non neceſſe eſt Conventum illum Antiochiæ factum ab Apoſtolis de eo intelligere, in quo & fidei Symbolum teſſera Chriſtianitatis conditum eſt, & morum Eccleſiaſticorum canones inſtituti, cum non unus Conventus Antiochiæ ab Apoſtolis habitus ſit, eſtque vero ſimilior eorum opinio qui Hieroſolymis vel in monte Sion vel prope montem Oliveti à quo Chriſtus in Cœlos aſcendit, diviſionem hanc Apoſtolorum putant ſtatutam fuiſſe ab ipſis ad ſalutem gentium, ut magis propriè illud propheticum adim-

Quis ubi edari canones.

pleretur, *De Sion exibit lex & verbum Domini de Jeruſalem.* Iſaiæ cap. 2.

CONCILIVM NICÆNVM I.

Sub Silveſtro Pontifice præſidentibus ejus legatis Hoſio, Victore & Vincentio pro defenſione conſubſtantialitatis cum Patre Verbi Divini contra hæreſim Arrij, &c. tempore Conſtantini Magni anno Chriſti 325.

PHotius qui plures devoravit Bibliothecas ut unam eamque eximiam in lucem emitteret, refert in ea num. xv. ſe legiſſe primæ Synodi actionem tribus comprehenſam libris, ac opus præferre Gelaſij titulum. De quo opere iterum ſcribens num. LXXXVIII. Legimus, inquit, Hiſtoriæ formâ res in Nicænâ Synodo geſtas libris tribus. Refert Author Hoſium Cordubæ Epiſcopum, & Bitonem atque Vincentium Romanos Sacerdotes Silveſtri Romani Pontificis legatos adfuiſſe, &c. cum autem perierint integra acta hujus Synodi, ex variis fragmentis illius eam cogimur inſtaurare. Majoris autem perſpicuitatis gratiâ ad tria capita revocamus quæ ad eam ſpectant. Primo ipſam Synodum cum ſuis decretis fidei & diſciplinæ exhibemus. Secundo Epiſtolas Synodales quibus veritas rei geſtæ confirmatur. Tertio difficilia quædam ac controverſa explicamus.

Legati Silveſtri Papæ Præſidet.

Præmittimus tamen relectionem ſcholaſticam de myſterio Trinitatis, quæ ſit proœmialis tam ad Concilium Nicænum quam ad aliquot alia ſequentia, quorum controverſiæ ab hæreticis excitatæ facilius intelligentur. Ut iſtud myſterium primum eſt & caput & cauſa aliorum myſteriorum Religionis Chriſtianæ, quæ eſt res quædam valde ſublimis, ex illius accuratâ aliquâ diſcuſſione, paratior reddetur mens & expeditior ad illa capeſcenda. Sicque hæc excurſio non minus ſit utilis, quam pleræque farragines quibus non tam illuſtrantur, quam obſcurantur quandoque Synodi.

RELECTIO SCOLASTICA AD C. Nicenum prævia de Deo uno in tribus perſonis.

DIvus Bernardus *in par. ſerm.* Inquirere de Trinitate perverſa curioſitas eſt: & credere & tenere ſicut ſancta Eccleſia tenet, fides & ſecuritas eſt: videre autem eam ſicuti eſt, perfecta & ſumma fœlicitas eſt.

D. Auguſt. 1. *de Trinitate cap.* 3. Ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus ſancti, nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur: non pigebit me ſicubi hæſito, quærere: nec pudebit ſicubi erro, diſcere, &c.

D. Thomas *de potentia quæſt.* 10. *art.* 2. hæreticorum inſtantia coegit antiquos fidei doctores de his quæ ſunt fidei diſputare &c.

De Proceſſionibus Divinis quæſt. 1.

PRima Aſſertio. Proceſſio Filij non eſt immediatè ab eſſentia, ſed ab intellectu, & proceſſio Spiritus ſancti à voluntate. Eſt contra Durandum 1. ſent. diſt. 6. quæſt. 2. Probatur. Scriptura utitur verbis ad intellectum pertinentibus, quando declarat proceſſionem Filij, & verbis ad voluntatem, quando proceſſionem Spiritus ſancti, Apoc. 9. *nomen ejus eſt Verbum Dei.* Porro verbum pertinet ad intellectum, & Eccl. 24. dicitur ſapientia. Rurſus de Spiritu ſancto ad Rom. 5. *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Probatur etiam ratione quæ eſt Banneſij

quæſt. 27. art. 5. quia perſonæ non procedunt à natura divina præcisè ſecundum quod natura eſt, ſed ſecundum quod habet rationem potentiæ operantis ad intra: ergo ſecundum quod habet intellectum & voluntatem.

Objicient. Actiones intellectus & voluntatis ſunt communes toti Trinitati: ergo per eas non producuntur perſonæ. Reſpondetur duplicem eſſe intellectionem ſicut & volitionem, unam eſſentialem, alteram notionalem: inter quas hoc reperitur diſcrimen, quod intellectio abſolutè dicat ordinem ad ſolum objectum cognitum: at notionalis præterea ad terminum productum. Unde cum omnes perſonæ cognoſcant omnia objecta, illa omnibus communis eſt: at hæc ſoli Patri convenit.

Quæres, cur intellectio notionalis non etiam conveniat Filio vel Spiritui ſancto. Reſpõdeo, quia eſt natura B Patris ut habeat illam intellectionem notionalem ſeu dictionem, non Filij vel Spiritus ſancti. Inſtabis. Non diſtinguitur intellectus in eſſentialem & notionalem: ergo nec intellectio quæ ſequitur intellectum Reſpondeo, non ſequitur, quia unius potentiæ poſſunt eſſe plures actus ut in creatis intellectus intelligit & etiam diſcurrit: ſic etiam intellectus divinus duos habet actus, 1. ſpeculari. 2. dicere verbum; actum tamen dicendi verbum, habet tantum in Patre, ſicque dicitur notionalis.

Inſtabis: ergo erit aliqua perfectio in Patre & non in aliis, videlicet dictio. Reſpondeo, perſonas divinas ſpectari poſſe eſſentialiter & perſonaliter. Si priori modo, tunc nulla eſt perfectio in una & non in alia, quia eſſentia quæ identificata eſt omnibus perfectionibus, C communis eſt omnibus perſonis: at vero ſi ſpectentur perſonaliter, proculdubio aliqua perfectio, ſcilicet relativa, eſt in una perſona & non in alia, nec tamen inde ſequitur unam perſonam altera eſſe perfectiorem, verbi gratia Patrem Filio, quia viciſſim in Filio eſt alia entitas & perfectio relativa, quæ non eſt in Patre. Unde perſonæ ſpectatæ perſonaliter & relativè ſunt æquè perfectæ, ſed non identicè .i. reſpectu ejuſdem.

Objicitur ſecundo. Quidquid poteſt produci per volitionem, producitur per intellectionem: alias eſſet imperfecta: ergo fruſtra eſt volitio notionalis. Reſpondeo majorem veram eſſe, ſi ſpectetur intellectio ſecundum omnem entitatem quam à parte rei includit: ſic etiam includit & ipſam volitionem: at vero ſi ſpectetur inadequatè ſecundum eam tantum enticatẽ, quam D cogitamus reſpondere iſti nomini, dictio vel intellectio notionalis, falsũ. Et inde non ſequitur intellectionem eſſe imperfectam poſitivè, ſed tantum negativè: inquantum ſic ſpectata inadæquatè non includit omnem entitatem, ſicuti D. Thomas ait quæſt. 28. art 1. ad 1. ſi non contineretur plus in divinis quam quod nomine ſapientiæ ſignificatur, non eſſet aliquid ſubſiſtens &c.

Secunda Aſſertio. Proceſſio Filij eſt generatio, non autem Spiritus ſancti. Prob. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* In Symbolo Apoſt. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum. Ergo cum filius ſit unigenitus & unicus, Spiritus ſanctus non eſt Filius, & per conſequens non eſt genitus.

Tota difficultas eſt in aſſignanda ratione cur Filius E ſit genitus non Spiritus ſanctus, cui convenit definitio generationis, eſt enim generatio *origo viventis à vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*: at illud totum convenit Spiritui ſancto, ut patet.

Ad hoc dici poteſt. Generatio eſt proceſſio viventis à vivente: at filius producitur à Patre quatenus eſt vivens juxta illud Matth. 19. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; quia producitur ab illo quatenus eſt intelligens: intelligere vero eſt vita entis intellectualis.

Deinde Filius procedit à Patre in ſimilitudinem naturæ fœcundæ, non Spiritus ſanctus.

D. Thomas quæſt. 27. art. 4. & cæteri communiter rationem diſcriminis afferunt, quod genitum debeat eſſe ſimile generanti ex vi productionis ſecundum ſpeciem ſpectatę Jam vero Filius eſt ſimilis ex vi productionis ſecundum ſpeciem ſpectatæ. Hæc enim eſt intellectio quæ producit ſemper ſimile: At vero Spiritus ſancti proceſſio quæ eſt volitio ſecundum ſpeciem ſpectata, non producit ſimile, ſed tantùm quatenus eſt divina.

Sed contra hanc ſolutionem objicit Bannez quæſt. 27. quod procedit ſimile in ſubſtantia, procedit ſimile in ſubſtantia ſingulari: ergo eſt neceſſe quod procedat ſimile ex vi proceſſionis ſingularis, & non ſpecificæ, Hoc argumentum confirmo ex Ariſtotele lib 2. Phyſic. cap. 5. text. 38. ubi ait, effectus univerſalis reddendam eſſe cauſam univerſalem, particularis vero particularem: ergo &c.

Objicit ſecundo proceſſionem Filij ſeu intellectionem ſpecificè ſpectatam, & prout communis eſt divinis & creatis non eſſe univocam, ſed analogam: ergo ex ea non poteſt ſumi ratio differẽtiæ realis. Confirmatur, quia quidquid convenit analogatis, non convenit illis ex ratione analogi generaliter ſpectati, ſed particulariter, ratio enim analogi non eſt communis, ſed ſimilis tantum: unde quidquid convenit urinæ in ratione ſani, convenit illi in ratione talis ſani. Hoc certè argumentum validum eſt, etiam ex authoritate D. Thomæ 1. part. qu. 32. art. 1. ad 2. Similitudo, inquit, noſtri intellectus non ſufficienter probat aliquid de Deo propter hoc quod intellectus non univocè invenitur in Deo & in nobis.

Aſſertio. Ideo productio Filij eſt generatio, quia Filius producitur ſimilis Patri & in natura & in ſubſiſtentia ſeu perſonalitate: At verò Spiritus ſanctus non producitur ſimilis Patri in perſonalitate, ſed tantum in natura. Antequam vero probetur, ſupponendum eſt productionem activam perſonæ divinæ duo importare. 1. communicationem naturæ divinæ & productionẽ perſonalitatis diſtinctæ à perſona producente. Jam vero productiones Filij & Spiritus ſancti conveniunt in communicatione naturæ divinæ, utrique enim æqualiter communicatur natura divina. Sed differunt in eo, quod in productione Filij producitur perſonalitas quæ habet ſimilitudinem cum perſonalitate producente ut principium quod incompletum: in productione vero Spiritus ſancti producitur perſonalitas quæ non habet ex ſe ſimilitudinem. Jam Concluſio probatur partim ex D. Thoma, partim ex ſcripturis; nam D. Thomas *de potentia quæſt.* 10. *art.* 2. ait, generatio in creatis per ſe ordinatur ad ſpeciem quæ multiplicatur in ſingulis individuis: at in divinis tantùm ad hypoſtaſes, unde reperitur unitas naturæ & multiplicatio hypoſtaſum. Ex hoc enim fundamento ſequitur productiones divinas attendendas eſſe non ſecundum naturam, ſed ſecundum hypoſtaſes ad quas ordinantur: ergo differentia productionum attendenda eſt ex differentia hypoſtaſis Filij & Spiritus ſancti. Jam vero hypoſtaſis Filij eſt ſimilis hypoſtaſi Patris, non vero hypoſtaſis Spiritus ſancti eſt ſimilis hypoſtaſi Patris aut Filij: ergo cum ſimilitudo requiratur ad generationem & filiationem, ſecunda perſona erit Filius & genitus, non vero Spiritus ſanctus.

Declaratur minor ex cap. 1. ad Hebræos, ubi habetur de Filio: *qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtãtiæ ejus*, eſt enim græcè χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. i. caracter hypoſtaſis ſeu ſubſiſtentiæ ipſius, & quod per (hypoſtaſis) non ſit intelligenda natura divina probat Cornelius à lapide in illud caput verſ. 3. quia eſſentia Patris non generat eſſentiam Filij, nec Filius eſſentiæ Patris habet imaginem, figuram, & characterem, ſed identitatem: igitur ſubſiſtentia filij eſt ſimilis ſubſiſtentiæ Patris. Accedit quod de perſona & ſubſiſtentia locum illum interpretentur ſanctus Baſilius epiſt. 43. ad Greg. Nyſſenum, Beatus Greg. Niſſenus lib. 1. de diſcri. inter ouſiam & hypoſtaſim. Chryſ. Theod. Theophylactus ibidem. Addo & gloſſam or-

dinariam, quæ perſonaliter hunc locum intelligit, id eſt de perſonis, ut ſic.

Declaratur amplius, nam ſubſiſtentiæ Patris & Filij commune eſt conſtituere ſuppoſitum ſpirans amorem, videlicet Spiritum ſanctum. Porro hæc omnia non conveniunt ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti: igitur ſubſiſtentia Filij ſimilis eſt ſubſiſtentiæ Patris, non ſubſiſtentia Spiritus ſancti: ergo cum productiones divinæ ſecundum D. Thomam attendi debeant reſpectu hypoſtaſum, & hypoſtaſis Filij producatur ſimilis, non Spiritus ſancti, productio Filij erit generatio non Spiritus ſancti.

Objicies, in definitione generationis non fieri mentionem ſimilitudinis in perſonalitate, ſed tantum in natura. Reſpondeo 1. hanc definitionem etiam ſecundum adverſarios, non eſſe adæquatam, quia ipſi volunt in ea ſubintelligendum eſſe, ex vi proceſſionis ſpecificè, cur ergo à pari non ſubintelligitur in ſimilitudinem naturæ & perſonalitatis, cum etiam in creatis perſonalitates geniti & generantis ſint ſimiles. Secundò reſpondeo, hanc eſſe diſparitatem inter productiones creatas & divinas quod illæ primario ordinentur ad naturam utpote quæ multiplicatur: at vero hæ ad perſonalitates, ut dictum ex D. Thoma loco citato, unde ſimilitudo in natura præcisè non conſtituit generationem divinam, ſed in perſonalitate: unde & generatio divina definiri poſſet, origo viventis à vivente patre principio conjuncto, vel potius identificato in ſimilitudinem perſonalitatis. Ultimo ſi urgeant adverſarij, dicendum eſt Filium eſſe ſimilem Patri in natura ſecundum entitatem perſonalem paternalem, ſeu eſſe ſimilem in natura ſpectata ut eſt conſtituta in eſſe perſonali. Jam vero Spiritus ſanctus non eſt ſimilis in natura Patri, ut natura conſtituta eſt in eſſe perſonali, neque producitur ut talis, unde ejus proceſſio non eſt generatio.

Addendum eſt, Verbum ex propria ratione Verbi, dicere ſimilitudinem cum re intellecta, quid enim eſt verbum niſi expreſſio rei intellectæ? terminus vero voluntatis eſt ex natura ſua quædam inclinatio in rem volitam. Unde cum Verbum producatur ex cognitione qua Pater cognoſcit ſeipſum, neceſſario Verbum qua præcisè Verbum eſt & fœtus intellectus, eſt expreſſio & ſimilitudo patris. At Spiritus ſanctus qua præcisè eſt terminus & fœtus voluntatis, eſt tantum inclinatio in rem volitam nullamque importat ſimilitudinem. Unde cum generatio debeat terminari ad ſimile, major eſt ratio dicendi ſecundam perſonam eſſe genitam, cum ratione perſonalitatis propriæ ſit verbum, & per conſequens expreſſio & ſimilitudo principij ſui, Spiritus vero ſanctus ratione propriæ perſonalitatis, ſit tantum pondus & inclinatio in principium. Proceſſio Spiritus ſancti, ait D. Thomas quæſt 10. *de potentia art.* 2. *ad* 12. eſt proceſſio amoris, per proceſſionem autem amoris non producitur aliquid ut recipiens formam ejus à quo procedit ſive naturam, & ideo non habet rationem generationis.

De Relationibus Divinis. Quæſt. 2.

PRima aſſertio. Dãtur in Deo relationes reales. Probatur, quia ſcriptura explicat perſonas nominibus relativis ut Patris, Filij & Spiritus ſancti. Secundo Concilium Florentinum ſeſſ. 18. ſola relatio perſonas multiplicat: at perſonæ ut conſtat realiter multiplicantur: ergo per relationes reales. Tertio Filius producitur à Patre, & Spiritus ſanctus ab utroque. Rurſus perſonæ ſunt ejuſdem ordinis: ergo neceſſarius eſt reſpectus realis inter perſonas.

Objicies fortaſſis: non eſt relatio realis inter Patrem cognoſcentem & Filium ut eſt objectum cognitum: ergo nec inter Patrem generantem & Filium ut eſt genitus: par enim videtur utrobique ratio. Reſpondeo eſſe diſparitatem, quod cognitio Patris non terminetur ad Filium ut eſt res diſtincta à ſe, ſed prout eſt cognoſcibilis, in quo diſtinctus non eſt à Patre, cum etiam ipſe Pater ſit cognoſcibilis: at Pater ut generans terminatur ad Filium ut genitum, in quo a Patre diſtinguitur. Jam vero ut in divinis relatio ſit realis debet terminari ad terminum prout diſtinctus eſt à relato, unde & relatio identitatis Patris ad Filium in ratione deitatis, non eſt realis, quia filius in ratione deitatis non diſtinguitur à Filio.

Secunda Aſſertio. Relationes ſunt idem realiter ſed formaliter cum eſſentia, ratione autem & virtute ſunt diſtinctæ ab eſſentia. Eſt contra Gilbertum Porretanum Pictavienſem Epiſcopum, qui cenſebat relationes eſſe veluti eſſentiæ divinæ aſſiſtentes & externas ab ea, ſed damnatus eſt in Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. ex D. Bern. ſerm. 80. in Cantica. Refellitur etiam, quia ſi relationes ſint diſtinctæ ab eſſentia, ergo non ſunt Deus: ergo creaturæ. Rurſus ſi diſtinctæ ab eſſentia: ergo non ſunt in Deo. Nam ex D. Bern. lib. 5. de conſideratione cap. 7. nihil in Deo præter Deum, & idem ipſe totus eſt quidquid eſt: non aliud ipſe & aliud quod in ipſo.

Objicies. Relativum & abſolutum ſecundum ſe ſpectata diſtinguuntur ſaltem formaliter, ſed infinitas iis addita non tollit eorum naturam: ergo in Deo ita diſtinguuntur. Reſpondeo infinitatem non tollere eorum naturam, ſed eam elevare ad mutuam identitatem. Vide Bannez qu. 28. art. 2. ad 2.

Poſterior pars, quod diſtinguuntur virtute, probatur, quia eſſentia & relationes æquivalent pluribus realiter diſtinctis, cum relationes ſint incommunicabiles, eſſentia communicabilis: ergo diſtinguntur virtute, faciunt etiam idem quod facerent realiter diſtincta.

Tertia Aſſertio. Relationes ſunt quatuor, paternitas, filiatio, ſpiratio activa & ſpiratio paſſiva.

Objicitur. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. damnatur quaternitas: ergo non ſunt admittendæ quatuor relationes. Reſpondeo damnari quaternitatem in divinis hoc ſenſu, ut non admittantur quatuor res omnes à ſe invicem diſtinctæ. Porro licet ſint quatuor relationes, hæ tamen omnes à ſe invicem non diſtinguuntur: nam ſpiratio activa nec à paternitate nec à filiatione diſtinguitur, unde ex quatuor relationibus non eſt quaternitas, quæ damnata eſt.

Inſtabis, eo ſenſu non admittitur Trinitas, quia paternitas & filiatio non diſtinguitur à ſpiratione paſſiva, quia nullam habent oppoſitionem producentis & producti: ergo nec eo ſenſu damnatur quaternitas. Reſpond. nego antecedens, nam ſpiratio paſſiva diſtinguitur à paternitate & filiatione. At, inquies, nulla eſt oppoſitio: relationis eſto, originis falſum, inquantum ſcilicet paternitas & filiatio ſunt ſubſiſtentiæ: quæque, ideo concurrent ad actiones & productiones Patris & Filij ut principia *quod* incompleta, actiones enim ſunt ſuppoſitorum & ipſa paternitas & filiatio formaliter ſuppoſita conſtituunt. Hæc doctrina eſt D. Thomæ qu. 40. art. 2. ubi idem aſſerit Bannes. Urgebis denique, univerſalia multiplicantur ad multiplicationem inferiorum: ergo ſi ſint quatuor relationes, erunt quatuor entia. Reſpondeo eodem modo, ſuperiora & inferiora multiplicari. Unde cum relationes non ſint quatuor ſub omni conſideratione, abſolutè & ſimpliciter: ita non erunt quatuor entia in divinis ſub omni conſideratione abſolutè & ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid.

Objicitur ſecundo. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe: at quatuor relationes ſunt idem eſſentiæ: ergo. Optimè iſtud axioma diſtinguit de Valentia de tertio, ſcilicet quod petit ut ſit tantum re unum verum eſt. Si autem petit, ut etiam re ſit plura, ut eſſentia, falſum eſt. Aliter & clarius diſtinguo, ſi illud tertium ſit unum re & virtute concedo, ſi ſit virtute multiplex, falſum: unde ex identitate extremorum in tali tertio non magis colligi poteſt ipſorum inter ſe identitas quàm ex identitate ipſorum in pluribus diſtinctis, cum illud quod virtute diſtinctum eſt, æqui-

valeat pluribus. Jam vero eſſentia eſt virtute multiplex. A

Objicitur tertio paternitas eſt hæc eſſentia: & hæc eſſentia eſt filiatio: ergo paternitas eſt filiatio, & ſic de cæteris, unde non ſunt quatuor relationes. Reſpondeo ſyllogiſmum peccare in forma, ſunt enim quatuor termini, ſi non actu, ſaltem virtute, nam eſſentia quod eſt medium æquivalet propter ſuam infinitatem pluribus terminis. Secundo diſtinguo, paternitas eſt hæc eſſentia realiter formaliter concedo, virtute & ratione nego: ergo paternitas eſt filiatio. Negatur ſequi, quia ad identitatem realem extremorum requiritur eorum in medio identitas, non tantum realis ſed etiam virtualis: nam poſita diſtinctione virtuali extremorum à mediis hæc diſtinctio idem facit, ſalva ſemper perfectione divina, ac diſtinctio realis, nam B diſtinctio virtualis æquivalet reali ac formali, & eſt ejuſdem virtutis cum iis, ubi non fit injuria divinæ perfectioni.

Quinta Aſſertio. Relationes ſunt de eſſentia & conceptu formali adæquato naturæ divinæ. Explicatur, natura divina propter ſuam entitatem ſimpliciter infinitam eſſentialiter eſt abſoluta & relativa ſimul ſeu perſonalis; idque tripliciter, eſt enim perſonalis, paternalis, filialis, & proceſſionalis. Jam ergo relationes ſunt de eſſentia naturæ, non prout ſpectatur à nobis conceptu inadæquato videlicet ut tantum eſt abſoluta, ſed ſi ſpectetur ut eſt perſonalis, paternalis, filialis vel proceſſionalis (nota hi termini ſunt apud D. Thomam in Argu. ſed contra, quæſt. 32. art. 2.) nam prout ſpectatur perſonalis paternalis, paternitas eſt de ejus eſ- C ſentia, & filiatio ut filialis, & ſpiratio paſſiva ut proceſſionalis. Atq; ex hoc fit naturam divinam ſpectatam adæquatè, tam prout eſt abſoluta quam perſonalis hoc & illo modo non eſſe communem omnibus perſonis, ſed tantum prout eſt abſoluta, nam ſi ſpectetur ut eſt perſonalis paternalis convenit ſoli Patri &c. & hoc eſt quod ait Bannes quæſt. 28. art. 2. ad 6. relationes eſſe de eſſentia naturæ non ſpectatæ ut communicabilis eſt, ſed quatenus conſtituibili in eſſe perſonali incommunicabili.

Objicies, ſi quæ ſit ratio cur relationes non ſint de eſſentia naturæ ut eſt abſoluta, maximè quia ſequeretur relationes omnes eſſe de eſſentia perſonarum: at hoc non ſequitur. Probatur per hanc inſtantiam. Communicabilitas eſt de eſſentia naturæ ut eſt abſoluta, & D non de eſſentia perſonarum ut patet: ergo &c. Reſpondeo eſſe diſparitatem, quia ſi relationes eſſent de eſſentia naturæ ut abſoluta eſt, convenirent naturæ ut eſt idem virtutè cum perſonis, aut ſaltem ut non eſt diſtincta virtute: at verò communicabilitas convenit naturæ ut eſt virtute diſtincta à perſonis. Jam vero illud tantum quod eſt de eſſentia naturæ, eſt de eſſentia perſonarum. Diſtinguo. Si conveniat naturæ ut non eſt virtute diſtincta à perſonis, concedo. Si ut eſt virtute diſtincta, nego: ergo communicabilitas quæ convenit naturæ ut eſt diſtincta virtute à perſonis non erit de eſſentia perſonarum. Addo etiam inſuper communicabilitatem naturæ divinæ nihil eſſe aliud quam identitatem ejus cum perſonis, nam communicari in divinis eſt identificari, at E identitas non eſt aliquid poſitivum, cum ſit tantum remotio & negatio diſtinctionis à ſeipſo, ad quem non datur reſpectus & ordo realis. Hoc poſito, do aliam diſparitatem, nam quod convenit naturæ ut aliquid abſolutum poſitivè, convenit etiam perſonis, verum eſt, at quod illi convenit ut aliquid negativum, falſum eſt, verbi gratia non generare, non generari &c. convenit eſſentiæ non omnibus perſonis. Jam verò ſi relationes eſſent de eſſentia naturæ ut abſoluta eſt, illi convenirent ut quid abſolutum & poſitivum, cum relationes ſint quid poſitivum: at vero identitas quæ eſt tantum aliquid negativum non convenit naturæ, ut quid poſitivum, unde nec debet convenire perſonis.

De perſonâ divinâ quæſt. 3.

PRima Aſſertio. Ratio perſonæ convenit Patri, Filiò & Spiritui ſancto. Prob. quia ex D. Thoma, qu. 29. art. 1. & Boëtio lib. *de duabus naturis*. Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia. Nota hic definiri perſonam in abſtracto, id eſt perſonalitatem. Nota 2. per ly *rationalis* intelligi intelligibilis & intellectu pollentis. Nota 3. per individua, intelligi incommunicabilis. Ratio autem cur hic definiatur perſonalitas non perſona, eſt quia perſona (quæ dicit perſonalitatem & naturam ſemel) non eſt naturæ, ſed potius natura perſonæ, & non eſt homo pectoris, brachij &c. ſed pectus & brachium hominis: nam partes aut veluti partes non prædicantur de toto in genitivo caſu, ſed totum de partibus aut veluti partibus. Jam vero perſona eſt totum, natura vero eſt veluti pars perſonæ: ergo non recte dicitur perſona naturæ in abſtracto, ſed potius natura perſonæ. Rectè tamen dici poteſt perſonalitas naturæ. Rurſus per 2. ſubſtantia, non intelligitur ſubſtantia completa propter prædictam rationem, ſed veluti incompleta. Sed ad rem redeundum. Hæc definitio convenit divinis relationibus & relationes perſonis: ergo &c. etenim relationes ſunt ſubſtantiales & incommunicabiles aliis perſonis, quia non identificantur iis, & ſunt naturæ rationalis, quia natura divina eſt intelligibilis. Objicies cum Laurentio Valla, in Deo nulla eſt ſubſtantia incommunicabilis. Diſtinguo, abſoluta cõcedo, relativa nego. Jam vero perſona divina tam in concreto quam in abſtracto eſt quid relativum, & de eo ſit

Secunda Aſſertio. Perſona in divinis directè & primario ſignificat relationem, indirectè & conſequenter naturam. Probatur, quia perſona ſignificat primario aliquid incommunicabile: at iſtud, eſt relatio, eſt enim ſola relatio in divinis quæ non identificatur, & quod non identificatur in divinis incommunicabile eſt: ergo perſona primario ſignificat relationem. Conſequenter autem ſignificat naturam, quia ſignificat eam relationem quæ reddat naturam incommunicabilem.

Objicies, ſi perſonalitas in divinis reddat naturam divinam incommunicabilem: ergo non eſt communicabilis tribus perſonis. Reſpondeo perſonalitatem reddere naturam incommunicabilem non ut eſt abſoluta, ſed ut perſonalis talis, verbi gratia paternitas reddit naturam divinam incommunicabilem non ut eſt abſoluta, quo pacto ſemper remanet communicabilis, ſed ut eſt perſonalis paternalis, filiatio ut eſt perſonalis filialis, proceſſio ut eſt perſonalis proceſſionalis.

Tertia Aſſertio. In Deo non datur ſubſiſtentia abſoluta. Eſt contra Cajetanum 1. part. quæſt. 29. art. 4. & Suarem 3. p.

Probatur, quia ſubſiſtentia eſt incommunicabilis & reddit naturam incommunicabilem, & nihil abſolutum eſt incommunicabile in divinis: ergo &c.

Objicitur primò, ſubſiſtentia debet tantum reddere naturam incommunicabilem aliis ab ipſa natura realiter aut formaliter diſtinctis: at perſonæ divinæ non ita diſtinguntur à natura. Reſpondeo non eſſe legitimam hanc interpretationem: etenim cum in divinis nihil ſit aliud realiter aut formaliter à natura divina, illa ſubſiſtentia abſoluta deberet formaliter efficere naturam incommunicabilem rebus creatis: at ad id non requiritur ſubſiſtentia, nam per ſuam infinitatem & independentiam ſatis incommunicabilis redditur rebus creatis: ergo ſi datur ſubſiſtentia abſoluta debet reddere naturam incommunicabilem rebus divinis, quæ realiter à natura non diſtinguntur: ergo non tantum rebus realiter aut formaliter aliis ſeu diſtinctis.

Objicitur 2. ſubſiſtentia abſoluta, ſeu per ſe abſolutè ſubſiſtere eſt maxima perfectio: ergo convenit na-

turæ divinæ. Reſpondeo eſſe ſummam perfectionem in re quæ non eſt communicabilis, ut natura divina.

Quarta Aſſertio. In divinis datur tantum unica exiſtentia abſoluta, non plures relativæ. Ita Vaſques diſp. 126. Bannes & alij. Probatur, quia noſtro concipiendi modo, exiſtentia prior eſt ſubſiſtentia, ſicuti & inhærentia, ergo ſi ſint tres exiſtentiæ relativæ in divinis, aliquod erit principium diſtinctivum perſonarum ante relationes, quod eſt falſum.

Secundo argumentor. Eſſentia nullam confert ſuppoſito exiſtentiam. Probatur, in natura Chriſti quæ non minus exiſtit ſine propria ſubſiſtentia quam ſi illam haberet: ergo ſubſiſtentiæ divinæ nullas ſecum afferunt exiſtentias proprias.

Tertio, ſi ponantur tres exiſtentiæ pro tribus ſubſiſtentiis, ſequitur eſſe ponendam quartam exiſtentiam pro ſpiratione activa, imo tot multiplicandas ſaltem virtute exiſtentias, quot ſunt attributa: at hoc falſum eſt. Probo ſequi, quia ideo adverſarij ponunt tres exiſtentias relativas, quia tres relationes ſunt tres entitates poſitæ extra nihil: at non minus attributa ſunt ex nihil, quam & relationes: ergo.

Quarto, probat Bannes, quia perſonæ in eo quod eſt exiſtere non opponuntur: ergo non ſunt tres exiſtentiæ realiter diſtinctæ.

Objicitur. Relationes in creatis habere proprias exiſtentias: Ergo & in divinis. Nego ſequi & ratio eſt, quia relationes non poſſunt exiſtere per exiſtentiam rei à ſe diſtinctæ realiter aut modaliter, cum ſic pereunte relatione remaneret exiſtentia relationis, quod abſurdum. Jam vero in divinis natura divina non diſtinguitur realiter aut formaliter à relationibus, ideoque poſſunt exiſtere per ejus exiſtentiam. Sicuti & perſonæ omnes cognoſcunt per naturæ divinæ intellectum, & creant omnia per ejus potentiam.

Objicitur ſecundo. Relationes ſunt tres res, ut loquuntur Sancti Patres: Ergo habent tres exiſtentias relativas. Negatur ſequela. Sunt enim tres res i. tres entitates diſtinctæ non in exiſtentia, ſed ratione oppoſitionis, quam habent reſpectu originis.

Ex his duabus ultimis concluſionibus colligitur in divinis nullam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, tres relativas, & nullas eſſe exiſtentias relativas. Unicam vero abſolutam & eſſentialem. Reſtat unica objectio contra priorē partem. Actiones ſunt ſuppoſitorum, actiones ad extra ſunt Dei ut eſt ens abſolutum; nam ſunt communes toti Trinitati: ergo ut eſt ens abſolutum eſt ſuppoſitum. Reſpondetur, actiones eſſe ſuppoſitorum vel eorum quæ æquivalent ſuppoſitis, jam vero illud individuum Deus quod ſibi identificat tres perſonas, ad minus æquivalet uni ſuppoſito: ergo poteſt agere. Vide Valentiam quæſt. 12. de Trinitate puncto tertio.

De notionibus. quæſt. 4.

PRima Aſſertio. Trinitas Perſonarum non poteſt naturaliter ab ullo homine cognoſci. Prob. D. Matt. 11. *Nemo Patrem novit niſi Filius & cui voluerit Filius revelare*, & cap. 16. *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus cæleſtis.* Iſa. 53. *generationem ejus quis enarrabit?* Prob. etiam ratione, quia inviſibilia Dei tantum per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: at ea quæ facta ſunt non repræſentant Trinitatem, ſed tantum Dei unitatem, quia non fiunt à perſonis quatenus ſunt multæ & diſtinctæ, ſed quatenus ſunt unum in eſſentia & omnipotentia ad extra. Ergo &c.

Objicies, aliquem poſſe ratiocinari, intellectum producere Verbum internum, & voluntatem producere amorem internum: at in divinis quidquid eſt internum Deus eſt: ergo &c. Reſpondeo non poſſe hunc diſcurſum fieri ſine fide, quis enim de eo cogitaret? Secundo non ſufficere hunc diſcurſum, nam Philoſophus paganus eo modo quo concluderet Patrem producere Filium, ſimiliter & Filium producere alium Filium poſſet concludere, ſicque in infinitum plures perſonas cogitaret. Rurſus ubi difficultates de unitate naturæ identificatæ rebus diſtinctis cognoſceret, dubiis nihil omnino poſſet de tali myſterio reſolvere.

Objicitur 2. myſterium Trinitatis eſt evidenter credibile ſicut cæteri fidei articuli: Ergo naturaliter cognoſci poteſt. Reſpondeo, fidei articulos eſſe tantum evidenter credibiles propter multa argumenta & ſigna quæ ſunt ſupra naturam, ut verbi gratia propter miracula facta in fidei confirmationem, propter prædictiones ſeu prophetias & alia hujuſmodi; unde fit ut cognitio Trinitatis quæ ex his ſignis peteretur, non eſſet merè naturalis, ſed aliquo ſupernaturali adjuvaretur: concluſio autem eſt de cognitione merè naturali non adjuta aliquo ſupernaturali, ne quidem revelatione divina aliis facta.

Tertio objici poſſet, homo naturaliter poteſt finem ſuum naturalem cognoſcere: at hic Trinitas eſt: ergo. Reſpondeo, finem ſupernaturalem hominis eſſe Deum & Trinitatem clarè cognitam per viſionem facialem: at vero finem naturalem eſſe Trinitatem obſcurè cognitam. Hanc autem homo cognoſcit, eo ipſo quo Deum qui eſt Trinitas cognoſcit: unde homo Trinitatem naturaliter cognoſcit implicitè, non explicitè: concluſio autem eſt de cognitione naturali explicitè.

Secunda aſſertio. Notiones ſunt quinque, innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio activa & ſpiratio paſſiva. Probatur, quia ex D. Thoma 1. p. quæſt. 32. art. 3. Notio eſt propria ratio cognoſcendi divinam perſonam: addunt alij & diſtinguendi ab alia: at ad id quinque requiruntur. Etenim divinæ perſonæ cognoſcuntur per relationes originis: Ergo hæ vel activæ vel paſſivæ: Si activæ; hinc paternitas qua cognoſcitur Pater principium Filij, & ſpiratio activa qua Pater & Filius Spiritûs ſancti, ſi paſſivæ ſint, filiatio & ſpiratio paſſiva. Denique quia per hæc quatuor præcisè non adhuc cognoſcitur & declaratur trinitas perſonarum, nam poſſet quis cogitare Patrem in divinis, ſicuti in creatis habere principium: Ideo adhuc admittenda eſt innaſcibilitas in Patre.

Dices à pari ponendam eſſe innaſcibilitatem activam in Spiritu ſancto. Nego ſequi, nam notio debet dicere perfectionem, & ut loquitur D. Thomas quæſt. 32. art. 3. ad 4. pertinere ad dignitatem perſonæ. Jam verò ſaltem noſtro modo intelligendi propter quem ponuntur notiones, innaſcibilitas paſſiva, ſcilicet a nemine produci, perfectio eſt in Patre, ac innaſcibilitas activa, ſcilicet neminem producere non eſt perfectio in Spiritu ſancto.

Objicitur ſecundò, non minus generatio eſt notio quàm paternitas, ergo plures ſunt notiones. Negatur, per generationem enim, ut ſpectatur in fieri, Pater non diſtinguitur præcisè formaliter a Filio, ſed fundamentaliter & radicaliter; contra verò de notionibus. Ita Bannes quæſt. 32. art. 3. ad 2.

Objicitur tertiò, Innaſcibilitas eſt tantùm aliquid negativum ſeu negatio: at negatio non poteſt eſſe ratio cognoſcendi: Facit enim tantùm cognoſcere quid res non ſit. Deinde negatio nullam dicit perfectionem, ut dicit notio: ergo &c.

Ad primam partem objectionis reſpondeo: Licèt probabiliter dici poſſit innaſcibilitatem dicere aliquid poſitivum in Patre, ſcilicet eſſe principium omnis entis producti, tamen eſſe negationem & etiam rationem cognoſcendi perſonam, nam rem cognoſcimus tam ſciendo quid ſit, quàm ſciendo quid non ſit, ſicuti materiam cognoſcunt Philoſophi. Vide Magiſtrum in 1. diſt. 28. Ad ſecundam partem reſpondeo, negationem rei perfectæ non dicere perfectionem, negationem verò rei imperfectæ dicere perfectionem. Eſſet autem imperfectio in Patre produci, ideò remotio productionis perfectio eſt.

Inſtabis, productionem activam, in Spiritu ſancto fore imperfectionem, ejus ergo negatio perfectio eſt & ſic notio. Reſpondeo rem ita ſe habere a parte rei, non

non verò ſecundùm modum noſtrum concipiendi, propter quem ſunt adinventæ notiones.

Tertia aſſertio. Spiratio activa non diſtinguitur ut res à re, à paternitate & filiatione. Eſt contra Durandum. Probaturque, quia inter ſpirationem activam & utramque generationem nulla eſt originis oppoſitio: ergo nec diſtinctio. Secundo arg. Bannes quæſt. 32. art. 3. col. 2. ſi ſpiratio activa diſtingueretur à paternitate & filiatione, ut res à re, non eſſet communis Patri & Filio: in divinis enim communicari pluribus eſt identificari pluribus. Nec alia ratio eſt cur ſpiratio paſſiva non ſit communicata Patri & Filio, niſi quia non eſt identificata Patri & Filio. Tertiò denique argumentor cum aliis, quia ſequeretur quaternitas in divinis quæ damnata eſt in Concilio Lateranenſi: tunc enim verè eſſent quatuor res, omnes à ſe invicem realiter diſtinctæ.

Objicitur primò. Hæ relationes diſtinguuntur realiter quæ habent terminos realiter diſtinctos: at tales ſunt ſpiratio activa, & utraque generatio, ergo &c. Reſpondeo id verum de creatis quæ ſumunt diſtinctionem à quolibet oppoſito vel diſparato: non de divinis, quæ juxta Concilia ſumunt ſuam diſtinctionem à ſolis originibus, vel originis relationibus. Secundò reſpondeo ſufficere diſtinctionem virtutis realis aut formalis ut relationes non diſtinctæ realiter ad diverſos realiter terminos referantur.

Objicitur ſecundò, generari & ſpirari opponuntur & diſtinguuntur realiter: Ergo generare & ſpirare: Ergo generatio & ſpiratio diſtinguuntur realiter. Probatur conſequentia, quia quæ eſt proportio inter generationem & ſpirationem paſſivas, eadem eſt inter eaſdem activas: ergo &c.

Nego probationem conſequentiæ: Nam generatio paſſiva cùm ſit perſonalitas Filij, eſt principium quod incompletum ſpirationis paſſivæ productæ, ideoque diſtinguitur realiter à ſpiratione paſſiva: cæterùm generatio activa non eſt principium ſpirationis activæ productæ, ſed tantùm communicatæ Filio ſicuti & eſſentiæ.

De perſona Patris. quæſt. 5.

PRima perſona appellatur potiùs Pater quàm genitor vel generans, quia, inquit D. Thomas q. 33. art. 2. ad 2. ſecundum Philoſophum l. 2. de anima text. 4. denominatio rei maximè debet fieri à perfectione & fine: generatio autem ſignificat ut in fieri, ſed paternitas ſignificat complementum generationis: & ideò potiùs eſt nomen divinæ perſonæ Pater quàm generans vel genitor.

Nomen Patris ſumitur eſſentialiter & notionaliter ſimul, ſicut & nomen principium. Porro nomen Pater & principium ſumptum notionaliter ſoli Patri convenit, & licèt nomen principium rectè Patri attribuatur, non tamen nomen principiatum Filio, quia ait D. Thomas q. 33. art. 1. ad 2. licèt attribuamus Patri aliquid authoritatis ratione principij: nihil tamen ad minorationem vel ſubjectionem quocunque modo pertinens attribuimus Filio vel Spiritui ſancto, ut vitetur omnis erroris occaſio.

Objicies, ſi Pater ſit principium Filij: ergo Filius dependet à Patre. Probatur ſequi, quia Filius eſſe non poteſt ſine Patre: ergo ab eo dependet, ſicuti Filius increatus à Patre dependet in fieri, quia ſine eo eſſe non poteſt. Reſpondeo eſſe diſparitatem, nam filius in creatis liberè producitur à patre, ideòque à patre dependet, at res ſecus ſe habet in divinis. Inſtabis, proprietates dependent à ſubjectis, licèt non liberè, ſed neceſſariò ab iis in eſſe & fieri ſint. Reſpondeo ad hoc ut aliquid dependeat, debere eſſe indigens & vacuum aliquo quod per aliud recipiat, ſicuti proprietates ſunt indigentes & vacuæ tum exiſtentiæ tum inhærentiæ, quam tamen à ſubjectis recipiunt: at verò Filius nullo unquam indiguit nec caruit, ſed ab æternitate fuit quidquid eſt, accipiens à Patre non illud quo carebat, ſed quod habebat, quia nunquam incœpit aliquid à Patre accipere, licèt à Patre incœperit, aut potiùs totus extiterit.

Nomen ingenitum, ſeu ingenitus convenit ſoli Patri, ſi accipiatur ſimpliciter & abſolutè, non verò ſecundùm quid pro negatione ſolius generationis paſſivæ, ſic enim & Spiritui Sancto convenit, qui eſt ingenitus, ſeu non genitus, aut non filius. Eſt autem notandum, ſecundùm D. Auguſtinum lib. 5. de Trinitate cap. 8. apud Magiſtrum 1. diſt. 28. non eſſe hoc dicere ingenitum quod Patrem dicere: quia etſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet dicere eum ingenitum, etſi gignat quiſque Filium, non ex eo ipſe eſt ingenitus, quia geniti homines gignunt alios.

Objicies, in divinis omnia ſunt communia præter origines aut relationes originis: atqui eſſe ingenitum non eſt origo nec originis relatio, neque enim per ly ingenitum Pater producit aut producitur. Reſpondeo etiam negationes originum eſſe proprias & non communes, ſicuti Filio convenit non-ſpiratio paſſiva, & Spiritui ſancto non-ſpiratio activa.

De perſona Filij. quæſt. 6.

PRæclarè ait D. Thomas quæſt. 34. art. 2. ad 3. diverſa nomina Filio attribuuntur ad exprimendam diverſitatem perfectionum divinarum, nam ut oſtendatur connaturalis Patri dicitur Filius: ut oſtendatur coæternus dicitur ſplendor: ut oſtendatur omnino ſimilis dicitur imago: ut oſtendatur immaterialiter genitus dicitur Verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri per quod omnia iſta deſignarentur. Item q. 41. art. 3. ad 4. Filius dicitur creatus ſimul & genitus (Eccleſ. 1.) ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione unitas naturæ in Patre & Filio. Vide etiam q. 42. art. 2. ad 1. ubi refert verba Synodi Epheſinæ eadem magna ex parte cum iis quæ habet citata q. 34. Filius dicitur imago Patris, quia ſimilis eſt Patri in natura & ſubſiſtentia, ut dictum eſt q. 1. Spiritus autem ſanctus licèt ſit Patri ſimilis in natura, non eſt tamen in perſonalitate, & ideò non eſt imago ſimpliciter ſicuti Filius, ſed tantùm ſecundùm quid.

Filius dicitur Verbum, quia producitur per intellectum ſicuti verbum in creatis, ut autem verbum intellectus ſeu ſpecies expreſſa eſt immaterialis, ita & Verbum divinum.

Præcipua difficultas eſt utrum Verbum divinum dicat reſpectum ad creaturas, ſeu producatur ex cognitione creaturarum.

Prima aſſertio. Verbum producitur per cognitionem quam habet Pater de rebus omnibus divinis, de creatis omnibus liberis, neceſſariis, de poſſibilibus & impoſſibilibus, entibus, & non entibus. Eſt D. Thomæ quæſt. 34. art. 3. Probatur, quia Verbum divinum producitur ex cognitione infinita & comprehenſiva, atqui Pater ſeipſum non comprehenderet, niſi omnia divina cognoſceret, & etiam omnia quæ ad ipſum ordinem habent, ergo.

Objicies primò cognitionem Patris eſſe infinitam, eo ipſo quod terminatur ad objectum infinitum, ſcilicet Deum: ergo nihil conferre cognitionem creaturarum. Accedit quod Deus nullum dicat realem reſpectum ad creaturas: ergo perfectiſſimè cognoſci poteſt ſine creaturis. Reſpondeo, cognitionem fore quidem infinitam, ſed non comprehenſivam, ad quam requiritur, ut res cognoſcatur tam intensè quàm eſt cognoſcibilis, & præterea illa omnia cognoſcantur quæ pertinent ad illam ſicuti creaturæ ad Deum, etiam impoſſibilia tanquam maximè illi oppoſita.

Objicies ſecundò, cognitio creaturarum futuratum eſt libera. Diſtinguo, ſi ſpectetur terminativè verũ eſt, ſi entitativè falſum eſt. Ita reſpondet de Valentia contra Cajetanum & alios qui putant præter hanc obje-

ctionem Filium non producit ex cognitione rerum poſſibilium ut ſint futuræ.

Objicies tertiò, cognitio creaturarum æqualiter communis eſt omnibus perſonis. Diſtinguo, cognitio eſſentialis concedo, notionalis nego, nam ut datur cognitio notionalis omnium divinorum, & datur etiam creaturarum, quæ enim potior ratio?

Objicitur quartò, cognitio creaturarum vel eſt aliquid reale ut ſic, vel nihil reale. Si nihil, ergo ex ea non eſt Filius, ſi aliquid reale vel diſtinctum virtute ab eſſentiæ cognitione, ſicut ſcientia à natura; vel non diſtinctum. Si priùs ergo ſublatis creaturis tolleretur aliquid reale à Deo quod falſiſſimum: Si poſteriùs, ergo ſublatâ cognitione creaturarum non deſinet cognitio eſſe æquè perfecta in ſe ac ea poſita: & ſic nihil faciet cognitio creaturarum. Reſpondeo tunc cognitionem eſſentiæ fore æquè perfectam in ſe quod eſt entitativè, ſed non æquè perfectam objectivè: nam juxta ea quæ diſſerit Suarez tomo ſecundo Metaphyſicæ, cum ſola divina ſint objectum primarium cognitionis divinæ, ab iis ſpeciem ſuam & entitatem ſumunt, non autem à creaturis, quæ ſunt duntaxat objectum ſecundarium, à quo res non ſpecificatur nec quidquam entitatis accipit. Accipit tamen ab iis aliquam perfectionem extrinſecam quam poſſumus appellare hic objectivam, quia eadem cognitio ad plura objecta terminatur primaria & ſecunda, licèt ex terminatione ad ſecundaria nihil adveniat intrinſecũ, ſed tantùmquid extrinſecum, cùm autem cognitio quâ producitur Filius, debeat eſſe omnibus quibus modis poteſt perfecta intrinſecè & extrinſecè; ideò producitur etiam ex cognitione creaturarum, licèt ipſa cognitio creaturarum, ut ſic, nihil ſuperaddat reale cognitioni eſſentiæ.

Secunda aſſertio. Filius producitur ex cognitione omnium creaturarum antecedenter noſtro modo intelligendi. Eſt contra nonnullos qui volunt produci ex notitia Spiritûs ſancti & creaturarum poſſibilium concomitanter, ex cognitione verò futurarum per accidens & conſequenter. Probatur verò concluſio, quia produci ex cognitione creaturarum antecedenter eſt produci ex cognitione creaturarum tanquam ex principio activo. Omne enim principium activum alicujus rei antecedit ſaltem ordinis prioritate terminum productum: atqui Filius producitur ex cognitione creaturarum tanquam ex principio activo: ergo producitur ex cognitione creaturarum antecedenter, prioritate ſcilicet ordinis.

Objicies, cognitio creaturarum futurarum eſt tantùm per accidens in Deo, quia poterat non eſſe, ſi Deus per ſuam libertatem eas decreviſſet non producere: ergo tantùm per accidens ex ea verbum producitur.

Reſpondeo ad antecedens, eam cognitionem eſſe tantùm per accidens in Deo, ſi ſpectetur terminativè: quo pacto non eſt aliquid reale nec quidquam confert ad generationem Filij: Si verò ſpectetur entitativè eſt naturaliter & neceſſario in Deo: nam ſic eſt ipſamet cognitio rerum divinarum, quæ propter ſuam eminentiam poſtulat terminari ad quodcunque intelligibile; & idcircò ad futureitatem aliquarum rerum poſſibilium, quæ intelligibilis eſt.

Objicies ſecundò, noſtro modo intelligendi, objectum prius eſt cognitum quàm Verbum producatur, quia ex cognitione objecti fit Verbum, ergo Filius priùs erit cognitus quàm ſit. Tunc ergo vel eſt in illo priori rationis cognitus ut exiſtens, & hoc falſum, quia in illo priori nondum exiſtit: vel eſt cognitus ut non exiſtens, ſed poſſibilis & futurus, & hoc etiam abſurdum, quia noſtro modo intelligendi, relata ſunt ſimul natura: ergo Pater & Filius ſunt ſimul cognitione, nec Filius exiſtens poſteriùs Patre cognoſci debet. Reſpondeo argumentum valiturum ſi cognitio eſſet temporalis atque etiam ſucceſſiva, verùm cùm ſit ab æterno & inſtantanea, ideòque ſimul ſit cum ſuo termino, non priùs terminatur etiam noſtro modo intelligendi ad Filium ut objectum, quàm ad eundem ut terminum. Nihilominus tamen eſt advertendum, quod priùs ratione terminatur ad Filium ut objectum quàm ad eundem ut terminum: non quidem prioritate rationis temporis, ſed prioritate rationis ordinis. Porro in prioritate illa rationis ordinis non licet concipere Filium ut terminum eſſe poſteriorem ſeipſo cognito à Patre cognoſcente, ſed tantùm cognitionem Filij ut cogniti eſſe principium Filij ut termini, nam prioritas ordinis non potuit unam rem præ aut poſt aliam, ſed per aliam & ex alia, & rem eſſe priorem ordine alia eſt in divinis eſſe principium alius, remanente in illa prioritate, ſimultate temporis & naturæ. Hinc fit ut in nullo inſtanti rationis (ratiocinatæ non ratiocinantis) concipi poſſit Filius non exiſtere. Et certè id abſurdum eſſet, cùm & ſit ab æterno & ſit relativum ad Patrem: eſt autem, ut ait Ariſtoteles in categ. proprium relatorum eſſe ſimul natura, id eſt, ut unum non ſit alterius cauſa, & uno cognito alterum cognoſcatur, ut ibidem explicatur.

De perſona Spiritus Sancti, queſt. 7.

NOmen Spiritus Sanctus disjunctivè ſumptum convenit Patri & Filio, uterque enim eſt Spiritus, Deus enim Spiritus eſt, & uterque Sanctus. Iſaiæ 6. *Duo Seraphim alter ad alterum clamabant Sanctus Sanctus Sanctus.* Ratio eſt, quia cum Spiritus ſanctus ſit communis Patri & Filio utpote ab utroquè procedens; ideo rectè nomen habet commune utrique. Sed peculiarius appellatur Spiritus, quia ſpirare ſignificat aliquando vehementer amare, ut homo dicitur ſpirare cædem: Spiritus autem ſanctus producitur ex vehementi amore. Rurſus ut in ſpiratione reali ponitur aliquid extra: Ita voluntas amando fertur extra ſe ad objectum. Tandem dicitur ſanctus, quia ſanctitas ad voluntatem pertinet per quam producitur Spiritus ſanctus. Sed ut ad difficultates de Spiritu ſancto veniamus, ſit

Prima Aſſertio. Spiritus ſanctus à Patre & Filio producitur. Eſt contra Græcos, quorum error, ait D. Thomas quæſt. 36. art. 2. ad 3. primo à Neſtorianis introductus eſt, inter quos, ait, etiam fuit Damaſcenus, & ideo ei non ſtandum. Addunt alij & Theodoretum fuiſſe ſimiliter aliquando Neſtorianum & primum hujus erroris auctorem, licet eo damnato à Concilio 3. generali, quod eſt Epheſinum, ad mentem Eccleſiæ redierit. Si autem tempore D. Thomæ publici juris facta fuiſſent acta Epheſina, decebat ipſum inquirere, num etiam ille error Neſtorij fuiſſet in Concilio Epheſino cum aliis ipſius erroribus damnatus, ut id non prætermitteret in diſcuſſione quæſtionis de additione *Filioque* ad Symbolum. Nec ſilentium illi improperatum fuiſſe. Qua de re in Concilio Florentino. Nec tanta fuiſſet diſputatio de additione ad Symbolum contra prohibitionem Concilij Epheſini, ſi in ipſo Epheſino hanc additionem determinatam fuiſſe perſpectum fuiſſet, ut infra patebit in eodem Epheſino. Quomodo ergo eſſet contra ejus mentem? Hoc erat certè quod magis urgere debebant Latini contra Græcos. Obſervata tamen diſtinctione inter Symbolum & alias Concilij conſtitutiones quæ dogma hoc continent, etſi in Symbolo non ſit poſitum. Hæc enim diverſa ſunt. Sed de his infra in Lugd. 2. & Florentino.

Secunda Aſſertio. Si Spiritus ſanctus à Filio non procederet ab eo non diſtingueretur. Eſt D. Thomæ contra Scotum. Pro majori claritate, dico primò aſſertionem veriſſimam eſſe à parte rei, quia ſi fiat hæc hypotheſis, ſequitur mutatio in Deo: unde & deſtruitur Deus: unde tandem Filius & Spiritus ſanctus ſunt non-entia, ergo realiter non diſtincta. Sic enim dato uno abſurdo, ſequuntur abſurda.

Dico rurſus adhuc veriſſimam eſſe ſecundum noſtrum intellectum, poſitis Conciliorum & Patrum definitionibus, nam in divinis omnia ſunt unum inter quæ non intercedit originis relatio: at tunc non inter-

cederet ergo. Dico contrà, ſi nobis revelatum fuiſſet perſonas divinas diſtingui aliquo abſoluto (quod eſt impoſſibile) æque bene intelligeremus diſtingui, ac modo. Hanc aſſertionem tenet Valentia to. 1. diſp. 2. & ratio eſt, quia propter diſtinctionem virtualis inter illud abſolutum & naturam divinam, æque facile intelligeretur unitas in natura & diſtinctio in abſoluto, ac hodie in relativo.

Hinc patet, hanc quæſtionem non eſſe de diſtinctione ſecundum rem, cum ſic Scotiſtæ cogantur concedere Spiritum ſanctum amplius non futurum & ideo non diſtingui à Filio, qui & ſimiliter non eſſent, cum tolleretur aliquid ipſis eſſentiale, ſcilicet à Filio ſpiratio activa, à Spiritu ſancto paſſiva. Eſt itaque quæſtio de diſtinctione ſecundum noſtrum intellectum, an ſcilicet concipiendo Filium ſine ſpiratione activa & Spiritum ſanctum ſine paſſiva ſpiratione à Filio adhuc poſſemus ratione ratiocinata concipere ipſos realiter diſtinctos? Ad quam quæſtionem ex dictis patet reſpondendum eſſe, quod ſequendo Conciliorum definitiones Spiritus ſanctus à Filio non diſtingueretur, ſi ab eo non procederet, quia inter Spiritum ſanctum non eſſet ulla originis oppoſitio. Unde neceſſe fuit ut Eccleſia proceſſionem Spiritus ſancti à Filio determinaret contra Græcos, quia deſtruunt myſterium Trinitatis, ſi admittatur ipſorum opinio. Quod non ita neceſſarium videri poſſet ſecundum eam opinionem quæ perſonas omnes à ſe invicem diſtinctum iri docet, etſi à Filio non procedat Spiritus ſanctus. Oportet enim valde neceſſariam eſſe illam determinationem ſaluti fidelium, ex qua tam damnoſum & damnatorium ſchiſma per occaſionem conſequitur.

Objicies. Spiritus ſanctus diſtingueretur à Patre & à ſolo Filio procederet: ergo. Reſpondeo eſſe diſparitatem, nam tunc eſſet oppoſitio, ſcilicet mediata, non mediatione identificati, ſed mediatione producti producentis, Filij ſcilicet producentis Spiritum ſanctum.

Objicitur 2. tunc fore relationes diſparatas in Spiritu ſancto & Filio. Reſpondetur non ſufficere ad diſtinctionem, nam ſunt etiam in Patre relationes diſparatæ: nec magis repugnat eſſe relationes diſparatas in termino, quam in principio: nam, ut ait Bannez quæſt. 36. art. 2. ſi Filius docereatur à Patre, in eo eſſet relatio Filij & diſcipuli.

Inſtabis, quid tunc Pater produceret per voluntatem, neque enim produceret Filium, cum ſit productus per intellectum: Ergo deberet producere alium. Bene reſpond. ibidem ad 4. tunc Patrem per voluntatem producturum Filium non ut Filius eſt, ſed ut amatus & ſpiratus eſſet.

Objicitur 3. Spiritus ſanctus debet diſtingui à Filio perſonaliter, ideoque per aliquid perſonale: at ſpiratio activa non eſt aliquid perſonale, quia non conſtituit perſonam: ergo. Reſpondeo, Filium diſtingui à Spiritu ſancto duplici titulo: primo ratione filiationis propter adjunctam ſpirationem: ſecundo ratione ſolius ſpirationis. Etenim filiatio, ut jam dictum eſt, diſtinguitur à ſpiratione paſſiva: igitur Filius per filiationem diſtinguitur à Spiritu ſancto per aliquid perſonale, ſed & inſuper diſtinguitur per ſpirationem activam perſonaliter, licet ipſa non faciat aut conſtituat perſonam: ſicut enim dupliciter fit domus alba: primo faciendo domum & jungendo albedinem. Secundo jungendo ſolam albedinem: ita dupliciter aliquid poteſt diſtinguere perſonaliter, faciendo perſonam & diſtinguendo perſonaliter, ſecundo ſolum diſtinguendo. Igitur licet ſpiratio activa non conſtituat perſonam, diſtinguit tamen perſonaliter, cum diſtinguat Filium à Spiritu ſancto formaliter & præcisè ut perſona.

Objicitur 4. idem eſt principium conſtitutionis & diſtinctionis: atqui filiatio conſtituit perſonam Filij: ergo & diſtinguit. Reſpondeo, idem eſt principium conſtitutionis & diſtinctionis ab aliis concedo, ab iiſdem nego. Jam vero tunc Spiritus ſanctus non eſſet alius à Filio. Neque id poteſt ſupponi à diſputante, niſi petat principium ſupponendo quod eſt in quæſtione: hinc fit ut filiatio in hac hypotheſi non magis debeat diſtinguere Filium à Spiritu ſancto quam ab eſſentia. Et confirmatur reſponſio, quia ſecundum rei veritatem, Pater in ratione ſpiratoris conſtituitur per ſpirationem activam, neque tamen diſtinguitur à Filio, quia ſcilicet in ratione ſpiratoris non eſt alius. Pari ſolutione reſpondendum eſt horum objectioni, qui aiunt filiationem, cum ſit ſubſiſtentia, debere reddere naturam incommunicabilem cuicumque perſonæ; ſcilicet, quæ ſit alia, non quæ ſit eadem: ut tunc Spiritus ſanctus eſſet.

Tertia Aſſertio. Pater & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti. Probatur, quia ad pluralitatem ſubſtantivi requiritur pluralitas formæ per ſubſtantivum immediatè ſignificatæ: at ſpiratio activa quæ intelligitur hoc nomine ſubſtantivo principium, non eſt plures ſed una: ergo nomen principium non poteſt hic pluraliter uſurpari.

Quæres pro quo ſupponit hoc nomen principium? Benè reſpondet D. Thomas quæſt. 36. art. 4. ſupponere confusè & indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul. Alij reſpondent ſupponere pro illo individuo quod conſtat ex eſſentia, paternitate, filiatione & ſpiratione activa, ſicut quando dicitur Deus eſt principium creaturarum, ly principium, ſupponit pro eſſentia tribus perſonalitatibus & creatione, licet diſtinctè hæc non ſignificet. Sed hæc quæſtio clarius apparebit, ubi de modo loquendi ad quem videtur pertinere hæc difficultas.

Quarta Aſſertio. Nomen doni rectè attribuitur Spiritui ſancto. Adverte ex Banneſio quæſt. 38. donum tripliciter uſurpari. Uno modo pro eo omni quod gratiosè confertur ſive diſtinctum à donante, ſive non, & ſic convenit omnibus perſonis. 2. pro eo omni quod gratiosè confertur, & eſt diſtinctum à donante; & ſic convenit Filio & Spiritui ſancto: tertio pro eo quod inſuper eſt prima ratio donandi; ſcilicet amor, qui eſt primum donum, & cujus ratione dantur cætera: & ſic convenit tantum Spiritui ſancto non propriè, ſed per accommodationem. Nam primum donum eſt amor activus cujus ratione conferuntur cætera, eſtque in divinis amor eſſentialis. Spiritus autem ſanctus eſt amor paſſivus, ideoque non eſt is qui ſit primum donum & cujus ratione conferuntur cætera, illi tamen accommodatur nomen amoris, & conſequenter doni, quia procedit ex amore.

Nota 1. ex D. Thoma quæſt. 38. art. 1. donum eſſe donantis vel per ſubjectionem, vel per identitatem, vel per originem. Hinc Spiritus ſanctus eſt Patris & Filij, ſed per originem duntaxat.

Nota 2. ex eodem loco ad 3. donum in comparatione ad eum cui datur, importare liberum uſum vel fruitionem. Hinc infertur Spiritum ſanctum dari tantum poſſe creaturis rationalibus.

Nota 3. ex reſp. ad 4. donum non dicitur ex eo quod actu datur, ſed inquantum habet aptitudinem ut poſſit dari, hinc infertur Spiritum ſanctum eſſe donum ab æterno, licet non ſit donatum.

Quinta Aſſertio. Pater & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto, qui ſit tertia Trinitatis perſona. Aſſertio eſt Durandi contra D. Thomam, Magiſt. Sent. in 1. diſt. 33. difficilem ſibi fatetur hanc quæſtionem, ſeque minus ſufficientem ait ad illam ſolvendam. Affert tamen pro noſtra ſententia ſatis firmum argumentum, quia idem eſt in Patre diligere ac eſſe: Ergo ſi ſeipſos Pater & Filius diligunt per Spiritum ſanctum, ſunt per Spiritum ſanctum. Quod valde abſurdum.

Argumentor 2. quia ex ipſomet D. Thoma quæſt. 37. art. 2. ablativus conſtruitur in habitudine alicujus cauſæ: at Spiritus ſanctus reſpectu dilectionis Patris & Filij habet rationem ſolum termini & nul-

lo modo principij: ergo Pater & Filius non diligunt se Spiritu sancto, neque per Spiritum sanctum, propter eamdem rationem. Simile argumentum. Spiritus sanctus non est ullo modo medium hujus dilectionis, est enim tantum terminus & velut finis dilectionis illius, & prius dilectio terminatur ad objecta omnia diligibilia quam ad Spiritum Sanctum, intellige prius ordine: ergo non diligunt se Spiritu sancto.

Argumentor tertiò: quia aliàs esset prædicatio extrinseca, quia denominarentur diligentes à re quæ in ipsis non esset, nam in divinis non identificari est non inesse & esse extrinsecum.

Quartò, quemadmodum non dicitur, Pater intelligit Filio vel per Filium, & homo specie expressa, ita nec potest dici, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Tandem pari ratione dici posset, Pater & Filius diligunt Spiritum sanctum Spiritu sancto. Par enim est ratio. Certè Bannez sensum opinionis D. Thomæ assignat, dicens Patrem & Filium diligendo se producere Spiritum sanctum. Ita contrariæ sententiæ auctores recurrunt ad sensus de quibus nulla quæstio, dum ex objectis difficultatibus sese non possunt expedire.

Objicitur primò aliquos Patres asserere Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto. Respondet Durandus sensum esse, Patrem & Filium diligere se amore qui attribuitur Spiritui sancto, ita etiam alij respondent apud D. Thomam.

Objicitur 2. in his actionibus quarum terminus distinguitur ab objecto vel subjecto, rectè dici agentem attingere objectum termino: sicut dicitur, ignis calefacit manum calore externo & interno, oculus videt visione pari: ergo modo rectè dicetur, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, tunc enim objectum distinguitur à termino. Respondeo, majorem propositionem veram esse de termino totali & adæquato, non vero de termino formali & inadæquato. Porro calor non est terminus adæquatus ignis, sed caliduin: nam calor est terminus formalis, unde non dicitur ignis calefatit calido: à pari etiam non dicitur, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus est terminus totalis dilectionis.

Objicit adhuc D. Thomas. Arbor dicitur florere floribus: ergo &c. Respondeo, flores non esse terminum ly *florere*, sed potius formam, nam florere non est agere ut habeat terminum, est enim verbum passivum, è contra verò diligere est activum, & Spiritus sanctus est verus terminus: ergo longè dispar ratio.

De Personis in ordine ad relationes. quæst. 3.

PRima Assertio. Personæ divinæ non constituuntur ultimo per aliquid absolutum, sed relativum. Probatur, quia ultimum principium constitutivum est etiam ultimum distinctivum: at hoc non est absolutum, sed relativum juxta Concilium Florentinum sess. 18. & Toletanum XI. in fidei confessione.

Objicitur. Relationes posteriores esse personis: ergo &c. Respondetur, id verum esse de relationibus accidentariis non substantialibus & necessariis, ut sunt divinæ. Deinde posteriores esse personis sub communi ratione personæ spectatis, esto: sub particulari ratione talis personæ divinæ, falsum est, nam illi essentialis est origo & relatio, unde sine iis non concipitur.

Secunda Assertio. Personæ divinæ distinguuntur per origines & relationes, licet distinctio melius intelligatur per relationes quam origines. Conclusio est D. Thomæ quæst. 40. art. 2. Probatur prior pars, quia tam origo quam relatio est aliquid relativum, verbi gratia intellectio notionalis & paternitas & spiratio ut actio & spiratio ut relatio; nam omnis actio habet terminum à se distinctum ad quem refertur. Igitur concludendo primum positum producere secundum, præciso quovis alio respectu, sufficienter intelligitur distinctio. Accedit quod paternitas non videatur ex quidam rationis ratiocinata distingui à generatione activa, neque quidquam dicere videtur quod in generatione activa tam includatur ut talis est.

Posterior pars probatur à D. Thoma loco citato, quia personæ divinæ distinguuntur per aliquid intrinsecum; at origo non significatur ut aliquid intrinsecum, si enim sit activa, significatur ut via quædam ad rem, si passiva ut via quædam à re. Vide etiam quæst. 5. de persona Patris.

Objicit Divus Bonaventura secundum nos originis relationibus esse priores: ergo esse principium constitutionis. Respondetur, esse priores si Pater concipiatur confusè sub generica ratione personæ, non, si distinctè consideretur sub particulari ratione personæ talis, tunc enim nihil est prius. Nec pavar dicere relationes fundari in originibus: ergo esse posteriores, etenim relationes divinæ sunt substantiales & per se subsistendo, ideoque non egent fundamento, neque debemus concipere relationes divinas ut accidentales, cum possimus concipere modo naturæ divinæ conformiori. Ideoque minime ratiocinata non sunt posteriores persona constituta, sed tantum ratione ratiocinante. Quæ distinctio valdo est observanda, ubi agitur de quæstionibus Trinitatis secundum nos.

De Personis in ordine ad actus notionales. quæst. 4.

PRima Assertio. In divinis verè sunt actus notionales tam activi quàm passivi. Probatur, quia D. Augustinus tria prædicamenta latè sumendo prædicamentum in Deo admittit subsistentiam, relationem, actionem. Deinde in scripturis reperiuntur isti actus Psalm. 2. *Ego hodie genui te*, & D. Joan. 2. *Insufflavit Christus in Apostolos dicens, Accipite Spiritum sanctum.*

Objicies, ut in Deo nulla est potentia passiva, ita nec ulla est passio. Respondeo duplicem esse potentiam passivam, unam physicam, quâ subjectum aliquid recipit quo carebat, alteram logicam & intelligibilem, quâ subjectum aliquid recipit, licèt eo nunquam caruerit, & hæc potentia passiva non repugnat divinæ perfectati, cùm nullam supponat imperfectionem & per consequens nec passionem veluti consequens.

Objicies 2. omnis actio realiter idem est cum termino, quia actio est ipse terminus in fieri, res verò quæ est in fieri, & post in facto esse eadem est: at in divinis actio non est idem cum termino: ergo in divinis non est actio: minor probatur, quia aliàs non esset distinctio personarum. Respondeo id verum esse tantùm in creatis, porrò ex creatis non potest certum deduci argumentum de divinis, de quibus in pluribus multò aliter philosophandum est, quàm de creatis. Porrò ideò in divinis actio distinguitur realiter à termino, quia immanens est, ideoque debet esse eadem cum persona producente terminum à se distinctum realiter.

Instabis, Filius est in Patre, nec tamen est Pater: Ergo &c. Respondeo, non esse in Patre ut Pater est immediatè, sed tantùm ut Deus est: unde sufficit quod identificetur cum Patre non ut præcisè Pater est, sed ut Deus est.

Secunda Assertio. Actus notionales non sunt liberi à necessitate, sed sunt liberi a coactione: nam necessariò sunt, nec possunt non esse, licet sint maximè spontanei & voluntarij & sine ullâ coactione. Probatur, quia Deus ad nihil omninò cogitur nec cogi potest propter suam omnipotentiam; & rursus cùm actus notionales sint cum Deo, ideoque summè perfecti & hinc summè diligibiles, non possunt non esse voliti à Deo.

Advertas ex Bannesio q. 41. art. 2. libertatem in pro-

cipio operante maximam esse perfectionem, non autem in eo quod procedit, quia potest esse, & non esse. Licet ergo foret perfectio in persona producente habere libertatem circa actum notionalem personæ productæ, quia tamen illa perfectio argueret imperfectionem in persona producta, ideò in persona producente non est admittenda, ne quid scilicet sit in una persona cum dispendio alterius.

Adverte rursus generationem & spirationem passivas esse voluntarias diverso modo, nam generatio passiva est voluntaria voluntate concomitante, quam voluntatem Bannes q. 41. art. 2. vocat voluntatem complacentiæ, & hac voluntate ipsemet Deus est Deus: at verò spiratio passiva est voluntaria voluntate antecedente, quam ibidem vocat Bannes voluntatem principiantem, quia scilicet voluntas est principium productum Spiritûs sancti; & ideò spirationis passivæ.

Tertia Assertio. Respectu actuum notionalium activorum nõ datur verè & de facto potentia in Deo: at respectu passivorum datur. Ita ex parte D. Thom. q. 41. art. 4. ad 3. respectu horum actuum (intellige activorum) non potest salvari ratio potentiæ in Deo nisi secundùm modum intelligendi & significandi tantùm: prout diversimodè significatur in Deo intellectus & intelligere, cùm tamen ipsum intelligere Dei & ejus essentia non habens principium. Ex quo desumi potest hoc argumentum pro prima parte assertionis. Persona aliqua non potest esse principium rei à se non distinctæ, tales sunt actus notionales activi: ergo persona non potest eorum esse principium, neque etiam quidquam quod sit in illa persona, quia quidquid est in illa persona quod possit habere rationem potentiæ, non est distinctum ab actu notionali activo, & per consequens non potest ab illa esse.

De posteriori parte assertionis non est difficultas, quia ut dictum est q. 1. productio in divinis per se ordinatur ad subsistentiam ut est actus notionalis passivus: ergo actum illum producit persona producens: ergo & potest producere: igitur habet potentiam productivam illius.

Objicies, potentiam productivam actus notionalis passivi ab ipso actu non distingui: ergo respectu actus illius non dari potentiam, juxta prædicta in probatione assertionis. Respondeo, ipsam quidem potentiam in abstracto non distingui, sed potentem producere à. qui habet illam potentiam distingui. Porro satis est quod potens producere, seu habens potentiam distinguatur. At verò si daretur potentia ad actus notionales activos, ne quidem potens producere distingueretur.

Tota difficultas est in quonam consistat illa potentia ad actus notionales passivos; nam alij volunt consistere in essentiæ divinæ voluntate vel intellectu, & notionali proprietate producentis. Alij, ut Scotus, in sola essentia & intellectu vel voluntate, ita ut proprietas producentis sit tantùm conditio ad actualem productionem.

Quarta assertio. Potentia illa vel est proxima vel remota: si remota consistit in sola essentia, si proxima in solo intellectu, & voluntate. Adverte illud esse loqui de potentia in actu primo & de potentia in actu secundo, nam si fit sermo de potentia in actu secundo, sic cum secundo, consistit in essentia, intellectu vel voluntate & proprietate producentis; nam proprietas producentis est actus secundus suæ potentiæ: si verò sermo fit de potentia in actu primo, tunc certum est non includere proprietatem personæ producentis, tunc enim non includit actum secundum: hic verò sermo est de potentia in actu primo: ergo consistit in essentia, si sit remota, & intellectu vel voluntate, si sit proxima.

Secundò probatur conclusio, quia hic est sermo de potentia *quo* non *quod*: at essentia intellectus & proprietas non est potentia *quo* sed *quod*, & melius dicetur potens quàm potentia, quia hæc omnia simul semper dicunt perfectum, quæ non sit potentia præ-

sè, sed potens: ergo potentia, ut hîc accipitur, non consistit in his tribus unde restat, ut consistat in essentia & intellectu vel voluntate.

Accedit tertiò quod, concepta sola essentia, satis intelligatur potentia *quo* remota, & solo intellectu vel voluntate potentia *quo* proxima: nam ut in homine concepta sola anima satis intelligitur potentia remota intellectionis, & concepto solo intellectu potentia *quo* proxima. Ita similiter in persona divina.

Objicies. Potentia ad illos actus debet esse propria personæ producenti, at essentia & intellectus conveniunt omnibus personis: ergo non sunt potentia.

Distinguo majorem & concedo de potentia in actu secundo, non de potentia in actu primo. Nam & adversarij, velint nolint, coguntur concedere essentiam esse principium & potentiam remotam, licèt sit communis omnibus personis absque actu secundo spectata.

Instabis. Si potentia in actu primo sit communis: ergo omnes personæ poterunt producere: quod falsum. Respondeo, nego sequi, nam in Christo fuit potentia qua peccatur, nec tamen poterat peccare: & si in lapide Deus poneret potentiam visibilem, non posset tamen videre: cujus rei ratio est quod potentia *quo* non tribuat denominationem, nisi simul sit cum potentia *quod* seu principio *quod* completo vel incompleto. Jam verò in solo Patre est principium *quod* Verbi, scilicet subsistentia paternitatis. In Patre & Filio principium *quod* Spiritus Sancti: at in Spiritu Sancto nullum est principium *quod* alicujus ad intra: Unde licèt habeat potentiam quâ producitur Verbum, & etiam ipsemet, non tamen potest producere Verbum vel seipsum. Quæ responsio ex eo confirmatur, quod potentia *quo* non est totale principium producti, sed ipsa cum principio *quod*, ex quibus fit totale principium actus: ergo ipsa sola non sufficit ut res dicatur posse, cùm ly *posse* denotet principium sufficiens ad productionem, ideoque adæquatum.

Assertio quinta. Actus notionales non sunt ex nihilo, sed de essentia. Adverte, nihil denominatur divinum, nisi à divinitate quæ est ipsa essentia aut natura divina: ergo cùm actus notionales sint divini, debent esse tales per naturam divinam; unde natura est veluti forma actuum notionalium ut divinorũ, unde & sequitur posse dici esse de natura divina tanquam causa formalis: rursus actus notionales passivi sunt à persona producente mediante essentia tanquam potentia productiva remota *quò*: ergo rectè possunt dici hi actus esse de essentia tanquam principio *quo*, nam particula, *de*, construitur in habitudine alicujus principij. Quod si de personis fermo sit, idem dicendum est, nam omnes personæ sunt de essentia tanquam de causa formali, aut veluti principio formali: & personæ productæ sunt insuper de essentia tanquam principio *quo* productivo remoto.

Hinc infertur contra Arrium, personas non esse de non extantibus, Filium scilicet & Spiritum Sanctum,

De personis in ordine ad se invicem. quæst. 10.

PRima Assertio. Personæ divinæ sunt æquales. Probatur ex Symbolo D. Athanasij. In hac Trinitate nihil prius nec posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales, & ad Phil. 2. *Filius non rapinam arbitratus est esse sè æqualem Deo.* Adde. Major & minor tribus modis dici potest: id est ætate, forma, potentia. Ætate senior parvo; formâ longior parvo, potentiâ fortior imbecillo. Videamus utrum aliquid horum accidat Filio, nam nec ætate minor est quem de principio Patre constat esse principium; nec forma quem non aliud fas est prædicare quàm Deum, nec potentia à quo totum novimus esse perfectum. Ita Victor Tapensis l. de unitate Trinitatis contra Felicianum Arrianum dicentem. Idem, quod à majoribus nostris dici solet, non

vacebo, fiunt enim creaturam esse Filium, sed perfectam, & quæ dominari possit omnibus creaturis. Ita scilicet Arriani de Filio loquebantur, nequaquam tamen Patri coæquabant. Amplius probatur, quia ex D. Thoma, æqualitas non attenditur, nisi secundùm naturam, ut ait D. Augustinus 6. de Trinitate cap. 4. at in omnibus personis eadem omnino est natura, & quæ sibi identificat omnes omnino perfectiones: ergo personæ omnes sunt æquales. Major præter auth. D. August. adhuc probatur ex D. Thoma q. 42. art. 1. ad 2. ub ita ait, quæcunque communicant in una forma, possunt dici similia, etiamsi inæqualiter illam formam participent, sicut si dicatur aër esse similis igni cum calore: sed non possunt dici æqualia, si unum altero perfectius formam illam participet. Hactenus D. Thomas: vide etiam Magist. in 1. dist. 19. & 20.

Secunda Assertio. Æqualitas in divinis non est relatio realis, quia non est quid reale & positivum, si verò esset, foret realis relatio. Prior pars habet bonam consequentiam, sed dubium est de consequenti. Probatur ergo authoritate Magist. in 1. sent. dist. 31. ubi approbat horum opinionem, qui aiunt æqualitatem esse tantùm aliquid negativum, quia scilicet personæ eo ipso sunt æquales, quo carent diversitate. Explicatur rursus, quia æqualitas ut aliquid significat præter essentiam quæ est in tribus personis, non dicit ullam perfectionem præter essentiam, ergo non est aliquid reale, quia in Deo nihil est reale quod non dicat peculiarem perfectionem. Propter eandem rationem, oppositionis relatio inter personas non est quid reale, oppositio enim non significat aliquam perfectionem, nihil verò reale in divinis admittendum, quod peculiarem non importet perfectionem, in quo distinguntur à creatis, quæ multas recipiunt relationes & entitates, licèt non ipsis inferant novam aliquam & propriam perfectionem.

Posterior pars est hypotetica, & absolutè sustinetur à Scoto contra D. Thomam. Probatur verò, quia est de conceptu intrinseco æqualitatis realis referre unum ad alterum, & æqualitas essentialiter est quid relativum, nec aliter potest concipi: ergo &c. Dices esse realem in genere entis, non tamen in genere relationis. Sed contra, nam sequeretur æqualitatem non esse realem in genere æqualitatis, quia necessariò est relatio, hoc verò est contra suppositionem.

Vide Suplem. Theol. offic. p. 2. differ. 40.

Secundò probatur, quia tota ratio adversariorum est, quod relationis realis mutuæ fundamenta proxima realiter distincta esse debeant, essentia verò non est realiter distincta in personis divinis. Sed hæc ratio nulla est: primò, quia satis infirmiter id probant: secundò, quia etsi essentia divina non sit realiter actu distincta, est tamen realiter virtute distincta, quod deberet sufficere. Tertiò, quia etsi fundamenta relationum realiter distinctarum debeant realiter distingui, non relationum realiter earumdem, ut essent relationes æqualitatis in personis. Et confirmatur hæc ratio, quia non major requiritur distinctio in fundamentis quàm in relationibus, imò sæpè invenitur minor distinctio in fundamentis, v. g. in pariete albo & pariete nigro inveniuntur duæ relationes dissimilitudinis, quæ sunt eædem specie & solo numero distinctæ, licèt earum fundamenta albedo & nigredo sint, non tantùm numero, sed etiam specie distincta. Hæc ratio optima esse videtur. Quartò, quia in relationibus divinis quæ sunt subsistentiæ nulla requiruntur fundamenta: Ergo non realiter distincta. Hæc ratio intelligenda est de relationibus divinis secundùm se, qua de re vide Bannesium q. 40. art. 4. concl. 3. ad 2. Ubi præterea negat relationes divinas fundari in actu notionali.

Objicies, ergo tunc essent plusquam quatuor relationes reales. Respondeo ita esse, sed illæ relationes non essent realiter distinctæ, & hoc coguntur fateri adversarij, si enim comparentur personæ in conceptu & ratione, personæ sunt similes reali relatione, cùm fundamenta sint realiter distincta, nempe personalitates, & sint omnia requisita.

Tertia Assertio. In divinis non datur prius & posterius quo una persona sit & nondum alia. Probatur, quia personæ divinæ essentialiter sunt ad se invicem relativæ, relativa verò se invicem ponunt, sunque simul natura & cognitione. Attamen datur prius & posterius quo una persona sit ab alia, & hoc est prius & posterius ordinis & originis. Probatur, quia verè una persona est principium alterius: ergo.

Quarta Assertio. Personæ divinæ sunt in se invicem per circumincessionẽ. Circumincessio autem definitur à Rada in 1. sent. controv. 20. *ubi unius subsistentis in subsistente realiter distincto, mutua & intima præsentialitas in eadem numero naturâ.* Unde fit ut circumincessio non conveniret duobus corporibus in eodem loco positis, quia habent naturas distinctas, nec attributis in essentia existentibus, quia non subsistunt, nec essentiæ in personis existenti, quia non distinguuntur realiter, nec nobis in Deo existentibus, quia non sumus in eadem natura.

Probatur Assertio, quia illud omne est in personis quod identificatur essentiæ, cùm enim essentia sit in personis, necesse quoque est, ut quæ ipsi identificantur sint in ijsdem, nam alia essentia esset divisa: & personæ identificantur essentiæ: ergo sunt in personis. Joan. 4. *Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est.*

Dices, quidquid est in Patre est Pater, non enim in divinis aliud est id quod habet & aliud id quod habetur. Ergo si Filius est in Patre, Filius erit Pater, seu Pater erit Filius, ex inesse enim sequitur prædicari. Respondeo, aliquid posse esse in una persona dupliciter: primò mediante identitate personalitatis & essentiæ, secundò immediatè. Quod ergo est in persona immediante tali identitate est ipsamet persona, & sic sapientia, infinitas, & alia attributa sunt in Patre & sunt Pater: etsi enim non concipiamus identitatem paternitatis & essentiæ, concipimus tamen rectè hæc adhuc esse in Patre. Cæterum personæ sunt in personis mediante identitate personalitatis & essentiæ, ideòque non possunt de se invicem prædicari; & juxta hanc distinctionem solvendæ sunt objectiones.

Æqualitas in causalitate.

Cæterum de causalitate creaturarum in personis divinis, an in causalitate sint æquales, dubium est non leve.

D. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. in responsione ad 3. asserit Verbum divinum esse rationem formalem creandi Patri Divino. Quod repetit q. 4. & 6. art. 6. ex quo infert, quod non solùm per appropriationem seu accommodationem creatio tribuenda sit Verbo, quod ad illam concurrat per modum exemplaris & Spiritui sancto, quod ad illam concurrat per modum impulsus & inclinationis, sed ut dicit Bannez, etiam propriè & ex vi processionis, ita ut ratio creandi sit quid mixtum ex essentialibus & notionalibus: ita tamen quod attributa essentialia intellectus & voluntas sunt principium creaturarum primariò, Verbum & Spiritus Sanctus secundùm rationes suas proprias personales quasi secundariò, secundùm quod supponunt cognitionem & amorem essentialẽ. Addunt Salmanticenses ad defendendum D. Thomam, Verbum divinum esse expressivum & factivum: expressivum tantùm respectu Patris, factivum respectu creaturarum simul & expressivum: nam sicut in eo scientia est perfectissima, debet esse simul speculativa & practica, atque id volunt competere Verbo ex vi suæ processionis & proprietatis personalis, in qua dicit relationem rationis ad creaturas fundamentaliter sumptam.

Accedit ad mentem D. Thomæ Henricus à Gandavo quodl. 8. q. 2. ubi dicit Verbum esse sapientiam disponentem creaturas ex vi suæ processionis, & Spiritum sanctum esse amorem affectantem creaturas, ut de facto ex nihilo educantur. Admittit enim duplicem notitiam in Deo, unam simplicem quâ speculatur creaturas sine ordine ad praxim: aliam disponentem, quâ novit creaturas & operanda, ut in quodam dispositivo:

ſicut artifex qui ſpectat res producendas modo ſimplici A
& ſpeculativo intuitu, modo intuitu veluti practico, & in ordine ad praxim, ut illos efficiat, & ſicut eſt, inquit, de duplici notitiâ reſpectu intellectûs: ita ſuo modo eſt de duplici amore reſpectu voluntatis: ſicut & artifex habet duplicem amorem reſpectu artificiati, unum ſimplicem quo placet ei forma artificij, qui non ordinat ad opus, alium verò affectivum, quo opus fieri deſiderat, & eſt primus amor beneplaciti, ſecundus concupiſcentiæ. Primo enim placet bonum, ſecundo verò bono quod placet vult bonum: & procedit iſte amor de primo, quia enim placet mihi bonum ei bonum deſidero. Item. Sapientia ut eſt eſſentialis non eſt niſi ſpeculativa, & ideæ ut ſunt in tali ſapientia non ſunt, niſi rationes cognoſcendi: ſapientia verò ut eſt perſonalis ſeu genita, non tantùm eſt ſpeculati- B
va, ſed etiam eſt practica reſpectu operandorum. Propter quod dicit Apoſt. 1. Cor. 1. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam.*

Hæc ſententia D. Thomæ, ſi non videatur improbanda, maximè apta eſt ad intelligendas ſcripturas ſacras quæ non tantùm Patri, ſed etiam Verbo & Spiritui ſancto, ſic attribuunt creationem, ut etiam ſignificent Patrem in Verbo & per Verbum omnia creaſſe, ut Pſal. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* & alibi pluries ſimilia verba repetuntur, quæ quempiam influxum peculiarem in rerum creationem denotant, quod optimè explicatur per opinionem iſtam Henrici & D. Thomæ. Namque ſcripturæ litteralitet intelligi debent quantum fieri poteſt, & habent veritatem in verbis, quan- C
tumvis ſit difficile illam mente aſſequi. Illa autem appropriatio ſeu accommodatio, non omninò ſatisfacit intellectui, cum omnibus bene perpenſis, nihil tribuat uni perſonæ, quod alteri non competat reipsâ. Nec iſtud impedit quominus opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa, i. communia.

Nihilominus Scotus in 2. ſent. diſt. 1. & quodl. 8. impugnat Henricum & D. Thomam, cui ſuffragatur cum aliis Scotiſtis Petrus Poſtnanienſis in 2. ſent. Scoti, eſtque ejus ſententia communior, quia ratio creandi eſt omninò communis tribus perſonis & eadem in ipſis; ut nihil propriè conveniat uni non alij, ſed tantùm appropriatè. (Dicitur autem propriè convenire alicui quod ex ſe & ab intrinſeco ſequitur ipſum: appropriatè autem quod ex ſe convenit pluribus, ſed D
propter aliquam cauſam uni illorum tribuitur) confirmatur ex illo Joan. c. 5. *Quæcunque Pater facit, hæc ſimiliter Filius facit.* Et quod aliter ideæ practicabiles in ſolo Filio reperirentur, non in Patre, quod eſt abſurdum. Itaque potentia creandi, & ipſa creatio ſequitur eſſentiam non perſonam & omnes perſonæ creant per eandem virtutem creandi, quæ eſt in eſſentia, & in voluntate divina, quæ eadem eſt in tribus perſonis.

Nec obſtat quod objicitur vulgò ex Ariſtotele, actiones ſunt ſuppoſitorum. Nam Græcus textus nihil aliud ſignificat quàm quod actiones verſentur circa aliquid ſingulare, vel quod à ſingulari aliquo producantur.

Occurrit etiam alia ratio contra D. Thomam & E
Henricum: quod ſi ex vi productionis ſit aliquid in Filio & Spiritu ſancto, quod diſponat & inclinet ad productionem creaturarum, illarum creatio non ita videbitur libera, ſed magis neceſſaria, ſicut & perſonæ ipſæ Filij & Spiritus ſancti neceſſariò producuntur.

Reſponderi poſſet, notitiam illam practicam & amorem affectantem ſeu inclinantem ad bonum creaturarum non inferre ullam neceſſitatem: ut ex eo patet, quod hoc non obſtante, innumeræ creaturæ poſſibiles nunquam è nihilo educentur, ſed in æternum remanebunt in maſſa entium merè poſſibilium. Denique difficilis eſt iſta quæſtio ad ſolvendum, niſi mens lumine gloriæ donata fuerit.

De Miſſione divinarum Perſonarum. quæſt. 11.

PRima Aſſertio. Filius & Spiritus ſanctus mittuntur. De Filio quidem conſtat Joan. 5. *qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* De Spiritu Sancto Joan. 15. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre.* &c. Eſt autem miſſio in divinis, *proceſſio perſonæ divinæ ab alia ad creaturam rationalem, ut illius ſit, & in illa operetur ſive cum ſignô ſenſibili ſuæ operationis, ſeu ſine ullo ſigno ſenſibili.*

Secunda Aſſertio. Filius & Spiritus ſanctus mittuntur, non per Conſilium, ſicut Rex dicitur mitti ad bellum à ſuis Conſiliariis, quia talis miſſio ſupponit ignorantiam: neque etiam per imperium, quia ſupponit inferioritatem in miſſis: neque etiam per motum localem, quia ſupponit negationem immenſitatis. Sed mittuntur per originem cum reſpectu ad effectum externum. Unde ſicut terra mittit herbas, & arbor flores fructuſque producendo, ita Pater Filium, & Pater & Filius Spiritum ſanctum. Eſt tamen hoc diſcrimen, quod herbæ ex vi productionis ſint, ubi ante non erant; non verò perſonæ divinæ, ideoque requiritur inſuper ordo & reſpectus ad effectum externum, per quem effectum ſint per aliquem modum, ubi antè non erant. Explicatur clariùs, aliquis mittitur cum ex authoritate alicujus incipit eſſe, ubi anteà non erat. At verò Filius incipit eſſe per dona quæ pertinent ad intellectum in hominibus, & Spiritus ſanctus per dona quæ pertinent ad voluntatem, idque velut ex authoritate perſonæ producentis à qua habent poſſe producere illa dona: ergo tunc verè mittuntur.

Tertia Aſſertio. In miſſione dantur dona actu, perſonæ verò ipſæ dantur virtute. Prior pars non patitur difficultatem: de poſteriori bene diſſerit Suarez lib. 2. de Trinitate, & explicatur, quia licet perſonæ ipſæ non fiant præſentes de novo, ſed earum dona: attamen dona ſunt ejus virtutis, ut facerent perſonam præſentem illi ante non eſſet. Hocque patet clariſſimè in miſſione Filij ad humanitatem per donum unionis hypoſtaticæ, etenim hæc unio faceret Filium præſentem humanitati, ſi ante non fuiſſet: nam per unionem unita ſunt ſibi invicem præſentia: igitur talis miſſio virtutem dat & facit ipſammet perſonam præſentem. In cæteris miſſionibus res non eſt adeo evidens, declaratur tamen ratione morali, quia cum Spiritus ſanctus mittitur per donum gratiæ, homo fit amicus Spiritus ſancti: ideoque congruum eſt & decet, ut Spiritus ſanctus fiat præſens hominibus, utpote ejus amicis. Vide Suarem loc. cit. Dices. Filius mittitur per appropriationem per dona intellectus quæ non reddunt hominem Deo amicum: nec apparet quomodo hæc dona Deum hominemque conjungant. Pro reſponſione nota hæc verba D. Thomæ quæſt. 43. art. 5. ad 2. Filius eſt Verbum non qualecunque ſed ſpirans amorem: non igitur ſecundum quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius, ſed ſecundum talem inſtructionem quæ prorumpat in affectum amoris. Ideo autem tunc mittitur, quia tunc donatur, & fit veluti res propria animæ quæ illam poſſidet & eadem frui incipit, ac fructus ex illa capere. Quod eſt proprium iis qui rem aliquam ſuo jure habent, Deus enim poſſidetur per viſionem & amorem, ad quæ duo charitas dat jus animæ quam informat.

Præter hunc modum realis præſentiæ virtualis alios affert Banneç. Spiritus ſanctus, inquit, eſt in homine juſto ſicut cognitum in cognoſcente & amatum in amante, aliquando quidem habitualiter, aliquando verò actualiter: inſuper Spiritus ſanctus eſt in hominibus juſtis ſicut tutor, ſicut gubernator & ſicut amicus in amico. Ita ad hanc quæſt. D. Thomæ.

Quarta Aſſertio. Tota ratio miſſionis, non æque reperitur in creatione gubernatione, ac conſervatione,

atque in infusione donorum supernaturalium. Probatur, quia etsi per creationem mundi Filius & Spiritus sanctus sint præsentes de novo suo effectui, idque velut ex vi & authoritate Patris, qui ipsis vim creatricem communicavit. Tamen non donantur tunc, sicut per infusionem charitatis, quæ dat quamdam possessionem inchoatam & dat jus ad plenè fruendum ipsis in beatitudine.

Quinta Assertio. Missio una est visibilis, cum persona divina datur sub specie aliqua visibili & apparente, sicuti in baptismo Christi sub specie columbæ, in die Pentecostes sub specie ignis. Altera est invisibilis quæ fit sine ulla re apparenti externa & sensibili, ut cum hodie justificantur homines.

Hactenus de missione. Restat quæstio difficilis de modo loquendi in mysterio & arcanis rebus Trinitatis.

De modo loquendi in rebus Trinitatis. quæst. 12. & ult.

QVædam sparsim habet D. Thomas de modo loquendi in Trinitate digna attentione.

Primum est 1. part. quæst. 27. art. 1. Cum Deus sit super omnia, ea quæ in Deo dicuntur, non sunt intelligenda secundum modum infirmarum creaturarum quæ sunt corpora, sed secundum similitudinem supremarum creaturarum, à quibus etiam similitudo accepta deficit à repræsentatione divinorum.

Secundum est quæst. 36. art. 2. ad 1. De Deo dicere non debemus quod in sacrâ scripturâ non invenitur vel per verba vel per sensum, & clarius quæst. 29. art. 3. in corp. art. Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundum vocem quæ sacra scriptura de Deo tradit, sequeretur quod nunquam in alia lingua posset aliquis loqui de Deo, nisi in illa in qua primo tradita est scriptura veteris vel novi testamenti. Ad inveniendum autem nova nomina antiquam fidem significantia coegit necessitas disputandi cum hæreticis, nec hæc novitas vitanda est cum non sit prophana, utpote à scripturarum sensu non discordans, docet autem Apostolus prophanas vocum novitates vitare, ad Tim. ult.

Tertium est quæst. 33. art. 1. ad 1. Quanto aliquod nomen est communius, tanto convenientius accipitur in divinis, quia nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ. D. Thomas quæst. 33. art. 1. ad 1.

Quartum est quæst. 30. art. 2. quia ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, ut Hiero. dicit, ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela & modestia est agendum, quia ut Augustinus dicit in 1. de Trinitate, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.

His breviter delibatis agimus primo de *dictionibus* numerabilibus. 2. de exclusivis. 3. de notionalibus ad essentialia & è contra.

Prima Assertio. Hæc propositio vera est, Deus est unus numero, si intelligatur de unitate numerica transcendente, non vero si de categorica. Ratio est, quia unitas categorica dicit ordinem ad alteram unitatem, & individuum quod est unum tali unitate dicit ordinem ad aliud individuum numero distinctum & possibile physica aut saltem logica potentia: at non potest esse aliud individuum ejusdem naturæ cum Deo: ergo Deus non est unus numero unitate numerica categorica, est tamen unus numero unitate transcendente, quia hæc unitas nihil aliud dicit quam negationem divisionis in se sine ordine ad aliud individuum ejusdem speciei, sed numero distinctum.

Secunda Assertio. Hæc propositio vera est, Pater est unus: hæc falsa, Pater est unus cum Filio. Prior patet, quia in divinis non sunt plures Patres. Posterior asseritur à D. August. de Fide & Symbolo, ubi ait, Pater non est unus sed unum cum Filio. Ratio est, quia adjectiva denotant suppositum substantiva naturarum: Pater vero & Filius sunt duo supposita: ergo non sunt unus, sunt nihilominus unum substantivè videlicet in divinitate.

Tertia Assertio. Falsa est hæc propositio, Trinitas est trina. Adverte nomen Trinitatis formaliter sumptum, non dicere aliquid positivum & reale, nam unitates tres ex quibus constat sunt tantum negationes: collectio autem negationum, non potest esse quid reale & positivum, & hoc existimat Magist. & D. Thomas quæst. 30. art. 3. quo posito probatur assertio, quia ea tantum concreta in divinis prædicantur de abstractis, quæ habent abstracta realia & positiva: at Trinitas non est reale positivum: ergo &c. Objicies: ergo nulla est Trinitas. Negatur sequi, nam nomen, Trinitas, ut vulgo usurpatur, sumitur non ut est numerus formalis quo pacto intelligenda assertio, sed ut est numerus numeratus. Hinc benè ait D. Thomas quæst. 30. art. 1. ad 4. in Trinitate divina intelligitur & numerus & personæ numeratæ. Hinc etiam ut ibidem explicat, quando dicitur Trinitas est in unitate &, è contra, sensus est, tres personæ sunt in una natura, & una natura in tribus personis. Ponitur videlicet abstractum pro concreto. Vide citatum articulum.

Quarta Assertio. Particula, solus, syncategorematicè sumpta potest addi terminis essentialibus in propositione affirmativa: non vero categorematicè. Sumitur syncategorematicè, quando ipsa non gerit vicem attributi, sed subjecto adjungitur, ut verbi gratia essentia sola est communicabilis, tunc enim non se tenet ut attributum & ex parte attributi, quo pacto sumitur categoricè, sed subjecti. Probatur, quia multâ conveniunt soli essentiæ & terminis solis essentialibus: Ergo hæc possunt prædicari. cum ly, solus, de terminis essentialibus, ut Deus solus est infinitus, immensus, &c. Posterior pars patet, quia falsa esset propositio. Deus est solus. Nec obstat quod habeatur Deuteron. 32. & Job 4. in his enim locis solus sumitur syncategorematicè virtualiter: sensus enim est, Deus est solus Deus, vel Deus est solus perfectissimo modo.

Quæres in illa propositione Deus solus est infinitus, pro quo supponit Deus. Respondetur supponere pro omnibus personis. Neque enim supponit pro essentia, cum sola non sit ista, sed etiam Pater & aliæ personæ. Instabis: ergo in hac propositione subjectum non est essentiale: nam omnes personæ non sunt communes. Respondeo esse essentiale, est enim commune, non quidem collectivè sed distributivè, sicut universæ terræ pertinent ad omnes Reges, non si collectivè sumantur, sed distributivè, hæc scilicet terra huic Regi & sic de cæt. à pari Deus quod est tres personæ, ut hæc est, convenit Patri, ut hæc Filio ut tertia Spiritui sancto. Quamvis enim posset dici supponere pro essentia, nam licet etiam Pater sit infinitus, non excluditur per ly solus, quia non est distinctus à Deo.

Quinta Assertio. Particula solus categorematicè nō potest addi terminis notionalibus, potest vero syncategorematicè, ubi attributum fuerit notionale ut solus Pater generat, non vero essentiale ut solus Pater est omnipotens. Objicies Joan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te* (sc. Patrem) *solum Deum verum & quem misisti.* Ubi additur ly solus termino notionali, cum tamen attributum sit essentiale. Respondeo in hac propos. ly solum non addi Patri sed Deo: unde non se tenet ex parte subjecti, sed attributi: & sensus, ut cognoscant te Deum qui solus est infinito modo. Advertit etiam D. Thomas quæst. 36. art. 2. ad 1. regulariter tenendum esse in sacra scriptura, quod id quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis in quibus Pater & Filius secundum

cundùm oppositas relationes distinguuntur, &c. Unde colligere est ly solum, esse particulam inclusivam alius adjectivè. Ubi verò additur subjecto notionali, prædicato existente essentiali, esse exclusivam alius substantivè, non verò alius adjectivè tantùm. Et sic concedi possent istæ propositiones solus Pater est omnipotens, non enim excluderetur Filius, quia non est alius substantivè, sed adjectivè duntaxat. Ista etiam, ut ait loco citato D. Thomas, à solo Patre est Spiritus Sanctus, quia tunc non excluderetur Filius, quia non opponitur Patri quantum ad hoc quod est esse principium Spiritûs sancti, neque sunt aliud & aliud in ratione principij Spiritûs Sancti.

Sexta Assertio. Nomina abstracta usurpantur, nunc singulariter, nunc pluraliter, secundùm unitatem vel pluralitatem rei per ea significatæ.

Septima Assertio. Concreta substantiva, quæ primariò essentiam significant, semper usurpantur singulariter ut Deus. At quæ primariò aliquid notionale significant, nunc singulariter, nunc pluraliter usurpantur secundùm unitatem vel pluralitatem rei per ea significatæ. Sic dicitur Pater non Patres, dicitur etiam personæ in plurali, quia sunt plures personæ.

Octava Assertio. Adjectiva tam essentialia quàm notionalia tantùm in singulari prædicantur de essentialibus ut essentia divina est creans, non creantes: est res spirans, non spirantes. De notionalibus verò etiam pluraliter ut Pater & Filius sunt creates, sunt spirantes. Hinc patet quando D. Athanasius ait, non tres æterni, substantivasse ly æterni: sicut ly arida substantivatur, licèt sit adjectivum. Alij dicunt D. Athanasium agere de Deo secundùm essentiam.

Octava Assertio. In Deo omnes res significatæ nominibus sive concretis sive abstractis substantivis vel adjectivis prædicantur de se invicem, nisi opponantur relativè vel originaliter, sic dicitur essentia est generatio, est filiatio, & spiratio est immensitas, non autem dicitur paternitas est filiatio, &c.

Nona Assertio. Quædam sunt propositiones quæ non faciunt sensum identicum, ut Pater generat, Filius generatur, prioris enim sensus est generatio est à Patre, posterioris generatio recipitur in Filio. Tales igitur propositiones sunt usurpandæ in divinis, ubi subjectum erit immediatè principium vel principiatum, secus non: & sic vera est hæc propositio, Pater generat, Spiritus Sanctus spiratur, hæc falsa, immensitas generatur, essentia spirat, quia generatio non est ab immensitate tanquam principio, neque spiratio ab essentia tanquam principio quod.

Dices, hæc propositio vera est. Essentia est generans, (est enim Pater generans) sed idem est ista, essentia generat: ergo. Respondeo falsam majorem, quia significatur quod immediatè sit generans, quando dicitur essentia est generans sine addito, hoc autem falsum. Hæc autem vera essentia est res generans, quia ly generans non cadit immediatè super ly essentia; sed ly res, quæ est Pater. Vide Bannesium q. 39. art. 5. ad 1.

Objicies, de quocunque prædicatur aliquid potest pro illo supponere: ergo dici potest, essentia generat, ut scilicet essentia supponat pro Patre. Divus Thomas q. 39. art. 5. ad 4. distinguit antecedens & admittit de ijs quæ prædicantur ut universale de singulari: non de iis quæ prædicantur per modum identitatis, habentque diversum modum significandi.

Objicies secundò, essentia est intelligere: ergo. Respondetur intelligere ibi esse substantivum non adjectivè, nihil enim aliud est intelligere quàm intellectio activa notionalis, sed significata per Verbum & casum infinitum Verbi. Unde & talis propositio facit sensum identicum, nec per eam denotatur actionem emanare ab essentia. Adde quod significat τὸ intelligere actionem non in actu exercito, sed in actu signato, unde nullum est inconveniens.

Decima Assertio. Nomina essentialia concreta supponunt pro personis, ut Deus generat, sapiens generat .i. Pater: at abstracta minimè, ut falsa est ista, deitas spirat vel spiratur. Ratio est, quia concreta significant formam essentialem ut in habente: personæ autem sunt habentes illam formam. Cæterum hoc non reperitur in abstractis.

Undecima Assertio. Nomina notionalia nõ semper supponunt pro essentia: essentia enim generat *ut quo*, quod de nulla persona verificari potest. Hujus rei rationem reddit Bannez q. 39. art. 1. in simili assertione respectu proprietatis essentialis, inquit, quæ convenit essentiæ, ut est distincta à personis, nomina essentialia concreta supponunt pro sola essentia ut Deus est trinus, est communicabilis. Unde colligere est ideò generare *ut quo*, convenire essentiæ non personis, quia generare *ut quo* convenit essentiæ ut distincta est à persona Patris, estque veluti ejus forma quæ distinguitur à persona, quamvis adhuc dici posset non convenire personis, quia convenit essentiæ, ut dicit ordinem ad personam determinatam, videlicet Patrem, à quo adhuc sub ea consideratione virtute distincta est, unde nec Patri quidem conveniat.

Duodecima Assertio. Nomina substantiva in divinis denotant formam sive relativam, ut persona Pater; sive absolutam, ut bonitas, immensitas: adjectiva verò denotant suppositum, & adjectiva notionalia habent formam à suppositis, substantiva verò à seipsis secundùm formam significatam. Et hinc colligitur non posse dici, Pater & Filius sunt principia Spiritûs Sancti, quia principium est substantivum, & ratio principij una est, potest tamen dici sunt principiantes. Sic non potest dici, sunt dij, bene tamen sunt habentes deitatem. Hinc etiam colligit D. Thomas q. 36. art. 4. quando D. Hilarius Spiritum Sanctum esse à Patre & Filio authoribus, posuisse substantivum pro adjectivo. Sicuti econtra ante dixit D. Athanasium posuisse adjectivum pro substantivo, dicendo, & tamen non tres æterni, sed unus, scilicet substantivè.

Ex his possumus colligere nomen *Deus* sumi multipliciter, primò enim sumitur pro sola essentia, ut cùm dicò Deus est Trinitas. Secundò sumitur pro una tantùm persona, ut cùm dico Deus generat .i. Pater, nam attributum trahit ad se subjectum, & per prædicatum limitatur subjectum. Tertio sumitur pro duobus tantum personis, ut cùm dico Deus spirat .i. Pater & Filius. Quartò sumitur pro tribus tantùm personis & nullomodo pro essentia seorsim, ut cùm dico Deus, vel generat, vel generatur, vel spiratur. Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cum dico Deus non generat *ut quo*. Quintò denique tam pro essentia seorsim quam personis, ut Deus est infinitus, Deus intelligit res omnes.

Dices, actiones sunt suppositorum: ergo, intelligere: non potest convenire essentiæ seorsim. Respondeo posse, ut enim ait Bannez q. 39. art. 5. ad 1. illæ tantùm actiones sunt immediatè suppositorum, quæ alicuius distincti productivæ sunt, at intellectio essentialis nihil producit: ergo non est opus ut sit tantùm suppositi. Cæterùm creatio & aliæ actiones divinæ transeuntes alicujus distincti productivæ sunt. Unde videntur personis attribuendæ: ut scilicet, quando dicitur Deus creat, significetur Pater, Filius & Spiritus Sanctus, qui creant, quatenus personæ divinæ sunt: essentia autem & potentia creandi creent tantùm *ut quo*. Vide de hoc de Valentia to. 1. disp. 3. q. 2. puncto 3.

Demum advertendum erit in opere creationis & redemptionis quædam attribui a Scriptura sacra diversis personis ad hoc ut magis innotescant & à nobis colantur & adorentur, quà ratione in Symbolo Apostolorum distribuuntur personis divinis varia attributa & opera, & in Scriptura repræsentatur Pater ut iratus & offensus ex peccato protoplasti Adami, ad quem pacandum laboret Filius, cui quasi collaboret Spiritus Sanctus, ipsumque adjuvet. Sic disposuit sapientia divina ad instructionem nostram, quamvis peccatum fuerit contra omnes personas, & eadem voluntate sa-

lutem hominis voluerint per mortem Christi, quæ A omnibus satisfecit.

Concludimus in hanc D. Augustini sententiam l. 6. *de Trinitate*, qui hoc, id est Trinitatis mysterium, vel ex parte, vel per speculum, & in ænigmate videt, gaudeat cognoscens Deum, & gratias agat: qui verò non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum, quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas.

PRIMA PARS.

Nicæni Concilij gesta & decreta.

Arrij hæresis.

CVm in Alexandrina Ecclesia esset quidam Presbyter, Arrius nomine, elati & ambitiosi, non minus quàm fucati animi, qui ad dignitatem quam optabat pervenire non valens, hæreticorum more aliquod dogma insolens & hæreticum planè adinvenit, ut posset vir alioqui ignotus, eo nomine illustrior haberi, more ejus qui ut in pretio haberetur, Dianæ Ephesinæ templum incendit. Asserebat enim Verbum Dei creaturam esse, diversæ naturæ & essentiæ à Patre, eóque longè inferius. Quod iniquum dogma authoritate illa divi Joannis (*Pater major me est*) & similibus confirmabat, cumque is ab Alexandri Episcopi obedientia, a quo admonitus, & correptus sæpe fuerat, secessisset, perfricta fronte impudentior factus, multos suo veneno cacodæmonis instinctu infecit.

Jam eò res devenerat, ut aperto Marte Arrius cum complicibus Alexandro adversaretur. Quod cum Constantino Imperatori nunciatum esset, molesto & ægro animo ferens, insignem pari & eruditione, & pietate virum Osium Cordubensem, qui tunc temporis propter Religionis negotia apud eum agebat, ad litem componendam in Alexandriam destinavit, qui re infecta (usque adeo contentionis ardor efferbuerat) ad Constantinum rediit. Tandem cum nihil spei relictum esset sedandæ contentionis, à Concilio generali præsentissimum tanto malo remedium petendum prudenter existimavit. Missis itaque a summo Pontifice Sylvestro duobus legatis Victore, & Innocentio, convenerunt 318. Episcopi doctrina, sanctitate, ac religione insignes, inter quos fuit Nicolaus Myrrhæ Episcopus, Spiridion Cyprius, & Paphnutius ex superiori Thebaide, & alij multi vita & miraculis clari. Interfuit etiam Alexander Episcopus Alexandriæ, quem comitatus est Athanasius ejusdem Ecclesiæ tunc temporis Diaconus. Tales denique aderant, quos, ut dicit Theodoretus, Apostolica magnopere commendabant; multi etiam qui stigmata Domini Jesu, ut divinus ait Apostolus, in corpore gestabant; & ut Marius Victorinus Afer l. 1. contra Arrium, Ecclesiæ totius lumina erant. Aderat & ipse Arrius, sicut & Sathan etiam adfuit inter filios Dei in Concilio Angelorum, quin & sequaces ejus, quorum præcipuus erat Eusebius Nicomediensis Episcopus & alij.

Cùm res ardua admodum esset, ac difficilis, Divini Verbi quippe naturam concernens, longa atque maturâ ultro citróque acri concertatione, statuum est omnium Catholicorum consensu verbum ὁμοούσιον, id est consubstantiale esse Patri: Quam sententiam cum decem & septem Episcopi factionis Arrianæ nollent recipere, in exilium à Constantino acti sunt: è quibus undecim palinodiam fictè tamen, ut sæpe solent hæretici, cecinerunt, ut exilij incommoda vitarent. Inter quos fuit Eusebius Nicomediæ Episcopus, vafer homo, & noxius, quippe qui sua fictione plus nocuit, quàm si fuisset apertus hostis.

Constantini Imperatoris in Arrium.

Constantini Imperatoris (licet brevitati studeamus) hoc loco omitti non debet religio, & pietas, affectúsque ingens erga Ecclesiam, quòd destinarit omnibus patribus, & equos, & vehicula, quibus possent à longinquis regionibus ad Concilium commodè accedere, una sumptus omnes, & cætera omnia magnificè, ut Principem decet, eisdem suppeditavit. Cúmque inter Patres essent quibus, in Maximiani persecutione, pro fide Christi abscissi fuissent nervi poplitis sinistri, & oculi dextri eruti, solebat pius Imperator Constantinus, hos patres tanta veneratione colere, ut sæpe cicatricem oculorum, Christi nomine oscularetur, tanto religionis amore æstuabat. Ordini Ecclesiastico tantum detulit, ut noluerit causas Sacerdotum judicare, saccúmque in quo erant literæ contentionum inter Ecclesiasticos, comburi ante se jusserit, asserens eos judices secularium futuros, & non decere, ut ab eis judicarentur. Sicque omnium lites compositit ut *diuturnæ* amnistiam, id est, injuriarum oblivionem quamdam, more Thrasibuli, induxisse videretur. Nec omittendum est hoc in loco singulare modestiæ, quod Principibus Christianis reliquit exemplum: dum in Concilio post Episcopos, ab eisque primum rogata venia sedere voluit. Quo facto Pontificiam dignitatem Imperatoria præstantiorem esse, verè pius Princeps agnoscebat, & testabatur. Nec est creditu dignum, quod ab aliquibus fertur, Constantinum ab Eusebio Nicomediensi in Arrianismum inductum, ab eodemque baptizatum: quam rem de Constantio uno ex tribus Constantini filijs intelligendam arbitror, ut gesta Fœlicis Papæ successoris Liberij testantur. Ad hæc Græca Ecclesia Constantini Imperatoris Festum vigesima primâ mensis Maij celebrat, & D. Ambrosius in Psal. 43. eum magni meriti fuisse ait apud Deum, quia primus Imperator viam fidei & devotionis Principibus reliquit. Sed ista luce majori perfundentur ex Rufino Eccles. Histor. l. 10. ut ille.

Cap. 1. Cum apud Alexandriam post Achillam, qui Petro Martyri successerat, Alexander Sacerdotium suscepisset, quia pax nostris & quies à persecutionibus erat; atque Ecclesiarum gloria Confessorum meritis gaudebat, prosperitas rerum nostrarum domestica contentione turbatur. Etenim Presbyter quidam apud Alexandriam, Arrius nomine, vir specie & forma magis quàm virtute Religiosus, sed gloriæ laudisque & novitatis improbè cupidus, prava quædam de fide Christi proferre, & quæ antea in quæstionem nunquam venerant, cœpit: Abscindere ac separare ab illa æterna & ineffabili Dei Patris substantia vel natura filium conabatur. Quæ res in Ecclesia plurimos conturbabat. Sed cùm Alexander Episcopus natura lenis & quietus, assiduis commonitionibus Arrium cuperet a pravo incœpto & assertionibus impijs revocare, nec tamen res ex sententia procederet, quòd plerosque jam contagio pestiferæ assertionis infecerat, non solùm apud Alexandriam, verùm & per alias urbes provinciasque dispersa, perniciosum fore credens si dissimularet, & alijs plurimis consacerdotibus suis rem indicat. Quæstio latius innotescit. Sermo usque ad aures religiosi Principis, quippe qui omni studio & diligentia curaret quæ nostra sunt, pervenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat, ibique Arrium trecentis decem & octo Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus & quæstionibus judicari.

Anno Domini 320.

Hist. Eccl. lib. 10. c. 4.

Nota, ex consensu Sacerdotum convocat Imperator.

Cap. 2. Sed & in eo Concilio admirabile factum Principis non puto rejiciendum. Etenim cum ex omnibus penè locis Episcopi convenissent, & (ut fieri solet) diversis ex causis inter se quædam jurgia detulissent, interpellabatur frequenter à singulis: offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hæc quam ad id pro quo ventum erat, animos dabant. At ille videns quod per hujusmodi jurgia causa summi negotij frustraretur, diem certum statuit, qua unusquisque Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Et cùm resedisset, suscepit à singulis libellos: quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episco-

Imperator non vult judicare

pos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia quæcumque sunt, ad illud divinum referventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis dij, & conveniens non est ut homo judicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est: *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos discernit.* Et ideo his omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distinguite. Cùm hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos jussit exuri, ne innotesceret ulli hominum simulatio Sacerdotum. Verùm cùm per dies multos in Episcoporum Concilio de fide quæstio verteretur, & nonnulli diversa sentirent, ac vehementer cœptis Arrij faverent, plures tamen erant qui impium execrarentur incœptum. Cumque in eodem Concilio esset Confessorum magnus numerus, ac Sacerdotum, omnes Arrij novitatibus adversabantur. Favebant verò ei viri in quæstionibus callidi, & ob id simplicitati fidei adversi.

Psalm. 81.

Cap. 3. Quantam verò virtutem habeat fidei simplicitas, etiam ex his quæ inibi gesta referuntur, agnoscimus. Etenim cùm pro studio religiosi Imperatoris; ex omni terra Sacerdotes Dei coissent, opinione commoti Philosophi quoque & Dialectici valdè nobiles & opinatissimi convenerunt. In quibus quidam insignis in arte dialectica, per dies singulos, conflictus summi certaminis cum Episcopis nostris, viris adæquè in dialectica non improbabiliter eruditis, movebat: & fiebat ingens spectaculum, convenientibus ad audiendum doctis viris & literatis viris. Nec tamen ullo genere Philosophus concludi à quoquam poterat, aut constringi. Tanta enim dicendi arte objectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maximè putaretur adstrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed ut ostenderet Deus, quia non in sermone regnum Dei, sed in virtute consistit, quidam ex Confessoribus simplicissimæ naturæ vir, & nihil aliud sciens nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, inter cæteros auditores Episcopos aderat. Qui cùm vidisset Philosophum insultantem nostris, & callida se disputationis arte jactantem, poscit ab omnibus locum, velle se paucis cum Philosopho sermocinari. Tum verò nostri, qui simplicitatem viri, & imperitiam de sermone duntaxat nossent, pavere & velut pudorem quemdam pati, ne forte apud callidos homines risui efficerentur sancta simplicitas. Perstitit tamen senior, & hinc movit sermonis exordium. In nomine, inquit, Jesu Christi, Philosophe, audi quæ vera sunt, Deus unus est qui fecit Cœlum & terram, quique homini quem de terræ limo formaverat spiritum dedit: universa quæ videntur, virtute Verbi sui creavit, & Spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc Verbum à sapientia, quem nos Filium dicimus, humanos miseratus errores, ex Virgine nascitur, & per passionem mortis perpetua nos à morte liberavit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam. Quem & expectamus judicem omnium quæ gerimus esse venturum. Credis hoc ita esse, Philosophe? At ille velut si nunquam ullum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc solum potuit respondere, ita sibi videri, nec aliud verum esse quàm quod dixerat. Tum senior: Si hæc, inquit, ita esse credis, surge & sequere me ad Dominicam, & hujus fidei signaculum suscipe. Et Philosophus conversus ad discipulos suos, vel ad eos qui audiendi gratia convenerant: Audite, inquit, ô eruditi viri: Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui: & quæ dicebantur, dicendi arte subverti: ubi verò pro verbis processit virtus ex ore dicentis, non potuerunt verba resistere virtuti, nec homo adversari potuit Deo. Et ideò si quis vestrùm potuit in his quæ dicta sunt sentire quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo

Philosophi conversio

locutus est Deus. Ita Philosophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est victum.

Paphnutius.

Cap. 4. Fuit præterea in illo Concilio & Paphnutius, homo Dei, Episcopus ex Ægypti partibus Confessor, ex illis, quos Maximianus dextris oculis effossis, & sinistro poplite succiso, per metalla damnaverat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, ut signa per eum non minus quàm dudum per Apostolos fierent. Nam & dæmones verbo tantum fugabat & ægros sola oratione curabat: sed & cæcis visum dicitur restituisse; & paralyticos ad stabilitatem corporis revocasse. Quem Constantinus in tanta veneratione & affectu habuit, ut sæpius eum intra palatium evocatum complecteretur, & illum oculum qui in confessione fidei fuerat evulsus, avidioribus oculis demulceret.

Sed ut rem propius aggrediamur, cùm in aulam post cæteros Episcopos ingressus fuisset Constantinus, aliquantulum expectatus ab ipsis, ac ipsis etiam annuentibus in sellâ quadam modicâ ex auro paratâ ipse sedisset, eum sic primo affatus est Magnus Eustathius.

Oratio Eustathij Episcopi Antiocheni in Synodo Nicenâ.

DEo agimus gratias, ô optime Imperator, qui terrarum tibi regnum dirigit, qui errorem simulacrorum per te abolevit, & in fidelium animis tranquillitatem collocavit. Cessavit nidor Dæmonum: multiplicis Deorum cultus soluta est falsa religio: expelluntur tenebræ impietatis: Luce divinæ cognitionis orbis terrarum illustratur: Pater glorificatur, Filius simul adoratur, Spiritus sanctus annuntiatur, Trinitas consubstantialis, una Divinitas in tribus Personis & hypostasibus prædicatur. Per eum, ô Imperator, tibi munitur tuæ pietatis potentia, eam nobis serva integram & inviolatam. Nullus hæreticus subiens Ecclesiam de Trinitate unum aliquid auferat, reliquum quod restat affectum ignominia. Arrius nobis qui à furore accepit denominationem, orationis causa est & conventus: qui nescio quo modo adlectus in Presbyterarum Ecclesiæ Alexandrinæ nos latuit, cùm esset alienus à doctrinâ beatorum Apostolorum & Propherarum, Unigenitum enim, & Verbum Patris non veretur privare eadem & æquali cum Patre substantiâ, & creatorem cum creaturâ creaturæ cultor contendit connumerare. Eum autem persuaseris, Imperator, mutatâ sententiâ non repugnare doctrinæ Apostolicæ, aut si vanæ opinionis cujus est convictus, perstiterit in impietate, eum de Christi & nostro cœtu penitus sustuleris, ne suis turbidis verborum blanditijs venetur animas simpliciorum.

Hanc Eustathij orationem quâ Synodus initium habuit, consequutam fuisse aliam Eusebij Pamphili Cæsareæ Palestinæ Metropolitani Episcopi, à quo etiam simul hymnus Deo dictus, multorum est opinio, etsi illa non extet amplius.

Huic autem confestim respondit Constantinus Imperator dicendi non imperitus, quique sæpius sermonibus militaribus milites suos ad pugnam cohortatus erat: unde & Cardinalis Bellarminus in suo, de scriptoribus Ecclesiasticis, perdocto libro, illi locum assignat inter scriptores Ecclesiasticos, tum propter epistolas plurimas ab ipso conscriptas, licet etiam à secretarijs conscribi potuerint, tum maximè propter multiplices orationes in vario negotiorum publicorum occursu ab eo pronuntiatas.

Oratio Constantini Imperatoris in Synodo habita.

MIhi quidem id postremum votum erat, amici, vestro choro aliquando uti frui liceret, hoc quam sum assecutus, universitatis hujusce Regi gratiam illam fateor debere, qui mihi rem præstitit om-

ni exſpectatione meliorem. Vos, inquam, uno loco eandemque ſententiam omnium videte. Labem igitur invidia dignitati veſtræ minimè afferat, neque deleta funditus impietate atque tyrannide præſidio numinis, conſpergat opprobrio legem divinam genius improbus. Mihi ita videtur: omni pugna graviorem & acerbiorem, tanquam civilem in Eccleſia diſſenſionem, prorſuſque triſtiora hæc eſſe, quam quæ foris eveniant. Itaque ſuperatis adverſarijs ope cœleſti, hoc reliqui mihi faciebant, gratiam Deo referrem: quorumque ejus cauſa vindex extitiſſem, hiſce demum gratularer, cum de noſtro diſſidio præter ſpem audivi primum. Quod ego nuncium audiens non neglexi. Verum iſtam provinciam curationis hercle precariam depoſcens, ocyus accerſivi cunctos. Qui me cœtus valde reficit, & recreat. Tum autem mihi vita contigerit ex voto, ſi videbo conſenſum atque convenientiam unitorum, unum pacis & concordiâ omnia dirigentem conventum. Vos hujus eſſe laudatores oportuit, qui conſecrati Deo eſtis. Rem igitur amici ne protrahite, cauſam diſcordiæ inde jam tollere occipite, quomodo miniſtros Altiſſimi oportet, nodum paci noxium reſolvite. Quod à Deo conſtitutum eſt, hac una ratione inſtiteritis, & mihi gratiam præcipuè feceritis.

Latino autem ſermone uſus eſt Conſtantinus (etſi Linguam Græcam calleret) ob imperij Romani majeſtatem, propter quam nec inferiores quoque judices ſententiam ferendo aut interloquendo, aliâ dialecto quàm Romanâ uti decebat.

Examen doctrinæ Arrij.

Hac oratione habitâ cœpit examen doctrinæ Arrij qui Verbum Divinum minimè Patri æquale & coæternum eſſe ſentiebat, ſed tantum ſimile Patri ob magnas perfectiones quas ſupra cæteras creaturas in ortu ſuo à Deo acceperat in tempore, nec eſſe de ſubſtantiâ Patris quaſi unam eamdemque cum illo ſubſtantiam aut Divinitatem haberet, ſed habere eſſentiam creatam externam & alienam à Deo uti cæteræ creaturæ quæ de nihilo conditæ ſunt: Ideoque dicebat Verbum eſſe ex non extantibus duplici ſenſu. 1. In quantum ex non-exiſtente factum fuerat exiſtens, 2. In quantum de nihilo productum fuerat à Deo Patre tanquam principium viarum ſuarum, ac Creatorem omnium excellentiſſimum caput per quod cætera condiderat & gubernabat, quodque in tempore carnem induiſſet, non ſecus ac ſi quiſpiam Angelus ſublimioris naturæ incarnaretur. Unde abſolutè negabat Chriſtum eſſe Deum. Magiſque vocabat creaturam, ac facturam arbitrij libertate virtutis ac vitij capacem.

Excuſſa hæc ſententia ac à patribus probè intellecta horrorem illis incutijt, teſtaturque D. Athanaſius orat. 1. contra Arrianos, quotquot aderant Epiſcopi in Nicæno conventu, auditâ hac blaſphemiâ, aures ſuas obſtruxiſſe. Datus tamen eſt locus defenſioni Arrio: erat enim Arrius profeſſor Theologiæ interpretationi ſacrarum Scripturarum Alexandriæ præpoſitus, ut cauſam ſuam tueretur ſi defendi potuiſſet: datus quoque defenſionis locus Epiſcopis quos in ſuam ſententiam traxerat, auditæ ſunt eorum rationes ac probationes, quæ ſic contrarijs reſponſionibus refutatæ ſunt ut confunderentur, nihilque amplius haberent quod loquerentur, ut teſtatur idem D. Athanaſius in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, qui & ipſe præſens aderat, adhuc diaconus ſequutus Alexandrum ſuum Epiſcopum, nec Arrius quemquam paſſus eſt acrius, ſubtilius, ſolidiuſque contra ſe diſputantem, propter quod in tantam Arrianorum Epiſcoporum offenſam incurrit, ut eorum odium & furor in ipſum accenſus nunquam potuerit extingui. Arrianis ergo convictis ac obmutescentibus, Oſius protulit confeſſionem fidei Catholicæ oppoſitam Arrij dogmatibus, eaque à patribus approbata eſt: ac anathema dictum contra Arrianos. Hæcque acta ſunt in primâ ſeſſione Concilij quæ per multos dies duravit, nec enim res tanta brevi tempore confici poterat. Meminitque hujus primæ ſeſſionis Caſſiodorus hiſtor. tripart. lib. 2. cap. 5. porro in alijs ſeſſionibus quarum numerum & acta non habemus, controverſiæ aliæ compoſitæ ſunt, editis ad hunc finem varijs Canonibus, ex quibus viginti magis vulgati fuere, ideoque ad poſteritatem tranſierunt, alijs in majori multitudine remanentibus dubijs ac non ita certæ fidei. Sicut ſunt iſti octoginta dicti Canones Arabici apud Alphonſum Piſanum, quod ex Arabico exemplari Latinæ linguæ redditi ſint lib. 3. in Concil. Nicænum. Sic enim eſſent pluſquam ſeptuaginta Canones contra auctoritatem Marci Papæ in Epiſtola; ideo à nobis ut ſuppoſititij prætermittuntur, hæc eſt autem fidei confeſſio.

SYMBOLVM NICÆNI CONCILII.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlo & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die; & aſcendit in cœlos: & iterùm venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat; & quia ex ijs quæ non ſunt, factus eſt; aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Ratio definitionis contra Arrium.

Vox conſubſtantialis.

HAnc Concilij definitionem criminati ſunt Arrini maxime ob nomen conſubſtantialis, quod in Scriptura non extaret, ſicut poſtea alij hæretici & hodie Calviniſtæ nomen tranſubſtantiationis in Lateranenſi Concilio, ſimilem ob cauſam reprehendunt. Hoc teſtatur D. Hilarius in libro contra Conſtantium Auguſtum vitâ functum. Nolo, inquit, verba quæ non ſcripta ſunt dici, &c. *Dic priùs ſi rectè diſputas, nolo adverſus nova venena novas medicamentorum comparationes*, nolo adversùm novos hoſtes nova bella, nolo adversùm novas inſidias Conſilia recentia, novitates vocum, ſed prophanas devitari jubet Apoſtolus. Sed D. Athanaſius in epiſtola quæ ad nullum directa eſt, ſed habet pro titulo *Quod Nicæna Synodus animadversâ Euſebij calliditate congruis ea piis verbis decreta ſua ſuper Arriana hæreſi expoſuerit*, rem hanc elucidat. Ideò enim, inquit, ſacroſancta Synodus liquidiùs dixit eum ex ſubſtantia Patris eſſe, ut alius à natura rerum conditarum crederetur, cum ſolus ſit reverâ ex Deo, & ut nulla deinceps occaſio hominibus impiis ad fraudem relinqueretur, &c. Epiſcopis quoque affirmantibus & hoc quoque ſcribi debere, eum veram eſſe potentiam & imaginem Patris & ſimilem Patri, & per omnia ſimilem & immutabilem & æternum & indiviſum in Patre ſubſiſtere, nunquam enim non erat, ſed ſemper erat Verbum, ſubſiſtebatque apud Patrem ut ſplendor lucis. Iſta quidem eatenus ſuſtinebant Euſebiani nihil auſi contradicere, ob probrum quod in dictis ſuis refutatis paſſi erant, ſed ita tamen, ut deprehenderentur inter ſeſe muſſitare, nutus conferre, oculiſque ſibi invicem applaudere, quaſi illud ſimile eſſe & in eo eſſe & ejus

D. Athanaſius defendit Concilij definitionem.

potentiam esse, communia filio nobiscum essent: ne A que obstare quidquam, quominus nobis ea ipsa quoque adaptarentur, eò quod de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur, hominem esse *ad imaginem* & gloriam Dei. Quòd verò spectaret ad hanc particulam, semper, in scripturis reperiri has voces de hominibus, *nos semper qui vivimus*. Jam quod ad illud dictum pertineret, quo filius in eo, hoc est in eo esse dicitur, scriptum esse, quod & nos in eo, & *vivimus, & movemur, & sumus*. Itidem quoque quod inconvertibilis dicatur, ne id quidem ab hominibus alienum esse, cùm scriptum reperiatur, nihil *nos separabit à charitate Dei*. Porrò quod potentia Dei appellettur, & id quoque commune esse, cùm eruca & bruchus etiam potentia Dei appellentur, & quod plus est, magnæ potentiæ.

2 Cor. 17. 18.

ad Rom. 8.

Quin & de populo sæpè scriptum est, egressam esse omnem potentiam Dei ex Ægypto, atque adeò etiam quasdam cœlestes potentias virtutesque existere: *Dominus enim*, inquit, *virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob*. Talia enim Asterius Sophista dictus, ab ipsis edoctus scripsit, talia quoque ante eum Arrius, ut jam diximus. Cæterum Episcopi considerata illorum hypocrisi & vafricie, prout Scriptura dicit, *Dolus in cordibus architectantium mala*, ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex scripturis colligere, & quæ priùs dixerant apertioribus verbis repetere, & scribere filium consubstantialem esse Patri, ut non solùm similem similitudine, sed eundem ea voce qua ex Patre dicitur, significarent, diversamque ab ea, quæ in nobis est, imitationem, quam ex virtute per observationem mandatorum consequimur. Siquidem corpora interùm similia distare possunt, & longè à se invicem disjungi, quales sunt liberi qui similitudine parentes referunt, quemadmodum scriptum est de Adamo, & ex ipso genito Seth, quod fuerit illi specie similis. Cæterum quandoquidem illa ex Patre Filij generatio, alia est à natura hominum, filiusque non solùm similis, sed indisseparabilis est à Patris substantia, & quia ambo unum sunt, ut ab ipso dictum est, semperque in Patre est Verbum, & Pater in eo, sicut splendor respectu lucis, hoc enim vox illa significat, ideò Synodus re perpensa, rectè eum consubstantialem tradidit, ut & hæreticorum subverteret malitiam, & ostenderet eum alium esse à rebus creatis: quippe quæ statim post decretũ illud addidit: Illos autem qui dicunt filium Dei extron entibus extitisse, aut creatum esse, aut vertibilem esse, aut opus esse aliquod conditum, aut ex alia substantia prodiisse, eos anathemate percutit sancta & Catholica Ecclesia. In his verbis: Ex substantia & consubstantialem esse, vim peremptoriam Patres volucre contineri, ad eludendas eas argutiolas, filium creatum, aut factum, aut mutabilem esse, aut non fuisse antequam nasceretur. Qui enim ita sentit, contradicit Synodo: contra, qui cum Arrio non sapit, debet necessariò ea quæ sunt Synodi, sapere, & cogitare: modo rectè quomodo se habeat lux ad splendorem, intueatur, atque ita inde veritatis imaginem concipere. Quapropter si isti hæc vocabula exotica cavillantur, respiciant sensum juxta quem Synodus in decretis suis adhiberi voluit, & pro anathemate habeant, quæ Synodus pro anathemate haberi voluit, & tum demum si possint, voces culpent: hæc & plura malleus ille Arrianorum Athanasius. Cæterùm non solùm circa divinitatem Christi errabat Arrius, sed etiam circa humanitatem: ut enim refert Leontius in libro de sectis, actione 5. Christi corpus aiebat inanimum esse, in quo animæ loco sermo seu verbum principatum obtinuerit: idque eâ ratione docebat, ne humiles voces ut *Pater major me est*, & aliæ hujusmodi quas scriptura Christo attribuit, non illi ut homini attribueremus, sed ut Filio Dei vel Verbo, sicque Filius minor Patre deprehenderetur, nec enim ratione corporis diceret Christus Patrem se majorem, etsi omni ratione major esset, sicque in mente Arrij Christus non erat homo propriè, utpotè carens animâ rationabili. Quapropter Symbolum Nicænum expressè dicit de Filio Dei, *Et homo factum*, ad retundendam aliam partem hæreseos Arrianæ, sicque confitendo duas in Christo naturas Divinam & Humanam, ratione quarum diversæ voces aliæ humiles, aliæ sublimes de eo in Scripturis dicantur, Arrius omninò confutatus evertatur.

CANONES

Trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt, Consulatu Paulini & Juliani virorum clarissimorum, Anno ab Alexandro DCXXXVI. *13. Kalendas Julij, qui est apud Græcos* 19. *dies mensis Δίου, Junij.*

B

CANON I. *De Eunuchis, & qui sese abscindunt.*

SI quis à Medicis propter languorem dissectus est, aut à Barbaris abscissus, hic in Clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscindit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere, dictum sit; sic eos, quos aut Barbari, aut Domini C castraverant, si inveniuntur aliàs dignissimi, tales ad Clerum suscipit regula.

Dist. 55. Si quis à Medicis.

HUjus Canonis sanciendi causam dedisse videtur Leontius, qui accusatus de commercio cujusdam juvenculæ mulieris, jussusque proinde ut ab ejus contubernio abstineret, seipsum castrandum dedit, quò ita liberè ejus commercio uti posset: & nihilominus cùm Presbyter esset, depositus est, & ad Arrianos defecit. Athanasius de fuga sua in fine, & epist. ad Solitarios. Sed & quidam ex præpostero zelo, exemplò Origenis ad venerem comprimendam seipsos abscindebant. *Leontius.*

In fine hujus Canonis dicitur: *Talem ad Clerum suscepit regula*. Alia editio: *Admittit Canon*, vetus scilicet vigesimus Apostolorum Canon: nam in nulla alia D Synodo reperitur, sed tantùm inter eos, qui ab Apostolis traditi, & à Clemente conscripti sunt.

CANON II. *De his qui post Baptismum statim ad Clerum applicantur.*

QUoniam plura aut per necessitatem, aut aliàs cogentibus hominibus adversùs Ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex Gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spirituale perducerent, simulque ut baptizati sunt, ad Episcopatum, vel Presbyterium promoverent; optimè placuit, nihil tale de reliquo fieri: nam & tempore opus est ei qui catechizatur, & post Baptismum probatione quamplurima; Manifesta est enim Apostol. script. quæ dicit: *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat, & in laqueum diaboli*. Si verò processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi, & à duobus vel tribus testibus arguatur; à Clero talis abstineat. Si quis autem præter hæc fecerit, quasi contra Magnum Concilium se efferens, ipse de Clericatus honore periclitabitur. *Dist. 56. Quoniam plura.*

HOc Canone decernitur, ut Neophyti, id eſt, recens baptizati, non ordinentur Epiſcopi aut Preſbyteri. Huic derogatum fuit in Ambroſio & Nectario, ad ſedandos concitatos tumultus, & ob inſigniorem aliquam perſonam.

CANON III. *De ſubintroductis mulieribus.*

Diſt. 32. Interdixit.

INterdixit per omnia Magna Synodus non Epiſcopo, non Preſbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem: niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.

SAnctus Baſilius epiſt. 17. ad Paregor. in Addit. hujus Canonis authoritate niſus, non permiſit ſeptuagenarium ſenem ſecum habitantem habere mulierem, ſed inquit: *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in Monaſterium. Sit illa cum virginibus, tu inter viros miniſtra. Lege*, ait, *Canonem à ſanctis Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdixit, ne quis mulierem ſubintroductam habeat.* Unde Hieron. epiſt. 50. in fine: *Apoſtoli, vel virgines, vel poſt nuptias continentes: Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Vide Baronium anno 325. num. 148. & trib. ſeqq. item an. Dom. 58. num. 1⁻. & 11. ſeqq. Bellarmin. lib. 1. de Clericis, cap. 20. in argumenti ſexti ſolutione.

CANON IV. *Epiſcopi qualiter debeant ordinari.*

Diſt. 94. Epiſcopi ab omnibus.

EPiſcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnino modis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo. D

VIde quæ ſunt annotata ad 1. Canonem Apoſtolorum.

CANON V. *De excommunicatis Clericis, vel laicis.*

Vt. q. 3. Servatur iſta ſententia.

DE his qui communione privantur, ſeu ex Clero, ſeu ex laïco ordine ab Epiſcopis per unamquamque Provinciam, ſententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, E aut alio quolibet Epiſcopi vitio videatur à congregatione ſeclusus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, benè placuit, annis ſingulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis Provinciæ, diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones. Et ſic qui ſuo peccaverint evidenter Epiſcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, uſquequò * vel in communi, vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebran-

** Epiſcopum congregationi placeat.*

A tur, unum quidem ante Quadrageſimam Paſchæ, ut omni diſſenſione ſublata, munus offeratur Deo puriſſimum: ſecundum verò circa tempus Autumni. *D. ſi Habeatur ſec. mel.*

IN hoc Canone præcipitur, ut excommunicati ab uno Epiſcopo ubique vitentur. Scio Scotum in 4. diſt. 19. q. 1. art. 5. dixiſſe, non eſſe ubique vitandum, propter limitatam excommunicantis juriſdictionem. Sed alienum eſt ab uſu Eccleſiæ, & Canonum præceptis: & ideò non oportet ad aliquod extremum declinare. Fatendum eſt enim, excommunicatum eſſe ubique vitandum, non quia Jure divino ita cautum ſit; nec propter ſolam juriſdictionem particularis Epiſcopi, ſed propter inſtitutionem talis cenſuræ, quæ an- B ctoritate totius Eccleſiæ ita facta eſt, ut à quocunque applicata fuerit, hanc univerſalem vim habeat, ut in hoc Canone apertè dicitur, & in cap. *Sicut Apoſtoli.* Cum duobus ſeqq. inſinuatur. 11. q. 3. & eſt ferè aperta declaratio Innocentij III. cap. *Ad reprimendam de Offic. Ordin.* Imo ſi feratur ſententia excommunicationis ſub conditione vel in diem certum, & antequam conditio vel dies adveniat, deſinat eſſe ſubditus transferendo domicilium, tenet Hoſtienſis extra. *de appellat.* cap. *præterea* quod tenet ſententia, niſi pendente conditione appelletur.

CANON VI. *De primatu Epiſcoporum Metropolitanorum.*

Diſt. 65. Mos antiquus.

C ANtiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque Provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc Magna Synodus definivit, Epiſcopum eſſe non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & ſecundùm Eccleſiaſticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat ſententia plurimorum. D

OBſervandum circa hunc canonem primò, ex Nicolao I. in epiſt. ad Michaelem, Concilium Nicænum nihil ſtatuiſſe circa Romanam Eccleſiam, quoniam poteſtas ejus non ab hominibus, ſed à Deo eſt: ſed tantùm ex forma Romanæ Eccleſiæ conſtituiſſe ſtatum aliarum Eccleſiarum. Non enim dicit Concilium, *Habeat Romanus Epiſcopus hujus vel illius regionis adminiſtrationem*; ſed ait: *Habeat Epiſcopus Alexandrinus curam Ægypti & Lybiæ, quoniam Romanus Epiſcopus ita conſuevit*, ubi apertè Romana Eccleſia ſit regula aliarum, & nihil circa eam propriè ſtatuitur. Itaque errant qui falſæ Ruffini verſioni E innitentes dicunt, à Concilio Nicæno certos fines aſſignatos Romano Pontifici, ut nimirum ſolùm curam gerat ſuburbanarum Eccleſiarum. Secundò eſt obſervandum, in libris vulgatis deeſſe initium hujus Canonis, quod tale eſt: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum: antiqua autem conſuetudo ſervetur*, &c. vel ut alij legunt: *Mos autem perduret*, &c. Sic enim iſte Canon citatur in Chalcedonenſi Act. 16. à Paſchaſio Epiſcopo. Quocirca in eodem Concilio Chalcedonenſi Act. 16. poſt lectum hunc Canonem ſextum Nicæni Concilij Judices dixerunt: *Perpendimus, omnem primatum & honorem præcipuum, ſecundùm Canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Tertiò obſervandum eſt, illa verba: *Quia &*

Primatus Romani Pontificis.

urbis Romæ Episcopo paritèr mos est, non significare æqualitatem, sed tantùm quamdam similitudinem: sicque hoc verbo usus est summus orator Arati phænomena Latinè interpretans, cùm ait, consimili specie stellas paritique colore, notat Turrianus pro epist. Pontif. l. 3. cap. 3. sub finem. Quantum autem distent simile & æquale ignorare non licet in præcipua controversia Nicæni Concilij, unde ex verbo *paritèr* non bene concluditur æqualitas Alexandrini Patriarchæ cum Romano Pontifice. Et sanè si Episcopus Romanus est primus & præcipuus Patriarcha, quomodo credibile est illi assignatam angustissimam regionem, aliis autem Patriarchis minoribus latissimam? Nam Antiochenus habuit totum orientem; Alexandrinus tres amplissimas Provincias, Ægyptum, Lybiam & Pentapolim; Romanus autem habuisset tantùm suburbanas Ecclesias, id est, sex Episcopatus Romæ vicinissimos. Deinde, illa particula *quoniam*, rationalis particula est: non est autem bona ratio, ut Episcopus Alexandrinus trium Provinciarum curam gerat, quia Romanus Episcopus curam gerit suburbanarum Ecclesiarum. Igitur aut ratio Concilij nihil valet, aut non recte Concilij sententiam Ruffinus exposuit, quod infra magis discutietur. Denique, Concilium Nicænum, nec ut citatur in Concilio VI. Carthaginensi, nec ut legitur in Concilio Chalcedonensi, Act. 6. nec ut habetur in proprio loco in Tomis Conciliorum, nec ut est apud Abbatem Dionysium, meminit suburbanarum Ecclesiarum, sed tantùm ait: *Habeat Alexandrinus Episcopus potestatem in tota Ægypto, Lybia, & Pentapoli, quoniam & Episcopo Romano talis consuetudo est.* Itaque mera divinatio fuit illa Ruffini, quem sequitur Calvinus, de suburbanis Ecclesijs, & propter quam Carolus Molinæus 9. quæst. 1. cap. *Episcopi*, asserit in Nicæno statutum fuisse ut unus Patriarcha nihil posset in provinciâ alterius, non excepto, sed comprehento Archiepiscopo Romano.

Vera igitur explicatio est, Alexandrinum debere gubernare illas provincias, quia Romanus Episcopus ita consuevit, id est, quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis: sive consuevit per Alexandrinum Episcopum illas Provincias gubernare. Sic intellexit hunc Canonem Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem, nec apparet ulla alia probabilis expositio. Illique videtur suffragari textus Græcus. τὸν σύνηθες ἔθος, id est hoc assuetum est. Quod non significat paritatem, nec exinde colligi potest æqualitas inter Alexandrinum & Romanum Episcopum, ut notat Joverius ad marginem hujus Canonis.

Canon VII. *De honore Episcopi Ierosolymitani.*

Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio; ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropoli propria dignitate.

Æliæ, seu quod idem est Ierosolymit. Ecclesiæ per annos quingentos ferè usque ad Juvenalem ejusdem Ecclesiæ Episcopum, Patriarchalis nomine, non re, honore, non potestate habita est; sic ut Episcopus illius Ecclesiæ quarto quidem loco in Conciliis sederit: verùm nulli Archiepiscopo vel Episcopo instar aliorum Patriarcharum præfuerit. Ipsum autem Cæsareensi Archiepiscopo Palestinæ Metropolitano, & Antiocheno Patriarchæ, qui toti Orienti præsidebat, subjectum fuisse testantur Hieronymus in ep. ad Pammachium; Leo epist. 62. ad Maximum Antiochenum, Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 14. Nihil ergo Magna Synodus Ierosolymorum Ecclesiæ contulit, nisi ut honor qui ex antiquo usu ei deferri solebat, Juribus & subjectione Metropolitani salvis, eidem deferatur. Idque propterea, quod Ierosolymitana Ecclesia mater omnium aliarum Ecclesiarum (sic enim nominatur in epist. Synodali Concilij Constantinopolitani Oecumenici ad Damasum quæ extat apud Theodoretum lib. 5. cap. 9.) appellata fuerit, adeoque non immerito ipsius civitatis Episcopus cum honorem, ut inter Apostolicarum Ecclesiarum Antistites sederet, in litteris quoque ita nominaretur, antiquitus consecutus fuisse videatur. Baronius anno præd. num. 139. Errat igitur Theodorus Balsamon non tantùm hac in re, quod a patribus hujus Concilij Ierosolymitanum Patriarcham Romano, Alexandrino, & Antiocheno superadditum esse putet: verùm & in eo, quòd Constantinopolitanus Patriarchatus in eodem Concilio sit institutus. Quòd Constantinopolitanus in Constantinopolitano I. & Chalcedonensi Concilio non solùm Patriarchatum adipisci, sed etiam secundum locum inter Patriarchales sedes obtinere conatus fuerit, verum est: ante Justiniani autem tempora eumdem id a Romanis Pontificibus impetrasse, nullo authentico scripto probari poterit. Post annum Dómini 500. Justiniani Imperatoris operâ, & Rom. Pontificum permissione, nullo amplius reclamante, Constantinopolitanum & Ierosolymitanum Episcopum in numerum Patriarcharum relatos fuisse confecto. Vide Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 24. *Patriarchatus.*

Canon VIII. *De hæreticis revertentibus.*

De his qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & Magno Concilio, ut impositionem manûs accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autem, præ omnibus, eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur; id est, & bigamis se communicare & his qui in persecutione prolapsi sunt; erga quos & spatia constituta sunt, & tempora definita, ita ut Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ placita sequantur in omnibus. Ubicunque verò, sive in vicis, sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem * habitu perseverent. Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero constituto, quidam ex illis advenerint, certum est, quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Episcopus, honorem * Presbyterij possidebit: nisi fortè placuerit Episcopo, nominis eum honore censeri. Si verò hoc ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterij locum, ut in Clero prorsus esse videatur: ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.

* ordine.

* Presbyteri.

A Patribus Nicæni Concilij edita Synodali constitutione prohibitum fuisse, ut non plures Episcopi sint in una civitate, ex Innocentij Romani Pontificis epistola, quæ extat apud Sozomenum lib. 8. cap. 26. apertè constat: qua in causa S. Chrysostomus adversùs eos qui in locum viventis alium Episcopum creassent, Nicænum Canonem id prohibentem citat. Augustinus etiam epist. 106. & alibi, se per ignorantiam excusat, quod Valerio prædecessore suo adhuc vivente, contra Nicæni Concilij Canonem, prohibentem ne duo sint in una civitate Episcopi, ordinatus fuerat. Verba illius hæc sunt: *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre & Episcopo meo seue Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo:*

quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam.

CANON IX. *De Presbyteris sine examine constitutis.*

D. 61. Si quis sine.

SI qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel cùm discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones promoti, manus confessis imponere tentaverunt; tales regula non admittit: quia quod irreprehensibile est Catholica defendit Ecclesia.

CANON X. *De lapsis Clericis ordinatis.*

QVicunque de lapsis ad ordinem Clerici promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ. Cogniti namque deponuntur.

CANON XI. *De his qui sponte lapsi sunt, qualiter debeant pœnitere.*

DE his qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi (quod factum est sub tyrannide Licinij) placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicunque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur; & sex annis omni se contritione dejiciant: duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

4. gradus pœnitentiæ.

IN hoc Canone annotare licet tres gradus ultimos pœnitentiæ canonicæ, cui subjiciebantur nonnulli ob graviora quædam & notoria peccata à perceptione Eucharistiæ excluſi. Hi autem gradus erant quatuor, de quibus meminerunt inter alios S. Gregorius Neocæsariensis, S. Basilius & Zonaras. 1. gradus seu ordo fuit κλαυθμώνος, id est, luctus: qui autem ei subditi erant oratorium ingredi prohibebantur & concionem audire manentes sub dio & inter hyemantes ac satanæ traditos. 2. gradus erat ἀκροάσεως auditionis, quod ij qui erant in eo ordine audire poterant concionem cum Catechumenis in narthice seu vestibulo templi, quod νάρθηξ & ἐξώνατα dicebatur, unde concionem popularem illâ quam habet Curatus *prosne* appellamus. 3. gradus ὑποπτώσεως, i. substrationis, quia qui in eo erant non stantes, sed semper genuflexo orabant, substratique ad pedes Presbyterorum & supplices impositionem manuum accipiebant, nudis pedibus, crine demisso in parte templi sinistra, in qua Missam Catechumenorum audiebant. Quamvis non uno modo se habuerint ubique tales pœnitentes, ut ex variis Canonibus infrà patebit. 4. demum gradus erat συστάσεως, id est, consistentiæ, in quo pœnitentes cum aliis Christianis, toti sacrificio Missæ & orationibus intererant, attamen nondum Eucharistiam percipiebant, nec panes consecrandos offerebant ut alij. Quia verò non omnes isti gradus decurrebantur à singulis, sed absque primo admittebantur aliquando ad secundum aut absque secundo ad tertium, ideò hic Canon Nicænus prætermisso primo gradu de tribus ultimis tantùm hic agit: sicut Gregorius Neocæsariensis can. 11. aliquos subdit tertio & quarto gradui, omissis cæteris, quasi per saltum. Vide dicta in Apparatu parte 3.

CANON XII. *De deponentibus militiæ cingulum, & non perseverantibus.*

QVicunque vocati per gratiam, primum quidem * impetum monstraverunt, deponentes militiæ cingulum; postmodum verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis, post triennij tempus quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu, & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humanius * cogitare. Quicunque verò indifferenter tulerunt: & aditum * introcundi Ecclesiam, sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

* *voluntatem.*

* *confidere.*

* *habitum non introcundi: sive habitum introcundi.*

HIc Canon intelligendus est de pœnitentibus publicis ob gravissima eaque publica quædam peccata, qualia erant maximè homicidium, adulterium, & in idololatriam à fide Christiana prolapsio, aliaque his similia, quæ in Christianis severè ulciscebatur Ecclesia per graves diuturnasque pœnitentias, ante quarum perfectam executionem ad participationem Eucharistiæ ac sacrosancti sacrificij eos vix admittebat, itaut etiam post unicam reconciliationem relapsos in eadem peccata tanquam excommunicatos haberet etiam in fine vitæ, ex præscripto aliquot canonum, quorum tamen severitatem alij canones aliquantulum lenierunt. Indicat disciplinam hanc Tertullianus lib. de Pœnit. c. 7. *Hæc igitur venena ejus providens Deus, clamâ licet innocentiæ januâ & institutionis ferè obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam quæ pulsantibus patefaciat, sed jam semel quia jam secundò, sed amplius numquam quia proximè frustra.* Hæc tamen pœnitentia exterior & canonica nihil præjudicij afferebat pœnitentiæ sacramentali, in qua secretè peccata confitentes Sacerdoti debitâ potestate ac Jurisdictione donato absolutionem coram Deo ad securitatem animæ interim consequebantur: quemadmodum videmus adhuc in Monasteriis vitæ austerioris, ob gravissimas quasdam culpas, nonnullos religiosos variis pœnis ac satisfactionibus per multa tempora obnoxios esse, nec censeri absolutos, sine præjudicio tamen absolutionis sacramentalis, quam per secretam confessionem consequi possunt. Nec enim (quantumcumque varia fuerit praxis pro varietate locorum aut temporum & pro quorundam particulari arbitrio) ex præcepto Ecclesiæ universalis peccata sua secretè confessi Sacerdotibus jurisdictione sufficienti præditis (ut crescente numero Christianorum aliquos necesse fuit constitui per Episcopos ad id muneris) ab absolutione sacramentali ejecti sunt, si verè pœniterent & emendationem satisfactionemque ab Ecclesia decretam serio proponerent. Testatur id inter cæteros D. Leo epist. 80. c. 2. *Illam etiam contra Apostolicam Regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicitâ usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri (de pœnitentia videlicet quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus judicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudanda,*

Duplex pœnitentia, canonica & sacramentalis.

danda, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, quia tamen non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur: dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis facta referari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentis precator accedit. Si ergo contra traditionem Apoſtolicam præſumptio eſt exigere publicam peccatorum confeſſionem & inficiari vim ſecretæ confeſſionis ad peccati abſolutionem, non poſſunt aliter intelligi hujuſmodi Canones quam de reconciliatione quadam Canonicâ & cæremoniali ad ſatisfaciendum in foro Eccleſiæ pro peccatis publicis: & qui in primis Eccleſiæ ſæculis nonniſi unicum genus pœnitentiæ volunt agnoſcere quæ fuerit publica duntaxat, nihil aliud moliuntur quam ut Sacramentum Pœnitentiæ omninò evertant, Sacramentaliſque abſolutionis robur enervent. Quare & Concilium Trident. cum docuiſſet publicam confeſſionem nullo divino præcepto mandatam fuiſſe, ſubjungit illico, *Nec ſatis conſultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Seſſ. 14. cap. 5. Quare ſi Eccleſia à Spiritu ſancto directa nihil inconſultè unquam decrevit, non eſt ex ejus decretis quod aliqui in theatrum & coram multitudine peccata ſua non vulgata, in publicum prodiderint. Sed ſicut in judiciis ſæcularibus peccata alicujus fiunt publica vel ex notorio facti, vel ex accuſatione ac convictione per teſtes, vel ex propriâ rei confeſſione ad judicis interrogationem quibus proinde mulctæ ac pœnæ tunc decernuntur: itidem accidebat olim inter Chriſtianos etiam laicos, ſuper quos Epiſcopi tunc eandem authoritatem exercebant, qualem nunc ferè adhuc retinent ſuper Clericos ac Eccleſiaſticas perſonas eorum juri in pluribus ſubditas, ut plurimorum peccata cum ad notitiam extra Sacramentum perveniſſent, variis pœnis, ſubderentur, non ad meram vindictam ſed tam ad ædificationem Eccleſiæ, quam ad ſalutem perpetrantium, qui tunc dicebantur pœnitentes, ſalvo interim Pœnitentiæ Sacramento ac ſecretâ confeſſione Sacerdoti factâ, quæ ſemper fuit ſufficiens, ut D. Leo aſſerit: ſalvâ quoque ſatisfactione per Sacerdotem eumdem ſecretò impoſitâ: licet hæc antiquis temporibus ſeverior fuerit, & magis ad normam Canonum conformata. Sed nihil melius iſtam Eccleſiæ diſciplinam repræſentat quam praxis religioſa quæ cum Sacramentali Pœnitentiâ ſervat adhuc culparum gravium, graviorum ac graviſſimarum pœnitentias varias, inter quas etiam non deſunt excommunicationum quædam ſpecies. Porro ſicut pœnitentiam impoſitam bono animo ac cum fervore peragere ſtudenti, remitti poteſt nonnunquam ab æquis præpoſitis aliquid de ejus rigore ac prolixitate: ita hic Canon vult ut Epiſcopi poſſint cum pœnitentibus ob reſumptum militiæ cingulum benignius agere, poſtquam per triennium in ordine Catechumenorum qui tantum prædicationi & Miſſæ initio ſeu primæ parti intererant, permanſiſſent bono animo ac cum debitâ humilitate, nec vult ut totum tempus pœnitentiæ aſſignatum expleant, ſi ita videatur Epiſcopis. Unde emendandum eſt iſtud, *poſtmodum*, & reponendum *cum hoc*, ut textus Græcus ſignificat, μετὰ τοῦτο. Nam adverbium μετὰ ſi genitivum regat, non ſignificat *poſt*, ſed ſignificat *cum* ut hîc. Unde nihil aut parum habent novæ pœnitentiæ buccinatores noſtri temporis quo ſe ex hoc Canone tueantur & pœnitentiam Sacramentalem ut adminiſtrati ſolita eſt, impetant, in qua non peractâ ſatisfactione datur abſolutio. Sed de his nonnulla dedimus in examine pœnitentium part. 3. edit. 3. p. 5. Eſt autem rurſus obſervandum quod non omnis militia hîc inter peccata deputetur, eſt enim iſtud error Manichæorum, quos ſæpius damnat D. Auguſtinus, ut lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. & ſequent. *quid enim*, inquit, *culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dementur in pace victuri? Hoc reprehendere timiditatis eſt non religioſorum.* Hæc tantum ergo militia hîc inter peccata adſcribitur, quæ eſt ſignum idololatriæ. Olim enim cingulum militiæ fuit res magni honoris & commodi, propter magna privilegia militibus conceſſa: & propterea antiqui Imperatores Ethnici, perſecutionis tempore cingulum militiæ iis qui Chriſtiani erant, fidemque negare recuſabant, ut patet apud Euſebium libro 8. cap. 4. lib. 9. cap. 10. auferre, & exauctorare conſueverant. Quam ob cauſam cùm plures Chriſtianorum militum ardore fidei cingulum abjicerent, ſine honore potiùs quam fide vivere malentes; ac demum poſteaquam mundi & honoris tentationibus devicti eſſent, idem cingulum parati deinceps fidem ejurare, viciſſim ambirent: Concilium iiſdem ſeveram hanc pœnitentiam impoſuit. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 8.

Militia cingulum honorificum.

Peccata ſecreta.

CANON XIII. *De extremè laborantibus.*

DE his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur de corpore ultimo & neceſſario Viatico minimè privetur. Quòd ſi deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit; ſit inter eos qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi * communionis gratiam tribui, Epiſcopus * probabiliter ex oblatione debebit.

Canon indulgentia.

Euchariſtia.

Poſſunt probaverit dare.

NOta duplicem communionem. Nota veritatem corporis Chriſti. Nota in quo molitur rigor Concilij Elibertini, circa morientes. Nota inſuper olim uſum fuiſſe aſſervandi Euchariſtiam, ut enim Groperus obſervat, de aſſervatione Corporis & Sanguinis Chriſti, Euchariſt. art. 2. cap. 16. ſi nullum eſſet reſervatum viaticum, multi haud dubio vel nocturnis vel aliis, quibus fas non eſt conſecrare viaticum, horis, ſubito exitialibus correpti morbis, atque ſupremo illo neceſſario viatico è corpore emigraſſent: cum tamen Concilium velit curâ & diligentiâ atque probatione Epiſcopi agendum eſſe, uti ne quis viatico defraudetur. Quamvis non deſint, qui per ultimum & neceſſarium viaticum, remiſſionem peccati intelligunt, quæ nunquam pœnitentibus in fine vitæ denegata fuerit, ſicut Concilij Canon aſſeverat: quapropter denegationem communionis toties inculcatum per Canones Elibertinos & alios de Euchariſtiæ privatione interpretantur, ad quam hoc Concilium omnes ſine diſcrimine admittit ultimis verbis. Gregorius Ambianas obſervatione 3. ad cap. 22. Tertull. *de pudicitia.* Pœnitentiæ diſciplinam quoties antiqui novaverunt, imo ſi noſtros novantes audias, quoties depravaverunt? Si enim obſerves quod & obſervavit Albaſpinæus, quò decliviora ſunt Concilia, eò ſemper in miſericordiam propenſiora, ſemper ſubinde aliquid de priſtinæ inclementiâ diſciplinæ ſubtrahunt, ſemper jugum enſim minuunt, donec ad Nicænum ventum eſt, in quo ita effuſa in omnes gratia, ut vix ulla avitæ diſciplinæ deprehendas veſtigia. Omnibus enim etiam & monſtris indultum eſt, nec ulli prorſus beneficium abſolutionis, maximè in exitu denegatum eſt. Quis autem calumniam Concilio importet, quod neceſſitati temporum ſuccubuerit, quod multorum ſaluti conſuluerit potius quam paucorum malè feriatorum impetigini? Quis medicum accuſet, qui poculo potius ſanet quam ferro, qui animadvertens priora re-

Epiſcopum pœnitentiam mutigabat.

Vel. Concilia minus severa.

media non ſuccedere alia excogitat mitiora & utiliora, licet forte minus ardua, imo minus mordacia. Hæc ibi & plura in eos apta qui errorem Eccleſiæ poſt lectionem aliquot Patrum objiciunt.

CANON XIV. *De Catechumenis, ad idem.*

& DE Catechumenis * lapſis, ſancto & magno Concilio placuit, ut tribus annis ſint inter audientes tantummodo: poſt hæc autem cum Catechumenis orent.

CANON XV. *Epiſcopus non transferatur de civitate in civitatem.*

7. q. 1. Non oportet Epiſcopum. PRopter multam perturbationem, & ſeditiones quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa, ita ut de civitate ad civitatem non Epiſcopus, non Preſbyter, non Diaconus * transferatur. Si quis autem poſt definitionem ſancti & magni Concilij tale quid agere tentaverit, & ſe hujuſcemodi negotio mancipaverit; hoc factum prorſus irritum ducatur, & reſtituatur Eccleſiæ, cujus fuit Epiſcopus, aut Preſbyter, vel Diaconus ordinatus.

Transferat

CANON XVI. *Eccleſiaſtici à propria Eccleſia diſcedentes, non recipiantur.*

7. q. 1. Si quis. QVicumque temerè aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoſcentes Eccleſiaſticam regulam, diſcedunt ab Eccleſia, Preſbyteri, aut Diaconi, vel quicumque ſub regula prorſus exiſtunt; hi nequaquam debent in aliam Eccleſiam recipi; ſed omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas Parœcias revertantur. *Diſt. 71. Si quis autem fuerit.* Quòd ſi non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo, à quo diſceſſit is qui regulæ mancipatur; ordinatio hujuſmodi irrita comprobetur.

CANON XVII. *Eccleſiaſtici uſuras non ſectentur.*

14. q. 4. Quoniam multi Clerici. Pſalm. 14. QVoniam multi ſub regula conſtituti, avaritiam & turpia lucra ſectantur, oblitique divinæ Scripturæ dicentis: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram:* mutuum dantes, centeſimas exigunt; juſtè cenſuit ſancta & magna Synodus, ut ſi quis inventus fuerit poſt hanc definitionem uſuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium tranſigens, aut hemiola, id eſt, ſexcupla exigens, vel aliquid tale prorſus excogitans turpis lucri gratia; dejiciatur à Clero, & alienus exiſtat à regula.

QVid ſit eſſe ſub regulâ, conſtitutum eſſe, & alienum exiſtere à regulâ, probabile eſt, regulam illam pro quâ in textu Græco eſt *Canon*, ſignificare catalogum eorum Clericorum ac etiam Diaconiſſarum ac viduarum quæ ex bonis Eccleſiæ publicis per Epiſcopum diſpenſatis nutriebantur, à quo catalogo excludebantur Clerici, ob varia peccata, ἀλλότριοι τῦ Κανόνος ἦσαν, alienus exiſtat à regulâ, ait Synodus. Quò referendum eſt quod dicitur can. 19. de Diaconiſſis & his qui ſub regulâ verſantur, id eſt in catalogo deſcriptæ ſunt. Porro illo tempore hæc nota erant & ad intelligendum facilia, quæ hodie poſt mutatas conſuetudines obſcura ſunt. Sicut ſequitur quod de uſuris, nam centeſima uſura eſt quæ in centum menſibus ſortem exæquat, id eſt octo annis & aliquot menſibus: non benè ergo accipitur pro eâ quæ ſorti æquiparatur in anno, ut ſumit gloſſa decreti diſt. 47. *aut Hemiola.* Verſio Iſidori mercatoris. Vel ſpecies frumentorum ad ſeptuplum dare. Cæterum Ruffinus aliter habet Canone 19. aut frumenti vel vini ampliationem, quod ſolet in novo datum, vel ſeſquiplum, vel etiam duplum recipi. Ex quibus lux aliqua affulget obſcuritati hujus Canonis. Eſt autem ſeſquiplum rei, res ipſa ſolida cum ſua dimidia, unde duplum eſt quid amplius: verſio tamen Iſidori magis probanda, qua prohibetur mutare frumentum cum conditione ſolvendi annuatim ſeptimam partem uſque ad ſolutionem ſortis integræ.

CANON XVIII. *Ne Diaconi ſacram Communionem porrigant.*

Diſt. 41. Pervenit. PErvenit ad ſanctum magnumque Concilium, quòd in quibuſdam locis & civitatibus, Preſbyteris gratiam ſacræ Communionis Diaconi porrigant; quod nec regula nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti Corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quòd quidam Diaconi ante Epiſcopos ſacra * Oblata contingant. Hæc igitur omnia reſecentur; & in ſua Diaconi menſura permaneant, ſcientes, quòd Epiſcoporum quidem miniſtri ſunt, inferiores autem Preſbyteris habentur. Per ordinem ergo poſt Preſbyteros gratiam ſacræ Communionis accipiant, aut Epiſcopo eis aut Preſbytero porrigente. Sed nec ſedere in medio Preſbyterorum Diaconis liceat: quia ſi hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur exiſtere. Si quis autem etiam poſt has definitiones obedire noluerit, à miniſterio ceſſare debebit.

Euchariſtiam.

CANON XIX. *Paulianiſtæ ad Eccleſiam revertentes, baptizentur.*

1. Quæſt. 6. Qui confugeris. DE Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus definitio prolata eſt, ut baptizentur omnimodis. Si qui autem de his præterito tempore fuerint in Clero, ſi quidem immaculati & irreprehenſibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ. Quòd ſi diſcuſſio incongruos eos invenerit, abjici tales convenit. Similiter autem & de Diaconiſſis, & omnino de his qui ſub regula verſantur, hæc forma ſervabitur. Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eodem habitu eſſe probantur, quòd non habeant manus impoſitionem, & ideò modis omnibus eas inter laïcas deputari.

PAulianiſtæ reliquiæ & ſectarij Pauli Samoſateni, ſi ad Eccleſiam redire contendant, rebaptizari jubentur quod Baptiſma ipſis collatum initio nullum fuerit, ideò quia forma eadem, qua utitur Eccleſia, per expreſſam ſcilicet SS. Trinitatis invocationem,

non fuerit administratum. Nam in fide SS. Trinitatis quod necessariò fieri debet, haud dubiè non baptizarunt, qui Christum purum hominem esse docentes, gloriosissimæ Trinitatis mysteria abnegarunt. Id quod de Novatianis tempore Stephani Pontificis contra Africanos constitutum fuit, huic Canoni nihil obstat. Hi enim forma legitima baptizati antè fuerant, ideóque ipsos per iteratum Baptismum in Ecclesiæ communionem recipere, sacrilegum fuisset.

CANON XX. *De non flectendo genua in die Dominico.*

QVoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observetur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.

DIe Dominico Quartodecimani Resurrectionis Dominicæ immemores, genua flectebant, non aliter quàm reliquis diebus profestis. Itaque horum occasione ad decretum de celebrando Paschate hæc Appendix addita fuit, ut sanctum diem Dominicum omnes æquis ritibus peragerent, memoresque se cum Christo resurgente, à morte animæ resurrexisse in spem vitæ æternæ, omnes fideles die Dominico stantes vota persolverent. Baronius anno 58. num. eodem, & anno 325. num. 115.

Extat & alia Editio præfatorum Canonum, Isidori scilicet Mercatoris, quam sequutus est Pater Carranza in sua Summa Concilior. nos Editionem Dionysij Exigui posuimus.

Subscriptiones.

PLurima hic imago nostrorum temporum & eorum quæ experti sumus hoc præsenti anno, sed id obiter.

In subscriptionibus Concilij quæ manu scriptæ variis in locis adhuc conservantur, inveniuntur fere 318. Episcopi. Quod si numerus iste completus non est, fieri tamen potuit, ut aliqui ante finem Concilij discesserint, aut nè subdolè quidem subscribere voluerint. Primus autem inter subscribentes invenitur Osius Episcopus civitatis Cordubensis, postea Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ, deinde Alexander Alexandriæ Episcopus, tum ex omnibus fere totius orbis provinciis alij Episcopi. Tunc enim, ait Cassiodorus histor. tripartitæ lib. 2. cap. 2. completus est sermo ille quo fertur, collectos ex omnibus gentibus quæ sub cœlo sunt viros religiosos, inter quos erant Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Lybiæ circa Cyrenem & advenæ Romani, Judæi & Proseliti, Cretes & Arabes. Pertinet ad eamdem subscriptionem quod habet Ruffinus histor. Eccles. lib. 10. cap. 5. Defertur ad Constantinum Sacerdotalis Concilij sententia. Ille tanquam à Deo prolatam veneratur. Cui si quis tentasset obniti, velut contra statuta divina venientem, in exilium se protestatur acturum. Sex igitur soli cum Arrio se patiuntur expelli, reliqui vero undecim consilio inter se habito adquiescunt ad scribendum manu solà non mente. Cujus simulationis auctor præcipuè extitit Nicomediæ Episcopus Eusebius. Quamvis Sozomenus lib. 1. hist. Eccles. cap. 20. ipsum Eusebium cum Teognide tantum Symbolo Nicæno subscripsisse asserat, non tamen Arrij abdicationi. Hæc verò fusius paulò enarrans Nicephorus Eccles. histor. lib. 8. cap. 18. Pauci admodum, inquit, Arrij laudarunt opinionem, paulo post tamen & ipsi fidem eam approbarunt (excepto Secundo & Theona) qui etiam ὁμοούσιον & consubstantialis vocem reprehenderunt. Erant autem hi Eusebius Nicomediæ, Teognis Niceæ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaïdis Menophantus Ephesi, Patrophilus Scytopolis, Narcissus Nerodiadis Episcopi. Dicebant namque ὁμοούσιον, consubstantiale esse, quod ex aliquo sit per participationem aut per germinationem aut per fluxum (quasi non esset sublimior generatio filij, aut ita singularis ut exemplum non haberet, aut non essent alij modo quibus unum potest esse ex alio, ut est splendor ex sole, verbum ab intellectu &c.) ac per fluxum quidem ut paterni liberi, per germinationem ut ex radicibus surculus, per participationem autem, ut ex massâ aurea tamenta duo vel tria. At quia juxta nullam talium modorum rationem ex Patre Filius esset, propterea editam fidei professionem rejicere instituerunt. Et cum consubstantialis vocem prorsus non receperunt, tum subscribere decreto ei quo dignitas Sacerdotalis Arrio est abrogata, noluerunt. Quæ res Synodo causam præbuit, ut Arrium atque unà omnes qui ejus adhærerent sententiæ, excommunicatos anathemati subjiceret, ac ne quis eorum Alexandriam ingredi auderet, sanciret. Eadem dixit anathema in voces quoque hæresis ejus, & librum quem ille contra pietatem compositum, Thaleiam inscripserat, quasi floridum & viridantem, cujus stylus & eloquutio, sicuti ex scripto ipso cognovi simplex & dissoluta, Sotadisque Poëtæ cantilenis persimilis fuit. Ac præterea si quod aliud ejus aut Sectatorum ejus inveniretur scriptum ut id igni mandaretur. Quin capite quoque Constantinus sanxit, si quis quidquam eorum pressum occultasse nec statim exarsisse compertus esset. Addit quoque Nicephorus ejusdem lib. cap. 23. duos Episcopos qui ante subscriptionem è vitâ discesserant ac sepulturæ mandati erant, obtestantibus ad eorum sepulchrum Patribus ut quoniam nullo obstaculo interposito Trinitatis splendorem clarius intuerentur, libello confessionis fidei sanctissimæ Trinitatis, quem obsignatum ad tumulum deponebant, subscribere vellent, postridie cum ad locum rediissent, in libello subscriptiones eorum aliis insertas adhucque recentes in hæc verba conceptas invenerunt. *Chrysantus & Musonius qui cum Patribus omnibus, in sanctâ primâ Oecumenicâ Nicænâ Synodo consensimus, quamvis corpore translati, manu tamen propriâ nos quoque libello subscripsimus.* Neque hic prætermittendum quod censet Card. Baronius ad annum 325. num. LXV. de Episcopis illis qui subdolè & manu potius quam mente subscripserunt, eorum deditionem, quâ acquievisse Synodo visi sunt, similem fuisse fugæ Parthorum; sic enim contra Arrium scribunt, & in sedibus suis relicti, inde pro Arrio (quod fecerint) validius dimicarent. Sed & plures ex iis metu Imperatoris id fecisse ac metu multitudinis tot Episcoporum propheticam in se reprehensionem traxerunt, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Nec omni suspicione vacat Eusebius Pamphili Cæsareæ Palestinæ Metropolitanus, qui dubius aliquantulum atque per aliquod tempus assensione retentâ, tandem subscriptione suâ decreta Concilij approbavit. Ecclesiæ quoque suæ quærenti definitionem Synodi, eam misit professionem in qua consubstantialis nomen retinebat, ut suspicionem hæresis à se amoveret, licet in suis libris de demonstratione Evangelicâ Arianisare videatur. Post omnes subscripsit & ipse Imperator, non parum restatus amorem suum ad Christum, cujus crucis adspectu ad Imperij fastigium devicto Maxentio pervenerat, dignus, de quo diceret ejus Panegyristes, quod cum anima illius è corpore soluta ab Angelis interrogaretur, quid toto vitæ decursu egisset, responderit uno verbo, *dilexi*. Sicut de Magno Theodosio dixit D. Ambrosius postea. Quasi diceret: Ex quo Christus se mihi noscendum præbuit, amavi semper, ejusque honorem omni conatu promovere studui.

Legati Papæ primo subscribunt.

Quidam fictè subscribunt.

Consubstantiale.

Constantini decretum in libros Arrii.

Miraculò de mortuis subscribentibus.

Niceph. lib. 8. c. 22.

SECVNDA PARS

Epistolas Synodales exhibens.

Præambulum, pro eodem Concilio Nicæno, tempore Sylvestri Papæ primi.

SAnto sanè certius ac sacratius nobis esse debet hoc Concilium, quanto contentiosius olim orbis Christianus variis propter, ipsum concussus est tumultibus & dissidiis, dum contra illud insurgeret totis conatibus mundi dominus Imperator Constantius Augustus, Constantini maximi filius. Congregans enim multa & numerosa Episcoporum Concilia, jam in Oriente, jam in Occidente, quibus acta sacratissima hujus Concilij resciderent, in eam postremò angustiam redegit Ecclesiam Catholicam, ut in tribus tantum Episcopis assertio ejus fidei consistere videretur, teste Hieronymo, in Athanasio (videlicet) Alexandrino, Hilarióque Pictaviensi, & Romano Pontifice Liberio. Quibus etsi plures in Occidente potissimum suffragarentur, hos tamen ille sic exagitavit exilijs, & persecutionibus, ut Liberius tandem fractus ærumnis, in sententiam impij Principis, dum restitueretur, cessisse sit judicatus. Nisi igitur in solidissima fidei petra (super quam Ecclesiam suam extruxit Christus) fuissent decreta & hujus Concilij acta per Spiritum sanctum fundata, prævaluissent utique tam prætentes illæ inferorum portæ; quæ sæpe 300. & amplius Episcoporum subscriptionibus per varia Concilia Mediolani, Ariminj, Sirmij, Seleuciæ, Antiochiæ, &c. à Constantio Augusto convocata, sacrosanctam hujus Concilij fidem abolere nitebantur, id quod ex historijs Ecclesiastica & tripartita notissimum est. Quanta igitur existimari debet Nicænæ fidei firmitas & certitudo, quam neque potentia atque versutia Constantij Augusti, neque ingenium, & apostaticum Juliani Imperatoris odium, neque decem & amplius Concilia numerosa subscribentium Episcoporum, nec item Valentis August. & Justinæ Aug. impij conatus, nec denique tot populorum, barbarárúmque in Gothis, Vandalisque gentium, sævæ impugnationes evertere atque abolere potuerunt? Nam quia fundata erat supra firmam petram, ideo nec pluviæ subscriptionum Episcopalium, nec flumina popularium vexationum, nec sævi persecutionum imperialium regaliumque venti in domum istam irruentes, eam evertere valuerunt. Stetit immota illius fidei veritas, atque invicta authoritas, dum tot, tantisque quassaretur hæreticorum turbinibus & procellis. Permansit deinde in quieta possessione annis plus mille, ad hæc usque tempora periculosa, in quibus audax impietas hujus quoque Concilij, ut omnium pia instituta sugillare non formidat, dum alius ordines sacros, alius homousij vocabulum contemnit & odit. Sed facilè sustinebit hos novorum hostium impetus & incursus Synodus illa, tot jam seculis firmissimè radicata, & per verbum Domini, cui innititur, in æternum permansura, quidquid in illam dicant, agantque audaces apostatæ. Sic enim publica lege ante M. C. annos de ea statuerunt pij Principes Gratianus, Valentinianus, & Theodosius. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ, & unius, & summi Dei nomen ubique celebretur, Nicænæ fidei dudum à majoribus traditæ, ut divinæ religionis testimonio atque assertione firmatæ, observantia semper mansura teneat. Religiosè autem observat numerum Episcoporum, qui huic interfuerunt Synodo, divus Hilarius in eo, quem ad Germaniæ, Galliarumque Episcopos scripsit, tractatu. Et mihi quidem (inquit) ipse ille hic numerus sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo, qui aeterni Sacerdotij est forma, benedicitur.

Dissidia post Concilium.

Matth. 16. d

Nicæna fidei firmitas.

Esa. 40. b Psal. 118. C. de sum. trini & fide cath. l. 2.

Genes. 14. d

EPISTOLA ALEXANDRI, Episcopi Alexandrini ad Episcopos universos.

DIlectissimis atque charissimis, ubique Catholicæ Ecclesiæ comministris, Alexander in Domino salutem. Cum unum Catholicæ sit corpus Ecclesiæ, mandato existente in Scripturis sacris, ut servetur vinculum pacis & unanimitatis, consequens est, debere nostris scribere, & alterutris, quæ apud singulos aguntur insinuare, ut sive patitur, sive gaudet unum membrum, compatiamur, aut congaudeamus adinvicem. In nostra igitur Parrochia nunc egressi sunt viri iniqui, & Christo rebelles, docentes apostasiam, quam rectè quilibet præcurrere suspicetur Antichristo. Et volui quidem, hoc tacitus nitati contradere, si quomodo inter solos apostatas consumeretur hoc malum, & non loca alia penetrando, simplicitatem sordidaret auditus. Sed quoniam Eusebius nunc Nicomediæ, putans in se consistere cautas Ecclesiæ (quia cum reliquisset Nicomediensem Ecclesiam, non est in eo ultio subsequuta) patrocinatur etiam his apostatis, & scribere utique molitus est, commendans eos, si quomodo trahat aliquos ignorantes ad hanc pessimam hæresim, & Christo rebellem. Ideoque necessarium judicavi, sciens quod in lege scriptum est, ulterius non tacere, sed vobis omnibus indicare, quatenus etiam vos sciatis apostatas, & eorum hæreses verba nequissima caveatis. Si ergo scripserit vobis Eusebius, ne recipiatis eum, nec ejus scripta suscipiatis.

Ea verò, quæ opinantes loquuntur, hujusmodi sunt. Non semper (inquunt) Deus pater fuit, non semper fuit Dei verbum, sed fuit, quando Deus pater non fuit, Dei autem verbum ex non existentibus factum est. Existens enim Deus, ex non existente, non existentem fecit, quapropter aliquando fuit, quando non fuit. Creatura est enim & factura illius, nec similis est Patri secundum substantiam, neque verus est, neque vera ejus sapientia est, neque verum naturaliter Patris verbum est, sed unus quidem creaturarum & facturarum est. Abusivè autem dicitur verbum & sapientia, factus & ipse, & existens in proprio Dei verbo, & in Dei sapientia, in qua & ipsum, & omnia fecit Deus.

Hæc itaque dicentes, id est, Arrium, & qui cum eo sunt, & in his impudenter instantes, ipsos, & sequaces eorum nos quidem cum Episcopis Ægypti, & Lybiarum, pene centum convenientes anathematizavimus. Qui vero circa Eusebium susceperunt, miscere studentes veritati mendacium, & impietatem cum pietate sociare, sed non prævalebunt. Vincet enim veritas, nec ulla communio est luci cum tenebris, neque concordia Christi cum Belial.

Socrates. Hist. tripart. lib. 1. c. 14. Eph. 4. a

al. unius membri.

1. Cor. 12. d

Eusebius Nicomed. damnat.

Esai. 58. a

Arriomanitarum falsa dogmata.

3. Esdr. 3. 2. Cor. 6. a Ioan. 1. a

EPISTOLA ALEXANDRI, Alexandrini Episcopi, ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum.

CHarissimo fratri & unanimi Alexandro, Alexander in Domino salutem. Appetitus potentiæ hominum pessimorum, avaritiæque propositum, veritati, quæ creditur esse præcipua, solet insidiari, per varias scilicet occasiones resilientes Ecclesiasticæ pietati. Impulsi namque malevoli a diabolo, in eis operante, ad propositam sibi libidinem, & ab omni reverentia resilientes, conculcant judicij Dei timorem, de quibus mihi necessarium fuit patientiæ & reverentiæ vestræ significare, ut ab hujusmodi caveatis, ne

Hist. tripart. lib. 1. c. 14. Theod. l. 1. cap. 4.

quis forte præſumat eorum, in Parrochias veſtras ac- A cedere, vel per ſe, vel alios. Valent enim magis ad ſeducendum, figmentis uti; vel literis falſitate compoſitis, quæ poſſunt facere præſtigium, ſimplicem fidem, puramque recipientibus. Arrius igitur & Achillas, conjuratione nuper facta, Colloti ſuperbiam, & multò deterius, ſecuti ſunt. Ille namque hoſipſos culpans, peſſimæ voluntatis ſuæ invenit occaſionem, iſti vero dignam illius negotiationem reſpicientes, nequaquam juri Eccleſiæ ſubjacere pertulerunt, ſed ſpeluncas ſibimet latronum ædificantes, inceſſabilia in eis Conciliabula celebrant, noctibus & diebus, contra Chriſtum agentes, & contra nos, praviſque libidinibus exercentur, qui omnem piam & Apoſtolicam accuſantes gloriam, Judaico ſchemate Chriſto rebellare inſtituerunt ſibimet officinam, divinitatem, & æqualitatem cum Patre Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti B negantes, omnemque ejus ſalutaris diſpenſationis, & humilitatis propter nos habitæ, vocem decerpentes, prolatione harum, impietatis ſuæ prædicationem exercere nituntur, quippe divinitatis ejus ſationem, & ineffabilis gloriæ, quam à principio habuit apud Patrem, plenius evitantes, paganorum & Judæorum impiam de Chriſto confirmant ſententiam, & laudem propriam (ut aſſolet) aucupantes, omnia quidem (quæ contra nos poſſunt) deriſiones afferre negotiantur, ſeditioneſque nobis quotidie, ac perſecutiones inſtituunt, tam jurgia proponentes per aditiones mulierum impudentium, quas ſeducunt, quàm ipſi communi Chriſtianitati derogantes, dum eorum juveculæ omnes circumeunt vicos, inſuper irrumpibilem Chriſti tunicam, quam milites dividere noluerunt, iſti ſcindere nunc præſumunt. Et nos quidem vi- C tam ipſorum, & nefanda conamina, eo quòd laterent, tardius cognoſcentes, nunc generali decreto, ab Eccleſia adorante Chriſti divinitatem, eos expulimus. Conati ſunt tamen illi diſcurſionibus uti, & adverſum nos machinari, qui apud unanimes comminiſtros noſtros figuram pacis, & unitatis dignitatem ſe exercere fingunt.

Non enim, quæ apud nos malè docuerunt, & egerunt, ea fatentur, propter quæ etiam ſunt expulſi, ſed hæc aut taciturnitati contradunt, aut fictis eos ratiocinationibus, & quibuſdam oburnbrationibus ſepiunt, verifimilibus vero, & pompoſis, corruptibilem doctrinam ſuam velantes eloquiis, attrahunt in deceptionem quemlibet incautum, non abſtinentes etiam D apud omnes noſtræ pietati calumniari. Unde contingit, quoſdam eorum literis ſubſcribentes, in Eccleſiam ſuſcipi, maximo (ſicut reor) imminente periculo, præſumentibus talia comminiſtris, eo quòd neque Apoſtolica hoc regula patiatur, & effundunt ſuper eos diabolicam efficaciam contra Chriſtum. Quapropter in nullo ſegnis (ô chariſſimi) ad inſinuandam vobis perfidiam eorum, memetipſum erexi. Dicunt enim, quia fuit aliquando, quando non fuit Filius Dei, & poſtea factus eſt, qui prius non fuerat talis factus, quia & aliquando factus eſt, qualem & omnem hominem eſſe contingit. Cuncta enim (inquiunt) Deus ex non exiſtentibus fecit, omnium rationalium, & irrationalium creaturis miſcere volentes & Filium Dei. Quibus verbis conſequenter aiunt, eum mutabilis eſſe naturæ, virtutis, malitiæque capabilem, cum ex non exiſtentibus eſſe dicatur. Divinas quippe ſcripturas, quibus oſtenditur, eum ſemper eſſe, perimentes, quibuſque palam deſignatur inconvertibilitas verbi, & ſapientia atque divinitas, quæ ſunt Chriſtus. Poſſumus ergo (inquiunt iſti polluti) & nos fieri Filij Dei, ſicut & ille. Scriptum eſt enim: *Filios genui, & exaltavi.* Cumque illatum fuerit eis, quod ſequitur, id eſt, ipſi autem ſpreverunt me, quod naturale non eſt Salvatoris, cum naturæ ſit immutabilis, omni reverentia ſpoliantes ſemetipſos aiunt. Nec aliquam proprietatem habet ad Deum, ſed cum ſit ipſe natura mutabilis, ſcivit de illo Deus præſcientia, & præcontemplatione, quia cum non eſſet ſpreturus, eligendus foret ex omnibus. Non enim (inquiunt) natura, quaſi præcipuum inter alios filios, aliquid habet. Nam & nec naturaliter Dei Filius eſt, nec aliquam habet ad Deum proprietatem, quando etiam ipſum naturæ mutabilis exiſtentem, propter moderationem, diligentiam & virtutem, non mutatum ad deterius, elegit Deus, cum & ſi Paulus, vel Petrus ad hoc perveniſſet, nihil Jeſus poterat ab horum filiatione differre. Propter reprobationem igitur hujus veſanæ doctrinæ, etiam divinas literas revolventes, propoſuimus illud, quod in Pſalmis de Chriſto dictum eſt: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, &c. *Pſalm. 44.*

EPISTOLA ARRII,
Ad Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum.

DOmino deſiderantiſſimo, homini Dei, fideli, Orthodoxo Euſebio, Arrius (qui perſecutionem ab Alexandro Papa patitur injuſtè, propter vincentem omnia veritatem, quam tù quoque defendis) in Domino ſalutem. Patre meo Armonio veniente ad Nicomediam, rationabile judicavi, te ſalutare per eum, ſciens dilectionem, patiter & affectum, quem circa fratres propter Deum habere dinoſceris. Vehementer nos vaſtat, atque perſequitur, & omnem benignum animum movet adverſum nos Epiſcopus, ita ut etiam de civitate nos expuliſſet, velut homines ſine Deo, quoniam non concordamus ei publicè, dicenti, ſemper Deus, ſemper Filius, ſimul Pater, ſimul Filius coëxiſtit ingenito Deo. Filius ſemper genitus eſt, ab ingenito genitus eſt, neque cogitatione, neque atomo quadam præcedit Deus Pater, ſemper Filius ex ipſo Deo eſt. Et quoniam Euſebius frater tuus Cæſarienſis, & Theodotus, & Paulinus, & Athanaſius, & Gregorius, & Etius, & omnes per Orientem dicunt, quia præexiſtit Deus Filio ſine principio, anathema facti ſunt, præter ſolum Philogonium, & Helladicum, & Macharium homines hæreticos ineruditos, quorum alij quidem dicunt Filium eructationem, alij verò propoſitionem, alij coingenitum, quas impietates nec audire poſſumus, licet innumeras mortes nobis minentur hæretici. Nos autem quoniam dicimus, & ſapimus, & docuimus, & docemus, quia Filius non eſt ingenitus, nec ingeniti pars ullo modo, neque ex aliquo ſubjecto, ſed quoniam voluntate, & conſilio, ſubſiſtit ante tempora, & ante ſæcula, plenus Deus, unigenitus, inconvertibilis, & antequam generaretur, aut crearetur, aut prædeſtinaretur, aut fundaretur, non erat, ingenitus enim non erat, perſecutionem patimur, quia diximus, principium habet Filius, Deus autem ſine principio eſt, & quia diximus, ex non extantibus eſt, (ſic autem diximus, ſecundum quod, nec pars Dei eſt, nec ex aliquo ſubjecto) propterea perſequutionem patimur. De cætero tu noſti. Valere te in Domino, opto, memorem tribulationum noſtrarum, collucianiſta vere Euſebi, id eſt, pie. Hanc igitur Euſebius dum ſuſcepiſſet epiſtolam, & ipſe venenum ſuæ impietatis evomit, ſcripſitque idem hoc modo Paulino Epiſcopo Tyri. E

Hiſt. tripart. lib. 1. c. 15. & Theod. lib. 1. cap. 5.

al. Armonio.

Ignorantiæ vocat Arrius Orthodoxos.

EPISTOLA EVSEBII NICOMED.
ad Paulinum Epiſcopum Tyri.

DOmino meo Paulino Euſebius in Domino ſalutem. Neque Domini mei Euſebij ſtudium pro veritate verbi, tacitum eſt, ſed uſque ad nos pervenit, neque tuum, Domine, ſuper hac cauſa ſilentium. Et ut conſequens erat, de Domino quidem meo Euſebio lætati ſumus, de te vero triſtamur, arbitrantes tanti viri taciturnitatem noſtram eſſe devictionem. Quapropter rogo te ſcientem, quoniam indecens eſt,

Hiſt. tripart. lib. 16. c. 1. Et Theod. lib. 1. c. 6.

virum ſapientem alia ſapere, & tacere veritatem, ut ſpirituali ratione commotus, ad conſcribendum de hujuſmodi rebus incipias, cum & tibi ſit utile, & audientibus te, maximè dum & per conſequentiam ſcripturæ, & veſtigia ſermonum ejus, & voluntatis, ſcribere volueris cuncta, quoniam neque duos ingenitos audivimus aliquando, neque unum in duos diviſum, neque corporale aliquid paſſum eſſe didicimus, aut credidimus, Domine meus, ſed unum quidem ingenitum, unum verè ab eo vero, & non ex ejus ſubſtantia factum, & univerſaliter dicendum, nequaquam eum cum * ingenita natura participantem, aut exiſtentem, aut ex ejus ſubſtantia, ſed factum perfectè aliud natura, atque virtute, quantum attinet ad integram ſimilitudinem affectuum, poteſtatemque factoris, factum, ſcilicet, inenarrabiliter, quod etiam cogitationi non ſolum humanæ, ſed etiam quæ ultra omnes homines eſt, incomprehenſibile judicamus, & credimus. Et hæc quidem non rationibus noſtris obſtricti, ſed ex ſcriptura ſancta diſcentes, dicimus creatum eſſe, & fundatum, & genitum ſubſtantia, & inconvertibili, & ineffabili natura, ſimilitudine factoris, ſicut ipſe Dominus ait: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum, in opera ſua, & ante ſecula fundavit me, ante omnes colles genuit me.* Si autem ex eo, hoc eſt, ab eo erat, quaſi pars ejus, vel ex fluxu ſubſtantiæ nequaquam creatus, aut fundatus eſſe diceretur. Neque tu hoc ignoras, Domine vere, quia quod ex ingenito exiſtit creatum jam ab alio, quam ab eo, aut fundatum non erit. Ab initio ingenitum eum dicere, oſtenſionem quandam præbet, quaſi ex paterna ſubſtantia ſit natus, & habeat ex eo æqualitatem naturæ. Scimus enim, quia non de eo ſolo, genitum dicit ſcriptura, ſed etiam de diſſimilibus ei natura per omnia. Nam & de hominibus ait, *Filios genui, & exaltavi, ipſi verò me ſprevernnt.* Et iterum: *Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris.* Et in aliis quidem ait: *Qui peperit guttas roris*, non naturam ex natura narrans, ſed unuſcujuſque naturæ ex ejus voluntate nativitatem. Non enim ex ejus ſubſtantia ſunt, ſed omnia voluntate ejus facta, ſicuti facta ſunt. Ille ſiquidem Deus eſt, hæc autem ad ſimilitudinem ejus verbo ſimilia * futura ſecundum ſpontaneum motum facta, & omnia quidem per eum à Deo facta, cuncta tamen ex Deo. Quæ percipiens, & exponens, ſecundum datam tibi divinitus gratiam ſcribere Domino meo Alexandro feſtina. Confido enim, quia ſi ſcripſeris illi, convertetur.

al. ingeniti.

Prover. 8. c

Arrianorum probationes ex ſcript.

Iſaiæ 1. a

Deut 32. c Iob. 38. c.

al. ſerumtur.

EPISTOLA CONSTANTINI *Imperatoris, ad Alexandrum, Alexandrinum Epiſcopum, & Arrium hæreticum.*

VIctor Conſtantinus, maximus, pius, Alexandro & Arrio. Didici tunc natam præſentis quæſtionis originem, quando tu ô Alexander, à Preſbyteris requirebas, quid unuſquiſque eorum de quodam loco in lege * conſcripto, magis autem pro vanæ cujuſdam quæſtionis parte, ſentiret, tuque, ô Arri, quod neque principio cogitari debuerat, aut cogitatum taciturnitati tradi potius competebat, illud improvidè protinus objeciſti, unde diſcordia inter vos emergente, myſteria contemnuntur, ſanctus vero populus, in utraque diviſus, communis corporis congruentia ſeparatur. Ergo uterque veſtrum, ex æquo voluntatem præbens, in quo vos conſamulus veſter juſtè monet, obediat. Hoc itaque neque requirere dignum eſt, neque de talibus reſpondere quærentibus. Hujuſmodi enim quæſtiones, quæ non * cujuſdam legis neceſſitate proponuntur, inutilis vacationis tempus exquirunt. Et licet cauſa cujuſpiam naturalis exercitij fiant, tamen debemus eas intra ſenſum claudere, & non prompte in publica conciliabula deportare, nec omnium auribus inconſultè committere. Quantus eſt enim unuſquiſque hominum, ut poſſit ita magnarum rerum, & valde difficilium virtutem, ut ad perfectum inſpicere, aut interpretari digne? Ac ſi quis hoc facere (difficile tamen) poſſit, quantæ parti populi ſuadebit? Aut quis tantarum quæſtionum ſubtilitates, extra lapſus ſui periculum ſuſtinebit? Ergo fugienda ſunt in talibus multiloquia, ne fortè dum infirmitati noſtræ naturæ minime, quod proponitur, explicatur, mente diſcentium auditorum, pro tardiore intellectu, ad perfectam quæſtionis perceptionem pervenire non valente, ad neceſſitatem blaſphemiæ, aut ſchiſmatis populus adducatur. Quapropter & interrogationis incautæ, & reſponſionis improvidæ, æquam alterutris veniam tribuant ex utroque. Non enim pro ſummæ legis mandato apud vos occaſio certaminis inflammata eſt, neque nova quædam pro Dei religione hæreſis introducta, ſed unam, eandemque rationem habetis, ſicut etiam unum communionis ſignum. Vobis enim inter alterutros pro parvulis, & valde modicis cauſis contendentibus, tantum Dei populum, quem veſtris orationibus, & prudentia convenit gubernari, diſcordare non decet, nec omnino fas eſſe, credibile eſt. Ut autem parvo quodam exemplo ſapientiam veſtram commoneam, noſtis etiam ipſos philoſophos, quia in uno quidem dogmate conſentiunt. Cum vero in quadam ſententiæ parte diſcordant, licet diſciplinæ virtute ſeparentur, tamen adinvicem corporis unitate conſpirant. Cum hæc ita ſint, quantum potius juſtum eſt, vos magni Dei miniſtros in voluntate religionis alterutris eſſe concordes. Conſideremus itaque ratione majore, & ampliori intelligentia cogitemus, ſi rectè ſe habeat, propter parva, & vana ſermonum certamina, fratres fratribus * reſultare, & honorem Concilij per vos impia contentione diſcerpere, dum adinvicem pro ſic parvis, & nequaquam neceſſariis litigatis.

Conſtantinus nondum intelligebat quantum malè increvit Arrianiſmo.

al. inſultare.

al. cui ſ.

EPISTOLA NICÆNI CONCILII *ad Eccleſias Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis.*

SAnctæ, magnæque, Dei gratia, Alexandrinæ Eccleſiæ, & dilectiſſimis fratribus per Ægyptum, & Lybiam & Pentapolim conſtitutis, congregati, & magnam ſanctam Synodum Nicææ celebrantes Epiſcopi, in Domino ſalutem. Quoniam Dei gratia, & Deo amantiſſimi Principis noſtri Conſtantini, * nobis congregatis in urbe prædicta, ex provinciis diverſis & civitatibus, magna, ſanctaque Synodus celebrata eſt, omnimodis neceſſarium viſum eſt, ab hoc ſacro & ſancto Concilio, etiam ad vos litteras deſtinari, ut noveritis, quæ quidem mota, & examinata, quæ verò placuerunt, atque firmata ſunt. Ante omnia ſiquidem exquiſita ſunt impia, & iniqua, & ſine Deo, dogmata Arrij atque conſentientium, ſub præſentia Deo amantiſſimi Imperatoris noſtri Conſtantini, & omnium decreto complacuit, anathematizari impiam ejus ſectam, atque iniqua, & ſine Deo verba, ſimul & nomina, quibus utebatur, * de filio Dei blaſphemans, & dicens, ex non extantibus eſſe. Et iterum. Fuit aliquando, quando non fuit. Quomodo enim fuit, aut quomodo iterum non fuit, & pro libero arbitrio malitiæ, atque virtutis capabilem filium Dei dicentis, & creaturam nominantis eum, atque facturam. Hæc igitur omnia fatua, & anilia, & blaſphema, anathematizavit ſanctum, & univerſale Concilium, & nec uſque ad auditum impiæ ſectæ, atque * rumoris hujus, aut intellectuum iniquorum, ſenſum accommodavit. Ea quidem, quæ de illis geſta ſunt, qualem terminum habuerint, omnia jam aut audiſtis, ne fortè videamur nos viro obloqui, propter delictum ſuum improperia digna portandi. Tantum enim valuit ejus impietas; ut etiam Theonitas, * Marmoricenus, & Secundus Ptolemaïdis, eâ * uterentur. Idem enim & illi damnati ſunt. Sed quoniam ineffabilis gratia Dei, illas quidem

Theodoret. hiſt l. 1. c. 9.

al. nos congregantis.

Quid decretum in Nicæno C. contra Arrium.

al. filium.

al. furoris.

al. Cyzicenus.

al. potirentur.

malas ſectas, & blaſphemias, & diſcordiam, & audaciam perſonarum, & diviſionem, prædicta commotione deſtruens, liberavit Ægyptum, relinquebantur autem, quæ per petulantiam Meletij geſta ſunt, & eorum, qui ab eo ſunt ordinati, etiam ex hac parte, quæ placuerunt Synodo, vobis inſinuamus, chariſſimi fratres. Placuit ergo, Meletium quidem clementi conſilio, dum ſubtili veraque ratione nullam veniam meretur, manere quidem in propria civitate, nullam verò omnimodis habere poteſtatem, neque eligendi, neque ordinandi, nec in provincia, nec in qualibet civitate videri, purumque nomen tantummodo poſſidere. Eos autem, qui ab ipſo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos, habere honorem, & miniſterium, ut tamen ſequentes ſint modis omnibus, * univerſorum in ſingulis Parochiis & Eccleſiis à chariſſimo, & comminiſtro noſtro Alexandro, * conſecratorum, & ut his nulla poteſtas ſit, placitos ſibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere, præter voluntatem Eccleſiæ Catholicæ præſulis Alexandri. Gratia namque Dei, & orationibus veſtris, in nullo ſchiſmate reperros, ſed ſine macula in Catholica & Apoſtolica Eccleſia permanentes, dignum eſt, poteſtatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui clero ſunt digni, & abſolutè facere omnia ſecundùm legem, & ſanctiones Eccleſiæ. Si quem verò contigerit requieſcere in Eccleſia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper aſſumpti ſunt, ſolummodo ſi videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente, ſimul & deſignante, maximè Alexandriæ civitatis Epiſcopo. Hoc itaque aliis quidem conceſſum eſt omnibus. In perſona verò Meletij nequaquam eadem placuerunt, propter priorem indiſciplinationem ejus, & propter procacitates ejus, ac petulantiæ voluntatem, ne ulla daretur authoritas, vel poteſtas homini, qui poſſet rurſus eaſdem indiſciplinationes inſtruere. Hæc ſunt præcipua & competentia Ægypto, & ſanctiſſimæ Alexandrinorum Eccleſiæ. Si quid aliud ordinatum eſt, aut dogmatizatum, præſente Domino, atque chariſſimo comminiſtro, & fratre noſtro Alexandro, ipſe præſens vobis poterit ſubtilius aperire, tanquam author geſtorum & communicator exiſtens. Evangelizavimus autem vobis & de conſonantia ſanctiſſimæ Paſchæ, quia veſtris orationibus eſt correctum etiam hoc opus, ita ut omnes Orientales fratres, qui cum Judæis primitus celebrabant conſonè cum Romanis, ut vobiſcum, & cum omnibus, ab initio Paſcha cuſtodientibus, ex hoc tempore debeant cuſtodire. Exultantes itaque in his, quæ geſta ſunt, & in communi pace atque concordia, & in eo, quod omnis radicitus hæreſis eſt avulſa, cum majori honore, & ampliori charitate, ſuſcipite comminiſtrum noſtrum, veſtrum Pontificem Alexandrum, qui nos ſua præſentia lætificavit, tantumque laborem pro pace veſtra, etiam in hac ætate ſuſtinuit. Orate ſimul & pro omnibus nobis, ut quæ bene placuerunt, firma permaneant, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſecundùm bonam voluntatem facta, ſicuti credimus, Dei & Patris, in Spiritu ſancto, cui eſt gloria in ſæcula. Amen.

Quid de Meletio.

al. univerſis.

al. conſecratorum.

Quid de die Paſchatis.

Nota. Meletius Lycopolitanus Epiſcopus, ut refert Sozomenus lib. 1. c. 23. cùm S. Petrus Patriarcha Alexandrinus perſecutionis causâ fugiſſet, quaſvis miniſtrorum ordinationes invaſit contra jus Patriarchæ Alexandrini, unde turbata omnia in Ægypto. Synodus autem Nicæna huic malo providit, ut in Epiſtola narratur. Mira autem fuit ejus inconſtantia, cùm enim Arrium accuſaſſet, poſtea odio Athanaſij in factionem Arrij coït, licet fidem mente retineret. Poſtremò ab Arrianis evectus ad Sedem Antiochenam veram fidem Trinitatis confitetur: unde ab iiſdem mox exauctoratur.

EPISTOLA CONSTANTINI *Imperatoris ad omnes Epiſcopos, & reliquum populum.*

VIctor Conſtantinus maximus, Auguſtus, Epiſcopis & populo. Malignos & impios Arrius imitatus, dignum eſt, ut illorum quoque ſuſcipiat ultionem. Sicut igitur Porphyrius divinæ pietatis inimicus, iniqua volumina contra religionem proferens, dignam prometuit invenire mercedem, & talem per quam in poſterum eſſet opprobrio, & plurima compleretur infamia, & nunc placuit Arrium, & conſectatores ejus vocari Porphyrianos, ut quorum mores imitati ſunt, eorum vocabulo perfruantur. Super hæc autem, ſi qua conſcriptio ab Arriano facta reperitur, igni tradatur, ut non ſolùm prava ejus doctrina depereat, ſed neque ulla ejus poſſint remanere * documenta. Hoc etiam præcipio, ‖ quis conſcriptiones Arrij celaſſe comperitur, & non repente proferens, igne conſumpſerit, mortis ſupplicio ſubjacebit. Mox enim cùm in hoc fuerit captus, capitalem ſuſcipiet ultionem. Deus vos cuſtodiat.

Socrates Hiſtor. tripart. lib. 2. cap. 15.

Decretum Imperat. ſuper libros Arrij

al. contà mentem.

EVSEBII NICOMEDIENSIS, *Et Theognij Nicæni Epiſcoporum pœnitentia.*

EUſebius igitur, & Theognius, pœnitentiæ libellum, ſummis Epiſcopis dirigentes, ab exilio revocati ſunt imperiali præcepto, & ſuas Eccleſias receperunt, expellentes, qui in eorum locis fuerant ordinati, id eſt, Euſebius Amphionem, Chriſtum verò Theognius, cujus libelli exemplar hoc eſt. Dudum quidem ante judicium à reverentia veſtra condemnati, patienter ferre, quæ decreta ſunt à ſancto Concilio veſtro debuimus. Sed quia nimis abſurdum eſt, contra noſmetipſos dare calumniatoribus de taciturnitate probationem, propterea referimus, quoniam nos & in fide una cucurrimus, & ſenſum examinantes de conſubſtantialitatis ſermone, cuncti pacificati ſumus, nequaquam ſequentes hæreſim, ſed commemorantes ad cautelam Eccleſiarum, quæ noſtræ ſubveniebant menti, & ſatisfacientes eis, à quibus * pro nobis ſuaderi debuerat, in fide ſubſcripſimus. Anathematiſmo autem non ſubnotavimus, non tanquam fidem accuſantes, ſed velut non credentes talem eum eſſe, qui fuerat accuſatus, certi de ejus ad nos directis epiſtolis, & inter nos diſputationibus habitis. Si igitur ſatisfactum eſt ſancto veſtro Concilio, non reluctantes ſed conſentientes decretis veſtris, etiam hac conſcriptione ſatisfacimus vobis, non exilium * grave ferentes, ſed ſuſpicionem abjicientes hæreſeos. Si enim dignamini nunc in vultu nos veſtro recipere, habebitis in omnibus conſonantes, & veſtra ſequentes pariter conſtituta, quando etiam eum, qui accuſatus eſt in his, placuit veſtræ reverentiæ clementiam promereri atque revocari. Abſurdum namque eſt, ſi is, qui putatur eſſe reus, revocatur ad ſatisfaciendum, in quibus ei derogabatur, ut nos contra noſmetipſos præbeamus per taciturnitatem increpationis judicium.

Socratis ubi ſup. cap. 17.

al. per nos.

Quæſtio facti de Arrio.

al. graviter.

EPISTOLA ARRII ET EVZOII *Presbyterorum hæreticorum ad Conſtantinum Imperatorem ſuam fidem eidem explanantium.*

PIiſſimo, & Deo amantiſſimo, Domino noſtro Imperatori Conſtantino, Arrius, & Euzoius Preſbyteri. Sicut præcepit Deo amabilis pietas tua, Imperator, exponimus noſtram fidem, & ſcriptis profitemur, coram Deo ſic credere & nos, & omnes, qui

Symbolum Arrij.

nobiſcum ſunt, ſicuti ſubjectum eſt. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium ejus, qui in eo ante omnia ſecula natus eſt, Deum * verum, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlis, & quæ in terra. Qui venit, & carnem aſſumpſit, & paſſus eſt, & reſurrexit. Et aſcendit in cœlos, & iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum, & carnis reſurrectionem, & vitam * venturi ſeculi, & in regnum cœlorum, & in unam ſanctam Dei Eccleſiam Catholicam, quæ à finibus uſque ad fines eſt. Hanc autem fidem percepimus ex ſanctis Evangeliis, dicente Domino diſcipulis ſuis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Si autem non hæc ita credimus, atque ſuſcipimus verè Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, ſicut omnis Eccleſia, & ſanctæ edocent ſcripturæ, quas per omnia ſequimur, judex noſter erit Deus & nunc, & in futuro * ſeculo. Quapropter, tuam pietatem rogamus, Deo amabilis Imperator, ut dum Eccleſiaſtici ſumus, & fidem, & ſenſum Eccleſiæ, ſanctarumque ſcripturarum habemus, uniri nos per pacificam, & Dei cultricem pietatem tuam matri noſtræ Eccleſiæ jubeas, quippe quæſtionibus, & ſuperfluitatibus inquiſitionum ſublatis, ut & nos, & ſancta Eccleſia ad invicem pacificati, ſolemnes orationes pro pacifico, pioque Imperio, & omni tuo genere omnes communiter celebremus.

al. verbum.

al. futuri.

Matt. 28. d

al. die.

Hanc fidei expoſitionem alij quidem dicebant artificioſè compoſitam, ut videretur Princeps placari ſermonibus, & ita Arrij dogmatibus circumferri, quatenus per expoſitionem omnium ei fiducia præberetur, & utrumque haberet intellectum. Arbitratus autem Imperator, Arrium & Euzoium ſimilia credere his, qui in Nicæa convenerant, valde gaviſus eſt, non tamen ſibimet perſuaſit, ut eos in Eccleſiæ communionem ſuſciperet ante judicium, & probationem congruarum perſonarum, ſecundùm Eccleſiæ legem, ſed deſtinavit eos ad Epiſcopos tunc Hieroſolymis congregatos, ſcribens, ut fidem eorum expoſitionis examinarent, & clementem ſuper eis deberent proferre ſententiam, ſi rectè credentes, invidiæ gratia eſſent injuſtitiam paſſi, ſeu dum non haberent, unde judices ſuos culparent, peterent per pœnitentiam revocari. Porrò ſumpta occaſione, fautores Arrij per ſcripta Imperatoris, eos in communionem ſuſceperunt. Et cùm hoc feciſſent, ipſi Imperatori reſcripſerunt, & Eccleſiæ Alexandrinæ, & in Ægyptum, & Thebaïdam, & Lybiam, univerſis Epiſcopis, & Clericis præcipientes, ut eos alacriter ſuſciperent. Imperatore teſtante, rectam eorum eſſe fidem, quam etiam propriæ epiſtolæ ſubjecerunt. Hæc quidem Hieroſolymis geſta eſſe noſcuntur.

Prudens Conſilium Conſtantini.

EPISTOLA A SYNODO NICÆNA directa Sylveſtro Papæ primo.

Ob exemplaris depravationem vix poteſt ſenſus erui.

BEatiſſimo Papæ urbis Romæ, cum omni reverentia colendo Sylveſtro, Oſius Epiſcopus provinciæ Hiſpaniæ civitatis Cordubenſ. & Macharius Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ ordinati ex directione tua. Quoniam omnia corroborata de divinis myſteriis Eccleſiaſticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, ad ſedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta, ſcribere confitemur, nunc itaque ad veſtræ ſedis augmentum accurrimus roborari. Itaque cenſeat veſtra Apoſtolica doctrina, Epiſcopos totius veſtræ Apoſtolicæ urbis in unum convenire, veſtrumque habere Concilium, ſicut docet myſtica veritas, ut firmetur noſtra ſanctimonia, graduſque fixos vel textus ordinationis tuæ ſanctimoniæ noſtra poſſit habere regula, quoniam decet numerum dictorum tuorum Coëpiſcoporum à te diſcere gradus, * vel Fenices conſternere urbi. Quidquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur, veſtri oris conſortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro univerſo Concilio. Data 8. Kal. Julias, accepta 13. Kalend. Novembr. Paulino & Juliano ſummis Conſulibus.

al. forte vel ordines ſtatuere urbes.

RESCRIPTVM SYLVESTRI Epiſcopi ad Synodum Nicænam.

SYlveſter Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ, & ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, reverendæ religionis urbis Romę fratribus, & Coëpiſcopis, qui in Nicænum Concilium convenerunt, in Domino ſalutem. Gaudeo promptam vos benignitatem ſervare. Nam & confirmo, figoque ad doctrinæ veſtræ reclamantes de myſterio, vel unitate Trinitatis chriſmatis vos ſecundùm dicta & doctrinam Evangelicam ſanctam accepiſſe gratiam, de quo examinationis probo veritate fuiſſe, & eſſe manſura, quæ in veſtrum, noſtrumque manavere Myſterium, meum chirographum, & diſcipulorum meorum offero in veſtro ſancto Concilio, quidquid conſtituiſtis, unà parem dare conſenſum, atque in gremio veſtræ Synodi, parva propter diſciplinam Eccleſiæ * allegabo præcepta, propter Victorinum, qui arbitrio ſuo, quidquid vellet, affirmabat, & cyclos Paſchæ pronuntiabat fallaces, ut cum Epiſcopis totius orbis Italiæ examinatam univerſitas veſtri ſancti Concilij dignetur accipere veritatem. Et alia manu: Oret pro nobis beatitudo veſtri ſancti Concilij, trecentorum decem & octo, ut charitatis, quæ vobis data eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſervetur augmentum. Data quinto Kalendas Novembris, accepta quarto Idus Februarij, Conſtantino ſepties, & Conſtantino Cæſare quarto Conſulibus.

al. alligavi.

Has duas ultimas epiſtolas Surius primum cum aliquot mendis in lucem emiſit ex veteri quodam manuſcripto. Monebo tamen lectorem ſuſpectæ eſſe fidei quod conſignatio Conſulum cum anno Concilij non conveniat, ut advertit Ducenuius in vita Sylveſtri.

Epiſtola duas ſuſpecta.

TERTIA PARS.

Quædam magis controverſa de Concilio Nicæno.

MVlta egiſſe Imperatores in octo primis Conciliis generalibus, produnt ſatis hiſtoriæ: unde anſam arripuerunt plures hæretici primatum in rebus Eccleſiaſticis Imperatori & Regibus attribuendi, quamvis in eorumdem Conciliorum geſtis ac Epiſtolis non obſcura reſtent veſtigia authoritatis primariæ & principalis quam in iis ſemper exercuerit Romanus Pontifex totius Eccleſiæ Chriſti Paſtor Chriſtique Domini Vicarius, ac Divi Petri ſucceſſor. Quam proinde authoritatem negare non poſſent qui ſollicitè ad ea attenderent & quæ partes fuerint Imperatorum in Conciliis diſcernere vellent. Non enim ipſi authoritatem dederunt definitionibus ac judicijs Synodorum, ſed ut Eccleſia in ſpiritualibus quam in temporalibus locupletior, ope ſæcularis poteſtatis indiget in multis, ipſi Imperatores ex pietate ſuâ auxilium illi præſtiterunt ad convocandos Epiſcopos ex diſſitis regionibus, ad eos alendos in via ac in loco Concilij, ad tenendum locum ſecurum in quo convenerant ad definiendas fidei controverſias, ad compeſcendos tumultus ex varietate opinionum ſuborientes, ad excludendos cum poteſtate eos qui vel non admittendi vel ejiciendi erant, & denique ad exequenda quæ ex communi conſenſu decreverant. Quæ fuſius proſequitur Cardinalis de Cuſa lib. 3. *De Concordantia Catholica* per multa capita. Ac capite quidem 13. advertit Imperatores

Quid Imperatores in Concilijs præſtiterint.

pertinere sanctas Congregationes Synodales universalium Conciliorum totius Ecclesiæ semper fecisse. Ita, inquit, ergo perlustrans gesta omnium universalium Conciliorum usque ad octavum inclusivè, Basilij tempore celebratum, verum esse reperi. Paulò tamen infra subjungit: *Non quod coactivè sed exhortativè colligere debeat*, & cap. 15. Magis explicans discrimen inter Summum Pontificem Romanum & Imperatorem, in eo quod spectat ad convocationem Conciliorum: Papa ut primus & habens præceptivam potestatem ex principatu Sacerdotij sui in omnes alios Episcopos quo ad eam Congregationem, respicientem universalem Ecclesiæ statum in quâ ipse primam curam gerit; ex qua credita potestate, præcipere habet Christi fidelibus ut conveniant, maximè subjectis omnibus Sacerdotibus. Imperator vero exhortatur & suadet Episcopis ac præcipit laicis. Neque Roman. Pontifex dicit convocationem ad se pertinere tantum, sed quod sine suâ authoritate Synodus fieri non debeat. Hæc ille. Unde patet differentia inter convocationem Imperatoris ac Summi Pontificis. Quod verò spectat ad confirmationem Concilij, Summus Pontifex confirmat tanquam authoritatem præbens Concilio, Imperator vero tanquam testis eorum quæ gesta sunt & decreta, & tanquam ea approbans ac recipiens eisque se subjiciens, ut quia Regis ad exemplum totus componitur orbis, cæteri omnes Concilio obediant; nullam vero vocem Synodicam vel decisivam vel conclusivam habet. Quæ breviter hic annotasse in primo Nicæno Concilio operæ pretium duximus, ut in cæteris subsequentibus satis nobis sit observare præcipuam fuisse Pontificis Rom. authoritatem seu in convocatione, seu in confirmatione, nec remoram nobis afferat quod deprehendamus Imperatores magnam horum partem extitisse aut aliquando Judices aut patritios ab iis missos; id enim ita factum est, ut præberent manus auxiliares Ecclesiæ, idque ex consensu & voluntate Summi Pontificis Romani, non authoritativè & per supremam potestatem in rebus spiritualibus, quæ nonnisi Summo Pontifici ac Episcopis concredita est, de quibus idcirco scribitur ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Cæterum quia peculiaris est difficultas de Nicæno Concilio, quis in eo præfuerit cum suprema authoritate in res spirituales, ideo quæstio hæc non inutiliter expenditur.

QUÆSTIO

De Præside Concilii Nicæni.

Constantinus non fuit præses Concilij.

PLacet hæreticis Constantinum Magnum Imperatorem fuisse præsidem in hoc Concilio, ut è gradu dejecto Summo Pontifice Romano, primatum Regium in spiritualibus adstruant. Inter cæteros Hornus in suo Flatu, ad quem replicam edidit Stapleton; probat ex eo quod Concilium hoc coëgerit Constantinus. Sed omittit quod habet Ruffinus Ecclesiast. hist. lib. 10. cap. 1. *Ex Sacerdotum sententiâ factum id esse.* Convenerat nempe inter Sylvestrum Summum Pontificem & Constantinum de eo convocando. Qui Constantinus in eo adfuit non ut præsideret, sed, ut ait Theodoretus lib. 1. cap. 7. histor. Ecclesiasticæ, *partim ut multitudinem Episcoporum adjuvaret, partim ut pacem inter illos conciliaret.*

Hornii hæretici objecti. solvuntur.

Probat rursus Constantinum fuisse præsidem, quod in illo Concilio Episcopi injuriarum acceptarum remedium ab ipso petierint tanquam à Judice oblatis ei libellis suis supplicibus. Sed quid ad hæc Constantinus? ait idem Ruffinus libro eodem cap. 2. At ille videns quod per hujusmodi jurgia causa summi negotij fructraretur, &c. aic ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes & potestatem dedit vobis de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari, &c. Cumque hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos jussit exuri, ne innotesceret ulli hominum simulatio Sacerdotum. Hoccine est judicem & præsidem Episcoporum agere ex tanto affectu Religionis Episcopos superiores suos ac Judices palam agnoscere?

Probat tertio quod Episcopi in loco Concilij qui erat in Palatio, adventum Imperatoris expectabant, cui sedes ex auro in capite ordinum collocata erat, in quâ positus ad Synodum orationem habuit, in quâ profitebatur contentiones inter illos ortas causam convocandi Concilij illi præbuisse & malum illud per ministerium illius curari debere. Eosque ad pacem exhortatus dat veniam consultandi de rebus quas in manibus habebant, regulamque sive normam præscribit quâ disputationes de fide ac religione discutere debeant. Sed vix in hac verborum syiva quid reperitur præter mendacia & inanes quasdam conjecturarum imagines quæ ad principalem quæstionem nihil quidquam faciunt. Quam diverso modo Theodoretus lib. 1. Ecclesiast. Histor. cap. 6. Constantinum in hoc Concilio exhibet. Itaque cum universi convenissent, aulam illis maximam in palatio præparavit Imperator, in eaque sedes quamplurimas & subsellia, quæ Episcoporum numero satis essent, locari jussit: atque ita ipsis loco honorificè disposito intrare præcepit & de re propositâ consultare. Ipse quoque cum paucis postremus omnium ingressus est, proceritate corporis spectabilis, formaque egregiâ & amabili, sed pudore qui in ejus vultu eminebat magis admirando: parvaque sella in medio posita, cum hoc sibi permitti ab Episcopis postulasset, in eâ resedit, atque una cum ipso totus ille divinus cœtus pariter consedit. Et mox ante alios magnus Eustathius ad Ecclesiæ Antiochenæ catedram nuper evectus, &c. Imperatorem summis laudibus ornare cœpit, &c. Quis non videat quam longè à præsidentis ambitu abfuerit Imperator, qui nequidem sedere voluerit absque venia Episcoporum, nec in throno, sed in humili sede, aut in capite ac principio ordinum, sed in medio? Ex cujus humilitatis exemplo & ejus æmulatione aliàs solebant antiquiores Hispaniæ Reges, ut ex veteri codice ordinis sancti Benedicti refert Leo Castrius in cap. 49. Isaiæ solitos in Synodis ad terram provolvi ante Episcopos, donec eorum brachiis erecti in Regiâ sede ponerentur pro eorum dignitate. Quod & refertur ab Utino in fine 1. partis libri de Sacramento amoris. Tantum abest ut supremam authoritatem sibi arrogarent in rebus religionis.

Constantini modestia in Concilio.

Probat quarto Hornus; Quod in illo Concilio Constantinus Acesium Episcopum Constantinopolitanum sectæ Novatianorum addictum publicè examinat. Quod litteras direxerit ad Ecclesiam Alexandrinam in qua error Arrij pullulaverat, & ad universum orbis populum declarans, se unà cum Episcopis suscepisse veritatis examen, certiores eos faciens quo omnis tollatur ambiguitas, omnia diligenter examinata & discussa fuisse: præcipitque ne liber ullus, aut monumentum doctrinæ Arrianæ sive publicè sive privatim aspiam retineatur, sed omnia illius scripta sub pœnâ mortis igni tradantur. Denique conclusis omnibus remeandi in sua singulis dedit licentiam. Sed in hac objectione nihil apparet cui multum immorandum sit. Illud de Acesio quid ad rem tuam, nisi forte somnies, ita se Constantinum gessisse in causa Acesij, ac olim in causa Lamberti sacramentarij Rex Henricus 8. qui ut caput & supremus gubernator Ecclesiæ è solio regali causam illam cognovit & contra illum per vicarium suum Cromvellum sententiam tulit. Privatim Acesium alloquutus est Constantinus, non juridicè examinavit. Quod scribit de gestis in Concilio, hæc scri-

Acesius Novatianus.

ptura judicium non eſt, ſed magis ut fidem promoveat in hoc adjuvat Concilium, ſicut & juſſio illa de comburendis libris Arrij executio eſt externa decretorum à Concilio quæ nihil primatum juvat, ſicuti nec illa licentia abeundi data Epiſcopis quibus viaticum ſubminiſtrabat, cum pleriquè eorum pauperes eſſent. Magis vero id ejus ſtudium erga Eccleſiam Chriſti propalat, nolens eos prius abire quam omnia in Concilio ritè & plenè concluſa eſſent. Quid ſi verbis iſtis aut ſimilibus licentiam hanc dederit: Patres Reverendiſſimi pro hac veſtra diligentia & ſingulari ſtudio gratias habeo & habiturus ſum. Redeat quiſque ad proprium gregem. Det Deus iter proſperum. An verba comitatis & honeſtatis plena pios magnoſque Principes dedecent? Vide eumdem Stapletonum aliud futile argumentum ejuſdem hæretici retundentẽ, ex hoc petitum quod Arrius confeſſionem fidei ſuæ artificioſè & hypocritè cõpoſitam ac ſi per omnia cum Nicæna fide conſpiraret, ei obtulerit, humiliter petens, ut eum Matri Eccleſiæ reſtitueret. Quaſi poſtulatio interceſſionis Principum, eorum in negotiis religionis argueret authoritatem. Sed & confeſſionem illam non tam Conſtantino quam Concilio oblatam à pluribus Epiſcopis Arrio patrocinantibus apertè teſtatur Theodoretus ubi ſupra. Quin etiam fidei formulam quam dictarant, obtulerunt Concilio: quæ ut primum lecta fuit, ſpuriam cunctis & adulterinam clamantibus, illico diſcerpta eſt. Hæc autem componi poſſunt, dicendo duplicem formulam fidei ab Arrio ejuſque aſſeclis oblatam eſſe, unam ipſi Concilio ne damnarentur, alteram jam ſoluto Concilio ipſi Conſtantino, ut damnati reſtituerentur.

Conſtantinum circa tot decretorum.

Sed cum ex his manifeſtè ſatis appareat Concilij illius præſidem non fuiſſe Conſtantinum, reſtat adhuc inquirendum quiſnam fuerit. Nam cum acta illius Concilij non extent, occaſio data eſt non idem ſentiendi pluribus. Eſt autem vera ſententia præſides fuiſſe legatos Summi Pontificis Sylveſtri, qui erant Hoſius Epiſcopus, Vituſque & Vincentius Preſbyteri. Tum quia tres illi ſubſcripſerunt primi Concilio. Tum quia Cedrenus in compendio hiſtoriarum, & Photius in libro de ſeptem Synodis dicunt Summum Pontificem Sylveſtrum per ſuos legatos Concilio Nicæno auctoritatem contuliſſe. Atque idcirco D. Athanaſius ipſum Hoſium vocat principem Synodorum, ab eoque compoſitam fuiſſe formulam confeſſionis fidei ſeu Symbolum Nicænum in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Ubi & ait. *Quando à condito ævo auditum eſt? quando judicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando hoc unquam pro judicio agnitum eſt?* Nec tam pacificè præfuiſſet per ſuos legatos Summus Pontifex in ſequentibus Conciliis generalibus, niſi in Nicæno primùm id fuiſſet obſervatum. Conſtantinus autem ultimo loco ſubſcripſit poſt omnes Epiſcopos, teſtaturque D. Ambroſius epiſt. 32. eum in Nicæno ſe judicem non feciſſe, ſed liberum feciſſe judicium Sacerdotibus. Nec aliud intendit Theodoretus Eccleſ. Hiſtor. lib. 1. cap. 6. dicens: Trecenti decem & octo Epiſcopi convenerant. Romanus autem propter ſummam ſenectutem ipſe quidem non adfuit, ſed Preſbyteros duos miſit cum poteſtate actis aſſentiendi. Photius quoque lib. de ſeptem Synodis Victori ſeu Vito atque Vincentio legatis adjungit ipſum Epiſcopum Cordubenſem.

Legati Papæ Præſides.

Nec obſtat quod Euſtathius Antiochenæ Eccleſiæ Præſul primus locutus fuerit in Concilio, Conſtantini Magni pietatem encomio exornans. Nam & Euſebius Pamphili Epiſcopus poſt eum loquutus eſt, hiſtor. tripart. lib. 2. cap. 5. Nec propterea ſecundum locum in Concilio habuiſſe cenſeri poteſt, cum adfuerit Alexander Patriarcha Alexandrinus Antiocheno major & dignior, cui potius competebat Conſtantinum alloqui, ſi ratione dignitatis id factitatum fuiſſet. Credendum potius ob majorem eloquentiam id illi demandatum fuiſſe, ſicut ſolet in magnis congregationibus qui majori dicendi virtute poſſet Taphus eligi, qui ſit dux verbi & ſermonem habeat ad Principes, velut Aaron qui minor Moyſe ad Pharaonem loquebatur. Quod autem primus in dextro ordine ſederet Euſtathius, ob id factum eſt quod Oſius & duo alij legati primum locum tenerent eorum qui erant in ſiniſtro ordine, qui dignior & nobilior habebatur apud veteres, ut pluribus obſervat Baronius ad annum 325. num. 57. & ſeq.

Quorumdam Authorum errata circa Concilium Nicænum arguuntur per Baronium & alios.

TRecenteſimus vigeſimus quintus Chriſti Redemptoris noſtri agebatur annus, Conſulibus Paulino & Juliano, cum ſacroſancta, Oecumenica, Synodus Nicææ in Bithynia celebrata eſt, &c. cum autem hæc de Conſulibus conſtent, corrigendum in primis eſt quod in fine mendoſè habet Euſebij Chronicon decimo quinto Imperij Conſtantini & Domini trecenteſimo vigeſimo quarto, cum ex emendationibus faſtis neceſſe ſit ſub iiſdem Conſulibus numerare Conſtantini annum vigeſimum, Chriſti vero trecenteſimum vigeſimum quintum, &c. corrigendum pariter eſt Caſſiodori Chronicon, in quo ponitur Nicænum Concilium ſub Januarij & Juſti Conſulibus, quæ numeratur an. 23. Conſtantini, Chriſti vero 328. *Socrates lib. 1. cap. 8.*

Quamdiu duraverit Concilium.

Arguit plures Latinos Auctores, Covarruviam lib. 4. Variar. reſolut. cap. 15. Joſephum Scaligerum de emendatione temporum lib. 5. cap. de indictionibus & alios exiſtimantes Concilium hoc duraſſe per triennium, cùm eo anno quo inceptum ad exitum perductum fuerit, ſicut quatuor quæ ſubſequuta ſunt Concilia generalia Sardicenſe, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Chalcedonenſe. Extant in perveruſtâ Creſconianâ collectione poſt Marcellini Papæ acta, verba hæc ſcripta, Factum eſt Concilium apud Nicæam Metropolim Bithyniæ à die XVIII. kal. Julias, quod tenuit uſque ad diem VIII. kal. Septembris.

Corrigit Sozomenum quem turpiter errantem ſequutus eſt Nicephorus lib. 8. cap. 14. aſſerentem ſub Julio Pontifice celebratum. Sed enormior Photij error eſt lib. de ſeptem Synodis, ſub Sylveſtro & Julio celebratum fuiſſe. At quare non ſub Marco etiam, qui medius interceſſit inter Sylveſtrum & Julium? Sic ad annorum duodecim ſpatium perduraſſe oportuit quo inſulſius nihil poſſit excogitari.

Depravatum putamus locum Epiſtolæ Euſtathij Antiocheni Epiſcopi, qui Synodo interfuit, quam recitat Theodoretus lib. 1. cap. 8. ubi ſcribitur numerus ducentorum ſeptuaginta Epiſcoporum Nicæni conventus. Sed præſtat Athanaſij ſententia in Epiſtola ad Jovinianum Imperatorem, tum in diſputatione adverſus Arrium ſcripta, in quibus locis trecenti decem & octo Epiſcopi interfuiſſe dicuntur.

Fertur diſputatio quædam inter Arrium & Athanaſium habita in Nicæno Concilio, relata inter commentarios D. Athanaſij, ſed ejus præfatio docet eam alibi potius habitam, nec ibi ullæ eſt mentio de Nicæno conventu.

De Epiſcopo qui primus orationem habuit ad Conſtantinum quis fuerit, quia eum non nominat Euſebius Pamphili, arbitratur Sozomenus lib. 1. cap. 18. ipſummet Euſebium fuiſſe qui modeſtiæ cauſa ſe non nominavit. Sed parum Sozomenus mores Euſebij perſpectos habuit, qui nullam occaſionem prætermiſit de ſe honorificè dicendi, ea tantum ſilentio obvoluta relinquens quæ ſuam ipſius turpitudinem potuiſſent arguere, &c.

Vera acta Concilii deperdita.

Fuiſſe quidem acta Nicæna accuratiſſimè ſcripta ſanctus Athanaſius Author eſt in libro de Synodis: verum injuriâ temporis & Arrianorum conatibus paſſa eſſe naufragium certum eſt. Cæterum ſcimus nonnullos, qui longe poſt Concilium Nicænum vixere, profiteri acta Nicæna reperiri, &c. Franciſcus Tur-

rianus dignæ memoriæ vir, asseverare non dubitat eadem hodie reperiri Alexandriæ; alios audivi affirmantes eadem acta apud Arabes asservari. Sed ut liberè dicam, somnia puto ista omnia: utinam falsus conjector inveniar: nam illud scimus, omne sæculum quod ab eo tempore usque ad nostram ætatem interjectum est, cupidissimum fuisse tam egregiæ atque omnium nobilissimæ antiquitatis, nec tamen eâ hominum quemquam potitum esse, &c. colligas inde quid de canonibus Arabicis ab Alph. Pisano collectis sentiendum. Licèt Abrahamus Echelen Syrus ex Maronitis, libro Romæ nuper edito *de primatu Romani Pontificis*, eorum fidem astruere nitatur, maximè ex hoc quod antiquissima traditione asservantur penes omnes Orientales Ecclesias, quamvis dudum schismaticas & hæreticas. At quî fieret, ut nationes tot ritibus & linguis dispares sic conspirarent, cum canones illi stabiliant Romani Episcopi potestatem supra alios, cui resistunt? sic enim nuper vir doctus urgebat Calvinistas in controversia perpetuitatis fidei, de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia, ex consensu illarum nationum Sedi Romanæ aliunde adversantium. Quamvis discrimen afferri possit, quod illæ nationes servent hos Canones magis in archivis, quam in usu & praxi: at secus res se habet circa Eucharistiam. Sed de his canonibus extat recens Diatriba Cabassutij in *Notitia Conciliorum*.

Nec dissimulandum putamus perperam factam à Ruffino sexti Canonis interpretationem, dum Nicænos Canones non levi præjudicio in compendium redegit, & de Canone sexto sic ait. *(Vt apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat)* quorum verborum nec ullus quidem sensus elicitur. Anfractus hosce Ruffini nobis considerantibus opportunè hic in mentem veniunt verba D. Hieronymi imperitiam Ruffini sugillantis Apol. 3. (tantam habes Græci & Latini sermonis scientiam, ut Græci te Latinum & Latini Græcum putent) omittimus, hic de eo referre recentiorum querelas de translatione Eusebij ab ipso perperam factâ, cùm addiderit quæ voluit & alia ex animi voluntate deleverit. Parcerem libenter ipsi, nisi de re omnium gravissima quæstio verteretur. Novantes autem hæretici ex aliorum erroribus proficere se existimantes arripuerunt inde occasionem sic limitandi Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem, quasi ex magno Concilio Nicæno tantùm suburbanis Ecclesiis præesset, ampliorque esset Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiæ jurisdictio supra integram Provinciam. Sic Molinæus à Catholica Ecclesia Apostata. At quàm istæ Jurisconsultus, qui nec voces legum intelligit? Est enim idem urbicarium & suburbicarium. Hæc porrò verba non tantùm significant loca prope urbem posita, sed etiam plures provincias tam in Italia quàm extra Italiam positas, quæ obstrictæ erant conferre in urbem annonam, ut in Italia Picenum & Thuscia, extra Italiam Sicilia, Africa & Ægyptus. Quo exemplo Ruffinus appellavit Ecclesias suburbicarias quæ Romanæ Ecclesiæ Diœcesi peculiariter erant subjectæ? Sed alius sensus est hujus Canonis. Et de Ruffino legi potest Petavius in notis ad D. Epiphanium ad hæresim 11. Alogorum.

Ruffinus perstringitur.

Confirmat hanc castigationem Ruffini Turrianus lib. 3. epist. Pontificum, quod hæc lectio sexti Canonis in nullo hactenus exemplari sive Græco sive Latino inventa sit. Quæ si aliquando inventa esset, qui eam potius citassent ac Romanis Episcopis objecissent, quam Græci, cum de principatu in Florentino Concilio contendebant? Itaque Ruffinus non sic hunc Canonem invenit: sed sic interpretatus est, id est non bene. Ut illud item in Canone 9. ejusdem Nicæni Concilij malè est interpretatus, quod ait de Clericis Catharis in ordine suo recipiendis, sed *ordinatione datâ*, sic enim interpretatus est Χειροτονήσας, cum potius interpretari debuisset, factâ manus impositione, non enim iterum ordinantur clerici isti, qui in ordine suo recipiuntur, sed solùm accipiunt absolutionem, quæ fit per manûs impositionem. Hactenus Turrianus.

Sozomenus lib. 1. cap. 22. aliis visum est legem introducere quæ juberet ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi cum uxoribus quas antè duxissent, quam essent sacris initiati, neutiquam dormirent. At Paphnutius confessor illi legi contradixit, nuptiasque honorabiles & consuetudinem virorum cum suis uxoribus continentiam vocavit, &c. atque istâ quidem licèt conjugij expers suasit Paphnutius: cujus sententiam approbavit Concilium, & de hac re nullam legem tulit: sed eam in cujusque arbitrio, non in necessitate poni voluit. Sed hanc historiam ut adulterinam tomo primo excussimus. Nec veritati consentaneum est quod dicit Sozomenus, nullum à Patribus ea de re sancitum canonem, ob id quod non cogere vellet quemquam, sed relinquere cuique quod vellet facere, liberum: nam id necessariò scripta lege sanciendum erat, cùm scriptus Canon his contrarius militaret, quo personæ illæ fuerant definitæ, quibuscum clericis liceret habitare. Vide suprà in Apparatu 3. p. sub finem.

Paphnutius.

Quoniam in sexto Canone mentio habetur de Romana Ecclesia, nescio quonam pacto in mentem venire potuit aliquorum, quos terra nubes odij sic excæcavit, ut palpent quod dicitur in meridie, dicantque Romanam Ecclesiam à Nicæno Concilio privilegia quibus potitur, esse fortitam. Qui hæc effutiit fuit inter alios Theodorus Balsamon, qui tunc ait institutum esse Romanum Patriarcharum, atque tres alios: quo nihil insulsius dici potuit. *Ecclesiæ Romanæ privilegia*, ait Nicolaus Papa in epist. ad Michaëlem Imperatorem, *Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à sanctis universalibus Synodis celebrata, atque à cunctis jugiter Ecclesia venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus & quod Deus statuit, firmum valdamque consistit, &c.* Scilicet primatus Ecclesiæ Romanæ supra cæteras totius orbis Ecclesias est de jure divino, à Christo institutus, divinitusque radicatus, nullo modo à Concilijs inventus.

Primatus Ro. Pontificis est juris divini.

Sed non cesso Eusebij calliditatem vehementiùs admirari, dum ipse retexens historiam de Nicæno Concilio, nihil prorsus habet de Arrij atque Arrianorum damnatione, nec quidquam meminit de datis literis adversùs Arrium & scripta ipsius: atque perinde ac in magna Synodo nihil præterea gestum fuisset quàm de Paschate obortam dirimere controversiam, lib. 3. de vita Constantini c. 20. scilicet ex illis fuit qui ægrè damnationi Arrij subscripserunt, quod ejus opinionem probatam apud se haberent. Quod de isto Eusebio, fallor ni perspicuè agnoscatur ex lib. 4. de Demonstratione Evangelica cap. 7. ubi licet multa gloriosa de Verbo Divino dicat, ostendit tamen Deum Patrem quasi illo esset major, qui cum singulis gentibus Angelos in duces præficeret, melius egit cum populo Judæorum illi Christum ac Verbum præficiendo tanquam eminentissimum præsidem qui nos sensim invitavit traduxitque ad universi Conditorem Deum altissimum colendum. Quod mysterium docuit dicens; *Quando dividebat Altissimus gentes & dissemināvit filios Adam, constituit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei, & facta est portio Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel.* Hæc siquidem erat Arrianorum Theologia in veteri Testamento, Verbum quasi Angelum à Deo missum magna quælibet operatum fuisse, donec tandem carnem assumeret pro salute hominum, atque adeò Israëlitas verum Deum coluisse, quod à potentiori genio regerentur.

Eusebij astus.

Deuter. 32.

De numero Canonum Nicæni Concilij etiam est

Numerus Canonum Nicænorũ.

multiplex opinio. Græci omnes asserunt & tuentur, Nicæni Concilij Canones viginti tantùm fuisse: idque Theodoreti lib. 1. cap. 8. & Ruffini lib. 1. cap. 6. ex his duos in duas alias partes dividentis, atque ita viginti duos Canones enumerantis, authoritate confirmant; adduntque post diligentem inquisitionem factam, in Archivis Alexandrinæ, Antiochenæ, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ (ut constat ex epistola & Actis Synodi Carthaginensis sextæ) non plures quàm viginti Canones repertos esse. Verius tamen est, plures quàm viginti à Patribus Nicæni Concilij constitutos fuisse, eorumque nonnullos naufragium passos esse. Idque his rationibus evidenter ostendo. Primo non extat canon ille, qui, ut Eusebius lib. 3. de Vita Constantini, Athanasius in epist. de Synodo Arimin. testantur, unus ex præcipuis fuit, quo decretum est, ut Pascha non nisi Dominico die celebraretur. Secundò, Neque extat is Canon de bigamis ab Ordinibus arcendis constitutus, de quo S. Ambrosius epist. ad Vercell. Episcopum hæc ait: *Sed prius cognoscamus, non solùm hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse; sed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatum addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* Tertiò, Ubi, quæso, invenitur Canon de scripturis divinis & authenticis, cujus sanctus Hieronymus ep 3. meminit his verbis: *Sed quia hunc librum* (Judith) *Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ.* Quartò S. Augustinus epist. 118. allegat Canonem Nicænum, quo, ne duo Episcopi in eadem Ecclesia sedeant, sanctè & piè cavetur. Concilio Carthaginensi III. can. 48. dicitur, à Patribus Nicæni Concilij constitutum fuisse, ut nonnisi à jejuno Sacrificium offeratur. A Concilio Carthaginensi VI. cap. 3. citatur ex Nicæno Canon de appellatione ad Apostolicam Sedem Episcopis concessa: quem, ante habitum Sardicense Concilium, statutum fuisse, ex Theodoreto constat, qui de Juliano Romæ Athanasij causam cognoscente lib. cap. 4. hæc ait: *Ille Ecclesiæ Canonem secutus, & eos jussit Romam venire, & divinum Athanasium, qui pro seipso in judicio responderet, vocavit.* Hoc eodem Concilio Nicæno idem Canon à Patribus sancitus est, quo cautum fuit, ut res cognitæ in minori Synodo, in majori iterum examinari atque tractari possent: de quo Julius Papa epist. ad Arrianos hæc ait: *Episcopi in magna Synodo Nicæa congregata, non sine DEI consilio permiserunt priores Synodi acta in alia Synodo examinari.* Demum in fine Concilij Chalcedonensis refert Atticus, in Nicæno Concilio canonem quemdam editum esse, quique ibidem cum annotationibus reperitur, ut formatarum literarum certa quædam scribendi forma ac ratio determinaretur; quæ apud Episcopos tantùm Catholicos secreta retineretur, ne vulgatam formulam impostor aliquis hæreticus vel schismaticus per fraudem confringens, se pro Catholico venditaret, & Catholicam communionem suffuraretur. Quæ fuerit ratio & forma scribendi formatas, loco allegato patebit. Plures ergo Canones, quàm hic reperiuntur, a sancta Synodo constitutos fuisse, ne quidem ipsi Græci, numeri Canonum vicenarij tenacissimi custodes ac vindices, negare possunt. Huc illud etiam pertinet quod teste Sozomeno lib. 3. cap. 19. in fine, ex instituto hujus Concilij, ad Hymnum glorificationis hunc, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, quem Apostoli instituerant, hæc quæ sequuntur, *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum*, addita fuerint: ideò, quod Arriani blasphemantes dicerent Filium à Patre in tempore factum, & fuisse tempus quando non erat.

Adde istis in Concilio Nicæno statutum fuisse ut sublatis Olympiadibus, à primordio Christianæ libertatis annorum computatio inciperet, apud Ciaconium in *Isagoge*, in vitas Pontificum. Item actum fuisse de veritate Corporis Christi in Eucharistia, ac de transubstantiatione. Quod arbitratur Claudius de Sainctes Ebroicensis Episcopus in libro de rebus controversis Eucharistiæ septimâ repetitione cap. 1. vehementesque habitas fuisse de iis disputationes in primis Conciliis. Horum, inquit, si extarent acta ac monimenta omnia, omni fortassis labore levaremur. Sed quoniam ita Deo visum est, ut in sudore vultus nostri vescamur pane nostro, commendemus illi animas nostras, studia & operas, &c. polliceturque ex his se fragmenta non pœnitenda citaturum lib. 2. qui est tomus illius secundus adhuc prælum expectans. Quare videtur plures canones Nicænos periisse in confusione illa rerum Ecclesiasticarum per Arrianos, quos etiam testatur D. Athanasius in Epist. ad Marcum, conquisitos eos canones per totum Orientem, concremasse, adeò ut nullibi tota Ægypti exemplaria horum reperiantur, salvi tamen illi evaserunt quos minus apertè suæ causæ nocere putaverunt.

Eucharistia.

Verum illi qui plures Canones desiderat hujus Synodi, eos ex epistola prima Julij Pontificis suppeditamus, ne labori nostro in re tanta parcere videamur, lectorisque aviditatem frustrari. Nec enim arbitrandum Summos Pontifices epistolas non scripsisse, quandoquidem & ipsi Apostoli plures scripserunt, sicut D. Petrus, D. Paulus, D. Joannes, D. Jacobus.

Ex epistola 1. Julij Papæ ad Orientales.

TAles insidiatores spiritu prævidentes sancti Patres in Nicæa congregati, leges statuerunt, quas nos Canones appellamus, ne facilè probi ab improbis damnarentur, ex quibus nonnullas sententias his inseri judicavimus, ut tantorum Patrum authoritate, nostra roboraretur epistola, atque omnes Orientales, sive reliquarum partium Episcopi hæc audientes, in tantam foveam non incidant, ne damnationem à Patribus decretam percipiant. Sequuntur enim hæc ex prædicto Concilio Nicæno capitula, id est, 18. 19. 21. 23. 26. 27. 28. 33. 41. & 5. 7. & 8. 9. ac 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 60. 61. 3. 66.

Canones Nicani ex Julio Papa.

2. Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad matrem confugiant, ut ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cujus dispositionis omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum eorumque successorum, atque canonum authoritas reservavit: Quoniam culpantur Episcopi qui aliter erga fratres egerint, quam sedis ejusdem Papæ fieri placuerit.

3. Placuit ut accusatus & judicatus à Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicto Pontifex causam suam audit, nullus alius in ejus locum ponatur aut ordinetur Episcopus: quoniam quamquam à comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis secutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano Pontifice, permissum est, cùm B. Petro Apostolo, & non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.*

Romanus Pontifex.

4. Si quis putaverit, à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceseos aut penes universalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam judicetur.

5. Accusatores & accusationes, quas leges sæculi non adscivit, & nos una nimiter submovemus; Nec fiat in districta probatione impietas, cùm recta sit judicij in electione sententia.

6. Nullus Episcopus alterius parochianum retinere præsumat, aut ordinare absque Episcopi voluntate, vel judicare, salva tamen in omnibus Apostolica authoritate: quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio: quoniam censemus nullum alterius judicis,

Ordo judiciorum Ecclesiasticorum.

niſi ſui ſententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit.

7. Si quis erga Epiſcopum vel actores Eccleſiæ, ſe proprium habere crediderit negotium, non priùs adeat judices, quàm ad eos recurrat charitatis ſtudio, ut familiari colloquio commoniti, ea ſanare debeant, quæ in quærimoniam deducuntur. Quod ſi aliter egerit, communione privetur.

8. Nemo Pontificum deinceps Epiſcopum ſuis rebus expoliatum aut a ſede pulſum, excommunicare aut judicare præſumat: quia non eſt privilegium, quo poſſit ſpoliari jam nudatus.

9. Pari tenore decernimus, non credi accuſatori, qui abſente adverſario cauſam ſuggerit ante utriuſque partis diſcuſſionem. Nec accuſatores, nec teſtes ſuſcipi qui non ſunt idonei.

10. Placuit, ut ſi accuſatus, vel damnatus Epiſcopus appellavit Romanum Pontificem, id ſtatuendum, quod ipſe juſtè cenſuerit. Et omnes qui adversùs Patres armantur, infames eſſe cenſemus, neque eos qui cum inimicis morantur, ad accuſationem vel teſtimonium recipiendos.

11. Placuit, ut ſemper in accuſatione clericorum, primò perſona, fides, vita & converſatio blaſphemantium perſcrutetur. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide, infidelis eſt. Nec eis omnino eſt credendum, qua veritatis fidem ignorant, nec rectæ converſationis vitam ducunt: quoniam tales & facilè indifferenter lacerant & criminantur rectè & piè viventes. Ideò ſuſpicio eorum diſcutienda eſt primò & corrigenda.

Verum eſt, hanc Julij epiſtolam ut ſpuriam rejici ab hæreticis hodiernis. David Blondellus unus ex Calvini catulis multis latratibus eam exagitat. Quæ vocantur à Julio antiqua ſtatuta, ipſe inſanientis cerebri vocat figmenta. Phraſim epiſtolæ ineptiſſimam ait, & qui eam Julio ſuppoſuit, veritate hiſtoriæ neglecta, quidquid in buccam venit evomuiſſe veriùs quam elocutum, denique mendaciſſimis placitis conſperſam fuiſſe. Quæ omnia in odium Eccleſiæ Romanæ effutit Sycophanta mordaciſſimus: ſicut & Arriani eodem acti odio, acta plura Concilij ſuppreſſerunt, cùm rebus potirentur, quæ cauſa eſt cur ſit hodiè facilius ea negare, quæ revocantur in dubium, quàm eadem probare. *Blondellus.*

Denique cùm finem imponebamus huic Synodo, venit nobis in manus Gelaſij Cyziceni commentarius actorum Nicæni Concilij Roberto Balforeo Scoto interprete, qui Author vixit circa annum Domini 476. de quo mentionem fecimus ab initio. Ex quo hæc adhuc addenda eſſe judicavimus. Ex libro 2. cap. 12.

Sancta & magna & generalis Synodus Sanctorum Patrum Nicææ congregatorum, per beatum & ſanctum Hoſium Epiſcopum civitatis Cordubæ in Hiſpania, tenentem locum Epiſcopi Romani, cum prædictis ejuſdem ſedis Preſbyteris, altero ipſum interpretante dixit: Divinitas non eſt una perſona, ut Judæi exiſtimant, ſed tres perſonæ verè ſubſiſtentes, non ſolo nomine, & hoc pluribus teſtimoniis in veteri & novo Teſtamento prædicatur. Vetus quidem magis corporeo adhuc modo differens, Verbum quaſi loquens exhibuit: Novum autem, Verbum Deum eſſe demonſtravit, juxta illud, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & perſonam perfectam ex perfecta. Deus enim eſt, non pars, Filius, ſed perfectus ſicut & Pater: ejuſdem eſſentiæ cujus & qui eum ineffabili modo genuit Pater, & Filius, ſimul ſubſiſtit Spiritus ſanctus ejuſdem eſſentiæ & ejuſdem poteſtatis, cujus Pater & Filius. Unum igitur conſilium, unum regnum, unam voluntatem, unam dominationem in res omnes creatas: tam quæ viſu, quàm quæ mente & intelligentia percipiuntur: Unam Divinitatem & eandem eſſentiam confiteri nos oportet, Patris & Filij & Spiritus ſancti: non prædicantes confuſionem aut diviſionem perſonarum ineffabilis & beatæ illius Trinitatis: ſed ſemper *Joan. 1.*

A verè Patrem veri Filij, ſemper exiſtentem, & Filium, verè Filium veri Patris, ſemper exiſtentem ac ſubſiſtentem, & verè etiam Spiritum ſanctum, ſemper exiſtentem quoque & ſubſiſtentem: Trinitatem individuam, ineffabilem, quæ neque animo concipi, neque ſatis exprimi ſermone poteſt: unam Divinitatem & eandem ejus eſſentiam credimus & confitemur ſecundum ſanctam illam jam olim à Domino per ſanctos ejus Apoſtolos, & antiquos ſanctos Patres noſtros qui illam Apoſtolorum fidem illibatam conſervarunt, nobis ab initio traditam fidei veram dogmatum integritatem, parati ex ſancti Spiritûs arbitrio, per plurima divinarum Scripturarum teſtimonia demonſtrare hæc ita ſe habere.

Item ex lib. 3. cap. 31. ejuſdem Gelaſij. *Canones Nicæni ex Gelaſio Cyzeno*

B

De his qui dicunt non oportere Chriſtianos laborare.

I. QVoniam aliqui nolentes laborare, ſed curioſi eſſe, malè interpretantur factum Domini voces dicentis: *Ne ſitis ſolliciti animæ veſtræ quid manducetis.* Perinde ac ſi verbis ipſis adhærentes non oporteret Chriſtianos terram colere & laborare: Demonſtrandum eſt non ſic dixiſſe Dominum: poſſumus enim laborare & ſecuri eſſe, ſcientes & credentes quod operum noſtrorum incrementum, & fructus ipſe Dominus dat, qui dixit: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & ſurgat nocte & die, & ſemen germinet & aſſurgit, & non noverit ipſe.* *Matt. 6. 25.* *ibid.*

C

De Clericis ſacri Ordinis.

II. CLerici ſacri ordinis cœleſtium typi & imagines eſſe debent: Epiſcopus quidem debet obtinere locum tanquam caput poſt illum Eccleſiæ, quam recepit: Presbyter tenere debet ſedem & locum Seraphicum: Diaconus verò Cherubicum: Miniſtet verò his miniſtrare debet.

Quod non oportet laïcos in ſuggeſtum aſcendere.

III. NOn licet laïcis in ſuggeſtum aſcendere; præter eos, qui legere aut canere ex libris debent.

De ſancto Baptiſmate.

D IV. BAptiſma noſtrum non oculis corporis conſiderandum eſt, ſed mentis. Aquam vides, conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam. In ſancto enim Spiritu & igne baptizari nos docet Evangelium. In fide enim baptizantis & fide baptizati per ſacram invocationem plenas ſanctificatione Spiritus, & ignis divini aquas conſidera; *Ipſe enim*, inquit, *baptizavit vos Spiritu ſancto, & igne.* Deſcendit itaque qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius ſervituti corruptionis. Et aſcendit liberatus ab hac ſervitute & peccato, factus filius Dei, & hæres gratia ipſius factus, cohæres autem Chriſti indutus ipſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: *Quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* *Matth. 3. verſ. 11. Luc. 3. 16. hic profuo C. Mb P.*

E

De divina menſa, & de eo quod in ipſa eſt, myſterio Corporis & Sanguinis Chriſti.

V. ITerum etiam hic in divina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollentes mentem fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatum: & pretioſum ipſius Corpus & Sanguinem verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum, ut ſciamus, quod non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus.

De reſurrectione à mortuis.

VI. NOn ſimpliciter Dominus ſuam ipſius carnem pro nobis paſſioni & morti tradidit, ſed ut noſtram ſalutem procuraret, cùm liber eſſet à morte, ut ſermo ſuperius demonſtravit. Clamat Propheta quaſi ex perſona ipſius, prædicens futurum ejus
Pſal. 87. 5. ſecundum carnem OEconomiæ myſterium; *factus ſum*, inquit, *quaſi homo ſine adjutorio, inter mortuos liber.* Quis autem liber à morte niſi Deus? ſed juxta prius oſtenſas demonſtrationes incarnatus propter hominum dilectionem, factus quaſi homo ſine adjutorio, humilians ſuam ipſius carnem uſque ad mortem, mortem autem crucis, quæ & reſurrexiſſe prædicatur, ut poſtquam nos immortales fecerit per primitias noſtras, reſurrectionis ſpem nobis etiam deſperatis ſuppeditaret, ut non ampliùs obnoxij ſimus morti æternæ: ſed liberi, quemadmodum & primitiæ noſtræ
1. Cor. 15. Chriſtus, ut inquit beatus Apoſtolus Paulus, *Primitiæ Chriſtus: deinde hi qui ſunt Chriſti in adventu ipſius.* Et ipſum Salvatorem hunc Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Dei & Patris Filium unigenitum expectare nos in Cœlis, cum noſtra corpora ex ſepulchris ex-
Phil. 3. 20. citaverit, teſtatur dicens: *Converſatio noſtra in Cœlis eſt, unde & Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Sic enim oportet corpus noſtrum clarificari, ſicut & Corpus Domini, ut malitiam & eas quæ nunc ſunt paſſiones ſuſcipere nequeat, liberum à morte & peccato, ſanctum, ut in novitate vitæ cum ipſo poſſimus ambulare in cœleſti lumine, ſemper cum ipſo Chriſto regnantes. In hac enim ſpe ſanctum baptiſma percepimus, & ſalutarem Sanctorum ejus membrorum participationem ſuſcepimus, hæc Eccleſiæ Catholicæ dogmata ſunt.

Quod una eſt Eccleſia Dei.

VII. VNa eſt Eccleſia in Cœlo, eadem & in terra, & in hac requieſcit Spiritus ſanctus. Hæreſes autem quæ extra hanc ſunt, quas habent homines, non ſunt doctrinæ Salvatoris noſtri, neque Apoſtolorum, ſed Satanæ & Patris eorum Diaboli. Quę autem ſunt hæreſes Judæorum, & Græcorum, alio docent modo, ut veram vitam hominibus auferant.

De Providentia Dei, & de mundo.

Sic habet C. M. P. St. VIII. MInor mundus per providentiam factus eſt, prævidit enim peccaturum eſſe hominem, idcirco novos Cœlos, & novam terram ſperamus, juxta ſacras litteras, apparente nobis præſentia & regno magni Dei, & Salvatoris Jeſu Chriſti, &
Dan. 18. tunc (ut ait Daniel) *Percipient ſancti regnum Altiſſimi*, & erit terra pura, ſancta terra viventium & non mortuorum. Quam oculis fidei prævidens David cla-
Pſ. 26. v. 13. Matt. 5. mat: *Credo videre bona Domini in terra viventium*, terra manſuetorum & humilium; *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et Propheta: *Et calcabunt ipſam*, ait, *pedes manſuetorum & humilium.* Has ex elaboratis à ſanctis noſtris Patribus conſtitutionibus Eccleſiaſticis, paucas ex multis hoc commentario deſcripſimus. Ediderunt autem & Eccleſiaſticos Canones viginti in Nicæna Synodo, &c.

CANONES ARABICI LXXX.

ILlos prætermittimus ut ſuppoſitios. Quod nobis magis perſuadet Lectio 36. Canonis, qui plus ſtatuit de Patriarcha Alexandrino, quàm ſtatutum fuiſſe narratur in Epiſtola Concilij ad Eccleſias Ægypti, quæ data eſt in 2. parte inter epiſtolas.

APPENDIX.

CONCILII NICÆNI,

ſeu Concilium Sardicenſe,

IN THRACIA SUB JULIO Pontifice, præſidentibus ejus Legatis Oſio Epiſcopo cum Archidamo & Philoxeno Preſbyteris, contra Arrianos tempore Conſtantii & Conſtantis Imperatorum anno Chriſti 347.

QVi partem Arrij fovebant Epiſcopi, cum deberent Concilij Nicæni Symbolo ac fidei acquieſcere, contra ſuadente diabolo omnem lapidem moverunt, ut fidem illam Catholicam everterent, ac variis artibus conciliato ſibi Conſtantij Imperatoris in Oriente animo, quem per perverſos Sacerdotes in ſuam perfidiam traxerunt, ſub ejus authoritate, præſidio, favore, ac auxilio perſequutionem graviſſimam in Catholicos moverunt. Ut tunc magni Anthonij in Ægypto Monachi divinatio exitum ſortiretur, de quo narrat Nicephorus Eccl. Hiſt. lib. 10. c. 48. quod priuſquam ſub Conſtantio Arriani Eccleſiis regendis in Oriente primas tenerent, in ſomnis ſibi videre viſus eſt equos multos cum impetu in ſanctius ſacrarium inferri, atque ibi ſalientes calcibuſque ſe petentes, ſacram evertere menſam: Cumque evigilaſſet expoſuit futurum, ut adulterinorum monſtruoſorumque dogmatum confuſio Eccleſiam Dei occuparet, & alienæ doctrinæ aſſertorum inſultus ſacram peſſundarent menſam, omniaque in templo Dei everterent. Maximè autem in D. Athanaſium Alexandriæ Epiſcopum vim omnem concitaverunt ut acerrimum fidei Nicænæ ac Catholicæ defenſorem. Varia celebrantur Concilia ex utraque parte, quibus malum non imminuitur. Varias ſcribit litteras Julius Summus Pontifex Romanus ad hos Epiſcopos, vocat ad Romana Concilia, ſed nihil proficit, ait Sozomenus lib. 3. cap. 9. Id fiebat ſub auſpiciis Conſtantij qui primam Synodum evertere conabatur. Cum autem hæc reſciviſſet ejus Frater Conſtans Occidentis Imperator, fratri ſuo bellum litteris minatus eſt, niſi rectam fidem labefactare deſineret; viſum eſt ergo Imperatoribus, ut Sardicæ ſeu Triaditræ Epiſcopi convenirent & de iis quæ Nicææ decreta erant, diſceptarent. Congregati ergo ſunt trecenti quadraginta & unus Epiſcopi. Quod autem Julius Papa hanc Synodum etiam pro ſua authoritate congregaverit, palam fit ex eo quod ait Socrates lib. 3. cap. 16. quoſdam Epiſcopos ad hoc Concilium non veniſſe propter corporis infirmitatem, alios vero cauſatos anguſtiam temporis à Julio præſtituti. Quod argumentum eſt Julium Pontificem hanc Synodum indixiſſe, licet Imperatores ad coadunandos facilius tot Epiſcopos, ſimul eos convocaverint, ut ex hoc hæretici primatum nullo jure poſſint attribuere in res Eccleſiaſticas ſæculari poteſtati. Præterquam quod cum inveniantur Oſius Epiſcopus Cordubenſis in Hiſpania, ac Preſbyteri Julij Archidamus & Philoxenus primi ſubſcripſiſſe, ut infra patebit, nec id aliter fieri potuerit niſi ſub nomine ipſius Julij Romani Pontificis, argumento quoque neceſſario deducitur ipſum eidem præfuiſſe.

Somnium S. Anthonii de Arrianis.

Occaſio Concilii.

In hoc autem Concilio quid geſtum, quid decretum patere poteſt partim ex epiſtolâ ejuſdem Concilij ad omnes Epiſcopos, quam hic integram ſubjungimus ex Theodoreto, partim ex ejuſdem Concilij Canonibus; *l. 2. hiſt. c. 6.* quibus adjungemus ea quæ ex hoc Concilio conſequun-

Hiſtoria neceſſaria.

tæ ſunt, ut ſic rei hujus notitia dimenſior & amplior detur: nec enim ſatis intelligi poſſunt Concilia niſi cum ejus decretis & Canonibus aliquid etiam ex hiſtoria excerptum admiſceatur. Hoc ante omnia annotato, quod mendax eſt inſcriptio editioni Conciliorum Surij ab incerto authore præfixa. *Anno ſexto Conſtantij Imperatoris, Leontio & Saluſtio Conſulibus, æra 381. Sardicenſis Synodus congregata eſt.* Nam Socrates l. 2. cap. 15. ſic habet. *Vndecimo anno poſt mortem patris duorum Auguſtorum, Ruffino. & Euſebio Conſulibus, Concilium Sardicenſe coactum eſt.* Hoc idem affirmat Sozomenus lib. 3. cap. 11. in fine. Unde conſtare poteſt anno Chriſti 347. Julij Pontificis undecimo Synodum hanc celebratam fuiſſe, qua de re Baronius ad eumdem annum 347. Nam in his quæ ſunt Chronologiæ multum nolumus immorari, cum authorem nanciſcimur qui ſe in iis difficultatibus attentiorem præbuit.

Probè autem tuetur iſtud Concilium jura Ro. Pontificis, quod ea tunc Euſebiani, ſicut eſt mos hæreticorum omnium, interturbare conarentur. Vocatique ſunt aliquando ejus Canones, Nicæni, quod in Nicænis quaſi virtute continerentur. Qua parte & Symbolum Conſtantinopol. dici ſolet Nicænum, ut advertit Chriſtianus Lupus in notis & Scoliis: Licet plures ut Concilium ſpeciale & à cæteris diſtinctum admittant, in quo nihil abſurdi, aut magnopere improbandi admiſerunt. Sicut nec illi qui primam aut ſecundam illius verſionem, cum plures ſint, ſequuntur.

In aliud Concilium & Nicæn.

Epiſtola Synodi Sardicenſis.

SAncta Synodus per Dei gratiam Sardicæ congregata, ab urbe Roma, Hiſpania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Affrica, Sardinia, Pannonia, Moëſia, Dacia, Dardania, Dacia altera, Macedonia, Theſſalia, Achaïa, Epiris, Thracia, Rhodope, Aſia, Caria, Bithynia, Helleſponto, Phrygia, Piſidia, Cappadocia, Ponto, Phrygia altera, Cilicia, Pamphylia, Lydia, Inſulis Cycladibus, Ægypto, Thebaïde, Lybia, Galatia, Paläſtina, Arabia, omnibus ubique Epiſcopis, & communiſtis Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, dilectis fratribus in Domino ſalutem.

Multa quidem & frequenter auſi ſunt Arriani hæretici adverſus ſervos Dei, qui rectam fidem cuſtodiunt. Adultera enim ſuppoſita doctrina, Orthodoxos expellere tentarunt. In tantum autem exſurrexerunt contra fidem, ut religioſiſſimorum Imperatorum aures non lateret. Itaque Dei adjuvante gratia, iidem Imperatores religioſiſſimi ex diverſis nos provinciis & civitatibus congregarunt, & ſanctam hanc Synodum in Sardicenſium urbe celebrari permiſerunt, ut omnis diſſenſio amputetur, pravaque doctrina penitus rejecta, pietas in Chriſtum ſola apud omnes conſervetur. Venerunt enim Epiſcopi ab Oriente, eorumdem religioſiſſimorum Principum impulſu, maximè ob ea quæ frequenter jactabant de dilectiſſimis fratribus & conſacerdotibus noſtris, Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ, & Marcello Epiſcopo Ancyræ, Galatiæ, & Aſclepa Gazæ. Nam ad vos etiam fortaſſe illorum calumniæ pervenerunt, & fortaſſe aures veſtras commovere tentarunt, ut adverſus innocentes credatis quæ dicunt, & ſceleratæ hæreſis ſuæ ſuſpicionem tegant. Sed non diutius hæc illis facere permiſſum eſt. Eſt enim gubernator Eccleſiarum Dominus, qui pro his & pro nobis omnibus mortem ſuſtinuit, & per ſeipſum aſcenſum in Cœlos nobis omnibus tribuit. Olim ergo cùm ſcripſiſſent Euſebius, Maris, Theodorus, Theognis, Urſacius, Valens, Menophantus, & Stephanus, Julio conſacerdoti noſtro, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo, adverſus prædictos Coepiſcopos noſtros, Athanaſium, inquam, Epiſcopum Alexandriæ, & Marcellum Epiſcopum Ancyræ Galatiæ, & Aſclepam Gazæ: ſcripſerunt & aliarum partium Epiſcopi, Athanaſij conſacerdotis noſtri teſtificantes innocentiam, & quæ ab Euſebio acta fuerant meras eſſe calumnias & mendacia. Et quamquam vel eo maximè, quod à Julio conſacerdote noſtro vocati non venerunt, & ex iis quæ ab eodem Julio Epiſcopo ſcripta ſunt, liquidò patuit horum falſa criminatio. Venilſent enim prorſus, ſi quam in iis quæ fecerant, quæque adverſus Coepiſcopos noſtros egerant, fiduciam habuiſſent. Attamen ex iis etiam quæ in hac ſancta & magna Synodo egerunt, manifeſtiora fraudis ſuæ commenta prodiderunt. Nam cùm Sardicam venilſent, viderentque fratres noſtros Athanaſium, Marcellum, Aſclepam, & alios, in judicium venire timuerunt, & non ſemel neque iterùm, ſed ſæpiùs vocati invitationi non paruerunt: etſi congregati Epiſcopi omnes, imprimiſque venerandæ ſenectæ Oſius, qui & propter ætatem, & propter fidei confeſſionem, & propter tantos labores, omni reverentia, & honore dignus erat, illos expectarent, hortarenturque ut venirent ad judicium, ut ea quæ de abſentibus Coëpiſcopis dixerant, vel contra eos ſcripſerant, præſentes poſſent convincere. Sed vocati; ut diximus, non venerunt, ſuam hoc ipſo calumniam oſtendentes, fraudulentamque molitionem, & inſidias tergiverſatione ſuâ quodammodo proclamantes. Nam qui dictis ſuis confidunt, ea coram aſſeverare non recuſant. Cùm autem venire auſi non ſint, nemini obſcurum eſt, ut credimus, ſi quid illi rurſum nocere velint, eos, cùm adverſus conſacerdotes noſtros probare nihil poſſint, obtrectare quidem abſentibus, ſed vitare præſentes.

Fugerunt enim, dilectiſſimi fratres, non ſolùm propter calumniam qua nos appetiverunt, verumetiam quia ibi præſto eſſe videbant qui ipſos de variis criminibus accuſarent. Ferrum enim & vincula proferebantur, & homines ab exilio reverſi, & ab iis qui adhuc in exilio detinebantur miſſi aderant comminiſtri, propinqui etiam & amici eorum, qui per iſtos fuerant interempti: & quod caput eſt, præſto erant Epiſcopi, quorum alius ferrum & catenas oſtendebat, quas iſtorum opera geſtarat, alij mortem ex eorum calumnia intentatam teſtabantur. Nam eo uſque proceſſerunt amentiæ, ut etiam Epiſcopum necare aggreſſi ſint, neceſſentque omnino, niſi ex eorum manibus elapſus eſſet. Denique exceſſit collega noſter beatus Theodulus fugiens ipſorum calumniæ infeſtationem: ex eorum enim falſa inſimulatione juſſus fuerat interfici. Alij autem gladiorum plagas oſtendebant; alij ſe fame ab iis excruciatos querebantur. Et hæc non ignobiles viri teſtificabantur; ſed integræ Eccleſiæ à quibus legati qui venerant milites docebant gladiis cinctos, turbas cum fuſtibus, judicum minas, falſarum litterarum ſuppoſitiones. Lectæ enim ſunt litteræ à Theognide confictæ contra collegas noſtros Athanaſium, Marcellum, & Aſclepam, ut Imperatores adverſus illos concitarent: Et has litteras, qui Theognidis diaconi tunc erant, convicére. Ad hæc virginum denudationes, incendia Eccleſiarum, carceres comminiſtrorum: neque ob aliam cauſam hæc omnia, quàm propter infandam hæreſim Arrianorum illorum enim communionem qui recuſabant, iſta perpeti cogebantur. Hæc igitur illi conſiderantes, in arcto habebant quid caperent conſilij. Nam cum erubeſcerent ob ea quæ commiſerant, eo quod amplius occultari non poterant, Sardicam venerunt, ut adventu ſuo ſuſpicionem, quaſi nihil deliquiſſent, excludere viderentur. At cum eos ibi accuſatores viderent, quos ipſi falſo inſimularant, & quos calamitatibus afflixerant, & in oculis eſſent documenta probationum, venire vocati noluerunt. Maximè cùm collegæ noſtri Athanaſius, Marcellus, & Aſclepas magna fiducia judicium imploraverunt, & illos provocarent ſponderentque ſe non ſolùm eorum calumniam refutaturos, ſed omnia etiam quæ adverſus Eccleſias admiſerant patefacturos.

Arrianorum acta crudelia.

At illi tanto conſcientiæ terrore perculſi ſunt, ut in fugam ſe dederint, & calumniam ſuam fugiendo pro-

diderint, & quæ peccarant repentino diſceſſu confeſſi ſint. Et quamquam non ſolùm ex prioribus, ſed ex his etiam illorum malitia & falſitas innotuit: tamen ne ex fuga ſua novi facinoris alicujus anſam arriperent, conſultum duximus ſcenicos illorum actus ad veritatis normam expendere. Quod facere aggreſſi, ex geſtis comperimus ipſos Sycophantas eſſe, & meras inſidias noſtris Coëpiſcopis ſtruxiſſe. Arſenius enim ille, quem ab Athanaſio interfectum dicebant, vivit etiamnùm, & in vivis cenſetur: & ex hoc uno cætera, quæ de aliis vulgarunt, vana eſſe apparet. De poculo autem, quod confractum aiebant à Macario Preſbytero Athan. teſtati ſunt qui ab Alexandria & Mareote, aliiſque locis venerant, tale factum nihil eſſe. Sed & ex Ægypti Epiſcoporum litteris ad Julium conſacerdotem noſtrum abundè confirmatum eſt, ne ſuſpicionem quidem ibi ejus rei fuiſſe. Quin & acta, quæ contra illum habere ſe aiunt, unius partis ſtudio confecta fuiſſe conſtat. Et tamen in his ipſis actis interrogati fuere gentiles & Catechumeni & ex Catechumenis unus, cum interrogaretur, reſpondit intùs ſe fuiſſe, quando Macarius eò ſupervenit: alter interrogatus dixit Iſchyram, quem jactabant tunc temporis ægrotum in cellula jacuiſſe: ut ex eo appareat, nullum omnino celebratum myſterium fuiſſe, quod intus erant Catechumeni, & ex morte decumbens Iſchyras non aderat. Nam & Iſchyras ipſe, imo nequiſſimus, qui mentitus fuerat cum diceret Athanaſium librum quemdam de divinis ſcripturis exuſiſſe, idem ſe convictum faſſus eſt ægrotaſſe & decubuiſſe, cùm adfuit Macarius, ut hinc etiam liqueat Sycophantam fuiſſe. Denique Sycophantiæ iſtius præmium Iſchyræ honorem Epiſcopatus dedere, homini qui ne Preſbyter quidem fuit. Venientes enim ad Concilium duo Preſbyteri, qui cum Meletio tunc fuerant, & poſtea à beatæ memoriæ Alexandro Epiſcopo Alexandriæ ſuſcepti, cum Athanaſio nunc agunt, teſtati ſunt, neque unquam Meletij Preſbyterum hunc fuiſſe, neque apud Marcotem Eccleſiam aut miniſtrum ullum habuiſſe Meletium. Et tamen hunc, qui Preſbyter non eſſet, velut Epiſcopum ſecum adduxerunt, ut hoc nomine videantur auditores in ſua Sycophantia percellere. Lectus etiam eſt liber Conſacerdotis noſtri Marcelli, in eoque deprehenſa Euſebij & ſodalium exquiſita malitia. Quæ enim Marcellus velut quærendo poſuerat, ea tanquam aſſeverarent calumniati ſunt. Quare lecta ſunt quæ ſequebantur, quæque antecedebant quæſtionem, & recta fides ejus inventa eſt. Neque enim ex ſancta Maria, ſicut ipſi affirmarunt, initium Deo verbo dedit: neque finem regnum ejus habere; ſed ſine principio ac ſine fine eſſe ſcripſit. Sed & Aſclepas quoque comminiſter noſter acta protulit Antiochiæ confecta præſentibus adverſariis, & Euſebio Cæſarienſi, atque ex judicum Epiſcoporum ſententiis innoceniam ſuam comprobavit. Meritò igitur, fratres dilectiſſimi, ſæpiùs acciti non paruerunt, & meritò fugerunt. Nam ſtimulis acti conſcientiæ ſuas ipſi calumnias fuga confirmarunt & credi de ſe illa fecerunt, quæ præſentes accuſatores dicebant, & reipſa oſtendebant.

Fuga Arrianorum ex Sardicâ.

Accuſatio-nes falſæ contra Catholicos.

In caſtris hæret. cito proficiunt.

Ad hæc inſuper omnia, depoſitos ob Arrij hæreſim, & ejectos non ſolùm ſuſceperunt, ſed ad majores etiam gradus evexerunt, Preſbyteros nimirum creantes ex Diaconis, & Epiſcopos ex Preſbyteris, non alio conſilio, quàm ut impiam doctrinam latius ſpargerent, ac propagarent, & ſinceram fidem labefactarent. Horum porro duces ac Principes poſt Euſebium nunc ſunt Theodorus ab Heraclea, Narciſſus à Neroniade, Stephanus ab Antiochia, Georgius à Laodicea, Acacius à Cæſarea Palæſtinæ, Menophantus ab Epheſo Aſiæ, Urſacius à Singiduno Mœſiæ, Valens à Murſa Pannoniæ. Hi etenim eos qui unà cum ipſis venerunt ab Oriente, nec ſanctam Synodum ingredi permiſere, nec omnino ad Dei Eccleſiam accedere. Et cùm Sardicâ venirent, Synodos inter ſe per loca privatas egerunt, pactiq; ſunt, minis interpoſitis, ſe ubi Sardicam pervenirent, neq; ad judicium prorſus accelluros, neque in unum cum ſancta & magna Synodo coituros: ſed ſimul ac urbem ingreſſi adventus ſui fidem purgationis ſuæ gratia feciſſent, inde ſe fuga ſubducturos. Quæ quidem reſcire nobis licuit ex comminiſtris noſtris Macario à Palæſtina, & Aſterio ab Arabia, qui unà cum ipſis venerunt, ſed ab eorum perfidia receſſerunt. Hi enim venientes ad ſanctam Synodum, vim quam paſſi fuerant conqueſti ſunt, rectèque ab eis nihil agi affirmarunt. Hoc ſimul adjicientes, ibi multos eſſe rectæ fidei cultores, qui huc ab ipſis venire propoſitis interminationibus prohiberentur; atque hac de cauſa ſedulo curaſſe, ut una in domo diverſarentur omnes, neque ut ſeorſim vel tantillum agerent permiſiſſe.

Quia igitur conticeſcere non oportebat, nec inultas relinquere calumnias, vincula, cædes, vulnera, falſo confictas epiſtolas, verberationes, nudationes virginum, exilia, Eccleſiarum everſiones, incendia, tranſlationes à minoribus parœciis ad majores, & ante omnia excitatam denuo per iſtos contra rectam fidem Arrianam hæreſim, propterea chariſſimos quidem fratres, & Coëpiſcopos noſtros, Athanaſium Alexandriæ, Marcellum Ancyræ Galatiæ, Aſclepam Gazæ, & eos qui cum illis Domino miniſtrant, innocentes & puros pronunciavimus, litteris ad ſingulorum parœcias datis, ut Epiſcopi ſui innocentiam Eccleſiæ cujuſque populus agnoſcat, & hunc unum habeat & exſpectet Epiſcopum: illos vero qui luporum inſtar illorum Eccleſias invaſerunt, Gregorium Alexandriæ, Baſilium Ancyræ, & Quintianum Gazæ, nec Epiſcopos nominet quiſquam, nec Chriſtianos, nullamque omnino cum eis communionem habeat, nec litteras ad illos det, nec ab illis accipiat. Theodorum autem ab Heraclea Europæ, & Narciſſum à Neroniade Ciliciæ, Acacium à Cæſarea Palæſtinæ, & Stephanum ab Antiochia, & Urſacium à Singiduno Mœſiæ, & Valentem à Murſis Pannoniæ, & Menophantum ab Epheſo, & Georgium à Laodicea, & ſi is præ motu ab Oriente non venit, ſed tamen quia à beatæ memoriæ Alexandro Alexandriæ Epiſcopo dejectus eſt, & quod ipſe cum cæteris Arrij furorem ſit amplexus, & propter objecta crimina, hos omnes communi calculo dejecit ſancta Synodus de Epiſcopatus gradu: & judicavimus illos non ſolùm Epiſcopos non eſſe, ſed ne communionem quidem cum fidelibus habere. Separantes enim Filium à ſubſtantia ac divinitate Patris, & alienantes Verbum à Patre, ſeparari ab Eccleſia Catholica convenit, & alienos eſſe à nomine Chriſtiano. Sint igitur nobis anathema, eo quod adulteraverunt verbum veritatis. Apoſtolicum enim præceptum eſt, *Si quis vobis Evangelizaverit præterquam quod acceperitis, anathema ſit.* Cum his ne quiſquam communicet præcipite; nulla eſt enim communicatio luci ad tenebras. Hos omnes procul ablegate: nulla enim participatio Chriſto ad Belial. Et cavete, chariſſimi, ut neque ſcribatis ad eos, neque eorum accipiatis litteras. Curate etiam, dilectiſſimi fratres & Conſacerdotes, ut tanquam ſpiritu præſentes Synodo noſtræ conſentiatis, & veſtra ſubſcriptione pariter decernatis, ut ab omnibus ubique gentium Coëpiſcopis noſtris concordia ſerverur.

Gal. 1.

Excommunicantur Arriani.

Abdicamus porrò ab Eccleſia Catholica & exterminamus eos, qui affirmant Chriſtum eſſe Deum, ſed verum Deum non eſſe: genitum eſſe ſimul & ingenitum. Sic enim ſe intelligere genitum profitentur, quia ſic dixerunt, Quod eſt, genitum eſt: & quia cum Chriſtus ante ſæcula ſit, principium ei tribuunt atque finem, qui non in tempore, ſed ante omne tempus generationem habet. Nuper etiam viperæ duæ ex aſpide Arriana prodiere, Valens & Urſacius, qui gloriantur & non dubitant ſe dicere Chriſtianos, qui & Verbum & Spiritum crucifixum, & vulneratum, & mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, quodque hæreticorum cohors contendit,

Definitio fidei.

contendit, diverſas eſſe hypoſtaſes Patris & Filij, & Spiritus ſancti pronunciant, & eas ſeparatas eſſe. Nos autem hanc percepimus & didicimus, & hanc habemus catholicam traditionem & fidem atque confeſſionem, unam eſſe hypoſtaſim, quam ipſi hæretici uſiam vocant, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et ſi quærant quæ ſit Filij hypoſtaſis, profitemur eam eſſe, quam & Patris ſolam eſſe in confeſſo eſt. Neque, inquam, Patrem ſine Filio, neque Filium ſine Patre fuiſſe, nec eſſe poſſe quod eſt Verbum ſine Spiritu. Abſurdiſſimum namque eſt dicere aliquando Patrem non fuiſſe Patrem: & Patrem ſine Filio, neque nominari, neque eſſe poſſe, ipſe Filius teſtatur, *Ego in Patre, & Pater in me*, &, *ego & Pater unum ſumus*. Nullus noſtrum negat genitum, ſed genitum ante omnia quæ viſibilia & inviſibilia nuncupantur, factorem & opificem Archangelorum & Angelorum, & mundi, & humani generis, quoniam ita dicit, *Omnium artifex ſapientia docuit me*, &, *omnia per ipſum facta ſunt*: Nam ſemper eſſe non poterat ſi ſumpſit exordium: jam quod ſemper eſt Verbum initium non habet: Deus autem nunquam terminum admittit. Non dicimus Patrem Filium eſſe, nec rurſus Filium Patrem eſſe: ſed Pater, Filij Pater eſt, & Filius Patris eſt Filius. Confitemur virtutem Patris eſſe Filium. Confitemur Verbum Dei Patris eſſe, præter quod aliud non eſt: & Verbum verum Deum & ſapientiam & virtutem, verumque Filium affirmamus. Sed non ſicut cæteri Filij appellantur, ita Filium dicimus: quia illi aut per hunc regenerationis gratiâ Dei ſunt, aut eo quod digni fiant Filij nominantur, non autem ob unam ſubſtantiam quæ eſt Patris & Filij. Confitemur item & unigenitum & primogenitum: ſed unigenitum Verbum quod ſemper fuit & eſt in Patre: primogenitum autem propter naturam humanam. Differt tamen à communi creatura, quia eſt etiam primogenitus ex mortuis. Confitemur Deum eſſe: confitemur unam Patris & Filij divinitatem. Nec quiſquam negat Patrem Filio majorem, non propter aliam hypoſtaſim, vel propter differentiam, ſed quia ipſum nomen Patris majus eſt quam Filij. Hæc autem illorum eſt impia & vitioſa interpretatio qua dictum ab eo contendunt, *Ego & Pater unum ſumus*, propter conſenſum & concordiam. Sed ſtultam & abjectam iſtorum ſententiam Catholici omnes improbavimus. Quia ſicut mortales homines ſolent, cum altercari cœperint, infenſis animis diffidere, ac poſtea reconciliari; Sic diſſidium ac diſſenſionem inter Patrem Deum omnipotentem & Filium incidere poſſe dicunt, quod vel ſuſpicari aut animo fingere eſt abſurdiſſimum. Nos vero & credimus, & affirmamus, & intelligimus divinam hanc vocem, *Ego & Pater unum ſumus*, de unitate ſubſtantiæ, quæ in Patre & Filio unica eſt, capiendam eſſe. Credimus etiam hunc ſemper, ac ſine initio, & ſine fine regnare cum Patre, regnumque ejus nec tempus habere quo definiatur, nec unquam deſinere: quia quod ſemper eſt, nec unquam cœpit eſſe, nec deſinere poteſt. Credimus & mente complectimur Paracletum Spiritum ſanctum, quem nobis ipſe Dominus & promiſit & miſit: & hunc credimus miſſum. Sed is paſſus non eſt, ſed homo, quem induit, quem aſſumpſit ex Maria Virgine, hominem qui pati poſſet, quia homo mortalis, Deus verò immortalis. Credimus tertia die reſurrexiſſe: reſurrexit autem, non Deus in homine, ſed homo in Deo, quem & Patri ſuo donum obtulit, quemque à peccato & interitu liberavit. Credimus etiam opportuno ac definito tempore omnes & de omnibus judicaturum. Tanta ſiquidem eorum eſt ſtultitia & tam denſis tenebris eorum mens obcœcata, ut lucem veritatis cernere nequeant. Non intelligunt quo ſenſu dictum ſit, *Ut & ipſi in nobis unum ſint*. Palàm enim eſt cur unum: quia videlicet Apoſtoli ſanctum Dei Spiritum acceperunt, & tamen ipſi Spiritus non erant, nec ullus eorum aut verbum, aut ſapientia, aut virtus vel unigenitus erat. *Sicut ego*, inquit, *& tu unum ſumus, ſic & ipſi in nobis unum ſint.* Sed & accuratè vox divina diſtinxit, *in nobis*, inquit, *unum ſint*. Non ait, ſicut nos unum ſumus, ego & Pater: ſed ut diſcipuli in ſemetipſis conjuncti & copulati unum ſint fide & confeſſione; in gratia item & pietate Dei Patris, & Domini ac Servatoris noſtri confeſſione & charitate unum eſſe poſſint.

Hypoſtaſis pro ſubſtantia.

Joan. 14. Joan. 10.

Sap. 7. Joan. 1.

Fides Catholica de Filio.

Joan. 10.

Joan 17.

Diſputatio de nomine ſubſiſtentiæ.

Nota fuiſſe magnam diſputationem de ſignificatione hypoſtaſis, ut patet ex epiſtola 1. D. Hieronymi ad Damaſum, ubi ait neſcio quid veneni in ſyllabis hujus nominis latere. Tota ait, ſæcularium litterarum ſchola, nihil aliud hypoſtaſim niſi uſiam novit: & quis rogo, tres ſubſtantias ore ſacrilego prædicabit? &c. Interrogamus quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi: tres perſonas ſubſiſtentes, aiunt, reſpondemus nos ita credere, non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant. Habebaturque ipſe D. Hieronymus pro hæretico quod metueret dicere tres hypoſtaſes, fuitque mera diſputatio de nomine, lege hanc epiſtolam.

Huic epiſtolæ alia conſonat ejuſdem Synodi Sardic. ad omnes alios Epiſcopos qui non intererant, quam habet D. Athanaſius in Apologia ad Imperatorem Conſtantium, cui inveniuntur ſubſcripſiſſe Epiſcopi 186. ac primo ab Hiſpania Hoſius, deinde Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Preſbyteros ſuos, Protogenes Sardicę. Hi primi. Ex Gallia triginta quatuor Epiſcopi, inter quos quidem Jeſſes numeratur, & plures alij ex variis mundi partibus. Ut non dubitemus quin Summus Pontifex Rom. jura ſui primatus in totam Eccleſiam ſarta tecta habuerit. Nec enim Epiſcopus Hiſpanus nulla primatus Eccleſiæ ſuæ dignitate inſignis, primum locum cum Preſbyteris ab eo Pontifice Romano delegatis obtineret, niſi ſub alieno nomine. *Initium epiſtolæ.* Sæpe multumque in ſervos Dei rectæ fidei cultores audaciam ſuam exercuerunt Ariomanitę, &c. *Finis epiſtolæ.* Quin & vos quoque ſtudete fratres & comminiſtri noſtri in ſactis obeundis, ut Spiritu preſentes in noſtra Synodo ſuffragium conferatis per veſtras ſubſcriptiones, quo ab omnibus ubique ſacrorum miniſtris concordia ſervetur. Divina providentia ſanctos & lętos vòs conſervet dilecti fratres. *Et infra:* Eorum autem qui in Synodo ſcripſerunt cęterorumque aliorum Epiſcoporum iſta ſunt nomina.

Hoſius nullo modo Papa præſes.

Hoſius ab Hiſpania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Preſbyteros ſuos, Protogenes Sardicę, Gaudentius, &c. qui videtur fuiſſe Ariminenſis Epiſcopus Martyrio coronatus, fuſtibus ac lapidibus impetitus in ſuburbiis Ariminenſis civitatis in odium fidei Nicænæ per milites Marciani præſidis, apud Baronium anno 359. tunc enim fœda erat facies Eccleſiæ à propriis non ab alienis vaſtata.

Qui autem in canalio Italię Probatus, Viator, &c. explico, ait de la Cerda adverſar. ſacrorum cap. 84. num. 2. in via verſus Italiam. Inveniunturque fuiſſe ducenti octoginta ſex, unde non poteſt probari Carranza qui in fine Canonum aſſerit ſubſcripſiſſe numero 121. Epiſcopos; nec alij qui multo majorem numerum Epiſcoporum conſcribunt.

SEQVVNTVR CANONES CONCILII SARDICENSIS.

CAP. I. *De Epiſcopis, qui civitates mutaverint.*

Diſtinct. 8: malè conſuetudo.

OSius Epiſcopus dixit: Non minus mala conſuetudo, quàm pernicioſa corrupтela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ſua civitate ad aliam tranſire civitatem. Manifeſta eſt enim cauſa, qua hoc facere tentant, cum nullus in hac re inven-

tus sit Episcopus, qui de majori civitate ad minorem transiret. Vnde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sæviùs & austeriùs vindicetur, ut nec laïcam communionem habeat, qui talis est? Responderunt universi: Placet.

OCcasione Eusebij Nicomediensis, qui post duas sedes mutatas, se Constantinopolim transferri curaverat, aliorumque etiam Episcoporum, qui humanæ gloriæ libidine incitati è minoribus ad majores sedes provehi laboraverant: ideòque Athanasio & Eustathio Antiochenis Primatibus ejiciendis ac deturbandis, ex ambitione calumniam intulerant: hac, inquam, occasione graviùs hîc, quàm Nicæna Synodus Canone 15. jussit eosdem, licet invitos, in pristinam sedem reduci, à Patribus hujus Concilij constitutum fuit, ne laïca communione etiam in fine vitæ impartirentur. Baronius anno 347. num. 46.

CAP. *De eisdem Episcopis.*

OSius Episcopus dixit: Etiam si talis aliquis extiterit temerarius, ut fortassis talem excusationem afferens, asseveret, quòd à populis literas acceperit: cùm manifestum sit, potuisse plures præmio & mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum. Omnino has fraudes damnandas esse arbitror: ita ut nec laïcam in fine communionem talis accipiat. Si verò omnibus placet, statuite. Synodus respondit: Placet.

CAP. III. *De Episcopo adjudicato.*

6. quæst. 4. Osius Episcopus.

OSius Episcopus dixit: Illud quoque necessariò adjiciendum est, ut Episcopi de sua Provincia ad aliam provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quòd si in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, unus de duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem. Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit in alia causa, & putat se bonam causam habere, ut iterùm Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo; & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non rescindantur ea quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.

CIrca illa verba: *Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit*, sciendum quod hoc Canone tertio, sicut etiam quarto & septimo, declaratur expedire, ut ordinariè Episcopis ad Sedem Apostolicam provocantibus & appellantibus deferatur: Jure divino non tantùm permissum erat, ut Episcopi injuriam passi ad summum Ecclesiæ & Romani Pontificis tribunal provocarent; verùm etiam frequenter ante hæc tempora de facto observatum, ut tam Presbyterorum quàm Episcoporum appellationes ad Apostolicam Sedem admitterentur: adeò ut verissimum sit quod scribit S. Leo Epist. 89. ad Episcopos Galliæ, hanc esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Ad Pium I. Marcion; ad Cornelium, Fortunatus & Felix in Africa; ad Stephanum Pontificem Basilides in Hispania depositus, appellarunt. Athanasius, ad Julium Pontificem provocans, per eum ab Arrianorum calumnia & depositionis sententia, absolutus fuit. Unde manifestum est, quòd Patres hujus Concilij de jure & appellandi potestate nihil noviter concesserint; sed tantùm declararint, usum & exercitium potestatis, nunc Ecclesiæ universali omnino expedire: partim, ne, si omnium appellationes sine discrimine causæ admitterentur, nullus litigandi finis esset; partim, ne si omnis appellandi potestas adimeretur, inferiores judices Episcopi tunc verè tyrannidis occasionem adipiscerentur. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 21. & 25. ubi ex jure illo, quo ex quavis parte orbis Christiani ad Romanum Pontificem provocatur, primatum Romanæ Ecclesiæ contra hæreticos nostri temporis optimè confirmat. Cæterum his omnibus quæ can. 3. 4. & 7. de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem renovata fuere, Arrianos causam & occasionem dedisse, extra dubium. Qui indignè tulerint Athanasium, Marcellum, Asclepam, Paulum, aliosque sedibus suis deturbatos, per Julium absolutos, ac pristinæ sedi restitutos fuisse, ex quibus etiam inferre licet mendacissimè Molinæum Jurisperitum scripsisse in notis ad titulum *De privilegiis & excessibus privilegiatorum*. Si quod fuit primum caput in Ecclesia, Hierosolymam fuisse, deinde Antiochiam. Sed in primitiva Ecclesia, inquit, primatus iste scelus erat, addit. Postquam Roma judicio Phocæ prima sedes fuit, Alexandrina prima post eam fuit, odio Constantinopolitanæ non parentis. Postquam autem per Balduinum capta Constantinopolis fuit, ea ex fœdere subdita fuit Romanis quandiu Galli ibi dominati sunt. Innocentius III. sub quo hoc contigit, ut Græcos pelliceret postpositâ Alexandrinâ primum locum dedit Constantinopolitanæ ut hic. Jerosolymitana verò quæ prima fuerat, quia pauper facta est ultima. Hæc ille temerè & audacter more suo nihilque probans. Quorum falsitatem facilè æquus lector adverter in hoc Concilio & in aliis sequentibus. Primatus enim Summi Pontificis Romani D. Petro succedentis tam est de jure divino in lege nova, ac Primatus Summorum Pontificum Aaroni succedentium in veteri lege, quæ tantùm umbra erat futurorum.

Appellatio ad Pontif. Ro. in more antiquo erat.

Molinæi mendacium.

CAP. VI. *De Episcopis depositis.*

GAudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ quam plenam sanctitate protulisti, ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma; alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.

Ro. Pontifici audiendi ritus.

QVòd pendente causa Athanasij coram Julio Pontifice Romano, Eusebiani non expectata sententia Pontificis, in locum Athanasij Gregorium Cappadocem intruserint, suggerente Gaudentio Episcopo, additum est decretum, quod habetur hic: ne in locum damnati, aliquem sufficere liceat, dum ille, qui ad Romanum Pontificem appellaliet, ejus sententiam expectaret.

Causa De Athanasio.

CAP. V. *Quando quis debeat à vicinis Provinciæ Episcopis ordinari.*

OSius Episcopus dixit: Si contigerit in una Provincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, unum fortè remanere Episcopum, ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, & populi convenerint; Episcopi vicinæ Provinciæ debent illum priùs convenire Episcopum qui in ea Provincia moratur, & ostendere, quòd populi petant sibi rectorem. Et hoc justum esse, ut ipse veniat, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conventus literis tacuerit & dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.

CAP. VI. *De non ordinandis Episcopis per vicos.*

LIcentia verò danda est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter: quia non necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas. Non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum, nisi aut in his civitatibus, quæ Episcopos habuerunt, aut si qua talis, aut tam populosa est civitas, quæ meretur habere Episcopum, si hoc omnibus placet. Synodus respondit: Placet.

HOc decretum ea de causa sancitum est, quòd Arriani Ischyram, ad extruendas Athanasio calumnias, Episcopatus pollicitatione inductum, post condemnationem Athanasii in Tyrio Conciliabulo Episcopum suiipsius vici creaverant.

CAP. VII. *De Episcopis accusatis.*

21. q. 9. Si quis Episcopum.

OSius Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur judicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus authoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit.

CAP. VIII. *Ut Episcopi passim ad Comitatum non pergant.*

OSius Episcopus dixit: Importunitates, & nimia frequentia, & injustæ petitiones fecerunt, nos non tantùm habere vel gratiam, vel fiduciam, dum quidam non cessant ad Comitatum ire Episcopi, & maximè Afri qui (sicuti cognovimus) sanctissimi fratris & Coëpiscopi nostri Grati salutaria consilia spernunt atque contemnunt, ut non solùm ad Comitatum multas & diversas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, neque ut fieri solet aut oportet, ut aut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniatur: sed & dignitates sæculares & administrationes quibusdam postulant. Hæc itaque pravitas olim non solùm murmurationes, sed & scandala excitat. Honestum est autem, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur: si tamen isthæc nomina justam habeant causam aut petitionem. Si vobis ergo, fratres charissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad Comitatum * accedant, nisi fortè hi, qui religiosi Imperatoris literis vel invitati, vel evocati fuerint. Sed quoniam sæpe contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut certè quamcunque sententiam suscipiunt, subveniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergo decernite, si vobis placet. Universi dixerunt: Placet, & constituatur.

id est, ad Curiam vel aulam Imperatoriam.

PAtres hujus Concilij persenserunt difficultatem quam patiuntur aliqui cùm apud Judices intercedendum est pro una parte. Nec voluerunt Episcopos se temerè ingerere in negotiis alienis, ut multi faciunt, parum curantes si se reddant obnoxios restitutioni. Est quippe casus conscientiæ de quo nos egimus in examine pœnitentium part. 3, ubi de examine litigantium in editione 3. quem casum fusè explicari invenimus per Alfonsum à Castro de lege pœnali lib. 2. cap. 13. sub hoc titulo. *An is qui Judicem pro reo intercedit ut pœna per legem statuta illi remittatur, peccet & teneatur ad restitutionem faciendam illi cui pœna ex legis decreto erat adjudicanda.* Eadem quoque quæstio proposita fuit à Macedonio Comite ac Judice Africano D. Augustino qui epist. 54. illi respondet, nec omninò improbat intercessionem Episcoporum pro reis actis apud Imperatorem aut ab eo judices delegatos, servatis quibusdam conditionibus, *Prodest ergo*, inquit, *& severitas vestra, cujus ministerio quies adjuvatur & nostra: prodest & intercessio nostra, cujus ministerio severitas temperatur & vestra.* Et infrà, *Illud fidentissimè dixerim eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.* Quin & ipse D. Augustinus sæpè invenitur pro sceleratis hominibus ut mitius haberentur intercessisse, etiam pro hæreticis epist. 158. epist. 159. epist. 160. sed quia promiscuè intercessio hæc non est ab Episcopis facienda, & non caret periculo, ideò Concilium hunc & sequentes Canones edidit.

Intercessiones apud Judices periculosæ.

CAP. IX. *De Diaconis ad Comitatum dirigendis.*

OSius Episcopus dixit: Hoc quoque providentia vestra tractare debet, quia decrevistis, ne Episcoporum improbitas nitatur, ut ad Comitatum pergant. Quicunque ergo (quales superiùs memoravimus) preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum suum mittant: quia persona ministri invidiosa non est, & quæ impetraverit, celeriùs poterit referre. Et hoc consequens esse videtur, ut de qualibet Provincia Episcopi ad eum fratrem & Coëpiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, ut illo & Diaconum ejus, & supplicationes destinet, tribuens Commendatitias epistolas pari ratione ad fratres & Coëpiscopos nostros, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix & beatus Augustus rempublicam gubernat. Si verò habeat Episcopus amicos in Palatio, qui cupit aliquid (quod tamen honestum est) impetrare, non prohibetur per Diaconum suum rogare ac significare his, quos scit benignam intercessionem sibi absenti posse præstare.

CAP. X. *Quòd sit eundum ad Comitatum pro pupillis, & viduis.*

SI verò Romam venerint, (sicut dictum est) sanctissimo fratri & Coëpiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces, quas habent, tradant, ut & ipse priùs examinet, si honestæ & justæ sunt, & præstet diligentiam atque solicitudinem, ut ad Comitatum perferantur. Vniversi dixerunt, placere sibi & honestum esse consilium.

Alypius Episcopus dixit: Si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui causas non iniquas habent, susceperint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid rationis. Nunc verò cum ea postulent præcipuè, quæ sine invidia hominum, & sine reprehensione esse non possunt, non necesse est, eos ire ad Comitatum.

CAP. XI. *Quòd Episcopi euntes ad Comitatum sollicitè discutiant.*

GAudentius Episcopus dixit: Ea quæ salubriter prænonuistis, convenientia & æstimatione omnium, & Deo placitura & hominibus, tenere hanc firmitatem possunt, si metus huic sententiæ conjungatur. Scimus enim & ipsi, sæpissimè propter paucorum impudentiam religiosum Sacerdotale nomen fuisse reprehensum. Si igitur aliquis contra hominum sententiam nisus, voluerit ambitioni magis placere quàm Deo, is debet scire causis redditis honorem, dignitatemque se amissurum. Quod ita demum compleri poterit. Si unusquisque nostrûm, qui in Canali constitutus est, cùm progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum ejus, causas videat, quò tendat agnoscat: & si quidem eum invenèrit ire ad Comitatum, requirat & illud, quod superiùs comprehensum est, ne fortè invitatus sit, ut ei facultas eundi permittatur. Si verò (ut superiùs memoravit sanctitas vestra) propter desideria & ambitiones ad Comitatum pergat, neque in literis ejus scribatur, neque in communionem recipiatur. Si vobis placet, omnium sententia confirmari debet. Vniversi dixerunt, hòc honestum esse: & placere sibi hanc constitutionem.

CAP. XII.

OSius Episcopus dixit: Sed & moderatio necessaria est, dilectissimi fratres, nè adhuc aliqui nescientes quid decretum sit in Synodo, subitò veniant ad civitates eas quæ in Canali sunt. Debet ergo Episcopus civitatis ipsius admonere eum, & instruere, ut ex eo loco Diaconum mittat. Admonitus ipse tamen redeat in Parochiam suam.

EPiscopi in Canali constituti dicebantur, qui sedes habebant in cursu publico, via scilicet, quâ equi publicè per stationes singulas ad iter agendum dispositi erant. Caranza. Item de la Cerda Adversar. Sacr. cap. 84. num. 2. *Canali quid?*

CAP. XIII. *Vt ne ex laico quolibet Episcopus ordinetur.*

OSius Episcopus dixit: Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissimè tractetis, si fortè aut dives, aut Scholasticus de foro, aut ex Administratore Episcopus fuerit postulatus, ut non priùs ordinetur, nisi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, quâ fide sit, quâve modestia, quâ gravitate & verecundiâ: & si dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illustretur: quia conveniens non est, nec ratio vel disciplina patitur, ut temerè & leviter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est, maximè cùm & Magister gentium, beatus Apostolus, ne hoc fieret, denuntiasse & prohibuisse videatur: sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. Vniversi dixerunt, placere sibi hæc. *1. Tim. 3.*

CAP. XIV. *Vt Episcopus in aliena Provincia non immoretur.*

OSius Episcopus dixit: Et hoc quoque statuere deberis, ut Episcopus, si ex alia civitate cùm venerit ad aliam civitatem, vel ex Provincia sua ad aliam Provinciam, & ambitioni magis quàm devotioni serviens, voluerit in aliena civitate multo tempore residere (fortè enim evenit, Episcopum loci non esse tam instructum, neque tam doctum) is verò qui advenit, incipiat contemnere eum, & frequenter facere sermonem, ut de-

honeſtet & deformet illius perſonam, ita ut ex hac occaſione non dubitet relinquere aſſignatam ſibi Eccleſiam, & tranſeat ad alienam. Definite ergo tempus, quia, & non recipi Epiſcopum inhumanum eſt, & ſi diutius reſideat, pernitioſum eſt. Hoc ego ne fiat, providendum eſt. Memini autem, ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis laïcus in ea, in qua commoratur civitate tres ſeptimanas, non celebraſſet conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa laïcos conſtituta ſunt, multò magis Epiſcopo nec licet, nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas quæ detineat ut amplius à ſupraſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua. Vniverſi dixerunt, ſibi placere.

De reſidentia Epiſcoporum in ſua Eccleſia.

CAP. XV. *Epiſcopo non licet à ſua Eccleſia plus tribus hebdomadis abeſſe.*

OSius Epiſcopus dixit: Quia nihil prætermitti oportet: ſunt quidam fratres, & Coëpiſcopi noſtri, qui non eam civitatem poſſident, in qua videntur Epiſcopi eſſe conſtituti, vel certè, quòd parvam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia habere cognoſcantur, vel affectionem proximorum, quibus indulgeant, hactenus permitti eis oportet ut accedant ad poſſeſſiones ſuas, & diſponant vel ordinent fructum laboris ſui, ut poſt tres Dominicos, id eſt poſt tres hebdomadas, ſi morari neceſſe eſt, in ſuis potiùs fundis morentur. Aut ſi eſt proxima civitas, in qua eſt Preſbyter, ne ſine Eccleſia videatur facere diem Dominicum, illuc accedat, ut neque res ejus domeſticæ per abſentiam ejus detrimentum ſuſtineant, & non frequenter veniendo ad civitatem, in qua Epiſcopus moratur, ſuſpicionem jactantiæ & ambitionis evadat. Vniverſi dixerunt, placere ſibi.

CAP. XVI. *De Clericorum excommunicatione.*

ſi quæſ. ſi forte.

OSius Epiſcopus dixit: Hoc quòque omnibus placeat, ut ſive Diaconus, ſive Preſbyter, ſive quis Clericorum ab Epiſcopo ſuo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille ad quem confugit, eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abjectum; non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod ſi fecerit; ſciat ſe, convocatis Epiſcopis cauſas eſſe dicturum. Vniverſi dixerunt: Hoc ſtatutum & pacem ſervabit, & concordiam cuſtodiet.

CAP. XVII. *De excommunicatis apud vicinos Epiſcopos audiendis.*

OSius Epiſcopus dixit: Quod me adhuc movet, reticere non debeo. Si Epiſcopus quis fortè iracundus (quod eſſe non debet) citò & aſperè commoveatur adversùs Preſbyterum ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideò habeat poteſtatem is, qui abjectus eſt, ut Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur; quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui aut juſtè aut injuſtè eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur, ut vel probetur ſententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus alius debet præſumere, ut eum communioni ſocier. Hi verò, qui conveniunt ad audiendum, ſi viderint Clericorum eſſe faſtidium & ſuperbiam, quia jam non decet ut Epiſcopus injuriam vel contumeliam patiatur, ſeverioribus verbis eos caſtigent, ut obediant honeſta præcipienti Epiſcopo: quia ſicut ille Clericis ſincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia.

CLericis ab Epiſcopo ſuo Communione injuſtè privatis, permittitur finitimorum Epiſcoporum judicium implorare, & ad eorum ſedem appellare. Can. 22. Concilij Milevitani idem quod hic præcipitur Presbyteris & Clericis minoribus; ut ſcilicet ſuas cauſas apud vicinos Epiſcopos terminari permittant, & ad Sedem Apoſtolicam ulteriùs non appellent. An, & quomodo Apiarij Preſbyteri Africani, ad Romanum Pontificem provocantis appellatio recepta fuerit, dicemus infrà in Concilio Carthaginenſi Sexto. Vidè Bellarminum lib. de Rom. Pont. cap. 24.

CAP. XVIII. *De ſollicitandis Clericis alienis.*

JAnuarius Epiſcopus dixit: Illud quoque ſtatuat charitas veſtra, ut nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi civitatis miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochiis ordinare. Vniverſi dixerunt: Placet; quia ex his contentionibus ſolet naſci diſcordia, & ideo prohibet omnium ſententia, ne quis hoc facere audeat.

CAP. XIX. *Non licere Epiſcopo alterius Clericum in ſua Eccleſia ordinare.*

OSius Epiſcopus dixit: Et hoc univerſi conſtituimus, ut quicumque ex alia Parrochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, & ſine voluntate ordinare, non ſit rata ordinatio ejus. Quicumque autem hoc uſurpaverit, à fratribus & Coëpiſcopis noſtris & admoneri debet, & corrigi.

Non rata ordinatio.

CAP. XX. *Vt extranei Clerici apud Theſſalonicam non tardent.*

ÆTius Epiſcopus dixit: Non ignoratis, quanta & qualis ſit Theſſalonicenſium civitas. Sæpè ad eam veniunt ex aliis regionibus Preſbyteri & Diaconi, & non ſunt contenti brevi tempore morari. Sed aut reſident ibi, aut certè vix poſt longa ſpacia ad ſua redire coguntur. Vniverſi dixerunt: Ea tempora quæ conſtituta ſunt circa Epiſcopos, & circa has perſonas obſervari debent.

Vicarius Ro. Pontificis Theſſalonica.

CVr hîc conſtitutum fuerit, ne Clerici extranei diu A
morarentur Theſſalonicæ in Oriente, cauſam hanc eſſe putamus: Vicarius Romani Pontificis ſedebat Theſſalonicæ, ut patet ex epiſtola 84. Leonis, quâ ſcribens ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, facit eum per Orientem Romani Pontificis Vicarium, ſicut ejus prædeceſſores fuerant Vicarij ſuorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum. Ut hunc ſpectarent, Theſſalonicam ex tota Græcia Clerici confluebant, ibique diutiùs, quàm oportebat, hærebant. Vicarium Pontificis appello, cui in longinquas & remotiores Provincias amandato Pontifex Romanus, reſervatis ſibi cauſis majoribus, judicandi & regendi Eccleſias illas, vicem ſuam aut ordinariè, aut ſaltem ad tempus delegavit. Ex quo ſanè Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 20. concludit, ſummum totius Eccleſiæ judicium ad ſedem Apoſtolicam pertinere: ipſumque Romanum Pontificem demandatam ſibi à Chriſto totius Eccleſiæ monarchiam optimo jure ſemper in Eccleſia habuiſſe. Sicut ex eo, quòd ad Provincias gubernandas mittuntur Proreges, iiſdemque cum reſervatione majorum cauſarum judicia delegantur, prædictarum Provinciarum ſubjectio, ipſius Regis poteſtas, juriſdictio, & dominium rectè colligitur.

Hanc tamen annotationem dubiam reddit Chriſtianus Lupus in ſcholiis, contenditque eo tempore Theſſalonicam primatum non habuiſſe, ſed nec à temporibus Attilianis, ut quidam volunt: fuiſſe tamen ex primariis Imperij civitatibus, quibus ſolebat Senatus novi Principis promotionem ſignificare. Hoſium autem cenſuiſſe hîc cum aliis Epiſcopis, nullam ſpecialem gratiam indulgendam eſſe Theſſalonicæ civitati in Macedonia, quod nullum adhuc haberet primatum Eccleſiaſticum, nullaſque Apoſtolicas vices. Quod tamen non impedit quin Epiſcopus illius civitatis privilegio perſonali vicariatum à Summo Pontifice habuerit ſupra Illyricum & adjacentes quaſdam provincias: ſicut & alii in aliis locis: unde poſteà enatæ ſunt in Eccleſia aliquot Epiſcoporum prætentiones, ſicut in Gallia & alibi, de Primatu & Patriarchatu ſupra Diœceſes vicinas, quod eorum ſucceſſores vicariatum illum exercuiſſent, quaſi ipſorum civitati tanquam jus debitum in perpetuum annexum fuiſſet, quod privilegio perſonali ipſorum aliquot prædeceſſoribus conceſſum fuerat.

CAP. XXI. *De ſuſcipiendis his, qui perſecutionem patiuntur.*

OSius Epiſcopus dixit: Suggerente fratre & Coëpiſcopo noſtro Olympio, etiam hoc placuit, ut ſi aliquis vim perpeſſus eſt, & iniquè expulſus pro diſciplina & Catholica confeſſione, vel pro defenſione veritatis, effugiens pericula, innocens & devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quandiu aut redire poſſit, aut injuria ejus remedium acceperit: quia durum eſt, eum qui perſecutionem patitur, non recipi. Etiam & larga benevolentia & humanitas eſt ei exhibenda. Omnis Synodus dixit: Vniverſa quæ conſtituta ſunt, Catholica Eccleſia in univerſo orbe diffuſa cuſtodiat.

Et ſubſcripſerunt, qui convenerant omnes Epiſcopi diverſarum Provinciarum.

Quæ ſequuta ſint Concilium Sardicenſe.

UT Orientales Epiſcopi ſepararunt ſe ab Occidentalibus Epiſcopis Sardicæ congregatis, ſeorſim conventiculum habuerunt, quod nomine Sardicenſis Concilij inſigniri voluerunt, & ſi in urbe Philippoli quæ interjectu montis à Sardica ſeparata eſt (& ditioni Conſtantij ſubdita erat, cum Sardica eſſet Conſtantis ex diviſione facta per Conſtantinum inter filios) illud celebraverint. Tantus autem fuit eorum furor, ut omnes terminos præſumptæ ab aliis hæreticis temeritatis exceſſerit. Auſa eſt enim, ait Baronius ad annum 347. num. 64. Arriana procacia illud nefas, quod vel attingere quælibet execranda hæreſis hactenus ſibi inconceſſum putavit, ut omne veritatis & æquitatis aſylum perrumpentes, in Julium Papam æquè ac alios Catholicæ communionis Epiſcopos ſententiam excommunicationis procaciter intulerint. Sic quibus juſtè percuſſi ſunt jaculis anathematis, eodem ipſi violenti in perſecutores petulanter intorſerunt, dum inſtar canum furiunt in petram, eamque dentibus B
frustra corrodunt, cujus ictu ſeeſſe læſos oblatrant.

Epiſc. Arianorum audacia contra Ro. Pontificem.

Ediderunt quoque profeſſionem fidei in qua damnarunt quoſdam articulos Arrij ut Arriani non viderentur, nomen verò conſubſtantialis reticuerunt: quidvis enim dicere potiùs parati erant, dummodo prætermitterent conſubſtantialitatem Filij cum Patre, optimè ſcientes hoc uno relicto ad invadendam Nicænam fidem ſoramine, ad omnem protinus ſuperinducendam impietatem fore ſibi aditum patefactum. Unde & ſemi-Arriani dicti ſunt. Hanc autem profeſſionem melle illitam ut quæ plura verbi Divini elogia continet, ſcripſerunt nomine ſanctæ Synodi in Sardica congregatæ ex pluribus Orientalium Provinciis, quam eſſent Epiſcopi, non ſolùm unius civitatis, ſed etiam plurium provinciarum ſibi nomen ſuffurantes non ſine jactantia, tum ut authoritatem majorem conventiculo ſuo conciliarent, tum etiam ut veræ Sardicenſis Synodi claritatem obſcurarent ex confuſione utriuſque Concilij propter nominis identitatem; quo factum eſt ut quidam non aliam Synodum Sardicenſem agnoſcerent quam Arrianam, ut etiam contigit D. Auguſtino epiſt. 163. verâ ſcil. Sardicenſi Synodo cum ſuis Canonibus idem naufragium paſſâ quod pleræque Synodi pertulerunt, ſaltem in Africa, in qua nullum illius exemplar publicum extitiſſe probabile eſt, quocunque caſu id acciderit; cùm nefas ſit D. Auguſtinum tantum Eccleſiæ Magiſtrum ignoraſſe Canones Eccleſiaſticos, ſuſpicati. Quamvis enim teſtetur de ſuo tyrocinio, cùm fuit à prædeceſſore adhuc vivente inſtitutus Epiſcopus (epiſt. 110.) ſe ignoraſſe Nicænos Canones: jam verò factum ſenem & in controverſiis de rebus atque dogmatibus Eccleſiaſticis ſemper verſatum omnia oportuit Concilia ſcripta evolviſſe & archiva reſeraſſe, ait idem Baronius eodem anno num. 74.

D. Auguſtinum veram Synod. Sardic. non noverat.

Qui & anno ſequenti 348. ulterius progreſſos hos Arrianæ partis Epiſcopos oſtendit ex epiſtola D. Athanaſij ad ſolitariam vitam agentes; cùm enim eorum communionem tanquam è Concilio fugientium Adrianopolitani, Clerici ſcilicet, averſarentur, rem detulerunt ad Imperatorem Conſtantium, effecerunt-que ut illi è loco Fabrica cognomine, more laïcorum capitibus truncarentur, &c. Imperatore verò prompto ad omnia quæ ipſi vellent, effecere, ut ab Alexandria in Armeniam duo Presbyteri & tres Diaconi relegarentur. Macarium etiam & Aſterium, alterum in Petrâ Palæſtinæ, alterum in Petra Arabiæ Epiſcopum, qui ab ipſis deſciverant, non ſolùm in ſuperiorem Africam relegaverunt, ſed ut contumelias paterentur operam dederunt. Lucij porrò Adrianopoleos Epiſcopi manus cervicemque, plurima adversùs ipſos animoſitate utentis & impietatem redarguentis, iterùm uti ptiùs, ferro vinxerunt, vinctumque in exilium deportarunt, ibique (quod ipſos minimè latet) extinctus eſt. Curaverunt inſuper edicta fieri, quibus portus & introitus civitatum obſervari juberentur, ne, quibus à Synodo conceſſum erat, reditus ad Eccleſias proprias pateret; ſimulque diplomata ad judices Alexandrinos nominatim de Athanaſio & Presbyteris certis impetraverunt, ut ſive Athanaſius, ſive quiſ-

Euſebianorum crudelia facta.

quam suorum urbes aut fines illos ingredi deprehenderetur, capite id lueret. Ad eum modum Judaica ista hæresis non solùm Christum inficiari, sed etiam cædes facere condidicit. Verùm ne hoc quidem satis fuit ut quietem vellent: nam velut ipsorum hæreseos pater, ut leo circuit quærens quem devoret; ita isti publici cursus facultatem nacti ac proinde circumcursantes, in quoscumque incidunt, qui vel fugam eorum carpunt, vel hæresim aversantur, eos indignis modis nunc flagris concidunt, nunc vinculis constringunt, nunc è natali solo exterminant. Tantus certè terror eorum hominum fuit, ut multos coëgerint ad hæreseos simulationem, multosque eo metu affecere, ut maluerint in eremum fugere, quàm vel semel in illos incidere. Hæc sunt post fugam eorum audaciæ & insaniæ facinora.

Calumnia in Orthodoxos.

Sed & cum vera Synodus Sardicensis Episcopos ad Constantium misisset cum epistola Constantis fratris rogaturos ut à se exules factos Episcopos in suas ædes reverti pateretur, opera Stephani Antiochiæ Episcopi, ubi erat Constantius, meretricem in eorum legatorum domum clam introduxerunt, ut eos accusarent. Sed fraude detectâ & veritate patefactâ, Stephanus ab Episcopatu abjectus est, eorumque molimine Leontius Castratus, de quo superiùs in notis ad canones Apostolorum & ad Nicænos dictum, in ejus sedem subrogatus, tantùm ut non deesset hæreseos Arrianæ propugnator. Quæ res Imperatorem etiam movit ut arbitraretur consimiles esse eorum in alios calumnias. Quare confestim exules Presbyteros & Diaconos ex Alexandria in Armeniam redire jubet, ac diserte Alexandriam scribit, ne ulterius Athanasii aut Clericos aut laïcos persequerentur, & post menses decem defuncto Gregorio accersit & Athanasium, &c.

Videmus ex his quantum præsidiis fulta mundi Arriana rabies fremuerit, vel ex occasione solius istius Concilij, ex quo potius vitam & veritatem haurire debuerant, qui ad illud convocati erant. Sed nec solos istos passum est istud Concilium Adversarios. Quod jura Pontificis Romani statueret, plures ejus canonibus posteà obstiterunt, ut Aurelius Carthaginensis Episcopus cum Synodo Africana ob litem appellationis ad Sedem Romanam. Item Photius auctor horrendi schismatis. Item Auxilius quidam Clericus Francus, cujus opus de Ordin. Formosi, inseruit Morinus in suo volumine de Ordinationibus. Alij etiam ob restitutum Marcellum Ancyræ Episcopum. Alij quoque ob id, quod non distinguerent verum Sardicense a Pseudo-Sardicensi Eusebianorum.

Quod verò hoc Concilium, habitum non sit secundum universale, rationem hanc affert Joveritus in prologo hujus Concilij, quia licèt patres utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ ad illud in magno numero convenerint, quia tamen idem argumentum quod in Nicæno agitatum est, illi adjungitur aut inseritur tanquam illius appendix, & propter notabile dissidium inter Orientales & Occidentales, non habetur tam celebre ut quatuor prima Concilia, quæ cum summa unitate ac consensu omnium ferè Patrum sua decreta Canonesque sanciverunt. Quare licèt B. Hilarius in libro Synodorum hanc Synodum magnifaciat & illam omnis Ecclesia recipiat ut testatur Nicolaus Papa ad Clerum Constantinopolitanum, habeturque dist. 16. honor secundi Concilij generalis tribuitur primo Concilio Constantinopolitano, nec inter quatuor prima Concilia generalia numerari solet, ita usu obtinente, non servato jure rigoroso, si ita fas sit arbitrari.

Arriani inter se de re fidei in trust fidei.

Ne verò Arriani, quorum Imperatores subinde patrocinium suscipiebant, Ecclesiam totam obruerent, permisit Deus ut inter se dividerentur, seque mutuò destruerent, quamvis dissipati in varias sectas, non sint compuncti. Nam ex errore Arrianorum profluxisse errorem Macedonij Constantinopolitani Episcopi, qui divinitatem Spiritui sancto auferebat, difficile non est æstimare; si enim Filius secundum Arrium verè Deus non sit coæternus Patri, facilè est inferre idem de Spiritu sancto, maximè si a Patre Filioque simul procedere credatur. Fuitque hæc Arrij opinio ut Spiritus sanctus esset creatura, scilicet Filij seu Verbi, licèt totum certamen contra ipsum fuerit propter divinitatem Verbi quam negabat, quod hæc controversia esset palmaria, & primo diluenda esset antequàm de Spiritu sancto moveretur quæstio. Id autem affatim testatur Ruffinus Histor. Ecclesiast. lib. 10. cap. 29. Interea, inquit, ut aliquando etiam in seipsam prædives malitia desæviret, Sacerdotes & populi qui Arrio duce primitus fuerant ab Ecclesia divulsi, in tres denuò sectas partesque finduntur. Nam illi quos paulo superiùs diximus non adquiescentes Eusebij cæterorumque simulationibus cum Arrio, exilium pertulisse, postmodum nec ipsi Arrio regresso de exilio communicare voluerunt, eo quod simulata confessione communicasset iis, qui de ipsa substantia Dei Patris Filium confiterentur: quia ipsi ea quæ primò docuerat, Arrius ex nullis extantibus creatum & factum, non natum Filium, satis liberâ, seu potius impudenti blasphemia confirmabant. Quod & post illorum obitum Aëtius quidam, post Aetium validius & latius asserebat Eunomius, vir corpore & animâ leprosus & interiùs exteriusque morbo regio correptus, arte tamen Dialectica præpotens, &c. Eunomius, inquit Balsamon ad 1. can Synodi 2. cùm esset Galatæ, Cizici dicebatur Episcopus, idem cum Arrio sentiens & multò etiam pejus. Mutabilem enim & servum & omnino Patri dissimilem Filium esse docebat. Alius quoque Macedonius nomine, quem nostris expulsis vel potiùs necatis apud Constantinopolim statuerant Episcopum, quia similem Patri Filium fatebatur, licèt Spiritum sanctum æquè ut illi blasphemaret, &c. Ita pestifera illa bestia, quæ per Arrium primò quasi de inferis extulerat caput, subitò triformis apparuit: per Eunomianos qui dicunt per omnia dissimilem Filium Patri, quia nullo genere possit esse similis factura factori: per Arrianos qui dicunt quidem similem posse dici Filium Patri, sed largitate gratiæ, non proprietate naturæ: per Macedonianos qui dicunt Spiritum sanctum cum Patre & Filio nihil habere commune, ad quem errorem profligandum Concilium sequens Constantinopoli congregatum est.

Eunomius.

Macedonius.

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. I.

TEMPORE DAMASI PAPÆ & Theodosij seniotis 159. Patrum contra hæresim Macedonij de Spiritu sancto, & Apollinaris, &c. Anno Christi 381.

Origo hujus Concilij.

OB Macedonium præsertim, aliàs Episcopum Constantinopolitanum, celebratur hæc Synodus. Is Filium consubstantialem Patri agnoscebat, sed in Spiritum sanctum peccabat, eum servum ac creaturam appellans. Testatur autem Ruffinus histor. Ecclesiast. lib. 10. cap. 25. plurimos eorum qui videbantur attentiorem vitam gerere, & monasteria permulta apud Constantinopolim & vicinas Provincias, Episcoposque nobiles, ejus errorem secutos fuisse. Scilicet tantum malum est hæresis & adeò subtile, ut volucres quoque cœli decipiat, ac personas quæ videntur magis spirituales. Plurimas autem turmas excitavit in Oriente per suos ministros, de quibus agit Cassiodorus ex Socrate in Histor. tripart. lib. 5. cap. 31. vi apertâ utens ad pertrahendos populos in suum errorem, languoris namque ejus ministri, cum

Viri nobiles gesti seducuntur post hæresim.

per tormenta nihil proficerent, ligno aperientes eorum ora sacramenta illis inserebant. Ita ut etiam fœminarum eis communicare nolentium mammillas in arca comprimentes abscinderent. Aliarum verò aut ferro aut ovis ardentibus eadem membra comburerent. Quod ego ab Anxonio sene qui eadem supplicia est passus audivi. Hic erat fervor imò furor hominum istorum sine Spiritu sancto, qui tamen ut pij & spirituales viri audire volebant. Nec minor tentatio Ecclesiæ ex alia hæresi coætanea, quæ etiam huic Synodo occasionem dedit, Apollinarij Presbyteri Laodiceni. Etenim, ait de ipso Vincentius Lirinensis Commonitorij parte 1. c. 16. Ipse auditoribus suis magnos æstus & magnas angustias generavit: quippe cùm eos huc Ecclesiæ traheret authoritas: huc Magistri retraheret consuetudo: cumque inter utraque nutabundi, quid potiùs sibi seligendum foret, non expedirent, &c. Nam quid illo præstantius, acumine, exercitatione, doctrinâ! Quam multas illæ hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrij calumnias magnâ probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis Ecclesiæ ædificatoribus par esse poterat, nisi prophanâ illâ hæreticæ curiositatis libidine novum nescio quid invenisset, quo & cunctos labores suos velut cujusdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret ut doctrina ejus non tam ædificatio quam tentatio potiùs Ecclesiastica diceretur. Hæc ille. Ejus autem hæreses infra aperientur in annotatione ad primum Canonem.

Apollinarius.

Ejus hæreticorum in libris evulgandis.

Porro artibus usi sunt tam Macedoniani quàm Apollinaristæ ad introducendam hæresim. Scribit idem Ruffinus in *Apologetico* Pneumatomachos libellum Tertulliani de fide Trinitatis malè sentientem sub mentito Cypriani martyris nomine multis propagatum codicibus, vendidisse parva æris summa, ut fideles exiguitate pretij illecti libentiùs emerent & decipierentur sub authoritate tanti martyris. Quo pacto apud Evagrium l. 3. hist. Nestoriani & Eutychiani scripta Apollinarij unde errores suos confirmabant, sub Athanasii magni attitulatione promulgabant. Quod observat Sixtus Senensis Bibliot. l. 4.

Cæterùm ne res plurimæ sine ordine propositæ confusionem & obscuritatem pariant, hic eam methodum servandam esse existimamus, quâ usi sumus in rebus variis Nicæni Concilij exhibendis: ita ut primum quæ sunt gesta & decreta locum obtineant: deinde epistolæ Synodales sequantur: postea verò si quod sit dubium explicetur.

PRIMA PARS.

Gesta & decreta in hoc Concilio, ac primùm

De Gregorio Nazianzeno.

QVid circa D. Gregorium Nazianzenum gestum sit in hoc Concilio, disci primum poterit ex Elia Cretensi in argumento orationis illius 32. quam habuit in ipso Concilio ut valediceret, unde & hæc συντακτήριος appellatur, quasi valedictoria. Cùm in hoc Concilio ut satisfieret quorumdam scrupulis quod contra regulas Ecclesiam Constantinopolitanam regeret, dispensatum fuisset de Canone Nicæno aut Sardicensi, quo prohibetur transitus ab Episcopatu minori ad alium ampliorem, atque confirmatus fuisset in throno Constantinopolitanæ Ecclesiæ, cujus amplitudini ac religioni jam multum suis laboribus contulerat, abdicato Maximo tanquam hæresis Apollinaris participe, id post rem factam adventantes de novo in Concilium Timotheus Alexandrinus aliique Ægyptij Episcopi ægrè admodum tulerunt, invidiâ contra ipsum stimulati ac prætexentes rem tantam ipsis absentibus non potuisse fieri, ipsum propterea vocabant tri-Episcopum. Quamquam Sasima eodem die reliquerat, nequidem oblato ibi sacrificio. Nazianzum autem patris sui rogatu gubernaverit, non tam ut Episcopus quam ut procurator: nimirum ut patri & annis, & morbo, & curarum mole fesso subsidium afferret: ac proinde patre vitâ functo Seleuciam statim contenderat, clarissimæque Virginis Teclæ Monasterium ad pietatis & religionis cultum sibi delegerat. Nihilominus sentiens se invidiâ premi, totumque cœtum Episcoporum sui causâ varias in partes scindi, ac metuens ne populus & alij Episcopi erga se melius affecti seditionem aliquam adversus Ægyptios excitarent, maluit Episcopatui cedere ac in solitudinem sese recipere, hæc verba faciens in medio Concilij ut est in ejus vita, quæ præfixa est ejus operibus. *Viri collega & compastores sacrosancti gregis Christi, turpe fuerit, prorsusque à vobis alienum, si, qui ad pacem alios eruditis, intestinum ipsi bellum inter vos excitetis. Quonam enim modo alios ad concordiam adduxeritis ipsi circa sententias vestras & decreta discrepantes? ac vos per Trinitatem ipsam etiam obsecro ut mutua vestra negotia præclarè & pacificè transigatis. Quod si vobis ullo modo causa dissidii sum, Jonam prophetam vitæ integritate non supero, projicite me in mare & tumultuum tempestate agitari desinetis*, &c. Apparet autem cessisse D. Gregorium Episcopatui antequam discuteretur dogma Macedonij, ut est in eodem argumento: imò & motum fuisse ad illam cessionem ne impediretur examen & censura doctrinæ blasphemæ in Spiritum sanctum Macedonij. Quid enim aliud spiraret homo Spiritu sancto plenus, nisi ut cum sui etiam dispendio divinitas ejus asseretur, illæsaque fides in ejus divinitatem sarta tecta maneret? Hoc ipsemet orat. 44. luculenter testatur, ubi laudatâ Macedonianorum vitâ, subjungit Pauli Apostoli zelum imitatus, *Ut anathema etiam à Christo esse ac nonnihil ut damnatus perpeti non recusem, modo nobiscum adjungamini communibusque animis Trinitatem celebremus.* Pluribus autem admirationi est quo pacto tot Episcopi non impediverint dejectionem tanti viri, quique tot labores exantlaverat, torque ærumnas passus fuerat gravissimas, etiam usque ad corporis ægritudinem, cum gravissimo detrimento Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam ille hactenus mirum in modum auxerat, cùm corruptissimam & hæresibus ferè oppressam invenisset. Sed hujus rei præter invidiam Ægyptiorum cum suo Patriarcha Timotheo (qui jam antea auro corruptus Maximum ex Philosopho Cynico Christianum in ejus locum sufficere tentaverat, quem non admiserunt Constantinopolitani) causa fuit quod cùm Meletius unus ex Episcopis Antiochenis è vita excessisset, jam incœpto Concilio, ipseque censeret ut nullus in ejus locum subrogaretur nisi post extinctum Paulinum alterum Antiochiæ Episcopum, ut non essent dùo in una urbe Episcopi; quæ sententia prudentissima erat, propterea offensionem incurrit plurimorum, qui in animo habebant Flavianum Presbyterum Meletio dare successorem, ut actum est post ejus è Concilio discessum. Altera etiam causa fuit, quod Episcopi Orientales illius temporis sub Valentis Arriani Imperio ambitione & avaritia sedes Episcopales occupaverant, majori ex parte homines imperiti, perversi, & Sacerdotio indigni. Quod abundè ostendit ipse Gregorius in oratione de Episcopis, ubi plurimus est in describendis Episcopis quos ætas sua habuit, qui nullo delectu habito ex quolibet statu assumebantur, suamque insciticiam exemplo Apostolorum in quibus & publicani & peccatores extitissent, excusare volebant. Sed nec in sola illa oratione, verùm in pluribus aliis idem observari potest. Duo quippe genera personarum

ſonarum ſæpius exagitat; Eunuchos, quorum in aula magnus numerus; qui ferè omnes hæreſi Arrianâ aut Macedonianâ infecti erant, quod notat Billius in ſcholiis ad orationem ejus 31. & Epiſcopos propter allatam rationem. Sic orat. 20. *Nunc autem periculum eſt ne ordo omnium ſanctiſſimus, omnium maximè ſit ridiculus, non enim virtute magis quàm ſcelere & maleficio Sacerdotium paratur: nec dignioruin ſed potentiorum throni ſunt..... Antiſtes contra facilè inveniatur non elaboratus, ſed recens quantum ad dignitatem, ſimul factus & editus; ſicut poeta gigantes finxerunt, uno die ſanctos fingimus.* Loquitur ſcilicet de Epiſcopis qui tunc temporis ſanctitatis nomine vocabantur; quod nomen ſummo Pontifici Romano relictum eſt inter Epiſcopos. In eadem oratione: *Diſcipuli ſimul magiſtrique pietatis ſimul creantur: illoſque ante purgant quam ipſi purgati fuerint: heri ſacrilegi, hodiè Sacerdotes: heri prophani, hodie ſacrorum antiſtites: veteres vitio, pietate rudes ac recentes..... qui denique plura pro ſuis quam pro populi ignorantiis ſacrificia debent*, &c. Similia paſſim offendes in ejus orationibus, ut eſt etiam illud quod aſſerit, Epiſcopos nihil aliud ex mundi rebus deperdidiſſe præter capillitium, quod eſſent attonſi in modum coronæ: & illud, quod fides eorum eſſet tempori ſerviens, cùm pro religione principis, religionem haberent mutationi obnoxiam; unde tunc temporis tam facilè hæreſes novæ obtinebant. Cùm igitur tot indignis Epiſcopis abundaret hoc Concilium, nihil mirum ſi paſſi ſunt tantum virum throno ſuo cedere, imò & ad id cooperati ſint, paucis exceptis qui id ægrè ferebant. Ipſo interim contrariarum paſſionum ventis in mente agitato, ac primùm quidem ingenti gaudio utpote qui è tempeſtate ad portum perueniret: immenſo verò dolore quod Eccleſiam ſuo labore cultam ac Filios pleroſque cariſſimos, quos in Evangelio genuiſſet, deſerere cogeretur, neſciens cui relinqueret. Quem quidem animi mœrorem quoad vixit, nunquam potuit ſuperare, ſed ſemper ut ſævum tyrannum ſibi expertus eſt dominantem, adeò ut ſua illa Anaſtaſia (templum in quo ſacra obibat miniſteria) ſemper eſſet in mente, & dormienti quoque ipſi eam ſomnia repræſentarent. Quæ pluribus proſequitur ipſemet Gregorius & verſibus Iambicis in vita ſua explicat. Quin etiam nunquam poſtea Synodis voluerit intereſſe, de quibus ſic canebat in carmine de diverſis vitæ generibus,

Epiſcopi indigni.

Non ego cum gruibus, non anſeribuſque ſedebo
In Synodo, quæ ſe marte furente petunt.
Hic rixa, hic fera pugna, priuſque abſcondita probra
Quæ ferale odium parte ab utraque prodit, &c.

Tota igitur illius mens ad vacandum uni Deo abhinc intenta fuit, ut teſtatur in fine carminum præcitatorum de vita ſua.

Heri locatus in throno, nunc pellitis;
Hinc porrò fugiens quidnam agam? inter cœlites
Degam. Meam jam nemo vitam læſerit
Ut me juvabit, cœligum me uni Deo, &c.
Dulciſque cœli ſpes meos tenues alet.
Eccleſiæ at quid dabo? fletus dabo.
Hæc namque rectos cœlitum me compulit,
Dum vicibus ævum pluribus verſat meum, &c.

Suffectus eſt autem in ejus locum, id volente Theodoſio, Nectarius. Tuncque diſputatio adversùs Macedonium inſtituitur. Et quamvis plerique ex Epiſcopis valdè ignari eſſent, tamen per libellum Occidentalium qui illis prælectus eſt & ab ipſis acceptus quem Damaſus ad Paulinum miſerat Antiochenſium Epiſcopum, probè in rebus fidei ſenſerunt ac decreverunt contra Macedonium, ſimulque alios hæreticos quos in primo Canone damnaverunt. Quæ verò de aliis rebus ſanciverunt approbationem non ita meruerunt. Porro continet ille libellus Anathematiſmos Damaſi Papæ in Concilio Romano editos adversùs omnes hæreſes quæ tunc temporis Eccleſiam Orientalem infeſtabant, ac pleniſſimam declarationem de divinitate Spiritûs ſancti exhibet. Quare & hujus voluminis ductu potuerunt Symbolo Nicæno, quod parciùs agebat de Spiritu ſancto, aliqua addere, ſicque in eo diceretur, eum adorandum cum Patre & Filio, vivificatoremque ac eſſe Dominum, contra Macedonij blaſphemiam eum ſervum vocantis: Sicut antea in Nicæno Symbolo aliqua addita fuerant Symbolo Apoſtolorum circa ea quæ ſpectabant ad Verbum ſeu Filium, ut explicatiùs traderetur ejus ſublimitas ac excellentia contra Arrij detractiones ſimulque blaſphemias. Hic autem libellus ut exſcriptus eſt ex hiſtoria tripartita Caſſiodori lib. 9. cap. 16. dabitur inter epiſtolas Synodales hujus Concilij.

Prudentia & pietas Theodoſij in hoc Concilio.

Ex diſceſſu Gregorij Nazianzeni nata eſt in Synodo major concordia, unde & locus in quo habebatur concordia dictus eſt in poſterum. Tunc autem emituit prudentia Theodoſij Imperatoris, ut rem narrat ex Socrate Caſſiodorus de rebus hujus Synodi.

Inter hæc evocans Imperator Nectarium, tractabat cum eo quid fieret, ut non chriſtianitas diſcordaret, ſed tota uniretur Eccleſia. Dicebat autem: Oportet examinari Eccleſias ſegregantem, quia dum diſcordia recederet, Eccleſias concordia inter ſe uniret. Hæc audiens Nectarius cogitabat, & evocans Agelium, tunc Novatianorum Epiſcopum, tanquam in fide conſortem, indicavit ei votum Imperatoris. At ille, cùm eſſet rebus aliis venerandus, de dogmate tamen non valebat reddere rationem, ſed lectorem ſuum Siſinnium nomine ſtatuit, qui pro eo deberet proferre ſermonem, virum eloquentem & rebus expertum, ſumméque non ſolùm ſcientem ſacrarum profundiſſima literarum, ſed etiam philoſophica dogmata. Is ergo dixit, quia diſputatio non ſolùm ſchiſmata non uniret, ſed amplius divideret & etiam hæreſes ad contentiones potiores adduceret, & propterea Nectario dedit tale conſilium. Bene namque ſciebat, quia veteres patres principium ſubſiſtendi filio Dei dare vitabant, quoniam percepiſſent eum eſſe patri coæternum. Quapropter dedit conſilium ut diſputativas fugeret intentiones, & teſtimonium ex traditione veterum adhiberet, utque præſules hæreſum requireret Imperator utrum ſermonem vellent facere de antiquis Eccleſiæ Doctoribus, qui ante floruerunt, an certè illos velut alienos à Chriſtianitate, reſpuerent. Et ſiquidem eos abnegarent, objiceretur eis, ergo eos anathematizare præſumite. Et ſi hoc perpetrare non præſumerent, à populo pellerentur. Quo facto apertam fore victoriam veritatis. Si verò de principibus non offenderentur, doctoribus: noſtrum (inquit) eſt, præbere veterum libros, ut noſtrum dogma eorum teſtimonio roboretur. Inter hæc; cum Nectarius, Siſinnio dicente, libenter audiſſet, feſtinus ad palatium properavit, dixitque principi conſilium ſibi datum. At ille conſiderata ſententia, cauſam ſapienter inſtituebat. Deinde, convocatis hæreſiarchis, requiſivit ſi ſuſciperent magiſtros Eccleſiæ, qui ante tempora diviſionis extitiſſent. Illis verò non abnegantibus, ſed tanquam præceptores honorantibus, rurſum Imperator interrogavit, ſi eis horum teſtimonia chriſtiani dogmatis complacerent. Hæc audientes præſules hæreſium, atque diſputatores eorum (erant enim plurimi ad diſputationis certamina præparati) in reſponſo vehementer hęſerũt. Irruit enim in omnes magna diſcordia, aliis dicentibus, bonum Imperatoris propoſitum eſſe, aliis verò cogitantibus, quia non eorum expediret intentioni, dum alij aliter de libris veterum ſentire viderentur, & nequaquam inter ſe conſpirabant, ſed erant diviſi non ſolùm adversùs alias hæreſes, ſed etiam inter ſemetipſos qui dudum unius hæreſis eſſe videbantur. Quamobrem conſors malitia ſicut linguæ gigantum veterum, eſt diviſa, & turris eorum funditus eſt ſubverſa. Cognoſcens igitur Imperator eorum confuſionem, & quia in diſputatione ſolummodò, & non in antiquis expoſitionibus confidebant, alio pro-

Trip. hiſt. lib. 9. c. 18. & 19.

Diſputationes pernitioſæ.

Genus ſimile

peravit itinere, eisque declaravit ut ex scripto unaquæque religio terminum suæ fidei declararet. Tunc callidi viri singularium hæresum subtiliter sua verba tractantes, dogma proprium conscripserunt. Aderant ergo Nectarius & Agelius consubstantialitatis præsides. Arrianorum vero Demophilus, Eunomianorum ipse Eunomius, Macedonianorum Eleuzius Cyzici. Igitur Imperator eos qui convenerant, considerans, & uniuscujusque dogmatis scripta suscipiens, seorsumque recedens, oravit intentè, ut ei cooperaretur Deus ad veritatis electionem. Deinde uniuscujusq; dogmatis relegens scripturam, alia quidem omnia, tanquam divisionem Trinitatis introducentia, culpans repentè disiupit, & solum consubstantialitatis dogma cum laude suscepit. Hæc enim occasio fuit, ut Novatiani, bene agentes, intra civitatem haberent rursus Ecclesias. Admiratus namque princeps eorum concordiam circa fidem, lege præcepit, ut propria oratoria detinerent, & privilegia suæ Ecclesiæ, atque fidei possiderent. Verùm aliarum religionum antistites, propter discordiam suam in reprehensionem populi sui venientes, æstuabant, tristitiaque confusi discedebant, & literis consolabantur alterutros, ut non affligerentur, cur eos plurimi relinquentes, ad fidem consubstantialitatis accederent, dicentes: Quid enim, multos vocatos, paucos autem electos? Quod utique non dicebant; quando multum populum per potestatem sibimet aggregabant.

Præcipua virtus Imperatoris probe.

Zozomenes. Imperator interea lege sancivit, ut hæretici neque Ecclesias haberent, neque de fide docerent, neque Episcopos, aut alios ordinarent, & alios quidem è civitatibus expelli, alios sine honore esse, neque frui communi civitate permisit. Insuper crudeles pœnas adversus eos in lege conscripsit, quas tamen executus non est. Studebat enim ut per hæc concordes existerent, non verò supplicio subjacerent.

Edicta Imperatoris contra hæreticos.

OBSERVATIO DVPLEX
Doctoris Iovery.

SYnodus secunda Oecumenica, prima Constantinopolitana, coacta sub Damaso Papa & Theodosio seniore, à 150. patribus, contra Macedonium Constantinopolitanum, negantem divinitatem Spiritûs sancti. Statuit igitur Spiritum sanctum esse Deum, ejusdem naturæ cum Patre & Filio, quemadmodum in Nicæno Concilio, de filio, definitum est; & sicut Nicæna Synodus edidit Symbolum, quod in Ecclesia canitur alta voce, & sic & Constanti. Synodus, hac tamen serie, ut ex duobus coalescat unum, quod canit Ecclesia. Nicænum enim progreditur usque ad eam particulam, & in Spiritum sanctum, mox agit contra Arrianos subjungens, dicentes autem, *erat quando non erat*, &c. ut legere potes in fine Concilij Nicæni. Ea verò quæ divinitatem Spiritus sancti declarant & explicant usque ad finem Symboli, à sancta hac secunda Synodo sunt definita & Nicæno Symbolo conjuncta, videlicet, Dominum & alia, vivificatorem vivificantem, qui ex patre procedit: & hoc igitur Ecclesiæ Symbolum posset Constantinopolitanum dici, sicut Nicænum: Sed quia Concilium Nicænum fuit primum, & Symbolum ejus, multo tempore antequam fieret hæc accessio explicatoria, cœperat in Ecclesia cani Marci Papæ authoritate, idcircò Nicænum vocatur. Additio illa, horum duorum verborum, Filioque, ab Ecclesia Latina, justa de causa, contra Græcorum errorem, explicationis ergo, facta est.

Observanda est etiam varietas quantum ad Canonum attinet numerum. Antiqua translatio continet tres duntaxat, posterior verò septem, sed eadem in utrisque continentur. Codex tamen Græcus in secundo Canone, complectitur tres Canones, Editionis Latinæ, sic, qui nobis est quintus, Græcis est tertius, quem aliqui suspicantur esse suppositititium, quia post

A Ecclesiam Romanam, primatus honorem defert Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Et licèt non fiat injuria Romanæ, tamen invertitur ordo sedium, & hac in re fit injuria Alexandrinæ Sedi & Antiochenæ, quarum illa secundum locum obtinebat, hæc verò tertium, & Hierosolymitana quartum, nec Constantinopolitana erat ante Sedes Patriarchæ; at hic quintus Canon ambitu quodam, videtur ei tribuere Patriarchatus primatum post Romanam. Qui voluerit Canonem hunc tueri mordicus, dicet hunc ordinem inter illas tres conservatum fuisse, sed uno gradu dejectas, ut sedes Constantinopolitana primatum post Romam assequeretur. Sed cùm id non sit de jure divino, & sit in potestate Ecclesiæ disponere maximè pro causa legitima, ipsi Concilio licuit hoc disponere: credendum est
B etiam Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam, in gratiam Imperatorum, qui impensissimè favebant Constantinopolitanæ, facilè cessisse juri suo. Quoniam Ecclesia potest nunc novum Patriarcham instituere, potuit etiam tunc temporis, & illorum ordinem si expedierit invertere: non est igitur cur abjiciatur hic Canon quintus, ne detur ansa facilè abjiciendi canones à tanto tempore approbatos. Hæc constituerunt, qui Constantinopolim, gratia Christi convenerunt Episcopi ex diversis provinciis, juxta vocationem pijssimi Imperatoris Theodosij.

CANONES
C CONCIL. CONSTANTINOP. I.

CANON I. *Vt ea, quæ apud Nicæam statuta sunt, immota permaneant.*

CVstodiendam esse fidem 318. Patrum, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt, ad anathematizandam omnem hæresim, specialiter Eunomianorum, sive Anomæorum, & Arrianorum, sive Eudoxianorum & Semi-Arrianorum, sive Pneumatomachorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinianorum.

D SIc restituimus hunc primum Canonem quem Caranza & Coriolanus mutilum ediderunt. Sunt autem Eunomiani discipuli Eunomii qui Filium Patri dissimilem prædicabat. De quo ad calcem Concilij Sardicensis diximus.

Anomæi alij hæretici discipuli Ætij ejusdem dogmatis cum Eunomio quod spectat Trinitatem. Aliud tamen addebat cur Anomæus dictus sit, id est sine lege: sufficere enim putabat ad salutem Deum cognoscere, nec quicquam aliud Deum à nobis efflagitare quam ut ipsum cognoscamus, quemadmodum Christus declaravit his verbis Joan. 17. *Da ipsis Pater in semetipsis habere vitam. Hæc est autem vita ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Nam & nonnullos referentes audivimus, ait
E D. Epiphanius *hæresi* 76. quod de illo se palàm audisse testificarentur. Cùm quidam ob stuprum fœminæ illatum accusarentur & ab aliis damnarentur, nihil illum commotum, sed factum illud risu ac ludibrio prosequentem dixisse, nullius hoc esse momenti: corporis enim hanc esse functionem aut necessitatem, quemadmodum aurem nonnunquam scalpimus, &c. Sed & eorum jactantia erat: Tam perspicuè Deum novi ac tantam illius notitiam sum consecutus ut ne meipsum quidem melius quàm Deum noverim. Vides quot hæreseon monstra, quot artes diaboli ad hominum animas in exitium trahendas.

Anomæi in pluribus errabant.

Luxuriâ fautores erant.

Pneumatomachi, id est, unpugnatores Spiritûs sancti Macedonius & ejus assecla, devoti devotæque plures, saltem in specie exteriori, nam tam subtile malum

Falsi devoti.

eſt hæreſis, quod etiam noſtro tempore experimur, ut etiam ſub ſpecie fucatæ pietatis pervadat in animas quæ magis electæ videbantur. De hoc Macedonio prius Epiſcopo Conſtantinopolitano & è ſede ſua deturbato per Arrianos ob confeſſionem Omoouſiou ſeu conſubſtantialis, notanda quæ habet Leontius de ſectis act. 4. circa divinitatem, inquit, delinquebat & ex ſemiſſe particeps erat impietatis Arrianæ. Nam Filium ex Deo genitum tradens, Spiritum creaturam eſſe dicebat. Atque hoc dogma ſuum ex eo confirmabat, quod apertus ſacris in literis ut ipſe quidem aiebat textus non extet, qui Spiritum ſanctum eſſe Deum tradat. Sed multis auctoritatibus convincitur. Primum in Actis Apoſtolorum ad Ananiam, &c.

De Apollinari verò ait idem quod in diſpenſatione Chriſti manifeſtè errabat. Corpus enim quod Deus ille ſermo induit, animam quidem habere, ſed mente prorſus carere tradebat: quippe qui non aliter animâ præditus eſſet ac brutum quoddam animal. Hoc dictum non aliquo ſcripturæ loco, ſed ratiocinando probabat. Quia mentem aiebat eſſe quiddam peccato pollutum. Abſurdum verò prorſus de Dei ſermone cogitare, copulatum fuiſſe cum re peccato contaminata. Hæc ille. Unde apparet Appollinaris ratiocinationem malè fundatam. Quaſi eſſet una mens communis omnibus hominibus, ſicut Averroës poſtea docuit. Si enim uniuſcujuſque hominis mens diſtincta eſt, quid vetat hanc mentem aſſumpſiſſe Verbum quæ eſſet immaculata, licet aliorum mentes non ita fuerint impollutæ? cæterum plures fuerunt hujus Preſbyteri Laodiceni errores, licèt non omnes crediti fuerint, & aliqui etiam excuſati, ut ex Epiphanio hæreſi 76. videre eſt, quod ipſe antea magna cum laude in Eccleſia verſatus fuiſſet, & in magna probitatis ac doctrinæ æſtimatione habitus. Nam & tales hæreſibus eudendis magis apti ſunt. Habet autem Gregorius Nazianzenus orat. 51. quæ eſt epiſt. 1. ad Cledonium Preſbyterum, mordaces imprecationes contra ipſum Apollinarem, ut cùm dicit: *Si quis in hominem mente carentem ſperat, amens profectò eſt*, & quoniam idem Apollinaris diverſos gradus in Trinitate admittebat, ait: Si quidem ex magno, majori & maximo, hoc eſt ex Spiritu ſancto & Filio & Patre tanquam ex ſplendore, radio & ſole Trinitatem conſtituere, (quod quidem in ejus libris apertè ſcriptum eſt) *Scala eſt Divinitatis non in cœlum ſubvehens, ſed è cœlo dejiciens.* Sed & idem Nazianzenus tantùm infeſtus Macedonio & Apollinari, quantum D. Athanaſius Arrio, alios ejus refert errores orat. 46. ut quod Filius Dei carnem ſuam de cœlo deſcendens adduxiſſet, ut ſic ſecundus homo eſſet de cœlo. Item quod ſecundùm divinitatem paſſus ſit, & quod divinitas ejus in triduo cum corpore mortua à Patre ſuſcitata ſit, &c.

Apollinaris errores.

Fuit autem error Photinianorum idem ac Pauli Samoſateni, unde & Paulianiſtæ dicti ſunt etiam Photiniani. Dicebant illi Patrem Deum eſſe qui omnia creaſſet; Filium ſeu Chriſtum puerum hominem, Spiritum illam gratiam quæ ſuper Apoſtolos venerit. Sabellius verò eundem eſſe Patrem, Filium ac Spiritum ſanctum aſſerebat, Trinitatemque ac diſtinctionem perſonarum negabat. Apud eundem Leontium de ſectis act. 3. porro quis fuerit Marcellus qui etiam hic damnatur, diſcere poſſumus ex Baronio ad annum 347. Sabellianæ hæreſis aſſertor & Epiſcopus Ancyranus, quemque D. Athanaſius ob eam cauſam excommunicaverat. Unde cauſa data eſt Arrianis obloquendi in Concilium Sardicenſe, quod tam injuſtè in eo fuiſſet pro Athanaſio judicatum, quam Marcellus fuerat abſolutus, qui Athanaſij judicio hæreticus eſſe probaretur.

Photiniani Paulianiſtæ eadem.

Reſtat difficultas circa hunc Canonem de damnatione Eudoxianorum, quinam illi erant, hoc enim torſit D. Gregorij Magni animum epiſt. 31. l. 6. & Canones quidem Conſtantinopolitani, ait, Eudoxianos damnant. Sed qui fuerit eorum Author Eudoxius minimè dicunt. *Romana autem Eccleſia eoſdem Canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.* Reliquas verò hæreſes quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis verò nihil hactenus agnovit. In hiſtoria autem Sozomeni de quodam Eudoxio qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum arripuiſſe dicitur, aliqua narratur. Sed ipſam quoque hiſtoriâ ſedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur, &c. in Latina autem lingua de hoc Eudoxio nunc uſque neque in Philaſtrio, neque in B. Auguſtino, qui multa de hæreſibus conſcripſerunt, neque in aliis Patribus aliquid invenimus. Charitas igitur veſtra ſi quis apud Græcos probatorum Patrum de eo ſermonem fecit, ſuis mihi Epiſtolis innoteſcat. Hactenus Magnus Gregorius. Porro Eudoxium Arrianum extitiſſe legi poteſt apud Nicephorum Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 9. cap. 36. ubi de eo dicitur quod Arrij diſcipulos in ordinem Clericorum cooptaret, & Aetium hæreticum maximo honore proſequeretur & cap. 37. quod Liberium Pontificem per calumniam traduceret, perinde ac ſi conſubſtantialis nomen repudiaſſet, &c. Meminit quoque Caſſiodorus hiſtoriæ tripart. l. 4. c. 10. Eudoxij Germaniciæ Epiſcopi de fide Nicæna quidpiam imminuentis in Epiſtola oblata Sacerdotibus occidentalibus ad quos cum Martyrio & Macedonio miſſus fuerat, & à quibus repulſam paſſus, cùm dicerent illi Occidentales fidem Nicænam ſufficere. Denique verba hujus Canonis ſatis indicant Eudoxianos fuiſſe Arrianos, licèt à Carranza & Coriolano non integrè afferatur, & alibi narratur quomodo idem Eccleſiam Antiochenam invaſerit orthodoxis infeſtus.

Eudoxiani qui fuerint.

CANON II. *Epiſcopi ſuam Diœceſim gubernent, & ad alias non accedant.*

EPiſcopi, qui extra Diœceſim ſunt, ad Eccleſias quæ extra terminos ſunt, non accedant, neque confundant & permiſceant Eccleſias, ſecundùm regulas conſtitutas Alexandriæ quidem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſervatis honoribus primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea, quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodò Diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem Epiſcopi, Ponticæ tantùm Diœceſis habeant curam: Thraciæ verò, ipſius tantummodò Thraciæ.

9. 9. 2. Epiſcopi, qui extra.

CANON III. *Non invitatos Epiſcopos ultra Diœceſim propriam accedere non debere.*

NOn invitati Epiſcopi, ultra Diœceſim accedere non debent, ſuper ordinandis aliquibus, vel quibuſcunque diſponendis Eccleſiaſticis cauſis, ſeruata regula, quæ ſuperſcripta eſt, de unaquaque Diœceſi. Manifeſtum namque, quod per ſingulas quaſque Provincias, Provinciales Synodus adminiſtrare & gubernare omnia debeat, ſecundùm ea quæ ſunt in Nicæna definita.

9. 9. 2. Non invitati Epiſcopi.

Nic. Syn. cap. 5.

NOva ſemper ſubſequentia Concilia poſt Nicænum caviſſe, ut quæ in eo decreta fuerant circa limites juriſdictionis, diligenter & inviolabiliter ſervarentur.

A

CANON IV. *De Eccleſiis apud Barbaros poſitis.*

ECcleſias autem Dei, quæ ſunt in Barbaricis gentibus conſtitutæ, regere atque adminiſtrare oportet ſecundùm conſuetudinem, quam à patribus obtinuiſſe dignoſcitur.

CANON V. *De honore Conſtantinopolitani Epiſcopi.*

D. S. Conſtantinopolitana excitatur.

CONſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propter quod ſit nova Roma.

B

HIs autem ſic definitis, quidam præpoſitionem (poſt) non eſſe honoris ſubmiſſionem excogitarunt, ſed ipſam ad hoc quod eſt poſt tempus ſolummodo acceperunt. Hic eſt æſtus Græcorum apud Balſamonem ad hunc Canonem. Cæterum hunc Canonem verum fuiſſe probat actio 16. Concilij Chalcedonenſis, ſed ab Eccleſia Romana minimè receptum fuiſſe, conſtat primùm ex Gregorij epiſtola 123. libro ſexto. Deinde etiam id vel hinc manifeſtum eſt, quod cùm Anatolius Conſtantinopolitanus in Chalcedonenſi Concilio, non tantùm Patriarchatum adipiſci, verumetiam ſecundum locum C inter Patriarchas occupare conatus eſſet, Leonem Pontificem acerrimum ſibi adverſarium expertus fuerit: epiſt. 51. Unde licèt Epiſcopi Conſtantinopolitani, Imperatorum potentia freti, ob dignitatem Regiæ urbis, ſecundum locum Sedium Patriarchalium ſibi uſurparint, multiſque commentitiis Canonibus ſextæ & octavæ Synodi confirmarint; tamen nunquam à Romana Eccleſia id approbatum fuit. Pacis & tranquillitatis cauſa tempore Juſtiniani Imperatoris ita permiſſum eſt, ut nemo ampliùs contradixerit. Id declarat Innocentius III. cap. *Antiqua*. de privil. Cardinalis Baronius non levibus conjecturis putat hunc Canonem ſurreptitium eſſe. Vide anno 381. num. 35. & 36. Vide etiam Binij Notas, ubi eædem repetuntur. Addit Straovolſcius quod Epiſcopi in ea epiſtola Synodica D quam ad Damaſum miſerunt, nullam ejus mentionem faciunt: nec Timotheus Alexandrinus Epiſcopus contradixiſſe legitur, cùm eſſet præſes, & in præjudicium proprium id eſſet: verior tamen videtur prior ſententia, cui etiam favet Joverius ſupra in ſecunda obſervatione: & manifeſtè hiſtoria tripartita lib. 9. cap. 13. Ubi ſic proſequitur geſta ab Epiſcopis.

Patriarchatus C.P. initium & progreſſus.

Tunc etiam regulam protulerunt, ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus haberet honoris privilegia poſt Pontificem Romanum, eo quòd nova Roma eſſet. Firmaveruntque rurſus Nicænam fidem, & Patriarchas conſtituerunt, diſtribuerunt provincias, ut Epiſcopi uniuſcujuſque Diœceſis ad Eccleſias non irent extraneas. Hoc enim primitus propter perſecutionis tempus indifferenter agebatur. Diſtribuerunt itaque E Nectario quidem maximam civitatem, & Thraciam, Ponticam verò diœceſin Helladio, qui poſt Baſilium fuit. Cæſaream Capadociæ Gregorio Niſſeno, Baſilijque Germano. Troilo quoque Mitilinæ Armeniæ jus Patriarchæ dederunt, Aſianàm verò diœceſim Iconij Amphilochius eſt ſortitus. Otimius autem Antiochiæ Piſidiæ, Ægyptum quoque Timotheo Alexandrino diſtribuerunt. Porro Eccleſiarum Orientalium gubernationem præſulibus commiſerunt, Pelagio Laodiceno, & Diodoro Tarſi, Antiochenæ Eccleſiæ privilegia reſervantes, quæ tunc Meletio præſenti dederunt. Definierunt pariter, ut ſi quid in provincia qualibet emergeret, provinciæ conſilio finiretur. In his omnibus ſuum præbuit Imperator aſſenſum.

Diſtributio Eccleſiarum Orientalium.

CANON VI. *De Maximo Cynico Philoſopho.*

DE Maximo Cynico Philoſopho, propter indiſciplinationis ejus doctrinam, quæ Conſtantinopoli orta eſt, ſtatutum eſt, ut neque Maximus fuiſſe, aut etiam eſſe putetur Epiſcopus, neque hi qui ab eo ſunt ordinati, qualemcunque gradum Clericatus obtineant; omnibus ſcilicet, quæ circa eum vel ab eo geſta ſunt, in irritum revocatis.

QVis fuerit iſte Maximus diſci poterit ex vita ipſius Gregorij operibus ejus præfixa editionis anni 1630. videtur quaſi jure devoluto uſus adverſus Gregorium. Sic ibi: Maximus genere Ægyptius, moribus barbarus, novus quiſpiam Jamnes adverſus Gregorium velut adverſus Moſem aciem inſtruens, Cynicam Philoſophiam amplexus, baculoque & comâ & pallio gravitatis ſpeciem præ ſe ferens, acceſſit tandem ad D. Gregorium Nazianzenum à quo fidei rudimentis inſtitutus impietatem dediſcit, baptiſmoque regenitus pars Eccleſiæ efficitur. Progreſſu quoque temporis experimentum ſui præbens in Clerum adſcribitur: ac tum Judam æmulatus à præceptore ſuo perfidè deficit qui eum inter ſingulares amicos habuerat. Pecuniâ obtinet Epiſcopatum Bizantinum ab Alexandrino Patriarcha. Minimè tamen id paſſi ſunt cives Conſtantinopolitani: ab ipſis ejectus cum aliquas ordinationes feciſſet, huc irritæ declarantur.

Maximus Cynicus pervertit.

CANON VII. *De Libello Occidentalium.*

DE Libello Occidentalium, etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ unam Patris & Filij & Spiritûs ſancti Deitatem confitentur.

PEt Libellum Occidentalium, intelligit Canon illam fidei profeſſionem, ſive anathematiſmos illos quos per epiſtolam ex Concilio Romano ad Paulinum tranſmiſit Damaſus. Dabitur infra inter epiſtolas Synodales. At Balſamon in ſcholiis ad Can. V. hujus Synodi: congregatis, inquit, 341. Epiſcopis (nempe Sardicæ) confirmatum eſt ſanctum Symbolum Patrum, qui Nicææ convenerant: & qui non ita ſentiebant anathemati ſubjecti ſunt. Volumen ergo ſeu tomum Occidentalium hanc dicit definitionem ſecunda Synodus, quæ etiam ab Antiochenis ſuſcepta eſt. Volumen hoc autem Occidentalium dixit, quoniam ſoli occidentales Epiſcopi hoc ediderunt. Orientales enim qui erant ſeptuaginta dicebant, niſi ejiceretur S. Paulus Confeſſor & magnus Athanaſius, ſe Synodo non communicaturos. Adverte tamen priori ſententiæ magis adhærendum eſſe, cùm non ſoli Occidentales ſubſcripſerint in vero Sardicenſi: ſicut nec ſoli Orientales in Pſeudo-Sardicenſi Philippopolis, ut ex ſubſcriptionibus apud Binium innoteſcit.

CANON VIII. *De accuſationibus.*

Reliqui Canones ex Balſamone hic addit ſui.

QVoniam multi Eccleſiaſticum ordinem confundere & ſubvertere volentes, inimicè & ſycophanticè adverſus Orthodoxos Epiſcopos, qui Eccleſias adminiſtrant, accuſationes quaſdam confingunt, nihil aliud quàm Sacerdotum bonam exiſtimationem contaminare, & in pace degentium populorum tumultus concitare conantes: ea de cauſa placuit ſanctæ Synodo Epiſcoporum, qui Conſtantinopoli convenerunt, nec ſine diſcutione admittere accuſatores, nec omnibus

eorum qui Eccleſias adminiſtrant, accuſationes permittere, nec omnes excludere: ſed ſi quis propriam quidem querelam, id eſt, privatam, intendat Epiſcopo, ut detrimento aliquo vel injuria aliqua ab ipſo affectus, in ejuſmodi accuſationibus nec accuſatoris perſonam, nec religionem examinari. Oportet enim Epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus modis liberam, & eum qui ſibi injuriam factam eſſe dicit, cujuſcunque ſit religionis, jus ſuum conſequi. Si autem ſit crimen Eccleſiaſticum, quod Epiſcopo intenditur; tunc examinari perſonas accuſatorum: ut primùm quidem hæreticis non liceat Orthodoxos Epiſcopos pro rebus Eccleſiaſticis accuſare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Eccleſia abdicati ſunt, & qui ſunt poſteà à nobis anathematizati: ad hæc autem & eos qui ſe ſanam quidem fidem confiteri præ ſe ferunt, avulſi autem ſunt & abſciſſi, & adverſus Canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt. Præterea autem, & ſi aliqui eorum ab Eccleſia ob aliquas cauſas priùs condemnati & ejecti, & vel excommunicati fuerint, ſive ex Clero, ſive ex laïcorum ordine, nec eis licere Epiſcopum accuſare, priuſquam proprium crimen abſterſerint. Similiter autem & eos, qui priùs rei facti accuſatique ſunt, non priùs ad Epiſcopi vel aliorum Clericorum accuſationem admitti, quàm ſe objectorum ſibi criminum inſontes oſtenderint. Sed ſi nonnulli nec hæretici nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati, vel aliquorum criminum accuſati, dicant autem ſe habere aliquas adversùs Epiſcopum criminationes; eos jubet ſancta Synodus primùm quidem apud provinciæ Epiſcopos accuſationem perſequi, & apud eos probare crimina Epiſcopi qui aliquarum rerum accuſatur. Quod ſi evenerit, ut Provinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intenta ſunt, corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum Diœceſis illius Epiſcoporum pro hac convocatorum, & accuſationem non priùs intendere, quàm æquale periculum ſibi ſtatuant, ſi quidem in rebus examinandis accuſatum Epiſcopum calumniari convicti fuerint. Si quis autem iis, quæ ut priùs declaratum eſt, decreta fuerunt, contemptis, auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſæcularium Principum judicia vel Vniverſalem Synodum perturbare, neglectis Diœceſis Epiſcopis, eum nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum, ut qui Canonibus injuriam fecerit, & Eccleſiaſticum ordinem everterit.

Ordo quis in accuſando Epiſcopo.

Hæretici qui dicãtur.

NOn ceſſavit unquam, ait Balſamon, inimicus noſter Sathan bonorum hominum exiſtimationem, & maximè Epiſcoporum per calumniam polluere. Inde porrò accuſationes frequentes contra Epiſcopos, quorum aliæ privatæ, id eſt, pecuniariæ, aliæ criminales, quibus hic canon leges diverſas procedendi figit: quod & alibi pluries in Conciliis factitatum.

CANON IX. *De recipiendis qui ab hæreſi redeunt.*

EOs qui rectæ Fidei adjiciuntur, & partim eorum qui ex hæreticis ſervantur, recipimus, ſecundùm ſubjectam hîc conſequentiam & conſuetudinem. Arrianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui dicunt ſeipſos Catharos, & Ariſteros, hoc eſt, mundos, vel ſiniſtros, & Teſſaradecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit ut ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia; & ſignatos, ſive unctos primum ſancto Chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos ſignantes dicimus: Signaculum doni Spiritus ſancti. Atque Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur; & Montaniſtas, qui hîc dicuntur Phryges; & Sabellianos, qui eundem eſſe Patrem & Filium opinantur, utrumque ſimul confundentes, & alia gravia & indigna faciunt; & alias omnes hæreſes. Quoniam hîc multi ſunt hæretici, & maximè qui ex Galatarum regione veniunt: quicumque ex his rectæ fidei adſcribi volunt, ut Græcos admittimus: & primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando; & ſic eos catechizamus ſive initiamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas; & tunc eos baptizamus.

Libelli ſint de hæreſi profeſſiones Orthodoxæ.

DE modo recipiendi Hæreticos, an confirmatio tunc repetita, vide in 4. claſſe in Concilio Laodiceno à nobis annotata. Interim probari vix poterit hic tantum agi de manus impoſitione pœnitentiali quæ non ſicca, ſed uncta adhibita fuerit pro more Orientalium. Verba enim Concilij aliud denotant. Balſamon putat Sabbatianos eoſdem eſſe cum Novatianis à quodam eorum Preſbytero Sabbatio, qui more Judaïco ſabbata ſervabat. Appellati ſunt autem & iidem Siniſtri, utpote manum ſiniſtram abhorrentes, & ut per eam quicquam recipiant in animum non inducentes. Teſſeradecaditæ ſunt Quarto-decimani qui cum Judæis Luna decima-quarta Paſcha celebrant. Hæretici qui ex Galatia Phryges ſunt aut Montaniſtæ dicti à Montano, aut Pepuziani ex quadam regione Pepuza quam circa Hieruſalem incolunt. Qui Sanctam Trinitatem in unam perſonam contrahunt cum Sabellianis, ideò nec baptizabant in nomine etiam perſonarum. Unde notat Balſamon omnes, ex hoc Canone, ruſſus rebaptizatos qui cum una immerſione baptizati erant, ſine expreſſa mentione triuni perſonarum ut debet intelligi, cum una immerſio adhibita expreſſione trium perſonarum, ſufficiens eſſet, quæcumque ſit fides baptizantium, ut cenſet D. Auguſtinus l. 3. de bapt. contra Donatiſtas. Licèt Gregorius Magnus videatur requirere eamdem fidem l. 1. regiſtri epiſt. 41.

Varij Hæretici damnantur.

SYMBOLVM *ejuſdem* CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.

CRedimus in unum Deum, Patrem omniporentem, factorem cœli & terræ, vi-

tus sit Episcopus, qui de majori civitate ad minorem transiret. Vnde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius & austeriùs vindicetur, ut nec laïcam communionem habeat, qui talis est? Responderunt universi: Placet.

OCcasione Eusebij Nicomediensis, qui post duas sedes mutatas, se Constantinopolim transferri curaverat, aliorumque etiam Episcoporum, qui humanæ gloriæ libidine incitati è minoribus ad majores sedes provehi laboraverant: ideóque Athanasio & Eustathio Antiochenis Primatibus ejiciendis ac deturbandis, ex ambitione calumniam intulerant: hac, inquam, occasione gravius hîc, quàm Nicæna Synodus Canone 15. jussit eosdem, licet invitos, in pristinam sedem reduci, à Patribus hujus Concilij constitutum fuit, ne laïca communione etiam in fine vitæ imparti-rentur. Baronius anno 347. num. 46.

CAP. *De eisdem Episcopis.*

OSius Episcopus dixit: Etiam si talis aliquis exiterit temerarius, ut fortassis talem excusationem afferens, asseveret, quòd à populis literas acceperit: cùm manifestum sit, potuisse plures præmio & mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum. Omnino has fraudes damnandas esse arbitror: ita ut nec laïcam in fine communionem talis accipiat. Si verò omnibus placet, statuite. Synodus respondit: Placet.

CAP. III. *De Episcopo adjudicato.*

5 quæst. 4. Osius Episcopus.

OSius Episcopus dixit: Illud quoque necessariò adjiciendum est, ut Episcopi de sua Provincia ad aliam provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quòd si in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, unus de duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem. Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit in alia causa, & putat se bonam causam habere, ut iterùm Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo; & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non rescindantur ea quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.

CIrca illa verba: *Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit*, sciendum quòd hoc Canone tertio, sicut etiam quarto & septimo, declaratur expedire, ut ordinariè Episcopis ad Sedem Apostolicam provocantibus & appellantibus deferatur: Jure divino non tantùm permissum erat, ut Episcopi injuriam passi ad summum Ecclesiæ & Romani Pontificis tribunal provocarent; verùm etiam frequenter ante hæc tempora de facto observatum, ut tam Presbyterorum quàm

Appellatio ad Pontif. Ro. in more antiquo erat.

A Episcoporum appellationes ad Apostolicam Sedem admitterentur: adeò ut verissimum sit quod scribit S. Leo Epist. 89. ad Episcopos Galliæ, hanc esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Ad Pium I. Marcion; ad Cornelium, Fortunatus & Felix in Africa; ad Stephanum Pontificem Basilides in Hispania depositus, appellarunt. Athanasius, ad Julium Pontificem provocans, per eum ab Arrianorum calumnia & depositionis sententia, absolutus fuit. Unde manifestum est, quòd Patres hujus Concilij de jure & appellandi potestate nihil noviter concesserint; sed tantùm declararint, usum & exercitium potestatis, nunc Ecclesiæ universali omnino expedire: partim, ne, si omnium appellationes sine discrimine causæ admitterentur, nullus litigandi finis esset; partim, ne si omnis appellandi potestas adimeretur, inferiores judices Episcopi
B tunc verè tyrannidis occasionem adipiscerentur. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 21. & 25. ubi ex jure illo, quo ex quavis parte orbis Christiani ad Romanum Pontificem provocatur, primatum Romanæ Ecclesiæ contra hæreticos nostri temporis optimè confirmat. Cæterum his omnibus quæ can. 3. 4. & 7. de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem renovata fuere, Arrianos causam & occasionem dedisse, extra dubium. Qui indignè tulerint Athanasium, Marcellum, Asclepam, Paulum, aliosque sedibus suis deturbatos, per Julium absolutos, ac pristinæ sedi restitutos fuisse, ex quibus etiam inferre licet mendacissimè Molinæum Jurisperitum scripsisse in notis ad titulum *De privilegiis & excessibus privilegiatorum*. Si quod fuit primum caput in Ecclesia, Hierosolymam fuisse, deinde Antiochiam. Sed in primitiva
C Ecclesia, inquit, primatus iste scelus erat, addit. Postquam Roma judicio Phocæ prima sedes fuit, Alexandrina prima post eam fuit, odio Constantinopolitanæ non parentis. Postquam autem per Balduinum capta Constantinopolis fuit, ea ex fœdere subdita fuit Romanis quandiu Galli ibi dominati sunt. Innocentius III. sub quo hoc contigit, ut Græcos pelliceret postpositâ Alexandrinâ primum locum dedit Constantinopolitanæ ut hic. Jerosolymitana verò quæ prima fuerat, quia pauper facta est ultima. Hæc ille temerè & audacter more suo nihilque probans. Quorum falsitatem facilè æquus lector advertet in hoc Concilio & in aliis sequentibus. Primatus enim Summi Pontificis Romani D. Petro succedentis tam est de jure divino in lege nova, ac Primatus Summorum Pontificum Aaroni succedentium in veteri lege, quæ tantùm umbra erat futurorum.

Molinæi mendacium.

CAP. VI. *De Episcopis depositis.*

GAudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ quam plenam sanctitate protulisti, ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma; alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.

Ro. Pontifici audiendi ritus.

QVòd pendente causa Athanasij coram Julio Pontifice Romano, Eusebiani non expectata sententia Pontificis, in locum Athanasij Gregorium Cappadocem intruserint, suggerente Gaudentio Episcopo, additum est decretum, quod habetur hic: ne in locum damnati, aliquem sufficere liceat, dum ille, qui ad Romanum Pontificem appellasset, ejus sententiam expectaret.

Causa De Athanasij.

CAP. V. *Quando quis debeat à vicinis Provinciæ Episcopis ordinari.*

OSius Episcopus dixit: Si contigerit in una Provincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, unum fortè remanere Episcopum, ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, & populi convenerint; Episcopi vicinæ Provinciæ debent illum priùs convenire Episcopum qui in ea Provincia moratur, & ostendere, quòd populi petant sibi rectorem. Et hoc justum esse, ut ipse veniat, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conventus literis tacuerit & dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.

CAP. VI. *De non ordinandis Episcopis per vicos.*

LIcentia verò danda est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter: quia non necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas. Non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum, nisi aut in his civitatibus, quæ Episcopos habuerunt, aut si qua talis, aut tam populosa est civitas, quæ meretur habere Episcopum, si hoc omnibus placet. Synodus respondit: Placet.

HOc decretum ea de causa sancitum est, quòd Arriani Ischyram, ad extruendas Athanasio calumnias, Episcopatus pollicitatione inductum, post condemnationem Athanasii in Tyrio Conciliabulo Episcopum suiipsius vici creaverant.

CAP. VII. *De Episcopis accusatis.*

Ar. 9. 9. Si quis Episcopum.

OSius Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur judicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus authoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit.

CAP. VIII. *Ut Episcopi passim ad Comitatum non pergant.*

OSius Episcopus dixit: Importunitates, & nimia frequentia, & injustæ petitiones fecerunt, nos non tantùm habere vel gratiam, vel fiduciam, dum quidam non cessant ad Comitatum ire Episcopi, & maximè Afri qui (sicuti cognovimus) sanctissimi fratris & Coëpiscopi nostri Grati salutaria consilia spernunt atque contemnunt, ut non solùm ad Comitatum multas & diversas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, neque ut fieri solet aut oportet, ut aut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniatur: sed & dignitates sæculares & administrationes quibusdam postulant. Hæc itaque pravitas olim non solùm murmurationes, sed & scandala excitat. Honestum est autem, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur: si tamen isthæc nomina justam habeant causam aut petitionem. Si vobis ergo, fratres charissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad Comitatum * accedant, nisi fortè hi, qui religiosi Imperatoris literis vel invitati, vel evocati fuerint. Sed quoniam sæpe contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut certè quamcunque sententiam suscipiunt, subveniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergo decernite, si vobis placet. Universi dixerunt: Placet, & constituatur.

id est, ad Curiam vel aulam Imperatoriam.

PAtres hujus Concilij persenserunt difficultatem quam patiuntur aliqui cùm apud Judices intercedendum est pro una parte. Nec voluerunt Episcopos se temerè ingerere in negotiis alienis, ut multi faciunt, parum curantes si se reddant obnoxios restitutioni. Est quippe casus conscientiæ de quo nos egimus in examine pœnitentium part. 3, ubi de examine litigantium in editione 3. quem casum fusè explicari invenimus per Alfonsum à Castro de lege pœnali lib. 2. cap. 23. sub hoc titulo. *An is qui Judicem pro reo intercedit ut pœna per legem statuta illi remittatur, peccet & teneatur ad restitutionem faciendam illi cui pœna ex legis decreto erat adjudicanda.* Eadem quoque quæstio proposita fuit à Macedonio Comite ac Judice Africano D. Augustino qui epist. 54. illi respondet, nec omninò improbat intercessionem Episcoporum pro reis actis apud Imperatorem aut ab eo judices delegatos, servatis quibusdam conditionibus, *Prodest ergo*, inquit, *& severitati vestræ, cujus ministerio quies adjuvatur & nostra; prodest & intercessio nostra, cujus ministerio severitas temperatur & vestra.* Et infrà, *Illud fidentissimè dixerim eum qui pro homine ad hoc ista pervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.* Quin & ipse D. Augustinus sæpè invenitur pro sceleratis hominibus ut mitius haberentur intercessisse, etiam pro hæreticis epist. 158. epist. 159. epist. 160. sed quia promiscuè intercessio hæc non est ab Episcopis facienda, & non caret periculo, ideò Concilium hunc & sequentes Canones edidit.

intercessiones apud Judices periculosæ.

CAP. IX. *De Diaconis ad Comitatum dirigendis.*

OSius Episcopus dixit: Hoc quoque providentia vestra tractare debet, quia decreviſtis, ne Episcoporum improbitas nitatur, ut ad Comitatum pergant. Quicunque ergo (quales superiùs memoravimus) preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum ſuum mittant: quia persona ministri invidiosa non est, & quæ impetraverit, celeriùs poterit referre. Et hoc consequens esse videtur, ut de qualibet Provincia Episcopi ad eum fratrem & Coëpiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, ut ille & Diaconum ejus, & supplicationes destinet, tribuens Commendatitias epistolas pari ratione ad fratres & Coëpiscopos nostros, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix & beatus Augustus rempublicam gubernat. Si vero habeat Episcopus amicos in Palatio, qui cupit aliquid (quod tamen honestum est) impetrare, non prohibetur per Diaconum ſuum rogare ac significare his, quos scit benignam intercessionem ſibi absenti posse præstare.

CAP. X. *Quòd sit eundum ad Comitatum pro pupillis, & viduis.*

SI verò Romam venerint, (sicut dictum est) sanctissimo fratri & Coëpiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces, quas habent, tradant, ut & ipse priùs examinet, si honestæ & justæ sunt, & præstet diligentiam atque solicitudinem, ut ad Comitatum perferantur. Vniversi dixerunt, placere ſibi & honestum esse consilium.

Alypius Episcopus dixit: Si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui causas non iniquas habent, ſuscepcrint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid rationis. Nunc verò cum ea postulent præcipuè, quæ ſine invidia hominum, & ſine reprehenſione esse non possunt, non necesse est, eos ire ad Comitatum.

CAP. XI. *Quòd Episcopi euntes ad Comitatum ſolicitè diſcutiant.*

GAudentius Episcopus dixit: Ea quæ ſalubriter præmonuiſtis, convenientia & æſtimatione omnium, & Deo placitura & hominibus, tenere hanc firmitatem possunt, ſi metus huic ſententiæ conjungatur. Scimus enim & ipſi, ſæpiſſimè propter paucorum impudentiam religioſum Sacerdotale nomen fuiſſe reprehenſum. Si igitur aliquis contra hominum ſententiam niſus, voluerit ambitioni magis placere quàm Deo, is debet ſcire cauſis redditis honorem, dignitatemque ſe amiſſurum. Quod ita demum compleri poterit. Si unuſquiſque noſtrûm, qui in Canali conſtitutus est, cùm progredientem Episcopum viderit, inquirat tranſitum ejus, cauſas videat, quò tendat agnoſcat: & ſi quidem eum invenèrit ire ad Comitatum, requirat & illud, quod ſuperiùs comprehenſum est, ne forte invitatus ſit, ut ei facultas eundi permittatur. Si verò (ut ſuperiùs memoravit ſanctitas veſtra) propter deſideria & ambitiones ad Comitatum pergat, neque in literis ejus ſcribatur, neque in communionem recipiatur. Si vobis placet, omnium ſententia confirmari debet. Vniverſi dixerunt, hôc honeſtum esse: & placere ſibi hanc conſtitutionem.

CAP. XII.

OSius Episcopus dixit: Sed & moderatio neceſſaria est, dilectiſſimi fratres, nè adhuc aliqui neſcientes quid decretum ſit in Synodo, ſubitò veniant ad civitates eas quæ in Canali ſunt. Debet ergo Episcopus civitatis ipſius admonere eum, & inſtruere, ut ex eo loco Diaconum mittat. Admonitus ipſe tamen redeat in Parochiam ſuam.

EPiſcopi in Canali conſtituti dicebantur, qui ſedes habebant in curſu publico, via ſcilicet, quâ equi publicè per ſtationes ſingulas ad iter agendum diſpoſiti erant. Caranza, Item de la Cerda Adverſar. Sacr. cap. 84. num. 2. *Canali quid?*

CAP. XIII. *Vt ne ex latèo quolibet Epiſcopus ordinetur.*

OSius Episcopus dixit: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſimè tractetis, ſi fortè aut dives, aut Scholaſticus de foro, aut ex Adminiſtratore Episcopus fuerit poſtulatus, ut non priùs ordinetur, niſi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Preſbyteri fuerit perfunctus: & ita per ſingulos gradus (ſi dignus fuerit) aſcendat ad culmen Episcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, quâ fide ſit, quâve modeſtia, quâ gravitate & verecundiâ: & ſi dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illuſtretur: quia conveniens non est, nec ratio vel diſciplina patitur, ut temerè & leviter ordinetur aut Episcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, qui neophytus est, maximè cùm & Magiſter gentium, beatus Apoſtolus, ne hoc fieret, denuntiaſſe & prohibuiſſe videatur: ſed hi, quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata. Vniverſi dixerunt, placere ſibi hæc. *1. Tim. 5.*

CAP. XIV. *Vt Epiſcopus in aliena Provincia non immoretur.*

OSius Episcopus dixit: Et hoc quoque ſtatuere deberis, ut Episcopus, ſi ex alia civitate cùm venerit ad aliam civitatem, vel ex Provincia ſua ad aliam Provinciam, & ambitioni magis quàm devotioni ſerviens, voluerit in aliena civitate multo tempore reſidere (fortè enim evenit, Episcopum loci non esse tam inſtructum, neque tam doctum) is verò qui advenit, incipiat contemnere eum, & frequenter facere ſermonem, ut de-

honeſtet & deformet illius perſonam, ita ut ex hac occaſione non dubitet relinquere aſſignatam ſibi Eccleſiàm, & tranſeat ad alienam. Definite ergo tempus, quia, & non recipi Epiſcopum inhumanum eſt, & ſi diutius reſideat, pernitioſum eſt. Hoc ego ne fiat, providendum eſt. Memini autem, ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis laïcus in ea, in qua commoratur civitate tres ſeptimanas, non celebraſſet conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa laïcos conſtituta ſunt, multò magis Epiſcopo nec licet, nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas quæ detineat ut amplius à ſupraſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua. Vniverſi dixerunt, ſibi placere.

De reſidentia Epiſcoporũ in ſua Eccleſia.

CAP. XV. *Epiſcopo non licet à ſua Eccleſia plus tribus hebdomadis abeſſe.*

OSius Epiſcopus dixit: Quia nihil prætermitti oportet: ſunt quidam fratres, & Coëpiſcopi noſtri, qui non eam civitatem poſſident, in qua videntur Epiſcopi eſſe conſtituti, vel certè, quòd parvam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia habere cognoſcantur, vel affectionem proximorum, quibus indulgeant, hactenus permitti eis oportet ut accedant ad poſſeſſiones ſuas, & diſponant vel ordinent fructum laboris ſui, ut poſt tres Dominicos, id eſt poſt tres hebdomadas, ſi morari neceſſe eſt, in ſuis potiùs fundis morentur. Aut ſi eſt proxima civitas, in qua eſt Preſbyter, ne ſine Eccleſia videatur facere diem Dominicum, illuc accedat, ut neque res ejus domeſticæ per abſentiam ejus detrimentum ſuſtineant, & non frequenter veniendo ad civitatem, in qua Epiſcopus moratur, ſuſpicionem jactantiæ & ambitionis evadat. Vniverſi dixerunt, placere ſibi.

CAP. XVI. *De Clericorum excommunicatione.*

Si quæſt. ſi fortè.

OSius Epiſcopus dixit: Hoc quòque omnibus placeat, ut ſive Diaconus, ſive Preſbyter, ſive quis Clericorum ab Epiſcopo ſuo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille ad quem confugit, eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abjectum; non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod ſi fecerit; ſciat ſe, convocatis Epiſcopis cauſas eſſe dicturum. Vniverſi dixerunt: Hoc ſtatutum & pacem ſervabit, & concordiam cuſtodiet.

CAP. XVII. *De excommunicatis apud vicinos Epiſcopos audiendis.*

OSius Epiſcopus dixit: Quod me adhuc movet, reticere non debeo. Si Epiſcopus quis fortè iracundus (quod eſſe non debet) citò & aſperè commoveatur adversùs Preſbyterum ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideò habeat poteſtatem is, qui abjectus eſt, ut Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur; quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui aut juſtè aut injuſtè eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur, ut vel probetur ſententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus alius debet præſumere, ut eum communioni ſocier. Hi verò, qui conveniunt ad audiendum, ſi viderint Clericorum eſſe faſtidium & ſuperbiam, quia jam non decet ut Epiſcopus injuriam vel contumeliam patiatur, ſeverioribus verbis eos caſtigent, ut obediant honeſta præcipienti Epiſcopo: quia ſicut ille Clericis ſincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia.

CLericis ab Epiſcopo ſuo Communione injuſtè privatis, permittitur finitimorum Epiſcoporum judicium implorare, & ad eorum ſedem appellare. Can. 22. Concilij Milevitani idem quod hìc præcipitur Presbyteris & Clericis minoribus; ut ſcilicet ſuas cauſas apud vicinos Epiſcopos terminari permittant, & ad Sedem Apoſtolicam ulteriùs non appellent. An, & quomodo Apiarij Preſbyteri Africani, ad Romanum Pontificem provocantis appellatio recepta fuerit, dicemus infrà in Concilio Carthaginenſi Sexto. Vide Bellarminum lib. de Rom. Pont. cap. 24.

CAP. XVIII. *De ſollicitandis Clericis alienis.*

JAnuarius Epiſcopus dixit: Illud quoque ſtatuat charitas veſtra, ut nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi civitatis miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochiis ordinare. Vniverſi dixerunt: Placet; quia ex his contentionibus ſolet naſci diſcordia, & ideo prohibet omnium ſententia, ne quis hoc facere audeat.

CAP. XIX. *Non licere Epiſcopo alterius Clericum in ſua Eccleſia ordinare.*

OSius Epiſcopus dixit: Et hoc univerſi conſtituimus, ut quicumque ex alia Parrochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, & ſine voluntate ordinare, non ſit rata ordinatio ejus. Quicumque autem hoc uſurpaverit, à fratribus & Coëpiſcopis noſtris & admoneri debet, & corrigi.

Non rata ordinatio.

CAP. XX. *Vt extranei Clerici apud Theſſalonicam non tardent.*

ÆTius Epiſcopus dixit: Non ignoratis, quanta & qualis ſit Theſſalonicenſium civitas. Sæpè ad eam veniunt ex aliis regionibus Preſbyteri & Diaconi, & non ſunt contenti brevi tempore morari. Sed aut reſident ibi, aut certè vix poſt longa ſpacia ad ſua redire coguntur. Vniverſi dixerunt: Ea tempora quæ conſtituta ſunt circa Epiſcopos, & circa has perſonas obſervari debent.

Vicarius Ro. Pontificis Theſſalonicæ.

CVr hîc conſtitutum fuerit, ne Clerici extranei diu A moraretur Theſſalonicæ in Oriente, cauſam hanc eſſe putamus: Vicarius Romani Pontificis ſedebat Theſſalonicæ, ut patet ex epiſtola 84. Leonis, quâ ſcribens ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, facit eum per Orientem Romani Pontificis Vicarium, ſicut ejus prædeceſſores fuerant Vicarij ſuorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum. Ut hunc ſpectarent, Theſſalonicam ex tota Græcia Clerici confluebant, ibique diutiùs, quam oportebat, hærebant. Vicarium Pontificis appello, cui in longinquas & remotiores Provincias amandato Pontifex Romanus, reſervatis ſibi cauſis majoribus, judicandi & regendi Eccleſias illas, vicem ſuam aut ordinariè, aut ſaltem ad tempus delegavit. Ex quo ſanè Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 20. concludit, ſummum totius Eccleſiæ judicium ad ſedem Apoſtolicam pertinere: ipſumque Romanum Pontificem demandatam ſibi à Chriſto totius Eccleſiæ monarchiam optimo jure ſemper in Eccleſia habuiſſe. Sicut ex eo, quòd ad Provincias gubernandas mittuntur Proreges, iiſdemque cum reſervatione majorum cauſarum judicia delegantur, prædictarum Provinciarum ſubjectio, ipſius Regis poteſtas, juriſdictio, & dominium rectè colligitur.

Hanc tamen annotationem dubiam reddit Chriſtianus Lupus in ſcholiis, contenditque eo tempore Theſſalonicam primatum non habuiſſe, ſed nec à temporibus Arrianis, ut quidam volunt: fuiſſe tamen ex primariis Imperij civitatibus, quibus ſolebat Senatus novi Principis promotionem ſignificare. Hoſium autem cenſuiſſe hîc cum aliis Epiſcopis, nullam ſpecialem gratiam indulgendam eſſe Theſſalonicæ civitati in Macedonia, quod nullum adhuc haberet primatum Eccleſiaſticum, nullaſque Apoſtolicas vices. Quod tamen non impedit quin Epiſcopus illius civitatis privilegio perſonali vicariatum à Summo Pontifice habuerit ſupra Illyricum & adjacentes quaſdam provincias: ſicut & alii in aliis locis: unde poſteà enatæ ſunt in Eccleſia aliquot Epiſcoporum prætentiones, ſicut in Gallia & alibi, de Primatu & Patriarchatu ſupra Diœceſes vicinas, quod eorum ſucceſſores vicariatum illum exercuiſſent, quaſi ipſorum civitati tanquam jus debitum in perpetuum annexum fuiſſet, quod privilegio perſonali ipſorum aliquot prædeceſſoribus conceſſum fuerat.

CAP. XXI. *De ſuſcipiendis his, qui perſecutionem patiuntur.*

OSius Epiſcopus dixit: Suggerente fratre & Coëpiſcopo noſtro Olympio, etiam hoc placuit, ut ſi aliquis vim perpeſſus eſt, & iniquè expulſus pro diſciplina & Catholica confeſſione, vel pro defenſione veritatis, effugiens pericula, innocens & devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quandiu aut redire poſſit, aut injuria ejus remedium acceperit: quia durum eſt, eum qui perſecutionem patitur, non recipi. Etiam & larga benevolentia & humanitas eſt ei exhibenda. Omnis Synodus dixit: Vniverſa quæ conſtituta ſunt, Catholica Eccleſia in univerſo orbe diffuſa cuſtodiat.

Et ſubſcripſerunt, qui convenerant omnes Epiſcopi diverſarum Provinciarum.

Quæ ſequuntur ſunt Concilium Sardicenſe.

UT Orientales Epiſcopi ſepararunt ſe ab Occidentalibus Epiſcopis Sardicæ congregatis, ſeorſim conventiculum habuerunt, quod nomine Sardicenſis Concilij inſigniri voluerunt, & ſi in urbe Philippoli quæ interjectu montis à Sardica ſeparata eſt (& ditioni Conſtantij ſubdita erat, cum Sardica eſſet Conſtantis ex diviſione facta per Conſtantinum inter filios) illud celebraverint. Tantus autem fuit eorum furor, ut omnes terminos præſumptæ ab aliis hæreticis temeritatis exceſſerit. Auſa eſt enim, ait Baronius ad annum 347. num. 64. Arriana procacia illud nefas, quod vel attingere quælibet execranda hæreſis hactenus ſibi inconceſſum putavit, ut omne veritatis & æquitatis aſylum perrumpentes, in Julium Papam æquè ac alios Catholicæ communionis Epiſcopos ſententiam excommunicationis procaciter intulerint. Sic quibus juſtè percuſſi ſunt jaculis anathematis, eosdem ipſi violenti in perſecutores petulanter intorſerunt, dum inſtar canum furiunt in petram, eamque dentibus B frustra corrodunt, cujus ictu ſeeſſe læſos oblatrant.

Epiſc. Arianorum audacia contra Ro. Pontificem.

Ediderunt quoque profeſſionem fidei in qua damnarunt quoſdam articulos Arrij ut Arriâni non viderentur, nomen verò conſubſtantialis reticuerunt: quidvis enim dicere potiùs parati erant, dummodo prætermitterent conſubſtantialitatem Filij cum Patre, optimè ſcientes hoc uno relicto ad invadendam Nicænam fidem foramine, ad omnem protinus ſuperinducendam impietatem fore ſibi aditum patefactum. Unde & ſemi-Arriani dicti ſunt. Hanc autem profeſſionem melle illitam ut quæ plura verbi Divini elogia continet, ſcripſerunt nomine ſanctæ Synodi in Sardica congregatæ ex pluribus Orientalium Provinciis, quam eſſent Epiſcopi, non ſolùm unius civitatis, ſed etiam plurium provinciarum ſibi nomen ſuffurantes non ſine jactantia, tum ut authoritatem majorem conventiculo ſuo conciliarent, tum etiam ut veræ Sardicenſis Synodi claritatem obſcurarent ex confuſione utriuſque Concilij propter nominis identitatem; quo factum eſt ut quidam non aliam Synodum Sardicenſem agnoſcerent quam Arrianam, ut etiam contigit D. Auguſtino epiſt. 163. verâ ſcil. Sardicenſi Synodo cum ſuis Canonibus idem naufragium paſsâ quod pleræque Synodi pertulerunt, ſaltem in Africa, in qua nullum illius exemplar publicum extitiſſe probabile eſt, quocunque caſu id acciderit; cùm nefas ſit D. Auguſtinum tantum Eccleſiæ Magiſtrum ignoraſſe Canones Eccleſiaſticos, ſuſpicari. Quamvis enim teſterut de ſuo tyrocinio, cùm fuit a prædeceſſore adhuc vivente inſtitutus Epiſcopus (epiſt. 110.) ſe ignoraſſe Nicænos Canones: jam verò factum ſenem & in controverſiis de rebus atque dogmatibus Eccleſiaſticis ſemper verſatum omnia oportuit Concilia ſcripta evolviſſe & archiva reſeraſſe, ait idem Baronius eodem anno num. 74.

D. Auguſtinum veram Synod. Sardic. non novera.

Qui & anno ſequenti 348. ulterius progreſſos hos Arrianæ partis Epiſcopos oſtendit ex epiſtola D. Athanaſij ad ſolitariam vitam agentes; cùm enim eorum communionem tanquam è Concilio fugientium Adrianopolitani, Clerici ſcilicet, averſarentur, rem detulerunt ad Imperatorem Conſtantium, effeceruntque ut illi è loco Fabrica cognomine, more laïcorum capitibus truncarentur, &c. Imperatore verò prompto ad omnia quæ ipſi vellent, effecere, ut ab Alexandria in Armeniam duo Presbyteri & tres Diaconi relegarentur. Macarium etiam & Aſterium, alterum in Petrâ Palæſtinæ, alterum in Petra Arabiæ Epiſcopum, qui ab ipſis deſciverant, non ſolùm in ſuperiorem Africam relegaverunt, ſed ut contumelias paterentur operam dederunt. Lucij porrò Adrianopoleos Epiſcopi manus cervicemque, plurima adversùs ipſos animoſitate utentis & impietatem redarguentis, iterùm uti ptiùs, ferro vinxerunt, vinctumque in exilium deportarunt, ibique (quod ipſos minimè latet) extinctus eſt. Curaverunt inſuper edicta fieri, quibus portus & introitus civitatum obſervari juberentur, ne, quibus à Synodo conceſſum erat, reditus ad Eccleſias proprias pateret; ſimulque diplomata ad judices Alexandrinos nominatim de Athanaſio & Presbyteris certis impetraverunt, ut ſive Athanaſius, ſive quiſ-

Euſebianorum crudelia facta.

quam suorum urbes aut fines illos ingredi deprehenderetur, capite id lueret. Ad eum modum Judaica ista hæresis non solùm Christum inficiari, sed etiam cædes facere condidicit. Verùm ne hoc quidem satis fuit ut quietem vellent: nam velut ipsorum hæreseos pater, ut leo circuit quærens quem devoret; ita isti publici cursus facultatem nacti ac proinde circumcursantes, in quoscumque incidunt, qui vel fugam eorum carpunt, vel hæresim aversantur, eos indignis modis nunc flagris concidunt, nunc vinculis constringunt, nunc è natali solo exterminant. Tantus certè terror eorum hominum fuit, ut multos coëgerint ad hæreseos simulationem, multosque eo metu affecere, ut maluerint in eremum fugere, quàm vel semel in illos incidere. Hæc sunt post fugam eorum audaciæ & insaniæ facinora.

Calumnia in Orodoxos.

Sed & cum vera Synodus Sardicensis Episcopos ad Constantium misisset cum epistola Constantis fratris rogaturos ut à se exules factos Episcopos in suas ædes reverti pateretur, opera Stephani Antiochiæ Episcopi, ubi erat Constantius, meretricem in eorum legatorum domum clam introduxerunt, ut eos accusarent. Sed fraude detectâ & veritate patefactâ, Stephanus ab Episcopatu abjectus est, eorumque molimine Leontius Castratus, de quo superiùs in notis ad canones Apostolorum & ad Nicænos dictum, in ejus sedem subrogatus, tantùm ut non deesset hæreseos Arrianæ propugnator. Quæ res Imperatorem etiam movit ut arbitraretur consimiles esse eorum in alios calumnias. Quare confestim exules Presbyteros & Diaconos ex Alexandria in Armeniam redire jubet, ac diserte Alexandriam scribit, ne ulterius Athanasii aut Clericos aut laicos persequerentur, & post menses decem defuncto Gregorio accersit & Athanasium, &c.

Videmus ex his quantum præsidiis fulta mundi Arriana rabies fremuerit, vel ex occasione solius istius Concilij, ex quo potius vitam & veritatem haurire debuerant, qui ad illud convocati erant. Sed nec solos istos passim est istud Concilium Adversarios. Quod jura Pontificis Romani statueret, plures ejus canonibus posteà obstiterunt, ut Aurelius Carthaginensis Episcopus cum Synodo Africana ob litem appellationis ad Sedem Romanam. Item Photius auctor horrendi schismatis. Item Auxilius quidam Clericus Francus, cujus opus de Ordin. Formosi, inseruit Morinus in suo volumine de Ordinationibus. Alij etiam ob restitutum Marcellum Ancyræ Episcopum. Alij quoque ob id, quod non distinguerent verum Sardicense a Pseudo-Sardicensi Eusebianorum.

Quod verò hoc Concilium, habitum non sit secundum universale, rationem hanc affert Joverius in prologo hujus Concilij, quia licèt patres utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ ad illud in magno numero convenerint, quia tamen idem argumentum quod in Nicæno agitatum est, illi adjungitur aut inseritur tanquam illius appendix, & propter notabile dissidium inter Orientales & Occidentales, non habetur tam celebre ut quatuor prima Concilia, quæ cum summa unitate ac consensu omnium ferè Patrum sua decreta Canonesque sanciverunt. Quare licèt B. Hilarius in libro Synodorum hanc Synodum magnificiat & illam omnis Ecclesia recipiat ut testatur Nicolaus Papa ad Clerum Constantinopolitanum, habeturque dist. 16. honor secundi Concilij generalis tributus primo Concilio Constantinopolitano, nec inter quatuor prima Concilia generalia numerari solet, ita usu obtinente, non servato jure rigoroso, si ita fas sit arbitrari.

Arriani inter se dissidentes trucidant.

Ne verò Arriani, quorum Imperatores subindè patrocinium suscipiebant, Ecclesiam totam obruerent, permisit Deus ut inter se dividerentur, seque mutuò destruerent, quamvis dissipati in varias sectas, non sint compuncti. Nam ex errore Arrianorum profluxisse errorem Macedonij Constantinopolitani Episcopi, qui divinitatem Spiritui sancto auferebat, difficile non est æstimare; si enim Filius secundum Arrium verè Deus non sit coæternus Patri, facilè est inferre idem de Spiritu sancto, maximè si à Patre Filioque simul procedere credatur. Fuitque hæc Arrij opinio ut Spiritus sanctus esset creatura, scilicet Filij seu Verbi, licèt totum certamen contra ipsum fuerit propter divinitatem Verbi quam negabat, quod hæc controversia esset palmaria, & primò diluenda esset antequàm de Spiritu sancto moveretur quæstio. Id autem affatim testatur Ruffinus Histor. Ecclesiast. lib. 10. cap. 29. Interea, inquit, ut aliquando etiam in seipsam prædives malitia desæviret, Sacerdotes & populi qui Arrio duce primitus fuerant ab Ecclesia divulsi, in tres denuò sectas parteisque finduntur. Nam illi quos paulo superiùs dixeramus non adquiescentes Eusebij cæterorumque simulationibus cum Arrio, exilium pertulisse, postmodum nec ipsi Arrio regresso de exilio communicare voluerunt, eo quod simulata confessione communicasset iis, qui de ipsa substantia Dei Patris Filium confiterentur: quia ipsi ea quæ primò docuerat, Arrius ex nullis extantibus creatum & factum, non natum Filium, satis liberâ, seu potius impudenti blasphemia confirmabant. Quod & post illorum obitum Aetius quidam, post Aetium validius & latius asserebat Eunomius, vir corpore & animâ leprosus & interiùs exteriusque morbo regio correptus, arte tamen Dialectica præpotens, &c. Eunomius, inquit Balsamon ad 1. can Synodi 2. cùm esset Galatæ, Cizici dicebatur Episcopus, idem cum Arrio sentiens & multò etiam pejus. Mutabilem enim & servum & omnino Patri dissimilem Filium esse docebat. Alius quoque Macedonius nomine, quem nostris expulsis vel potiùs necatis apud Constantinopolim statuerant Episcopum, quia similem Patri Filium fatebatur, licèt Spiritum sanctum æquè ut illi blasphemaret, &c. Ita pestifera illa bestia, quæ per Arrium primò quasi de inferis extulerat caput, subitò triformis apparuit: per Eunomianos qui dicunt per omnia dissimilem Filium Patri, quia nullo genere possit esse similis factura factori: per Arrianos qui dicunt quidem similem posse dici Filium Patri, sed largitate gratiæ, non proprietate naturæ: per Macedonianos qui dicunt Spiritum sanctum cum Patre & Filio nihil habere commune, ad quem errorem profligandum Concilium sequens Constantinopoli congregatum est.

Eunomius.

Macedonius.

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. I.

TEMPORE DAMASI PAPÆ & Theodosij senioris 159. Patrum contra hæresim Macedonij de Spiritu sancto, & Apollinaris, &c. Anno Christi 381.

Origo hujus Concilij.

OB Macedonium præsertim, aliàs Episcopum Constantinopolitanum, celebratur hæc Synodus. Is Filium consubstantialem Patri agnoscebat, sed in Spiritum sanctum peccabat, eum servum ac creaturam appellans. Testatur autem Ruffinus histor. Ecclesiast. lib. 10. cap. 25. plurimos eorum qui videbantur attentiorem vitam gerere, & monasteria permulta apud Constantinopolim & vicinas Provincias, Episcoposque nobiles, ejus errorem secutos fuisse. Scilicet tantum malum est hæresis & adeò subtile, ut volucres quoque cœli decipiat, ac personas quæ videntur magis spirituales. Plurimas autem turmas excitavit in Oriente per suos ministros, de quibus agit Cassiodorus ex Socrate in Histor. tripart. lib. 5. cap. 31. vi apertâ utens ad pertrahendos populos in suum errorem, languoris namque ejus ministri, cum

Viri vel gnosi sedu untur per hæresim.

per tormenta nihil proficerent, ligno aperientes eorum ora sacramenta illis inferebant. Ita ut etiam fœminarum eis communicare nolentium mammillas in arca comprimentes abscinderent. Aliarum verò aut ferro aut ovis ardentibus eadem membra comburerent. Quod ego ab Anxonio sene qui eadem supplicia est passus audivi. Hic erat fervor imò furor hominum istorum sine Spiritu sancto, qui tamen ut pij & spirituales viri audire volebant. Nec minor tentatio Ecclesiæ ex alia hæresi coætanea, quæ etiam huic Synodo occasionem dedit, Apollinarij Presbyteri Laodiceni, Etenim, ait de ipso Vincentius Lirinensis Commonitorij parte 1. c. 16. Ipse auditoribus suis magnos æstus & magnas angustias generavit: quippe cùm eos huc Ecclesiæ traheret authoritas: huc Magistri retraheret consuetudo: cumque inter utraque nutabundi, quid potiùs sibi seligendum foret, non expedirent, &c. Nam quid illo præstantius, acumine, exercitatione, doctrinâ! Quam multas illæ hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrij calumnias magnâ probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis Ecclesiæ ædificatoribus par esse poterat, nisi prophanâ illâ hæreticæ curiositatis libidine novum nescio quid invenisset, quo & cunctos labores suos velut cujusdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret ut doctrina ejus non tam ædificatio quam tentatio potiùs Ecclesiastica diceretur. Hæc ille. Ejus autem hæreses infra aperientur in annotatione ad primum Canonem.

Apollinaristæ.

Ipsius hæreticorum in libris evulgandi.

Porro artibus usi sunt tam Macedoniani quàm Apollinaristæ ad introducendam hæresim. Scribit idem Ruffinus in *Apologetico* Pneumaromachos libellum Tertulliani de fide Trinitatis malè sentientem sub ementito Cypriani martyris nomine multis propagatum codicibus, vendidisse parva æris summa, ut fideles exiguitate pretij illecti libentiùs emerent & decipierentur sub authoritate tanti martyris. Quo pacto apud Evagrium l. 3. hist. Nestoriani & Eutychiani scripta Apollinarij unde errores suos confirmabant, sub Athanasii magni attitulatione promulgabant. Quod observat Sixtus Senensis Bibliot. l. 4.

Cæterùm ne res plurimæ sine ordine propositæ confusionem & obscuritatem pariant, hîc eam methodum servandam esse existimamus, quâ usi sumus in rebus variis Nicæni Concilij exhibendis: ita ut primum quæ sunt gesta & decreta locum obtineant: deinde epistolæ Synodales sequantur: postea verò si quod sit dubium explicetur.

PRIMA PARS.

Gesta & decreta in hoc Concilio, ac primùm

De Gregorio Nazianzeno.

QVid circa D. Gregorium Nazianzenum gestum sit in hoc Concilio, disci primum poterit ex Elia Cretensi in argumento orationis illius 32. quam habuit in ipso Concilio ut valediceret, unde & hæc συντακτικὸς appellatur, quasi valedictoria. Cùm in hoc Concilio ut satisfieret quorumdam scrupulis quod contra regulas Ecclesiam Constantinopolitanam regeret, dispensatum fuisset de Canone Nicæno aut Sardicensi, quo prohibetur transitus ab Episcopatu minori ad alium ampliorem, atque confirmatus fuisset in throno Constantinopolitanæ Ecclesiæ, cujus amplitudini ac religioni jam multum suis laboribus contulerat, abdicato Maximo tanquam hæresis Apollinaris participe, id post rem factam adventantes de novo in Concilium Timotheus Alexandrinus aliique Ægyptij Episcopi ægrè admodum tulerunt, invidiâ contra ipsum stimulari ac prætexentes rem tantam ipsis absentibus non potuisse fieri, ipsum propterea vocabant tri-Episcopum. Quamquam Sasima eodem die reliquerat, nequidem oblato ibi sacrificio. Nazianzum autem patris sui rogatu gubernaverit, non tam ut Episcopus quàm ut procurator: nimirum ut patri & annis, & morbo, & curarum mole fesso subsidium afferret: ac proinde patre vitâ functo Seleuciam statim contenderat, clarissimæque Virginis Teclæ Monasterium ad pietatis & religionis cultum sibi delegerat. Nihilominus sentiens se invidiâ premi, totumque cœtum Episcoporum sui causâ varias in partes scindi, ac metuens ne populus & alij Episcopi erga se melius affecti seditionem aliquam adversus Ægyptios excitarent, maluit Episcopatui cedere ac in solitudinem sese recipere, hæc verba faciens in medio Concilij ut est in ejus vita, quæ præfixa est ejus operibus. *Viri collega & compastores sacrosancti gregis Christi, turpe fuerit, prorsúsque à vobis alienum, si, qui ad pacem alios eruditis, intestinum ipsi bellum inter vos excitetis. Quonam enim modo alios ad concordiam adduxeritis ipsi circa sententias vestras & decreta discrepantes? ac vos per Trinitatem ipsam etiam obsecro ut mutua vestra negotia præclarè & pacificè transigatis. Quod si vobis ullo modo causa dissidii sum, Ionam prophetam vitæ integritate non supero, projicite me in mare & tumultuum tempestate agitari desinetis*, &c. Apparet autem cessisse D. Gregorium Episcopatui antequam discuteretur dogma Macedonij, ut est in eodem argumento: imo & motum fuisse ad illam cessionem ne impediretur examen & censura doctrinæ blasphemæ in Spiritum sanctum Macedonij. Quid enim aliud spiraret homo Spiritu sancto plenus, nisi ut cum sui etiam dispendio divinitas ejus asseretur, illæsaque fides in ejus divinitatem sarta tecta maneret? Hoc ipsemet orat. 44. luculenter testatur, ubi laudatâ Macedonianorum vitâ, subjungit Pauli Apostoli zelum imitatus, *Ut anathema etiam à Christo esse ac nonnihil ut damnatus perpeti non recusem, modo nobiscum adjungamini communibusque animis Trinitatem celebremus.* Pluribus autem admirationi est quo pacto tot Episcopi non impediverint dejectionem tanti viri, quique tot labores exantlaverat, totque ærumnas passus fuerat gravissimas, etiam usque ad corporis ægritudinem, cum gravissimo detrimento Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam ille hactenus mirum in modum auxerat, cùm corruptissimam & hæresibus ferè oppressam invenisset. Sed hujus rei præter invidiam Ægyptiorum cum suo Patriarcha Timotheo (qui jam antea auro corruptus Maximum ex Philosopho Cynico Christianum in ejus locum sufficere tentaverat, quem non admiserunt Constantinopolitani) causa fuit quod cùm Meletius unus ex Episcopis Antiochenis è vita excessisset, jam incœpto Concilio, ipseque censeret ut nullus in ejus locum subrogaretur nisi post extinctum Paulinum alterum Antiochiæ Episcopum, ut non essent dùo in una urbe Episcopi; quæ sententia prudentissima erat, propterea offensionem incurrit plurimorum, qui in animo habebant Flavianum Presbyterum Meletio dare successorem, ut actum est post ejus è Concilio discessum. Altera etiam causa fuit, quod Episcopi Orientales illius temporis sub Valentis Arriani Imperio ambitione & avaritia sedes Episcopales occupaverant, majori ex parte homines imperiti, perversi, & Sacerdotio indigni. Quod abundè ostendit ipse Gregorius in oratione de Episcopis, ubi plurimus est in describendis Episcopis quos ætas sua habuit, qui nullo delectù habito ex quolibet statu assumebantur, suamque insciitiam exemplo Apostolorum in quibus & publicani & peccatores extitissent, excusare volebant. Sed nec in sola illa oratione, verùm in pluribus aliis idem observari potest. Duo quippe genera personarum

fonarum ſæpius exagitat; Eunuchos, quorum in aula magnus numerus; qui ferè omnes hæreſi Arrianâ aut Macedonianâ infecti erant, quod notat Billius in ſcholiis ad orationem ejus 31. & Epiſcopos propter allatam rationem. Sic orat. 20. *Nunc autem periculum eſt ne ordo omnium ſanctiſſimus, omnium maximè ſit ridiculus, non enim virtute magis quàm ſcelere & maleficio Sacerdotium paratur: nec digniorum ſed potentiorum throni ſunt..... Antiſtes contra facilè inveniatur non elaboratus, ſed recens quantum ad dignitatem, ſimul fatus & editus; ſicut poëtæ gigantes finxerunt, uno die ſanctos fingimus.* Loquitur ſcilicet de Epiſcopis qui tunc temporis ſanctitatis nomine vocabantur; quod nomen ſummo Pontifici Romano relictum eſt inter Epiſcopos. In eadem oratione: *Diſcipuli ſimul magiſtrique pietatis ſimul creantur: illioſque ante purgant quam ipſi purgati fuerint: heri ſacrilegi, hodiè Sacerdotes: heri prophani, hodie ſacrorum antiſtites: veteres vitio, pietate rudes ac recentes..... qui denique plura pro ſuis quam pro populi ignorantiis ſacrificia debent*, &c. Similia paſſim offendes in ejus orationibus, ut eſt etiam illud quod aſſerit, Epiſcopos nihil aliud ex mundi rebus deperdidiſſe præter capillitium, quod eſſent attonſi in modum coronæ: & illud, quod fides eorum eſſet tempori ſerviens, cùm pro religione principis, religionem haberent mutationi obnoxiam; unde tunc temporis tam facilè hæreſes novæ obtinebant. Cùm igitur tot indignis Epiſcopis abundaret hoc Concilium, nihil mirum ſi paſſi ſunt tantum virum throno ſuo cedere, imò & ad id cooperati ſint, paucis exceptis qui id ægrè ferebant. Ipſo interim contrariarum paſſionum ventis in mente agitato, ac primùm quidem ingenti gaudio utpote qui è tempeſtate ad portum perueniret: immenſo verò dolore quod Eccleſiam ſuo labore cultam ac Filios pleroſque cariſſimos, quos in Evangelio genuiſſet, deſerere cogeretur, neſciens cui relinqueret. Quem quidem animi mœrorem quoad vixit, nunquam potuit ſuperare, ſed ſemper ut ſævum tyrannum ſibi expertus eſt dominantem, adeò ut ſua illa Anaſtaſia (templum in quo ſacra obibat miniſteria) ſemper eſſet in mente, & dormienti quoque ipſi eam ſomnia repræſentarent. Quæ pluribus proſequitur ipſemet Gregorius & verſibus Iambicis in vita ſua explicat. Quin etiam nunquam poſtea Synodis voluerit intereſſe, de quibus ſic erebat in carmine de diverſis vitæ generibus,

Non ego cum gruibus, non auſtribuſque ſedebo
In Synodis, quæ ſe marte furente petunt.
Hic rixa, hic fera pugna, priuſque abſcondita probra
Quæ ferale odium parte ab utraque prodit, &c.

Epiſcopi indigni.

Tota igitur illius mens ad vacandum uni Deo abhinc intenta fuit, ut teſtatur in fine carminum præcitatorum de vita ſua.

Heri locatus in throno, nunc pellitis;
Hinc porrò fugiens quidnam agam? inter cœlites
Degam. Meam jam nemo vitam læſerit
Vt me juvabit, colligam me uni Deo, &c.
Dulciſque cœli ſpes meos tamen alet.
Eccleſiæ at quid dabo? fletus dabo.
Hinc namque rector cœlitum me compulit,
Dum vicibus ævum pluribus verſat meum, &c.

Suffectus eſt autem in ejus locum, id volente Theodoſio, Nectarius. Tuncque diſputatio adversùs Macedonium inſtituitur. Et quamvis plerique ex Epiſcopis valdè ignari eſſent, tamen per libellum Occidentalium qui illis prælectus eſt & ab ipſis acceptus quem Damaſus ad Paulinum miſerat Antiochenſium Epiſcopum, probè in rebus fidei ſenſerunt ac decreverunt contra Macedonium, ſimulque alios hæreticos quos in primo Canone damnaverunt. Quæ verò de aliis rebus ſanciverunt approbationem non ita meruerunt. Porro continet ille libellus Anathematiſmos Damaſi Papæ in Concilio Romano editos adversùs omnes hæreſes quæ tunc temporis Eccleſiam Orientalem infeſtabant, ac pleniſſimam declarationem de divinitate Spiritûs ſancti exhibet. Quare & hujus voluminis ductu potuerunt Symbolo Nicæno, quod parciùs agebat de Spiritu ſancto, aliqua addere, ſicque in eo diceretur, eum adorandum cum Patre & Filio, vivificatoremque ac eſſe Dominum, contra Macedonij blaſphemiam eum ſervum vocantis: Sicut antea in Nicæno Symbolo aliqua addita fuerant Symbolo Apoſtolorum circa ea quæ ſpectabant ad Verbum ſeu Filium, ut explicatiùs traderetur ejus ſublimitas ac excellentia contra Arrij detractiones ſimulque blaſphemias. Hic autem libellus ut exſcriptus eſt ex hiſtoria tripartita Caſſiodori lib. 9. cap. 16. dabitur inter epiſtolas Synodales hujus Concilij.

Prudentia & pietas Theodoſij in hoc Concilio.

Ex diſceſſu Gregorij Nazianzeni nata eſt in Synodo major concordia, unde & locus in quo habebatur concordia dictus eſt in poſterum. Tunc autem enituit prudentia Theodoſij Imperatoris, ut rem narrat ex Socrate Caſſiodorus de rebus hujus Synodi.

Inter hæc evocans Imperator Nectarium, tractabat cum eo quid fieret, ut non chriſtianitas diſcordaret, ſed tota uniretur Eccleſia. Dicebat autem: Oportet examinari Eccleſias ſegregantem, quia dum diſcordia recederet, Eccleſias concordia inter ſe uniret. Hæc audiens Nectarius cogitabat, & evocans Agelium, tunc Novatianorum Epiſcopum, tanquam in fide conſortem, indicavit ei votum Imperatoris. At ille, cùm eſſet rebus aliis venerandus, de dogmate tamen non valebat reddere rationem, ſed lectorem ſuum Siſinnium nomine ſtatuit, qui pro eo deberet proferre ſermonem, virum eloquentem & rebus expertum, ſummèque non ſolùm ſcientem ſacrarum profundiſſima literarum, ſed etiam philoſophica dogmata. Is ergò dixit, quia diſputatio non ſolùm ſchiſmata non uniret, ſed amplius divideret & etiam hæreſes ad contentiones potiores adduceret, & propterea Nectario dedit tale conſilium. Bene namque ſciebat, quia veteres patres principium ſubſiſtendi filio Dei dare vitabant, quoniam percepiſſent eum eſſe patri coæternum. Quapropter dedit conſilium ut diſputativas fugeret intentiones, & teſtimonium ex traditione veterum adhiberet, utque præſules hæreſum requireret Imperator utrum ſermonem vellent facere de antiquis Eccleſiæ Doctoribus, qui ante floruerunt, an certè illos velut alienos à Chriſtianitate, reſpuerent. Et ſiquidem eos abnegarent, objiceretur eis, ergo eos anathematizare præſumite. Et ſi hoc perpetrare non præſumerent, à populo pellerentur. Quo facto apertam fore victoriam veritatis. Si verò de principibus non offenderentur, doctoribus: noſtrum (inquit) eſt, præbere veterum libros, ut noſtrum dogma eorum teſtimonio roboretur. Inter hæc; cum Nectarius, Siſinnio dicente, libenter audiſſet, feſtinus ad palatium properavit, dixitque principi conſilium ſibi datum. At ille conſiderata ſententia, cauſam ſapienter inſtituebat. Deinde, convocatis hæreſiarchis, requiſivit ſi ſuſciperent magiſtros Eccleſiæ, qui ante tempora diviſionis extitiſſent. Illis verò non abnegantibus, ſed tanquam præceptores honorantibus, rurſum Imperator interrogavit, ſi eis horum teſtimonia chriſtiani dogmatis complacerent. Hæc audientes præſules hæreſium, atque diſputatores eorum (erant enim plurimi ad diſputationis certamina præparati) in reſponſo vehementer hęſerũt. Irruit enim in omnes magna diſcordia, aliis dicentibus, bonum Imperatoris propoſitum eſſe, aliis verò cogitantibus, quia non eorum expediret intentioni, dum alij aliter de libris veterum ſentire viderentur, & nequaquam inter ſe conſpirabant, ſed erant diviſi non ſolùm adversùs alias hæreſes, ſed etiam inter ſemetipſos qui dudum unius hæreſis eſſe videbantur. Quamobrem conſors malitia ſicut linguæ gigantum veterum, eſt diviſa, & turris eorum funditus eſt ſubverſa. Cognoſcens igitur Imperator eorum confuſionem, & quia in diſputatione ſolummodò, & non in antiquis expoſitionibus confidebant, alio pro-

Trip. hiſt. lib. 9. c. 18. & 19.

Diſputationes pernitioſæ.

Gens filii

eſt hæreſis, quod etiam noſtro tempore experimur, ut etiam ſub ſpecie fucatæ pietatis pervadat in animas quæ magis electæ videbantur. De hoc Macedonio prius Epiſcopo Conſtantinopolitano & è ſede ſua deturbato per Arrianos ob confeſſionem Omooufiou ſeu conſubſtantialis, notanda quæ habet Leontius de ſectis act. 4. circa divinitatem, inquit, delinquebat & exſemiſſe particeps erat impietatis Arrianæ. Nam Filium ex Deo genitum tradens Spiritum creaturam eſſe dicebat. Atque hoc dogma ſuum ex eo confirmabat, quod apertus ſacris in literis ut ipſe quidem aiebat textus non extet, qui Spiritum ſanctum eſſe Deum tradat. Sed multis auctoritatibus convincitur. Primum in Actis Apoſtolorum ad Ananiam, &c.

De Apollinari verò ait idem quod in diſpenſatione Chriſti manifeſtè errabat. Corpus enim quod Deus ille ſermo induit, animam quidem habere, ſed mente prorſus carere tradebat: quippe qui non aliter animâ præditus eſſet ac brutum quoddam animal. Hoc dictum non aliquo ſcripturæ loco, ſed ratiocinando probabat. Quia mentem aiebat eſſe quiddam peccato pollutum. Abſurdum verò prorſus de Dei ſermone cogitare, copulatum fuiſſe cum re peccato contaminata. Hæc ille. Unde apparet Appollinaris ratiocinationem malè fundatam. Quaſi eſſet una mens communis omnibus hominibus, ſicut Averroës poſtea docuit. Si enim uniuſcujuſque hominis mens diſtincta eſt, quid vetat hanc mentem aſſumpſiſſe Verbum quæ eſſet immaculata, licet aliorum mentes non ita fuerint impolluta? cæterum plures fuerunt hujus Preſbyteri Laodiceni errores, licèt non omnes crediti fuerint, & aliqui etiam excuſati, ut ex Epiphanio hæreſi 76. videre eſt, quod ipſe antea magna cum laude in Eccleſia verſatus fuiſſet, & in magna probitatis ac doctrinæ æſtimatione habitus. Nam & tales hæreſibus eudendis magis apti ſunt. Habet autem Gregorius Nazianzenus orat. 51. quæ eſt epiſt. 1. ad Cledonium Preſbyterum, mordaces imprecationes contra ipſum Apollinarem, ut cùm dicit: *Si quis in hominem mente carentem ſperat, amens profectò eſt*, & quoniam idem Apollinaris diverſos gradus in Trinitate admittebat, ait: Si quidem ex magno, majori & maximo, hoc eſt ex Spiritu ſancto & Filio & Patre tanquam ex ſplendore, radio & ſole Trinitatem conſtituere, (quod quidem in ejus libris apertè ſcriptum eſt) *Scala eſt Divinitatis non in cœlum ſubvehens, ſed è cœlo dejiciens.* Sed & idem Nazianzenus tantùm infeſtus Macedonio & Apollinari, quantum D. Athanaſius Arrio, alios ejus refert errores orat. 43. ut quod Filius Dei carnem ſuam de cœlo deſcendens adduxiſſet, ut ſic ſecundus homo eſſet de cœlo. Item quod ſecundùm divinitatem paſſus ſit, & quod divinitas ejus in triduo cum corpore mortuo à Patre ſuſcitata ſit, &c.

Apollinarem errores.

Fuit autem error Photinianorum idem ac Pauli Samoſateni, unde & Pauliniſtæ dicti ſunt etiam Photiniani. Dicebant illi Patrem Deum eſſe qui omnia creaſſet; Filium ſeu Chriſtum puerum hominem, Spiritum illam gratiam quæ ſuper Apoſtolos venerit. Sabellius verò eundem eſſe Patrem, Filium ac Spiritum ſanctum aſſerebat, Trinitatemque ac diſtinctionem perſonarum negabat. Apud eundem Leontium de ſectis act. 3. porro quis fuerit Marcellus qui etiam hic damnatur, diſcere poſſimus ex Baronio ad annum 347. Sabellianæ hæreſis aſſertor & Epiſcopus Ancyranus, quemque D. Athanaſius ob eam cauſam excommunicaverat. Unde cauſa data eſt Arrianis obloquendi in Concilium Sardicenſe, quod tam injuſtè in eo fuiſſet pro Athanaſio judicatum, quam Marcellus fuerat abſolutus, qui Athanaſij judicio hæreticus eſſe probaretur.

Photinianos Paulianiſtas dictos.

Reſtat difficultas circa hunc Canonem de damnatione Eudoxianorum, quinam illi erant, hoc enim torſit D. Gregorij Magni animum epiſt. 31. l. 6. & Canones quidem Conſtantinopolitani, ait, Eudoxianos damnant. Sed qui fuerit eorum Author Eudoxius minimè dicunt. *Romana autem Eccleſia eoſdem Canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.* Reliquas verò hæreſes quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis verò nihil hactenus agnovit. In hiſtoria autem Sozomeni de quodam Eudoxio qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum arripuiſſe dicitur, aliqua narrantur. Sed ipſam quoque hiſtoriam ſedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur, &c. in Latina autem lingua de hoc Eudoxio nunc uſque neque in Philaſtrio, neque in B. Auguſtino, qui multa de hæreſibus conſcripſerunt, neque in aliis Patribus aliquid invenimus. Charitas igitur veſtra ſi quis apud Græcos probatorum Patrum de eo ſermonem fecit, ſuis mihi Epiſtolis innoteſcat. Hactenus Magnus Gregorius. Porro Eudoxium Arrianum extitiſſe legi poteſt apud Nicephorum Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 9. cap. 36. ubi de eo dicitur quod Arrij diſcipulos in ordinem Clericorum cooptaret, & Aetium hæreticum maximo honore proſequeretur & cap. 37. quod Liberium Pontificem per calumniam traduceret, perinde ac ſi conſubſtantialis nomen repudiaſſet, &c. Meminit quoque Caſſiodorus hiſtoriæ tripart. l. 4. c. 20. Eudoxij Germaniciæ Epiſcopi de fide Nicæna quidpiam imminuentis in Epiſtola oblata Sacerdotibus occidentalibus ad quos cum Martyrio & Macedonio miſſus fuerat, & à quibus repulſam paſſus, cùm dicerent illi Occidentales fidem Nicænam ſufficere. Denique verba hujus Canonis ſatis indicant Eudoxianos fuiſſe Arrianos, licèt à Carranza & Coriolano non integrè afferatur, & alibi narratur quomodo idem Eccleſiam Antiochenam invaſerit orthodoxis infeſtus.

Eudoxiani qui fuerint.

CANON II. *Epiſcopi ſuam Diœceſim gubernent, & ad alias non accedant.*

EPiſcopi, qui extra Diœceſim ſunt, ad Eccleſias quæ extra terminos eorum ſunt, non accedant, neque confundant & permiſceant Eccleſias, ſecundùm regulas conſtitutas Alexandriæ quidem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſervatis honoribus primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea, quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodò Diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem Epiſcopi, Ponticæ tantùm Diœceſis habeant curam: Thraciæ verò, ipſius tantummodò Thraciæ.

9. 9. 2. Epiſcopi, qui extra.

CANON III. *Non invitatos Epiſcopos ultra Diœceſim propriam accedere non debere.*

NOn invitati Epiſcopi, ultra Diœceſim accedere non debent, ſuper ordinandis aliquibus, vel quibuſcunque diſponendis Eccleſiaſticis cauſis, ſeruata regula, quæ ſuperſcripta eſt, de unaquaque Diœceſi. Manifeſtum namque, quod per ſingulas quaſque Provincias, Provinciális Synodus adminiſtrare & gubernare omnia debeat, ſecundùm ea quæ ſunt in Nicæna definita.

9. 9. 3. Non invitati Epiſcopi.

Nic. Syn. cap. 5.

NOta ſemper ſubſequentia Concilia poſt Nicænum caviſſe, ut quæ in eo decreta fuerant circa limites juriſdictionis, diligenter & inviolabiliter ſervarentur.

eorum qui Eccleſias adminiſtrant, accuſationes permittere, nec omnes excludere: ſed ſi quis propriam quidem querelam, id eſt, privatam, intendat Epiſcopo, ut detrimento aliquo vel injuria aliqua ab ipſo affectus, in ejuſmodi accuſationibus nec accuſatoris perſonam, nec religionem examinari. Oportet enim Epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus modis liberam, & eum qui ſibi injuriam factam eſſe dicit, cujuſcunque ſit religionis, jus ſuum conſequi. Si autem ſit crimen Eccleſiaſticum, quod Epiſcopo intenditur, tunc examinari perſonas accuſatorum: ut primùm quidem hæreticis non liceat Orthodoxos Epiſcopos pro rebus Eccleſiaſticis accuſare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Eccleſia abdicati ſunt, & qui ſunt poſteà à nobis anathematizati: ad hæc autem & eos qui ſe ſanam quidem fidem confiteri præ ſe ferunt, avulſi autem ſunt & abſciſſi, & adverſus Canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt. Præterea autem, & ſi aliqui eorum ab Eccleſia ob aliquas cauſas priùs condemnati & ejecti, & vel excommunicati fuerint, ſive ex Clero, ſive ex laïcorum ordine, nec eis licere Epiſcopum accuſare, priuſquam proprium crimen abſterſerint. Similiter autem & eos, qui priùs rei facti accuſatique ſunt, non priùs ad Epiſcopi vel aliorum Clericorum accuſationem admitti, quàm ſe objectorum ſibi criminum inſontes oſtenderint. Sed ſi nonnulli nec hæretici nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati, vel aliquorum criminum accuſati, dicant autem ſe habere aliquas adverſùs Epiſcopum criminationes, eos jubet ſancta Synodus primùm quidem apud provinciæ Epiſcopos accuſationem perſequi, & apud eos probare crimina Epiſcopi qui aliquarum rerum accuſatur. Quod ſi evenerit, ut Provinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intenta ſunt, corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum Diœceſis illius Epiſcoporum pro hac convocatorum, & accuſationem non priùs intendere, quàm æquale periculum ſibi ſtatuant, ſi quidem in rebus examinandis accuſatum Epiſcopum calumniari convicti fuerint. Si quis autem iis, quæ ut priùs declaratum eſt, decreta fuerunt, contemptis, auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſæcularium Principum judicia vel Vniverſalem Synodum perturbare, neglectis Diœceſis Epiſcopis, eum nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum, ut qui Canonibus injuriam fecerit, & Eccleſiaſticum ordinem everterit.

Ordo quis in accuſandis Epiſcopis.

Hæretici qui dicti.

NOn ceſſavit unquam, ait Balſamon, inimicus noſter Sathan bonorum hominum exiſtimationem, & maximè Epiſcoporum per calumniam polluere. Inde porrò accuſationes frequentes contra Epiſcopos, quorum aliæ privatæ, id eſt, pecuniariæ, aliæ criminales, quibus hic canon leges diverſas procedendi figit: quod & alibi pluries in Conciliis factitatum.

CANON IX. *De recipiendis qui ab hæreſi redeunt.*

EOs qui rectæ Fidei adjiciuntur, & partim eorum qui ex hæreticis ſervantur, recipimus, ſecundùm ſubjectam hîc conſequentiam & conſuetudinem. Arrianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui dicunt ſeipſos Catharos, & Ariſteros, hoc eſt, mundos, vel ſiniſtros, & Teſſaradecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit ut ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia; & ſignatos, ſive unctos primum ſancto Chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos ſignantes dicimus: Signaculum doni Spiritus ſancti. Atque Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur; & Montaniſtas, qui hîc dicuntur Phryges; & Sabellianos, qui eundem eſſe Patrem & Filium opinantur, utrumque ſimul confundentes, & alia gravia & indigna faciunt; & alias omnes hæreſes. Quoniam hîc multi ſunt hæretici, & maximè qui ex Galatarum regione veniunt: quicumque ex his rectæ fidei adſcribi volunt, ut Græcos admittimus: & primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando; & ſic eos catechizamus ſive initiamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas; & tunc eos baptizamus.

Libelli ſint ſubſcriptiones Orthodoxæ.

DE modo recipiendi Hæreticos, an confirmatio tunc repetita, vide in 4. claſſe in Concilio Laodiceno à nobis annotata. Interim probari vix poterit hic tantum agi de manus impoſitione pœnitentiali quæ non ſicca, ſed uncta adhibita fuerit pro more Orientalium. Verba enim Concilij aliud denotant. Balſamon putat Sabbatianos eoſdem eſſe cum Novatianis à quodam eorum Preſbytero Sabbatio, qui more Judaïco ſabbata ſervabat. Appellati ſunt autem & iidem Siniſtri, utpote manum ſiniſtram abhorrentes, & ut per eam quicquam recipiant in animum non inducentes. Teſſeradecaditæ ſunt Quarto-decimani qui cum Judæis Luna decima-quarta Paſcha celebrant. Hæretici qui ex Galatia Phryges ſunt aut Montaniſtæ dicti à Montano, aut Pepuziani ex quadam regione Pepuza quam circa Hieruſalem incolunt. Qui Sanctam Trinitatem in unam perſonam contrahunt cum Sabellianis, ideò nec baptizabant in nomine etiam perſonarum. Unde notat Balſamon omnes, ex hoc Canone, rurſus rebaptizatos qui cum una immerſione baptizati erant, ſine expreſſa mentione trium perſonarum ut debet intelligi, cum una immerſio adhibita expreſſione trium perſonarum, ſufficiens eſſet, quæcumque ſit fides baptizantium, ut cenſet D. Auguſtinus l. 3. de bapt. contra Donatiſtas. Licèt Gregorius Magnus videatur requirere eamdem fidem l. 11 regiſtri epiſt. 41.

Variæ Hæreſes damnatæ.

SYMBOLVM *ejuſdem* CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, vi-

sibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ; per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus ac sepultus: tertia die resurrexit secundùm Scripturas; ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris: inde venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi. Amen.

Nota pro additamento ad Symbolum Filioque.

HOc Symbolum Orientales in sua ad Damasum Synodica appellant Libellum Fidei: traduntque plures illud a Gregorio Nysseno Episcopo compositum fuisse. Idem reperitur apud Latinos, diversa tamen translatione, & cum illo addimento FILIOQVE: quod authoritate Leonis Pontificis, & ad confutandos hæreticos Priscillianistas, ab Hispanis Episcopis Symbolo superadditum fuit, eique semper inhæsit. Vvisigothi profitentes Fidem Catholicam, non modo illud receperunt, sed etiam Judæos ad Christianam Fidem venientes sub ejusdem Symboli confessione recipiendos esse, suis Legibus sanxerunt. Idem additamentum à Francis acceptum & tenacius retentum fuisse, patet ex Symbolo Fidei sub Carolo Magno in Arelatensi Concilio recitato. Et quod mirum est, cum augmento Symboli Constantinopolitani, aucta est Ecclesia. Sub hujus enim confessione, Gothi, Vvisigothi, aliæque Barbaræ nationes quæ Hispanias occuparunt, ex Arrianis factæ sunt Catholicæ: Franci verò, qui sibi Gallias vindicabant, sub ejusdem Symboli confessione facti sunt Christiani. Contrà verò, omnium gentium infœlicissimi Orientales schismatici, ex quo ejusdem Symboli additamentum penitus respuerunt, sub Turcico jugo acerbissima servitute premuntur, atque Ecclesiis, bonis, ac liberis spoliati, assidue incassum gemunt. Romana Ecclesia antiquitatis tenacissima, idem quidem cum prædictis Ecclesiis credidit ac docuit, ut constat ex illa professione Fidei, quam Damasus ex Concilio Romano ad Paulum transmisit, & ex Leonis Epistola 93. capite 1. tamen antequam prædictum additamentum in Symbolum inferret, diutissimè cunctata fuit. Scribit Magister sententiarum distinct. 1. Leonem III. à Carolo Magno rogatum, ut verba prædicta ad Symbolum adderentur, non modo id facere penitus recusasse, verum etiam illud ipsum absque eo additamento in argentea tabula exaratum in Altari post corpus S. Pauli perpetuò custodiri voluisse, ne quibuslibet liberum esset, aliquid ad sanctum Symbolum superaddere. Postquam autem Hispani, Franci, aliique omnes Boreales populi offenderentur, & periculum schismatis oriretur, quod Romana Ecclesia eam doctrinam publicè confiteri nollet, quam ad probandos Catholicos, & constituendos hæreticos, Magnus Leo ante tot sæcula Hispaniarum Episcopis

Nota de Symbolo.

A tradidisset; placuit tandem Benedicto, septimo hujus nominis Romano Pontifici, ut idem Symbolum cum hoc eodem additamento Romæ in Ecclesia cantaretur: idque ad petitionem Henrici Imperatoris. De quo hæc Berno Abbas Augiensis de rebus ad Missam spectantibus: *Cùm Romanorum Presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur non post Evangelium (ut in aliis Ecclesiis fiebat) Symbolum canerent; me, ait ipse, assistente audivi, eos ejusmodi responsum reddere: quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos face infecta: sed secundùm doctrinam sancti Petri in soliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcussa: & ideò magis hîc necessarium esse illud Symbolum sæpiùs cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Imperator Domino Benedicto persuasit, ut ad publicam Missam decantarent.*

B Vide Baron. ann. 447. num. 22. Graviter itaque abertant, qui putant ex Damasi Papæ Decreto profectum, ut hoc Symbolum in Occidente inter Missarum Solemnia decantetur. Nam authoritate Ruffini in expositione Symboli, qui his temporibus scribebat, diquet, nullum aliud Romanam Ecclesiam in sacris Ritibus novisse, quam Symbolum Apostolicum.

Quod autem Concilium tot elogia addat Spiritui sancto, id fit contra blasphemias hæreticorum: Montanus siquidem apud D. Basilium l. 2. contra Eunomium, ipsum vilibus nominibus dehonestabat & naturam ejus adeò vilem & abjectam reddebat, ut eam diceret infamiam afferre auctori. Ipse verò Eunomius refutatur ab eodem D. Basilio ibid. l. 3. quod ipsum diceret tertium natura & ordine, imperio quidem Patris, operatione verò Filij factum, post Filium quidem primum & omnium maximum, sed Vnigeniti opus deitate ac creandi potentia carens. Tales prodromos nactus est Macedonius. Quare Symbolum magis glorificat Spiritum sanctum. Inseruit quoque de uno baptismate, tam contra rebaptizantes, quàm contra baptizantes non in nomine Trinitatis, sed in mortem Christi: sicut de Eunomio refert Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, vel aliis modis indebitis contra essentialia sacramenti. Uberiorem explicationem cum collatione utriusque Symboli Apostolorum, & SS. Patrum dedimus in l. de *triplici examine*. p. 1. *in examine Ordinandorum*.

D SECUNDA PARS.

Quædam Epistolæ Synodales.

Epistola Damasi de damnatione Apollinaris ad Orientales.

QVoniam Apostolicæ sedi reverentiam debitam charitas vestra distribuit, nobis plurimum charissimi filij præstitistis. Nam licet Ecclesiæ, in qua sanctus Apostolus residens docuit, quodammodo nos gubernacula quæ suscepimus, teneamus: tamen profitemur nos honore minores esse, & propterea omnimodo festinamus, ut ad gloriam ejus beatitudinis pervenire possimus. Scitote igitur, quòd pridem Timotheum profanum, ineruditum, Apollinaris hæretici E discipulum, cum impio ipsius dogmate condemnavimus, nec ultra concedimus ejus reliquias qualibet ratione de cætero prævalere. Si autem adhuc ille serpens antiquus semel & secundò perculsus, ad pœnam propriam reviviscit, quippe extraneus ab Ecclesia est, mortiferis venenis suis quosdam fidelium tentare non cessat, hanc tanquam pestiferam declinate corruptionem, ut vos membres Apostolicæ fidei, quæ præcipuè in urbe Nicæna à PP. ex scripturis prolata est, firmo gradu stabiles in fide & immutabiles perduretis: & non vaniloquia & exterminabiles quæstiones ab illo audire patiamini clericos vestros, aut plebem. Jam

unim semel formam dedimus, ut qui seipsum cognoverit Christianum, illud servet quod ab Apostolis nosci-
A tur esse contraditum, dicente sancto Paulo, *Si quis vobis annuntiaverit praeter id quod accepistis, anathema sit.* Christus enim Filius Dei, Dominus noster, humano generi per propriam passionem salutem plenissimam condonavit, ut totum hominem delictis obnoxium, peccatis omnibus liberaret. Hunc si quis in deitate, sive in humanitate minus aliquid dixerit habuisse, plenus spiritu diaboli, gehennae seipsum filium demonstravit. Cur itaque rursus à me quaeritis damnationem Timothei, qui & hic Apostolicae sedis judicio, praesente quoque Petro Alexandrinae civitatis Episcopo, *Concilium Rom. contra Apollinarem.* cum Apollinari suo doctore damnatus est, & in die judicij tormenta debita & supplicia sustinebit? Si verò
B quibusdam levioribus ille suadet, veluti quamdam spem habens, qui veram spem in Christi confessione mutavit, sciant se cum illo similiter perituros, cum Ecclesiasticam regulam impugnabunt. Deus vos incolumes custodiat, filij charissimi.

Libellus Occidentalium continens statuta Sedis Apostolicae contra diversas haereses in Synodo Constantinopolitana I. receptus.

Professio Catholicae fidei quam Damasus misit ad Paulinum.

1. QVoniam post Nicaenum Concilum talis error exortus est, ut quidam dicere profano ore praesumant, sanctum Spiritum per Filium fuisse factum, anathematizamus eos, qui non eum omni praedicant libertate cum Patre & Filio sanctum Spiritum unius
C ejusdemque substantiae atque potestatis existere.

2. Similiter autem anathematizamus & eos, qui errorem Sabellij sunt secuti, eumdem dicentes Patrem esse, quem Filium.

3. Anathematizamus Arrium & Eunomium, qui simili impietate, licèt discrepent, Filium tamen & Spiritum sanctum creaturam esse confirmant.

4. Anathematizamus Macedonianos, qui ex Arriana radice derivati, non impietatem sed vocabulum mutaverunt.

5. Anathematizamus Photinum qui Hebionis haeresim renovans, Dominum nostrum Jesum Christum solùm ex Maria confitetur.

6. Anathematizamus etiam eos, qui duos Filios esse profitentur: unum ante saecula, & alium post carnis assumptionem ex Virgine.

D 7. Anathematizamus & hos, qui pro rationali anima confirmant, quod Dei Verbum in humanam carnem conversum est: ipse namque Filius Verbum Dei, non pro rationali anima & intelligibili in suo corpore factus est, sed nostram, hoc est rationalem & intelligibilem animam sine peccato assumpsit atque salvavit.

8. Anathematizamus & eos, qui dicunt Verbum Dei productione & corruptione à Patre separatum, & sine substantia eum aut terminandum esse blasphemant. Eos autem qui ab Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverunt, tandiu à nostra communione alienos habemus, donec ad eas redeant civitates, in quibus primitus ordinati sunt.

9. Si quis autem alio de loco ad locum migrante, in
E locum viventis ordinatus est, tandiu vacet Sacerdotij dignitate, qui propriam deseruit civitatem, donec successor ejus requiescat in Domino.

10. Si quis non dixerit semper Patrem & Filium & semper Spiritum sanctum esse, anathema sit.

11. Si quis non dixerit Filium natum ex Patre, hoc est ex ejus divina substantia, anathema sit.

12. Si quis non dixerit verum Deum Filium Dei, sicut verum Patrem ejus & omnia posse, & omnia nosse, & Patri aequalem esse, anathema sit.

13. Si quis dixerit, quod in carne degens Filius Dei, cùm esset in terra, in coelis & cum Patre non fuerit, anathema sit.

14. Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem
A passus sit Filius Dei Deus, non caro cum anima, quae induta est formam servi, quam sibi assumpsit, sicut sancta Scriptura dixit, anathema sit.

15. Si quis non dixerit, quod in carne quam assumpsit, sedeat ad dexteram Patris, in qua etiam venturus est judicare vivos & mortuos, anathema sit.

16. Si quis non dixerit, sanctum Spiritum ex Patre esse verè & propriè, sicut & Filium ex divina substantia, & Deum Dei verbum, anathema sit.

17. Si quis non dixerit omnia posse Spiritum sanctum, & omnia nosse, & ubique adesse, sicut Filium & Patrem, anathema sit.

18. Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam, aut per Filium factum, anathema sit.

19. Si quis non dixerit omnia per Filium & per Spi-
B ritum sanctum fecisse Patrem, hoc est visibilia & invisibilia, anathema sit.

20. Si quis non dixerit Patris & Filij & Spiritus sancti unam Deitatem, potestatem, divinitatem, virtutem, unam gloriam, dominationem, imperium, unam voluntatem, & veritatem, anathema sit.

21. Si quis tres personas non dixerit veras Patris & Filij & Spiritus sancti aequales, semper viventes, omnia continentes, visibilia & invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia creantes, omniaque salvantes, anathema sit.

22. Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab universa creatura, sicut & Filium atque Patrem, anathema sit.

23. Si quis de Patre & Filio bene sapuerit, de sancto
C autem Spiritu rectè non crediderit, haereticus est: quia omnes haeretici de Filio Dei, & de sancto Spiritu male sapientes, in Judaeorum atque Gentilium incredulitate consistere convincuntur.

24. Si quis autem diviserit, Deum Patrem dicens: & Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, affirmans Deos dici non Deum, propter unam Deitatem ac potestatem, quam credimus esse & novimus, Patris & Filij & Spiritus sancti Deum unum: subtrahens verò Filium & Spiritum sanctum, tanquam solum opinatus Patrem Deum, anathema sit. Nomen enim Deorum & Angelis & omnibus sanctis à Deo positum est atque donatum. De Patre verò, Filio & Spiritu sancto propter unam aequalemque Divinitatem, non Deorum nomina, sed Dei nostri traditur atque significatur, ut credamus quia in Patre & Filio & Spiritu sancto solummodò baptizamus, & non in Archangelorum & Angelorum nominibus, sicut haeretici, aut sicut Judaei, Gentilesque insaniunt. Haec igitur Christianorum salus est, ut credentes Trinitati, hoc est Patri & Filio & Spiritui sancto, & in ea baptizati, unam Deitatem, & potestatem, & Divinitatem, & substantiam in eam credamus. Haec itaque Gratiano vivente facta sunt.

EPISTOLA CONSTANTINOPOLIT. Synodi ad Damasum Papam, & ad Episcopos in Synodo Romana congregatos.

DOminis honorabilibus, atque venerandis fratribus & comministris Damaso, Ambrosio * Bru-
E toni, Valeriano, Acholio, Basilio, & reliquis Episcopis in maxima Roma collectis, sancta Synodus Orthodoxorum Episcoporum congregatorum in maxima civitate Constantinopoli, in Domino salutem. Nunc velut ignoranti vestrae reverentiae insinuare, atque narrare multitudinem passionum ab Arriana potentia nobis saepius illatarum forsitan supervacuum est. Non enim ita negligere vestram credimus sanctitatem, ut adhuc egeatis discere, quos certum est condolere. Sed neque tales nos constringere tempestates, ut pro sui parvitate latere potuissent. Neque tempus persequutionis est novum, sed adhuc memoriam servat antiquam, non solùm in his, qui passi sunt, sed etiam in

* *Al. Britanni.*

Arriani quam duri erga Catholicos.

eis qui participes sunt illorum quorum proprias indicant passiones. Hesterno enim (ut ita dicamus) aut hodie exiliorum vinculis resoluti post innumeras tribulationes ad proprias sunt Ecclesias reversi, aliorum verò in exilio defunctorum, funera revocata sunt, quidam verò etiam ab exilio remeantes, & ferventi hæreticorum furore detenti, amariora quàm in exilio in propriis sunt perpessi, lapidibus ab eis obruti, supplicijs adhuc stigmata Christi, & vulnera in suo corpore circumferentes noscuntur. Pecuniarum verò dispendia, honoris ademptiones, singulorúmque confiscationes, & machinamina, injurias atque vincula quis numerare valebit ad singula? Etenim omnes tribulationes veræ super nos multiplicatæ sunt ultra numerum, justè quidem, quoniam valde peccavimus, aut certè clemens Dominus passionum multitudine nos voluit exerceri. Propter hæc itaque gratias Deo referimus, qui & per tantas tribulationes servos suos corripit, & secundùm multitudinem misericordiarum suarum deduxit nos rursus ad refrigerium. Nobis itaque tempus & labor maximus fuit, quatenus emendatio proveniret Ecclesiarum, ut tanquam pro longa ægritudine, diligentia paulatim adhibita, priscam pietatis redderet sanitatem. Hoc etenim modo putabimur persecutionibus acerrimis liberati, & Ecclesias longo tempore ab hæreticis detentas, denuò reparari. Verumtamen graves adhuc nobis sunt lupi qui postquam de caulis expulsi sunt, ex ipsis pascuis oves abripiunt, collectas facere contendentes, populos commoventes, & in nullo segnes ad Ecclesiæ lesionem. Erat itaque (sicut diximus) necessarium huic operi tempus. Quia tamen fraternam circa nos charitatem ministrantes, Synodum in Romana urbe Dei voluntate fecistis, & nos illuc, tanquam membra propria, litteris Deo admirabilis principis evocastis, ut quoniam tunc sub Imperatorum concordia pia non sine nobis regnaretis, sed etiam nos vobiscum, secundùm Apostolicam vocem conregnaremus. Oratio quidem nostra fuit, si esset possibile, ut omnes nostras simul relinquentes Ecclesias, desiderio utili jungeremur. Quis enim nobis dabit pennas sicut columbæ, ut volemus, & apud vos requiescamus? Sed quoniam hoc omnino nudabat Ecclesias, requie nuper inchoante, resque nimis erat plurimis impossibilis, quia concurreramus in urbem Constantinopolitanam, causa litterarum ad nos directarum vestra charitate post Aquileien. Concilium adeò amabilem Imperatorem Theodosium propter hanc solummodo causam usque ad Constantinopolim præparati, & de hac tantummodo ferentes Synodo consensum Episcoporum, qui per provincias permansere. Majoris verò profectionis neque speravimus opus, neque præaudimus omnino antequam Constantinopolim venerimus, super hæc autem induciarum angusto tempore faciente, neque præparare nos valentes ad longam profectionem, neque universos communicatores nostros, in provinciis positos commonere, & eorum consensum sumere prævaluimus. Quoniam igitur hæc, & alia multa plurimorum adventum prohibere videbantur, quod erat secundum ad effectum rerum & vestræ circa nos charitatis ostensionem, hoc egimus, reverendissimos atque charissimos fratres & comministros Episcopos, Cyriacum, Eusebium & Priscianum usque ad vos laborare alacriter exorantes, per quos & nostram voluntatem pacificam, & intensionem habentem unitatis, ostendimus, Zelúmque nostrum quem pro saluberrima fide gerimus, indicamus. Nos etenim persecutiones, sive tribulationes, sive quaslibet alias tentationes hæreticorum libenter sustinuimus pro Evangelica fide, quæ in Nicæa Bithyniæ à 318. Patribus roborata dignoscitur. Hanc etenim & nobis, & vobis, & omnibus qui non subvertunt verbum veræ fidei, complacere confidimus, quam scimus antiquissimam existere, & sequacem baptismatis, docentémque nos credere, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Divinitatem quippe & virtutem, neque substantiam unam Patris, & Filij & Spiritus sancti, credimus, & æqualem honorem ac dignitatem & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis personis, ut neque Sabellij languor habeat locum confusione subsistentiarum, aut peremptione proprietatum: neque Eunomianorum, & Arrianorum, & Pneumatomachorum, id est Spiritui resistentium, blasphemia prævaleat, substantia videlicet secundùm illos, aut natura, aut divinitate divisa, & increatæ consubstantiali, & coæternæ Trinitati postrema quædam, vel creata, vel alterius subsistentiæ detur natura: incarnationis verò Christi sermonem sine aliqua violatione servamus, neque sine anima, neque sine mente, aut imperfectam carnis dispensationem suscipientes, sed totum scientes perfectum quidem ante secula existere Deum verbum, perfectum verò hominem in novissimo dierum propter nostram salutem factum. Igitur quæ de fide apertè prædicantur à nobis, velut in summa hæc esse noscuntur. De quibus instrui amplùs, poteritis, si & tomum in Antiochia factum, & à Synodo ibi constituta, digneminì legere, & quod anno superiore in Constantinopoli ab universali Synodo cognoscitur esse prolatum, in quibus latiùs fidem professi sumus, & contra novitates hæresum nuper exortas, anathema ex scripto protulimus. De dispensationibus autem particularibus Ecclesiarum, antiqua (sicut nostis) sanctio tenuit & definitio sanctorum Patrum in Nicæna convenientium, secundùm unamquamque provinciam. Et si Pontifices voluerint, ut cum eis vicini propter utilitatem celebrent ordinationes, quibus rebus consequenter & cæteras Ecclesias apud nos ædificari cognoscite, & insignium Ecclesiarum hæc approbasse Sacerdotes. Porrò Constantinopolitanæ urbis novellam (ut ita dicamus) Ecclesiam, velut ex ore leonis, hæreticis subsotiàm blasphemis, abstraximus, & per misericordias Dei reverendissimum & Deo amabilem Episcopum Nectarium ordinavimus, coram universali Concilio cum omni concordia, sub aspectu etiam amabilis Imperatoris Theodosij, universique cleri, cuncta decernente pariter civitate. In seniore autem & verè Apostolica Ecclesia Antiochiæ, Syriæ, in qua priùs venerabile Christianorum nomen appellatum est, reverendissimum & Deo amabilem Episcopum Flavianum de universa provincia & de Orientali Diœcesi concurrentes, regulariter ordinarunt, omni Ecclesia pariter decernente, & quasi sub una voce hunc honorante virum. Quam ordinationem, tanquam legalem, suscepit commune Concilium. In matre verò cunctarum Ecclesiarum Hierosolymis constituta, reverendissimum & Deo amabilem Cyrillum Episcopum esse significamus, qui regulariter olim à Provincialibus ordinatus, plurima propter Arrianos diversis temporibus certamina passus est. His igitur tam legaliter & Canonicè apud nos gestis, etiam vestram reverentiam congaudere decrevimus spirituali intercedente dilectione, & timore Dominico, per quæ humana removetur offensio, & Ecclesiarum ædificatio præponitur universis. Sic etenim verbo fidei concordante, & Christiana in nobis charitate firmata, cessavimus dicere quod reprehendebat Apostolus: *Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego autem Cephæ*, dum omnes videlicet appareamus Christi, qui in nobis divisus non est. Et si sine schismate corpus Ecclesiæ Deo juvante servemus, cum fiducia ante Deum ad tribunal stabimus.

Petunt confirmari Synodum à Summo Pontifice.

1. Cor. 1.

Pientissimo & Religiosissimo Imperatori Theodosio Sancta Synodus Episcoporum è variis Provinciis in urbem Constantinopolitanam congregatorum. S. P. D.

INitio hujus epistolæ, quam ad te scribimus, pientissime Imperator, Deo gratias agemus, qui te summâ pietate præditum Imperio potiri voluit ad communem

Nota. Patres Synodi fovent membra Rom. Pontificis. 2. Cor. 2. 2. Tim. 1.

Aquileien. Concilium

communem Ecclesiarum pacem & fulcimentum veræ fidei. Deo autem gratias ut debemus agentes, necessario quę in sancta Synodo gesta sunt, ad pietatem tuam referimus. Primùm quòd cùm evocati litteris tuis Constantinopolim convenissemus, mutuam inter nos concordiam renovavimus: deinde etiam breves Canones edidimus, quibus fidem Patrum qui Concilio Nicæno interfuerunt, confirmavimus, & exortas adversùs eam hæreses improbavimus. Postremò etiam pro recta Ecclesiarum institutione certos Canones fecimus, quos & valere volumus. Hæc nos omnia huic nostræ epistolæ subjecimus. Cupimus igitur abs te humanissime ac pientissime Imperator, diplomate tuo Synodi sententiam confirmari, ut quemadmodum literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honorasti, ita etiam placita Synodi ad finem prædicta subscriptione tua munias. Dominus Imperium tuum in pace & justitia confirmet, & in multas generationes proferat. Cum Imperio tuo terreno superveniat tandem cœlestis Imperij fruitio, Deus te verè religiosissimum ac pium Imperatorem votis SS. annuens potentia virtutibusque omnibus præstantem orbi terrarum diu servet incolumem.

Nota, Sollicitè curarunt Episcopi per Imperatorem Synodum confirmari, hoc motu ducti, ne sicut alij Imperatores fidem Catholicam & Orthodoxam ejurarant cum maximo Ecclesiæ Christi detrimento, illud idem in posterum accideret. Ut igitur Imperatores fidei Orthodoxæ tenaciores essent, hanc ab Imperatore confirmari efflagitant. Sed & ejus authoritate coercendi erant qui ei in posterum contradicerent. Hoc enim obsequium à Regibus & Monarchis postulat Deus, ut ipsi Religionem tueantur, quam si minus curent, aut, quod pejus est, ipsam impugnent, Deo sese reddunt obnoxios, ut qui malè utantur potestate sibi ab ipso concreditâ ad fidem tuendam ac propagandam. Sed nec ignorabant quanti ponderis esset vera Religio Imperatoris, ut universus orbis eam cæteros. *Cur ab Imperatore petatur confirmatio.*

TERTIA PARS.

Quædam dubia de hac Synodo.

HAnc Synodum à Papa Damaso confirmatam asserit Photius l. de septem Synodis. Quod intelligendum est, quoad ea quæ spectant condemnationem hæresis Macedonianæ, sicut insinuat D Gregorius Magnus loco suprà citato ex lib. 6. registri epist. 34. per secundam Synodum, ab eodem Damaso congregatam senioris Theodosii favore indicat sexta Synodus Act. 18. asserens Theodosium ac Damasum obstitisse Macedonio, sicut Sylvester & Constantinus perprimam Arrio obstiterunt.

Dubium est de præside. Ac Bellarminus de Conciliis lib. 1. cap. 19. fatetur Romanum Pontificem Damasum, nec per se nec per legatos interfuisse. Pontifex enim Romanus convocaverat quidem Episcopos Orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, ubi ipse coëgerat Synodum Episcoporum Occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum Concilium. Cæterum Orientales justas ob causas excusaverunt se & conjunxerunt se animis & sententiis cum Occidentalibus, non autem præsentia corporali. Ostendit autem epistola quam suprà dedimus, quæ est Concilij ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. & 10. quod si Damasus adfuisset sine dubio præcessisset, cùm in ea epistola illi Damasum ut caput suum agnoscant, & ipse Filios eos vocet. Similiter Stapleton in replica ad Horni flatum lib. 2. c. 7. eos refellens qui volunt Theodosium præfuisse Concilio, ait: An non idem Theodosius is cui sanctus Ambrosius pœnitentiam injunxit, quam lubens accepta- *De præside Concilij.*

vit ubi tunc suprema Theodosii potestas? in quo latuit angulo? An non Papa Damasus is est qui ipsos Episcopos congregatos Constantinopoli Romam usque accersit, ut & in celebrando Concilio assistant? quid ad illius mandatum Episcopi? ingenuè fatentur Damasum Papam eos vocasse ad Concilium Romæ habitum, ut *membra sua* quorum ille caput. Imò fatentur ingenuè se jussu & authoritate litterarum suarum Constantinopoli convenisse: imò paratos esse Romam adire: sed excusationis loco justas & rationabiles causas allegant, longè diversas ab iis quas hodie Protestantes afferre solent. Denique quia omnes ibi collecti Romam adire non potuerunt, aliquos designant qui nomine omnium illud officium præstarent. Hæc ille.

Unde & factum est quod legitur in pervetusto codice Vaticanæ Bibliothecæ & in alio S. Mariæ Majoris apud Baronium anno 381. *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepta & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.* Nec potest de hoc dubitari, cùm absque authoritate Summi Pontificis celebrari non licuisse certum sit ex actione 1. Concilij Calcedonensis. Ut verò demus authoritate Summi Pontificis convocatos fuisse Patres Orientales, duo tamen videntur deesse huic Concilio, ut in rigore censeri possit generale & Oecumenicum, id est, totius orbis. Unum est quod omnes totius orbis Episcopi non fuerint tunc Constantinopolim convocati, cùm Pontifex Damasus Occidentales Episcopos Romam convocaret, intenderetque ut Orientales ibidem confluerent, si ob necessitatem rerum tantùm à propriis Parochiis & diœcesibus sine ovium detrimento ob persecutiones Arrianas adhuc languentium, abesse potuissent. Secundum est, quod licèt ex authoritate Summi Pontificis ibi convenerint, nullus tamen ab eo designatus legatur qui ejus vices gesserit & pro eo præfuerit. Videtur enim tantisper acceleratum hujus Concilij negotium cùm urgerentur Patres ad propria redire. Sed totum illud supplevit authoritas ejusdem Summi Pontificis, qui voluit omne robur quod poterat, huic Concilio impertiri in eis quæ contra Macedonij hæresim definita erant, quod provideret Græcorum levitati novarum hæreseon avidæ, magisque eos in fide Orthodoxa corroboraret, eos sic suis propriis vinculis constringens, suis nempe ipsorum definitionibus. Quod bene advertit Cardinalis Baronius ad annum Christi 381. Cæterum, inquit, authoritate ejusdem Damasi eadem ex parte hoc Concilium constat obtinuisse nomen Oecumenici: eo enim nomine posteri omnes ipsum nuncupare soliti sunt. Etenim tantum roboris & firmitatis quælibet Synodus consequi solet, quantum eidem authoritatis impertit Romana Ecclesia, ipsa Apostolica sedes: quod multis exemplis demonstratum est, & alias sæpè continget inferius diversis temporibus demonstrari. Si quis verò mirum id existimet, quod, suadente veritate, docet Baronius, adhuc tamen magis mirum videri debet, quod tamquam quatuor Evangelia habeat D. Gregorius Magnus quatuor prima Concilia generalia, inter quæ est hoc Constantinopolitanum. *Quod in vita*, ut ipse ait, *veluti in quadrato Lapide, sanctæ fidei structura consurgit: istud quisque eorum soliditatem non servet, etiamsi lapsa esse cernitur, tamen extra ædificium jacet.* Nec verò argumento à simili posset quispiam infere eodem modo alia Concilia provincialia à summo Pontifice approbata, ea ejus arbitrio affici posse titulo universalis Concilij: quoniam hoc semper est singulare in hoc Concilio, quod omnium tam Orientalium quam Occidentalium suffragia adfuerint seu voce seu scripto propter libellum illum Occidentalium: sicque paribus votis & sententiis Occidens & Oriens veram fidem de Spiritu sancto ediderunt. Nec verò istud parvi momenti est ad rationem veræ Synodi, cùm in Nicæno 2. actione 6. eo ipso Constantinopolitana Synodus, sub Leone habita contra imagines *An Oecumenicum?* *lib. 2. epist. 34. lib. 10. epist. 49.* *Concordia Occident. & Orientalium in hoc Concilio.*

præside Photio, repudiatur, quoniam non habuit cooperatrium, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem, nec illius Sacerdotes, nec per vicarios nec per provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis solet, hæc ibi. Quæ minimè dici possent de præsenti Concilio. Cui Papam Romanum cum Episcopis Occidentalibus cooperatum fuisse dici potest, per exhibitionem hujus libelli eorum vota & suffragia continentis.

Ut naufragia passa sunt acta hujusmodi, & varij dissentanea de his scripserunt, mirum videri non debet, si cum omnibus historicis hîc non conveniamus in omnibus. Etenim arguit Baronius ad annum Christi 381. Socratem, Sozomenum, Theodoretum quod præpostero ordine res hujus Concilij narraverint, putatque se firmiori ratione subnixum, ut concinno magis ordine gesta in eo prosequatur sub consulatu Eucharij & Siagrij, cùm alij sub aliis Consulibus res gestas in eodem referant. Laudat eum ob hoc Binius, præferens supputationem Baronianam, illique magis consonat Author vitæ Gregorij Nazianzeni; quæ ante mille annos à quodam Presbytero Gregorio conscripta est, de qua suprà fecimus mentionem: Ibi enim indicatur in una Synodo & confirmationem illius in Episcopum Augustæ urbis per Meletium Antiochenum Episcopum, & ejus demissionem ac renuntiationem pacis & concordiæ causa factam, adventantibus Ægyptiis Episcopis. *Adfuere*, ait Author hujus vitæ, *Episcopi tum ex Ægypto, tum ex Macedonia, Byzantium vocati, cùm adhuc supradicta Synodus in urbe esset.* De qua nempe antea dixerat. *Sub id verò tempus ex omni Romanorum Imperio, præterquam ex Ægypto & occiduis partibus sancta Episcoporum centum & quadraginta Synodus coacta est, tum ut primum præsulem Augustæ civitati præficerent, tum ut hæreses quæ interim dum Arriani rerum potirentur, exortæ fuerant, Oecumenici Concilii decreto ab Ecclesia extruderentur.* Idque magis conforme est iis quæ in carminibus de vita sua suprà audivimus concinentem ipsummet Gregorium. *Heri me locasti in throno, nunc pellitis.*

Plures difficultates de hoc Concilio.

Arguit idem Baronius eos, qui quintum canonem hujus Synodi de Maximo Philosopho cujus ordinationes irritæ declarantur, post alios editum esse putant; ac ante alios ipsum à Concilio sanctum existimat, quia cùm primum tractaretur de confirmando Gregorio Nazianzeno in Episcopatu, simul agendum fuit de abdicando Maximo qui contrà Gregorium prætendebat.

Itemque eos qui Nectarium catechumenum adhuc, & imperitum in rebus Ecclesiasticis, hominemque petitum è curia & qui hactenus intemperantius vixisset, suffectum fuisse in locum Gregorij absolutissimi Theologi, perfectique Monachi ac Virginis ante obitum Meletij Patriarchæ Antiocheni arbitrantur. Adhuc quippe suffragium in Synodo habebat Gregorius cùm obiit Meletius hominum mansuetissimus sicut de Moise dicitur, quemque tenerrimè complexus in Concilio ipso Theodosius Imperator eum sine cujusquam indicatione agnoscens ex somnio in quo ipsi apparuerat, ac Imperij insignia tradere visus sibi fuerat; sicut enim jam dictum est, ob id plurimorum offensam incurrit Gregorius, quod in ejus locum Flavianum nollet nominare. Denique advertit Socratem longè à veritatis scopo aberrare dum lib. 5. cap. 8. plures Patriarchatus in hoc Concilio institutos asserit. Ut cùm demus de Patriarchatu Constantinopolitano hic primum actum fuisse, sicut ad Canones annotavimus, non tamen tot Metropoles aut Patriarchatus quot ibi numerat, plures errores congeruans, instituti fuerunt. Quo felicius Sozomenus lib. 7. cap. 9. sensum decreti Concilij à Theodosio confirmati, assecutus ait non id ad distinguendas provincias factum fuisse, sed ad designandos magis Orthodoxos Episcopos, quibus qui in fide communicarent, digni haberentur qui ad Ecclesiarum regimen assumerentur. Vide eumdem Baronium qui difficultates plures circa Concilia occurrentes sic doctè explicat ac dissolvit, ut meliori duce ad exeundum ex tot salebris, minimè opus sit.

Meletius.

Cæterùm non parvi momenti est ad difficultates hujus Concilij profligandas quod asserit Chiffletius Opusc. 2. in Vigilij Taptensis opera, scilicet Acolium Episcopum Thessalonicensem in Metropoli Macedoniæ legatum fuisse Damasi Papæ, qui ejus nomine interesset Concilio, cùm in Illyrico ac in Oriente Vicarius esset Summi Pontificis. Sic ibi legitur pag. 42. Verùm iste seu Primatus seu Vicariatus Apostolicus Episcopi Thessalonicensis longè est evidentior ex aliquot Romanorum Pontificum Epistolis, nuper anno 1662 Romæ editis in Lucæ Holstenij collectione postumâ. Ibi pagina 43. Acholio Damasus vices suas committit, ut in Synodo Oecumenica Constantinopolitana Maximum Cynicum à nonnullis Episcopis Ægyptiis ordinatum exauthorari curet, quod & ibi factum est Canone ejus Synodi quarto. Sed in hac assertione desideraret aliquis, ut Chiffletius magis expressè designasset hanc Epistolam. Fuit autem ille seu Ascolius seu Acholius (variè enim à variis scribitur) vir magnus qui pluribus Synodis præfuit, de quo scribit D. Ambrosius epist. 22. ad Thessalonicenses, cùm recens è vivis ereptus esset: Quasi Elisæus inter arma inter acies dum vixit versatus est, meritis suis componens præmia. Denique ubi securitas cohabitantibus reddita est (quod ipso fuit durius bello) sanctum exhalavit spiritum, & quasi Elias usque ad cœlum raptus est.

Acoliusi Thessalonicensis vicarius & præses Concilij.

De eadem re aliquid expressiùs refert Christianus Lupus in scholiis ad Canonem 16. Sardicensem. Hæc omnia, inquit, in quibus hactenus miserè hallucinati fumus, lucidè aperiri respondeo à Romana Bonifacij secundi Pontificis Synodo de caussa Stephani Larissæi Episcopi, Thessalorum Metropolitæ adversùs Epiphanium Episcopũ C. P. Ecclesiasticæ antiquitatis eruditio Eminentissimo D. Francisco Cardinali Barberino, qui illustrissimi D. Lucæ Holstenij operâ produxit Synodum è Vaticana Bibliotheca in usum publicum, summè est obligata. Hac igitur in Synodo duas habemus epistolas, quibus S. Acholio Thessalonicensi Episcopo, ad primam Synodum Constantinopolitanam cum suis Illyricis profecturo, S. Damasus Pontifex dat instructiones varias, mandatque nullas deinceps permitti Episcoporum translationes. Quod nempe ipsorum confirmatio ad illum ut Sedis Apostolicæ Vicarium pertineret, &c.

Circa annum 380.

Porrò hujusmodi instructiones à Damaso datæ Acholio ad Concilium ituro insinuant, illum vices suas gessisse, ut non probabilitate omni careat, illa Acholij præsidentia nomine Damasi. Quod tolleret potiorem difficultatem de præside hujus Concilij. Sed dum hæc ex istis discutere libuerit, quibus supellex libraria magis abundat, ad sequens Concilium accedimus.

CONCILIUM EPHESINVM.

SVB COELESTINO PAPA, Præsidente Cyrillo Episcopo Alexandrino, tempore Theodosij Junioris, contra Nestorium alioſque hæreticos celebratum anno Christi 431.

SYnodus hæc tertia generalis Mariana dicta est, seu quod Ephesi in Templo D. Mariæ celebrata sit, seu quod pro asserenda illius divina maternita-

nitate, contra impium Neſtorium Pauli Samoſateni nepotem, cujus hæreſim fere ſopitam ſuſcitare nitebatur, aſſerens Chriſtum non eſſe niſi purum hominem ac proinde beatam Virginem non poſſe dici Matrem Dei. Refutabat proinde beatam Virginem non poſſe dici Matrem Dei. Refutabat proinde vocem Θεοτόκον. Sunt qui referunt cauſam erroris illius in ſtudium contradicendi Apollinari, quod non placet quibuſdam, ut doctori Fileſaco *commentar.* in Lirinenſem qui hoc inſinuat. Alij probabilius, inter quos eſt Caſſianus lib. 1. cap. 2. & 5. de Incarnatione Chriſti, ad Pelagianos paulo antiquiores referunt, quorum opinione Salvator noſter de Mariâ Virgine natus quidem fuit, ſed qui poſt baptiſma Chriſtus & qui poſt reſurrectionem Deus evaſerit, quandoquidem paulatim per ſingularem vitæ ſanctimoniam promeruerit, ut ſe divina Majeſtas illi uniret atque ſociaret. Sic enim Pelagiani Neſtorianis valdè amici & confœderati, vim ſimilem humanorum meritorum tam in capite quàm in membris, id eſt, in Chriſto & in Chriſtianis admittebant. Unde D. Auguſtinus ex adverſo illis ſe opponens, urget contra eos de prædeſt. ſanctorum cap. 15. Chriſtum præclariſſimum eſſe lumen prædeſtinationis, ut quemadmodum in illo natura humana ſine ullis præcedentibus meritis à Verbo in unitatem perſonæ aſſumpta eſt: itidem homo ſine meritis ad primam gratiam prædeſtinetur. Nolunt tamen alij quod hoc didicerit à Theodoro Monacho Apoſtata, qui poſtea Epiſcopus Mopſueſtiæ fuit, qui librum canticorum Salomonis ad enjuſvis etiam nequiſſimæ libidinis ſenſum interpretabatur, ut quis non miretur intemeratæ Virginis Mariæ incomparabilem dignitatem oppugnatam fuiſſe à proſtituti honoris & profligatæ vitæ homine. Is Theodorus & Dioſcorus Epiſcopus Tarſi, ut notat Leontius Bizantinus de ſectis Act. 4. totam ſcripturam commentariis illuſtrarunt, & in pretio habiti mortem oppetiverant, nec ipſis vivis, quiſquam dictum aliquod eorum reprehendebat, imò complures ſacris encomiis eos celebrarunt. Nam & Baſilius & Joannes Chryſoſtomus eos prædicant. Verum poſteà, moto dogmate Neſtoriano, coactus eſt Cyrillus qui & ipſe pridem eos laudaſſet, adverſus eos ſcribere, quod dogma ſuum Neſtorius ex eis confirmaret. Deprehenſum eſt enim cùm diſtribuere vellet ſacrarum litterarum voces, alias ad Divinitatem, alias ad humanitatem relatas, duas Chriſti Hypoſtaſes ſeu perſonas ac diviſionem introducere. Vivis quidem ipſis cur nemo contradixerit, factum ideò, quod pugnandi contra ſectas majores neceſſitas, ejuſmodi dogmata tegeret. Neſtorij autem error eſt quod negabat factam eſſe unionem Verbi cum natura humana. Nec ſanctam Mariam vocabat Deiparam. Quod ſi Chriſtum & hominem & Deum appellabat, non ſenſu hoc faciebat quo nos, ſed affectionis reſpectu, quemadmodum de duobus amicis invicem valde ſe diligentibus eos habere unam animam dicimus, quod nimij amoris cauſâ eadem iis placeant. Itaque ut dilucidius explicat Vincentius Lirinenſis commonit. parte 1. cap. 17. inaudito ſcelere duos vult eſſe Filios Dei, duos Chriſtos: Unum Deum, alterum hominem: unum qui ex Patre, alterum qui ſit generatus ex Matre. Atque ideò aſſerit ſanctam Mariam non Θεοτόκον, ſed Χριστοτόκον eſſe dicendam, quia ſcil. ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo natus ſit. Quod ſi quis eum putat in literis ſuis unum Chriſtum dicere, non temerè credat: aut enim iſtud fallendi arte machinatus eſt, ut per bona faciliùs ſuaderet & mala: aut certè poſt partum jam Virginis ita in unum Chriſtum duas perhibet conveniſſe perſonas, ut tamen conceptus ſeu partus Virginei tempore & aliquanto poſtea duos Chriſtos fuiſſe contendat: ut cùm ſcilicet Chriſtus homo communis primum & ſolitarius natus ſit & nec dum Dei Verbo Perſonæ unitate ſociatus, poſteà in eum aſſumentis Verbi Perſona deſcenderit; & licet nunc in Dei gloria maneat aſſumptus alitamen nihil inter illum & cæteros homines interfuiſſe videatur. Et idem Vincentius cap. 21. Abſit ut ſanctam Mariam divinæ Gratiæ privilegiis ut ſpeciali glorià fraudare conetur; eſt enim ſingularis quodam Domini ac Dei noſtri, Filij autem munere, veriſſimè ac beatiſſimè Θεοτόκος confitenda. Sed non eo modo Χριστοτόκος quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur; quæ aſſerit eam Dei Matrem ſola appellatione dicendam, quod eum ſcilicet peperit hominem qui poſtea factus eſt Deus, ſicut dicimus Preſbyteri matrem aut Epiſcopi matrem non jam Preſbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem qui poſtea Preſbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam ſancta Maria Χριστοτόκος, ſed ideò potiùs, quoniam ut ſuprà dictum eſt, jam in ejus ſacrato utero ſacroſanctum illud myſterium perpetratum eſt, quod propter ſingularem quamdam atque unicam perſonæ unitatem, ſicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt.

Theodorus & Dioſcorus.

Error Neſtorij quis?

Ex his intelligi poteſt mens Neſtorij, contra quem cùm plures ſcripſiſſent, maximè Cyrillus Alexandrinus ut ad ſanam mentem rediret, celebrata quoque fuiſſent aliquot Concilia nationalia, & tentata ferè omnia ut errorem agnoſceret & ejuraret, tandem hæc Synodus coacta eſt ducentorum Patrum ad firmandam fidem antiquam Eccleſiæ Catholicæ. Antiquitus autem hæc Synodus non continebat niſi duodecim anathematiſmos D. Cyrilli contra Neſtorium quaſi duodecim articulos fidei, ſicut videre eſt in antiquo codice quem habebat D. Gregorius Magnus lib. 6. regiſtri epiſt. 31. qua de re conqueritur Joverius, ipſeque multa colligit ad hanc Synodum pertinentia, ut gratificer, inquit, Theologiæ candidatis eorumque induſtriam utcunque juvem. Sed & ante eum Gelaſius Cizicenus Preſbyter Græcus acta Epheſina fuſiùs conſcripſit quæ in ſex tomos diſtinxit & latinè interpretatur Theodorus Peltanus, quibus, in multis, ea congruunt, quæ Baronius & Bin. de eadem Synodo proponunt. Quia verò ex inſtituti noſtri ratione ſummam duntaxat hic proponimus, ex iſtis omnibus Hiſtoriam primum Concilij dabimus, deinde cum decretis epiſtolas Synodicas, tum dubia ſolvemus, ſic omnia diſponendo ut nec rerum multarum prolixitas tædium aut confuſionem pariat, & ſic magis neceſſaria uberiùs explicando, ut rerum pondera immodicæ brevitatis ſtudio ac orationis celeritate non rapiantur.

PRIMA PARS.

Hiſtoria Epheſinæ Synodi, ac decreta ex variis Authoribus collecta.

NEſtorius genere Germanicienſis in litteris mediocriter inſtitutus, Antiochiæ porrò Presbyter & Eccleſiaſtes factus, non parvam eloquentiæ, caſtitatis & abſtinentiæ laudem ſua tulit ætate. Eum Theodoſius Conſtantinopolim accerſivit & poſt Siſinium florentiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſulem conſtituit: erat is natura vehemens, contentioſus, arrogans, ob eloquentiam turgidus, ad popularem auram captandam intentus, veterum ſcriptorum negligens: at in publica illa functione ut lupus ovili pelle tectus diu latere non potuit quin à fructibus cognoſceretur: ac prima mox concione, cùm civitatis aquam vix dum deguſtaſſet Imperat; ejuſmodi oratione affatus eſt: Da mihi, ô Imperator, terram ab hæreticis liberam & puram, & ego tibi cœlum reddam. Tu mihi hæreticos exſtirpa, & ego tibi Perſis delendis adero. Et ne aliud, quàm quod prædicabat ſentire, videretur quinto poſt electionem ſuam die precatoriam Arianorum ædem demoliri cœpit. Arriani fano ſuo ruinam impendere conſpicati, eaque de cauſa graviſſimè incenſi, igne injecto non illud ſolùm, ſed magnam quoque vicinorum ædificiorum partem

flammis abſumunt. Atque hinc natum eſt, ut Neſtorius urbis incendium publicè appellaretur. Atque hoc illic incendio non contentus, quod celebrem Pauli Novatianorum Epiſcopi, famam, æquo animo ferre non poſſet, grave mox bellum contra Novatianos ſuſcitavit. Sed neque Teiſcadecatitæ quoque, qui per Aſiam, Lybiam, & Cariam ſparſi erant: tum illi quoque qui Miletı, & Sardis degebant, à furiis illius immunes fuere, imò verò tanta rabie illos præ cæteris perſecutus eſt, ut majorem eorum partem ad internecionem uſque deleverit. Ad hæc cùm Macedoniani Antonium Germenſium Antiſtitem, qui Neſtorij exemplo permotus, crudeliſſimè illos affligebat, per quoſdam qui quæſtum & voluptatem bono honeſtoque præferre ſoliti erant, è medio ſuſtuliſſent, adeò exarſit, ut omnes Eccleſias quas Conſtantinopoli, & Cyzici, & in Helleſponto habebant illis ademerit. Denique quo unam ſuam hæreſim ſtatueret, ita contra omnis generis hæreticos ſæviebat, tantaſque turbas ea de cauſa paſſim concitabat, ut civitatem, quod quidem in ſe erat, in apertum averſionis diſcrimen adduceret. Verùm hæc tanta inſani hominis in hæreticos rabies ab hæreſeos ſuſpicione quam à Theodoro Mopſueſteno & Paulo Samozateno hauſerat, non diu illum tutata eſt. Modus autē patefacti veneni ejuſmodi exſtitit.

Erat Conſtantinopoli Preſbyter quidam Anaſtaſius nomine, Neſtorio apprimè charus; utpote individuus peregrinationis ejus ſocius. Hic illius juſſu & voluntate, ad Conſtantinopolitanum populum verba faciens, publicè in hæc verba prorupit: *Mariam Deiparam nemo vocato: homo enim fuit: ab homine autem Deum naſci non poteſt.* Hæc autem blaſphemia cum graviſſimè, ut par erat, fuiſſet excepta, ingens mox turba & ſeditio conſecuta eſt. Porrò Neſtorius qui blaſphemiam illam linguam comprimere debuiſſet, fœdumq; hominem à fidelium cœtu è veſtigio proſcribere, adeò non compreſſit, aut proſcripſit, ut ſacrilegæ ſententiæ præconem, publicè quoque commendarit; idque non obiter, aut ſemel tantùm, ſed frequentiſſimè, magnaque vocis contentione: oderat enim ille vocem Deiparæ, ut qui maximè, eamdemque velut falſam, ubicunque ſe offerebat occaſio, inſectabatur acerrimè.

Predicatores impij.

Acceſſit ad hæc Dorothei Epiſcopi concio, in qua coram Neſtorio ipſe ſordidi quæſtus prodens Religionem, anathema conclamavit omnibus qui Deiparæ vocem uſurparent. Comprobat Neſtorius, impius impium. Attollitur clamor populi, obſtrepitur docenti, decurritur per urbem magno tumultu, ab nefarij hominis conſortio fit ſeceſſio plebis, Senatus & Monachorum. Inclamatur per vicos eſſe quidem in urbe regulum, Epiſcopum non eſſe. Furit inde Neſtorius, mapiſque vulgantur interea per Orientem ejus conciones, contra quas fremunt Orthodoxi.

Quid multis? gliſcentibus turbis, Eccleſiæque ærumnis, res Conſtantinopolitanæ in eum locum ſenſim adductæ ſunt, ut ſola Oecumenica Synodo ſanari poſſe viderentur: Neque enim Neſtorius de Deiparæ voce certamen tantùm movebat, ſed ipſam quoque Chriſti diviniratem in quæſtionem minimè obſcurè vocabat: ſiquidem ad populum concionem habens, ita differere auſus eſt: *Eum, qui ſpacio menſtruis adoleuit, Deum non appellauero.* Rurſum: *Ne gloriere Iudæe, Deum non crucifixiſti.* Item, *quomodo Maria ſe antiquiorem peperit?* hæc & alia id genus complura Neſtorius publicè; quæ eandem illam, cum Paulo Samozateno, & Photino mentem obtinere omnibus planum faciebant: utcumque Socrates, à Pauliana, & Photiniana impietate hominem vindicare contendat.

Neſtorij dicta.

Neque verò Neſtorius magni ponderis rationibus innixus erat, meris quippe negativis inſiſtebat, ſicut plumbus ſectariis uſitatum fuit. Idemtidem inculcans, nuſquam divinam Scripturam dicere, Deum ex virgine natum, ſed Jeſum Chriſtum Dominum, pro nihilo ducens Patrum authoritatem & doctrinam qui hactenus Mariam Dei matrem appellaverant.

A Cùm hæc Conſtantinopoli aguntur, quidam ex iis, qui Neſtorij communionem averſabantur, in Ægyptum profecti, Cyrillo Alexandrinorum Pontifici, cujus ſumma per id tempus authoritas erat, miſerandum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatum exponunt, ejuſdemque fidem & opem in tanta illa rerum perturbatione enixè expetunt. Cyrillus nobiliſſimæ Eccleſiæ tranquillitati, Paſtoriſque ejuſdem ſaluti conſultum cupiens, ſcripſit brevem ad Neſtorium Epiſtolam, hominem de turbis excitatis, deque periculis, in quæ ſua imprudentia Eccleſiam conjecerat, amicè admonens: ſimulque, ne Virginem Matrem Deiparam nominare detrectaret, ſubmiſsè eundem rogans. Reſpondit ad illa Neſtorius, ſed ita, ut Cyrillum inſolentiæ accuſaret veriùs, quam ullam omnino emendationis B ſpem faceret. Cùm verò turbæ illæ majora ſubinde incrementa ſumerent, neque deeſſent quoque Conſtantinopoli, qui Neſtorij impulſu graviſſima flagitia Cyrillo imponerent, alteram rurſum ad eumdem Neſtorium parænetican deſtinat; ſed eodem eventu, quo priorem: quandoquidem pro amica & erudita admonitione, aliud nihil retulit, quam male dicta meraque convitia. Epiſtolâ Neſtorij præter multas probroſas maledicaſque voces, ingentes quoque hæreſeon fluctus palam eructante, acceptâ. Cyrillus rem deploratam animadvertens, quatuor aſſumptis Epiſcopis, provincialem Synodum Alexandriæ congregat; eidemque utriuſque epiſtolas, ultroque citroque datas exhibet: & quidem communicato cum præſentibus conſilio illarum exempla, ut & Synodi quoque Ægyptiacæ acta, ad Cœleſtinum veteris Romæ Epiſcopum mittit; C ad Neſtorium autem tertiam parænetican ſcribit, cui quoque duodecim illa capita multùm celebrata, unà cum Anathematiſmis, adjunxit.

At verò Pontifex Cœleſtinus poſteaquam, quæ Cyrillus ſcripterat, accepiſſet, Neſtorijque ſchedas, & exegeſes, quas Antiochus illuſtris vir Romam detu- *Cœleſtinus Papa.* lerat, diligenter examinaſſet, ſenſumque ac mentem illius apertiſſimè inde perſpexiſſet; de communi Epiſcoporum, quos ad rem præſentem vocaverat ſententia, illi denuntiat, niſi intra decem dies reſipiſcat; & ea, quæ perperam docuerat & ſcripſerat, retractet, adeoque publicè abjuret, ut veluti putridum membrum ab Eccleſiaſtico corpore reſectus, è Sacerdotij dignitate & authoritate omnino excidat. Addit eos D omnes ſeſe pro ſociis, communioniſque conſortibus habere, quos ille, quòd pro recta fide ſtetiſſent, excommunicationi ſubjecerat.

Neſtorius porro his à Cœleſtino & alijs præterea ab aliis litteris acceptis: Nam & Joannes Anti. quoque in quo ille magnâ ſpem collocaverat, non ſolùm ut ab inſania deſiſteret, prolixè illum admonuerat: ſed litterarum quoque exempla, quas à Cœleſtino & Cyrillo acceperat, ad eundem tranſmiſerat: cauſæ ſuæ metuere cœpit: Audiverat enim Romanum Pontificem, & Cyrillum ad præcipuos orbis Epiſcopos de turbis, quas paſſim concitaverat; deque doctrinæ ratione quam in vulgus proſeminabat, graviſſimè ſcripſiſſe; eoſdemque in tanta rerum perturbatione nequaquam ſilentium acturos eſſe. Sibi proinde rebuſque ſuis proſpectum cupiens, Theodoſium Auguſt. adiit; eundemque multis impudentiſſimis mendaciis & calumniis, uti ſacram comminationibus plenam ad Cyrillum ſcribat, eidemque ſilentium imponat, induxit. Verum enimverò, qui talibus fulminibus ſanctiſſimum virum ſeſe peſſundaturum ſperabat, magis illum, ut oppugnatæ fidei cauſam ſuſciperet, exacuit. Etenim ſpiritu ex Imperatoriis litteris concepto, tres ſtatim juſtæ magnitudinis libros, de recta in Dominum noſtrum fide, ad Theodoſium ejuſdemque ſororem & conjugem miſit: Tum quò oborta hæreſeos cauſa, Oecumenica Synodus primo quoque tempore cogeretur, libero ore petiit. Petierat idem, Palatinorum qui magnas poſtea moleſtias Concilio attulerunt, ope fretus, Neſtorius quoque. Verum omnium maximè iſtud

Digitized by Google

urgebant Monachi, ut qui propter atrociſſimas vexationes, quas ob oppugnatam religionem ſuſtinuerant, à Neſtorio alieniſſimi erant.

Theodoſius diſcrimen, quod Eccleſiæ, niſi excitatis nubis tempeſtivè obviam iretur, impendebat, animo pertractans; ſimulque eorum votis, qui Concilium cogi popoſcerant, ſatisfacere volens; Auguſtalibus ad omnes ubique Metropolitanos miſſis, Epheſi ad ſacrũ Pentecoſtes diem Synodum indixit. Adjecit non abſq; comminatione, ſe neminem, vel apud Deum, vel apud homines quoque excuſatum habiturum, qui ſtatim ad id tempus iſtic præſto non foret: Neque enim, ait, bonæ conſcientiæ ſe eſſe declarat, qui ad ſacrum Epiſcoporum conventum legitimè vocatus, venire detrectat. Neſtorius, quod Epheſus non ita procul Conſtantinopoli abeſſet, mox poſt Paſchales ferias cum magna turba ad præfinitum locum advolavit, multoſque jam tum Epiſcopos ibi congregatos comperit. Quin & Cyrillus quoque ante conſtitutum diem cum ſuis Ægyptiis præſto fuit. Quarto autem poſt Pentecoſten die, Juvenalis cum Palæſtinis Epiſcopis adfuit. Cœleſtinus Urbis & orbis Epiſcopus propter grandiorem ætatem, navigationiſque moleſtiam ad tantum iter parum animatus, & alias quoque præpeditus, vices ſuas Cyrillo commiſit: Qui ob id, ut & illius quoque ſucceſſores, Papalis mitræ, Papæque & univerſalis Judicis appellationem ſortitus fertur. Auguſtinus Hypponenſis Epiſcopus prius è vivis exceſſerat, quam ſacram Theodoſianam per Ebagnium Magiſterianum ad ſe tranſmiſſam acciperet, pluique Imperatoris ſtudio ſatisfacere poſſet. Porro Captæolus Magnæ Carthaginis Archiepiſcopus, literis Theodoſij ad D. Auguſtinum datis, perſpectis, provinciali Synodo coacta, delectuque habito, aliquot idoneos Præſules ad ſacram Synodum mittere voluit: Verum ob temporis anguſtiam, regioniſque devaſtationem & ſolitudinem, id non potuit. Attamen ut id, quod poterat, præſtare voluiſſe jure videri poſſet, Peſulam Diaconum cum literis, legitimiſque mandatis ad Oecumenicum Concilium, deſtinavit. Quæ publicè quoque perlectæ, plurimũ ab omnibus cõmendationis tulere. Omnibus itaque, quorum adventus certò exſpectabatur, præſentibus, ſolus Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus deſideratus fuit: ſive quod ad præfinitum tempus adeſſe non valuerit, magnis enim locorum intervallis ditionis illius urbes ab Antiochia, quæ nunc Theopolis appellatur, triginta, aut etiam plurium dierum intercapedine Epheſo abeſſe fertur, ſive etiam quod propter Neſtorium, vel aliam occultam cauſam tempeſtive adeſſe non voluerit.

Atque hactenus Synodi præambula, quibus plures ſubjungunt, quod minimè veritati conſentaneum arbitramur, Neſtorium interfuiſſe primæ ſeſſioni Synodi, ubi cum eum primo congreſſu acriter urgeret Cyrillus enixéque contenderet B. Virginem appellandam Θεοτόκον, id eſt, Deiparam, *ego*, ait Neſtorius diabolicam vocem emittens, ut plenus erat diaboli ſpiritu, *Bimeſtrem aut trimeſtrem Deum non facile dixerim, proinde purus ſum à veſtro ſanguine, in poſterũ ad vos non veniam.* Quibus dictis cum ſex Epiſcopis qui à partibus ejus ſtabant, egreſſus, privatam deinceps Synodum agitaverit. Hæc, inquam, minimè vera cenſemus, quippe ut ex infrà dicendis patebit, contigerunt potius in privatis quibuſdam & nondũ Synodicis colloquiis quæ ante ipſam Synodum habebantur, cum Neſtorius inter primos Epheſum adventaſſet, ut conaretur in ſuam ſententiam pellicere Epiſcopos qui quotidie in urbem confluebant ex variis regionibus, quamvis parum profecerit.

Dictum impium Neſtorij.

Evangelium in medio Synodi.

Multo autem verius quod annotat Cardinalis Baronius ad annum 431. ſedibus diſpoſitis & pro perſonarum dignitate tributis, ſanctum Evangelium in medio in ſede conſpicuâ poſitum fuiſſe, ut ſignificaretur Chriſtum Synodo præſidere. Quod teſtatur S. Cyrillus Apologiâ ad Theodoſium: Sancta Synodus in ſanA cta Eccleſiâ, quæ Mariana vocatur, congregata eſt, Chriſtumque aſſeſſorem capitis loco adjunxit. Venerandum enim Evangelium in ſancto Throno collocavit, veluti in aures Sacerdotum inclamans: *Juſtum judicium judicate: judicabitis inter ſanctos Evangeliſtas & Neſtorij voces.* Quod & ipſum teſtatur in Synodali epiſtolâ ad eundem Theodoſium, aſſerens ibi in medio poſitum Evangelium. Id ſcilicet in more erat. Quod & obſervatum in ſequenti Synodo Calcedonenſi, in qua in Act. 4. dicunt judices. *Quoniam Evangelia poſita à reverentia veſtra perſpiciamus, &c.*

Colleƈta ſunt quæ ſequuntur ex Actorum Epheſinorum tomo 2. quæ Iſidorus Peluſiota ex Græco Gelaſij Cyziceni Latinæ linguæ reddidit. Vixit autem ille B *Gelaſius circa annum Domini 476.*

Ex Gelaſio Cyzicено.

CAP. I. POſt ſexdecim dies à Pentecoſte, in qua omnes Epiſcopos Epheſi adeſſe oportebat, cum nondum advenilliet Joannes Antiochenus Patriarcha, & plurimi tamdiu differre non poſſent ob varia incommoda, placuit Synodo initium facere. Lectâque Imperatorum Epiſtolâ ad omnes Metropolitanos, qui ad Synodum convocabantur; Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus dixit. *Act. 3. ante med.*

Sacra & magna hæc Synodus ſatis ſuperque hactenus cunctata, Deo dilectiſſimorum Epiſcoporum, qui venturi ſperabantur adventum expectavit: quia ergo C multi ex Epiſcopis in adverſam valetudinem inciderunt, tempus monet ut decretis facturi ſatis de his quæ ad fidem ſtatuendam pertinent, in orbis terrarum utilitatem, tamdem aliquando diſſeramus, &c.

CAP. II. Ante omnia autem viſum eſt vocandum eſſe Neſtorium, qui cum eſſet in urbe, nec diem Synodi habendæ ignoraret, ad illam non venerat. Miſſique ad eum tribus vicibus Epiſcopi plures. Quibus ipſe prima vice reſpondit. *Mecum deliberabo, & ſiquidem me venire oportuerit, veniam.* Secunda vice idem, quod & ſex & ſeptem alij Epiſcopi qui cum ipſo Neſtorio erant ſimiliter reſponderunt. *Deliberabimus & ſiquidem ita viſum fuerit, craſtinâ die accedemus.* Tertia vice cum ex parte Synodi ad domum Neſtorij acceſſiſſent, ut eum ſcripto citarent & vivâ voce, non D ſunt admiſſi ad ei colloquendum, non parvâ multitudine militum fuſtibus inſtructorum ingreſſum impediente. Cumque urgerent reſponſum, tandem foras prodiens unus ex Clericis Neſtorij dixit ad Epiſcopos. Mihi quidem Neſtorium videre non licuit: per alios tamen ſignificavit, cum omnes Epiſcopi ſimul convenirent, tum ſe quoque adfuturum: atque hoc ipſum veſtræ pietati renunciatum voluit. *Neſtorij ſeſſio.*

CAP. III. Cum Synodus videret Neſtorium detrectare ejus conſpectum, Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit, legendum eſſe Symbolum Nicænum, ut ſententiæ cum eo conſentientes confirmentur, diſſentientes ejiciantur, & lectum eſt.

Petrus Alexandriæ Preſbyter & Notariorum primicerius, dixit legendam eſſe epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium, quam ad illum ſicut minus rectè ſentientem, E præſcripſerat, & lecta eſt. Lectâ autem hac epiſtolâ Cyrillus Alexandrinus dixit: Sanctitatem veſtram rogatam cupio, ut coram exponat, rectè ne & inculpatè, ſacroque Concilio Nicæno convenienter, hæc ſcripſerim, an ſecus.

Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit: Sacrum fidei Symbolum Niceæ quondam editum & paulo ante hic recitatum, & ſanctiſſimi ſacratiſſimique Archiepiſcopi Cyrilli epiſtolam, cæteráque omnia à ſacra illâ Synodo expoſita, per omnia ſibi conſentanea ac inter ſe conſentientia comperio. Quocirca piis hiſce dogmatibus aſſentior & ſubſcribo. *Hæc habetur infrà inter Epiſtolas incipitque*, competi quoſdam exiſtimationi meæ detrahere *&c.*

Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus dixit: Quæ compendio quodam summatimque ac breviter per sacram Synodum Nicænam expositæ fuerant, eadem pietas tua subtilius commodiusque explanat, fidei sententiam accuratiorem luculentioremque nobis reddidit. Cum ergo in prædictis nihil sit ambiguum, nihil dissentaneum, sed omnia cum sibi ipsi, tum constitutæ fidei sint consona, eaque integritate & constantia decurrant singula, ut nullam penitus novitatem afferant, ego quoque qui eandem fidei sententiam à sanctis Episcopis & Patribus meis jusceps, hisce calculum meum adjicio.

Memnon Metropolitanus Ephesiorum dixit, &c sic cæteri magnis encomiis hanc laudarunt epistolam.

Cap. IV. Sequitur epistola antigrapha Nestorij ad Cyrillum. *Admirabilium litterarum contumelias quas in me expromsisti, &c.* dabitur infrà.

Juvenalis Hierosolymorum Episcopus dixit: Nequaquam fidei quam Patres Nicæni explanarunt, consentit. Atque ideò eos omnes anathematizo qui ita credunt: Etenim omnia hæc sunt ab orthodoxa fide quam maximè aliena. *Sic cæteri variis verbis eum improbant.*

Cap. V. Post lectas Cœlestini urbis Romæ Episcopi litteras ad Nestorium quæ incipiunt, *Post impium illud prophanumque Pelagii ac Cœlestii dogma ac sæpènumero condemnatum*, Petrus Presbyter Alexandrinus & Notariorum Primicerius dixit: His quæ modo audivistis, sanctitas quoque piissimi Episcopi Cyrilli cognata scripsit, quæ in manibus habemus: etsi pietas vestra jusserit non grauatim recitabimus.

Flavianus Philippensium Episcopus dixit: legantur istæ quoque, lectaque in Actorum commentaria referantur *&c. Cyrillus & Synodus ex Ægypti Provincia Alexandriæ congregata Nestorio religiosissimo pientissimoque sacrorum comministro in Domino salutem.* Cum Salvator noster disertè pronunciet: *&c.* Et si vero non legantur acclamationes Patrum, non dubium tamen quin & hic intervenerint. Imò hæc Epistola Præcipua fidei dogmata & xij. Anathematismos Cyrilli continet: & quod præcipuæ adnotandum est, processionem Spiritus sancti tam à Filio quam à Patre, eam enim negabat Nestorius. Qua de re infra, cum id magni sit momenti pro Ecclesia contra Græcos in controversia de Spiritu sancto.

Nota, de epistola cum Salvator &c.

Cap. VI. Post examinantur quæ respondit Nestorius Episcopis à quibus illi datæ sunt litteræ Cœlestini, & ns qui amicitiæ causâ eum convenerant. In quibus obduratio Nestorij magis agnoscitur.

Cap. VII Flavianus Philipporum Episcopus dixit, examinandas esse sanctorum Patrum sententias, ac lectas in acta referri.

Leguntur que testimonia Patrum, quæ ostendunt unum eumdemque esse Dei Patris & Virginis Filium, opponunturque blasphemiis Nestorij, ut sic ex traditione lux affulgeat.

Cap. VIII. Repetuntur ex scriptis Nestorij aliquæ ejus sententiæ, ut magis pateat quæ sit ejus mens.

Petrus Presbyter Alexandrinus & notariorum primicerius dixit: Adsunt piissimi Nestorij blasphemiarum commentarij, ex quibus nonnullas pericopas selegimus. Has si placet vobis prælegemus.

Flavianus Philipporum Episcopus dixit: Legantur & in acta referantur. Idem dixerunt cæteri omnes.

Cap. IX. Legitur epistola Capreoli Carthaginensis Episcopi ad Synodum, ad quam propter bellum Wandalicum cum suis Episcopis venire non potuit. Ideóque misit Besulam diaconum, qui suas suorumque vices expleat, qui tunc advenerat.

Cyrillus Alexandriæ Episcopus dixit & hoc, religiosissimi piissimique Carthaginis Episcopi epistola, quod dilucidam sententiam in se continet, Synodi gestis inseratur. Vult enim antiqua fidei dogmata obtinere: Nova vero & absurdè excogitata & impiè divulgata reprobari ac proscribi.

Omnes Episcopi simul exclamaverunt: Hæc omnium vox est. Hoc omnes, asserimus. Hoc omnium est votum.

Cap. X. Cum ad exactissimam Nestorianæ causæ discussionem nihil superesset, nullaque spes resipiscentiæ in Nestorio, Synodus legibus Ecclesiasticis obsequi volens, in eum protulit sententiam, cui præter absentium vicarios, ducenti plus minus omnes magnæ eruditionis subscripserunt.

Damnatio Nestorij.

SAncta Synodus dixit. Cum inter cætera religiosissimus Nestorius, neque nostræ citationi parere, neque sanctissimos rursum religiosissimosque Episcopos nostros ad se missos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impiè docuit examinationem animum non adjungere. Edocti itaque partim ex litteris, commentariisque illius hic publicè lectis, partim rursum ex concionibus, quas in hac Ephesiorum Metropoli habuit, partim denique ex testibus fide dignis, illum impiè docere & sapere, per sacros Canones, sanctissimiq; Romanæ Ecclesiæ Episcopi Cœlestini Patris nostri literas, lachrymis suffusi & penè inviti ad lugubrem hanc sententiam urgemur.

Sententia.

IGitur Dominus noster Iesus Christus quæ suis ille blasphemus vocibus impetivit, per sacram hanc Synodum eumdem Nestorium omni prorsus Episcopali dignitate privatum & ab universo nihilominus sacerdotum consortio & cœtu alienum esse decernit.

Huic autem exauthorationi Nestorij inveniuntur subscripsisse plusquam ducenti Episcopi.

Cap. XI. Exauctorationis sententia postridie quam deponeretur Nestorius ad ipsum mittitur sub hac formâ.

Sacra Synodus juxta religiosissimorum Christianissimorumque principum rescriptum in Ephesiorum Metropoli per Dei gratiam coacta, Nestorio novo Judæ.

Agnosce te propter impias Conciones tuas, obstinataque adversus sacros Canones cõtumaciam, contumacemque obstinationem vigesimo secundo mensis Junij jam decurrentis, juxta Ecclesiasticarum sanctionum decreta à sacra Synodo exauctoratum atque adeò ab omni Ecclesiasticæ dignitatis gradu amotum esse.

Hoc epistolium die exauctorationis illius proximè consequutà ad Nestorium transmissum est.

Cap. XII. Continet aliam epistolam eodem die missam illustrissimo Euchario reverendissimisque Presbyteris & Oeconomis, cæterisque religiosissimis Catholicissimisque Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericis, quâ epistolâ graviter monentur ut durante interregno Episcopatus bona diligenter asservent, tanquam ei rationem reddituri, qui Nestorio in Episcopatu aliquando succedet.

Cap. XIII. Post sententiam in Nestorium latam, Romani Pontificis legati adveniunt & in consessum admissi Cœlestini litteras exhibuerunt. Ij erant Arcadius & Protectus Presbyteri, qui cum lecta esset Epistola Latinè scripta & cum omni veneratione suscepta, peterentque Episcopi ut Græcè redderetur, dixerunt: Vetus consuetudo habet ut Apostolicæ sedis

diplomata Latinè proponantur, hoc sat esse solet. Nunc vero quoniam beatitudo vestra efflagitat, ut litteræ Græcè itidem relegantur, necesse fuit ut desiderio vestro fieret satis, &c. Sicque relectæ sunt Græcè, quod multi Episcopi Romanam linguam non callerēt.

Cap. XV. Lectis litteris Cœlestini, omnes piissimi Episcopi simul acclamaverunt: *Hoc rectum judicium, novo Paulo Cœlestino, novo Paulo Cyrillo, Cœlestino cum Cyrillo concordi: Cœlestino fidei custodi universa Synodus gratias agit; unus Cœlestinus, unus Cyrillus; una fides Synodi; una fides terrarum orbis.*

Cap. XVI. Releguntur omnia decreta Synodi in exauthoratione Nestorij, eaque approbant Legati sedis Apostolicæ ac suis subscriptionibus confirmant, multis in Nestorium prolatis. Quod impio ore blasphemas voces promeret; quod bellum spirituale contra Christum Dominum movere non vereretur; quod miser emendationis inducias pro nihilo duceret, Apostolicæque sedis comminationem contemneret, &c.

Cap. XVII. Synodica epistola mittitur Constantinopolim ad Imperatores Theodosium & Valentinianum, quâ certiores redduntur de legatorum Romanorum adventu, & de Nestorij exauctoratione cum omnium consensu; rogantque ut omnibus in propria abire liceat, & novum creare Episcopum Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Cap. XVIII. Synodica mittitur ad Archimandritas de gestis in Concilio.

Cap. XX. Dalmatius sanctæ vitæ Abbas legit litteras Synodi coram populo Constantinopolitano, qui anathema Nestorio ingeminat &c.

Cap. XXI. Charisius Presbyter & Philadelphensium Oeconomus conqueritur coram Synodo de sectatoribus Nestorij, qui Clericos fraude circumveniebant, ac novæ cuidam fidei confessioni seu Symbolo subscribere impellebant. Eâ autem arte consarcinata erat hæc fidei confessio, ut videretur unum Christum asserere cum duos reipsâ statueret. Hoc nimirum proprium est hæreticorum, ut notat D. Irenæus lib. 2. adversus hæreses, *Similia quidem nobis loqui, dissimilia sentire.* & D. Hieronymus epist. ad Pammachium & Oceanum. *Dum coguntur fidem suam profiteri sic verba temperant, sic ordinem vertunt & ambigua quæque concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Ac de Nestorio illud speciatim explicat S. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad reginas, hoc est Eudoxiam Theodosij uxorem, & Pulcheriam Theodosij sororem: ita ut rudiores arbitrarentur facilè eum consentanea fidei loquitur qui dicta illius exactius pericrutarētur, nihil non fucatum & perplexum deprehenderēt.

Cap. XXIII. Examinato Nestorianorum Symbolo vetat Synodus ne aliud à Nicæno, quo nomine comprehenditur & Constantinopolitanum, proponatur.

Decretum de Symbolo.

His itaque lectis sancta Synodus definivit, nulli in posterum aliam fidem præter eam quam sancti Patres Nicæni exposuerunt, offerre vel componere vel conscribere fas esse. Eos vero qui aliam fidem componere aut proponere, aut iis qui ex paganismo aut Judaismo, aut alio quocumque errore ad veritatis cognitionem redire volunt, offerre ausi fuerint: siquidem Episcopi extiterint, ab Episcopatus gradu, si vero clerici à clero alienos censendos esse: si autem laïci, anathematis vinculo obstrictos teneri censuit.

Pari modo Si qui deprehendantur sive ij Episcopi fuerint sive clerici sive laïci, qui ea tenent aut docent quæ in expositione de unigeniti Filij De Incarnatione à Charisio Presbytero oblata continentur, aut scelerata quoque perversique Nestorij dogmata quę eidem expositioni inserta comperiuntur, defendunt, ij ejusmodi sacræ & Oecumenicæ hujus Synodi sententiæ subjaceant; nempe ut Episcopus loco motus suam dignitatem amittat: Clericus verò à sorte sua depulsus censeatur: Laicus autem anathematis vinculo sicut prædictum est, constrictus habeatur.

Porro in illa expositione fidei Nestorianæ hoc habetur inter cætera. *Neque hoc tamen ratione duos Filios aut duos Dominos inducimus, sed unum tantum. Quandoquidem unus tantum est per essentiam Filius nempe Deus Verbum, cum hoc tamen ille assumptus tam arctam nostræ salutis causâ fortitus est conjunctionem, ut veri illius filij ac Domini nomine simul potiatur.* Quibus verbis intelligere possumus, non nisi affectualem quamdam unionem admisisse Nestorium inter Verbum Divinum & hominem illum qui ex Virgine natus est. Quare & cum illi objiceretur tam Patrem posse dici incarnatum ac Filium, quandoquidem homo ille ex Virgine natus, non minori affectione ferebatur erga Patrem, sicut & Pater erga ipsum, non respondebat. Sed hæc obiter ut magis eluceſcat Nestorij error.

Quia vero hæc potissimum spectant ad gesta Concilij contra Nestorium, quæ luculentius exposuit Gelasius Cizicenus tomo 2. Actorum Ephesinorum, ex illo fere ad majorem fidem faciendam hactenus exprompsimus: reliqua quæ ad historiam ejusdem Concilij pertinent suppeditabit Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in suo Breviario, quem laudat Filesacus Facultatis Parisiensis decanus commentario in 2. part. commonitorij Lirinensis, quod cap. 5. & aliquot sequentibus breviter & dilucide rem totam explicaverit, quamvis Bellarm. in l. de Scriptoribus Ecclesiasticis, advertat cautè legendum esse prædictum Liberatum, sive quod ab aliquo depravatus fuerit, sive quod non bene assequutus sit historiæ veritatem, sive quod ut opinatur Baronius ad annum 435. à nescio quo Nestoriano incautè nimis, eam quam narrat mutuavit historiam, & sub uno cespite falsitatis multi latitant colubri. Nihil tamen in illo arguit Baronius ex iis quę hic dabimus, iis tamen præmissis quæ disertè de eodem Concilio exponit Vincentius Lirinensis l. p. Commonitorij cap. 2. qui hoc tempore vivebat.

Ex Vincentio Lirinensi.

Quod ne præsumptione magis nostra quam Ecclesiastica promere videremur; exemplum adhibuimus sancti Concilij, quod ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis Basso Antiochoque Consulibus. Ubi cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur; ne qua illic forsan prophana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet; universis Sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur; quorum alios Confessores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuisse, & permansisse constaret, ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu & decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanę novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cùm ita factum foret; jure meritòque ille impius Catholicæ vetustati cõtrarius, beatus verò Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset; etiam nomina & numerum (licet ordinem fuisse mus obliti) edimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam, & legis sacræ proloquia exposita sunt, & divini dogmatis regula constabilita est. Quos, ad confirmandam memoriam, hìc quoque recensere nequaquam superfluum est. Sunt ergo hi viri quorum in illo Concilio, vel tanquam judicum, vel tanquam testium scripta recitata sunt, S. Petrus Alexandrinus Episcopus, Doctor præstantissimus, & Martyr beatissimus: S. Athanasius ejusdem civitatis antistes, Magister fidelissimus, & Confessor eminentissimus: S. Theophilus ejusdem item urbis Episcopus, vir fide, vita, scientia, satis clarus: cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc illustrat Alexandrinam Ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis ac provincię doctrina hæc putaretur; adhibitâ sunt etiam illa Cappadociæ lumina, Sanctus Grego-

qui habitat. Aliud enim templum, & aliud qui habitat, Deus. Intendite eis, quæ dicta sunt, rogo. Non dixit, alter & alter, tanquam in duabus personis aut in duobus Christis, aut in duobus Filiis, sed aliud & aliud, & ut in duabus naturis. Quando ergo dixit, *& habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas, tunc addit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Et in sequentibus fidem quam Cyrillo portaverat, diserebat apertè prædicans, duas in Domino Christo naturas in una persona. Et clamante populo: Benè venisti Orthodoxe, mox Cyrillus similia tractavit, & inter cætera ait: Quid his clarius dici potest? Qua indigent hæc explanatione? Apertè nos docuit, quia aliud est, qui habitat, & aliud qui inhabitatur. Et aliud natura humana, aliud divina. Et concludens sermonem ad confirmationem eorum, quæ à Paulo dicto sunt: Conspice (inquit) Joannem duas naturas prædicantem, & unum Christum, duas naturas unigeniti, & unam personam. Et quando dixit: *Et habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas, tunc addidit hæc: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre plenum gratiâ & veritate.* Hæc Cyrillus Paulo præsente tractavit, & Alexandrinam docuit Ecclesiâ ita de Christo credere, sicut Paulo dudũ tractãte didicerat.

Hæc Liberatus tantisper inclinans in favorem Nestorianorum ut suprà monuimus. Nam & hic dissimulat quæ fraudulenter egit Joannes Antiochenus post decretum conciliabuli in Cyrillum legatum Summi Pontificis & Memnonem Metropolitanum Ephesiorum, de quibus rescripsit ad Theodosium Imperatorem quod damnati fuissent cum Nestorio ab Ephesina Synodo; quare misit Imperator Joannem Comitem qui utrumque incarceraret cum summo mœrore cleri Constantinopolitani & omnium Patrum veri Concilij Ephesini: quod continuo ad ipsum septem aut secundum alios octo Episcopos misit, qui eum de rei veritate informarent, ac quam iniquè magni illi Præsules in carcere detinerentur, solumque Nestorium damnatum fuisse à Concilio demonstrarent: quare rei veritate perspecta Theodosius videns se deceptum fuisse, libertati confestim restitui jussit.

Sed & idem Liberatus parcius agit de iis quæ Nestorio acciderunt post damnationem suam, cui proinde ad pleniorem rei tam memorandæ notitiam dabimus in supplementum quæ vir doctus Canisius lib. 3. de Maria Deipara Virgine cap. 18. inter alia diserte tradidit. Sed enim, inquit, neque Patrum censura, neque Cæsaris severitas vel pilo meliorem illum efficit, cum vitam profugam plenamque miseriis agere cogeretur. Nam ut meminit Suidas, contra Virginẽ sacrosanctam bellum perpetuum gessit, Dei genitricis vocabulum ubique exterminavit, neque blasphemas in illam voces destitit identidem eructare. Quocirca tantæ matris honos ab hoste nefario violatus, à fido filio tandem acriter vindicatus est providente simul Divino numine, ut Ephesini Concilij decretũ cœlesti pœnâ tanquam evidenti sigillo munitum obsignaretũr ac palâ approbaretur. Etenim non satis fuit tale monstrum a beato Patrum cœtu reici, Sacerdotali honore spoliari, à Christianis Principibus proscribi, frequenti duroque exilio circumagi, & à bonis omnibus exitialem quasi pestem devitari, nisi & maledictæ linguæ quam toties in Mariæ contemptum flagitiosè vibrabat, pœnas sub mortem meritas daret. Igitur ut divinæ ultionis in illum sævientis horrendum argumentum extaret, ex tibi horrendos vermes ebullientes, qui carnificum loco missi blasphemam Nestorij linguam certatim corroderent, miserèque depascerentur. Ac neque terra ipsa hunc suum tam terrum alumnum diutiùs ferre potuit; quandoquidem corpus ejus humo coopertum & absorptum fuisse scribunt, nimirum ut rectâ detrusus blasphemus ille ad inferos truculentissimæ insaniæ pœnas lueret sempiternas. Extant Cæsareæ sanctiones Theodosii, Valentiniani & Martiniani Augustorum quibus hic portentosæ superstitionis auctor, sic enim appellant, ejusdemque scripta, publicè & severè condemnantur. Nos tantum verba Justiniani verè Christiano Cæsare digna subjiciemus. Anathematizamus, inquit, omnem hæresim, præsertim verò Nestorium Antropolatram dividentem unum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei & Deum nostrum, nec diserte & secundùm veritatem confitentem sanctam gloriosam semper virginem Mariam θεοτόκον esse, hoc est Deiparam. *lib. 1. c. de summa Trinit. & fide Catholica.*

Quanquam Ecclesiæ politicæque leges prohibere non potuerint, quo minùs pestilens Nestorianissimus Christianum orbem late pervaderet, multosque Christi & Mariæ perduelles faceret, adeoque à veræ Ecclesiæ castris abductos exitio dederet sempiterno. Certè Anastasius Imperator quod Nestoriano faveret dogmati à nonnullis insimulatur. Cosdroas Persarum Rex crudelis æquè ac impius, adeò Nestorianis fuit addictus ut plerosque ad errores eorum amplectendos adegerit, vi nefariam sectam propagans atque confirmans. Prætereo Græcos, Jacobitas & Monachos quosdam in Syria, quibus impura Nestorij doctrina non sine Christi Dei & Mariæ Deiparæ contemptu placuit, diuque retenta est. Ac, proh dolor, in Syria & Persida ac toto fere Oriente in hanc usque diem extant Ecclesiæ Nestorianorum, qui suo Patriarchæ, (Jacelichum appellant) subjiciuntur, eique magna pars Orientis parere pergit. Potissimum verò id genus hominum circa Berut & Biblium in planitie Libani, contra Ituræam suas habere sedes dicitur. Verum inter alios qui velut sepultos Nestorij cineres in orbem revocarunt & novum excitarunt incendium non multo post Synodum Ephesinam exterierunt seditiosi præsules Theodorus Mopsuestiensis, Authimus Constantinopolitanus & Ibas Edissenus, qui ut novas in Ecclesia rixas gignerent contentiosè vociferabantur Mariam non Dei sed hominis Matrem appellandam esse, quod ea purum hominem Christum non Deum pepe risset. *Nestorianissimus adhuc vigens.*

Hæc & plura alia Canisius, qui non mediocri doctrinâ ac eloquentiâ libros de corruptelis Verbi Dei edidit, ad tuendam intemeratam Virginem ab iniquis hæreticorum veterum & recentiorum conatibus, quibus depravaris sacræ scripturæ textibus ejus gloriæ detrahebant. Quamvis quod ait Theodorum Mopsuestiensem post Synodum Ephesinam Nestorij errorem defendisse, minus probari possit; cùm præcesserit Nestorium Theodorus iste, & ante ipsum, errorem hunc docuerit, ut suprà ex Leontio annotavimus, notat quoque D. Thomas 4, contra gentes cap. 39. Quod autem addit Liberatus tandem consensisse Nestorium ut diceretur *theotocon*, nec additum fuisse in illa retractatione, suspicamur id ita factum, quod non sincerè id profiteretur, cùm hostis perpetuus fuerit B. Virginis, ut ex Suida dictum est. Advertit quippe Thomas Massutius de cœlesti conversatione lib. 3. quod nomen Matris Dei, in quo supremæ dignitatis gradus includuntur, ore blasphemo ac sacrilego detraheret Virgini Nestorius, negans debere eam appellari Θεοτόκον, id est, Deiparam, sed malignè detortâ pronuntiatione Χριστοτόκον, id est Dei filiam dicendam esse. Potuit ergo Nestorius mutato accentu admittere nomẽ *theotocon* nec sic emendatus apparere, nec enim solùm dixit Christus Matth. 5. *Unum iota non præteribit à lege*, sed etiam, *unus apex.* Quia tunc temporis nomen istud, posito accentu in penultima syllaba, vox erat Catholica, posito in antepenultima non erat. Quod etiam nos alibi observavimus in Theologia affectiva, seu Thoma meditante part. 3. tract. 2. medit. 11, editionis anni 1654. *Similitudo Nestorij.*

Porro hoc consecutum est post damnationem Nestorij, ut majori cultu honoraretur B. Virgo, cui draco teterrimus laudes debitas invidebat, Deum filium volens illi tollere (Apocal. 12.) nam & ab eo tempore templa longe pulchriora illi ædificata sunt, ut est illud, inter alia, quod ad littus maris ædificari fecit Pulcheria Augusta apud Nicephorum lib. 15, cap. 2. Similiter & salutatio Angelica additamentum hoc *Sancta Maria Mater Dei*, quod ante in ea expressum non erat, acce-

pit, ut referunt Cedrenus & Evagrius apud Baronium anno Chriſti 436.

Sed ſatis datum eſt hiſtoriæ, reliquum eſt ut Canones & decreta ſubjungamus ad complendam primam partem illius Concilij. Incipimus autem à duodecim anathematiſmis, quos Neſtor. oppoſuit anathematiſmis totidem quos in ipſum ediderat D. Cyrillus, omnia enim audent hæretici, ac ita ſe gerunt quaſi penes ipſos eſſet ſumma rerum poteſtas, veraque fides ac religio extra eorum phantaſiam nullibi extaret: unde ipſi infideles cùm ſint ac impij, fideles ipſos ac pios anathemate audent percutere: ut vt ſit ex ipſarum rerum oppoſitione ipſa veritas magis eluceſcet iis qui attentè iſta omnia controverſiarum puncta perſpicient. Multa autem affingit Neſtorius Cyrillo, quæ non aſſerebat, quod etiam fecerunt Orientales qui Joanni Antiocheno adhærebant, cùm impugnarunt illos anathematiſmis à D. Cyrillo in Neſtorij doctrinam intortos, itidemque Theodoretus, vir alioqui magnæ doctrinæ & eloquentiæ, qui etiam in D. Cyrilli anathematiſmos tractatum edidit, ac cum Epiſcopatu privatus fuiſſet ac depoſitus, non priùs in Concilio Calcedonenſi reſtitutus fuit, quin anathema Neſtorio dixiſſet. Non fruſtra quidem, ut putat Sirmondus in ejus vita, cùm in favorem Neſtorij contra D. Cyrillum ac vera ejus dogmata opus ſcripſiſſet, quod D. Cyrillus refutavit & quod improbarunt Orthodoxi omnes. Hi autem tractatus Orientalium & Theodoreti Epiſcopi Cyri videri poterunt inter volumina D. Cyrilli ac etiam Theodoreti, quæ non à multis annis Græcè & Latinè è prælo Pariſiis prodierunt, illius quidem, operâ Auberti, hujus vero, operâ Sirmondi. Nobis hic ſatis erit poſt expoſitas Neſtorij profeſſiones fidei, adjungere anathematiſmis D. Cyrilli explicationes, quibus eos fuſius declaravit, requirente hoc Synodo, ut magis eſſent perſpicui.

NESTORII BLASPHEMIÆ in D. præcipuè Cyrillum Archiepiſcopum Alexandrinum confictæ.

SI quis eum, qui eſt Emmanuël, Deum verum eſſe dixerit, & non potius, nobiſcum Deum: hoc eſt, inhabitaſſe eam, quæ ſecundùm nos eſt, naturam, per id quod unitus eſt noſtræ, quam de Maria Virgine ſuſcepit, matrem etiam Dei Verbi, & non potiùs ejus, qui Emmanuel eſt, nuncupaverit, ipſumque Dei Verbum in carnem verſum eſſe, quam accepit ad oſtentationem Deitatis ſuæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema ſit.

Audent & hæretici anathematizare ac damnare, quamvis ipſi damnabiles.

Si quis in Verbi Dei conjunctionem, quæ ad carnem facta eſt, de loco in locum mutatione, divina ſententia eſſe dixerit factam, ejuſque divinæ Naturæ carnem capacem dixerit, ac partialiter unitam carni, aut iterum in infinitum, incircumſcriptæ naturæ cùm extenderit carnem, accipiendum Deum, eundemque ipſum natura & Deum dicat & hominem, anathema ſit.

Si quis non ſecundùm conjunctionem unum dixerit Chriſtum, qui eſt etiam Emmanuel ſecundùm naturam, ex utraque etiam ſubſtantia, tam Dei Verbi, quam etiam ab eo hominis ſuſcepti, in una Filii connexione, quam etiam nunc inconfuſè ſervamus, minimè confitetur, anathema ſit.

Si quis eas voces, quæ tam in Evangelicis, quàm in epiſtolis Apoſtolicis de Chriſto, qui eſt ex utraque, ſcripta ſunt, accipiat tanquam de una natura, ipſique Dei Verbo tentat paſſiones tribuere tam ſecundùm carnem, quam etiam Deitatem, anathema ſit.

Si quis unum eſſe poſt adſumpſionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cùm ſit Emmanuël, anathema ſit.

Si quis poſt incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Chriſtum nominaverit, ſervi ſane formam initium non habere cum Deo Verbo, & in-

creatam, ut ipſe eſt, dicere tentaverit, & non magis ab ipſo creatam confiteatur, quam naturam Dominum & Creatorem & Deum, quam & ſuſcitare propria virtute promiſit. *Solvite*, dicens, *templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud*, anathema ſit. *Joann. 2.*

Si quis hominem, qui in Virgine creatus eſt, hunc eſſe unigenitum dixerit, qui ex utero patris *ante Luciferum* natus eſt, & non magis propter unitionem, eum qui eſt naturaliter unigenitus, patris ingeniti appellatione confitetur eum participem factum, Jeſum quoque alterum quempiam præter Emmanuel dicat, anathema ſit. *Pſal. 109.*

Si quis ſervi formam pro ſeipſo, hoc eſt, ſecundum propriæ naturæ rationem, colendam eſſe dixerit, & non omnium dominam, & non potiùs per ſocietatem, quam beata, & ex ſe naturaliter Domini unigeniti naturæ conjuncta eſt, veneratur, anathema ſit.

Si quis formam ſervi conſubſtantialem eſſe dixerit Spiritui ſancto, & non potiùs per illius meditationem, quæ eſt ad Deum Verbum, & ex ipſa conceptione habuiſſe dixerit conjunctionem, per quas communes nonnunquam in homines mirandas curationes exercuit, & ex hoc curandorum ſpirituum evenieba eſſe poteſtatem, anathema ſit. *Hebr. 2.*

Si quis illud in principio verbum, Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe, ſeque ipſum obtuliſſe pro nobis dicat, & non Emmanuelis eſſe Apoſtolum dixerit, oblationemque ſecundùm eandem dividat rationem ei, qui univit, ſi quis unius ad unam communitatem filii, hoc eſt, Deo quæ Dei, & homini quæ ſunt hominis deputans, anathema ſit.

Si quis unitam carnem, ex naturæ propriæ poſſibilitate vivificatricem eſſe dixerit, ipſo Domino & Deo pronuntiante: *Spiritus eſt qui vivificat, caro nihil prodeſt*, anathema ſit. Spiritus eſt Deus, at non pronuntiatum eſt. Si quis ergo Deum Verbum carnaliter ſecundùm ſubſtantiam carnem factum eſſe dicat, hoc autem modo & ſpecialiter cuſtodit, & maximè in Domino Chriſto poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis dicentem: *Palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis*, anathema ſit. *Joannis 6.* *Luc. 24.*

Si quis confitens paſſiones carnis, eas quoque tanquam Verbo Dei tribuerit, quas etiam carni, in qua factus eſt, aut adhibuerit, non diſcernens dignitatem naturarum, anathema ſit.

EXEMPLAR SACRILEGÆ expoſitionis Neſtorij, de qua Chariſius conqueſtus eſt.

EOs, qui nunc in primis imbuuntur Eccleſiaſtici dogmatis diligentia, aut ex aliquo volunt hæretico errore ad veritatem converti, doceri & confiteri oportet, quia credimus in unum Deum patrem æternum, neque poſtea incipientem ut eſſet, ſed qui eſt deſurſum æternus Deus: neque enim poſtea factum Patrem, quoniam utique ſemper Deus erat & Pater. Credimus verò & unum Dei Filium unigenitum de ſubſtantia eſſe patris, ſicut verè eſt Filius, & ejuſdem ſubſtantiæ conſtitutum, cujus eſt & creditur filius. Et in Spiritum ſanctũ, qui ex Dei eſt ſubſtantia, non Filium, Deum verò eſſe ſubſtantiâ, ſicut ejuſdem conſtitutus ſubſtantiæ, cujus eſt Deus & Pater, ex quo ſecundùm eſſentiam eſt. *Nos enim*, inquit, *non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.* A creatura quidem ejus univerſa ſeparatus, Deo verò unitus, ex quo eſſentialiter eſt ſpeciali modo præter omnem creaturam. Quem non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecũdùm cauſam creationis ex Deo eſſe arbitramur. Sed neque filium æſtimantes, neque per filium ſumpſiſſe ſubſtantiã. Confitemur verò Patris perfectam perſonam, & Filii ſimiliter, & ſancti Spiritus idemtidem, ſalva nobis pietatis ratione, id eſt, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, *Neſtorij Symbolum* *Galat. 4.* *1. Cor. 2.*

non per aliquas diverſas ſubſtantias æſtimantes, ſed unam proprietatem Deitatis cognoſcentes. Oportet verò & de diſpenſatione, quam pro noſtra ſalute, quam in Domini Chriſti diſpenſatione Dominus Deus perfecit, ſcire quoniam Deus Verbum hominem perfectum adſumpſit ex ſemine Abrahæ & David, ſecundùm pronuntiationem divinarum Scripturarum. Hoc
Matth. 1. conſtitutum natura quod erat illi, ex quorum erat & ſemine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali & carne humana conſtantem, per quem hominem conſtitutum ſecundùm nos per naturam, Spi-
Galat. 4. ritûs ſancti virtute in virginis vulva firmatum, *factum ex muliere, & factum ſub lege, ut omnes nos à ſervitutis lege redimeret*: ante jam prædeſtinatam adoptionem accipientes inenarrabiliter ſibimet uniens, mori quidem eum ſecundùm legem humanam faciens, *ſuſ-*
B *citans* verò *ex mortuis*, & perducens in cœlum, *& conſidere faciens ad dexteram Dei*. Unde ſuper omnes cõſtitutus principatus, & poteſtates, & dominationes, &
Epheſ. 1. virtutes, & omne quod nominatur nomen, non ſolùm in hoc ſeculo, verumetiam & in futuro, ab omni creatura accipit adorationem, ſicut inſeparabilem à divina Natura habens copulationem, relatione Dei & intelligentia omni creatura adorationem exhibente. Et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos, quoniam unus filius Patris ſecundùm ſubſtantiam, Deus Verbũ unigenitus Filius Patris, ſicut iſte conjunctus, & particeps conſtitutus Filij communicat nomine & honore, Dominus ſecundùm eſſentiam, Deus Verbum, cui iſte conjunctus honore communicat. Et ideò neque duos
C filios hos dicimus, neque duos Dominos, quia manifeſto conſtituto ſecundùm ſubſtantiam Domino & filio, inſeparabilem tenet ad eum copulationem, qui cauſa noſtræ ſaluris adſumptus, confertur nomine & honore Filio & Domino. Non ſicut unuſquiſque noſtrum ſecundùm ſeipſum conſtitutus eſt Filius, unde & multi ſecundùm beatum Paulum dicimur filij, ſed ſolus præ-
ſecundùm ſeipſum conſtitutus eſt Filius, unde & multi ſecundùm beatum Paulum dicimur filij, ſed ſolus præcipuum habens hoc, quod ad Dei Verbi copulationem adoptione & domination participans. Aufert ſiquidem omnem ſuſpicionem dualitatis Filiorum & Dominorum: præſtat verò nobis in copulatione ad Deum Verbum omnem habere ipſius fidem & intelligentiam & theoriam, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni ſuſcipit creatura. Unum igitur Filium dicimus, & Dominum Jeſum Chriſtum per quem omnia facta ſunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, ſubſtantialiter Filium Dei & Dominum, conſuſpicantes autem aſſumptum à Nazareth, quem unxit Deus ſpiritu & virtute, ſic in Verbi Dei copulatione adoptionis participante & dominationis, qui & ſecundus Adam ſecundum beatum dicitur Paulum, ſicut ejuſdem quidem naturæ conſtitutus cujuſdam. Demonſtrans verò nobis futurum ſtatum, & tantam habens ab illo differentiam, quanta ſi facta fuerit inter enarrabilia adminiſtrantẽ in futuro ſeculo bona, & inter eum, qui præſentium tribulationum dedit initium.
Chriſtus aliter ad-ã dicitur. Simili verò modo & ſecundus Adam vocatur, ſicut ſecundum ſtatum demonſtrans: quoniam primi quidem exordii factus eſt Adam mortalis, & paſſibilis, & mul-
1. Cor. 15. tis plenus doloribus, cujus & nos ſuſcepimus ſimilitudinem. Secundi verò oſtendit Dominus Chriſtus, qui de cœlo in futuro apparens, omnes nos ad ſuam perduci
E *Ibidem.* communionem. *Primus* enim, inquit, *homo ex terra terrenus: ſecundus homo de cœlo*, id eſt, exinde apparitурus, ut omnes ad imitationem perducat ſuam. Unde ſubjunxit: *Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cæleſtis, tales & cæleſtes: & ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* In eo verò apparente, & ab omni viſo, qui in futuro judicandi ſunt, inviſibiliter conſtituta faciet judicium divina Natura. *Tempora* enim *ignorantiæ noſtræ prætermittens*
Act. 17. *Deus nunc præcepit hominibus ubique pœnitentiam agere, quoniam ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt univerſum orbem in juſtitia, in viro, quem prædeſtinavit, fidem præſtans, reſuſcitans eum à mortuis.* Hæc eſt Eccleſiaſticorum dogmatum doctrina, & omnis qui his contraria ſapit, anathema ſit. Omnis qui non ſalutarem pœnitentiam ſuſcipit, anathema ſit. Omnis qui non celebrat ſacrum diem Paſchæ, ſecundum ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ regulam, anathema ſit.

DECLARATIO DVODECIM CAPITVM & anathematiſmorum, à Cyrillo Archiepiſcopo Alexandrino, Epheſi ſacra Synodo latiorem illorum explicationem, petente dicta.

COnſpicua ſunt intelligentibus omnia, & recta ſcientiam invenientibus, ſicut ſcriptum eſt. Hi namque qui ſacra divinæ Scripturæ verba acuto & puro oculo introſpiciunt, utilitatis loco divinum quemdam & cœleſtem ex illis theſaurum in animos ſuos recondunt. Qui verò mentem habent ad mendacium procedentem, & quorumdam dicacitate devictam, vanæque ſcientiæ amantem, conſortes illorum erunt, de quibus beatus Paulus dicit: *In quibus Deus hujus ſeculi, ſenſus infidelium excæcavit, ut non ſplendeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Chriſti. Sunt enim cæci, & duces cæcorum.* Quapropter & in foveam perditionis incidunt. Sicut namque Servator ipſe alicubi dicit: *Si cæcus cæco ducatum præſtiterit, ambo in fovcam cadent.* Nũgantur itaque nonnulli contra veritatis dogmata, ac mentem diabolica improbitate refertam habentes, veritatis myſterium urgenti ſtudio adulterare conantur, incarnationiſque unigeniti diſpenſationi haud mediocriter derogant, non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant, ſicut ſcriptum eſt. Sunt autem hujuſmodi impietatis inventores multi quidem, & alij ſuperioribus, & jam elapſis temporibus facti: nunc autem illorum impietate minimè inferiores. Neſtorius & qui cum illo facjunt, ad exemplum priſcorum Phariſæorum Chriſto adverſantur, impudenter vociferantes. *Quamobrem tu, cùm homo ſis teipſum Deum facis?* Eſt itaque neceſſarium, ut adversùs illorum ſermones accingamur, & impura ac prophana eorum dogmata anathematizemus, memores Dei per vocem Prophetæ, dicentis: *Audite Sacerdotes, & conteſtamini domum Iſrael, dicit Dominus omnipotens.* Et iterum, *ingredimini per portas meas, & lapides à viis abjicite.* Oportet enim nos qui pro veritatis certamus dogmatibus, è medio ſubmovere offendicula, ne ullo pacto populi ad illa impingentes veluti per planam ſemitam ad ſacra & divina ſtabula veniant fere quotidie dicentes: *Hæc eſt porta Domini, juſti intrabunt per eã.* Cùm itaque Neſtorius ad excitandas turbas peregrina & impia dogmata libris ſuis inſeruerit, neceſſariò ſalutis eorum, qui illa lecturi ſunt rationem habentes, anathematiſmos conſtruximus, non ſtatim quicquid in mentem inciditſet admonitoriæ, quam ad ipſum ſcripſimus epiſtolæ inferentes, ſed ut jam dixi, peregrina & aliena eſſe à pietatis dogmatibus dementiæ ipſius demonſtrantes convitia. Moleſtè verò nonnulli forſan quæ à nobis dicta ſunt, ferunt, vel non verè intelligentes vim eorum quæ ſcripta ſunt, vel impuræ Neſtorii hæreſeos propugnatores, & impietatis illius, eadem ſentientes participes facti. Latet itaque veritas neminem eorum qui rectè ſapere conſueverunt. Quoniam autem veriſimile eſt futuros quoſdam qui non intelligant quomodo anathematiſmi iſti adversùs illorum ſunt inducti nugas, neceſſe exiſtimavi, utſingulos breviter exponam, & quantum fieri poteſt vim illorum perſpicuè doceam, futurum eſt enim ut arbitrer, hoc inſtitutum conducibile ad utilitatem legentium.

1. Cor. 4. *Matth. 15.* *Ibidem.* *Iſaiæ 30.* *Amos 3.* *Hieremiæ 7.* *Pſalm. 117.*

Anathematiſmus primus.

Si quis non confitetur Emmanuẽlem ſecundùm veritatem eſſe Deum, ideoque ſan-

Virgo Deipara.

dam Virginem esse Deiparam (carnaliter enim Verbum ex Deo Patre carnem factum genuit) anathema sit.

Declaratio.

Beati Patres olim Nicææ congregati, cum rectè, & irreprehensibilis fidei determinationem exponerent, credere se dixerunt in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium ejus. Et in Spiritum sanctum. Ipsum Verbum quod ex Deo est, per quod omnia facta sunt, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero incarnatum esse, & inhumanatum, passumque & excitatum dixerunt. Cum enim unigenitum Patris Verbum secundum naturam Deus esset, *semen Abrahæ assumpsit*, sicut beatus *ad Heb. 2.* Paulus dicit: & nobis simile factum de carne ac sanguine participavit. Natum est enim secundum carnem è sancta Virgine, & homo nobis similis apparuit, non desinens esse Deus, absit, sed existens quod erat, & in divinitatis natura & gloria permanens. Dicimus igitur ipsum Verbum hominem esse factum, nec conversionem aut alterationem sui in id, quod non erat passum. Idem enim semper est, *nec mutationis obscuritatem pati sustinet.* *Jacobi 1.* Sed & neque commixtionem, neque confusionem, nec temperaturam aliquam essentiæ ejus cum carne factam esse statuimus. Dicimus autem Verbum carni rationalem habenti animam, modo nobis, nec intelligibili, nec dicendo, quem solum ipsum novit, esse unitum. Manst itaque Deus in assumptione quoque carnis, & est unus Dei ac Patris Filius, Dominus noster Jesus Christus, idem cum ante omnia sæcula & tempora, quatenus intelligitur Verbum esse Dei & character substantiæ ejus, tum in novissimis temporibus per dispensationem homo propter nos factus. Quoniam verò nonnulli nativitatem ejus secundum carnem ex sancta Virgine ad omnium salutem factam tollunt, quæ non hoc illi contulit, ut primum esse inciperet, sed ut nobis similis factus à morte nos & corruptione liberaret. Ob hanc causam primus noster anathematismus partim contra perversam illorum fidem vociferatus est, partim id quod rectè habet confitetur, Emmanuëlem secundum veritatem Deum, & ob id sanctam Virginem Deiparam esse dicens.

Anathematismus secundus.

Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum esse, quod ex Deo est Verbum, atque unum esse Christi cum carne sua, eundem videlicet Deum simul & hominem, anathema sit.

Declaratio.

Scribit Divinus Paulus, sacer Divinorum mysteriominister *In confesso magnum est pietatis mysterium. Deus apparuit in carne, justificatus est in spiritu, visus est Angelis, prædicatus est inter gentes, fides illi habita est in mundo, assumptus est in gloria.* Quid igitur est quod dicit, *Deus apparuit in carne?* hoc est: Verbum ex Deo Patre caro factum est, non secundum transmutationem, aut conversionem in carnem mutatum, sicut jam diximus, sed magis quod carnem ex sancta Virgine sumptam propriam sibi fecerit, unus & idem appellatus Filius, ante incarnationem, tùncque carnis expers, & Verbum tantum, post incarnationem verò idem existens in corpore. Propterea dicimus eum simul & Deum esse & hominem, non dividentes illum in hominem separatim & seorsum considerandum, & in Deum Verbum separatum, ne duos cogitemus esse Filios, sed unum confitentes & Christum esse & Filium & Dominum. Eos verò qui causam hanc non ad hunc modum habere suspicantur, aut non sic credere volunt, sed eum qui unus est in duos

1. Tim. 3.

Filios dividunt, & quæ secundum veritatem sunt conjuncta à se invicem separant, dicúntque hominis cum Deo conjunctionem duntaxat, secundum dignitatem, vel authoritatem esse factam, à recta & inculpata fide alienos esse dicimus. Itaque licet Apostolus nominetur, & unctus, inque Filium designatus, dicatur non tamen erubescimus hanc dispensationem, sed ipsum Dei Patris Verbum, quando pro nobis homo factum est, tum sanè & Apostolum nominatum, & nobiscum secundum humanitatem unctum esse dicimus. Cum enim nobis sit simile factum, licet quod erat manserit, quæ humana tamen sunt non est aversatum, sed admittit potius simul cum humanitatis mensuris quæ sunt humana, propter dispensationem, nihil ex eo in propria vel gloria, vel natura diminutum. Est enim, est inquam, etiam hoc pacto Deus, ac Dominus omnium. *ad Rom. 1.*

Anathematismus tertius.

Si quis in uno Christo subsistentias post factam illarum unionem dividit, conjunctione tantum illa, quæ sit secundum dignitatem, vel authoritatem, & non magis coïtione, secundum naturalem unionem connectens, anathema sit.

Declaratio.

Dispensationis unigeniti cum carne mysterium studiosè considerantes, admirabili & inenarrabili modo verbum Dei Patris sancto corpori rationalem animam habenti adunatum esse dicimus, itaque ita unum esse Filium intelligimus, quemadmodum videlicet in nobis ipsis cernere licet. Est quidem anima diversæ à corpore naturę, & tamen utraque conjuncta unum animal efficiunt. Verum sunt qui ista non ad hunc modum habere suspicantur, sed hominem nobis seorsim ac separatim statuentes, Dei patris illum verbo secundum solam dignitatem vel authoritatem non naturali, id est, vera unione, & sicut nos credimus, conjunctum esse dicunt. Nam ita, & divina Scriptura alicubi dicit: *Et eramus natura filii iræ sicut & cæteri*, dictionem naturæ, pro verè usurpans. Itaque qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum & hominem separatim ponunt, & conjunctionem illarum, eam intelligunt, quæ secundum solam sit dignitatem, duos omnino Filios statuunt, cum divina Scriptura & Filium & Dominum esse dicat. Proinde post inenarrabilem illam unionem eum Deum nominat Emmanuëlem incarnatum, & humanatum Verbum, nos quod ex Deo ac Patre est intelligimus, & cum hominem eum esse dicit, nihilominus illud ipsum Verbum per dispensationem in humanitatis mensuris constitutum esse cognoscimus. Dicimus itaque eundem palpabilem cum sit impalpabilis, visibilem cum sit invisibilis. Non enim alienum ab eo corpus est, quod illi conjunctum est, quod & palpabile, & visibile esse dicimus. Eos verò qui ad hunc modum non credunt, sed quemadmodum dixi, subsistentias post unionem dividunt, nudámque conjunctionem quæ secundum solam sit dignitatem, vel authoritatem confingunt, propositus hic anathematismus alienos ab his esse judicat, qui quæ recta sunt sentire consueverunt. *ad Eph. 4.*

Anathematismus quartus.

Si quis voces illas quæ in Evangelicis & Apostolicis habentur litteris, sive de Christo à sanctis, sive ab ipso de seipso dictas, duabus Personis vel subsistentiis assignat, & alias tanquam homini separatim à Dei Patris Verbo intellecto, alius verò tanquam Deo competentes soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.

Declaratio.

Cum Verbum Dei, ac Patris in ipſius eſſet forma,
ad Phil. 2. & qualitate *non eſt rapinam arbitratum quod Deo eſſet æquale*, ſicut ſcriptum eſt, *ſed magis ſeipſum ad ſeruilem exinanitionem demiſit*, & in noſtram naturam deſcendit, non amittens quod erat, ſed magis etiam hoc pacto Deus permanens, & tamen humanitatis menſuram non deſpiciens. Sunt itaque ipſius omnia tam divina quàm humana. Etenim ubi ſeipſum exinanivit, ſi in humanitatis ſeſe menſuras demittere erubuit? Et ſi humana detractavit, quis illum neceſſitate ac vi aliqua ad hoc impulit, ut nobis ſimilis fieret? Univerſas igitur Evangelicas voces, tam quæ humanitatem, quàm quæ Divinitatem concernunt, uni Perſonæ adaptamus. Nam & unum credimus eſſe Filium Chriſtum Jeſum, hoc eſt, inhumanatum & incarnatum Dei Verbum. Itaque etiam ſi humanum quid ſcriptura de Chriſto dicat, humanitatis ejus menſuris hoc deputamus (eſt enim ipſius & humanitas, etiam ‖ Deus eſſe dicatur) Deum qui humanatus eſt, eſſe credentes. Rurſus & quæ de humana natura ſonant Evangelicæ, voces uni Chriſto & Filio aſſignamus. Qui verò illum in duas Perſonas dividunt, omnino duos comminiſcuntur eſſe Filios. Quemadmodum enim hominem (quales nos ſumus) non in duas dividimus Perſonas, licet ex anima eſſe, & corpore intelligatur, ſed unus & idem homo eſt, ita & in Emmanuele faciendum eſt. Quoniam enim unus eſt Filius & Dominus, Verbum illud Dei incarnatum & inhumanatum, omnino etiam una eſt illius perſona, & huic aſcribimus, tam humana propter diſpenſationem illius cum carne ſuſceptam, quam divina, propter inenarrabilem illius quam ex Patre habet generationem. Qui verò illum dividunt, & partiuntur in hominem ſeparatim, tanquam alium præter Dei Verbum exiſtentem Filium, & in Deum ſeparatim tanquam rurſus alium exiſtentem filium meritò tanquam duos dicentes eſſe Filios, virtuti propoſiti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Anathematiſmus quintus.

Si quis Chriſtum deïferum hominem audet dicere, & non potius Deum ſecundum veritatem, tanquam unicum & naturalem Filium, quemadmodum Verbum caro, & carnis & ſanguinis perinde atque nos particeps eſt factum, anathema eſto.

Declaratio.

Verbum Dei divinus Evangeliſta Joannes carnem eſſe factum dicit, non ſolum tranſmutatione aut converſione propriæ naturæ in carnem mutatum, ſicut jam prædiximus: (eſt enim inalterabile tanquam Deus) ſed quia conſimiliter nobiſcum in carne ac ſanguine communicavit, homóque factum eſt. Eſt enim in conſueto divinæ Scripturæ, ut hominem carnem vocet. Scriptum eſt enim, *& videbit omnis caro ſalutare Dei*. Sed impiorum dogmatum inventores Neſtorius, & qui cum illo faciunt, eadem videlicet cum illo ſentientes, ſimulant quidem confiteri ſe incarnationis vocem: verum non ſimul dicunt Verbum Dei ſecundum veritatem eſſe incarnatum, hoc eſt, hominem ad noſtri ſimilitudinem factum, ita ut quod erat manſerit, ſed velut in homine uno ex ſanctis, ex ſancta Virgine nato, unigenitum Dei Verbum habitare affirmant, ut jam non confiteantur, quod unus ſit Filius, & Dominus adorandus: ſed quod tanquam homo ſeorſim ac ſeparatim intellectus, ſola conjunctione ſecundum dignitatis unionem honorandus ſimul adoretur, & glorificetur. Habitat quidem in nobis omnium Deus, per ſanctum Spiritum. Nam & per unum ex ſanctis Prophetis dixit: *Quoniam habitabo, & inambulabo in eis, & erò ipſis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Scribit & beatus Paulus, dicens: *An ignoratis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et ipſe Spiritus de ſanctis Prophetis, vel reliquis ſanctis, qui ante ipſum fuerunt, dixit: *Si & illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit: vos dicitis, quod blaſphemet, quia dixi, Filius ſum Dei:* verum non ita Deus in Chriſto, ſicut in nobis habitat. Erat enim natura Deus, etiam cum nobis ſimilis fieret, unus ac ſolus Filius, etiam cum caro fieret. Itaque qui Deiferum illum hominem dicere audent, & non magis inhumanatum Deum, merito propoſito ſubjacent anathematiſmo.

Luca 3. : Opinio Neſtorij explodatur.

Levit. 26. 1. Cor. 3. Ioan. 10.

Anathematiſmus ſextus.

Si quis Verbum quod ex Deo Patre eſt, Deum ac Dominum Chriſti eſſe dicit, & non magis illum eundem confiteatur eſſe Deum ſimul & hominem, ſicut Verbum caro factum eſt ſecundum Scripturas, anathema ſit.

Declaratio.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus & ſolus & ſecundum veritatem Filius Dei ac Patris exiſtens, cum Verbum illius ſit, caro factus eſt, & ſimul omnibus una cum genitore ſuo dominatur, *flectiturque illi omne genu cæleſtium, terreſtrium, & inferorum, & confitetur omnis lingua quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit in gloria Dei Patris.* Eſt itaque idem ipſe Dominus omnium, juxta quod intelligitur & eſt Deus, licet non ſine carne poſt inhumanationem, ipſe verò ſuiipſius nec Deus eſt, nec Dominus. Eſt enim hoc omnium abſurdiſſimum, imò omni impietate re vera refertum, ſi ita ſentias aut dicas. Itaque meritò contra hanc impietatem propoſitus eſt hic anathematiſmus.

ad Phil. 2.

Anathematiſmus ſeptimus.

Si quis Ieſum à Verbo Dei tanquam hominem actum & impulſum eſſe, & unigeniti gloriam illi tanquam alteri cuidam à ſe diverſo acceſſiſſe dicit, anathema ſit.

Declaratio.

Cum unigeniti Filij Dei generationem ſecundum carnem ſanctæ Virgini beatus Gabriel evangelizaret: *pariet*, inquiebat, *Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe namque ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Nominatus autem & Chriſtus eſt, propterea quod nobiſcum humanitus unctus ſecundùm Pſalmiſtæ vocem dicentis. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis.* Quamquam enim cum ipſe ſit Spiritus ſancti ſuppeditator, illúmque non menſuratè det his qui digni ſunt; (eſt enim plenus, *& de plenitudine ejus omnes accepimus*, ſicut ſcriptum eſt) per diſpenſationem tamen, ut homo unctus eſt: Dicitur & ſpiritualiter Spiritus ſanctus, non humanitus per omnia ſupra ipſum veniſſe, ut & in nobis permaneat, licet propter trangreſſionem Adæ principio à nobis fugerit. Ipſum itaque unigenitum Dei Verbum, caro factum, Chriſtus vocatum eſt, & cum propriam habeat potentiam, Deo competentem, miranda operatur. Proinde qui Chriſti potentiæ unigeniti gloriam acceſſiſſe dicunt, quaſi alter ſit præter Chriſtum unigenitus Dei, duos ſentiunt eſſe Filios alterum operantem, alterum verò illius operatione, tanquam hominem nobis ſimilem, impulſum: ob eam cauſam virtuti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Luc. 1. Pſal. 44. Ioan. 1.

Anathematiſmus octavus.

Si quiſquam aſſumptum hominem audet dicere unà cum Deo Verbo adorandum & glorificandum, Deumque tanquam alterum cum altero appellandum eſſe, & non magis una adoratione Emmanuelem honorat, & unam illi glorificationem, ſicut * VERBVM CARO EST FACTVM, deputat, anathema ſit.

Verum quod Quæ.

Declaratio.

Baptizati ſumus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Filium, & præterea in unumquoq; Spiritum Sanctum. Denique B. Paulus dicit: *An ignoratis quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus?* Sumus itaque illi conſepulti per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus excitatus eſt ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Credimus itaque & baptizati ſumus in unum, ſicut dixi, Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, hoc eſt incarnatum & inhumanatum Dei Verbum, ſumúſque unum adorare Deum edocti, & nobiſcum etiam cœlestes virtutes. Scriptum eſt enim: *Cum induceret primogenitum in orbem dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Factus eſt autem unigenitus primogenitus, quando homo nobis ſimilis eſt factus. Tunc etenim & frater diligentium ipſum, eſt appellatus. Si quis igitur adorari eum tanquam hominem una cum altero præter ipſum exiſtente, videlicet Dei Patris Verbo, dicit, & non ſecundum veram unionem in unum Chriſtum & Filium & Dominum conjunctum una adoratione honorat, juſtè virtuti anathematiſmi hujus ſubjicitur.

Ad Rom. 6.

Ad Heb. 1.

Anathematiſmus nonus.

Si quis dicit unum Dominum Ieſum Chriſtum à Spiritu tanquam aliena virtute, qua per ipſum ſit uſus, glorificatum eſſe, & ab illo accepiſſe, quæ contra Spiritus immundos operatus eſt, & quæ divinitatis ſigna inter homines perfecit, & non magis proprium ipſius eſſe Spiritum, per quem divinitatis ſigna operatus eſt, anathema ſit.

Declaratio.

Cum homo factum ſit unigenitum Dei Verbum etiam ſic tamen Deus manſit, omnia exiſtens quæ Pater eſt, ſolo hoc dempto, quod ille Pater eſt, & propriũ habens, quod ex Patre eſt. Et eſſentialiter inhærens illi Spiritus ſanctus ſigna illa divinæ potentiæ operatus eſt. Itaque etiam homo factum Deus manſit, atque ita propria virtute Spiritus miracula perfecit. Qui verò dicunt, quod tanquam unus ex nobis, Sancti videlicet Spiritus, ſit glorificatus efficacia, quaſi non propriâ, ſed alienâ magis & non quomodo Deum decet, uſus, & quod gratiæ loco à Spiritu ſancto aſſumptionem in Cœlos acceperit, juſtè virtuti hujus anathematiſmi ſubjacebunt.

Anathematiſmus decimus.

Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum Scriptura dicit. Obtulit autem pro nobis ſemetipſum in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Si quis igitur Pontificem, & Apoſtolum noſtrum, non ipſum quod ex Deo eſt Verbum, & caro & homo, nobis ſimilis eſt factum, ſed tanquam quendam hominem præter ipſum, ſeparatim ab eo, ex muliere natum factum eſſe dicit: aut ſi quis Chriſtum etiam pro ſeipſo

Ad Heb. 3

Neſtorius errabat confequenter circa Sacerdotiũ Chriſti.

A oblationem, & non magis pro nobis obtuliſſe dicit (non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non novit) anathema ſit.

Declaratio.

Modici quidem momenti indubiè Verbo ex Deo Patre genito ſunt, quæ humana ſunt, veruntamen ab illo non contempta, propter diſpenſationem. Cum enim ſecundum naturam Dominus eſſet omnium, demiſit ſemetipſum in noſtram naturam, formâ ſervi acceptâ, appellatúſque eſt noſter Pontifex & Apoſtolus, humanitatis menſuris ad hoc illum vocantibus. *Obtulit autem ſemetipſum pro nobis, in odorem bonæ* B *fragrantiæ Deo ac Patri. Vnica quippè oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, ſicut ſcriptum eſt. At ignoro quomodo qui aliter ſentiunt, non ipſum Dei Verbũ hominem eſſe factum & Apoſtolum ac Pontificem confeſſionis noſtræ appellatum, affirmant: ſed quemdam præter ipſum ſeparatim hominem ex ſancta Virgine natum, Apoſtolum & Pontificem appellari, æmulandique modo ad hoc muneris veniſſe, & non magis pro nobis, quam pro ſeipſo ſemetipſum Deo ac Patri obtuliſſe, id quod omnino à recta eſt & inculpata fide alienum. Peccatum enim non fecit. Qui verò ſuperior eſt omni delicto, & prorſus expers peccati, oblatione pro ſe nulla opus habuit. Quoniam verò, ut appareat, prævaricantes duos iterum Filios excogitant, qui aliter ſentiunt, neceſſariò poſitus eſt hic anathematiſmus, * ut veritatem perſpicuam redderet. C

Ad Heb. 10.

al. palam faciens eorum impietatem.

Anathematiſmus undecimus.

Si quis carnem Domini non confiretur eſſe vivificam, & ipſius Verbi; quod ex Deo Patre eſt, propriam, ſed tanquam alterius cujuſpiam præter ipſum, ſecundum dignitatem quidem, aut tanquam qui Divinam dumtaxat inhabitationem ſit adeptus, cum ipſo conjuncti, & non magis vivificam, ſicut diximus, propterea quòd propria facta eſt Verbi, quod omnia vivificare poteſt, anathema ſit.

Declaratio.

Sanctum ac vivificum incruentúmque in Eccleſia celebramus ſacrificium, non hominis alicujus nobis ſimilis & communis corpus: conſimiliter & pretioſum ſanguinem eſſe, quod proponitur credentes, ſed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. Communis enim caro vivificare non poteſt. Et hoc ipſe Servator teſtatur, dicens: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Quoniam enim Verbi facta eſt propria, ob eam cauſam intelligitur, & eſt vivifica, ſicut Servator dicit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, etiam ille vivet propter me.* Quia verò Neſtorius, & qui cum illo ſentiunt, myſterii hujus virtutem temere diſſolvunt, propterea, idque valdè meritò, conſtitutus eſt hic anathematiſmus.

Proinde: tum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

Ioan. 6.

Ibidem.

D

E

Anathematiſmus duodecimus.

Si quis non confitetur Verbum Dei carne eſſe paſſum, carne crucifixum, & mortem carne guſtaſſe, primogenitum ex mortuis factum, quemadmodum & vita eſt, & vivificans ſicut Deus, anathema ſit.

Declaratio.

Impaſſibile quidem & immortale eſt Dei Patris Verbum. Ut enim excellentior eſt divina & incorpo-

bilis natura quàm quæ patiatur aliquid, ita & ipſa omnia vivificat, & corruptionem ac quicquid contriſtare ſolet, ſuperat. Attamen licet Verbum ex Deo Patre eſſentialiter hæc habeat, nihilominus carnem mortis capacem ſibi propriam fecit, ut per hoc quod paſſionibus eſt obnoxium paſſiones illas pro nobis ac propter nos in ſeſe ſuſciperet, & nos omnes morte ac corruptione liberaret, ſuum ipſius corpus vivificans ut Deus *primitiæque dormientium ac primogenitus ex mortuis.* Non enim communis homo eſt, ſeparatim ac ſeorſim, præter Verbum Dei, intellectus, qui propter nos pretioſam paſſus eſt Crucem, & mortem guſtavit, ſed ipſe *Dominus gloriæ carne paſſus eſt*, ſecundùm Scripturas. Quoniam verò qui vana ſua & impia dogmata, in rectam & inculpatam fidem inſinuare conantur, communem pro nobis hominem crucem ſuſtinuiſſe dicunt, neceſſario anathematiſmus hic conſtitutus eſt, ut latentis in illis impietatis magnitudinem demonſtraret.

Hebr. 2.

1. Cor. 2.

A

Ait igitur magna & ſancta Synodus, ipſum qui eſt ex Deo Patre naturaliter natus, Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit Pater, hunc deſcendiſſe, incarnatum eſſe, & hominem factum, paſſum eſſe, & reſurrexiſſe tertia die, aſcendiſſe rurſus in Cœlos. Hæc nos ſequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, conſiderantes quid ſit incarnatum eſſe, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quòd Dei natura cõverſa vel immutata, facta ſit caro; nec quòd in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, transformata ſit; ſed magis quòd carnem animatam anima rationali ſibi copulaverit, Verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter, factus ſit homo, & nuncupatus ſit etiam Filius hominis, non nuda tantummodò voluntate, ſed nec aſſumptione ſola perſonæ; ſed quòd diverſæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Chriſtus, & Filius non evacuata vel ſublata diverſitate naturarum per conjunctionem, ſed quia ſimul nobis effecerunt unum Deum, & Chriſtum, & Filium, id eſt, divinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is qui ante ſæcula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter eſt procreatus in tempore. Non quia divina ipſius natura ex ſacra Virgine ſumpſit exordium, nec propter ſeipſam opus habuit ſecundò naſci poſt illam nativitatem quam habebat ex Patre, (eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quòd is qui ante omnia ſæcula eſt & conſempiternus Patri, ſecundæ generationis eguerit, ut eſſe inciperet:) ſed quia propter noſtram ſalutem, naturam ſibi copulavit humanam, & proceſſit ex muliere, idcircò dicitur eſſe natus carnaliter. Nec enim primùm natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demùm inhabitavit in eo Verbum: ſed in ipſa vulva uteroque virginali ſecum carnem conjunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem carnis ſuæ, nativitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & reſurrexiſſe, non quia Deus Verbum in ſua

Explicatio myſterij Incarnationis.

B

C

D

E

natura paſſus ſit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera ſuſceperit (Deus namque incorporalis extra paſſionem eſt) ſed quia corpus illud, quod ipſius proprium factum eſt, ſuſtinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile eſt naturaliter, & vita, & vivificans Deus Verbum, ſed quia corpus ipſius proprium, *gratia Dei*, (juxta Pauli vocem) *pro omnibus mortem guſtavit*, idcircò ipſe dicitur mortem paſſus pro nobis: non quòd ipſe mortem eſſet expertus, quantum ad ipſius naturam pertinet; (inſania enim eſt hoc vel ſentire, vel dicere:) ſed quòd (ut diximus) vera caro ipſius mortem guſtavit. Ita & reſurgente carne ipſius, rurſus reſurrectionem diximus, non quia in corruptionem ceciderit (quod abſit) ſed quia ejus reſurrexit corpus. Ita Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam homine cum Verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur; ſed unum jam & eumdem adorantes, quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuum, cum quo ipſe etiam aſſidet Patri. Nec hoc ita diximus, quaſi duobus Filiis aſſidentibus; ſed uno cum carne per unitatem; quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi præpaſſibilem, aut quaſi parum decoram voluerimus accipere, in id incidemus, ut duos Filios eſſe dicamus. Neceſſe eſt enim diſcernere & diſcere hominem ſeparatim fuiſſe ſola Filij appellatione honoratum, & rurſus Verbum, quod eſt ex Deo in homine, in veritate Filium Dei. Sed diſcernere in duos Filios non debemus unum Dominum Ieſum Chriſtum. Neque enim adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (neſcio quam) perhibeant perſonarum. Non enim dicit Scriptura, Verbum Dei perſonam ſibi hominis aſſumpſiſſe, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere, Dei Verbum ſimiliter ac nos principium habuiſſe carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum propriè ſuum feciſſe, & hominem ex muliere proceſſiſſe, non abjecta vel depoſita Deitate, aut generatione illa quam habebat ex Patre; ſed manſiſſe etiam in aſſumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus. Ideòque illi non dubitaverunt ſanctam Virginem dicere *Theotocon*, non quia Verbi natura Deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium; ſed quòd ex ea natum ſit ſacrum illud corpus, animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum eſſe dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo tibi, quærens tanquam frater, & conteſtans coram Deo & electis ejus Angelis, ut hæc nobiſcum ſentias, ſimul & doceas, ut Eccleſiarum pax ſalva ſervetur, & concordiæ charitatiſque vinculum

Rom. 8.

Hic eſt finis alterius Epiſtolæ Cyrilli ad Neſtorium.

culum indiſſolubile maneat Sacerdotibus A Dei.

Sequuntur CANONES *ducentorum ſanctorum & beatorum Patrum qui in Epheſo convenerunt ſub* THEODOSIO *Imperatore, &* CÆLESTINO *Papa, Luciano Mantuano Monacho Caſinenſi interprete.*

CAP. I. *Vt qui cum Cœleſtio aut complicibus ſentiunt, deponantur.*

QVoniam autem oportebat & abſentes à ſancta Synodo, morantesque in urbibus & Provinciis ob aliquod impedimentum, ſeu Eccleſiaſticum, ſive corporeum, non ignorare quæ de ipſis ſunt conſtituta, ſignificamus ſanctitati veſtræ ac dilectioni, ut ſi quidem Metropolita Provinciæ, derelicta ſancta & Oecumenica Synodo, aut acceſſit ad illorum defectionis conſeſſum, aut accederet in poſterum, ſive cum Cæleſtio ſenſit, aut ſentiet, ipſe nihil ampliùs poterit agere adversùs Provinciæ Epiſcopos, ut qui jam inde à Synodo totius Eccleſiaſticæ communionis expers ſit factus, & prorſus inutilis: ſed & ipſis Epiſcopis illius Provinciæ circumque vicinis Metropolitis recta ſentientibus ſubjacebit, ut omnino dejectus ſit à Sede Epiſcopatus.

A Synodo Epheſina receſſerunt quidam numero circiter triginta, qui deprehenſi ſunt Neſtorij atque Cæleſtii ſenſa tenere. Fugerunt autem, nolentes unà cum Patribus Neſtorium condemnare; quos ſancta Synodus omni Eccleſiaſtica communione privavit, & Sacerdotij omne munus ademit. Hic eſt ſcopus hujus Canonis.

CAP. *Qui deficientibus à Synodo adhæſerunt, Sacerdotio privantur.*

SI qui autem Provinciales Epiſcopi à ſancta Synodo defecerunt, vel deficientibus adhæſerunt, aut adhærere tentarunt, vel etiam poſtquam ſubſcripſerunt Neſtorii depoſitioni, rurſus ad defectionis conſenſum nihilominus recurrerunt: iſtos placuit ſanctæ Synodo penitus alienos eſſe à Sacerdotio, à graduque cecidiſſe.

CAP. III. *Reſtituuntur, qui à Neſtorio ſunt Sacerdotio prohibiti.*

SI qui verò ex Clericis in ſingulis urbibus aut regionibus à Neſtorio & conſpirantibus Sacerdotio prohibiti ſunt, quod rectè ſentirent, juſtum putavimus hos quoque proprium gradum accipere. In ſumma autem, Clericos Orthodoxæ & Oecumenicæ Synodo conſentientes iubemus eis qui defecerunt, aut defecturi ſunt, Epiſcopis nullo pacto aut ratione ſubiectos eſſe debere.

CAP. IV. *Qui cum Neſtorio aut Cœleſtio ſentiunt, deponuntur à Synodo.*

SI qui autem Clericorum defecerint, & auſi fuerint, vel privatim vel publicè, quæ ſunt Neſtorii aut Cœleſtii ſapere, ſancitum eſt à ſancta Synodo iſtos quoque depoſitos eſſe.

LIbet hic obſervare ſimul in eodem Concilio impugnatam fuiſſe cauſam Neſtorii & Cœleſtii Pelagiani monachi, hi enim conſanguinei erant, ut initio hujus Synodi animadvertimus, & luculenter explicat Caſſianus lib. 1. de Incarnatione cap. 2. & 3. Ut Pelagius volebat Chriſtum hominem fuiſſe conſecutum divinitatem in reſurrectione meritis ſuæ paſſionis, itidem docebat Neſtorius Chriſtum hominem ſolitarium, meritis ſuis tandem conſecutum fuiſſe conjunctionem quamdam cum Verbo; quâ etiam Deus diceretur, & ut Deus adoraretur, licèt reipsâ talis conjunctio non differret ab illâ unione, quam ſancti habent cum Deo per ſanctificationis gratiam. Unde & Alardus Gazæus in commentario ad illud cap. 3. Caſſiani de incarnatione, refert vocem hanc Neſtorii fuiſſe, licèt illa eadem vox etiam Ibæ tribuatur in actis Concilii Calcedonenſis *Ego Chriſte tibi non invideo quod Deus ſis, quia ſi volo etiam Deus ero.* Unde conſequens eſt tam Neſtorium quàm Pelagium & ſequaces adverſatos fuiſſe myſterio Redemptionis humani generis & ſatisfactioni ejus pro peccato quæ fuerit valoris infiniti ex dignitate infinita perſonæ ſatisfacientis, quæ Deus erat, ad compenſandam in rigore juris malitiam peccati infinitam ex infinita dignitate perſonæ offenſæ quæ Deus erat. Sublata enim divinitate à Chriſto deſtruitur iſtud myſterium. Utrique ergo convenit quod expreſſiùs de Pelagianis ſcribit ibidem Caſſianus, Chriſtum veniſſe in hunc mundum non ad præſtandam humano generi redemptionem, ſed ad præbenda bonorum actuum exempla: evacuantes, inquit, quantum in ipſis fuit omne ſacri adventûs donum & omnem divinæ redemptionis gratiam. Cum idem dicerent homines conſequi poſſe vivendo, quod præſtitiſſet Deus pro humana ſalute moriendo. Sic ſerpens variis artibus redemptionis myſterium illiuſque fidem non deſinit impugnare. Quia autem Neſtorius in capite rem iſtam urgebat magis, Pelagius verò in membris ejus, pro diverſis hæreticis haberi ſolent, quantumvis in doctrina convenirent. Jam autem Pelagius damnatus erat per Innocentium I. ſummum Pontificem, cùmque hoc ſufficere deberet, ut controverſia finiretur, nequaquam tamen acquieſcebat, nec ejus ſectarij, ſed, Concilium perebant, ſine quo ſe legitimè damnatos eſſe non putabant. Qua de re D. Auguſtinus lib. 4. contra duas epiſt. Pelagianorum; *Aut verò*, inquit illis reſpondens, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inveniantur hæreſes propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitande innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia, &c. Hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt ſaltem cõmovere conantur: cum potius vigilantia paſtorali, poſt factum illis competens ſufficiensque judicium ubicunque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint; ſive ut ſanentur, ſive ut ob aliorum ſalutem vitentur, adjuvante paſtore paſtorum*, &c. Quod ergo efflagitabant Pelagiani, hoc factum eſt in hoc Concilio, ſimul cum Neſtorio damnati ſunt. Quod indicatur hic cùm damnatur Cœleſtius maximus Pelagii defenſor, ut propterea idem D. Auguſtinus librum ſcripſerit de gratia Chriſti & peccato originali contra Pelagium & Cœleſtium, utriuſque errores eodem libro refutans, quod idem ſentirent, nullius gratiæ interioris voluntatem commoventis neceſſitatem agnoſcentes, nec Chriſtum ob redemptionem quæ perſonam infinitæ digni-

Pelagiani damnati cum Neſtorio.

Redemptionis myſterium impugnatum à Neſtorio & Pelagio.

Concilia non ſemper neceſſaria.

Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus dixit: Quæ compendio quodam ſummatimque ac breviter per ſacram Synodum Nicænam expoſita fuerant, eadem pietas tua ſubtilius commodiuſque explanat, fidei ſententiam accuratiorem luculentioremque nobis reddidit. Cum ergo in prædictis nihil ſit ambiguum, nihil diſſentaneum, ſed omnia cum ſibi ipſi, tum conſtitutæ fidei ſint conſona, eaque integritate & conſtantia decurrant ſingula, ut nullam penitus novitatem afferant, ego quoque qui eandem fidei ſententiam à ſanctis Epiſcopis & Patribus meis ſuſcepi, hiſce calculum meum adjicio.

Memnon Metropolitanus Epheſiorum dixit, &c ſic cæteri magnis encomiis hanc laudarunt epiſtolam.

CAP. IV. Sequitur epiſtola antigrapha Neſtorij ad Cyrillum. *Admirabilium litterarum contumeliæ quas iſque expromſiſti, &c.* dabitur infrà.

Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit: Nequaquam fidei quam Patres Nicæni explanarunt, conſentit. Atque ideò eos omnes anathematizo qui ita credunt: Etenim omnia hæc ſunt ab orthodoxa fide quam maximè aliena. *Sic cæteri variis verbis eam improbant.*

CAP. V. Poſt lectas Cœleſtini urbis Romæ Epiſcopi litteras ad Neſtorium quæ incipiunt, *Poſt impium illud prophanumque Pelagii ac Cœleſtii dogma ac ſæpènumero condemnatum*, Petrus Preſbyter Alexandrinus & Notariorum Primicerius dixit: His quæ modo audiviſtis, ſanctitas quoque piiſſimi Epiſcopi Cyrilli cognata ſcripſit, quæ in manibus habemus: etſi pietas veſtra juſſerit non grauatim recitabimus.

Flavianus Philippenſium Epiſcopus dixit: legantur iſtæc quoque, lectaque in Actorum commentaria referantur *&c. Cyrillus & Synodus ex Ægypti Provincia Alexandriæ congregata Neſtorio religioſiſſimo piiſſimoque ſacrorum comminiſtro in Domino ſalutem.* Cum Salvator noſter diſertè pronunciet: *&c.* Et ſi vero non legantur acclamationes Patrum, non dubium tamen quin & hic intervenerint. Imò hæc Epiſtola Præcipua fidei dogmata & xij. Anathematiſmos Cyrilli continet: & quod præcipuæ adnotandum eſt, proceſſionem Spiritus ſancti tam à Filio quam à Patre, eam enim negabat Neſtorius. Qua de re infra, cum id magni ſit momenti pro Eccleſia contra Græcos in controverſia de Spiritu ſancto.

Nota, de epiſtola cum Salvator &c.

CAP. VI. Poſt examinantur quæ reſpondit Neſtorius Epiſcopis à quibus illi datæ ſunt litteræ Cœleſtini, & ns qui amicitiæ causâ eum convenerant. In quibus obduratio Neſtorij magis agnoſcitur.

CAP. VII Flavianus Philipporum Epiſcopus dixit, examinandas eſſe ſanctorum Patrum ſententias, ac lectas in acta referri.

Leguntur que teſtimonia Patrum, quæ oſtendunt unum eumdemque eſſe Dei Patris & Virginis Filium, opponunturque blaſphemiis Neſtorij, ut ſic ex traditione lux affulgeat.

CAP. VIII. Repetuntur ex ſcriptis Neſtorij aliquæ ejus ſententiæ, ut magis pateat quæ ſit ejus mens.

Petrus Preſbyter Alexandrinus & notariorum primicerius dixit: Adſunt piiſſimi Neſtorij blaſphemiarum commentarij, ex quibus nonnullas pericopas ſelegimus. Has ſi placet vobis prælegemus.

Flavianus Philipporum Epiſcopus dixit: Legantur & in acta referantur. Idem dixerunt cæteri omnes.

CAP. IX. Legitur epiſtola Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi ad Synodum, ad quam propter bellum Wandalicum cum ſuis Epiſcopis venire non potuit. Ideòque miſit Beſulam diaconum, qui ſuas ſuorumque vices expleat, qui tunc advenerat.

Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus dixit & hoc, religioſiſſimi piiſſimique Carthaginis Epiſcopi epiſtola, quod dilucidam ſententiam in ſe contineat, Synodi geſtis inſeratur. Vult enim antiqua fidei dogmata obtinere: Nova vero & abſurdè excogitata & impiè divulgata reprobari ac proſcribi.

Omnes Epiſcopi ſimul exclamaverunt: Hæc omnium vox eſt. Hoc omnes, aſſerimus. Hoc omnium eſt votum.

CAP. X. Cum ad exactiſſimam Neſtorianæ cauſæ diſcuſſionem nihil ſupereſſet, nullaque ſpes reſipiſcentiæ in Neſtorio, Synodus legibus Eccleſiaſticis obſequi volens, in eum protulit ſententiam, cui præter abſentium vicarios, ducenti plus minus omnes magnæ eruditionis ſubſcripſerunt.

Damnatio Neſtorij.

SAncta Synodus dixit. Cum inter cætera religioſiſſimus Neſtorius, neque noſtræ citationi parere, neque ſanctiſſimos rurſum religioſiſſimoſque Epiſcopos noſtros ad ſe miſſos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impiè docuit examinationem animum non adjungere. Edocti itaque partim ex litteris, commentariiſque illius hic publicè lectis, partim rurſum ex concionibus, quas in hac Epheſiorum Metropoli habuit, partim denique ex teſtibus fide dignis, illum impiè docere & ſapere, per ſacros Canones, ſanctiſſimiq; Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi Cœleſtini Patris noſtri literas, lachrymis ſuffuſi & penè inviti ad lugubrem hanc ſententiam urgemur.

Sententia.

IGitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus quæ ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per ſacram hanc Synodum eumdem Neſtorium omni prorſus Epiſcopali dignitate privatum & ab univerſo nihilominus ſacerdotum conſortio & cœtu alienum eſſe decernit.

Huic autem exauthorationi Neſtorij inveniuntur ſubſcripſiſſe pluſquam ducenti Epiſcopi.

CAP. XI. Exauctorationis ſententia poſtridie quam deponeretur Neſtorius ad ipſum mittitur ſub hac formâ.

Sacra Synodus iuxta religioſiſſimorum Chriſtianiſſimorumque principum reſcriptum in Epheſiorum Metropoli per Dei gratiam coacta, Neſtorio novo Judæ.

Agnoſce te propter impias Conciones tuas, obſtinatamque adverſus ſacros Canones cõtumaciam, contumacemque obſtinationem vigeſimo ſecundo menſis Iunij jam decurrentis, juxta Eccleſiaſticarum ſanctionum decreta à ſacra Synodo exauctoratum atque adeò ab omni Eccleſiaſticæ dignitatis gradu amotum eſſe.

Hoc epiſtolium die exauctorationis illius proximè conſequtâ ad Neſtorium tranſmiſſum eſt.

CAP. XII. Continet aliam epiſtolam eodem die miſſam illuſtriſſimo Euchario reverendiſſimiſque Preſbyteris & Oeconomis, cæteriſque religioſiſſimis Catholiciſſimiſque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clericis, quâ epiſtolâ graviter monentur ut durante interregno Epiſcopatus bona diligenter aſſervent, tanquam ei rationem reddituri, qui Neſtorio in Epiſcopatu aliquando ſuccedet.

CAP. XIII. Poſt ſententiam in Neſtorium latam, Romani Pontificis legati adveniunt & in conſeſſum admiſſi Cœleſtini litteras exhibuerunt. Ij erant Arcadius & Protectus Preſbyteri, qui cum lecta eſſet Epiſtola Latinè ſcripta & cum omni veneratione ſuſcepta, peterentque Epiſcopi ut Græcè redderetur, dixerunt: Vetus conſuetudo habet ut Apoſtolicæ ſedis

diplomata Latinè proponantur, hoc sat esse solet. Nunc vero quoniam beatitudo vestra efflagitat, ut litteræ Græcè itidem relegantur, necesse fuit ut desiderio vestro fieret satis, &c. Sicque relectæ sunt Græcè, quod multi Episcopi Romanam linguam non callerēt.

CAP. XV. Lectis litteris Cœlestini, omnes piissimi Episcopi simul acclamaverunt: *Hoc rectum judicium, novo Paulo Cœlestino, novo Paulo Cyrillo, Cœlestino cum Cyrillo concordi: Cœlestino fidei custodi universa Synodus gratias agit, unus Cœlestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides terrarum orbis.*

CAP. XVI. Releguntur omnia decreta Synodi in exauthoratione Nestorij, eaque approbant Legati sedis Apostolicæ ac suis subscriptionibus confirmant, multis in Nestorium prolatis. Quod impio ore blasphemas voces promeret; quod bellum spirituale contra Christum Dominum movere non vereretur; quod miser emendationis inducias pro nihilo duceret, Apostolicæque sedis comminationem contemneret, &c.

CAP. XVII. Synodica epistola mittitur Constantinopolim ad Imperatores Theodosium & Valentinianum, quâ certiores redduntur de legatorum Romanorum adventu, & de Nestorij exauctoratione cum omnium consensu, rogantque ut omnibus in propria abire liceat, & novum creare Episcopum Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

CAP. XVIII. Synodica mittitur ad Archimandritas de gestis in Concilio.

CAP. XX. Dalmatius sanctæ vitæ Abbas legit litteras Synodi coram populo Constantinopolitano, qui anathema Nestorio ingeminat &c.

CAP. XXI. Charisius Presbyter & Philadelphensium Oeconomus conqueritur coram Synodo de sectatoribus Nestorij, qui Clericos fraude circumveniebant, ac novæ cuidam fidei confessioni seu Symbolo subscribere impellebant. Eâ autem arte consarcinata erat hæc fidei confessio, ut videretur unum Christum asserere cum duos reipsâ statueret. Hoc nimirum proprium est hæreticorum, ut notat D. Irenæus lib. 1. adversus hæreses, *Similia quidem nobis loqui, dissimilia sentire,* & D. Hieronymus epist. ad Pammachium & Oceanum. *Dum coguntur fidem suam profiteri sic verba temperant, sic ordinem vertunt & ambigua quæque concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Ac de Nestorio illud speciatim explicat S. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad reginas, hoc est Eudoxiam Theodosij uxorem, & Pulcheriam Theodosij sororem: ita ut rudiores arbitrarentur facilè eum consentanea fidei loquitur; at qui dicta illius exactius perscrutarētur, nihil non fucatum & perplexum deprehenderēt.

CAP. XXIII. Examinato Nestorianorum Symbolo vetat Synodus ne aliud à Nicæno, quo nomine comprehenditur & Constantinopolitanum, proponatur.

Decretum de Symbolo.

His itaque lectis sancta Synodus definivit, nulli in posterum aliam fidem præter eam quam sancti Patres Nicæni exposuerunt, offerre vel componere vel conscribere fas esse. Eos vero qui aliam fidem componere aut proponere, aut iis qui ex paganismo aut Judaïsmo, aut alio quocumque errore ad veritatis cognitionem redire volunt, offerre ausi fuerint: siquidem Episcopi extiterint, ab Episcopatus gradu, si vero clerici à clero alienos censendos esse: si autem laici, anathematis vinculo obstrictos teneri censuit.

Pari modo si qui deprehendantur sive ij Episcopi fuerint sive clerici sive laici, qui ea tenent aut docent quæ in expositione de unigeniti Filij De Incarnatione à Charisio Presbytero oblata continentur, aut scelerata quoque perversaque Nestorij dogmata quę eidem expositioni inserta comperiuntur, defendunt, ij ejusmodi sacræ & Oecumenicæ hujus Synodi sententiæ subjaceant; nempe ut Episcopus loco motus suam dignitatem amittat: Clericus verò à sorte sua depulsus censeatur: Laicus autem anathematis vinculo sicut prædictum est, constrictus habeatur.

Porro in illa expositione fidei Nestorianæ hoc habetur inter cætera. *Neque hac tamen ratione duos Filios aut duos Dominos inducimus, sed unum tantum. Quandoquidem unus tantum est per essentiam Filius nempe Deus Verbum, cum hoc tamen ille assumptus tam artam nostræ salutis causâ fortitus est conjunctionem, ut veri illius filij ac Domini nomine simul potiatur.* Quibus verbis intelligere possumus, non nisi affectualem quamdam unionem admisisse Nestorium inter Verbum Divinum & hominem illum qui ex Virgine natus est. Quare & cum illi obiceretur tam Patrem posse dici incarnatum ac Filium, quandoquidem homo ille ex Virgine natus, non minori affectione ferebatur erga Patrem, sicut & Pater erga ipsum, non respondebat. Sed hæc obiter ut magis eluceſcat Nestorij error.

Quia vero hæc potissimum spectant ad gesta Concilij contra Nestorium, quæ luculentius exposuit Gelasius Cizicenus tomo 2. Actorum Ephesinorum, et illo fere ad majorem fidem faciendam hactenus exprompsimus: reliqua quæ ad historiam ejusdem Concilij pertinent suppeditabit Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in suo Breviario, quem laudat Filesacus Facultatis Parisiensis decanus commentario in 2. part. commonitorij Lirinensis, quod cap. 5. & aliquot sequentibus breviter & dilucide rem totam explicaverit, quamvis Bellarm. in l. de Scriptoribus Ecclesiasticis, advertat cautè legendum esse prædictum Liberatum, sive quod ab aliquo depravatus fuerit, sive quod non bene assequutus sit historiæ veritatem, sive quod ut opinatur Baronius ad annum 435. à nescio quo Nestoriano incautè nimis, eam quam narrat mutuavit historiam, & sub uno cespite falsitatis multi latitant colubri. Nihil tamen in illo arguit Baronius ex iis quę hic dabimus, iis tamen præmissis quæ disertè de eodem Concilio exponit Vincentius Lirinensis l. p. Commonitorij cap. 2. qui hoc tempore vivebat.

Ex Vincentio Lirinensi.

QUod ne præsumptione magis nostra quam Ecclesiastica promere videremur; exemplum adhibuimus sancti Concilij, quod ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis Basso Antiochoque Consulibus. Ubi cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur; ne qua illic forsan prophana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet; universis Sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur; quorum alios Confessores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuisse, & permansisse constaret, ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu & decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanę novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cùm ita factum foret; jure meritòque ille impius Catholicæ vetustati cōtrarius, beatus verò Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset; etiam nomina & numerum (licet ordinem fuissemus oblati) edimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam, & legis sacræ proloquia exposita sunt, & divini dogmatis regula constabilita est. Quos, ad confirmandam memoriam, hic quoque recensere nequaquam superfluum est. Sunt ergo hi viri quorum in illo Concilio, vel tanquam judicum, vel tanquam testium scripta recitata sunt, S. Petrus Alexandrinus Episcopus, Doctor præstantissimus, & Martyr beatissimus: S. Athanasius ejusdem civitatis antistes, Magister fidelissimus, & Confessor eminentissimus: S. Theophilus ejusdem item urbis Episcopus, vir fide, vita, scientia, satis clarus: cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc illustrat Alexandrinam Ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis ac provincię doctrina hæc putaretur: adhibitæ sunt etiam illa Cappadociæ lumina, Sanctus Grego-

rius Episcopus & Confessor de Nazianzo, S. Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus & Confessor sanctus item alter Gregorius Nyssenus Episcopus, fidei, conversationis, integritatis & sapientiæ merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Græcia aut Oriens tantùm, verumetiam Occidentalis & Latinus orbis ita semper sensisse approbaretur: lectæ sunt quoque ibi quædam ad quosdam epistolæ sancti Felicis Martyris, & sancti Julij, urbis Romæ Episcoporum. Et ut non solùm caput orbis, verumetiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a Meridie beatissimus Cyprianus, Episcopus Carthaginensis & Martyr; à Septentrione sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato Decalogi numero Magistri, Consiliarij, testes, judicesque producti: quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio absque tædio, præsumptione, & gratiâ, de fidei regulis pronuntiavit. Quanquam multò amplior Majorum numerus adhiberi potuerit: sed necesse non fuit, quia neque multudine testiũ, negotij tempora occupari oportebat: & decem illos non aliud verè sensisse, quàm cæteros omnes collegas suos, nemo dubitabat. Post quæ omnia adjecimus etiam beati Cyrilli sententiam, quæ gestis ipsis Ecclesiasticis continetur. Namque cùm lecta esset sancti Capreoli Episcopi Carthaginensis epistola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, nisi ut expugnata novitate antiquitas esonderetur: ita Episcopus Cyrillus prolocutus est, & definivit: quod hic quoque interponere non abs re videtur: ait enim in fine gestorum: Et hæc, inquit, quæ lecta est epistola, venerandi & multum religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli, fidei gestorum inseretur: cujus aperta sententia est. Vult enim antiquæ fidei dogmata confirmari; novitia verò & superfluè adinventa, impiè promulgata, reprobari atque damnari.

Omnes Episcopi adclamaverunt: Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum, teneretur: quod adinventum nuper, explodereturr? Post quæ admirati sumus & prædicauimus, quanta Concilij illius fuerit humilitas & sanctitas, ut tot numero Sacerdotes, pene ex majori parte Metropolitani, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare. Quibus propterea ipsa in unum congregatio, audendi à se aliquid & statuendi, addere videretur fiduciam; nihil tamen novarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitùs arrogarent, sed omnimodis præcaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi à Patribus non accepissent, & non solùm in præsenti rem bene disponerent, verumetiam pòst futuris exemplo præberent, ut & ipsi scilicet sacratæ vetustatis dogmata colerent, profanæ verò Novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam sumus in Nestorij sceleratam præsumptionem, quod sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignoralle jactaret, quicunque ante se Magisterij munere præditi, divina eloquia tractavissent: universos scilicet Sacerdotes, universos Confessores & Martyres, quorum alij explanassent Dei legem: alij verò explanantibus consensissent, vel credidissent: totam postremò etiam nunc errare & semper erasse adseveraret Ecclesiam, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros, erroneosque Doctores & secuta esset & sequeretur.

Infantia Nestorij.

Ex Liberato.

SCripsit (Theodosius) aliam sacram ad universos Episcopos, ut Ephesum convenirent & ferrent de Nestorij & Cyrilli libris judicium: scripsit Imperator sacram & Beato Augustino Hipponensi Episcopo per Ecbanium Magistrianum ut ipsi Concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ecbanius veniens Carthaginem magnam, audivit à Campolo (legendum Capreolo) ipsius urbis antistite ex hoc mundo migrasse ad Dominum, &c. Cœlestinus verò Papa misit increpationis epistolam cum exhortatione ac vituperatione, quia errare non debuerit ab ejus ordinatione, &c. tribuens ei decem dierum spatium, hoc est à prima die acceptionis ejus epistolæ usque ad ultimam diem, ut si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, & revocaret ad Ecclesiam, qui propter Christum, qui est caput ejus, fuerant expulsi, cognosceret se ab ejus collegio & omnium Sanctorum Episcoporum consortio esse separatum, insinuans ei dedisse vicem suam in Concilio per epistolam suam, cujus principium est, Tristitiæ nostræ sanctitatis vestræ literæ, &c. qua Cyrillum admonuit, ut si per illos decem dies doctrinam suam minimè Nestorius emendaret, deponeret eum à communione Episcoporum vel Coëpiscoporum removendum, & providendum illi Ecclesiæ. Eadem de re pariter scripsit Joanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Hierosolymitano, & Flaviano Philippensi Archiepiscopis. Scripsit & ad cletum Constantinopolitanum, admonens eos contra doctrinam Nestorij fortiter stare, ejusque persecutiones patienter ferre, quæ fructus adferunt coronarum, scientes ab eo excommunicatos vel dejectos, in Apostolicæ sedis permanere communione. Continuò autem post Paschalem festivitatem Nestorius cum maxima multitudine venit Ephesum, & invenit plurimos Episcopos collectos. Porro Cyrillus Alexandrinus modicum retardatus, circa Pentecosten occurrit, & Juvenalis Hierosolymorum. Sed Joanne Antiocheno remorante, quæstionem movebant præsentes Episcopi de beata Maria Dei genitrice. Cyrillus autem deflorationes quasdam librorum Nestorij faciebat, cum perturbare volens. Erat enim (ut dicitur) ejus inimicus. Et cùm plurimi Deum confiterentur Jesum Christum: ego (inquit Nestorius) qui fuit duorum vel trium mensium, nunquam confitebor Deum: qua gratia ter mundus sum à sanguine vestro, & amodo ad vos non veniam. Et his dictis cum reliquis congregabatur Episcopis, qui ejus sententiam sequebantur. Præsentes ergo Episcopi in duos ordines sunt divisi. Porro Cyrillus cum suis habens vices sedis Apostolicæ, Concilio convocato ducentorum Episcoporum, Nestorium vocaverunt. At ille venire noluit, differens in præsentiam Joannis Antiocheni. Scripserat enim ipse Joannes de itinere Cyrillo, positus in sexta mansione, festinationem suam & itineris labores, animalium ruinas, & Episcoporum, qui secum erant, necessitates insinuans. Qui verò circa Cyrillum erant Episcopi, homilias, Nestorij, quas de hac quæstione protulerat, sæpiùs relegentes, priusquam Orientis Concilium, & aliquarum Provinciarum Episcopi ipsi Concilio conjuncti, ad Synodum occurrerent judicantes, Nestorium tanquam blasphemantem Dei filium, damnaverunt. Hòc facto circa Nestorium, Joannes & Episcopi, qui cum eo erant alterum Concilium apud se facientes, damnaverunt Cyrillum, & cum eo Memnonem Ephesiorum Episcopum. Post biduum verò venit Joannes Antiochenus, & cognoscens ista, quæ suprà diximus, & post hæc quæ gesta fuerant in damnatione Nestorij, & illa duodecim capitula Cyrilli in ipso Concilio suscepta & confirmata, indignabatur contra Cyrillum tanquam seditionis authorem, quod ferventissimè Nestorii fecisset damnationem. Qui autem cum Joanne convenerant Episcopi, id est, Alexander Apamiæ, Joannes Damasci, Asianus Seleuciæ, Alexander Hierapoleos, Aimerius Nicomediæ, Helladius Tarsi, Maximus Anasarbi, & cæteri numero 34. qui tunc cum eo Ephesi occurrerãt, querebantur de Cyrillo, dicentes: Secundùm jussionem principum, cur non sunt expectati aliarum Provinciarum Episcopi, ut quod modo judicavit de libris Nestorij, & de Cyrilli dictis, Concilium judicaret? Congregatis ergo illis Ephesi, Joannes contra Cyrillum & Memnonem ita invectus est: Optamus quidem secundùm regulas sanctorum

Simulata hæreticorũ innocentia.

De discordia Cyrilli alexandrini & Joannis Antiocheni. Ecclesiast. histor. ubi suprà 6. c.

ctorum Patrum, & ſecundùm litteras piiſſimorum & A Chriſtianiſſimorum Imperatorum noſtrorum cum pace fieri Synodum. Quoniam autem audacia & ſeditione, & hæretico ſenſu utentes, ſoli conſidentes, nobis, propinquantibus ſecundùm litteras piiſſimorum Imperatorum noſtrorum, ſecundam Synodum impleſtis, ut ne requirerentur capitula, quæ contravenerunt Apollinaris & Arrii, & Eunomii perfidiæ & impietati, neque expectaſtis præſentiam ſanctorum Episcoporum, qui undique à piiſſimis Imperatoribus convocati ſunt, cum magnificentiſſimus comes Candidianus in ſcriptis, & ſine ſcriptis præcepiſſet vobis, nil tale præſumere, ſed expectare commune omnium ſanctorum Episcoporum Concilium: ideò ſcitote, quod depoſiti eſtis, & alieni ab Episcopatu, Cyrille Alexandrine Epiſcope, & tu Memnon hujus civitatis, & omni Eccleſiaſtico miniſterio alieni, utpote univerſæ ſeditionis & iniquitatis authores, qui, ut regulæ patrum & Imperiales ſanctiones conculcarentur, cauſam dediſtis. Cæteri autem omnes, qui conſenſiſtis, agentes contra leges & adversùs ſanctiones Imperiales, excommunicati eſtis, donec agnoſcentes proprium delictum pœnitentiam agatis, & fidem ſanctorum Patrum, qui in Nicæa congregati ſunt ſuſcipiatis, nil aliud novum introducêtes, & anathematizetis hæretica capitula, quæ à Cyrillo Alexandrino Episcopo expoſita ſunt contra Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, & ſequamini literas piiſſimorum & Chriſtianiſſimorum Imperatorum noſtrorum, qui jubent quæri, & ſubtiliter de fide cum pace examinationem fieri. Hanc interlocutionem ſuam Joannes, & qui cum eo erant, adverſus Cyril- C lum & Memnonem Epheſi publicè proponentes, utrorumque damnationem litteris ſuis Imperatori inſinuaverunt, quarum eſt principium: Pietas veſtra præfulgens ad beneficium orbis terrarum. Poſt hæc advenerunt ab Heſperia ad Concilium legati Papæ Cœleſtini Arcadius & * Projectus Episcopi, & Philippus Eccleſiæ Romanæ Preſbyter. Quibus reſidentibus Cyrillus & Memnon obtulerunt libellos in Concilio, conteſtationem deponentes adversùs Joannem Antiochenum, & qui cum eo erant, Episcopos ut vocarentur, & redderent cauſas depoſitionis ſuæ. Vocati ergo à Concilio per Danielem Coloniæ ſecundæ Cappadociæ, & Commodum Tripolis Lydiæ, & Timotheum Thermeum Helleſponti Episcopos, unà cum Muſonio Notario, per interannuntiantem Diaconum tale acceperunt reſponſum: Neque vos mittatis ad nos, neque nos ad D vos quoniam de vobis reſponſum principis expecta mus. Igitur Cyrillus cum Memnone volentes ſe ulciſci Joannem damnaverunt, & omnes qui cum eo convenerant, qui multa mala pro faſtu utriuſque Epheſi pertulerunt. Porro Imperator per Joannē ſacram ſcripſit omni Concilio, & ad locum dicens: Neſtorii, Cyrilli & Memnonis damnationem ſuſcepimus, alia verò quæ apud vos geſta ſunt & damnata, reprehendimus, Chriſtianam fidem rectitudinemque cuſtodientes, quam ex patribus progenitoribuſque ſuſcepimus. Redeunt igitur de Concilio. Et ſeptem Episcopi ſatisfecere Imperatori, quia magnum & univerſale Concilium omnia regulariter agens, damnavit Neſtorium. His agnitis juſſit eos Imperator Eccleſiam ingredi, & pro Neſtorio alium ordinare Episcopum. Et poſt hæc E juſſit omnes Episcopos abire, quemque in propriam regionem. Et ita Joannes cum ſuis Antiochiam profectus eſt, ubi colligens plurimos Episcopos damnavit iterum Cyrillum, cum jam eſſet Alexandriæ; & ſicut Socrates dicit, cognoſcens Neſtorius per contentionem ad quandam perniciem perveniſſe partes, Dei genitricem Mariam vocabat, dicens: dicatur, inquit, etiam Dei genitrix, & ea quæ adſerunt diſſidium, conqueſcant. Sed nullus eum ex pœnitentia taha dicentem ſuſcepit. Quapropter hactenus damnatus eſt, & in exilium miſſus, in Oaſin habitare dignoſcitur. Poſt damnationem autem ejus, dura Conſtantinopoli turba contra Eccleſiam mota eſt, diviſuſque eſt populus propter tepidum ejus, ſicut dixi, tractatum. Clerici vero communi decreto eum anathematizaverunt. His ita provenientibus, de electione Episcopi rurſus quæſtio orta eſt. Multi enim Philippum quærebant Preſbyterum, qui ab Joanne cognominato Chryſoſtomo Diaconus fuerat ordinatus, multaque conſcripſit volumina contra Imperatorem Julianum apoſtatam. Alii verò Preſbyterum quærebant, quem ad Cyzicum Siſinnius Episcopum ordinavit. Qui priuſquam Cyzicum proficiſceretur, procedentes cives ejuſdem civitatis Dalmacium Monachum ſibimet ordinaverunt Episcopum, quoniam Attico * præceſſori Siſinnii ſolt hoc præſtare videbatur. Sed proceribus Palatij, ut fieret, diſplicuit, quod quidem factum eſt poſteà. Manebat ergo Proclus, non habens Eccleſiam propriam, B qui tamen in doctrina Eccleſiaſtica Conſtantinopoli valdè florebat. Cumque quatuor tranſiſſent menſes, poſt Neſtorij damnationem Maximianus ordinatur Episcopus, vita quidem Monachus, ordine verò Preſbyter, conſtans quidem fide, idiota autem ſermone, & ſub quiete vivere eligebat. Poſt paululū verò videns Imperator Cyrilli & Joannis permanſiſſe diſcordiam, intolerabilem judicabat eorum deſſentionem. Et vocans tunc ad ſe Maximianū Episcopum, & alios plurimos Conſtantinopoli tunc repertos Episcopos, quomodo tolleretur Eccleſiarum diſſentio, cogitabat. At illi dixerunt, quia non aliter hoc fieri poſſet, niſi priùs ſciretur & præferretur unius fidei vinculum, & Joannes Antiochenus Episcopus anathematizaret Neſtorium, & improbata dogmata ejus. Et gaviſo valde ſuper hoc Imperatore, nullus eſt hoc ipſum agere Ariſtolaus Tribunus, ſacram principis deferens Joanni & Cyrillo, in qua comminatus eſt utriſque Nicomediam pro exilio, niſi pacem haberent ad invicem. Scripſerunt autem & Episcopi è Conſtantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Eccleſiarum ſanctarum non aliter fieri conveniret, niſi omnia, quæ ab eo in cauſa inſcripta ſunt, epiſtolis, & tomis, & libris evacuarentur. Cyrillo verò hoc facere * importabile viſum eſt: verùm Joannes Antiochenus Imperatori mandavit: Propter illa ipſius capitula, fidem meam Cyrillo diri-gam, quam ſi ſuſcipiens ſubſcripſerit, communicabo ei: alioqui pacificus cum eo eſſe non poteto. Et congregans iterum Joannes apud Antiochiam Concilium, dictavit fidem, ita ſe habentem: Confitemur Dominū noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, D Deum perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore: ante ſecula quidem ex patre natum ſecundùm divinitatem, in fine verò dierum, eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem, de Maria virgine ſecundùm humanitatem. Duarum enim naturarum * unitio facta eſt propter quod unum Chriſtum unum Filium, unum Dominū confitemur. Secundum hanc inconfuſæ * unionis intellectum confitemur ſanctam Virginē Dei genitricem. Propter quod Deus Verbum incarnatum, eſt homo factus. Et ex ipſa conceptione * unit ſibi templum, quod ex ipſa ſuſcepit. Evangelicas verò atque Apoſtolicas de Domino voces ſcimus deiloquos viros quaſdam quidem conjungentes tanquam in una perſona: quaſdā dividentes tanquā ex duabus naturis, & divinores quidē atque altiores ſecundùm divinitatem Chriſti, humiliores autem ſecundum humanitatē ejus tradentes. In iſto ergo modo hāc fidei regulam interpoſuit Joannes epiſtolæ, cujus eſt principium: Dudum penſationē piiſſimorum principū, &c. quam tradidit Paulo Episcopo Emiſſeno, & direxit Alexandriam Cyrillo. In quam urbem veniens Paulus, & graviſſimè à Cyrillo ſuſceptus eſt, & ſine difficultate vel contentione (ut à multis putabatur) inviolatam fidem Orientalium ſuſcepit Episcoporum. Tunc Paulus dominico die fecit ſermonem in populo, præſente Cyrillo, & expoſuit capitulum de Evangelio Joannis: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Conſpice, inquit, Joannem duas naturas prædicantem, & unum Filium. Aliud enim habitaculum, & aliud

Sanct. Concilium.

Eccleſiaſt. hiſtor. Caſſiodor. l. 12. cap. 5.

Oaſis eſt idem quod eremus, &c.

Alias prædeceſſori.

De ordinatione Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi.

De pace Cyrilli & Joannis.

Alias impoſſibile.

Concilium Antiochenum.

Alias unio. Alias unitionis. Alias incarnatum & homo factum eſt. Alias univit ſibimet. Alias communicantes.

qui habitat. Aliud enim templum,& aliud qui habitat, Deus. Intendite eis,quæ dicta ſunt, togo. Non dixit,alter & alter, tanquam in duabus perſonis aut in duobus Chriſtis, aut in duobus Filis,ſed aliud & aliud,& ut in duabus naturis. Quando ergo dixit, *& habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas,tunc addit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Et in ſequentibus fidem quam Cyrillo portaverat, diſſerebat apertè prædicans, duas in Domino Chriſto naturas in una perſona. Et clamante populo: Benè venisti Orthodoxe,mox Cyrillus ſimilia tractavit, & inter cætera ait: Quid his clarius dici poteſt? Qua indigent hæc explanatione? Apertè nos docuit,quia aliud eſt,qui habitat,& aliud qui inhabitatur. Et aliud natura humana, aliud divina. Et concludens ſermonem ad confirmationem eorum,quæ à Paulo dicto ſunt: Conſpice(inquit) Joannem duas naturas prædicantem,& unum Chriſtum, duas naturas unigeniti,& unam perſonam. Et quando dixit: *Et habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas,tunc addidit hæc: *Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à Patre plenum gratiâ & veritate.* Hæc Cyrillus Paulo præſente tractavit,& Alexandrinam docuit Eccleſiâ ita de Chriſto credere,ſicut Paulo dudũ tractãte didicerat.

Hæc Liberatus tantiſper inclinans in favorem Neſtorianorum ut ſuprà monuimus. Nam & hic diſſimulat quæ fraudulenter egit Joannes Antiochenus poſt decretum conciliabuli in Cyrillum legatum Summi Pontificis & Memnonem Metropolitanum Epheſiorum, de quibus reſcripſit ad Theodoſium Imperatorem quod damnati fuiſſent cum Neſtorio ab Epheſina Synodo: quare miſit Imperator Joannem Comitem qui utrumque incarceraret cum ſummo mœrore cleri Conſtantinopolitani & omnium Patrum veri Concilij Epheſini: quod continuo ad ipſum ſeptem aut ſecundum alios octo Epiſcopos miſit, qui eum de rei veritate informarent, ac quam iniquè magni illi Præſules in carcere detinerentur, ſolumque Neſtorium damnatum fuiſſe a Concilio demonſtrarent: quare rei veritate perſpecta Theodoſius videns ſe deceptum fuiſſe, libertati confeſtim reſtitui juſſit.

Sed & idem Liberatus parcius agit de iis quæ Neſtorio acciderunt poſt damnationem ſuam,cui proinde ad pleniorem rei tam memorandæ notitiam dabimus in ſupplementum quæ vir doctus Canisius lib. 3. de Maria Deipara Virgine cap. 18. inter alia diſertè tradidit Sed enim, inquit, neque Patrum cenſura, neque Cæſaris ſeveritas vel pilo meliorem illum efficit, cum vitam profugam plenamque miſeris agere cogeretur. Nam ut meminit Suidas,contra Virginẽ ſacroſanctam bellum perpetuum geſſit, Dei genitricis vocabulum ubique exterminavit,neque blaſphemas in illam voces deſtitit identidem eructare. Quocirca tantæ matris honos ab hoſte nefario violatus,à filo filio tandem acriter vindicatus eſt providente ſimul Divino numine, ut Epheſini Concilij decretũ cœleſti pœnâ tanquam evidenti ſigillo munitum obſignaretur ac palã approbaretur. Etenim non ſatis fuit tale monſtrum à beato Patrum cœtu rejici, Sacerdotali honore ſpoliari, à Chriſtianis Principibus proſcribi, frequenti duroque exilio circumagi, & à bonis omnibus exitialem quaſi peſtem devitari, niſi & maledictæ linguæ quam toties in Mariæ contemptum flagituosè vibrabat, pœnas ſub mortem meritas daret. Igitur ut divinæ ultionis in illum ſævientis horrendum argumentum extaret,en tibi horrendos vermes ebullientes, qui carnificum loco miſſi blaſphemam Neſtorij linguam certatim corroderent, miſereque depaſcerentur. Ac neque terra ipſa hunc ſuum tam tetrum alumnum diutiùs ferre potuit: quandoquidem corpus ejus humo coopertum & abſorptum fuiſſe ſcribunt, nimirum ut rectâ detruſus blaſphemus ille ad inferos truculentiſſimæ inſaniæ pœnas lueret ſempiternas. Extant Cæſareæ ſanctiones Theodoſii, Valẽtiniani & Martiniani Auguſtorum quibus hic portentoſæ ſuperſtitionis author, ſic enim appellant, ejuſdemque ſcripta, publicè & ſeverè condemnantur. Non tantum verba Juſtiniani verè Chriſtiano Cæſare digna ſubjicienus. Anathematizamus, inquit, omnem hæreſim, præſertim verò Neſtorium Antropolatriam dividentem unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei & Deum noſtrum, nec diſertè & ſecundùm veritatem confitentem ſanctam glorioſam ſemper virginem Mariam θεοτόκον eſſe, hoc eſt Deiparam.

lib. 1. c. de ſũma Trin. & fide Catholica.

Quanquam Eccleſiæ politicæque leges prohibere non potuerint, quo minùs peſtilens Neſtorianiſmus Chriſtianum orbem latè pervaderet, multoſque Chriſti & Mariæ perduelles faceret, adeoque à veræ Eccleſiæ caſtris abductos exitio dederet ſempiterno. Certè Anaſtaſius Imperator quod Neſtoriano faveret dogmati à nonnullis inſimulatur. Coſdroas Perſarum Rex crudelis æquè ac impius, adeò Neſtorianis fuit addictus ut pleroſque ad errores eorum amplectendos adegerit, vi nefariam ſectam propagans atque confirmans. Prætereo Græcos, Jacobitas & Monachos quoſdam in Syria, quibus impura Neſtorij doctrina non ſine Chriſti Dei & Mariæ Deiparæ contemptu placuit, diuque retenta eſt. Ac, proh dolor, in Syria & Perſide ac toto fere Oriente in hanc uſque diem extant Eccleſiæ Neſtorianorum, qui ſuo Patriarchæ, (Jacelichum appellant) ſubjiciuntur, eique magna pars Orientis parere pergit. Potiſſimum verò id genus hominum circa Berut & Biblium in planitie Libani, contra Ituræam ſuas habere ſedes dicitur. Verum inter alios qui velut ſepultos Neſtorij cineres in orbem revocarunt & novum excitarunt incendium non multo poſt Synodum Epheſinam exiterunt ſeditioſi præſules Theodorus Mopſueſtienſis, Authimus Conſtantinopolitanus & Ibas Ediſſenus, qui ut novas in Eccleſia rixas gignerent contentioſè vociferabantur Mariam non Dei ſed hominis Matrem appellandam eſſe, quod ea purum hominem Chriſtum non Deum pepe riſſet.

Neſtorianiſmus adhuc viget.

Hæc & pluta alia Canisius, qui non mediocri doctrinâ ac eloquentiâ libros de corruptelis Verbi Dei edidit, ad tuendam intemeratam Virginem ab iniquis hæreticorum veterum & recentiorum conatibus, quibus depravatis ſacræ ſcripturæ textibus ejus gloriæ detrahebant. Quamvis quod ait Theodorum Mopſueſtienſem poſt Synodum Epheſinam Neſtorij errorem defendiſſe,minus probari poſſit; cùm præceſſerit Neſtorium Theodorus iſte, & ante ipſum, errorem hunc docuerit, ut ſuprà ex Leontio annotavimus, notat quoque D. Thomas 4, contra gentes cap. 39. Quod autem addit Liberatus tandem conſenſiſſe Neſtorium ut diceretur *theotocon*, nec additum fuiſſe in illa retractatione, ſuſpicamur id ita factum, quod non ſincerè id profiteretur, cùm hoſtis perpetuus fuerit B. Virginis, ut ex Suida dictum eſt. Advertit quippe Thomas Maſſutius de cœleſti converſatione lib. 3. quod nomen Matris Dei, in quo ſupremæ dignitatis gradus includuntur, ore blaſphemo ac ſacrilego detraheret Virgini Neſtorius, negans debere eam appellari Θεοτόκον, id eſt, Deiparam, ſed malignè detortâ pronuntiatione Θεότοκον, id eſt Dei filiam dicendam eſſe. Potuit ergo Neſtorius mutato accentu admittere nomẽ *theotocon* nec ſic emendatus apparere, nec enim ſolùm dixit Chriſtus Matth. 5. *Unum iota non præteribit à lege*, ſed etiam, *unus apex*. Quia tunc temporis nomen iſtud, poſito accentu in penultima ſyllaba, vox erat Catholica, poſito in antepenultima non erat. Quod etiam nos alibi obſervavimus in Theologia affectiva, ſeu Thoma meditante part. 3. tract. 2. medit. 11, editionis anni 1654.

Punitio Neſtorij.

Porro hoc conſecutum eſt poſt damnationem Neſtorij, ut majori cultu honoraretur B. Virgo, cui draco teterrimus laudes debitas invidebat, Deum filium volens illi tollere (Apocal. 12.) nam & ab eo tempore templa longe pulchriora illi ædificata ſunt, ut eſt illud, inter alia, quod ad littus maris ædificari fecit Pulcheria Auguſta apud Nicephorum lib. 15, cap. 2. Similiter & ſalutatio Angelica additamentum hoc *Sancta Maria Mater Dei*, quod ante in ea expreſſum non erat; acce-

pit, ut referunt Cedrenus & Evagrius apud Baronium anno Christi 436.

Sed satis datum est historiæ, reliquum est ut Canones & decreta subjungamus ad complendam primam partem istius Concilij. Incipimus autem à duodecim anathematismis, quos Nestor. opposuit anathematismis totidem quos in ipsum ediderat D. Cyrillus, omnia enim audent hæretici, ac ita se gerunt quasi penes ipsos esset summa rerum potestas, veraque fides ac religio extra eorum phantasiam nullibi extaret: unde ipsi infideles cùm sint ac impij, fideles ipsos ac pios anathemate audent persequi: ut vt sit ex ipsarum rerum oppositione ipsa veritas magis eluceſcat iis qui attentè ista omnia controversiarum puncta perspicient. Multa autem affingit Nestorius Cyrillo, quæ non asserebat, quod etiam fecerunt Orientales qui Joanni Antiocheno adhærebant, cùm impugnarunt illos anathematismis à D. Cyrillo in Nestorij doctrinam intortos, itidemque Theodoretus, vir alioqui magnæ doctrinæ & eloquentiæ, qui etiam in D. Cyrilli anathematismos tractatum edidit, ac cum Episcopatu privatus fuisset ac depositus, non priùs in Concilio Calcedonensi restitutus fuit, quin anathema Nestorio dixisset. Non frustra quidem, ut putat Sirmondus in ejus vita, cùm in favorem Nestorij contra D. Cyrillum ac vera ejus dogmata opus scripsisset, quod D. Cyrillus refutavit & quod improbarunt Orthodoxi omnes. Hs autem tractatus Orientalium & Theodoreti Episcopi Cyri videri poterunt inter volumina D. Cyrilli ac etiam Theodoreti, quæ non à multis annis Græcè & Latinè è prælo Parisiis prodierunt, illius quidem, operâ Auberti, hujus verò, operâ Sirmondi. Nobis hic satis erit post expositas Nestorij professiones fidei, adjungere anathematismis D. Cyrilli explicationes, quibus eos fusius declaravit, requirente hoc Synodo, ut magis essent perspicui.

NESTORII BLASPHEMIÆ in D. præcipuè Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum confictæ.

SI quis eum, qui est Emmanuël. Deum verum esse dixerit, & non potius, nobiscum Deum: hoc est, inhabitasse eam, quæ secundùm nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine susceperit, matrem etiam Dei Verbi, & non potiùs ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit, ipsumque Dei Verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit.

Audent & hæretici anathematizare ac damnare, quamvis ipsi damnabiles.

Si quis in Verbi Dei conjunctionem, quæ ad carnem facta est, de loco in locum mutatione, divina sententia esse dixerit factam, ejusque divinæ Naturæ carnem capacem dixerit, ac partialiter unitam carni, aut iterum in infinitum incircumscriptæ naturæ cùm extenderit carnem, accipiendum Deum, eundemque ipsum natura & Deum dicat & hominem, anathema sit.

Si quis non secundùm conjunctionem unum dixerit Christum, qui est etiam Emmanuel secundùm naturam, ex utraque etiam substantia, tam Dei Verbi, quam etiam ab eo hominis susceptí, in una Filii connexione, quam etiam nunc inconfusè servamus, minimè confitetur, anathema sit.

Si quis eas voces, quæ tam in Evangelicis, quàm in epistolis Apostolicis de Christo, qui est ex utraque, scripta sunt, accipiat tanquam de una natura, ipsique Dei Verbo tentat passiones tribuere tam secundùm carnem, quam etiam Deitatem, anathema sit.

Si quis unum esse post adsumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cùm sit Emmanuël, anathema sit.

Si quis post incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit, servi fane formam initium non habere cum Deo Verbo, & in-

creatam, ut ipse est, dicere tentaverit, & non magis ab ipso creatam confiteatur, quam naturam Dominum & Creatorem & Deum, quam & suscitare propria virtute promisit. *Solvite*, dicens, *templum hoc, & in triduo suscitabo illud*, anathema sit. Ioann. 2.

Si quis hominem, qui in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero patris *ante Lucíferum* natus est, & non magis propter unitionem, eum qui est naturaliter unigenitus, patris ingeniti appellatione confitetur eum participem factum, Jesum quoque alterum quempiam præter Emmanuel dicat, anathema sit. Psal. 109.

Si quis servi formam pro seipso, hoc est, secundum propriæ naturæ rationem, colendam esse dixerit, & non omnium dominam, & non potiùs per societatem, quam beata, & ex se naturaliter Domini unigeniti naturæ conjuncta est, veneratur, anathema sit.

Si quis formam servi consubstantialem esse dixerit Spiritui sancto, & non potiùs per illius meditationem, quæ est ad Deum Verbum, & ex ipsa conceptione habuisse dixerit conjunctionem, per quas communes nonnunquam in homines mirandas curationes exercuit, & ex hoc curandorum spirituum venietur esse potestatem, anathema sit. Hebr. 2.

Si quis illud in principio verbum, Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat, & non Emmanuelis esse Apostolum dixerit, oblationemque secundùm eandem dividat rationem ei, qui univit, si quis unius ad unam communitatem filii, hoc est, Deo quæ Dei, & homini quæ sunt hominis deputans, anathema sit.

Si quis unitam carnem, ex naturæ propriæ possibilitate vivificatricem esse dixerit, ipso Domino & Deo pronuntiante: *Spiritus est qui vivificat, caro nihil prodest*, anathema sit. Spiritus est Deus, at non pronuntiatum est. Si quis ergo Deum Verbum carnaliter secundùm substantiam carnem factum esse dicat, hoc autem modo & specialiter custodit, & maximè in Domino Christo post resurrectionem suam discipulis suis dicentem: *Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis*, anathema sit. Ioannis 6. Luc. 24.

Si quis confitens passiones carnis, eas quoque tanquam Verbo Dei tribuerit, quas etiam carni, in qua factus est, aut adhibuerit, non discernens dignitatem naturarum, anathema sit.

EXEMPLAR SACRILEGÆ expositionis Nestorij, de qua Charissimus conquestus est.

EOs, qui nunc in primis imbuuntur Ecclesiastici dogmatis diligentia, aut ex aliquo volunt hæretico errore ad veritatem converti, doceri & confiteri oportet, quia credimus in unum Deum patrem æternum, neque postea incipientem ut esset, sed qui est desursum æternus Deus: neque enim postea factum Patrem, quoniam utique semper Deus erat & Pater. Credimus verò & unum Dei Filium unigenitum de substantia esse patris, sicut verè est Filius, & ejusdem substantiæ constitutum, cujus est & creditur filius. Et in Spiritum sanctũ, qui ex Dei est substantia, non Filium, Deum verò esse substantiâ, sicut ejusdem constitutus substantiæ, cujus est Deus & Pater, ex quo secundùm essentiam est. *Nos enim*, inquit, *non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* A creatura quidem ejus universa separatus, Deo verò unitus, ex quo essentialiter est speciali modo præter omnem creaturam. Quem non secundùm substantiam, sed secũdùm causam creationis ex Deo esse arbitramur. Sed neque filium æstimantes, neque per filium sumpsisse substantiã. Confitemur verò Patris perfectam personam, & Filii similiter, & sancti Spiritus idemtidem, salva nobis pietatis ratione, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, *Nestorij Symbolum* Galat. 4. 1. Cor. 2.

non per aliquas diversas substantias æstimantes, sed unam proprietatem Deitatis cognoscentes. Oportet verò & de dispensatione, quam pro nostra salute, quam in Domini Christi dispensatione Dominus Deus perfecit, scire quoniam Deus Verbum hominem perfectum adsumpsit ex semine Abrahæ & David, secundùm pronuntiationem divinarum Scripturarum. Hoc
Matth. 1. constitutum natura quod erat illi, ex quorum erat & semine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali & carne humana constantem, per quem hominem constitutum secundùm nos per naturam, Spi-
Galat. 4. ritûs sancti virtute in virginis vulva firmatum, *factum ex muliere, & factum sub lege, ut omnes nos à servitutis lege redimeret*: ante jam prædestinatam adoptionem accipientes inenarrabiliter sibimet uniens, mori quidem eum secundùm legem humanam faciens, *susci-*
Ephes. 2. *tans* verò *ex mortuis*, & perducens in cœlum, *& considere faciens ad dexteram Dei*. Unde super omnes constitutus principatus, & potestates, & dominationes, & virtutes, & omne quod nominatur nomen, non solùm in hoc seculo, verumetiam & in futuro, ab omni creatura accipit adorationem, sicut inseparabilem à divina Natura habens copulationem, relatione Dei & intelligentia omni creatura adorationem exhibente. Et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos, quoniam unus filius Patris secundùm substantiam, Deus Verbũ unigenitus Filius Patris, sicut iste conjunctus, & particeps constitutus Filij communicat nomine & honore, Dominus secundùm essentiam, Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideò neque duos filios hos dicimus, neque duos Dominos, quia manifesto constituto secundùm substantiam Domino & filio, inseparabilem tenet ad eum copulationem, qui causa nostræ salutis adsumptus, confertur nomine & honore Filio & Domino. Non sicut unusquisque nostrum secundùm seipsum constitutus est Filius, unde & multi secundùm beatum Paulum dicimur filij, sed solus præcipuum habens hoc, quod ad Dei Verbi copulationem adoptione & domination participans. Aufert siquidem omnem suspicionem dualitatis Filiorum & Dominorum: præstat verò nobis in copulatione ad Deum Verbum omnem habere ipsius fidem & intelligentiam & theoriam, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni suscipit creatura. Unum igitur Filium dicimus, & Dominum Jesum Christum per quem omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, substantialiter Filium Dei & Dominum, consuspicantes autem assumptum à Nazareth, quem unxit Deus spiritu & virtute, sic in Verbi Dei copulatione adoptionis participante & dominationis, qui & secundus Adam secundum beatum dicitur Paulum, sicut ejusdem quidem naturæ constitutus cujusdam. Demonstrans verò nobis futurum statum, & tantam habens ab illo differentiam, quanta si facta fuerit inter enarrabilia administrantẽ in futuro seculo bona, & inter eum, qui præsentium tribulationum dedit initium. Simili verò modo & secundus Adam vocatur, sicut se-
Christus alter Adã dicitur. cundum statum demonstrans: quoniam primi quidem exordii factus est Adam mortalis, & passibilis, & mul-
1. Cor. 15. tis plenus doloribus, cujus & nos suscepimus similitudinem. Secundi verò ostendit Dominus Christus, qui de cœlo in futuro apparens, omnes nos ad suam perduci communionem. *Primus* enim, inquit, *homo ex terra terrenus: secundus homo de cœlo*, id est, exinde apparitu-
Ibidem. rus, ut omnes ad imitationem perducat suam. Unde subjunxit: *Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœlestis, tales & cœlestes: & sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* In eo verò apparente, & ab omni viso, qui in futuro judicandi sunt, invisibiliter constituta faciet judicium divina Na-
Actor. 17. tura. *Tempora* enim *ignorantiæ nostræ prætermittens Deus nunc præcepit hominibus ubique pœnitentiam agere, quoniam statuit diem, in quo judicaturus est universum orbem in justitia, in viro, quem prædestinavit, fidem præstans, resuscitans eum à mortuis.* Hæc est Ec-

A clesiasticorum dogmatum doctrina, & omnis qui his contraria sapit, anathema sit. Omnis qui non salutarem pœnitentiam suscipit, anathema sit. Omnis qui non celebrat sacrum diem Paschæ, secundum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ regulam, anathema sit.

DECLARATIO DVODECIM CAPITVM & anathematismorum, à Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino, Epheſi ſacra Synodo latiorem illorum explicationem, petente dicta.

CONſpicua ſunt intelligentibus omnia, & recta ſcientiam invenientibus, ſicut ſcriptum eſt. Hi
B namque qui ſacra divinæ Scripturæ verba acuto & puro oculo introſpiciunt, utilitatis loco divinum quemdam & cœleſtem ex illis theſaurum in animos ſuos recondunt. Qui verò mentem habent ad mendacium procedentem, & quorumdam dicacitate devictam, vanæque ſcientiæ amantem, conſortes illorum erunt, de quibus beatus Paulus dicit: *In quibus Deus hujus ſeculi, ſenſus infidelium excæcavit, ut non ſplendeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Chriſti. Sunt enim cæci, & duces cæcorum.* Quapropter & in fovteam perditionis incidunt. Sicut namque Servator ipſe alicubi dicit: *Si cæcus cæco ducatum præſtiterit, ambo in foveam cadent.* Nũgantur itaque nonnulli contra veritatis dogmata, ac mentem diabolica improbitate refertam habentes, veritatis myſterium urgenti ſtudio adulterare
C conantur, incarnationiſque unigeniti diſpenſationi haud mediocriter derogant, non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant, ſicut ſcriptum eſt. Sunt autem hujuſmodi impietatis inventores multi quidem, & alij ſuperioribus, & jam elapſis temporibus facti: nunc autem illorum impietate minimè inferiores. Neſtorius & qui cũm illo faciunt, ad exemplum priſcorum Phariſæorum Chriſto adverſantur, impudenter vociferantes. *Quamobrem tu, cùm homo ſis teipſum Deum facis?* Eſt itaque neceſſarium, ut adversùs illorum ſermones accingamur, & impura ac prophana eorum dogmata anathematizemus, memores Dei per vocem Prophetæ, dicentis: *Audite Sacerdotes, & conteſtamini domum Iſrael, dicit Dominus omnipotens.* Et iterum, *ingredimini per portas meas, & lapides à*
D *viis abjicite.* Oportet enim nos qui pro veritatis certamus dogmatibus, è medio ſubmovere offendicula, ne ullo pacto populi ad illa impingentes veluti per planam ſemitam ad ſacra & divina ſtabula veniant fere quotidie dicentes: *Hæc eſt porta Domini, juſti intrabunt per eã.* Cùm itaque Neſtorius ad excitandas turbas peregrina & impia dogmata libris ſuis inſeruerit, neceſſariò ſalutis eorum, qui illa lecturi ſunt rationem habentes, anathematiſmos conſtruximus, non ſtatim quicquid in mentem inciditſet admonitoriæ, quam ad ipſum ſcripſimus epiſtolæ inſerentes, ſed ut jam dixi, peregrina & aliena eſſe à pietatis dogmatibus dementiæ ipſius demonſtrantes convitia. Moleſtè verò nonnulli forſan quæ à nobis dicta ſunt, ferunt, vel non verè intelligentes vim eorum quæ ſcripta ſunt, vel
E impuræ Neſtorii hæreſeos propugnatores, & impietatis illius, eadem ſentientes participes facti. Latet itaque veritas neminem eorum qui rectè ſapere conſueverunt. Quoniam autem veriſimile eſt futuros quoſdam qui non intelligant quomodo anathematiſmi iſti adversùs illorum ſunt inducti nugas, neceſſe exiſtimavi, utſingulos breviter exponam, & quantum fieri poteſt vim illorum perſpicuè doceam, futurum eſt enim ut arbitrer, hoc inſtitutum conducibile ad utilitatem legentium.

Anathematiſmus primus.

Si quis non confitetur Emmanuẽlem ſecundùm veritatem eſſe Deum, ideoque ſan-

2. Cor. 4.
Matth. 15.
Ibidem.
Isaiæ. 29.
Amos 3.
Hieremi. 7.
Psalm. 117.

Virgo Dei-para.

ctam Virginem esse Deiparam (carnaliter enim Verbum ex Deo Patre carnem factum genuit) anathema sit.

Declaratio.

Beati Patres olim Nicææ congregati, cum rectè, & irreprehensibilis fidei determinationem exponerent, credere se dixerunt in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium ejus. Et in Spiritum sanctum. Ipsum Verbum quod ex Deo est, per quod omnia facta sunt, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero incarnatum esse, & inhumanatum, passúmque & excitatum dixerunt. Cum enim unigenitum Patris Verbum secundum naturam Deus esset, *semen Abrahæ assumpsit*, sicut beatus *ad Heb. 2.* Paulus dicit: & nobis simile factum de carne ac sanguine participavit. Natum est enim secundum carnem è sancta Virgine, & homo nobis similis apparuit, non desinens esse Deus, absit, sed existens quod erat, & in divinitatis natura & gloria permanens. Dicimus igitur ipsum Verbum hominem esse factum, nec conversionem aut alterationem sui in id, quod non erat passum. Idem enim semper est, *nec mutationis obscuritatem pati sustinet.* Sed & neque commixtionem, neque confusionem, nec temperaturam aliquam essentiæ ejus cum carne factam esse statuimus. Dicimus autem Verbum carni rationalem habenti animam, modo nobis, nec intelligibili, nec dicendo, quem solum ipsum novit, esse unitum. Manst itaque Deus in assumptione quoque carnis, & est unus Dei ac Patris Filius, Dominus noster Jesus Christus, idem cum ante omnia sæcula & tempora, quatenus intelligitur Verbum esse Dei & character substantiæ ejus, tum in novissimis temporibus per dispensationem homo propter nos factus. Quoniam verò nonnulli nativitatem ejus secundum carnem ex sancta Virgine ad omnium salutem factam tollunt, quæ non hoc illi contulit, ut primum esse inciperet, sed ut nobis similis factus à morte nos & corruptione liberaret. Ob hanc causam primus noster anathematismus partim contra perversam illorum fidem vociferatus est, partim id quod rectè habet confitetur, Emmanuelem secundum veritatem Deum, & ob id sanctam Virginem Deiparam esse dicens.

Facebit.

Anathematismus secundus.

Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum esse, quod ex Deo est Verbum, atque unum esse Christi cum carne sua, eundem videlicet Deum simul & hominem, anathema sit.

Declaratio.

Scribit Divinus Paulus, sacer Divinorum mysteriominister *In confesso magnum est pietatis mysterium. Deus apparuit in carne, justificatus est in spiritu, visus est Angelis, prædicatus est inter gentes, fides illi habita est in mundo, assumptus est in gloria.* Quid igitur est quod dicit, *Deus apparuit in carne?* hoc est: Verbum ex Deo Patre caro factum est, non secundum transmutationem, aut conversionem in carnem mutatum, sicut jam diximus, sed magis quod carnem ex sancta Virgine sumptam propriam sibi fecerit, unus & idem appellatus Filius, ante incarnationem, túncque carnis expers, & Verbum tantum, post incarnationem verò idem existens in corpore. Propterea dicimus eum simul & Deum esse & hominem, non dividentes illum in hominem separatim & seorsum considerandum, & in Deum Verbum separatum, ne duos cogitemus esse Filios, sed unum confitentes & Christum esse & Filium & Dominum. Eos verò qui causam hanc non ad hunc modum habere suspicantur, aut non sic credere volunt, sed eum qui unus est in duos *1. Tim. 3.*

Filios dividunt, & quæ secundum veritatem sunt conjuncta à se invicem separant, dicúntque hominis cum Deo conjunctionem duntaxat, secundum dignitatem, vel authoritatem esse factam, à recta & inculpata fide alienos esse dicimus. Itaque licet Apostolus nomine- *ad Rom. 1.* tur, & unctus, inque Filium designatus, dicatur non tamen erubescimus hanc dispensationem, sed ipsum Dei Patris Verbum, quando pro nobis homo factum est, tum sanè & Apostolum nominatum, & nobiscum secundum humanitatem unctum esse dicimus. Cum enim nobis sit simile factum, licet quod erat manserit, quæ humana tamen sunt non est aversatum, sed admittit potius simul cum humanitatis mensuris quæ sunt humana, propter dispensationem, nihil ex eo in proprua vel gloria, vel natura diminutum. Est enim, est inquam, etiam hoc pacto Deus, ac Dominus omnium.

Anathematismus tertius.

Si quis in uno Christo subsistentias post factam illarum unionem dividit, conjunctione tantum illa, quæ sit secundum dignitatem, vel authoritatem, & non magis coitione, secundum naturalem unionem connectens, anathema sit.

Declaratio.

Dispensationis unigeniti cum carne mysterium studiosè considerantes, admirabili & inenarrabili modo verbum Dei Patris sancto corpori rationalem animam habenti adunatum esse dicimus, itaque in unum esse Filium intelligimus, quemadmodum videlicet in nobis ipsis cernere licet. Est quidem anima diversæ à corpore naturæ, & tamen utraque conjuncta unum animal efficiunt. Verum sunt qui ista non ad hunc modum habere suspicantur, sed hominem nobis seorsim ac separatim statuentes, Dei patris illum verbo secundum solam dignitatem vel authoritatem non naturali, id est, vera unione, & sicut nos credimus, conjunctum esse dicunt. Nam ita, & divina Scriptura alicubi dicit: *Et eramus natura filij iræ sicut & cæteri*, dictionem naturæ, pro verè usurpans. Itaque qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum & hominem separatim ponunt, & conjunctionem illarum, eam intelligunt, quæ secundum solam sit dignitatem, duos omnino Filios statuunt, cum divina Scriptura & Filium & Dominum esse dicat. Proinde post inenarrabilem illam unionem eum Deum nominat Emmanuelem incarnatum, & humanatum Verbum, nos quod ex Deo ac Patre est intelligimus, & cum hominem eum esse dicit, nihilominus illud ipsum Verbum per dispensationem in humanitatis mensuris constitutum esse cognoscimus. Dicimus itaque eundem palpabilem cum sit impalpabilis, visibilem cum sit invisibilis. Non enim alienum ab eo corpus est, quod illi conjunctum est, quod & palpabile, & visibile esse dicimus. Eos verò qui ad hunc modum non credunt, sed quemadmodum dixi, subsistentias post unionem dividunt, nudámque conjunctionem quæ secundum solam sit dignitatem, vel authoritatem confingunt, propositus hic anathematismus alienos ab his esse judicat, qui quæ recta sunt sentire consueverunt. *ad Eph. 4.*

Anathematismus quartus.

Si quis voces illas quæ in Evangelicis & Apostolicis habentur litteris, sive de Christo à sanctis, sive ab ipso de seipso dictas, duabus Personis vel subsistentiis assignat, & alias tanquam homini separatim à Dei Patris Verbo intellecto, alius verò tanquam Deo comperentes soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.

Declaratio.

Cum Verbum Dei, ac Patris in ipſius eſſet forma,
ad Phil. 2. & qualitate *non eſt rapinam arbitratum quod Deo eſſet æquale*, ſicut ſcriptum eſt, *ſed magis ſeipſum ad ſpontaneam exinanitionem demiſit*, & in noſtram naturam deſcendit, non amittens quod erat, ſed magis etiam hoc pacto Deus permanens, & tamen humanitatis menſuram non deſpiciens. Sunt itaque ipſius omnia tam divina quàm humana. Etenim ubi ſeipſum exinanivit, ſi in humanitatis ſeſe menſuras demittere erubuit? Et ſi humana detractavit, quis illum neceſſitate ac vi aliqua ad hoc impulit, ut nobis ſimilis fieret? Univerſas igitur Evangelicas voces, tam quæ humanitatem, quàm quæ Divinitatem concernunt, uni Perſonæ adaptamus. Nam & unum credimus eſſe Filium Chriſtum Jeſum, hoc eſt, inhumanatum & incarnatum Dei Verbum. Itaque etiam ſi humanum quid ſcriptura de Chriſto dicat, humanitatis ejus menſuris hoc deputamus (eſt enim ipſius & humanitas, etiam ſi Deus eſſe dicatur) Deum qui humanatus eſt, eſſe credentes. Rurſus & quæ de humana natura ſonant Evangelicæ, voces uni Chriſto & Filio aſſignamus. Qui verò illum in duas Perſonas dividunt, omnino duos comminiſcuntur eſſe Filios. Quemadmodum enim hominem (quales nos ſumus) non in duas dividimus Perſonas, licet ex anima eſſe, & corpore intelligatur, ſed unus & idem homo eſt, ita & in Emmanuele faciendum eſt. Quoniam enim unus eſt Filius & Dominus, Verbum illud Dei incarnatum & inhumanatum, omnino etiam una eſt illius perſona, & huic aſcribimus, tam humana propter diſpenſationem illius cum carne ſuſceptam, quam divina, propter inenarrabilem illius quam ex Patre habet generationem. Qui verò illum dividunt, & partiuntur in hominem ſeparatim, tanquam alium præter Dei Verbum exiſtentem Filium, & in Deum ſeparatim tanquam rurſus alium exiſtentem filium meritò tanquam duos dicentes eſſe Filios, virtuti propoſiti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Anathematiſmus quintus.

Si quis Chriſtum deïferum hominem audet dicere, & non potius Deum ſecundum veritatem, tanquam unicum & naturalem Filium, quemadmodum Verbum caro, & carnis & ſanguinis perinde atque nos particeps eſt factum, anathema eſto.

Declaratio.

Verbum Dei divinus Evangeliſta Joannes carnem eſſe factum dicit, non ſolum tranſmutatione aut converſione propriæ naturæ in carnem muratum, ſicut jam prædiximus: (eſt enim inalterabile tanquam Deus) ſed quia conſimiliter nobiſcum in carne ac ſanguine communicavit, homóque factum eſt. Eſt enim in conſueto divinæ Scripturæ, ut hominem carnem vocet. Scriptum eſt enim, *& videbit omnis caro ſalutare Dei*. Sed impiorum dogmatum inventores Neſtorius, & qui cum illo faciunt, eadem videlicet cum illo ſentientes, ſimulant quidem confiteri ſe incarnationis vocem: verum non ſimul dicunt Verbum Dei ſecundum veritatem eſſe incarnatum, hoc eſt, hominem ad noſtri ſimilitudinem factum, ita ut quod erat manſerit, ſed velut in homine uno ex ſanctis, ex ſancta Virgine nato, unigenitum Dei Verbum habitare affirmant, ut jam non confiteantur, quod unus ſit Filius, & Dominus adorandus: ſed quod tanquam homo ſeorſim ac ſeparatim intellectus, ſola conjunctione ſecundum dignitatis unionem honorandus ſimul adoretur, & glorificetur. Habitat quidem in nobis omnium Deus, per ſanctum Spiritum. Nam & per unum ex ſanctis Prophetis dixit: *Quoniam habitabo in eis, & inambulabo in eis, & erò ipſis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Scribit & beatus Paulus, dicens: *An ignoratis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et ipſe Spiritus de ſanctis Prophetis, vel reliquis ſanctis, qui ante ipſum fuerunt, dixit: *Si & illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit: vos dicitis, quod blaſphemet, quia dixi, Filius ſum Dei*: verum non ita Deus in Chriſto, ſicut in nobis habitat. Erat enim natura Deus, etiam cum nobis ſimilis fieret, unus ac ſolus Filius, etiam cum caro fieret. Itaque qui Deiferum illum hominem dicere audent, & non magis inhumanatum Deum, merito propoſito ſubjacent anathematiſmo.

Anathematiſmus ſextus.

Si quis Verbum quod ex Deo Patre eſt, Deum ac Dominum Chriſti eſſe dicit, & non magis illum eundem confitetur eſſe Deum ſimul & hominem, ſicut Verbum caro factum eſt ſecundum Scripturas, anathema ſit.

Declaratio.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus & ſolus & ſecundum veritatem Filius Dei ac Patris exiſtens, cum Verbum illius ſit, caro factus eſt, & ſimul omnibus una cum genitore ſuo dominatur, *flectitúrque illi omne genu cæleſtium, terreſtrium, & inferorum, & confitetur omnis lingua quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit in gloria Dei Patris.* Eſt itaque idem ipſe Dominus omnium, juxta quod intelligitur & eſt Deus, licet non ſine carne poſt inhumanationem, ipſe verò ſuiipſius nec Deus eſt, nec Dominus. Eſt enim hoc omnium abſurdiſſimum, imò omni impietate re vera refertum, ſi ita ſentias aut dicas. Itaque meritò contra hanc impietatem propoſitus, eſt hic anathematiſmus.

Anathematiſmus ſeptimus.

Si quis Ieſum à Verbo Dei tanquam hominem actum & impulſum eſſe, & unigeniti gloriam illi tanquam alteri cuidam à ſe diverſo acceſſiſſe dicit, anathema ſit.

Declaratio.

Cum unigeniti Filij Dei generationem ſecundum carnem ſanctæ Virgini beatus Gabriel evangelizaret: *paries*, inquiebat, *Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe namque ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Nominatus autem & Chriſtus eſt, propterea quod nobiſcum humanitus unctus ſecundũ Pſalmiſtæ vocem dicentis. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis.* Quamquam enim cum ipſe ſit Spiritus ſancti ſuppeditator, illúmque non menſurate det his qui digni ſunt; (eſt enim plenus, & *de plenitudine ejus omnes accepimus*, ſicut ſcriptum eſt) per diſpenſationem tamen, ut homo unctus eſt: Dicitur & ſpiritualiter Spiritus ſanctus, non humanitus per omnia ſupra ipſum veniſſe, ut & in nobis permaneat, licet propter trangreſſionem Adæ principio à nobis fugerit. Ipſum itaque unigenitum Dei Verbum, caro factum, Chriſtus vocatum eſt, & cum propriam habeat potentiam, Deo competentem, miranda operatur. Proinde qui Chriſti potentiæ unigeniti gloriam acceſſiſſe dicunt, quaſi alter ſit præter Chriſtum unigenitus Dei, duos ſentiunt eſſe Filios alterum operantem, alterum verò illius operatione, tanquam hominem nobis ſimilem, impulſum: ob eam cauſam virtuti huſus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Luc. 1. Levit. 6. Pſal. 44. Joan. 1. Opinio Neſtorij explicatur.

Anathematiſmus octavus.

Si quiſquam aſſumptum hominem audet dicere unà cum Deo Verbo adorandum & glorificandum, Deumque tanquam alterum cum altero appellandum eſſe, & non magis una adoratione Emmanuëlem honorat, & unam illi glorificationem, ſicut * VERBVM CARO EST FACTVM, deputat, anathema ſit.

Verum quod Ioan. 1.

Declaratio.

Baptizati ſumus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Filium, & præterea in unumquoq; Spiritum Sanctum. Denique B. Paulus dicit: *An ignoratis quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus?* Sumus itaque illi conſepulti per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus excitatus eſt ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Credimus itaque & baptizati ſumus in unum, ſicut dixi, Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, hoc eſt incarnatum & inhumanatum Dei Verbum, ſumúſque unum adorare Deum edocti, & nobiſcum etiam cœleſtes virtutes. Scriptum eſt enim: *Cum induceret primogenitum in orbem dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Factus eſt autem unigenitus primogenitus, quando homo nobis ſimilis eſt factus. Tunc etenim & frater diligentium ipſum, eſt appellatus. Si quis igitur adorari eum tanquam hominem una cum altero præter ipſum exiſtente, videlicet Dei Patris Verbo, dicit, & non ſecundum veram unionem in unum Chriſtum & Filium & Dominum conjunctum una adoratione honorat, juſtè virtuti anathematiſmi hujus ſubjicitur.

ad Rom. 6.

ad Hebr. 1.

Anathematiſmus nonus.

Si quis dicit unum Dominum Ieſum Chriſtum à Spiritu tanquam aliena virtute, qua per ipſum ſit uſus, glorificatum eſſe, & ab illo accepiſſe, quæ contra Spiritus immundos operatus eſt, & quæ divinitatis ſigna inter homines perfecit, & non magis proprium ipſius eſſe Spriritum, per quem divinitatis ſigna operatus eſt, anathema ſit.

Declaratio.

Cum homo factum ſit unigenitum Dei Verbum etiam ſic tamen Deus manſit, omnia exiſtens quæ Pater eſt, ſolo hoc dempto, quod ille Pater eſt, & propriũ habens, quod ex Patre eſt. Et eſſentialiter inhærens illi Spiritus ſanctus ſigna illa divinæ potentiæ operatus eſt. Itaque etiam homo factum Deus manſit, atque ita propria virtute Spiritus miracula perfecit. Qui verò dicunt, quod tanquam unus ex nobis, Sancti videlicet, Spiritus, ſit glorificatus efficacia, quaſi non propriâ, ſed alienâ magis & non quomodo Deum decet, uſus, & quod gratiæ loco à Spiritu ſancto aſſumptionem in Cœlos acceperit, juſtè virtuti hujus anathematiſmi ſubjacebunt.

Anathematiſmus decimus.

ad Hebr. 3

Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum Scriptura dicit. Obtulit autem pro nobis ſemetipſum in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Si quis igitur Pontificem, & Apoſtolum noſtrum, non ipſum quod ex Deo eſt Verbum, & caro & homo, nobis ſimilis eſt factum, ſed tanquam quendam hominem præter ipſum, ſeparatim ab eo, ex muliere natum factum eſſe dicit: aut ſi quis Chriſtum etiam pro ſeipſo oblationem, & non magis pro nobis obtuliſſe dicit (non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non novit) anathema ſit.

Neſtorius errabat circa ſeipſum quemadmodum circa Sacerdotiũ Chriſti.

Declaratio.

Modici quidem momenti indubiè Verbo ex Deo Patre genito ſunt, quæ humana ſunt, veruntamen ab illo non contempta, propter diſpenſationem. Cum enim ſecundum naturam Dominus eſſet omnium, demiſit ſemetipſum in noſtram naturam, formâ ſervi acceptâ, appellatúſque eſt noſter Pontifex & Apoſtolus, humanitatis menſuris ad hoc illum vocantibus. *Obtulit autem ſemetipſum pro nobis, in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Unica quippè oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, ſicut ſcriptum eſt. At ignoro quomodo qui aliter ſentiunt, non ipſum Dei Verbũ hominem eſſe factum & Apoſtolum ac Pontificem confeſſionis noſtræ appellatum, affirmant: ſed quemdam præter ipſum ſeparatim hominem ex ſancta Virgine natum, Apoſtolum & Pontificem appellari, famulandique modo ad hoc muneris veniſſe, & non magis pro nobis, quam pro ſeipſo ſemetipſum Deo ac Patri obtuliſſe, id quod omnino à recta eſt & inculpata fide alienum. Peccatum enim non fecit. Qui verò ſuperior eſt omni delicto, & prorſus expers peccati, oblatione pro ſe nulla opus habuit. Quoniam verò, ut apparet, prævaricantes duos iterum Filios excogitant, qui aliter ſentiunt, neceſſariò poſitus eſt hic anathematiſmus, * ut veritatem perſpicuam redderet.

ad Hebr. 9.

al. palam faciens eorum impietatem.

Anathematiſmus undecimus.

Si quis carnem Domini non confitetur eſſe vivificam, & ipſius Verbi, quod ex Deo Patre eſt, propriam, ſed tanquam alterius cujuſpiam præter ipſum, ſecundum dignitatem quidem, aut tanquam qui Divinam dumtaxat inhabitationem ſit adeptus, cum ipſo conjuncti, & non magis vivificam, ſicut diximus, propterea quòd propria facta eſt Verbi, quod omnia vivificare poteſt, anathema ſit.

Declaratio.

Sanctum ac vivificum incruentúmque in Eccleſia celebramus ſacrificium, non hominis alicujus nobis ſimilis & communis corpus: conſimiliter & pretioſum ſanguinem eſſe, quod proponitur credentes, ſed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. Communis enim caro vivificare non poteſt. Et hoc ipſe Servator teſtatur, dicens: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Quoniam enim Verbi facta eſt propria, ob eam cauſam intelligitur, & eſt vivifica, ſicut Servator dicit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, etiam ille vivet propter me.* Quia verò Neſtorius, & qui cum illo ſentiunt, myſterii hujus virtutem temere diſſolvunt, propterea, idque valde meritò, conſtitutus eſt hic anathematiſmus.

Incruentum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

Ioan. 6.

ibidem.

Anathematiſmus duodecimus.

Si quis non confitetur Verbum Dei carne eſſe paſſum, carne crucifixum, & mortem carne guſtaſſe, primogenitum ex mortuis factum, quemadmodum & vita eſt, & vivificans ſicut Deus, anathema ſit.

Declaratio.

Impaſſibile quidem & immortale eſt Dei Patris Verbum. Ut enim excellentior eſt divina & incorrup-

præſide Photio, repodiatur, quoniam non habuit cooperarium, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem, nec illius Sacerdotes, nec per vicarios nec per provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis ſolet, hæc ibi. Quæ minimè dici poſſent de præſenti Concilio. Cui Papam Romanum cum Epiſcopis Occidentalibus cooperatum fuiſſe dici poteſt, per exhibitionem hujus libelli eorum vota & ſuffragia continentis.

Ut naufragia paſſa ſunt acta hujuſmodi, & varij diſſentanea de his ſcripſerunt, mirum videri non debet, ſi cum omnibus hiſtoricis hîc non conveniamus in omnibus. Etenim arguit Baronius ad annum Chriſti 381. Socratem, Sozomenum, Theodoretum quod præpoſtero ordine res hujus Concilij narraverint, putatque ſe firmiori ratione ſubnixum, ut concinno magis ordine geſta in eo proſequatur ſub conſulatu Eucharij & Siagrij, cùm alij ſub aliis Conſulibus res geſtas in eodem referant. Laudat eum ob hoc Binius, præferens ſupputationem Baronianam, illique magis conſonat Author vitæ Gregorij Nazianzeni; quæ ante mille annos à quodam Preſbytero Gregorio conſcripta eſt, de qua ſuprà fecimus mentionem: Ibi enim indicatur in una Synodo & confirmationem illius in Epiſcopum Auguſtæ urbis per Meletium Antiochenum Epiſcopum, & ejus demiſſionem ac renuntiationem pacis & concordiæ cauſa factam, adventantibus Ægyptiis Epiſcopis. *Adfuere*, ait Author hujus vitæ, *Epiſcopi tum ex Ægypto, tum ex Macedonia, Byzantium vocati, cùm adhuc ſupradicta Synodus in urbe eſſet.* De qua nempe antea dixerat. *Sub id verò tempus ex omni Romanorum Imperio, præterquam ex Ægypto & occiduis partibus ſanctæ Epiſcoporum centum & quadraginta Synodus coacta eſt, tum ut pium præſulem Auguſtæ civitati præficerent, tum ut hæreſes quæ interim dum Arriani rerum potirentur, exortæ fuerant, Oecumenici Concilii decreto ab Eccleſia extruderentur.* Idque magis conforme eſt iis quæ in carminibus de vita ſua ſuprà audivimus concinentem ipſummet Gregorium. *Heri me locaſtis in throno, nunc pellitis.*

Plures difficultates de hoc Concilio.

Arguit idem Baronius eos, qui quintum canonem hujus Synodi de Maximo Philoſopho cujus ordinationes irritæ declarantur, poſt alios editum eſſe putant; ac ante alios ipſum à Concilio ſanctum exiſtimat, quia cùm primum tractaretur de confirmando Gregorio Nazianzeno in Epiſcopatu, ſimul agendum fuit de abdicando Maximo qui contra Gregorium prætendebat.

Itemque eos qui Nectarium catechumenum adhuc, & imperitum in rebus Eccleſiaſticis, hominemque petitum è curia & qui hactenus intemperantius vixiſſet, ſuffectum fuiſſe in locum Gregorij abſoluriſſimi Theologi, perfectique Monachi ac Virginis ante obitum Meletij Patriarchæ Antiocheni arbitrantur. Adhuc quippe ſuffragium in Synodo habebat Gregorius cùm obiit Meletius hominum manſuetiſſimus ſicut de Moiſe dicitur, quemque tenerrimè complexus in Concilio ipſo Theodoſius Imperator eum ſine cujuſquam indicatione agnoſcens ex ſomnio in quo ipſi apparuerat, ac Imperij inſignia tradere viſus ſibi fuerat; ſicut enim jam dictum eſt, ob id plurimorum offenſam incurrit Gregorius, quod in ejus locum Flavianum nollet nominare. Denique advertit Socratem longè à veritatis ſcopo aberrare dum lib. 5. cap. 8. plures Patriarchatus in hoc Concilio inſtitutos aſſerit. Ut cùm demus de Patriarchatu Conſtantinopolitano hic primum actum fuiſſe, ſicut ad Canones annotavimus, non tamen tot Metropoles aut Patriarchatus quot ibi numerat, plures errores congeſſit, inſtituti fuerunt. Quo felicius Sozomenus lib. 7. cap. 9. ſenſum decreti Concilij à Theodoſio confirmati, aſſecutus ait non id ad diſtinguendas provincias factum fuiſſe, ſed ad deſignandos magis Orthodoxos Epiſcopos, quibus qui in fide communicarent, digni haberentur qui ad Eccleſiarum regimen aſſumerentur. Vide eumdem Baronium qui difficultates plures circa Concilia occurrentes ſic doctè explicat ac diſſolvit, ut meliori duce ad exeundum ex tot ſalebris, minimè opus ſit.

Meletius.

Cæterùm non parvi momenti eſt ad difficultates hujus Concilij profligandas quod aſſerit Chiffletius Opuſc. 2. in Vigilij Tapſenſis opera, ſcilicet Acolium Epiſcopum Theſſalonicenſem in Metropoli Macedoniæ legatum fuiſſe Damaſi Papæ, qui ejus nomine interfuiſſet Concilio, cùm in Illyrico ac in Oriente Vicarius eſſet Summi Pontificis. Sic ibi legitur pag. 42. Verùm iſte ſeu Primatus ſeu Vicariatus Apoſtolicus Epiſcopi Theſſalonicenſis longè eſt evidentior ex aliquot Romanorum Pontificum Epiſtolis, nuper anno 1662 Romæ editis in Lucæ Holſtenij collectione poſthumâ. Ibi pagina 43. Acholio Damaſus vices ſuas committit, ut in Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana Maximum Cynicum a nonnullis Epiſcopis Ægyptiis ordinatum exauthorari curet, quod & ibi factum eſt Canone ejus Synodi quarto. Sed in hac aſſertione deſideraret aliquis, ut Chiffletius magis expreſſe deſignaſſet hanc Epiſtolam. Fuit autem ille ſeu Acolius ſeu Acholius (varie enim à variis ſcribitur) vir magnus qui pluribus Synodis præfuit, de quo ſcribit D. Ambroſius epiſt. 22. ad Theſſalonicenſes, cùm recens è vivis ereptus eſſet: Quaſi Eliſæus inter arma inter acies dum vixit verſatus eſt, meritis ſuis componens prælia. Denique ubi ſecuritas cohabitantibus reddita eſt (quod ipſo fuit durius bello) ſanctum exhalavit ſpiritum, & quaſi Elias uſque ad cœlum raptus eſt.

Acolius Theſſalonicenſis præſul Gæ-alis.

De eadem re aliquid expreſſiùs refert Chriſtianus Lupus in ſcholiis ad Canonem 16. Sardicenſem. Hæc omnia, inquit, in quibus hactenus miſerè hallucinati ſumus, lucidè aperiri reſpondeo à Romana Bonifacij ſecundi Pontificis Synodo de cauſſa Stephani Lariſſeni Epiſcopi, Theſſalorum Metropolitæ adversùs Epiphanium Epiſcopũ C. P. Eccleſiaſticæ antiquitatis eruditio Eminentiſſimo D. Franciſco Cardinali Barberino, qui illuſtriſſimi D. Lucæ Holſtenij operâ produxit Synodum è Vaticana Bibliotheca in uſum publicum, ſummè eſt obligata. Hac igitur in Synodo duas habemus epiſtolas, quibus S. Acholio Theſſalonicenſi Epiſcopo, ad primam Synodum Conſtantinopolitanam cum ſuis Illyricis profecturo, S. Damaſus Pontifex dat inſtructiones varias, mandatque nullas deinceps permitti Epiſcoporum tranſlationes. Quod nempe ipſorum confirmatio ad illum ut Sedis Apoſtolicæ Vicarium pertineret, &c.

Circa ann. 380.

Porrò hujuſmodi inſtructiones à Damaſo datæ Acholio ad Concilium ituro inſinuant, illum vices ſuas geſſiſſe, ut non probabilitate omni careat, illa Acholij præſidentia nomine Damaſi. Quod tolleret potiorem difficultatem de præſide hujus Concilij. Sed dum hæc ex iſtis diſcutere libuerit, quibus ſupellex libraria magis abundat, ad ſequens Concilium accedimus.

CONCILIUM EPHESINVM.

SVB COELESTINO PAPA, Præſidente Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, tempore Theodoſij Junioris, contra Neſtorium alioſque hæreticos celebratum anno Chriſti 431.

SYnodus hæc tertia generalis Mariana dicta eſt, ſeu quod Epheſi in Templo D. Mariæ celebrata ſit, ſeu quod pro aſſerenda illius divina maternita-

nitate, contra impium Neſtorium Pauli Samoſateni nepotem, cujus hæreſim fere ſopitam ſuſcitare nitebatur, aſſerens Chriſtum non eſſe niſi purum hominem ac proinde beatam Virginem non poſſe dici Matrem Dei. Refutabat proinde beatam Virginem non poſſe dici Matrem Dei. Refutabat proinde vocem θεοτόκον. Sunt qui referunt cauſam erroris illius in ſtudium contradicendi Apollinari, quod non placet quibuſdam, ut doctori Filiaco *commentar.* in Lirinenſem qui hoc inſinuat. Alij probabilius, inter quos eſt Caſſianus lib. 1. cap. 2. & 3. de Incarnatione Chriſti, ad Pelagianos paulo antiquiores referunt, quorum opinione Salvator noſter de Mariâ Virgine natus quidem fuit, ſed qui poſt baptiſma Chriſtus & qui poſt reſurrectionem Deus evaſerit, quandoquidem paulatim per ſingularem vitæ ſanctimoniam promeruerit, ut ſe divina Majeſtas illi uniret atque ſociaret. Sic enim Pelagiani Neſtorianis valde amici & confœderati, vim ſimilem humanorum meritorum tam in capite quàm in membris, id eſt, in Chriſto & in Chriſtianis admittebant. Unde D. Auguſtinus ex adverſo illis ſe opponens, urget contra eos de prædeſt. ſanctorum cap. 15. Chriſtum præclariſſimum eſſe lumen prædeſtinationis, ut quemadmodum in illo natura humana ſine ullis præcedentibus meritis à Verbo in unitatem perſonæ aſſumpta eſt: itidem homo ſine meritis ad primam gratiam prædeſtinetur. Nolunt tamen alij quod hoc didicerit à Theodoro Monacho Apoſtata, qui poſtea Epiſcopus Mopſueſtiæ fuit, qui librum canticorum Salomonis ad cujuſvis etiam nequiſſimæ libidinis ſenſum interpretabatur, ut quis non miretur intemeratæ Virginis Mariæ incomparabilem dignitatem oppugnaram fuiſſe à proſtituti honoris & profligatæ vitæ homine. Is Theodorus & Dioſcorus Epiſcopus Tarſi, ut notat Leontius Bizantinus de ſectis Act. 4. totam ſcripturam commentariis illuſtrarunt, & in pretio habiti mortem oppetiverant, nec ipſis vivis, quiſquam dictum aliquod eorum reprehendebat, imò complures factis encomiis eos celebrarunt. Nam & Baſilius & Joannes Chryſoſtomus eos prædicant. Verum poſteà, moto dogmate Neſtoriano, coactus eſt Cyrillus qui & ipſe pridem eos laudaſſet, adverſus eos ſcribere, quod dogma ſuum Neſtorius ex eis confirmaret. Deprehenſum eſt enim cùm diſtribuere vellet ſacrarum litterarum voces, alias ad Divinitatem, alias ad humanitatem relatas, duas Chriſti Hypoſtaſes ſeu perſonas ac diviſionem introducere. Vivis quidem ipſis cur nemo contradixerit, factum ideò, quod pugnandi contra ſectas majores neceſſitas, ejuſmodi dogmata regeret. Neſtorij autem error eſt quod negabat factam eſſe unionem Verbi cum natura humana. Nec ſanctam Mariam vocabat Deiparam. Quod ſi Chriſtum & hominem & Deum appellabat, non ſenſu hoc faciebat quo nos, ſed affectionis reſpectu, quemadmodum de duobus amicis invicem valde ſe diligentibus eos habere unam animam dicimus, quod nimij amoris cauſâ eadem iis placeant. Itaque ut dilucidius explicat Vincentius Lirinenſis commonit. parte 1. cap. 17. inaudito ſcelere duos vult eſſe Filios Dei, duos Chriſtos: Unum Deum, alterum hominem: unum qui ex Patre, alterum qui ſit generatus ex Matre. Atque ideò aſſerit ſanctam Mariam non Θεοτόκον, ſed Χριστοτόκον eſſe dicendam, quia ſcil. ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo natus ſit. Quod ſi quis eum putat in literis ſuis unum Chriſtum dicere, non temerè credat: aut enim iſtud fallendi arte machinatus eſt, ut per bona faciliùs ſuaderet & mala: aut certè poſt partum jam Virginis ita in unum Chriſtum duas perhibet conveniſſe perſonas, ut tamen conceptus ſeu partus Virginei tempore & aliquanto poſtea duos Chriſtos fuiſſe contendat: ut cùm ſcilicet Chriſtus homo communis primum & ſolitarius natus ſit & nec dum Dei Verbo Perſonæ unitate ſociatus, poſtea in eum aſſumentis Verbi Perſona deſcenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat aſſumptus alia quamdiu tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuiſſe videatur. Et idem Vincentius cap. 21. Abſit ut ſanctam Mariam divinæ Gratiæ privilegiis ut ſpeciali glorià fraudare conetur; eſt enim ſingulari quodam Domini ac Dei noſtri, Filij autem munere, veriſſimè ac beatiſſimè Θεοτόκον confitenda. Sed non eo modo Χριστοτόκον quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur; quæ aſſerit eam Dei Matrem ſola appellatione dicendam, quod ſcilicet peperit hominem qui poſtea factus eſt Deus, ſicut dicimus Preſbyteri matrem aut Epiſcopi matrem non jam Preſbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed cum generando hominem qui poſtea Preſbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam ſancta Maria Χριστοτόκος, ſed ideò potiùs, quoniam ut ſuprà dictum eſt, jam in ejus ſacrato utero ſacroſanctum illud myſterium perpetratum eſt, quod propter ſingularem quamdam atque unicam perſonæ unitatem, ſicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt.

Theodorum & Dioſcorum.

Error Neſtorij quis?

Ex his intelligi poteſt mens Neſtorij, contra quem cùm plures ſcripſiſſent, maximè Cyrillus Alexandrinus ut ad ſanam mentem rediret celebrata quoque fuiſſent aliquot Concilia nationalia, & tentata ferè omnia ut errorem agnoſceret & ejuraret, tandem hæc Synodus coacta eſt ducentorum Patrum ad firmandam fidem antiquam Eccleſiæ Catholicæ. Antiquitus autem hæc Synodus non continebat niſi duodecim anathematiſmos D. Cyrilli contra Neſtorium quaſi duodecim articulos fidei, ſicut videre eſt in antiquo codice quem habebat D. Gregorius Magnus lib. 6. regiſtri epiſt. 31. qua de re conqueritur Joverius, ipſeque multa colligit ad hanc Synodum pertinentia, ut gratificer, inquit, Theologiæ candidatis eorumque induſtriam utcunque juvem. Sed & ante eum Gelaſius Cizicenus Preſbyter Græcus acta Epheſina fuſiùs conſcripſit quæ in ſex tomos diſtinxit & latinè interpretatur Theodorus Peltanus, quibus, in multis, ea congruunt, quæ Baronius & Bin. de eadem Synodo proponunt. Quia verò ex inſtituti noſtri ratione ſummam dumtaxat hic proponimus, ex iſtis omnibus Hiſtoriam primum Concilij dabimus, deinde cum decretis epiſtolas Synodicas, tum dubia ſolvemus, ſic omnia diſponendo ut nec rerum multarum prolixitas tædium aut confuſionem pariat, & ſic magis neceſſaria ubertìs explicando, ut rerum pondera immodicæ brevitatis ſtudio ac orationis celeritate non rapiantur.

PRIMA PARS.

Hiſtoria Epheſinæ Synodi, ac decreta ex variis Authoribus collecta.

NEſtorius genere Germanicienſis in litteris mediocriter inſtitutus, Antiochiæ porrò Presbyter & Eccleſiaſtes factus, non parvam eloquentiæ, caſtitatis & abſtinentiæ laudem ſua tulit ætate. Eum Theodoſius Conſtantinopolim accerſivit & poſt Siſinium florentiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſulem conſtituit: erat is natura vehemens, contentioſus, arrogans, ob eloquentiam turgidus, ad popularem auram captandam intentus, veterum ſcriptorum negligens: at in publica illa functione ut lupus ovilipelle tectus diu latere non potuit quin à fructibus cognoſceretur: ac prima mox concione, cùm civitatis aquam vix dum deguſtaſſet Imperatori ejuſmodi oratione affatus eſt: Da mihi, ô Imperator, terram ab hæreticis liberam & puram, & ego tibi cœlum reddam. Tu mihi hæreticos exſtirpa, & ego tibi Perſis delendis adero. Et ne aliud, quàm quod prædicabat ſentire, videretur quinto poſt electionem ſuam die precatoriam Arianorum ædem demoliri cœpit. Arriani fano ſuo ruinam impendere conſpicati, eaque de cauſa gravißimè incenſi, igne injecto non illud ſolùm, ſed magnam quoque vicinorum ædificiorum partem

flammis absumunt. Atque hinc natum est, ut Nestorius urbis incendium publicè appellaretur. Atque hoc ille incendio non contentus, quod celebrem Pauli Novatianorum Episcopi, famam, æquo animo ferre non posset, grave mox bellum contra Novatianos suscitavit. Sed neque Tetteradecatitæ quoque, qui per Asiam, Lybiam, & Cariam sparsi erant: tum illi quoque qui Miletì, & Sardis degebant, a furiis illius immunes fuere, imò verò tanta rabie illos præ cæteris persecutus est, ut majorem eorum partem ad internecionem usque deleverit. Ad hæc cùm Macedoniani Antonium Germensium Antistitem, qui Nestorij exemplo permotus, crudelissimè illos affligebat, per quotidam qui quæstum & voluptatem bono honestoque præferre soliti erant, è medio sustulissent, adeò exarsit, ut omnes Ecclesias quas Constantinopoli, & Cyzici, & in Hellesponto habebant illis ademerit. Denique quo unam suam hæresim statueret, ita contra omnis generis hæreticos sæviebat, tantasque turbas ea de causa passim concitabat, ut civitatem, quod quidem in se erat, in apertum aversionis discrimen adduceret. Verùm hæc tanta insani hominis in hæreticos rabies ab hæreseos suspicione quam a Theodoro Mopsuesteno & Paulo Samosateno hauserat, non diu illum tutata est. Modus autè patefacti veneni ejusmodi exstitit.

Erat Constantinopoli Presbyter quidam Anastasius nomine, Nestorio apprimè charus; utpote individuus peregrinationis ejus socius. Hic illius jussu & voluntate, ad Constantinopolitanum populum verba faciens, publicè in hæc verba prorupit: *Mariam Deiparam nemo vocato: homo enim fuit: ab homine autem Deus nasci non potest.* Hæc autem blaphemia cum gravissimè, ut par erat, fuisset excepta, ingens mox turba & seditio consecuta est. Porrò Nestorius qui blasphemam illam linguam comprimere debuisset, fœdumq; hominem a fidelium cœtu è vestigio proscribere, adeò non compressit, aut proscripsit, ut sacrilegæ sententiæ præconem, publicè quoque commendarit; idque non obiter, aut semel tantùm, sed frequentissimè, magnaque vocis contentione: oderat enim ille vocem Deiparæ, ut qui maximè, eamdemque veluti falsam, ubicunque se offerebat occasio, insectabatur acerrimè.

Predicatores impij

Accessit ad hæc Dorothei Episcopi concio, in qua coram Nestorio ipe sordidi quæstus prodens Religionem, anathema conclamavit omnibus qui Deiparæ vocem usurparent. Comprobat Nestorius, impius impium. Attollitur clamor populi, obstrepitur docenti, decurritur per urbem magno tumultu, ab nefarij hominis consortio fit secessio plebis, Senatus & Monachorum. Iteclamatur per vicos esse quidem in urbe regulum, Episcopum non esse. Furit inde Nestorius, magisque vulgantur interea per Orientem ejus conciones, contra quas fremunt Orthodoxi.

Quid multis? gliscentibus turbis, Ecclesiæque ærumnis, res Constantinopolitanæ in eum locum sensim adductæ sunt, ut sola Oecumenica Synodo sanari posse viderentur: Neque enim Nestorius de Deiparæ voce certamen tantùm movebat, sed ipsam quoque Christi divinitatem in quæstionem minimè obscurè vocabat: siquidem ad populum concionem habens, ita differere ausus est: *Eum, qui spacio menstruis adolevit, Deum non appellavero.* Rursum: *Ne glorietis Iudæi, Deum non crucifixisti.* Item, *quomodo Maria se antiquiorem peperit?* hæc & alia id genus complura Nestorius publicè; quæ eandem illam, cum Paulo Samosateno, & Photino mentem obtinere omnibus planum faciebant: utcumque Socrates, a Pauliana, & Photiniana impietate hominem vindicare contendat.

Nestorij dicta.

Neque verò Nestorius magni ponderis rationibus innixus erat, meris quippe negativis insistebat, sicut plumbus sectaris usitatum fuit. Idemtidem inculcans, nusquam divinam Scripturam dicere, Deum ex virgine natum, sed Jesum Christum Dominum, pro nihilo ducens Patrum authoritatem & doctrinam qui hactenus Mariam Dei matrem appellaverant.

A Cùm hæc Constantinopoli aguntur, quidam ex iis, qui Nestorij communionem aversabantur, in Ægyptum profecti, Cyrillo Alexandrinorum Pontifici, cujus summa per id tempus authoritas erat, miserandum Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum exponunt, ejusdemque fidem & opem in tanta illa rerum perturbatione enixè expetunt. Cyrillus nobilissimæ Ecclesiæ tranquillitati, Pastorisque ejusdem saluti consultum cupiens, scripsit brevem ad Nestorium Epistolam, hominem de turbis excitatis, deque periculis, in quæ sua imprudentia Ecclesiam conjecerat, amicè admonens: simulque, ne Virginem Matrem Deiparam nominare detrectaret, submisè eundem rogans. Respondit ad illa Nestorius, sed ita, ut Cyrillum insolentiæ accusaret verius, quam ullam omnino emendationis B spem faceret. Cùm verò turbæ illæ majora subinde incrementa sumerent, neque deessent quoque Constantinopoli, qui Nestorij impulsu gravissima flagitia Cyrillo imponerent, alteram rursum ad eumdem Nestorium paræneticam destinat; sed eodem eventu, quo priorem: quandoquidem pro amica & erudita admonitione, aliud nihil retulit, quàm maledicta meraque convitia. Epistolâ Nestorij præter multas probrosas maledicasque voces, ingentes quoque hæreseon fluctus palam eructante, acceptâ, Cyrillus rem deploratam animadvertens, quatuor assumptis Episcopis, provincialem Synodum Alexandriæ congregat; eidemque utriusque epistolas, ultrocitroque datas exhibet: & quidem communicato cum præsentibus consilio illarum exempla, ut & Synodi quoque Ægyptiacæ acta, ad Cœlestinum veteris Romæ Episcopum mittit; C ad Nestorium autem tertiam paræneticam scribit, cui quoque duodecim illa capita multùm celebrata, unà cum Anathematismis, adjunxit.

Cœlestinus Papa.

At verò Pontifex Cœlestinus posteaquam, quæ Cyrillus scripserat, accepisset, Nestorijque schedas, & exepeses, quas Antiochus illustris vir Romam detulerat, diligenter examinasset, sensumque ac mentem illius apertissimè inde perspexisset; de communi Episcoporum, quos ad rem præsentem vocaverat sententia, illi denuntiat, nisi intra decem dies resipiscat; & ea, quæ perperam docuerat & scripserat, retractet, adeoque publicè abjuret, ut veluti putridum membrum ab Ecclesiastico corpore resectus, è Sacerdotij dignitate & authoritate omnino excidat. Addit eos omnes sese pro sociis, communionisque consortibus D habere, quos ille, quòd pro recta fide stetissent, excommunicationi subjecerat.

Nestorius porro his à Cœlestino & alijs præterea ab aliis litteris acceptis: Nam & Joannes Anti. quoque in quo ille magnâ spem collocaverat, non solùm ut ab insania desisteret, prolixè illum admonuerat: sed litterarum quoque exempla, quas à Cœlestino & Cyrillo acceperat, ad eundem transmiserat: causæ sibi metuere cœpit: Audiverat enim Romanum Pontificem, & Cyrillum ad præcipuos orbis Episcopos de turbis, quas passim concitaverat; deque doctrinæ ratione quam in vulgus proseminabat, gravissimè scripsisse; eosdemque in tanta rerum perturbatione nequaquam silentium acturos esse. Sibi proinde rebusque suis prospectum cupiens, Theodosium August. adiit; eun- E demque multis impudentissimis mendaciis & calumnus, uti sacram comminationibus pleram ad Cyrillum scribat, eidemque silentium imponat, induxit. Verum enimverò, qui talibus fulminibus sanctissimum virum sese pessundaturum sperabat, magis illum, ut oppugnatæ fidei causam susciperet, exacuit. Etenim spiritu ex Imperatoriis litteris concepto, tres statim justæ magnitudinis libros, de recta in Dominum nostrum fide, ad Theodosium ejusdemque sororem & conjugem misit: Tum quò obortæ hæreseos causa, Oecumenica Synodus primo quoque tempore cogeretur, libero ore petiit. Petierat idem, Palatinorum qui magnas postea molestias Concilio attulerunt, ope frerus, Nestorius quoque. Verum omnium maximè istud

tegebant Monachi, ut qui propter atrociſſimas vexationes, quas ob oppugnatam religionem ſuſtinuerant, à Neſtorio alieniſſimi erant.

Theodoſius diſcrimen, quod Eccleſiæ, niſi excitatis turbis tempeſtivè obviam iretur, impendebat, animo pertractans; ſimulque eorum votis, qui Concilium cogi poposcerant, ſatisfacere volens; Auguſtalibus ad omnes ubique Metropolitanos miſſis, Epheſi ad ſacrã Pentecoſtes diem Synodum indixit. Adjecit non abſq; comminatione, ſe neminem, vel apud Deum, vel apud homines quoque excuſatum habiturum, qui ſtatim ad id tempus iſtic præſto non foret: Neque enim, ait, bonæ conſcientiæ ſe eſſe declarat, qui ad ſacrum Epiſcoporum conventum legitimè vocatus, venire detrectat. Neſtorius, quod Epheſus non ita procul Conſtantinopoli abeſſet, mox poſt Paſchales ferias cum magna turba ad præfinitum locum advolavit, multoſque jam tum Epiſcopos ibi congregatos comperit. Quin & Cyrillus quoque ante conſtitutum diem cum ſuis Ægyptiis præſto fuit. Quarto autem poſt Pentecoſten die, Juvenalis cum Palæſtinis Epiſcopis adfuit. Cœleſtinus Urbis & orbis Epiſcopus propter grandiorem ætatem, navigationiſque moleſtiam ad tantum iter parum animatus, & alias quoque præpeditus, vices ſuas Cyrillo commiſit: Qui ob id, ut & illius quoque ſucceſſores, Papalis mitræ, Papæque & univerſalis Judicis appellationem ſortitus fertur. Auguſtinus Hypponenſis Epiſcopus priùs è vivis exceſſerat, quam ſacram Theodoſianam per Ebagnium Magiſterianum ad ſe tranſmiſſam acciperet, pùque Imperatoris ſtudio ſatisfacere poſſet. Porro Capræolus Magnæ Carthaginis Archiepiſcopus, literis Theodoſij ad D. Auguſtinum datis, perſpectis, provinciali Synodo coacta, delectuque habito, aliquot idoneos Præſules ad ſacram Synodum mittere voluit: Verum ob temporis anguſtiam, regioniſque devaſtationem & ſolitudinem, id non potuit. Attamen ut id, quod poterat, præſtare voluiſſe jure videri poſſet, Peſulam Diaconum cum litteris, legitimiſque mandatis ad Oecumenicum Concilium, deſtinavit. Quæ publicè quoque perlectæ, plurimũ ab omnibus cõmendationis tulere. Omnibus itaque, quorum adventus certò exſpectabatur, præſentibus, ſolus Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus deſideratus fuit: ſive quod ad præfinitum tempus adeſſe non voluerit, magnis enim locorum intervallis ditionis illius urbes ab Antiochia, quæ nunc Theopolis appellatur, triginta, aut etiam plurium dierum intercapedine Epheſo abeſſe fertur, ſive etiam quod propter Neſtorium, vel aliam occultam cauſam tempeſtive adeſſe non voluerit.

Atque hactenus Synodi præambula, quibus plures ſubjungunt, quod minimè veritati conſentaneum arbitramur, Neſtorium interfuiſſe primæ ſeſſioni Synodi, ubi cum eum primo congreſſu acriter urgeret Cyrillus enixéque contenderet B. Virginem appellandam Θεοτοκον, id eſt, Deiparam, *ego*, ait Neſtorius diabolicam vocem emittens, ut plenus erat diaboli ſpiritu, *Dictum impium Neſtorij.* *Bimeſtrem aut trimeſtrem Deum non facile dixerim, proinde purus ſum à veſtro ſanguine, in poſterũ ad vos non veniam.* Quibus dictis cum ſex Epiſcopis qui à partibus ejus ſtabant, egreſſus, privatam deinceps Synodum agitaverit. Hæc, inquam, minimè vera cenſemus, quippe ut ex infrà dicendis patebit, contigerunt potius in privatis quibuſdam & nondũ Synodicis colloquiis quæ ante ipſam Synodum habebantur, cum Neſtorius inter primos Epheſum adventaſſet, ut conaretur in ſuam ſententiam pellicere Epiſcopos qui quotidie in urbem confluebant ex variis regionibus, quamvis parum profecerit.

Evangeliũ in medio Synodi. Multo autem verius quod annotat Cardinalis Baronius ad annum 431. ſedibus diſpoſitis & pro perſonarum dignitate tributis, ſanctum Evangelium in medio in ſede conſpicuâ poſitum fuiſſe, ut ſignificaretur Chriſtum Synodo præſidere. Quod teſtatur S. Cyrillus Apologiâ ad Theodoſium: Sancta Synodus in ſanA cta Eccleſiâ, quæ Mariana vocatur, congregata eſt, Chriſtumque aſſeſſorem capitis loco adjunxit. Venerandum eum Evangelium in ſancto Throno collocavit, veluti in aures Sacerdotum inclamans: *Juſtum judicium judicate: judicabitis inter ſanctos Evangeliſtas & Neſtorij voces.* Quod & ipſum teſtatur in Synodali epiſtolâ ad eundem Theodoſium, aſſerens ibi in medio poſitum Evangelium. Id ſcilicet in more erat. Quod & obſervatum in ſequenti Synodo Calcedonenſi, in qua in Act. 4. dicunt judices. *Quoniam Evangelia poſita à reverentia veſtra perſpeximus, &c.*

Collecta ſunt quæ ſequuntur ex Actorum Epheſinorum tomo 2. quæ Iſidorus Peluſiota ex Græco Gelaſij Cyziceni Latinæ linguæ reddidit. Vixit autem ille B *Gelaſius circa annum Domini 476.*

Ex Gelaſio Cyziceno.

CAP. I. POſt ſexdecim dies à Pentecoſte, in qua omnes Epiſcopos Epheſi adeſſe oportebat, cum nondum advenilſet Joannes Antiochenus Patriarcha, & plurimi tamdiu differre non poſſent ob varia incommoda, placuit Synodo initium facere. Lectâque Imperatorum Epiſtolâ ad omnes Metropolitanos, qui ad Synodum convocabantur; Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus dixit. *Acta Synodo.*

Sacra & magna hæc Synodus ſatis ſuperque hactenus cunctata, Deo dilectiſſimorum Epiſcoporum, qui venturi ſperabantur adventum expectavit: quia ergo C multi ex Epiſcopis in adverſam valetudinem inciderunt, tempus monet ut decretis facturi ſatis de his quæ ad fidem ſtatuendam pertinent, in orbis terrarum utilitatem, tandem aliquando differamus, &c.

CAP. II. Ante omnia autem viſum eſt vocandum eſſe Neſtorium, qui cum eſſet in urbe, nec diem Synodi habendæ ignoraret, ad illam non venerat. Miſſique ad eum tribus vicibus Epiſcopi plures. Quibus ipſe prima vice reſpondit. *Mecum deliberabo, & ſi-* *Neſtorij ſuſtinet.* *quidem me venire oportuerit, veniam.* Secunda vice idem, quod & ſex & ſeptem alij Epiſcopi qui cum ipſo Neſtorio erant ſimiliter reſponderunt. *Deliberabimus & ſiquidem ita viſum fuerit, craſtinâ die accedemus.* Tertia vice cum ex parte Synodi ad domum Neſtorij acceſſiſſent, ut eum ſcripto citarent & vivâ voce, non D ſunt admiſſi ad ei colloquendum, non parvâ multitudine militum fuſtibus inſtructorum ingreſſum impediente. Cumque urgerent reſponſum, tandem foras prodiens unus ex Clericis Neſtorij dixit ad Epiſcopos. Mihi quidem Neſtorium videre non licuit: per alios tamen ſignificavit, cum omnes Epiſcopi ſimul convenilſent, tum ſe quoque adfuturum: atque hoc ipſum veſtræ pietati renunciatum voluit.

CAP. III. Cum Synodus videret Neſtorium detrectare ejus conſpectum, Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit, legendum eſſe Symbolum Nicænum, ut ſententiæ cum eo conſentientes confirmentur, diſſentientes ejiciantur, & lectum eſt.

Petrus Alexandriæ Preſbyter & Notariorum primicerius, dixit legendam eſſe epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium, quam ad illum ſicut minus rectè ſentientem, E præſcripſerat, & lecta eſt. Lectâ autem hac epiſtolâ Cyrillus Alexandrinus dixit: Sanctitatem veſtram rogatam cupio, ut coram exponat, rectè ne & inculpatè, ſacroque Concilio Nicæno convenienter, hæc ſcripſerim, an ſecus.

Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit: Sacrum fidei Symbolum Niceæ quondam editum & paulo ante hic recitatum, & ſanctiſſimi ſacratiſſimique Archiepiſcopi Cyrilli epiſtolam, cæteráque omnia à ſacra illâ Synodo expoſita, per omnia ſibi conſentanea ac inter ſe conſentientia comperio. Quocirca piis hiſce dogmatibus aſſentior & ſubſcribo. *Hæc habetur in fine inter Epiſtolas incipitque*, comperi quoſdam exiſtimationi meæ detrahere *&c.*

Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus dixit: Quæ compendio quodam summarioque ac breviter per sacram Synodum Nicænam expósita fuerant, eadem pietas tua subtilius commodiusque explanat, fidei sententiam accuratiorem luculentioremque nobis reddidit. Cum ergo in prædictis nihil sit ambiguum, nihil dissentaneum, sed omnia cum sibi ipsi, tum constitutæ fidei sint consona, eaque integritate & constantia decurrant singula, ut nullam penitus novitatem afferant, ego quoque qui eandem fidei sententiam à sanctis Episcopis & Patribus meis suscepi, hisce calculum meum adjicio.

Memnon Metropolitanus Ephesiorum dixit, &c sic cæteri magnis encomiis hanc laudarunt epistolam.

Cap. IV. Sequitur epistola antigrapha Nestorij ad Cyrillum. *Admirabilium litterarum contumeliæ quas in me expromsisti, &c.* dabitur infrà.

Juvenalis Hierosolymorum Episcopus dixit: Nequaquam fidei quam Patres Nicæni explanarunt, consentit. Atque ideò eos omnes anathematizo qui ita credunt: Etenim omnia hæc sunt ab orthodoxa fide quam maximè aliena. *Sic cæteri variis verbis eam improbant.*

Cap. V. Post lectas Cœlestini urbis Romæ Episcopi litteras ad Nestorium quæ incipiunt, *Post impium illud prophanumque Pelagij ac Cœlestij dogma ac sæpènumero condemnatum*, Petrus Presbyter Alexandrinus & Notariorum Primicerius dixit: His quæ modo audivistis, sanctitas quoque piissimi Episcopi Cyrilli cognata scripsit, quæ in manibus habemus: etsi pietas vestra jusserit non grauatim recitabimus.

Flavianus Philippensium Episcopus dixit: legantur istæc quoque, lectaque in Actorum commentaria referantur *&c. Cyrillus & Synodus ex Ægypti Provincia Alexandriæ congregata Nestorio religiosissimo pientissimoque sacrorum comministro in Domino salutem.* Cum Salvator noster disertè pronunciet: *&c.* Et si vero non legantur acclamationes Patrum, non dubium tamen quin & hic intervenerint. Imò hæc Epistola Præcipua fidei dogmata & xij. Anathematismos Cyrilli continet: & quod præcipuæ adnotandum est, processionem Spiritus sancti tam à Filio quam à Patre, eam enim negabat Nestorius. Qua de re infra, cum id magni sit momenti pro Ecclesia contra Græcos in controversia de Spiritu sancto.

Nota, de epistola cum Salvator &c.

Cap. VI. Post examinantur quæ respondit Nestorius Episcopis à quibus illi datæ sunt litteræ Cœlestini, & iis qui amicitiæ causâ eum convenerant. In quibus obduratio Nestorij magis agnoscitur.

Cap. VII Flavianus Philipporum Episcopus dixit, examinandas esse sanctorum Patrum sententias, ac lectas in acta referri.

Leguntur testimonia Patrum, quæ ostendunt unum eumdemque esse Dei Patris & Virginis Filium, opponunturque blasphemiis Nestorij, ut sic ex traditione lux affulgeat.

Cap. VIII. Repetuntur ex scriptis Nestorij aliquæ ejus sententiæ, ut magis pateat quæ sit ejus mens.

Petrus Presbyter Alexandrinus & notariorum primicerius dixit: Adsunt piissimi Nestorij blasphemiarum commentarij, ex quibus nonnullas pericopas selegimus. Has si placet vobis prælegemus.

Flavianus Philipporum Episcopus dixit: Legantur & in acta referantur. Idem dixerunt cæteri omnes.

Cap. IX. Legitur epistola Capreoli Carthaginensis Episcopi ad Synodum, ad quam propter bellum Vandalicum cum suis Episcopis venire non potuit. Ideòque misit Besulam diaconum, qui suas suorumque vices expleat, qui tunc advenerat.

Cyrillus Alexandriæ Episcopus dixit & hoc, religiosissimi piissimique Carthaginis Episcopi epistola, quod dilucidam sententiam in se continent, Synodi gestis inseratur. Vult enim antiqua fidei dogmata obtinere: Nova vero & absurdè excogitata & impiè divulgata reprobari ac proscribi.

Omnes Episcopi simul exclamaverunt: Hæc omnium vox est. Hoc omnes asserimus. Hoc omnium est votum.

Cap. X. Cum ad exactissimam Nestorianæ causæ discussionem nihil superesset, nullaque spes resipiscentiæ in Nestorio, Synodus legibus Ecclesiasticis obsequi volens, in eum protulit sententiam, cui præter absentium vicarios, ducenti plus minus omnes magnæ eruditionis subscripserunt.

Damnatio Nestorij.

Sancta Synodus dixit. Cum inter cætera religiosissimus Nestorius, neque nostræ citationi parere, neque sanctissimos rursum religiosissimosque Episcopos nostros ad se missos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impiè docuit examinationem animum non adjungere. Edocti itaque partim ex litteris, commentariisque illius hic publicè lectis, partim rursum ex concionibus, quas in hac Ephesiorum Metropoli habuit, partim denique ex testibus fide dignis, illum impiè docere & sapere, per sacros Canones, sanctissimiq; Romanæ Ecclesiæ Episcopi Cœlestini Patris nostri literas, lachrymis suffusi & penè inviti ad lugubrem hanc sententiam urgemur.

Sententia.

Igitur Dominus noster Iesus Christus quæ suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sacram hanc Synodum eumdem Nestorium omni prorsus Episcopali dignitate privatum & ab universo nihilominus sacerdotum consortio & cœtu alienum esse decernit.

Huic autem exauthorationi Nestorij inveniuntur subscripsisse plusquam ducenti Episcopi.

Cap. XI. Exauctorationis sententia postridie quam deponeretur Nestorius ad ipsum mittitur sub hac formâ.

Sacra Synodus iuxta religiosissimorum Christianissimorumque principum rescriptum in Ephesiorum Metropoli per Dei gratiam coacta, Nestorio novo Iudæ.

Agnosce te propter impias Conciones tuas, obstinatamque adversus sacros Canones cõtumaciam, contumacemque obstinationem vigesimo secundo mensis Iunij jam decurrentis, juxta Ecclesiasticarum sanctionum decreta à sacra Synodo exauctoratum atque adeò ab omni Ecclesiasticæ dignitatis gradu amotum esse.

Hoc epistolium die exauctorationis illius proximè consequtâ ad Nestorium transmissum est.

Cap. XII. Continet aliam epistolam eodem die missam illustrissimo Euchario reverendissimisque Presbyteris & Oeconomis, cæterisque religiosissimis Catholicissimisque Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericis, quâ epistolâ graviter monentur ut durante interregno Episcopatus bona diligenter asservent, tanquam ei rationem reddituri, qui Nestorio in Episcopatu aliquando succedet.

Cap. XIII. Post sententiam in Nestorium latam, Romani Pontificis legati adveniunt & in consessum admissi Cœlestini litteras exhibuerunt. Ij erant Arcadius & Protectus Presbyteri, qui cum lecta esset Epistola Latinè scripta & cum omni veneratione suscepta, peterentque Episcopi ut Græcè redderetur, dixerunt: Vetus consuetudo habet ut Apostolicæ sedis

diplomata Latinè proponantur, hoc sat esse solet. Nunc vero quoniam beatitudo vestra efflagitat, ut litteræ Græcè itidem relegantur, necesse fuit ut desiderio vestro fieret satis, &c. Sicque relectæ sunt Græcè, quod multi Episcopi Romanam linguam non callerēt.

Cap. XV. Lectis litteris Cœlestini, omnes piissimi Episcopi simul acclamaverunt: *Hoc rectum judicium, novo Paulo Cœlestino, novo Paulo Cyrillo, Cœlestino cum Cyrillo concordi: Cœlestino fidei custodi universa Synodus gratias agit; unus Cœlestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi; una fides terrarum orbis.*

Cap. XVI. Releguntur omnia decreta Synodi in exauthoratione Nestorij, eaque approbant Legati sedis Apostolicæ ac suis subscriptionibus confirmant, multis in Nestorium prolatis. Quod impio ore blasphemas voces promeret; quod bellum spirituale contra Christum Dominum movere non vereretur; quod miser emendationis inducias pro nihilo duceret, Apostolicæque sedis comminationem contemneret, &c.

Cap. XVII. Synodica epistola mittitur Constantinopolim ad Imperatores Theodosium & Valentinianum, quâ certiores redduntur de legatorum Romanorum adventu, & de Nestorij exauctoratione cum omnium consensu; rogantque ut omnibus in propria abire liceat, & novum creare Episcopum Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Cap. XVIII. Synodica mittitur ad Archimandritas de gestis in Concilio.

Cap. XX. Dalmatius sanctæ vitæ Abbas legit litteras Synodi coram populo Constantinopolitano, qui anathema Nestorio ingeminat &c.

Cap. XXI. Charisius Presbyter & Philadelphensium Oeconomus conqueritur coram Synodo de sectatoribus Nestorij, qui Clericos fraude circumveniebant, ac novæ cuidam fidei confessioni seu Symbolo subscribere impellebant. Eâ autem arte consarcinata erat hæc fidei confessio, ut videretur unum Christum asserere cum duos reipsâ statueret. Hoc nimirum proprium est hæreticorum, ut notat D. Irenæus lib. 1. adversus hæreses, *Similia quidem nobis loqui, dissimilia sentire.* & D. Hieronymus epist. ad Pammachium & Oceanum. *Dum coguntur fidem suam profiteri sic verba temperant, sic ordinem vertunt & ambigua quæque concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Ac de Nestorio illud speciatim explicat S. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad reginas, hoc est Eudoxiam Theodosij uxorem, & Pulcheriam Theodosij sororem: utut rudiores arbitrarentur facilè eum consentanea fidei loquitur qui dicta illius exactius pericrutarētur, nihil non fucatum & perplexum deprehenderēt.

Cap. XXIII. Examinato Nestorianorum Symbolo vetat Synodus ne aliud à Nicæno, quo nomine comprehenditur & Constantinopolitanum, proponatur.

Decretum de Symbolo.

His itaque lectis sancta Synodus definivit, nulli in posterum aliam fidem præter eam quam sancti Patres Nicæni exposuerunt, offerre vel componere vel conscribere fas esse. Eos vero qui aliam fidem componere aut proponere, aut iis qui ex paganismo aut Judaïsmo, aut alio quocumque errore ad veritatis cognitionem redire volunt, offerre ausi fuerint: siquidem Episcopi extiterint, ab Episcopatus gradu, si vero clerici à clero alienos censendos esse: si autem laïci, anathematis vinculo obstrictos teneri censuit.

Pari modo si qui deprehendantur sive ij Episcopi fuerint sive clerici sive laïci, qui ea tenent aut docent quæ in expositione de unigeniti Filij De Incarnatione à Charisio Presbytero oblata continentur, aut scelerata quoque perversaque Nestorij dogmata quę eidem expositioni inserta comperiuntur, defendunt, ij ejusmodi sacræ & Oecumenicæ hujus Synodi sententiæ subjaceant; nempe ut Episcopus loco motus suam dignitatem amittat: Clericus verò à sorte sua depulsus censeatur: Laïcus autem anathematis vinculo sicut prædictum est, constrictus habeatur.

Porro in illa expositione fidei Nestorianæ hoc habetur inter cætera. *Neque hac tamen ratione duos Filios aut duos Dominos inducimus, sed unum tantum. Quandoquidem unus tantum est per essentiam Filius nempe Deus Verbum, cum hoc tamen ille assumptus tam arctam nostræ salutis causâ fortitus est conjunctionem, ut veri illius filij ac Domini nomine simul potiatur.* Quibus verbis intelligere possumus, non nisi affectualem quamdam unionem admisisse Nestorium inter Verbum Divinum & hominem illum qui ex Virgine natus est. Quare & cum illi objiceretur tam Patrem posse dici incarnatum ac Filium, quandoquidem homo ille ex Virgine natus, non minori affectione ferebatur erga Patrem, sicut & Pater erga ipsum, non respondebat. Sed hæc obiter ut magis eluceſcat Nestorij error.

Quia vero hæc potissimum spectant ad gesta Concilij contra Nestorium, quæ luculentius exposuit Gelasius Cizicenus tomo 2. Actorum Ephesinorum, ex illo fere ad majorem fidem faciendam hactenus exprompsimus: reliqua quæ ad historiam ejusdem Concilij pertinent suppeditabit Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in suo Breviario, quem laudat Filesacus Facultatis Parisiensis decanus commentario in 2. part. commonitorij Lirinensis, quod cap. 5. & aliquot sequentibus breviter & dilucide rem totam explicaverit, quamvis Bellarm. in l. de Scriptoribus Ecclesiasticis, advertat cautè legendum esse prædictum Liberatum, sive quod ab aliquo depravatus fuerit, sive quod non bene assequutus sit historiæ veritatem, sive quod ut opinatur Baronius ad annum 435. à nescio quo Nestoriano incautè nimis, eam quam narrat mutavit historiam, & sub uno cespite falsitatis multi latitant colubri. Nihil tamen in illo arguit Baronius ex iis quę hic dabimus, iis tamen præmissis quæ disertè de eodem Concilio exponit Vincentius Lirinensis 2. p. Commonitorij cap. 2. qui hoc tempore vivebat.

Ex Vincentio Lirinensi.

Quod ne præsumptione magis nostra quam Ecclesiastica promere videremur; exemplum adhibuimus sancti Concilij, quod ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis Basso Antiochoque Consulibus. Ubi cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur; ne qua illic forsan prophana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet; universis Sacerdotibus, qui illo ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur; quorum alios Confessores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuisse, & permansisse constaret, ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu & decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanę novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cùm ita factum foret; jure meritòque ille impius Catholicæ vetustati cōtrarius, beatus verò Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset; etiam nomina & numerum (licet ordinem fuissemus obliti) edimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam, & legis sacræ proloquia exposita sunt, & divini dogmatis regula constabilita est. Quos, ad confirmandam memoriam, hic quoque recensere nequaquam superfluum est. Sunt ergo hi viri quorum in illo Concilio, vel tanquam judicum, vel tanquam testium scripta recitata sunt, S. Petrus Alexandrinus Episcopus, Doctor præstantissimus, & Martyr beatissimus: S. Athanasius ejusdem civitatis antistes, Magister fidelissimus, & Confessor eminentissimus: S. Theophilus ejusdem item urbis Episcopus, vir fide, vita, scientia, facis clarus: cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc illustrat Alexandrinam Ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis ac provincię doctrina hæc putaretur: adhibitæ sunt etiam illa Cappadociæ lumina, Sanctus Grego-

rius Episcopus & Confessor de Nazianzo, S. Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus & Confessor: sanctus item alter Gregorius Nyssenus Episcopus, fidei, conversationis, integritatis & sapientiæ merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Græcia aut Oriens tantùm, verumetiam Occidentalis & Latinus orbis ita semper sensisse approbaretur: lectæ sunt quoque ibi quædam ad quosdam epistolæ sancti Felicis Martyris, & sancti Julij, urbis Romæ Episcoporum. Et ut non soldm caput orbis, verumetiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a Meridie beatissimus Cyprianus, Episcopus Carthaginensis & Martyr; a Septentrione sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato Decalogi numero Magistri, Consiliarij, testes, judicesque producti: quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio absque tædio, præsumptione, & gratiâ, de fidei regulis pronuntiavit. Quamquam multò amplior Majorum numerus adhiberi potuerit: sed necesse non fuit, quia neque multudine testiû, negotij tempora occupari oportebat: & decem illos non aliud verè sensisse, quam cæteros omnes collegas suos, nemo dubitabat. Post quæ omnia adjecimus etiam beati Cyrilli sententiam, quæ gestis ipsis Ecclesiasticis continetur. Namque cùm lecta esset sancti Capreoli Episcopi Carthaginensis epistola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, nisi ut expugnata novitate antiquitas defenderetur: ita Episcopus Cyrillus prolocutus est, & definivit: quod hic quoque interponere non abs re videtur: ait enim in fine gestorum: Et hæc, inquit, quæ lecta est epistola, venerandi & multum religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli, fidei gestorum inseretur: cujus aperta sententia est. Vult enim antiquæ fidei dogmata confirmari; novitia verò & superflue adinventa, impie promulgata, reprobari atque damnari.

Omnes Episcopi adclamaverunt: Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum, teneretur: quod adinventum nuper, exploderetur? Post quæ admirati sumus & prædicauimus, quanta Concilij illius fuerit humilitas & sanctitas, ut tot numero Sacerdotes, pene ex majori parte Metropolitani, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare. Quibus propterea ipsa in unum congregatio, audendi a se aliquid & statuendi, addere videretur fiduciam; nihil tamen novarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitùs arrogarent, sed omnimodis præcaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi a Patribus non accepissent, & non solùm in præsenti rem bene disponerent, verumetiam pòst futuris exemplo præberent, ut & ipsi scilicet sacratæ vetustatis dogmata colerent, profanæ verò Novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam sumus in Nestorij sceleratam præsumptionem, quod sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignoratle jactaret, quicunque ante se Magisterij munere præditi, divina eloquia tractavissent: universos scilicet Sacerdotes, universos Confessores & Martyres, quorum alij explanassent Dei legem: alij verò explanantibus consensissent, vel credidissent: totam postremò etiam nunc errare & semper erasse adseveraret Ecclesiam, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros, erroneosque Doctores & secuta esset & sequeretur.

Infantia Nestorij.

Ex Liberato.

SCripsit (Theodosius) aliam sacram ad universos Episcopos, ut Ephesum convenirent & ferrent de Nestorij & Cyrilli libris judicium: scripsit Imperator sacram & Beato Augustino Hipponenti Episcopo per Ecbanium Magistrianum ut ipsi Concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ecbanius veniens Carthaginem magnam, audivit à Campolo (legendum Capreolo) ipsius urbis antistite ex hoc mundo migrasse ad Dominum, &c. Cœlestinus verò Papa mittit increpationis epistolam cum exhortatione ac vituperatione, quia errare non debuerit ab ejus ordinatione, &c. tribuens ei decem dierum spatium, hoc est a prima die acceptionis ejus epistolæ usque ad ultimam diem, ut si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, & revocaret ad Ecclesiam, qui propter Christum, qui est caput ejus, fuerant expulsi, cognosceret se ab ejus collegio & omnium Sanctorum Episcoporum consortio esse separatum, insinuans ei dedisse vicem suam in Concilio per epistolam suam, cujus principium est, Tristitiæ nostræ sanctitatis vestræ literæ, &c. qua Cyrillum admonuit, ut si per illos decem dies doctrinam suam minimè Nestorius emendaret, deponeret eum à communione Episcoporum vel Coëpiscoporum removendum, & providendum illi Ecclesiæ. Eadem de re pariter scripsit Joanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Hierosolymitano, & Flaviano Philippensi Archiepiscopis. Scripsit & ad clerum Constantinopolitanum, admonens eos contra doctrinam Nestorij fortiter stare, ejusque persecutiones patienter ferre, quæ fructus adferunt coronarum, scientes ab eo excommunicatos vel dejectos, in Apostolicæ sedis permanere communione. Continuò autem post Paschalem festivitatem Nestorius cum maxima multitudine venit Ephesum, & invenit plurimos Episcopos collectos. Porro Cyrillus Alexandrinus modicum retardatus, circa Pentecosten occurrit, & Juvenalis Hierosolymorum. Sed Joanne Antiocheno remorante, quæstionem movebant præsentes Episcopi de beata Maria Dei genitrice. Cyrillus autem defloratione quasdam librorum Nestorij faciebat, cum perturbare volens. Erat enim (ut dicitur) ejus inimicus. Et cùm plurimi Deum confiterentur Jesum Christum: ego (inquit Nestorius) qui fui duorum vel trium mensium, nunquam confitebor Deum: qua gratia et mundus sum à sanguine vestro, & amodo ad vos non veniam. Et his dictis cum reliquis congregabatur Episcopis, qui ejus sententiam sequebantur. Præsentes ergo Episcopi in duos ordines sunt divisi. Porro Cyrillus cum suis habens vices sedis Apostolicæ, Concilio convocato ducentorum Episcoporum, Nestorium vocaverunt. At ille venire noluit, differens in præsentiam Joannis Anthiocheni. Scripserat enim ipse Joannes de itinere Cyrillo, positus in sexta mansione, festinationem suam & itineris labores, animalium ruinas, & Episcoporum, qui secum erant, necessitates insinuans. Qui verò circa Cyrillum erant Episcopi, homilias Nestorij, quas de hac quæstione protulerat, sæpiùs relegentes, priusquam Orientis Concilium, & aliquarum Provinciarum Episcopi ipsi Concilio conjuncti, ad Synodum occurrerent judicantes, Nestorium tanquam blasphemantem Dei filium, damnaverunt. Hòc facto circa Nestorium, Joannes & Episcopi, qui cum eo erant alterum Concilium apud se facientes, damnaverunt Cyrillum, & cum eo Memnonem Ephesiorum Episcopum. Post biduum verò venit Joannes Antiochenus, & cognoscens ista, quæ suprà diximus, & post hæc quæ gesta fuerant in damnatione Nestorij, & illa duodecim capitula Cyrilli in ipso Concilio susceptra & confirmata, indignabatur contra Cyrillum tanquam seditionis authorem, quod ferventissimè Nestorii fecisset damnationem. Qui autem cum Joanne convenerant Episcopi, id est, Alexander Apamiæ, Joannes Damasci, Asianus Seleuciæ, Alexander Hierapoleos, Aimerius Nicomediæ, Helladius Tarsi, Maximus Anasarbi, & cæteri numero 34. qui tunc cum eo Ephesi occurrerãt, querebantur de Cyrillo, dicentes: Secundùm jussionem principum, cur non sunt expectati aliarum Provinciarum Episcopi, ut quod modo judicavit de libris Nestorii, & de Cyrilli dictis, Concilium judicaret? Congregatis ergo illis Ephesi, Joannes contra Cyrillum & Memnonem ita invectus est: Optamus quidem secundùm regulas sanctorum

Simulata hæreticorũ innocentia.

De discordia Cyrilli Alexandrini & Joannis Antiocheni. Eccles. hist. ubi suprà &c.

Ctorum Patrum, & secundùm litteras piissimorum & A Christianissimorum Imperatorum nostrorum cum pace fieri Synodum. Quoniam autem audacia & seditione, & hæretico sensu urentes, soli confidentes nobis, propinquantibus secundùm litteras piissimorum Imperatorum nostrorum, secundam Synodum implestis, ut ne requirerentur capitula, quæ contravenerunt Apollinaris & Arrii, & Eunomii perfidiæ & impietati, neque expectastis præsentiam sanctorum Episcoporum, qui undique à piissimis Imperatoribus convocati sunt, cum magnificentissimus comes Candidianus in scriptis, & sine scriptis præcepisset vobis, nil tale præsumere, sed expectare commune omnium sanctorum Episcoporum Concilium: ideò scitote, quod depositi estis, & alieni ab Episcopatu, Cyrille Alexandrine Episcope, & tu Memnon hujus civitatis, & omni Ecclesiastico ministerio alieni, utpote universæ seditionis & iniquitatis authores, qui, ut regulæ patrum & Imperiales sanctiones conculcarentur, causam dedistis. Cæteri autem omnes, qui consensistis, agentes contra leges & adversùs sanctiones Imperiales, excommunicati estis, donec agnoscentes proprium delictum pœnitentiam agatis, & fidem sanctorum Patrum, qui in Nicæa congregati sunt suscipiatis, nil aliud novum introducẽtes, & anathematizetis hæretica capitula, quæ à Cyrillo Alexandrino Episcopo exposita sunt contra Evangelicam & Apostolicam doctrinam, & sequamini literas piissimorum & Christianissimorum Imperatorum nostrorum, qui jubent quæri, & subtiliter de fide cum pace examinationem fieri. Hanc interlocutionem suam Joannes, & qui cum eo erant, adversus Cyril- C lum & Memnonem Ephesi publicè proponentes, utrorumque damnationem litteris suis Imperatori insinuaverunt, quarum est principium: Pietas vestra præfulgens ad beneficium orbis terrarum. Post hæc advenerunt ab Hesperia ad Concilium legati Papæ Cœlestini Arcadius & * Projectus Episcopi, & Philippus Ecclesiæ Romanæ Presbyter. Quibus residentibus Cyrillus & Memnon obtulerunt libellos in Concilio, contestationem deponentes adversùs Joannem Antiochenum, & qui cum eo erant, Episcopos ut vocarentur, & redderent causas depositionis suæ. Vocati ergo à Concilio per Danielem Colonæ secundæ Cappadociæ, & Commodum Tripolis Lydiæ, & Timotheum Thermeum Hellesponti Episcopos, unà cum Musonio Notario, per interannuntiantem Diaconum tale acceperunt responsum: Neque vos mittatis ad nos, neque nos ad D vos quoniam de vobis responsum principis expectamus. Igitur Cyrillus cum Memnone volentes se ulcisci Joannem damnaverunt, & omnes qui cum eo convenerant, qui multa mala pro fastu utriusque Ephesi pertulerunt. Porro Imperator per Joannẽ sacram scripsit omni Concilio, & ad locum dicens: Nestorii, Cyrilli & Memnonis damnationem suscepimus, alia verò quæ apud vos gesta sunt & damnata, reprehendimus, Christianam fidem rectitudinemque custodientes, quam ex patribus progenitoribusque suscepimus. Redeunt igitur de Concilio. Et septem Episcopi satisfecere Imperatori, quia magnum & universale Concilium omnia regulariter agens, damnavit Nestorium. His agnitis jussit eos Imperator Ecclesiam ingredi, & pro Nestorio alium ordinare Episcopum. Et post hæc E jussit omnes Episcopos abire, quemque in propriam regionem. Et ita Joannes cum suis Antiochiam profectus est, ubi colligens plurimos Episcopos damnavit iterum Cyrillum, cum jam esset Alexandriæ; & sicut Socrates dicit, cognoscens Nestorius per contentionem ad quandam perniciem pervenisse partes, Dei genitricem Mariam vocabat, dicens: dicatur, inquit, etiam Dei genitrix, & ea quæ adferunt dissidium, conquiescant. Sed nullus eum ex pœnitentia talia dicentem suscepit. Quapropter hactenus damnatus est, & in exilium missus, in Oasin habitare dignoscitur. Post damnationem autem ejus, dura Constantinopoli turba contra Ecclesiam mota est, divisusque est populus

propter tepidum ejus, sicut dixi, tractatum. Clerici verò communi decreto eum anathematizauerunt. His ita provenientibus, de electione Episcopi rursus quæstio orta est. Multi enim Philippum quærebant Presbyterum, qui ab Joanne cognominato Chrysostomo Diaconus fuerat ordinatus, multaque conscripsit volumina contra Imperatorem Julianum apostatam. Alii verò Presbyterum quærebant, quem ad Cyzicum Sisinnius Episcopum ordinavit. Qui priusquam Cyzicum proficisceretur, procedentes cives ejusdem civitatis Dalmacium Monachum sibimet ordinaverunt Episcopum, quoniam Attico * præcessori Sisinnii solit hoc præstare videbatur. Sed proceribus Palatij, ut fieret, displicuit, quod quidem factum est postea. Manebat ergo Proclus, non habens Ecclesiam propriam, B qui tamen in doctrina Ecclesiastica Constantinopoli valdè florebat. Cumque quatuor transissent menses, post Nestorij damnationem Maximianus ordinatur Episcopus, vita quidem Monachus, ordine verò Presbyter, constans quidem fide, idiota autem sermone, & sub quiete vivere eligebat. Post paululũ verò videns Imperator Cyrilli & Joannis permansisse discordiam, intolerabilem judicabat eorum dissentionem. Et vocans tunc ad se Maximianũ Episcopum, & alios plurimos Constantinopoli tunc repertos Episcopos, quomodo tolleretur Ecclesiarum dissentio, cogitabat. At illi dixerunt, quia non aliter hoc fieri posset, nisi priùs sciretur & præferretur unius fidei vinculum, & Joannes Antiochenus Episcopus anathematizaret Nestorium, & improbata dogmata ejus. Et gavisο valde super hoc C Imperatore, nullus est hoc ipsum agere Aristolaus Tribunus, sacram principis deferens Joanni & Cyrillo, in qua comminatus est utrisque Nicomediam pro exilio, nisi pacem haberent ad invicem. Scripserunt autem & Episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Ecclesiarum sanctarum non aliter fieri conveniret, nisi omnia, quæ ab eo in causa inscripta sunt, epistolis, & tomis, & libris evacuarentur. Cyrillo verò hoc facere * importabile visum est: verùm Joannes Antiochenus Imperatori mandavit: Propter illa ipsius capitula, fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suscipiens subscripserit, communicabo ei: alioquin pacificus cum eo esse non poterο. Et congregans iterum Joannes apud Antiochiam Concilium, dictavit fidem, ita se habentem: Confitemur Dominũ nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, D Deum perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore: ante sæcula quidem ex patre natum secundùm divinitatem, in fine verò dierum, eundem propter nos, & propter nostram salutem, de Maria virgine secundùm humanitatem. Duarum enim naturarum * unitio facta est propter quod unum Christum, unum Filium, unum Dominũ confitemur. Secundum hanc inconfusæ * unionis intellectum confitemur sanctam Virginẽ Dei genitricem. Propter quod Deus Verbum incarnatum, est homo factus. Et ex ipsa conceptione * unit sibi templum, quod ex ipsa suscepit. Evangelicas verò atque Apostolicas de Domino voces scimus deiloquos viros quasdam quidem conjungentes tanquam in una persona: quasdã dividentes tanquã ex duabus naturis, & diviniores quidẽ atque altiores secundùm divinitatem Christi, humiliores autem secundum humanitatẽ ejus tradentes. In isto ergo modo hãc fidei regulam interposuit Joannes epistolæ, cujus est principium: Dudum pensationẽ piissimorum principũ, &c. quam tradidit Paulo Episcopo Emisseno, & direxit Alexandriam Cyrillo. In quam urbem veniens Paulus, & gravissimè à Cyrillo susceptus est, & sine difficultate vel contentione (ut à multis putabatur) inviolatam fidem Orientalium suscepit Episcoporum. Tunc Paulus dominico die fecit sermonem in populo, præsente Cyrillo, & exposuit capitulum de Evangelio Joannis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Conspice, inquit, Joannem duas naturas prædicantem, & unum Filium. Aliud enim habitaculum, & aliud

Anti-Cyriacum.

Cel. Presbyter.

Oasis est idem quod eremus, ut-

Esse civitatis in nemen in nomen

Alius pro decessore.

De ordinatione Maximiani Constantinopolitani Episcopi.

De pace Cyrilli & Joannis.

Alias impossibile.

Concilium Antiochenum.

Alias unio. Alias unitionem. Alias incarnatum & homo factum est. Alias univit sibimet. Alias communionem.

Ecclesiast. histor. Cassiodori l. 12. cap. 5.

qui habitat. Aliud enim templum,& aliud qui habitat, Deus. Intendite eis,quæ dicta sunt, rogo. Non dixit,alter & alter, tanquam in duabus personis aut in duobus Christis, aut in duobus Filiis,sed aliud & aliud,& ut in duabus naturis. Quando ergo dixit, *& habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas,tunc addit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Et in sequentibus fidem quam Cyrillo portaverat, differebat apertè prædicans, duas in Domino Christo naturas in una persona. Et clamante populo: Benè venisti Orthodoxe,mox Cyrillus similia tractavit, & inter cætera ait: Quid his clarius dici potest? Qua indigent hæc explanatione? Apertè nos docuit,quia aliud est,qui habitat,& aliud qui inhabitatur Et aliud natura humana, aliud divina. Et concludens sermonem ad confirmationem eorum,quæ à Paulo dicto sunt: Conspice(inquit) Joannem duas naturas prædicantem,& unum Christum, duas naturas unigeniti,& unam personam. Et quando dixit: *Et habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas,tunc addidit hæc: *Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à Patre plenum gratiâ & veritate.* Hæc Cyrillus Paulo præsente tractavit,& Alexandrinam docuit Ecclesiã ita de Christo credere, sicut Paulo dudũ tractãte didicerat.

Hæc Liberatus tantisper inclinans in favorem Nestorianorum ut suprà monuimus. Nam & hic dissimulat quæ fraudulenter egit Joannes Antiochenus post decretum conciliabuli in Cyrillum legatum Summi Pontificis & Memnonem Mætropolitanum Ephesiorum, de quibus referipsit ad Theodosium Imperatorem quod damnati fuissent cum Nestorio ab Ephesina Synodo; quare misit Imperator Joannem Comitem qui utrumque incarceraret cum summo mœrore cleri Constantinopolitani & omnium Patrum veri Concilij Ephesini: quod continuo ad ipsum septem aut secundum alios octo Episcopos misit, qui eum de rei veritate informarent, ac quam iniquè magni illi Præsules in carcere detinerentur, solumque Nestorium damnatum fuisse à Concilio demonstrarent: quare rei veritate perspecta Theodosius videns se deceptum fuisse, libertati confestim restitui jussit.

Sed & idem Liberatus parcius agit de iis quæ Nestorio acciderunt post damnationem suam,cui proinde ad pleniorem rei tam memorandæ notitiam dabimus in supplementum quæ vir doctus Canisius lib. 3. de Maria Deipara Virgine cap. 18. inter alia differtè tradidit Sed enim, inquit, neque Patrum censura, neque Cæsaris severitas vel pilo meliorem illum efficit, cum vitam profugam plenãmque miseriis agere cogeretur, Nam ut meminit Suidas,contra Virginẽ sacrosanctam bellum perpetuum gessit, Dei genitricis vocabulum ubique exterminavit,neque blasphemas in illam voces destitit identidem eructare. Quocirca tantæ matris honos ab hoste nefario violatus,à fido filio tandem acriter vindicatus est próvidente simul Divino numine, ut Ephesini Concilij decretũ cœlesti pœnâ tanquam evidenti sigillo munitum obsignaretur ac palã approbaretur. Etenim non satis fuit tale monstrum à beato Patrum cœtu rejici, Sacerdotali honore spoliari, à Christianis Principibus profugibi, frequenti duroque exilio circumagi, & á bonis omnibus exitialem quasi pestem devitari, nisi & maledictæ linguæ quam toties in Mariæ contemptum flagitiosè vibrabat, pœnas sub mortem meritas daret. Igitur ut divinæ ultionis in illum sævientis horrendum argumentum extaret,en tibi horrendos vermes ebullientes, qui carnificum loco missi blasphemam Nestorij linguam certatim corroderent, miserèque depascerentur. Ac neque terra ipsa hunc suum tam tetrum alumnum diutiùs ferre potuit: quandoquidem corpus ejus humo coopertum & absorptum fuisse scribunt, nimirum ut rectâ detrusus blasphemus ille ad inferos truculentissimæ insaniæ pœnas lueret sempiternas. Extant Cæsareæ sanctiones Theodosii, Valẽtiniani & Martiniani Augustorum quibus hic portentosæ superstitionis author, sic enim appellant, ejusdemque scripta, publicè & severè condemnantur. Nos tantum verba Justiniani verè Christiano Cæsare digna subjiciemus. Anathematizamus, inquit, omnem hæresim, præsertim verò Nestorium Antropolatram dividentem unum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei & Deum nostrum, nec differtè & secundùm veritatem confitentem sanctam gloriosam semper virginem Mariam θεοτόκον esse, hoc est Deiparam.

lib. 1. c. de summa Trinit. & fide Catholica.

Quanquam Ecclesiæ politicæque leges prohibere non potuerint, quo minùs pestilens Nestorianissimus Christianum orbem late pervaderet, multosque Christi & Mariæ perduelles faceret, adeoque à veræ Ecclesiæ castris abductos exitio dederet sempiterno. Certè Anastasius Imperator quod Nestoriano faveret dogmati à nonnullis insimulatur. Cosdroas Persarum Rex crudelis æquè ac impius, adeò Nestorianis fuit addictus ut plerosque ad errores eorum amplectendos adegerit, vi nefariam sectam propagans atque confirmans. Prætereo Græcos, Jacobitas & Monachos quosdam in Syria, quibus impura Nestorij doctrina non sine Christi Dei & Mariæ Deiparæ contemptu placuit, diuque retenta est. Ac, proh dolor, in Syria & Persida ac toto fere Oriente in hanc usque diem extant Ecclesiæ Nestorianorum, qui suo Patriarchæ, (Jacelichum appellant) subjiciuntur, eique magna pars Orientis parere pergit. Potissimum verò id genus hominum circa Berut & Biblium in planitie Libani, contra Ituræam suas habere sedes dicitur. Verum inter alios qui velut sepulros Nestorij cineres in orbem revocarunt & novum excitarunt incendium non multo post Synodum Ephesinam extiterunt seditiosi præsules Theodorus Mopsuestiensis, Authimus Constantinopolitanus & Ibas Edissenus, qui ut novas in Ecclesia rixas gignerent contentiosè vociferabantur Mariam non Dei sed hominis Matrem appellandam esse, quod ea purum hominem Christum non Deum pepe risset.

Nestorianismus adhuc viget.

Hæc & plura alia Canisius, qui non mediocri doctrinâ ac eloquentiâ libros de corruptelis Verbi Dei edidit, ad tuendam intemeratam Virginem ab iniquis hæreticorum veterum & recentiorum conatibus, quibus depravatis sacræ scripturæ textibus ejus gloriæ detrahebant. Quamvis quod ait Theodorum Mopsuestiensem post Synodum Ephesinam Nestorij errorem defendisse, minus probari possit; cùm præcesserit Nestorium Theodorus iste, & ante ipsum, errorem hunc docuerit, ut suprà ex Leontio annotavimus, notat quoque D. Thomas 4, contra gentes cap. 29. Quod autem addit Liberatus tandem consensisse Nestorium ut diceretur *theotocon*, nec additum fuisse in illa retractatione, suspicamur id ita factum, quod non sincerè id profiteretur, cùm hostis perpetuus fuerit B. Virginis, ut ex Suida dictum est. Advertit quippe Thomas Massurius de cœlesti conversatione lib. 3. quod nomen Matris Dei, in quo supremæ dignitatis gradus includuntur, ore blasphemo ac sacrilego detraheret Virgini Nestorius, negans debere eam appellari Θεοτόκον, id est, Deiparam, sed malignè detortâ pronuntiatione Θεότοκον, id est Dei filiam dicendam esse. Potuit ergo Nestorius mutato accentu admittere nomẽ *theotocon* nec sic emendatus apparere, nec enim solùm dixit Christus Matth. 5. *Unum iota non præteribit à lege*, sed etiam, *unus apex*. Quia tunc temporis nomen istud, posito accentu in penultima syllaba, vox erat Catholica, posito in antepenultima non erat. Quod etiam nos alibi observavimus in Theologia affectiva, seu Thoma meditante part. 3. tract. 2. medit. 11, editionis anni 1654.

Primitiæ Nestorij.

Porro hoc consecutum est post damnationem Nestorij, ut majori cultu honoraretur B. Virgo, cui draco teterrimus laudes debitas invidebat, Deum filium volens illi tollere (Apocal. 12.) nam & ab eo tempore templa longe pulchriora illi ædificata sunt, ut est illud, inter alia, quod ad littus maris ædificari fecit Pulcheria Augusta apud Nicephorum lib. 15, cap. 2. Similiter & salutatio Angelica additamentum hoc *Sancta Maria Mater Dei*, quod ante in ea expressum non erat; acce-

pit, ut referunt Cedrenus & Evagrius apud Baronium anno Christi 436.

Sed satis datum est historiæ, reliquum est ut Canones & decreta subjungamus ad complendam primam partem istius Concilij. Incipimus autem à duodecim anathematismis, quos Nestor. opposuit anathematismis totidem quos in ipsum ediderat D. Cyrillus, omnia enim audent hæretici, ac ita se gerunt quasi penes ipsos esset tirmma rerum potestas, veraque fides ac religio extra eorum phantasiam nullibi extaret: unde ipsi infideles cùm sint ac impij, fideles ipsos ac pios anathemate audent percutere: ut vt sit ex ipsarum rerum oppositione ipsa veritas magis eluceſcet iis qui attentè ista omnia controversiarum puncta perspicient. Multa autem affingit Nestorius Cyrillo, quæ non asserebat, quod etiam fecerunt Orientales qui Joanni Antiocheno adhærebant, cùm impugnarunt illos anathematismis à D. Cyrillo in Nestorij doctrinam intortos, itidemque Theodoretus, vir alioqui magnæ doctrinæ & eloquentiæ, qui etiam in D. Cyrilli anathematismos tractatum edidit, ac cum Episcopatu privatus fuisset ac depositus, non prius in Concilio Calcedonensi restitutus fuit, quin anathema Nestorio dixisset. Non frustra quidem, ut putat Sirmondus in ejus vita, cùm in favorem Nestorij contra D. Cyrillum ac vera ejus dogmata opus scripsisset, quod D. Cyrillus refutavit & quod improbarunt Orthodoxi omnes. Hi autem tractatus Orientalium & Theodoreti Episcopi Cyri videri potuerunt inter volumina D. Cyrilli ac etiam Theodoreti, quæ non à multis annis Græcè & Latinè è prælo Parisiis prodierunt, illius quidem, operâ Auberti, hujus vero, operâ Sirmondi. Nobis hic satis erit post expositas Nestorij professiones fidei, adjungere anathematismis D. Cyrilli explicationes, quibus eos fusius declaravit, requirente hoc Synodo, ut magis essent perspicui.

NESTORII BLASPHEMIÆ in D. præcipuè Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum consictæ.

SI quis eum, qui est Emmanuël, Deum verum esse dixerit, & non potius, nobiscum Deum: hoc est, inhabitasse eam, quæ secundùm nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine susceperit, matrem etiam Dei Verbi, & non potiùs ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit, ipsumque Dei Verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit.

Audent & hæretici anathematizare ac damnare, quamvis ipsi damnabiles.

Si quis in Verbi Dei conjunctionem, quæ ad carnem facta est, de loco in locum mutatione, divina sententia esse dixerit factam, ejusque divinæ Naturæ carnem capacem dixerit, ac partialiter unitam carni, aut iterum in infinitum incircumscriptæ naturæ cùm extenderit carnem, accipiendum Deum, eumdemque ipsum natura & Deum dicat & hominem, anathema sit.

Si quis non secundùm conjunctionem unum dixerit Christum, qui est etiam Emmanuel secundùm naturam, ex utraque etiam substantia, tam Dei Verbi, quam etiam ab eo hominis suscepti, in una Filii connexione, quam etiam nunc inconfusè servamus, minimè confitetur, anathema sit.

Si quis eas voces, quæ tam in Evangelicis, quàm in epistolis Apostolicis de Christo, qui est ex utraque, scripta sunt, accipiat tanquam de una natura, ipsique Dei Verbo tentat passiones tribuere tam secundùm carnem, quam etiam Deitatem, anathema sit.

Si quis unum esse post adsumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cùm sit Emmanuël, anathema sit.

Si quis post incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit, servi fane formam initium non habere cum Deo Verbo, & in-

creatam, ut ipse est, dicere tentaverit, & non magis ab ipso creatam confiteatur, quam naturam Dominum & Creatorem & Deum, quam & suscitare propria virtute promisit. *Solvite*, dicens, *templum hoc, & in triduo suscitabo illud*, anathema sit. *Joann. 2.*

Si quis hominem, qui in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero patris *ante Lucifrum* natus est, & non magis propter unitionem, eum qui est naturaliter unigenitus, patris ingeniti appellatione confitetur eum participem factum, Jesum quoque alterum quempiam præter Emmanuel dicat, anathema sit. *Psal. 109.*

Si quis servi formam pro seipso, hoc est, secundum propriæ naturæ rationem, colendam esse dixerit, & non omnium dominam, & non potiùs per societatem, quam beata, & ex se naturaliter Domini unigeniti naturæ conjuncta est, veneratur, anathema sit.

Si quis formam servi consubstantialem esse dixerit Spiritui sancto, & non potiùs per illius meditationem, quæ est ad Deum Verbum, & ex ipsa conceptione habuisse dixerit conjunctionem, per quas communes nonnunquam in homines mirandas curationes exercuit, & ex hoc curandorum spirituum eveniebat esse potestatem, anathema sit. *Hebr. 2.*

Si quis illud in principio verbum, Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat, & non Emmanuelis esse Apostolum dixerit, oblationemque secundùm eandem dividat rationem ei, qui univit, si quis unius ad unam communitatem filii, hoc est, Deo quæ Dei, & homini quæ sunt hominis deputans, anathema sit.

Si quis unitam carnem, ex naturæ propriæ possibilitate vivificatricem esse dixerit, ipso Domino & Deo pronuntiante: *Spiritus est qui vivificat, caro nihil prodest*, anathema sit. Spiritus est Deus, at non pronuntiatum est. Si quis ergo Deum Verbum carnaliter secundùm substantiam carnem factum esse dicat, hoc autem modo & specialiter custodit, & maximè in Domino Christo post resurrectionem suam discipulis suis dicentem: *Palpate & videte, quia spiritum ossa & carnem non habet, sicut me videtis*, anathema sit. *Joannis 6.* *Luc. 24.*

Si quis confitens passiones carnis, eas quoque tanquam Verbo Dei tribuerit, quas etiam carni, in qua factus est, aut adhibuerit, non discernens dignitatem naturarum, anathema sit.

EXEMPLAR SACRILEGÆ expositionis Nestorij, de qua Charissimus conquestus est.

EOs, qui nunc in primis imbuuntur Ecclesiastici dogmatis diligentia, aut ex aliquo volunt hæretico errore ad veritatem converti, doceri & confiteri oportet, quia credimus in unum Deum patrem æternum, neque postea incipientem ut esset, sed qui est desursum æternus Deus: neque enim postea factum Patrem, quoniam utique semper Deus erat & Pater. Credimus verò & unum Dei Filium unigenitum de substantia esse patris, sicut verè est Filius, & ejusdem substantiæ constitutum, cujus est & creditur filius. Et in Spiritum sanctũ, qui ex Dei est substantia, non Filium, Deum verò esse substantiâ, sicut ejusdem constitutus substantiæ, cujus est Deus & Pater, ex quo secundùm essentiam est. *Nos enim*, inquit, *non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* A creatura quidem ejus universa separatus, Deo verò unitus, ex quo essentialiter est speciali modo præter omnem creaturam. Quem non secundùm substantiam, sed secũdùm causam creationis ex Deo esse arbitramur. Sed neque filium æstimantes, neque per filium sumpsisse substantiã. Confitemur verò Patris perfectam personam, & Filii similiter, & sancti Spiritus idemtidem, salva nobis pietatis ratione, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, *Nestorij Symbolum* *Galat. 4.* *1. Cor. 2.*

non per aliquas diverſas ſubſtantias æſtimantes, ſed unam proprietatem Deitatis cognoſcentes. Oportet verò & de diſpenſatione, quam pro noſtra ſalute, quam in Domini Chriſti diſpenſatione Dominus Deus perfecit, ſcire quoniam Deus Verbum hominem perfectum adſumpſit ex ſemine Abrahæ & David, ſecundùm pronuntiationem divinarum Scripturarum. Hoc
Matth. 1. conſtitutum natura quod erat illi, ex quorum erat & ſemine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali & carne humana conſtantem, per quem hominem conſtitutum ſecundùm nos per naturam, Spi-
Galat. 4. ritûs ſancti virtute in virginis vulva firmatum, *factum ex muliere, & factum ſub lege, ut omnes nos à ſervitutis lege redimeret*; ante jam prædeſtinatam adoptionem accipientes inenarrabiliter ſibimet uniens, mori quidem eum ſecundùm legem humanam faciens, *ſuſ-*
B *citans* verò *ex mortuis*, & perducens in cœlum, *& conſidere faciens ad dexteram Dei*.
Epheſ. 1. Unde ſuper omnes cõſtitutus principatus, & poteſtates, & dominationes, & virtutes, & omne quod nominatur nomen, non ſolùm in hoc ſeculo, verumetiam & in futuro, ab omni creatura accipit adorationem, ſicut inſeparabilem à divina Natura habens copulationem, relatione Dei & intelligentia omni creatura adorationem exhibente. Et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos, quoniam unus filius Patris ſecundùm ſubſtantiam, Deus Verbũ unigenitus Filius Patris, ſicut iſte conjunctus, & particeps conſtitutus Filij communicat nomine & honore, Dominus ſecundùm eſſentiam, Deus Verbum, cui iſte conjunctus honore communicat. Et ideò neque duos
C filios hos dicimus, neque duos Dominos, quia manifeſto conſtituto ſecundùm ſubſtantiam Domino & filio, inſeparabilem tenet ad eum copulationem, qui cauſa noſtræ ſalutis adſumptus, confertur nomine & honore Filio & Domino. Non ſicut unuſquiſque noſtrum ſecundùm ſeipſum conſtitutus eſt Filius, unde & multi ſecundùm beatum Paulum dicimur filij, ſed ſolus præ-
ſecundùm ſeipſum conſtitutus eſt Filius, unde & multi ſecundùm beatum Paulum dicimur filij, ſed ſolus præcipuum habens hoc, quod ad Dei Verbi copulationem adoptione & dominatione participans. Aufert ſiquidem omnem ſuſpicionem dualitatis Filiorum & Dominorum: præſtat verò nobis in copulatione ad Deum Verbum omnem habere ipſius fidem & intelligentiam & theoriam, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni ſuſcipit creatura. Unum igitur Filium dicimus. & Dominum Jeſum Chriſtum per quem omnia
D facta ſunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, ſubſtantialiter Filium Dei & Dominum, conſuſpicantes autem aſſumptum à Nazareth, quem unxit Deus ſpiritu & virtute, ſic in Verbi Dei copulatione adoptionis participante & dominationis, qui & ſecundus Adam ſecundum beatum dicitur Paulum, ſicut ejuſdem quidem naturæ conſtitutus cujuſdam. Demonſtrans verò nobis futurum ſtatum, & tantam habens ab illo differentiam, quanta ſi facta fuerit inter enarrabilia adminiſtrantẽ in futuro ſeculo bona, & inter eum, qui præſentium tribulationum dedit initium.
Chriſtus alter ad dicitur. Simili verò modo & ſecundus Adam vocatur, ſicut ſecundum ſtatum demonſtrans: quoniam primi quidem exordii factus eſt Adam mortalis, & paſſibilis, & mul-
1. Cor. 15. tis plenus doloribus, cujus & nos ſuſcepimus ſimilitudinem. Secundi verò oſtendit Dominus Chriſtus, qui
E de cœlo in futuro apparens, omnes nos ad ſuam perducit cõmunionem. *Primus* enim, inquit, *homo ex terra terrenus: ſecundus homo de cœlo*, id eſt, exinde appariturus, ut omnes ad imitationem perducat ſuam. Unde ſubjunxit: *Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœleſtis, tales & cœleſtes: & ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* In eo verò apparente, & ab omni viſo, qui in futuro judicandi ſunt, inviſibiliter conſtituta faciet judicium divina Na-
Pſalm. 97. tura. *Tempora* enim *ignorantiæ noſtræ prætermittens Deus nunc præcepit hominibus ubique pœnitentiam agere, quoniam ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt univerſum orbem in juſtitia, in viro, quem prædeſtinavit, fidem præſtans, reſuſcitans eum à mortuis.* Hæc eſt Ec-

Ibidem.

A cleſiaſticorum dogmatum doctrina, & omnis qui his contraria ſapit, anathema ſit. Omnis qui non ſalutarem pœnitentiam ſuſcipit, anathema ſit. Omnis qui non celebrat ſacrum diem Paſchæ, ſecundum ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ regulam, anathema ſit.

DECLARATIO DVODECIM CAPITVM & anathematiſmorum, à Cyrillo Archiepiſcopo Alexandrino, Epheſi ſacra Synodo latiorem illorum explicationem, petente dicta.

COnſpicua ſunt intelligentibus omnia, & recta ſcientiam invenientibus, ſicut ſcriptum eſt. Hi namque qui ſacra divinæ Scripturæ verba acuto & puro oculo introſpiciunt, utilitatis loco divinum quemdam & cœleſtem ex illis theſaurum in animos ſuos recondunt. Qui verò mentem habent ad mendacium procedentem, & quorumdam dicacitate devictam, vanæque ſcientiæ amantem, conſortes illorum erunt, de quibus beatus Paulus dicit: *In quibus Deus hujus ſeculi, ſenſus infidelium excæcavit, ut non ſplendeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Chriſti. Sunt enim cæci, & duces cæcorum.* Quapropter & in foveam perditionis incidunt. Sicut namque Servator ipſe alicubi dicit: *Si cæcus cæco ducatum præſtiterit, ambo in foveam cadent.* Nũgantur itaque nonnulli contra veritatis dogmata, ac mentem diabolica improbitate refertam habentes, veritatis myſterium urgenti ſtudio adulterare conantur, incarnationiſque unigeniti diſpenſationi haud mediocriter derogant, non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant, ſicut ſcriptum eſt. Sunt autem hujuſmodi impietatis inventores multi quidem, & alij ſuperioribus, & jam elapſis temporibus facti: nunc autem illorum impietate minimè inferiores. Neſtorius & qui cum illo facjunt, ad exemplum priſcorum Phariſæorum Chriſto adverſantur, impudenter vociferantes. *Quamobrem tu, cum homo ſis teipſum Deum facis?* Eſt itaque neceſſarium, ut adversùs illorum ſermones accingamur, & impura ac prophana eorum dogmata anathematizemus, memores Dei per vocem Prophetæ, dicentis: *Audite Sacerdotes, & conteſtamini domum Iſrael, dicit Dominus omnipotens.* Et iterum, *ingredimini per portas meas, & lapides à viis abjicite.* Oportet enim nos qui pro veritatis certamus dogmatibus, è medio ſubmovere offendicula, ne ullo pacto populi ad illa impingentes veluti per planam ſemitam ad ſacra & divina ſtabula veniant fere quotidie dicentes: *Hæc eſt porta Domini, juſti intrabunt per eã.* Cùm itaque Neſtorius ad excitandas turbas peregrina & impia dogmata libris ſuis inſeruerit, neceſſariò ſalutis eorum, qui illa lecturi ſunt rationem habentes, anathematiſmos conſtruximus, non ſtatim quicquid in mentem incidiſſet admonitoriæ, quam ad ipſum ſcripſimus epiſtolæ inferentes, ſed ut jam dixi, peregrina & aliena eſſe à pietatis dogmatibus dementiæ ipſius demonſtrantes convitia. Moleſtè verò nonnulli forſan quæ à nobis dicta ſunt, ferunt, vel non verè intelligentes vim eorum quæ ſcripta ſunt, vel impuræ Neſtorii hæreſeos propugnatores, & impietatis illius, eadem ſentientes participes facti. Latet itaque veritas neminem eorum qui rectè ſapere conſueverunt. Quoniam autem veriſimile eſt futuros quoſdam qui non intelligant quomodo anathematiſmi iſti adversùs illorum ſunt inducti nugas, neceſſe exiſtimavi, utſingulos breviter exponam, & quantum fieri poteſt vim illorum perſpicuè doceam, futurum eſt enim ut arbitrer, hoc inſtitutum conducibile ad utilitatem legentium.

1. Cor. 4.

Matth. 15.

Ibidem.

Iſaiæ. 29.

Amos 3.

Hieremi. 7.

Pſalm. 117.

Anathematiſmus primus.

Si quis non confitetur Emmanuẽlem ſecundùm veritatem eſſe Deum, ideoque ſan-

Virgo Dei-para.

ctam Virginem esse Deiparam (carnaliter enim Verbum ex Deo Patre carnem factum genuit) anathema sit.

Declaratio.

Beati Patres olim Nicææ congregati, cum rectè & irreprehensibilis fidei determinationem exponerent, credere se dixerunt in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium ejus. Et in Spiritum sanctum. Ipsum Verbum quod ex Deo est, per quod omnia facta sunt, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero incarnatum esse, & inhumanatum, passúmque & excitatum dixerunt. Cum enim unigenitum Patris Verbum secundum naturam Deus esset, *semen Abrahæ assumpsit*, sicut beatus *ad Heb. 2.* Paulus dicit: & nobis simile factum de carne ac sanguine participavit. Natum est enim secundum carnem è sancta Virgine, & homo nobis similis apparuit, non desinens esse Deus, absit, sed existens quod erat, & in divinitatis natura & gloria permanens. Dicimus igitur ipsum Verbum hominem esse factum, nec conversionem aut alterationem sui in id, quod non erat passum. Idem enim semper est, *nec mutationis obscuritatem pati sustinet.* *Jacobi 1.* Sed & neque commixtionem, neque confusionem, nec temperaturam aliquam essentiæ ejus cum carne factam esse statuimus. Dicimus autem Verbum carni rationalem habenti animam, modo nobis, nec intelligibili, nec dicendo, quem solum ipsum novit, esse unitum. Mansit itaque Deus in assumptione quoque carnis, & est unus Dei ac Patris Filius, Dominus noster Jesus Christus, idem cum ante omnia sæcula & tempora, quatenus intelligitur Verbum esse Dei & character substantiæ ejus, tum in novissimis temporibus per dispensationem homo propter nos factus. Quoniam verò nonnulli nativitatem ejus secundum carnem ex sancta Virgine ad omnium salutem factam tollunt, quæ non hoc illi contulit, ut primum esse inciperet, sed ut nobis similis factus à morte nos & corruptione liberaret. Ob hanc causam primus noster anathematismus partim contra perversam illorum fidem vociferatus est, partim id quod rectè habet confitetur, Emmanuëlem secundum veritatem Deum, & ob id sanctam Virginem Deiparam esse dicens.

Anathematismus secundus.

Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum esse, quod ex Deo est Verbum, atque unum esse Christi cum carne sua, eundem videlicet Deum simul & hominem, anathema sit.

Declaratio.

Scribit Divinus Paulus, sacer Divinorum mysteriominister *In confessò magnum est pietatis mysterium.* *1. Tim. 3.* *Deus apparuit in carne, justificatus est in spiritu, visus est Angelis, prædicatus est inter gentes, fides illi habita est in mundo, assumptus est in gloria.* Quid igitur est quod dicit, *Deus apparuit in carne?* hoc est: Verbum ex Deo Patre caro factum est, non secundum transmutationem, aut conversionem in carnem mutatum, sicut jam diximus, sed magis quod carnem ex sancta Virgine sumptam propriam sibi fecerit, unus & idem appellatus Filius, ante incarnationem, túncque carnis expers, & Verbum tantum, post incarnationem verò idem existens in corpore. Propterea dicimus eum simul & Deum esse & hominem, non dividentes illum in hominem separatim & seorsum considerandum, & in Deum Verbum separatum, ne duos cogitemus esse Filios, sed unum confitentes & Christum esse & Filium & Dominum. Eos verò qui causam hanc non ad hunc modum habere suspicantur, aut non sic credere volunt, sed eum qui unus est in duos Filios dividunt, & quæ secundum veritatem sunt conjuncta a se invicem separant, dicúntque hominis cum Deo conjunctionem duntaxat, secundum dignitatem, vel authoritatem esse factam, à recta & inculpata fide alienos esse dicimus. Itaque licet Apostolus nomine- *ad Rom. 1.* tus, & unctus, inque Filium designatus, dicatur non tamen erubescimus hanc dispensationem, sed ipsum Dei Patris Verbum, quando pro nobis homo factum est, tum sanè & Apostolum nominatum, & nobiscum secundum humanitatem unctum esse dicimus. Cum enim nobis sit simile factum, licet quod erat manserit, quæ humana tamen sunt non est aversatum, sed admittit potius simul cum humanitatis mensuris quæ sunt humana, propter dispensationem, nihil ex eo in propria vel gloria, vel natura diminutum. Est enim, est inquam, etiam hoc pacto Deus, ac Dominus omnium.

Anathematismus tertius.

Si quis in uno Christo subsistentias post factam illarum unionem dividit, conjunctione tantum illa, quæ sit secundum dignitatem, vel authoritatem, & non magis coitione, secundum naturalem unionem connectens, anathema sit.

Declaratio.

Dispensationis unigeniti cum carne mysteritum studiosè considerantes, admirabili & inenarrabili modo verbum Dei Patris sancto corpori rationalem animam habenti adunatum esse dicimus, itaque ita unum esse Filium intelligimus, quemadmodum videlicet in nobis ipsis cernere licet. Est quidem anima diversæ à corpore naturę, & tamen utraque conjuncta unum animal efficiunt. Verum sunt qui ista non ad hunc modum habere suspicantur, sed hominem nobis seorsim ac separatim statuentes, Dei patris illum verbo secundum solam dignitatem vel authoritatem non naturali, id est, vera unione, & sicut nos credimus, conjunctum esse dicunt. Nam ita, & divina Scriptura alicubi dicit: *Et* *ad Eph. 4.* *eramus natura filij iræ sicut & cæteri*, dictionem naturæ, pro verè usurpans. Itaque qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum & hominem separatim ponunt, & conjunctionem illarum, eam intelligunt, quæ secundum solam sit dignitatem, duos omnino Filios statuunt, cum divina Scriptura & Filium & Dominum esse dicat. Proinde post inenarrabilem illam unionem eum Deum nominat Emmanuëlem incarnatum, & humanatum Verbum, nos quod ex Deo ac Patre est intelligimus, & cum hominem eum esse dicit, nihilominus illud ipsum Verbum per dispensationem in humanitatis mensuris constitutum esse cognoscimus. Dicimus itaque eundem palpabilem cum sit impalpabilis, visibilem cum sit invisibilis. Non enim alienum ab eo corpus est, quod illi conjunctum est, quod & palpabile, & visibile esse dicimus. Eos verò qui ad hunc modum non credunt, sed quemadmodum dixi, subsistentias post unionem dividunt, nudámque conjunctionem quæ secundum solam sit dignitatem, vel authoritatem confingunt, propositus hic anathematismus alienos ab his esse judicat, qui quæ recta sunt sentire consueverunt.

Anathematismus quartus.

Si quis voces illas quæ in Evangelicis & Apostolicis habentur litteris, sive de Christo à sanctis, sive ab ipso de seipso dictas, duabus Personis vel subsistentiis assignat, & alias tanquam homini separatim à Dei Patris Verbo intellecto, alius verò tanquam Deo competentes soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.

Declaratio.

Cum Verbum Dei, ac Patris in ipſius eſſet forma,
ad Phil. 2. & qualitate *non eſt rapinam arbitratum quod Deo eſſet æquale*, ſicut ſcriptum eſt, *ſed magis ſeipſum ad ſpontaneam exinanitionem demiſit*, & in noſtram naturam deſcendit, non amittens quod erat, ſed magis etiam hoc pacto Deus permanens, & tamen humanitatis menſuram non deſpiciens. Sunt itaque ipſius omnia tam divina quàm humana. Etenim ubi ſeipſum exinanivit, ſi in humanitatis ſeſe menſuras demittere erubuit? Et ſi humana detractavit, quis illum neceſſitate ac vi aliqua ad hoc impulit, ut nobis ſimilis fieret? Univerſas igitur Evangelicas voces, tam quæ humanitatem, quàm quæ Divinitatem concernunt, uni Perſonæ adaptamus. Nam & unum credimus eſſe Filium Chriſtum Jeſum, hoc eſt, inhumanatum & incarnatum Dei Verbum. Itaque etiam ſi humanum quid ſcriptura de Chriſto dicat, humanitatis ejus menſuris hoc deputamus (eſt enim ipſius & humanitas, etiam ſi Deus eſſe dicatur) Deum qui humanatus eſt, eſſe credentes. Rurſus & quæ de humana natura ſonant Evangelicæ, voces uni Chriſto & Filio aſſignamus. Qui verò illum in duas Perſonas dividunt, omnino duos comminiſcuntur eſſe Filios. Quemadmodum enim hominem (quales nos ſumus) non in duas dividimus Perſonas, licet ex anima eſſe, & corpore intelligatur, ſed unus & idem homo eſt, ita & in Emmanuele faciendum eſt. Quoniam enim unus eſt Filius & Dominus, Verbum illud Dei incarnatum & inhumanatum, omnino etiam una eſt illius perſona, & huic aſcribimus, tam humana propter diſpenſationem illius cum carne ſuſceptam, quàm divina, propter inenarrabilem illius quam ex Patre habet generationem. Qui verò illum dividunt, & partiuntur in hominem ſeparatim, tanquam alium præter Dei Verbum exiſtentem Filium, & in Deum ſeparatim tanquam rurſus alium exiſtentem filium meritò tanquam duos dicentes eſſe Filios, virtuti propoſiti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Anathematiſmus quintus.

Si quis Chriſtum deïferum hominem audet dicere, & non potius Deum ſecundum veritatem, tanquam unicum & naturalem Filium, quemadmodum Verbum caro, & carnis & ſanguinis perinde atque nos particeps eſt factum, anathema eſto.

Declaratio.

Verbum Dei divinus Evangeliſta Joannes carnem eſſe factum dicit, non ſolum tranſmutatione aut converſione propriæ naturæ in carnem mutatum, ſicut jam prædiximus: (eſt enim inalterabile tanquam Deus) ſed quia conſimiliter nobiſcum in carne ac ſanguine communicavit, homóque factum eſt. Eſt enim in conſueto divinæ Scripturæ, ut hominem carnem vocet. Scriptum eſt enim, *& videbit omnis caro ſalutare Dei*. Sed impiorum dogmatum inventores Neſtorius, & qui cum illo faciunt, eadem videlicet cum illo ſentientes, ſimulant quidem confiteri ſe incarnationis vocem: verum non ſimul dicunt Verbum Dei ſecundum veritatem eſſe incarnatum, hoc eſt, hominem ad noſtri ſimilitudinem factum, ita ut quod erat manſerit, ſed velut in homine uno ex ſanctis, ex ſancta Virgine nato, unigenitum Dei Verbum habitare affirmant, ut jam non confiteantur, quod unus ſit Filius, & Dominus adorandus: ſed quod tanquam homo ſeorſim ac ſeparatim intellectus, ſola conjunctione ſecundum dignitatis unionem honorandus ſimul adoretur, & glorificetur. Habitat quidem in nobis omnium Deus, per ſanctum Spiritum. Nam & per unum ex ſanctis Prophetis dixit: *Quoniam habitabo, & inambulabo in eis, & erò ipſis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Scribit & beatus Paulus, dicens: *An ignoratis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et ipſe Spiritus de ſanctis Prophetis, vel reliquis ſanctis, qui ante ipſum fuerunt, dixit: *Si & illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit: vos dicitis, quod blaſphemet, quia dixi, Filius ſum Dei*: verum non ita Deus in Chriſto, ſicut in nobis habitat. Erat enim natura Deus, etiam cum nobis ſimilis fieret, unus ac ſolus Filius, etiam cum caro fieret. Itaque qui Deiferum illum hominem dicere audent, & non magis inhumanatum Deum, merito propoſito ſubjacent anathematiſmo.

Luce 3. Opinio Neſtorij explicatur. Levit. 26. 1. Cor. 3. Ioan. 10.

Anathematiſmus ſextus.

Si quis Verbum quod ex Deo Patre eſt, Deum ac Dominum Chriſti eſſe dicit, & non magis illum eundem confitetur eſſe Deum ſimul & hominem, ſicut Verbum caro factum eſt ſecundum Scripturas, anathema ſit.

Declaratio.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus & ſolus & ſecundum veritatem Filius Dei ac Patris exiſtens, cum Verbum illius ſit, caro factus eſt, & ſimul omnibus una cum genitore ſuo dominatur, *flectíſque illi omne genu cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, & confitetur omnis lingua quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit in gloria Dei Patris.* Eſt itaque idem ipſe Dominus omnium, juxta quod intelligitur & eſt Deus, licet non ſine carne poſt inhumanationem, ipſe vero ſuiipſius nec Deus eſt, nec Dominus. Eſt enim hoc omnium abſurdiſſimum, imò omni impietate re vera refertum, ſi ita ſentias aut dicas. Itaque meritò contra hanc impietatem propoſitus, eſt hic anathematiſmus.

ad Phil. 2.

Anathematiſmus ſeptimus.

Si quis Jeſum à Verbo Dei tanquam hominem actum & impulſum eſſe, & unigeniti gloriam illi tanquam alteri cuidam à ſe diverſo acceſſiſſe dicit, anathema ſit.

Declaratio.

Cum unigeniti Filij Dei generationem ſecundum carnem ſanctæ Virgini beatus Gabriel evangelizaret: *paries*, inquiebat, *Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe namque ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Nominatus autem & Chriſtus eſt, propterea quod nobiſcum humanitus unctus ſecundùm Pſalmiſtæ vocem dicentis. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis.* Quamquam enim cum ipſe ſit Spiritus ſancti ſuppeditator, illúmque non menſuratè det his qui digni ſunt; (eſt enim plenus, & *de plenitudine ejus omnes accepimus*, ſicut ſcriptum eſt) per diſpenſationem tamen, ut homo unctus eſt: Dicitur & ſpiritualiter Spiritus ſanctus, non humanitus per omnia ſupra ipſum veniſſe, ut & in nobis permaneat, licet propter trangreſſionem Adæ principio à nobis fugerit. Ipſum itaque unigenitum Dei Verbum, caro factum, Chriſtus vocatum eſt, & cum propriam habeat potentiam, Deo competentem, miranda operatur. Proinde qui Chriſti potentiæ unigeniti gloriam acceſſiſſe dicunt, quaſi alter ſit præter Chriſtum unigenitus Dei, duos ſentiunt eſſe Filios alterum operantem, alterum verò illius operatione, tanquam hominem nobis ſimilem, impulſum: ob eam cauſam virtuti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Luc. 1. Pſal. 44. Ioan. 1.

Anathematiſmus octavus.

Si quiſquam aſſumptum hominem audet dicere unà cum Deo Verbo adorandum & glorificandum, Deumque tanquam alterum cum altero appellandum eſſe, & non magis una adoratione Emmanuëlem honorat, & unam illi glorificationem, ſicut * VERBVM CARO EST FACTVM, deputat, anathema ſit.

Verbum quod Ioan. 1.

Declaratio.

Baptizati ſumus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Filium, & præterea in unumquoq; Spiritum Sanctum. Denique B. Paulus dicit: *An ignoratis quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus?* Sumus itaque illi conſepulti per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus excitatus eſt ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Credimus itaque & baptizati ſumus in unum, ſicut dixi, Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, hoc eſt incarnatum & inhumanatum Dei Verbum, ſumúſque unum adorare Deum edocti, & nobiſcum etiam cœleſtes virtutes. Scriptum eſt enim: *Cum induceret primogenitum in orbem dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Factus eſt autem unigenitus primogenitus, quando homo nobis ſimilis eſt factus. Tunc etenim & frater diligentium ipſum, eſt appellatus. Si quis igitur adorari eum tanquam hominem una cum altero præter ipſum exiſtente, videlicet Dei Patris Verbo, dicit, & non ſecundum veram unionem in unum Chriſtum & Filium & Dominum conjunctum una adoratione honorat, juſtè virtuti anathematiſmi hujus ſubjicitur.

ad Rom. 6.

ad Heb. 1.

Anathematiſmus nonus.

Si quis dicit unum Dominum Ieſum Chriſtum à Spiritu tanquam aliena virtute, qua per ipſum ſit uſus, glorificatum eſſe, & ab illo accepiſſe, quæ contra Spiritus immundos operatus eſt, & quæ divinitatis ſigna inter homines perfecit, & non magis proprium ipſius eſſe Spiritum, per quem divinitatis ſigna operatus eſt, anathema ſit.

Declaratio.

Cum homo factum ſit unigenitum Dei Verbum etiam ſic tamen Deus manſit, omnia exiſtens quæ Pater eſt, ſolo hoc dempto, quod ille Pater eſt, & propriũ habens, quod ex Patre eſt. Et eſſentialiter inhærens illi Spiritus ſanctus ſigna illa divinæ potentiæ operatus eſt. Itaque etiam homo factum Deus manſit, atque ita propria virtute Spiritus miracula perfecit. Qui verò dicunt, quod tanquam unus ex nobis, Sancti videlicet Spiritus, ſit glorificatus efficacia, quaſi non propriâ, ſed alienâ magis & non quomodo Deum decet, uſus, & quod gratiæ loco à Spiritu ſancto aſſumptionem in Cœlos acceperit, juſtè virtuti hujus anathematiſmi ſubjacebunt.

Anathematiſmus decimus.

Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum Scriptura dicit. Obtulit autem pro nobis ſemetipſum in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Si quis igitur Pontificem, & Apoſtolum noſtrum, non ipſum quod ex Deo eſt Verbum, & caro & homo, nobis ſimilis eſt factum, ſed tanquam quendam hominem præter ipſum, ſeparatim ab eo, ex muliere natum factum eſſe dicit: aut ſi quis Chriſtum etiam pro ſeipſo

ad Heb. 3

Neſtorius errabat conſequenter circa Sacerdotiũ Chriſti.

A oblationem, & non magis pro nobis obtuliſſe dicit (non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non novit) anathema ſit.

Declaratio.

Modici quidem momenti indubiè Verbo ex Deo Patre genito ſunt, quæ humana ſunt, verumtamen ab illo non contempta, propter diſpenſationem. Cum enim ſecundum naturam Dominus eſſet omnium, demiſit ſemetipſum in noſtram naturam, formâ ſervi acceptâ, appellatúſque eſt noſter Pontifex & Apoſtolus, humanitatis menſuris ad hoc illum vocantibus, *Obtulit autem ſemetipſum pro nobis, in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Unica quippè oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, ſicut ſcriptum eſt. At ignoro quomodo qui aliter ſentiunt, non ipſum Dei Verbũ hominem eſſe factum & Apoſtolum ac Pontificem confeſſionis noſtræ appellatum, affirmant: ſed quemdam præter ipſum ſeparatim hominem ex ſancta Virgine natum, Apoſtolum & Pontificem appellari, famulandique modo ad hoc muneris veniſſe, & non magis pro nobis, quam pro ſeipſo ſemetipſum Deo ac Patri obtuliſſe, id quod omnino à recta eſt & inculpata fide alienum. Peccatum enim non fecit. Qui verò ſuperior eſt omni delicto, & prorſus expers peccati, oblatione pro ſe nulla opus habuit. Quoniam verò, ut apparet, prævaricantes duos iterum Filios excogitant, qui aliter ſentiunt, neceſſariò poſitus eſt hic anathematiſmus, * ut veritatem perſpicuam redderet.

ad Heb. 9.

al. palam faciens eorum impietatem.

Anathematiſmus undecimus.

Si quis carnem Domini non confitetur eſſe vivificam, & ipſius Verbi, quod ex Deo Patre eſt, propriam, ſed tanquam alterius cujuſpiam præter ipſum, ſecundum dignitatem quidem, aut tanquam qui Divinam dumtaxat inhabitationem ſit adeptus, cum ipſo conjuncti, & non magis vivificam, ſicut diximus, propterea quòd propria facta eſt Verbi, quod omnia vivificare poteſt, anathema ſit.

Declaratio.

Sanctum ac vivificum incruentúmque in Eccleſia celebramus ſacrificium, non hominis alicujus nobis ſimilis & communis corpus: conſimiliter & pretioſum ſanguinem eſſe, quod proponitur credentes, ſed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. Communis enim caro vivificare non poteſt. Et hoc ipſe Servator teſtatur, dicens: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Quoniam enim Verbi facta eſt propria, ob eam cauſam intelligitur, & eſt vivifica, ſicut Servator dicit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, etiam ille vivet propter me.* Quia verò Neſtorius, & qui cum illo ſentiunt, myſterij hujus virtutem temere diſſolvunt, propterea, idque valdè meritò, conſtitutus eſt hic anathematiſmus.

Incruentum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

Ioan. 6.

ibidem.

Anathematiſmus duodecimus.

Si quis non confitetur Verbum Dei carne eſſe paſſum, carne crucifixum, & mortem carne guſtaſſe, primogenitum ex mortuis factum, quemadmodum & vita eſt, & vivificans ſicut Deus, anathema ſit.

Declaratio.

Impaſſibile quidem & immortale eſt Dei Patris Verbum. Ut enim excellentior eſt divina & incorrup-

bilis natura quàm quæ patiatur aliquid, ita & ipſa omnia vivificat, & corruptionem ac quicquid contriſtare ſolet, ſuperat. Attamen licet Verbum ex Deo Patre eſſentialiter hæc habeat, nihilominus carnem mortis capacem ſibi propriam fecit, ut per hoc quod paſſionibus eſt obnoxium paſſiones illas pro nobis ac propter nos in ſeſe ſuſciperet, & nos omnes morte ac corruptione liberaret, ſuum ipſius corpus vivificans ut Deus *primitiaque dormientium ac primogenitus ex mortuis*. Non enim communis homo eſt, ſeparatim ac ſeorſim, præter Verbum Dei, intellectus, qui propter nos pretioſam paſſus eſt Crucem, & mortem guſtavit, ſed ipſe *Dominus gloriæ carne paſſus eſt*, ſecundùm Scripturas. Quoniam verò qui vana ſua & impia dogmata, in rectam & inculpatam fidem inſinuare conantur, communem pro nobis hominem crucem ſuſtinuiſſe dicunt, neceſſariò anathematiſmus hic conſtitutus eſt, ut latentis in illis impietatis magnitudinem demonſtraret.

Hebr. 2.

1. Cor. 2.

Igitur magna & ſancta Synodus, ipſum qui eſt ex Deo Patre naturaliter natus, Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit Pater, hunc deſcendiſſe, incarnatum eſſe, & hominem factum, paſſum eſſe, & reſurrexiſſe tertia die, aſcendiſſe rurſus in Cœlos. Hæc nos ſequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, conſiderantes quid ſit incarnatum eſſe, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quòd Dei natura cõverſa vel immutata, facta ſit caro; nec quòd in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, transformata ſit; ſed magis quòd carnem animatam anima rationali ſibi copulaverit, Verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter, factus ſit homo, & nuncupatus ſit etiam Filius hominis, non nuda tantummodò voluntate, ſed nec aſſumptione ſola perſonæ; ſed quòd diverſæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Chriſtus, & Filius non evacuata vel ſublata diverſitate naturarum per conjunctionem, ſed quia ſimul nobis effecerunt unum Deum, & Chriſtum, & Filium, id eſt, divinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is qui ante ſæcula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter eſt procreatus in tempore. Non quia divina ipſius natura ex ſacra Virgine ſumpſit exordium, nec propter ſeipſam opus habuit ſecundò naſci poſt illam nativitatem quam habebat ex Patre, (eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quòd is qui ante omnia ſæcula eſt & conſempiternus Patri, ſecundæ generationis eguerit, ut eſſe inciperet:) ſed quia propter noſtram ſalutem, naturam ſibi copulavit humanam, & proceſſit ex muliere, idcircò dicitur eſſe natus carnaliter. Nec enim primùm natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demùm inhabitavit in eo Verbum: ſed in ipſa vulva uteroque virginali ſecum carnem conjunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem carnis ſuæ, nativitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & reſurrexiſſe, non quia Deus Verbum in ſua natura paſſus ſit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera ſuſceperit (Deus namque incorporalis extra paſſionem eſt) ſed quia corpus illud, quod ipſius proprium factum eſt, ſuſtinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile eſt naturaliter, & vita, & vivificans Deus Verbum, ſed quia corpus ipſius proprium, *gratia Dei*, (juxta Pauli vocem) *pro* Hebr. 2. *omnibus mortem guſtavit*, idcircò ipſe dicitur mortem paſſus pro nobis: non quòd ipſe mortem eſſet expertus, quantum ad ipſius naturam pertinet; (inſania enim eſt hoc vel ſentire, vel dicere:) ſed quòd (ut diximus) vera caro ipſius mortem guſtavit. Ita & reſurgente carne ipſius, rurſus reſurrectionem diximus, non quia in corruptionem ceciderit (quod abſit) ſed quia ejus reſurrexit corpus. Ita Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam homine cum Verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur; ſed unum jam & eumdem adorantes, quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuum, cum quo ipſe etiam aſſidet Patri. Nec hoc ita diximus, quaſi duobus Filiis aſſidentibus; ſed uno cum carne per unitatem; quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi præpaſſibilem, aut quaſi parum decoram voluerimus accipere, in id incidemus, ut duos Filios eſſe dicamus. Neceſſe eſt enim diſcernere & diſcere hominem ſeparatim fuiſſe ſola Filij appellatione honoratum, & rurſus Verbum, quod eſt ex Deo in homine, in veritate Filium Dei. Sed diſcernere in duos Filios non debemus unum Dominum Ieſum Chriſtum. Neque enim adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (neſcio quam) perhibeant perſonarum. Non enim dicit Scriptura, Verbum Dei perſonam ſibi hominis aſſumpſiſſe, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere, Dei Verbum ſimiliter ac nos principium habuiſſe carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum propriè ſuum feciſſe, & hominem ex muliere proceſſiſſe, non abjecta vel depoſita Deitate, aut generatione illa quam habebat ex Patre; ſed manſiſſe etiam in aſſumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus. Ideòque illi non dubitaverunt ſanctam Virginem dicere *Theotocon*, non quia Verbi natura Deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium; ſed quòd ex ea natum ſit ſacrum illud corpus, animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum eſſe dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo tibi, quærens tanquam frater, & conteſtans coram Deo & electis ejus Angelis, ut hæc nobiſcum ſentias, ſimul & doceas, ut Eccleſiarum pax ſalva ſervetur, & concordiæ charitatiſque vinculum

Explicatio myſterij Incarnationis.

Hic eſt finis alterius Epiſtolæ Cyrilli ad Neſtorium.

culum indissolubile maneat Sacerdotibus A Dei.

Sequuntur CANONES *ducentorum sanctorum & beatorum Patrum qui in Epheso convenerunt sub* THEODOSIO *Imperatore, &* CÆLESTINO *Papa, Luciano Mantuano Monacho Casinensi interprete.*

CAP. I. *Vt qui cum Cœlestio aut complicibus sentiunt, deponantur.*

QVoniam autem oportebat & absentes à sancta Synodo, moranteſque in urbibus & Provinciis ob aliquod impedimentum, seu Ecclesiasticum, sive corporeum, non ignorare quæ de ipsis sunt constituta, significamus sanctitati vestræ ac dilectioni, ut si quidem Metropolita Provinciæ, derelicta sancta & Oecumenica Synodo, aut accesſit ad illorum defectionis consessum, aut accederet in posterum, sive cum Cælestio sensit, aut sentiet, ipse nihil amplius poterit agere adversùs Provinciæ Episcopos, ut qui jam inde à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsus inutilis: sed & ipsis Episcopis illius Provinciæ circumque vicinis Metropolitis recta sentientibus subjacebit, ut omnino dejectus sit à Sede Episcopatus.

A Synodo Ephesina receſſerunt quidam numero circiter triginta, qui deprehensi sunt Nestorij atque Cælestii sensa tenere. Fugerunt autem, nolentes unà cum Patribus Nestorium condemnare; quos sancta Synodus omni Ecclesiastica communione privavit, & Sacerdotij omne munus ademit. Hic est scopus hujus Canonis.

CAP. *Qui deficientibus à Synodo adhæserunt, Sacerdotio privantur.*

SI qui autem Provinciales Episcopi à sancta Synodo defecerunt, vel deficientibus adhæserunt, aut adhærere tentarunt, vel etiam postquam subscripserunt Nestorii depositioni, rursus ad defectionis consensum nihilominus recurrerunt: istos placuit sanctæ Synodo penitus alienos esse à Sacerdotio, à graduque cecidisse.

CAP. III. *Restituuntur, qui à Nestorio sunt Sacerdotio prohibiti.*

SI qui verò ex Clericis in singulis urbibus aut regionibus à Nestorio & conspirantibus Sacerdotio prohibiti sunt, quod rectè sentirent, justum putavimus hos quoque proprium gradum accipere. In summa autem, Clericos Orthodoxæ & Oecumenicæ Synodo consentientes iubemus eis qui defecerunt, aut defecturi sunt, Episcopis nullo pacto aut ratione subiectos esse debere.

CAP. IV. *Qui cum Nestorio aut Cœlestio sentiunt, deponuntur à Synodo.*

SI qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint, vel privatim vel publicè, quæ sunt Nestorii aut Cœlestii sapere, sancitum est à sancta Synodo istos quoque depositos esse.

LIbet hic observare simul in eodem Concilio impugnatam fuisse causam Nestorii & Cœlestri Pelagiani monachi, hi enim consanguinei erant, ut initio hujus Synodi animadvertimus, & luculenter explicat Cassianus lib. 1. de Incarnatione cap. 2. & 3. Ut Pelagius volebat Christum hominem fuisse consecutum divinitatem in resurrectione meritis suæ passionis, itidem docebat Nestorius Christum hominem solitarium, meritis suis tandem consecutum fuisse conjunctionem quamdam cum Verbo, quâ etiam Deus diceretur, & ut Deus adoraretur, licèt reipsâ talis conjunctio non differret ab illâ unione, quam sancti habent cum Deo per sanctificationis gratiam. Unde & Alardus Gazæus in commentario ad illud cap. 3. Cassiani de incarnatione, refert vocem hanc Nestorii fuisse, licèt illa eadem vox etiam Ibæ tribuatur in actis Concilii Calcedonensis *Ego Christe tibi non invideo quod Deus sis, quia si volo etiam Deus ero.* Unde consequens est tam Nestorium quàm Pelagium & sequaces adversatos fuisse mysterio Redemptionis humani generis & satisfactioni ejus pro peccato quæ fuerit valoris infiniti ex dignitate infinita personæ satisfacientis, quæ Deus erat, ad compensandam in rigore juris malitiam peccati infinitam ex infinita dignitate personæ offensæ quæ Deus erat. Sublata enim divinitate à Christo destruitur istud mysterium. Utrique ergo convenit quod expressiùs de Pelagianis scribit ibidem Cassianus, Christum venisse in hunc mundum non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla: evacuantes, inquit, quantum in ipsis fuit omne sacri adventûs donum & omnem divinæ redemptionis gratiam. Cum idem dicerent homines consequi posse vivendo, quod præstitisset Deus pro humana salute moriendo. Sic serpens variis artibus redemptionis mysterium illiusque fidem non desinit impugnare. Quia autem Nestorius in capite rem istam urgebat magis, Pelagius vero in membris ejus, pro diversis hæreticis haberi solent, quantumvis in doctrina convenirent. Jam autem Pelagius damnatus erat per Innocentium I. summum Pontificem, cùmque hoc sufficere deberet, ut controversia finiretur, nequaquam tamen acquiescebat, nec ejus sectarij, sed, Concilium petebant, sine quo se legitimè damnatos esse non putabant. Qua de re D. Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum; *Aut verò*, inquit illis respondens, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: cùm potiùs rarissimæ inveniantur hæreses propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quas ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitande innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, &c. Hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt saltem cómovere conantur: cum potius vigilantia pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint; sive ut sanentur, sive ut ob aliorum salutem vitentur, adjuvante pastore pastorum*, &c. Quod ergo efflagitabant Pelagiani, hoc factum est in hoc Concilio, simul cum Nestorio damnati sunt. Quod indicatur hic cùm damnatur Cœlestius maximus Pelagii defensor, ut propterea idem D. Augustinus librum scripserit de gratia Christi & peccato originali contra Pelagium & Cœlestium, utriusque errores eodem libro refutans, quod idem sentirent, nullius gratiæ interioris voluntatem commoventis necessitatem agnoscentes, nec Christum ob redemptionem quæ personam infinitæ digni-

Pelagiani damnati cum Nestorio.

Redemptionis mysterium impugnatum à Nestorio & Pelagio.

Concilia non semper necessaria.

tatis ſatisfacientem requirebat propter peccati infinitatem, ſed ob exemplum mortuum fuiſſe. Quæ autem contra Pelagium examinata ſunt in hoc Concilio, non extant amplius, & Gregorius Magnus epiſt. 14 lib. 5. regiſtri acta Epheſina requirebat in quibus Pelagij hæreſis damnata eſſet.

CAP. V. *Quos ſancta Synodus condemnavit, reſtitui non debere.*

QVicunque autem ob turpia geſta ſunt à ſancta Synodo condemnati, vel à propriis eorum Epiſcopis, quibus præter Canones, Neſtorius, qui nullum rerum diſcrimen habebat, & qui cum illo eadem ſentiunt, reſtituere conati ſunt in gradum vel communionem, aut conarentur, iſtos cenſuimus inutiles eſſe, & manere nihilominus depoſitos.

CAP. VI. *Contra turbatores geſtorum in ſynodo.*

SImiliter autem, & ſi qui velint ea quæ de ſingulis per ſanctam Synodum geſta ſunt Epheſinam, quocunque modo movere, ſancta Synodus ipſa decrevit, ſiquidem Epiſcopi aut Clerici fuerint, eos omnino à proprio cadere gradu: ſin verò laïci, aut alii, ſine communione permaneant.

DEFINITIO SANCTÆ ET *Oecumenicæ ſynodi in Epheſo, contra impios Meſſalianiſtas, hoc eſt, Euchitas, ſive Enthuſiaſtas.*

Meſſalianorum de quibus eſt videre c. 1. lib. 7. hiſt. tripart. Siſinnium.

VEnientes ad nos pientiſſimi & religioſiſſimi Epiſcopi Valerianus & Amphilochius propoſuerunt in communi conſiderandum, de Meſſalianitis, hoc eſt, Euchitis, vel Enthuſiaſtis, qui in Pamphylia verſantur, vel quocunque nomine contaminatiſſima hæreſis vocatur. At nobis conſiderantibus attulit pientiſſimus & religioſiſſimus Epiſcopus Valerianus ſchedulam Synodicam de illis compoſitam in magna Conſtantinopoli ſub beatæ memoriæ Siſinnio. Quæ ubi lecta, ab omnibus probata eſt, quòd benè ſit condita, rectéque habeat. Et placuit nobis omnibus & pientiſſimis Epiſcopis Valeriano & Amphilochio, & omnibus Pamphyliæ & Lycaoniæ Provinciarum pientiſſimis Epiſcopis, ut omnia quæ in Synodica charta contenta, robur habeant, & nullo modo prætereunda, ut ſolida ſint, & ea quæ in Alexandria acta ſunt, ita ut omnes qui per univerſam Provinciam hæretici Meſſaliani vel Enthuſiaſtæ ſunt, vel de ejus hæreſeos morbo ſuſpecti, ſive clerici ſive laïci ſint, conveniantur, & ſiquidem anathematizaverint (juxta ea quæ in præducta Synodo ſcripto pronuntiata ſunt) in ſcriptis ſi clerici fuerint, maneant clerici, ſin laïci ad communionem admittantur. Quod ſi renuerint anathematizare, ſi Preſbyteri vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Eccleſiæ, excidant & à clero, & à gradu & à communione. Laïci verò anathematizentur. Convicti quoque non permittantur habere Monaſteria, ut ne zizaniæ diffundantur & creſcant. Hæc ut ſic agantur, omnes vires intendebant pientiſſimi Epiſcopi Valerianus & Amphilochius, cæterique reverendiſſimi totius Provinciæ Epiſcopi. Unde ad hæc placuit librum pollutæ illius hæreſeos, qui dicitur Aſceticon, anathematizari, quem attulerat religioſiſſimus & pientiſſimus Valerianus, utpote ab hæreticis compoſitum. Similiter ſi quid illorum impietatem ſapiens apud pleroſque inveniatur, etiam hoc anathema ſit. Præterea dum conveniunt, quæ utilia & neceſſaria ad concordiam, & communionem, & diſpoſitionem, manifeſtè ſcriptis commendentur. Si autem quæſtio oborta de his, quæ in hoc negocio ſunt, & ſi quid difficile & ambiguum fuerit, quod pientiſſimis Epiſcopis Valeriano & Amphilochio, cæteriſque per totam Provinciam Epiſcopis non probatur, admotis ſcripturis omnia excutere debent. Et ſi relicti fuerint pientiſſimi Epiſcopi vel Lyciorum vel Lycaoniorum, non relinquatur tamen Metropolitanus Provinciæ cujuſcunque fuerit. In commentarios hæc referenda, ut ſi quid opus habent iis, inveniant, quò etiam aliis ea diligentius exponant.

Veteris Eccleſiæ diſciplina & ſeveritas in hæreticos.

Hæreticorum vita omnes & ſermones deſcutienda.

Enthuſiaſtæ quum in Epheſino Concilio damnantur, ita dicti ſunt quod dæmonis cujuſdam afflatu correpti, vim illam Spiritus ſancti præſentiam eſſe putant. Dicuntur & Euchitæ, id eſt, orantes quod ſemper & ſine intermiſſione orandum eſſe putent. Horum quoque meminit D. Auguſt. lib. 1. de hæreſibus ad *quod vult Deum* ſub nomine Pſallianorum, forſitan à pſallendo ita dicti. Dicuntur & Meſſaliani ab Hebraïca voce orationem ſignificante, & Adelphiani ab Adelphio quodam eorum propagatore. Hi laborem manuum ut vitioſum, viſa ſomniorum, ut Prophetias arbitrantur, nec prodeſſe nec obeſſe putant Euchariſtiam, morbum erroris ſui celant quantum poſſunt, & ubi convicti ſunt negant impudenter. Letonius Melitinenſis Eccleſiæ antiſtes divino vir ardens zelo, cum videret multa Monaſteria ſpeluncas potius latronum, peſtem iſtam hauſiſſe, ea incendit & lupos a grege abegit. Flavianus quoque Pontifex Antiochenus cum eos Edeſſæ verſari videret, venenumque ſuum vicinis inſtillare, errorem tamen inficiari, Adelphium ſenem hujus ſectæ dilinivit ut ab eo diſceret quæ erant eorum dogmata, ut refert Theodoretus l. 4 hiſtor. Eccleſ. c. 10. dixit ille: Sacrum baptiſma nullam afferre utilitatem, ſed ſedulâ oratione dæmonem expelli. Omnes enim qui eduntur in lucem ex primo parente trahere aiebat quemadmodum naturam, ſic & dæmonum ſervitutem. His autem per ſedulam precem fugatis advenire deinceps Spiritum ſanctum, præſentiæque ſuæ ſenſibus nonnullis ſignificationem dare, tum corpus perturbationum motibus liberando, tum animam ab inclinatione ad deteteriora penitus avocando: itaut nec jejunio jam opus ſit corpus coërcente, nec doctrinâ refrænante, ſicque etiam apertè futura prævidere & Trinitatem contemplari. Hæc Theodoretus ex quibus videri poteſt Begardos in Concilio Viennenſi cum Beguinis damnatos, non pauca ab illis mutuaſſe. Putat autem Scaliger Elenchi cap. 28. Euchitas ab Eſſæis propagatos fuiſſe, ductâ conjecturâ ex pleriſq; communibus inter utroſque. Hunc refellit Petavius in notis ſuper D. Epiphanium ad hæreſim 80. poſt Serrarium in Minervali. Sed & Photius in Bibliothecâ num. 52. multa de iis refert. Inter alia. Fecit item decretum (de hoc ipſo Adelphio hæretico) ſacra & Oecumenica Synodus Epheſina, quæ & illum cum blaſphemiis capitibuſque hæreſeos, quotquot in illorum libro Aſcetico eſſent, detexit & anathemati ſubjecit. Vide etiam de iiſdem in 4. claſſe tom. 2.

Nota.

EXEMPLAR LIBELLI SANCTÆ *Synodo oblati ab Euprepio Epiſcopo Byzes & Archadiopolis, & Cyrillo Epiſcopo Cœlenſi.*

Epiſcopi Europæ ſingulatim alios ſub ſe habuere Epiſcopos. Epiſcoporum Europæ authoritas.

SAnctæ univerſali Synodo, gratia Dei & aſſenſu pientiſſimorum Regum in Epheſiorum Metropoli congregatæ, ab Euprepio Epiſcopo Byzes & Archadiopolis, & Cyrillo Epiſcopo Cœlenſi. Vetus mos viget in provinciis Europæ, quòd ſinguli Epiſcopi duos vel tres ſub ſe habeant Epiſcopos, unde Heracliæ Epiſcopus ſub ſe habet Heracliam & Panion: Epiſcopus autem Byzes ſub ſe Byzen & Archadiapolim: Cœlenſis verò ſimiliter habet Cœlam & Callipolim. Porrò Epiſcop. Sabſadiæ ſub ſe habet Sabſadiam & Aphrodiſiadem. Itaque olim & ab initio Eccleſias illas duo Europæ Epiſcopi adminiſtrabant, & nunquam prædictæ

civitates proprios acceperunt Episcopos. Sed aliæ quidem sub Heraclia fuerunt ab initio. Archadiopolis similiter sub Episcopo Cælensi. Verùm quoniam nunc* Phriuclas Heraclíæ Episcopus à sancta Synodo apostata factus, Nestorio & cum illo sentientibus se addidit (suspicamur autem, quòd numquam vel ipse ulciscens tanquam hostes, vel qui cum ipso Heraclíæ Episcopatum administrant, veniant ad ordinandum Episcopos juxta veterem & roboratam consuetudinem in memoratis ciuitatibus, quæ nunquam proprios Episcopos receperunt) itaquè priscos mores & consuetudinem, quæ olim & ab initio viguit, commoveri propter novitates cogitantes, oramus vestram pietatem definitionem pronuntiari de ea re à vestra sancta magnaque Synodo, proprioque signaculo eam roborari, ita ut neque nos Ecclesiis nostris privemur, in quibus plurimum laboravimus: neque mos jam longo tempore confirmatus à quopiam præmemoratorum commoveatur, fiantque bella & inordinationes maximè inter Episcopos Europæ. Cujus rei si compotes facti fuerimus, gratiam habituri sumus omnium Deo, qui hic vestram sanctitatem congregavit ad corrigendas Ecclesias orbis.

forte, Phriuclas.

Sancta & universalis Synodus dixit: Honesta petitio est pientissimorum Episcoporum Euprepij & Cyrilli, quam ostendunt oblati libelli. Unde & sanctis Canonibus & externis legibus, quia veteres consuetudines, nunc vim legis habent, nihil innovandum in Europæ civitatibus: sed juxta veterem consuetudinem gubernantur ab Episcopis, à quibus & olim, cum nullus etiamnum Metropolitanus, qui alicui sustulisset potestatem, neque posteà futuris temporibus poterit aliquid à veteri consuetudine innovari.

Responsum Ephesinæ Synodi. Consuetudo vim legis habet.

Humila quædam.

EXEMPLAR SVGGESTIONVM de Cypri Episcopis in Concilio Ephesino.

POst consulatum dominorum nostrorum Flavij Theodosij decimum tertium, & Flavij Valentiniani tertium semper Augustorum, pridie Calendas Septembres Synodo congregata, gratia Dei, & edicto pientissimorum Christique amatorum Regum nostrorum in Ephesiorum Metropoli sancta Ecclesia, quæ dicitur Maria:

Reginus Episcopus sanctæ Ecclesiæ apud Constantiam Cypri, dixit: Quoniam turbant quidam sanctissimas Ecclesias nostras, oro ut libellus, quem in manibus gero, suscipiatur & legatur.

Reginus.

Sancta Synodus dixit: Libellus oblatus recipiatur & legatur.

Sanctissimæ, gloriosæ & magnæ Synodo, gratia Dei, & nutu pientissimorum nostrorum Regum in Ephesiorum Metropoli, Dei observantissima congregatæ, petitio à Regino & Zenone & Evagrio Cypri Episcopis: Olim etiam sanctus Pater noster & Episcopus factus Troilus ab Antiocheno clero multa passus est, & pientissimus Episcopus Theodotus vim non vulgarem pertulit, atque adeò usque ad plagas, quas nec flagriones homines ferre deceat, illicitè, absurdè & illegitimè. Nam cùm propter aliam causam abiisset, illius verò felicem accepit finem, abusi abitione, vi cogere voluerunt, & subjicere sibi sanctos Episcopos insulæ contra Apostolicos Canones & definitiones sanctissimæ Nicænæ Synodi. Et nunc quia cognoverunt, quòd beatus ex hac vita migravit, subornarunt magnificentissimum ducem Dionysium scribere mandata provinciæ Principi, & sanctissimæ Constantiensis Ecclesiæ clero: literæ publicæ sunt, quas & ad manum habemus & parati sumus eas vestræ sanctitati ostendere. Hujus gratia rogamus & petimus, ne permittatur hominibus nihil non audentibus ullam novitatem invehere. Olim & ab initio volentibus præter Ecclesiasticos Canones & constitutiones expositas à sanctissimis patribus in Nicæa congregatis imponere magnæ & sanctæ Synodo finitionibus ad nihil utilibus. Nam sicut

Regina. Evagrium. Troilum. Theodotum.

Dionysium præfectum præterio.

diximus, non appulisset hodie magnificentissimus dux Dionysius Ecclesiæ afflictæ curam habens, neque Ecclesiasticis rebus se immiscuisset, nisi à sanctissimis qui illic congregati erant, Episcopis & clerò ipsorum deceptus, putasset eam Canonicam, quòd etiam præcepta ejus testantur, quam absque eorum consilio adversùs Episcopum Constantiæ Cypri Metropolis habuit. Oramus autem & has literas magnificentissimi ducis legi, & præcepta & omnia simul, quæ in hac tragœdia commissa & facta, ut ex ipsis cognoscat sancta vestra & magna Synodus intolerabilem vim factam. Etenim non vulgaris tumultus in tota metropoli ortus est. Præterea significamus vestræ sanctæ Synodo, quòd cum literis gloriosissimi ducis etiam diaconus sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ missus est. Ideo obsecramus & ad vestra sancta genua procidimus, Canonica sententia etiam nunc, sicut initio à temporibus Apostolorum & constitutionibus & Canonibus sanctissimæ & magnæ Synodi Nicænæ illæsæ, & superior insidiis & potentia permansit nostra Cypriorum Synodus. Ita ut per vestram incorruptam & justissimam sententiam etiam vestra constitutione justitiam nobis fieri cupientes.

Reginus Episcopus Constantiæ Cypri subscripsi manu mea. Evagrius minimus Episcopus Solensis Cypri sanctæ Dei Ecclesiæ subscripsi manu mea, &c.

Sancta Synodus dixit: Memor sit sancta Synodus Canonis sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum, qui conservat unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem. Hic etiam memor sit Antiochiæ: docere igitur, an non jus ordinandi ex more veteri apud vos habet Antiochenus.

Zenon Episcopus dixit: Prius affirmamus, quòd nunquam vel adfuerit vel ordinaverit, neque in metropoli, neque in alia civitate, sed Synodus nostræ Provinciæ congregata constituebat metropolitanum, & oramus ut vestra sancta Synodus, sua sententia nobis consentiat, & hæc stabiliat, ita vt vetus mos sicut hactenus robur habuit, ita & nunc habeat, & nullam novitatem in nostra provincia fieri sinat.

Sancta Synodus dixit: Doceant & hoc pientissimi magistri, num Troilus ille sanctæ ac beatæ memoriæ Episcopus qui nunc requievit, vel sanctæ memoriæ Sabinus qui illum præcessit, vel qui ante illos venerabilis Epiphanius, ab aliqua Synodo ordinati fuerint?

Sabinus, Epiphanius.

Zenon Episcopus dixit: Et nunc memorati Episcopi, & qui ante illos sanctissimi Episcopi, & qui à sanctis Apostolis erant omnes Orthodoxi, ab his, qui in Cypro constituti sunt, & nunquam locum habuit Antiochenus Episcopus, vel alius aliquis ordinandi in nostra provincia.

Sancta Synodus dixit: Rem hanc, quæ præter Ecclesiasticas constitutiones, & sanctorum Patrum Canones innovatur, & omnium libertatem attingentem, annuntiavit pientissimus Episcopus Reginus, & qui cum eo pientissimi Episcopi provinciæ Cypri, Zenon & Evagrius. Unde quoniam communes morbi majore egent remedio, eò quòd majus damnum aderant: si non est vetus mos, quòd Episcopus Antiochenus ordinat in Cypro (sicut libellis & propriis vocibus docuerunt pientissimi viri sanctarum Ecclesiarum in Cypro præsules, qui ad sanctam Synodum accesserunt) à nullo impetantur vel vim patiantur secundùm Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, sed per seipsos ordinationes pientissimorum Episcoporum faciant. Istud autem etiam in aliis diœcesibus & in omnibus provinciis servetur, ut nullus pientissimorum Episcoporum aliam provinciam, quę non antea & ab initio fuit sua, sub suam vel saltem eorum, qui sibi præsunt, manum trahat, sed si quis apprehenderit, & suam fecerit, eam restituat, ut nec Patrum Canones prætereantur, neque sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastum subintroducat, ne paulatim & clàm libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine Dominus noster Jesus Christus omnium hominum libertas. Visum igitur est sanctæ universali Synodo, *Servari*

Episcopus non extra diœcesim suam ordinare potest.

unamquamque provinciam parum & nullam tyrannidem passim jus verum & consuetudinem veterem: opus habente unoquoque Metropolitano, ut ad suam securitatem exemplaria actorum excipiat. Si autem quis veterem figuram contempserit, pœnam non effugiet. Et si quis his, quæ nunc decreta sunt, pugnantes literas attulerit, irritas esse decrevit sancta & universalis Synodus. A

Ambigua est ista sententia Concilij: nec omnem litem sopivit, quare postea initum & concordatum quod continetur 38. Canone inter Arabicos, quo decernitur aliquod inter Antiochenos in Cyprenses. Ab initio enim illi subditi erant.

De ambitu Juvenalis Hierosolymitani.

PErtinet ad eandem Ephesinam Synodum molitio Juvenalis Episcopi Hierosolimitani ad obtinendum primatum totius Palestinæ contra jura Cæsariensis Metropolitani, eo prætextu quod ob frequentem ex toto orbe peregrinationem ad loca sancta major esset in honore, & alias quasdam rationes. Cui cum Patres fere omnes consentirent, restitit Cyrillus summi Pontificis Legatus, volens cuique jura conservari ex Canonum Nicænorum præscripto. Acta Ephesina id tacent, quia non habentur integra, testimonium autem ea de re perhibet S. Leo epist. 62, ad Maximum Antiochenum Episcopum, his verbis. Subrependi occasiones non prætermittit occasio. Et quoties ob incurrentes causas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est ut improborum cupiditas non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum illo dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare: quod sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit & sollicitâ prece multum popposcit, ut illicitis conatibus nullus præbearur assensus. Nam cujus Epistolæ ad nos exemplaria direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitam nos authenticam noveris reperisse. Ex quibus infert Baronius ad annum 431. Authoritatis esse Apostolicæ penitus abolere quæ à multitudine Episcoporum injustè decernerentur, cùm Pontifex Romanus præsideat Judex & vindex Sacrorum Canonum adversùs omnes qui eos labefactare tentarent. *Etsi enim*, inquit ibidem Leo, *diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium*; & infrà, *Si quid fame ab his fratribus quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica fide sunt directi, ut excussis hæresibus Catholica essent fidei definitores.* B C D

In his tamen animadvertendum est, quod cùm dicit Leo Cyrillum ad se scripsisse de conatu Juvenalis in Ephesina Synodo, per se, intelligere voluisse Pontificem Romanum, qui tunc erat Cœlestinus. Mortuus est enim Cyrillus post tres menses à celebrato Concilio Ephesino, cùm nondum Leo esset Pontifex, cum Deo tamdiu in humanis relinquente, quantum opus esset ad dejiciendum Christi adversarium, ut sic vocaretur ad coronam quam per multos labores ac certamina varia de salva fide Catholica & conservata sarta tecta divinitate Christi, & ejus Matris sanctissimæ dignitate meritus esset. Si quis tamen vellet ad Leonem ipsum scriptam hanc Epistolam, ut qui ante Pontificatum magnâ polleret potestate in curia Pontificis Romani, non est quod magnopere vituperari possit. E

SECUNDA PARS CONCILII EPHESINI.

Præcipuas epistolas Synodales exhibens.

EPISTOLA D. CYRILLI MISSA Nestorio Mense Mechir, qui Ægyptiis Februarius est, Indictione 14. & à Patribus Concilij Ephesini & Chalcedonensis impense commendata.

COmperi quosdam existimationi meæ detrahentes, apud reverentiam tuam, multa garrire, & id crebrò frequenterque agere & maximè nunc, cùm virorum illustrium atque prudentium præsidio esse plurimos vident, & fortasse opinantes tuas aures delectari. Non adeò ex voluntate tales adversùm nos voces emittunt homines, nulla quidem in re à me prorsus offensi nec læsi, sed modestè à nobis clementerque convicti. Unus, quia cæcis vim, egenisque faciebat: alter, quia supra matrem suam erexit gladium: alius, quia cum ancilla aurum rapuit alienum, & hac semper existimatione vixit, quam nullus inimicissimo suo optat evenire. Cæterùm talium hominum nullam omnino habeo curam, ne videar supra Dominum aut Magistrum, vel supra patres nostros mensuram meæ mediocritatis extendere. Neque enim fieri potest, ut aliquis maledicorum virus & molestiam vitare possit, quamvis rectissimè vivat. Sed illi maledictionis & amaritudinis os plenum habentes rationem judici omnium reddituri sunt. Ego autem me convertо ad id, quod me maximè decet, & te nunc quoque admonebo quasi frater in Domino, ut doctrinam verbi, & sensum fidei cautè & cum omni observatione facias semper ad populos, sciens planè, quod si quis ex his, qui in Christum credunt, unum duntaxat scandalizaverit, indignationi subjacebit ingenti. Sin verò non unus sit, sed multitudo decepta, tunc omni arte nobis urgendum est, ut circumcidamus scandala, & illis, qui quærunt veritatem sanam rectamque fidei dirigamus rationem. Id autem facilè fiet, si pariter Patrum recensentes scripta sanctorum, eos plurimi faciamus: & nosmetipsos consulentes, si in fide consistimus, secundùm quod scriptum est, tum demum rectis illorum atque irreprehensibilibus institutis sensus nostros animosque firmemus. Ait igitur sancta & magna Synodus ipsum, qui est ex Deo Patre naturaliter natus Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine (per quem & cum quo omnia fecit Pater) hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, resurrexisse tertiâ die, & ascendisse rursus in cœlos. Hæc nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse, & hominem factum Dei verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura conversa & immutata, facta sit caro, nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit: sed illud magis quod, carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, & ineffabiliter & indeprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec adsumptione sola personæ, sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint. Unus tamen ex ambabus Christus & filius, non evacuata aut sublata diversitate naturarū per cōjunctionem

Psalm. 15.

Matth. 18.

Quomodo fides sinceritas retineri debeat.

nem, ſed quia ſimul nobis effecerunt unum Dominum & Chriſtum & filium, id eſt, divinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad vanitatem. Itaque is, qui ante ſecula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus: non quia divina ipſius natura de Sacra Virgine ſumpſit exordium, nec quod propter ſeipſam opus habuit ſecundo naſci poſt illam nativitatem, quam habebat ex Patre, eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quod is qui ante omnia ſecula eſt conſempiternus Patri, ſecunda regeneratione egerit, ut eſſe inciperet: ſed quia propter nos & propter noſtram ſalutem naturam ſibi copulavit humanam, & proceſſit ex muliere, idcircò dicitur natus eſſe carnaliter. Neque enim primùm natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demum inhabitavit in eo Verbum: ſed in ipſa vulva, uteroque virginali ſe cum carne conjunxit & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ nativitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, non quia Deus verbum in ſua natura paſſus ſit aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera (Deus namque incorporalis extrà paſſionem eſt) ſed quia corpus illud quod ipſius proprium factum eſt, paſſum eſt, ideo hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile eſt naturaliter, & vita, & vivificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipſius proprium gratia Dei iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem guſtavit, idcircò ipſe dicitur mortem paſſus eſſe pro nobis. Non quòd ipſe mortem eſſet expertus, quantùm ad ipſius naturam pertinet (inſania eſt enim hoc vel ſentire vel dicere) ſed quòd (ut ſuprà diximus) vera caro ipſius mortem guſtavit. Ita & reſurgente carne, ipſius rurſus reſurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderat (quod abſit) ſed quia ejus reſurrexit corpus. Ita Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur, ſed unum jam & eundem adorantes: quia non eſt alienum à verbo corpus ſuum, cum quo ipſi etiam adſidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quaſi duobus filiis adſidentibus, ſed uno cum carne per unitatem: quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi impaſſibilem, aut quaſi parum decoram voluerimus accipere, in id incidimus, ut duos filios eſſe dicamus. Neceſſe enim eſt diſcernere, & dicere hominem ſeparatum fuiſſe ſola filii appellatione honoratum, & rurſum, quod eſt ex Deo, & nomine & veritate, Filium Dei, ſed diſcernere in duos filios non debemus unum Dominum Jeſum Chriſtum. Neque enim id adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (neſcio quam) perhibeant perſonarum. Non dixit enim Scriptura, Verbum Dei perſonam ſibi hominis adſumpſiſſe, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere Dei Verbum ſimiliter ac nos participatum habuiſſe carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum propriè ſuum feciſſe, & hominem ex muliere proceſſiſſe, non abjecta nec depoſita deitate, aut generatione illa, quam habebat ex patre, ſed manſiſſe etiam in adſumptione carnis Deum, quod erat. Hoc ubique rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus. Ideo illi non dubitarunt ſanctam Virginem dicere θεοτόκον, non quòd Verbi natura deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium, ſed quod ex ea natum ſit ſacrum illud corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum eſſe dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo, quærens te tanquam fratrem, & conteſtans coram Chriſto & electis Angelis, ut hæc nobiſcum & ſentias ſimul & doceas, ut Eccleſiarum pax ſalva ſervetur, & concordiæ charitatiſque vinculum indiſſolubile maneat Sacerdotibus Dei.

Alias prius.

D. CYRILLVS ALEXANDRINVS Epiſcopus, & Synodus Alexandrina, Neſtorio, Deo amabili, & religioſo fratri.

CUm Salvator noſter apertè pronunciet: *Et qui diligit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui diligit filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus:* quid nos faciemus, qui depoſcimur à tua religione, ut te ſuper Chriſtum Salvatorem omnium diligamus? Quid enim nobis in die judicii ſubvenire poterit? aut quam ſatisfactionem reperire poterimus, ita diuturnum ſilentium prolatis a te contra eum blaſphemiis continentes? Et ſi quidem te tantummodo læderes, docens iſta vel ſentiens, ſollicitudo nobis minor exiſteret. Cùm verò totam ſcandalizaveris Eccleſiam, & fermentum inſolitæ pravitatis, & novæ hæreſis miſcueris in populis, nec tantum ibidem poſitis, ſed ubique exiſtentibus (nam tuarum expoſitionum libri per cunctum vulgati ſunt orbē) quæ ſuper noſtro ſilentio ratio ultrà, vel excuſationis ſermo ſufficiat? Aut quomodo non neceſſe ſit meminiſſe Chriſti Domini, ſic dicentis: *Non putetis, quod venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filium adverſus matrem ſuam.* Nam cum læditur fides, parentum reverentia velut inutilis & periculoſa deſpicitur, & amor erga filios fratreſque vitatur. Adè poſtretum etiam ſuper ipſam vitam mors potius à piis viris eligitur, *ut melioremreſurrectionem, ſicut ſcriptum eſt, conſequantur.* Ecce itaque te ſimul cum ſancta Synodo, quæ apud amplam urbem Romā congregata eſt, præſidente ſanctiſſimo & reverendiſſimo fratre, & conſacerdote noſtro Celeſtino Epiſcopo his ſcriptis Synodicis, te jam tertiò convenimus, conſilium dantes, ut à tam pravis abſtineas diſtortiſque dogmatibus, quæ & ſentire dignoſceris & docere: recipias verò fidem rectam, Eccleſiis per Beatiſſimos Apoſtolos & Evangeliſtas ab initio traditam, qui & oculis inſpexerunt, & miniſtri Verbi fuiſſe monſtrantur. Quòd ſi hoc religio tua facere diſtuleris, juxta dilationem, literis præfinitam ſanctiſſimi & reverendiſſimi Conſacerdotis noſtri Romanæ præſulis Eccleſiæ Celeſtini, ſcias te nullam ſortem habere nobiſcum, nec locum aut colloquium cum Dei Sacerdotibus & Epiſcopis obtinere. Non enim fas eſt (contemnere nos) Eccleſias ita turbatas, & ſcandalizatos populos, fidemque rectiſſimam violatam vel diſſipatam: quin-etiam gregem, quem cuſtodire debueras (ſi juxta nos amator recti dogmatis extitiſſes) Sanctorum Patrum veſtigia pia conſectans. Omnes itaque, quos propter fidem tua religio à communione removit, aut ab ordine ſuo depoſuit, laïcos & clericos, in noſtram communionem recepimus. Non enim juſtum eſt eos tuis decretis opprimi, qui noverunt rectè ſentire, qui etiam benè facientes, tibi prudentiſſimè reſtiterunt. Hoc idem namque in epiſtola, quam miſiſti ad præſulem amplæ Romæ ſanctum & Coepiſcopum noſtrum Celeſtinum ſignificare curaſti. Non autem ſufficit tuæ religioni, ſolummodò fidei Symbolum confiteri, quod expoſitum eſt per idem tempus ſancti Spiritus largitate, à venerando Concilio apud Nicæam congregato: hoc enim nec intellexiſti, nec rectè interpretatus es: quinimò perversè, licet ſono vocis ea verba prætuleris. Sed conſequens eſt, etiam jurejurando fateri te, quod anathematizes fidem tuam pollutam & prophana dogmata, ſentias & doceas, quæ nos univerſi, ſive per Orientem, ſeu per Occidentem Epiſcopi & Magiſtri, præſuleſque populorum credimus & docemus. Apoſtolis autem ab Alexandrina tuæ religioni directis Eccleſia conſenſum præbuit, tam ea, quæ apud urbem Romam convenit, ſancta Synodus, quam etiam nos omnes velut rectè, ita-

Matth. 10.

Ibidem.

Hebr. 11.

Synodus Romana celebrata.

Admoneri.

Alias melius. Non ſatis eſt Chriſtianis Symbolo utrumque ſubſcribere.

prehensibiliterque conscriptis. Subdidimus autem his literis nostris, quæ sentire oporteat & docere, & à quibus abstinere conveniat. Hæc est enim fides Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt Orthodoxi per Orientem, Occidentemque Pontifices.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, &c. Sequentes itaque per omnia Sanctorum Martyrum confessiones, quas loquente in eis sancto Spiritu protulerunt, & intentioni, quæ est in eorum intellectibus, æquis vestigiis inhærentes, atque iter ambulantes Regium, profitemur quòd ipsum unigenitum Dei Verbum, natum ex ipsa Patris essentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, sive in cœlis, sive in terra, salutis nostræ causa descendens, ad exinanitionem sese dignatus est inclinare, Incarnatus autem, & homo factus, id est, carnem de Virgine sancta suscipiens, eamque propriam faciens, nativitatem nostram ex vulva sustinuit, homo de muliere procedens, nec quod erat abjiciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis & sanguinis, tamen etiam sic quod erat Deus, natura scilicet & veritate, persistit. Nec carnem itaque dicimus in naturam deitatis esse conversam, nec in substantiam carnis ineffabilem Dei Verbi essentiam commutatam: incommutabilis etenim est & incommutabilis, idemque ipse juxta scripturas iugiter permanens. *Psal. 101.*

Visus est autem & parvulus, sed & positus adhuc in cunabulis, & in finibus genitricis Virginis constitutus, universam creaturam replebat, ut Deus genitori suo indivisus existeret: quod enim divinum est, sine quantitate, & sine molo cognoscitur, nec ullis terminis continetur. Unitum ergo carni Verbum Dei secundùm subsistentiam confitentes, unum adoramus Filium, & Dominum Jesum Christum: non seorsim ponentes hominem & Deum, velut invicem sibi dignitatis & authoritatis unitate conjunctos: hoc enim novitas vocis est, & aliud nihil: nec item Christum specialiter nominantes, Deum Verbum, quod ex Deo est, nec alterum similiter Christum specialiter, qui de muliere natus est, sed unum solummodo Christum, Dei Patris Verbum cum propria carne cognoscimus. Tunc enim etiam juxta nos unctus est quamvis Spiritum dignis ipse contulerit, & non ad mensuram, ficut Beatus Evangelista Joannes adseruit. Sed nec illud dicimus, quòd Dei Verbum velut in homine communi, qui de sancta Virgine natus est, habitarit, ne Deum homo Christus habitatorem possidere credatur. Quamvis enim Verbum habitaverit in nobis, & dictum sit, in Christo habitare *omnem plenitudinem deitatis corporaliter*, attamen intelligimus eum, quod caro factus, non sicut in sanctis habitare dicatur, nec talem in seipso habitationem factam definire tentavimus, sed unitus juxta naturam, nec in carnem penitus commutatus, talem sibi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Unus igitur est Christus Filius & Dominus noster, non velut conjunctione qualibet, in unitate dignitatis & authoritatis hominis habentis ad Deum: non enim potest unire naturas sola dignitatis æqualitas. Denique Petrus & Joannes æqualis sunt alterutrum dignitatis, propter quòd & Apostoli, & sancti discipuli esse monstrantur, verumtamen uterque non unus est. Nec juxta collationem vel connexionem connexionis modum animadvertimus: hæc enim ad unitatem non sufficit naturalem nec secundum participationis affectum: sicut nos etiam adhærentes Domino unus cum eo spiritus sumus, imò potius conjunctionis nomen evitamus, tanquam non existens idoneum, quod significet unitatis arcanum. *Divina omni modo corpora carent.* *Joan. 3.* *Joan. 2.* *Coloss. 2.* *Dignitatis æqualitas Naturæ non unit. 1. Cor. 6.*

Sed neque Deum aut Dominum Christum Verbum Dei Patris adserimus, ne iterum manifestius in duo dividamus unum Christum Filium & Dominum, ne in crimen sacrilegii incidamus, Deum illi ipsum facientes & Dominum: unitus quippe, sicut superius

A diximus Deus Verbum carni, secundùm substantiam Deus quidem est omnium, & dominator universitatis: verumtamen nec servus est sibi ipse, nec Dominus: quia ineptum est, vel potius impium, hoc sentire vel dicere. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit etiam ipse natura, & de illius essentia, tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus, homo quoque factus est, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret. Ipse verò sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? Ergo sicut homo, quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse disseruit. Hoc etiam quomodo sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, & legislator ut Deus existeret, cavemus de Christo dicere: Propter adsumentem veneror adsumptum, & propter invisibilem adoro visibilem. Horrendum verò super hoc etiam illud adjicitis: qui susceptus est, cum eo qui susceptit connuncupatur Deus: qui enim hæc dicit, dividit iterum in duos Christos eum qui unus est, hominem seorsim in parte & Deum similiter in parte constituens. Evidenter enim * dividit unitatem, qua non alter cum altero coadoratur, aut connuncupatur Deus, sed unus intelligitur Christus Jesus Filius Dei unigenitus, una servitute cum propria carne venerandus. *Nestorius propter assumentem venerabatur assumptum.* *Aliàs duo negat.*

Confitemur etiam, quod idem ipse, qui ex Deo Patre natus est Filius unigenitus Deus, licet juxta naturam suam expers passionis extiterit, pro nobis tamen secundum scripturas carne perpessus sit, & erat in crucifixo corpore propriæ carnis impassibiliter ad se referens passiones: gratia verò Dei pro omnibus gustavit mortem, tradens ei proprium corpus, quamvis naturaliter ipse vita sit & resurrectio mortuorum. Nam ut mortem ineffabili potentia proculcaret, ac primus in sua carne primogenitus ex mortuis fieret & primitiæ dormientium, viamque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum, gratia Dei, sicut suprà dictum est, pro omnibus gustavit mortem, & tertio die resurgens expoliavit infernum. Idcirco quamvis dicatur, quod per hominem facta sit resurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem factum Verbum, quod ex Deo est, & per ipsum mortis imperium fuisse destructum. Veniet autem temporibus præfinitis, sicut est unus Filius & Dominus in gloria Patris, ut judicet orbem terrarum in æquitate, sicut scriptura testatur.

Necessariò igitur & hoc adjicimus: annunciantes enim sicut secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est Jesu Christi, & resurrectionem ejus, & in cœlis ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in * Ecclesiis sacrificii veritatem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes (quod absit) nec ut viri sanctificati, & verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed ut verè vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam: vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem:* non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus, quomodo enim nihil juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? sed verè propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis & est, & vocatur. Eas autem voces, quas Salvator noster in Evangeliis protulit, non duabus subsistentiis aut in personis omnino partimur: non enim duplex est unus Christus & Deus solus, quamvis ex duabus diversisque rebus ad unitatem cognoscatur individuam convenisse: sicut homo quoque ex anima constans & corpore, non duplex sed unus potius est ex utroque. *Psalm. 66.* *Aliàs Ecclesiasticis sacrificiis Eucharistia.* *Joan. 6.*

Humanas ergo, & divinas insuper voces ab un

Alias Discipulis. Ioannis 1. 4. Hebr. 1.

Christo dictas animadvertentes rectè sentimus: cum enim * de duobus dignissimè loquitur de seipso: *Qui me videt, videt & Patrem.* Et: *Ego & Pater vnum sumus:* Divinam ejus ineffabilemque intelligimus naturam, secundum quam vnum est cum Patre suo, propter vnam eandemque substantiam, imago & character, splendorque gloriæ eius existens. Cùm verò humanæ naturæ mensuram nullatenus ignorans Iudæos alloquitur: *Nunc me quæritis occidere, hominem qui veritatem vobis locutus sum*, item non minus eum, qui in similitudine & æqualitate Patris est, Deum verum etiam in mensuris humanitatis ejus agnoscimus. Si autem necessariò creditur, quòd natura Deus existens factus sit caro, imò potius homo animatus anima rationali, quæ causa ust, vt in ejus quilibet vocibus erubescat, si eas homine dignas effatus est? Si sermones homini congruentes abjicit, juxta nos hominem fieri quis coegit? Cum verò se propter nos ad exinanitionem spontaneam misericorditer inclinarit, quam ob causam dignos exinanitione sermones effugerit? Uni igitur personæ cunctas eius in Evangelio voces adscribimus, uni substitentiæ, verbi scilicet incarnati. Quia vnus est Dominus Iesus Christus, ut scriptum est.

Ioannis 8.

2. Corint 8. Hebr. 3.

Appellatum verò Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, tanquam sacrificantem Deo & Patri fidei nostræ confessionem, quæ à nobis ipsi, & per ipsum Deo & Patri incessanter offertur, iterum eum dicimus, qui ex Deo est secundum naturam Filius unigenitus, nec homini præter eum alteri Sacerdotij nomen & officium deputamus. *Factus est enim mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, semetipsum Deo & Patri pro nobis offerens in odorem suavitatis.* Ideoque dicebat: *Sacrificium & oblationem noluisti, holocausta & pro peccato non tibi placuerunt, corpus autem perfecisti mihi: tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Obtulit enim proprium corpus, non pro se, sed pro nobis in odorem suavitatis. Nam qua pro se oblatione vel sacrificio indigeret, ab omni peccato liber vt Deus existens? Quòd si *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, secundum hoc quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti, & peccatis ægrotavit humana natura, ipse verò non ita, ideoque nos gloria ejus egemus, cur erit vltrà iam dubium, quòd agnus verus propter nos & pro nobis obtulerit, nullatenus impietatis crimen effugiet cùm nihil prorsus iste deliquerit, nec ullum fecerit omnino peccatum. Qua igitur ægrotabile, nullo suo extante facinore? Pro quo, si esset satis admodum conveniente offerret.

1. Tim. 2. Ephes. 5. Psalm. 39.

Rom. 3.

De spiritu quoque cùm dicit: *ille me glorificabit*, hoc rectissimè sentientes unum Christum Dominum & Filium, non velut alterius egentem gloria confitemur à Spiritu sancto gloriam consecutum: quia spiritus ejus nec melior, nec superior illo est. Sed quia mira opera faciens, ad demonstrationem suæ deitatis virtute proprij Spiritus utebatur: ab ipso glorificari dicitur, quòd virtus sua vel disciplina quælibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus ejus, &, intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est, & non Filius, attamen alienus non est ab illo: nam Spiritus appellatus est veritatis, veritas Christus est: unde & ab isto similiter ficut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificavit Iesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Nam credimus est Christus, natura Deus existens per suum spiritum virtutes efficiens ideoque dicebat: *de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Nequaquam verò participatione alterius idem spiritus sapiens aut potens dicitur: quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nam paternæ virtutis & sapientiæ, id est, filij spiritus creditur: & ideo ipsa re & subsistente virtute virtus & sapientia, id est, Filij spiritus creditur: ideo ipsa re & subsistente virtute virtus & sapientia comprobatur.

Ioannis 8.

Ioannis 16

Igitur quia Deum carni unitum juxta subsistentiam sancta Virgo corporaliter peperit, idcirco eam Dei genitricem esse confitemur: non quod Verbi natura existendi principium de carne sortita sit: *erat enim in principio Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*: & ipse est conditor seculorum, Patri coæternus & universitatis creator: sed, quod superius diximus, juxta subsistentiam sibimet unientis humanam naturam nativitatem sustinuerit ex ipsa vulva corporea, non quòd eguerit necessariò aut propter suam naturam nativitate ista, quæ est in extremis seculi facta temporibus, sed ut ipsas benediceret substantiæ nostræ primitias. Et dum eum carni unitum mulier edidisset, illa, quæ adversus omne genus humanum maledictio fuerat prolata, desineret, nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque, quod dictum est: *In tristitia paries filios*, ipse dissolvens, verum esse monstraret, quod Prophetæ voce prædixerat: *Absorpta est mors in victoria.* Et iterum: *Abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie eorum.* Propter hanc etenim causam dicimus eum dispensatori, & ipsis benedixisse tunc nuptijs, cùm in Cana Galilææ cum sanctis vocatus Apostolis adesse dignatus est. Hæc sapere sumus edocti à sanctis Apostolis & Evangelistis, & ab omni scriptura divinitus inspirata, nec non & à beatis Patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam tuam religionem concordare, & præter aliquem dolum vel fictionem consentire convenit. Quæ verò religioni tuæ anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subjecta sunt.

Maria Deum peperit Ioannis 1.

Genes. 3. 1. Cor. 15. Apoc. 7. Ioannis 8.

1. Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emanuel, & propter hoc ipsam Dei genitricem sanctam Virginem (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Et Verbum caro factum est) anathema sit, &c. *Quæ hic non repetemus, cum supra hi anathematismi duodecim dati sint, in quibus finem accipit hæc epistola vide supra.*

Nota ex hinc apparere plures fuisse errores Nestorij qui hic insinuantur. Nec enim hæc Synodus Alexandrina de ijs ageret, nisi Nestorius malè in iis sentiret. Quare errabat etiam circa Eucharistiam, circa sacerdotium summum Christi Domini, quin etiam circa Processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio. Quod habetur in actis Concilij Florentini sess. 7. Ut propterea Synodus Alexandrina primum, deinde Ephesina per hanc Epistolam illum emendare conatæ fuerint.

Plures Nestorij errores.

Unde ulterius non possum non mirari, stante hac Epistola ejusque approbatione, quo pacto Græci sustinere possint particulam illam symboli, qui à Patre *Filioque* procedit, esse contra intentum Concilij Ephesini, cum id fuerit ab ipsomet Concilio expressum. An Concilium approbans Epistolam illam Cyrilli & Synodi Alexandrinæ expressè mandantem Nestorio ut credat Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, potuit aut voluit improbare idipsum in symbolo exprimi? Res est sanè digna quæ ponderetur, nec Theodoretus Græcis faveret in hac parte nisi Nestorio adhæsisset. Quid igitur de his alijs etroribus Nestorij non palam & pluribus inuectivis actum est in Concilio? Certè dici potest de Nestorio quod de quodam quæstore Asiæ scribit Tacitus in Annalibus, magnitudine unius sceleris cætera obtegebat, de uno scelere præ alijs insigni sermo habebatur: ita præcipua Hæresis Nestorij cætetas multas obtegebat.

Nota contra Græcos

Declaratio.

Cum Verbum Dei, ac Patris in ipſius eſſet forma,
ad Phil. 2. & qualitate *non eſt rapinam arbitratum quod Deo eſſet æquale*, ſicut ſcriptum eſt, *ſed magis ſeipſum ad ſpontaneam exinanitionem demiſit*, & in noſtram naturam deſcendit, non amittens quod erat, ſed magis etiam hoc pacto Deus permanens, & tamen humanitatis menſuram non deſpiciens. Sunt itaque ipſius omnia tam divina quàm humana. Etenim ubi ſeipſum exinanivit, ſi in humanitatis ſeſe menſuras demittere erubuit? Et ſi humana detractavit, quis illum neceſſitate ac vi aliqua ad hoc impulit, ut nobis ſimilis fieret? Univerſas igitur Evangelicas voces, tam quæ humanitatem, quàm quæ Divinitatem concernunt, uni Perſonæ adapramus. Nam & unum credimus eſſe Filium Chriſtum Jeſum, hoc eſt, inhumanatum & incarnatum Dei Verbum. Itaque etiam ſi humanum quid ſcriptura de Chriſto dicat, humanitatis ejus menſuris hoc deputamus (eſt enim ipſius & humanitas, etiam ſi Deus eſſe dicatur) Deum qui humanatus eſt, eſſe credentes. Rurſus & quæ de humana natura ſonant Evangelicæ, voces uni Chriſto & Filio aſſignamus. Qui verò illum in duas Perſonas dividunt, omnino duos comminiſcuntur eſſe Filios. Quemadmodum enim hominem (quales nos ſumus) non in duas dividimus Perſonas, licet ex anima eſſe, & corpore intelligatur, ſed unus & idem homo eſt, ita & in Emmanuele faciendum eſt. Quoniam enim unus eſt Filius & Dominus, Verbum illud Dei incarnatum & inhumanatum, omnino etiam una eſt illius perſona, & huic aſcribimus, tam humana propter diſpenſationem illius cum carne ſuſceptam, quàm divina, propter inenarrabilem illius quam ex Patre habet generationem. Qui verò illum dividunt, & partiuntur in hominem ſeparatim, tanquam alium præter Dei Verbum exiſtentem Filium, & in Deum ſeparatim tanquam rurſus alium exiſtentem filium meritò tanquam duos dicentes eſſe Filios, virtuti propoſiti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Anathematiſmus quintus.

Si quis Chriſtum deïferum hominem audet dicere, & non potius Deum ſecundum veritatem, tanquam unicum & naturalem Filium, quemadmodum Verbum caro, & carnis & ſanguinis perinde atque nos particeps eſt factum, anathema eſto.

Declaratio.

Verbum Dei divinus Evangeliſta Joannes carnem eſſe factum dicit, non ſolum tranſmutatione aut converſione propriæ naturæ in carnem mutatum, ſicut jam prædiximus: (eſt enim inalterabile tanquam Deus) ſed quia conſimiliter nobiſcum in carne ac ſanguine communicavit, homóque factum eſt. Eſt enim in conſueto divinæ Scripturæ, ut hominem carnem vocet. Scriptum eſt enim, *& videbit omnis caro ſalutare Dei.* Sed impiorum dogmatum inventores Neſtorius, & qui cum illo faciunt, eadem videlicet cum illo ſentientes, ſimulant quidem confiteri ſe incarnationis vocem: verum non ſimul dicunt Verbum Dei ſecundum veritatem eſſe incarnatum, hoc eſt, hominem ad noſtri ſimilitudinem factum, ita ut quod erat manſerit, ſed velut in homine uno ex ſanctis, ex ſancta Virgine nato, unigenitum Dei Verbum habitare affirmant, ut jam non confiteantur, quod unus ſit Filius, & Dominus adorandus: ſed quod tanquam homo ſeorſim ac ſeparatim intellectus, ſola conjunctione ſecundum dignitatis unionem honorandus ſimul adoretur, & glorificetur. Habitat quidem in nobis omnium Deus, per ſanctum Spiritum. Nam & per unum ex ſanctis Prophetis dixit: *Quoniam habitabo, & inambulabo in eis, & erò ipſis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Scribit & beatus Paulus, dicens: *An ignoratis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et ipſe Spiritus de ſanctis Prophetis, vel reliquis ſanctis, qui ante ipſum fuerunt, dixit: *Si & illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit: vos dicitis, quod blaſphemet, quia dixi, Filius ſum Dei:* verum non ita Deus in Chriſto, ſicut in nobis habitat. Erat enim natura Deus, etiam cum nobis ſimilis fieret, unus ac ſolus Filius, etiam cum caro fieret. Itaque qui Deiferum illum hominem dicere audent, & non magis inhumanatum Deum, merito propoſito ſubjacent anathematiſmo.

Anathematiſmus ſextus.

Si quis Verbum quod ex Deo Patre eſt, Deum ac Dominum Chriſti eſſe dicit, & non magis illum eundem confitetur eſſe Deum ſimul & hominem, ſicut Verbum caro factum eſt ſecundum Scripturas, anathema ſit.

Declaratio.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus & ſolus & ſecundum veritatem Filius Dei ac Patris exiſtens, cum Verbum illius ſit, caro factus eſt, & ſimul omnibus una cum genitore ſuo dominatur, *flectitóque illi omne genu cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, & confitetur omnis lingua quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit in gloria Dei Patris.* Eſt itaque idem ipſe Dominus omnium, juxta quod intelligitur & eſt Deus, licet non ſine carne poſt inhumanationem, ipſe verò ſuiipſius nec Deus eſt, nec Dominus. Eſt enim hoc omnium abſurdiſſimum, imò omni impietate re vera refertum, ſi ita ſentias aut dicas. Itaque meritò contra hanc impietatem propoſitus eſt hic anathematiſmus.

Anathematiſmus ſeptimus.

Si quis Ieſum à Verbo Dei tanquam hominem actum & impulſum eſſe, & unigeniti gloriam illi tanquam alteri cuidam à ſe diverſo acceſſiſſe dicit, anathema ſit.

Declaratio.

Cum unigeniti Filij Dei generationem ſecundum carnem ſanctæ Virgini beatus Gabriel evangelizaret: *paries*, inquiebat, *Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe namque ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Nominatus autem & Chriſtus eſt, propterea quod nobiſcum humanitus unctus ſecundùm Pſalmiſtæ vocem dicentis. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis.* Quamquam enim cum ipſe ſit Spiritus ſancti ſuppeditator, illúmque non menſuratè det his qui digni ſunt; (eſt enim plenus, & *de plenitudine ejus omnes accepimus*, ſicut ſcriptum eſt) per diſpenſationem tamen, ut homo unctus eſt: Dicitur & ſpiritualiter Spiritus ſanctus, non humanitus per omnia ſupra ipſum veniſſe, ut & in nobis permaneat, licet propter trangreſſionem Adæ principio à nobis fugerit. Ipſum itaque unigenitum Dei Verbum, caro factum, Chriſtus vocatum eſt, & cum propriam habeat potentiam, Deo competentem, miranda operatur. Proinde qui Chriſti potentiæ unigeniti gloriam acceſſiſſe dicunt, quaſi alter ſit præter Chriſtum unigenitus Dei, duos ſentiunt eſſe Filios alterum operantem, alterum verò illius operatione, tanquam hominem nobis ſimilem, impulſum: ob eam cauſam virtuti hujus anathematiſmi ſubjiciuntur.

Luc. 3. : Opinio Neſtorij explicatur.

Levit. 6.

Anathematiſmus octavus.

Si quiſquam aſſumptum hominem audet dicere unà cum Deo Verbo adorandum & glorificandum, Deumque tanquam alterum cum altero appellandum eſſe, & non magis una adoratione Emmanuëlem honorat, & unam illi glorificationem, ſicut * VERBVM CARO EST FACTVM, deputat, anathema ſit.

Verum quod Quæ.1.

Declaratio.

Baptizati ſumus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Filium, & præterea in unumquoq; Spiritum Sanctum. Denique B. Paulus dicit: *An ignoratis quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus?* Sumus itaque illi conſepulti per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus excitatus eſt ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Credimus itaque & baptizati ſumus in unum, ſicut dixi, Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, hoc eſt incarnatum & inhumanatum Dei Verbum, ſumúſque unum adorare Deum edocti, & nobiſcum etiam cœleſtes virtutes. Scriptum eſt enim: *Cum induceret primogenitum in orbem dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Factus eſt autem unigenitus primogenitus, quando homo nobis ſimilis eſt factus. Tunc etenim & frater diligentium ipſum, eſt appellatus. Si quis igitur adorari eum tanquam hominem una cum altero præter ipſum exiſtente, videlicet Dei Patris Verbo, dicit, & non ſecundum veram unionem in unum Chriſtum & Filium & Dominum conjunctum una adoratione honorat, juſtè virtuti anathematiſmi hujus ſubjicitur.

ad Rom. 6.

ad Heb. 1.

Anathematiſmus nonus.

Si quis dicit unum Dominum Jeſum Chriſtum à Spiritu tanquam aliena virtute, qua per ipſum ſit uſus, glorificatum eſſe, & ab illo accepiſſe, quæ contra Spiritus immundos operatus eſt, & quæ divinitatis ſigna inter homines perfecit, & non magis proprium ipſius eſſe Spiritum, per quem divinitatis ſigna operatus eſt, anathema ſit.

Declaratio.

Cum homo factum ſit unigenitum Dei Verbum etiam ſic tamen Deus manſit, omnia exiſtens quæ Pater eſt, ſolo hoc dempto, quod ille Pater eſt, & propriũ habens, quod ex Patre eſt. Et eſſentialiter inhærens illi Spiritus ſanctus ſigna illa divinæ potentiæ operatus eſt. Ieaque etiam homo factum Deus manſit, atque ita propria virtute Spiritus miracula perfecit. Qui verò dicunt, quod tanquam unus ex nobis, Sancti videlicet Spiritus, ſit glorificatus efficacia, quaſi non propriâ, ſed alienâ magis & non quomodo Deum decet, uſus, & quod gratiæ loco à Spiritu ſancto aſſumptionem in Cœlos acceperit, juſtè virtuti hujus anathematiſmi ſubjacebunt.

Anathematiſmus decimus.

ad Heb. 3.

Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum Scriptura dicit. Obtulit autem pro nobis ſemetipſum in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Si quis igitur Pontificem, & Apoſtolum noſtrum, non ipſum quod ex Deo eſt Verbum, & caro & homo, nobis ſimilis eſt factum, ſed tanquam quendam hominem præter ipſum, ſeparatim ab eo, ex muliere natum factum eſſe dicit: aut ſi quis Chriſtum etiam pro ſeipſo

Neſtorius errabat conſequenter circa Sacerdotiũ Chriſti.

A oblationem, & non magis pro nobis obtuliſſe dicit (non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non novit) anathema ſit.

Declaratio.

Modici quidem momenti indubiè Verbo ex Deo Patre genito ſunt, quæ humana ſunt, verumtamen ab illo non contempta, propter diſpenſationem. Cum enim ſecundum naturam Dominus eſſet omnium, demiſit ſemetipſum in noſtram naturam, formâ ſervi acceptâ, appellatúſque eſt noſter Pontifex & Apoſtolus, humanitatis menſuris ad hoc illum vocantibus, *Obtulit autem ſemetipſum pro nobis, in odorem bonæ fragrantiæ Deo ac Patri. Unica quippè oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, ſicut ſcriptum eſt. At ignoro quomodo qui aliter ſentiunt, non ipſum Dei Verbũ hominem eſſe factum & Apoſtolum ac Pontificem confeſſionis noſtræ appellatum, affirmant: ſed quemdam præter ipſum ſeparatim hominem ex ſancta Virgine natum, Apoſtolum & Pontificem appellari, famulandique modo ad hoc muneris veniſſe, & non magis pro nobis, quam pro ſeipſo ſemetipſum Deo ac Patri obtuliſſe, id quod omnino à recta eſt & inculpata fide alienum. Peccatum enim non fecit. Qui verò ſuperior eſt omni delicto, & prorſus expers peccati, oblatione pro ſe nulla opus habuit. Quoniam verò, ut apparet, prævaricantes duos iterum Filios excogitant, qui aliter ſentiunt, neceſſariò poſitus eſt hic anathematiſmus, * ut veritatem perſpicuam redderet.

ad Heb. 10.

al. palam faciens eorum impietatem.

Anathematiſmus undecimus.

Si quis carnem Domini non confiteatur eſſe vivificam, & ipſius Verbi; quod ex Deo Patre eſt, propriam, ſed tanquam alterius cujuſpiam præter ipſum, ſecundum dignitatem quidem, aut tanquam qui Divinam dumtaxat inhabitationem ſit adeptus, cum ipſo conjuncti, & non magis vivificam, ſicut diximus, propterea quòd propria facta eſt Verbi, quod omnia vivificare poteſt, anathema ſit.

Declaratio.

Sanctum ac vivificum incruentúmque in Eccleſia celebramus ſacrificium, non hominis alicujus nobis ſimilis & communis corpus: conſimiliter & pretioſum ſanguinem eſſe, quod proponitur credentes, ſed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. Communis enim caro vivificare non poteſt. Et hoc ipſe Servator teſtatur, dicens: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Quoniam enim Verbi facta eſt propria, ob eam cauſam intelligitur, & eſt vivifica, ſicut Servator dicit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, etiam ille vivet propter me.* Quia verò Neſtorius, & qui cum illo ſentiunt, myſterii hujus virtutem temere diſſolvunt, propterea, idque valde meritò, conſtitutus eſt hic anathematiſmus.

Proinde tum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

Ioan. 6.

ibidem.

Anathematiſmus duodecimus.

Si quis non confitetur Verbum Dei carne eſſe paſſum, carne crucifixum, & mortem carne guſtaſſe, primogenitum ex mortuis factum, quemadmodum & vita eſt, & vivificans ſicut Deus, anathema ſit.

Declaratio.

Impaſſibile quidem & immortale eſt Dei Patris Verbum. Ut enim excellentior eſt divina & incorrup-

bilis natura quàm quæ patiatur aliquid, ita & ipsa omnia vivificat, & corruptionem ac quicquid contristare solet, superat. Attamen licet Verbum ex Deo Patre essentialiter hæc habeat, nihilominus carnem mortis capacem sibi propriam fecit, ut per hoc quod passionibus est obnoxium passiones illas pro nobis ac propter nos in sese susciperet, & nos omnes morte ac corruptione liberaret, suum ipsius corpus vivificans ut Deus *primitiæque dormientium ac primogenitus ex mortuis*. Non enim communis homo est, separatim ac seorsim, præter Verbum Dei, intellectus, qui propter nos pretiosam passus est Crucem, & mortem gustavit, sed ipse *Dominus gloriæ carne passus est*, secundùm Scripturas. Quoniam verò qui vana sua & impia dogmata, in rectam & inculpatam fidem insimuare conantur, communem pro nobis hominem crucem sustinuisse dicunt, necessariò anathematismus hic constitutus est, ut latentis in illis impietatis magnitudinem demonstraret.

Hebr. 2.

2. Cor. 2.

Igitur magna & sancta Synodus, ipsum qui est ex Deo Patre naturaliter natus, Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit Pater, hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, & resurrexisse tertia die, ascendisse rursus in Cœlos. Hæc nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quòd Dei natura cõversa vel immutata, facta sit caro; nec quòd in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed magis quòd carnem animatam anima rationali sibi copulaverit, Verbumque substantialiter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter, factus sit homo, & nuncupatus sit etiam Filius hominis, non nuda tantummodò voluntate, sed nec assumptione sola personæ; sed quòd diversæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus, & Filius non evacuata vel sublata diversitate naturarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Deum, & Christum, & Filium, id est, divinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is qui ante sæcula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter est procreatus in tempore. Non quia divina ipsius natura ex sacra Virgine sumpsit exordium, nec propter seipsam opus habuit secundò nasci post illam nativitatem quam habebat ex Patre, (est enim ineptum & stultum hoc dicere, quòd is qui ante omnia sæcula est & consempiternus Patri, secundæ generationis eguerit, ut esse inciperet:) sed quia propter nostram salutem, naturam sibi copulavit humanam, & processit ex muliere, idcircò dicitur esse natus carnaliter. Nec enim primùm natus est homo communis de sancta Virgine, & tunc demùm inhabitavit in eo Verbum: sed in ipsa vulva uteroque virginali secum carnem conjunxit, & sustinuit generationem carnalem carnis suæ, nativitatem suam faciens. Sic illum dicimus & resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera susceperit (Deus namque incorporalis extra passionem est) sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, sustinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter, & vita, & vivificans Deus Verbum, sed quia corpus ipsius proprium, *gratia Dei*, (juxta Pauli vocem) *pro omnibus mortem gustavit*, idcircò ipse dicitur mortem passus pro nobis: non quòd ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet; (insania enim est hoc vel sentire, vel dicere:) sed quòd (ut diximus) vera caro ipsius mortem gustavit. Ita & resurgente carne ipsius, rursus resurrectionem diximus, non quia in corruptionem ceciderit (quod absit) sed quia ejus resurrexit corpus. Ita Christum unum & Dominum confitemur, non tanquam homine cum Verbo coadorantes, ne divisionis quædam species inducatur; sed unum jam & eumdem adorantes, quia non est alienum à Verbo corpus suum, cum quo ipse etiam assidet Patri. Nec hoc ita diximus, quasi duobus Filiis assidentibus; sed uno cum carne per unitatem; quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi præpassibilem, aut quasi parum decoram voluerimus accipere, in id incidemus, ut duos Filios esse dicamus. Necesse est enim discernere & discere hominem separatim fuisse sola Filij appellatione honoratum, & rursus Verbum, quod est ex Deo in homine, in veritate Filium Dei. Sed discernere in duos Filios non debemus unum Dominum Iesum Christum. Neque enim adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (nescio quam) perhibeant personarum. Non enim dicit Scriptura, Verbum Dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnem factum esse. Id autem est ostendere, Dei Verbum similiter ac nos principium habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse, & hominem ex muliere processisse, non abjecta vel deposita Deitate, aut generatione illa quam habebat ex Patre; sed mansisse etiam in assumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos Patres fuisse comperimus. Ideòque illi non dubitaverunt sanctam Virginem dicere *Theotocon*, non quia Verbi natura Deitasque in sancta Virgine sumpsit exordium; sed quòd ex ea natum sit sacrum illud corpus, animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum esse dicitur. Hæc igitur pro charitate in Christo scribo tibi, quærens tanquam frater, & contestans coram Deo & electis ejus Angelis, ut hæc nobiscum sentias, simul & doceas, ut Ecclesiarum pax salva servetur, & concordiæ charitatisque vinculum

Explicatio mysterij Incarnationis.

Heb. 6.

Ioan. 1.

Hic est finis alterius Epistolæ Cyrilli ad Nestorium.

cilium indissolubile maneat Sacerdotibus A Dei.

Sequuntur CANONES *ducentorum sanctorum & beatorum Patrum qui in Epheso convenerunt sub* THEODOSIO *Imperatore, &* CÆLESTINO *Papa, Luciano Mantuano Monacho Casinensi interprete.*

CAP. I. *Ut qui cum Cœlestio aut complicibus sentiunt, deponantur.*

QVoniam autem oportebat & absentes à sancta Synodo, morantesque in urbibus ac Provinciis ob aliquod impedimentum, seu Ecclesiasticum, sive corporeum, non ignorare quæ de ipsis sunt constituta, significamus sanctitati vestræ ac dilectioni, ut si quidem Metropolita Provinciæ, derelicta sancta & Oecumenica Synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum, aut accederet in posterum, sive cum Cælestio sensit, aut sentiet, ipse nihil ampliùs poterit agere adversùs Provinciæ Episcopos, ut qui jam inde à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsus inutilis: sed & ipsis Episcopis illius Provinciæ circumque vicinis Metropolitis recta sentientibus subjacebit, ut omnino dejectus sit à Sede Episcopatus.

A Synodo Ephesina recesserunt quidam numero circiter triginta, qui deprehensi sunt Nestorij atque Cælestii sensa tenere. Fugerunt autem, nolentes unà cum Patribus Nestorium condemnare; quos sancta Synodus omni Ecclesiastica communione privavit, & Sacerdotij omne munus ademit. Hic est scopus hujus Canonis.

CAP. *Qui deficientibus à Synodo adhæserunt, Sacerdotio privantur.*

SI qui autem Provinciales Episcopi à sancta Synodo defecerunt, vel deficientibus adhæserunt, aut adhærere tentarunt, vel etiam postquam subscripserunt Nestorii depositioni, rursus ad defectionis consensum nihilominus recurrerunt: istos placuit sanctæ Synodo penitus alienos esse à Sacerdotio, à graduque cecidisse.

CAP. III. *Restituuntur, qui à Nestorio sunt Sacerdotio prohibiti.*

SI qui verò ex Clericis in singulis urbibus aut regionibus à Nestorio & conspirantibus Sacerdotio prohibiti sunt, quod rectè sentirent, justum putavimus hos quoque proprium gradum accipere. In summa autem, Clericos Orthodoxæ & Oecumenicæ Synodo consentientes iubemus eis qui defecerunt, aut defecturi sunt, Episcopis nullo pacto aut ratione subiectos esse debere.

CAP. IV. *Qui cum Nestorio aut Cœlestio sentiunt, deponuntur à Synodo.*

SI qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint, vel privatim vel publicè, quæ sunt Nestorii aut Cœlestii sapere, sancitum est à sancta Synodo istos quoque depositos esse.

LIbet hic observare simul in eodem Concilio impugnatam fuisse causam Nestorii & Cœlestii Pelagiani monachi, hi enim consanguinei erant, ut initio hujus Synodi animadvertimus, & luculenter explicat Cassianus lib. 1. de Incarnatione cap. 2. & 3. Ut Pelagius volebat Christum hominem fuisse consecutum divinitatem in resurrectione meritis suæ passionis, itidem docebat Nestorius Christum hominem solitarium, meritis suis tandem consecutum fuisse conjunctionem quamdam cum Verbo, quâ etiam Deus diceretur, & ut Deus adoraretur, licèt reipsâ talis conjunctio non differret ab illâ unione, quam sancti habent cum Deo per sanctificationis gratiam. Unde & Alardus Gazæus in commentario ad illud cap. 3. Cassiani de incarnatione, refert vocem hanc Nestorii fuisse, licèt illa eadem vox etiam Ibæ tribuatur in Concilii Calcedonensis *Ego Christe tibi non invideo quod Deus sis, quia si volo etiam Deus ero.* Unde consequens est tam Nestorium quàm Pelagium & sequaces adversatos fuisse mysterio Redemptionis humani generis & satisfactioni ejus pro peccato quæ fuerit valoris infiniti ex dignitate infinita personæ satisfacientis, quæ Deus erat, ad compensandam in rigore juris malitiam peccati infinitam ex infinita dignitate personæ offensæ quæ Deus erat. Sublata enim divinitate à Christo destruitur istud mysterium. Utrique ergo convenit quod expressiùs de Pelagianis scribit ibidem Cassianus, Christum venisse in hunc mundum non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla: evacuantes, inquit, quantum in ipsis fuit omne sacri adventûs donum & omnem divinæ redemptionis gratiam. Cum idem dicerent homines consequi posse vivendo, quod præstitisset Deus pro humana salute moriendo. Sic serpens variis artibus redemptionis mysterium illiusque fidem non desinit impugnare. Quia autem Nestorius in capite rem istam urgebat magis, Pelagius vero in membris ejus, pro diversis hæreticis haberi solent, quantumvis in doctrina convenirent. Jam autem Pelagius damnatus erat per Innocentium I. summum Pontificem, cùmque hoc sufficere deberet, ut controversia finiretur, nequaquam tamen acquiescebat, nec ejus sectarij, sed, Concilium petebant, sine quo se legitimè damnatos esse non putabant. Qua de re D. Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum; *Aut verò*, inquit illis respondens, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: cùm potiùs rarissimæ inveniantur hæreses propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, &c. Hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem cùm overe conantur: tum potius vigilantia pastorali, post fidem illis competens sufficiensque judicium ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint; sive ut fauentur, sive ut ob aliorum salutem viventur, adjuvante pastore pastorum*, &c. Quod ergo efflagitabant Pelagiani, hoc factum est in hoc Concilio, simul cum Nestorio damnati sunt. Quod indicatur hic cùm damnatur Cœlestium maximus Pelagii defensor, ut propterea idem D. Augustinus librum scripserit de gratia Christi & peccato originali contrà Pelagium & Cœlestium, utriusque errores eodem libro refutans, quod idem sentirent, nullius gratiæ interioris voluntatem commoventis necessitatem agnoscentes, nec Christum ob redemptionem quæ personam infinitæ digni-

Pelagiani damnati cum Nestorio.

Redemptionis mysterium impugnatum a Nestorio & Pelagio.

Concilia non semper necessaria.

catis ſatisfacientem requirebat propter peccati infinitatem, ſed ob exemplum mortuum fuiſſe. Quæ autem contra Pelagium examinata ſunt in hoc Concilio, non extant amplius, & Gregorius Magnus epiſt. 14 lib. 5. regiſtri acta Epheſina requirebat in quibus Pelagij hæreſis damnata eſſet.

CAP. V. *Quos ſancta Synodus condemnavit, reſtitui non debere.*

QVicunque autem ob turpia geſta ſunt à ſancta Synodo condemnati, vel à propriis eorum Epiſcopis, quibus præter Canones, Neſtorius, qui nullum rerum diſcrimen habebat, & qui cum illo eadem ſentiunt, reſtituere conati ſunt in gradum vel communionem, aut conarentur, iſtos cenſuimus inutiles eſſe, & manere nihilominus depoſitos.

CAP. VI. *Contra turbatores geſtorum in ſynodo.*

SImiliter autem, & ſi qui velint ea quæ de ſingulis per ſanctam Synodum geſta ſunt Epheſinam, quocunque modo movere, ſancta Synodus ipſa decrevit, ſiquidem Epiſcopi aut Clerici fuerint, eos omnino à proprio cadere gradu: ſin verò laïci, aut alii, ſine communione permaneant.

DEFINITIO SANCTÆ ET *Oecumenicæ ſynodi in Epheſo, contra impios Meſſalianiſtas, hoc eſt, Enchitas, ſive Enthuſiaſtas.*

VEnientes ad nos pientiſſimi & religioſiſſimi Epiſcopi Valerianus & Amphilochius propoſuerunt in communi conſiderandum, de Meſſalianitis, hoc eſt, Euchitis, vel Enthuſiaſtis, qui in Pamphylia verſantur, vel quocunque nomine contaminatiſſima hæreſis vocatur. At nobis conſiderantibus attulit pientiſſimus & religioſiſſimus Epiſcopus Valerianus ſchedulam Synodicam de illis compoſitam in magna Conſtantinopoli ſub beatæ memoriæ Siſinnio. Quæ ubi lecta, ab omnibus probata eſt, quòd benè ſit condita, rectéque habeat. Et placuit nobis omnibus & pientiſſimis Epiſcopis Valeriano & Amphilochio, & omnibus Pamphyliæ & Lycaoniæ Provinciarum pientiſſimis Epiſcopis, ut omnia quæ in Synodica charta contenta, robur habeant, & nullo modo prætereunda, ut ſolida ſint, & ea quæ in Alexandria acta ſunt, ita ut omnes qui per univerſam Provinciam hæretici Meſſaliani vel Enthuſiaſtæ ſunt, vel de ejus hæreſeos morbo ſuſpecti, ſive clerici ſive laïci ſint, conveniantur, & ſiquidem anathematizaverint (juxta ea quæ in prædicta Synodo ſcripto pronuntiata ſunt) in ſcriptis ſi clerici fuerint, maneant clerici, ſin laïci ad communionem admittantur. Quod ſi renuerint anathematizare, ſi Preſbyteri vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Eccleſiæ, excidant & à clero, & à gradu & à communione. Laïci verò anathematizentur. Convicti quoque non permittantur habere Monaſteria, ut ne zizaniæ diffundantur & creſcant. Hæc ut ſic agantur, omnes vires intendebant pientiſſimi Epiſcopi Valerianus & Amphilochius, cæterique reverendiſſimi totius Provinciæ Epiſcopi. Unde ad hæc placuit librum polluræ illius hæreſeos, qui dicitur Aſceticon, anathematizari, quem attulerat religioſiſſimus & pientiſſimus Valerianus, utpote ab hæreticis compoſitum. Similiter ſi quid illorum impietatem ſapiens apud pleroſque invenitur, etiam hoc anathema ſit. Præterea dum conveniunt, quæ utilia & neceſſaria ad concordiam, & communionem, & diſpoſitionem, manifeſtè ſcriptis commendentur. Si autem quæſtio oborta de his, quæ in hoc negocio ſunt, & ſi quid difficile & ambiguum fuerit, quod pientiſſimis Epiſcopis Valeriano & Amphilochio, cæteriſque per totam Provinciam Epiſcopis non probatur, admotis ſcripturis omnia excutere debent. Et ſi relicti fuerint pientiſſimi Epiſcopi vel Lyciorum vel Lycaoniorum, non relinquatur tamen Metropolitanus Provinciæ cujuſcunque fuerit. In commentarios hæc referenda, ut ſi quid opus habent iis, inveniant, quò etiam aliis ea diligentius exponant.

Enthuſiaſtæ qui in Epheſino Concilio damnantur, ita dicti ſunt quod dæmonis cujuſdam afflatu correpti, vim illam Spiritus ſancti præſentiam eſſe putant. Dicuntur & Euchitæ, id eſt, orantes quod ſemper & ſine intermiſſione orandum eſſe putent. Horum quoque meminit D. Auguſt. lib. 1. de hæreſibus ad *quod vult Deum* ſub nomine Pſallianorum, forſitan à pſallendo ita dicti. Dicuntur & Meſſaliani ab Hebraïca voce orationem ſignificante, & Adelphiani ab Adelphio quodam eorum propagatore. Hi laborem manuum ut vitioſum, viſa ſomniorum, ut Prophetias arbitrantur, nec prodeſſe nec obeſſe putant Euchariſtiam, morbum erroris ſui celant quantum poſſunt, & ubi convicti ſunt negant impudenter. Letoius Melitinenſis Eccleſiæ antiſtes divino vir ardens zelo, cum videret multa Monaſteria ſpeluncas potius latronum, peſtem iſtam hauſiſſe, ea incendit & lupos à grege abegit. Flavianus quoque Pontifex Antiochenus cum eos Edeſſæ verſari videret, venenumque ſuum vicinis inſtillare, errorem tamen inficiari, Adelphium ſenem hujus ſectæ dilinivit ut ab eo diſceret quæ erant eorum dogmata, ut refert Theodoretus l. 4 hiſtor. Eccleſ. c. 10. dixit ille: Sacrum baptiſma nullam afferre utilitatem, ſed ſedulâ oratione dæmonem expelli. Omnes enim qui eduntur in lucem ex primo parente trahere arebat quemadmodum naturam, ſic & dæmonum ſervitutem. His autem per ſedulam precem fugatis advenire deinceps Spiritum ſanctum, præſentiæque ſuæ ſenſibus nonnullis ſignificationem dare, tum corpus perturbationum motibus liberando, tum animam ab inclinatione ad deteteriora penitus avocando: itaut nec jejunio jam opus ſit corpus coërcente, nec doctrinâ refrænante, ſicque etiam apertè futura prævidere & Trinitatem contemplari. Hæc Theodoretus ex quibus videri poteſt Begardos in Concilio Viennenſi cum Beguinis damnatos, non pauca ab illis mutuaſſe. Putat autem Scaliger Elenchi cap. 28. Euchitas ab Eſſæis propagatos fuiſſe, ductâ conjecturâ ex pleriſq; communibus inter utroſque. Hunc refellit Petavius in notis ſuper D. Epiphanium ad hæreſim 80. poſt Serrarium in Minervali. Sed & Photius in Bibliothecâ num. 52. multa de iis refert. Inter alia. Fecit item decretum (de hoc ipſo Adelphio hæretico) ſacra & Oecumenica Synodus Epheſina, quæ & illum cum blaſphemiis capitibuſque hæreſeos, quotquot in illorum libro Aſcetico eſſent, detexit & anathemati ſubjecit. Vide etiam de jiſdem in 4. claſſe tom. 2.

Meſſalianorum de quibus eſt videre c. 1. lib. 7. hiſt. tripart. Sozomenum.

Veteris Eccleſiæ diſciplina & ſeveritas in hæreticos.

Hæreticorum ritus omnes & ſermones deſcribuntur.

Nota.

EXEMPLAR LIBELLI SANCTÆ Synodo oblati ab Euprepio Epiſcopo Byzes & Archadiopolis, & Cyrillo Epiſcopo Cœlenſi.

SAnctæ univerſali Synodo, gratia Dei & aſſenſu pientiſſimorum Regum in Epheſiorum Metropoli congregatæ, ab Euprepio Epiſcopo Byzes & Archadiopolis, & Cyrillo Epiſcopo Cœlenſi. Vetus mos viget in provinciis Europæ, quòd ſinguli Epiſcopi duos vel tres ſub ſe habeant Epiſcopos, unde Heracliæ Epiſcopus ſub ſe habet Heracliam & Panion: Epiſcopus autem Byzes ſub ſe Byzen & Archadiopolim: Cœlenſis verò ſimiliter habet Cœlam & Callipolim. Porrò Epiſcop. Sabſadiæ ſub ſe habet Sabſadiam & Aphrodiſiadem. Itaque olim & ab initio Eccleſias illas duo Europæ Epiſcopi adminiſtrabant, & nunquam prædictæ

Epiſcopi Europæ ſingulatim alios ſub ſe habuere Epiſcopos. Epiſcoporum Europæ auctoritas.

civitates proprios acceperunt Episcopos. Sed aliæ quidem sub Heraclia fuerunt ab initio. Archadiopolis similiter sub Episcopo Cœlensi. Verùm quoniam nunc* Phrigelas Heracliæ Episcopus à sancta Synodo apostata factus, Nestorio & cum illo sentientibus se addixit (suspicamur autem, quòd nunquam vel ipse ulciscens tanquam hostes, vel qui cum ipso Heraclia Episcopatum administrant, veniant ad ordinandum Episcopos juxta veterem & roboratam consuetudinem in memoratis ciuitatibus, quæ nunquam proprios Episcopos receperunt) itaque priscos mores & consuetudinem, quæ olim & ab initio viguit, commoveri propter novitates cogitantes, oramus vestram pietatem definitionem pronuntiari de ea re à vestra sancta magnaque Synodo, proprioque signaculo eam roborari, ita ut neque nos Ecclesiis nostris privemur, in quibus plurimum laboravimus: neque mos jam longo tempore confirmatus à quopiam præmemoratorum commoveatur, fiantque bella & inordinationes maximè inter Episcopos Europæ. Cujus rei si compotes facti fuerimus, gratiam habituri sumus omnium Deo, qui hic vestram sanctitatem congregavit ad corrigendas Ecclesias orbis.

forte, Phrygiana.

Resonsum Ephesinæ Synodo. Consuetudo vim legis habet.

Sancta & universalis Synodus dixit: Honesta petitio est pientissimorum Episcoporum Euprepij & Cyrilli, quam ostendunt oblati libelli. Unde & sanctis Canonibus & externis legibus, quia veteres consuetudines, nunc vim legis habent, nihil innovandum in Europæ civitatibus: sed juxta veterem consuetudinem gubernantur ab Episcopis, à quibus & olim, cum nullus etiamnum Metropolitanus, qui alicui sustulisset potestatem, neque postea futuris temporibus poterit aliquid à veteri consuetudine innovari.

Mutila quædam.

EXEMPLAR SVGGESTIONVM
de Cypri Episcopis in Concilio Ephesino.

POst consulatum dominorum nostrorum Flavij Theodosij decimum tertium, & Flavij Valentiniani tertium semper Augustorum, pridie Calendas Septembres Synodo congregata, gratia Dei, & edicto pientissimorum Christique amatorum Regum nostrorum in Ephesiorum Metropoli sancta Ecclesia, quæ dicitur Maria:

Reginus

Reginus Episcopus sanctæ Ecclesiæ apud Constantiam Cypri, dixit: Quoniam turbant, quidam sanctissimas Ecclesias nostras, oro ut libellus, quem in manibus gero, suscipiatur & legatur.

Sancta Synodus dixit: Libellus oblatus recipiatur & legatur.

Sanctissimæ, gloriosæ & magnæ Synodo, gratia Dei, & nutu pientissimorum nostrorum Regum in Ephesiorum Metropoli, Dei observantissima congregatæ, petitio à Regino & Zenone & Evagrio Cypri Episcopis: Olim etiam sanctus Pater nostes & Episcopus factus Troilus ab Antiocheno clero multa passus est, & pientissimus Episcopus Theodotus vim non vulgarem pertulit, atque adeò usque ad plagas, quas nec flagriones homines ferre deceat, illicitè, absurdè & illegitimè. Nam cùm propter aliam causam abiisset, illius verò felicem accepit finem, abusi abitione, vi cogere voluerunt, & subjicere sibi sanctos Episcopos insulæ contra Apostolicos Canones & definitiones sanctissimæ Nicænæ Synodi. Et nunc quia cognoverunt, quòd beatus ex hac vita migravit, subornarunt magnificentissimum ducem Dionysium scribere mandata provinciæ Principi, & sanctissimæ Constantiensis Ecclesiæ clero: literæ publicæ sunt, quas & ad manum habemus & parati sumus eas vestræ sancticati ostendere. Hujus gratia rogamus & petimus, ne permittatur hominibus nihil non audentibus ullam novitatem invehere. Olim & ab initio volentibus præter Ecclesiasticos Canones & constitutiones expositas à sanctissimis patribus in Nicæa congregatis imponere magnæ & sanctæ Synodo finitionibus ad nihil utilibus. Nam sicut diximus, non appulisset hodie magnificentissimus dux Dionysius Ecclesiæ afflictæ curam habens, neque Ecclesiasticis rebus se immiscuisset, nisi à sanctissimis qui illic congregati erant, Episcopis & clerò ipsorum deceptus, putasset eam Canonicam, quòd etiam præcepta ejus testantur, quam absque eorum consilio adversùs Episcopum Constantiæ Cypri Metropolis habuit. Oramus autem & has literas magnificentissimi ducis legi, & præcepta & omnia simul, quæ in hac tragœdia commissa & facta, ut ex ipsis cognoscat sancta vestra & magna Synodus intolerabilem vim factam. Etenim non vulgaris tumultus in tota metropoli orta est. Præterea significamus vestræ sanctæ Synodo, quòd cum literis gloriosissimi ducis etiam diaconus sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ missus est. Ideo obsecramus & ad vestra sancta genua procidimus, Canonica sententia etiam nunc, sicut initio à temporibus Apostolorum & constitutionibus & Canonibus sanctissimæ & magnæ Synodi Nicænæ illæsæ, & superior insidiis & potentia permansit nostra Cypriorum Synodus. Ita ut per vestram incorruptam & justissimam sententiam etiam vestra constitutione justitiam nobis fieri cupientes.

Reginus Episcopus Constantiæ Cypri subscripsi manu mea. Evagrius misericors Episcopus Solensis Cypri sanctæ Dei Ecclesiæ subscripsi manu mea, &c.

Sancta Synodus dixit: Memor sit sancta Synodus Canonis sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum, qui conservat unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem. Hic etiam memor sit Antiochiæ: docere igitur, an non jus ordinandi ex more veteri apud vos habet Antiochenus.

Zenon Episcopus dixit: Prius affirmamus, quòd nunquam vel adfuerit vel ordinaverit, neque in metropoli, neque in alia civitate, sed Synodus nostræ Provinciæ congregata constituebat metropolitanum, & oramus ut vestra sancta Synodus, sua sententia nobis consentiat, & hæc stabiliat, ita vt vetus mos sicut hactenus robur habuit, ita & nunc habeat, & nullam novitatem in nostra provincia fieri sinat.

Sabinus, Epiphanius.

Sancta Synodus dixit: Doceant & hoc pientissimi magistri, num Troilus ille sanctæ ac beatæ memoriæ Episcopus qui nunc requievit, vel sanctæ memoriæ Sabinus qui illum præcessit, vel qui ante illos venerabilis Epiphanius, ab aliqua Synodo ordinati fuerint?

Zenon Episcopus dixit: Et nunc memorati Episcopi, & qui ante illos sanctissimi Episcopi, & qui à sanctis Apostolis erant omnes Orthodoxi, ab his, qui in Cypro constituti sunt, & nunquam locum habuit Antiochenus Episcopus, vel alius aliquis ordinandi in nostra provincia.

Sancta Synodus dixit: Rem hanc, quæ præter Ecclesiasticas constitutiones, & sanctorum Patrum Canones innovatur, & omnium libertatem attingentem, annuntiavit pientissimus Episcopus Reginus, & qui cum eo pientissimi Episcopi provinciæ Cypri, Zenon & Evagrius. Unde quoniam communes morbi majore egent remedio, eò quòd majus damnum aderant: si non est vetus mos, quòd Episcopus Antiochenus ordinat in Cypro (sicut libellis & propriis vocibus docuerunt pientissimi viri sanctarum Ecclesiarum in Cypro præsules, qui ad sanctam Synodum accesserunt) à nullo impetantur vel vim patiantur secundùm Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, sed per seipsos ordinationes pientissimorum Episcoporum faciant. Istud autem etiam in aliis diœcesibus & in omnibus provinciis servetur, ut nullus pientissimorum Episcoporum aliam provinciam, quę non antea & ab initio fuit sua, sub suam vel saltem eorum, qui sibi præsumet, manum trahat, sed si quis apprehenderit, & suam fecerit, eam restituat, ut nec Patrum Canones præterean-tur, neque sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastum subintroducat, ne paulatim & clàm libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine Dominus noster Jesus Christus omnium hominum libertas. Visum igitur est sanctæ universali Synodo, *Servari*

Dionysium præfectum præsumo.

Nemo. Evagrium. Troilum. Theodotum.

Episcopum non extra diœcesim suam ordinare potest.

unamquamque provinciam parum & nullam tyranni- A
dem passim jus vetus & consuetudinem veterem: quæ
habente unoquoque Metropolitano, ut ad suam securi-
tatem exemplaria actorum excipiat. Si autem quis ve-
terem figuram contempserit, pœnam non effugiet. Et
si quis his, quæ nunc decreta sunt, pugnantes literas
attulerit, irritas esse decrevit sancta & universalis Sy-
nodus.

Ambigua est ista sententia Concilij: nec omnem li-
tem sopivit, quare postea initum & concordatum quod
mutaretur 38. Canone inter Arabicos, quo decernitur
aliquod jus Antiocheno in Cyprenses. Ab initio enim
illi subdita erant.

De ambitu Juvenalis Hierosolymitani.

PErtinet ad eandem Ephesinam Synodum molitio Juvenalis Episcopi Hierosolimitani ad obtinendum primatum totius Palestinæ contra jura Cæsariensis Metropolitani, eo prætexto quod ob frequentem ex toto orbe peregrinationem ad loca sancta major esset in honore, & alias quasdam rationes. Cui cum Patres fere omnes consentirent, restitit Cyrillus summi Pontificis Legatus, volens cuique jura conservari ex Canonum Nicænorum præscripto. Acta Ephesina id tacent, quia non habentur integra, testimonium autem ea de re perhibet S. Leo epist. 62, ad Maximum Antiochenum Episcopum, his verbis. Subrependi occasiones non prætermittit occasio. Et quoties ob incurrentes causas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est ut improborum cupiditas non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum illo dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare: quod sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit & sollicitâ prece multum poposcit, ut illicitis conatibus nullus præbeatur assensus. Nam cujus Epistolæ ad nos exemplaria direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitam nos authenticam noveris reperisse. Ex quibus infert Baronius ad annum 431. Authoritatis esse Apostolicæ penitus abolere quæ à multitudine Episcoporum injustè decernerentur, cùm Pontifex Romanus præsideat Judex & vindex Sacrorum Canonum adversùs omnes qui eos labefactare tentarent. *Etsi enim*, inquit ibidem Leo, *diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium*; & infrà, *Si quid sane ab his fratribus quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica fide sunt directi, ut excussis hæresibus Catholicæ essent fidei defensores.*

In his tamen animadvertendum est, quod cùm dicit Leo Cyrillum ad se scripsisse de conatu Juvenalis in Ephesina Synodo, per se, intelligere voluisse Pontificem Romanum, qui tunc erat Cœlestinus. Mortuus est enim Cyrillus post tres menses à celebrato Concilio Ephesino, cùm nondum Leo esset Pontifex, eum E Deo tamdiu in humanis relinquente, quantum opus esset ad dejiciendum Christi adversarium, ut sic vocaretur ad coronam quam per multos labores ac certamina varia de salva fide Catholica & conservata sarta tecta divinitate Christi, & ejus Matris sanctissimæ dignitate meritus esset. Si quis tamen vellet ad Leonem ipsum scriptam hanc Epistolam, ut qui ante Pontificatum magnâ polleret potestate in curia Pontificis Romani, non est quod magnopere vituperari possit.

SECUNDA PARS CONCILII EPHESINI.

Præcipuas epistolas Synodales exhibens.

EPISTOLA D. CYRILLI MISSA

Nestorio Mense Mechir, qui Ægyptiis Februarius est, Indictione 14. & à Patribus Concilij Ephesini & Chalcedonensis impense commendata.

COmperi quosdam existimationi meæ detrahentes, apud reverentiam tuam, multa garrire, & id crebrò frequenterque agere & maximè nunc, cùm virorum illustrium atque prudentium præsidio esse plurimos videant, & fortasse opinantes tuas aures delectari. Non adeò ex voluntate tales adversùm nos voces emittunt homines, nulla quidem in re à me prorsùs offensi nec læsi, sed modestè à nobis clementerque convicti. Unus, quia cæcis vim, egenisque faciebat: alter, quia supra matrem suam erexit gladium: alius, quia cum ancilla aurum rapuit alienum, & hac semper existimatione vixit, quam nullus inimicissimo suo optat evenire. Cæterùm talium hominum nullam omnino habeo curam, ne videar supra Dominum aut Magistrum, vel supra patres nostros mensuram meæ mediocritatis extendere. Neque enim fieri potest, ut aliquis maledicorum virus & molestiam vitare possit, quamvis rectissimè vivat. Sed illi maledictionis & amaritudinis os plenum habentes rationem judici omnium reddituri sunt. Ego autem me con- *Psalm. 58.*
verto ad id, quod me maximè decet, & te nunc quoque admonebo quasi fratrem in Domino, ut doctrinam verbi, & sensum fidei cautè & cum omni observatione facias semper ad populos, sciens planè, quod si quis ex his, qui in Christum credunt, unum duntaxat scandalizaverit, indignationi subjacebit ingenti. Sin verò *Matth. 18.*
non unus sit, sed multitudo decepta, tunc omni arte nobis utendum est, ut circumcidamus scandala, & illis, qui quærunt veritatem sanam rectamque fidei dirigamus rationem. Id autem facilè fiet, si pariter Patrum recensentes scripta sanctorum, eos plurimi faciamus: & nosmetipsos consulentes, si in fide consistimus, secundùm quod scriptum est, tum demum rectis illorum atque irreprehensibilibus institutis sensus nostros animosque firmemus. Ait igitur sancta & magna Synodus ipsum, qui est ex Deo Patre naturaliter natus Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine (per quem & cum quo omnia fecit Pater) hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, resurrexisse tertiâ die, & ascendisse rursus in cœlos. Hæc nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse, & hominem factum Dei verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura conversa & immutata, facta sit caro, nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit: sed illud magis quod, carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, & ineffabiliter & indeprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatum sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec adsumptione sola personæ, sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint. Unus tamen ex ambabus Christus & filius, non evacuata aut sublata diversitate naturarum per cõjunctionem

Quomodo fides sinceritas retineri debeat.

nem, ſed quia ſimul nobis effecerunt unum Dominum & Chriſtum & filium, id eſt, divinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad vanitatem. Itaque is, qui ante ſecula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus: non quia divina ipſius natura de Sacra Virgine ſumpſit exordium, nec quod propter ſeipſam opus habuit ſecundo naſci poſt illam nativitatem, quam habebat ex Patre, eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quod is qui ante omnia ſecula eſt conſempiternus Patri, ſecunda regeneratione eguerit, ut eſſe inciperet: ſed quia propter nos & propter noſtram ſalutem naturam ſibi copulavit humanam, & proceſſit ex muliere, idcircò dicitur natus eſſe carnaliter. Neque enim primùm natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demum inhabitavit in eo Verbum: ſed in ipſa vulva, uteroque virginali ſe cum carne conjunxit & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ nativitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, non quia Deus verbum in ſua natura paſſus ſit aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera (Deus namque incorporalis extra paſſionem eſt) ſed quia corpus illud quod ipſius proprium factum eſt, paſſum eſt, ideo hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile eſt naturaliter, & vita, & vivificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipſius proprium gratia Dei iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem guſtavit, idcircò ipſe dicitur mortem paſſus eſſe pro nobis. Non quòd ipſe mortem eſſet expertus, quantùm ad ipſius naturam pertinet (inſania eſt enim hoc vel ſentire vel dicere) ſed quòd (ut ſuprà diximus) vera caro ipſius mortem guſtavit. Ita & reſurgente carne, ipſius rurſus reſurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderat (quod abſit) ſed quia ejus reſurrexit corpus. Ita Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur, ſed unum jam & eundem adorantes: quia non eſt alienum à verbo corpus ſuum, cum quo ipſi etiam adſidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quaſi duobus filiis adſidentibus, ſed uno cum carne per unitatem: quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi impaſſibilem, aut quaſi parum decoram voluerimus accipere, in id incidimus, ut duos filios eſſe dicamus. Neceſſe enim eſt diſcernere, & dicere hominem ſeparatum fuiſſe ſola filii appellatione honoratum, & rurſum, quod eſt ex Deo, & nomine & veritate, Filium Dei, ſed diſcernere in duos filios non debemus unum Dominum Jeſum Chriſtum. Neque enim id adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (neſcio quam) perhibeant perſonarum. Non dixit enim Scriptura, Verbum Dei perſonam ſibi hominis adſumpſiſſe, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere Dei Verbum ſimiliter ac nos participatum habuiſſe carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum propriè ſuum feciſſe, & hominem ex muliere proceſſiſſe, non abjecta nec depoſita deitate, aut generatione illa, quam habebat ex patre, ſed manſiſſe etiam in adſumptione carnis Deum, quod erat. Hoc ubique rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus. Ideo illi non dubitarunt ſanctam Virginem dicere θεοτόκον, non quòd Verbi natura deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium, ſed quod ex ea natum ſit ſacrum illud corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum eſſe dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo, quærens te tanquam fratrem, & conteſtans coram Chriſto & electis Angelis, ut hæc nobiſcum & ſentias ſimul & doceas, ut Eccleſiarum pax ſalva ſervetur, & concordiæ charitatiſque vinculum indiſſolubile maneat Sacerdotibus Dei.

Alibi prius.

D. CYRILLVS ALEXANDRINVS Epiſcopus, & Synodus Alexandrina, Neſtorio, Deo amabili, & religioſo fratri.

CUm Salvator noſter aperte pronunciet: *Et qui diligit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui diligit filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus:* quid nos faciemus, qui depoſcimur à tua religione, ut te ſuper Chriſtum Salvatorem omnium diligamus? Quid enim nobis in die judicii ſubvenire poterit? aut quam ſatisfactionem reperire poterimus, ita diuturnum ſilentium prolatis à te contra eum blaſphemiis continentes? Et ſi quidem te tantummodo lædéres, docens iſta vel ſentiens, ſollicitudo nobis minor exiſteret. Cùm verò totam ſcandalizaveris Eccleſiam, & fermentum inſolitæ pravitatis, & novæ hæreſis miſcueris in populis, nec tantum ibidem poſitis, ſed ubique exiſtentibus (nam tuarum expoſitionum libri per cunctum vulgati ſunt orbē) quæ ſuper noſtro ſilentio ratio ultrà, vel excuſationis ſermo ſufficiat? Aut quomodo non neceſſe ſit meminiſſe Chriſti Domini, ſic dicentis: *Non putetis, quod venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam.* Nam cum læditur fides, parentum reverentia velut inutilis & periculoſa deſpicitur, & amor erga filios fratreſque vitatur. Aſt poſtrerum etiam ſuper ipſam vitam mors potius à piis viris eligitur, *ut meliorem reſurrectionem*, ſicut ſcriptum eſt, *conſequantur*. Ecce itaque te ſimul cum ſancta Synodo, quæ apud amplam urbem Romā congregata eſt, præſidente ſanctiſſimo & reverendiſſimo fratre, & conſacerdote noſtro Celeſtino Epiſcopo his ſcriptis Synodicis, te jam tertiò convenimus, conſilium dantes, ut à tam pravis abſtineas diſtortiſque dogmatibus, quæ & ſentire dignoſceris & docere: recipias verò fidem rectam, Eccleſiis per Beatiſſimos Apoſtolos & Evangeliſtas ab initio traditam, qui & oculis inſpexerunt, & miniſtri Verbi fuiſſe monſtrantur. Quòd ſi hoc religio tua facere diſtuleris, juxta dilationem, literis præfinitam ſanctiſſimi & reverendiſſimi Conſacerdotis noſtri Romanæ præſulis Eccleſiæ Celeſtini, ſcias te nullam ſortem habere nobiſcum, nec locum aut colloquium cum Dei Sacerdotibus & Epiſcopis obtinere. Non enim fas eſt (contemnere nos) Eccleſias ita turbatas, & ſcandalizatos populos, fidemque rectiſſimam violatam vel diſſipatam: quin-etiam gregem, quem cuſtodire debueras (ſi juxta nos amator recti dogmatis extitiſſes) Sanctorum Patrum veſtigia pia conſectans. Omnes itaque, quos propter fidem tua religio à communione removit, aut ab ordine ſuo depoſuit, laïcos & clericos, in noſtram communionem recepimus. Non enim juſtum eſt eos tuis decretis opprimi, qui noverunt rectè ſentire, qui etiam benè facientes, tibi prudētiſſimè reſtiterunt. Hoc idem namque in epiſtola, quam miſiſti ad præſulem amplæ Romæ ſanctum & Coepiſcopum noſtrum Celeſtinum ſignificare curaſti. Non autem ſufficit tuæ religioni, ſolummodò fidei Symbolum confiteri, quod expoſitum eſt per idem tempus ſancti Spiritus largitate, à venerando Concilio apud Niceam congregato: hoc enim nec intellexiſti, nec rectè interpretatus es: quinimò perversè, licet ſono vocis ea verba prætuleris. Sed conſequens eſt, etiam jurejurando fateri te, quod anathematizes fidem tuam pollutam & prophana dogmata, ſentias & doceas, quæ nos univerſi, ſive per Orientem, ſeu per Occidentem Epiſcopi & Magiſtri, præſuleſque populorum credimus & docemus. Apoſtolis autem ab Alexandrina tuæ religioni directis Eccleſia conſenſum præbuit, tam ea, quæ apud urbem Romam convenit, ſancta Synodus, quam etiam nos omnes velut rectè, ita-

Matth. 10.

Ibidem.

Hebr. 11.

Synodus Romana celebrata.

Abſolvi.

Alibi miſſum. Non facit eſt Chriſtianus Symbolo utramque ſubſcribere.

prehenſibiliterque conſcriptis. Subdidimus autem his literis noſtris, quæ ſentire oporteat & docere, & à quibus abſtinere conveniat. Hæc eſt enim fides Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, cui cuncti conſentiunt Orthodoxi per Orientem, Occidentemque Pontifices.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, &c. Sequentes itaque per omnia Sanctorum Martyrum confeſſiones, quas loquente in eis ſancto Spiritu protulerunt, & intentioni, quæ eſt in eorum intellectibus, æquis veſtigiis inhærentes, atque iter ambulantes Regium, profitemur quod ipſum unigenitum Dei Verbum, natum ex ipſa Patris eſſentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta ſunt, ſive in cœlis, ſive in terra, ſalutis noſtræ cauſa deſcendens, ad exinanitionem ſeſe dignatus eſt inclinare, Incarnatus autem, & homo factus, id eſt, carnem de Virgine ſancta ſuſcipiens, eamque propriam faciens, nativitatem noſtram ex vulva ſuſtinuit, homo de muliere procedens, nec quod erat abjiciens. Nam licet factus ſit in aſſumptione carnis & ſanguinis, tamen etiam ſic quod erat Deus, natura ſcilicet & veritate, perſiſtit. Nec carnem itaque dicimus in naturam deitatis eſſe converſam, nec in ſubſtantiam *Pſal.101.* carnis ineffabilem Dei Verbi eſſentiam commutatam: inconvertibilis etenim eſt & incommutabilis, idemque ipſe juxta ſcripturas iugiter permanens.

Viſus eſt autem & parvulus, ſed & poſitus adhuc in cunabulis, & in finibus genitricis Virginis conſtitutus, univerſam creaturam replebat, ut Deus genitori ſuo individuus exiſteret: quod enim divinum eſt, ſine quantitate, & ſine molo cognoſcitur, nec ullis terminis continetur. Unitum ergo carni Verbum Dei *Divina omni mole corpora carent.* ſecundùm ſubſiſtentiam confitentes, unum adoramus Filium, & Dominum Jeſum Chriſtum: non ſeorſim ponentes hominem & Deum, velut invicem ſibi dignitatis & authoritatis unitate conjunctos: hoc enim novitas vocis eſt, & aliud nihil: nec item Chri- *Ioan. 3.* ſtum ſpecialiter nominantes, Deum Verbum, quod ex Deo eſt, nec alterum ſimiliter Chriſtum ſpecialiter, qui de muliere natus eſt, ſed unum ſolummodò Chriſtum, Dei Patris Verbum cum propria carne cognoſ- *Ioan. 1.* cimus. Tunc enim etiam juxta nos unctus eſt quamvis Spiritum dignis ipſe contulerit, & non ad menſuram, ſicut Beatus Evangeliſta Joannes adſeruit. Sed nec illud dicimus, quòd Dei Verbum velut in homine communi, qui de ſancta Virgine natus eſt, habitarit, ne Deum homo Chriſtus habitatorem poſſidere credatur. Quamvis enim Verbum habitaverit in nobis, & *Coloſſ. 2.* dictum ſit, in Chriſto habitare *omnem plenitudinem deitatis corporaliter*, attamen intelligimus eum, quòd caro factus, non ſicut in ſanctis habitare dicatur, nec talem in ſeipſo habitationem factam definire tentavimus, ſed unitus juxta naturam, nec in carnem penitus commutatus, talem ſibi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Unus igitur eſt Chriſtus Filius & Dominus noſter, non velut conjunctione qualibet, in unitate dignitatis & authoritatis hominis habentis ad Deum: non enim poteſt unire naturas ſola dignitatis æqualitas. Denique Petrus & Joannes æquales ſunt alterutrum dignitatis, propter quòd & Apoſtoli, & ſancti *Dignitatis æqualitas naturæ non unit. 1. Cor. 6.* diſcipuli eſſe monſtrantur, verumtamen uterque non unus eſt. Nec juxta collationem vel connexionem connexionis modum animadvertimus: hæc enim ad unitatem non ſufficit naturalem nec ſecundum participationis affectum: ſicut nos etiam adhærentes Domino unus cum eo ſpiritus ſumus, imò potius conjunctionis nomen evitamus, tanquam non exiſtens idoneum, quod ſignificet unitatis arcanum.

Sed neque Deum aut Dominum Chriſtum Verbum Dei Patris adſerimus, ne iterum manifeſtius in duo dividamus unum Chriſtum Filium & Dominum, ne in crimen ſacrilegii incidamus, Deum illi ſeipſum facientes & Dominum: unitus quippe, ſicut ſuperius

A diximus Deus Verbum carni, ſecundùm ſubſtantiam Deus quidem eſt omnium, & dominator univerſitatis: verumtamen nec ſervus eſt ſibi ipſe, nec Dominus: quia ineptum eſt, vel potius impium, hoc ſentire vel dicere. Quamvis enim Deum ſuum Patrem dixerit, cum Deus ſit etiam ipſe natura, & de illius eſſentia, tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus, homo quoque factus eſt, qui ſub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis exiſteret. Ipſe verò ſibi quomodo vel Deus poterit eſſe vel Dominus? Ergo ſicut homo, quantum decenter exinanitionis menſuræ congruit, ſub Deo ſe nobiſcum eſſe diſſeruit. Hoc etiam quomodo ſub lege factus eſt, quamvis ipſe promulgaverit legem, & legiſlator ut Deus exiſteret, cavemus de Chriſto dicere: Propter adſumentem ve- *Noſtrum propter aſſumentem veneratio aſſumptum.*
B neror adſumptum, & propter inviſibilem adoro viſibilem. Horrendum verò ſuper hoc etiam illud adjicitur: qui ſuſceptus eſt, cum eo qui ſuſcepit connumeretur Deus: qui enim hæc dicit, dividit iterum in duos Chriſtos eum qui unus eſt, hominem ſeorſim in parte & Deum ſimiliter in parte conſtituens. Evidenter enim * dividit unitatem, qua non alter cum altero coadoratur, aut connumeratur Deus, ſed unus *Aliàs deo negat.* intelligitur Chriſtus Jeſus Filius Dei unigenitus, una ſervitute cum propria carne venerandus.

Confitemur etiam, quod idem ipſe, qui ex Deo Patre natus eſt Filius unigenitus Deus, licet juxta naturam ſuam expers paſſionis extiterit, pro nobis tamen ſecundum ſcripturas carne perpeſſus ſit, & erat in cru-
C cifixo corpore propriæ carnis impaſſibiliter ad ſe referens paſſiones: gratia verò Dei pro omnibus guſtavit mortem, tradens ei proprium corpus, quamvis naturaliter ipſe vita ſit & reſurrectio mortuorum. Nam ut mortem ineffabili potentia proculcaret, ac primus in ſua carne primogenitus ex mortuis fieret & primitiæ dormientium, viamque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recurſum, gratia Dei, ſicut ſuprà dictum eſt, pro omnibus guſtavit mortem, & tertio die reſurgens expoliavit infernum. Idcirco quamvis dicatur, quod per hominem facta ſit reſurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem factum Verbum, quod ex Deo eſt, & per ipſum mortis imperium fuiſſe deſtructum. Veniet autem temporibus præfinitis, ſicut eſt unus Filius & Dominus in gloria Patris, ut judicet orbem terrarum in æquitate, ſicut ſcriptura teſtatur.

Neceſſariò igitur & hoc adjicimus: annunciantes D enim ſicut ſecundum carnem mortem unigeniti Filii *Pſalm. 66.* Dei, id eſt Jeſu Chriſti, & reſurrectionem ejus, & in cœlis aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in * Eccleſiis ſacrificii veritatem. Sic etiam *Aliàs Eccleſiaſticis ſacrificus Euchariſtia.* ad miſticas benedictiones accedimus & ſanctificamur, participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes (quod abſit) nec ut viri ſanctificati, & verbo conjuncti ſecundum dignitatis unitatem, aut ſicut divinam poſſidentis habitationem, ſed ut verè vivificatricem, & ipſius Verbi propriam factam: vita enim naturaliter ut Deus exiſtens, quia propriæ carni unitus eſt, vivificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo quamvis dicat ad nos: *Amen amen* *Ioan. 6.* *dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem:* non tamen eam ut ho-
E minis unius ex nobis exiſtimare debemus, quomodo enim nihil juxta naturam ſuam vivificatrix eſſe caro hominis poterit? ſed verè propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis & eſt, & vocatur. Eas autem voces, quas Salvator noſter in Evangeliis protulit, non duabus ſubſiſtentiis aut in perſonis omnino partimur: non enim duplex eſt unus Chriſtus & Deus ſolus, quamvis ex duabus diverſiſque rebus ad unitatem cognoſcatur individuum conveniſſe: ſicut homo quoque ex anima conſtans & corpore, non duplex ſed unus potius eſt ex utroque.

Humanas ergo, & divinas inſuper voces ab

Alias discipulis. Ioannis 14. Hebr. 1.

Christo dictas animadvertentes rectè sentimus: cum enim de duobus dignissimè loquitur de seipso: *Qui me videt, videt & Patrem.* Et: *Ego & Pater vnum sumus:* Divinam ejus ineffabilemque intelligimus naturam, secundum quam vnum est cum Patre suo, propter vnam eandemque substantiam, imago & character, splendorque gloriæ eius existens. Cùm verò humanæ naturæ mensuram nullatenus ignorans Iudæos alloquitur: *Nunc me quæritis occidere, hominem qui veritatem vobis locutus sum*, item non minus eum, qui in similitudine & æqualitate Patris est, Deum verum etiam in mensuris humanitatis ejus agnoscimus. Si autem necessariò creditur, quòd natura Deus existens factus sit caro, imò potius homo animatus anima rationali, quæ causa est, vt in ejus quilibet vocibus erubescat, si eas homine dignas effatus est? Si sermones homini congruentes abjicit, juxta nos hominem fieri quis cogit? Cum verò se propter nos ad exinanitionem spontaneam misericorditer inclinarit, quam ob causam dignos exinanitione sermones effugerit? Uni igitur personæ cunctas eius in Evangelio voces adscribimus, uni subsistentiæ, verbi scilicet incarnati. Quia vnus est Dominus Iesus Christus, ut scriptum est.

Ioannis 8.

2 Corint 3. Hebr. 3.

Appellatum verò Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, tanquam sacrificantem Deo & Patri fidei nostræ confessionem, quæ à nobis ipsi, & per ipsum Deo & Patri incessanter offertur, iterum eum dicimus, qui ex Deo est secundum naturam Filius unigenitus, nec homini præter eum alteri Sacerdotij nomen & officium deputamus. *Factus est enim mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, semetipsum Deo & Patri pro nobis offerens in odorem suavitatis.* Ideoque dicebat: *Sacrificium & oblationem noluisti, holocausta & pro peccato non tibi placuerunt, corpus autem perfecisti mihi: tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Obtulit enim proprium corpus, non pro se, sed pro nobis in odorem suavitatis. Nam qua pro se oblatione vel sacrificio indigeret, ab omni peccato liber vt Deus existens? Quòd si *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, secundum hoc quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti, & peccatis ægrotavit humana natura, ipse verò non ita, ideoque nos gloria ejus egemus, cur erit vltrà iam dubium, quòd agnus verus propter nos & pro nobis obtulerit, nullatenus impietatis crimen effugiet cùm nihil prorsus iste deliquerit, nec ullum fecerit omnino peccatum. Qua igitur ægrotabile, nullo suo extante facinore? Pro quo, si esset satis admodum convenienter offerret.

Hebr. 7.

De spiritu quoque cùm dicit: *ille me glorificabit*, hoc rectissimè sentientes unum Christum Dominum & Filium, non velut alterius egentem gloria confitemur à Spiritu sancto gloriam consecutum: quia spiritus ejus nec melior, nec superior illo est. Sed quia mira opera faciens, ad demonstrationem suæ deitatis virtute proprij Spiritus utebatur: ab ipso glorificari dicitur, quòd virtus sua vel disciplina quælibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus ejus, &, intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est, & non Filius, attamen alienus non est ab illo: nam Spiritus appellatus est veritatis, veritas Christus est: unde & ab isto similiter sicut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificavit Iesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Nam creditus est Christus, natura Deus existens per suum spiritum virtutes efficiens ideoque dicebat: *de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Nequaquam verò participatione alterius idem spiritus sapiens aut potens dicitur: quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nam paternæ virtutis & sapientiæ, id est, filij spiritus creditur: & ideo ipsa re & subsistente virtute virtus & sapientia, id est, Filij spiritus creditur: ideo ipsa re & subsistente virtute virtus & sapientia comprobatur.

Ioannis 8.

Ioannis 16

Igitur quia Deum carni unitum juxta subsistentiam sancta Virgo corporaliter peperit, idcirco eam Dei genitricem esse confitemur: non quod Verbi natura existendi principium de carne sortita sit: *erat enim in principio Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum:* & ipse est conditor seculorum, Patri coæternus & universitatis creator: sed, quod superius diximus, juxta subsistentiam sibimet uniens humanam naturam nativitatem sustinuerit ex ipsa vulva corporea, non quòd eguerit necessariò aut propter suam naturam nativitate ista, quæ est in extremis seculi facta temporibus, sed ut ipsas benediceret substantiæ nostræ primitias. Et dum eum carni unitum mulier edidisset, illa, quæ adversus omne genus humanum maledictio fuerat prolata, desineret, nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque, quod dictum est: *In tristitia paries filios*, ipse dissolvens, verum esse monstraret, quod Prophetæ voce prædixerat: *Absorpta est mors in victoria.* Et iterum: *Abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie eorum.* Propter hanc etenim causam dicimus eum dispensatori, & ipsis benedixisse tunc nuptijs, cùm in Cana Galilææ cum sanctis vocatus Apostolis adesse dignatus est. Hæc sapere sumus edocti à sanctis Apostolis & Evangelistis, & ab omni scriptura divinitus inspirata, nec non & à beatis Patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam tuam religionem concordare, & præter aliquem dolum vel fictionem consentire convenit.

Maria Deum peperit. Ioannis 1.

Genes. 3. 1. Cor. 15. Apoc. 7. Ioannis 8.

Quæ verò religioni tuæ anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subjecta sunt.

1. Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propter hoc ipsam Dei genitricem sanctam Virginem (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Et Verbum caro factum est) anathema sit, &c. *Quæ hic non repetemus, cum supra bi anathematismi duodecim dati sint, in quibus finem accipit hæc epistola vide supra.*

Nota ex hinc apparere plures fuisse errores Nestorij qui hic insinuantur. Nec enim hæc Synodus Alexandrina de ijs ageret, nisi Nestorius malè in iis sentiret. Quare errabat etiam circa Eucharistiam, circa sacerdotium summum Christi Domini, quin etiam circa Processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio. Quod habetur in actis Concilij Florentini sess. 7. Ut propterea Synodus Alexandrina primum, deinde Ephesina per hanc Epistolam illum emendare conatæ fuerint.

Plures Nestorij errores.

Unde ulterius non possum non mirari, stante hac Epistola ejusque approbatione, quo pacto Græci sustinere possint particulam illam symboli, qui à Patre *Filioque* procedit, esse contra intentum Concilij Ephesini, cum id fuerit ab ipsomet Concilio expressum. An Concilium approbans Epistolam illam Cyrilli & Synodi Alexandrinæ expressè mandantem Nestorio ut credat Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, potuit aut voluit improbare idipsum in symbolo exprimi? Res est sanè digna quæ ponderetur, nec Theodoretus Græcis faveret in hac parte nisi Nestorio adhæsisset. Quid igitur de his alijs erroribus Nestorij non palam & pluribus invectivis actum est in Concilio? Certè dici potest de Nestorio quod de quodam quæstore Asiæ scribit Tacitus in Annalibus, magnitudine unius sceleris cætera obtegebat, de uno scelere præ alijs insigni sermo habebatur: ita præcipua Hæresis Nestorij cæteras multas obtegebat.

Nihandii contra Græcos.

EPISTOLA NESTORII IMPROBATA in Synodo. Religioſiſſimo piiſſimoque comminiſtro Cyrillo Neſtorius in Domino S. D.

ADmirabilium litterarum tuarum contumelias, quas in me expromptiſti, tanquam medica quadam manſuetudine dignas, cuibuſque reipſa olim reſponderi queat, miſſas facio. Quæ autem ſine magno periculo tacitus præteriri non poſſunt, ea, ne obſcura indigeſtaque prolixitate contra verboſitatem tuam decertans, faſtidium generem, quanta fieri poterit orationis brevitate, ediſſeram. A ſapientiſſimis autem dilectionis tuæ vocibus principium ſumam, quas ad verbum quoque in medium adferam. Et quænam ſunt igitur præclaræ illæ eruditarum literarum tuarum voces? ſacra (inquis) & magna illa Synodus tradidit; Unigenitum Dei Filium ex Deo & Patre naturaliter genitum; Deum utique verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem omnia Pater condidit, deſcendiſſe, & incarnatum, & hominem factum, & paſſum eſſe & reſurrexiſſe. Hæc tuæ pietatis ſunt verba, neque tua eſſe fortaſſis ignoras. Proinde & tu quoque à nobis fraternam de pietate admonitionem audias: & eam quidem, qua eximius ille Paulus ad dilectum ſuum Timotheum, non abſque gravi obteſtatione, alicubi utitur: *Attende*, inquit, *& lectioni & exhortationi & doctrinæ: hoc enim faciens & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.* 1 Timot. 4.
Quid, obſecro, illud, attende, ſibi vult? hoc nimirum, quod ſanctorum illorum traditionem obiter tantùm mollique brachio tegens, inſcitiam venia dignam hauſeris: Arbitratus es enim, Verbum Patri coæternum patibile ab illis traditum eſſe. Penitius, ſi ita videtur, illorum dicta introſpice, & plano mox ſenſu comperies, divinum illum Patrum chorum nuſquam docuiſſe, homouſiam divinitatem patibilem eſſe: aut quæ Patri coæva eſt, recens natam eſſe; aut quæ templum ſolutum exuſcitavit, exuſcitatam eſſe. Quod ſi ad fraternam medicinam patientes aures attuleris, Sanctorum Patrum verbis in medium allatis, ea Sycophantia, quæ & Patribus & divinis quoque ſcripturis evidenter adverſatur, te liberabo; aiunt ergo: credimus in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ejus unigenitum. Obſerva hîc, quomodo Dominum, Jeſum Chriſtum, unigenitum, nomina utique, quæ humanæ divinæque naturæ ex æquo conveniunt, perinde ac fundamenta quædam ſubſternentes, incarnationis, mortis & reſurrectionis traditionem illius ſubjungant ſuperſtruantque: nempe quo communibus quibuſdam hominibus utramque naturam ſignificantibus propoſitis; neque ea, quæ filiationis & proprietatis ſunt, ſcindantur; neq; ea rurſum quæ naturarũ ſunt, propter filiationis ſingularitatem in confuſionis periculum adducaneur. Qua quidem in re Pauli authoritatem ſecuti ſumus: hic enim Divinæ Incarnationis facta mentione eaque mox ſubjuncturus quæ paſſionis erant, primum τὸ Chriſtus, nomen ut paulo ante dicebam, utrique naturæ commune ponit; ac doctrinam ſtatim utrique ex æquo congruentem ſubvertit; ecquid ergo dicit? *hoc* (inquit) *ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo,* (ſingula enim perſequi non attinet) *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis:* Quia enim mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum Verbum patibile eſſe colligeret, ſubjungit nomen hoc Chriſtus, quod utramque patibilem, inquam, & impatibilem in unica perſona denotat. Quo quidem nimirum Chriſtus patibilis ſimul & impatibilis citra fidei diſcrimen concipi queat. Illud quidem ſecundum humanam naturam; hoc verò ſecundum divinam. Porro autem cùm multa hac de re diſſerere valeam, & maximè, quod ſancti illi Patres de Chriſti œconomia verba facientes, non generationis, ſed incarnationis tantùm meminerint, ipſam orationis brevitatem, quam ſtatim in exordio promiſeram, ſermonis habenas adducere, & ad alterum dilectionis tuæ caput feſtinare ſentio. Ad Phil. 2.

In eo autem non injuria te laudo, quòd diſtinctionem naturarum ſecundùm divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una duntaxat perſona conjunctionem prædicas; quodque Deum Verbum altero illo qui videlicet ex muliere eſt ortus, minimè indiguiſſe affirmas, & quod divinitatem tandem pati non potuiſſe, diſertè pronuntias: hæc enim omnia & vera, & Orthodoxa, & vanis omnium hæreticorum circa Domini naturas opinionibus quàm maximè adverſa ſunt. At verò utrum reliqua occultam aliquam & incomprehenſibilem ſapientiam legentium auribus inferant, id tuæ ſolertiæ fuerit dijudicare: mihi ſane cum antecedentibus adeò non cohærere videntur, ut ea omnino quoque evertere exiſtimem: etenim quem anteà neque patibilem, neque ſecundæ generationis capacem autumaveras, hunc ipſum rurſum patibilem, nuperque neſcio quomodo productum aſſeveras. Quaſi verò quæ in Dei Verbum naturaliter conveniunt, ea templi, hoc eſt, corporis conjunctione penitus abolita ſint; aut parvi apud homines fieri debeat, templum illud nullo unquam peccato contaminatum, divinæque naturæ indiſſolubili nexu colligatum, peccatorum noſtrorum cauſa & natum & mortuum eſſe; aut denique Domino Judæos ejuſmodi oratione complectenti: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: fidem habere non oporteat: ecce non dixit: Solvite divinitatem meam, & intra triduum exuſcitabo lam, ſed ſolvite templum hoc, &c. Rurſum excurrere nonnihil hîc cupiens, ſponſionis meæ memoria impedior. Dicendum eſt nihilominus aliquid, verùm id tamen, ut à conſtituta mihi brevitate non recedam. Ioann. 2.

Ubicumque igitur ſcripturæ Divinæ Dominicæ diſpenſationis mentionem faciunt, cùm incarnationem, tum ipſam quoque mortem & paſſionem non divinæ, ſed humanæ Chriſti naturæ tribuunt. Quapropter ſi rem diligentius conſideremus, ſacra virgo non Deipara, ſed Chriſtipara appellanda erit. Audi quomodo Evangelia illud proclament: *Liber*, inquit, *generationis Jeſu Chriſti, Filij David, Filij Abraham*: Atqui perſpicuum eſt, Deum Verbum non extitiſſe Davidis filium. Accipe, ſi placet, aliud hic teſtimonium: *Jacob*, ait, *genuit Joſeph virum Marie, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Perpende rurſum aliam Evangelii vocem, veritatem hanc diſertè confirmantem: *Chriſti*, inquit, *generatio ſic erat, cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, inventa eſt habens in utero de Spiritu ſancto*. Quis autẽ ita deſipiat, ut unigeniti Divinitatem Spiritûs ſancti creaturam eſſe credat? Adde his illud quoque: *Erat mater Jeſu ibi*; rurſum: *Cum Maria Matre Jeſu*, & illud: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*; & illud: *De ſemine ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*; & illud rurſum de ejuſdem paſſione: *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato condemnavit peccatum*: & illud rurſum: *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris*: & rurſum: *Chriſto carne paſſo*. Denique: *hoc eſt*, non mea divinitas: *ſed corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Sunt aliæ innumeræ ſententiæ, quæ divinitatem neque nuper natam, neque corpoream perpeſſionis capacem eſſe, mortalium generi refutatum faciunt, ſed ipſam carnem, quæ divinæ conjuncta eſt naturæ. Quare & ipſe quoque Chriſtus, Davidis Dominum & filium ſe nominat: *Quid*, inquit, *vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt? Dicunt ei: David; ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis?* Eſt itaque filius David ſecundùm carnem: ſecundùm Divinitatem verò ejuſdem eſt Dominus. Matth. 1. Luc. 1. Ioann. 6. Act. 1. ad Rom. 1. ibid. 8. 1. Cor. 15. 1. Petri 4. Luca 2. Matth. 22. Pſal. 109.

Rectum

Rectum proinde Evangelicæque traditioni conſentaneum eſt, ut Chriſti corpus Divinitatis templum eſſe confiteamur: illudque nexu uſque adeo ſublimi, divinoque & admirabili ipſi conjunctum eſſe ſtatuamus, uti natura Divina ea ſibi vindicet quæ corporis alioqui ſunt propria. Verum propter eam, ſive communicationis, ſive appropriationis notionem, nativitatem, paſſionem, mortem cæteraſque carnis proprietates divino Verbo adſcribere, id demùm, mi frater, mentis eſt paganorum more verè errantis, aut certe veſani Apollinarii, & Arii aliorumque hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis: nam qui appropriationis vocabulum ita detorquent, illos Deum Verbum lactationis participem, & ſuccedanei incrementi capacem, & ob formidinem paſſionis tempore declaratam, Angelici præſidii indigum extitiſſe fateri oportet. Miſſa hîc facio circumciſionem, ſacrificium, ſudorem, famem, aliaque ejuſmodi, quæ carni cohæſerunt, noſtrique cauſa eidem acciderunt. Quod ſi verò hæc eadem divinitati aſcribere lubeat, & falſa erunt, & nobis veluti Sycophantis juſtæ damnationis cauſam adferent. Hujuſmodi ſunt Sanctorum Patrum traditiones; tales ſunt ſanctarum Scripturarum denuntiationes. Ad hunc modum de divinæ clementiæ & poteſtatis opibus Theologus diſcepter. Hæc, inquit, Paulus ad omnes. *Meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.*

Quod verò, eorum, qui offenſi ſunt, curam amplecteris, rectè facis, & gratias habeo animæ tuæ, ſeduló, quæ Dei ſunt, meditanti, anxiamque rerum noſtrarum curam gerenti. Interim a Clericis, qui ejuſdem tecum ſunt ſententiæ, quique hoc loco, quòd Manichæorum hæreſi infecti eſſent, à Sacra Synodo exauthorati fuerant, deluſum te ſcias: Nam res Eccleſiaſticæ quotidie apud nos creſcunt & augentur; & quæ ad populum ſpectant, eos Dei beneficio ſortiuntur ſucceſſus ut qui multitudinem fortè intuentur, non poſſint cum Propheta non exclamare: *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis.* Ad Imperatores porrò quod attinet, illi propter dogmatis illuſtrationem, in ſumma lætitia vitam agunt. Et ut verbo concludam, contra omnes hæreſes, cum Deo rectoque Eccleſiæ doctrina pugnantes, vocem illam apud nos quotidie ad effectum deduci comperias: *Promovit interim David & confortabatur: domus autem Saulis magis magisque attenuabatur.* Hæc fraterno affectu fratri à nobis ſint expoſita. Si quis autem voluerit eſſe contentioſus, hic B. Paulum per nos clamantem intelligat: *Si quis*, inquit, *videtur contentioſus, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Univerſam quæ tecum eſt fratrum ſocietatem ego quique mecum degunt, plurimùm ſalvere jubemus. Semper incolumis pro nobis Deo ſupplices obſervandiſſime & piiſſime.

Vides in hac Epiſtolâ quot ſcripturæ locis ſenſa ſua ſtabiliret Neſtorius. Sunt hæretici Catholicorum ſimiæ. Quia Catholici ex ſcripturis probant dogmata vera, & illi ex ſcripturis falſam ſuam fidem adornant. Nam, ait Apoſt. *Ejuſmodi Pſeudo-Apoſtoli ſunt operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Quid eſt, ut optimè Vincentius Lirinenſ. p. 1. commonitorii c. 37. *Transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti?* proferebant Apoſtoli divinæ legis exempla, proferebant & illi: proferebant Apoſtoli Pſal. auctoritates, proferebant & illi: proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant. Hinc hæreticos Sathanæ Chriſtum tentanti ut ſe demitteret è pinnaculo templi, comparat. Nam ſicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur: membra ſcilicet diaboli membris Chriſti. Perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, hæretici poſtremò Catholicis. Sed quid tandem dicunt? *Si*, inquit, *Filius Dei es mitte te deorſum*, ideſt, ex iſtius in ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione dimitte. Ac ſi quis interroget quempiam A hæreticorum ſibi talia perſuadentem, unde probas, unde doces quod Eccleſiæ Catholicæ univerſalem & antiquam fidem dimittere debeam? ſtatim ille, *Scriptum eſt enim.* Et continuo mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus Novo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſeos baratrum infœlix anima præcipitetur.

Iſaiæ 11.

2. Reg. 3.

2. Cor. 11.

Nota.

2. Cor. 11.

Matt. 4.

EPISTOLA COELESTINI PROBATA in Synodo.

Dilecto fratri Neſtorio Cœleſtinus. S.

POſt impium illud profanumque ſæpenumero condemnatum Pelagii ac Cœleſtii dogma ab urbe ſemel proſcriptum, Catholica fides aliquot vitæ noſtræ diebus pacem obtinuit: Etenim ut primum Oriens & Occidens concordi ſententia veluti telo quodam illos illorumque ſectatores ſemel percuſſit: è veſtigio ſanctæ memoriæ Atticus egregius ſanè Orthodoxæ fidei Doctor, veruſque ea in re Beati Joannis ſucceſſor, ita eos communis omnium Regis cauſa eſt infectatus, ut ne conſiſtendi quidem ſpatium in eo loco reliquum illis faceret. Poſt illius verò è vita diſceſſum, non vulgaris cura nos tenuit, anxiè expectantes, unum-necumdemque ille & muneris & fidei quoque ſucceſſorem ex æquo ſortiretur: quandoquidem quæ pulchra ſunt, ea diuturnam moram facilè non ferunt: Plerumque enim uſu venire ſolet, ut oppoſita alternis ſe vicibus excipiant. Verùm poſt illius obitum ſanctus Siſinnius, qui ipſe quoque paulò poſt deſerturus nos erat, nobis obtigit; vir profecto & vitæ ſanctimonia, & fidei ſimplicitate clarus, ejuſque quam cŏpererat religionis præco inſignis. Legerat nimirum pia illa ſupplicitas & ſimplex pietas, magis timendum eſſe, quàm privatæ intelligentiæ acumini innitendum. Et alibi: In altiora curioſius inquirendum non eſſe. Et iterum: *Si quis aliud prædicaverit, anathema ſit.* Sed hoc quoque è mundi hujus ærumnis ſublato, ſimulatque ſollicitudo noſtra tantùm ſe intendiſſet, quantùm Dominus ſinebat: nuntiorum mox iſtinc venientium narratio animam noſtram magna lætitia perfudit, quam paulò poſt familiarium noſtrorum, qui tuæ ordinationi interfuerant, relatio egregiè quoque confirmavit: hi enim ejuſmodi teſtimonium tibi reddebant, cujuſmodi illi dari conveniebat, qui aliunde in Epiſcopum allectus eſſet: in tanta enim æſtimatione ætatem antea egeras, ut aliena quoque civitas te tuis invideret. Nunc contra verò tanta te turpitudine abominandum reddidiſti, ut tui ex aliorum calamitatibus, à quanta peſte liberati fuerint, facile intelligant.

Epiſcopi inſignes Conſtantinopoli.

Ad Gal. 1.

Quid ita iis de rebus quæſtiones incœptare voluiſti, quas vel cogitare blaſphemia eſt? Unde Epiſcopo in mentem venit, ut ea in vulgus ſpargeret, per quæ Virginei partus majeſtas, & reverentia graviter conſauciatur? Meritò ſanè blaſphemi in Deum ſermones priſcæ fidei ſinceritatem interturbare non debuerant. Quis unquam anathemate non dignus exiſtimatus eſt, qui fidei quippiam appoſuiſſet: vel ex ea quippiam ſuſtuliſſet? Quæ enim plenè & planè nobis ab Apoſtolis tradita ſunt, ea augmentum vel imminutionem non ſuſcipiunt. Legimus in libris noſtris nihil addendum, nihil adimendum eſſe, maximoque ſe pœnæ debito obſtringere tàm eos, qui mutilant, quam illos quoque, qui aſſuunt. Præparavimus igitur cauterium & ferrum, ſiquidem vulnera quæ tolerari alioqui non poſſunt, maturè exſcindenda ſunt: Novimus enim magna vitia citra magnam moleſtiam, facilè curari non ſolere. Cæterùm inter multa impiè abs te prædicata, quæ Catholica Eccleſia averſatur, ſummopere deploramus, ea per te verba à Symbolo ſublata eſſe, quæ totam vitæ ſalutiſque ſpem nobis pollicentur.

Incepit Neſtor.

Hoc autem ipſum quo animo feceris, id tuæ Epiſtolæ non diſſimulatum. Quod verò & tuæ ſint & abs te profectæ ſint, id extra omnem controverſiam eſt. Quas ideò quoque nunquam ad noſtras manus venîſſe optaremus, ne tanti ſceleris judices eſſe cogeremur. Omnium porro diſceptationum tuarum rationes brevi oratione comprehendi queunt. Explicaſti ſubinde te fuſius, & multis ſtrophis circumvagatus, tandem per diverſos anfractus, ad impium animi tui ſcopum pertigiſti. Novimus, quid ille caverit qui contentiones & verborum pugnas circa legem vitare juſſit: ſunt enim, ut ait, ſtultæ & inutiles. Jam quod ſtultum & inutile cenſetur, id ab omni utilitate procul abeſſe dubium nullum eſt.

Cum itaque frater noſter Cyrillus alteris jam litteris ad ſanam mentem te revocare enixè, ut ſcribit, ſtuduerit: & poſt unam & alteram illius admonitionem, etiam noſtra hæc, quam tertiam eſſe conſtat, increpatio acceſſerit; niſi nunc tandem, quæ perversè docuiſti, per te corrigantur, in eamque viam primo quoque tempore redieris, quam ſe Chriſtus eſſe palam eſt profeſſus; impoſterum & à noſtro conſortio, & ab omnium Chriſtianorum cœtu alienum te fore, nihil quicquam dubites. Improbè & præter omnem ſpem in eum arma ſuſcitaſti, qui te tanquam fidum & cordatum ſervum familiæ præfici permiſit. Miſer; qui beatitudinis iſtiuſcemodi miniſterio promiſſæ jacturam jam feceris: Adeone eſcam opportuno tempore nullam præbes, ut eos quoque veneno perimas, quos ille proprio ſanguine propriaque morte conquiſivit? Venena namque ſub labiis tuis ea meritò appellamus, quæ amaritudine & execratione plena adverſus eum evomere non formidas, qui vere dulcis eſt. Quò ſollicitudo abiit paſtoralis? Bonus Paſtor eſt qui ponit animam ſuam pro ovibus ſuis, Mercenarius eſt qui eas relinquit, & lupis objicit. Quid tu autem Paſtor hîc agis: quando tu ipſe lupi inſtar gregem diſperdis? In quas tandem caulas Dominicus grex recipere ſe queat, cum intra ipſa quoque Eccleſiæ ſepta vulneretur? Aut qualis cuſtodia ſatis tuta in poſterum cenſeri valeat; cùm te cuſtodis loco rapacem lupum experiantur? *Et alias*, inquit Dominus, *oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Dominus alias ſe adductum promittit: tu autem quas habes, diſperdis. Quamvis interim obſcurum non ſit, cùm iſtuc uſu venit, non tàm oves interire Paſtoribus, quàm Paſtores ovibus. *Et vocem meam audient.* Cur hoc? *ut unum fiat ovile.* Ad illius ergo vocem unum coit ovile, ad tuam autem grex aut læditur, aut in fugam vertitur.

Malus Paſtor.

Joan. 10.

Durum ſanè eſt & grave admodum B. Pauli verba quæ in Actis Apoſtolorum leguntur, in te convenire: *Ego*, inquit, *ſcio quoniam poſt diſceſſum meum intrabunt lupi rapaces non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.* Hæc abs te aliis dici malebamus, quam tibi ab aliis: docere enim, quæ dicimus, debueras non diſcere. Nam quis ferat Epiſcopum doceri, quando ipſum Chriſtianum eſſe oporteat? Expende diligenter quò deveneris, in quam hæreſim præceps abieris: in judicium vocaris, coargueris, accuſaris; ecquid horum omnium Dei decet Sacerdotem? Duris dura debetur reſponſio, & dura rurſum ultio, ſiqua tamen ea dici poteſt ultio, cum blaſphemiæ ſolis verbis vindicantur. *Et infrà.*

Act. 20.

Pontificis Eccleſiæ Alexandrinæ fidem & probavimus ſemper, & etiamnum probamus. Et tu itidem, ſiquidem noſtra communione in poſterum potiri deſideras, per illum admonitus, eadem illa quæ nos, denuo ſapias, mi frater: qua, inquam, prudentia etiam nunc tibi reliqua eſt, iis omnibus execratis condemnatiſque, quæ huc uſque ſenſiſti, confeſtim eadem illa, quæ illum prædicare intelligis, & tu quoque noſtræ voluntati factûrus ſatis, prædicare ne cunctéris, &c. Cæterùm ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clerum cæteroſque, qui iſthic Chriſti nomine inſigniti ſunt, literas, quales neceſſitas exigebat, perſcripſimus: Quo his nimirum inſtructi commonefactique, ſiquidem in perverſæ doctrinæ contumacia perſtiteris, neque illud ipſum, quod frater noſter Cyrillus nobiſcum docet, tu quoque docueris, intelligant a noſtro te cœtu excluſum eſſe: Tibi enim nulla deinceps ſocietas nobiſcum eſſe poterit. Diſcant nihilominus & hoc exemplo præmuniti, qua ratione animæ ſuæ maturo deliberatoque conſilio proſpicere debeant. Quamobrem hoc tibi perſuaſum habeas velim, niſi de Chriſto Deo noſtro ea docueris & tenueris, quæ & Romana, & Alexandrina, & univerſa Eccleſia Catholica tenet & docet, ſanctaque magnæ Conſtantinopolis Eccleſia, uſque ad tuum Epiſcopatum tenuit, & docuit; & perfidam illam novitatem, quæ ea divellere nititur, quæ ſacra Scriptûra conjungit, intra decem dies, poſt hanc admonitionem ad te perlatam enumerandos, aperta ſcriptaque confeſſione deteſtatus fueris ac repudiaveris, ab univerſa Eccleſiæ Catholicæ communione quamprimùm te expulſum proſcriptumque iri; & hoc nos planè facere, in animum induxiſſe. Quam noſtri in te judicii formulam cum cæteris omnibus chartis & commentariis per Filium noſtrum Poſſidonium Diaconum, cujus ſupra meminimus, ad ſanctum Cyrillum memoratæ Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum qui ea ipſa quoque de te fuſius ad nos retulerat, tranſmiſimus, ut noſter hac in parte Vicarius efficiat, quò noſtrum decretum & tibi & reliquis quoque omnibus fratribus patefaciat: Nam cùm aliqua de re communi deliberatio ſuſcipitur, tunc omnes quid actum ſtatutumve ſit intelligere oportet. Datum 4. Id. Aug. Theodoſio XIII. & Valentiniano III.

Io. Dicit datis Noſtrio ad ſe retractandum.

Cyrillus Vicarius Cal. Papæ.

Imperatores Cæſares Theodoſius & Valentinianus Victores, triumphatores maximi ſemperque Auguſti Synodo. S. D.

CUm magnam omnium quæ è republica ſunt curam habeamus, tum vero maximam illorum quæ ad pietatem religionemque conſervandam pertinere arbitramur: per ea namque cætera quoque bona hominibus ſuppeditantur. Scripſimus proinde non multo ante de pietatis veſtræ Synodo apud Epheſ. Metropolim cogendâ, eaque ſacræ noſtræ inſervimus, quæ inſtitutæ rei quam maximè convenire cenſebamus. Quia vero ordinis quietiſque quam ſacræ veſtræ Synodi conſultationes jure depoſcunt, decentem quoque curam adhibitam oportuit, ne hanc quoque partem, quo undique tranquillitas adeſſet, prætermittendam exiſtimavimus: Non arbitramur autem pietatem veſtram, ut aliis pacem conciliet, alterius cujuſpiam extrinſecæ opis egere: ſiquidem ad noſtrum erga religionem ſtudium ſingularemque providentiam pertineret & hanc quoque non negligere.

Igitur Candidianum præclariſſimum religioſorum domeſticorum Comitem ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus; ſed eâ lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat (nefas eſt enim qui Sanctorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſeſe immiſcere) verum ut Monachos & ſæculares ac cæteros denique omnes, qui hujus ſpectaculi cauſâ vel eò nunc confluxerunt, vel inpoſterum fortè confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus ſubmoveat. (quandoquidem non licet illos qui omnino neceſſarii non ſunt, ſacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & iis quæ cum tranquillitate à veſtra ſanctitate conſtitui definirique debent, obſtaculum aliquod adferre) tum rurſum ut diligenter proſpiciat, ne qua gravior diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta & ſævæ tempeſtatis inſtar debacchata, ſanctiſſimæ Synodi veſtræ conſultationem, exactioremque veritatis

Officium Legati Imperatoris in Synodo.

indagationem quovis modo obturber. Quo denique operam det sedulam, ut omnibus & singulis quæ dicuntur rite perceptis, singuli inoffense quod visum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propositum si opus id fuerit, refutare queant. Quo eâ tandem ratione, ubi per singulas propositiones exceptionesque inquisitio, citra ullam omnino turbam contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum probatumque erit, communi vestræ sanctitatis sententiâ constituatur decernaturque.

Ante omnia autem severe eidem Candidiano mandatum est, ut quam studiosissimè observet, ne quem ex sanctissimâ vestrâ Synodo reditum molientem aut iter ad exercitum nostrum affectantem aut ad alium quemcumque locum abscedere cupientem, prius inde abire permittat quam diligenti adhibita discussione, ea omnia decreta definitaque fuerint, quæ in disquisitionem venerant. Hinc ne ullam omnino aut Ecclesiasticam aut aliam quamcumque controversiam undecumque natam vel motam, quæ ad propositam sancti dogmatis considerationem non pertineat, ante moveri sinat, quam eorum omnium quæ nunc in quæstionem vocata sunt, ambiguitate solutâ, ea quæ ad veritatis investigationem faciunt, exactissimo judicio discutiantur finemque Orthodoxæ religioni congruum sortiantur. Quin & hujusmodi quoque admonitâ sit vestra pietas, nempe serenitati nostræ visum esse, ut nulla omninò in sacrâ vestrâ Synodo aut etiam in publico Ephesiorum judicio pecuniaria aut criminalis causa adversus aliquem ageretur. Quod si quid hujusmodi extiterit, cupiamve usu venerit, hujus integram cognitionem magnæ huic nostræ civitati reservatam volumus. Denique nec id quoque vobis clam sit, videlicet magnificentissimum Comitem Irenæum neque sanctissimæ vestræ Synodi consiliis, neque his quæ eximio nostro Legato Candidiano à nobis demandata sunt, ullatenus communicare debere: ut qui solius amicitiæ causâ cum sanctissimo pissimoque celeberrimæ civitatis hujus Episcopo Nestorio Ephesum profectus sit.

Nota in hac epistolâ quodnam munus & officium sit Legari ex parte regum in Conciliis, qui iis debeant interesse, contra hæreticorum nostrorum prætensiones, & qui ordo servandus ut in iis aliquid debitè promoveatur. Porro iste Candidianus infideliter se gessit, ut Cyrillus & omnes Catholici de illo merito conquererentur. Inter cætera de rebus gestis in Concilio mendaciter scripsit ad Theodosium, ut propterea damnationem Cyrilli & Memnonis seductus & sinistræ sentiens confirmaverit. Intercluſit quoque vias ne epistolæ Patrum Ephesinorum, quibus eum de veritate rerum gestarum instruebant, pervenire possent, donec tandem fidum nacti hominem eumdem in mendicum ipso corporis habitus transformarunt; cui loco baculi præbuerunt arundinem quæ intus litteras Constantinopolim scriptas contineret, sicque licet serò eorum litteræ pervenerunt Constantinopolim.

Cælestini ad Synodum Ephesinam Epistola.

Dilectis desideratissimisque FF. Cælestinus Episcopus in Domino, S. D.

SAcerdotum Concilium Spiritus sancti præsentiam declarat: Certum est illud namque (neque enim veritas ipsa mentiri potest) quod Evangelicis litteris proditum extat: *Ubi sunt duo aut tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.* Quòd si numero tam exiguo Spiritus sanctus non deest, quanto magis par est credere, ibi illum minimè defuturum, ubi tanta sanctorum multitudo convenerit? Etenim confessus ipse suapte natura sacer ac venerandus est: in quo utique magnæ illius augustæque Apostolorum Synodi, de qua in Actis legimus, reverentiam, gravitatemque quodammodo cernere licet. Ut is ergo nullo unquam tempore Apostolos deserebat, quem illi prædicandum susceperant; Aderat enim illis semper Dominus & Magister: imo verò ne tum quidem, cùm jam plenè edocti erant, Magistri sui ope destituebantur: Docebat ille, qui miserat: Docebat, qui, quid docerent, suggerebat: Docebat, qui se in suis Apostolis audiri affirmaret: ita neque cæteros quoque Domini Sacerdotes deseret. Quippe cum demandatæ prædicationis cura, propugnandæque ac propagandæ veritatis sollicitudo, quasi hæreditario quodam jure ad nos transmissa ad omnes pertineat: Omnes enim ubivis per universum terrarum orbem, illorum vice, nomen Domini prædicamus, hac curâ constricti tenemur: Etenim dum illis dicitur: *Ite, docete omnes gentes:* non aliquod particulare, sed generale mandatum proponitur: siquidem ministerium, quod Apostolis in commune mandavit, hoc nos omnes explere voluit: Atque hoc fraternitas vestra diligenter observare debet. Cùm hæc igitur sic habeant, necesse est, ut Patrum nostrorum vestigiis convenienter insistamus, ut qui omnes in illorum laborem subintroivimus, & qui illorum honorem suscepimus, fidei quoque dogmata ab illis tradita, pro virili propugnare debemus: Quibus quoque jubente Apostolo, nullam novam doctrinam adjungere fas fuerit, sed traditam simpliciter conservare. Prout etiam non minus honorificum est Doctori, ministerio suo tradita custodire, ac propria submini-strare.

Mat. 18.

Illi itaque fidei semina jactaverunt, nostra sollicitudo jacta custodiat; quo nostri Patris-familias adventus incorruptum multiplicemque fructum inveniat; cui soli utique Apostolorum messis, tanquam primæ & principi causæ assignatur. Etenim Paulus electis suis loquens, haud quaquam sat esse monet, sese plantare ac rigare, si Deus incrementum & ubertatem non impertiret. Quamobrem conandum, modisque omnibus enitendum est nobis, ut fidei dogmata nobis concredita, & per Apostolicam doctrinam hactenus conservata, porro retineamus: Neque enim hîc persona quæpiam privata, sed ipsamet nostra fides in jus vocatur: Armis spiritualibus accingamur, oportet: siquidem animorum bellum suscitatur, verborumque jacula torquentur, quo in Imperatoris nostri fide constanter persistamus: Beatus Paulus omnes vos eo in loco, ubi Timotheum manere jussit, hoc est Epheli constitutos, commonefacit. Idem itaque locus, idemque doctrinæ scopus, idem quoque ministerii studium à nobis exigit. Id omnes agamus, huc omnes nostri tendant conatus; nempe ne, quod ipsis vetuit, diversum quidpiam sapiamus. Nullus quæstionibus verbosis & ad rem nihil facientibus intendat, sed ut ipse præcepit, omnes unanimes maneamus, unumque & idem sentientes. Quandoquidem hoc maximè conducit. Nihil autem per contentionem, aut ob inanis gloriæ ostentationem fiat: verum id potius optetur & curetur, ut anima una & cor unum sit omnibus. Quòd si fortè fides, quæ una est, adulteretur, universus confessus, unà nobiscum ob id laboret ac lugeat. Is in judicium vocatur, qui terrarum orbem judicat. Is humanæ correctioni subjicitur, qui terram commovet. Is, qui redemit omnes, iniquis calumniis impetitur. Vestra proinde fraternitas Dei armaturam assumat: nostis galeam, quæ caput vestrum tueatur. Intelligitis, cujusmodi lorica pectus vestrum communire debeat. Neque enim jam primùm Ecclesiastica septa vos suscipiunt magistros. Nemo ambigat, quin Deo, qui utraque facit unum, cooperante, armis depositis, tempestivè pax sit succesſura: causa enim, de qua agitur, ejus est naturæ, ut facilè seipsam vindicare queat.

Christus impetitus à Nestorio.

Mat. 28.

At Ducis nostri verba, quibus per Episcopos suos nos alloquitur, rursum expendamus. *Attendite,* inquit, *vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.* Hos autem Apostoli hortatus Ephesios, apud quos vestra sanctitas nunc conve-

Act. 20.

Act. 15.

eis, audiviſſe legimus. Quibus igitur fidei doctrina cognita eſt, iis & veſtra quoque doctrina manifeſta fiat; & per veſtram intelligentiam, eam venerationem aſſequantur, qua merito digni cenſentur. Quin illud etiam, venerandi fratres, neque præterire, neque patrum quoque incitare vos debeat; nempe Regis regum verba olim ab Apoſtolis prædicata, diuturnâque pace, ac pio ſtudio hactenus conſervata, nullis unquam tyrannorum machinis fuiſſe debellata; neque veritatis virtutem, ulla unquam ſermonum falſitate potuiſſe extingui. Ante omnia autem illa vos præcipue conſiderare, iteráſque atque iterum recolere decet, quibus Joan. Apoſto. cujus reliquias præſentes honoratis, ad mutuam concordiam, dilectionemque hortatur: ſed & communis quoque oratio ad Dominum fiat: Novimus enim quanta vis divinæ præſentiæ ſit acceſſura, tanta Sacerdotum multitudine, concordi animorum conſenſu, deprecante: quandoquidem tam vos ille movere, ſuoque Spiritu afflare poteſt, quàm duodecim illos Apoſtolos, dum illum rogarent, moville afflaviſſeque legimus.

Sed quænam deprecantium Apoſtolorum extitit petitio? non alia ſanè quàm ut acciperent vim, Verbum Dei cum fiducia loquendi; pérque illius virtutem, magna mirabiliaque operandi: & utriuſque Chriſto Domino noſtro largiente facultatem acceperunt. Et nunc, quæſo, quid aliud ſanctæ veſtræ Synodo experere convenit, quàm ut adſit fiducia, Verbum Domini intrepide loquendi, conſtanterque, quæ dederit prædicare, retinendi? Porro autem Spiritu ſancto, ſicuti ſcriptum eſt, repleti, etſi diverſo ore, unum tamen idemque loquebantur; id nimirum, quod Spiritus ſanctus ſuggerebat, qui etiam magnum illis omnibus animorum robur addebat. Atque iſthæc, ut Apoſtolus ait, legem ſcientibus expono: prudentiam enim hic loquor inter perfectos. Decertate proinde pro fide Catholica, & Eccleſiaſticorum paci ſuppetias ferte; ſi quidem præſentibus & futuris æquè ac priſcis dictum eſt: Rogate & cuſtodite, quæ ſunt ad pacem Hieruſalem. Miſimus ad vos Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Preſbyterum ſanctos Fratres, unanimeſque ac probatos noſtros comminiſtros, qui noſtra in ſe cura ſuſcepta, actis veſtris intererunt, quæque à vobis ſunt conſtituta, ſuo calculo denuo confirmabunt. Non dubitamus autem, quin ſanctitas veſtra illos ad communem conſenſum, ſententiæque dictionem ſit admiſſura. Quæ verò decreveritis, ea pro omnium Eccleſiarum tranquillitate habeantur definita decretaque.

Legati Papæ plures ad Synodum.

EXEMPLAR EPISTOLÆ IOANNIS Comitis Sacrenſis, ſcriptæ ab Epheſo ad Reges, qua docet, quid egerit, ubi Synodum convenerit Epheſinam, & præſertim, cur ſanctiſſimos Epiſcopos Cyrillum, & Memnonem capere voluerit.

Facinus & hæc ad argumentum Epheſini Concilii, & ad ſuperiorem hiſtoriam deberent.

QVum ſciam conducibile pietati, ſi divinis Scripturis commendentur omnia, quæ juxta puriſſimæ Celſitudinis tuæ mentem pro viribi feci, hinc quæ ſint acta, diſcetis. Pridie quam hæ literæ darentur, labore magno, acceleratione que mira in Epheſiorum civitatem perveni. Adveniſſem autem citius, niſi maximis negociis impeditus fuiſſe, quæ veſtræ magnitudini adfuturus (Deo propitio) coram recenſebo. Statimque ſanctiſſimos Epiſcopos, qui hinc & inde convenerant, reverenter ſalutavi. Propter diſcordiam autem, quæ intercedebat inter eos, partes accerſere convenie-

Cyrillus & Memnon Epiſcopi.

bat. Turbatis autem omnibus, Cyrilloque & Memnone ſe munientibus, per meipſum iis qui convenerant, denunciavi, & iis qui aberant, manifeſtavi, ut ſequenti die abſque ulla mora omnes in diverſorio meo confluerent. Porro ne conflictus quidam fieret, promiſcue ipſis convenientibus (metuendum enim & hoc erat propter ferociam, quæ neſcio unde illis acciderat) ingreſſus, ordinem diſtribui. Præſente autem Neſtorio, fere cum ipsa aurora, & Joanne pientiſſimo Epiſcopo, advenit etiam Cyrillus cum omnibus pientiſſimis Epiſcopis. Solo autem Memnone abſente, magna turbatio tumultuſque exoriri cœpit, dicentibus iis, qui cum Cyrillo venerant, Neſtorii qui ab ipſis depoſitus eſſet, ne aſpectum quidem ferendum eſſe, nihilominus tamen convenientibus divinarum ſcripturaram lectionem fieri volebat. Affirmabant autem ii, qui Cyrillo favebant, lectionem divinarum & terribilium ſcripturarum abſque Cyrillo non habendam, neque præſente Neſtorio, neque his qui ab Oriente venerant, ſanctiſſimis Epiſcopis. Et ob hoc magna facta ſeditio eſt, imo prælium & pugna. Eadem quoque & ſanctiſſimi Epiſcopi, qui Joanni pientiſſimo Epiſcopo adſtabant, contendebant, dicentes, Cyrillum non oportere divinarum litterarum lectioni intereſſe, ut pote & illo cum Memnone ab ipſis depoſito. Fiebat igitur ſuper hac re contentio. Jam autem maximo diei intervallo exacto, operæprecium exiſtimavi, abſque Cyrillo & Neſtorio cæteris patefacere Regias ſententias, quandoquidem commemoratis illis neque ſcriptæ eſſent à mundi Dominis. Verum renuebant & hoc pientiſſimi Epiſcopi, qui cum Cyrillo venerant, nolebantque etiam his qui cum Joanne advenerant, præſentibus aures præbere, eo quod dicebant eos illegitime Cyrillum & Memnonem depoſuiſſe. Vix igitur potui perſuaſione & vi (ſiquidem vera dicere oportet) ſequeſtratis Neſtorio & Cyrillo, inducere omnem Synodum, ut Regium reſcriptum audiretur. Igitur congregatis omnibus Auguſtarum literarum lectionem fieri, in quibus depoſiti ſunt Cyrillus & Neſtorius, & Memnon. Quum autem hi, qui cum Joanne pientiſſimo convenerant, lectionem amicè ſuſciperent & approbarent, audiverunt à gravi auditorio, depoſitionem Cyrilli & Joannis illegitime factam. Cæterum ne major fieret ſeditio, Neſtorium quidem cuſtodiendum ſuſcepit Candidianus Comes * convivarum domeſticorum, qui omnibus conſiliis & operibus meis interfuit. Cyrillum autem & ipſum cuſtodiendum tradidi circumſpecto Comiti & præpoſito quartæ ſcholæ. Memnon vero, ut prædixi, aberat. Unde miſſis diſpenſatore & lictore ac Protodiacono ſanctiſſimæ Epheſiorum Eccleſiæ, ei manifeſtavi quod depoſitus eſſet. At memoratus Memnon cum prædictis, fidem dedit eis, ſe ſuo periculo cum omni ſecuritate Eccleſiaſticas pecunias ſervare. His in hunc modum actis, quoniam oportebat me & precibus vacare, deſcendi in ſanctiſſimam Eccleſiam. Cognoſcens autem Memnonem agere in Epiſcopio, mitto ex miniſtris meis Primicerium nobilium Palatinorum ad ipſum, ut ad me veniret, ut diſcerem, num omnino ad me accedere renueret. Verum ipſe abſque mora advenit, & reprehenſus à me, quare mane non veniſſet, dixit, ægritudine ſe deprehenſum eſſe, & propterea non adfuiſſe. Ne ferret autem alias meas admonitiones vel conſilia, prævenit ſermones meos, & in meam irrupit domum. Traditur igitur & ipſe Jacobo circumſpecto Comiti cuſtodiendus, & à Scutariis nobilibus, & reverendiſſimis Palatinis. Hæc primo die à me facta ſunt. Quoniam autem & de pace pientiſſimis Epiſcopis ſermonem habere oportebat, ne hæreſes & ſchiſmata in Orthodoxa religione fierent, proinde quanta potui diligentia, et negotio me accommodavi, & poſthac operam daturus, modo placeat & melioribus, & pietati conſonum ſit, & recta mens ſit Domini mundi. Quod ſi pientiſſimos Epiſcopos videro implacatos & non reconciliabiles, neſcio unde in hanc rabiem & aſperitatem venerint, & ſi quid amplius factum fuerit, quam primum veſtræ amplitudini ſignificabo.

Vel nobilium. Cyrillum incarceratum, aut?

Exemplar Relationis Orientalium ad Reges adversùs Divum Cyrillum & hujus Anathematismos.

MEritò quis dixerit, noſtri ſeculi homines, qui tuo imperio gubernentur beatiores iis, qui ante noſtram ætatem fuere. Veſtra enim pietas inter innumeras totius orbis curas, eam quam religionis pietate gerit, omnibus aliis præpoſuit. Magis autem venerantur laudatiſſimum veſtrum imperium ea, quæ Dei ſunt, quàm omnia quæ ſuper terram. Quoniam fides in illum veſtras cogitationes & opera moderatis, cum veſtra pietate in omnibus honeſtis cooperatur. Hæc ita certò ſe habere ſemper quidem ex his, quæ contingunt, didicimus, iſto autem tempore maximè certi ſumus. Poſtquam enim inexpectata Sacerdotum exorta ſunt diſturbia, ſingulis ſimul à ſe invicem diſſidentibus, & commune hoc noſtrum conſiſtorium commotum eſt, Ægyptio orbem (id quod ſemper ſolitus eſt) conturbante, veſtræ pietatis oraculum per magnificentiſſimum & glorioſiſſimum Comitem generalem largitionum Joannem allatum, omnium vanas choleras reſtinguere ſufficiens fuit, ſi quidem modeſti eſſe voluerimus. Illud autem maximum, quod veſtra Majeſtas literis cavit tollenda offendicula à quibuſdam excitata. Urendum autem canone & regula, quia olim à Patribus in Nicæa fides expoſita eſt, quæ etiam nihil diminutum vel ſuperfluum continens compendiariam ſalutem concedit, verbis paucis comprehendens omnia, quæcunque divinæ Scripturæ tradiderunt, & eliminans ſeductorum, & novas nobis tradere volentium opiniones. Quapropter acceptis literis veſtris, cùm vidiſſemus mentem veſtræ Majeſtatis rectæ Patrum fidei convenire, operam dedimus, ut confeſtim ejicerentur Capitula contra Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, à Cyrillo expoſita, in quibus omnes & qui nunc ſunt, & qui olim fuere, ſanctos anathematizare auſus eſt. Quam autem nupero tempore turbulenter Epiſcoporum præſentia conſpirationem fecit, multorum inexperientia, & aliquorum morbo olim quidem latente, nunc autem impudenti circumcurſatione manifeſtato, authoritate Synodali ſtabilire attentavit. Hæc autem ſicut veſtra Majeſtas, etiam pietiſſimus ſanctiſſimuſque Pater noſter & Epiſcopus Acatius, ſcriptis ſanctam Synodum docuit, Apollinarij impietatem contingunt. Optimè enim ſcit vir ille decem & centum annos natus, qui omnem ætatem in Apoſtolicos ſudores inſumpſit, & plurimis Synodis interfuit, quod Apollinarii aſſeclas vicinos ſemper habuit. Unde facilè deprehendere potuit, quod prædicta Capitula pravam illam opinionem ſaperent, & jam deceptos Epiſcopos, & illi ſubſcribere ſinentes. Oravimus igitur una cum Joanne magnificentiſſimo Comite, ut ab Orthodoxa fide ejicerentur & alienarentur, & ſe ſubſcriberent Orthodoxæ fidei patrum in Nicæa congregatorum. Et cùm non poſſent propter malam ipſorum præjudicationem factam, coacti ſumus apud eos ſinceram illam & rectam confiteri fidem & illi ſubſcribere, ejicereque legitima confeſſione ſuperfluam illam ab impiis opinionibus refertam Capitulorum expoſitionem. Sufficit enim parvorum illorum verborum rectæ fidei confeſſio ad redarguendum omnem hæreticum errorem. Neque enim prædicta Patrum fides contempſit ea, quæ de unigeniti deitate recenſentur, ſed conſubſtantialem prædicans, immobiles fidelium mentes ſervavit, & Arrianorum hæreſim ſuſtulit, deque diſpenſatione exactas definitiones tradidit. Tunc inconvertibilem & incommutabilem deitatem unigeniti nos docuit, & non purum hominem eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſed verè Filium Dei credendum prædicavit, congrua divinis ſanctiſque Scripturis confirmans. Unde & nos illos ſequentes, fidei & expoſitioni confeſſionis nihil adjecimus, nihilque ademimus, contenti in omnibus ſanctorum Patrum expoſitione. Quoniam autem, ô pientiſſimi Reges, percipimus poſt hanc ſummæ fidei conſonantiam, etiam de ſancta ac Dei genitrice Virgine, veſtræ excellentiſſimæ pietati innotuiſſe. (Hoc enim Joannes ille magnificentiſſimus & glorioſiſſimus Comes annuntiavit, idque divino petito auxilio. Majus enim fuerat, quàm ut talia homines attentarent) nota facimus veſtræ pietati, quæ ex divinis Scripturis edocti ſumus confeſſione noſtræ infirmitatis excludere, & hæc inſerere volentes inter ea, quæ ſuper hominem eſſe conſideravimus. Igitur fatemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante ſecula quidem ex Patre genitum, noviſſimis autem diebus ex Maria Virgine ſecundùm humanitatem: conſubſtantialem ipſum patri ſecundùm deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem. Duarum enim naturarum unio facta eſt. Idcirco unum Chriſtum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Juxta hanc inconfuſæ unionis ſententiam, confitemur ſanctam Virginem Dei genitricem, eo quod Verbum Incarnatum & inhumanatum eſt, & ex illius conceptione univit ſibi templum ex ipſa aſſumptum. Hæc cùm didicerimus à viris Theologis, Evang. & Apoſtolis, & Prophetis & piæ fidei doctoribus ſua tempeſtate claris, tanquam in compendio expoſuimus. Oramus autem & obſecramus veſtram majeſtatem, piam religionem (quæ corrumpi videtur morbo ab Ægyptiacis Capitulis invecto) more ſolito defendere, & omnibus præfectis ſanctarum Eccleſiarum Sacerdotibus * edocere dignetur, ut explodant Capitula à prædicto Cyrillo, magna Eccleſiarum jactura & fidei Catholicæ introducta: ſolique ſubſcribant ſanctorum Patrum in Nicæa congregatorum confeſſioni. Neque enim aliter pax in Eccleſiis Dei triumphabit, niſi ejecta fuerit impia illa expoſitio.

Cyrillus vocatur Divus.

Fides Nicæna.

Acatius Epiſcopus annorum 100.

Nova abſurda adversùs nova vana necessaria ſunt.

Imperatores addidit Cyrillo.

Edantur.

MANDATVM, QVOD SYNODVS dedit legatis Conſtantinopolim proficiſcentibus, ut Orientales iudicarent, Cyrillum verò & Memnonem ſanctos Epiſcopos à condemnatione, ac depoſitione liberarent.

PHILIPPO PRESBITERO DEI, & amantiſſimo & colendiſſimo, ſanctiſſimi & pientiſſimi Archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis, magnæ Romæ Cœleſtini Vicario, & pientiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, Arcadio, Iuvenali, Flaviano, Firmo, Theodoto, Acatio, Evoptio, ſancta & univerſalis Synodus, quæ gratia Dei & edicto pientiſſimorum Regum in Epheſiorum Metropoli congregata in Domino ſalutem.

Romæ ſedes Apoſtolica. & primum Epiſcopum.

ADmoniti à pientiſſimis Chriſtique amantiſſimis Regibus ut mittantur Legati pro toto orbe, qui propter eos qui nobiſcum in Epheſiorum urbe congregati ſunt, anxius eſt, unanimi calculo decrevimus, & legationis provinciam (ut pro recta fide & pro ſanctis Fratribus) ſanctiſſ. & Dei amantiſſ. Archiepiſcopo Cyrillo, & Dei amantiſſ. Coëpiſcopo Memnoni injunximus. Utrorumque autem ſecuritatis, & veſtrorum & noſtrorum habentes curam, hoc mandatorium diploma inſtruximus: ut & ſciatis, propter quæ nos miſerimus, & veſtra pietas cognoſcat, quod nihil præter hæc facere debeatis. Ante omnia igitur ſciat veſtra ſanctitas, quod cum Joanne Antiocheno & cum apoſtatarum Concilio communionem nullo modo habere debeatis, eo quod noluerunt nobiſcum deponere impietatis præconem Neſtorium, ſed illi uſque ad abi-

tionem veſtram patrocinati ſunt, auſi contra omnes Canones condemnare ſanctiſſimum, Deique amantiſſimum Archiepiſcopum Cyrillum, & ſanctiſſimum Deique amantiſſimum Epiſcopum Memnona. Præterea uſque ad id tempus in Neſtorij dogmatibus defendendis anxij ſunt. Sunt item inter eos Cœleſtiani & depoſiti, audentque totius orbis Synodum hæreticam appellare. Jam ſi neceſſitas quædam ſeobtulerit, adeundi Regem pientiſſimum, quoniam dicto amatoris Chriſti & pientiſſimi pro virili obediendum eſt: ſi noluerint prædicti ſubſcribere depoſitioni Neſtorij, per libellos veniam petere à ſancta Synodo ſuper iis, quæ temerè in noſtros præſides admiſerunt, anathematizareque Neſtorij dogmata, & abjicere eos qui eadem cum illo, vel ſapiunt, vel ſapuere, denique & laborare nobiſcum, ut reſtituantur nobis ſanctiſſimi Archiepiſcopi Cyrillus & Memnon: permittimus veſtræ ſanctitati his factis, polliceri quidem ipſis communionem, ſcribere autem nobis, ut & vobis compaciſcentibus perfecta cum ipſis pax conſtet. Verum non erit antea promittenda illis pax, niſi præſides ſuos recipiat ſancta Synodus. Scire autem volumus veſtram ſanctitatem, quod ſi quid horum à vobis contemptum fuerit, neque ſancta Synodus acta habebit rata, neque vos communionis ſinet eſſe participes. Subſcripſerunt Epiſcopi 141.

Pelagiani Synodum vocant hæreticam.

Cyrillum nempe.

RELATIO SYNODI EPHESINÆ miſſa cum prædictis Epiſcopis & locum tenente Papæ, ad Reges; ubi & iuſtè damnati Neſtorii cauſa redditur, & iniuſtè depoſiti Cyrilli, Memnoniſque innocentia defenditur adversùs Ioannem Antiochenum.

PIENTISSIMIS DEIQVE ET Chriſti amantiſſimis Theod. & Valentiniano victoribus triumphantibus, ſemper Auguſtis, Synodus quæ iuxta gratiam Dei & veſtræ Mateſtatis edictum in Epheſo congregata eſt.

OMnia quidem ô Reges ænatores Chriſti, Regiæ Majeſtatis veſtræ acta laudem merentur, magnumque pietatis zelum præ ſe ferunt. Ea propter unanimiter omnes & ſinguli pro perpetua veſtra incolumitate & imperio, preces Domino Chriſto offerimus, orantes ut Chriſti amantiſſima veſtra Majeſtas orbi perpetuò ſervetur. Quia autem & nunc noſtris precibus flexa veſtra pietas præcipit per Joannem magnificentiſſimum Comitem, ut univerſalis veſtra Synodus ad veſtram Majeſtatem electos quoſdam pientiſſimos mittat Epiſcopos, & coram omnes cauſas exponant, meritò gratias agentes Chriſti, amantiſſimæ veſtræ Majeſtati, elegimus ſanctiſſimos ac pientiſſimos Epiſcopos Arcadium, Juvenalem, Flavianum, Firmum, Theodotum, Acatium, Evoptium, & Philippum Presbyterum Romæ Cœleſtini ſanctiſſimi & pientiſſimi Archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis, magnæ Romæ locum tenentem, quos his litteris veſtræ ſerenitati commendamus, ut eos benignè videre & audire dignetur. Scientes autem, quantum anima veſtra amat Chriſtum, Deoque ſit dedita, maximique faciat Chriſtum, qui pugnat pro nobis & vos ſeruat: ſerventur, habeanturque in honore ſemper Sacerdotes ejus, juxta id quod dictum eſt ab eo; *Qui vos audit, me audit: & qui vos recipit, me recipit.* Confidimus, & quod nos conturbavit, idem & vos (ſicut literis inſertum eſt) conturbat: nos enim non ob aliam cauſam, qui Epheſi nunc ſumus, quàm ut juxta veſtrum pientiſſimum edictum de fide tractaremus. Quoniam enim prophana Neſtorij dogmata ejus immobilem à ſeculo tranquillitatem conturbarunt, merito ſuper ea re conſilium propoſuimus. Poſt decimum & ſextum diem præfiniti termini, Neſtorium ſuis decretis Eccleſias conturbantem acceſſimus. Verùm quia ille male ſibi conſcius comparere detrectavit: inquirentes impia dogmata, de Domini Chriſti Incarnatione ab illo ſcriptis expoſita, ea ipſa anathematizavimus, & eorum Patrem ab Epiſcopali dignitate omnino alienavimus. Cæterùm Joannes Antiochenus poſt viceſimum diem præſtituti termini, quaſi zelo fidei nos adjuturus huc pervenit, congregatis apud ipſum Epiſcopis paulo minus triginta, quorum alij Cœleſtiani, alij depoſiti multò antea fuerant, adversùs noſtros præſides & Orthodoxæ fidei æmulatores, ſeceſſit, ſanctiſſimumque & pientiſſimum Archiepiſcopum Alexandriæ Cyrillum, & ſanctiſſimum ac pientiſſimum Coëpiſcopum Memnona, neque accuſatos ab ipſo, neque citatos juxta Canonum rationem, depoſitionis contumelia affecit: & quaſi communicarit cum ipſo ſancta & univerſalis Synodus, in hanc contra illos injuſtitiam ita pias & religioſas veſtras corripuit aures. At ſancta & univerſalis Synodus cui adſidet & magnæ veſtræ Romæ ſanctiſſimus & pientiſſimus Archiepiſcopus Cœleſtinus, omniſque Occidentalis Synodus per eos, quos ad vos miſit ſanctos Epiſcopos (adſidet autem & Africa omnis & Illiricum) legitimè mota, ipſum perfectum Concilij apoſtatam Joannem & cæteros cui cum eo ſunt, alienos ab omni Eccleſiaſtica communione eſſe decrevit, atque omni Sacerdotali miniſterio deſtituit: refutans omnia, quæ ab illis illegitimè facta ſunt. Et quæ cum illis acta ſunt, veſtræ Majeſtati pridem literis ſignificavimus: nunc verò his ſcriptis, & per hos legatos pientiſſimos Epiſcopos veſtra pia genua protenſis manibus attingimus, rogantes ut quæ violenter acta ſunt cum ſanctiſſimis & pientiſſimis Epiſcopis Cyrillo & Memnone, nullumque Canonibus robur habentia, prorſus irritarea * ita ut noſtra Synodus capite non careat, & nos & omnes Chriſtiani univerſo orbe, luctu intolerabili indeſinenter propter præſides * conteramur, ſed petitionum compotes conſuetas preces univerſi orbis Eccleſiis Domino noſtro offeramus, ut in ſeculum concedatur veſtrum Chriſti amantiſſimum Imperium. Nam calumnia quæ contra illos facta eſt à Joanne Antiocheno & ſocijs ejus, ad omnes nos pertinet: eandem fidem habentibus cum prædictis, & cum eis Sacerdotali miniſterio fungentibus: eò quòd & omnis Occidentalis Synodus teſtimonium dat eis, rectam & inculpabilem eorum eſſe fidem. Et nos quoque de hoc certiores facti, commentariorum ſcriptis promulgavimus, quòd ſint Orthodoxi, ſanctorumque Patrum noſtrorum ſententiam in dogmatibus Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ habeant. Oramus igitur veſtram Majeſtatem, ſolvite & nos & illos à vinculis: vinctis enim fratribus & præſidibus ſanctæ noſtræ Synodi, etiam nos quodammodo vincti ſumus.

Neſtorij damnationis causa.

Ioannes Antiochenus.

Cyrilli & Memnonis innocentia.

Luca 10.

Vel.....

RELATIO A SANCTA SYNODO ad pientiſſimos reges de Neſtorii depoſitione facta.

RElegioſiſſimis ac pientiſſimis Theodoſio & Valentiniano, victoribus triumphatoribus ac ſemper auguſtis, ſancta Synodus per Chriſti gratiam, ac dominationis veſtræ nutum, Epheſi congregata.

IAm inde ætas progenitoribus pia veſtra, Chriſti amantes ac pientiſſimi Reges, rectam eſt conſecuta fidem, & hanc quotidie evehit, multumque curarum veritatis impendit dogmatibus. Quorum gratia cum perturbatio non ſolùm in magna illa civitate, ſed & in univerſo terrarum orbe per ea dogmata fieret, quæ à Neſtorio ſunt prædicata à SS. Patrum, ſanctorumque Apoſtolorum & Evangeliſtarum traditione, non contempſit veſtra dominatio perturbatas Eccleſias, & ad-

ulterata fidei aè veræ pietatis dogmata, ſed ex univerſo orbe pietas veſtra Metropolitanos pientiſſimos, & aliarum quoque quarundam civitatum Epiſcopos congregari juſſit, ſufficienti ad eam rem temporis determinato ſpatio, nimirum ad diem uſque Pentecoſtes. Attamen cùm omnes ſecundùm præſcriptum nobis terminum Epheſi cõveniſſemus, accidit ut ſanctiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus adventum ſuum tardaret. Nos verò itineris difficultatem tarditatis hujus cauſam eſſe ſuſpicati, Synodalem diſtulimus auſcultationem diebus ſexdecim dies à termino à dominatione veſtra nobis præſcripto. Interea nonnulli ſanctorũ Epiſcoporum ſenio gravati, diuturnam inter peregrinos converſationem haud tulerunt: alijs morbis correpti periclitati ſunt: alij Epheſi ex hac vita migrarunt; quidam etiam paupertate preſſi nos acceſſerunt, & ut Synodalis auſcultatio mutaretur, urſerunt. Poſt ſedecim autem integros ad Synodalem auſcultationem collecti ſumus, quoniam & ſanctiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus per pientiſſimos Alexandrum Apamiæ, & Alexandrum Hierapolis Epiſcopos à ſe præmiſſos ſignificabit nobis habere ſe cauſam prolixioris moræ. Qua in re ſanctam Synodum nondum viſus gravavit. Cùm itaque congregati eſſemus vigeſimaſecunda menſis Junij, ſecundùm Romanos, præcedente die ſpectatum Neſtorium per pientiſſimos quoſdam Epiſcopos admonuimus ut nobiſcum conſideret, & communi pietatis ac fidei inquiſitioni adeſſet. Is verò per eos qui miſſi fuerant, hoc tantùm renunciavit, viſurum ſe: & ſi videatur, adventurum. Sequenti igitur die in ſancta & magna Eccleſia quæ Maria vocatur, congregati ſumus: propoſitumque eſt in throno qui medius erat in Eccleſia, ſanctum Evangelium, quod Chriſtum nobis præſentem eſſe docet. Nos hic ſecundùm normam Canonum rurſus tres alios ſanctiſſimos Epiſcopos ad Neſtorium miſimus, admonentes eum, ut ad ſanctam Synodum veniret, doctrinæque ſuæ rationem redderet. At ille domum in qua erat, militibus communiri fecerat, cùm nec eſſet nec fuiſſet ullus in ea civitate tumultus: nec ullo dignabatur eos qui miſſi fuerant, reſponſo. Quoniam autem Canones immorigerum tertio vocari præcipiunt, miſſis iterum ad eum tribus aliis ſanctiſſimis Epiſcopis, adhuc immorigerum invenimus, ita ut eos qui miſſi erant, multa ignominia & contumelia per milites qui domum ipſius obſervabant, affectos remiſerit. Cùm igitur non conveniret, ut illo acceſſum propter malam conſcientiam negante, ſancta Synodus otioſa reſideret, neceſſariò fidei ac pietatis dogmata excuſſimus, ſed ita, ut commentariis actorum, authoritatis gratia, pientiſſimas pietatis veſtræ literas præmiſerimus, poſt quas fidei expoſitionem ſubjecimus: propoſita primum ea, quæ à ſanctis eſt tradita Apoſtolis: deinde & ea quæ per ſanctos trecentos decem & octo patres Nicææ quondam à beatæ memoriæ Conſtantino congregatos, eſt facta expoſitio: cujus fidem dominatio veſtra illuſtriorem reddidit. Deinde epiſtolas Dei dilectiſſimi ac ſanctiſſimi Cyrilli de fide ſcriptas ad expoſitionem iſtam collatas invenimus & dogmatibus & verbis conſonas: nec uſpiam deprehendimus illius doctrinam à pia illa fidei expoſitione alienam. Proximum erat ut probaremus dogmata à ſpectatiſſimo Neſtorio prædicata. Erant autem illa haud obſcurè, ſed luculenter in epiſtolis ejus prædicata, deinde & in libris & publicis conciombus manifeſtè audita, & in ipſa Epheſiorum Metropoli ad quoſdam religioſiſſimos Epiſcopos palàm ab ipſo dicta. Indeſinenter enim iſta dicebat, non eſt dicendum, Deum factum eſſe hominem propter nos. Quaſi humana divinitati ignominioſa ſint, quæ non infirmitatis gratia, ſed propter benevolentiam erga nos, ſuſcepit. Perinde autem tanquam venerandum nobis ac divinum rideret myſterium cum religioſiſſimis Epiſcopis loqueretur, auſus eſt dicere: Ego bimeſtrem ac trimeſtrem Deum non dico. Idque triduo ante coactam ſanctam Synodum, ſicut & commentariorum fides continet. Cùm enim iſta neceſſario ad expoſitionem ſanctorum Patrum conferremus, invenimus ea pugnantia & omnino contraria eſſe Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei, ita ut neceſſe non fuerit Neſtorium horum dare rationem, cùm ipſe quotidie ſui ipſius eſſet accuſator, permanens in corruptis ſuis dogmatibus, prorſus Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei contrarius. Ob eam itaque cauſam à Sacerdotio illum & perverſa doctrina deſiſtere juſſimus, Canonica ipſius facta depoſitione laudatoque Deo dilectiſſimo & ſanctiſſimo Cœleſtino magnæ Romæ Epiſcopo; qui ante noſtram ſententiam hæretica Neſtorii dogmata condemnavit, & nos inferenda contra ipſum ſententia prævenit, ut & Eccleſias, & piam ac ſalutarem fidem à ſanctis Apoſtolis & Evangeliſtis ac ſanctis Patribus traditam communiret, quam ille corrupta doctrina, quam damnatus copioſiſſimè effuderat, pervertere conatus eſt. Oramus autem veſtram dominationem, ut univerſam ipſius doctrinam ex ſanctis Eccleſiis tolli, & libros ejus ubicunque inventi fuerint, igni tradi jubeat, quibus gratiam Dei, qui benevolentiæ gratia homo eſt, reprobare conatur; cujus ipſe benevolentiam, non benevolentiam, ſed divinitatis arbitratus eſt ignominiam. Quod ſi quis ſancita veſtra contempſerit; denuntietur illi timendam ipſi eſſe dominationis veſtræ indignationem. Etenim ad hunc modum & Apoſtolica fides per pietatem veſtram munita, illæſa permanebit: & nos univerſi irremiſſas pro dominatione veſtra preces facimus, per quam Chriſtus glorificatur, fides communitur, & gratia Dei cunctis mortalibus illuſtris redditur. Sunt autem ad manifeſtiorem ac ſolidiorem eorum quæ ſcripta ſunt, commentarij quoque adjuncti. Subſcripſimus etiam quotquot pientiſſimi Epiſcopi commentariis præfecti ſumus.

Evangelium in throno.

EPISTOLA SANCTÆ SYNODI Epheſinæ ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum de depoſitione Neſtorij.

SANCTA ET MAGNA OECVMENICA Synodus per Gratiam Dei Epheſi congregata, pientiſſimis conſenioribus & comminiſtris univerſoque clero & populo ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in Domino S.

AD hoc devenimus, ut cauſam vobis admodùm ingemiſcendam ſignificare cogamur. Primum quidem eorum gratia quę facta ſunt illachrymati, tandem verò neceſſitate adacti, ne plures iſta impietatis lue corripiantur, morbi hujus cauſas amputavimus. Submotus eſt enim à Sacerdotio Neſtorius, quod impietatis ipſius acceſſorius quidam prætextus factum erat: cujus vos teſtes eſtis propter ea quæ apud vos ſæpenumero ſunt ab ipſo dicta: ad quæ mala etiam ea blaſphemia acceſſit, quam hîc Epheſi effudit. Neque enim quæ huc aſcendit ſancta Synodus, neque multitudo eorum qui hic ſunt congregati, ab hoc illum impetu cohibuit, ſed graviores etiam blaſphemias prioribus adjecit, videlicet quod nolit adorare bimeſtrem ac lacte nutritum, nec Deum eum nominare qui in Ægyptum aufugerit: ita ut parum abfuerit, quin ex eo univerſa à ſervatore propter nos facta diſpenſatio imperitioribus in dubium vocaretur. Precationis autem veſtræ opus erit, quam intenſam ad Deum perficietis, ut aliquem deſignet qui dignus ſit, ut ſedem illam & magnæ civitatis Epiſcopatum apud vos ſortiatur. Si namque regia illa civitas piè fuerit inſtituta & recta, communis omnium ubique ſanctarum Eccleſiarum futurus eſt profectus. Ego Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus opto ut in Domino ſalvi ſitis dilectiſſimi & deſideratiſſimi fratres. Item Philippus Preſbyter Eccleſiæ

Apoſtolicæ, Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymorum, Arcadius Epiſcopus Cæſariæ, & alij complures. Cùm ſupra ducentos ſint qui Neſtorium depoſuerunt, ſufficiat ipſorum ſubſcriptio.

EXEMPLAR REGIARVM literarum Epheſum ad ſanctam Synodum per Palladium Magiſtrianum ad hoc miſſarum, ut quæ acta fuerant, ſubverterentur: quaſi ab integro renovari debuerit fidei quæſtio.

IMPERATORES CÆSARES *Theodoſius & Valentinianus, victores ac triumphatores maximi, ſemper Auguſti, ſanctæ Synodo Epheſi congregatæ.*

PRæclariſſimo comite, qui nobis eſt à legitimis ac ſacris domeſticis, ſignificâte, pietas noſtra cognovit quædâ iſtic in Epheſiorum metropoli per tumultum, & non ſicut conveniebat, eſſe geſta, ita ut neque univerſi pientiſſimi Epiſcopi, ſicut decretum eſt, in Synodum convenerint: licet magnæ civitatis Antiochiæ Epiſcopus cum aliis Metropolitanis jam adventurus eſſet: neque etiam hi qui jam præſentes erant, ad conſultationem ſint adhibiti, aut inter ſe conſenſerint: neque de fide quomodo oportebat inquiſierint: nec litteris noſtris quas indefinenter miſimus, attenderint. Et præterea quòd manifeſtum ſit alios aliis eſſe infenſos, propterea quod quiſque ſuam ſententiam quocunque modo tueri conetur, & ne tegere quidem conceptum odium queat, ut meritò quis arbitretur ſtudio eſſe facta quæ geſta ſunt. Quapropter majeſtati noſtræ viſum eſt, ut hujuſmodi authoritas nullo pacto locum habeat, & quæ inordinatè ſunt geſta caſſentur, ac primum quidem quæ de pietate ſunt dicta ſicut decretum eſt, examinentur: & quæ communiter univerſæ videbuntur Synodo, in poſterum retineantur. Neque enim pietas noſtra præjudicia de induſtria facta feret: ſed ita quæ facta ſunt, moleſtè tulit, ut donec ab univerſa prorſus Synodo, pietatis fuerint examinata dogmata, & ob eam cauſam quiſquam è noſtro palatio una cum præclariſſimo Comite Candidiano miſſus fuerit qui quæ geſta ſunt, ſecundùm noſtram juſſionem cognoſcat, & quæ ſunt inconvenientia prohibeat: neque abſcedat quiſquam congregatorum Epiſcoporum ab Epheſiorum civitate, neque ad Majeſtatis noſtræ veniat exercitum, nec in patriam ſuam revertatur, ita ut iſta nemini, quacunque ſpe ducto, tranſgredi liceat. Sufficiant quidem iſtæ literæ ad denuntiandum veſtræ pietati, ne quid aliud præter noſtram juſſionem iis quæ facta ſunt adjiciatis. Sciat tamen ſanctitas veſtra, etiam illuſtriſſimis provinciarum primoribus eſſe ſcriptum, ut neminem prorſus ſine noſtra juſſione in patriam ac civitatem ſuam reverſum recipi ſinatur. Oportet enim ut omnia primum juxta id quod Deo placitum eſt, ſine contentione, & cum veritate examinata, tum demum à noſtra pietate corroborentur. Neque enim majeſtas noſtra, hominum jam aliquorum, neque ſanctiſſimi ac pientiſſimi Neſtorij, neque cujuſquam alterius, ſed ipſum doctrinæ ac veritatis curam gerit.

Imperatores male inſtructi fuerant per hoſtes Cyrilli.

EPISTOLA SANCTÆ EPHESIÆ Synodi ad Imperatores, qua ſacræ præmiſſæ reſpondetur, & quæ à Candidiano relata fuerant, falſa eſſe docetur.

PIENTISSIMIS AC DEO DILECTISSIMIS *Theodoſio & Valentiniano victoribus, triumphatoribus, ac ſemper Auguſtis, ſanctæ Synodus per gratiam Dei, & dominationis veſtræ natum in Epheſiorum metropoli congregata.*

DOminatio quidem veſtra ad confirmandam pietatem ſanctæ Synodo diligentiorem dogmatum examinationem facere præcepit, quam & fecimus, veteri Patrum, imò & ſanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum & trecentorum decem & octo qui Nicææ congregati fuerunt, traditioni obtemperantes, quam & concorditer interpretati ſumus, & animo uno veſtræ pietati manifeſtam in commentariis actorum exhibuimus, in quibus & Neſtorium diverſa ſentire deprehenſum depoſuimus. Neque enim in Epheſiorum quoque Metropoli ſententiam ſuam occuluit, ut opus fuerit illum aliunde redarguere, ſed vociferatus eſt quotidie aliena ad complures prædicans à fide. Exhibuimus autem in commentariis actorum, veſtræ pietati ſingula particulatim & conſpicue. Verum quoniam magnificentiſſimus Comes Candidianus amicitia Neſtorij pietati præpoſita, veſtræ pietatis auditum ſubripere ſtuduit antequam exactè quæ geſta ſunt, dominatio veſtra cognoſcat, & commentarios ad ſe recepit, antequam quæ dicta ſunt manifeſtentur, atque interea ea pietatem veſtram docere ſtuduit, quæ ipſi ſint Neſtorio amica & grata, priuſquam dominatio veſtra ex commentariorum lectione veritatem cognoſcat, in quibus probamur nullam contra Neſtorium exercuiſſe inimicitiam, ſed ipſa pietatis expoſuiſſe dogmata: ad quæ collatis quæ à Neſtorio ſunt prædicata, reprehenſionem ex ipſius ſcriptis ac literis, & publicis etiam concionibus habentia, ſententiam tulimus, adducto in medium ſancto Evangelio, quod nobis omnium Dominum Chriſtum præſentem eſſe oſtendit. Oramus itaque dominationem veſtram, ne quenquam eorum ſuſcipiat, qui hominis amicitiam pietati præferunt. Tales enim ſecundùm affectum Deo dilectiſſimi Joannis Antiochenæ Epiſcopi animati ſunt, ut qui amicitiæ deferre cupiunt magis, quàm quid fidei conferat ſpectare. Quoniam autem hic neque dominationis veſtræ minas veritus, neque zelo pro fide jam inde ab initio tradita motus, ſanctam ſynodum diſtulit, tandem poſt viginti & unum dies poſt datum à dominatione veſtra terminum, univerſi qui in hac ſynodo orthodoxi ſumus, & ſolam fidem amantes, quæ pietatis ſunt inquirere coacti ſumus, id accidiſſe Deo dilectiſſimo Epiſcopo Joanni ſuſpicati, quod & ſpectatiſſimus Comes Candidianus paſſus eſſe oſtenditur. Non enim omnium eſt, pietatem, hominum præferre amicitiæ. Erat autem ſuſpicio noſtra de Deo dilectiſſimo Epiſcopo Joanne nec vana nec inanis. Ut enim venit, manifeſtum ſanctæ ſynodo fecit, quòd cum Neſtorio ſentiat, ſive id amicitiæ largiatur, ſive in errore dogmatis cum illo communicet. Verùm quoniam manifeſtè, quæ geſta ſunt, dominationi veſtræ ſignificare, ſicut diximus, prohibiti ſumus, magnificentiſſimo Comite Candidiano quæ in doctrina pietatis ſunt geſta, manifeſtare nos prohibente, omne verò ſtudium Neſtorio impendente, dominationem veſtram oramus, ut ſanctæ Synodi erga Deum ſtudium cognoſcat, & magnificentiſſimum Candidianum, & quinque Epiſcopos ex ſancta Synodo accerſat, qui res geſtas coram ſancta veſtra pietate tueantur. Aſſuti namque ſunt ad tegendum impoſturam, qui diverſa à recta fide ſentiunt, ita ut quidam ſanctiſſimorum Epiſcoporum à Neſtorio ſint tecta impoſtura ineſcati, ut ipſi jungerentur, & iis quæ ab ipſo fiebant, ſubſcriberent. Poſteaquam verò manifeſtè ipſum quid ſentiret, interrogarunt, inveneruntque blaſphemias ſuas detegentem, delerto eo ad ſanctam Synodum venerunt, ac blaſphemiam ipſius manifeſtarunt, & contra memoratum Neſtorium ſententiam nobiſcum tulerunt: ita ut apud Neſtorium & religioſiſſimum Joannem Antiochenum Epiſcopum relicti ſint circiter * triginta & ſeptem, quorum plu-

Evangelium in Synodo.

Infra tom. 17.

res

Numerantur. quandoque non memorantur 90. Pelagiani.

res criminibus sunt obnoxij: ideoque sanctæ Synodi veriti sententiam, Nestorio, sicut diximus, sese conjunxerunt, quorum & nomenclaturam dominationi vestræ misimus; alij verò propter dogmatum perversitatem, tanquam Pelagiani, & pietati contraria sentientes, rursus alij jam ante plures annos ab Episcopatu depositi: alij etiam ob alias malas causas, meriti qui post reprehensionem exilij multâ in extremum orbem a sancta Synodo abjicerentur, quæ sanctissimos Episcopos omnes unum & idem sentientes habet: propterea quòd & magnæ Romæ Episcopus Synodo conjungitur, Aphricani quoque per Deo dilectissimum Archiepiscopum Cyrillum cum quo eadem sunt sententia uniti, & cum solo sint locorum intervallo dissiti, cum ipsius, tum nostræ omnium sententiæ consentiunt. Neque enim quisquam Deo dilectissimorum Episcoporum Nestorio & religiosissimo Episcopo Joanni conjunctus fuisset, nisi astutè prætextu doctrinæ impietatem suam obvelasset, & qui nunc cum eo sunt, multam à sancta Synodo aduersùm se determinandam veriti essent. Nos verò ad breve tempus conglomerati, non potuimus dominationi vestræ rescribendo significare quàm multa simus perpessi à magnificentissimo Comite Ireneo, qui universam Synodum perturbavit, & metum sanctissimis Episcopis quorundam tumultuationibus & circuncursationibus incussit, ita ut complures ex nobis in discrimen vitæ ab ipso ducerentur. Sed partim ista dominationem vestram docuimus: verùm si quod petivimus à pietate vestra concussũ fuerit, quinque illi à Synodo missi Episcopi ubi advenerint, dominationem vestram singula luculenter expressa docebunt. Sumus autem qui in consessu nostro Canonicam tulimus contra Nestorium depositionis sententiam, plures quàm ducenti in universo orbe congregati, consentientem etiam totum Occidentem habentes. Subscripsimus verò relationi isti numero pauci, præsentibus tamen omnibus, & potissimum in eo consentientibus, ut devotus Magistrianus Palladius abitum maturet, nec tandiu moras nectat, donec universi subscribant. Deus autem omnium regnum vestrum multis annorum revolutionibus custodiat, pientissimi victores, ac semper Augusti. Flavianus Episcopus Philippensis subscripsit. Adversariorum verò sunt hæc nomina, Joannes Episcopus Syriæ, Julianus, Macarius, Diogenes, Alexander, Melitius, Elias, Paulus, Joannes, Marcellus, Musæus, Maximius, & cæteri.

Hi soli consortes sunt impiorum dogmatum Nestorij in civitate circumeuntes, tumultus & factiones moventes, & ordinationes Episcoporum denuntiantes, ita ut quotquot in hac civitate Orthodoxi & ob hanc causam in metu sumus, ægrè absurdos illorum conatus cohibeamus.

RELATIO SANCTÆ SYNODI ad pientissimos Imperatores de Orientalibus.

PIENTISSIMIS AC DEO DILECTISsimis Theodosio & Valentiniano, victoribus triumphatoribus, semper Augustis, sancta Synodus per gratiam Dei, & dominationis vestræ nutum, Ephesi congregata.

QVæ sanctæ sunt Synodo à dominatione vestra mandata, ad competentem deducta sunt effectum: id quod pietati vestræ notum fecimus, & simul Apostolicam fidem quam trecenti decem & octo Episcopi Nicææ olim congregati exposuerunt, pietati vestræ declaravimus, & Nestorium contraria sentientem, à Sacerdotio & confidentia impietatem suam prædicandi deposuimus. Quoniam verò pauci quidam mentem habentes à Doctrina Nestorij corruptam, & illi adhærentes, ac nonnullos criminibus obnoxios ad se pertrahentes, Joanne quoque religiosissimo Antiocheno Episcopo, sive propter contentionem, sive propter hominum quorumdam amicitiam cum eo facientes, qui omnes numero sunt tantùm triginta, antequam actorum quorum quisque gratia accusatus est, rationem reddiderint, semetipsi Concilium appellarunt, quasi duo Concilia & non solùm unicum cogi vestra præceperit pietas. Et cùm Evangelica fides obtinere debeat & ab Ecclesiastico ordine rejici qui corruptam habent sententiam ut apparet, memorati Episcopi antequam se purgarint de quibus accusati, pauci numero conspirantes, & religiosissimum Joannem Antiochenum Episcopum nacti, qui & ipse propterea quod tardius advenit, pœnas subituum se meruit, sicuti ab illis qui hoc evulgarunt, cognovimus: contra omnem Ecclesiasticum ordinem, & præter Canones, contra sanctam Synodum, & caput congregatorum Episcoporum, Cyrillum dicimus sanctissimum Archiepiscopum: & præterea etiam contra Deo dilectissimum Episcopum Memnonem ausi sunt proferre blasphemiam depositionis, ut arbitrantur contumeliam habentem, cùm à nemine aliquam contra istos accusationem acceperint, nec accusatorem quemquam expectarint, nec quemquam ad judicium vocarint, sed præter omne judicium & examinationem contumeliam hanc scripto evomuerint, quam & adeo absurdam dominationi vestræ afferre sunt ausi, quasi pietas vestra ignoret unam tantùm esse orbis Synodum nec Synodum dici posse paucorum quorumdam crimini cuipiam subjacentium, ideoque pœnæ metu à sancta Synodo sese avellentium, factionem. Neque enim contumeliam hanc * tanquam de errore convictis ausi sunt inferre, sed fortè ob eam causam, quod defendere se contra ea de quibus sunt accusati, nequeant, seque numero paucos esse videant, vereanturque futurum, ut post reprehensionem pœnas subire cogantur, prævenire nos ausi sunt, idque se nobis facere putarunt, quod passuros se, si convicti essent, metuerunt. At hoc nobis tanquam absurdum, dignum visum est, quod contemnamus. Verùm quoniam, ut diximus, absurdissimam hanc suam dementiam etiam dominationi vestræ ausi sunt offerre, nec veriti quod ab ipsis præter leges & Canones, & contra omnem Ecclesiasticum ordinem est factum, vestræ manifestare pietati, jam non ampliùs irrationalem illorum conatum contempsimus, sed iterum normam Canonum secuti, ad Synodum vocavimus religiosissimum Episcopum Joannem, qui talia cum aliis contra suprà memoratos Episcopos ausus est designare. Neque enim reliqui ausi fuissent ad tantam usque progredi arrogantiam, (cùm pauci sint, & criminibus obnoxij) nisi ex conscientia religiosissimi Joannis hanc induisseut audaciam. Cùm itaque congregatis nobis oblatus esset libellus à sanctissimo ac Deo dilectissimo Cyrillo Archiepiscopo, ac Deo dilectissimo Episcopo Memnone, memoratum Deo dilectissimum Joannem Episcopum convocavimus: ut vel nunc saltem querelam edicat propter quam in tantam exorbitarit contumeliam contra sanctæ Synodi primores prolatam. Hic verò semel, iterum ac tertiò vocatus ut causam diceret, in sancta Synodo comparère detrectavit, nullam habens quam assignaret probabilem gestorum rationem: militibus verò & armis circumsepta domo, neq; eos qui à sancta Synodo erant missi sanctissimos Episcopos admisit, neque nos in sancta Synodo congregatos competenti dignatus est responso. Quapropter ubi cognovimus illum fugere causæ defensionem: quæ illi temerè ac vanè fuerant nugati, & præter omnem Canonum seriem contra sanctissimum Archiepiscopum Cyrillum & religiosissimum Coëpiscopum Memnona scripserunt, prorsus irrita & vana esse judicavimus. Judicium enim quod nihil habet in se, quod Canonicum sit & justum, nihil est nisi convicium. Cùm itaque ad hunc modum tum ipse, tum quot secum habet contra Canones & inordinatè egerint, decrevimus eos extra omnem Ecclesiasticum ordinem ejectos tandiu, ut absurdum eorum temeritatem

Causa separationis à Synode Ioan. Antiocheni, & aliorũ.

Vides hic Cyrillum caput congregatorũ Episcoporum, ad eũ tertius Concilij vocati. Erat enim Vicarius Cœlestini Papæ.

al. errorẽ iam condemnati.

Iudicium conuocationis.

coëreamus; communione privare, donec in Synodo compareant, & de his quæ protervè commiserunt, se purgent. Proinde hæc ad pietatem vestram scribentes, oramus ne Synodum esse judicet conspirationem eorum qui criminibus sunt obnoxij: cùm etiam olim in sancta ac magna Synodo trecentorum ac decem & octo Patrum Nicææ congregatorum nonnulli a sancta illa & Magna Synodo pœnas ab illa infligendas veriti, defecerint: nec illi tamen à beatæ memoriæ Constantino rege Concilij loco habiti, sed magis pœnas dare jussi sunt, propterea quod deficientes sanctorum illorum Episcoporum consensu mala, sicut isti, conscientia prædicti, repugnarant; est enim absurdum, quod Synodo ducentorum ac decem sanctorum Episcoporum quibus etiam universa sanctorum Occidentalium Episcoporum, & per hos omnis quoque reliquorum totius orbis multitudo consensit, triginta tantùm numero repugnent quorum jam alij depositi sunt, alij perversæ Cælestij opinioni adhærent: alij anathematizati quoque sunt, tanquam cum Nestorio sentientes sed potius jubeat quæ à sancta œcumenica Synodo ad pietatis subsidium contra Nestorium & impium illius scripta sunt dogma, suum habere robur, per pietatis vestræ nutum & assensum confirmata.

LECTORI.

QVoniam in breviario Liberati & etiam præcedentibus Synodalibus literis mentio facta est libelli cujusdam quem Cyrillus Alexandrinus & Memnon Ephesinus contra Orientales sanctæ Synodo Ephesinæ obtulerint, ne diligens lector hunc desideret, visum est illum hoc loco subjicere.

LIBELLVS SANCTO CONCILIO Ephesino à sanctissimis Episcopis Cyrillo Alexandrino & Memnone Ephesino oblatus.

PLum decretum & nos & vestram sanctitatem in Ephesiorum metropoli convenire jussit, ut & rectam Apostolicæ fidei determinationem communi sententia confirmemus, & hæresim à Nestorio recens inductã reprobemus. At sancta quidem nostra Synodus omnia rectè & Canonicè instituens, in sancta metropolis hujus Ecclesia convenit, memoratumque Nestorium ad consessum venire, & rationem eorum reddere jussit, quæ cum in expositionibus blasphemavit, tum in Epistolis suis impia & pestifera contra nostri omnium servatorem Christum locutus est. Quoniam autem ille tertiò vocatus, propterea quod mala esset conscientia perculsus, accurrere non sustinuit, Ecclesiasticas secuta leges, depositioni eum subjecit, omnibus primùm exactè inquisitis, certoque comperto quod & hæreticus sit, & blasphemus. His ita gestis, & ad cognitionem pientissimorum & semper victorum Imperatorum nostrorum deductis, sero & ægrè tandem, & quando ipsi libuit, Joannes Antiochenus Episcopus Ephesum venit, adducens secum, sicuti cognovimus, nonnullos cum Nestorio sentientes: quorum alij jam olim depositi sunt, alij verò nullas habent civitates, sed solo nomine sunt Episcopi. Hic velut molestè ferens quod Christus glorificatur, & Nestorius depositionem est passus dignam eo qui Christum blasphemavit, nescimus quomodo & an prorsus verum sit quod invulgatum est, universa Ecclesiastica lege conculcata, & omnibus Ecclesiasticis ordinibus contumelia affectis, impiam & iniquam chartam concinnavit, arbitratus nos depositionis nomine percelli posse: contumeliaque nos afficit intoleranda, cùm sancta Synodus plusquam ducentos habens sanctos Episcopos Nestorium deposuerit. Cùm autem collegerit hæreticos & suspectos numero circiter triginta, licet neque per Ecclesiasticas leges, neque per regiam sanctionem potestatem habeat vel quemquam ex nobis judicare, vel omnino tale quid conari, præsertim contra majorem sedem, cùm etiam si liceat illi judicare, Ecclesiasticos Canones sequi debeat, & admonere nos, contumelia affectos & simul ad reliqua universa Synodo vestra ad reddendam rationem vocare, nihil horum pensitans, neque timorem animo concipiens, eadem hora qua Ephesum, idque occultè, nemine sciente, est ingressus, quicquid nos confidenter egimus ut Ecclesiasticas leges taceamus, jussione sua labefecit, & nos contumelia depositionis affecit, qui nihil hujus in hodiernum usque diem norunt. Et si aliquam ad hanc rem habuisset occasionem, inconveniens tamen est Ecclesiasticas leges ad hunc modum calcare, aut temere contra majores insurgere, vel latenter ista facere quæ non committeret in aliquem vel extremum in Ecclesia gradum sortitum, & ipsius mancipium. Quoniam verò hic est cum iis qui contumeliam hanc cum ipso perpetrarunt, necessariò scriptum hoc offerimus, adjurantes vos per coëssentialem sanctam Trinitatem, ut ipsum Joannem, & quos habet actionis hujus socios, convocetis, ut in sanctam Synodum venientes, temeritatis suæ rationem reddant. Sumus enim ad hoc parati, ut ostendamus eum impio & illegitimo ausu istam contra nos adornasse contumeliam.

RELATIO SANCTÆ SYNODI, ad pientissimos Imperatores per diaconum Eutychen, de Episcopis ac Presbyteris qui à Romano Episcopo missi fuerant, exhibita.

RELIGIOSISSIMIS AC DEO dilectissimis Theodosio & Valentiniano Victoribus, & triumphatoribus, semper Augustis, sancta Synodus per gratiam Dei vestramque dominationem in Ephesiorum Metropoli congregata.

DEus ille omnium, Christi amantes Imperatores, qui curam vestram ac diligentiam quã pietati impendistis, gratam & acceptam habet, etiam sanctorum Episcoporum qui per Occidentem sunt, animos zelo ad vindicandum Christum contumelia affectum excitavit. Licet enim propterea quod maximo sunt à nobis locorum intervallo dissiti, omnis illa sanctissimorum Episcoporum multitudo ad nos usque venire nequeat, suis tamen locis congregati, præsente etiam sanctissimo ac Deo dilectissimo Cœlestino magnæ Romæ Episcopo, etiamnum nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt, & eos qui extra hanc diversa sentiunt prorsus alienos esse à sorte & gradu Sacerdotii decreverunt. Hæc quidem & antea priusquam sanctissima Synodus congregaretur, sanctissimus Cœlestinus magnæ Romæ Episcopus literis suis significavit, injungens sanctissimo ac dilectissimo Cyrillo magnæ civitatis Alexandriæ Episcopo ut vices suas in hac causa subiret: & nunc iterum aliis literis hæc sanctæ Synodo manifestavit, quam dominatio vestra Ephesi congregari præcepit, quas per sanctissimos Episcopos Arcadium & Projectum; & Deo dilectissimum Philippum magnæ Romæ Presbyterum misit, qui & sanctissimi ac Deo dilectissimi Cœlestini Episcopi vices hic subiit. Quoniam igitur viri isti præsentes hic constituti, universæ Occidentalis Synodi sententiam huic nostræ Synodo per literas manifestarunt, deque fide & pietate mentem nobis consonam ostenderunt; atque eadem nobiscum cum per literas tum per ea quæ in mandatis habent, quæ & scripto nobis obtulerunt, decreverunt: ideòque necessitas hoc exegit, ut & nosquæ concordiæ nostræ erga ipsum competentia faciamus, ad dominationem vestram ista retulimus, quò pietas vestra cognoscat judicium illud nostrum quod nuper tulimus, communem esse & unam totius orbis sententiam, quam zelus vester circa fidem & pietatem cognitam & manifestam fieri cu-

Cyrillus Legatus Papæ.

vit. Quoniam itaque causa hæc finem consecuta est cum dominationi vestræ oratum, tum Ecclesiis omnibus securissimum & qui fidei suam adferat firmitudinem, pietatem vestram oramus, ut jam nos, alios paupertate obstructos, alios morbis detentos, alios senio gravatos, & peregrinationem hanc ampliùs ferre non valentes, ut & aliqui ex nobis Episcopi & clerici jam sint mortui, ab hac cura & peregrinatione liberet, ut ista sedata solicitudine magnæ civitatis Ecclesiæ curam geramus. Supplicamus etiam ut ad eos qui singulis sunt locis, literas communicatorias mittat, ne denuo alia suscitetur Ecclesiis molestia, aut perturbatio sanctissimis Episcopis in ipsorum regionibus oriatur. Etenim facta jam pietatis declaratione, & universo orbe consonam de illa sententiam ferente, paucis demptis, Nestorij amicitiam pietati præferentibus, gratiam hanc haud immeritam petimus, dominationi vestræ supplicantes, ut nos à cura ista deinceps liberet, ut ordinationi futuri Episcopi incumbamus, & in fide jam & pietate confirmata nos oblectemus, purasque ac sinceras pro dominatione vestra preces omnium Domino Christo destinemus.

RELATIO SANCTÆ SYNODI ad Imperatores pro restituendis Cyrillo & Memnone.

PIENTISSIMIS AC CHRISTI amantissimis Theodosio & Valentiniano, Victoribus, triumphatoribus, semper Augustis, sancta & Oecumenica Synodus per gratiam Dei & dominationis vestræ nutum Ephesi congregata.

NOn est quidem dominatio vestra passa rectam fidem quasi cuniculis quibusdam suffodi per Nestorij doctrinam, qui cum Judæis Christo Domino probro vertit quas humanitas pro nostra salute passiones sustinuit: sed detestata vestra pietas quæ hujusmodi contra Christum dicebantur, ex universo prope orbe qui sub sole est, ad Ephesiorum nos metropolim congregari præcepit, ad hoc, ut Patrum & Apostolorum dogmata consolidarentur. Ob eam itaque causam congregati, communi judicio fidem à sanctis trecentis decem & octo Patribus olim Nicææ sub beatæ memoriæ Constantino congregatis expositam corroboravimus. Nestoriumque artificiosis ac peregrinis sophismatibus fidem hanc novandis adulterasse, ac pietatis sententiam labefactasse deprehensum, à Sacerdotali gradu deposuimus, & doctrinam illius veluti pestem quandam Ecclesias depascentem coercere sategimus. Verum quoniam quosdam, etiam ex Episcopis, relapsos, & quæ Nestorij sunt sentientes, inque illius blasphemiam abreptos invenimus: quotquot cùm eo sentiunt, à communione exclusimus, donec à corrupta illius doctrina discedentes, ad Catholicam & Apostolicam fidem accedant, in qua cuncti jam ab initio fundati salvamur. Et nos quidem ista, ut quæ per seductionem fuerant subinducta corrigeremus, definivimus, pœnitentiam illorum expectantes. Ipsi verò cum paulo supra triginta sint numero, & nonnulli ex illis propter alia quoque crimina Canonibus sint obnoxij, religiosissimum Joannem Antiochenum Episcopum nacti (qui & ipse propterea quod admodum tarde advenit, reprehensibilis est) alij etiam de aliis hæresibus convicti, nonnulli quoque ex ipsis jam depositi ad pœnitentiam non venerunt, sed ad patrocinandum Nestorio congregati, contra duces sanctæ & œcumenicæ Synodi ausi sunt depositionem scribere, & velut ab universa Synodo decretam, ad vestram pietatem referre: quam acceptam pietas vestra formam esse jussit, ab ipsa Synodo factam arbitrata, & non contra Synodum ab illis qui cum Nestorio sentiunt, seque de nobis propter depositionem Nestorij ulciscuntur nullum crimen habentes quod contra duces sanctæ Synodi proferre possint. Atque piis vestris auribus ausi sunt imponere, quasi illæ probaturæ sint factam ab ipsis contra sanctam Synodum depositionem, quam neque legitimè neque Canonicè, neque multi decreverunt. Quapropter sancta Synodus legitima & Canonica actione, quæ ab ipsis sicut contumeliosè & non probabiliter judicata, evertit. Ob hanc causam universi ad pietatis vestræ dominationem confugimus, supplicantes, ut quæ contra Nestorium & illi consentientes sunt gesta robur suum habeant, quæ verò ab illis qui Nestorium vindicant, eo quod cum illo sentiunt, contra Synodi nostræ duces illegitimè facta sunt, inefficacia & irrita maneant, ut neque convenienter neque canonice, sed contra eos qui de nullo sunt delicto convicti sola ulciscendi libidine ab illis sunt gesta, qui contra sanctam Synodum cum Nestorio sentiunt. Si namque conveniens est sanctæ Synodi contra Nestorium sententia, & hanc damnatio vestra probavit, ut quæ denudatam Nestorij impietatem publicarit, consentaneum utique esse consideret vestra dominatio, ut quæ contra sanctam Synodum ab illis qui cum Nestorio sentiunt, sunt facta, inefficacia prorsus & irrita maneant, cùm ex nulla causa aliquam habeant rationem, sed ex solo ultionis affectu propter ea sint orta quæ sancta Synodus contra Nestorium decrevit. Supplicamus itaque vestræ majestati, ut nos deinceps ab hac tribulatione absolvat, ac duces sanctæ Synodi Deo dilectissimos Episcopos Cyrillum Alexandrinum & Memnona Ephesinum restitui jubeat. Est enim rationi consonum, ut vindicata jam pietate, & sedatis qui illam labefactarant, hi qui unà nobiscum pro fide decertarunt, honore potiantur, & non cum illis qui de iniquis blasphemiis contra Christum sparsis convicti sunt, condemnentur.

Nestorium Judæis imitatur.

Seductio Imperatorum.

EPISTOLA SANCTÆ SYNODI Ephesinæ ad Episcopos, Presbyteros & Diaconos Constantinopolitanos.

SANCTA SYNODVS PER GRATIAM Dei, & sanctionem pientissimorum Imperatorum Ephesi congregata, dilectissimis ac desideratissimis fratribus & comministris Constantinopoli agentibus, religiosissimis etiam civitatis ipsius Episcopis & Diaconis.

QVi in tanta negotiorum tempestate constituti sumus, ac multo undique bello petimur, & nullo tamen interea pacto ad placidum & serenum pientissimorum Imperatorum aspectum admittimur, unde solùm spes erat ut ab iis molestiis liberaremur, quam aliam possumus consolationem excogitare, quam ut quæ nobis accidunt, apud nostra ipsorum membra inter nos deploremus? Vos autem membra estis sanctæ & œcumenicæ Synodi, qui indefinentem pro pietate zelum hactenus ostendistis. Sciat itaque pietas vestra non amplius Ephesum nos, sed custodiam inhabitare, neque illa per trimestre jam tempus inclusos, neque per mare neque per terras tutè ac securè ad pium exercitum, vel in aliquem alium locum quenquam amandare permitti. Etenim jam sæpiùs accidit, ut quæ à nobis sunt missa, haud sine mille periculis reddi potuerint: ut latores illorum, quò servarentur in alias atque alias sese formas coacti sint mutare. Quòd autem ita custodimur, hinc est quod omnia mendaciter ad pientissimum Imperatorem contra nos deferuntur. Nam alij, sicut acceperunt, quod seditiones moverimus, ita pias Imperatorum aures instruxerunt: alij verò ausi sunt ad illos referre, quod sancta & œcumenica Synodus per omnia Deo dilectissimum & sanctissimum Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum, & sanctissimum ac Deo dilectissimum Coë-

episcopum nostrum Memnona deposuerit: alij etiam hoc forsan ausi sunt adjicere, quod placuerit nobis cum defectionis conciliabulo amicum inire colloquium: cujus dux sit Joannes Antiochenus: atque ob eam causam, ne hoc publicetur, plurimum ita custodiamur, & magnum hoc bellum contra nos oriatur. Cùm itaque simus omni destituti auxilio, diligenter ad vestram pietatem scripsimus scientes vos adhuc germanorum sanctæ & œcumenicæ Synodi filiorum retinere locum, nec ullo pacto sustinere ut Orthodoxam fidem prodatis. Cum vehementi supplicatione, & lacrymis, simulque cum his litteris coram pientissimo & Christi studioso Imperatore procedentes, instruite illum de omnibus quæ contra nos geruntur, nos enim non condemnavimus memoratos sanctissimos ac Deo dilectissimos Episcopos Cyrillum & Memnona, sed hos magna commendatione coronisque dignos judicamus, qui soli ac primi plusquam reliqui omnes ecclo B Dei moti, & quanquam impiissimum Nestorium impietatis prædicatorem exscindere, & Ecclesias ab hoc scelere repurgare conati sunt, & ne nunc quidem a memoratorum sanctissimorum Episcoporum communioni separare sustinemus, imò cum illis etiam in exilium deportari, magni lucri loco ducimus. Certum autem nobis est, conciliabulum illud defectionis ad communionem non admittere, sed simul omnium vocibus in Ecclesia Joannem Antiochenum, & qui cum illo sunt, anathemate percussimus: primùm ob id, quod prædicatorem impietatis Nestorium nobiscum deponere detrectarunt, sed & sermones cum illo miscere nullo modo cessarunt. Deinde quod mox post iniquissimum & à Canonibus alienum contumeliæ & calumniæ contra sanctissimos memoratos Episcopos conatum, piis Christi amantium Imperatorum auribus ausi sunt imponere. Et præterea quoque, quod cum Nestorio sentire non cessant. Ob hasce causas semel illos ab Ecclesiastica communione amputavimus: & omnem illis Sacerdotij efficaciam detraximus, decrevimusque potius Ecclesiis (quod absit) privari, quam eum illis amplius ad communionem redire, præsertim nisi omnia sua delicta, de quibus suprà meminimus, corrigant. Notum autem hoc facimus vestræ pietati, ut & ipsi eodē istos loco habeatis. Hæc itaque observate, & pientissimum ac Deo dilectissimum Imperatorem instruite, pro universa Synodo precantes, ut restituantur nobis qui nullo modo sunt à Canonibus condemnati, sanctissimi videlicet ac Deo dilectissimi Episcopi Cyrillus & Memnon, & ut nostri misereatur placidoque vultu à lata nos sententia revocet: & si digni sumus qui pientissimi & Christi amantis Imperatoris faciem videamus, hoc nobis permittat. Si verò indigni judicati sumus quibus hoc permittatur, vel hoc saltē largiatur, ut ad Ecclesias nostras revertamur, ne hic universi alij morbis, alij mœstitia consumpti pereamus. Cæterum ne tumultus in subscribendo fieret, qui multus oriri poterat, sufficit præsidentium subscriptio.

EPISTOLA SANCTÆ SYNODI Ephesinæ ad Cœlestinum Archiepiscopum Romanum, quæ Ephesi sunt in magna Synodo gesta continens.

SANCTISSIMO ET PIENTISSIMO
comministro Cœlestino, sancta Synodus per gratiam Dei Ephesi congregata.

Sanctitatis quidem tuæ circa pietatem zelum, & curam illam de recta fide, nostri omnium servatori gratam & placitam, cum omni admiratione meritò suspicimus. Est enim hoc vobis ita magnis viris, in consueto, ut in omnibus celebres sitis, & studio vestro Ecclesiarum fulcra constituatis. Quoniam verò necessitas postulavit, ut quæ cōsecuta sunt in hac sancta Synodo, omnia ad sanctitatis tuæ cognitionem referantur, necessario scribimus quod secundùm voluntatem servatoris nostri omnium, ut sanctionem pientissimorum Christi amantium Imperatorum, in Ephesiorum metropoli ex multis & variis provinciis plusquam ducenti numero Episcopi congregati sumus, idque ad diē sanctæ Pentecostes, quem piæ Christi amantium Imperatorum sanctiones, quibus convocati sumus, terminum conveniendi sanctæ Synodo præfixerunt. Cùm autem universi convenissemus propter Imperatorum denunciationes, ac comminationes, quod si quis non occurreret, malæ conscientiæ reus esset, & inexcusabilis coram Deo & hominibus, desiderabatur religiosissimus Joannes Antiochenus Episcopus, non quod simplici animo, aut per locorum intervallum in itinere impeditus tardiùs veniret, sed quod propositum & consilium Deo adversum animo occuleret: quod paulò post ubi Ephesum venit, manifestum fecit. Distulimus igitur cōsessum sexdecim integros dies post præscriptum sanctæ Pentecostes terminum, etiam si multi Episcopi & clerici partim morbis affligerentur, partim sumptibus premerentur, nonnulli etiam ex hac vita migrassent essetque (ut & sanctitas tua videt) nihil aliud quàm contumelia adversùs sanctam Synodum, quod fiebat, tanta videlicet dilatione pervèrsè utebatur. Quanquam enim qui è longinquioribus sunt regionibus, ipsum præveniissent, tamen post sextum decimum diem accurrerunt ex illis qui cum eo sunt Episcopi, Metropolitani duo, Alexander Apamiæ, & alter Alexander Hierapolitanus. Hi cùm adventûs religiosissimi Episcopi Joannis tarditate dicebant non semel, sed sæpenumeco ad hunc modum, Præcepit nobis ut pietati vestræ significemus, quod si ipsum adhuc amplius tardare contigerit, ne Synodum differatis, sed quæ facienda sunt faciatis. Cùm hæc nobis significata essent, & jam cùm ex adventûs ipsius tarditate, tum ex his qui significaverat manifestum esset quod consessum detractaret, sive id Nestorij amicitiæ largitus, sive propterea quod is Ecclesiæ ipsius clericus fuit, vel quod quorundam pro ipso obsecrationibus cesserit, convenit sancta Synodus in magna Ephesiorum Ecclesia quæ Mariana vocatur. Quoniam verò cùm universi prompto animo convenissent, solus in eo consensu desiderabatur Nestorius; admonuit eum sancta Synodus Canonicè per Episcopos quosdam primò, secundò, ac tertiò. Ipse verò domo in qua erat, militibus circunsepta, contumax contra Ecclesiasticas sanctiones factus est, nec sustinuit sese manifestò declarare, aut de impiis suis blasphemiis rationem reddere. Sub ista lectæ sunt literæ ad ipsum à sanctissimo ac Deo dilectissimo Alexandrinæ Ecclesiæ Archiepiscopo Cyrillo scriptæ, quas sancta Synodus tanquam rectè & inculpatè scriptas approbavit, ut quæ nullo pacto à divinis scripturis aut traditione & expositione fidei olim in magna Synodo à sanctis Patribus Nicææ congregatis facta discrepant, quemadmodum & sanctitas tua illas rectè suo testimonio approbavit. Deinde lecta etiā epistola Nestorij ad ipsum memoratum sanctissimum ac Deo dilectissimum fratrem ac comministrum nostrū Cyrillum scripta, judicavit sancta Synodus omnino ab Evangelica & Apostolica fide aliena esse, & maximam & exoticam blasphemiam sapere quæ in ea sunt dogmata. Subinde consimiliter & impiis illius exegesibus lectis, & præterea quoque à sanctitate tua ad illum scripta, per quam justè est condemnatus, tanquam qui blasphema scripsit, & impias voces exegesibus suis inseruit, justa contra illum lata est depositionis sententia, præsertim quod tantum abfuit ut de blasphemiis suis pœnitentiam ageret aut resipisceret tum adhuc Constantinopolitanam haberet Ecclesiam, ut etiam Ephesi constitutus ad quosdam sanctos metropolitanos Episcopos, viros haud ignobiles, sed claros ac pientissimos differens ausus sit dicere: Bimestrem ego ac trimestrē Deum non confiteor. Et his etiam alia pejora dixit. Postquam igitur impiam ac scelestissimam hæresim, nostram religionem everrentem, & universam mysterij dispensationem ex ipsis fundamentis evellentem, demoliti sumus, sicut jam diximus, non potuit finiri

Epistola Cyrilli approbata à Synodo.

Necessitas reddendi rationem Papæ.

quoniam (ſicut apparet) dilectionis erga Chriſtum perfectionem habentes, & pro Domino zelantes, multis in rebus tentaremur. Sperabamus enim futurum, ut religioſiſſimus Joannes Antiochenus diligentiam ac pietatem Synodi laudaret, & forſan etiam quereretur quod tardius depoſitionem Neſtorii aggreſſi eſſemus. Verùm omnino in contrarium, contra quam ſperabamus, degeneravit. Inventus enim eſt inimicus, & maximus, tum ſanctæ Synodi, tum rectæ Eccleſiarum fidei hoſtis, ſicuti res ipſæ declaravit. Nam ſimul atque Epheſum ingreſſus eſt, antequam pulverem ex itinere contractum abluiſſet, nondum depoſito pallio, collectis quibuſdam qui una cum Neſtorio defecerunt, & blaſphema contra ſuum ipſorum caput loquuntur & gloriæ Chriſti tantum non illudunt, quod ſibi ipſi veluti collegium circiter triginta hominum nomen Epiſcopatuum habentium collegit, quorum alii ſæpe numero gravibus de cauſis à Metropolitanis ſuis ſunt depoſiti. (Sunt autem cum illis etiam Pelagiani & Cœleſtiani, & ex illis quidam qui ex Theſſalia ſunt ejecti) his inquam collectis, rem auſus eſt impiam, qualem nemo ante illum unquam eſt auſus. Seorſum enim chartam compoſuit, & nomine depoſitionis contumeliam contra ſanctiſſimum ac Deo dilectiſſimum Cyrillum Alexandrinorum Epiſcopum, & pientiſſimum fratrem noſtrum & Coëpiſcopum Epheſiorum Memnona exacuit, nemine noſtrum ſciente, imò ne ipſis quidem qui contumeliam hanc ſunt paſſi, de eo quod factum erat, aut quamnam ob cauſam hoc auſi ſint, inſtructis. Verum perinde atque ſi ſuper iſtis non ſuccenſeat Deus, nec ſint Eccleſiaſtici Canones, nec futurum ſit ut propter hanc audaciam periclitentur, excommunicationis nomine univerſæ Synodo contumeliam intulerunt, idque publicæ chartæ inſertum, & theatri parietibus affixum, legere volentibus propoſuerunt, ut ſuam ipſorum impietatem publico ſpectaculo proſtituerent. Nec hactenus tantum progreſſa eſt ipſorum audacia, ſed auſi ſunt quaſi Canonicum quiddam conſtituiſſent, iſta ad aures quoque Deo dilectiſſimorum ac Chriſti amantium Imperatorum deferre. His geſtis, ſanctiſſimus ac Deo dilectiſſimus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, & pientiſſimus Memnon Epheſiorum Epiſcopus, compoſitum libellum obtulerunt, quo religioſiſſimum Antiochenorum Epiſcopum Joannem, & eos qui cum eo hoc fecerant accuſarunt, adjurantes nos Sanctam Synodum, ut ipſum Joannem, & alios qui cum eo ſunt, Canonicè requireremus, ut rationem eorum redderent quæ temere ſunt auſi: & ſi quam accuſationem haberent, ſi poſſent, ediderent ac convincerent. In charta ſiquidem depoſitionis, imò magis contumeliæ, prætextus loco ad hunc modum ſcripſerant: *Quoniam Apollinariſta ſunt, & Arriani, & Eunomiani, ob eam cauſam à nobis ſunt depoſiti.* Cum itaque iſti qui hanc ab illis paſſi ſunt contumeliam, urgerent, rurſus neceſſitate adacti, in magna Eccleſia facto conſeſſu Epiſcoporum quorum numerus plures quam ducentos habet, ſemel, iterum, ac tertiò ipſum Joannem, & qui cum eo ſunt, ad Concilium vocavimus ut convincerent eos quos contumelia affecerant, rationemque & cauſas dicerent ob quas depoſitionis chartam conſcripſiſſent. Verùm ille venire noluit: id quod facere debuiſſet, ſi quidem memoratos ſanctos viros hæreticos eſſe convincere potuiſſet. Debuiſſet ſanè accurrere, & crimen ſi quod verum ac certum habuiſſet, cujus gratia temerariam contra illos ſententiam tulit, oſtendere ac declarare. Verùm prava impeditus conſcientia non accurrit. Subdolus autem illius conatus hic erat. Putabat futurum, ut ſi abſurda iſta & illegitima contumelia deſtrueretur, ſimul etiam juſta illa ſanctæ Synodi ſententia contra hæreticum Neſtorium everteretur. Indignitate itaque rei moti, volebamus quidem contra ipſum & reliquos proferre ſententiam illi parem quam iniquè contra eos tulit, qui nulla in re ſunt condemnati. Verum ut illius temeritatem animi lenitate vinceremus, etiam ſi illam juſtiſſime ac legitime paſſus eſſet, reſervavimus etiam pietatis tuæ judicio, ita tamen, ut interea communionis eos reddiderimus expertes, omnique Sacerdotali poteſtate privaverimus, ne ſuis quem quam lædere poſſint ſententiis. Quomodo enim neceſſarium non fuit, illis qui tanta cum feritate & ſævitia, & contra Canones res adeò pervicaces & atroces aggredi conſueverunt, etiam invitis nocendi poteſtatem adimere? fratribus itaque noſtris & comminiſtris Cyrillo Epiſcopis & Memnoni, qui contumeliam hanc ab illis ſunt paſſi, communicamus omnes: & poſt illorum quoque temeritatem ſacro cum ipſis * Miniſterio ſumus uſi & utimur univerſi, ſynaxes una celebrantes, illuſioneſque illorum ſcripto abrogantes, & prorſus irritas ac infirmas eſſe decernentes. Erant enim nihil aliud quam contumelia. Etenim viri numero triginta, quorum alii hæreſeos macula ſunt notati, alii extorres & rejecti, quam Synodi faciem, aut quid roboris haberent contra Synodum ex univerſo quæ ſub cœlo eſt orbe collectam? fuerunt enim in conſeſſu noſtro etiam illi qui à ſanctitate tua ſunt miſſi pientiſſimi Epiſcopi Arcadius & Projectus: & cum illis religioſiſſ. Preſbyter Philippus qui vicem ac præſentiam tuam nobis conſeſſu ſuo exhibuerunt, & Apoſtolicæ ſedis locum adimpleverunt. Competenter itaque ſuper iſtis ſanctitas tua ſuccenſeat. Si namque facultas illis datur qui hoc cupiunt, majores ſedes contumelia afficiendi, & contra quos nihil habent poteſtatis, adeò inique irregulares proferendi ſententias, imò magis contumelias, idque contra eos qui tanta pro pietate ſuſtinuere certamina, per quæ jam pietas accedentibus ſanctitatis tuæ precibus reſplenduit, in extremam confuſionem res Eccleſiaſticæ delabentur. Si verò competenti modo, qui talia ſunt auſi, refrenati fuerint, ſedabitur omnis tumultus, & conveniens Canonum reverentia apud univerſos ſervabitur. Cæterum ubi lecti ſunt in ſancta Synodo commentarii de depoſitione impiorum Pelagianorum, Cœleſtii, Pelagii, Juliani, Perſidii, Flori, Marcellini, Orontii & reliquorum eadem cùm iſtis ſentientium, judicavimus & nos ſolida & firma permanere debere quæ à pietate tua ſunt decretà: ſumuſque omnes ejuſdem ſententiæ. Ad exactam autem omnium actorum cognitionem, in Domino dilecte & deſideratiſſime, commentarios miſimus & Synodi ſuſcriptiones. Valere te, & noſtri memorem eſſe optamus.

Plura acta ſunt & decreta à Cœleſtino contra Pelagianos quæ merito quis deſideraret. Inter illa repertus eſt celebris Epiſtola ipſius ad Epiſcopos Galliæ quæ incipit Apoſtolici verba præcepti vult. *Quamvis hanc lectam fuiſſe in hac Synodo non arbitremur.*

* Miſterio.

Pelagius damnatus.

Calumnia in Synodum.

EXEMPLAR EPISTOLÆ SANCTÆ Synodi in Epheſo ad Synodum Pamphyliæ de Euſtachio.

SAncta Synodus, quæ gratia Dei & nutu pientiſſimorum Regum in Epheſo congregata, ſanctæ Synodo in Pamphylia dilectis fratribus in Domino ſalutem. Cum conſilio omnia fac, dicit divinitus inſpirata ſcriptura. Maximè autem oportet eos, qui Sacerdotium nacti ſunt, cum omni diligentia in omnibus, quæ operanda ſunt, agere. Sic enim firmare poterunt res ſuas. Et ſicut rebus ſecundis contingit, ut oratio multum valeat, ſed quando acerba & intolerabilis triſtitia mentem ita inumbrat & valde conturbat, ut à conſequutione eorum, quibus indiget, privetur, & ſi quid utile videat, perſuadeat eſſe offenſurum. Tale quiddam paſſum eſſe pientiſſimum & Dei amantiſſimum Epiſcopum Euſtathium. Nam ordinatus quidem eſt, & teſtimonium habet Canonice, ubi autem à quibuſdam turbatus eſt & in ſollicitudines inexpe-

Prov. 3.

Subaudi contigit.

ætatis incidit: & cum præ multo ocio pondus curarum sibi impendentium ferre non esset assuetus, nec valeret convitia insidiantium repellere, cessionis suæ, nescimus quomodo, obtulit libellum. Oportebat enim semel concreditam Sacerdotalem curam cum tanto spirituali robore geri, ut labores & sudorem sponte ferat. Quoniam autem pusillanimem se declaravit, hoc ex inconsiderantia rei magis quàm ignavia vel torpore passus, ordinavit necessario nostra pietas pientissimum & Dei amantissimum fratrem nostrum & Coëpiscopum Theodotum, qui Ecclesias curet. Indignum enim est viduas esse, & absque præceptore manere Salvatoris greges. Quoniam autem Eustachius accessit plorans, non de civitate, neque de Ecclesia contendens contra prædictum pientissimum Episcopum Theodotum, petens jam Episcopatus honorem & nomen: condoluimus omnes Presbytero. Et communes esse arbitrati ejus lachrymas, festinavimus ut addisceremus, num legitimam dispositionem pertulisset memoratus, hoc est, à quibus obtrectatoribus, & de quibus absurdis rebus redargutus esset: didicimus autem nihil tale, sed magis evenisse illi pro crimine ipsam cessionem. Unde neque vestram pietatem reprehendimus, quæ ordinavit in locum ejus memoratum pientissimum Episcopum Theodotum. Quoniam autem non valde contendendum est cum viro ob amorem ocii ejus, sed miserandum potius seni extra natalem civitatem & patrias conversationes longe dissito, justum esse decrevimus, ut absque omni contradictione habeat Episcopi nomen & honorem ac communionem, sic quidem ut neque ipse ordinet, neque in Ecclesiam propria authoritate ordinaturus veniat, nisi forte coassumatur, sive admoneri contingat à fratre & Episcopo secundum affectionem & charitatem in Christo. Quod si melius quiddam de ipso consulueritis vel nunc in posterum, placebit & hoc sanctæ Synodo.

Pertinuit Sacerdotibus competit.

Patrum pietas erga ineptum senem.

LITERÆ A SANCTA SYNODO Ephesina ad singularum Provinciarum ac civitatum Episcopos, Presbyteros, Diaconos ac populos, de causa Orientalium Episcoporum missæ.

SANCTA ET OECVMENICA Synodus Ephesi ex decreto pientissimorum Imperatorum congregata, singularum Provinciarum ac civitatum Episcopis, Presbyteris, Diaconis & universo populo.

CUm essemus Ephesi secundum pias Imperatorum literas congregati, defecerunt quidam à nobis numero paulo plus triginta, defectionis suæ ducem Joannem Antiochenum Episcopum habentes: quorum aliquot hæc sunt nomina. Primus ipse Joannes Antiochiæ Syriæ Episcopus. Deinde Joannes Damasci Episcopus, Alexander Apamiæ, & alii complures, inter quos & Theodoritus Cyri Episcopus, & reliqui: qui nullam omnino facultatem habentes velut ex authoritate Sacerdotali cuiquam qui sit Ecclesiasticæ communionis, vel nocere, vel prodesse, propterea quod quidam ex ipsis sunt depositi, cum primis Nestorii & Celestii sententias sequi manifeste sunt ex eo deprehensi, quod Nestorium nobiscum condemnare noluerunt: quos sancta Synodus communi decreto ab omni Ecclesiastica communione alienos esse statuit, & omnem Sacerdotii efficaciam illis ademit, per quam vel nocere vel prodesse poterant.

TERTIA PARS.

Quædam controversia de Synodo Ephesina.

ETsi ex actis hujus Concilii atque Epistolis ejus Synodalibus satis evidens sit præfuisse Cœlestinum Papam Romanum huic Concilio, ut tamen Meridiano Soli tenebras offundat Calvinus, ait Cœlestinum aliquo artificio quæsiviſſe saltem nomen præsidentiæ, cum rem habere non posset, & ideo Cyrillo qui alioqui præfuturus erat, vices suas demandasse, ut saltem per illum præsidere videretur. Apage ista ingeniosa mendacia contra omnium Historicorum fidem, sine ullius antiqui Authoris testimonio. In qua pagina legit hoc Calvinus, aliquo artificio nomen præsidentiæ quæsiviſſe Cœlestinum? nullum artificium agnoscunt antiqui scriptores, rem narrant simpliciter & rotunde ut gesta est, & soli Calvino tam antiqua narranti ex proprio cerebro fidem adhibebimus? rem ipsam negare non potest, cogitur fateri præsidem ac principem Concilii fuisse per legatos summum Pontificem, sed id dolo & arti Cœlestini attribuit, majori dolo ac fraude procul dubio, imò mendacio, cum pro authoritate suâ in totam Ecclesiam egerit Summus Pontifex, nec quisquam ex omnibus Patribus illi contradixerit, ac ejus authoritatem in dubium revocaverit, nequidem ipse Nestorius, sicut nec postea Eutiches in sequenti Concilio sub Legatis Pontificis Romani, Leonis I. damnatus, quique ipse Eutiches cum à proprio Episcopo Alexandrino primum damnatus fuisset, ad Summum Pontificem Leonem appellavit: ut omnium antiquorum hæreticorum maximè istorum duorum qui infensiores fuerunt Christi hostes, iniquitatem superasse videatur Calvinus, ut omni authoritate spoliet Christi Vicarium in terris. Vide de his Bellarminum l. 1. de Conciliis cap. 19. Sed & Baronium in Martyrologio Januarii die 28. ubi Menologium græcum meminit Cœlestinum vices suas commisisse Cyrillo in Concilio Ephesino. Quin & Photius in Nomocanone, tit. 9. cap. 1. ait habuisse jus & authoritatem Papæ ut præsideret.

Præsit Concilii Cœlestinus Papa.

Nec obest quod alii hæretici objiciunt Theodosium Junioremhoc Concilium convocasse: fecit enim ex consensu Cœlestini, & cum Nestorius, nec Cyrillo, nec Cœlestino parere vellet, merito oportuit intervenire Imperatoris potestatem ad convocandos Episcopos. Quam vero mens ejus longe fuerit à prætensione primatus ac præsidentiæ in rebus Ecclesiasticis determinandis, satis ipse aperuit in illa Epistola quam cum legato suo Candidiano ad Synodum misit. Ut alia præteream quæ luculenter explicat Stapleton in replicâ ad Horni flatum lib. 2. cap. 10. ac in falsitatis nota contra Ivellum retorta art. 4. Ubi hanc ipsam quæstionem discutiens, ad id quod objiciebat Ivellus ex Socrate lib. 5. in proœmio, statum Ecclesiæ ab Imperatoribus pendere, & celebertima consilia auxilio eorum in dies celebrari. Quis dubitat, inquit, quin Imperatores maximè auxilio fuerint Ecclesiæ? quis negare potest quin status Ecclesiæ olim penderet multum ab Imperatoribus? nec dubium quin & Concilia auxilio eorum ac suasu celebrentur: Sed quid hoc ad rem? consilium aut auxilium Imperatorum tunc Ecclesiæ præstitum, an Summi Pontificis excludit authoritatem? an jurisdictionem illius minuit? certe Catholici Principes Carolus quintus, & Ferdinandus, Frater illius Concilio Tridentino auxilium & consilium nuper præstiterunt, authoritatem autem Summi Pontificis excludere aut ullo modo imminuere, ne per somnium quidem cogitabant. Itaq; cum Theodosius nihil in materia fidei egerit nec per se nec per præsides, sed tantum circa externa Concilii, ut omnia in pace & ordine conservarentur, hinc nihil aliud rite concluditur

conſervarentur, hinc nihil aliud rite concluditur niſi quod poteſtas Imperatorum tantum verſatur circa externam moderationem & ordinem in modo procedendi. Circa iſta præſunt Imperatores eorum-ve legati, at circa definitiones fidei & cauſarum Eccleſiaſticarum, penes Summum Pontificem ejuſque legatos reſidet authoritas prima.

Sic Conſtantinus Magnus quid non præſtitit in primo Concilio generali, an propterea præſes? Audiendus Theodoretus Eccleſ. hiſt. l. 1. cap. 12. *Hæc ille latino ſermone alio interpretante locutus, loquendi copiam Synodi præſidibus fecit*, ſed & audi ipſummet Conſtantinum ibidem cap. 19. in Epiſt. ad Nicomedienſes. *Interfui*, inquit, *non alio ſane animo quam ut concordiam inter omnes conſtituerem.* Ubi præſidentia Imperatoris ab hæreticis toties jactata? Nec objici debent acta Imperatoris Theodoſii, adverſus Cyrillum, cum illa ex errore acta ſint, & in fine correcta, ut non ſine duriſſima afflictione coronam mereretur majorem Cyrillus.

Longe vero difficilius eſt explicare cum perſpicuitate, quidnam in hoc Concilio præcisè contra Neſtorium definitum ſit. Etſi enim conſtet definitum fuiſſe unam eſſe perſonam in Chriſto non duas, cum tamen diſcrimen naturæ & perſonæ valde ſit obſcurum ac acriori paucorum intelligentiæ norum, ſudarunt omnium Doctorum ingenia in explicatione tanti myſterii. Ex difficultate enim diſtinguendi naturam ſeu eſſentiam ab hypoſtaſi ſeu perſona, natæ ſunt hæreſes omnium pernitioſiſſimæ tum circa myſterium Trinitatis tum circa myſterium Incarnationis. Ac de hæreſibus circa Trinitatem id teſtatur D. Gregorius Niſſenus in tractatu ad Petrum fratrem ſuum de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos, ſubſtantiæ ſive ſubſiſtentiæ, qui tractatus legitur, & inter Epiſtolas Baſilii Magni XLIII. ordine. Quoniam, inquit, complures & eſſentiæ Verbum & Hypoſtaſeon ex myſticis & arcanis decretis atque doctrinis non diſcernunt, ſed nihil intereſſe putant, utrum eſſentiam an hypoſtaſim quis dicat, quaſi in utroque nomine una ſignificatio ſit: & ideo duplicis hæreſeos in contrarium ſciſſa error circa ſignificationem harum vocum principia atque argumenta præbuit, cum Sabellii quidem ſectatores, propter communionem eſſentiæ Sanctam Trinitatem in unam hypoſtaſim cogant, vice vero verſa qui contrario modo correpti ſunt (Arrianos dico) propter differentiam hypoſtaſeon, præſcriptionem quoque eſſentiarum introduxerunt. De myſterio porro Incarnationis idem contigiſſe agnoſci poteſt ex eo quod Neſtorius agnoſcens in Chriſto diverſas naturas ex diverſis proprietatibus & actionibus Chriſti, nec diſtinguens perſonam à natura; cum diverſitate naturarum ſimul admiſit diverſitatem perſonarum. (Notat Albertus Magnus in 3. ſent. diſt. 31. art. 12. licet ibi ſumat Euthicem pro Neſtorio, huic illius tribuens errorem & econtra) cum vero ejus error in hoc Concilio damnatus eſſet, nec liceret amplius de perſonæ unitate in Chriſto dubitare, cum non diſtingueret Enticheſ inter perſonam & naturam, ex unitate perſonæ in Chriſto concluſit unitatem naturæ, contrario morbo Neſtorii. Ideo autem diſtinctio harum rerum difficile comprehenditur quia eſt fere Metaphyſica, & ex antiquis aliqui non aliter videntur iſta diſtinguere quam quemadmodum ſpecies & individuum diſtincta ſunt, ut per eſſentiam ſeu naturam intelligatur aliquid multis commune, per perſonam vero ſeu hypoſtaſim, id quod dicimus individuum: (mitto nunc diſcrimen notum Philoſophis inter perſonam ſeu hypoſtaſim ac ſuppoſitum) itaut perſona ſit quid ſingulare habens illam naturam communem. Ad quod accommodari poteſt vulgata definitio Boëtii: *Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia.*

Quid definitum in Concilio.

Quia vero explicatio hæc non ſatisfacit omnium ſtudio, perduravit controverſia inter Theologos, quonam modo intelligendum ſit, quod in Chriſto ſit una perſona. Quam quæſtionem hodie agitant Theologi maximè ſuper duos articulos Div. Thom. 3. part. ſummæ quæſtion. 2. primus eſt in quo quærit utrum unio Verbi Incarnati facta ſit in natura, cujus quæſtionis ſenſus eſt an divina & humana naturæ ita unitæ fuerint in Chriſto, ut ex utraque una ſola natura reſultaverit, quod aliis verbis diſputabant Patres, an Chriſtus non ſolum ex duabus ſed etiam in duabus naturis ſubſiſtat. Hic enim S. Doctor non tam quærit de termino cui unita eſt humana natura, quam de termino qui ex unione reſultaverit. Secundus articulus eſt, utrum unio Verbi Incarnati facta ſit in perſona. In qua quæſtione idem eſt ac ſi quæreret, an humana natura ita ſit unita Verbo Dei, ut ex illa unione non reſultaverit nova perſona: ſed humana natura perſonæ præexiſtenti copulata ſit, quæ perſona præexiſtens fuerit Incarnata: itaut poſt id, una ſola perſona remanſerit. Neſtorius autem non unam perſonam remaniſſe poſt adunationem exiſtimabat, ſed diſtinctas fuiſſe perſonas Dei & hominis, etſi ſcriptura de eadem perſona loquatur tanquam de Deo & homine ſimul Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ubi ille dicitur Filius Dei naturalis. Matth. 26. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Joan. 1. *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Quo teſtimonio jugulatur error ejuſdem Neſtorii, ſiquidem Verbum fieri carnem ſeu hominem non ſit conjungi per affectum cum homine. Quod æquè de Patre ac de Spiritu ſancto dici poſſet, amaverunt enim etiam hunc hominem, non ſunt tamen facti caro aut homo. Similiter, & Chriſtus propter hanc unitatem perſonæ dicere potuit Joan. 8. *Antequam Abraham fieret ego ſum.* Si autem quæratur præcisè modus quo id peractum eſt myſterium, in hoc eſt cardo difficultatis. Multi ex antiquis illud inſcrutabile & ineffabile dicebant, ſicut etiam D. Auguſtinus, etſi ejus mens aliorum mentes prætervolaſſe videatur, in Epiſt. ad Voluſianum. *Si ratio quæritur non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur non erit ſingulare, demus Deum aliquid poſſe quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.* Quo pacto Gregorius Nazianzenus volebat ſopiri diſputationes de modo quo Filius ab æterno à Patre eſſet genitus orat. 15. *Quomodo ergo genitus eſt quærere perges? haud magna eſſet hæc generatio ſi à te percipi poſſet, quippe qui ne tuam quidem noris, aut certè exigua quadam ex parte perceperis*, &c. *quo modo genitus eſt? idem enim indignabundus repeto, Dei generatio ſilentii honore decoretur ..... ne ipſis quidem Angelis modum tibi intelligere conceſſerim.* Idem porro accidit in generatione temporali ejuſdem Filii ex Matre, quod in æterna generatione ex Patre. Plures modum illius inexplicabilem dicebant, hoc uno contenti, quod res ipſa eſſet. Quod dum omnium mentes non explet, alium modum rei explicare tentaverunt.

Incarnatio quid ſit.

Eſt autem communior dicendi modus, quod Verbum Divinum uniendo ſuæ perſonæ aut hypoſtaſi animam & corpus Chriſti in ipſo momento in quo creata aut facta erant, neque enim ante aſſumptionem erant, impedivit ne eſſet aliquod ſingulare hominis ut hominis: cum enim unum dicatur indiviſum in ſe & diviſum à quocumque alio, per illam aſſumptionem tali momento factam, illud complexũ ex anima & corpore nunquam unũ fuit in ſe & diviſum ab aliis, ut pote Verbo Dei unitum, conjunctum ac conſecratum. Unde nunquam fuit aliquod unum ſingulare aut ſuppoſitum, ſicut fuiſſet ſi nequaquam verbo unitum fuiſſet. Diviſio enim aut ſeparatio à Verbo per accidens illi contuliſſet ſingularitatem, ſeu incommunicabilitatem ut alii dicunt, ſicque fuiſſet ſuppoſitum hominis ut hominis. Et ſi dicatur inquit Albertus in 3. diſtinct. 5. art. 12. Quod diviſio potius tollit quam affert ſingularitatem & incommunicabilitatem. Dicendum quod per ſe aufert & per accidens confert diviſum eſſe unum & ab alio diviſum: & hæc eſt ſingularitas. Et hujus exemplum eſt in animalibus anulosi corporis in quibus eſt ſimilis complexio partium in

Albertus.

toto corpore. In aliis enim eſt anima una ſenſibilis, ut dicit Philoſophus; & ſi dividatur erit anima in utraque parte per ſenſum & motum, & utraque pars habebit ſingularem animam & hoc partibus confert diviſio per accidens. Hæc ibi. Sic igitur ſi illud complexum ex anima & corpore, fuiſſet diviſum ac ſeparatum à verbo, fuiſſet aliquod unum ſingulare ac ſuppoſitum ſeu perſona humana, ſicut Verbum eſt ſuppoſitum ac perſona divina: quia autem nunquam extitit non unitum perſonæ Verbi, ideo nunquam fuit perſona hominis & ſingulare aliquod hominis, ſed in Chriſto unica fuit perſona in duabus naturis. Atque hic eſt modus explicandi communior, qui cum in ſe ſit difficillimus intellectu, non omnium mentes illi acquieſcebant, & cum magna contentione de eo diſputatum fuit tunc temporis, ſicut etiam cum Eutiches dogma ſuum de unitate naturæ obtrudere conabatur. Ideoque in ſequenti Concilio quid ad hoc dilucidius explanandum contulerint aliqui ex veteribus, attingemus.

Augetur autem difficultas ex vulgari objectione, quod Deus eſſet mutatus cum antea non eſſet homo, & poſtea factus fuerit homo. Ad quod reſpondetur quod ſi Deus factus fuiſſet homo per receptionem humani eſſe in ſeipſo tanquam in ſubjecto mutatus fuiſſet: at factus eſt homo per terminationem humanitatis, unde non mutatur. Perſona enim divina ſine mutatione poteſt humanitatem terminare. Habet enim duo terminativa, unum primarium, quod eſt natura divina, aliud minus principale, quod eſt natura creata, à quo nihil recipit. Sicut ſcientia divina quia ſumit totam ſuam entitatem ab objecto ſuo primario, quod eſt eſſentia divina, non accreſcit nec mutatur ex eo quod etiam terminatur ad creaturas: nec eſt par ratio de Angelo qui mutaretur terminando alienam naturam, quia Angelus perfici poteſt à termino ſecundario, & cum ſit ejuſdem ordinis cum alia creatura, ſcilicet ordinis naturalis, ſeſe mutuo afficere poſſent, non autem Deus & creatura, porro unio recipitur in ſola humanitate. At hæc Scholaſtica etſi vera quantis obſita ſpinis & paucis previa? Diximus de iſtis difficultatibus abunde ſatis in ſupplemento Theol. affectivæ p. 1. diſp. 4. quæ eſt *de reparatione entis ſupernaturalis*, ac part. 2. *de bello ſcholaſtico*, ubi diſcrimina inter D. Thomam & Scotum tractamus.

Sed nec veroſimile eſt Orientales hæreticos cum eſſent ſubtiles & acutè philoſopharentur, hæc tantum dubia moviſſe, cum pleraque ſint alia circa unionem ſubſtantialem Verbi cum natura humana, in quibus enodandis vehementer inſudant Theologi moderni, ſicut etiam Patres antiqui, qui ideirco variis comparationibus hanc mirabilem unionem explicarunt, ut varias ejus proprietates aperirent, prout occurrentes difficultates exigere ab iis videbantur. Nam D. Athanaſius in Symbolo comparat unioni animæ cum corpore quia eſt ſubſtantialis; & humanitas vim & efficaciam admirabilem recipiat à divinitate, ſicut corpus ab anima. D. Auguſt. Epiſt. 99. comparat unioni plurium accidentium in uno ſubjecto, quia unica eſt perſona ſubſiſtens in duabus naturis. D. Damaſcenus lib. 3. fidei Orthodoxæ cap. 11. comparat ferro candenti, quod humanitas tanquam ferrum à divinitate illuſtretur vimque agendi recipiat. Doctor Alenſis p. 3. quæſt. 7. membro 1. art. 1. comparat arbori alteri inſitæ, juxta illud Jacobi cap. 1. *Suſcipe inſitum Verbum*, quod diverſæ naturæ ſimul junctæ ſint ut in inſitione. Alii comparant conjunctioni Sacramentali matrimonii, unde parabola nuptiarum Matt. 22. & Marc. 9. quod humanitas affectu juncta cum divinitate ab illa regatur, ditetur, ejuſque inſigniis præfulgeat, ſicut Auguſta Auguſti titulis nobilitatur. Alii templo, juxta illud Joan. 2. *Solvite templum hoc* quod in humanitate divinitas ſingulariter colatur, & quod ſicut in templo continentur perſonæ quæ Deum placare volunt eique ſatisfacere: ſic in humanitate Chriſti erat perſona Verbi quæ Deo pro hominibus ſatisfacere volebat, eumque propitium reddere. Quæ omnia produnt hujus myſterii ſecretum abſconditum, quod tot ſimilitudinum adminiculis indiget, ut vel tenuis ejus notitia comparetur. In hujuſmodi autem difficilibus ad penetrandum myſteriis facile ſchiſma conflatur & varias in partes ſcinduntur hominum mentes.

De nomine, Deiparæ.

Sicut autem arduum fuit explicare modum unionis perſonæ Verbi cum natura humana, ſimiliter plures laboraverunt in explicanda maternitate beatiſſimæ Virginis. Quomodo enim Mater Dei dici potuit quæ nullam in Deum actionem habuit per quam ipſum attingeret? Sed quemadmodum in generatione ordinaria fœmina generat hominem, & eſt mater hominis in quantum producit corpus cui anima unitur, & ſi ipſam animam, quæ ſpiritualis eſt, non attingat: eodem pacto, quia Virgo beata produxit illam carnem cui unita eſt perſona divina, Mater Dei jure merito appellatur. Quod vero D. Damaſcenus lib. 3. cap. 12. de fide Orthodoxa ait *genitricem Chriſti nequaquam dicimus Beatam Virginem*. Non negat tamen abſolutè eſſe Matrem Chriſti, ſed contra Neſtorium qui ſub illo vocabulo voluit eam negare eſſe Matrem Dei. Cum enim alii Matrem hominis, alii Matrem Dei dicendam prædicarent, ipſe egregius conciliator, adinvenit nomen Matris Chriſti. Unde ſubdit Damaſ. *ſolius in contemptum honoratæ ſuper omnem creaturam Dei genitricis vocem Chriſti paræ (& ſi ipſe reſcindatur cum impio Sathana) adinvenit*. Aliæ porro difficultates circa illam maternitatem, utquomodo virginitas eam non impedierit; utrum paſſivè tantum an activè concurrerit, an in tempore vel in momento, an fœcunditas ejus fuerit naturalis, an maternitas miraculoſa, hæ inquam difficultas tractantur à Theologicis Scholaſticis, eximiè vero à Doctore Subtili Scoto in 3. ſent. diſt. 4. ſatis nobis ſit locum indicaſſe, cum iſta diſcutere præſentis non ſit inſtituti.

Cæterum qui Mariam Beatiſſimam Virginem verè, & propriè θεοτόκον, id eſt, Deiparam, ſeu Dei Matrem negaverint hæretici, in duplici differentia reperiuntur. Nam Valentiniani, qui corpus cœleſte Chriſto tribuebant, & eum de cœlo lapſum per Mariam quaſi per canalem fluxiſſe aſſerebant, nec non Manichæi, qui corpus phantaſticum ei affingebant, & ſi qui alii ſimilia commenti, cùm per hoc aſſererent Chriſtum nihil de Maria traxiſſe ſubſtantiæ, conſequenter eam Chriſti Matrem pernegabant. Alii vero Chriſti Matrem eam confeſſi quidem, ſed Dei Matrem, ac θεοτόκον, ideſt, Deiparam negarunt, ut Photinus & Neſtorius, tamet-ſi ex alio atque alio fundamento. Photinus ſiquidem poſt Ebionitas, ideo Mariam Dei Matrem negavit, quia Chriſtum non Deum, ſed purum hominem eſſe credebat, qui tamen ſuis virtutibus eò profeciſſet tandem, ut Filius Dei cognominaretur. Neſtorius vero eam Dei Matrem fateri noluit, quia perſonas dividebat in Chriſto, dicens alium eſſe, qui ab æterno genitus ſit ex Deo Patre, ab illo homine, qui in tempore natus eſſet ex Virgine Matre, duos videlicet filios, alterum Dei Patris, alterum Virginis Matris, illum Deum, ac Dei Filium, hunc hominem & hominis filium conſtituens. Sunt autem hæc duo capita Doctrinæ Neſtorianæ ita inter ſe connexa, & cohærentia, ut altero admiſſo, aut negato, alterum etiam admitti, aut negari neceſſe ſit: & uno deſtructo, alterum ſimiliter deſtruatur, ut per ſe patet. Si enim Chriſtus Mariæ Filius, verus Deus ſit, utique Mariam ejus Matrem, θεοτόκον Deiparam eſſe conſequens eſt: & ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, ſi Maria Deipara non eſt, nec utique Chriſtus ejus Filius, Deus eſt. Qui ergo Deum ex Virgine natum negat, ex conſequenti Mariam θεοτόκον, id eſt, Matrem Dei inficiatur, & è diverſo.

Mariam Matrem eſſe Dei negarunt plures hæretici.

Notandum

Notandum deinde non cœpisse nomen istud tribui primum B. Virgini in Synodo Ephesina: Siquidem longe antea illud ipsi tributum nomen est, ut observat Waltelius Carmelita vindiciarum Joan. Hierosol. l. 2. sect. 9. art. 2. à quo Joanne hoc nomen usurpatum observat contra Arrianos. Insuper notandum quod Patres dicentes Beatam Virginem non esse dicendam Christiparam, sed Deiparam, non propterea quod eam non esse Christi Matrem non sentiant, ab ea voce abstinendum admonent, sed quia Nestorius, sic eam Christiparam astruebat, ut Deiparam negaret, significans Christum ex ea natum, purum esse hominem, non Deum, atque hoc Christiparæ vocabulo introducto nomen Deiparæ è sermone & usu fidelium penitus abolere, atque explodere nitebatur; idcirco Sapientissimi Patres ea tempestate Christiparæ nomen, ut ab hæreticis excogitatum, & vsurpatum, meritoque suspectum aversabantur. Sic Damascenus lib. 7. de fide orthodoxa cap. 12. Christiparam, inquit, nequaquam dicimus sanctam Virginem, quia ad renuendum vocabulum Θεοτόκον, id est, Deipara & Dei genitrix, scelestus, & odibilis, & cum Judæis sapiens Nestorius id adinvenit. Verum posterioribus sæculis, extincta nimirum, & extirpata hæresi Nestoriana, & sublato erroris, ac perversæ intelligentiæ periculo, nihil vetat quominus, ut nunc passim fit & χριστοτόκον, fideles B. V. promiscue & Θεοτόκον, id est, & Christi & Dei Matrem appellent: quemadmodum ea ciborum genera, quibus tempore morbi abstinendum est, depulso morbo, impune sumi ponunt.

Christiparæ nomen.

D. Damasc.

Postremo hic annotandum, hoc nomen Θεοτόκου Deiparæ, seu Matris, ac genitricis Dei, omnium quæ B. Virgini tribui ponunt, esse Nobilissimum & Augustissimum, omnemque creaturæ excedens dignitatem. Quidquid enim præstantiæ, aut excellentiæ in aliis est ejusdem Sacratæ Virginis denominationibus, id quoque in hoc singulari nomine, Deipara, continetur: quam ob causam observat Beatus Thomas, non solere eam in Evangelio nominari, nisi cum cognominatione hujus Dignitatis, quod sit Mater Jesu, Matth. 1. *Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus*: ibidem, *Mater Jesu Maria*, & cap. 2. *invenerunt puerum cum Maria Matre ejus* Luc. 2. *unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Joan. 2. *& erat Mater Jesu ibi*, & cap. 19. *Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus*, & *cum vidisset Jesus Matrem dicit Matri suæ.* Eandem hujus dignitatis, & nomenclaturæ prærogativam multis elogiis commendant, ac prædicant S. Patres, è quibus pauca dumtaxat hic subjiciam.

Dignitas Matris Dei.

D. Aug.

Divus Augustinus lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos: tanta est, inquit, Virginis dignitas, eo quod Mater Dei sit, ut plane excedat non solum omnium hominum dignitatem, verum etiam Angelorum, cum longe præstabilius, & excellentius sit esse Matrem Principis, quam ministrum: tanto enim perfectior unaquæque res appellatur, quanto magis unitur, & conjungitur Deo, qui est summa perfectio. Sanctus Joannes Damascenus loco citato: jure, ait, optimo, & pro veritate Deiparam incontaminatam nominamus Mariam. Hoc enim nomen omne dispensationis mysterium commendat: nam si Deipara est, quæ genuit, revera Deus est, qui ex ipsa genitus est, revera etiam & homo: quomodo enim ex muliere genitus, natusque Deus est, ante sæcula hypostasim habens, nisi homo factus? & Divus Bernardinus Senensis serm. 52. *de salutatione Angelica*: à fidelibus salutatur B. Virgo, cùm dicitur, Mater Dei, tanta nempe laus est quam ei tribuimus, cùm dicimus, Mater Dei, quod nec in personis increatis reperiatur hæc incogitabilis dignitas, scilicet quod habeat Dei Filium, nisi in una persona, quæ est Patris, & una persona humana, quæ est Matris. Insuper majus est hoc donum, quod sit Mater Dei, quia hoc dependet ab illo, sicut ramus à radice: propterea ei potius dicimus Mater Dei, quam Domina mundi, vel universi.

D. Bernar.

Ad hæc sanctus Thomas B. Virginem cum humanitate Christi sic comparat, ut utique tribuat quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, cui proxime unjuntur. Humanitas Christi, inquit, ex hoc, quod est unita Deo; & beatitudo creata, ex hoc, quod est fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo, &c. Plura de hoc nomine Alardus Gazæus ad l. 2. Cassiani de Incarnatione; sed & ipse Cassianus in eisdem libris egregiè disputat contra Nestorium, ac ipsius dilutæ objectiones.

D. Thom.

De adoratione Christi & ejus Sacerdotio.

PRæter unitatem personæ in Christo alia etiam in controversiam ibant contra Nestorium. Ab uno enim errore facile fit ad plures prolapsio propter cohærentiam Mysteriorum & colligationem. Sicut enim duos filios admittebat, sic diversos cultus illi esse tribuendos, itaut distinguerentur cultus qui ipsi redderentur quatenus erat persona verbi, & cultus qui ipsi redderetur quatenus erat persona hominis: contra quod anathematismo octavo decernitur, una adoratione Emanuelem adorandum esse, cum sit unica persona: cui cultus adhibetur in praxi secundum id quod in ipsa nobilius est; non secundum id quod ignobilius est, quia qui colit aliquem ipsum respicit in ratione superioris & excellentioris, & si aliquis sit Rex & comes non honoratur in praxi, ut comes, sed ut Rex. Ideoque Christus & si sit Deus & homo, adoratur ut Deus, abstrahendo à conditione hominis, idcirco una est illius adoratio. Hic tamen locus, ait Espencæus *de ador. Euch. l. 3. cap. 4.* adeo lubricus est, ut Cyrillo Catholico non modo certamen fuerit cum hæretico Nestorio, sed cum Theodoreto quoque Cyrensi, scriptore alioqui Orthodoxo, sed qui hic suspicione non caruerit, cujusque pedes pene hic moti sunt. Itaque ultro citroque multa sibi invicem respondebant circa hanc difficultatem; sed adeo cautè, ait idem Espencæus, ut vix eos internoscas. Quid porro tandem definiendum diximus in supplemento Theol. Affect. de Ente supernat. disp. 4 q. 5. §. 9.

Adoratio Christi.

Theodoret.

Dubium est etiam de opinione Nestorii circa Eucharistiam quid sentiret. Putarunt plures eum sensisse carnem sine sanguine subesse panis speciei, & sanguinem sine carne Calici: ac proinde ab Ephesinâ Synodo decretam fuisse communionem publicam sub unâ specie, & sub utraque intermissam scripserunt magni viri, Cajetanus, D. Osius, Bartholomæus Latomus, Joannes Hessel, & inter Ecclesiæ hostes Urbanus Regius ita rem habere confitetur in suis Locis communibus. Ambigitur à quo ista didicerint. At forte antiqui scriptores ampliora acta Concilii habuerunt, quamvis & Epistola *Cum Servator* satis doceat à Nestorio negatam naturarum concomitantiam sub altera specie Eucharistiæ, & Cyrillus contra eum defendit aliquando totum & integrum Christum minimâ parte Eucharistiæ contineri. Hæc apud Sanctesium *de rebus Euchar. repetitione* 10. Qui ipsemet eadem repetitione censet in duobus errasse Nestorium quæ damnantur in illa Epistola, quæ quasi medulla est totius Concilii. 1. Quod censeret sanguinem separatim poni à carne, quasi mors Christi iteraretur, quod fieret separando carnem à sanguine, ideo dicit Concilium *incruentam celebranius in Ecclesiis sacrificii servitutem*, &c. 2. Etiam carnem illam à divinitate distractam, quia unionem ejus substantialem cum verbo negabat. Ideo dicit Concilium carnem recipi *ut vivificatricem & propriam Verbi factam*. Quod non ita esset nisi unita foret divinitati. Ideo Concilium duplicem concomitantiam definit & sanguinis & divinitatis cum carne, quod id non admitteret Nestorius.

Nestorius an erraverit circa Eucharistiam?

Sed & impingebat Nestorius in Sacerdotium Chri-

Neſtorii error circa Sacerdotium Chriſti.

ſti, quod eſt res longe ſublimiſſima in religione Chriſtiana. Anathematiſmus decimus id ſatis prodit. Non enim eminentiam Summi Pontificatus ac Sacerdotii Chriſti agnoſcebat, ſed ut communem Sacerdotem qui non magis pro aliis quam pro ſe ſacrificium obtuliſſet, cum tamen peccato obnoxius non eſſet, ſed Filius Dei & primogenitus qui titulo dignitatis perſonæ ſemetipſum obtulit ſecundum carnem in pretium redemptionis. Quæ res cum erudite tractata fuerit à Fabritio Pignatello in *Adonte Propitiatorio*, non ingratum erit lectori, ſi ex ipſius libro Concilium naturæ ad rem magis inſinuandam, adinventum, hic inſeram: excuſio hæc non ingrata erit piis & eruditis Sacerdotibus. Et manifeſtè patebit ignoraſſe Neſtorium (quod dolendum ipſi cum multis eſſe commune) quid eſſet Sacerdotium Chriſti.

De Sacerdotio Chriſti.

Concilium naturæ.

AD hanc graviſſimam difficultatem ſuperandam conſulendum meritò fuit primum illud ac generale naturæ Concilium, cujus lex promulgata jam fuerat de colendo Deo, eo quod creatura omnis debet Deo, non tantum amorem, ſed etiam honorem, tanquam ſupremo Domino, & Autori ſuo, à quo habet, & originem & cætera omnia. Præſes Concilii religio erat. Cum autem religionem nomino, non ſtatum nomino, ſed virtutem omnibus Dei cultoribus communem, cujus officium eſt procurare debitum honorem, & gloriam Deo, & cujus exercitio & profeſſioni, ſtatus qui dicitur religioſus, eſt peculiariter inſtitutus.

Religio præſes.

Præſidente igitur virtute Religionis, quæ juxta Tullii definitionem probatam ab Auguſtino lib. 83. qu. 9. 31. divinæ naturæ curam gerit emonuamque affert.

Quæritum primo loco eſt, an via aliqua iniri poſſit, qua corporea hominum reſpublica ſatisfaceret legi latæ de honorando, & adorando Deo per internum animi cultum, & cordis adorationem, ut ſicut Angelica reſpublica, non ſolum habet affectum adorandi Deum, ſed ipſam quoque veram adorationem, quatenus ipſum actum recognitionis divinæ majeſtatis, & propriæ inferioritatis offert in cultum Deo; ita etiam humana natura per ſimilem diſpoſitionem, & actuum ordinationem ad Deum, ſuam perficiat adorationem, ut enim recte Suarez tom. 1. Relig. multo magis genuflectitur ſpiritualiter anima coram Deo per illam recognitionem ad hunc finem ordinatam ex affectu colendi Deum, quam corporaliter genuflectitur per crurium plicationem, & demiſſionem uſque ad terram. Sed quamvis ſit verum, animam per internum cultum genuflecti magis, quàm corpus per externum; homo tamen, qui ex utroque componitur ſine dubio genuflectitur magis per utrumque, quare optime dixit contra hæreticos Bellarminus lib. 1. cap. 25. & ſi internus cultus nobilior externo ſit, utrique tamen præſtare internum cum externo conjunctum, ſive internum cultum cum externa illius proteſtatione.

Cultus internus & externus maior eſt.

Itaque ſummus cultus, de quo agimus non poteſt eſſe merè internus, ſed mixtus ex utroque, idque triplici ratione; & quia humanus; & quia publicus; & quia ſummus. Quia humanus, cum enim cultus & honor exhiberi debeat modo ipſi honoranti, & colenti accommodato; eſt enim honor in honorante, ſequitur ut ſicut homo, qui honorat eſt compoſitus, ita ejus humana operatio; unde ex doctrina S. Thomæ recte dicit P. Suar. lib. 1. de div. cultu cap. 1. cum modum colendi & honorandi, tam naturalem homini eſſe, ut vix poſſit modo ſibi accommodato, aliter Deum adorare, quia ſicut intelligit ſpiritualia per ſenſibilia, & ad modum rerum corporalium, ita vix exprimit exteriorem reverentiam, & ſubmiſſionem, niſi exhibendo aliqua ſenſibilia ſigna illius per quæ, & ſuo affectui quodammodo ſatisfacit, & rurſus per eadem in illo interiori affectu confirmatur, & creſcit.

Rurſus debet eſſe externus, quia publicus, ut enim docet S. Auguſtinus *contra Fauſtum*, lib. 19. cap. 11. communitas hominum non poteſt coaleſcere, & convenire in alio ſignorum genere, quam ſenſibilium; ut eſt manifeſtum; nam interiora ſigna per ſe occulta, & ignota ſunt hominibus, qui vident ea, quæ parent, nec intuentur cor: cultus autem publicus, qui videlicet nomine omnium fit, debet ex ſe, & ex natura ſua notus eſſe omnibus, atque adeo interno tantùm actu perfici, nullatenus poteſt. Adde quod notavit Suarez in 3. p. q. 83. tenerè hominem ſuam mentem, & animum erga Deum, non ſolum Deo & ſibi, ſed etiam aliis hominibus ſignificare, propter quod non ſolum fides, ſed etiam confeſſio fidei eſt ad ſalutem neceſſaria, Rom. 10.

Denique cultus Deo ab homine debitus præſertim in functione ſolemni, & publica debet eſſe etiam externus, quia debet eſſe ſummus, & maximus quo ſcilicet major dari non poſſit. Conſtat autem cultu ſolo interno majorem eſſe cultum ipſum internum cum externo conjunctum, quemadmodum major cenſetur offenſa, & ignominia quæ non ſolum actu interno, ſed etiam externo perficitur: & ſane cum homo teneatur aliquando, non ſolum anima, ſed etiam corpore honorem reddere Deo, ex illo præſertim nomine, quod à Deo non ſolum animam, ſed etiam corpus accepit, profectò talis honor Deo præcipuè eſt, in ſolemnitate proteſtationis, quod Deus omnium author eſt. Hæc autem proteſtatio facienda maximè eſſet, cum hominum multitudo in unum reipublicæ corpus congregata ſiſteret ſe coram Domino Deo ſuo, ſive per ſe ſive per miniſtrum authoritate publica deputatum.

Propter has rationes extrà controverſiam ſemper fuit apud Doctores, ſummum cultum, cujus naturam hic indagamus, eſſe teſtificationem quandam externam internæ exiſtimationis & affectus. Propterea in definitione ſacrificii, in quo communiter ſummam teſtificationem poſuerunt omnes, expreſsè dicitur, quod ſit actio externa, quia ut recte Bellarminus lib. 1. cap. 2. nomine ſacrificii propriè omnes intellexerunt publicum, & manifeſtum honorem Deo exhibitum à communi & publico miniſtro.

Controverſia ſolum eſt, quouſque ſe extendere neceſſario debeat ſummus iſte cultus reddendus Deo; ſive quid præſtare neceſſariò debeat homo, qui communi authoritate reſidente, ſive in republica, ſive in principe illam continente elegitur, & deputatur ad talem cultum omnium nomine exhibendum.

Hoc nimirum diſputatum, conſultumque in primo illo naturæ Concilio eſt, ipſa præſide Religione. Itaque viſum aliquibus eſt ad hanc functionem ritè obeundam ſatis eſſe, ſi homo publicus, ex hominibus videlicet aſſumptus, & pro omnibus conſtitutus in proteſtationem divinæ majeſtatis, & humanæ infirmitatis, & inferioritatis ſolemni ritu proſterneret ſe ad terram uſque, quo actu omnes homines per illum repræſentati cum tota creaturarum familia intelligerentur adorare, ſubmitti & ſubjici creatori, & Deo ſuo.

Et ſane negari non poteſt ſummam proſtrationem externam aptam eſſe, ut aſſumatur in ſignum magnæ ſubmiſſionis internæ. Videmus enim univerſale ſignum internæ inferioritatis poſitum apud omnes fere gentes eſſe in externa minoritate, ita ut tantò magis quis cenſeatur eſſe in animo ſuo, alio inferior, quantò coram illo ſit minor. Inclinatio capitis ex affectu reverentiæ, eſt ſignum alicujus inferioritatis, majoris eſt inclinatio pectoris; adhuc multò majoris, genuum incurvatio; neque alia ratio à ſapientibus reddi poteſt, niſi quia in ſignum inferioritatis, ſeu minoritatis internæ aſſumpta ab omnibus eſt minoratio externa. Ut ſi quæras cur per genuum flexionem magna honoris ſit ſignificatio, reſpondendum ſit, quia homo per genuum flexionem de ipſius proceritate, & majoritate multum tollit, ſeque ipſo valde fit brevior & minor.

Cultus in minoritate ſitus.

Japones gr pudi.

Hinc mea quidem ſententia Japones in notam reverentiæ denudant pedes calceo, ut nos pileo caput, quia nimirum ſicut nos ſuperne, ita illi inferne illa actione ſe minorant, & procul dubio ex hoc etiam affectu humilitatis, multi ſancti viri nudis pedibus, & capite incedebant, ut ſic etiam coram Deo minores ambularent.

Quia ergo per ſummam corporis ad terram uſque proſtrationem, protenitas omnis, & majoritas tollitur, congruè omnino adhiberi poteſt in ſolemnem proteſtationem ſummæ inferioritatis noſtræ, & divinæ celſitudinis, quam per dejectionem illam ſummam profiteamur.

At Religio, cujus proprium eſt, ſingularem Dei honorem & illi ſoli debitum procurare. Non eſt, inquit, neque pro creata inferioritate, neque pro divina excellentia & majeſtate ſatis ejuſmodi propoſitum ſignum, tum quia non continet honorem ſingularem ſoli Deo factum, tum quia non eſt ſummum, & maximum; deferuntur quidem piè hujuſmodi enumerati honores Deo, cui debetur omnis honor, & gloria. Verum ut ait Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 4. multa de cultu divino obſervata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis, ſive humilitate nimia, ſive adulatione peſtifera, ſive ex alia quacumque cauſa. Eſt quidem laudabiliter de Salomone ſcriptum lib 3. reg. cap. 8. verſ. 55. Surrexit de conſpectu altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixebat. Verum ſine ſacrilegio narratur quoque de quinquagenario illo tertio, qui cùm veniſſet, curvavit genua contra Eliam, & precatus eſt eum. Piè quidem Sanctus David humi ſe, Deum oraturus proſternebat ex affectu nimirum humanæ humilitatis, quia, qui humi proſtratus erat, non habet quo deſcendat, & magis humilietur. At Abgiail procidit coram David *ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram*, lib. 1. reg. 25. & Judith videns Holofernem ſedentem in Conopeo, *adoravit eum, proſternens ſe ſuper terram*, Judith. 10. Non igitur eſt ſingularis, & proprius Dei cultus, qui aliquando etiam hominibus ſit communis: ſed ſicut eſt interior quidam cultus, quem ſoli Deo, nec beatis quidem cœlicolis exhibemus, cum illum tanquam primum principium & ultimum finem rerum omnium agnoſcimus; ſic etiam debet eſſe externum aliquod ſignum, quo ſingulariter proteſtemur, cultum illum internum ſoli Deo debitum; ut quemadmodum internus iſte actus, eſt ſingularis Dei cultus, ita ſignum externum publicum & ſolemne talis actus ſit etiam ſingulare.

Cultus ſummus quis?

Quod verò cultus, qui in totius corporis proſtratione ponitur, non ſolum non ſit ſingularis, ſed neque ſummus & maximus, quod erat ſecundo loco affirmatum, argumento ſint illi ſubmiſſi animi conatus, quibus ſancti viri ex affectu colendi Deum, non ſolum ſecundum altitudinem, ſed ſecundum omnes alias dimenſiones contrahere, & quaſi in punctum ſe redigere contendebant. Sic Eliſæus lib. 4. reg. cap. 4. diminutus eſt uſque ad parvitatem pueri, *incubuit ſuper eum, poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus, & contractavit ſe ſuper eum*; utique ex vehementi affectu humilitatis, & ſubjectionis ante Deum, ut ex Sancto Auguſtino docet Sanctius, unde tam potens ejus evaſit oratio ad impetrandum: Nam quid de Elia Eliſæi magiſtro dicam, qui non ſolum conatus ex eodem affectu fuit, coarctare ſe ad parvitatem pueri, verum ulterius minoratus, conatus eſt ad illam ſe reducere parvitatem, & formam, quam habebat in utero matris ſuæ, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua lib. 3. reg. cap. 18. iſte eſt ſitus Embryonis, ait Ariſtoteles lib. 7. de hiſtoria animal. cap. 8. homo enim, aut ille, in ſemet conglobatus ita geſtatur, ut faciem inter genua habeat. Habitus profectò hominis ſe humiliantis, & Deum ſolum magnum profiteri, & declarare cupientis.

Eliſæus.

A Porrò affectus hic Sanctorum minorare ſe magis, ac magis ſatagentium, & quaſi ſe ad nihilum redigere cupientium, indicat omnino non eſſe ſummum honorem illum præſtitum, nec ſingularem; Deique proprium, in quo religioſus animus conquieſcat, ſed alium longe majorem eſſe poſſibilem ad quem animus tendat; hic nimirum eſt hodie inquirendus. Itaque ratiocinemur hoc modo.

Omnis cultus externus conſiſtit in aliquo genere dejectionis & deſtructionis ordinatæ ad profeſſionem alienæ excellentiæ; hoc declaratum ſuperius eſt, & generali hominum conſuetudine comprobatum. Ergo ille tantum cenſendus eſt cultus externus, ſummus & maximus, qui ad illum finem, ſummam ſecum affert dejectionem & deſtructionem; ergo donec perſona publica, omnium nomine in Dei honorem, & B gloriam deſtruatur, nunquam reſpublica exhibebit ſummum, & maximum cultum externum Deo. Sed talis cultus eſt debitus Deo, cui omnis debitus eſt; ergo eſt omnino communibus omnium votis atque operæ procurandus.

Deſtructio ultima neceſſaria.

Latet in hoc argumento magna controverſia, & quæ plura ingenia ad illam agitandam excitabit; nam quod in proteſtatione ſumma ſubjectionis ad Deum, & ſummo cultu externo, qui exhiberi poſſit, intercedere deſtructio debeat, ferè Doctores omnes concedunt ex illa præcipuè ratione, quam tangit Bellarminus lib. 1. cap. 2. quia ſumma, de qua loquimur, proteſtatio requirit, ut non ſolum uſus rei Deo offeratur, ſed ipſa etiam ſubſtantia, & ideo non ſolum uſus, ſed ſubſtantia conſumatur. Ut ſic reddatur teſtimonium exterius, non ſolâ voce quod parum eſt, ſed magis ipſo C facto, quod is qui colitur verè eſt ſolus, & ille qui colit eum nihil eſt & ad nihilum ſe redigit coram ipſo, ut quantum ſe deprimit & abjicit, tantum ipſum exaltare & glorificare videatur.

At hoc non nemo diſſonum, & abſurdum reputabit, quia omnes quotquot in lege naturali, vel ſcripta legitimè ſignificarunt, omnes ſummum Deo cultum publico nomine exhibuerunt, & tamen non ſe ipſos, ſed res ab ipſis oblatas ad Dei honorem deſtruxerunt: Simili ratione deputari poſſet & authoritate publica aliquis eligi, tanquam totius humanæ naturæ Sacerdos, qui per deſtructionem alicujus rei extra ſe ipſum, ritu miſtico factam, debitum Deo honorem & cultum deferret.

D Sed divina Religio non videtur contenta ea proteſtatione, neque illam tanquam ſummam admittit; quia major procul dubio eſſet alia, qua reſpublica humana in aliquo ſuo ejuſdem naturæ, & homogeneo capite conſtituto, moraliter in Dei honorem & obſequium ſe ſe deſtrueret. Unde merito non acquieſcit in eo cultus genere, quo aliquis naturæ Sacerdos conſtitutus extraneam victimam in ſacrificium offerret: ratio eſt quia tota humana natura in unum veluti reipublicæ corpus congregata debet ipſa ſeipſam in ſacrificium Deo, nec ſolum quæ ſunt extra ſe ipſam, ut docet Euſebius lib. 1. de demonſtratione cap. 10. quare Theologi ex doctrina Euſebii, aiunt, ſacrificium eſſe proteſtationem, qua homo profitetur ſe habere totum ſuum eſſe à Deo; & ideo dignum eſſe Deum, in cujus honorem, & cultum idem eſſe & eadem vita deſtruatur: E Ideo ſacrificium reponitur in ſpecie perfectiſſimæ oblationis; conſtat autem ſummam oblationem eſſe illam, qua quis non ſolum ſua, ſed ſe, nec ſolum ſe per ſervitutem, ſed etiam per Martyrium offert Deo. Debet ergo humana reſpublica ſe ipſam Deo in ſacrificium; ergo ipſa modo accommodato ſolemni, ac publico ritui in Dei honorem deſtrui debet; ſed non ipſa in ſe, & per ſe; ergo ipſa per publicum & in publico, & legitimo homine, in quo tota contineatur, & ſit; ergo talis publicus homo debet ipſe per ſeipſum offerri Deo, & deſtrui in ſacrificium. Hæc ultima conſequentia nititur principio generaliſſimo, quod omne morale fundatur in aliquo Phyſico; quare ad

Religio quanta requiri pro debito cultu.

verificandam moralem totius reipublicæ deſtructionem in honorem Dei, neceſſarium eſt, ut aliquis, in quo totum ſuum eſſe habet morale, phyſicè in Dei honorem deſtruatur; & quia corpus politicum, & myſticum totum ſuum eſſe morale habet in capite continente, ideo moralis deſtructio totius corporis politici, non niſi in ſui capitis phyſica deſtructione fundari poteſt.

Chriſtus Sacerdos & victima.

Aſſumendus eſt ergo primo aliquis ex hominibus, & omnium caput, in quo omnes contineantur conſtituendus, tum, ſi ad exhibendum legitimè cultum debitum Deo accepter officium, & munus Sacerdotis, acceptet etiam neceſſe eſt onus victimæ. Hæc enim duo in una eademque capitis perſona conjuncta ſunt, ut idem corpus, quod eſt Sacerdos, ſit victima propter indicatam rationem, quia cum totum corpus B debeat Deo ſacrificari, & non in ſe ipſo, neceſſe eſt ut ſacrificetur in ſuo capite, atque adeo ut caput ſit ſimul offerens, & res oblata, quæ ad ſacrificium conſummandum neceſſario eſt deſtruenda.

Sed cur non ſatis eſſet ad ſacrificium generis humani, ſi ejus Sacerdos extraneam aliquam victimam aſſumeret, exempli gratia, aliquem arietem? vel ſi non extraneam, cur non ſatis eſſet ſi ejuſdem naturæ aliquem alium in Dei honorem, & cultum reliquorum omnium nomine offerret?

Non ſatis eſſet, quia ad fundandam abſolutam, perfectamque denominationem, & veritatem moralem de ſacrificatione generis humani, in alio, requiritur continentia; qua enim ratione dicas hoc ſacrificatum in illo, ſi in illo non eſt? corpus autem totius humanæ C reipublicæ non eſt niſi in ſuo capite, in quo nobiliori & perfectiori aliquo modo eſt, quam in ſe ipſo.

Victima caput omnium.

Addo, ad ſacrificium generis humani non ſolum neceſſarium eſſe, ut victima habeat qualitatem capitis reſpectu omnium hominum, ſed etiam reſpectu omnis creaturæ, ita ut in illa non ſolum omnes homines, ſed reliquæ quoque omnes creaturæ contineantur, idque non quia ſacrificium generis humani, ſed quia abſolutè & ſimpliciter ſacrificium eſt. Unde ſequitur nullum verum ſacrificium poſſe conſiſtere ſine victima magna, quæ habeat qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ; & omne verum ſacrificium eandem eſſentialiter victimam habere, cum dari non poſſit niſi unica victima, quæ qualitatem capitis habeat reſpectu omnis creaturæ.

D

Sed unde habes, victimam ſacrificii cujuſcumque, habere hanc qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ? habeo ex formaliſſima ratione ſummæ proteſtationis, & cultus proprii ſacrificii. Etenim per ſacrificium profitemur, & proteſtamur, quod Deus ſolus eſt, & præter Deum nihil eſt, quia Deus eſt, qui eſt. Cum vero profeſſio hæc & proteſtatio non ſit verbalis tantùm & vocalis, ſed realis; hinc eſt ut ejus ſolemnitas neceſſario in effectiva, & reali dejectione, deſtructione & annihilatione omnis creaturæ perfici debeat: debet enim practicè ſignificare quid efficerent verba, ſi non eſſent tantùm enuntiativa, ſed etiam operativa, ut verba conſecrationis; ſed non poteſt omnis creatura moraliter quantum ad veram proteſtationem ſatis eſt, deſtrui in una, niſi in illa una contineatur; Ergo victima cujuſcumque ſacrificii neceſſariò debet habere qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ.

E

Plura hic tetigimus, quæ fortaſſe non ſunt vulgo protrita, & quæ propterea uberiorem explicationem poſtulare videntur: nec pauca iſtis conſentanea dedimus in noſtro ſupplemento *Theologiæ Affectivæ* diſp. 4. q. 5. §. 10. ex quibus manifeſtum eſt Chriſtum ut rationeredemptoris debuiſſe infinitæ perſonæ dignitate pollere, ad condignam ſatisfactionem pro peccatoi ut minimè Neſtorius Myſterium redemptionis intelleXiſſe viſus ſit. Sed eſt hæc petra ſcandali, hæreticorum fere omnium, in redemptionem impingere, in hujus fide vivâ juſtitia ſita eſt.

Redemptio petra ſcandali hæreticis.

Quam ergo patrum fidei Catholicæ ſuffragantur qui acta hujus Concilii ſic recenſent, ut Neſtorium in integrum reſtituere velint; quod ſuper libro integro, ut de aliis taceam, ſolitus eſt quidam *Gaillard* ex Calviniſtis Miniſtris. Verum eſt ex geſtis Joan. Antiocheni cum Epiſcopis Orientalibus inter quos Theodoretus, adjuncta propenſione curiæ Imperialis erga Neſtorium (cujus propenſionis in rebus fidei ſemper magna virtus exitit in utramque partem) magnum ſuppeditari dicendi argumentum, ſed in Conciliis maximè attendenda concluſio & finis. Dura & iniqua paſſi ſunt Cyrillus & Memnon pro cauſa Chriſti, ſed tandem omnes Epiſcopi reconciliati ſunt inter ſe. Obtinuerunt XII. Anathematiſmi Cyrilli, & meritas pœnas luit Neſtorius.

CONCILIUM CHALCEDONENSE,

SEV

QUARTA SYNODUS OECUMENICA 630. Epiſcoporum

CONTRA EVTYCHEM ABBATEM & Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum ſub Leone I. Summo Pontifice & Valentiniano & Marciano Imperatoribus, anno Chriſti 451.

NEſtorio exule, non exulavit propterea ex Eccleſiis Orientis ejus error. Ac dum in deſolationem Neſtorianæ hæreſis Catholici impelluntur, contigit ut unus ex illis rapido curſui terminum imponere, & ſibi citra terminum prolabenti habenas injicere neſcius, improvidè ferretur in hoſtes; ait Baronius ad annum 448. evenit id deploratiſſimo Eutycheti Archimandritæ, id eſt, magno ac præcipuo Paſtori Monachorum, eorum ſcilicet qui Conſtantinopoli ac in circumjacentibus locis majori odio adverſus Neſtorium efferbuerant, in immoderato ſtudio ac inerudito oppugnaturus Neſtorium qui Chriſtum dividebat, ac in eo duas perſonas admittebat, unam in Chriſto naturam comminiſci cœpit, nec tamen ſemper unicam fuiſſe naturam in Chriſto, ſed à principio quidem duas quæ poſt unionem in unicam & eamdem confluxerunt. Quamvis quid ipſe vellet dicere parum intelligeret, nedum explicare poſſet, multo imperitior Neſtorio, cujus ſermones nec expenſi nec conſiderati vix ab aliis peraipi poſſunt. Duas quidem inquit Nicephorus lib. 18. cap. 51. & ipſe ante unionem naturas dixit, deinde unitas, poſt unionem autem in unam eas naturam abiiſſe, confuſaſque eſſe & mixtionem ſubiiſſe opinatus eſt, adeo ut & divinitas, ea quæ humanitatis fuere paſſa ſit, & econtra. Sic miſeri homines nulla ſolidæ Theologiæ tincti cognitione dogmata patiuntur abſurda, ſapientes ſolum in inſcitiâ, eaque effutiunt de divinis myſteriis quæ nec à ſeipſis nec ab aliis capiuntur. Sed ejus opinionem ſanctus Leo Pontifex Epiſt. 10. ad Flavinianum melius expreſſit. Habuiſſe ſcilicet Chriſtum formam hominis non veritatem, ut apparentiâ ſolum eſſet homo, non reipſa, quoniam ut alii mentem ejus enuntiant, divinitas humanitatem conſumpſiſſet, unde pati verè non poterat, ſicque redemptionis generis humani Myſterium per paſſionem Chriſti evacuabatur, cum reipſa paſſus non fuiſſet, ſed larvam hominis patientis exhibuiſſet ſpectantium oculis. Unde fruſtra exemplum Chriſti crucifixi proponeretur hominibus ad excitandos eorum affectus, ad ferenda duriora hujus vitæ, & alia innumera abſurda conſequerentur. Cum autem ſerperet iſte error, Mo-

nachosque perplures pro defensoribus haberet per quos disseminābatur, magna rerum perturbatio exhinc in Ecclesia exorta. Rerum summam paucis delineat Leontius advocatus Byzantinus in lib. de sectis actione 4. sic ille.

Erat autem illis annis Alexandriæ præses Ecclesiæ Dioscorus, Constantinopolitanæ Flavianus, Romanæ Leo, Dominus Antiochenæ: ac degebat Constantinopoli quidam, cui nomen esset Eutyches dignitate Presbyteri & Archimandritæ præditus: qui Christi corpus non unius esse nobiscum substantiæ post unionem traderet. Nam quòd unionem nimiam, & unam adeo naturam statueret; Christi corpus unius esse nobiscum naturæ post unionem negabat. Huic Eutychi notitia cum Eusebio Dorileorum Episcopo intercedebat, qui hoc ejus ex ipsomet intellecto dogmate, rem ad Flavianum verbis hisce detulit. Increpandus tibi Eutyches, hujusmodi dogmatis author; ne fides nostra pervertatur. Quibus auditis; Flavianus Episcopos suæ ditionis ad triginta coegit, jisque præsentibus interrogavit Eutychem; Christine corpus ejusdem esse nobiscum substantiæ fateretur, an non? ille verò respondere, hactenus id se quidem minimè fassum: sed ipsorum tamen causa nunc confiteri, quod sane per simulationem ab eo proferebatur. Vicissim Flavianus dicere, non seipsum esse, qui hæc eum confiteri juberet; sed Patres, ideoque si confiteretur; anathemate diversum sentientes execraretur. Ille Flaviano respondere se, quemadmodum antea dixisset, ad eum diem id minimè confessum: ipsorum tamen gratia facturum. Neminem interim anathematizare, quippe si hoc faceret, anathemate Patres execraturum, ipsasque sacras literas, quæ sic loquantur, ut Christi corpus ejusdem nobiscum esse substantiæ negent. Quibus auditis, ab ordine Presbyterorum, & Archimandritæ munere Flavianus eum removit: cum quidem diceret, fidem non admittere coactionem. Hoc ab officio remoto, Flavianus ad Leonem Romanum Episcopum de hominis depositione perscribit. Respondet Leo, rite depositionem illam esse factam, quæ quidem Epistola Tomus Leonis appellari solet, de quo ancipites sunt eorum, qui hæsitantes dicuntur, sententiæ; male comparatam dicentium.

Concilium Constantinopol.

Eutyches autem ab officio remotus, Imperatorem adire crebro, sibique factam à Flaviano injuriam dicere; quapropter Imperator Theodosius generale Concilium Ephesi coire jubet, in quo cognosceretur; rectene Flavianus Eutychem deposuisset, an non. Universam vero causæ cognitionem, Dioscoro Episcopo Alexandrino mandat. Itaque coacta Synodo, primum hoc absurdè Dioscorus egit; quod gesta Flaviani duntaxat legebat, nec patrocinii copiam ei faciebat, aut interrogandi de iis, quæ dubia putarentur. Alterum, quod accusatorem Eutychis Eusebium adesse judicio minimè permittebat: sed lata sententia contra Flavianum, mox eum abdicabat: admisso autem ad communionem Eutyche, quem quidem & in ordine Presbyterorum, & in Archimandritæ locum restituit: hoc peracto, finem Synodus habuit. Cumque diem Flavianus obiisset, domum profecti vicarii Romani Episcopi, qui Synodo non interfuerat; quæcumque accidissent, renuntiarunt. Ille rebus hisce cognitis excandescere, Romanum principem Valentinianum adire, quo vindictam caperet; quippe temporibus iis unus Romæ Imperator erat, alter Byzantii. Valentinianus ergo, cui Leo Papa molestus esset, Theodosio minoti scribit, Synodum haberi juberet, in qua cognosceretur, rectene Dioscorus, an malè judicasset. Rescribit Theodosius, Authorem se alterius Conc. nequaquam futurū, quòd rectè judicasset Dioscorus. Sed Theodosio mortuo, Marcianus Imperio potitur, statimque generale Concil. Chalcedonense haberi mandat, quod de Synodi Ephesinæ actis cognosceret, male-ne de gestis à Flaviano Byzantii pronunciasset. Itaque cum hæc Synodus convenisset, in qua viri 630. erant, primo qui-

Concilium Ephes. 2.

dem die Dioscorus cum cæteris congressus est. Deinde cum advesperasceret, Synodusque dimissa fuisset; postridie collecti reliqui, bis terve ad Dioscorum miserunt, qui tamen venire recusabat. Ubi tertiò citatus non venit, hominem ab officio secundum Canones removent, & Gangras in exilium mittunt, fideique formulam, quo pacto credendum sit, exponunt: esse scilicet unum Christum in naturis duabus, citra confusionem, ac divisionem, confitendum. Atque hoc modo Concilium dimissum fuit.

Ex quibus discimus duo Concilia in Oriente habita fuisse ante Chalcedonense Œcumenicum Synodum, in causâ Eutichetis. Unum Constantinopoli præside Flaviano Orthodoxo Episcopo, ad quem ægre & post multas tergiversationes comparens Eutiches damnatus est. Alterum Ephesi in qua restitutus est & absolutus per Dioscorum Episcopum seu Patriarcham Alexandrinum, qui jussu Imperatoris Theodolii quem Eunuchus Chrisaphius erroni Eutichetis addictus ad illi favendum traxerat, præsidebat Concilio. Atque id novo exemplo, Imperatore sibi novum jus arrogante quod hactenus fuerat Summi Pontificis Rom. qui & Osium pro Nicæno & Cyrillum pro Ephesino præsidem nominaverat, ut propterea, Deo vindice anno sequenti & vita & Imperio privatus sit. Fuit autem ista Synodus Ephesina dicta prædatoria, quòd prædonum instar Dioscorus & ei faventes Imperatoris armis fulti ob potentiam Chrisaphi omnia egerint vi metu & armis, nullo cujusquam jure servato, nec lectis literis Summi Pontificis, Leonis scilicet, qui Legatos suos miserat ad Synodum cum divina illa Epistola ad Flavianum, ut in plena Synodo legeretur, quod tamen Dioscorus non permisit. Sed cum omnia pro voluntate decrevisset, coegit etiam Episcop. ad subscribendum introducta armatorum multitudine cum catenis. Tantummodo Apostolicæ Sedis Legati Dioscoro in faciem restiterunt, contestantes nullius esse roboris quæ per vim & metum extorquerentur sicut testatur D. Leo ep. 26. ad Pulcheriam & ep. 25. ad Theodosium. Quin & Flavianus cum scripto se opponeret eidem conciliabulo, sedemque Apostolicam appellaret, hostiliter in eum plures insurrexerunt ac maxime Barsumas Abbas cum turba Monachorum & aliis, ipseque clamabat, *occide*; quo factum est ut tot injuriis ac plagis afficeretur, ut ex iis post triduum moreretur, coronam martyrii calcibus enectus adipiscens. Hic fuit fructus hujus Synodi, in quâ loco sacrorum librorum, gladii atque fustes: in qua suffragiorum libertas vincta fuit catenis: in qua siluerunt Episcopi, clamaverunt hæretici: in qua de oppressa fide Catholica impietas triumphavit, & de Flaviano Episcopo Constantinopolitano Dioscorus Episcopus Alexandrinus Eutichianus hæreticus, qui etiam Alexandriam reversus paucos Episcop. colligens in Synodū cum multos non posset, perinde ac si ad hoc esset natus ut mortales omnes peccando superaret, ausus est in S. Leonem excommunicationis sententiam jaculare, rebellans adversus eum à quo potestatem acceperat & eo spiritu plenus quem eructat infernus, ait Baronius ad an. 449. quamvis non id primus tentaverit habens antesignanos Arrianos qui è Concil. Sardicensi fuga erupetant, ut in eo Concilio annotavimus.

Synodus Prædatoria.

Cum igitur factione Eutichetis atque ejus sequacium res Ecclesiæ in misero essent statu, accidit ut mortuo Theodosio Pulcheria Imperatrix prudenti electione Martianum, congratulantibus omnibus, ad Imperium Orientis assumeret. Quod tanquam virtutis mercedem accepit ipse vir omnibus acceptus, cuique Valentinianus Occidentis Imperator de virtute ejus certior factus Imperium suo suffragio confirmavit. In primis autem paci & tranquillitati Ecclesiæ sublatis è medio hæresibus si fieri posset, studuit. Quod cum animo agitaret, Leo Pontifex eum literis suis excitavit ut in universali Concilio inquireretur de atroci injuria quam Eutiches & Dioscorus irrogare ausi fuissent Flaviano & aliis pluribus Episcopis in contemptum fidei Oc-

thodoræ, Chryſaphio Eunucho juribus Theodoſii abutente. Sed rem hanc promovit Euſebius Dorilæi antiſtes ſollicitatione ſua circa Martianum, cui etiam Chryſaphii hæreſim detexit, & malum ejus animum in Flavianum ex eo incenſum fuiſſe, quod cùm ab eo aurum peteret Electionis conſecrationiſque ſuæ nomine, ſacra Eccleſiæ vaſa illi obtuliſſet, paupertatem ſuam prætendens ac veluti illi avaritiam exprobrans.

Igitur omnes Epiſcopos Orientis convocat Imperator Nicæam Bithiniæ, ubi impietas Arrij damnata fuerat. Eoque Leo Pontifex legatos ſuos miſerat Paſcaſinum, Lucentium & alios cum ſuis literis & mandatis de rebus in Synodo agendis. Sed quod ipſemet Imperator ſicut Conſtantinus Concilio adeſſe vellet, Chalcedonem Bithyniæ prope Conſtantinopolim Synodus eſt tranſlata ac in templo perilluſtri Euphemiæ martyris pluribus miraculis claræ eſt habita, duplicato numero Epiſcoporum primi Concilij, cùm pro trecentis decem & octo hic ſexcenti triginta ſex numerarentur. Nocat Nicephorus l. 15 c. 2.

PRIMA PARS.

Acta & decreta Concilij Chalcedonenſis.

EST Chalcedon Phrygiæ Helleſpõticæ urbs in ponti Euxini ore ſita ab ea parte quæ coëuntibus terris anguſtum mare reddit. Proceraſtis ante dicta Plinio lib. 5. cap. 32. Hanc Megarenſes condidiſſe Author eſt Strabo lib. 12. Ejuſdem meminere Pomponius Mela Titulo, Bythinia, & Anton. in itinerario ſuo. Ptolemæus autem 5. lib. cap. 1. in prima tabula Aſiæ minoris eam non procul à Conſtantinopoli, Boſphoro intermedio à parte Orientali collocat.

Cæterùm ob nimiam hujuſce Chalcedon. Concilij prolixitatem, continet enim aliorum acta Conciliorum, Epheſini potiſſimum, ſuperiùs affatim deſcripti, ejus actiones compendio, Theologiæ ſtudioſis tradere & utiliùs & eiſdem longè ſuavius, exiſtimavit Franciſcus Joverius quem Carranza ſecutus eſt, nos autem aliquid addidimus.

ACTIO PRIMA.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

In civitate Chalcedonenſi Metropoli Provinciæ Bithyniæ facta eſt Synodus ex decreto piiſſimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani ſub die 8. Idus Octob. Indi. 4. in Eccleſia ſanctæ martyris Euphemiæ, Congregatis. & conſedentibus Paſchaſino, & Lucentio reverendiſſ. Epiſcopis, & Bonifacio Religioſiſſ. Preſbytero tenentibus locum ſanctiſſ. & Reverendiſſ. Archiepiſcopi urbis Romæ Leonis, & Anatholio Reverendiſſimo Epiſcopo inclytæ urbis Conſtantinopol. cæteriſque Reverendiſſimis Epiſcopis, & glorioſiſſimis judicibus. Ecce advenientibus omnibus ante concellos ſancti altaris cum magnificentiſſ. & eximio Senatu, Paſchaſinus Reverendiſſ. Epiſcopus, & Vicarius ſedis Apoſtolicæ cùm in medio unà cum collegis ſuis ſteriſſet, dixit: Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ urbis Romæ (quæ eſt caput omnium Eccleſiarum) præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt, ut Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur, quod nos ſervare neceſſe eſt. Si ergo præcipit veſtra magnificentia, ille egrediatur, aut nos exibimus. Quibus in Græco interpretatis per Beronicianum virum devotiſſ. & ſecretarium ſacri conſiſtorii, glorioſiſſ. judices, & ampliſſ. Senatus dixerunt. Quid enim ſpecialiter ingeritur Dioſcoro Epiſcopo? Paſchaſinus verò Epiſcopus, & Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Cùm intromiſſus fuerit, neceſſe eſt, ut illi objiciatur. Judices & ſenatus dixerunt. Ut jam interſumus, cauſa quæ objicitur, ſpecialiter manifeſtetur. Lucentius Epiſcop. & Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Judicii ſui neceſſe eſt eum dare rationem, quia cùm nec perſonam iudicandi haberet, ſubrepſit, & Synodum auſus eſt facere ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ, quod nunquam ritè factum eſt, nec fieri licuit. Paſchaſinus verò Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Iſta ſic eſt. Nos contra præcepta beatiſſimi atque Apoſtolici Papæ gubernatoris ſedis Apoſtolicæ venire non poſſumus, nec contra Eccleſiaſticas regulas, vel contra Patrum inſtituta. Judices, & ſenatus dixerunt. Convenit, vos ſpecialiter quid erraverit, exponere. Lucentius Epiſc. & Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Et iſta ſic eſt. Non patimur tantam injuriam, nec vobis fieri nec nobis ut iſte ſedeat, qui judicandus advenit. Judices & ſenatus dixerunt. Si judicis obtines perſonam, non ut accuſator debes proſequi. Et Dioſcoro Epiſcopo Alexandriæ ſecundùm juſſionem judicum, & ſenatus reſidente in medio & reſidentibus Romanis, & Epiſcopis in propriis locis, & tacentibus, Euſebius Epiſcopus Doryleanę civitatis trãſiens in mediũ, dixit.

Per ſanctam Trinitatem vos adjuro, quæ cuſtos eſt principum, quamque colitis, & in qua baptizati eſtis, cujus quoque invocatione ſalvamini, jubete preces meas relegi. Clementiſſimi judices miſeremini & adeſte fidei, quæ violata eſt Dioſcoro. Clementiſſimi judices per ſalutem vos adjuro Imperatorum, Flavianus ſanctus Epiſcopus iniquè occiſus eſt. Lacrymis impleor: ſimul mecum injuſtè à Dioſcoro damnatus eſt. Jubete preces meas perlegi. Et lectæ ſunt publicè preces, & querelæ Euſebii Doryleanæ civitatis contra Dioſcorum: quibus oſtendit ipſum Dioſcorum in Concilio Epheſ. 2. malis, perturbationibus, atque ſeditionibus mundum repleſſe, conſenſiſſeque Eutychi vanilo quo hæretico in deſtructionem religionis, fideique Catholicæ. Inſuper quod injuſtè damnaverit, occideritque Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopolit. Ad quæ omnia petiit judices, ut præcipiant Dioſcorum reſpondere.

Quibus perlectis, petentibus Dioſcoro, & Euſebio, juſſu judicum atque Senatus, recenſita ſunt, quæ in Concilio Epheſino geſta fuerant, ut Dioſcori cauſa innoteſceret. Namque nitebatur ipſe probare prædictum Concilium legitimè congregatum, fuiſſeque Catholicum, & quod robur & authoritatem habuerit, ut ex hoc tam ipſe quàm Juvenalis Hieroſolymorum Archiepiſcopus, & Thalaſſius Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus qui præfati Concilii fuerant judices, evaderent quam juſtè merebantur damnationem: vel ſi ſecus (ut ſucceſſit) incideret in foveam, quam fecit. Quam ob cauſam & pro manifeſtanda etiam Flaviani innocentia fecerunt Patres, ut legerentur in iſta prima actione acta tam Synodi univerſalis 1. Conſtantinopolit. quàm & 1. Epheſinæ & quædam epiſtolæ Cyrilli ad Neſtorium hæreticum & ad Joannem Antiochiæ Epiſcopum de pace, & de partu divinæ genitricis Virginis, & unigeniti Filii Dei humanitatis aſſumptione. Hac de cauſa nonnulla etiam recitantur acta in Concilio Nicæno. Et cùm legerentur acta in 2. Epheſina Synodo, & Dioſcorus in ſui defenſionem allegaret, quòd tota illic congregata Synodus ſecum tam in depoſitionem, & damnationem Flaviani, quàm in omnibus aliis, quæ ibidem decreta ſunt, conſenſiſſet, & propriis vocibus eadem confeſſa fuerit, atque ſubſcripſerit. Orientales, & qui cum ipſis erant omnes Epiſcopi dixerunt illud eſſe falſum: & quod nullus voluntariè conſenſerit: & addiderunt. Violenta facta eſt vis cum plagis, in pura charta ſubſcripſimus: minabatur nobis damnatio, minæ exilij tendebantur: milites cum fuſtibus, & gladiis inſtabant. Timebamus & fuſtes, & gladios. Ubi gladij & fuſtes qualis Synodus eſt? Milites propter hoc accepit Dioſcorus, ut nos terreret. Unde quicquid egimus, terrore compulſi fecimus. Peccavimus tamen; omnes veniam poſtulamus, etiam ſi per vim & neceſſitatem in pura charta coacti fuerimus tunc ſubſcribere.

Locus Concilij tempus & Euphemia.

Papæ auctoritas hic commendat.

Ita habentur in Synodo Epheſina. Violenti a facta in latrocinali Epheſina.

Et cùm ex actis in præfata Synodo legeretur, quod fuerit congregata ex præceptione Imperatorum residentibus sanctissimis Episcopis Dioscoro Alexandriæ & Juliano Episcopo agente vices, & tenente locum sanctissimi Episcopi R. E. Leonis, cujus lectæ, & susceptæ fuerint epistolæ ad dictam Synodum directæ. Insuper quòd Patres omnes illic convenientes receperint libellum confessionis Eutychetis tanquam Catholicum, convictus est Dioscorus in multis: ipsa etiam Synodus reprobata, & ut acephala damnata. Nam cùm ista legerentur, Orientales & qui cum ipsis erant reverendiss. Episcopi clamaverunt: Ejectus est, nullus illic suscepit nomen Leonis Papæ, nec ejus epistolæ receptæ, nec permissæ sunt à Dioscoro legi, & quòd nec consenserint patres confessioni Eutychetis, eò quòd similis fuerit Apollinari, Valentiniano, atque Macedoniano, qui verbum illud a Patribus de Christo in Symbolo additum scilicet (Qui conceptus est de Spiritu Sancto & Maria Virgine) nusquam susceperint.

Secunda Synodus Ephesina damnata.

Deinde cùm inter cætera alia multa, ex actis Ephesinæ secundæ Synodi legeretur sic.

Consentimus, & confitemur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem, unam naturam confitemur. Quæ verba in Concilio Constantinopolit. pronuntiarat Eutyches in sua confessione, recepta tamen a Dioscoro in secunda Synodo Ephesina, & hic recitata. Quæ cùm legerentur Orientales, & qui cum ipsis erant Episcopi, dixerunt: Ista nemo dixit. Anathema ei qui dixit ista. Homicida dixit. Ægyptii dixerunt. Ista Pharaonis sunt. Anathema qui ista dixerunt. Hæc Dioscori sunt, &c. Perlectis quæ in secunda Synodo acta sunt, judices Senatus dixerunt.

Quoniam verò Flavianus religiosæ memoriæ, & Eusebius Episcopus ex gestorum, & cognitionum scrutatione, & ipsa voce quorumdam, qui tunc Synodo præfuerunt confitentium se errasse, frustrà eos damnasse, quia nihil circa fidem monstrantur erasse, ostenduntur injustè depositi, videtur nobis justum esse eidem pœnæ Dioscorum Episcopum Alexandriæ & Juvenalem Episcopum Hierosolymorum, Thalassium Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, & Eusebium Episcopum Ancyræ & Eustachium Episcopum Beryti, & Basilium Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui principatum tunc Synodi tenuerunt, subjacere, & ab Episcopali dignitate fieri alienos. Quam sententiam ut justam cæteri omnes Episcopi approbarunt, gratias deinde judicibus atque senatui referentes. Et sic absoluta est actio prima.

Notat Binius in prima actione non adfuisse Imperatorem, sed tantùm in sexta advenisse, ex Breviario Liberati c. 13. unde corrigenda exemplaria quæ orationem Imperatoris in hac prima actione exhibent.

ACTIO SECVNDA.

Conveniente sancto & universali Concilio secundùm sacram actionem in Chalcedonensi civitate congregato, id est, Paschasino, & Lucentio Reverendiss. Presbyteris agentibus vices sanctiss. & Deo amantiss. Archiepiscopi senioris Romæ sancti Leonis, & Anatholio sanctissimo Archiepiscopo Constantinopol. civit. novæ Romæ, & cætero sancto Concilio, &c.

Præceptum est à legatis & senatu, ut in præsentia Concilij legeretur symbolum 318. Patrum in Nicæa congregatorum. Et lecta est per Episcopum Nicomediæ expositio fidei Concilij Nicæni. De quo vide suprà.

Rursus præceperunt, ut recitaretur Symbolum 150. Patrum qui in Constantin. Synodo prima convenerant, cuod cum epistolis etiam Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum de hæresi Eutychis Ætius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopol. recitavit.

Iterum etiam leguntur duæ epistolæ Cyrilli ad Nestorium, quæ habentur in prima actione hujus Synodi, quarum etiam mentionem fecimus in eadem actione. Quam invenies in Concilio Ephesino jam descripto.

Hæc acta sunt, ut per hæc examinaretur Dioscorus discipulus Eutychetis si sequeretur fidem prædictorum Patrum, vel aliam quam docuerat Eutyches.

Post lectionem verò epistolæ Leonis (quæ est 10. in numero) Episcopi clamaverunt. Hæc Patrum fides. Hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt, &c.

Et cùm legeretur prædicta epistola in qua & ista verba continebantur s. Et ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero, dubitatibus Illyricianis, & Palæstinis Episcopis, quidam Episcoporum surrexerunt, ut eos in his, quæ fidei sunt, instruerent. Et hac de causa, etiam & ut pertinentia ad fidem commodiùs tractarentur, inducias nonnulli petierunt, quas etiam judices concesserunt, differentes audientiam usque ad quinque tantùm dies. Et sic absoluta est actio 2.

ACTIO TERTIA.

Conveniente sacro, & universali Concilio, &c. Accusatur Dioscorus ab Eusebio Doritei Episcopo sicut in actione prima, & supplicat sanctam Synodum ut sceleratum dogma Dioscori anathematizare dignaretur, ipsum etiam compellere, ut coram Concilio compareret. Dioscorus enim continuerat se domi, nolens coram Synodo comparere.

Dioscorus accusatur de multis.

Rursus accusatur absens à Theodoro Diacono Ecclesiæ Alexandriæ. Primum de homicidio. Secundo de blasphemia in sanctam Trinitatem. Deinde quod cum Origene consentiret, quòd incendiarius fuerit. Postremò quòd excommunicationem contra sanctissimum Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum Leonem fecerit: necnon etiam temerarius extiteris contra gestum in Metropoli Nicæna Concilium. Et dato libello accusationis subscripsit, dicens:

Paratus sum adveniente Dioscoro in hoc sanctum vestrum Concilium meis adesse accusationibus.

Post productus est alius libellus accusationis per Ischyrionem Diaconum, qui libellus sic incipit:

Sanctiss. & beatissimo universali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ & universali Chalcedon. Synodo, &c. Ubi de multis aliis criminibus prædictum accusat Dioscorum.

Quarto productus, & lectus est alius libellus accusationis adversùs eundem Dioscorum per Athanasium Presbyterum de similibus sceleribus.

Quinto, productus & lectus est alius libellus contra Dioscorum per Sophronium laïcum, in quo præter alia accusavit illum de adulterio: & quod iniquo desiderio captus suam rapuerat uxorem. Insuper quod ipsum Sophronium viribus totis Dioscorus de rebus humanis curaverat facere alienum.

Sexto, vocatus est Dioscorus ad Concilium per Notarium Concilij, ut responderet ad prædictas accusationes. Ille tamen simulans ægritudinem, noluit venire.

Vocatus est secundò directis literis à Concilio ad illum, & missis tribus Episcopis, qui commonefacerent illum, ut veniret, & satisfaceret de illis, quæ in Concilio illi ingerebantur. Quo adhuc renuente, directæ sunt literæ à sacro Concilio ad illum, quibus jam tertiò vocatus est, ut in sacrum illud Concilium dignaretur venire ad satisfaciendum simul & Reverendissimo Episcopo, & iis quæ illi adversùs tunc ingerebantur. Similiter responsurus & illis qui illic adversùs illum alios accusatorios dederant libellos, alias si post tertiam (dicunt Patres) hanc regularem vocationem ex omni parte nullam habentem suspicionem ad veniendum

diſtulerit, præſens ſancta Synodus ad illum veniet modum, quem contra pertinaces, & contemptores Synodalis vocationis ſeruare ſolet, &c.

Et cùm adhuc in ſua perunaneret pertinacia. Paſchaſinus Epiſcopus, & cum ipſo Lucentius Epiſcopus, & Bonifacius Preſbyter tenentes locum ſanctiſſimi, & beatiſſimi Archiepiſcopi Apoſtolicæ Sedis ſenioris Romæ Leonis Papæ, pronuntiaverunt.

Manifeſta facta ſunt, quæ à Dioſcoro quondam Alexandriæ Epiſcopo dimiſſa ſunt adversùs ſanctarum regularium ordinem, & Eccleſiaſticam diſciplinam, tam ex iis quæ dudum examinata ſunt in priore conſeſſu, & ex iis quæ hodie acta ſunt. His enim ut plura intermittamus, Eutychem ſimilia ſibi ſapientem, & regulariter à proprio damnatum Epiſcopo, id eſt, ſanctiſſ. Flaviano, præſumens ſibi primatum irregulariter in communione ſuſcepit priuſquam conſideret in Epheſo cum Deo amantiſſimis Epiſcopis. Sed & illis quidem Apoſtolica ſedes veniam præſtitit de his, quæ ibi non voluntariè ab eis geſta ſunt, qui hactenus permanſerunt obedientes ſanctiſſimo Archiepiſcopo Leoni & omni ſancto, & univerſali Concilio. Hic autem & hactenus permanſit glorians in eis, pro quibus eum oportebat gemere, & ſe terræ proſternere. Super hæc nec epiſtolam beatiſſimi Leonis Papæ ad ſanctæ memoriæ Flavianum ſcriptam legi permiſit', & ſi cum juramento fieri lectionem promiſerit. Sed quoniam ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem valde tranſcendit, præſumpſit enim & excommunicationem dictare adversùs ſanctiſſ. Archiepiſcopum magnæ Romæ Leonem: inſuper etiam & multi libelli multis ejus pleni iniquitatibus contra eum in ſancto, & magno Concilio oblati ſunt, & ſemel & ſecundò & tertiò, regulariter vocatus minimè voluit obedire, & hos, & hos qui à diverſis Conciliis regulariter damnati ſunt, contra divinas leges ſuſcepit, ideo ipſe contra ſe elicuit ſententiam ſæpiùs Eccleſiaſticos conculcans Canones. Unde ſanctiſſ. Archiepiſcopus magnæ Romæ Leo per nos & per præſentem ſanctam Synodum unà cum ter beatiſſ. & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio.

Dioſcorus privatur Epiſcopali dignitate.

Tunc Anatholius Archiepiſcopus Conſtantinopol. dixit. Hæc eadem Apoſtolicæ Sedis per omnia ſapiens concors ſententiæ efficior. Similiter & omnes dixerunt conſentientes ſententiæ Legatorum Apoſtolicæ Sedis.

Poſt hæc ſacrum Concilium epiſtolam ad Valentinianum, & Martinianum Imperatorum miſit, rationem reddens omnium, quæ in his tribus actionibus geſta ſunt in depoſitionem Dioſcori, hujus cauſas in eadem epiſtola breviter complectens, ut Dioſcori malitiam, & in eum prolatæ juſtę ſententiæ ſinceritatem conſiderarent.

Miſerunt Patres & aliam epiſtolam ad ſanctæ memoriæ Pulcheriam Auguſtam, quę idem quod in præcedenti argumentum.

1. Nemo n. de ſumma Trinitate Cſ fid. Cathol.

Deinde ſubjectum eſt edictum, ſive leges Valentiniani, & Flavii Martiani Imperatoris ad Conſtantinopolitanos cives, quo interdicuntur, & prohibentur diſputationes Chriſtianorum cum Paganis & Judæis. Quas leges Papæ Leo in ſuis confirmat epiſtolis: confirmantur autem Chalcedonenſ. Concilij edita, atque ſtatuta.

Extat in hac actione etiam relatio ſanctæ Synodi Chalcedonenſis ad Leonem Papam de omnibus geſtis generaliter in Synodo, Quæ univerſa poſtulant confirmari authoritate Apoſtolica, ut latè ponitur in epiſtola, quæ incipit. Repletum eſt gaudio os noſtrum, &c. Et inter alia hæc ſubjiciuntur. Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, & placere tanquam fratribus deliberaſti, & qui penè per tuorum Vicariorum ſapientiam videbaris nobis, effecimus. Indicavimus verò quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter Eccleſiaſticorum ſtatutorum definivimus firmitatem, ſcientes, quia & veſtra ſanctitas addiſcens, & probatura, & confirmatura eſt eadem. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora judicium, &c.

Petitur confirmatio actorum à Pontifice Romano.

Ad quam epiſtolam reſpondet Leo, & confirmat acta hujus Synodi excepto decreto primatus Conſtantinopol. Eccleſiæ ſupra Alexandrinam, & Antiochenam: & eſt inter epiſtolas Leonis epiſtola 59. quæ incipit. Omnem quidem fraternitatem veſtram, &c.

ACTIO QVARTA.

Congregato ſancto, & univerſali Concilio, &c.

Primo judicum & ſenatus juſſu lecta ſunt coram Synodo, quæ in præcedentibus actionibus acta fuerant. Deinde judices, & ſenatus dixerunt. Singuli Reverendiſſ. Epiſcopi, qui hic Convenerunt, doceant, ſi expoſitio 318. Patrum qui olim in Nicæa collecti ſunt, & poſt hæc 150. qui conſtantinopoli congregati ſunt, conſonet epiſtolæ Reverendiſſimi Papæ Leonis. Anatholius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus dixit. Non ſolùm illis conſonat epiſtola ſanctiſſ. Leonis Papæ, ſed & iis, qui in Epheſo ſub beatiſſ. Cyrillo geſta ſunt ab univerſali & ſancto Concilio. Hoc idem Vicarij Sedis Apoſtolicæ cum omnibus aliis Epiſcopis dixerunt.

Epiſtola Leonis Papa approbata.

Illyriciani & Palæſtini Epiſcopi, qui in 2. actione cum legeretur epiſtola Leonis Papæ (ut diximus) dubitare cœperant ſuper verbis illis jam recitatis, cõſequenter dixerunt. Nos ſanctorum Patrum 318. qui in Nicæa convenerunt, fidem ſemper ſervavimus, & ſervamus. Sequimur & 150. Patrum nullo modo diſſonantem. Conſentimus etiam actis & conſtitutis in prima Synodo Epheſina. Sed & lecta eſt nobis epiſtola beatiſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis in plurimis recte habens & prædictis conſonans, & conſentimus. Aliqua autem ex ipſa apparuerunt verba, ut partitionem & ſeparationem aliquam à divinitate carnis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam ſibi adunavit de ſancta Virgine Maria, demonſtrantia, de quibus paulò ante dubitabamus. Sed cùm jam à ſanctiſſimis Vicariis locum tenentibus ejuſdem ſanctiſſimi Leonis edocti ſimus, quia talia verba nullam partitionem in Domino & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto: ſed unum eundemque Dominum filium Dei indicant, conſentimus.

Opponunt ſe 10. Epiſcopi Ægyptii.

Deinde ſurrexerunt aliqui Epiſcopi Ægyptiæ Regionis pro tota illa Provincia, & ſuam confeſſionem in ſcriptis dederunt, in qua ſecundùm fidem à ſanctis prædictis Concilijs expoſitam fatebantur ſe credere, epiſtolæ autem Leonis Papæ nolebant ſubſcribere. Ob idque magna eſt concertatio & tumultus in Synodo, ut compellerent illos Leonis Papæ epiſtolæ ſubſcribere, aut regularem damnationem, ut excommunicati, ſuſciperent: indignè ferentes Patres, ut decem homines præjudicium facerent Synodo ſexcentorum Patrum, & Catholicæ fidei: illi verò inſtanter clamabant miſericordiam petentes, ut concederetur illis à ſancta Synodo à tali ſubſcriptione ut ſuperſedere poſſent, quoadusque eſſet electus Archiepiſcopus pro Eccleſia Alexandrina, cujus conſenſum (ut mos in Ægypto erat) Epiſcopi debebant expectare, ut tale quid poſſent deliberare. Sin autem, quod in Concilio fieret Archiepiſcopus Alexandrinus, & tunc ſubſcriberent, & conſentirent. Hæc ſententia fuit Paſchaſini Epiſcopi Vicarij Sedis Apoſtolicæ, quam curavit excutioni mandari Imperator. Ita in codice Græco Pariſiis impreſſo. Tandem datis fide juſſoribus quòd non exirent de civitate, quoadusque acciperet Epiſcopum Alexandriæ, quando non ut repugnarent Catholicæ fidei nec non obtemperarent Synodo, ſubſcribere in præſenti diſtulerint, eorum petitioni ſacra annuit Synodus.

Archimandritæ hæretici.

Extat in fine hujus actionis epiſtola Pſeudo-Archimandritarum hæreticorum quam protulerunt in Concilio

Petiti petunt restitui Dioscorum.

Concilio pro restitutione Dioscori. Quæ cum legeretur omnes Episcopi clamarunt. Anathema Dioscoro. Dioscorum Christus depositit. Istos foras mitte. Petitiones istas Synodo audire non licet. Quia damnatus ab omni Synodo Episcoporum nominare non licet, &c. Et sic absoluta est actio quarta.

ACTIO QUINTA.

In ista actione post multas allegationes ultro citroque habitas, committitur quibusdam Episcopis cum Vicariis Apostolicæ Sedis & Anatholio Archiepiscopo Constantinopolitano, ut definitionem de fide inter se ordinarent, cui omnes postea assentiri deberent, in quo decreto quæ à 318. Patribus in Nicæa, & quæ à 130. in Synodo Constantinopolit. prima statuta sunt, similiter & gesta in Synodo Ephesina prima congregata sub Cœlestino Papa, & Cyrillo Archiepiscopo Alexandriæ, revocantur & recipiuntur. Similiter & Epistola Leonis Papæ ad Flavianum pro expugnanda pravitatis Eutychis perfidia, missa recipitur à sancta Synodo: habita de his consultatione in oratorio S. Euphemiæ priusquam in Synodo recitarentur.

ACTIO SEXTA.

Conveniente sancta & universali Synodo, &c.

Imperatoris adventus in concilium.

Ad hanc actionem venit Imperator Martianus, qui Græce & Latine sanctam allocutus est Synodum, hortans Patres ut rejectis omnibus hæresibus pura fides luce sua resplendeat in omnibus mentibus. Post vero allocutionem, lecta est Imperatori definitio fidei quæ in actione quinta fuerat prolata.

Et post lectionem definitionis extant subscriptiones Episcoporum, & multi pro absentibus Episcopis subscripserunt. Paschasinus Episcopus vice Domini mei Beatissimi atque Apostolici viri universalis Ecclesiæ Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præsidens statui, consensi, & subscripsi. Similiter & alii duo Vicarii Beatissimi Leonis Papæ dixerunt & subscripserunt. Consequenter & alii Episcopi subscripserunt.

Imperatoris edictum.

Post hæc idem piissimus Imperator ad sanctam Synodum dixit. Pia Catholica fide à sancta & universali Synodo secundum patrum expositionem declarata, justum simul & expediens esse nostra tranquillitas approbavit, omnem de cætero contentionis occasionem de sanctæ fidei religione penitus amputari. Si quis igitur idiota, vel militaris, vel clericus publice de fide turbam congregans, sub obtentu disputationis tumultum fecerit, sciat, quia siquidem idiota sit, ab urbe regia expelletur, militaris verò & clericus gradus sui periculum sustinebunt, & pœnis aliis subjacebunt. Tunc omnes clamaverunt. Multos annos Imperatori. Multos annos Augusto pio & Christiano, Augustæ Orthodoxæ multi anni; &c. Dioscoro anathema, &c.

Imperator ad sanctam Synodum dixit. Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes à vobis hæc realiter potius formari per Synodum, quam nostra lege sanciri. Et jubente piissimo Principe lecta sunt capitula, quæ superfluum judicavimus recenseri, utpote quod primum caput sit can. 4 & 2. cap. sit 3. can. & 5. cap. sit can. 5. hujus Concilii, & in aliis sæpe repetitus.

ACTIO SEPTIMA.

In ista actione agitur de concordantia duorum Episcoporum Maximi Antiochiæ & Juvenalis Hierosolymæ jam inter se composita super quibusdam parochiis, quam postulant à sancto Concilio (ut permaneat) confirmari: quod & factum. Et nihil præterea.

ACTIO OCTAVA.

Residente sancto Concilio ante cancellos sanctiſſi-

mi altaris, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus modo anathematizet Nestorium. Theodoretus dixit: Ego preces meas obtuli piissimo Imperatori, & libellos obtuli Reverendiss. Episcopis agentibus locum Archiepiscopi Leonis: & si vobis placet, legantur coram vobis, ut sicut sapio cognoscatis. Episcopi clamaverunt, Nihil relegi volumus, modo anathematiza Nestorium. Theodoretus dixit: Ego ab orthodoxis nutritus sum: Orthodoxe prædicavi & docui: & non solum Nestorium & Eutychem, sed & omnem hominem, qui recte non sapit, adversor. Episcopi dixerunt: Clare dic anathema Nestorio, & dogmatibus ejus anathema. Tandem compulsus est, ut expresse & clare Nestorium & Eutychem, omnem hæreticum, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, & eos, qui non dicerent Dei genitricem Virginem Mariam, anathematizaret. Quod cum dixisset. Omnes Episcopi clamaverunt. Theodoretus dignus est sede Ecclesiæ. Orthodoxum Ecclesia pastorem recipiat. Archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum Leo judicavit. Et sic decretum est à sancta Synodo, ut Theodoreto Ecclesia sua restitueretur, à qua fuerat & ejectus, & ab Episcopatu exclusus.

Anathema Nestorio cogitur dicere Theodoretus.

De Theodoreto.

VIta ipsius à Patre Sirmondo ipsius operibus græce & Latine editis an. 1642. typis Parisinis præmissa, quis quantusque fuerit, satis demonstrat, quamvis ipsum, quod plerisque magnis viris quandoque accidit, graves fluctus exercuerint, maximè in Synodo Ephesina & Chalcedonensi, nec-non in quinta Synodo post mortem, ubi ejus scripta in 12. anathematismos à D. Cyrillo in Nestorium vibratos, ut impia damnata sunt. Quin etiam ipse de Nestorii hæresi suspectus aliquando fuit quod humanum quid passus, ut Joanni Antiocheno gratum faceret, eo se adduci fiveret ut anathematismos illos, totius fidei & religionis adversus impietatem Nestorii medullam, cavillaretur. Sic enim impio visus est dare auxilium. Et qui pios impugnat pro impiis stare & pugnare judicatur. Quare coactus est in Chalcedonensi dicere anathema Nestorio, quod per hujusmodi scriptum, suspectum se reddidisset de Nestorianismi impietate. Quamvis quæ fuerit ejus mens & sensus non ita pateat, quin locus relictus sit variis ea de re sententiis. Cum Sirmondus in ejus vita æstimet ipsum reprehendisse hos anathematismos magis ut hæresi Apollinaris affines quam Nestorio contrarios, cum etiam in his aliquid inesset quod explicationem posceret. Unde & subscripsit damnationi Nestorii, & cum astu & potestate Dioscori Cyrilli successoris in sede Alexandrina qui Eutichetis causam susceperat, de Nestorianismo accusatus & sede sua privatus fuisset in Synodo hæretica Ephesina (solebant enim Eutychiani de Nestorianismo insimulare Catholicos) appellavit ad Leonem Papam Rom. à quo ut Orthodoxus absolutus & restitutus est per Imperatorem ut epist. 139. ipsemet meminit. Certe fidem suam rectam fuisse de Christo prodit ipsemet etiam epist. 21. quo non obstante de capitibus Cyrilli, sic indicat Epist. 112. non norunt insitum in duodecim capitibus venenum. Ea scilicet impugnavit, ut Apollinarismum redolentia, quod in iis asseratur Verbum carnaliter caro factum, quasi mentem etiam non susceperisset Verbum. Non satis capiens sensum Cyrilli, ut apparet in eadem Epistola, in qua ipsos recipientibus multum se restitisse apud Ephesum testatur. Et licet Epist. 121. aperte scribat se adhærere Leonis Epistolæ ad Flavianum, hanc suam esse fidem, sed restabat ut scripta in Cyrilli anathematismos revocaret. Quod cum omiserit, Cyrillo id ab ipso non exigente, damnata sunt in quinta Synodo, ipso jam mortuo.

Denique qualis fuerit Theodoretus Epistola ipsius 112. quæ est ad Leonem Papam omnino manifestat. In qua recurrit ad ipsius tribunal & judicium contra

iniquam Dioſcori in ipſummet ſententiam in Latrocinio Epheſino. Et homicidas quidem, inquit, ac ſepulchrorum effractores, alienarumque nuptiarum invaſores, non prius condemnant judices, quam vel ipſi objecta crimina confeſſione ſua firmarint, vel ab aliis aperte fuerint convicti. Nos autem hic in divinis legibus enutritus triginta manſionibus diſtantes condemnavit. Ac manifeſtans ſuam in vivendo innocentiam ad alliciendum animum Leonis. Divina inquit mihi cooperante gratia ſupra mille animas Marcionis morbo liberavi, multaſque alias ex Arrii & Eunomii partibus ad Chriſtum Dominum perduxi. Et octogintarum Eccleſiarum Paſtoralium curam ſortitus ſum. Tot enim Cyrus habet Parochias, in quibus precum veſtrarum auxilio lolium nullum relictum eſt, ſed omnibus hæreticis grex noſter ereptus eſt. Novit qui omnia conſpicit quot lapides ab ipſis hæreticis in me conjectos exceperim: quot mihi multis in urbibus Orientis adverſus gentiles, adverſus Judæos certamina fuerint. Et poſt tantos labores ac ſudores indicta cauſa condemnatus ſum. At ego Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam, & oro atque obteſtor ſanctitatem tuam, ut mihi rectum ac juſtum tribunal veſtrum innocenti opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere. Poſt hoc recenſet varios libros à ſe editos ac ſubjungit, quod ſi in judicatis manere me juſſeritis, manebo neque ulli hominum deinceps moleſtus ero, ſed rectum Dei Salvatoriſque noſtri judicium expectabo. Addit iſtis, ſcandalum infirmorum quos ab hæreſi liberavit qui ipſum hæreticum exiſtimare poſſent. Quodque inquit Epiſcopatu tot annis geſto non domum acquiſierim, non agrum, non obolum, non ſepulchrum, ſed ſpontaneam paupertatem amplexus ſum, & ea quæ a parentibus ad nos pervenerunt, poſt illorum mortem ſtatim diſtribuerim, ut ſciant omnes qui habitant in Oriente. Quibus perpenſis non placet eorum conſilium qui extra ſcripta in illos XII. anathematiſmos Cyrilli, ſi quidpiam ex ejus ſcriptis objiciunt hæretici Lutherani aut Calviniſtæ, ſtatim elevant ipſius auctoritatem, quam non tanti faciendam putant propter eventus horum conciliorum: ut Cardinalis Groperus de veritate corporis & ſang. Chriſti in Euchar. art. 1. c. 63. Quamvis hac ipſius rejectione uti nolit, quod quæ ex ejus dialogis objiciuntur, ſi non depravate ſed genuina ipſius mente accipiantur, convellant ac damnent hæreticos.

Appellatio ad Papam.

ACTIO NONA.

Accuſabatur Ibas, quòd publice coram clero & populo dixiſſet. *Non invideo Chriſto facto Deo.* Et etiam quòd Cyrillum vocaſſet hæreticum. Ab aliis inſimulabatur de diſtractione bonorum Eccleſiaſticorum, quorum diſputatio penes Epiſcopos cum eſſet, ſuſpectos quandoque ipſos reddebat. Cumque inciperet agitari ejus cauſa, remiſſa eſt ad ſequentem diem.

ACTIO DECIMA.

Ventilatur accuſatio contra Ibam Edeſſenum Epiſcopum, quem Eutichiani in variis conciliis vexaverant plurimis accuſationibus quaſi Neſtorianus eſſet. Introductus in Synodum ut ſatisfaceret, conqueritur ſe viginti amplius carceres mutaſſe. Inſtantibus autem ipſius accuſatoribus pluribus criminibus ipſum eſſe obnoxium, Epiſcopi dixerunt, ſuperfluum eſſe alia capita accuſationum diſcutere, quam quæ canonibus interdicta ſunt aperte odioſa Deum timentibus. Videntur hæc eſſe principalia. 1. rectæ oportet eſſe fidei qui fungitur Sacerdotio. 2. eſſe totius luxuriæ liberum. 3. ſed nec prodere pietatem, maxime pecuniarum cauſa. Ex quibus ſi alicujus poteritis probare prævaricatorem proprio ore deponite. Poſt multam itaque ejus fidei & dictorum contra Cyrillum Alexandrinum diſquiſitionem, ac etiam lectionem illius Epiſtolæ quam ad Marim Epiſcopum Perſam ſcripſerat, talem audivit ſententiam.

Præclara geſta Theodoreti.

Tria capitalia vitia Sacerdotum.

Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Preſbyter tenentes locum Sedis Apoſtolicæ. Quamviſi Apoſtoli ſemper in Synodis prius loqui & confirmare ſoliti ſunt: per Paſchaſinum dixerunt: Relectis chartis agnovimus in ſententia Reverendiſſimorum Epiſcoporum Ibam reverendum innoxium approbari. Relecta enim eius Epiſtola cognovimus eum Orthodoxum: & ob hoc decernimus ei honorem Epiſcopatus reſtituendum, & Eccleſiam à qua injuſte & abſens expulſus eſt, reparandam. De ſanctiſſimo igitur Epiſcopo Nono, qui pro eo paulo ante factus eſt, exiſtimationis erit venerabilis Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ quid oporteat de eo ſtatui, &c. Omnes Epiſcopi clamaverunt: omnes eadem dicimus. Neſtorium modo anathematizet: Eutychem & ejus dogma modo anathematizet.

Ibas reverendus Epiſcopus dixit. Et jam in ſcripto anathematizavi Neſtorium, ejuſque dogma, & nunc anathematizo eum decies millies. Quod enim ſemel cum ſatisfactione fit, & ſi fiat decies millies non contriſtat. Anathema Neſtorio & Eutychi. Et omnem eum, qui non ſapit ſicut hæc ſancta Synodus, anathematizo. Glorioſiſſimi judices dixerunt. Quæ judicata ſunt à ſancta Synodo de Iba Reverendiſ. Epiſcopo, propriam fortitudinem retinebunt. Et ſic abſoluta eſt actio decima.

Ibas decies millies anathematizat Neſt.

ACTIO UNDECIMA ET DUODECIMA.

In iſtis duabus actionibus agitur cauſa inter Baſſianum & Stephanum contendentes de Epiſcopatu Eccleſiæ Epheſinæ, & definitum eſt, ambos eſſe removendos, qui præter regulas Epiſcopi facti fuerant, & alterum Epiſcopum ordinari: prædictos verò habere Epiſcopi dignitatem, & à ſanctiſſima Epheſina Eccleſia nutriendos.

In 13. & 14. actionibus tractatur de compoſitione quorumdam Epiſcoporum, & præterea nihil.

Actione 15. Varii eduntur Canones, qui infra dabuntur.

ACTIO DECIMA-SEXTA.

Conveniente ſancto & univerſali Concilio, reſidentibus omnibus ante altaris cancellos ſanctæ martyris Euphemiæ, Vicarii Sedis Apoſtolicæ ad judices dixerunt. Heſterna die poſtquam poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſecuta eſt, quædam facta dicuntur, quæ nos, & præter Canones Eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta. Poſcimus ergo, ut veſtra magnificentia relegi hæc percipiat, ut omnis fraternitas inſpiciat, utrum juſta, an injuſta ſint ea, quæ geſta ſunt. Judices dixerunt. Relegatur. Beronicianus vir devotus, Secretarius divini conſiſtorii legit ſic.

Definitiones Sanctorum Patrum ſequentes ubique & regulam, & quæ nunc relecta ſunt 150. Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, qui congregati ſunt ſub piæ memoriæ Imperatore majore Theodoſio in Regia civitate Conſtantinopoli, cognoſcentes & nos eadem definivimus de privilegiis ejuſdem Conſtantinopolit. Eccleſiæ novæ Romæ. Etenim ſedi ſenioris Romæ propter Imperium civitatis illius patres conſequenter privilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantiſſimi Epiſcopi æqua ſedi novæ Romæ privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes, Imperio & ſenatu urbem ornatam æquis ſenioris Romæ privilegiis frui, & in Eccleſiaſticis ſicut illa, majeſtatem habere negotiis, & ſecundam poſt illam exiſtere: & ut his, qui de Ponto ſunt, & de Aſia, & de Thracia, Diœceſibus Metropolitanos ſolos, rurſus autem & qui inter Barbaros ſunt Epiſcopos præfatarum Diœceſium ordinari à prædicta

Hic eſt 28. Canon hujus Synodi in codicibus Græcis, quem non admiſit Papa Leo.

Constantinopolit. Sedis Ecclesia, quippe ut unusquisque Metropolita præfatarum Diœcesum cum Episcopis suæ prouinciæ ordinet suæ regionis Episcopos, sicut divinis Canonibus est præceptum. Ordinari autem (sicut dictum est) Metropolitas præfatarum Diœcesum a Constantinopolitano Archiepiscopo, decretis consonis secundum morem factis, & ad eum relatis. Anatholius Episcopus Constantinopolis definiens subscripsi. Maximus Episcopus Antiochiæ definiens subscripsi & cætera. Lucentius Episcopus Apostolicæ Sedis Vicarius dixit.

Privilegia Patriarcha C. p ven tilantur.

Primo gloria vestra perpendat, qua circumventione cum Episcopis sanctis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus quorum mentionem fecerunt, subscribere sunt coacti. Episcopi clamaverunt: Nemo coactus est. Lucentius Episcopus Sedis Apostolicæ dixit. Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quæ dicuntur. quæ dicunt ante octoginta propè annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus in hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt? Ætius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinop. dixit. Si de hoc capitulo aliquod mandatum acceperunt, proferant. Bonifacius Presbyter Sedis Apostolicæ Vicarius dixit. Beatissimus & Apostolicus vir Papa inter cætera hoc nobis mandavit, & ex chartula recitavit, sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam, nulla patiamini temeritate violari, servantes omnimodo personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem. Ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi rentaverint usurpare, hoc qua decrum est constantia retundatis. Judices dixerunt. Utraque pars Canones proponant. Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit Canonem sextum Concilii Nicæni, & secundum Canonem Constantinopolitani Concilii, & alios recitaverunt Canones Vicarii Sedis Apostolicæ, ubi decernitur sedem Romanam esse in omnibus & per omnia primam, & post illam secundum habere gradum Constantinop. Hæc quæstio valde inter Vicarios sedis Apostolicæ cæterosque Episcopos controvertitur. Tandem judices dixerunt: Ex his quæ gesta sunt, vel abunoquoque deposita perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum (secundum Canones) antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari. Oportere autem Archiepiscopum Constantinop. eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse. & potestatem habere ordinare Metropolitanos in Asiana & Pontica, & Thracia Diœcesibus, hoc modo, ut electi à clericis cujuscunque Metropolis Episcopi referantur ab eligentibus Archiepiscopo Constantinop. ut penes eum sit (si velit) hunc, qui electus est confirmare, repudiareve, & cætera. Episcopi dixerunt. Hæc omnes dicimus. Hæc omnibus placent. Lucentius Episcopus Sedis Apostolicæ Vicarius dixit: Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet. Et ideo quæcunque in præjudicium Canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circonduci jubeatis, sin alias contradictio nostris gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ deferre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam. Episcopus Sebastæ dixit. Omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus.

Invalida quæ absque Apostolicæ sedis Legatis in Concilio gesta sunt.

Additamenta quædam hinc inde collecta ad acta Concilii Chalcedonensis.

IN fine actionis primæ pro gratiarum actione & Dei laudum celebratione, facta est trisagii acclamatio, videlicet *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.* Additumque. *Multos annos Imperatori*, &c. Hymnus iste anno 446, per puerum in æra miraculoso elevatum dum terræ motu urbs Constantinopolitana concuteretur, toti populo misericordiam Dei in campo extra urbem imploranti innotuit primum, eoque pronuntiato ab universo populo quievit tunc terræ motus. In hoc autem hymno divinitas impassibilis ac immortalis contra impium Eutichetis dogma asseritur, sic Deo Optimo Maximo ante prælii tempus arma præparante, ante venenum medicamenta, & ante famem frumenta, notat Coriolanus.

Dioscori tergiversationes.

Acta Nicephoriana habent sess. 2. Dioscorum multoties invitatum multis modis tergiversatum fuisse. Primo dixisse sibi fieri insidias, si tutò venire permitteretur, paratum se ut in sanctam Synodum veniret. Alia vice respondisse, cum de meipso deliberarim, & id quod utile commodumque considerarim, hoc sic respondeo. Quandoquidem in proximo consessu magnificentissimi confidentes principes in consilium iere, & multa post multas interlocutiones decrevere: & nunc ego in consessum alium ad ea quæ dicta sunt revocanda atque abolenda evocor, ad magnificentissimos qui proximæ Synodo interfuere, & sacrum Senatum ut de jisdem rebus denuò inquiratur provoco. Cumque ad hæc alii missi essent ut eum accersèrent ut rebus agendis adesset, reversos illos hisce eum verbis usum esse retulisse. Antea quoque pietati vestræ indicavi, valetudine adversâ me correptum esse, & petere ut magnificentissimi principes & sacer Senatus nunc quoque rerum inquisitioni & judicio adsit. Cum vero valetudo mea invaluerit diffindi ob eam causam diem postulo. Commentarii porro actorum indicant Cecropium Dioscoro dixisse: Nihil eum antea de valetudine dixisse, proinde illum pro eo atque deberet Canonibus satisfacere oportere. Affert alia Coriolanus ad Sessionem 3.

Cùm ad hanc Sessionem Dioscorus, qui à militibus domi custodiebatur, ne fugam arriperet, secundo citatus, propter absentiam Judicum & prætensam quamdam ægritudinem comparere recusasset; lecti sunt libelli accusationum, quos Theodorus & Ischirion Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconi, Athanasius ejusdem Ecclesiæ Presbyter, neque Sophronius Christianus, contra Dioscorum obtulerunt. Primo libello accusatur, quòd esset Origenista hæreticus, blasphemus in sanctam Trinitatem, homicida Flaviani, incendiarius, injustus, & temerarius, utpote qui Theodorum Diaconum nulla alia de causa à Diaconatu amovisset, nisi quòd S. Cyrilli Episcopi amicus fuisset: quòd post hominum memoriam primus Romanum Pontificem excommunicando, sectus inauditum commisisset. Secundus libellus Ischirionis post confirmata prædicta scelera continebat, quòd frumenti ad conficiendam Eucharistiam & solatium peregrinorum ab Imperatore Ecclesiis Libiæ dari solitum, surripuisset, adeò ut eam ob causam incruentum Sacrificium Missæ diu oblatum non fuerit. Adjecit, quòd ea bona, quæ Paulla nobilissima fœmina per testamentum Monasteriis & pauperibus contulisset, eo fine ut pro salute animæ suæ Sacrificium Deo offerretur, ille scortis & turpibus personis in Eleemosynam contulerit, ut ne quidem ex bonis illius (quod vetus & recepta consuetudo orandi pro defunctis, tunc meritò impiissimum esse judicabat) incensum Deo pro ejus anima obtulerit. De vita ipsius valdè obscœna plurima addidit, ut quòd subintroductas fœminas haberet in Episcopio, quibuscum in balneo lavaretur, & quòd inter alias Pansophiam quandam famosissimam magno omnium Alexandrinorum scandalo in deliciis haberet. Postremò quòd non satis ei fuerit, Theodorum Diaconum ob amicitiam cum Cyrillo habitam Diaconatus officio privasse, verùm etiam possessiones ejusdem per Monachos à se missos incenderit, arbores exciderit, jussusque occidi Theodorus, vix fugiens evaserit. Tertio libello Athanasius Presbyter Cyrilli Alexandrini, se cum fratribus & cognatis urbe ejectum, omnibus bonis ac fortunis spoliatum, tormentis Chrysapii subjectum, ad summam paupertatem adactum esse, ut

Capitula accusationum in Dioscorum.

Sacrificium Missæ.

Incensum thuris.

mendicando victum quærere debuerit. Fratrem inter tormenta expirasse : sibi Presbyteratum ademptum esse : & ne vestigium ullum Alexandriæ superasset, domos suas in Ecclesias conversas esse. Quarto libello Sophronii, tyrannidis est accusatus, utpote qui pœnam adulteri cujusdam, quem Imperator puniri rescripserat, impediverit; dicens, Ægyptum magis ad se, quàm ad Imperatorem pertinere; ideoque etiam allatas Alexandriam novi Imperatoris Marciani imagines, per suos urbe efferri mandaverit. Hic vitis, ne qua solemnitas requisita deesset, placuit Patribus, ut Dioscorus adhuc tertiò vocaretur per scriptum citationis libellum, qui prætensas illius excusationes falsas esse demonstrabat. Legitimè igitur tertiò citatus, ut libellis Alexandrinorum contra se oblatorum respondeat, contumax in proposito perstitit, & adesse recusavit. Cùm igitur nihil reliquum esset ad ejus defensionem vel excusationem, ipsi Apostolicæ Sedis Legati adversus Dioscorum damnationis; & ab Episcopatu omnique Ecclesiastica functione depositionis sententiam protulerunt. Singuli verò Episcopi, singulis sententiis impium Dioscorum perstringentes, eidem subscripserunt. Latam sententiam ipsi Dioscoro insinuarunt, perque Synodicas Epistolas ad Imperatores, Pulcheriam Augustam, & ad Clerum Alexandrinum scripras, eamdem ubique promulgarunt. Sed nec omitti debet quod idem refert ad Sessionem 5.

DEcimo tertio Kalendas Novembres anni 451. habita est Sessio quinta duabus actionibus, uno eodemque die translata. Priore Actione Carosus, Dorotheus, aliique Archimandritæ illi qui libellum Marciano Imperatori obtulerant, petiverunt sibi concedi, ut coram Imperatore de fidei veritate cum Catholicis disputare liceat. Id quod hæreticis piissimè respondit Imperator, Alexander Visitator & Joannes Decurio in Synodo retulerunt, his verbis: *Hæc cum audivisset Dominus orbis*, Marcianus Imperator, *significavit per me & Dominum Ioannem Decurionem: Si voluissem ego sedere inter vos atque alios Monachos, & audire inter utrosque vos, non hic sanctam & Universalem Synodum fatigassem; sed cùm ipsi convenissent, & nos de vobis certiores fecissent, dixi ut vos adessetis, & ea quæ nescitis cognosceretis, & interrogando ea quæ non nostis, addisceretis ab iis. Iustum igitur decrevimus vos ad Concilium abire. Nam ut sciatis, quacumque definierit sanctum ac Universale Concilium, ac mihi in scriptis dederit, ea sequor, his contentus sum, his fidem habeo. Hoc habete, nec à me aliud responsum accipietis.*

Non est Concilium disputare.

His enarratis, magno præconio Imperatori acclamatum est. Hæreticis vero ad resipiscendum datæ sunt induciæ usque ad decimam quintam Novembris.

Sed ut ad acta Nicephoriana redeamus, de libello Monachorum hæc habent. Deinde preces Monachorum quorumdam productæ sunt, quarum hoc erat caput, ne eis necessitas chartis aliquibus subscribendi imponeretur, donec Synodus universa, quam Imperator ipse cogendam sanxisset, congregata esset, & ipse decreta ejus rite in scriptum relata legisset. Eis lectis Diogenes Episcopus Cizici dixit, Barsumam unum inter eos qui ibi convenissent esse, qui Flavianum jugulaverit. Ipsum enim σφάξον, ideſt, jugula exclamasse: neque tum legitimè quod in supplici libello nominatim insertus non esset, in Synodum venisse. Ad hæc verba Episcopi omnes exclamaverunt: Syriam omnem Barsumas vestavit, & mille nobis Monachos induxit. Atque ubi Synodus collocuta, eos qui convenissent Synodalem constitutionem præstolari jussit: Monachi ut libelli ab eis compositi legerentur, postularunt. Quorum pars quædam erat, ut Dioscorus & qui cum eo erant Episcopi in consessum admitterentur. Cæterum ad petitionem eam Episcopi omnes exclamarunt: Anathema in Dioscorum, Dioscorum Christus exauthoravit. Monachos hosce ejice: contumeliam Synodi tolle: vim Synodo illatam tolle: protrum Synodi tolle. Atque adversum ea Monachi vociferati sunt: Monasteriorum contumeliam tolle: & cum Synodus rursum vociferationes suas repeteret, per interlocutionem reliqui eorum libri jussi sunt legi: qui dictabant non rectè Dioscoro dignitatem ademptam esse: & quæstione de fide propositâ, disquisitione opus esse, atque illum in consessum venire debere. Sin minus vestimenta se excussuros, & ab Episcopotum qui ibi convenissent communione secessuros esse dixerunt. His verbis auditis Ætius Archidiaconus Canonem de eis legit, qui seipsos segregarent, &c.

Barsuma Monachi facta nefanda.

Postea in consessu quinto, principes omnibus satis liquere dixerunt, ea quæ de fide essent constituta, & Asclepiades Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus in medium processit & Synodi decretum legit, quod hic referre visum non est: & nonnulli quidem reluctati sunt, plurimi autem assensi. Porro postquam variæ vociferationes editæ sunt, principes dixerunt, Dioscorum retulisse propterea se Flavianum exauthorasse, quod duas naturas esse dixerit: decretum autem hæc verba *ex duabus naturis habere.* Ad quæ Anatolius intulit, non propter fidem Dioscorum damnatum esse. Sed quod Leonem in excommunicationem conjecerit & ter citatus non comparuerit. Atque ex eo tempore principes ut sententiæ Epistolæ Leonis decreto inserentur jussisse. Cum autem Episcopi respondissent; decretum & formulam fidei aliam, cum prior illa rectissimè concepta esset, fieri non debere, res ad Imperatorem est relata. Imperator ex Orientalibus Episcopis sex, ex Pontica Diœcesi tres, ex Asiana tres, ex Thracia item tres, ex Illirico quoque tres deligi, eisque Mandatarios & Anatholium adesse jussit: qui in Martyrio celebertimæ Euphemiæ convenientes, professionem fidei rectè constituerent: atque ut aut quisque eorum fidem suam declararet, aut Synodum in Occidentalem orbis partem translatum iri sciret: & interrogati ut dicerent, Dioscorum-ne qui ex duabus naturis Christum profiteretur, an Leonem qui duas naturas in Christo concurrere doceret, sequerentur, cum Leone se credere & qui aliter dicerent, Eutichianistas vocari exclamarunt. Ita principes decreto, duas naturas quæ non mutarentur, non dividerentur, non confunderentur, in Christo unitas esse, juxta Leonis sententiam addi jusserunt. Porro postquam principes cum Anatholio & Leonis mandatariis in Martyrium S. Euphemiæ pervenerunt, ubi quoque aderat Maximus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, Talassius Cæsariensis, simul atque isti omnes è templo egressi sunt, Synodi decretum in hanc sententiam lectum est. Dominus noster & servator Jesus Christus, & reliqua quæ in historiæ contextu inseruimus: post hæc ubi omnes exclamarunt: hæc ipsissima Patrum fides est. Metropolitani ei mox subscribant. Hæc fides Apostolorum est, huic omnes assentimur, omnes ita sentiemus. Principes intra se collocuti responderunt, se ea quæ à patribus constituta, & ab omnibus comprobata essent, ad sacram celsitudinem relaturos esse.

Historia dubia an S. Euphemiæ probarit Synodum.

Porro si vera est historia quam refert idem Nicephorus lib. 15. c. 5. diversas fidei confessiones in chartis conscriptas ad pedes Martyris Euphemiæ depositas fuisse cum multis precibus ut dignaretur indicare quænam vera esset, postridie confessionis Orthodoxæ libellum in manibus ejus contentum, alterum autem hæreticorum tanquam rem nullius momenti temerè ad pedes ejus projectum inventum fuisse: si inquam hæc vera est historia, tunc temporis accidisse debuit cum tunc Episcopi delegati in Martyrium S. Euphemiæ se contulerunt ad determinandam formam illam fidei priusquam legeretur & pronunciaretur in medio Synodi. Occasio enim tunc opportuna videbatur. Verumtamen parum probabile est voluisse Episcopos Deum quodammodo tentare & veritatem fidei Catholicæ potius ex miraculo quærere quam in scripturis sanctis ac antiquis patribus. Ideoque plures nullam fidem adhibendam censent hujusmodi narrationi:

eſit quodammodo inſinuari videatur in Epiſtola Synodi ad Leonem miſsâ qua ab ipſa Synodum confirmari expetunt. Eſt autem hæc definitio Synodi Chalcedonenſis, cujus aliqui initium detrahunt.

Definitio quarti Concilii.

DOminus & Salvator IESVS-CHRISTVS, fidei doctrinam diſcipulis confirmans. Pacem, inquit, meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Vt nemo à veræ pietatis dogmatibus diſſonet, ſed ex æquo omnes veritatis doctrinam prædicent. Et poſtea ſancto Nicæno Symbolo, & centum atque quinquaginta Sanctorum Patrum decreto lecto, intulerunt: ſatis igitur ad perfectam veræ pietatis cognitionem & confirmationem eſt, ſapienter conceptum, & ſalutare illud divinæ gratiæ Symbolum. De Patre enim & Filio & Spiritu ſancto, abſolutam continet doctrinam, & inhumanationem Domini cum fide eam recipientibus aſtruit. Quandoquidem autem veritatis inimici, qui abolere per hæreſes ſuas prædicationem contendunt, inaniloquentiam peperere: & nonnulli Sacro-Sanctam Domini noſtri gratia ſuſceptam adminiſtrationem adulterare, & vocem hanc θεοτοκον, Dei genitrix, pernegare auſi ſunt: aliqui verò confuſionem mixtionemque inducentes, unam eſſe carnis & divinitatis naturam inconſideratè fingunt, divinamque unigeniti naturam per confuſionem perpeſſioni obnoxiam prodigioſè aſſerunt: hæc ipſa nunc ſancta, & magna univerſalis Synodus, omnem illis fraudem & machinationem adverſus veritatem præcludere volens, & integritatem firmitatemque veteris doctrinæ vindicans, imprimis ſtatuit, ut ſanctorum trecentorum Patrum fides inviolata conſtet. Deinde & eorum qui in urbe Imperante adverſus Spiritus ſancti hoſtes poſterioribus temporibus convenerunt, centum quinquaginta Patrum, de Spiritus eſſentia doctrinam, authoritate ſua confirmata: quam illi Patres omnibus notam eſſe voluerunt, non ut aliquid quod majoribus ignotum fuiſſet, inducerent, ſed ut Spiritus ſancti naturam, quædam de illius poteſtate obtinere volentes, teſtimoniis in ſcriptum relatis, clariùs promulgarent. Propter eos verò qui œconomiæ & adminiſtrationis myſterium depravare audent, & qui ex Maria Virgine natus eſt, merum eſſe hominem impudenter & convicioſè dicunt, Beati Cyrilli, qui Alexandrinæ Eccleſiæ Paſtor fuit, Synodales Epiſtolas ad Neſtorium & Orientales Epiſcopos datas, cum rectè ſcriptæ ſint, tùm ad Neſtorii veſanam dementiam refutandam, tum ad ſententiam ſalutaris Symboli, eis qui eam pio ardore requirunt, declarandam, recepit: quibus Epiſtolam quoque maximæ urbis veteris Romæ antiſtitis, beatiſſimi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, ad eum, qui in ſanctis eſt, Archiepiſcopum Flavianum, refellendæ Eutychetis malevolentiæ gratia ſcriptam, quæ Beati Petri confeſſioni convenit, & adverſus perperam & male ſentientes, quaſi quædam communis & publica columna eſt, ad dogmata recta confirmanda, meritò conjunxit. Nam adverſus eos qui adminiſtrationis myſterium in duos filios diſtrahere conantur, pugnat: & eos, qui unigeniti divinitatem perpeſſioni obnoxiam eſſe dicere audent, ſacris convenientibus excludit. Tum autem eis quoque, qui in duabus Chriſti naturis mixtionem & confuſionem comminiſcuntur, reſiſtit. Eos præterea qui cœleſtis aut alterius cujuſquam eſſentiæ eſſe delirant, quam ex nobis aſsumpſit ſervi formam, proſcribit. Eos denique, qui duas quidem ante unionem Domini naturas profitentur, unam autem poſt unionem faciunt, anathemati ſubjicit. Itaque patrum veſtigiis inſiſtentes, unum atque eumdem profitemur eſſe Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: & una voce omnes deprædicamus perfectum eumdem in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex rationali anima & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis æqualem abſque peccato, ante ſæcula quidem ex Patre ſecundum divinitatem, in extremis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine & Dei genitrice ſecundum humanitatem genitum, unum & eumdem Ieſum Chriſtum Filium & Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſegregabiliter cognitum atque deprædicatum: haud quaquam naturarum differentiam unione tollente, ſed proprietatem potiùs utriuſque naturæ conſervante, quæ in perſonam unam & ſubſtantiam unam concurrit: non veluti in duas perſonas diſpertitum aut diviſum, ſed unum & eumdem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: quemadmodum antiquitus Prophetæ, & ipſe de ſeipſo nos docuit Chriſtus, & Symbolum Patrum nobis tradidit. His igitur cum cura & diligentia omni à nobis conſtitutis; ſancta & univerſalis Synodus decrevit, ut nemini liceat aliter ſentire, aut fidem aliam proferre, vel conſcribere, vel componere, vel alios docere. Quicumque autem auſi fuerint fidem aliam componere, aut proferre, aut docere, aut Symbolum aliud eis tradere, qui ex Græca ſuperſtitione vel Judaïſmo, vel alia quacumque hæreſi convertere ſe ad veritatis cognitionem voluerint: eos, ſiquidem Epiſcopi aut Clerici fuerunt ab Epiſcopatu & Clero alienos: ſin autem Monachi aut Laïci fuerint, anathematis ſubjectos eſſe debere.

In actis integris hoc exſtitit Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum.

Epiſtola Leonis ad Flavianum.

HOc porro decretum Concilii Chalcedonenſis, quod alii aliter referunt, hiſce verbis pronuntiatum fuiſſe teſtis eſt Nicephorus lib. 15. cap. 5. & ſic ipſe refert cap. 6. ejuſdem libri juxta tranſlationem Langi.

Sequuntur CANONES CONCILII CHALCEDONENSIS, *abſentibus Legatis conſtituti doloſè & clandeſtinè ab Orientalibus remanentibus, in actione decima-quinta.*

CANON I. *De ſervandis Canonibus Synodorum.*

25. q. 1. A ſanctis Patribus

A Sanctis Patribus in unaquaque Synodo uſque nunc prolatas regulas tenere ſtatuimus.

CANON II. *In quo damnatur Epiſcopus, qui per pecuniam Ordinationem facit.*

2. q. 1. Si quis Epiſcopus.

SI quis Epiſcopus per pecuniam Ordinationem fecerit, & pretio redegerit Spiritûs ſancti gratiam; quæ vendi non poteſt, ordinaveritque per pecuniam Preſbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in Clero, promoverit, & diſpenſatorem, aut defenſorem, vel quemlibet qui ſubjectus eſt regulæ, pro ſui turpiſſimi lucri commodo, is qui hoc attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo ſubjacebit; & qui ordinatus eſt, nihil ex hac Ordinatione vel promotione quæ eſt pro negotiatione facta, proficiat, ſed ſit alienus à dignitate vel ſolicitudine, quam pecuniis acquiſivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit; ſi quidem Clericus fuerit, à proprio gradu decidat; ſi verò laïcus, anathematizetur.

CANON III. *Vt hi qui connumerantur in Clero, turpibus lucris non inſerviant.*

D36. pervenit ad ſanctam.

PErvenit ad ſanctam Synodum quia de his qui in Clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam, aliorum poſſeſſionum conductiones & cauſas ſæcularium negotiorum ſuſcipiunt, & à ſacris Officiis ſe per deſidiam ſeparant, ad domos autem ſæcularium concurrunt, & ſubſtantiarum eorum gubernationes, auaritiæ cauſâ, ſuſcipiunt. Decrevit igitur ſancta & univerſalis & magna Synodus neminem horum deinceps, hoc eſt Epiſcopum ſive Clericum, aut Monachum, conducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæcularibus poſſeſſionibus poſſe, niſi fortè qui Legibus ad minorum ætatis tutelas ſive curationes inexcuſabiles attrahuntur, aut ipſius civitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum commiſerit gubernacula, & orphanorum ac viduarum quæ indefenſæ ſunt, aut earum perſonarum, maximè quæ Eccleſiaſtico indigent adminiculo, propter Dei timorem. Si quis verò tranſgreſſus fuerit hæc præcepta, Eccleſiaſticæ ſubjaceat correctioni.

CANON IV. *Quòd Monachi in civitatibus Epiſcopo debent eſſe ſubiecti.*

16. q. 1 Qui vere & ſpuriè & 18. q. 2. Quidam

QVi verè & purè ſolitariam eligunt vitam, digni ſunt convenienti honore. Quidam tamen Monachorum habitu utentes, indifferenter per civitates incedunt, nec non & Monaſteria, & ſeipſos propria præſumptione commendant. Placuit igitur neminem aut ædificare aut conſtituere Monaſteria, aut oratorij domum, ſine conſcientia ipſius civitatis Epiſcopi. Eos verò, qui per ſingulas civitates ſeu poſſeſſiones in Monaſteriis ſunt, placet nobis Epiſcopos eſſe debere, quieti operam dare, atque obſervare jejunia & orationes in locis, in quibus ſemel ſe Deo voverint, permanentes; & neque communicare Eccleſiaſticis, neque ſæculares aliquas attrectare actiones relinquentes propria Monaſteria, niſi fortè jubeantur propter urgentes neceſſitates ab ipſius civitatis Epiſcopo. Et neminem ſervorum ſuſcipi in Monaſterium, ut ſit cum eis Monachus, niſi cum proprij Domini licentia. Prætereuntem verò hæc decrevimus extra communionem eſſe, ne nomen Domini blaſphemetur. Convenit ergo civitatis Epiſcopo, curam ſolicitudinemque neceſſariam Monaſteriis exhibere. *Monachorum habitus.*

HIc Canon ſubjicit Monachos Epiſcopis adversùs Barſumam & Aſſeclas qui Syriæ Epiſcopis obedientiam juris communis denegabant. De quo poſtea per varia privilegia diſpenſatum eſt.

CANON V. *Non licet Epiſcopo Eccleſiam ſuam relinquere, & ad aliam tranſire.*

7. q. 1. Propter eos Nicæn. Concil. cap. 15.

PRopter eos Epiſcopos & Clericos qui de civitate ad civitatem tranſeunt, placuit definitiones datas à ſanctis Patribus habere propriam firmitatem.

CANON VI. *Vt nemo ordinetur abſolutè.*

D. 70. Neminem.

NEminem abſolutè ordinari jubemus Preſbyterum, neque Diaconum, nec quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſia ſuæ civitatis, ſive poſſeſſionis, aut in Martyrio, aut in Monaſterio, hic qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Eos autem qui abſolutè ordinantur, decrevit ſancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere, ad injuriam ipſius qui eos ordinavit. *Sine titulo ordinatus.*

HIc Canon vetat ne quis ſine titulo Eccleſiaſtico ordinetur, qui ſit in Eccleſia aut civitatis, aut poſſeſſionis, id eſt, pagi, Græcè eſt *κώμης*, aut in martyrio, id eſt capella martyri conſecrata. Poſtea diſpenſatũ eſt, ut quis ordinetur cũ titulo patrimoniali & laïco. Huic autem canoni inhærens Tridentinũ ſeſſ. 23. c. 16. *de reformatione* decernit ut nullus in poſterum ordinetur qui illi Eccleſiæ aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate aſſumitur non aſcribatur ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Sed quid ſit aſcribi alicui Eccleſiæ juxta morem Eccleſiæ non omnes capiunt. Iſta aſcriptio habebat ſuum onus & ſuum commodum. Onus erat in obligatione miniſtrandi, commodum in jure participandi ex bonis communibus Eccleſiæ, ut non alligaretur os bovi trituranti. Sed hodie contra regulas juris adſtringuntur alicubi Clerici oneri iſtius adſcriptionis ſine ejus commodo. Unde non pauci ſine beneficio & officio utili, amaram vitam deguot. Quin etiam recentes quidam *Adſcribi in Eccleſia quid?*

asserunt, canonem hunc esse de jure divino. A multis ergo temporibus erraret Ecclesia, quæ multos ordinari absolutè, id est sine titulo Ecclesiastico, passa est. Antiquis temporibus in quibus providebatur clericis de communibus bonis Ecclesiæ & unus beneficiorum Heluo non devorabat quæ sufficerent honestæ sustentationi ducentorum & amplius clericorum, facile erat talem disciplinam exequi. Satis erat clerico esse in capone vel in tegula, id est in catalogo suæ Ecclesiæ, ut de victu & vestitu nihil sollicitus esset. At hodie mutata sunt tempora. Quam pauci ordinarentur, si unicuique ordinando deberet priùs competere beneficium aut officium Ecclesiasticum honestæ sustentationi congruum. Pertinet ad majestatem Dei in Ecclesia triumphante sicut aliquo modo in Ecclesia militante, quod habeat inter Angelos suos quosdam assistentes, alios ministrantes. Sacerdotes qui beneficiis aut officiis addicti sunt instar ministrantium Angelorum se habent: Alii quibus hæc fortuna non obtigit, si tamen dignè se gerant in Ecclesia orationi & sacrificio incruento vacantes, erunt instar assistentium Angelorum, propriæ perfectioni studebunt, pretiosum doctrinæ thesaurum comparabunt, parati in horam & diem si fortè, quod hodie perrarum, via Spiritûs sancti sine ambitu sine simonia, sine litigio forensi contingat eos vocari ad ministerium sibi competens, quod non detrectabunt, sicque major ordinatorum multitudo non sinet diu vacare Ecclesias, semper paratis pluribus ad remedium orbitatis: interim multi ex viris doctis nulli Ecclesiæ specialiter mancipati bonum illud, quod quò communius eò melius, procurare poterunt cum honesta ac decenti libertate extra miseram illam servitutem quæ ex malo usu præsentis canonis imponitur quibusdam clericis, ut tota vita fere egeni & esurientes laborent in peculiari aliqua vinea de cujus fructibus, si qui tamen sint, nihil unquam comedunt. At vivent de fructibus tituli patrimonij. Ista dicantur ignaris, quasi illi reditus sæpiùs non essent inanes, & mille modis non interturbarentur: non itaque videtur juris esse divini sic clericos ad certos titulos ordinari, ut iis tota vita compedes injecti videantur ad vivendum miserè & cum tædio suæ ordinationis. Sed Episcoporum est de iis statuere habita ratione locorum ac temporum & cum decoro status sacerdotalis non sic alligando Presbyteros loco suæ nativitatis; & non nisi inter affines & consanguineos, quibus aliquando nihil infestiùs experiuntur & quod magis ipsos ab officio proprio avocat, dicente Christo *inimici hominis domestici ejus.* & *non est Propheta sine honore nisi in patria sua.* Nihilominus distinctio adhibenda est inter promotos ad titulum patrimonij, quos declaratio Cardinalium ad c. 10. sess. 23. Concilij Tridentini asserit non posse cogi, ut certis diebus veluti festivis inserviant Ecclesiis: & inter promotos ad titulum officij alicujus Ecclesiæ quæ illis ad vitam necessaria subministrat: non est enim dubium quin tales eo modo adscripti alicui Ecclesiæ ac ordinati sine alio patrimoniali, obligati & illigati sint huic Ecclesiæ, à qua non possint discedere. Atque hac ratione canon hic Chalcedonensis intelligendus est, quia Ecclesia ad cujus titulum ordinabantur tunc clerici, illis subministrabat ex bonis Ecclesiasticis necessaria ad vitam, non quomodo quidam hodie intelligunt adscribi Ecclesiæ ad totam vitam, etiamsi ex illa nullos fructus percipiant. Nec alia videtur esse mens Concilij Tridentini in prædicto capite, cùm expresè præmittat se inhærendo vestigiis sexti canonis Chalcedonensis Concilij, illam ascriptionem statuere. Oporteret ergo priùs providere, ne una Abbatia aliquando trecentarum parochiarum decimas absorberet, vix ulla (tam modica est) habita ratione ministrorum ac Parochorum.

Matth. 10 & 13.

A **CANON VII.** *Quod semel in Clero taxati, vel Monasterijs deputati, ad militiam non redeant.*

EOs qui semel in Clero taxati fuerint, sive in Monasterio deputati, decrevimus, neque ad militiam, neque ad honores sæculares venire. Eos autem qui hoc ausi fuerint facere, & non ejus rei pœnitere maluerint, & ut ad hoc idem revertantur, quod antè, obtentu Dei sibi proposuerunt, convenit anathematizari.

20. qu. 3. Eos qui semel.

B **CANON VIII.** *Dispensatores pauperum Episcopo suo obediant.*

CLerici in Parochiis, Monasteriis, aut Martyriis constituti, sub potestate sint ejus qui in ea civitate est Episcopus secundùm traditionem sanctorum Patrum, neque per præsumptionem recedant à suo Episcopo. Eos verò qui ausi fuerint rescindere hujusmodi institutionem quocumque modo; vel si noluerint subjacere proprio Episcopo, si quidem fuerint Clerici secundùm personarum ordinationem subjaceant condemnationibus Canonum, si verò Monachi seu laïci

12. qu. 2. Quid.— Monachorum.

C fuerint, communione priventur.

CANON IX. *Si Clericus contra alium causam habeat, ante Episcopum suum examinetur.*

SI Clericus adversùm Clericum habeat negotium, non relinquat suum Episcopum & ad sæcularia judicia non concurrat, sed priùs negotium agitetur apud proprium Episcopum: vel certè si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis verò contra ipsius Provinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus sive Clericus habeat contro-

37. qu. 1. 26 Clericus adversùm Clericum.

D versiam, pergant ad ipsius Diœcesis Primatem, aut certè ad Constantinopolitanæ Regiæ civitatis sedem, ut eorum ibi negotium terminetur.

VBi dicit: *Pergant ad ipsius Diœcesis primatem*, intelligitur Episcopus Romanus; nam Græca vox ἐξάρχου non propriè Primatem, sed Principem significat: solus verò Romanus Pontifex est Princeps Christianæ Diœceseos. His verbis igitur constituitur, ut si quis cum Metropolitano aliquo controversiam habeat, non alibi eum convenire possit aut debeat, quàm apud Principem Diœceseos, Romanum Pontificem. Binius.

E Deinde ubi dicit, *Aut sedem urbis Constantinopolitanæ*, hæc non mandantis, sed permittentis Concilij verba sunt, adeò ut horum auctoritate Clericis vel Episcopis propè Constantinopolim habitantibus concessum fuerit, ut non longius irent, suas causas coram Antistite Constantinopolitano proponere, ibique totius controversiæ decisionem expectare. Ita hunc Canonem Nicolaus I. in epistola ad Michaëlem Imperatorem interpretatur. Eandem expositionem, rejectâ sententia Archidiaconi & Joannis de Turrecremata, sequitur & approbat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 22. Ubi contra Nilum Thessalonicensem quendam Episcopum, doctissimè Primatum Romanæ Ecclesiæ defendens ostendit, nequaquam ex hoc loco probari, quòd auctoritate hujus Concilij, Constanti-

verificandam moralem totius reipublicæ deſtructionem in honorem Dei, neceſſarium eſt, ut aliquis, in quo totum ſuum eſſe habet morale, phyſicè in Dei honorem deſtruatur; & quia corpus politicum, & myſticum totum ſuum eſſe morale habet in capite continente, ideo moralis deſtructio totius corporis politici, non niſi in ſui capitis phyſica deſtructione fundari poteſt.

Aſſumendus eſt ergo primo aliquis ex hominibus, & omnium caput, in quo omnes contineantur conſtituendus, tum, ſi ad exhibendum legitimè cultum debitum Deo acceptet officium, & munus Sacerdotis, acceptet etiam neceſſe eſt onus victimæ. Hæc enim duo in una eademque capitis perſona conjuncta ſunt, ut idem corpus, quod eſt Sacerdos, ſit victima propter indicatam rationem, quia cum totum corpus debeat Deo ſacrificari, & non in ſe ipſo, neceſſe eſt ut ſacrificetur in ſuo capite, atque adeo ut caput ſit ſimul offerens, & res oblata, quæ ad ſacrificium conſummandum neceſſario eſt deſtruenda.

Chriſtus Sacerdos & victima.

Sed cur non ſatis eſſet ad ſacrificium generis humani, ſi ejus Sacerdos extraneam aliquam victimam aſſumeret, exempli gratia, aliquem arietem? vel ſi non extraneam, cur non ſatis eſſet ſi ejuſdem naturæ aliquem alium in Dei honorem, & cultum reliquorum omnium nomine offerret?

Non ſatis eſſet, quia ad fundandam abſolutam, perfectamque denominationem, & veritatem moralem de ſacrificatione generis humani, in alio, requiritur continentia; qua enim ratione dicas hoc ſacrificari in illo, ſi in illo non eſt? corpus autem totius humanæ reipublicæ non eſt niſi in ſuo capite, in quo nobiliori & perfectiori aliquo modo eſt, quam in ſe ipſo.

Victima caput omnium.

Addo, ad ſacrificium generis humani non ſolum neceſſarium eſſe, ut victima habeat qualitatem capitis reſpectu omnium hominum, ſed etiam reſpectu omnis creaturæ, ita ut in illa non ſolum omnes homines, ſed reliquæ quoque omnes creaturæ contineantur, idque non quia ſacrificium generis humani, ſed quia abſolutè & ſimpliciter ſacrificium eſt. Unde ſequitur nullum verum ſacrificium poſſe conſiſtere ſine victima magna, quæ habeat qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ; & omne verum ſacrificium eandem eſſentialiter victimam habere, cum dari non poſſit niſi unica victima, quæ qualitatem capitis habeat reſpectu omnis creaturæ.

Sed unde habes, victimam ſacrificii cujuſcumque, habere hanc qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ? habeo ex formaliſſima ratione ſummæ proteſtationis, & cultus proprii ſacrificii. Etenim per ſacrificium profitemur, & proteſtamur, quod Deus ſolus eſt, & præter Deum nihil eſt, quia Deus eſt, qui eſt. Cum vero profeſſio hæc & proteſtatio non ſit verbalis tantùm & vocalis, ſed realis; hinc eſt ut ejus ſolemnitas neceſſario in effectiva, & reali dejectione, deſtructione & annihilatione omnis creaturæ perfici debeat: debet enim practicè ſignificare quid efficerent verba, ſi non eſſent tantùm enuntiativa, ſed etiam operativa, ut verba conſecrationis; ſed non poteſt omnis creatura moraliter quantum ad veram proteſtationem ſatis eſt, deſtrui in una, niſi in illa una contineatur; Ergo victima cujuſcumque ſacrificii neceſſariò debet habere qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ.

Plura hic tetigimus, quæ forteſſe non ſunt vulgo protrita, & quæ propterea uberiorem explicationem poſtulare videntur: nec pauca iſtis conſentanea dedimus in noſtro ſupplemento *Theologiæ Affectivæ* diſp. 4. q. 5. §. 10. ex quibus manifeſtum eſt Chriſtum in ratione redemptoris debuiſſe infinitæ perſonæ dignitate pollere, ad condignam ſatisfactionem pro peccatis ut minimè Neſtorius Myſterium redemptionis intelleXiſſe viſus ſit. Sed eſt hæc petra ſcandali, hæreticorum fere omnium, in redemptionem impingere, in cujus fide vivâ juſtitia ſita eſt.

Redemptio petra ſcandali hæreticis.

Quam ergo patrum fidei Catholicæ ſuffragantur qui acta hujus Concilii ſic recenſent, ut Neſtorium in integrum reſtituere velint; quod ſuper libro integro, ut de aliis taceam, ſolitus eſt quidam *Gaillard* ex Calviniſtis Miniſtris. Verùm eſt ex geſtis Joan. Antiocheni cum Epiſcopis Orientalibus inter quos Theodoretus, adjuncta propenſione curiæ Imperialis erga Neſtorium (cujus propenſionis in rebus fidei ſemper magna virtus extitit in utramque partem) magnum ſuppeditari dicendi argumentum, ſed in Conciliis maximè attendenda concluſio & finis. Dura & iniqua paſſi ſunt Cyrillus & Memnon pro cauſa Chriſti, ſed tandem omnes Epiſcopi reconciliati ſunt inter ſe. Obtinuerunt XII. Anathematiſmi Cyrilli, & meritas pœnas luit Neſtorius.

CONCILIUM CHALCEDONENSE,

SEV

QUARTA SYNODUS OECUMENICA 630. Epiſcoporum

CONTRA EVTYCHEM ABBATEM & Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum ſub Leone I. Summo Pontifice & Valentiniano & Marciano Imperatoribus, anno Chriſti 451.

NEſtorio exule, non exulavit propterea ex Eccleſiis Orientis ejus error. Ac dum in deſolationem Neſtorianæ hæreſis Catholici impelluntur, contigit ut unus ex illis rapido curſui terminum imponere, & ſibi extra terminum prolabenti habenas injicere neſcius, improvidè ferretur in hoſtes, ait Baronius ad annum 448. evenit id deploratiſſimo Eutycheti Archimandritæ, id eſt, magno ac præcipuo Paſtori Monachorum, eorum ſcilicet qui Conſtantinopoli ac in circumjacentibus locis majori odio adverſus Neſtorium efferbuerant, in immoderato ſtudio ac inerudito oppugnaturus Neſtorium qui Chriſtum dividebat, ac in eo duas perſonas admittebat, unam in Chriſto naturam comminiſci cœpit, nec tamen ſemper unicam fuiſſe naturam in Chriſto, ſed à principio quidem duas quæ poſt unionem in unicam & eamdem confluxerunt. Quamvis quid ipſe vellet dicere parum intelligeret, nedum explicare poſſet, multo imperitior Neſtorio, cujus ſermones nec expenſi nec conſiderati vix ab aliis percipi poſſunt. Duas quidem inquit Nicephorus lib. 18. cap. 52. & ipſe ante unionem naturas dixit, deinde unitas, poſt unionem autem in unam eas naturam abiiſſe, confuſaſque eſſe & mixtionem ſubiiſſe opinatus eſt, adeo ut & divinitas, ea quæ humanitatis fuere paſſa ſit, & econtra. Sic miſeri homines nulla ſolidæ Theologiæ tincti cognitione dogmata paſſunt abſurda, ſapientes ſolum in inſcitiâ, eaque effutiunt de divinis myſteriis quæ nec à ſeipſis nec ab aliis capiuntur. Sed ejus opinionem ſanctus Leo Pontifex Epiſt. 10. ad Flavinianum melius expreſſit. Habuiſſe ſcilicet Chriſtum formam hominis non veritatem, ut apparentiâ ſolum eſſet homo, non reipſa, quoniam ut alii mentem ejus enuntiant, divinitas humanitatem conſumpſiſſet, unde pati verè non poterat, ſicque redemptionis generis humani Myſterium per paſſiones Chriſti evacuabatur, cum reipſa paſſus non fuiſſet, ſed larvam hominis patientis exhibuiſſet ſpectantium oculis. Unde fruſtra exemplum Chriſti crucifixi proponeretur hominibus ad excitandos eorum affectus, ad ferenda duriora hujus vitæ, & alia innumera abſurda conſequerentur. Cum autem ſerperet iſte error, Me-

nachosque perplures pro defensoribus haberet per quos disseminabatur, magna rerum perturbatio exhinc in Ecclesia exorta. Rerum summam paucis delineat Leontius advocatus Bizantinus in lib. de sectis actione 4. sic ille.

Erat autem illis annis Alexandriæ præses Ecclesiæ Dioscorus, Constantinopolitanæ Flavianus, Romanæ Leo, Dominus Antiochenæ: ac degebat Constantinopoli quidam, cui nomen esset Eutyches dignitate Presbyteri & Archimandritæ præditus: qui Christi corpus non unius esse nobiscum substantiæ post unionem traderet. Nam quod unionem nimiam, & unam adeo naturam statueret; Christi corpus unius esse nobiscum naturæ post unionem negabat. Huic Eutychi notitia cum Eusebio Dorileorum Episcopo intercedebat, qui hoc ejus ex ipsomet intellecto dogmate, rem ad Flavianum verbis hisce detulit. Increpandus tibi Eutyches, hujusmodi dogmatis author; ne fides nostra perverteretur. Quibus auditis; Flavianus Episcopos suæ ditionis ad triginta coegit, jisque præsentibus interrogavit Eutychem; Christine corpus ejusdem esse nobiscum substantiæ fateretur, an non? ille verò respondere, hactenus sì se quidem minimè fassum: sed ipsorum tamen causa nunc confiteri, quod sane per simulationem ab eo profitebatur. Vicissim Flavianus dicere, non seipsum esse, qui hæc eum confiteri juberet; sed Patres, ideoque si confiteretur; anathemate diversum sentientes execraretur. Ille Flaviano respondere se, quemadmodum antea dixisset, ad eum diem id minimè confessum: ipsorum tamen gratia facturum. Neminem interim anathematizare, quippe si hoc faceret, anathemate Patres execraturum, ipsasque sacras literas, quæ sic loquantur, ut Christi corpus ejusdem nobiscum esse substantiæ negent. Quibus auditis, ab ordine Presbyterorum, & Archimandritæ munere Flavianus eum removit: cum quidem diceret, fidem non admittere coactionem. Hoc ab officio remoto, Flavianus ad Leonem Romanum Episcopum de hominis depositione perscribit. Respondet Leo, rite depositionem illam esse factam, quæ quidem Epistola Tomus Leonis appellari solet, de quo ancipites sunt eorum, qui hæsitantes dicuntur, sententiæ; male comparatam dicentium.

Concilium Constantinopoli.

Eutyches autem ab officio remotus, Imperatorem adire crebro, sibique factam à Flaviano injuriam dicere; quapropter Imperator Theodosius generale Concilium Ephesi coire juber, in quo cognosceretur; rectene Flavianus Eutychem depositisset, an non. Universam vero causæ cognitionem, Dioscoro Episcopo Alexandrino mandat. Itaque coacta Synodo, primum hoc absurdè Dioscorus egit; quod gesta Flaviani duntaxat legebat, nec patrocinii copiam ei faciebat, aut interrogandi de iis, quæ dubia putarentur. Alterum, quod actuatorem Eutychis Eusebium adesse judicio minimè permittebat: sed lata sententia contra Flavianum, mox eum abdicabat: admisso autem ad communionem Eutyche, quem quidem & in ordine Presbyterorum, & in Archimandritæ locum restituit: hoc peracto, finem Synodus habuit. Cumque diem Flavianus obiisset, domum profecti vicarii Romani Episcopi, qui Synodo non interfuerat; quæcumque accidissent, renuntiarunt. Ille rebus hisce cognitis exandescere, Romanum principem Valentinianum adire, quo vindictam caperet; quippe temporibus iis unus Romæ Imperator erat, alter Byzantii. Valentinianus ergo, cui Leo Papa molestus esset, Theodosio minori scribit, Synodum haberi juberet, in qua cognosceretur; rectene Dioscorus, an malè judicasset. Rescribit Theodosius, Authorem se alterius Conc. nequaquam futurũ, quòd rectè judicasset Dioscorus. Sed Theodosio mortuo, Marcianus Imperio potitur, statimque generale Concil. Chalcedonense haberi mandat, quod de Synodi Ephesinæ actis cognosceret, male-ne de gestis à Flaviano Byzantii pronunciasset. Itaque cum hæc Synodus convenisset, in qua viri 630. erant, primo quidem die Dioscorus cum cæteris congressus est. Deinde cum advesperascceret, Synodusque dimissa fuisset; postridie collecti reliqui, bis terve ad Dioscorum miserunt, qui tamen venire recusabat. Ubi tertio citatus non venit, hominem ab officio secundum Canones removent, & Gangras in exilium mittunt, fideique formulam, quo pacto credendum sit, exponunt: esse scilicet unum Christum in naturis duabus, citra confusionem, ac divisionem, confitendum. Atque hoc modo Concilium dimissum fuit.

Concilium Epheſ. 2.

Ex quibus discimus duo Concilia in Oriente habita fuisse ante Chalcedonensem Oecumenicam Synodum, in causâ Eutichetis. Unum Constantinopoli præside Flaviano Orthodoxo Episcopo, ad quem ægre & post multas tergiversationes comparens Eutiches damnatus est. Alterum Ephesi in qua restitutus est & absolutus per Dioscorum Episcopum seu Patriarcham Alexandrinum, qui jussu Imperatoris Theodosii quem Eunuchus Chrisaphius errori Eutichetis addictus ad illi favendum traxerat, præsidebat Concilio. Atque id novo exemplo, Imperatore sibi novum jus arrogante quod hactenus fuerat Summi Pontificis Rom. qui & Osium pro Niceno & Cyrillum pro Ephesino præsidem nominaverat, ut propterea, Deo vindice anno sequenti & vita & Imperio privatus sit. Fuit autem ista Synodus Ephesina dicta prædatoria, quòd prædonum instar Dioscorus & ei faventes Imperatoriis armis fulti ob potentiam Chrisaphii omnia egerint vi metu & armis, nullo cuiusquam jure servato, nec lectis litteris Summi Pontificis, Leonis scilicet, qui Legatos suos miserat ad Synodum cum divina illa Epistola ad Flavianum, ut in plena Synodo legeretur, quod tamen Dioscorus non permisit. Sed cum omnia pro voluntate decrevisset, coegit etiam Episcop. ad subscribendum introducta armatorum multitudine cum catenis. Tantummodo Apostolicæ Sedis Legati Dioscoro in faciem restiterunt, contestantes nullius esse roboris quæ per vim & metum extorquerentur sicut testatur D. Leo ep. 26. ad Pulcheriam & ep. 25. ad Theodosium. Quin & Flavianus cum scripto se opponeret eidem conciliabulo, sedemque Apostolicam appellaret, hostiliter in eum plures insurrexerunt ac maxime Barsumas Abbas cum turba Monachorum & aliis, ipseque clamabat, *occide*; quo factum est ut tot injuriis ac plagis afficeretur, ut ex iis post triduum moreretur, coronam martyrii calcibus enectus adipiscens. Hic fuit fructus hujus Synodi, in quâ loco sacrorum librorum, gladii atque fustes: in qua suffragiorum libertas vincta fuit catenis: in qua siluerunt Episcopi, clamaverunt hæretici: in qua de oppressa fide Catholica impietas triumphavit, & de Flaviano Episcopo Constantinopolitano Dioscorus Episcopus Alexandrinus Eutichianus hæreticus, qui etiam Alexandriam reversus paucos Episcop. colligens in Synodũ cum multos non posset, perinde ac si ad hoc esset natus ut mortales omnes peccando superaret, ausus est in S. Leonem excommunicationis sententiam jaculare, rebellans adversus eum à quo potestatem acceperat & eo spiritu plenus quem eructat infernus, ait Baronius ad an. 449. quamvis non id primus tentaverit habens antesignanos Arrianos qui è Concil. Sardicensi fuga eruperant, ut in eo Concilio annotavimus.

Synodus Prædatoria.

Cum igitur factione Eutichetis atque ejus sequacium res Ecclesiæ in misero essent statu, accidit ut mortuo Theodosio Pulcheria Imperatrix prudenti electione Martianum, congratulantibus omnibus, ad Imperium Orientis assumeret. Quod tanquam virtutis mercedem accepit ipse vir omnibus acceptus, cuique Valentinianus Occidentis Imperator de virtute ejus certior factus Imperium suo suffragio confirmavit. In primis autem paci & tranquillitati Ecclesiæ sublatis è medio hæresibus si fieri posset, studuit. Quod cum animo agitaret, Leo Pontifex eum litteris suis excitavit ut in universali Concilio inquireretur de atroci injuria quam Eutiches & Dioscorus irrogare ausi fuissent Flaviano & aliis pluribus Episcopis in contemptum fidei Ort-

thodoxæ, Chryſaphio Eunucho juribus Theodoſii abutente. Sed rem hanc promovit Euſebius Dorilæi antiſtes ſollicitatione ſua circa Martianum, cui etiam Chryſaphii hæreſim detexit, & malum ejus animum in Flavianum ex eo incenſum fuiſſe, quod cùm ab eo aurum peteret Electionis conſecrationiſque ſuæ nomine, ſacra Eccleſiæ vaſa illi obtuliſſet, paupertatem ſuam prætendens ac veluti illi avaritiam exprobrans.

Igitur omnes Epiſcopos Orientis convocat Imperator Nicæam Bithiniæ, ubi impietas Arrij damnata fuerat. Eoque Leo Pontifex legatos ſuos miſerat Paſcaſinum, Lucentium & alios cum ſuis literis & mandatis de rebus in Synodo agendis. Sed quod ipſemet Imperator ſicut Conſtantinus Concilio adeſſe vellet, Chalcedonem Bithyniæ prope Conſtantinopolim Synodus eſt tranſlata ac in templo perilluſtri Euphemiæ martyris pluribus miraculis claræ eſt habita, duplicato numero Epiſcoporum primi Concilij, cùm pro trecentis decem & octo hic ſexcenti triginta ſex numerarentur. Notat Nicephorus l. 15 c. 2.

PRIMA PARS.

Acta & decreta Concilij Chalcedonenſis.

EST Chalcedon Phrygiæ Helleſpõticæ urbs in ponti Euxini ore ſita ab ea parte quæ coeuntibus terris anguſtum mare reddit. Proceraſtis ante dicta Plinio lib. 5. cap. 32. Hanc Megarenſes condidiſſe Author eſt Strabo lib. 12. Ejuſdem meminere Pomponius Mela Titulo, Bythinia, & Anton. in itinerario ſuo. Ptolemæus autem 5. lib. cap. 1. in prima tabula Aſiæ minoris eam non procul à Conſtantinopoli, Boſphoro intermedio à parte Orientali collocat.

Cæterùm ob nimiam hujuſce Chalcedon. Concilij prolixitatem, continet enim aliorum acta Conciliorum, Epheſini potiſſimum, ſuperiùs ad litem deſcripti, ejus actiones compendio, Theologiæ ſtudioſis tradere & utiliùs & eiſdem longè ſuavius, exiſtimavit Franciſcus Joverius quem Carranza ſecutus eſt, nos autem aliquid addidimus.

ACTIO PRIMA.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

In civitate Chalcedonenſi Metropoli Provinciæ Bithyniæ facta eſt Synodus ex decreto piiſſimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani ſub die 8. Idus Octob. Indi. 4. in Eccleſia ſanctæ martyris Euphemiæ. Congregatis, & conſedentibus Paſchaſino, & Lucentio reverendiſſ. Epiſcopis, & Bonifacio Religioſiſſ. Preſbytero tenentibus locum ſanctiſſ. & Reverendiſſ. Archiepiſcopi urbis Romæ Leonis, & Anatholio Reverendiſſimo Epiſcopo inclytæ urbis Conſtantinopol. cæteriſque Reverendiſſimis Epiſcopis, & glorioſiſſimis judicibus. Ecce advenientibus omnibus ante concellos ſancti altaris cum magnificentiſſ. & eximio Senatu, Paſchaſinus Reverendiſſ. Epiſcopus, & Vicarius ſedis Apoſtolicæ cùm in medio unà cum collegis ſuis ſteriſſet, dixit: Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ urbis Romæ (quæ eſt caput omnium Eccleſiarum) præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt, ut Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur, quod nos ſervare neceſſe eſt. Si ergo præcipit veſtra magnificentia, ille egrediatur, aut nos exibimus. Quibus in Græco interpretatis per Beronicianum virum devotiſſ. & ſecretarium ſacri conſiſtorii, glorioſiſſ. judices, & ampliſſ. Senatus dixerunt. Quid enim ſpecialiter ingeritur Dioſcoro Epiſcopo? Paſchaſinus verò Epiſcopus, & Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Cùm intromiſſus fuerit, neceſſe eſt, ut illi objiciatur. Judices & ſenatus dixerunt. Ut jam interfui ſumus, cauſa quæ objicitur, ſpecialiter manifeſtetur. Lucentius Epiſcop. & Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Judicii ſui neceſſe eſt eum dare rationem, quia cùm nec perſonam judicandi haberet, ſubrepſit, & Synodum auſus eſt facere ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ, quod nunquam ritè factum eſt, nec fieri licuit. Paſchaſinus verò Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Iſta ſic eſt. Nos contra præcepta beatiſſimi atque Apoſtolici Papæ gubernatoris ſedis Apoſtolicæ venire non poſſumus, nec contra Eccleſiaſticas regulas, vel contra Patrum inſtituta. Judices, & ſenatus dixerunt. Convenit, vos ſpecialiter quid erraverit, exponere. Lucentius Epiſc. & Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit. Et iſta ſic eſt. Non patimur tantam injuriam, nec vobis fieri nec nobis ut iſte ſedeat, qui judicandus advenit. Judices & ſenatus dixerunt. Si judicis obtines perſonam, non ut accuſator debes proſequi. Et Dioſcoro Epiſcopo Alexandriæ ſecundùm juſſionem judicum, & ſenatus reſidente in medio & reſidentibus Romanis, & Epiſcopis in propriis locis, & tacentibus, Euſebius Epiſcopus Doryleanę civitatis trãſiens in mediũ, dixit.

Per ſanctam Trinitatem vos adjuro, quæ cuſtos eſt principum, quamque colitis, & in qua baptizati eſtis, cujus quoque invocatione ſalvamini, jubete preces meas relegi. Clementiſſimi judices miſeremini & adeſte fidei, quæ violata eſt Dioſcoro. Clementiſſimi judices per ſalutem vos adjuro Imperatorum, Flavianus ſanctus Epiſcopus iniquè occiſus eſt. Lacrymis impleor: ſimul mecum injuſtè à Dioſcoro damnatus eſt. Jubete preces meas perlegi. Et lectæ ſunt publicè preces, & querelæ Euſebii Doryleanæ civitatis contra Dioſcorum: quibus oſtendit ipſum Dioſcorum in Concilio Epheſ. 2. malis, perturbationibus, atque ſeditionibus mundum repleſſe, conſenſiſſeque Eutychi vanilo quo hæretico in deſtructionem religionis, fideique Catholicæ. Inſuper quod injuſtè damnaverit, occideritque Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopolit. Ad quæ omnia petiit judices, ut præcipiant Dioſcorum reſpondere.

Quibus perlectis, petentibus Dioſcoro, & Euſebio, juſſu judicum atque Senatus, recenſita ſunt, quæ in Concilio Epheſino geſta fuerant, ut Dioſcori cauſa innoteſceret. Namque nitebatur ipſe probare prædictum Concilium legitimè congregatum, fuiſſeque Catholicum, & quod robur & authoritatem habuerit, ut ex hoc tam ipſe quàm Juvenalis Hieroſolymorum Archiepiſcopus, & Thalaſſius Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus qui præfati Concilii fuerant judices, evaderent quam juſtè merebantur damnationem: vel ſi ſecus (ut ſuceeſſit) incideret in foveam, quam fecit. Quam ob cauſam & pro manifeſtanda etiam Flaviani innocentia fecerunt Patres, ut legerentur in iſta prima actione acta tam Synodi univerſalis 1. Conſtantinopolit. quàm & 1. Epheſinæ & quædam epiſtolæ Cyrilli ad Neſtorium hæreticum & ad Joannem Antiochiæ Epiſcopum de pace, & de partu divinæ genitricis Virginis, & unigeniti Filii Dei humanitatis aſſumptione. Hac de cauſa nonnulla etiam recitantur acta in Concilio Nicæno. Et cùm legerentur acta in 2. Epheſina Synodo, & Dioſcorus in ſui defenſionem allegaret, quòd tota illic congregata Synodus ſecum tam in depoſitionem, & damnationem Flaviani, quàm in omnibus aliis, quæ ibidem decreta ſunt, conſenſiſſet, & propriis vocibus eadem confeſſa fuerit, atque ſubſcripſerit. Orientales, & qui cum ipſis erant omnes Epiſcopi dixerunt illud eſſe falſum: & quod nullus voluntariè conſenſerit: & addiderunt. Violenta facta eſt vis cum plagis, in pura charta ſubſcripſimus: minabatur nobis damnatio, minæ exilij tendebantur: milites cum fuſtibus, & gladiis inſtabant. Timebamus & fuſtes, & gladios. Ubi gladij & fuſtes qualis Synodus eſt? Milites propter hoc accepit Dioſcorus, ut nos terreret. Unde quicquid egimus, terrore compulſi fecimus. Peccavimus tamen; omnes veniam poſtulamus, etiam ſi per vim & neceſſitatem in pura charta coacti fuerimus nunc ſubſcribere.

Locus Concilij primus in S. Euphemia.

Papæ auctoritas hic coruſcat.

Ha habentur in Synodo Epheſina. Violenti a facta in latrocinali Epheſina.

Et cùm ex actis in præfata Synodo legeretur, quod fuerit congregata ex præceptione Imperatorum residentibus sanctissimis Episcopis Dioscoro Alexandriæ & Juliano Episcopo agente vices, & tenente locum sanctissimi Episcopi R. E. Leonis, cujus lectæ, & susceptæ fuerint epistolæ ad dictam Synodum directæ. Insuper quòd Patres omnes illic convenientes receperint libellum confessionis Eutychetis tanquam Catholicum, convictus est Dioscorus in multis: ipsa etiam Synodus reprobata, & ut acephala damnata. Nam cùm ista legerentur, Orientales & qui cum ipsis erant reverendiss. Episcopi clamaverunt: Ejectus est, nullus illic suscepit nomen Leonis Papæ, nec ejus epistolæ receptæ, nec permissæ sunt à Dioscoro legi, & quòd nec consenserint patres confessioni Eutychetis, eò quòd similis fuerit Apollinari, Valentiniano, atque Macedoniano, qui verbum illud a Patribus de Christo in Symbolo additum scilicet (Qui conceptus est de Spiritu Sancto & Maria Virgine) nusquam susceperint.

Secunda Synodus Ephesina damnata.

Deinde cùm inter cætera alia multa, ex actis Ephesinæ secundæ Synodi legeretur sic.

Consentimus, & confitemur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem, unam naturam confitemur. Quæ verba in Concilio Constantinopolit. pronuntiarat Eutyches in sua confessione, recepta tamen a Dioscoro in secunda Synodo Ephesina, & hic recitata. Quæ cùm legerentur Orientales, & qui cum ipsis erant Episcopi, dixerunt: Ista nemo dixit. Anathema ei qui dixit ista. Homicida dixit. Ægyptii dixerunt. Ista Pharaonis sunt. Anathema qui ista dixerunt. Hæc Dioscori sunt, &c. Perlectis quæ in secunda Synodo acta sunt, judices Senatus dixerunt.

Quoniam verò Flavianus religiosæ memoriæ, & Eusebius Episcopus ex gestorum, & cognitionum scrutatione, & ipsa voce quorumdam, qui tunc Synodo præfuerunt confitentium se errasse, frustrà eos damnasse, quia nihil circa fidem monstrantur erasse, ostenduntur injustè depositi, videtur nobis justum esse eidem pœnæ Dioscorum Episcopum Alexandriæ & Juvenalem Episcopum Hierosolymorum, Thalassium Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, & Eusebium Episcopum Ancyræ & Eustachium Episcopum Beryti, & Basilium Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui principatum tunc Synodi tenuerunt, subjacere, & ab Episcopali dignitate fieri alienos. Quam sententiam ut justam cæteri omnes Episcopi approbarunt, gratias deinde judicibus atque senatui referentes. Et sic absoluta est actio prima.

Notat Binius in prima actione non adfuisse Imperatorem, sed tantùm in sexta advenisse, ex Breviario Liberati c. 13. unde corrigenda exemplaria quæ orationem Imperatoris in hac prima actione exhibent.

ACTIO SECVNDA.

Conveniente sancto & universali Concilio secundùm sacram actionem in Chalcedonensi civitate congregato, id est, Paschasino, & Lucentio Reverendiss. Presbyteris agentibus vices sanctiss. & Deo amantiss. Archiepiscopi senioris Romæ sancti Leonis, & Anatholio sanctissimo Archiepiscopo Constantinopol. civit. novæ Romæ, & cætero sancto Concilio, &c.

Præceptum est à legatis & senatu, ut in præsentia Concilij legeretur symbolum 318. Patrum in Nicæa congregatorum. Et lecta est per Episcopum Nicomediæ expositio fidei Concilij Nicæni. De quo vide suprà.

Rursus præceperunt, ut recitaretur Symbolum 150. Patrum qui in Constantin. Synodo prima convenerant, quod cum epistolis etiam Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum de hæresi Eutychis Ætius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopol. recitavit.

Iterum etiam leguntur duæ epistolæ Cyrilli ad Nestorium, quæ habentur in prima actione hujus Synodi, quarum etiam mentionem fecimus in eadem actione. Quam invenies in Concilio Ephesino jam descripto.

Hæc acta sunt, ut per hæc examinaretur Dioscorus discipulus Eutychetis si sequeretur fidem prædictorum Patrum, vel aliam quam docuerat Eutyches.

Post lectionem verò epistolæ Leonis (quæ est 10. in numero) Episcopi clamaverunt. Hæc Patrum fides. Hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt, &c.

Et cùm legeretur prædicta epistola in qua & ista verba continebantur s. Et ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero, dubitantibus Illyricianis, & Palæstinis Episcopis, quidam Episcoporum surrexerunt, ut eos in his, quæ fidei sunt, instruerent. Et hac de causa, etiam & ut pertinentia ad fidem commodiùs tractarentur, inducias nonnulli petierunt, quas etiam judices concesserunt, differentes audientiam usque ad quinque tantùm dies. Et sic absoluta est actio 2.

ACTIO TERTIA.

Conveniente sacro, & universali Concilio, &c. Accusatur Dioscorus ab Eusebio Dorilei Episcopo sicut in actione prima, & supplicat sanctam Synodum ut sceleratum dogma Dioscori anathematizare dignaretur, ipsum etiam compellere, ut coram Concilio compareret. Dioscorus enim continuerat se domi, nolens coram Synodo comparere.

Dioscorus accusatur de multis.

Rursus accusatur absens à Theodoro Diacono Ecclesiæ Alexandriæ. Primum de homicidio. Secundo de blasphemia in sanctam Trinitatem. Deinde quod cum Origene consentiret, quòd incendiarius fuerit. Postremò quòd excommunicationem contra sanctissimum Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum Leonem fecerit: necnon etiam temerarius exiteris contra gestum in Metropoli Nicæna Concilium. Et dato libello accusationis subscripsit, dicens:

Paratus sum adveniente Dioscoro in hoc sanctum vestrum Concilium meis adesse accusationibus.

Post productus est alius libellus accusationis per Ischyrionem Diaconum, qui libellus sic incipit:

Sanctiss. & beatissimo universali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ & universali Chalcedon. Synodo, &c. Ubi de multis aliis criminibus prædictum accusat Dioscorum.

Quarto productus, & lectus est alius libellus accusationis adversùs eundem Dioscorum per Athanasium Presbyterum de similibus sceleribus.

Quintò, productus & lectus est alius libellus contra Dioscorum per Sophronium laïcum, in quo præter alia accusavit illum de adulterio: & quod iniquo desiderio captus suam rapuerat uxorem. Insuper quod ipsum Sophronium viribus totis Dioscorus de rebus humanis curaverat facere alienum.

Sextò, vocatus est Dioscorus ad Concilium per Notarium Concilij, ut responderet ad prædictas accusationes. Ille tamen simulans ægritudinem, noluit venire.

Vocatus est secundò directis literis à Concilio ad illum, & missis tribus Episcopis, qui commonefacerent illum, ut veniret, & satisfaceret de illis, quæ in Concilio illi ingerebantur. Quo adhuc renuente, directæ sunt literæ à sacro Concilio ad illum, quibus jam tertiò vocatus est, ut in sacrum illud Concilium dignaretur venire ad satisfaciendum simul & Reverendissimo Episcopo, & iis quæ illi adversùs tunc ingerebantur. Similiter responsurus & illis qui illic adversùs illum alios accusatorios dederant libellos, alias si post tertiam (dicunt Patres) hanc regularem vocationem ex omni parte nullam habentem suspicionem ad veniendum

distulerit, præsens sancta Synodus ad illum veniet modum, quem contra pertinaces, & contemptores Synodalis vocationis seruare solet, &c.

Et cùm adhuc in sua permaneret pertinacia, Paschasinus Episcopus, & cum ipso Lucentius Episcopus, & Bonifacius Presbyter tenentes locum sanctissimi, & beatissimi Archiepiscopi Apostolicæ Sedis senioris Romæ Leonis Papæ, pronuntiaverunt.

Manifesta facta sunt, quæ à Dioscoro quondam Alexandriæ Episcopo dimissa sunt adversùs sanctarum regularum ordinem, & Ecclesiasticam disciplinam, tam ex iis quæ dudum examinata sunt in priore consessu, & ex iis quæ hodie acta sunt. His enim ut plura intermittamus, Eutychem similia sibi sapientem, & regulariter à proprio damnatum Episcopo, id est, sanctiss. Flaviano, præsumens sibi primatum irregulariter in communione susceptit priusquam consideret in Epheso cum Deo amantissimis Episcopis. Sed & illis quidem Apostolica sedes veniam præstitit de his, quæ ibi non voluntariè ab eis gesta sunt, qui hactenus permanserunt obedientes sanctissimo Archiepiscopo Leoni & omni sancto, & universali Concilio. Hic autem & hactenus permansit glorians in eis, pro quibus cum oportebat gemere, & se terræ prosternere. Super hæc nec epistolam beatissimi Leonis Papæ ad sanctæ memoriæ Flavianum scriptam legi permisit, & si cum juramento fieri lectionem promiserit. Sed quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit, præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs sanctiss. Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem: insuper etiam & multi libelli multis ejus pleni iniquitatibus contra eum in sancto, & magno Concilio oblati sunt, & semel & secundò & tertiò, regulariter vocatus minimè voluit obedire, & hos, & hos qui à diversis Conciliis regulariter damnati sunt, contra divinas leges susceptit, ideo ipse contra se elicuit sententiam sæpiùs Ecclesiasticos conculcans Canones. Unde sanctiss. Archiepiscopus magnæ Romæ Leo per nos & per præsentem sanctam Synodum unà cum ter beatiss. & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.

Dioscorus privatur Episcopali dignitate.

Tunc Anatholius Archiepiscopus Constantinopol. dixit. Hæc eadem Apostolicæ Sedis per omnia sapiens concors sententiæ efficior. Similiter & omnes dixerunt consentientes sententiæ Legatorum Apostolicæ Sedis.

Post hæc sacrum Concilium epistolam ad Valentinianum, & Martinianum Imperatorum misit, rationem reddens omnium, quæ in his tribus actionibus gesta sunt in depositionem Dioscori, hujus causas in eadem epistola breviter complectens, ut Dioscori malitiam, & in eum prolatæ justę sententiæ sinceritatem consideraret.

Miserunt Patres & aliam epistolam ad sanctæ memoriæ Pulcheriam Augustam, quę idem quod in præcedenti argumentum.

2. Verus & de summa Trinitate & fid. Cathol.

Deinde subjectum est edictum, sive leges Valentiniani, & Flavii Martiani Imperatoris ad Constantinopolitanos cives, quo interdicuntur, & prohibentur disputationes Christianorum cum Paganis & Judæis. Quas leges Papæ Leo in suis confirmat epistolis: confirmantur autem Chalcedonens. Concilij edita, atque statuta.

Petitur confirmatio eorum à Pontifice Romano.

Extat in hac actione etiam relatio sanctæ Synodi Chalcedonensis ad Leonem Papam de omnibus gestis generaliter in Synodo, Quæ universa postulant confirmari authoritate Apostolica, ut latè ponitur in epistola, quæ incipit. Repletum est gaudio os nostrum, &c. Et inter alia hæc subjiciuntur. Hæc sunt, quæ tecum, qui spiritu præsens eras, & placere tanquam fratribus deliberasti, & qui penè per tuorum Vicariorum sapientiam videbaris nobis, effecimus. Indicavimus verò quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, scientes, quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura, & confirmatura est eadem. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium, &c.

Ad quam epistolam respondet Leo, & confirmat acta hujus Synodi excepto decreto primatus Constantinopol. Ecclesiæ supra Alexandrinam, & Antiochenam: & est inter epistolas Leonis epistola 59. quæ incipit. Omnem quidem fraternitatem vestram, &c.

ACTIO QVARTA.

Congregato sancto, & universali Concilio, &c.

Primo judicum & senatus jussu lecta sunt coram Synodo, quæ in præcedentibus actionibus acta fuerant. Deinde judices, & senatus dixerunt. Singuli Reverendiss. Episcopi, qui hic Convenerunt, doceant, si expositio 318. Patrum qui olim in Nicæa collecti sunt, & post hæc 150. qui constantinopoli congregati sunt, consonet epistolæ Reverendissimi Papæ Leonis. Anatholius Archiepiscopus Constantinopolitanus dixit. Non solùm illis consonat epistola sanctiss. Leonis Papæ, sed & iis, qui in Epheso sub beatiss. Cyrillo gesta sunt ab universali & sancto Concilio. Hoc idem Vicarij Sedis Apostolicæ cum omnibus aliis Episcopis dixerunt.

Epistola Leonis Papæ approbatur.

Illyriciani & Palæstini Episcopi, qui in 2. actione cum legeretur epistola Leonis Papæ (ut diximus) dubitare cœperant super verbis illis jam recitatis, cõsequenter dixerunt. Nos sanctorum Patrum 318. qui in Nicæa convenerunt, fidem semper servavimus, & servamus. Sequimur & 150. Patrum nullo modo dissonantem. Consentimus etiam actis & constitutis in prima Synodo Ephesina. Sed & lecta est nobis epistola beatissimi Archiepiscopi Romani Leonis in plurimis recte habens & prædictis consonans, & consentimus. Aliqua autem ex ipsa apparuerunt verba, ut partitionem & separationem aliquam à divinitate carnis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam sibi adunavit de sancta Virgine Maria, demonstrantia, de quibus paulò ante dubitabamus. Sed cùm jam à sanctissimis Vicariis locum tenentibus ejusdem sanctissimi Leonis edocti simus, quia talia verba nullam partitionem in Domino & Salvatore nostro Jesu Christo: sed unum eundemque Dominum filium Dei indicant, consentimus.

Opponunt se 10. Episcopi Ægyptii.

Deinde surrexerunt aliqui Episcopi Ægyptiæ Regionis pro tota illa Provincia, & suam confessionem in scriptis dederunt, in qua secundùm fidem à sanctis prædictis Concilijs expositam fatebantur se credere, epistolæ autem Leonis Papæ nolebant subscribere. Ob idque magna est concertatio & tumultus in Synodo, ut compellerent illos Leonis Papæ epistolæ subscribere, aut regularem damnationem, ut excommunicati, susciperent: indignè ferentes Patres, ut decem homines præjudicium facerent Synodo sexcentorum Patrum, & Catholicæ fidei: illi verò instanter clamabant misericordiam petentes, ut concederetur illis à sancta Synodo à tali subscriptione ut supersedere possent, quoadusque esset electus Archiepiscopus pro Ecclesia Alexandrina, cujus consensum (ut mos in Ægypto erat) Episcopi debebant expectare, ut tale quid possent deliberare. Sin autem, quod in Concilio fieret Archiepiscopus Alexandrinus, & tunc subscriberent, & consentirent. Hæc sententia fuit Paschasini Episcopi Vicarij Sedis Apostolicæ, quam curavit executioni mandari Imperator. Ita in codice Græco Parisiis impresso. Tandem datis fide jussoribus quòd non exirent de civitate, quoadusque acciperet Episcopum Alexandriæ, quando non ut repugnarent Catholicæ fidei nec non obtemperarent Synodo, subscribere in præsenti distulerint, eorum petitioni sacra annuit Synodus.

Archimandritæ hæretici.

Extat in fine hujus actionis epistola Pseudo-Archimandritarum hæreticorum quam protulerunt in Concilio

Petici pro-tomi reſtitutio Dioſcori.

Concilio pro reſtitutione Dioſcori. Quæ cum legeretur omnes Epiſcopi clamarunt. Anathema Dioſcoro. Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Iſtos foras mitte. Petitiones iſtas Synodo audire non licet. Quia damnatus ab omni Synodo Epiſcoporum nominare non licet, &c. Et ſic abſoluta eſt actio quarta.

ACTIO QUINTA.

In iſta actione poſt multas allegationes ultro citroque habitas, committitur quibuſdam Epiſcopis cum Vicariis Apoſtolicæ Sedis & Anatholio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, ut definitionem de fide inter ſe ordinarent, cui omnes poſtea aſſentiri deberent, in quo decreto quæ à 318. Patribus in Nicæa, & quæ à 130. in Synodo Conſtantinopolit. prima ſtatuta ſunt, ſimiliter & geſta in Synodo Epheſina prima congregata ſub Cœleſtino Papa, & Cyrillo Archiepiſcopo Alexandriæ, revocantur & recipiuntur. Similiter & Epiſtola Leonis Papæ ad Flavianum pro expugnanda pravitatis Eutychis perfidia, miſſa recipitur à ſancta Synodo: habita de his conſultatione in oratorio S. Euphemiæ priuſquam in Synodo recitarentur.

ACTIO SEXTA.

Conveniente ſancta & univerſali Synodo, &c.

Imperatoris adventus in concilium.

Ad hanc actionem venit Imperator Marcianus, qui Græce & Latine ſanctam allocutus eſt Synodum, hortans Patres ut rejectis omnibus hæreſibus pura fides luce ſua reſpleudeat in omnibus mentibus. Poſt vero allocutionem, lecta eſt Imperatori definitio fidei quæ in actione quinta fuerat prolata.

Et poſt lectionem definitionis extant ſubſcriptiones Epiſcoporum, & multi pro abſentibus Epiſcopis ſubſcripſerunt. Paſchaſinus Epiſcopus vice Domini mei Beatiſſimi atque Apoſtolici viri univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præſidens ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi. Similiter & alii duo Vicarii Beatiſſimi Leonis Papæ dixerunt & ſubſcripſerunt. Conſequenter & alii Epiſcopi ſubſcripſerunt.

Imperatoris edictum.

Poſt hæc idem piiſſimus Imperator ad ſanctam Synodum dixit. Pia Catholica fide à ſancta & univerſali Synodo ſecundum patrum expoſitionem declarata, juſtum ſimul & expediens eſſe noſtra tranquillitas approbavit, omnem de cætero contentionis occaſionem de ſanctæ fidei religione penitus amputari. Si quis igitur idiota, vel militaris, vel clericus publice de fide turbam congregans, ſub obtentu diſputationis tumultum fecerit, ſciat, quia ſiquidem idiota ſit, ab urbe regia expelletur, militaris verò & clericus gradus ſui periculum ſuſtinebunt, & pœnis aliis ſubjacebunt. Tunc omnes clamaverunt. Multos annos Imperatori. Multos annos Auguſto pio & Chriſtiano, Auguſtæ Orthodoxæ multi anni; &c. Dioſcoro anathema, &c.

Imperator ad ſanctam Synodum dixit. Quædam capitula ſunt, quæ ad honorem veſtræ reverentiæ vobis ſervavimus, decorum eſſe judicantes à vobis hæc realiter potius formari per Synodum, quam noſtra lege ſanciri. Et jubente piiſſimo Principe lecta ſunt capitula, quæ ſuperfluum judicavimus recenſeri, utpote quod primum caput ſit can. 4. & 2. cap. ſit 3. can. & 5. cap. ſit can. 5. hujus Concilii, & in aliis ſæpe repetitus.

ACTIO SEPTIMA.

In iſta actione agitur de concordantia duorum Epiſcoporum Maximi Antiochiæ & Juvenalis Hieroſolymæ jam inter ſe compoſita ſuper quibuſdam parochiis, quam poſtulant à ſancto Concilio (ut permaneat) confirmari: quod & factum. Et nihil præterea.

ACTIO OCTAVA.

Reſidente ſancto Concilio ante cancellos ſanctiſ-

mi altaris, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Theodoretus modo anathematizet Neſtorium. Theodoretus dixit: Ego preces meas obtuli piiſſimo Imperatori, & libellos obtuli Reverendiſſ. Epiſcopis agentibus locum Archiepiſcopi Leonis: & ſi vobis placet, legantur coram vobis, ut ſicut ſapio cognoſcatis. Epiſcopi clamaverunt, Nihil relegi volumus, modo anathematiza Neſtorium. Theodoretus dixit: Ego ab orthodoxis nutritus ſum: Orthodoxe prædicavi & docui: & non ſolum Neſtorium & Eutychem, ſed & omnem hominem, qui recte non ſapit, adverſor. Epiſcopi dixerunt: Clare dic anathema Neſtorio, & dogmatibus ejus anathema. Tandem compulſus eſt, ut expreſſe & clare Neſtorium & Eutychem, omnem hæreticum, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, & eos, qui non dicerent Dei genitricem Virginem Mariam, anathematizaret. Quod cum dixiſſet, Omnes Epiſcopi clamaverunt. Theodoretus dignus eſt ſede Eccleſiæ. Orthodoxum Eccleſia paſtorem recipiat. Archiepiſcopo Leoni multos annos. Poſt Deum Leo judicavit. Et ſic decretum eſt à ſancta Synodo, ut Theodoreto Eccleſia ſua reſtitueretur, à qua fuerat & ejectus, & ab Epiſcopatu excluſus.

Anathema Neſtorio cogitur dicere Theodoretus.

De Theodoreto.

VIta ipſius à Patre Sirmondo ipſius operibus græce & Latine editis an. 1642. typis Pariſinis præmiſſa, quis quantuſque fuerit, ſatis demonſtrat, quamvis ipſum, quod pleriſque magnis viris quandoque accidit, graves fluctus exercuerint, maximè in Synodo Epheſina & Chalcedonenſi, nec non in quinta Synodo poſt mortem, ubi ejus ſcripta in 12. anathematiſmos à D. Cyrillo in Neſtorium vibratos, ut impia damnata ſunt. Quin etiam ipſe de Neſtorii hæreſi ſuſpectus aliquando fuit quod humanum quid paſſus, ut Joanni Antiocheno gratum faceret, eo ſe adduci ſiveret ut anathematiſmos illos, totius fidei & religionis adverſus impietatem Neſtorii medullam, cavillaretur. Sic enim impio viſus eſt dare auxilium. Et qui pios impugnat pro impiis ſtare & pugnare judicatur. Quare coactus eſt in Chalcedonenſi dicere anathema Neſtorio, quod per hujuſmodi ſcriptum, ſuſpectum ſe reddidiſſet de Neſtorianiſmi impietate. Quamvis quæ fuerit ejus mens & ſenſus non ita pateat, quin locus relictus ſit variis ea de re ſententiis. Cum Sirmondus in ejus vita æſtimet ipſum reprehendiſſe hos anathematiſmos magis ut hæreſi Apollinaris affines quam Neſtorio contrarios, cum etiam in his aliquid ineſſet quod explicationem poſceret. Unde & ſubſcripſit damnationi Neſtorii, & cum aſtu & poteſtate Dioſcori Cyrilli ſucceſſoris in ſede Alexandrina qui Eutichetis cauſam ſuſceperat, de Neſtorianiſmo accuſatus & ſede ſua privatus fuiſſet in Synodo hæretica Epheſina (ſolebant enim Eutychiani de Neſtorianiſmo inſimulare Catholicos) appellavit ad Leonem Papam Rom. à quo ut Orthodoxus abſolutus & reſtitutus eſt per Imperatorem ut epiſt. 139. ipſemet meminit. Certe fidem ſuam rectam fuiſſe de Chriſto prodit ipſemet etiam epiſt. 21. quo non obſtante de capitibus Cyrilli, ſic indicat Epiſt. 112. non norunt inſitum in duodecim capitibus venenum. Ea ſcilicet impugnavit, ut Apollinariſmum redolentia, quod in iis aſſeratur Verbum carnaliter caro factum, quaſi mentem etiam non ſuſcepiſſet Verbum. Non ſatis capiens ſenſum Cyrilli, ut apparet in eadem Epiſtola, in qua ipſos recipientibus multum ſe reſtitiſſe apud Epheſum teſtatur. Et licet Epiſt. 121. aperte ſcribat ſe adhærere Leonis Epiſtolæ ad Flavianum, hanc ſuam eſſe fidem, ſed reſtabat ut ſcripta in Cyrilli anathematiſmos revocaret. Quod cum omiſerit, Cyrillo id ab ipſo non exigente, damnata ſunt in quinta Synodo, ipſo jam mortuo.

Denique qualis fuerit Theodoretus Epiſtola ipſius 112. quæ eſt ad Leonem Papam omnino manifeſtat. In qua recurrit ad ipſius tribunal & judicium contra

iniquam Dioſcori in ipſummet ſententiam in Latroci- A
nio Epheſino. Et homicidas quidem, inquit, ac ſe-
pulchrorum effractores, alienarumque nuptiarum in-
vaſores, non prius condemnant judices, quam vel ipſi
objecta crimina confeſſione ſua firmarint, vel ab aliis
aperte fuerint convicti. Nos autem hic in divinis le- *Appellatio ad Papam.*
gibus enutritus triginta manſionibus diſtantes con-
demnavit. Ac manifeſtans ſuam in vivendo innocen-
tiam ad alliciendum animum Leonis. Divina inquit
mihi cooperante gratia ſupra mille animas Marcionis
morbo liberavi, multaſque alias ex Arrii & Eunomii
partibus ad Chriſtum Dominum perduxi. Et octo-
gintarum Eccleſiarum Paſtoralium curam ſortitus ſum.
Tot enim Cyrus habet Parochias, in quibus precum
veſtrarum auxilio lolium nullum relictum eſt, ſed om-
nibus hæreticis grex noſter ereptus eſt. Novit qui om-
nia conſpicit quot lapides ab ipſis hæreticis in me con-
jectos exceperim: quot mihi multis in urbibus Orien- B
tis adverſus gentiles, adverſus Judæos certamina fue-
rint. Et poſt tantos labores ac ſudores indicta cauſa
condemnatus ſum. At ego Apoſtolicæ veſtræ Sedis
expecto ſententiam, & oro atque obteſtor ſanctita-
tem tuam, ut mihi rectum ac juſtum tribunal veſtrum
innocenti opem ferat, jubeatque ad vos venire, & *Præclara geſta Theodoreti.*
doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem
oſtendere. Poſt hoc recenſet varios libros à ſe editos
ac ſubjungit, quod ſi in judicatis manere me juſſeri-
tis, manebo neque ulli hominum deinceps moleſtus
ero, ſed rectum Dei Salvatoriſque noſtri judicium ex-
pectabo. Addit iſtis, ſcandalum infirmorum quos ab
hæreſi liberavit qui ipſum hæreticum exiſtimare poſ-
ſent. Quodque inquit Epiſcopatu tot annis geſto non
domum acquiſierim, non agrum, non obolum, non C
ſepulchrum, ſed ſpontaneam paupertatem amplexus
ſum, & ea quæ à parentibus ad nos pervenerunt, poſt
illorum mortem ſtatim diſtribuerim, ut ſciant omnes
qui habitant in Oriente. Quibus perpenſis non placet
eorum conſilium qui extra ſcripta in illos XII. anathe-
matiſmos Cyrilli, ſi quidpiam ex ejus ſcriptis objici-
unt hæretici Lutherani aut Calviniſtæ, ſtatim ele-
vant ipſius auctoritatem, quam non tanti faciendam
putant propter eventus horum conciliorum: ut Car-
dinalis Groperus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti
in Euchar. art. 1. c. 63. Quamvis hac ipſius rejectione
uti nolit, quod quæ ex ejus dialogis objiciuntur, ſi non
depravate ſed genuina ipſius mente accipiantur, con-
vellant ac damnent hæreticos.

ACTIO NONA.

Accuſabatur Ibas, quòd publice coram clero & po- D
pulo dixiſſet. *Non invideo Chriſto facto Deo.* Et etiam
quòd Cyrillum vocaſſet hæreticum. Ab aliis inſimu-
labatur de diſtractione bonorum Eccleſiaſticorum,
quorum diſputatio penes Epiſcopos cum eſſet, ſuſpe-
ctos quandoque ipſos reddebat. Cumque inciperet
agitari ejus cauſa, remiſſa eſt ad ſequentem diem.

ACTIO DECIMA.

Ventilatur accuſatio contra Ibam Edeſſenum Epiſ- E
copum, quem Eutichiani in variis conciliis vexaverant
plurimis accuſationibus quaſi Neſtorianus eſſet. In-
troductus in Synodum ut ſatisfaceret, conqueritur
ſe viginti amplius carceres mutaſſe. Inſtantibus au-
tem ipſius accuſatoribus pluribus criminibus ipſum
eſſe obnoxium, Epiſcopi dixerunt, ſuperfluum eſſe *Vitia capitalia vitia Sacerdotum.*
alia capita accuſationum diſcutere, quam quæ cano-
nibus interdicta ſunt aperte odioſa Deum timentibus. Videntur hæc eſſe principalia. 1. rectæ oportet
eſſe fidei qui fungitur Sacerdotio. 2. eſſe totius luxu-
riæ liberum. 3. ſed nec prodere pietatem, maxime pe-
cuniarum cauſa. Ex quibus ſi alicujus poteritis proba-
re prævaricatorem proprio ore deponite. Poſt multam
itaque ejus fidei & dictorum contra Cyrillum Alexan-
drinum diſquiſitionem, ac etiam lectionem illius Epi-
ſtolæ quam ad Marim Epiſcopum Perſam ſcripſerat,
talem audivit ſententiam.

Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Preſbyter tenentes locum Sedis Apoſtolicæ. Quia miſſi Apoſtoli ſemper in Synodis prius loqui & confirmare ſoliti ſunt: per Paſchaſinum dixerunt: Relectis chartis agnovimus in ſententia Reverendiſſimorum Epiſcoporum Ibam reverendum innoxium approbari. Relecta enim eius Epiſtola cognovimus eum Orthodoxum: & ob hoc decernimus ei honorem Epiſcopatus reſtituendum, & Eccleſiam à qua injuſte & abiens expulſus eſt, reparandam. De ſanctiſſimo igitur Epiſcopo Nono, qui pro eo paulo ante factus eſt, exiſtimationis erit venerabilis Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ quid oporteat de eo ſtatui, &c. Omnes Epiſcopi clamaverunt: omnes eadem dicimus. Neſtorium modo anathematizet: Eutychem & ejus dogma modo anathematizet.

Ibas reverendus Epiſcopus dixit. Et jam in ſcripto anathematizavi Neſtorium, ejuſque dogma, & nunc anathematizo eum decies millies. Quod enim ſemel cum ſatisfactione fit, & ſi fiat decies millies non contriſtat. Anathema Neſtorio & Eutychi. Et omnem eum, qui non ſapit ſicut hæc ſancta Synodus, anathematizo. Glorioſiſſimi judices dixerunt. Quæ judicata ſunt à ſancta Synodo de Iba Reverendiſ. Epiſcopo, propriam fortitudinem retinebunt. Et ſic abſoluta eſt actio decima. *Ibas decies millies anathematizat Neſt.*

ACTIO UNDECIMA ET DUODECIMA.

In iſtis duabus actionibus agitur cauſa inter Baſſianum & Stephanum contendentes de Epiſcopatu Eccleſiæ Epheſinæ, & definitum eſt, ambos eſſe removendos, qui præter regulas Epiſcopi facti fuerant, & alterum Epiſcopum ordinari: prædictos verò habere Epiſcopi dignitatem, & à ſanctiſſima Epheſina Eccleſia nutriendos.

In 13. & 14. actionibus tractatur de compoſitione quorumdam Epiſcoporum, & præterea nihil.

Actione 15. Varii eduntur Canones, qui infra dabuntur.

ACTIO DECIMA-SEXTA.

Conveniente ſancto & univerſali Concilio, reſidentibus omnibus ante altaris cancellos ſanctæ martyris Euphemiæ, Vicarii Sedis Apoſtolicæ ad judices dixerunt. Heſterna die poſtquam poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſecuta eſt, quædam facta dicuntur, quæ nos, & præter Canones Eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta. Poſcimus ergo, ut veſtra magnificentia relegi hæc percipiat, ut omnis fraternitas inſpiciat, utrum juſta, an injuſta ſint ea, quæ geſta ſunt. Judices dixerunt. Relegatur. Beronicianus vir devotus, Secretarius divini conſiſtorii legit ſic.

Definitiones Sanctorum Patrum ſequentes ubique & regulam, & quæ nunc relecta ſunt 150. Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, qui congregati ſunt ſub piæ memoriæ Imperatore majore Theodoſio in Regia civitate Conſtantinopoli, cognoſcentes & nos eadem definivimus de privilegiis ejuſdem Conſtantinopolit. Eccleſiæ novæ Romæ. Etenim ſedi ſenioris Romæ propter Imperium civitatis illius patres conſequenter privilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantiſſimi Epiſcopi æqua ſedi novæ Romæ privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes, Imperio & ſenatu urbem ornatam æquis ſenioris Romæ privilegiis frui, & in Eccleſiaſticis ſicut illa, majeſtatem habere negotiis, & ſecundam poſt illam exiſtere: & ut his, qui de Ponto ſunt, & de Aſia, & de Thracia, Diœceſibus Metropolitanos ſolos, rurſus autem & qui inter Barbaros ſunt Epiſcopos præfatarum Diœceſium ordinati à prædictæ *Hic eſt 28. Canon hujus Synodi in editionibus Græcis quem non admiſit Papa Leo.*

Constantinopolit. Sedis Ecclesia, quippe ut unusquisque Metropolita præfatarum Diœcesum cum Episcopis suæ provinciæ ordinet suæ regionis Episcopos, sicut divinis Canonibus est præceptum. Ordinari autem (sicut dictum est) Metropolitas præfatarum Diœcesum a Constantinopolitano Archiepiscopo, decretis consonis secundum morem factis, & ad eum relatis. Anatholius Episcopus Constantinopolis definiens subscripsi. Maximus Episcopus Antiochiæ definiens subscripsi & cætera. Lucentius Episcopus Apostolicæ Sedis Vicarius dixit.

Privilegia Patriarcha C. p ven tilantur.

Primo gloria vestra perpendat, qua circumventione cum Episcopis sanctis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus quorum mentionem fecerunt, subscribere sunt coacti. Episcopi clamaverunt: Nemo coactus est. Lucentius Episcopus Sedis Apostolicæ dixit. Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quæ dicuntur. quæ dicunt ante octoginta propè annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus in hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt? Ætius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinop. dixit. Si de hoc capitulo aliquod manditum acceperunt, proferant. Bonifacius Presbyter Sedis Apostolicæ Vicarius dixit. Beatissimus & Apostolicus vir Papa inter cætera hoc nobis mandavit, & ex chartula recitavit, sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam, nulla patiamur temeritate violari, servantes omnimodo personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem. Ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi restaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis. Judices dixerunt. Utraque pars Canones proponant. Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit Canonem sextum Concilii Nicæni, & secundum Canonem Constantinopolitani Concilii, & alios recitaverunt Canones Vicarii Sedis Apostolicæ, ubi decernitur sedem Romanam esse in omnibus & per omnia primam, & post illam secundum habere gradum Constantinop. Hæc quæstio valde inter Vicarios sedis Apostolicæ cæterosque Episcopos controvertitur. Tandem judices dixerunt: Ex his quæ gesta sunt, vel abunoquoque deposita perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum (secundum Canones) antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari. Oportere autem Archiepiscopum Constantinop. eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse. & potestatem habere ordinare Metropolitanos in Asiana & Pontica, & Thracia Diœcesibus, hoc modo, ut electi à clericis cujuscunque Metropolis Episcopi referantur ab eligentibus Archiepiscopo Constantinop. ut penes eum sit (si velit) hunc, qui electus est confirmare, repudiareve, & cætera. Episcopi dixerunt. Hæc omnes dicimus. Hæc omnibus placent. Lucentius Episcopus Sedis Apostolicæ Vicarius dixit: Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet. Et ideo quæcumque in præjudicium Canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circonduci jubeatis, sin alias contradictio nostris gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ deferre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam. Episcopus Sebastæ dixit. Omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus.

Invalida quæ absque Apostolicæ sedis Legatis in Concilio gesta sunt.

Additamenta quædam hinc inde collecta ad acta Concilii Chalcedonensis.

IN fine actionis primæ pro gratiarum actione & Dei laudum celebratione, facta est trisagii acclamatio, videlicet *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*. Additumque. *Multos annos Imperatori*, &c. Hymnus iste anno 446, per puerum in aëra miraculosè elevatum dum terræ motu urbs Constantinopolitana concuteretur, toti populo misericordiam Dei in campo extra urbem imploranti innotuit primum, eoque pronuntiato ab universo populo quievit tunc terræ motus. In hoc autem hymno divinitas impassibilis ac immortalis contra impium Eutichetis dogma asseritur, sic Deo Optimo Maximo ante prælii tempus arma præparante, ante venenum medicamenta, & ante famem frumenta, notat Coriolanus.

Dioscori tergiversationes.

Acta Nicephoriana habent sess. 2. Dioscorum multoties invitatum multis modis tergiversatum fuisse. Primo dixisse sibi fieri insidias, si tuto venire permitteretur, paratum se ut in sanctam Synodum veniret. Alia vice respondisse, cum de meipso deliberarim, & id quod utile commodumque considerarim, hoc sic respondeo. Quandoquidem in proximo consessu magnificentissimi considentes principes in consilium iere, & multa post multas interlocutiones decrevere: & nunc ego in consessum alium ad ea quæ dicta sunt revocanda atque abolenda evocor, ad magnificentissimos qui proximæ Synodo interfuere, & sacrum Senatum ut de jisdem rebus denuò inquiratur provoco. Cumque ad hæc alii missi essent ut eum accerserent ut rebus agendis adesset, reversos illos hisce eum verbis usum esse retulisse. Antea quoque pietati vestræ indicavi, valetudine adversâ me correptum esse, & petere ut magnificentissimi principes & sacer Senatus nunc quoque rerum inquisitioni & judicio adsit. Cum vero valetudo mea invaluerit diffundi ob eam causam diem postulo. Commentarii porro actorum indicant Cecropium Dioscoro dixisse: Nihil eum antea de valetudine dixisse, proinde illum pro eo atque deberet Canonibus satisfacere oportere. Affert alia Coriolanus ad Sessionem 3.

Cùm ad hanc Sessionem Dioscorus, qui à militibus domi custodiebatur, ne fugam arriperet, secundo citatus, propter absentiam Judicum & prætensam quamdam ægritudinem comparere recusasset; lecti sunt libelli accusationum, quos Theodorus & Ischirion Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconi, Athanasius ejusdem Ecclesiæ Presbyter, neque Sophronius Christianus, contra Dioscorum obtulerunt. Primo libello accusatur, quòd esset Origenista hæreticus, blasphemus in Sanctam Trinitatem, homicida Flaviani, incendiarius, injustus, & temerarius, utpote qui Theodorum Diaconum nulla alia de causa à Diaconatu amovisset, nisi quòd S. Cyrilli Episcopi amicus fuisset: quòd post hominum memoriam primus Romanum Pontificem excommunicando, scelus inauditum commisisset. Secundus libellus Ischirionis post confirmata prædicta scelera continebat, quòd frumentū ad conficiendam Eucharistiam & solatium peregrinorum ab Imperatore Ecclesiis Libiæ dari solitum, surripuisset; adeò ut eam ob causam incruentum Sacrificium Missæ diu oblatum non fuerit. Adjecit, quòd ea bona, quæ Peristeria nobilissima fœmina per testamentum Monasteriis & pauperibus contulisset, eo fine ut pro salute animæ suæ Sacrificium Deo offerretur, ille scortis & turpibus personis in Eleemosynam contulerit, ut ne quidem ex bonis illius (quod vetus & recepta consuetudo orandi pro defunctis, tunc meritò impiissimum esse judicabat) incensum Deo pro ejus anima obtulerit. De vita ipsius valdè obscœna plurima addidit, ut quòd subintroductas fœminas haberet in Episcopio, quibuscum in balneo lavaretur, & quòd inter alias Pansophiam quandam famosissimam magno omnium Alexandrinorum scandalo in deliciis haberet. Postremò quòd non satis ei fuerit, Theodorum Diaconum ob amicitiam cum Cyrillo habitam Diaconatus officio privasse, verùm etiam possessiones ejusdem per Monachos à se missos incenderit, arbores exciderit, jussusque occidi Theodorus, vix fugiens evaserit. Tertio libello Athanasius Presbyter Cyrilli Alexandrini, se cum fratribus & cognatis urbe ejectum, omnibus bonis ac fortunis spoliatum, tormentis Chrysapii subjectum, ad summam paupertatem adactum esse, ut

Capitum dam. cujusque. num in Dioscorum.

Sacrificium Missæ.

Intensum thuris.

mendicando victum quærere debuerit. Fratrem inter tormenta expiralle : ſibi Preſbyteratum ademptum eſſe : & ne veſtigium ullum Alexandriæ ſuperaſſet, domos ſuas in Eccleſias converſas eſſe. Quarto libello Sophronii, tyrannidis eſt accuſatus, utpote qui pœnam adulteri cujuſdam, quem Imperator puniri reſcripſerat, impediverit; dicens, Ægyptum magis ad ſe, quàm ad Imperatorem pertinere; ideoque etiam allatas Alexandriam novi Imperatoris Marciani imagines, per ſuos urbe efferri mandaverit. Hic viſis, ne qua ſolemnitas requiſita deeſſet, placuit Patribus, ut Dioſcorus adhuc tertiò vocaretur per ſcriptum citationis libellum, qui prætenſas illius excuſationes falſas eſſe demonſtrabat. Legitimè igitur tertiò citatus, ut libellis Alexandrinorum contra ſe oblatorum reſpondeat, contumax in propoſito perſtitit, & adeſſe recuſavit. Cùm igitur nihil reliquum eſſet ad ejus defenſionem vel excuſationem, ipſi Apoſtolicæ Sedis Legati adverſus Dioſcorum damnationis; & ab Epiſcopatu omnique Eccleſiaſtica functione depoſitionis ſententiam protulerunt. Singuli verò Epiſcopi, ſingulis ſententiis impium Dioſcorum perſtringentes, eidem ſubſcripſerunt. Latam ſententiam ipſi Dioſcoro inſinuarunt, perque Synodicas Epiſtolas ad Imperatores, Pulcheriam Auguſtam, & ad Clerum Alexandrinum ſcriptas, eamdem ubique promulgarunt. Sed nec omitti debet quod idem refert ad Seſſionem 5.

DEcimo tertio Kalendas Novembres anni 451. habita eſt Seſſio quinta duabus actionibus, uno eodemque die tranſlata. Priore Actione Caroſus, Dorotheus, aliique Archimandritæ illi qui libellum Marciano Imperatori obtulerant, petiverunt ſibi concedi, ut coram Imperatore de fidei veritate cum Catholicis diſputare liceat. Id quod hæreticis piiſſimè reſpondit Imperator, Alexander Viſitator & Joannes Decurio in Synodo retulerunt, his verbis: *Hæc cum audiviſſet Dominus orbis*, Marcianus Imperator, *ſignificavit per me & Dominum Joannem Decurionem: Si voluiſſem ego fedare inter vos atque alios Monachos, & audire inter utroſque vos, non hic ſanctam & Univerſalem Synodum fatigaſſem; ſed cùm ipſi conveniſſent, & nos de vobis certiores freciſſent, dixi ut vos adeſſetis, & ea quæ neſcitis, cognoſceretis, & interrogando ea quæ non noſtis, addiſceretis ab iis. Juſſum igitur decrevimus vos ad Concilium abire. Nam ut ſciatis, quæcumque definierit ſanctum ac Univerſale Concilium, ac mihi in ſcriptis dederit, ea ſequor, his contentus ſum, his fidem habeo. Hoc habete, nec à me aliud reſponſum accipietis.*

Non eſt Concilio-rum diſputatio.

His enarratis, magno præconio Imperatori acclamatum eſt. Hæreticis verò ad reſipiſcendum datæ ſunt induciæ uſque ad decimam quintam Novembris.

Sed ut ad acta Nicephoriana redeamus, de libello Monachorum hæc habent. Deinde preces Monachorum quorumdam productæ ſunt, quarum hoc erat caput, ne eis neceſſitas chartis aliquibus ſubſcribendi imponeretur, donec Synodus univerſa, quam Imperator ipſe cogendam ſanxiſſet, congregata eſſet, & ipſe decreta ejus rite in ſcriptum relata legiſſet. Eis lectis Diogenes Epiſcopus Cizici dixit, Barſumam unum inter eos qui ibi conveniſſent eſſe, qui Flavianum jugulaverit. Ipſum enim ἐσφάξεν, ideſt, jugula exclamaſſe: neque tum legitimè quod in ſupplici libello nominatim inſertus non eſſet, in Synodum veniſſe. Ad hæc verba Epiſcopi omnes exclamaverunt: Syriam omnem Barſumas veſtavit, & mille nobis Monachos indixit. Atque ubi Synodus collocuta, eos qui conveniſſent Synodalem conſtitutionem præſtolari juſſit: Monachi ut libelli ab eis compoſiti legerentur, poſtularunt. Quorum pars quædam erat, ut Dioſcorus & qui cum eo erant Epiſcopi in conſeſſum admitterentur. Cæterum ad petitionem eam Epiſcopi omnes exclamarunt: Anathema in Dioſcorum, Dioſcorum Chriſtus exauthotavit. Monachos hoſce ejice: contumeliam Synodi tolle: vim Synodo illatam tolle: probrum Synodi tolle. Atque adverſum ea Monachi vociferati ſunt: Monaſteriorum contumeliam tolle: & cum Synodus rurſum vociferationes ſuas repeteret, per interlocutionem reliqui eorum libri juſſi ſunt legi: qui dictabant non rectè Dioſcoro dignitatem ademptam eſſe: & quæſtione de fide propoſitâ, diſquiſitione opus eſſe, atque illum in conſeſſum venire debere. Sin minus veſtimenta ſe excuſſuros, & ab Epiſcoporum qui ibi conveniſſent communione receſſuros eſſe dixerunt. His verbis auditis Ætius Archidiaconus Canonem de eis legit, qui ſeipſos ſegregarent, &c.

Barſuma Monachi facta nefanda.

Poſtea in conſeſſu quinto, principes omnibus ſatis liquere dixerunt, ea quæ de fide eſſent conſtituta, & Aſclepiades Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus in medium proceſſit & Synodi decretum legit, quod hic referre viſum non eſt: & nonnulli quidem reluctati ſunt, plurimi autem aſſenſi. Porro poſtquam variæ vociferationes editæ ſunt, principes dixerunt, Dioſcorum retuliſſe propterea ſe Flavianum exauthoraſſe, quod duas naturas eſſe dixerit: decretum autem hæc verba *ex duabus naturis habere*. Ad quæ Anatolius intulit, non propter fidem Dioſcorum damnatum eſſe. Sed quod Leonem in excommunicationem conjecerit & ter citatus non comparuerit. Atque ex eo tempore principes ut ſententiæ Epiſtolæ Leonis decreto inſererentur juſſiſſe. Cum autem Epiſcopi reſpondiſſent; decretum & formulam fidei aliam, cum prior illa rectiſſimè concepta eſſet, fieri non debere, res ad Imperatorem eſt relata. Imperator ex Orientalibus Epiſcopis ſex, ex Pontica Diœceſi tres, ex Aſiana tres, ex Thracia item tres, ex Illirico quoque tres deligi, eiſque Mandatarios & Anatholium adeſſe juſſit: qui in Martyrio celebertimæ Euphemiæ convenientes, profeſſionem fidei rectè conſtituerent: atque ut aut quiſque eorum fidem ſuam declararet, aut Synodum in Occidentalem orbis partem tranſlatum iri ſciret: & interrogati ut dicerent, Dioſcorum-ne qui ex duabus naturis Chriſtum profiteretur, an Leonem qui duas naturas in Chriſto concurrere doceret, ſequerentur, cum Leone ſe credere & qui aliter dicerent, Eutichianiſtas vocari exclamarunt. Ita principes decreto, duas naturas quæ non mutarentur, non dividerentur, non confunderentur, in Chriſto unitas eſſe, juxta Leonis ſententiam addi juſſerunt. Porro poſtquam principes cum Anatholio & Leonis mandatariis in Martyrium S. Euphemiæ pervenerunt, ubi quoque aderat Maximus Antiochenus, Juvenalis Hieroſolymitanus, Talaſſius Cæſarienſis, ſimul atque iſti omnes è templo egreſſi ſunt, Synodi decretum in hanc ſententiam lectum eſt. Dominus noſter & ſervator Jeſus Chriſtus, & reliqua quæ in hiſtoriæ contextu inſeruimus: poſt hæc ubi omnes exclamarunt: hæc ipſiſſima Patrum fides eſt. Metropolitani ei mox ſubſcribant. Hæc fides Apoſtolorum eſt, huic omnes aſſentimur, omnes ita ſentiemus. Principes intra ſe collocuti reſponderunt, ſe ea quæ à patribus conſtituta, & ab omnibus comprobata eſſent, ad ſacram celſitudinem relaturos eſſe.

Hiſtoria dubia an S. Euphemiæ, probarit Synodum.

Porro ſi vera eſt hiſtoria quam refert idem Nicephorus lib. 15. c. 5. diverſas fidei confeſſiones in chartis conſcriptas ad pedes Martyris Euphemiæ depoſitas fuiſſe cum multis precibus ut dignaretur indicare quænam vera eſſet, poſtridie confeſſionis Orthodoxæ libellum in manibus ejus contentum, alterum autem hæreticorum tanquam rem nullius momenti temerè ad pedes ejus projectum inventum fuiſſe: ſi inquam hæc vera eſt hiſtoria, tunc temporis accidiſſe debuit cum tunc Epiſcopi delegati in Martyrium S. Euphemiæ ſe contulerunt ad determinandam formam illam fidei priuſquam legeretur & pronunciaretur in medio Synodi. Occaſio enim tunc opportuna videbatur. Verumtamen parum probabile eſt voluiſſe Epiſcopos Deum quodammodo tentare & veritatem fidei Catholicæ potius ex miraculo quærere quam in ſcripturis ſanctis ac antiquis patribus. Ideoque plures nullam fidem adhibendam cenſent hujuſcemodi narrationi:

eſſe quodammodo inſinuari videatur in Epiſtola Synodi ad Leonem miſsâ qua ab ipſa Synodum confirmari expetunt. Eſt autem hæc definitio Synodi Chalcedonenſis, cujus aliqui initium detrahunt.

Definitio quarti Concilii.

DOminus & Salvator IESVS-CHRISTVS, fidei doctrinam diſcipulis confirmans. Pacem, inquit, meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Vt nemo à veræ pietatis dogmatibus diſſonet, ſed ex æquo omnes veritatis doctrinam prædicent. Et poſtea ſancto Nicæno Symbolo, & centum atque quinquaginta Sanctorum Patrum decreto lecto, intulerunt: ſatis igitur ad perfectam veræ pietatis cognitionem & confirmationem eſt, ſapienter conceptum, & ſalutare illud divinæ gratiæ Symbolum. De Patre enim & Filio & Spiritu ſancto, abſolutam continet doctrinam, & inhumanationem Domini cum fide eam recipientibus aſtruit. Quandoquidem autem veritatis inimici, qui abolere per hæreſes ſuas prædicationem contendunt, inaniloquentiam peperere: & nonnulli Sacro-Sanctam Domini noſtri gratia ſuſceptam adminiſtrationem adulterare, & vocem hanc θεοτόκον, Dei genitrix, pernegare auſi ſunt: aliqui verò confuſionem mixtionemque inducentes, unam eſſe carnis & divinitatis naturam inconſideratè fingunt, divinamque unigeniti naturam per confuſionem perpeſſioni obnoxiam prodigioſè aſſerunt: hæc ipſa nunc ſancta, & magna univerſalis Synodus, omnem illis fraudem & machinationem adverſus veritatem præcludere volens, & integritatem firmitatemque veteris doctrinæ vindicans, imprimis ſtatuit, ut ſanctorum trecentorum Patrum fides inviolata conſtet. Deinde & eorum qui in urbe Imperante adverſus Spiritus ſancti hoſtes poſterioribus temporibus convenerunt, centum quinquaginta Patrum, de Spiritus eſſentia doctrinam, authoritate ſua confirmat: quam illi Patres omnibus notam eſſe voluerunt, non ut aliquid quod majoribus ignotum fuiſſet, inducerent, ſed ut Spiritus ſancti naturam, quædam de illius poteſtate obtinere volentes, teſtimoniis in ſcriptum relatis, clariùs promulgarent. Propter eos verò qui œconomiæ & adminiſtrationis myſterium depravare audent, & qui ex Maria Virgine natus eſt, merum eſſe hominem impudenter & convicioſè dicunt, Beati Cyrilli, qui Alexandrinæ Eccleſiæ Paſtor fuit, Synodales Epiſtolas ad Neſtorium & Orientales Epiſcopos datas, cum rectè ſcriptæ ſint, tùm ad Neſtorii veſanam dementiam refutandam, tum ad ſententiam ſalutaris Symboli, eis qui eam pio ardore requirunt, declarandam, recepit: quibus Epiſtolam quoque maximæ urbis veteris Romæ antiſtitis, beatiſſimi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, ad eum, qui in ſanctis eſt, Archiepiſcopum Flavianum, refellendæ Eutycheris malevolentiæ gratia ſcriptam, quæ Beati Petri confeſſioni convenit, & adverſus perperam & male ſentientes, quaſi quædam communis & publica columna eſt, ad dogmata recta confirmanda, meritò conjunxit. Nam adverſus eos qui adminiſtrationis myſterium in duos filios diſtrahere conantur, pugnat: & eos, qui unigeniti divinitatem perpeſſioni obnoxiam eſſe dicere audent, ſacris convenientibus excludit. Tum autem eis quoque, qui in duabus Chriſti naturis mixtionem & confuſionem comminiſcuntur, reſiſtit. Eos præterea qui cœleſtis aut alterius cujuſquam eſſentiæ eſſe delirant, quam ex nobis aſsumpſit ſervi formam, proſcribit. Eos denique, qui duas quidem ante unionem Domini naturas profitentur, unam autem poſt unionem faciunt, anathemati ſubjicit. Itaque patrum veſtigiis inſiſtentes, unum atque eumdem profitemur eſſe Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: & una voce omnes deprædicamus perfectum eumdem in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex rationali anima & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis æqualem abſque peccato, ante ſæcula quidem ex Patre ſecundum divinitatem, in extremis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine & Dei genitrice ſecundum humanitatem genitum, unum & eumdem Ieſum Chriſtum Filium & Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſegregabiliter cognitum atque deprædicatum: haud quaquam naturarum differentiam unione tollente, ſed proprietatem potius utriuſque naturæ conſervante, quæ in perſonam unam & ſubſtantiam unam concurrit: non veluti in duas perſonas diſpertitum aut diviſum, ſed unum & eumdem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: quemadmodum antiquitus Prophetæ, & ipſe de ſeipſo nos docuit Chriſtus, & Symbolum Patrum nobis tradidit. His igitur cum cura & diligentia omni à nobis conſtitutis; ſancta & univerſalis Synodus decrevit, ut nemini liceat aliter ſentire, aut fidem aliam proferre, vel conſcribere, vel componere, vel alios docere. Quicumque autem auſi fuerint fidem aliam componere, aut proferre, aut docere, aut Symbolum aliud eis tradere, qui ex Græca ſuperſtitione vel Iudaïſmo, vel alia quacumque hæreſi convertere ſe ad veritatis cognitionem voluerint: eos, ſiquidem Epiſcopi aut Clerici fuerunt ab Epiſcopatu & Clero alienos: ſin autem Monachi aut Laïci fuerint, anathematis ſubjectos eſſe debere.

In actis integris hæc inſeruntur Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum.

Epiſtola Leonis ad Flavianum.

HOc porro decretum Concilii Chalcedonenſis, quod alii aliter referunt, hiſce verbis pronuntiatum fuiſſe teſtis eſt Nicephorus lib. 15. cap. 5. & ſic ipſe refert cap. 6. ejuſdem libri juxta tranſlationem Langi.

asserunt, canonem hunc esse de jure divino. A multis ergo temporibus erraret Ecclesia, quæ multos ordinari absolutè, id est sine titulo Ecclesiastico, passa est. Antiquis temporibus in quibus providebatur clericis de communibus bonis Ecclesiæ & unus beneficiorum Heluo non devorabat quæ sufficerent honestæ sustentationi ducentorum & amplius clericorum, facile erat talem disciplinam exequi. Satis erat clerico esse in canone vel in regula, id est in catalogo suæ Ecclesiæ, ut de victu & vestitu nihil sollicitus esset. At hodie mutata sunt tempora. Quam pauci ordinarentur, si unicuique ordinando deberet priùs competere beneficium aut officium Ecclesiasticum honestæ sustentationi congruum. Pertinet ad majestatem Dei in Ecclesia triumphante sicut aliquo modo in Ecclesia militante, quod habeat inter Angelos suos quosdam assistentes, alios ministrantes. Sacerdotes qui beneficiis aut officiis addicti sunt instar ministrantium Angelorum se habent: Alii quibus hæc fortuna non obtigit, si tamen dignè se gerant in Ecclesia orationi & sacrificio incruento vacantes, erunt instar assistentium Angelorum; propriæ perfectioni studebunt, pretiosum doctrinæ thesaurum comparabunt, parati in horam & diem si fortè, quod hodie perrarum, via Spiritûs sancti sine ambitu sine simonia, sine litigio forensi contingat eos vocari ad ministerium sibi competens, quod non detrectabunt, sicque major ordinatorum multitudo non sinet diu vacare Ecclesias, semper paratis pluribus ad remedium orbitatis: interim multi ex viris doctis nulli Ecclesiæ specialiter mancipati bonum illud, quod quò communius eò melius, procurare poterunt cum honesta ac decenti libertate extra miseram illam servitutem quæ ex malo usu præsentis canonis imponitur quibusdam clericis, ut tota vita fere egeni & esurientes laborent in peculiari aliqua vinea de cujus fructibus, si qui tamen sint, nihil unquam comedunt. At vivent de fructibus tituli patrimonij. Ista dicantur ignaris, quasi illi reditus sæpiùs non essent inanes, & mille modis non interturbarentur: non itaque videtur juris esse divini sic clericos ad certos titulos ordinari, ut iis tota vita compedes injecti videantur ad vivendum miserè & cum tædio suæ ordinationis. Sed Episcoporum est de iis statuere habita ratione locorum ac temporum & cum decoro status sacerdotalis non sic alligando Presbyteros loco suæ nativitatis: & non nisi inter affines & consanguineos, quibus aliquando nihil infestiùs experiuntur & quod magis ipsos ab officio proprio avocat, dicente Christo *inimici hominis domestici ejus*. & *non est Propheta sine honore nisi in patria sua*. Nihilominus distinctio adhibenda est inter promotos ad titulum patrimonij, quos declaratio Cardinalium ad c. 10. sess. 23. Concilij Tridentini asserit non posse cogi, ut certis diebus veluti festivis inserviant Ecclesiis: & inter promotos ad titulum officij alicujus Ecclesiæ quæ illis ad vitam necessaria subministrat: non est enim dubium quin tales eo modo adscripti alicui Ecclesiæ ac ordinati sine alio patrimoniali, obligati & illigati sint huic Ecclesiæ, à qua non possint discedere. Atque hac ratione canon hic Chalcedonensis intelligendus est, quia Ecclesia ad cujus titulum ordinabantur tunc clerici, illis subministrabat ex bonis Ecclesiasticis necessaria ad vitam, non quomodo quidam hodie intelligunt adscribi Ecclesiæ ad totam vitam, etiamsi ex illa nullos fructus percipiant. Nec alia videtur esse mens Concilij Tridentini in prædicto capite, cùm expressè præmittat se inhærendo vestigiis sexti canonis Chalcedonensis Concilij, illam ascriptionem statuere. Oporteret ergo priùs providere, ne una Abbatia aliquando trecentarum parochiarum decimas absorberet, vix ulla (tam modica est) habita ratione ministrorum ac Parochorum.

Matth. 10 & 13.

A **CANON VII.** *Quod semel in Clero taxati, vel Monasterijs deputati, ad militiam non redeant.*

EOs qui semel in Clero taxati fuerint, sive in Monasterio deputati, decrevimus, neque ad militiam, neque ad honores sæculares venire. Eos autem qui hoc ausi fuerint facere, & non ejus rei pœnitere maluerint, & ut ad hoc idem revertantur, quod antè, obtentu Dei sibi proposuerunt, convenit anathematizari. *20. qu. 3. Eos qui semel.*

B **CANON VIII.** *Dispensatores pauperum Episcopo suo obediant.*

CLerici in Parochiis, Monasteriis, aut Martyriis constituti, sub potestate sint ejus qui in ea civitate est Episcopus secundùm traditionem sanctorum Patrum, neque per præsumptionem recedant à suo Episcopo. Eos verò qui ausi fuerint rescindere hujusmodi institutionem quocumque modo, vel si noluerint subjacere proprio Episcopo, si quidem fuerint Clerici secundùm personarum ordinationem subjaceant condemnationibus Canonum, si verò Monachi seu laïci C fuerint, communione priventur. *16. qu. 2. Quidam Monachorum.*

CANON IX. *Si Clericus contra alium causam habeat, ante Episcopum suum examinetur.*

SI Clericus adversùm Clericum habeat negotium, non relinquat suum Episcopum & ad sæcularia judicia non concurrat, sed priùs negotium agitetur apud proprium Episcopum: vel certè si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis verò contra ipsius Provinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus sive Clericus habeat controversiam, pergant ad ipsius Diœcesis Primatem, aut certè ad Constantinopolitanæ Regiæ civitatis sedem, ut eorum ibi negotium terminetur. *35. q. 1. Clericus adversùm Clericum.*

D VBi dicit: *Pergant ad ipsius Diœcesis primatem*, intelligitur Episcopus Romanus; nam Græca vox ἐξάρχου non propriè Primatem, sed Principem significat: solus verò Romanus Pontifex est Princeps Christianæ Diœceseos. His verbis igitur constituitur, ut si quis cum Metropolitano aliquo controversiam habeat, non alibi eum convenire possit aut debeat, quàm apud Principem Diœceseos, Romanum Pontificem. Binius.

E Deinde ibi dicit, *Aut sedem urbis Constantinopolitanæ*, hæc non mandantis, sed permittentis Concilij verba sunt, adeò ut horum auctoritate Clericis vel Episcopis propè Constantinopolim habitantibus concessum fuerit, ut non longius irent, suas causas coram Antistite Constantinopolitano proponere, ibique totius controversiæ decisionem expectare. Ita hunc Canonem Nicolaus I. in epistola ad Michaelem Imperatorem interpretatur. Eandem expositionem, rejectâ sententia Archidiaconi & Joannis de Turrecremata, sequitur & approbat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 22. Ubi contra Nilum Thessalonicensem quendam Episcopum, doctissimè Primatum Romanæ Ecclesiæ defendens ostendit, nequaquam ex hoc loco probari, quòd auctoritate hujus Concilij, Constanti-

nopolitana ſedes, quoad dignitatem Patriarchalem, A ſedi Romanæ adæquata fuerit. Etiamſi enim quod verum non eſt, concederemus, quod juxta hunc & Can. 17. omnes Clerici totius orbis injuriam à ſuo Metropolitano ſibi illatam apud Conſtantinopolitanam ſedem denuntiare poſſint, quodque ipſi Conſtantinopolitano quaſlibet cauſas judicare liceat, non tamen inde rectè probaretur, eumdem Romano Pontifici parem eſſe. Nam ex vi horum Canonum, ſolùm eos judicare poteſt Conſtantinopolitanus, qui ſe à ſuo Metropolitano læſos eſſe arbitrantur: at Romanus Pontifex eos quoque judicare poteſt, qui vel ab ipſis Patriarchis, vel ab Epiſcoporum Conciliis etiam maximis & frequentiſſimis læſi fuerunt. Quod Cæciliani, Athanaſii, Chryſoſtomi, Pauli, Flaviani, Theodoreti, aliorumque plurium exempla declarant. Juxta Canones Sardicenſes a ſententia cujuſvis Metropolitani ad Romanam Sedem appellare licèt, atque ita penes Pontificem ultimum judicium ſemper remanet. Unde etiamſi Conſtantinopolitanus quaſlibet cauſas ex toto terrarum orbe judicare poſſet, non tamen Apoſtolicæ ſedis auctoritati exæquaretur. Vide Bellarminum prædicto loco.

CANON X. *Ut non liceat Clericis de alia civitate in aliam tranſmigrare.*

NOn licet Clericum in Eccleſiis duarum civitatum ordinari, ſed in ea, in qua ab initio ordinatus eſt, & cujus expectatio erat ante profugium. Et ſi propter vanæ gloriæ deſiderium contigerit, ut pòſt ad majorem Eccleſiam confugerit, eum indubitanter revocari decet ad ſuam Eccleſiam, in qua ab exordio ordinatus eſt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si quis verò translatus eſt ab una Eccleſia in aliam, nihil habeat commune cum priori, ſive ſub Eccleſia conſtitutis Martyribus, ſive in Parochiis, vel Xenodochiis, aut eorum negotiis. Eos vero qui auſi fuerint poſt ordinationem hujus magnæ & univerſalis Synodi agere quæ prohibita ſunt, ſtatuit ſancta Synodus cadere de proprio gradu. D

ORdinari, Græcè ἐγγράφεσθαι, id eſt, conſcribi ſcilicet, ut ibi alatur & ſerviat.

CANON XI. *Ut Provincia in duos Metropolitanos Epiſcopos non dividatur.*

PErvenit ad nos, quod quidam præter Eccleſiaſticas ordinationes, affectantes potentiam, per pragmaticum ſacrum unam Provinciam in duas dividant, & ex hoc inveniantur duo Metropolitani Epiſcopi in una eademque Provincia eſſe. Statuit ergo ſancta Synodus deinceps nihil tale attentari à quolibet Epiſcopo. Eos verò qui tale aliquid tentaverint, cadere de proprio gradu.

CANON XII. *Ut ſine litteris Commendatitiis Clericus extra ſuam Eccleſiam non miniſtret.*

EXtraneo Clerico & Lectori extra ſuam civitatem ſine Commendatitiis literis proprii Epiſcopi nuſquam penitus liceat miniſtrare.

CANON XIII. *Quod non liceat Clericis alterius ſectæ uxorem accipere.*

QUoniam in quibuſdam Provinciis conceſſum eſt Pſalmiſtis & Lectoribus uxores ducere, conſtituit ſancta Synodus prorſus cuiquam ex his non licere alterius ſectæ accipere uxorem. Si quis verò prævenit, & habet jam de tali connubio filios, ſi fortè prævenerint eos jam apud hæreticos baptizari, debent eos offerre ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, ut ibi communicent. Qui vero adhuc baptizati non ſunt, omnimodè non poſſe eos in hæretica Eccleſia baptizari, nec in matrimonio jungi hæretico, Judæo vel Pagano, niſi fortè ſpoponderit ſe venire ad Orthodoxam fidem, dum conjungitur perſonæ Orthodoxæ. Si quis verò hanc definitionem ſanctæ Synodi præterierit, regularum condemnationibus ſubjaceat. B

CANON XIV. *Diaconiſſa quæ poſt Ordinationem nubit, anathema ſit.*

DIaconiſſam non debere ante annos quadraginta ordinari ſtatuimus, & hoc cum diligenti probatione. Si verò Ordinationem C ſuſceperit, & quantocunque tempore obſervaverit miniſterium, & poſteà ſe nuptiis tradiderit injuriam faciens gratiæ Dei, hæc anathema ſit cum eo qui in nuptiis illius convenerit.

CANON XV. *Ut nec Deo dedicata Virgo, nec Monachus nuptiis jungi poſſint.*

SI qua virgo ſe dedicaverit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eos nuptiis jungi. Si verò inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus verò, poſſe eis fieri humanitatem, ſi ita probaverit Epiſcopus loci. D

27. qu. 1. Si qua Virgo.

CANON XVI. *De ruſticanis Parochiis.*

PEr ſingulas Eccleſias Parochias ruſticanas permanere immobiles apud eos qui eas tenent Epiſcopos decrevimus, & maximè, ſi eas ſine violentia per triginta annos gubernaverunt. Si verò intra triginta annos facta fuerit de his dubitatio, liceat eis qui ſe dixerint læſos, propterea movere apud Synodum Provinciæ certamen. Si quis verò putaverit ſe à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ civitatis ſedem, agat negotium, ſicut dictum eſt. Si verò quælibet civitas per auctoritatem Imperialem renovata eſt, aut ſi renovetur in poſterum civilibus & publicis ordinationibus, etiam Eccleſiaſticarum Parochiarum ſequatur ordinatio. E

16. qu. 6. per ſingulas Eccleſias.

SEquatur ordo, id eſt, conſervetur ordo antiquus Eccleſiarum.

CANON XVII.

CANON XVII. *De his qui conjurationem aut calumniam contra Episcopum faciunt.*

21. qu. 1. Coniurationibus.

CONiurationum & conspirationum crimen publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi; hoc multò magis in sancta Dei Ecclesia (ne fiat) convenit abdicari. Si qui verò Clerici vel Monachi inventi fuerint coniuratores, aut conspiratores, aut Φατρίας vel factiones componentes aliquas suis Episcopis, aut aliis, omnino cadant de proprio gradu.

CANON XVIII. *Quòd corripiantur Episcopi qui ad Concilium vocati venire recusant.*

99. Pervenit ad nostras.

PErvenit ad nostras aures, quod in Provinciis constituta Episcoporum Concilia minimè celebrantur; hoc ex eo probatur, quòd multæ quæ correctione opus habent, Ecclesiasticæ res negligantur. Statuit ergo hæc sancta Synodus secundùm regulas Patrum, bis in anno in unum convenire per singulas Provincias Episcopos, ubi singula quæ emerserint, corrigantur: Qui vero noluerint convenire Episcopi constituti in suis civitatibus, & hoc maximè cum sui corporis sanitate sint consistentes, cùm etiam ab omnibus aliis urgentibus necessitatibus, & inexcusabilibus negotiis sint liberi, licere, eos fraternæ charitatis commonitionibus corripi.

CANON XIX. *Quòd Clericus unius Ecclesiæ in aliena non ordinetur.*

91. Clericos in singulis. Item Gregorius Fortunato Episcopo.

CLericos in singulis Ecclesiis constitutos (sicut iam definivimus) non liceat in alterius civitatis Ecclesiis ordinari, sed quiescant in ea in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui proprias civitates perdiderunt, & ex necessitate ad alias Ecclesias migraverunt. Si verò quicumque Episcopus post definitionem istam ad alium Episcopum pertinentem Clericum susceperit, placuit sanctæ Synodo, & hunc qui suscepit, & eum qui susceptus est, tandiu excommunicatos manere, quandiu ipse Clericus ad propriam revertatur Ecclesiam.

CANON XX. *De his qui accusant Ecclesiam.*

2. q. 7. Clerici non Laicos.

CLericos aut laïcos passim accusantes, & sine probatione Episcopos & Clericos ad accusationem non recipiendos decrevimus, nisi priùs discutiatur eorum existimationis opinio.

CANON XXI. *Clericis non licere diripere bona Episcopi.*

11. quæst. 1. Non liceat Clericis.

NOn liceat Clericis post mortem Episcopi sui rapere res pertinentes ad eum, sicuti præcedentibus regulis constitutum habetur. Si verò hæc fecerint, periclitari se noverint à proprio gradu.

CANON XXII. *Vt Monachi qui sine licentia Episcopi vagantur, ad propria loca redire cogantur.*

QVidam Monachi nihil habentes sibi iunctum à proprio Episcopo, interdum vero etiam illi qui ab eo fuerant excommunicati, veniunt ad civitatem Constantinopolitanam, & in ea perturbationes tranquillitati Ecclesiasticæ inferunt, & diversorum domos corrumpunt. Statuit igitur sancta Synodus, hos primum commoneri, ut exeant à regia civitate, demum eos invitos deiici, ac inde per defensorem compelli, ut ad sua loca redeant.

DE Monachis girouagis qui & circumcelliones dicti, vide Cassianum collat. 18. cap. 8.

CANON XXIII. *Vt quæ Deo semel dedicata sunt Monasteria, cœnacula sæcularium non fiant.*

19. quæst. 3. quæ semel sunt.

QVæ semel sunt dedicata Monasteriis consilio Episcoporum, maneant perpetuò Monasteria, & res quæ ad ea pertinent, Monasteriis reservari oportet, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula. Qui verò permiserint hoc fieri, subiaceant iis condemnationibus, quæ per Canones constitutæ sunt.

CANON XXIV. *Quòd intra tres menses Episcoporum Ordinationes fiant.*

D. 77. Quoniam quidam Metropolitanorum.

QVoniam quidam Metropolitanorum (sicut ad nos perlatum est) negligunt greges sibi creditos, & differunt Ordinationes facere Episcoporum; placuit sanctæ Synodo intra tres menses fieri Ordinationes Episcoporum, nisi fortè inexcusabilis necessitas coëgerit, Ordinationis tempus amplius protelari. Si autem quis Episcoporum hoc non observaverit, ipsum debere Ecclesiasticæ condemnationi subiacere. Redditus verò eiusdem viduatæ Ecclesiæ integros reservari apud Oeconomum eiusdem Ecclesiæ censemus.

CANON XXV. *Vt Episcopi dispensatores habeant.*

D. 89. Quoniam in quibusdã, & 16. qu. 7. Quoniam in quibusdam.

QVia in quibusdam Ecclesiis (ut rumore comperimus) Episcopi præter Oeconomos facultates Ecclesiæ tractant, placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui gubernet Ecclesiæ res cum arbitrio sui Episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum Ecclesiasticarum, & ex hoc deveniat dispergi eiusdem res Ecclesiæ & Sacerdotali dignitati obtrectatio generetur. Si vero quis non observaverit hoc, divinis subiaceat regulis.

CANON XXVI. *De his qui mulieres accipiunt.*

36. quæst. 2. Eos qui rapiunt.

EOs qui sibi rapiunt uxores, vel eos qui eis auxilium præstiterint, statuit Sancta

Synodus, ſi quidem Clerici fuerint, decidere à proprio gradu: ſi verò laïci fuerint, anathematizentur.

CAnones qui ſequuntur, non extant in Codicibus Græcis manuſcriptis hujus Concilij, nec etiam in Latinis, neque in Collectionibus Dionyſij & Iſidori. Cujus rei cauſa ea eſſe videtur, quia Anatolij Conſtantinopol. Epiſcopi circumventione ac fraude, cùm Sedis Apoſtolicæ Legati è Synodo egreſſi eſſent, Patribus Concilij propoſiti: atque ab eis ſubſcripti fuerant: ex quorum primo, qui eſt XXVII. duorum Patriarcharum, Alexandrini & Antiocheni privilegia à Concilio Nicæno eis data, infringebantur, & Primatus ejus in Eccleſia poſt Romanum Pontificem ſtatuebatur. Quod beatus Leo indignè ferens, eoſdem rejecit & infirmavit, ut apparet ex ipſius epiſt. 61. ad Epiſcopos Synodi Chalcedonenſis, & epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & aliis. Recenſentur tamen à Th. Balſamone, Jo. Zonara, & aliis Canonum Collectoribus. Et cùm idem XXVII. Canon relictus ſit in ſequenti Actione, petentibus ipſis Apoſtolicæ Sedis Legatis, illos hìc adſcribendos putavimus, non ut eis aliquid auctoritatis adjungatur, ſed ut rei geſtæ ſeries non ignoretur.

CANON XXVII.

SAnctorum Patrum decreta ubique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus de privilegiis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres Privilegia tribuerunt; & eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, ſanctiſſimo novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt, recta judicantes, urbem quæ & Imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem, ut Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli, præterea Epiſcopi prædictarum Diœceſum, quæ ſunt inter barbaros, à prædicto Throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: unoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſum Metropolitano cum Provinciæ Epiſcopis, Provinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodum divinis Canonibus eſt traditum: ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſum Metropolitanos à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, convenientibus de more factis electionibus, & ad ipſum relatis.

Canon ſubreptitius.

HIc eſt ille Can. clandeſtinus & ſurreptitius, quem Anatholius cum reliquis Orientalibus ad Primatum ſuæ Eccleſiæ comparandum, Legatis abſentibus & contradicentibus, conſtitui atque decerni procuravit, quem S. Leo Pontifex pluribus epiſtolis damnavit & reprobavit, non tantùm ideò, quòd citra auctoritatem Romani Pontificis editus, illegitimè conſtitutus fuerit; verùm etiam quòd duo aliaque plura manifestò falſa mendacia contineat. Quod in eo refertur, à Patribus Nicænis Romani Pontificis Primatum eſſe attributum, quaſi eum antè non habuerit, falſum eſt: nam ut alia Scripturæ, Patrum & Conciliorum teſtimonia omittam, ex ipſo initio ſexti Canonis Nicæni manifeſtè conſtat quòd ipſa Romana Eccleſia non à Concilijs vel Chriſtianis Imperatoribus, ſed à Chriſto Domino Salvatore noſtro Primatum obtinuerit. Ita enim exorditur ſextus Canon Concilij Nicæni: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Quomodo itaque à Patribus Nicæni Concilij accepiſſe potuit? Alterum, quod falsò aſſerunt, nimirum Romanæ Eccleſiæ Primatum eſſe conceſſum, quia Roma eſt ſedes Imperij S. Leo epiſt. 52. ad Marcianum, & S. Gelaſius ep. ad Epiſc. Dardaniæ diſertis verbis refellunt. Inter alias hanc rationem habet S. Gelaſius: *Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treveri, & Nicomedia, multis temporibus ſedes Imperii fuerunt. Quibus cùm nihil plus juris, dignitatis, & prærogativæ Eccleſiæ de cauſa conceſſum fuerit, non immeritò mendacii arguuntur, qui dicunt prædicta de cauſa Romanam urbem ad faſtigium Apoſtolici muneris evectam eſſe.* Binius hìc. Primitatem hanc & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias ac totum Chriſtiani populi gregem Eccleſia Romana aſſecuta eſt non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro: ſic fatetur Anacletus Papa in epiſt. 3. & Vigilius Papa in epiſt. ad Eutherum dicit: *Quamobrem ſancta Romana Eccleſia ejus merito Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum authoritate roborata, Primatum tenet omnium Eccleſiarum, ad quam tam ſumma Epiſcoporum negotia & judicia, atque querelæ, quàm & majores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput ſemper referenda ſunt.* Idem quoque habetur in Præfatione Nicæni Concilij in principio, ſcilicet, quòd *Eccleſia Romana nullis Synodicis decretis prælata eſt cæteris Eccleſiis, ſed Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri Primatum obtinuit.* Idem quoque affirmat Nicolaus Papa I. in epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, his verbis: *Animadvertendum eſt, quia non Nicæna, non denique ulla Synodus quidquam Romanæ contulit Eccleſiæ privilegij, quæ in B. Petro noverat, eam totius juris poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ovium regimen accepiſſe, ſicut beatus Præſul Bonifacius atteſtatur univerſis Epiſcopis per Theſſaloniam conſtitutis ſcribens.* Et in eadem epiſt. paulò antè dicit idem Nicolaus Papa: *Eccleſiæ Romanæ privilegia Chriſti ore in B. Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita antiquitùs obſervata & à ſanctis univerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia jugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non valet amovere conatus; & quod Deus ſtatuit, firmum validumque conſiſtit, illeque potiſſimum peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Privilegia, inquam, ſtatim Sedis, vel Eccleſiæ perpetua ſunt, divinitus radicata atque plantata ſunt; impingi poſſint, transferri non poſſunt; trahi poſſunt, evelli non poſſunt.*

Primatus Eccleſiæ Romanæ.

Agnovit hanc Primitatem Ambroſius lib. 3. de Sacrament. cap. 1. & de Obitu Satyri, ut dixerit ſe in omnibus cupere Romanam ſequi Eccleſiam; & Irenæus omnibus antiquior, & Apoſtolicorum temporum vicinus, vereque Apoſtolicus, lib. 3. c. 3. Eccleſiæ Romanæ tale tribuit elogium: *ad hanc*, inquit, *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab iis qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Sic Tertullianus de Præſcript. hæret. cap. 36. Cyprianus epiſt. 45. & 46. Theodoretus libro 2. Hiſt. cap. 4. Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium, & libro 2. de Conſiderat. cap. 8. Concilium Chalcedonenſe Act. 3. Anacletus epiſt. 1. & 3. Marc. epiſt. 1. Synodus Alexandrina ad Felicem. Coriolanus.

CANON XXVIII.

EPiſcopum in Presbyteri gradum deducere, eſt ſacrilegium. Si qua autem juſta

causa illos ab Episcopali actione removet, nec Presbyteri debent locum obtinere: sin autem absque ullo crimine dignitate moti sunt, ad Episcopalem dignitatem redibunt.

Anatolius religiosissimus Constantinopolitanus Archiepiscopus dixit: Ij qui dicuntur ab Episcopali dignitate ad Presbyteri ordinem descendisse, si justis quidem de causis condemnantur, jure nec Presbyteri honore digni sunt: sin autem sine aliqua probabili causa ad inferiorem gradum depressi sunt, jure, si quidem nulli sunt culpæ affines, Episcopatus authoritatem & Sacerdotium recipient.

CANON XXIX.

QVoniam religiosissimi Episcopi Ægypti, non ut Catholicæ fidei adversantes, sanctissimi Archiepiscopi Leonis Epistolæ subscribere distulerunt, sed dicentes in Ægyptiaca Diœcesi hanc esse consuetudinem, ut præter voluntatem & mandatum Episcopi nihil tale faciant, & petunt concedi sibi dilationem usque ad ordinationem futuri magnæ civitatis Alexandrinorum Archiepiscopi, justum nobis & humanum visum est, ut ipsis in proprio habitu, in Imperiali urbe manentibus, remissio concedatur; donec ordinatus fuerit Alexandrinus Archiepiscopus. Vnde in proprio habitu manentes, vel fideijussores dabunt, si hoc ab eis fieri potest, vel eorum jurejurando fides habebitur.

Nota. *Non continent Scriptores de numero Canonum alios pauciores, alios plures numerantibus. Divus Leo improbavit 27. alios propterea non confetur approbasse, sed ea tantùm in Concilio gesta aut decreta, de quibus specialit mandatum habuerant Legati. Vsus tamen pluribus ex his Canonibus auctoritatem conciliavit. Vide infrà.*

PARS SECVNDA, EPISTOLÆ SYNODALES.

EPISTOLA FLAVIANI EPISCOPI Constantinopolitani ad sanctissimum Leonem Papam urbis Romæ.

Domino beatissimo & Deo amabili Patri Leoni Flavianus in Domino æternam salutem.

NVlla res diaboli venena compescit, nec continet mortiferas ejus sagittas. Sursum enim atque deorsum pervolans, quærit quos possit occidere, quos possit supetare, quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est, & orationibus à Deo obtinendum ut fatuas inquisitiones evitare possimus. Decet enim sequi Patres nostros nec commutare definitionem eorum perpetuam, quorum regulam secundùm sacras scripturas esse didicimus. Depositis ergo fletibus & lacrymis (quas incessanter fundo, quia sub me clerus degens invasus est à fero dæmone, & non potui eum liberare, nec auferre à mali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere) quomodo raptus sit, quodo refilit à proposito divino, & ad illum cucurrit qui perdere consuevit, præcepta Patrum * declinans, & constituta eorum despiciens, jam incipio enarrare.

al. delinans.

2. Sunt enim quidam veste sua oves significantes, interius lupi rapaces: quos ex fructibus eorum debemus agnoscere. Isti prima fronte videntur esse de numero nostro, sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro essent, nobiscum mansissent. Quando autem cœperunt adsumere impietatem, illud quod prius occultabatur in illis, aperitur, & dolus omnis fit omnibus manifestus. Inveniuntur autem infirmæ fidei homines, & qui divinas lectiones nesciunt, & serum eos in perditionem præcipitant, dissipantes & vituperantes Patrum disciplinas, & * reliquas sanctas scripturas ad suam perditionem: quos quidem debemus prævidere, & à quibus multum oportet cavere, ne in malitia sua aliqui occupati, concidant de sua firmitate. Exacuerunt enim * linguam suam quasi serpentes, & venenum in labiis habent quasi aspides. De his hæc propheta clamavit.

Matth. 7.

1. Ioan. 2.

** reliqui quasi.*

** quasi aspides linguæ suæ, de quibus propheta clamat, acuerunt linguas, &c.*

3. Talis inter nos Eutyches emersit, quondam Presbyter, & archimandrites, qui quasi nostræ religionis sectam * sapiebat, hanc * præferebat: Nestorij autem impietatem confirmabat, & succingebatur pro Nestorio militare in pugna quæ contra Nestorium parabatur. Trecentorum autem decem & octo sanctorum Patrum de fide expositionem factam, & sanctæ memoriæ Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium, vel ad similes ejus, quibus omnes assensserunt, tentavit evellere, antiquam impij Valentini & Apollinaris reparans sectam: & non timuit præceptum regis verè Dei, dicentis: *Quicunque scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut mola asinaria alligetur collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Verecundiam autem omnem in ejus perfidia abjecit: & quam gerebat infidelitatis pellem excutiens, in sancta Synodo adserebat instanter, dicens Dominum nostrum Jesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cum à nobis unius substantiæ & unius personæ cognoscatur: neque carnem Domini coessentialem nobis subsistere, tanquam ex nobis susceptam, & coadunatam * Dei verbo secundùm substantiam: sed dicebat Virginem quidem quæ eum genuit, secundùm carnem consubstantialem nobis esse: ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem * consubstantialem nobis: & corpus Domini non esse quod est ex Virgine, omnium Patrum expositionibus contraria sentiens.

** rapiebat.*

** proferebat.*

Matth. 18. Marc. 9.

Dei

consubstantialem.

4. Sed ne multa dicens, longam faciam epistolam, olim, quicquid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus literis docuimus & Presbyterio illum esse nudatum, quia sic captus est: & jussimus eum * cum Monasterijs nullam habere rationem, & exclusimus eum à communione nostra, ut sanctitas vestra hoc cognoscens quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem: ne nescientes aliqui quid ille senserit, quasi ad Orthodoxum vel per literas, vel per aliquam conjunctionem loquantur.

** in monasterio.*

Epistola decima ejusdem Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum contra Eutychetis perfidiam & hæresim quæ in Concilio lecta & laudata est.

Capitulum seqq. epistolæ tituli.

1. *Quòd ignorantia sanctarum Scripturarum Eutychen hæreticum fecerit.*
2. *Contra eos qui in duos filios dispensationis dominicæ mysterium scindere molinntur.*
3. *Contra eos qui passibilem divinitatem unigeniti filij Dei audent asserere.*
4. *Contra eos qui in duas naturas Christi temperamentum vel confusionem argumentantur.*
5. *Contra eos qui volebant, aut alteriùs cujusque substan-*

tiæ existere formam servi quam ex nobis adsumpsit A insultando adserunt.

Contra eos qui deum quidem ante adunationem naturæ Domini delirant, unum verò post adunationem confingunt.

Leo Episcopus dilectissimo fratri Flaviano Constantinopolitano Episcopo.

Cap. I.

Epistola valde eximia.

LEctis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuisset agnovimus: & quæ prius videbantur occulta, nunc nobis reserata paruerunt. Quibus Eutyches, qui Presbyteri nomine honorabilis videbatur, multum * imprudens & nimis imperitus ostenditur: ut etiam de ipso dictum sit à Propheta: *Noluit intelligere ut bene ageret: iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Quid autem iniquius, quam impia sapere, & sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur * obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi & veteris testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem Simboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.

Impudens. *Psal. 35.*

Obscuro.

Eutyches imperitus.

2. Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei Incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen, in sanctarum scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem & indiscretam confessionem solicito apprehendisset auditu, qua fidelium universitas profitetur, credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, * & Maria Virgine. Quibus tribus sententiis, omnium ferè hæreticorum machinæ destruuntur. Cum enim Deus & omnipotens & æternus Pater creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur, D in nullo à Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens: non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia, idem verò sempiterni genitoris unigenitus, sempiternus natus est de Spiritu sancto, * & Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit: ut & mortem vinceret, & diabolum qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare possemus peccati, & mortis authorem, nisi naturam nostram ille susciperet, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum Matris Virginis, quæ illum salva Virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. Sed si de hoc Christianæ fidei fonte purissimo syncerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuæ veritatis obcæcatione sibi propria tenebrarat, doctrinæ se Evangelicæ subdidisset, dicente Matthæo: *Liber generationis Jesu Christi, filii Abraham.* Apostolicæ quoque prædicationis expetisset * instructum: & legens in Epistola ad Romanos: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*: ad propheticas paginas piam solicitudinem contulisset, & invenisset promissionem Dei ad Abraham, dicentis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ne de hujus seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, quod est Christus.* Esaïæ quoque prædicationem interiore apprehendisset auditu, dicentis: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Ejusdem Prophetæ fideliter verba legisset. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: cujus potestas super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri seculi.* Nec scrutatoriè loquens, ita verbum diceret carnem factum, ut editus utero Virginis Christus, B haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum nostrum Jesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad Beatam Mariam semper Virginem Angelus ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* ut quia conceptus Virginis, divini fuit operis, non de natura concipientis * fieret caro concepti. Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fœcunditatem enim * Virgini Spiritus sanctus dedit: veritas autem corporis sumpta de corpore est & ædificante sibi sapientia domum, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, hoc est C in ea carne quam sumpsit ex homine, & quam * Spiritu vitæ rationalis animavit.

Matth. 1.

Instrumentum. *Rom. 1.*

Gen. 22. *Galat. 3.* *Esa. 7.* *Ibid.*

fuerit. Luc. 1.

Virginis. Prover. 9. Joan. 1.

Spiritus.

3. Salva igitur proprietate utriusque naturæ, & in unam coëunte personam, suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, & ab æternitate mortalitas: & ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili: ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, & mori posset ex uno, & mori non posset ex alio. In integra ergo veri hominis perfectaque natura, verus natus est Deus, totus in suis, & totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio * creator condidit, & quæ reprimenda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuere in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens, quia exinanitio illa qua se invisibilis visibilem præbuit, & creator ac Dominus omnium rerum, unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem: idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura. Et sicut formam servi Dei forma non adimit: ita formam Dei, servi forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium: Deum quoque, justitiæ exigente ratione, erga hominem quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non potest sua benignitate privari) primam erga nos pietatis suæ dispensationem Sacramento occultiore compleret: & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

creatura.

4. Ingreditur ergo hæc mundi infirma Filius Dei, de cœlesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore.

Vniuerſitatis Dominus ſervilem formam obumbrata majeſtatis ſuæ immenſitate ſuſcepit. Impaſſibilis Deus, non dedignatus eſt eſſe homo paſſibilis: & immortalis, mortis legibus ſubjacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata Virginitas concupiſcentiam neſcivit, carnis materiam miniſtravit. Aſſumpta eſt igitur de matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Jeſu Chriſto ex utero Virginis genito, quia nativitas eſt mirabilis, ideo noſtræ eſt naturæ diſſimilis. Qui enim verus eſt Deus, idem verus eſt homo. Et nullum eſt in hac unitate mendacium, dum invicem ſunt & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt: verbo ſcilicet operante quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Unus enim idemque eſt (quod ſæpe dicendum eſt) verè Dei Filius, & verè hominis Filius. Deus, per id quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Homo, per id quod verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Deus per id quod *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Homo per id quod factus eſt *ex muliere, factus eſt ſub lege.* Nativitas carnis, manifeſtatio eſt humanæ naturæ. Partus Virginis, divinæ eſt virtutis indicium. Infantia parvuli oſtenditur humilitate cunarum: magnitudo altiſſimi declaratur vocibus Angelorum. Similis eſt rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere: ſed Dominus eſt omnium quem Magi gaudentes veniunt ſuppliciter adorare. Jam cum ad Præcurſoris ſui Joannis baptiſmum veniret: ne lateret quod carnis velamine tegeretur, vox patris de cœlo intonans dixit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quem itaque ſicut hominem diabolica tentat aſtutia, eidem ſicut Deo Angelica famulantur officia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere, atque dormire, evidenter humanum eſt: Sed & de quinque panibus quinque millia hominum ſatiare, & largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus hauſtus bibenti præſtat ne ultra jam ſitiat: ſupra dorſum maris plantis non ſubſidentibus ambulare, & elationes fluctuum increpata tempeſtate conſternere, ſine ambiguitate divinum eſt. Sicut ergo (ut multa præteream) non ejuſdem naturæ eſt, flere miſerationis affectu * amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere ſepulturæ, ad vocis imperium excitare redivivum: aut in ligno pendere: & in noctem luce controverſa, omnia elementa tremefacere: aut clavis transfixum eſſe, & paradiſi portam fidei latronis aperire: ita non ejuſdem naturæ eſt, dicere, *Ego & Pater unum ſumus*, & dicere: *Pater major me eſt.* Quamvis enim in Domino Jeſu Chriſto Deo & homine una perſona ſit, aliud tamen eſt unde in utroque communis eſt contumelia, aliud unde communis eſt gloria. De noſtro enim illi eſt minor patre humanitas, de patre illi eſt æqualis cum patre divinitas.

5. Propter hanc ergo unitatem perſonæ in utraque natura intelligendam, & Filius hominis legitur deſcendiſſe de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua natus eſt, aſſumpſerit: & rurſus Filius Dei crucifixus dicitur ac ſepultus, cum hæc non in divinitate ipſa, qua unigenitus conſempiternus & conſubſtantialis eſt patri, ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus. Unde unigenitum Filium Dei crucifixum & ſepultum * omnes etiam in Symbolo confitemur, ſecundum illud Apoſtoli dictum: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent.* Cum autem ipſe Dominus noſter atque Salvator fidem diſcipulorum ſuis interrogationibus erudiret. *Quem*, inquit, *dicunt homines eſſe filium hominis?* Cumque illi diverſas aliorum opiniones retexuiſſent, *Vos*, ait, *quem me eſſe dicitis?* Me utique qui ſum filius hominis, & quem in forma ſervi, atque in veritate carnis aſpicitis, quem me eſſe dicitis? Ubi Beatus Petrus divinitus inſpiratus, & confeſſione ſua omnibus gentibus profuturus, *Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei vivi.* Nec immeritò beatus eſt pronuntiatus à Domino, & à principali petra ſoliditatem & virtutis traxit & nominis, qui per revelationem patris eumdem & Filium Dei confeſſus eſt, & Chriſtum: quia unum horum ſine alio receptum, non proderat ad ſalutem: ſed æqualis erat periculi, Dominum Jeſum Chriſtum aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem credidiſſe. Poſt reſurrectionem verò Domini (quæ utique veri hominis fuit, quia aliter non eſt reſuſcitatus, quàm qui fuerat crucifixus & mortuus) quid aliud quadraginta dierum mora geſtum eſt, quàm ut fidei noſtræ integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum diſcipulis, ſuis & cohabitans atque conveſcens, & pertractari ſe diligenti curioſoque contactu ab eis quos dubietas perſtringebat, admittens, ideo & clauſis ad diſcipulos januis introivit, & flatu ſuo dabat Spiritum ſanctum: & donato intelligentiæ lumine, ſanctarum ſcripturarum occulta pandebat. Et rurſus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentiſſimæ paſſionis ſigna monſtrabat: dicens: Videte manus meas & pedes, quia ego ſum. Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: ut agnoſceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere: & ita ſciremus verbum non hoc eſſe quod carnem: & unum Dei Filium & Verbum confiteremur & carnẽ. Quo fidei Sacramento Eutyches iſte nimium æſtimandus eſt vacuus, qui naturam noſtram in unigenito Dei nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam reſurrectionis agnovit. Nec ſententiam Beati Apoſt. & Evang. Joan. expavit, dicentis: *Omnis Spiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus.* Quid autem eſt ſolvere Jeſum, niſi humanam ab eo ſeparare naturam, & Sacramentum fidei, per quod unum ſalvati ſumus, impudentiſſimis evacuare figmentis? Caligans verò circa naturam corp. Chriſti, neceſſe eſt ut etiam in paſſione ejus eadem̃ obcæcatione deſipiat. Nam ſi crucem Domini non putat falſam, & ſuſceptum pro mũdi ſalute ſupplicium verum fuiſſe non dubitat: cujus credit mortem, agnoſcat & carnem. Nec diffiteatur noſtri corporis hominem, quem cognoſcit fuiſſe paſſibilem: quoniam negatio veræ carnis, negatio eſt etiam corporeæ paſſionis. Si enim Chriſtianam ſuſcipit fidem, & a prædicatione Evangelii ſuum non avertit auditum, videat quæ natura transfixa clavis pependerit in Crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat unde ſanguis & aqua affluxerint ut Eccleſia Dei & lavacro * ligaretur & poculo. Audiat & Beatum Petrum Apoſtolum prædicantem, quòd ſanctificatio Spiritus per aſperſionem fiat ſanguinis Chriſti. Nec tranſitoriè legat ejuſdem Apoſtoli verba dicentis: *Scientes quòd non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paterna traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Jeſu Chriſti.* Beati quoque Joannis Apoſtoli teſtimonio non reſiſtat, dicentis: *Sed ſanguis Jeſu Filii Dei emundat nos ab omni peccato*, & iterum: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Et quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius Dei? Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus. Non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur quoniam ſpiritus eſt veritas. Quia tres ſunt qui teſtimonium dant, ſpiritus aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Spiritus utique ſanctificationis, & ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis: quæ tria unum ſunt, & individua manent, nihilque eorum à ſui connexione ſejungitur. Quia Catholica Eccleſia

Antitheſis præclara.

Joan. 1.

Matth. 2.

Matth. 3. Matth. 4.

Joan. 6. Joan. 4.

Lazarus. Joan. 11.

Joan. 10. Joan. 14.

omnis e- tiam in Symbolo confitetur Eccleſia.

Matth. 16

Eutyches myſterium redemptionis impugnat.

Joan. 19.

regeneratur.

1. Petr. 1.

1. Joan. 5.

hac fide vivit ac proficit, ut in Chriſto Jeſu nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera credatur humanitate divinitas.

6. Cum autem ad interlocutionem examinis veſtri Eutyches reſponderit dicens: Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem verò unam naturam confiteor: miror tam abſurdam tamque perverſam ejus profeſſionem nulla judicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem, nimiſque blaſphemum ita omiſſum, quaſi nihil quod offenderet eſſet auditum, cum tam impie duarum naturarũ ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuiſſe dicatur, quàm nefariè poſtquam verbum caro factum eſt, natura in eo ſingularis aſſeritur. Quod ne Eutyches ideo vel rectè vel tolerabiliter æſtimet dictum, quia nulla veſtra eſt ſententia confutatum, dilectionis tuæ diligentiam commonemus, frater chariſſime, ut ſi per inſpirationem miſericordiæ Dei ad ſatisfactionem cauſa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac ſenſus ſui macula per te purgetur. Qui quidem (ſicut geſtorum ordo patefecit) bene cœperat a ſua perſuaſione diſcedere, cum veſtra ſententia coarctatus profiteretur ſe dicere quod ante non dixerat, & ei fidei acquieſcere, cujus prius fuiſſet alienus. Sed cum anathematizando, impio dogmati noluiſſet præbere conſenſum, intellexit eum fraternitas veſtra in ſua manere perfidia, dignumque eſſe qui judicium condemnationis exciperet, de quo fideliter atque utiliter non dolet. Et quàm recte mota ſit Epiſcopalis authoritas, vel ſe reum cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo male ſunt ſenſa, viva voce & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga correctum quantacumque miſeratio. Dominus noſter verus & bonus Paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, imitatores nos vult eſſe ſuæ pietatis: ut peccantes quidem juſtitia coërceat, converſos autem miſericordia non repellat. Tunc enim demum fructuoſiſſimè fides vera defenditur, quando etiam a ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur. Ad omnem verò cauſam pie ac fideliter exequendam, fratres noſtros Julianum Epiſcopum & Renatum Preſbyterum tituli ſancti Clementis, ſed & filium meum Hilarium Diaconum vice noſtra direximus. Quibus Dulcitium notarium noſtrum, cujus fides nobis eſt ſæpe probata, ſociavimus, confidentes ad futurum divinitatis auxilium, ut is qui erraverat, damnata ſenſus ſui pravitate ſalveur. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data Idibus Julii Aſterio & Protogene viris clariſſimis conſulibus.

Atque hæc eſt Epiſtola Leonis tantopere ab omnibus commendata, quam etiam manu D. Petri cum eam ſuper tumulum ejus poſuiſſet Leo, emendatam eſſe narratur in prato ſpirituali Sophronii cap. 147. & 148. apparente eidem Leoni D. Petro ac dicente, Legi & emendavi. Quamvis in hoc præſtet audire ſententiam quam viſionem Petri dicentis 2. epiſt. cap. 1. firmiorem quavis viſione nos habere Propheticum ſermonem, cum majorem ſibi vendicet epiſtola hæc authoritatem ex divinis ſcripturis quam ex recenſita viſione. Notat Baronius anno 449.

Eutyches abſumatur.

AD MARTIANVM AVGVSTVM, *de directa vocis ſuæ legatione Conſtantinopolim, pro Chalcedonenſi Concilio faciendo.*

Leo Epiſcopus Martiano Auguſto.

POpoſceram quidem à glorioſiſſima Clementia veſtra, ut Synodum quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem, à nobis etiam petitam, neceſſariam judicaſtis, aliquantiſper differri ad tempus opportunius juberetis: ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Epiſcopi, quos hoſtilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia pio ſtudio humanis negotiis divina præponitis, & rationabiliter ac religioſè regni veſtri viribus creditis profuturum, ſi nullatit in Sacerdotum ſenſibus diſſonantia, nulla ſit in Evangelij prædicatione diſcordia: ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans, ut omnium cordibus Catholica fides, quæ non poteſt niſi una eſſe, firmetur. A cujus integritate & Neſtorius antea, & nunc Eutyches, diverſis quidem callibus, ſed impietate non impari deviarunt. Abominandi prorſus in perſuaſionibus ſuis, quas contra ſyncerum veri luminis fontem, de cœnoſis lacubus diabolicæ falſitatis hauſerunt. Prioritaque Synodus Epheſina Neſtorium cum dogmate ſuo meritò juſteque damnavit, & quiſquis in illo errore perſiſtit, ad nullius poteſt ſpem remedii pervenire. Sequens verò in prædicta civitate non poteſt vocari Concilium, quod in everſionem fidei fuiſſe conſtat agitatum: quodque veſtra clementia amore veritatis, Catholicis adfutura, aliud ſtatuendo, caſſabit, glorioſiſſime Imperator. Unde per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui regni veſtri eſt Author & Rector, obſecro & obteſtor Clementiam veſtram, ut in præſenti Synodo fidem quam Beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicarunt, non patiamini, quaſi dubiam retractari: & quæ olim majorum ſunt authoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari, illudque potius jubeatis, ut antiquæ Nicænæ Synodi conſtituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Nec me quoque (ut voluit veſtra Clementia) ab illo credatis abeſſe Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, ideſt, Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Preſbyteris, & in fratre meo Juliano, quem eorum volui eſſe participem, etiam mea ſit æſtimanda preſentia. Quos, auxiliante Chriſto, ita acturos eſſe confido, ut ea, quæ Domino noſtro placeant, decernantur, accedente pietatis veſtræ ſtudio, quod & paci proſit Religionis, & cuſtodiæ veritatis. Data ſexto Calendas Junii, Adelphio viro clariſſimo, Conſule.

Legati Pontificis.

EPISTOLA MARTIANI IMPERATORIS *ad Leonem Papam Romanum.*

AD hoc maximum Imperium venimus Dei Providentiâ & electione Senatus ampliſſimi, cunctæque militiæ. Unde pro reverenda & Catholica Religione Chriſtianæ fidei, cujus auxiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu divinæ fidei poſſidentem ſacris litteris in principio juſtum credimus alloquendam; invitantes atque rogantes, ut pro firmitate ſtatuque noſtri Imperii æternam Divinitatem tua ſanctitas deprecetur, ut & tale propoſitum atque deſiderium habeamus, quatenus omni errore impio ſublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni ſcelere pura & intemerata conſiſtens. Actum Conſtantinopoli, conſulatu Valentiniani perpetui Auguſti.

Primatus Ro. Pontifici.

ALIA MARTIANI AD LEONEM.

Leoni Reverendiſſimo Epiſcopo Eccleſiæ glorioſiſſimæ urbis Romæ Martianus.

DE ſtudio & ordinatione noſtra ſanctitas tua non dubitet: quoniam veram Chriſtianorum religionem & Apoſtolicam firmam fidem volumus permanere & ab omni populo pia mente ſervari. Denique

ſolicitudinem noſtræ potentiæ in recta religione & propitiatione Salvatoris noſtri conſiſtere, non ambimus, quapropter Reverendiſſimos viros, quos ad noſtram pietatem ſanctitas tua direxit, libenter (ſicut decebat & animo grato) ſuſcepimus. Supereſſet ut ſi placuerit tuæ beatitudini in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur: noſtris utique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & ſacræ Religioni quæ ſunt utilia decernet. Si vero hoc oneroſum eſt ut tu ad has partes adveniat: hoc ipſum propriis litteris tua ſanctitas manifeſtet, quatenus & in omnem Orientem & in ipſam Thraciam & Illyricum noſtræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam deſtinatum locum, ubi vobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianæ Religioni & fidei profint, ſicut ſanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.

RELATIO SANCTÆ SYNODI Chalcedonenſis ad ſanctiſſimum Papam Romanæ Eccleſiæ Leonem, de omnibus geſtis generaliter.

SAncta & magna & univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei & ſanctionem piiſſimorum & amatorum Chriſti Imperatorum noſtrorum collecta eſt in Chalcedonenſium Metropoli Prouinciæ Bithiniæ, ſanctiſſimo Romanorum Archiepiſcopo Leoni.

Pſalm. 125. *Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Hanc tanquam propriam nobis Prophetiam gratia proarctavit, à quibus pietas egregio confirmata eſt opere. Pietatis eſt reſtitutio confirmata. Quid enim fide ſublimius ad lætandum? Quid agnitione Dominica feſtivius ad choreas (coronas) quam nobis olim Salvator ipſe tradidit ad ſalutem, inquiens,

Matth. 28 *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris; & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quam veluti auro textam ſeriem, ex (veſte Chriſti) præcepto legiſlatoris deductam venientem uſque ad nos ipſe ſervaſti, vocis Beati Petri omnibus conſtitutus interpres, ejus fidei beatificationem ſuper omnes adducentes. Unde & nos, tanquam tanti boni duce & authore ad communem utilitatem utentes, Eccleſiæ filiis hæreditatem ſortemque veritatis oſtendimus, non ſingulatim, faciente in occulto unoquoque doctrinam, ſed uno Spiritu, una conſpiratione atque concordia confeſſionem fidei declarantes: & eramus in communi chorea (coronâ) gaudii, quaſi in Imperialibus cœnis, deliciis ſpiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Chriſtus præparaverat convivantibus invitatis, & ſuper cœleſtem ſponſum inter nos converſantem nos cernere putabamus. Si enim ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi ſe in medio eo-

Matth. 2. rum fore perhibuit; quantam circa quingentos viginti Sacerdotes familiaritatem (peculiaritatem) potuit demonſtrare, qui & patriæ & labori ſuæ confeſſionis no-

Nota. titiam prætulerunt? Quibus tu quidem ſicut membris caput præeas in his, qui tuas vices gerebant, tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens. Imperatores verò fideles ad ordinandum decentiſſimè præ-

Eſdr. 2. ſidebant, ſicut Zorobabel & Jeſus, Eccleſiæ, tanquam Hieruſalem, ædificationem revocare circa dogmata adnitentes. Et erat utique adverſarius tanquam beſtia extra caulas apud ſemetipſam rugiens, nullum prævalens capere, niſi ſemetipſum ei ad capiendum injeciſſet is, qui Alexandrinorum quondam Pontifex fuit. Qui multa prius peſſimè operatus, priora ſequentibus ſuperavit: Nam beatum illum inter ſanctos, Conſtantinopolis Paſtorem Flavianum, Apoſtolicum proferentem fidem, & Dei amantiſſimum Epiſcopum Euſebium, præter omnem Canonum conſequentiam depoſuit atque damnavit: & Eutychem pro impietate damnatum, ſuæ tyrannidis decretis abſolvit, innoxium ſtatuit, & dignitatem, quæ à veſtra illi ablata ſanctitate, quippe ut ab eo qui hac gratia erat indignus, ille reſtituit; & in ſumma, ſicut ſingularis ferus, in vineam irruens, quam optimam reperit plantationem, Pſal. 79. everſit: quam vero ut infructuoſam eradicatam, rurſus induxit: & eos quidem, qui ea quæ Paſtorum ſunt, ſuper oves impoſuit. Et poſthæc omnia, inſuper contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt, contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem: & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ unire feſtinas. Et dum de talibus pœnitere eum potius oporteat, dum deberet miſericordiam lachrymis poſtulare, tanquam de bonis (male ſobrius) exultabat, Epiſtolam quidem tuæ reſpuens ſanctitatis, omnibus verò dogmatibus veritatis adverſans. Et quidem oportebat eum mox inter illos, in quorum ſe ipſe ſtatuit parte, relinquere. Quoniam vero Salvatoris profitemur nos eſſe diſcipulos. *Qui omnes homines ſalvos fieri vult,* 1. Tim. 2. *& ad agnitionem veritatis accedere*: opere hanc in eo miſericordiam feſtinavimus confirmare, & eum cum fraterna manſuetudine ad judicium vocabamus, non quaſi tentantes abſcindere, ſed excuſationis ei locum ut mederemur, tribuentes: & optabamus illis ſuperiorem evadere, qui eum diverſis criminibus accuſabant, ſalvandi cauſa tribuentes: & optabamus eum declarari victorem contra eos, qui eum diverſis criminationibus accuſabant: ut feſtivo celebrique lætitia Concilium dimittentes, in nullo ſuperaremur a Satana. Sed ille in ſemetipſo vehementi conſcientiæ redargutione convictus inſcriptam convictionem conſcientiæ habens refutatione judicii, accuſationibus ſuis aſſenſit, & legitimas ad ſe factas tres evocationes abjecit. Propterea ergo decretum, quod ipſe contra ſemetipſum peccando protulerat; hoc, prout potuimus levigando firmavimus, lupum paſtorali pelle nudantes, qua priùs quoque figura tantummodo, ſeu in ſpeciem convincebatur obtectus. Uſque ad hæc nobis triſtia provenientia ceſſaverunt, & bonorum gratia mox effulſit: & unum zizanioſum evellentes, mundo tritico univerſum mundum cum voluptate complevimus. Et tanquam evellendi ac plantandi poteſtatem ſumentes, inciſionem quidem uno homine tenus coanguſtavimus, bonorum verò ubertatem diligenter plantavimus. Deus enim erat qui operabatur, & quæ ſuo thalamo Concilium coronavit victrix Euphemia ornata decore victore Euphemia; quæ tanquam propriam confeſſionem, fidei definitionem ſuſcipiens à nobis, ſuo ſponſo per piiſſimum Imperatorem, & amicam Chriſti Auguſtam obtulit, omnem quidem perturbationem contrariorum ſedans: veritatis autem confeſſionem roborans, ut amicam, & manu ac lingua univerſorum decretis ut omnibus manifeſta eſſet pro demonſtratione ſubſcribens. Hæc ſunt, quæ totum, qui ſpiritu præſens eras, & complacere tanquam fratribus deliberaſti, & qui penè per tuorum Vicariorum ſapientiam videbaris à nobis, effecimus. Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipſorum ordinata quiete, & propter Eccleſiaſticorum ſtatutorum definivimus firmitatem, ſcientes, quia & veſtra ſanctitas addiſcens, & probatura & confirmatura eſt eadem. Eam namque conſuetudinem, quæ ex longo jam tempore obtinuit permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos Provinciarum, tam Aſianæ, quàm Ponticæ, & Thraciæ, & nunc Synodali decreto firmavimus, non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtantes, quàm Metropolitanis urbibus congruam quietem providentes, eò quòd frequenter Epiſcopis vitam finientibus, multæ turbæ naſcuntur, clericis ac populis qui per eaſdem ſunt civitates, abſque rectore remanentibus, & Eccleſiaſticum ordinem confundentibus, quod nec veſtram latuit ſanctitatem, maximè propter Epheſice, quorum cauſa ſpe mole-

ſtia affecti fuiſtis, & unde quidam vobis ſæpiùs importuni fuerunt. Confirmavimus autem & centum quinquaginta Sanctorum Patrum regulam, qui in Conſtantinopoli congregati ſunt ſub piæ memoriæ majore Theodoſio, quæ præcepit poſt veſtram ſanctiſſimam & Apoſtolicam ſedem primarium honorem habere Conſtantinopolitanam, quæ ſecunda eſt ordinata, confidentes, quia lucente apus vos Apoſtolico radio, & uſque ad Conſtantinopolitanorum Eccleſiam, conſuetè gubernando illum ſpargentes, hunc ſæpius expanditis, eò quòd abſque invidia conſueveritis veſtrorum bonorum participatione ditare ſincera charitate conjunctos domeſticos. Quæ igitur ad interemptionem quidem totius confuſionis, confirmationem verò Eccleſiaſticæ ordinationis deſinimus, hæc ſi cui propria & amica, & ordini ad decorem convenientiſſima, dignare complecti, ſanctiſſime & beatiſſime Pater. Qui enim locum veſtræ ſanctitatis obtinent ſanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſinus & Lucentius, & qui cum eis eſt reverendiſſimus Preſbyter Bonifacius, his ita conſtitutis vehementer reſiſtere tentaverunt, procul dubio à veſtra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut ſicut fidei, ſic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim obſequentes non modo piiſſimis & Chriſtianis Imperatoribus, quibus id gratum erat, verum etiam clariſſimo Senatui, & toti, ut ita dicamus, Regiæ urbi curantes, tam piiſſimos & Chriſti amicos Imperatores, qui ſuper hoc delectantur, quam clariſſimum Senatum, & totam (ſicut dicere convenit) Imperii civitatem, opportunum credimus eſſe honoris ejus confirmationem ab univerſali Concilio celebrari, & velut hæc à tua ſanctitate fuerant inchoata, eò quòd fovere ſemper ſtudeas, roborávimus, præſumentes dum noverimus, quia quicquid rectitudinis à filiis fit, ad patres recurrit, facientes hoc ſibi proprium. Rogamus igitur & tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis quod decet, adimpleat. Sic enim & piis Principibus gratum erit, pii Principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ ſanctitatis judicium firmaverunt, & Conſtantinopolitana ſedes ſuſcipiet præmium, quæ omne ſemper ſtudium vobis ad cauſam pietatis explevit, & ſemetipſam vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoſcatis, quia nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitiam adverſando, ſed ut nutu gubernati divino; omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus, ad comprobationem noſtræ ſinceritatis, & ad eorum quæ à nobis geſta ſunt, confirmationem atque conſenſionem, firmitatem & conſonantiam.

AD ANATOLIVM

Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ubi imprimis de fide in Chalcedonenſi Concilio laudat: deinde arguit, quòd contra Nicænam Synodum Alexandrinam atque Antiochenam Eccleſias ſibi ſubdere voluiſſet.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

MAnifeſtato, ſicut optavimus, per gratiam Dei, lumine Evangelicæ veritatis, & ab univerſali Eccleſia perniciоſiſſimi erroris nocte depulſa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quòd creditæ nobis diſpenſationis labor ad deſideratum pervenit effectum, ſicut etiam Epiſtolæ tuæ textus eloquitur, ut ſecundum doctrinam Apoſtolicam, id ipſum dicamus omnes, & non ſint nobis ſchiſmata: ſimus autem *perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia*. In cujus operis devotione gratulamur dilectionem tuam eſſe conſortem: ut & corrigendis tua prodeſſet induſtria, & ab omni à te deviantium participatione & factione purgator eſſes. Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano, propter defenſionem Catholicæ veritatis ejecto, non immeritò credebatur, quòd ordinatores tui, contra Sanctorum Canonum conſtituta, viderentur ſibi ſimilem conſecraſſe. Sed adfuit miſericordia Dei, in hoc dirigens atque confirmans, ut malis principiis bene uteretur, & non te judicio hominum, ſed Dei provectum benignitate monſtrares: Quod verè ita accipiendum eſt, ſi hanc Divini muneris gratiam alia offenſione non perdas. Virum enim Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem, ſicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Dicente quippe Scriptura ſancta, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere*, multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus reſiſtendum eſt, ut veræ continentiæ obtineatur integritas: cujus prima eſt labes ſuperbia, initium tranſgreſſionis, & origo peccati. Quoniam mens potentiæ avida, nec abſtinere novit à vetitis, nec gaudere conceſſis, dum inordinato pravoque proceſſu, impunitarum tranſgreſſionum augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio fidei reparandæ & amore concordiæ. *Eccleſiaſt.*

Poſt illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum Canonum Conſtitutiones conaretis effringere: tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, ut his locis juri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis, ita præveniris exceſſibus, ut ſanctam Synodum, ad extinguendam ſolum hæreſim, & confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & ut conniventiam ſuam tibi det, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè ſanctum ordinata conditio in aliqua unquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibi de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre: cùm tanto divinitùs privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus authoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Nimis argo hæc improba, nimis ſunt prava, quæ ſacratiſſimis Canonibus inveniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ pertùrbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita aboti voluit Concilio Synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio congregatos, & definitione ejus cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad conſentiendũ ſibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres noſtri, ab apoſtolica ſede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, apertè reclamantes, ne contra inſtituta Nicæni Concilii, præſumptio reprobæ novitatis aſſurgeret: nec poteſt de eorum contradictione dubitari: de quibus in Epiſtola tua etiam ipſe conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo eos quidem multùm mihi, hæc ſcribendo, commendas, ſed temetipſum, quòd eis parere nolueris, dum illicita moliris accuſas: ſuperflùè non concedenda appetens, & inſalubriter tibi contraria concupiſcens, quæ nullum unquam poterunt noſtrum obtinere conſenſum. Abſit enim à conſcientia mea, ut tam prava cupiditas meis ſtudiis adjuvetur; ac non potiùs & meo, & omnium, qui non alta ſapiunt, ſed humilibus conſentiunt, opere ſubruatur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato, manſuras uſque in finem mundi *Leo reſiſtit Patriarchatus Conſtantinopolit.* *Anatolii ambitio.*

mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos & in toto terrarum orbe in suis constitutionibus vivunt, & si quid usquam aliter, quam illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatam trahantur commodum, quæ ad bonum sunt communi præfixa: & manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum: sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se charitatis exerceat: cujus satis uberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quàm si spiritu ambitionis infletur. Noli, frater, alium sapere, sed time, & Christianissimorum Principum piissimas aures improbis petitionibus inquietare desiste: quibus certum habeo, modestia te magis quàm elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta (ut jactas) annos facta subscriptio, nequaquamque à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caduca, dudumque collapsa, fera nunc & inutilia subjicere fomenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet. Memento, quid Dominus ei, qui unum de pusillis scandalizaverit, comminetur, & sapienter intellige, quale sit judicium Dei subiturus, qui tot Ecclesiis, tot Sacerdotibus scandalum inferre non metuit: fateor enim, ita me dilectione universæ fraternitatis obstringi, ut nemini prorsus in his, quæ contra se posset, assentiam, possisque evidenter agnoscere, meæ dilectioni tuæ benevolo animo contraire, ut saniore consilio ab universalis te Ecclesiæ perturbatione contineas. Non convellantur provincialium jura Primatuum, nec privilegiis antiquitùs institutis Metropolitani fraudenter antistites. Nihil Alexandrinæ sedis ejus, quam per sanctum Marcum Evangelistam Beati Petri discipulum meruit, pereat dignitas: nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante Beato Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est in paternæ constitutionis ordine perseveret: & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes: & magnus unicuique honos est integritas sua. Quæ cùm in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Constantinopolitanæ urbis magnificentia potest esse gloriosa, si per observantiam tuam, & defensionem, paterni Canones & exemplum probitatis multi habeant Sacerdotes? Hæc tibi scribens, frater in Domino, horror ac moneo, ut depositio ambitionis desiderio, Spiritu potiùs ferveas charitatis, ejusque virtutibus, secundum doctrinam Apostolicam, proficienter oneris. Etenim patiens, & benigna, & non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt? Unde si charitas non quærit propria, quantum peccat, qui concupiscit aliena? A quibus volo ut te prorsus abstineas, memorque sis ejus sententiæ, quæ dicit, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Nam si inconcessa quæ sieris, ipse te tuo opere & judicio universalis Ecclesiæ pace privabis. Frater autem & Coepiscopus noster Lucianus, & filius noster Basilius Diaconus, quantum in ipsis fuit; studiosè his, quæ eis injunxeras, adfuere: sed actioni eorum justitia negavit effectum. Data undecimo Calendas Junii, Herculano viro clarissimo Consule.

Matth. 18. Marc. 9.

1 Cor. 13.

Apoc. 3.

AD MARTIANVM AVGVSTVM, ubi de ejus gratulatur fide, quæ in Chalcedonensi Concilio gesta est, & de Anatolio Constantinopolitano Episcopo, qui in eodem Concilio Alexandrinam & Antiochenam Ecclesias contra statuta per ambitum sibi voluit subjugare.

Leo Episcopus Romanæ & universalis Ecclesiæ, Martiano Augusto.

MAgno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ Catholicæ multiplicata sunt gaudia, cùm sancto & glorioso clementiæ vestræ studio, pernicio-
B sissimus error extinctus est: ut labor noster citiùs ad desideratum perveniret effectum, quem Deo serviens principatus vester, & fide & potestate juvisset. Quia etsi in virtute Spiritus sancti, inter quaslibet dissensiones per sedis Apostolicæ famulatum Evangelii defendendæ erat libertas, manifestior tamen apparuit gratia Dei, quæ præstitit mundo, ut in victoria veritatis, authoritas tantùm violatæ fidei deperiret, & sua integritas Ecclesiæ redderetur. Bellum igitur, quod pacis nostræ inimicus excitaverat, adeo feliciter, dextera Domini pugnante confectum est: ut triumphante Christo omnium Sacerdotum esset una victoria, & co-
C ruscante lumine veritatis, solæ erroris tenebræ cum suis assertoribus pellerentur. Nam sicut in ipsa Domini resurrectione credenda, ad corroboranda initia fidei multum securitatis accessit, quòd quidam Apostoli de corporis Domini nostri Jesu Christi veritate dubitavere, & visu atque contactu fixuræ clavorum & vulnus lanceæ perscrutando, ambiguitatem cunctis, dum ambigunt, abstulerunt: ita nunc quoque, cùm aliquorum infidelitas confutatur, omnium hæsitantium corda firmata sunt, & profecit universis ad illuminationem, quod quibusdam intulit cæcitatem. In quo opere & digne & juste exultat vestra clementia, quæ fideliter proprieque prospexit, ut Orientalibus Ecclesiis diabolicæ insidiæ non nocerent: sed ad propitiandum Deum efficaciora usque offerrentur holocausta, quando per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum eadem confessio plebium, eadem Sacerdotum, eadem esset & Regum, gloriosissime fili,
D & clementissime Auguste.

His autem, propter quæ tanta facta est congregatio Sacerdotum, bono & optabili fine compositis, miror & doleo, quòd pacem universalis Ecclesiæ divinitùs reformatam, ambitionis rursus spiritus inquieter. Quamvis enim necessariò sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur, ut ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum Catholicæ fidei salubri correctione transiret: custodire tamen debuit, ut quod beneficio nostro noscitur consecutus, nullius pravitatis cupiditate turbaret. Nos enim vestræ fidei & interventionis habentes intuitum, cùm secundum suæ consecrationis authores, ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quàm justiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus: quæ illum modestum magis, quàm immoderatum facere debuerunt.
E Qui etiamsi præcipuis meritis, optimoque judicio legitimè fuisset & solemniter ordinatus: contra reverentiam tamen Canonum paternorum, contra sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adjuvari. Apud Christianum, & verè religiosum, vereque Orthodoxum Principem loquor, multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento.

Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur Imperio. Alia tamen ratio est eorum qui solarium cognitionem divinarum: nec præter

illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit; satis sit, quod prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei favoris assensu, Episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedigneturregiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum rendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ Dei regimen Spiritu sancto instruente, sunt conditæ, te (quod absit) connivente violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas. Et ideò sciens gloriosam clementiam vestram Ecclesiasticæ studere concordiæ, & his, quæ pacificæ congruunt unitati, piissimum præstare consensum, precor, & sedula suggestione vos obsecro, ut ausus improbos, unitati Christianæ pacique contrarios, ab omni pietatis vestræ abdiceris assensu, & fratris mei Anatolii nocitucam ipsi (si perstiterit) cupiditatem, salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt, cupiens, major suis velit esse prioribus, liberumque illi sit, quantis poterit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi charitate magis voluerit ornari, quam ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderii conceptionem nunquam debuit intra cordis sui recipere secretum: sed cùm illi fratres & Coepiscopi mei, quivice mea aderant, obviarent, ab illicito appetitu, eorum saltem salubri contradictione cessasset. Nam & vestræ pietatis apices, & ipsius scripta declarant, tedis Apostolicæ Legatos, sicut oportuit, justissima ei contradictione restitisse, ut inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohiberet. Unde quia convenit fidei vestræ vel gloriæ, ut sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur; agite quod & Christianæ est pietatis & regiæ, ut prædictus Episc. pareat Patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antioch. sine ullo exemplo, contra statuta Canonum, ordinare Episcop. præsumpsit, quod amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessavimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarū regularum injuria, & illicitos declinet excessus, ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat. Quem opto magis, irreprehensibiliter agentem diligere, quàm in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus potest separare, perdurare. Frater autem & Coepiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio Diacono clementiæ vestræ ad me scripta portavit, omni devotione partem susceptæ legationis implevit, qui non est æstimandus negotio defuisse, quem potiùs causa deseruit. Data undecimo Calendas Iunii, Herculano viro clarissimo Consule.

Privilegia Ecclesiarum.

AD MARTIANVM AVGVSTVM, *ubi gratias agit, quod per Chalcedonense Concilium pax Ecclesiæ Catholicæ sit reddita.*

Leo Episcopus, Martiano Augusto.

MUlta mihi in omnibus clementiæ vestræ literis causa gaudii est, dum ex magna divinæ Providentiæ misericordia præstitutum humanis rebus experior, quod Ecclesiasticam pacem (quæ non nisi unitate prædicationis Evangelicæ custoditur) piissimo studio juvare dignamini: ut fidei vestræ gloriæ non solùm utilitate Reipublicæ, sed etiam Religionis profectibus augeatur, gloriosissime Imperator. Unde inæstimabiliter Deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in Imperii fastigio collocavit: in quibus ad totius mundi salutem, & regia potentia, & Sacerdotalis vigeret industria. Nam cùm vestro præcipuè opere sit effectum, ut per Synodale Concilium damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret: ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscunque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia vestra arbitretur implendum, si per universas Ecclesias definitiones sanctæ Synodi Chalcedonensis, Apostolicæ sedi placuisse doceatur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cùm ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ ad me secundum formam Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emissa est, & per fratrem meum Lucianum Episcopum, talia & ad gloriam vestram, & ad Constantinopolitanum Antistitem scripta direxerint, quæ evidenter ostenderent, me ea, quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eisdem literis ea, quæ per occasionem Synodi male sunt attentata; reprehenderant, maluit prædictus Antistes meam gratulationem tacere, quàm vium ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos observantiam meam de custodia Canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus judicastis. Et meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religiosissimè placere cognoscam, ut & fides Nicæna suam teneat firmitatem, & privilegia Ecclesiarum illibata permaneant. Quamvis autem de præclaro fidei vestræ opere nihil vestra pietas indicarit, mihi tamen per venerabilem virum meum specialiter vestrum, fratrem meum Julianum Episc. innotuisse significo, quàm pio dignati fueritis responso, imperitorum Monachorum animos cohibere pariter & docere, ut si illos non penitus deseruit divina misericordia, sentiant se & didicisse quod credant, & agnovisse quod timeant. Quia vero omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religiosissimæque voluntati, constitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & Hæreticorum damnatione placuerunt, libens adjeci sententiam meam. Quæ ut in notitiam omnium Sacerdotum, Ecclesiarumque perveniat, vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, ad futuram credo & spero gratiam Dei, quæ tam sanctam tanti Principis curam, plenissimum desiderii sui fructum faciat obtinere: ut omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, Apostolicæ ubique doctrinæ & pax regnet & veritas. Fratri autem meo Juliano Episcopo, noverit vestra clementia, hoc me propriè delegasse, ut quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probaverit, meo nomine vestræ fiducialiter suggerat pietati: quoniam certus sum, vos ad hæc omnia emendanda, vel defendenda, Deo auxiliante, sufficere. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.

Papa approbat definitionem de fide Concilii Chalcedon.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

QUamvis nullas nunc literas tuæ pietatis acceperim, scribente tamen gloriosissimo Principe, non aliter dignationem ipsius sum gavisus, quam si mihi etiam tuæ serenitatis redderentur alloquia. Unde consuetudinem debitam mei officii opportuit me custodire, per quam significarem clementiæ vestræ, absolutè me gaudere, & incessabilibus à Deo precibus postulare, ut vos & Romanæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ in omni prosperitate conservet. De vigore autem fidei vestræ, quo indesinenter Domino sacrificium laudis offertis, quantas Deo gratias agam, enarrare non valeo: quoniam

Principibus temporis noſtri non ſolùm regiam poten- A tiam, ſed etiam Sacerdotalem cognoſcimus inesſe doctrinam. Indicante enim fratre meo Juliano Epiſcopo, pervenerunt ad nos in exemplaribus præceptionum veſtrarum ſaluberrimæ ſanctiones, quibus inſanam imperitiam Monachorum dignati eſtis parcendo plectere, & docendo punire: ut ſi eos ad pœnitentiam divina miſeratio converterit, multis lachrymis, & à nefandis cædibus, & ab hæreticorum blaſphemiis diluantur. Quod verò piiſſimus Imperator ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonenſi Synodo interfuere, voluit me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei ſint regula definita, firmarunt, libenter implevi, ne fallax cujuſquam ſimulatio ſententiam meam vellet haberi incertam, cùm per Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cui lætitiam meam largiter indicavi, in omnium potuerit notitiam pervenire, quod ſcripſeram, niſi maluiſſet meum gaudium tacere, quam repulſam ſui ambitus publicare. Fratri Coëpiſcopo meo Juliano, cui ſollicitudinem meam in cauſa fidei delegavi, rogo ut eam fiduciam præbere digneminî, quæ pietati veſtræ poſſit, quæ univerſali Eccleſiæ ſint profutura, ſuggerere. Data duodecimo Calendas Aprilis; Opilione viro clariſſimo Conſule.

AD IVVENALEM

Hieroſolymitanum, & cæteros Epiſcopos, qui in ſancta Synodo Chalcedonenſi congregati fuerunt, directa.

Leo, Epiſcopus, ſanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ.

Epiſtola hæc fuit circularis poſt Synodum.

OMnem quidem fraternitatem veſtram noſſe non ambigo, definitionem ſanctæ Synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonenſi civitate celebrata eſt, toto corde me fuiſſe complexum: quia nulla ſinebat ratio, ut qui unitatem Catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuiſſe turbatam, non exultanter in integrum rediiſſe gauderem. Hoc autem non ſolùm ab ipſo beatiſſimæ conſenſionis effectu, ſed etiam ex Epiſtolis meis, quas poſt reditum meorum ad Conſtantinopolitanæ urbis Antiſtitem de, potuiſſet is agnoſcere, ſi vobis reſponſionem ſedis Apoſtolicæ manifeſtare voluiſſet. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonenſi per unanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem, hæc ad omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros, qui prædicto Conc. interfuerunt, ſcripta direxi, quæ glorioſiſſimus & clementiſſ. Princeps (ſicut poposcit) in notitiam veſtram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna univerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolùm per fratres, qui vicem meam executi ſùt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum initiſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa (quod ſæpe dicendum eſt:) propter quam generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari: damnatis hæreticis, qui ſi corrigi voluiſſent, nulla penitus reſideret de vera Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione dubitatio. Unde ſi quis unquam auſus fuerit, vel Neſtorii perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioſcori impium dogma defendere, à Catholicorum communione reſecetur: nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem. De cuſtodiendis quoque Sanctorum Patrum ſtatutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus ſunt fixa decretis, obſervantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum, ſicut ab illis 318. Patribus divinitùs inſpirata ſunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim enor-

Papa approbat Synodum in Chal. ed.

tis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid a prædictorum Patrum Canonibus diſcreparit. Quorum regulis Apoſtolica ſedes quàm reverenter utatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinop. Antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra è lectione cognoſcere, me, auxiliante Domino, & Catholicæ fidei & paternarum traditionum eſſe cuſtodem. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione viro clariſſimo Conſule.

PARS TERTIA.

Plura difficilia circa Concilium Chalcedonenſe.

Auctoritas ſummi Pontificis in hac Synodo.

PUtant hæretici ſe in hac Synodo ſpiſſam rerum & materiarum ſilvam reperiſſe ad aſtruendum primatum Laicorum in cauſſis Eccleſiaſticis contra authoritatem Summi Pontificis Romani. Quæ videntur gravioris momenti ab iis objecta, libet hic breviter excutere, omiſſis aliis quæ imprudenter aut mendaciter objiciuntur, ut ſola rerum inſpectio ſufficiat ad eorum vanitatem deprehendendam.

Objiciunt in prima ſeſſione ſententiam depoſitionis contra Dioſcorum à Senatoribus ac Judicibus miſſis à Marciano prolatam eſſe. Attamen non erat hæc ſententia Juridica & finalis. Nam ſententia finalis rem controverſam per modum condemnationis, aut abſolutionis determinare debet: erat autem hæc ſententia conditionalis, ſi nempe hoc eorum Judicium Imperatori probatum eſſet. Deinde ſenatores id non appellant judicium, ſed dicunt *videtur nobis juſſum*. Quæ verba ſecundum jura non important finale judicium aut finalem deciſionem. Et Dioſcorus in hac actione nondum erat depoſitus. Nam in initio ſequentis actionis ipſi judices fatentur contra Dioſcorum nondum latam eſſe ſententiam, quæ fertur in tertia actione à Legatis Leonis Papæ & reliquis Epiſcopis, idque abſolutè, & non ſub conditione aliqua ſi Imperatori videretur; ſed & inſuper in hac actione tertia ſolitadarant Epiſcopi abſque Magiſtratibus ſæculatibus, eo quod concludenda eſſet Dioſcori damnatio, cui præter Epiſcopos ſecundum Canones nemini judicum Laicorum intereſſe licebat.

Quid Senatus & Judices egerint.

Objiciunt in actione 1. Senatum & Judices prius acta recitaſſe, tum ea de quibus conſultandum erat propoſuiſſe, jubereque præſentes in Concilio ut ſine ſiniſtro aliquo affectu puràm fidei expoſitionem exhibeant; denique fere ex omnibus geſtis ac dictis à Judicibus, inferre volunt concluſionem à ſe intentam in præjudicium poteſtatis Eccleſiaſticæ. Sed eſt invalida argumentatio. Siquidem conglobata omnia iſta non arguunt primatum in rebus ſpiritualibus, ſed magis indicant officium magiſtratus civilis, nempe ut Epiſcoporum poſtulata promoveat, & quæ ad pacem & ordinem ſervandum utilia ſunt executioni mandet, atque externâ poteſtate provideat ut pacate & moderate procedant omnia. Quod eo magis neceſſarium erat in hoc Concilio, quod in præcedenti Epheſino ſecundo propter tumultus & cædes magis Babylonicam confuſionem quam Eccleſiaſticam congregationem exhibuiſſent Epiſcopi ſchiſmatici, quorum plures cum Dioſcoro Chalcedonem advenerant. Quorum conatus non aliter reprimi potuiſſent, nec ſchiſma impediri. Ut vero magis pateat quantum in hoc quarto Concilio enituerit poteſtas Pontificis Romani, libet hic exſcribere quæ vir doctus Staplero obſervavit ac coacervavit in ſuâ ſæpius laudata ad Horni flatum replica lib. 2. cap. 14. Quid enim alieno labore non ſublevemur? quicquid ab ullo bene dictum eſt, meum eſt, dicebat Seneca Epiſt. 16. ad Lucilium.

Legati Papæ.

Primò igitur, ut à prima ſectione initium ſumam, certiſſimum eſt legatos Summi Pontificis, ante alios Epiſcopos nominari, & locum habere, etſi unus eorum Epiſcopus non erat. Tum etiam videbimus ſceleratum Alexandriæ Epiſc. interrogatum, & exagitatum, quia Synodum facere auſus eſt, ſine authoritate Romanæ Sedis, quod, ut ibidem habetur, nunquam rectè factum eſt, nec fieri licuit. Ibidem etiam videbitis, *Romam caput omnium Eccleſiarum* ſalutatam.

Invenies etiam ibidem Legatos Summi Pontificis ab eodem mandatum accepiſſe, ut non ſinerent Dioſcorũ inter alios Epiſcop. locum capeſſere, ſed juberent eum ſicut reum ad tribunal ſtare. Legati illud Senatoribus ſignificabant, & monebant, ſi rem aliter fieri paterentur, excommunicationis ſententiam ſine dubio ſubituros. Quare ſedere in medio juſſus eſt à reliquis ſeparatus. Hic etiam invenietis doctiſſimum Epiſcopum Cyri Theodoretum à Dioſcoro & Maximo Patriarcha ſuo depoſitum, receptum eſſe, & inter Epiſcopos locum obtinuiſſe, eo quòd Leo Papa eundem reſtituiſſet. Hic etiam inventur nec laïcos, nec Preſbyteros, ſed ſolos Epiſcop. ſuffragari, & ſubſcribere in Conciliis. Hic etiam apparet quare Magiſtratus civiles Conciliis interſunt. Non enim adſunt, ut præſint, aut de rebus Eccleſiaſticis ſententiam ferant (ut Hornus imaginatur) ſed ex commiſſione Comiti Elpidio ab Imperatore Theodoſio data, quas in Concilio partes habent ſatis apparet: nempe, *Nullum fieri tumultum permittere, ſed ſi quem videritis conturbationibus & tumultui ſtudentem ad læſionem ſanctæ fidei, hunc cuſtodiæ mancipare, & ad noſtram perferre notitiam, & cauſam quidem ordine provenire: intereſſe autem judicio, & operam dare, celerem, & circumſpectam probationem à ſancta Synodo fieri.* Hic etiam conſtat non ſolùm Flavianum Epiſ. ſanctum & Patriar. Conſtantinop. à Dioſcoro injuſtè depoſitum ad ſedem Apoſtolicam provocaſſe: ſed etiam Archi. hæreticum Eutychetem a Flaviano juſtiſſimè condemnatum, prætenſa appellatione ad eumdem Leonem cauſa remedii confugiſſe.

Epiſtola Leonis Papæ.

In ſecunda Seſſione lecta Epiſt. Leonis Papæ, audita eſt acclamatio Concilii: *Petrus per Leonem locutus eſt.* Sed præter cæteras Seſſio tertia teſtimoniis pro Sedis Apoſtolicæ primatu adeo plena eſt, ut facile ſit eam ingredi, difficile autem exitum invenire.

In hac Seſſione tertia Summus Pontifex Leo appellatur, *Univerſalis Archiepiſcopus, univerſalis Patriarcha, univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, Catholicus ſive univerſalis Papa.* Atque hoc loco Ivellus, ſi promiſſis ſtare velit, ſubſcribere tenetur: quia poſtulationi ſui (etiam iniquiſſimæ) in terminis reſponſum eſt. In hac Seſſ. Sum. Pontif. Legati contra Dioſcorum Patriarch. Alexandrinũ ſententiam pronunciabant, & authoritas ipſius Leonis, & S. Petri (qui ibi appellatur *Petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum* (eumdem) *tam dignitate Epiſcopatus tudabant, quàm etiam ab omni Sacerdotali miniſterio alienabant*; Quia cum Eutychete à Concil. condemnato eò quòd Leonem Papam ſententia excommunicationis ferire præſumpſerat, communicabat, & à Conc. ter peremptoriè citatus, ad Concilium venire detrectabat. Et qua tandem ratione potes tu, Horne, & gregales tui inter Epiſ. numerari, quandoquidem authoritatem Tridentini Concilii, rebelles nimiùm, aſpernamini, nec magis quàm Dioſcorus in Chalcedonenſi, in illo celeberrimo Epiſcoporum conſeſſu, auſi eratis comparere? cùm haud majori juſtitia aut ratione, imo multò minori, Catholicorum Epiſcoporum ejectionem, quàm Dioſcorus depoſitionem Flaviani in Epheſo poteſtis aſſeverare, & ſuſtentare? Ubi nunc Edictum Parlamẽtorum omnem Eccleſiaſticam juriſdictionem, præter eam quæ inter quatuor maria naſcitur, prorſus eliminans? Deliravit ergo Dioſcorus, qui in defenſione ſua ejuſmodi exceptione & defenſione uti noluit: nam ſicut vos de Tridentino, ita ille de Chalcedonenſi, quid ad me authoritas extranea? Niſi fortè vobis ſpeciale aliquod privilegium indultum arbitremini; & ſicut eſtis Britannico Oceano circumdati (quos Poëta appellat: *Penitus toto divisos orbe Britannos*) ita vosmetipſos eximi putetis à fide & Religione, quam omnes ubivis terrarum Catholici profitentur. Sed pergamus. In hac eadem Seſſ. 3. invenies: *Paſchaſium vice beatiſſimi Leonis præſidentem primò ſubſcripſiſſe:* In hac eadem Seſſione Leo Sum. Pontifex: *Interpres vocis B. Petri orbi conſtitutus appellatur.* In hac Seſſione totum Concil. dicit de Leone, qui tamen tunc Romæ exiſtens longè aberat à Chalcedone. *Tu quidè ſicut membris caput præerat, in his qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præ ſe ferens: Imperatores verò ad ornandum decentiſſimè præſidebant, ſicut Zorobabel, & Jeſus Eccleſiæ Hieruſalem ædificationem renovare circa dogmata aditentes.* Et ſolus hic locus ad refutanda omnia, quæ ſive ignorantia, ſive altercandi ſtudio, pro Principum authoritate in Conciliis per totum hunc librum accumulavit, ſatis eſſe poteſt. In hac Seſſione univerſa Synodus ait, *Cuſtodiam vineæ*, ideſt, totius Eccleſiæ, *Leoni Papæ à Salvatore commiſſam eſſe.* In hac Seſſione licet Legati Pontificis præſentes, omnia fidei decreta confirmaſſent, rogat tamen Synodus Leonem ut illa confirmare velit. Hic ſi adeſſet Author Apologiæ, Deus bone! quales ille jocos, quos lusos daret? Annon pari ſcurrilitate, qua olim Patribus Tridentinis pro clauſula hac. *Salva Apoſtolicæ Sedis authoritate*, his etiam 630. Patribus irrideret? Hic ſcio delirare, diceret, 630. hos Patres, ſi rem ſemel determinatam à Summi Pontificis Legatis in pleno Concilio, ulterius confirmari poſſe exiſtimarent. Hic ſcio à Patribus iſtis 630. impius ſcurra peteret, an putarent Spiritum ſanctum curriculo Romam properare, ut ſi alibi hæſitaſſet, ibi Concilium doctius caperet? an forte Spiritum ſanctum Romæ habitare doctiorem exiſtimarent? has, inquam, & hujuſmodi Judaicas facetias impius pariter & ridiculus Apologiſta hoc loco venditare poſſet. Sed ad rem. Non modò Concilium, ſed etiam Imperator Martianus Leonem rogavit, ut quæ ibi *de fide determinata erant confirmaret.* In hac Seſſione ipſi Senatores, quos hic nugator Supremos Judices toties eſſe aſſeverat, *ea quæ ad fidem pertinent, à Patribus illius Concilii doceri poſtulant, quia ii tam pro illorum quam pro ſuis animabus rationem reddituri ſunt.*

Et ut videatis, quam parvi momenti ea ſunt, quæ ex ſupplicatione Euſebii Dorolienſis ad Imperatorem arripit, obſecro, & ſupplicationem ejuſdem ad Concil. unà conſiderate, & æquitatis & judicii lancem utramque pariter trutinate. *Precor*, inquit, *& ſupplico veſtræ ſanctitati, miſereminimei. Et dum adhuc in memoria retinetis, quæ antea inter eos & præfatum Dioſcorum acta ſunt, decernite omnia quæ adverſus nos geſta ſunt, viribus carere: & nihil nobis ea monumenta, quæ injuſtè contra nos facta ſunt, nocere. Habere verò nos & Sacerdotalem dignitatem &c. quòd impetrantes interſumus gratias agamus veſtræ ſanctitati.* In hac Seſſione inveries eam ſententiam, quam Senatores in cauſa Dioſcori proferebãt, non fuiſſe finalem & judicialem, ſed animi ſui & judicii declarativam tantum; plena authoritate adhuc exiſtente in Epiſcopis, *quibus hanc inferre ſententiam à Domino Deo concreditum eſt.* Præterea licet argumento tuo à metaphora medici ducto, ut debili quod opus Medico habeat, ſatisfacere mihi videatis; quia tamen 630. teſtes in margine pingis, vel fingis potius qui ſæcularem primatum agnoſcunt, nempe quia Imperatorem præcipuum & optimum medicum ſalutant: liceat mihi hoc argumentum, quod nec medicum nec Theologum ſapit, adjuvantibus iis Patribus in te retorquere, ſequitur enim in eadem pagina, *& forte ſuper tantis ac talibus iniquitatibus veniam adipiſci potuiſſet, ſi per dignam pœnitentiam adſciſceret medicinam ab hoc univerſali Concilio.* Ecce Horne ipſi Patres medici ſunt, qui plagam hanc Dioſcori, ſi medicabilis eſſet, indubitanter curaſ-

Perſtringitur Parlamentum anglicanum.

ſent. Et quamvis peſtiferi illiùs Conciliabuli Epheſini caput & auteſignanus cognoſceretur, nihilominus modo veniam non ab Imperatore, ſed a concilio humiliter, ut oportebat, petiſſet, gratiam fortè inveniſſet, nec gravem depoſitionis aut excommunicationis ſententiam ſubiiſſet. Imò Imperator ipſe Marcianus fatetur, *Remedia culpabilis erroris ab ipſis Patribus inventa eſſe.* Sed quomodo quæſo? Nempe quia, *Sacerdotes quid obſervari in Religione debeat, perſpicua definitione docuerunt.* Hæc qui benè conſiderat notam illam marginalem authoritate 630. Patrum gloriosè adornatam, unà cum argumento tuo medico prudens aliquis Pharmacopola vitioſa nuce non emet. In hac Seſſione invenies celebertimum hunc Patrum conſeſſum fidei cauſas diligenter inquirere. Sed quo Authore, cujus authoritate? an Imperatoris? Imò, *Authoritate beatiſſimi Leonis fidem diligenter inquirunt*, ut Martianus & Valentinianus Imperatores ipſi fatentur. Nec dubito quin jam fidem adhibebis 630. Patribus, qui contra Dioſcorum agentes dixerunt, *ſe regularem poteſtatem habere.*

Quid tandem pro te tuiſque Coëpiſcopis falſis & fratribus in malo reſpondere potes? Quomodo conſiſtere poteſt injuſta depoſitio Epiſcoporum ſola authoritate civili facta, quandoquidem ipſi Imperatoores dicant: *Non poſſunt Sacerdotes conſtitutione damnari, quos Synodicum ornat ſuper conſervanda Religione judicium.* Multa in hac Seſſione occurrunt, ſed ad reliqua feſtino. Hoc unum in quarta Seſſione adnotandum cenſeo, nempe quod ibi oſtenditur Dioſcorum per Legatos ſummi Pontificis in Concilio damnatum eſſe ignorante Imperatore, etiam abſentibus illius deputatis, qui tamen ſingulis aliis Seſſionibus intererant. Hac una ſententiola (ni faller) Primatus tuus corruit: hac una linea univerſa libri tui vaniloquentia diſſipatur. Hoc, ut dixi, hunc in modum in quarta Seſſione declaratur. Sed ſententia contra Dioſcorum Seſſione tertia data eſt, ubi Dioſcorus non auſus ipſe comparere, rogavit, ut judices Imperatoris deputati præſentes eſſe poſſent, ſed reſponſum accepit: *Quando quædam regularia examinantur, neque judices, neque aliquos Laicos intereſſe oportet:* Qualia hæc erant: Nam, *propter fidem non eſt damnatus Dioſcorus:* ſed propter inobedientiam & contumaciam contra Pontificem, Concilium & Canones: quo caſu nec judices, nec Imperatoris deputati, nec aliqui laici debent intereſſe. Hæc te ſententia perſtringit, Horne, qui Eccleſiaſticæ reformationi tantopere recalcitras. Hæc etiam ſententiola maximam libri tui partem, & poteſtatem viſitandi, & coëcendi Clericos Edictis Parlamentariis Principi tributam planè deſtruit.

Peregrin lib. 1. c. 16.

In quinta Seſſione orta eſt diſſentio inter Patres quoad formam finalis ſententiæ, quibus verbis concipi deberet. Qua audita aſſurgunt Senatores dicentes: *Niſi inter ſe convenire in animum inducant, Concilium in Occidente cogendum eſſe*, Romam intelligentes. Epiſcopi Illyrici continuò clamabant ut prius dixi, *Qui contradicunt Romam ambulent.* Ad extremum quando poſt multas altercationes in unum omnes cõſenſiſſent, rei controverſiæ ultima reſolutio & finalis ſententia lata erat, & una cum denuntiatione depoſitionis, & excommunicationis, contra eos qui eidem contraire præſumerent, ab Epiſcopis ſolis ſine ullo ſuffragio aut aſſenſu Imperatoris, aut Senatorum ejus vices gerentium, pronuntiata erat.

Sexta Seſſio ipſius Imperatoris Martiani & ſpectatiſſimæ Imperatricis præſentiâ decorata erat, quibus præſentibus Ætius Archidiaconus Conſtantinopolitanus aſſurgens, declaravit contentiones de rebus fidei jampridem ortas, ſtudio & opera ſancti illius Concilij tandem ſepultas eſſe: Deinde ſententiam definitivam legit, cui ſententiæ ſubſcriptiones omnium Epiſcoporum annexæ erant. Primo autem loco Legatus Summi Pontificis ſubſcripſit in hæc verba; *Ego Paſchaſinus Epiſcopus, vice Domini mei beatiſſimi atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi.* Poſt hunc ſubſcribunt Collegæ illius, licet alter eorum non erat Epiſcopus: Poſt hos ſubſcribit Anatolius Patriarcha Conſtantinopolitanus: ſequuntur illum alij Patriarchæ & Epiſcopi. Tum Martianus Imperator unanimem cernens 630. Patrum conſenſum, eorum decretum approbat & confirmat, & contra delinquentes civilem & externam pœnam ſtatuens, eidem robur & firmamentum addidit. Atque hac in re officium & authoritas civilis circa res Eccleſiaſticas propriè verſatur.

Subſcriptiones Cõcilii.

Seſſione ſeptima declaratur, electionem Maximi Epiſcopi Antiocheni à Papa Leone confirmari. Actione decima publicè aſſeritur: *Quia miſſi Apoſtolici ſemper in Synodis priùs loqui & confirmare ſoliti ſunt.* Actione 12. controverſia circa Epiſc. Epheſinum habita, per Concilium non per deputatos Imperatoris finita & determinata erat, ut dictum eſt. Seſſione 16. & ultima reperitur hæc aſſertio: *Roma ſemper habuit Primatum.* Univerſa Synodus ad Imperatorem loquens ait: *Impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus nobis providit Romanæ Eccleſiæ Papam*, Leonem intelligens. In hac eadem Seſſione maxima pars Epiſcoporum Imperatori gratum facere cupiens, qui Conſtantinopoli aulam locaverat, Patriarcham Conſtantinopolitanum, licet decreta Concilij Nicæni contrarium ſtatuiſſent, Patriarchis Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano anteponendum ſtatuerat. Sed ſummi Pontificis Legati, & imprimis ipſe Leo noluerunt aſſenſum præbere, & licet reliqua quæ acta erant in Concilio confirmaret, ad illud confirmandum nullo modo adduci potuit: imo Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum à petitione ambitioſa deſiſtere, & errorem agnoſcere coëgit. Poſtremò in epiſtola Paſchaſini qui unus erat è Legatis ſummi Pontificis in illo Concilio, ubi de condemnatione Dioſcori agitarum eſt, idem Leo expreſſis verbis, *caput univerſalis Eccleſiæ appellatur.* Multa alia in hunc finem colligi poſſunt, tam ex actis hujus Concilij, quàm alibi. Illud imprimis notandum, quod de hoc Concilio ſcripſit ſanctus Gregorius: *Prædeceſſores ſuos univerſales Epiſcopos in eo appellatos fuiſſe.*

l. 4. ep. 38. cap. 14.

Hæc Stapleto contra ſuos Britannos, quæ non minus adaptari poſſint contra alios hæreticos, ut mirum ſit cum plures ex ipſis quatuor prima Concilia ſe recipere fateantur, nolle tamen Pontificis Romani antiquæ authoritati ac primariæ poſt Chriſtum in Eccleſia ſuffragari.

Stapleto cõtra ſuos Britannos

Sed & hoc ipſum magis confirmat Baronius ex epiſtola miſſa ad Leonem a Synodo ut ejus acta confirmaret, quæ incipit, *replerum eſt gaudio os noſtrum.* Ex hoc quippe intelligi poteſt id ſolitum fieri in aliis Synodis, quarum acta non ſunt integra, ſicut ipſius Chalcedonenſis. Obſervat quoque in ea ſe filios Summi Pontificis nominare, petuntque ut velit confirmare decretum de Conſtantinopolitana Eccleſia ut primum locum poſt Romanam obtineat, eum ſic caput eſſe totius Eccleſiæ intelligentes, cujus ſit gradus ſummos in Eccleſia diſtribuere, cujuſque authoritatem tanti æſtimant, ut putent eſſe infirma nec poſſe ſubſiſtere quæ in duobus Conciliis Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi decreta eſſent, niſi ipſius confirmatio accederet, quamvis teſtetur Liberatus in Breviario id quod Concilio firmatum eſt ea de re, Imperatoris patrocinio permanere. Ex quibus perſpicuè apparet nullum officium ab hac Synodo prætermiſſum, quo non proſecuta fuerit primarium Chriſtianæ religionis antiſtitem & univerſalis Eccleſiæ caput, eum in omnibus univerſalem Eccleſiæ Pontificem profeſſa tum factis tum ſcriptis, & ipſum titulum Oecumenici Eccleſiæ Epiſcopi eidem tribuens. Sicut teſtatur Gregorius Magnus lib. 4. regiſtri epiſt. 36. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum ubi hæc habet. *Sicut enim veneranda veſtra ſanctitas novis ait per ſanctam Chalce-*

Reverentia Synodi ad ſummũ Pontificem Romanũ.

donenſium Synodum Pontifici ſedis Apoſtolicæ (cui Deo diſponente deſervio) hoc univerſitatis nomen oblatum eſt, ſed nullus unquam deceſſorum meorum hoc tam profano vocabulo uti conſuevit. Quod ita aſſerit Divus Gregorius, quod nemo Pontificum Romanorum eo titulo ex ſolemni ritu ſemper & in omnibus uſus ſit ſubſcriptionibus. Sed interdum eo uſi ſunt, ut S. Leo in Epiſtola quam anno ſequenti 452. dedit ad Martianum adverſus Anatolium volentem ſibi ſubjugare nobiliores Eccleſias, in inſcriptione uſus eſt titulo Univerſalis. Habet id quidem Latinus codex Epiſtolarum S. Leonis, ſed & Græcum exemplar in appendice ad Concilium Chalcedonenſe.

Tria genera argumentorum contra Synodum.

Sed ut difficultas hæc explanata ſit, reſtant plures aliæ quas defenſores Eutychis magna contentione agitarunt, ii maximè qui Hæſitantes aut Acephali dicti ſunt, quod ſub Petro qui Dioſcoro ſucceſſerat Synodum hanc impugnarunt Alexandriæ, dicti Acephali, id eſt, ſine capite, quod contra mentem Epiſcopi & ſine illius aſſenſu Synodum impeterent ac deſtruere conarentur, & quamvis eorum factione Petrus Synodum tandem ex eorum voto anathematizaſſet, nec ſic tamen illi communicabant quia ab initio Synodum non improbaſſet. Hi tumultus innumeros contra Synodum excitaverunt, miſereque populos ſciderunt variis in partes, unde occaſio data eſt aliis Conciliis congregandis, ut infernus patebit. Illi autem Hæſitantes ac Acephali hæretici triplici argumento utebantur contra Synodum, ut notat Leontius de ſectis actione 6. eorum enim argumenta partim hiſtorica ſunt ſumpta de iis quæ à Synodo Chalcedonenſi acta fuerunt: partim ex Syllogiſmis & arguta ratiocinatione: partim ex auctoritatibus.

Hæſitantes & Acephali.

Quoad hiſtorica objiciunt inconſtantiam Epiſcoporum qui primo Eutychem damnarant, deinde abſolverant. Quaſi res humanæ variis mutationibus non eſſent obnoxiæ, aut propter quinque & triginta Epiſcopos qui viſi ſunt inconſtantes, ſexcentorum & triginta Epiſcoporum Synodus rejici deberet.

Dicunt Anatolium dixiſſe non propter fidem Dioſcorum damnatum eſſe: ergo fidem illius veram fuiſſe, & quod in Synodo per Aſclepiadem recitata confeſſionis formula in qua habebatur Chriſtum eſſe ex duabus naturis, illa non fuerit recepta, cum tamen Cyrillus id expreſsè habeat. Sed hoc Anatolius dixerit, dicta particularium Epiſcoporum in Synodo, non ſunt ipſa decreta Synodorum, etſi in Synodum veniſſet Dioſcorus, non dubium quin & propter fidem damnatum ſe audiſſet. Illa autem formula, in qua habebatur Chriſtum eſſe ex duabus naturis, eſt rejecta, non quia falſum aliquid contineret, ſed quia erat imperfecta & minus expreſſa, nullam refutationem dogmatum Eutychis habens, ſed id quod utrique parti probabatur.

Aliam ingerebant difficultatem ex hoc quod homines ſectarios admiſiſſet, Theodoritum, qui contra 12. capitula Cyrilli ſcripſerat, & Ibam qui in Epiſtola ad Marim Perſam Neſtorium ſapit, ac Theodorum Mopſueſtenum ſurſum ac deorſum laudat. Verum eſt Synodum hos admiſiſſe, ſed abjurato prius Neſtorio, pœnitentes autem hæreticos admittere, inſolitum non eſt. Nam & Nicæna Synodus ſeptem hæreticos admiſit qui antea patres Arrianas fovebant. Cur ergo, inquiunt, Synodus eos non adegit ut ſcripta ſua anathematizarent? Cur Theodorus quoque anathemati non eſt ſubjectus? Sed nunquid ſatis intelligi debent ſcripta ſua damnaſſe Theodoritum & Ibam, cum Neſtorio clarè anathema dixerunt? de Theodoro autem ratio fuit peculiaris cur filuerit Synodus, quippe pro magno Doctore habebatur ab Orientalibus, & diſſidium timendum erat ex ejus expreſsâ damnatione, unde conſultius viſum eſt de eo ſilere. Sed de his plura inferius.

Jam ut ad argumentationes accedamus. Dicunt non poſſe duas naturas admitti, quin duæ perſonæ admittantur, & duo Filii, & duo Chriſti. Sed & ſi duæ admittantur, aut hypoſtaticæ ſunt, ut non hypoſtaticæ. Si primum duæ erunt perſonæ, ſi ſecundum, rerum in natura non ſunt. Ad hanc objectionem, inquit idem Leontius act. 7. rurſus & inſtando & opponendo pugnamus. Inſtando, quia malè objicitis. Nam ſi Chriſtum ex duabus naturis dicitis, hæ quoque naturæ vel hypoſtaticæ ſunt vel non: ſi primum, duas perſonas & duos Chriſtos introducitis: ſi ſecundum, de naturis non exiſtentibus Chriſtum eſſe dicitis. Ut autem non pergamus rem inexplicabilem per aliud inexplicabile diſſolvere (nihil enim in eo præclari), age viciſſim eis opponendo noſtra objectionem eorum malè comparatam redarguamus. Sciendum igitur eſt hypoſtaticum & hypoſtaſim duo ſignificare: nam & ſignificat id quod ſimpliciter exiſtit. Quo ſignificato dicimus & accidentia hypoſtaſim habere licet in alio eſſe ſuum habeant: ſignificat & id quod ſeorſum & per ſe exiſtit, qualia ſunt individua ſubſtantiarum. Itidem & non hypoſtaticum duplex eſt, nam & illud dicitur quod omninò non exiſtit, ut eſt hippocentaurus, & id quod non per ſe ſed in alio exiſtit, ut accidentia. His ita conſtitutis quoties nos interrogaverint, &c. quæramus quomodo hypoſtatici nomen accipiant. Nam nihil eſt abſurdi admittere duas Chriſti naturas hypoſtaticas ſumpto hypoſtatico pro eo quod exiſtit. Sumpto vero hypoſtatico pro eo quod per ſe, & ſeorſum exiſtit, ſic non admittimus duas naturas hypoſtaticas.

Quid ſit poſtaſis.

Objiciunt ſi duas naturas dicitis, diviſionem introducitis, quippe numerum introduciris. Sed præterquam quod eamdem abſurditatem ex eorum duabus naturis licet colligere, ſciendum eſt pluribus modis unum dici ſicut & duo, eſt enim unum numero & unum ſpecie, ſimiliter & duo: cum ergo duo de Chriſto dicimus, non cum duo dicimus eſſe numero, ſed unum numero, duo ſpecie. Quod autem ita loqui poſſimus, etiam oſtendit ipſe Ariſtoteles, apertè de materia ac forma, dicens eſſe illa quidem unum numero, ſed ſpecie duo. Alia porro Philoſophica eorum argumenta quæ latius proſequitur præfatus Author ad iſta fere reducuntur, quibus involuebant minus perſpicacium mentes.

Cæterum ad objectionem illam tunc vulgarem de identitate prætenſa inter perſonam & naturam, adhuc expreſſius reſpondebat Vigilius Martyr lib. 3. contra Eutychem. Reſpondeant, inquit, igitur Arriani, quomodo ſi unaquæque perſona propriam habet naturam, non tres ſint in Trinitate naturæ, ſicut & tres demonſtrantur eſſe perſonæ, &c.

Ex Patribus porro objiciebant Cyrillum, qui unam naturam Dei ſermonis incarnatam apertè dixerit. Sed ita ſit, non ſunt enim ambæ naturæ incarnatæ, ſed unica incarnata, ideo inuituntur baculo arundineo, nec dixit D. Cyrillus unam naturam Chriſti incarnatam, ſed Verbi, ut ſeipſum declarat in ſecunda Epiſtola ad Succeſſum.

Objiciunt à B. Julio dictum in Epiſtola ad Dionyſium Corinthi Epiſcopum: Neceſſe eſt eos cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare: ac in divinam quidem baptizari, in humanam non baptiſari. Sed hæc Epiſtola non Julii, ſed Apollinaris eſt, nihil dignum Julio habens, & nuſquam cum de corpore mentionem facit mente aut anima præditum afferens, contra morem patrum hujus ſæculi apud quos crimini vertebatur id omittere. Deinde Gregorius Niſſenus in opere contra Apollinarem multa refutat quæ in hac Epiſtola continentur tanquam ab Apollinari dicta.

Patres immerito citantur ab hæreticis.

Proferunt aliam authoritatem ex Gregorio miraculorum effectore ex illius confeſſione fidei ſeorſim expoſita. Non duas perſonas, inquit, non duas naturas, quia non adorandæ ſunt quatuor, &c. Ad id quoque

Gregorius Taumaturgus.

reſpondetur dubitatum fuiſſe apud antiquos an ſit iſta confeſſio Gregorij, & Gregorius Niſſenus de illo orationem habens nullum aliud opus ipſius in manibus eſſe ait præter ſolam fidem quam in viſione conſpexerit.

Aliam quoque proferunt authoritatem S. Athanaſii ex orat. de Incarnatione. Eundem eſſe Dei filium ratione ſpiritus, & hominis filium ratione carnis: non duas naturas unum illum filium, quarum una ſit adoranda, non adoranda ſit altera, ſed unam naturam Dei ſermonis incarnatam: ſed nec eſt Athanaſii, interrogati enim ubi hoc extet, proferunt in arctum coacti puſillam quandam orationem quaſi duorum foliorum: at notum univerſa D. Athanaſii opera valde magna eſſe. Quid autem ad hoc reſpondebimus, quòd B. Cyrillum producunt citantem hoc dictum lib. adversùs Theodorum quaſi profectum ab Athanaſio? Nimirum dicimus reapſe quidem illud in B. Athanaſii invectivis legi. Sed mendum eſſe priſcum. Dioſcorus enim ſucceſſor B. Cyrilli factus cùm ejus opera repetiſſet, forte non eſt veritus inſerere nonnulla quæ ipſi lubitum fuit, &c.

Producunt aliam authoritatem ex Erechthio, cujus inter patres nec auditum eſt nomen unquam: adeo quidem ut cum Timotheus contra Synodum ſcripſiſſet & authoritatem Erechthii citaſſet: Cyrus qui apud ipſum Presbyteri loco eſſet, his ad eum verbis perſcripſerit: mallem hoc te corrigere. Nam Erechtii nomen inter patres auditum nunquam fuit.

His & ſimilibus quibuſdam frigidis reprehenſionibus Synodum impugnabant, quam etiam Cyrillianam vocabant Monachi maximè tum in Palæſtina tùm in Ægypto, eo ſucceſſu, ut majorem plebis partem ad ſuas partes traherent, multos quoque vi, metu, minis & cruciatibus ad eas adigerent, quas Vigilius Martyr lib. 5. contra Eutychen vocabat inanes contradictiunculas ac vitreas ſententias, veritatis malleo obterendas, hujuſmodi, inquam, objectionibus parum fundatis ſic in Oriente deformis erat facies Eccleſiæ per zelum præpoſterum in iſtis Pſeudo-Monachis, per quos etiam Religio Catholica fere expulſa fuit ab hac mundi parte uſque ad hæc tempora. Quin etiam litteris ſuis tentaverunt Pulcheriam Auguſtam pervertere cùm jam Eudoxia ab eorum partibus ſtaret. Sed illa prudenti conſilio uſa, litteras viro ſuo Marciano oſtendit, feliciter ſecuta monitum Apoſtoli ad mulieres 1. Corinth. 4. ut domi viros ſuos interrogent, & memor Verbi Domini Jeſu ad Samaritanam mulierem Joan. 4. *vocà virum tuum.*

Pſeudo-Monachi.

Aliæ Eutychianorum objectiones ex Vigilio.

Non tamdiu duraſſent Eutychis ſectatores niſi plurimis ratiunculis dogma ſuum quantumvis abſurdum firmaſſent. Plures ipſorum objectiones refert refutatque Vigilius non Papa Romanus, aut Trident. Epiſcopus, ut multo tempore creditum eſt, ſed Vigilius Tapſenſis Epiſcopus in Byzacena Provincia Africæ, qui citatur à Theodulpho Aurelianenſi in Eclogis *de Spiritu ſancto*, præcipuè libro quarto & quinto ex quinque libris contra Eutychen ſcriptis. Hujus Epiſcopi opera omnia in unum volumen in quarto reducens nuper Chiffletius, non abs re Opuſc. 1. in eadem opera, Movet riſum, ait, cornicula apud Poetam furtivis nudata coloribus. Habet è contrario admirationem Vigilius Epiſcopus hactenus vulgò ignotus fuiſque omnibus nudatus bonis atque ornamentis, nunc in ſedem ſuam & in proprias opes poſtliminio reſtitutus, quas illi nos haud inanibus argumentis evindicavimus. Libro quarto hujus Vigilii Tapſenſis habetur defenſio Epiſtolæ S. Leonis ad Flavianum cap. pauca ex multis deſumbimus.

Vigilii Tapſenſis opera nuper edita.

Quidam, inquit, perverſæ mentis homines & inanis gloriæ cupidi, *neſcientes*, ut dicit Apoſtolus, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, hactenus habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, indignati veritatis dogmatibus & Eccleſiaſticas fidei regulas non ferentes, beatiſſimi Leonis Epiſtolæ juxta ſenſum Apoſtolicæ traditionis conſcriptæ, & decreto Concilii Chalcedonenſis pravis contradictionibus obviandum putaverunt, nefanda commenta horribilibus verborum nauſeamentis evomentes, &c.

Eutychiani impugnant epiſt. Leonis Papæ.

Hoc etiam capitulum mira imprudentia reprehenſione dignum putaſti, in quo ait, *Verbo ſcilicet operante quod verbi eſt & carne exequente quod carnis eſt; unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis.* Et primo quidem intendendum eſt, quod non dixerit, ut tu imperitè calumniaris; unus horum coruſcat miraculis & alius ſuccumbit injuriis, per quod ſine ulla ambiguitate duos videretur quoſcunque ſeparatos vel duas ſignificaſſe perſonas, ſed ait *unum horum* & *aliud horum.* Quia unum id eſt eſt, hoc & illud, non perſonarum diverſitas, ſed generis diſtinctio demonſtratur, Verbi ſcilicet & carnis.... *Caro*, inquit Apoſtolus, *concupiſcit adversùs ſpiritum*, &c. Sicut ergo unus eſt homo in quo ſunt duo quædam in ſeinvicem permanentia & ſua quæque propria operantia; nec poteſt alius dici dum ſecundùm carnem ſapit & facit, & alius dum ſecundùm ſpiritum vivit, ſed idem eſt in utroque habens in ſe utrumque: Ita Chriſtus dum unum in ſe habet, in quo ſuccumbit infirmitatibus, & aliud in quo radiat micatque virtutibus, id eſt, carnem & Verbum, quæ duo in eo diſtinguens Apoſtolus, ait: *Nam etſi crucifixus eſt in infirmitate: ſed vivit ex virtute Dei*, non bipertitus & alius atque alius, ſed idem ipſe unus atque idem apertiſſimè demonſtratur.

ad Gal 5.

Unum & unus differunt.

1. Cor. 13.

Quod legitur de Chriſto, quia inter duos latrones crucifixus eſt ex Prophetæ teſtimonio dicentis, *& inter iniquos deputatus eſt*, tu dixiſti & inter mortuos deputatus eſt. Denique iſta tua ſunt verba. Vitæ, inquis, datorem & per omnia amatorem hominis Deum, *qui inter mortuos deputatus eſt*, & corruptione & morte nunquam victus eſt. Vides quantum ſacrilegij habeat unius tantùm confeſſio naturæ. Vides in quæ nos impietatis abrupta præcipitet novitas iſta doctrinæ. Quia enim ſic vultis videre Deum incarnatum, ut nihil habeat humanæ naturæ, totum quod eſt deitatis natura ſit: Dei verò naturam ſcientes quod immortalis ſit, mori non poſſe, nec ei penitus mortis nomen congruere, elegiſtis à fide Apoſtolica exorbitare, dicendo, Deum inter mortuos deputatum, quam cum fateri ſecundum hominem mortuum.

Iſai. 53.

Hæretici verum ſæpè ſcripturæ.

Summa argumentorum ipſius erat, quod ex diverſitate proprietatum & attributorum quæ de Chriſto tam luculenter affirmat D. Leo inferebat D. Leonem aſſerere diverſas perſonas. Ad quæ Vigilius inter alia. Hæc eſt fidès & Confeſſio catholica quam Apoſtoli tradiderunt, martyres roboraverunt & fideles nunc uſque cuſtodiunt. Unde impiiſſime & Eutychianæ hæreſeos infecte Leonem audes reprehendere, dum ex diverſitate geſtorum unius Domini Chriſti, veritatem edocet utriuſque ejus naturæ: ut quod ille ad demonſtrationem utrarumque protulit naturarum, profeſſionem eſſe calumnieris duarum perſonarum.

Divinitatem mortuam admittebant Eutychiani.

Illud etiam libet pertractare capitulum in quo tota effrænati furoris veſtri erupit inſania, id nitentes aſſerere, quod Verbum Dei per naturam divinitatis non per naturam incarnationis ſuæ, palpabile ſeipſum & viſibile dignatum eſt demonſtrare, &c. Et quia utebantur teſtimonio D. Joannis, *quod erat ab initio quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod adſpeximus & manus noſtræ tractaverunt de Verbo vitæ.* Ad hoc reſpondet Vigilius locum Apoſtoli intelligi de viſu & tactu ſpirituali per fidem. Credere ergo in Filium Dei per fidem, hoc eſt videre, hoc eſt audire, hoc eſt odorari, hoc eſt contrectare eum. In tactu autem firmitas credulitatis inſinuatur, cui ſenſui præ cæteris major fides habeatur.

1. Joan. 1.

Ex quibus videre eſt Eutychianos abſurda valde docuiſſe, quod Deus in ſua divinitate paſſus fuiſſet, & oculis corporeis viſus: cum eum naturam humanam

quam in divinitatem converſam dicebant, non amplius existentem admitterent, ad illa compellebantur admittenda: simulque mysteria Christi destruebant. l. 5. dissolvit alias objectiones contra ipsum Concilium.

1. De personis nunc de Concilio ejectis iterumque post temporum intervalla receptis accusant. Quasi verò non sit Christianum & Apostolicum, cum qui fortassis ob contentionis vitium de Concilio fuerat ejectus debere iterum ob pacis & concordiæ gratiam recipi, &c.

2. Deinde alia nova quam quæ Concilio Nicæno statuta fuerant Chalcedonensem Synodum decrevisse criminantur: nescientes regulam & consuetudinem Conciliorum Catholicorum, sic nova posterioribus Conciliis, prout necessitas emergentium hæreticorum exegerit sancire decreta; ut tamen invicta maneant quæ dudum antiquioribus Conciliis contra veteres hæreticos fuerunt promulgata, &c.

Nova decreta.

3. Sed jam illud videamus quas illi de duabus naturis afferunt quæstiones, quarum nusquam ab antiquis Ecclesiæ tractatoribus factam asserunt mentionem, sed à Diodoro, Theodoro & Leone Episcopis velut novum dogma fuisse inventum, per quod Judaismi simul & gentilitatis error fuerit introductus, dum in Christo aliquid esse creatum factumque suadet confiteri. O imperiti & omni veritatis sacramento ignari! Ergone nusquam antiqui Patres duarum in Christo naturarum faciunt mentionem? Legite, ô miseri, quid Athanasius Hilarius, Joannes & Ambrosius Confessores; quid Theophilus, Gregorius, Basilius, Cyrillus & Augustinus de duabus naturis edisserant, & tandem ab Apollinaris & Eutychetis erroribus desinite, &c.

4. Item ad destruendam utriusque naturæ professionem isto quasi inevitabili gloriantur Syllogismo, asserentes non esse naturam, quæ non propriam habeat personam, neque rursus personam quæ non propriam habeat naturam: ut necesse sit juxta duarum professionem naturarum duas in Christo admittere personas. Sed videte, obsecro, quo modo dum laqueos innectant, inextricabiles ipsi quæstionum nodos incurrunt. Respondeant igitur Arrianis, quomodo si unaquæque natura propriam habet personam & unaquæque persona propriam habet naturam, non tres sint in Trinitate naturæ, sicut & tres demonstrantur esse personæ, &c.

Syllogismus Eutychianorum propugnatus.

5. Et quia unius naturæ professores hac sibi confessione blandiuntur dicentes; quid impossibile aut inconveniens fuit dignationi Filij Dei, ut in natura divinitatis suæ, ob nostræ salutis redemptionem quæ vellet indigna & humilia sustineret, per quæ magis ampliorem nobis ad se diligendum caritatis excitaret affectum, ea pro nobis in natura sua perpetiens quæ ei probantur esse indigna? Exigendum ab eis est, cur is qui morte sua perempturus erat mortem, sicut & Propheta prædixerat dicens, *ero mors tua ô mors*: si hoc ei possibile fuit, id est, in natura sua mori, quid ei opus erat de virgine nasci... Numquid & honoribus sublimari & dignitatis profectibus angeri natura ejus indigebat, ut humilitatis & obedientiæ ac mortis merito sublimium meritorum teneret fastigium & potestatem cæli ac terræ mereatur accipere, tanquam qui antea non habuit? &c.

Professus in specimen Eutyc.

Oseæ 13.

Et quamquam hæc sufficerint ad demonstrationem in Christo utriusque naturæ, tamen ut magis magisque veritatis elucescat claritas, libet etiam illum Apostoli tractare sermonem, quo pro nobis Christum mediatorem adserit factum. Quod officium nisi ex veritate naturæ carnis quam ex nobis habuit, implere non potuit, quoniam per ipsam inter Deum & homines medius apparuit &c.

Ubi videre est certè quomodo Eutyches sicut & cæteri hæretici, ut jam monuimus, pro voto sathanæ destruebant fidem redemptionis.

Dubitatum autem est quid censerent de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia. Sed ut revera omnia Christi mysteria, quæ in vera carne operatus est destruebant, sic consequenter ad sua principia ratiocinando, convinci facile poterant quod præsentiam corporis Christi non admitterent. Quo pacto enim præsens esset illud corpus in Eucharistia quod asserebant mutatum esse in divinitatem, saltem post ascensionem, ut Eranistes Eutychianus apud Theodoretum dialogo 2. *inconfuso* inscripto, asseverabat, negari non posse. Et tamen idem Eranistes sibi non constans dilucidè præsentiam illam videtur asserere: *Sicut ergo Symbola Dominici corporis & Sanguinis* (nempe panis & vinum) *alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem verò mutantur & alia sunt: ita Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum.* Ad quæ respondet Theodoretus nomine Orthodoxi, ipsum retibus quæ ipse texuit captum esse. Neque enim, inquit, Symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent enim in priore substantia & figura & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius. Secundùm aliam versionem, cui textus græcus non repugnat, *manent enim in prioris substantiæ forma & figura*, scilicet accidentibus. Ubi si Theodoretus negat transsubstantiationem, illam ergo asserit Eutychianus. Eligant Calvinistæ. Sed sermo ibi est de corpore Christi ut circumscriptibili atque adeo visibili. Negat Eurychianus tale esse post ascensionem. Affirmat Ortodoxus, atque idcirco remanere formam & figuram exteriorem corporis Christi sicut figura exterior panis & vini. Sed & amplius asserit manere substantiam corporis Christi post Ascensionem, cùm utrumque negaret Eutychianus.

Eucharistia Eutychianorum.

Theodoretus in mus.

Devotio Eutychiana.

Quid autem moveret viros Religiosos à sæculo semotos rebusque divinis & orationi in solitudinibus addictos ad hanc propugnandam opinionem, sunt qui putaverint, & si antiqui scriptores de hoc fileant, ex nimia devotione, & rerum mysticarum ac spiritualium non sana intelligentia istud malum originem duxisse, divinum quippe aliquid putabant humanitatem ex se pusillam divinæ naturæ unitam in ipsam converti & ab ipsius immensitate sic totam absorberi ut existentia illius propria desineret, sicut gutta aquæ aut vini in mare conjecta aut dilapsa mox in illud converteretur. Sic nonnulli Theologi, qui dicunt animam perfectè Deum contemplantem desinere esse in illa existentia quam priùs habuit in proprio genere & transformari seu absorberi in esse divinum, perdi quoque in esse divino abyssali, ut ab ulla creatura reperiri amplius non possit. Sic Ruysbroc lib. 3. de ornatu spiritualium nuptiarum cap. 3. in ipsa quidem sui vacuitate per fruitivum amorem spiritus perdere semetipsum; denique claritatem nullo intermediante suscipit, ac sine intermissione ipsa fit claritas quam accepit, &c. Universi quoque supra sui creationem in vitæ contemplativæ altitudinem sublimati unum sunt cum hac deifica claritate, imò ipsa claritas ipsi sunt. Et primo capite dixerat. Universi devoti spiritus unum cum Deo profundo amoris defluvio sicut defecti non quomodo libet quidem unum, sed idipsum quod est ipsa essentia Dei in se eo modo quo beatifica beatitudo. His & similibus dictis prodit Author intentionem suam de conversione animæ in Deum per sublimem contemplationem, quo nomine impugnatur à Gersone epist. *ad fratrem Bartholomæum Carthusiensem* p. 1. operum, licet non desint qui benignâ interpretatione verba similia donare conentur. Si verò hoc potuerunt sibi imaginari viri quidam zelosi ac magnorum erga virtutes affectuum, licet prolabantur ex parvulo lumine intellectus & parvâ Logicâ, ut loquitur ibidem Gerson, quibus cum se non continent & contrahunt intra metas suæ cognitionis nulli pertinacius inveniuntur, neque absurdius errores confingere: multò magis probabile fit id quosdam de humanitate Christi à verbo assumpta in unionem

Religiosi plures Eutychiani.

Gerson.

nem perſonæ & totâ ab illo affectâ, unitâ & irradiatâ. Ut qui enim ſubſiſtere poſſet tam puſilla creatura ad ignem illum conſumentem? Similis ferè fuit cogitatio Tauleri *inſtitut.* cap. 12. licet ſibi ipſi cavens expreſsè dicat ſpiritui humano remanere ſuam exiſtentiam creatam. Eſt præterea, inquit, Deus ipſe verus & immenſus ac interminabilis circulus, qui ampliſſimum hominis ſpiritum (qui in ſua comprehenſione cœlo terraque latior eſt) in ſe velut punctum includit, qui tamen ſpiritus ad illius maximæ ac incomprehenſibilis immenſitatis Dei comparationem, ita parvus cenſetur ac exiguus, ut vix aliquid dici poſſit, *& infrà*; In qua etiam vicinius unitur ineffabiliter quam ipſe purus aer ſolari lumini, dum ab eo in meridie perfunditur ac illuminatur *& infrà*. Hicque tam in abyſſali divinitatis pelago ſpiritus ipſe ſubmergitur & abſorbetur, ita ut dicere poſſit: intra me Deus, extra me Deus, & undique circa me Deus. Totum mihi Deus, nec quicquam novi niſi Deum. Ex his non videtur ita difficile viris ſpiritualibus aſſeruiſſe abſorptionem illam humanitatis Chriſti non ſervatâ illâ exceptione, cum anima Chriſti omnem contemplationis gradum quantumcumque ſublimem ſupergreſſa ſit.

Sed quoquo modo explicetur ſuſtineri non poteſt, ut *D. Thomas.* doctè diſſerit D. Thomas 3. p. q. 2. art. 1. omnes modos quos poſſet quiſpiam fingere quibus ex duabus naturis una coaleſceret refellens. Maximè cùm divinitas ſit ex omni parte immutabilis. Sed & Chriſtum fuiſſe ex duabus naturis ante unionem ut ipſe Eutyches dicebat contradictionem implicat in adjecto. Quippe ante unionem nondum intelligitur Chriſtus eſſe. Quo modo ergo dici poteſt eſſe ex duabus naturis qui nondum eſt? Quare ejus imperitiam ſæpè culpant Patres ut qui neſciebat quid diceret, neque de quibus affirmaret, & non ſemel vocat eum Baronius delirum ſepem & Socrates lib. 7. hiſtor. cap. 32. hominem impetitum & doctrinæ penitus expertem. Nec multò mitius eum habet S. Leo in pluribus epiſtolis, ac in epiſt 62. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum, ejus mentem ſic explicat. Eutychem ſimiliter execratur qui in Domino Jeſu Chriſto veritatem humanæ carnis evacuans, ipſum verbum in carnem aſſerit transformatum ut naſci, nutriri, proficere, pati, mori atque ſepeliri & die tertio ſuſcitari ſolius fuerit deitatis, *quæ ſervilis formæ non veritatem ſuſceperit, ſed figuram*: quo quid abſurdius & magis evacuat myſterium redemptionis? ſic enim ſimulata erit paſſio: ergo & redemptio. Et tamen per talem hominem tota terra commota eſt, itaut nec Concilia, nec Imperatoris edicta malum ſiſtere potuerint, tantùm potuit hæreſis per homines religioſos ac ſpeciem habitumque pietatis habentes propagata: ſed ut monet D. Ignatius Martyr in ep. ad Heronem. *Omnis qui aliquid dixerit præter illa quæ tradita ſunt, tametſi fide dignus ſit, tametſi jejunet, tametſi virginitatem ſervet, tametſi Prophetæ, lupus tibi apparebit in grege ovium corruptionem operans.*

Porro de ipſomet Eutyche mirabitur quiſpiam cur ſileat Synodus. Sed ſatis illa habuit ejus dogma ferire, ac Concilium Epheſinum dictũ latrociniũ in quo ſine juris ordine reſtitutus fuerat improbare, ut ſic remaneret in priſtina depoſitione per Flavianum in Synodo provinciali Conſtantinopolitana, cõtra eum illatâ. Quippe erat hæc primaria cauſa congregandi Synodum. Quare etiam voluit Eutychis defenſorem potiſſimum Dioſcorum è ſede Epiſcopali deturbare, non ſemel contra eum prolatis his vocibus, *Ægyptius in exilium.* Quod ita factum eſt, cùm in civitate Gangrenſi exulare eſt coactus. Impius autem Eutyches jam antea factus exul in loco ſuæ damnationis ad quem relegatus fuerat, non deſiſtebat deſperatius errorem ſuum diſſeminare: quare ſcripſit Leo Pontifex ad Martianum ut eum in remotiores regiones amandaret. Tantum malum eſt hæreſis, ut poſt multas plagas, ab illa plures non reſipiſcant, ſed cor eorum induretur uſque ad mortem. *Plenum itaque rationis eſtimo*, aiebat Leo ep. 70. *ut ve-*

ſtra clementia ad longinquiora loca eum jubeat & ſecretiora transferri. Attamen obiiſſe Eutychem ante Synodum Chalcedonenſem intimat Proclus in tomo adversùs Armenios, cujus fragmentum aliquod lectum legitur in actis integris ſequentis Synodi.

Canones hujus Synodi non approbati.

Sed & gravior urget difficultas de Canonibus hujus Concilij, an omnes ſint improbati à ſummo Pontifice Leone. Quidam enim id aſſerunt, ut Coriolanus in titulo horum Canonum, utiturque authoritate Liberati in fine cap. 13. Breviarij de cauſa Eutych. & Neſtor. Ubi tamen id non aſſerit de omnibus, ſed tantùm de illo Canone qui primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ poſt Romanum adſtruebat. Gregorius Magnus lib. 3. regiſtri epiſt. 14. putat Synodum Chalcedonenſem in uno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana eſſe falſatam, ac quid ſimile circa Epheſinam Synodum factum fuiſſe, ac ob id veteſtos Canones inquiri poſtulat. Sed demus omnia integra eſſe. Satis eſſe debet quod Leo ad Pulcheriam Auguſtam meminit caſſare ſe & irrita reddere quæ de illo primatu prætenſo inſtigante Anatolio decreta erant, ſic ad finem epiſtolæ eam alloquens. *Conſenſiones verò Epiſcoporum & Sanctorum Canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes, omnibus nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Sed & plerique horum Canonum in jure Canonico inſerti authoritatem habent, unde verius eſt & ſi non omnes approbati ſint non fuiſſe tamen improbatos, ſed illum ſolum qui attollebat Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Quod eo magis neceſſarium judicabat Leo quod innitebatur Canon ille in nobilitate urbis quæ nova erat ſedes Imperij, ut enim hæc ratio humana eſt, ſi non alia ratione primatum haberet Pontifex Romanus quàm ex eo quod Roma ſedes erat antiquioc Imperij, ſequeretur ejus primatum fore juris humani non divini, & iiſdem caſibus obnoxium quibus ipſæ res humanæ & terrena imperia. Quid quod præſagiebat ſatis quod reipsâ cum tempore factum, Epiſcopum Conſtantinopol. plus ultra auſurum contra ipſum Pontificem Rom. de jure primatus contendendo? Denique D. Leo Epiſtola 62. jam citata, ſatis explicat mentem ſuam de his canonibus. Si quid ſanè ab his fratribus, inquit, quos ad ſanctã Synodum vice mea miſi, præter id quod ad cauſam fidei pertinebat: geſtum eſſe perhibetur, nullius penitus erit firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apoſtolica ſede ſunt directi, ut excuſſis erroribus, Catholicæ fidei eſſent defenſores.

Atque habemus de Synodo Chalcedonenſi tredecim diebus conſummata, ut meminit Baronius anno 451. quam cum tribus præcedentibus in tres partes dividimus perſpicuitatis majoris cauſa, & ut Lectori noſtro apertiora eſſent quæ circa illas magis ſunt ambigua & difficilia. Reliquas perſequimur ſine iſta partitionis lege, qua minus indigere videntur.

CONCILIUM CONSTANTINOP. II.

SEV

SYNODUS QUINTA CENTUM

sexaginta Episcoporum propter controversiam trium capitulorum ac errores Origenis repullulantes congregata.

Sub Vigilio Papa & Iustiniano Imperatore Anno 553.

Causa & origo hujus Concilij.

NOn rectè Surius, Joverius, Carranza & quidam alii pro quinta Synodo reponunt in suis collectionibus Synodum quandam provincialem Constantinopoli habitam sub Menna Episcopo Constantinopolitano contra Petrum Antiochenum Patriarcham & alios qui trisagio, id est, orationi in qua Deus ter sanctus invocabatur, particulam hanc addebant, *qui crucifixus es pro nobis*. Quæ particula si separetur à trisagio indicat quartam personam à tribus diversam pro nobis crucifixam; si verò trisagio addatur eo in loco ubi illi addebant, Spiritui sancto aut Trinitati, aut ipsi naturæ divinæ passionem tribuebant, quare & Theopassiani ac Theopascitæ appellati sunt. Non rectè, inquam sed mendosè id asserunt, cùm Synodus illa præcesserit sub Agapeto inter primos annos Imperij Justiniani: quinta verò Synodus universalis posterior sit sub Vigilio ac anno vigesimo septimo Imperij Justiniani: ac ob alias causas celebrata, duasque potissimum. Prima ad damnanda tria capitula quibus Nestoriani venenum suum diffundebant & Acephali Eutichis defensores Synodum Chalcedonensem impugnabant. Secunda causa ad damnandos Origenis quosdam errores, quos Monachi quidam Nonnus & Leontius è novæ Lauræ Monasterio in Palæstina sito erumpentes per Orientem disseminabant cum magno fidei Orthodoxæ interitu, favente illis Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo secta Achephalo, dilectoque ac familiari principum, ut notat Liberatus in Breviario c. 24.

Trisagium

Hinc Photius in Bibliotheca num. xviii. lectæ quoque, inquit, actiones quintæ Synodi, quibus tractatum, ut vocant, de tribus capitulis: de Origene quæ cum scriptis suis damnarus: de Diodoro Tarsensi & Theodoro Mopsuestiæ, qui & ipsi similiter excommunicati. Anathemate quoque damnata quæ Theodoretus adversùs Cyrillum capitula scripsit duodecim. Gesta sunt ante hanc quædam de Zoara & Antimo illo qui ex Trapezuntina Constantinopolitanam sedem invasit: aliaque præterea quæ hac ipsa Synodo comprehenduntur. Hæc Photius, ex quibus deprehendi potest utramque Synodum in eodem loco habitam & sub eodem Imperatore, contentam tunc fuisse uno & eodem volumine. Quæ fuit causa cur utramque Synodum plures confuderint, cùm omninò quinta Synodus alia sit quàm quæ occasione trisagii celebrata est.

Libellus trium capitulorum quid contineat.

Sunt autem tria illa capitula. Primum quod Theodorus & ejus scripta probanda sint, quippe in Concilio Chalcedonensi recepta fuerit epistola Ibæ Edessæni Episcopi in qua Theodorus ille laudatur & ejus libri. Secundo quod scripta Theodoreti contra duodecim anathematismos Cyrilli Orthodoxa sint, cùm Theodoretus in Concilio Chalcedonensi receptus fuerit absque illorum retractatione. Tertium est quod etiam Epistola Ibæ sit orthodoxa, cum in eodem lecta fuerit & ex ea Ibas innocens declaratus. His tribus capitulis utebantur Achephali & hæsitantes ad impugnandam Synodum illam, cùm tam absurda admisisset. Inde robur sumebant Eutychiani quales Achephali hæsitantes ad impugnandam synodum Chalc. à qua damnati fuerant, quod Nestorianis faveret, quibus maximè adversabantur. Inde tot tragœdias per totum Orientem excitarunt, sed iniquè & sine ratione: nihil enim de libris dehnierat Synod. personas autem admiserat quidē, sed ejurato Nestorio, etiam decies millies, ut Ibas pronuntiaverat. Quid inde contra synodum? Est-ne hoc Nestorio favere, cogere ad ipsum anathematisandum eos qui de ejus hæresi suspecti erant? Ex alia parte Nestorii defensores habere se putabant unde virus suæ hæresis populo non deesset: cum enim apertè damnato Nestorio libros ejus interdictos perspicerent, evulgarunt scripta Theodori non solùm Græco, sed etiam Syro, Armenio, & Persico idiomate. Itidem authoritate scriptorum Theodoreti contra Cyrillum & Epistolæ Ibæ utebantur quasi probata fuissent à Synodo Chalcedonensi. Hinc multi sequebantur Nestorii dogmata: quibus cùm se Catholici opponerent antiquæ fidei tenaces, sesequeinvicem ex hac contradictione vitarent nec simul communicarent, Ecclesia tota Orientis miserum in modum dilacerabatur.

Iustinianus non quæ sensu damnandi erat capitula.

Justinianus autem Imperator suggestione Theodori Cæsareæ Cappadociæ Episcopi Achephali ac Synodi Chalcedonensis adversarii, intentione tollendi offendiculum quod accipiebant Achephali ex Synodo Chalcedonensi, quasi scripta Theodori, Theodoreti & Ibæ accepisset: edicto suo damnavit tria illa capitula quasi à Synodo profecta, ut sic retractata Synodus atque purgata susciperetur ab Achephalis ac Ecclesiæ Catholicæ societati redderenturomnes. Sed id dolosè suggesserat Theodorus ille, cùm ex hoc edicto magis confirmati fuerint ad impugnandam Synodum, cujus jam errata manifesta reddita essent. Et nihilominus Imperator dolum dolosorum non perspiciens, edicto suo consentientes Episcopos muneribus ditabat, refragantes mulctabat pœnis. Cætera verò, inquit Liberatus hæc narrans c. 24. Breviarii, quæ subsequenter in Episcopis & Catholica Ecclesia ab eodem principe facta sunt, quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi, in exilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes, in angustiis fœlicem exitū susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda.

Quod autem hoc sensu tanquam à Synodo Chalcedonensi profecta hæc capitula damnaverit Justinianus in rebus spiritualibus sæpe deceptus, colligi potest ex ipso Liberato eodem capite, ubi satis denotat, Theodorum prædictum hoc taliter ei suggessisse ac suasisse, ut his difficultatibus purgata & quasi correcta & emendata Synodus Chalcedonensis propter quas repulsam pati videbatur ab Achephalis, ab iisdem jam, sublato obice, acceptaretur. Sic enim ille, prætexens Acephalorum communionem cum Ecclesia. Siquidem illi hoc offenduntur in Synodo Chalcedonensi quod laudes susceperit Theodori Mopsuesteni Episcopi, epistolamque Ibæ, quæ per omnia Nestoriana esse cognoscitur, &c. qui Theodorus si cum dictis suis & hac epistola anathematizetur, tanquam retractata Synodus atque purgata suscipietur ab eis per omnia, & in omnibus, & sine pietatis vestræ labore Ecclesiæ Catholicæ societati, gaudente universali Ecclesia, clementiæ vestræ laus erit sempiterna. Hæc audiens Imperator & dolum dolosorum minimè prospiciens, suggestionem eorum libenter accepit, & hoc se facere prōptissimè spopondit.

Nihil remittendū de doctrina propter spem conversionis hæreticorum.

Ex quibus videas Justinianum studio nimio & præpostero erga Synodum Chalcedonensem voluisse quodammodo eam corrigere, ut ablato offendiculo nemini odiosa esset, sed potius ejus adversariis & impugnatoribus accepta. In quo eum spes fefellit, cùm nihil prosit quidpiam gratis concedere hæreticis ea intentione ut ad Catholicam redeant, cùm ex hoc potius in infidelitate magis confirmentur. Quod bene perspicieus Divus Augustinus lib. 5. de baptismo cap. 5. dicebat de Do-

natiſtis : *Si vellent hæretici correcto errore venire ad Eccleſiam, quia putarent ſe baptiſmum non habere, niſi in Catholica acciperent, nec ſic eum deberemus ad iterationem baptiſmi conſentire.* Sic nec quicquam ex Synodo detrahendum eſſet, & ſi pollicerentur hæretici ſe, eis detractis, ei ſubſcripturos. Non enim ex hac conſtitutione meliores redditi ſunt hæſitantes & Acephali viribus tunc aucti adversùs Synodum, quæ ut errans emendanda fuerat. Sed & offenſionem plurium incurrit, quibuſdam improbantibus quod Theodoretum & Ibam poſt mortem anathematizaſſet: Aliis verò eum accuſantibus quod cùm eſſet illiteratus, eruditas tamen ſibi arrogaret de fide Catholica edere ſanctiones, quas hæretici conſcripſiſſent. Qua de re Facundus Epiſcopus Africanus lib. 12. pro defenſione capitulorum in Zenonem quemdam ſimulans ſe vibrare jacula, ipſum Juſtinianum impetit. Melius ergo eſt, aiebat, ut ſemet intra limitem ſuum contineat, quem cùm tranſgreditur perdere multos poteſt, lucrari neminem Nam & ſuas habent officinas vel artifices, omniaque ex propoſito doceri videmus. Nunquam enim de textrina perſonare incudes audivimus & ignem illic in fornacibus anhelare. Nunquam comperimus à ſutore quæſitum quæ cujuſque fabricæ proportio latitudinis conveniret & quanta utriſque conveniret altitudo: quoniam illa integrè ſcire poſſunt, quæ ab ipſis artis ſunt præceptoribus inſtitutæ ſcholæ. In contemptu ſunt divinæ litteræ quæ nec ſuam ſcholam nec Magiſtros habeant, ut de quibus diſputare peritiſſimè ſe credat qui nunquam didicit. Deinde cum palatii cauſæ tranſferantur ad Eccleſiam, quomodo Eccleſiæ cauſam ad palatium transferebat? poſtremo nunquid jam domuerat vel pacaverat omnes infenſas reipublicæ barbaras nationes? jam per univerſas Imperii ſui provinciasſeditiones ac ſeditionum cauſas abſtulerat? jam cunctis criminalium ſive civilium cauſarum, qui illis conveniens, dederat finem? cùm ergo his non ſufficeret, quibus nemo ſufficere poteſt, quomodo ſi cogitaret tanta loci ſui pericula & de omnibus ſe rationem crederet redditurum, etiam periculis ſe alienis emergeret? Sic ille Imperatorem arguit, qui cùm undique bella & ſeditiones ingruerent, ipſe tamen totus eſſet intentus diſputationibus divinæ ſcripturæ, qui nec prima elementa calleret, ut legere poſſet ejuſmodi perplexas quæſtiones, vel ſaltem leviter intelligere. Ad quod adulantium laudibus excitabatur, ut ibidem notat prædictus Facundus, cum inter Catholicos militans ſcriberet, jubente Vigilio Catholicæ ſedis antiſtite, imprudentem Juſtiniani conatum ſugillans, atque ſimul omnes principes illos arguens, qui immiſcentes ſe fidei cauſæ tantùm ſibi ſumunt, ut non vereantur legem credendi præſcribere Chriſtianis. Ait Baronius ad annum Chriſti 546.

Juſtinianum culpatur à Facundo.

Reſtiterunt autem plures iſti decreto tum in Oriente, tum in Occidente, cum per illud Synodum Chalcedonenſem impeti magis oculati non obſcurè viderent. Reſtitit autem maximè Vigilius Papa, qui tamen cum videret ex his difficultatibus totam Eccleſiam ac maximè Orientalem miſerum in modum dilacerari, pluresque ſeſe invicem tanquam hæreticos vitare, nec mutuò velle communicare, conſtitutionem edidit qua voluit ad compeſcendos tumultus, ut tam defenſores quam impugnatores capitulorum trium invicem communicarent interim, dum Synodus quinta univerſalis cogeretur ad definienda omnia ſuper his mota dubia. Silentium ſuper iis ſeu verbo ſeu ſcripto omnibus indicens ad illud uſque tempus. Quod à multis in deteriorem partem acceptum eſt, quaſi jam faveret tribus capitulis quæ antea damnaverat in ſe & abſolutè ſpectata, ut damnanda erant ab omnibus, nec enim quiſquam pugnare vellet pro dogmate Neſtoriano qui non eſſet apertè hæreticus. Sed cum major eſſet difficultas, an tria illa capitula eſſent ex mente Concilij Chalcedonenſis, ſcilicet, Theodori perſona Mopſveſtienſis cum ſcriptis ſuis, Theodoreti itidem ſcripta contra Cirillum & Ibæ epiſtola ad Marim Perſam, an inquam, iſta omnia probanda eſſent ex mente prædicti Concilij & Orthodoxa habenda, ex vario intellectu quæſtionis hujus diſſidia innumera nata ſunt. Aliud enim erat damnare iſta capitula in ſe ſpectata quod cuique licitum erat, cùm nihil aliud eſſet quam damnare Theodorum cum ſcriptis ſuis, qui impœnitens obierat, ſcripta Theodoreti contra Cyrillum & Ibæ epiſtolam ſæpius commemoratam, quod etiam factum eſt in hac Synodo quæ perſonam Theodoreti & Ibæ non damnavit ſicut damnavit perſonam Theodori Mopſueſtienſis, quod illi pœnitentes recepti fuiſſent & ita mortui, hic verò impœnitens in erroribus obiiſſet. Aliud verò damnare ea capitula tanquam Synodo Chalcedonenſi conſentanea eſſent, juxta intentum authoris cujuſdam libelli de his tribus capitulis qui totius diſſentionis cauſa extitit. In hoc ſenſu damnabat ea Juſtinianus & notam inuſſit Concilio Chalcedonenſi. Quæ præcipua cauſa fuit (licet & aliæ non defuerint) cur à multis reprobatum fuerit ejus edictum. Quod nihilominus tamen probavit tandē hæc quinta Synodus, exceptâ damnatione perſonæ Theodoreti & Ibæ qui pœnitentes fuerant, & præmiſſo examine de mente Synodi Chalcedonenſis circa illorū ſcripta & circa Theodorū ejuſque libros, à quibus probandis & recipiendis aliena fuiſſet, quæcunque illi imputarent Acephali. Sic res juſto libramine temperans, ut nullatenus læderet Synodum Chalcedonenſem, ſed cautè ſuppleret quædam ab ipſa minus explicata.

Tria capitula variè ſenſu damnata & abſoluta.

Porro quia ſcriptores non ſatis evidenter ſtatum iſtarum quæſtionum diſcernunt, obſcuritas non modica plurium mentibus innaſcitur, dum non ſatis apparet, quid ſit damnare aut defendere tria capitula & quo ſenſu damnantur aut defendūtur. Quo fit ut multi in iis ſeipſos non capiāt, necab aliis capiantur. Notat quoque Baron ad annum 546. triplicem ſtatum defenſorum horum capitulorum, ac aliquando eos fuiſſe laudatos, cùm quem ſequerentur haberent Vigilium Romanum Pontificem: interdum toleratos cum de hujuſmodi controverſia, quid ſancta Synodus definiret expectaretur: reprobatos autem tunc penitus, cum probatâ quinta Synodo ab ea reſilierunt, addens. Hæc eſt ſumma totius hiſtoriæ, imò Tragœdiæ, utpote per quam plurima damna Eccleſiæ Catholicæ noſcantur illata, quæ tu ipſe plorabis cum legeris.

Baronius.

Quid verò velit Baronius aſſerens Vigilium probaſſe tria capitula non ſatis conſtat, dum illa damnaſſe invenio, deinde ſuſpendiſſe ſententiam quod prudentiſſimè egit Vigilius, ait Facundus Hermianenſis Epiſcop. lib. 4. pro defenſione capitulorum, cùm non de fide, ſed de perſonis eſſet contentio, ut deferveſceret illius ardor, controverſiæ deciſionem ad Concilium univerſale differens, ut ſicut tempore fœderis conceſſa ſunt commercia, ſic omnibus defenſoribus & impugnatoribus capitulorum, uſque ad deciſionem Concilii concederetur communio. Idque egit non timore Imperatoris, ſed amore pacis. Hæc autem capitula defendiſſe, aut probaſſe illa aliquando non invenio. Tantis ambagibus & ſpinetis implexa eſt hæc quæſtio, ut in ea nonnumquam deflectere videantur viarum duces ac qui aliis prælucent. Niſi forſan aliquis dicat Vigilium tria capitula defendiſſe, quod Juſtiniani edicto conſtitutum ſuum (quod vocant) oppoſuerit: at in eo non poteſt cenſeri defenſor horum capitulorum, cùm tantùm defenſionem in eis ſuſcipiat perſonarum Theodori, Theodoreti & Ibæ, improbatis eorum ſcriptis, ne poſt mortem anathematiſarentur; quia, inquit ibidem, grave eſt inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſcopatu vitam depoſuerunt. Et de eo qui in divino Judicio eſt conſtitutus, fas nobis non eſt aliud decernere, præter id in quo eum ſupremus dies invenit. At id non eſt defendere tria capitula in quibus etiam doctrina impia probabatur, quâ Neſtorianiſmus vires ſumebat. Quod hic majores ingerit difficultates, eſt obſcuritas rei de qua præcisè movetur controver-

Vigilius Papa.

Interim Vigilius Papa.

Alia quæſtio de fide, alia de perſonis.

ſia, multa enim hic ſunt obſcura: diſcernant ergo ſtatum quæſtionis & quouſque ſe extendat damnatio aut defenſio capitulorum, qui in his nolunt hallucinari.

Quod autem ſpectat ad alteram cauſam Synodum hanc congregandi, de erroribus Origenis. Cum acta Concilii de iis nihil habeant, ea ſupplebimus ex Nicephoro Calliſto, quantum ſatis erit ad eorum notitiam, cum ea ſemper cautione, ut legem ſummæ non prætereamus. Fuerat autem Origenes etiam anathematizatus antea, etſi mortuus, per Theophilum Alexand. Patriarcham, ut nihil hic novi factitarum eſſe ſciamus. Sed quia duo Monachi novæ Lauræ, id eſt, Monaſterii S. Sabæ in Palæſtinâ, collectos ex voluminibus Origenis errores per Orientem cum magno ſcandalo diſpergebant (hi erant Nonnus & Leontius Bizantinus) opus fuit, ne malum ſerperet ſecurim adhibere ad eos exſcindendos. Quod factum eſt in præſenti Concilio. Cum illæ ſententiæ Origenis Græcorum antiquorum fabulas & prodigioſas quaſdam gentilium narrationes referrent, eſſentque pagana & fabuloſa deliramenta, ſtulta denique dogmata & omnino peregrina ab Eccleſia: ut infra videbimus. Quamvis quo plus abſurditatis in iis continetur, eo minus ſuſpicioni locus ſit, hæc à tanto viro promanaſſe, qui à pluribus Magiſter Eccleſiæ, oraculum ſalutare & divinæ etiam gratiæ miraculum habitus eſt, niſi placeat ipſi attribuere quod de quibuſdam dictum eſt. *Angelicus juvenis ſenibus ſataneſcit in annis.* Collectanea de ejus vita, rebus & ſententiis à Genebrardo ejus operibus præfixa, cum ejuſdem Epiſtola ad Carolum IX. Regem Galliæ lucem afferunt pluribus ea de re dubiis.

SUMMA QUINTÆ SYNODI Generalis Conſtantinopolitanæ ſecundæ actæ circa tria capitula continens.

Collatio prima. Imperii Domini Juſtiniani perpetui Auguſti anno XXVII. poſt Conſulatum Baſilii anno XII. die quarto nonas Maias Indict. I. conſidentibus in Secretario venerabilibus Epiſcopis hujus Regiæ civitatis Eutichio ſanctiſſimo Patriarcha Regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Apollinario ſanctiſſimo Archiepiſcopo Alexandrinæ Magnæ civitatis. Domino ſanctiſſimo Patriarchæ Antiochenæ Theopolitanæ magnæ civitatis, Stephano religioſiſſimo Epiſcopo Raphiæ, &c. Diodorus Archidiaconus & primicerius Reverendiſſimorum Notariorum dixit: Theodorus vir ſpectabilis Silentiarius ante religioſiſſimum veſtrum ſecretum eſt, miſſus à piiſſimo & Chriſtianiſſimo Imperatore, & ſuggerimus, ad quod placuerit. Sanctiſſimus Archiepiſcopus & Patriarcha dixit Eutychius: Ingrediatur: quo facto ſanctiſſimus Archiepiſcopus & Patriarcha Apollinarius dixit: Pro qua causâ veſtra magnitudo ad nos venit? Theodorus vir ſpectabilis Silentiarius dixit: Piiſſimus & Chriſtianiſſimus noſter Dominus miſit me ad veſtram beatitudinem, dare vobis piiſſimam formam legendam ante ſanctam veſtram Synodum. Sanctiſſimus Archiepiſcopus & Patriarcha Dominus dixit: Piiſſima forma, cujus mentionem fecit Theodorus magnificus, competenter ſuſcepta recitetur, & cùm ſuſcepiſſet Stephanus Diacomus & Notarius & inſtrumentarius, recitavit.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Imperator Cæſar, Flavius Juſtinianus, Alamanicus, &c. beatiſſimis Epiſcopis & Patriarchis Eutychio Conſtantinopolitano, Apollinario Alexandrino, &c.

Semper ſtudium fuit Orthodoxis & piis Imperatoribus Patribus noſtris: pro tempore exortas hæreſes per congregationem religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, &c. narrat quomodo hactenus Imperatores multa geſſerint contra hæreticos uſque ad Synodum Chalcedonenſem, cui licet contradicentes expulerit ab Eccleſiis & Monaſteriis. Neſtoriani tamen propriam ſuam impietatem Eccleſiæ applicare volentes, eam introducere conati ſunt per Theodorum Mapſueſtenum, Theodoretum & Ibam, quædam eorum ſcripta quaſi à Synodo Chalcedonenſi ſuſcepta eſſent, in quibus tamen Neſtorii impietas docetur, divulgantes cum multorum ſeductione. Proinde mandat ut horum ſcripta examinentur & de eis feratur judicium, ſimul etiam an oporteat aliquem poſt mortem anathematizari. Monens Vigilium Papam ſæpius tria impia hæc capitula anathematizaviſſe.

Lecta hac Epiſtola petiit Synodus ut quædam ſcripta legerentur ſeu ad Vigilium, ſeu à Vigilio ſcripta cauſam præſentem reſpicientia, quæ cum accepiſſet Stephanus notarius & inſtrumentarius recitavit.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo Domino & Conſacerdoti Vigilio, Eutychius.

SCientes quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, cuſtodiens corda & ſenſus fidelium, & colligens eos, ut unum idemque ſapiant in recta fidei confeſſione, & ad perficienda divina mandata, & propitium Deum faciens in his quæ recta ſunt concordantibus: ideo feſtinantes unitatem conſervare, ad Apoſtolicam ſedem veſtræ beatitudinis manifeſtum facimus, quòd nos ſemper & ſervavimus fidem ab initio traditam à magno Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, ſanctis Apoſtolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & à Sanctis Patribus explanatam, & maximè ab his qui in ſanctis quatuor Synodis congregati ſunt, quos per omnia & in omnibus amplectimur & ſuſcipimus, id-eſt, trecentos decem & octo ſanctos Patres qui Nicææ congregati ſunt, & ſanctum Symbolum ſive mathema fidei expoſuerunt, & Arianam impietatem anathematizaverunt, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt. Suſcipimus autem & centum quinquaginta ſanctos Patres Conſtantinopoli congregatos, qui idem ſanctum mathema expoſuerunut, & de Deitate ſancti Spiritus dilucidaverunt, & hæreſim Macedonianam, ſanctum Spiritum impugnantem, & impium Apollinarium condemnaverunt, cum his qui ſimilia illis ſapuerunt vel ſapiunt. Suſcipimus autem & ſanctos ducentos Patres in Epheſina prima Synodo congregatos, qui per omnia ſecuti ſunt idem ſanctum Symbolum ſive mathema, & condemnaverunt Neſtorium impium, & impia ejus dogmata, & eos qui ſimilia ei aliquando vel ſapuerunt vel ſapiunt. Adhuc autem & ſuſcipimus ſexcentos triginta ſanctos Patres Chalcedone congregatos, qui etiam ipſi per omnia conſenſerunt prædictis tribus Synodis, & ſecuti ſunt prædictum Symbolum ſive mathema à trecentis decem & octo ſanctis Patribus explanatum, & à centum quinquaginta ſanctis Patribus expoſitum, & anathematizaverunt eos, qui aliud præter prædictum Symbolum præſumunt docere, aut exponere, aut tradere ſanctis Eccleſiis Dei. Condemnaverunt autem & anathematizaverunt Eutychem & Neſtorium & impia eorum dogmata, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt vel ſapiunt. His ita ſe habentibus certum facimus, quòd omnia quæ à prædictis quatuor ſanctis Synodis judicata & definita ſunt, & ſervavimus & ſervamus, quia etſi per diverſa tempora prædictæ ſanctæ quatuor Synodi factæ ſunt, tamen unam eandemque fidei confeſſionem ſervaverunt & prædicaverunt. Suſcipimus autem & amplectimur & Epiſtolas Præſulum Romanæ ſedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quàm Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas, & de quatuor ſanctis Conciliis, vel uno eorum. Cum igitur prædicta omnia & ſervavimus & ſervamus, & in his nobis ipſis invicem conſentimus neceſſarium, eſt conferri de tribus Capitulis, unde quibuſdam quæſtio nata eſt. Et ideo petimus, præſidente nobis veſtra beatitudine, ſub tranquillitate & Sacerdotali manſuetudine propo-

Epiſtola Pontifi

ſitis ſanctis Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda, quæri & conferri, & finem quæſtioni imponi Deo placitum, & convenientem his quæ à ſanctis quatuor Conciliis definita ſunt: quoniam ad augmentum pacis & concordiam Eccleſiarum pertinet, ut omni de medio diſſenſione ſublata, quæ à prædictis quatuor ſanctis Synodis definita ſunt, inconcuſſa ſerventur, ſanctarum Synodorum reverentia in omnibus cuſtodita. His autem & ſubſcripti incolumis in Domino. Ora pro nobis ſanctiſſime & beatiſſime frater.

Ego Eutychius, miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ, omnibus ſupra ſcriptis ſubſcripſi.

Item Reverendiſſimus Stephanus recitavit.

Dilectiſſimo Fratri Eutychio, & Epiſcopis ſub te conſtitutis, Vigilius.

Pſal. 125. *Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*, quod diſcordiæ confuſione ſubmota, pacem ſuæ Deus reformavit Eccleſiæ, ut impleretur quod dictum eſt: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Valdè enim nos in Domino exultare convenit, quod charitatis veſtræ ſcripto nobis eſt oblata profeſſio, cujus tenor ita ſeſe habet: Dicentes quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, cuſtodiens corda & ſenſus fidelium, & colligens eos ut unum idemque ſapiant in recta fidei confeſſione, &c. His autem & ſubſcripſimus, hujus profeſſionis orthodoxæ claritatem libenter amplexi, eadem nos per omnia & in omnibus approbantes, cuſtodituros atque inviolabiliter ſervaturos Deo noſtro profitemur Authore. Omnibus igitur, quæ profeſſio veſtra continet, in ſua perenniter firmitate durantibus, poposcit veſtra fraternitas, ut nobis præſentibus de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, ſub tranquillitate & Sacerdotali manſuetudine ſanctis propoſitis Evangeliis conferatur, & finis quæſtionis ipſi Deo placitus, & conveniens iis quæ à memoratis ſanctis quatuor Conciliis definita ſunt, imponatur: ut omni de medio diſſenſione ſublata, quæ ab eiſdem quatuor ſanctis Synodis definita ſunt, inconcuſſa ſerventur, earumdem Synodorum reverentia in omnibus cuſtodita. Quam profeſſionem paternarum traditionum memorem & ſequacem, tam in fraternitate veſtra, quàm in omnibus ſimilia confeſſis atque confitentibus, omni laude pleniſſimam judicavimus, & noſtros ex ea re verè fratres agnoſcimus. Unde divinæ Clementiæ ſupplicamus, ut omnes nos in hac confeſſione & paternis traditionibus permanentes, noſtro digni reperiamur officio, & in die divini judicii nulli prævaricationi paternarum traditionum inveniamur obnoxii. Quibus ita prædictis poſtulationibus veſtrum deſiderium cognoſcentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari Conventu, ſervata æquitate, mediis ſacro-ſanctis Evangeliis collationem cum unitis fratribus * habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens his quæ à ſanctis quatuor ſunt definita Conciliis; ſcientes utique, ſicut & communis profeſſionis teſtimonio declaratur, memoratarum Synodorum in omnibus reverentiam cuſtodiri. Deus te incolumem cuſtodiat, Frater chariſſime. Datum 8. Idus Januarias, Imperii Domini Juſtiniani perpetui Auguſti anno 17. poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi anno 12.

habeatis.

His lectis ſancta Synodus dixit percupiens adeſſe Vigilium Papam Romanum in urbe tunc degentem, & de iiſdem tribus capitulis diſceptare & formam rectæ fidei ſecum imponere, deputantur Patriarchæ Eutychius, Apollinarius, Dominus & præcipui Epiſcopi qui illum invitarent, qui retulerunt eum propter corporis infirmitatem dixiſſe, ſe non poſſe ad hanc petitionem reſpondere: in poſtero autem die pollicitum ſe manifeſtare quod de tali conventu ei placeret.

Expetitur Rom. Pontifex præſes Synodi.

Collatio II. Imperii Domini Juſtiniani, &c. ut ſupra. Refertur miſſio deputatorum ex parte Imperatoris, & ex parte Synodi ad Vigilium, qui venire renuit dicens quod paucos haberet ſecum Epiſcopos Occidentales, ſe autem ſuam ſententiam in ſcriptis oblaturum Imperatori circa tria capitula. Similiter & alii quidam Epiſcopi excuſarunt ſe ne in Synodum venirent. In hac autem ſeſſione laudatur Juſtinianus, quod quatuor primas Synodos ſacris Eccleſiæ dypticis inſeri & prædicari fecerit.

Synodus concluſit. Cum nos per omnia quod decet & ſervavimus & ſervamus, & ſæpius petivimus ſanctiſſimum Papam Vigilium una nobiſcum convenire, &c. Incongruum autem Sacerdotibus eſſe putantes protrahere dandum à nobis reſponſum Chriſtianiſſimo Imperatori, Apoſtolo maximè Petro dicente: Oportet nos paratos eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de noſtra ſalute. Deo juvante futuro die convenientes, quæ oportet, agemus. *1. Petr. 3.*

Collatio III. Imperii Domini Juſtiniani, &c. ut ſupra. Recitatis omnibus quæ geſta erant in præcedentibus ſeſſionibus ordinis gratia. Patres Synodi profitentur ſe recipere. Confitemur fidem tenere & prædicare ab initio donatam, à magno Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto ſanctis Apoſtolis & ab illis in univerſo mundo prædicatam, quam & ſancti Patres confeſſi ſunt & explanaverunt & ſanctis Eccleſiis tradiderunt, & maxime qui in quatuor Synodis convenerunt: quos per omnia & in omnibus ſequimur & ſuſcipimus cum aliis ſanctis Patribus, &c. ſuper hoc ſequimur per omnia & ſanctos Patres Doctores Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Theophilum, Joannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Leonem & Proculum; ſuſcipimus omnia quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum expoſuerunt, ſuſcipimus autem & alios ſanctos & Orthodoxos Patres, qui in ſancta Dei Eccleſia rectam fidem irreprehenſibiliter uſque ad finem vitæ ſuæ prædicaverunt, &c. de diſceptatione autem trium capitulorum, hoc eſt, de Theodoro Mopſueſteno, & de ſcriptis ejus, & de Epiſtolâ quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam ſcripta, & de conſcriptis Theodoreti, quæ contra rectam fidem & ſanctæ memoriæ Cyrillum & contra duodecim ejus capitula conſcripta ſunt, pro quibus & interrogavit nos piiſſimus & tranquilliſſimus Imperator, quoniam ſpeciali indigent conventu, alio die, Deo adjuvante, conveniamus. *Patres dant ſignum Eccleſiæ tradendi.*

Collatio IV. Imperii Domini Juſtiniani, &c. ut ſupra. Diodorus Archidiaconus & Primicerius reverendiſſimorum notariorum dixit: neminem quidem omnium latuit, quæ ipſe Theodorus in diverſis codicibus expoſuit, & quæ ad aliorum duorum capitulorum examinationem pertinent, neceſſario autem conſtituto quæſtionem de his communiter procedere, notarii noſtri prima vice ſcripta ex Theodori codicibus in medio proferant, quorum gratia & à ſanctis Patribus ſtimus eum accuſatum eſſe.

Theodori Mopſueſteni ex tertio libro contra impium Apollinarium.

QUomodo igitur tui cui ſuper omnes maximè decet mentium regimen, illum qui ex Virgine natus eſt, Deum eſſe, & ex Deo conſubſtantialem Patri exiſtimari dicis, niſi forte ſancto Spiritui imputare illius creationem nos jubes? ſed quis eſt Deus ex Deo, & conſubſtantialis Patri? is idem qui ex Virgine natus erat, ô mirandum, & qui per Spiritum Sanctum ſecundum divinas ſcripturas plaſmatus eſt, & conceptionem in muliebri accepit ventre. Inerat forſitan, quia mox quàm plaſmatus eſt, & ut templum Dei eſſet, accepit: non tamen exiſtimandum nobis eſt, Deum de Virgine natum eſſe, niſi forte idem exiſtimandum nobis eſt, & quòd natus eſt, & quòd eſt in templo natus,

& qui in templo eſt Deus Verbum: non tamen nec ſecundum tuam vocem pronunciandum eſt, omnino ex Virgine Deum natum eſſe, & ex Deo conſubſtantialem Patri. Nam ſi non homo eſt, ſicut dicis, aſſumptus, qui natus eſt ex Virgine, Deus verò incarnatus, quomodo qui natus eſt Deus ex Deo, & conſubſtantialis dicetur Patri, carne non petente hanc vocem ſuſcipere? Nam eſt quidem dementia, Deum ex Virgine natum eſſe dicere. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm ex ſemine eum dicere David de ſubſtantia Virginis genitam, & ex ipſa plaſmatum: quia quod de ſemine David & de ſubſtantia Virginis eſt, in materno ventre conſtitit, & ſancti Spiritus plaſmatum virtute, natum fuiſſe diſcimus de Virgine. Ut autem aliquis ex hoc concedat dicere ipſis, quòd Deus ex Deo, & conſubſtantialis Patri natus eſt ex Virgine, eo quòd eſt in templo nato, ſed non per ſe natus eſt Deus Verbum, Incarnatus verò, ſicut dicit ipſe ſapiens. Si igitur cum carne eum natum eſſe dicunt, quod autem natum eſt, Deus ex Deo, & conſubſtantialis Patri eſt, neceſſe eſt hoc & carnem dicere. Quod non idcirco caro eſt, quoniam nec Deus ex Deo, nec conſubſtantialis ei, cujus ſemen eſt, & non id quod natum eſt ex Virgine, Deus eſt ex Deo, & conſubſtantialis Patri: niſi forte pars nati, prout ipſe in inferioribus partem Chriſti nominat Deitatem: ſed non divina natura ex Virgine nata eſt. Natus autem eſt ex Virgine, qui ex ſubſtantia Virginis conſtat, non Deus Verbum ex Maria natus eſt. Natus autem eſt ex Maria qui ex ſemine eſt David: Non Deus Verbum ex muliere natus eſt, ſed natus ex muliere, qui virtute ſancti Spiritus plaſmatus eſt in ea. Non ex matre natus, eſt conſubſtantialis Patri: ſine matre enim eſt, ſecundum Beati Pauli vocem, ſed qui in poſterioribus temporibus in materno ventre ſancti Spiritus virtute plaſmatus eſt, utpote ſive Patre propterea dictus.

Et poſt alia.

2. Mox autem in ipſo pſalmato Deus Verbum factus eſt: non enim in cœlum aſcendenti ſolùm inerat, ſed etiam ex mortuis reſurgenti, ut poſtea reſuſcitans eum ſecundum ſuam promiſſionem. Non reſurgenti ex mortuis ſolùm inerat, ſed etiam crucifixo, & Baptizato, & Evangelicam poſt baptiſma converſationem peragenti, nec non etiam ante Baptiſma legalem adimplenti conſtitutionem, & præſentato ſecundum legem, & circumciſo & pertus pannis obvoluto. Erat autem forte in ipſo & naſcente, & cùm in materno utero eſſet à prima ſtatim plaſmatione: diſpenſationi enim quæ circa eum erat, ordinem imponebat, ut pote & particulatim ipſum ad perfectionem perducens.

Et poſt alia.

3. Et per tempus quidem ad Baptiſma ducens, poſt illud autem ad mortem, deinde ſecundum ſuam pronunciationem reſuſcitans, ducens in cœlum, collocans eum ad dexteram Dei per ſuam conjunctionem, ex qua ſedet & adoratur ab omnibus, & omnes judicabit: omnium autem iſtorum finem apud ſe habebat Deus Verbum, cùm in ipſo erat: & omnia per ordinem complebat, quem ordinem ipſe arbitrabatur bene habere præfinitione quidem & voluntate, quam antea ſtatim pro his quæ eventura erant, & bona voluntate quam circa eum habebat, ab initio ſimiliter inerat ei: per ordinem autem ſibi placitum ad perfectionem ducebat ipſum.

Et poſt alia.

4. Suam autem cooperationem ad propoſita opera præſtabat ei, qui aſſumptus eſt: ubi hoc facit in loco ſenſus fuiſſe Deitatem illi qui aſſumptus eſt. Nec enim eis, quibuſcumque ſuam donavit cooperationem, ſenſus locum ejus obtinebat. Si autem & modo præcipuam quamdam cooperationem donavit illi qui aſſumptus eſt, non hoc faciebat locum ſenſus Deitatem obtinere. Sed Deitas pro ſenſu fiebat illi qui aſſumptus eſt, ſecundum veſtra verba: quomodo timorem in paſſione ſuſcipiebat? quid vehementioribus orationibus ad imminentem neceſſitatem indigebat, quas cum magna quidem & clamoſa voce, cum plurimis autem lachrymis (ſecundum Beatum Paulum) referebat Deo? quomodo timore tanto detinebatur, ut ex immenſa trepidatione fontes ſudoris dimitteret, Evangeliſta apertè dicente, quod globis ſanguinis ſimilis ſudor deſcendebat? Quid autem & Angeli adventu & viſitatione egebat, animam reficientis in experimento malorum, confortantis ejus alacritatem, excitantis eum ad imminentem paſſionis neceſſitatem, tolerare fortiter mala ſuadentis, urgentis ad patientiam & tolerantiam malorum, oſtendentis præſentium malorum fructum ex paſſione, mutationem in gloriam bonam circa eum poſt paſſionem futuram? Quid enim (ſecundum Evangeliſtæ vocem) confortabat eum, Angelus ſcilicet, verbis illis fortem eum faciebat, & infirmitati naturâ ſuperiorem fieri cohortabatur, & corroborando cogitationes ejus, fortem eum faciebat? *Hebr. 5.* *Luc. 22.* *Ibid.* *Luc. 22.*

Plura alia loca adducuntur ex variis ejus tractatibus, & quod librum Cantici Canticorum deſpiceret, ut quod ad amatam hoc ſcripſerit Salomon, & quod nullam haberet propheticam dictationem bonorum Eccleſiæ, nec ullam mentionem Dei faciat. Recitatur etiam impium ejus Symbolum: & poſtquam blaſphemiæ Theodori Mopſueſteni lectæ ſunt & impium ejus Symbolum, ſancta Synodus exclamavit. Hoc Symbolum ſathanas compoſuit, anathema ei qui hoc Symbolum compoſuit, hoc Symbolum Epheſina prima Synodus una cum authore ejus anathematizavit. Unum tantummodo fidei Symbolum ſcimus quod Nicæni ſancti Patres expoſuerunt & tradiderunt. In hoc omnes baptizati ſumus. Anathema Theodoro Mopſueſteno, iſte Evangelia reprobavit, iſte diſpenſationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematiſant illum. Defenſores ejus Judæi ſunt: ſequaces ejus pagani ſunt. Multis annis Imperatorem: Ortodoxum Imperatorem multis annis: & hoc bonum tibi ſervabatur, tizania tu ejeciſti, Eccleſias tu emundaſti. Theodorum Mopſueſtenum omnes anathematizamus. Theodorum & conſcripta ejus omnes anathematizamus. *Canticum canticorum.* *Exclamationes contra Theodorum.*

Collatio V. Ut ſuprà: ſancta Synodus dixit: ſicut & antea interlocuti ſumus recitentur ea quæ contra Theodorum Mopſueſtenum & ejus blaſphemias ſancti Patres ſcripſerunt, & quæ imperialibus legibus & hiſtoricis conſcriptis continentur: & cum ſuſcepiſſet Theodorus reverendiſſimus Diaconus & notarius recitavit ex Cyrillo, Proclo, & Synodo etiam Mopſueſtena ex cujus actis conſtat nomen ejus poſt mortem ex ſacris dypticis ejectum fuiſſe. Synodus illa Mopſueſtena, Juſtiniano mandante, celebrata eſt Mopſueſtiæ ann. 550. à Joanne Metropolita ſecundæ Ciliciæ Stuzarbi Epiſcopo cum aliis octo Epiſcopis. Prolata ſunt Evangelia, lectæ divales Juſtiniani, & Civitatis ſeniores Clerici ac nobiles Laïci vocati ad Synodum compulſi ſunt ad ſolemne juramentum de dicenda veritate. Allata dipthyca, id eſt tabulæ duplicatæ, in quarum una mortuorum fidelium nomina in altera viventium continebantur, ex quavis materia confectæ erant ut advertit Angelus Kocca ſcholiis in l. Sacramentorum D. Gregorii. Unde hic allati ſunt etiam duo quaterniones membranacei, qui in uſu erant in Eccleſia Mopſueſtena: ac cum dipthyca mortuorum ita haberent. *Pro requieſcentibus Epiſcopis Protogene, Zozimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Baſiano, Auxentio, Palatino, Iacobo, Zozimo, Theodoro, Symeone.* Quæſtio fuit quiſnam ille Cyrillus & Theodorus? reſpondit Martyrius Eccleſiæ Mopſueſtenæ Preſbyter ætatis an. 80. in civitatis clero ſexaginta habens, ſe audiviſſe quod Cyrillus Alexandr. pro Theodoro repoſitus fuiſſet, Theodorum autem illum ante Symeonem inſcriptum ante tres annos obiiſſe. Unde, innotuit quintæ Synodo, aliis idem atteſtanti- *Synodus Mopſueſtena.* *Dipthycha quid?*

Matth. 26. *Matth. 27.*

bus cum fine illo Martyrio, Theodorum, de quo erat dubitatio poſt mortem eraſum fuiſſe de diptrycis, ac ſubſtitutum magnum illum Neſtorii domitorem Cyrillum. Deinde voluit Synodus ſcripta Theodoriti contra 12. capitula D. Cyrilli nec non quæ pro Theodoro ſcripſerat in variis tractatibus legi.

Ex his quæ à Theodorito ſcripta ſunt adverſus duodecim Capitula ſancti Cyrilli.

Ex his quæ ad primum Anathematiſmum ſcripſit.

Certum igitur eſt ex prædictis, quòd Dei forma non immutata in ſervi formam, ſed manens quod erat, ſumpſit ſervi formam. Si igitur non factus eſt caro Deus Verbum, ſed carnem vivam & rationabilem recepit, non ipſe ex natura Virgine natus eſt, complaſmatus & formatus, & initium inde ut eſſet accipiens, qui ante ſecula eſt, & Deus eſt, & * ad Deum eſt; cum Patre eſt, & cum Patre cognoſcitur & adoratur; ſed cùm ſibi templum in utero virginali complaſmavit, cum illo erat qui complaſmatus, & conceptus, & formatus, & natus eſt. Quapropter & ſanctam illam Virginem Dei genitricem appellamus, non quod Deum natura genuit, ſed quòd hominem Deo unitum, qui eum complaſmavit.

apud.

Ejuſdem Theodoriti ex his quæ ſunt adverſus Anathematiſmum ſecundum. Unum quidem Chriſtum confitemur, divinis doctrinis Apoſtolorum obedientes, & eumdem pro unitate Deum & hominem nominamus: unitatem verò quæ eſt ſecundum ſubſiſtentiam, omnino ignoramus tanquam novam & alienigenam divinarum ſcripturarum, & Patrum qui eas interpretati ſunt.

Ejuſdem ex his qui ſunt contrà quartum Anathematiſmum.

Cui igitur adſcribamus hoc quod eſt; *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* & hoc quod eſt: *Pater, ſi poteſt fieri tranſeat à me calix iſte*, & hoc quod eſt: *Pater ſalvum me fac ab iſta hora*, & hoc quod eſt: *Horam illam nemo cognovit, neque filius hominis:* & alia quæ humiliter ab ipſo & à ſacris Apoſtolis de ipſo dicta & ſcripta ſunt? cui eſuritionem & ſitim applicemus? cui laborem & ſomnum? cui ignorantiam & formidinem? Quis eſt qui Angelico indiguit auxilio? ſi Dei Verbi hæc ſunt, quomodo ignoravit ſapientia?

Matth. 27. Joan. 12. Marc. 13.

Et poſt alia.

Non erat Dei Verbi ignorantia, ſed ſervi formæ, quæ tanta in illo tempore cognoſcebat, quanta inhabitans Deitas revelavit.

Matth. 4. Joan. 4. Luc. 22.

Ejuſdem ex his quæ ſunt adverſus decimum Anathematiſmum.

Quis eſt, qui laboribus virtutis perfectus eſt, & non natura perfectus exiſtens? Quis eſt qui *experimento cognovit obedientiam*, & iſtam ignorans ante experimentum? quis eſt qui cum reverentia vixit, *& cum labore ſervi & lachrymis ſupplicationes obtulit*, ſalvum ſe facere non potens, ſed obſecrans illum qui poterat ſalvum facere, & mortis liberationem poſtulans? Non Deus Verbum, qui immortalis eſt, qui impaſſibilis, qui incorporalis.

Hebr. 5.

Et poſt alia.

Sed id quod ex ſemine David ſumptum ab ipſo eſt; quod eſt mortale, quod eſt paſſibile, quod timet mortem; licet poſtea deſtruxerit mortis potentiam propter unitatem Dei qui hoc recipit, quod per omnem ambulavit juſtitiam, & ad Joannem dixit: *Sine modo, ſic enim decet nos omnem implere juſtitiam:* Hoc ſummi Sacerdotii appellationem accepit ſecundum ordinem Melchiſedech: illud enim habebat naturæ infirmitatem, &c.

Matth. 3.

Sancta Synodus dixit: & ex his quæ Theodoritus impie conſcripſit, miranda eſt ſubtilitas ſancti Chalcedonenſis Concilii. Sciens enim ejus blaſphemias, prius quidem multis ſæpius uſa eſt contra eum exclamationibus: poſtea vero non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi prius anathematizaſſet Neſtorium & ejus blaſphemias, pro quibus antea ſcripſit, defendens eas. Comitaque & quæ de his propoſita ſunt finem acceperunt, alio die de reliquo capitulo nobis quæſtio proponetur.

Collatio VI. Imperii Domini Juſtiniani, ut ſupra. Relectis quæ in ſeſſione antecedenti geſta erant ſancta Synodus dixit. Quoniam piiſſimus Imperator his quæ ad nos ſcripſit, & hoc adjecit quod vindicare quidam conantes Epiſtolam quam Ibas ſcripſiſſe dicitur, præſumunt dicere ſuſceptam eam eſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio, verbis uſi unius vel duorum religioſiſſimorum Epiſcoporum, qui in eodem ſancto Concilio convenerunt, quaſi pro eadem Epiſtola dictis, cum alii omnes non ejuſdem facti ſint voluntatis: neceſſarium eſſe putamus propoſitâ quæſtione, recitationem ad Marim ſcriptæ Epiſtolæ fieri & cum ſuſcepiſſet Theodorus reverendiſſimus Diaconus & Notarius recitavit.

Interpretatio Epiſtolæ quæ dicitur ab Iba Epiſcopo ſcripta ad Marim Perſam.

Epiſtola Iba.

COmpendiosè verò ſapientiæ tuæ lucidæ, quæ per pauca multa cognoſcit, qualia ante hoc & nunc facta ſunt, manifeſtare feſtinavimus: ſcientes quòd hæc tuæ reverentiæ ſcribentes, omnibus per eum ſtudium qui ibi ſunt, fuerint manifeſta quæ à nobis ſcribuntur, qui nullam immutationem à Deo datæ ſcripturæ acceperunt. Facio verò initium cauſæ ex verbis quæ & ipſe cognoſcis. Factum eſt certamen ex quo tua reverentia hîc fuit, duobus hominibus iſtis, Neſtorio & Cyrillo, & conſcripſerunt contra ſe verba nocibilia, quæ ſcandala erant audientibus. Neſtorius enim dixit in libris ſuis, ſicut & tua reverentia cognoſcit, quòd Beata Maria Dei genitrix non eſt, ut putaretur pluribus de ſecta Pauli Samosateni eſſe, dicentis hominem eſſe purum Chriſtum. Cyrillus verò volens verba Neſtorii refutare, lubricavit, & inventus eſt cecidiſſe in dogma Apollinarii. Conſcripſit enim & iſte, ſimiliter illi, quòd ipſe Deus Verbum factus eſt homo, ut non ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Conſcripſit enim duodecim Capitula, quæ puto & tuam reverentiam cognoviſſe, quòd una natura eſt Deitatis & humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & quòd non oportet, inquit, dividere voces dictas, quas aut ipſe Dominus pro ſe dixit, aut Evangeliſtæ de ipſo. Omni verò impietate ea plena ſunt, & antequam dicamus ſicut & tua ſanctitas cognoſcit. Quomodo enim poſſibile eſt accipi Verbum, quod ab initio eſt, pro templo quod ex Maria natum eſt? aut illud; *Minoraſti eum paulominus ab Angelis*, de Deitate Unigeniti dictum fuiſſe? Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua reverentia cognoſcit, ab initio edocta eſt, & firmata divina doctrina ex verbis beatiſſimorum Patrum: Duæ naturæ, una virtus, una perſona, quod eſt unus Filius Dominus Jeſus Chriſtus. Propter hoc certamen victores & pii Imperatores juſſerunt primates Epiſcoporum in Epheſinam civitatem congregari, & ſub omnibus libros Neſtorii & Cyrilli judicari. Antequam verò omnes Epiſcopi, & qui juſſi ſunt congregari, in Epheſum pervenirent, antecedens idem Cyrillus omnium aures veneno obcæcanti oculos ſapientium obtinuit: invenit vero * clauſas ex odio contra Neſtorium. Et antequam in Synodum perveniret vir ſanctiſſimus & reverendiſſimus Archiepiſcopus Joannes, de Epiſcopatu Neſtorium dejecerunt, judicio & quæſtione non facta. Poſt duos

Pſal. 8.

cauſam.

verò dies dejectionis ejus venimus in Epheſum, & cùm di-
ſcuſſiſſemus quod in dejectione Neſtorii, quæ ab his
facta eſt, duodecim Capitula conſcripta à Cyrillo con-
tra conſtituta fidei veræ propoſuerunt, & confirmave-
runt, & eis conſenſerunt ut veræ fidei conſonantibus,
omnes Orientis Epiſcopi ipſum Cyrillum dejecerunt,
& contra alios Epiſcopos qui conſenſerunt Capitulis,
excommunicationem ſtatuerunt. Et poſt hanc confu-
ſionem, unuſquiſque in ſuam civitatem reverſus eſt.
Neſtorius verò, quoniã odio habebatur ſuæ civitati, & majoribus in ea conſtitutis, illuc reverti non potuit, &
manſit Synodus Orientalis non communicans Epiſ-
copis communicantibus Cyrillo. Et propter hæc tri-
bulatio multa inter eos facta eſt, & in certamine Epi-
ſcopi ad Epiſcopos facti ſunt, & populi ad populos,
Matth.10. & quæ ſcripta ſunt, opere impleta ſunt, *Quòd erunt inimici hominis domeſtici ejus.* Ex hoc maleloquia
multa contra nos facta ſunt, tam paganorum, quàm
hæreticorum: nec enim audebat aliquis de civitate in
civitatem, & à provincia in provinciam ire: ſed mu-
quiſque proximum ut inimicum perſequebatur. Multi
verò non habentes timorem Dei ante oculos occaſio-
ne zeli pro Eccleſiis, quam habebant inimicitiam oc-
cultam in corde ſuo, ad effectum perducere feſtinave-
runt. Quorum unus ex ipſis eſt noſtræ civitatis tyran-
nus, quem & ipſe non ignoras, qui occaſione fidei non
ſolùm cum eo viventes perſequitur, ſed etiam eos qui
duãum ad Dominum abierunt. Qui unus ex ipſis eſt
Beatus Theodorus prædicator veritatis & Doctor Ec-
cleſiæ, non ſolùm in vita ſua hæreticos percuſſit in
veram ſuam fidem, ſed etiam poſt mortem arma ſpiri-
tualia in ſuis libris filiis Eccleſiæ dereliquit, ſicut &
tua reverentia cum eo collocuta cognovit, & ex his
quæ ab eo conſcripta ſunt, credidit. Iſtum auſus eſt,
qui omnia audet, in Eccleſia manifeſtè anathematiza-
re, qui propter zelum Dei non ſolùm ſuam civitatem
ab errore in veritatem convertit, ſed etiam longè ægro-
tantes Eccleſias erudivit ſua doctrina. Et de codicibus
autem ejus multa ubique inveſtigatio facta eſt, non
quòd fidei veræ alieni fuerant (vidi enim quod illum
viventem frequenter laudabat, & in codicibus ejus le-
gebat) ſed propter inimicitiam occultam, quam ha-
bebat ad eum quoniam convicit eum manifeſtè in Sy-
nodo. Iſtis verò malis inter eos tenentibus, & uno-
Iudic.17. quoque ut volebat, ſicut ſcriptum eſt, *erant*, Deus
noſter adorandus qui ſemper ſua clementia curat Ec-
cleſiam, excitavit fideliſſimi & Victoris Imperatoris
cor, mittere virum magnum, & cognitum de ſuo pa-
latio, qui compelleret virum religioſiſſimum & ſan-
ctiſſimum Archiepiſcopum Orientis dominum Joan-
nem conciliari Cyrillo: ab ipſo enim Epiſcopatu de-
jectus erat. Et poſtquam ſuſcepit litteras Imperatoris,
direxit ſanctiſſimum & reverendiſſimum Paulum Epi-
ſcopum Emeſæ, ſcribens per eum veram fidem, &
mandans ei, quòd chriſti fidei conſenſerit Cyrillus, &
anathematizaverit dicentes, quòd Deitas paſſa eſt, &
Reconciliatio inter Joan. Antioch. & Cyrillum celebrata. dicentes quod una natura eſt divinitatis & humanita-
tis, ut & communicet. Voluit autem Dominus ſem-
per pro ſua Eccleſia ſanguine ſuo redempta, & cor
Ægyptii mollire, ut ſine vexatione fidei conſentiret,
ut eam ſuſciperet, & omnes extra eam credentes ana-
thematizaret. Et cum communicaſſent invicem, cer-
tamen de medio ablatum eſt, & pax in Eccleſia facta
eſt, & non jam de cæteroin ea diſſidium, ſed pax, ſi-
cut priùs eſt. Quæ verò ſunt verba à viro ſanctiſſimo
& reverendiſſimo Archiepiſcopo Joanne ſcripta, &
quæ reſcripta ſuſcepit à Cyrillo, ipſas Epiſtolas huic
quæ ad tuam reverentiam ſcripta eſt, conjungens, di-
rexi tuæ reverentiæ, ut legens cognoſcas, & omni-
bus Patribus noſtris pacem amantibus annunties,
quòd certamen jam ceſſavit, & medius paries ablatus
eſt inimicitiæ, & qui inordinatè contra viventes &
mortuos irruerunt, in confuſione ſunt, ſatisfacientes
pro culpis ſuis, & contraria priori ſuæ doctrinæ do-
centes. Non enim præſumit aliquis dicere, quod una
eſt natura divinitatis & humanitatis; ſed confitentur
in templum & inhabitantem in eo, qui eſt unus Filius
Jeſus Chriſtus. Hæc verò ſcripſi tuæ reverentiæ mul-
to affectu, quem habeo ad te, confidens quòd tua ſanc-
titas noctu dieque in doctrina Dei teipſum exerces,
ut & multis prodeſſe poſſis.

Sancta Synodus dixit; Scimus Proclum religioſæ
memoriæ literis uſum eſſe ad Joannem reverendiſſi-
mæ memoriæ Antiochenum Epiſcopum, in quibus
ſcripſit apud ſe accuſatum eſſe Ibam, eò quòd Neſto-
rii dogmata diligit, & quædam ex impiis Theodori
capitulis in Syrorum tranſtulit linguam, & hæc ſcrip-
ſit, & ubique tranſmiſit. Relegatur igitur prædicta
Epiſtola ad præſentem quæſtionem reſpiciens. Et cùm
ſuſcepiſſet Calonymus reverendiſſimus Diaconus &
B Notarius, recitavit.

Legitur Epiſtola Procli Epiſcopi Conſtantinopoli-
tani ad Joannem Epiſcopum Antiochiæ. *Arbitror eos regnoſcere*, &c. quâ lectâ Synodus dixit, Omnibus
manifeſtum eſſe putamus ex Epiſtolâ à Proclo religio-
ſæ memoriæ ſcripta, quod non libera eſt ab accuſa-
tione apud eum propoſitâ ad Marim Perſam Epiſto-
la. Nam Neſtorium vindicat & impii Theodori con-
ſcripta per omnia comprobat, quæ ſanctæ memoriæ
Proclus præcepit eum Anathematizare, utpote duo
pei hæc colentem. Conſequens vero & cæterorum
examinationem procedere quæ ad præſens capitulum
pertinent.

Theodorus Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ cum
C aliis Epiſcopis ſurgens commonuit ſanctam Syno-
dum, quod antequam Synodus Chalcedonſis congre-
garetur multis vicibus accuſatus fuiſſet Ibas propter
impia capitula inſerta Epiſtolæ ad Marim Perſam ab
ipſo ſcriptæ, & quod impia capitula Theodori lingua
Syrorum tranſtuliſſet & ubique tranſmiſiſſet. Qua-
propter ſcripſit Proclus ad Joannem Antiochenum
ut illum compelleret ab impietate Neſtorii recedere:
fuerat quoque delatus poſt mortem Procli ad Theo-
doſium Imperatorem & ad Flavianum Epiſcopum
Conſtantinopolitanæ urbis qui delegaverunt exa-
minationem de quibus Ibas accuſabatur Photio Epiſ-
copo Tyri & Euſtachio Epiſcopo Berytorum. Senten-
tia autem dicta eſt Tyri ab his Epiſcopis, ut Ibas in
Edeſena civitate, manifeſtè Neſtorium anathemati-
zaret & impia ejus dogmata quæ in Epiſtola ſua vin-
D dicabat, & Epheſinam primam Synodum ab eadem
impia Epiſtola reprobatam ſuſciperet tanquam à Spi-
ritu ſancto congregatam. Quæ cum judicata execu-
tioni non demandarentur, privatus eſt Ibas Epiſco-
patu, & Nonnus ei ſuffectus, qui ad Synodum Chal-
cedonenſem vocatus eſt, nomine Ibas. Cum autem in
Chalcedonenſi cauſa de Iba moveretur, ſatis manife-
ſtum eſt Concilium reprobaſſe hanc Epiſtolam, cum
ſuſcepit judicium Photii & Euſtatii quo Ibam accuſa-
tum, cum abnegaſſet prius ſuam Epiſtolam, recepe-
runt, quod miſericordia Chriſto ſemper magis place-
ret. Juvenalis vero Hieroſolymitanæ civitatis Epiſ-
copus, ut de hæreſi pœnitentiam agentem Ibam, ve-
niam & clementiam, maxime propter ſenecturem me-
ruiſſe interlocutus eſt, ſecundum Eccleſiæ traditionem.
Similiter & plures alii Epiſcopi ea ratione eum ſuſce-
E perunt, eo quod abnegaret ea quæ ipſi ab accuſatori-
bus objiciebantur, inter quæ erat hæc Epiſtola. Sic
& plures alii ſimiliter locuti ſunt. In conciliis autem
non unius aut ſecundi interlocutionem attendere o-
portet, ſed hæc quæ communiter ab omnibus vel am-
plioribus definiuntur. Sed & Ibas eam abnegavit di-
cens, poſt reconciliationem Cyrilli cum Joanne An-
tiocheno nihil contra Cyrillum ſe dixiſſe. Si vero ali-
quis concedat prout illi dicunt, priora quidem Epi-
ſtolæ impia eſſe, ultima vero recta eſſe, nec ſic Epi-
ſtola effugiet ſibi debitam condemnationem: in om-
nibus enim hæreſibus, licet contigerit hæreticos quæ-
dam recta dicere, non ideo impia condemnatione
liberantur.

Ibas Nouatianis miſcetur.

Sed

Epistola Ibæ.

Sed ad majus examen visum est Synodo recitari Epistolas plures in Synodo Ephesina lectas tum D. Leonis ad Flavianum, tum etiam definitionem Chalcedonensis Concilii. Ex quibus cum constaret Epistolam Ibæ omninò contrariam esse Concilio Chalcedonensi, ut sine manifestâ contradictione eam probare non potuerit, omnes Episcopi exclamaverunt: Hæc omnes diximus Epistola hæretica est. Epistolam quæ dicitur Ibæ omnes condemnamus. Epistola aliena Synodo est, Epistola contraria definitioni est: tota Epistola hæretica est, tota Epistola blasphema est, qui hanc non anathematizat hæreticus est. Epistolam definitio sancti Concilii Chalcedonensis condemnavit, &c.

Collatio VII. Imperii Domini Justiniani, &c.

Quæstor sacri Palatii missus ab Imperatore refert ad Synodum Vigilium Papam sæpius in scripturis condemnasse tria illa capitula, ac defensores Theodori; Epistolam Ibæ nec-non scripta Theodoreti adversus 12. capitula D. Cyrilli, seque scripta hæc Vigilii afferre ad Synodum ut cum ejus assensu sine cunctatione formam condemnationis trium capitulorum proferrent, ne per longiorem dilationem majus scandalum simplicibus efficiatur & permaneant hæretici semper sanctæ Ecclesiæ adscribentes istorum impietatem capitulorum. Obiter autem meminit quod Clerici venerandæ Ecclesiæ Cyri, imaginem Theodoreti rhedæ impositissent & in civitatem psallentes introduxissent, & Sergius civitatis Episcopus collectionem, id est, festum celebraverit Theodori, & Diodori, & Theodoriti, & Nestorii tanquam unius sanctorum Martyrum, & propterea sub Justino Imperatore qui rei veritatem inquiri fecit, ab Episcopatu ejectus fuerit.

Zelus propositus pro tribus capitulis.

Sancta Synodus dixit: chartæ, quarum gloriosissimus quæstor mentionem facit, recitentur. Atque iis lectis per Diodorum Archidiaconum, Sancta Synodus dixit. Evidenter & nunc Deum placans intentio pissimi & tranquillissimi Imperatoris ostensa est, qui omnia semper facit & fecit quæ sanctam Ecclesiam & recta dogmata conservant: qui & modo recitatas chartas direxit, manifestantes & ipsas, quod nec latuit aliquem, alienam ab initio esse, istorum Capitulorum impietatis, sanctam Dei Ecclesiam, & Christianissimus quidem Imperator mercedem pro his habebit de Christo magno Deo, qui talia multiplicare solet: nos autem orationes quotidianas facientes pro ejus serenitate, pro tribus capitulis, altero die adjuvante Deo Synodicam sententiam proferemus.

Collatio VIII. Imperii Domini Justiniani, &c. ut supra. Post lectionem eorum quæ gesta erant in præcedenti collatione Calonymus reverendissimus Diaconus & Notarius recitavit sententiam Concilii contra tria capitula. Quæ quia prolixior est & pluribus verbis tumida, ejus aliquas particulas hic inferimus.

Sententia Synodi de tribus capitulis.

Magno Deo & Salvatore Jesu Christo secundum parabolam in Evangeliis dictam pro uniuscujusque viribus talenta distribuente, & operam eorum opportuno tempore exigente, si is qui creditum sibi unum talentum sine diminutione servavit, eo quod non operatus est, nec amplificavit hoc quod sibi creditum est, condemnatur: quanto majori & horribili judicio subjacet, qui non solum de ipso neglexerit, sed etiam aliis scandali & perturbationis causam præbuerit, &c. Et nos igitur quibus regere Ecclesiam Dei creditum est, timentes maledictionem quæ imminet his qui negligenter operâ Domini faciunt, festinamus bonum semen fidei conservare ab impietatis zizaniis quæ ab inimico inseminantur: Quoniam igitur videbamus quod Nestorii sequaces conati sunt per Theodorum impium, qui Mopsuestiæ fuit Episcopus & impia ejus conscripta, & insuper per ea quæ impie Theodoritus conscripsit, & per Epist. sceleratâ quæ ab Iba dicitur ad Maris Persam scripta esse, suam impietatem Eccl. applicare, ideo ad eorum quæ movebantur correctionem surreximus & pro Dei voluntate & jussione piissimi Imperatoris vocati ad hanc regiam urbem convenimus.

Et quia contigit Vigilium religiosissimum in hac regia urbe degentem, omnibus interesse quæ his tribus capitulis annotata sunt & tam sine scripto quam in scriptis ea sæpius condemnasse, postea tamen & consensit in scriptis in Concilio convenire & disceptare una nobiscum de his tribus capitulis, ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ convenienS; piissimus Imperator secundum quod inter nos placuit, tam ipsum quam nos hortatus est communiter convenire, eo quod decet Sacerdotes communibus quæstionibus finem communem imponere. Unde necessario petivimus ipsius reverendam scriptas suas promissiones adimplere. Nec enim justum esse amplius scandalum pro tribus istis capitulis crescere & Dei Ecclesiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa Apostolorum exempla & Patrum traditiones. Licet enim sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum Scripturarum testimonis unusquisque sua dicta confirmaverint, &c.

Sed & Sancti Patres qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes communiter de exortis hæresibus judicaverunt, certo constituto quod in communibus disceptationibus cum proponuntur quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen mendacia expellit.

Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari cum unusquisque proximi adjutorio indiget, sicut in proverbiis dicit Salomon *Frater fratri adjutorium præstans exaltabitur sicut civitas munita.* Et iterum in Ecclesiaste dicit. *Optimi duo quam unus, quibus est merces bona in labore ipsorum.* Sed etiam ipse Dominus dicit. *Amen dico vobis, si duo ex vobis consenserint, de omni re quamcumque petierint, continget illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio.* Cum autem sæpius & à nobis omnibus invitatus & insuper gloriosissimis Judicibus missis ad ipsum à piissimo Imperatore, promisit per seipsum de iisdem tribus capitulis sententiam proferre, hujusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes quod unusquisque pro se rationem reddet Deo, timentes autem & judicium imminens eis, qui vel unum ex minimis scandalisant, quanto magis Imperatorem ita Christianissimum & populos & Ecclesias totas; & quod dictum à Deo ad Paulum. *Ne timeas, sed loquere, & ne taceas, quoniam ego sum tecum nemo poterit nocere tibi:* congregati ante omnia confessi sumus tenere fidē, &c. narrantur quæ gesta sunt in Synodi collationibus cum multis in Theodorū & Theodoritum exclamationibus.

Et quoniam post hæc omnia impietatis illius defensores, injuriis contra Creatorem suum dictis gloriantes, dicebant non oportere eum post mortem anathematizare, licet cognosceremus Ecclesiasticam de impiis traditionem, quòd & hæretici post mortem anathematizantur, tamen necessarium putavimus & de hoc perscrutari, & fertur in gestis quomodo & diversi hæretici anathematizati sunt: & per multa manifestatum est apud nos quòd qui hæc dicunt nullam curam Dei judicatorum faciunt nec paternarum traditionum. Libenter utique interrogemus eos, quid dicant de Domino dicente de seipso: *Qui crediderit in eum non judicatur: qui autem non crediderit in eum jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.* Et Apostolo clamante: *Licet vos aut Angelus de cœlo evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Domino enim quod jam judicatus est dicente, & Apostolo etiam docente Angelos si docerent præter id quod Evangelizati sumus, anathematizante, quomodo præsumunt dicere, qui omnia audent, de vivis tan-

tummodo hæc dicta esse, aut ignorant? magis autem scientes, ignorare se confingunt, quod judicium anathematis nihil aliud est nisi separatio à Deo, quod impius licet non verbo ab aliquo suscepisset, tamen anathema reipsa sibi infert, per suam impietatem semetipsum à vera vita separans. Quid autem dicunt ad Titum 3. & ad Apostolum iterum dicentem: *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem evita, sciens quoniam perversus est hujusmodi homo, & peccat, & est à semetipso damnatus.* Quibus consonantia S. memoriæ Cyrillus in libris quos contra Theodorum scripsit, ita dicit. Evitandi sunt illi qui tam pessimis culpis detinentur, sive in vivis sunt sive non, &c. Prædicta igitur tria capitula anathematizamus, id est, Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impiè Theodoritus conscripsit, & impiam Epistolam quæ dicitur Ibæ & defensores eorum, & qui scripserunt vel scribunt ad defensionem eorum, vel recta ea dicere præsumunt, vel omnino impietatem eorum nomine Sanctorum Patrum aut sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt aut defendere conantur.

Finalis damnatio trium capitulorum.

His ita cum omni subtilitate dispositis in memoria tenentes promissiones sanctæ Ecclesiæ factas, & quæ dixit quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam, id est, hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit. *Et sponsabo te mihi in fide, & cognoscet Dominum:* Hæreticorum quidem effrænatas linguas & eorum impiissima conscripta, & eosdem ipsos hæreticos qui usque ad mortem in sua impietate permanserant, patri mendacii diabolo connumerantes, illis dicemus: *Ecce omnes vos ignem accenditis: ambulabitis in lumine ignis vestri & per flammam quam accendistis.* Nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam exhortari populum & loqui ad cor Ierusalem, id est, Dei Ecclesiam, merito seminare quidem in justitia festinamus, vindemiantes fructum vitæ & illuminantes nobis ipsis lumen scientiæ, ex divinis scripturis & Patrum doctrina, necessarium putavimus capitalis comprehendere & prædicationem veritatis, & hæreticorum nec non eorum impietatis condemnationem.

Osee 2.

Isaia 50. ad Tit. 1. Isaia 40. Osee 1.

ANATHEMATISMI HUJUS QUINTÆ SYNODI.

Cap. I.

Can. 1. SI quis non confitetur Patris & Filii & Spiritus sancti unam naturam sive substantiam, & unam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam, talis anathema sit. Vnus enim Deus & Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Iesus, per quem omnia, & unus Spiritus sanctus, in quo omnia.

Cap. II.

SI quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre sine tempore incorporaliter; alteram verò in ultimis diebus ejusdem ipsius qui de cœlis descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice semperque Virgine Maria, qui natus est ex ea, talis anathema sit.

Cap. III.

SI quis dicit, alium esse Deum Verbum qui miracula fecit, & alium Christum qui passus est, vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse, ut alterum in altero, & non unum eumdemque Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incarnatum & hominem factum, & ejusdem miracula & passiones quas voluntariè carne sustinuit, talis anathema sit.

Cap. IV.

SI quis dicit, secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm auctoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundùm bonam voluntatem, quasi quòd placuit Deo Verbo homo, eò quòd benè visum est ei de ipso (sicut Theodorus insaniens dicit) vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum Filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & Filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, & unum Filium, & unum Christum confingunt dicere: sed non confitentur, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, unus de sancta Trinitate, talis anathema sit. Cum enim multis modis unitas intelligitur, qui impietatem Apollinaris & Eutycheris sequuntur, interemptionem eorum quæ convenerunt, colentes, unitionem secundum confusionem dicunt. Theodori autem & Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi, non solum inconfusè ea quæ convenerunt, conservat, sed neque divisionem suscipit.

Cap. V.

SI quis unam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas; & duarum personarum, quas introducit, unam personam dicit secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanientes conscripserunt, & calumniantur S. Synodum Chalcedonensem tamquam secundum istum impium intellectum unius subsistentiæ utentem vocabulo, sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, & sic & sanctum Chalcedonense Concilium unam subsistentiam

Domini noſtri Ieſu Chriſti confeſſum eſſe, talis anathema ſit. Neque enim adjectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit ſancta Trinitas ex incarnato uno de ſancta Trinitate Deo Verbo.

Cap. VI.

SI quis abuſivè & non verè Dei genitricem dicit ſanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam, ſed ſecundum relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato, & nato ex ipſa, referenda autem, ſicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eò quòd cum homine erat naſcente; & calumniatur ſanctam Chalcedonenſem Synodum, tamquam ſecundùm iſtum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei Genitricem Virginem dicentem; vel qui hominis genitricem vocat, aut Chriſtotocon, ideſt Chriſti genitricem, tamquam Chriſtus Deus non eſſet, & non propriè & verè Dei genitricem ipſam confitetur, eò quòd ipſe qui ante ſæcula ex Patre natus eſt Deus Verbum in ultimis diebus ex ipſa incarnatus, & natus eſt, & ſic piè ſanctam Chalcedonenſem Synodum Dei genitricem eam eſſe confeſſam, talis anathema ſit.

Cap. VII.

SI quis in duabus naturis dicens, non ut in Deïtate & humanitate unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cognoſci confitetur, ut per hoc ſignificet differentiam naturarum in quibus inconfusè ineffabilis unitio facta eſt, neque Deo Verbo in carnis naturam tranſmutato, neque in verbi naturam tranſducta, (manet enim utrumque hoc quod eſt natura, etiam facta unitate ſecundùm ſubſiſtentiam) ſed pro diviſione per partem, talem excipit vocem in myſterio Chriſti, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodò differentiam excipit earum, ex quibus & compoſitus eſt, non interemptam propter unitatem (unus enim ex utroque, & per unum utraque) ſed in hoc numero utitur, ut ſeparatim unaquaque natura ſuam habente ſubſiſtentiam, anathema ſit.

Cap. VIII.

SI quis ex duabus naturis, Deïtatis & humanitatis, confitens unitatem factam eſſe, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione ſecundum ſubſiſtentiam facta, unus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus unam naturam ſive ſubſtantiam Deïtatis & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit. Secundum ſubſiſtentiam enim dicentes unigenitum Deum Verbum carni unitum eſſe, non confuſionem aliquam naturarem in ſe invicem factam eſſe dicimus, ſed magis permanente utraque, hoc quod eſt, unitum eſſe carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod unus eſt Chriſtus, Deus & homo, idem ipſe conſubſtantialis Patri ſecundum Deïtatem, & conſubſtantialis nobis idem ipſe ſecundum humanitatem. Æqualiter enim & eos qui per partem dividunt vel incidunt, & eos qui confundunt divinæ diſpenſationis myſterium Chriſti, rejicit & anathematizat Dei Eccleſia.

Cap. IX.

SI quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducunt, ſeparatim Dei Verbo, & ſeparatim homini: vel ſi quis ad interemptionem, vel ad confuſionem Deïtatis & humanitatis, unam naturam ſive ſubſtantiam eorum quæ convenerunt intraducens, ſic Chriſtum adorat, ſed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.

Cap. X.

SI quis non confitetur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum & Dominum gloriæ, & unum de ſancta Trinitate, talis anathema ſit.

Cap. XI.

SI quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum conſcriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati ſunt à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, & eos, qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt vel ſapiunt, & uſque ad mortem in ſua pietate permanſerunt vel permanent, talis anathema ſit.

Cap. XII.

SI quis defendit impium Theodorum Moſpueſtenum, qui dixit alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum, à paſſionibus animæ & deſideriis carnis moleſtias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem, & ex ſic profectu operum melioratum, & à converſatione immaculatum factum, & tamquam purum hominem baptizatum eſſe in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & per Baptiſma ſancti Spiritus gratiam accepiſſe, & filiationem meruiſſe, & ad ſimilitudinem Imperialis imaginis in perſona Dei Verbi adorari, & poſt reſurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omnino factum fuiſſe. Et iterum dixit idem impius Theodorus, talem factam eſſe unitionem Dei Verbi ad Chriſtum, qualem dixit Apoſtolus de viro & muliere: *Erunt duo in carne una.* Et ſuper alias innumerabiles blaſphe-

mias, ausus est dicere, quod post resurrectionem, cum insufflasset Dominus discipulis & dixisset: *Accipite Spiritum sanctum*, non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratim tantummodo insufflavit. Iste enim & confessionem, quam fecit Thomas cum palpasset manus & latus Domini post resurrectionem, dicens, *Dominus meus, & Deus meus*, inquit, non esse dictam à Thoma de Christo. Nec enim dicit Theodorus Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit. Et quod peius est, etiam in interpretatione, quam in actis Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni, dicens, quod sicut illorum unusquisque ex dogmate quod invenit suos discipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos, & Marcionistas; simili modo & cum Christus dogma inveniset, ex ipso Christianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conscripta, in quibus tam prædictas quàm alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Iesum Christum, & non anathematizat eum, & impia ejus conscripta, & omnes qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo vel impiis ejus conscriptis, & eos qui similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, & usque ad mortem permanserunt vel permanent in tali impietate, talis anathema sit.

Ioan. 20.

Ibidem.

Comparatio blasphemiæ.

Anathematizantur morientes in impietate cum Theodoro.

Cap. XIII.

Scripta Theodoreti.

SI quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & primam Ephesinam sanctam Synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, & pro aliis, qui eadem prædictis Theodoro & Nestorio sapuerunt, defendens eos & eorum impietatem & propter hoc impios vocans Doctores Ecclesiæ, qui unitatem secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat ea, & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem & omnes qui scripserunt contra rectam fidem & S. Cyrillum, & duodecim ejus Capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis anathema sit.

Cap. XIV.

Damnatur Iba Epist.

SI quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei Genitrice semper Virgine Maria incarnatum hominem factum esse. Dicit autem, purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, & alius homo: & sanctum Cyrillum qui A rectam Christianorum fidem prædicavit, tamquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur, & inculpat primam Ephesinam Sanctam Synodum, tamquam sine examinatione & quæstione Nestorium condamnantem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli, impia & contraria rectæ Fidei vocat eadem impia Epist. & defendit Theodorum & Nestorium & impia eorum dogmata & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam Epistolam defendit, & non anathematizat eam & defensores ejus, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, & eos B qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilii, & in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit. *Nota.*

Cum igitur hæc ita rectè confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tamà divinis Scripturis, quàm à sanctorum Patrum doctrina, & ab his quæ definita sunt de una eademque Fide à prædictis sanctis quatuor Conciliis, facta autem à nobis & condemnatione contra hæreticos & eorum impietatem, nec non etiam C contra eos qui defenderunt vel defendunt prædicta impia tria Capitula, & permanserunt in suo errore, vel qui permanent: si quis conatus fuerit contra hæc quæ piè disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere, si quidem Episcopus vel Clericus sit, iste tamquam aliena à Sacerdotibus & statu Ecclesiastico faciens, denudabitur Episcopatu vel Clericatu: si autem Monachus vel laicus sit, anathematizabitur.

HÆc autem omnia confirmat Nicephorus, addit-que ea quæ spectant ad Originem in hunc modum lib. 17. cap. 27.

D POstquam Patres ibi in loco uno convenere, causam in primis Origenis, Didymi, & Evagrii in medium protulere, videlicet quod Græcorum opiniones rectis Ecclesiæ doctrinis perperam illi immiscuissent easque opiniones tollendas esse censuere. At Ascidas ex altera parte Theodori Mopsuestiensis, & Theodoriti, & Ibæ Edesseni opiniones produxit: Deo hoc sic quam sapientissimè disponente, ut hinc, & inde nova & prophana dogmata longius rejicerentur. Prima conflictatione facta, quæsitum est. An tum demum jam olim defunctos anathemate ferire liceret. Ibi tum Eutychius, Memna adhuc superstite, vir sacrarum literarum summe peritus, minus tamen celebris, quòd Episcopo Amaseno, quemadmodum dictum est à responsis esset, eos, qui in conventu congregati erant, non modo non recta, sed ridenda etiam atque contemnenda sapere videns, disertis verbis neque consilio, neq; deliberatione ulla egere eam rem dixit: propterea quod & Josias Rex non modo viventes dæmonum Sacerdotes olim jugularit, sed & eorum qui longo antè tempore mortui fuerat sepulchra effoderit. Quod verbum bene ab eo dictum esse omnibus videbatur. Justinianus certè virum ob id admiratus, Memna eis diebus defuncto, ne imperialis urbis thronum extulit. Porro Vigilius etiam si ei, scripto interveniente, cum Eutychio conveniret, assidere tamen illi noluisse: sed is Synodo finita quemadmodum à me dicetur, Constantinopoli Romam profectus, in itinere fatis con- *Eutychii quanta merces.*

ceſſit. Synodo, ſcrit dixit, coacta Juſtinianus quidnam de rebus Theodori, & item Mopſueſtheniſis Theodori & Theodoriti ejuſdemque ſcriptis, quæ adverſus duodecim capita S. Cyrilli compoſuit, & præterea de Iba ad Marim Perſam miſſa Epiſt. diceret interrogavit. Atque ubi multa Theodori Mopſueſtheniſis, & Theodoriti dicta lecta, & clarè ſatis demonſtratum eſt, non tuos ſolum, verum antea etiam dudum Theodorum ab Eccleſia proſcriptum, & ex ſacrarum tabularum albo ejectum eſſe, hæreticosque etiam poſt eorum mortem damnandos eſſe, nulla interpolita mora, Theodorum ipſum, & præterea quæcunque Theodoritus contra duodecim Divi Cyrilli capita, & rectam fidem ſcripſiſſet, atque inſuper Iba Epiſtolam anathemati ſubjecerunt, decreto in hæc verba compoſito: Cum magnus Deus & Salvator noſter Jeſus-Chriſtus, juxta Evangelicam parabolam. Et deinceps. Condemnamus verò, & anathemate confodimus, præter alios omnes hæreticos à ſanctis quatuor Conciliis, & à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia condemnatos, atque anathemate jugulatos. Theodorum etiam, qui Mopſueſtiæ Epiſcopus dictus eſt impiaque ejus ſcripta, & quæ impiè quoque Theodoritus adverſus rectam fidem & duodecim capita ejus, qui in ſanctis eſt, Cyrilli, & contra priorem ſanctam Synodum Epheſinam: denique quæcunque idem Theodoro, & Neſtorio patrocinatus ſcripſit. Ad hæc anathemate ferimus impiam etiam Epiſtolam, quæ ab Iba ad Marim Perſam conſcripta eſſe dicitur. Et poſt verba panca quatuordecim capitula de recta, & irreprehenſibili fide expoſuerunt. Hæc quidem ſic recta.

De Origene.

In ſecunda autem ſeſſione poſtquam ab Eulogio, Canone, Cyriaco, & Pancratio Monachis Hieroſolymitanis libelli contra impia Origenis, qui & Adamantius dictus eſt, dogmata, & contra impietatis & ſeductionis ejus ſectatores oblati, & lecti ſunt, Juſtinianus rurſum Sinodum de eis ſententiam dicere juſſit, libellis quoque, qui Vigilio Papæ, de eis rebus ſcripti erant, in medium prolatis. In quibus erat, Adamantio ſtudio fuiſſe, ut Græcis nugamentis, & Manichæis zizaniis, Apoſtolicorum dogmatum impleret puritatem. Synodus itaque rem decernendam ad Juſtinianum, poſt exclamationes in Origenem, & qui itidem ut ille ſeducti eſſent, factas, retulit. Quarum quædam in hæc concepta erant verba, ſicuti & ex commentariis Synodi iſtius excerpſimus. Qui animum obtines cæleſtis participem generoſitatis Chriſtianiſſime Imperator. Et deinde. Effugimus igitur, effugimus iſtam quam ignoramus externam vocem, & tanquam furem atque prædonem ejuſmodi hominem anathematis laqueis arctè diſtrictum, atque ſuffocatum, extra ſacra Eccleſiæ mœnia abjecimus. Et poſt pauca. Actorum vero noſtrorum, ex eorum lectione vim cognoſcetis. His conjunxerunt capitula, quæcunque Origenis ſectatores profeſſi ſunt: quæ capitula conſenſionem ſimul & diſſenſionem eorum, atque etiam multiplicem errorem oſtendunt. Quintum ex his capitulum eſt blaſphemiarum certarum, quarumdam ejus, quæ Laura nova dicta eſt, perſonarum hiſce verbis ſcriptum. Theodorus Aſcidas Cappadox dixit: Si nunc Apoſtoli & Martyres miracula edunt, & in tantum ſunt honorem, ſi in reſtitutione & inſtauratione rerum Chriſto æquales non fuerint, qualis eorum reſtitutio futura eſt: Idem Monachi per quam diligenter etiam Didymi, & Evagrii, & Theodori alias plures blaſphemias anathemate conciderunt, ordineque omnes expoſuerunt. Quibus capita alia addiderunt, quæ Origenis ſtudioſi ex ſcriptis ejus exerpta profitentur. In quibus & hæc furioſus ille docet.

Ante corpus ipſum anima eſt, quæ quidem in cœlis peccata commiſerit. Ad hæc. Cœlum, Solem, Lunam, ſtellas, & aquas quæ ſupra cœlos ſunt, animatas, & rationabiles quaſdam virtutes eſſe.

Præterea quod in reſurrectione, corpora hominum rotunda & orbiculari ſpecie excitabuntur. Et quod omnium impiorum hominum ipſorumque etiam dæmonum tormenta, finem habebunt. Quodque impii, & dæmones in priorem ſuum ordinem, & ſtatum reſtituentur. Inſuper quod pro dæmonibus quoque Chriſtum crucifigi, atque id ipſum ſæpius ſæculis futuris pati oportebit à ſpiritibus malignitatis, qui in cœleſtibus ſunt. Verum omnes illius blaſphemias ſigillatim exponere, longum fuerit. Illud porro ſcire oportet hunc ipſum eſſe, qui inſano Maneti, Sabellio, Arrio & Eunomio, atque reliquo malè ſentientium choro; primus in ſcriptis eorum, zizania aſpergendi ſeminandique author fuerit, ut qui finibus certis terminatam vim Deum habere, Filium Patre minorem, & rurſum Spiritum ſanctum filio inferiorem, filium creaturam, & germen Patris, atque per omnia Filium Patre minorem, eumdemque merè & creaturas coæternas eſſe Deo, dixerit. Alia denique hujus generis abſurda prorſus, & aliena impiè per blaſphemiam effutit, Platonicis opinionibus, ſimplicem Ariſtotelicorum dogmatum ſinceritatem miſcens, atque confundens. Sed ex ipſis Anathematiſmis, quos in eum Synodus contorſit, qualis is vir fuerit, manifeſtò patebit. Qui de verbo ad verbum ſic habent.

SI quis dicit, aut ſentit, hominum animas veluti prius extantes, intellectuales mentes, ſive naturas & ſanctas virtutes præexiſtere, contemplatione verò divina exſatiatas, atque in deterius prolapſas, & quod in eis charitas Dei refrixerit, inde ψυχὰς, ideſt, animas, quaſi refrigeſcentes nominatas, & pœnæ gratia in corpora demiſſas eſſe, anathema ſit. *Nicephor. l. 17. c. 28.* *Abſurda Origenis dogmata.*

Si quis dicit, aut ſentit, animam Domini præexiſtentem, unitamque eſſe Deo Verbo ante incarnationem & nativitatem ex Virgine, anathema ſit.

Si quis dicit aut ſentit prius formatum eſſe Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in utero virginis ſanctæ, & deinceps unitum eſſe ei Dei verbum, atque animam, ut quæ prius extiterit, anathema ſit.

Si quis dicit aut ſentit omnibus cœleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe Dei verbum, ita ut ipſi Cherubim factus ſit Cherubim, & ipſi Seraphim factus Seraphim, omnibuſque adeò ſupernis virtutibus prorſus eſſe exæquatum; anathema ſit.

Si quis dicit aut ſentit, in reſurrectione rotundæ, & orbicularis figuræ hominum corpora exſuſcitantium, neque confitetur erectos nos excitatum iri, anathema ſit.

Si quis dicit cœlum & ſolem, & lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, animatas quaſdam eſſe & materiales virtutes, anathema ſit.

Si quis dicit, aut ſentit Dominum Chriſtum in ſæculo futuro pro dæmonibus, quemadmodum & pro hominibus crucifixum iri; anathema ſit.

Si quis dicit, aut ſentit, virtutem Dei terminatam eſſe eamque tantum in creatione condidiſſe, quantum complexa ſit, anathema ſit.

Si quis dicit aut ſentit temporanea eſſe dæ-

monum, & impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, sive restitutionem dæmonum, aut impiorum hominum futuram, anathema sit.

Anathema sit Origeni, qui & Adamantius dictus est, & hæc promulgavit una cum detestandis ejus, & execrandis dogmatibus, & homini omni, qui hæc sentit aut asserit, aut aliqua ex parte quocunque prorsus tempore, ea defendere audet: IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CONTROVERSA QVÆDAM de quinta Synodo.

DUbitari possit à multis an Oecumenica hæc Synodus cui Papa Vigilius degens tunc Constantinopoli interesse noluerit, seu quod satis amplum comitatum Episcoporum Occidentalium non haberet: seu quod verosimilius puto, quod Eutychius Episcopus Constantinopolitanus etsi esset, ut ex ejus litteris in prima collatione patuit, paratus illi cedere primum locum ac ipsam præsidentiam, antecedebat Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum contra voluntatem Leonis Papæ aliorumque suorum prædecessorum. Cui ipse præsens si adesset aut id cedere & indulgere deberet contra propriam voluntatem: aut si præsens reniteretur & ad iram provocaret Imperatorem, Patriarchatus Constantinopolitani zelosum defensorem, & multa turbarentur in Synodo. Quare consultius putavit si præsentiâ suaSynodum non cohonestaret, reservatâ sibi potestate probandi quæ probationem mererentur, sicut etiam liberius improbandi si quid contra fidem aut jus cujuscumque decretum fuisset. Nihilominus perpensis omnibus quæ circa illum acta sunt, Synodus omninò ejus authoritatem reverita est, qui solemniter vocatus venire recusabat.

Synodus reverstur Papam Rom.

Bene hæc perpendit Baronius ad annum Christi 553. Primo illud considerandum putamus, inquit, renuentem Vigilium minimè coactum fuisse aliquo termino peremptorio ex more præfixo ad Synodum venire, neque prohibitum pro arbitrio de causâ ventilandâ, pendente Synodo sententiam ferre; neque ullâ ob id à Synodo censurâ perculsum. Illud insuper quod sciret sancta Synodus absque assensu Romani Pontificis irrita reddi decreta Concilii: utcumque Patres possent Vigilii consensum ad ea quæ sunt de fide definita prætendere, in sententia posuerunt antea ab ipso, in scriptis & sine scriptis, tria damnata esse capitula, &c.

Sed dices si Vigilius tunc cum ageretur non consensit, neque ratam statim absolutam Synodum habuit, quonam pacto nomen & titulum & auctoritatem obtinuit Oecumenicæ? Hic siste lector, atque rem attentè considera, non esse novum ut aliqua Synodus, cui nec per Legatos ipse Pontifex interfuerit, sed adversatus fuerit, titulum tamen obtinuerit Oecumenicæ, cum postea ut hujusmodi titulum obtineret, Rom. Pontificis voluntas accesserit Ita quidem accidisse superius diximus Synodo Constantinopolitanæ sub Theodosio majore celebratę, repugnante Damaso, qui Romæ Synodum celebrandam indixerat, cui tamen accedens postea ejusdem Damasi consensus Oecumenicam eam esse fecit: sic hæc Synodus ubi pariter ipsius Vigilii & successorum Rom. Pontificum authoritate probata, eadem titulo Oecumenicæ toti Christiano orbi plena eluxit auctoritate. Eam autem probavit Gregorius Magnus lib. 1. registri epist. 24. ad Joannem Constantinopol. *Quintam quoque Concilium pariter veneror*, in quo Epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, &c. Quin & Evagrius lib. 4. cap. 37. testis est ipsum Vigilium per litteras Synodo consensisse. Confirmavit eamdem Synodum Leo Secundus in epist. ad Constantium Imperatorem quæ in sexta Synodo recitatur, ac in aliis Synodis Oecumenicis sequentibus Oecumenica cognita est atque probata. Quamvis acciderit ut multi eam impugnarint, apud quos ejusdem Vigilii Papæ constitutum notius erat & in manibus, quo freti præter alias rationes inferius aperiendas contra eam insurrexerunt, ut Episcopi Africani, Italique Venetiis proximi, necnon alii quos tamen tempus recta sapere docuit.

Authoritas Pontificis Rom. circa Synodum.

Dices forsan Eutichianum fuisse Vigilium, ut patet ex ejus epistola quam refert Liberatus cap. 22. Breviarii, in qua negat duas naturas in Christo, cum ad Summum Pontificatum evectus fuisset favore Bellisarii sub hac conditione, id procurante Theodora hæreticâ Justiniani uxore, in odium Synodi Chalcedonensis cui adversaria erat. Respondetur scriptam hanc fuisse epistolam vivente adhuc Sylverio Papa, qui in exilio degebat, quapropter nondum erat Summus Pontifex cum hanc scripsit, si tamen verè ejus sit, cum sibi ipsi contradicat Dioscorum anathemans & simul Eutichis dogma asseverans, quæ non conveniunt. Sed quamvis ab eo scripta concederetur antequam esset Pontifex, mutavit tamen sententiam cum factus fuit vere Pontifex prædecessore mortuo, omni hæretico adversarius Eutychi maximè; ut ex hoc videri possit mirabilis sedes apostolica quæ suos Pontifices in errore morari non sinit, ut nihil habeant hærerici, unde hoc exemplo probare possint Summos Pontifices Romanos errori aliquando succubuisse. Quamvis quid de hac quæstione censendum sit, hic nondum definiamus.

Vigilius Papa an Eutychianus aliquando fuerit

Non hic morabor manifestando quantum hæc Synodus ad confirmandam veram fidem redemptionis humani generis per veram Christi mortem cooperata sit, sicut & reliquæ. Nam cum hæc Synodus damnationem Eutychetis nec non Nestorii tantum confirmat, quantum illi vero Christi Sacerdotio & veræ ipsius passioni ac redemptioni per Deum hominem adversabantur: de quibus agit D. Fulgentius responsione 4. ad Ferandum Diaconum, nec non lib. 3. ad Trasimundum regem de Sacramento Dominicæ Passionis cap. 1. ubi ita de Eutychianis inter alia: Sunt quidam qui de sacramento dominicæ passionis aliter quam se pietas habet cogitantes dum salutem quærunt dispendium salutis incurrunt, & dum in Deo id accipiunt quod in hominibus cernunt, quadam velut lancea perversæ locutionis latus percutiunt Salvatoris.., quod utique divino spiritu prævidens Apostolus dicebat. *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, his autem qui salvi fiunt virtus Dei.* Pereunt in verbo crucis non solùm qui putant Dei filium quæ humana sunt in carne pati potuisse, verum etiam qui credunt divinitatem Filii Dei dolores vel passionem substantialiter in cruce sensisse. Quo modo autem Verbum crucis virtus est Dei, si in cruce divina substantia potuit infirmari? vel qualiter nos ad immutabilitatis atque incorruptionis gratiam perducturus est Christus si ipse secundùm divinam naturam probatur in deterius commutatus? cum divinæ naturæ proprium sit nec defectum capere nec profectum.

Mysterium redemptionis confirmatum.

1. Cor. 1.

Mortuorum excommunicatio.

Opponunt alii mortuos non posse excommunicari quia non subsunt amplius Jurisdictioni Ecclesiasticæ. Dominus enim ait Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram.* Non enim mortui pertinent amplius ad Ecclesiam visibilem cujus superior est Pontifex, & ut scribebat Peutianus Episcopus ad Justinianum Imperatorem de tribus capitulis: Quod adhuc viverent & correpti errorem suum non condemnarent, justissimè damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostræ, &c. & quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congressione victoria? apud judicem verum jam tenentur ad quem nullus appellat.

Reſpondetur à quibuſdam id quod eſt in edicto Iuſtiniani & laudatur à Fileſaco in Lisinenſem: Si hæretici mortui non ſunt excommunicandi, nullomodo videntur excommunicandi, quia ſive in vivis apud nos illi degant ſeu objerint ſemper mortui habendi ſunt, cum ſint ſeparati a Chriſto, qui dixit, ego ſum vita. Verum dicimus non propriè mortuos excommunicari ſed declarari poſſe excommunicatos. Non enim mortui propriè privari poſſunt Sacramentis, cum non ſint in ſtatu ea amplius recipiendi, poſſunt tamen privari aliquibus bonis communibus Eccleſiæ, ut ſepultura, fructu orationum & ſacrificii, honore inſcriptionis ſuorum nominum in ſacris tabulis Eccleſiaſticis. Quæ bona cum non ſint bona præcipua Eccleſiæ fidelibus communia qualia ſunt, magis Sacramentorum participatio, horum privatio Iuridica non eſt propriè excommunicatio, ſed tantum impropriè & ſecundum quid. Sic autem intelligendum eſt hanc Synodum anathematizaſſe Theodorum Mopſueſtienſem, qui cum in errore & blaſphemia Pauli Samoſateni jampridem de hæreſi damnati & propterea excommunicati mortuus fuiſſet ſine erroris retractatione & pœnitentia, merito excommunicatus haberi poterat atque adeò poſt mortem declarari excommunicatus. Atque ſic, ut bene Toſtatus in 4 Reg. cap. 23. quæſt. 24 annotat, quædam ſunt delicta quæ cum morte non extinguuntur: ſed poſt mortem proceditur ad punitionem eorum, quantum modo humano puniri poſſunt. Sic enim ſi quis poſt mortem inveniatur fuiſſe hæreticus, vel hæreticos inſtituiſſe hæredes: nam de crimine illius ageretur poſt mortem & exhumaretur. Hæc ille pro defenſione Joſiæ Regis jubentis oſſa idololatrarum poſt mortem comburi.

Excommunicatio impropria & ſecundum quid.

Advertendum autem quod Synodus ſolum Theodorum excommunicat, non Theodoretum nec Ibam, ut patet in finali definitione Concilii in qua hoc diſcrimen obſervatur, quia hi duo Epiſcopi adhuc vivi Eccleſiæ ſatisfecerant & reſipuerant. Eorum ergo tantummodo ſcripta hæretica damnavit, quæ quolibet tempore damnari poſſunt, & debent, ne alios inficiant & in legentes virus ſuum profundant.

De epiſtola Ibæ.

Dicet alius nondum omnino exhauſtam eſſe difficultatem de Epiſtola Ibæ quæ in Concilio Chalcedonenſi a Legatis Summi Pontificis concludentibus cum authoritate videtur recepta, & in quinta Synodo damnata, unde videntur ſibi ipſis contradicere Synodi, ut una deſtruat quod altera ædificat.

Sed cui non ſufficiant, quæ hactenus paſſim dicta ſunt de hac difficultate quæ aliquibus viſa eſt ineluctabilis, adhuc perpendat Synodi Chalcedonenſis præſides ex parte Leonis Pontificis non dixiſſe, ſe recipere Ibæ Epiſtolam, ſed tantum ex ea Ibam innoxium declarari, qui decies millies Neſtorium anathematizabat. Scilicet ut dicit Salomon Eccleſ. 3. *Melior eſt finis orationis quam principium*. Sic eſt de illa epiſtola, ejus finis melior erat in quo congaudet de pace inita inter Joannem Anthiochenum & Cyrillum Alexandrinum, ea conditione ut obtinerent duodecim anathematiſmi Divi Cyrilli contra Neſtorium, nam Neſtorii doctrina ſic proſcripta & exploſa remanebat. Finis iſte & concluſio epiſtolæ prodebat Ibam antea Neſtorianũ jam eſſe Orthodoxum, & ideò ex fine ejus epiſtolæ probatus eſt innoxius. Licet eamdem Epiſtolam damnet hæc Synodus non quoad omnes lineas aut periodos, ſed quoad ea quæ ſapiunt Neſtorianam impietatem, quæ in finali definitione Concilii etiam verbatim exprimuntur, ut appareat tantum quoad ea damnatam fuiſſe; quicquid inter conſultandum aliqui acclamaverint totam eſſe hæreticam. Anathematizentur quoque qui partem illius rectam eſſe dixerint: cum aliqui dicerent in principio eſſe hæreticam, in fine Catholicam, inventa eſt ſapere hæreſim etiam in fine, licet cum hoc appareat Ibam approbare concordiam Joannis Antiocheni cum Cyrillo Alexandrino, quâ vera fides firmabatur. Nec enim pars iſtius epiſtolæ de una aut altera linea debet intelligi, ſed de notabili aliqua parte circa principium aut finem, de qua ſermo habitus fuerat. Sic autem habet finalis definitio. *Super hæc anathematizamus & impiam epiſtolam quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe, quæ denegat Deum Verbum de ſancta Dei genitrice & ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum eſſe; & ſanctæ memoriæ Cyrillum, qui recte docuit, tanquam hæreticum & ſimiliter Apollinario ſcribentem criminatur; & incolpat quidem primum Epheſinam Synodum, tanquam ſine examinatione & quæſtione Neſtorio ab ea depoſito, & duodecim dicti Cyrilli capitula impia & contraria rectæ fidei vocat; defendit autem Theodorum & Neſtorium & impia eorum dogmata & conſcripta. Prædicta igitur tria capitula*, &c. ut habetur ſupra collat. 8. Quis his expenſis non videat tolli contradictionem, quæ de iiſdem debet eſſe & ſecundum eadem?

Nec quemquam morari debet quod ait Liberatus in Breviario de cauſa Neſtoriana & Eutychiana cap. 13. in ſecretario octavo Concilii Chalcedonenſis. Nec non ipſius Ibæ epiſtola ad Marim Perſam ſcripta in eadem actione decima Orthodoxa pronuntiata monſtratur. Quia hæc verba Liberati falſa habenda ſunt, nec conveniunt cum actis ipſius Concilii, unde & meritò fides in pluribus ei non adhibetur, ut ſupra dictum eſt.

De Origene, an ſit hæreticus?

Sed non modicum dubium injicit determinatio Synodi de Origene, ſit ne hæreticus habendus, ac ſit ne damnatus. Quod argumentum plures tractarunt, copioſius vero cæteris Picus Mirandulæ in Apologia, in qua teſtatur, cum in theſibus ſuis poſuiſſet, *Rationabilius eſt credere Origenem eſſe ſalvum quam credere ipſum damnatum*, dixiſſe quoſdam Magiſtros concluſionem hanc temerariam eſſe & reprehendendam & hæreſim ſapere, & contra determinationem univerſalis Eccleſiæ eſſe. Quibus per ſeptem articulos conatur ſatisfacere, quorum hæc ſumma eſt.

Pici Mirandulani Apologia pro Orig.

In primo diſcutit an Origenes unquam hæreticam aliquam de rebus fidei opinionem ſcripſerit & crediderit. In quo articulo amara fuit inter Ruffinum & Hieronymum contentio, quibus ut dicit Auguſtinus qui ortâ inter eos diſſenſionem deplorat, dederat Deus, ut conjunctiſſimi & familiariſſimi mella ſcripturarum ſanctarum pariter lamberent. Opinatur Ruffinus hæretica dogmata quæ in libris Origenis inveniuntur, ab hæreticis fuiſſe inſerta. Hieronymus contra ſentit. Ruffini autem opinio maximè ex hoc probatur, quod ipſe Origenes adhuc vivens conqueſtus eſt quod ejus libri corrumperentur: extat enim in ejus libro quarto epiſtola plena his conqueſtibus. Quod ſi ipſo vivente hoc auſi ſunt hæretici, quanto magis poſt ejus mortem, ut ſcilicet ejus viri qui ab omnibus laudatus erat patrocinio tuerentur ſe? deinde in principalibus opinionibus in quibus culpatur erraſſe, invenitur ſenſiſſe Catholicè, ut in myſterio Trinitatis: quare & D. Athanaſius ejus authoritate Arrianos refellebat: & in eò quod ſpectat ad ſalutem diaboli, nam in epiſtola quam traduxis ipſemet D. Hieronymus, expreſſe negat diabolum poſſe aliquando ſalvari. Multaque adducuntur loca Origenis contraria erroribus ipſi affixis.

In 2. articulo quærit, utrum dato quod ſcripſerit aliquid hæreticum, ſcripſerit dogmaticè & adhæſivè, an tantum inquiſitivè: hocque ultimum magis probat, ut quemadmodum in Auguſtini libris ſuper Geneſim multa ſunt quæ non acceptantur, tamen propterea excuſantur à nobis, quod ut ipſemet dicit in libro Retractationum, plura in eo ſunt quæſita quam inventa: ita & multa poſſunt eſſe in libris Origenis reprobanda, quæ qua ipſe non determinando ſed inquirendo dixit, non propterea hæreticus eſt dicendus, quia hæreſis aſſertum propriè dicit dogma contra expreſſam vel ſcripturæ vel Eccleſiæ determinationem. Nam & poſt diſputationem de anima ait; hæc juxta noſtram ſen-

tentiam non ſint dogmata, ſed quæſita tantum atque projecta, ne penitus intractata viderentur: & alibi loquens de reſurrectione, ait, ſi hæc non ſunt contraria fidei. Sic in libro Periarchon, &c.

In tertio articulo quærit, an dato quod adhæſivè ſcripſerit, an taliter quod mortaliter peccaverit & hæreticus dicendus ſit? aſſerit autem quod aliquis habens erroneam opinionem de rebus fidei adhuc per Eccleſiam non determinatis, modo in voluntate ejus nulla ſit macula, ſed firmum propoſitum de illis credere ſemper conſonè ſcripturæ & Eccleſiæ, ille nec peccat mortaliter, nec eſt dicendus hæreticus. Ex qua propoſitione ſequitur corollariè, quod tenere aliquam opinionem aliquo tempore ſit peccatum mortale, quod non erit alio tempore, quia poteſt quis ſine pertinacia credere aliquid uno tempore, quod alio tempore non crederet ſine pertinacia, ut puta, poſt determinationem Eccleſiæ, aut Sacræ Scripturæ dilucidationem. Ideo dicebat Auguſtinus, errare poſſum, hæreticus eſſe non poſſum. Confirmatur ex eo quod multos canonizavit Eccleſia qui uſque ad mortem perſeverarunt in erroneis opinionibus de fide, quas poſtea reprobavit tanquam hæreticas Eccleſia. Tales fuerunt Papias Epiſcopus Hieropolitanus, Victorinus Pictavenſis, Irenæus Lugdunenſis, B. Cyprianus & multi alii, ex quo ſequitur non poſſe inferri hunc & illum in peccato mortali & in hæreſi mortuum fuiſſe ex eo quod mortui ſint in opinionibus in fide erroneis: ſic igitur ad propoſitum etſi Origenes mortuus fuerit in opinionibus erroneis, ſi in voluntate ejus nulla fuit macula, non poteſt hoc eſſe argumentum quod anima ejus ſit damnata, dato etiam quod in principalibus fidei myſteriis erraverit graviſſimo errore & merito per Eccleſiam damnato. Cum numquam facta ſit diſtinctio ab Eccleſia, ut qui erraverit circa illum articulum non illum, damnetur potius, cum ſemotâ voluntatis malitia ſit tantum defectus & imbecillitas intellectus.

Hæreticus quis eſſe non poteſt.

In quarto articulo quærit, an dato, quod in talibus ſcribendo & errando peccaverit, nunquam pœnituerit. Teſtatur autem Hieronymus Origenem pœnituiſſe de erroribus in Apologia ſuâ ad Pammachium & Oceanum. Ipſe Origenes, inquit, in epiſtola quam ſcribit ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum pœnitentiam egit cur talia ſcripſit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quod ſecreto edita in publicum tetulerit. Hæc Hieronymus ad verbum. Quid clariùs? quid expreſſius? quo modo jam aut quâ fronte dicere poſſunt uſquam inveniri, quod Origenes pœnituerit?

Pœnitentia Origenis.

In quinto quærit, an dato quod de ejus nec pœnitentiâ nec impœnitentiâ conſtet, an ſit rationabilius credere ipſum eſſe damnatum an ſalvum? Reſolvit autem non propterea quia aliquis mortaliter peccaverit in vita, & nobis non conſtet quod non pœnituerit, judicandum eſſe firmiter à nobis, eſſe illum in inferno. Patet quia poſito peccato mortali non ponitur id ad quod ſequitur damnatio æterna: ſed oportet ultra peccatum ponere & certificari de finali impœnitentiâ, nec ego qui nego firmiter illum eſſe in inferno, habeo tibi oſtendere pœnitentiam illius, ſed tu qui aſſeris illum eſſe damnatum, habes certificare de illius impœnitentiâ. Unde Jud. 8. legitur peccatum Gedeon non autem pœnitentia, ſic de Moiſe. Et revera ad cognoſcendam damnationem alicujus requiritur ſpecialis Dei revelatio. *Quæ ſunt hominis nemo novit niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt.* 1. ad Cor. 2. Unde temerarium eſt Judicium aſſerere damnatum eſſe Origenem, etiam hoc poſito quod in erroribus in quibus peccavit mortaliter, mortuus ſit. Magis autem pium eſt in iſta incertitudine credere, quod Deus ſalvaverit hunc hominem tantæ & talis ſcientiæ, Eccleſiarum Magiſtrum, & qui tanto labore ſudavit in ſcripturis, ut Adamantii nomen acceperit, quod velut adamas fortis fuiſſet contra terrores martyrii. Et quis unquam tot legere poteſt quot conſcripſit? & pro hoc labore quid præmii accepit? ait Divus Hieronymus in Præfatione Cantici canticorum: præter ea quæ de eodem prædicat, quod avaritiam calcavit, quod caſtravit ſe zelo Dei, licet non ſecundum ſcientiam, quod in explanatione ſcripturæ diebus ſudavit & noctibus, quam qui dilucidant vitam æternam habebunt, ut ait Sapiens. Præterea quod non ſolum fuit martyris filius, ſed etiam parum à martyrio abfuit. Beatus Origenes qui etſi aliquando in Concilio errantium abiit, in *viâ tamen peccatorum* per impœnitentiam *non ſteterit, & in cathedrâ peſtilentiæ* per pertinaciam *numquam ſedit, ſed in lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte.* Pſalm. 1.

Quid ex dictis dandum ex neceſſitate ſalutis.

In ſexto articulo quærit, quid ex dictis decretorum judicandum ſit Eccleſiam determinaſſe de Origene. Non potuit autem determinari ab Eccleſia abſque ſpeciali Dei revelatione, niſi temerariè, quod anima ejus damnata ſit. Cum autem de tali revelatione non conſtet, non debet credi factam eſſe determinationem ab Eccleſia de ea re. Quidam autem inferunt determinationem damnationis ipſius, ex 24. quæſt. 3. cap. *ſane*. Item ſi ad tempora Theophili ſanctæ memoriæ, vel ſuperius aliquis recurrerit *& Origenem invenies poſt mortem anathematizatum*, quod etiam in eo facit & veſtra ſanctitas & Julius religioſiſſimus antiquioris Romæ, & gloſſa ibi. *Cum iſte damnatus fuerit, nonne & ejus ſcripta, &c.* Ego autem dico nihil plus haberi per præmiſſa, niſi quod Eccleſia & opiniones & dogmata Origeni attributa, ut hæretica damnat, & ipſum ſicut dogmatizantem damnat & deteſtatur, de damnatione animæ ejus aut ſalute nihil penitus intendens. Non enim ad Eccleſiam pertinet damnare animas hominum & ridiculum eſt exponere, damnamus Origenem, exponere de damnatione infernali, ſicut & cum eodem tenore damnantur ſcripta alicujus, non intelliguntur adjudicata eſſe igni infernali. Significat ergo tantum damnare aliquem, in ſua doctrina non approbare, ſeu ipſum talia docentem, ut ſic, averſari, & execrari, quaſi eſſet quidpiam diabolo conſecratum juxta ſignificationem anathematis.

Non facit ly dicendus aliquis damnatus.

In ſeptimo & ultimo articulo quærit, quantum obliget in iſta materia credulitatem noſtram determinatio Eccleſiæ. Reſpondet ſecundùm doctrinam D. Thomæ quodlibeto 9. art. ultimo; quod in his tantum tenemur de neceſſitate ſalutis credere determinationi Eccleſiæ, quæ ad ſubſtantiam fidei pertinent. Ex qua concluſione infert quod etiam ſi Eccleſia determinaſſet Origenem eſſe damnatum, adhuc de neceſſitate fidei Catholicæ non teneremur aſſentire quod ita ſit. Unde infert ulterius quod etiamſi Eccleſia determinaſſet oppoſitum ſuæ propoſitionis, male judicaretur quod hæreſim ſaperet.

Hæc ſummatim ex Pico Mirandulæ principe, qui non modicum ingenii ſui ſpecimen exhibuit in defendendo Origene, licet in iis nonnulla videantur exactiori examine indigere, antequam pro indubiis omninò habeantur. Nec etiam expreſsè D. Thomas id aſſerit pro quo ab ipſo laudatur, cum credulitas de alicujus mali Doctoris damnatione non minus ad profeſſionem pertineret fidei, quam de alicujus ſanctæ glorificatione, in qua pie credendum eſt judicium Eccleſiæ non poſſe errare, ut ait ibidem D. Thomas. Quia divina providentia præſervat Eccleſiam ne in talibus per fallibile hominum teſtimonium fallatur. Unde ſi conſideretur divina providentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit ut non erret, ſicut ipſe promiſit Joan. 14. quod Spiritus Sanctus doceret *omnem veritatem*, de neceſſariis ſcilicet ad ſalutem; certum eſt quod judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his quæ ad fidem pertinent eſt impoſſibile. Unde in talibus magis ſtandum eſt Papæ ſententiæ quam in judicio profert, quam quorumlibet ſapientum opinioni. Cum Cayphas quamvis nequam, tamen quia

quia Pontifex, legatur etiam inscius prophetasse, Joan. A
11. in aliis vero sententiis quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes. Canonizatio vero Sanctorum, inquit, est medium inter hæc duo, quia tamen honor quem sanctis exhibemus quædam professio fidei est qua Sanctorum gloriam credimus; pie credendum est quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit. Hæc Sanctus Doctor. Ex quibus a simili quibus inferunt etiam pie credendum, non errare Ecclesiam in damnatione hæreticorum ipsos designando in speciali, sicut factum in hoc Concilio, quia etiam est quid medium inter hæc duo non minus quam canonizatio Sanctorum. Videturque magis expresse ad professionem fidei pertinere. Determinare autem præcisè quæ sunt veritates necessariæ ad salutem, & quæ post determinationem Ecclesiæ ex præcepto fidei credendæ sunt ac jure divino, opus est Theologo dignum ad sedandas multorum conscientias & concordiam in sublimnibus faciendam, cum sit aliud piè credere, & de necessitate salutis credere. Sed de his forsan infra dicemus iterum. Sed ut res ista se habeat, eamdem Dici sententiam multum fulcit Genebrardus, tum in Epistola ad Carolum nonum Regem Galliæ, tum in collectaneis quæ præmisit operibus ipsius Origenis à se recognitis & recensitis. Nam Epistola hæc tota Apologetica est pro Origene, ubi & refert Theophilum Alexandriæ Patriarchatu eum opera ejus à Patriarchatu suo proscripsisset, inventum tamen fuisse postea ea legentem, & respondisse interrogantibus, cur quæ solemniter rejecisset, iterum amplectaretur, respondisse hos libros similes esse prato omni florum genere pubenti atque exculto, unde quicquid præstans inveniret, exciperet, quicquid spinosum se offerret, quasi aculeatum & pungens omitteret. Itaque callidum & ambitiosum Theophili consilium apparuit, quali fertur Aristotelem obtinuisse ab Alexandro Magno, ut superiorum Philosophorum libri omnes exurerentur, ne sua furta paterent posteris, sicque alienis dispendiis sua compendia amplificaret. In Collectaneis vero sub finem notat locos in illo notatos, quorum alii malevolè in deterius accepti sunt, alii in non extantibus vel supposititiis citantur, alii qui ab hæreticis corrupti vel assuti sunt.

Theophilus Alexand.

Unde si hæc opinio obtineret, dicendum esset anathema dictum Origeni per patres hujus Synodi, nihil aliud significare, nisi quod Origenes est condemnatus in doctrina & ejus doctrina improbata, quicquid sit interim de ejus persona. D

Visio de damnatione infernali Origenis.

Verum non acquiescit huic opinioni Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis in Origene ad ann. 226. ubi refert in libro prati spiritualis quæ liber citatur in septima Synodo, haberi cap. 25. in quadam visione Origenem cum Arrio aliisque hæreticis in gehennæ ignibus torqueri. Sed hac revelatione pluris facio illud quoque sequitur.

Judicium Vincentii Lirinensis de Origene.

DIcebamus ergo in superioribus, quod in Ecclesia Dei tentatio esset populi, error magistri: & tanto major tentatio, quanto ipse esset doctior, qui erraret. Quod primum scripturæ authoritate, deinde Ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione, qui cùm aliquandiu sanæ fidei forent habiti, ad extremum tamen, aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent. Magna profecto res, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria; quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare atque inculcare debemus: ut omnes fere Catholici noverint se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere. Sed ego ita arbitror quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pene sit, qui Origenis tentationi valeat comparari: in quo plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis adsertionibus ejus fidem, quivis facile judicaret. Nam si vita facit authoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia: si gens, vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata Martyrio? Deinde pro Christo non solum patre, sed omni quoque facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine dominicæ confessionis sæpius, ut ferunt, afflingeretur. Neque vero hæc in illo sola erant; quæ cuncta postea tentationi forent; sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longeque superaret: tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, pene fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur; cujus scientiæ cùm Græca non cederent, Hebræa quoque elaborata sint. Eloquentiam verò quid memorem? cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quædam fluxisse videantur. Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimpidavit? Quæ factu ardua non ut facillima viderentur, effecit? sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus adsertiones suas texuit. Imo planè nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed credo, pauca conscripsit. Nemo mortalium plurima, ut mihi sua omnia non solùm non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Cui ne quidquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forsitan discipulis parum fœlix. Quis unquam fœlicior? Nempe innumeri ex suis suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores & Martyres extiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulò religiosior, ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum, non penè ut Prophetam? Quis Philosophorum non ut magistrum veneratus est? Quam autem non solùm ut privatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus Imperio, declarant historiæ, quæ ipsum à matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt, cœlestis utique sapientiæ medico, cujus & ille gratia, & illa amore flagrabat. Sed & ejusdem Epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit, Christiani magisterii authoritate conscripsit: de cujus incredibili quadam scientia, si qui referentibus nobis Christianum non accipit testimonium, saltem testificantibus Philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius, exeuntem se fama illius Alexandriam fere puerum pertexisse, ibique eum vidisse jam senem: sed plane talem tantumque, qui arcem totius scientiæ condidisset. Dies citius me defecerit, quam ea quæ in illo viro præclara extiterunt, vel ex minima saltem parte perstringam: quæ tamen omnia non solùm ad religionis gloriam, sed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum a se facilè deponeret, ac non potius illa uteretur sententia, se cum Origene errare malle, quàm cum aliis vera sentire? Et quid plura? eo res decidit, ut tantæ personæ, tanti Doctoris, tanti Prophetæ, non ut humana aliqua, sed, ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic idem Origenes tantus ac talis, dum gratiâ Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique faxis credit, cum parvipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoque in Ecclesia Dei diceretur: *Si fur-*

Quantus Origenes.

Pamel. commonit. cap. 23.

Deuter. 13. *rexit in medio tui Prophetæ*; Et paulo post: *Ne audies*, inquit, *verba Prophetæ illius*. Et item: *Quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non*, verè non solum tentatio, sed etiam magna tentatio, deditam sibi atque in se pendentem Ecclesiam admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis & gratiæ, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subito à veteri religione in novam prophanitatem, sensim paulatimque traducere.

Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros. Non resisto, quin potiùs & malo: Nam id à quibusdam & traditum, & scriptum est, non Catholicis tantum, sed etiam hæreticis, sed illud est quod nunc debemus advertere, etsi non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos, magnæ esse tentationi: qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui & leguntur & amantur: ut etsi in errore concipiendo Origenis, non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis authoritas valere videatur.

Hæc eloquenter & diserè Lirinensis. Non sic vero recens Scholiastes octo Synodorum Orientalium ad V. Synodum cap. 6. Qui hodie, inquit, pro Tertulliano, Origene, Lucifero Sardorum Episcopo, Joanne Hierosolymitano Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Æthiopos, compescendiq; sunt ut ingenia libertina & noxia, nisi brevi etiam pro Martino Luthero & Joanne Calvino velimus Apologias videre. Hæc satis durè, cum semper licuerit in rebus quæ non sunt de fide, & de quibus nulla est prohibitio per legitimam potestatem, sapientibus & eruditis suam dicere ac etiam scribere sententiam, adhibita tamen moderatione debita. Non enim dubitandum aliquos ex istis eruditis & Orthodoxis calumniam passos fuisse, qui quasi Martyres illi Apocalypsis clamant: Usquequo Domine non vindicas opprobrium nostrum de his qui in terra sunt? Quis verò fuerit Didymus & Evagrius in hac ipsa Synodo damnati simul cum Origene, docet D. Hieronymus. Nam in Epist. ad Pammachium & Oceanum satis testatur Didymum suum præceptorem Origenis errores defendisse. Quod idem de Evagrio Pontico asserit in Ep. ad Ctesiphontem, ubi & ipsum arguit; quod Eusebii Cæsariensis libro primo pro defensione Origenis, quem fontem Arrianorum vocat in priori Epist. ad Pam. & Ocean. nomen Pamphili Martyris præfixisset ut esset majoris authoritatis. Quod itidem fecerat de libro Xisti Pythagorici Philosophi hominis sine Christo, quem nomine Sixti Martyris præmotavit, ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Hunc quoque Evagrium notat idem D. Hieronymus, quod apathiam Stoicam admitteret post Origenem, cujus ramusculum esse hanc doctrinam ajebat, & quod eam vocaret alacritatem. Sed & impeccantiam in hominibus admittebat post eumdem Origenem. Idem Hieron. proœmio lib. 4. in Jeremiam.

Cæterum quia quidam revocant in dubium damnationem errorum Origenis in hac quinta Synodo, cujus damnationis fides inquiunt, penes Nicephorum sit: juvat hic animadvertere Photium in professione suæ Catholicæ fidei quæ refertur à Baronio ad annum 859. ei damnationi planè suffragari, recipiens enim septem primas Synodos, ubi venit ad quintam, sic loquitur. Quintam etiam... quin etiam & quæ dilaceravit & demessuit Originem, Didymum, Evagrium, qui ratione cum gentilibus congruente ac insipiente sententia, in ultimum profundum Deo adversariæ persuasionis inciderunt. Qua de re plura passim occurrunt alia testimonia quæ multa congerit Antonius Augustinus in Epitome lib. 11. tit. 25. Plura autem alia controversa fuerant de eadem quinta Synodo per spatium plus quam centum annorum, antequam ab omnibus admitteretur. Quod enim post mortem Theodorum damnasset, virum in plurium opinione incomparabilem: & quod putaretur destruere ea quæ in Chalcedonensi decreta erant, ipsi diu se opposuerunt Episcopi Histriæ, plures ex Africa, ex Hispania, ex Hybernia & aliunde: de quibus plures Synodi provinciales in quinta classe tomi sequentis.

CONCILIUM CONSTANTINOP. III. GENERALE.

SEV

SYNODVS SEXTA, SUB DONO Papa Romano convocata, sub Agathone præsidentibus ejus Legatis celebrata, & sub Leone II. finita contra hæreticos Monothelitas tempore Constantini dicti Pogonati anno 681. Patrum 289.

Origo & progressus Concilii.

IN Concilio Lateranensi sub Martino I. Secretario Secundo, Theodorus Pharanita Episcopus, ab Eutychianis non alienus, hæresis Monothelitarum author habetur propter sua hæretica scripta: est autem eorum error quod asserunt in Christo unam esse voluntatem & operationem, non duplicem, juxta duplicem illius naturam divinam & humanam. Cum enim post Concilium Chalcedonense non auderent amplius palam profiteri unicam naturam solum in Christo, quod id expresè damnatum esset, ad restaurandam hæresim Eutychetis, cui addicti erant, introduxerunt hoc dogma, quod etsi essent duæ in Christo naturæ, non esset tamen in illo nisi una voluntas & una operatio: unde illis nomenclatura quoniam μόνος Græcè idem sonat ac tantum vel unus, & θέλημα idem est quod voluntas. Unde ab illis duabus vocibus composita est dictio μονοθελῆται quasi unam asserentes voluntatem. Corruptè ergo & imprudenter ab aliquo, quem tacito nomine refellit Alphonsus à Castro adversus hæreses lib. 4. verbo *Christus* hæresi 6. dicti sunt Monofelitæ, quasi à Monoso quodam nomen sortirentur. *Monothelitæ.*

Sunt autem qui eorum mentem sic explicant, ut voluerint unam fuisse actionem divinitatis & humanitatis ubi miracula patrabat. Quod à mente Monothelitarum alienum fuisse probat Suarez in commentario ad art 1. quæst. 19. part. 3. D. Th. Refert quoque alios existimasse eos tantum locutos fuisse de actibus moralibus & liberis, itaut una esset in Christo libertas & voluntas quæ posset reliquas potentias ad agendum applicare. Sicque voluntas ejus humana non posset per actum liberum & in sua potestate existentem velle & perficere sua opera. Unde consequenter ratio meriti deficiebat in ipsius operationibus. Ac fere modo simili, qui exactius quæstionem hanc discussit P. Franciscus de Combefis in disput. de hæresi Monothelitarum 10. §. 2. tum ex testimoniis ipsius sextæ Synodi act. 13. ac verbis ipsius Theodori Pharanitæ, conatur ostendere eorum mentem fuisse, quod tota actio Christi fuerit verbi ipsius moventis, ad quod humanitas meri instrumenti rationem habuerit, sicque docebant humanitatem in Christum merè passivè se habuisse ad ejus operationem: itaut salva utraque natura inconfusa earumque proprietatibus, humanitas esset instrumentum verbi divini, ut per illam operaretur sicut artifex per malleum & serram. Unde quemadmodum est una operatio artificis & instrumenti quod movetur

ab artifice, non ex se & ex propria determinatione: sic etiam modo non absimili, esset una & eadem operatio divinæ & humanæ Naturæ, quæ ut subdita divinę Naturę ex se & ex propria determinatione nihil quicquam operabatur. Quæratione Apollinaristarum hæresis revirescebat, ut sic diceretur omnis humanæ Naturæ motus voluntarius impressio quædam verbi ac Divinitatis: uti etiam habet motus omnis corporis respectu animæ, quæ ipsorum erat comparatio. *In quo sita haresis Monothelitarum.*

Atque ad hoc dogma accedit quorumdam opinio, qui quod illi in capite prædicabant, in membris ejus, id est, in hominibus, atque iis potissimum qui spiritualium ac juxta verba Isaiæ cap. 3. prudentum eloquij mystici nomine audiunt, quos ita a Spiritu sancto ejusque gratia regi, moveri, agique dicunt, ut eorum cum Deo una sit voluntas amaque quodammodo actio, cum Deus sit qui juxta D. Paulum non sanè intellectum operetur in eis velle & perficere ad Philippenses 2. inaut quamvis circumspectiores inter eos fateantur naturales facultates cooperari vitaliter & Physicè gratiæ Dei, idque vltro & non coactè; negant tamen quod liberè concurrant ea libertate quæ necessitatem excludat. Sic Calvinus, cujus plures textus in eam rem adducit Author Anti-Jansenij disp. 37. de gratia Sect. 2.

Atque hæc explicatio sensus Monothelitarum eo plus habet probabilitatis quod jam dixerimus Eutychianos ex mala intelligentia vitæ spiritualis aberrasse, ut propterea Vigilius martyr in libris suis contra Eutycheten pluries repetat ipsos sub prætextu pietatis Ecclesiam conturbasse. Nec id ab omni fide alienum est, atqui Monasticem profiterentur eorum plerique. Valde quippe pium quid & dignum vita spirituali humanitatis Christi se dicere arbitrabantur, si illam ex unione ad Deum quasi absorptam in Deum & ad nihilum sui redactam existimarent, sic enim solet hæresis sub velamine majoris cujusdam devotionis initia habere & progressus facere. Porro cum post definitionem Synodi Chalcedonensis locus amplius non superesset ad asserendam unitatem illam naturæ per hujusmodi submersionem aut absorptionem humanitatis in divinitatis abyssum factam, existimarunt sibi liberius fore sine offensa & motu Synodi defendere unam saltem voluntatem seu operationem voluntatis in Christo, cum ejus humanitas ita subdita esset divinitati sicque ejus voluntas unita voluntati divinæ ut utriusque unica esset operatio, nec quicquam vellet voluntas illa creata quod non operaretur in illa & per illam voluntas Dei absque vlla propria & libera determinatione ex seipsa, ut sic dicere posset, *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Sic enim quidam Theologi mystici de voluntate humana paulo ardentius divino amore inflammata prædicare solent, in quorum errorem etiam prolabuntur plures Theologi qui non aliter putant posse se defendere gratiæ Christi Domini efficaciam nisi omnem voluntatis circa bonum operationem sic illi soli attribuant ut potius agatur quam agat voluntas. Qua de re inferius dicendum erit. Sic est callidus dæmon hostis perpetuus veritatis, ut cum hujusmodi dogmata post Conciliorum antiquorum definitiones sustineri non possint respectu Christi, ea renovare conetur sub variis prætextibus pietatis in membris ejus. Nec desunt plures hodie qui quod sentiebant Monothelitæ de Christo Domino, de aliis hominibus sentiant. Unde & merito proscriptæ sunt eorum propositiones quibus veluti per cuniculos destruitur doctrina Orthodoxa de libertate, merito, & mercede bonorum operum. *Theologia mystica.*

Aderat autem tunc Eutychianis speciosus prætextus unicam illam operationem admittendi, cum ex hac assertione viderent posse reuniri & in unum veluti exercitum colligi diversas turmas hæreticorum ad impugnandam Catholicam Ecclesiam cum potentiori robore. Cum enim, ut notat Baronius ad annum Christi 628. num. 6. totus Oriens diversis scateret hæreticis, potissimum vero Eutychianis & iis qui ex iis proveniebant Acephalis variis nominibus nuncupatis, Theodosianorum, Gajanitarum & aliis, insuper & Nestorianis totam Syriam occupantibus, item & Apollinaristis, quorum numerus haud erat exiguus: divinum quoddam visum est improbis Eutychianis inventum si dogma quoddam assereretur, in quod omnes pariter hæretici convenirent. Id enim asserebant Apolinaristæ qui verbum in Christo ponebant loco animæ. Nestoriani non abnuebant, qui unionem humanitatis cum verbo secundum voluntatem solam admittebant esse factam. Eutychiands autem liquet fuisse peculiares hujusmodi blasphemiæ assertores cum unam duntaxat in Christo naturam assererent, cui proinde una voluntas ac operatio competeret. Atque id testatur ex antiquioribus S. Maximus qui inter primos, Monothelitas detexit, in disp. cum Pyrrho Monothelita, & ex minus antiquis D. Thomas 3. p. q. 18. art. 1. *Præsertim concordiæ.*

Sed & sub hoc prætextu conciliandi hæreticos deceptus putatur Imperator Heraclius, ut errorem Monothelitarum amplecteretur, quod etiam sæpe accidit alias ut prætextu pacis & concordiæ qui erant Orthodoxi notam inurerent Ecclesiæ. Is post domitos Persas & sanctam Crucem ab iis recuperatam, dum otiosus Edessæ degeret, oblitus se esse militem atque hominem Laicum, magno suo damno veluti si esset Episcopus disputare cœpit de dogmatibus Ecclesiasticis, rescripsitque ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum, ut ad se mitteret librum dogmaticum Mennæ ad sanctissimum Vigilium de una voluntate & una operatione, quod ille ad effectum perduxit. Sicque Heraclius nactus infelicissimum præceptorem, pravam ab eo doctrinam accepit. Sed & cum esset anno 629. apud Hierapolim venit ad eum quidam Athanasius Eutychianus Patriarcha Jacobitarum vir acris & nequam ingenij, Syrorum inditas versutias possidens, & moto de fide ad Imperatorem sermone, promisit ei Heraclius si Chalcedonensem Synodum susciperet velle, Patriarcham illum Antiochiæ se fore facturum. Sed dum putat se ad fidem Orthodoxam damnatum hominem & qui uti sacrilegus Patriarchæ nomen surripuisset, ex ea ipsemet excidit ejus postea dolis. Immemor prohibitionis Apostolicæ qua ejusmodi sceleratos nec brevi salutatione dignandos asserit 2. epist. Joan. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi, ave, communicat operibus ejus malignis.* Hic igitur Athanasius tantam pollicitationem audiens, posse se futurum Patriarcham Antiocheno, sicque dominaturum se omnibus Orientalibus, ac pro arbitrio posse se dimovere præsides Ecclesiarum Catholicos, spondet se facturum, & dum simulatè ad tempus profitetur duas naturas, interrogavit Imperatorem de operationibus Christi qualiter oporteret has admittere, duplas an simplas. Tunc Imperator voce novitatis consternatus scribit Sergio, advocatque Cyrum Phasidis Episcopum, & hoc interrogato reperit eum consentientem Sergio in unam voluntatem ac operationem, quibus duobus reperit & Athanasium concordem, sicque funiculo triplici captus magna animi levitate fidem Orthodoxam amittit, & in profundum labitur hæresis, ac pariam tot victoriis contra Persas gloriam obscurat. Sic suo semper damno principes in dogmatibus definivisse; exempla Constantij, valentis, Theodosij Junioris, Justiniani ac ipsius Heraclij testatum faciunt. Satis principi, ait Baronius ad præfatum annum 629. ut subortas de fide quæstiones deferat ad primam Sedem à qua controversiæ dirimantur, cujus arbitrio, si causa exigat, universale Concilium congregetur: atque interim ipse nulli se implicans novitati affectu liber, quid ab Ecclesia decernatur exspectet, ut sequatur: sed ab hoc prudenti consilio longe aberravit Heraclius, impiis se socians, ac eos authoritate qua pollebat fulciens. Quod tamen non impunè tulit, cum ex hinc res Imperij in pejus abire cœpe- *Heraclius in Monotelismum labitur.* *Officium principis in controversiis fidei.*

runt, exoriente hujus temporibus novo Hæresiarcha Mahumete Turcarum Pseudo-Propheta à quibus tandem Imperium Orientis in vilissimam servitutem redactum est. Interea Heraclius quoad usque vixit, pulchro velamine extirpandi hæretes Nestorii & Eutychis ac aliorum, nec non protegendi Synodum Chalcedonensem obtexit se, perseveratus sic inter suos Catholico nomine, nec per plures annos deo favente ullis usus est novitatibus, ita ut lautius & non impetita tactus serperet.

Cæpit autem magis perspicacibus apparere tunc cum anno 629. Heraclius occasione dissensionis inter Sophronium Jerosolymitanum, & Cyrum Alexandrinum, constitutionem quamdam de fide promulgavit, quæ Ecthesis, id est explicatio Fidei, & ab aliis Typus quasi forma & exemplar Fidei, quæ habetur in Concilio Lateranensi sub Martino primo celebrata, proponitque una in operationem in Christo credendam, est autem ejus titulus. *Expositio Orthodoxæ fidei facta à piissimo & Deo conservando nostro Domino magno principe Heraclio, propter emersam ab aliquibus altercationem, pro regulis operationis consonans in omnibus sanctis & universalibus quinque Conciliis, quam cum multa satisfactione & gratia exceperunt Patriarchalium sedium præsules, & gratanter ei consenserunt, utpote pacem sanctæ Dei Ecclesiis inferentem.*

Ecthesis seu Typus Heraclii.

Initium est. Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, & infra, nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere vel docere operationes in divina Domini incarnatione, &c. eo quod unius eiusdem operationis vox, licet ab aliquibus patribus dicta est, tamen turbat & exterret quorundam aures arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote à nemine dictam sanctorum & præcipuorum patrum: sed & sequi in eo ut duas confiteamur voluntates contrariè ad invicem venientes, Deo quidem verbo volente salubertimam passionem explere, Incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium & extraneum Christiani dogmatis, &c. *Fuit autem subscriptio.*

Heraclius fidelis in Jesu Christo Deo princeps subnotavit.

Pseudo-Synodus pro Monothelit.

Hæc autem Ecthesis aut explicatio fidei statim confirmata fuit in Synodo Constantinopolitana à Sergio coacta, quam ut invalidam & contra Canones habitam impugnavit Maximus in disputatione cum Pyrrho habita. Sed & statim recepta quoque fuit à Cyro Alexandrino Patriarcha. Quo factum est ut deinceps hæresis Monothelitarum progressus faceret in Oriente. Quamvis ante mortem declarasset Imperator non esse suam illam ecthesin, nec à se editam, sed à Sergio Constantinopolitano Patriarcha, à quo rogatus fuerat ut suo nomine promulgaretur. Moriens autem Heraclius filium Constantem reliquit hæredem Imperii simul & erroris, qui eum ut propagaret magis, mortuis Episcopis alios subrogari curabat erroris sui adsertores, sicut & præsides quos in provincias mittebat. Sed & his temporibus sub anno 642. Patriarchæ Orientis hæretici erant, quibus omnibus malis accedebat sectæ Mahometanæ augmentum in Christianæ religionis opprobrium. Destituta quoque erat Ecclesia Orientis viris doctis ac zelosis qui eam tuerentur, ac tanquam latrantes canes lupis libere grassantibus in ovile dominicum se opponerent. Defunctus enim erat Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus ac pugil validus pro fide Catholica, ad cujus tuitionem etiam Synodum coëgerat. Maximus vero Abbas Constantinopoli recesserat in Africam.

Mahometi secta invaluit.

Sicque nunquam apparuerat turpior facies Ecclesiæ quam his temporibus, ut notat Baronius ad prædictum annum 642.

Quantum vero Draco antiquus Mysterium humanæ redemptionis per Christum evertere per hanc hæresim molitus sit haud tunc ignotum fuit: nam Constantinus Augustus in edicto suo confirmatorio Concilii, nos adstruunt, inquit, non perfectè salvari, hæc qui prædicant, quia imperfectè verbum nostram naturam adsumpsit. Si enim totus toti naturæ non est unitus, nec totus homo salvatus est, quod enim non adsumptum est nec salvatum. Scilicet ut benè advertit Christianus Lupus cap. 3. hujus Synodi, non sola substantia hominis, sed & voluntates & operationes peccato sunt fœdatæ, ideoque egent gloria Dei, & Sanari & purgari per mediatorem, quod sperare non possunt nisi ab illo assumptæ. Nihil sequitur in corpore nisi quod præcessit in capite; caput est radix traducens eas solas humanæ naturæ reparatrices gratias, quas sibi ipsi implantavit. Quocirca dico adversus Monothelitas quod adversus Marcionem Tertullianus in l. de carne Christi c. 5. *Scelestissime hominum pars unicè spei totius orbis*, &c. Sed & alia via Monothelitæ redemptionem impugnabant, nam si desit humana libertas in Christo, vana erit satisfactio ipsius pro peccatis hominum. Sentiunt hoc Theologi omnes qui tantopere satagunt ad conciliandam libertatem ipsius cum præcepto moriendi à Patre ipsi imposito. Quippe si necessario mortuus fuisset quia non obedire non potest, & non ex libera acceptatione præcepti moriendi cum potestate non acceptandi, nec meritus fuisset nec satisfecisset. Ista consequentia post se vehebat Monotheliſmus, quibus publicandis non defuisset Dæmon, sed principium statuendum erat.

Mysterium Redemptionis impugnatum per Monothelitas.

Interim Martinus Papa Concilium Lateranense congregat in quo damnat Monothelitas & Ecthesim Heraclii eo maximè titulo, quod prohibens unam deinceps aut duas dicere operationes aut voluntates in Christo, simili forte hæreticos Catholicosque involveret, ac seu indifferens haberi vellet quod minimè posset haberi ut indifferens, hoc enim præcipuè urget Synodus illa Martini. Qua definitione exasperatus Imperator Monothelita Constans, eamque ferre nolens, capitem jubet ac in Chersonesum relegat, ubi ærumnis confectus ac lento quodam Martyrio Pontificatum suum illustravit, sed & Maximum Abbatem alioſque dira morte excruciari jussit. Sic hæresis illa invalescebat quotidie.

Donec mortuo Constante ei successit filius Constantinus Pogonatus Orthodoxæ fidei Professor; qui ut maculam hæreditariam eluëret, egit primum cum Dono Pontifice, deinde cum Agathone ejus successore de cogendo Concilio Generali contra Monothelitas. Fuitque congregatum anno 680. & sequenti absolutum in Oratorio palatii Imperialis Constantinop. quod dicebatur Trullus, id est, capsula propter fornicis rotunditatem. Fuitque ducentorum octoginta novem Episcoporum, præsidentibus in eo nomine Agathonis Theodoro & Gregorio Presbyteris, necnon Joanne Diacono qui in omnibus actionibus primi subscribunt, interfuitque Constantinus Imperator eminentiori loco sedens, ut rixas tumultusque averteret ac securitatem procuraret.

Sequuntur alia Concilia.

DIVALIS SACRA, DIRECTA ad Donum Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, contradita vero Agathoni ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papæ ejuſdem antiquæ Romæ, eo quod idem Donus de præſenti vita deceſſiſſet.

IN NOMINE DOMINI & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperator Flavius Conſtantinus fidelis, Magnus Imperator ſacra Dono ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ, & univerſali Papæ, data pridie Idus Auguſtas Conſtantinopoli indictione ſexta.

PEr omnia novit veſtra paterna beatitudo, & plures veſtræ ſanctæ Eccleſiæ antiquæ Romæ, quia ex quo juſſit Deus principaliter nos imperare, dum voluiſſent multoties quidam motionem facere de verbis, de quibus eſt contentio pro dogmate pietatis, inter partes tam ſanctæ veſtræ Eccleſiæ, quamque hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ, ut ambigerent, & hoc prohibuimus fieri tempore non admittente, cognoſcentes quod ex particulari contentione non ſolum unitas fieri non poſſet, ſed magis malum accreſceret. Et licet animo doleremus ultra omnem dolorem, tam pro exprobratione, quæ nobis ob hoc ab inimicis inferebatur, & propter ipſam veritatem, quam Pontifices ſecundum vos, & Orthodoxus noſter populus propter quaſdam novitates vocum in ſchiſma incidiſſet, exulcatioqne ex hoc fieret impiis & hæreticis: attamen Deo noſtro commiſimus, ipſo pro nobis potiora providente, & dum ejus benignitas juſſerit hujus rei correctionem fieri, tunc nobis condonare opportunitatem temporis, ad generalem collectionem faciendam utrarumque ſedium, quatenus conſiderantibus eis definitiones ſanctarum quinque Synodorum, & editiones ſanctorum probabilium patrum ſatisfacerent ſibimetipſis & convenirent in uno ore, unoque corde ad glorificandum honorificum nomen Dei noſtri.

Sed quoniam ſicut homines cogitamus, ſicut autem jubet Deus, omnia perfecit, ipſe enim novit futura, & quæque nobis expediunt, ſicreiplacitum eſt, ut ad effectum perducantur, cognoſcere facimus veſtram paternam beatitudinem, quòd dum ordinatus eſſet Theodorus ſanctiſſimus & beatiſſimus Patriarcha à Deo conſervandæ hujus noſtræ Regiæ urbis, ſuggeſſit noſtræ ſerenitati ſuſpectum ſe eſſe, dirigere conſueta Synodica ad veſtram paternam beatitudinem, ne forſan non recipiatur, ſicut & ſub prædeceſſoribus ejus Patriarchis factum eſt: ſed quia magis prævidit adhortatoriam Epiſtolam facere ad veſtram paternam beatitudinem, quam & direxit, ejus per omnia ſcientiam habet veſtra paterna beatitudo, & non prævidimus, per præſentem noſtram piam ſacram, de hujuſmodi Epiſtola uti multiloquio, ſed poſteaquam directa eſt eadem Epiſtola ad veſtram paternam beatitudinem, interrogavimus eundem ſanctiſſimum, & beatiſſimum Patriarcham, & Macarium ſanctiſſimum Patriarcham civitatis Theopolitanæ, quænam eſſet difficultas quæ provenerat inter veſtram paternam beatitudinem, ſeu veſtram Apoſtolicam ſedem, & ipſos. Olim omnibus expletis, quicunque ſunt de immaculata noſtra, & incommutabili Chriſtianorum fide tam per doctrinam ſanctorum Apoſtolorum, quamque per definitiones ſanctarum quinque Synodorum, & doctrinam ſanctorum ac probabilium Patrum, & omnibus hæreſibus jam manifeſtatis, atque condemnatis, & nullo deinceps remanente modo, quo poſſit diviſio aut ſchiſma immaculatæ & ſanctæ noſtræ fidei inferre: ſatisfecerunt nobis ipſi ſanctiſſimi Patriarchæ, quod verba quædam novitatis intromiſſa ſunt, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus verò incongrue ſcrutantibus incomprehenſibilia opera Dei: & quia ex quo hæc verba moveri cœperunt, & uſque hactenus utraque ſedes inter ſe minime convenerunt, ut inquirentes ſibimet ſatisfacerent pro veritate. Propter viles igitur inquiſitiones non ſit finita contentio, ne nobis inſultent pagani, & hæretici, neque in nobis uſquequaque locum accipiant ſemina adverſarii. Cadens namque ab humano genere, quod ei ſerviebat, & confuſus per apparitionem Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, etiam in his confunderetur per ſtudium veſtræ paternæ beatitudinis, & ſecundum quod ſcriptum eſt deponentibus omnem zelum, & omnem contentionem omnemque invidiam, veritati concurramus. Veritas enim Deo chara eſt, & ſecundum Domini vocem. *Quicunque voluerit omnium primus eſſe, ſit omnium miniſter.* Et iterum dictum eſt, *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* *Matth. 20. Joan. 13.*

Poſtquam igitur tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur veſtram paternam beatitudinem, per præſentem noſtram piam Sacram dirigere viros utiles, modeſtos, noritiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ ſedis, ejuſque Concilii, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem authoritatem habentes, quatenus convenientes, cum hic poſito ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patriarcha, & Macario ſanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ civitatis: perſcrutentur cum omni manſuetudine ac modeſtia, & per gratiam ſancti Spiritus veritati inſiſtere & conſentire, munitionem habentibus his, qui huc advenerunt ex parte ſedis veſtræ per præſentem noſtram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non eſt apud nos partis cujuſlibet favor, ſed æqualitatem utriſque partibus conſervabimus, nullatenus neceſſitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui a vobis dirigantur quoquomodo: ſed & omni honore, cum competenti munificentia, & ſuſceptione dignos eos habebimus. Et ſiquidem utrique convenerint, ecce & bene: ſin autem minime convenerint, iterum & cum omni humanitate eos ad vos dirigemus, de cætero nos excuſantes in judicio Dei imminente nobis, juxta quod conſtituit ſumus ſervare fidem ſanctam, & immaculatam quam percepimus, unoquoque proprio ſenſu abundante, rationem reddituri ante ſanctum & terribile tribunal Dei noſtri. Invitare enim & rogare poſſumus ad omnem commendationem, & unitatem omnium Chriſtianorum, neceſſitatem vero inferre nullatenus volumus. Per perſonas autem quæ dirigentur à paterna veſtra beatitudine, ita decernat: ex veſtra quidem ſancta Eccleſia (ſi utique videtur ei) tres perſonas, quod ſi & plures, quantæ ei placuerint, dirigat. De Concilio verò uſque ad Metropolitas Epiſcopos. De quatuor verò Monaſteriis Byzantinis ab unoquoque Monaſterio Monachos 4. Nam ſi receperit tempus, ut dictum eſt, perfectam congregationem ſtuduiſſemus facere: ſed quoniam tempus non admittit. Deus autem noſter proprio Concilio protulit, quod nos differebamus in hoc tempore, per omnia jubemus veſtram paternam beatitudinem, minime eſſici impedimentum voluntati Dei, ſed eos dirigere. Sic enim ſperamus in ejus benignitate, quoniam qui voluerit hujuſmodi capitulum moveri in præſenti, per Spiritum ſanctum concedere habet, ut veritas clareat, & inſtruantur omnes ſine ſchiſmate, atque contentione veritatem profiteri, & uno ore, unoque corde glorificare non omnes ejus bonitatem. Tacere quippe hoc terribile æſtimamus, ut ne plebs, quæ ut ſanctificetur, accedit ad ſanctas Dei Catholicas, & Apoſtolicas Eccleſias, contrariis congregationibus occupetur, conſiderans antiſtitum adinvicem diſſonantiam. *Legati Pap. Rom.*

Honorius in honore erat apud Monothelitas.

Multum enim nobis instantiam fecerunt, tam hic sanctissimus Patriarcha, quamque Macarius sanctissimus Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus beatissimus de diptychis, asserentes Honorium memorari in diptychis, propter honorem Apostolicæ sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non acquievere, ut memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utrasque sedes, & ita vestra paterna beatitudo consequenter memoretur: sed hoc nos non acquievimus, idest, ut ejiceretur idem Vitalianus de diptychis: hoc quidem utpote omnem æqualitatem servantes, & utrosque Orthodoxos habentes: hoc autem & propter collatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dum superesset, in motione tyrannorum nostrorum. Sed sic pollicitu sumus prædictis sanctissimis Patriarchis, quod per omnia dirigit vestra beatitudo homines, qui debeant conquirere cum ipsis, & tunc secundum quod statuerit perfecta dispositio fiat. Nam ante hoc nullomodo nos acquiescere, ut idem beatissimus Vitalianus ejiceretur. Hæc cognoscens vestra paterna beatitudo studeat sequi voluntatem Dei. Sicut enim prædictum est, spem habemus in coronatore nostro Deo, quia dum præviderit super hoc ferventem nostrum affectum ejus benignitas etiam ingruentes nobis perturbationes sedabit. Omnem verò concursum venientibus jussimus præbere Theodorum gloriosum patritium & exarchum Christo amabilis nostræ Italiæ Provinciæ, tam in navi, quamque in expensis & omni utilitate eorum. Etsi necessitas exegerit, etiam castellatos dromones præbere ad eorum munimen, ut ex omnibus illæsi, & sine periculo (Deo cooperante) jidem ad nos perducantur. Et subscriptio. Divinitas te servet per multos annos sanctissime ac beatissime pater.

DIVALIS SACRA DIRECTA ad Georgium sanctissimum Archiepiscopum hujus magnæ Constantinopolitanæ urbis novæ Romæ.

IN NOMINE DEI ET SALVATORIS nostri Iesu Christi, Imperator Pius Pacificus Flavius Constantinus, fidelis in Iesu Christo Deo, Georgio sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo Constantinopoleos, & universali Patriarchæ. Data quarto Idus Septembris Constantinopoli, imperante Domino piissimo perpetuo Augusto, Constantino Imperatore, anno vigesimo octavo, & post consulatum eius anno duodecimo.

QUamquam sollicitudinibus tam militatibus, quamque civiliter indesinenter nostra serenitas coarctetur, attamen omnes Christo amabilis nostræ Reipublicæ causas insequendo ob Christianam nostram fidem ponentes, qui & in bellis propugnatricem tam nostri, quamque Christo dilectorum nostrorum exercituum habemus, necessarium judicavimus, præsenti nostra pia Sacra ad vestram paternam beatitudinem uti, per quam adhortantes eam, sancimus congregare vestram paternam beatitudinem omnes, qui ad ejus sanctissimam sedem pertinent, sanctissimos Metropolitas, Episcopos in hanc à Deo conservandam nostram Regiam urbem, quatenus cooperante omnipotente, & misericorde Deo nostro, diligentissima inquisitio dogmatis fiat, quod olim ante multum tempus exortum est, de voluntate & operatione in dispensatione incarnationis unius de sancta Trinitate Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri quod & dissidium non minimum per quasdam personas sanctæ Dei Ecclesiæ intulit: innotescere quoque super hoc & Macario venerabili Archiepiscopo Antiochenæ magnæ civitatis, quatenus & ipse de propria Synodo Deo amabiles Metropolitanos, & Episcopos præparatos faciat pro hoc ipso huc congregari. Jam enim super hoc adhortati sumus per pios nostros apices adhuc inter vivos existentem & Domum sanctissimum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ Præsulem: & illo de hoc sæculo migrante, Agatho sanctus nuper ordinatus Papa in Apostolica Sede prædictæ antiquæ Romæ hujusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in præsenti propriam ejus indutos personam, Theodorum & Georgium Deo amabiles Presbyteros, & Joannem Deo amabilem Diaconum: ex persona vero totius ejus Concilii, Joannem & Abundantium, & Joannem venerabiles Episcopos, cum cæteris clericis & Monachis, qui debeant invenire in prædicto capitulo quæstionem: qui & nunc ad nostra convixerunt vestigia, porrigentes etiam nobis duas suggestiones, unam quidem ejusdem sanctissimi Agathonis Papæ, aliam vero Concilii ejus. Sciens igitur vestra paterna beatitudo, quia primum & præcipuum ut prædiximus, hoc Orthodoxiæ existit capitulum, festinet prædictos venerabiles Metropolitanos Episcopos celeriter advenire, in hanc à Deo conservandam regiam nostram urbem, quatenus prædictum tractetur capitulum, & majorum donorum datore, atque coronatore nostro Deo cooperante, cauta atque Orthodoxa diffinitio hujusmodi dogmati imponatur. Et subscriptio: Divinitas te reservet per multos annos sanctissime, ac beatissime pater.

De Episcopis Patriarchatus proprio.

ACTA SANCTÆ SEXTÆ SYNODI *apud Constantinopolim facta adversum eos, qui impie docuerant unam voluntatem, & unam operationem in incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri unius de sancta & consubstantiali Trinitate.*

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus a Deo coronatis, & serenissimis nostris Dominis Flaviis, Constantino quidem piissimo, & à Deo decreto magno principe, perpetuo Augusto, & Imperatore, anno vigesimo septimo, & post consulatum ejus à Deo instituta mansuetudinis, anno vigesimo tertio, Heraclio verò atque Tyberio à Deo conservandis ejus fratribus anno vigesimo secundo die septima mensis Novembris indictionibus nonæ. Præsidente eodem piissimo, & Christo dilecto magno Imperatore Constantino in secretario sacri palatii, quod cognominatur Trullus, & ex jussione ejus Deo instructæ serenitatis, præsentibus & audientibus Niceta glorioso ex consule patricio, & Magistro imperialium officiorum Theodoro glorioso exconsule patricio, comite imperialis obsequii, & substratego Thraciæ, Georgio glorioso exconsule patricio, Paulo glorioso exconsule patricio, Juliano glorioso exconsule patricio, & militari logotheta, Constantino glorioso exconsule patricio, & curatore imperialis domus Hormisdæ, Anastasio glorioso exconsule patricio, & locum agente imperialis comitis excubiti, Joanne glorioso exconsule patricio, & quæstore, Polyeucto glorioso exconsule, Thoma glorioso exconsule, Paulo glorioso exconsule, & dispositore Orientalium provinciarum, Petro glorioso exconsule, Leontio glorioso exconsule, & domestico imperialis mensæ.

Conveniente quoque sancta, & universali Synodo, quæ secundum imperialem sanctionem congregata est in hac Regia urbe Theodoro & Georgio Presbyteris, & Joanne Diacono vicemagentibus Archiepisco-

Similis præfatio in singulis actionibus repetitur.

let, sed brevitatis causa à nobis intermittetur.

antiquæ Romæ, & Georgio Archiepiſcopo magnæ Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Petro Deo amabili Preſbytero, & Monacho, & locum ſervante ſedis magnæ civitatis Alexandriæ, & Macario Archiepiſc. Theopoleos Antiochiæ, & Georgio Religioſo Preſbytero Monacho, & Apocriſiario Theodori venerabilis Vicarii ſedis Hieroſolymorum, Joanne Epiſcopo Portuenſi, Abundantio Epiſcopo civitatis Paternenſis, Joanne Epiſcopo civitatis Rhegitanæ, locum præſentantibus centum 25. Venerabilium Epiſcoporum S. Concilii antiquæ Romæ, reſidentibus glorioſis patriciis, & conſulibus ex latere piiſſimi noſtri Imperatoris Conſtantini, & ex læva quidem ejus parte reſidentibus vicariis Agathonis Archiepiſcopi Antiquæ Romæ, & qui ex perſona Synodi erant Deo amabiles Epiſcopi. A dextra verò ejus parte reſidentibus Georgio Archiepiſcop. novæ Romæ, &c. Propoſitis in medio ſacro ſanctis Evangeliis Chriſti Dei noſtri. Theodorus & Georgius Preſbyteri, & Joannes Diaconus Vicarii Apoſtolicæ ſedis Antiquæ Romæ, nec-non & qui ex perſona Synodi erant, dixerunt.

Sinistra nobilior.

Beniguiſſime Domine ſecundum ſacram à veſtra fortitudine ad ſanctiſſimum Papam rogationem demandati ſumus ad piiſſima veſtigia veſtræ ſerenitatis una cum ejus ſuggeſtione, quam & obtulimus coronatæ veſtræ ſerenitati. Quoniam igitur ante hos 46. plus minus annos quaſdam novitates vocum contrarias Orthodoxæ fidei introduxerunt, qui in illo tempore fuerunt præſules hujus Regiæ veſtræ civitatis; id eſt, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus, nec-non & Cyrus quondam Alexandrinæ civitatis Antiſtes, & Theodorus Epiſcopus civitatis Pharan, & alii quidam, qui eos ſecuti ſunt, non modice (quæ per totum orbem terrarum eſt) Eccleſiam turbaverunt, unam voluntatem in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, unamque operationem dogmatizantes, & docentes, quæſumus à Deo coronatam veſtram fortitudinem, ut dicant, qui ex parte ſunt ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, unde hujuſmodi vocum adinventa eſt novitas.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit. Audientes Georgius Archiepiſcopus noſtræ hujus civitatis, & Macarius Archiepiſcopus Antiochenæ civitatis, & ei adjacens Synodus, quæ à parte Apoſtolicæ magnæ Romæ ſedis dicta ſunt, quæ eis videntur, proſequantur.

Macarius Archiepiſcopus Antiochiæ, unà cum Stephano Preſbytero, & Monacho ejus diſcipulo, & alii Epiſcopi Orientis dixerunt. Has quidem vocum novitates non edidimus, ſed quicquid percepimus tam à ſanctis univerſalibus Synodis, & ſanctis probabilibus patribus, quamque à præſulibus hujus regiæ urbis, ideſt, Sergio, Paulo, Pyrrho, & Petro, nec-non & Honorio, qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyro, qui fuit Papa Alexandriæ, hoc eſt de voluntate, & operatione, ſic & credimus, & prædicamus, & docemus, & parati ſumus hoc oſtendere. Et petentibus illis juſſit Imperator proferri, & in medium legi geſta tertiæ Synodi Generalis Epheſinæ, & Epiſtolam Cyrilli, ad Theodoſium Imperatorem cujus initium. Quod apud homines quidem eminet. Et inter alia verba ejus Epiſtolæ, habentur & iſta. Chriſtus Jeſus eſt, per quem reges regnant, &c. & ſequitur. Eſt enim ejus omnipotens voluntas, &c. Quibus verbis perperam intellectis, contendebat Macarius Archiepiſcopus Antiochiæ probare unam voluntatem in Chriſto. Et tandem conſideratis & examinatis verbis illis Cyrilli redarguitur, & confuſus eſt Macarius à Vicariis Apoſtolicæ ſedis. & ab aliis Epiſcopis Orientalibus, & præcepto Imperatoris abſoluta eſt prima actio.

ACTIO SECUNDA.

Prolata & lecta ſunt acta quartæ Synodi Chalced. &
Leonis ep. cum legeretur Epiſtola Leonis Papæ, & ventum eſt ad illud. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit, verbo quidem operante quod verbi eſt, carne autem exequente quod carnis eſt, & horum unum coruſcat miraculis, aliud verò ſuccumbit injuriis, exurgentes, qui ex parte Apoſtolicæ ſedis erant antiquæ Romæ clamaverunt Ecce benigniſſime Domine, manifeſte duas naturales operationes inconfuſe & indiuiſe, in Domino noſtro Jeſu Chriſto preſens ſanctiſſimus prædicat pater, cujus præſentem ſermonem ſancta quarta Synodus firmanumerum Orthodoxæ fidei conſcripſit in damnatione univerſæ hæreſis, utpote profeſſioni beatæ principis Apoſtolorum Petri convenientem; & quid pro hoc dignum ſenſit Macarius venerabilis, & qui cum eo ſunt Deo amabiles viri, dicant. Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ dixit: Ego Domine duas operationes non dico, ſed nec ſentio quod beatæ memoriæ Leo per hunc ſermonem duas operationes dixerit. Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Sed unam operationem intelligis eum dixiſſe? Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Ego numerum non dico, ſed Dei-virilem ejus operationem ſecundum S. Dionyſium. Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Et quomodo intelligis Dei-virilem operationem? Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Ego non ſuperjudico. Et relictis reſiduis ejuſdem libri uſque ad finem, Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Relegatur & alius liber ejuſdem ſanctæ quartæ Chalcedonenſis Synodi. Et accipiens Antiochus Religioſus lector & notarius eorumdem actorum librum relegit. Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Sufficit & nunc præſens lectio. In ſubſequenti verò & liber geſtorum ſanctæ quintæ Synodi proferatur.

Operatio Dei-virilis.

ACTIO TERTIA.

Præceptum eſt, ut legerentur acta in quinta Synodo generali, & cum lector incœpit legere initium libri, qui ita continebat. Sermo ſanctæ memoriæ Memnæ Archiepiſcopi Conſtantinopoleos, ad Vigilium beatiſſimum Papam Romanum, de eo quòd una Chriſti voluntas. Et exurgentes Legati Apoſtolicæ Sedis Romanæ, exclamaverunt. Piiſſime Domine, falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi. Nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Memnæ ad Vigilium, quia fictus eſt: ſed jube diligenter advertere præſentem librum. Et inſpicientes Imperator unà cum judicibus, & quibuſdam de ſancta Synodo Epiſcopis, invenerunt tres quaterniones in principio libri additos non habentes ſubnotationem numeri, falſatus enim erat liber ab hæreticis in nonnullis locis. Lecta ſunt reliqua geſta quintæ Synodi, & abſoluta lectione, ſancta Synodus & judices dixerunt. Ex lectione ſanctorum Conciliorum (ſicut audiſtis) non invenimus in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti unam voluntatem, & unam operationem.

Falſatus liber hæreticis.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Macarius venerabilis Archiepiſcopus, & qui cum eo ſunt, proſequantur, ſi ſecundum quæ ab eis promiſſa ſunt paratum habent proferre teſtimonia ſanctorum probabilium patrum, quæ debeant approbare (ſicut polliciti ſunt) unam voluntatem, & unam operationem incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hæc profetant. Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ, & qui cum eo ſunt, dixerunt: Secundum juſta veſtri imperii inducta à nobis data teſtimonia, quæ proferre promiſimus, ſanctorum proferimus. Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Macarius venerabilis Archiepiſcopus, & qui cum eo ſunt, hæc in ſubſequenti peragant. Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, & quæ ſub eodem eſt Synodus, dixerunt: Piiſſime Domine petimus veſtram tranquillitatem, ſuggeſtiones directas nobis à Deo veſtram inſtructam fortitudinem, ab Agathone ſanctiſſimo Papa Apoſtolicæ ſedis antiquæ

Romæ, quamque ab ejus synodo, relegi, ut auditum cupiamus, quatenus cognitionem & nos accipiamus totius virtutis, quæ in eis continetur. Constantinus piissimus Imperator dixit: Quod à vobis postulatum est, in subsequenti proveniat.

ACTIO QUARTA.

Sedentibus tam gloriosis patriciis & consulibus, quamque omnibus venerabilibus, & amabilibus, & Episcopis in eodem secretario Trulli, propositis in medio sanctis, & intemeratis Evangeliis, Paulus magnificus a secretis, & imperialis secretarius, dixit: Meminit à Deo instincta vestra pietas, quod in præterito conventu dum legerentur acta sanctæ quintæ Synodi, Georgius sanctissimus Archiepiscopus hujus à Deo conservandæ Regiæ urbis, una cum subjacenti synodo petiit vestram piissimam fortitudinem, suggestiones, quæ factæ sunt tam ab Agathone sanctissimo Papa antiquæ Romæ, quamque à subjacenti Dei synodo, in præsentia vestræ pietatis, & sanctæ universalis hujus synodi relegi, & suggerimus ad quod placet. Constantinus piissimus Imperator dixit: Relegantur. Et prolata est in Græcis litteris memoratarum suggestionum interpretatio per Diogenem magnificum à secretis, & imperialem secretarium. Et relecta est, habens in verbis sic.

Agathonis epistola ad imperatores, &c.

Dominis piissimis & sanctissimis victoribus ac triumphatoribus, amatoribus Dei, & Domini nostri Iesu Christi Constantino majori Imperatori Heraclio, & Tiberio Augustis, Agatho Episcopus servus servorum Dei.

Consideranti mihi humanæ vitæ diversos angores, & ante Deum, qui unus & verus est, cum, vehementia fletuum ingementi, ut consolationem animæ fluctuanti divinæ miserationis imperiret instinctus, & de profundo mœroris, & angustiæ potentia suæ dexteræ sublevaret, magnum atque mirabilem, cum indesinenti gratiarum actione serenissimi Domini filij confiteor consolationis opportunitatem exhibere dignatus est, piissimum tranquillæ mansuetudinis vestræ propositum, quam ad stabilitatem divinitus commissæ reipublicæ Christianæ ejus concessit dignatio, ut imperialis virtus atque clementia de Deo per quem *Reges regnant, qui Rex regum, & Dominus dominantium est*, & curet & quærat ejus immaculatæ fidei veritatem, ut ab Apostolis atque Apostolicis est patribus tradita, inquirere vigilanter, atque ut vera traditio continet, instantissimè desideret in omnibus Ecclesiis obtinere: & ne quenquam tam pia lateret intentio audientium, humanave suspicio *pertenet* æstimantium potestate nos esse compulsos, & non plena serenitate ad satisfaciendum super Evangelicæ & Apostolicæ nostræ fidei prædicatione *communitos*, divales apices ad Apostolicæ memoriæ Domum Pontificem nostræ pusillitatis prædecessorem, cunctis populis ac gentibus per nostrum ministerium patefecerunt, ac satisfaciunt, quos gratia sancti Spiritus imperialis linguæ calamo de puro cordis thesauro dictavit, commonentis, non opprimentis: satisfacientis, non perterrentis: non affligentis, sed exhortantes, & ad ea quæ Dei sunt secundum Deum invuantis. Qui & ipse conditor omnium ac Redemptor, cum posset in sua divinitatis majestate, in sæculum veniendo, mortales perterrere, humanitate magis inæstimabilis clementiæ humiliter ad nostra descendens, quos creaverat, dignatus est & redimere, qui & spontaneam de nobis veræ de se fidei confessionem expectat: quod & beatus Petrus Apostolorum princeps commonet: *Pascite qui in vobis est gregem Christi, non coacte sed spontanee secundum Deum exhortantes.* His itaque mansuetissimi rerum Domini divalibus apicibus animatus & ad spem consolationis de profundis angoribus *alleviatus sum melioris refectus confidentia paulatim, quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ Sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas quales secundum temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio consamulorum meorum Episcoporum, tam de propinqua hujus Apostolicæ sedis synodo, quam de familiari clero amatores Christiani imperij, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissimæ tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortaret. Et nisi longus provinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostræ Concilium constitutum est, tantæ temporis protelationem ingereret, olim hoc quod vix tandem nunc heri potui, studiosa obedientia nostri famulatus impleret. Sed dum de diversis provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum personas, quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi principatus Romana urbe, vel proxima dirigere procuramus, quasdam de longè positis provinciis, in quibus verbum Christianæ fidei, ab Apostolicis exiguitatis meæ prædecessoribus missi prædicabant, remeare præstolamur, non parvus temporum cursus lapsus est: ut corporales ægritudines mei famulatus silentio transeam, quibus nec vivere licet, nec libet assiduis ægrimoniis laborantem. Ideoque Christianissimi Domini filij, secundum piissimam jussionem à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ, pro obedientia quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ, quos direximus, præsignes consamulos nostros Abundantium, Joannem, & Joannem venerandissimos fratres nostros Episcopos, Theodorum, & Georgium dilectissimos filios nostros Presbyteros, cum dilectissimo filio nostro Joanne diacono, & Constantino subdiacono sanctæ hujus spiritalis matris Apostolicæ sedis, necnon & Theodorum Presbyterum Legatum sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, & religiosos servos Dei Monachos cum scripturarum cordis devotione curavimus demandare: Nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianam victum cum summa hæsitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri scripturarum scientia, nisi quæ regulariter à sanctis atque Apostolicis prædecessoribus & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate à patribus traditæ fidei conservamus, unum ac præcipuum bonum habere semper optantes atque studentes, ut nihil de eis quæ regulariter definita sunt minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata à nobis custodiantur. Quibus portitoribus, & testimonia aliquorum sanctorum patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut facultatem suggerendi à benignissimo vestræ Christianitatis imperio consecuti, ex his duntaxat satisfacere studeant, dum imperialis mansuetudo præciperet, quod hæc spiritalis mater eorum ac Deo propagati imperij Apostolica Christi Ecclesia credat, & prædicet, non per eloquentiam sæcularem, quæ nec suppetit hominibus idiotis, sed per synceritatem Apostolicæ fidei, in qua & ab incunabulis edocti usque in finem propagatori vestri Christiani imperij, cœli Domino, omnes nobiscum deprecamur servire, atque obedire. Lucentiam proinde eis sive authoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jusserit ejus clementia, simpliciter satisfaciendum, inquantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profectò præsumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ sedis, ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sincerè enarrare. Pro quibus flexo mentis poplite supplicitèr vestram ad mansuetudinem semper intentam clementiam deprecamur, ut quam benignissimam atque augustissimam imperialis Sacræ promissionem, exceptione eos dignos efficiat Christo immobilis vestra tranquillitas, atque placabiles animus eorum humillimis suggestionibus accommodare dignetur. Sic autem Dei omnipotentis jam precibus ad exaudiendum inclinatus

Legati Pontificis à Roma.

Petron. & Apoll.

al. pertenet.

al. communicatos.

I. Petr. 5. *al. elevatus.*

veniat veſtra manſuetiſſima pietas referatas, illæſoſque eam in rectitudine noſtræ Apoſtolicæ fidei, quam corporum ſoſpitate in propriis reſtituere jubeat: Sic reſtituat ſuperna majeſtas per fortiſſimos atque invictiſſimos labores veſtræ à Deo corroboratæ clementiæ ſub benigni veſtri principatus regimine totam Chriſtianam rempublicam, & fortiſſimis veſtris ſceptris adverſas ſubigat nationes, ut ex hoc omni animæ atque omnibus gentibus ſatisfiat: quia quod per auguſtiſſimos apices de immunitate atque illæſione eorum, Deo ſibi aſpirante polliceri dignata eſt, adimplevit in omnibus. Non enim nobis eorum ſcientia confidentiam dedit, ut ad pia veſtra veſtigia eos auderemus dirigere, ſed hoc Imperialis veſtra benignitas clementer jubens hortata eſt, & noſtra puſillitas, quod juſſum eſt, obſequenter implevit. Ut autem veſtræ divinitus inſtructæ pietati, quid Apoſtolicæ noſtræ fidei vigor contineat, breviter intimemus, & ſanctarum quinque Synodorum generalium per quas fundamenta Catholicæ Chriſti Eccleſiæ firmata atque ſtabilita ſunt.

Hic igitur ſtatus Evangelicæ, atque Apoſtolicæ fidei, regulariſque traditio, ut confitentes ſanctam & inſeparabilem Trinitatem, ideſt, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unius eſſe deitatis, unius naturæ & ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ, unius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, & majeſtatis, poteſtatis & gloriæ. Et quicquid de eadem ſancta Trinitate eſſentialiter dicitur ſingulari numero, tanquam de una natura trium conſubſtantialium perſonarum comprehendamus regulari ratione hoc inſtituti. Cum verò de uno earumdem trium perſonarum ipſius ſanctæ Trinitatis, Filio Dei, Deo verbo, & de Myſterio admirandæ ejus ſecundum carnem diſpenſationis confitemur omnia duplicia unius ejuſdemque Domini Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti (ſecundum Evangelicam traditionem) aſſerimus enim duas ejus naturas. Prædicamus, divinam ſcilicet & humanam, ex quibus & in quibus etiam poſt admirabilem atque inſeparabilem unionem ſubſiſtit. Et unamquamque ejus naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere divinam omnia quæ divina ſunt & humanam omnia quæ humana ſunt, abſque ullo peccato. Et utraſque unius ejuſdem Dei verbi incarnati, ideſt, humanati, inconfuſe, inſeparabiliter, immutabiliter eſſe cognoſcimus, ſola intelligentia quæ unita ſunt diſcernentes propter confuſionis duntaxat errorem.

Æqualiter enim & diviſionis, & commiſtionis deteſtamur blaſphemiam. Cum duas autem naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto, non contrarias eas nec adverſas ad alterutrum dicimus (ſicut à via veritatis errantes Apoſtolicam traditionem accuſant, abſit hæc impietas à fidelium cordibus) nec tanquam ſeparatas in duabus perſonis vel ſubſiſtentiis, ſed duas dicimus unum eúndemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut naturas, ita & naturales in ſe voluntates & operationes habere, divinam ſcilicet & humanã: divinam quidem voluntatem & operationem habere ex æterno cum coëſſentiali patre communem: humanam, temporaliter ex nobis cum noſtra natura ſuſceptam. Hæc eſt Apoſtolica atque Evangelica traditio, quam tenet ſpiritalis veſtri fœliciſſimi Imperij mater Apoſtolica Chriſti Eccleſia. Hæc eſt mera confeſſio pietatis. Hæc eſt enim veræ fidei regula, quam & in proſperis, & adverſis vivaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit: quia dictum eſt Petro. *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hic Dominus fidem Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen divina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere. Quid dicam in Chriſti futuro examine? Si hic (quod abſit) prædicare veritatem confundor. *Hæreſim fine errore.*

Apoſtolicæ memoriæ meæ parvitatis prædeceſſores dominicis doctrinis inſtructi, ex quo novitas hæretica in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut à pravi dogmatis hæretico errore, ſaltem tacendo deſiſterent, ne ex hoc exordium diſſidij in unitate Eccleſiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum aſſerentes in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto, quod Arriani & Apollinariſtæ, Eutichianiſtæ, Timotheſani, Acephali, Theodoſiani, & Gaianitæ, & omnis omnino hæreticus furor, ſive confundentium ſive dividentium Incarnationis Chriſti myſterium docuit. Confundentes quidem ſanctæ Incarnationis Myſterium, eò quòd deitatis & humanitatis Chriſti unam naturam dicant, unam eum ſicut unius voluntatem, & operationem perſonalem habere contendunt. Dividentes autem inſeparabilem unitionem in duas naturas, quas Salvatorem habere cognoſcunt, non per unitionem, quæ ſecundum ſubſiſtentiam facta cognoſcitur, vivunt, ſed blaſphemantes per affectum voluntatis, tanquam duas ſubſiſtentias, ideſt, duos quoſdam, per concordiam jungunt. Porro Apoſtolica Chriſti Eccleſia, ſpiritalis mater à Deo fundati veſtri Imperij, & unum Dominum Ieſum Chriſtum confitetur, ex duabus, & in duabus exiſtentem naturis, & duas ejus naturas divinam ſcilicet & humanam etiam poſt inſeparabilem unitionem inconfuſas in eo eſſe defendit, & ex proprietatibus naturalibus, unamquamque harum Chriſti naturarum perfectam eſſe cognoſcit, & quicquid ad proprietatis naturã pertinet duplicia omnia confitetur: quia ipſe idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus perfectus eſt, & homo perfectus eſt, ex duabus, & in duabus naturis, & poſt admirabilem incarnationem exiſtens, nec deitas ſine humanitate, nec humanitatis ejus ſine deitate poſſit intelligi. Conſequenter itaque juxta regulam ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Chriſti Eccleſiæ, duas etiam voluntates naturales in eo, & duas naturales operationes eſſe confitetur, & prædicat. Nam ſi perſonalem quiſquam intelligat voluntatem, dum tres perſonæ in ſancta Trinitate dicũtur, neceſſe eſt, ut & tres voluntates perſonales, & tres perſonales operationes (quod abſurdum eſt & nimis prophanum) dicerentur. Sin autem quod fidei Chriſtianæ veritas continet, naturalis voluntas eſt, ubi una hæc natura dicitur ſanctæ, & inſeparabilis Trinitatis, conſequenter & una naturalis voluntas, & una naturalis operatio intelligenda eſt. Ubi verò in una perſona Domini noſtri Jeſu Chriſti mediatoris Dei & hominum, duas naturas (ideſt divinam & humanam) confitemur, in quibus & poſt admirabilem adunationem conſiſtit, ſicut duas unius ejuſdemque naturas, ita & duas naturales voluntates, duaſque naturales operationes ejus regulariter confitemur.

Dioniſ. Areop. l. 2. de divinis nominibus: Diſcreta eſt benigniſſima Dei operatio per hoc quod ſecundum nos ex nobis integrè vereq; humanatſi eſt verbũ, &c. *Humanitatibus, indicatur duplex in Chriſto voluntas.*

Athanaſius contra Apollinarem de Trinitate & Incarnatione, in eum locum *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, duas voluntates, divinam & humanam indicat. Item lib. 2. Adverſus Arrianos. Sicut enim indutus carne nec factus eſt homo, ita & nos homines, &c.

Hilarius lib. 9. de fide adverſus Arrianos: Natus igitur unigenitus Deus ex virgine homo, &c.

In eodem loco: naturam Dei in Chriſto in virtute reſurrectionis intellige, diſpenſationem hominis in morte cognoſce.

Cyrillus in libro theſauri tractans verbum, *Non ſicut ego volo ſed ſicut tu, &c.* rem apertè indicat. Idem nec eſt alia tam manifeſta probatio, quæ poſſet eum-

Apoſtolica Eccleſia nunquam defecit in fide. Luc. 22. Matt. 16.

dem ipſum Deum & hominem demonſtrare, quam naturales operationes, ex quarum qualitatibus, & naturæ de quibus eſſentialiter procedebant certiſſimè in eo eſſe credebantur.

Ambroſius lib. 2. ad Gratianum Auguſtum: Suſcepit voluntatem, meam ſuſcepit triſtitiam meam, agens de utraque Chriſti voluntate, & ſuper Lucam, ait, voluntas hominis temporalis, voluntas divinitatis æterna. In eodem libro: Minor Chriſtus patre ſecundum naturam humanam, & ejus operationem.

Auguſtinus contra Maximinum Arrianum cap. 20. tractans illa verba: *Non quod ego volo, ſed quod tu vis.* Idem lib. 5. contra Julianum Pelagianum dicit voluntatem motum eſſe naturæ, &c. Cum duæ naturæ in Chriſto, duæ igitur voluntates.

Gregorius Nazianzenus in pleriſque locis diverſas voluntates indicat. Secundo libro de filio tractans illud Joan. 6 Cum dicitur filius deſcendiſſe de cœlo, ut faciat voluntatem Patris.

Leo Epiſtola 17. ad Leonem Auguſtum cap. 2. confirmat etiam duas voluntates in dogmatico tomo, id eſt, Epiſtola decima ad Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ fundamentum fidei à multis dicitur. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante, quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis: unum horum coruſcat in miraculis, aliud ſubjacet injuriis.

Gregorius Nicænus lib. 2. contra Eunomium, & libro contra Apollinarem tractans eum locum: *Spiritus quidem promptus eſt, &c.* Et in alio loco ejuſdem libri concludit duas in Chriſto voluntates: Et lib. 5. contra Eunomium in eum locum: *Cum jejunaſſet quadraginta dies poſtea eſuriit.* Dedit enim, quando volnit naturæ tempus propria operari. Idem Epiſtola ad Euſtatium de ſancta Trinitate. Naturarum (inquit) diverſitas ex operationum diſcrimine ſpectanda. Tandem producitur teſtimonium Chalcedonenſis Concilij, actio. 5. qua definitum eſt 7. cap. Si quis in duabus naturis, &c. Et Synodi quintæ Conſtantinopolitanæ celebratæ ſub Juſtiniano. Deſcribuntur fidei capita, quemadmodum in ſymbolo, quod canitur in Eccleſia paulo explicatius, tamen in capite, ubi ſanctæ Trinitatis Myſterium explicatur, ſic habetur. Unitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò perſonarum, ſive ſubſtantiarum, Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam ſubſiſtentiam. [Crediderim hic eſſe mendum in codice ſubſiſtentiam, loco illius dictionis ſubſtantiam.

Et paulo inferius.

Præterea quomodo poterunt piè intelligi, diverſa ſuper hoc teſtimonia ſcripturarum, quæ nunc quidem ex natura humanitatis, nunc autem ex divinitate unius ejuſdemque Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei & hominis aſtruuntur, & modo ſcriptura commemorat: *Omnia quæcunque volnit Dominus fecit in cœlo, & in terra.* Item: *Sicut pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ita & filius quos vult vivificat.* Et leproſo dicit: *Volo mundare. Et nemo poſſit cognoſcere patrem niſi filius, & cui voluerit filius revelare.* Item quædam de humana ejus voluntate Evangelij ſacramenta commemorant, cum dicunt, eum ſuper mare ambulantem velle ut verè hominem ſuos tranſire diſcipulos. Et dum cum diſcipulis per Galilæam tranſiret, noluit ut aliquis cognoſceret. Et ut homo dicit, *meum cibum eſt, ut faciam voluntatem ejus qui me miſit. Et nolebat per Judeam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Et iterum, *ſurgens venit in partes Tyri, & ingreſſus in domum, noluit aliquem ſcire, & non potuit latere.* Ergò ne ille omnium conditor ac redemptor, de quo dicitur. *Omnia quæ volnit Dominus, fecit in cœlo & in terra*, cujus velle hoc eſt quod poſſe, cujus nutui cœleſtes cum tremore deſerviunt poteſtates, in terris latere volens, non potuit, qui per divinam majeſtatem ex æterno cum patre in cœleſtibus dominatur arcanis, *& in manu ejus fines terræ ſunt*, niſi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter dignatus eſt aſſumere, redigatur? Quanto ergo errore, talia non diſcernens, involvitur, ut dicat una eademque voluntate, & omnia in cœlo, & in terra, quæ volnit Dominum poſſe, & eadem iterum voluntate in domo vili volentem latere, non poſſe ſecundum Evangelica teſtimonia?

Psalm 134. Joan. 5. d. Matt. 8. a Matt. 11. d

Psalm 94.

Nunc neceſſe eſt ut novi dogmatis intentio, quoſnam ſecuta eſt, & quorum doctorum authoritate fulciatur, annotemus. Theodorus quondam Epiſcopus Faranitanus ad Sergium Epiſcopum Arſenoitem, Sergius Conſtantinopolitanus ad Cyrum Alexandrinum, Pyrrhus Conſtantinopolitanus, Paulus Conſtantinopolitanus ad Theodorum Papam, Petrus item Conſtantinopolitanus ad Vitalianum Papam: Hi omnes aut unicam voluntatem defendebant in Chriſto, aut neque unam neque plures affirmabant.

Authores Monothelitæ.

Deinde ſubdit:

Hæc autem ideo Deum omnipotentem fœlicibus veſtræ manſuetudinis ad emendandum credimus reſervaſſe temporibus, ut locum & zelum Ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui veſtrum imperium coronare dignatus eſt, * facientes in terris, pro ejus Evangelica atque Apoſtolica veritate juſtum judicium proferatis. Quia dum humani generis Redemptor, atque Salvator ſit injuriam paſſus, nunc uſque ſuſtinuit, veſtræque fortitudinis aſpiravit Imperio, ut ejus fidei cauſam (ſicut æquitas exigit, & ſanctorum Patrum, ſactarumque generalium quinque Synodorum decrevit inſtructio) exequi dignemini, ut Redemptoris, ac conregnatoris injuriam de ſuæ fidei contemptoribus per ejus præſidium ulciſcamini propheticum illud vaticinium cum imperiali clementia magnanimiter adimplentes, quia Rex & Propheta David ad eum loquitur: *Zelus domus tuæ* (inquiens) *comedit me.*

al. ſeremoniæ.

Psalm. 68

Item poſt pauca:

Nec enim poterit aliud ſimillimum inveniri, quod veſtræ invictiſſimæ fortitudinis divinæ majeſtati commendet clementiam, quam ut repulſis à regula veritatis erroribus, Evangelicæ atque Apoſtolicæ noſtræ fidei ubiq; illuſtretur, & prædicetur integritas. Propterea piiſſimi & à Deo inſtructi Domini filij, ſi hanc ſacrarum ſcripturarum, venerabilium Synodorum, ſpiritualium patrum irreprehenſibilem Apoſtolici dogmatis regulam, juxta Evangelicam eorum intelligentiam, per quam veritatis nobis formula, Spiritu referante, monſtrata eſt, Conſtantinopolitanæ Præſul Eccleſiæ tenere nobiſcum ac prædicare delegerit, pax multa erit diligentibus nomen Dei, & ullum non remanebit diſſenſionis ſcandalum, & fiet, quod in Actibus Apoſtolorum dum per gratiam ſancti Spiritus, populus ad cognitionem Chriſtianitatis acceſſerit, omnibus nobis cor unum, & anima una. Sin autem (quod porro longè ſit) novitatem nuper ab aliis introductam amplecti maluerit, & alienis à regula veritatis Orthodoxæ atque Apoſtolicæ noſtræ fidei ſeſe irretire doctrinis, quam, ut pote animabus noxiam, declinare, indeſinenter ab Apoſtolicis meæ humilitatis prædeceſſoribus exhortati atque commoniti, uſque hactenus diſtulerunt, ipſe noverit, quod delati contemptu in divino Chriſti examine ſatisfaciet apud Judicem omnium, qui in cœlis eſt, cui & nos ipſi pro ſuſcepto veræ prædicationis miniſterio vel præſumptione Chriſtianæ religioni contraria, dum ad judicandum advenerit, reddituri ſumus rationem: nobiſque (quod ſuppliciter exoro) liceat Apoſtolicam atque Evangelicam rectæ fidei regulam, ut ab exordio percepimus, inconcuſsè & liberè cum ſimplici puritate integram, atque illibatam ſervare.

SVPERSCRIPTIO SYNODICÆ *ſuggeſtionis.*

Epiſtola Agathonis & Romanæ Synodi ad Epiſc. quæ fuit velut inſtructio Legatorũ qui miſſi ſunt ad Synodũ ſextam celebrandam. Jacob. 3. c.

Pliſſimis ¦ Dominis & Sereniſſimis victoribus ac triumphatoribus dilectis Filiis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino magno Imperatori, Heraclio, & Tiberio Auguſtis Agatho Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ ſedis. Omnium bonorum ſpes ineſſe prænoſcitur, dum imperiale faſtigium ejus, à quo ſe coronatum, & hominibus præſtitutum ad ſalubriter gubernandum cognoſcit, veram de eo confeſſionem, qua ſola præ omnibus muneribus delectatur, inquirit fideliter, & vivaciter amplecti deſiderat. Et hoc Deo præſtantiſſimum munus eſt, à quo procedit omne quod bonum eſt, ad quem redigitur, quod de ejus majeſtate præceptum eſt, cujus ſpiritu perſtruente in mentis arcanis, & convaleſcente ſpiritali flagrantia, piæ intentionis radij circumquaque perluſtrant, & ſuavitatis odor de ſacrificio cordis aſcendit ad Dominum, qui tali munere complacatur. Unde & in terreſtribus fœlicitatem donet, & gentes ſubjuget univerſas, quas ad veræ de ſe cognitionis confeſſionem aſciſcat, quas ſubjectas Chriſtiano imperio de poteſtate liberet tenebrarum, ut fœlices faciat humiliatos, quos infœliciter exaltari ad eorum dejectionem permiſerat. Quia verò, piiſſime atque fortiſſime principum, Auguſtæ veſtræ pietatis cum laude admiramur Deo dignum propoſitum, quod circa Apoſtolicam noſtram fidem habere dignamini, Deo ſecretius ſatisfaciente non verbis fluentibus, nec loquacitate fallaci, ſed divina ſua gratia commonente, omnique ambiguitate ſublata, deſideratis cognoſcere, quæ veritas Orthodoxæ, atque Apoſtolicæ fidei contineat. Omnes nos exigui Eccleſiarum præſules, veſtri Chriſtiani Imperij famuli, in ſeptentrionalibus, vel occiduis partibus conſtituit, licet parvi & ſimplices ſcientia, fide tamen per Dei gratiam ſtabiles, pro his quæ per divalem Sacram perceptam cognovimus, contegnanti ac diſpenſanti vobiſcum conditori, & diſpenſatori omnium Deo exhilarati, pro hujuſmodi pio propoſito cum intimis cordis fletibus gratias reddere cœpimus, quod tam laudabile, tam mirificum, tam ſaluberrimum, tam ſingulariter Deo præ omnibus terrenis ſacrificiis acceptabile, tranquillitas veſtra opus creditur concupiſſe, quod multis quidem pietate & juſtitia præditis regibus deſideratum, pauciſſimis tamen raroque ad effectum Deo placitum, cum ſynceritate Apoſtolicæ fidei perduci poſſibile demonſtratum eſt.

Et poſt pauca ſubdit.

Pauperes Epiſcop. Occid.

Cum in noſtris regionibus diverſarum gentium quotidie æſtuat furor nunc confligendo, nunc diſcurrendo, ac rapiendo. Unde tota vita noſtra ſolicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circundat, & de labore corporis victus eſt, eo quod priſtina Eccleſiarum ſuſtentatio, paulatim per diverſas calamitates, deficiendo ſuccubuit. Et ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra: cum qua nobis vivere, ſumma eſt gloria: pro qua mori, lucrum æternum eſt. Hæc eſt perfecta noſtra ſcientia, ut terminos Catholicæ, atque Apoſtolicæ fidei, quos uſque hactenus Apoſtolica ſedes nobiſcum, & tenet, & tradit, tota mentis cuſtodia conſervemus, credentes in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium, & in Filium ejus unigenitum, qui ante omnia ſæcula ex eo natus eſt, verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, conſubſtantialem patri, ideſt, ejuſdem cum patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra, & in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificatorem, ex patre

addmonitio de hac par- (*Hunc locum depravatum fuiſſe conqueſtus eſt Iulianus Cardinalis in ea diſputatione quam habuit contra Græcos in Concilio Florentino, & ſublatam eſſe particulam, filioque. Nec credendum eſt Latinos voluiſſe diſſimulare ac tacere, rem tanti momenti negotio exigente in fidei profeſſione.*) procedentem, cum patre & filio coadorandum, & conglorificandum, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate: unitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò perſonarum, ſive ſubſiſtentiarum, Deum patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, non tres Deos, ſed unum Deum, Patrem & filium & Spiritum ſanctum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam* ſubſiſtentiam, quorum una eſſentia ſive ſubſtantia, vel natura, id eſt, una Deïtas, una æternitas, una poteſtas, unum imperium, una gloria, una adoratio, una eſſentialis ejuſdem ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis voluntas & operatio, quæ omnia condidit, diſpenſat, & continet.

ticula filioque omiſſa in ep. Agathonis & Con. Rom.

Credidêrunt hunc locum corruptum eſſe vitio impreſſorum, reponendumque ſubſtantiam, ubi ſubſiſtentiam legimus.

Deinde paulò poſt ſubjungit.

Unum quippe eumdemque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum ex duabus, & in duabus ſubſtantiis inconfuſe, incommutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter ſubſiſtere cognoſcimus nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitatem, ſed potius ſalva proprietate utriuſque naturæ in unam perſonam, unam ſubſiſtentiam concurrentem, non in dualitatem perſonarum diſpertitum vel diviſum, neque in unam compoſitam naturam confuſum: ſed unum eumdemque filium unigenitum Deum verbum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: neque alium in alio, neque alium & alium, ſed eundem ipſum in duabus naturis, ideſt, in Deïtate & humanitate. Et poſt ſubſiſtentialem adunationem cognoſcimus, quia neque verbum in carnis naturam converſum eſt, neque caro in verbi naturam transformata eſt: permanſit enim utrumque quod naturaliter erat: differentiam quippe adunatarum in eo naturarum ſola contemplatione diſcernimus, ex quibus inconfuſè, inſeparabiliter, & incommutabiliter eſt compoſitus, &c. *Hiceſtatur Leonis Papæ ep. 10. c. 4. Poſtea addit.*

Honoriũ ergo inuocent.

Hoc enim credimus, quod per traditionem Apoſtolicam accepimus, cujus authoritatem in omnibus ſequimur: à qua inſtitutos hoc ipſum noſtræ humilitatis prædeceſſores cognovimus, quam & uſque ad finem ſervari nobis ſive per vitam, ſive per mortem optamus.

ACTIO QUINTA.

In hac actione commonuit Imperator Macarium, & ſocios, ut proferrent teſtimonia ſanctorum Patrum demonſtrantia unam voluntatem, & unam operationem in Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſicut dudum proniſerant, & protulerunt duos codices, quorum prior in ſuperſcriptione ita continebat.

Teſtimonia ſanctorum Patrum, unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem docentia, quæ eſt etiam Patris, & Spiritus ſancti. Quibus lectis abſoluta eſt juſſu principis actio quinta.

ACTIO SEXTA.

In actione hac rurſus commonitus eſt Macarius cum ſociis ſi haberet alia teſtimonia de una voluntate, & operatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ proferret in Concilio. At ille protulit & alium codicem, qui in ſuperſcriptione continebat ſic.

Sequentia teſtimoniorum de voluntate.

Teſtimonia prolata ab hæreticis detrunca-

Et lectus eſt coram Concilio. Quo lecto, Conſtantinus Imperator dixit. Si vult pars aliquid proferre ad ſtabilitatem eorum, quæ ab eo præmiſſa ſunt, ediſſerat: & cum nihil amplius adderent, Imperator juſſit ſigillari tres codices, prolatos à Macario Archiepiſcopo

Antiocheno, tam per judices, quàm à parte ſedis Apoſtolicæ antiquæ Romæ, & ex parte ſedis Conſtantinopolitanæ, & ſigillati ſunt. Vicarij Apoſtolicæ ſedis Romanæ, & qui cum eis erant Epiſcopi & Clerici, & Monachi dixerunt. Piiſſime Domine, adhuc aliquid de una voluntate, & una operatione non oſtenderunt Macarius Deo amabilis Archiepiſcopus, & ejus ſocij per teſtimonia ab eis prolata, ſed & ipſa, quæ protulerunt detruncaverunt, & quæ ad Trinitatis quidem actinent rationem de una voluntate, pro incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti protulerunt. Quæ verò conveniunt, & quæ propriè pro hujuſmodi incarnationis diſpenſatione poſita ſunt, tam ſenſum quàm verba detruncaverunt. Unde petimus veſtram piiſſimam fortitudinem authenticos codices proferri ex venerabili Patriarchio hujus Regiæ civitatis, & conferri cum codicibus ab eis oblatis, &c. Piiſſimus Imperator præcepit, ut in ſequenti actione fieret.

ACTIO SEPTIMA.

Commoniti ſunt vicarij ſanctiſſimi Agathonis Papæ urbis Romæ, ut proferrent teſtimonia prædicantia duas voluntates naturales, & duas operationes etiam naturales in diſpenſatione incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & prophanorum hæreticorum ſimiliter teſtimonia, manifeſtantia unam voluntatem, & unam operationem. Et protulerunt codicem ſuprascriptum ita.

Teſtimonia ſanctorum ac probabilium patrum demonſtrantia duas voluntates, & duas operationes in Domino Deo Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Quem Steph. Monachus relegit ab initio uſque ad finem, tam ſanctorum ac probabilium teſtimonia, quàmque prophanorum hæreticorum. Et abſoluta eſt actio 7.

ACTIO OCTAVA.

Et reſidentibus glorioſis patriciis & conſulibus, & omnibus venerabilibus & Deo amabilibus Epiſcopis ex ordine in eodem ſecretario Trulli, propoſitis in medio ſacroſanctis Evangeliis, Paulus magnificus à ſecretis & imperialis ſecretarius, dixit: In memoria retinet à Deo firmata veſtra fortitudo, per quod propriam ſupplicationem in antecedenti conventu ad exemplaria duarum ſuggeſtionum directarum ad à Deo firmatam veſtram ſtrenuitatem, ab Agathone ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papa antiquæ Romanæ, & quod circa eum eſt Concilij, Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, & Macarius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Antiochiæ, & qui cum eis ſunt venerabiles Epiſcopi, promiſerunt, has relegentes, in ſubſequenti competens dare reſponſum, & ſuggerimus ad quod placuerit.

Piiſſimus Imperator Conſtantinus dixit: Edicat Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcop. hujus à Deo conſervandæ noſtræ civitatis, & Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ & ei ſubjacens Synodus, ſi convenit eis ſenſus ſuggeſtionum directarum ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romæ & ejus Synodo.

Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopoleos dixit: Inſpiciens, pie Domine, omnem virtutem ſuggeſtionum directarum ad piiſſimam veſtram fortitudinem tam ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romæ, quam ab ejus Synodo, & ſcrutans ſanctorum ac probabilium patrum codices, qui repoſiti ſunt in venerabili Patriarchio, inveni cuncta teſtimonia ſanctorum ac probabilium patrum, quæ in eiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia & in nullo diſcrepantia à ſanctis ac probabilibus patribus, & conſentio eis, & ſic profiteor, & credo.

Theodorus Deo amabilis Epiſcop. Epheſi dixit: Ita Domine profiteor & ſic credo, quemadmodum habent ſuggeſtiones ſanctiſſimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis, ideſt, duas naturas, & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes in uno ſanctæ Trinitatis Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Deo noſtro, &c. *Eodem modo omnes Patres in Concilio probarunt & admiſerunt Epiſtolam Papæ Agathonis*

A Et ſurgentes cæteri omnes Deo amabiles Epiſcopi, qui ſub ſedem Conſtantinopolitanam fuerant, exclamaverunt, dicentes: Et nos, piiſſime Domine, notionem accipientes ſuggeſtionis directæ ad manſuetiſſimam veſtram fortitudinem ab Agathone ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papa antiquæ Romæ, & alterius ſuggeſtionis, quæ facta eſt à ſubjacente ei Concilio, & ſequentes ſenſum qui in ea continetur, ſic ſapimus & profitemur, & credimus in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro duas naturas inconfuſe, inconvertibiliter, indiviſe, & duas naturales voluntates, & duas operationes naturales, & omnes qui docuerunt & dicunt unam voluntatem, & unam operationem in duabus naturis unius Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, anathematizamus.

B Sancta Synodus dixit: Si placet pietati veſtræ, Theodorus Deo amabilis Epiſcopus Meletinus unà cum ab eodem memoratis perſonis, id eſt, Petro Deo amabili Epiſcopo Nicomediæ, Salomone Epiſcopo * Clavei, *al. Cleone.* & Antonio Epiſcopo Hypeporum, Georgio Diacono & chartophylace ſanctæ hujus magnæ Eccleſiæ, Anaſtaſio Diacono & notario & defenſore navium, Stephano Diacono & cancellario, Dionyſio Diacono & cancellario, Anaſtaſio Presbyt. & Monacho, Georgio Monacho qui eſt cum Macario venerabili Archiepiſcopo Antiochiæ, & Stephano Preſbytero & Monacho ejuſdem Macarij diſcipulo, ſurgens in medio conſiſtat, & indubitanter quod ei videtur, unà cum eis reſpondeat.

Piiſſimus Imperator Conſtantinus dixit: Quod conſideratum eſt à ſancta Synodo, fiat.

C Et ſurgentes prædicti Epiſcopi atque clerici, & in medio ſtantes, ſine Stephano diſcipulo Macarij venerabilis Archiepiſc. Antiochiæ, dixerunt: Mentitus eſt hic adverſus vos Theodorus Epiſcopus Meletinus, neque enim agnoſcentibus nobis facta eſt chartula, quæ porrecta eſt ab eo Domino noſtro piiſſimo, ſed & parati ſumus noſtram Orthodoxam fidem confiteri.

Piiſſimus Imperator Conſtantinus & ſancta Synodus dixerunt: Quoniam quidem ſuſpicio nobis data eſt circa vos occaſione porrectæ chartulæ à Theodoro Deo amabili Epiſcopo Meletino, non aliter nobis ſatisfacitis, niſi utique in ſcripto libellos fidei veſtræ in ſubſequenti adduxeritis, ut debeant coram ſancta & immaculata Dei eloquia eis afferri.

Georgius ſanctiſſimus Archiepiſc. Conſtantinopoleos accedens ad piiſſimum Imperatorem Conſtantinum, dixit: A Deo coronate Domine, jubeto mitti in diptychis ſanctarum Eccleſiarum nomen ſanctæ memoriæ Vitaliani Papæ Romæ, eo quod propter tarditatem juſſorum apocriſariorum à ſanctiſſimo Papa ejuſdem antiquæ Romæ petitionem tunc dediſſe ad manſuetiſſimam veſtram fortitudinem iam partem ſanctæ Dei, Eccleſiæ & Macarium venerabilem Archiepiſcopum Antiochiæ, eoſque qui illo tempore advenerant in hanc à Deo ſervatam veſtram civitatem Deo amabiles Epiſ. ut prædictus ſanctæ memoriæ Vitalianus ejiceretur de ſanctis diptychis, & reſtitui nobis hujuſmodi petitionem, ſtatim enim inveniet à Deo inſtructa veſtra tranquillitas communicantes Eccleſ. Catholicæ, ſive qui ſeipſos ſeparant ab eo propter perſonam. *Vitaliani.*

E Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Quod poſtulatum eſt à ſanctiſſimo Georgio Patriarcha hujus à Deo ſervatæ noſtræ Regiæ civitatis, fiat.

Sancta Synodus exclamavit Conſtantinop. magno Imperatori multos annos. *Sequuntur precationes Imperatori dictæ, quibus confirmat illum cæteris Imperatoribus, qui curarunt celebrari quinque Synodos œcumenicas. Poſtea ſequitur.*

Sancta Synodus dixit: Si videtur piiſſimo Domino, edicat Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ, quomodo credit in uno ſanctæ Trinitatis Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro, & ſi confitetur in eo duas naturales voluntates & duas operationes inconfuſe & indiviſibiliter, & ſi ſequitur

ſuggeſtiones directas ad à Deo inſtructam veſtram fortitudinem à Patre pietatis veſtræ Agathone ſanctiſſimo Papa antiquæ Romæ, & ſi conſequitur paterna teſtimonia, quæ in eis continentur.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: audiens Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ, quæ ab hac ſancta & univerſali Synodo dicta ſunt, quod ei videtur, reſpondeat.

Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ dixit: Non dico duas voluntates, aut duas operationes in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſus Chriſti, ſed unam voluntatem & Dei-virilem operationem.

Sancta Synodus dixit. Poſtquam non conſentit virtuti directarum Orthodoxarum ſuggeſtionum ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romano Macarius venerabilis, quæ jam & coram veſtra pietate relectæ ſunt, quibus & omnes conſentientes gratè ſuſcepimus, prævidimus hunc de ſede ſua ſurgere ut debeat reſpondere. Et ſurrexit Macrobius Deo amabilis Epiſcopus Seleuciæ, vna cum Eulalio Epiſcopo, & cætera. *Hi & alĳ multi Epiſcopi, eandem Epiſtolam Agathonis probarunt. Poſtea ſequitur.*

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: De diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, unius ſanctæ Trinitatis Dei verbi, quomodo * ſentis?

al. ſentis in

Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Confiteor Dominum Jeſum Chriſtum unum ſanctæ Trinitatis eſſe & poſt incarnationem in duabus perfectis naturis inconfuſe & indiviſe in una perſona, & una ſubſiſtentia, nuſquam naturarum differentia perempta propter unitionem, ſed ſalvata potius proprietate utriuſque naturæ & in unam perſonam, atque unam ſubſiſtentiam concurrente. Quoniam vero alteram perſonam, & poſt humanationem unius ſanctæ Trinitatis non aſſumpſit, propter hoc nec aliquid peccati dicimus eum aſſumere quia abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus hominis in imagine novitatis confitemur unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Qui enim unam voluntatem habens, eſt ad ſuſceptionem harum omnium paſſionum idoneus, unam eandemque habuit virtutem ad tolerantiam horum omnium, ſecundum ſanctum & acceptabilem Auguſtinum. De hoc enim & confeſſionnem fidei j ampridem expoſuimus & conſentimus tam ſanctis quinque Synodis, quàm Honorio à Deo condito, Sergio, & Paulo, atque Petro, & reliquis, quorum mentionem & in his quæ Domino porreximus, teſtimoniis fecimus, confitentes unam voluntatem ſubſiſtentialem in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Dei-virilem ejus operationem. Nec enim quæ divina ſunt, ſecundum Deum, neque quæ humana ſunt, ſecundum hominem: ſed humanam & Dei quandam virilem operationem in converſatione demonſtraſſe, confitemur ſecundum ſanctum Dionyſium.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Confeſſio cujus mentio facta eſt, quod data ſit à nobis à Macario Archiepiſcopo Antiochiæ, propriæ ejus fidei lectione pandatur. Et prolata eſt: Poſt aliqua quæ in ejus confeſſione continentur, ſubdit articulum de Spiritu ſancto in hunc modum. Et in Spiritum ſanctum ex patre procedentem, & per filium manifeſtatum videlicet hominibus, vitam viventium, cauſam immortalem, ſanctitatem totius ſanctificationis, largitatem Trinitatis, perfectam gloriam, & imperio & conſilio non diviſam unam Deitatem & dominationem: *Longa itaque confeſſione agit de fidei articulis, admittitque quinque Synodos oecumenicas ante celebratas, & hæreticos in eis condemnatos reprobat, & Ignorantem Themiſtium, Origenem, Didymum & Evagrium, & Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum & ſcripta Theodoreti impia contra Cyrilli duodecim capita, & Epiſtolam quæ dicitur ab Iba ad Marim Perſam ſcripta: damnat etiam omnes quos Honorium, Sergius & Cyrus, & reliqui Eccleſiarũ Doctores damnaverunt. Ad-*

Hunc locũ de ſpiritu ſancto putant quidã depravatũ a gratis ex eruditis.

dit etiam encomia & precationes Imperatoris. Tandem ſubdit ſubſcriptionem in hunc modum. Macarius miſericordia Dei Epiſcopus Theopoleos, dictans omnem ſupradictum Orthodoxiæ textum juxta editiones ſanctarum & univerſalium quinque Synodorum, & Sanctorum ac probatorum patrum, qui à me nominatim ſunt poſiti, qui explanaverunt juxta præfixam virtutem unam voluntatem in uno Domino Jeſu Chriſto Deo noſtro, & Dei-virilem ejus demonſtrarunt vobis operationem: Et quia impium ſit dicere, in eodem Chriſto Deo noſtro duas voluntates, conſentiens atque confeſſus, atque ita ſentiens & docens, ſperanſque aſſiſtere terribili Dei tribunali cum hac in ea Orthodoxa fide.

Conſtantinus piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Per tenorem oblatæ confeſſionis a Macario Deo amabili Archiepiſcopo Antiochiæ, fidei ejus agnitionem accepimus. Edicat autem item Deo amabilis Macarius, ſi conſentit teſtimoniis ab eo prolatis & porrectis.

Macarius ſanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Utique Domine.

Conſtantinus piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Proſequatur idem Deo amabilis Macarius, ſi confiteatur duas naturales voluntates, & duas operationes in incarnationis diſpenſatione Dei noſtri.

Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.

Macarij obſtinatio.

Conſtantinus piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Ex codicibus nunc prolatis, & recognitis à Macario venerabili Archiepiſcopo Antiochiæ, primus ex eis codicillus lectione pandatur, ad collationem authenticorum librorum ſanctorum ac probabilium patrum, qui reconditi ſunt in venerabili Patriarchio, juxta quod dudum poſtulata ſunt a parte Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimi Papæ Romani Agathonis. Gregorius Deo amabilis Diaconus, & chartophylax hujus magnæ Dei Eccleſiæ proferat hujuſmodi codices ſanctorum ac probabilium patrum de venerabili Patriarchio. Et prolati ſunt:

Et accipiens per juſſionem piiſſimi noſtri principis Conſtantini Petrus glorioſus exconſul librum ſancti Athanaſij, contulit cum hujuſmodi primo codicillo, deferente eundem codicillum Diogene magnifico à ſecretis & imperiali ſecretario, quem & relegit continentem in verbis hoc modo: *Sancti Athanaſii ex ſecundo ſermone adverſus Apollinarem:* Certum namque eſt, quod præexiſtens Deus verbum, ante carnis adventum non erat homo, ſed Deus erat apud Deum, inviſibilis atque impaſſibilis. Neque igitur Chriſti nomen abſque carne defertur, quia ſequitur nomen paſſio & mors, Luca quidem ſcribente. Si paſſibilis Chriſtus, primus ex reſurrectione mortuorum. Paulo vero dicente, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Et quia homo Jeſus Chriſtus, qui dedit ſemetipſum pro nobis, non quia non eſt Deus, ſed quia & homo eſt Chriſtus, propterea *memor eſto Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David.* Propter hoc ſcriptura utrorumque nominum facit introductionem in oſtenſionem ſubſtantiæ: inviſibiliter quidem Deum intelligendo & vere exiſtentem, viſibiliter autem hominem palpando, & vere exiſtentem non in diviſione perſonarum aut intelligentiarum, ſed naturali nativitate & indiſſolubili unitate, ut in ipſo certa exiſtente paſſione, verus idem atque impaſſibilis veraciter intelligatur. Sunt autem, & quæ interciſa ſunt à Macario & Stephano, & ante & poſt teſtimonia hæc. Sed dicit: Quia ſi omnia ſuſcepit modis omnibus, & humanas habuit cogitationes. Impoſſibile autem eſt in cogitationibus hominis peccatum non eſſe. Et quomodo erit abſque peccato Chriſtus? Dicite igitur: Si cogitationum peccabilium conditor eſt Deus, deputan-

Act. 8. 1. Cor. 5. 2. Tim. 2.

dum eſt Deo proprium officium. Venit enim aſſumere facturam ſuam. Sed injuſtum erit iterum judicium condemnans peccatorem. Si enim peccabiles cogitationes condidit Dominus, quomodo condemnat peccantem? Et quomodo erit poſſibile δίκαιον arbitrantur à Deo tale judicium fieri: Si autem & Adam ſubjacebat talibus cogitationibus antequam inobediens fieret Dei mandato, & quomodo ignorabat bonum & malum? Rationalis quippe erat natura liberrima à talibus cogitationibus, experientiam mali neſciens, tantummodo bonum ſciens, & quidem uniformis fuerat: non obediens autem mandato Dei, ſuccubuit talibus cogitationibus, non quia Deus creavit captivantes has cogitationes, ſed diabolus per deceptionem ſuperimponens hominis rationali naturæ, quæ in prævaricatione facta eſt, & repulſa eſt à Deo, ac per hoc etiam diabolum legem peccati in natura hominis poſuiſſe, & mortem regnaviſſe per opus peccati. Ideo igitur venit filius Dei, ut ſoluat opera diaboli. Sed dicitis, quia ſoluit non peccando. Sed non eſt hæc ſolutio peccati. Nec enim in illo à principio operatus eſt diabolus peccatum, ut veniente eo in mundum, & non peccante, ſolvatur peccatum, ſed in rationali & intellectuali natura hominis à principio operatus eſt peccatum diabolus, propter hoc impoſſibile factum eſt naturæ rationali exiſtenti, & ſponte peccanti, ſub condemnatione neque mortis factæ, ipſam corrigere ad libertatem, ut
Rom.8. ait Apoſtol. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, propter hoc venit filius Dei*, hanc in propriam naturam diſponere ex novo principio & nativitate mirabili, non ut illum, qui à principio ſtaturus erat, reſecaret, ſed ſuperſeminatum contemptum contemnere, ſicut teſtatur prophera, dicens:
Eſaiæ 8. *Antequam ſciat puer bonum aut malum, reprobat malum, & eligat bonum.* Si autem non in natura peccatrice impeccabilis viſus eſt, quomodo condemnatum eſt peccatum in carne, neque carne efficaciam habente neque deitate peccatum ſciente? Quomodo autem &
Rom.5. Apoſt. dicit. *Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia*, non locum deſcribens, ſed naturam ſupponens? *Ut quemadmodum*, inquit, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, ita & per unum hominem Jeſum Chriſtum gratia regnaret per juſtificationem in vitam æternam*, ut per quam naturam progreſſio peccati facta eſt, per hanc & oſtenſio juſtificationis fieret, & ita ſolverentur opera diaboli, liberata hominis natura à peccato, & glorificetur Deus.

Dum igitur conferretur talis liber, & præmitterentur quædam ante & poſt in medio ejuſdem teſtimonij, Conſtant. piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Edicat Deo amabilis Macarius Archiepiſcopus, ut quid hæc quæ neceſſaria ſunt, circumrecidit de teſtimonio ſancti & probabilis patris?

Macarius ſanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Ego teſtimonia quæ defloravi, ſecundum proprium intentum defloravi. Et dum adhuc relegeretur poſt detruncationem idem teſtimonium, quod defloraverant Macarius & Stephanus, habens in ſuperſcriptione. Et poſt aliqua, quod iam in verbis etiam aſtruebat hoc modo, propterea in deitate verbi apparens forma ſervi, non neceſſitati ſubjecta natura atque virtute, inculpabilitatem oſtendit, diſſolvens jus neceſſitatis & peccati legem, atque captivitatis tyrannum captivum ducens,
Pſal 67. ſicut ait propheta: *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Formam enim ſervi adverſus inimicum proferens verbum, victoriam fecit per illud, quod aliquando victum eſt. Propterea & omnem tentationem explevit Jeſus, quia & omnia aſſumpſit, quæ tentationis experimentum habuerunt, per quæ
Joan.16. pro nobis victoriam fecit, dicens: *Confidite, ego vici mundum.* Nec enim adverſus deitatem aſſumpſit diabolus prælium, quam neſciit, quia nec audebat: propterea dicebat;
Matth.4. *Si tu es filius Dei*: ſed adverſus hominem, quem olim decipere valuit & ex illo in omnes homines extendit ſuæ malitiæ operationem. Cum itaque anima Adæ in condemnatione mortis detineretur, & exclamaret ad Dominum proprium ſemper, ſed & hi, qui placuerunt Deo, & juſtificati ſunt in naturali lege, una cum Adam detinerentur, conlugentibus & conclamantibus, miſertus Deus hominis quem fecit, bene placitum ei fuit, per ſacramentum manifeſtationis novitatis ſalutem operari in genere humano, ut deſtrueret quidem inimicum, qui per invidiam deceperat, ſublimatum; ineffabiliter autem oſtenderet hominem per unitionem altiſſimi, & communionem naturæ ex veritate. Propterea venit verbum, qui Deus eſt, primique hominis conditor, ut fieret homo, ad vivificationem quidem hominis, deſtructionem vero invicti inimici, & natus eſt de muliere, ex prima formatione formam hominis ſibiipſi reſuſcitans in oſtenſione carnis, abſque carnalibus voluntatibus, & cogitationibus humanis in imagine novitatis. Nam voluntas ſolius deitatis, quia & natura tota verbi in oſtenſione formæ ipſius humanæ carnis, quæ viſa eſt ſecundi Adæ, non in diviſione perſonarum, ſed in ſubſtantia deitatis & humanitatis: propterea ergo accedebat diabolus ad Jeſum tanquam ad hominem, & non inveniens in eo vetuſtatis, nec ſuæ ſationis indicium, neque ad præſens aggreſſionis profectum, vincebatur confuſus: & victus ac fatigatus, dicebat: *Quis eſt hic, qui venit ex Edom?* id eſt, Iſaiæ 63.
ex hominis terra, *incedens cum potentia.* Propter quod & Chriſtus dicebat: *Venit princeps hujus mundi, & in me invenit nihil.* Joan.14.

Sancta Synodus dixit: Ecce benigniſſime Domine, & hoc teſtimonium abſcidit. Nam quæ poſt teſtimonia per juſſionem veſtræ fortitudinis releguntur, oſtendunt defiorationem ejus obumbratã. Et relecta ſunt ſequentia teſtimonia, quæ abſciſſa ſunt à Macario & Stephano & præſente teſtimonio, dum quando & carnem & animam, & totum primum ſecundum factum invenit Adam. Si enim de ſubſtantia hominis erat ipſum nihil, quomodo ipſum corpus repertum eſt, quod videbatur? dicitis nihil, ſed non invenit in ipſo, quæ ipſe operatus eſt in primo Adam, & ita deſtructum eſt peccatum in Chriſto. Propterea & ſcriptura teſtatur: *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Quomodo ergo dicitis, & impudenter aſſeritis, quia impoſſibile eſt captivabilem fieri, qui ſemel captus eſt homo? Ut impoſſibilitatem quidem (quod omnino à ratione diſcrepat) Deo applicetis, poſſibilitatem autem diabolo, indeſtructum ejus dicentes peccatum in natura hominum (ſicut & cæteri hæretici) & ideo adveniſſe deitatem, quæ non captivatur in ſimilitudine carnis & animæ ut ipſa captivabilis maneat, & ſic appareat munda juſtitia: quando enim non fuit munda deitatis juſtitia? & ex his quod eſt hominibus beneficium, niſi in eadem ſubſtantia & naturæ innovatione appareat Dominus (ſicut ait Apoſtolus) quam innovavit nobis viam novam & viventem, dicens: *Ego ſum via, veritas & vita.* Sancta Synodus dixit: Ecce & hoc teſtimonium ſancti patris peremiſti. Non congruit Orthodoxis, ita circumtruncatas ſanctorum Patrum voces defiorare, hæreticorum potius proprium hoc eſt. Eſaiæ 53. 1. Petr. 2. & 1. Joan. 3. Joan. 14.

Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Etiam dixi, quia quærens ſtabilire intentionem meam, hoc modo defloravi.

Sancta Synodus exclamavit: Hæreticum ſeipſum manifeſte demonſtravit. Novo Dioſcoro anathema, hujuſmodi deponatur. Novum Dioſcorum foras mitte, Novo Apollinario malos annos. Merito ab Epiſcopatu alienetur. Nudetur circumpoſito ei pallio. Et denudato eo, atque in medio aſtante, una cum Stephano ejus diſcipulo: *Credi derim nomine pallii, veſtem Epiſcopalé, dignitatis inſigne, intelligi.*

Theophanes venerabilis Preſbyter, & Abbas Monaſterij Baias, interrogavit eoſdem Macarium & Stephanum: Habuit humanam voluntatem Dominus noſter Jeſus, & impeccabilem?

Macarius & Stephanus dixerunt: Nos voluntatem humanam in Chriſto non dicimus, divinam vero etiam abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, ſicut prolatum à nobis teſtimonium S. Athanaſij continet. Voluntas enim Deitatis tantum.

Theophanes Deo amabilis Preſbyter & Abbas, dixit: Et quomodo intelligitis carnales voluntates, & cogitationes humanas?

Macarius & Stephanus dixerunt: Voluntates carnales & cogitationes humanæ, hominum ſimilium nobis ſunt, Chriſtus vero nihil eorum habuit.

Theophanes Deo amabilis Preſbyter & Abbas, dixit. Si teſtimonium quod detruncaſtis, in integro poſuiſſetis, inveniebatur, quod carnales voluntates & humanas cogitationes, culpabiles & voluptuoſas accepit ſanctus Pater Athanaſius, quæ ex ſeminatione diabolica illatæ ſunt humanæ naturæ, ſicut idem ſanctiſſimus pater ſuperius aſſerit. Nam & ego dico non habuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verbum Deum noſtrum ex ſuperſatione voluntatem carnalem, aut peccabiles cogitationes, Abſit: Sed naturalem voluntatem, quam ipſe Deus creans Adam, ei indidit. Et hoc autem ipſe interrogo vos: Habuit & animam rationabilem ipſe Adam?

Macarius & Stephanus dixerunt: Etiam.

Adami voluntas. Theophanes Deo amabilis Preſbyter & Abbas dixit: Naturalem habuit voluntatem?

Stephanus religioſus Monachus dixit, θεοειδετικὴ καὶ ἀυτεξούσιον, quod eſt arbitrale & liberum. Etenim ante prævaricationem divinam habuit voluntatem, & convoluntarius erat Deo.

Domitius Deo amabilis Epiſcopus Pruſiades dixit: Ubi it vanitas tua blaſpheme? Si convoluntarius erat Adam Deo, ergo & concreator

Theodorus & Georgius Deo amabiles Preſbyteri, & Joannes Deo amabilis diaconus, locum præſentantes Agathonis ſanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ ſedis antiquæ Romæ, & qui ex perſona ejus fuerunt Concilij Deo amabiles Epiſcopi, dixerunt: Si Adam ante prævaricationem divinam habuit voluntatem, ergo & conſubſtantialis fuit Deo, & inconverſabilis ac vivificatrix fuit voluntas Adæ. Et quomodo muratus, tranſgreſſus eſt mandatum, & morti ſuccubuit? Qui enim convoluntarius eſt, utique & conſubſtantialis eſt. An ignoras S. Cyrillum clamantem, ſicut eſt conſubſtantialis, ita & convoluntarius proprio genitori? Unius enim eſſentiæ una utique eſt voluntas.

Tandem productæ ſunt multæ authoritates, ad confirmandas duas in Chriſto voluntates, quas brevitati ſtudentes, in compendium contraximus.

Authoritates Sanctorum Patrum. Dionyſius Areopagita libro ſecundo de divinis nominibus, Diſcreta (inquit) eſt benigniſſima Dei circa nos operatio, &c. Eadem authoritas citatur in epiſtola Agathonis Papæ.

Athanaſius ſecundo ſermone contra Apollinarem. Chriſti nomen (inquit) divinitatem inviſibilem & paſſibilem importans abſque humanitate (quam conſequuntur mors & paſſio) non intelligitur.

Gregorius Nicenus libro ſecundo adverſus Eunomium, multis ſermonibus duas in Chriſto voluntates oſtendit. Eadem authoritas citatur in Epiſtola Agathonis Papæ.

Auguſtinus 5. lib. adverſus Julianum Pelagianiſtam, dicit voluntatem motum eſſe naturæ, &c. Quæ authoritas in Epiſtola Agathonis ſimiliter narratur.

Cyrillus libro de theſauris, unius eſſentiæ una eſt voluntas, atqui in Chriſto duæ eſſentiæ, &c.

Ambroſius ad Gratianum Imperatorem, Chriſtus, inquit, in veritate carnis oſtendendo in effectu Deo patri ſe coæqualem oſtendit ut diceret, Non quod ego volo, ſed quod tu.

Chryſoſtomus in illud Matthæi, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte:* multis rationibus, duas voluntates in Chriſto oſtendit.

ACTIO NONA.

Reſidentibus glorioſiſſimis patriciis & conſulibus, & omnibus venerabilibus Epiſcopis ſecundum ordinem in ſecretario Trulli, propoſitis in medio ſanctis Evangeliis. Conſtantinus diaconus & primicerius notariorum Georgij Archiepiſcopi Conſtantinopoleos: dixit. Meminit à Deo inſtructum Imperium veſtrum, & ſancta univerſalis Synodus quòd externa die collata ſunt cum libris venerabilis Patriarchij, diverſa teſtimonia ex codicillo qui oblatus eſt à Macario & Stephano, & interlocutio facta eſt, ut in ſubſequenti reliqua ejuſdem libelli relegerentur. Aſſiſtunt autem præ zelo Petrus Epiſcopus Nicomediæ, &c. Epiſcopi & alij fautores & diſcipuli Macarij. Si videtur veſtro Imperio & veſtræ Synodo, hos ingredi: & ad juſſum Imperatoris & ſanctæ Synodi ingreſſis, relecta ſunt dudum geſta.

Tunc Imperator dixit. Proferatur liber teſtimoniorum, qui oblatus eſt à Macario & Stephano, ut reliqua relegantur & conferantur cum codicibus venerabilis Patriarchii, quo prolato, Diogenes Imperialis ſecretarius, relegit ita. *Sancti Athanaſii ex ſermone de Trinitate, de incarnatione.* Et quando dixit, *Deus Deus meus, ut quid me dereliquiſti*, ex perſona noſtra dicit: *Et poſt pauca. Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte: veruntamen non mea fiat voluntas, ſed tua, Spiritus promptus, caro autem infirma*, duas voluntates hic oſtendit, unam quidem humanam, alteram divinam. *Abſciderant totum hoc.* Factus quippe in ſimilitudine hominum refugiebat paſſionem ut homo: Deus vero exiſtens, qui eſt ſecundum divinam eſſentiam impaſſibilis, prompte ſuſcipiebat paſſionem.

Baſilius Epiſcopus Gortynæ, dixit Imperatori. Quamvis abſciderunt nihilominus non probarunt unitam voluntatem in Chriſto.

Stephanus diſcipulus Macarij citavit Gregorium Theologum ſecundo libro de Filio Dei, ut probaret unam voluntatem Chriſti: illius enim velle nec contrarium eſt Deo, deificatum eorum.

Baſil. Gortynæ Epiſcopus dixit: qualem voluntatem dicis deificatam? divinam minime, de humana igitur intelligendum eſt, duas proinde voluntates eſſe in Chriſto fatearis oportet.

Codices conferuntur. Item relectum eſt ex eodem codicillo alterum teſtimonium ſancti Cyrilli de interpretatione Evangelij ſecundum Matthæum ſermone duodecimo, quod collatum eſt ſimiliter cum libro carthaceo bibliothecæ hujus venerabilis Patriarchij, textu teſtimonij habente ſic: Ergo id *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, tranſformationem & transfigurationem naturæ humanæ de exſuperata formidine in audaciam ſpiritualem bene nimis ſignificat. Sunt autem & ante hoc teſtimonium, quæ callide prædictus Macarius & Stephanus non deflоraverunt, hoc modo: recuſat itaque ipſum calicem, crucifigentes ſe, Dei amatores non eſſe tanquam per hoc accuſans: & ſubeſt quidem in eo pavor paſſionis propter humanitatem, compeſcitur autem continuo virtute inhabitantis verbi ac fortitudine. Conſidera namque quomodo oſtendit quidem quod humanum eſt, ipſa recuſatione: quod autem deitatis eſt indeflexibile, effulſit ſtatim. Ait enim ad Patrem, qui in cœlis eſt: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Humanitas vero condecenter, & hoc ait. Nam ſecundum quod Deus eſt, non extra eſt voluntatem Patris: magis autem ipſe eſt voluntas Dei & Patris, ſicut in ſapientia & ipſum velle eſt patris, ſapientia vero eſt filius.

Sancta Synodus dixit: Tu Stephane & tuus magiſter Macarius, non oſtendiſtis * in incarnatione diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, per codicillum à vobis oblatum, ſed duas voluntates, in teſtimoniis in eodem codicillo poſitis invenimus

deeſt, unam.

runt, exoriente hujus temporibus novo Hæresiarcha Mahumete Turcarum Pseudo-Propheta à quibus tandem Imperium Orientis in vilissimam servitutem redactum est. Nihilominus Heraclius quoad usque vixit, pulchro velamine extirpandi hæreses Nestorii & Eutychis ac aliorum, nec non procegendi Synodum Chalcedonensem obtexit se, perseverans sic inter suos Catholico nomine, nec per plures annos detecta fuit hæresis illius vafrities, ita ut latitans & non impetita facilius serperet.

Cœpit autem magis perspicacibus apparere tunc cum anno 639. Heraclius occasione dissensionis inter Sophronium Jerosolymitanum, & Cyrum Alexandrinum, constitutionem quamdam de fide promulgavit, quæ Ecthesis, id est explicatio Fidei, & ab aliis Typus quasi forma & exemplar Fidei, quæ habetur in Concilio Lateranensi sub Martino primo celebrata, proponitque rmam operationem in Christo credendam, est autem ejus titulus. *Ecthesis seu Typus Heraclii.* *Expositio Orthodoxæ fidei facta à piissimo & Deo-conservando nostro Domino magno principe Heraclio, propter emersam ab aliquibus altercationem, pro requisitione operationis consonans in omnibus sanctis & universalibus quinque Conciliis, quam cum multa satisfactione & gratia receperunt Patriarchalium sedium præsules, & gratanter ei consenserunt, utpote pacem sanctæ Dei Ecclesiæ inferentem.*

Initium est. Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, *& infrà*, nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere vel docere operationes in divina Domini incarnatione, &c. eo quod unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus patribus dicta est, tamen turbat & exterret quorumdam aures arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote à nemine dictam sanctorum & præcipuorum patrum: sed & sequi in eo ut duas confiteamur voluntatas contrariè ad invicem venientes, Deo quidem verbo volente salubertimam passionem explere, Incarnationem autem in eo factam obviam eamtem ipsius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium & extraneum Christiani dogmatis, &c. *Fuit autem subscriptio.*

Heraclius fidelis in Jesu Christo Deo princeps subnotavit.

Pseudo-Synodus pro Monothelit. Hæc autem Ecthesis aut explicatio fidei statim confirmata fuit in Synodo Constantinopolitana à Sergio coacta, quam ut invalidam & contra Canones habitam impugnavit Maximus in disputatione cum Pyrrho habita. Sed & statim recepta quoque fuit à Cyro Alexandrino Patriarcha. Quo factum est ut deinceps hæresis Monothelitarum progressus faceret in Oriente. Quamvis ante mortem declarasset Imperator non esse suam illam ecthesin, nec à se editam, sed à Sergio Constantinopolitano Patriarcha, à quo rogatus fuerat ut suo nomine promulgaretur. Moriens autem Heraclius filium Constantem reliquit hæredem Imperii simul & erroris, qui eum ut propagaret magis, mortuis Episcopis alios subrogari curabat erroris sui adsertores, sicut & præsides quos in provincias mittebat. Sed & his temporibus sub anno 642. Patriarchæ Orientis hæretici erant, quibus omnibus malis accedebat sectæ Mahometanæ augmentum in Christianæ religionis opprobrium. Destituta quoque erat Ecclesia Orientis viris doctis ac zelosis qui eam tuerentur, ac tanquam latrantes canes lupis libere grassantibus in ovile dominicum se opponerent. Defunctus enim erat Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus ac pugil validus pro fide Catholica, ad cujus tuitionem etiam Synodum coëgerat. Maximus vero Abbas Constantinopoli recesserat in Africam. *Mahumeti secta exorta.*

Sicque nunquam apparuerat turpior facies Ecclesiæ quam his temporibus, ut notat Baronius ad præditum annum 641.

Quantum vero Draco antiquus Mysterium humanæ redemptionis per Christum evertere per hanc hæresim molitus sit haud tunc ignotum fuit: nam Constantinus Augustus in edicto suo confirmatorio Concilii, nos adstruunt, inquit, non perfectè salvari, hæc qui prædicant; quia imperfectè verbum nostram naturam adsumpsit. Si enim totus toti naturæ non est unitus, nec totus homo salvatus est, quod enim non adsumptum est nec salvatum. Scilicet ut benè advertit Christianus Lupus cap. 3. hujus Synodi, non sola substantia hominis, sed & voluntates & operationes peccato sunt fœdatæ, ideoque egent gloria Dei, & Sanari & purgari per mediatorem, quod sperare non possunt nisi ab illo assumptæ. Nihil sequitur in corpore nisi quod præcessit in capite; caput est radix traducens eas solas humanæ naturæ reparatrices gratias, quas sibi ipsi implantavit. Quocirca dico adversus Monothelitas quod adversus Marcionem Tertullianus in l. de carne Christi c. 5. *Scelerissime hominum pare unicæ spei totius orbis, &c.* Sed & alia via Monothelitæ redemptionem impugnabant, nam si desit humana libertas in Christo, vana erit satisfactio ipsius pro peccatis hominum. Sentiunt hoc Theologi omnes qui tantopere satagunt ad conciliandam libertatem ipsius cum præcepto moriendi à Patre ipsi imposito. Quippe si necessario mortuus fuisset quia non obedire non potest, & non ex libera acceptatione præcepti moriendi cum potestate non acceptandi, nec meritus fuisset nec satisfecisset. Ista consequentia post se vehebat Monotheliſmus, quibus publicandis non defuisset Dæmon, sed principium statuendum erat. *Mysterium Redemptionis impugnatum per Monothelitas.*

Interim Martinus Papa Concilium Lateranense congregat in quo damnat Monothelitas & Ecthesim Heraclii eo maximè titulo, quod prohibens unam deinceps aut duas dicere operationes aut voluntates in Christo, simili forte hæreticos Catholicosque involveret, ac seu indifferens haberi vellet quod minimè posset haberi ut indifferens, hoc enim præcipuè urget Synodus illa Martini. Qua definitione exasperatus Imperator Monothelita Constans, eamque ferre nolens, capi eum jubet ac in Chersonesum relegat, ubi ærumnis confectus ac lento quodam Martyrio Pontificatum suum illustravit, sed & Maximum Abbatem alioſque dira morte excruciari jussit. Sic hæresis illa invalescebat quotidie.

Donec mortuo Constanee ei successit filius Constantinus Pogonatus Orthodoxæ fidei Professor; qui ut maculam hæreditariam eluceret, egit primum cum Dono Pontifice, deinde cum Agathone ejus successore de cogendo Concilio Generali contra Monotheletas. Fuitque congregatum anno 680. & sequenti absolutum in Oratorio palatii Imperialis Constantinop. quod dicebatur Trullus, id est, capsula propter fornicis rotunditatem. Fuitque ducentorum octoginta novem Episcoporum, præsidentibus in eo nomine Agathonis Theodoro & Gregorio Presbyteris, necnon Joanne Diacono qui in omnibus actionibus primi subscribunt, interfuitque Constantinus Imperator eminentiori loco sedens, ut rixas tumultusque averteret ac securitatem procuraret.

Sequuntur alia Concilia.

DIVALIS SACRA, DIRECTA ad Donum Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, contradita vero Agathoni ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papæ ejuſdem antiquæ Romæ, eo quod idem Donus de præſenti vita deceſſiſſet.

IN NOMINE DOMINI & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperator Flavius Conſtantinus fidelis, Magnus Imperator ſacra Dono ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ, & univerſali Papæ, data pridie Idus Auguſtas Conſtantinopoli indictione ſexta.

PEr omnia novit veſtra paterna beatitudo, & plures veſtræ ſanctæ Eccleſiæ antiquæ Romæ, quia ex quo juſſit Deus principaliter nos imperare, dum voluiſſent multoties quidam motionem facere de verbis, de quibus eſt contentio pro dogmate pietatis, inter partes tam ſanctæ veſtræ Eccleſiæ, quamque hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ, ut ambigerent, & hoc prohibuimus fieri tempore non admittente, cognoſcentes quod ex particulari contentione non ſolum unitas fieri non poſſet, ſed magis malum accreſceret. Et licet animo doleremus ultra omnem dolorem, tam pro exprobratione, quæ nobis ob hoc ab inimicis inferebatur, & propter ipſam veritatem, quam Pontifices ſecundum vos, & Orthodoxus noſter populus propter quaſdam novitates vocum in ſchiſma incidiſſet, exultatioqne ex hoc fieret impiis & hæreticis: attamen Deo noſtro commiſimus, ipſo pro nobis potiora providente, & dum ejus benignitas juſſerit hujus rei correctionem fieri, tunc nobis condonare opportunitatem temporis, ad generalem collectionem faciendam utrarumque ſedium, quatenus conſiderantibus eis definitiones ſanctarum quinque Synodorum, & editiones ſanctorum probabilium patrum ſatisfacerent ſibimetipſis & convenirent in uno ore, unoque corde ad glorificandum honorificum nomen Dei noſtri.

Sed quoniam ſicut homines cogitamus, ſicut autem jubet Deus, omnia perficit, ipſe enim novit futura, & quæque nobis expediunt, ſicut placitum eſt, ut ad effectum perducantur, cognoſcere facimus veſtram paternam beatitudinem, quòd dum ordinatus eſſet Theodorus ſanctiſſimus & beatiſſimus Patriarcha à Deo conſervandæ hujus noſtræ Regiæ urbis, ſuggeſſit noſtræ ſerenitati ſuſpectum ſe eſſe, dirigere conſueta Synodica ad veſtram paternam beatitudinem, ne forſan non recipiatur, ſicut & ſub prædeceſſoribus ejus Patriarchis factum eſt: ſed quia magis prævidit adhortatoriam Epiſtolam facere ad veſtram paternam beatitudinem, quam & direxit, ejus per omnia ſcientiam habet veſtra paterna beatitudo, & non prævidimus, per præſentem noſtram piam ſacram, de hujuſmodi Epiſtola uti multiloquio, ſed poſteaquam directa eſt eadem Epiſtola ad veſtram paternam beatitudinem, interrogavimus eundem ſanctiſſimum, & beatiſſimum Patriarcham, & Macarium ſanctiſſimum Patriarcham civitatis Theopolitanæ, quænam eſſet difficultas quæ provenerat inter veſtram paternam beatitudinem, ſeu veſtram Apoſtolicam ſedem, & ipſos. Olim omnibus expletis, quicunque ſunt de immaculata noſtra, & incommutabili Chriſtianorum fide tam per doctrinam ſanctorum Apoſtolorum, quamque per definitiones ſanctarum quinque Synodorum, & doctrinam ſanctorum ac probabilium Patrum, & omnibus hæreſibus jam manifeſtatis, atque condemnatis, & nullo deinceps remanente modo, quo poſſit diviſio aut ſchiſma immaculatæ & ſanctæ noſtræ fidei inferre: ſatisfecerunt nobis jidem ipſi Sanctiſſimi Patriarchæ, quod verba quædam novitatis intromiſſa ſint, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus verò incongrue ſcrutantibus incomprehenſibilia opera Dei: & quia ex quo hæc verba moveri cœperunt, & uſque hactenus utraque ſedes inter ſe minime convenerunt, ut inquirentes ſibimet ſatisfacerent pro veritate. Propter vites igitur inquiſitiones non ſit finita contentio, ne nobis inſultent pagani, & hæretici, neque in nobis uſquequaque locum accipiant ſemina adverſarii. Cadens namque ab humano genere, quod ei ſerviebat, & confuſus per apparitionem Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, etiam in his confunderetur per ſtudium veſtræ paternæ beatitudinis, & ſecundum quod ſcriptum eſt deponentibus omnem zelum, & omnem contentionem omnemque invidiam, veritati concurramus. Veritas enim Deo chara eſt, & ſecundum Domini vocem. *Quicunque voluerit omnium primus eſſe, ſit omnium miniſter.* Et iterum dictum eſt, *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* *Matth. 20. Ioan. 13.*

Poſtquam igitur tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur veſtram paternam beatitudinem, per præſentem noſtram piam Sacram dirigere viros utiles, modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ ſedis, ejuſque Concilii, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem authoritatem habentes, quatenus convenientes, cum hic poſito ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patriarcha, & Macario ſanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ civitatis: perſcrutentur cum omni manſuetudine ac modeſtia, & per gratiam ſancti Spiritus veritati inſiſtere & conſentire, munitionem habentibus his, qui huc advenerunt ex parte ſedis veſtræ per præſentem noſtram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non eſt apud nos partis cujuſlibet favor, ſed æqualitatem utriſque partibus conſervabimus, nullatenus neceſſitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui a vobis dirigantur quoquomodo: ſed & omni honore, cum competenti munificentia, & ſuſceptione dignos eos habebimus. Et ſiquidem utrique convenerint, ecce & bene: ſin autem minime convenerint, iterum & cum omni humanitate eos ad vos dirigemus, de cætero nos excuſantes in judicio Dei imminente nobis, juxta quod conſtituit ſumus ſervare fidem ſanctam, & immaculatam quam percepimus, unoquoque proprio ſenſu abundante, rationem reddituri ante ſanctum & terribile tribunal Dei noſtri. Invitare enim & rogare poſſumus ad omnem commendationem, & unitatem omnium Chriſtianorum, neceſſitatem vero inferre nullatenus volumus. Per perſonas autem quæ dirigentur à paterna veſtra beatitudine, ita decernat: ex veſtra quidem ſancta Eccleſia (ſi utique videtur ei) tres perſonas, quod ſi & plures, quamvis ei placuerint, dirigat. De Concilio verò uſque ad Metropolitas Epiſcopos. De quatuor verò Monaſteriis Bizantinis ab unoquoque Monaſterio Monachos 4: Nam ſi receperit tempus, ut dictum eſt, perfectam congregationem ſtuduiſſemus facere: ſed quoniam tempus non admittit, Deus autem noſter proprio Concilio protulit, quod nos differebamus in hoc tempore, per omnia jubemus veſtram paternam beatitudinem, minime eſſici impedimentum voluntati Dei, ſed eos dirigere. Sic enim ſperamus in ejus benignitate, quoniam qui voluerit hujuſmodi capitulum moveri in præſenti, per Spiritum ſanctum concedere habet, ut veritas clareat, & inſtruantur omnes ſine ſchiſmate, atque contentione veritatem profiteri, & uno ore, unoque corde glorificare non omnes ejus bonitatem. Facere quippe hoc terribile æſtimamus, ut ne plebs, quæ ut ſanctificetur, accedit ad ſanctas Dei Catholicas, & Apoſtolicas Eccleſias, contrariis congregationibus occupetur, conſiderans auditicum adinvicem diſſonantiam. *Legati Papæ Rom.*

Honorius in honore erat apud Monothelitas.

Multam enim nobis inſtantiam fecerunt, tam hic ſanctiſſimus Patriarcha, quamque Macarius ſanctiſſimus Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus beatiſſimus de diptychis, aſſerentes Honorium memorari in diptychis, propter honorem Apoſtolicæ ſedis antiquæ noſtræ Romæ. Nam non acquievere, ut memorentur Patriarchæ, qui poſtmodum fuerunt in prædicta ſancta Romana Eccleſia, donec conquiſitio & ſatisfacto proveniat verborum, de quibus contenditur inter utraſque ſedes, & ita veſtra paterna beatitudo conſequenter memoretur: ſed hoc nos non acquievimus, idèſt, ut ejiceretur idem Vitalianus de diptychis: hoc quidem utpote omnem æqualitatem ſervantes, & utroſque Orthodoxos habentes: hoc autem & propter collatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dum ſupereſſet, in motione tyrannorum noſtrorum. Sed ſic pollicitis ſumus prædictis ſanctiſſimis Patriarchis, quod per omnia dirigit veſtra beatitudo homines, qui debeant conquirere cum ipſis, & tunc ſecundum quod claruerit perfecta diſpoſitio fiat. Nam ante hoc nullomodo nos acquieſcere, ut idem beatiſſimus Vitalianus ejiceretur. Hæc cognoſcens veſtra paterna beatitudo ſtudeat ſequi voluntatem Dei. Sicut enim prædictum eſt, ſpem habemus in coronatore noſtro Deo, quia dum præviderit ſuper hoc ferventem noſtrum affectum ejus benignitas etiam ingruentes nobis perturbationes ſedabit. Omnem verò concurſum venientibus juſſimus præbere Theodorum gloriolum patritium & exarchum Chriſto amabilis noſtræ Italiæ Provinciæ, tam in navi, quamque in expenſis & omni utilitate eorum. Etſi neceſſitas exegerit, etiam caſtellatos dromones præbere ad eorum munimen, ut ex omnibus illæſi, & ſine periculo (Deo cooperante) ſidem ad nos perducantur. Et ſubſcriptio. Divinitas te ſervet per multos annos ſanctiſſime ac beatiſſime pater.

DIVALIS SACRA DIRECTA ad Georgium ſanctiſſimum Archiepiſcopum hujus magnæ Conſtantinopolitanæ urbis novæ Romæ.

IN NOMINE DEI ET SALVATORIS noſtri Ieſu Chriſti, Imperator Pius Pacificus Flavius Conſtantinus, fidelis in Ieſu Chriſto Deo, Georgio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, & univerſali Patriarchæ. Data quarto idus Septembris Conſtantinopoli, imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto, Conſtantino Imperatore, anno vigeſimo octavo, & poſt conſulatum eius anno duodecimo.

QUamquam ſollicitudinibus tam militaribus, quamque civiliter indeſinenter noſtra ſerenitas coarctetur, attamen omnes Chriſto amabilis noſtræ Reipublicæ cauſas inſequendo ob Chriſtianam noſtram fidem ponentes, qui & in bellis propugnatricem tam noſtri, quamque Chriſto dilectorum noſtrorum exercituum habemus, neceſſarium judicavimus, præſenti noſtra pia Sacra ad veſtram paternam beatitudinem uti, per quam adhortantes eam, ſancimus congregare veſtram paternam beatitudinem omnes, qui ad ejus ſanctiſſimam ſedem pertinent, ſanctiſſimos Metropolitas, Epiſcopos in hanc à Deo conſervandam noſtram Regiam urbem, quatenus cooperante omnipotente, & miſericorde Deo noſtro, diligentiſſima inquiſitio dogmatis fiat, quod olim ante multum tempus exortum eſt, de voluntate & operatione in diſpenſatione incarnationis unius de ſancta Trinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri quod & diſſidium non minimum per quaſdam perſonas ſanctæ Dei Eccleſiæ intulit: innoteſcere quoque ſuper hoc & Macario venerabili Archiepiſcopo Antiochenæ magnæ civitatis, quatenus & ipſe de propria Synodo Deo amabiles Metropolitanos, & Epiſcopos præparatos faciat pro hoc ipſo huc congregari. Jam enim ſuper hoc adhortati ſumus per pios noſtros apices adhuc inter vivos exiſtentem & Dominum ſanctiſſimum Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ Præſulem: & illo de hoc ſæculo migrante, Agatho ſanctus nuper ordinatus Papa in Apoſtolica Sede prædictæ antiquæ Romæ hujuſmodi noſtros pios ſuſcipiens apices, deſtinavit in præſenti propriam ejus induxit perſonam, Theodorum & Georgium Deo amabiles Preſbyteros, & Joannem Deo amabilem Diaconum: ex perſona vero totius ejus Concilii, Joannem & Abundantium, & Joannem venerabiles Epiſcopos, cum cæteris clericis & Monachis, qui debeant invenire in prædicto capitulo quæſtionem: qui & nunc ad noſtra convixerunt veſtigia, porrigentes etiam nobis duas ſuggeſtiones, unam quidem ejuſdem ſanctiſſimi Agathonis Papæ, aliam vero Concilii ejus. Sciens igitur veſtra paterna beatitudo, quia primum & præcipuum ut prædiximus, hoc Orthodoxiæ exiſtit capitulum, feſtinet prædictos venerabiles Metropolitanos Epiſcopos celeriter advenire, in hanc à Deo conſervandam regiam noſtram urbem, quatenus prædictum tractetur capitulum, & majorum donorum datore, atque coronatore noſtro Deo cooperante, cauta atque Orthodoxa diffinitio hujuſmodi dogmati imponatur. Et ſubſcriptio: Divinitas te reſervet per multos annos ſanctiſſime, ac beatiſſime pater.

De Epiſcopis Patriarchatus propriis.

ACTA SANCTÆ SEXTÆ SYNODI apud Conſtantinopolim factæ adverſum eos, qui impiè docuerunt unam voluntatem, & unam operationem in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri unius de ſancta & conſubſtantiali Trinitate.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, imperantibus a Deo coronatis, & ſereniſſimis noſtris Dominis Flaviis, Conſtantino quidem piiſſimo, & à Deo decreto magno principe, perpetuo Auguſto, & Imperatore, anno vigeſimo ſeptimo, & poſt conſulatum ejus à Deo inſtitutæ manſuetudinis, anno vigeſimo tertio, Heraclio verò atque Tyberio à Deo conſervandis ejus fratribus anno vigeſimo ſecundo die ſeptima menſis Novembris indictionibus nonæ. Præſidente eodem piiſſimo, & Chriſto dilecto magno Imperatore Conſtantino in ſecretario ſacri palatii, quod cognominatur Trullus, & ex juſſione ejus Deo inſtructæ ſerenitatis, præſentibus & audientibus Niceta glorioſo ex conſule patricio, & Magiſtro imperialium officiorum Theodoro glorioſo exconſule patricio, comite imperialis obſequii, & ſubſtratego Thraciæ, Georgio glorioſo exconſule patricio, Paulo glorioſo exconſule patricio, Juliano glorioſo exconſule patricio, & militari logotheta, Conſtantino glorioſo exconſule patricio, & curatore imperialis domus Hormiſdæ, Anaſtaſio glorioſo exconſule patricio, & locum agente imperialis comitis excubiti, Joanne glorioſo exconſule patricio, & quæſtore, Polyeucto glorioſo exconſule, Thoma glorioſo exconſule, Paulo glorioſo exconſule, & diſpoſitore Orientalium provinciarum, Petro glorioſo exconſule, Leontio glorioſo exconſule, & domeſtico imperialis menſæ.

Conveniente quoque ſancta, & univerſali Synodo, quæ ſecundum imperialem ſanctionem congregata eſt in hac Regia urbe Theodoro & Georgio Preſbyteris, & Joanne Diacono vicemagentibus Archiepiſco-

Similis præfatio in ſingulis actionibus repeti ſo-

Iet, ſed brevitatis cauſa à nobis intermittetur.

antiquæ Romæ, & Georgio Archiepiſcopo magnæ Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Petro Deo amabili Preſbytero, & Monacho, & locum ſervante ſedis magnæ civitatis Alexandriæ, & Macario Archiepiſc. Theopoleos Antiochiæ, & Georgio Religioſo Preſbytero Monacho, & Apocriſiario Theodori venerabilis Vicarii ſedis Hieroſolymorum, Joanne Epiſcopo Portuenſi, Abundantio Epiſcopo civitatis Paternenſis, Joanne Epiſcopo civitatis Rhegitanæ, locum præſentantibus centum 25. Venerabilium Epiſcoporum S. Concilii antiquæ Romæ, reſidentibus glorioſis patriciis, & conſulibus ex latere piiſſimi noſtri Imperatoris Conſtantini, & ex læva quidem ejus parte reſidentibus vicariis Agathonis Archiepiſcopi Antiquæ Romæ, & qui ex perſona Synodi erant Deo amabiles Epiſcopi. A dextra verò ejus parte reſidentibus Georgio Archiepiſcop. nouæ Romæ, &c. Propoſitis in medio ſacro ſanctis Evangeliis Chriſti Dei noſtri. Theodorus & Georgius Preſbyteri, & Joannes Diaconus Vicarii Apoſtolicæ ſedis Antiquæ Romæ, nec-non & qui ex perſona Synodi erant, dixerunt.

Sinistra nobilior.

Beniguiſſime Domine ſecundum ſacram à veſtra fortitudine ad ſanctiſſimum Papam rogationem demandari ſumus ad piiſſima veſtigia veſtræ ſerenitatis una cum ejus ſuggeſtione, quam & obtulimus coronatæ veſtræ ſerenitati. Quoniam igitur ante hos 46. plus minus annos quaſdam novitates vocum contrarias Orthodoxæ fidei introduxerunt, qui in illo tempore fuerunt præſules hujus Regiæ veſtræ civitatis; id eſt, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus, nec-non & Cyrus quondam Alexandriæ civitatis Antiſtes, & Theodorus Epiſcopus civitatis Pharan, & alii quidam, qui eos ſecuti ſunt, non modice (quæ per totum orbem terrarum eſt) Eccleſiam turbaverunt, unam voluntatem in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, unamque operationem dogmatizantes, & docentes, quæſumus à Deo coronatam veſtram fortitudinem, ut dicant, qui ex parte ſunt ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, unde hujuſmodi vocum adinventa eſt novitas.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit. Audientes Georgius Archiepiſcopus noſtræ hujus civitatis, & Macarius Archiepiſcopus Antiochenæ civitatis, & ei adjacens Synodus, quæ à parte Apoſtolicæ magnæ Romæ ſedis dicta ſunt, quæ eis videntur, proſequantur.

Macarius Archiepiſcopus Antiochiæ, una cum Stephano Preſbytero, & Monacho ejus diſcipulo, & alii Epiſcopi Orientis dixerunt. Has quidem vocum novitates non edidimus, ſed quicquid percepimus tam à ſanctis univerſalibus Synodis, & ſanctis probabilibus patribus, quamque à præſulibus hujus regiæ urbis, ideſt, Sergio, Paulo, Pyrrho, & Petro, nec-non & Honorio, qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyro, qui fuit Papa Alexandriæ, hoc eſt de voluntate, & operatione, ſic & credimus, & prædicamus, & docemus, & parati ſumus hoc oſtendere. Et petentibus illis juſſit Imperator proferri, & in medium legi geſta tertiæ Synodi Generalis Epheſinæ, & Epiſtolam Cyrilli, ad Theodoſium Imperatorem cujus initium. Quod apud homines quidem eminet. Et inter alia verba ejus Epiſtolæ, habentur & iſta. Chriſtus Jeſus eſt, per quem reges regnant, &c. & ſequitur. Eſt enim ejus omnipotens voluntas, &c. Quibus verbis perperam intellectis, contendebat Macarius Archiepiſcopus Antiochiæ probare unam voluntatem in Chriſto. Et randem conſideratis & examinatis verbis illis Cyrilli redargutus, & confuſus eſt Macarius à Vicariis Apoſtolicæ ſedis. & ab aliis Epiſcopis Orientalibus, & præcepto Imperatoris abſoluta eſt prima actio.

ACTIO SECUNDA.

Prolata & lecta ſunt acta quartæ Synodi Chalced. & *Leonis ep.* cum legeretur Epiſtola Leonis Papæ, & venitum eſt ad illud. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit, verbo quidem operante quod verbi eſt, carne autem exequente quod carnis eſt, & horum unum coruſcat miraculis, aliud verò ſuccumbit injuriis, exurgentes, qui ex parte Apoſtolicæ ſedis erant antiquæ Romæ clamaverunt Ecce beniguiſſime Domine, manifeſte duas naturales operationes inconfuſe & indiviſe, in Domino noſtro Jeſu Chriſto preſens ſanctiſſimus prædicat pater, cujus præſentem ſermonem ſancta quarta Synodus firmamentum Orthodoxæ fidei conſcripſit in damnatione univerſæ hæreſis, utpote profeſſioni beatæ principis Apoſtolorum Petri convenientem; & quid pro hoc dignum ſenſit Macarius venerabilis, & qui cum eo ſunt Deo amabiles viri, dicant. Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ dixit: Ego Domine duas operationes non dico, ſed nec ſentio quod beatæ memoriæ Leo per hunc ſermonem duas operationes dixerit. Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Sed unam operationem intelligis eum dixiſſe? Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Ego numerum non dico, ſed Dei virilem ejus operationem ſecundum S. Dionyſium. Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Et quomodo intelligis Dei-virilem operationem? Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Ego non ſuperjudico. Et relectis reſiduis ejuſdem libri uſque ad finem, Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Relegatur & alius liber ejuſdem ſanctæ quartæ Chalcedonenſis Synodi. Et accipiens Antiochus Religioſus lector & notarius eorumdem actorum librum relegit. Conſtantinus piiſſimus imperator dixit: Sufficit & nunc præſens lectio. In ſubſequenti vero & liber geſtorum ſanctæ quintæ Synodi proferatur.

Operatio Dei-virilis.

ACTIO TERTIA.

Præceptum eſt, ut legerentur acta in quinta Synodo generali, & cum lector incœpit legere initium libri, qui ita continebat. Sermo ſanctæ memoriæ Mennæ Archiepiſcopi Conſtantinopoleos, ad Vigilium beatiſſimum Papam Romanum, de eo quòd una Chriſti voluntas. Et exurgentes Legati Apoſtolicæ Sedis Romanæ, exclamaverunt. Piiſſime Domine, falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi. Nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia factus eſt: ſed jube diligenter advertere præſentem librum. Et inſpicientes Imperator una cum judicibus, & quibuſdam de ſancta Synodo Epiſcopis, invenerunt tres quaterniones in principio libri additos non habentes ſubnotationem numeri, falſatus enim erat liber ab hæreticis in nonnullis locis. Lecta ſunt reliqua geſta quintæ Synodi, & abſoluta lectione, ſancta Synodus & judices dixerunt. Ex lectione ſanctorum Conciliorum (ſicut audiſtis) non invenimus in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti unam voluntatem, & unam operationem.

Falſatus libri hæreſis.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Macarius venerabilis Archiepiſcopus, & qui cum eo ſunt, proſequantur, ſi ſecundum quæ ab eis promiſſa ſunt paratum habent proferre teſtimonia ſanctorum probabilium patrum, quæ debeant approbare (ſicut polliciti ſunt) unam voluntatem, & unam operationem incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hæc proferant. Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ, & qui cum eo ſunt, dixerunt: Secundum juſta veſtri imperii inducta a nobis data teſtimonia, quæ proferre promiſimus, ſanctorum proferimus. Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Macarius venerabilis Archiepiſcopus, & qui cum eo ſunt, hæc in ſubſequenti peragant. Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, & quæ ſub eodem eſt Synodus, dixerunt: Piiſſime Domine petimus veſtram tranquillitatem, ſuggeſtiones directas hi à Deo veſtram inſtructam fortitudinem, ab Agathone ſanctiſſimo Papa Apoſtolicæ ſedis antiquæ

Romæ, quamque ab ejus synodo, relegi, ut auditum cupiamus, quatenus cognitionem & nos accipiamus totius virtutis, quæ in eis continetur. Constantinus piissimus Imperator dixit: Quod à vobis postulatum est, in subsequenti proveniat.

ACTIO QUARTA.

Sedentibus tam gloriosis patriciis & consulibus, quamque omnibus venerabilibus, & amabilibus, & Episcopis in eodem secretario Trulli, propositis in medio sanctis, & intemeratis Evangeliis, Paulus magnificus à secretis, & imperialis secretarius, dixit: Meminit à Deo instructa vestra pietas, quod in præterito conventu dum legerentur acta sanctæ quintæ Synodi, Georgius sanctissimus Archiepiscopus hujus à Deo conservandæ Regiæ urbis, una cum subjacenti synodo petiit vestram piissimam fortitudinem, suggestiones, quæ factæ sunt tam ab Agathone sanctissimo Papa antiquæ Romæ, quamque à subjacenti Dei synodo, in præsentia vestræ pietatis, & sanctæ universalis hujus synodi relegi, & suggerimus ad quod placet. Constantinus piissimus Imperator dixit: Relegantur. Et prolata est in Græcis litteris memoratarum suggestionum interpretatio per Diogenem magnificum à secretis, & imperialem secretarium. Et relecta est, habens in verbis sic.

Agathonis epistola ad imperatores, &c.

Dominis piissimis & sanctissimis victoribus ac triumphatoribus, amatoribus Dei, & Domini nostri Jesu Christi Constantino majori Imperatori Heraclio, & Tiberio Augustis, Agatho Episcopus servus servorum Dei.

Consideranti mihi humanæ vitæ diversos angores, & ante Deum, qui unus & verus est, cum, vehementia fletuum ingeminti, ut consolationem animæ fluctuanti divinæ miserationis impertiret instinctus, & de profundo mœrorit, & angustiæ potentia suæ dexteræ sublevaret, magnum atque mirabilem, cum indefinenti gratiarum actione serenissimi Domini filij confiteor consolationis opportunitatem exhibere dignatus est, piissimum tranquillæ mansuetudinis vestræ propositum, quam ad stabilitatem divinitus commissæ reipublicæ Christianæ ejus concessit dignatio, ut imperialis virtus atque clementia de Deo per quem *Reges regnant, qui Rex regum, & Dominus dominantium est*, & curet & quærat ejus immaculatæ fidei veritatem, ut ab Apostolis atque Apostolicis est patribus tradita, inquirere vigilanter, atque ut vera traditio continet, instantissimè desideret in omnibus Ecclesiis obtinere: & ne quenquam tam pia lateret intentio audientium, humanave suspicio *pertenderetur æstimantium potestate nos esse compulsos, & non plena serenitate ad satisfaciendum super Evangelicæ & Apostolicæ nostræ fidei prædicatione *communicos, divales apices ad Apostolicæ memoriæ Domum Pontificem nostræ pusillitatis prædecessorem, cunctis populis ac gentibus per nostrum ministerium patefecerint, ac satisfaciunt, quos gratia sancti Spiritus imperialis linguæ calamo de puro cordis thesauro ditavit, commonentis, non opprimentis: satisfacientis, non pertentantis: non affligentis, sed exhortantis, & ad ea quæ Dei sunt secundum Deum invitantis. Quia & ipse conditor omnium ac Redemptor, cum pollet in suæ divinitatis majestate, in sæculum veniendo, mortales pertentare, humanitate magis inæstimabilis clementiæ humiliter ad nostra descendens, quos creaverat, dignatus est & redimere, qui & spontaneam de nobis veræ de se fidei confessionem expectat: quod & beatus Petrus Apostolorum princeps commonet: *Pascite qui in vobis est gregem Christi, non coacte, sed spontanee secundum Deum exhortantes.* His itaque mansuetissimi rerum Domini divalibus apicibus animatus & ad spem consolationis de profundis angoribus *allevatus sum meliori refectus confidentia paulatim, quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ Sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas quales secundum temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio consamulorum meorum Episcoporum, tam de propinqua hujus Apostolicæ sedis synodo, quam de familiari clero amatores Christiani imperij, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissimæ tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortarer. Et nisi longus provinciarum amborus, in quibus humilitatis nostræ Conciliuni constitutum est, tantil temporis protelationem ingereret, olim hoc quod vix tandem nunc heri potuit, studiosa obedientia posset famulatus impleret. Sed dum de diversis provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum perquas, quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi principatus Romana urbe, vel proxima dirigere procuramus, quasdam de longè positis provinciis, in quibus verbum Christianæ fidei, ab Apostolicis exiguitatis meæ prædecessoribus missi prædicabant, remeare præstolamur, non parvus temporum cursus lapsus est: ut corporales ægritudines mei famulatus silentio transeam, quibus nec vivere licet, nec libet assiduis ægrimoniis laborantem. Ideoque Christianissimi Domini filij, secundum piissimam jussionem à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ, pro obedientia quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ, quos dirigimus, præsentes consamulos nostros Abundantium, Joannem, & Joannem reverendissimos fratres nostros Episcopos, Theodorum, & Georgium dilectissimos filios nostros Presbyteros, cum dilectissimo filio nostro Joanne diacono, & Constantino subdiacono sanctæ hujus spiritalis matris Apostolicæ sedis, necnon & Theodorum presbyterum Legatum sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, & religiosos servos Dei Monachos cum scripturarum cordis devotione curavimus demandare: Nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa hæsitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri scripturarum scientia, nisi quæ regulariter à sanctis atque Apostolicis prædecessoribus & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate à patribus traditæ fidei conservamus, unum ac præcipuum bonum habere semper optantes atque studentes, ut nihil de eis quæ regulariter definita sunt minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata à nobis custodiantur. Quibus portitoribus, & testimonia aliquorum sanctorum patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut facultatem suggerendi à benignissimo vestræ Christianitatis imperio consecuti, ex his duntaxat satisfacere studeant, dum imperialis mansuetudo preciperet, quod hæc spiritalis mater eorum ac Deo propagari imperij Apostolica Christi Ecclesia credat, & prædicet, non per eloquentiam facularem, quæ nec suppetit hominibus idiotis, sed per syncerissimam Apostolicæ fidei, in qua & ab incunabulis edocti usque in finem propagatori vestri Christiani imperij, cœli Domino, omnes nobiscum deprecamur servire, atque obedire. Licentiam proinde eis sive authoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jussert ejus clementia, simpliciter satisfaciendum, inquantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profectò præsumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ sedis, ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, syncerrimè enarrare. Pro quibus devotionis poplite supplicitèr vestram, ad mansuetudinem semper intentam clementiam deprecamur, ut quanta benignissimam atque augustissimam imperialis Sacræ promissionem, acceptione eos dignos efficiat Christo immobilis vestra tranquillitas, atque placabiles animus eorum humilimis suggestionibus accommodare dignetur. Sic autem Dei omnipotentis tam precibus ad gaudiendum ut veniat

Prov. 8. & Apoc. 19.

al. pertentaret.

al. communicatos.

Legati Pont. à Rom.

1. Petr. 5. & al. elevatus.

veniat veſtra manſuetiſſima pietas reſeratas, illæſoſque tam in rectitudine noſtræ Apoſtolicæ fidei, quam corporum ſoſpitate in propriis reſtituere jubeat: Sic reſtituat ſuperna majeſtas per fortiſſimos atque invictiſſimos labores veſtræ à Deo corroboratæ clementiæ ſub benigni veſtri principatus regimine totam Chriſtianam rempublicam, & fortiſſimis veſtris ſceptris adverſas ſubigat nationes, ut ex hoc omni animæ atque omnibus gentibus lætitia fiat: quia quod per auguſtiſſimos apices de immunitate atque illæſione eorum, Deo ſibi aſpirante polliceri dignata eſt, adimplevit in omnibus. Non enim nobis eorum ſcientia confidentiam dedit, ut ad pia veſtra veſtigia eos auderemus dirigere, ſed hoc Imperialis veſtra benignitas clementer jubens hortata eſt, & noſtra puſillitas, quod juſſum eſt, obſequenter implevit. Ut autem veſtræ divinitus inſtructæ pietati, quid Apoſtolicæ noſtræ fidei vigor conferat, breviter innuemus, & ſanctarum quinque Synodorum generalium per quas fundamenta Catholicæ Chriſti Eccleſiæ firmata atque ſtabilita ſunt.

Hic igitur ſtatus Evangelicæ, atque Apoſtolicæ fidei, regulariſque traditio, ut confitentes ſanctam & inſeparabilem Trinitatem, ideſt, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unius eſſe deitatis, unius naturæ & ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ, unius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, & majeſtatis, poteſtatis & gloriæ. Et quicquid de eadem ſancta Trinitate eſſentialiter dicitur ſingulari numero, tanquam de una natura trium conſubſtantialium perſonarum comprehendamus regulari ratione hoc inſtituti. Cum verò de uno earumdem trium perſonarum ipſius ſanctæ Trinitatis, Filio Dei, Deo verbo, & de Myſterio admirandæ ejus ſecundum carnem diſpenſationis confitemur omnia duplicia unius ejuſdemque Domini Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti (ſecundum Evangelicam traditionem) aſſerimus enim duas ejus naturas. Prædicamus, divinam ſcilicet & humanam, ex quibus & in quibus etiam poſt admirabilem atque inſeparabilem unionem ſubſiſtit. Et unamquamque ejus naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere divinam omnia quæ divina ſunt & humanam omnia quæ humana ſunt, abſque ullo peccato. Et utraſque unius ejuſdem Dei verbi incarnati, ideſt. humanati, inconfuſe, inſeparabiliter, immutabiliter eſſe cognoſcimus, ſola intelligentia quæ unita ſunt diſcernentes propter confuſionis duntaxat errorem.

Æqualiter enim & diviſionis, & commiſtionis deteſtamur blaſphemiam. Cum duas autem naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto, non contrarias eas nec adverſas ad alterutrum dicimus (ſicut à via veritatis errantes Apoſtolicam traditionem accuſant, abſit hæc impietas à fidelium cordibus) nec tanquam ſeparatas in duabus perſonis vel ſubſiſtentiis, ſed duas dicimus unum eũdemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut naturas, ita & naturales in ſe voluntates & operationes habere, divinam ſcilicet & humanã: divinam quidem voluntatem & operationem habere ex æterno cum coeſſentiali patre communem: humanam, temporaliter ex nobis cum noſtra natura ſuſceptam. Hæc eſt Apoſtolica atque Evangelica traditio, quam tenet ſpiritalis veſtri fœliciſſimi Imperij mater Apoſtolica Chriſti Eccleſia. Hæc eſt mera confeſſio pietatis. Hæc eſt enim veræ fidei regula, quam & in proſperis, & adverſis vivaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit: quia dictum eſt Petro. *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hic Dominus fidem Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & pu-

Apoſtolica Eccleſia nunquam defecit in fide. Luc. 22. Matt.

A fillitas mea licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen divina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere. Quid dicam in Chriſti futuro examine? Si hic (quod abſit) prædicare veritatem confundor. *Hæreſis finis error.*

Apoſtolicæ memoriæ meæ parvitatis prædeceſſores dominicis doctrinis inſtructi, ex quo novitas hæretica in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut à pravi dogmatis hæretico errore, ſaltem tacendo deſiſterent, ne ex hoc exordium diſſidij in unitate Eccleſiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum aſſerentes in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto, quod Arriani & Apollinariſtæ, Eutichianiſtæ, Timotheſani, Acephali, Theodoſiani, & Gaianitæ, & omnis omnino hæreticus furor, ſive confundentium ſive dividentium Incarnationis Chriſti myſterium docuit. Confundentes quidem ſanctæ Incarnationis Myſterium, eò quòd deitatis & humanitatis Chriſti unam naturam dicant, unam eum ſicut unius voluntatem, & operationem perſonalem habere contendunt. Dividentes autem inſeparabilem unitionem in duas naturas, quas Salvatorem habere cognoſcunt, non per unitionem, quæ ſecundum ſubſiſtentiam facta cognoſcitur, vivunt, ſed blaſphemantes per affectum voluntatis, tanquam duas ſubſiſtentias, ideſt, duos quoſdam, per concordiam jungunt. Porro Apoſtolica Chriſti Eccleſia, ſpiritalis mater à Deo fundati veſtri Imperij, & unum Dominum Ieſum Chriſtum confitetur, ex duabus, & in duabus exiſtentem naturis, & duas ejus naturas divinam ſcilicet & humanam etiam poſt inſeparabilem unitionem inconfuſas in eo eſſe defendit, & ex proprietatibus naturalibus, unamquamque harum Chriſti naturarum perfectam eſſe cognoſcit, & quicquid ad proprietatis naturã pertinet duplicia omnia confitetur: quia ipſe idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus perfectus eſt, & homo perfectus eſt, ex duabus, & in duabus naturis, & poſt admirabilem incarnationem exiſtens, nec deitas ſine humanitate, nec humanitatis ejus ſine deitate poſſit intelligi. Conſequenter itaque juxta regulam ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Chriſti Eccleſiæ, duas etiam volũtates naturales in eo, & duas naturales operationes eſſe confitetur, & prædicat. Nam ſi perſonalem quiſquam intelligat voluntatem, dum tres perſonæ in ſancta Trinitate dicũtur, neceſſe eſt, ut & tres voluntates perſonales, & tres perſonales operationes (quod abſurdum eſt & nimis prophanum) dicerentur. Sin autem quod fidei Chriſtianæ veritas continet, naturalis voluntas eſt, ubi una hæc natura dicitur ſanctæ, & inſeparabilis Trinitatis, conſequenter & una naturalis voluntas, & una naturalis operatio intelligenda eſt. Ubi verò in una perſona Domini noſtri Jeſu Chriſti mediatoris Dei & hominum, duas naturas (ideſt divinam & humanam) confitemur, in quibus & poſt admirabilem adunationem conſiſtit, ſicut duas unius ejuſdemque naturas, ita & duas naturales voluntates, duaſque naturales operationes ejus regulariter confitemur.

Dioniſ. Areop. l. 2. de divinis nominibus: Diſcreta eſt benigniſſima Dei operatio per hoc quod ſecundum nos ex nobis integrè vereq; humanatũ eſt verbũ, &c. *Hæreticis ſtatibus, indicatur duplex in Chriſto voluntas.*

Athanaſius contra Apollinarem de Trinitate & Incarnatione, in eum locum *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, duas voluntates, divinam & humanam indicat. Item lib. 2. Adverſus Arrianos. Sicut enim indutus carne nec factus eſt homo, ita & nos homines, &c.

Hilarius lib. 9. de fide adverſus Arrianos: Natus igitur unigenitus Deus ex virgine homo, &c.

In eodem loco: naturam Dei in Chriſto in virtute reſurrectionis intellige, diſpenſationem hominis in morte cognoſce.

Cyrillus in libro theſauri tractans verbum, *Non ſicut ego volo ſed ſicut tu, &c.* rem apertè indicat. Idem nec eſt alia tam manifeſta probatio, quæ poſſit eun-

dem ipſum Deum & hominem demonſtrare, quam naturales operationes, ex quarum qualitatibus, & naturæ de quibus eſſentialiter procedebant certiſſimè in eo eſſe credebantur.

Ambroſius lib. 2. ad Gratianum Auguſtum: Suſcepit voluntatem, meam ſuſcepit triſtitiam meam, agens de utraque Chriſti voluntate, & ſuper Lucam, ait, voluntas hominis temporalis, voluntas divinitatis æterna. In eodem libro: Minor Chriſtus patre ſecundum naturam humanam, & ejus operationem.

Auguſtinus contra Maximinum Arrianum cap. 20. tractans illa verba: *Non quod ego volo, ſed quod tu vis.* Idem lib. 5. contra Julianum Pelagianum dicit voluntatem motum eſſe naturæ, &c. Cum duæ naturæ in Chriſto, duæ igitur voluntates.

Gregorius Nazianzenus in pleriſque locis diverſas voluntates indicat. Secundo libro de filio tractans illud Joan. 6 Cum dicitur filius deſcendiſſe de cœlo, ut faciat voluntatem Patris.

Leo Epiſtola 17. ad Leonem Auguſtum cap. 2. confirmat etiam duas voluntates in dogmatico tomo, id eſt, Epiſtola decima ad Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ fundamentum fidei à multis dicitur. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante, quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis: unum horum coruſcat in miraculis, aliud ſubjacet injuriis.

Gregorius Nicænus lib. 2. contra Eunomium, & libro contra Apollinarem tractans eum locum: *Spiritus quidem promptus eſt, &c.* Et in alio loco ejuſdem libri concludit duas in Chriſto voluntates: Et lib. 5. contra Eunomium in eum locum: *Cum jejunaſſet quadraginta dies poſtea eſuriit.* Pedit enim, quando voluit naturæ tempus propria operari. Idem Epiſtola ad Euſtatium de ſancta Trinitate. Naturarum (inquit) diverſitas ex operationum diſcrimine ſpectanda. Tandem producitur teſtimonium Chalcedonenſis Concilij, actio. 5. qua definitum eſt 7. cap. Si quis in duabus naturis, &c. Et Synodi quintæ Conſtantinopolitanæ celebratæ ſub Juſtiniano. Deſcribuntur fidei capita, quemadmodum in ſymbolo, quod canitur in Eccleſia paulo explicatius, tamen in capite, ubi ſanctæ Trinitatis Myſterium explicatur, ſic habetur. Unitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò perſonarum, ſive ſubſtantiarum: Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam ſubſiſtentiam. [Crediderim hic eſſe mendum in codice ſubſiſtentiam, loco illius dictionis ſubſtantiam.

Et paulo inferius.

Præterea quomodo poterunt piè intelligi, diverſa ſuper hoc teſtimonia ſcripturarum, quæ nunc quidem ex natura humanitatis, nunc autem ex divinitate unius ejuſdemque Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei & hominis aſtruuntur, & modo ſcriptura commemorat: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra.* Itemque: *Sicut pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ita & filius quos vult vivificat.* Et leproſo dicit: *Volo mundare. Et nemo poſſit cognoſcere patrem niſi filius, & cui voluerit filius revelare.* Itemque quædam de humana ejus voluntate Evangelij ſacramenta commemorant, cum dicunt, eum ſuper mare ambulantem velle ut verè hominem ſuos tranſire diſcipulos. Et dum cum diſcipulis per Galilæam tranſiret, noluit ut aliquis cognoſceret. Et ut homo dicit, *meum cibum eſt, ut faciam voluntatem ejus qui me miſit. Et nolebat per Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Et iterum, *ſurgens venit in partes Tyri, & ingreſſus in domum, voluit aliquem ſcire, & non potuit latere.* Ergò ne ille omnium conditor ac redemptor, de quo dicitur. *Omnia quæ voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra*, cujus velle hoc eſt quod poſſe, cujus nutui cœleſtes cum tremore deſerviunt poteſtates, in terris latere volens, non potuit, qui per divinam majeſtatem ex æterno cum patre in cœleſtibus dominatur arcanis, *ego in manu ejus fines terræ ſunt*, niſi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter dignatus eſt aſſumere, redigatur? Quanto ergo errore, talia non diſcernens, involvitur, ut dicat una eademque voluntate, & omnia in cœlo, & in terra, quæ voluit Dominum poſſe, & eadem iterum voluntate in domo vili volentem latere, non poſſe ſecundum Evangelica teſtimonia?

Psalm 113.
Joan. 5. d.
Matt. 8. a
Matt. 11. d
Matt. 14. c
Joan 6. b
Marc. 7. c
Joan 4. c
Joan. 7. a
Matt. 7. c
Psalm. 94.

Nunc neceſſe eſt ut novi dogmatis intentio, quoſnam ſecuta eſt, & quorum doctorum authoritate fulcitur, annotemus. Theodorus quondam Epiſcopus Faranitanus ad Sergium Epiſcopum Arſenoitem, Sergius Conſtantinopolitanus ad Cyrum Alexandrinum, Pyrrhus Conſtantinopolitanus, Paulus Conſtantinopolitanus ad Theodorum Papam, Petrus item Conſtantinopolitanus ad Vitalianum Papam: Hi omnes aut unicam voluntatem defendebant in Chriſto, aut neque unam neque plures affirmabant.

Authores Monothelitæ.

Deinde ſubdit:

Hæc autem ideo Deum omnipotentem fœlicibus veſtræ manſuetudinis ad emendandum credimus reſervaſſe temporibus, ut locum & zelum Ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſtri, qui veſtrum imperium coronare dignatus eſt, * facientes in terris, pro ejus Evangelica atque Apoſtolica veritate juſtum judicium proferatis. Quia dum humani generis Redemptor, atque Salvator ſit injuriam paſſus, nunc uſque ſuſtinuit, veſtræque fortitudinis aſpiravit Imperio, ut ejus fidei cauſam (ſicut æquitas exigit, & ſanctorum Patrum, ſactarumque generalium quinque Synodorum decrevit inſtructio) exequi digneamini, ut Redemptoris, ac conregnatoris injuriam de ſuæ fidei contemptoribus per ejus præſidium ulciſcamini propheticum illud vaticinium cum imperiali clementia magnanimiter adimplentes, quia Rex & Propheta David ad eum loquitur: *Zelus domus tuæ* (inquiens) *comedit me.*

al. ſervantes.

Pſalm. 68

Item poſt pauca:

Nec enim poterit aliud ſimillimum inveniri, quod veſtræ invictiſſimæ fortitudinis divinæ majeſtati commendet clementiam, quam ut repulſis à regula veritatis erroribus, Evangelicæ atque Apoſtolicæ noſtræ fidei ubiq; illuſtretur, & prædicetur integritas. Propterea piiſſimi & à Deo inſtructi Domini filij, ſi hanc ſacrarum ſcripturarum, venerabilium Synodorum, ſpiritualium patrum irreprehenſibilem Apoſtolici dogmatis regulam, juxta Evangelicam eorum intelligentiam, per quam veritatis nobis formula, Spiritu referante, monſtrata eſt, Conſtantinopolitanæ Præſul Eccleſiæ tenere nobiſcum ac prædicare delegerit, pax multa erit diligentibus nomen Dei, & ullum non remanebit diſſenſionis ſcandalum, & fiet, quod in Actibus Apoſtolorum dum per gratiam ſancti Spiritus, populus ad cognitionem Chriſtianitatis acceſſerit, omnibus nobis cor unum, & anima una. Sin autem (quod porro longè ſit) novitatem nuper ab aliis introductam amplecti maluerit, & alienis à regula veritatis Orthodoxæ atque Apoſtolicæ noſtræ fidei ſeſe irretire doctrinis, quam, ut pote animabus noxiam, declinare, indeſinenter ab Apoſtolicis meæ humilitatis prædeceſſoribus exhortati atque commoniti, uſque hactenus diſtulerunt, ipſe noverit, quod delati contemptu in divino Chriſti examine ſatisfaciet apud Judicem omnium, qui in cœlis eſt, cui & nos ipſi pro ſuſcepto veræ prædicationis miniſterio vel præſumptione Chriſtianæ religioni contraria, dum ad judicandum advenerit, reddituri ſumus rationem: nobiſque (quod ſuppliciter exoro) liceat Apoſtolicam atque Evangelicam rectæ fidei regulam, ut ab exordio percepimus, inconcuſsè & liberè cum ſimplici puritate integram, atque illibatam ſervare.

SVPERSCRIPTIO SYNODICÆ suggeſtionis.

Epiſtola Agathonis & Romana Synodus ad Epiſc. qua fuit velut inſtructio Legatorũ qui miſſi ſunt ad Synodũ ſextam celebrandam. Iacob. 3. c.

Pliſſimis ¦ Dominis & Sereniſſimis victoribus ac triumphatoribus dilectis Filiis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino magno Imperatori, Heraclio, & Tiberio Auguſtis Agatho Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ ſedis. Omnium bonorum ſpes ineſſe prænoſcitur, dum imperiale faſtigium ejus, à quo ſe coronatum, & hominibus præſtitutum ad ſalubriter gubernandum cognoſcit, veram de eo confeſſionem, qua ſola præ omnibus muneribus delectatur, inquirit fideliter, & vivaciter amplecti deſiderat. Et hoc Deo præſtantiſſimum munus eſt, à quo procedit omne quod bonum eſt, ad quem redigitur, quod de ejus majeſtate præceptum eſt, cujus ſpiritu perſtruente in mentis arcanis, & convaleſcente ſpiritali flagrantia, piæ intentionis radij circumquaque perluſtrant, & ſuavitatis odor de ſacrificio cordis aſcendit ad Dominum, qui tali munere complacatur. Unde & in terreſtribus fœlicitatem donet, & gentes ſubjuget univerſas, quas ad veræ de ſe cognitionis confeſſionem aſciſcat, quas ſubjectas Chriſtiano imperio de poteſtate liberet tenebrarum, ut fœlices faciat humiliatos, quos infœliciter exaltari ad eorum dejectionem permiſerat. Quia verò, piiſſime atque fortiſſime principum, Auguſtæ veſtræ pietatis cum laude admiramur Deo dignum propoſitum, quod circa Apoſtolicam noſtram fidem habere dignamini, Deo ſecretius ſatisfaciente non verbis fluentibus, nec loquacitate fallaci, ſed divina ſua gratia commonente, omnique ambiguitate ſublata, deſideratis cognoſcere, quæ veritas Orthodoxæ, atque Apoſtolicæ fidei contineat. Omnes nos exigui Eccleſiarum præſules, veſtri Chriſtiani Imperij famuli, in ſeptentrionalibus, vel occiduis partibus conſtituit, licet parvi & ſimplices ſcientia, fide tamen per Dei gratiam ſtabiles, pro his quæ per divalem Sacram perceptam cognovimus, conregnanti ac diſpenſanti vobiſcum conditori, & diſpenſatori omnium Deo exhilarati, pro hujuſmodi pio propoſito cum intimis cordis fletibus gratias reddere cœpimus, quod tam laudabile, tam mirificum, tam ſalubertimum, tam ſingulariter Deo præ omnibus terrenis ſacrificiis acceptabile, tranquillitas veſtra opus creditur concupiſſe, quod multis quidem pietate & juſtitia prædictis regibus deſideratum, pauciſſimis tamen raroque ad effectum Deo placitum, cum ſynceritate Apoſtolicæ fidei perduci poſſibile demonſtratum eſt.

Et poſt pauca ſubdit.

Pauperes Epiſcop. Occid.

Cum in noſtris regionibus diverſarum gentium quotidie æſtuat furor nunc confligendo, nunc diſcurrendo, ac rapiendo. Unde tota vita noſtra ſolicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circundat, & de labore corporis victus eſt, eo quod priſtina Eccleſiarum ſuſtentatio, paulatim per diverſas calamitates, deficiendo ſuccubuit. Et ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra: cum qua nobis vivere, ſumma eſt gloria: pro qua mori, lucrum æternum eſt. Hæc eſt perfecta noſtra ſcientia, ut terminos Catholicæ, atque Apoſtolicæ fidei, quos uſque hactenus Apoſtolica ſedes nobiſcum, & tenet, & tradit, tota mentis cuſtodia conſervemus, credentes in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium, & in Filium ejus unigenitum, qui ante omnia ſæcula ex eo natus eſt, verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, conſubſtantialem patri, ideſt, ejuſdem cum patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra, & in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificatorem, ex patre

Admonitio de hac par-

(Hunc locum depravatum fuiſſe conqueſtus eſt Iulia-

nus Cardinalis in ea diſputatione quam habuit contra Græcos in Concilio Florentino, & ſublatam eſſe particulam, filioque. Nec credendum eſt latinos voluiſſe diſſimulare ac tacere, rem tanti momenti negotio exigente in fidei profeſſione.) procedentem, cum patre & filio coadorandum, & conglorificandum, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate: unitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem vero perſonarum, ſive ſubſiſtentiarum, Deum patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, non tres Deos, ſed unum Deum, Patrem & filium & Spiritum ſanctum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam* ſubſiſtentiam, quorum una eſſentia ſive ſubſtantia, vel natura, id eſt, una Deitas, una æternitas, una poteſtas, unum imperium, una gloria, una adoratio, una eſſentialis ejuſdem ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis voluntas & operatio, quæ omnia condidit, diſpenſat, & continet.

Deinde paulò poſt ſubjungit.

Unum quippe eumdemque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum ex duabus, & in duabus ſubſtantiis inconfuſe, incommutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter ſubſiſtere cognoſcimus nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitatem, ſed potius ſalva proprietate utriuſque naturæ in unam perſonam, unam ſubſiſtentiam concurrentem, non in dualitatem perſonarum diſpertitum vel diviſum, neque in unam compoſitam naturam confuſum: ſed unum eumdemque filium unigenitum Deum verbum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: neque alium in alio, neque alium & alium, ſed eundem ipſum in duabus naturis, ideſt, in Deitate & humanitate. Et poſt ſubſiſtentialem adunationem cognoſcimus, quia neque verbum in carnis naturam converſum eſt, neque caro in verbi naturam transformata eſt: permanſit enim utrumque quod naturaliter erat: differentiam quippe adunatarum in eo naturarum ſola contemplatione diſcernimus, ex quibus inconfuſè, inſeparabiliter, & incommutabiliter eſt compoſitus, &c. *Hic citatur Leonis Papæ ep. 10. c. 4. Poſtea addit.*

Honorius ergo innocens.

Hoc enim credimus, quod per traditionem Apoſtolicam accepimus, cujus authoritatem in omnibus ſequimur: à qua inſtituros hoc ipſum noſtræ humilitatis prædeceſſores cognovimus, quam & uſque ad finem ſervari nobis ſive per vitam, ſive per mortem optamus.

Crediderim hunc locum corruptum eſſe à typographis, reponendumque ſubſtantiam, ubi ſubſiſtentiam legimus.

ACTIO QUINTA.

In hac actione commonuit Imperator Macarium, & ſocios, ut proferrent teſtimonia ſanctorum Patrum demonſtrantia unam voluntatem, & unam operationem in Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſicut dudum protuleſant, & protulerunt duos codices, quorum prior in ſuperſcriptione ita continebat.

Teſtimonia ſanctorum Patrum, unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem docentia, quæ eſt etiam Patris, & Spiritus ſancti. Quibus lectis abſoluta eſt juſſu principis actio quinta.

ACTIO SEXTA.

In actione hac rurſus commonitus eſt Macarius cum ſociis ſi haberet alia teſtimonia de una voluntate, & operatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ proferret in Concilio. At ille protulit & alium codicem, qui in ſuperſcriptione continebat ſic.

Sequentia teſtimoniorum de voluntate.

Teſtimonia prolata ab hæreticis detruncata.

Et lectus eſt coram Concilio. Quo lecto, Conſtantinus Imperator dixit. Si vult pars aliquid proferre ad ſtabilitatem eorum, quæ ab eo præmiſſa ſunt, ediſſerat: & cum nihil amplius adderent, Imperator juſſit ſigillari tres codices, prolatos à Macario Archiepiſcopo

Antiocheno, tam per judices, quàm à parte ſedis Apoſtolicæ antiquæ Romæ, & ex parte ſedis Conſtantinopolitanæ, & ſigillati ſunt. Vicarij Apoſtolicæ ſedis Romanæ, & qui cum eis erant Epiſcopi & Clerici, & Monachi dixerunt. Piiſſime Domine, adhuc aliquid de una voluntate, & una operatione non oſtenderunt Macarius Deo amabilis Archiepiſcopus, & ejus ſocij per teſtimonia ab eis prolata, ſed & ipſa, quæ protulerunt detruncaverunt, & quæ ad Trinitatis quidem attinent rationem de una voluntate, pro incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti protulerunt. Quæ verò conveniunt, & quæ propriè pro hujuſmodi incarnationis diſpenſatione poſita ſunt, tam ſenſum quàm verba detruncaverunt. Unde petimus veſtram piiſſimam fortitudinem authenticos codices proferri ex venerabili Patriarchio hujus Regiæ civitatis, & conferri cum codicibus ab eis oblatis, &c. Piiſſimus Imperator præcepit, ut in ſequenti actione fieret.

ACTIO SEPTIMA.

Commoniti ſunt vicarij ſanctiſſimi Agathonis Papæ urbis Romæ, ut proferrent teſtimonia prædicantia duas voluntates naturales, & duas operationes etiam naturales in diſpenſatione incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & prophanorum hæreticorum ſimiliter teſtimonia, manifeſtantia unam voluntatem, & unam operationem. Et protulerunt codicem ſupraſcriptum ita.

Teſtimonia ſanctorum ac probabilium patrum demonſtrantia duas voluntates, & duas operationes in Domino Deo Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Quem Steph. Monachus relegit ab initio uſque ad finem, tam ſanctorum ac probabilium teſtimonia, quàmque prophanorum hæreticorum. Et abſoluta eſt actio 7.

ACTIO OCTAVA.

Et reſidentibus glorioſis patriciis & conſulibus, & omnibus venerabilibus & Deo amabilibus Epiſcopis ex ordine in eodem ſecretario Trulli, propoſitis in medio ſacroſanctis Evangeliis, Paulus magnificus à ſecretis & imperialis ſecretarius, dixit: In memoria retinet à Deo firmata veſtra fortitudo, per quod propriam ſupplicationem in antecedenti conventu ad exemplaria duarum ſuggeſtionum directarum ad à Deo firmatam veſtram ſtrenuitatem, ab Agathone ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papa antiquæ Romanæ, & quod circa eum eſt Concilij, Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, & Macarius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Antiochiæ, & qui cum eis ſunt venerabiles Epiſcopi, promiſerunt, has relegentes, in ſubſequenti competens dare reſponſum, & ſuggerimus ad quod placuerit.

Piiſſimus Imperator Conſtantinus dixit: Edicat Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcop. hujus à Deo conſervandæ noſtræ civitatis, & Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ & ei ſubjacens Synodus, ſi convenit eis ſenſus ſuggeſtionum directarum ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romæ & ejus Synodo.

Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopoleos dixit: Inſpiciens, pie Domine, omnem virtutem ſuggeſtionum directarum ad piiſſimam veſtram fortitudinem tam ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romæ, quam ab ejus Synodo, & ſcrutans ſanctorum ac probabilium patrum codices, qui repoſiti ſunt in venerabili Patriarchio, inveni cuncta teſtimonia ſanctorum ac probabilium patrum, quæ in eiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia & in nullo diſcrepantia à ſanctis ac probabilibus patribus, & conſentio eis, & ſic profiteor, & credo.

Theodorus Deo amabilis Epiſcop. Epheſi dixit: Ita Domine profiteor & ſic credo, quemadmodum habent ſuggeſtiones ſanctiſſimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis, ideſt, duas naturas, & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes in uno ſanctæ Trinitatis Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Deo noſtro, &c. *Eodem modo omnes Patres in Concilio probarunt & admiſerunt Epiſtolam Papæ Agathonis.*

Et ſurgentes cæteri omnes Deo amabiles Epiſcopi, qui ſub ſedem Conſtantinopolitanam fuerant, exclamaverunt, dicentes: Et nos, piiſſime Domine, notionem accipientes ſuggeſtionis directæ ad manſuetiſſimam veſtram fortitudinem ab Agathone ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papa antiquæ Romæ, & alterius ſuggeſtionis, quæ facta eſt à ſubjacente ei Concilio, & ſequentes ſenſum qui in ea continetur, ſic ſapimus & profitemur, & credimus in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro duas naturas inconfuſe, inconvertibiliter, indiviſe, & duas naturales voluntates, & duas operationes naturales, & omnes qui docuerunt & dicunt unam voluntatem, & unam operationem in duabus naturis unius Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, anathematizamus.

Sancta Synodus dixit: Si placet pietati veſtræ, Theodorus Deo amabilis Epiſcopus Meletinus unà cum ab eodem memoratis perſonis, id eſt, Petro Deo amabili Epiſcopo Nicomediæ, Salomone Epiſcopo * Clavei, *al. Cleone.* & Antonio Epiſcopo Hypeporum, Georgio Diacono & chartophylace ſanctæ hujus magnæ Eccleſiæ, Anaſtaſio Diacono & notario & defenſore navium, Stephano Diacono & cancellario, Dionyſio Diacono & cancellario, Anaſtaſio Presbyt. & Monacho, Georgio Monacho qui eſt cum Macario venerabili Archiepiſcopo Antiochiæ, & Stephano Preſbytero & Monacho ejuſdem Macarij diſcipulo, ſurgens in medio conſiſtat, & indubitanter quod ei videtur, unà cum eis reſpondeat.

Piiſſimus Imperator Conſtantinus dixit: Quod conſideratum eſt à ſancta Synodo, fiat.

Et ſurgentes prædicti Epiſcopi atque clerici, & in medio ſtantes, ſine Stephano diſcipulo Macarij venerabilis Archiepiſc. Antiochiæ, dixerunt: Mentitus eſt hic adverſus vos Theodorus Epiſcopus Meletinus, neque enim agnoſcentibus nobis facta eſt chartula, quæ porrecta eſt ab eo Domino noſtro piiſſimo, ſed & parati ſumus noſtram Orthodoxam fidem confiteri.

Piiſſimus Imperator Conſtantinus & ſancta Synodus dixerunt: Quoniam quidem ſuſpitio nobis data eſt circa vos occaſione porrectæ chartulæ à Theodoro Deo amabili Epiſcopo Meletino, non aliter nobis ſatisfacitis, niſi utique in ſcripto libellos fidei veſtræ in ſubſequenti adduxeritis, ut debeant coram ſancta & immaculata Dei eloquia eis affectri.

Georgius ſanctiſſimus Archiepiſc. Conſtantinopoleos accedens ad piiſſimum Imperatorem Conſtantinum, dixit: A Deo coronate Domine, jubeto mitti in diptychis ſanctarum Eccleſiarum nomen ſanctæ memoriæ Vitaliani Papæ Romæ, eo quod propter tarditatem juſſorum apocriſariorum à ſanctiſſimo Papa ejuſdem antiquæ Romæ petitionem tunc dediſſe ad manſuetiſſimam veſtram fortitudinem iam partem ſanctæ Dei, Eccleſiæ & Macarium venerabilem Archiepiſcopum Antiochiæ, eoſque qui illo tempore advenerant in hanc à Deo ſervatam veſtram civitatem Deo amabiles Epiſ. ut prædictus ſanctæ memoriæ Vitalianus ejiceretur de ſanctis diptychis, & reſtitui nobis hujuſmodi petitionem, ſtatim enim inveniet à Deo inſtructa veſtra tranquillitas communicantes Eccleſ. Catholicæ, ſive qui ſeipſos ſeparant ab eo propter perſonam. *Vitalianus.*

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Quod poſtulatum eſt à ſanctiſſimo Georgio Patriarcha hujus à Deo ſervatæ noſtræ Regiæ civitatis, fiat.

Sancta Synodus exclamavit Conſtantinop. magno Imperatori multos annos. *Sequuntur precationes Imperatori dictæ, quibus conferunt illum cæteris Imperatoribus, qui curarunt celebrari quinque Synodos œcumenicas. Poſtea ſequitur.*

Sancta Synodus dixit: Si videtur piiſſimo Domino, edicat Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ, quomodo credit in uno ſanctæ Trinitatis Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro, & ſi confitetur in eo duas naturales voluntates & duas operationes inconfuſè & indiviſibiliter, & ſi ſequitur

ſuggeſtiones directas ad à Deo inſtructam veſtram fortitudinem à Patre pietatis veſtræ Agathone ſanctiſſimo Papa antiquæ Romæ, & ſi conſequitur paterna teſtimonia, quæ in eis continentur.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: audiens Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ, quæ ab hac ſancta & univerſali Synodo dicta ſunt, quod ei videtur, reſpondeat.

Macarius venerabilis Archiepiſcopus Antiochiæ dixit: Non dico duas voluntates, aut duas operationes in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſus Chriſti, ſed unam voluntatem & Dei-virilem operationem.

Sancta Synodus dixit. Poſtquam non conſentit virtuti directarum Orthodoxarum ſuggeſtionum ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romano Macarius venerabilis, quæ jam & coram veſtra pietate relectæ ſunt, quibus & omnes conſentientes gratè ſuſcepimus, prævidimus hunc de ſede ſua ſurgere ut debeat reſpondere. Et ſurrexit Macrobius Deo amabilis Epiſcopus Seleuciæ, vna cum Eulalio Epiſcopo, & cætera. *Hi & alij multi Epiſcopi, eandem Epiſtolam Agathonis probarunt. Poſtea ſequitur.*

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: De diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, unius ſanctæ Trinitatis Dei verbi, quomodo * ſentis?

al. ſentit ie

Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Confiteor Dominum Jeſum Chriſtum unum ſanctæ Trinitatis eſſe & poſt incarnationem in duabus perfectis naturis inconfuſe & indiviſe in una perſona, & una ſubſiſtentia, nuſquam naturarum differentia perempta propter unitionem, ſed ſalvata potius proprietate utriuſque naturæ & in unam perſonam, atque unam ſubſiſtentiam concurrente. Quoniam vero alteram perſonam, & poſt humanationem unius ſanctæ Trinitatis non aſſumpſit, propter hoc nec aliquid peccati dicimus eum aſſumere quia abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus hominis in imagine novitatis confitemur unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Qui enim unam voluntatem habens, eſt ad ſuſceptionem harum omnium paſſionum idoneus, unam eandemque habuit virtutem ad tolerantiam horum omnium, ſecundum ſanctum & acceptabilem Auguſtinum. De hoc enim & confeſſionnem fidei j ampridem expoſuimus & conſentimus tam ſanctis quinque Synodis, quàm Honorio à Deo condito, Sergio, & Paulo, atque Petro, & reliquis, quorum mentionem & in his quæ Domino porreximus, teſtimoniis fecimus, confitentes unam voluntatem ſubſiſtentialem in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Dei-virilem ejus operationem. Nec enim quæ divina ſunt, ſecundum Deum, neque quæ humana ſunt, ſecundum hominem: ſed humanam & Dei quandam virilem operationem in converſatione demonſtraſſe, confitemur ſecundum ſanctum Dionyſium.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Confeſſio cujus mentio facta eſt, quod data ſit à nobis à Macario Archiepiſcopo Antiochiæ, propriæ ejus fidei lectione pandatur. Et prolata eſt: Poſt aliqua quæ in ejus confeſſione continentur, ſubdit articulum de Spiritu ſancto in hunc modum. Et in Spiritum ſanctum ex patre procedentem, & per filium manifeſtatum videlicet hominibus, vitam viventium, cauſam immortalem, ſanctitatem totius ſanctificationis, largitatem Trinitatis, perfectam gloriam, & imperio & conſilio non diviſam unam Deitatem & dominationem: *Longaitaque confeſſione agit de fidei articulis, admittitque quinque Synodos œcumenicas ante celebratas, & hereticos in eis condemnatos reprobat, & ignorantem Themiſtium, Origenem, Dydimum & Evagrium, & Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum & ſcripta Theodoreti impia contra Cyrilli duodecim capita, & Epiſtolam quæ dicitur ab Iba ad Marim Perſam ſcripta: damnat etiam omnes quos Honorium, Sergius & Cyrus, & reliqui Eccleſiarũ Doctores damnaverunt. Ad-*

Hunc locũ de ſpiritu ſancto putant quidã depravatũ à græcis ex ẽmulatione.

dit etiam encomia & precationes Imperatoris. Tandem ſubdit ſubſcriptionem in hunc modum. Macarius miſericordia Dei Epiſcopus Theopoleos, dictans omnem ſupradictum Orthodoxiæ textum juxta editiones ſanctarum & univerſalium quinque Synodorum, & Sanctorum ac probatorum patrum, qui à me nominatim ſunt poſiti, qui explanaverunt juxta præfixam virtutem unam voluntatem in uno Domino Jeſu Chriſto Deo noſtro, & Dei-virilem ejus demonſtrarunt vobis operationem: Et quia impium ſit dicere, in eodem Chriſto Deo noſtro duas voluntates, conſentiens atque confeſſus, atque ita ſentiens & docens, ſperanſque aſſiſtere terribili Dei tribunali cum hac in ea Orthodoxa fide.

Conſtantinus piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Per tenorem oblatæ confeſſionis à Macario Deo amabili Archiepiſcopo Antiochiæ, fidei ejus agnitionem accepimus. Edicat autem item Deo amabilis Macarius, ſi conſentit teſtimoniis ab eo prolatis & porrectis.

Macarius ſanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Utique Domine.

Conſtantinus piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Proſequatur idem Deo amabilis Macarius, ſi confitetur duas naturales voluntates, & duas operationes in incarnationis diſpenſatione Dei noſtri.

Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.

Macarij obſtinatio.

Conſtantinus piiſſimus Imperator & ſancta Synodus dixerunt: Ex codicibus nunc prolatis, & recognitis à Macario venerabili Archiepiſcopo Antiochiæ, primus ex eis codicillus lectione pandatur, ad collationem authenticorum librorum ſanctorum ac probabilium patrum, qui reconditi ſunt in venerabili Patriarchio, juxta quod dudum poſtulata ſunt a parte Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimi Papæ Romani Agathonis. Gregorius Deo amabilis Diaconus, & chartophylax hujus magnæ Dei Eccleſiæ proferat hujuſmodi codices ſanctorum ac probabilium patrum de venerabili Patriarchio. Et prolati ſunt.

Et accipiens per juſſionem piiſſimi noſtri principis Conſtantini Petrus glorioſus exconſul librum ſancti Athanaſij, contulit cum hujuſmodi primo codicillo, deferente eundem codicillum Diogene magnifico à ſecretis & imperiali ſecretario, quem & relegit continentem in verbis hoc modo: *Sancti Athanaſii ex ſecundo ſermone adverſus Apollinarem:* Certum namque eſt, quod præexiſtens Deus verbum, ante carnis adventum non erat homo, ſed Deus erat apud Deum, inviſibilis atque impaſſibilis. Neque igitur Chriſti nomen abſque carne defertur, quia ſequitur nomen paſſio & mors, Luca quidem ſcribente. Si paſſibilis Chriſtus, primus ex reſurrectione mortuorum. Paulo vero dicente, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Et quia homo Jeſus Chriſtus, qui dedit ſemetipſum pro nobis, non quia non eſt Deus, ſed quia & homo eſt Chriſtus, propterea *memor eſto Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David.* Propter hoc ſcriptura utrorumque nominum facit introductionem in oſtenſionem ſubſtantiæ: inviſibiliter quidem Deum intelligendo & vere exiſtentem, viſibiliter autem hominem palpando, & vere exiſtentem non in diviſione perſonarum aut intelligentiarum, ſed naturali nativitate & indiſſolubili unitate, ut in ipſo certa exiſtente paſſione, verus idem atque impaſſibilis veraciter intelligatur. Sunt autem, & quæ interciſa ſunt à Macario & Stephano, & ante & poſt teſtimonia hæc. Sed dicit: Quia ſi omnia ſuſcepit modis omnibus, & humanas habuit cogitationes. Impoſſibile autem eſt in cogitationibus hominis peccatum non eſſe. Et quomodo erit abſque peccato Chriſtus? Dicite igitur: Si cogitationum peccabilium conditor eſt Deus, deputan-

Ad 1. Cor. 5. 1. Tim. 2.

Macarius & Stephanus dixerunt: Nos voluntatem humanam in Chriſto non dicimus, divinam vero etiam abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, ſicut prolatum à nobis teſtimonium S. Athanaſij continet. Voluntas enim Deitatis tantum.

Theophanes Deo amabilis Preſbyter & Abbas, dixit: Et quomodo intelligitis carnales voluntates, & cogitationes humanas?

Macarius & Stephanus dixerunt: Voluntates carnales & cogitationes humanæ, hominum ſimilium nobis ſunt, Chriſtus vero nihil eorum habuit.

Theophanes Deo amabilis Preſbyter & Abbas, dixit. Si teſtimonium quod detruncaſtis, in integro poſuiſſetis, inveniebatur, quod carnales voluntates & humanas cogitationes, culpabiles & voluptuoſas accepit ſanctus Pater Athanaſius, quæ ex ſeminatione diabolica illatæ ſunt humanæ naturæ, ſicut idem ſanctiſſimus pater ſuperius aſſerit. Nam & ego dico non habuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verbum Deum noſtrum ex ſuperfatione voluntatem carnalem, aut peccabiles cogitationes, Abſit: Sed naturalem voluntatem, quam ipſe Deus creans Adam, ei indidit. Et hoc autem ipſe interrogo vos: Habuit & animam rationabilem ipſe Adam?

Macarius & Stephanus dixerunt: Etiam.

Adami voluntas. Theophanes Deo amabilis Preſbyter & Abbas dixit: Naturalem habuit voluntatem?

Stephanus religioſus Monachus dixit, αὐτεξούσιον καὶ ἀυτοκίνητον, quod eſt arbitrale & liberum. Etenim ante prævaricationem divinam habuit voluntatem, & convoluntarius erat Deo.

Domitius Deo amabilis Epiſcopus Pruſiades dixit: Ubi it vanitas tua blaſpheme? Si convoluntarius erat Adam Deo, ergo & concreator

Theodorus & Georgius Deo amabiles Preſbyteri, & Joannes Deo amabilis diaconus, locum præſentantes Agathonis ſanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ ſedis antiquæ Romæ, & qui ex perſona ejus fuerunt Concilij Deo amabiles Epiſcopi, dixerunt: Si Adam ante prævaricationem divinam habuit voluntatem, ergo & conſubſtantialis fuit Deo, & inconverſabilis ac vivificatrix fuit voluntas Adæ. Et quomodo mutatus, tranſgreſſus eſt mandatum, & morti ſuccubuit? Qui enim convoluntarius eſt, utique & conſubſtantialis eſt. An ignoras S. Cyrillum clamantem, ſicut eſt conſubſtantialis, ita & convoluntarius proprio genitori? Unius enim eſſentiæ una utique eſt voluntas.

Tandem producta ſunt multæ authoritates, ad confirmandas duas in Chriſto voluntates, quas brevitati ſtudentes, in compendium contraximus.

Authoritates Sanctorum Patrum. Dionyſius Areopagita libro ſecundo de divinis nominibus, Diſcreta (inquit) eſt benigniſſima Dei circa nos operatio, &c. Eadem authoritas citatur in epiſtola Agathonis Papæ.

Athanaſius ſecundo ſermone contra Apollinarem. Chriſti nomen (inquit) divinitatem inviſibilem & paſſibilem importans abſque humanitate (quam conſequuntur mors & paſſio) non intelligitur.

Gregorius Nicenus libro ſecundo adverſus Eunomium, multis ſermonibus duas in Chriſto voluntates oſtendit. Eadem authoritas citatur in Epiſtola Agathonis Papæ.

Auguſtinus 5. lib. adverſus Julianum Pelagianiſtam, dicit voluntatem motum eſſe naturæ, &c. Quæ authoritas in Epiſtola Agathonis ſimiliter narratur.

Cyrillus libro de theſauris, unius eſſentiæ una eſt voluntas, atqui in Chriſto duæ eſſentiæ, &c.

Ambroſius ad Gratianum Imperatorem, Chriſtus, inquit, in veritate carnis oſtendendo in effectu Deo patri ſe coæqualem oſtendit ut diceret, non quod ego volo, ſed quod tu.

Chryſoſtomus in illud Matthæi, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte:* multis rationibus, duas voluntates in Chriſto oſtendit.

ACTIO NONA.

Reſidentibus glorioſiſſimis patriciis & conſulibus, & omnibus venerabilibus Epiſcopis ſecundum ordinem in ſecretario Trulli, propoſitis in medio ſanctis Evangeliis. Conſtantinus diaconus & primicerius notariorum Georgij Archiepiſcopi Conſtantinopoleos: dixit. Meminit à Deo inſtructum Imperium veſtrum, & ſancta univerſalis Synodus quòd externa die collata ſunt cum libris venerabilis Patriarchij, diverſa teſtimonia ex codicillo qui oblatus eſt à Macario & Stephano, & interlocutio facta eſt, ut in ſubſequenti reliqua ejuſdem libelli relegerentur. Aſſiſtunt autem præ zelo Petrus Epiſcopus Nicomediæ, &c. Epiſcopi & alij fautores & diſcipuli Macarij. Si videtur veſtro Imperio & veſtræ Synodo, hos ingredi: & ad juſſum Imperatoris & ſanctæ Synodi ingreſſis, relecta ſunt dudum geſta.

Tunc Imperator dixit. Proferatur liber teſtimoniorum, qui oblatus eſt à Macario & Stephano, ut reliqua relegantur & conferantur cum codicibus venerabilis Patriarchii, quo prolato, Diogenes Imperialis ſecretarius, relegit ita. *Sancti Athanaſij ex ſermone de Trinitate, de incarnatione.* Et quando dixit, *Deus Deus meus, ut quid me dereliquiſti*, ex perſona noſtra dicit: *Et poſt pauca. Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte: verumtamen non mea fiat voluntas, ſed tua, Spiritus promptus, caro autem infirma*, duas voluntates hic oſtendit, unam quidem humanam, alteram divinam. *Abſciderunt totum hoc.* Factus quippe in ſimilitudine hominum refugiebat paſſionem ut homo: Deus vero exiſtens, qui eſt ſecundum divinam eſſentiam impaſſibilis, prompte ſuſcipiebat paſſionem.

Baſilius Epiſcopus Gortynæ, dixit Imperatori. Quamvis abſciderunt nihilominus non probarunt unicam voluntatem in Chriſto.

Stephanus diſcipulus Macarij citavit Gregorium Theologum ſecundo libro de Filio Dei, ut probaret unam voluntatem Chriſti: illius enim velle nec contrarium eſt Deo, deificatum eorum.

Baſil. Gortynæ Epiſcopus dixit: qualem voluntatem dicis deificatam? divinam minime, de humana igitur intelligendum eſt, duas proinde voluntates eſſe in Chriſto fatearis oportet.

Codices ſæpe feruntur. Item relectum eſt ex eodem codicillo alterum teſtimonium ſancti Cyrilli de interpretatione Evangelij ſecundum Matthæum ſermone duodecimo, quod collatum eſt ſimiliter cum libro carthaceo bibliothecæ hujus venerabilis Patriarchij, textu teſtimonij habente ſic: Ergo id *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, tranſformationem & transfigurationem naturæ humanæ de exſuperata formidine in audaciam ſpiritualem bene nimis ſignificat. Sunt autem & ante hoc teſtimonium, quæ callide prædictus Macarius & Stephanus non defloraverunt, hoc modo: recuſat itaque ipſum calicem, crucifigentes ſe, Dei amatores non eſſe tanquam per hoc accuſans: & ſubeſt quidem in eo pavor paſſionis propter humanitatem, compeſcitur autem continuò virtute inhabitantis verbi ac fortitudine. Conſidera namque quomodo oſtendit quidem quod humanum eſt, ipſa recuſatione: quod autem deitatis eſt indeflexibile, effulſit ſtatim. Ait enim ad Patrem, qui in cœlis eſt: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Humanitas vero condecenter, & hoc ait. Nam ſecundum quod Deus eſt, non extra eſt voluntatem Patris: magis autem ipſe eſt voluntas Dei & Patris, ſicut in ſapientia & ipſum velle eſt patris, ſapientia vero eſt filius.

Sancta Synodus dixit: Tu Stephane & tuus magiſter Macarius, non oſtendiſtis * in incarnatione diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, per codicillum à vobis oblatum, ſed duas voluntates, in teſtimoniis in eodem codicillo poſitis invenimus

deeſt, unicam.

aperte, clamante Athanasio laudabili quamvis detruncata & obcelata sint, juxta quod soliti estis, eadem testimonia, quæ perverse interpretantes protulistis. Definivimus igitur, postquam aperte approbati estis ad subversionem divinorum dogmatum festinare & sanctorum ac probabilium patrum doctrinas corrumpere, & hæreticorum magis sensum assumere & quæque ab eis dogmatizata sunt sectari ad contagium Orthodoxæ plebis, ab omni vos Sacerdotali dignitate & ministerio alienos existere. Eos autem qui jam pœnitentiam egerunt, & superius nominatos tam Episcopos quam clericos qui & nunc in medio assistunt, & recte unà nobiscum confitentur, prævidimus quidem in propriis locis residere. Libellos autem, quos promiserunt, proprie eorum fidei cum jurejurando in subsequenti nobis offerent.

Depositio Macarij & Stephani qui Stephanum tunc ejectum est ex Concilio.

Discipuli Macarij promiserunt se oblaturos libellos qui continent authoritates de unica voluntate Christi.

ACTIO DECIMA.

Sententia sanctorum Patrum.

Rursus collata sunt testimonia aliquorum Patrum, nempe Leonis Papæ ex Epistola secunda ad Leonem Imperatorem. Christus (inquit) secundum formam Dei cum Patre unus & idem est, secundum formam servi non venit facere voluntatem suam, sed ejus qui misit eum Patris, cum quo, ut Deus, eamdem habet voluntatem: & Ambrosij Mediolanensis Episcopi ex secundo libro ad Gratianum Imperatorem, prolata à Macario, & Stephano cum codicibus authenticis ex Patriarchio Regiæ civitatis, collata, & demonstratum est id quod supra. Rursus idem demonstratum est ex testimoniis multis adductis. Joan. Chrysost. super illud Joan. *Nunc anima mea turbata est*, Christus (inquit), humanam in se naturam mori nollentem ostendit, se extra humanas passiones non esse aperte declarans. Insuper sermone in Thomæ incredulitatem contra Arrianos, sub persona D. Thomæ sic inquit: Hæc audiens purgavi animam meam perfidia, accepi corpus gaudens, & tremens expandi simul cum digitis etiam animæ oculum, & duas per hoc in Christo operationes sensi.

Cyrillus libro 3. de dogmatibus adversus Julianum sermone 12 Calicis (inquit) recusatio, repugnantem in Christo humanam voluntatem indicat. Eum autem sponte pati apparet cum ad Patrem dicit. *Non mea voluntas fiat sed tua.* Quod & confirmat tomo duodecimo. In illud Matthæi. *Pater si possibile est transeat, &c.*

Idem tomo quarto in Ioannem. Christus (inquit) sustinens involuntarium facit voluntarium, à propria quidem voluntate recedens, eam autem quæ Patris est implens.

Quibus accedit etiam quod libro octavo, ait. Christus vere & naturaliter homo ex muliere factus ea quæ hominis sunt præter peccatum habuit.

Insuper lib. de Thesauris sermone vigesimo quarto, ait. In eo quod dicit Christus, *Pater si possibile est, &c.* ostendit carnem suam sponte non perpeti, ut quæ naturaliter mortem abhorreat. Itaque eam remittit ut Dei voluntatem inquirat dicens. *Non quod ego volo, &c.*

Præterea ejusdem lib. ser. 32. Non est Dei & creaturæ unaoperatio, ne quod creatum est divinam habeat potentiam, vel quod divinum ad infirmas creaturæ operationes deprimatur.

Item sermone quodam ad Theodosium Imperato. Vsus est Christus carne propria ad naturales infirmitates: Anima verò ad humanas & inculpabiles ægritudines.

Athanasius libro quarto, contra Arrianos. Si Christum (inquit) divinum quid agentem vel loquentem videamus, cognoscamus quia Deus existens hæc operatur: sin eum humano loqui vel pati viderimus, non ignoremus quòd carnem induens factus est homo.

Justinus Philosophus & Martyr libro de expositione fidei. Sicut luminis operationem (inquit) nemo separabit à sensibili corpore, ratione tamen eam naturam agnoscet cujus est talis operatio: sic & Christi operationem ab uno Dei Filio nemo separaturus est. Cujus tamen naturæ sit proprium quod agit, ratione facile agnoscet.

Iustinianus Imperator contra Nestorianos & Acephalos. Omnes (inquit) sancti Patres sicut passionem & impassibilitatem unius & ejusdem esse nos docuerunt, sic & diversas operationes in uno Christo confitendas esse voluerunt. Idem dogmatica ex isto, ad Zoilum Patriarcham Alexandriæ, pulchre admodum duas in Christo naturas, dupliceisque voluntates ostendit.

Epiphanius Cyri Episcopus serm. 60. contra Marcionitas, Christus (inquit) ut veram carnis substantiam ostenderet, sudorem emisit, & in agonia constitutus, humanam in se mentem, unà cum corpore naturam efficientem, esse declaravit.

Euphemius Antiochiæ Episcopus libro de Satisfactione pro Chalcedonensi Concilio, ex eo quod Christus humano gressu, divina tamen virtute super aquas ambulaverit, in eo duplices, tum operationes, tum voluntates colligit.

Hæreticorum testimonia sumpsit hæresiarcha.

Sequuntur authoritates quibus Macarius & Stephanus & reliqui Monothelitæ suam hæresim tuebantur, sed erant depromptæ ex hæreticis quorum nomina sunt hæc. In primis ex Themistio hæretico tres sunt authoritates, quarum prima est ex secundo ejus contradictorio antidorico contra tomum Theodosij quadragesimo primo capite. Sed non ejusdem duas scientias aut duas operationes asserimus, una quippe, est & cætera. Secunda, relectum est ex eodem codicillo testimonium Themistij hæresiarchæ ex primo ejus antidorico, ideſt, contradictorio contra tomum Theodosij capitulo quinto continens ita: Sancti quippe Patres unam absolute dixerunt Christi esse operationem & non secundum, &c. Tertia, relectum est ex eodem codicillo testimonium ejusdem ex antidorico, id est, contradictorio capitulo trigesimo quarto continens ita: Una itaque scientia in Christo quemadmodum & operatio, &c. Deinde ex Anthimo hæretico cujus duæ sunt authoritates, quarum prior sic incipit. Item relectum est ex eodem codicillo testimonium Anthimi hæretici ex libro ad Justinianum piissimum Imperatorem, cujus initium est, Dei meminisse in omni causa bonum est, continens ita: Nos quippe prædicantes unam naturam Dei verbi incarnatam, & cætera. Posterior verò ita se habet. Item relectum est ex eodem codicillo testimonium ejusdem ex eodem libro, continens ita: congruentia autem his etiam, & cætera.

Ex Severo hæretico quatuor adsunt authoritates quarum prima quidem est: relectum est ex eodem codicillo testimonium Severi impii ex secunda Epistola ad Iconomum comitem, cujus initium est: Etiam nobis ex Deo inspirata scriptura, continens ita. Si igitur transformavit verbum eam, quam sibi secundum subsistentiam univit humanitatem, &c.

Secunda authoritas: Item relectum est ex eodem codicillo testimonium ejusdem ex Synodicis literis ad Paulum hæreticum, cujus initium. Apostolum quidem Paulum, continens ita unam igitur subsistentiam professentibus Emmanüel, consequens est, unam naturam profiteri, &c.

Tertia est authoritas. Item relectum est ex eodem codicillo testimonium ejusdem ex Synodicis literis ad Anthimum hæreticum, cujus initium. Quod ad tuam reverentiam, continens ita: divinè divina signa operatus est, & humanas & divinas voces effatus est, &c.

Quarta authoritas & postrema. Item relectum est ex eodem codicillo testimonium ejusdem ad Theodo-

sium

sium continens ita: Istis proinde præfatis hominiculis reprobis institutoribus, &c.

Ex Theodosio hæretico duæ parent authoritates quarum prior sic incipit, Item relectum est ex eodem codicillo testimonium Theodosij hæresiarchæ, ex libro ad Theodoram Augustam, cujus initium mihi quidem videbatur, continens ita: ut jam & operatio utriusque Deo decibilis una sit, &c.

Posterior authoritas sic incepta videtur. Item ex eodem codicillo testimonium ejusdem, continens ita: Ergo & nos unam eandemque Deo decibilem sapientiam & cætera.

Ex Paulo hæretico unica est authoritas quæ quidem sic incipit. Item relectum est ex eodem codicillo testimonium Pauli ex epistola ad Jacobum, cujus initium. Omnia mihi quæ vestræ sanctitatis sunt, continens ita: Ex enedicam literam piæ recordationis Jeronis ad peremptionem Chalced. Concilij, &c.

Ex Theodoro hæretico una solum est authoritas quæ sic incipit. Itemque relectum ex eodem codicillo testimonium Theodori hæretici ex dogmatica Epistola ad Paulum hæreticum (cujus initium, Cum quidem tempus,) continens ita: & ad hæc omnia anathematizamus Synodum Chalcedonensem, & tomum Leonis & omnes qui dixerunt, vel dicunt in uno Christo duas naturas post ineffabilem unionem aut in duabus naturis diffinientes & non prædicantes unam ejus esse personam & unam subsistentiam & unam naturam Dei verbi incarnatam, & unam ejus operationem secundum Deum verentium, &c. *Et post aliquot hæreticorum sententias, sequitur epist. Episcoporum, clericorum & monachorum.*

Sanctæ & universali Synodo, quæ per jussionem piissimi & à Deo decreti Domini nostri & magni victoris Imperatoris Constantini nunc convenit in hac à Deo conservanda regia urbe imperiali secretario, quod cognominatur Trullus „libellus satisfactionis compositus & porrectus à me Petro indigno Episcopo Nicomediæ Metropoleos provinciæ Bithyniæ. Quoniam quidem exquisivit vestrum à Deo inspiratum & honorabile Concilium qualiter sentiam super recta & immaculata nostra Christianorum fide, & de incarnationis dispensatione magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi qui unus est de sancta, & consubstantiali, & vivifica Trinitate, hujus rei gratia præsentem satisfactionem in scripto componens, offero sancto & universali vestro Concilio. Continentur sicut inferius habetur: Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, Factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium; & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum qui ex Patre natus est, ante omnia sæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum: per quem omnia facta sunt. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificatorem, ex patre procedentem: cum Patre & Filio coadorandum, &c.

Mors gravium loquitur de Spiritu sancto.

Postea subdit multa concernentia fidei articulos, præsertim incarnationem. Tandem subjungit.

Quapropter & ejusdem duas nativitates confiteor, tam quæ ante sæcula, ex Deo & Patre secundum deitatem, quamque illam, quæ ex eadem sancta Virgine & Dei genitrice Maria secundum carnem & recentem. Manens quippe quod erat, factus est insolubiliter quod non erat: & in unam ejus subsistentiam compositam adnuncio, neutra conversa vel confusa propter unionem naturarum, neque rursus sectionem admittente hac incognoscibili unione. Etenim initio quæ secundum compositionem atque secundum subsistentiam est & confusionem & divisionem excludit, & servat quidem utriusque naturæ proprietatem, unam verò personam Dei verbi etiam cum carne demonstrat. Unde & duas ejusdem Domini Jesu Christi naturales voluntates & naturales operationes confiteor, secundum vigorem testimoniorũ sanctorum ac probabilium Patrum, quæ posita sunt in suggestione missa ad piissimum & à Deo confirmandum nostrum Dominum & magnum victorem Imperatorem, ab Agathone sanctissimo ac beatissimo Papa antiquæ Romæ: & simpliciter in omnibus consentio, & permaneo in cunctis capitulis, quæ continentur tàm in prædicta suggestione ejusdem sanctissimi viri, quamque in altera suggestione Concilij quæ circa eum est.

ACTIO UNDECIMA.

Constantinus piissimus Imperator & sanctum Concilium dixerunt, ut Georgius Apochrisarius loci servatoris sedis Hierosolymorum produceret Synodicam Sophronij, quondam Hierosolymorum Archiepiscopi. Quo libro producto in medium Agatho lector & notarius sanctissimi Archiepiscopi hujus à Deo conservandæ urbis, eum legit, hæc, quæsequuntur, continentem. *Epistola Sophronii.*

Domino in omnibus sanctissimo ac beatissimo patri, & consacerdoti Sergio, Archiepiscopo & Patriarchæ Constantinopoleos, Sophronius inutilis servus sanctæ Christi Dei nostri civitatis. Papa beatissime quam mihi amabilis es, & multò quam pridem amabilior, ex quo die ex incurioso silentio in causarum turbam decidi, in terrenis quibusdam fluctibus opprimor, Papa Deo honorabilis, quam nunc suavis est mihi pusillitas, &c. *Paulo post addit:*

Quia verò quædam Apostolicæ, atque prisca traditio, in sanctis Dei per totum orbem Ecclesiis tenuit, ut qui ad Pontificatum ducuntur, qui præ eis Pontificatus regunt, omnia sinceriter exponant, qualiter sapiant, & qualiter fidem delineant, quam Paulus eis sapientissimus nimis cautè contradidit, ut non cursus suos in vacuum peragant (insanis namque eis omnis cursus existeret, si in quolibet fides violaretur) ille quippè sacer, qui Dei voces audivit, & cœlum ipsum habuit magistrum, & paradisi contemplator pro tempore factus est, & verbotum aliis hominibus ineffabilium fuit auditor, ne torpèret (sicut ipse ait) perterrebant, ne forte cum aliis prædicet Christi salutiferam prædicationem, ipse reprobus efficeretur. Unde & in Hierosolymis ascendebat Christi cœlestis discipulus, & divinis, qui præerant, subjiciebatur discipulis, & Evangelicam, quam prædicabat doctrinam, innotescebat eis, qui alios putabantur præcedere: & ipsius eos faciebat doctrinæ participes, munimen sibi despondens eis, „ qui post eum fuerant ei susceptori doctrinas, quibus formula cunctis probabilis factus est, qui ejus sequi vellent vestigia. *Causa scribendi.* *D. Paulus.*

Huic proinde & nos consuetudini servientes, & legem optimam arbitrati, omne quod olim decenter effectum est, maximè Apostolico roboratum instructu, qualiter de fide teneatur scribimus, & à Deo instructis vobis ad probandum diriginus, ne forte terminos æternos transgredi, quos Patres nostri posuerunt æstimemur, non discernere tantum scientibus *δύνασθαι* incertis provida dogmata, sed & redintegrare quæ minus sunt, propter perfectam in Christo charitatem exactè potentibus, atque valentibus. Illa igitur dicturus advenio, quæ ab initio in sancta & Catholica Ecclesia natus & nutritus perdidici, & à mollibus percepi unguibus sapere, & prædicantibus vobis à Deo inspiratis hausi. Credo igitur beate (secundum quod à principio credidi) in unum Deum Patrem omnipotentem sine principio penitus & sempiternum, omnium visibilium, atque invisibilium factorem & cætera.

Postea subdit se credere Trinitatem subsistentiarum & singularitatem essentiæ. Addit præterea.

Et neque unum, quod extra unum est, tria recipit, neque tria, secundum quod tria sunt unum admittunt, quod est & mirabile, & omni certe plenum stupore est. Hoc ipsum namque & numerabile est & refugit numerum. Numerabile quidem tribus suis subsistentiis, refugit autem numerum singularitate *Trinitas.*

deitatis. Unitas quippe ejus essentiæ atque naturæ numerari penitus non admittit, ut non & differentiam deitatis introducat, & ex hoc essentiæ & naturæ, & deorum multitudinem unum principium faciat. Omnis itaque numerus contubernalem habet differentiam, & omnis differentia atque discretio numerum superinducit, ut infinitum. Numeretur ergo Beata Trinitas non essentiis, nec naturis, nec diversis deitatibus, æternisve dominationibus. Absit sicut insanunt Arriani, & sicut noxæ Tritheitæ, ideſt, ter deitatis latratores essentias tres, & naturas tres, & tres dominationes, & tres similiter vaniloquentes deitates, subsistentiis & proprietatibus intellectualibus perfectis senior in subsistentibus, numero divisibilibus, & non dividendis deitate, &c.

Deinde nonnullis interpositis.

Incarnatio.

Qualiter quoque & de incarnatione unius, & de eadem venerabili Trinitate Dei verbi & Filij clementissima atque admirabili, hoc est, de submissa exinanitione, ad nos quoque terrenos divina, atque deifica descensione, teneam atque sentiam, & tenere à sanctis Patribus, secundum vos à Deo inspirati sunt, mihi est traditum, tanquam coram ipsa veritate, quæ conspicit universa, Synodicam hanc literam scribens expono, & ad vestrum destino sapientissimum auditum. Credo & de hac, sanctissime, quod Deus verbum, unigenitus Patris Filius qui ante omnia sæcula & tempora impassibiliter de eodem natus est Deo, & Patre, misericordiam induens, & humanitatis misericordiam circa humanum nostrum lapsum spontanea voluntate, & Dei gignentis consilio, & divino complacito spiritu, non separatus à gremio generantis, ad nos humiles descendit, sicut ejusdem voluntatis Patri, & spiritui, ita & essentiæ inexplicabilis, & naturæ circumscriptionem nullo modo sustinens, aut secundum nos localem transmeatum naturaliter sciens efficere divinam operationem, & uterum intactum virginitatis ingressus, castitatem lustratam Mariæ sanctæ, præclare quæ Dei sunt sapientis, & ab omni contagione liberatæ, & corporis, & animæ, & intellectus, incarnatus, qui erat incarneus, & formam suscepit nostram qui secundum divinam essentiam, quantum ad habitum, & speciem, inexformabilis, & corporatur secundum nos, incorporeus. Et homo juxta veritatem efficitur, qui semper Deus cognoscitur, & materno ventre gestari monstratur, qui sempiterni Patris in sinu est, & intemporeus principium recipit temporale, non per phantasiam factus hæc omnia (ut Manichæis & Valentinianis videtur insanis) sed se & veritate totum seipsum exinaniens paterna & propria voluntate, & totam nostram assumens massam, carnem, inquam, nobis consubstantialem, & animam rationalem animabus nostris contribulem, & mentem menti nostræ comparem. Hic itaque homo est, & cognoscitur, & homo secundum veritatem factus est ab ipso summo conceptu de sanctissima virgine. Homo enim fieri voluit, ut simili consimilem mundificaret, & cognatum cognato salvificaret.

Maria sine peccato.

Ideo Virgo sancta accipitur, & anima corpusque sanctificatur, quæ ita ministravit in incarnatione creatoris, ut munda, & casta, atque incontaminata. Incarnatur ergo verbum Deus, quod nostrum, non præfactæ carni copulatus, præformatove atque in sese præsubsistenti aliquando corpori conlimitus, vel animæ præexistenti conjunctus, sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum verbum, & Deus naturaliter copulatus est, contemporalem habens unitionem, atque subsistentiam, & non ante veriſſimum ipsius verbi conventum in seipsis unquam extiterunt, vel cujuspiam secundum nos alterius hominis penitus extiterunt, sed cum verbi ipsius naturali conventu subsistentia habitura concurrerunt, & nec quantum in ictu oculi hanc illam priorem habentia. (Sicut Paulus Samosatenus perstrepit atque Nestorius.) Simul quippe caro, simul Dei verbi caro animata rationalis. In illo itaque & non in semetipsa habuit existentiam unam. Cum conceptu quippe verbi hæc ad subsistendum prolata sunt, & secundum subsistentiam ei ipsa sunt, quando ad subsistendum prolata sunt, quæ certè vera est, & inseparabilis, quæ neque divisionem perpetitur, neque mutabilitatem, aut confusionem admittit, ab ipso prolata, & in ipso consistentia, & cum ipso composita, nullumque prorsus tempus propriæ constitutionis tulerunt, quod inconfusum atque inseparabilem ad eum compositionem præcederet. Ex inviolabili namque, & virginali sanguine sanctæ atque immaculatæ Virginis Mariæ verbum verè factum est incarnatum, & veraciter homo, ut in utero virgineo deportatus, & tempus explevit legitimi puerperij, & per singula naturalia, & peccatum non trahentia nobis hominibus similis factus, nostramque non dedignatus passibilem vilitatem, nascitur Deus humano corpore, similiterque & habitu animam rationalem atque incorpoream habens, quod ipse in semetipso & nequaquam alter rationali animavit spiritu, & virginem generantem conservat, & [illegible] eam propriè ac veraciter demonstravit: vel si Nestorius vecors scinditur, & ejus Deo rebellis exercitus lachrymatur, & lamentatur, & ejulat, & iterum cum eo discerpitur. Deus itaque erat, qui ex sancta virgine Dei genitrice Maria est, & secundam hanc temporalem propter nos nativitatem suscepit post primam ejus & sempiternam illam ex Patre, naturalem ineffabilem nativitatem, quanquam incarnatus nascebatur ob similitudinem nostri carnalium.

Nota.

Totus Deo collaudandus, totus idem ipse apparens homo perfectus, Deus idem noscendus, perfectus homo idem ipse innotescendus, ex duabus quippe naturis unitionem habuit deitate & humanitate, & in duabus perfectis noscebatur naturis deitate & humanitate. Neque enim unitioni mutatio quælibet vel confusio intercessit, neque differentiæ dualitatisque formatum sive substantiatum post unitionem divisio quædam aut sectio est intromissa, licet hoc contristerquidem furentem Nestorium, illud vero tabefaciat Eutychen desipientem. Namque secundum subsistentiam ad invicem uniuntur, neque mutationem acceptant, neque divisionem agnoscunt: neque scit quæ confusionis sint propria, neque sectionis discit judicia. Juxta quod apparet Eutyches ignorans, atque Nestorius, & unitionis secundum subsistentiam non addiscentes virtutem, juxta quam & incarnatum est verbum, & caro animata, & intellectualis, immutabiliter deificata est. Hic quidem in confusionis pelagus jactatur, hic verò in divisionis voragine dejicitur. Et idcirco ille quidem refugit confiteri dualitatem naturarum, hic vero unam Dei verbi naturam incarnatam se subtrahit prædicare, licet unam ejus compositam subsistentiam dicere metuat, timorem refuga meruit, ubi timor nullus inhabitat. Nos vero sensu vivido servilemque vitioque horum propellentes amentiam, & supet Petram pietatis stantes intrepidi, & secundum subsistentiam verbi ad carnem, quæ ex nobis est, intellectualem & animatam, convenientiam prædicamus, & unum Christum, & Filium incarnatum verbum obsecramus, & unam ejus subsistentiam compositam credimus, unam quidem ex Deo Patre, quam intemporalem, & sempiternam scimus, secundâ ex Dei genitrice matre, quam & modernam & temporalem cognoscimus, & unam Dei verbi naturam in eo incarnatâ glorificamus, & non sicut Apollinaris, Eutycheſque & Dioscorus dicunt, sed sicut nobis sapiens tradidit Cyrillus, & quæ sunt naturarum, salvari dicimus propria, & unitarum differentiam non rejicimus, quæ ut in naturali quidem dicitur & est qualitate, in essentiali verò intelligitur & est quantitate, & neque Nestorianam sectionem memimus, neque sicut insulsus Nestorius, effectualem unitionem dicimus, aut insontinam, quod est honoris æqualitatem, aut obuliam, quod est

Nestorius Eutyches.

consilij concordiam, aut voluntatem monentium identitate deliramus hanc conventionem: neque sicut Eutyches a Deo propulsus, secundum confusionem quandam aut mutabilitatem Dei verbi, & carnis intellectualiter animatæ, sive naturarum atq; substantiarum, & formarum compositionem garrimus, ex quibus in Christo admirabilis facta est conventio, unde Regiam viam & mediam gradientes, & confusionem, & sectionem abominamur, solam autem ex animo veneramur inconfusam, simulque indivisam deitatis & humanitatis unitionem, quam solam intelligendo cognoscit naturalis, atque secundum subsistentiam conventio, hanc quippe cum alterutra copulatam deitatis & humanitatis habuerunt, ut neque conversionem suspicentur, neque divisionem patiantur. Unitatis namque ratio, quæ naturalis (inquam) est, atque secundum subsistentiam (neque enim alteram unitionem in Christo præter istam agnosco) non ignorat quidem differentiam, divisionem autem prorsus expellit. Quæ vero ad unitatem concurrunt, inconversa conservat, partitionemque unitorum non admittit, & ideo ex deitate & humanitate, & ex duabus naturis Christum nominantes, & Deum eundem & hominem, & diphyan, quod est, bis genitum, duplicemque secundum naturas prædicamus. Similiter autem & in deitate perfectum, & in humanitate eundem scimus perfectum, idcirco & in duabus eum docemus naturis, & Patri consubstantiam, ut Deum hunc ipsum asserimus, & consubstantialem matri, & nobis hunc ipsum hominem asserimus, visibilem hunc ipsum, & invisibilem, corporeum hunc ipsum & incorporeum, contrectabilem hunc ipsum, & incontrectabilem, circumscriptum, & terrenum eundem & cœlestem, carneum hunc ipsum, animatum rationabiliter & deificatum, recentem hunc ipsum, & sempiternum, humilem hunc ipsum & sublimissimum, & quæque duplicis inseparabiliter recipiuntur naturæ vel si quædam semper extitit, ut sempiternam habens naturam, quædam vero propter nos in novissimis temporibus inconvertibiliter facta est, ut pote humanam assumens naturam. Si igitur inconvertibilis est & inseparabilis permanet, duo immutabiliter differentia significant, & inseparabili alteritate confulgent naturæ & substantiæ, quæ & formæ consistunt, ex quibus ineffabilis unitio facta est, & in quibus unus idemque Christus conspicitur. Unum namque quod ex ipsis effectum est, non jam dualiter divisum, sed eorum ex quibus factum est sine sectione & transversione demonstrat subsistentiam. Quæ enim extat persona composita ex inconfuso constans temperamento, partitionem convenientium nescit, sed esse unum, & permanere unum indivisum sortitur, & neque duo juxta quod unum extitit, efficitur, neque confundit, & in singularem redigit unitatem, naturalemque & essentialem identitatem ea, ex quibus naturaliter convenit, sed est unum, & duo hoc ipsum agnoscibile, unum quidem secundum subsistentiam atque personam, duo vero secundum ipsas naturas, atque naturales earum proprietates, ex quibus esse unum sortitur natura duplex, & unum permanere servabit.

Unde idem ipse unus manens Christus & Filius & unigenitus inseparatus in utrisque naturis conspicitur, & quæ sunt utriusque substantiæ naturaliter operatur, secundum insitam unicuique essentialem qualitatem, sive naturalem proprietatem. Quod si naturã haberet singularem, & inconjunctam, sicut & subsistentiam atque personam, non ageret utique unus idemque Filius & Christus profecto, quæ utriusque erant naturæ. Corporis enim deitas expers, quomodo naturaliter opera corporis operata est? vel quomodo corpus deitate frustratum actiones operatum est, quæ essentialiter deitatis esse noscuntur? Verum Emmanuel, dum unus est, & in eo ipse utraque, idest, Deus & homo, quæ naturæ utriusque sunt, naturaliter gessit, secundum aliud quæ gesta sunt operans: secundum quod Deus quidem est, idem ipse quæ divina sunt, secundum quod homo idem ipse est, quæ humana sunt, seipsum volens omnibus ostendere, quod Deus idem ipse & homo sit, & ideo idem ipse, tam ea quæ divina sunt agit, quam quæ humana similiter & dicit, & loquitur. Non alius quidem miracula operatus est, alius autem perpetravit humana, passionesque sustinuit, sicut & Nestorius vult, sed unus quidem idemque & Christus & Filius, qui & divina gessit & humana, secundum aliud vero & aliud, sicut divinitus protestatus est Cyrillus, quia & inutriisque habuit potestatem inconfusam, nec non & impartibilem. Secundum quod Deus ergo sempiternus idem ipse exsistebat, patrabat miracula, secundum quod homo vero idem ipse modernus agnoscebatur, faciebat humilia & humana.

Diversæ operationes in Christo.

Sicut ergo in Christo utraque natura indiminutè proprietatem suam custodit, ita & operatur utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit, verbo quidem operante quod verbi est, cum communione scilicet corporis: & carne exequente quod carnis est, communicante ei videlicet verbo in eadem operatione, quando hæc in una subsistentia cognoscantur, & in una persona considerentur, & insulsissimam sectionem propellant. Neque enim divisè operabantur propria, ut & divisionem earum suspicemur. Non exulter pro hoc Nestorius seipsum seducens erroneis, idcirco quod utraque forma in uno Christo & Filio, cum alterius communione operabatur, quod proprium habuit. Neque enim ab altera ejus dissidens, quod proprium habuit, operabatur. Nos enim secundum duos Christos aut Filios, qui operantur, glorificamus, unum quidem secundum naturam Filium & Christum, quæ mira sunt: secundum vero gratiam Filium & Christum, quæ humiliora sunt, quanquam duas formas, quæ communiter operantur, edocemus, unamquamque secundum naturalem suam proprietatem, sed unum eumdemque Filium & Christum, qui & sublimia & humilia naturaliter operatur secundum unius cujusque duarum ejus naturalem & essentialem qualitatem asserimus. Naturæ namque incommutabiles manentes, & inconfusæ, & duæ manifestè cognoscendæ, & non confusibiliter copulatæ, his penitus non erunt frustratæ, vel si in una subsistentia monstrabantur, non vane profiliant Eutyches, & Dioscorus nequaquam non existentes impiæ confusionis prolatores, sed una quæque natura cum alterius communione agebat, quod proprium habuit, & divisionem refugiens, & conversionem ignorans, & differentiam ad alteram conservans, communionemque & compositionem insolubilem atque indisruptã persalvans. Hinc piè sentientes, & super terminos rectæ fidei consistentes, sicut unum eumdemque Christum & Filium operari utraq; dicimus, eo quod idem ipse Deus erat & homo, nullamque excogitamus confusionem: ita nec utramq; formam cum alterius communione operari propria differẽtes, eo quod duæ formæ in uno eodemque Christo naturaliter propria operantes existunt, nullam penitus consideramus divisionem, sicut hic quidem Eutyches, illic verò nobis vult calumniari Nestorius, è diverso adinvicem consistentes, & adversum nos pios impium prælium partientes. Quos pro nihilo reputantes, & utriusque naturæ utramque novimus operationem essentialem dico, naturalem, & congruam, indivisè de unaquaque procedentem essentia & natura, juxta insitam ei naturalem atque essentialem qualitatem, & inseparabilem, simulque inconfusam alterutrius essentiæ συνεπεχρήσω una secum cooperationem adducens. Hoc quippe & operationum, quæ in Christo sunt, differentiam facit, sicut & naturarum.

Non itaque idipsum est deitas & humanitas secundum qualitatem unicuique naturaliter inditam, licet in unam subsistentiam adinvicem ineffabiliter concurrant, & in unam personam sicut inconfusè compositæ, & unum eundemque nobis Christum & Filium effecerint, secundum subsistentiam adinvicem concurrentes atque compositæ. Etenim Deus verbum est

& non caro, quamquam carnem rationaliter animatam assumpsit, hancque sibi unitione naturali, & secundum subsistentiam adunivit, ipsa vero caro est animata rationaliter & non verbum, licet Dei verbi caro conspicitur. Et ideo neque eandem habent indifferenter operationem adinvicem post unitionem naturalem & inconfusam, idest, veram & secundum subsistentiam, neque unam solam earum operationem dicimus, sive essentialem & naturalem, penitusque indifferentem, quatenus essentiam unam & unam naturam nos cognoscamus, quæ ab Acephalorum pueris luditur, & ipsis verbis impudenter profertur composita. Quemadmodum igitur utriusque essentiæ atque naturæ, ex quibus nobis in Christo inconfusa facta est unitas, & unum Christum perfecit, & filium totum Deum, totum eumdem ipsum credendum & hominem, utramque naturalem confitemur operationem, ne naturas, quæ inconfusè unitæ sunt, confundamus. Siquidem & essentiarum semper differentiam ex differentia operationum est insitum comprehendere: ita & omnem vocem, & operationem, seu divina quædam sit & cœlestis, sive humana atque terrena, ex uno eodemque Christo & Filio edocemus procedere, ex unaque ejus composita & singulari subsistentia Incarnatum Dei verbum extabat, qui & utramque inseparabiliter & inconfusè operationem, secundum naturas suas à seipso naturaliter proferebat.

Secundum divinam quidem naturam suam, juxta quam erat etiam Patri consubstantialis, divinam & inexplanabilem, secundum humanam verò juxta quam & hominibus nobis ipse consubstantialis mansit, humanam atque terrenam, unicuique naturæ amicam & congruam, & non sinens quemquam aspicientium scandalizari, quod non sit idem ipse Deus & homo, qui hæc & illa naturaliter operabatur. In eo quidem idem ipse unus Christus & Filius operabatur, utramque Nestorij cœnolentam obstruens exfluentiam, nec enim juxta eum duos Christos & Filios sic dicimus, qui operantur hæc atque illa, opinamur: in eo vero quod ostendebat, quæ utriusque naturæ sint propria, inconfusa post unitionem manentia, & utraque earumdem similiter proferebat operationem, ipsa naturali ratione cognoscendas naturas, propriamque naturam naturaliter explanantem, ex qua inseparabiliter atque naturaliter emanabat, & essentialiter exundabat, Eutycheris consopiens confusioni socium germen: deinde partu nostro natus lacte nutritur, & crescit & corporales ætates discurrit, donec & ad humanæ ætatis perfectionem pertingeret, & esuriem nostram, & sitim & fastidium juxta nos ex humore sustinet, faciebat quippe & incedendi similiter nobis operationem, quæ humaniter actitata secundum humanam substantiam progrediens humanæ ejus naturæ erat ostensio.

Deinde subdit.

Et propterea à Deo instructi asseverant, qui pro Christo Deo præmiis coronati sunt, & loqui divinitus acceperunt, divinas nobis intelligentias contexentes, sicut cum audieris unius filij contrarias voces convenienter naturis ipsis, quæ dicunt, partire: siquidem quid magnum & divinum est, divinæ naturæ exhibens, si vero quid parvum & humanum, humanæ reputans: sic enim & dissonantiam vocum effugiens, unaquaque natura proprietates, quæ ei sunt insitæ, receptante, & ipsum Filium unum, tam ante omnia sæcula, quam modernum secundum Sacras Scripturas confiteberis. Sed & hoc in uno filio asserunt, omnem quidem operationem nullus ab uno filio sequestravit. Cujus verò naturæ sit quod geritur, per propriam operationem insinuat. Ergo nimis pulcherrimè ab eis est explanatum, unum quidem confiteri Emmanuel (ita quippe Deus verbum incarnatus nuncupatur) & eumdem omnia patrare, & non alium tam sublimia, quam exigua citra ullam distantiam, perque & ejus naturarum inconfusa dualitas recognoscitur, & in subsistentias duas atque personas ipse prorsus non dispertitur, sed est unus idemque Filius & Christus inseparabilis in duabus indivise agnoscendus naturis, & ipsius unius filij cuncta esse certificamur, & omnes ejus & voces, & operationes credimus, licet quædam earum sint Deo decibiles, quædam verò ita rursus humanæ, quædam verò medium quemdam ordinem obtinent, tanquam habentes in hoc ipso Deo dignum quid, & humanum: hujus vero asserimus esse virtutem etiam illam, quæ dicitur nova & Dei-virilis operatio, non unam existentem, sed diversi generis ac differentem, quam ex Areopago à Paulo egregio divinitus captus Deo vocatus asserit Dionysius, utpote Deo decibile in hoc ipso & humanum habentem, perque alacrem atque compositam ἐνεργείαν dictionem uniuscujusque substantiæ atque naturæ unamquamque perfecte significantem operationem. Antesæcula igitur esse Deum, verbum glorificantem, Patrique coæternum, temporalem sustinuisse adnunciamus nativitatem, qua ex Virgine, verè ac propriè Dei genitrice Maria Incarnatus nascebatur. Et idcirco duabus nativitatibus nasci à piis meritò creditur, & perfectus idem existens in deitate, perfectus erat idem in humanitate, nequaquam per differentiam substantiarum divisus, neque per identitatem subsistentiæ atque personæ, naturas ipsas dedúcens ad identitatem substantiæ, sed ex quibus secundum subsistentiam naturis est declaratus in ipsis inseparabilis mansit, omnia sapienter & verè nostra gerens opera, & passiones naturales atque irreprehensibiles, quæ procul à macula atque pollutione sunt, & in quibus cujuspiam peccati vestigium non reperitur. *Christus sine peccato.*

Peccatum enim non fecit, nec quilibet dolus in ore ejus prorsus inventus est, & connutritus nobiscum humane, ut pote qui sciebatur homo perfectus, etiam Deus idemque indivinitate extabat, miraculaque, ut decuerat faciens. Perfectus quippe Deus noscebatur, quamvis esset humanæ carni intellectualiter animatæ commixtus ad spontaneam passionem ascendit, & ultro Judæis est proditus. Imo ipse seipsum illis ob salutem hominum sponte prodidit, & ligatur, & colaphis cæditur, & inspuitur, & flagellatur, & illuditur, & chlamide purpurea tanquam Rex omnium reinduitur, & arundo tanquam sceptrum Regium regaliter ei contraditur, & Pilato judicante damnatur, ad extremum patibulo configitur, & manibus atque pedibus cruentatur, salutiferæ cruci conclavatur, & cum latronibus levatur, & acetum potat, & fel degustat, & magne vociferans animam tradidit Patri, & latus lanceâ perforatus, sanguinem quoque & aquam salutarem post mortem profudit, & emortuus de cruce deponitur, & accuratur, & mirrha conditur, & sepultura triduana sepelitur, & triduanus resurgens de sepulchro progreditur, & unà secum cunctos suscitat ex sepulchro, ex corruptione ad immortalitatem eos perducens per suam resurrectionem ex mortuis: & discipulis resurgens à mortuis manifestatur: & cibo ac potu rei fidem accommodat, & tactu manuum Apostolicarum, carnis propriæ resurrectionem: & Spiritum sanctum eis impertit tanquam cognatum sibi atque connaturalem, & elevatur in cœlos, imo uti cœlorum dominator ascendit, & dexteræ assidet genitoris, solium habens paternum & regale & sublime. Unde & iterum veniet judicium vivorum & mortuorum facturus, & singulis redditurus secundum opera, quæ unus quisque operatus est, sive frugi quæ bona fecit, seu nequaquam, & vituperabilia operatus est: quem una cum Patre & Spiritu sancto omnino regnare credimus, regnum verò immortale, & finem nequaquam aut terminum susceptorum. Sed & de Incarnationis dispensatione, hoc est de admirabili Dei verbi incarnatione, qualiter dico ac sentio breviter demonstravi. *Subdit Angelos & animas esse immor-*

Pallet & incorruptibilis non quidem per naturam sed per gratiam. Postea detestatur errorem Origenis, Dydimi, & Evagrij dicentium animas ante corpora productas, & intrusas corpori postea, & mortuorum resurrectionem negantium. Subjungit idem in eadem epistola. Suscipio autem & veneror post quinque universalia concilia, conscripta Cyrilli, præsertim, quæ contra Nestorij insaniam facta sunt. Similiter & Epistolam Orientalium Episcoporum, quæ ad eundem Cyrillum scripta est quam & ipse Orthodoxam esse testatus est, & quæcunque Leo sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ sanctissimus dispensator scribit, & maxime quæ contra Eutichianam, & Nestorianam prophanationem scripsit: hæc quidem ut Petri, illa verò ut Marci definitiones agnoscens.

Petrus Romæ sedit Marcus Alexandriæ.

B Omnia omnium nostræ Catholicæ Ecclesiæ probabilium institutorum à Deo instructa didagmata, seu in verbis & scriptis, sive in epistolis quibuslibet comprehensum est. Et ut concinnè dicam, cuncta suscipio & amplector, quæque sancta Catholica nostra Ecclesia suscipit, & cuncta è regione resuto atque anathematizo & prophana esse reputo, quotquot & ipsa sapienter abominatur, & propriæ pietati æstimat esse contraria, non solum codicillos & verbula Deo repugnantia, & privata dogmata, sed & hæreticas & maledicas, maledicarumque sectarum doctrices personas. Et ut nihil desit ad vestram satisfactionem, ipsas quoque personas exprimo, quas anathematizo, & condemnatas efficio non lingua tantum & ore sed corde & Spiritu, utpote quæ sanctæ nostræ Catholicæ fidei in omnibus insidiantes ostensæ sunt. Anathema itaque in perpetuum, & catathema à sancta & consubstantiali adoranda Trinitate Patris & Filij & Spiritus sancti sint, primum quidem Simon magus, qui primus pessimis hæresibus pessimus principiavit, postquam Cleobius, Menander, Philetus, Hermogenes, Alexander æratius, &c. *Subjungit longam nomenclaturam hæreticorum inter quos enumeratur Ioannes Grammaticus in hunc qui sequitur modum.* Joannes Grammaticus cognomento Philoponus, ideſt studiosus. Imo mathoponus irritus laborator & vanus. Conon quoque & Evagrius: Hi tres tritheias (ideſt triplicis Deitatis) ter maledicti propugnatores. Themistius qui fuit ignorantiæ pater & genitor atque seminator nefandissimus, qui Christum verum Deum nostrum, diem judicij nescisse delirabat, nesciens quæ ipse, jam à Deo projectus assereret, & non recognoscens quæ ignorando loquebatur. Nisi enim ignorasset verborum suorum virtutem, non utique læthiferam ignorantiam peperisset, & ignorantiæ fœditatem ferventer defenderet. Ignorare Christum non secundum id quod Deus erat sempiternus, sed secundum quod veraciter homo factus, diem consummationis atque judicij, ex insipientia mentis eructans & purum cum efficiens hominem, & hac monstruositate se defamans Acephalum, & naturam unam ejusdem Christi Salvatoris nostri compositam vaticinans, &c. *Enumeratis multis aliis hæreticis quos etiam Anathematizat, subdit postea.* Anathematizo cum eisdem prophanis hæresibus, & omnem aliam Deo odibilem & maledicam hæresim quam sancta nostra Catholica Ecclesia anathematizare atque E condemnare consueta est, eorumque authores & genitores, & eorum probrosas atque fœdissimas loquelas atque codicillos, sola honorans & tenens sentiensque & venerans sancta Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ dogmata, cum quibus hinc etiam migrare deprecor, quando hoc Deus præceperit.

Ioannes Philoponus.

Themist.

Finitis omnibus, quæ in ista actione acta sunt, Constantinus pissimus Imp. dixit Sufficientia sunt etiam, quæ hodierna die sunt gesta. Quia verò in Christo amabilis vestræ reipubl. causis occupamur, jubemus Constantinum, & Anastasium patricios, Polyeuctum quoque & Petrum exconsules ex persona nostræ pietatis cum sancto & universali vestro Concilio in reliquis conventibus inveniri, postquam

A præsentis causæ plurima, & præcepta capitula coram nostra pietate jam peracta sunt.

ACTIO DUODECIMA.

Rursus disputatum est cum hæreticis, si ex scripturis Sanctorum Patrum possent demonstrare unam voluntatem, & unam operationem in Domino nostro Jesu Christo, & non valentibus illud ostendere, prolata est à Catholicis & lecta Epistola Leonis Papæ decima, & luce clarius demonstraverunt duas voluntates, & duas operationes in Christo Jesu, & dixit sancta Synodus. Omnino necesse est, non solum secundum sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed & eisdem vocibus uti cum illis, nihilque penitus innovari. *Sessio n. 18*

Ibidem relectum est rescriptum Epistolæ Honorij Papæ Romani ad Sergium Constantinopol.

Scripta fraternitatis vestræ suscepimus per quæ inventiones quasdam & novas vocum quæstiones cognovimus introductas, per Sophronium quendam tunc Monachum, nunc verò ex auditu Episcopum Hierosolymitanæ urbis constitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex hæresi prædicantem. Qui denique ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, querelamque hujusmodi deponens multiformiter eruditus, petiit de his, quæ à vobis fuerat instructus, paginalibus sibi syllabis reserari: quarum literarū ad eundem Sophronium directarum C suscipientes exemplar & intuentes, satis provide, circūspecteque fraternitatem vestram scripsisse: Laudamus novitatem vocabuli auferentem quod posset scādalum simplicibus generare. Nos enim oportet manere in quo pervenimus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum Sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum nostrum Jesum Christum, mediatorem Dei & hominum, operatum divina media humanitate verbo Dei naturaliter unita, eundemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter adsumpta carne discrete, inconfusè atque inconvertibiliter plena divinitate, & quæ coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est & carneus effectus plene Deus & homo: passiones & opprobria patitur unus mediator Dei & hominum in utrisque naturis verbum caro factum & habitavit in nobis ipse D Filius hominis de cœlo descendens unus atque idem (sicut scriptum est) crucifixus Dominus majestatis, dum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, & non de cœlo, sed & de sancta est assumpta caro Dei genitrice. Nam per se veritas in Evangelio ita inquit: *Nullus ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit Filius hominis qui est in cœlo*, profecto nos instruens quod divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur conjungi, ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumq; naturarum differentiis cognoscatur uniri. Cui Apost. concinens, ad Corinthios ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus seculi neque principum hujus seculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in Mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Dum profecto divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti, sed propter ineffabilem conjunctionem humanæ divinæque naturæ, idcirco & ubique Deus dicitur pati, & humanitas in cœlo cum divinitate descendisse. Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto à divinitate assumpta est nostri natura, non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. Christus enim Dominus in similitudinē carnis peccati

Epistola Honorii occasione Symboli Sophronio scripta.

Isaiæ 63.

1. Cor. 2.

Non duæ contrariæ sicut in nobis.

veniens, peccatum mundi abſtulit, & de plenitudine ejus omnes accepimus, & formam ſervi ſuſcipiens, habitu inventus eſt ut homo, quia ſine peccato conceptus de Spiritu ſancto, etiam abſque peccato eſt partus de Sancta & Immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ. Carnis enim vocabulum duobus modis ſacris eulogiis bonique malique cognovimus nominari, ſicut ſcriptum eſt. *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt.* Et Apoſtolus. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Et rurſum: *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me trahentem, in legem peccati quæ eſt in membris meis*, & alia multa hujuſmodi abſolute ſolent intelligi, vel vocari. In bono autem ita, Eſaia Propheta dicente: *Veniet omnis caro in Hieruſalem, & adorabit in conſpectu meo.* Et Job, *in carne mea videbo Deum:* Et alias: *Videbit omnis caro ſalutare Dei* & alia diverſa: Non eſt itaque aſſumpta (ſicut præfati ſumus) à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, ſed venit quærere & ſalvare quod perierat, id eſt vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit, vel contraria Salvatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis. & ſiquidem ſcriptum eſt, *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris*: Et: *Non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater.* Et alia hujuſmodi, non ſunt hæc diverſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum, ut aſſequamur veſtigia ejus, pius magiſter diſcipulos imbuens, ut non ſuam unuſquiſque noſtrum, ſed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.

Nota ratiocinium Hebdom.

al. eloquiis Geneſ. 6. 1. Cor. 15. Rom. 7.

Eſaia 66. Iob 19. Luc. 3.

Propaſſiones erant in Chriſto non paſſiones.

Ioan 6. Matt. 26.

Via igitur regia incedentes, & dextrorſum vel ſiniſtrorſum venatorum laqueos circumpoſitos evitantes, ne ad lapidem pedem noſtrum Idumæis, ideſt terrenis atque hæreticis propria relinquentes, nec veſtigio quidem pedis ſenſus noſtri terram, ideſt, pravam eorum doctrinam omnimodo atterentes, ad id quò tendimus, hoc eſt, ad fines patrios pervenire poſſimus, ducum noſtrorum ſemita gradientes, & ſi forte quædam balbutientes (ut ita dicam) niſi ſunt præferentes exponere, formantes ſe in ſpeciem nutritorum, ut poſſent mentes imbuere auditorum. Non oportet ad dogmata hæc Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque Synodales apices ſuper hoc examinantes, neque authoritates Canonicæ * viſæ ſunt explanaſſe, ut unam vel duas energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare, quas neque Evangelicæ vel Apoſtolicæ literæ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita, viſæ ſunt terminaſſe, niſi fortaſſis (ſicut præfati ſumus) quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condeſcendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Eccleſiaſtica dogmata trahi non debent, quæ unuſquiſque in ſenſu ſuo abundans, videtur ſecundum propriam ſententiam explicare. Nam quia Dominus Jeſus Chriſtus Filius ac verbum Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenæ ſunt ſacræ literæ luculentius demonſtrantes. Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, geminæ operationes debent derivatæ dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina vindicare. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Ieſum Chriſtum, ejuſque ſanctum Spiritum, ſacris literis percepimus ſed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum eſt enim: *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic ejus non eſt.* Et alibi: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Si enim diviſiones operationum ſunt multæ,

Doctorum.

al. viſæ.

Interim Honorii.

Rom. 8. 1. Cor. 12.

& has omnes Deus in membris omnibus plenè corporis operatur, quanto magis capiti noſtro Chriſto Domino hæc poſſunt pleniſſime coaptari? ut caput & corpus unum ſit perfectum, ne profecta occurrat (ſicut ſcriptum eſt) *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Si enim in aliis, id eſt, in membris ſuis, Spiritus Chriſti multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur, & ſunt: quanto magis per ſemetipſum mediatorem Dei & hominum plene ac perfecte, multiſque modis & ineffabilibus confiteri nos communione utriuſque naturæ condecet operatum? Et nos quidem ſecundum ſanctiones divinorum eloquiorum oportet ſapere vel ſpetare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare, ne aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos, nos veſana ſapere arbitrentur: aut certe, ſi rurſus unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur præcaventes, ne quorum inania arma combuſta ſunt, eorum cineres & redivivos ignes flammivomarum denuo renovent quæſtionum, ſimpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jeſum Chriſtum unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ, electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores ociosè negotiantes, & turgidi adverſus nos inſonent vocibus ranarum Philoſophi, quàm ut ſimplices & humiles ſpiritu populi Chriſtiani poſſint remanere jejuni. Nullus enim decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam diſcipulos piſcatorum. Eorum enim doctrinam ſequentes, omnia argumenta ſcopuloſa diſputationis callidæ atque fluctivagæ intra eorum retia ſunt colliſa. Hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unus vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi, Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide Orthodoxa & unitate Catholica prædicetis. Et ſuperſcriptio: *Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſ. atque ſanctiſſ. frater.*

Admittit operationes duas.

Voces novæ non probat.

Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: Oportet ad nos afferri regeſta, ac dogmatica ſcripta quæ expoſita ſunt à Sergio quondam Patriarcha hujus Regiæ urbis, ſive ad Honorium, vel Cyrum, vel Sophronium aut etiam ad alias perſonas, ſeu ab Honorio ad Sergium facta ſuper præſenti dogmatica quæſtione, repacenti in ſacro chartophylacio hujus venerabilis Patriarchij, ut conferantur cum codicibus qui piiſſimo Domino noſtro principi a Macario oblati ſunt & nunc relecti. Georgius igitur Deo amabilis Diaconus & chartophylax hujus ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ, cum omni feſtinantia pergens in chartophylacium venerabilis Patriarchii, eadem regeſta, quæ dicta ſunt, deferat, & ſcripta referat.

Georgius Deo amabilis Diaconus & cartophylax dixit: Sicut juſſit veſtra Sancta Synodus confeſtim vado, & quanta invenire potero, mecum deferam.

Glorioſiſſimi judices & Sancta Synodus dixerunt: Quæ promiſſa ſunt ab eodem Georgio Deo amabili Diacono & chartophylace, ad effectum preveniant. Hi autem qui excipiunt, quæ geruntur in hac geſta ſancta noſtra Synodo, eant unà cum Joanne reverendo Epiſcopo civitatis Regitanæ, Georgio Deo amabili Epiſcopo Cyzici, & Dometio Epiſcopo Pruſiados ad Macarium, & oſtendant ei tam illos duos libros & chartaceum quaternionem, qui cum eis eſt, & ſciſcitentur ab eo, ſi verè hæc opuſcula ejuſdem exiſtunt Macarij. Similiter autem oſtendant ei & tres codices, & illam unam chartam, quæ nunc quoquecoram nobis relecta ſunt, ſi hæc utique ſunt quæ ipſe obtulit noſtro piiſſimo Domino, & magno Imperatori: & reſponſum quod eis dederit, ſtatim ad nos perducant,

Et paululum recedentes præfati reverendiſſimi Epiſcopi, una cum Paulo & Joanne magnificis à ſecretis atque Imperialibus ſecretariis, & Agathone religioſo lectore & notario ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, & venientes ad Macarium, atque paulo poſt revertentes, dixerunt. Secundum juſſionem veſtræ gloriæ, ſanctæ univerſaliſque Synodi pergentes, aſcendimus in venerabile Patriarchium, & intrantes unam celiam, in qua eſt Macarius, (ſicut juſſiſtis) interrogavimus eum, ſi recognoſcit illos duos libros qui in nomine ejus ſuperſcripti ſunt, & unum, qui cum eis eſt chartaceum, & quaternionem, & ſi opuſcula ejus exiſtunt. Qui Macarius accipiens ea, & revolvens ac inſpiciens, dixit: Etiam Domine, pro certo mea opuſcula ſunt, & recognoſco ea. Similiter autem & oſtenſi ſunt ei tres codices, & una charta, quæ hodierna die relecta eſt, & aſpiciens ea, dixit: Etiam Domine, cognoſco ea. Anno enim præterito obtuli ea Domino, & vere recognoſco ea.

Agathe Notarius.

Georgius Deo amabilis diaconus & chartophylax ingreſſus in medium ſancti Concilij, dixit: Juxta quæ mihi juſſa ſunt a veſtra gloria, & à ſancto & univerſali Concilio pergens in chartophylacium venerabilis Patriatchij, codices ſive regeſta quæ invenire potui, defero ad quod vobis placuerit.

Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: Offerat Georgius Deo amabilis diaconus & chartophylax ad relegendum, & conferendum cum codicibus à Macario porrectis piiſſimo noſtro Principi, codices ſive regeſta quæ detulit. Et accipiens Antiochus Religioſus lector, & notarius Georgij ſanctiſſimi Archiepiſcopi Conſtantinopoleos codicem ſive regeſtum diverſarum epiſtolarum Sergij, quondam Patriarchæ Conſtantinopoleos, relegit epiſtolam ejuſdem Sergij ad Cyrum quondam Epiſcopum Lazorum. Et collata eſt cum codice Macarij, qui prolatus eſt per Joannem glorioſiſſimum quæſtorem. Et conſtitit. Item prolatus eſt alius codex ſive regeſtum, relectum ſimiliter per eundem Religioſum Antiochum, habens Epiſtolam Sergij quondam Patriarchæ Conſtantinopoleos ad Honorium quondam Papam Romanum. Et collata eſt cum codice, qui à Macario datus eſt piiſſimo Principi. Et conſtitit. Similiter prolata eſt à Georgio Deo amabili diacono & chartophylace epiſtola authentica Latina Honorij, quondam Papæ Romani, ad Sergium quondam Patriarcham Conſtantinopoleos, una cum ejus interpretatione: Et collata eſt eadem latina epiſtola per Joannem reverendiſſ. Epiſcop. civitatis Portuenſis, qui unus extitit de Concilio antiquæ Romæ. Et conſtitit.

Glorioſiſſimi judices dixerunt: Cognitionem accipiens ſanctum veſtrum & univerſale Concilium eorum, quæ nunc relecta atque collata ſunt tam de Sergio quondam Patriarcha hujus Regiæ urbis, quam de Honorio quondam Papa Rom. ad hæc & de Sophronio quondam Patriarcha Hieroſolymorum, quæ ei viſa fuerint, perſequatur.

Sancta Synodus dixit: Secundum interlocutionem gloriæ veſtræ de his, quæ nobis relecta ſunt, tam de regeſtis ſcripturarum à Sergio Epiſtolarum, quam & authentica epiſtola Honorij Latina, ad hæc etiam & de Synodicis Sophronij, quæ nobis jam relecta ſunt, accuratius de eis pertractantes, futuro ſecretario vobis glorioſiſſimis, quæ opportuna ſunt, dicimus. Glorioſiſſimi judices dixerunt Hoc quidem ſancta Synodus peragat: Piiſſimus vero atque à Deo confirmandus Dominus noſter, & Magnus Imperator, Dei coronatoris ſui clementiam in omnibus imitatus, & pœnitentiam expectans Macarij, per nos indignos ejus famulos veſtram ſciſcitatur ſemper ſanctam & univerſalem Synodum, ſi forſan eo pœnitente, poſt depoſitionem à ſancta veſtra Synodo in eo perpetratam, in propria ſede reſtituendus eſt.

Damnatio Macarii Antioch.

Sancta Synodus dixit: Inveteratum Macarium in impietatis dogmatibus & non ſolum univerſam Chriſto amabilem plebem, quæ hanc à Deo conſervandam regiam urbem inhabitat, everſione turbulenta putantem, teſtimoniaque ſanctorum & probabilium Patrum falſantem & quædam quidem abſcindentem, quædam vero addentem, & ſecundum quod ei videbatur in devia mittentem piiſſimum & à Deo coronatum noſtrum principem per oblatos ab eo codices, ſed & à ſolis ortu uſque occaſum literas ſuas, & per homines quos mittebat, univerſos perturbantem & à fide vera ſegregantem, & juſte atque regulariter à Pontificali habitu denudatum nullatenus divina regula de cætero ſuſcipit in doctoris ſede reſidere, ne ex hoc propriæ ſuæ hæreſeos multo amplius recrudeſcere faciat intelligentiam & fiant (juxta quod ſcriptum eſt) noviſſima illius deteriora prioribus: & maxime cum diverſis vicibus in præſentia Domini noſtri & Magni Imperatoris, & cuncti noſtri Concilij interrogatus ſit, ſi ſequitur & una cum omnibus confitetur in Domino noſtro Jeſu Chriſto ſicut duas naturas, ita & duas naturales voluntates & duas operationes naturales: & eo nullatenus accepto ferente, ſed & confirmante quæ dudum ab eo impie definita ſunt & ipſis ſermonibus aſtruente, quia ſi membratim incidar & jactetur in mare, ego neque duas voluntates, neque duas operationes dico in Domino noſtro Jeſu Chriſto uno ſanctæ Trinitatis, & ex hoc, ut dictum eſt, Synodice depoſitum & anathematizatum, nullo modo hunc Macarium de cætero, ſicut ſuperius dictum eſt, hoc ſanctum Concilium in Sacerdotali ſuſcipiet ſede, ſed & execramur, & extra terminos à Deo conſervandæ hujus Regiæ urbis hunc fieri, una cum ei ſimilia ſentientibus.

Reverendiſſimi Epiſcopi ac venerabiles clerici qui ſub ſede ſunt Antiochiæ civitatis, accedentes ad glorioſiſſimos judices, dixerunt: Petimus veſtram gloriam, ſuggerere piiſſimo & à Deo coronato noſtro Domino & Magno Imperatori, alterum pro Macario, qui fuerat Archiepiſcopus noſter, ad Pontificalem ſedem Antiochiæ provenire, ut non ſit vidua hujuſmodi ſedes.

Glorioſiſſimi judices dixerunt: Secundum ea quæ conſiderata ſunt à ſancto & univerſali veſtro Concilio, & juxta petitionem reverendiſſimorum Epiſcop. religioſorumque clericorum, qui ſub jure ſunt ſedis Antiochenæ civitatis Eccleſiæ, veſtra ſancta Synodus in futuro ſecretario, quæ promiſſa ſunt ſuper Sergio, Honorio atque Sophronio opere adimpleat.

ACTIO DECIMA-TERTIA.

Poſtulatum eſt, ut pronunciaretur ſententia de epiſtolis Sergij, Honorij, & Sophronij, quæ in actione præcedenti lectæ ſunt. Sanctum Concilium dixit: Secundum promiſſionem, quæ à nobis ad veſtram gloriam facta eſt, retractantes dogmaticas epiſtolas quæ à Sergio Patriarcha hujus Regiæ urbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quàm ad Honorium Papam antiquæ Romæ: ſimiliter autem & epiſtolam ab illo, ideſt Honorio reſcriptam ad eumdem Sergium: haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus & à definitionibus ſanctorum Canciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, eas omnimodo abjicimus & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem, id eſt, eorumdem impia execramur dogmata, horum & nomina à ſancta Dei Eccleſia projici judicavimus, id eſt, Sergij præſulis hujus urbis, qui aggreſſus eſt de hujuſmodi impio dogmate conſcribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, & Pauli, Præſulum hujus etiam civitatis, qui & ſimilia eis ſenſerunt. Ad hæc & Theodori Epiſcopi Pharam, quarum omnium ſuper ſcriptarum perſonarum mentionem fecit Agatho ſanctiſſ. Papa antiquæ Romæ in ſuggeſtione, quam fecit ad piiſſimum, & magnum Imperatorem noſtrum, eoſque abjicit, ut pote contraria rectæ fidei ſentientes,

Hæreſes damnatæ hoc loco ſeptem Pontificis: Sergius, Cyrus Pyrrhus, Petrus, Paulus, Honorius, Theodorus.

quos anathemati ſubmitti definimus. Cum his verò ſimul projici à ſancta Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium qui in omnibus mentem ejus ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit. Pertractauimus autem & Synodica Sophronij Archiepiſcopi Hieroſolymitani, & hæc reperientes cum una fide convenientia, Apoſtolicisque & Sanctorum Patrum doctrinis paria, ut pote, quæ ſunt Orthodoxa, recepimus, & nomen ejus inſeri ſanctis diptychis ſanctarum Eccleſiarum juſtum eſſe judicavimus.

Nota.

Poſt hæc produxit Georgius Diaconus cartophylax Epiſtolas Cyri duas ad Sergium Conſtantinopol. & unam Theodori ad eundem Sergium, & unam Pyrrhi, & unam Pauli, & unam Petri Conſtantinopol. quondam antiſtitis.

Et prolata eſt etiam hujuſmodi Honorij Papæ latina Epiſtola, cum interpretatione ſua, habens in ſubſcriptione ita. *Dilectiſſimo fratri Sergio Honorius* cujus initium fuit, Scripta dilectiſſimi filij noſtri Sitici diaconi. Haber autem eadem Epiſtola poſt pauca hæc: nec non & Cyro fratri noſtro Alexandrinæ civitatis Præſuli, quatenus novæ adinventionis unius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Eccleſiarum præconio nebuloſarum concertationum caligines effundi non debeant vel aſpergi, ut profecto unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt quid aliud niſi juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum, item & operationem unam vel geminam ſuſpicantur? Super quod clara ſunt divina teſtimonia: Unius autem operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe mediatorem Dei & hominum Dominum Jeſum Chriſtum ſentire & promere, ſatis ineptum eſt.

Alia Honorii Ep.

Honorius ad contentionem tollendam ab hac vocibus abſtinere vult.

Habet autem & circa finem eadem Epiſtola ſic: Et hæc quidem quantum ad inſtruendam notitiam ambigentium, ſanctiſſimæ fraternitati veſtræ per eum inſinuandum prævidimus. Cæterum quantum ad dogma Eccleſiaſticum pertinet quod tenere vel prædicare debemus propter ſimplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæſtionum ambages (ſicut ſuperius diximus) non unam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire, ſed utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem; & humanam quæ carnis ſunt exequentem: non diviſe neque confuſe aut convertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum converſam edocentes, ſed naturarū differentias integras confitentes, unus atque idem humilis & ſublimis, æqualis Patri, & minor Patre, ipſe ante tempora, natus in tempore eſt, per quem facta ſunt ſecula, factus in ſeculo eſt, & qui legem dedit, factus ſub lege eſt, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ipſe crucifixus, ipſe chyrographum, quod erat contra nos evacuans in cruce de poteſtatibus & principatibus triumphavit. Auferentes ergo (ſicut diximus) ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare, ſed pro una quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas duas potius naturas, ideſt, divinitatis & carnis aſſumptæ in una perſona unigeniti Dei Patris inconfuſe, indiviſe, atque inconvertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes. Et hoc quidem beatiſſimæ fraternitati veſtræ inſinuandum prævidimus, quatenus unius confeſſionis propoſitum unanimitati veſtræ ſanctitatis monſtraremus, ut profecto in uno ſpiritu anhelantes pari fidei documento inſpiremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio antiſtitibus, de novæ vocis, id eſt, unius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel immorari videantur, ſed abraſa hujuſmodi novæ vocis appellatione, unum Chriſtum Dominum, nobiſcum in utriſque naturis divina vel humana prædicent operantem, quanquam hos, quos ad nos prædictus frater & Coëpiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitantur, quod inſtantiſſime promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & Coëpiſcopus noſter ab unius operationis vocabulo diſceſſerit.

Honorius duas operationes hic admittit.

Honorius non rem ſed voces damnat ob bonum pacis.

Similiter datus eſt etiam liber, in quo continebatur Epiſtola Pyrrhi quondam præſulis hujus Regiæ urbis ad Joannem ſanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus, cujus initium eſt. Dominus & Deus noſter Chriſtus futurus in cælo aſcendere. Haber autem eadem Epiſtola poſt aliqua hæc: Nam quis illorum videns ſic nos ex adverſo poſitos, qui Sacerdotio fungimur, ex probationibus ſubmitti ab eis qui conſtituti ſunt à rege, non deridear ac deſpiciat noſtrum Concilium: & opportunitatem nactus, impietatis propriæ inſtabilitatem noſtram faciat, eo quod nondum de duabus naturis deſtructum ſit bellum, & alteram nobis ipſis turbulentiam introducimus? Similiter prolati & lecti ſunt libelli, qui ſuperius memorantur, & cæteræ chartæ.

Sanctum Concilium dixi: Cognitionem acciplentes prolatorum nobis à Georgio Deo amabili Diacono & chartophylace hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ, libellorum atque chartarum ſive aliorum opuſculorum comperimus in unam eandemque impietatem concurrere. Et prævidimus hæc tanquam prophana animæ perniciosa, continuo ad perfectum exterminium igne concremari. Et combuſta ſunt. Glorioſiſſimi Judices & ſanctum Concilium dixerunt, ſatis habet & quæ hodierna die peracta ſunt.

Ipſa in explant ad ordinem.

ACTIO DECIMA-QUARTA.

Conveniente ſancto & univerſali Concilio, &c. Reſidentibus glorioſiſſimis patriciis & conſulibus, & omnibus Deo amabilibus Epiſcopis per ordinem in eodem ſecretario Trulli, & propoſitis in medio ſacroſanctis Chriſti Dei noſtri Evangeliis, Georgius Diaconus produxit duos codices continentes acta ſancti & univerſalis quinti Concilij, & Tomum ſeptimæ actionis ejuſdem Concilij, & juſſu Concilij tangens præpoſita ſacro-ſancta Evangelia, dixit: Per iſtas ſanctas virtutes, & Deum qui locutus eſt per eas, cum veritate hi duo libri membranacei ſunt libri ſancti quinti Concilij, & volumen ſeptimæ actionis ejuſdem Concilij juxta quod jam excuſi ſunt, ita etiam nunc manifeſtati ſunt, & pridem in Bibliotheca inventi atque ſuſcepti, & neque additum eſt quicquam à me nec ſubtractum per me, neque cum conſcientia mea à quoquam omnium. Surgentes Epiſcopi Concilij, & conferentes cum exemplaribus authenticis, invenerunt ab hæreticis adjectos eſſe tres quaterniones in primo libro quinti Concilij, & in ſecundo libro circa ſeptimam actionem mutatum quidem fuiſſe quintum decimum quaternionem, & adjectum eſſe quadrifolium non ſubſcriptum ante decimum ſextum quaternionem. Quocirca acclamatum eſt à Concilio. Anathema libello, qui dicitur Mennæ ad Vigilium. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum, & Theodorum divæ memoriæ. Anathema ſimul, qui falſaverunt acta ſancti & univerſalis quinti Concilij.

S. Synodi falſati codices per hæreticos.

Introduxerunt Græci ſub nominibus Vigilij Papæ, ſimiliter & Mennæ, hos libellos continentes unam voluntatem, & unam operationem in Chriſto, cum tamen nullos tales ſcripſiſſet Vigilius, nec Menna, & hac de cauſa acclamatum eſt à Concilio, & anathematizati ſunt libelli.

Deinde

Sermo Athanasij de duabus voluntatibus in Christo.

Deinde productus & lectus est sermo Athanasij super verbis illis Domini: *Nunc anima mea turbata est*, de quo sanctum Concilium dixit in sermone, qui lectus est, duas naturales voluntates in dispensatione incarnationis unius de sancta Trinitate Domini nostri Jesu Christi veri Dei, laudabilis Athanasius declaravit, & præcepto judicum, & sancti Concilij actio decima quarta absoluta est.

ACTIO DECIMA QUINTA.

Sess. 15.

Adductus est ad Concilium Polychronius religiosus Presbyter & Monachus, & interrogatus quæ esset fides ejus in dispensatione incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Polychronius Monachus dixit. Ego expositionem fidei meæ do in opere mortui, rogans pro eo Filium Dei, ut suscitet eum, sin autem non resurrexerit, ecce Concilium, & Imperator, quæ eis placuerint in me faciant. Sanctum Concilium dixit, Expositionem fidei tuæ profer, nam ecce mortuus præparatus est. Ille ait: In hoc est fides mea, & ita mihi ostendit Deus, ut ponam eam super mortuum, & si non surrexerit ut prædixi, & quia Imperator est & Concilium, quomodo voluerint judicent. Et protulit in medio unam chartulam propria scriptam manu, & ab Antiocho religioso lectore, & notario aperta & lecta est, habens his verbis ita.

Fatsamia Polychronius contendit suscitare mortuum in hæreticorum veritatis testimonium.

Chartula fidei Polychronii hæretici.

Constantino à Deo coronato ac mansuetissimo magno Principi, ego Polychronius tanquam præsens saluto, & adoro: & quia vidi multitudinem virorum & candidatorum, & in medio virum, cujus virtutem narrare non valeo, dicentem mihi. Quia novam fidem componis, festina, & dic Imperatori Constantinop. Non facias novam fidem, neque acquiescas. Et veniente me ab Heraclea Chrysopolim, & stante me in solario (hora erat quasi septimâ diei) vidi virum terribilem candidatum valde, & stetit coràm me dicens, Quia non confitetur unam voluntatem, & Dei-virilem operationem, non est Christianus. Ego autem dixi, Hoc & Constantinus sapientissimus Imperator præfinivit unam voluntatem, & Dei-virilem operationem. Ille autem dixit. Multum benè & Deo placet. Sanctum Concilium dixit, ut illa chartula ab eodem Polychronio juxta propositionem suam poneretur super mortuum jam ad hoc præparatum in loco publico in præsentia Concilij, & populi ad satisfactionem Christo amabilis plebis, qualiter Deus veritatem demonstaret. Et congregato plurimo populo in atrio publici lavacri, quod dicitur Zeuxippus, idem Polychronius posuit, super mortuum hujusmodi fidei suæ chartulam, perque plures horas perseverans & insusurrans ei, nihil horum, quæ ab eo stolide, ac blasphemè promissa fuerant valens peragere, idem Polychronius dixit nullatenus se posse mortuum suscitare. Populus qui ibidem aderat, exclamavit dicens, Novo Simoni anathema. Polychronio seductori populi anathema.

Et iterum ingredientes & glorioſissimi judices & sanctum ac universale Concilium in secretario sancti Palatij, quod appellatur Trullus, præsente eodem religioso Presbytero & Monacho, dixerunt. Edicat iterum Polychronius Monachus si confitetur duas naturales operationes in incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri, qui unus est de sancta Trinitate. Polychronius religiosus Monachus dixit: Sicut continet chartula quam obtuli, & posui supra mortuum, ita credo unam voluntatem & Dei-virilem operationem, & alterum quid non dico. Glorioſissimi judices & sanctum Concilium dixerunt: Chartam quam obtulisti, quis scripsit? Polychronius dixit. Propria mea manus existit. Sanctum Concilium dixit: Postquam Polychronius Monachus in proprio errore usque in senium perseveravit, nunc autem etiam à nobis commonitus quomodo sentiat de humanitione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, A manus est tentare Spiritum sanctum, & blasphemiam componens chartulam, obstinanter affatus est ponere eam super mortuum, & ad firmitatem blasphemiæ, quæ in ea erat scripta, ut non dicamus fide hujusmodi mortuum resurrecturum, nos (juxta quod dictum est à sancto Paulo Apostolo) anathemati jam hunc secundum animam submissimus, sed ad satisfactionem Christo amabilium populorum, quorum plurimos præterieis temporibus, tam ipse quam ejus consentanei deceperant, permisimus talem ejus præsumptionem, dæmoniosamque ac temerariam propositionem publicè fieri, & mortuum, quem quæsierat, in medium deduci in præsentia nostra, & glorioſissimorum judicum & multitudiuis Christo amabilis populi, ille proposuit, tale ejus impium scriptum superponens, & plurimam horam, quantam ipse voluit, superassistens eidem mortuo, & supersusurrans intra semetipsum quoque putavit, donec dixit, non se posse facere. Quomodo namque esset possibile, blasphemantem in Deum, virtutes operari? Unde prævidimus, hunc, tanquam seductorem populi & deceptorem, & manifestum hæreticum, omni Sacerdotali ordine & officio denudari. Et depositio eo, sanctum Concilium exclamavit: Polychronio hæretico & consentaneis ejus anathema, Macario & Stephano similibus Polychronio anathema, Trinitas istos tres deposuit. Glorioſissimi judices & sanctum Concilium dixerunt. Sufficiunt quæ hodierna die acta sunt.

ACTIO DECIMA SEXTA.

Constantinus Presbyter in Apamia secundæ Syriæ per Theodorum Diaconum & primicerium, petit ingressum in Concilium: posteaquam est admissus, Sancta Synodus dixit: Constantinus Religiosus qui astat, sui cognitionem edicat, & causam ob quam advenit. Constantinus Religiosus dixit: Constantinus dicor, Presbyter sum sanctissimæ Dei Apamiensis Ecclesiæ secundæ Syriorum provinciæ, ordinatus ab Abrahamio Episcopo Arethusio, veni ad sanctum num divino congregatum vestrum Concilium, & instruam vos, quia si auditus essem hoc anno non habuissemus petpeti hoc, quod passi sumus in prælio. Volui enim ingredi in Synodo, & rogare ut pax fieret, quatenus aliquod enodicum, ideſt, adunatorium fieret in medio, ut neque illi, neque illi, contristarentur, hoc est, qui dicunt unam voluntatem, & qui dicunt duas voluntates. Et profectus sum ad Theodorum patricium * & rogavi eum, quatenus ipse pro me loqueretur ad Synodum, & fieret charitas & pax, quia pacem & charitatem plus omnibus diligit Deus: & nunc si jubeatis ut quod mihi Deus dedit de fide, conscribam Syriacè, & interpretetur Græce.

al. subscriptionem regum.

Sancta Synodus dixit; Quemadmodum proprietatis indicia insinuasti nobis Græce, similiter & quæ fidei tuæ sunt, dic tu.

Constantinus dixit. Inducias, Domine, accipiam sex dierum, & * scribo apud me fidem meam, & defero eam ad sanctum vestrum Concilium.

al. scribam.

Glorioſissimi judices & sancta Synodus dixerunt: juxta propositionem tuam advenisti ad nos, ut debeas quæ fidei tuæ sunt dicere, necessario ergo existit ut confestim, quæ fidei tuæ sunt, edicas nobis & modum enodici, ideſt, adunatorij, quod dixisti, fieri. Constantinus Religiosus Presbyter dixit: Ego duas naturas dico, sicut dictum est in Chalcedone, & duas proprietates, & de operationibus contentionem non habeo, sicut proprietates eas dicitis, voluntatem vero dico personæ Dei verbi ipsius subsistentiæ. Nam si volueritis edisserere veritatem bene, quid sit hypostasis, ideſt, subsistentia, Græce nescio: voluntatem vero dico esse personæ Dei verbi & post incarnationem: Patris quippe, Filij, & Spiritus sancti una est voluntas.

subsistentia.

Glorioſissimi judices & sancta Synodus dixerunt: Ipsa una voluntas, quam dicis in dispensatione in-

carnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, divinæ ejus naturæ eſt, an humanæ ejus naturæ? Conſtantinus religioſus dixit: Divinitatis dico eſſe voluntatem. Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: Humana natura Domini noſtri Jeſu Chriſti habuit voluntatem an non? Conſtantinus religioſus dixit: naturalem etiam habuit, namque eam ab utero uſque ad Crucem, & proprietatem hanc dico, & proprietas eſt. Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: Quid ergo? ab ipſa cruce naturalem humanam deſeruit Chriſtus? Conſtantinus religioſus dixit: Non manſit cum eo humana voluntas, ſed manſit cum ſanguine & carne: quia non indiget neque comedere, neque bibere, neque dormire, neque ambulare. Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: Ante hoc effatus es quod unam voluntatem habuit perſona Dei verbi, & poſt hoc dixiſti quia naturalem voluntatem habuit humanitas ejus, unde ſecundum ſermones tuos unam habuit perſonalem voluntatem & unam naturalem, & quomodo tu unam voluntatem ſentis in Chriſto? Conſtantinus religioſus dixit. Chriſtus deſeruit & exuit eam in carne & ſanguine. Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt. Ubi itaque remanſit ipſa caro & ſanguis? Conſtantinus religioſus dixit: Exuit eam. Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: Quis exuit carne? Conſtantinus religioſus dixit: Chriſtus. Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt: & humanam voluntatem ſimul exuit cum carne? Conſtantinus religioſus dixit: etiam, Domini, voluntatem illam. Glorioſiſſimi judices & ſanctum Concil. dixerunt: Macarius qui fuit Patriarcha Antiochiæ ſic credebat ut dicis? Conſtantinus religioſus dixit: Etiam Domini, ſicut ego dico unam voluntatem, ita & Macarius dicebat. Sic namque & ex eo audivi. Sancta Synodus dixit: Ita ſentis, & ita perſeveras uſque ad finem in hac ſecta? Conſtantinus religioſus dixit: Etiam, Domini, ſic ſentio, & ſic credo & non eſt poſſibile aliter. Sancta Synodus exclamavit: Hæc ſecta Manichæorum eſt, hæc eſt fides Apollinarij, anathema illi cum dogmatibus ſuis, Novo Manichæo anathema, Novo Apollinario anathema: foras mittatur Manichæus, omnibuſque hæreticis anathema.

Et poſtquam expulſus eſt idem Conſtantinus, Georgius Archiepiſcopus hujus à Deo conſervandæ regiæ urbis, dixit: Ego & quidam parvi qui ſub ſede mea ſunt venerabiles Epiſcopi propter diſpenſationem rogamus, ut ſi poſſibile eſt, nominatim anathematizentur perſonæ in exclamationibus, id eſt, Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus. Sancta Synodus dixit: Eos qui ſemel condemnabiles demonſtrati ſunt, & ſecundum ſententiam noſtram jamdudum ejecti de ſacris diptychis, opportunum exiſtit, etiam in exclamationibus hos nominatim anathematizare:

Georgius ſanctiſſimus Archiepiſcopus hujus regiæ civitatis dixit: Quoniam multitudinis ſive multorum ubique Concilium obtinet, neceſſarium eſt nominatim memoratas perſonas anathematizari. Et exclamaverunt univerſi: multos annos Imperatori, Conſtantino Magno Imperatori multos annos, Orthodoxo Imperatori multos annos, Pacifico Imperatori multos annos, Conſtantino novo Martiano multos annos, Conſtantino novo Theodoſio multos annos, Conſtantino novo Juſtiniano multos annos, Conſervatori rectæ fidei multos annos: firmamentum Eccleſiarum Domine cuſtodi: conſervatorem fidei Domine conſerva. Agathoni Papæ Romano multos annos. Georgio Patriarchæ Conſtantinopol. multos annos. Theophanio Patriarchæ Antiochiæ multos annos, Orthodoxo Concil. multos annos, Orthodoxo ſenatui multos annos. Theodoro hæretico Pharanitano anathema, Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema, Honorio hæretico anathema, Pyrrho hæretico anathema, Paulo hæretico anathema, Petro hæretico anathema, Macario hæretico anathema, Stephano hæretico anathema, Polychronio hæretico anathema,

Exclamationes.

Anathemata.

Aſpergio Pergenſi anathema, omnibus hæreticis anathema, omnibus qui ſuffragantur hæreticis anathema: Augeatur fides Chriſtianorum, Orthodoxo & univerſali Concilio multos annos.

Glorioſiſſimi judices dixerunt: Edicat ſanctum & univerſale veſtrum Concilium, ſi quicquam de his, quæ ad ſcrupuloſiorem indagationem pertinent, relictum eſt ſuper præſente capitulo & debeat ampliorem ſcrutationem & inquiſitionem circa id adhibere ſanctitas veſtra. Sancta Synodus dixit: ſufficienter quidem habent, quæque uſque nunc geſta ſunt, ac decreta, & ad præſentem dogmaticam inquiſitionem intendunt. In ſequenti vero inſpiratione ſancti & vivifici Spiritus, definitionem rectæ fidei convenientem Synodaliter ſtatuemus.

ACTIO DECIMA-SEPTIMA.

Glorioſiſſimi judices & ſanctum Concilium dixerunt: Ordo lectionis de his, quæ dudum acta ſunt, proveniat, & relecta ſunt. Sanctum Concilium dixit: Definitio Orthodoxæ fidei, quæ à nobis conſtituta eſt, relegatur. Et accipiens Agatho reverendiſſimus lector & notarius Georgij venerabilis Archiepiſcopi à Deo cuſtodiendæ hujus regiæ urbis, relegit tandem definitionem, ita continentem. *Alio ſty.*

Sancta magna atque univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei & piam ſanctionem Conſtantini piiſſimi & fideliſſimi Magni Imperatoris congregata eſt, in hac à Deo conſervanda regia Conſtantinopoli nova Romana, in ſecretario divalis palatij, quod cognominatur Trullus, decrevit quæ habentur in ſubditis.

Unigenitus Dei Patris Filius & verbum, qui per omnia ſimilis nobis abſque peccato factus eſt, homo Chriſtus verus Deus noſter per Evangelicas voces flagranter prædicavit: *Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Et iterum: *Pacem meam do vobis. Pacem meam relinquo vobis.* Ac proinde divinitus edita pacis doctrina Deo inſtruente, manſuetiſſimus noſter Imperator inſtitutus propugnator quidem eſt rectæ fidei, expugnator vero pravæ doctrinæ, hoc ſanctum univerſale noſtrum congregans collegium, totius Eccleſiæ adunavit compaginem. Unde hoc ſanctum noſtrum univerſale Concilium impietatis errorem nunc uſque, qui à quibuſdam temporibus factus eſt, procul abjiciens: ſanctorum autem ac probabilium patrum inoffenſe recto tramite iter conſecutum, ſanctas & univerſales quinque Synodos pie in omnibus eis conſonuit. *Approbantur quinque Synodi, & hæretici in eis condemnati contra quos ſunt habitæ, reprobantur. Inter quos etiam epiſtola Hybæ ad Marim Perſam & ſcripta Theodoreti adverſus duodecim capitula Cyrilli: ſubjungitur poſt fidei Symbolum quod canitur publice in Eccleſia, & in articulo Spiritus ſancti more Græcorum ponitur: & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificatorem: ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum.* *Ioan. 8.*

Sed quoniam non deſtitit ab exordio adinventor malitiæ, coöperatorem ſibi ſerpentem inveniens, & per eum venenoſam humanæ naturæ deferens mortem, & ita organa ad propriam ſui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus qui fuerat Epiſcopus Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum qui fuerunt hujus regiæ urbis antiſtites, inſuper & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyrum, qui Alexandriæ tenuit Epiſcopatum, Macarium quoque qui nuper fuerat Antiochiæ Præſul, & Stephanum ejus diſcipulum, non vacavit per eos plenitudini, Eccleſiæ erroris ſcandala ſuſcitare, uniuſve voluntatis, & unius operationis in duabus naturis, unius de ſancta Trinitate Chriſti veri Dei noſtri, Orthodoxæ plebi uniſone diffeminando hæreſim conſentaneam, inſanæ ac malitioſæ ſectæ impiorum Apollinarij, Severi atque Themiſtij: & perfectionem humanitatis unius ejuſdemque Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri, molita eſt per quandam

doloſam adinventionem perimere, per hoc involuntarium & inoperatricem carnem ejus quæ intellectualiter animata eſt, infamiter introducens. Excitavit igitur Chriſtus Deus noſter fideliſſimum Imperatorem novum David, virum ſecundum cor ſuum in- *Pſalm. 131.* veniens, qui non dedit (juxta quod ſcriptum eſt) ſomnum oculis ſuis & palpebris ſuis dormitationem, donec per hunc noſtrum à Deo congregatum ſacrumque conventum, ipſam rectæ fidei reperit perfectam prædicationem (ſecundum enim à Domino editam vocem, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum) quæ præſens ſancta & univerſalis Synodus fideliter ſuſcipiens, & expanſis manibus amplectens, tam ſuggeſtionem quæ à ſanctiſſimo ac beatiſſimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta eſt, ad Conſtantinum piiſſimum atque fideliſſimum Imperatorem noſtrum, quæ nominatim abjecit eos, qui docuerunt vel prædicaverunt (ſicut ſuperius dictum eſt) unam voluntatem & unam operationem in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri, adæque amplexa eſt & alteram Synodalem ſuggeſtionem, quæ miſſa eſt à ſacro Concilio, quod eſt ſub eodem ſanctiſſimo Papa 125. Deo amabilium Epiſcoporum ad eius à Deo inſtructam tranquillitatem, ut pote conſonantem ſancto Chalcedonenſi Concilio, & tomo ſacerrimi ac beatiſſimi Papæ ejuſdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus eſt ad ſanctum Flavianum, quem & titulum rectæ fidei hujuſmodi Synodus appellavit: ad hæc & Synodicis Epiſtolis quæ ſcriptæ ſunt à beato Cyrillo adverſus impium Neſtorium, & ad Orientales Epiſcopos. Aſſecuti quoque ſancta quinque univerſalia Concilia, & ſanctos atque probabiles patres, conſonanterque confiteri definientes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Dominum noſtrum, unum de ſancta & conſubſtantiali & vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in deitate, & perfectum eundem in humanitate, Deum vere, & hominem vere eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia ſimilem nobis abſque peccato, ante ſecula quidem ex Patre genitum ſecundum deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos & propter noſtram ſalutem de Spiritu ſancto & Maria Virgine proprie & veraciter Dei genitrice ſecundum humanitatem unum eundemque Chriſtum Filium Dei unigenitum, in duabuſque naturis inconfuſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter indiviſe cognoſcendum, nuſquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, ſalvataque magis proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, & in unam ſubſiſtentiam concurrentem, non in duas perſonas partitum vel diviſum, ſed unum eundemque Filium unigenitum Deum verbum Dominum Jeſum Chriſtum, juxta quod olim Prophetæ de eo, & ipſe nos Dominus Jeſus Chriſtus erudivit, & ſanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum: & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias (abſit) juxta quod impij aſſeruerunt hæretici, ſed ſequentem ejus humanam volũtatem & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potius & ſubjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri: ſubjici vero voluntati divinæ juxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim ejus voluntas, propria Dei verbi dicitur & eſt, ſicut ipſe ait: *Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris*, ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam & caro propria ejus facta eſt. Quemadmodum enim ſanctiſſima atque immaculata animata ejus caro deificata eſt, non eſt peremta, ſed in proprio ſui ſtatu & ratione permanſit, ita & humana ejus voluntas deificata, non eſt peremta, ſalvata autem magis ſecundum deiſoquum Gregorium dicentem. Nam illius velle, quod in ſalvatore intelligitur, non eſt contrarium Deo, deificatum eſt totum: duas vero naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt, divinam operationem & humanam operationem, ſecundum divinum prædicatorem Leonem apertiſſimè aſſerentes. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet, operante quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Nec enim in quoque unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum eſt, in divinam educamus eſſentiam, neque quod eximium eſt divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim ejuſdemque tam miracula quamque paſſiones cognoſcimus, ſecundum aliquid & aliud eorum, ex quibus eſt naturis, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Unde igitur inconfuſum atque indiviſum conſervantes brevi voce cuncta proferimus unum ſanctæ Trinitatis, & poſt incarnationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum noſtrum eſſe credentes, aſſerimus duas ejus eſſe naturas in una ejus radiantes ſubſiſtentia, in qua tam miracula quamque paſſiones per omnem ſui diſpenſationem converſatus, non per phantaſiam ſed veraciter hæc demonſtravit, ob naturalem differentiam in eadem una ſubſiſtentia cognoſcenda, dum cum alterius communione utraque natura indiviſe, & inconfuſe propria velit atque operetur, juxta quam rationem, & duas naturales voluntates & operationes confitemur, ad ſalutem humani generis convenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni undique cautela atque diligentia à nobis formatis, definimus aliam fidem nulli licere proferre aut conſcribere, componereve aut ſapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præſumpſerit fidem alteram componere vel proferre, vel docere, vel tradere, aut Symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex gentilitate, vel Judaïſmo, aut ex qualibet hæreſi, aut qui novitatem vocis, vel ſermonibus adinventionem ad ſubverſionem eorum, quæ nunc à nobis determinata ſunt introducere, hos ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut clerici, alienos eſſe, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, clericos vero à clero: ſin aut Monachi fuerint, vel laici, etiam anathematizari eos. Sequuntur ſubſcriptiones.

Ep. decimam B. Leo. intelligit.

Joan.

Theodorus humilis Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ locum gerens Agathonis ter beatiſſimi univerſalis Papæ urbis Romæ ſubſcripſi. Georgius humilis Presbyter, ſicut ſupra. Ioannes humilis Diaconus ſicut ſupra. Georgius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ definiens ſubſcripſi, &c. Cæteri omnes ſubſcripſerunt.

ACTIO DECIMA-OCTAVA.

Reſidentibus itaque glorioſiſſimis patriciis, & conſulibus & venerabilibus Metropolitanis Epiſcopis, præpoſitis in medio ſanctis, & intemeratis Chriſti Dei noſtri Evangeliis, Theodorus Deo amabilis Diaconus hujus ſanctiſſimæ Dei Catholicæ, & Apoſtolicæ magnæ Eccleſiæ, & primicerius Deo amabilium notariorum Georgij venerabilis atque ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, dixit: Maximè pietatis exiſtit cognitio, tranquilliſſime Domine, ut principaliter, quæ ad culturam divinitatis attinent, præcipuam diligentiam adhibere: dehinc cauſas, quæ Chriſto amabili reipubl. competunt recta conſideratione dirigere, quod profectò *iuſtum* benigne peragitis, manſuetiſſime omnem quidem ſecularium cauſarum ſolicitudinem reponens, pro divinis vero curam & ſtudium per Spiritus ſancti gratiam aſſumens. Et hic veſter eſt acceptabilis ornatus, pietatem adverſus diaboli acerſire malitiam, & contra impietatis ejus cohortem, ſacrum aggregare collegium hoc conſulto agimus

Evangelia.

ſanctum & magnum atque uniuerſale collegium quod (ſicut congruum fuerat) cum plurima & quanta debuit ſedulitate ex multis diebus, ſuper immaculata noſtra Chriſtianorum fide, quod agendum fuerat geſſit, propugnatricem adeptum veſtram pietatem: diſſenſionem vero quæ quoquomodo exorta eſt adverſus rectitudinem fidei, poſt tergum effecit, innixa quidem veritatis doctrinis, corroborata vero beatiſſimorum Patrum irreprehenſibilibus & vere divinis traditionibus ex ipſis authorum ſcriptis in uno quoque quæ proverunt, conſiderandum eſt. Definitionem autem nunc promulgavit, ſine mendacio divinarum ſcripturarum vigore pollentem, ſanctorumque Patrum doctrina ſuperſcriptam, ad confirmationem quidem rectorum veritatis dogmatum, gloriam vero pij veſtri Imperij, & hanc præ manibus deferimus veſtræ ſerenitatis propoſito recenſendam. Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Quæ memorata eſt definitio, relegatur. Et accipiens Agatho religioſus lector & notarius Georgij venerabilis atque ſanctiſſimi Archiepiſcopi hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, eandem definitionem relegit in his verbis. Sanctum & univerſale magnum Concilium, quod per gratiam Dei & piam ſanctionem Conſtantini piiſſimi ac fideliſſimi magni Imperatoris, congregatum eſt in hac à Deo conſervanda Regia Conſtantini urbe nova Roma, in ſecreto divalis palatij, quod cognominatur Trullus, definit quæ ſubter annexa ſunt. Et quia jam in ſuperiore actione definitio fidei ſcripta eſt, in actione hac non eam ſcripſi, ſed Epiſcoporum ſubſcriptiones & Imperatoris terminum.

Theodorus humilis Presbyter ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & locum gerens Agathonis beatiſſimi & univerſalis Papæ urbis Romæ, ſubſcripſi.

Georgius humilis Presbyter ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & locum gerens Agathonis beatiſſimi & univerſalis Papæ Romæ ſubſcripſi.

Joannes humilis diaconus ſanctæ Eccleſiæ Romanæ & locum gerens Agathonis beatiſſimi & univerſalis Papæ urbis Romæ, ſubſcripſi.

Georgius miſerante Deo Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ definiens, ſubſcripſi.

Petrus Presbyter, & locum ſervans Apoſtolicæ ſedis Alexandrinæ magnæ civitatis, ſubſcripſi.

Theophanes miſericordia Dei Epiſcopus Theopoleos ſeu Antiochiæ, ſubſcripſi.

Georgius Presbyter & locum gerens Theoderi Deo amabilis Presbyteri, & loci ſervatoris Apoſtolicæ ſedis ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis Hieroſolymorum, ſubſcripſi.

Eodem tenore ſubduntur reliquæ ſubſcriptiones. Et ſubſcriptio piiſſimi & Chriſto dilecti Conſtantini Imperatoris: Legimus & conſenſimus.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Edicat ſanctum univerſale Concilium, ſi cum conſenſu omnium venerabilium Epiſcoporum promulgata eſt definitio, quæ ad præſens relecta eſt. Sanctum Concilium exclamavit: Omnes ita credimus, una fides. Omnes idipſum ſentimus. Omnes conſentientes & amplectentes ſubſcripſimus. Orthodoxe omnes credimus, hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides PP. hæc eſt fides Orthodoxorum. Multos annos Imperatori. Integritates duarum naturarum Chriſti Dei noſtri tu declaraſti. Luminarium pacis Domine conſerva Martiano novo Conſtantino. Æterna memoria novo Juſtiniano. Fiunt deinde acclamationes in gratiam Imperatoris & confuſionem hæreticorum.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Deum teſtem proferimus ſancto & univerſali noſtro Concilio quod abſque quolibet favore & invidia, principale deſiderium & zelus extitit nobis irreprehenſibilem eſſe immaculatam noſtram Orthodoxam Chriſtianorum fidem, & cum ſtabilitate nos eam conſervare in nomine Dei, ſecundum doctrinam atque traditionem, quæ tradita eſt nobis tam per Evangelium, quam per ſe- A ctiones Apoſtol. & per ſtatuta ſanctorum quinque univerſalium Conciliorum, ſanctorumque probabilium Patrum: & non mediocriter nos pro hoc deſiderium coarctabat ex quo (jubente Deo noſtro) autoraliter accepimus ſolium Imperij noſtri. Cum ergo Deo complacuit tempus concedere, invitavimus fieri collectionem veſtram, ad conſiderandum vobis ſanctas Dei ſcripturas, omnemque vocis ſive aſſertionis novitatem, quæ adjecta eſt ad intemeratam noſtram Chriſtianorum fidem in his vicinis temporibus, à quibuſdam prava ſentientibus expellendam, mundiſſimamque nobis hanc contradendam (ſicut prædictum eſt) quatenus ſecundum ſancta & univerſalia quinque Concilia, & ſtatuta ſanctorum venerabilium Patrum, ita eam & nos cuſtodiamus uſque ad mortem. Ibi ergo judicemur vobiſcum apud terribile tribunal Dei, B quâdo futurus eſt judicare vivos & mortuos, ſi forſitan aliquid unquam conſcientiam habetis, fuiſſe interminſſum in definitione, quæ à vobis promulgata eſt, ſed & ſi quiſquam ex vobis forſitan vult dicere, utique examinato ſermone, qui fuerit à quolibet ex vobis prolatus, ex omni parte per gratiam & inſpirationem ſancti Spiritus ſummitatem comprehendamus ſanctæ & immaculatæ fidei, quæ tradita eſt nobis à ſanctis Apoſtolis & diſcipulis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, & eis qui deinceps reperti ſunt probabilibus patribus, & ſanctis quinque univerſalibus conciliis, quatenus uno ore, unoque corde omnes Eccleſiæ Dei hymnum offerant in tempore regni noſtri miſericordiſſimo Deo noſtro, recte annunciantes verbum veritatis ejus, & perfectius exringuatur omnis hæreticæ præſumptionis jactantia ab C ejus benignitate.

Sancta Synodus exclamavit: Multos annos Imperatori, Chriſto dilecto Imperatori multos annos, Pium & Chriſtianum Imperatorem Domine conſerva. Orthodoxam fidem tu confirmaſti, Definitio Orthodoxa eſt, Contradicenti huic definitioni anathema: Qui contradixerit huic definitioni, diviſor eſt: Qui contradixerit huic definitioni, hæreticus eſt: Qui non ſuſceperit hanc definitionem, Apollinariſta eſt: Qui contradixerit huic definitioni, Neſtorianus eſt: Qui non ſuſceperit hanc definitionem, Eutychianiſta eſt: Neſtorianis anathema, Eutychianis anathema, Apollinariſtis anathema. Omnibus Chriſto rebellibus hæreſibus anathema. Æterna memoria Imperatori. Æternum permaneat veſtrum Imperium. Conſtantinus piiſſimus Imperator: Et ſi proculdubio veſtra venerabilitas atque religio delaſſata ſit ex longinquo itinere, & diuturna hic commoratione, verumtamen gratiam dignam cum viciſſitudine illa ſuperni nutus, etiam ab Imperio noſtro percipiet, eo quod multis errantibus circa Orthodoxam fidem, extincta diſſonantia, in unam eandemque confeſſionem conſonanter omnes convenimus, ſperantes veram atque celerem ſalutem à multorum munerum datore Deo, interceſſionibus ſanctæ & immaculatæ Dei genitricis & veſtræ ſanctitatis ſuſcipere. Sanctum Concilium dixit. Piiſſime & tranquilliſſime Domine, ſermonem acclamatorium ad Deo amabilem veſtrum Potentatum juxta morem compoſuimus: & ſi placuerit pietati veE ſtræ, hunc perlegi jubere. Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Acclamatorius ſermo, qui compoſitus eſt à ſancto veſtro Concilio, deferatur & relegatur. Qui delatus eſt, & in his ſermonibus ita relectus eſt.

Sermo acclamatorius qui proſphoneticus dicitur, à ſancto & univerſali Concilio, ad piiſſimum in Chriſto dilectum Conſtantinum Imperatorem.

A dextra Dei qui cuncta creavit & continet imperialis poteſtatis merito diadema ſuſcipiens Chriſto delecte Imperator humanitate ac manſuetudine, & circa fidem inſita pietate atque rectitudine, Dominum remunerare diligis, qui te regnare diſpoſuit: tales quippe munerum vices ſcis eum habere complacitas

Modus damnandi hæreſiæs.

quibus ſibi diligit famulari. Quæ vero eſt alia Deo liberalior à vobis donorum oblatio, quàm charitatis & fidei circa eum flagrans demonſtratio, ſanctarumque Dei Eccleſiarum per vos pacificus ſtatus? Propter quod & maximè plurimos agones ſuper his, quos habes, conſummaſti, ut unanimitatem acquireres diſſidentium. Vos enim per Chriſtum benigne regnatis, Chriſtus vero per vos Eccleſiis ſuis pacem delegit impartiri. Ipſe nunc & veſtram ſuſcitavit ſerenitatem, & ad rectæ fidei zelum commovit, hanc univerſalem ad temetipſum Synodum convocandi, ut nuper quidem exortæ hæreſis novitatem & deſtrueret, veritatis autem prædicationem firmaret, ut hoc proveniente ſtabile, & inconcuſſum ſit Eccleſiæ ipſius collegium. Intolerabile enim exiſtimaſti, prudentiſſime Imperator, in cæteris quidem nos adinvicem conſentire atque concurrere: circa ipſum autem vitæ noſtræ capitulum ab invicem diſrumpi atque diſſcindi, ut hinc nos alter alterius membra exiſtentes & in uno Chriſti corpore conſtituamur, per eandem quæ ad ipſum & ad invicem intelligentiæ atque fidei eſt, conſonantiam. Quid vero eſt præſertim Imperatori nobilius, quàm præ omnibus pietate adornare ſubjectos, per quod & in cæteris felicitetur reſpublica? Veruntamen veſtris divalibus præceptis acquieſcentes, tam antiquæ Romæ & Apoſtolicæ ſummitatis Pontificalis antiſtes, quam nos humiles Chriſti tamen Sacerdotes atque miniſtri, ille quidem pro ſe literarum paginam, eoſque qui ejus perſonam deſcriberent Sacerdotes conſtituit, nos autem omnes cum eis ſimul Deo amabile ſolium tuæ fortitudinis corporaliter circumſtetimus. Si igitur omnes ſimpliciter & abſque calliditate à principio Euangelicam prædicationem ſuſcepiſſent, Apoſtoliciſque inſtitutionibus eſſent contenti, bene utique & apte ſeſe cauſæ haberent & neque authoribus hæreſum neque fautoribus Sacerdotum certaminum labores exercerentur. Oportebat enim illos quidem in ſilentio degentes ſalutem acquirere, iſtos vero ad reluctandum non provocari, & tranquillitati tempus, non tumultibus compartiri, ſed ſilentium prudenter amplecti, & ideo colloqui, & ſubjectis formulam virtutum exiſtere. Sed quia adverſarius Satanas requieſcere minime ſinit, ſed tanquam armigeros atque telorum portatores adverſus Chriſtum proprios miniſtros exſuſcitat errorum doctrinis velut occultis gladiis multorum mentes fraudulenter perimentes, hujus rei gratia & Chriſtus Deus noſter, qui Patris eſt ſapientia, & virtus, per quam univerſa conſtituta ſunt & continentur, ſuos adverſus illos præliatores aperto tempore ſuſcitavit gladium ſpiritus corripientes, ad abſcindendum ac perimendum eos qui manus extollunt adverſus populum ejus copioſum, & qui Eccleſiæ caulas more luporum captas tenere, & interiores margaritas divini eloquij rapere atque conculcare porcinis dogmatibus nitebantur, ad quos & gladius jubetur exacui: framea, inquit, exurge ſuper lupos paſtores, & eos qui oves conturbant, interfice, ſic utique & omnium Synodorum huc uſque conventus effecti ſunt adverſus id quod tumultuabatur, & reluctabatur tam principibus quamque priſcis patribus ſemper armatis. Arrius diviſor atque partitor Trinitatis inſurgebat, & continuo Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Sylveſter laudabilis magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant: per quam ipſa Trinitas tam fidei Symbolum dictavit quamque adverſus Arrianam malitiam ſententiam promulgavit, & juſta pœna errantem Eccleſiæ locis indignis, ſed illis condignis cruciavit. Macedonius Spiritus denegabat deitatem, & dominantem conſervum prædicabat: ſed Maximus Imperator Theodoſius, & Damaſus fidei adamus protinus obſtiterunt, quorum ſolidam mentem aggreſſiones atque conflictus alienarum ſectarum nullatenus ſauciarunt. Georgius & Nectarius in hac regia urbe conventum congregabant, & ſacrilegam quidem linguam à Sacerdotio abſcindebant quæ blaſphemias execrabiles in Spiritum ſanctum jaculabatur, fidei vero Symbolum denuo explanabant, & quod Deus eſt Spiritus confirmantes, per ea manifeſtius expoſuerunt. Sic igitur eos qui Trinitatis unitatem ſolvebant Trinitatis virtus deſtruxit. Multa vero valde & multifaria, & ſuper ipſa unigeniti diſpenſatione facta eſt oppoſitio, ſed generalis ſermo exequi feſtinat, dum Neſtorius & iterum Cœleſtinus, & Cyrillus, ille quidem Chriſtum dividebat & partiebatur, hi vero cum Domino conſpirantes, una cum his ſcriptorum Domini diviſorem dejiciebant, ut effuſius ibidem geſtorum tabulæ per literariam vocem dum ipſi ſileant, cauſas ipſas loquantur. Deinde Eutychetis inſania delirante alteram fabulam, ipſiuſque Salvatoris humanitatem penitus recuſantem, & umbroſam quamdam ejus, & non veram ſimilitudinem præſtigiante, putaſne neceſſarium erat, ſpiritales viros inſurgere, qui divinis verbis falſidicos compeſcerent? Et quomodo non indignaretur Deus qui blaſphemabatur, & non defendebatur? Leonis igitur tuba tanquam Leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, interim archimandritam beſtiam perterruit & à monachico grege projecit, ejuſque phantaſiam atque putationem reprobavit, & evaneſcere fecit injuſtam turbulam Martianus ſacratiſſimus Imperator, & Anatolius Conſtantinopolitanus antiſtes cum omni Chalcedonenſi à Chriſto congregata collectione ſeſe amplexi ſunt, atque manu & lingua conſentiebant, & pariter ſubſcribebant, & conſonam Eutychetis & Dioſcori intelligentiam evacuarunt: ſicut & Vigilij poſt hæc Juſtiniano piiſſimo conſonuit quartum Concilium, & conſtitutum eſt ut eorum opuſcula, quæ latenter reperta ſunt, repleta abominationes, anathematizarentur. His ita ſe habentibus, neceſſarium exiſtebat, & veſtram Chriſto amabilem manſuetudinem ſacratiſſimum hunc & copioſum congregare conventum, dum utrinque benefacere putaretur, & cauſam quidem diſſenſionis Eccleſiarum impellere, diſtantia vero ad unitatem reducere. Nec enim ſufferebas conſpicere, Deo amabilis Domine, ut nuper contexta falſæ doctrinæ adinventio, tunicam rectæ fidei uſquequaque conſcinderet: ſed audenter dicimus tanquam per organa Spiritus per nos & una nobiſcum quod exciſum erat retexuiſti, & ad ſoliditatem compaginaſti, integritatique reſtituiſti. Proinde inſpiratione ſancti Spiritus conſpirantes & ad invicem omnes conſonantes, atque conſentientes, & Agathonis ſanctiſſimi Patris noſtri & Summi Papæ dogmaticis literis ad veſtram fortitudinem miſſis conſentientes, nec non & ſuggeſtioni ſanctæ quæ ſub eo eſt, Synodi 115. Patrum concordantes, unum de ſancta Trinitate Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum etiam incarnatum, prædicamus in duabus perfectum naturis indiviſe, inconfuſe laudandum. Ut enim verbum, conſubſtantiale eſt & conſempiternum Deo genitori: ut autem carnem ſumens ex intemerata Virgine, Deique genitrice Maria, homo perfectus eſt, conſubſtantialis nobis, factuſque ex tempore. Perfectum igitur in deitate, & perfectum eundem in humanitate ſecundum priſcas Patrum traditiones, & Chalcedonenſem divinam definitionem prædicamus. Et quemadmodum duas percepimus naturas, ita & duas percepimus naturales voluntates, & duas naturales operationes agnoſcimus. Neutrum enim earum, quæ Chriſti ſunt, naturarum in ejus diſpenſatione audemus abſque voluntate vel abſque operatione pronunciare, ne forte earum perimentes proprietates, etiam naturas quarum ſunt proprietates, pariter perimamus. Nec enim negamus naturalem ejus humanitatis voluntatem, aut naturalem operationem: ne & quod pro ſalute noſtra diſpenſationis eſt capax denegemus, & deitatem paſſioni applicemus. Hoc namque conabantur, qui nuper in eo unius voluntatis, & unius operationis execrabilem novitatem introduxerunt, Arrij & * Apollinarij, Eutychetis atque Severi malignam ſectam reſtaurantes. Sic enim abſque voluntate & abſque ope-

Blanditur Imperat. Synodus.

Pontifices Rom. prima Conſtantinæ congregarunt.

Redemptio impugnata.

* al. Apollinarius

ratione humanam Dei naturam dicere ceſſamus, ubi perfectum in humanitate ſalvatum eſt? Nihil enim aliud conſtituit humanæ ſubſtantiæ integritatem, niſi eſſentialis voluntas per quam liberi arbitrij vigor in nobis deſignatur, ſic ſe habeat ut ſubſtatialis operatio. Quomodo enim dicimus eum in humamtate perfectum ſi nihil humanum paſſus eſt aut operatus eſt? Quemadmodum enim duarum naturarum concurſus, unam nobis inconfuſam atque indiviſam conſervavit ſubſtantiam. ita & una ſubſtancia in duabus coruſcans naturis, quæ utrique conveniunt, proprie demonſtrabat. Duas igitur in eo naturales voluntates, & duas naturales operationes communiter atque indiviſe procedentes prædicamus: ſuperfluas autem vocum novitates, & harum adinventores, procul ab Eccleſiaſticis ſeptis abjicimus, & anathemati merito ſubjicimus: id eſt, Theodorum Pharanitanum, Sergium & Paulum, Pyrrhum ſimul & Petrum, qui Conſtantinopoleos præſulatum tenuerunt, inſuper & Cyrum qui Alexandrinorum Sacerdotium geſſit, & cum eis Honorium, qui fuit Romæ præſul, ut pote qui eos in his ſequutus eſt, ſuper his præcipua ratione anathematizamus, deponentes Macarium qui fuerat Antiochienſis Epiſcopus, & Stephanum hujus diſcipulum, & potius dicamus magiſtrum, qui prædeceſſorum ſuorum impietatem defendere conati ſunt, & ut verbo dicatur totum orbem terrarum concitaverunt, & omnes quidem utique peſtiferis literis, fraudulentis vero inſtitutionibus unumquemque multorum in ſimplicitate vaſtaverunt. Similiter autem & Polychronium infantilis intelligentiæ delirum ſenem, qui mortuos ſuſcitare pollicitus, dum non ſuſcitaret, deriſus eſt: & omnes qui conſtituerunt vel conſtituunt, conſtituereve præſumpſerint unam voluntatem & unam operationem in diſpenſatione humanitatis Chriſti: & ne forte quidam reprehendant, ſeu ſanctiſſimi Papæ divinam æmulationem, ſive præſentem Angelicum Conventum illius & ante nos, & nobiſcum illi Apoſtolicas & Paternas traditiones ſumus ſecuti, & nihil diſſonum aut diſcrepans ab eorum informatione adinvenimus, inſuper & contra inſurgentes nobis reſtitimus, ſed non anticipavimus, & neque nos congreſſionem adſumpſimus, præincipientibus vero è diverſo ſumus armati. Quis igitur aſpexit talia * miracula? Spirituale nunc proponebatur ſtudium, & propugnator falſidicæ ſcientiæ jam ante exuebatur: ignorabat autem quòd non adipiſceretur coronam victoriæ, ſed & exueretur coronam Sacerdotij. Summus autem nobiſcum concertabat Apoſtolorum princeps: illius enim imitatorem & ſedis ſucceſſorem habuimus fautorem & divini Sacramenti Myſterium illuſtrantem per literas, confeſſionem tibi à Deo inſcriptam illa Romana antiqua civitas obtulit & dogmatum diem à veſpertinis partibus extulit, charta & atramentum videbatur & per Agathonem Petrus loquebatur, & cum omnipotenti conregnatore Pius Imperator ſimul & decernebas tu qui à Deo decoratus es. Et Simon quidem reſupinus volutatus corruebat, & ſtat ruinæ ejus ſtatua. Fides vero reſurgit plebiſque concordia in proprium reſtituitur decus. Elevatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo, ait Propheta: In lumine levatus eſt Sol, ideſt, mens veſtra ad juſtitiæ ſolem aſcendit puriſſimum, puram reſpicere reconciliationem, quæ nobis ex hoc apportavit. Et Luna ſtetit in ordine ſuo, ideſt, Eccleſia & ſponſa Chriſti ſuo decore amicta eſt & pietatem tanquam virginitatis ſtolam induitur, & Orthodoxæ fidei pulchritudine plenius ſarta, perpetua pace mundum illuſtrat. Audite hæc omnes qui terrenum hoc tabernaculum vos exuiſtis, & qui poſtea naſcituri eſtis, præſentibus enim non auditus ſed viſus eſt ſatisfactio, & ſoli ſapienti & potenti Deo gratiarum laudes enixius offeramus. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, decantantes, dum Chriſto omnipotenti complacuit ſuſcitare principem Deo dilectum, qui unitatis Eccleſiarum mediator effectus eſt. Sed ô benignissime Domine & amator juſtitiæ, ei qui tibi potentiam largitus eſt, hanc gratiam recompenſa, & his quæ à nobis geſta ſunt, ſignaculum tribue veſtram in ſcripto imperialem rati-habitionem, & per edicta divalia atque per pias conſtitutiones, ex more eorum omnium firmitatem, quatenus nullus his quæ geſta ſunt, aut contradicat, novamve quæſtionem machinetur. Scito enim Sereniſſime Imperator quod nihil horum, quæ in Synodis univerſalibus, & à probabilibus patribus conſtituta ſunt, falſavimus, verum potius confirmavimus. Etenim omnes unanimiter atque conſonanter acclamamus: Domine, ſalvum fac regem noſtrum, qui poſt te corroboravit fidei fundamentum, benedicito vitam ejus, dirige greſſus cogitationum ejus. Conterat virtutem inimicorum ſuorum, & reſiſtentes ei continuo corruant, quia fecit judicium & juſtitiam ſempiternam, & periclitanti veritati manus porrexit, populumque tuum ſalvavit, ad eadem ſapere eos concilians. Gaude civitas nova Roma, Conſtantinopolis, glorificata nomine principali. Ecce Rex tuus fidelis ſedet fortiſſimus: & accipiet armaturam æmulatricem ejus virtutem, indutus eſt loricam juſtitiæ & ſanctitatis, circumpoſuit ſibi galeam prudentiam, quæ eſt ſpecula virtutum, & ſcutum aſſumpſit inexpugnabile in Deum pietatem: his armatum eum aſpiciebant barbari, & ſperamus in Deum eos obtemperare dominanti: lætare civitas Sion cacumen orbis terrarum atque Imperium. Conſtantinus te purpura prædinavit, & per fidem coronavit, & Conſtantinus utriſque ſupercoronavit. Portæque inferi adverſum tuum Orthodoxum Imperium non prævalebunt. Gaude & fiducialiter age Imperator ſpecioſiſſime, Dominus Deus tuus in te potens, præcingens te virtute, ſalvabit te, adducet ſuper te jocunditatem & exultationem, ampliabiturque imperium tuum, & exaltabitur brachium tuum, & dominabitur cunctis adverſis, Deumque non agnoſcentibus, atque * ante ſtantibus, & lamentabitur quidem hoſtilitas, gaudebit autem obedientia: quia ego potens ſum, dicit Dominus omnipotens.

al. mirabilia.

Papa Romanus.

al. abſtantibus.

IN NOMINE DOMINI ET Dominatoris Ieſu Chriſti Salvatoris noſtri, Imperator piiſſimus, Pacificus, Flavius Conſtantinus fidelis in Ieſu Chriſto Deo Imperator, Chriſto dilecto omni populo habitanti in Occiduis partibus.

FIrmamentum ac fundamentum ſuperno nutu creditæ nobis Chriſtianiſſimæ exiſtit reipublicæ fides in Deo inflexibilis & inconcuſſibilis, in qua Chriſtus Deus noſter tanquam propriam domum ſuam conſtruxit Eccleſiam, & ſicut rex omnium Imperij noſtri ſedem conſtituit, principatuſque nobis ſceptra commiſit. Sicut enim quandam petram excelſam & ſublimem, & ut cœli terræque in conſortio conſtitutam myſticam confeſſionem, quæ in eum cum Patre & Spiritu eſt, Salvator nobis oſtendit, ut per eam tanquam per mediam ſcalam ad cœleſtem converſationem reducamur, divinioriſque regni potentia coronemur. Super hanc Petram cogitationis noſtræ greſſus infiximus, ſuper quam firmiter ſtare præcipimur quamque cautius tenere ſubjectos præcipimus, ne quiſquam ut minus attentus exagitetur à maligno & inſtabili ſpiritu, expulſuſque atque præcipitatus in impietatis voraginem delabatur. Etenim deſiderabile eſt dæmoni, qui generi humano ſemper infeſtus eſt, ſeparare hominem à Deo, qui factus eſt ad imaginem Dei, & multimodis deceptionibus fallere. Sed nihil eſt ſic ſtudioſum atque officioſum, quàm pietatem oppugnare, & Eccleſiaſticæ pacis ſtatum perturbare. Quod & nuper elapſis temporibus demonſtravit, atque adverſus invicem Eccleſias prælia ſumere perſua-

sit per instrumenta, quæ ad hoc ut una secum consti-
gerent, adinvent, sub sacerdotali scilicet habitu & in-
fin. inter dumento dolosam intentionem obcelantia, Christi ve-
nec. rem ro amatoribus populis læthalem * institutionem eru-
seu de Struc- ctantia. Unius quippe voluntatis, & unius operatio-
tionem. nis in incarnatione salvatoris, atque in duabus ejus naturis (divina dicimus & humana) novitatem sanxe-
runt, quatenus & unam ex hoc in Christo naturam ex improviso excogitantes introducere, antiquæ illius & corruptibilis confusionis hæresim reconflarent, cum qua Apollinaris quidem disperiit, Themistius vero nefandus anathematizatus est, Eutyches & Dioscorus cum sua pessima secta simul dejecti sunt: omnes hi, & qui vestigia eorum secuti, è regione veritatis ierunt, synodalibus simul & paternis condemnati sunt sententiis. Hujusmodi denique contagione Ecclesias contaminaverunt etiam hi, qui ante nostra tempora sacrilegi Sacerdotes Ecclesias perverse gubernarant. Sunt autem hi. Theodorus, qui fuit Faran Episcopus: Sergius, qui fuit nostræ à Deo conservandæ regiæ urbis
Honorius antistes: ad hæc & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ
Papa. Papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator: Cyrus quoque, qui Alexandrinorum quidem præsulatum sortitus est, infringere autem Orthodoxa dogmata studuit. Similiter & Pyrrhus & Paulus & Petrus, hujus regiæ nostræ civitatis Patriarchæ sedis alterutrum successores, qui perversionis vitium vicissim transmiserunt. Quorum omnium cultores & opitulatores malevolorũ superinsurrexerunt Macarius, quit fuit Antiochenorum antistes, & Stephanus ejus discipulus, & prævaricationis instructor Polychronius, quòd multo tempore hæreticæ vetustati consenuit: qui in tantum quos secuti sunt, æmulati sunt
id. impie- * impietatisque furia suam animam cremave-
tatis, quod. runt, ut etiam discerpere atque dissecare invicem membra Christo dilectos persuaderent, ut nec barbari tantum, quantum Christiani Christianos oppugnarent, sanctarum Ecclesiarum adinvicem perturbationem atque dissidium, emolumentum atque lætitiam pro lucro reputantes. Verum nos * eis qui ab origine pie atque univoco nomine ante nos regnaverunt, exæquari
id. eos. cupientes, zeloque rectæ & intemeratæ fidei conflagrantes atque sanctas Dei Ecclesias in pacis ordine perseverare, temporibus nostri imperij principale opus statuentes, porrò protelari hujusmodi læsionem miserrimum æstimavimus: unde & hoc sacratissimum & universale convocantes sextum Concilium, utpote parile præcedentium sanctorum quinq; universalium Conciliorum, in medium deducere falsorum dogmatum, hoc est, novitatum propositiones decreuimus. Quod sanctum Concilium singula quæque perpendens atque discernens, eos quidem, qui Orthodoxæ fidei prædicationem concusserunt, & Christi gregem scandalizaverunt, Sacerdotali ovili eliminavit, definitionem vero à Deo institutam, & sanctas Dei Ecclesias in unitate congregantem, constituit, Evangelicas quidem & Apostolicas consequentem sanctiones, memoratis autem sanctis & universalibus quinque Conciliis consonantem. Idcirco & nos, quæ ab eis definita sunt, corroborare atque firmare cupientes, præsens pium edictum edidimus, veræ circa divinitatem fidei secundum Ecclesiastica statuta adnuncians confessionem: Credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate, &c. *Intermissis quibusdam subdit.*

Redemp- Si igitur totus toti humanæ naturæ non unitus est,
tionis my- nec totus homo salvatus est. Quod enim non assumptum est, nec salvatum est. Quod vero unitum est Deo, hoc & salvatur, secundum deiloquum agnomento Gregorium. Sed hi quidem cum propriis æstimationibus & phantasiis circumerrent: nos autem, qui veræ dispensationis mysterium non illudimus, non solum intellectualem sacrosanctam Salvatoris animam esse credimus, sed & omnibus eam vere naturalibus virtutibus perfectam, & similibus nobis absque peccato voluntarie acquievisse passionibus, dum verbum eam permitteret quærere & velle, quæ sua sunt. Sic & naturalem cibum secundum rationem appetebat, desiderabat quoque, & turbabatur ac tristabatur. Cum enim Salvator ad Crucis passionem propria voluntate veniret, cœpit tristari & anxiari. Hæc enim animæ rationalis & voluntariæ proprietates existunt, ut persuadet nobis præclarus pater noster Epiphanius, in sermone adversus * Arriomanitas, ita prosecutus: A carne
al. Arria- enim, inquit, divinitati unita, absque anima & mente
nitæ. non fiet agonia. Unde & idem Dominus dicebat: Tri-
al. Arre- stis est anima mea usque ad mortem. Deinde orat
torites. transire calicem. Ut enim homo recusabat mortem.
Cyrillus Alexand. Non habebat & non velle mori, sicut asserit laudabilis Cyrillus, eo quòd recusaret caro ejus naturaliter mortem: sicut autem Deus, idem ipse prompte veniebat ad passionem, &c.

Subdit multas authoritates Patrum sæpè allatas.

PROPONATVR EXEMPLAR DIVINÆ jussionis Domini Constantini, directæ ad Synodum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ.

IN nomine Domini & dominatoris Jesu Christi, Dei atque Salvatoris nostri Imperator piissimus Flavius Constantinus fidelis in Iesu Christo Imperator, omnibus sanctissimis universalis Synodi Apostolicæ sedis Conciliũ repræsentantibus. Clarus & speciosus sacratissimus vester cœtus extitit, quem pro Ecclesia congregavit Spiritus sanctus & pietatis armavit sermonibus, in quibus debellati sunt insidiatores fidei, doctoribus sacerdotalis ordinis Pontificij, verumetiam & universali patri auxiliantibus, cum quo & pacificare didicistis, & compugnare eruditi estis. Tempus
Eccles. 3. est enim omni rei, sicut Salomoni videtur. Unde bo-
8. num quidem & pacem habere ad omnes, qui concordiam erga pietatem habent: melius est autem pugnare, quando actio pacis consensum in malum operatur. Nam Dominus, inquit, Non veni mittere pacem
Matth. 10. in terram, sed gladium. Gladio enim bis acuto fidei verbum similatur, dividens & discernens credulum & incredulum: & cognationem quidem vel consensum, quæ ad impietatem declinaverunt, eas separans, Deo autem accommodans seu connectens per pacem & dilectionem erga ipsum positas. Nihil enim propius ad ipsum pertingit dilectione, quæ per fidem est erga ipsum. Nam nec pater, nec mater, quæ cum filiis dolores compeperit, nec fratres necessitate naturæ alligati, sed voluntatibus dissoluti, nec ex lege conjunctionis crassa & non impassibilis connexio alterutri solutione affectionem dissolvens, nullum ex his divinæ naturæ participes efficit, sed sola circa Deum fides & dilectio, quorum complexione regenerati & reformati sumus, & commendatione erga creatorem digni sumus. Ipse enim dicebat Salvator: Qui amat patrem
ibid. aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accepit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Qui ergo Evangelicam semitam investigare proposuerunt, & Apostolicæ dignitatis pontificatum sortiri, omnia contemnunt, & patiuntur ad extremam mortem (si contigerit propter Dei amicitiam) condemnari ad mortem & durissima quæque pati & agere didicerunt, cum fidem vident depopulari, per quam erga Deum amicitia acquisita est, cum Ecclesiam hæreticis invasionibus oppugnatam speculantur, quando veritatem projectam mendacio fingunt: putasne quod offendere postponentes reconciliabuntur hostibus, & Evangelicum obliti mandatum, noxios finent impunitos? Nullatenus, sed sumentes armaturam Dei, his qui adversus eos pugnare conati sunt, resistere certant. Hoc vero & vestrum Sacerdotale collegium exhibuit,

& pro pietate pugnavit, in quibus communi parti auxilium est, & hæreticorum quidem deviat acies, sed memoria eorum quæ dicenda fuerint, corripitur, sermóque amplius egredi premitur. Lugubris enim tragœdia est sequentium explanatio. Hæresum enim inventores facti sunt Pontifices, & pro pace contentionem populo adnunciaverunt, pro frumento zizania sulcis Ecclesiæ seminaverunt, vinum miscuerunt aquæ, & proximo potum dederunt, eversionemque turbidam, & tanquam lupus agnos simulabant mendacium, & veritas ut mendacium, refutabatur. Conturbabantur res totæ Ecclesiasticæ, cum quod nocere queat, non erat qui discerneret. Et quoniam hæc quidem sic disponebantur, & pietatem impietas depascebat profecti sumus illuc, quo nos decebat dirigere gressum, & soli sapienti eorumque cognitori Deo mentis nostræ extendimus oculum: & deinceps eorum quæ interpretando dubium ingerunt, solutionem continuis orationibus dari nobis postulavimus, propter quod num ejus illustrata Ecclesia, oculos. i. Sacerdotes, ad contemplandam veritatem concitari dinoscimus. Tanto enim amplius pro fide certamus, atque pietati attendimus, & in primis de Ecclesiastico statu procuramus, quanto & civilibus circumdati sollicitudinibus, bellicisque consiliis retracti, summum Sacerdotalem hunc cœtum non destitimus congregare, ut Ecclesiarum distantia procul expulsa, pacis conjunctio coaptetur. In pace namque fidei pariter compactam à Christo dilectam Romanam rempublicam nostrâ confidimus, & nunc congregatum venerabile vestrum Concilium. Interfuistis namque & vos cum universali principe pastorum, simul cum ipso divinitus loquentes tam in spiritu quamque litera. Suscepimus enim non tantum ex beatitudine ejus, verum etiam à sanctitudine vestra directas nobis literas, quæ prolatæ, lectæ sunt, & veritatis verum stylum declaraverunt, Orthodoxamque fidem depinxerunt. Totæ enim convenienter, & non differenter positæ sunt ad imitationem, & tam Synodicis quamque paternis doctrinis consentiunt. Neque enim negleximus, sed diligentius eas comparavimus, idcirco & omnes consonanter mente & lingua concredimus, & similiter confessi sumus, & tanquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus, nemo enim discrepavit nisi unus. Namque nemo ab omnibus periit nisi filius interitus, pater contumaciæ, & hic una cum propriis discipulis sponte assumptus est ab Angelo sibi decibili, & suo execrabili choro. Quem cum propheta conlugere opportunum est, eo quod condolemus. Qualiter cecidisti ex cœlo Sacerdotij culminis, ô Lucifer, qui mane oriebaris? Luce certissimæ scientiæ fidelium animas lustrare ordinatus ■, & in nubibus ponere arrogantiæ sedem vanis dogmatibus elatus es. Quomodo fuga lapsus es vitato agmine tantorum Sacerdotum? An superbiæ alis ad altam ruinam elevatus, à mystica mensa temetipsum alienasti, æmulator factus Judaicæ discessionis? Quomodo non suscepisti collationem fratrum, imperialem & Apostolicam celebrantium solemnitatem? Quomodo reclacitrasti, qui dilectus es diligentibus te, & ad patientiam te invitantibus? Nunquid qui cadit, non resurgit? aut ita vertens non convertitur? Quare avertis aversionem improbam, & tentus es in hæretico proposito tuo? Noluisti utique converti ad pietatem, confusus es, in quibus male docebas. O dementiam simul & obcæcationem. Idem enim esse utrunque videtur. Harum namque alia vestigia corporis, alia autem gressus anima seducit. Desipiens, male docere non erubescebat, & bene docere erubescebat, hic quidem, qui Antiochiensium factus est præsul Macarius, quem non oportet dicere Macarium, & qui cum ipso de ordine Christi discesserunt, cujus universalis conventionis communi sententia de Sacerdotali dignitate repulsi sunt, & probationi sanctissimi Papæ traditi sunt. Diffinitionem autem adorandum venerabile sanctissimum concilium decrevit, tam sanctissimis Conciliis atque probabilibus patribus convenientem & subsequentem, in qua & imperium nostrum subscripsit, & per pia dicta nostra comprobavit eam, per quam orationibus vestris tuncta Ecclesiæ plenitudo pacificatur. Sicubi sunt, qui scandalum contrariæ conditionis fabricaverunt. Sicubi sunt, qui simulatam reverentiam ad argumentum falsæ doctrinæ inducebantur. Detracta sunt personarum velamina, convictæ sunt decipientium falsitates, pellem lupus abjecit, & nudus lupus publicatur, & hoc manet, dum apparet, quod regebatur, cum non apparebat, simulatio damnabatur. Veritas fiducialiter agit, falsitas exterminatur, & ejus qui seminavit zizaniam, dogmata abscinduntur. Triticum, quod est Christo dilectus populus, in unum horreum mittitur, scilicet in Ecclesiam Christi. Lux Orthodoxæ fidei orta est, erroris tenebræ demerguntur. Tristitia transfiguratur, & luctus in lætitiam, & contristatio in gaudium, omnia ad meliora transgrediuntur. Propter quod & nos Ecclesiis Dei, quæ dudum pacis gratiam acceperunt, congratulantes Apostolica traditione alloquimur vos: Gaudete, gaudete, iterum dico, gaudete, terrenum enim gaudium trinitas nobis concessit. Bene valete, sacratissimi auxiliatores pietatis orantes pro nostro imperio. Et manus divina: Legimus. Data decimo Calendas Januarias Constantinopoli, imperali domo, pusillo perpetuo Augusto Constantino Imperatore, anno 19. Et post consulatum ejusdem anno decimo tertio, indictione decima.

al. exhortatio.

Papa.

Esaiæ 14.

Macharii casum deplorat Synodus.

Phil. 4.

Tanta gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Joannes Portuen. Episcopus, qui unus ex illis erat Dominica octavarum Paschæ publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram Principe & Patriarcha Missas latine celebraret. Hæcille.

EXSCRIPTA LEONIS SECVNDI Papæ ad Constantinum piissimum Augustum.

REgi regum in cujus potestate sunt regna mundi pusilli, cui magnas gratias agimus, qui ita in vobis terrenum contulit regnum, ut cælestia vos magis ambire concederet. Majus est enim quod in Deo defixa mente confiditis, quam quod collato vobis divinitus honore regnatis. Illud enim vobis, hoc profecit omnino subjectis. Nam triumphalem paterni diadematis gloriam nascendo superna miseratione obtinetis, pietas enim vestra, fructus misericordiæ est: potestas autem custos est disciplinæ. Per illã igitur regia mens Deo jungitur, per istam vero censura subditis adhibetur. Illius opes inopes adjuvant, hujus autem sagacitas à vero tramite deviantes emendat. Non enim minor regnantium cura est prava corrigere, quam de adversariis triumphare, quia ei nimirum potestatem suam serviendo subjiciunt, cujus profecto munere & protectione imperare noscuntur. Unde divinitus præordinata vestra Christianissima pietas, & habitaculum dignissimum sancti Spiritus in sui cordis arcano præparans, quando caput Ecclesiæ Dominum Jesum Christum, veræ pietatis regulam amplectendo, concessi sibi ab eo regni demonstrat authorem sanctum venerabile corpus ejus, quæ est sancta mater Ecclesia, ut syncerus & principalis filius, largiendo atque fovendo inconcussa facit soliditate gaudere. Scriptum est igitur de vobis clementissime principum, & de eadem sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa: Erunt (inquit) reges nutritij tui, pariterque scriptum est, Honor regis judicium diligit: quia dum divina rebus humanis præponitis, & Orthodoxam fidem curis secularibus incomparabiliter antefertis, quid aliud, quàm judicium rectum D■ cultui mancipatis, & sacrificium purissimum atque holocaustum divinæ suavitatis odore flagrans, in ara vestri pectoris ejus

Esaiæ 49. & Psal. 98.

ejus invisibili majestati mactatis? Hæc de piissimi animi vestri proposito Christianissime Augustorum efficaciter dici (Dei gratia operante) confidimus, qua sola & error omnis evictus est, & rectitudo Evangelicæ atque Apostolicæ fidei cum syncera charitatis copula apud cunctos Ecclesiarum Christi præsules obtineretur. Ibi enim Christianæ fidei veritas lucet, ubi genina Dei videlicet, & proximi charitas fervet. Proinde nisi hoc utrumque Rex regum omnipotens Deus suis Sacerdotibus condonare disponeret, nunquam se regia generositas ad infirmos famulos inclinaret, & paulolum regali fastigio sepolito, unus se de collegio Sacerdotum pro zelo Dei adnumerari concupisceret.

O quàm gloriosa & præcelsa, veraque humilitas, quæ pro amore omnino se inclinare dignata est. Quid igitur restat Auguste, regie & sublimissime princeps, nisi ut Deus, qui incrementum dat, hæc in corregium dignanter inspiret, augeat, & impleat in vobis lucem Catholici dogmatis, qua fugentur hæreticæ nebulæ pravitatis?

Denique legatos hujus Apostolicæ sedis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, pietatis vestræ famulos, idest Theodorum & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum filios nostros, & Constantinum Subdiaconum regionarium sanctæ nostræ Ecclesiæ, una cum personis, quæ cum eis profectæ fuerant, quæ à prædecessore meo Apostolicæ memoriæ Agathone Papa, per octavam indictionem pro causa fidei (vestra pietate jubente) illuc directæ fuerant, per nuper elapsam decimam indictionem mense Iulio cum divalibus clementiæ vestræ apicibus, & Synodalibus gestis, cum magno jucunditatis gaudio in Domino exultantes, suscepimus: & quasi de quodam mœroris fluctu optatæ tranquillitatis portum ingressi, receptis viribus cum gra-
Psal. 20. tiarum actionibus exclamare cœpimus. Domine salvum fac Christianissimum Regem nostrum, & exaudi eum in die, in qua invocaverit, te per cujus à Deo inspiratum studium, per totum orbem terrarum Apostolicæ traditionis pietas flagrat, dum terra caligo hereticæ pravitatis evanuit. Merito igitur cum prophetâ
Psal. 20. canendum est, ac dicendum: Domine in virtute tua exaltabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei & volun-
Prov. 20. tate labiorum ejus non fraudasti eum. Rex enim, qui sedet in solio (sicut sapientissimus quidam ait) intuitu suo dissipat omne malum. Etenim dissipatum est Domino cooperante vestræ pietatis laboribus malum, quod diaboli nequitia deceptione induxerat: & bonum Christianæ fidei, quod Christus ad salutem hominum contulit, obtinet. Igitur gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula, quæque gesta sunt, flagitantes, eadem quæ Apostolicæ sedis legati narraverant, scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim quòd sancta & universalis, ac magna sexta Synodus, quæ per Dei gratiam imperiali decreto in regia urbe nuper congregata est, eademque & universum Concilium alludens huic sanctæ sedi Apostolicæ (cujus ministerio fungimur) sanxerit, atque decreverit sub Orthodoxæ fidei integritate, regulisque majorum, atque concorditer nobiscum confessa est unum esse de sancta & inseparabili Trinitate Dominum nostrum Iesum Christ. ex duabus, & in duabus naturis inconfusè, inseparabiliter, indivisè consistentem, ut verè Deum perfectum, & hominem perfectum eundem ipsum, salvaque proprietate utriusque itaque in eo convenientium naturarum, eundem ipsum divina operatum, ut Deum, & humana inseparabiliter operatum ut hominem absque solo peccato, & duas idcirco naturales voluntates, duasque naturales operationes cum habere veraciter prædicavit, & per quæ principaliter, & naturarum ejus veritas demonstratur, useue ad cognoscendam profecto differentiam, quarum sunt naturarum, ex quibus & in quibus unus idemque Dominus noster Jesus Christus constitit, per quæ revera probavimus

A hanc sanctam & laudabilem atque prædicabilem sextam Synod. per misericordiam Dei (qui Christianæ fidei veritatem suis fidelibus referat) Apostolicâ prædicationem inoffenso pede fuisse secutam, sanctorum que & universalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus consentientem, & horum regulas amplectentem, nihil super statuta Orthodoxæ fidei augentem, aut minuentem, sed regiam & Evangelicam semitam rectissime gradientem, & in his, atque per eos sacrorum dogmatum lima, & probabilium Catholicæ Christi Ecclesiæ Patrum doctrina servata est, & regulari lima ad omnium ædificationem prolata. Sed & hoc vere dignum, Deoque gratissimum existit, quod Apostolicæ prædicationis veritas, quæ imperialem exornat potentiam, & principalem clementiam servat per augu-
B stissimæ pietatis edictũ in toto orbe terrarum percrebuerit, & sicut solis radius omnium hominum corda lustravit, ut inde rursus doctrinam pietatis specialiter perceperint; unde justæ dispensationis gubernacula sibi benigne præberi cognoscunt. Synodali igitur sententia, & imperialis edicti censura, tanquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis hæresibus, etiam novæ pravitatis error expunctus est: & qui authores falsitatis extiterunt, cum suæ blasphemiæ labe prostrati sunt, qui ore sacrilego tentaverunt asserere unam voluntatem, unam operationem in duabus subsistẽtialiter unitis naturis Domini nostri Iesu Christi, ex quibus & in quibus indivisibiliter, & inconfuse constitit. Hanc igitur rectæ atque Apostolicæ traditionis normam prædecessor meus Agatho Apostolicæ memoriæ Papa cum
C sua Synodo prædicavit, hanc scriptis percurrentibus in suæ suggestionis pagina vestræ pietati per suos legatos emisit, approbans & confirmans testimonia sanctorum & probabilium Ecclesiæ doctorum, quam sancta nunc & magna Synodus, Domini & vestro favore celebrata suscepit, & in omnibus nobiscum amplexa est; ut pote B. Petri Apost. principis synceram doctrinam in ea agnoscens, & immutilatæ pietatis in hac signa contrectans. Sancta igitur universalis & magna sexta Synodus, quam nutu Dei vestra clementia, & sedule convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit, apostolicam in omnibus regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est. Et quia definitionem rectæ fidei ut *Mat. 16.* dictum est, plenissime prædicavit, quam & apostolica sedes Beati Petri Apostoli (cujus licet impares ministerio fungimur) veneranter suscipit, idcirco & nos & per nostrum officium, hæc veneranda sedes Apostoli-
D ca concorditer, ac unanimiter, his quæ definita sunt ab ea, consensit, & Beati Petri authoritate confirmat, sicut supra solidatam Petram, qui Christus est; ab ipso Domino adeptus firmitatem. Propterea sicut suscepimus, atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense & Constantinopolitanum quæ & omnis Christi Ecclesia approbat, & sequitur, ita & quod nuper in regia urbe; pio vestræ serenitatis adnisu celebratum est sanctum sextum concilium, ut eorum pedissequi interpretes pari veneratione atque censura suscepimus, & hoc cum eis digne connumerari, tanquam una & æquali Dei gratia congregatum, decernimus: & qui in eo fideli-
E ter convenerunt Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter *Sancti Pa-* sanctos Ecclesiæ Patres, atque Doctores ascribendos, *tres.* æque censemus. Nam & istis, sicut & illis idem Dei Spiritus salutem animarum operatus est, & hujus immarcessibilis fructus imperiali pietati vestræ à Domino reputabitur, cujus & per sæcula prædicando labore (mirabiliter Dei gratia cooperante) perfectum est. Anathematizamus præterea proinde atque execramur omnes hæreses omnesque earum authores, atque fautores, qui adversus Apostolicam & Orthodoxam fidem diabolicis decepti fallaciis, falsitatis errores in Ecclesiam conati sunt introducere, id est, Arium, Sabellium, Macedonium, Apollinarium, Eunomium, Nestorium, Eutychem, Dioscorum, Ti-

motheum, Severum, Themistium, Origenem, qui & Adamantium, Didymum, & Evagrium, similiter scripta Theodoriti adversus duodecim sancti Cyrilli capitula, cum Epistola quæ dicitur Ibæ missa ad *Marium Persam, & una, eis Jacobum cum Theodosium, Gaianum, Anthimum, Zoaram, Donatum, Novatum, Priscillianum, Paulum, Eotinum, Pelagium, Cœlestium, Julianum, Faustum, Maximinum, quos sancta Catholica, atque Apostolica Ecclesia de Catalogo fidelium Patrum, ut pote zizania de area Dominicæ Ecclesiæ, gehennæ supplicio abdicanda, per ventilabrum divinæ discretionis abjecit. Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Faranitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores magis quam præsules, nec-non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed prophana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. Et omnes qui in suo errore defuncti sunt similiter anathematizamus, abominamur imitatores eorum & complices, qui dudum fuerunt, vel nunc usque sunt, ideſt, Macarium quondam fallacissimum Antiochiæ Ecclesiæ deceptorem, cum sui erroris discipulo imo magistro Stephano, & cum his Polychronium novum (ut vere dictum est) Simonem qui hæreticæ pravitatis delusus phantasmate, mortuos suscitare pollicitus, dum vanam ejus præsumptionem effectus non sequitur, fallax & in hoc omnibus comprobatus est, & qui similia eorum sapuerunt, vel sapiunt, qui unam videlicet voluntatem, & unam operationem dicere præsumpserunt, vel præsumunt in duabus naturis Domini nostri Jesu Christi, quos & sancta universalis supra memorata sexta Synodus abdicavit, & Macarium quidem de præsulari dignitate dejecit, discipulumque ejus Stephanum & Polychronium senem vanissimum Sacerdotij honore fruſtravit, eorumque participes atque socios, qui noluerunt intelligere, ut bene agerent & iniquitatem meditati sunt in cubilibus suis, qui suos, & præsertim Macarius, errores huc illucque disseminare conati sunt. Et dum sub ovili tegmine latens lupus apparet, & pro pastore fur & latro compertus est, a vero pastore ovium Christi ut pestifer & devastator abjectus est, idcirco digne anathematis *stylo perculsi sunt, & æternis vinculis colligati, pœnitere nolendo, insolubiliter tenentur obstricti, ne rursus ineffrenatæ præsumptionis audacia concitati suæ pestiferæ doctrinæ contagio quemquam de simplicibus fœdarent, qui etiam nunc usque in sua obstinatione pervicaciter perseverare maluerunt, quam ad veritatis cognitionem ut salvarentur pœnitendo converti. Obduravit enim cor eorum diuturna malitia, & omnibus claruerunt conscientiæ magis, quam ignorantiæ *labe prostrati, ut sponte rebelles Apostolicæ veritati, & suum magis quam Dei gloriam inquirentes, cum Deus moneat ad pœnitentiæ correctionem delinquentes exhortans: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Nam quod divalia scripta vestra pietas nostram exiguitatem commonere dignata est, ut salutari doctrina, & Orthodoxæ fidei dogmatibus imbuerentur, quatenus ad sanæ fidei scientiam pervenirent, ut ægrotis, & naufragantibus circa fidem, sedulo eis manum spiritalis doctrinæ porreximus, ut ad portum veritatis pertingerent, & medicinalia monita ad cognoscendam sanæ scientiæ rectitudinem indesinenter contulimus, & quod ad nostrum ministerium congruit, admonitionis remedia non admittimus cupientibus exhibere. Licet autem scripturæ stylus pro statu Apostolicæ, & Euangelicæ fidei admiranda certamina vestræ clementiæ, & vigilantiam singularem narrare non sufficit, non tamen ideo prætermittenda sunt fortitudinis insignia, dum ubique orbis universus ejus canit præconia. O sancta Mater Ecclesia exurge, depone pallium mœroris, & induere stolam jucunditatis tuæ. Ecce filius tuus constantissimus principum, defensor tuus, adjutor tuus, ne commovearis, accinctus est gladium verbum Dei, quo divisit incredulos à fidelibus, induit se loricam fidei, & galeam spem salutis. En propugnator tuus, confide, ne metuas, novus David, non ille Rex unius gentis Judaicæ, sed hic tuus Christianæ plebis piissimus princeps, Nazareni sanguine corporatus, dejecit Goliam magniloquum hostem tuum, & cunctum agmen ejus, huc illucque disperſit, percussit frontem ejus jactu lapidis, ubi non inerat signaculum pietatis: amputatum est caput ejus, & in membris ejus nullus vigor relictus est. En ubique triumphus portatur in pilo. Congregamini pariter & venite, ô religiosissimæ Christi Ecclesiæ, cum Sacerdotibus plebes toto orbe diffusæ, canite magna voce, & dicite: Vicit novus David constantissimus augustorum, non in millibus solum (nec enim generalem Evangelicæ prædicationis victoriam numerorum vinculis quispiam poterit comprehendere) sed & ipsum principem, & hostem, & ducem, & incentorem omnium malorum ac errorum diabolum cum suis legionibus atque fautoribus per arma veræ atque Orthodoxæ, & Apostolicæ traditionis & confessionis extinxit. Exulta nunc secura sancta mater Ecclesia, de libertate tua sæpius impugnata sed non derelicta. Suscitavit Rex tuus invictissimus Christianissimum principem, propugnatorem tuum, benefactorem tuum, atque opulentissimum largitorem, cujus studio Orthodoxa fides recollecto splendore toto orbe irradiat, fideles omnes gratiam referentes exultant, infideles mœror, atque dejectio comprimit & confundit, Ecclesiæ Christi de cunctis oppressionibus liberatæ respirant, donis imperialibus confoventur, principali præsidio muniuntur, quibus & domesticis verbis augusta vestra benignitas Christum imitando pollicetur. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, ut Domini nostri Jesu Christi cujus exemplis utitur, æterna ejus regni perennis gloria potiatur, & in orbem terrarum generaliter, atque perenniter ejus imperium dilatetur. Præsentis denique suggestionis exiguum portatorem Constantinum Subdiaconum regionarium hujus sanctæ Apostolicæ sedis, qui & nuper cum legatis Apostolicæ memoriæ prædecessoris mei interfuit sanctæ Synodo inibi celebratæ, clementia consueta dignum exceptione consecret vestra regalis magnanimitas ejusque suggestionibus aurem pietatis accommodet, ut authorem in ministro dignanter suscipiat. Et subscriptio: Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, & ei omnium gentium colla substernat. Data nonis Maijs indictione decima.

al. Marium. seu Marin.

Psal. 55.

al. stylo.

al. clade.

Matth. 18.

Exemplar divinæ jussionis Justiniani Augusti, directa ad Joannem Papam urbis Romæ, in confirmationem Sextæ Synodi Constantinopolitanæ.

Justiniani 2. littera ad Joannem quintum.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Imperator Cæsar Flavius Justinianus, fidelis in Jesu Christo pacificus, pius, perpetuus augustus, Joanni vero sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ almæ urbis Romæ, atque universali Papæ. Magnum studium, magnam solicitudinem nos habentes pro stabilitate immaculatæ Christianorum fidei, dehinc namque clementissimum nostrum Deum adjutorem & susceptorem nostræ serenitatis esse confidimus, adversus omnem inimicum dilectæ nostræ reipublicæ, dum cognitum est nobis, quia Synodalia gesta, eorumque definitionem quam & instituere noscitur sanctum sextum Concilium, quod congregatum est in tempore sanctæ memoriæ nostri patris in hanc à Deo conservandam Regiam urbem, apud quosdam nostros judices remiserunt. Neque enim omnino prævidimus alterum aliquem apud se detinere ea, sine nostra piissima serenitate, eo quod nos copiosos

1. Reg. 17.

miſericordia noſter Deus cuſtodes conſtituit ejuſdem immaculatæ Chriſtianorum fidei: ſed mox adduximus noſtros patres ſanctiſſimos ac beatiſſimos patriarchas cum veſtræ beatitudinis apocriſiario, & ſacratiſſimum ſenatum, verum etiam Deo amabiles Metropolitas & Epiſcopos, qui hic in Regia urbe commorantur & deinceps militantes incolas ſancti Palatij, nec non & ex collegiis popularibus & ab excubitoribus, inſuper etiam quoſdam de Chriſto dilectis exercitibus, tam ab à Deo conſervando imperiali obſequio, quamque ab Orientali Thraciano, ſimiliter & ab Armeniano, etiam ab exercitu Italiæ, deinde ex Cabariſianis & Septemſianis ſeu Sardinia atque de Africano exercitu, qui ad noſtram pietatem ingreſſi ſunt, & juſſimus præfatas Synodalium geſtorum chartas in medium adduci, & coram ſupradictis omnibus, lectionem eorum fieri omneſque diligenter audientes, ſignare ipſas fecimus, quorum auditorum univerſitas in noſtris manibus eas præbuit chartas, ut debeamus nos tenendo inviolatas conſervare ipſas, ut non licentia fuerit in quolibet tempore his, qui timorem Dei nolunt habere, aliquid corrumpere aut ſubmutare ab his, quæ inſerta ſunt in prænominatis Synodalibus geſtis, quas totas chartas bene definitas in temporibus ſanctæ memoriæ noſtri patris, ex probabilibus ſanctis Patribus, qui propriæ linguæ & manuum fidem apud Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, utrumque Deum exiſtentem, confirmaſſe dignoſcuntur, & confitentes eam docuiſſe nos ſperamus clementiſſimum noſtrum Deum: quia uſque dum noſter ſpiritus ſtatutus eſt ex Deo eſſe in nobis, ipſas chartas illibatas & incommutabiles ſemper conſervabimus. Ad inſinuandum quoque veſtræ paternæ beatitudini hujuſmodi capituli motiones, prævidimus & earum ſcientiam notam feciſſe beatitudini veſtræ. Et manu divina Divinitas ſervet per multos annos, ſanctiſſime ac beatiſſime pater. Data decimo tertio Kalendas Martias, Conſtantinopoli Imperiali domo, piiſſimoque perpetuo Auguſto Juſtiniano Imperatore, anno ſecundo, & poſt conſulatum ejus anno ſecundo, indictione decima-quinta.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloria individuæ Trinitati.

Scriptum eſt præcedens codex temporibus Domini Sergij ſanctiſſimi ac beatiſſimi Papæ, & in Patriarchio Eccleſiæ Romanæ reconditus.

CONTROVERSA QUÆDAM de ſexta Synodo.

Acta Concilij ſinistra.

COntrovertitur de actis hujus Synodi ſint ne legitima, an falſa. Hinc Joverius propugnaculum, ut vocat, extruxit hujus concilij, ut ſequitur. Quidam etiam ex his qui Catholicæ Religionis propugnatores maximi haberi volunt, conati ſunt nobis eripere hanc Synodum, aliqui utiliſſimam Chriſtianæ religioni, quia fertur ſententia in Papam Honorium, accuſatum monotheliſmi. Ea de cauſa tanquam nothas deſerunt actiones hujus Synodi œcumenicæ, quas impugnant ſex argumentis, ut ipſi putant, validiſſimis.

1. *Ratio.* Prima eorum ratio eſt. Quia non ſervatur decorum in agendo, definiendo, ſedendo, & aliis modis diſponendi. Conſtituti erant judices ſæculares patricij, Imperatore collocato in medio, Legatis Romanis ad ſiniſtram ejus, quæ omnia ſunt contra debitam libertatem, & dignitatem generalium conciliorum. Fit proinde, hoc œcumenicum non eſſe.

2. *Ratio.* 2. Item non decet mortuum condemnare, niſi ſcelera ſint manifeſtiſſima. Atqui concilium hoc damnat Honorium cujus ſcelus eſt incertum.

3. *Ratio.* 3. Ad hæc nondum erat definitum per Eccleſiam ante Honorium, an eſſet unica, an duplex Chriſti voluntas. Potuit igitur Honorius ſine culpa falli ea in re quemadmodum Cyprianus in rebaptizandis eis, qui ab hæreticis erant baptizati.

4. Cæterum non conſtat an pœnituerit Honorium ante finem vitæ, qua pœnitentia potuit elui hæreſis culpa.

5. Præterea modus procedendi in cauſa Honorij eſt præceps, non ſatis magna adhibita diligentia in diſcutiendo negotio tam gravi.

Tandem continet abſurda duo, prius eſt, quod in literis Cyri ad Sergium Patriarcham vocat eum, œcumenicum. Poſtremo literæ ſunt Agathonis ad Imperatorem, adulationibus refertæ: Nam Imperatoris literas vocat divales apices, & urbem Romam principatus ejus ſervilem, nominat ſubinde veſtra ſublimitas, veſtra celſitas, quæ non redolent ſtyli Pontificij gravitatem.

Quamvis ſint quædam acta hujus ſextæ Synodi, quæ videntur non ad amuſſim reſpondere decoro œcumenicæ Synodi, ex quibus ſumpſit anſam impugnator, tamen ea de cauſa non eſt rejicienda tota Synodus, alioqui utiliſſima & ſanctiſſ. propter unam aut alteram notam levem, non concernentem fidei ſubſtantiam, cum plures & validiores ſint rationes pro Concilio hoc, quam adverſariæ. Quod ſi propter leves & futiles rationes, procacitate quadam velimus ſextam hanc Synodum rejicere, nihil non erit huic levitati obnoxium vel ipſiſſimum Evangelium Beati Joannis. Quare non decet nos eſſe tam faciles in rejiciendis rebus gravibus à multo jam tempore probatis. Leo enim ſecundus Epiſtola, quæ in fine hujus Concilij ſcribitur ad Conſtantinum Imperatorem, hanc ſextam Synodum probat: fuerat etenim Agathonis ſucceſſor, & ne quis cauſetur hanc Epiſtolam eſſe fictitiam, idem habetur in vita Leonis ſecundi, ſub quo finita eſt hæc Synodus. Accedit etiam in ejus approbationem, profeſſio Romani Pontificis, deſcripta diſt. 16. Can. *Sancta octo univerſalia, &c.* ubi inter alia hoc ſextum enumeratur, quæ ſummus Pontifex uſque ad unum apicem immutila ſervare promittit, & pari honore ac veneratione digna habere, atque omnibus modis ſequi ac prædicare, & quæcumque condemnaverunt, ore & corde condemnare (ait) profiteor. Hanc eandem profeſſionem confirmavit Conſtantienſe Concilium quodam expreſſo decreto. Quod ſi quis obſtrepat has actiones hujus Synodi eſſe nothas ac ſuppoſititias, conſenſus exemplarium, eas ab omni ſuſpicione liberat. Ad hæc patres tam Græci quam Latini, qui Florentinum Concilium celebrarunt, hanc Synodum tanquam œcumenicam receperunt & ejus actiones: niſi ſit verbum unum a græcis forte expunctum, in literis Agathonis, quod ibidem in margine notatum invenies. Suſpicione fateor laborant Græci hujus rei, quod ſi eos aliquid, vel tantillum offendat, eradant aut invertant facile vel ex ipſis autographis, ut aperte indicat Nicolaus Papa in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem. Sed non eſt cur in hac re ſuſcipemur quicquam, cum ipſemet Nicolaus bis terve unemineri hujus ſextæ Synodi, & nunquam ei detraxit quicquam, ſed potius videtur eam probaſſe. Et ſi quis accuratè actiones has conſideret, nullum fuiſſe concilium Orientale magis propitium Romanis Pontificibus hoc ſexto, obſervabit facilè: nec plus honoris detulit Chalcedonenſe, quod fuit celeberrimum, Legatis Romani Pontificis, quam hoc ſextum. Siquidem vigeſimus-octavus can. invitis Legatis editus eſt, hic nihil tale legimus factum. Etiam inter ſubſignandum primæ partes eis deferebantur, præponebantur etiam omnibus Patriarchis, &c. Imperator ſubſcripſit. Sed ejus ſubſcriptio fuit omnium ultima, etiam poſt omnes Epiſcopos, neque id fecit, tanquam ferens ſententiam de rebus fidei, ſed ut protector, propugnator, ac teſtis rerum geſtarum. Non eſt igitur cur quiſquam leviter propter Honorij condemnationem, poſthac deroget huic ſacro ſanctæ Synodo.

Honor delatus legatis Papæ.

Objectionibus operæprecium erit per ordinem satisfacere, ut dignitas sua huic concilio conservetur integra. Prima ratione, quia immodestiæ arguitur Imperator. Si quis legat Epistolam ejus ad Agathonem, observabit pietatem, & venerationem erga sedem Apostolicam, quæ postulat Legatos mitti ad Synodum peragendam. Quod interfuerit concilio, non mirabitur qui legerit Epistolam Nicolai primi ad Michaëlem Imperatorem, & Martianus Imperator interfuisse legitur Concilio Chalcedonensi. De consessu ad manum sinistram Legatorum Pontificiorum, facile fatemur insolentiam, sed prudentes Latini maluerunt credere in hac re, ex qua non pendebat fidei substantia, ut fidei conservetur integritas & unitas. Exemplum nobis abunde suppetit Ferrariense concilium, cui Paleologus Imperator græcus intererat, inter medios Græcos & Latinos sedere volebat. Tandem habuit subsellium æquale Romano Pontifici & præscribebat saltem suis, de quibus disputandum. Quibus omnibus connivebat Eugenius Papa, ut pacem inter Ecclesias conservaret. Quis negabit concilij Ephesini dignitatem? tamen jussu Imperatoris congregati, & Candidianus comes delegatus ejus conjecit in vincula Memnonem & Cyrillum Legatos Cœlestini Papæ eosque exauthoravit; nihilominus concilium à tota Ecclesia recipitur. Non ergo rejiciendum concilium sextum, quia sancte & prudenter dissimulavit quædam arroganter gesta & facta Imperatoris græci & patriciorum, neque dicebatur præsidere, ut sententiam ferret in rebus fidei, sed tanquam fautor, & protector concilij, & tranquillitatis, præerat executioni, & ordini cum suis patriciis, ad quam rem adhortatur Agathonis Epistola lecta in sessione quarta. Concilium Chalcedonense in singulis sessionibus habet, congregatum jussu Martiani Imperatoris. Et in conciliis Oecumenicis ubi agitur de fide, non sunt excludendi Imperatores, ut aperte indicat Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem scribens. Ubinam legistis Imperatores Antecessores vestros Synodicis conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam ubi de fide tractatum est quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laïcos, & omnes omnino pertinet Christianos? Idemque ex actis Concilij Nicæni perspicuum est, cui interfuit Magnus Constantinus, ut Martianus Chalcedonensi.

Secunda ratio etiam non convincit. Nam in quinta Synodo oppositum determinatum est, & Augustinus ad Bonifacium de Cœciliano agens oppositum indicat.

Ad id vero quod affertur, non satis discussam fuisse Honorij causam, respondebimus ex gestis Synodi constare, non magis discussam fuisse aliorum, qui condemnati sunt cum Honorio, causam, quam Honorij: tamen nemo inficiabitur, eos fuisse justè condemnatos. Collatæ sunt litteræ Honorij accurate cum autographo, ut ex duodecima sessione colligi potest, & omnia respondebant, & in literis Pauli Constantinopolitani ad Theodorum Pontificem, continetur consensus in hoc errore cum Honorio, & nemo Romanorum in concilio adversatus est. Quod nondum fuisse per Ecclesiam definitum asseritur, quarta ratione falsum esse constat. Nam Leo primus epistola illa decima celeberrima ad Flavianum Constantinopolitanum Patriarcham, quæ fuit approbata in Synodo Chalcedonensi, condemnat Monothelitas. Et in concilio Romæ habito sub Martino hujus nominis primo, apertè condemnati sunt Monothelitæ: quod concilium invenies in secunda classe quæ est particularium, sectione prima. Non est igitur eadem ratio de Cypriano & Honorio.

Ad quartam non constat an pœnituerit ante mortem. Constat eum in causa fidei gravissima consensisse hæreticis, & non constat de ejus pœnitentia, qua ædificarit id quod per scandalum destruxerat, merito igitur potuit condemnari à Synodo, nec est insolitum mortuos anathematizare, quod indicat 82. Canon Concilij Africani.

Quod continent literæ Cyri ad Sergium Patriarcham, ubi vocat eum œcumenicum: Respondetur, hoc parum huic Synodo potest officere. Nam uterque erat hæreticus. Præterea à tempore Chalcedonensis Synodi semper Patriarchæ Constantinopolitani usurparunt illum titulum, ut patet in Epistolis quintæ Synodi. Sed non hac de causa, rejicienda est quinta Synodus, ergo nec sexta. Item lege ultimam sessionem Concilij Florentini ubi continentur literæ Joseph Patriarchæ Constantinopolit. quas scripsit hora mortis, in quibus vocat se œcumenicum Patriarcham.

Quod ultimo loco adducitur de literis Agathonis, quas dicunt adulatorias; Literæ Leonis ad Martianum Imperatorem & aliorum summorum Pontificum ad Imperatores satis indicant, summos Pontifices non potuisse aliter ad Græcos scribere, quam alij solebant, & illis placebat, ut hoc saltem modo continerent eos in officio, malebant uti epithetis solitis, & receptis apud Græcos, quàm Imperatores irritare contra Ecclesiam, ne alienarentur animi eorum, & resilirent ab ea, hæreticis semper ad eam rem solicitantibus.

Hæc Joverij amica velitatio in Albertum Pighium authorem Catholicum, & in quem Calvinus stylum exacuit, conflata est, ut à nobis deprehensum est, tum ex ejus opusculo (diatribas vocat) de actis 6. & 7. Synodorum, quod parengrapha sint & minime germana, & ex disputatione pro actis 6. Synodi cap. 1. Franciſci de Combefis Ordinis Prædicatorum, qui eadem argumenta contra hanc Synodum multo majori verborum apparatu citationumque ac sententiarum mole destruit, illum statim ab exordio arguens quod in scholasticos procacior fuerit, asserens de defensoribus Synodi, quod cum nihil didicerint quam quæ in Sorbonis & Scholis audire consueverunt, non ferant sibi contradici ab aliquo. Quæ, inquit ille, dicas non de viri Catholici, sed de Lutheri prodire officinâ. Id autem asserebat Pighios in eos qui negabant infallibilitatem summi Pontificis, cum extrajudicialiter privatisque vel sermonibus vel rescriptis ageret, cum ille omnimodam illam arbitraretur ac defenderet, itaut hæreticus esse non possit. Sic ille libro quarto Eccles. Hierarch. cap. 8. Quam opinionem Bellarminus de summo Pontif. lib. 2. cap. 30. probabilem & defendi posse existimat, licet non sit certa, & communis opinio sit in contrarium.

De Honorij causa.

Quia vero controversia de Honorio Pontifice nondum satis excussa videri posset quibusdam, propter varias tum opiniones tum ratiocinationes dissentientium Doctorum, de actis hujus Synodi propter damnationem illius in iisdem actis, transit ille Prædicator ab impugnatione Alberti Pighij ad impugnationem Cardinalis Baronij, qui censuit acta Synodi in multis falsata fuisse. Etsi vero modestius cum illo agendum sibi proponat, vix tamen sui propositi memor apparet, eum acerbius in multis exagitans. Sed istis omissis præstat ejus sententiam ad aliquot capita reducere.

1. Est, damnatum fuisse Honorium in Synodo suggestione Agathonis Papæ. Sic Carranza in summa Conciliorum. Docet quoque Melchior Canus lib. 6. de locis, inde confirmans ex Romani Pontificis consensu fuisse, quod Adrianus Papa in octavâ Synodo disertè tradit actione 7. allocut. 3. *id quod*, inquit, *exploratum est* in 6. Synodo generali act. 13. ubi Agatho in Epistola ad Concilium Honorium ipsum anathematizat, *cum his vero simul projici à sancta Dei Ecclesia, simulque anathematisari prævidimus & Honorium.* Græcè συνιδόμεν, id est, simul vidimus. Sunt sanè hæc plusquam nomine cani hominis, quicquid sibi canus Baronius, viro deprecetur animi ac sen-

ſus canos, nec niſi nomine agnoſci canum, &c. Hæretici ut canum nolint at canem inveniunt, nec canem frigente ſanguine aut edentulum, ut Dominicanus non latret aut mordeat. Hæc pro viri reverentia, cujus Baronius παῤῥησίαν non uno loco laceſſit.

2. Eſt quod Honorius damnatus eſt non ut Hæreſiarcha aut Doctor hæreſis, ſed ut fautor ac velut qui eſſet viſus adhærere Sergio Conſtantinopolitano Patriarchæ, unamque cum eo ac poſt eum voluntatem in Chriſto admittere, patet ex epiſtola Agathonis ad Conſtantinũ. Reſtat ut à Deo coronatæ veſtrę clementiæ piis favoribus, victoriæ corona redimita veritas fulgeat & novitatis error cum ſuis inventoribus & iis qui doctrinam eorum ſequuti ſunt, propriæ præſumptionis pœnam exoluat. *In quibus nullis parcit Agatho.* Patet amplius ex edicto Conſtantini; Anathematizamus ac rejicimus novorum dogmatum hæreticos authores, atque fautores: dicimus autem Theodorum, &c. *Ad hæc & Honorium qui fuit antiquæ Romæ Papa, iis per omnia fautorem eademque gradientem via, ac hæreſis confirmatorem.* Vides non omnino proſcribi ut hæreſiarcham Honorium, ſed ut eum qui facilius aliorum errori conceſſiſſet, ſuaque authoritate ei præſidio eſſet. Quod magis confirmat epiſtola Leonis 2. ad Conſtantinum eundem defuncto Agathone, ubi ſic de Honorio. *Non adhibuit conatum ut Apoſtolicæ traditionis doctrina caſtam ſervaret Apoſtolicam hanc Eccleſiam, ſed prophana proditione immaculatam maculari permiſit.*

3. Eſt quod Honorius in eo viſus eſt favere hæreticis, quod accepta Sergij epiſtola de novitate Monotheliſmi ad eum reſcribendo non apertè improbaverit, ſed dixerit retinendas eſſe quinque primas Synodos, & abſtinendum eſſe ab his vocibus contentionem excitantibus unius aut duarum operationum. Hoc enim hæretici ſic acceperunt quaſi ab eorum partibus ſtaret, cum eorum opinionem non damnaret expreſsè, ſed æqualiter omnes haberet ſeu unam ſeu duas dicerent operationes. Atque propter eamdem cauſam damnata eſt Ecteſis Heraclij in Concilio Lateranenſi, quod fuit poſt generalia maximum ſub Martino I. Quod in ea illud idem haberetur tanquam indifferens. Atque hoc patet ex epiſt. Honorij in Concilio lecta. Nec obſtat quod in eadem epiſtola habeatur unam Chriſtum habuiſſe voluntatem non duas, quia hoc Honorius ſcripſerat de voluntate Chriſti in quantum homo erat. Quod videlicet ut homo non habuit duas voluntates contrarias, unam carnis, alteram Spiritus, ut nos habemus qui in peccato naſcimur. Huncque ejus fuiſſe ſenſum verba epiſtolæ ſatis aperiunt, ideo Chriſtum habere unam voluntatem, quia à divinitate aſſumpta eſt noſtra natura non culpa. Ita Stapleto controv. 3. de primo ſubjecto poteſtatis Eccleſiaſticæ quæſt. 4. in ſolut. argum. unde ſi propter hoc damnatus eſſet Honorius errore facti damnatus fuiſſet, aliter præcepta ejus mente. Qua in re hallucinari Concilium poſſe abſurdum non eſt.

4. Eſt quod diſtinguendum ſit inter Pontifices Romanos & ſedem Romanam, inter Pontificem ut privatum hominem, & Pontificem, ut loquentem ex Cathedra, id eſt, cum authoritate definiendo aliquid ac obligando fideles omnes ad ita credendum. Ut demus ſedem Romanam ſine errore hactenus perſtitiſſe nec errori obnoxiam eſſe propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti, atque etiam idem dicamus de Summo Pontifice ex cathedra loquente cui tenentur fideles obedire ſicut oves paſtori: at id neceſſe non eſt admittere de Summo Pontifice ut eſt homo vel Doctor privatus. Nec apex Summi Pontificatus eum reddit in hac parte impeccabilem. Agnoſcebat hoc Innocentius III. relatus à Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 93. cum ita loquitur in ſermone de conſecratione Summi Pontificis. *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, ut cum de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum quod in fide committitur poſſim ab Eccle-*

A *ſua judicari.* Euſebius cap. Oves 2. quæſt. 7. *Oves quæ ſuo paſtori commiſſæ ſunt, cum nec reprehendere niſi à fide exorbitaverit, nec accuſare ullatenus poſſunt* Ergo nec defecit etiam Marcellinus (quicquid ſit) de ipſe fide, adolenſque tamdem idolis Catholicam fidem aſſeruit? non defecit Liberius cum humanum quid paſſus fractuſq; Conſtantis tyrannide Athanaſium Catholicæ pietatis veteranum defenſorem damnari permiſit? nuſquam certè clarior diſtinctio Apoſtolicæ ſedis ab hoc homine, qui & indignus præeſſe poteſt & a fide devius, qualem Eccleſia externa ſaltem præſumptione, juxta quam etiam de illius aut hujus fide judicat, ſolo Deo occultorum judice.

5. Quod Honorius non rem iſtam definierit ex Cathedra, cum ad Sergium ſcribens ſilentiũ magis indicat B de iſta controverſia, quam quemquam moveat aut adſtringat ſua conſtitutione ad ſic vel ſic credendum. Et ſi erraverit, ante accuratam diſcuſſionem ac ſynodicam definitionem, errore magis materiali erravit.

6. Eſt quod etſi plures & antiqui & recentiores defendant Honorium, non eſt tamen propter ea culpanda Synodus quæ volens radicem omnem Monotheliſmi evellere, omnes prælatos vel eo infectos vel de eo ſuſpectos anathematizavit, ut nullus relinqueretur prætextus eum amplius defendendi, nulli parcens qui vel umbram hujus erroris haberet: eſto ſit innoxius coram Deo Honorius, at ſuſpectus eſt de hæreſi & multis eſt ſcandalo, qui ex illa occaſione præcipites in barathrum erroris ſe dediſſent. Planè præſtat utilitas publica privatæ utilitati, & ut dogma ſanum in Eccleſia C ubique obtineret quam ut unus aliquis forte tantum olim errans, aut etiam per calumniam erroris in fide, ſeu erroris nota adſperſus, parcente Eccleſia eadem ejus memoriæ, bonum retineat nomen. Cenſetur in ejuſmodi permiſſum tantum, ſi quid materialiter, ut dicitur, accidat mali, quod nec innocens jamque regnans cum Deo, ut eſt ordinatus affectus, canonicè illatum detrectaverit. Mallem certe (ait idem Combefis) tametſi remiſſius ſum ac valde peccator meique amantior, millies proſcribi, diraſque omnes, etiam à morte in memet excipere, quam ut mei nominis, ſi qua eſſet auctoritas, vel materiali ulli meo errori aut etiam per calumniam afficto, qui quidem fratribus meis ac Chriſti Eccleſiæ vel minimum exitioſus videatur, quicquam momenti afferat: malintq; magis quibus impenſiori charitate in votis ſit, ut pro fratribus nedum dicantur, ſed & anathema ſint à Chriſto. Apoſtoli gentium, meique ſub Chriſto præceptorum hoc votum fuit. Hæc piè & religiosè.

Primum votum ſcriptoris.

Interim ex his liquere poteſt quantum noceat Eccleſiaſticis præſulibus velle videri indifferentes in rebus fidei. Quare ſcribens Cœleſtinus Papa ad Sacerdotes Galliæ arguenſque eorum conniventiam quod antiquam fidem ſilentio ſic deſtituerent, ut novitates exurgere paterentur. *Merito*, aiebat, *cauſa nos reſpicit ſi ſilentio fóveamus errorem, &c.* Victor Carthaginenſis epiſtola ad Theodorum Papam. *Negligere quippe cum poſſit deturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fóvere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Unde parum hactenus E profuit, ſummos Pontifices, cum novæ moventur quæſtiones circa fidem in Eccleſia, ſic ſilentium utrique parti indicere, ut in unam magis quam in aliam ſe propendere eamque probare non aperiant. Ex talibus enim conſtitutionibus ſolet accidere, ut qui errorem tuentur obſtinatiores fiant, quaſi non damnatos eſſe, ſit idem ac ſi approbati eſſent. Nec propterea ſilent, ſed magis ſuos errores propalant ex hoc audaciores facti. Quæ cauſa eſt, cur laceſſiti Orthodoxi exiſtiment ſe ad ſilentium non ligari per conſtitutiones Pontificias, cum videant errorem ab aliis magis profundi & vires ſumere, ut proinde jure ſaltem naturali credant ſe adſtrictos ad ei obnitendum, nec mentem eſſe Pontificis in tali periculo ut ſileant, ſimpliceſque oves per lu-

pos audaciores devorari permittant. Hoc experti sumus nostris diebus in Janseniſmo qui quod Monotelitiſmus in Chriſto aſſerebat, in ejus membris non obſcurè, ut mihi videtur, renovare contendit, dum boni operationem ex gratia efficaci per ſe ſolius Dei operationem eſſe contendit, quaſi voluntas ut inſtrumentum aliquod à Deo ſolo moveretur, ut Monothelitæ in Chriſto admittebant, ſaltem juxta probabilem eorum ſententiam qui ſenſum eorum penitius inveſtigare conati ſunt. Inter primos annos hujus ſæculi decimi ſeptimi currentis, magna quæſtio de auxiliis agitata eſt, in qua ſemina inerant quæſtionum collateralium de gratia Chriſti. Viſum eſt ſummo Pontifici tunc ſedenti proſcribendas eſſe hujuſmodi diſputationes concordiæ cauſa. Sic partes contendentes æqualiter habet, permittit unicuique ſuam tueri ſententiam abſque nota hæreſis in contrariam, prohibet ne quiſquam in poſterum de hoc argumento libros edat abſque approbatione ſanctæ Sedis. Quid inde? obediunt Suares, Vaſquez, Becanus & alij, maluntque ſuos de gratia tractatus mutilos evulgari, quam ut in iis inobedientiæ veſtigium inhæreret. An ex alia parte ſic factum eſt? dum ſic ſopiri ac dormire viderentur homines, venit inimicus homo & ſuperſeminavit zizania in medio tritici. Prodiit Auguſtinus Janſenij Yprenſis Monotheliſmum renovans in aliis hominibus à Chriſto, unicam Dei operationem ex gratiæ per ſe efficacis impreſſione qua determinaretur voluntas abſque libertate indifferentiæ, ut ſic totum bonum opus Dei ſolius eſſet ſoliuſque divinæ voluntatis exequutrix voluntas humana neceſſario agens quicquid boni ageret, ut non poſſit dici opus ſuum titulo illius libertatis qua divinæ vocationi poſſit immediate obedire aut reſiſtere. Placet novitas pluribus, diſſentio oritur, contra hæreſim conclamatur. Trahunt plures ex novatoribus etiam ipſum ſummum Pontificem qui in neutram partem promior viſus fuerat, in ſuas partes, donec Innocentius X. conſtitutionem edidit qua ſe uni parti, abdicata alia, addicit.

Baronij Zelus pro ſummo Pontifice.

Sed ut ad Honorium redeamus, toto pectore incumbit Baronius ut potius falſata eſſe acta Synodi hujus quam ipſum in ea damnatum fateatur. Quamvis actorum hujus Synodi exemplaria integra miſſa fuerint ad omnes ſedes Patriarchales, ut teſtatur Agatho Diaconus ac ſcriba Concilij in peroratione actorum ejus, quæ inſerta eſt hiſtoriæ hæreſis Monothelitarum Pariſiis editæ anno 1648. & confeſtim, Papa Leo II. ſucceſſor Agathonis miſerit ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, ſicut videre eſt in ejus epiſtolis apud Binium, ut difficile fuerit ea in tot locis depravari à quoquam. Si damnatus eſſet à Synodo, ut acta illius edocent (ait anno 681 num. 25.) nihil iniquius, nihil imprudentius, vel ineptius poteſt excogitari. Si enim ob damnationem muſcæ mortuæ (ita dixerim Theodorum Mopſueſtenum) totum orbem terrarum oportuit commoveri: quomodò accidere potuit ut unius dumtaxat lectione epiſtolæ, tanquam repente fulmine miſſo condemnatus fuerit primariæ ſedis antiſtes? De qua illa eſſe conſuevit omnium vox in Synodis, prima ſedes omnes judicat & à nemine judicatur. Sed etſi examinata fuiſſet & hæretica inventa eſſet, nonne antequam cum ea damnaretur ipſius author, opportuiſſet exactè diſquiri num uſque ad obitum in eadem ſententia perſtitiſſet, cum eum in communione Catholica diem extremum clauſiſſe toti orbi notiſſimum eſſet, ejuſque memoriam ſicut aliorum Pontif. Martinus in Synodo proſecutus fuiſſet, &c.

Adde Agathonem in Epiſtola quæ lecta eſt actione 4. & à Concilio laudata, agnoſcere prædeceſſores ſuos traditionem Apoſtolicam ſecutos fuiſſe, ideoque erroris expertes. Unde contradiceret ſibi Concilium damnando Honorium de errore.

Quibus aliquis poſſit reſpondere. Majores difficultates in damnandis mortuis exhauſtas fuiſſe in quinta Synodo, unde non erat amplius tanta conſultatione opus, re hac ſemel confecta. Sed & peculiaris inerat ratio cur famoſiſſimus hæreticus Theodorus ille, difficile poſt mortem damnaretur: quippe metus erat ne totus fere Oriens pro eo, quem maximum Doctorem habebat, turbas moveret, ut ſupra inſinuatum eſt. Lecta eſt autem epiſtola & excuſſa in Synodo & collata cum Sergij epiſtolis, & ex circumſtantiis viſa eſt ſecundum exteriorem ſenſum (quicquid ſit de ſenſu ab auctore intento) favere ſic hæreticis, ut etiam foveret eorum errorem quem penitus eliminandum, ut ne fibra quidem illius ſupereſſet, intendebat Synodus, non immemor verbi Apoſtolici ad Gal. 1. *Si quam vobis annuntiaverit præter id quod Evangelizatum eſt, etiamſi ſit Angelus de cœlo, anathema ſit.* Sed & diſtinguendum inter ſedem Rom. & hunc hominem. Et Honorius non eſt damnatus niſi ex conſenſu Agathonis ut Adriani alloquutio in 8. Synodo patefacit, juxta Anaſtaſij verſionem qui eidem interfuit. Siquidem, inquit Adrianus, Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. *Licet enim Honorius poſt mortem anathema ſit dictum ab Orientalibus; ſciendum tamen quod fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolum licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel pravos ſenſus liberè reſpuendis: quamvis nec ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum antiſtitum cuipiam de eo quemlibet ſua fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem prima ſedis conſenſus præceſſiſſet auctoritas.* Unde patet judicium contra Honorium latum fuiſſe ex auctoritate ipſius ſucceſſoris judicio authoritatem tribuentis, ut ſi prima ſedes judicata eſſe quibuſdam videretur, non ab alia quam à ſeipſa judicata fuerit.

Sed & perpendenda cauſa damnationis. Non damnatur ut hæreſis Doctor, ſed ut qui mitius agens eam veluti palparet ac ſic fautor illius videretur juxta epiſtolam Leonis II. ad Epiſcopos Hiſpaniæ ubi multis enarrans geſta Synodi, ait. Qui vero adverſus traditionis puritatem perduelles extiterant, abeuntes quidem, æterna condemnatione mulctati ſunt. Id eſt, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Phyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Honorio, *Qui flammam hæreticæ pravitatis, non ut decuit auctoritatem Apoſtolicam, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit*: Qui vero ſuperſtites ad veritatis confeſſionem per medelam pœnitentiæ converti voluerunt, de præſulari ac Sacerdotali gradu dejecti ſunt, ideſt, Macharius ex Antiocheno præſule, &c. Porro hæc epiſtola cum aliis quibuſdam ejuſdem Pontificis habetur apud Binium inter epiſtolas dicti Leonis, qui Agathoni ſucceſſit. Notatque in margine Binius. *Negligentia Honorii non hæreſis accuſatur.* Quas quidem epiſtolas etſi contendat eſſe ſpurias Baronius ex quibuſdam indiciis, non tamen in iſtis fides illi adhibetur, nec deſunt qui illius difficultatibus ſatisfaciunt. Exemplum hoc ſummis Pontif. ingens, ut in hæreſi naſcente remiſſiores non ſint. *Qui non eſt mecum*, ait Chriſtus, *contra me eſt, & qui non colligit mecum diſpergit.* Conſtantis typus, Zenonis Hexoticum, Pyrrhi Epiſtola damnationem incurrerunt quod ſimiliter vellent removendas eſſe omnes concertationes de una vel gemina voluntate. Initio hæreſis pro magno habent hæretici non damnari ſua dogmata, ut liberum tranſitum ubique habeant. Sed tales ſunt rerum circumſtantiæ, temporum acloco-tum, ut debeat ſe opponere ex adverſo Pontifex & ſtare in prælio in die Domini, inſonare quoque buccina cum viderit gladium venientem. Tempus eſt cum verum eſt iſtud Martini Pontificis in Concilio Romano, perfidam & damnabilem eſſe pacis ineundæ conditionem qua doctrina Orthodoxa perinde atque hæretica ſupprimitur, cum Deum ſic alloquatur Abraham: numquid perdes juſtum cum impio, & erit juſtus ſicut impius? Demum Sacerdotum eſt diſcernere inter prophanum & ſanctum, inter pollutum &

Pace mea.

mundum. In quo eum remiſſior viſus ſit Honorius, fulmine ictus eſt. Æterna memoria dignus eſt Innocentius X. qui in extrema ſenectute nullis pepercit laboribus, quos ætas provecta ferre poterat, ut poſt diuturnum examen & accuratiſſimum, conſtitutionem in quinque propoſitiones ederet cum iiſdem fere notis quas deputati facultatis noſtræ cenſuerant, ad profligandam novam Monoteliſini progeniem. Hanc fors dabimus cum aliis ad eam ſpectantibus poſt Concilium Tridentinum, ſi moles voluminis non impediat.

Interim non intendimus crimen inferre Pontifici ſi Solonis lege non utatur ad aliquod tempus in ſeditione Eccleſiaſtica, modo ſilentio indicto totum ſe fecille non arbitretur. Omnia tempus habent, & variæ rerum circumſtantiæ non permittunt ut eodem modo ſe gerant Pontifices. Quandoque hæreſes in ipſo ortu ſuffocandæ ſunt & capiendæ vulpes parvulæ. Quandoque cunctando ſperatur ſalus reipublicæ. Ideo nec Honorium inter hæreticos accenſemus: nam ut ſemel finiam, vel hæc ipſa Synodus ſufficit ad amovendam omnem hæreſis notam ab Honorio, cum probata ſit epiſt. ſeu ſuggeſtio Agathonis Papæ actione 4. in qua aſſerit omnes ſuos prædeceſſores, ex quo novitas hæretica per præſules Conſtantinopolitanos inducebatur, eos obſecrando commonuiſſe, *ut à pravi dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo deſiſterent*, &c. Honorium proculdubio innuens, qui præſulibus iſtis ſeſe oppoſuerat, monendo ſaltem ut à vocibus unius aut duarum operationum abſtinerent. Qua in re cum minus egiſſet nec ſatis pro officio confirmaret fratres ſuos in vera fide, quæ ſic in indiviſibili conſiſtit ut in utramque claudicare neſciat, pœnas tulit in hoc Concilio negligentiæ non perfidiæ, ſic rebus tunc diſpoſitis, ut ad propulſandam hæreſim, in communi plurium ruina & ſi minus nocens, involueretur. Hocque confirmat attentior lectio epiſtolæ in qua laudat Sergij epiſtolam pro defenſione Cyri Alexandrini Monothelitæ contra Sophronium Jeroſolymitanum tanquam *ſatis provide & circumſpecte ſcripſiſſet*. Unde Synodus eum damnat hac de cauſa. *Eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus mentem ejus ſequutus eſt, & impia dogmata.* Quamvis enim aliqua recta ſint in hac epiſtola Honorij & quæ ſenſum Catholicum redoleant, iſta tamen adulatio & palpatio præſulis hæretici quod ſatis provide & circumſpecte ſcripſerit, non poteſt excuſari, cum foveat hæreſim, maxime in eo qui hæreſim omnem ex injuncto ſibi munere perſequi & interimere debeat. Bonum autem ſicut eſt ex integra cauſa, ſic malum eſt ex minimo defectu, & hoc ſpirare eſt ex eodem ore calidum & frigidum. Nec habetur ratio in proſcriptione doctorum, ſi plura bene & recte ſcripſerint, ſed ſi quæpiam minus rectè exarata ſint, quia mille ſententiæ Orthodoxæ unicam minus rectam non excuſant, modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit.

Excuſatur Concilium.

Quare non ita apparet quod ſibi Synodus contradixiſſet damnando Honorium ob eam rationem, nec quod intolerabilem errorem admiſiſſet, ut contendit Binius in notis ad hanc Synodum act. 13. non aſſequendo mentem Honorij & ejus intentionem. Nam & ea de cauſa damnata eſt epiſtola Ibæ (& ſi multo virulentior) in præcedenti quinta Synodo, quod Theodorum Mopſueſtenum laudaret, Cyrillum Alexandrinum argueret: ſicut & in ſua epiſtola Honorius Sergiũ laudat qui Sophronium ex Monacho religioſiſſimo Patriarcham Jeroſolymitanum ac Cyri Alexandrini ac Monothelitæ capitulis conſtanter ſe opponentem, atque ideo Catholicæ veritatis acerrimum defenſorem nonnihil fugillare videtur, ut per quem inventiones quædam & novarum vocum quæſtiones introductæ eſſent. Quam prætenſam novitatem cum auferret Sergius quod poſſet ſimplicibus ſcandalum generare, ipſum laudat. Porro ſi Sergium damnat Synodus, Sophronium recipit ut Orthodoxum, quomodo poſſet ſine contradictione Honorium cum Sergio conſpirantem à Sophronio diſſentientem non improbare? neque enim tacuit Synodus de Honorio, ut neutra eſſe poſſet, cum ejus cauſa diſcuſſa fuerit & lectæ epiſtolæ, ut de eo pronuntiandi neceſſitas incumberet. Denique ſicut ſupra in quintæ Synodi controverſiis dicebat de Origene Lirinenſis, ut etſi in errore concipiendo Origenis non fuerit ſenſus, ad errorem tamen perſuadendum Origenis valere authoritas viſa fuerit: itidem dicere quis poſſit de Honorio, propter illam epiſtolæ ambiguitatem & politicam nimis hæretici præſulis palpationem, cujus errorem potius aperte debebat arguere, ne in errore moreretur. Ut enim bene D. Auguſtinus epiſtol. 165. *Quæ pejor mors animæ quam libertas erroris*, & D. Hieronymus dialogo 2. contra Pelagium, *ille hæreticum interficit qui eſſe hæreticum patitur.*

Reſolutio difficultatis.

Hæc omnia ut probabilia hactenus viſa ſint. Addo nunc bene perſpecta Epiſtola Honorij ad Sergium, & cauſa ſcriptionis illius ex occaſione novi cujuſdam ſymboli quod proponebat revertentibus ab hæreſi cum additione duplicis operationis in Chriſto, quam novitatem Sophronij reprehenderat Sergius, non ita videtur culpandus Honorius, ſi in hoc præciſe laudet Sergium, quod ſatis provide & circumſcripte ſcripſerit, laudetque ipſum novitatem vocabuli auferentem, ut fert Epiſtola in actione 12. lecta. Jam enim per Concilium Epheſinum hujuſmodi additiones interdictæ erant, ex ſaltem particularibus. Nam cum Epiſtola Honorij non minus quam Epiſtola D. Leonis ad Flavianum ſatis apertè admittat duas operationes, in Chriſto admittendo duas naturas cum propriis ipſarum operationibus, non illi de rebus ipſis propoſitum erat agere, ſed de ſolis vocibus & de novitate additionis in ſymbolo, quod proponebat revertentibus ab hæreſi, in quo nullo modo peccavit Honorius, cum iſtud ſit officij ſummi Pontificis curare de formula fidei ſubſcribenda ab Hæreticis ad Catholicam redeuntibus. Taceo hic de conqueſtione Græcorum propter additionem *filioque* auctoritate Pontificis factam, ut appareat improbari potuiſſe additionem à Sophronio de duplici operatione, ſalva rei veritate. Verum eſt quod extollendo Honorium deprimimus Concilium de incauta damnatione Honorij: à qua ut ipſum liberent alij, malunt, ſalvo honore utriuſque, ipſum fuiſſe Concilij exemplar corruptum aſſerere, nõ ſine aliquot gravibus conjecturis, ut eſt illa quod reclamaſſent Legati Agathonis. Sed demus integra eſſe acta Concilij. fide quidem credendum eſt Concilia generalia errare non poſſe in fide & moribus, ut probat Bellarmin. l. 2. de Conciliis cap. 2. Verumtamen non eſt contra fidem in quæſtione facti Concilium non penetraſſe mentem ſcriptoris alicujus Epiſtolæ aut libri, ut mirum ſit tot rixas excitari ob id, quaſi de ſumma rerum ageretur. Vide ſupra Notas in margine ipſius Epiſtolæ Honorij additas.

De Theandrica actione.

Et in ſolis ſimilis Chriſti improbata.

Dionyſius Areopagita innoteſcit.

Quid intenderit D. Dionyſius in epiſt. ad *Caium* per illam actionem Theandricam non ita omnibus apertum eſt. Monothelitæ ex hinc ſuam hæreſim confirmabant, cum longe abeſſet ab eorum mente tantus vir D. Pauli diſcipulus (& inde primum cepit innoteſcere Dionyſius, cum antea fere eſſet ignotus.) Nec unquam dixerat unam eſſe actionem theandricam Chriſti, ſed ſimpliciter novam, ideſt, inuſitatam, ut notat D. Damaſcenus in oratione ſeu tractatu de duabus voluntatibus Chriſti, ubi & explicans illam actionis ſpeciem in Chriſto, ait: Nec enim ita comparatum eſt ut puri hominis paſſiones mundo ſalutem allaturæ ſint: ſed cum Deus eſſet ac factus eſſet homo, novam quamdam ac inauditam actionem Dei ac hominis edidit. Divinam quidem, ſed quæ humana operatur. Humanam, ſed quæ divina miniſtraret, quæque divinita-

tis ſibi conjunctæ ſigna præ ſe ferret. Quemadmodum enim ignis & ferri diverſa eſt natura aliaque & alia munera & actiones: neque enim ignis ſecat, ſed incendit ac illuminat ea vi agendi quam ei attribuit natura: neque rurſus ferrum ſic à natura comparatum eſt ut urat & illuminet, ſed ipſum ſecat ac nigrum eſt, cum autem ea conjuncta ac copulata fuerint, conjunctim jam ac indivitim ſuum munus utrumque exequitur. Simul enim cum ſectione exiſtit uſtio, igniſque ferri adminiculo tum incendit, tum illuminat: cum interim non una ſit naturalis actio, ſed duæ: una ignis qua urit, altera ferri qua ſecat, ac utriuſque effectus proprius eſt, ignis quidem uſtio, ferri autem ſectio: ſiquidem ſectio talis eſt quæ vim habeat, urendi, ac uſtio quæ ſecare habeat: ſic in Domino noſtro Jeſu Chriſto agebat utraque natura cum alterius communione quod proprium erat: cum interea nec una nec duæ eſſent, nec duarum una eſſet effectio aut officium; ſed humanæ ejus naturæ eſſet divino liberè imperio ac voluntati obedire atque ſervire, ſuaque voluntate manum porrigere & tangere puellam, obſequendo inquam voluntati divinæ: deitatis autem contactu efficacis eſſet ſuſcitatio puellæ. Ex quibus colligere poſſumus actionem Chriſti theandricam fuiſſe divino-humanam, quod cum Deus ageret ſuſcitando verbi cauſa, Lazarum, humanitas commercium aliquod & ſocietatem haberet in illa ſuſcitatione dum clamaret, Lazare veni foras. Similiter & actio ejus humano-divina diceretur quod agens ut homo, elevaretur ejus actio per divini Verbi dignitatem, tamque illuſtris eſſet ejus actio ut divinitatis ſibi conjunctæ ſignum aliquod præ ſe ferret: unde eximiæ & mirabilis ſanctitatis apparebat in omnibus ſuis operibus, in quibus ne leviculam quamdam maculam obſervare poterant infenſiſſimi ejus adverſarij. Ut diſcamus ejus exemplo theandricas habere, pro modulo, noſtras actiones, tam ordinate, prudenter, congruè & ob tam excelſos fines & ſublimes intentiones operando, ut Spiritus ſancti ductu agi ſuaviter videamur. Legi poteſt D. Thomas 3. part. quæſt. 19. art. 1. ad 1. ubi expreſſius actionem illam theandricam explicat. Dicendum, inquit, quod Dionyſius ponit in Chriſto operationem theandricam, id eſt, divinam virilem, vel divinam humanam, non aliquam confuſionem operationum ſeu virtutum utriuſque naturæ, ſed per hoc quod divina operatio ejus utitur humana, & humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis. Unde ſicut ipſe dicit in quadam epiſtola ad Caium. Super hominem operabatur ea quæ ſunt hominis: quod demonſtrat Virgo ſupernaturaliter concipiens, & aqua inſtabilis terrenorum pedum ſuſtinens gravitatem. Manifeſtum eſt enim quod concipi eſt humanæ naturæ, ſimiliter & ambulare, ſed utrumque fuit in Chriſto ſupernaturaliter, & ſimiliter divina operabatur humanitas: ſicut cum ſanavit leproſum tangendo, &c.

D. Thomas.

Sunt itaque duæ ſpecies actionum Chriſti quæ poſſunt dici theandricæ aut divino-humanæ 1. actiones miraculoſæ quas divinitas proprie operabatur, cooperante tamen in aliquo humanitate per vocem aut tactum 2. meritoriæ, quas propriè humanitas eliciebat, ſed dignitatem illis conferente perſona divina.

Revocatur ad controverſias hujus Synodi quorumdam Canonum authoritas, de quibus ideo ſpecialiter hic nobis agendum eſt, ne quid deſideretur.

CANONES TRVLLANI

controverſi, ſeu Concil. quini-ſextum, anno 692.

Appendix Synodi ſextæ.

CONcilio quinto & ſexto in quibus nulli de moribus Canones conditi ſunt quod de ſola fide & doctrina in iis actum fuerit, addunt quidam per modum appendicis aut ſupplementi Canones dictos in Trullo, quod in Oratorio Palatij Imperatoris Conſtantinopolitani hoc nomine nuncupato ob rotundam fornicem conditi fuerint poſt decennium à fine ſextæ Synodi, auctoritate Callicini Conſtantinopolitani Epiſcopi ſub Pontificatu Sergij & Imperio Juſtiniani Junioris, abſque aſſenſu tamen & Legatis ſummi Pontificis qui nunquam induci potuit à Monothelitis ut eoſdem confirmaret, quamvis aliqui eorum Canonum abſque dubio recti ſint & ſani ac veritati conformes. Quapropter & Eccleſia tales non renuit, quod veritas ubicumque ſit, ſuo robore ſubſiſtat ac permaneat, ut ait Anaſtaſius in epiſtola ad Joannem VIII. ſummum Pontificem, quæ poſt ſeptimam Synodum ab eo tranſlatam eſſe reperitur.

Cæterum ut magis innoteſcat controverſia de iſtis Canonibus, ſubjungimus tam quæ contra ipſos à Cardinale Bellarmino ſcripta ſunt, quam pro ipſis à Doctore Joverio, ut quatenus admitti poſſint & cum qua cautione ac conditione perſpicuum reddatur. Sic autem Bellarminus lib. 1. de ſummo Pontifice c. 27. de iis mentem ſuam aperit, propoſitis primum argumentis quibus fulciri poſſet horum Canonum authoritas. *Bellarmin.*

Primum, quoniam Synodus quæ hos Canones condidit, eſt ipſa ſexta Synodus inſtaurata. Iidem enim Patres, qui ad fidem explicandam initio convenerant, iidem convenerunt poſtmodum ad Canones condendos.

Secundò, quoniam non defuit in hac Synodo legatio Papæ Romani. Siquidem Gortinæ in Creta Epiſcopus locum Romani Pontificis tenuit, ut ex hiſtoria Baſilij perſpici poteſt.

Tertiò, quoniam Synodus, quæ hos Canones condidit, univerſalem Synodum ſeipſa appellat: nec eſt credibile, tot Patres mentiri voluiſſe.

Quartò, quoniam ſeptima Synodus Can. 1. recipit Canones ſex univerſalium Synodorum: at ſexta Synodus non habet alios Canones, quam iſtos.

Quintò, quoniam Adrianus Papa in epiſtola ad Tharaſium, cum admiratione Tharaſium laudat, quòd conſtanter una cum ſuis hæc decreta obſervaret; & nominatim citat Can. 82. Ex quo ſequitur, ab ipſo etiam Romano Pontif. hos Canones eſſe confirmatos.

Ad primum reſpondeo, non poſſe dici hanc Synodum ſextam inſtauratam. Nam non fuerunt iidem Concilij præſides, non idem Imperator, non idem numerus Epiſcoporum. Nam in ſexta verè univerſali adfuit Conſtantinus Imperator, item Legati Papæ Agathonis, & Epiſcopi 289. ut habemus in ſeptima Synodo, actione 1. At tempore iſtius pſeudo-ſextæ, jam obierant Agatho Papa, & Imperator Conſtantinus, & Epiſcopi fuerunt ſolum 227.

Præterea initio pſeudo-ſextæ ipſimet dicunt ſe quintam & ſextam Synodum quodammodo inſtaurare. Et ideò Theodoretus Balſamon non tam ſextum, quàm quiniſextum Concilium hoc appellat. At quomodo poterit hæc Synodus dici, vel credi quinta inſtaurata, cùm nullus omnino ex quinta Synodo hic interfuerit? ſiquidem inter quintam & quiniſextam interceſſerunt anni pluſquam 130. Denique quorſum inſtaurandæ erant 5. & 6. Synodus & non potius nova Synodus convocanda? Quoniam inquiunt, illæ Canones non fecerunt. At nec facere voluerunt. Non enim ad Canones cõdendos, ſed ad fidem explicandã convocatæ fuerant.

Ad ſecundum reſpondeo, quis ille Epiſcopus Gortinenſis fuerit, & quis ei dederit Synodo locum Papæ Romani, Nilus viderit. Quòd enim nomen ejus exprimat, quodque hiſtoriam adducat omnino incognitam, neſcio cujus Baſilij, non caret ſuſpicione falſitatis. Sed quicquid de hoc ſit, nobis conſtat, à Sergio Papa, qui tunc ſedebat, hanc Synodum tanquam errantem fuiſſe reprobatam, ut teſtatur Beda de ſex ætatibus in Juſtiniano juniore. Paulus Diaconus libro ſexto de geſtis Longobardorum capite 4. Otthо Friginſenſis l. 5. c. 13. Ado Viennenſis, Marianus Scotus, & Rhegino in Chronico, ubi de Juſtiniano juniore loquuntur.

Eſſe

Esse autem hanc Synodum, quam Sergius reprobavit, illam ipsam quæ illos condidit, patet ex Tharasio & Epiphanio, qui in septima Synodo Act. 4. & 6. dicunt, quinque annis post sextam Synodum iterum Patres convenisse, & hos canones condidisse, porro illo tempore constat Sergium Romæ sedisse. Nec extat memoria illius alterius synodi eo tempore celebratæ, de qua re fusiùs agemus in lib. de Conciliis.

Præterea Anastasius Bibliothecarius præfatione in Octavam synodum scribit hos Canones non haberi, nec apud Romanos Pontifices, nec apud ullos Patriarchas, excepto Constantinopolitano. Ex quo ipse rectè colligit, nec summi Pontifices, nec aliorum Patriarcharum authoritate, synodum istam coactam fuisse. Denique Umbertus Cardinalis Leonis IX. Legatus in libro contra Græcos, illos eosdem Canones, non solum non recipi dicit ab Apostolica Sede, sed etiam apertè deliramenta appellat.

Ad tertium respondeo non esse adeo mirandum, si mentitum titulum isti Patres sibi adscribant, cùm se universalem synodum appellant. Sciebant se non posse ullo colore Romanæ Ecclesiæ leges præscribere, nisi se synodum universalem facere mentirentur. Deinde cùm in Canon. 2. recipiant synodum sub Cypriano habitam, quæ palam erronea ab universa Ecclesia judicata est, & can. 19. tam apertè mentiantur, usum uxorum ex Apostolica consuetudine sacerdotibus permitti, & alia permulta habeant manifestè falsa, quid mirum, si etiam in titulo mentiantur?

Ad quartum respondeo, cùm in septima Synodo recipiuntur Canones sex universalium Synodorum, nomine Canonum non intelligi solùm Canones de moribus, sed universè Canones sive de moribus, sive de fide conditi fuerint. Nam omnes Synodi hac ratione Canones condiderunt. De moribus autem seu de disciplina Ecclesiastica, sola Nicæa Synodus Canones propriè condidit. Nam 2. & 4. Canones quidem quosdam ediderunt, sed non fuerunt ab Apostolica sede approbati, ut constat ex Concilio Chalcedonensi Act. 16. Proinde non sunt illi proprie Canones dicendi generalium Synodorum. Tertia verò Synodus quinta & sexta, nullos omninò Canones de moribus condiderunt.

Ad quintum respondeo, ab Adriano commendari Tharasium, quòd vidisset eum rectam fidem custodire, juxta decreta sex generalium Synodorum: quod verò de his Canonibus Synodi quinisextæ in epistola Adriani habetur, ex epistola Tharasij recitatur, & quamquam eo loco id ab Adriano non refellitur, quia non erat opportunum tempus id faciendi, tamen non continuo approbatur. Sed quod Adrianus non fecit, fecit postea Nicolaus in epistola ad Michaëlem, ubi cum quædam ex his Canonibus citare vellet, ait se ab Apostolo didicisse, etiam Ethnicorum testimoniis uti, quando opus est.

Alij adhuc objiciunt dist. 16. can. 16. *sextam*, ex epistola Adriani ad Tharasium citari hoc ejus epistolæ fragmentum. *Sextam Synodum recipio cum ejus omnibus canonibus suis.* Respondetur à Coriolano id correctum fuisse in decreto jussu Gregorij XIII. emendato, & ea verba ex germana versione Anastasij substituta fuisse. *Eas dem sanctas synodos suscipio cum omnibus regulis quæ jure ac divinitus ab ipsis promulgatæ sunt.*

De Canonibus Sextæ Synodi Velitatio Francisci Iuverij.

UT facilior Canonum sextæ Synodi fiat disquisitio tractationis ratio exigit, ne per ignota procedamus, ut temporis quo editi fuerint habeatur ratio, quæ magnam discussioni propositæ lucem est allatura. Convenit enim inter omnes in Conciliorum historia peritos, hos Canones, qui sextæ Synodi vocantur, non fuisse cum actionibus constitutos ut in aliis Conciliis. Ex quibus facile colligi potest quasi fundamentum diligenter observandum, Actiones & Canones sextæ Synodi diversis temporibus contigisse. Si quidem actiones, ut initio sextæ Synodi diximus, sub Constantino Imperatore hujus nominis quinto, celebratæ sunt: Canones verò sub Justiniano secundo prædicti Constantini filio. Quæ omnia vel solius primi Canonis hujus sextæ Synodi testimonio probari possent: communi tamen historicorum consensu nobis certius & firmius comprobantur. Sed quia Justinianus secundus, ut ex probatis constat historis, bis regnavit, dubium est de tempore, quo prodiere hi Canones, an dum primo regnaret, an cum iterum regno potitus est. Intercessere enim, ab initio prioris regni, ad initium secundi, viginti anni ferè. Nam posteaquam decennium regnasset, amputatis ejus naribus, à Leontio in exilium relegatus est: cujus locum subiens Leontius tres annos regnat. Cui etiam amputatis naribus, & in carcerem conjecto, Tiberius succedit: regnatque septem annos. Quibus elapsis, iterum Justinianus secundus, qui à Leontio ejectus fuerat, septennium regnavit. Quæritur jam, an tempore prioris regni an posterioris, hi Canones constituti sint? Hujus quæstionis difficilis & ambiguæ, prior sententia probabilior apparet. Tharasius enim, in quarta sessione septimæ synodi, approbans hos canones, inquit: quarto aut quinto post sextam synodum anno, iidem patres sextæ synodi iterum ut Canones scriberent, convenere. Quod si quis mihi objiciat esse verba hæc Tharasij nec fuisse tanti momenti, ut faciant quidem certoque confirment sententiam nostram. Esto, recipies saltem Romani Pontificis authoritatem, cujus Legati eam quartam à nobis citatam actionem probarunt confirmaruntque. Quod si quis non tanti faciat hanc Legatorum approbationem, legat in 2. act. 7. synodi Adriani Papæ epist. ad Tharasium respondentem, in qua recitat verba ipsius Tharasij & opinionem de Canonibus sextæ synodi, quam nullo modo respuit. Vide, si vacat Gratianum dist. 16. can. *habeo librum*, &c. quo in loco Gratianus loco Tharasij Adrianum Papam citat. Colligimus ex his conventum ad constituendos hos 102. Canones celebratum priori regno Justiniani.

Quo tempore condiderint hi canones.

Nonnulli eos tribuunt Concilio cuidam prophano & adulterino. Sed hallucinantur planè: hoc enim non Justiniani tempore, sed Philippi ejus successoris, jam editis his 102. Canonibus celebratum est.

Cæterum mihi videtur hoc in loco diligenter observandum, hos Canones non eo vocari sextæ synodi quasi ab eo prodierint, sed quia in sexta synodo non sunt editi Canones, ad institutionem christianam & vitæ formam facientes: voluerunt iidem patres aut eorum major pars, exactis quatuor annis convenire iterum, ut Canones hos statuerent qui desiderabantur in sexta synodo. Quidam Græci vocant hos Canones Concilij τοῦ πενθέκτου, id est quinti sexti, quia supplebant vicem harum synodorum, quintæ & sextæ, in quibus nulli aut perpauci Canones editi sunt. In quinta enim præter aliquot eaq; pauca capita nulli habentur Canones, aut perpauci, quos ex Nicephoro, huic operi suo loco inseruimus. In sexta, præter hos, nulli. Nec velim persuadeas tibi, Candide lector, me esse in hac sententia ut his Canonibus quicquam authoritatis accedat ex sexta synodo: cum ea præcedat hos Canones, qui fieri potest ut ad eos ab ea synodo dignitas firmitasque derivetur? Verùm authoritate illius cœtus à quo prodiere, aut si mavis sequenti Ecclesiæ admissione & approbatione vim nacti sunt & robur potissimum in orientali Ecclesia Græca. Adde etiam primi Canonis septimæ synodi approbationem, cui 7. synodo ex Catholicis præter unum, cui jam abundè satisfactum est in velitatione, septimæ synodi, refragatur nemo.

Hactenus de sextæ synodi Canonibus in genere dictum est: nunc ad eorum peculiarem discussionem accedamus, breviter ac succincte discutientes, quid veritatis ac firmitatis insit eis: & an sint recipiendi, an rejiciendi? Quidam etiam ex his qui actiones sextæ

synodi non improbant: ejus Canones, tanquam Ecclesiæ doctrinæ adversarios repudiant & evertunt. Quod cum de omnibus nequeat intelligi (sunt enim inter eos Canones plerique & sanctissimi & religioni Christianæ plurimum conducentes) operæprecium erit observare quinam ex his in dubium revocari possint: decem enim aut duodecim duntaxat in tanto numero duorum supra centum examinandi veniunt. Nam in aliis plerisque additæ sunt ad marginem aut post canonem admonitiones eum dilucidantes.

In primis agendum esset de secundo Canone, quo approbatur decretum Cypriani de rebaptizandis hæreticis: & excusatur, quia voluit unitatem moremque receptum Ecclesiæ Africanæ ita judicantis, servare. Sed revera non licet veritatem doctrinæ & vitæ, unitati postponere. Quomodo, hoc in loco Canon secundus intelligendus sit, per ejusdem sextæ Synodi Canonem in margine hujus Canonis citatum declaratur: non enim voluerunt hi patres absolute & generaliter, dogma Cypriani laudare, sed limitare de certis quibusdam hæreticis: quales fuerunt Encratitæ aut similes qui interpretati sunt ejus sententiam, boni æquique, propter ejus bonum affectum, consulentes. Vide in classe particularium synodorum Concilium Carthaginense, sub Cornelio Papa, ibidem annotata sunt quædam ad hanc rem facientia.

Canon 13. Succedit tertio loco Canon 13. discutiendus, qui postquam duodecimo Canone prohibetur Episcopo, non solum consuetudo carnalis cum uxore, quam ante habuit, sed etiam ejusdem cohabitatio: 13. *Cavet ne accedentes ad sacros ordines cogantur polliceri abstinentiam à propriis uxoribus.* Addit præterea *hunc morem in Romana servari Ecclesia:* quod non de antiqua Roma seu latina intelligendum videtur. Non enim aperte constat hunc morem in latina unquam admissum Ecclesia: potius igitur de græca seu nova Roma, idest Constantinopoli intelligi oportet. Prior canonis pars est admodum hoc tempore controversa. O mitto sectarios, qui neglectis Ecclesiasticis constitutionibus, nuptias Sacerdotis, Diaconi, & hypodiaconi, *etiam post ordinem susceptum, ordines contemnendo*, imprudenter probant. Quibus abunde à viris Catholicis satisfactum est. *Verum ex Catholicis in schola præcipui aliquot, tantam authoritatem in summo Pontifice agnoscunt, ut posse eum concedere potestatem Sacerdoti occidentali, contrahendi post ordinem causa gravi exigente, concedant.* Alij verò ex diametro huic oppositam partem tenent mordicus, asserentes nunquam fuisse licitum matrimonium post susceptum ordinem sacrum, nec ejusdem usum, etiam cum uxore, quam ante ordinem quis habuerit. Nam continentiam ordini sacro, inquiunt, non ab Ecclesia sed jure divino conjunctam fuisse à Christo. Hac de causa illicitam esse consuetudinem Græcorum cum propriis uxoribus, cum quibus antequam initiati erant contraxerunt, nec Papam nec Ecclesiam ea in re posse quicquam, existimant. Asserentes quod non sit ordini sacro annexa continentia institutione nova: sed renovata, expressaque lege & antea tacita, Apostolorum exemplo & consuetudine per manus à Christo derivata: tametsi hæc sit traditio potius consuetudine à temporibus Apostolorum observata, quam scripta: ex patribus tamen ad eam rem facientia multa congeruntur: quæ prolixum esset hoc loco recensere: vide 27. dist. 100. can. *ea lex continentiæ* & can. *omnino* & can. *Sacerdotibus* dist. 31. can. *proposuisti* 82. & 33. d. can. *Presbyter quidam.* Hieronymus adversus Jovinianum, socrum Petri legimus post conversionem, non autem uxorem. Epiphanius adversus Catharos, ex vitio esse ait, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos liberis operam dare. Aliisque multis authoritatibus & rationibus nituntur canonem 13. sextæ synodi evertere & Græcorum uxores improbare.

Alia est tertia opinio. Quod ab Ecclesia sit annexa ordini sacro continentia & non ab ipso Christo, fatetur enim Apostolos omnino post ordinem sacrum abstinuisse ab uxore, qui eam habuerunt: Petrum ipsum à conversionis tempore, hoc est ab ipsa vocatione ad Apostolatum, (ante enim ad familiaritatem vocatus, rediit domum) reliquit uxoris consuetudinem carnalem omnino: ita prædicationis Evangelicæ negotio exigente, quod exemplum latina Ecclesia sequuta est. *At in Ecclesia græca consuetudo invaluit oppositas etiam à tempore primitivæ Ecclesiæ. Quare non video cur tantopere græcos arguamus, cum illi sequuti sint morem antiquissimum à sanctis & bonis viris in sua Ecclesia receptum.* Convenit igitur hæc tertia sententia cum græcis, quod non liceat promotis ad sacros ordines uxorem ducere. Præterea quod græci non peccarunt hactenus, ut secunda opinio contendit, conservando usum uxoris, quam antea duxerant: *Nunquam enim continentiæ lex eis fuit expresse indicta & ab eis recepta: secus vero de latinis. Græci enim duplex genus Sacerdotum habent, Monachorum nempe & non Monachorum: illi enim omnino ab uxoribus abstinent, etiamsi ante habuissent, agunque in locis separatis in eremo. Reliquis vero liberum est ante ordinem uxorem ducere, & post ordinem cum ea habitare.* Et licet aliquot summi Pontifices separationē ab uxoribus (propter scandalum & periculum) præceperint & concilia quædam: sed nunquam græcis peculiariter injūcta est. Syricius aliique Pontifices qui continentiæ legem præceperunt, de latinis agebant & non de græcis. Carthaginensia Concilia quæ hanc legem expressam de hac re ipsferunt, nullum jus habebant in græcos, nec eorum prohibitio extra Africanam Ecclesiam extendebatur. Pro hac tertia sententia faciunt multi canones, qui videntur aperte asserere continentiam connexam fuisse ab Ecclesia, ipsi ordini sacro. Primo citat. can. Apost. 5. *Quod non ejiciat uxorem Sacerdos, aut Diaconus.* Secunda opinio explicat: *non ejiciat à cura victus & vestitus: secus à corporeo commercio.* Item quæst. 1. can. *Cum igitur* §. ult. sic ex Augustin. habetur. *Ecclesia post Apostolica instituta addidit consilia, utpote de ministrorum continentia.* Adde ex dist 56. canon. *Carthaginensem* §. 1. *filij ante prohibitionem nascebantur ex legitimis conjugijs.* Facit ad hanc sententiam id quod citat Gra. dist. 31. can. *Nicæna Synodus. Synodus corrigere volens hominum vitam, & in Ecclesijs commorantium posuit leges*, quas canones appellamus. In quorum tractatu videbatur aliquis introducere legem, ut Episcopi, & Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi cum conjugibus quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius confessor contradixit, *honorabiles conjugijs nuptias & castitatem esse dicens, concubitum cum propria conjuge.* Suasitque concilio, ne talem ponerent legem, gravem asserens esse causam, quę aut ipsis, aut eorum jugalibus occasio fornicationis existeret. *Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus*, exposuit. *Synodusque laudavit sententiam ejus, & nihil ex parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate non in necessitate dimisit.* Paphnutius hoc in loco videbatur agere de græcis ministris & non de latinis. Beatus tamen Gregorius epist. 31. sexti libri agens de hist. Sozomeni (quam proponit Gratia.) *ipsam, inquit historiam sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur.* Præterea can. 10. Conc. Ancyrani habetur. *Diaconi quicunque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores nec posse continere: hi postea, si ad nuptias venerint, maneant in ministerio: Propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicunq; sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* Ex priore parte hujus canonis videtur colligi penes Episcopū esse concedere uxorē Diacono.

Verum habita ratione antithesis utriusque partis, nihil aliud colligi potest, quam agi in hoc canone, de perseverantia in ministerio. Nam prior Diaconus si

Calibatus Clericorū.

1. Opinio.

2. Opinio.

3. Opinio inter utrāque media.

Syricius.

Hister. tripar. l. 2. c. 14. ex Socrate.

Paphnutius.

Ancyran.

ad nuptias venerit, nihilominus in ministerio perseverabit, posterior minime. Sed neutrius testimonium ratum habebitur. Omitto reliqua quæ in hanc rem adduci possent: satis est excitasse studiosum lectorem ad hæc consideranda. Penes Ecclesiam esto judicium.

Duo tamen videntur hoc in loco non dissimulanda: prius est, consuetudo appellandi viduas, uxores Episcoporum viventium, erant enim à marito divisæ quarum ad thorum saltem: quod Hieronymi ad Lucinium testimonio probari posset, qui fuerat Episcopus ordinatus. Habes tecum, inquit, prius carne, nunc autem spiritu sociam: de conjuge germanam, &c. Expressis verbis indicat Hieron. uxores Episcoporũ cohabitasse maritis servata castitate: quod apertius indicat & generalius 3. canon 2. Concilij Arelatensis celebrati circa tempora Concilij Nicæni longè ante B. Hieron. tempora. *Si quis de clericis à gradu Diaconatus in solatio suo* [ministerium domesticum intelligit] *mulierem præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* Hic canon pugnare videtur cum 13. sextæ Synodi, alia tamen est ratio latinæ quam græcæ Ecclesiæ. Posteriori loco observandum est, castitatem Hypodiaconis expressa lege injunctam à Pelagio secundo & Gregorio primo, ut ex 28. dist. & ex ■ Gregorij decretis constat.

Hactenus can 15. prolixius quam statueram discussimus. Reliquos breviter expediemus, quia non sunt tam ardui.

29. Non video cur ab aliquibus carpitur. Ne solvatur jejunium in quinta feria majoris hebdomadæ. Græci enim illo die ab omni cibo abstinent, ut audio, in memoriam passionis cum Christo afflictionem sustinentes. Præterea in odium & detestationem quorundam hæreticorum imitantium Judaïcum Pascha.

36. Canon agit de sedibus patriarchicis, secundum locum post Romanam Constantinopolitanæ tribuens. Contentio est justiss. quædam attigimus in 2. observatione circa Chalcedonensem Synodum. Leo Papa & Gelas. non admiserunt Synodum Chalcedonensem hac in parte, multi tamen alij Pontifices probarunt Constantinopolit. Patriarcham esse secundum inter Patriarchas.

54. Prohibet secundum affinitatis gradum, sic ut duo fratres non possint ducere duas sorores: quod in Ecclesia Latina non observatur. Lege canonem ipsum & scholion quod sequitur eum.

55. Quo prohibetur jejunium sabbati. Hic quidam excandescunt, quasi fuerit nova inventio horum Patrum qui ediderunt hunc Canonem, & non habeatur idem in Apostol. canon. 65. Epiph. astruit hoc institutum fuisse contra Marcionistas jejunantes die sabbati in odium diei Judæorum: licet Latini à primitivæ Ecclesiæ tempore die sabbati jejunent ni fallor: primus tamen ex summis Pontificibus, qui jejunium sabbati præcepit, est Innocentius primus, ut legere poces in epist. 1. Innocentij cap. 4. Augustinus neutrum improbat: lege scholion hujus canonis. Unum hic inficiari nequeo, duriuscule loqui hunc canonem de consuetudine jejunij sabbati ab Ecclesia Romana observata.

67. Abstinentiam à sanguine quacunque arte condito, & suffocati quemadmodum actorum 15. statutum est ab Apostolis, præcipit. Ingenuè fateor nunc non esse necessariam talem prohibitionem quæ tunc expediebat ad detestationem idololatriæ, ut amicitia inter Judæos, qui illa detestabantur & gentes coalesceret. Postea facta est res adiaphora & indifferens suffocati esus & sanguinis. Quædam tamen nationes, citius aliquos cibos, quam aliæ receperunt. Caro porcina paulo ante Concilium Nicænum cœpit Romanis esse in usu. Quare nec nos Græcis, nec illi nobis insultare oportet.

69. Quod nemo laicorum ad altare accedat ad commendandam sacrificij venerationem editus est, nec video cur condemnetur, potissimum hoc tempore, in quo parvi fiunt loca sacra: & sæpè turba indecorè, promiscuè, irreverenter ad altare accedit. Ex qua re magnus contemptus religionis & ministrorum nascitur.

65. Præcepit totam hebdomadam Paschæ celebrem esse, nec fieri ludos nec spectacula. Canon hic plenus est devotionis & totus pius: non intelligo quare in eũ animadverti debeat, credideriem ita olim in primitiva Ecclesia observatum fuisse: tota enim hebdomada accommodabatur contemplationi & cultui resurrectionis. Postea forte ne gravaretur populus, concessum est laborare manibus, præterquam tribus diebus aut quatuor juxta diversitatem diœcesis.

80. Canon, quòd non possint pastores propriam Ecclesiam relinquere tribus dominicis, nisi justissima causa id exigat: utinam hoc tempore conservaretur, in quo pastores nunquam, aut raro, idque perfunctoriè residunt.

90. De non solvendo jejunio ante mediam noctem in viligia: Græci sexta feria & sabbato rigidissimè & magna cum observatione paschæ nihil comedentes jejunant. Ne hoc jejunium solvatur ante mediam noctem præcipitur, quia certum est Christum ante mediam noctem non surrexisse. Latini qui sunt bene instituti nunquam solvunt jejunium antequam plene ortus sit sol: tunc enim Christum resurrexisse certum est.

100. Prohibet picturas impudicas: sanctissimus est hic canon & nostris temporis renovandus: maximè in Ecclesia non essent admittendæ picturæ nec imagines, nisi castissimæ atque ad devotionem provocantes.

102. Qui est omnium ultimus in taxandis pœnitentiis non solum delictum, sed personæ qualitas consideranda, hoc de omni pœnitentiæ genere intelligi oportet.

Hæc videbantur circa hos Canones admonitione digna nec desunt apud Græcos authores, qui hos Canones propugnent & mordicus tueantur: actum enim esset de suis ritibus, si sextæ Synodi Canones qui sunt velut constitutionum Græcæ Ecclesiæ summa, perirent. Hoc mihi displicet in his Canonibus, ut jam dixi, quod acerbiuscule pungant quandoque Ecclesiam Romanam omnium matrem. Et quamvis non è diametro, transversè tamen videntur Romanos ritus attingere. Nec impedit variis in nationibus Christum Jesum variis modis coli, servata unitate fidei, & eorum quæ religionis fundamenta præcipua concernunt.

De Canon. 6. Synodi finit relatio.

Canones Sanctorum Patrum qui Constantinopoli in Trullo regij Palatij, congregati sunt sub Justiniano religiosissimo atque Christianissimo Imperatore.

NVNCVPATORIA EIVSDEM sanctæ Synodi ad Religiosissimum Imperatorem, cui subjecerunt Canones qui ab ipsis expositi sunt.

Religiosissimo & Christianissimo Imperatori Justiniano, sancta & œcumenica Synodus, quæ divino jussu religiosissimi nostri Imperatoris congregata est, in hac pia ac regia urbe.

CUm inenarrabilis & divina gratia Redemptoris & Salvatoris nostri Jesu Christi universum orbem comprehendat: cumque vivificum veritatis præconium omnium auribus insitum sit: populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam agnitionis, exturisque vinculis liberatus est, cum regno cœlorum ve-

Epist. hæc etiam in Græc. est obscura satis.

teri ſervitute commutata: ipſe verò pulchritudine primi ſplendoris propter elationem primus ille draco exſpoliatur, mens illa, magnus ille Aſſyrius, ab iis qui prius captivi erant, capitur; & per incarnati verbi potentiam omni privatur robore, ut ſcriptum eſt. *Pſal. 9.* Quoniam *hoſtes ſimeæ defecerunt in finem.* Paſſim enim cultus rationalis inſtitutus eſt, & ex omnibus fructibus cœpit oblatio fieri. Et Deus qui ſanctificatur & diſtribuitur ad corporum ſimul & animarum utilitatem deificat conſortes: à quo & dæmones fugantur, & ſacra hominum collecta frequentia in Eccleſiis, myſticè ſanctificatur, & deliciarum paradiſus omnibus patet. Poſtremò fiunt nova omnia. Verum quoniam homicida diabolus, qui ſemel coram omnipotente Domino concidit, cum parturiſſet ac peperiſſet dolorem defectionis, non ferens nos aſpicere à tranſgreſſionis ruina erectos & cœlum aſſecutos propter primitias noſtras, nempe Chriſtum qui dedit ſeipſum pro redemptione noſtra: non deſtitit malitiæ tela vibrare, & fideles affectibus ſauciare, ut ſegregarentur à data ipſis efficacia ſpiritus honoris & gratiæ. At bonus noſter athleta [id eſt qui præmium certantibus proponit] & ſalutis author non reliquit nos abſque adminiculo, ſingulis excitans ætatibus, qui in hujus vitæ ſtadio animis pietatis in acie ipſi reſiſterent, prælumque cum eo committerent. Qui educto ſpiritus gladio, quod eſt verbum Dei, atque ita cum improbo illo congreſſi, tyrannide quam in nos exercet, cum dejecerunt: cum ducès gregum eſſent, & vias Domini ante populos parare t: ne per præcipitia iniquitatis præ ignoratione meliorum impellerentur atque delaberentur. Oportebat enim, qui vitam nobis largitus erat, tantaque demiſſione uſus atque abjectione noſtram naturam aſſumpſerat, ad ſeque ipſum vocaverat atque evexerat, ut & bene vivendi viam nobis oſtenderet per Eccleſiæ lumina atque Doctores, qui illuminant greſſus noſtros ſecundum Deum, & ad Evangelium excitant, quorum functio atque converſatio in cœlis eſt, ſecundum divinum Apoſtolum. Quamobrem cum in præſentia noſtram vitam negligentius agamus, & ratiocinationum inertiæ indormiámus adeo, ut incautis nobis inſidiator hoſtis obrepſerit, paulatimq; virtute erepta, vitium nobis intruſerit: qui maximam hanc totius mundi navim regit Chriſtus Deus noſter te ſapientem nobis gubernatorem pium Imperatorem præſidium conſtituit: qui dirigis ſermones in judicio, & ſervas in ſæculum veritatem, qui exercès judicium & juſtitiam in medio terræ, & in immaculata via ambulas: quam ſapientia concepit, atque obſtetricata eſt pulchreque virtutibus educavit atque ornavit, divinoque ſpiritu refertum oculum orbis reddidit, mentis puritate atque ſplendore illuſtrantem clariſſimè ſubjectos: Cui ſuam Eccleſiam commendavit, legemque ejus meditari die ac nocte docuit, ad exemplar atque ædificationem ſubditorum populorum. Qui ferventi erga Deum zelo zelotem ſuperavit Phinees, & peccatum tranſfodit vi pietatis atque prudentiæ, gregemque improbitatis & corruptionis è medio tollere conſtituit. Dicebat enim eum qui gubernacula humani generis ſecundum ſupernam authoritatem tenet, non tantum ſui curare, quaque ratione ſua vita rectè inſtituitur, ſed omnes ſubjectos è periculoſiſſimis procellis atque è magna errorum confuſione eripere, fluctuantibus undique ſpiritibus improbitatis, corpuſque noſtrum perturbantibus ab humilitate. Cum itaque ſanctæ atque œcumenicæ Synodi, quæ in hac pia ac regia urbe congregatæ ſunt, altera temporibus Juſtiniani divinæ ordinationis, altera ſub piæ memoriæ Imperatore noſtro Conſtantino patre tuæ clementiæ, myſterium paternæ fidei enuclearunt, nullos omnino ſacros canones conſcripſerint, quemadmodum reliquæ ſanctæ quatuor œcumenicæ Synodi: quibus populi recedant à deteriore atque abjectiore vita, & ad meliorem atque excelſiorem revocentur. Atque hinc gens ſancta, regale ſacerdotium, pró quo Chriſtus mortuus eſt cum à multis ob malum ordinem affectionibus raperetur atque traheretur, paulatimque à divina caula abſcinderetur atque reſeraretur, atque inſcitia & oblivione a virtutis egregiis factis decideret, vel ut Apoſtoli more loquamur, Filium Dei conculcaret, ſanguinemq; teſtamenti quo ſanctificatus eſt, communè duceret, ſpiritus gratiam contumelia affecit. Hunc itaque tanquam immenſum populum congregare volens, imitatione Chriſti, erantè ovem ut monire quærentis, cujuſque caulæ reſtituere, atq; perſuadere ut obſervent præcepta atque divina mandata, per quæ mortuorum opus rejicientes vivificamur, omnemq; ſalutis diſquiſitionem circunſpiciens, atque Deum quærens (juxta dictum illud: Qui quærit Dominum, inveniet ſententiam cum juſtitia. Qui verò rectè quærunt eum, invenient pacem) hanc divinitus electam œcumenicam Synodum congregatam definivisti atque conſtituiſti, ut multorum unanimi conſenſu atque conſpiratione felicem tuus conatus exitum ſortiatur. Quinetiã ſi quæ reliquæ gentilis vel Judaicæ pravitatis, veritatis maturo tritico immiſtæ ſint, radicitus ut zizania tollantur, puraq; efficiatur Eccleſiæ ſeges. *Ubi enim Matth. 18*
ſunt duo congregati in meo nomine, illic ſum in medio eorum, Dominica vox inquit. Rurſum per Jerem. nobis clamat: Quærite me ex toto corde veſtro, & apparebo *cap. 29.*
vobis.

Dæmon hoſtis redemptionis.

Cum huc igitur juſſu tuæ pietatis convenerimus in hanc piam ac regiam urbem, canones ſacros conſcripſimus. Quo circa tuam pietatem rogamus, delatis ad te patrum dictis qui ſub piæ memoriæ rege noſtro in hac pia urbe congregati ſunt, ut quemadmodum convocationis literis Eccleſiam honoraſti: ſic placitorum pijs apicibus finem obſignes. Dominus autem confirmet regnum tuum in pace, & juſtitia, & poſteris ſemper conſervet, addatque terreno imperio etiam regni cœleſtis fruitionem.

Ordo optimus omnium cœptorum tã verborum quã rerum, à Deo incipere, atque in Deo deſinere, juxta vocem Theologicam. Unde cum & pietas à nobis jam clara voce prædicetur, atque Eccleſia in qua fundamentum poſitus eſt Chriſtus, aſſiduè creſcat & promoveat, ut ſupra Libani cedros extendatur.

Ephes. 3.

In codice Græco legunturhæc in tertia perſona. & videntur referri ad doctores, quorum negligentia datur locum hoſti.

Nunc factos ſermones exordientes divina gratia, definimus ut invariata atque inviolata maneat fides quæ nobis tradita eſt ab Apoſtolis a Deo electis, qui & oculati teſtes & miniſtri verbi fuerunt: tum etiam à trecentis decem & octo ſanctis & beatis patribus, qui Niceam convenerunt ſub Conſtantino rege noſtro contra Arrium impium, ab eoque pro dogmate conſtitutam gentilem heterotheiam, ideſt divinitatis diverſitatem, vel ut rectius dicamus, polytheiam, ideſt deorũ multitudinem. Qui concordi fide conſubſtantialitatem in tribus divinæ naturæ perſonis revelarunt atque explanarunt, non poſſe id ſub modo abſconſum eſſe: ſed Patrem & Filium & Spiritum ſanctum adorare una adoratione fideles palam docuere: Atque inæqualium divinitatis graduum opinione everſa atque convulſa, puerilesq; hæreticorum captiones, quæ ex arena contra rectam fidem conſtant dejecerunt atque ſubverterunt. Itidem iidem quæ ſub magno Theodoſio rege noſtro à centum quinquaginta ſanctis Patribus qui in hac regia urbe congregati ſunt, prædicata eſt, confirmamus, theologica dicta amplectentes, & profanum Macedonium una cum prioribus hoſtibus veritatis expellentes, ut qui inſolenter partem dominantem ſervam arbitrari auſus ſit. & ſcindere individuam unitatem prædonis more aggreſſus, ne integrum nobis ſpei eſſet myſterium. Atque una cum hoc impuro, & veritatis oblatratore, Apolinarium improbitatis antiſtitem condemnantes, qui Dominum cœleſte aſſumpſiſſe corpus impiè eructavit. Hinc iſte quoque imperfectam noſtram eſſe ſalutem ratiocinans. Quinetiam quæ à ducentis patribus Dei numine afflatis, qui prius Epheſi ſub Theodoſio Arcadij filio congregati ſunt, expoſita ſunt documenta, tanquam infractam pietatis vim,

Cauſa t. fidei definitionem continens.

Cauſa cœdi Canones quorum.

Leus Imperatoris.

Prius inquit propter poſteriorem Synod Epheſ. ſecundam quæ fuit prophanata.

obſignamus unum Chriſtum Dei filium incarnatum prædicantes: & quæ eum ſine ſemine peperit immaculata ſemper Virgo, proprie ac vere Dei genitricem aſſerimus. Atque nugatoriam Neſtorij diviſionem, ut quæ à conditione divina ſejuncta ſit, repudiantes: qui hominem ſpecialiter unum Chriſtum aſſerit, & Judaïcam renovat impietatem.

Præterea eam fidem quæ in Chalcedoniorum Metropoli ſub Marciano Imperatore noſtro à ſexcentis & triginta divinitus electis patribus edita eſt Orthodoxè confirmamus: quæ unum Chriſtum Filium Dei è duabus conſtitutum naturis, & in duabus jiſdem naturis glorificatum magna voce definierunt & ſtultum Eutychen, qui opinione magnum diſpenſationis myſterium abſolutum eſſe aſſeverabat, tanquam nefas ac piaculum è ſacris Eccleſiæ ſepties ejecerunt: atque una cum ipſo Dioſcorum & Neſtorium alterum diviſionis, alterum confuſionis defenſorem atque anteſignanum, qui è diametro impietatis in idem incidêrũt proditionis & irreligioſitatis baratrum. Tum etiam pias voces centum ſexaginta quinque ſanctorum Patrum qui in hac regia urbe congregati ſunt ſub divinæ ordinationis Juſtiniano noſtro rege, tanquam à ſpiritu profectas agnoſcimus & nobis ſubditos docemus. Qui Theodorum Mopſueſtiæ Neſtorij magiſtrum, Origenemque & Didymum atque Evagrium, qui gentilium fabuloſas narrationes commenti ſunt, & corporum nobis circuitus atque mutationes confinxerunt mentis vitio atque ſomniis, & in mortuorum reſurrectionem impie debacchati ſunt. Atque ea quæ contra rectam fidem, & duodecim capita beati Cyrilli à Theodoreto conſcripta ſunt, & epiſtolam quæ inſcribitur Hiba ſynodice anathemarizarunt, atque abominati ſunt. Tum etiam fidem ſextæ ſanctæ ſynodi, quæ ſuperioribus annis in hac regia urbe ſub Conſtantino qui divina ordinatione Rex noſter fuit, quæ majorem habuit authoritatem: Quòd pius Rex ſigillis ejus tomos ratos fecit, ut in omne ævum tuti eſſent, iterum confitemur inconcuſſe nos ſervare, vel duas naturales volitiones, hoc eſt voluntates, & duas naturales actiones incarnis diſpoſitione unici Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei credere nos pie docuit: iis qui rectum veritatis dogma adulteraruntꝛ & unam voluntatem atque unam actionem in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto populos docuerunt pietatis calculo condemnatis, Theodoro inquam è Pharan, Cyro Alexandrino, Honorio Romano, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, qui in hac pia urbe præſederunt, Machario Antiochenorum Epiſcopo, Stephano ejus diſcipulo, & fatuo Polychronio. Hinc inviolatum ſervantes commune corpus Chriſti Dei noſtri, atque ut ſummatim dicamus, omnium virorum, qui in Eccleſia Dei claruerunt, qui fuerunt luminaria in mundo, vitæ rationem obtinentes, fidem tenendam ſtabilem, & ad conſummationem uſque ſeculi inconcuſſam manere ſancimus, eorumque divinitus tradita ſcripta & dogmata: omnes rebelles & anathematizantes veritatis hoſtes, & qui contra Deum fremuerunt inaniter, & iniquitatem in ſublime meditati ſunt. Quod ſi quis omnium prædicta pietatis dogmata non tenet nec amplectitur, nec ſic ſentit, nec prædicat, ſed contraire illis conatur, anathema eſto ſecundum jam expoſitum ſtatutum, & definitionem à prædictis ſanctis & beatis patribus: atque Chriſtianorum albo, ut alienus pellatur atque ejiciatur. Nos enim nec addere quicquam nec demere iis quæ prius definita ſunt, omnino decrevimus, nec ulla ratione poſſumus.

Contra Eutychen, qui non ipſa ſed ſola operatione atque appartenta, incarnationis myſterium conſtigiſſe exiſtimavit.

Confirmatio ſex priorum Synodorum.

Canon 2. Ut & Synodorum generalium, quarumdamque Provincialium, Apoſtolorum, & aliorum Patrum Canones ſtabiles maneant, definitur.

Hoc quoque huic ſanctæ Synodo pulcherrime & honeſtiſſime placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, ſtabileſque maneant, qui à ſanctis patribus, qui nos præceſſerunt, ſuſcepti ac confirmati ſunt, atque à Deo nobis etiam traditi ſunt, ſanctorum Apoſtolorum nomine 85. Canones. Quoniam autem in his nobis Canonibus præceptum eſt, ut eorumdem ſanctorum Apoſtolorum per Clementem conſtitutiones ſuſciperemus, quibus jam olim ab iis, qui à fide aliena ſentiunt, adulterina quædam, & à pietate aliena introducta ſunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem & venuſtam ſpeciem obſcurarunt. Has conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem utiliter rejicimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam immiſcentes, & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes. Obſignamus etiam reliquos omnes Canones, qui à ſanctis & beatis noſtris patribus, qui Nicææ convenerunt, ab iiſque qui Ancyræ, etiam ab iis qui Neocæſareæ, ſimiliter & qui Gangris. Præterea & ab iis qui Antiochia Syriæ: ab iis etiam qui Laodiceæ Phrygiæ. Præterea autem & à 150. Patribus, qui in hac Dei cultrice & regia civitate convenerunt: & à ducentis qui in Epheſiorum Metropoli prius coacti ſunt, & à 630. ſanctis patribus qui Chalcedone, ſimiliter & ab iis qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rurſus in hac regia urbe convenerunt ſub Nectario, qui regiæ huic civitati præſidebat, & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepiſcopus. Quin etiam Canones Dioniſij Archiepiſcopi Alexandrinorum Magnæ civitatis Megalopolis. Et Petri Alexandriæ Archiepiſcopi & Martyris Gregorij Neocæſareæ Epiſcopi, qui θαυματουργὸς, id eſt, mirabilium operum effector dictus, Athanaſij Alexandrini Archiepiſcopi, Baſilij Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, Gregor. Epiſcopi Nyſſæ, Gregorij Theologi, Amphilochi Iconij, Timothei Archiepiſcopi, & Gennadij Patriarchæ hujus regiæ civitatis. Præterea vero & à Cypriano Aphrorum regionis Archiepiſcopo & martyre, & à Synodo, quæ ſub ipſo fuit, emiſſum canonem, qui in prædictorum præſulum locis, & ſolum, ſecundum traditam eis conſuetudinem ſervatus eſt. Et nulli licere prius declaratos Canones adulterare, vel abolere, vel alios præter prius hic propoſitos Canones admittere, à quibuſdam falſa adjecta inſcriptione compoſitos, qui veritatem cauponari conati ſunt. Si quis autem quod prædictorum Canonum aliquem innovare, vel ſubvertere conetur, convictus fuerit, reus erit ſecundum eum canonem, ut ipſe pronunciat canon, pœnam luens, & per ipſum, in eo in quo offendit, medelam ſuſcipiens.

Clementis conſtitutiones rejectæ.

Codex gallicus Pariſiis impreſſus, nonnihil variat in hac ſui mendatura.

Quomodo hic Canon Cypriani recipiatur explicat 95 diſtinct. & 19. Nicæ Syn.

Canon 3. Qualiter puniendi clerici, qui præter canonicas ſanctiones uxores duxerint.

Quoniam pius & Chriſti amicus Rex noſter allocutus eſt Synodum hanc ſanctam & œcumenicam, ut miniſtros Eccleſiæ puros, & eo miniſterio dignos exhiberet Synodus. At cum hi, qui ſunt Romanæ Eccleſiæ canonis ſummum jus ſervare propoſuerint, hujus autem civitatis ſedes benignitatem, nos vero unum è duobus componentes (ut nec ex lenitate, diſſolutionem, nec ex rigore, auſteritatem) ſancimus, ut qui ad ſecundas tranſierunt nuptias, nec à peccato, cui mancipati ſunt, reſipiſcere voluerint, depoſitioni canonicæ ſubjacere. Qui vero ad hanc ſecundarum nuptiarum affectionem tranſierunt quidem, ſed ante noſtram cognitionem procul peregrinam ſpuriamque conjunctionem abjecerunt, vel quorum uxores ſecundæ obiere, vel ipſi ad converſionem providentes, in animum ſobrietatem revocarunt, & ſubito eorum omnium quæ prius contra leges erant, obliti ſunt, ſive Preſbyteri, ſive Diaconi ſint, viſum eſt eos ceſſare debere ab omni ſacro munere & actione, in certum tempus damnatos, dummodo honores quidem ſuæ ſedis & ſtatum retineant contenti primo accubitu: lachrymis à Domino efflagitantes, ut ſibi remittat illud ignorantiæ peccatum: ineptum enim eſt, ut aliis bene

precentur, qui neceſſe habet ſua curare vulnera. Cæterum qui uni quidem conjuncti ſunt uxori, ſed quæ vidua eſſet cum aſcita fuit, ſimiliter & qui poſtquam fuere electi nuptiis illegitimis adhæſere, hoc eſt Preſbyteri, Diaconi, & hypodiaconi, ad breve aliquod tempus damnati, ſemotique à ſacra adminiſtratione, rurſus ad eoſdem reſtituantur gradus, dummodo ad majorem non procedant gradum, latenter illegitimo contubernio ſoluto. Et hęc quidem ſolum in Sacerdotibus diſpoſuimus, definientes ab hoc tempore, & reſtituentes canonem illum, qui prohibet, ut qui ad ſecundas nuptias tranſierit poſt baptiſmum, vel pellicem habuerit, non poſſit Epiſcopus, aut Preſbyter creari, vel Diaconus, aut omnino ordinis ſacri. Similiter & qui viduam aſſumpſerit, vel repudiatam, vel amitam, vel ancillam, vel meretricem, eſſe non poteſt Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ordinis ſacri.

Ca. Apoſt. 27. & 18. D. 99. Si quis viduæ Ex. 25. cap. Apoſtol. qui quaſi cum q. mulierem ſu pravat clericus, de pœnitent. 27. q. 1. Si quis Dr. 32. Si quis cerũ.

Canon 4. Clericus vitians Monachum deponatur.

Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel lector, vel cantor, vel oſtiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Chriſti ſponſam violaverit. Si autem laïcus, ſegregetur.

Canon 5. Ne quis ex clero habeat ſecum mulierem extraneam.

Nullus eorum qui in Sacerdotum ordinem adſcripti ſunt, ſi canonico ritu vivere & ſe à ſuſpectis perſonis ſubducere vult, * mulierem habeat ancillaſve. Ita enim fiet ut famam ſibi integram inculpatamque retineat. Quod ſi quis hæc à nobis definita tranſgrediatur, deponatur. Atque hoc quidem præceptum etiam eunuchi obſervent providentes, ut vitam puram, & ſine reprehenſione vivant. Quod ſi tranſgreſſi fuerint, ſi clerici ſunt, deponantur: ſi laïci, excommunicentur.

** quasi ut ſignificans hic ſimpliciter mulierem. nam 13. Canon concedit extraneam.*

Canon 6. Soli cantores & lectores poſſint uxorem ducere.

Quoniam in Apoſtolicis canonibus dictum eſt, eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, ſolos lectores & cantores uxorem poſſe ducere: Et nos hoc ſervantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui ordinationem conjugium contrahere liceat. Si autem hoc facere auſus fuerit, deponatur. Si quis autem eorum qui in clerum accedunt, velit lege matrimonij mulieri conjungi antequam hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

Canon 7. Diaconi non ſedeant loco honoratiori, quam Presbyteri.

Dist. Præcipimus. Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere cognovimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere, ſtatuimus, ut Diaconus etiam ſi in dignitate, ideſt, in quovis ſit officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum non ſedeat, præterquam ſi proprij Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adſit in alia civitate ſuper aliquo capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia tale quid efficere auſus fuerit, is ex proprio gradu dejectus, ſit omniam ultimus ejus ordinis in cujus eſt catalogo in ſua Eccleſia. Cum Dominus nos hortetur ne primos accubitus cordi habeamus, quemadmodum ſanctus Lucas Evangeliſta deſcribit ex doctrina ab ipſo Domino noſtro ac Deo tradita, proponebat enim parabolam invitatis, advertens quod illi primos accubitus eligerent: ac dicebat. Cum invitatus fueris à quopiam, ne accumbas in primo accubitu: ne ſi honoratior te invitatus ſit, accedat qui te & illum invitavit, ac tibi dicat, Da huic locum: & tunc incipias non ſine pudore inter poſtremos collocari. Quin potius cum invitatus fueris, accumbe poſtremo in loco, ut cum acceſſerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice aſcende in locum ſuperiorem. Quæ res honeſtamento tibi fuerit apud omnes mihi accumbentes. Nam quiſquis ſe ipſe evehit, deprimetur: & qui ſe ipſe deprimit, evehetur. Hoc autem obſervabit etiam in reliquis Eccleſiaſticorum ordinibus: quandoquidem ex omnibus dignitatibus, eas præſtantiores eſſe ſcimus, quæ ſpirituales ſunt.

Canon 8. Eſtque Canon Apoſtolicus 36. & Nicæn. & Chalcedon. 19. Ut quotannis Synodi provinciales fiant.

Volentes omnibus in rebus ea rata haberi, quæ à ſanctis patribus divinitus conſtituta ſunt, renovamus canonem eum quo cavetur ut in ſingulis provinciis fiat quotannis Epiſcoporum Synodus ubicumque Metropolitano viſum fuerit. Quoniam vero tum barbarorum irruptiones, tum aliæ quoque ſupervenientes cauſæ impedimento ſunt quo minus ij qui Eccleſiis præſunt, quotannis bis agere conventus poſſint, placuit omnino propter gravia negocia Eccleſiaſtica ſubinde (ut veriſimile eſt) pullulantia, ſemel quotannis ejuſmodi conventum Epiſcoporum in ſingulis agi provinciis, idque quotannis à ſacro feſto Paſchæ, & intra finem menſis Octobris: & eo quidem in loco quem metropolitanus (ut ſupra dictum eſt) delegerit. Cæterum viſum eſt eos Epiſcopos qui nec abſint à ſuis urbibus, nec adverſa valetudine laborent, neque vero ullam habeant excuſabilem & neceſſariam occupationem, fraterna correctione caſtigari ac plecti.

Canon 9. Ne clerici cauponariam exerceant.

Nulli clericorum liceat officinam habere tabernariam. Nam ſi clericis nefas eſt cauponam adire, multo magis in ea cæteris miniſtrare. Quòd ſi quid eorum quæ facere ipſi minime licet, ſuſcipiat: vel ceſſato, vel deponitor.

Can. Ap. 14. & 44 d. c. Nulli

Canon 10. Clerici uſuras non accipiant.

Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui uſuras vel centeſimas accepit, vel ceſſet, vel deponatur.

Can. Nic. Concil. 18. Apoſt. 44. 28. qu. 1. Nul

Canon 11. Nulli fidelium licet Judæorum azyma comedere.

Nemo eorum qui in ſacro ordine cenſentur, aut laïcus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accerſat, vel medicinas ab eis ſuſcipiat, vel una cum eis in balneis lavetur. Si quis contra fecerit, ſi ſit clericus deponatur, ſi laïcus, excommunicetur.

Canon 12. Poſt ordinationem ſuam, Epiſcopi à propriis uxoribus ſecedant.

Porro hoc quoque ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Africa & Lybia & aliis locis, quidam ex iis qui illic ſunt, religioſiſſimi Præſules cum propriis uxoribus, etiam poſtquam ad eos proceſſit ordinatio, una habitare non recuſent, ex eo populis offendiculum offerentes. Hoc autem dicimus non ad ea abolenda & evertenda quæ Apoſtolis antea conſtituta ſunt, ſed populorum ſalutis, & ad meliora progreſſionis curam gerentes, & ne ſtatus Eccleſiaſticus ullo probro afficiatur. Si quis autem tale quid agere deprehenſus fuerit deponatur.

Tres rationes canonis.

Nota. *Hinc rejicias quod aſſerit Gregorius Ambianus ad librum Tertulliani* de Monogamia, *Sacerdotes*

olim fere conjugatos, nec usu matrimonij abstinuisse nisi cum sacris operam darent, contra can. 29. Concilij 2. Carthaginensis, ubi abstinentia illa dicitur esse antiquæ observationis. Hic autem canon non arcet uxoratos ab Episcopatu, sed Episcopos, si sint uxorati, à cohabitatione cum uxoribus propter tres causas in verbis canonis contentas & meditatione dignas. Quia autem canon sextus Apostolorum dissentiens videtur juxta quorundam interpretationem, & si minus forte probandam, hoc excusat, quod dilatata prædicatione Evangelij, oporteat Pontifices ad perfectiorem vitam provehi. Tempus non esse amplius indulgendi imbecillitati humanæ; pro tempore enim mutantur leges humanæ.

Canon 13. Subdiaconi, & supra, vicis suæ tempore ab uxoribus abstineant.

Can. 6. quod à nobis servatus usq; in Orientem, ut ex contrario licite assumatur ad clerum

Quoniam in Romana Ecclesia in ordine canonis traditum esse cognovimus, ut ij qui ordinem Diaconi aut Presbyteri essent petituri, profiterentur se non amplius congressuros cum suis uxoribus: nos veterem canonem Apostolicæ constitutionis & ordinationis secuti, volumus sanctorum virorum connubia vel ab hoc tempore valere, nequaquam dissoluentes eorum conjunctionem cum suis uxoribus, aut tempestivo congressu eos privantes, ut qui dignus comperiatur, ad ordinem aut hypodiaconi aut Diaconi, aut etiam Presbyteri capessendum, hic legitimæ uxori cohabitans, minime ab hujusmodi dignitatis gradu prohibeatur, nec ordinationis tempore profiteri cogatur se à legitimo suæ uxoris congressu temperaturum: ne ex eo polluamus & fœdemus nuptias à Deo constitutas, & sua præsentia comprobatas: cum alioqui vox Evangelij clamet: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Apost. doceat *honorabile connubium & thorum immaculatum.* Et *alligatus es uxori? ne quære dissolutionem.* Porro scimus quod ij qui Carthagine congregati sunt, quique habuerunt ministrorum in vitæ castitate providentiam, dixerunt hypodiaconos qui sacra mysteria contrectant, & Diaconos & Presbyteros juxta sua præscripta tempora à conjugibus continentes esse debere: ut quod etiam ab Apost. nobis traditum est, & jam à multis annis observatum, similiter conservemus, scientes quod omnia tempus habent, maxime vero jejunium & oratio. Oportet enim eos qui altari assistunt, quo tempore sacra tractant, continentes esse omnibus in rebus: ut quod à Deo syncere petunt, obtinere possint. Si quis igitur audeat contra Apostolicos canones, aliquos ex consecratis, Presbyteris inquam aut Diaconis aut Subdiaconis, privare uxoris legitimæ tactu & congressu, deponatur. Eodem modo si quis Presbyter aut Diaconus uxorem suam pietatis prætextu ejecit, excommunicetur, si vero pertinax permanserit, deponatur.

Joan. 2. Mat. 19. Heb. 13. 1. Cor. 7.

Can. in toto fere Eccles. Rom.

Nota. *Hic Canon perperam fundat se in usu Ecclesiæ Carthaginensis, ut ad 11. canonem advertere est. Duplex autem est genus Sacerdotum apud Græcos, quidam Monachi sine uxoribus: alij non Monachi quibus ante ordinationem uxoratis permittitur post ipsam usum uxorum, extra tempora quibus altari serviunt. Et Clemens VIII. const. 14. statuit ut Græcus Presbyter sacrificium oblaturus cesset prius ab uxore per septem dies, saltem per tres.*

Canon 14. Ne Presbyter ante triginta annos ordinetur, Diaconus ante viginti quinque & Diaconissa ante quadragesimum.

Sanctorum & numine afflatorum Patrum nostrorum valeat etiam hac in re canon, ne Presbyter ante triginta annos ordinetur, etiamsi maximè sit dignus, sed prohibeatur. Etenim Dominus Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est, cœpitque docere. Præterea neque Diaconus ante quintum & vigesimum annum, neque Diaconissa ante quadragesimum annum creetur.

Canon 15. Ne Diaconus minor 20. annis creetur.

Hypodiaconus vero non minus quam viginti annis natus creetur. Si quis autem in quocumque Sacerdotum ordine præter constituta tempora creatus erit, deponatur.

D. 77. cap. Subdiac.

Canon 16. De quibus Diaconibus loquatur liber Actorum Apostolorum.

Quoniam Actuum libri, septem Diaconos ab Apost. constitutos esse tradunt: qui vero erant in Neocæsariana Synodo, sic diligenter in scriptis apud se canonibus dixerunt, Diaconos septem esse oportet, etiamsi magna sit urbs, quod tibi testabitur Actuum liber, nos Apostolico Patrum dicto animum accommodantes, reperimus hunc sermonem ipsis non fuisse de iis qui mysteria administrarent, sed de eo quod ad mensarum ministerium pertinet officio. Sic enim Actuum liber habet: In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos: quod despicerentur viduæ eorum in quotidiano ministerio. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non æquum est, nos neglecto Dei verbo mensis administrare. Deligite ergo, fratres, viros ex vobis spectatæ fidei septem, quos huic operi præficiamus: at nos orationi, & ministerio Verbi Dei incumbemus. Et placuit hic sermo omni multitudini: elegeruntque Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Proselytum Antiochenum, quos statuerunt coram Apostolis. Hæc explicans Ecclesiæ Doctor Ioan. Chrysost. Admiratione, inquit, dignum est, qui fieri potuerit, ut non discissa sit multitudo propter delectum virorum & Apostoli non sint ab ipsis reprobati. Enimvero quam dignitatem aut quam ordinationem acceperunt, scire opus est. Num Diaconorum dignitatem? At istud in Ecclesiis non est: Num Presbyterorum est ordo? Atqui nullus tum erat Episcopus, sed Apostoli soli. Proinde arbitror neque Diaconorum, neque Presbyterorum nomen esse planum ac dilucidum. Quare declaramus & nos septem prædictos Diaconos non sumi pro iis qui mysteria tractant, ex doctrina ante explicata, sed eos esse, qui tunc inter congregatos functi sunt publici muneris officio, quique exemplar nobis etiam hac in re fuerunt humanitatis & studij erga indigentes.

Can. 14. Neocæsar. Syn. corrigitur per præsentem canonem.

In expos. 6. c. Actorum. hic tamen eā nō clarius loquitur quam interpres Chrysost.

Hoc est ab-dicare exercere munus Ep. i. Diaconi. i. Ecclesiæ ministri publici. ad eleemosynæ distributionem.

Canon 17. Sine dimissoriis Episcopi, clerici à propriis Ecclesiis non recedant.

Quoniam diversarum Ecclesiarum clerici, iis, in quibus creati sunt, Ecclesiis relictis, ad alios decurrunt Episcopos, & sine sententia sui Episcopi, in aliis Ecclesiis constituti sunt, hinc effectum est ut inobedientes essent: statuimus à Ianuario mense præterita quarta distributione, nullum omnium clericorum (etiam in quolibet gradu) facultatem habere se in alia Ecclesia constituendi absque sui Episcopi literis dimissoriis. Itaque qui ab hoc tempore istud non servavit, sed eum in re eum qui illi ordinem contulit, dedecoraverit, deponatur & ipse, & qui eum temere receperit.

Excipe Constantinopol & Carthag. Eccles.

Canon 18. Cessante causa recedat, clericus ad propriam redeat Ecclesiam.

Eos qui propter barbarorum incursiones, aut alio casu profugi sunt clerici, cum hic mos ipsis defierit, aut barbarorum incursiones ad sua loca fecerint, rursus in suas Ecclesias jubemus redire; neque eas diu sine causa deserere. Cæterum si quis huic cano-

ni audiens non fuerit, excommunicetur quoad in propriam Ecclesiam redierit. Id ipsum fiat etiam in eo Episcopo qui illum detinuerit. A

Canon 19. Episcopi diebus omnibus præcipue Dominicis docere populum debent.

Docere populum Episcopis ex officio datum.

Quod oportet eos, qui præsunt Ecclesiis in omnibus quidem diebus, sed præcipue Dominicis omnem clerum & populum docere pietatis ac rectæ religionis eloquia, ex divina scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum patrum traditionem. Sed & si ad scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ luminaria & DD. suis scriptis exposuerunt: & majorem ex iis laudem assequantur, quàm si quæ à se dicuntur componant: ne, dum quandoque ad id hæsitant, ab eo quod convenit excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam, populi ad eorum quæ sunt bona & expetenda, & inutilia ac rejicienda cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec ignorantiæ vitij convincuntur, sed doctrinæ mentem adhibentes, se ipsos ad id ne mali quid eis accidat, excitant, & imminentium suppliciorum metu sibi salutem procurant. B

De scriptura sub ortæ controversia per patrũ interpretationem dirimenda.

Canon 20. Ne in alia civitate Episcopus doceat.

Non licet Episcopo in aliena civitate publice docere. Si hoc facere deprehensus fuerit cessat ab Episcopatu, Presbyteri autem munere fungatur. C

Canon 21.

Qui criminum canonicis sanctionibus damnatorum rei facti, & omnimodæ perpetuæque muneris sui privationi obnoxij redditi, laicorum numero accensentur, ij si scelerum ob quæ à gratia exciderunt, pœnitentia ducti sua sponte redeant in viam, seque ab ijsdem sceleribus in totum abdicent, id sane illis permittendum, ut de more clericorum tondeantur. Sin est ut ipsi haud quaquam ultro resipiscant, in modum laicorum comam nutriant, ut qui in secularibus vitæ illecebris volutari, quam ad immortalitatem aspirare maluerint. D

Canon 22.

Ob pecuniam promotos, sive Episcopos, sive clericos deponi jubemus.

Canon 23. Pro Eucharistiæ administratione nihil exigendum est.

c.q.1. Nullus Episc. aut.

Nullus Episcopus sive Presbyter, sive Diaconus pontificalem præbens communionem, ab eo qui communicat ejus participationis gratia, obolos vel quamvis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia, nec pecuniis spiritus sanctificationem impartiamur sed ea iis qui digni sunt absque ulla fraude est communicanda. Qui secus fecerit, deponatur. E

Canon 24. Ne clerici aut Monachi interfint ludis theatralibus.

Hic canon est 25. can. Laodicen. & 11. Carthag. 5.

Ne liceat cuiquam eorum qui sacri sunt ordinis, vel Monacho, ad Circenses ludos ascendere vel scenicis ludicris hærere: etiamsi ludicra fraudulenter inducta fuerint, surgat clericus, statimque abscedat. Istud enim nobis patrum doctrina præscribit. Si quis in hoc deprehendatur, ni desinat, deponetur.

Canon 25. Est 17. Synodi Chalcedonensis.

Canon 26. Ignorantia non impedit, quin ab illicitis Presbyter abstinere teneatur.

Presbyter, qui per ignorantiam illicitis nuptiis est implicatus, sit quidem cathedræ particeps: à reliquis autem operationibus abstineat. Ei enim qui talis est, satis si venia detur. Nec ergo publice, nec privatim benedicat, nec Christi corpus aliis distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat: sed prima sede contentus, Domino deflcat, ut illi ex ignorantia peccatum condonetur. Manifestum est, quod illegitimum conjugium dissolvetur. Nec ullo modo vir ille consuetudinem habebit cum ea, per quam sacro ministerio privatus est.

D. 28. Presbyterum.

Canon 27.

Clericus vestem sibi convenientem induat tam in urbe quàm in via. Nemo eorum, qui in clerici numero censentur, vestem induat sibi non propriam ac convenientem, sive in urbe agat, sive iter faciat, sed utatur eo genere vestis quod ipsi attributum est.

Canon 28. Vua non distribuatur simul cum Eucharistia.

De consec. dist. 2. Decernimus.

Quoniam in diversis Ecclesiis intellexímus vuam ad altare allatam ministros cum incruento illo oblationis sacrificio conjunctam, ex quadam, quæ invaluit consuetudine, utraque simul populo distribuere: decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, sed ad vivificationem & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat. Sacerdotes vero has vuas illatas privatim benedicentes, non secus ac primitias quasdam distribuant pœnitentibus ad laudem datoris fructuum per quas nostra corpora divina dispositione augentur, & nutriuntur. Si quis autem clericus præter hæc decreta fecerit, deponatur.

Canon 29. Nec feria 5. in cœna Domini solvatur jejunium, nec non jejuni communicent.

19. Can. Carthag. 5. renovatur. 50. Can. Laodicen.

Canon quidam Carthaginensis Concilij jubet ut sacrum altaris non nisi à jejunis hominibus peragatur, uno anniversario die excepto, quo Dominica Cœna peragitur, divinis illis patribus ea ipsa œconomia tunc fortasse utentibus propter certas in locis illis occasiones Ecclesiæ utiles. Nemine igitur nobis impedimentum afferente quominus res ea accuratè fiat, nos Apostolorum ac Patrum traditiones insecuti definimus non oportere in quadragesima feriam quintam postremæ hebdomadis solvere, atque totam quadragesimam contemptui habere.

Canon 30. Sacerdotes Barbarici cum ordinantur, uxores relinquere possunt.

Cum sit nobis in animo ad ædificationem Ecclesiæ omnia moliri, Sacerdotibus etiam qui Ecclesiis apud barbaros præsunt, leges dandas esse censuimus. Itaque si canonem Apostolicum in quo agitur de non summovenda uxore religionis prætextu, transcendere licet, & eorum quæ definita sunt, velut septa transilire, cum jam si ipsi ipsorumque uxores consentiant, mutuo congressu abstineant: statuimus ac definimus ne hi posthac ullo modo consuescant cum uxoribus: ut hinc nobis certam & integram voti sui significationem præbeant. Cæterum hoc illis non alia de causa, quam ob animi parvitatem ac mores quosdam exoticos quos aversari oporteat, tradidimus.

Al. pusil. lanimitatem.

Canon

A

Canon 31. Sine Episcopi licentia clerici intra domos non baptizent.

De consec. d. 1. clericos, infra cap. 52.

Clericos, qui in oratoriis quæ sunt intra domos ministrant, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facère decernimus. Qui hoc sic non servaverit, deponatur.

Canon 32. Ut in sacrificio vinum aqua mistum offeratur.

Armenii male ex textu verba Chrysost.

Quoniam novimus in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerri*, aquam illi non miscentes qui incruentum sacrificium peragunt, prætexentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysost. in interpretatione Matthæi hoc asserentem. Ut jam nunc ab ignorantia liberentur, illius patris mentem Orthodoxe aperimus. Cum enim antiquam Hydroparastarum hæresim, qui pro vino solam aquam in sacrificio usi sunt, subverteret, illam orationem composuit, in qua aquæ in sacrificio Missæ adjunctionem amovere illi existimant, cum tamen non deceat sanctus per solum vinum oblationem fieri, quandoquidem & suæ Ecclesiæ ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet, ex pretioso & honorando nostri Redemptoris sanguine & aqua contemperationem attendens, quæ in totius mundi vivificationem effusa est; & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam Ecclesia ubi spiritalia luminaria refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Domini nostri Jesu Christi, secundum carnem, frater, & Basilius Cæsariensis Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis inscripto tradito sacrificio, ita peragendum in sacro mysterio ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt. Et qui Chartagine convenerunt sancti Patres ita aperte tradiderunt. Si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, deponatur ut imperfecte ac simpliciter mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innovans.

B

C

De consec. d. 1. Iacobus.

Hoc Canone Armeniorum in solo vino, & hydroparastarum in sola aqua sacrificantium, error destruitur.

Canon 33. Non attendatur genus, sed mores ad manus impositionem.

Apud Indos lege sanctum erat, ut ex tribu Levitica sola sacerdotes fierent.

Quoniam cognovimus in Armeniorum regione eos solos ad clerum admitti, qui sunt ex genere Sacerdotali: imo & nonnullos eorum non attonsos cantores, & divinæ legis lectores constitui: Decernimus, ut deinceps non liceat ad ejus cui manus imponitur, genus respicere, sed examinantes, an digni sint, expositis in sacris canonibus decretis, eos in clericii catalogum referri, & Ecclesiastice promoveri, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. Item ut nulli eorum liceat populo in suggestu divinas scripturas explicare niffis Sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem à suo pastore canonice susceperit. Si quis secus fecerit, deponatur.

D

Canon 34. Est canon 18. Synodi Chalcedonens. confirmationis.

E

Canon 35. Spolia Episcopi defuncti indiminuta futuro serventur.

Canon 22. Chalced. apostol. cap. 40.

Nulli omnium Metropolitarum liceat mortuo Episcopo, qui ejus throno subest, res ejus vel ipsius Ecclesiæ sibi vendicare, sed sint sub custodia cleri Ecclesiæ, cui defunctus præsuit, usque ad alterius Episcopi promotionem: præterquam si in eadem Ecclesia relicti sint clerici, tunc enim Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens.

Canon 36. Sedes Constantinopolitana æquatur Romanæ, dummodo sit secunda.

Canon. 28. Chalced. Synodum ita editionem græcam, quoniam in latina non habetur. D. 22. Renovantes, & in c. 5. Constant. Concilii.

Renovantes quæ à sanctis Patribus 150. qui in hac regia urbe convenerunt, & à 630. qui Chalcedone convenerunt, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus, æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis negotiis ut ille magnifiat, secundus post illum existens. Post quam Alexandrinorum Metropolis numeratur thronus. Deinde Antiochiæ, & post eum Hierosolymitanæ civitatis.

Canon 37. Episcopi si Episcopali urbe priventur, sua tamen privilegia non amittunt.

Quoniam variis temporibus excurrerunt barbari, & plurimæ civitates in ipsorum manus ac potestatem venerunt, quo factum est, ut qui alicujus earum civitatum antistes creatus esset, nec solium sibi designatum obtinere, nec ibidem conditione Pontificali sedere, nec verò eo rerum statu, aut manus imponere, aut cætera quæ muneris sunt Episcopalis, facere aggredive posset: nobis augustam Pontificatus dignitatem sartam tectam servare cupientibus, nec volentibus ejusmodi impressiones quas barbari facerent, vergere in perniciem ac detrimentum juris Ecclesiastici: visum est ut Episcopi qui ita creati essent & ob antedictam causam à suis sedibus summoverentur, eximiam illam retinerent Pontificatus dignitatem, itaque & manuum impositiones ordinandis clericis omnis generis canonico ritu facerent, & Pontificali authoritate intra fines suos uterentur: ac in Diœceses sibi demandatas, quam hæ late paterent, jus ac potestatem retinerent. Neque enim intercepta ea urbe cui præcipua debebatur cura & opera, administrationis fines eo quod reliquum esset, circumscribi convenit.

Canon 38. Nova civitas novam habeat dignitatem Episcopalem vel Metropolitanam.

Canon Chalced. Synod.

Canonem qui à patribus factus est, nos quoque observamus, qui sic edicit: Si qua civitas à regia potestate innovata est vel innovabitur, civilem ac publicam formam Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur.

Canon 39. Ut Ecclesia Cypri sit Metropolis.

Hic Canon firmat can. 8. Ephesin. Synod. quo concessum est Cypri Ecclesiam esse principalem & primâ, & prohibitâ est Antiochenis Episc. facere in ea ordinationes. Justinianus Imper. hoc privilegium concessum fuisse à Vigilio Papa ait. Novel. 131.

Cum frater & cooperator noster Joannes insulæ Cypri Antistes in Hellespontiprovinciam una cum populo sibi subdito ex eadem insula demigrarit, ut se ac suos ab impressionibus barbarorum seductos, & ab illorum jugo liberatos, sub sceptro Christianissimi Imperij retineret, idque fecerit benignitate ac providentia Dei; ope pientissimi ac rerum Christianarum studiosissimi Imperatoris nostri: decernimus ut quicquid prærogativæ à sanctis ac divino numine afflatis patribus cum Ephesum conventum agerent viri illius sedi concessum est, fixum immotumque maneat, itaut nova urbs Justinianopolis idem jus cum civitate Constantinopolitana habeat. Habebit autem si divini cultus observantissimus Episcopus qui ei civitati præest, toti præsideat Hellespontiacæ provinciæ. Porro volumus ejus urbis antistitem more prisco à suis creari Episcopis. Nam divino spiritu afflati majores nostri decreverunt suum in quaque Ecclesia servandum esse morem. Itaque antistiti supradictæ urbis Justinianopolitanæ subesse se sciat Cyzicenorum Episcopus†, non secus ac reliqui omnes Episcopi quibus præest antedictus ille pius Antistes Joannes, quandoquidem ab hoc, ubi res postulabit, etiam ipsius urbis Cyzicenorum creari debebit Episcopus.

Canon 40. *De Monachis & Monaſteriis.*

Quoniam à frequenti hujus vitæ tumultu ſubducere nos, atque Deo adhærere perquam ſalutare eſt: qui ſolitarium vitæ genus ſibi deligunt, non ſunt à nobis temere admittendi ac prænaturè, quin potius præſcriptus nobis à majoribus ſuper his modus retinendus eſt, ut videlicet religioſæ vitæ profeſſio tum demum emittatur, cum à cognitione rerum judicioque profecta, & maturam ratiocinandi facultatem adepta conſtantiam ac ſtabilitatem præſe ferret. Sic igitur monaſticæ vitæ jugum ſubiturus non pauciores quam decem annos natus. Quin etiam accedat examen antiſtitis, quod ille ſpectet, num conducibilius ipſi eſſe videatur majorem expectare ætatem ejus qui intro vitæ genus illud monaſticum, eique hærere velit. Sic enim Baſilius ille magnus in ſacris ſuis canonibus eam quæ virginitatem amplexata, ultro ſe Deo devoverat, cum jam decimum ſeptimum annum ageret, in Virginum Deo dicatarum ordinem recipiendam eſſe cenſet: Certe nos imitati ſtatutum de viduis ac diaconiſſis, iis qui ad inſtitutum vitæ monaſticæ aſpirarent, ſimili modo ſupradicti temporis fines præſcripſimus. Scriptum eſt enim apud divum Apoſtolum, viduam quæ quidem miniſtratura ſit in Eccleſia, deligendam eſſe ſexagenariam. Sacrorum vero canonum authores quadragenariam creandam eſſe diaconiſſam tradiderunt, animadvertentes Eccleſiam divina gratia ſubinde vegetiorem reddi, magiſque ac magis promoveri, fidelium in obſervandis mandatis divinis conſtabilito confirmatoque animo. Quam rem nos quoque diligentius expendentes, nuper definimus, benedictionem gratiæ divinæ ei qui velit ſacris illis exercitationibus initiari, velut ſigillum quoddam ſine mora imprimentes, & inde ipſius voluntatem, ne longiori cunctatione alio deflectat, promoventes: imo vero ipſum ad optimum vitæ genus mature deligendum conſtituendumque magnopere exhortantes.

Ætat Monachatus.

Baſilius cap. 18 poſt 16. an virginem recipiendam ſtatuit.

Canon 41. *Quomodo probandi qui profitentur Monachatum.*

Eos qui in urbibus vel villis volunt ſecedere, ac ſibi ſeparatim attendere, prius quidem in Monaſterium ingredi oportet, & anachoriticam, hoc eſt ab aliis ſeparatam ac ſemotam vivendi rationem exercere, & ſpatio triennij ei qui in manſione præeſt, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus (ut æquum eſt) implere. Et ita hujus vitæ eligendæ inſtitutum profitentes, & quod eam ex toto corde ſua ſponte amplectuntur, ab ejus loci præſule examinati approbentur. Deinde ſic alio anno extra clauſuram fortiter ſegerere debent, ut ſcopus eorum magis manifeſtetur: tunc enim plene ac perfecte ſignificabunt, quod non inanem gloriam captantes, ſed propter ipſum pulchrum & honeſtum hoc ſilentium proſequantur. Poſt tanti autem temporis complementum, ſi in eodem eligendæ vitæ inſtituto permaneant, includi ipſos, & eis non amplius licere, quando voluerint, ex tali manſione egredi: præterquam ſi propter communem utilitatem vel aliam neceſſitatem ad mortem urgentem ad id trahantur, & ita cum benedictione ejus loci Epiſcopi. Qui autem exceptis his caſibus exierint, primo quidem, vel invitos ipſos dicta clauſura coërceri; deinde jejuniis & aliis afflictionibus ipſos curare, ſcientes quoniam nemo, qui manum ſuam aratro immiſit, & retro converſus eſt, aptus eſt regno cœlorum.

Novitiatus ſeptennii.

Canon 42. *Eremitæ habitum cæterorum Monachorum ſumant.*

Et eremitis, qui quidem nigris veſtibus induti & capite comam urbes obeunt, & cum viris ac mulieribus verſantur, & propriæ profeſſioni faciunt injuriam, ſtatuimus, tonſis comis reliquorum monachorum amictum ſuſcipere, eos in monaſterio conſtitui. Quod ſi hoc non elegerint, eos omnino ex urbibus expelli, & ſolitudines quæ Eremi dicuntur, habitare, ex quibus ſibi etiam denominationes contraxere.

Canon 43. *Propter nullum crimen arcendus aliquis à Monachatu.*

Liceat omni Chriſtiano vitam therapeuticam eligere, & rerum ad vitam pertinentium depoſita temperate monaſterium ingredi, atque inſtar Monachi tonderi, in quocumque crimine deprehenſus fuerit. Salvator enim noſter Deus, inquit, *Eum qui ad me venit, non ejiciam foras.* Nam ſicut columna id quod in ea deſcribitur, exprimit, ita & Monachica profeſſio, monachi pœnitentiam deſcribit. Et ergo, qui ad illud germane, ac ſyncere accedit, acquieſcimus, ac favemus, nec ulli ei mores impedimentum afferent, quominus proprium votum adimpleat.

ἀκτήτου βίου. exercitatorium vitam. Al. ſublato omni tumultu negotiorum ſecularium. Novatiana hæreſis eſt, remittentes ad pœnitentiam non ſuſcipere. Al. omnia teſta.

Canon 44. *Monachus fornicator jure communi punitur.*

Monachus fornicator vel qui ad matrimonij communionem vitæque ſocietatem uxorem duxerit, fornicatorum pœnis ſubjiciatur.

Can 45. *Futuræ Monaſtriæ non induantur ſumptuoſis veſtibus eo die quo ingreſſuræ ſunt Monaſterium.*

Quoniam intelleximus, in nonnullis mulierum Monaſteriis, mulieres, quæ ſacro illo amictu dignæ habentur, prius ſericis, & omnis generis veſtibus, propterea autem & mundis auro & gemmis variegatis, ab iis qui illas ducuntur exornari, & ſic ad altare accedentes exui tanto materiæ apparatu: & ſtatim in illis fieri habitus benedictionem, illaſque nigro amicti indui: ſtatuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas eſt, ut quæ jam propria voluntate omnem vitæ jocunditatem depoſuit, & eam, quæ eſt ſecundum Deum, vitæ agendæ rationem amplexa eſt, & ita ad Monaſterium acceſſit, per eum qui interit, ac fluit mundum, & quorum jam oblita erat memoriam revocet, & ex eo anceps reddatur, & ejus anima perturbetur inſtar exundantium fluctuum, hucque & illuc verſantium, adeo ut aliquam nonnunquam lachrymam emittens cordis per corpus, compunctionem oſtendat: ſed & ſi exigua aliqua lachryma exilierit, non tam propter affectionem quam habent propter exercitatorium certamen, quam propterea quod mundum relinquant, & ea à videntibus profluxiſſe putetur.

Canon 46. *Monaſtriæ non exeant à Monaſterio niſi ſub certa forma.*

Quæ vitam exercitatoriam eligunt, & in Monaſteriis ſunt conſtitutæ, ne omnino progrediantur. Si qua autem inexorabilis neceſſitas ad hoc trahit, cum benedictione ejus quæ præeſt, hoc agant. Tuncque non ſolæ per ſe, ſed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monaſterio primæ ſunt, cum mandato ejus quæ præfecta eſt. Eis autem omnino extra cubare non licet. Hoc idem & de viris, qui Monaſticam vitam perſequuntur ſtatuimus.

Al. moniales.

Canon 47. *Vir in Monaſterio mulierum non dormiat, nec è diverſo.*

Nec mulier in virorum Monaſterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & ſcandalum fideles eſſe debent ac Domino ſuo conſecrent honeſtam vitam. Qui ſecus fecerit ſegregetur.

Canon 48. *Uxor Epiſcopi reponatur in Monaſterio.*

Uxor ejus qui ad Epiſcopalem dignitatem promotus

est, communi sui viri consensu prius separata, post- A quam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione extractum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur.

Canon 49. Monasteria quæ semel Deo dicata sunt secularibus habitationibus non accommodentur.

Quæ semel sunt dedicata Monasteria, &c. [Ut in Canone 24. Concilij Chalcedononsis, usque ad eum locum] nec posse ea fieri ultra secularia habitacula [*addit hic Canon*] neque à quoquam omnino ea tradi hominibus secularibus, quod etiam, si ad hoc usque tempus sit factum, definimus nullo modo valere: *Reliqua ut in prædicto 24. Canone Chalcedon.* B

Canon 50. Alea clericis interdicuntur.

Nullum omnino sive clericum, sive laïcum ab hoc deinceps tempore alea ludere. Qui secus fecerit, si sit clericus deponatur, si laïcus segregetur.

Canon 51. Ne mimi aut venationes spectentur.

Omnino prohibet hæc sancta & universalis Synodus eos qui dicuntur mimos, & eorum spectacula, deinde venationum quoque spectationes, easque quæ fiunt in scena, saltationes perfici. Qui secus fecerit, si clericus, deponatur: si laïcus, segregetur. C

Canon 52. Vt sabbato & Dominica in quadragesimæ consecratio tantum fiat.

Idem habetur canon 49. Concil. Laodic.

In omnibus sanctæ quadragesimæ jejunij diebus præterquam sabbato & Dominica, & Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum sacrificium.

Sacrificium præsanctificatorum, est oblatio sacrificij jam peracti & perfecti. Jejuniorum autem dies, lucius sunt & compunctionis in expiationem peccatorum: & quia Deo sacrificium offerre est sanctum diem agere, statuerunt Patres non fieri novam consecrationem tota quadragesima nisi sabbato & Dominica, &c. In his enim festum agere nec jejunare jussi sumus. Quod nunc observatur apud Latinos in Parasceve. Hæc ex Theodoro Balsamone, τῶν περιεχομένων ἐν τῇ λειτουργίᾳ, est impressa in libello Græco cum Patrum Græcorum liturgiis: Græci enim in quadragesima, die dominico ad totam Hebdomadam consecrant, dempto die sabbati, in quo fit nova consecratio.

Canon 53. Ordo cognationis spiritualis asservetur.

Quoniam spiritualis cognatio corporum coujunctione major est, novimus in quibusdam locis excepores puerorum ex sancto & salutari baptismate, postea cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere: statuimus, ne imposterum tale aliquid fiat. Si qui vero secus fecerint, hi quidem primo abillicito matrimonio separentur, deinde fornicatorum pœnis subjiciantur.

Canon 54. Nuptiæ prohibitæ in secundo affinitatis gradu.

Decernimus, ut qui deinceps cum fratris sui filia matrimonij societatem coierit, vel Pater & Filius, qui eum matre & sorore, vel cum duabus puellis sororibus pater & filius, vel cum duabus fratribus mater & filia, in septennij canonem incidant, separatis ipsis publice à nefario contubernio.

[*Hic canon de gradibus affinitatis in Concil. Lateran. sub Innocent. 3. est abrogatus.* vde 35. q. 2. & 3. *ex decret. Pauli Papæ ubi solum prohibetur primus gradus affinitatis.*]

Canon 55. Ne sabbatis aut Dominicis diebus quadragesima jejunetur.

Quoniam intelleximus in Romanorum civitate in sanctis quadragesimæ diebus, in sabbatis jejunari præter Ecclesiasticam traditam consuetudinem, sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum Ecclesia canon inconcusse obtineat, qui dicit: Si quis clericus inventus fuerit in sancto Dominico, vel sabbato jejunans, præter unum & solum, deponatur. Si autem laïcus, segregetur. [*Vide Epistolam 86. Augustini ad Casulanum post medium, ubi agit de jejunio sabbati.*]

Propter hunc canonem aliqui Romani non recipiebant hanc Synodum quam universalem. Can. Apost. 85.

Canon 56. Ne ova & caseus in quadragesima comedantur.

Accepimus in Armeniorum regione, & in aliis locis in sabbatis & Dominicis sanctæ quadragesimæ quosdam ova & caseum comedere: visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat: & abstineant sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis & caseo: quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sint clerici, deponantur: si laici, segregentur.

Canon 57.

Ad altare mel & lac offerre non oportet.

Can. Apost.

Canon 58. Ne laicus sacramenta sibi ministret.

Nemo eorum, qui sunt ex ordine laïcorum, divina sibi mysteria impartiat præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Qui secus fecerit, una septimana segregetur.

Canon 59. Baptismus in Ecclesiis tantum celebretur.

In oratorio privato, quod domi est, nullatenus baptismus peragatur, sed qui digni habebuntur hujus purissimi luminis, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis contrafecerit, si clericus est, deponatur, si laïcus, excommunicetur. D

Can. 38. permittit de voluntate Episc. id fieri posse.

Canon 60. De his qui se simulant dæmoniacos.

Eos, qui se Dæmone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulate præ se ferunt, visum est omnimodo puniri, & ejusmodi afflictionibus & laboribus eos subjici oportere, quibus, hi qui à Dæmone vere correpti sunt, ut à Dæmonis operatione liberentur, vere subjiciantur.

Canon 61. De sortilegis damnandis.

Qui se vatibus tradiderunt, vel iis qui Centurfones dicuntur, aut iis similibus, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint, secundum ea, quæ prius à Patribus sancita, Canoni qui est de sexennio, subjiciantur. E Eidem pœnæ subjicere oportet eos, qui ursas aut similes bestias ad lusum & perniciem simpliciorum circumferunt: & eos, qui fortunam, fatum, genealogiam, aut similium verborum turbam ad nugas deceptorias obloquuntur: eosque, qui nubes fugare dicuntur, & Imperatores, & muletarios, & Vates. In his autem perseverantes, nec mutantes sententiam, nec fugientes hæc perniciosa & Ethnica instituta, omnino ejiciendos ab Ecclesia definimus, sicut sacri Canones dicunt. *Nam quæ luci cum tenebris communio?* ut ait Apostolus, *vel quæ conjunctio templo Dei cum idolis? aut quæ participatio fideli cum infideli? aut quæ concordia Christi & Belial?*

Prætis cum universas dæmoniacas operationes avertit.

De hoc legi Chrysost. in Epistol. missa ad Colos. & sextam eiusdem orationem adversus ludos. Legi sententiam subjici, est jejunio extraordinario mulctari.

2. Cor. 6.

ἐμανθάνετο Centurio, hoc loco eſt Magus ſe ipſum calculis aut fabrili magiam exercens.

Vates dicuntur palma inſpectores, & qui in pelui divinant, aut per ſacrificia aliqua Sathanam interrogant, ſe Dæmoni addicentes. Centuriones dicebantur ſenes quidam, qui ſe reliquis conſulere præſeferentes, per ejuſmodi execrabiles operationes ſimpliciores ſeducebant, & ut Pſeudothei colebantur.

Verſus trahere dicebantur, qui Verſorum altores appellabantur, qui quidem in capite & intus animalis corpore tinctturas appendentes, & pilos tendentes, eos una cum tinctturis dabant, ut remedia tanquam in morbis & faſcinantibus oculis conferre poſſint. Alij vero ſerpentes in ſinu geſtantes, hunc quidem die maligno natum eſſe, illum verò felici ſydere natum dicunt, & futuras felicitates annunciant, & alia multa ungantur. Nubium inſpectores dicuntur, qui, quæ multis ignota ſunt ex nubibus ſignificant, maxime autem ſi ſole occidente inſpiciantur. Imprecatores ſunt qui divina quædam cantica dicunt, & nominum martyrum & ſanctiſſimæ Virginis meminerunt. Quæ omnia divina Patres & Eccleſiæ Doctores fugienda ſtatuunt, & pluſquam alij Chryſoſt.

Canon 62. Ne feſta gentilium celebrentur.

Brumalia forte sunt saturnalia quæ Bruma mense ſcilicet Decembri ſiebant.

Calendas, & vota, & Brumalia quæ vocantur, & qui in primo die Martij menſis fit conventum ex fidelium civitate omnino tolli volumus: Sed & publicas mulierum ſaltationes multam noxam exitiumque afferentes. Præterea & eas quæ nomine eorum qui falſo apud Græcos Dij nominati ſunt, vel nomine virorum aut mulierum fiunt ſaltationes, ac myſteria more antiquo, & à ritu Chriſtianorum alieno, rejicimus: ſtatuentes, ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, nec mulier veſte viro conveniente. Sed nec Comicas, nec Tragicas, nec Satyricas perſonas induant, nec execrandi Bacchi nomen, vuam in torcularibus exprimentes invocent, nec vinum in doliis effundentes riſum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à Dæmonis impoſtura procedunt, exercentes. Qui ſecus fecerit, ſi clerici ſint deponantur: ſi laïci, ſegregentur.

Canon 63. Martyrum hiſtoriæ ab infidelibus ſcriptæ damnantur.

Quæ à veritatis hoſtibus falsò confictæ ſunt Martyrum hyſtoriæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerentur, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Eos autem qui eas admittunt, vel tanquam veris eis mentem adhibent, anathematizamus.

Canon 64. Prohibetur laico publice docere.

Greg. Nazianz. late tractat de hoc in lib. Theol. cujus teſtimonium hic Synodus.

Non oportet laïcum publice diſputare, vel docere, ſed ordini à Domino tradito cedere, & autem iis qui docendi gratiam acceperint aperire, & divina ab eis doceri. Qui hæc tranſgreſſus fuerit, quadraginta diebus excommunicetur.

Canon 65. Ne rogi in Novilunils ritu Gentili accendantur.

Quos in Novilunils, quidam ante ſuas officinas & domos accendunt rogos, ſupra quos etiam antiqua quadam conſuetudine ſalire inepte ac delirare ſolent deinceps ceſſare jubemus. Qui contrafecerit, ſi clericus ſit deponatur: ſi laïcus, ſegregetur.

Canon 66. A diebus reſurrectionis per integram hebdomadam fideles ſerientur.

Qualiter a fidelibus feſta celebranda.

A ſancta die reſurrectionis uſque ad novam Dominicam tota ſeptimana Eccleſiis vacare fideles jugiter oportet, Pſalmis & Hymnis & ſpiritualibus Canticis in Chriſto gaudentes, feſtumque celebrantes, & divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis myſteriis jocunde & laute fruentes. Sic ergo cum Chriſto exultabimus & una reſurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curſus, vel aliquod publicum fiat ſpectaculum.

Canon 67. Ut abſtineant à ſanguine & ſuffocato.

Apud Iudæos iã exoleverat illa diſtinctio apoſtolorum, ut refertur commentarijs Græcis. Reverenter libri tractandi.

Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abſtineamus à ſanguine & ſuffocato & fornicatione. Merito igitur damnamus eos, qui cujuſcumque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Qui hoc fecerit clericus, deponatur laicus, excommunicetur.

Canon 68. Libri ſacri communi & prophano uſu non conſumantur.

Nulli ex omnibus licere veteris, & novi Teſtamenti librum, nec ſanctorum noſtrorum præconum ac doctorum corrumpere vel conſcindere, vel librorum cauponatoribus, vel unguentariis, vel alicui alij delendum tradere, niſi uſque vel à tineis, vel ab aqua, vel aliquo alio modo redditus fuerit inutilis. Qui tale aliquid fecerit, uno anno excommunicetur.

Canon 69. Laicus non ingrediatur chorum excepto Cæſare.

Nulli omnium qui ſit in laïcorum numero licear intra ſacrum altare ingredi. Ab eo tamen nequaquam prohibita poteſtate & authoritate Regia, quandoquidem volnerit Creatori dona afferre ex antiquiſſima traditione.

Canon 70. Mulieres in Eccleſia taceant.

Ne liceat mulieribus in celebrationis tempore loqui, ſed ut eſt vox Pauli, ſileant. 1. Cor. 14.

Canon 71. A quibus cavere debeant ſuris profeſſores.

Lege Greg. Nazianz. inter ſermones funebres magni Baſilii.

Eos, qui docentur legibus civilibus, Græcis moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, aut quæ volutabra dicantur celebrare, vel præter uſum communem ſibi veſtem induere, neque quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt. Qui ſecus fecerit, ſegregetur.

Canon 72. Non Orthodoxus hæreticam ducat, aut contra.

Ratum habetur id matrimonium ejſi illicitum.

Non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Othodoxam cum viro hæretico copulari, ſed ſiquid ejuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit irritas nuptias exiſtimari, & nefarium conjugium diſſolvi. Si autem adhuc fideles ſunt inter ſe legitimo matrimonio conjuncti, deinde alter eorum convertatur ad fidem altero in infidelitate manente, ſi fideli placeat cum infideli habitare, non à ſe invicem ſeparentur, juxta Pauli ſententiam.

Canon 73. Ne crucis figura in pavimento fiat.

Cum crux vivifica illud ſalutare nobis oſtenderit, nos omne ſtudium adhibere oportet, ut ei per quam antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum qui par eſt, honorem habeamus. Unde & mente & ſermone & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ à nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis tropheum injuria afficiatur. Qui ſecus fecerit, excommunicari decernimus. 1. Cor. 7.

Canon 74. Ut ne agapes fiant in Eccleſia.

Non oportet in Dominicis locis vel Eccleſiis, chari-

Excet Dominicos vocat veſtibula & porticus Eccleſiæ.

tates quas vocant facere, & intus in ade comedere, & A accubitus ſternere. Qui hoc fecerint, ceſſent, vel excommunicentur.

Canon 75. Vt cantores Eccleſiaſtici non utantur modulatione inordinata.

Eos, qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, nec naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum quæ Eccleſiæ non conveniunt, ſed cum magna attentione & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector offerre.

Canon 76. Ne intra Eccleſiarum ambitum mercimonia vendantur. B

Non oportet intra ſacros ambitus, cauponam, vel aromatum ſpecies proponere, vel alias venditiones facere, ſuam venerationem Eccleſiis ſervantes. Salvator noſter nos inſtituit non facere domum Patris noſtri domum negotiationis. Qui ſecus fecerit, ſegregetur.

Canon 77. Ne fideles cum mulieribus una laventur.

Lege Chryſoſt. in oratione pro meipſo. ſup. 6 c. Eſaiæ. Can. 50. Syn. Laodic. continebus prohibetur etiam una lavari. Cap. 46 in Synod. Laodic.

Non oportet ſacris initiatos vel clericos, vel exercitatores ſive monachos lavari cum mulieribus, nec omnem Chriſtianum laicum. Hæc eſt enim prima condemnatio apud gentes. Qui hoc fecerit clericus, deponatur, laicus excommunicetur. C

Canon 78. Vt fideles 5. Feria apud catheciſtas fidem recitent.

Quòd oportet eos, qui illuminantur, fidem addiſcere, & quinta ſeptimanæ feria Epiſcopo vel Preſbyteris renunciare.

Canon 79. Partus virginis fuit citra ullum dolorem.

Abſque ullo dolore virginis partum eſſe confitentes (ut qui ſine ſemine conſtitutus ſit) eos qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni ſubjicimus. Unde quando aliqui poſt diem natalis Chriſti Dei noſtri reperiuntur coquentes ſimilam, & ſe hac D mutuo donantes prætextu, ſcilicet honoris ſecundinarum impolluræ virginis matris, ſtatuimus ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Nec enim hoc honor eſt virginis (quæ ſupra mentem & ſermonem quod comprehendi non poteſt, verbum peperit carne) ex communibus & iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum metiri ac deſcribere. Si quis hoc fecerit, clericus, deponatur, laïcus ſegregetur.

Canon 80. Clericus vel Laicus per tres hebdomadas abſens ab Eccleſia puniatur.

Si quis Epiſcopus vel eorum, qui in clero cenſentur, vel laicus nullam graviorem habeat neceſſitatem vel negotium difficile, ut à ſua Eccleſia abſit frequentius, E ſed in civitate agens tribus diebus Dominicis una non conveniat, ſi clericus eſt, deponatur: ſi laïcus, à communione ſeparetur.

Canon 81. In triſagio non apponendam crucem.

Petrum Fullo innovator hujus hæreſis quod trinitas ſit unus.

Quoniam novimus in quibuſdam locis in triſagio acclamari poſt illud, Sanctus immortalis, ille crucifixus pro nobis, miſerere nobis. Nos cum antiquis patribus ſtatuentes, anathematizamus eos qui deinceps talem ſuſceperint vocem in Eccleſia, vel alias ter ſancto hymno apponentes. Si tranſgreſſor fuerit Sacerdos, deponatur, ſi laïcus, excommunicetur.

Canon 82. Vt Chriſtus deinceps in figura humana pingatur, non Agni.

Inter venerabilium imaginum picturas, Agnus digito Præcurſoris monſtratus depingatur, qui in figuram receptus eſt gratiæ, adumbrans nobis verum illum (per legem) Agnum Chriſtum demonſtratum. Antiquas ergo illas figuras & umbras velut quaſdam veritatis notas, adumbrationeſque Eccleſiæ traditas vendicantes, gratiam eiſdem præponimus, & veritatem hanc (ut legis complementum) ſuſcipimus. Itaque hoc jam quidem re perfectum, pictorum artibus ante omnium oculos præſcribatur, & picturam illius Agni Chriſti Dei noſtri, qui tollit peccata mundi, ut humanus character valet exprimere, & in imaginibus impoſterum pro vetere Agno erigendam ſancimus per quam humilitatem Dei verbi contemplamur, & velut manuducimur ad memoriam illius converſationis in carne, & paſſionis ejuſque mortis ſalutaris, & redemptionis quæ huic pro mundo facta eſt.

Cenſet Bellarminus lib. 2. de reliquiis & imaginibus ſanctorum, hic tantum præferri imaginem Chriſti in figura humana imagini ipſius ſub ſpecie agni: atque hoc nomine arguit Bartholomæum Carranzam quod minus Concilij mentem hic ſit aſſequutus, occaſionem erroris nactus ex ipſo Canone qui non hic integrè exſcriptus eſt ſicut in ſeptima ſynodo recitatur: ſcribit hic ſcilicet Caranza agni figuram ad repræſentandum Chriſtum prohiberi. Sed & ipſe Caranza de hæreſi ſuſpectus fuit, & ob id cæteri in Hiſpania mancipatus.

Canon 83. Mortuis non danda Euchariſtia.

Nemo cadaveribus mortuorum Euchariſt. impertiat. Scriptum eſt: Accipite & comedite. Cadavera nec accipere valent, nec comedere.

Canon 84. De baptizandis infantibus quando non eſt certum eos eſſe baptizatos.

Sacris canonicisque patrum veſtigiis inſiſtentes definimus & de infantibus. Quoties certi teſtes deerunt, qui eos ſine dubio baptizatos eſſe dicant, nec ipſimet per ætatem de myſteriis quibus initiati ſint reſpondere queant, ipſos baptizari debere citra ullum ſcandalum, ne forte talis dubitatio ſancta illa purificatione eos privet ac fraudet.

Idem præcipit. ca. 15. Concil. Antiſſiodorens.

Canon 85. Quomodo libertas donata ſervis, valeat.

Servi à propriis Dominis libertate donati, coram tribus teſtibus (ut hoc honore fruantur) ſancimus.

Canon 86. Contra alentes ſcorta.

Qui ſcorta in perniciem animarum congregant & alunt, ſi clerici fuerint, deponantur, ſi laïci, ſegregentur.

Canon 87. Vir qui relicta uxore, aliam ducit, adulter eſt.

Quæ virum reliquit adultera, ſi ad alium ſe contulit (ſecundum ſactatum Baſilium, qui optime hoc ex Propheta Hierem. colligit, &c.) & qui reliquerit legitimam uxorem & aliam duxerit, juxta Domini ſententiam, adulter eſt. Sancitum eſt, ut hi tales per annum lugeant, per biennium ſint audientes, per triennium ſubjaceant: & tandem ſexto anno congregentur cum fidelibus, & ita demum menſa digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnituerint. *Hierem. 3*

Canon 88. Ne quis jumentum in templum inducat.

Nemo in ſacra templa jumentum inducat, præter-

quam ſiquis iter faciens maxima opprimatur neceſſitate, & carens domuncula aut diverſorio, ad hujuſmodi templum divertit. Si enim jumentum non introduceret, forte illud periret, & ipſe ob jumenti jacturam, inops conſilij, ad celeriter viam capeſſendam mortis periculo objiceretur. Sabbatum enim propter hominem eſſe factum docemur. Quare præ omnibus æſtimanda eſt hominis ſalus & commoditas: qui ſecus fecerit clericus, deponatur, laicus ſegregetur.

Canon 89. Dies paſſionis Domini noſtri jejunio celebretur uſque ad mediam noctem.

Jejunium diei paſſionis.

Qui dies ſalutaris paſſionis in jejunio & oratione & compunctione cordis peragunt, oportet circa horam mediæ noctis magni ſabbati jejunos eſſe, cum divini Evangeliſtæ Matthæus & Lucas, ille per dilectionem, veſpere autem ſabbati, hic vero per profundum diluculum, tarditatem noctis nobis perſcribant.

Canon 90. Ne Dominicis diebus genua flectamus.

Ne Dominicis diebus genua flectamus, à divinis patribus noſtris Canonice accepimus. Quare poſt veſpertinum ingreſſum Sacerdotum in Sabbato ad altare (ut more obſervatum eſt) nemo genu flectit uſque ad ſequentem veſperam poſt Dominicam: in qua poſt acceſſum ad candelabrum, rurſus genua flectentes, ſic preces Domino offerimus, ſi celebramus reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Canon 91. Contra fœminas quæ abortus procurant.

Quæ pharmaca procurant abortus facientia, ac quæ venena ſuſcipiunt partus perimentia, pœna occiſoris accuſentur.

Canon 92. Puniantur raptores, & conſcij.

Raptores fœminarum ſub nomine conſortij, ſive cooperatores ipſi, ſancivit Synodus ſancta ſi clerici, deponi, ſi ſint laïci, anathematizari.

Canon 93. Ne quis ad ſecunda vota tranſeat, niſi certus de morte conjugis.

Mulier quæ viro ſedente & incomperto quo terrarum agat, antequam de morte certa ſit, alteri ſi nupſerit mœchatur. Similiter & militum uxores quæ nubunt ignorantes virorum fata, eidem ſubjaceant rationi, ut quæ non expectant reditum viri peregrinantis. Quanquam in hac re eſt quodammodo venia digna, quia plerumque mors præſumitur.

Canon 94. Ne quis ethnice juret.

Jurantes juramenta ethnica, nos hujuſmodi homines excommunicandos decernimus.

Canon 95. Qualiter ſuſcipiendi hæretici.

Denique forte ejusmodi id eſt optimi.

Venientes ad Eccleſiam hæreticos ſuſcipimus ſecundum morem & ordinem traditum. Arrianos quidem & Macedonianos & Novatianos (qui ſe puros ſiniſtroſque vocant) & Tetradiſtas, & Apollinariſtas ſuſcipimus, ſi libellos afferant, & execrentur quamlibet hæreſim. De Paulianiſtis autem conſtitutio ab Eccleſia Catholica facta eſt, ut omnino rebaptizentur. Eunomianos verò, qui una ſubmerſione baptizantur, & Montaniſtas, qui hic Phryges dicuntur, & Sabellianos, & reliquas omnes hæreſes, præſertim qui à Galatarum regione ſunt profecti, venientes ad Eccleſiam non ſecus ac gentes, ſuſcipimus. Et primo die ipſos Chriſtianos facimus. Secundo vero catechumenos. Tertio tamen ipſos auctoramus poſtquàm ter inſufflavimus in faciem & aures. Sic illos initiamus faciemuſque, ut in Eccleſia numerentur, & audiant ſcripturas, & tunc illos baptizamus. Manichæos vero & Valentinianos & Marcioniſtas, & hujuſmodi hæreſum libellos oportet facere, & execrari hæreſim & Neſtorium, & Euthychen, & Dioſcorum, & Severum, & reliquos hujuſmodi hæreſum principes, & omnes prolatas hæreſes: & ſic participes eſſe ſanctæ communionis.

Vide Conſtant. primum.

Canon 96. Ne quis calamiſtratis crinibus incedat.

Qui per baptiſmum Chriſtum induerunt, converſationem ejus in carne imitaturos profeſſi ſunt. Qui igitur capillos in perniciem intuentium excogitata quadam implicatione digerunt, intenteque ornant, veluti quaſdam eſcas infirmis animabus ex se proponentes, ea ratione paterna pœna curamus, ut pædagogi ipſos inſtruentes, & modeſte vivere docentes, ut cum reliquerint deceptionem hanc & ineptias, ad perpetuam beatamque vitam aſſidue mentem convertant, & in timore pure & caſte converſentur, ad Deumque, quantum fieri poteſt, accedant, & interiorem potius quam exteriorem hominem virtutibus ornent, & nullas ſecum reliquias ferant adverſæ ſtoliditatis. Qui ſecus ſe geſſerit, excommunicetur.

Male à Gallis ſervatus canon.

Canon 97. Qui templa prophanant, reſiciendi.

Qui cum uxore habitant, vel temere alia ſacra loca prophanant, & ſic in ipſis diverſantur, ejiciendos ſancimus à penetralibus ædium ſanctarum. Qui hoc non ſervaverit, ſi clericus eſt, deponatur: ſi laicus, ſegregetur.

Canon 98.

Qui mulierem alij deſponſatam vivente adhuc ſponſo, in uxorem duxerit, judicio adulterij ſubjaceat.

Canon 99. Ne particulæ ſuæ Sacerdotibus offerantur.

Et hoc in Armeniorum regione fieri intelleximus, quoſdam intus in ſacris altaribus cum carnium portiones elixaverint, offerre particulas quaſdam Sacerdotibus, quæ ſolenniter à victimis abſcindebantur, eas Judaïce diſtribuentes. Quare ſancimus, ne Sacerdotibus liceat præcipua, certaque tornacula carnium ab offerentibus accipere, ſed illis contenti ſint quæ offerenti placuerint, & hujuſmodi oblatio extra Eccleſiam fiat. Qui ſecus fecerit, excommunicetur.

Canon 100. Ne turpes imagines pingere liceat.

Facile ſenſus corporei quæ ſua ſunt in animam derivant. Picturas igitur oculorum præſtigiatrices ſive in tabulis, ſive alias propoſitas & mentis corruptrices, & ſufflammationum ad turpes voluptates incitatrices, ſancimus, ut nullatenus impoſterum pingantur. Si quis autem hoc fecerit, excommunicetur.

Nota. *Optima ratio hujus canonis à Balſamone affertur.* Primus ſenſus, *inquit*, eſt viſus, & per eum debemus ad omne quod bonum eſt deduci; non autem per ipſum, quemadmodum & noſter primus Pater, Dei præcepta prodere.

Canon 101. Quo geſtu accedere oporteat ad Euchariſtiam.

Hominem ad Dei imaginem factum divinus Apoſtolus vocat corpus Chriſti & templum. Cum omnem ergo ſenſilem poſſeſſionem ſuperet, qui ſalutari paſſione cœleſtem aſſecutus eſt dignitatem, manducans & bibens Chriſtum, omnino vitæ applicatur æternæ, anima & corpore ſanctificatus particeps eſt divinæ

gratiæ. Quare si quis voluerit synaxis tempore communicare purissimo Christi corpori, & coram ipso in participatione esse, manus in formam crucis figurans, sic adeat, & suscipiat gratiæ communionem. Eos enim qui pro mamma vascula quædam aurea, vel ex alia materia constituunt ad susceptionem divini Domini, & per illa immaculatam communionem volunt, nullomodo admittimus, ut præferentes materiam inanimem, hominique obnoxiam, Dei imagini. Si quis Sacerdos participes fecerit communionis hujusmodi vascula admoventes, excommunicetur, & qui hæc infert.

Canon 102. *In absolvendis hominibus à peccatis quæ cura adhibenda.*

Oportet, qui facultatem absolvendi & ligandi à Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur, & peccatoris promptitudinem ad conversionem, ut sic medicamentum admoveant ægritudini aptum, ne si de peccato sine discrimine statuant, aberrent à salute ægrotantis. Non enim simplex est peccati morbus, verum varius & multiformis plurimisque noxiis propaginibus suppullulans, ob quas malum longe lateque diffunditur ac serpit, quousque tandem virtute medicantis sistat. Igitur, qui ostendere voluerit quantum valeat in spirituali medendi arte, oportet attente rimari qualiter affectus sit, qui peccavit, an ad salutem inclinet, an contra moribus quibus familiariter assuevit adversus se ægritudinem provocet inspicere, & quid ille secum deliberet ad redeundum ad meliorem frugem. An obtemperet magistro, an mentis ulcus per admota pharmaca crescat: & sic misericordiam æqua lance impertiri. Summa enim ratio & Deo & præfecto huic pastorali curæ errantem ovem reducere, & vulneratam ab angue curare, & nec per præcipitia desperationis detrudere, nec habenas laxare ad vitæ dissolutionem & contemptum, sed omnimodo qua pharmacis austerioribus, qua mollioribus & levioribus morbo contraire pugnareque, ut ulcus cicatricem obducat, ut qui notos habeat pœnitentiæ fructus, & hominem (ad claritatem illam supernam vocatum) prudenter gubernet. Utraque igitur scire oportet, & quæ sunt rigoris, & quæ commiserationis: in iis vero qui extrema non admittant, sequi formam traditam, ut nos sacer Basilius docuit.

pœnitentia ex iudicio sacerdotis.

mansuetudo, consuetudinis

ANNOTATIO.

Ad hoc tendit canon ut universa curandi peccatoris ratio prudentiæ & judicio Episcopi & ejus cui committitur sit relicta. Et est quidem hic scopus canonis manifestissimus, ait Balsamo. In fine autem statuit & ea quæ sunt summi juris scire oportere, & quæ sunt consuetudinis. Invenitur autem etiam scriptum τὸ τῆς συνηθείας idest misericordiæ. His ergo simul collectis dic, quod oportet nos scire & quæ sint pœnæ canonicæ summo jure, & quæ sunt paulo mitioris consuetudinis: & aliquando quidem morbos canonicè curare quando qui laborant pœnas non gravate acceperint: aliquando vero per consuetas & mitiores medicinas, quando ii quibus medicina adhiberur, ad pœnas suscipiendas paulo duriores fuerint. Ad consueta enim nemo restiterit. His consimiliter jubet Magnus Basilius in suo tertio canone. Unde videas moderationem satisfactionum adhibitam erga duriores peccatores non esse hujus temporis corruptelam, idque à pluribus sæculis relictum fuisse sapienti arbitrio Episcoporum ac eorum quibus commissum fuerit. Sed hæc dissimulant qui magis norunt turbare quam sanare animas.

Imperator Justinianus fidelis in Deum Jesum Christum assistens omnibus decretis, & obtemperans, subscripsit: Paulus Episcop. Constantinopolitanus nec non Romæ, definiens subscripsit.

Similiter & reliqui Episcopi ex omni provincia subscripsere 227.

Apud Gratianum inveniuntur aliquot canones diversi à præditis sub titulo sextæ Synodi, quos arbitror morbos: non enim extant plures quam 102. *Sed & apud eundem Gratianum dist.* 16. *multa sunt quæ auctoritatem præstant ipsis Canonibus, ubi scribitur esse conditos post quatuor aut quinque annos post solutionem sextæ Synodi, ut fidem in aliquo mereatur joveræ velitatio. Nec omittendum ad eamdem dist. Canon.* Habeo librum, *Glossam docere unicam operationem docuisse Monothelitas, quod opera Christi fuerint pure humana, & miraculosa fuerint phantastica, non realia. Quod quam probabile sit judicet lector, cum id sine ulla probatione asseratur.*

CONCILIVM NICÆNVM II.

GENERALE,

SEV SEPTIMA SYNODVS.

SVB ADRIANO PRIMO HVIVS nominis Pontifice Romano, & Constantino IV. Imperatore, ac Irene ejus matre, Episcoporum 330. *contra Iconomachos, seu imaginum sanctarum hostes habitum anno* 787. *tempore Caroli-Magni.*

IConoclastarum hæreticorum, id est eorum qui imagines Christi & Sanctorum confringere, quasi essent Idola, aut simulachra, Religiosum putabant, originem repetunt quidam à Judæis, alij à Manichæis qui cum Christum crederent non vere & proprie carnem humanam assumpsisse, sed hominem se simulasse, imaginem ejus vocabant Idolum, ut refert Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in lib. contra Iconomachos. Porro D. Damascenus orat in *Constantinum Cabalinum*, quod odore & afflatu fumi equorum delectaretur, refert ad dæmonem qui cum in Hebræorum gentem malam cogitationem immisisset, non esse Christum Dei Filium, sed seductorem, quamobrem Sacerdotes Judæorum Concilium adversus eum inierunt ut tenerent ipsum & occiderent: simili ratione livore exardescens in gentem Christianam, malam hanc cogitationem immisit, idololatriam esse cultum imaginum. Concilium itaque facientes Christianorum Sacerdotes una cum Augustis indigne sceptra tenentibus, inania ac stulta, adversus Domini nostri Jesu Christi imaginem meditati sunt; ac pro Christi à Judæis crucifixione in carne, sacram ejus imaginem scelestis ipsorum pedibus conculcandam damnarunt: utque perditi Judæi acetum felle mixtum Domino propinarunt, sic & isti aquam calci miscentes, ac baculo spongiam imponentes admoverunt, ejus in carne vultum exhibenti imagini obliverunt. Loco autem lanceæ illius, qua vitæ fons latus lanceæ Christi compunctum fuit, gladium accipientes eam effoderunt ac abraserunt, atque ab Ecclesia profligarunt. Impleveruntque & ipsi Judæorum opus, seque ipsos diabolo tradiderunt. O miseriam, ô furorem, ô errorem Christianorum. Væ tibi à Deo aliene diabole, qui Judæis commiscueris genus Christianum.

Concil. 7. Nicæn. 2.

Injuria illata contra crucifixi imaginem ab Iconoclastis.

Hoc adhuc restabat Draconi qui filium mulieris parituræ devorare intendebat, ut postquam per præcedentes hæreticos fidem mysterij Redemptionis humani generis everterat fruitio molitus fuisset, ejusdem redemptionis vestigia in crucibus aliisque Christi imaginibus extantia ubique deleret, ne tam sæpe ad

imaginum ſacrarum intuitum memoria tanti beneficij renovaretur in fidelium mentibus. Novus certe modus eſt perſecutionis adverſus Chriſtum Redemptorem.

Multis deinde Damaſcenus hæreſim illam exagitat, ac Concilium per Imperatorem Copronymum Conſtantinopoli habitum propterea dictum ab aliquibus, Synodus Copronymiana, ab aliis pſeudo-ſeptima contra imagines, vocat Acephalum Conc. Deo ac ſanctis ejus execrabile conventiculum. Nam quæſo te quis ei Patriarcharum inventus eſt intereſſe? Romanus ire noluit: ac quis non eam Synodum caput non habentem deriſerit? caput ſibi præfecit converſaque abjecit, quin imo occidit. O cæcitatem, ò dementiam, ô inſipientiam! quis non rideat bellam hanc Synodum? vel hinc quiſque noverit, nullius eam roboris eſſe, ac indignam ut vel apud Deum vel apud homines accepta ſit. Quod autem ait D. Damaſcenus Synodum hanc caput ſuum occidiſſe, ſermo eſt illi de Anaſtaſio Pſeudo-Patriarcha ſecta Iconomacho, quem Copronymus in ſuos etiam familiares deſæviens, ne feris rabidis abſimilis eſſet, aſello præpoſterè impoſitum & virgis cæſum ac per urbis plateas ludibrio habitum eſſe voluit, licet poſt ea in thronum reſtituerit.

Conſt. Copronymi geſta crudelia.

Quanta autem tragedia ex hac hæreſi in Orientali Eccleſia acciderit, quam funeſta omnia ex hac contentione, loquuntur libri integri plurium hiſtoricorum: plures enim Imperatores hac hæreſis lue infecti velut feræ beſtiæ in Orthodoxos ac præcipuè Monachos ſævierunt. duo Leones Iſaurus & Armenius & inter utrumque fœdus Copronymus, qui in indicium futurorum puros baptiſmi fontes, dum baptizaretur, fœdavit, unde illi cognomen poſtea, omnia audens in pios quoſque ut nefariæ ſuæ Synodo omnes ſubſcriberent. Andreæ Calabriti eximiæ pietatis Monacho flagrorũ vi diruta cutis eſt. Stephanus Eremitarum dux & magiſter qui plures annos clauſus in clauſtro traduxerat, fuſtibus & lapidibus toto corpore dilaceratus eſt & in altiſſimam foveam cum damnatis projectus. Tradita militibus Monaſteria ut memoria deleretur Monachorum, qui adacti ſunt excuſſo cucullo inire conjugia & vitam ſordidis artibus ſuſtentare. Aliquot Senatores etiam, quod imagines coluiſſent, duriſſimis nervis in foro verberati ſunt. Sed dum ſanctos perſequitur ultione divina percuſſus eſt: anno enim Chriſti 775. Imperij ſui 35. dum in Bulgaros exercitum duceret ardente febri correptus eſt, pedeſque illi intumuere carbunculis ab exurendi vi ita nominatis, quorum æſtu, in caſtello Arcadiopolis ad quod delatus fuerat, dum graviſſimè urgeretur, clamat infœlix, vivum ſe inextinguibili igni traditum ob violatum Deiparæ Mariæ nomen & cultum, juſſitq; eam deinceps honorari, ſuãq; ultimam voluntatem his verbis teſtabatur: *Incolumis eſto magnum templum divinæ Sophiæ: incolumis eſto ædes ſanctiſſimæ Deiparæ in Blachernis: incolumis eſto Eccleſia ejuſdem in Chalcopratiis. Incolumis eſto ædes ſanctorum Apoſtolorum* (erant hæ præcipuæ Eccleſiæ quas injuriis affecerat, &c.) ſimilis in hoc Antiocho regi templorum expilatori, qui ſemper impius moriens hanc primum veram ſententiam pronuntiavit, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo & mortalem non pariæ cum Deo ſentire.* 2. Machab. cap. 9.

Impiæ ejus & teſtament. Copronymi

Huic ſucceſſit filius Leo quartus, etiam imaginum inſectator, qui perbrevi defunctus eſt infœliciter, quare ejus uxor Irene Catholica pietate florentiſſima cum filio Conſtantino minori ætate imperare cœpit. Quæ cum nihil antiquius haberet quam ut Catholica religio reſtitueretur, procuravit primum inſignem doctrina & pietate virum Taraſium in Patriarcham regiæ urbis, cum Paulus antea Patriarcha onus detrectaret, qui quod ſubſcripſiſſet impiæ Synodo Copronymi in qua cultus imaginum abdicatus erat, ut pœnitentiam ageret, in Monaſterium ſeceſſit pœnis voluntariis ſe diſcruciaturus, dicenſque niſi pœnitentiam egerot ſe æternis ignibus puniendum.

Taraſius autem Patriarcha quamprimum ſcribit ad Adrianum primum: ſcribunt & Imperatores ut ipſius authoritate Synodus cogeretur, ad eamque de more Legatos Apoſtolicos mitteret. Nuſquam lætior Pontifici nuntius acceſſit. Qui illico mittit Petrum Archipresbyterum Eccleſiæ ſancti Petri, & Petrum Abbatem ſancti Sabæ ut ſuo nomine Concilio præeſſent. Sed cum Iconomachi diu in urbe Regia dominati fuiſſent, & incredibiles imperitæ multitudinis tumultus ac concurſus adverſus Epiſcopos concitarent, quos ne Imperator quidem ſedare poſſet, dilata res eſt paulliſper, ac poſtea Nicæa Bythiniæ Metropolis ob primi Concilij contra Arrianos Majeſtatem in honore habita, viſa eſt opportuna Synodo habendæ, tanquam divinitus conſtituta ad debellandos Religionis hoſtes. Fitque ad eam concurſus Epiſcoporum octavo Imperij Conſtantini cum Irene matre anno. Convenere 367. Patres ut ſtatueretur aliquid certi de hac lite. Quamvis enim perſequutio plurium Imperatorum ſibi ſuccedentium in errore ſicut in regno, atrociſſima fuerit & qualem nondum experta erat Eccleſia Orientis, nondum tamen viribus ſic exhauſta fuit quin ſatis potens fuerit tantiſper mundi fulta præſidiis, cum divina non deeſſent ad reſtituendam pietatem priſtinam, qualem ab Apoſtolis acceperat. Ut ſunt enim judicia Dei mirabilia & conſilia ejus ſuper filios hominum altiſſima, exſurgente hac nova hæreſi, Monothelitæ qui Eccleſiam hanc infeſtabant ſiluiſſe noſcuntur, ut notat Baronius ad an. 726. num. 3. accidit enim perinde ac ſi cum bello civili ſtagret civitas, externum inſurgat bellum; eo omnes arma convertant, quibus antea ſe trucidabant. Ita planè. Adeo enim turpis ac deteſtabilis viſa eſt hæc hæreſis, ut non ſolum Catholicorum, ſed etiam hæreticorum arma in ſe converterit. Qui pugnantes ſimul cum Orthodoxis adverſus Inonoclaſtas ac confractores imaginum hæreticos, junxerunt ſeipſi Eccleſiæ Orthodoxæ.

Adrianus Papa.

Acciditque illud planè mirandum, ut cum Orientalis Eccleſia Hæreticorum crebrius infecta, venenis vires conſternata perdiderit: Mox hujus ipſo tantum conſpectu hæreſis vires ſumpſerit, vires collegerit & animos adverſus eam certatura. Ex quo certamine licet multi facti ſint deſertores, nunquam tamen adeo vitã eſt victrix & illuſtris quam in illo bello, ut pote quæ pluribus quam antea fuerit decorata martyribus, quorum aucta coronis, & inſignita victoriæ palmis præteritam delevit ignominiam ſuæ proſtitutionis factæ ſæpe diverſis hæreticis. Qua in re ſi aliquam rationem humanam licet adjicere, ad fieri potuit, quod rebus externis & viſibilibus ſolent magis affici homines. Præteritæ autem hæreſes magis erant internæ, ut erant de Verbi divini conſubſtantialitate, de divinitate Spiritus ſancti, de anima, perſona, natura, voluntate ac operatione Chriſti. Sed hæc noviſſima quæ templa & altaria ornatu ſuo ſpoliabat, quæ Salvatoris omnium ac Deiparæ Virginis Sanctorumque ac Sanctarum cum Chriſto regnantium imagines ſuffodebat, evellebat, abjiciebat, diruebat, dilapidabat, dilacerabat, calce vel atramento obliterabat, comminuebat, conculcabat, omnium erat patens oculis, & in ea videre erat ſæviſſimum cacodæmonis odium in Chriſtum & in ſanctos ejus, qui ut panthera hominem proſequens odio, illum ſi non inveniat, contra ejus imaginem, ſi illi occurrat, exercet feritatem belluinam, eam in mille partes morſibus & unguibus diſcerpendo; non ſecus atra bellua inferorum in Deum & ſanctos ejus ab initio bellum gerens, cum eos in cœlo attingere non poſſet, in eorum imagines toto furore debacchabatur in templis, in domibus privatis, in foro, in angi-portibus, in agris & ubicumqae inſignia hęc pietatis parebant, cum ſummo mœrore piorum omnium deformabantur, audiebanturque per univerſos Imperij fines Senatuſconſulta, imo inconſulta Senatorum ex juſſu Imperatoris coactorum decreta, quibus proſcribebantur imaginum formæ ac cultus omnis

Iconoclaſtæ foeditèr reſtituunt pri.

circa

circa illas, ac loco Dei idola venerarentur homines. Hic enim erat prætextus in ſpecie pius, ut eſt omnium hæreſeum, fœdæ iſtius hæreſis. Quam & ſi præcedentes Synodi ſatis videri poterant damnaviſſe, cum gleræque earum in iis locis ubi erant imagines congregatæ fuiſſent, & in earum conſpectu Canones ſuos ſanciviſſent, nequaquam tamen ut rem fidei adverſariam damnarant, ad abundantiorem ergo difficultatum explicationem & veræ fidei comprobationem præſens hæc Synodus habita eſt.

Monet autem Baronius ad præſentem annum 787. hujus Synodi triplicem diverſis temporibus factam eſſe verſionem è Græco in Latinum. Primam quidem è verbo ad verbum adeo inconcinnam atque ineptam, ut nec eam Librarij exſcribere dignarentur. Quæ cum haberetur contemptui, Anaſtaſius Bibliothecarius nova tranſlatione ſenſa ſenſibus quam diligentiſſime reddens donavit ac in Archivo S. R. E. recondidit. Poſtremo qui verſionem Anaſtaſij ignoravit exoſus primam, aliam elaboravit, quæ in tomis Conciliorum communi uſui expoſita eſt. Hinc porro eſt quod Binius in ſua collectione hanc Synodum cum duplici verſione exhibet, Anaſtaſiana priori cum textu Græco, & alia Latinâ tantum quæ communior eſt, & quam Joverius reſciſſis iis quæ putavit minus neceſſaria, poſt textam Synodum poſuit. Hanc autem viſum eſt tantiſper auctiorem facere ac aliqua ſupplere ex Anaſtaſij verſione, quæ nobis intacta relinquere decens viſum non eſt, cum ita compendiariam hanc ſummam nobis propoſuerimus, ut avidum rerum Lectorem in magis neceſſarijs non deſeramus.

Verſio triplex Synodi.

In tanto autem pretio habita eſt Synodus hæc apud Græcos ut Feſtum diem agant quotannis ejus diei in quo abſoluta eſt. In eorum enim Menologio juſſu Baſilij Imperatoris reſtituto iſta leguntur. *Die duodecima menſis octobris. Sancta ſeptimæ Synodi trecentorum ſexaginta ſeptem Patrum commemoratio.* Sancta ſeptima generalis Synodus Nicææ ſecundo conflata fuit ſub Conſtantini & Irenæ ipſius genitricis Imperio, cum eſſet Conſtantinopoli Patriarcha Taraſius ſanctiſſimus Deifer Pater noſter. Sancti namque patres numero trecenti ſexaginta ſeptem adverſus imaginum impugnatores convenerunt principis juſſu & in ſcriptis omnem excommunicaverunt hæreſim & hæreſeon principes & omnes Iconomachos, cunctis eadem voce dicentibus: *Sanctus non adorans imagines, eſt ab Orthodoxorum alienus fide. Et imaginis honor (ſicut magnus inquit Baſilius) ad primitivum refertur. Qui namque colit imaginem & veneratur, in ea venerator picti ſubſtantiam & adorat.* Et cum ita ſtatuiſſent, & in ſcriptis Orthodoxam firmaſſent fidem ab Imperatore honorati, ad ſuum quiſque miſſus eſt Epiſcopatum.

Feſtum dies Synodi.

Cultus imaginis reſpectivus

Actio I.

In nomine Domini & dominatoris Jeſu Chriſti veri Dei noſtri & Imperio piiſſimorum & amicorum Chriſti dominorum noſtrorum Conſtantini & Irenes matris ejus, octavo anno conſulatus eorum, octavo Kalendas Octobrias Indict. xij.

Conveniente ſancta & univerſali Synodo, quæ per Divinam gratiam & piam ſanctionem eorumdem Deo confirmatorum Imperatorum congregata eſt in Nicænſium clara Metropoli Bithinienſium Provinciæ, id eſt Petro Reverendiſſimo Archipreſbytero ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ ſcilicet Apoſtoli Petri, & Petro Reverendiſſimo Preſbytero Monacho & Abbate venerabilis Monaſterij ſancti Sabbæ Romæ ſiti retinentibus locum Apoſtolicæ ſedis almi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ Adriani. Taraſio almo & ſanctiſſimo Archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ, Joanne ac Thoma Reverendiſſimis Preſbyteris, Monachis & Vicarijs Apoſtolicarum ſedium Orientalis Diœceſeos, Agapito Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, &c. Macario Epiſcopo Arcadiorum ſedentibus ante ſacratiſſimum ambonem templi ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ quæ cognominatur Sophia, præſentibus & audientibus gloriosiſſimis & magnificentiſſimis principibus, id eſt Petrona laudatiſſimo exconſule patritio & comite Deo conſervandi Imperialis officij, & Joanne Imperiali oſtiario & Logotheta Imperialis Logotheſij, & Reverendiſſimis Archimandritis Hegumenis & Monachis, propoſitis ſanctis & intemeratis Dei Evangelijs. Reverendiſſimi Epiſcopi Siciliæ Inſulæ dixerunt. Dignum ducimus & per omnia hæc huic ſanctæ & univerſali Synodo conveniens eſſe perſpicimus, ut ad exquirendorſi inchoationem capitulorum, ſanctiſſimus & ſummus ac eximius Paſtor & Præſul Regiæ Conſtantinopoleos novæ Romæ proœmium faciat & oſtium verbo aperiat, & quæ congrua ſunt, vociferando pronunciet.

Sancta Synodus dixit: fiat ſecundum poſtulationem ſanctiſſimorum Epiſcoporum.

Tharaſius ſanctiſſimus & beatiſſimus Patriarcha Conſtantinopoleos dixit: opportunum eſt nunc dicere Prophenicam illam vocem, quam ſæpe audivimus per Evangelium prædicari: *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas:* Quando enim Deus facit aliquid, omnis in his quæ aguntur, facilitas ſequitur, quoniam voluntati ejus reſiſtit nullus. Nam etſi ex antiqui hoſtis immiſſione, qui vult concitare ſuper ſanctam Eccleſiam Catholicam, præterito anno Kalend. Auguſti, in à Deo conſervata Regia urbe præſentibus nobis in venerabili templo tubarũ Spiritusſancti videlicet & laudatiſſimorum Apoſtolorum, commota eſt multorum turba virorum furore ac amaritudine plena, ut in nos manus injiceret (ex qua manu divina erepti ſumus, habentes in auxilium quoſdam Epiſcopos, qui facile numerari poſſunt, quorum nomina voluntarie præterimus, quoniam omnibus nota ſunt) & ad modicum viſi ſunt prohibuiſſe loqui, & confirmare pium veritatis ſermonem. Sed mitiſſimi Imperatores noſtri divinitus acti, cum eſſent Orthodoxiæ propugnatores, & ſiniſtræ opinionis impugnatores non dederunt ſomnum oculis ſuis, & palpebris ſuis dormitationem, donec tabernaculum Dei, id eſt, Eccleſiam ejus in unum reſtituerent, & pacificum hanc habitaculum redderent. Quapropter conſilio & voluntate Dei rurſus in idipſum congregaverunt nos. Verum pro his bonas recipient viciſſitudines à Chriſto omnium noſtrum Imperatore, qui ad has multipliciter remerciendum potentiſſimus eſt. Nos ergo ſacrati viri adjutorem illum invocantes, & in pectore noſtro timorem ejus habentes, futurumque judicium in mente recipientes, accingamus lumbos mentis noſtræ in veritate, & vigilantes in omnibus ſecundum Apoſtolum, æquilibraminis judicium judicemus: & omnem vocum novitatem, ambitum, atque ſuperfluitatem tanquam puro tritico ſuperſeminata zizania, ſine omni dilatione radicitus evellamus, utpote veritati obviantia, & Eccleſiæ repugnantia. Quæ enim in ea tradita ſunt, non ſunt, eſt & non; ſed, eſt, exiſtunt in veritate & permanent incorrupta, & immutilata in ſempiterna ſæcula. Sine mendacio quippe eſt, qui repromiſit, dicens: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* etſi certificati fuerimus quod placabile ſit in conſpectu Dei, conveniant qui in præterito anno reſtitere veriti: ſi quis eſt in illis ſermo vel contradictionis vel etiam ratiocinationis, dicant: ita namque omnis examinatio manifeſta fiet.

Luc. 3. Iſa. 40.

Matth. 16.

Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri dixit: ſi videtur huic ſanctæ & univerſali Synodo, ſecundum quæ dicta ſunt à ſanctiſſimo & beatiſſimo Patriarcha Tharaſio, ingrediantur ſanctiſſimi Epiſcopi qui in hac criminati ſunt parte, in conſpectu hujus ſanctæ & univerſalis Synodi. Sancta Synodus dixit: ingrediantur, & ingreſſi ſunt Epiſcopi, qui prædicti ſunt. Cumq; ingreſſi fuiſſent, glorioſiſſimi Principes dixerunt: Domini noſtri benigni honorabilem & ado-

tandam ſacram juſſerunt mittere ad omnem ſacratam Synodum veſtram; & audite. Sancta Synodus dixit: confirmet Deus Imperium bonorum dominorum noſtrorum; & delatam in manibus glorioſiſſimus à ſecretis Leontius eamdem piam Sacram legit.

Sacra, Conſtantinus & Irene fideles Imperatores Romanorum, ſanctiſſimis Epiſcopis, qui in voluntate & gratia Dei, & juſſione pij Imperij noſtri convenerunt in Nicæna Synodo.

Præmiſſa ſalutatione narrant quanta ſollicitudine ferantur poſt curas Imperij ad ſervandum ordinem pacificum in Eccleſia, quæ ad hunc finem geſſerunt ab initio Imperij, quod propterea fieri Synodum univerſalem, dum Vicarij tam à Papa Romano quàm ab Orientis principibus Sacerdotum inveniretur, poposcerit Taraſius priuſquam annueret ut Patriarchatum ſuſciperet. Quod libenter audierint, ac inde à toto terrarum orbe congregata Synodo hortantur ut propoſitis ſanctis Evangeliis & intelligibiliter clamantibus juſte judicare, ſteut ſtabiles pietatis propugnatores, omnem novitatem vocum recidant, extendant ſecurim Spiritus & omnem arborem germinantem fructum contentionis aut magiſterialibus vocibus tranſplantent aut Canonicis increpationibus concidant & in ignem futuræ gehennæ tranſmittant, ut pax reipublicæ cum fidei tranquillitate conſiſtat, &c.

Sancta Synodus dixit: conſervet Deus Imperium ipſorum, longos faciat Deus annos ipſorum, per amplius concedat Deus gaudere illos.

Et adductus eſt Baſilius Ancyræ & Theodorus Myrorum & Theodorus Ammorij: & ſtantibus eis in medio ſanctæ Synodi Baſilius Ancyræ Epiſcopus dixit: quantum erat ad potentiam meam Domini mei, quæſivi cauſam & omni ſatisfactione accepta, acceſſi ad Catholicam Eccleſiam ego noviſſimus ſervus veſter. Tharaſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit: Gloria Deo qui vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Profeſſio fidei.

Baſilius Epiſcopus Ancyræ ex libello ita legit. Legiſlatio eſt Eccleſiaſtica Canonicè tradita deſurſum ab initio tam à ſanctis Apoſtolis, quàm à ſucceſſoribus eorum ſanctis videlicet Patribus noſtris atque Magiſtris; ſed & ſanctis & univerſalibus ſex Synodis ſeu localibus Conciliis, quæ Orthodoxè collecta ſunt, ut ab hæreſi quacumque ad Orthodoxam confeſſionem & traditionem Catholicæ Eccleſiæ converſi, in ſcripturis ſuam abnegent hæreſim & fidem confiteantur Orthodoxam. Unde & ego Baſilius Epiſcopus civitatis Ancyræ proponens uniri Catholicæ Eccleſiæ, Adrianoque ſanctiſſimo Papæ, & Tharaſio beatiſſimo Patriarchæ, ſeu ſanctiſſimis & Apoſtolicis thronis Alexandriæ, ſed & Antiochiæ & ſanctæ civitatis, necnon omnibus orthodoxis Pontificibus & Sacerdotibus, præſentem hanc confeſſionem meam facio in ſcriptis, & offero vobis, qui ex Apoſtolica authoritate poteſtatem ſumpſiſtis. In hoc ipſo etiam veniam expetens à divinitus collecta beatitudine veſtra pro tarditate mea. Oportebat enim ut non orthodoxa confeſſione fraudarer, ſed ſummæ indiſciplinationis meæ, & ſegnis ac negligentis mentis eſt hoc. Una magis poſtulo à beatitudine veſtra, ut & petatis à Deo indulgentiam mihi concedi.

Baſilij primo hæreſis confeſſio Catholi.

Credo, & confiteor in Deum Patrem omnipotentem, & in unicum Dominum Chriſtum Filium ejus unigenitum, & in ſanctum Spiritum Dominum vivificantem, & Trinitatem, conſubſtantialem, in throno eodem conſedentem, in una Deitate, poteſtate & authoritate, adoratam & glorificatam, in unius ſanctæ Trinitatis, & Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti œconomia, quemadmodum ſex ſacræ œcumenicæ Synodi tradiderunt. Hæc omnia ſic confiteor. Univerſam autem hæreticorum linguæ incontinentiam abjiciens execror, quemadmodum ipſos ſeſe reddiderunt exsecrabiles. Interpellans etiam intemeratæ Virginis noſtræ Deiparæ, ſanctarum cœleſtium poteſtatum, omniumque ſanctorum interceſſionem: horum etiam ſanctas reliquias cum omni honore ſuſcipiens, & amplectens honorifice veneror, firmiter credens me illorum ſanctitatis fieri poſſe participem. Eodem modo venerandas imagines, quæ œconomiam Jeſu Chriſti Domini & Dei noſtri, qui propter ſalutem noſtram homo factus eſt, & inviolatæ Virginis dominæ noſtræ Deiparæ, ſanctorumque Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & omnium ſanctorum ſuſcipio & amplector, eiſdemque honorem debitum exhibeo. Abjiciens & execrans ex toto animo & corde congregatam ex depravata mente, & inſania, & appellatam ſeptimam Synodum apud eos qui rectè ſapiunt, nimium quam juſte & Canonice ψευσενιδον, hoc eſt, falſum conciliabulum appellatam: utpote ab omni pietate & religione alienam, & à Deo tradita Eccleſiaſticæ legiſlationi audenter, & præfracte, ne dicam impie oblatrantem, Venerandaſque imagines contumelia afficientem, jubentemque has è medio ſacrarum Eccleſiarum tolli, cui præfuit Theodoſius falsò nominatus Ephesi Epiſcopus. Siſinnius item Pergæ cognomine Paſtillas.

Anathematiſmi ejuſdem Baſilij Ancyræ Epiſcopi.

Primus. Qui doctrinas ſanctorum Patrum, & traditionem Catholicæ Eccleſiæ contemnunt: quique cauſantur & voces Arrij, Neſtorij, Eutychis, & Dioſcori jactant, dicentes quòd niſi ſatis ex veteri, & novo teſtamento inſtructi eſſemus, ſanctorum Patrum, ſacrarum ſex Synodorum doctrinas, & Catholicæ Eccleſiæ traditiones ſequeremur, execratio.

Secundus. Qui inquiunt diabolicarum inſidiarum inventum ſacrarum imaginum culturam & ædificationem, nequaquam autem ſanctorum Patrum noſtrorum traditionem, execratio.

Cæteri anathematiſmi eadem continent, quæ & illi qui ſunt in fine ſeptimæ actionis.

Hæc quidem ſic confiteor & approbo, & ex tota anima, corde & mente demonſtro. Quòd ſi autem ſive ex calumnia, ſive ex inſtinctu volens nolens ullo tempore ab his deſcivero, alienus ſim & à ſancta Trinitate, & à Catholica Eccleſia.

Similiter & alij duo produxerunt libellos confeſſionis ſuæ ſequentes Baſilium Ancyræ Epiſcopum ex Chryſoſtomo, & ex Baſilio in oratione in quadraginta martyres, probantes venerationem imaginum, & cinerum ſanctorum Martyrum: quos benigne excepit ſacra Synodus: etiam reſtitutis eis ſuis ſedibus, in quibus continuo juſſi ſunt reſidere.

1. q. 7. Clamaverunt.

Deinde adducti ſunt & alij plures Epiſcopi ex eadem hæreſi: & placuit ſanctæ Synodo, ſecundum Canonem octavum Nicænæ Synodi, & tertium Epheſinæ, & epiſtolam D. Baſilij ad Amphilochium ſuper ſimili negotio ſcriptam, eos ab hæreſi venientes recipi cum manuum impoſitione.

Præceſſit autem longa diſputatio quomodo hæretici pœnitentes cum redeunt ad Eccleſiam Catholicam ſint recipiendi: ſed ex ſententiis patrum Baſilij, Athanaſij, Cyrilli, Chryſoſtomi, & Sardinenſis Synodi deliberatum eſt, eos cum manuum impoſitione recipiendos: & ſic abſoluta eſt actio prima.

Epiſc. Iuvenalis figura eruminis Chriſti.

In iſta prima actione cum quidam ſe difficiliores exhiberent ex numero Orthodoxorum Epiſcoporum qui Synodo præſentes erant ad eoſdem lapſos recipiendos, commiſeratione permotus Juvenalis quidam Epiſcopus (cujus autem fuerit civitatis non dicitur, ait Baron. ad an. 87. n. 27.) ex ſua ſede ſurgens, ſe cũ lapſis immiſcuit æque eamdem cum illis excepturus ſententiam: ſed & clamans cum aliis parcite, Patres parcite Patres. Quod factum ut ad commiſerationem cõmovit Patres: ſic exemplar eſt inſignis Jeſu Chriſti Filii Dei qui ut ad miſericordiam Patrem æternum flecteret

erga peccatores, in ſedeſque ſuas per peccatum amiſſas reſtitueret, ſe non ſolum illis immiſcuit, ſed velut in capite eorum ſe conſtituit, implorans divinam miſericordiam cum clamore valido & lacrymis, quaſi ipſe fuiſſet è numero peccatorum. Inde reſtitutio Iconoclaſtarum, id eſt, peccatorum qui imaginem & ſimilitudinem Dei in anima ſua impreſſam decoloraverunt & violaverunt. Sed hoc obiter, cujus applicationis auctor primus eſt Marcellinus de Piſe Capucinus *in Enciclopedia Morali*, Homilia de S. Thoma Apoſtolo, licet pro Juvenali Julianum poſuerit.

Actio ſecunda 6. Calend. Octob.

Primo producta eſt in Synodo Epiſtola Adriani Archiepiſcopi Romani ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos.

Dominis Piiſſimis ac Sereniſſimis victoribus, triumphatoribus filiis in Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto dilectis Conſtantino & Irenæ Auguſtis, Adrianus ſervus ſervorum Dei.

2. Cor. 4. Coloſſ. 1. DEus qui juſſit è tenebris lucem ſplendere, quique nos à poteſtate tenebrarum, per filij ſui, verę ſcilicet incarnationem *liberavit*, in quo cuncta divinitatis ſuæ ſpecimina juſſit converſari, per quem etiam univerſa *renovavit, ſimul in illo per ſanguinem Crucis illius, cum eaquæ in cœlis ſit in terra exiſtentia pacificans*, per divitiarum bonitatis ſuæ plenitudinem, in Eccleſię ſuæ faciem reſpiciens, pietatem veſtram, & prædeſtinatam ſerenitatem Imperatoriæ manſuetudinis, ad perfectionem fidei vocare non dedignatus eſt, quo omnem mendacij improbitatem per vos conterat; veritatemque in lucem producat. Poſteaquam enim quæ à veſtra ſerenitate, & pietate nobis miſſa ſunt cognovimus, dici non poteſt quantopere cor noſtrum gaviſum ſit, tanto enim gaudio & lætitia repleti ſumus, ut ne humana quidē lingua explicare ea ſufficiat. Quemadmodum enim à ſuperioribus hæreſeos ſchiſmatibus eramus conterrefacti, ita nunc rurſum per veſtram juſſionem exultatione ſumus perfuſi. Nam in Regia veſtra civitate venerandarum imaginum cauſa juſſiſtis tractari, quæ à retro Imperatoribus turpiter in eas commiſſa ſunt. Hi enim non ſolum eas ſubverterunt, ſed & contumelia affecerunt, ridiculas eas exiſtimantes, atque utinam non computet illis peccatum hoc Altiſſimus. Satius enim fuiſſet ne injeciſſe quidem manus in Eccleſiam. Unde factum ut totus Orientalium partium populus in errorem ſit inductus, & in propria exiſtimatione, & voluntate rebus Eccleſiæ abuſi ſint, donec in regni ſolium vos evexit, quos ſciebat in veritate illius gloriam inquiſituros, & quæ à ſanctis Apoſtolis, cunctiſque Doctoribus tradita erant, conſervaturos: honoremq; debitum imaginibus, quæ per amentiam hæreticorum ſubverſæ fuerant, redditurum. Nuper verò propriam veſtram juſſionem, de voluntate veſtra inſtructi, omnipotentem Deum pro veſtro Imperio precibus ſollicitantes, gratiarum actione gloriam illius prædicavimus. Illud autem in ſtabilimentum & confirmationem regni veſtri maximè ſit, quod magnum opus hoc aggreſſi eſtis, quod ſine mediatione veſtra in hoc mundo vix fieri poteſt: redderur enim jam ſibi vetus & antiqua orthodoxa fides, reſtituentur venerabiles imagines in eam faciem, qua in prima Eccleſia conſpectæ ſunt. Vos autem partem habebitis cū eo, qui nunc in divina requie quieſcit, Conſtantino Imperatore & Helena ejus matre, qui orthodoxam fidem illuſtrarunt, & confirmarunt, adeoque ſanctam matrem veſtram catholicam, & ſpiritualem, Romanā Eccleſiam exaltarunt, ut plane ſpes ſit, eorum piam appellationem in veſtra cognomenta piiſſima, & à Deo data tranſituram, ut per omnem terrarum orbem novus Conſtantin. & nova Helena prædicetur, per quos ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia renovabitur.

Vos autem maximè in traditione Orthodoxæ fidei Eccleſiæ B. Petri & Pauli principum Apoſtolorum, acquieſcetis eamque amplectemini, quemadmodum à ſuperioribus Imperatoribus factum eſt, qui vicarium ejus ex toto corde dilexerunt. Quapropter veſtra quoque à Deo data majeſtas, ſanctiſſimam Roman. Eccleſiam principum Apoſtolorum, quibus à Deo ipſo data eſt poteſtas ſolvendi & ligandi peccata tum in cœlo, tum in terra, honorabit. Ipſi ſcilicet regni veſtri propugnatores erunt, cunctaſque barbaras nationes pedibus veſtris ſubjicient, ut quocumque ire perrexeritis victores vos declarent. Hi ſiquidem principes Apoſtolorum ſunt, qui Catholicam, & Orthodoxam fidem auſpicari, per ſcripta quidem veluti legibus latis fidem ſuam ſervandam præceperunt omnibus videlicet, qui in ſedes illorum ſucceſſuri erant, & in fide eorum, uſquè ad conſummationē ſæculi permanſuri, atque ita noſtra ſervat Eccleſia, & ſanctas eorum figuras veneratur; unde in hunc uſque diem venerandis horum imaginibus Eccleſiæ noſtræ ornatæ & conſpicuæ ſunt. *Matth. 16.*

Quemadmodum ſanctiſſimus, & beatiſſimus Papa Sylveſter in principio Chriſtianorum noſtrorum orthodoxa fide teſtatur. Cum aliquando fœlicis recordationis Conſtantinus Imperator per noctem ſomnum caperet, ecce B. Apoſt. Petrus & Paulus dormienti aſſtiterunt, dicentes: Quandoquidem ſanguinis infantium effuſionem morbi tui gratia fieri juſſiſti, en à Chriſto miſſi ſumus, quo ſanitatem tibi afferamus. Audi igitur noſtrum conſilium, & ea quæ tibi præcipimus fac impleas. Principio Sylveſtrum Epiſcopum qui perſecutionis tuæ gratia Roma exulat, & in Sorapeno monte clam in ſpeluncis cū clero latitat, cura ad te vocari. Is tibi lavacrum pietatis, in quo tu lavaberis, præparabit, dabiturque tibi non modo lepræ, verum omnium morborum ſanitas. Cumq; præclaris iſtis bonis fueris recreatus, confeſtim jubeto per omnia loca Romanorum Eccleſias reſtaurari, te vero ipſum purum, abjecto idolorum cultu, declarabis, cultumque debitū ſoli Deo vero adorando exhibeas, juxta illius voluntatem omnia tua conſilia diſponens. Imperator itaque è ſomno excitatus, omnes ſuos aulicos quicunque in palatio erant convocavit, quodq; per inſomniū illi oſtenſum fuerat, expoſuit, nec mora aliqua, ſed confeſtim miniſtros ſuos ad Sorapenum montem in quo B. Pater Sylveſter cum clero, vacans lectionibus ſacrorum librorum latitabat, miſit. Jam cum undique videret milites circuncingentes montem inquirendi cauſa, exiſtimans quod ad martyrium raperetur, clerum ita affatus eſt: Ecce nunc tempus expectatum, ecce nunc dies ſalutis. Egreſſo autem de ſpelunca narrarunt milites, qua de cauſa quæreretur, cum quibus ad Imperatorem, trahens ſecum comites tres Presbyteros cum duobus Diaconis profectus, cum Imperatorem vidiſſet: Pax tibi, inquit, ô Imperator ſurſum de cœlo & victoria. Imperator itaque hilari oculo, & tranquillo animo illius verba exaudiens, quæcunque ſibi per inſomnia fuerant revelata B. Sylveſtro expoſuit. *Converſio Conſtantini magni origo.*

Poſtquam autem finem narrationis feciſſet, quæſivit Imperator, qualesnam arbitraretur eſſe deos Petrum & Paulum quos viderat. Reſpondit pater nequaquam eſſe deos, ſed ſervos, & diſcipulos Domini noſtri Jeſu Chriſti, quos in hoc elegiſſet, ut omnes converterent, ut crederent in eum. Hæc cum audiviſſet Imperator percontatus eſt num alicubi eſſent hiſtoriæ illorum? mox B. Sylveſter per Diaconos adferri, quas habebat Apoſtolorum imagines juſſit: quas cum Imperator aſpexiſſet clara voce proclamavit: Hi ſunt, quos per viſum conſpexeram, neque amplius incredulus ſim: paretur lavacrum in meam ſalutem. Conſtructo autem lavacro, cum ſacro rore tinctus eſſet, confeſtim eſt ſanitati priſtinæ reſtitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, Eccleſias Dei exædificare cœpit, columnas earum paſſim ſacris imaginibus in memoriam Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, omniumq; ſanctorum reverentiam exornavit: nec alia de cauſa, quam ut Chriſtianiſſimum, in lucem, & veritatem, *Imagines Petri & Pauli.*

ni audiens non fuerit, excommunicetur quoad in propriam Ecclesiam redierit. Id ipsum fiat etiam in eo Episcopo qui illum detinuerit. A

Canon 19. Episcopi diebus omnibus præcipue Dominicis docere populum debent.

Docere populum Episcopis ex officio datum. De scriptura sub orta controversia per patrũ interpretationem definenda.

Quod oportet eos, qui præsunt Ecclesiis in omnibus quidem diebus, sed præcipue Dominicis omnem clerum & populum docere pietatis ac rectæ religionis eloquia, ex divina scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum patrum traditionem. Sed & si ad scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ luminaria & DD. suis scriptis exposuerunt: & majorem ex iis laudem assequantur, quam si quæ à se dicuntur componant: ne, dum quandoque ad id hæsitant, ab eo quod convenit excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam, populi ad eorum quæ sunt bona & expetenda, & inutilia ac rejicienda cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec ignorantiæ vitij convincuntur, sed doctrinæ mentem adhibentes, se ipsos ad id ne mali quid eis accidat, excitant, & imminentium suppliciorum metu sibi salutem procurant. B

Canon 20. Ne in alia civitate Episcopus doceat.

Non licet Episcopo in aliena civitate publice docere. Si hoc facere deprehensus fuerit cesset ab Episcopatu, Presbyteri autem munere fungatur. C

Canon 21.

Qui criminum canonicis sanctionibus damnatorum rei facti, & omnimodæ perpetuæque muneris sui privationi obnoxij redditi, laicorum numero accensentur, ij si scelerum ob quæ à gratia exciderunt, pœnitentia ducti sua sponte redeant in viam, seque ab iisdem sceleribus in totum abdicent, id sane illis permittendum, ut de more clericorum tondeantur. Sin est ut ipsi haud quaquam ultro resipiscant, in modum laicorum comam nutriant, ut qui in secularibus vitæ illecebris voluptari, quam ad immortalitatem aspirare maluerint.

Canon 22.

Ob pecuniam promotos, sive Episcopos, sive clericos deponi jubemus.

Canon 23. Pro Eucharistiæ administratione nihil exigendum est.

1. q. 1. Nullus Episcopus.

Nullus Episcopus sive Presbyter, sive Diaconus puriſſimam præbens communionem, ab eo qui communicat ejus participationis gratia, obolos vel quamvis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia, nec pecuniis spiritus sanctificationem impartimur sed ea iis qui digni sunt absque ulla fraude est communicanda. Qui secus fecerit, deponatur. D E

Canon 24. Ne clerici aut Monachi intersint ludis theatralibus.

Hic canon est 25. can. Laodicen. & 11. Carthag. 3.

Ne liceat cuiquam eorum qui sacri sunt ordinis, vel Monacho, ad Circenses ludos ascendere vel scenicis ludicris hærere: etiamsi ludicra fraudulenter inducta fuerint, surgat clericus, statimque abscedat. Istud enim nobis patrum doctrina præscribit. Si quis in hoc deprehendatur, ni desinat, deponatur.

Canon 25. Et 17. Synodi Chalcedonensis.

Canon 26. Ignorantia non impedit, quin ab illicitis Presbyter abstinere teneatur.

D. 28. Presbyterum.

Presbyter, qui per ignorantiam illicitis nuptiis est implicatus, sit quidem cathedræ particeps: à reliquis autem operationibus abstineat. Ei enim qui talis est, satis à venia detur. Nec ergo publice, nec privatim benedicat, nec Christi corpus aliis distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat: sed prima fede contentus, Domino deflcat, ut illi ex ignorantia peccatum condonetur. Manifestum est, quod illegitimum conjugium dissolvetur. Nec ullo modo vir ille consuetudinem habebit cum ea, per quam sacro ministerio privatus est.

Canon 27.

Clericus vestem sibi convenientem induat tam in urbe quàm in via. Nemo eorum, qui in clerici numero censentur, vestem induat sibi non propriam ac convenientem, sive in urbe agat, sive iter faciat, sed utatur eo genere vestis quod ipsi attributum est.

Canon 28. Fœta non distribuantur simul cum Eucharistia.

De consec. dist. 2. Dominum.

Quoniam in diversis Ecclesiis intelleximus quam ad altare allatam ministros cum incruento illo oblationis sacrificio conjunctam, ex quadam, quæ invaluit consuetudine, utraque simul populo distribuere: decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, sed ad vivificationem & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat. Sacerdotes vero has suas illatas privatim benedicentes, non secus ac primitias quasdam distribuant pœnitentibus ad laudem datoris fructuum per quas nostra corpora divina dispositione augentur, & nutriuntur. Si quis autem clericus præter hæc decreta fecerit, deponatur.

Canon 29. Nec feria 5. in cœna Domini solvatur jejunium, nec non jejuni communicent.

29. Can. Carthag. 5. renovatur. 50. Can. Laodicen.

Canon quidam Carthaginensis Concilij jubet ut sacrum altaris non nisi à jejunis hominibus peragatur, uno anniversario die excepto, quo Dominica Cœna peragitur, divinis illis patribus ea ipsa œconomia tunc fortasse utentibus propter certas in locis illis occasiones Ecclesiæ utiles. Nemine igitur nobis impedimentum afferente quominus res ea accuratè fiat, nos Apostolorum ac Patrum traditiones insecuti definimus non oportere in quadragesima feriam quintam postremæ hebdomadis solvere, atque totam quadragesimam contemptui habere.

Canon 30. Sacerdotes Barbarici cum ordinantur, uxores relinquere possunt.

al. pasil. Lammitatem.

Cum sit nobis in animo ad ædificationem Ecclesiæ omnia moliri, Sacerdotibus etiam qui Ecclesiis apud barbaros præsunt, leges dandas esse censuimus. Itaque si canonem Apostolicum in quo agitur de non summovenda uxore religionis prætextu, transcendere licet, & eorum quæ definita sunt, velut septa transilire, cum jam si ipsi ipsorumque uxores consentiant, mutuo congressu abstineant: statuimus ac definimus ne hi posthac ullo modo consuescant cum uxoribus: ut hinc nobis certam & integram voti sui significationem præbeant. Cæterum hoc illis non alia de causa, quam ob animi parvitatem ac mores quosdam exoticos quos aversari oporteat, tradidimus.

Canon

A

Canon 31. Sine Episcopi licentia clerici intra domos non baptizent.

De confec. d. 1. clerici, infra cap. 52.

Clericos, qui in oratoriis quæ sunt intra domos ministrant, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere decernimus. Qui hoc sic non servaverit, deponatur.

Canon 32. Ut in sacrificio vinum aqua mixtum offeratur.

Armenii male intelligentes verba Chrysost.

Quoniam novimus in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerri*, aquam illi non miscentes qui incruentum sacrificium peragunt, prætexentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysost. in interpretatione Matthæi hoc asserentem. Ut jamnunc ab ignorantia liberentur, illius patris mentem Orthodoxe aperimus. Cum enim antiquam Hydroparastarum hæresim, qui pro vino solam aquam in sacrificio usi sunt, subverteret, illam orationem composuit, in qua aquæ in sacrificio Missæ adjunctionem amovere illi existimant, cum tamen non deceat sanctus per solum vinum oblationem fieri, quandoquidem & suæ Ecclesiæ ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet, ex pretioso & honorando nostri Redemptoris sanguine & aqua contemperationem attendens, quæ in totius mundi vivificationem effusa est; & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam Ecclesia ubi spiritalia luminaria refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Domini nostri Jesu Christi, secundum carnem, frater, & Basilius Cæsariensis Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis inscripto tradito sacrificio, ita peragendum in sacro mysterio ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt. Et qui Chartagine convenerunt sancti Patres ita aperte tradiderunt. Si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, deponatur ut imperfecte ac simpliciter mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innovans.

B

C

De confec. d. 1. Jacobus.

Hoc Canone Armeniorum in solo vino, & hydroparastarum in sola aqua sacrificantium, error destruitur.

Canon 33. Non attendatur genus, sed mores ad manus impositionem.

Apud Indæos lege sanctum erat, ut ex tribu Levitica sola sacerdotes fierent.

Quoniam cognovimus in Armeniorum regione eos solos ad clerum admitti, qui sunt ex genere Sacerdotali: imo & nonnullos eorum non attonsos cantores, & divinæ legis lectores constitui: Decernimus, ut deinceps non liceat ad ejus cui manus imponitur, genus respicere, sed examinantes, an digni sunt, expositis in sacris canonibus decretis, eos in clerici catalogum referri, & Ecclesiastice promoveri, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. Item ut nulli eorum liceat populo in suggestu divinas scripturas explicare nisi is Sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem à suo pastore canonice susceperit. Si quis secus fecerit, deponatur.

D

Canon 34. Est canon 18. Synodi Chalcedonens. confirmationibus.

E

Canon 35. Spolia Episcopi defuncti inadmiuuta futuro servantur.

Canon 22. Chalced. Apostol. cap. 40.

Nulli omnium Metropolitarum liceat mortuo Episcopo, qui ejus throno subest, res ejus vel ipsius Ecclesiæ sibi vendicare, sed sint sub custodia cleri Ecclesiæ, cui defunctus præfuit, usque ad alterius Episcopi promotionem: præterquam si in eadem Ecclesia relicti sint clerici, tunc enim Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens.

Canon 36. Sedes Constantinopolitana æquatur Romanæ, dummodo sit secunda.

Canon. 28. Chalced. Synodum in editione græca, quoniam in latina non habetur. D. 22. Renovantes, & in c. 5. Constant. Concilii.

Renovantes quæ à sanctis Patribus 150. qui in hac regia urbe convenerunt, & à 630. qui Chalcedone convenerunt, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus, æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis negotiis ut ille magnificat, secundus post illum existens. Post quam Alexandrinorum Metropolis numeratur thronus. Deinde Antiochiæ, & post eum Hierololymitanæ civitatis.

Canon 37. Episcopi si Episcopali urbe priventur, sua tamen privilegia non amittunt.

Quoniam variis temporibus excurrerunt barbari, & plurimæ civitates in ipsorum manus ac potestatem venerunt, quo factum est, ut qui alicujus earum civitatum antistes creatus esset, nec solium sibi designatum obtinere, nec ibidem conditione Pontificali sedere, nec vero eo rerum statu, aut manus imponere, aut cætera quæ muneris sunt Episcopalis, facere aggredive posset: nobis augustam Pontificatus dignitatem sartam tectam servare cupientibus, nec volentibus ejusmodi impressiones quas barbari facerent, vergere in perniciem ac detrimentum juris Ecclesiastici: visum est ut Episcopi qui ita creati essent & ob antedictam causam a suis sedibus summoverentur, enimiam illam retinerent Pontificatus dignitatem, itaque & manuum impositiones ordinandis clericis omnis generis canonico ritu facerent, & Pontificali authoritate intra fines suos uterentur: ac in Diœceses sibi demandatas, quam hæ late patrent, jus ac potestatem retinerent. Neque enim intercepta ea urbe cui præcipua debebatur cura & opera, administrationis fines eo quod reliquum esset, circumscribi convenit.

Canon 38. Nova civitas novam habeat dignitatem Episcopalem vel Metropolitanam.

Canon Chalced. Synod.

Canonem qui à patribus factus est, nos quoque observamus, qui sic edicit: Si qua civitas à regia potestate innovata est vel innovabitur, civilem ac publicam formam Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur.

Canon 39. Ut Ecclesia Cypri sit Metropolis.

Hic Canon firmat can. 8. Ephesin. Synod. quo concessum est Cypri Ecclesiam esse principalem & primam, & prohibitum est Antiocheno Episc. facere in ea ordinationes. Justinianum Imper. hoc privilegium concessum fuisse à Vigilio Papa att. Novv. 131.

Cum frater & cooperator noster Joannes insulæ Cypri Antistes in Hellespontiam una cum populo sibi subdito ex eadem insula demigrarit, ut se ac suos ab impressionibus barbarorum seductos, & ab illorum jugo liberatos, sub sceptro Christianissimi Imperij retineret, idque fecerit benignitate ac providentia Dei; ope pientissimi ac rerum Christianarum studiosissimi Imperatoris nostri: decernimus ut quicquid prærogativæ à sanctis ac divino numine afflatis patribus cum Ephesum conventum agerent viri illius sedi concessum est, fixum immotumque maneat, itaut nova urbs Justinianopolis idem jus cum civitate Constantinopolitana habeat. Habebit autem si divini cultus observantissimus Episcopus qui ei civitati præest, toti præsideat Hellespontiacæ provinciæ. Porro volumus ejus urbis antistitem more prisco à suis creari Episcopis. Nam divino spiritu afflati majores nostri decreverunt suum in quaque Ecclesia servandum esse morem. Itaque antistiti supradictæ urbis Justinianopolitanæ subesse se sciat Cyzicenorum Episcopus†, non secus ac reliqui omnes Episcopi quibus præest antedictus ille pius Antistes Joannes, quandoquidem ab hoc, ubi res postulabit, etiam ipsius urbis Cyzenorum creari debebit Episcopus.

Canon 40. De Monachis & Monasteriis.

Quoniam à frequenti hujus vitæ tumultu subducere nos, atque Deo adhærere perquam salutare est: qui solitarium vitæ genus sibi deligunt, non sunt à nobis temere admittendi ac prænaturè, quin potius præscriptus nobis à majoribus super his modus retinendus est, ut videlicet religiosæ vitæ professio tum demum emittatur, cum à cognitione rerum judicioque profecta, & maturam ratiocinandi facultatem adepta constantiam ac stabilitatem præse ferat. Sic igitur monasticæ vitæ jugum subiturus non pauciores quam decem annos natus. Quin etiam accedat examen antistitis, quod ille spectet, num conducibilius ipsi esse videatur majorem expectare ætatem ejus qui inito vitæ genus illud monasticum, eique hærere velit. Sic enim Basilius ille magnus in sacris suis canonibus eam quæ virginitatem amplexata, ultro se Deo devoverat, cum jam decimum septimum annum ageret, in Virginum Deo dicatarum ordinem recipiendam esse censet: Certe nos imitati statutum de viduis ac diaconissis, iis qui ad institutum vitæ monasticæ aspirarent, simili modo supradicti temporis fines præscripsimus. Scriptum est enim apud divum Apostolum, viduam quæ quidem ministratura sit in Ecclesia, deligendam esse sexagenariam. Sacrorum vero canonum authores quadragenariam creandam esse diaconissam tradiderunt, animadvertentes Ecclesiam divina gratia subinde vegetiorem reddi, magisque ac magis promoveri, fidelium in observandis mandatis divinis constabilito confirmatoque animo. Quam rem nos quoque diligentius expendentes, nuper definimus, benedictionem gratiæ divinæ ei qui velit sacris illis exercitationibus initiari, velut sigillum quoddam sine mora imprimentes, & inde ipsius voluntatem, ne longiori cunctatione alio deflectat, promoventes: imo vero ipsum ad optimum vitæ genus mature deligendum constituendumque magnopere exhortantes.

Ætas Monachatus.

Basilius can. 18 post 16. an virginem recipiendam statuit.

Canon 41. Quomodo probandi qui profitentur Monachatum.

Eos qui in urbibus vel villis volunt secedere, ac sibi separatim attendere, prius quidem in Monasterium ingredi oportet, & anachoriticam, hoc est ab aliis separatam ac semotam vivendi rationem exercere, & spatio triennij ei qui in mansione præest, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus (ut æquum est) implere. Et ita hujus vitæ eligendæ institutum profitentes, & quod eam ex toto corde sua sponte amplectuntur, ab ejus loci præsule examinati approbentur. Deinde sic alio anno extra clausuram fortiter sagerere debent, ut scopus eorum magis manifestetur: tunc enim plene ac perfecte significabunt, quod non inanem gloriam captantes, sed propter ipsum pulchrum & honestum hoc silentium prosequantur. Post tanti autem temporis complementum, si in eodem eligendæ vitæ instituto permaneant, includi ipsos, & eis non amplius licere, quando voluerint, ex tali mansione egredi: præterquam si propter communem utilitatem vel aliam necessitatem ad mortem urgentem ad id trahantur, & in cum benedictione ejus loci Episcopi. Qui autem exceptis his casibus exierint, primo quidem, vel invitos ipsos dicta clausura coërceri; deinde jejuniis & aliis afflictionibus ipsos curare, scientes quoniam nemo, qui manum suam aratro immisit, & retro conversus est, aptus est regno cœlorum.

Novitiatus septennat.

Canon 42. Eremita habitum cæterorum Monachorum sumant.

Et eremitis, qui quidem nigris vestibus induti & capite comam urbes obeunt, & cum viris ac mulieribus versantur, & propriæ professioni faciunt injuriam, statuimus, tonsis comis reliquorum monachorum amictum suscipere, eos in monasterio constitui. Quod si hoc non elegerint, eos omnino ex urbibus expelli, & solitudines quæ Eremi dicuntur, habitare, ex quibus sibi etiam denominationes contraxere.

Canon 43. Propter nullum crimen arcendus aliquis ad Monachatum.

Liceat omni Christiano vitam therapeuticam eligere, & rerum ad vitam pertinentium deposita temperate monasterium ingredi, atque instar Monachi tonderi, in quocumque crimine deprehensus fuerit. Salvator enim noster Deus, inquit, *Eum qui ad me venit, non ejiciam foras.* Nam sicut columna id quod in ea describitur, exprimit, ita & Monachica professio, monachi pœnitentiam describit. Ei ergo, qui ad illud germane, ac syncere accedit, acquiescimus, ac favemus, nec ulli ei mores impedimentum afferent, quominus proprium votum adimpleat.

Admittendi exercitationis causa vitam. Al. sublato omni tumultu negotiorum secularium. Novatianæ hæresis est, arcuisse ad pœnitentiam non jacere. Al. meminisse.

Canon 44. Monachus fornicator pœnæ communi punitur.

Monachus fornicator vel qui ad matrimonij communionem vitæque societatem uxorem duxerit, fornicatorum pœnis subjiciatur.

Can 45. Futuræ Monasteriæ non induantur sumptuosis vestibus eo die quo ingressuræ sunt Monasterium.

Quoniam intelleximus, in nonnullis mulierum Monasteriis, mulieres, quæ sacro illo amictu dignæ habentur, prius fericis, & omnis generis vestibus, propterea autem & mundis auro & gemmis variegatis, ab iis qui illas ducuntur exornari, & sic ad altare accedentes exui tanto materiæ apparatu: & statim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui: statuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas est, ut quæ jam propria voluntate omnem vitæ jocunditatem deposuit, & eam, quæ est secundum Deum, vitæ agendæ rationem amplexa est, & ita ad Monasterium accessit, per eum qui interit, ac fluit mundum, & quorum jam oblita erat memoriam revocet, & ex eo anceps reddatur, & ejus anima perturbetur instar exundantium fluctuum, hucque & illuc versantium, adeo ut aliquam nonnunquam lachrymam emittens cordis per corpus, compunctionem ostendat: sed & si exigua aliqua lachryma exiluerit, non tam propter affectionem quam habent propter exercitatorium certamen, quam propterea quod mundum relinquant, & ea à videntibus profluxille putetur.

Canon 46. Monasteriæ non exeant à Monasterio nisi sub certa forma.

Quæ vitam exercitatoriam eligunt, & in Monasteriis sunt constitutæ, ne omnino progrediantur. Si qua autem inexorabilis necessitas ad hoc trahit, cum benedictione ejus quæ præest, hoc agant: Tunc que non solæ per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sunt, cum mandato ejus quæ præfecta est. Eis autem omnino extra cubare non licet. Hoc idem & de viris, qui Monasticam vitam persequuntur statuimus.

Al. menses.

Canon 47. Vir in Monasterio mulierum non dormiat, nec è diverso.

Nec mulier in virorum Monasterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & scandalum fideles esse debent ut Domino suo consecrent honestam vitam. Qui secus fecerit segregetur.

Canon 48. Uxor Episcopi reponatur in Monasterio.

Uxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promotus

est, communi sui viri consensu prius separata, post- A
quam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione extractum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur.

Canon 49. Monasteria quæ semel Deo dicata sunt secularibus habitationibus non accommodentur.

Quæ semel sunt dedicata Monasteria, &c.
[Ut in Canone 24. Concilij Chalcedononsis, usque ad eum locum] nec posse ea fieri ultra secularia habitacula [*addit hic Canon*] neque à quoquam omnipo ea tradi hominibus secularibus, quod etiam, si ad hoc usque tempus sit factum, definimus nullo modo vale- B re: *Reliqua ut in prædicto 24. Canone Chalcedon.*

Canon 50. Alea clericis interdicuntur.

Nullum omnino sive clericum, sive laïcum ab hoc deinceps tempore alea ludere. Qui secus fecerit, si sit clericus deponatur, si laïcus segregetur.

Canon 51. Ne mimi aut venationes spectentur.

Omnino prohibet hæc sancta & universalis Synodus eos qui dicuntur mimos, & eorum spectacula, deinde venationum quoque spectationes, easque quæ fiunt in scena, saltationes perfici. Qui secus fecerit, si clericus, deponatur: si laïcus, segregetur. C

Canon 52. Ut sabbato & Dominica in quadragesima consecratio tantum fiat.

Idem habetur canon 49. Concil. Laodic.

In omnibus sanctæ quadragesimæ jejunij diebus præterquam sabbato & Dominica, & Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum sacrificium.

Sacrificium præsanctificatorum, est oblatio sacrificij jam peracti & perfecti. Jejuniorum autem dies, luctus sunt & compunctionis in expiationem peccatorum: & quia Deo sacrificium offerre est sanctum diem agere, statuerunt Patres non fieri novam consecrationem tota quadragesima nisi sabbato & Dominica, &c. In his enim festum agere nec jejunare jussi sumus. Quod nunc observatur apud Latinos in Parasceve. Hæc ex Theodoro Balsamon: τὸ προηγιασμένον ἱερὸν λειτουργικὸν est impressa in libello Græco cum Patrum Græcorum liturgiis: Græci enim in quadragesima, die dominico ad totam Hebdomadam consecrant, dempto die sabbati, in quo fit nova consecratio.

Canon 53. Ordo cognationis spiritualis asservetur.

Quoniam spiritualis cognatio corporum coujunctione major est, novimus in quibusdam locis exceptores puerorum ex sancto & salutari baptismate, postea cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere: statuimus, ne imposterum tale aliquid fiat. Si qui vero secus fecerint, hi quidem primo abillicito matrimonio separentur, deinde fornicatorum pœnis subjiciantur. E

Canon 54. Nuptiæ prohibitæ in secundo affinitatis gradu.

Decernimus, ut qui deinceps cum fratris sui filia matrimonij societatem coïerit, vel Pater & Filius, qui eum matre & sorore, vel cum duabus puellis sororibus pater & filius, vel cum duabus fratribus mater & filia, in septennij canonem incidant, separatis ipsis publice à nefario contubernio.

[*Hic canon de gradibus affinitatis in Concil. Lateran. sub Innocent. 3. est abrogatus.* vide 35. q. 2. & 3. *ex decret. Pauli Papæ ubi solum prohibetur primus gradus affinitatis.*]

Canon 55. Ne sabbatis aut Dominicis diebus quadragesimæ jejunetur.

Quoniam intelleximus in Romanorum civitate in sanctis quadragesimæ diebus, in sabbatis jejunari præter Ecclesiasticam traditam consuetudinem, sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum Ecclesia canon inconcusse obtineat, qui dicit: Si quis clericus inventus fuerit in sancto Dominico, vel sabbato jejunans, præter unum & solum, deponatur. Si autem laïcus, segregetur. [*Vide Epistolam 86. Augustini ad Casulanum post medium, ubi agit de jejunio sabbati.*] *Propter hunc canonem aliqui Romani non recipiebant hanc Synodum quamquam universalem. Can. Apost. 85.*

Canon 56. Ne ova & caseus in quadragesima comedantur.

Accepimus in Armeniorum regione, & in aliis locis in sabbatis & Dominicis sanctæ quadragesimæ quosdam ova & caseum comedere: visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat: & abstineant sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis & caseo: quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sint clerici, deponantur: si laici, segregentur.

Canon 57.

Ad altare mel & lac offerre non oportet. *Can. Apost.*

Canon 58. Ne laïcus sacramenta sibi ministret.

Nemo eorum, qui sunt ex ordine laïcorum, divina sibi mysteria impartiat præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Qui secus fecerit, una septimana segregetur.

Canon 59. Baptismus in Ecclesiis tantum celebretur.

In oratorio privato, quod domi est, nullatenus baptismus peragatur, sed qui digni habebuntur hujus purissimi luminis, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis contrafecerit, si clericus est, deponatur, si laïcus, excommunicetur. *Can. 38. permittit de voluntate Episc. id fieri posse.*

D

Canon 60. De his qui se simulant dæmoniacos.

Eos, qui se Dæmone correptos esse simulant, & motum improbitate eorum figuram & habitum simulate præ se ferunt, visum est omnimodo puniri, & ejusmodi afflictionibus & laboribus eos subjici oportere, quibus, hi qui à Dæmone vere correpti sunt, ut à Dæmonis operatione liberentur, vere subjiciantur.

Canon 61. De sortilegis damnandis.

Qui se vatibus tradiderunt, vel iis qui Centuriones dicuntur, aut iis similibus, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint, secundum ea, quæ prius à Patribus sancita, Canoni qui est de sexennio, subjiciantur. Eidem pœnæ subjicere oportet eos, qui ursas aut similes bestias ad lusum & perniciem simplitiorum circumferunt: & eos, qui fortunam, fatum, genealogiam, aut similium verborum turbam ad nugas deceptorias obloquuntur: eosque, qui nubes fugare dicuntur, & Imperatores, & muletarios, & Vates. In his autem perseverantes, nec mutantes sententiam, nec fugientes hæc pernicioſa & Ethnica instituta, omnino ejiciendos ab Ecclesia definimus, sicut sacri Canones dicunt. *Nam quæ luci cum tenebris communio? ut ait* Apostolus, *vel quæ conjunctio templo Dei cum idolis? aut quæ participatio fideli cum infideli? aut quæ concordia Christi & Belial?* *Prætis cum universas dæmoniacas operationes avertis.* *De hoc Pange Chrysost. in Epistol. primam ad Coloss. & sextam ejusdem orationem adversus Iudæos. Legi sexennium fabrici, est septennium excommunicari.* 2. Cor. 6.

Centurio hæc loco eſt Magus ſeu cultus aut fabri magiam exercens.

Vates dicuntur palmæ inſpectores, & qui in pelui divinant, aut per ſacrificia aliqua Sathanam interrogant, ſe Dæmoni addicentes. Centuriones dicebantur ſenes quidam, qui ſe reliquis conſulere præferentes, per ejuſmodi execrabiles operationes ſimpliciores ſeducebant, & ut Pſeudothei colebantur.

Verſus trahere dicebantur, qui Vrſorum altores appellabantur, qui quidem in capite & totius animalis corpore tincturas appendentes, & pilos tendentes, eos una cum tinctoris dabant, ut remedia tanquam in morbis & faſcinantibus oculis conferre poſſint. Alij vero ſerpentes in ſinu geſtantes, hunc quidem die maligno natum eſſe, illum verò felici ſydere natum dicunt, & futuras felicitates annunciant, & alia multa nugantur. Nubium inſpectores dicuntur, qui, quæ multis ignota ſunt ex nubibus ſignificant, maxime autem ſi ſole occidente inſpiciantur. Imprecatores ſunt qui divina quædam cantica dicunt, & nominum martyrum & ſanctiſſimæ Virginis meminerunt. Quæ omnia divina Patres & Eccleſiæ Doctores fugienda ſtatuunt, & pluſquam alij Chryſoſt.

Canon 62. Ne feſta gentilium celebrentur.

Brumalia feria, aut ſaturnalia quæ Bruma menſe ſibi hunt December fiebant.

Calendas, & vota, & Brumalia quæ vocantur, & qui in primo die Martij menſis fit conventus ex fidelium civitate omnino tolli volumus: Sed & publicas mulierum ſaltationes multam noxam exitiumque afferentes. Præterea & eas quæ nomine eorum qui falſo apud Græcos Dij nominati ſunt, vel nomine virorum aut mulierum fiunt ſaltationes, ac myſteria more antiquo, & à ritu Chriſtianorum alieno, rejicimus: ſtatuentes, ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, nec mulier veſte viro conveniente. Sed nec Comicas, nec Tragicas, nec Satyricas perſonas induant, nec execrandi Bacchi nomen vuam in torcularibus exprimentes invocent, nec vinum in doliis effundentes riſum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à Dæmonis impoſtura procedunt, exercentes. Qui ſecus fecerit, ſi clerici ſint deponantur: ſi laici, ſegregentur.

Canon 63. Martyrum hiſtoriæ ab infidelibus ſcriptæ damnantur.

Quæ à veritatis hoſtibus falsò confictæ ſunt Martyrum hyſtoriæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerentur, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Eos autem qui eas admittunt, vel tanquam veris eis mentem adhibent, anathematizamus.

Canon 64. Prohibetur laico publice docere.

Greg. Nazianz. late tractat de hoc in lib. Theol. cujus teſtimonium huc adjungit.

Non oportet laïcum publice diſputare, vel docere, ſed ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis qui docendi gratiam acceperint aperire, & divina ab eis doceri. Qui hæc tranſgreſſus fuerit, quadraginta diebus excommunicetur.

Canon 65. Ne rogi in Novilunijs ritu Gentili accendantur.

Quos in Novilunijs, quidam ante ſuas officinas & domos accendunt rogos, ſupra quos etiam antiqua quadam conſuetudine ſalire inepte ac delirare ſolent deinceps ceſſare jubemus. Qui contrafecerit, ſi clericus ſit deponatur: ſi laïcus, ſegregetur.

Canon 66. A diebus reſurrectionis per integram hebdomadam fideles ſerientur.

Qualiter a fidelibus feſta celebranda.

A ſancta die reſurrectionis uſque ad novam Dominicam tota ſeptimana Eccleſijs vacare fideles jugiter oportet, Pſalmis & Hymnis & ſpiritualibus Canticis in Chriſto gaudentes, feſtumque celebrantes, & divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis myſteriis jocunde & laute fruentes. Sic ergo cum Chriſto exultabimus & una reſurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curſus, vel aliquod publicum fiat ſpectaculum.

Canon 67. Vt abſtineant à ſanguine & ſuffocato.

Apud Iudæos id exiſtimabat illa Apoſtolorum, ut refert Commentarius Græcus. Reverenter libri tractandi.

Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abſtineamus à ſanguine & ſuffocato & fornicatione. Merito igitur damnamus eos, qui cujuſcumque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Qui hoc fecerit clericus, deponatur laicus, excommunicetur.

Canon 68. Libri ſacri communi & prophano uſui non conſumantur.

Nulli eromnibus licere veteris, & novi Teſtamenti librum, nec ſanctorum noſtrorum præconum ac doctorum corrumpere vel conſcindere, vel librorum cauponatoribus, vel unguentarijs, vel alicui alij delendum tradere, niſi uſque vel à tineis, vel ab aqua, vel aliquo alio modo redditus fuerit inutilis. Qui tale aliquid fecerit, uno anno excommunicetur.

Canon 69. Laicus non ingrediatur cherum excepto Cæſare.

Nulli omnium qui ſit in laicorum numero licearintra ſacrum altare ingredi. Ab eo tamen nequaquam prohibita poteſtate & authoritate Regia, quandoquidem voluerit Creatori dona afferre ex antiquiſſima traditione.

Canon 70. Mulieres in Eccleſia taceant.

Ne liceat mulieribus in celebrationis tempore loqui, ſed ut eſt vox Pauli, ſileant. 1. Cor. 14.

Canon 71. A quibus cavere debeant juvenes profeſſores.

Lege Greg. Nazianz. invectivam funebri magni Baſilii.

Eos, qui docentur legibus civilibus, Græcis moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, aut quæ volutabra dicuntur celebrare, vel præter uſum communem ſibi veſtem induere, neque quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt. Qui ſecus fecerit, ſegregetur.

Canon 72. Non Orthodoxus hæreticam ducat, aut contra.

Ratum habetur id matrimonium eſſe illicitum.

Non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Othodoxam cum viro hæretico copulari, ſed ſiquid ejuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit irritas nuptias exiſtimari, & nefarium conjugium diſſolvi. Si autem adhuc fideles ſunt inter ſe legitimo matrimonio conjuncti, deinde alter eorum convertatur ad fidem altero in infidelitate manente, ſi fideli placeat cum infideli habitare, non à ſe invicem ſeparentur, juxta Pauli ſententiam.

Canon 73. Ne crucis figura in pavimento fiat.

Cum crux vivifica illud ſalutare nobis oſtenderit, nos omne ſtudium adhibere oportet, ut ei per quam antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum qui par eſt, honorem habeamus. Unde & mente & ſermone & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ à nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis tropheum injuria afficiatur. Qui ſecus fecerit, excommunicari decernimus. 1. Cor. 7.

Canon 74. Vt ne agapes fiant in Eccleſia.

Non oportet in Dominicis locis vel Eccleſijs, chari-

Laici Dominicos vocat festibola & pericus Ecclesiæ.

tates quas vocant facere, & intus in ædæ comedere, & accubitus sternere. Qui hoc fecerint, cessent, vel excommunicentur. A

Canon 75. Ut cantores Ecclesiastici non utantur modulatione inordinata.

Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, nec naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum quæ Ecclesiæ non conveniunt, sed cum magna attentione & compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector offerre.

Canon 76. Ne intra Ecclesiarum ambitum mercimonia vendantur.

Non oportet intra sacros ambitus, cauponam, vel aromatum species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesiis servantes. Salvator noster nos instituit non facere domum Patris nostri domum negotiationis. Qui secus fecerit, segregetur. B

Canon 77. Ne fideles cum mulieribus unà laventur.

Lege Chrysost. in oratione pro meretr. sup. 6 c. Esaiæ. Can. 30. Syn. Laodic. contagibus prohibetur etiam una lavari. Cap. 46 in Synod. Laodic.

Non oportet sacris initiatos vel clericos, vel exercitatores sive monachos lavari cum mulieribus, nec omnem Christianum laicum. Hæc est enim prima condemnatio apud gentes. Qui hoc fecerit clericus, deponatur, laicus excommunicetur. C

Canon 78. Ut fideles 5. Feria apud catheciſtas fidem recitent.

Quòd oportet eos, qui illuminantur, fidem addiscere, & quinta septimanæ feria Episcopo vel Presbyteris renunciare.

Canon 79. Partus virginis fuit citra ullum dolorem.

Absque ullo dolore virginis partum esse confitentes (ut qui sine semine constitutus sit) eos qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni subjicimus. Unde quando aliqui post diem natalis Christi Dei nostri reperiuntur coquentes similam, & se hac mutuo donantes prætextu, scilicet honoris secundinarum impollutæ virginis matris, statuimus ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Nec enim hoc honor est virginis (quæ supra mentem & sermonem quod comprehendi non potest, verbum peperit carne) ex communibus & iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum metiri ac describere. Si quis hoc fecerit, clericus, deponatur, laïcus segregetur. D

Canon 80. Clericus vel laïcus per tres hebdomadas absens ab Ecclesia puniatur.

Si quis Episcopus vel eorum, qui in clero censentur, vel laïcus nullam graviorem habeat necessitatem vel negotium difficile, ut à sua Ecclesia abfit frequentius, sed in civitate agens tribus diebus Dominicis una non conveniat, si clericus est, deponatur: si laïcus, à communione separetur. E

Canon 81. In trisagio non apponendam crucem.

Petrum Fullonem innovatorem hujus hæresis quod trinitas sit unus ipse.

Quoniam novimus in quibusdam locis in trisagio acclamari post illud, Sanctus immortalis, ille crucifixus pro nobis, miserere nobis. Nos cum antiquis patribus statuentes, anathematizamus eos qui deinceps talem susceperint vocem in Ecclesia, vel alias ter-sancto hymno apponentes. Si transgressor fuerit Sacerdos, deponatur, si laïcus, excommunicetur.

Canon 82. Ut Christus deinceps in figura humana pingatur, non Agni.

Inter venerabilium imaginum picturas, Agnus digito Præcursoris monstratus depingitur, qui in figuram receptus est gratiæ, adumbrans nobis verum illum (per legem) Agnum Christum demonstratum. Antiquas ergo illas figuras & umbras velut quasdam veritatis notas, adumbrationesque Ecclesiæ traditas vendicantes, gratiam eisdem præponimus, & veritatem hanc (ut legis complementum) suscipimus. Itaque hoc jam quidem re perfectum, pictorum artibus ante omnium oculos præscribatur, & picturam illius Agni Christi Dei nostri, qui tollit peccata mundi, ut humanus character valet exprimere, & in imaginibus impositerum pro vetere Agno erigendam sancimus per quam humilitatem Dei verbi contemplamur, & velut manuducimur ad memoriam illius conversationis in carne, & passionis ejusque mortis salutaris, & redemptionis quæ huic pro mundo facta est.

Censet Bellarminus lib. 2. de reliquiis & imaginibus sanctorum, hic tantum præferri imaginem Christi in figura humana imagini ipsius sub specie agni: atque hoc nomine arguit Bartholomæum Carranzam quod minus Concilij mentem hic sit assequutus, occasionem erroris nactus ex ipso Canone qui non hic integrè exscriptus est sicut in septima synodo recitatur: scribit hic scilicet Caranza agni figuram ad repræsentandum Christum prohiberi. Sed & ipse Caranza de hæresi suspectus fuit, & ob id cæteri in Hispania mancipatus.

Canon 83. Mortuis non danda Eucharistia.

Nemo cadaveribus mortuorum Eucharist. impertiat. Scriptum est: Accipite & comedite. Cadavera nec accipere valent, nec comedere.

Canon 84. De baptizandis infantibus quando non est certum eos esse baptizatos.

Idem præcipit. ca. 18. Concil. Antisiodorense.

Sacris canonicisque patrum vestigiis insistentes definimus & de infantibus. Quoties certi testes deerunt, qui eos sine dubio baptizatos esse dicant, nec ipsimet per ætatem de mysteriis quibus initiati sint respondere queant, ipsos baptizari debere citra ullum scandalum, ne forte talis dubitatio sancta illa purificatione eos privet ac fraudet.

Canon 85. Quomodo libertas donata servis, valeat.

Servi à propriis Dominis libertate donati, coram tribus testibus (ut hoc honore fruantur) sancimus.

Canon 86. Contra alentes scorta.

Qui scorta in perniciem animarum congregant & alunt, si clerici fuerint, deponantur, si laïci, segregentur.

Canon 87. Vir qui relicta uxore, aliam ducit, adulter est.

Hierem. 3

Quæ virum reliquit adultera, si ad alium se contulit (secundum sacratum Basilium, qui optime hoc ex Propheta Hierem. colligit, &c.) & qui reliquerit legitimam uxorem & aliam duxerit, juxta Domini sententiam, adulter est. Sancitum est, ut hi tales per annum lugeant, per biennium sint audientes, per triennium subjaceant: & tandem sexto anno congregentur cum fidelibus, & ita demum mensa digni habeantur, si cum lacrymis pœnituerint.

Canon 88. Ne quis jumentum in templum inducat.

Nemo in sacra templa jumentum inducat, præter-

quam ſiquis iter faciens maxima opprimatur neceſſitate, & carens domuncula aut diverſorio, ad hujuſmodi templum divertit. Si enim jumentum non introduceret, forte illud periret, & ipſe ob jumenti jacturam, inops conſilij, ad celeriter viam capeſſendam mortis periculo objiceretur. Sabbatum enim propter hominem eſſe factum docemur. Quare præ omnibus æſtimanda eſt hominis ſalus & commoditas: qui ſecus fecerit clericus, deponatur, laicus ſegregetur.

Canon 89. Dies paſſionis Domini noſtri jejunio celebretur uſque ad mediam noctem.

Jejunium diei paſſionis.

Qui dies ſalutaris paſſionis in jejunio & oratione & compunctione cordis peragunt, oportet circa horam mediæ noctis magni ſabbati jejunos eſſe, cum divini Evangeliſtæ Matthæus & Lucas, ille per dilectionem, veſpere autem ſabbati, hic vero per profundum diluculum, tarditatem noctis nobis perſcribant.

Canon 90. Ne Dominicis diebus genua flectamus.

Ne Dominicis diebus genua flectamus, à divinis patribus noſtris Canonice accepimus. Quare poſt veſpertinum ingreſſum Sacerdotum in Sabbato ad altare (ut more obſervatum eſt) nemo genu flectit uſque ad ſequentem veſperam poſt Dominicam: in qua poſt acceſſum ad candelabrum, rurſus genua flectentes, ſic preces Domino offerimus, ſi celebramus reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Canon 91. Contra fœminas quæ abortus procurant.

Quæ pharmaca procurant abortus facientia, ac quæ venena ſuſcipiunt partus perimentia, pœna occiſoris accuſentur.

Canon 92. Puniantur raptores, & conſcij.

Raptores fœminarum ſub nomine conſortij, ſive cooperatores ipſi, ſancivit Synodus ſancta ſi clerici, deponi, ſi ſint laici, anathematizari.

Canon 93. Ne quis ad ſecunda vota tranſeat, niſi certus de morte conjugis.

Mulier quæ viro ſedente & incomperto quo terrarum agat, antequam de morte certa ſit, alteri ſi nupſerit mœchatur. Similiter & militum uxores quæ nubunt ignorantes virorum fata, eidem ſubjaceant rationi, ut quæ non expectant reditum viri peregrinantis. Quanquam in hac re eſt quodammodo venia digna, quia plerumque mors præſumitur.

Canon 94. Ne quis ethnice juret.

Jurantes juramenta ethnica, nos hujuſmodi homines excommunicandos decernimus.

Canon 95. Qualiter ſuſcipiendi hæretici.

Hæreſeos forte aliquæ id eſſe opinati.

Venientes ad Eccleſiam hæreticos ſuſcipimus ſecundum morem & ordinem traditum. Arrianos quidem & Macedonianos & Novatianos (qui ſe puros ſiniſtroſque vocant) & Tetradiſtas, & Apollinariſtas ſuſcipimus, ſi libellos afferant, & execrentur quamlibet hæreſim. De Paulianiſtis autem conſtitutio ab Eccleſia Catholica facta eſt, ut omnino rebaptizentur. Eunomianos verò, qui una ſubmerſione baptizantur, & Montaniſtas, qui hic Phryges dicuntur, & Sabellianos, & reliquas omnes hæreſes, præſertim qui à Galatarum regione ſunt profecti, venientes ad Eccleſiam non ſecus ac gentes, ſuſcipimus. Et primo die ipſos Chriſtianos facimus. Secundo vero catechumenos. Tertio tamen ipſos auctoramus poſtquam ter inſufflavimus in faciem & aures. Sic illos inſtruimus faciemuſque, ut in Eccleſia numerentur, & audiant ſcripturas, & tunc illos baptizamus. Manichæos vero & Valentinianos & Marcioniſtas, & hujuſmodi hæreſum libellos oportet facere, & execrari hæreſim & Neſtorium, & Euthychen, & Dioſcorum, & Severum, & reliquos hujuſmodi hæreſum principes, & omnes prolatas hæreſes: & ſic participes eſſe ſanctæ communionis.

Vide Conſtant. primum.

Canon 96. Ne quis calumniatis crinibus incedat.

Qui per baptiſmum Chriſtum induerunt, converſationem ejus in carne imitaturos profeſſi ſunt. Qui igitur capillos in perniciem intuentium excogitata quadam implicatione digerunt, intenteque ornant, veluti quaſdam eſcas infirmis animabus ex eo proponentes, ea ratione paterna pœna curamus, ut pædagogi ipſos inſtruentes, & modeſte vivere docentes, ut cum reliquerint deceptionem hanc & ineptias, ad perpetuam beatamque vitam aſſidue intentem convertant, & in timore pure & caſte converſentur, ad Deumque, quantum fieri poteſt, accedant, & interiorem potius quam exteriorem hominem virtutibus ornent, & nullas ſecum reliquias ferant adverſæ ſtoliditatis. Qui ſecus ſe geſſerit, excommunicetur.

Male à Gallis ſervatus canon.

Canon 97. Qui templa prophanant, reficiendi.

Qui cum uxore habitant, vel temere alia ſacra loca prophanant, & ſic in ipſis diverſantur, ejiciendos ſancimus à penetralibus ædium ſanctarum. Qui hoc non ſervaverit, ſi clericus eſt, deponatur: ſi laicus, ſegregetur.

Canon 98.

Qui mulierem alij deſponſatam vivente adhuc ſponſo, in uxorem duxerit, judicio adulterij ſubjaceat.

Canon 99. Ne particulæ ſuæ Sacerdotibus offerantur.

Et hoc in Armeniorum regione fieri intelleximus, quoſdam intus in ſacris altaribus cum carnium portiones eluxaverint, offerre particulas quaſdam Sacerdotibus, quæ ſolenniter à victimis abſcindebantur, eas Judaïce diſtribuentes. Quare ſancimus, ne Sacerdotibus liceat præcipua, certaque tornacula carnium ab offerentibus accipere, ſed illis contenti ſint quæ offerenti placuerint, & hujuſmodi oblatio extra Eccleſiam fiat. Qui ſecus fecerit, excommunicetur.

Canon 100. Ne turpes imagines pingere liceat.

Facile ſenſus corporei quæ ſua ſunt in animam derivant. Picturas igitur oculorum præſtigiatrices ſive in tabulis, ſive alias propoſitas & mentis corruptrices, & ſufflammationum ad turpes voluptates incitatrices, ſancimus, ut nullatenus impoſterum pingantur. Si quis autem hoc fecerit, excommunicetur.

Nota. *Optima ratio hujus canonis à Balſamone affertur.* Primus ſenſus, *inquit*, eſt viſus, & per eum debemus ad omne quod bonum eſt deduci; non autem per ipſum, quemadmodum & noſter primus Pater, Dei præcepta prodere.

Canon 101. Quo geſtu accedere oportet ad Euchariſtiam.

Hominem ad Dei imaginem factum divinus Apoſtolus vocat corpus Chriſti & templum. Cum omnem ergo ſenſilem poſſeſſionem ſuperet, qui ſalutari paſſione cœleſtem aſſecutus eſt dignitatem, manducans & bibens Chriſtum, omnino vitæ applicatur æternæ, anima & corpore ſanctificatus particeps eſt divinæ

gratiæ. Quare si quis voluerit sinaxis tempore communicare purissimo Christi corpori, & coram ipso in participatione esse, manus in formam crucis figurans, sic adeat, & suscipiat gratiæ communionem. Eos enim qui pro manu vascula quædam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem divini Domini, & per illa immaculatam communionem volunt, nullomodo admittimus, ut præferentes materiam inanimem, hominique obnoxiam, Dei imagini. Si quis Sacerdos participes fecerit communionis hujusmodi vascula admoventes, excommunicetur, & qui hæc infert.

Canon 101. In absolvendis hominibus à peccatis quæ cura adhibenda.

Oportet, qui facultatem absolvendi & ligandi à Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur, & peccatoris promptitudinem ad conversionem, ut sic medicamentum admoveant ægritudini aptum, ne si de peccato sine discrimine statuant, aberrent à salute ægrotantis. Non enim simplex est peccati morbus, verum varius & multiformis plurimisque noxiis propaginibus suppullulans, ob quas malum longe lateque diffunditur ac serpit, quousque tandem virtute medicantis sistat. Igitur, qui ostendere voluerit quantum valeat in spirituali medendi arte, oportet attente rimari qualiter affectus sit, qui peccavit, an ad salutem inclinet, an contra moribus quibus familiariter assuevit adversus se ægritudinem provocet inspicere, & quid ille secum deliberet ad redeundum ad meliorem frugem. An obtemperet magistro, an mentis ulcus per admota pharmaca crescat: & sic misericordiam æqua lance impertiri. Summa enim ratio & Deo & præfecto huic pastorali curæ errantem ovem reducere, & vulneratam ab angue curare, & nec per præcipitia desperationis detrudere, nec habenas laxare ad vitæ dissolutionem & contemptum, sed omnimodo qua pharmacis austerioribus, qua mollioribus & levioribus morbo contraire pugnareque, ut ulcus cicatricem obducat, ut qui notos habeat pœnitentiæ fructus, & hominem (ad claritatem illam supernam vocatum) prudenter gubernet. Utraque igitur scire oportet, & quæ sunt rigoris, & quæ commiserationis; in iis vero qui extrema non admittant, sequi formam traditam, ut nos docet Basilius docuit.

Penitentia ex judicio sacerdotis.

mores ac consuetudines

ANNOTATIO.

Ad hoc tendit canon ut universa curandi peccatoris ratio prudentiæ & judicio Episcopi & ejus cui committitur sit relicta. Et est quidem hic scopus canonis manifestissimus, ait Balsamo. In fine autem statuit & ea quæ sunt summi juris scire oportere, & quæ sunt consuetudinis. Invenitur autem etiam scriptum τὸ τῆς συνηθείας ideſt misericordiæ. His ergo simul collectis dic, quod oportet nos scire & quæ sint pœnæ canonicæ summo jure, & quæ sunt paulo mitioris consuetudinis: & aliquando quidem morbos canonicè curare quando qui laborant pœnas non gravate acceperint: aliquando vero per consuetas & mitiores medicinas, quando ii quibus medicina adhibetur, ad pœnas suscipiendas paulo duriores fuerint. Ad consueta enim nemo restiterit. His consimiliter jubet Magnus Basilius in suo tertio canone. Unde videas moderationem satisfactionum adhibitam erga duriores peccatores non esse hujus temporis corruptelam, idque à pluribus sæculis relictum fuisse sapienti arbitrio Episcoporum ac eorum quibus commissum fuerit. Sed hæc dissimulant qui magis norunt turbare quam sanare animas.

Imperator Justinianus fidelis in Deum Jesum Christum assistens omnibus decretis, & obtemperans, subscripsit: Paulus Episcop. Constantinopolitanus nova Roma, definiens subscripsit.

Similiter & reliqui Episcopi ex omni provincia subscripsere 217.

Apud Gratianum inveniuntur aliquot canones diversi à prædicto sub titulo sextæ Synodi, quos arbitror morbos: non enim sunt plures quam 102. Sed & apud eundem Gratianum dist. 16. multa sunt quæ auctoritatem præstant istis Canonibus, ubi scribitur esse conditos post quatuor aut quinque annos post solutionem sextæ Synodi, ut fidem in aliquo mereatur loquacis velitatio. Nec omittendum ad eandem dist. Canon. Habeo librum, *Glossam docere unicam operationem docuisse Monothelitas, quod opera Christi fuerint pure humana, & miraculosa fuerint phantastica, non realia. Quod quam probabile sit judicet lector, cum id sine ulla probatione asseratur.*

CONCILIVM NICÆNVM II.

GENERALE,

SEV SEPTIMA SYNODVS.

SVB ADRIANO PRIMO HVIVS nominis Pontifice Romano, & Constantino IV. Imperatore, ac Irene ejus matre, Episcoporum 330. contra Iconomachos, seu imaginum sanctarum hostes habitum anno 787. tempore Caroli-Magni.

IConoclastarum hæreticorum, id est eorum qui imagines Christi & Sanctorum confringere, quasi essent Idola, aut simulachra, Religiosum putabant, originem repetunt quidam à Judæis, alij à Manichæis qui cum Christum crederent non vere & proprie carnem humanam assumpsisse, sed hominem se simulasse, imaginem ejus vocabant Idolum, ut refert Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in lib. contra Iconomachos. Porro D. Damascenus orat in *Constantinum Cabalinum*, quod odore & afflatu fumi equorum delectaretur, refert ad dæmonem qui cum in Hebræorum gentem malam cogitationem immisisset, non esse Christum Dei Filium, sed seductorem, quamobrem Sacerdotes Judæorum Concilium adversus eum inierunt ut tenerent ipsum & occiderent; simili ratione livore exardescens in gentem Christianam, malam hanc cogitationem immisit, idololatriam esse cultum imaginum. Concilium itaque facientes Christianorum Sacerdotes una cum Augustis indigne sceptra tenentibus, inania ac stulta, adversus Domini nostri Jesu Christi imaginem meditati sunt; ac pro Christi à Judæis crucifixione in carne, sacram ejus imaginem scelestis ipsorum pedibus conculcandam damnarunt: utque perditi Judæi acetum felle mixtum Domino propinarunt, sic & isti aquam calci miscentes, ac baculo spongiam imponentes admoverunt, ejus in carne vultum exhibenti imagini obliverunt. Loco autem lanceæ illius, qua vitæ fons latus lanceæ Christi compunctum fuit, gladium accipientes eam effoderunt ac abraserunt, atque ab Ecclesia profligarunt. Impleverunteque & ipsi Judæorum opus, seque ipsos diabolo tradiderunt. O miseriam, ô furorem, ô errorem Christianorum. Væ tibi à Deo aliene diabole, qui Judæis commiscueris genus Christianum.

Concil. Icon. oclast.

Injuria illata contra crucifixi imaginem ab Iconoclastis.

Hoc adhuc restabat Draconi qui filium mulieris parituræ devorare intendebat, ut postquam per præcedentes hæreticos fidem mysterij Redemptionis humani generis everterit fruitio molitus fuisset, ejusdem redemptionis vestigia in crucibus aliisque Christi imaginibus extantia ubique deleret, ne tam sæpe ad

Imaginum ſacrarum intuitum memoria tanti beneficij renovaretur in fidelium mentibus. Novus certe modus eſt perſecutionis adverſus Chriſtum Redemptorem.

Multis deinde Damaſcenus hæreſim illam exagitat, ac Concilium per Imperatorem Copronymum Conſtantinopoli habitum propterea dictum ab aliquibus, Synodus Copronymiana, ab aliis pſeudo-ſeptima contra imagines, vocat Acephalum Conc. Deo ac ſanctis ejus execrabile conventiculum. Nam quæſo te quis ei Patriarcharum inventus eſt intereſſe? Romanus ire noluit: ac quis non eam Synodum caput non habentem deriſerit? caput ſibi præfecit converſaque abjecit, quin imo occidit. O cæcitatem, ò dementiam, ô inſipientiam! quis non rideat bellam hanc Synodum? vel hinc quiſque noverit, nullius eam roboris eſſe, ac indignam ut vel apud Deum vel apud homines accepta ſit. Quod autem ait D. Damaſcenus Synodum hanc caput ſuum occidiſſe, ſermo eſt illi de Anaſtaſio Pſeudo-Patriarcha ſecta Iconomacho, quem Copronymus in ſuos etiam familiares deſæviens, ne feris rabidis abſimilis eſſet, aſello præpoſterè impoſitum & virgis cæſum ac per urbis plateas ludibrio habitum eſſe voluit, licet poſt ea in thronum reſtituerit.

Conſt. Copronymi geſta crudelia.

Quanta autem tragedia ex hac hæreſi in Orientali Eccleſia acciderit, quam funeſta omnia ex hac contentione, loquuntur libri integri plurium hiſtoricorum: plures enim Imperatores hac hæreſis lue infecti velut feræ beſtiæ in Orthodoxos ac præcipuè Monachos ſævierunt, duo Leones Iſaurus & Armenius & inter utrumque fœdus Copronymus, qui in indicium futurorum puros baptiſmi fontes, dum baptizaretur, fœdavit, unde illi cognomen poſtea, omnia audens in pios quoſque ut nefariæ ſuæ Synodo omnes ſubſcriberent. Andreæ Calabiti eximiæ pietatis Monacho flagrorũ vi diruta cutis eſt. Stephanus Eremitarum dux & magiſter qui plures annos clauſus in clauſtro traduxerat, fuſtibus & lapidibus toto corpore dilaceratus eſt & in altiſſimam foveam cum damnatis projectus. Tradita militibus Monaſteria ut memoria deleretur Monachorum, qui adacti ſunt excuſſo cucullo inire conjugia & vitam ſordidis artibus ſuſtentare. Aliquot Senatores etiam, quod imagines coluiſſent, duriſſimis nervis in foro verberati ſunt. Sed dum ſanctos perſequitur ultione divina percuſſus eſt: anno enim Chriſti 775. Imperij ſui 35. dum in Bulgaros exercitum duceret ardente febri correptus eſt, pedeſque illi intumuere carbunculis ab exurendi vi ita nominatis, quorum æſtu, in caſtello Arcadiopolis ad quod delatus fuerat, dum graviſſimè urgeretur, clamat infœlix, vivum ſe inextinguibili igni traditum ob violatum Deiparæ Mariæ nomen & cultum, juſſitq; eam deinceps honorari, ſuãq; ultimam voluntatem his verbis teſtabatur: *Incolume eſto magnum templum divinæ Sophiæ: incolumis eſto ædes ſanctiſſimæ Deiparæ in Blachernis: incolumis eſto Eccleſia ejuſdem in Chalcopratiis. Incolumis eſto ædes ſanctorum Apoſtolorum* (erant hæ præcipuæ Eccleſiæ quas injuriis affecerat, &c.) ſimilis in hoc Antiocho regi templorum expilatori, qui ſemper impius moriens hanc primum veram ſententiam pronuntiavit, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo & mortalem non pari cum Deo ſtutire.* 2. Machab. cap. 9.

Infelix exitus & teſtamentum Copronymi.

Huic ſucceſſit filius Leo quartus, etiam imaginum inſectator, qui perbrevi defunctus eſt infœliciter, quare ejus uxor Irene Catholica pietate florentiſſima cum filio Conſtantino minori ætate imperare cœpit. Quæ cum nihil antiquius haberet quam ut Catholica religio reſtitueretur, procuravit primum inſignem doctrina & pietate virum Taraſium in Patriarcham regiæ urbis, cum Paulus antea Patriarcha onus detrectaret, qui quod ſubſcripſiſſet impiæ Synodo Copronymi in qua cultus imaginum abdicatus erat, ut pœnitentiam ageret, in Monaſterium ſeceſſit pœnis voluntariis ſe diſcruciaturus, dicenſque niſi pœnitentiam ageret ſe æternis ignibus puniendum.

Taraſius autem Patriarcha quamprimum ſcribit ad Adrianum primum: ſcribunt & Imperatores ut ipſius authoritate Synodus cogeretur, ad eamque de more Legatos Apoſtolicos mitteret. Nuſquam lætior Pontifici nuntius acceſſit. Qui illico mittit Petrum Archipresbyterum Eccleſiæ ſancti Petri, & Petrum Abbatem ſancti Sabæ ut ſuo nomine Concilio præeſſent. Sed cum Iconomachi diu in urbe Regia dominati fuiſſent, & incredibiles imperitæ multitudinis tumultus ac concurſus adverſus Epiſcopos concitarent, quos ne Imperator quidem ſedare poſſet, dilata res eſt paulliſper, ac poſtea Nicæa Bythiniæ Metropolis ob primi Concilij contra Atrianos Majeſtatem in honore habita, viſa eſt opportuna Synodo habendæ, tanquam divinitus conſtituta ad debellandos Religionis hoſtes. Fitque ad eam concurſus Epiſcoporum octavo Imperij Conſtantini cum Irene matre anno. Convenere 367. Patres ut ſtatueretur aliquid certi de hac lite. Quamvis enim perſequutio plurium Imperatorum ſibi ſuccedentium in errore ſicut in regno, atrociſſima fuerit & qualem nondum experta erat Eccleſia Orientis, nondum tamen viribus ſic exhauſta fuit quin ſatis potens fuerit tantiſper mundi fulta præſidiis, cum divina non deeſſent ad reſtituendam pietatem priſtinam, qualem ab Apoſtolis acceperat. Ut ſunt enim judicia Dei mirabilia & conſilia ejus ſuper filios hominum altiſſima, exſurgente hac nova hæreſi, Monothelitæ qui Eccleſiam hanc infeſtabant ſiluiſſe noſcuntur, ut notat Baronius ad an. 726. num. 3. accidit enim perinde ac ſi cum bello civili flagret civitas, externum inſurgat bellum; eo omnes arma convertant, quibus antea ſe trucidabant. Ita planè. Adeo enim turpis ac deteſtabilis viſa eſt hæc hæreſis, ut non ſolum Catholicorum, ſed etiam hæreticorum arma in ſe converterit. Qui pugnantes ſimul cum Orthodoxis adverſus Inonoclaſtas ac confractores imaginum hæreticos, junxerint ſeipſi Eccleſiæ Orthodoxæ.

Adrianus Papa.

Acciditque illud planè mirandum, ut cum Orientalis Eccleſia Hæreticorum crebrius infecta venenis vires conſternata perdiderit: Mox hujus ipſo tantum conſpectu hæreſis vires ſumpſerit, vires collegerit & animos adverſus eam certatura. Ex quo certamine licet multi facti ſint deſertores, nunquam tamen adeo viſa eſt victrix & illuſtris quam in illo bello, ut pote quæ pluribus quam antea fuerit decorata martyribus, quorum aucta coronis, & inſignita victoriæ palmis præteritam delevit ignominiam ſuæ proſtitutionis factæ ſæpe diverſis hæreticis. Qua in re ſi aliquam rationem humanam licet adjicere, ad fieri potuit, quod rebus externis & viſibilibus ſolent magis affici homines. Præterea autem hæreſes magis erant internæ, ut erant de Verbi divini conſubſtantialitate, de divinitate Spiritus ſancti, de anima, perſona, natura, voluntate ac operatione Chriſti. Sed hæc noviſſima quæ templa & altaria ornatu ſuo ſpoliabat, quæ Salvatoris omnium ac Deiparæ Virginis Sanctorumque ac Sanctarum cum Chriſto regnantium imagines ſuffodebat, evellebat, abjiciebat, diruebat, dilapidabat, dilacerabat, calce vel atramento obliterabat, comminuebat, conculcabat, omnium erat patens oculis, & in ea videre erat ſæviſſimum cacodæmonis odium in Chriſtum & in ſanctos ejus, qui ut panthera hominem proſequens odio, illum ſi non inveniat, contra ejus imaginem, ſi illi occurrat, exercet feritatem belluinam, eam in mille partes morſibus & unguibus diſcerpendo; non ſecus atra bellua inferorum in Deum & ſanctos ejus ab initio bellum gerens, cum eos in cœlo attingere non poſſet, in eorum imagines toto furore debacchabatur in templis, in domibus privatis, in foro, in angi-portibus, in agris & ubicumqae inſignia hęc pietatis parebant, cum ſummo mœrore piorum omnium deformabantur, audiebanturque per univerſos Imperij fines Senatuſconſulta, imo inconſulta Senatorum ex juſſu Imperatoris coactorum decreta, quibus proſcribebantur imaginum formæ ac cultus omnis

Iconoclaſtæ ſæviunt in ſtatuas pii.

circa

circa illas, ac loco Dei idola venerarentur homines. Hic enim erat præcextus in ſpecie pius, ut eſt omnium hæreſeum, fœdæ iſtius hæreſis. Quam & ſi præcedentes Synodi ſatis videri poterant damnaviſſe, cum pleræque earum in iis locis ubi erant imagines congregatæ fuiſſent, & in earum conſpectu Canones ſuos ſanciviſſent, nequaquam tamen ut rem fidei adverſariam damnarant, ad abundantiorem ergo difficultatum explicationem & veræ fidei comprobationem præſens hæc Synodus habita eſt.

Monet autem Baronius ad præſentem annum 787. hujus Synodi triplicem diverſis temporibus factam eſſe verſionem è Græco in Latinum. Primam quidem è verbo ad verbum adeo inconcinnam atque ineptam, ut nec eam Librarij exſcribere dignarentur. Quæ cum haberetur contemptui, Anaſtaſius Bibliothecarius nova tranſlatione ſenſa ſenſibus quam diligentiſſime reddens donavit ac in Archivo S. R. E. recondidit. Poſtremo qui verſionem Anaſtaſij ignoravit exoſus primam, aliam elaboravit, quæ in tomis Conciliorum communi uſui expoſita eſt. Hinc porro eſt quod Binius in ſua collectione hanc Synodum cum duplici verſione exhibet, Anaſtaſiana priori cum textu Græco, & alia Latinâ tantum quæ communior eſt, & quam Joverius reſciſſis iis quæ putavit minus neceſſaria, poſt textam Synodum poſuit. Hanc autem viſum eſt tantiſper auctiorem facere ac aliqua ſupplere ex Anaſtaſij verſione, quæ nobis intacta relinquere decens viſum non eſt, cum ita compendiariam hanc ſummam nobis propoſuerimus, ut avidum rerum Lectorem in magis neceſſarijs non deſeramus.

Triplex Synodi verſio.

In tanto autem pretio habita eſt Synodus hæc apud Græcos ut Feſtum diem agant quotannis ejus diei in quo abſoluta eſt. In eorum enim Menologio juſſu Baſilij Imperatoris reſtituto iſta leguntur. *Die duodecima menſis octobris. Sanctæ ſeptimæ Synodi trecentorum ſexaginta ſeptem Patrum commemoratio.* Sancta ſeptima generalis Synodus Nicææ ſecundo conflata fuit ſub Conſtantini & Irenæ ipſius genitricis Imperio, cum eſſet Conſtantinopoli Patriarcha Taraſius ſanctiſſimus, Deifer Pater noſter. Sancti namque patres numero trecenti ſexaginta ſeptem adverſus imaginum impugnatores convenerunt principis juſſu & in ſcriptis omnem excommunicaverunt hæreſim & hæreſeon principes & omnes Iconomachos, cunctis eadem voce dicentibus: *Sanctam non adorans imaginem, eſt ab Orthodoxorum alienus fide. Et imaginis honor (ſicut magnus inquit Baſilius) ad primitivum refertur. Qui namque colit imaginem & venerator, in ea venerator picti ſubſtantiam & adorat.* Et cum ita ſtatuiſſent, & in ſcriptis Orthodoxam firmaſſent fidem ab Imperatore honorati, ad ſuum quiſque miſſus eſt Epiſcopatum.

Feſtum diei Synodi.

Cultus imaginis reſpectivus

Actio I.

In nomine Domini & dominatoris Jeſu Chriſti veri Dei noſtri & Imperio piiſſimorum & amicorum Chriſti dominorum noſtrorum Conſtantini & Irenes matris ejus, octavo anno conſulatus eorum, octavo Kalendas Octobrias Indict. xij.

Conveniente ſancta & univerſali Synodo, quæ per Divinam gratiam & piam ſanctionem eorumdem Deo confirmatorum Imperatorum congregata eſt in Nicænſium clara Metropoli Bithinienſium Provinciæ, id eſt Petro Reverendiſſimo Archipreſbytero ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ ſcilicet Apoſtoli Petri, & Petro Reverendiſſimo Preſbytero Monacho & Abbate venerabilis Monaſterij ſancti Sabbæ Romæ ſiti retinentibus locum Apoſtolicæ ſedis almi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ Adriani. Taraſio almo & ſanctiſſimo Archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ, Joanne ac Thoma Reverendiſſimis Preſbyteris, Monachis & Vicarijs Apoſtolicarum ſedium Orientalis Dioeceſeos, Agapito Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, &c. Macario Epiſcopo Arcadiorum ſedentibus ante ſacratiſſimum ambonem templi ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ quæ cognominatur Sophia, præſentibus & audientibus gloriosiſſimis & magnificentiſſimis principibus, id eſt Petrona laudatiſſimo exconſule patritio & comite Deo conſervandi Imperialis officij, & Joanne Imperiali poſtiario & Logotheta Imperialis Logotheſij, & Reverendiſſimis Archimandritis Hegumenis & Monachis, propoſitis ſanctis & intemeratis Dei Evangelijs. Reverendiſſimi Epiſcopi Siciliæ Inſulæ dixerunt. Dignum ducimus & per omnia hæc huic ſanctæ & univerſali Synodo conveniens eſſe perſpicimus, ut ad exquirendorum inchoationem capitulorum, ſanctiſſimus & ſummus ac eximius Paſtor & Præſul Regiæ Conſtantinopoleos novæ Romæ proœmium faciat & oſtium verbo aperiat, & quæ congrua ſunt, vociferando pronunciet.

Sancta Synodus dixit: fiat ſecundum poſtulationem ſanctiſſimorum Epiſcoporum.

Tharaſius ſanctiſſimus & beatiſſimus Patriarcha Conſtantinopoleos dixit: opportunum eſt nunc dicere Prophericam illam vocem, quam ſæpe audivimus per Evangelium prædicari: *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas:* Quando enim Deus facit aliquid, omnis in his quæ aguntur, facilitas ſequitur, quoniam voluntati ejus reſiſtit nullus. Nam etſi ex antiqui hoſtis immiſſione, qui vult concitare ſuper ſanctam Eccleſiam Catholicam, præterito anno Kalend. Auguſti, in à Deo conſervata Regia urbe præſentibus nobis in venerabili templo tubarũ Spiritusſancti videlicet & laudatiſſimorum Apoſtolorum, commota eſt multorum turba virorum furore ac amaritudine plena, ut in nos manus injiceret (ex qua manu divina erepti ſumus, habentes in auxilium quoſdam Epiſcopos, qui facile numerari poſſunt, quorum nomina voluntarie præterimus, quoniam omnibus nota ſunt) & ad modicum viſi ſunt prohibuiſſe loqui, & confirmare pium veritatis ſermonem. Sed mitiſſimi Imperatores noſtri divinitus acti, cum eſſent Orthodoxiæ propugnatores, & ſiniſtræ opinionis impugnatores non dederunt ſomnum oculis ſuis, & palpebris ſuis dormitationem, donec tabernaculum Dei, id eſt, Eccleſiam ejus in unum reſtituerent, & pacificum hanc habitaculum redderent. Quapropter conſilio & voluntate Dei rurſus in idipſum congregaverunt nos. Verum pro his bonas recipient viciſſitudines à Chriſto omnium noſtrum Imperatore, qui ad has multipliciter remetiendum potentiſſimus eſt. Nos ergo ſacrati viri adjutorem illum invocantes, & in pectore noſtro timorem ejus habentes, futurumque judicium in mente recipientes, accingamus lumbos mentis noſtræ in veritate, & vigilantes in omnibus ſecundum Apoſtolum, æquilibraminis judicium judicemus: & omnem vocum novitatem, ambitum, atque ſuperfluitatem tanquam puro tritico ſuperſeminata zizania, ſine omni dilatione radicitus evellamus, utpote veritati obviantia, & Eccleſiæ repugnantia. Quæ enim in ea tradita ſunt, non ſunt, eſt & non; ſed, eſt, exiſtunt in veritate & permanent incorrupta, & immutilata in ſempiterna ſæcula. Sine mendacio quippe eſt, qui repromiſit, dicens: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* etſi certificati fuerimus quod placabile ſit in conſpectu Dei, conveniant qui in præterito anno reſtitere veritati: ſi quis eſt in illis ſermo vel contradictionis vel etiam ratiocinationis, dicant: ita namque omnis examinatio manifeſta fiet.

Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri dixit: ſi videtur huic ſanctæ & univerſali Synodo, ſecundum quæ dicta ſunt à ſanctiſſimo & beatiſſimo Patriarcha Tharaſio, ingrediantur ſanctiſſimi Epiſcopi qui in hac criminati ſunt parte, in conſpectu hujus ſanctæ & univerſalis Synodi. Sancta Synodus dixit: ingrediantur, & ingreſſi ſunt Epiſcopi, qui prædicti ſunt. Cumq; ingreſſi fuiſſent, glorioſiſſimi Principes dixerunt: Domini noſtri benigni honorabilem & ado-

erga peccatores, in ſedeſque ſuas per peccatum amiſſas reſtitueret, ſe non ſolum illis immiſcuit, ſed velut in capite eorum ſe conſtituit, implorans divinam miſericordiam cum clamore valido & lacrymis, quaſi ipſe fuiſſet è numero peccatorum. Inde reſtitutio Iconoclaſtarum, id eſt, peccatorum qui imaginem & ſimilitudinem Dei in anima ſua impreſſam decoloraverunt & violaverunt. Sed hoc obiter, cujus applicationis auctor primus eſt Marcellinus de Pue Capucinus *in Enciclopedia Morali*, Homilia de S. Thoma Apoſtolo, licet pro Juvenali Julianum poſuerit.

Actio ſecunda 6. Calend. Octob.

Primo producta eſt in Synodo Epiſtola Adriani Archiepiſcopi Romani ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos.

Dominis Piiſſimis ac Sereniſſimis victoribus, triumphatoribus filiis in Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto dilectis Conſtantino & Irenæ Auguſtis, Adrianus ſervus ſervorum Dei.

2. Cor. 4. Deum qui juſſit è tenebris lucem ſplendere, quique nos à poteſtate tenebrarum, per filij ſui, verę ſc. lucis incarnationem *liberavit*, in quo cuncta divinitatis ſuæ ſpecimina juſſit converſari, per quem etiam univerſa *renovavit, ſimul in illo per ſanguinem Crucis illius, cum eaquæ in cœlis illi in terra exiſtentia pacificans*, per divitiarum bonitatis ſuæ plenitudinem, in Eccleſię ſuæ faciem reſpiciens, pietatem veſtram, & prædeſtinatam ſerenitatem Imperatoriæ manſuetudinis, ad perfectionem fidei vocare non dedignatus eſt, quo omnem mendacij improbitatem per vos conterat, veritatemque in lucem producat. Poſteaquam enim quæ à veſtra ſerenitate, & pietate nobis miſſa ſunt cognovimus, dici non poteſt quantopere cor noſtrum gaviſum ſit, tanto enim gaudio & lætitia repleti ſumus, ut ne humana quidē lingua explicare ea ſufficiat. Quemadmodum enim à ſuperioribus hæreſeos ſchiſmatibus eramus conterrefacti, ita nunc rurſum per veſtram juſſionem exultatione ſumus perfuſi. Nam in Regia veſtra civitate venerandarum imaginum cauſa juſſiſtis tractari, quæ à retro Imperatoribus turpiter in eas commiſſa ſunt. Hi enim non ſolum eas ſubverterunt, ſed & contumelia affecerunt, ridiculas eas exiſtimantes, atque utinam non computet illis peccatum hoc Altiſſimus. Satius enim fuiſſet ne injeciſſe quidem manus in Eccleſiam. Unde factum ut totus Orientalium partium populus in errorem ſit inductus, & in propria exiſtimatione, & voluntate rebus Eccleſiæ abuſi ſint, donec in regni ſolium vos evexit, quos ſciebat in veritate illius gloriam inquiſituros, & quæ à ſanctis Apoſtolis, cunctiſque Doctoribus tradita erant, conſervaturos: honoremq; debitum imaginibus, quæ per amentiam hæreticorum ſubverſæ fuerant, reddicturum. Nuper verò propriam veſtram juſſionem, de voluntate veſtra inſtructi, omnipotentem Deum pro veſtro Imperio precibus ſollicitantes, gratiarum actione gloriam illius prædicavimus. Illud autem in ſtabilimentum & confirmationem regni veſtri maximè ſit, quod magnum opus hoc aggreſſi eſtis, quod ſine mediatione veſtra in hoc mundo vix fieri poteſt: reddetur enim jam ſibi vetus & antiqua orthodoxa fides, reſtituentur venerabiles imagines in eam faciem, qua in prima Eccleſia conſpectæ ſunt. Vos autem partem habebitis cū eo, qui nunc in divina requie quieſcit, Conſtantino Imperatore & Helena ejus matre, qui orthodoxam fidem illuſtrarunt, & confirmarunt, adeoque ſanctam matrem veſtram catholicam, & ſpiritualem, Romanā Eccleſiam exaltarunt, ut plane ſpes ſit, eorum piam appellationem in veſtra cognomenta piiſſima, & à Deo data tranſituram, ut per omnem terrarum orbem novus Conſtantin. & nova Helena prædicetur, per quos ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia renovabitur.

Vos autem maximè in traditione Orthodoxæ fidei Eccleſiæ B. Petri & Pauli principum Apoſtolorum, acquieſcetis eamque amplectemini, quemadmodum à ſuperioribus Imperatoribus factum eſt, qui vicarium ejus ex toto corde dilexerunt. Quapropter veſtra quoque à Deo data majeſtas, ſanctiſſimam Roman. Eccleſiam principum Apoſtolorum, quibus à Deo ipſo data eſt poteſtas ſolvendi & ligandi peccata tum in cœlo, tum in terra, honorabit. Ipſi ſcilicet regni veſtri propugnatores erunt, cunctaſque barbaras nationes pedibus veſtris ſubjicient, ut quocumque ire perrexeritis victores vos declarent. Hi ſiquidem principes Apoſtolorum ſunt, qui Catholicam, & Orthodoxam fidem auſpicati, per ſcripta quidem veluti legibus latis fidem ſuam ſervandam præceperunt omnibus videlicet, qui in ſedes illorum ſucceſſuri erant, & in fide eorum, uſquè ad conſummationē ſæculi permanſuri, atque ita noſtra ſervat Eccleſia, & ſanctas eorum figuras veneratur; unde in hunc uſque diem venerandis horum imaginibus Eccleſiæ noſtræ ornatæ & conſpicuæ ſunt. *Matth. 18.*

Quemadmodum ſanctiſſimus, & beatiſſimus Papa Sylveſter in principio Chriſtianorum noſtrorum orthodoxa fide teſtatur. Cum aliquando fœlicis recordationis Conſtantinus Imperator per noctem ſomnum caperet, ecce B. Apoſt. Petrus & Paulus dormienti adſtiterunt, dicentes: Quandoquidem ſanguinis infantium effuſionem morbi tui gratia fieri juſſiſti, en à Chriſto miſſi ſumus, quo ſanitatem tibi afferamus. Audi igitur noſtrum conſilium, & ea quæ tibi præcipimus fac impleas. Principio Sylveſtrum Epiſcopum qui perſecutionis tuæ gratia Roma exulat, & in Sorapeno monte clam in ſpeluncis cū clero latitat, cura ad te vocari. Is tibi lavacrum pietatis, in quo tu lavaberis, præparabit, dabiturque tibi non modo lepræ, verum omnium morborum ſanitas. Cumq; præclaris illis bonis fueris recreatus, confeſtim jubeto per omnia loca Romanorum Eccleſias reſtaurari, te vero ipſum purum, abjecto idolorum cultu, declarabis, cultumque debitū ſoli Deo vero adorando exhibeas, juxta illius voluntatem omnia tua conſilia diſponens. Imperator itaque è ſomno excitatus, omnes ſuos aulicos quicunque in palatio erant convocavit, quodq; per inſomniū illi oſtenſum fuerat, expoſuit, nec mora aliqua, ſed confeſtim miniſtros ſuos ad Sorapenum montem in quo B. Pater Sylveſter cum clero, vacans lectionibus ſacrorum librorum latitabat, miſit. Jam cum undique videret milites circuncingentes montem inquirendi cauſa, exiſtimans quod ad martyrium raperetur, clerum ita affatus eſt: Ecce nunc tempus expectatum, ecce nunc dies ſalutis. Egreſſo autem de ſpelunca narrarunt milites, qua de cauſa quæreretur, cum quibus ad Imperatorem, trahens ſecum comites tres Presbyteros cum duobus Diaconis profectus, cum Imperatorem vidiſſet: Pax tibi, inquit, ô Imperator ſurſum de cœlo & victoria. Imperator itaque hilari oculo, & tranquillo animo illius verba exaudiens, quæcunque ſibi per inſomnia fuerant revelata B. Sylveſtro expoſuit. *Converſionem Conſtantini magni refert.*

Poſtquam autem finem narrationis feciſſet, quæſivit Imperator, qualesnam arbitraretur eſſe deos Petrum & Paulum quos viderat. Reſpondit pater nequaquam eſſe deos, ſed ſervos, & diſcipulos Domini noſtri Jeſu Chriſti, quos in hoc elegiſſet, ut omnes converterent, ut crederent in eum. Hæc cum audiviſſet Imperator percontatus eſt num alicubi eſſent hiſtoriæ illorum: mox B. Sylveſter per Diaconos adferri, quas habebat Apoſtolorum imagines juſſit: quas cum Imperator aſpexiſſet clara voce proclamavit: Hi ſunt, quos per viſum conſpexeram, neque amplius incredulus ſum: paretur lavacrum in meam ſalutem. Conſtructo autem lavacro, cum ſacro rore tinctus eſſet, confeſtim eſt ſanitati priſtinæ reſtitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, Eccleſias Dei exædificare cœpit, columnas earum paſſim ſacris imaginibus in memoriam Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, omniumq; ſanctorum reverentiam exornavit: nec alia de cauſa, quam ut Chriſtianiſſimum, in lucem, & veritatem, *Imagines Petri & Pauli.*

Deique cultum provocaret, & omnes gentes à cultu idolorum & diabolica deceptione converteret.

Quemadmodum etiam divus pater Gregorius Apostolorum successor prædicavit, ob id depingi in templis Evangelicas historias, ut homines illiterati, & qui sacros libros legere nequeunt (quorum sanè maxima pars est) conspectis illis redderent Deo gloriam & reducerent in mentem, quæ in carne conversatio Domini nostri Jesu Christi fuisset. Ut taceam interim orthodoxos alios, & Christianissimos Imperatores, cum sacerdotibus omnibus & honestis viris Deum colentibus, simul etiam cum universo Christiano populo, qui omnes juxta antiquam sanctorum Patrum traditionem, venerandas imagines & receperunt, & tenent, & in memoriam & compunctionem cordis conservant & in hunc usque diem venerantur. Neque aliter fiebat in partibus & regionibus istis, donec proavus vester ex impiorum quorundam institutione venerandas imagines abstulit. Ex quo tempore magnus error Græciam istam invasit, unde non contemnendum scandalum in mundo factum est. Sed *væ illis per quos* Matth. 18. *scandala in mundum irrepserunt*, ut ipsa veritas mentiri nescia testatur. Qua de causa in magnam tribulationem uterque Gregorius Romani Pontifices per ea tempora sanctissimi, conjecti sunt. Sæpe etiam proavum vestræ serenitatis admonuerunt, ne sineret venerandas imagines de statu suo dejici, verum illorum salutiferæ preces ne quicquam fusæ sunt, animumque illius haud quicquam commoverunt. Post [illegible] & Zacharias, Stephanus, Paulus, & alter Stephanus, qui
* al. nos. * nobis in Episcopatu hujus almæ urbis præcesserunt, avum patremque vestræ serenitatis, pro restitutione sanctarum imaginum sæpe interpellarunt. Eadem ratione & nostra exiguitas vestram Imperatoriam majestatem cum omni humilitate obsecrat, sinat aliquando recordationis causa erigi in Ecclesia sacram Jesu Christi juxta incarnationem humilitatis imaginem, ponatur in aula Dei similitudo ejus sanctæ Matris, sanctorumque & beatorum Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & Confessorum, & ex animi desiderio eas veneremur, quemadmodum à sanctissimis patribus, majoribus nostris, probatissimisque pontificibus nobis à multis sæculis traditum est.

Deut. 10. Reliquum est, ut mansuetudo imperatoria in partibus illis Græciæ hoc idem imperet & orthodoxam fidem confirmet, quo juxta scripturam *unum sit ovile,* D *& pastor unus*, cum videat in universo terrarum orbe, ubi Christianissimus pollet, ab omnibus fidelibus venerandas imagines honorari, nimirum ut per visibilem figuram, ad invisibilem magnitudinis ejus divinitatem spirituali dispositione mentes nostræ rapiantur, secundum carnem quam Dei filius propter salutem nostram suscipere dignatus est, redemptorem nostrum in cœlis existentem adoremus, & in parte glorificantes, laudemus, quemadmodum scriptum est, *Deus spiritus* Joan. 4. *est*: & illud comprobando, secundum Spiritum Deitatem illius adoramus. Nequaquam autem sic statuamus quemadmodum quidam nugantur, ut imagines tanquam Deos conficiamus. Labor enim & fatigatio nostra, quem exhibemus, in desiderium Dei sanctorum-
Cultus relativus. que eius perficitur. Et quemadmodum sacra scriptura E imagines in memoriâ venerationis habet, sic & nos eas habeamus, servantes tamen perpetuo fidei nostræ puritatem. Quinetiam factor noster, & artifex Dominus Deus juxta propriam imaginem & similitudinem, hominem de luto terræ finxit illuminavitque in libera potestate sui ipsum constituens. Præterea primus ille homo liberi arbitrij existens cuncta animantia terræ,
Genes. 2. & volatilia cœli annuente Deo, nominibus propriis vocavit. Abel autem ex primitiis ovilis sui, propria voluntate dona Domino Deo obtulit: de quo legimus. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera illius.*
Genes. 4. Deinde Noe post cataclysmum, hoc est diluvium, al-
Genes. 8. tare propria voluntate Domino construxit, & ex omnibus animalibus, & volatilibus pura dona in altare hoc attulit. Similiter etiam Abraham, quemadmodum testatur scriptura, propria voluntate aram extruxit in honorem & gloriam Dei, quemadmodum apparuerat Jacob etiam cum fugisset a facie fratris sui Genes. 28. vidit per visum Angelos Dei per scalam ascendentes & descendentes, & Dominum innixum scalæ, ad se loquentem. Postquam autem surrexisset ex sua voluntate lapidem, in quo caput declinarat, sustulit, & ubi erexisset eum, infudisseque oleum super eum vocavit locum Bethel, dicens: *Non est hic aliud quam domus* Genes. 28. *Dei*. Ob quam sanè causam legimus illi iratum Deum, non enim illi exprobravit, quod sua voluntate lapidem erexisset. Item, ô Serenissimi Filij Principes, & rectè sentientes Imperatores, quæcunque in admonitionem hominum ad gloriam Dei spectantia fiunt, B Deo disciplicere nequeunt. Rursus idem Jacob ille in summitate virgæ suæ adoravit, fide dilectionis id agens. De qua B. Paulus Apostolus in epistola ad He- Genes. 47. braos dicit: Non quod virgam illam, sed tenentem Hebr. 11. eam, in signum dilectionis adoravit. Quid hoc sibi vult? Nimirum quod & nos juxta desiderium, & amorem, quo erga Deum sanctosq; illius affecti sumus, figuras in imaginibus repræsentemus. Non inquam in coloribus, & tabulis honorem constituentes, sed eorum prædicantes gloriam, quorum appellationem imagines referunt. Accedamus iterum ad scripturam Exod. 37. videamusque quid Moſi à Domino mandatū fuerit, cum illum juberet propitiatorium de auro mundissimo conficere, quod duos cubitos & dimidium longitudine, & cubitum & semissem in latitudine conficiebat. C Duos quoque Cherubim aureos, & productiles ex utraque parte oraculi. Et paulo post: *Imponesque testimo-* Exod. 25. *nium quod dabo tibi, quo operienda est Arca. Et lo-* 37. *quar de te super propitiatorium, ac de medio duorum* Exod. 40. *Cherubim qui erunt super Arcam testimonii.* Quin- 38. & 39. etiam in velis, & cortinis tentorij, duorum Cherubim opus textile, & diversi coloris fieri jussit. Ex his animadvertendum est serenissimi Domini, & filij Principes, Deum omnipotentem Dominum nostrum de medio Cherubim manu hominum factorum pro salute populi non dedignatum loqui. Quamobrem non est dubitandum omnia quæ in Ecclesiis Dei ad laudem & decorem domus illius construuntur, sancta, & colenda esse. Sed & hoc, ô serenissimi Imperatores, ad incredulorum certiorem fidem, & errantium castigationem adjiciendum est, non frustra Moſi famulo suo, quemadmodum in libro Numerorum legitur propter pestem in populum grassantem, Num. 21. præcepisse: *Fac serpentem, & pone illum in signum, & qui tactus fuerit, illumque inspexerit vivet.* Fecit igitur Moses serpentem æneum, & posuit illum, & servati sunt. O insaniam infremientium adversus fidem, & cultum sacrum Christianorum! ô stultitiam vetantium venerandas imagines honorari, in quibus Servatoris nostri, cujus potentia genus humanum, & constat adhuc, & servatur: & præterea Genitricis ejus, omniumque Sanctorum historiæ continentur! Nam si Israeliticum populum per inspectionem ænei serpentis, servatum à sua peste credimus: Christi verò Dei & Salvatoris nostri, omniumque sanctorum figuras contemplantes, & venerantes, dubitamus nos servari? Absit ut amplius dubitemus. Absit ut à Patrum sanctorum traditione diversa sentiamus. Hæreamus in doctrina illorum, nec ab illa declinemus. Et Salomon in eo templo quod Domino ædificavit, Cherubim in gloriam Dei fecit, & diversis coloribus illud adornavit. Quare ergo non & nos sentientes rectè, confessionem fidei nostræ, & speciositatem domus Dei ex diversis coloribus & picturis exornabimus? Cum & Esaias Propheta dicat: *In diebus illis erit altare Domini* Esaiæ 19. *in medio terræ Ægypti, & columna constituta juxta fines ejus, & erit in signum & testimonium Domino in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantium, & mittet eis servatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Quin etiam Psalmorum cantor David

hymnũ emens, dicit: *Confeſſio & pulchritudo coram eo.* *Pſal. 95.*
Iterum: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.* *Pſal. 25.*
Rurſus idem adventum & incarnationem Filij Dei Servatoris noſtri prædicans, magnificè faciem illius juxta diſpenſationem intarnationis illius adorandam cenſet, dicens: *Exquiſivit te fides mea, faciem tuam Domine requiram.* *Pſal. 26.*
Iterum: *Faciem tuam ſupplicabunt divites populi.* *Pſal. 44.*
Rurſus: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* *Pſal. 4.*

Patrum teſtimonia pro imaginibus.

Qua de cauſa divus Auguſtinus magnus ille Doctor in ſermonibus adhortatoriis ſuis, inquit: Quideſt imago Dei aliud niſi vultus Dei, in quo ſignatus eſt populus Dei? In cujus conſenſum & Divus Gregorius Niſſæ Epiſcopus, de Patriarcha Abraham ſermonem faciens dixit: Vidi non infrequenter paſſionis figuram, neque ſine lachrimis ejuſmodi picturam tranſij, cum ſcilicet opus artificij in perſonam ſignificatam demonſtratum eſſe viderem, & reliqua, quæ ex interpretatione in Cantica Canticorum adfert. Nec aliter deinceps ſubſequens ex eadem doctrina ſonat. Nunquid materia diverſorum colorum, animæ imitationem non repræſentat? Nam qui imaginem aſpicit, quæ ex arte per diverſos colores in tabula eſt expreſſa, non ex pictura, & colorum tinctura ſimilitudinem accipit, ſed ad contemplationem primi exemplaris, animum reducit. Quin-etiam in Epiſtola Divi Baſilij, qua in Julianum delertorem invehitur: Quemadmodum à Deo Chriſtianam, & inculpabilem fidem, veluti hæreditario jure accepimus, ſic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, unum Deum, hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam Filij incarnatam *οἰκονομίαν* deinde ſanctam Mariam, quæ ſecundum carnem illum peperit, hanc Deiparam vocans. Suſcipio etiam ſanctos Apoſtolos, Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus noſter benigniſſimus, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob cauſam, & hiſtorias imaginum illorum honoro, & palam adoro, hoc enim nobis traditum à ſanctis Apoſtolis, non eſt prohibendum, ſed in omnibus Eccleſiis noſtris, eorum hiſtorias erigimus. Idem in ſermone in quadraginta martyres. Quin-etiam bellorum trophæa & victorias & hiſtorici ſcriptores, & pictores demonſtrant, hi quidem oratione rem exornantes, hi vero in tabulis depingentes, multos ad virtutem & virilitatem excitarunt. Si quidem quæ hiſtoria oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem oſtendit. Joannes quoque Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in ſermone in parabolam de ſemente: Nonne injuria afficit Regem qui Regiam veſtem violat? Non noviſti quod is qui injuria afficit Imperatoriam imaginem, in Imperatorem ipſum veluti exemplar imaginis ejuſque dignitatem injurius eſt? Neſcis quod quicumque ex ligno & coloribus imagini convicia dicit; illum non damnari veluti in rem inanimatam, ſed contra Regem ipſum dixerit? Judicatur enim occultè Regi injuriam inuliſſe. Et rurſus ex eodem in ſermone in ſanctam quintam diem Paſchæ. Omnia facta ſunt in gloriam Dei, & ad noſtram doctrinam quare ad pluviæ miniſterium dictum eſt: Impleatur terra fructuum copia, mare natantibus, omnia Deo ſerviunt, imo potius imagini Dei. Nam cum Regiæ figuræ & imagines in civitates inferuntur, populus non ipſam tabulam, aut ex cera factam imaginem honorè proſequitur, cumque magiſtratu illic obviam procedit, ſed potius regiam hiſtoriam & veluti præſentiam ſuſcipiunt, eodē ſanè modo, & ipſa creatio non terrenam iſtam ſpeciem, ſed cœleſtem hiſtoriam admirátur. Similiter Beati Cyrilli verba ex interpretatione ejus in ſanctum Matthæi Evangelium, adferimus. Sic enim inquit: fides enim depingit verbum quod in forma Dei exiſtat, quod liberam noſtra vita adjunxit ſe Deo, ſimilitudineque noſtra aſſumpta factum eſt homo. Idem paulo poſt: Imaginum uſum vobis ſuppleant parabolæ, quæ ſignorum virtutem nobis ſubjiciunt, nimirum per oculorum appoſitionem, manuum tactum, & quæ in nudo intellectu contemplationem obſcurè habent. Adducamus etiam & Divi Athanaſij Alexandrini Epiſcopi verba, de eo quod Dominus carnem humanam aſſumpſit. Ex multis commodè paucà ſumentes, ſcripſimus: Quandoquidem ea quæ in tabulis picta ſunt, cum figura per ſordes, & ſitum delecta fuerit, neceſſarium eſt ut denuo pingatur, & reficiatur, modo talis ſit ut adhuc renovari in eadem materia, & tabula poſſit. Nam per eandem formam & materiam, in qua depingitur non deſtruitur, verum potius in eo, quod ante fuit, conſenſit. Dicamus & aliud ex Divi Ambroſij ad Gratianum Imperatorem libro tertio capite nono. Quid ergo? Nunquid cum divinitate & carnem adoramus? Num quando in ea & divinam imaginem, & crucem adoramus, ipſum partimur? Abſit. Itidem audiamus quod nobis Beatus Stephanus Epiſcopus Boſtrorum prædicet: Quicunque imagines divorum confitentur, non errant. Siquidem omne opus factum in nomine Dei, bonum & ſanctum eſt. Aliud enim imago, aliud *εἴδωλον* hoc eſt abjecti animalis ſtatua. Quando namque Deus Adam plaſmavit, hoc eſt, creavit, dixit: *Faciamus hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram, & fecit hominem imaginem Dei:* Ergo quod imago Dei ſit homo, ob id ſtatua, Deorum eſt, idololatria, & impietas? haud quaquam. Etenim ſi Adam imago dæmonum fuiſſet, utique reprobandus fuiſſet, & receptu indignus: quando vero Dei imago eſt, honore proſequendus eſt, & admitti dignus. Omnis enim imago, ſive Angelorum, ſive Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut Martyrum, aut alioqui juſtorum virorum, in nomine Dei facta eſt. Non enim ipſum lignum honoratur, ſed ipſum illud, quod in ligno datur contemplandum: atque ita per recordationem veneratio exhibetur. Omnes enim principes, etiam ſi peſſimi ſint peccatores, adoramus & reverenter ſalutamus. Quid vetat igitur, quominus non liceat ſanctos Dei miniſtros venerari, & in memoriam eorum imagines ſtatuere & erigere, ne in oblivionem perpetuam veniant?

Genes. 1.

Idola.

Verum (inquis) Deus ipſe manufacta prohibuit adoranda. Dic mihi (ô Judæe) quid eſt, quod ſuper terram extat, quod non ſit manu hominum factum; poſtquam à Deo fuerat creatum?

Quid? Arca Dei, quæ ex ligniſ Sethim conſtructa eſt, & ædificata, nonne opus eſt hominum? Quid altare? quid propitiatorium? quid urceus in quo manna recondebatur? quid menſa & candelabra? ſunt-ne opera manuum hominum, quæ Salomon fieri mandavit? Quamobrem ea, quæ ſancta ſanctorum dicuntur, cum ſint manufacta, præterea Cherubim, & ſex alata illa, quæ circa altare Domini fuerunt, cum ſint animalia, & imagines Angelorum, opera manuum hominum non fuerunt ejecta, & à Judæis proculcata? Non aliam ſanè ob cauſam, quam quod Dei mandato imagines fuerunt Angelorum ſacratæ. Gentium autem idola quia imagines fuerunt dæmonum, Deus ejecit, & condemnavit. Nos verò in memoriam ſanctorum imagines facimus: quorum, ais? Abrahæ, Moſis, Eliæ, Eſaiæ, reliquorumque Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, qui propter Chriſtum tribulati ſunt, quo omnis, qui eos in imagine contemplatur, illorum & meminerit, & glorificet Deum, qui illos quoque magnifecit. Decet ſiquidem eos honor & veneratio propter juſtitiam eorum, ut omnis qui viderit eos, in imitationem ſuorum operum ducatur. Qualis verò eſt iſte adorationis honor? profecto non alius quam is quo nos peccatores quoque invicem proſequimur, ſalutantes nos inter nos per honorationem & dilectionem. Quid aliud apud Dominum Deum noſtrum tentamus, quam adorantes, & trementes eum?

imago enim nihil aliud eſt, quam figura illius, in qua pictura expreſſus eſt.

Impij verò, qui ipſi nihil boni faciunt, neque ſanctorum recordantur, caveant bona imperantes impedire, neque ſcandalo ſint his, qui ſanctos Dei ſervos honore afficiunt. Boni enim operis bonam mercedem adipiſcentur. Impij vero quemadmodum animo ſuo voluerunt, ita infidelitatis ſuæ manſionem invenient: quando juſtitiam negligentes à Deo deſciverunt. Ex his liquido conſtat, ob recordationem ſanctorum imagines tantum pingi, venerari & coli, quos conſtat clarè ſervos eſſe Dei, & pro nobis apud Deitatem obſecrantes, & intercedentes. Dignum namque eſt ut ducum noſtrorum memores ſimus, & Deo gratias agamus. Accedant hic, quæ Beatus Hieronymus Preſbyter Hieroſolymitanus, in quodam ſermone ſcripta reliquit. Etenim ut conceſſit omnibus gentibus adorare, quæ manu facta ſunt, Judæis quidem cruſtas illas, quas fabricavit Moſes, præterea duo Cherubim aurea, ita nobis Chriſtianis Crucem largitus eſt, & bonorum operum imagines pingere, & venerari, atque ita noſtrum opus ad eum probare.

Hæc ſunt piiſſimi, & ſereniſſimi Imperatores, & dilectiſſimi filij, quæ ex ſacra Scriptura novi, & veteris Teſtamenti, item piis Sanctorum Patrum ſententiis de ſacris imaginibus Dei, ſanctorumque virorum, item de divina ſcriptura in Eccleſiis ad laudem Dei, & memoriam ſanctorum ſuſcipienda breviter deſcripſimus. Quæ per Apoſtolicam relationem ſerenitati veſtræ potentiæ cum omni humilitate, & ſincero corde ſtudiosè diſcutienda offerimus. Nos enim perfunctoriè ex diverſis probatiſſimis Patribus, teſtimonia de venerandis imaginibus deſumpſimus: quæ profecto quod in libris eorum non adulterinis, ſed germanis inventa ſunt, ſervanda exiſtimamus, & ob id mitiſſimis veſtris Imperiis legenda tradidimus, obſervantes interim ex animi fervore, veſtram manſuetudinem obteſtando, veluti præſentes genibus advoluti, & coram veſtigia pedum volutando, ego cum fratribus meis coram Deo ſupplico, obteſtor, adjuro, quod ſacras imagines in ipſa Deum colente, & regia urbe, & utriuſque Græciæ partibus, in priſtinum ſtatum reſtitui, & firmari jubeatis, cuſtodientes traditionem hujus ſanctiſſimæ & beatiſſimæ veſtræ Eccleſiæ, abjiciendo etiam, & execrando impiorum hæreticorum improbam vehementiam, quo ſacram hanc veſtram Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam indiſſolutam complecti poſſitis. Amen.

Papæ humilitas.

EX ANASTASIO BIBLIOTHECARIO deſumptum eſt hoc fragmentum Epiſtolæ Adriani ad Conſtantinum Imperatorem, & ejus matrem Irenem, quod deſideratur in exemplari impreſſo Coloniæ.

Si vero impoſſibile eſt hæreticorum veſaniæ, pro incredulitate ipſorum ipſas ſacras, ac venerandas imagines, ſine Synodi actione in priſtino erigere ac confirmare ſtatu, & noſtros Sacerdotes pro ejuſcemodi pia operatione veſtra cupit ſereniſſima Imperialis potentia accerſire, ſicut in veſtris fertur Imperialibus juſſionibus, imprimis pſeudo-ſyllogus ille, qui ſine Apoſtolica ſede enormiter, nequiter, irrationabiliter, contra Sanctorum Patrum traditionem de ſacris imaginibus actus eſt, anathematizetur præſentibus juſſis noſtris, & tunc ſicut antiquitus mos exſtitit jurejurando veſtra piiſſima, ac tranquilliſſima poteſtas, una cum domina Auguſta Imperij veſtri genitrice, ſeu ejuſdem Regiæ urbis Patriarcha, nec non & cuncto ſenatu corporale tribuentes Sacramentum, verbum commonitorium ſicut antiquitus pia ſacra nobis dirigere veſtra dignetur Imperialis poteſtas, quod non eſt apud vos partis cujuſlibet favor, aut defenſio, ſed æqualitatem utriſque partibus conſervabitis, nullatenus neceſſitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui à nobis diriguntur quoquo modo, ſed omni honore, cum competenti munificentia, & ſuſceptione dignos eos habebitis. Et ſiquidem utrique convenerint, ecce bene, ſi autem minimè convenerint, iterum cum omni humanitate ad nos dirigere ſatagetis. Quia dudum ibidem propriæ zelo fidei, ac ſanctarum imaginum, religioſi viri ac Dei famuli directi in exilium miſſi ſunt, & bonæ confeſſionis hujuſmodi finierunt vitam.

Porro & hoc veſtrum à Deo coronatum Imperium, ac piiſſimum poſcimus, ut ſi veram, & Orthodoxam ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ nitimini amplecti fidem, ſicut antiquitus ab Orthodoxis Imperatoribus, ſeu à cæteris fidelibus Chriſtianis oblata, atque conceſſa ſunt patrimonia Beati Petri Apoſtolorum Principis fautoris noſtri integrum nobis reſtituere dignemini, pro luminariorum concinnationibus eidem Dei Eccleſiæ, atque alimoniis pauperum, imo & conſecrationes Archiepiſcoporum, ſeu Epiſcoporum, ſicut olim conſtat traditio noſtræ Diœceſis exiſtentes, penitus canonicè ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituantur, ut nequaquam ſchiſma inter concordiam perſeverare valeat Sacerdotum, ſed ſicut in veſtra ſereniſſima juſſione exaratum eſt, confundatur omne zizanium male plantatum, & Domini atque Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti verbum impleatur, quoniam *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* Et rurſus: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni cœlorum, & quod ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quod ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:* cujus ſedes in toto orbe terrarum primatu fungens, caput omnium Eccleſiarum conſtituta eſt, & quamvis Beatus Petrus Apoſtolus per Domini præceptum rexit Eccleſiam, nihilominus ſubſequens & tenuit ſemper, & retinet principatum, quod univerſalis Eccleſiæ nomen nullam magis oportet exequi ſedem, quam primam, quæ & unamquamque Synodum, & ſua authoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit.

Jura Eccleſiæ Romanæ violata.

Matt. 16.

Et valde mirati ſumus, quod in veſtris Imperialibus juſſis pro Patriarcha Regiæ urbis ſcilicet Taraſio directus univerſalem ibidem eum reperimus exaratum, ſed utrum per Imperium, vel ſchiſma, vel hæreſim iniquorum ſcriptum eſt, ignoramus. Sed deinceps ſuademus veſtræ clementiſſimæ, & Imperiali potentiæ, ut minimè in exarationum ſuarum ſerie univerſalis deſcribatur: quia contra ſanctorum Canonum inſtituta, ſeu Sanctorum Patrum traditionem decreta eſſe videtur. In ſecundo enim ordine ſine ſanctæ noſtræ Catholicæ Eccleſiæ authoritate, ſicut in omnibus patuit, nunquam valuit nomen habere, quod nimirum ſi ſupra prælatam ſibi ſanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum deſcribatur, tanquam ſanctorum Synodorum rebellem, atque hæreticum ſe manifeſtare certum eſt. Quia ſi univerſalis, etiam Eccleſiæ noſtræ ſedis primatum habere dignoſcitur: quod ridiculum omnibus fidelibus Chriſtianis appareret, quia in orbe terrarum ab ipſo Redemptore mundi Beato Petro Apoſtolo principatus, ac poteſtas data eſt, & per eumdem Apoſtolum, cujus vel immeriti vicem gerimus, ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia uſque hactenus tenet principatum, & poteſtatis authoritatem. Quatenus (quod non credimus) ſi quiſpiam eum univerſalem nuncupaverit, vel aſſenſum præbuerit, ſciat ſe Orthodoxæ fidei alienum eſſe, & noſtræ ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ rebellem.

Univerſalis irritum arguitur.

Primatus Romani Pontificis.

Ipſe enim Taraſius Regiæ urbis Patriarcha, miſit nobis Synodicam, priſcam adimplens conſuetudinem, quam ſuſcipientes, & liquidius indagantes, & de confeſſione tam rectæ fidei ejus, quam dogmatum ſanctarum ſex Synodorum, & venerandarum imaginum ovantes nimis iterum conturbati ſumus, quia ex lai-

torum ordine, & Imperialibus obſequiis deputatus repente ad Patriarchatus culmen electus, id eſt, à caliga militari contra ſanctorum Canonum cenſuram factus eſt Patriarcha, & quod dicere pudet, & grave facere eſt, qui regendi adhuc, & docendi ſunt Doctores, neque erubeſcunt videri, neque metuunt, ducatumque animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnibus ignota decoris eſt, & quo ipſi gradiantur, ignari ſunt, quod quam pravum, quamve ſit temerarium ſæculari ordine, & diſciplina monſtratur. Nam dum dux exercitus, non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, quales animorum duces eſſe poſſunt, qui in Epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere? hujus ſaltem rei comparatione conſiderent, & aggredi repente labores inexpertos abſtineant, quippe non didicerunt quod docent: unde Canonicè inſtituit cenſura, nequaquam ex laico ad Sacerdotium repentè tranſire, & niſi per ejus fidelem concurſum pro ſanctarum imaginum erectione, ejus conſecrationi aſſenſum omnimodo tribuere nequimus, & ideo Domini rerum à Deo coronati magni Principes, & ſereniſſimi Imperatores, petimus, & obnixè iterum obſecramus à Deo illuſtratam clementiam veſtram, & per omnipotentem Deum, qui vos regnare præcepit, & Imperialis culminis apicem vobis concedere juſſit, pietatem veſtram, ut dictum eſt, conjuramus, ut pio intuitu veſtras clementiſſimas aures noſtræ humillimæ deprecationi inclinare jubeatis, ipſaſque ſacratiſſimas imagines in priſtino gradu conſtituere, ut omnes Chriſtiani in univerſo mundo exultent, & magno lætentur gaudio. Nam cum tale, inquam, erroris ſcandalum, quod in ipſis Græciæ partibus irrepſit, abolitum fuerit, & Deo annuente ipſæ venerandæ imagines in priſtino ſtatu fuerint reſtitutæ, erit magna lætitia dilatata per univerſum orbem terrarum, & nunc ſuper omnes barbaras nationes Beato Petro principe Apoſtolorum vos comitante, eritis in triumphis imperantes victores, ſicuti filius & ſpiritualis noſter compater Dominus Carolus Dux Francorum & Longobardorum, ac patritius Romanorum noſtris obtemperans monitis. Itaque adimplens in omnibus voluntates omnis Heſperiæ occiduæque partis, barbaras nationes ſuis proſternens conculcavit pedibus, omnipotentatum illarum domans, & ſuo ſubjiciens regno, adunavit. Unde per ſua laborioſa certamina, eidem Dei Apoſtolicæ Eccleſiæ ob nimium amorem pulchra bona in perpetuo obtulit poſſidenda, tam provincias, quam civitates ſeu caſtra, & cætera territoria, imo & patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Eccleſiæ reſtituit, cujus eſſe dignoſcebantur, ſed & aurum atque argentum quotidie pro luminariorum concinnatione ſeu alimoniis pauperum non deſinit efferendo, quatenus ejus regalis memoria non derelinquatur in ſæculum ſæculi.

Tarasium Patriarcha.

Carolus Magnus.

Idcirco nimium diligentes ac venerantes magnopere quæſumus, ut præſentes tranſvectores videlicet Petrum dilectiſſimum noſtrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem ac Preſbyterum venerabilis Monaſterij ſancti Sabæ, hilari mente, atque vultu placidiſſimo ſuſcipiens, ut ſoſpites ad nos iterum remeent, diſponere jubeat veſtra ſereniſſima Imperialis clementia, ut quia de veſtra Orthodoxa fide, quam cœpiſtis, nos reddiderunt certiores, nos ex hoc veſtro propoſito læti altiſono Domino noſtro referre ſtudeamus laudes, divinam pro immenſæ piiſſima ſerenitatis veſtræ lætitia exorantes clementiam, ac conſona cum Prophera inquientes: Domine ſaluos fac invictiſſimos noſtros principes, & magnos Imperatores, & exaudi nos, in quacunque die te deprecantes pro eis invocaverimus. Ipſe enim rerum opifex & arbiter Dominus Deus noſter, in cujus manu omnia regna mundi conſiſtunt, per quem & reges regnant, & principes imperant, & potentes quæ pietatis ſunt, clementer cuncta modigerando diſponunt, veſtræ piæ ſerenitatis mellifluis cordibus inſpirare dignetur, ad exaudiendas noſtras humillimas preces, & reſtituendum in priſtinum ſacras imagines: tribuatque vobis intercedentibus beatiſſimis Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo, longæva, ac proſpera, & fœlicia tempora, & cum maxima corporis ſoſpitate, & animæ ſalute, Imperialis potentiæ ſceptris vos perfrui faciat, & ſicut terræ ſummæ potentiæ gloriam vobis conceſſit, & cœlorum regna vobis per infinita ſæcula largiri poſſidenda dignetur. Data Kalend. Novembr. indict. 9.

Legati Papæ.

EPISTOLA ADRIANI SANCTISSIMI Papæ veteris Romæ, tranſlata ex Romana lingua in Græcum ſermonem.

Dilecto Fratri Tharaſio Generali Patriarchæ, Adrianus ſervus ſervorum Dei, Salutem.

Quidam non abſ. ſuſpicatur à græcis additam illam dilectionis generalis.

PAſtoralibus curis, & ſubtiliſſima conſideratione animadvertentes quomodo præconij vox ſana omni tempore à præcone oporteat prædicari, quomodo item Paſtor in compaſſione, qualis in reductione, exiſtere debeat, & in eadem ex integro inſignis, utque in pia commiſeratione omnium infirmitatem in ſeipſum ſuſcipere debeat, & in divinam voluntatem cuncta ſua ſagaci inſpectione transferre. De his (inquam) omnibus ſtatutum eſt nobis, veſtram delectam beatitudinem, & conventum ſacratum appellare, ſuccinctè & paucis in his Synodicis literis confeſſionem veſtræ fidei prædicando. Nam quas mihi per Leonem venerabilem Preſbyterum veſtrum literas miſiſtis, mox in principio paginæ primæ cognovi pietatem tuam, cum laicorum ordinatione, tum Imperatorio ſuffragio, in ſacrum Patriarchatus ſolium exaltatum. Quam ob cauſam effuſo gaudio exultavit cor meum. Quod ſi autem non perſpecta mihi eſſet, & probe cognita, erga ſacras Synodicas ſex conſtitutiones, & venerandas imagines veſtra ſyncericas, & Orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam aſſentiremus.

Papa ſuo modo conſentit.

Verum quemadmodum non leviter cor noſtrum, ex ſuperioribus veſtris diſſenſionibus dolore tactum eſt, ita plurimo gaudio anima noſtra perfuſa eſt, poſtquam cognoviſſem piam veſtram confeſſionem, & rectam fidem eſſe firmam, & ſtabilem. Invenimus autem in prædicta veſtra Synodica Epiſtola, quanta ſit confeſſio, & recta fides veſtra, circa Dei ſacros, & ſex ſacras Synodos, & erga venerandas, & ſacras imagines, quæ profecto mira eſt, & compunctione digna. In qua etiam clarè eſt expreſſum, quod in ſextæ Synodi divinè & legaliter prædicatis Canonibus recipitur pictura illa veneranda, in qua agnus digito præcurſoris demonſtratus, graphice eſt inſculptus: qui in typum gratiæ aſſumptus, verum nobis per legem agnum, nempe Chriſtum Deum indicat. Veteres igitur typos, figuras & umbras tanquam veritatis ſigna, & notas Eccleſiæ traditas ſuſcipientes, gratiam & veritatem agnoſcimus, tanquam legis plenitudinem hanc arbitrantes. Ut igitur, & in colorum effectibus, omnium oculis ſubjiciatur figura illa, quæ agnum illum, qui abſtulit peccata mundi, nimirum Deum noſtrum juxta humanam effigiem deliheat: conſensus ab hoc tempore pro veteri illo agno, & novum in Eccleſiis Dei erigendum, quo per eum exaltationem humilitatis Verbi Dei conſideremus, quo in memoriam politiæ illius qua in carne vixit, item paſſionis ejus, & ſalutiferæ mortis, unde mundo liberatio contigit, veluti manuducamur. Hæc Orthodoxæ fidei teſtificatione, improborum hæreticorum curioſitatem, & importunam garrulicatem veſtra fraterna ſanctitas repellat; quemadmodum eorum improba machinatio apud nos, Dei gratia, non recepta, ſed impia judicata eſt.

Canon Trullanus 82. interpr.

Idem.

Figura Agni.

Succingentes igitur lumbos noſtræ mentis, nobiſcum cum Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia

consentiendo, contra hæreticorum insaniam armemur, quamvis ab his sæpe fuerit Ecclesia impugnata. Deinceps etiam venerandas imagines, primum juxta humanam figurationem Christi Dei nostri, secundùm nos, & pro nobis, & per nos incarnati: deinde inviolatæ, & veræ Deiparæ, postremo omnium sanctorum suorum beatitas vestra dilecta colere & adorare pergat. Roganus etiam interim ut in eo proposito, quod ab initio constituisti, manere velis. Consulimus etiam Pastorali cura, ut Orthodoxam fidem, quam semel confessus es, inviolatam & stabilem, prædicando & docendo conserves. *Fundamentum enim nemo aliud* 1. Cor. 3. *ponere potest, præter id quod jacet, qui est Jesus Christus.* Quisnam igitur firmamentum dilectionis Dei, & proximi conservans, ipsum illum Jesum Christum Deum, & hominis Filium, ante oculos fundamentum non proposuerit? In confesso enim est, ubi Christus fundamentum est, ibi bonorum operum struJoan. 10. ctura sequi: Ipsa vero veritas per se dicit: *Qui non ingreditur per januam in ovile, is fur est, & latro: qui verò per fores ingreditur, hic Pastor est ovium.* Ibidem. Quemadmodum ipse Salvator, inquit: *Ego sum janua*: Is igitur ad ovile ingreditur, qui per januam incedit. Qui vero per januam intrat, per Christum ingreditur.

Quicunque igitur ab ipso creati & liberati, generis humani veritatem intelligens conservat, & gradum Pastoralis dignitatis portans, pondus sustinet, non ad gloriam & honorem prætereuntem respiciens, sed gregem suscipiens diligenter vigilat, ne oves vel perversis hominibus & perversa loquentibus vel malo spiritu afflatis corrumpantur. Recte sane Beatus Jacob, qui propter uxores multos annos servivit, Laban Gen. 31. socero suo visus est dixisse: *Viginti annis fui tecum: oves tuæ & capræ tuæ steriles non fuerunt, arietes ovium tuarum non comedi: captum à bestia non ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam, quicquid furto perierat: diu noctuque æstu urgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Si tantos labores, & vigilias Pastor Laban sustinuit, quot quantasque vigilias sustinere debet, qui pascit oves Dei? Sed in omnibus his confirmabit, & docebit, qui propter nos homo factus est. Dignatus est fieri, quod fecit. Ipse dilectionem, & sancti Spiritus amorem in nos transfundat, & à cunctis solicitudinibus nos eximat, quo sanctam nostram & Apostolicam Ecclesiam imitamini, efficiatis aliquando apud pios Imperatores nostros, quo sanctorum venerandæ imagines in pristinum locum restituantur, ut in hoc Sacerdotium nostrum firmum permaneat.

Labores Pastorum.

Nam ex confessione fidei vestræ cognovimus, beatitudinem vestram id unum egisse apud piissimos Orthodoxos, & Christi amantes Imperatores nostros, fideles, & rectæ fidei propugnatores, quod synodus generalis celebretur, idque illi in præsentia totius fidelis populi supplicationibus annuerunt, Synodumque in regia civitate fieri mandarunt. Nos itaque sapientes, & probatos Sacerdotes, & de rebus quæ ad constitutionem imaginum pertinent, doctos, cum magno animi desiderio quemadmodum regia mandata jubebant, misimus, quo in pristinum locum in illis partibus restituerentur. In primis autem vestra sanctitas piissimis, & triumphatoribus nostris Imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam sine consensu ac præsentia Apostolicæ sedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines sine ordine & debita convocatione factam execretur, & anathematizatam præsentibus apocrisariis nostris cognoscat, quo omne zizanium ab Ecclesia eradicetur, & Jesu Christi Domini nostri verbum impleatur, cum Mat. 16. ait: *Et porta inferorum non prævalebunt adversus eam.* Et alibi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & dabo tibi claves regni cœlorum: Et quæcunque in terra ligaveris, ligata erunt in cœlis: & quæcunque solveris in terra, soluta erunt in cœlis:* cujus etiam sedes per totum terrarum orbem primatum obtinet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit. Unde & ipse Beatus Petrus Apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique principatum obtinuit, & obtinet: cui etiam nostræ beatæ & Apostolicæ sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim beata vestra sanctitas ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, ut pote quæ vera sit recte sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primum omnipotenti Deo exhibeatur. Vestraque beatitudo magnos & piissimos Imperatores nostros simplicibus verbis admonebit, ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes coram Deo, & horribili ejus judicio, venerandas imagines in Regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, jubeant: nimirum servantes traditionem hujus sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, persequantur improbrum, & hæreticorum impostiuram, & per vestrum certamen, & fidissimos labores, eorum deceptionem execrentur. Nisi enim sacras & venerandas imagines in pristinum locum restituerint, nostram confirmationem nullo modo audemus tradere: Hujus rei causa summo labore fidei, & conatu, ante omnia convenit vestræ sanctitati advigilare, ut quam primum sacræ & venerandæ imagines Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & sanctæ ejus Genitricis semper Virginis, & sanctorum Apostolorum, omniumque Beatorum Prophetarum, Martyrum & Confessorum in partibus illis, in pristinum ordinem collocentur, ut unanimiter propheticam illam odem canentes: Domine salva piissimos Imperatores. Et: *Exaudi nos Domine in die qua invocaverimus te: quoniam dilexi decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.* Quos autem ad vos misi, Petrum scilicet dilectum nostrum Proto-presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nec non Petrum Abbatem, & præsidem, ut ad pedes serenissimorum & piissimorum nostrorum Imperatorum adducantur, per principem Apostolorum Petrum supplicamus, ut cum humanitate, & singulari benevolentia, ab eis recipiantur, precenturque cum gratiarum actione illis & corporis mentisque firmum robur. Omnipotens Deus vestram dilectionem modo constans maneat, conservet, custodiat & protegat fructum fidei tibi innatum infinitis modis augeat, & in æternum gaudium deducat. Deus sanum te conservet, frater dilecte.

Primatus D. Petri. *Psalm. 78.* *Psalm. 2.*

Postremo adjectæ sunt sententiæ omnium Episcoporum, & Synodi.

Petrus, & Petrus locum tenentes sanctissimi Papæ veteris Romæ Adriani dixerunt. Dicat nobis Tharasius Patriarcha Regiæ urbis, consentit-ne literis sanctissimi Papæ, an minus?

Tharasius Patriarcha respondit. Nos Patrum præceptis imbuti, sic confessi sumus, & confitemur, concordamus, & vim literarum lectarum confirmamus, & imaginum picturas secundum priscam Patrum tra- *Traditio.* ditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus, ut in nomine Christi Dei nostri, & intemeratæ Deiparæ Virginis, sanctorum Angelorum, & omnium sanctorum factas: sed apertis verbis testamur nos dumtaxat in unum Deum verum, latriam, hoc est, cultum & fidem nostram referre & reponere.

Sancta Synodus dixit. Universa sancta Synodus sic credit, & sic docet.

Petrus, & Petrus legati Apostolicæ sedis dixerunt: Dicat nobis sacra Synodus, num recipiat sanctissimi Papæ veteris Romæ literas, an minus?

Sancta Synodus respondit: Sequimur, recipimus, & probamus.

In eandem sententiam & reliqui Episcopi pronunciavetunt. Et sic absoluta est actio secunda.

Actio tertia sub 6. Kalendas Octobris.

Primo restituus est Gregorius Episcopus Neocæsareæ

ſanæ ex hæreſi veniens in priorem gradum dignitatis ſuæ.

Secundo, producta eſt epiſtola Synodica Tharaſij Archiepiſcopi ad Epiſcopos Orientales, & alia eorum Epiſcoporum ad prædictum Tharaſium in quibus explicantur per capita ſex Synodi generales, & quæ in eis geſta ſunt.

Deinde adduntur ſequentia.

Synodi. His itaque ſex ſacris Synodis, quas ſolas univerſales agnoſcimus, concorditer Orthodoxa fides ſtabilita eſt, nec aliam præter has Synodum accipimus. Locales autem Synodos non averſamur, ſed magis amamus, amplectimur & recipimus, earum etiam divinitus inſpiratas Canonicas conſtitutiones, correctiones, & utiles earum legiſlationes ſumma obſervantia colimus.

Sancti ut filij Dei tractantur. Apoſtolicas autem Eccleſiæ traditiones, quibus veneratio cultuaque Sanctorum docetur, recipimus, & veneramur. Eos autem ut miniſtros, amicos & filios Dei exiſtentes honoramus. Honor enim qui à conſervis idem ſentientibus invicem exhibetur, indicium eſt benevolentiæ erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei & pura Chriſti habitacula, Spiritusque ſancti immaculata ſpecula. Sancti enim in Dei manu ſunt, ob idque pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Salvator noſter Chriſtus fontes ſalutares ſanctorum reliquit, multis modis beneficia fundentes; martyrum enim oſſa virtutes multas operantur, atque id per Chriſtum qui in ipſis habitat. Cum his etiam ſanctas imagines reveremur, principio adorãtes Dei verbi propter nos incarnati, Domini noſtri & ſervatoris Jeſu Chriſti, qui formam ſervi aſſumpſit, imaginem. Quanquam ſciamus ipſam imaginem & typum Deitatis, quæ cum carne illius immaculata inconvulſim unita eſt, minimè poſſe figuram præſtare. Inviſibilis enim eſt divina natura, nec depingi, nec figurari ſe permittit. *Deum enim* (ut ipſe inquit) *nemo vidit unquam*: ſed humanitatis illius imaginem coloribus ducentes adoramus. Veneramur etiam & adoramus imaginem Deiparæ & Dominæ noſtræ irreprehenſibilis, immaculatæ & inexplicitæ caſtitatis matris, quæ illum peperit. Quin etiam ſanctorum Apoſtolorum, Prophetarum, & victorum Martyrum, ſanctorumque & beatorum, veluti amicorum Dei imagines colimus, non in materiam autem coloribus honorem conſtituentes, ſed per hoc officium noſtrum, quod ipſis à Deo quorum typum imagines geſtant, debemus impartientes, cum ſciamus juxta Baſilij magni ſententiam, quod imagini honor exhibitus, ad ipſum prototypum referatur.

Reliquiæ ſanctorum virtutes præſtant.

Ioan. 1.

Omnia prædicta qui convenerant Epiſcopi receperunt & approbarunt, & ſubſcripſerunt omnes Epiſcopi numero 330. & ſic abſoluta eſt actio tertia.

Actio quarta ſub 6. Calendas Octobris.

Imperantibus Conſtantino, & Irene ejus matre, conveniente ſancta & univerſali Synodo, &c. juxta ordinem in prima actione præſcriptum.

In hac actione quarta multa ex ſcriptura, & ſanctorum doctrinis afferuntur teſtimonia de uſu pio & utili imaginum.

Quod in ſacris Scripturis imagines admittantur. Primo adducitur locus ex lib. Exod. ibi. *Facies propitiatorium, &c.*

Exod. 25.

Num. 7. Secundo ex Numeris, ibi. *Ipſa eſt dedicatio altaris, &c.*

Ezech. 40. Tertio ex Ezechiele, *introduxit me in templum, ut metiretur, &c.*

Hebr. 9. Quarto ex epiſtola ad Hebræos: *habebat quidem etiam primum tabernaculum juſtificationes, &c.*

Item temporibus Chryſoſtomi ſanctorum imagines pingebantur, & ipſe Chryſoſt. habuit tabulam continentem picturam cædis Aſſyriorum veteris teſtamenti.

Tom. I.

Elenus Gregor. Niſſ. Item recenſetur Gregorij Niſſeni pathetica oratio de pictura, in qua parte Iſaac immolabatur, in quam in hunc modum loquitur Gregorius. Vidi ſæpius inſcriptionis imaginem, & ſine lacrymis tranſire non potui, cum tam efficaciter ob oculos poneret hiſtoriam, &c.

Quibus verbis auditis aliqui patres dixerunt: Si tanto Doctori hiſtoria inſpecta peperit utilitatem & lacrymas, quanto magis rudibus & idiotis utilitatem, & commoditatem afferet? Alij verò ſic dixerunt: Si Gregorius vigilantiſſimus ad divina oracula inſpecta hiſtoria Abrahæ flevit, quanto magis œconomia incarnati Domini noſtri Jeſu Chriſti verbi Dei noſtri à nobis inſpecta ad lacrymas, & utilitatem contẽplantes nos adhortabitur? Et Cyrillus eandem picturam ſuo tempore extitiſſe probat in Epiſtola ad Acacium Epiſcopum.

Miracula per imagines facta. Adductus eſt in medium libellus Athanaſij qui extat de Chriſti imagine, cujus titulus eſt, paſſio imaginis, Beryti enim relicta fuit à Chriſtiano in domo, quam conduxit poſtea Judæus quidam. Cum in & alij Judæi imaginem variis tormentis irriderent: cœpit ex ea ſanguis fluere abundanter: & miracula ingentia ſanguinis contactu facta, innumeros Judæos ad Chriſti fidem amplexandam excitarunt.

Ibidem annotatur à patribus ratio cur miracula à noſtris imaginibus nunc non edantur, nempe (ut dicit Apoſtolus) quoniam miracula non credentibus data ſunt, ſed his, qui in incredulitate verſantur. *1. Cor. 14.*

Ibidem docetur, & decernitur à ſanctis Epiſcopis, quod templa non mugacibus & vanis picturis ornanda ſunt, ſed hiſtoriis veteris, & novi teſtamenti parietes templi replere convenit, ut hi, qui litteras non norunt, nec ſacram ſcripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant quinam germane vero Deo per fortia facta ſervierunt, atque ad imitationem excitentur laudatorum facinorum, per quæ cum cœlo terram commutaverunt, &c.

Ibidem lecta eſt docta diſputatio Leontij Epiſcopi Neapoleos Cypri contra Judæos pro imaginibus ſanctorum conſervandis: eſt dialogus quidam ſatis elegans lectione dignus, deſumptus ex lib. 5. Apologiæ ejus, extabant tunc & alia opera ſancti Epiſcopi Leontij.

Leontij dialogus. Stephanus Diaconus & Notarius acceptum codicem legit: Leontij Epiſcopi Neapoleos Cypri ex quinto libro Apologiæ pro Chriſtianis, & contra Judæos, & de imaginibus ſanctorum. Agedum igitur & deinceps de venerabiliter pictis imaginibus Apologiam rexamus, quo eorum ora, qui impietatem garriunt, obturentur. Hæc enim eſt ipſa legalis traditio. Audi verò Deum dicentem ad Moſen: *Imagines duas Cherubim ſculptas facies obumbrantes propitiatorium.* Rurſum templum, quod oſtendit Ezechieli Deus, facies habebat palmarum, leonum, & hominum, & Cherubim, à fundamento ipſo uſque ad laquearia tecti. Verè horrendum verbum Iſraëli præcipitur, ne ullum ſculptile faciant, neque imagines, neque ſimilitudinem quæcunque ſunt in cœlo, aut ſuper terram: Rurſus vero jubetur Moſes facere ſculptilia, & Cherubim animantia. Ezechielique præcipitur, ut impleat omnia imaginibus, & ſimilitudinibus ſculptilium, leonum, palmarum, & hominum, atque ita templum illud oſtendit. Unde & Salomon ex lege formam hanc accipiens, templum ſculptilibus æreis, fuſilibus imaginibus boũ, leonum, palmarum, & hominum implevit, neque tamen ob id reprehenſus eſt à Deo. Igitur ſi de imaginibus me arguis, arguo ipſum Deum, qui hæc in memoriam eorum, quæ apud nos ſunt, fieri juſſit. Judæus dixit, Sed hujuſmodi ſimilitudines non adorabantur ut dij, tantummodo in recordationem fiebant. Chriſtianus dixit. Recte dixiſti. Neque enim apud nos adorantur, ut dij, ſanctorum imagines, typi, characteres. Nam ſi Deos in ligno imaginis adorarent, futurum eſſet ut omnes & reliqua ligna adorarent. Si

Exod. 25. *Exod. 40. & 41. Ezech. 1. 3. Reg. 6. & 7.*

vero ut Deum adorarent lignum, non ſane ubique, extincto charactere, imaginem exurerent. Ego vero, quatenus duo ligna crucis colligata ſunt, typum quidem adoro propter Chriſtum, qui in eo crucifixus eſt: cum vero fuerint diſſoluta à ſe, abjicio ea, & exuro quoque. Et quemadmodum, qui mandatum Imperatoris ſuſcepit, illius ſigillum oculando, non ipſam ceram, aut characterem, aut plumbum veneratur, verum Imperatori ipſi adorationem, & cultum exhibuit: ita quoque Chriſtianorum filij typum crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, ſed ſigillum, & annulum, & characterem, Chriſtum ipſum aſpicientes, per hoc eum, qui in illo crucifixus eſt, ſalutamus, & adoramus. Et quemadmodum gemini filij, peregrinante longo tempore patre, ingenti amore ex animo erga eum affecti, quicquid illius in domo viderint, ſive baculum, ſive ſedem, ſive chlamidem, hæc, inquam, omnia cum lacrymis attrectantes amplexantur non illa honorantes, ſed patrem deſiderantes, & venerantes, ſic & nos fideles omnes Crucem Chriſti tanquam virgam adoramus: ut ſedem vero, & cubile illius, ter ſanctum ſepulchrum: præſepe autem & Bethleem, reliqua illius habitacula, ut domum: ſic Apoſtolos illius, beatoſque martyres, & reliquos ſanctos veluti amicos illius colimus, ita Sion tanquam illius civitatem, Nazareth vero tanquam illius patriam amplectimur: non aliter etiam Jordanem, quam divinum illius lavacrum, reveremur. Magno enim & inexplicabili erga eum amore, quo aſcendit, ubi reſedit, ubi apparuit, aut quid tetigit, aut omnino obumbravit, tanquam Dei locum colimus, & adoramus, non ipſam regionem, aut lapides venerantes, ſed eum, qui in illis converſatus eſt, apparuit, & in carne cognitus eſt, quique nos ab errore liberavit, Chriſtum Dominum Deum noſtrum. Hinc etiam propter Chriſtum, Chriſtique paſſiones, paſſim in Eccleſijs, in domibus, & foro, in picturis, in ſindonibus, in promptuarijs veſtibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus, quo continuo contemplantibus nobis hæc in mentem veniant, & non obliviſcamur, quemadmodum tu oblitus es Domini Dei tui: Sicut autem tu adoras librum legis, non naturam membranarum, aut atramenti adorans, ſed verba Dei, quæ in illo continenter: ſic & ego imaginem Chriſti adorans, non lignorum aut colorum naturam ado. o, abſit, ſed immutatum characterem Chriſti: hunc enim cum habeam, per ipſum Chriſtum me tenere & adorare mihi videor. Quemadmodum etiam Jacob accipiens à filijs ſuis veſtem ſanguine conſperſam Joſeph cum lacrymis eam oſculatus eſt ſuiſque oculis circumpoſuit, non ipſam veſtem diligendo, aut honorando hoc fecit, ſed per eam arbitratus eſt ſe Joſeph oſculari, & in manibus habere. Sic & Chriſtiani omnes imaginem Chriſti, aut Apoſtoli, aut martyris tenentes noſtraque carne oſculantes, animo videmur nobis ipſum Chriſtum aut martyrem amplecti. Agedum tu qui arbitraris nullum manufactum, aut plane effigiatum, adorandum eſſe: nunquid ſæpe uxoris, aut filiorum mortuorum, veſtem aut ornamentum in veſtiario videns, illud oſculatus es, & lacrymis rigaſti, neque tamen in hoc damnatus es? Non enim, ut Deum veſtes adoraſti, ſed ipſum amorem erga eum, qui his amiciebatur, tuum per oſcula declaraſti. Quandoquidem ipſos noſtros liberos, & Patres, qui creati ſunt, & peccatores exiſtunt ſubinde oſculamur: neque tamen ob id damnabiles ſumus, neque illos tanquam Deos complectimur, ſed amorem noſtrum erga eos naturalem per ejuſcemodi oſculum declaramus. Ergo ut ſæpe dixi in omni ſalutatione, & adoratione, intentio ipſa requiritur, & ſpectatur.

Cultus imag. refertur.

Genes. 37.

Tu verò cum me criminaris, quod ut Deum lignum crucis adoro: quid eſt quamobrem non vertis in crimen, Jacob adorantem in ſummitate baculi Joſephi? Sane manifeſtum eſt, quod lignum non adoravit, ſed per lignum Joſeph, quemadmodum nos per crucem Chriſtum. Quinetiam impios illos vitos qui ſepulchrum vendebant, Abraham adoravit, & genu illis in terram flexit, verumtamen illos non ut Deos adoravit. Rurſus Jacob Pharaonem impium, & idololatram exiſtentem benedixit, ſed tamen illum non ut Deum benedixit. Rurſum procidens coram Eſaü adoravit, ſed non ut Deũ benedixit. Quòd ſi autem plures ſalutationes, & adorationes ex ſcriptura tibi demõſtrari poſtules, quæ non ſint reprehenſæ, facile efficiam. Atqui & tu quoque conjugem tuam fortaſſis impiam, affectionibus turbulentam quotidie ſalutans, non reprehenderis, etſi nequaquam tibi divino ore uxoris ſalutatio præcepta ſit: at verò cum videris Chriſti, aut ejus inculpatæ matris, aut alterius juſti imaginem ſalutantem, confeſtim indignaris, blaſphemias fundis, reſilis, & idololatras nos vocas: mirum te extra verecundiam, neque horrere, nec tremere, neque erubeſcere, cum videas ne per omnem terrarum orbem idolorum phana deſtruentem, martyrum verò templa ædificantem.

Genes. 23.

Genes. 47.

Genes. 33.

Jam ſi conſtat me idola adorare, quid cauſæ eſt, quamobrem martyres, qui idola deſtruxerunt, veneror ut Deos, & glorifico? quo pacto ipſos martyres, qui ſtatuas ligneas confregerunt, honore proſequor? Si ligna, ut Deos glorifico, quomodo veneror & adoro martyres, & Apoſtolos, qui lapideas effigies perdiderunt? Quomodo honore afficio, laudo, templa erigo, feſta celebro tribus illis pueris, qui in Babylone imaginem auream non adorarunt? Vere magna eſt Judæorum cæcitas, magna impietas, in veritatem injurij ſunt, ingratæ Judæorum linguæ, in Deum convicia dicunt. A ſanctorum Martyrum reliquijs, & imaginibus ſæpe dæmones fugantur, hæc tamen ſceleſti illi contumelijs afficiunt, pervertunt, illudunt, & ſubſannant. Dic mihi quot mumbrationes, quot ſcaturigines, & ſæpe etiam & ſanguinis fluores ex imaginibus, & reliquijs martyrum extiterunt? Hi tamen corde inſenſati, videntes non credunt, verum fabulas iſta, & nugas eſſe arbitrantur. Quinetiam quotidie per orbem terrarum omnem, homines planè impios, exleges, idololatras, homicidas, ſcortatores, & latrones confeſtim per Chriſtum & crucem illius compunctos, in agnitionem meliorem venire, mundoque renunciantes, omnem virtutem colere videtis.

Daniel. 3.

Velim autem mihi dicas qua ratione tibi idololatræ ſumus, qui oſſa, cineres, pannos, ſanguinem, ſepulchra denique martyrum adorantes, illis tamen non ſacrificamus? Judæus dixit: Qua ratione per univerſam ſcripturam præcepit Deus nullam creaturam adorandam? Chriſtianus dixit: Quomodo igitur ait ſcriptura: *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt, & adorate in monte ſanctum ſuum.* Et rurſus Deus ait: *Cœlum mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Judæus: Sed tamen non ut Deos, verum per illa eum qui hæc fecit, adoras. Chriſtianus: Fidelis ſermo quamobrem ſcias & tu, quod & ego per cœlum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, Angelos, homines, per omnem denique creaturam viſibilem, & non viſibilem omnium authori Domino & factori ſoli adorationem, & cultum exhibeam. Non enim per ſe creatura authorem adorat, ſed per me. *Cœli enarrant gloriam Dei*, per me Deum adorat luna, per me Deum glorificant aſtra, per me aquæ, pluviæ, rores, omnis denique creatura Deum adorat, & glorificat. Sicuti rege aliquo bonam coronam, pulchram, & ſpecioſam ſuis manibus contexente, omnes qui bene erga regem affecti ſunt, eam amplectuntur, & coronam venerantur, non ſane aurum, aut Margaritam venerantes, ſed verticem regis, & doctas illas manus, quæ coronam fecerunt: ita, ô homo, Chriſtianorũ populus, quaſcunq; crucis, & imaginum figuras amplectuntur, non ipſis lignis, aut lapidibus,

Pſal. 98. Iſaiæ 66.

Pſalm. 18.

Hebr. 11.

vel ære, vel corruptibili imagini, aut capſulæ, aut reliquiis cultum præſtant, verum per hæc Deo omnium factori gloriam, venerationem, & cultum exhibent. Siquidem qui in ſanctos impenditur honor, in ipſum recurrit. Imago enim Dei eſt, qui ſecundum Dei imaginem homo factus eſt, maxime autem qui ſpiritum ſanctum in habitaculum ſuum recipit. Juſte itaque imagines Dei ſervorum venerans, & adorans, donum ſancti Spiritus glorificat. *Inhabitabo enim in eis*, inquit, *& circumambulabo.*

Exod. 16. 2. Cor. 6.

Pudore ſuffundantur Judæi, qui proprios reges, & alienos adorantes, nos Chriſtianos tanquam idololatras derident. Nos autem Chriſtiani omnibus in civitatibus, & regionibus, in dies & in horas ſingulas contra idola ſtamus armati, contra idola pſalmus, contra idola & preces fundimus: & qua tandem fronte Judæi nos vocant idololatras? ubi nunc ſunt, quæ olim ab ipſis oblatæ ſunt idolis, boum, ovium, & filiorum quoque victimæ? Ubi ſacrificiorum fumi? ubi aræ, & profuſiones ſanguinum? Nos vero Chriſtiani propemodum quid ſit ara, quid victima ignoramus. Nam græci adulteris quibuſdam hominibus, homicidis, impuris, & ſceleſtis, templa dicarunt, eorumque idola cum illis ipſis Deos fecerunt, nequaquam ſane, vel Prophetarum, vel ſanctorum Martyrum nomine templum, aut aram appellantes. Quemadmodum enim in Babylone Iſraëlitæ organa, & cytharam, & alia quædam, quemadmodum ipſi Babylonij habebant, & illi quidem ad laudem Dei, hi vero in miniſterium dæmonum: ſic & de imaginibus gentilium & Chriſtianorum cenſendum eſt: ſiquidem gentes ad cultum diaboli, nos verò ad recordationem Dei illa ſervamus. Alioquin & multa Deus per crucem auditu mira fecit: ſiquidem lignum vitæ, & lignum ſcientiæ appellavit: aliam autem plantam vocando Sabech conceſſionis ſignum ponit, deinde virga Pharaonem obtexit, mare diviſit, aquam dulcem fecit, ſerpentem exaltavit, petram rupit, & aquam eduxit: lignum etiam germinans in tabernaculo, Aaronis Sacerdotium confirmavit. Sic & Salomon, inquit: *Benedicite lignum, per quod fit juſtitia.* Sic & Heliſeus lignum in Jordanem projiciens, ferrum in typum Adam, veluti ex inferis reduxit: ſic mandat ſuo filio per virgam reſuſcitare puerum Sunamitidis mulieris. Is igitur qui tanta miracula per ligna fecit Deus, dic rogo, nunquid per ſanctæ crucis pretioſum lignum miranda efficere poteſt? Quod ſi autem eſt impium oſſa venerari, quamobrem oſſa Joſeph cum omni honore ex Ægypto vecta ſunt? Quomodo homo mortuus oſſa Heliſei attingens, reſurrexit? Jam ſi per oſſa mirifica Deus facit, clarum eſt, quod & per imagines, lapides, pluraque alia idem poſſit. Adde quod & Abraham noluerit Saræ uxoris corpus alieno ſepulchro mandare, ſed magis proprio honoris gratia. Adde Jacob qui per lapidem Deum veneratus conſtituens, eum unxit in typum ſummi angularis lapidis. Rurſus & in Laban lapidem Bunon appellavit. Teſtatur etiam Jeſus filius Nave duodecim lapides conſtituens in memoriam Dei. Erant autem (ô Judæe) duo etiam Cherubim, obumbrantia propitiatorium ſculpta. Jam ingrediatur aliquis templum tuum Græcus idololatra, iiſdemque viſis carpat te, tanquam & tu quoque idola adores, fare quid habes, quo de duobus Cherubim, fuſilibus bobus, palmis, & leonibus, quæ in templo ſculpta ſunt, te defendas? Verè nihil habes quod adverſus illum dicas, niſi hoc unum, quod ea non tanquam Deos habeas ſed in memoriam Dei, ejuſque gloriam Cherubim hæc in templo viſantur. Quod ſi iſta ſic ſe habent, qua ratione nos de imaginibus reprehendis?

Bap. 24. 4. Reg. 7.

Geneſ. 50. 4. Reg. 13.

Geneſ. 33

Geneſ. 28. & 31. Joſue 4. Hebr. 3.

At dices mihi: Moſi à Deo juſſum eſt, ut ejuſcemodi ſculptilia in templo collocanda curaret, ego ſane hoc ipſum etiam dico. Sed Salomon illinc digreſſus, pluta in templo apparavit, quę tamen nō mandaverat, quę neque tabernaculi teſtimonium habuit, neque templum, quod vidit Ezechiel, non tamen in hoc à Deo in crimen vocatus eſt Salomon. Nam in gloriam Dei, quemadmodum etiam & nos, ejuſcemodi effigies excogitarunt. Habuiſti quoque & tu Judæe, & alia quædam in memoriam & laudem Dei, nimirum virgam Moſis, tabulas à Deo fabricatas, rubum incombuſtum, humidam ex ſiccitate Petram, urceum continentem manna, arcam, propiciatorium, velum, & à Deo declaratum Ephod, denique à Deo præparatum tentorium. Utinam & tu hæc adoranda, ſuper omnia Deum invocando, primum vocaſſes, recordatuſque fuiſſes per hæc puſilla imaginum, & figurarum veri Dei, & non vitulum ſupra tabulas divinitus datas habuiſſes. Utinam ſanctum aureum thuribulum ſervaſſes, & non vitulas Samariæ coluiſſes: utinam florentem virgam & non Aſtarten urbis deſolatricem: utinam à Deo ſiſtantem Petram pro Baal amplexus fuiſſes. Verum propter hæc omnia non adoras, ô quondā Iſraëlita, quia Deum ex toto corde non amas. Nam qui amicum ſuum, aut regem, maxime autem benefactorem ſuum amat, etiam filium illius modo viderit aut bāculum, aut ſedem, aut coronam, aut domum, aut ſervum, & per hæc ipſum benefactorem ſibi honore proſequi videtur, maximè vero Deum.

Cum igitur Chriſtianos Crucem adorare conſpexeris, ſcito quia crucifixo Chriſto honor impenditur, tantum abeſt ut lignum colant. Nam ſi ligni naturam adorarent, profecto omnes ſylvas, & arbores adorando venerarentur. Quemadmodum tu Iſraël hæc aliquando adoraſti, ligno & arbori dicens, tu mihi eſto Deus, tu me produxiſti. Rurſus nos crucem ita non aſſamur, neque etiam ſanctorum imagines, Dij noſtri eſtis. Non enim Dij noſtri ſunt, ſed tantummodo ſimilitudines, & imagines Chriſti, & ſanctorum illius, ad commemorationem, honorem, & decorem Eccleſiarum veneranda. Nam qui martyrem colit, Deum ipſum colit. Qui matrem illius adorat, ipſi honorem aſſignat: Qui Apoſtolum honore proſequitur, ipſum, qui Apoſtolum miſit, honorat. Utinam & tu quoque Moſaïcas & Propheticas imagines feciſſes, illaſque quotidiè adorares, ſic enim, eorum Domino & Deo veram latriam exhiberes, non autem aureas ſtatuas Nabuchodonoſoris.

Ezech. 40. & 41.

Qua verò fronte contra me imaginum, & Crucis cauſa inſurgis, cum noris Abrahamum idololatras adoraſſe, Moſen verò Jetro idololatræ idem feciſſe, Jacob autem Pharaonem, Daniel Nabuchodonoſorem? Hi Prophetæ, & juſti cum ſint, ob beneficia quædam illis præſtita, in terra exiſtentes illos idololatras adorarunt: me, ſcilicet Crucem ſanctorumque effigies, à quibus infinita beneficia, Deo procurante, nobis obtigerunt, adorantem deſpicies? Quandoquidem qui Regem metuit, filium illius injuria non afficit. Qui Deum autem timet, hic omnino etiam filium Dei, crucifique illius typum, & ſanctorum illius effigies colit, & adorat. Ipſi enim gloria, cum Patre, & ſancto Spiritu, & nunc & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Geneſ. 35. Exod. 18. Geneſ. 47. Daniel. 2.

Item recenſita ſunt tria miracula ex libro miraculorum ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani pro ſtatuenda imaginum veneratione.

Item traditur, quod omnis honor imagini exhibitus ad prototypum refertur. Quod probatur primo ex 4. lib. contra Arrianos patris Athanaſij.

Secundo ex codice 30. capitum ad Amphilochium de Spiritu ſancto beati Baſilij cap. 7. Ex quo colligitur falſum, & ſtultum eſſe axioma, quod falſa Synodus ſparſerat, quicunque imaginem adorat, in duo Chriſtum dividit, & quicunque imaginem aſpiciens dixerit, aut inſcripſerit ei, hic eſt Chriſtus, Chriſtum dividit.

Deinde produxerunt Vicarij Adriani Papę veteris Romę in codice parvo verba Baſilij in epiſtola ad Julianum Apoſtatam, quæ ſic habent, Confiteor etiam Filij incarnatam οἰκονομίαν. Deinde ſanctam Mariam quæ ſecundum carnem illum peperit (hanc Deiparam vocans,) ſuſcipio enim ſanctos Apoſtolos,

Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius ſit mihi Deus noſter benigniſſimus, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illorum honoro, & palam adoro: hoc enim nobis & à ſanctis Apoſtolis non eſt prohibitum, ſed in omnibus Eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus.

Poſtremo productæ & lectæ ſunt quatuor Epiſtolæ, prima Gregorij Papæ Rom. ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Aliæ tres Germani ad diverſos Epiſcopos Orientis pro refellenda hac improbitate hæreticorum, & ſtatuenda veneratione imaginum.

In confirmationem prædicti dogmatis adductus eſt ab Helia protopresbytero Eccleſiæ Deiparæ Virginis in Blachernis ſextæ Synodi Can. 82.

Recitato itaque ab Helia prædicto Canone Tharaſius Patriarcha dixit.

Sexta Syn. Ex hac ſententia apparet no vem Canones, qui ex exemplaribus Latinis ſextæ Synodi tribuuntur non eſſe

Quæ eſt hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos Canones? ſcandalum enim eſt dubitare noſtro ſine ſextæ Synodi. Cognoſcant igitur tales ſextam Synodum temporibus Conſtantini fuiſſe congregatam, nititurum contra eos, qui tantummodo unam actionem & voluntatem in Chriſto collocant. Illi igitur hæreticos anathemate verberantes, Orthodoxamque fidem confirmantes, ſub annum decimum quartum Imperij Conſtantini domum redierunt, poſt annos tamen quatuor, aut quinque iidem illi patres ſub Juſtiniano Conſtantini filio congregati, prædictos Canones ediderunt: neque hac de re quiquam dubitet, nam qui temporibus Conſtantini ſubſcripſerunt, iidem illi ſub Juſtiniano quoque præſentem hanc chartam ſubſignarunt: quæ res ſatis clara eſt ex eorumdem propriarum manuum immutabili ſimilitudine. Neceſſum autem erat poſt Synodum univerſalem definitam, Canones quoque Eccleſiaſticos ederent. Igitur ad recordationem ſalutaris illius mortis in carne, ex venerandis imaginibus nos manuduci declararunt. Quòd ſi autem in diſpenſationem Chriſti verbi Dei hoc modo manuducimur, quales eos eſſe arbitrandum eſt, qui has ſubvertere conantur? &c.

Εὐαγὴς συντίθεται.

Petrus primus Preſbyterorum in ſancta Romana Eccleſia ſubſcripſi: & cæteri Epiſcopi recipientes, & approbantes omnia prædicta ſubſcripſerunt, & abſoluta eſt actio quarta.

Actio quinta 4. nonas Octobris.

Productus & lectus eſt liber quidam Beati Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis in quo diſputat cum gentili quodam de uſu imaginum, interrogante gentili, reſpondente vero Joanne: objecit autem gentilis in hunc modum.

Sancte Deum verbum hominem factum icone exprimatis, quid ad Angelos hoc facit, quos ut homines pingitis & adoratis? Hi tamen homines non ſunt, ſed intellectuales, & incorporei, & ſimpliciter exiſtentes dicuntur. Sanè ea ratione & à nobis Deos venerabiles exiſtima, non enim ſic quicquam abſurdi agimus, quemadmodum nec vos cum Angelos adoratis.

Diſputatur an Angeli ſint corporei.

Sanctus dixit, de Angelis & Archangelis, & eorum poteſtatibus, quibus & noſtras animas adjungo, ipſa Catholica Eccleſia ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes & inviſibiles, ut vos gentiles dicitis, verum tenui corpore præditos & aëreo, ſive igneo, ut ſcriptum eſt: qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ejus ignem urentem. Sic autem multos Sanctorum Patrum ſenſiſſe cognovimus quorum eſt Baſilius cognomento Magnus, & Beatus Athanaſius, & Methodius, & qui ſtant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus, & informabilis: intelligibiles autem creaturæ nequaquam ex toto ſunt incorporeæ, & imitabiles pictura exiſtunt, quare etiam in loco exiſtunt, & circumferentiam habent. Quanquam autem non ſunt, ut nos, corporei, ut pote ex quatuor elementis & craſſa illa materia, nemo tamen vel Angelos, vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas, multoties enim in proprio corpore viſi ſunt, ſed ab illis quibus Dominus oculos aperuit. Nos igitur eos non ut Deum, ſed ut creaturas intelligibiles & miniſtros Dei, non tamen ut vere incorporeos pinginus, & colimus. Quòd autem forma hominis pingatur, in cauſa eſt, quod in ea viſi ſunt, ſi quando Miniſterium Dei apud homines obierunt.

Synodus non improbat, ſed magis viſa eſt approbare hanc ſententiam, dicente Tharaſio Patriarcha. Oſtendit autem Pater quod & Angelos pingere oporteat quando circumſcribi poſſunt, & ut homines apparuerunt. Sacra Synodus reſpondit: Etiam Domine. Aug. ad Nebridium Epiſtola 115. dicit Angelos aëreos aut æthereos animadtia, & in lib. de Eccl. dog. cap. 11. dicit. Nihil incorporeum & inviſibili natura credendum, niſi Deum ſolum & cap. 12. creaturam omnem corpoream eſſe, Angelos & omnes virtutes cœleſtes corporeas, licet non carne ſubſiſtant, (addentes) Ex eo autem corporeas eſſe credimus, quod loculiter circumſcribantur. Sicut anima quæ carne claditur. Et in q. 67. dixerat infirmos Angelos animaliter vivere, quod tamen in primo retract. temperavit. Et nuper Car. Caie. in Commenta. ad Epheſ. 2. dixit dæmones eſſe aëreos ſpiritus. Hæc dixerunt patres iſti ſecuti Platonem. Econtra multi alij Patres Eccleſiæ ſentiunt Angelos omnino incorporeos: quos, ut videtur, ſecuti ſunt Patres Concilij Lateranenſ. primi, dicentes. Deus ab initio utramque de nihilo condidit creaturam corporalem & ſpiritualem, Angelicam ſcilicet & mundanam. Hæc illi. Quibus verbis ſpirituale oppoſuerunt corporali. Sed hæc controverſia nondum Eccleſiæ cenſura terminata eſt.

Imperiti notantur.

Deinde productus eſt ab Epiphanio Diacono locum tenente Thomæ Epiſcopi Sardiniæ, codex quidam ex itinerariis falſo inſcriptis Sanctorum Apoſtolorum, in quo multa indigna & ridicula de Chriſto Domino legebantur, ut illum nec bibiſſe, nec ediſſe, nec pedibus terram calcaſſe, & his ſimilia. Quo lecto ſancta Synodus dixit: Omnis hæreſis ab libro dependet.

Ruſus ſancta Synodus dixit: Anathema ſit illi libro à principio uſque ad calcem.

Deinde Coſmos cubicularius protulit ex Patriarchio codicem veteris teſtamenti cum Scholiis ſuo loco appoſitis, in quo continebantur ſequentia. *Non erunt tibi Dij alieni præter me. Non facies tibi idolum, nec alicuius ſimilitudinem. Quæcunque exiſtunt in cœlo ſupra, aut quæcunque in terra infra, & quæcunque in aquis deorſum ſubter terram, non adorabis ea, nec ſervies illis.* Scholion. Et ſi facimus hominum piorum ſimilitudines, non tamen ea fiunt, ut adorenturut Dij, ſed ut eas videntes ad imitationem facinorum illorum incitemur. Si vero ſimilitudines Chriſti facimus, ſane non propter ſimilitudinem adoramus, ſed quo mens per ea quæ conſpexit, ſurſum volet. Non enim imaginem corruptibilem hominis corruptibilis adoramus, ſed quia Deus homo incommutatè dignatus eſt fieri, facimus illius imaginem veluti hominis, quamvis ſciamus eum natura Deum exiſtentem. Non idem igitur Deum & imaginem dicimus, ſed Deum cognoſcentes ſimilitudinem in imagine diſpenſationis illius humanæ figuramus. Gentiles autem errantes, ſimilitudines Deos eſſe arbitrantur.

Exod. 20. Levit. 26.

Qualiter imagines adorantur à fidelibus.

Poſt hæc lectæ ſunt hiſtoriæ quædam Sanctorum, cum miraculis quæ fiebant pro veneratione imaginum.

Poſtremo lectis omnibus prædictis & aliis fragmentis ſcriptorum Eccleſiaſticorum, tota Synodus proclamavit. Divinoloquorum Patrum Doctrinæ

nos correxerunt: ex illis haurientes, fidem & veritatem proteſtati ſumus, illos ſequentes mendacium perſecuti ſumus. Nos venerandas imagines ſuſcipimus. Nos ita non affectos anathemate devovemus, &c.

Actio ſexta pridie nonas Octobris.

Hæc actio continet refutationem hæreticorum, qui in Conſtantinopolitano conciliabulo ſub Leone hæretico Imperatore præſidente Photio imagines damnaverant, quorum dicta referuntur per Gregorium Epiſcopum, qui tunc fuerat converſus ad meliorem mentem, & redarguuntur per Epiphanium. Diſtributa eſt hæc actio per ſex tomos.

TOMUS PRIMUS.

Non eſt vera Syn. qua authoritate Papæ Rom. caret.

Quod non fuerit vera Synodus ſub Leone celebrata, quoniam non habuit cooperatium ut hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam, nec illius ſacerdotes, nec per vicarios, nec per provinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. Quin etiam nec concordantes ſibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & urbis ſanctæ ſummos Pontifices.

Leontius inclytus à ſecretis dixit: Novit ſancta & Beata Synodus, qualiter in præcedenti conventu diverſa dicta legerimus divinitus inſequendorum hæreticorum qui accuſaverunt ſanctam & immaculatam Chriſtianorum Eccleſiam ad erigendas ſacras imagines. Hodie autem præ manibus habemus eorumdem Chriſtianos accuſantium blaſphemiam in ſcriptis, id eſt, abſurdam atque per ſe redarguendam definitionem pſeudo-ſyllogi, in omnibus conſonantem impiæ opinioni Deo odibilium hæreticorum: ſed & artificioſam & efficaciſſimam ejus refutationem, quam Spiritus ſanctus liquido præbuit. Oportebat enim eam divulgari ſapientibus affatibus & diſcerpi fortibus refutationibus: quam & ſubjicimus, ad quod placuerit.

Sancta Synodus dixit; Legatur, &c.

TERMINUS SANCTÆ MAGNÆ AC univerſalis ſeptimæ Synodi.

Joannes Diaconus legit.

Falſa Syn. pſeudo-ſeptima.

AMendacio inchoantes & per totam hanc rebellium vocum novitatem, hoc in opitulationem aſſumpto in mendacium finierunt Chriſtianorum calumniatores. Quomodo enim ſanctam, quæ nec quod eſt ſanctum in notione ſuſcepit? præſertim cum ſit polluta, profana, execranda? illi namque qui in ea congregati ſunt, ut propheticè fateamur inter ſanctum & polluti non diſtinxerunt, & inter mundum & immundum non decreverunt, Iconem Incarnati Verbi Domini noſtri Ieſu Chriſti ſimiliter ut Iconem Sathanæ Idolum nuncupantes. Quomodo autem magna & univerſalis, quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum præſules Eccleſiarum, ſed anathemati hanc tranſmiſerunt? non habuit enim adjutorem hujus temporis Romanorum Papam vel eos qui circa ipſum ſunt Sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per Encyclicam Epiſtolam, quemadmodum lex dicit Conciliorum. Sed nec ſibi conſentientes Patriarchas Orientis, Alexandriæ ſcilicet, Antiochiæ ac ſanctæ civitatis, vel comminiſtros & ſummos Sacerdotes qui cum ipſis exiſtunt. Verè fumus caligine plenus, obtenebrans oculos ſtolidorum eſt ſermo eorum, &c.

Gregorius Epiſcopus Neocæſareæ legit.

Pſeudo-Syn. ſeptima.

Sancta magna & univerſalis Synodus quæ per gratiam Dei & miſſimam ſanctionem Dei redimitorum & Orthodoxorum Imperatorum noſtrorum Conſtantini & Leonis congregata eſt in hac Deiconſervanda Regia urbe, in colendo templo ac intemerata Dominæ noſtræ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, quod appellabatur Blacherne, definivit ſubter annexa.

Joannes Diaconus legit.

Refutatio Synodi pſeudo-ſeptimæ.

Si per divinam gratiam eorum congregatio facta eſſet, verbis quæ per Dei gratiam dicta ſunt adornaretur, & veritate utique refulgeret, quoniam gratia huic conjuncta eſt & compares ſibi atque contubernales exiſtunt, teſtante Joanne qui in Theologia præminet ac dicente: *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Joan. 1. Iſti ergo veritatem deſerentes in qua Salomon gloriabatur dicens; *Veritatem meditabitur guttur meum*, Prover. 8. & mendacium amplectentes à gratia proculdubio exciderunt, unde nec ſermo eorum divino ſale conditus eſt ut det gratiam audientibus. Illud autem quod dicitur in venerabili templo congregatos eos fuiſſe, non eſt mirum: in hoc enim nullo fuco meliorabuntur, quemadmodum nec Annam, nec Caïpham, vel Judaicum eorum Concilium quod factum eſt in Chriſtum, juvavit quodàn templo adverſus eum initum eſt ſine lege conſilium. Nam Deo magis odibiles oſtendebantur, quia in locis ſanctis non ſancta, ſed inimica Deo fœdera pepigerunt, &c. ad Col. 4.

Gregorius Epiſcopus legit.

Removet nos à corruptionem faciente Dæmonum Magiſterio, id eſt, ab Idolorum errore pariter & cultura, & tradidit adorationem quæ in ſpiritu eſt & veritate.

Epiphanius Diaconus legit.

Inviti ô præſtantiſſimi ad veritatem trahiminſ. Totus enim ſacer Apoſtolorum cœtus ad homines veniſſe Dei verbum prædicat, ut everteret nos ab Idolorum errore, ſed & prænunciatas voces habemus per Prophetas ita clamantes; *Ecce enim* ait, *dies veniunt, dicit Dominus, & delebo nomina Idolorum à terra & non erit ultra memoria eorum.* Zachar. 13. Ita ut vos confiteri conſtitiſtis, quod vos ab idolorum errore Chriſtus Deus noſter everterit, & ſi everit, quomodo rurſus idolis ſervierunt, qui in illum crediderunt, ceſſet veſtra maledicta garrulitas. Deus redemit incarnatus, & rurſus captivamur? audite divinam Scripturam dicentem: *Regnum ejus in æternum, &c.* Pſal. 144. Nequaquam ut Imperatores terreni modo ſuperant, modo ſuperantur, ita & Deus: ſed victoria ejus in æternum manet, &c.

Et infra oſtendit quod imagines ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia fuerint. Quod potiſſimum probat ex Canone 82. ſextæ Synodi, de qua dicit in hunc modum.

De Canone ſexta Synodi.

Sacra ſexta & univerſalis Synodus poſteaquàm ſententiam ſuam de una voluntate Chriſti ſub Conſtantino, qui per ea tempora Imperium adminiſtrabat, cujuſque nutu & voluntate conventus is erat indictus, pronunciaſſet, contigit Imperatorem de vita decedere. Juſtiniano autem ejus filio Imperium aſſumente, iterum unanimiter omnes divina voluntate poſt quatuor, aut quinque annos congregati, de rebus Eccleſiaſticis, ſtatuſque earum correctione circiter duos & centum Canones edidere: in quorum octuageſimo ſecundo de imaginibus ſic tradiderunt.

In quibuſdam venerandarum imaginum picturis agnus digito præcurſoris indicatus, &c. *ut ſupra in Epiſtola Adriani ad Tharaſium.*

Videmus igitur omnes & intelligimus, quod & ante ſacras ſex Synodos, & poſt has etiam ſanctorum picturæ in Eccleſia traditæ fuerint, non aliter ac facta Evangelij lectio. Nam quæ leguntur ubi ad aures venerint, ad animum deinde legamus, & tranſmittimus: & quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente

complectimur: atque ita per duo ista invicem consequentia, lectionem, & picturam, unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum gestarum pervenitur. Unde ex duobus istis sensibus in Canticis Canticorum invenire licet efficacem conjunctionem.

Cant. 2. Sic enim ibi dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, & audire fac mihi vocem tuam, &c.* Quibus & adjungimus illud:

Psal. 47. *Sicut audivimus, ita & vidimus.*

TOMUS SECUNDUS.

De sex Synodis contra hæreticos celebratis, quas recensent hæretici Iconoclastæ. Deinde Epiphanius ostendit picturam necessariam & utilem, quæ vulgus erudiat. Nihil habet singulari annotatione dignum.

TOMUS TERTIUS.

Gregorius Episcopus legit.

Lætentur & exultent & fiducialiter agant hi qui veram Christi imaginem sinceriſſima anima faciunt & desiderant & colunt, & in salutem animæ & corporis offerunt, quam ipse sacratissimus immolator & Deus noster ex nobis ex toto massam assumens, secundum tempus propriæ passionis in typum & rememorationem evidentissimam tradidit Magistris & ministris suis, &c.

Nota. Spectat ad hoc Gregorij hæreticorum vocem referentis oratio, ut exclusis omnibus aliis imaginibus ab Ecclesia, Eucharistia remaneat pro omni imagine quam colere liceat. Ac ejus verba hæc attendenda. Hæc enim Dominus Jesus Christus tractavit, ut sicut carnem quam assumpsit propriam secundum naturam sanctificatione ex sua unitione deificavit: Similiter etiam panem Eucharistiæ veluti veram imaginem naturalis carnis, per sancti Spiritus aggressionem sanctificatum, divinum corpus esse voluit, illique sic placuit, &c. Hæc igitur vera incarnatæ dispensationis Christi Dei nostri imago, quemadmodum prædictum est, quam ipse nobis verus naturæ vividus creator propria voce tradidit. Hunc vero discursum refellit Epiphanius pro Orthodoxis loquens, quantum spectat ad nomen illud imaginis Eucharistiæ ab hæreticis attributum, ut viderentur non omnem imaginem abominari.

Epiphanius Diaconus legit.

Patet qualiter omnis sermo propositus, quando semel à veritate aversus est, in multas & periculosas pravitates & consequentia seductoria proferatur, quippe quod isti præceptores novitatis pessimi sunt, aversi enim à veritate propter imaginum factionem, etiam in alteram extremam apoplexiæ insaniam delapsi sunt, etenim quasi ex Delphico tripode torva hæc, & pernicioſa dogmata oraculo consecuti sunt. Sed audiant à proverbiali verbo: Laqueus fortis viro labia sua, & capitur propriis verbis oris: ligna enim & ferrum & stipulam apposuerunt, quorum finis in combustionem. Nullus enim aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, neque enim acceperunt à Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt Evangelicè dicente eo, nisi manducaveritis carnem Filij hominis, *& post multos textus alios.* Ergo liquido demonstratum est quod nusquam Dominus vel Apostoli aut Patres imaginem dixerunt, sacrificium sine sanguine, & ante sanctificationis quidem celebrationem, typos quibusdam sanctorum Patrum hæc piè visum est nominare, &c. post sanctificationem autem corpus propriè ac sanguis Christi dicuntur, sunt & creduntur. Ipsi vero viri fortes volentes venerabilium imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed corpus & sanguis, &c.

Deinde dimittentes mendacium, quadamtenus veritatem contingunt. Confessi divinum corpus panem fieri. At si imago corporis est, non potest sane fieri divinum corpus: nunquid igitur huc illucque se jactantes, inconstantia & minimè firma omnia sua dogmata asserunt? Quemadmodum enim oculus conturbatus non recte videt, ita & ipsi pravarum & sententiarum & rationum confusione mentem suam perturbant & pervertunt. Idemque quod insani homines patiuntur, jam hoc jam illud cogitantes.

Exinde patet quantum hallucinentur Calvini fegreges, qui ex hoc loco Concilij volunt impugnare veritatem corporis Christi ac realem ipsius præsentiam in Sacramento Eucharistiæ, sicut nuper unus ex Ministris Charentoniacis in suis Responsis ad duos tractatus pro *perpetuitate fidei realis præsentiæ corporis Christi in Eucharistia*, molitus est: cujus libri argumenta dissolvimus in libello nostro qui inscriptus est *Fidelitas perseverans Susannæ* Gallici idiomatis. Patet enim satis evidenter hæreticos Iconoclastas convenisse in asserenda reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, quin etiam in illa assertione laudantur Hæretici à Catholicis, quod in hoc dimitterent mendacium. Attendant hoc Calvinistæ. Quod ergo discrimen igitur utrosque? Hæretici imaginem vocabant etiam post consecrationem: At Catholici non ferunt vocari imaginem corporis cum sit ipsum verum corpus, nec virtute solum & per efficaciam, sed reipsa & substantialiter, *proprie*, inquit Diaconus Epiphanius pro Catholicis: sicuti Deus incarnando se carnem veram vere assumpsit & Deificavit, inquit Gregorius pro hæreticis; nunquid caro tantum virtute & per efficaciam fuit in Christo? tam mere ergo & proprie corpus Christi est in Eucharistia, ac caro in Christo est. Vana ergo sunt subterfugia Calvinistarum contra hanc Synodum. 1. p. cap. 4.

Unde Baronius ad ann. 787. advertit in hac actione solam hanc imaginem Iconoclastas veneratos fuisse cum tamen veritatem corporis & sanguinis Christi confiterentur. At quantum, inquit, exhorruerint Patres vocem istam imaginis in sacro-sancto Sacramento Eucharistiæ, responsione omnium declaratum ex qua magis magisque redarguas nostri temporis novatores, Iconoclastis istis deteriores.

Bene deteriores dixit quia nec veritatem corporis Christi agnoscunt, nec rationem sacrificij, nec adorationis cultum ipsi exhibent, quæ tria præstabant Iconoclastæ, ut frustra illorum patrocinium adversus Ecclesiam Catholicam implorent, qui nec in sola voce imaginis tolerati sunt: Etsi enim aliquo sensu Eucharistia posset dici imago & figura, sacrificij nempe cruenti in cruce consummati: Attamen absolute imago dici non potest eo sensu quo aliæ imagines opera hominum factæ, de quibus agebatur in concilio, quæ res tantum superficie tenus repræsentant, absque hoc quod præsentes continent. Quare Synodus non tolerat ut dicatur Eucharistia imago corporis Christi, in hocque prædamnavit nostri temporis novatores, & quæ hoc sæculo nono totius Ecclesiæ Catholicæ fidei esset non minus quam hæreticorum circa Eucharistiam præmonstravit.

TOMUS QUARTUS.

Convenientes in sceleſta Synodo dixerunt.

Imaginum falsi nominis prava appellatio, nec Christi, nec Apostolorum, nec Patrum traditione cœpit, &c.

Epiphanius respondet.

Quod autem cum multis aliis, quæ in Ecclesia observantur sine scriptura nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus latè per historias traditum est, de imagine maximè Hæmorrhoissæ, quam

multis ſcriptoribus confirmare poſſumus. Baſilius magnus in diverſis opuſculis ſuis mentionem imaginum facit. Gregorius etiam illius & carne, & ſpiritu frater Niſſenſium præſul in ſermone in Abraham idem ſentit. Item alter Gregorius, qui à Theologia nomen ſortitus eſt in verſibus a ſe conditis, qui de virtute inſcribuntur, aſſentit. Chryſoſt. etiam in oratione funebri in Meletium Epiſcopum Antiochiæ, & in ſermone, qui inſcribitur, quod veteris & novi Teſtamenti unus ſit legiſlator. Cyrillus in Epiſtola ad Acacium Epiſcopum Scythopoleos, Athanaſius Epiſcopus Theupoleos, Sophronius, Maximus. Sed quid hos nominatim citavimus? Omnes enim ſancti Patres noſtri imagines receperunt. Quam ob cauſam mendaces deprehenduntur in hoc quod dicunt, non eſſe Patrum traditionem.

Pro venerazione imaginum teſtantur Patres Eccleſia.

Et poſt pauca idem Epiphanius ſubdidit.

Qui imaginem Imperatoris videt, in ea ipſum Imperatorem contemplatur. Et qui imaginem ejuſdem adorat, ipſum Imperatorem adorat: hujus enim forma & figura illius eſt imago. Et quemadmodum deſpiciens imaginem Imperatoris, non aliter caſtigatur, quam ſi ipſum Imperatorem contumelia affeciſſet (cum tamen illa ipſa imago præter lignum & colores nihil ſit) eodem modo qui typum ſive figuram alicujus ignominia afficit, in illum ipſum, quem typus repræſentat, injurius eſt. Quod quidem ipſa rerum natura repræſentat. Hoc etiam univerſi mortales agnoſcunt, patreſque ſanctos ita tradidiſſe norunt: & illi qui aliter docent, Eccleſiæ Catholicæ, imò naturæ rerum contradicunt.

Qui imagines reſpiciunt etiã contra naturam agunt.

Gregorium Epiſcopum legit pro hæreticis.

Verumtamen dicamus ea quæ ſunt eorum deſtructionis. Quoniam quidem noſtra Catholica Chriſtianorum Eccleſia media inter Paganiſmum & Judaïſmum exiſtens neutrorum ſolemnes cæremonias habet, ſed pietatis & myſtici ſacrificij divinitus traditi ſemita incedit. Judaïſmi quidem ſacrificia ſanguinolenta & holocauſta non admittens: Paganiſmi autem præter ſacrificia omnem Idolorum factionem & Idolorum cultum abominans, &c.

Epiphanius Diaconum legit.

Immenſurabilis ac frivolæ dictionis eorum littera pleniſſimè deliramentis procurata importunum quiddam & nimis riſu dignum exiſtit. In antecedentibus enim in præcipitia & fauces per ratiunculas ſuas inducti ſunt: nunc autem in profundum inferni ſe intulerunt mediam inter Judaïſmum & Paganiſmum pronuntiantes eſſe Chriſtianorum Eccleſiam. Deinde iterum intra ſe cadentes dicunt neutrorum ſolemnes cæremonias habere, &c. Baſilius ergo Cæſarienſium præſul, cujus in omnem terram exivit ſonus, in ipſo proœmio ſermonis ſui contra Sabellianos ſcripti, ſic ait: Impugnat Judaïſmus Paganiſmum, uterque vero Chriſtianiſmum, &c.

Ideſt ſibi non conſtantes.

Hæretici dixerunt.

Tam ex ſcriptura divinitus afflata, quàm ex Patrum electorum teſtimoniis afferentibus piam noſtram intentionem, exhibebimus noſtram definitionem. Principio verbum divinæ vocis, ſic dicentis, prætermittimus; *Deus eſt Spiritus.* Quicumque Deum adoraverit, in ſpiritu & veritate adoret. Et iterum: *Deum nemo vidit unquam, &c.* nec formam ejus vidiſtis. Beati ſunt, qui non viderunt & crediderunt.

Joan. 4. Joan. 1. Joan. 20.

Epiphanius pro Synodo.

Quotiens recta dogmata homines juxta ſuam opinionem ſubvertere conantur, non miretur aliquis ſi

A ſcripturæ verba uſurpent. Nam & omnes Hereſiarchæ ſuorum errorum occaſiones è divina Scriptura collegerunt: & quæ rectè ab Spiritu ſancto dicta erant, perverſa animi ſententia convellunt. Atque hoc Cotyphæus Apoſtolorum Petrus olim prædixerat dicens: *Quæ imperiti & minime conſtantes, ſecundum proprias cupiditates pervertunt, &c.* Quamobrem non eſt mirandum, ſi novæ iſtius pravitatis hæretici nobis è divina Scriptura ſumptiones quaſdam adferunt. Et ideo quæ de inviſibili & incomprehenſibili Deitate dicta ſunt, in diſpenſationem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem commutarunt, ut illud: *Deum nemo vidit unquam*, quod de divina natura ſcriptum eſſe nemo ignorat. Et illud: *Nec vocem ejus audiſtis, nec formam ejus vidiſtis.* Quod ſi hæc ſecundum humanitatem quiſpiam intellexerit, totum Evangelium ſubverteret. Item, cognovimus Deum eſſe Spiritum, & qui adorant eum, in Spiritu & veritate id facere debere, & quæ ſecundum fidem eſt, adorationem & cultum illi ſoli (ut pote omnium Deo in Trinitate laudato) offerendum. Non enim Chriſtiani adorationem in ſpiritu & veritate imaginibus exhibuerunt, nec etiam divinæ Crucis effigiei, nec etiam unquam inviſibilis & incomprehenſibilis naturæ imaginem apparuerunt. Nam cum divinam Crucis effigiem, & venerandas imagines amore, & deſiderio amplectimur, ad ipſum prototypum reſpicimus. Sed quemadmodum Verbum caro factum eſt, ita quoque humanam ejus œconomiam deſcribimus & depingimus. Quam ob cauſam nugamenta illorum vana & nupera, item putrida & à veritate exorbitantia deprehenduntur.

1. Pet. 3.

Joan. 1.

Deut. 4.

B

C

Hæretici dixerunt.

Ait Dominus ad Moſem & populum, *Non facies tibi idolum, neque omnem ſimilitudinem, quæcunque ſunt in cœlo ſupra, & in terra infra.* Quam ob cauſam in monte medio ignis, *vocem verborum audiſtis, ſimilitudinem autem non vidiſtis, ſed tantummodo vocem.*

Exod. 26.

Epiphanius pro Synodo.

Quæ in veteri lege contra eos, qui inter filios Iſraël vitulum adorabant, & Ægypti abominationibus inſiſtebant, dicuntur, in Chriſtianos quoque jactare non deſinunt. Capiuntur autem labiis proprij oris. Utinam autem cogitaſſent, quia Dominus eam gentem ducturus erat in terram promiſſionis, in qua habitabant gentes, quæ adorabant, & colebant idola, dæmones, ſolem, lunam, & aſtra, reliquaſque creaturas, etiam volucres, quadrupedes, & ſerpentes, Deum autem verum ignorabant. Quare tam diligenter eis præcepit, ne facerent vllam ſimilitudinem eorum, quæ in cœlo, aut in terra ſunt.

D

Poſtquam autem eos ab idololatria abduxiſſet, juſſiſſetque tabernaculum teſtimonij fabricari, Moſes ſenſibilia Cherubim habentia hominum formam obumbrantia propitiatorium, quod Chriſtum præfiguravit (nam ipſe propitiatio fuit pro peccatis noſtris) formavit.

E

Hæretici dixerunt.

Et mutaverunt gloriam immortalis Dei, per imaginem, non ſolum ad mortalis hominis ſimilitudinem effictam, & venerati ſunt, & coluerunt ea, quæ condita ſunt, ſupra eum qui condidit. Et rurſum: *Si enim cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, jam non cognoſcimus, per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem.* Et hoc quod ab Apoſtolo aperte dictum eſt: *Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

Rom. 1. 2. Cor. 5. Rom. 10.

Epiphanius pro Synodo.

Clarum enim omnibus eſt, Apoſtolorum gentes re-

prehendiſſe in eo quod ait: *commutaverant gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Infert etiam, *volucrum, quadrupedum & ſerpentium.* Doloſe iſti totam phraſim contaminaverunt, ut per eam immutatam ſimpliciores inſicarent, quaſi Apoſtolus de imaginum in Eccleſia pictura verba faceret. Nam quæ ab Apoſtolo inferuntur, apertam habent manifeſtationem: volatilium enim, quadrupedum & ſerpentium mentionem facit. Item, ea & venerati ſunt, & coluerunt (creaturas ſcilicet) ſupra creatorem. Norunt enim qui in hiſtoricis verſati ſunt, Ægyptios olim & boves, & reliqua animalia coluiſſe, ut diverſa volatilia, mures, veſpas, item vilia alia & abjecta animalium. Perſæ vero, ignem & ſolem adorabant. Græci præter iſta, quamvis creaturam colebant. Quin etiam Hebræi quidam, ut teſtatur liber Regum & propheticæ enarrationes. Decepti denique ſunt omnes & gentes vanitatem induerunt, quare *obſcuratum eſt ſtultum cor eorum*, & ante Chriſti adventum, & poſt Chriſtum, maxime tamen omnium antequam in Chriſtum credidiſſent: clarum enim eſt hoc.

Rom. 1.

Ad illud verò *Si enim cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, &c.* adducemus inſignes hujus loci interpretes. Joannes Chryſoſtomus interpretando ſic ait: Neminem fidelium juxta carnem novimus. Quid enim ſi in carne fuerint, cum vita illa carnalis pereierit? de ſupernis enim nati ſumus in ſpiritu. Novimus aliam vitam, & ſtatum, qui in cœlis eſt. Et mox ejuſdem ducem Chriſtum exiſtentem oſtendit, quapropter etiam induxit. (ſi verò juxta carnem Chriſtum novimus) ſed amplius jam non cognoſcimus, quia ſi paſſibilem cognovimus Chriſtum, at jam non amplius: non quod reliquerit carnem, nam cum hac veniet judicaturus terrarum orbem, &c.

Cyrillus Alexandrinus idem illud dictum explicans, ita commentatur. Quod Paulus inquit, tale eſt, *Verbum caro factum eſt, & pro omnibus occubuit*, atque ita illum cognovimus ſecundum carnem, ſed amodo non cognoſcimus. Nam & ſi nunc ſit in carne (reſurrexit enim tertia die, aſcendit in cœlos.) Verum hæc ſupra carnem conſiderantur. Non enim amplius moritur, nec vllam aliam carnis infirmitatem ſuſtinet, omnibus enim his ſuperior eſt.

Animadvertitis igitur qui adverſari ſemper didiciſtis, quod non modo Apoſtolicas ſententias pervertitis, ſed & ſanctis patribus contraria ſtatuiſtis?

Ad alium etiam locum ejuſdem Apoſtoli (*per fidem ambulamus & non per ſpeciem*) idem Chryſtomus enarrans ait: *Porro nequis audiens*, (*peregrinamur a Domino*,) dicat (cur hæc dicis?) Alieni enim ab illo ſumus, dum hic agimus, prius hæc corrigit dicens: *Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem:* & hic quidem iſta ſcimus, verum haud ita aperte. Quod

2. Cor. 13.

& alibi dicit (*in ſpeculo & enigmate, tunc autem facie ad faciem.*)

TOMUS QUINTUS.

Gregorius pro hæreticis.

Eadem etiam & Apoſtolorum diſcipuli, & ſucceſſores divini patres noſtri tradiderunt. Epiphanius enim Cyprus inter anteſignanos præclarus ſic inquit. Eſtote memores dilecti filij, ne in Eccleſiam imagines inferatis, nec in ſanctorum cemiteriis eas ſtatuatis, ſed perpetuo circumferte Deum in cordibus veſtris. Quin etiam nec in domo communi tolerentur. Non enim fas eſt Chriſtianum per oculos ſuſpenſum teneri, ſed per occupationem mentis.

Liber Epiphan. falſo adſcriptus.

Epiphanius pro Synodo.

Decet omnem Chriſtianum cum libros aliquos adulterinos audit, aut legit, reſpuere, nec omnino animum adhibere. Nam & inter Epiſtolas divini Apoſtoli quædam fertur ad Laodicenſes, quam Patres noſtri, tanquam alienam reprobaverunt. Ad hæc Manichæi Evangelium ſecundum Thomam invexerunt, quod Eccleſia Catholica merito (ut impium) averſatur, quemadmodum etiam id, quod nunc è beato patre noſtro Epiphanio dictum eſt, cum illius nequaquam exiſtat. Divinus enim hic pater octoginta capitum librum edidit, in quo omnes hæreſes Gentiles, & Judaicas, item quotquot poſt Chriſtianiſmum ſuſceptum invectæ ſunt, damnavit, in quo proculdubio & eam poſuiſſet, quæ de imaginibus ab iſtis fertur, ſi alienam à Chriſti religione hanc exiſtimaſſet. Ita & libros illos contra imagines nemo Chriſtianorum (præter iſtos novitatis magiſtros) recepit. Quod ſi tanto tempore in Eccleſia non ſunt recepti, quam ob rem nunc à nobis recipi debent? Attendamus autem qui floruerint per tempora ſupradicti patris noſtri Epiphanij in Eccleſia, quos tanquam glorioſos doctores & tuta monimenta Eccleſiæ dicere poſſumus. Profecto Baſilius Magnus, Gregorius cognomento Theologus, Gregorius Niſſenſium Epiſcopus quem omnes patrum patrem vocant, Chryſoſtomus. Præter hos etiam Ambroſius, Amphilochius, Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus. Quod ſi is, qui hanc expoſitionem doctorum contra venerandas imagines edidit, ait ſe à ſanctis patribus, qui per ea tempora floruerunt, non fuiſſe receptum, quomodo ea quæ ſancti patres non probaverunt, nos qui circa fines ſæculorum occurrimus, & indigni ſumus ut diſcipuli eorum vocemur, recipiemus? Præſertim cum falsò contra Eccleſiam edita ſint. Apage cum iſta impia & intolerabili editione. Neque hic linguas ſuas acuant, & exerceant vaniloqui iſti accuſatores recte ſentientium, quaſi illi, qui antiquam Eccleſiæ traditionem recipiunt, Beato Epiphanio adverſentur, nequaquam. Commentarium enim illud rejicimus: beatum autem patrem Catholicæ Eccleſiæ doctorem cognoſcimus. Nam & divini patres, qui in quarta univerſali Synodo fuerunt congregati, Epiſtolam quæ nomine Ibæ Epiſcopi Edeſſæ ad Marim Perſam circumferebatur, anathemate damnaverunt, quaſi Neſtorio conſentientem. Eodem etiam modo qui in ſacra quinta Synodo ſconvenerunt: ipſum autem Ibam nequaquam (non enim demonſtrati poterat quod eſſet Ibæ.) Quam ob rem in anathematiſmis non ipſum Ibam devoverunt, ſed Ibæ Epiſtolam. Dicebatur enim Ibæ, cum tamen illius nequaquam eſſet. Judicate ergo omnes qui auditis & verum à falſo diſcernite, quia editiones iſtæ non ſunt beati iſtius patris, ſed potius Manichæacæ, quas veluti amara bile plenas fugiamus: Manichæi enim & quicumque confuſionis fuerunt authores, contemplationem iſtam nunquam ferre potuerunt.

Ibæ Epiſt. in 4. Syn. damnata.

Gregorius pro hæreticis.

Similiter Gregorius Theologus in verſibus ſuis dicit: Flagitium eſt, fidem habere in coloribus & non in *ſenſus.* corde. Ea enim quæ in coloribus exiſtit, faciliter eluitur, quæ vero in profundo mentis, illa mihi amica.

Greg. Naz.

Epiphanius pro Synodo.

Perverſe rurſus cogitantes & aliud dictum Gregorij Theologi ſubjiciunt, quod à dicto Patre ſic edictum eſt: Flagitium fidem habere in coloribus, non in animis, quæ facile elui poteſt, ſed profunditas mihi chara. Ab his autem ſic falſo ſcribitur. Flagitium eſt fidem habere in coloribus, & non in corde: ea enim quæ in coloribus exiſtit, faciliter eluitur, quæ vero in profundo mentis, illa mihi amica. Beatus enim Gregorius Theologus in metricis ſuis opuſculis dictum illud quod hi citant, ad moralem quendam ſenſum attulit. Corrigit enim vitam noſtram, ut abſtineamus à temporalibus & mundanis rebus, voluptatibus ſcilicet carnalibus,

carnalibus, & ſpiritualem rurſus vitam (quæ ad cœleſtia perducat) eligamus. Nec credamus mundo huic, nec temporaneis, & non manentibus adhæreamus (hæc enim colores vocavit) ſed potius ſpiritualibus & veris inſiſtamus, quæ in corde ſtabilimentum habent, & in æternum manent.

Gregorius pro hæreticis.

Chryſoſtomus ſic docet. Nos per ſcripta, ſanctorum fruimur præſentia, non ſane corporum ipſorum, ſed animarum imagines habentes. Nam quæ ab ipſis dicta ſunt, animarum illorum imagines ſunt. Maxima verò recti inveſtigatio (inquit Magnus Baſilius) meditatio ſcripturarum divino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inveniuntur, & vitæ beatorum virorum præſcriptæ, veluti imagines quædam animatæ.

Epiphanius pro Synodo.

Qui quicquam recte ſapit, nequaquam hæc ad ſubverſionem ſacrarum imaginum pertinere intellexerit. Omnibus enim manifeſtum eſt, cum audimus virilia & fortia ſanctorum facta, conſtantiam firmitudinemque animorum illorum nos beatificare & laudare. Quin etiam cum in divinis ſcripturis ſanctorum vitas legimus, cumque in ſcripturis eaſdem contemplamur, in memoriam revocamus quantopere in Deum fervore fuerint accenſi. Nam quæ oratio per auditum exhibet: hæc ſcriptura tacens per imitationem oſtendit, ut Magnus inquit Baſilius.

Gregorius pro hæreticis.

Et Alexandriæ lumen Athanaſius dixit: Quomodo non miſeratione perſequendi ſunt, qui creaturas adorant, quod illi vident, non videntibus cultum exhibent, & audientes orant, precanturque? Creatura enim à creatura nunquam ſervabitur.

Epiphanius pro Synodo.

Papè quanta inſania. Nunc enim novam quamdam blaſphemiæ viam excogitantes, plane à veritate deviant. Nam ea quæ divinus vir contra idola locutus eſt, hæc iſti homines etiam poſt cognitionem veritatis & confeſſionis ſyncerè, & divinæ regenerationis tribuunt, & præter unum univerſorum Dominum, creaturis Chriſtianos & idololatriam commiſiſſe aſſerunt.

Gregorius pro hæreticis.

Similiter Amphilochius Iconij Epiſcopus ita inquit: Non enim nobis ſanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curæ eſt, quoniam his opus non habemus, ſed politiæ illorum virtutum memores eſſe debemus.

Epiphanius pro Synodo.

Hæreticis proprium eſt mutilatas exquirere ſententias. Nam ſi quis ſtudioſe exquirat, haud facile hanc beati patris ſententiam inveniet contra venerandarum imaginum repræſentationem: ſed affectionis animæ ſanctorum veritatem & conſtantiam celebrans, & prædicans virtutum efficaciam, hæc dicit beatus pater: maxime quo nos ad imitationem perducat. Non enim ſanctos propter carnalem amorem laudamus, nec pingimus, ſed quo virtutum illorum ſimus memores. Et in libris quoque vitas illorum deſcribimus, in tabuliſque illos depingimus: non quod hoc à nobis poſtulent ipſi, verum id noſtra cauſa, & propter utilitatem noſtram facimus. Non enim ſolùm paſſiones martyrum nos inſtituunt, ſed & contextus, & ſcriptum de illorum paſſionibus picturaque idem indicans. Unde (ut veritatis verbum nos docet) *hæc oportet facere, & illa non omittere*. Hoc idem late diſputat magnus Baſilius in ſuis moralibus ſermonibus. Aſterius etiam Amaſiæ Epiſcopus ſimiliter docet veterem eſſe de imaginibus traditionem, ut patet præter alia ex ſermone, quem in Lazarum, & divitem epulonem conſcripſit. *Mat.* 23.

Gregorius pro hæreticis.

Conſentanea his etiam Theodorus Ancyræ Epiſcopus ſic docet: Sanctorum formas & ſpecies ex materialibus coloribus formari minime decorum putamus: horum autem virtutes, quæ per ſcripta traditæ ſunt, veluti vivas quaſdam imagines reficere ſubinde oportet. Ex his enim ad ſimilium imitationem & zelum pervenire poſſumus. Dicant enim nobis qui illas erigunt ſtatuas, quænam utilitas ex illis ad ſe redit? an quod qualiſcunque recordatio eos habet ex tali ſpeciei contemplatione? Sed manifeſtum eſt, quod vana ſit ejuſcemodi cogitatio, & diabolicæ deceptionis inventum.

Epiphanius pro Synodo.

Multi noſtrum diligenter quærentes & indagantes in ſermonibus hujus Theodori præſentem ſententiam, nuſquam ſane invenimus. Ex quo convincitur mentita eſſe teſtimonia ab iſtis citata? ideoque nec locum ſermonis, nec librum unde hæc ſententia deſcripta eſſe, deſignarunt.

Deinde adducunt & quædam alia teſtimonia ſimilia ex Euſebio Pamphili hæretico, quæ Epiphanius contemnens, refellit, quoniam author in reprobum ſenſum traditus, Arrij placitis conſenſit, ut ex cunctis hiſtoricis ſuis libellis conſtat, in quibus Filium & Verbum Dei creaturam vocat, & ſecundo adorandum loco. Huic opponit Epiphanius Athanaſium in dogmatica ad Euſichyum Preſbyterum Epiſtola cujus initium: ■ quibus exiſtimaſti nos, &c. & Cyrillum in Epiſtola ad Succenſum, &c. contrarium dicens.

TOMUS SEXTUS.

Continet tantum anathematiſmos 19. conciliabuli ſub Leone habiti: in quorum ſeptem prioribus recte ſentiunt, & Patrum traditionibus convenientia dicunt, quippe qui myſterium ſanctæ Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ juxta Orthodoxas fidei regulas explicant. In reliquis verò anathematiſmis abrogandum imaginum uſum, & damnandum in Eccleſia Catholica definiunt: quibus Epiphanius reſpondet

EPIPHANIUS.

Vocem qua Dominus ad Coryphæum Apoſtolorum Petrum uſus eſt, animo debebant intelligere: *Tu es Petrus & ſuper hunc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus illam*: ſed ab hac ædificatione & harmonia alienati, digna quæ riſu excipiantur definiunt. *Mat.* 16.

GREGORIUS.

Nemo hominum, qualiſcunque tandem fuerit, talle inſtitutum & impium & impurum poſthac ſectetur. Qui vero ab hoc die imaginem auſus fuerit ſibi parare aut adorare, aut in Eccleſia, aut in privata domo conſtituere, aut clam habere: ■ Epiſcopus fuerit aut Diaconus, deponitor, ſi verò ſolitarius aut laicus anathemate percellitor, Imperialibuſque conſtitutionibus ſubjicitor, ut qui divinis decretis repugnet, & dogmata non obſervet.

EPIPHANIUS.

Non ſatis illis fuit, quod Eccleſiam omnem carpſerint & vellicaverint, niſi nunc quoque impiè de-

finiant non faciendam esse imaginem, nec illi etiam qui sibi sic faciendum esse persuaserit. Usque adeo enim venerandarum imaginum demonstratio in Ecclesia obtinuit, ut ab eo tempore quo Evangelium prædicari cœptum est, ad hæc usque tempora receptæ fuerint. Jam autem cognoscimus omne quod antiquitate excellit, venerandum esse. Quid enim aliud Corinthius mandat divinus Apostolus dicens. *Servate traditiones quas accepistis?* Et rursus Timotheo & Tito, *Prophanas vaniloquentias aversemini?* Omnes igitur Christiani qui Ecclesia Catholica geniti sumus, traditiones quas accepimus servamus, & in iis stabiliti sumus: novamque hanc vaniloquentiam, sensui divinum Apostolum, rejicimus. Et quæcunque patribus pro tempore super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ædificare placuit, recipimus. Quæ vero secus se habent, ut hostilia respuimus. Dico autem quæcunque ab inimicissimis & impiis hæreticis veluti nugæ allata sunt, in quorum numero quoniam & hi nuperi vaniloqui Christianorum accusatores sunt, ob id eos execramur: nam non modo linguam habent in impietate & peccato imbutam, sed & manus docuerunt omnem sycophantiam expedire, verberareque dicentes: Constitutionibus Imperialibus subjicitor qui non ita fecerit. Ex hac igitur voce per omnem terrarum orbem multa & varia designata sunt. Continuam enim crudelitatem & ipsi principes, duces & falsi Episcopi exercuerunt. Sed quænam lingua calamitatem istam poterit exprimere? unde & quomodo hanc narrationem aggrediar, non video. Nam quot terrores, persecutiones, per omnes civitates custodiæ, Monachorum flagellationes, carceres, multis his annis extitere? Taceo pedicas; catenis ligatos pedes, sacrorum vasorum ablationem, librorum exustionem, sanctorum templorum prophanationes, sanctorum Monasteriorum prophanas in mundana hospitia & tabernacula translationes, quod scilicet in iis pietatis & religionis studiosi viri habitarent, post raptum substantiæ & bonorum, transmigrationes in barbaras nationes existimantium se posse Apostolice meliorem vitam inter gentes quam apud suos ducere. Et quod omnium gravissimum est, in hunc usque diem prophanatio ista monasteriorum apud quosdam adhuc manet. Et pro sacris hymnis & voce lætitiæ in tabernaculis justorum, cantica meretricia & satanicæ melodiæ audiuntur: & pro geniculationibus, saltationes theatrales celebrantur. His adjice pericula, turbationes, vexationes, verbera, pœnas, oculorum extritiones, narium amputationes, linguarum abscissiones, inhonestas fugas & exilia piorum, qui per omnem terram dispersi sunt, sanctarum facierum adustiones, barbæ vellicationes, adustionesque, Virginum, postquam Christo dedicatæ fuerant impias & violentas nuptias, & quod vehementissimum est malorum cædes. Hi sunt fructus horum hominum, qui contra veritatem insurgunt. Hæc vera insania, & non judicium verum. Inspexit hæc Deus, & ex omnibus malis liberavit Ecclesiam suam. Gloria sit illi. Amen. Ab impio autem consilio suo seducti, ex ipsa veritate arguunt, dicentes.

2. Thess. 2. 1. Tim. 6. 2. Tim 2. Tit. 3.

Iconoclastæ crudeles.

GREGORIUS.

Determinamus & hoc, ne quis hominum ex iis qui præsunt Ecclesiæ, aut sacratis ædibus, sub prætextu exterminationis aut elevationis talis imaginum erroris, manus in ea quæ sunt Deo sacrata, injiciat: quia possunt transferri in alios usus ejuscemodi idola.

EPIPHANIUS.

Hæc enectant ora quæ Dominum non verentur neque venerantur. Quis enim, modo mentem divino timore firmatam habeat, ea quæ Deo oblata sunt & dedicata, idolorum appellatione dedignetur? Profecto non satis novi num rudes & imperiti rerum id autem sint. Nisi plane obliti essent magni & salutaris illius mysterij, quod Deus verbum caro factum, & in nobis habitans, operatus est, cum scilicet nos ab idolorum errore liberaret. ζῶϊα enim (qua voce isti utuntur) à piis gentilium idola nominantur. Sed sunt nugaces verborum strepitus & battarismata & apophregmata oris illius, quod stercoreis alimentis usum vapores fœtidos animo mentique immittit, & deliros insanosque istos homines, risu dignos judicat, quamobrem inferunt:

GREGORIUS.

Neque etiam in sacras vestes, aut alia vela, aut quicquid consecratum est in sacrum Dei ministerium, ne qua ratione in abusum convertantur.

EPIPHANIUS.

Qui hactenus calumnias prosecuti sunt, definieruntque venerandas imaginum picturas non recipiendas in sacris Dei Ecclesiis, & qui eas idola & ζῶϊα vocaverunt: nunc tanquam obliti impij sui decreti, has in Ecclesiis manere volunt. Quod si autem Deo consecrata sunt, quomodo turpes & diabolicæ insidiationis inventiones habebuntur? sed manifestum est quod sit Caiphaica assertio. Nam is animi quidem malitia Christum occisum cupiebat: at ignorantia veritatem dicens, servatorem illum humani generis confessus est. Eodem modo & isti, malitia quidem errorem, idola ζῶϊα, & diabolicæ insidiationis inventa, sanctorum imaginum inspectionem cavillantur, verum contra animi sententiam, has sacras & Deo dedicatas confiteri coguntur, & laqueis propriæ nugacitatis implicantur. Quare illos qui se sequuntur, præstigiis decipientes alloquuntur.

Ioan. 11.

al. sanctarum.

GREGORIUS.

Si quis autem à Deo potestatem nactus, hæc ipsa vasa aut vestes in meliores usus convertere voluerit non ausit hoc sine sententia & voluntate sanctissimi & beatissimi universalis Patriarchæ & Imperatorum nostrorum piorum jussu, ne diabolus sub eo prætextu Ecclesias Dei humiliet. Neque aliquis ducum, aut magistratus, aut laicorum cohortes sub illis constitutæ, in divinas ædes manus injicient, easque veluti captivas prophanent, quemadmodum à quibusdam ante hac factum est.

EPIPHANIUS.

Quis propter hanc legislationem non insigniter rideat, imo magis non lugeat? Propter hæc enim vana verba multi ausi fuerunt, Briarei gigantæasque manus sacris armariis injicere, ab his videlicet occasionem sumentes. Labilis enim est & lubrica improbitas. Videntes enim ipsos sanctissimos (ut isti aiunt) revera autem falsos Episcopos, aurum & argentum ex dedicationibus, & imagines quæ in musæis, sibi ascribere, & in privatos usus vertere, & ipsi quoque sic fecerunt. Hæc enim in gutturnia, pelues, theatra commutarunt: & quæ quandoque sacra fuerunt, horum judicio prophanata sunt.

GREGORIUS.

His ita se probè habentibus, & Dei gratia confirmatis, justum esse decrevimus hoc nostro Catholico & Deo grato scripto, definitiones breves veluti in summam edere, quandoquidem & nos videmur Apostolicè dicere: Quin-etiam credimus nos Spiritum Christi habere, & quemadmodum qui antea in illum crediderunt & Sinodos congregaverunt, decretaque & definitiones ediderunt, ita & nos quoq; id ipsum credimus. Quamobrem post sacras aliquot præmissas patrum definitiones consequenter & convenienter nostra determinabimus.

1. Cor. 7.

EPIPHANIUS.

Multa & diverſa in ſuperioribus nugati, & propriam improbitatem manifeſte determinantes, & in multa diſtrahentes, nunc ſeipſos doctoribus Eccleſiæ contendunt comparare, & ſacris illorum declarationibus, has impias ſuas definitiones connumerare ſe jactant, nimirum mendacium cum veritate, tanquam venena noxia cum melle, miſcere contendentes. Sed qui ſpiritu Dei aguntur, facile malum à bono dijudicaverunt: & quæcunque à ſanctis patribus recte ſtatuta ſunt, recipient: quæ vero ab his perverſe & improbe ſtatuuntur, averſabuntur. Iſti enim falſidici confitentur ſe Deum cognoſcere, verùm à regia via per calles & anfractus decedunt. Noſtræ enim ſyncerè fidei verba, veneno improbitatis imbuunt. Habent namque conſimilem cum Hereſiarchis veteribus ignorantiam. Nam & ipſi multa cum Catholica Eccleſia convenientia dixerunt. In uno autem aut altero tranſgreſſi, anathema acceperunt, cum quibus ſane iſti partem habent, etiam ſi ſic dicant.

Prima definitio.

GREGORIVS.

Canones Pſeudo-Synodi.

Si quis ſecundum Apoſtolicas & patrum traditiones de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, non confeſſus fuerit unam & eandem deitatem, naturam & ſubſtantiam, voluntatem & actionem, virtutem & dominatum, regnum & poteſtatem in tribus ſubſiſtentiis ſive hypoſtaſibus, nempe perſonis, glorificatam, anathema.

Secunda.

Si quis non confeſſus fuerit ejuſdem ſanctæ Trinitatis unum, videlicet Filium & Verbum Dei & Patris, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ante ſecula quidem ex Patre ſecundum deitatem, in extremis autem temporibus ipſum propter ſalutem noſtram è cœlis deſcendiſſe, & incarnatum ex Spiritu ſancto & Maria Virgine, & ex eadem natum, ſupra omnem humani intellectus comprehenſionem, anathema.

Tertia.

Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundum veritatem Emmanüel, & ob id Virginem ſacram Deiparam, quæ ſecundum carnem, carnem factum ex Deo verbum genuit, anathema.

Quarta.

Si quis verbum ex Deo patre carni ſecundum hypoſtaſim non unitum & unum eſſe cum propria carne Chriſtum, eundem videlicet Deum & hominem non confeſſus fuerit, anathema.

Quinta.

Si quis non confeſſus fuerit Dei carnem vivificantem eſſe, & propriam ipſius ex Deo Patre Verbi, ſed veluti alterius præter ipſum, unitam ſecundum dignitatem, videlicet quaſi tantummodo in ea divinam habitationem habuerit, minime vero vivificantem, ut diximus, quod factum ſit in proprietate verbi omnia vivificare potentis, anathema.

Sexta.

Si quis non confeſſus fuerit in uno Chriſto, vero Deo noſtro, duas naturas, & duas naturales voluntates & duas naturales actiones, communicanter indiſtinctas, incommunicabiliter, impartiabiliter, inconfuſe ſecundum Patrum ſanctorum traditionem, anathema.

Septima.

Si quis non confeſſus fuerit Dominum noſtrum Ieſum ſum Chriſtum poſt aſſumptionem animæ rationalis & intellectualis carnis, ſimul ſedere cum Deo & Patre, atque ita quoque rurſum venturum cum Paterna Majeſtate judicaturum vivos & mortuos, non amplius quidem carnem, neque incorporeum, tamen ut videatur ab iis à quibus compunctus eſt, & maneat Deus extra craſſitudinem carnis, anathema.

EPIPHANIUS.

Hucuſque rectè ſentiunt, & Patrum traditionibus convenientia dicunt: imo potius tanquam ſua propria dogmata aſſerentes, ſibi laudem & gloriam vindicant. In ſubſequentibus autem amara venenatæ & viperinæ linguæ dogmata pharmacis lethalibus plena evomunt.

GREGORIUS.

Octava.

Si quis divinam Dei verbi ſecundum incarnationem figuram materialibus coloribus ſtuduerit effigiare, & non ex toto corde oculis intellectualibus ipſum ſedentem à dextris Patris, ſuper Solis ſplendorem lucentem in throno gloriæ adorare, anathema.

EPIPHANIUS.

Abſurdi & præter modum admirabiles allegoriſtæ in hac venefica definitione judicantur. Apoſtolo enim Filium Dei Patris figuram prædicante, propter incommutabilitatem ſubſtantiæ ipſius commutationé facta in carnem à Deo Verbo aſſumptam oblique cogitant, & ex animis inſipientibus novam quandam definitionem eructant. Novimus enim omnes quod caro quam aſſumpſit, diverſæ ſubſtantiæ à natura Verbi Dei exiſtat. Hoc, inquam, in veritate præſides Eccleſiæ ſancti Apoſtoli, & admirandi noſtri Patres, nos docuerunt. Nam abſconditorum ſpectator Paulus, divinus (quemadmodum dictum eſt) Apoſtolus, volens conſubſtantialitatem Filij & Dei Verbi ad Deum & Patrem prædicare, nihil aliud appropriatum & concinens invenit quam ut exclamet characterem hypoſtaſeos Patris ipſum filium. Iſti vero veritatem mendaciis ſubvertere conantes, tumultuariis & putridis vocibus inſiſtentes, odio venerandarum imaginum mendacium inducere conantur. Unde in blaſphemum & perverſum ſenſum collabentes & in reprobam ſententiam traditi, dicunt. *Hebr. 1.*

GREGORIUS.

Nona.

Si quis incircunſcriptibilem Verbi Dei eſſentiam & hypoſtaſin, propterea quod incarnatus eſt, naturalibus coloribus in imaginibus ad formam hominis depinxerit, & qui non Theologicè ſentit eam poſt carnem non minus incircunſcriptibilem remanſiſſe, anathema.

EPIPHANIUS.

Tanquam circa oppportuna Apoſtolicarum traditionum negocia occupati, peſtilentem morbum ſpirantes, ſententiamque corrumpentes omnia dicunt. Nam turpitudinem erroris & fraudis, rectis verbis prætexunt: & impoſtoré animo ad naturam incircumſcriptibilem divini Verbi, carnem aſſumptam ab eo & circunſcriptam coaptant. Hoc enim aperte indicat, quod ab illis dictum eſt, nihil minùs incircunſcriptibilem exiſtentem. Ubinam hanc vaniloquentiam invenere ſapientes iſti in rebus vanis? Blaſphemiæ enim plenum eſt, quod poſt incarnationem, incircunſcriptibilem fuiſſe aſſerunt Jeſum, omnium Dominum, noſtrum verum Deum, maximè cum is diſcipulos ſuos ita affatur: *Lazarus Ioan. 11.*

amicus noſter dormit: & gaudeo propter vos quod iſtic non fuerim. Nonne igitur hoc quod iſtic non fuerim, circumſcribi poteſt? profectò poteſt. Et ut ea quæ ante mortem de illo Evangelicè dicta ſunt, omittamus, cum poſt reſurrectionem ſe exhiberet mulieribus, nunquid hac ratione circumſcribi nequit? Profecto
Ioan. 10. poteſt. Cum ſe duobus diſcipulis oſtendit, nonne circum-
Luc. 14. ſcriptione dignum eſt? Eſt profecto. Quod clauſis januis ingreſſus ſit, & à Thoma contactus, quid
Ioan. 20. aliud quam circumſcriptio? Item quod diſcipulis in Galilæam profectis, & eum iſtic videntibus & adorantibus, quidnam eſt? Nempe ipſum quod dixi. Quod diſcipulis intuentibus in cœlum aſſumptus eſt,
Mat. 28. & ab Angelo ipſis aſtante & dicente audierint: Quid
Act. 1. ſtatis, ô viri, defixis oculis in cœlum aſpicientes? Hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet B quemadmodum vidiſtis illum abeuntem in cœlum. Nonne hæc ſunt circumſcriptione digna? Sunt ſanè. Sic enim omnes noſtri divini patres tradiderunt. Et manifeſtum eſt rectè ſentientibus, quod quemadmodum Deus, & Verbum Dei Patris inviſibile, & incomprehenſibile, & in omni loco dominationis ſuæ exiſtit: ita ſecundum naturam humanam quam aſſumpſit, viſibilis eſt, & circumſcriptibilis eſt, quemadmodum ipſe diſcipulis ſuis dixit, quod iſtic non fuerim. Item eſt comprehenſibilis, ſicut Thomas nos credere fecit. In multas igitur improbitates, propter unam iſtam blaſphemiam qua Chriſtianos decipere conantur, ruunt. Calumniantes autem deinde lequuntur.

GREGORIUS.

Decima.

Si quis indiviſam Dei verbi naturæ & carnis ſecundum hypoſtaſim unitionem, videlicet ex utriſque unam inconfuſam & incompatibilem perfectionem factam, in imagine depingere conatur, vocatque eam Chriſtum (Chriſtus enim nomine uno & Deum & hominem ſignificat) & ex ea re confuſionem duarum naturarum monſtroſe aſſerit, anathema.

EPIPHANIUS.

Impudentia deceptionis verbo recto imprimitur. Et indiviſæ & inconfuſæ ſecundum hypoſtaſim unitioni imaginum ſtructuram opponentes, tanquam D confuſionem duarum naturarum mendaciter & improbe accipiunt. Sed veritas Domini ligata non eſt: quod autem Chriſti nomen, duarum naturarum ſignificativum eſt, apertum: altera enim ratione viſibilem, altera inviſibilem naturam demonſtrat. Ipſe enim Chriſtus hominibus per velum carnis ſuæ viſus eſt, quanquam divina natura in eo celabatur, tamen per ſigna elucebat. Sancta igitur Catholica Eccleſia, quemadmodum accepit ab Apoſtolis & Patribus, ipſam formam quæ ab hominibus viſa eſt, pingit: neque tamen ob id Chriſtum dividit, quemadmodum iſti falſo dicunt. Imago enim ſecundum nomen tantum, & non ſecundum definitionem cum primo exemplari communicat: quia (quemadmodum in ſuperioribus ſæpe diximus) anima creata eſt, quam nemo circumſcribere poteſt, quia inviſibilis eſt. At ſi animam, E quamvis creata ſit, nemo pingere poteſt: quanto minus inveſtigabilem & incomprehenſibilem unigeniti Filij Dei deitatem potuerit quiſquam cogitatione comprehendere, ut ſenſibiliter à ſe depingatur? Converſus eſt itaque dolor eorum in caput ipſorum. Anathema enim quod ipſi nugantur, in illis manebit in perpetuum.

GREGORIUS.

Vndecima.

Si quis carnem hypoſtaſi verbi Dei unitam diviſerit, & in nuda excogitatione mentis eam habens, ex eo conatus fuerit illam in imagine depingere, anathema.

EPIPHANIUS.

Divus Gregorius, qui à Theologia nomen invenit ſic ait: Quando naturæ diſtant excogitationibus, ſimul dividuntur etiam nomina. Quin etiam plurimi patrum hac notione uſi ſunt: etenim ita revera ſe habere videtur. Ab illa autem & à Patrum traditionibus deſciſcentes dicunt: Si quis carnem hypoſtaſi verbi Dei unitam diviſerit excogitatione mentis. Itaque in hoc deprehenduntur repugnantes Patrum traditioni. Sed cum ſubinde eandem rem inculcant, veritati apertiſſimæ contradicere cognoſcuntur. Eccleſiam enim cum Neſtorio ſentire, falſo aſſerere nituntur. Sibi autem ipſis conſentanea dicentes, inferunt. *Gregorius Nazianz. orat. 2. de filio.*

GREGORIUS.

Duodecima.

Si quis unicum Chriſtum in duas hypoſtaſes diviſerit, ab una parte Dei Filium, & ab altera parte Mariæ filium collocans, neque continuam unitionem factam confitens, & ob id in imagine tanquam per ſe ſubſiſtentem Mariæ filium depinxerit, anathema.

EPIPHANIUS.

Eadem toties infarciunt, ut brevibus ſatis dici nequeat quæ ab ipſis nugæ proferantur. Adjungentes autem impiam Neſtorij opinionem ſacrarum imaginum effigurationi, paradoxa quædam & inanes ſermones commiſcent: quorum deſtructionem cum antea ſæpe oſtendimus, nunc eadem ſilentio præterire decrevimus. Eructant autem iterum talia.

GREGORIUS.

Decima-tertia.

Si quis ex unitione ad divinum verbum deificatam carnem in imagine pinxerit, veluti dividens eam ex aſſumpta deitate, & in deificatam ex hoc eam conficiens, anathema.

EPIPHANIUS.

Cum Eccleſia Catholica Chriſtum pingit humana figura, non dividit eum à divinitate illi unita, magis autem deificatam illam reddit & conſimilem deo illam confitetur, quemadmodum rei veritas habet, & magnus docet Gregorius: non verò, ut ipſi indoctè & imperitè barbariſmum committentes, indeificatam dicunt carnem Domini ex hoc confici & formari. Quemadmodum aliquis hominem pingens, non inanimatum hominem facit, ſed ille animatus manet, & imago, ipſius imago, ab eo quod illum imitetur, dicitur: ita quoque imaginem Dei facientes, deificatam carnem Domini confitemur: imaginem autem nihil aliud eſſe cognoſcimus, quam imaginem, ſignificantem ſcilicet primi exemplaris imitationem, unde & nomen accepit, & hac ratione cum ea duntaxat communicat, & ob eam quoque cauſam pia & veneranda. Quod ſi autem hominis ſit improbi aut dæmonis, prophana & execrabilis exiſtit, quoniam & ipſum primum exemplar, ad quod facta eſt. Laborantes igitur in vanum fructum ſterilitatis ſecum adferunt, à quo non deſiſtent, cum dicant hæc etiam. *Nazianz. orat. 2. in Paſcha.*

GREGORIVS.

Decima-quarta.

Si quis in forma Dei exiſtentem Deum verbum

ſervi formam in propria hypoſtaſi aſſumentem, & per omnia nobis ſimilem factum ſine peccato, conatus fuerit materialibus coloribus figurare, veluti ſi nudus homo fuiſſet, & hoc modo ab inſeparabili & incommutabili deitate ſejungere, veluti quaternitatem inducturus in ſanctam & vivificantem Trinitatem, anathema.

EPIPHANIUS.

O inſaniam & dementiam. Nullus-ne pudor eſt congerendi anathematis? Sed quemadmodum vermes in cœno volutantes, ita hi quoque vivunt. Hanc poſteaquam ſemel acceperunt, fœtorem ejus capere nequeunt. Neque quicquam aliud agunt, quam quod Eccleſiam Dei execrentur, ipſi execratione digniſſimi. Eam qui benedicunt, ut ſcriptura teſtatur, benedicentur: & qui eam devovent, ipſi devoventur. Ipſum autem ſervatorem noſtrum, nudum hominem exiſtimare; & Chriſtum à deitate ſeparare, & ex illa re quaternitatem per picturam inducere, quis non craſſo riſu eorum dementiam qui ſic loquuntur, proſequatur, imo magis defleat blaſphemiam iſtam? Non enim qui Chriſtum humana ſpecie in imagine pingit, mox etiam quaternitatem inducit: ſed Deum verbum, hominem in veritate factum non in phantaſia, fatetur. Inſanus autem Neſtorius duas hypoſtaſes tanquam duas naturas in Chriſto blaſphemè aſſerens, quaternitatem induxit. Verum Dei Eccleſia unam hypoſtaſim Chriſti in duabus naturis rectè confeſſa, ad recordationem ſalutaris illius in carne diſpenſationis, illum imagine excipere divinitus docta eſt. Volentes autem ſeipſos probos oſtendere, & veritatis aliquid aſpergunt, dicentes:

Exod. 22.

GREGORIUS.

Decima-quinta.

Si quis non confitetur ſanctam ſemper Virginem Mariam, proprie & vere Deiparam, qua vis viſibili & inviſibili creatura ſuperiorem: & cum ſyncera fide ejus interceſſiones, tanquam quæ libertatem apud eum qui ex ſe genitus eſt Deum habeat, non poſtulaverit, anathema.

EPIPHANIUS.

In his firmata & ſtabilita Catholica Eccleſia, ab iis qui aliter quam dogmata & traditiones ejus habent ſentiunt, non vult conformari. Nam & Dominus à dæmonibus prædicatus, eos tamen expulit. Et Paulus divinus Apoſtolus, & comites itineris ejus probati ab ipſis tanquam homines Dei altiſſimi, & viam ſalutis annunciantes, ab ipſo perſecutionem perpeſſi ſunt, ita quoque iſti. Quamquam enim aliquod vere dicant, tamen ab Eccleſia expulſi ſunt & rejecti. Rurſus autem tanquam canes ad vomitum proprium reverſi, & ſues in volutabro luti, talia grunniunt.

Actis 16.

2. Petr. 2.

GREGORIUS.

Decima-ſexta.

Siquis ſanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatas & mutis materialibus coloribus depingere ſtudeat, cum nullum omnino uſum adferant picturæ, anathema. Vana enim eſt excogitatio, & diabolicæ inſidiationis inventio. Nonne enim ſatius fuerit illorum virtutes & virilia facta, quæ nobis per ſcriptas hiſtorias tradita ſunt, veluti vivas quaſdam imagines in ſeipſo depingere, & ad eadem iſta ſeipſum zelo ejuſmodi excitare, quemadmodum ſancti Patres nos docuerunt?

EPIPHANIUS.

Divi Patres neque hoc docuerunt, neque prædicarunt, ſed ſibi ipſis hoc nomen aſſignant falſi iſti accuſatores. Eorum enim eſt deliramentum hoc. Nam & poſtea ſe ipſos ſeptimam Synodum appellant. Sed ſapiens quidam dixit: *Commendet te vicinus tuus: non autem os proprium tuum: alienus, & non labia tua.* Iſti autem neque ab aliquibus laudati, neque ab aliis inſtructi, ſibi ipſi laudem arrogant, & ab hominibus vocari volunt Rabbi; cupientes eſſe Patres Cath. Eccl. quam ſycophantiis circumveniunt & verum Deum reliquiſſe, idololatriæque adhæſiſſe aſſerũt. Sane Deus per Eſaiam Prophetam ad eam ait. *Ponam te exultationem æternam, lætitiam generationibus generationum.* Et per * Eccleſiaſticum: *Tota pulchra es proxima mea, tota pulchra, & reprehenſio non eſt in te.* Inſpiciamus igitur eorum inſaniam, quoniam accuſant eam idololatriæ, cujus ipſi ſe gloriantur eſſe Doctores. Siquidem igitur idololatræ ſunt Patres, dicant nobis, num partis eccleſiæ idololatriam agentis, an totius ſint Doctores. Si autem partis, debebant ſane ipſi Eccleſiæ Catholicæ authoritate concinuiſſe, & ab hac judicium poſtulaſſe, fructuſque veritatis ab ea carpſiſſe, quemadmodum omnes noſtri divini Patres errata correxerunt, & quæ rupta & conſciſſa erant, connexuerunt. Quoniam autem Catholica Eccleſia hac traditione exclarata eſt, ipſi ab ea avulſi, videntur eam totam ut errantem condemnaviſſe. Horrendum eſt talia loqui: & condemnatio, omnino tacere. Periit enim illis in Chriſtum confeſſio vera, & omnium rerum corruptela univerſa invaſit. Sed abſint hæc, fruſtra à nobis dicta * ſunt. Illi enim hinc illinc ſe abducentes, nuſquam conſiſtunt. Venerandarum imaginum pictura, multis retro annis in Eccleſia Catholica & venerandis templis publicata fuit. Hanc ſancti Patres & tradiderunt, & univerſus Chriſtianorum cœtus recepit, ab hoc iſti non ſolum exciderunt, ſed & graviſſime & horribiliſſime clamor anathematis illorum, Sodomitarum & Gomorrhæorum more omnia complevit: unde peccatum illorum valde ampliatum eſt. Et quis poterit amplius ſuſtinere inſaniæ immenſitatem, & ſatyricorum tumultuum larvationes? Utinam cognoviſſent veritatem. Omnibus enim pietatis cultoribus manifeſtum, quod quemadmodum per ſcripta quæ ſanctorum paſſiones nobis ad memoriam reducunt, ad ſimilia imitanda excitamur: ita quoque per imaginum picturas certamina illorum aſpicientes, in recordationem virilitatis & divinæ vitæ pervenimus. Deinde tecta animi ſententia loquuntur:

Prov. 27.

Eſaiæ 60. ſecundum 70.

Cant. 4.

Obiurgatio in hæres.

fort. fuit.

Geneſ. 18.

GREGORIUS.

Decima-ſeptima.

Si quis non confitetur omnes qui à ſeculo huc uſque, & ante legem, & in lege, & in gratia à Deo dati fuerunt, ſanctos, venerandos eſſe coram Deo & anima & corpore, & horum interceſſiones non petierit, utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo ſecundum Eccleſiaſticam traditionem intervenire, anathema.

EPIPHANIUS.

Cum Eccleſiaſticam traditionem dicebant, debebant utique appoſuiſſe. Siquis imaginum picturas non recipit, anathema ſit. Perquam vetuſta enim traditio Eccleſiæ Catholicæ veraciter habetur & rectè nobis in recordationem prototyporum decreta. Sed hanc reſpuentes impudentia, ſanè ejuſcemodi imitationem damnabilem Eccleſiæ Catholicæ annunciant, dicentes; Vias tuas ſcire recuſamus. Unde & poſthunc illorum editionem, & interceſſionum Deo acceptabilium

conſuetudinem rejecerunt, expungentes eam ex hoc illorum ſcripto. Atque hoc omnes novere. Hunc namque morem habent hæretici, quoties uno verbo pietatem contempſerint, & veritatis via aberraverint, in multos & varios errores labi: uniformis enim res veritas, mendacium autem in varia diſtrahitur. Arriani enim Deum verbum creaturam dicentes, poſt hanc illorum blaſphemiam impiam, ex anima illum hominem factum nugati ſunt. Eutyches quoque miſer, unam in diſpenſatione Chriſti naturam aſſerens, diviniorem carnem illum aſſumpſiſſe neque noſtræ humanæ conſubſtantialem effingit. Simili modo & hujus hæreſeos præſides, illos imitati agunt: nam vaniloquentiæ & malitiæ non videntes finem & ſatietatem, vicina quoque mala ad ſe trahunt. Et verbula quædam ſanctis patribus conſentanea dicunt, ſed hypocriſi tandem veritatem ſimulant: quare inferunt.

A

B

GREGORIUS.

Decima-octava.

Siquis non confitetur reſurrectionem mortuorum judicium, & pro merito cujuſque ſecundum juſtam Dei libram retributionem, neque finem eſſe punitionis, neque regni cœleſtis, quæ eſt in Deo voluptas & delectatio: *Non enim eſt regnum Dei eſca & potus*, ſed ſecundum divinum Apoſtolum, *juſtitia, pax & gaudium in ſpiritu ſancto*, anathema.

Rom. 14.

C

EPIPHANIUS.

Hæc eſt principium veræ noſtræ fidei, ſanctorum Apoſtolorum & divinorum Patrum certa ſententia, & Catholicæ Eccleſiæ unica confeſſio: at quæ ſequitur, illis propria eſt, ignorantia & ruditate plena, ſic ſtrepens.

GREGORIUS.

Decima-nona.

Siquis hanc noſtram ſacram univerſalem ſeptimam Synodum non receperit, ſed eam quocunque modo calumniatus fuerit, & cum ſatisfactione omnia quæ in ea definita ſunt doctrina à Deo afflata, non amplexus fuerit, anathema illi ſit à Patre & Filio & ſancto Spiritu, & à ſeptem ſanctis univerſalibus Synodis.

D

EPIPHANIUS.

Defectio à veritate mentis & animi excæcatio eſt. Hæc enim illorum ſententia, plena omni impietate inſcitiam & omnem inſaniam ſecum affert. Non enim docti ſunt niſi in ruditate. Nam ſeipſos ſeptimam Synodum vocant, & tamen anathematiſmos ſuos ita conficiunt, quaſi à ſeptima aliqua alia Synodo eſſent antea notati. Sic enim dicunt, anathema ſit à ſeptem ſanctis univerſalibus Synodis. Quare non magis ridiculi ſunt ob inſcitiam, quam miſerabiles ob impietatem. Veritatem enim relinquentes, & extra Regiam & militarem viam ambulantes, in foveas præfractas ſe præcipitarunt. Et rectè illis ob id proverbialis ſententia acclamatur, *Aſiæ propria agricolationis erraverunt, & congregaverunt manibus ſterilitatem*. Quapropter ſagittas illorum veneno imbutas, & arcus intenſos quos contra Eccleſiam extenderant, amatores veritatis & juſtitiæ inquiſitores, in corda illorum detorſerunt. Et David in * ſpiritu melodia pſallentem arripiunt: Lacum apparuerunt hujus novæ improbitatis authores, & effoderunt eum, inciderunt in foveam quam fecerunt. Perverſus eſt labor eorum, & injuſtitia eorum peribit. Dicunt enim dulce amarum, & amarum dulce. Statuunt tenebras eſſe lumen, & lumen tenebras eſſe dicunt.

Ejus Solonis leges apud Suidam alij innaxis agri ſui.

Spiritu Pſalm. 7.

E

GREGORIUS.

His à nobis cum omni diligentia & induſtria decretis, definimus nullam aliam fidem præter hanc afferendam, aut conſcribendam, aut componendam, aut docendam. Qui ſecus facere auſint, docendo ſcilicet aliam fidem, aut aſſerendo, aut tradendo: illis ex quacunque hæreſi ad cognitionem veritatis redeunt, aut quicunque novam aliquam vanitatem, aut verborum inventionem ad deſtructionem eorum quæ à nobis determinata ſunt, adferunt, ſi Epiſcopi fuerint aut clerici, ab Epiſcopatu & Clericatu deponuntor, ſi verò Monachi aut Laici extiterint, anathemate devoventor.

EPIPHANIUS.

Hæc bubulci iſti & indocti à ſanctis patribus noſtris ſuffurati ſunt, & tanquam propria ſibi aſcripſerunt: quamobrem vanus & ocioſus eſt illorum ſermo, nec reſponſione dignus.

GREGORIUS.

Diviniſſimi Imperatores Conſtantinus & Leo dixerunt: Dicat nunc ſacra & univerſalis Synodus, num ea quæ nunc lecta eſt definitio, ab omnibus ſanctiſſimis Epiſcopis collaudetur.

Sancta Synodus exclamavit: Omnes ſic credimus omnes idem ſapimus, omnes approbando volentes ſubſcripſimus, omnes orthodoxè credimus, omnes intellectualiter intellectualem divinitatem colimus, adoramus. Hæc eſt fides Apoſtolorum. Hæc eſt fides Patrum. Hæc eſt fides orthodoxorum, ſic omnes latriam exhibentes adorant. Multi anni Imperatorum. Illuminatores pacis Domine cuſtodi, piam vitam Domine da eis. Leonti & Conſtantino perpetua memoria. Vos eſtis pax orbis terrarum. Cuſtodiat vos fides veſtra. Chriſtum honorate, vos ſervabit. Orthodoxam fidem vos ſtabiliviſtis. Piam vitam Domine da eis. Abſit invidia à regno ipſorum. Deus cuſtodiat robur eorum. Dominus Imperium illorum pacificabit. Veſtra vita, vita Orthodoxorum. Rex cœleſtis, reges terrenos cuſtodi. Per vos univerſalis Eccleſia pacificabitur. Vos eſtis faces Orthodoxæ fidei, faces Orthodoxæ fidei Domine cuſtodi. Perpetua memoria Conſtantino & Leonti. Conſtantino novo piiſſimo Imperatori multi anni. Orthodoxum ab ipſis majoribus Domine cuſtodi. Vitam piam Domine da illi. Abſit ab Imperio illius invidia. Multi anni piiſſimæ Auguſtæ. Piam Orthodoxam Domine cuſtodi. Abſit ab Imperio veſtro invidia. Vos inconfuſam Chriſti diſpenſationem probè dijudicaſtis. Vos indiviſum duarum Chriſti naturarum ſtabilimentum prædicaſtis. Sacrarum ſex Synodorum univerſalium dogmata confirmaſtis. Omnem idololatriam obſcuraſtis. Doctores ejuſcemodi erroris vos triumphaſtis. Vos eos qui contraria ſtatuunt, notaſtis.

EPIPHANIUS.

Quæ conſueverunt Imperatoribus acclamari, proferentes, & animam habentes œſtro mendacij flagrantem, ex ipſa diaboli inſidiatione loquuntur, dicentes: Omnem idololatriam vos obſcuraſtis. Utinam aures noſtræ eſſent obturatæ, ne cogeremur hanc corruptricem animarum vocem exaudire. *Ne intenderis mulieri meretrici*, inquit paræmiaſta. Salutarem enim diſpenſationis rationem contaminare volentes, omnes blaſphemiæ angulos perſcrutati ſunt. Quid autem ad hanc triſtem rabiem dicam aliud, quã quod per Spiritum ſanctum regius Propheta David locutus eſt: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum, ſepulchrum apertum guttur eorum, & linguis ſuis doloſè agunt*. Unde & à conſiliis ſuis exciderunt, judicati ab eo qui nos liberavit à cultu idolorum, Chriſ-

Prov. 5.

Pſalm. 5.

ſtò Deo noſtro. Ipſe enim homo perfectus ob noſtram A ſalutem dignatus fieri, omnem idololatriam obſcuravit. Inquit enim per Prophetam: *Ecce dies venient, & nomina idolorum à terra delebo & non ampliùs erit illorum memoria.* Clarum eſt Prophetiam in ipſum dirigi, & non (ut iſti aiunt) in potentiam & robur Imperatorum. Defectionis enim ſignum eſt, hanc gratiam & donationem alii tribuere præter Chriſtum. Clamant Chriſtiani, ex magniloquo Eſaia haurientes: *Non legatus, non Angelus, ſed ipſe Dominus ſervavit nos.* Si verò (ut ipſi aiunt) conventus Epiſcoporum, & robur Imperatorum nos ab idolis liberavit, genus humanum à veritate fallitur. Nam cum ab errore idolorum Jeſus Chriſtus Dominus Deus noſter nos liberaverit, quomodo potuerunt gloriari & jactare à ſe idipſum factum? O inſanam jactantiam. Nam à verita- B te deficientes, & animo & mente exacuati ſunt: ſunt & propriis imaginationibus & opinationibus adulatione imbuti; in mille errores lapſi ſunt. Et ea quæ apta & convenientia regibus acclamari encomia ſolita ſunt, à Chriſto abſtulerunt, & Imperatoribus aſſignarunt, quod ſanè impium eſt, & blaſphemum valde. Debebant potius virilia illorum facta proclamare, debebam ab hoſtibus victorias prodere. Item barbarorum caſus & excidia, quæ à multis in tabulis & imaginibus ob id ſuſpenduntur, quo poſteros illorum ad ſimilia imitanda excitent. Debebant item prædicare quot ſubegerint ſibi inimicos, conſilia, trophæa, mundi gubernationem, politicas conſtitutiones, civitatum emendationes. Hæ ſunt Imperatoribus convenientes acclamationes & laudes, quæ omnes ſubditos ad be- C nevolentiam trahunt.

Linguas autem ſuas adhuc veneno habentes imbutas, & ſpirantes iras & ſycophantias, in obſcuro noctis ſe rectos & probos de gradu dejicere poſſe opinantes, ſic dicunt.

GREGORIUS.

Germani, Georgij & Manzuris ſententiam minus rectam vos diſpuliſtis. Germano bilingui & animo duplici, adoratori lignorum, anathema. Georgio conſentienti illi, & falſario paternorum dogmatum, anathema. Iconolatræ & falſigrapho Manzuri anathema. Doctori impietatis & perverſo interpreti divinæ ſcripturæ Manzuri, anathema.

Trinitas hos tres abſtulit. D

EPIPHANIUS.

Iſai. 3. Dicamus ad hæc propheticum verbum: *Facies meretricis facta eſt tibi: depuduiſti apud omnes qui te viderunt.* Nam hæ in ſua convicia & contumelias & turpitudinem ſe exornantes, qui honeſte & probe vivunt, ſubſannant. Peccatoribus enim pietas eſt abominatio. Ita & iſti labiis præduri doloſis, contra juſtos ganniunt iniquitatem. Sed Deus illos in abdito vultus ſui abſcondit, & à conturbatione horum protexit illos, à conventione linguarum liberavit eos. Nam ut faces in Eccleſia reſplenduerunt, habentes verbum vitæ. Germanus enim in literis ſacris eruditus fuit, & veluti Samuel à puero Deo dedicatus, divinis patribus ſemper adhæſit, quare dialogis illius, qui per totum terrarum orbem evulgati ſunt, par eſt acquieſcere. Altitudo enim Dei in ore illius, & enſes ancipites in manibus illius, ſcindentes eos qui Eccleſiaſticæ traditioni adverſantur.

Patriarcha Conſtant. Germanus, ſcriptor aliquorum dialogorũ Pſal. 149. Georgius Cyprius.

Georgius autem, cui patria Cyprus, civiliter in hac vita degens, Chriſtum Deum qui nobis ſuam diſpenſationem deſcriptam reliquit, imitatus, non fuit contentioſus, non clamoſus, non calumniator, non retaliator convitiorum, ab alio vexatus, non minabatur, qui illum ad maxillam verberabat, exhibebat huic confeſtim & aliam, qui cogebat eum ad miliarij unius iter, adjecit duplum. Jugum Dei à juventute portavit, optimum autem, ſecundum propheram ſederem ſolitudine.

Joannes vero qui ab illis Manzur contumelioſe nominatur, cunctis relictis cum Matthæo Apoſtolo Chriſtum ſecutus eſt, longe majores divitias quam ſunt Arabicæ, exiſtimans contumeliam pro Chriſto. Maluitque ſimul cum populo Chriſti affligi, quam temporariam in peccato voluptatem. Ipſe igitur cruce ſua ſublata pro Chriſto Chriſtique chatis, Deum ſecutus eſt, & ex oriente per Chriſtum tuba cecinit non arbitratus ferendam quæ in aliena effundebatur regione vaniloquentiam, & cum qui contra Dei Catholicam Eccleſiam inſtructis eſt apparatum, rabioſamque inſaniam: ſed hanc triumphans, ubique adhortatorie & conſolabiliter rutem vitam duxit. In Eccleſiis enim veterem conſuetudinem diligenter ſervandam monuit. Pacificam quoque illam conſtitutionem & ſtatum quem Dominus etiam diſcipulis in ſignum quo cognoſcerentur, quod ſui eſſent, diſcipulis dedit. Pacem meam relinquo vobis: conſervate & roborate ſtatuit. Hos igitur venerabiles & dignos fide viros in Eccleſia Catholica probatos, illorum ſeditioſa ſycophantia ferre non poteſt. Ita propter craſſam ignorantiam exacuerunt turpiter propriam linguam. Germanum Sacerdotem Dei, ancipiti animo hominem, & ligni cultorem. Similiter & Georgium & Manzurem appellaverunt. Nemo enim eorum qui in honore ſunt, fratrem qui in una fide ſecum vivit, ita blaſphemè alloqui ſolet. Hebræi autem & Agareni, & alij item fideles, ejuſcemodi convicia & maledicta in divinam crucem, & venerandas imagines, item ipſos Chriſtianos, conjicere ſolent. Chriſtiani enim non ſolent ſe invicem (ut dixi) hujuſmodi conviciis proſcindere. Hi autem fugitivi à veritate & Eccleſiaſticis decretis, tradiderunt ſe falſis accuſationibus & conviciis, nequealiud quicquam convehunt, quam plauſtra maledictionum & accuſationum contra Chriſtianos, eorumque Pontifices & Sacerdotes, quaſi hi reliquerint ſcilicet Deum viventem & verum, & imaginibus cuſturam exhibuerint, facti proculdubio conviciatores, & contumeliatores, loquentes ſine judicio, & in verbis peccantes. Quis autem timentium Deum, non propter hanc eorum impietatem in maximum riſum non effunditur, aut potius luctum triſtem non aſſumit? Quoniam ut ait divinus Apoſtolus, malorum inveſtigatores ſunt & ſuas nugas valere affirmarunt: quas tamen per gratiam Dei ſatis ex falſis illorum ſententiis & decretis retudimus, & hæreſibus antiquis eorum nuperam vaniloquentiam rectè annumeravimus, abſcindentes eam gladio ſpiritus. Age autem quo moraliter auditorum animos præparemus, apud intelligentes, & qui recta diſcernere noverunt, & veritatem amant, ſingula explicemus.

Theoph. Hiſt. Ioan. Manzuri quid in furiam Ioannem Damaſc. Vide Bar. ad Mart. 27. Iun. 26

Ioan. 14.

Hæreſis malorum.

QUANTOPERE IN ECCLESIA UTILES ſint imagines, quæ hiſtorias veteris & novi inſtrumenti repræſentant, brevis demonſtratio.

SAncta Dei Catholica Eccleſia, ad pœnitentiam & cognitionem obſervationis mandatorum Dei omnes noſtros ſenſus trahit, & ad gloriam cognoſcendam ſtudet nos deducere, non ſolum per auditum, ſed & per viſum, morum correctionem moliri cupiens, quare ea quæ acta ſunt, omnium oculis optat etiam eſſe conſpicua. Cum enim ex avaritiâ & habendi ſtudio aliquem rapit, Matthæum ex Telonæ Apoſtolum illi indicat, qui relicta avaritiæ inſania, Chriſtum ſecutus eſt. Eodem modo Zachæum aſcendentem in Sycomorum arborem, & Chriſtum deſiderantem videre, & comparantem ſeſe, ut dimidietatem bonorum ſuorum det pauperibus: & ſi quem defraudarit ut reddat illi quadruplum. Ita imaginum pictarum jugis contemplatio, continuo memoriam exercet, ne iterum recurratur ad proprium vomitum. Si quem autem amore meretricio detentum rapere cupit, caſti Joſeph imaginem proponit, qui adulterium execratus, & tem-

Matth. 9. Marc. 10. & Luc. 5. Luc. 19.

Gen. 39.

perantia illam vincens: atque hoc ipsum factum in imagine repræsentatum, amatores hujus virtutis multum confirmat. Rursus alibi beatam Sufannam continentia exornatam exhibet, extensis manibus auxilium ex alto invocantem, Danielemque præsidentem judicem, eruentem eam e manibus impiorum Sacerdotum.

Dan. 13.

Ipsa autem pictura, ad recordationem temperantiæ & continentis vitæ facit. Rapere vult aliquem luxuriosum, mollibusque vestimentis indutum, & non erogantem in pauperes, quæ possit ab illis pretiosis vestibus sumere, & a sua delicata vita: Joannem huic pilis camelorum inductum, edemque sylvestre mel, & digito Christum, qui tulit peccata mundi, indicantem exhibet. His adjungit Basilium Magnum, & cum eo solitariorum jejuniumque, corporibus in terram stratis, multitudinem: sed satis sit, horum paucorum mentionem fecisse: reliqua auditoribus investiganda relinquo. Habemus etiam totam Evangelicam narrationem depictam, & in recordationem divinorum nos ducentem, gaudioque nos implentem. Hæc enim cum nobis ob oculos fuerint posita, corda illorum qui timent Deum, exultant, florent vultus, anima contristata in voluptatem transformatur. Et cum divino Patre David psallat: *Recordatus sum Dei, & exultavi.*

Matth. 3. & Marc. 1. Basilium Magnum.

Psalm. 76

Itaque semper per eam Dei recordari possumus. Nam est cum lectio in sacris templis non prohibeatur: Imaginum autem apparatus, & mane & meridie, & vespere in his fixus, actorum veritatem nobis narrat & annunciat. Traditionem itaque Ecclesiæ recipiamus, legislationem ejusdem veneremur, ne flocci pendamus piam & divinam consuetudinem, in vetera & prisca judicia curiosi. Omne enim quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi esse constat. Qui autem se excludunt ab ista traditione quam acceperunt quicunque germani in Ecclesia Catholica filij fuerant, an non sint nothi & minime legitimi?

Addita

An nondum sentimus probam & laudabilem esse imaginum erectionem? an non sentimus spiritualiter nos per eas referri ad prototyporum recordationem? Sane sentimus. Quapropter non indignas habebimus eas honore, salutatione, & veneratione, debitamque adorationem illis dare debemus.

Sive igitur placebit salutationem sive adorationem appellare, idem profecto erit. Modo sciamus excludi latriam. Hæc enim est alia a simplici adoratione, ut alibi sæpe est ostensum. Quicunque est adoraturus venerandam imaginis picturam, si dignus est, accedat: si indignus sit, purgetur, deinde accedat. Non autem in seditionem satanica aut timiditate suspicionis occasionem maligni habeat, quod scilicet latriam sit illi exhibiturus. Absit ista suspicio. Dei enim impugnatores & vaniloqui, serpentem imitantes, hæc lingua impudica dicunt. Serpens enim ad mulierem veniens, stridens mendacia loquebatur: Quid est quod dixit Deus, *Ab omni ligno paradisi comedes, a ligno autem quod est in medio paradisi, ne comedatis ab illo?* Sic & hi mentes muliebres decipiunt dicentes. Quod si quis adoraverit imaginem Domini, aut intemeratæ Deiparæ Dominæ nostræ, aut sanctorum Angelorum, aut alicujus e sanctis, is in spiritu latriam illi exhibet: Cavete ne decipiamini oratione eorum. Cavete ne dolosa labia vos seducant. Admonitio & transgressio diaboli hæc est. Gregorius ille Theologus hujusmodi cogitata subvertit, adhortatus nos omnes ad Bethleem venerationem, & ad præsepis adorationem. Cum illo glorioso Maximus, cujus laus in omnibus Ecclesiis, quando cum quibusdam de Ecclesiasticis negotiis agebat, divinam figuram venerabilis crucis, item sacrum Evangelium & venerandam imaginem jussit in medium adduci, voluitque ut in confirmationem actorum, oscularetur ab omnibus. Qui vero ab immortalitate nomen habet Athanasius, clarissime nobis in epistola ad Marcellinum, quam præposuit libro interpretationum psalmorum, dixerit sic dicens: Librum psalmorum aliquis scripturis, admiratus & adorans enarrat. Videt quomodo admirandus pater noster Prophetias adorandas esse jubet. Quod si autem pium est eas adorare, quanto magis exitus Propheticarum declarationum in imagine videntes, necessario adorabimus? Habet enim Prophetia. *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium.* Hanc igitur Prophetiam nos in imagine videntes, nempe Virginem in ulnis habentem quem peperit, quomodo non poterimus adorare & salutare?

Gen. 3.

Greg. Nazianzen. Maximus.

Athanas. Alexand.

Quis tam indoctus, qui audebit differre salutationem? Dignos igitur nos faciamus adoratione, ne indigne adgressi, pœnam Ozan incurramus. Hic enim arcam Domini tantum attingens, eadem hora interiit, cum indigne ad eam appropinquaret. Quanquam & ipsa ex diversis figuris esset variata, & ex lignis constructa, quemadmodum imaginum materia est.

1. Reg.

Qui vero dicunt, sufficere usum imaginum ad memoriam solum, non vero ad salutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc vero recusantes, semiprobi quadantenus & fallaces ut ita dicam reprehenduntur, altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera vero perverse agentes.

O insignem quoque horum insaniam. Igitur qui accusatores sunt veritatis & Orthodoxæ fidei, nunc consonos nos habituri sunt? & in reprobatione Ecclesiasticarum traditionum adsalabimur, veniamque postulabimus?

Mich. 6.

In omnibus hi præcepta servemus: in mandatis, Propheticam vocem auribus percipientes, ambulemus. Hæc ita dicit. *Si annunciatum fuerit tibi, o homo, bonum aliud quam Dominus à te requirit, aut quam facere judicium, & diligere misericordiam, & paratum esse ambulare cum Domino Deo tuo, huic non acquiescas.* His itaque animum applicemus, linguam refrenemus, quo à mendacio, convitio & turpiloquentia discedat. Oculum contineamus, ventrem disciplinemus, in psalmodiis & precationibus fortes simus. In omnibus quæ à Deo nobis largita sunt, gratias agamus. Juramentis non insistamus, sed vocem Domini audiamus, dicentis: *Ego dico vobis. Ne jurate*: Inanem gloriam sub pedibus calcemus. Maximum bonorum omnium, misericordiam & dilectionem amplectamur, & hanc timori Dei conjunctam. Nam dilectio quæ est sine timore Dei, reproba est. Quia & Josaphat amabatur ab Achab, sed audivit: Si cum peccatore amicitiam inieris, si exoso à Deo, suppetias tuleris. Igitur cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ & semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ, item sanctorum Angelorum, omniumque sanctorum. Salutantes & venerandas illorum reliquias, ut nos sanctitudinis eorum fiamus participes. Sic enim reddemur perfecti in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro, quem decet gloria, potentia, & superadoratio sive latria, cum Patre & sancto Spiritu, nunc & in seculorum secula.

Matth. 4.

Definitio sanctæ magnæ & universalis in Nicæa Synodi secundæ.

Sancta, magna & universalis Synodus, quæ gratia Dei & juxta pium Christianorum Imperatorum nostrorum Constantini & Irenes illius matris decretum, secundo in splendida Nicææ metropoli, quæ est in Bithynia, in sacra Dei Ecclesia Sophia congregata, traditionem Catholicæ Ecclesiæ secuta, hæc definivit subjecta.

Qui nobis cognitionis suæ lumen gratis dedit, & tenebras caliginemque idolorum insaniæ discussit, nosque ab ea liberavit, Christus Jesus Deus noster, qui suam Ecclesiam non habentem maculam aut rugas, sibi desponsavit, eam diligenter custodiendam esse præcepit, & discipulis suis sanctis confirmavit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hanc vero promissionem non solum illis, sed & nobis fecit, qui per illos credidimus in nomen

Matth. 28.

illius,

filius. Hinc igitur donationem quidam contemnentes, ab impostore & defraudatore inimico elatiores facti, à recta ratione desciscentes, catholicæque Ecclesiæ opponentes sese circa veritatis intelligentiam peccarunt: & ut dicit proverbialis sermo, *aures proprias agricolationis extare fecerunt, & manibus congregaverunt sterilitatem.* Quandoquidem sacrarum dedicationum & oblationum Deo decentem ornatum, calumniari non dubitarunt, appellantes se sacerdotes, cum revera non sint. De his Deus per Prophetam clamat: *Multi pastores destruxerunt vineam meam, contaminaverunt portionem meam.* Minime enim sanctos viros, qui sibipsi multa tribuunt, secuti, sanctam nostram Ecclesiã, quam sibi Deus adaptavit, accusarunt, neque inter sacrum & prophanum ullum discrimen posuerunt. Nam imagines Dei & sanctorum suorum, similiter cum statuis satanicis idolorum nomine appellarunt. Igitur obedientiam suam ab insania istorum corrumpi amplius non ferens Dominus noster Christus, nos undique sacerdotalis dignitatis præfectos, secundum suum beneplacitum convocavit, accedente huc divino zelo & nutu Constantini & Irenes fidelissimorum nostrorum Imperatorum, quo divina traditio Ecclesiæ Catholicæ, communi suffragio authoritatem acciperet. Igitur cum omni diligentia perscrutantes & investigantes, juxta scopum veritatis nobis propositum, nihil adjicimus, nihil demimus: sed cuncta Ecclesiæ Catholicæ dogmata conservamus, & sex universalibus Consilius inhærentes, eorum acta comprobamus. Principio, secundum synodum in splendida Nicæa congregatam: deinde, in regia urbe. Credimus in unum Deũ Patrem omnipotẽtem, creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium: & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Deũ de Deo lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri ante omnia sæcula, per quem cuncta facta sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutẽ descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus: Et resurrexit tertia die secundum scripturas: Et ascendit in cœlos, sedens ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. In unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, confitemur unum baptisma in remissionẽ peccatorum, & expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Execramur & anathematizamus Arium & asseclas ejus, & qui communicant cum illius improbis opinionibus: Macedoniumq; & sodales illius, qui recte appellantur pneumatomachi, id est, impugnatores spiritus. Confitemur etiam Dominam nostram sanctam Mariam proprie & vere Deiparam, ut quæ peperit unum sanctæ Trinitatis Christum Deum nostrũ: quemadmodum prior Ephesina synodus constituit, & impium Nestorium, sociosque illius tanquam dualitatem personarum inducentes, ab Ecclesia depulit. Ad hæc duas naturas incarnati propter nos ex immaculata virgine Maria confitemur, perfectum Deum & perfectum hominem cognoscentes, quemadmodum Synodus in Chalcedonensi habita declaravit: Eutychemque & Dioscorum, blasphemantes in illius divinitatem, exterminavit: adjicientes his Petrum, Severum & catenam istorum blasphemam, non cõcorditer connexam. Præterea Origenis, Evagrij, & Didymi fabulositates anathematizamus, quemadmodum synodus Constantinopoli conflata, quinta numero docuit. Deinde duas voluntates & actus secundũ naturarum proprietatem in Christo prædicamus, quemadmodum sexta Constantinopol. synodus definit: detestamurque cum ea Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, impios istos pietatis impugnatores,

Proverbiũ obscurum.

Hiere. 12.

Approbat sex priores synodos.

an ita legẽdum Filioque contento habita sess. 3. Flor. habita Ferrariæ, ut infra.

A omnesq; illis consentientes, anathematizamus. Fatemur autem imanimitet nos Ecclesiasticas traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes & decretas, tenere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio, ut quæ historiæ Evangelicæ promissionis conciliat, ad credulitatem veræ & non phantasticæ incarnationis Dei & ad utilitatem similitudinis, quam nobis exhibet, utilem inventam: His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & sanctorum nostrorum & divinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes: definimus cum omni diligentia & cum venerandas & sanctas imagines ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis è coloribus & tessellis, aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasque: tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis: maxime autem imaginem Domini & Dei servatoris nostri Jesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum & omnium deinde sanctorum virorum. Quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium veniant illisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non secundum fidẽ nostram, veram latriam, quæ solum divinæ naturæ competit: sed quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reverentur, accedimus, quemadmodum veteribus pie in consuetudinem hoc C adductum est. Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quodque descriptum argumentum. Sic enim sanctorum nostrorum Patrum obtinet disciplina, vel traditio Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usque ad fines evangelium suscepit. Paulo ergo sic in Christo loquenti, omnique Apostolico cœtui & Patribus sanctis idem sentientibus inhærentes, servamus traditiones quas suscepimus, quare & victoriæ carmina ad Ecclesiam cum propheta accinimus: *Gaude valde filia Sion, prædica filia Hierusalem, exulta & lætare ex toto corde tuo: à te Deus abstulit iniquitates adversantium tibi, liberata es de manu inimici tui. Dominus rex tuus in medio tui, & pax tibi in sempiterna sæcula.*

Concilij sententiã desiderant.

Imagines non adorãtur latria.

Igitur qui ausi fuerint aliud sentire aut docere, aut more impiorum hæreticorum Ecclesiasticas traditiones D contaminare, aut novam quandam vaniloquentiam inducere, aut quicquam de consecratis in Ecclesiam abjicere, evangelij, inquam, depictum codicẽ, aut figuram crucis, aut imaginis alicujus picturã aut reliquias martyrum, quas sciverint esse germanas & veras, aut contra ista vafre & improbe aliquid excogitare, quod sit contra constitutionem Ecclesiasticam: aut uti nunquam communibus, sacratis Deo, repositis pretiosis aut monasteriis reverendis: si fuerint Episcopi aut clerici, deponuntor: si monachi aut laici, communione privantor.

Petrus indignus primus Presbyter sedis sancti Apostoli Petri & locum supplens Adriani Papæ senioris Romæ definiens subscripsi.

E Petrus indignus Presbyter & Hegumenus monasterij sancti Patris nostri Sabæ siti Romæ, & locum supplens Adriani Papæ senioris Romę definiens subscripsi.

Tharasius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ paterna dogmata sequens, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei Presbyter & Patriarchalis Syncellus locum retinens trium Apostolicarum sedium Alexandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ paterna dogmata sequens & traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiens subscripsi.

Thomas misericordia Dei Presbyter & Hegumenus, Monasterij sancti Patris Arsenij, siti in Ægypto super Babylonem, retinens locum trium sedium Apostolicarum Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hie-

rosolymitanæ paterna dogmata subsequens, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiens subscripsi.

Agapius indignus Episcopus Cæsaræ paterna dogmata sequens & traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiens subscripsi.

Et cæteri 321. *subscribunt.*

Sancta Synodus exclamavit: Omnes sic credimus? omnes idem sapimus, omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum. Hæc est fides Patrum. Hæc est fides Orthodoxorum. Hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum, in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexantur. Qui secus agunt, anathemate percelluntor: qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntor. Nos antiquæ Ecclesiæ legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus, nos adjicientes aliquid aut auferentes Ecclesiæ anathematizamus. Nos venerandas imagines suscipimus, nos, qui secus faxint, anathemate percellimus. Quicunque sententias sacræ Scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema. Qui venerandas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt, quòd imagines Christi ut Deos adorant, anathema. Qui scientes communicant cum illis, qui contra venerandas imagines sentiunt: aut eas dehonestant, anathema. Qui præter Christum Dominum Deum nostrum, dixerit alium nos à cultu idolorum liberasse, anathema. Qui audent Ecclesiam Catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema. Multi anni Imperat. Constantini & Irenes ejus matris multi anni. Victoriam Imperatori multi anni. Novo Constantino & novæ Helenæ perpetua memoria. Deus Imperium Augustorum conservet. Imperator cœlestis terrenos reges custodi. Cunctis hæreticis, anathema.

Anathema in hæreticos.

Rugienti conciliabulo contra venerandas imagines, anathema. Impia hæreseon verbula æstimantibus, anathema. Theodosio falsi nominis Episcopo Ephesi, anathema. Sisinnio cognomento Pastillæ, anathema. Basilio Maledico Tricacabo, anathema. Trinitas trium horum dogma sustulit: Anastasio, Constantino & Victori, qui successive thronum Constantinopolitanæ Ecclesiæ ascenderunt, non aliter ac novo Arrio, Nestorio, Dioscoro, anathema. Sancta Trinitas horum trium dogma sustulit. Joanni Nicomediæ, & Constantino Nicolæ hæresiarchis, anathema. In nihilum redegerunt imaginem Domini & Sanctorum ejus; Dominus eos ad nihilum deduxit. Si quis ex iconoclastarum hæreti aliquem existentem defenderit, anathema. Si quis Deum secundum humanitatem non circunscriptibilem confessus fuerit, anathema. Si quis Evangelicas narrationes per picturam repræsentatas non acceptaverit, anathema. Si quis has non salutaverit in nomine Domini & sanctorum eius, anathema. Si quis traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem, non curaverit, anathema. Germani Orthodoxi perpetua memoria. Joannis & Georgij perpetua memoria. Præconum veritatis perpetua memoria. Trinitas hos tres approbavit. Horum disputationibus inhærentes, digni reddamur misericordiis & gratia primi & magni, supremi sacerdotis Jesu Christi Dei nostri, intercedente simul inviolata Domina nostra sancta Deipara, & omnibus sanctis. Fiat, fiat. Amen.

PIISSIMIS ET SERENISSIMIS Imperatoribus nostris, Constantino & Irenæ matri, Tharasius indignus Episcopus Dei servantis & imperatricis nostræ urbis novæ Romæ, & universa Sancta Synodus, quæ secundum divinam voluntatem & jussu Imperatoris, in splendida Nicænsium Metropoli secundo convenit.

CHristus Deus noster fortissimi Imperatores, caput Ecclesiæ prædicat: quoniam cor nostrum in manu ejus existens, verbum bonum scaturiit: suo enim decreto & mandato vos in nomine suo convocavit, ut dogmatum Ecclesiasticorum oracula fixa, firmaque conservetis. Etenim quemadmodum caput vestrum auro & lapidibus pretiosis exornatum est, ita & mentes vestræ Evangelicis & primum doctrinis sunt excultæ. Nam quorum sonus in universum terrarum orbem est egressus, cum sitis veluti discipuli consodales, universique Christiani populi duces & principes ad pietatem veritatis sermonem contulistis, & Orthodoxæ fidei pietatisque figuram descripsistis. Unde fidelibus tanquam faces ardentes reluceris, & periclitanti Ecclesiæ manum porrexistis. Nam & sanas doctrinas conservastis, & dissidentium unanimem concordiam gubernatis (absit verbo invidia) Dei beneplacito pietatis officia & honestæ actiones per vos sunt, stabilitæ. Quamobrem *os nostrum impletum est gaudio, & lingua nostra exultatione.* Nam per scripturam nostram vocem res ipsas linguæ loquuntur. Quid enim splendidius magnificentiusque esse possit principi, quam Ecclesiasticarum constitutionum firmitatem & stabilimentum integrum conservavisse? *Psal.* 125.

Quandoquidem autem quidam, imaginem quidem pietatis circunferentes sacerdotij dignitate conspicuos se exhibent, verum ipsum robur sacerdotij denegantes confurrexerunt, Babyloniorumque Sacerdotum acculationem arripuerunt, (quos & propheta triumphat, dicens: *Egressa est ex Babylone iniquitas.*) Caiphicumque conciliabulum coegerunt, facti parentes improrum dogmatum, execrationis & amaritudinis, quorum os non alio quam ad maledicendum spectat, & hinc gloriam famamque venantur: linguam habentes blasphemam, & calamum bene huic inservientem, pugnantes verbis Dei, Imperatorum majestatem monstruosis verbis corrumpentes, gentem sacram, quæ semel Christum induit, & ex gratia illius servata est, quasi in idolorum errore existentem, idololatras vocantes, & improbitatis animo præditi, illis hactenus manus injecerunt, arbitrantes se posse obscurare venerandarum imaginum picturam, aeque eas partim veluti communi suffragio exterminarunt, partim vero quæ ex cera fusæ erant in singularem ornatum, in turpes usus converterunt, quæ vero ex tabulis & asserculis depictæ erant, tum Christi, tum etiam sanctorum illius, igni tradiderunt: & ut uno verbo dicam, omnes nostras Ecclesias contaminantes disturbarunt, & hierarchæ, idest sacrarum rerum prælides, antea existentes, hæresiarchæ facti sunt, & pro pace rixas ad populum locuti sunt, pro frumento zizaniam Ecclesiasticis agris inseruerunt: vinum cum aqua miscuerunt, & proximo potaverunt subversionem noxiam. Præterea cum essent lupi Arabici, pellem ovinam egregie simulaverunt se gestare. Defraudantes quoque veritatem, mendacium vires cupiverunt acquirere posse. Sed aspidum ova fregerunt, & secundum propheram, telum aranæ filarunt. Qui autem de ovis istis edere debebat, postquam confregisset ea, ventum inanem reperiens, simul & basilicum accepit veneno & lætali afflatu plenum. Quoniam hæc ita se habeant, & veritatem ad tempus mendacium ademit. O vos mitissimi & fortissimi Imperatores, non ferentes ejuscemodi pestilentem & animis lætalem errorem diutius in terris hærere, sed hunc spiritus divini, qui in vobis inhabitat, afflatu obscurare contendistis, quo scilicet firma maneat Ecclesiæ constitutio, & totius populi coagmentum, ac imperium vestrum pacifice secundum nominis appellationem gubernetur. Neque putastis ferendum, aut tolerabile, quod in reliquis omnibus rebus bene inter nos conveniret, de vitæ autem nostræ summa & præcipuo, nimirum pace Ecclesiæ, inter nos essent dissidia, maxime cum nostrum caput unicum sit Christus, nos autem deinceps illius unius corporis membra, propter eam quæ inter nos, communem fidem & sententiam. *Dan.* 13.

Hierarchæ hæresiarchæ

Isa. 59.

Quapropter vos sacrum hunc nostrum & copiosum in hac Nicensium metropoli convenire jussistis cœtum, quo Ecclesiarum dissensionem auferamus,

& male diſiuncta, ad unitionem commodam reduceremus, & ut eam, quæ nuper ex ſpinoſis conſuta eſt ſententiis, vanam, hoc eſt, falſam doctrinam, convelleremus & diſrumperemus, & veſtem Orthodoxæ fidei conſervaremus illæſam.

Quare Apoſtolicis & patrum adhærentes traditionibus, ex afflatu Spiritus ſancti in unum convenientibus animis, item Eccleſiæ Catholicæ & ſecrarum ſex univerſaliũ dogmata habentes nobis concordantia, audemus anathematizare Arrij inſaniam, Macedonij rabiem, Apollinarij dementiam, Neſtorij idololatriam in homine, Eutychis & Dioſcori conſpirantem vanitatem, & horum multorum capitum hydram, Origenis, Didymi & Evagrij nugas fabulaſque, Sergij, Honorij, Cyri, & Pyrrhi, eorumque aſſeclarum unam voluntatem, imo malam & improbam voluntatem. Deinde & qui poſt hos vana & nova excogitarunt nugamenta contra venerandas imagines, eodem ſuffragio & convenienter accepto à Spiritu ſancto verbo, & pura fontis illius aqua, ſpongia divinorum dogmatum abſterſimus & expunximus, inventoreſque nuperæ vaniloquentiæ lõge extra Eccleſiaſticos muros ejecimus.

Honor.

Et quemadmodum pedes & manus competenter animæ conſiliis moventur, ita & nos à ſpiritu accepta gratia, & robur habentes fortitudinis veſtræ coadjutans, & pietatem reconciliavimus, & veritatem deprædicavimus. Quamobrem omnibus modis recipiendæ ſunt venerandæ imagines Domini noſtri Jeſu Chriſti, quantenus ſcilicet perfectus homo fuit, & hæ quoque omnes quæ hiſtoricè è ſacra Evangeliorum narratione depinguntur, nempe intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſanctorum quoque Angelorum, nam hominibus ipſi quoque in forma hominis viſi ſunt. Item ſanctorum omnium, quorum prælia & certamina tabulis & parietibus, ſacris item veſtibus & vaſis inſculpta amari debent, quemadmodum catholica Eccleſia multis retro ſeculis in hiſce eſt inſtructa. Sic enim ea accepit, ſic à ſanctis noſtræ diſciplinæ ducibus, & eorum ſucceſſoribus patribus noſtris ſtatutum eſt. Sunt autem hæ adorandæ quoque, hoc eſt oſculandæ & amandæ. Idem enim ſignificant hæc juxta antiquam Græciæ dialecton. Nam προσκυνεῖν, ideſt adorare, & ἀσπάζεσθαι, id eſt amplecti, & φιλεῖν, id eſt amare, ſignificant.

Angelorum imagines.

Præpoſitio autem πρός intentionem ſignificat deſiderij, quemadmodum in προσβάλλω à εἰμὶ, χυρῶ & προσκυρῶ, κυνῶ & προσκυνῶ, quod ſignificat & amplexum, & vehementem amorem. Nam quod quis φιλεῖ (hoc eſt, amat) id etiam προσκυνεῖ, (hoc eſt amplectitur) & quod adorat ſive amplectitur, nempe προσκυνεῖ, hoc etiam omnino φιλεῖ, id eſt, amat. Teſtatur id ſane humana natura & affectio, qua erga amicos ſumus affecti; ſic enim inter duos res agitur, & hoc modo ſibi occurſantes agunt. Non ſolum autem apud Græcos hęc loquendi ratio in uſu eſt, ſed in divina quoque ſcriptura idem annotare licet: In libris enim Regum ſcriptum eſt. *David ſurrexit & cecidit in faciem ſuam, & adoravit ter Ionathan, & oſculatus eſt eum.* Rurſus, nonne Dominus de Phariſæis dicit in Evangelio: *Amãt primos accubitus in conviviis & ſalutationes in foro?* Certum eſt ἀσπασμὸν, ideſt, ſalutationem, hoc loco à Domino appellari προσκύνημα, ideſt, adorationem. Phariſæi enim glorioſo animo prædiți, & ſeipſos juſtos exiſtimantes, ab omnibus adorari ſtudebant. Non enim ore oſculari petebant, fuiſſet enim hoc humilitatis ſignum, & haud quaquam phariſaici ſupercilij. Iterum Paulus Apoſtolus divinus ſane, quemadmodum in Actibus ſcribit Lucas: Nam *cum*, inquit, *eſſemus nos in Hieroſolymis libenter & alacriter exceperunt nos fratres: ſequenti autem die Paulus nobiſcum ad Iacobum ingreditur. Aderant autem omnes Presbyteri. Salutatis autem illis ſingula, quæ in gentibus per illum feciſſet Dominus, expoſuit.* Hic enim ſalutationem, honorificam adorationem mutuo factam Apoſtolica ſententia ſignificat. Quemadmodum etiam de Iacob legitur. *Adoravit in ſummitate virgæ ſuæ.* Cum his convenit Gregorius cognomento Theologus, dicens: Bethleem venerare, præſepe adora.

Gregor. Nazian.

Quis autem, modo recte & ſyncere ſcripturas intelligat, ea quæ ita in ſcripturis occurrunt, non viderit inde latriam quæ ſit per ſpiritum, non dici, niſi omnino expers ſit intelligentiæ, & plane in ſententiis ſcripturæ & patrum rudis? Non enim in ſummo virgæ Jacob latriam fecit. Neque etiam Gregorius præſepi latriæ vocabulum addit, nequaquam. Rurſus cum crucem vivificam ſalutamus, convenienter canimus, crucem tuam adoramus Domine, Lanceam quæ vivificans latus ſanctitatis tuæ aperuit, adoramus: quæ ſanè adoratio nihil aliud eſt, quam ſalutatio, ſive amplexum malis dicere, quod indicat hoc, quod labiis quoque noſtris propriis ea contingimus. Si vero ſæpius in ſcriptura & elegantibus noſtris patribus adorationem quis dixerit pro cultu ſive latria, quæ in ſpiritu ſit, ſumi non negamus. Nam cum vox ſit multæ ſignificationis, non poteſt non aliquando, pro cultu adorationis in ſpiritu ſumi. Adoratio enim eſt, cum venerationem, deſiderium & timorem ſignificet, ita nos veſtrum victorioſum & placidiſſimum Imperium adoramus. Eſt adoratio quæ tantummodo timorem ſignificat, quemadmodum Jacob adoravit Eſaũ. Et quæ gratiam notat, quomodo Abraham pro agro, quem accepit à filiis Chet in Sepulchrum Saræ uxoris ſuæ, adoravit illos. Rurſus qui ſperant beneficium ſe accepturos à potentioribus, eos adorant, quemadmodum Jacob adoravit Pharaonem. Hinc divina ſcriptura dicens. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli cultum exhibebis:* adorabis, abſolute ponit, nec adjicit, ſoli ut ſignificetur vox diverſæ notionis & æquivoca. Cultum autem exhibebis ſive ſervies ſoli, dixit: quam ob cauſſam Latriam uni Deo tribuimus, adque illum referimus. His ita ſe habentibus, in confeſſo & ſine ulla dubitatione credimus, acceptam & placitam coram Deo eſſe venerandarum imaginum depictionem, & earum quæ diſpenſationem Domini noſtri Ieſu Chriſti exprimunt, & Virginis quoque Mariæ Deiparæ intemeratæ, quinetiam glorioſorum Angelorum, & omnium ſanctorum has quoque ſalutandas & adorandas putamus: qui verò ita non eſt animatus, ſed circa venerandarum imaginum adorationem laborat & dubitat, eum anathematizat ſancta & veneranda noſtra Synodus, quæ efficaciâ divini Spiritus, & Eccleſiaſticis patrum traditionibus munita eſt & cincta. Anathema autem iſtud nihil aliud eſt quam ſeparatio à Chriſto. Si vero aliqui repugnaverint adverſum ea quæ ſtatuta ſunt, his non adhibentes fidem, ſane contra ſtimulum calcitrant, & propriis animis injurij ſunt: Nam & Chriſto adverſantur, & ſycophantiis, quæ adverſus Eccleſiam Dei exercentur, gaudent, ipſamque pietatem ſubvertere conantur, quare hæreticorum veterum aſſeclæ, ſocij, & contribules propter impietatem vere dicendi ſunt.

Adoratio vox multæ ſignificationis.

Gen. 33. Gen. 23. Gen. 47.

Luc. 4. Deut. 6. 10.

Anathema quid.

Nos autem fratres & comminiſtros noſtros Dei amantes Epiſc. & cum his præſides & cleticos miſimus, ut omnia quæ inter nos acta ſunt, ad divinas aures veſtras renuncient. Ad conſignationem autem & majorem certificationem eorum quæ à nobis decreta ſunt, & quo majeſtati quoq; veſtræ piiſſimæ ſatisfiat, authoritates quaſdam Patrum ex multis paucas ſubnexuimus, quarum ſplendore veritatis ſtabilimentum elucidari magis poſſit: Salvator autem omnium & qui nobiſcum regnat, Eccleſiæ ſuæ pacem pro præmio tribuat, veſtrũ autem Imp. cum Senatu & ducibus, & fideliſſimo militum exercitu, in multos annos conſervet, & victoriam vobis concedat. Ipſe enim dixit: *Vivo ego, dicit Dominus. Et glorificantes me glorifico.* Ipſe eſt, qui accingens vos potentia, omnem hoſtilem impreſſionem à vobis auferet, obedientiam apud omnes conciliabit. Gaude igitur civitas, exulta nova Sion, totius terrarum orbis veluti alta ſpecula, regnavit enim & illic David, & Davidice illam allocutus eſt Dominus in medio tui, cujus nomen ſit benedictum in ſecula ſeculorũ. Amẽ.

1. Reg. 2. Pſal. 49.

DEI AMANTISSIMIS SACERDOTIbus & Clericis ſanctiſſimæ magnæ Dei Eccleſiæ, & omnium Eccleſiarum Dei colentis & Imperialis urbis, ſancta Synodus quæ in Nicæa ſecundo congregata eſt.

CHriſtus Deus noſter vera veritas, patris lumen & ſplendor qui è tenebris nos in mirandam ſuam lucem vocans ex Idolica inſania nos liberavit & nomina Idolorum de terra delevit, ut nulla plane eorum ſit poſthac memoria. Placitum ſibi exiſtimavit, pios & in omnibus Orthodoxos noſtros fideles Imperatores excitare qui nos in ſplendidam metropolim Nicæam convocarent, ut noviſtis, quo diſſidentia in unum per nos convenirent, & medius paries inimicitiæ ſuſtolleretur & vetuſta Eccleſia Catholicæ legiſlationis authoritatem obtineret. Igitur Spiritus ſancti inſpiratione in hoc ipſum convenientes, ejuſdem cooperatione omnes in idem conſenſimus, Oriens, inquam, *Conſenſus omnium.* Occidens, ſeptentrio & meridies in unam unionem (ut ita dicam) convenimus, ſanctarum Eccleſiarum pacificus ſtatus propter conſentientem fidem & ſententias conſtitutus eſt. Pedes enim noſtros in rectam viam dirigens Dominus truncum qui ex zizaniis veruſtæ & improbæ hæreſeos excreverat, funditus eradicavit. Ecce Evangelizamus vobis, in monte excelſo ſtantes Eccleſiæ gaudium & celebrem feſtivitatem. Quid enim gratioſius eſt confidentis illius Eſaiæ verbo: *Quam ſpecioſi ſunt pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona*? Dignum autem fuiſſet & veſtram devotam præſentiam rebus omnibus interfuiſſe, quo omnes à Deo electam noſtram congregationem uno in loco inveniretis, & per Dei gratiam ſpectatores fieretis omnium quæ acta ſunt, ita & diſſertationis vim quoque cognoviſſetis, quæ in confirmationem legalium Eccleſiæ Catholicæ traditionum & deſtructionem eorum qui inſurrexerunt contra veritatem, & Apoſtolicas & Patrum traditiones ab Eccleſia Catholica alienarunt, facta eſt. Sed quoniam inter nos & veſtram ſanctitatem & humidum iter eſt & longa terreſtris via: duabus rebus opus fuit, navibus ſcilicet & jumentis quibus deferri poſſetis. At quoniam utrorumque copiam non habentes nobis corpore adeſſe non potuiſtis, certum eſt vos mente & animo idem ſentiente nobis adfuiſſe, quod ſane Eccleſiæ Catholicæ magnum adjumentum exiſtit.

Quandoquidem autem inter nos membra ſumus, habentia unum caput Chriſtum Dominum noſtrum neceſſarium duximus, omnem eorum quæ divine apud nos acta ſunt ſeriem narrare. Nam & linguæ res per ſe eas effari poſſunt, eæque ita ſubinde repræſentant omnia, quaſi coram viſa fuiſſent. Poſtquam igitur ex præſcripto Patrum & Doctrina convenimus, omnes idem ſentire cœpimus recordatique ſumus carminis quod à Moſe factum eſt & doctum: *Interroga Patrem tuum & renunciabit tibi, quære ſeniores tuos & dicent tibi.* *Deut. 32.* Ita quoque & nos Eccleſiaſticæ ordinationi inſiſtentes, neque quicquam illi adjecimus, neque etiam adempſimus, ſed Apoſtolice inſtructi traditiones quas accepimus, ſervamus: omnia ſcilicet ſuſcipientes quæ ſancta Eccleſia Catholica & ſcripto & conſuetudine admiſit. Quorum de numero cum & venerendarum imaginum eſſent figurationes, de his peculiariter egimus. Rurſus omnia quæ divini noſtri Patres rejiciunt, ea quoque & nobis indigna & Catholicæ Eccleſiæ adverſa & hoſtica arbitramur, in quibus ſane recenſetur & continuata vaniloquentia iconoclaſtarum & eorum qui falſo Chriſtianos accuſant, gangræna hactenus Eccleſia depaſcens. *Hæreſis gangræna.*

Sed Deus Dominus noſter eam in finem non ſuſtinuit. Nam poſtquam veritas detecta eſt, Orthodoxa & ſincera fides omnibus reſplenduit, mendacium cum tenebris ſibi congenitis evanuit. Nam ſi ut ipſi aſſerunt, imaginum pictura idolis comparabilis exiſtit: noſtræ liberationis myſterium, quod Dei Filius per ſuam in carne ſine peccato præſentiam operatus eſt, vanum reputatur. Quin-etiam vana ſunt Propheticæ promiſſiones quarum quædam jubet nos cum adorare & colere in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ. Alia vero dicit: Surrexit tanquam ex ſomno Deus: tanquam potens à crapula vini, percuſſit inimicos ſuos: & dedit eis impoſterum improperium ſempiternum. Si improperium ſempiternum datum eſt inimicis noſtris, hoc eſt improbis potentiis per reſurrectionem, quomodo rurſus Chriſtiani idolis ſerviunt? *Chriſtus deſtruxit idola.*

Vah eorum impietatem & ruditatem utinam cogitaſſent illud: Qui ſcandalizat unum ex puſillis credentium in Chriſtum, indignationem intolerabilem Dei incurrit. Sed verbum Domini nihili fecerunt, Eccleſiaſticas traditiones caſſaverunt, quam ob cauſam in nihilum rediget eos Dominus: Et cum Arrio, Funomio, Macedonio, Apollinario, Neſtorio, Eutyche, Dioſcoro, Sergio, Honorio, & reliquis iſtis improbe ſentientibus, conſpiratio iſtorum connumerata eſt. Nam horum ſtultitiam abſtergentes, ipſi quoque ſtulta locuti ſunt: Jam tamen funda veræ confeſſionis cum ipſis proſtrati ſunt & acies eorum eſt diſperſa. Non enim Deus in ſeculum dimiſit virgam eorum in ſortem juſtorum, hoc eſt Eccleſiæ.

Judaice enim vana cogitarunt, & alteras in conciliabulo Judæ tulerunt, quare conciliabulum illorum, Caiphaicum inventum eſt. Hoc enim contra Dominum conflatum eſt, ſed iconoclaſtatum adverſus ejus imaginem illud conciliabulum liberationem noſtram per Chriſtum factam, ſibi & aliis inſcripſit: hoc autem concilium profundum non per Chriſtum cepit: conſiderationes iniit, ſed non per ſpiritum illius, quia ornatum venerandorum templorum ſuſtulit. In hoc conciliabulo nullus inuenietur qui imaginem ad ſimilitudinem Dei ferat: qui imaginem Domini & ſanctorum illius ignominioſe confringentes, igni tradiderunt: hoc conciliabulum inſania & dementia occaſionem dedit multarum & ſatanicarum cædium: hoc conciliabulum falſo nomen ſibi aſſumpſit Sacerdotale & ſacrum concilium: improba enim & prophana mente conflatum eſt hoc conciliabulum, os habet intemperans, ſpiritu autem falſo Chriſtum & veritatem ſimulavit, mendacijs vero totum eſt confertum. Hoc conciliabulum Catholica Eccleſia tanquam zizania ex area Dominica, hoc eſt Eccleſia Catholica extirpavit & ſputo divini Judicij ejecit. Itaque ex Eccleſia Catholica ablatum eſt, & vafra ejus conſilia redargutionem incurrêre. Veriſſimum enim & rectiſſimum Eccleſiæ judicium innovari in ſe nihil patitur, neque ullam ſemel probatæ rei ablationem ferre poteſt. *Concilium hæreticorum.*

Nos igitur Patrum legibus inſiſtentes, ab uno eodemque ſpiritu gratia accepta, ſine ulla novitia machinatione & incontaminatæ cuncta Eccleſiæ dogmata cuſtodivimus, quemadmodum ſex univerſales Synodi conſtituerunt. Et quæcunque in Eccleſia honore affici juſſerunt, ſine omni controverſia recipimus, à quibus eſt, ut antea diximus, imaginum quoque apparatus. Quare eas honorabiliter adoramus & ſalutamus. Idem enim ſignificant hæc duo verba, quique eadem confitetur, hic Catholicæ Eccleſiæ verus & germanus filius & particeps illius exiſtit. Cuncta itaque ſcandala abierunt, cuncta obſcurata ſunt, veritas gubernat omnia, mendacium exterminatum eſt, ſeminator zizaniorum omnino defecit, frumentum, hoc eſt devotus Chriſti populus, in unum horreum, nempe Chriſti Eccleſiam, comportatum eſt, Orthodoxæ fidei lumen reſplenduit, erroris tenebræ ſuccubuerunt, mœror in gaudium verſus eſt, luctus in exultationem commutatus eſt, converſus eſt dolor noſter in lætitiam, omnia in meliorem partem reſpexerunt. Quapropter & nos Apoſtolice vos alloquimur: gaudete in

Christo, gaudete: terna gaudia Trinitas nobis pepetit: Quam decet omnis gloria, honor & potentia in secula seculorum. Amen.

CANONES PATRVM, QVI NICÆÆ ITERVM CONGREGATI SUNT.

Canon I. *Oportet, divinos Canones omnino servari.*

IIs qui Sacerdotalem adepti sunt dignitatem, testimonia, & benefacta sunt canonicorum constitutionum formulæ, quas recipientes libenter cum divino vate David canimus Domino Deo dicentes, *Via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicuti omnibus operibus: & mandasti justitiam testimonia tua in seculum, doce me & edifica me.* Atque in sæculum prophetica vox præcepit nobis ut servemus Dei testimonia, & vivamus in ipsis, quæ proculdubio inconcussa, atque firma permanent. Cum & Dei spectator Moses sic dicat. *Ipsis non est addendum, & ab ipsis non est auferendum.* Quin-etiam divinus Apostolus in ipsis glorians clamat. *Quæ cupiunt Angeli prospicere. Quod si Angelus annunciaverit vobis præter id quod accepistis, anathema esto.* Cum itaque hæc sic habeant & testificentur nobis, gestientes in ipsis, ut quis invenerit prædam multam, libenter divinos canones confirmemus, cum integram eamdem constitutionem & inconcussam stabiliant, quæ constituta sunt à tubis Spiritus sanctissimis Apostolis, & sex sanctis œcumenicis conciliis, tam quæ provinciatim congregata sunt ad huiusmodi constitutionum editionem, postremo à sanctis Patribus nostris. Vno enim omnes & eodem Spiritu illustrati, statuerunt conducibilia. Quos itaque anathemate perstringunt, nos quoque anathematizamus. Quos autem depositione, & nos deponimus. Quos segregatione, & non segregamus. Quos mulctæ postremo reos faciunt & nos, itidem subjicimus. Mores enim non avari sint & contenti præsentibus, ut qui in tertium cœlum scandit & audivit arcana verba Paulus divinus Apostolus manifestè clamat.

Psalm. 118.

Deut. 4.

1. Petr. 1.

ad Gal. 1.

2. Cor. 13.

Canon II. *Oportere Episcopum, qui ordinatur, tuto spondere se Canones servaturum, sin minus, non ordinandum.*

QVoniam psallentes spondemus Deo: *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermonum tuorum:* Omnes quidem Christianos hoc servaturos salubre factum, præcipue autem eos, qui Sacerdotali prædíti sunt dignitate. Vnde statuimus ut quisquis promovendus est ad Episcopatus gradum omnino

Psal. 118.

A psalterium intelligat, ut ex ipso omnem etiam clerum initiari moneat. Examinetur autem sedulo à Metropolitano an paratus sit ad legendum perseveratorie non perfunctorie sacros canones, sanctum Evangelium, librum Domini Apostol. atque universam divinam scripturam. Tum secundum divina mandata vitam agere & suum populum edocere. Substantia enim nostræ Hierarchiæ divinitus tradita oracula sunt, nempe divinarum Scripturarum vera scientia, ut magnus censuit Dionysius. Quod si tergiverletur, nec assentiatur se ita facturum atque docturum, ne
B ordinetur. Ait enim per Prophetam Deus: *Intelligentiam repudiasti, atque ego repudiabo te ne mihi Sacerdotio fungaris.*

Examen ordinand.

De Eccles. Hier. c. 5.

Canon III. *Electiones Episcoporum quæ vi principum procedunt, infirmari debent.*

OMnem electionem, quæ fit à Magistratibus Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere ex canone dicente: Si quis Episcopus Magistratibus secularibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur, & segregetur, & omnes qui cum eo communicant. Oportet enim eum, qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi, quemadmodum à sanctis Patribus Nicææ decretum est can. 4.

C

Canon 31. Apost. 16. qu. 7. Si quis Episc. Et habetur etiam D. 63. omnis.

16. quæst. 1. Prædicato

In Episcopo electio proprie dicta est, in Presbytero autem & Diacono abusive, pro ordinatione, quod non infrequenter offendes in canonibus.

Notâ.

D Ex hoc canone falsi convincitur Sigebertus ubi in chronico asserit jus investituratum per annulum & baculum collatum fuisse Carolo Magno Imperatori ab Adriano I. Pontifice. Ut quid enim tam exosum privilegium illi contulisset contra hunc canonem Synodi ab ipsomet approbatæ? Baronius ad annum 1091. Saussaius Episcopus Tullensis lib. 2. Panopliæ Episcopalis.

Canon IV. *Pœna Talionis puniendus Antistes, qui injuste clericos arcet, vel templa claudit.*

PRæco veritatis Paulus, quendam veluti Canonem Ephesiorum Presbyteris imponens, vel universæ potius Sacerdotali multitudini, sic libere dixit. *Argentum vel aurum, vel vestem nullius concupivi, omnia vobis ostendi,*
E *quoniam oportet sic laborantes infirmos acquirere, & apprehendere,* dare beatum existimantes. Quocirca nos abeo edocti statuimus, ne turpis lucri gratia Antistiti in mentem veniat quærenti excusationes in peccatis, aurum vel argentum, vel ullam aliam speciem ab iis, qui subsunt Episcopis, vel Clericis, vel Monachis exigere. Dicit enim Apostolus. *Non debent liberi parentibus thesaurum parare, sed parentes liberis.* Si quis ergo per auri exactionem, vel alicujus alius speciei, vel propter aliquam propriam affectionem à ministerio arcere inventus fuerit, vel segregare suorum

Act. 20.

2. Cor. 12.

clericorum aliquem, venerandum templum claudere, ne in eo fiant divina ministeria, talionis erit legi obnoxius, ut qui sit mandati Dei transgressor. Præcipit enim & Petrus Apostolorum summus: *Pascite gregem Domini non coacte, sed spontanee, &c.*

1. Petr. 5.

Canon V. *Qui clericis exprobrant quod in Ecclesia sine largitionibus constituti sint, mulctæ subjiciantur.*

PEccatum ad mortem est cum aliqui peccantes sine correctione perdurant: Eo autem deterius, si obstinato animo abalienantur à pietate & veritate: Mammonam Dei obsequentiæ anteponentes, & canonicas eius constitutiones non retinentes. Inter hos non est Dominus Deus, nisi demisso animo à suo errore resipiscant. Decet enim eos magis ad Deum confugere, & contrito corde veniam hujus peccati exposcere, quàm iniqua largitione gloriari. Proximus namque est Deus contritis corde. Qui itaque jactitant se pecuniæ largitione in Ecclesia constitutos esse, atque hac improba consuetudine, quæ à Deo atque ab omni Sacerdotio alienat, freti sunt, atque ob id impudenti vultu & effreni ore verbis probrosis eos qui ob vitæ præstantiam à Spiritu sancto electi, & constituti citra largitionem pecuniæ, conviciis lacessunt. Primum qui fecerint, extremum sui ordinis gradum teneant. Quod si perstiterint, mulcta corrigantur. Quod si quis id fecisse aliquando in electione apparuerit, fiat secundum canon. Apostolicum, qui ait: Si quis Episcopus pecuniæ largitione dignitatem hanc consecutus fuerit, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur, & ipse & qui elegit, atque resecetur prorsus à communione: ut Simon Magus à me Petro. Citatur ibidem secundum alium canonem sanctorum Patrum nostrorum, qui Chalcedonem convenerunt, qui ait: Si quis Episcopus pecuniam ob electionem acceperit: & venditioni exposuerit gratis conferendam gratiam, atque ob pecuniam elegerit Episcopum vel Chorepiscopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero recensentur, vel præficiat ob pecuniam œconomum, vel procuratorem, vel assistentem, vel aliquem qui canone comprehendatur, ob suam avaritiam, qui id aggressus esse convictus fuerit de suo gradu periclitetur. Qui vero constitutus est nihil ex emptitia electione emolumenti capiat, sed arceatur à cura vel dignitate quam pecunia consecutus est. Quod si quis sequester, vel conciliator extiterit horum adeo turpium atque nefariorum munerum, is quoque si Clericus fuerit, è suo dejiciatur gradu, si laicus vel Monachus, segregetur.

Psal. 33.

Canon 30. Apostol. Chalced. cap. 10.

Ad istud *quod si per naufragia mulcta corrigantur*, alia versio habet *per epitimiam corrigantur*. Quo nomine intelliguntur pœnæ quas unicuique Ecclesiæ injungit pro qualitate criminum, ut pote jejunia, abstinentia ciborum genuflexiones, quæ epitimia stationibus pœnitentium successerunt apud Græcos, apud quos nomen hoc in usu est.

Canon VI. *De cogendo Concilio Provinciali, quod ad tempus attinet.*

QVoniam canon extat quo præcipitur ut bis quotannis in singulis provinciis cogantur Episcopi, & Canonico instituto discutiant expendantque ea de quibus oborta fuerit quæstio: Quod commigrantium turba magna esset, & qui conveniebant præ inopia ferre non possent sumptum itineris, sancti Patres, qui sextæ Synodo interfuerunt, statuerunt ut omnino quocunque modo id fieri posset, semel quotannis convenirent Episcopi, & errores qui irrepsissent, emendarent. Nos igitur eum canonem in memoriam revocamus, quasique renovamus. Si quis principum ad labefactandam vim canonis, quicquam moliatur, communione Ecclesiæ privetur. Si quis vero Metropolitanorum necessitate, aut vi, aut causa probabili adductus infectum cogendi Concilij negotium relinquerit, canonicæ castigationi subjaceat. Cæterum coactis ad concilium Episcopis, rerum canonicarum, & Evangelicarum gratia, prima cura esse debet sacrorum ac vivificorum Dei præceptorum (ex quibus observatis merces ingens expectanda est.) Nam & *præceptum lucerna est & lex lux*, eademque via quæ ducit ad vitam: denique castigatrix institutio. Itemque *præceptum Domini lucidum est, illuminans oculos.* Nihil vero eorum quæ secum importarit Episcopus, velut pecudem aut aliud quippiam exigere ausit Metropolitanus. Is si hoc fecisse convincatur, quadrupli pœna mulctetur.

Canon Apostol. Nicæ. can. 5. Syn. in Trullo. D. 18. quoniam quidem.

Prov. 16.

Psal. 118.

Canon VII. *Ut templa sine reliquiis sanctorum non consecrentur.*

QVi venerabilium imaginum aspectum ex Ecclesia sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oportet renovari, & tam ex jure scripto, quam non scripto sic observari. Quæcunque ergo templa consecrata sunt absque reliquiis martyrum, in eis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecraverit sine sanctis reliquiis, deponatur.

Ecclesiasticus mos erat templa per sanctas Martyrum reliquias consecrare.

Canon VIII. *De Iudæis.*

QVoniam hebræorum religionis quidam errantes, Christum Deum nostrum sublannare visi sunt, sese Christianos esse fingentes, ipsi autem clanculum eum negantes, sabbata observantes, & multa alia Iudaïca facientes: statuimus, ut nec ad communionem, nec ad orationem, nec ad Ecclesiam admittantur, sed aperte sint secundum suam

religionem Hebræi: & nec filios eorum baptizent, nec ſervum emant, vel poſſideant. Si autem ex pura & ſyncera fide quis eorum convertatur, & ex toto corde confeſſus fuerit, eum recipiant, & baptizent eorum filios. Et caveant ipſi ſe ab Hebræorum ſtudiis, & inſtitutis deſtituros. Si autem non ita ferant, eos nullo admittant modo.

Canon IX. *Hæreticorum ſcripta vulgo non permittuntur.*

Scripta hæreticorum, puerilia ludibria, quæ ſunt ſolutu facilia, ut paterorum ludibria.

PVerilia omnia ludibria, furioſaque dicta ac ſcripta, quæ adverſus ſanctas imagines edita ſunt, oportet dari Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut cum reliquis hæreticis libris reponantur. Siquis autem hæc celare inventus fuerit, ſi ſit Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, deponatur, ſi autem Laïcus aut Monachus, ſegregetur.

Canon X. *Non oportet Clericum relinquere ſuam parœciam, atque ad alteram ſe conferre citra conſenſum Epiſcopi.*

QVoniam nonnulli è Clericis negligentes canonicam conſtitutionem, relicta ſua parœcia in aliam excurrunt, idque ſæpiſſime in hac pia & Regia urbe, & pro magiſtratibus præſident in ſuis oratoriis ſacra peragentes. His itaque citra proprium Epiſcopum & Conſtantinopolitanum, non permittitur ut recipiantur in ulla domo Eccleſiave. Quod ſi hoc facere perrexerit, deponatur. Quicunque cum aſſenſu prædictorum Sacerdotum hoc faciunt, non licet eis ſæculares, & ad vitam neceſſarias curas ſuſcipere, ut vetitum eſt hoc fieri à divinis canonibus. Si autem deprehendantur prædictarum rerum curam agere, vel deſinant, vel deponantur. Sed multo magis ſi ad docendos pueros, & ſervos prælegendis libris in Sacerdotium cooptatus eſt.

Canon XI. *Oportet œconomos eſſe in ædibus Epiſcopalibus & Monaſteriis.*

CVm debeamus omnes divinos canones ſervare, & eum, qui ait: ut ſint œconomi in omni Eccleſia, inviolatum conſervare oportet. Nam ſi omnis metropolitanus in ſua Eccleſia œconomum conſtituit, bene quidem. Sin minus propria authoritate Conſtantinopolis Epiſcopo liceat diſpenſatorem in ſua Eccleſia parare. Similiter & metropolitanis, ſi ſubditi eis Epiſcopi nolunt œconomos in ſuis Eccleſiis conſtituere. Idem autem ſervetur etiam in Monaſteriis.

Canon XII. *Non oportet Epiſcopum vel præpoſitum ſuburbana Eccleſiæ alienare.*

SI quis Epiſcopus inventus fuerit, vel præpoſitus, qui fundos Eccleſiæ Epiſcopalis vel Monaſterij ſub principali poteſtate alicnet, vel alteri perſonæ divendat, irrita ſit alienatio, ſecundum canonem ſanctorum Apoſtolorum, qui ait: Omnium rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopus curam habeat, & eas tanquam inſpectante Deo adminiſtret. Non liceat ipſi quicquam ex eis ſibi vendicare, vel ſuis cognatis res Dei elargiri. Quod ſi pauperes fuerint, præbeat ut pauperibus, non prætextu illorum Eccleſiæ vendat bona. Quod ſi cauſetur damnum fieri, & nullius utilitatis eſſe agrum, ne ſic quidem ejus regionis principibus fundum venundet, ſed clericis vel agricolis. Quod ſi dolo malo uſus à clerico vel agricola emerit princeps agrum, irrita ſit venditio & reſtituatur vel Eccleſiæ Epiſcopali, vel Monaſterio. Epiſcopus autem vel præpoſitus qui hoc fecerit, expellatur, Epiſcopus quidem ex Eccleſia Epiſcopali, præpoſitus autem à Monaſterio, utpote qui malè diſſipant, quæ non collegerunt. *Can. apoſt.*

Canon XIII. *Magno ſupplitio digni ſunt qui Monaſteria profanant.*

QVoniam propter calamitatem, quæ ob noſtra peccata contigit in Eccleſiis, direptæ ſunt quædam domus ſanctæ à neſcio quibus hominibus, & ædes Epiſcopales, atque Monaſteria, factaque ſunt publica diverſoria. Si qui ea tenentes reſtituere volunt, ut ſecundum antiquum morem reficiantur, bene quidem: Sin minus, ſi è Sacerdotali albo fuerint, eos deponi jubemus: Si Monachi vel laïci, ſegregari, ut qui condemnati ſint à Patre & Filio, & ſancto Spiritu. Et ponantur ubi vermis non moritur, nec ignis extinguitur: Qui voci Domini adverſantur, quæ ait: Ne faciatis domum Patris mei, domum negotiationis.

Canon XIV. *Non oportet citra manus impoſitionem legere in ſacro cœtu ſuper pulpito.*

QVoniam ordo dominatur in omni Sacerdotio, perſpicuum eſt, & ſedulo ſervare Sacerdotij traditiones Deo placere. Et quoniam videmus curâ cleri pueriliter quoſdam ſuſcipere, qui nondum ab Epiſcopo manus impoſitionem acceperunt, & legere in ſacro cœtu ſuper pulpito, contra canones id facientes: Iubemus ne poſthac id fiat. Idem etiam ſervetur in Monachis. Porro * Anagnoſtæ manuum impoſitionem liceat in proprio Monaſterio, vel cuilibet præpoſito facere, ſi ipſi præpoſito commiſſa fuerit manuum impoſitio, ab Epiſcopo, qui præſes ſit; hoc eſt, ut ſit ipſe Preſbyter. Similiter ſecundum antiquam conſuetudinem Chorepiſcopos permiſſu Epiſcopi oportet parare lectores.

al. Lectores

Nota.

Canon XV. *Nè aliquis Clericus in duabus collocetur Eccleſiis.*

CLericus ab hoc deinceps tẽpore in duabus Eccleſiis non collocetur. Hoc enim eſt negotiationis & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum. Ab ipſa enim voce Domini audivimus non poſſe quemquam duobus Dominis ſervire, *aut unum amplectetur & alterum negliget. Vnuſquiſque ergo* (ut vox eſt Apoſtolica) *in eo in quo vocatus eſt debet manere*, & in una Eccleſia aſſidere. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in Eccleſiaſticis negotiis, ea à Deo ſunt aliena. Ad hujus autem vitæ uſum ſunt diverſa ſtudia: Ex his ergo ſi quis velit ea, quæ ſunt corpori ad uſum neceſſaria comparet. Dixit Apoſtolus. Vſui meo, ex his qui mecum ſunt, ſubminiſtraverunt manus meæ. Et hæc quidem in hac Regia civitate: In his autem, quæ extra ſunt locis, propter hominum inopiam permittitur.

Matth. 6. 1. Cor. 7.

Act. 20

Canon XVI. *Non oportere virum Sacerdotio præditum ſumptuoſis veſtibus amiciri.*

OMnis luxuria, & corporis cultus aliena ſint à Sacerdotali ordine. Qui itaque ſe colunt Epiſcopi clericive veſtibus ſplendidis & nitidis, eos corrigi oportet. Quod ſi pergant mulctæ obnoxij ſunt. Itidem qui unguentis ſe oblinunt. Quoniam vero radix acerbitatis ſurſum pullulans inquinamentum peperit Catholicæ Eccleſiæ, nempe Chriſtiani nominis detractorum hæreſim, quam qui acceperunt non ſolum imaginum picturas averſati ſunt, ſed omnem etiam religionem abjecerunt, eos qui reverenter, & pie vivunt, odio proſequentes. Atque impletum eſt in eis quod ſcriptum eſt. *Abominatio peccatorum eſt cultus Dei.* Si itaque inventi fuerint qui frugali, & honeſto amictu indutos irrideant, mulcta corrigantur. Nam ſuperioribus temporibus omnis Sacerdos moderato, atque honeſto amictu vitam agebat. Qui enim non neceſſitatis, ſed elegantiæ cauſa, purpuram induit, accuſandus eſt, ut magnus inquit Baſilius. Quinetiam nec ſericis, textis phrygiatis utebantur. Nec addebant variegatas inſtitas extremis oris veſtium. Audiverant enim à divinitus loquente lingua: *Qui mollibus induuntur in ædibus regum ſunt.*

Eccl. 1.

Matth. 11.

Canon XVII. *Qui non habet quæ ad perfectum ornatum pertinent, ne aggrediatur extruere ſacellum.*

QVoniam quidam Monachi relictis ſuis Monaſteriis, cupidi imperij, & parere recuſantes, aggrediuntur extruere ſacella, cum quæ neceſſaria ſunt ad perfectum ornatum non habeant. Si quis itaque hoc facere aggreſſus fuerit, prohibeatur ab ejus loci Epiſcopo. Quod ſi neceſſaria habuerit ejus conſilia ad exitum perducantur. Idem autem obſervandum tam in laicis, quam in clericis.

Canon XVIII. *Non oportet feminas vitam degere in ædibus Epiſcopalibus, vel in Monaſteriis virorum.*

NEc curetis externa, inquit divus Apoſtolus. Nam mulieres in ædibus Epiſcopalibus vel Monaſteriis verſari, omnis ſcandali cauſa eſt. Si quis igitur ſervam vel liberam in Epiſcopali domo habere deprehenſus fuerit, vel in Monaſterio ad exhibendum aliquod miniſterium, mulctetur. Perſiſtens autem, deponatur. Quod ſi forte in ſuburbiis mulieres fuerint, & voluerit Epiſcopus vel præpoſitus illac iter facere, præſente Epiſcopo vel præpoſito, nullo pacto miniſterij exhibendi poteſtas illo tempore mulieri fiat: ſed ſola ſit in alio loco donec abierit Epiſcopus, ut reprehenſio vitetur.

1. Cor. 10.

Canon XIX. *Vt ſine muneribus conſtituantur Sacerdotum, Monachorum, & Monacharum fiant.*

A Deo graſſatur avaritiæ labes in Eccleſiæ præfectis, ut quidam qui venerabiles dicuntur, viri & fœminæ Domini mandatorum obliti decipiantur, & propter aurum accedentes ad Sacerdotalem ordinem, vel Monaſticam vitam admittant: & ita fiat, ut initium improbum, ſic univerſum culpabile, ut ait magnus Baſilius. Nec enim Deo per mammona ſervire licet. Si quis itaque hoc facere deprehenſus fuerit, ſi Epiſcopus vel præpoſitus, vel quiſpiam è Sacerdotali ordine, vel deſinat, vel deponatur, ut præcipit ſecundus canon Chalcedonenſis ſanctæ Synodi. Quod ſi præpoſita fuerit, expellatur è Monaſterio in ſubjectionem, ſimiliter præpoſitus qui non habet gradum Preſbyteri, & ſi bona vel à parentibus pro dotalibus tradita, vel caſtrenſia attulerit, confitentibus iis qui illa adferunt Deo conſecrata eſſe ſtatuimus, ſive maneat, ſive exeat, ut ipſa maneant in Monaſterio, ſecundum illius promiſſionem, niſi fuerit culpa præſidentis.

Matth. 6. Luc. 16.

Canon XX. *Non oportet ex uno duplex fieri Monaſterium, & de duplicibus Monaſteriis.*

EX hoc tempore ſtatuimus ne fiat duplex Monaſterium, quoniam ſcandalum, & offendiculum id multis fit. Quod ſi qui cum cognatis cupiant ſæculo renunciare, & ſolitariam vitam ſequi, viros quidem oportet abire in virile Monaſterium, mulieres vero in muliebre ingredi. Hoc enim delectatur Deus. Quæ autem hactenus fuerunt duplicia, maneant ſecundum canonem ſancti Patris noſtri Baſilij atque ſecundum ejus conſtitutionem confirmentur. Ne vivant in eodem Monaſterio

Duplicia Monaſteria id eſt virorũ & mulierum.

Monachi & Monachæ. Lupanaria enim irrepunt in vitæ illam conjunctionem. Ne habeat libertatem Monachus cum Monacha, vel Monacha cum Monacho privatim loquatur: Ne dormiat Monachus in muliebri Monasterio. Ne cibum una capiat Monacha privatim. Cum vero necessaria ad vitam ex parte virili ad Canonicas comportantur extra gregem, ea accipiat præposita muliebris Monasterii cum vetula aliqua Monacha. Quod si usus fuerit & aliquam cognatam invitare velit Monachus, præsente præposita, cum ea loquatur paucis tamen verbis.

Canon XXI.

NOn oportet Monachum vel Monacham proprium relinquere Monasterium, & ad aliud se conferre. Si autem hoc contigerit, ipsum in hospitem accipi est necessarium. Recipere vero eum sine consensu præpositi non licet.

Canon XXII. *Oportet cum gratiarum actione & omni reverentia Monachos si usus venerit cum mulieribus cibum capere.*

DEo omnia permittere nec propriis cupiditatibus servire res magna est. *Sive enim editis, sive bibitis* (ait D. Apost.) *omnia in gloriam Dei facite.* Christus itaque Deus noster in Evangeliis suis initia peccatorum excindere jussit. Non enim adulterium abeo solum plectitur, sed & motus cogitationis ad adulterij conatum condemnatus est, cum ipse dicat. *Qui aspexerit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulterium cum ea commisit in corde suo.* Hinc itaque edocti cogitationes expurgare debemus. Nam quamvis omnia licita sunt, *non tamen expedunt omnia*, ut Apostolica voce erudimur. Necessarium est itaque unicuique homini propter vitæ usum edere. Et qui quidem nuptias secuti sunt, & liberos habent, & laico cultu vivunt, ut simul viri cum fœminis cibum capiant, inculpabile est, si modo alimentorum largitori gratias agunt, non quædam scenica instituta, idest, sathanica cantilenarum, cytharumque & meretriciarum saltationum adhibeant, quos invadit Prophetica execratio dicens: *Væ qui cum cythara, & psalterio vinum bibunt:* opera autem Domini non intuentur, & qui opera manuum ejus non animadvertunt. Quod si unquã tales fuerint inter Christianos corrigantur. Sin minus, valeant in eos quæ à prædecessoribus nostris canonice edita sunt. Quibus autem vita est quieta & solitaria, qui spopondit Deo se jugum solitarium tollere, sedebit solus & tacebit. Quin etiam iis, qui Sacerdotalem vitam delegerunt, nullo pacto licet cum fœminis cibum privatim capere, nisi cum aliquibus religiosis & piis viris, & mulieribus, & ipsum convivium ad emendationem spiritualem adducat. In cognatis quoque idem faciat. Quod si in itinere contigerit, ut quæ ad necessarium usum pertinent, non afferat Monachus vel Sacerdos, & ob necessitatem divertere velit, vel in caupona vel in domum alicujus, permittatur id facere, nempe urgente necessitate.

1. Cor. 10.
Matt. 5.
1. Cor. 6.
Isaiæ 5.

IN OMNIBVS SANCTISSIMO & beatissimo fratri & comministro Domino Adriano Papæ veteris Romæ Tarasius divina miseratione Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ in Domino gaudere.

SUfficit quidem salutaris dispensatio magni Dei & servatoris nostri Jesu Christi ad pacem & concordiam omnibus Christianis. Ipse enim post resurrectionem à mortuis, Apostolis suis inspirando, dixit: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: Qua de causa is qui raptus fuit in cœlũ & in paradisum ingressus, audivit verba quæ non oportebat dici. Paulus inquam Apostolus Divinus omnibus nobis testatus est, dicens: Christus est pax nostra, qui omnia facit ex diversis & medium parietem obstaculi dissolvens, inimicitiam scilicet de carne sua. Et iterum ad Thessalonicenses scribens admonet: Igitur fratres state & servate traditiones, quas edocti estis sive per Verbum, sive per Epistolas nostras. Sed postea inveteratus hostis diabolus, Ecclesiam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum per diversa tempora juxta beneplacitum Dei ædificantem, non studuit non convellere & intertubare, seipsum scilicet vi inferius per quosdam assectas suos viros improbos, per quos etiam zizania seminavit in hac eleganti terra ab Apostolis exculta. Hi siquidem accepta superius potestate, in sulcis divinæ efficaciæ seminatum frumentum reliquere, quorum divinam Doctrinam accipientes Patres nostri admirandi zizania quidem extirparunt, nimirum hæreses & nuperas vaniloquentias radicitus usque evellentes & dimisere messem puram Ecclesiæ: vestra igitur Deo decens sanctitas horum adhærens doctrinis, & ab ipsis sermonibus veritatis sermonem accipiens turbas illas spinosas nunc pullulantes adjungente se tibi Imperatorum fidelissimorum synceritate, extirpare machæra Spiritus sancti satagit. Misisti enim nobis postulantibus viros concordes, & dignos Apostolica sede sancti Petri, quos ad se missos Imperatores nostri synceriſſimi humaniter susceptentes, ad nos jussérunt proficisci, à quibus postquam literas sanctitatis tuæ accepissemus, easque legissemus, adduximus ad sanctos, & reverentes viros Joannem & Thomam verbo & cognitione vobiscum sentientes, qui eisdem temporibus, una cum variis Episcopis, zelo Dei & voluntate huc se ad sacram Synodum, jubentibus & volentibus etiam synceriſſimis Imperatoribus contulerunt. Verum nos ante annum sedem colligere Synodi statueramus, cum improbi aliquot homines, & quorum mentes insania tumultuabantur turbam in nobis ruentes, cathedram prohibuerunt: quamobrem coacti sumus integrum annum à proposito nostro desistere, nihilque quod ad eam rem attinebat, tentare. Tempore deinde succedente, iterum venerabiles isti Episcopi in splendida Metropoli Nicæa Provinciæ Bithiniæ Imperatorum nostrorum mandato congregati sunt, nos autem accipientes comites itineris, & venerandos viros legatos vestros & vicarios quoque orientis, ad ipsam metropolim venimus & omnibus nobis sedentibus eligere caput nempe ipsum Christum visum est, jacebat autem in sacro throno Evangelium sanctum, quod omnibus nobis qui convenerant, justum judicium judicare, justitiam pro sancta Dei Ecclesia administrare clamabat. Itaque prærogativa quadam literas sanctitatis tuæ primo loco legi jussimus, & eramus

quidem tunc omnes veluti in regio convivio epulis spiritus intenti, quod tali convivio animi nostri recrearentur, pedesque nostri in viam rectam veritatis per te ducebantur. Sic confracta membra in unum corpus componebantur. Sic vera concordia revaluit, sic Catholica Ecclesia in unionem est collecta. Post illas autem literas legimus quoque eas quæ ex Orientalibus Diœcesibus nobis missæ fuerant: atque ita Patrum traditionis lumen acrius exactiusque resplenduit, & his veritas clarior fortiorque evasit. His se ita habentibus ab omnibus nobis qui divina voluntate conveneramus, confessa est vera, & calumniæ expers confessio, quæ & à nobis ad vos missa est. Per relationem itaque nostram piis Imperatoribus nostris omnes hæreticæ pravitatis principes, quique eos insequuntur, profanatione & execratione cõdemnati sunt, propterea quod sanctam Ecclesiam Catholicam injuria affecerint: nec vero illi tantum qui in hac vita, in eadem opinione manent, sed etiam qui vitam turpiter & perverse projecerunt. Sed quidam eorum adhuc præsentes, salutem suam per scriptos libellos confessi sunt. Neque Christus Deus noster, petra scilicet in qua fixi sumus, vestem illam desuper contextam ipsam nimirum Catholicam, à se & super se ædificatam, Ecclesiam suam, divisam & disruptam diutius pati potuit, neque membra huc illucque dispersa diutius diffundi sustinuit, sed simul cum veteribus hæresibus errorem novæ pravitatis iconoclastarum, qui contra venerandas imagines rabiem suam exercuerunt verbo gratiæ suæ subvertit, & machæra spiritus edocuit. Abunde autem instructi sumus & experientia cognovimus, veritatem super omnia posse & valere, quicquid illi repugnat id tandem semper cedit, & aciem relinquere cogitur, ipsa est enim omnium fortissima, ita ut facile quo suos inimicos superet & repugnantium phalangas dissipet: ecce enim falsiloquorum & mendacium labia compressit, tenebræ absurdarum blasphemiarum cessarunt, pulchritudo veritatis dogmatum resplenduit, jam omnis hæretica blasphemia ejecta est, & propulsata. Ecclesia proprium ornatum recepit, requiem ex immensis laboribus invenit, veritas est inconcussa, & inexpugnabilis adversus quam portæ inferorum, & infidelitatis non prævalebunt, quemadmodum ex ore Dominico audivimus, & gaudio repletum est os nostrum, & lingua nostra exultatione. Gavisi autem sumus in Ecclesia cui præsedimus, juxta Dei voluntatem. Hæc igitur facta sunt Christo Deo nostro qui super omnes est rem procurante, auxiliantibus etiam Orthodoxis & fortissimis nostris Imperatoribus. Ipsi enim omnibus in locis venerandas imagines restituerunt, cum in sacris templis, tum etiam in portis regiarum. Quibus Deus præmium exaltando cornu Imperij illorum ad pacem Ecclesiæ suæ, & salutem omnium nostrorum Christianorum cujus nomen sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

CONTROVERSIA QVADAM DE *septima Synodo.*

Comitia Ratisbonensia.

ALbertus Pighius in Comitiis Ratisbonensibus mota quæstione de Honorio, quod pronunciatus esset hæreticus à duobus Conciliis Generalibus VI. & VII. dixit ipse acta harum Synodorum, quæ circumferuntur non esse certæ fidei maxime circa Honorium. Cumque hoc tanquam certissimum assereret, dixit illi quispiam vir omnium judicio doctus, sed suo ipsius doctissimus, desperare se de salute sua nisi recantaret eam sententiam. Quare Albertus sponsione obstrinxit se intra triduum ad proferendum scripto rationes, quibus hoc confirmaret, quibus si ille intra aliud triduum satisfaceret, pollicebatur se ejus sententiæ consensurum. Sed cum ex sua parte satisfeciſſet, alter defuit. Hæc autem fuit occasio cur contra acta horum Conciliorum, quæ tunc primum prodibant in publi-

An acta Concilij vera sint.

cum scripserit, cum intelligeret multos his actis imponere dictorum Conciliorum titulos, quibus ait per se non est magnum de his quæ legunt judicium, sed absque judicio recipiunt quæcumque demum & qualiacumque sint ea quæ ingeruntur sub probati alicujus authoris titulo. Momenta autem quæ affert contra 6. Synodi acta jam supra discussa sunt. Hæc sunt vero quæ urget contra acta 7. Synodi quæ non minus falsa & commentitia notisque falsitatis fermentata, ut mitis nunc artibus & technis ait veterator ille antiquus serpens his novissimis temporibus, quibus relaxatæ ipsi liberiores habenæ videntur, oppugnet Christi Ecclesiam & simplicioribus insidietur.

Alberti Pighij error.

Primum autem argumentum ducit ab Epistola Hadriani ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, quæ ab omnibus Patribus approbata est, cum in titulo habeat. Dilecto fratri Tarasio Patriarchæ œcumenico, idest, universali aut generali Hadrianus servus servorum Dei. Itane Romanorum Pontificum quisquam pronunciavit Episcopum Constantinopolitanum? novimus equidem græcanicæ ambitionis hos fuisse indebite affectatos superbos & vanissimos imo & pestilentissimos titulos, quibus se scabebant mutuo. Ut autem à Romano eoque tali Pontifice ultro attributos illi affingant, quibus magna semper authoritate velut ex professo restiterunt omnes Rom. Pontifices, nimis impudens cæcitas & cæca impudentia est. Notũ est Constantinopolitanam Ecclesiam ab initio inter primas sedes locum nullum habuisse. Et post ob sedis Imperialis residentiam, Episcoporum ejus simul ambitione simul & principum instantia ab eisdem persuasorum ambierunt diu licet frustra secundæ sedis dignitatem. Ac primo hæc prærogativa illis est attributa in secundo Concilio, quamvis sine effectu ob dissensum summi Pontificis. Deinde eamdem Imperator Martianus extorsit a Concilio Chalcedonensi, quamvis contradicerent sedis Apostolicæ Legati. Sed & huic Concilij indulgentiæ constanter restitit Leo Pontifex. Cum vero ob perturbata Occidentis regna & immutatam Rom. Pontificis authoritatem eum titulum secundæ sedis obtinuissent, ut nullum modum novit ambitio sub Pelagio Summo Pontifice Joannes Constantinopolitanus Episcopus favore Mauritij Imperatoris, accito aliquot Episcoporum servili motu sibi consentientium Concilio, Patriarcham œcumenicum seu universalem se pronunciavit. Quod Concilium Pelagius alio Concilio in irritum deduxit, Episcopisque sub interminatione anathematis prohibuit ne huic elationi insolentissime consentiant. Sed & Gregorius Magnus acriter arguit Mauritium illius insolentiæ patronum. Quo divina ultione percusso, Phocas Imperator vetuit ne ullus alius præter Rom. Pontificem Patriarcha universalis nominaretur. Et post hæc tantus Pontifex Adrianus Tarasium vocaret Oecumenicum? qua obsecro causa? Imperatorum fortasse oppressus motu? scilicet Constantini pueri & Irenes mulierculæ matris? nimis certe impudens, nimis crassa hic fuit græculæ tuæ impudentia: non bonum falsitatis hic præstitisti artificem: nimis aperte commissura exorbitat. Sed ita fere fit ut alicubi sui ipsorum obliviscantur mendaciorum artifices, ut alicubi promineat aliquid unde coargui possunt.

Secundum argumentum ducit à pœnitentia Episcoporum Iconoclastarum statim initio Synodi. Præsertim cum iidem illi mutatæ sententiæ suæ & intellectæ veritatis Orthodoxæ contrariæ causam interrogati, hanc proferunt. Quod viderent universum illum cœtum idem loqui & idem sentire. Explicata ergo antè fuerit oportet communis Concilij sententia; quam hi introducerentur revocaturi sententiam contrariam & petituri sui erroris veniam. At hoc prima actione, mox ab ipso ejus initio, velut ex abrupto factum introducitur. Imo inter illos primus omnium Basilius Ancyræ Episc. etiam ambitiose excusans quod tardius ad hoc ipsum accesserit, inducitur. Illud vero secunda actione post factum scribitur.

Tertium argumentum ducit ex hoc quod tres præcipuæ actiones hujus Synodi ſecunda, tertia & quarta tanquam uno die abſolutæ proponuntur 6. Calend. Octobris indictione 11. quarum quamlibet, ſi Actorum multitudinem & gravitatem ac tam numeroſi conventus frequentiam expendas, multorum dierum clariſſime intelliges. Ridicule autem faciunt qui nobis dubitantibus de horum actorum fide, jubent ut proferamus alia quæ vera, certa & germana ſint. Perinde enim faciunt ac ſi nugator nunc nobis proferret confictam a ſe ſub nomine Pauli Epiſtolam ad Laodicenſes (ſcripſiſſe enim ad illos idem teſtis eſt) & non credentibus quam proferret eam Pauli eſſe, juberet proferri veriorem aliam. Quam tametſi ego nullam habeam non tamen ob id credam eam eſſe, quæ mihi a quocumque aut undecumque profertur cum Pauli titulo. Quidquid noviter prodit ſub vetuſti quamvis probatiſſimi authoris nomine ac titulo, certam apud nos authoritatem non habet. Nullum enim argumentum aliud habere poſſumus, unde libros quos legimus ſuis certo recognoſcamus authoribus, quam multorum ſæculorum & antiquitatis conſenſum, quem in actis noviter prodeuntibus habere non poſſumus.

Hæc Phigius pro defenſione Honorij, qui etiam in hac Synodo propter hæreſim damnatus exponitur: ſed ſatis hujus cauſa ventilata in controverſiis ſextæ Synodi in quibus diximus non propter hæreſim cui adhæreret, ſed quam palparet & quam pro officio ſatis non expugnabat ignominiam hanc incurriſſe. Quod vero ſpectat ad horum actorum veritatem; eadem militant quæ ibidem Joverius pro ſextæ Synodi actis attulit, paucioribus verbis & in compendium reducens, qui licet ipſe Sorbonicus ſub hoc titulo in genere laceſſitus ab Alberto, modeſtè diſſimulavit, etiam tacito ipſius nomine.

Joverij reſponſio ad argumenta Phigij.

His, ſi diis placet, objectionibus, putant actum eſſe de Concilio, cum tamen verboſiſſime ante victoriam canant triumphum tam procaciter, ut pudeat me tam vanis argumentationibus vel verbulum quidem reſpondere.

Ad id quod primo objicitur, adhibita eſt ſuo loco cenſura ad marginem inſcriptionis literarum Agathonis. Crediderim ego, facile epitheton, œcumenicum perengraphum eſſe atque additicium: nec inde tamen colliges totas literas nothas & ſuppoſititias, & Concilium abjiciendum.

Quod ſecundo loco adducitur, diluitur ſine magno negocio. Cum enim patres ſtatuiſſent ut Tharaſius præferatur, is inter orandum admonuit, ut ſi qui erant factionis adverſæ, in medium proponerent quæ vellent confidenter, aut ſe purgarent. Ex hac re ſumpſerunt occaſionem hi Epiſcopi, quos forte multo ante pœnitebat ſui erroris: vides in Concilio Chalcedonenſi prodiſſe Theodoretum quaſi de repente, & anathematiſaſſe Neſtorium, ſicque receptum fuiſſe à Synodo.

Illud vero quod poſtremo objicitur de triplici ſeſſione ſexto Calendas Octobris facta: potuit eſſe mendum excipientis ex autographo: Quemadmodum beatus Auguſtinus, quæſtionem illam de varietate tanta numerorum inter veritatem Hebraïcam & ſeptuaginta, diluit eam ſcriptoris vitio adſcribens. Quod ſi quis rem accurate perpendat, ridiculam eſſe hanc objectionem facile videre poſſit. Nam in ſecunda ſeſſione, habetur ſexto Calendas, quaſi dicas ipſiſſimo die: In tertia & quarta habetur ſub ſextum Calendas, veluti ſi quis dicat circa diem ſextum Calendas, vel proximis ſub ſextum Calendas diebus quinto aut quarto coactas fuiſſe illas ſeſſiones.

De titulo univerſalis Patriarchæ.

Aliud caput controverſiæ eſt de titulo uniuerſalis qui datur Taraſio Patriarchæ. Ad quam ſufficeret pau-

A cis concepta verbis Doctoris Joverij adnotatio de adjectione tituli illius œcumenici quo donat Taraſium in epiſtola ſua Adrianus 1. Pontifex. Sed quia hoc argumentum præcipue urget Albertus Pighius ad infringendam omnem auctoritatem actorum ſeptimæ Synodi, libet animadvertere expreſſius, textum Græcum non habere in titulo epiſtolæ hanc prærogativam nominis *generalis* in quo ſimpliciter verba ſonant *dilecto fratri Taraſio Patriarchæ*. Nec credi poteſt Adrianum illo titulo inſignitum eſſe voluiſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum, cum in epiſtola alia ad Conſtantinum & Irenem id nomen illi attributum vergere contendat in præjudicium ſedis Romanæ cui ab ipſo mundi Redemptore Primatus conceſſus ſit, hortaturque Imperatores ut nunquam hoc nomen illis at-
B tribuant, quod eſt contra Sanctorum Patrum inſtitura ac traditionem. Unde magis eſt veriſimile iſtud nomen Græcis ex adulatione affixum fuiſſe inter epitheta ſui Patriarchæ, ut illi magis placerent, cum jam viderent Pontificem Romanum hoc titulo ſæpius inſigniri. Siquidem in Synodo Chalcedonenſi in actis integris actione 3. leguntur quatuor epiſtolæ diverſorum Græcorum ad Leonem Papam cum hac epigraphe, *Sanctiſſ. & beatiſſ. univerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni*, etiam eſt in eadem Synodo hæc ſubſcriptio Legati. *Paſchaſius Epiſcopus Vicarius Domini mei beatiſſimi atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis in Synodo præſidens, ſtatui, conſenſi & ſubſcripſi.* Et in ſexta Synodo act. 18. *Theodorus humilis Presbyter ſanctæ Ec-*
C *cleſiæ Rom. & locum gerens Agathonis beatiſſimi & univerſalis Papæ urbis Romæ ſubſcripſi* Quo ſimiliter modo ſubſcribunt duo alij Legati Georgius & Joannes, & in octava Synodo Donatus, Stephanus & Marinus Legati 3. pariter ſubſcribunt ut tenentes locum Papæ univerſalis.

Nec obeſt Canon *primæ ſedis* diſt. 99. ex Concilio Africano, *Univerſalis autem nec Romanus Pontifex appelletur*, & quod D. Gregor. lib. 4. Ep. 32. & alibi dicat nomen Epiſcopi univerſalis eſſe profanum, ſacrilegum, Anti-chriſti prænuntium, & neminem ex ſuis prædeceſſoribus illo unquam uti voluiſſe. Ut enim adverit Bellarminus tom. 2. de Summo Pontifice c. 31. duobus modis poteſt quis Epiſcopus intelligi univerſalis: uno modo ut ſolus ſit Epiſcopus omnium urbium Chriſtianorum, itaut cæteri non ſint Epiſcopi,
D ſed tantum Vicarij illius: & hoc modo nomen hoc eſt prophanum, & in hac ſignificatione loquitur Gregorius ut patet ex ejus ratione lib. 4. epiſt 34. ad Conſtantiam: *Triſte valde eſt ut patienter ferantur quatenus deſpectis omnibus prædictus frater & Coëpiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus* & L. eodem ep. 36. ad Eulogium. *Si unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*, & lib. 7. ep. 69. ad Euſeb. *Si unus univerſalis eſt, reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis.* Altero modo dici poteſt Epiſcopus univerſalis, qui habet curam totius Eccleſiæ ſed generalem, itaut non excludat alios Epiſcopos. Sicut Dux generalis aut generaliſſimus exercitus non obſtat quin alij Duces ſint harum & illarum cohortum, & hoc modo non negat nomen univerſalis Divus Gregorius tri-
E bui poſſe Epiſcopo Rom. qui lib. 4. epiſt. 32. D. Petro totius Eccleſiæ curam commiſſam aſſerit. Tantum ergo vovavit nomen iſtud prophanum, quatenus uſurpatur à Joanne Conſtantinopolitano Epiſcopo, cui nullo modo competebat. Atque eadem ſolutio applicari poteſt ad Canonem citatum quamvis non ſit Concilij Africani, ſed ipſiuſmet Gratiani. Quod vero in epiſt. citata ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, titulum iſtum recuſat, id modeſtiæ ejus tribuendum eſt. *Ego*, inquit, *non verbis quæro proſperari, ſed moribus, nec honorē eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque eſt honor univerſalis Eccleſiæ.* Et citatur ab eodem Gratiano diſt. eadem 99. Can. *Ecce.* Ubi gloſſa marginalis notat.

Humilitas nimia Prælatorum contemnitur. Ut ſi aliquando poſſint aliquos titulos Summi Pontifices recuſare ex pluribus qui illis in veritate poſſunt attribui, quod multitudo titulorum redoleat faſtum, non poteſt tamen inferri quin veri ſint, & quin poſſint illos ſibi aſſumere cum tempus id poſtulat. Turcarum Imperator congeric titulorum à Provinciis quas ſibi ſubdidit ornat ſe. Idem fere Rex Hiſpaniarum. Modeſtia Regis Galliæ laudatur qui phaleras iſtas deſpuit; an non etiam ratione ampliſſimarum provinciarum in quibus etiam regna exiſtiſſe noſcuntur, poſſet ſe illuſtriorem reddere? ſic cenſendum de Summo Pontifice, qui gloriatur ſe ſervum ſervorum Dei eſſe & hoc titulo contentus eſt ob exemplum humilitatis Chriſti.

Sed ut ab uno univerſali ad aliud tranſeamus, ſunt qui nomen univerſalis & œcumenici huic Concilio denegarunt. Qua ſuſpicione laboravit Theodorus Studita, ideſt Studij Monaſterij Abbas, quod illam localem dixerit in Epiſtola ad Arſenium. Sed lectam à ſe hanc Epiſtolam Baronius tot mendaciis refertam invenit ut tanto viro indignam judicet: unde & eum ab hac accuſatione liberat an. 787. n 98. Sed & libellos vidimus & legimus qui poſt hæreticum Calviniſtam *Le Faucheur*, lib. 3. *de la Cene chapitre* 18. & Aurelium *in Orthodoxo* 2. part. cap. 6. eamdem ſententiam affingunt P. Sirmondo multa erudition celebri atque ex Conciliorum Galliæ editione illuſtri, qui & locum denotant in quo ſic lapſus ſit In notis ad Concilium Franco-fordienſe. Quamvis ibidem ſcribat Sirmondus. Synodus Nicæna quam inter œcumenicas numeramus. Quæ de re legi poſſunt Epiſtolæ Polemarchi ad Euſebium pag. 140. & Caulinus in Apologia ubi nititur Sirmondum liberare ſicut Baronius Studitam, ut in his non immoremur.

Quid definitum circa imagines.

Aliud quod in controverſiam vertitur circa hanc Synodum eſt illud ipſum quod in ea definitum eſt. Non defuerunt enim qui exiſtimarent Synodum definiiſſe adorandas eſſe imagines cultu latriæ proprie. Quod à mente ipſius Synodi valde alienum eſt. Nec parvam illi inferunt injuriam qui ſunt in hac ſententia de Synodo, nec ſatis notam & perſpectam habent ejus definitionem, & ut ait Baronius ad an. 787. Si quid de eodem Concilio per levem aliquam Hiſtoriarum lectionem perceperint: cum itidem illud in Synodo Franco-fordienſi improbatum eſſe intelſexerunt, nullam de eo rationem habendam eſſe exiſtimarunt. Vel ſi iidem (quod puto verius) ipſum œcumenicum eſſe ſciverunt, approbatumque à Romano Pontifice, damnatum vero ab adverſariis, tamen quod in eo mentirentur adverſarij, definitum eſſe cultum latriæ ſacris Chriſti imaginibus tribuendum: verum id eſſe putantes in contrarium niſi, calumniam non intelligentes, pro ipſo Concilio cauſam ſe agere putaverunt, ſi quomodocumque, impropriet ate verborum licet, latriæ cultum in ſacris Chriſti imaginibus tuerentur. Cæterum etſi ignoratio iſta Nicænæ definitionis videatur reprehenſibilis, tolerabilis eſt tamen & in doctis viris excuſabilis, ſicut in S. Aug. quam faſſus eſt publice epiſt. 110. ignorantia Nicæni primi Conc. Canonis toto orbe vulgati & uſu recepti, ne in una Eccleſia duo ordinarentur Epiſc. Non enim omnia poſſumus omnes ſcire, & multa prætereunt multos etiam multa ſcientes.

Non ergo definit Concilium imaginibus cultum latriæ tribuendum ſeu proprie dictam adorationem quæ ſoli Deo competit, & D. Damaſcenus in lib. de hæreſibus ſub finem inter hæreticos numerat, qui imagini cuipiam dixerint tribuendum eſſe cultum latriæ, hoſque nominat Chriſtiano-catagoros, nempe accuſatores Chriſtianorum, eo quod Chriſtianæ Religioni magnam inurerent notam, quod ipſorum cauſa dicerentur ab adverſariis Chriſtiani idolorum cultores qui ut Deos imagines colerent.

Neceſſe autem eſt maxime notionem habere latriæ aut adorationis, & quid præciſè importent nomina, diſcernere, cum alioqui tota diſputatio de cultu imaginum ac ipſorum ſanctorum, eorumve reliquiarum mera ſit confuſio, & redargutio eorum quæ non intelliguntur, ut non immerito Chriſtiano-catagori dicerentur, quod capitale crimen generis humani quod eſt Idololatria, Chriſtianis ipſis falſo imponerent, cum potius Idololatriam, ex toto fere orbe proſcripſiſſent ab eo tempore quo Chriſti Domini & Sanctorum imagines ſuſcepiſſent. Hæc autem terra & atrox accuſatio non aliunde profluit quam ex non intellecta & ſimul rejecta temerarie diſtinctione adorationis in diverſas ſignificationes, quia nomen eſt analogum ex diſtinctione triplicis cultus latriæ, duliæ & hyperduliæ, itemque diſtinctione coadorationis, qua res conjuncta alteri rei quæ adoratur ex quadam reſultantia fit particeps ejuſdem cultus, ut purpura Regis cum ipſi Regi cultus & honos aliquis defertur. Interim hoc ſtatutum eſt apud Chriſtianos ſumpta adoratione in propria & rigoroſa ſignificatione, pro recognitione alicujus in primum ſui principium, & ſua ipſius ab eo dependentia omnimoda cum ſummiſſione voluntatis, ac voluntaria ſervitute in vim talis recognitionis, ſeu interim nota aliqua exteriori ſignificetur, ſeu in ſola mente conſiſtat, non alteri quam Deo ſoli tribuendam eſſe, ita ut cultus ſanctis aut imaginibus exhibitus, non ſit proprie dicta adoratio, quamvis promiſcue & in ſcripturæ & Patrum aliquibus libris nomen iſtud uſurpatum obſcuræ quæſtioni locum dederit, in qua non pauci aberrarunt & errant adhuc quotidie mala rei intelligentia decepti, à qua nolunt liberari, ut facile poſſent, ſi otium & tempus ſufficiens vellent impendere ad concipiendum quid per nomina adorationis & cultus denotetur, & quid præciſè definierint Concilia circa Dei & rerum ſacrarum Religioſam venerationem. Sed & conferendo manus cum Hæreticis præſtaret abſtinere à nomine adorationis imaginum, ſatiſque eſſet uti nomine venerations & honoris, ne ex locutionis modo occaſionem percipiant obdurationionis in ſuis erroribus. Quod autem ſpectat ad præſentem controverſiam manifeſte definitio hujus Synodi, retento cultu ſolito imaginum, quem adorationem vocat, latius ſumpto nomine, veram latriam ſoli divinæ Naturæ debitam eſſe adſtruit, ut cultus quicumque rebus aliis exhibitus inferior ſit latria. Et imagines ſunt in veneratione propter prototypum, qui in eis honoratur. *Imaginis enim honor*, ait Concilium, *in prototypum reſultat, & qui adorat imaginem in ea adorat quoque deſcriptum argumentum.* Unde mens Concilij fuit determinate adorandas eſſe imagines non tamen cultu latriæ, & adorandas non propter ſe ſed propter prototypum, ideoque cultu reſpectivo & propter aliud, non cultu abſoluto, & propter propriam excellentiam. Definit autem tantum in genere venerandas eſſe imagines, diſcuſſionem vero magis particularem de modo quo colendæ ſunt reliquit Doctorum diſputationi. Quapropter inter eos ſunt qui aſſerant imagines tantum improprie eſſe adorandas, itaut dumtaxat in earum præſentia qua affectus ſæpe tepidus excitatur, & in eis adoretur prototypum. Sic Durandus in 3. diſt. 9. q. 2. Alphonſus à Caſtro verbo *imago* & Gerſon in Alphabeto littera M. quæ opinio non eſt contraria fidei, juxta illos verſus quos Joverius docet à Synodo ipſa ſeptima compoſitos, alij vero tempore ipſius Synodi, non ab ipſa, ut refert Sabellicus, libro 8. Æneade 8.

Hæreticorum Hypocriſis.

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa
Hanc video, ſed mente colo quod cernis in ipſa:

Itemque.

Effigiem Chriſti dum tranſis pronus adora;
Non tamen effigiem, ſed quod deſignat adora.

Nec inde ſequitur hoc poſito imagines eſſe retinen-

das ob ſolam memoriam ut volunt moderni hæretici: nam eſt memoria pure hiſtorica, & eſt memoria excitans ad reddendum cultum Deo & ſanctis, in hac autem opinione ſervarentur imagines ad poſteriorem illam memoriam. Probabilior tamen eſt altera opinio & magis conformis ſynodo, ut honorentur imagines etiam in ſeipſis ſintque objectum materiale terminativum venerationis, & non ſolum exemplar in ipſis apprehenſum, aut ad eorum præſentiam, quia cum Concilium dicat imagines adorandas non tamen latria, aliud vult adorari quam ſolum exemplar, nam cum Chriſtus adoretur vera latria non negaret ſynodus ejus imàgini cultum latriæ, ſiquidem in ejus adoratione non imago ejus, ſed ipſemet Chriſtus adoraretur, cui non alia quam latriæ competit adoratio. Unde per hoc inſinuat imaginibus competere aliquam adorationem diſtinctam à veneratione & honore prototypi, & quæſit inferior in genere cultus.

Objicies non convenire Theologos ea de re quia D. Thomas 3. p. q. 25. art. 3. & Albertus in 3. diſt. 9. volunt imagines eodem cultu adorandas quo exemplar. At Henricus quodlibeto 10. q. 10. & Scotus in 3. diſt. 9. diverſa & inferiori colendas eſſe volunt. Reſpondetur diſcrimen iſtud potuiſſe emanare ex minus attenta conſideratione definitionis ipſius ſynodi, ſicut ſupra putat Baronius. Vel Theologos qui dixerunt eodem cultu afficiendam eſſe imaginem quo exemplar, reſpexiſſe ad habitum non ad actum, itaut quamvis actus honoris ut terminatur ad imaginem ſit inferior actu ut terminatur ad exemplar, utrumque tamen colatur ex eodem habitu, puta latriæ, duliæ aut hyperduliæ. Hocque patet in dilectione Dei & proximi qui amantur in eodem habitu charitatis, licet actus dilectionis ad Deum terminati ſit dilectio ſuper omnia, terminati vero ad proximum ſit inferior dilectio. Ut enim qui amat Deum, propter ipſum amat etiam proximum quem videt aliquid eſſe Dei & ad Deum pertinere, ſic qui ex virtute latriæ adorat Deum & Chriſtum, videns ejus imaginem eſſe ipſius & ad eum ſpectare, ex eodem habitu latriæ inclinatur ad venerandam, & in pretio habendam illam imaginem ut aliquid pertinens ad eum quem ſuper omnia æſtimat; ut tamen dilectio proximi inferior eſt & minor dilectione Dei, ita & cultus imaginis inferior eſt cultu ipſius Chriſti. Nec enim inſolens eſt ut eadem virtus ad diverſos inæquales actus ſubjectum diſponat. Denique imago duobus modis honoratur. Primo ut ipſa ſit objectum materiale terminativum cultus, prototypũ autem ratio propter quam colatur. Secundo itaut imago ſimul cum prototypo honoretur, ita tamen ut prototypum primario honoretur imago ſecundario, ſicut veſtes regiæ cum rege ſimul honorantur, vocaturque iſtud magis coadoratio quam adoratio. Sic apprehendendo mente crucifixum ſimul cum cruce & adorando directa intentione crucifixum, crux ipſa eodem actu coadoratur. Juxta ergo unum ex his modis, loquuti ſunt quidam Theologi, juxta alterum alij, reipſa conſentientes verbis & expreſſione diſſentientes. Quamvis diverſitas eorum quæcunque ſit veritati præjudicium non debeat inferre.

Coadoratio.

Nec ſi qui abuſus in plebe indocta occaſione imaginum ſuboriantur aliquando. Leges enim bono publico proſpiciunt, non paucorum numero. Docendi ſunt ignorantes à paſtoribus; quod autem in Eccleſia ſemper ſervatum fuit & authoritate etiam conciliorum non inſtitutum ſed confirmatum, propter quorundam abuſus proſcribendum non erit. Pie dixit quiſpiam: ſi imagines redemptoris noſtri Jeſu Chriſti à nobis ſint auferendæ, tollantur equidem, ſed tum cum nobis facie ad faciem illum dabitur intueri. Sed uſque ad illud cum ejus aſpectu privati ſimus in hac valle miſeriarum, quid nobis jucundius accidere poterit quam ut ejus ſacræ imagines oculis noſtris quacumque ex parte obverſentur, ne unquam tam dilecti benefactoris recordatio & amor in noſtris deleantur cordibus.

A *Theolog. Affect. part. 3. tract. 1. Medit. 13. puncto 3. Editione ultima.*

De præſide hujus Synodi.

Movet aliam controverſiam Hornus Anglo-Lutheranus audens etiam ex hoc Concilio probare prætenſum papatum regis Angliæ, cum tamen evidentiſſime conſtet, quod non ſecus ac in Chalcedonenſi litteræ Leonis Papæ, & in ſexto Concilio Agathonis Papæ, ſic in hac ſeptima ſynodo litteræ Adriani Papæ ad Imperatorem & ad Taraſium publice lectæ ſunt & unanimi conſenſu approbatæ, in quibus ſuo conſenſu congregatam teſtatur. Sed & legati ejus primi ſubſcribunt, torque extant alia primatus ſummi Pontificis B inſignia in hac ſynodo, ut vix ſibi temperet Stapleto vehemens in hæreticos ſcriptor nec inglorius ex victoriis contra ipſos, dum perſtringit Hornum hac in parte in Replica ad ejus Flatum l. 3. cap. 7. A page, inquit, impudentiſſimum impudentiæ ſpeculum, tantum ne audaciæ? an non pudet impudentiſſime hoc 7. Concilium vel leviſſima mentione attingere? Quod tuoſque omnes qui ſacras vellicant imagines & idola nuncupant dito anathemate perſtringit. Et addit Age macte hac indole Horne, & ad amplitudinem tituli & famæ tuæ augmentum mendacia tua (quæ hoc etiam in loco ſpiſſa apparent) adjiciantur: quale illud eſt in primis quod circa hoc tempus ſummi Pontifices, ut ſummam nanciſcerentur, egregia facinora adinvenerint. Tum quod Irene Conſtantini mater ignara erat C & ſuperſtitioſa fœmina. Tertio quod in Concilio res judicatæ non erant ſecundum evangelia. Ultimo quod ſine authoritate Imperatoris, nihil in Concilio attentatum aut actu merat. Audaciſſimas audio aſſertiones, probationes non invenio.

Nequaquam reprobata hæc Synodus.

An verò Synodus hæc ſeptima reprobata ſit in Concilio Francofordienſi, non levis eſt difficultas, quia non pauci authores antiqui iſtud aſſerunt, citatur enim pro hac ſententia Hincmarus Remenſis libro contra Jandunenſem ſeu Laudunenſem. Nec non libi Carolini. Reſpondeo ad hujus difficultatis ſolutionem conſiderari poſſe, antiquos ſcriptores varie admodum D loqui de illa ſeptima ſynodo quæ reprobata eſt, nec ſibi ullo modo conſtare. Nam author vitæ Caroli magni quæ habetur tom. 2. hiſtoriæ Francorum Andreæ Ducennij loquitur in hunc modum ea de re. Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis imaginibus facta, quam falſo ſeptimam vocabant, rejecta eſt à Pontificibus. Ubi videre eſt non à Concilio Francofordienſi, ſed à Pontificibus, nempe Romanis, abjectam eſſe: at illi non aliam abjecerunt quam Copronimianam, quam falſo ſeptimam univerſalem vocitabant. Eginhardus vero in annalibus ad annum 796. Synodus vero, inquit, quæ ante paucos annos in Conſtantinopoli ſub Irene & filio ejus congregata & ab ipſis non ſolum ſeptima, verum etiam univerſalis erat appellata, ut nec ſeptima nec univerſalis haberetur diceretur ve, quaſi ſupervacua in totum ab omnibus abdicata eſt. Ubi E obſervare juvat Synodum abrogatam à Francoford. Concilio fuiſſe Conſtantinopoli habitam: ergo non erat illa Nicænã ſecunda quæ vera eſt ſeptima univerſalis: errat ergo Eginhardus dum meminit Irenæ matris Conſtantini. In eodem tomo 2. hiſtor. Francorum verſibus deſcribitur ſynodus Francofordienſis per veterem Poëtam Saxonicum, * qui itidem Conſtantinopoli habitam ait, quæ reprobata eſt à Synodo Francofordienſi.

Concil. Francofurd.

* *Lib. de geſt. Caroli Mag. an. 794.*

Annis preterea ſynodum non pluribus ante,
Conſtantinopoli celebrari fecit in urbe
Græcorum principi, qui Conſtantinus habebat
Nomen, & ejuſdem genitrix Hirene vocata.

Et condixerunt ut ſeptima ſeu generalis
Appellaretur, ſed eam non nomine tali
Dignam Concilium pariter cognoverat iſtud,
Vtque ſupervacuam ſpernendam cenſuit iſte.

Carolum videlicet.

ubi annotare licet reprobatam ſynodum Conſtantinopoli non Nicæ celebratam fuiſſe: Unde dicendum eſt non veram ſeptimam Nicæ celebratam abdicatam fuiſſe, ſed Copronymianam, & falli authores in matre Conſtantini Irene, niſi forſan & Copronymi mater eodem nomine vocata fuerit, qua de re non conſtat. Sed nec rex Carolus, Adriano Papæ addictiſſimus imaginibus unquam adverſarius exticit, ut falſo ſub ejus nomine editi fuerint libri Carolini dicti, qui non ita pridem evulgati ſunt. Liber autem Hincmari contra Laudunenſem non reponitur à Tritemio inter ejus opera, ſcatetque erroribus: eum porro Sirmondus accenſet inter opera Hincmari tomo 2. ſed ibidem cap. 20. non videmus aliam ſeptimam ſynodum abdicatam quam quæ fuerit Conſtantinopoli coacta & ſine Apoſtolicæ ſedis aſſenſione ac authoritate: at talis non eſt Nicæna ſecunda. Unde patet quam temerarie multa opponuntur, non probe lectis libris & auctoribus. Quare ut levis eſt corde qui cito credit, ſic prudens eſt animo qui judicium ſuſpendit donec authores ipſos legere poſſit.

Quod ergo quidam Gallo-Flander id prò conſtanti habeat de Concilio tempore Caroli Magni celebrato, idque ex c. 44. Thegani in chronico, referant ad mores Epiſcoporum hujus temporis, quod ſcilicet Epiſcopi Franci eſſent paſſim imperiti, ruſtici, inquieti, ſervili genere nati, ſuperbiſſimi, intolerabiles, quique ex hujuſmodi virtutibus didicerunt rebellare in ſeptimam ſynodum ac ſedem Apoſtolicam & poſtea in regem ac Imperatorem: id totum floccipendendum eſt, maxime cum ab auctore ſcriptum ſit cujus calamus fellis amaritudine tinctus apparet in Galliam, forſan ob recentes victorias regis Chriſtianiſſimi in Gallo-Flandria. Legenda in claſſe 4. quæ ſpectant ad Concilium Francofordienſe, in quo difficultas magis diſcutitur.

CONCILIVM CONSTANTINOP. IV. GENERALE, SEV OCTAVA SYNODVS

centum & duorum Epiſcoporum anno Domini 869. die 5. Octob. inchoata, & anno ſequenti 870. ultimo Febr. abſoluta.

In cauſa Photij & Ignatij pro Patriarchatu Conſtantinopolitano, tempore Adriani II. & Baſilij Imperatoris.

QVÆ ſpectant ad hiſtoriam hujus octavæ ſynodi œcumenicæ, haberi poſſunt ex præfatione, actis hujus ſynodi præfixa ab Anaſtaſio Bibliothecario Apoſtolicæ ſedis, qui ea Conſtantinopoli Romam detulit, ac è græco in Latinum tranſtulit; ſummoque Pontifici Adriano ſecundo dedicavit. In prædicta autem præfatione quæ locum tenet Epiſtolæ dedicatoriæ, narrat ſtylo hiſtorico quomodo Ignatius, abdicato Joanne Patriarcha Conſtantinopolis ob hæreſim Iconomachorum, è monaſterio, in quo ad ſenectutem uſque ſanctiſſime vixerat, ad apicem ſedis Conſtantinopolitanæ promotus eſt cunctorum votis, niſi perpauci Epiſcopi inter quos erat Gregorius Siracuſanus diſſentiebant, eo quod cum ad ſacerdotium recipiendi eſſent, Ignatius obſtitiſſet ob quædam eorum publicata crimina. His autem favebat quidam ſenator ſæcularis ſecretarius Imperatoris Michaëlis nomine Photius ad Patriarchale faſtigium aſcendere affectans, qui cum ipſis à divinis abſtinebat dum celebraret Ignatius, & quoſcumque poterant ab ejus communione avertebant ſub eo primum prætextu quod Ignatius vitam prædeceſſoris ſui Methodij diffamaret ſicque eſſet quaſi parricida, cum è contra Ignatius illum in magno haberet pretio. Acceſſit ad hoc quod Ignatius, Bardam, Germanum Theodoræ Auguſtæ de inceſtu arguit cum nuru, & niſi abſtineret excommunicaturum ſe eum comminatus eſt. Qui Bardas ex hoc offenſus Photio & aliis ſe adjunxit, ac ut Ignatium inviſum redderet Imperatori, ſuaſit ei ut præciperet Patriarchæ quod Auguſtam matrem ſuam & Teclam ſororem tonderet & in monaſterio collocaret, quod cum ille renueret eo quod ſponte talem non eligerent profeſſionem, auſus eſt Bardas Ignatium apud Imperatorem accuſare quod in ejus vitam conſpiraret: cui ille credulus Ignatium à regimine Patriarchatus abegit, ac in inſulam relegavit, in qua eum Bardas tantis affecit tormentis ut dentes illi fregerit, & multis lacerare juſſerit colaphis, uſquequo ſeſe demitteret ab Eccleſia, qua ſine juridica diſcuſſione fuerat denudatus. Sed & ejuſdem Bardæ favore Photius ex laicali militia ſubito ad ſacerdotium & thronum Patriarchatus evectus eſt contra canonum prohibitiones, nec attendens quod legitimus Patriarcha Ignatius dum pelleretur, Eccleſiam ligavit, ne quiſquam abſque ſe in ea ſacra tentaret celebrare officia.

Photij ambitio.

Pſeudo-ſynodus.

At his compertis cœperunt nonnulli Metropolitani antiſtites inferioriſque ſacerdotij clerici ac laici clamitare pro Ignatio ut ſibi paſtor redderetur. Quod Photius ſentiens Bardæ opera ſynodum quorundam Epiſcoporum per Imperatorem congregari procuravit, in qua depoſitus eſt ſynodali ſententia Ignatius. Sed nec ſic acquievit populus quin adhuc ardentius paſtorem exquireret. Quare Photius ad Nicolaum Papam prædeceſſorem Adriani mittit, ſperans ab illo ſe approbandum & repellendum Ignatium: ſicque omnium ora ſilerent. Sed Pontifex Rom. deprehendit Photij malitiam atque juſtitiæ tramitem ſequens, miſit Conſtantinopolim Rodoaldum Portuenſem & Zachariam Anagninum Epiſcopos cum epiſtolis pro Ignatio reſtituendo & Photio extrudendo; at Græci litteras corruperunt & quicquid erat pro Ignatio vel contra Photium interverterunt, ac congregato Concilio in præſentia miſſorum à ſede Apoſtolica, iterum Ignatius è ſede ſua dejectus declaratur, quaſi fieret validior depoſitio, præſentibus ſedis Apoſtolicæ Vicariis, qui non intelligebant qua arte iſta fiebant. At hoc diſcens Nicolaus, tantam injuſtitiam minime impunitam deſeri paſſus Photium excommunicat, ſede privat, ac in omnes adhærentes anathema decernit. Cui cenſuræ cum non obediret Photius, ſacratus fidelium catalogus ab ejus communione ſequeſtrat ſe, abhorrens quod à tanta ſede perculſus durior ſilice verbera dura impudenti fronte contemneret.

Malitia Photij.

Quod Photius moleſtiſſime ferens ſæva quæque exerçet in eos qui ſibi non communicabant, etiam eremitas in monte Olympo fugat eorumque tuguria incendit, hos exilio, hos privatione bonorum mulctat favente ei Michaële Imperatore. Quo etiam præſidente, quod horribilius eſt, conciliabulum colligit, in quo falſos homines quaſi vicarios ſedium Orientalium format accuſatores, muneribus armat, exceſſus quoſdam quaſi ſummi Pontificis Nicolai eſſent, fingit, impingit, ſimulque damnatione & anathemate percutit, cunctis qui aderant, paucis exceptis, clamantibus non eſſe juſtum in ſummum Pontificem præcipue ab inferiori quomodolibet ſententiam ferri, cum id nec canon quiſquam admittat aut aliqua Eccleſiæ conſuetu-

do fieri doceat. Verum iſte falſarius falſorum exceſ- A ſuum adverſus inſontem abſentem & non convictum, mendacem codicem compilat, mille circiter antiſtitum ſubſcriptiones interſerit, cum præter viginti & unum Epiſcopos, nemo ſubſcripſiſſet ex tanta multitudine. Unde pij quique eum ut alterum Dioſcorum habent fugiuntque ut Antichriſtum alterum.

Cæterum conſtruit alteram thecnam hic perverſorum dogmatum cultor. Perſuadet Imperatori, ut præcipiat neminem teſtamentum facere vel eleemoſynas erogare niſi per manus ſuas, ut cum divitum ſubſtantias erogaret, munificus haberetur. Sed & quotquot ad eum veniebant inſtructionis gratia, proprio ſcripto ſpondere ſe obligabantur, ſe ſecundum illius fidem credituros. Quod maximo ſcandalo fuit, cum idem Photius multo ante prædicaret hominem ex duabus conſtare animabus. Cumque illi vir eximiæ probitatis B exprobraret, quod hunc errorem in populum ſpargens multas animas interfeciſſet, reſpondiſſetq; ſe non ſtudio quemquam lædendi iſta dixiſſe. Jactaſti, inquit, ſagittas in multitudinem copioſæ turbæ, & ignoraſti quemlibet ex his vulnerandum. Certe omnibus patet quod ſicut oculi quantumlibet ſint magni & aperti, ſi fumus paleārum interjacuerit, videre ultra non poſſunt, ac per id verum eſt te putaſſe neminem ictu tuo lædendum, ſic oculi ſapientiæ tuæ quantumlibet ſint magni & patuli, avaritiæ tamen & invidiæ fumo penitus obcæcati, tranatem juſtitiæ videre non poſſunt, &c.

Interea moritur Michaël Imperator, remanetque ſingularis in Imperio Baſilius vocatus ideirco ab om- C nibus Monocrator, qui diligentius inveſtigans quid decretum fuerat à ſummo Pontifice tam circa Ignatium, quam ſuper Iconomachis qui ſenſim contra ſacras imagines garrire rediviva præſumptione videbantur, Photium throno decidere perſuadet, & Ignatium hunc recipere hortatur. Verum quia Ignatius propoſuerat thronum non recipere abſque potioris ſedis judicio, Codicem quem contra Nicolaum ſcripſerat Photius, Romam mittit Baſilius ad Adrianum II. Papam ejus ſucceſſorem, petitque ut cauſam hanc inter Photium & Ignatium definiat. Adrianus collecta mox ſynodo apud Ba. Petrum, codicem illum cremari juſſit. *Liber Photij crematur.* Miſſiſque cum auctoritate Apoſtolica Vicariis & epiſtolis decretalibus juſſit fieri Conſtantinopoli ſynodum pro multis quidem neceſſitatibus Eccleſiæ, ſed pro his præcipue quæ in ejus ſynodi actis inſinuantur, D in qua ſcilicet Photius ob id etiam ſpecialiter condemnatur, quoniam depoſitionem vel anathema præſumpſit in ſanctæ memoriæ Papam Nicolaum nominare. Factaque eſt anno tertio Baſilij, quæ univerſalis non inconvenienter appellatur. Hæc carptim ex Anaſtaſij præfatione.

Obedientia ſummo Pontif. ab Epiſcop. Concilij præſtita.

Quibus addi poſſent quæ leguntur in vita Adriani ſecundi, Legatos ſummi Pontificis noluiſſe alios Epiſcopos in ſynodum admittere, niſi eos qui libellum ſubſcripſiſſent in quo obedientiam ad ſummum Pontificem teſtarentur qui prius Photio adhærentes reſtiterant. Quæ res etſi nova tunc viſa ſit, paulatim tamen omnes Orientales acquieverunt, à quibus ſolum id exigebatur ut ſatisfacerent Rom. Pontifici, quamvis expleto Concilio ſuos libellos recipere curaverint. E Habitum eſt ut in eadem vita indicatur, in templo ſanctæ Sophiæ, ac poſt diem tertium ſubſcriptionis actorum Concilij, actum eſt in domo aliâ de controverſia Bulgarorum cuinam Eccleſiæ immediate ſubjecti eſſent, Conſtantinopolitanæ an Romanæ; terras enim habitabant Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ prius ſubditas, ipſi autem antea pagani & inſtructionem in fide & ſacerdotes à Rom. Eccleſia acceperant. Proteſtati ſunt autem Legati ſummi Pontificis ſe nihil in mandatis habere ea dere, nec ſe cenſere quidquam poſſe definiri. Quod hic breviter annotare viſum eſt, ne controverſiam iſtam ad ſynodum hanc pertinere arbitretur quiſpiam, in qua non de jure ſummo agebatur, quod abſque dubio ſummi Pontificis Romani erat, ſed de proprio jure Patriarchali ex canonibus Nicænis confirmato.

Quid autem præſens Concilium myſterium redemptionis juvet, obſcurum ſatis eſt, quia quo ſenſu opinio duarum animarum in eodem homine à Photio defendebatur, ſatis non patet. Quod ſi eo ſenſu eas admittebat quo aliqui Philoſophi dicunt in homine tres animas diſtinctas rationalem, ſentientem, vegetantem, non erat quod id damnaretur cum plures id defendant Philoponus, Zabarella, Gandavenſis, Jamdunus, *Opinio de duabus animabus adverſatur redemptionis negotio.* Paulus Venetus, Occam, Mazzon, Mirandulanus & Thomas Barbius quos refert & excuſat à cenſura Hugo Cavellus diſp. de ſubſtantia animæ ſect. 7 tom. 2. Operum Scoti, nempe ut putat idem Hugo Cavellus diſput. præcitata eadem 7. ſectione, quod ſi alio forſan ſenſu, eodem quo Manichæi magni fabulatores, duas in uno homine admittebant animas, unam quæ eſſet ex ſubſtantia boni principij lucis, quæ nonniſi bonum agere poterat: alteram ex ſubſtantia mali principij principis tenebrarum, quæ non niſi malum operari poterat, tunc cum tollerent rationem veri peccati ab homine, conſequenter neceſſitatem redemptionis adimebant, cum non ſit niſi propter peccatores: ſicut medicina propter ægrotantes. Eos convincit D. Auguſtinus in l. *de duabus animabus* quod rationem peccati tollerent per hujuſmodi doctrinam, ſuppoſitis *Manichæi non tuentur.* duabus definitionibus, quarum una eſt voluntatis, altera peccati: voluntas eſt animi motus cogente nullo ad aliquid vel non admittendum vel adipiſcendum: at peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere, quamquam ſi libeſum non ſit non eſt voluntas, ſed malui, inquit, craſſius quam ſcrupuloſius definire, &c. Ex his principiis conſequitur non eſſe peccatum in iſtis duobus generibus animarum, unum ex quo nihil mali eſſe poſſit, alterum ex quo nihil boni. Jam quippe non eſt liberum abſtinere, unde tollitur utilitas pœnitentiæ: cujus enim eſſet penitere? non bonæ quæ nihil mali poteſt, nec malæ quæ nihil boni potuit habere. Pœnitendi enim illa affectio, inquit D. Auguſtinus, quæ prodit inale feciſſe pœnitentem, & bene facere potuiſſe teſtatur. Adde vero, quam ex his animabus redemiſſet Chriſtus? non bonam quæ redemptione non egebat: nec etiam malam quæ melior reddi non poterat: ſic igitur doctrina hæc qua tota illa ſecta bicipiti vel præcipiti animarum varietate fulciebatur, redemptioni Chriſti adverſaria erat. Quod ſi alia mens fuerit Photij, dualitas tamen illa animarum non poteſt non multum interturbare magnum redemptionis & ſalutis humanæ myſterium. Melius homo invigilat ſuæ ſaluti cum perſuaſerit ſibi ſe unicam animam habere, qua ſalva totus homo beatus ſit: qua peremta totus miſer ſit. Quod ſi duas illi aſſignes, diceret ſi perdidero unam ſalvabitur altera: & quale monſtrum hoc in ſalutis negotio! Itaque pro redemptione etiam militat hoc Concilium in cenſura Photij.

ACTIO PRIMA.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. *Evangelia cum cruce.* E Anno tertio conſulatus amicorum Chriſti, & piiſſimorum Imperatorum noſtrorum Baſilij & Conſtantini perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, menſe Octo. die 5. feria quarta, propoſitis pretioſis & vivificis lignis, & intemeratis ſalutis noſtræ Evangeliis, Catechumenorū nominatiſſimi templi ſanctæ ac magni nominis Sophiæ; convenientibus autem Donato & Stephano Deo amabiliſſimis Epiſcopis, & Marino venerabili Diacono, locum tenentibus Adriani ſanctiſſimi ac beatiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ, & Ignatio honorabiliſſimo Archiep. magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ, & ſanctiſſimis Vicariis Orientis, Thoma videlicet ſanctiſſimo Metropolita Tyri, locum tenente ſedis Antiochiæ, eo quod eadem

viduata eſſet Eccleſia, & Helia Dei cultore Preſbytero & Syncello locum tenente Theodoſij ſanctiſſimi Archiepiſcopi ſedis Hieroſolymorum. Deinde ſecundum juſſionem amicorum Chriſti, & piiſſimorum magnorum noſtrorum Imperatorum Baſilij & Conſtantini, præſentibus & audientibus laudabiliſſimis Patriciis, videlicet Theodoro laudabiliſſimo Patricio & præpoſito, Hemero laudabiliſſimo Proconſule ac Patricio, Leone laudabiliſſimo Proconſule ac Patricio, Joanne laudabiliſſimo Patricio ac logotheta Exeoſdromi, Leone laudabiliſſimo Patricio & domeſtico excubitorum, Paulo laudabiliſſimo Patricio & Eparcho Prætoriorum, Manuele laudabiliſſimo Patricio, Theophylacto laudabiliſſimo Patricio, Petronate laudabiliſſimo Patricio, & Horeſte Protoſpathario & domeſtico * ycanatorum.

*parentis

His ergo congregatis, ſanctiſſimi Vicarij Senioris Romæ, & Ignatius ſanctiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, & honoratiſſimi Vicarij Orientis dixerunt: Ingrediantur Epiſcopi omnes, quotquot laboraverunt & cenaverunt pro verbo veritatis, utpote conſentanei Ignatij ſanctiſſimi Archiepiſcopi Conſtantinopoleos; & ingredientibus illis, Nicej horo videlicet Deo amantiſſimo Metropolita Amaſiæ, Joanne Deo amantiſſimo Metropolita Silei, Niceta Deo amantiſſimo Metropolita Athenarum, Metrophane Deo amantiſſimo Metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amantiſſimo Metropolita Rhodi, Georgio Deo amantiſſimo Epiſcopo Hiopoleos, Petro Deo amantiſſimo Epiſcopo Troadis, Niceta Deo amantiſſimo Epiſcopo Cephaludij, * Anaſtaſio Deo amantiſſimo Epiſcopo Magneſiæ, Nicephoro Deo amantiſſimo Epiſcopo Crotonæ, Antonio Deo amantiſſimo Epiſcopo Aliſi, & Michaele Deo amantiſſimo Epiſcopo Cercyterum, ſanctiſſimi Vicarij ſenioris Romæ & Orientis dixerunt: Sedeant ſecundum ordinem ſuum, quia digni ſunt, & beatos & ter beatos hos æſtimamus, & ſedentibus eis, ſtans in medio Bahanes famoſiſſimus Patricius & præpoſitus ad ſanctam Synodum dixit: Imperator noſter ſanctus Epanagnoſticum tranſmiſit, & ſi jubetis & placet vobis, recitetur coram ſancta ſynodo. Sanctiſſimi Vicarij ſenioris Romæ & Orientis dixerunt: placuit nobis ſermo, & accipiens Theodorus vir devotus a ſecretis legit.

*al. Athanaſiu.

Epiſt. Imperatorum.

Cum divina & benigniſſima providentia nobis gubernacula univerſalis navis commiſiſſet, omne ſtudium arripuimus & ante publicas curas, Eccleſiaſticas contentiones diſſolvendi & procellas, quæ per multos annos ex invidia odientis bonum Sathanæ expanſæ ſunt, in ſtabilem tranquillitatem per meliorem quandam proviſionem transferendi, hic quidem munito divinitus Imperio noſtro ſemper hoc deſiderium gerente, & ita opportunum eſſe optimè perpendente, ac ab aliis Patriarchalibus ſedibus Vicarios adducere propter jam dictam cauſam judicante: cooperatus eſt intentioni gubernati divinitus Imperij noſtri ſolus infinitæ potentiæ Rex, princeps pacis, &, ut aſpicitis conſilium noſtrum implevit, &, in idipſum convenire atque concurrere fecit à ſeniori quidam Roma Epiſcopos duos & Diaconum unum de defunctis ſeptem prudentia & intellectu ac vita honorabili decoratos, ab Oriente vero Porro-thronum Antiochiæ, id eſt, ſanctiſſimum Metropolitam Tyri, omni reverentia plenum; à Hieroſolymitana autem ſancta Dei Eccleſia, ſancta videlicet Sion, de qua exiit qui Propheratus eſt, & nova lex & diſcretor omnium gentium ſermo Domini, ſanctiſſimum Syncellum virum Apoſtolicum, & omni ſapientia divina & humana refertum. Igitur cooperatione & gratia Chriſti univerſorum Regis, & Dei cuncta tenentis, his, quæ prava omnibus vobis eſſe videbantur, in directa, & aſperis in vias planas, Imperatoria diligentia & ſtudio noſtro tranſlatis, commonemus & cohortamur omnes vos, fratres, ut cum multo pudore ac reverentia conveniatis ad hanc ſanctam & univerſalem Synodum, tanquam & communem & univerſis aptam, atque ſine livore medelam, nullam vitioſam monitionem vel affectum ferentes, nec ad contentioſam voluntatem reſpicientes, ſed potius vinci bene, quam vincere culpabiliter ac injuſtè ſcientes. Sic enim unuſquiſque, qui vitiatum interiorem patitur hominem, ſanitatem & æternam ſalutem recipiet. At vero & ad vos ipſos acclamationem Imperij noſtri proponimus; quippe qui judicij Synodici poteſtatem divinitus accepiſtis. Etenim vos veritatis eſſe ac divinæ juſtitiæ, ſecundum quod eſt poſſibile, dilectores, & imitatores nequaquam quidem ambigimus: ſed ut & Deo munitum Imperium noſtrum, ſecundum datam ſibi poteſtatis menſuram, in Eccleſiaſticis negotiis nihil tacuiſſe pateſcat eorum, quæ debentur atque conveniunt, depoſcimus & religionem veſtram, ut omnis gratiæ & odij tunc maximè ſuperatrix efficiatur; quin potius & impaſſibili beatæque naturæ ad perſonam non accipiendam, omni robore, quantum fieri poteſt, aſſimiletur; & neque perſonam potentis per gradum, vel per amicitiam accipiat, neque pauperis miſereatur in judicio: ſic enim ſecundum conſilium utique ac voluntatem Dei, atque tranquilliſſimi Imperij noſtri pacatiſſima ſubſequetur Eccleſiarum ordinatio.

Et poſt lectionem, Vicarij ſenioris Romæ dixerunt: Iſta res univerſalis eſt, & pertinens ad utilitatem Eccleſiæ, & hoc recitari ſanctæ Synodo placet & nobis omnibus: Thomas & Helias ſanctiſſimi Vicarij Orientis dixerunt: placuit & nobis ſimiliter: & facet Senatus dixit; & nobis omnibus placuit. Et ſurgens iterum Bahanes favoriſſimus Patricius & præpoſitus dixit: Epiſcopi petunt una cum Senatu, ut certificentur hora iſta, unde ſitis, & quam poteſtatem vel quales litteras habeatis. Donatus & Stephanus ſanctiſſimi Epiſcopi, Marinus Deo amantiſſimus Diaconus Vicarij ſenioris Romæ dixerunt: Hoc nos uſque nunc non invenimus in Univerſali Synodo factum, ut Vicarij Senioris Romæ à quolibet perpendantur, utrum talem exiſtimationem habeant. Bahanes famoſiſſimus Patricius ac præpoſitus dixit: & nos propter inhonorantiam Apoſtolici throni non dicimus hoc, ſed quia anteriores veſtri accedentes miſſi, Radoaldus ſcilicet & Zacharias deceperunt nos, alia in mandatis habentes & alia facientes. Sanctiſſimi Vicarij Senioris Romæ dixerunt: Ergo & omnem dubitationem emittamus è cordibus veſtris, & verbis & operibus certificemus vos quia ſecundum ea, quæ mandata & juſſa ſunt nobis, ita diſponemus: ecce & epiſtolas habemus ad Patriarcham & Imperatorem, & ſi jubetis, legentur, & rurſus idem ipſi dixerunt: Piiſſimus & amicus Chriſti Imperator, & ſanctiſſimus Ignatius Patriarcha Conſtantinopoleos miſerunt apocriſarios ſuos nobiliſſimos viros, & fideliſſimos ſancti Imperij ſui & Eccleſiæ Dei, Joannem Metropolitam Silei, & Baſilium ſpatharium ampliſſimum virum ad beatiſſimum Papam Nicolaum. Sed quoniam ille ad Dominum profectus eſt, ſuſcepit epiſt. Adrianus ejus ſucceſſor ſanctiſſimus Papa ſenioris Romæ, rogantes eum, ut mitteret apocriſarios ſuos Conſtantinopolim, quatenus error & zizania extirparentur de Eccleſia Conſtantinopoleos; & ecce gratia Dei veninus in conſpectu ſanctorum Imperatorum, & reperimus in eadem ſancta Conſtantinopolitanorum Eccleſia ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium, & præ manibus habemus epiſtolam, quam tranſmiſit Imperatori ſanctiſſimus Papa Adrianus, qui etiam poteſtatem nobis dedit, ut ſecundum quod beatiſſimus Papa Nicolaus diſpoſuit de ſancta Conſtantinopolitanorum Eccleſia, ita ordinemus, & moderemur atque firmemus, ut nullus adverſus eam pugnare poſſit, & ut quæ ipſe ſanctiſſimus Adrianus edidit, confirmemus. Cujus enim ſuſcepit honorem, ſuſcepit etiam laborem; quia propter hoc Deus poſuit eum in Eccleſia ſua. Ecce epiſtola ſanctiſſimi Papæ Adriani, & ſi vultis, ſecundum quod prædiximus, legatur. Sancta Synodus dixit, legatur:

Petuntur litteræ à Legatis ſummi Pontificis.

&

& accipiens Marinus Deo amiciſſimus Diaconus ſanctæ Romanorum Eccleſiæ, epiſtolam Latinè legit magna voce in audientiam omnium, in Græcum eam eloquium transferente Damiano venerabiliſſimo Regio clerico & interprete.

Adrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, piiſſimo Imperatori Baſilio Auguſto Chriſtianiſſimo & deſiderabiliſſimo filio. Legationis excellentiæ tuæ, &c. Et poſt pauca ſubjungit. Volumus per veſtræ pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum celebrare Concilium, cui noſtri quoque miſſi præſidentes, & culparum perſonarumque differentias liquido cognoſcentes (juxta quod in mandatis acceperunt) ſingulorum libere diſcretiones exerceant: in quo ſacrato cœtu execrandæ vanitatis Concilij, quod adverſum hanc ſedem actum eſt, cuncta decernimus exemplaria à poſſeſſoribus ſuis ablata (contemplantibus cunctis) igne cremari, nec ſupereſſe apud quemlibet ex his omnibus, ſaltem unum iota vel unum apicem, niſi quis totius clericatus, imo totius nominis Chriſtiani (anathemate perculſus) carere voluerit. Non enim tam deteſtandum collegium niſi Ariminenſi ſub Conſtantio, vel Epheſino à Dioſcoro congregato latrocinio comparandum decernimus. Et dilectos fratres meos Donatum ſanctæ Eccleſiæ Hoſtienſis, & Stephanum Eccleſiæ Nepeſinæ Reverend. Epiſcopos, atque filium meum Marinum Apoſtolicæ ſedis Diaconum, conſiliarios noſtros tuæ commendamus pietati. Precamur, ut eos ob amorem præcipuorum Apoſtolorum Petri & Pauli (à quorum ſede mittuntur) benigne ſuſcipias, & tanquam nobiſmetipſis aures credulitatis accommodes.

Deinde productus eſt libellus à ſancta Romanorum Eccleſia miſſus, & lectus audiente tota Synodo. Cujus ſumma eſt.

Anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui contra ſacras regulas, & ſanctorum Pontificum Romanorum veneranda decreta repente de curiali adminiſtratione, ſecularique militia ſublatus (ſuperſtite Ignatio Patriarcha) in Conſtantinopolis eſt perſuaſorie, imò tyrannice à quibuſdam ſchiſmaticis, vel anathemazatis atque depoſitis inſtitutus Eccleſia, donec ſedis Apoſtolicæ ſanctionibus inobediens perſeverans, ejus ſententiam tam de ſe, quam de Patriarcha noſtro Ignatio ſpreverit, & conciliabuli acta, quod ſe authore, contra ſedem Apoſtolicam congregatum eſt, anathematizare diſtulerit. Sequimur autem ſanctam Synodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus (cui & ipſe Domine coangelice ſumme Pontifex Adriane ſubſcripſiſti) ante ſacratiſſimum Petri & Pauli Apoſtolorum eximij corpus celebravit. Simul & quam tu ipſe nuper egiſti, & omnia, quæ in his ſtatuta ſunt, ſecundum decreti veſtri moderationem venerabiliter conſervabimus, recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati ſunt, & præcipue jam dictum Photium & Gregorium Syraculanum patricidas videlicet, qui contra ſpiritalem patrem ſuum linguas eximere minime formidarunt, atque perſeverantes in ſchiſmate ſequaces eorum, necnon & qui in illorum communionis ſocietate permanſerint.

Sancta Synodus dixit: Omnibus placet libellus à ſancta Romanorum Eccleſia expoſitus.

Deinde lecta eſt definitio Epiſcoporum Orientis ſuper depoſitione Ignatij, quæ facta fuerat priuſquam Vicarij ſenioris Romæ veniſſent, quæ conveniebat cum ea, quæ facta fuerat à Synodo Romana præſente Nicolao Papa. Et abſoluta eſt actio prima.

ACTIO SECUNDA.

Ad hanc ſeſſionem venerunt, qui ceciderant cum Photio, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi: & proferentes libellos pœnitentiæ coram Synodo, recepti ſunt ab ea cum ſola manus impoſitione. Et abſolutus eſt conventus ſecundus.

ACTIO TERTIA.

In hoc conventu lecta eſt epiſtola Imperatoris Baſilij, & epiſtola Ignatij Patriarchæ ad Nicolaum Papam: & deinde epiſtola Adriani Papæ ad Ignatium Patriarcham ſuper damnatione Photij, & ſuorum ſectatorum.

ACTIO QVARTA.

In hac ſeſſione primo legitur epiſtola Nicolai ad Michaelem Imperatorem, miſſa per Rodoaldum & Zachariam olim Epiſcopos: in qua oſtendit Cæſari, hominem laicum non promovendum ad Sacerdotium ſubito, ſed per ſuos gradus, ſicut Sardicenſe Concilium (ut de laicis non eligerentur antiſtites) in Can. 15. per omnia prohibuit. Item & Cœleſtinus Papa in decreto ſuæ ſanctionis cap. 21. & Leo Romanæ ſedis Pontifex hoc ipſum in decretalibus ſuis prohibuit cap. 23. Item & Gelaſius non ſolum Epiſcopos de laicis fieri prohibuit, ſed etiam Presbyteros ne talia præſumerent, vetuit in decretorum ſuorum c. 3. *Diſt. 63. c. Adrianus.*

Accedit, quod prædeceſſor noſter Adrianus primus in epiſtola quam Conſtantinopolim pro venerandis imaginibus deſtinaverat, ita inſtituit, ut amplius de laicis nullatenus ordinarentur antiſtites. Hæc Nicolaus. Subinde verò commendat venerationem ſanctarum imaginum.

Secundo, legitur altera ejuſdem Nicolai ad Photium epiſtola, in qua invehitur in illum propter uſurpatum Sacerdotium contra ordinem ſacrorum Canonum. Deinde ad illud quod ſcripſerat ad Nicolaum Papam, quod exemplo aliorum Patrum fecerat, reſpondet.

Temere & impudenter ad tanti honoris culmen aſcendere præſumpſiſti, aſſumens tibi quaſi à ſanctiſſimo viro Nectario occaſionem, quem ſancta ſecunda Synodus non ob aliud ad Sacerdotalem eligere, atque ordinare ex laicali ordine voluit dignitatem, niſi quia magnæ neceſſitatis contritione anxiabatur, eo quod in Conſtantinopolitana Eccleſia nullus clericorum inveniri poterat, qui peſſimæ hæreſeos nimboſa caligine non fuerat impeditus. Et ob hoc nediu jam dicta Eccleſia ſub deſtitutione paſtoris quaſi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem hæreticorum, & defenſorem Eccleſiarum ad Eccleſiaſticam curam & dignitatem Sacerdotalem ſecunda ſancta ſynodus elegit. Sed ut hoc iterum fieret, non confirmavit, nec inſtituit. Et ideo licet contra Patrum, atq; canonicas inſtitutiones, quod per neceſſitatis fieri eventus comprobatur, non in authoritate tenendum eſt: ſed ne iterum talis proveniat neceſſitas, magis magiſque cavendum.

De Taraſij quidem promotione, qui ſimiliter ex laïci cœtu ad Patriarchatus extemplo culmen promotus eſt, quam & vos quaſi in authoritate veſtræ defenſionis aſſumere vultis, ſi ſanctam (quæ apud vos tempore ſanctiſſimi viri Adriani Papæ celebrata eſt) Synodum diligentius ſcrutati fueritis, invenietis quid in eadem ſanctiſſimus vir conſultus decrevit: & quòd dum ejus conſecrationis reprehenderet actus, & mœrorem ſe pro tam præſumptiva factione minimum ſuſtinere profiteretur. Dicit enim quòd niſi in erigendis imaginibus ferventius contra illarum depoſitores, atque conculcatores ut verus miles Chriſti reſiſteres, nequaquam veſtræ conſecrationi aſſenſum præberemus, aut in ordine Patriarchatus veſtram dilectionem ſuſciperemus, quæ tantum declaratur inordinate promota, quantum comprobatur contra Apoſtolica decreta enormiter præſumpta.

Beatiſſimum quoque Ambroſium ſplendidiſſimam lucernam Eccleſiæ, qui ex cathecumeno (divino præſagio) ad Epiſcopalem per continuos gradus promotus eſt dignitatem, cur nobis pro veſtro ſutamine opponitis? Qui non inſtinctu hominum, *Hiſt. Eccl. lib. 11. c. 11.*

ſed divina vocatione per miraculorum prodigia electus eſt.

Tertio, legitur & alia epiſtola Nicolai ad Imperatorem, quæ idem tractat argumentum.

ACTIO QVINTA.

Ad ſeſſionem venit Photius, & ſtantem in præſentia Patrum interrogaverunt eum ter legati, ſi ſuſciperet conſtituta ſanctorum Patrum. At Photius non reſpondit verbum. Sed tamen urgentibus Vicariis ſenioris Romæ qui etiam palam adulterum vocaverunt, quod alienam ſponſam invaſiſſet, Eccleſiam ſcilicet Ignatij, tandem dixit: Vocem meam etiam me tacente Deus audit.

Præſidentes Synodi dixerunt: Per ſilentium non effugies manifeſtiorem damnationem. Photius dixit, nec Jeſus tacendo evaſit damnationem.

Sanctiſſimi Vicarij Apoſtolicarum ſedium dixerunt, non dignum eſt nos reſponſum tibi reddere de hujuſmodi loquutione, quoniam iis quæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ſunt, aſſimilaſti quæ tua ſunt. Nulla autem communicatio lucis ad tenebras, neque participatio juſtitiæ ad iniquitatem, nec conventio Chriſto ad Belial, neque conſenſus templo Dei cum idolis, de his autem unde interrogatus es, reſponde, utrum ſuſcipias judicia Sanctorum Pontificum Romanorum an non? & non reſpondit Photius. Sanctiſſimi Vicarij ſenioris Romæ dixerunt: inclinet cervicem ſuam, verbo & ſcripto enuntiet peccatum ſuum, anathematizet quæ injuriosè ſcripta & acta ſunt, quæ contra ſanctiſſimum Patriarcharum Ignatium bis abruptè geſſit, profiteatur nullam contra eum amplius machinationem aut commotionem deinceps acturum, ſed hunc veluti Pontificem ſuum cum magno pudore ſuſcepturum, & Apoſtolicæ cathedræ judicia tam de ſe quam de Ignatio Patriarcha promulgata honorabiliter amplectatur: & Photio tacente iidem legati dixerunt. Ecce homo qui obturavit aures ſuas ſicut aſpydis ſurdæ & non audit vocem quam ei ſancta Synodus objicit, ſed vult per ſilentium hanc effugere condemnationem quam S. Rom. Eccleſia promulgavit adverſus eum. Et eo præſente fecerunt, ut legerentur epiſtolæ, quæ in actione quarta fuerant lectæ.

Photii ſilentium.

Quibus lectis, Vicarij ſenioris Romæ dixerunt. Nos ergo non novum aliquod vel recens judicium judicavimus, aut introducemus, ſed vetus ex multo tempore judicatum à beatiſſimo Papa Nicolao: firmatum autem à ſanctiſſimo Papa Adriano, & nos non poſſumus commoveri à paternis definitionibus & legibus. Quem ergo nec ſedes noſtra Apoſtolica, nec ſedes receperunt Orientalium, quis de cætero (Chriſtianus eſſe volens) ulterius ſuſcipiet? Sed talem conatum abjicimus, & anathematizamus, ne ulterius contra Eccleſiam talis quælibet alia forte in omne ſeculum maligna introducatur actio, nec temere à mundana poteſtate ejiciatur legitimus Pontifex, & pro eo ſubrogetur alter inique & illegaliter.

Sancta & univerſalis Synodus exclamavit. Recipimus hæc omnia, valde quippe ſunt diſcreta, & congrua Eccleſiaſticis regulis, atque legibus. Et ſic commonitus eſt ad pœnitentiam Photius & dimiſſus, & abſoluta eſt actio quinta.

ACTIO SEXTA.

Vocati ſunt ad Synodum Epiſcopi Photij, ante quos lectæ ſunt Epiſtolæ Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem & Photium per Leonem à ſecretis miſſæ (quæſque quarta continet actio) & cum nollent reſipiſcere, commonuit eos coram Synodo Balius Imperator. Et cum nec ſic agnoſcerent errorem ſuum, denuo commonuit eos Imperator dicens. Ecce qualiter & quoties admonuimus vos, & audiſtis, & non eſt vobis rationis ſermo. Si enim vultis ſubjici admonitionibus omnium noſtrum, ecce potus & medicina, quod ſi non, Imperium noſtrum præbet vobis inducias ſeptem dierum, ut ſi quidem curam geſſeritis ſalutis veſtræ, bene & optime, ſi verò minime, ventura ſexta feria in ſancta & univerſali Synodo ſtate omnes, & quicquid definierit univerſalis Synodus, fiet. Et abſoluta eſt actio ſexta.

ACTIO SEPTIMA.

Ingreſſus eſt Photius ad Synodum baculo innixus, quem ab eo Marinus Vicarius Romanus juſſit auferri dicens. Baculus ſignum eſt dignitatis paſtoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus eſt, non paſtor. Et hortabantur illum Vicarij ſenioris Romæ ad faciendum libellum pœnitentiæ: & tota ſynodus provocabat illum ad pœnitentiam: ſed ille eos è contrario cum ſuis Epiſcopis ad pœnitentiam magis impellebat.

Lecta Epiſtola Nicolai Papæ ad cleruin Conſtantinopolitanum in qua late tractat hoc argumentum de ſceleſta depoſitione Ignatij, & introductione Photij.

Mox recitata ſunt geſta Synodi, quæ facta eſt ab Adriano Romanorum Papa ſuper promotione Photij. In tertia autem allocutione Adriani ad Synodum ſic habetur. Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus: de eo vero quenquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat de hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus, majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel pravos ſuos ſenſus libere reſpuere, quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferre ſententiam, niſi ejuſdem primæ ſedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet.

Epiſc. Rom. non iudicatur à quoquam niſi in caſu hæreſis.

Adrianus Papa de profano conciliabulo Conſtantinopoli congregato penitus abolendo.

Conciliabulum vanitatis à Photio, & hujus fautore Michaële videlicet tyrannice imperante Conſtantinopoli nuper adverſus Apoſtolicæ ſedis reverentiam, & privilegium congregatum, ut potè veritatis inimicum, & omni falſitate repletum, tum & ſibi conſentientiũ animas interficiens Epheſino latrocinio comparandum fore ſtatuimus, & ipſius execranda geſta (quibuſcunque habeantur monumentis inſerta) ſummi judicis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctorum Apoſtolorum principum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis authoritate penitus abolenda decernimus, ita ut igni tradantur, & anathemate perpetuo percellantur. Similiter & de cæteris ſcripturis, quæ (viris jam nominatis authoribus) contra eandem ſedem tempore diverſo ſunt editæ, gerendum definimus.

Hic dãnatur ſynod. in templo apoſtol. celebrata Cõſtant. per Photiũ quæ habet 17. Canon.

De conventiculis contra Ignatiũ collectis ſimiliter abolendis.

De Photio invaſore iterato dãnato.

Damnatur & altera ſynod. Photio in templo Sophiæ celebrata habens 10 Canon.

Pari etiam modo de conventiculis ab eiſdem viris Michaele ſcilicet imperante, ſeu Photio Conſtantinopolitano invaſore bis adverſum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ignatium factioſe collectis, deliberamus.

Photium, qui licet ſit à deceſſore meo & à nobis pro criminibus ante patratis jure damnatus & anathematizatus, nunc tamen quia recentioribus exceſſibus priores iniquitates tranſcendit, & ponens in cœlum os ſuum adverſus veneranda ſedis Apoſtolicæ privilegia nova temeritate prorupit, cui reſiſtere minime formidavit, Apoſtolicæ authoritatis cenſura iterato damnamus, & anathematis nexibus innodamus. Si tamen viva voce ac proprio ſcripto Apoſtolicæ ſedi in omnibus obedire ſpoponderit, & prophanum conciliabulum à ſe Conſtantinopoli celebratum damnaverit, laïcæ communionis gratiam non negamus.

His ſententiis ſubſcripſit Adrianus Papa, etiam & alij Epiſcopi.

Poſt hæc vero Stephanus Diaconus fecit anathematiſmum Photij, & ſequacium, & cooperatorum ejus, in quo ipſum Photium ut ſecularem & tyrannum, ut ſchiſmaticum & damnatum, ut mœchum, & parricidam, ut fabricatorem mendacij, & ut novum Dioſcorum ac novum Judam anathematizat cum omnibus ſequacibus & fautoribus.

ACTIO OCTAVA.

In conventu octavo tractatum eſt de abolendis chirographis injuſtis & univerſis actis conciliabulorum, quæ à Photio contra Papam Nicolaum, & Patriarcham Ignatium celebrata ſunt. Quæ univerſa præcepto Imperatoris & Synodi combuſta ſunt.

Deinde venerunt ad Synodum aliqui Sacerdotes Iconomachi, & monitis ſanctæ Synodi, & Imperatoris converſi recepti ſunt cum ſola manus impoſitione.

Poſtremo Stephanus Diaconus è ſuggeſtu anathematizavit Iconomachos & Photium in hac forma. Concilio quod adhuc fremit contra venerabiles imagines, anathema.

His, qui ſumunt divinæ ſcripturæ dicta, quæ ſunt adverſus idola, contra venerandas imagines, anathema. Cætera ſicut in Synodo ſeptima & univerſali actione 7. in fine.

ACTIO NONA.

Quæ nona continentur actione. Nunciatur Synodo veniſſe Joſeph Vicarium Alexandriæ ſedis: hujus, hortante Synodo, epiſtola commendatitia legitur, & ipſe receptus, quæ acta ſunt in octo actionibus prædictis approbat.

Mox examinantur falſi teſtes, qui contra Ignatium juraverunt, & cum præſcripta à Synodo ſatisfactione pœnitentiæ recepti ſunt ad communionem Eccleſiæ. Sic recepti ſunt & cæteri, qui defecerant ad Photium deſerto legitimo antiſtite Ignatio.

ACTIO DECIMA.

In poſtrema ſeſſione annuente tota Synodo præceperunt Vicarij Senioris Romæ, ut legerentur canones, quos ſtatuerat ſancta Synodus.

Canones obſervæ Synodi œcumenicæ, quidam integri, alij in compendium reducti.

Canon I. *De obſervatione Canonum univerſalium & localium Synodorum.*

Regulas, quæ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ, tam à ſanctis Apoſtolis, quam ab Orthodoxorum univerſalibus, necnon & localibus Conciliis, vel etiam deiloquo patre ac magiſtro Eccleſiæ, traditæ ſunt, ſervare ac cuſtodire profitemur: quibus & propriam vitam & mores, & omnem Sacerdotij Catalogum regamus. Sed & omnes qui Chriſtiano conſentiunt vocabulo, damnationibus & juſtificationibus quæ per illas prolatæ ſunt, Canonice ſubjici decernimus. Tenere quippe traditiones, quas accepimus *ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam* Sanctorum qui ante fuerunt, Paulus aperte admonet. *2. Theſſ. 2.*

Canon II. *Ut ſervantur definitiones Nicolai & Adriani Papæ.*

Diſt. 63. Adrian. Secundus Canon habet, ut conſerventur definitiones ſynodicæ à beatiſſimo Nicolao Papa & Adriano Romanis Patriarchis pro defenſione Eccleſiæ Conſtantinopol. ac reſtitutione Ignatij, atque Photij Neophyti expulſione, ac condemnatione ejuſdem Photij. De quibus actione quarta.

Canon III. *Ut veneretur imago.*

Sacram imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti & omnium Salvatoris æquo honore cum libro ſanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutē conſequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem & ſapientes & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu eſt, perfruuntur utilitate. Quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & ſcriptura quæ in coloribus prædicat, & commendat. Dignum eſt enim ut ſecundum congruentiam rationis, & antiquiſſimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa refertur, etiam derivativæ imagines honorentur, & adorentur ut ſanctorum Evangeliorum ſacer liber, atque typus pretioſæ crucis. *De obſervatione imaginū.*

Canon IV. *Quod Neophytus Photius nunquam fuiſſe videatur Epiſcopus, neque ordinati ab eo tales ſint quales ille nominavit.*

Amorem principatus utpote quamdam malam radicem exortorū in Eccleſia ſcandalorum, radicitus excidentes, cum qui temere & prævaricatorie ac irregulariter veluti quidam gravis lupus in Chriſti ovile inſiliit, Photius ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ replevit, juſto decreto damnamus, promulgantes nunquam fuiſſe prius, aut nunc eſſe Epiſcopum, nec eos qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo conſecrati vel promoti ſunt, manere in eo ad quod provecti ſunt: inſuper & eos qui ab illo conſuetas orationes ad præpoſituræ promotionem ſuſceperunt, ab hujuſmodi patrocinio coërcemus. Sed & Eccleſias, quas ut putatur tam Photius quam ij, qui ab ipſo conſecrati ſunt, dedicaverunt, vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rurſus dedicari & intronizari atque ſtabiliri decernimus; omnibus maxime quæ in ipſo & ab ipſo ad ſacerdotalis gradus acceptationem vel damnationem acta ſunt, in irritum ductis. Dicit enim univerſorum Deus per Prophetam: *Quia tu ſcientiam repulliſti & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: & oblitus es legem Dei tui & ego obliviſcar filiorum tuorum, &c.* & iterum: *Quia multiplicavit Ephrem altaria in peccatum, facta ſunt ei altaria delicta: ſcribam in ea multitudinem.* *Oſee. 4.* *Oſee 8.*

Multitudinem, id eſt, vilitatem: ſæpe namque multitudo pro vilitate ponitur. Licet vulgata habeat. Scribam eis multiplices leges meas. *Quaſi diceret, multis pœnis eos afficiam quibus revocabo eis in memoriam leges meas, ac ſi illas ſcriptas viderent. Vide Riberam in hunc locum.* *Notā.*

Canon V. *Quod non oporteat de ſenatoria dignitate vel de aliquo laicorum ordine, nuper tonſum eligi vel ſuſcipi Patriarcham.*

Omnem Canonicam ſtabilitatem in Eccleſia ſemper manere in Chriſto providere cupientes, renovamus & confirmamus terminos & vacationes, quæ olim à ſanctis Apoſtolis, & beatis Patribus noſtris editæ legem in Eccleſia poſuerunt, non oportere Antiſtitum promovere quenquam, qui eſt vel ſecundum fidem, vel ſecundum Sacerdotalem ſortem Neophytus, ne inflatus in judicium incidat & laqueum diaboli, ſicut dicit Apoſtolus. Prioribus ergo Canonibus concordantes, definimus neminem de ſenatoria dignitate, vel mundana converſatione nuper tonſum ſuper intentione, vel exſpectatione Pontificatus, vel Patriarcharus honoris, clericum aut Monachum factum, ad hujuſmodi ſcandere gradum, licet ſingulos ordines divini Sacerdotij plurimum temporis feciſſe probetur: neque enim propter Religionem vel amorem Dei, aut propter expectationem tranſeundi viam virtutum, ſed ob amorem gloriæ principatus tonſus hujuſmodi reperitur; magis autem coërcemus hujuſmodi, ſi ab Imperatoria dignitate ad id compellatur. Si vero quis per nullam ſuſpicionem prædictæ concupiſcentiæ ex- *al. Curiæ temere.* *1. Timot. 3.*

pectationis, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuncians mundo fiat clericus aut Monachus, & omnem gradum Ecclesiasticum transigens, per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus extiterit, & probatus, itaut in gradu lectoris annum compleat, in Subdiaconi vero duos, sitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annis, bene placuit huic sanctæ & universali Synodo eligi hunc & admitti. Circa hos autem qui religiose morati sunt in ordine clericorum & monachorum, & digni judicati sunt Pontificatus dignitate pariter & honore; prædictum tempus abbreviamus, nimirum secundum quod Episcoporum Prælati probaverint, qui per tempora fuerint. Si vero præter hanc definitionem nostram quisquam ad jam fatum supremum honorem provectus extiterit, reprobetur, & ab omni sacerdotali operatione prorsus abjiciatur, utpote qui extra sacros Canones sit promotus.

Interstitia ordinum.

Brevar. 2. Can. 36.

Canon VI. *Anathematizatur Photius.*

Anathematizamus Photium. Primo, propter nequissimam invasionem Ecclesiæ Constantinopolit. cum aliis malis operibus suis. Secundo, propter inventionem falsorum vicariorum. Tertio, propter Concilium vanitatis quod celebrare tentavit. Quarto, propter crimina quæ falso contra sanctissimum Papam Nicolaum in suo conciliabulo proposuit.

Canon VII. *De non admittendis hostibus imaginum.*

Valde proficuum est & venerabiles imagines pingere, sed & proximum disciplinas divinæ ac humanæ sapientiæ docere. Non autem bonum est, nec omnino proficuum ab indignis horum aliquid in sacris templis fieri, sed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hac sancta & universali synodo definimus & promulgamus, usquequo à propria seductione ac malitia convertantur. quisquis ergo post hanc definitionem ad picturæ sanctarum imaginum in Ecclesiis, aut doctrinæ actionem quoquo modo eos admiserit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu periclitetur: si laicus, communione privetur.

Canon VIII.

Apparet ex actis octavæ sessionis hujus synodi solitum fuisse Photium, cum ejus vigebat hæresis, extorquere chirographas tum à quovis ordine clericorum, tum etiam à laicis nobilibus & ignobilibus usque ad cerdones, & pelliones, & reliquam plebis fæcem, qui promittebant, se illi adhæsuros pugnaturosque pro ejus opinione. Ipse præterea Photius solebat alias vicissim chirographas dare, quibus facultatem dabat ad docendum, vel discendum. Ex hoc improbo more arripuere ansam & catholici, ut vellent à piis sacerdotibus habere syngraphas ut discerent, & docerent, essentque tuti & securi talibus muniti scripturis. Ob hoc sancitum est octavo hoc canone hujus sanctæ synodi, ut qui creantur Episcopi, vel Patriarchæ nullas chirographas à catalogo clericorum expostulent: sed tantum fiant solennitates de more: & ut liceat omnibus idoneis discere, vel docere libere sine facultate per chirographas.

Canon IX. *Ne Archiepiscopi visitationis pretextu suffraganeos gravent.*

Avaritiam utpote secundam idololatriam Paulus magnus execratur Apostolus, cunctos videlicet qui Christiano vocabulo censentur, ab omni turpi lucro abstinere volens, multo magis ergo eos qui sacerdotio funguntur, nefas est Coepiscopos, aut suffraganeos suos per quemcunque modum gravare. Hujus rei gratia definit hæc sancta & universalis Synodus nullum Archiepiscoporum & Metropolitanorum relinquere propriam Ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, & potestate propria, contra infirmiores abuti, & consumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Ecclesiasticam dispositionem, & alimenta pauperum, ac per hoc gravare avaritiæ modo conscientias fratrum, & comministrorum nostrorum excepta hospitalitate, quæ aliquando ex necessario transitu fortassis accesserit. Sed & tunc non alia nisi ex his quæ ad præsens de compendio præparata inveniuntur, cum reverentia, & timore Dei dignanter accipiat, & maturius propositum iter perambuler: nihil omnino eorum quæ sunt Ecclesiæ illius, vel suffraganei Episcopi petens, vel exigens. Si enim unumquemque Episcoporum Ecclesiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, & nullatenus in proprias utilitates importune, ac sine ratione disperdere, vel consumere redditus Ecclesiasticos sacri Canones decernunt, qua impietate minimè judicabitur indignus qui alius Episcopis commissas Ecclesias gravare vel ambire ac per hoc in sacrilegij crimen incidere non formidant? Quisquis ergo post hanc definitionem nostram tale quid facere tentaverit: pœnas subeat à Patriarcha, qui per tempus fuerit secundum congruentiam injustitiæ, & avaritiæ suæ, & deponatur, & sequestretur ut sacrilegus & alter idololatra factus juxta magnum Apostolum.

Canon IX. *Ne quis vitet superiorum præsulem ante sententiam.*

Nullus clericus ante diligentem examinationem & synodicam sententiam à communione proprij Patriarchæ se separet, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse prætendat, nec recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria. Idem statuimus de Episcopis erga proprios Metropolitas: similiter & de Metropolita circa Patriarcham suum. Qui verò contra fecerit, ab omni sacerdotali operatione & honore decidat.

Canon IX. *Quod unica sit hominis anima.*

Apparet quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Tales igitur impietatis inventores & similia sentientes, cum conventus & novum testamentum, omnesque Ecclesiæ patres unam animam rationalem habere hominem asseverent, sancta & universalis synodus anathematizat.

Hæresis Photij.

Canon XII. *Ne quis potentia principum fretus assumat dignitatem Episcopi.*

Siquis Episcopus per versutiam vel tyrannidem principum dignitatis consecrationem susceperit, deponatur, utpote qui non ex voluntate Dei & ritu ac decreto Ecclesiastico, sed ex voluntate carnali sensus ex hominibus & per homines Dei donum possidere voluit, vel consensit.

Canon XIII. *Ex minoribus ordinibus assumantur ad majores.*

Decernimus, ut soli clerici magnæ Ecclesiæ qui in minoribus ordinibus morati sunt ad majores gradus & honores Ecclesiasticos (si digni inveniantur) ascendere debeant. Nullo tamen modo hi qui foris sunt ad tales dignitates vel honores admittantur.

Canon XIV. *In quanto honore habendi sunt Episcopi à principibus secularibus.*

Qui divina gratia Episcopalem sortiuntur digni-

tatem, ordinem cœleſtis Hierarchiæ referunt in terris. Quare merito ſancimus, ut digno in honore tam a principibus, quam à cæteris omnibus habeantur. Non oportet itaque, ut principibus vel viris militari dignitate præditis obviam longiſſime procedant ab eorum Eccleſiis: nec à multis equiſve deſcendant in occurſu, aut timide abjecteque ante genua procidant, velut adoraturi. Imò vero non accedant ad menſas ſecularium principum, ſed cum omni modeſtia quæ ſpiritalem deceat dignitatem, officia omnibus & debita tribuant, cui vectigal, cui honorem. Dummodo principes, & Pij Imperatores agnoſcant ſibi æquales Epiſcopos, ut libere audeant reprehendere, increpareque & principes & cæteros, qui militari honore fruuntur, ſi quid peccaverint. Si quis vero Epiſcopus poſt hanc ſanctionem ſuam dehoneſtaverit dignitatem cadens ab honore ſibi per canones debito, vixeritque abjecte ſecundum veterem & agreſtem conſuetudinem, amoveatur per annum, & princeps qui in cauſa fuerit excommunicetur per biennium.

Canon XV. *In quem uſum Eccleſiæ poſſeſſiones ſervari debeant.*

Decernimus, ut Epiſcopo vendere vel utcunque alienata vaſa aut veſtes ſanctas, nec alias ruſticas poſ- 12. q. 20. *Apoſtol.* ſeſſiones venundare non liceat, ne propter hoc Eccleſiaſtici redditus lædantur, quos ad propriam utilitatem & ob eſcam pauperum & peregrinorum ſuſtentationem eſſe definimus. Nec etiam per emphitheoſim ſalaria Eccleſiarum tribuere poſſit, excepta cauſa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet in redemptionem captivorum.

Canon XVI.

Colligere licet ſolenne fuiſſe in aulis principum ſtatis quibuſdam diebus, componere aliquem laïcum inſignibus Epiſcopalibus, qui & tonſura & cæteris ornamentis perſonatum Epiſcopatum ageret: & creaſſe etiam ridiculum Patriarcham, quo ſe oblectarent. Quæ omnia ut in dedecus Eccleſiæ accerſita prohibentur ſub gravibus cenſuris.

Canon XVII. *De poteſtate Patriarcharum & Metropolitanorum.*

Sancta & univerſalis Nicæna prior Synodus antiquam conſuetudinem jubet ſervari per Ægytum, & provincias, quæ ſub ipſa ſunt. Ita ut horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem dicens, quia & in Romanorum civitate hujuſmodi mos prævaluit, qua pro cauſa & hæc ſancta & magna Synodus tam in ſeniori & nova Roma, quam in ſede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum, priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari, ita ut eorum præſules univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, ſive per manus impoſitionem, ſive per pallij dationem, Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet, ad convocandum eos urgente neceſſitate ad Synodalem convenrum, vel etiam ad coërcendum illos, & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis forſan accuſaverit. Sed quoniam ſunt quidam Metropolitanorum, qui ne ſecundum vocationem Apoſtolici præſulis occurrant, à mundi principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur, placuit talem excuſationem omnimode eſſe invalidam. Cum enim principes pro ſuis cauſis frequenter conventus agant, impium eſt, ut ſummos Præſules ad Synodos pro Eccleſiaſticis negotiis celebrandis impediant, vel quoſdam à Conciliis eorum prohibeant, licet tale impedimentum & fictam prohibitionem, Metropolitanorum ſuggeſtione diverſis modis fieri didicerimus. Conſueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque ſicut dicunt, ad Patriarchale penitus non poſſe concurrere caput: ſed ſancta hæc & univerſalis Synodus, nec Concilia quæ à Metropolitanis fiunt interdicens, multo magis novit illa rationabiliora eſſe, ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à patriarchali ſede cõgregantur, & idcirco fieri exigit, à Metropolita quippe unius provinciæ efficitur. A patriarcha vero ſæpe totius cauſa diœceſeos diſpenſatur, ac per hoc communis utilitas providetur: propter quod & ſpeciale propter generale bonum deſpici convenit, cum à majoribus ſuper hoc facta fuerit advocatio: quamvis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & canonica traditio per contemptũ ipſorum, poſtpoſita videatur, non currentibus eis ad communem profectum quos leges Eccleſiæ ſevere condemnantes, omni excuſatione ſemota, ſubjacere vocationibus proprij patriarchæ, ſive cum cõmuniter, ſive cũ ſigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem tanquam peroſum ab auribus noſtris repulimus, quod à quibuſdam imperitis dicitur, non poſſe Synodum abſque principali præſentia celebrari, cum nuſquam ſacri canones convenire ſæculares principes in Conciliis ſanxerint, ſed ſolos Antiſtites: Unde nec interfuiſſe illos Synodis, exceptis conciliis univerſalibus, invenimus. Neque enim fas eſt ſæculares principes ſpectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt. Quiſquis ergo Metropolitanorum proprium Patriarcham contempſerit, & vocationi ejus, quæ ſive ad unum & ſolum, ſive ad plures, ſive ad omnes ſit abſque validiſſima ægrotatione, vel paganorum incurſu non obedierit, & per totos duos menſes à notitia vocationis ad proprium Patriarcham venire minimè feſtinaverit, vel ſi quocumque modo latitare, aut non cognoſcere nuncium ab illo miſſum tentaverit, ſegregetur. Si verò inter unum annum eandem contumaciam & inobedientiam demonſtravit, deponatur omnimode, & ab omni Sacerdotali operatione decidat, atque à dignitate, & honore, quæ Metropolitanis convenit, propellatur. Is autem qui huic definitioni non obedierit, anathema ſit.

CONTROVERSIA.

Circa hunc Canonem graviſſimæ moventur controverſiæ per recentem ſcriptorem in ſuis ſcholiis alioquin multum eruditis, ubi male habet tres venerabiles Eccleſ. Gal. Antiſtites. Primum Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum, quem ait meruiſſe appellari à Nicolao 1. Secundum Dioſcorum ac novum Pharaonem, quod appellationes ad Rom. Pontificem impediret & Avtocephaliam videretur affectare nullum caput ſupra ſe agnoſcens. Hæc horrenda ſunt & terribilia. Sed Celotius in Hiſtoria Godeſcalchi patrocinium agit Hincmari, quem comparandum cum Athanaſio & Cyrillo Alexandrino denotat: & mirum non videbitur adverſarium imo judicem Godeſcalchi plurimùm mordacitati expoſitum fuiſſe & dum viveret, & noſtris etiam temporibus, in quibus diſſertationes tam amplæ pro innocentia Godeſcalchi aſſerendæ editæ ſunt. Forſan exinde divinatio iſta, quod feriant Hincmarum ſtatuta hic de Metropolitanis, proceſſit. Canon nullos deſignat, cur Hincmarum tam longe diſtantem à Synodo corrigi putabimus? *Hincmarus.*

Secundo ait Epiſcopo indigna eſſe hæc verba Petri Marca Archiepiſcopi Pariſienſis. *Octava Synodus mores in Gallia receptos & jura regia videtur variis canonibus petiviſſe. Epiſcopos omnes ſiſtere ſe Concilio Patriarchæ jubet Canon* 17. *neque principum juſſu poſſe impediri, &c.* Tertio addit. Longe fœdiora in ſuis ad Innocentij III. Literas notis ſcribit Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Montis Peſſulani. *Evocandi poteſtas eſt canonibus Metropolitis relicta. Superiorem nihilominus veniam pro majore reipublicæ commodo ſibi reſervatam principes crediderunt.* Et quædã alia addit: de quibus prædictus ſcriptor. Hæc omnia *Petrus Marca. l. 2. c. 17. Boſquetus. l. 2. Ep. 8.*

Euſebio Nicomedienſi aut Acacio c. p. Epiſcopo quam Orthodoxo Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopo ſunt aptiora. At quid principes non ſolum in Gallia, ſed etiam in Hiſpania & alibi in Synodis egerint, ſatis notum eſſe paterit ex claſſe 4. & 5. hujus Collegij Synodici. Quod in ſuis regnis magnæ congregationes habeantur, ipſis inſciis qui curam regni habent & mille inſidias ſub variis prætextibus quandoque ſibi parari ſuſpicari poſſent, vix quiſpiam bonus civis probabit, nec egreſſus centum & amplius Epiſcoporum è regno res eſt tam parvi momenti, ut ad principem nihil ſpectet, ſaltem in aliquot rerum politicarum caſibus: iſta non diſcutio. Sed quod vir religioſus tam mordaci cenſura Doctos & Catholicæ Eccleſiæ Gallicanos Antiſtites perſtringat, viros illuſtres ac de religione bene meritos ſic conculcet, parum digna nomine ipſius, facile iudicabitur. Et ſi res iſta ex antiquis monumentis dijudicanda, Gloſſarium ad Capitularia Caroli Magni plura ſubminiſtrat pro defenſione Iſtuſtriſſ. Præſulum in unione Eccleſiæ Rom. defunctorum aut adhuc viventium. Gregor. Turonenſis l. 5. hiſt. cap. 20 ait Salonium & Sagittarium Epiſcopos, annuente rege petitionibus eorum, Romam Profectos. Hincmarus ad Hadrianum, & ad Nicolaum etiam ſcribens, eandem licentiam neceſſariam adſtruit & Flodoardus in Vulfario. *Eundi denique Romam cauſa orationes ad ſanctum Petrum, licentiam ab Imperatore ſe accepiſſe, in quadam ſua deſignat Epiſt.* Sed hæc obiter: ad quod autem ait Canon Principes non interfuiſſe Synodis niſi univerſalibus, hoc magis verum in Oriente quam ſi Occidentem noſtrum ſpectemus. Ut ex hac ſumma liquet ſatis ſuperque.

Canon XVIII. *Ut in Eccleſiis antiqua conſerventur privilegia.*

Placuit huic ſanctæ & magnæ Synodo, ut res vel privilegia quæ Dei Eccleſiis ex longa conſuetudine pertinent, & ſive à divæ recordationis Imperatoribus, ſive ab aliis Dei cultoribus in ſcriptis donata, & ab eis per annos triginta poſſeſſa ſunt, nequaquam à poteſtate præſulis quæcunque perſonæ ſecularis per poteſtatem ſubtrahat, aut per argumenta quælibet auferat, ſed ſint omnia in poteſtate, ac uſu præſulis Eccleſiæ quæcunque intra triginta ſpatium annorum ab Eccleſiis poſſeſſa noſcuntur. Qui contra fecerit ut ſacrilegus judicetur, & donec talia privilegia, ſeu res reſtituerit, anathema ſit.

Canon XIX. *Ne Metropolitanus gravet ſanctos Epiſcopos.*

Definivit ſancta hæc & univerſalis Synodus nullum Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Eccleſiam, & ſub occaſione quaſi viſitationis ad alios accedere & conſumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Eccleſiaſticam diſpoſitionem & alimenta pauperum. Sed tamen ſi contingat aliquem per illas Eccleſias neceſſario iter agere, tunc non alia niſi ex his, quæ ad præſens de compendio præparata inveniuntur, cum reverentia & cum timore Dei dignanter accipiat, & maturius propoſitum iter perambulet. Si enim unumquemque Epiſcoporum Eccleſiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, & nullatenus in proprias utilitates importune, ac ſine ratione conſumere redditus Eccleſiaſticos ſacri canones decernunt: qua putas impietate judicabitur dignus, qui aliis Epiſcopis commiſſas Eccleſias gravare non formidat? Qui contra fecerit, deponatur, & ſequeſtretur ut ſacrilegus, & alter idololatra factus juxta magnum Apoſtolum.

Canon XX.

Hoc Canone ſancitum eſt, ut poſſeſſiones in emphiteoſim datas ab Eccleſia, non liceat emphiteotam ſpoliare prætextu non ſervati pacti. Verum ſi per tres annos continuos penſionem non ſolverit, liceat tunc Eccleſiæ vindicare ſuas poſſeſſiones, dummodo id fiat ordine judiciali coram competente judice. Qui ſecus fecerit, cogetur ad reſtitutionem in integrum. Quod ſi noluerit parere, deponitur.

Canon XXI. *Quanta reverentia agendum eſt contra Epiſcopum Romanum.*

al. can. 13.

Dominicum ſermonem, quem Chriſtus ſanctis Apoſtolis & diſcipulis ſuis dixit: *Qui vos recipit me recipit, & qui vos ſpernit me ſpernit*, ad omnes etiam qui poſt eos ſecundum ipſos facti ſunt Summi Pontifices & Paſtorum Principes in Eccleſia Catholica, dictum eſſe credentes, definimus neminem prorſus mundi potentium quemquam eorum qui Patriarchalibus ſedibus præſunt, inhonorare, aut movere à proprio throno tentare, ſed omni reverentia & honore dignos judicare, præcipue quidem ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ: deiſiceps autem Conſtantinopoleos Patriarcham. Deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum. Sed nec alium quemquam conſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminum, quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſquis autem tale facinus contra ſedem Petri Principis Apoſtolorum auſus fuerit attentare, æqualem & eandem quam illi condemnationem recipiat. Porro ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.

22. diſt. c. definimus.

Reverentia erga ſummum Pontif. Rom.

Nota. Hunc Canonem reprimere effrenem quorumdam audaciam qui temere obloquuntur contra Patriarchas ac maximè contra Summum Pontificem Eccleſiæ Romanæ: Infames enim qui adverſus Patres armantur. Nimia efferatus audacia Photius, ita ut Papam Nicolaum excommunicare non vereretur, dedit anſam huic canoni ad compeſcendum in poſterum ſimiles conatus. Chriſtianus Lupus in Scholiis, definit canon, inquit, Romanum Pontificem à generali Concilio non poſſe, judicari, deponi aut damnari. Ad quod refert verba S. Ennodij Ticinenſis Epiſcopi in Symmachi Pontificis Apologia: aliorum forte hominum cauſas Deus voluit homines terminare, ſed ſedis iſtius Præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio, &c. Quæ utrum neceſſario inferantur ex verbis ipſius canonis dijudicandum bene affecto & Catholico lectori relinquimus, donec in ſequenti claſſe detur locus amplior de talibus differendi.

Canon XXII. *Ne principes ſeculares ſe immiſceant promotioni Epiſcoporum.*

Sancta & univerſalis Synodus definit, neminem laïcorum principum vel potentum ſemet inferre electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ aut cujuſlibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio vel contentio: præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum vel cæterorum laïcorum habere conveniat, ſed potius ſilere, ac attendere ſibi uſque quo regulariter à collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Quiſquis autem ſecularium principum & potentium, vel alterius dignitatis laïcæ adverſus communem ac conſentaneam, atque Canonicam electionem Eccleſiaſtici ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat & conſentiat in hoc quod Eccleſia de electione & ordinatione proprij præſulis ſe velle monſtraverit.

63. diſt. Nullus.

Canon XXIII. *Ne quid præſumat agere Epiſcopus in aliena Eccleſia.*

Nullus Epiſcoporum poſſeſſionum aliarum Eccleſiarum locationem ſibi fieri ab alio Epiſcopo rogare audeat: nec ipſe rogatus ſuæ Eccleſiæ poſſeſſiones alicui conferat: nec etiam conſtituat Presbyteros, aut quemlibet alium clericum in Eccleſiis, quæ ſibi ſubjectæ non ſunt præter voluntatem Epiſcopi.

Canon XXVI. *Ne Metropolitæ exerceant miniſteria Epiſcopalia per ſubjectos Epiſcopos.*

Divina ſcriptura dicente, maledictus homo qui facit opus Domini negligenter: quidam Metropolitanorum extrema negligentia & deſidia delapſi præceptionibus ſuis ſubjectos ad ſe adducunt Epiſcopos, & committunt eis Eccleſiæ propriæ divina officia & lætanias, & cuncta omnino ſacra, quæ ad ſe pertinent myſteria, ut per illos celebrent omnia quæ per ſemetipſos alacriter agere debuerunt: ac per id eos, qui Epiſcopalem dignitatem meruerunt, quodam modo clericos ſibi ſubjectos exhibeant. Vacant iidem præter Eccleſiaſticas leges ſecularibus curis, atque diſpoſitionibus, dimittentes perſeverare in orationibus & obſecrationibus pro ſuis delictis, ac populi ignorantiis: quod nuſquam apud aliquos penitus invenitur, cum ſit Canonicis nimirum contrarium omnino præceptis. Hæc autem omnia magnis & multis, ac vehementiſſimis damnationibus dignos hujuſmodi ſtatuunt. Probantur enim tales per hæc quæ faciunt, etiam ſathanica jactantia & ſuperbia languere. Quiſquis ergo Metropolitanorum poſt hanc ſanctæ ac univerſalis Synodi definitionem eadem audacia, vel ſuperbia & contemptu abuſus non per ſe cum timore & alacritate, ſeu conſcientia bona debita miniſteria in propria civitate, ſed per ſuffraganeos Epiſcopos ſuos efficere tentaverit, pœnas exſolvat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur, aut deponatur.

Eccleſiaſtici præſules abſtinent à curis ſecularibus, & vacent orationi & lectioni.

Canon XXV. *Ut deponantur clerici qui defecerunt ad Photium.*

Definimus, ut clerici rite prius ordinati à Methodio, vel Ignatio, & reſiluerunt à conſortio fidelium ut adhæterent Photianæ hæreſi, & obdurati exemplo Pharaonis nolunt reſipiſcere, deponantur omnino: nec poſtea recipiantur in ordinem clericorum, imo ſemper exoſi ſint, ut Eſaïi. Ni forte ob magnam pœnitentiam à miſericordia Eccleſiæ admiſſi fuerint.

Canon XXVI. *De ordine appellationis.*

Ordo provocationis datur in hoc Canone, ut qui ſe læſum arbitrabitur à proprio Epiſcopo, poſſit Metropolitanum appellare, qui datis dimiſſoriis ad ſe cauſam advocet. Licet tamen Epiſcopis provocare ad Patriarcham, ſi crediderint ſe injuſtitiam pati à Metropolitano, à quo litibus finis imponatur, ut nullatenus Metropolita, aut Epiſcopus in Epiſcopum vicinum jus habeat.

Canon XXVII.

Hic Canon decernit qualiter oporteat uti pallio, ut ſcilicet Epiſcopi non ultra ſtata tempora, & loca eo utantur, ne ſignum ſit ſuperbiæ, aut arrogantiæ. Præterea Monachi qui vita & doctrina, ut Epiſcopi creentur meruerint, non mutent habitus, veſtiſque rationem ob novam dignitatem: non minus enim hoc arrogans eſſet, quàm pallio inepte uti. Quiſquis ergo Epiſcopus præter definita ſibi tempora ſe pallio induerit, aut Monaſticam veſtem depoſuerit, aut corrigatur, aut à Patriarcha proprio deponatur.

Monachi creati Epiſcopi non mutant veſtis rationem.

A Poſtremo juſſu vicariorum ſenioris Romæ prolatus eſt, & lectus terminus (ut illi vocant) in quo per modum epilogi continentur omnia, quæ acta ſunt in hac ſancta Synodo. Primo ibi paucis explicantur myſteria ſanctæ Trinitatis, & Dominicæ incarnationis. Mox explicatur ratio ſeptem Synodorum generalium, & probantur a tota Synodo præſenti. Deinde explicatur etiam intentio hujus octavæ Synodi, & quæ acta ſunt pro Ignatio Patriarcha contra Photium, & ultima Epiſcoporum univerſorum acclamatione recepta ſunt & probata ſubſcribentibus univerſis, etiam Imperatoribus Baſilio, Conſtant. & Leone qui noluerunt ante vicarios ſubſcribere. Poſtremo reliquis
B Epiſcopis.

Subſcriptiones.

Ego Donatus gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Oſtienſis Eccleſiæ, locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis & univerſalis Papæ, omnia quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ & univerſali Synodo præſidens uſque ad voluntatem ejuſdem eximij præſulis, promulgavi & manu propria ſubſcripſi.

Ego Stephanus gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Nepeſinæ Eccleſiæ locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis & univerſalis Papæ, omnia, &c. *ut Donatus.*

C Ego Marinus ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis & univerſalilis Papæ, &c.

Ignatius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, ſanctam hanc & univerſalem Synodum ſuſcipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & ſcripta ſunt concordans & definiens ſubſcripſi manu propria.

Joſeph miſericordia Dei Diaconus & vices agens Michaëlis Patriarchæ Alexandriæ, ſanctam hanc & uniuerſalem Synodum ſuſcipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & ſcripta ſunt concordans & definiens ſubſcripſi.

Ego Thomas miſericordia Dei Metropolita Tyri
D & vices gerens ſedis Antiochiæ, ſanctam hanc, &c. *ut ſupra.*

Ego Helias miſericordia Dei Presbyter & Syncellus locum complens Apoſtolici throni ubi Patriarcha eſt Theodoſius Hieroſolymorum, ſancti Chriſti Dei noſtri civitatis, inſtar cæterorum Vicariorum, omnibus quæ in hac ſancta & univerſali Synodo geſta ſunt definiens manu propria ſubſcripſi.

Baſilius, Conſtantinus & Leo perpetui Auguſti, in Chriſto Dei fideles principes Romanorum & Magni Imperatores ſanctam hanc & univerſalem Synodum ſuſcipientes & omnibus quæ ab ea definita & ſcripta ſunt, concordantes ſubſcripſimus manu propria.

Subſcribunt alij deinde Epiſcopi numero 102. non plures, quod alij majori numero fautores eſſent Photij & ab ipſo vigente ipſius tyrannide promoti, quos
E Epiſtola incyclica ad eos miſſa ſic confirmavit ut vix aliquis ab ipſo deficeret. Unde nec ad Synodum admiſſi ſunt. Poſt ſubſcriptiones, extat allocutio quædam Baſilij Imperatoris ad totam Synodum, in qua poſt alia amica & gratulatoria verba ſubjungit. Quiſquis habet aliquid contra hanc ſanctam & univerſalem Synodum, aut ejus canones ſtet in medio, & quæ ſibi videntur dicat, ſive ſit de Eccleſiaſtico clero, ſive etiam laïcus ſit, aut ex his quæ civilibus officiis mancipantur. Quanquam non datum ſit iſtis ſecundum canonem dicendi quicquam penitus de Eccleſiaſticis cauſis. Opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum eſt. Sed ex abundanti omne os iniquum obſtruere volentes, licentiam præſtamus omnibus ut ſiquis in mente habet quid ambiguum, de his quæ decreta ſunt ab hac ſancta Synodo in medium exhibeat, & ſuſcipiat

ſatisfactionis ſalubre remedium. Nam ſoluta ſancta & univerſali Synodo, qui apparuerit Eccleſiæ Dei contradicens, aut non communicans ei (quicunque ille ſit) veniam ab Imperio noſtro minime conſequetur, ſed juſte condemnabitur, & à civitate noſtra pelletur ut peſtilens & corruptor, & membrum putridum & inutile & commune corpus Eccleſiæ violans.

Continetur quoque ſub finem Concilij Epiſtola Ignatij Patriarchæ ad Adrianum de tribus capitulis, in qua petit à Summo Pontifice diſpenſationem pro quibuſdam ordinatis à Photio, ut ad ſuperiores ordines aſcendant vel Sacerdotio ſuo fungantur. Quod autem inquit, ſanctiſſimis Vicariis paternæ ſanctitatis veſtræ adhuc præſentibus penitus perfectum non eſt neque finem accepit, rogamus nunc terminari & diſponi perfectè ac integrè ſcribi ad humilitatem noſtram de his lectoribus qui tonſi ſunt à Photij manus impoſitione, qui cum ſint pene innumerabilis multitudinis poſtulant ex neceſſitate aliorum, fieri Sacerdotalem provectum, &c. & adhuc poſtulamus de intimo filio noſtro & fortiſſimo veritatis Agoniſta Paulo videlicet Cartophylacos, ut ſi eſt poſſibilis in eum diſpenſationis aliqua ratio, recipiat dignitatem Epiſcopatus. Deinde quoque ſuper Theodoro, qui à nobis quidem conſecratus eſt Metropolita Cariæ, multum autem laboravit & afflictus eſt ab initio injuſtæ ac iniquæ dejectionis noſtræ, in noviſſimis vero cum miſero Photio conveniens propter ejus immenſa tormenta, quæ ſibi reſiſtentibus inferebat, conſenſit, & uſque ad ultimum ejus diem repœnitens, nihilominus rurſus corde contritio & ſpiritu humilitatis veniã expetivit. Prohibuerunt enim eum quoquo modo Sacerdotio fungi ſanctiſſimi Vicarij almitatis veſtræ, eo quod ſubſcripſerit ut fatebantur in ea, quæ facta eſt ab infœliciſſimo Photio quaſi depoſitio beatiſſimi & optimi patris noſtri Nicolai deceſſoris ſanctitatis tuæ. Hæc ſunt de quibus rogamus ſanctitatem veſtram ut ſi poſſibile ſit, utatur verbo diſpenſationis & miſericordiæ in his, cum alia omnia optimum & commodum finem ac diſpoſitionem ſuſceperint, &c.

Difficile diſpenſabatur cum ordinatis ab alieno Epiſcop.

Huic Epiſtolæ alia ſubjungitur Adriani Papæ ad Baſilium, Conſtantinum & Leonem Imperatores, in qua denegat iſtam diſpenſationem. Porro de tribus capitulis ſuper quibus præfato poſtulante ſanctiſſimo fratre & Coëpiſcopo noſtro Ignatio, divinitus protectum Imperium veſtrum nos deprecatum eſſe dignoſcitur, nihil poſſumus ab eo quod jam conſtitutum eſt ordinare diverſum, vel diſponere maxime de Photij conſecratione aliquantiſper verſum: niſi forte nos quibuſdam ex utraque parte in præſentia noſtra repertis, contigerit ſcire quæ uſque huc neſcimus. Non enim eſt in nobis, eſt & non eſt. Et ſi quæ deſtruximus eadẽ reædificaverimus, prævaricatores nos legis eſſe conſtituemus, &c. Ab illis quippe ſacratiſſimis inſtitutis quæ vel Apoſtolicæ memoriæ prædeceſſor noſter Papa Nicolaus antea ſalubriter ſanxit, vel nos poſtea diſpenſatoriè protulimus, nulla motione vel mutatione diſcedemus aut ad dextram vel ſiniſtram quoque modo declinabimus. Quæ videlicet jamdudum probavit Eccleſia, & immutilanda ſervanda ſuper geſtum univerſale Concilium ſtatuit.

Cæterum addunt aliqui 27. Canonibus hujus Synodi undecim ex Gratiano collectos quos octavæ Synodo attribuit, cum tamen nothi ſint. Quare omittimus hic, cum nobis in animo non ſit ſuperfluis Canonibus memoriam lectorum onerare, ac veros quodammodo obruere.

Controverſia quædam de octava Synodo.

Acta Synodi vera.

Quidam noluerunt hoc Concilium inter œcumenica recenſere, & Abrahamus Cretenſis interpres Concilij Florentini non ſemel in illius verſione hallucinatus, ut notabitur infra, illud inſignivit nomine octavi Concilij Generalis: inſigni certè temeritate & audacia, cum nihil tale dictum ſit per Patres illius Concilij, & ſi excludendum eſſet hoc Concilium à numero generalium, multa alia ex eorumdem Conciliorum catalogo delenda eſſent, quæ interceſſerunt inter ſecundum Nicænum & Florentinum, quamvis œcumenica fuiſſe negari non poſſit à quoquam cordato, ut inter cætera Lateranenſe ſub Innocentio tertio habitum, cui omnes Concilij generalis conditiones conveniunt. Sed & Romani Pontifices in ſua ordinatione profitebantur, una cum aliis Conciliis œcumenicis, hanc ſe recipere octavam Conſtantinop. ut patet ex profeſſione fidei ab eis recitari ſolita, cum electi conſecrandi eſſent: *Profiteor tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps totis conatibus uſque ad ſanguinem cuſtodire, tam de ſanctæ individuæ Trinitatis, &c. Sanctaque octo univerſalia Concilia, ideſt, Nicænum, Conſtantinopolitanum & Epheſinum primum, Chalcedonenſe & ſextum item Conſtantinop. & ſeptimum item Nicænum, octavum quoque item Conſtantinopolitanum uſque ad unum apicem immutilate ſervare, & pari honore & veneratione digna habere: & quæ prædicaverunt & ſtatuerunt omnimodo ſequi, prædicare, quæque condemnaverunt condemnare ore & corde, &c.* ut habetur apud Binium in Notis. Anaſtaſius autem Bibliothecarius in præfatione ad hanc Synodum: Univerſalis eſt, inquit, primo quia Catholica fides in ea & ſanctæ leges quæ non ſolum à Sacerdotibus, ſed & ab univerſis Chriſtianis coli debent & venerari, contra voces eorum conſona voce defenduntur. Deinde, quia cum Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, tot Patriarchales ſedes, quot in cuiuſque corpore mortales ſenſus locaverit, profecto nihil generalitati deeſt Eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes unius fuerint voluntatis. Inter quas videlicet ſedes, quia Romana præcellit, non immerito viſui comparatur, &c. Tertio quia cum Photius tot exceſſuum ſuorum morbo univerſam Eccleſiam maculaverit, univerſalis curatio adhibita eſt, ut totum curaretur quod totum fuerat maculatum. Nam tantum hujus ambitionis pullulavit longè lateque temeritas, ut mox Hieroſolymis cuidam laïcus nomine Salomon extemplo clericus factus, ſit ordinatus Antiſtes, quod nunquam factum eſt etiam ab ipſo Jacobo, qui primus illic Epiſcopus extitit, niſi poſtquam Photius noviter in clero plantatus & confeſtim præſul factus, auditus eſt.

Præterea penes Alexandriam & Antiochiam in tantum radix hujus peſtis excrevit, ut a tempore promotionis crebro dicti Photij hactenus evelli non poſſit. Nec fatendum creditur quod tunc univerſalis jure diceretur, ſi pro fide celebrata conſiſteret, cum & in hac nonnulla quæ ad fidem pertinent ſint definita, & in cæteris univerſalibus Conciliis multa diſpoſita inveniantur quæ ad fidei doctrinam non pertinent. Quamvis non minus in ſanctas regulas quam in Catholicam fidem delinquatur, & diabolus non pro fidei pravitate, ſed ob perverſitatem operum perpetuo maneat condemnatus: & ideo ſicut rectæ fidei ſyncritatem maculantes, ita ſanctam juſtitiæ regulam violantes, ab omnium ſunt unanimitatis æquo libramine corrigendi.

Quod ultimum addit Anaſtaſius, ut ſolvat objectionem quorumdam Græcorum, qui tantum localem vel Patriarchalem vocabant hanc Synodum, quod in ea de rebus fidei non eſſet actum. Nam etſi obiter in ea actum ſit contra Iconomachos, & contra errorem Photij de duabus animabus, non eſt neceſſe quod determinetur aliquid de fide in Synodo, cum ſufficiat in ea aliquid tractari quod ſpectat ad bonos mores vel ad Hierarchiam, quæ ad rectam fidem conducunt maxime conſervandam. Quid quod Photius notabatur hereſeos, ſeque ipſum miniſteriis ſacris ingerendo excommunicationemque ſummi Pontificis contemnendo totam Eccleſiam conturbabat, undenulla juſtior occaſio

occasio Synodum universalem congregandi. Sed & ordinationes sacrorum ministrorum irritæ saltem quoad executionem ordinum, jurisdictiones vero & absolutiones pœnitentium omnino invalidæ, quòd Sacramenta agant ex opere operato, & jurisdictio sit de essentia Sacramenti, jure merito postulant, ut de remedio certo provideatur, nihil enim pejus accidere potest in Ecclesia quam cum jurisdictionem ij usurpant ad quos de jure non pertinet. Verum est, quotidam nescio qua opinionum probabilitate ductos parum ad ista attendere, sibique, detracta cappa Episcopali, omnia licita arbitrari, modo id semel in animum suum induxerint, quasi Deus pro eorum arbitrio & commodo leges suas immobiles inflectere deberet. At videbunt forsan aliquando quot animabus fucum fecerint. Quare quanto horrore usurpationem hanc Jurisdictionis prosecuti sunt Patres hujus Synodi, ut referente Nicetæ cognomento David in vita S. Ignatij quæ extat apud Surium 23. Octob. *subscripsere depositioni calamis non nudo atramento, sed, in quo penitus contremiscas, Salvatoris sanguine tinctis.* Quo simili modo legitur Theodorus Papa depositionem Pyrrhi Constant. in Monotheliſmum relapsi scripsisse. Baronius anno 648. ex Theophane.

Objicitur in auctario Aimoini Benedictinus quidam Monachus, sive Ademarus, sive quis alius, ut est in Pithæi ad miscellam historiam præfatione, asseïere aliter definitum fuisse de imaginibus in octava Synodo quam fuerat per Doctores Orthodoxos in septima definitum. Sed Benedictinum illum, seu Ademarus fuerit seu Aimoinus, Iconomachum fuisse respondent Raderus, Baronius, Binius. Iam istud sit impudentissimum mendacium quo pasti sunt quicumque ab Ecclesia Romana deficiunt.

Photij malitia insignis.

Alios angit in hac Synodo quomodo Photius auctor illius Bibliothecæ quam κωδίκελλον inscripsit, id est, mille libri, etsi tantum ducentos septuaginta novem contineat, in quibus tamen incredibilis lectionis & acerrimi judicij fuisse apparet, in tantam vesaniam incidit ut sic attentaret contra suum Pontificem torque fatli comminisceretur contra fidem Orthodoxam, ut femina jecerit illius schismatis Ecclesiæ Græcæ à Latina, quod nondum curari potuit. Sed facilis est istius difficultatis solutio, quod cum Photius hanc bibliothecam concinnavit librorum à se lectorum in Syria pro Imperatore Constantinop. Legati munere fungebatur, adhuc erat junior & nondum aulica ambitione corruptus, quæ cum postea mentem ejus invasisset in omne nefas præcipitavit, ut in excidium Ecclesiæ natus fuisse videatur. De quo etiam refertur apud Antoninum p. 3. Chron. tit. 22. c. 13. quod mater ejus illo gravida per somnium se utero serpentem gestare viderit qui totam regionem ac totum fere imperium Orientis pestifera lue venenaret. Quare à pluribus viris sanctitatis opinione claris cum illi diceretur hoc portendere Ecclesiæ pestem per illum quem utero gerebat allatam iri, sæpe mortem sibi ac fœtui afferre conabatur, cum interim à marito custodiretur, & à sanctis viris ab ea mente deduceretur, moneretur que divinæ ut se committeret providentiæ. restitutus tamen est in sedem Constantinopolitanam post mortem Ignatij idque etiam ex authoritate & consensu Summi Pontificis. Sic res humanæ diversis casibus obnoxiæ sunt, licet ipse ut ostendit Baron. tomo 10. Annalium scelestissimus & immanissimus persequutor Ecclesiæ fuerit, ac deterior quibusvis aliis sive schismaticis sive hæreticis, sive gentilibus Primusque movit quæstionem & dubium de processione Spiritus sancti à solo Patre non a Filio, cum ante eum ea de re nulla orta fuisset controversia inter Ecclesiam Græcam & Latinam, ut est apud Georgium Memochitam lib. 4. de processione Spiritus sancti adversus schismaticos. Qui cum egregiam operam navasset sub Gregorio X. in unione Græcorum cum Latinis, carceris pœnasque postea à suis passus est.

Ordinatio irrita.

Aliud dubium est, quo sensu quarto canone hujus Synodi dicatur de Photio quòd nunquam fuerit Episcopus & quod ordinationes ab eo factæ nullæ sint, in ejus enim ordinatione nihil videtur requiri nisi quod contra canones citò & nullis servatis interstitiis ordinatus sit & consecratus in Episcopum, ut enim ait Nicetas apud Baronium ad an. 858. homo gloriæ appetentissimus sex diebus ex laico transformatus est in Patriarcham, nimirum primo die ex laico factus est Monachus, secundo efficitur Anagnostes, tertio Subdiaconus, quarto Diaconus, quinto Presbyter, sexto denique Patriarcha sedem Patriarchalem conscendens pacem populo annunciavit nihil pace dignum cogitans. Consecratus est autem per Gregorium Syracusanum Episcopum Ignatij perduellem, excommunicatum & è throno ejectum; usus est autem comministris Petro Sardorum Episcopo qui cognominabatur, Miser, & Eulapio Apamiæ Episcopo. At ista denotant quidem illicitam fuisse consecrationem Episcopalem Photij, non vero invalidam: Unde & ab eo ordinati valide fuerunt ordinati characteremque susceperunt. Ideo intelligendus est canon ad sensum plurium præcedentium, ut nunquam Photius fuerit Episcopus licitè quo ad executionem, & ab eo ordinati nunquam potuerint licite exercere munia suscepti ordinis à cujus executione suspensi erant: quod ab eo ordinem suscepissent qui in aliena Diœcesi, & non sua sine Episcopi illius loci assensu manus impositionem suscepissent. Eodem quoque modo intelligendæ sunt litteræ Formosi Papæ ad Stylianum Neocæsareæ Euphratesiæ provinciæ Episcopum. Petis misericordiam & non scribis quomodo sit exhibenda; neque cui sæculari videlicet vel Sacerdoti Si enim sæcularem dixeris, venia dignus is erit tanquam à sæculari dignitatem adeptus. Si vero Sacerdotem dicas: non adhibes mentem quod dignitatem præbere non potuit qui dignitatem non habeat. Nihil potuit dare Photius præter damnationem quam habuit per impositionem obliquæ manus, & damnationem præbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere qui particeps factus est condemnato? quoniam pro ordinato misericordiam obtinere petis, animadverte quod ordinatorem potius foves juxta Domini sacrum eloquium: *vel facite arborem bonam & fructus ejus bonos: nunquid potest ficus malum producere, vel vitis ficus? &c.* Cum his qui à Photio fuerunt ordinati misericorditer nos gerentes, decernimus ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentia veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros, &c. Ista porro luculentius explicat Doctor Hallier nunc Episcopus Cavallicensis ex suffraganeis Archiepiscopi Avenionensis sect. 3. de effectibus ordinationis c. 2. per plures paragraphos ac § 6. docet hujusmodi Canonum verba interpretenda esse quasi μοδικῶς dicta, non ἀκριβικῶς ad communem vulgarem intelligentiam, non ad scholasticum rigorem. Similiter quoque, inquit, non dicuntur veri Sacerdotes impij & Sacerdotij suis actionibus violatores, non quod Sacerdotij potestate careant, sed quod Sacerdotij dignitatem, gravitatem, auctoritatem, statum perfectionemque non assequantur; qui turpibus facinoribus conscientiam suam maculant, quod Sacerdotij leges non servent: quomodo vulgo negantur esse Consules qui reipublicæ non consulunt, Medici qui aliis non medentur, Doctores qui docendis aliis nullam operam insumunt, Reges qui Regis munia aspernantur. Quas & similes phrases, imo & duriores ad vitiorum insectationem dici posse nemo inficias ibit. Vide plura ibid. ad hoc argumentum spectantia, quod forsan etiam aliqua nobis in progressu istius Summæ agenda erunt.

Etsi enim non sint observata quæ ad celebritatem pertinent quæ tamen ad valorem ordinationis requisita non sunt omissa

Matt. 12.

Verum hæc non tollunt difficultatem, cum etiam aliquando reiteratæ ordinationes fuerint, tanquam omnino nullæ & invalidæ, & in Conc. Sard. can. ubi dicitur non ſit rata ordinatio, hoc idem videtur ſignificare ac ſi diceretur matrimonium non tatum, id eſt quod nullum eſt. Sic in can. 4. conc. 1. Conſtant. Maximi Cynici ordinatio in Epiſcopum declaratur irrita & ab eo ordinati non cenſentur Clerici, & in Concilio Sueſſionenſi ſecundo ordinati ab Ebone Remenſi Archiepiſcopo declarantur iterata ordinatione reordinandi. Plura exempla referri poſſent de quibus etiam paſſim agitur in hac Summa, quibus conſtat ejectionem à gradu & ordine aliquid plus ſignificare quam ſolam ſuſpenſionem ab actu aut executione ordinum, quemadmodum ſolent hodie intelligi tales ſententiæ contra Epiſcopos aut Sacerdotes, qui cum recipiant caracterem in ordinatione, qui eſt indelebilis, nulla poteſtate Eccleſiaſtica fieri poteſt, ut invalida ſint quæ gerunt ex poteſtate ordinis.

Hæc res varie agitatur à Theologis: probabilior autem videtur ſententia, quod antequam definiſſet quicquam Eccleſia de caractere ordinationis, an tales ſententiæ Eccleſiaſticæ privarent ſolo exercitio ordinum vel tollerent omnem poteſtatem, ambiguum fuiſſe nec non ſub opinione poſitum. Quod ergo aliquando, non-obſtante quod eſſentialia in ordinatione adhibita fuiſſent, quidam cenſuerunt reiterationem ordinationis eſſe neceſſariam, id ita cenſuerunt ex probabili opinione, non diſtinguentes inter illicitum & invalidum. Sed ubi diſtinctio validi & invalidi ſufficienter inducta eſt opera Theologorum Scholaſticorum, qui A non pauca in rebus ſpiritualibus antea incerta & obſcura elucidaverunt, ut non putemus inutilem eſſe Theologiam Scholaſticam, tunc ceſſavit probabilitas opinionis prædictæ, & ſine ambiguitate viſum eſt non eſſe reiterandas ordinationes contra prohibitionem Eccleſiæ factas, ſi modo de eſſentialibus nihil deeſſet: ac quemadmodum quando baptiſmus eſt dubius nihil conſultius fieri poteſt, quam ut reiteretur: ſic quamdiu fuerunt dubiæ tales ordinationes, ipſas reiterari viſum eſt. Quod autem dubium iſtud magis fovebat eſt incertitudo caracteris Epiſcopalis, de quo nondum definitio Eccleſiæ facta eſt. Nondum Doctor Mayrones qui prævit aliis in actu Sorbonico Ordini & caracteri Epiſcopali probabilitatem conciliaverat dicendo Epiſcopatum reſpicere Euchariſtiam ſaltem B mediate, quia ordinat Miniſtros ejus. Unde fit maxime probabile eſſe ordinem & imprimere caracterem nec eſſe ſolum dignitatem eminentem in Eccleſia, à qua poſſet ipſa dejicere aliquem, vt poſt eam abjectionem nihil poſſet amplius valide: ſicut nec Prætor quem reſpublica depoſuit aut abdicavit. Si teneatur, inquit Scotus in 4. diſt. 25. q. 1. quod Epiſcopus depoſitus ſimpliciter non eſt Epiſcopus, neganda eſt ſimilitudo, quia caracter Sacerdotij tolli non poteſt, nec per conſequens Sacerdotium ſicut Epiſcopatus. Quamdiu ergo non ſatis conſtitit de veritate caracteris Epiſcopalis, ſicut necdum conſtabat tempore præſentis Synodi: locus fuit opinandi reiterandas eſſe ordinationes tam Presbyterorum quam Epiſcoporum, ſi collatæ eſſent per excommunicatum.

SUMMA CONCILIORUM

TERTIA CLASSIS CONCILIORUM GENERALIUM

quæ in Occidente celebrata ſunt.

ABSOLVTA claſſe Conciliorum eorum Generalium, quæ hæreſes in Oriente exortæ ut ibidem cogerentur quodammodo coëgerunt, ingredimur in tertiam claſſem Conciliorum aliorum Generalium, qua labente gloria Græcorum propter eorum defectionem à fide Orthodoxa & Schiſmatis ipſorum perverſitatem (fuit enim Ilium & ingens gloria Teucrorum) *apud Latinos habita ſunt; ut quemadmodum divina Providentia poſtquam Imperia in Oriente ad continendos populos variaſque gentes legibus politicis excolendas excitata fuerunt, ad idem bonum aliis nationibus impertiendum, Romanorum Imperium, tum Francorum ac Germanorum, ſuſcitavit in Occiduis mundi partibus:* Cum diu fuiſſent, *ait D. Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei c. 12.* Regna Orientis illuſtria, voluit Deus & Occidentale fieri, quod tempore eſſet poſterius: idque talibus potiſſimum conceſſit hominibus, ad domanda gravia mala multarum gentium. *Idem accidit in Conciliis Generalibus, quæ quoddam Imperij genus obtinent ad regendos in fide & moribus populos: cum primo annorum ab Incarnatione millenario illas mundi plagas quæ primo gaudent ortu ſolis ornaſſent, deinceps ad alias tranſierunt pari fere numero, quamvis eorum aliqua, quod eorum acta non extent, aliquos Synodorum collectores ſubterfugerint, à quibus hîc initium agimus. Hoc uno obſervato, quod Orientis Concilia maxime pugnaverunt pro Chriſti perſona aſſerenda ac iis articulis prioribus Symboli qui ad ejus quaſi corpus proprium pertinent, hos enim impetebant potiſſimum famoſiores hæretici: At Occidentis concilia poſteriores Symboli partes ac corpus Chriſti Myſticum magis tuebantur contra inſultus noviſſimorum hæreticorum, iuxta annotata in Concilio Apoſtolorum: Sic enim Myſterium iniquitatis operatur ad parandam viam Anti-Chriſto, ut curet deſtruere tam Chriſti caput quam corpus, tam poſteriores Symboli partes quam priores, tam cultum ipſum & colendi normam quam eum qui colendus eſt, ut ſcitè obſervat Stapleton orat. 1. quodlibetica.*

Imperiorum utilitas.

CONCILIVM LATERANENSE I.

GENERALE IX.

TRECENTORVM ET AMplius Epiſcoporum pro pace in cauſſa inveſtiturarum inter Eccleſiam & Imperium ineunda, celebratum, anno Domini 1122. in quadrageſima, tempore Calixti Papæ II. & Henrici Imperatoris V.

ETsi errent qui erroris arguunt Conſtantinum magnum quod Eccleſiam dotaverit, eorumque propoſitionem inter male ſonantes & piarum aurium offenſivas recenſeat Bannes 2. 2. Divi Thomæ, quæſt. 11 art. 2. Quo nomine & vituperantur illi qui aſſerunt tunc auditam vocem, *hodie venenum infuſum eſt in Eccleſiam*; Certum tamen & experientia ipſa nimis comprobatum plura mala profluxiſſe ex divitiis & poſſeſſionibus quibus Eccleſiæ & ſacerdotia ditata fuerunt. Hæc nempe eſt rerum humanarum conditio ut bona & mala ſeſe invicem comitentur. Inter illa plura mala, illud non fuit ex minoribus, quod principes ſæculares ex hinc, concupiſcentia inflammate, ſibi conceſſionem ſacerdotiorum, Epiſcopatuum Abbatiarum aliorumque beneficiorum arrogare voluerunt, ob temporale annexum ſpirituale ad ſe trahere conantes, cum potius ſpirituali exiſtente principali & temporali tantum acceſſorio, juſtius eſſet ut qui ſpiritualium adminiſtratores eſſent, beneficia illa dignis conferrent. Quod cautum erat per canones duorum ultimorum Conciliorum Orientalium generalium ſecundi Nicæni, & quarti Conſtantinopolitani ad coërcendum abuſum illum jam tunc exorientem. Sunt enim plerumque Canones indicia malorum quibus opponuntur, ſicut certa medicamenta cum adhibentur, morbos indicant. Creſcens autem malum hoc à temporibus harum Synodorum, invaluit potiſſimum in Germania; ubi cum pinguiora eſſent beneficia, Imperatores avidius iis inhiarunt, eorum conferendorum jure ſibi vindicato, fruſtra renitentibus Pontificibus Romanis ac maxime Gregorio VII. Eccleſiaſticæ libertatis vindice acerrimo, qui etiam propterea Henricum IV. Imperatorem à ſacris abſtulit, quod inveſtituras ſibi aſſumeret, hoc eſt jus eligendi Epiſcopos cum traditione annuli & baculi paſtoralis in ſignum beneficij illis à ſe collati.

Divitiæ Eccleſiæ.

Principũ ambitus in bona Eccleſiæ.

Certe inſtitutio & regimen Eccleſiæ non eſt ex arbitrio hominum: aliquot conditiones præfixit Deus religioni Chriſtianæ. 1. ut convocatio ad illam eſſet generalis ex omni parte mundi. 2. Ut ingreſſus in illam in baptiſmo fieret per fidem expreſſam Myſteriorum Trinitatis, Incarnationis ac Redemptionis humani generis per Chriſtum. 3. Ut illa congregatio eſſet ſub uno capite Chriſti vicario, & ſub talibus ſignis ſenſibilibus ſacrificij & Sacramentorum nata. quarta, ut intra eam eſſet ordo Hierarchicus, tam ſecundum poteſtatem ordinis quam juriſdictionis, ſecundum quem omnia debite fierent, & bonum redemptionis communicaretur. Sic enim quæ à Deo ſunt ordinata ſunt. At hæc invertere molitur adverſarius redemptionis humanæ: modoque unam, modo alteram ex his conditionibus deſtruere curat, ut hic ordinem Hierarchicum per Laïcos principes. Hinc nata occaſio hujus Concilij.

4. Conditiones religionis Chriſtianæ.

Acres autem contentiones quæ per multa tempora ac ſub diverſis Pontificibus efferbuerunt, quibuſdam tolerantibus ut fatetur Baronius ſub annum 1107. cum principes abſtinerent in harum inveſtiturarum uſu ab omni illicito mercimonio, dignorum Sacerdotum habita ratione, aliis vi & metu id concedentibus, ut contigit Paſchali II. à quo in carcerem prius conjecto, privilegium conferendi beneficia per annulum & baculum extorſit Henricus V. Imperator, aliis vero palam & omnimodo renitentibus, ut poſt Gregorium VIII. Calixto II. ex Viennenſi Archiepiſcopo ad ſummum Pontificatum aſſumpto. Hic enim ut libertatem Eccleſiæ aſſereret confirmata excommunicatione in Henricum V. Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum in Germania Legatum conſtituit, qui ſtrenue ſuum exequens munus, Epiſcopos & principes pro Eccleſiæ defenſione adverſus Imperatorem commovit, ex quorum viribus conjunctis, comparato ingenti exercitu & ex alia parte appropinquante Imperatoris alio exercitu, cum cruento certamine lis iſta diriminda videretur, benignus, ait Abbas Uſpergenſis, & amator hominum Jeſus per induſtriam ſervorum ſuorum ſedis Apoſtolicæ Legatorum qui tunc Moguntiæ morabantur, imo per inhabitantem in eis Spiritum ſanctum, ſpiritum principum paci contrarium curavit auferre, charitatem quoque nihilominus in eorum cordibus diffundere cœpit. Quia nimirum, ut vere creditur, poſt tot Chriſti tunicæ ſciſſuras, poſt tot Chriſtianorum inteſtina bella, tempus miſerendi Sion, id eſt Eccleſiæ licet ſero jam venit. Selectis ex utraque parte duodecim principibus pro pace & concordia per unam & amplius hebdomadam certarum eſt, donec ipſe, in cujus manu cor regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti ſub Apoſtolicæ reverentiæ obedientiam, cauſa matris Eccleſiæ, etiam ultra ſpem plurimorum inflexit. Scilicet Imperator juri electionum à ſe prætenſo ceſſit, & ſummus Pontifex illi regalia conceſſit, ut ſcilicet Epiſcopi & Abbates temporalia bona ab eo ſe recipere agnoſcerent: atque ut hæc conventio rata haberetur, convocatum eſt per Calixtum Concilium hoc Romanum in palatio Lateranenſi, cui etiam interfuit Abbas D. Dionyſij Sugerius, qui trecentos & amplius Epiſcopos interfuiſſe memorat in Ludovici regis vita, non commemoratis Abbatibus qui in multo majori numero aderant. Præter pacem autem illam ſtatuta ſunt & aliqua alia, prout neceſſitas Eccleſiæ poſtulare videbatur.

Diſſidia Paparũ & Imperatorũ pro inveſtitura.

Pax inter exercitus.

CANONES CONCILII.

I. SAnctorum Patrum exempla ſequentes, & officij noſtri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſia Dei, vel promoveri, auctoritate Sedis Apoſtolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis verò in Eccleſia ordinationem vel promotionem taliter acquiſierit, acquiſita prorſus careat dignitate.

II. Nullus in Præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, niſi Presbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus, ordinetur.

III. Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitùs interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem: præter eas quas Nicæna Synodus per ſolas neceſſitudinum cauſas habitare permiſit, videlicet matrem, ſo-

rorem, amitam, vel materteram, aut alias hujuſmodi, de quibus nulla valeat juſte ſuſpicio oriri.

IV. Præterea, juxta beatiſſimi Stephani Papæ ſanctionem ſtatuimus, ut laici, quamvis Religioſi ſint, nullam tamen de Eccleſiaſticis rebus ahquid diſponendi habeant facultatem: ſed ſecundum Apoſtolorum Canones, omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea, velut *Canones Apoſtol.* Deo contemplante, diſpenſet. Si quis ergo Principum, aut laicorum diſpenſationem, vel donationem rerum ſive poſſeſſionum Eccleſiaſticarum ſibi vendicaverit, ut ſacrilegus judicetur.

V. Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas & divinæ & ſæculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes, & eos qui ex eis prodeunt, non ſolum ejiciunt, ſed maledictos appellant: Leges vero ſæculi, infames tales eos vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos itaque Patres noſtros ſequentes, infamiis eos notamus, & infames eos eſſe cenſemus.

VI. Ordinationes, quæ à Burdino Hæreſiarcha, poſtquam à Rom. Eccleſia eſt damnatus, quæque à Pſeudoepiſcopis per eum poſtea ordinatis factæ ſunt, irritas eſſe decernimus.

Epiſc. author. VII. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpoſitus, vel Decanus animarum curam, vel Præbendas Eccleſiæ, ſine judicio vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat: imo ſicut ſanctis Canonibus conſtitutum eſt, cura & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.

VIII. Ad hæc ſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſſeſſiones quietas ſervare per Dei gratiam cupientes, præcipimus, & ſub diſtrictione anathematis interdicimus, ne aliqua militaris perſona Beneventanam B. Petri civitatem præſumat invadere, aut violenter retinere. Si quis aliter præſumpſerit, anathematis vinculo teneatur.

IX. A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis Epiſcopis, Abbatibus, & Clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.

X. Nullus in Epiſcopum niſi Canonice electum, ad conſecrandum manus mittat. Quod ſi præſumpſerit, & conſecratus, & conſecrator abſque recuperationis ſpe deponatur.

XI. Eis qui Ieroſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum, in B. Petri & Romanæ Eccleſiæ protectione, ſicut à Domino noſtro Papa Vrbano ſtatutum fuit ſuſcipimus. Quicumque ergo ea diſtrahere, vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præſumpſerint, excommunicationis ultione plectantur: eos autem, qui pro Ieroſolymitano, vel Hiſpano itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur, & viam dimiſiſſe, cruces iterato aſſumere & viam ab inſtanti Paſcha uſque ad ſequens proximum Paſcha perficere, Apoſtolica auctoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Eccleſiæ introitu ſequeſtramus, in omnibus terris eorum divina officia, præter infantium Baptiſma, & morientium pœnitentias, interdicimus.

XII. Illam vero pravam defunctorum Porticanorum conſuetudinem, quæ hactenus ibi fuit, ex fratrũ noſtrorum, & totius Curiæ cõſilio, nec non & voluntate atq; conſenſu Præfecti removendam cenſemus: ut Porticanorum habitatorum ſine heredibus morientium bona contra morientium deliberationem minime pervadantur. Ita tamen, ut Porticani in Rom. Eccl. & noſtra, noſtrorumq; ſucceſſorum obedientia & fidelitate permaneant.

XIII. Si quis treguam diffregerit, uſque tertio ad ſatisfactionem ab Epiſcopo admoneatur. Quod ſi tertio admonitus, ſatisfacere contempſerit; Epiſcopus, vel cum Metropolitani conſilio, aut cum duobus, aut cum uno vicinorum Epiſcoporum, in rebellem anathematis ſententiam dictet, & per ſcripturam Epiſcopis circumquaque denuntiet.

XIV. Sanctorum Patrum Canonibus conſona ſentientes, oblationes de ſacratiſſimo & reverendiſſimo Altari B. Petri, & Salvatoris, & S. Mariæ Rotundæ, ac de illis omnium Eccleſiarum Altaribus, ſive Crucibus, à laicis auferri penitus interdicimus, & ſub anathematis diſtrictione firmamus. Eccleſias à laicis incaſtellari, aut in ſervitutem redigi, auctoritate Apoſtolica prohibemus.

XV. Quicumque monetam falſam ſcienter fecerit, aut ſtudioſe expenderit, tamquam maledictus, & pauperum virorum oppreſſor, & civitatis turbator, à fidelium conſortio ſeparetur.

XVI. Si quis Romipetas & Peregrinos, Apoſtolorum limina & aliorum Sanctorum Oratoria viſitantes, capere, ſeu rebus quas ferunt ſpoliare, & mercatores novis teloniorum ſeu pedaticorum exactionibus moleſtare tentaverit, donec ſatisfecerit, communione abſtineat Chriſtiana. *al. Pedagiorum.*

XVII. Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos viſitare, unctiones facere, & Miſſas publicas cãtare. Chriſma, & Oleum, Conſecrationes altarium, Ordinationes Clericorum ab Epiſcopis accipiant, in quorum Parochiis manent. *Religioſis quibus Epiſc. ſubdit.*

XVIII. In Parochialibus Eccleſiis Preſbyteri per Epiſcopos conſtituantur, qui eis reſpondeant de animarum cura, & de iis quæ ad Epiſcopum pertinent. Decimas & Eccleſias à laicis non ſuſcipiant abſque conſenſu & voluntate Epiſcoporum, & ſi aliter præſumptum fuerit, Canonicæ ultioni ſubjaceant. *Presbyteri Parochiales Epiſc. ſubditi.*

XIX. Servitium, quod Monaſteria, aut eorum Eccleſiæ à tempore Gregorij Papæ VII.

uſque ad hoc tempus Epiſcopis facere, & nos concedimus. Poſſeſſiones Eccleſiarum & Epicoporum tricennales, Abbates, vel Monachos habere omnimodis prohibemus.

XX. Paternarum traditionum exemplis commoniti, Paſtoralis officij debitum perſolventes, Eccleſias cum bonis ſuis, tam perſonis quam poſſeſſionibus, Clericos videlicet ac Monachos, eorumque Converſos, Oratores quoque cum ſuis nihilominus rebus quas ferunt, tutos, & ſine moleſtia eſſe ſtatuimus. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & poſtquam facinus ſuum recognoverit, infra triginta dierum ſpatium competenter non emendaverit, à liminibus Eccleſiæ arceatur, & anathematis gladio feriatur.

XXI. Preſbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam debere redigi juxta ſacrorum Canonum diffinitionem, judicamus.

XXII. Alienationes, quæ ſpecialiter per Othnonem, Guidonem, Ieremiam, ſeu forte Philippum, ubilibet de poſſeſſionibus Ravennatis Exarchatus factæ ſunt, damnamus: generaliter autem, omnium per intruſionem, ſeu Canonice electorum ſub Epiſcopi nomine, aut Abbatis, qui ſecundum uſum Eccleeſiæ ſuæ conſecrandus eſt, alienationes quocumque modo factas, nec non perſonarum Ordinationes ab eiſdem ſine communi conſenſu Clericorum Eccleſiæ, ſive per Simoniam itidem factas, irritas judicamus. Illud etiam per omnia interdicimus. Vt nullus Clericus Præbendam ſuam, ſeu aliquod Eccleſiaſticum Beneficium aliquo modo alienare præſumat: quod ſi præſumptum olim fuit, vel aliquando fuerit, irritum erit, & Canonicæ ultioni ſubjacebit.

Reſtitutio inveſtiturarum ab Henrico Imperatore facta.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem Inveſtituram per annulum & baculum: & concedo, in omnibus Eccleſiis quæ in regno vel Imperio meo ſunt, fieri electionem, & liberam conſecrationem: Poſſeſſiones, & regularia beati Petri, quę à principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernam diem, ſive tempore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, ut reſtituantur, fideliter adjuvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum & aliorum tam Clericorum quam Laicorum, conſilio Principum, & juſtitia, quas habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem D. Papæ Calliſto, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam faciam.

Conceſſio Calliſti Papæ II. Henrico Imperatori facta.

EGo Calliſtus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque Simonia, & aliqua violentia: ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani, & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem, regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperij conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, & auxilium poſtulaveris, ſecundum officij mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt, tempore hujus diſcordiæ. Data anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, nono Kalendas Octobris.

Controverſia de inveſtitura.

Hanc docte & fuſe agitat Andræas Sauſſaius Epiſcopus Tullenſis in ſua Panoplia Epiſcopali l. 2. Ubi ſtudioſus rerum antiquarum lector abunde unde ſibi ſatisfaciat, reperturus eſt. Pauca ex hinc delibabimus aliis etiam aliunde accerſitis. Ac primo advertendum eſt ex hoc duplici potiſſimum capite improbatam fuiſſe hanc inveſtituram per annulum & baculum, quod per hæc deſignaretur poteſtas ſpiritualis emanare à poteſtate ſæculari, quia annulus ſpiritualis conjugij quod contrahit Epiſcopus cum deſponſata ſibi Eccleſia inſigne ſit: baculus vero vel virga ſignum regiminis paſtoralis, & ſacræ ligandi & ſolvendi animas poteſtatis quam quiſque antiſtes vel paſtor non à rege ſed à Deo recipit. Quod teſtatum voluit inſigni exemplo rex Galliæ Robertus, de quo refert Glaber Radulphus monachus Benedictinus lib. 5. cap. 1. quod cum ad eum veniſſet quidam Abbas regij favoris ambitu præfecturam aucupatus, pio ei ſuccenſuerit animo, dicens: Depone baculum regiminis paſtoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere geſtari. Quem cum à ſe projeciſſet, ſuſcipiens illum rex impoſuit dextræ imaginis Salvatoris. Vade, inquiens Abbati, & ſuſcipe illum de manu omnipotentis regis, ne ſis ultra pro eo debitor alicujus mortalis, ſed libere utere eo, ut decet culmen tanti honoris. At ipſe gaudenter illum ſuſcipiens plurimis de tali facto alacritatem contulit, ac de hinc cum omni libertate viguit. Sed & alter Abbas Galterus Pontœſianus Abbas cum rex Galliæ Philippus ab avo ſuo Roberto degenerans, hanc inveſtituræ gloriam affectaret ad eumque acceſſiſſet temporalium conceſſionem accepturus, ac ei rex baculum prope recuruam partem, hoc eſt, pedi fere faſtigium, tenens contraderet, ſanctus vir curvitatem

Pedum baculum pastoralis.

ipsam baculi arripiens manum suam regiæ superposuit, hæc gravi verendoque vultu effatus. Non desuper manum tuam, sed desuper, non enim regimen Ecclesiæ à te recipio, sed à Deo. Nec obscura erat significatio ista spiritualis potestatis per baculum, cujus hoc est dictum Innocentij III. lib. 1. mysteriorum missæ cap. 61. baculus correctionem significat pastoralem propter quod à consecratore dicitur consecrato, *accipe baculum pastoralitatis* & de quo dicit Apostolus 1. Cor 4. *In virga veniam ad vos.* Quod autem est acutus in fine, rectus in medio, retortus in summo: designat quod per eum Pontifex debet pungere pigros, regere debiles, colligere vagos. Quod versificator quidam expressit.

In baculi forma, præsul, datur hæc tibi norma,
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum,
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes,
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Ex hac porro tam evidenti designatione significabatur per baculi traditionem emanare potestas Episcopalis aut Abbatialis à sæculari principe, ut sic ei subjici videretur & ad ejus nutum gubernari, quod est contra divinam institutionem sacrosque Ecclesiæ canones septimæ & octavæ synodi.

Dicebant tamen reges & Imperatores se per hanc baculi traditionem non intendere aliud quam regaliorum, id est bonorum temporalium concessionem, in quibus viri Ecclesiastici ab ipsis dependerent. Qua occasione non defuerunt authores qui hoc ut licitum tolerari posse sentirent secluſa omni nundinatione; unde fervente hoc dissidio Waltramus quidam Episcopus Nuwerburgensis tractatum edidit pro usu investituræ tanquam rei licitæ, dummodo per insignium baculi maxime traditionem temporalia dumtaxat à sæculari principe, prælato concedi intelligeretur. Cui suffragatus est Yvo Carnotensis epist. 60. ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum Legatum Apostolicæ sedis. Ubi inter cætera. Quamvis octava synodus solum prohibeat eos interesse electioni non concessioni, quæ concessio sive fiat manu sive nutu sive lingua sive virga quid refert? Cum reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum id votis petentum annuere, aut villas Ecclesiasticas & alia bona exteriora quæ de munificentia regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere.

Yvo Carnot. de fendis investitur.

Nequaquam tamen probari potuit sententia Yvonis tam abjecte loquentis imo multa ingerentis, quæ nisi corrigerentur ab aliis ejus epistolis in maximum discrimen adduxisset famam suam & gloriosum nomen, quod ex defensione Apostolicæ veritatis sibi dignissime comparaverat. Et cum Paschalis II. metu adactus, hoc jus Henrico IV. concessisset, pollicitusque fuisset quod nunquam Imperatorem inquietaret de præsumpto ob hanc cæremoniam ac temerato Ecclesiarum jure, in hunc modum illi exprobravit Abbas montis Cassini Bruno ac Signiensium Episcopus, ut habetur libro quarto Chronici Cassinensis. Inimici mei dicunt tibi, quia non te diligo & male de te obloquor. Sed mentiuntur, ego enim sic te diligo ut Patrem ac Dominum meum, neminemque alium te vivente volo habere Pontificem, sicuti cum multis aliis tibi promisi. Audio tamen Salvatorem meum dicentem mihi: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me non est me dignus.* Unde Apostolus ait: *Si quis non amat Dominum Jesum Christum sit anathema.* Debeo igitur diligere te, sed plus debeo diligere illum qui te fecit & me. Huic enim tanto amori nihil unquam præferendum est. Fœdus autem illud adeo fœdum tam omni pietati religionique contrarium ego non laudo. Quis enim illud laudet in quo violatur fides, Ecclesiæ libertas amittitur, sacerdotium tollitur, unicum & singulare ostium Ecclesiæ clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ qui intrat fur est & latro? Habemus ca-

Bruno Signiensis contra

Matth. 10.

Ad Gal. 1.

nones, habemus sanctorum Patrum constitutiones ab Apostolorum temporibus ad te usque perductas. Via regia incedendum est, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apostoli illos omnes damnant & a fidelium communione sejungunt, qui per sæcularem potestatem Ecclesiam obtinerent. Laici enim, quantumlibet religiosi sint, nullam tamen disponendæ Ecclesiæ facultatem sunt consecuti. Hæc enim Apostolorum constitutio sancta est: cui qui contradicit, catholicus non est. Omnis enim qui hæresim tuetur, hæreticus est. Nemo hanc non esse hæresim dicere potest, quam sancta & Apostolica Ecclesia in multis Conciliis hæresim nominat & cum suis hæresibus damnat. Talis allocutio inter Pontificem & Abbatem invidiæ & odij fomitem ministravit. Inter cætera vero quæ tunc Pontifex in Abbatem locutus est, ait: nisi illum à Monasterij administratione removero, ipsis argumentis Ecclesiæ regimen mihi tollit. Quapropter eidem Abbati rescripsit epistolam qua vetuit, ne ultra Episcopus esset atque Abbas, &c.

Ex quibus videre est quot animorum & sententiarum dissidia etiam exorta sunt occasione hujus investituræ. Videri potest de his Juretus in Notis ad citatam epistolam Ivonis, ubi & refert eundem Paschalem investituris postea fortiter restitisse, cum scriberet in hæc verba ad Anselmum de Legatis Regis Anglorum. Audivimus eos dixisse, quia si rex in aliis bene ageret, nos investituras Ecclesiarum non prohibere, &c. Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum judicem excusari? Non est laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio polluere. *Jure igitur privandus est patrimonio qui matrem polluit adulterio.* Nec meretur Ecclesiasticæ benedictionis consortium qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum est Ecclesiam tueri, non tradere, &c.

Hæresis Laicorum.

Fecerunt porro hæ controversiæ ut plures in partibus Germaniæ, Galliæ & Angliæ pastorales virgas à principibus acceptas summo Pontifici reddiderint a quo easdem receperunt. Ea de causa Otto Babenburgensis Romam profectus est ad ipsum Paschalem, cui ordinem & modum suæ provectionis exposuit, pedumque & annulum ad ejus pedes deposuit, temeritatis, & errati veniam petiit, addens tamen non sua voluntate, sed aliena potestate ita factum: postulat adversus seipsum Canonicæ censuræ ultionem. Tum Pontifex admiratus viri summi prudentiam & constantiam levare eum jubet, & insignia reddit. Ille vero negat indignumque se protestatur. Moxque valedicens Pontifici & ejus curiæ domum adire cœpit. Ecquid vero faceret? obedientiæ præcepto retrahitur, &c. Ex veteri auctore in ejus vita apud eumdem Juretum, qui & alia profert exempla virorum magis cordatorum, qui isti investituræ in conscientia acquiescere non poterant, cum quacumque intentione id fierent, esset nihilominus exterior quædam professio rei prohibitæ, unde exemplo Eleazari Sacerdotis 2. Maccab. malebant dura quæque perpeti quam isti simulationi consentire. His autem magna ex parte finem imposuit Concilium, reddens quæ sunt Dei Deo & quæ Cæsaris Cæsari, dum Imperatori regalia concesit quæ in ejus erant dominio.

Docet Doctor Senectus lib. *de Atheismo & hæresibus, &c.* Hæresim non tantum in verbis, sed etiam in rebus consistere, itaut sit dogma fidei oppositum, indicatum aut signo verbali, aut saltem factario & manuali, id est, per facta indicantia hæresim. De qua definitione agimus in de *triplici examine* ad p. 2. *exam. pœnitentium q.* 5. quid interest protestari falsum verbo aut facto? Hinc hæresis nata est de primatu regio in Anglia, & alibi de auctoritate magistratus inges spirituales, contra voluntatem & sancti Ecclesiam sic instituentis ut regeretur per Hierarchiam ait. *In quo non Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam*

Dei quem acquiſivit ſanguine ſuo. Hæc laici perpendant qui tantum juris ſibi arrogant contra ſpiritualem à Chriſto inſtitutam poteſtatem: conſiderent non ſatis fuiſſe filiis Iſrael reductos fuiſſe ex captivitate Ægyptiaca per mare rubrum, niſi etiam ad terram promiſſam contenderent ſub ducatu Moyſi & Aaron viæ ducti à Deo conſtitutorũ. Quare & hæc laicorum hæreſis redemptioni humani generis inimica eſt, & ad votum Satanę accommodata in perditionem animarũ.

CONCILIVM
LATERANENSE II.
OECVMENICVM X.
ANNO M. C XXXIX.

CONTRA PETRVM DE BRVIS, &c.
SUB INNOC. II. SUMMO PONTIFICE, Tempore Conradi Imperatoris.

Hiſtoria ejuſdem Concilij.

HOnorio II. Calliſti ſucceſſore defuncto, major Cardinalium pars Gregorium S. Angeli Diaconum Card. ſummum Pontif. elegerunt, qui deinde Innoc. II. dictus eſt Nonnulli vero Petrum Leonis potentiſſimi Rom. civis filium Pſeudopontificem creârunt, quem Anacletum II. appellarunt. De utroque S. Bernard. hæc ſcribit: *Duo itaque, inquit, ſunt, de quibus contenditur, quiſnam eorum rectius videatur Papa. Quorum primo quidem ſi perſonas comparés, ut neque ſane vel derogare videar, vel adulari, dicam, quod dico paſſim reperies, & neminem arbitror diffiteri, quin videlicet Innocentij noſtri vita, vel fama, nec amulum timet; cum alterius nec ab amico tuta ſit. Deinde ſi electionem diſcutias, noſtri itidem occurrit, & promotione prior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porro de tempore conſtat. Reliqua duo, merita probant, & dignitas elegentium. Hanc enim (ni fallor) partem ſaniorem invenies, tam Epiſcopos, quam Cardinales, Diaconos ſive Presbyteros, & quorum maxime intereſt de electione ſummi Pontifi. & quanti in eligendo juxta ſcita Patrum ſufficiant. Quid & in conſecratione? Nonne Oſtienſem, ad quem ſpecialiter ſpectat, habemus? Cum igitur & electus dignior, & electio ſanior, & actio ordinabilior teneatur: qua iſti ratione, imo qua contentione, contra jus & fas, & vota omnium bonorum, invita & renitenti Dei Eccleſia præficere alium, & illum deponere tentant?* Et alibi de Innoc. loquẽs: *Merito illum, inquit, recipit Eccleſia, cujus opinio clarior, & electio ſanior inventa eſt: nimirum eligentium numero vincens, & merito.* Hæc S. Bernardus. Petrus Leonis propinquorum viribus innixus, ſancti Petri Baſilicam, cæteraſque urbis Eccleſias invaſit, & Innoc. Papa una cum Cardinalibus coactus urbe diſceſſit, & in Galliam ſe contulit: ubi à Rege & ab Epiſcopis ut verus Pontifex recipitur, habetur, & colitur. Galliæ Regem æmulatus Henricus Angliæ Rex, ac Lotharius Rom. Imperator electus cum Epiſcopis & Optimatibus Teutonici Regni. Neque in Gallia tantum & Germania Innocent. legitimus Pontif. habetur, ſed etiam in Hetruria, ſeu Tuſcia, Campania, aliiſque prope innumeris regionibus atq; Provinciis, ut ſcribit S. Bernardus, qui magnum Innoc. adjumentum attulit in hoc ſchiſmate confutando, tum apud Imperatorem, tum apud Reges, ob eximiam & doctrinæ & ſanctitatis opinionem, atq; ideo apud eos auctoritatem. Innoc. ex Gallia in Italiam reverſus, Lotharij Imper. viribus adjutus, ſchiſmaticos repreſſit; & Petro Leone Pſeudopontif. mortuo, is qui in ejus locum à ſchiſmaticis ſubrogatus fuerat, Victoris nomine appellatus, Pontificalibus veſtibus depoſitis ad Pontif. ſe contulit.

Epiſt. 126

Epiſt. 125

Iis temporibus non ſchiſmaticorum tantum factionibus Dei Eccleſia perturbabatur, ſed hæreticorũ etiam novis ac diverſis dogmatibus oppugnabatur: Petrus de Bruis hac tempeſtate exortus eſt adverſus quem Petrus Cluniacenſis diſputans, ejus hæreſes recenſet. Et primum quidem: Negat, inquit, parvulos infra intelligibilem ætatem conſtitutos, Chriſti Baptiſmate poſſe ſalvari: nec alienam fidem poſſe illis prodeſſe, qui ſua uti non poſſunt. Deinde Templorum vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere; factas inſuper ſubrui oportere, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad adorandum. Tertio, Cruces ſacras confringi præcipit, & fuccendi: quia ſpecieſſilla, vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam dire tortus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliqua ſupplicatione digna eſt; ſed ad ultionem tormentorum & mortis ejus, omni dedecore dehoneſtanda, gladus concidenda, ignibus ſuccendenda eſt. Quarto, Non ſolum veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & aſſidue per Sacramentum in Eccleſia oblatum negat, ſed omnino illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere decernit. Quinto, Sacrificia, oblationes, eleemoſynas, & ſalutaria bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta deridet, nec ea quempiam mortuorum vel in modico poſſe juvare affirmat. Narrat etiam Petrus Cluniacenſis, poſt hunc hæreticum concrematum, cum antea impius ille Cruces Dominicas in unum congeſtas concremaverit.

Petrum de Bruis ſont hæreſeon in Occidente. lib. 1. ep. 1. & 2.

Arnaldus de Brixia.

Hujus Petri de Bruis impias hæreſes ſecuti ſunt pene omnes qui poſt illum fuerunt hæretici: ut merito hæreticorum parens dici poſſit. Quinetiam Arnaldus de Brixia illius ſectatus eſt errores. De quo hoc Otho Friſingenſis ſcribit: *Ad ſtudia è Gallia in Italiam reverſus, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit: omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens: Clericorum & Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim: Nec Clericos proprietatem, nec Epiſc. regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſalvari: ſanctaq; hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc, de ſacramento Altaris, de Baptiſmo parvulorum non ſane dicitur ſenſiſſe.* Hæc Otho. Quare Innoc. Pontif. tum ad hæreſes damnandas, tum ad ſchiſmaticos reprimendos, ac depravatos mores corrigendos, Prædeceſſorum ſanctorum Pontif. exempla ſecutus, univerſale Romæ indixit Concilium: & convocatis ex univerſis Chriſtiani orbis partibus Patriarchis, Archiepiſ. & Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, mille circiter convenere, ut graviſſimi illius temporis Scriptores tellantur; & in Lateran. Eccleſia illud celebrandum curavit. In quo hæretici damnantur, & inter cæteros Arnaldus de Brixia, qui tum in urbe degebat. Petri Leonis, aliorumq; ſchiſmaticorum Acta reſcinduntur; & ad priſtinam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam, aliqua ſtatuuntur Decreta, inter quæ illud præcipuum: Quod cum per id tempus Sacerdotibus & Clericis honor, quem par erat, non deferretur, ſententiam excommunicationis tulit Pontifex in eos, qui violentas manus in Clericos injicerẽt. Prohibuit etiam nullitum Torneamenta, in quibus cædes hominum, & animarum pericula ſemper imminent. Quæ à poſterioribus Pontificib. & Conciliis, & innovata & confirmata fuere. Hæc de hiſtoria. Binius, cui nihil hic addidimus. In his porro deprehendimus initia hæreſis Sacramentariorum qui ſacramenta certiora humanæ per Chriſtum redemptionis media per quæ ſingulis applicatur, impugnarunt ac abolere conati ſunt, ut cum ea in hoc & ſequentibus Conciliis Eccleſia defendat, non niſi in priori inſtituto perſeveret. fidem redemptionis adſtruendo contra multiformes dæmonum incurſus ac hæreticorum Sacramentariorum, quorum dux in Occidente iſte Petrus de Bruis inſidias. Canones qui ſequuntur, excerpſit Baron. ex Vaticano codice ad an. 1139.

Lib. 2. de geſtis Frid. ſæc.

Clericorum honor vindicatus.

CANO-

CANONES HVIVS CONCILII.

I. STatuimus, ſi quis Simoniacè ordinatus fuerit, ab officio omnino cadat, quod illicite uſurpauit.

II. Si quis præbendam, vel Prioratum, ſeu Decanatum, aut honorem vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet Sacramentum Eccleſiaſticum, ut pote, Chriſma, vel oleum ſanctum, Conſecrationes Altarium vel Eccleſiarum, interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquiſivit, honore male acquiſito careat, & emptor, atque venditor; & interventor, nota infamiæ percellantur, & nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis ante vel poſt à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam Simoniacum eſt; ſed libere, & abſque imminutione aliqua, collata ſibi dignitate atque Beneficio perfruatur.

Emptiones.

III. A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis ſuſcipi modis omnibus prohibemus. Qui vero excommunicato, antequam ab eo qui eum excommunicaverit, abſolvatur, ſcienter communicare præſumpſerit, pari ſententiæ teneatur obnoxius.

IV. Præcipimus etiam, quod tam Epiſcopi quam Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum; ſed potius, quæ eos deceat, ſanctitatem præ ſe ferant. Quod ſi moniti ab Epiſcopis emendari noluerint; Eccleſiaſticis careant beneficiis.

V. Illud autem, quod in ſacro Chalcedonenſi conſtitutum eſt Concilio, irrefragabiliter conſervari præcipimus. Vt videlicet decedentium bona Epiſcoporum à nullo omnino hominum diripiantur, ſed ad opus Eccleſiæ & ſucceſſoris ſui, in libera œconomi & Clericorum permaneant poteſtate. Ceſſet igitur de cætero illa deteſtabilis & ſæva rapacitas. Si quis autem aliquo modo hoc attentare præſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat. Qui vero morientium Preſbyterorum vel Clericorum bona rapuerint, ſimili ſententiæ ſubjiciantur.

VI. Decernimus etiam, ut ij qui in ordine Subdiaconatus & ſupra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico Beneficio careant. Cùm enim ipſi Templum Dei, Vaſa Domini, Sacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſervire.

VII. Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum Gregorij VII. Vrbani & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes præcipimus, ut nullus Miſſas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Vt autem lex continentiæ & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, & Monachi, atque converſi profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namq; copulationem, quam contra Eccleſiarum regulã conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati, pro tantis exceſſibus condignã pœnitentiam agant.

VIII. Idipſum quoque de Sanctimonialibus feminis, ſi quod abſit, nubere attentaverint, obſervari decernimus.

IX. Prava autem conſuetudo, prout accepimus, & deteſtabilis inolevit, quoniam Monachi & Regulares Canonici poſt ſuſceptum habitum, & profeſſionem factam ſpreta beatorum Magiſtrorum Benedicti & Auguſtini Regula, Leges temporales, & Medicinam gratia lucri temporalis addiſcunt. Avaritiæ namque flammis accenſi, ſe Patronos cauſarum faciunt, & cùm Pſalmodiæ & Hymnis vacare debeant, glorioſæ vocis confiſi munimine, allegationum ſuarum varietate, juſtum & injuſtum, fas nefaſque confundunt. Atteſtantur verò Imperiales Conſtitutiones, abſurdum imo & opprobrium eſſe Clericis, ſi peritos ſe velint diſceptationum eſſe forenſium. Hujuſmodi temeratores graviter ferjendos Apoſtolica auctoritate decernimus. Ipſi quoque, neglecta animarum cura, Ordinis ſui propoſitum nullatenus attendentes, pro deteſtanda pecunia ſanitatem pollicentes, humanorum curatores ſe faciunt corporum. Cumque impudicus oculus impudici cordis ſit nuntius, illa, de quibus loqui erubeſcit honeſtas, non debet Religio pertractare. Vt ergo Ordo Monaſticus & Canonicus Deo placens in ſancto propoſito inviolabiliter conſervetur, ne hoc ulterius præſumatur, Apoſtolica auctoritate interdicimus. Epiſcopi autem, Abbates, & Priores tantæ enormitati conſentientes & non corrigentes, propriis honoribus ſpolientur, & ab Eccleſiæ liminibus arceantur.

X. Decimas Eccleſiarũ, quas in uſu pietatis, cõceſſas eſſe Canonica demõſtrat auctoritas, à laïcis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſlibet perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegii crimen committere, & periculum æternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam, ut laïci qui Eccleſias tenent, aut eas Epiſcopis reſtituant, aut excommunicationi ſubjaceãt. Innovamus itẽ & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum vel Decanum, niſi Diaconus vel Preſbyter ordinetur: Archidiaconi verò, Decani, vel Præpoſiti, qui infra Ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur. Prohibemus autem, Ne adoleſcentibus, vel infra ſacros Ordines conſtitutis, ſed qui prudentia & merito vitæ clareſcunt, prædicti concedantur honores. Præcipimus etiam,

Ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur, & unaquæque Ecclesia cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem.

XI. Præcipimus etiam, ut Presbyteri, Clerici, Monachi, peregrini, & mercatores, & rustici, euntes & redeuntes, & in agricultura persistentes, & animalia cum quibus aratur, & semina portant ad agrum, & oves, omni tempore securi sint.

XII. Treugam autem ab occasu solis in quarta Feria vsque ad ortum solis in secunda Feria, & ab Adventu Domini usque ad Octavas Epiphaniæ, & à Quinquagesima usque ad Octavam Paschæ ab omnibus inviolabiliter observari præcipimus. Si quis autem Treugã frangere tentaverit, post tertiam commonitionem si non satisfecerit, Episcopus suus in eum excommunicationis sententiam dictet, & scriptam Episcopis vicinis annuntiet. Episcoporum autem nullus excommunicatum in communionem suscipiat, imo scripto susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem violare præsumpserit, Ordinis sui periculo subjacebit. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus, ut Episcopi, ad solum Deum & salutem populi habentes respectum, omni tepiditate sepositа, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, neque hoc alicujus amore aut odio prætermittãt. Quòd si quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.

XIII. Porro detestabilem & probrosam divinis & humanis Legibus per Scripturam in veteri & novo Testamento abdicatam, illam, inquam, insatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni Ecclesiastica consolatione sequestramus: præcipientes, ut nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus, vel cujuslibet Ordinis Abbas, seu quivis in Ordine & Clero, nisi cum summa cautela usurarios recipere præsumat, sed in tota vita infames habeantur: & nisi resipuerint, Christiana sepultura priventur.

XIV. Detestabiles autem illas mundinas, vel Ferias, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ, temerariè congrediuntur, unde mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt, omnino fieri interdicimus. Quòd si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti, Pœnitentia & Viaticum non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

XV. Item placuit, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegij reatum incurrit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporũ illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Ecclesiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod si fecerit, excommunicetur.

XVI. Indubitatum est quoniam honores Ecclesiastici sanguinis non sunt, sed meriti, & Ecclesiæ Dei non hæreditario jure aliquem, neque secundum carnem successorem expectant, sed ad sua regimina, & officiorum suorum dispensationes, honestas, sapientes, & religiosas personas exposcunt. Propterea auctoritate prohibemus Apostolica, ne quis Ecclesias, Præbendas, Præposituras, Capellanias aut aliquæ Ecclesiastica Officia hæreditario jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat. Quòd si quis improbus, aut ambitionis reus attentare præsumpserit, debitæ pœnæ mulctabitur, & postulatis carebit.

XVII. Sanè conjunctiones consanguineorum omnino fieri prohibemus: hujusmodi namque incestum, qui fere stimulante humani generis inimico, in usum versus est, Sanctorum Patrum instituta, & sacro-sancta Dei detestatur Ecclesia; Leges etiam sæculi de tali contubernio natos infames pronuntiant, & ab hæreditate repellunt.

XVIII. Pessimam siquidem & depopulatricem, & horrẽdam incendiorum malitiam, auctoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omnino detestamur & interdicimus. Hæc etenim pestis & hostilis vastitas omnes alias depredationes exuperat. Quæ quantum populo Dei sit damnosa, quantumque detrimentum animabus & corporibus inferat, nullus ignorat. Assurgendum est igitur, & omni modo laborandum, ut tanta clades, tantaque pernicies pro salute populi eradatur & extirpetur. Si quis igitur post hujus nostræ prohibitionis promulgationem malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta ignem apposuerit, aut apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura. Nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit secundum facultatem suam resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, ut Jerosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat. *Contra Saracenos pugnaturos.*

XIX. Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat & per annum ab officio Episcopali abstineat.

XX. Sanè Regibus & Principibus facultatem faciendæ justitiæ, consultis Archiepiscopis & Episcopis, non negamus.

XXI. Presbyterorum filios à sacri Altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in Cœnobiis aut in Canonicis religiosè fuerint conversati.

XXII. Sanè quia inter cętera unũ est, quod sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse cõstat, cum pretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur; aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Vnde scripti *Pœnitentia falsa.*

Jacob. 11. est: *Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*, scilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falsa enim fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel Curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet: aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.

Contra Petrum de Bruis.

XXIII. Eos autem qui religiositatis speciem simulantes, Dominici Corporis & sanguinis Sacramentum, Baptisma puerorum, Sacerdotium, & cæteros Ecclesiasticos Ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus & damnamus, & per Potestates exteras coërceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus,

XXIV. Illud quoque adjicientes præcipimus, ut pro Chrismatis, Olei sacri & sepulturæ acceptione nullum venditionis pretium exigatur.

XXV. Si quis Præposituras, Præbendas, vel alia Ecclesiastica Beneficia de manu laici acceperit, indigne suscepto careat Beneficio. Iuxta namque Decreta sanctorum Patrum, laici quamvis Religiosi sint, nullam tamen habent disponendi de Ecclesiasticis facultatibus potestatem.

XXVI. Ad hæc pernicioſam & detestabilem consuetudinem quarumdam mulierum, quæ licet neque secundum Regulam B. Benedicti, neque Basilij, aut Augustini vivant, Sanctimoniales tamen vulgo censeri desiderant, aboleri decernimus. Cum enim juxta Regulam degentes in Cœnobiis, tam in Ecclesia, quam in Refectorio atque Dormitorio communiter esse debeant, propria sibi ædificant receptacula, & privata domicilia, in quibus sub hospitalitatis velamine passim hospites & minus religiosos, contra sacros Canones & bonos mores suscipere nullatenus erubescunt. Quia ergo omnis qui male agit, odit lucem, ac per hoc ipsæ absconditæ in injustorum tabernaculo opinantur se posse latere oculos judicis cuncta cernentis: hoc tam inhonestum detestandumque flagitium, nec ulterius fiat, omnimodis prohibemus, & sub pœna anathematis interdicimus.

Meretrices sub pretextu hospitalitatis Religiosæ.

XXVII. Simili modo prohibemus, ne Sanctimoniales simul cum Canonicis vel Monachis in Ecclesia in uno Choro conveniant ad psallendum.

XXVIII. Obeuntibus sane Episcopis, quoniam ultra tres menses vacare Ecclesias prohibent Patrum sanctiones, sub anathemate interdicimus, ne Canonici de sede Episcopali ab electione Episcoporum excludant Religiosos viros, sed eorum consilio honesta & idonea persona in Episcopum eligatur. Quod si, exclusis eisdem religiosis, electio fuerit celebrata: quod absque eorum assensu & convenientia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.

XXIX. Artem autem illam mortiferam Deo odibilem, Balli, stadiorum, & sagittariorum, adversus Christianos & Catholicos exerceri de cætero sub anathemate prohibemus.

BAlare dicuntur arietes cum cornibus invicem se impetunt, apud Arnobium lib. 3. & indicat de la Cerda *adverſ. facr.* cap. 11. n. 5. Hinc intellige quid sit ballum.

XXX. Ad hæc Ordinationes factas à Petro Leonis & aliis schismaticis & hæreticis, evacuamus, & irritas esse censemus.

Intellige ut in controversiis S. Synodi.

De Arnaldo de Brixia & Petro de Bruis.

In hoc eodem magno, imo maximo Concilio Lateranensi, inter alia delata est accusatio adversus Arnaldum de Brixia recentem hæreticum, discipulum Petri Abailardi. Dum enim Brixiensem Ecclesiam perturbaret, laicisque terræ illius, prurientes erga Clerum aures habentibus, Ecclesiasticas malitiose exponeret paginas; in magno Concilio Romæ sub Innocentio habito, ab Episcopo civitatis illius virisque Religiosis accusatur. Romanus ergo Pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad Transalpina se contulit, ibique in oppido Alemaniæ Turego officium doctoris assumens, pernicioſum dogma aliquot diebus seminavit. Sic Otto Frisengensis. Qui subjicit de rebus ab eo gestis sub Eugenio post obitum Innocentij, cum Romam se contulit.

Arnaldum istum suis coloribus depingit Baronius ad eumdem annum, qui fuit vir naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, ac novitatis, cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses schismatumque perturbationes sunt prona. Sed haud ingratum erit Guntherum Ligurinum versibus ita canentem audire hujus temporis scriptorem eximium de gestis Friderici 1. lib. 3.

Cujus origo mali tantæque voraginis auctor
Extitit Arnaldus, quem Brixia protulit orta
Pestifero, tenui nutrivit Gallia sumptu
Edocuitque diu: tandem natalibus orta
Redditus, assumpta sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes, Clerumque procaci
Infectans odio, Monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque gravi corrodere lingua
Audebat Papam, sceleratæque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium cleri, fundos & prædia nullo
Jure sequi Monachos, nulli fiscalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, sacras referens concedere leges.
Omnia principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus atque regendâ;
Illis primitiæ & quæ devotio plebis
Afferat, & decimæ castos in corporis usus.
Non ad luxuriam sive oblectamina carnis
Concedens, molleſque cibos, cultuſque nitorem
Illicitoſque thoros, laſcivaque gaudia cleri,
Pontificum faſtus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, Monachoſque ſuperbos.

Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus, falſis admixta monebat,
Et fateor pulchram fallendi noverat artem
Verâ falſa probans, quia tantum falſa loquendo
Fallere nemo poteſt: veri ſub imagine falſum
Inſluit & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam fidei certumque tenorem
Non ſatis exacta ſtolidam pietate fovebat
Impia melliſluis admiſcens toxica verbis.
Ille ſuam vecors in clerum Pontificemque
Atque alias plures adeo commoverat urbes,
Vt jam ludibrio ſacer extremoque pudori
Clerus haberetur. Quod adhuc ni fallor in illa
Gente vocet, multumque ſacro detruncat honori.
Mox in Concilio Romæ damnatus ab illo
Præſule, qui nuncros vetitum contingere noſtros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita.
Territus & miſera confuſus imagine culpæ
Fugit ab urbe ſua. Tranſalpiniſque receptus,
Quæ ſibi vicinas Alemania ſuſcipit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens, ut fama, Lemanno
Nobile Turregum, Doctorûm nomine falſo
Inſedit, totamque brevi ſub tempore terram
Perfidus impuri fudavit dogmatis aura.
Vnde venenato dudum corrupta ſapore,
Et criminum falſi doctrinæ vatis inhærens
Servat adhuc vnæ guſtum gens illa paternæ.

Addit Baronius ad annũ 1155. eumdem Arnaldum tandem in manus Petri præfecti urbis incidiſſe à quo igni adjudicatus eſt: ex Ligurino Poëta. *Arnaldi mors.*

Vnde etiam tandem (neque enim vror eſſe ſilendum)
Ne de funeſto repetatur poſtea ſcelus,
Indicio cleri noſtro ſub principe victus
Appenſuſque cruci, flammaque cremante ſolutus
In cineres, Tiberine, tuas eſt ſparſus in undas,
Ne ſtolidæ plebis quem fecerat improbus error,
Martyris oſſa novo cineresve foveret honore.

Ex Othone Friſingenſi in Fridericum libro ſecundo capite 20. Sed ut ad Bruiſium redeamus, notat de eo Maſſonius lib. 3. annalium Poëta, Albigenſium ſectæ originem dediſſe ſub Ludovico VII. Rege Galliæ. Petrus, inquit, cognomine Bruſius in Septimania & finitimis Volcarum populis docebat templa dirui, cruces dejici oportere: in Euchariſtia verum Chriſti corpus non eſſe: preces ad Deum pro mortuis fruſtra fieri. Hæc & alia cum docuiſſet comprehenſus & igni crematus eſt apud Ægidij oppidum Volcarum. Bruſius talem habuit exitum vitæ, idque apparet ex epiſtola Petri Mauriaceni ad Epiſcopos Narbonenſis Galliæ. Henricus ex Monacho Bruiſij veſtigia ſequutus eſt: in eum Bernardus ſcribit Alphonſo Comiti Volcarum, ac ſententias Henrici moreſq; damnat. Cum autem id malũ in dies latius ſerperet, ipſe Tholoſam eſt profectus, ut cives concionibus ſuis ad depellendos improbatæ ſectę defenſores hortaretur. Cæterum nec Bruſij ſupplicium nec Bernardi conciones ſectæ progreſſus impedire potuerunt. Quid mirum? ſimulata religio inſtar Torrentium eſt qui nullis obicibus retardari queunt, quo minus campos inundent & aliquamdiu noceant. Toloſa, Albiga, Carcaſſo, Biterræ, Agata, Caſtrum, Vaurum ac ſingula fere oppida vicique Volcarum in ſectam abierunt. Notat tamen idem actor hanc ſectam quæ nec Conciliis nec ullis armis extingui poterat, ſubito concidiſſe an. 2. regni Ludovici IX. Superis teneram ejus ætatem diligentibus & annitente Blancha ejus matre, quæ in Regni procuratione multum laboravit, ut videatur Albigenſes unius fœminæ auſpiciis victi ad officium rediiſſe. Vide de eodẽ Petro de Bruis & Henrico Alphonſum à Caſtro l. adverſus hæreſes verbo *Baptiſmus* hæreſi 5. ubi multis confutat ejus de Baptiſmo parvulorum errorem ab Anabaptiſtis poſt quadraginta annos renovatum. *Bruſi mors*

A

CONCILIVM LATERANENSE III. OECVMENICVM XI. ANNO M. CLXXIX.

APPROBATVM TRECENTORVM EPISCOPORVM.

B *Pro reformanda in Fide, & moribus Eccleſia, contra hæreſes Catharorum (quos Vvaldenſes & Albigenſes alij appellant) & ſchiſmaticos ab Antipapis ordinatos, celebratum an. Domini 1179. tempore Alexandri Papæ III. & Friderici Imperatoris I.*

CUm Adrianus IV. Pontifex Maximus, anno à Chriſto nato 1159 Kalendis Septembris mortem obiiſſet, Cardinales, qui paulo poſt ad eligendum convenerant, duos ſimul Pontifices renuntiarunt: alterum, Rolandum Senenſem, virum omni laude præſtantem qui uno ac viginti Cardinalium ſuffragiis electus, Alexander III. fuit appellatus: alterum vero Octavianum Romanum, qui à tribus tantum Cardinalibus deſignatus, Pontificis nomen auſus eſt uſurpare. Ortum eſt ex hac Cardinalium diſcordia ſchiſma deterrimum, quod multos annos vexavit Eccleſiam. Licet enim Alexander verus Pontifex eſſet, tamen cum Octavianus, qui Victor IV. vocabatur, apud Imperatorem Fridericum plurimum poſſet, ita Germanorum animos Imperatoris opera ſibi devinxit, ut etiam poſtquam ipſe Victor è vivis exceſſit, Guidonem Cremenſem, & deinde Ioannem, qui in ejus locum ſucceſſerunt, tanquam veros Pontifices coluerit univerſa Germania. Contra vero, Gallia, Britannia, Hiſpania, & reliquæ fere omnes Provinciæ Alexandri partes conſtanter ſuſceperunt, excepta una Italia, in qua aliæ regiones Alexandro, aliæ vero Victori ſunt obſecutæ, præter cæteras autem multæ Galliæ Ciſalpinæ civitates nobiliſſimæ, cum ab Imperatore Friderico juſtis de cauſis defeciſſent, ita ſe Alexandro Pontifici addixerunt, ut nomine ipſius urbem Alexandriam ædificaverint, ac tandem victo Friderico, peſtiferi ſchiſmatis extinguendi cauſam non levem attulerint. Cum enim Imperator Fridericus, qui bellum acerbiſſimum cum illis gerebat, prælio ſuperatus eſſet, copiæque ejus maximæ atque firmiſſimæ magna ex parte deletæ; adeo hac clade commotus eſt, ut cum ad eum multorum Principum Germanorum, qui ipſi ſchiſma objiciebant, cohortationes accederent, paulatim reſipuerit, diſcuſſaq; ſuperioris temporis caligine, lucem reſpicere cœperit: ac denique poſt duodeviginti annos, quibus apertas cum Alexandro Pontifice inimicitias geſſerat, ſe ad pedes ejus ſupplex abjecerit, cumque illo pacem firmam & ſtabilem conciliaverit. *Schiſma.*

Tunc Alexander, qui tot annorum ſpatio in maximis turbinibus Eccleſiæ clavum tenuerat, cum ſedatis jam tempeſtatum fluctibus, ſumma tranquillitate frueretur: ut Eccleſiæ commodis conſuleret, atque ut alij Pontifices procellas, quibus ipſe vexatus fuerat, devitarent, in poſterum proſpiciens, Concilium generale convocavit, ut forma aliqua electioni Pontificis apta præſcriberetur, qua ambitioſorum hominum audacia & inſolentia deinceps reprimeretur: tum etiam, ut mores hominum ſchiſmatis & belli cauſa corrupti, conformarentur; uſura, Simonia, aliaque vitia, quæ longius ſerpebant, auctoritate Concilij coercerentur. Acceſſit præterea alia cauſa graviſſima, quæ Pontificis *Cauſa Concilij.*

Varia nomina Albigenſium.

animum valde ad hoc Concilium incitavit. Nam hæreſis Catharorum, ſive Publicanorum, vel Paterinorum, quæ in Aquitania fuerat exorta, in dies latius manabat, quibus permulti rudes & imperiti, hæreticorum fraudibus decepti, in Vaſconia & in Albigio, in partibus Toloſanis, fidem habebant, neceſſeque erat huic peſti deteſtabili remedium ſtatim adhibere. His igitur cauſis commotus Alexander, Synodum Generalem congregari juſſit, ad quam non ſolum Epiſcopi ex Provinciis Europæ, verum etiam nonnulli ex Aſia Romam adventarunt. ut Guilielmus Archiepiſcopus Tyrius ſcribit his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini* 1178. *qui erat Regni D. Balduini IV. anno* 5. *menſe Octobri, cum anno præcedenti indicta eſſet per univerſum Latinorum orbem Synodus Generalis, profecti ſunt de noſtro Oriente, ego Guilelmus Tyrenſis Archiepiſcopus, Albertus Bethleemita Epiſcopus, Heraclius Cæſareenſis Archiepiſcopus, Rodulphus Sebaſtenus Epiſc. Iotius Aconenſis Epiſc. Romanus Tripolitanus Epiſcopus, Petrus Eccleſiæ Dominici ſepulchri Prior, Rainaldus Abbas Eccleſiæ montis Sion.* Paulò poſt: *Per idem tempus* (anno ſcilicet 1189) *Romæ celebrata eſt Synodus in Baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum trecentorum Epiſcoporum, Pontificatus Alexandri anno* 20. *menſe Martio, Indictione* 11. *quinta die menſis, cujus ſi quis ſtatuta & Epiſcoporum nomina, numerum, & titulos ſcire deſiderat, relegat ſcriptum quod nos ad preces ſanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter.* Hæc Tyrenſis.

In hoc Concilio primum Pontifex ſtatuit ad futura ſchiſmata vitanda, ut non habeatur Romanus Pontifex, qui non à duabus Cardinalium partibus eſſet electus. Reſcidit Ordinationes omnes à ſchiſmaticis Pſeudopontificibus, Octaviano, Guidone & Joanne habitas. Anathematizavit præterea hæreticos omnes atque illos, qui ab illorum communione non ſe ſeparaſſent, vel auxilium eis aliquo modo attuliſſent. Imo armis comprimendos illos eſſe decernit. Conſtituta ſunt etiam multa alia quæ ſine dubio magnam Eccleſiæ afferunt utilitatem. Extantque viginti ſeptem Canones, qui apud multos Scriptores reperiuntur, & magna ex parte in Jure Pontificio continentur. Epiſcopi quoque ſchiſmatici tum Germaniæ, tum aliarum Provinciarum, qui ab Alexandro in hoc Concilio ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem recepti ſunt, hac verborum formula ſchiſma abjurarunt: *Ego N. anathematizo & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam Romanam Eccleſiam Catholicam: præcipue vero ſchiſma Octaviani, Guidonis, & Joannis, & Ordinationes eorum irritas eſſe judico, & eis contradico, & modo & in antea me obediturum juro, & promitto fidelitatem S. R. E. & Domino meo Alexandro, & ſucceſſoribus ejus juſte intrantibus: ipſique ſerviam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem ſecundum ordinem meum. Conſilia ejus, quæ mihi ſcripto certo mandaverit, vel ipſe commiſerit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis atque membrorum. Legatum Eccleſiæ Rom. honorabo, & ducam, & reducam, & juvabo expenſis. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

Acta Synodalia hujus Concilij ſummatim & compendioſe Matthæus Pariſ. anno Domini 1179. deſcribit, integra hic accipe.

Caput I. *De electione Papæ.*

Licet de evitanda diſcordia in electione Summi Pontificis, manifeſta ſatis à noſtris prædeceſſoribus conſtituta manaverint: tamen, quia ſæpe poſt illa per improbæ ambitionis audaciam, gravem paſſa eſt Eccleſia ſciſſuram: nos etiam ad malum hoc evitandum, de Concilio fratrum noſtrorum, & ſacri approbatione Concilij aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus igitur, ut ſi forte inimico homine ſuperſeminante zizaniam, inter Cardinales de ſubſtituendo Pontifice, non potuerit concordia plena eſſe, & duabus partibus cõcordantibus tertia pars noluerit concordare, aut ſibi alium præſumpſerit ordinare: ille Pontifex Romanus habeatur, qui à duabus partibus fuerit electus, & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus, quia rem non poteſt, ſibi nomen Epiſcopi uſurpaverit: tam ipſe, quam qui eum receperint, excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri ordinis privatione mulctentur, ita ut viatici eis etiam, niſi tantum in ultimis communio denegetur: & niſi reſipuerint, cum Dathan & Abiron, quos terra vivos abſorbuit, accipiant portionem. Præterea ſi à paucioribus aliquis, quam à duabus partibus fuerit electus ad Apoſtolatus officium, niſi major concordia interceſſerit, nullatenus aſſumatur, & prædictæ pœnæ ſubjaceat, ſi humiliter noluerit abſtinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis conſtitutionibus & aliis Eccleſiaſticis præjudicium generetur, in quibus majoris & ſenioris partis debet ſententia prævalere: quia quod in eis dubium venerit, poterit ſuperioris judicio definiri. In Romana vero Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur, quia non poteſt recurſus ad ſuperiorem haberi.

Caput II. *De ordinatis ab intruſis Pontificibus.*

Quod à prædeceſſore noſtro felicis memoriæ Innocentio factum eſt, innovantes, ordinationes ab Octaviano & Guidone Hæreſiarchis, nec non & Joanne Stramenſi qui eos ſecutus eſt, factas, & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus: adjicientes etiam, ut ſi quis dignitates Eccleſiaſticas, ſeu beneficia per prædictos ſchiſmaticos, receperint, careant impetratis. Alienationes quoque ſeu invaſiones, quæ per eoſdem ſchiſmaticos ſive per laicos factæ ſunt de rebus Eccleſiaſticis, omni careant firmitate, & ad Eccleſiam ſine omni ejus onere revertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit, excommunicationi ſe noverit ſubjacere. Illos autem qui ſponte juramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterint, à ſacris ordinibus & dignitatibus decrevimus manere ſuſpenſos.

Caput III. *De qualitatibus Epiſcoporum.*

Cum in ſacris ordinibus & miniſtris Eccleſiaſticis, & ætatis maturitas & morum gravitas, & ſcientia litterarum ſit inquirenda: multo fortius hæc in Epiſcopo oportet inquiri, qui ad curam poſitus aliorum, in ſeipſo debet oſtendere, qualiter alios, in domo Domini oporteat converſari. Ea propter, ne quod à quibuſdam ex neceſſitate temporis factum eſt, in exemplum trahatur à poſteris, præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam trigeſimum ætatis annum egerit, & de legitimo ſit matrimonio natus, qui etiam vita & ſcientia commendabilis demonſtretur. Cum autem electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore, de conſecrandis Epiſcopis à Canonibus definito: is, ad quem ſpectant beneficia quæ habuerat, diſponendi de illis liberam habeat facultatem. Inferiora enim miniſteria, utpote Decanatus, Archidiaconatus, & alia, quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat: ſed nec parochialium Eccleſiarum regimen, niſi qui jam vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, & qui ſcientia & moribus extet commendandus. Cum autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum, & Decani, & reliqui admoniti, non fuerint præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, & ab illo removeantur officio, & alij conferatur, qui & velit, & poſſit convenienter illud implere. Nec proſit illis appellationis effugium, ſi forte in tranſgreſſionem conſtitutionis ipſius per appellationem voluerint ſe tueri. Hoc ſane non ſolum de promovendis, ſed de his etiam, qui jam promoti ſunt, ſi

Canones non obſiſtant, præcipimus obſervandum. Clerici ſane ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi poteſtate tunc privatos, & ab Eccleſiaſticis beneficiis triennio ſe noverint ſuſpenſos. Dignum eſt enim, ut quos timor Dei à malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coërceat ſeveritas diſciplinæ. Epiſcopus autem ſi qui fecerit, aut fieri conſenſerit contra hoc, in conferendis prædictis poteſtatem ſuam amittat. Et Capitulum, aut per Metropolitanum, ſi Capitulum concordare nequiverit, ordinetur.

Caput IV. *De moderandis viſitatorum expenſis.*

1. Theſſ. 2. 2. Theſſ. 3. CUm Apoſtolus ſe & ſuos propriis manibus decreverit alendos, ut locum prædicandi auferret Pſeudo-Apoſtolis, & illis, quibus prædicabat, non exiſteret oneroſus: grave nimis, & emendatione fore dignum dignoſcitur, quod quidam fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum ita graves in procurationibus ſuis ſubditis exiſtant ut pro hujuſmodi cauſa interdum Eccleſiaſtica ornamenta ſubditi compellantur exponere, & longi temporis victum brevis hora conſumat. Quocirca ſtatuimus, quod Archiepiſcopi Parochias viſitantes, pro diverſitate provinciarum & facultatibus Eccleſiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionis numerum non excedant: Cardinales vero viginti quinque non excedant, Epiſcopi viginti vel trigmta nequaquam excedant: Archidiaconi quinque aut ſeptem: Decani conſtituti ſub ipſis duobus equis exiſtant contenti. Nec cum canibus venatoriis & avibus proficiſcantur: ſed ita procedant, ut non quæ ſunt ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti, quærere videantur, nec ſumptuoſas epulas quærant, ſed cum gratiarum actione recipiant quod honeſte, & competenter fuerit illis miniſtratum: Prohibemus etiam ne ſubditos ſuos talliis, & exactionibus Epiſcop. gravare præſumant. Suſtineant autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, nec ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum ab eis auxi-
2. Cor. 12. lium valeant poſtulare: Cum enim dicat Apoſtolus: *Non debent parentibus filij theſaurizare, ſed parentes filiis*; multum longe à paterna pietate videtur, ſi præpoſiti ſuis ſubditis graves exiſtant, quos in cunctis neceſſitatibus paſtoris more fovere debent. Archidiacono vero ſive Decani nullas exactiones, vel tallias in Preſbyteros, ſeu clericos exercere præſumant. Sane quod de prædicto numero evectionis ſecundum tolerantiam dictum eſt, in illis locis poterit obſervari, in quibus ampliores ſunt redditus & Eccleſiæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus teneri menſuram, ut exceſſu majorum, minores non debeant gravari; ne ſub tali indulgentia illi, qui pancioribus equis uti ſolebant, hactenus plurimam ſibi credant poteſtatem indultam.

Caput V. *De ordinatis ſine titulo.*

EPiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Preſbyterum ordinaverit: tandiu neceſſaria ei ſubminiſtret, donec in aliqua ei Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet: niſi forte talis, qui ordinatus extiterit, de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.

Caput VI. *De monitionibus prævijs cenſuræ.*

REprehenſibilis valde conſuetudo in quibuſdã partibus inolevit, ut fratres & Coepiſcopi noſtri ſeu etiam Archidiaconi, quos appellaturos in cauſis ſuis exiſtimant, nulla penitus admonitione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis in eos ferant ſententiam. Alij etiam dum ſuperioris ſententiam, & diſciplinam Canonicam reformidant, ſine ullo gravamine appellationem objiciunt, & ad defenſionem iniquitatis uſurpant, quod ad ſubſidium innocentium dignoſcitur inſtitutum. Quocirca ne vel prælati valeant ſine cauſa gravare ſubjectos, vel ſubditi pro ſua voluntate ſub appellationis obtentu, correctionem valeant eludere prælatorum: præſenti decreto ſtatuimus, ut nec prælati, niſi Canonica communione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos: niſi forte talis ſit culpa, quæ ipſo genere ſuo excommunicationis pœnam inducat: nec ſubjecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur, infra quem ſi forte proſequi neglexerit, libere tunc Epiſcopus authoritate ſua utatur. Si autem in quocumque negotio aliquis appellaverit, & eo, qui appellatus fuerit, veniente, qui appellaverit, venire neglexerit, ſi proprium quid habuerit, competentem ei recompenſationé faciat expenſarum: ut hoc ſaltem timore perterritus, in gravamen alterius facile quis non appelliet; præcipue vero in locis Religioſis volumus hoc obſervari, ne Monachi ſive quicumque Religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant; ſed humiliter ac devote ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua utiliter eis fuerit injunctum. *Approbatio regulariam.*

Caput VII. *De ſimonia vitanda in rebus ſacris.*

CUm in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum eſt, gratis impendi: horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, itaut pro Epiſcopis vel Abbatibus, ſeu quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſede introducendis Preſbyteris in Eccleſiam, nec non pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis ſacramentis aliquid exigatur: & ille qui indiget, non poſſit iſta percipere, niſi manum implere curaverit largitoris, putant plures exhoc ſibi licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis quia cupiditate cœcati ſunt, attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis ad ſedem vel ſacerdotibus inſtituendis, aut mortuis ſepeliendis, aut nubentibus benedicendis, ſeu etiam aliis ſacramentis aliquid exigatur, diſtrictius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habiturum cujus factum turpis muneris exactione imitatur. Prohibemus inſuper ne novi cenſus ab Epiſcopis vel Abbatibus, aliiſve prælatis imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum ſuis uſibus appropriare præſumant: ſed libertates, quas ſibi majores deſiderant conſervari, minoribus quoque ſuis bona voluntate conſervent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit, habeatur. 4. Reg. 5.

Caput VIII. *De proviſione beneficiorum intra tempus.*

NUlla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam beneficia vel alicui Eccleſiæ tribuantur ſeu promittantur, antequam vacent: ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cum enim id etiam in ipſis gentilium legibus, inveniatur prohibitum, turpe nimis eſt & divini plenum animadverſione judicij, ſi locum in Dei Eccleſia futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipſi gentiles homines curaverant. Cum vero præbendas Eccleſiaſticas, ſeu quælibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, vel etiam ſi modo vacant, non diu, maneant in

ſuſpenſo, ſed infra ſex menſes, perſonis quæ digne ad- A
miniſtrare valeant, conferantur. Si autem Epiſcopus ubi ad eum ſpectaverit, conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur. Quod ſi ad Capitulum electio pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit Epiſcopus hoc ſecundum Deum cum virorum Religioſorum conſilio exequatur. Aut ſi omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipſis ſecundum Deum abſque illorum contradictione diſponat.

Caput IX. *De exceſſibus privilegiatorum contra Epiſcopos.*

CUm & plantare ſacram Religionem, & plantatam fovere modis omnibus debeamus: nunquam hoc meliùs exequemur, quam ſi nutrire quæ recta B
ſunt, & corrigere que profectum veritatis impediunt, commiſſâ nobis authoritate curemus. Fratrum autem & Coëpiſcoporum noſtrorum vehementi conqueſtione comperimus, quod Fratres Templi & Hoſpitalis, & alij quoque Religioſæ profeſſionis, indulta ſibi ab Apoſtolica ſede excedentes privilegia, contra Epiſcopalem authoritatem multa præſumunt, quæ & ſcandalum generant in populo Dei, & grave pariunt periculum animarum. Proponunt enim quod Eccleſias recipiant de manibus laicorum, excommunicatos & interdictos ad Eccleſiaſtica Sacramenta & ſepulturam admittant, in Eccleſiis ſuis præter eorum conſcientiam & inſtituant & amoveant Sacerdotes, & fratribus eorum ad eleemoſynas quærendas euntibus, cùm C
indultum ſit eis, ut in adventu eorum ſemel in anno Eccleſiæ aperiantur, atque in eis divina celebrentur officia, plures ex eis de una, ſive diverſis domibus ad locum interdictum ſæpius accedentes, indulgentia privilegiorum in celebrandis officiis abutuntur, & tunc mortuos apud prædictas Eccleſias ſepelire præſumunt, occaſione quoque fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur Epiſcopalis authoritatis enervant, dum contra eorum ſententiam ſub aliquorum privilegiorum obtentu cunctos munire intendunt, qui ad eorum fraternitatem volunt accedere, & ſe conferre. In his, quia non tam de majorum conſcientia vèl conſilio, quam de minorum indiſcretione quorumdam exceditur: & removent ea, quæ dubietatem faciunt, & in quibus excedunt, declaranda decrevimus. Eccleſias ſane & decimas de manu laïcorum ſine conſenſu D
Epiſcoporum, tam illos, quàm quoſcunque alios Religioſos recipere prohibemus, dimiſſis etiam quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperunt, excommunicatos & nominatim interdictos, tam ab illis, quam abomnibus aliis, juxta Epiſcoporum ſententiam ſtatuimus evitandos. In Eccleſiis ſuis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, inſtituendos Presbyteros Epiſcopis præſentent, ut eis quidem de plebis cura reſpondeant, ipſis vero pro rebus temporalibus ſatisfactionem exhibeant competentem. Inſtitutos autem, Epiſcopis inconſultis, non audeant removere. Si verò Templarij ſive Hoſpitalarij ad Eccleſiaſticum interdictum venerint, nonniſi ſemel in anno ad Eccleſiaſticũ admittantur officium, nec tunc ibi corpora ſepeliant defunctorum. De fraternitatibus hoc ſtatuimus, ut E
ſi non ſe prædictis Fratribus omnino reddiderint, ſed in ſuis proprietatibus duxerint remanendum, propter hoc ab Epiſcoporum ſententia nullatenus eximantur ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut in alios Parochianos ſuos exerceant, cùm pro ſuis exceſſibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum eſt, de aliis quoque religioſis, qui præſumptione ſua Epiſcoporum jura præripiunt, & contra Canonicas eorum ſententias & tenorem privilegiorum noſtrorum veniſſe præſumunt, præcipimus obſervari. Si autem contra hoc inſtitutum venerint, & Eccleſiæ in quibus iſta ſumpſerint, ſubjaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

Caput X. *De ſimonia vitanda in Religionis ingreſſu.*

MOnachi non pretio recipiantur in Monaſterio, non peculium permittantur habere, non ſinguli per villas & oppida, ſed ad quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias: ſed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant: nec ſoli inter ſeculares homines ſpiritualium hoſtium conflictionem exſpectent, Salomone dicente, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* Si quis autem exactus, *Eccl. 4.*
pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non aſcendat. Is autem, qui acceperit, officij ſui privatione mulctetur. Si vero peculium habuerit, niſi ei ab Abbate pro injuncta fuerit adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam. Quod etiam de diverſis Religioſis præcipimus obſervari. Abbas etiam qui iſta diligenter non curaverit, officij ſui jacturam ſe noverit incurſurum. Prioratus quoque ſive Obedientiæ, pretij datione nulli tradantur. Alioqui & dantes & accipientes, à miniſterio fiant Eccleſiaſtico alieni. Priores vero, cum in conventualibus Eccleſiis fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta cauſa & rationabili non mutentur, videlicet ſi fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amovendi merito videantur: aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officij, de concilio fratrum fuerint transferendi.

Caput XI. *De caſtitate Sacerdotum.*

CLerici in ſacris ordinibus conſtituti, qui mulierculas ſuas in domibus ſuis incontinentiæ nota tenuerint, aut abjiciant eas, & continenter vivant, aut ab officio & beneficio Eccleſiaſtico fiant alieni. Quicumque incontinentia illa, quæ contra naturam, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ, & quæ quinque civitates igne conſumpſit, deprehenſi fuerint laborare: ſi clerici fuerint, ejiciantur à clero, vel ad pœnitentiam agendam in Monaſteriis detrudantur: ſi laïci, excommunicationi ſubdantur, & à cœtu fidelium fiant prorſus alieni. Monaſteria præterea ſanctimonialium, ſi quiſquam Clericus ſine manifeſta & neceſſaria cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur: & ſi non deſtiterit, à beneficio Eccleſiaſtico reddatur immunis.

Caput XII. *Ne Clerici ſæcularibus ſe immiſceant.*

CLerici in Subdiaconatu & ſupra, & in minoribus quoque ordinibus, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur, coram judice ſæculari advocati in negotiis fieri non præſumant, niſi propriam vel Eccleſiæ ſuæ cauſam fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus fortè perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt. Sed nec procurationes Villarum, aut Juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus vel ſæcularibus viris, & juſtitiarij eorum fiant, clericorum quiſquam aſſumere præſumat. Si quis adverſus hoc tentaverit (quoniam contra doctrinam Apoſtoli eſt, dicentis: *Nemo militans Deo, implicat ſe ſæcularibus negotiis*) & ſæculariter agit, ab Eccleſiaſtico fiat *2. Tim. 2.*
miniſterio alienus, pro eo quod officio Clericali neglecto, fluctibus ſæculi, ut potentibus ſæculi placeat, ſe immergit. Diſtrictius autem decrevimus puniendum, ſi Religioſorum quiſquam aliquid prædictorum audeat attentare.

Caput XIII. *De reſidentia Parochorum.*

QUia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diverſas Eccleſiaſticas, & [illegible] Eccle-

sias Parochiales contra sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, itaut cum vix unum officium implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum, ne id de cætero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere: quod si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur.

A

Cap. XIV. *De singularitate unius beneficij.*

QUia in tantum jam quorumdam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed sex aut plures Ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere: per fratres & Coepiscopos nostros charissimos præcipimus emendari: & de multitudine præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum; eorum, qui Ecclesiis dignè valeant deservire, volumus Ecclesiasticis beneficiis indigentiam sublevari. Præterea, quia in tantum quorumdam laïcorum processit audacia, ut Episcoporum auctoritate neglecta, Clericos instituant in Ecclesiis, & removeant etiam cùm voluerint, possessiones quoque, atque alia bona Ecclesiastica, pro sua plerumq; voluntate distribuant, & tam Ecclesias ipsas quàm eorum homines taliis & exactionibus præsumant gravare: eos qui amodò ista commiserint, anathemate decernimus feriendos. Presbyter autem sive Clericus, qui Ecclesiam per laïcos sine proprij Episcopi authoritate receperit tenendam, communione privetur: & si perstiterit, à ministerio Ecclesiastico & ordine deponatur. Sane, quia laici quidam Ecclesiasticas personas & ipsos etiam Episcopos suo judicio stare compellunt: eos qui de cætero id præsumpserint, à communione fidelium decernimus segregandos. Prohibemus etiam ne laïci decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laïcos possint aliquomodo transferre. Si quis verò receperit, & Ecclesiæ non tradiderit, Christiana privetur sepultura.

B

C

Cap. XV. *Ne beneficiarij ditent seculares.*

CUm in officio charitatis illis primo teneamur obnoxij, à quibus beneficium nos accepisse cognoscimus: è contrario Ecclesiastici quidam Clerici, cùm ab Ecclesiis suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias acquisita, in alios usus præsumunt transferre. Hoc igitur quia & antiquis Canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Episcopalem jurisdictionem exercent, præsenti decreto statuimus, ut qui de cætero id præsumpserit, officio suo privetur, & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.

D

Cap. XVI. *De ordinationibus.*

CUm in cunctis Ecclesiis, quod pluribus & senioribus fratribus fuerit visum, incunctanter debeat observari, grave nimis & reprehensione est dignum, quod quarumdam Ecclesiarum pauci quandoque non tam de ratione, quam de propria voluntate ordinationem multoties impediunt, & ordinationem Ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca præsenti decreto statuimus ut nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabile fuerit ostensum, appellatione remota semper prævaleat, & suum consequatur effectum, quod à majore & seniore parte Capituli fuerit constitutum. Nec nostram constitutionem impediat, si forte aliquis ad conservandam Ecclesiæ suæ consuetudinem juramento se dicat adstrictum: non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, quæ contra utilitatem Ecclesiasticam, & Sanctorum Patrum veniunt instituta. Si autem hujusmodi consuetudines, quæ ratione juvantur, & sacris congruunt institutis, irritare præsumpserit, donec congruam egerit pœnitentiam, à Dominici corporis perceptione fiat alienus.

Caput XVII. *De unitate beneficiarij in singulis beneficijs.*

QVoniam in quibusdam locis Ecclesiarum fundatores, aut hæredes eorum potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur: & cum in Ecclesia Dei unus debeat esse qui præsit, ipsi plures sine respectu subjectionis eligere moliuntur: & cum una Ecclesia unius debeat esse Rectoris, pro sua defensione plurimos repræsentat. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut si forte in plures partes fundatorum se vota diffuderint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo fieri nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam. Id ipsum etiam faciat, si de jure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, infra tres menses non fuerit definitum.

Caput XVIII. *De præficiendo magistro in Cathedralibus.*

QVoniam Ecclesia Dei, & in iis quæ spectant ad subsidium corporis, & in iis quæ ad profectum veniunt animarum, indigentibus sicut pia mater providere tenetur: ne pauperibus qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque Ecclesiam cathedralem Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque restituatur Ecclesiis sive Monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia verò docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis, ab iis qui docent, aliquid quærat: nec docere quempiam petita licentia, qui sit idoneus, interdicat. Qui verò contra hoc venire præsumpserit, à beneficio Ecclesiastico fiat alienus. Dignum quidem esse videtur, ut in Ecclesia Dei fructum laboris sui non habeat, qui cupiditate animi vendit licentiam docendi, & Ecclesiarum profectum nititur impedire.

Cap. XIX. *De exemptione Ecclesiarum.*

NOn minus pro peccato eorum qui faciunt, quàm pro illorum detrimento qui sustinent grave nimis esse dignoscitur, quod in diversis partibus mundi rectores, & consules civitatum, nec non alij qui potestatem habere videntur, tot Ecclesiis frequenter onera imponunt: & ita gravibus eas crebrisque exactionibus premunt, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui divinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alij servituti subjectis, sacerdotes suos & eorum possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. Isti vero universa penè opera sua imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, ut illud eis, quod Jeremias deplorat, competere videatur: Princeps provinciarum facta est sub tributo. Sive quædam fossata, sive expeditiones, sive quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, Gen. 47.

E

fiarum, Clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis cuncta voluntferè compilari. Jurisdictionem etiam & authoritatem Episcoporum & aliorum Prælatorum ita evacuant, ut nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse: super quo dolendum est pro Ecclesiis: dolendum etiam nihilominus & pro ipsis qui timorem Dei & Ecclesiastici ordinis reverentiam videntur penitus abjecisse. Quo circa sub anathematis districtione severius prohibemus, ne de cætero talia præsumant attentare, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas communes necessitates, ubi laicorum non supperunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem consules, aut alij de cætero id præsumpserint, & commoniti desistere forte noluerint, tam ipsi quam eorum fautores excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.

Cap. XX. *De prohibitione torneamentorum.*

FOelicis memoriæ Papæ Innocentij & Eugenij prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes detestabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temerè congrediuntur, unde mortes hominum & animarum pericula proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti venia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

Caput XXI. *Treugæ observandæ fideliter.*

TReugas à quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam in ortum solis, & ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad octavas Paschæ, ab omnibus inviolabiliter præcipimus observari. Si quis autem treugam frangere tentaverit, post tertiam commonitionem, si non satisfecerit, Episcopus suus sententiam excommunicationis dicter & in eum, & scriptam vicinis Episcopis annuncier, quorum nullus excommunicatum in communionem suscipiat; imo scriptam susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo subjaceat. Et quoniam funiculus triplex non facile rumpitur, præcipimus, ut Episcopi solum Dei & salutis populi habentes respectum, omni tepiditate sepositâ, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxilium præstent. Neque hoc alicujus amore, vel odio permittant. Quòd si quis in opere Dei tepidus fuerit inventus, damnum dignitatis suæ incurrat.

Olim privati homines bella gerebant non ex assensu Regis.

Cap. XX. *De Pedagiis.*

INnovamus, ut Presbyteri, Monachi, Clerici, conversi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia quæ semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. Nec quisquam alicui novas pædagiorum exactiones sine authoritate regum & principum consensu statuere, aut statutas de novo tenere, aut veteres augmentare aliquo modo temere præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit, donec satisfaciat, communione careat Christiana.

Cap. XXIII. *De parochiis instituendis.*

CUm dicat Apostolus, abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, Ecclesiastici quidam quæ sua sunt non quæ Jesu Christi quærentes, leprosis, qui cum sanis habitare non possunt, & ad Ecclesiam cum aliis convenire, Ecclesias & cœmiteria non permittunt habere, nec proprij juvari ministerio Sacerdotis. Quod quia procul à pietate Christiana esse dignoscitur, de benignitate Apostolica constituimus, ut ubicumque tot simul sub communi vita fuerint congregati, qui Ecclesiam sibi cum cœmiterio constituere, & proprio gaudere valeant Presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caveant tamen, ut injurioſi veteribus Ecclesiis de jure Parrochiali nequaquam existant. Quod namque eis pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare: statuimus etiam, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum, decimas tribuere non cogantur.

Cap. XXIV. *Ad infideles arma non deferantur.*

ITa quorumdam animos occupavit sæva cupiditas, ut cùm glorientur nomine Christiano, Saracenis arma, ferrum, & ligamina galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugnandos Christianos, arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in galeis & pyraticis Saracenorum navibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur à communione Ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subjectos, & rerum suarum per sæculi Principes Catholicos & Consules civitatum privatione mulctari, & capientium servos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam, ut per Ecclesias maritimarum urbium, crebra & solemnis excommunicatio proferatur in eos. Excommunicationis quoque pœnæ subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro navigatione, aut aliis causis honestis navigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Illi etiam qui Christianos naufragia patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnanda cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere.

Caput XXV. *Contra usurarios.*

QUia in omnibus fere locis crimen usurarum ita invalut, ut multi aliis negotiis prætermissis, quasi licite usuras exerceant, & qualiter utriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: ideo constituimus, ut usurarij manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Sed nec eorum oblationem quisquam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Christianæ tradiderint sepulturæ: & ea quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspensus.

Cap. XXVI. *Contra Judæos & Sarracenos.*

JUdæi sive Saraceni nec sub alendorum puerorum obtentu, nec pro servitio, nec pro qualibet alia causa Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere. Excommunicantur autem, qui cum eis habitare præsumpserint. Testimonium quoque Christianorum adversus Judæos in omnibus causis, cum illi adversus Christianos testibus suis utantur, recipiendum esse censemus: & anathemate decernimus feriendos, quicumque Judæos Christianis in hac parte voluerint præferre, cum eos subjacere Christianis oporteat, & ab eis pro sola humanitate foveri. Si qui præterea Deo inspirante ad fidem se converterint Christianam, à possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis conversos ad fidem esse oporteat, quàm antequam fidem acceperunt, habebantur. Si autem secus factum fuerit, principibus vel potestatibus eorumdem locorum sub pœna excommunicationis injungimus, ut portionem hæreditatis & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi.

Caput XXVII. *Contra Albigenſes & graſſatores milites.*

Sicut ait B. Leo, licet Eccleſiaſtica diſciplina Sacerdotali contenta judicio cruentas non efficiat ultiones, Catholicorum tamen principum conſtitutionibus adjuvatur, ut ſæpe quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſuper ſe metuunt evenire ſupplicium. Eapropter quia in Gaſconia, Albegeſio & partibus Tholoſanis & aliis locis ita hæreticorum, quos alij Catharos, alij Patrinos, alij Publicanos, alij aliis nominibus vocat, invaluit damnata perverſitas, ut jam non in occulto, ſicut aliqui nequitiam ſuam exerceant, ſed ſuum errorem publicè manifeſtent, & ad ſuum conſenſum ſimplices attrahant, & infirmos: eos, & defenſores eorum & receptores anathemati decernimus ſubjacere: & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra ſua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autẽ in hòc peccato deceſſerint, non ſub noſtrorum privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec ſub aliacumque occaſione, aut oblatio pro eis, aut inter Chriſtianos recipiant ſepulturam. De Brabantionibus & Aragonenſibus, Navaris, Baſcolis, Coterellis, & Triaverdinis, qui tantam in Chriſtianos immanitatem exercent, ut nec Eccleſiis nec monaſteriis deferant, nec viduis & pupillis, non ſenibus & pueris, nec cuilibet parcant ætati aut ſexui, ſed more paganorum omni perdant & vaſtent, ſimiliter conſtituimus, ut qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel foverint per regiones, in quibus taliter debacchabantur, in Dominicis & aliis ſolemnibus diebus per Eccleſias publice denuncientur, & eadem omnino ſententiâ, & pœna cum prædictis hæreticis habeantur diſtricti, nec ad communionem recipiantur Eccleſiæ, niſi ſocietate illa peſtifera & hæreſi abjuratis. Relaxatos autem ſe noverint à debito fidelitatis, & dominij ac totius obſequij, donec in tanta iniquitate permanſerint, quicumque illi aliquo peccato tenentur annexi. Ipſis autem cunctis fidelibus in remiſſionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus ſe viriliter opponant, & contra eos armis populum Chriſtianum tueantur, confiſcenturque eorum bona, & liberum ſit principibus ejuſmodi homines ſervituti ſubjicere. Qui autem in vera pœnitentia ibi deceſſerint, & peccatorum indulgentiam & fructum mercedis æternæ non dubitent ſe percepturos. Nos etiam de miſericordia Dei, & de beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſcepérint, & ad Epiſc. ſeu aliorum Prælatorum Concilium, ad eos decertando expugnandos, bienniam de pœnitentia injuncta relaxamus: aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcop. diſcretioni, quibus hujus rei cauſa fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, ſecundum modum laboris, major eis indulgentia tribuatur. Illos autem, qui admonitioni Epiſcoporum in hujuſmodi parte parere contempſerint, à perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Interimverò eos, qui ardore fidei ad eos expugnandum, laborem juſtum aſſumpſerint, ſicut eos, qui ſepulchrum Dominicum viſitant, ſub Eccleſiæ defenſione recipimus, & ab univerſis inquietationibus, tam in rebus, quam in perſonis ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſpiam veſtrum præſumpſerit eos moleſtare, per Epiſcopum loci excommunicationis ſententia feriatur; & tamdiu ſententia ſervetur ab omnibus, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè iterum ſatisfaciat. Epiſcopi vero, ſive Presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officij ſui privatione mulctentur, donec miſericordiam Apoſtolicæ ſedis obtineant.

Varia nomina hæreticorum Albigenſium.

Controverſa quædam de hoc Concilio.

Dubium eſt de quibuſdam aliis Canonibus quos in quinquaginta ſectiones diviſos referunt Joverius & antiquiores Conciliorum collectores, an ſint legitimi hujus Concilij Canones. Cenſet autem Baronius ad annum 1179. ſectiones iſtas quinquaginta collectionem eſſe decretorum à diverſis Pontificibus editorum, etiam a nonnullis qui poſt Alexandrum Papam vixerunt. Sed & Rogerius hujus temporis ſcriptor, dum de hoc agit Rom. Concilio affirmat hoc anno tertio nonas Martij cœptum eſſe, tribuſque diſtinctis diebus abſolutum, atque in eo viginti ſex decreta ſancita quæ recitat. Ex quibus plane intelligitur, ſumma diligentia eumdem Pontificem Alexandrum invigilaſſe, ut diſperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, ſimulque omnes quæ in diſciplinam Eccleſiaſticam irrepſiſſent corruptelæ, nec non pravæ conſuetudines ac irrupſiſſent ex tyrannorum violentia ſervitutes, & oppreſſiones Eccleſiaſticæ libertatis, è medio tolleret, obortaſque recens hæreſes, ſive veteres malè curatas, latius propagatas excideret, cohiberet faſtum & avaritiam Eccleſiaſticorum in ſibi ſubditos dominantium, & alia id genus quæ viginti ſeptem Canonibus continentur. Quare ſi uſtra congeriem illam Canonum huic Concilio inferemus cum non ſint in illo ſtatuti. Multitudine talium Canonum extraneorum veri obruuntur à nobis exhibiti, quorum etiam bonam partem refert Guillielmus Neubrigenſis rerum Anglicarum lib. 5. toto cap. 1. qui tamen cap. 2. præcedenti odium ſuum in Rom. Pontificem, in quem male affecti ſunt plerique hujus nationis ſcriptores, non diſſimulavit, ſic ſcribens. Quibus fœliciter geſtis Dominus Papa, tanquam poſt tanti temporis ſcandala reſarcitæ veritatis gaudia ſolemniter celebraturus generale Concilium Pontificatus ſui xx. à partu autem Virginis anno M. CLXXIX. quinto Idus Martij Lateranis celebrandum inſtituit; ad quod numerum totius Latini orbis Epiſc cum majoris loci Abbatibus evocavit. Quod autem Concilij evocandi intentio ſatis ſyncera non fuit, Romanæ avaritiæ artificioſa proviſio patefecit. Multi enim evocati, quibus iter eundi ad Concilium difficile vel intolerabile videbatur, interventu pecuniæ impudentius turpiuſque exactæ, quam præſtitæ relaxari meruerunt. Sane hujus Concilij decreta noſtræ duximus hiſtoriæ inſerenda.

Aliud dubium eſt circa ultimum Canonem quomodo concedatur indulgentia propugnantibus contra quoſdam graſſatores Chriſtianos, quæ ſolet concedi pugnantibus contra infideles. Ad quod reſpondet Petrus Cluniacenſis lib. 6. ep. 27 ad Eberardum Magiſtrum Templariorum, rogans eum ut fiat hujuſmodi homines per Templarios exagitari. Sed forte dicitis; contra paganos, non contra Chriſtianos arma ſumpſimus. Sed quis magis à vobis vel a veſtris impugnandus eſt, Deum neſciens paganus, an ipſum verbis confitens & factis contra eum dimicans Chriſtianus? quis magis perſequendus eſt ignorans & blaſphemus, an agnoſcens & impugnans? an non Deum impugnant, an non perſequuntur qui Eccleſiam ejus, qui populum emptum ſanguine ejus abſque ulla ubi poſſunt vel audent, perſonarum, graduum, dignitatum exceptione, deprædantur, cædunt, verberant, quandoque etiam (quod ſæpe contingit) perimunt? non eſt minus vere defendendus conſiliis, imò gladiis veſtris Chriſtianis vim iniuſte patiens à Chriſtiano, quam eſſet defendendus eamdem vim patiens à pagano, &c.

Græci vocati.

Ad idem Concilium ſpectat quod Græcorum ſchiſmaticorum Legatus Nectarius Abbas eadem qua venit animi obdurata nequitia, eſt reverſus poſt prolixas diſputationes, receptuſque eſt à ſuis tanquam in Olympiacis victor fuiſſet. Ut appareat non tantum Latinum orbem, ſed & Eccleſiam Orientalem ac Græcos ad Synodum vocatos fuiſſe. Quod invidioſe diſſimulat Neubrigenſis.

Adventum autem iſtum Nectarij teſtatum faciunt duæ Epiſtolæ Corcyræ Epiſcopi ad eumdem Nectarium Caſulorum præpoſitum, quæ redolent quid-

piam Atticæ ſantiquitatis, nihil Catholicæ pietatis: Quippe, ibi laudat Nectarium quod intrepide ibi cum Latinis ſe geſſerit, ut non tam judicandus quam judicaturus ad Synodum acceſſerit, & damnaturus pravos, ait in priori Epiſtola, hæreticorum mores, ut utrique parti admirabilis apparuerit, & Nectarea ſua aperuerit labia coram vertice illo Apoſtolis comparando ſummo videlicet Pontifice, & cum reliquo corpore illius, quæ ibi eſt Eccleſiæ, optime diſſeruerit. Glorioſior multum futurus, ſi ſe a veritate vinci paſſus fuiſſet. Vide Epiſtolas apud Baronium anno iudicato.

Delata quoque fuit accuſatio adverſus ſcriptum Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis. Quæ accuſatio ut gravioris momenti uberius tantiſper exponenda eſt. De quæſtione refert Matthæus Paris ſub Henrico tertio Anglorum Rege ad annum 1179. loquens de Alexandro tertio. Relatum fuit præterea ejuſdem Papæ Apoſtolatui quod Magiſter Petrus Lombardus in quibuſdam ſcriptis ſuis ab articulis fidei deviavit, unde Vuillelmo Senonenſi Archiepiſcopo literas ſub hac forma direxit.

De errore Petri Lombardi.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Vuillelmo Senonenſi Archiepiſcopo ſalutem. Cum in noſtra olim eſſes præſentia conſtitutus, tibi viva voce injunximus, ut ſuffraganeis tuis Pariſiis tibi aſcitis, ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Pariſienſis Epiſcopi, qua dicitur, quod Chriſtus ſecundum quod homo non eſt aliquid, omnino intenderes & efficacem operam adhiberes: inde ſiquidem eſt, quod fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quod tibi, cum præſens eſſes, præcepimus, ſuffraganeos tuos Pariſios convoces, & una cum illis & aliis viris Religioſis prudentibus, præſcriptam doctrinam ſtudeas penitus abrogare: & a Magiſtris ſcolaribus ibidem in Theologia ſtudentibus Chriſtum ſicut perfectum Deum ſic & perfectum hominem ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem præcipias edoceri: univerſis firmiter & diſtricte injungens quod doctrinam illam de cætero nequaquam docere præſumant, ſed ipſam penitus deteſtentur.

Hæc tunc, ait Baronius ad prædictum annum eamdem Epiſtolam ex Matthæo Paris referens, Alexander Papa, quæ naviter per eumdem Senonenſem Archiepiſcopum impleta fuiſſe liquet. Ex quibus verbis Baronij infero tunc Pariſiis habitum fuiſſe Concilium de iſta hæreſi, quod Chriſtus ſecundum quod homo non eſt aliquid.

Joannes Coriſpitenſis.

Hoc confirmat magis Ducennius in vita Alexandri III. ex teſtimonio Joannis Coriſpitenſis authoris hujus temporis ac quondam diſcipuli prædicti Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum in Eulogio ad Alexandrum Papam. Ubi & refert Alexandrum cum magna benignitate ac clementia agentem noluiſſe hanc aſſertionem quod Chriſtus non eſſet aliquis homo & in quantum homo non eſt aliquid, tunc gravioribus cenſuræ notis percuti, ne illius patroni ac defenſores qui forſan magis ex ignorantia quam ex obſtinatione erraverant cum pervetſa hac doctrina damnati remanerent, ac perpetua infamiæ nota affecti. Ex hac porro indulgentia cum ſine anathematis pœna damnatum fuiſſet hoc dogma, ſcholaſtici ac Magiſtri quidam Pariſienſes illud non ejurarunt. Præterea prædictus Joannes Coriſpitenſis illud refutare ſcriptis ſuis aggreſſus eſt, quæ ad Alexandrum Papam miſit, eum vehementius obteſtans ut ſi poſtquam pluries moniti fuiſſent non reſipiſcerent, tanquam membra putrida a corpore Eccleſiæ ferro excõmunicationis ſepararentur.

Si quis quærat an Magiſter ſententiarum alicubi docuerit hanc propoſitionem, reſponderi poteſt ſaltem anſam illi dediſſe in tertio libro ſent. diſt. 11. ubi de Chriſto ſic ait. Solet autem quæri utrum debeat ſimpliciter dici atque concedi Chriſtum eſſe factum vel creatum vel creaturam. Ad quod dici poteſt, hoc ſimpliciter & abſque determinatione, minus congruenter dici. Et ſi quandoque brevitatis cauſa ſimpliciter denominetur, nunquam tamen ſimpliciter debet intelligi, &c. Occaſione enim hujus diſtinctionis movent quæſtionem hanc Theologi, utrum Chriſtus ſecundum quod homo ſit creatura? cujus quæſtionis reſolutio obſcura eſt propter varias acceptiones termini iſtius reduplicative, & in uno ſenſu conceditur in alio negatur. Admiſſo autem quod in quantum homo non ſit creatura nec Deus, ſequitur etiam quod non ſit aliquid, quia quod nec Deus eſt, nec creatura nihil eſt. Hinc ergo originem habuerunt diſputationes veteſtorum Theologorum, quos notat gloſſa ad cap. *Cum Chriſtus* extra. *de hæreticis*, qui ultra quod oporteret ſubtiliter rem iſtam intelligentes, dicebant Chriſtum ſecundum quod homo eſt non eſſe aliquid. Ex cum etiam in univerſitate Rhemenſi illud aſſereretur a Theologis, ſcribit Alexander III. ad Archiepiſcopum Rhemenſem hanc decretalem quæ habetur extra. *de hæret.* cap. præcitato Cum Chriſtus perfectus ſit Deus & perfectus ſit homo, mandamus quatenus ſub anathemate interdicas: ne quis de cætero audeat dicere, Chriſtum non eſſe aliquid ſecundum quod homo: quia ſicut Chriſtus verus eſt Deus, ita verus eſt homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens, ex Concilio Lateranenſi. Hinc Michael Palatius in 3. ſent. ad eam diſtinct. diſp. 1. art, argumenta abſolves, ſi dixeris primo Chriſtum quatenus eſt homo eſſe aliquid, quia eſt animal rationale. Scito tamen argumentum hoc torſiſſe veteſtos Theologos, adeo ut dicerent Chriſtum ſecundum quod homo eſt, non eſſe propriè aliquid, ſed ad aliquid, quia eſt habens humanitatem, ut veſtitus eſt habens indutam veſtem. Quod dogma Eccleſia deſpuit extra. *de hæreticis* c. *cum Chriſtus*. Omiſſis autem variis diſtinctionibus ſcholaſticorum quæ magis obſcurant quam elucidant iſtam difficultatem, breviter annotari poteſt multos ex ſanctis Patribus non reformidaſſe aſſerere Chriſtum in quantum hominem eſſe creaturam ſic D. Leo Serm. 3 in Pentecoſte, Sophronius in Epiſtolâ quæ habetur in 6. Synodo act. 11. D. Hieronymus in c. 2. Ep. ad Epheſios & alij. Quod intelligendum eſt ſumpto nomine creaturæ non ſtrictè pro eo quod ex nihilo productum eſt, quia productio Chriſti non eſt productio ex nihilo, ſed compoſitio ex perſona increata & natura creata; ſed paulo largius pro eo quod incipit eſſe ſive abſolute, ſive ſecundum aliquam naturam creatam, & ſic Chriſtus dicitur creatura & aliquid, etiam in quantum homo.

Cæterum non id ſolum reprehenditur in Magiſtro ſententiarum: namque eodem tempore ut refert ibidem Matthæus Paris, contra eumdem libellum ſcripſit Joachim Abbas Florenſis cœnobij vocans eum hæreticum & inſanum, eo quod in libro ſententiarum dominitate ſive de eſſentia Trinitatis dixit, quoniam quædam ſumma res eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus & illa non eſt generãs, neque genita, neque procedens: contra quod oppoſuit præfatus Abbas, eo quod non tam Trinitatem quam quaternitatem aſſtruebat in Deo, tres videlicet perſonas & illam communem eſſentiam quaſi quartam, manifeſte proteſtans quod nulla res eſt quæ ſit Pater, Filius & Spiritus ſanctus, nec eſſentia nec ſubſtantia, nec natura. Stetit autem hæc indeterminata altercatio à diebus Alexandri Papæ per multos annos, ſedentibus interea in Cathedra Petri Lucio Gregorio, Clemente, Celeſtino & Innocentio III. qui anno 1215. Concilio Romæ habito libellum Abbatis Joachim damnavit, itaut hæreticus haberetur ſi quis ejus ſententiam in hac parte tueretur, aſſertionem Petri omnino Catholicam declarans, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res ſubſtantia, videlicet eſſentia, ſeu divina Natura, quæ ſola eſt univerſorum principium & illa res non eſt generans neque genita, neque procedens, ſed eſt Pater qui generat, & Filius qui gignitur & Spiritus ſanctus qui proceditur diſtinctiones ſint in perſonis, unitas in eſſentia, &c.

Joachim Abbas temerarie reprehenditur Lombardus.

Sed & multa alia in præfato libro ſententiarum à communi veritatis tramite diſſita annotantur a

pleriſque: unde prodiit catalogus eorum in quibus A communiter non tenetur Magiſter.

In primo libro.

Articuli in quibus non tenetur Magiſter Sent.

1. Quod charitas qua diligimus Deum & proximum eſt Spiritus ſanctus, diſt. 17. cap. 2. vel quod charitas quæ eſt amor Dei & proximi non eſt aliquid creatum.

2. Quod nomina numeralia dicta de Deo dicuntur ſolum relative, diſt. 24. cap. Et ſi diligenter. Vel hæc nomina numeralia trinus & trinitas non dicunt poſitionem, ſed privationem tantum.

3. Quod ſimile & æquale ſimiliter dicuntur de Deo privativè, diſt. 21. cap. Et hoc.

4. Quod Deus ſemper poteſt quicquid aliquando potuit, & vult quicquid voluit, & ſcit quidquid ſcivit, diſt. 44. cap. præterea quæri ſolet.

In 2. libro.

1. Quod Angeli non meruerunt beatitudinem per gratiam ſibi datam; ſed quod præmium præceſſit meritum & poſtea meruerunt per obſequia fidelibus exhibita diſt. 5. cap. hic quæri ſolet. Vel quod Angelis præmium præceſſit, & meritum reſpectu præmij ſubſtantialis habet ſubſequi.

2. Quod Angeli in merito reſpectu eſſentialis præmij, & in ipſo præmio proficiût uſque ad judicium diſt. 11. cap. præterea illud.

3. Quod charitas eſt Spiritus ſanctus, ſcilicet illa quæ animæ qualitates informat atque ſanctificat, diſt. 17. C cap. cum igitur.

4. Quod in veritate humanæ naturæ nihil tranſit extrinſecum, ſed quod ab Adam deſcendit per propagationem auctum & multiplicatum reſurget in judicio. diſt. 30. cap. penult.

Quibus reſpondetur vel quod nihil de cibis tranſit in veritatem humanæ naturæ, ut per generationem nec per nutritionem.

In 3. libro.

1. Quod anima à corpore exuta ſit perſona. diſt. 1. cap. hic apponitur.

2. Quod Chriſtus convenienter mortuus & non mortuus, dicitur paſſus & non paſſus. diſtinct. 21. cap. D ult.

3. Quod Chriſtus in triduo mortis fuit homo. diſt. 22. cap. 1.

In 4. libro.

1. Quod Sacramenta legalia non juſtificabant etiamſi cum fide & devotione fierent. diſt. 1. cap. Non igitur.

2. Quod homo ſine medio videbat Deum ante peccatum. Eadem diſt. cap. triplici.

3. Quod Circumciſio non conferebat gratiam ad bene operandum, nec virtutes ad augmentum: ſed ſolum ad peccata dimittenda valebat. Eadem diſt. cap. duo igitur.

4. Quod parvuli ante octavum diem morientes incircunciſi peribant, & quod cauſa neceſſitatis poterant antecircuncidi. Ead. diſt. cap. Si vero.

5. Quod quædam ſacramenta novæ legis inſtituta ſunt in remedium tantum, ut matrimonium, diſt. 2. cap. 1. Jam ad Sacramenta.

6. Quod baptiſati baptiſmo Joannis non ponentes ſpem in illo non erant baptiſandi baptiſmo Chriſti, diſt. 2. cap. ult. Hic conſiderandum. Vel aliter, baptiſmus Joannis cum impoſitione manuum æquipollebat baptiſmo Chriſti: ita quod baptiſatus baptiſmo Joannis non erat baptiſandus.

7. Quod Deus potuit dare potentiam Creaturæ creandi & interius abluendi, id eſt peccata dimittendi. diſt. 5. cap. ult. hic quæritur quæ ſit. vel ſit quod Deus potérat dare poteſtatem aliis baptiſandi interius, & quod creatura potuerit ſuſcipere, & ſimiliter quod Deus poteſt poteſtatem creaturæ comunicare & creare per creaturam tanquam per miniſtrum. diſt. 5.

8. Quod ſchiſmatici degradati, præciſi ab Eccleſia hæretici, excommunicati non habent poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti. diſt. 13. cap. Illi vero.

9. Quod brutum non ſumit verum corpus Chriſti niſi videatur. diſt. 13. cap. illud etiam ſane.

10. Quod ſcientia diſcernendi ut notat habitum ſcientiæ ſit clavis. diſt. 19. cap. 1.

11. Quod Epiſcopi ſimoniaci degradati non poſſunt conferre ordines. diſt. 25. cap. de Symoniacis.

12. Quod ſecundus maritus alicujus mulieris incognitæ carnaliter à primo ſit bigamus per cognitionem illius, & prohibetur ab ordinibus diſt. 27. cap. ult.

13. Quod cognoſcens ſororem uxoris ſuæ non tenetur uxori petenti debitum reddere, diſt. 24. cap. de his.

14. Quod ille qui uxore vivente duxit aliam in aliena patria, qui rediens ad conſcientiam vult eam dimittere & non poteſt, ſi cogitur ab Eccleſia remanere & debitum reddere quia ſibi non creditur: dicit Magiſter quod incipit excuſari per obedientiam & timorem & tenetur reddere debitum ſi petatur. diſt. 38. cap. ult.

15. Quod peccata delecta non patefiant aliis in judicio. diſt. 44. cap. hic quæritur utrum electus.

Ex quibus obiter diſcas magnos quoſlibet viros in magno opere difficile immunes inveniri ab omni errore. Hæc nimirum eſt humani imbecillitas ingenij dum ad unum attendit diligentius ab alio diſtrahitur, & incidit in Scyllam cupiens vitare Caribdim. Unde magni viri non dedignantur aliorum prævio examini & emendationi ſuam ſcripta ſua ſubmittere priuſquã in lucem publicam emittantur. Qua de re exemplum inſigne eſt in D. Gregorio Nazianzeno qui primus poſt beatum Joannem Evangeliſtam Theologi nomen aſſecutus ob excellentem Theologiæ peritiam orat. 49. teſtatur ſe amore Catholicæ fidei ductum, jampridem adverſus Arianos libellum edidiſſe, quem cum amico legendum dediſſet, qui tranſcribendum eum quia placuit, crediderat: ab eo magnopere poſtulavit ut diſſimulato autore doctis viris ac prudentibus legeret: ut ſi quem moviſſet quod illic plus aut minus poſitum videretur, poſſet plurimorum conſilio emendari. Nemo eſt enim, inquit, qui ſibi tam arroganter ſummam doctrinæ cœleſtis aſſumat, ut putet ſe omnia myſteria liquido comprehenſa retinere, cum Paulus Apoſtolus dicat (1. Cor. 8.) *Qui ergo putat ſe aliquid ſcire, nondum ſcit quemadmodum oportuit ſcire: ex parte per ſpeculum in ænigmate videmus, tunc facie ad faciem.* Sed & alias in uſu fuit, ut qui libros conſcriptos vulgaturi erant, recognoſcendos ac probandos à ſummo Pontifice procurarent. Teſtis eſt D. Auguſt. in exordio lib. 1. contra duas Epiſtolas Manichæorum. Sanctus Anſelmus lib. de Incarnatione verbi cap. 1. Martinus Papa conqueritur quod quidam Joannes natione Scotus tranſtuliſſet in Latinum opera D. Dionyſij Areopagitæ de divinis nominibus & cœleſtibus ordinibus, abſque eo quod juxta morem Eccleſiæ ad ſe miſſum prius fuiſſet iſtud ſcriptum & ſuo judicio approbatum: præſertim cum idem Joannes licet multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim, non ſane ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur, juxta epiſtolam quam refert Weſtmonaſterienſis anno 883. de his plura tibi ſuppeditabit Theophilus Rainaudus in libro de bonis ac malis libris partitione 3. crotemate 2. num. 474. Ubi etiam indicat Baronium id multis exemplis illuſtrare ad annum 496. Licet nobis indicatio falſa viſa fuerit, errore ſcilicet Typographorum, quibus facile eſt in numeris errare. Sed & in ſequenti Concilio mitius agitur cum Abbate Joachim qui temere

Libri olim approbati à ſummo Pontifice.

eundem Magiſtrum Sententiarum arguerat de hæreſi, quod omnia ſcripta ſua ſummo Pontifici offerri mandaſſet Apoſtolicæ ſedis judicio approbanda ſeu corrigenda. c. 2.

Unde & ſæpe fit, ut Eccleſia damnet libros vel ſcripta alicujus intacto authore ſeu eo non damnato, quia ipſe ſe ſubmiſit ante mortem judicio Eccleſiæ corrigendum. Hoc accidit Ibæ & Theodoreto. Illius epiſtola damnata eſt in quinta Synodo, hujus ſcripta aliqua maxime contra Cyrillum eidem cladi ſubjacuerunt, authores tamen illæſi manſerunt quod in Concilio Chalcedonenſi ſe ſubmiſiſſent, ac Neſtorio anathema dixiſſent. Simile quid videmus, nunc cum hæc typis mandamus, accidere Cornelio Janſenio Ipreníi Epiſcopo. Liber ejus, cui nomen Auguſtinus, noviſſimè damnatur ac prohibetur per Alexandrum VII. ſummum Pontificem, confirmaturque Conſtitutio Innocentij X. contra quinque Propoſitiones, ac declaratur quinque has propoſitiones ex prædicto libro excerptas, atque ſecundum ſenſum Janſenij damnatas fuiſſe ab Innocentio X. quod quidam filij iniquitatis, ac perturbatores tranquillitatis publicæ, ut loquitur ibidem Alexander Papa; cum ſcandalo aliorum id negent. Attamen nihil acerbius decernitur in ipſum Janſenium, quia morti proximus præſentiens librum ſuum haud Catholicæ fidei convenire, corrigendum ſubmiſerit ſummo Pontifici, ſicut fecerat Joachimus Abbas.

Ad idem Concilium pertinet quod habet Petrus Cantor Pariſienſis de verbo abbreviato c. 50. qui de hoc Concilio ſub Alexandro III. habito refert quod cum ageretur de uſura per ſententiam anathematis eradicanda, à quibuſdam præſentibus in Concilio quæſitum fuiſſe qui & quales ſententia dicta percellerentur. Reſponſum eſt, inquit, à quodam Prælato quod notorij tantum. Et cum proceſſum eſſe in quæſtionem, qui eſſent notorij, dictum eſt: qui publice faterentur ſe eſſe uſuratios vel aliquo ſigno noto hoc indicant. Ut ſcilicet qui capiſtrum venale in ſummitate virgæ, fœnerandam pecuniam circumferant. Hoc annotare libet propter difficultatem quæ exoritur cum quis præter ſortem aliquid accipit amplius titulo damni emergentis, lucri ceſſantis, aut aliquo alio qui juſtus haberi poſſet à plurimis Theologis. Decreta enim generalia de uſura videntur à quibuſdam omnia lucra occaſione mutui proventientia involvere, cum tamen intentio Conciliorum non fuerit, niſi veram & peccaminoſam ac injuſtam uſuram condemnare. Vide & Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. montes pietatis in quibus aliquod lucrum ſub legitimo titulo accipitur occaſione mutui & ex eis quæ ſunt illi extrinſeca, approbat & ut hæreticos habet qui eos damnant. Et Theologi innumeri plures titulos quibus ſupra ſortem aliquid accipitur legitimos eſſe & ab omni uſuræ pravitate alienos eſſe docent, qui minime Conciliis repugnare vellent. Ideo deſiderandum eſſet ut magis in ſpeciali determinaretur quinam contractus & ſub quibus conditionibus uſurarij ſint. De quibus videri poteſt Gerſon in tractatu de contractibus; & quæ ſcripſimus 3. parte examinis pœnit. Quæſito 38. & ſequentibus ad 44. incluſivè. Sed & vix ullus eſt ſcriptor moralis de caſibus conſcientiæ, qui de iſtis quæſtionibus plura non ſuppeditet.

CONCILIVM LATERANENSE IV.

GENERALE XII. ANNO M. CCXV.

APPROBATVM

CCCC. EPISCOPORVM, ET DCCC. aliorum Patrum, Abbatum, Decanorum & Priorum Conventualium.

Contra Albigenſium & Almarici hæreſes, & Abbatis Joachimi errores, pro Eccleſia in fide & moribus reformanda, proque Terra ſancta à Turcis recuperanda celebratum, anno Domini 1215. tempore Innocentij Papæ III. & Friderici Imperatoris, vel potius adhuc Regis Germaniæ II.

NOn ſatis fuit implacabili, in Chriſtum mediatorem ſalutis, Dæmonum odio toto tempore legis naturæ & legis Moſaicæ inſidiari ſemini mulieris & varias machinas per Reges & Principes impios adhibere, ut non naſceretur: non ſatis fuit quidem furori maledicto, poſtquam natus eſt mortuus pro homine, reſurrexitque & aſcendit in cœlos, fidem veram & integram in Myſterium redemptionis interturbare per diverſas hæreſes, tum in Oriente, tum in Occidente excitatas ad illam fidem per quam ſalus homini conſtat impugnandam aut tuendam, inter hæc aliud malum meditatur, loca ſcilicet ſacra Paleſtinæ in quibus trophea religionis erecta erant, & ad quæ peregrinantes Chriſtiani fideles ex omni mundi plaga, fidem illam egregiè teſtabantur, & abunde nutriebant, per infideles ac paganos vaſtari occupari, pollui procurat: Unde turbella ſacra cruce ſignatorum deliberata concluſa in conciliis provincialibus, ac etiam generalibus inveniuntur, hortantibus ad ea maxime Pontificibus Romanis. In quibus omnibus, quæ vix magno volumine comprehendi poſſunt, quid convenientius cogitare poterit pius animus videns hæc omnia tentari ad retundendos dæmonum incurſus contra loca ſacra Redemptionis, ad memoriam illius ac reverentiam ſi fieri poſſet abolendam, quam conſilia ſua & labores impendere ad defendendam fidem tam ſalutaris Myſterij, ut vivat illa fides integra. & Verbi Dei victoria tandem permaneat, dum reſiſtendo ſuſtentatur uſque ad dies judicij in quibus glorioſus poſitis omnibus adverſariis ſub ſcabello pedum ipſius Redemptoris apparebit?

Hinc Urbanus II. Pontifex in Claromontano ſatis frequenti Concilio gravi oratione valde conqueſtus eſt, Jeroſolymitanam regionem, in qua Chriſtus Dominus ſanguinem vitamque noſtra cauſa profudit, cæteraque ſancta illa loca ejuſdem Redemptoris noſtri conſecrata memoria, magno cum Chriſtiani nominis dedecore in Saracenorum manus perveniſſe. Quare Chriſtianæ Reipublicæ Reges, Principes, cæteroſque Chriſtianos adhortatus eſt, ut conjunctis viribus, ſanctam illam provinciam ex hoſtium manibus eriperent: & quamprimum ad ſacrum bellum ſe accingerent. Ita hæc Pontificis Oratio illorum animos incendit, ut pene dicto citius militum undique ad trecenta millia, ſub diverſorum ductu coacta ſint: ac militari amictu cruce inſignito, ut ſeſe oſtenderent pro Chriſto Domino

bellum gerere, Antiochiam primùm, mox finitimas regiones, poſtremo Jeroſolymam ipſam, ut permagno labore, ita ingenti gloria ſint adepti: creato itidē in Jeroſolymitana urbe & ditione Rege Gottofredo ſtrenuiſſimo Duce, omnium qui aderant Principum conſenſu. Is primus in urbem irruperat, æternum Galliæ decus, quæ tantum tamque inſignem virum tulit. Patria enim illi Bononia fuit, quod eſt oppidum Galliæ Celticæ, appoſitum Oceano. Regnatum eſt Jeroſolymis nonaginta circiter annos: ac per id tempus Summi Romani Pontifices, officio ſuo ac muneri in Regno tuendo, ac Saracenis procul arcendis non defuere. Verumtamen effici non potuit, quo minus Guidone Rege capto, Urbano III. Pontifice Jeroſolyma à Saracenis occuparetur. Cui Pontifici cum Gregorius VIII. ſucceſſiſſet, is impiger Reges, Principes, populoſque Chriſtianos omnes excitat cum litteris, tum Legatis, atque ad Jeroſolymam recuperandam urget. Idem præſtiterunt, qui poſt eum Pontifices fuerunt: ſed permulta acciderunt, quæ ſacro huic bello impedimentum attulere. Innocentius III. vir doctrina & moribus inſignis, ubi Pontificatum iniit Jeroſolymæ recuperationi animum adjecit. Et vero in magnam ſpem venit, fore ut voti compos fieret, cum ſuo tempore Latini aliqui Principes expugnata Conſtantinopoli, Græciam ipſam ſuo Imperio ſubjeciſſent, & Balduinus Flandriæ Comes Conſtantinopolitanus Imperator eſſet electus: idemque curam adhibuit, ut Græci diuturno ſchiſmate ab Eccleſia Catholica ſejuncti ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam reverterentur. Quamobrem Pontifex, & litteris, & Legatis miſſis, omnes ad ſacrum hoc bellum cohortatus eſt: cumque magnopere optaret Innocentius tum Jeroſolymitanæ urbis recuperationem, tum univerſæ Eccleſiæ reformationem, ſanctorum Patrum veſtigia ſecutus, Generale indixit Concilium, in quo depravati mores corrigerentur, & hæretici damnarentur, & Principes ac populi ad ſacram hanc expeditionem adducerentur. Scripſit igitur omnibus Patriarchis & Epiſcopis biennio ante Concilij celebrationem, ut ad illud accederent. Scripſit quoque Imperatori & Regibus, ut ipſi quoque Oratores ad Synodum deſtinarent. Cogitur itaque Romæ in Lateranenſi Eccleſia ſatis magnum Concilium, cui interfuere Legati utriuſque Imperatoris & Græci & Romani, Patriarcha Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus, Beatus quoque Dominicus. De hoc Concilio Abbas Urſpergenſis, qui eo tempore floruit, hæc habet: *Anno ab Incarnatione Verbi* 1215. *celebrata eſt ſanctæ univerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, menſe Novemb. præſidente Dom. Innocentio Papa III. Pontificatus ejus anno* 18. *in qua fuerunt Epiſcopi* 412. *inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus: Antiochenus autem gravi langvore detentus, venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium Antheradenſem Epiſcopum Alexandrinus vero ſub Saracenorum dominio conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germarium. Primates autem & Metropolitani* 71. *Cæterum Abbates & Priores ultra octingentos: Archiepiſcoporum vero & Epiſcoporum, Abbatum & Priorum, & Capitulorum abſentium Procuratorium non fuit certus numerus comprehenſus. Legatorum vero Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Conſtantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Vngariæ, Regis Jeroſolymorum, Regis Cypri, Regis Aragoniæ, nec non & aliorum Principum & Magnatum, Civitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo.* Hæc Urſpergenſis. Quibus congruunt quæ refert Matthæus Pariſ. anno 1213. ex quibus nullus dubitare poteſt de univerſalitate hujus Concilij ad quod omnes tam Latini, quam Græci vocati ſunt Epiſcopi, ut etiam de concordia utriuſque Eccleſiæ actum ſit, quamvis omnia ejus non extent. Interfuit autem eidem Patriarcha Maronitarum, qui relictis Monothelitarum erroribus tunc temporis ad fidem Catholicam acceſſerunt, in qua immobiles perſtitiſſe eorum litteræ ad Leonem X. redditæ, quæ teſte Baronio anno 1182. extant, aperte teſtantur.

Notant autem quidam decreta in hanc redactam fuiſſe formam poſt Concilium celebratum ab ipſo Innocentio, id quod cordatus lector facile deprehendet præſertim ex 29. ex 33. & 41. notat qui ejus opera tribus tomis diſtinxit. Quod forſitan accidit ob eam cauſam quod cum decreta agerentur, non omnibus omnia placuerunt. Hæc autem integre hic damus, præmiſſa Oratione Innocentij in Concilio habita in compendium reducta.

SERMO INNOCENTII PAPÆ in Concilio.

DEſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar, id eſt, antequam moriar. Luc. 22. hujus exordium eſt. Quia mihi vivere Chriſtus eſt & mori lucrum, non animo, ſi diſpoſitum eſt à Deo, bibere calicem paſſionis, ſive pro defenſione fidei Catholicæ, ſive pro ſubſidio terræ ſanctæ, ſive pro poteſtate Eccleſiaſticæ libertatis mihi fuerit propinatus: quamquam deſiderem in carne permanere, donec conſummetur opus inceptum. Verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat, &c. Triplex autem Paſcha, ſive phaſe deſidero vobiſcum celebrare: corporale, ut fiat tranſitus de loco ad locum pro miſerabili Hieruſalem liberanda: Spiritale, ut fiat tranſitus de ſtatu ad ſtatum, pro univerſali Eccleſia reformanda. Æternale ut fiat tranſitus de vita ad vitam pro cœleſti gloria obtinenda. De corporali tranſitu clamat ad nos miſerabiliter Hieruſalem in threnis. *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*: ergo tranſite ad me omnes qui diligitis me ut à tanta miſeria me liberetis. Ego enim quæ ſolebam eſſe domina gentium, modo facta ſum ſub tributo. *Viæ Sion lugent eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem.* Sepulchrum Domini eſt inglorium quod ſolebat eſſe glorioſum. Ubi colebatur unigenitus Dei filius, modo colitur filius perditionis Mahometus. Inſultant mihi filij alieni, &c. De ſpirituali vero tranſitu, *Dominus ait ad virum veſtitum lineis habentem atramentarium ſcriptoris ad renes: tranſi per mediam civitatem & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium, &c.* Quoniam ſummus Pontifex, qui ſuper domum Iſraël conſtitutus eſt ſpeculator, tranſire debet per univerſam Eccleſiam, quæ eſt civitas regis magni inveſtigando merita ſingulorum, ne dicant bonum malum vel malum bonum, ne ponant tenebras lucem & lucem tenebras: ne mortificent animas quæ non moriuntur, ut vivificent animas quæ non vivunt. Et ideo ut diſtinguat inter illos & diſcernat inter illos & iſtos, debet ſignare Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium, quatenus oſtendat eos qui dolent & gemunt ſuper abominationibus quæ fiunt in medio civitatis. Petit fides, religio deformatur, libertas confunditur, juſtitia conculcatur, hæretici pullulant, inſoleſcunt ſchiſmatici, perfidi ſæviunt, prævalent Agareni. De tranſitu autem æternali Dominus ait: *Beati ſunt ſervi illi quos cum Dominus venerit, invenerit vigilantes. Amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* De hoc tranſitu ſane martyres gloriantur in pſalmo dicentes. *Tranſivimus per aquam & ignem, & eduxiſti nos in refrigerium.* Hoc Paſcha quod præ ceteris deſidero manducare vobiſcum in regno Dei, eſt manducatio corporalis & ſpiritualis, doctrinalis & pœnitentialis, eſt manducatio Euchariſtiæ & gloriæ Luc. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hac ultima man-

Paſcha triplex.

Ezech. 9.

Luc. 12.

Pſal. 65.

ducatione præcipue deſidero manducare hoc Paſcha vobiſcum: ut tranſeamus de labore ad requiem, de dolore ad gaudium, de infelicitate ad gloriam, de morte ad vitam, de corruptione ad æternitatem. Præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui & honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Alium quoque ſermonem habuit in eodem Concilio ſumpto themate: *Si dormiatis inter medios cleros penna columbæ deargentata, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.*

TITULI DECRETORUM ſub Innocentio III.

1 *De fide Catholica.*
2 *De errore Abbatis Joachim.*
3 *De hæreticis.*
4 *De ſuperbia Græcorum contra Latinos.*
5 *De dignitate Patriarcharum.*
6 *De Conciliis Provincialibus.*
7 *De correctione exceſſuum.*
8 *De inquiſitionibus.*
9 *De diverſis ritibus in eadem fide.*
10 *De Prædicatoribus inſtituendis.*
11 *De magiſtris ſcholaſticis.*
12 *De communibus capitulis Monachorum.*
13 *De novis Religionibus prohibitis.*
14 *De incontinentia clericorum puniendâ.*
15 *De arcendâ ebrietate clericorum.*
16 *De indumentis clericorum.*
17 *De conniventiis prælatorum & negligentia eorum ſuper divinis officiis.*
18 *De judicio ſanguinis & duello clericis inhibito.*
19 *Ne Eccleſiæ mundanis ſupellectilibus exponantur.*
20 *De Chriſmate & Euchariſtia ſub ſera conſervanda.*
21 *De confeſſione faciendâ, & non revelandâ à Sacerdote, & ſaltem in Paſcha communicando.*
22 *Ut infirmi prius provideant animæ, quam corpori.*
23 *Ut Eccleſia Cathedralis, vel regularis, ultra tres menſes non vacet.*
24 *De electione faciendâ per ſcrutinium, vel compromiſſum.*
25 *Quod electio facta per ſecularem poteſtatem, non valeat.*
26 *De pœna indigne confirmantis electionem.*
27 *De inſtructione ordinandorum.*
28 *Ut compellantur cedere qui poſtulaverunt licentiam cedendi.*
29 *Ut nullus habeat duo beneficia, cum cura annexa.*
30 *De idoneitate inſtituendorum in Eccleſiis.*
31 *De filiis Canonicorum non inſtituendis cum Patribus.*
32 *Ut patroni competentem portionem dimittant clericis.*
33 *De procurationibus non accipiendis ſine viſitatione.*
34 *De ſubditis non gravandis ſub prætextu ſervitii alicujus.*
35 *De cauſa appellationis exprimendâ.*
36 *Quod judex poſſit interlocutoriam & comminatoriam ſententiam revocare.*
37 *De literis non impetrandis ultra duas dietas, & ſine ſpeciali mandato.*
38 *De ſcribendis actis, ut probari poſſint.*
39 *De reſtitutione dandâ contra poſſeſſorem, quæ repetit ipſe.*
40 *De veræ poſſeſſione.*
41 *De continuatione bonæ fidei in omni præſcriptione.*
42 *De ſeculari juſtitiâ.*
43 *Ne ſine cauſâ clericus fidelitatem laico faciat.*
44 *Quod conſtitutiones principum non præjudicent Eccleſiis.*
45 *Patronus qui clericum Eccleſiæ occiderit, vel mutilaverit, jus patronatus amittit.*
46 *De tallliâ à clericis non exigendis.*
47 *De formâ excommunicandi.*
48 *De modo recuſandi judicem.*
49 *De pœnâ excommunicantis injuſte.*
50 *De reſtrictâ prohibitione matrimonii.*
51 *De pœnâ contrahentium clandeſtina matrimonia.*
52 *De teſtimonio, de auditu reprobando in cauſa matrimonii.*
53 *De his qui prædia ſua in fraudem decimarum dant aliis excolenda.*
54 *Ut decimæ ante tributa ſolvantur.*
55 *Ut de terris acquirendis, non obſtantibus privilegiis, decimæ dentur.*
56 *Ne propter paſtum aliquorum amittat decimas Presbyter Parochialis.*
57 *De interpretandis privilegiorum verbis.*
58 *De eodem in favorem Epiſcoporum.*
59 *Ut nullus Religioſus ſine jubeat ſine licentiâ Abbatis & Conventus.*
60 *Quod Abbas non extendat ſe ad officium Epiſcopale.*
61 *Ne Religioſi recipiant decimas de manu laicali.*
62 *Ne reliquiæ Sanctorum oſtendantur extra capſam, neve novæ habeantur in veneratione ſine Romana Eccleſia.*
63 *De Simoniâ.*
64 *De eadem circa Monachos & ſanctimoniales.*
65 *De eadem circa illicitam pecuniæ exterſionem.*
66 *De eadem circa cupiditatem clericorum.*
67 *De uſuris Judæorum.*
68 *Ut Judæi diſcernantur à Chriſtianis in habitu.*
69 *Ne Judæi publicis officiis præficiantur.*
70 *Ne converſi ad fidem de Judæis, veterem ritum Judæorum retineant.*

DECRETA CONC. LATERANENSIS *ſub Innocentio Papa III. celebrati.*

Extra de ſummâ Trinitate & fide. c. 1. Deus unus in eſſentia trinus in perſonis.

FIrmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus & immenſus, omnipotens, incommutabilis, incomprehenſibilis & ineffabilis, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Pater à nullo, Filius autem à ſolo Patre, ac Spiritus ſanctus ab utroque pariter, abſque initio ſemper, & fine. Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens: conſubſtantiales & coæquales, coomnipotentes & coæterni, unum univerſorum principium, creator omnium inviſibilium & viſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam: diabolus enim & dæmones alij à Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Homo vero diaboli ſuggeſtione peccavit.

Hanc S. Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, & ſecundum perſonales proprietates diſcreta, per Moſen & ſanctos Prophetas, alioſque famulos ſuos, juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem.

Et tandem unigenitus Dei Filius, Ieſus Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria Virgine Spiritus ſancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compoſitus, una in duabus naturis perſona, viam vitæ manifeſtius demonſtravit. Qui cum ſecundum divinitatem ſit immortalis & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt paſſibilis & mortalis: quin etiam pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum. Sed deſcendit in B anima, reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in utroque, venturus in fine ſeculi judicare vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis quam electis. Qui omnes cum ſuis propriis corporibus reſurgent, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundum merita ſua, ſive bona fuerint ſive mala: illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Vna vero eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in Sacramento C altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur: transſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos fuerit rite ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus.

Sacramentum vero baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filij & Spiritus ſancti, conſecratur D in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Eccleſiæ, à quocunque rite collatum, proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari. Non ſolum autem virgines & continentes, verum etiam conjugati, per fidem rectam & operationem bonam, & ſic placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinē pervenire.

2. Damnamus ergo & reprobamus libellum ſive tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra magiſtrum Petrum Lombardum de unitate ſeu eſſentia Trinitatis, appellans hæreticum & inſanum, pro eo quod in ſuis dixit Sententiis: Quomodo quædam ſumma res eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens, unde aſſerit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem adſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam: manifeſte proteſtans, quod nulla res eſt quæ ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Sunt una eſſentia, una ſubſtantia, unaque natura: verum unitatem hujuſmodi non veram & propriam, ſed quaſi collectivam, ſed & ſimilitudinariam eſſe fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Eccleſia, juxta illud: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: & qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt. Item, Qui plantat & qui rigat, unum ſunt; & omnes unum corpus ſumus in Chriſto. Rurſus in libro Regum: Populus meus & populus tuus unum ſunt. Ad hanc autem ſuam ſententiam adſtruendam, illud potiſſimum verbum inducit, quod Ieſus Chriſtus de fidelibus inquit in Evangelio: Volo pater, ut ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus, ut ſint conſummati in unum. Non enim ait, Vt fideles Chriſti ſint unum, ideſt, una quædam res quæ communis ſit omnibus: ſed tantum, ſint unum, ideſt, una Eccleſia propter Catholicę fidei unitatem, & tandem unum regnum propter unionem indiſſolubilis charitatis. Quemadmodum in Canonica Ioannis epiſtola legitur: Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. Statimque ſubjungit, & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis: & tres unum ſunt, ſicut in codicibus quibuſdam invenitur.

Abbr. 4. 1. Cor. 6. lib 3. & 12. 3. Reg. 22.

Ioan. 17.

1. Ioan. 5.

Nos autem ſacro & univerſali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quod una quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem & inæſtimabilis, quæ veraciter eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundum, & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo non quaternitas: quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quam aliud inveniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens, ſed eſt Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus qui procedit; ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, id eſt, omnino, ut ſecundum Orthodoxam & Catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, juxta quod ipſe teſtatur: Pater quod dedit mihi, majus eſt omnibus. Ac dici non poteſt, quod partem ſuæ ſubſtantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi, cum ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpote ſimplex omnino. Sed nec dici poteſt, quod Pater in Filium tranſtulit ſuam ſubſtantiam generando, quaſi ſic dederit eam filio, quod non retinuerit ipſam ſibi: alioquin deſiſſet eſſe ſubſtantia. Patet ergo, quod Fine ulla diminutione Filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit, & ita Pater & Filius habent eandem ſubſtantiam: & ſic eadem res eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ab utroque procedens. Cum ergo veritas pro fidelibus ſuis ad Patrem orat:

Ioan 17.

Volo

In 1b. cap. ſeq abbatis Ioachim error de una Trinit. eſſentia.

Volo, inquiens, ut ipſi ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus: hoc nomen, unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro perſonis vero divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum veritas alibi ait: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt: perfectione naturæ, utroque videlicet ſuo modo: quia inter creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda.

Si quis igitur ſententiam ſive doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus confutetur. In nullo tamen per hoc florenti Monaſterio, cujus ipſe Ioachim extitit inſtitutor, volumus derogari: quoniam regularis inſtitutio eſt, & obſervantia ſalutaris, maxime cum idem Ioachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandaverit, Apoſtolicæ ſedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, dictans epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit: in qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia: quæ cunctorum fidelium, diſponente Domino, mater eſt & magiſtra.

Reprobamus etiam & damnamus perverſiſſimum dogma impij Almarici: cujus mentem ſic Pater mendacij excœcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.

Contr. de hæreticis.

3. Excommunicamus & anathematizamus omnem hæreſim, extollentem ſe adverſus hanc ſanctam Orthodoxam & Catholicam fidem, quam ſuperius expoſuimus, condemnantes univerſos hæreticos quibuſcunque nominibus cenſeantur: facies quidem habentes diverſas, ſed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum.

Damnati verò, ſecularibus poteſtatibus preſentibus, aut eorum ballivis relinquantur animadverſione debita puniendi, clericis prius à ſuis ordinibus degradatis: ita quod bona hujuſmodi damnatorum ſi laici fuerint, confiſcentur: ſi vero clerici, applicentur Eccleſiis, à quibus ſtipendia perceperunt.

Qui autem inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi juxta conſiderationes ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint, anathematis gladio feriantur: & uſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod, ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur.

Moneantur autem & inducantur, & ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſeculares poteſtates, cujuſcunque officij, etiam ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent publice juramentum, quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis, univerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudeant, ita quod amodo quandocunque quis fuerit in poteſtatem ſive ſpiritualem ſive temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum firmare.

Si vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & comprovinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut extunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denuncíet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent, ſalvo jure Domini principalis: dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege ſervata circa eos, qui non habent Dominos principales.

Catholici vero, qui crucis aſſumpto charactere, ad hæreticorum exterminium ſe accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque privilegio ſint muniti, quod accedentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conceditur.

Credentes vero, prætereà receptores, defenſores & fautores hæreticorum, excommunicationi decernimus ſubjacere: firmiter ſtatuentes, ut ſi, poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit infra annum, extunc ipſo jure ſit factus infamis, nec ad publica officia ſeu conſilia, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittantur. Sit etiam inteſtabilis, ut ne teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ipſi ſuper quocunque negotio, ſed ipſe alij reſpondere cogatur.

Quod ſi forte judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, ejus inſtrumenta confecta per ipſum, nullius penitus ſint momenti, ſed cum authore damnato damnentur. Et in ſubjectis idem præcipimus obſervari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur: ut in quo major eſt culpa, gravior exerceatur vindicta.

Si qui autem tales, poſtquam ab Eccleſia denotati fuerint, evitare contempſerint, excommunicationis ſententia uſque ad ſatisfactionem idoneam percellantur. Sanè clerici non exhibeant hujuſmodi peſtilentibus Eccleſiaſtica ſacramenta, nec eos Chriſtianæ præſumant ſepulturæ tradere, nec eleemoſynas, nec oblationes eorum accipiant. Alioquin ſuo priventur officio, ad quod nunquam reſtituantur abſque indulto ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Similiter quilibet regulares, quibus hoc etiam infligatur, ut eorum privilegia in illa Diœceſi ſerventur, in qua tales exceſſus præſumpſerint perpetrare.

Quia vero nonnulli ſub ſpecie pietatis, virtutem ejus (juxta quod ait Apoſtolus) abnegantes, authoritatem ſibi vendicant prædicandi: cum ipſe Apoſtolus dicat: Quomodo prædicabunt niſi mittantur? omnes qui prohibiti, vel non miſſi, præter authoritatem ab Apoſtolica ſede vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publice vel privatim prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur. Et niſi quantocyus reſipuerint, alia competenti pœna plectantur. *Tit. 1. Rom. 10.*

Adjicimus inſuper, ut quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, per ſe, aut per Archidiaconum ſuum, vel idoneas perſonas honeſtas, bis, aut ſaltem ſemel in anno propriam Parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres vel plures boni teſtimonij viros, vel etiam, ſi expedire videbitur, totam viciniam jurare compellat: quod ſi quis ibidem hæreticos ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu à communi converſatione fidelium vita & moribus diſſidentes, eos Epiſcopo ſtudeat indicare. Ipſe autem Epiſcopus ad præſentiam ſuam convocet accuſatos, qui niſi ſe ab objecto reatu purgaverint, vel ſi poſt purgationem exhibitam in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, canonice puniantur. Si qui vero ex eis jurationem damnabili ſuperſtitione reſpuentes, jurare forte noluerint, ex hoc ipſo tanquam hæretici reputentur.

Volumus igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, ut ad hæc efficaciter

exequenda, Episcopi per Diœceses suas diligenter invigilent, si canonicam effugere voluerint ultionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis indiciis apparuerit, ab Episcopali officio deponatur, & in loco ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem.

Ext. de baptismo & eius effect.

4. Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam sedis Apostolicæ revertentes, fovere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis, ab obedientia sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando Sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tanquam per hos inquinata lavissent. Baptisatos etiam à Latinis, & ipsi Græci rebaptisare ausu temerario præsumebant & adhuc (sicut accepimus) quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab Ecclesia Dei scandalum amovere, suadente Concilio districte præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se tanquam obedientiæ filij sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit unum ovile & unus Pastor. Si quis autem aliquid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur.

ANNOTATIO.

Mirum est quantum depravare hujus capitis IV. contextum & sensum moliatur Robertus Creyghtonus Lutheri progenies in sua præfatione ad Historiam Concilij Florentini, quia enim Dionysius Petavius de Trinit. 7. cap. 1. num. 5. Græcos affirmat ad communionem Romanam tum reversos, præ ingeniorum mobilitate pristinum in schisma & errores recidisse, falli illum simul & Binium arbitratur; fefellere, inquit, doctissimum Jesuitam in ista synodo prima verba capitis quarti male intellecta: revertentes non sunt reversi, sed si reverterent: promittit Papam si Græci institutum in melius mutaverint, se laturum eorum mores, quantum possit in iis quæ periculum nullum generant animarum, nec Ecclesiasticæ probitati derogant, &c. quæ si à me prolata literato cuipiam minùs arriserint, ostendat ex actis Concilij illius, vel unum quemlibet nationis Græcæ os aperuisse in eadem synodo & hircum solus auferat. Hæc ille forsan metuens ne aliquod exemplum reconciliationis Græcorum cum Romana Ecclesia suos Britannos quandoque inducat ad similem reconciliationem, quæ esset gentis ipsius salus desideratissima à piis pluribus qui tantæ cladi Ecclesiæ Anglicanæ coram Deo gementes compatiuntur. Plana sunt verba hujus capitis, quid interpolantur? Non Binius aut Petavius primi testantur interfuisse Patriarcham C p. Abbas Uspergensis manifeste id refert, quid tantũ contra recentiores disputatur? Sed nullus Græcæ nationis os apperuit? At acta non habemus integra. Sed & qui tacet consentire videtur. Idipsum probat codex canonum hujus Concilij in Bombycina Charta ante annos supra 400. addita è regione versione Græca colũnatim in Bibliotheca Card. Mazarini Parisiis, de quo P. Labbe in synopsi. Alia causa est cur reconciliationem Ecclesiæ Græcæ cum Romana tantopere insectetur scriptor Lutheranus: videt enim inde inferri transsubstantiationem Orientalibus notam & acceptam fuisse, cujus definitioni subscripserint in hoc Concilio quando primum ait Creyghtonius, Panis Eucharistici transelementatio orta est in Ecclesiam introduci. In hoc enim gravissimum causæ suæ momentum ponunt sectarij hujus temporis, si Græcos ab illius cognitione & confessione excipiant. Quamvis in hac assertione manifeste hallucinentur, ut alibi diximus. Sed & Theophilactus in cap. 14. Marci nomen transelementationis usurpat in hoc mysterio sicut & transformationis, pro quibus nomen transsubstantiationis, quam refugit nominare præfatus Creyghtonius, induxit primum Lateranense hoc quartum Concilium, non novam rem inferens in Ecclesiam, sed novum nomen rei veteri imponens, dicens nove non nova, ad præcavendas hæreticorum cavillationes, & expressius profitendam realem præsentiam corporis Christi in SS. Sacram. & modũ quo redditur præsens.

Græcorum unio cum Ro. Eccl.

μετα-στοιχειῶσις.

5. Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, reservata cuilibet propria dignitate: ita quod postquam eorum antistites à Romano Pontifice acceperint pallium, quod est plenitudinis Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro sua professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia promissionem obedientiæ ab eisdem.

Extr. de privilegiis, & excessibus Patr.

Dominicæ verò crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicunque summus Pontifex præsens extiterit, vel ejus legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis.

In omnibus autem Provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad eos, cum necesse fuerit, provocetur: salvis appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

6. Sicut olim à S. Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum: Canonicas causas, & maxime quæ statuta sunt in hoc generali Concilio relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo.

Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas diœceses statuant idoneas personas, providas videlicet & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano, absque ulla jurisdictione solicite investigent, quæ correctione vel reformatione sint digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & suffraganeos in Concilio subsequenti, ut super his & aliis, prout utilitati & honestati congruerit, provida deliberatione procedant: & quod statuerint, faciant observari, publicantes ea in Episcopalibus Synodis, annuatim per singulas Diœceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, à suis beneficiis & executione officij suspendatur, donec per superioris arbitrium ejus relaxetur.

7. Irrefragabili constitutione sancimus, ut Ecclesiarum prælati ad corrigendum subditorum excessus maxime clericorum, & reformandum mores prudenter & diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Ut autem correctionis & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipsius nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire, nisi excesserint in talibus observandis.

Extr. de offic. judic. ord.

Excessus tamen Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, qui consueverunt corrigi per capitulum, per ipsum in ipsis Ecclesiis (quæ talem hactenus consuetudinem habuerunt) ad commonitionem & jussionem Episcopi corrigantur infra terminum competentem ab Episcopo præfigendum. Alioquin ex tunc Episcopus Dominum habens præ oculis, omni contradictione cessante, ipsos prout animarum cura exege-

rit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat. Sed & alios eorum exceſſus corrigere non omittat, prout animarum cura requirit, debito tamen ordine in omnibus obſervato.

Cæterum ſi Canonici abſque manifeſta & rationabili cauſa, maxime in contemptum Epiſcopi, ceſſaverint à divinis, Epiſcopus nihilominus, ſi voluerit, celebret in Eccleſia eadem, & Metropolitanus ad querelam ipſius tanquam ſuper hoc delegatus à nobis, taliter eos per cenſuram Eccleſiaſticam cognita veritate caſtiget, quod pœnæ metu talia de cætero non præſumant.

Provideant itaque diligenter Eccleſiarum Prælati, ut hoc ſalutare ſtatutum ad quæſtum pecuniæ, vel gravamen aliquod non convertant: ſed illud ſtudioſe ac fideliter exequantur, ſi Canonicam voluerint effugere ultionem, quoniam ſuper his Apoſtolica ſedes, autore Domino attentiſſime vigilabit.

Ext. de accuſat.

8. Qualiter & quando debeat prælatus procedere ad inquirendum & puniendum ſubditorum exceſſus, ex authoritatibus novi & veteris Teſtamenti colligitur evidenter, ex quibus poſtea proceſſerunt Canonicæ ſanctiones, ſicut olim aperte diſtinximus, & nunc facti approbatione Concilij confirmamus. Legitur enim in Evangelio quod villicus ille qui diffamatus erat apud Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ſua, audivit ab illo: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Et in Geneſi Dominus ait: Deſcendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverunt. Ex quibus authoritatibus manifeſte comprobatur, quod non ſolum cum ſubditus, verum etiam cum prælatus excedit, ſi per clamorem & famam ad aures ſuperioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, ſed à providis & honeſtis: nec ſemel tantum, ſed ſæpe (quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat) debent coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari: & ſi rei popoſcerit qualitas, Canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tanquam ſit autor & judex, ſed quaſi deferente fama vel denunciante clamore, officij ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſic obſervandum eſt in ſubditis, diligentius tamen obſervandum eſt in prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam.

Luc. 16. Geneſ. 18.

Thren. 3.

Et quia non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam verò ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur. Ideo ſancti Patres provide ſtatuerunt, ut accuſatio prælatorum non facile admittatur, ne concuſſis columnis corruat ædicium: niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſæ, ſed etiam malignæ criminationis janua præcludatur. Verum ita voluerunt providere prælatis, ne criminarentur injuſte: ut tamen caverent ne delinquerent inſolenter, contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam: videlicet ut criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis (id eſt, degradationem) intendit, niſi legitima præcedat inſcriptio, nullatenus admittatur. Sed cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ita ut jam clamor oſtendat, qui diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo, ad inquirendum & puniendum ejus exceſſus, non ex odij fomite, ſed charitatis procedatur affectu: quatenus ſi fuerit gravis exceſſus, etſi non degradetur ab ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omnino, quod eſt ſecundum Evangelicam ſententiam à villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem.

Debet igitur eſſe præſens is, contra quem faciendа eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentaverit: & exponenda ſunt illi capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum. Et non ſolum dicta, ſed etiam nomina teſtium ſunt ei, ut quid vel à quo ſit dictum appareat, publicanda: necnon exceptiones & replicationes legitime admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum, infamandi, per exceptionum vero excluſionem, deponendi falſum audacia præbeatur.

Modus procedendi judicialiter.

Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas: contra quos, ut de notoriis exceſſibus taceatur, etſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denuntiationem & inquiſitionem eorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per levé compendium ad grave diſpendium veniatur: ſicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſic & denunciationem charitativa admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire, illo ſemper adhito moderamine, ut juxta formam judicij, ſententiæ quoque forma diſtetur. Hunc tamen ordinem circa regulares perſonas non credimus uſquequaq; ſervandum: quæ cum cauſa requirit, facilius & liberius à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoveri.

Ext. de offic. Ind. ord.

9. Quoniam in pleriſque partibus intra eandem civitatem atque Diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub una fide varios ritus & mores, diſtricte præcipimus, ut Pontifices hujuſmodi civitatum ſive diœceſum, provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum, & linguarum divina officia illis celebrent, & Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo.

Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas ſive Diœceſis, diverſos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diverſa capita, quaſi monſtrum. Sed ſi propter prædictas cauſas urgens neceſſitas poſtulaverit, Pontifex loci Catholicum præſulem nationibus illis conformem, provida deliberatione conſtituat ſibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens & ſubjectus. Unde ſi quis aliter ſe geſſerit, excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum. Et ſi nec ſic reſipuerit, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio deponatur, adhibito, ſi neceſſe fuerit, brachio ſeculari, ad tantam inſolentiam compeſcendam.

Deut. 8. Matth. 4.

10. Inter cætera quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei permaxime ſibi noſcitur neceſſarium: quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Unde cum ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel invalitudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias, (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis eſt reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum) per ſe ipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maxime per amplas diœceſes, & diffuſas: generali conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum, cum per ſe idem nequeunt, ſolicite viſitantes, eas verbo ædificent, & exemplo: quibus ipſi, cum indiguerint, congrue neceſſaria miniſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incœpto.

Poteſtas Epiſcop. circa ſacram.

Unde præcipimus tam in Cathedralibus, quam in aliis conventualibus Eccleſiis, viros idoneos, quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, diſtricte ſubjaceat ultioni.

ANNOTATIO.

CIrca examen hujus decreti, rectè advertit Michael Palatius in lib. 3. Sent. dist. 25. disp. 1. sub finem, illud non officere quin Episcopi teneantur per seipsos prædicare, exemplo Christi qui est princeps Pastorum & Apostolorum, qui ad munus prædicandi primario missi sunt, & propter illa verba Christi Matth. 5. *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ.* Si enim ipsi silent, quomodo sunt lux mundi? Si non docent, quomodo sal terræ? Adde regimen Episcopale duos habere fines, in quos intendit: & animas gregis sibi commissi deducere ad vitam æternam, & administrare justitiam. Et horum primum est maximum & præcipuum, quare istud per se præstare tenentur. Unde Paulus dicit: *Si Judicia sint inter vos, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad judicandum.* 1. Cor. 6. Itaque Paulus judicia & lites contemptibilibus cōmittit, non prædicandi officium. Verum est tamen Paulinum sermonem intelligendum esse, aptius esse tractare lites coram contemptibilibus Christianis quam coram infidelibus.

Episc. per se prædicare debet.

Objicies, multi sunt monachi prædicatores: fateor utique: At isti sunt cooperatores Episcoporum. Nam introducti equidem sunt, ut Episcopos juvent, non ut arceant ab officio prædicandi. Et vox pastoris idonei, nescio quid habet latentis energiæ, & quia pastores sunt, si per illos non stet quia desides sunt, Deus illos afflat, ut doceant opportuna plebibus sibi concreditis. Quod autem dicit hic Doctor de prædicatione, non minus de confessione dici posset, cui si aliquando pro opportunitate per se vacarent, melius perspicerent miserias spirituales animarum, unde magis compaterentur & excitarentur ad providendum efficacioribus remediis tot tantisque malis quibus orbis fere inundatur. Sed quia hæc à non paucis negliguntur ex tepiditate amoris erga Christum & proximi salutem, parvam aut nullam consolationem à pluribus Episcopis plures populi recipiunt.

Dist. 24 magist.

11. Quia nonnullis propter inopiam, & legendi studium, opportunitas proficiendi subtrahitur: in Lateranensi Concilio pia fuit institutione provisum, ut per unamquamque Cathedralem Ecclesiam magistro qui clericos ejusdem Ecclesiæ, aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis Ecclesiis id minime observatur, nos prædictum roborantes statutum, adjicimus, ut non solum in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus à prælato cum Capitulo, seu majori ac saniori parte Capituli eligendus, qui clericos Ecclesiarum ipsarum & aliarum, gratis in grammaticæ facultate ac aliis instruat juxta posse.

Sane Metropolitana Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum à capitulo unius prębendæ proventus, & à Metropolitano tantundem, non quod per hoc efficiatur Canonicus, sed tandiu redditus ipsos percipiat, quandiu perstiterit in docendo. Quod si forte de duobus Metropolitana Ecclesia gravetur, Theologo juxta modum prædictum ipsa provideat: grammatico vero in alia Ecclesia suæ civitatis sive diœcesis, quod sufficere valeat, faciat provideri.

Ex. de statu Monach. &c. De trienn. in triennium.

12. In singulis regnis sive Provinciis fiat de triennio in triennium, salvo jure diœcesanorum Pontificum, commune capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale capitulum celebrare, ad quod universi conveniant, præpeditionem Canonicam non habentes, apud unum de Monasteriis ad hoc aptum: A hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plus quam sex evectiones & octo personas adducat. Advocent autem charitative in hujus novitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis Abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor prælint capitulo universo, ita quod ex hoc nullus eorum authoritatem prælationis assumat: unde, cum expedierit, provida possint deliberatione mutari. Hujusmodi vero capitulum aliquot certis diebus continue juxtà morem Cisterciensium celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis & observantia regulari: & quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione & contradictione ac appellatione remotis: proviso nihilominus, ubi sequenti termino debeat capitulum celebrari; & qui conveniunt, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas, ita quod si non potuerint in eisdem, saltem plures simul in diversis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas abbatias ejusdem regni sive provinciæ non solum monachorum, sed etiam monialium, secundum formam sibi præfixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio cognoverint indigere: ita quod si rectorē loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuncient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret: quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referent ad Apostolicam sedem examinandum. Hoc ipsum regulares canonicos secundum ordinem suum volumus & præcipimus observare. Si vero in hac novitate quicquam difficultatis emerserit, quod per prædictas personas nequeat expediri, ad Apostolicæ sedis judicium absque scandalo referatur: cæteris irrefragabiliter observatis, quæ concordi fuerint deliberatione provisa.

Porro diœcesani Episcopi monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut cum ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant quod commendandum, quam quod correctione sit dignum: attentissime præcaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur. Quia sic volumus superiorum jura servari, ut inferiores nolimus injurias sustinere. Ad hoc districtè præcipimus tam diœcesanis Episcopis, quam personis quæ præerunt capitulis celebrandis, ut per censuram Ecclesiasticam appellatione remota, compescant advocatos, patronos, vicedominos, rectores & consules, magnates & milites, seu quoslibet alios, ne monasteria præsumant offendere in personis ac rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non obmittant, ut liberius & quietius omnipotenti Deo valeāt famulari.

Ext. de relig. domib. ca. fi.

13. Ne nimia religiosorum diversitas gravem in Ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat. Sed quicunque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religionis domum fundare de novo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis.

Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat, nec unus Abbas pluribus monasteriis præsideat.

Ext. de vit. & honest. clericorum.

14. Ut Clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caste viuere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maxime illo propter quod ira Dei venit de cœlo in filios diffidentiæ, quatenus in conspectu Dei omnipotentis, puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ, incentivum tribuat delin-

quendi: ſtatuimus, ut qui deprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur ſecundum canonicas ſanctiones quas efficacius & diſtrictius præcipimus obſervari, ut quos divinus timor à malo non revocat, temporalis ſaltem pœna à peccato cohibeat. Si quis igitur hac de cauſa ſuſpenſus divina celebrare præſumpſerit, non ſolum Eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verumetiam pro hac duplici culpa, perpetuo deponatur. Prælati verò, qui tales præſumpſerint in ſuis iniquitatibus ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari ſubjaceant ultioni. Qui autem ſecundum religionis ſuæ morem non abdicarunt copiam conjugalem, ſi lapſi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio poſſint uti.

Extr. ib. cap. ſeq.

15. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum ebrietas mentis inducat exitium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abuſum decernimus penitus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his culpabilem ſe exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit competenter, à beneficio vel officio ſuſpendatur.

Extr. ib. cap. ſeq.

16. Clerici officia vel commercia ſecularia non exerceant maxime inhoneſta, mimis, jaculatoribus & hiſtrionibus non intendant: & tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint, coronam & tonſuram habeant congruentem, & ſe in officiis divinis & aliis bonis exerceant ſtudiis diligenter. Clauſa deferant deſuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Parmis rubeis, aut viridibus, nec-non manicis aut ſubtalaribus conſutitijs, ſeu roſtratis frenis, ſellis, pectoralibus, & calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad divinum officium intra Eccleſiam nulli gerant, ſed nec alibi, qui ſunt in Sacerdotio vel perſonatibus conſtituti, niſi juſta cauſa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes: ſed nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico & in Eccleſia ſuperindumentis lineis omnes utantur: niſi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachalem: palliis diffibulatis non utantur in publico, ſed vel poſt collum, vel ante pedes hinc inde connexis.

Extr. de celebrat. Miſſarum.

17. Dolentes referimus, quod non ſolum quidam minores clerici, verum-etiam & aliqui Eccleſiarum prælati, circa confeſſationes ſuperfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, fere medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, tranſcurrendo undique continuata ſyncopa matutinum. Sunt & alij, qui Miſſarum celebrant ſolemnia vix quater in anno, vel quod deterius eſt, intereſſe contemnunt: & ſi quando dum hæc celebrantur, interſunt chori ſilentium fugientes, intendunt externis collocutionibus laïcorum: dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus; diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium diurnum pariter & nocturnam, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent, & devote.

Extr. ne Clerici vel Monachi.

18. Sententiam ſanguinis nullus clericus dictet aut proferat, nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interſit. Si quis autem hujuſmodi occaſione ſtatuit, Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis aliquod præſumpſerit inferre diſpendium, per cenſuram canonicam compeſcatur: nec quiſquam clericus

A literas ſcribat aut dictet, pro vindicta ſanguinis deſtinandas, unde in curiis principum hæc ſolicitudo non clericis, ſed laicis committatur.

Nullus clericus rotariis aut baliſtariis aut hujuſmodi viris ſanguinum præponatur: nec ullam chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceant, quæ ad uſtionem vel inciſionem inducit. Nec præcipuè quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ferri candentis ritum cujuſlibet benedictionis aut conſecrationis impendat: ſalvis nihilominus prohibitionibus de Monomachiis ſive duellis antea promulgatis.

Extr. de cuſtodia Euchar. Mar. 11.

19. Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam clerici ſic expoliant Eccleſias ſupellectilibus propriis & etiam alienis, ut potius domus laicæ, quam Dei baſilicæ videantur, non conſiderantes, quod Dominus non ſinebat, ut vas transferretur per templum. Sunt & alij qui non ſolum Eccleſias dimittunt incultas, verumetiam vaſa miniſterij, & veſtimenta miniſtrorum ac pallas altaris, nec-non & ipſa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus ſunt horrori. Quia vero zelus nos comedit bonus Dei, firmiter prohibemus, ne hujuſmodi ſupellectilia in Eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat haberi refugium: ſic tamen, ut neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur. Præcipimus quoque ut oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta prædicta, munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

Extr. ib. cap. ſe.

20. Statuimus in cunctis Eccleſiis, ut chriſma & Euchariſtia ſub fidei cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ut non poſſit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur. Et ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni.

Extr. de penit. & remiſſ. c. omnis.

21. Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti; & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de conſilio proprij Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſum non poſſit ſolvere vel ligare.

Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati: per quas prudenter intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.

Caveat autem omnino, ne verbo vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.

Extr. ib. cap. ſeq. Ioan. 5.

22. Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino, languido, quem ſanaverat, vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: decreto præſenti ſtatuimus, &

distincte præcipimus medicis corporum, & cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur: tum causa cessante, cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis à medico suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit: tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. Cæterum cum anima sit multo preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.

Extr. de electione & electi. post

23. Ne pro defectu pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in faculratibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur, volentes in hoc occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus providere: statuimus, ut ultra tres menses cathedralis vel regularis Ecclesia prælato non vacet, infra quos justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur. Is verò ad quem devoluta fuerit potestas Dominum habens præ oculis, non differat ultra tres menses cum Capituli sui consilio, & aliorum virorum prudetium, viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ vel alterius, si digna non repetiatur in illa, canonice ordinare, si canonicam voluerint effugere ultionem.

Ext. lib. cap. seq.

24. Quia propter electionum formas diversas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secreto & singulatim voces cunctorum diligenter exquirant. Et in scriptis redacta, mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto; ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major vel sanior pars consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de pastore, aliter electio facta non valeat: nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem divinam absque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. Illud penitus interdicimus, ne quis in electionis negocio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocori, justoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si fuerit opus, fidem faciat juramento, & tunc si voluerit uni committat de ipso collegio vicem suam. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur.

Ext. lib. cap. seq.

25. Quisquis electioni de se factæ, per secularis potestatis abusum consentire præsumpserit contra canonicam libertatem, & electionis commodo careat & ineligibilis fiat, & absque dispensatione non possit ad aliquam eligi dignitatem. Qui verò electionem hujusmodi, quam ipso jure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officiis & beneficiis per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati.

Ext. lib. cap. seq.

26. Nihil est quod Ecclesiæ Dei magis officiat quam quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cum quisquam fuerit ad regimen animarum assumptus, is ad quem pertinet ipsius confirmatio diligenter examinet, & electionis processum & personam electi, ut cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia si secus fuerit incaute præsumptum, non solum dejciendus est indigne promotus, verumetiam indigne promovens puniendus. Ipsum quoque decernimus hac animadversione puniri, ut cum de ipsius constiterit negligentia, maxime si hominem insufficientis scientiæ vel inhonestæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbaverint, non solum confirmandi primum successorem illius careat potestate, sed etiam ne aliquo casu pœnam effugiat, à perceptione proprij beneficij suspendatur, quousque si æquum fuerit, indulgentiam valeat promereri: si convictus fuerit hoc per malitiam excessisse, graviori subjaceat ultioni.

Episcopi quoque tales ad sacros ordines & Ecclesiasticas dignitates promovere procurent, qui commissum sibi officium digne valeant adimplere, ll & ipsi canonicam cupiunt effugere ultionem.

Cæterùm qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officij, ejus se conspectui, ll commode poterit fieri, personaliter repræsentent: vel personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionis processu & electi possit haberi, ut sic demum per ipsius circunspectionem consilij, sui plenitudinem assequantur officij, cum eis nihil obstiterit de canonicis institutis: ita quod interim valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates & utilitates Ecclesiarum, in spiritualibus & temporalibus administrent: sic tamen, ut de rebus Ecclesiasticis nil penitus alienent. Munus vero consecrationis seu benedictionis recipiant, sicut hactenus recipere consueverunt.

Extr. de ætate & qualitate

27. Cum sit ars artium, regimen animarum, districte præcipimas, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per se ipsos, vel per alios viros idoneos, super divinis officiis & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare: quoniam si ignaros & rudes de cætero ordinare præsumpserint, (quod quidem facilè poterit comprehendi) & ordinatores & ordinatos gravi decrevimus subjacere ultioni. Sanius est enim, maximè in ordine Sacerdotij, paucos bonos, quam multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur. *Matt. 15.*

Extr. de prab. & dign. c. de multa.

28. Quidam licentiam cedendi cum instantia postulantes, ea obtenta, cedere prætermittunt. Sed cum in postulatione cessionis hujusmodi, aut Ecclesiarum commoda quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse, quorum neutrum suasionibus aliquorum quærentium quæ sunt sua, etiam lenitate qualibet volumus impediri, ad cedendum eos decernimus compellendos.

Sub Al. III.

29. De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias parrochiales reciperet, contra sacrorum canonum instituta: alioquin & recipiens sic receptum amitteret, & largiendi potestate conferens privaretur. Quia verò propter suppressiones & cupiditates quorumdam, nullus hactenus fructus aut ratus de prædicto statuto provenit, nos evidentius & expressius occurrere cupientes, præsenti decreto statuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium, habens curam animarum annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit jure ipso privatus: & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque, ad quem spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum: & si ultra tres menses conferre distulerit, non solum ad alium secundum statutum Lateranensis Concilij ejus collatio devolvatur, verùm

etiam tantum de ſuis cogatur proventibus in utilitatem illius Eccleſiæ, cujus illud eſt beneficium, aſſignata, quantum à tempore vocationis ipſius conſtiterit, ex eo eſſe perceptum. Hoc idem in perſonatibus decernimus obſervandum: addentes, ut in eadem Eccleſia nullus plures dignitates habere præſumat, aut perſonatus, etiam ſi curam non habeat animarum. Circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ majoribus ſunt beneficiis honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

Extr. ib. cap. ſeq. 30. Grave nimis eſt, & abſurdum, quod quidam Prælati Eccleſiarum, cum poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis. Unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermiſſis indignis aſſumant idoneos, qui Deo & Eccleſiis velint & valeant gratum impendere famulatum: fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim, ita quod qui poſt primam & ſecundam receptionem fuerit repertus culpabilis, à conferendis beneficiis per ipſum Concilium ſuſpendatur: inſtituta in eodem Concilio perſona provida & honeſta, quæ ſuppleat ſuſpenſi defectum in beneficiis conferendis: & hoc ipſum circa capitula quæ in his deliquerint, obſervetur. Metropolitani verò delictum, ſuperioris judicio relinquatur ex parte Concilij nunciandum. Ut autem hæc ſalubris proviſio pleniorem conſequatur effectum, hujuſmodi ſuſpenſionis ſententia, præter Romani Pontificis authoritatem, aut proprij Patriarchæ, minimè relaxetur. Ut in hoc quoque quatuor Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.

Extr. de filiis Presbyt. 31. Ad abolendam peſſimam, quæ in pleriſque inolevit Eccleſiis, corruptelam, firmiter prohibemus, ne Canonicorum filij, maxime ſpurij, canonici fiant in ſecularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres: & ſi fuerit contra præſumptum, decernimus, non valere: qui vero (ut dictum eſt) canonicare præſumpſerint, à ſuis beneficiis ſuſpendantur.

Extr. de prebend. & dig. 32. Extirpandæ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inolevit, quod ſcilicet patroni Eccleſiarum Parochialium, & aliæ quædam perſonæ proventus ipſarum ſibi vendicantes, Presbyteris earumdem ſervitio deputatis relinquunt adeò exiguam portionem, ut ex ea congruè nequeant ſuſtentari. Nam ut pro certo didicimus, in quibuſdam regionibus Parochiales Preſbyteri pro ſua ſuſtentatione non obtinent, niſi quartam quartæ: id eſt, ſextamdecimam decimarum. Unde fit, ut in his regionibus penè nullus inveniatur Sacerdos Parrochialis, qui vel modicam habeat notitiam literarum. Cum igitur os bovis alligari non debeat triturantis, ſed qui altari ſervit, vivere debeat de altari: ſtatuimus, ut conſuetudine qualibet Epiſcopi vel patroni, ſeu cujuſcunque alterius non obſtante, portio Presbyteris ipſis ſufficiens aſſignetur.

Deut. 25. 1. Cor. 9.

Qui vero Parrochialem habet Eccleſiam, non per vicarium, ſed per ſeipſum illi deſerviat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi fortè præbendæ vel dignitati Parrochialis Eccleſia ſit annexa: in quo caſu concedimus, ut is qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori Eccleſia deſervire, in ipſa Parochiæ Eccleſia idoneum & perpetuum ſtudeat habere vicarium Canonice inſtitutum, qui (ut prædictum eſt) congruentem habeat de ipſis Eccleſiæ proventibus portionem. Aliquin illa ſe ſciat hujus decreti authoritate privatum, liberè alij conferenda, qui velit & poſſit, quod prædictum eſt, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ, quæ curam proprij Sacerdotis debet habere, penſionem alij quaſi pro beneficio conferre præſumat.

Extr. de cenſibus. 33. Procurationes quæ viſitationis ratione debentur Epiſcopis, Archidiaconis, vel quibuſlibet aliis, etiam Apoſtolicæ ſedis legatis, aut nunciis, abſque manifeſta & neceſſaria cauſa nullatenus exigantur, niſi quando præſentialiter officium viſitationis impendunt: & tunc evectionem & perſonarum mediocritatem obſervent, in Lateranenſi Concilio definitam.

Supra cap. 12. Hoc adhibito moderamine circa legatos & nuncios, ut cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere neceſſariam, ne locus ille propter illos nimium aggravetur, procurationes recipiant moderatas ab aliis Eccleſiis vel perſonis, quæ nondum fuerunt de ſuis procurationibus aggravatæ, ita quod numerus procurationum, numerum dierum quibus hujuſmodi moram fecerit, non excedat: & cum aliqua non ſuffecerit per ipſam, duæ vel plures conjungantur in unam.

Porro viſitationis officium exercentes, non quærant quæ ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti: prædicationi & exhortationi & correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit. Qui autem contra hoc venire præſumpſerit, & quod acceperat, reddat: & Eccleſiis quæ taliter aggravantur, tantumdem impendat.

Ex. de immunitate Eccleſiæ. 34. Quia prælati plerique, ut procurationem aut ſervitium aliquod impendant legato, vel alij, plus extorquent à ſubditis quàm exoluant: & in eorum damnis lucra ſectantes, quærunt prædam potius quàm ſubſidium in ſubjectis, id de cætero fieri prohibemus.

Quòd ſi quis forte præſumpſerit, & ſic extorta reſtituat, & tantumdem cogatur pauperibus elargiri.

Superior autem, cui ſuper hoc fuerit querela depoſita, ſi negligens fuerit in hujuſmodi executione ſtatuti, Canonicæ ſubjaceat ultioni.

Extr. de appellationib. 35. Ut debitus honor deferatur judicibus, & litigatoribus conſulatur ſuper laboribus & expenſis, ſtatuimus, ut ubi quis coram idoneo judice convenerit adverſarium, ille ante ſententiam ad ſuperiorem judicem abſque rationabili cauſa non provocet: ſed coram illo ſuam juſtitiam proſequatur: non obſtante, ſi dicat quod ad ſuperiorem judicem nuncium deſtinaverit, aut etiam literas impetraverit ab eodem priuſquam delegato fuerint aſſignatæ. Cum autem rationabili cauſa putaverit appellandum, coram eodem judice cauſa probabili appellationis expoſita, tali videlicet, quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari, ſuperior de appellatione cognoſcat: & ſi minus eum rationabiliter appellaſſe cognoverit, illum ad inferiorem remittat, & in expenſis alteri parti condemnet. Alioquin ipſe procedat, ſalvis conſtitutionibus de majoribus cauſis ad ſedem Apoſtolicam perferendis.

Extr. ib. cap. ſeq. 36. Cum ceſſante cauſa, ceſſet effectus, ſtatuimus, ut ſive judex ordinarius, ſive delegatus, aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo executionis mandato alter litigantium gravetur, & ſano uſus conſilio, ab hujus comminationis vel interlocutionis effectu deſiterit, libere in cauſæ cognitione procedat: non obſtante, ſi à tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum, dummodo non ſit ex alia legitima cauſa ſuſpectus, ne proceſſus negotij frivolis occaſionibus retardetur.

Extr. de reſcript. 37. Nonnulli gratia ſedis Apoſtolicæ abutentes, literas ejus ad remotos judices impetrare nituntur, ut reus fatigatos laboribus & expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cùm autem per judicium injuriis aditus patere non debeat quas juris obſervantia interdicit: ſtatuimus, ne quis ultra duas dietas extra ſuam diœceſim per litteras Apoſtolicas ad judicium trahi poſſit, niſi de aſſenſu partium fuerint impetratæ, vel expreſſam de hac conſtitutione fecerint mentionem.

Sunt & alij, qui ſe ad novum genus mercimonij

convertentes, ut vel ſopitas poſſint ſuſcitare querelas aut novas immittere quæſtiones, fingunt cauſas ſuper quibus à ſede Apoſtolica literas impetrant abſque dominorum mandato, quas vel reo, ne per eas laborum vel expenſarum diſpendio moleſtetur, aut actori ut per ipſas adverſarium indebita vexatione fatiget, venales exponunt. Cum autem lites reſtringendæ ſint potius quàm laxandæ, hoc generali conſtitutione ſancimus, ut ſi quis ſuper aliqua quæſtione, de cætero ſine mandato ſpeciali Domini literas Apoſtolicas impetrare præſumpſerit, & literæ illæ non valeant, & ipſe tanquam falſarius puniatur: niſi forte de illis perſonis extiterit, de quibus non debet exigi de jure mandatum.

Extr. de probationibus.

38. Quoniam contra falſam aſſertionem iniqui judicis innocens litigator quandoque non poteſt veram negationem probare, cum negantis factum, per rerum naturam nulla ſit directa probatio, ne falſitas veritati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati: ſtatuimus, ut tam in ordinario judicio, quam extraordinario, judex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicij acta conſcribant, videlicet citationes, dilationes, recuſationes & exceptiones, petitiones & reſponſiones, interrogationes & appellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera quæ occurrunt competenti ordine conſcribenda, deſignando loca, tempora & perſonas: & omnia ſic conſcripta partibus tribuantur, ita quod originalia penes ſcriptores remaneant: ubi ſi ſuper proceſſu judicis fuerit ſuborta contentio, per hæc poſſit veritas declarari. Hoc adhibito moderamine, quatenus ſic honeſtis & diſcretis deferatur judicibus, quòd per improvidos & iniquos innocentum juſtitia non lædatur. Judex autem qui conſtitutionem iſtam neglexerit obſervare, ſi propter ejus negligentiam aliquid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem judicem animadverſione debita caſtigetur: nec pro ipſius præſumatur proceſſu, niſi quatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis.

Extr. de reſtit. ſpoliat.

39. Sæpe contingit, quod ſpoliatus injuſtè, per ſpoliatorem in alium re tranſlata, dum adverſus poſſeſſorem non ſubvenitur per reſtitutionis beneficium ſpoliato, commodo poſſeſſionis amiſſo, propter difficultatem probationis, jus proprietatis amittit effectum. Unde non obſtante civilis juris rigore, ſancimus, ut ſi quis de cætero ſcienter rem talem acceperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium, eo quod multum intereſt, præſertim quoad periculum animæ, detinere injuſte, ac invadere alienum, contra poſſeſſorem hujuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.

Extr. de dolo & contumacia.

40. Contingit interdum, quòd cum actori ob contumaciam partis adverſæ adjudicatur cauſa rei ſervandæ poſſeſſio, propter rei potentiam ſive dolum, actor infra annum rem cuſtodiendam nanciſci non poteſt, vel nactam amittit: & ſic cum ſecundum aſſertionem multorum, verus non efficeretur poſt lapſum anni poſſeſſor, reportat commodum de malitia ſua reus. Ne igitur contumax melioris, quam obediens, conditionis exiſtat, de canonica æquitate ſancimus, ut in caſu præmiſſo actor verus conſtituatur elapſo anno poſſeſſor.

Extr. de arbitr. & eſtimpis.

Ad hæc generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet ut laicus in talibus arbitretur.

Extr. de præſcrip. Rom. 4. Præſcriptio cum mala fide.

41. Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica quàm civilis: cum ſit generaliter omni conſtitutioni derogandum, quæ abſque mortali non poteſt obſervari peccato. Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.

41. Sicut volumus ut jura Clericorum non uſurpent laici, ita velle debemus, ne Clerici jura ſibi vendicent laicorum. Quocirca univerſis Clericis interdicimus, ne quis prætextu Eccleſiaſticæ libertatis, ſuam de cætero juriſdictionem extendat in præjudicium juſtitiæ ſecularis, ſed contentus exiſtat conſtitutionibus ſcriptis, & conſtitutionibus hactenus approbatis: ut quæ ſunt Cæſaris, reddantur Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo, recta diſtributione reddantur. *Mat. 22.*

Extr. de jurejurando.

43. Nimis de jure divino quidam laïci uſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale continentes, ab eis ad præſtandum ſibi fidelitatis juramenta compellunt. Quia vero ſecundum Apoſtolum, ſervus ſuo Domino ſtat aut cadit: ſacri authoritate Concilij prohibemus, ne tales Clerici perſonis ſecularibus præſtare cogantur hujuſmodi juramentum.

Extr. de rebus Eccleſiæ alie.

44. Cum laïcis, quamvis Religioſis, diſponendi de rebus Eccleſiaſticis nulla ſit attributa poteſtas, quos ſubſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi: Dolemus ſic in quibuſdam ex illis refrigeſcere charitatem, quod immunitatem Eccleſiaſticæ libertatis, quam nedum ſancti, ſed etiam Principes ſeculares multis privilegiis munierunt, non formidant ſuis conſtitutionibus, vel potius conflictionibus impugnare, non ſolum de feudorum alienatione, ac aliarum poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, & uſurpatione juriſdictionum, ſed etiam de mortuariis, nec non & aliis quæ ſpirituali juri videtur annexa, illicitè præſumendo. Volentes igitur ſuper his Eccleſiarum indemnitati conſulere, ac tantis gravaminibus providere, conſtitutiones hujuſmodi & venditiones feudorum, ſeu aliorum bonorum Eccleſiarum ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu præſumptas, occaſione conſtitutionis laïcæ poteſtatis, cum non conſtitutio, ſed deſtitutio vel deſtructio dici poſſit, nec non uſurpatio juriſdictionum: ſacri approbatione Concilij decernimus non tenere, præſumptoribus per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendis.

Extr. de pœn.

45. In quibuſdam Provinciis Eccleſiarum Patroni, ſeu vice domini & advocati, ſe in tantam inſolentiam erexerunt, quod non ſolùm cum vacantibus debet Eccleſiis de Paſtoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt & malitias, verum etiam de poſſeſſionibus & aliis bonis Eccleſiaſticis pro ſua voluntate præſumunt, & (quod horrendum eſt dicere) in necem prælatorum prorumpere non formidant. Cum igitur quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri, prohibemus expreſſe, ne patroni vel advocati, ſeu Vice-Domini ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent, quàm reperitur jure permiſſum: & ſi contra præſumpſerint, canonica diſtrictione compeſcantur. Sacri nihilominus Concilij proviſione ſtatuimus, quatenus ſi patroni vel advocati, aut feudatarii, ſeu Vice Domini, ſeu alij beneficiati, alicujus Eccleſiæ Rectorem, vel Clericum alium ipſius Eccleſiæ, per ſe vel alios occidere, vel mutilare auſu nefando præſumpſerint, patroni jus patronatus, advocati advocantiam, feudatarij feudum, Vice-Domini, Vice-dominatum, beneficiati beneficium prorſus amittant. Et ne minus vindictæ quàm exceſſus memoria protegetur, non ſolum de præmiſſis nil perveniat ad hæredes, ſed etiam uſque ad quartam generationem poſteritates illium in Clericorum collegium nullatenus aſſumantur: nec in regularibus domibus alicujus prælationis aſſequantur honorem niſi cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum.

Extr. de immunitate Eccleſ.

46. Adverſus Conſules ac Rectores civitatum, & alios qui Eccleſias & viros Eccleſiaſticos taliis ſeu collectis & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati Eccleſiaſticæ Lateranenſe Concilium providere, præſumptores hujuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit, tranſgreſſores & fautores eorum excommunicationi præcipiens ſubjacere, donec ſatisfactionem impendant competentem.

Verùm

Verum si quando forsan Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem vel utilitatem inspexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas utilitates & necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda, prædicti laici humiliter & devote recipiant cum actionibus gratiarum.

Propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanum prius consulant Pontificem, cujus interest communibus utilitatibus providere.

Quoniam verò nec sic quorumdam malitia contra Dei Ecclesiam conquievit, adjicimus, ut constitutiones & sententiæ quæ ab excommunicatis hujusmodi, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ.

Cæterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, ut infra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud non sit ad satisfactionem debitam compellendus, nam & ipsum qui satisfacere recusaverit, & successorem ipsius, si non satisfecerit infra mensem, manere decernimus Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfecerit competenter: cum succedat in onere, qui substituitur in honore.

Extr. de sent. excomm.

47. Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Quod si contra præsumpserit, etiam si justa fuerit ex causa sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum: alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.

Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta & rationabili causa procedat: ad quam si forte aliter processerit, & requisitus humiliter, processum hujusmodi non curaverit absque gravamine revocare: gravatus, apud superiorē deponat de injusta excommunicatione querelam: quòd si absque periculo moræ potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat, infra competentem terminum absolvendum: alioquin ipse per se, vel per alium, pro ut viderit expedire, sufficienti cautione recepta munus ei absolutionis impendat.

Cumque adversus excommunicatorem de injusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad interesse. Alias nihilominus, si culpæ qualitas, postulaverit, superioris arbitrio puniendus cum non levis sit culpa, tantam infligere pœnam insonti, nisi forsan erraverit ex causa probabili, maxime, si laudabilis opinionis existat.

Uerum si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, & idem super injusta conquestionis molestia per pœnam ad interesse, vel alias secundum superioris arbitrium condemnetur, nisi forsan & ipsum probabilis error excuset: & super eo pro quo justa fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur: vel in pristinam reducatur sententiam, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observandam.

Si verò judex suum recognoscens errorem, paratus sit talem revocare sententiam, & is pro quo lata fuerit, ne absque satisfactione revocet illam, appellet: appellationi non deferat in hac parte: nisi talis sit error, de quo merito possit dubitari: & tunc sufficienti cautione recepta, quod coram eo, ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipso jure pareat, excommunicatum absolvat, sicque pœnæ præscriptæ minime subjacebit: cavens omnino, ne voluntate perversa in alterius præjudicium mentiatur errorem, si districtionis canonicæ vult effugere disciplinam.

48. Cum speciali sit prohibitione provisum ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, promulgare præsumat: volentes etiam providere, ne forte commonitus, frustratoriæ recusationis vel appellationis objectu, monentis declinare possit examen: statuimus, quod si allegaverit se judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet. Et ipse cum adversario, vel si fortè adversarium non habeat, cum judice arbitros communiter eligat: aut si forte communiter evenire non possunt, eligant absque malitia ipse unum, & ille alium, qui de suspicionis causa cognoscant: & si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipsis decreverint, robur habeat firmitatis. Sciant quoque, se ad id fideliter exequendum, ex injuncto à nobis in virtute obedientiæ sub attestatione Divini judicij districto præcepto teneri. Causa vero suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata, sua jurisdictione judex utatur. At ipsa probata legitimè, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negocium recusatus: vel ad superiorem transmittat, ut in eo ipso procedat, secundum quod fuerit procedendum. Porro commonito ad appellationem convolante, si ejus excessus evidentia rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitime fuerit manifestatus, cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentiæ institutum, non est provocationi hujusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne frivolæ appellationis diffugio appellans judicis processum impediat, coram eodem probabilem causam appellationis exponat, talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari: & tunc si habuerit adversarium, infra terminum, secundum locorum distantiam, & temporis qualitatem & naturam negotij ab eodem judice moderandum, appellationem interpositam prosequatur: quam si prosequi non curaverit, ex tunc ipse judex non obstante appellatione procedat.

Extr. de appellationibus

Nullo autem adversario comparente, cum ex suo judex procedat officio, appellationis causa coram superiore probata, superior suæ jurisdictionis officium exequatur. Sed si appellans in ejus probatione defecerit, ad eum, à quo ipsum malitiosè appellasse constiterit, remittatur.

Cæterum has duas constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi, qui suas habent observantias speciales.

49. Sub interminatione divini judicij penitus interdicimus, ut causa cupiditatis nullus audeat excommunicationis vinculo aliquem innodare, vel absolvere innodatum, in illis maximè regionibus, in quibus ex consuetudine cum excommunicatus absolvitur, pecuniaria pœna mulctatur: statuentes, ut cum excommunicationis sententiam injustam fuisse constiterit, excommunicator ad restituendam pecuniam sic extortam, per censuram Ecclesiasticam compellatur: & nisi probabili fuerit errore deceptus, tantumdem injuriam passo persolvat: & si fortè solvendo non fuerit, animadversione alia castigetur.

50. Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.

Extr. de consang. & affinitate. Mutatio legum.

Cum igitur prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole susceptа ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, ut cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas, sacri approbatione Concilij revocantes, præsenti constitutione decernimus,

ut ſic contrahentes, de cætero libere copulentur. Prohibitio quoque copulæ conjugalis, quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni conjugij corporalis, de quo dicit
1. Cor. 7. Apoſtolus. *Quod vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: neque mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir*: quia quatuor ſunt humores in corpore, quod conſtat ex quatuor elementis.

Cum ergo uſque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita eſſe volumus perpetuam, non obſtantibus conſultationibus ſuper hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis, ſi qui contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum, cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, ſed augeat: tantoque graviora ſint crimina, quanto diutius infœlicem detinent animam alligatam.

Extr. de clandeſt. deſponſ. 51. Cum inhibitio copulæ conjugalis, ſit in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis volumus diſtricte obſervari. Unde prædecèſſorum noſtrorum inhærendo veſtigiis, clandeſtina conjugia penitus inhibemus: prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. Quare ſpecialem quorumdam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando, ſtatuimus, ut cum matrimonia ſint contrahenda, in Eccleſiis per Preſbyteros publice proponatur, competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractis interdicatur expreſſe, donec quid fieri debeat ſuper eo, manifeſtis conſtiterit documentis.

Si qui vero clandeſtina vel interdicta conjugia inire præſumpſerint in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium: cum illi taliter contrahendo, non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo, illegitima proles cenſeatur, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum præter commune edictum in conſpectu Eccleſiæ, contrahere præſumpſerint.

Sane parochialis ſacerdos, qui tales conjunctiones prohibere contempſerit, aut quilibe alius regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, graviter puniendus, ſicut culpæ qualitas poſtulaverit. Sed & iis qui taliter copulari præſumpſerint, etiam in gradu conceſſo, condigna pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitioſum impedimentum objecerit, Eccleſiaſticam non effugiat ultionem.

Extr. de teſtib. & atteſt. 52. Licet ex quadam neceſſitate præter communem formam olim fuerit inſtitutum, ut in conſanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret teſtimonium de auditu, cum propter brevem hominum viam teſtes de viſu deponere non valerent uſque ad gradum ſeptimum computãdo. Quia tamen pluribus exemplis, & certis experimentis didicimus, ex hoc multa pericula contra legitima conjugia proveniſſe: ſtatuimus, ne ſuper hoc recipiantur teſtes de cætero de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat, niſi perſonæ graves extiterint, quibus fides merito ſit adhibẽda: & ante motam litem teſtificata, didicerint ab antiquioribus quidem ſuis, non utique uno, cum non ſufficeret ille ſi viveret, ſed duobus ad minus: nec ab infamibus & ſuſpectis, ſed à fide dignis, & omni exceptione majoribus: cum ſatis videretur abſurdum illos admitti, quorum repellerentur autores. Nec tamen ſi unus à pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperint quod teſtentur, tanquam plures & idonei teſtes deberent admitti: cum etiam ſecundum ſolitum ordinem judiciorum, non ſufficiat unius teſtis aſſertio, etiamſi præſidiali dignitate præfulgeat, cum actus legitimi ſint infamibus interdicti.

Teſtes autem hujuſmodi proprio juramento firmantes, quod ad ferendum in cauſa ipſa teſtimonium odio vel timore, vel amore, vel commodo non procedant, perſonas expreſſis nominibus, vel demonſtratione, ſive circumlocutione ſufficientibus deſignent verbis, & ab utroque latere clara computatione gradus ſingulos diſtinguant: in ſuo nihilominus juramento concludant, ſe accepiſſe à ſuis majoribus quæ deponunt, & credere ita eſſe. Sed nec tales ſufficiant, niſi jurati deponant, ſe vidiſſe perſonas ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas, pro conſanguineis ſe habere. Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum copulatos dimittere, quam conjugatos legitime, contra ſtatuta Domini ſeparare.

Extr. de decimis primit. & oblat. 53. In aliquibus regionibus quædam permixtæ ſunt gentes, quæ ſecundum ſuos ritus, decimas de more non ſolvunt, quamvis cenſeantur nomine Chriſtiano. His nonnulli domini prædiorum ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes Eccleſias, majores inde redditus aſſequantur. Volentes igitur ſuper his Eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus, ut ipſi domini talibus perſonis, & taliter ſua prædia excolenda committant, quod abſque contradictione decimas Eccleſiis cum integritate perſolvant: & ad id ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur. Illæ quippe decimæ neceſſario ſunt ſolvendæ, quæ debentur ex lege divina vel loci conſuetudine approbata.

Extr. lib. c. ſeq. 54. Cum non ſit in homine quod ſemen ſerenti reſpondeat, quoniam juxta verbum Apoſtoli: *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*: ipſo quidem de mortificato ſemine plu- 1. Cor. 3. rimum fructum afferente: nimis avare in decimis quidam defraudare nituntur, cenſus & tributa, quæ interdum indecimata prætereuntur, de frugibus & primitiis educentes. Cum autem in ſignum univerſalis dominij, quaſi quondam titulo ſpeciali, ſibi Dominus decimas reſervaverit: nos Eccleſiarum diſpendiis & animarum periculis obviare volentes ſtatuimus, ut in prærogativa Domini generalis, exactionem tributorum & cenſuum præcedat ſolutio decimarum: vel ſaltem hi ad quos cenſus & tributa indecimata perveneriut, quoniam res cum onere ſuo tranſit, ea per cenſuram Eccleſiaſticam decimare cogantur Eccleſiis, quibus jure debentur.

Extr. ib. c. ſeq. 55. Nuper Abbates Ciſtercienſis ordinis in generali capitulo congregati, ad commonitionem noſtram provide ſtatuerunt, ut de cætero fratres ipſius ordinis non emant poſſeſſiones, de quibus decimæ debentur Eccleſiis, niſi forte pro monaſterio de novo fundando. Si tales poſſeſſiones eis fuerint pia fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro monaſteriis de novo fundandis, committant excolendas à quibus Eccleſiis decimæ perſolvantur, ne occaſione privilegiorum ſuorum, Eccleſiæ ulterius prægraventur. Decernimus ergo, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, ſi eas propriis manibus aut ſumptibus deinceps excoluerint, decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum. Nos ergo ſtatutum hujuſmodi gratum & ratum habentes, hoc ipſum ad alios regulares, qui gaudent ſimilibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus, ut Eccleſiarum prælati, proniores & efficaciores exiſtant ad exhibendum eis de ſuis malefactoribus juſtitiæ complementum, eorumque privilegia diligentius & perfectius ſtudeant obſervare.

Extr. de paſſit. 56. Plerique (ſicut accepimus) regulares & clerici ſeculares, interdum cum vel domos locant, vel feuda conceduut, in præjudicium Eccleſiarum Parochialium, pactum objiciunt, ut conductores & feu-

datarij decimas eis ſolvant, & apud eoſdem eligant ſepulturam. Cum autem id de avaritiæ radice procedat, pactum hujuſmodi penitus reprobamus: ſtatuentes, ut quicquid fuerit occaſione hujuſmodi pacti perceptum, Eccleſiæ Parochiali reddatur.

Extr. de privileg.

57. Ut privilegia, quæ quibuſdam religioſis perſonis Romana conceſſit Eccleſia, permaneant inconvulſa: quædam in eis duximus declaranda, ne minus ſane intellecta, pertrahant ad abuſum, propter quem merito poſſint revocari: quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Sane quibuſdam regularibus ſedes Apoſtolica indulſit, ut his qui eorum fraternitatem aſſumpſerint, ſi forſitan Eccleſiæ ad quas pertinent, à divinis fuerint officiis interdictæ, ipſoſque mori contingat, ſepultura Eccleſiaſtica non negetur, niſi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti, ſuoſque confratres, quos Eccleſiarum prælati apud Eccleſias ſuas deferant tumulandos. Hoc autem de illis confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in ſeculo, eorum ordini ſunt oblati, mutato habitu ſeculari: vel qui eis inter vivos ſua bona dederunt, retento ſibi quandiu in ſeculo vixerint, uſufructu: qui tamen ſepelientur apud ipſorum regularium vel aliorum non interdictas Eccleſias, in quibus elegerint ſepulturam: ne, ſi de quibuſlibet ipſorum fraternitatem aſſumentibus fuerit intellectum, pro duobus aut tribus denariis annuatim ſibi collatis, diſſolvatur patiter & vileſcat Eccleſiaſtica diſciplina. Certam tamen & ipſi remiſſionem obtineant, ab Apoſtolica ſibi ſede conceſſam. Illud etiam pro hujuſmodi regularibus eſt indultum, ſi qui fratrum ſuorum, qui ab eis miſſi fuerint ad recipiendas fraternitates ſive collectas, in quamlibet civitatem, caſtellum vel vicum advenerint, ſi forte locus ille à divinis ſit officiis interdictus, in eorum jucundo adventu ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, ut excluſis excommunicatis, divina ibi officia celebrentur. Sic intelligi volumus, quod in eadem civitate aut caſtro vel villa, una tantum Eccleſia ejuſdem ordinis fratribus (ut dictum eſt) ſemel aperiatur in anno. Quia licet pluraliter dictum ſit, quod in eorum jucundo adventu aperiantur Eccleſiæ, non tamen ad Eccleſias ejuſdem loci diviſim, ſed prædictorum locorum conjunctim, ſano referendum eſt intellectu: ne ſi hoc modo ſingulas ejuſdem loci Eccleſias viſitarent, nimirum vilipendi contingeret ſententiam interdicti. Qui vero contra declarationes prædictas quicquam ſibi præſumpſerint uſurpare, gravi ſubjaceant diſciplinæ.

Extr. ib. eod. ſcil.

58. Quod nonnullis eſt Religioſis indultum, in favorem Pontificalis officij ad Epiſcop. extendentes, concedimus, ut cum commune terræ fuerit interdictum, excommunicatis & interdictis excluſis, quandoque januis clauſis & ſuppreſſa voce, non pulſatis campanis, celebrent divina, niſi hoc ipſum eis expreſſe fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus, qui cauſam aliquam non præſtiterint interdicto, nec quicquam doli vel fraudis ingeſſerint, tale compendium ad iniquum diſpendium diſtrahentes.

Ex. de fide juſſoribus.

59. Quod quibuſdam Religioſis à ſede Apoſtolica eſt prohibitum, volumus & mandamus ad univerſos extendi, ne quis videlicet abſque abbatis & majoris partis ſui Capituli licentia, pro aliquo fidejubeat, vel ab alio pecuniam mutuò recipiat, ultra ſummam communi providentia conſtitutam. Alioqui non teneatur conventus pro his aliquatenus reſpondere, niſi forte in utilitatem domus manifeſte conſtiterit expendiſſe: & qui contra ſtatutum illud venire præſumpſerit, gravioti diſciplinæ ſubdetur.

60. Aſcendentibus ad nos de diverſis mundi partibus Epiſcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea quæ ſunt Epiſcopalis dignitatis, extendunt: de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo indulgentiarum literas, & ſimilia præſumendo: unde contingit interdum, quod vileſcat authoritas apud multos. Volentes igitur in his Epiſcoporum dignitati, & Abbatum providere ſaluti, præſenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit periculum evitare: niſi forte quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa hujuſmodi valeat ſe tueri.

Extr. de prebend. & dig. Sub Alexandro III.

6. In Lateranenſi Concilio noſcitur fuiſſe prohibitum, ne quilibet regulares Eccleſias ſeu decimas ſine conſenſu Epiſcoporum de manu præſumant recipere laicali, nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad divina. Nos autem id fortius inhibentes, tranſgreſſores condigna curabimus animadverſione punire: ſtatuentes nihilominus, quatenus in Eccleſiis, quæ ad ipſos pleno jure non pertinent, juxta ejuſdem ſtatuta Concilij, Epiſcopis inſtituendos Preſbyteros repræſentent, ut illis de plebis cura reſpondeant: ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos vero removere non audeant, Epiſcopis inconſultis. Sane adjicimus, ut illos repræſentare procurent, quos vel converſatio reddit notos, vel commendat probabile teſtimonium Prælatorum.

Extr. de reliq. & vener ſanct.

62. Cum ex eo quod quidam ſanctorum reliquias exponunt venales, ut eas paſſim oſtendant, Chriſtianæ Religioni ſit detractum ſæpius, in poſterum præſenti decreto ſtatuimus, ut antiquæ reliquiæ à modo extra capſam non oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari *Reliquiæ* præſumat, niſi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero de cætero non permittant illos, qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt, vanis figmentis aut falſis decipi documentis, ſicut & in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit. Eleemoſynarum quoque quæſtores, quorum quidam ſe alios mentiendo, abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti, niſi Apoſtolici vel Diœceſani Epiſcopi literas veras exhibeant, prohibemus. Et tunc præter id quod in ipſis continebitur literis, nihil populo proponere permittantur: formam vero, quam communiter talibus Apoſtolica ſedes indulget, duximus exprimendam, ut ſecundum eam Diœceſani Epiſcopi ſuas literas moderentur. Ea ſiquidem talis eſt:

Extr. de pœnit. & remiſſ. c. cum ea eo.

Quoniam (ut ait Apoſtolus) *omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti*, recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum, ſi malum fuerit: oportet nos diem meſſionis extremæ, miſericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cœlis: firmam ſpem fiduciamque tenentes, quoniam *qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.* Cum igitur ad ſuſtentationem fratrum & egenorum ad tale confluentium hoſpitale, propriæ non ſuppetant facultates, univerſitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis à Deo vobis collatis, pias eleemoſynas, & grata eis charitatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram ipſorum inopiæ conſulatur: & vos per hæc & per alia bona quæ Domino inſpirante feceritis, ad æterna poſſitis felicitatis gaudia pervenire.

2. Cor. 5. Forma literarum Pradic.

2. Cor. 9.

Qui autem ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, modeſti ſint, & diſcreti, nec in tabernis aut locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant aut ſumptuoſas expenſas: caventes omnino, ne falſum Religionis habitum geſtent. Ad hæc, quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur: decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo,

sive à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: & infra hunc quoque dierum numerum, indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.

Extr. de Simonia.

63. Sicut pro certo didicimus, in plerisque locis & à plurimis personis, quasi columbas in templo vendentibus, fiunt exactiones & extorsiones turpes & pravæ, pro consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinibus clericorum: estque taxatum, quantum sit isti vel illi, quantumve alteri vel alij persolvendum: & ad cumulum damnationis majoris, quidam turpitudinem & pravitatem hujusmodi nituntur defendere, per consuetudinem longo tempore observatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem hujusmodi (quæ magis dicenda est corruptela) penitus reprobamus, firmiter statuentes, ut pro his sive conferendis, sive collatis, nemo aliquid quocunque prætextu exigere ac extorquere præsumat: alioquin & qui receperit, & qui dederit hujusmodi precium omnino damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur.

Extr. de simon.

64. Quoniam Simoniaca labes adeo pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas sine precio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ, adagendum perpetuo pœnitentiam, retrudenda.

Moniales cum pretio admissa.

De his autem quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis ejusdem ordinis collocentur.

Quod si propter nimiam multitudinem alibi fortè nequiverint commodè collocari, ne forte damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eodem Monasterio dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.

Hoc etiam circa Monachos & alios regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari.

Ext. lib. cap. seq.

65. Audivimus de quibusquam Episcopis, quod decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subjiciunt, nec patiuntur aliquos in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur: præterea cum miles aut clericus domum Religionis ingreditur, vel apud Religiosos eligit sepulturam, etiamsi nihil loco Religioso reliquerit, difficultates ingerunt & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum.

1. Thes. 5.

Cum igitur non solum à malo, sed etiam *ab omni specie mali* sit (secundum Apostolum) abstinendum, exactiones hujusmodi penitus inhibemus: quod si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat, in utilitates locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.

Extr. ib. cap. seq.

66. Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro exequiis mortuorum & benedictione nubentium & similibus, pecuniam exigunt & extorquent: & si forte cupiditati eorum non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium, introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones super his fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes, ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta: sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

Extr. de usuris.

67. Quanto amplius Christiana Religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super his Judæorum perfidia insolescit, ita quod brevi tempore Christianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne à Judæis immaniter aggraventur, Synodali decreto statuimus, ut si de cætero quocumque prætextu, Judæi à Christianis graves & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Christiani quoque, si opus fuerit per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur ab eorum commerciis abstinere.

Extr. de Judæis & Saracenis.

Principibus autem injungimus, ut propter hoc non fiat Christianis infesti, sed potius à tanto gravamine Judæos studeant cohibere.

Ac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Judæos quocunque titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes.

68. In nonnullis provinciis à Christianis Judæos seu Saracenos habitus distinguit diversitas: sed in quibusdam sic quædam inolevit confusio, ut nulla differentia discernantur. Unde contingit interdum, quod per errorem Christiani Judæorum seu Saracenorum, & Judæi seu Saraceni Christianorum mulieribus commisceantur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus per velamentum erroris hujusmodi, excusationis ulterius possint habere diffugium, statuimus, ut tales utriusque sexus in omni Christianorum provincia, & omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur, cum etiam per Mosen hoc ipsum legatur eis injunctum.

Levit. 19 Deut. 22

In diebus autem lamentationum & Dominicæ passionis, in publicum minime prodeant, eo quod nonnulli ex ipsis talibus diebus (sicut accepimus) ornatius non erubescunt incedere: ac Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationum signa prætendunt, illudere non formidant.

Esaiæ 52.

Illud autem districtissimè inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris prosilire aliquatenus præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit: præcipimus præsumptores hujusmodi per principes seculares condignæ animadversionis adjectione compesci, ne Crucifixum pro nobis præsumant aliquatenus blasphemare.

Extr. ib. cap. seq.

69. Cum sit nimis absurdum, ut Christi blasphemus in Christianos vim potestatis exerceat, quod super hoc Toletanum Concilium provide statuit, nos propter transgressorum audaciam, in hoc capitulo innovamus: prohibentes, ne Judæi officiis publicis præferantur, quoniam sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti. Si quis autem officium eis tale commiserit, per provinciale Concilium (quod singulis præcipimus annis celebrari) monitione præmissa, districtione, qua convenit, compescatur. Officiali vero hujusmodi tamdiu Christianorum communio in commerciis & aliis denegetur, donec in usus pauperum Christianorum secundum providentiam Diœcesani Episcopi convertatur, quicquid fuerit adeptus à Christianis occasione officij sic suscepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos.

Extr. de Apostatis.

70. Quidam (sicut accepimus) qui ad sacri undam baptismatis voluntarij accesserunt, veterem hominem omnino non exuunt, ut novum perfectius induant, cum prioris ritus reliquias retinentes, Christianæ Religionis decorem tali commixtione confundant. Cum autem scriptum sit, *Maledictus homo qui terram duabus viis ingreditur*, & indui vestis non debeat

Eccles. 3. Deut. 22.

sino Lanaque contexta: ſtatuimus, ut tales per prælatos Eccleſiarum ab obſervantia veteris ritus omnimodo compeſcantur, ut quos Chriſtianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas in ejus obſervatione conſervet: cum minus malum exiſtat, *viam Domini non agnoſcere, quam poſt agnitam retrorſum redire.* 2. Pet. 2.

Controverſia quædam circa hoc Concilium, ac primo circa conſtitutionem fidei de ſumma Trinitate & fide Catholica.

Poſteriora Concilia ſemper præcedentium fidem confirmarunt, & propter naſcentes hæreſes eam in aliquot articulis magis explicarunt: quod præſtitit etiam præſens hoc Concilium omnium generaliſſimũ, ut & illum vocabat Cardinalis Perronius, propter multitudinem Patrum qui interfuerunt. Hinc edidit conſtitutionem illam *de ſumma Trinitate & fide Catholica*, quæ eſt ſymbolum fidei in aliquot articulis explicatius propoſitum, maxime verò in articulis myſterij Trinitatis propter errorem Joachimi Abbatis Florienſis circa Trinitatem, & in articulo Euchariſtiæ propter errorem Berengarij qui negaverat realem præſentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, & converſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti. *Symbolum Conc. Lateran.*

D. Thom. Scripſit autem D. Thomas Opuſcula duo ad elucidationem prædictæ conſtitutionis, quæ quoniam integra non vacat exſcribere ad vitandam prolixitatem, ſelectiora tamen dabimus ex iiſdem opuſculis, ſicut & alia aliunde deprompta ad difficiliorum explanationem.

Chriſtus tria mandavit apoſt. Salvator noſter, ait D. Thomas, diſcipulos ad prædicandum mittens, tria injunxit, Primo quidem ut docerent fidem: Secundo ut credentes imbuerent Sacramentis: Tertio ut credentes Sacramentis imbutos ad obſervandum divina mandata inducerent. Dicitur enim Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*, quantum ad primum: *Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quantum ad ſecundum: *docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*, quantum ad tertium. Inter quæ tria decenter fidei doctrina præmittitur. Eſt enim fides omnium ſpiritualium bonorum fundamentum, &c. Ubi D. Thomas rationem reddit cur Concilia doctrinam fidei explicant. Quod ſit primum quod injunxit Chriſtus Apoſtolis: ſimulque innuat tria genera præceptorum Chriſti, prima quæ ſunt fidei, ſecunda quæ ſunt præcepta de Sacramentis, tertia quæ ſunt præcepta morum. Quæ tria præcepta præceptorum genera diſtincte explicanda populis, ſic utile ac neceſſarium putavimus ut in pluribus noſtris libris illud inculcare non deſinamus, quod error iſte invaluerit per omnes Chriſtianorum regiones, præcepta Chriſtianæ religionis contineri in Decalogo, quaſi qui ſcitent Decalogum noſſent omnia Dei præcepta. Qui error à Zeloſis Epiſcopis & Paſtoribus evellendus ex animis fidelium, ut ſciant ſe etiam obligari ad credendas res ſupernaturales à Deo revelatas, & ab Eccleſia propoſitas: nec nõ ad percipiẽda debite quædam Sacramenta. Vix enim dici poteſt quantum ex ignorantia trium illorum præceptorum proficerint hæretici. Quanto utilius tria præceptorum genera, fidei, Sacramentorum & morum legerentur ad frontem templorum, quam Decalogus Moyſi in templo Charentoniano Calviniſtarum, quaſi eſſet Synagoga Judæorum, & Chriſtianus liber eſſet coram Deo ſine præceptis fidei & Sacramentorum. *Tria genera præcept. Chriſti intimanda Chriſt.*

Trinitas ſumma. Titulus hujus conſtitutionis eſt *de ſumma Trinitate*. Addit *Summa*, quia divina Trinitas arcem quamdam tenet inter plurimas Trinitates ab ea derivatas. Derivatur enim ab illa Trinitate quædam Trinitas in anima noſtra ſecundum quam ad imaginem Dei ſumus, ſecundum memoriam, intelligentiam & voluntatem, &c. Extat ſermo D. Bernardi de Octuplici Trinitate.

Firmiter credimus & ſimpliciter confitemur quod unus eſt Deus. Duplex eſt actus fidei, ſcilicet corde credere & ore confiteri ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Actus fidei interior exigit firmitatem propter infallibilitatem divinæ revelationis. Sed confeſſio fidei debet eſſe ſimplex, id eſt abſque ſimulatione 1. Timot. 1. *Finis autem præcepti, &c.* Abſque erroris permiſtione 1. ad Theſſ. 2. *Exhortatio noſtra non fuit de errore.* Debet etiam eſſe abſque variatione 2. ad Cor. 1. *Sermo noſter qui fuit ad vos non fuit in illo, eſt & non.* Quod ad 1. actum dicitur, firmiter credimus: quod ad 2. & ſimpliciter confitemur. Notent hoc ſubſcripturi fidei formulæ. *Actus fidei duplex.*

Proſequitur D. Thomas explicationem ſingulorum verborum tam quæ pertinent ad unitatẽ & excellentiam divinæ eſſentiæ, quam ad diſtinctionem & Trinitatem perſonarum, notans errores antiquorum hæreticorum qui varie impegerunt in myſterium Trinitatis. Error autem Joachim Abbatis viri parum ſubtilis, in hoc erat, quod argueret Magiſt. Sentent. quaſi admitteret quaternitatem in divinis, dicendo, Eſſentia divina eſt res quædam nec generans, nec genita, nec procedens, licet eſſet Pater, Filius & Spiritus ſanctus: eſt enim hæc aſſertio Magiſtri, ex qua inferebat Joachim quatuor res in divinis à Magiſtro doceri. Ipſe autem dicebat Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe unã eſſentiam aut ſubſtantiam, ſed non habebat ſanũ intellectum, non enim admittebat unitatem eſſentiæ realem & ſimplicem, ſed quaſi ſimilitudinariam & collectivam, id eſt, quaſi ex pluribus congregatam, ſicut multi homines dicuntur unus populus & multi fideles una Eccleſia ſecundum illud Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Probabat autem iſtud ex quibuſdam locis ut ex illo Joan. 17. *Volo autem Pater ut ſint unum in nobis ſicut nos unum ſumus.* Et aliis quibus etiam Arriani impugnabant Trinitatem, ut tantum perſonas divinas unum eſſe ſecundum conſenſum & charitatem aſſererent: ſicuti perſonæ humanæ ſunt quid unum. Nam in divinis perſonis accipitur unum de unitate naturæ: in humanis de unitate conſenſus & charitatis. Quod probat Concilium per ſimile, quia dicitur Matth. 5. *Eſtote vos perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Non tamen eſt idem modus perfectionis divinæ & humanæ: quia non poteſt eſſe tanta ſimilitudo inter creatorem & creaturam, quin major ibi inveniatur diſſimilitudo, propter hoc quod creatura in infinitum diſtat à Deo. *Joachim Abbas arguit Petrũ Lombard.* *Unitas collectiva.*

Pater ergo eamdem ſubſtantiam quam habet dat Filio, non partem illius, ſicut Pater in creatis, illam quoq; dans filio eamdem totam & ipſiſſimam retinet. Unde ſequitur quod Pater & Filius habeant eamdem ſubſtantiam & eadem eſt ratio de Spiritu ſancto. In corporalibus enim, ait D. Thomas, quod datur non retinetur, ſicut qui dat equũ non retinet ipſum: ſed in ſpiritualibus ſimul datur aliquid & retinetur; ſicut qui communicat alicui ſcientiam retinet ipſam; & ideo irrefragabiliter eſt probata ſententia M. Petri Lombardi, & per conſequens dictum Joachimi improbatum. Quod autem ſpectat ad illud, quod eſſentia etſi dicatur Pater, Filius & Spiritus ſanctus, non dicitur generans, genita & procedens; unde ſcandalum paſſus eſt Joachim Abbas, videnda quæ ſupra dicta ſunt in relectione ſcholaſtica de myſterio unius Dei in tribus perſonis ad præambula Concilij Nicæni. Nec illa curſim & leviter legenda ſunt, cum hiſce diebus novi hoſtes Trinitatis è ſchola Calvini prodeant, ut Creilus ille è Franconia Germaniæ, cujus feruntur octo magna volumina ad impugnanda myſteria Trinitatis & Incarnationis Filij Dei per ſcripturas, repudiata traditione. Heu quot machinis concutitur fides Chriſtianorum! ſed infra forſan de iſtis aliquid amplius dabitur.

De ſimultanea creatione mundi & Angelorum.

Interim movetur alia difficultas circa illam definitionem ejuſdem Concilij quod Deus omnipotenti ſua virtute ſimul ab initio temporis de nihilo utramque condidit creaturam ſpiritualem & corporalem: duo enim dubia moventur occaſione hujus determinationis 1. eſt unde collegerint Patres creationem mundi è nihilo, an ex his verbis ſcripturæ *In principio creavit Deus cælum & terram*? ita fortaſſe ratiocinabantur, ut diſſerit Nicolaus Abramus in Pharo 12. cap. Veteris Teſtamenti in Hexameron ſeu Opere ſex dierum. *In principio fecit Deus cælum & terram*: ergo ante omnia; ſi ante omnia, nihil igitur materiæ præceſſit, ac proinde è nihilo mundus productus eſt. Addit alios textus ſcripturæ ut locum 2. Macab. cap. 7. *Et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus*: quin etiam rationes petitas ex omnipotentia divina, quæ cum ſit infinita poſtulat operationem qua perfectior nequit intelligi, qualis erit productio rerum è nihilo. Sed & ſi materia non eſſet producta à Deo, ſed à nullo eſſet, contenderet de perfectione cum Deo, cum ſit ipſa ens viliſſimum: eſſet enim ens neceſſarium ſicut Deus, & ab ipſo independens, quod refellit D. Baſilius Homil. 2. in Hexameron tamquam impium, eodem ſcilicet loco habere velle materiam quæ ſummæ deformitatis eſt ac turpitudinis, ac potentem præclarumque artificem.

An de fide ſit Angelos eſſe ſpirituales.

2. Dubium eſt an de fide ſit Angelos eſſe ita ſpirituales ut nequidem tenuiſſimo quodam corpore conſtent: quod etiam pro anima revocari poteſt in controverſiam. Petrus Poſtuanienſis recens ſcriptor in 2. Sent. diſp. 2. de creatione Angelorum concluſione 1. aſſerit quod etſi tenendum ſit Angelos eſſe incorporeos, & reprehenſione dignus eſſet qui illud negaret, maxime quia non facile ſe liberaret à definitionibus Concilij Lateranenſis, quin periculo ei contradicendi ſe exponeret, attamen non eſſe adhuc dogma fidei. Unde diviſi ſunt Patres inter ſe, & Scholaſtici qui ſcripſerunt poſt Concilium Lateranenſe non judicant illud eſſe definitum. Et Carranza ad act. 5. ſeptimæ ſynodi etſi agnoſcat Concilium Lateranenſe oppoſuiſſe ſpirituale corporeo, hanc tamen controverſia inquit, nondum Eccleſiæ cenſura terminata eſt. Ratio eſt quia Concilij intentio fuit definire Deum in tempore omnia condidiſſe, reliqua autem obiter dixit ſine intentione definitionis. Concluſione 2. aſſerit non eſſe impoſſibile Angelos compoſitos eſſe ex materia & forma, quia ex nullo capite id repugnat. Concluſione 3. confirmat quod aſſeruit concluſione 1. contra quoſdam Neotericos præcipue à *Monte Peloſo*, qui rigoroſius reprehendit alios, præcipue Molinam & Warilonem; revera tamen ut ait Doctor Subtilis, ſicut ſequenti rationem non ſunt ponenda plura, niſi quæ ratio naturalis concludit; ita ſequenti fidem non ſunt ponenda plura de fide, quam veritas fidei requirat. Hoc autem non requirit veritas fidei, quia auctoritates ſcripturæ quæ dicunt Angelos eſſe ſpiritus, explicari poſſunt quia non ſunt corporei nec quantitate extenſi, nec Concilium Lateranenſe definivit patet ex dictis. Concluſione 4. aſſerit Angelos non eſſe compoſitos ex materia quæ eſſet diverſæ rationis à noſtra: quia eſt impoſſibile eſſe duas materias alterius rationis niſi una eſſet perfectior altera: id ergo eſſet vel in actualitate vel in potentialitate. 1. non poteſt eſſe, quia nihil eſt actualitatis in materia: nec 2. quia eo ipſo jam eſſet imperfectior, quia potentialius eſt imperfectius. Tandem concluſione 5. aſſerit non eſſe improbabilem D. Bonaventuræ ſententiam, Angelos eſſe compoſitos ex materia & forma ejuſdem rationis cum noſtra. Probat ex plurium auctoritate Richardo, Alenſi, Alberto & aliquot ratiociniis: ſolvitque objectiones contrarias, quas non eſt noſtri inſtituti exponere. Inſtans mortis noſtræ & introitus in regiones alias ab his terrenis caliginem noſtram diſſolvet circa has ambages ſicut & pleraſque alias, in quibus ferè excutimus in præſenti vita.

Non ponenda plura de fide.

D. Bonaventuræ mens de Angelis.

De Tranſſubſtantiatione.

Gravior eſt controverſia quam movent ſectatores Lutheri & Calvini circa verba ejuſdem Concilij *tranſubſtantiatis pane & vino in corpus & ſanguinem Chriſti*, conqueruntur ſiquidem quod Concilium novam doctrinam & inauditam invexerit circa Euchariſtiam, & tranſſubſtantiationem omnibus viribus impugnant, ſicut quondam Arriani nomen *Homouſion*, ſeu conſubſtantiationem Filij cum Patre æterno. Eſt enim ſimilitudo inter duo iſta nomina, à Conciliis generalibus adinventa ad explicationem evidentiorem & neceſſariam rerum fidei, ut novis venenis hæreſeon nova antidota præparentur.

Unde ſciendum eſt Patres in Spiritu ſancto congregatos nihil novi ſtatuiſſe quoad rem & doctrinam quæ eadem eſt cum doctrina veteriſſimorum Patrum, ſed novo tantum vocabulo de induſtria & conſulto uſi ſunt, ut quo nullum poſſent aptius & convenientius habere ad profligandos ea tempeſtate naſcentes errores, teſtarumque efficerent in Euchariſtia non eſſe niſi unam ſubſtantiam corporis Chriſti, in quam antiqui Patres aiebant ſubſtantiam panis mutari, converti, tranſelementari, transferri, ut ſalva eſſet veritas horum verborum *Hoc eſt corpus meum*. Pro quibus verbis Concilium ſignificantius dicit, tranſſubſtantiari. Cur non liceret univerſali Eccleſiæ fidem ſuam apto aliquo verbo exprimere, quod excluderet penitus errores hæreticorum: ſicut conſubſtantiationis nomen ad deſtruendum errores Arrianorum, ſicut ſupra viſum eſt? Nec enim ob aliam rationem duo iſta nomina tantopere abominantur hæretici, quam quia non poſſunt ſuos errores cum iis ullo modo conjungere: ſed cum apud orthodoxos ipſos ſeu Catholicos varij eſſent modi explicandi realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, vocabulum iſtud apte illum modum exprimit qui eſt veritati conveniens.

Tres opiniones de modo præſentiæ realis corporis Chriſti in Euch.

Illud enim notabile eſt quod refert Innocentius *de Officio Miſſæ* parte 2. cap. 6. & habent communiter Theologi illius temporis poſt Lombardum in 4. Sent. diſt. 11. tres fuiſſe opiniones quæ cum admitterent omnes præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, retinerentque id quod erat de fide à primæva Eccleſiæ, diſſentiebant tamen in modo quo corpus Chriſti reddebatur præſens, nec ulla earum tunc damnata adhuc erat. Una opinio erat, quod panis maneret cum corpore Chriſti. Secunda opinio, quod panis non maneret, & tamen non convertitur, ſed deſinit eſſe vel per annihilationem, vel per reſolutionem in materiam, vel per corruptionem. Tertia opinio quod panis tranſſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem. Hunc autem tertium modum tanquam verum tenendum eſſe determinavit Eccleſia, ad tollendam omnem de ea re diſſenſionem inter Catholicos ipſos, quorum ſalva fidei compage varij erant ſenſus quoad modum præſentiæ corporis Chriſti, an hoc vel illo modo ex tribus prætactis eſſet realiter præſens.

Et licet modus iſte per tranſſubſtant. eſſet difficilior intelligendum & ad quem plura videntur ſequi inconvenientia, quare tot fiunt contra ipſum objectiones ab hæreticis, & plures à fide avertuntur ob hanc definitionem, ſive quia verba ſcripturæ poſſent ſalvari, non enim verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, vi litteræ magis important tranſſub. quam verba iſta, hoc eſt aurum, oſtendendo burſam auro plenam, oſtendunt converſionem burſæ in aurum, aut dolij in vinum, dicendo hoc eſt dolium. Attamen ut ſcite dicit Doctor Subtilis in 4. ſent. diſt. 11 quæſt. 3. eo ſpiritu expoſitæ ſunt ſcripturæ quo conditæ. Et ita ſupponendum eſt quod Eccleſia Catholica eo Spiritu expoſuit, quo tradita eſt nobis fides, Spiritu ſcilicet veritatis edocta, & ideo hunc intellectum eligit, quia verus eſt. Non enim

Scoti judicium.

in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis. Hæc Scotus ad satisfaciendum quorundam admirationi.

Nihilominus etsi verbum istud transsub. pro tempore isto fuerit sufficiens ad refutandos hæreticos & conciliandos inter se Doctores Ecclesiæ, non tamen ita exhausit omnia dubia quæ postea orta sunt, quin necesse fuerit in sequentibus Conciliis aliquid adhuc addere ad majorem explicationem: itaut transsubstantiatio opus fuerit plurimorum sæculorum, si spectetus non solum generatim & confuse, sed determinata cum omnibus suis specificationibus & modificationibus quas magis expresse apposuit Concilium Tridentinum. Ut sunt enim ingenia hominum ad contentionem proclivia, versarunt istud mysterium in omnem partem, & retenta transsubstantiatione propter auctoritatem Concilij, quidam plus justo extenderunt illam transsub. ut dicerent totum panem quoad substantiam & accidentia transire in corpus Christi. Fuitque illa plurium veterum sententia, sicut & quorumdam recentium Siculorum. Qua de re diximus in libro *Fidelitas perseverans Susannæ*, inscripto adversus quemdam Ministrum Calvinistam. Alij vero restrinxerunt magis transsub. dicentes illam fieri secundum solam formam panis, remanente eadem materia: alij è contra secundum solam materiam remanente forma substantiali eadem ipsius panis. Primus dicendi modus est Durandi acutissimi Theologi in 4. dist. 11. quæst. alius vero est aliorum quos refert Duchenius tacito auctoris nomine 3. p. q. 75. art. 7. qui ut explicat Bellarminus *de Sacram. Euch.* l. 3. cap. 14. dicebant panem rem esse plane artificiosam nec habere aliam formam quam figuram externam & sensibilem, quæ remanet. Ad quos errores retundendos oportuit in Concilio Tridentino veluti ultimam manum apponere explicationi transsubstantiationis: ut veritas ejus tota dispulsis falsarum omnium opinionum nebulis appareret. Sic Ecclesia in dies ex occasione errorum proficit sicut lux splendens usque ad perfectam diem, & qui illam audiunt non ambulant in tenebris. Itaque à tempore Lateran. Concilij transsubstantiatio fuit fide explicite credenda propter determinationem Ecclesiæ, quam qui non audit hæreticus habetur juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus aut Publicanus.* Qua de re optime tractat Cardinalis Gotterus tract. de veritate Corp. & Sang. Chr. in Euch. art. 1. c. 63.

Transsubstantiatio Orientalibus non incognita.

Mirum vero est quod Calvinistæ hodierni transsubstantiationem ignotam fuisse Ecclesijs Orientalibus audeant pertinaciter asserere, cum in hoc Concilio quatuor Patriarchæ Orientis per se vel per Legatos interfuerint qui symbolo assenserunt, in quo tam expressis verbis determinatur seu contra Berengarium seu contra Almaricum qui eum negabat. Hæc perpetua & constans Orientalium de transsubstantiat. fides nuper apertissime & invictissime demonstrata est à Doctore Arnaldo adversus ministrum Claudium volumine satis magno Parisiis edito hoc præsenti anno 1669. in quo multa magno studio digesta sunt ad id spectantia.

De Albigensium erroribus.

Quæritur primo quinam fuerint errores Albigensium. Disci poterunt ex Cæsario histor. mirab. lib. 5. cap. 21. Temporibus Innocentij prædecessoris hujus, qui nunc tenet Papatum Honorij, durante adhuc schismate, quod erat inter Philippum & Ottonem Reges Romanorum, diaboli invidia hæreses Albigensium cœperunt pullulare, vel ut verius dicam, matuescere. Cujus vires erant tam validæ, ut omne triticum fidei gentis illius, versum videretur in lolium erroris. Missi sunt Abbates nostri Ordinis cum quibusdam Episcopis, qui zizania rastro Catholicæ prædicationis eradicarent: sed obsistente homine inimico, qui illa seminaverat, modicum ibi profecerunt. Apollonius: Quis fuit error illorum? Cæsarius: Quædam Hæresiarchæ eorum collegerant puncta ex dogmate Manichæi, quædam ex erroribus, quæ in Periarchon scripsisse fertur Origenes, plurima etiam quæ desuo corde fixerant, adjicientes. Duo credunt cum Manichæo principia. Deum bonum, & Deum malum, id est, diabolum, quem dicunt omnia creare corpora, sicut Deum bonum omnes animas. Apollonius: Moyses & corpora & animas confirmat Deum creasse, dicens; *Formavit Deus hominem*, idest, corpus, *de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, id est, animam. Cæsarius: Si Moysem & Prophetas reciperent, non essent hæretici. Corporum resurrectionem negant, quicquid beneficij mortuis à vivis impenditur, irrident, ire ad Ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse. In his deteriores sunt Judæis & Paganis, quia illa credunt. Baptismum abjecerunt; Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi blasphemant. Apollonius: Ut quid tandem à fidelibus persecutiones sustinent, si nihil ex hoc in futuro retributionis exspectant? Cæsarius: Gloriam spiritus se dicunt exspectare. Quidam supradictorum Abbatum Monachus, cernens quemdam militem in equo sedentem, loqui cum aratore suo, hæreticum illum æstimans, sicut fuit, propius accedens, ait; Dic mihi prohe vir, cujus est ager iste? Respondente illo, meus est, subjecit: Et quid de fructu illius facitis? Ego, inquit, & familia mea de eo vivimus, aliquid etiam erogo pauperibus. Dicente Monacho, Quid boni speratis de eleemosyna illa? respondit miles hoc verbum: ut Spiritus meus gloriose pergat post mortem. Tunc Monachus: Quo perget? Ait miles, Secundum meritum suum, si bene vixit, & hoc apud Deum meruit, exiens de corpore meo, intrabit corpus alicujus futuri principis, sive alterius cujuslibet illustris personæ, in quo delicietur; si autem male, corpus intrabit miseri pauperisque, in quo tribuletur. Credidit stultus sicut & cæteri Albigenses, quod anima secundum meritum pertranseat corpora, etiam animalium atque serpentium. Apollonius: Fœda hæresis. Cæsarius: In tantum Albigensium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usq; ad mille civitates. &, si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto quod totam Europam corrupisset. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo, prædicata est contra Albigenses in tota Alemania & Francia Crux, & ascenderunt contra eos anno sequenti de Alemania Leopoldus Dux Austriæ, Adolphus Comes de Monte, Wilhelmus Comes Juliacensis, & alij multi diversæ conditionis atque dignitatis. Simile factum est in Francia, Normania, atque Pictavia. Horum omnium Prædicator & caput erat Arnoldus Abbas Cisterciensis, postea Archiepiscopus Narbonensis. Veniens ad civitatem magnam, quæ Biders vocatur, in qua plusquam centum millia hominum fuisse dicebantur, obsederunt illam. In quorum aspectu hæretici super volumen sacri Evangelij mingentes, de muro illud contra Christianos projecerũt, & sagittis post illud missis clamaverunt: Ecce lex vestra miseri. Christus vero Evangelij sator, injuriam sibi illatam non reliquit inultam. Nam quidam satellites zelo Dei accensi, Leonibus similes, exemplo illorum, de quibus legitur in libro Macabæorum, scalis appositis muros intrepide ascenderunt, hæreticisque divinitus territis & declinantibus, sequentibus portas aperientes, civitatem obtinuerunt. Cognoscentes ex confessionibus illorum Catholicos cum hæreticis esse permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus Domine? non possumus discernere inter bonos viros & malos. Timens tam Abbas, quam reliqui, ne tantum timore mortis se Catholicos simularent, & post illorum abscessum iterum ad perfidiam rediremt, fertur dixisse: Cædite eos, *novit*

Gen. 2.

1. Mach. 5.

Arnaldi Cisterciensis dictum.

enim Dominus qui sunt ejus. Sicque innumerabiles A occisi sunt in civitate illa.

Villa est Carnotensis.

De Almarico de Bena.

De hoc hæretico agunt Vincentius Beluacensis in speculo historiali lib. 27. nec non Rigordus in gestis Philippi Augusti eadem de eo referentes ac fere similibus verbis, ut ex collatione utriusque deprehendimus. Dabimus eorum verba in secundo tomo, cum de eodem tractandi iterum se dabit occasio. Interim hi sunt ejus errores qui communiter referuntur ex Prateolo in vitis hæreticorum. Inter quos ille fuit periculosior & qui plures ad se attrahebat, quod diceret opus aliquod ex sua natura peccaminosum, si fieret in charitate, non esse peccatum. Perversi enim homines facile sibi imaginantur se ob amorem Dei facere & ob amorem proximi ea etiam quæ sunt contra præcepta divina, ut est fornicatio aut peccatum carnale, quasi dilectio non esset plenitudo legis, aut posset quis Deum amare cum ipsi displiceat, ejusque honorem violet trangressione mandatorum ipsius. Vidimus & etiam discussimus lites contra aliquos hujus farinæ sectarios, qui Almarici hunc errorem, ut sunt innumeræ dæmonis technæ, renovare nitebantur, variis artibus ac prætextibus Religionis, qui diuturno carcere, in quo etiam unus usque ad mortem damnatus fuit & obiit pœnitens, pœnas luerunt. Cum enim natura prona sit ad hujusmodi peccatum, tentata ac corrupta perversitate doctrinæ quid faciet? excusabat unus illorum Davidem in adulterio cum Bersabee, quia, inquiebat, etsi oculum sinistrum ad carnem haberet, dextrum tamen ad Deum direxerat. Pœnitet me in istis immorari.

Dogma periculosum.

B

INSANIÆ AMALRICI.

1. Dicebat, corpus Christi non aliter esse in pane Altaris, quam in alio pane, & in qualibet alia re, nec substantiationem denegans.

2. Deum sic locutum esse in Ovidio, sicut in Augustino.

3. Negabat etiam resurrectionem corporum, paradisum similiter, & infernum: sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in se paradisum, qui contra peccatum mortale haberet, eumdem infernum habere in se, non aliter quam dentem putrem in ore.

4. Altaria Sanctis dicata, & imagines turificasse, Sanctorumque invocationes, idololatriam esse asserebat.

5. Non solum cum Armenis, Adam & Evam numquam carnali copula jungendos, si in statu illo, in quo Deus illos condidit permansissent; verum etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem æque atque Angelorum futuram affirmabat: contra illud quod in Genesi scribitur: *Creavit Dominus hominem ad imaginem, & similitudinem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam fecit eos.*

6. Asserebat rursus, Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aëre.

7. Item illud, quod alias est peccatum mortale, factum in charitate, non esse peccatum, impunitatem peccatorum promittens.

8. Affirmabat denique, ideas, quæ sunt in mente divina, & creare & creari posse: cum contra, teste Augustino, in mente divina nil nisi æternum & incommutabile sit.

9. Somniabat quoque, mentem contemplativi vel Beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente divina.

10. Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum converti, ut sint unum individuum cum ipso. Unde per consequens, in resurrectione duplicem sexum fore negabat.

Hæc, & plura alia insana cum insaniret, multosque sequacium errore suo imbueret, ab Episcoporum & Theologorum Parisiensium Concilio convictus, ex mœrore animi interiit. Multi complices Senatus Consulto damnati, & coram universo populo exauctorati, deinde flammis exusti, eorumque cineres per sterquilinium dispersi sunt. Tradunt autem, quod cum illi ad supplicium ducerentur, tanta sit oborta aëris inclementia & intemperies, ut nemo dubitaret, quin ab ais aër fuisset concitatus, à quibus tantus terror morientibus fuerat persuasus. Nam dicuntur tunc tam obstinata mente fuisse, ut non solum ad interrogata nullum darent responsum, sed nec in eis in ipso mortis articulo ullum pœnitentiæ, aut sanæ mentis, & resipiscentiæ perpendi potuisse indicium. Amalricus à Generali Concilio Lateranensi ea potissimum de causa celebrato, hæreseos damnatus, & anathemati subjectus, postea jussu Philippi Gallorum Regis exhumatus exustusque est. De Abbate Joachim, quem etiam volunt aliquo prophetiæ dono insignitum, jam egimus in controversis præcedentis Concilij.

De Confessione Paschali facta privilegiatis.

Ex decreto vigesimo-primo hujus Concilij *omnis utriusque sexus*, quo jubentur Parrochiani semel in anno confiteri proprio Sacerdoti, infert scriptor quidam & asserit obligationem Parrochianorum ad suscipienda sacramenta à solo proprio Curato, itaut ab alio non possint suscipi licite, esse de jure divino: itaut per hæc excludantur privilegia Regularium, unde cogitur consequenter asserere, non esse in potestate summi Pontificis aut Ordinarij licentiam concedere parochianis alicujus Curati, ut à Regularibus aut aliis Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ licite recipiant, cum obligatio juris divini sit immutabilis, nec possit relaxari per potestatem summi Pontificis aut Episcoporum. Hoc autem asserere quibusdam videtur esse erroneum, summo Pontifici ac Episcopis injuriosum, & renovare opiniones damnatas libelli detestabilis ab Alexandro IV. summo Pontifice damnati ac ejus jussu combusti, necnon confirmare opinionem Joannis de Poliaco qui asserebat confessos fratribus iterum teneri proprio Curato eadem peccata confiteri, stante decreto, omnis utriusq; sexus, hoc enim verum erit si illicite sunt atque ideo irritæ confessiones aliis factæ, ipsis non consentientibus.

C

D

Quod autem talis propositio sustineri non debeat, probatur ex authoritate quam habet summus Pontifex in omnes & singulos Christianos. Siquidem illi dictum est in persona D. Petri Joan. 21. *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Et in Concilio Florentino sic habetur; Definimus Rom. Pontificem in universum orbem tenere principatum, & esse verum Christi vicarium totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum patrem & Doctorem, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur. Atqui Papa habet talem potestatem, potest ergo ubique locorum ipsemet confessiones audire ac alios idoneos vice sui committere ad eas audiendas. Quod eodem modo existimandum est de Episcopis respectu suorum subditorum per totam Diœcesim: unde opponit se eorum potestati, qui hoc solis Curatis competere posse defendunt.

E

Guilielmus de Sancto amore.

2. Hæc doctrina eadem est cum illa quam alias docere intendebat Guilielmus de Sancto amore Canonicus Beluacensis ac Doctor Parisiensis in libello inscripto De periculis novissimorum temporum, cujus initium erat, *Ecce videntes clamabunt foris.* Quatuor enim continebantur in illo libro propter quæ

damnatus

damnatus est & combustus, ejusque defensores excommunicati & privati beneficiis, nisi resipiscerent. Sic enim legimus de contentis in illo libro in epistola Alexandri IV. ad Ludovicum IX. Regem Galliæ, & ad universos Ecclesiæ Gallicanæ Prælatos apud Wadingum in Annalibus Minorum tom. 2. ad annum 1256. ubi loquens de illo Guilielmo & ejus sequacibus: Fuderunt, inquit, iniquum virus & contra eos (regulares ex ordine Prædicatorum & Minorum) in scholis, predicationibus & alibi asseverare præsumpserunt quod in statu & via salvandorum non erant, nec meritoria nec salutifera eorum mendicitas existebat, &c. quodque de licentia vel commissione Romani Pontificis seu Diœcesanorum Episcoporum prædicationis exercere officium & Confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus Parrochialibus præjudicium inferrent, ad alia nihilominus prava & iniqua in detractionem eorum & suorum ordinum derogationem ora maliloqua relaxando. Atque ubi se eos errores damnare asserunt, subjungit postea: Venerabilibus fratribus nostris Turonen. ac Rothomagens. Archiepiscopis ac Episcopo Parisiensi, damus nostris literis in virtute obedientiæ firmiter in præceptis, ut omnes Magistros, Doctores & alios, qui sive in scholis, sive in prædicationibus, seu alibi præmissa dicere attentarunt, ex parte nostra monere procurent, ut infra certum terminum ab ipsis Archiepiscopis & Episcopo præfigendum eisdem, dictum finem in suis publice revocent, male se dixisse fatentes, illaque deretentur penitus & retractent, asseverando constanter contrarium & illud etiam fideliter prædicando. Quod si non fecerint ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis & perpetuæ privationis beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sententias fulmen cujuslibet appellationis obstaculo, efficaciter procedere non omittant. Laicos de hoc culpabiles vel fautores hujusmodi præsumptorum, animadversione debita percellentes. Idcoque Celsitudinem tuam affectuose requirimus & rogamus quatenus prædictis Archiepiscopis & Episcopo, cum ab eis requisitus fuetis, tuum favorem & auxilium magnifice largiaris.

Hæ porro literæ effectu non caruerunt, nam inter cæteros Christianus Belvacensis Canonicus & Odo Duacensis videntes durum esse contra stimulum calcitrare, laramque esse in se exilij vel carceris sententiam, satius judicarunt coram Pontifice comparere, semet excusare, dicta revocare, quam frustra reniti. Habeturque actus apud eumdem Wadingum, in quo præfatos errores revocant, ac articulos iis oppositos bona fide ac sine fraude se prædicaturos promittunt, cum reprobatione prædicti libelli nuper à summo Pontifice damnati. Quod actum Anagniæ in Palatio Domini Papæ 5. die Octobris ejusdem anni.

Disput. circa privilegia audiendi confessiones.

Sed nec omittendum quod etiam habet Spondanus ad annum 1255. num. 9. in disputatione habita Anagniæ coram summo Pontifice inter Guilielm. de Sancto amore & viros Doctos Ordinum Prædicatorum ac Minorum, cum ei interesset Bertrandus Bajona Minor, cujus oculi distorti erant, scientia tamen illustris & acutum ingenium, qui omnia argumenta prædicti Guilielmi faciliter repetebat ac dissolvebat, hærentem ac stupentem Guilielmum cui homo notus non erat, ei dixisse. *Vel tuus Angelus è cælo, vel dæmon ex inferno, vel Strabo de Baiona*: Respondisse autem Bertrandum: Neque Angelus, neque dæmon, sed Strabo sum de Baiona. Sub quo nempe nomine valde celebris erat in populo antequam Ordini initiaretur. Earumdem disputationum meminit Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus cap. 10. Refertque prædictum librum Romæ, & Parisiis coram universitatis multitudine copiosa combustum fuisse, ac multos magnos viros contra illum scripsisse, licet taceat de D. Thoma qui copiosius illum refutavit opusculo 19. cujus initium est ex Psalm. 82. *Ecce inimici tui fonuerunt & qui oderunt te extulerunt caput.* Verba

Liber de periculis novissimorum temporum damnatur.

verbis, ac scripturam scripturæ opponens. Refert quoque Bzovius sententiam quam protulit summus Pontifex in prædictum librum, illo prius examinato ac discusso per quatuor Cardinales. Nos libellum qui sic incipit, *ecce videntes clamabunt foris*, tanquam iniquum, scelestum & execrabilem & instructiones ac documenta in eo tradita utpote prava, falsa & nefaria de fratrum nostrorum consilio, authoritate Apostolica reprobamus & in perpetuum condemnamus; districte præcipientes, ut quicumque libellum istum habuerit, eum infra dies octo, ex quo condemnationem nostram sciverit, prorsus in toto & in qualibet sui parte, comburere & abolere procuret. In illos qui nostri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus. Datum Anagn. 3. nonas Octobris Pontific. nostri anno 2.

Albertus magnus in 4. Sent. dist. 17. in articulis 40. 41. 42. 43 44. & 45. multa cum moderatione difficultatem istam tractat, omniaque aut saltem præcipua motiva ex unaquaq; parte proponit: sicq; eam resolvit art. 44. respondeo sine præjudicio quod si privilegium audiendi confessiones per modum supra dictum daretur alicui: sicut datum est privilegium audiendi eos quos movent aliqui verbo prædicationis: firmissime credendum est quod propter nimiam sacerdotum negligentiam hoc summus Pontifex dedit: quia peccatis nostris crescentibus in fine sæculi, etiam perpauci inveniuntur sacerdotes qui veri sunt pastores, sed potius vicarij conducti vili pretio: & quod abominabilius est nec sunt perpetuati in multis terris, sed conducti ad annum vel etiam ad dimidium vel mensem. Et hæc omnia scio quia vidi: itaut videatur impleri illud Ezechielis 13. pro fragmento panis pro pugillo hordei corrumpebant me & meum populum. & ideò satis necessarij sunt qui vita & scientia populum audiant & absolvant: tamen propter officium pastorale & reverentiam sacerdotum, & quia non est detrahendum eis coram subditis, videtur quod absolvens privilegiatus deberet injungere confesso sibi, quatinus ad minus in generali ostendat se proprio sacerdoti si Pastor est, vel etiam perpetuus Vicarius. Si autem conductus est ad tempus, tunc videtur quod non oportet. Quod extendit ad pœnitentiarium Episcopi. Etiamsi confiteatur pœnitentiario superioris, adhuc utile est, ne pœnitentiarius dissolvat ordinem Ecclesiæ & officij sacerdotum ad populum, & in aliquo remittat eum ad proprium sacerdotem. Et crederem gravitet peccare pœnitentiarium, qui hoc non faceret &c. Ubi Albertus Magister magnorum Theologorum tangit originem privilegiorum, servatque multam reverentiam ad curatos. Ostendit quoque in his verbis initio privilegia audiendi confessiones laicorum non ita fuisse extensa ab initio ad audiendos indiscriminatim omnes laicos: sed illos dumtaxat qui verbo prædicationis ipsorum ad pœnitentiam movebantur: quapropter in Epistola ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ecclesiæ prælatos in registo Annalium Lucæ Wadingui tomo 1. Innocentius Papa III. mandat ipsis, ne impediant quominus accedentes ad ipsorum prædicationem possint ipsorum fratribus confiteri. Sed cum tempore creverunt privilegia. Unde qui Albertum secuti sunt istis limitibus sese non continuerunt, etsi ipsius discipuli extitissent.

Alberti magni opinio modesta.

Unde D. Thomas in Opusculo citato, has inducit probatque conclusiones.

1. Quod Episcopus in Parrochia Sacerdoti commissa plenam habet potestatem, tum quia ex jure 16. quæstion. 1. *Cunctis fidelibus* Sacerdotes in Parrochiis nihil possunt agere sine licentia Episcopi. Tum quia super illud 1. ad Corinth. 2. *In omni locorum ipsorum & nostro*, dicit glossa. 1. mihi primitus commisso, & loquitur de suffraganeis. 1. de Parrochiis subjectis Ecclesiæ Corinthi. Tum quia Parrochianus quisque magis tenetur obedire Episcopo quam Presbytero, sicut majori potestati magis est obediendum, sicut Imperat-

tori, quam proconſuli. Tum quia Sacerdotes ſunt adjutores Epiſcoporum, ſicut dicitur in ordinatione Sacerdotum. Sed ille cui datur aliquis adjutor, non ex hoc amittit poteſtatem operandi cum ſibi vacaverit, imo ipſe eſt principalis operans & adjutor eſt agens ſecundarius: ergo Epiſcopi poſſunt omnia agere quæ ad curam plebis pertinent, irrequiſito Sacerdote, &c. Quod intelligendum ſpectato ſolo jure divino.

2. Quod aliqui ex commiſſione Epiſcoporum poſſunt audire confeſſiones in Parrochiis Sacerdotum. Probat ex cap. *inter cætera* extra. de officio Judicis ordinarii. Item ex illo 1. Cor. 4. *Miſi ad vos Timotheum, &c.* Quia Apoſtoli conſtitutis Sacerdotibus in variis locis, alios inſuper mittebant ad prædicandum & exercenda ea quæ ad ſalutem animarum pertinebant; tum quia quæ ſunt Juriſdictionis committi poſſunt. Item eſt conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, &c.

2. Quod ſaluti animarum expediat aliis quam Sacerdotibus Parrochialibus prædicationem committi & alia quæ ad ſalutem pertinent animarum. Tum per illud Matth 9. *Meſſis quidē multa, operarii autem pauci: rogate ergo Dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Tum propter multitudinem plebis, quæ uni Sacerdoti non poteſt confiteri. Tum propter infirmitatem quorumdam, qui à confeſſione deſiſterent ex verecundiâ ſi non poſſent aliis confiteri. Et hanc ipſam quæſtionem Auguſtinus de Ancona in ſumma de Eccleſiaſtica poteſtate quæſt. 19. art. 5. reſoluit in hunc mundum.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim quòd Papa non poſſit immediatè in qualibet Diœceſi vel Parrochiâ, quod poteſt Epiſcopus vel Sacerdos: quia quādo Epiſcopus committit curam Presbytero alicujus Parrochiæ, exonerat ſe tunc à cura illius Parrochiæ, ut nihil ulteriùs ſe habeat ibi intromittere; aliter grave onus remaneret ſub Epiſcopo, niſi cura remaneret ſuper Sacerdote, cui committitur cura. Unde ſcribitur 3. Reg. 20. *Cuſtodi virum iſtum, quod ſi lapſus fuerit, anima tua pro animâ illius.* Ergo ſimiliter quando Papa committit Epiſcopatum alteri, exonerat ſe à cura illius Epiſcopatus, ut nihil ulteriùs habeat ſe intromittere; aliter magnum periculum & importabile onus acciperet, totius multitudinis curam aſſumens.

Præterea ſicut ſubditur Epiſcopus Archiepiſcopo, ſic Presbyter ſubditur Epiſcopo: ſed Archiepiſcopus nihil poteſt ſupra illos qui ſubduntur Epiſcopis: unde ſcribitur 9. quæſt. 3. *Archiepiſcopi nihil de Epiſcoporū cauſis, aut aliis communibus aſſumant ſine eorum conſenſu:* Ergo ſimiliter Epiſcopi non poſſunt aliud de his, quæ pertinent ad Presbyteros, & per conſequens nec Papa poteſt de his, quæ pertinent ad Archiepiſcopos, vel Epiſcopos vel Presbyteros. *Auguſtinus de Ancona.*

Præterea ſcribitur Act. 15. quod Jacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus præſente Petro dedit ſententiam in ſuâ Diœceſi de obſervatione legalium, dicendo: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine ſuffocato, & fornicatione.* Quod non feciſſet, ſi Petrus potuiſſet in ſuâ Diœceſi, quod ipſe poterat.

In contrarium eſt, quia ordo qui ſervatur in poteſtatibus temporalibus, multo fortiùs ſervandus eſt in poteſtatibus ſpiritualibus: ſed gloſſa ſuper illo verbo Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt*; ſic dicit, quia poteſtati majori magis eſt obediendum quàm minori, ſicut proconſuli magis quàm procuratori, & Imperatori magis quàm proconſuli; ſimiliter magis obediendum eſt Papæ quàm Epiſcopo, & Epiſcopo magis quam Presbytero.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dicit Gloſſa Luc 10. *Papa tenet locum Petri in Eccleſia, Epiſcopi vero locum Apoſtolorum, Presbyteri vero locum 72. Diſcipulorum.* Abſurdum autem videtur, quod Petrus non potuiſſet ſoluere & ligare ſine authoritate Apoſtolorum vel diſcipulorum, etiam in provinciis & parochiis eis deputatis, cùm ſingulariter Petro fuit dictum: *Dabo tibi claves*, & ipſi nonniſi per uſum clavium poteſtatē ligandi & ſolvendi haberent. Eodem modo abſurdum eſt dicere, quòd Papa non poſſit ſolvere & ligare in diœceſi cujuſlibet Epiſcopi & parochia cujuſlibet Presbyteri, vel abſolutionem & ligationem committere quibus placet. Poteſt etiam in provinciis & parochiis eis deputatis omnia facere per ipſum vel per commiſſionem, quod ipſi Epiſcopi vel Presbyteri facere poſſunt, & adhuc amplius.

Ad primum ergo dicendum quòd falſum aſſumitur, eo quòd commiſsâ parochiâ Presbytero, adhuc totius plebis cura remanet in poteſtate Epiſcopi, ſcribitur enim, 10 q. 1. *Quæcumquè res Eccleſiaſtica ſunt, convenit cum omni diligentia & bona fide quæ Deo debetur, ſub judicio & poteſtate Epiſcopi gubernari & diſpenſari, cui totius plebis anima videntur eſſe commiſſæ.* Et Apoſtolus 2. Corinth. 11. Poſtquam curam Corinthiorū cōmiſerat Apollo, dixit: *Præter illa quæ intrinſecus ſunt inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omniū Eccleſiarum.* Nec tamen Epiſcopus aſſumit grave periculū & importabile onus, quia Presbyteros tanquā inferioris ordinis aſſumit coadjutores. Unde quando eos ordinat dicit: *Quanto fragiliores ſumus, tanto his magis omnibus indigemus*; Per quorum auxilium exuitur à periculo & oneratione, ſed non à poteſtate & juriſdictione.

Ad ſecundum eſt dicendū quòd non eſt ſimile, quia Presbyterum ſubjici Epiſcopo de jure naturali eſt & divino, cùm naturaliter omne imperfectum ſubdatur perfecto; unde naturaliter Epiſcopus immediatam juriſdictionem habet in parochiâ Presbyteri, cùm poſſit ipſum coram ſe vocare & excommunicare: ſimiliter Papa in quolibet Epiſcopatu vel in qualibet parochiâ: ſed Epiſcopum ſubdi Archiepiſcopo eſt de jure poſitivo ex inſtitutione Eccleſiæ, unde non habet immediatam juriſdictionem Archiepiſcopus in Epiſcopos ſuffraganeos ſuos & ſubditos eorum, niſi in illis in quibus Eccleſia ſtatuit.

Ad tertium eſt dicendum quòd Jacobus protulit ſententiam authoritate Petri: quia ut ibi dicit Gloſſa, *Conventus faciendus eſt Epiſcoporum, ad diſcernendū ea quæ ſunt fidei.* Hoc tamen non eſt niſi authoritate Papæ, ſicut tunc conventus Apoſtolorum eſt factus ſuper obſervatione legalium authoritate Petri.

Confirmat Durandus in 4. diſt. 17. q. 1. Epiſcopos, inquit, de omnibus caſibus ſuæ diœceſis poteſt ſe intromittere, &c. præter poteſtatem ordinis quam recipit in ſua cōſecratione, habet poteſtatem juriſdictionis in toto Epiſcopatu ſuo & ſuper omnes ſubditos ſacerdotis parochialis. Ergo poteſt audire confeſſiones omnium ſubditorum in Epiſcopatu ſuo. Imo plus pro utilitate ſubditorum poteſt prohibere ſacerdotem parochialem à confeſſionibus audiendis: nec mirum quia poteſt etiam prohibere ipſum ne baptizet, ſicut habetur expreſsè 16 q. 1 can. cunctis. Addit tale audiendi confeſſiones officiū poſſe cōmittere Epiſcopum. Primo quia quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ poſſunt cōmitti aliis, ſicut expreſsè habetur extra de officio ordinarii c. *His quibus*. Secundò quia *extra* de officio ordinariorum cap. *inter cætera jura*, datur Epiſcopis ut in cathedralibus Eccleſiis & cæteris collegiis aſſumant ſibi viros idoneos coadjutores in officio prædicationis & audienria confeſſionum. Poſſunt autem committere non ſolum ſacerdotibus ſæcularibus ſed etiam religioſis, & noviſſimè Joannes Papa XXII. vocato Magiſtro Joanne de Poliaco ſacræ Theologiæ Doctore, qui aſſerebat quod confeſſi fratribus Prædicatoribus & Minoribus tenentur eadem peccata propriis Curatis parochialibus iterum confiteri, & data ſibi audientia in conſiſtorio, cùm neſciret reſpondere rationibus contra eum factis, compulit eum revocare prædictam opinionem & damnavit eam ac reprobavit de conſilio fratrum, & confirmatur per generalem conſuetudinem Eccleſiæ. *Duran. di ſententia.*

quæ eſt maximæ authoritatis. Papa enim habet Pœnitentiarios qui pro nunc ſunt omnes religioſi. Epiſcopi verò habent Pœnitentiarios tam ſæculares quàm religioſos, qui abſolvunt omnes ad ſe venientes ſine licentia ſacerdotum Parochialium, non ſolùm de majoribus retentis à Papa vel Epiſcopis, ſed de omnibus quæcunque voluerint confiteri: Dicere autem quod hæc generalis conſuetudo per univerſum mundum obtenta, & per Papam & Prælatos Eccleſiæ approbata, ſit perniciosa, & in periculum urgens animarum, eſt quaſi ſacrilegium.

Dixerat antea: In hac quæſtione non eſt differentia inter audientes confeſſionem ex commiſſione Epiſcopi & privilegio Papæ & in privilegio includitur commiſſio, & ſi qua eſſet, minus deberet eſſe dubium de habentibus privilegium Papæ, quam de habentibus ſimplicem cõmiſſionem Epiſc. quia Papa poteſt diſpenſare in ſtatuto juris poſitivi, cùm ipſe ſit juris conditor.

Porro D. Bonav. in 4. diſt. 17. p. 3. art. 1. q. 2. idem aſſerit & communiter Theologi omnes melioris notæ.

Quod autem quidam objiciebant ſic poſſe contingere ut nullus Curatis confiteretur, quia poſſunt omnes ire ad fratres, ſolvebat Heruæus Britto Doctor Pariſ. ex fratre Laïco in Ordine D. Dominici, Magiſter Generalis totius Ordinis, in lib. *De poteſtate Papæ*: Dicendum quod licet omnes ire ad fratres pro confeſſione, ſit poſſibile, accipiendo poſſibile per oppoſitum ad impoſſibile quod includit repugnantiam terminorum, tamen omnes ire ad fratres non eſt poſſibile quod natum eſt eſſe ſecundùm curſum communem, qui eſt in Eccleſia propter quatuor. Primum eſt multitudo populi quia in pluribus aut ſaltem multis accidit, quod curatus non ſufficeret ſine pluribus adjutoribus. Secundum eſt propter tarditatem populi, qui expectant communiter ad confitendum uſque ad ramos palmarum, ita ut vix poſſint audiri etiamſi eſſent 11. & 12. auditores. Tertium eſt propter diverſam inclinationem populi ad diverſas conditiones confeſſorum. Quia quidam volunt habere illos qui ſunt ſtrictæ conſcientiæ in pœnitentiis: alii volunt habere illos qui faciunt, ait, bonum forum. Quartum propter moderamen quod conſuevit poni in talibus licentiis, quod ſcilicet debent exponi electi fratres & in tali numero qui debent ſufficere ſecundùm multitudinem cleri & populi.

Heruæus Britto.

Alii dubium ingerunt ex eo quod Curati ſunt de jure divino & inſtituti à Chriſto ſecundùm doctrinam communiter receptam in Facultate Pariſienſi, apud Gerſonium ſermone contra bullam Mendicantium: unde inferunt non poſſe Parochianos iis nolentibus aliis Sacerdotibus ſubjici. Reſpondetur Curatos eſſe immediatè à Chriſto, non immediatione ſuppoſiti ſed virtutis. Habent enim poteſtatem ſuam in plebem per aliquod medium quod eſt Papa vel Epiſcopus, ita Chriſto id inſtituente. Deinde quamvis ſtatus Curatorum ſit de jure divino nec poſſit in totum deſtrui ab alia poteſtate ſuperiori, quia ſemper neceſſe erit eſſe aliquos Presbyteros qui ſub Epiſcopis ſalutem curent animarum, aliqua tamen ſunt in illo ſtatu quæ ſunt de jure humano, ut inter cætera ſingularitas curati, perpetuitas illius & extenſio juriſdictionis ad hos aut illos populos. Nam poſſunt poni duo curati in una Parochia, ut de facto in multis Parochiis inveniuntur, & unus eorum poſſet eſſe regularis. Poſſunt etiam poni ad determinatum tempus, triennium aut ſexennium, ut eſt in aliquibus Diœceſibus, in quibus Epiſcopi mutant mittuntque curatos de loco ad locum. Poteſt quoque eorum juriſdictio modo dilatari, modo coarctari, ut ex unione & ſeparatione beneficiorũ conſtat. Quin etiam circa ſacramenta non eſt æqualis omnium curatorum poteſtas, cum quibuſdam nihil liceat ordinariè circa Baptiſmum, quibuſdam circa Extremam-Unctionem pro diverſitate locorum, hæc enim limitat Eccleſia abſque violatione juris divini.

Curatorum juriſdictio unde & qualis?

Unde Facultas Pariſ. an 1419 Joanni Sarrazin Ord. Prædicatorum inter alias propoſitiones, quibus ordinavit eum ſubſcribere, hæc erat prima, *Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, alia à Papali poteſtate ſunt ab ipſo Chriſto, quantum ad inſtitutionem & collationem primariam, a Papa autem & ab Eccleſia quantum ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.* per quod patet diſcrimen inter Papam ac Prælatos alios ſeu Epiſcopos ſeu curatos, quod Papa immediatè immediatione ſuppoſiti recipit à Chriſto juriſdictionem ſive limitationem locorum, perſonarum aut caſuum, alii verò à Papa aut Eccleſia juriſdictionem recipiunt cum limitatione ad talem locum, perſonas & caſus. Porrò Papa concedendo tales limites juriſdictionis non privat ſe propterea jure ſuo ſuper univerſos & ſingulos fideles. Ita Rex qui committit judices ex ordinatione divina ad exercenda judicia, non privat ſe jure ad judicandum per ſe vel per alios, ſi expedire judicaverit, & qui ita judicatus eſt per alios non tenetur iterum ſubire judicium proprij judicis, qui etiam liber erit in conſcientia de injuſtitia indicij, ſi quæ intervenerit: ſicut etiam curatus liber erit coram Deo, ſi quid (quod Deus avertat) non benè geſtum ſit in iudicio & pœnitentia ſubditorum ſuo regimini cum Epiſcopo & Papa, disjunctivè tamen quoad hanc rem ſpectat, commiſſorum. Quod non eſt modicum ſolamen de propria ſalute ſolicitis Paſtoribus.

Ratio verò hujus doctrinæ in hoc eſt, quod ſanctuarium Dei hæreditate non poſſideatur, aut jure conſanguinitatis, ac ſi rex inſtitueretur aliquis cum futura ſucceſſione, nunc enim acquireretur jus regni hæredibus ex tali inſtitutione ſine nova collatione juriſdictionis: non ſic inſtituti ſunt Apoſtoli & 70. diſcipuli: ideo cum in eorum locum ſubſtituuntur Epiſcopi & Curati, indigent nova collatione juriſdictionis per Papam, qui *virtualiter* totam Eccleſiam repræſentat, eoſque vocat in partem ſolicitudinis, ideò ſcriptum eſt Pſal. 18. *Pro patribus nati ſunt tibi filii conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Quæ de Eccleſia intelliguntur, quæ totam terram diſtribuit paſtoribus, unicuique partem ſuam: nam illud quod Papa facit etiam Eccleſia dicitur facere, tanquam ipſius caput univerſale. Ex quibus patere poteſt inſtitutionem illam curatorum de jure Divino, non obſtare quin Papa vel Epiſcopus (ſemotâ obligatione contractuum aliorum) poſſint audire confeſſiones aut ad eas delegare. Etſi in hoc poſſit intervenire exceſſus & peccatum, ſi indebitè fiat præter decorum, maximè in clero numeroſo omnique virtute ac ſcientia exculto, ad quem pertinet Parrochiarum adminiſtratio.

Papæ juriſdictio à quo eſt?

Urgent eſſe obligationem reciprocam inter curatum & Parochianum, ut quemadmodum tenetur curatus adminiſtrare res ſacras Parrochiano, ſic ille ab eo teneatur eas ſuſcipere. Reſp. cum præceptum iſtud ſit affirmativum, non obligare pro ſemper, ut ajunt, ſed in neceſſitate. Deinde obligatio Parrochiani eſt ad Papam, Epiſcopum & curatum, non conjunctim ſemper, ſed diſjunctivè: unde non eſt obligatio ad ſolum curatum, & Gerſon tomo 3. de Concilijs Evangelicis & ſtatu perfectionis, unde petita eſt iſta objectio, docet mutuam naturalem & divinam eſſe obligationem inter curatos & Parrochianos, quam generaliter Papa non poteſt ab omnibus tollere, quod etiam extendit ad poteſtatem abſolvendi, nequaquam tamen obligationem illam limitat erga ſolos curatos. Scilicet diſjunctiva verificatur, quacumque ejus parte exiſtente vera. Nec deſinit curatus eſſe curatus etſi ſubditum non abſolvat, quia curatum non eſſe, dicit magis jus & poteſtatem curandi quam uſum actualem.

Inſtant ſaltem ex præſenti decreto Concilij Lateranenſis obligari fideles omnes ad confitendum curato vel alteri ex ejus licentia tempore paſchatis. Reſpondetur etſi verius ſit Concilium per proprium Sacerdotem intellexiſſe curatum, ut diximus 3. parte examinis pœnitentium quæſito 67. edit 3. non deputatos alios à Papa vel Epiſcopo, ut patet ex eo quod cum

Proprius Curatus quis?

ejus licentia possit absolvi Parrochianus ab alieno Sacerdote. Quod non posset ex licentia deputatorum, cum delegatus non possit delegare. Attamen Concilium non determinat præcisè tempus Paschale pro confessionis annuæ obligatione, advertit autem Alphonsus à Castro lib. 1. de potestate legis pœnalis c 9, legis publicationem necessariam esse ut illa obligare possit. At quod illa, inquit, verbis suis non exprimit, idem est ac si in mente Legislatoris mansillet & non fuisset verbo aut scripto publicatum. Unde ex obligatione præcisa hujus Concilii tenetur Parochianus semel confiteri in anno proprio Parocho ac in Paschate, si per anni curriculum hunc obligationi non satisfeciset. Quod si satisfecerit antea obligationi hujus decreti non videtur ex vi illius obligatus, quidquid sit interim de obligatione nascente ex aliis decretis. Unde distinguendum est tam inter proprium Sacerdotem Concilii Lateranensis quam inter proprium Sacerdotem latius sumpto nomine proprii Sacerdotis qui tripliciter sumitur, ut docet D. Bonaventura in 4. dist. 17 p. 3. art. 1. q. 2. communissimè pro eo qui potest absolvere vel ex propria authoritate vel ex delegatione, communiter pro eo qui potest absolvere ex propria authoritate vel officio tanquam prælatus ordinarius, ut Episcopus & Sacerdos Parochianus, & propriè pro solo curato. Distinguendum rursus inter obligationem ad confitendum semel in anno & confitendum tempore Paschali, nam rejecta aut non observata illa distinctione, male intelliguntur & allegantur bullæ Benedicti XI. Martini IV. Innocentii VIII. & decretum facultatis Parisiensis anni 1400. Ubi de ista propositione. Parochianus confessus fratribus satisfecit decretali omnis utriusque sexus *de pœnit. & remiss.* nec tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam; sic censuit facultas. *Hæc propositio ut jacet, est scandalosa & juri communi contraria, & pro subditorum ad Prælatos debita obedientia & reverentia observantia publicè revocanda.* Nec enim in propositione damnata expressum erat tempus Paschale. Distinguendum tertio inter obligationem ortam præcisè ex decreto Lateranensi & eo stante, ut locuti sunt quidam ex obligatione orta ex aliis decretis quæ subsecuta sunt variis temporibus propter exortas tempestates & dissidia inter curatos & regulares, occasione hujus decreti. Nisi enim ista omnia diligenter observentur, multi per obscuras & indiscussas disputationes digladiantur, cum modico fructu & cum multo scandalo. Quæ dissidia crescunt quotidie ex nimia æstimatione quorumdam Conciliorum non approbatorum à Summo Pontifice, aut ex mala interpretatione Concilii Tridentini Sess. 24. c. 13. de reformatione, ubi decernit distinctionem populi in certas propriasque Parochias non-obstantibus quibuscunque privilegiis, ut ab assignato proprio Parocho eoque solo licitè sacramenta suscipiat. Quis enim statim non intelligat ex terminis solum ibi excludere tantum alienum Parochum, & privilegia non posse impedire distinctionem populi in certas Parochias?

Proprius Sacerdos.

Decretũ facultatis Parisiensis.

Ioannes de Annesis.

Afferunt quidam sententiam Theologi cujusdam, Ioannis de Annosis qui anno 1327. fervente contentione his de rebus, orationem seu declamationem habuit quandam publicè in universitate Parisiensi coram magna multitudine, quæ etiam dicenti applausit, in qua inter cætera hæc habet. Proprius sacerdos dicitur propriè quando dicit convertentiam. Hoc modo Papa est proprius Sacerdos omnium quantum ad casus sibi reservatos, quia per se vel per alium tenetur illorum confessiones audire & è contrario illi tenentur ei confiteri. Sed quantum ad alios casus & alia sacramenta non tenentur eis nec è contrario. Sic dicendum de Episcopo, qui quia est proprius Sacerdos omnium suæ Diœcesis quantum ad casus sibi reservatos & quantũ ad duo Sacramenta, quæ sunt confirmatio & Ordo, in aliis autẽ non est proprius Sacerdos. Curatus verò quãtum ad omnia alia peccata & sacramenta est proprius Sacerdos, quia obligatur ad illa. Adventitij verò in nullo sunt proprii Sacerdotes penitus, quia in nullo tenentur subditis nec è contrario, & in nullo pro talibus sunt onerati, nec de eis sibi aliqua cura committitur.

Licuit hunc tractatum per transennam ac carptim legere in Biblioteca Choletæa manuscriptum, & in compactura quibusdam aliorum opusculis subjunctũ.

Exorditur Author ab hac sententia. *Obedite præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* ad Hebr. 13.

Continet liber iste quatuor articulos. Primus de confitentis obedientia. Secundus de confessionis efficacia. Tertius de Confessore ordinario. Quartus de confessore adventitio.

Parum autem favet propositioni ad quam confirmandam adducitur, cùm magis tractet an expediat confiteri delegatis quos adventitios vocat, quam utrum valide ac licitè sint confessiones eis factæ. Nec videtur negare quin absolutio data à Papa aut Episcopo sit valida.

Siquidem pagina 197. sibi obiicit Papam vel Episcopum non posse per se vel per alium audire confessiones subditorum hujus Curati contra voluntatem suam in casibus non reservatis specialiter, quando iste Curatus diligenter facit officium suum sine defectu notabili propter quem debeat privari jure suo. Tum subjungit. Respondeo, multa possunt fieri, quæ non expediunt, sicut prius allegatum est per Apostolum sic. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Talia enim considerare debent in quolibet faciendo quod expediat secundùm utilitatem, quod liceat secundùm æquitatem, quod deceat secundùm honestatem. Et ferè totus videtur iste Author in hoc esse, ut posita institutione immediata à Christo majorum & minorum Prælatorum, Episcoporum & Curatorum, ostendat pericula quæ possunt evenire ex rescripto, quod tunc in favorem regularium emanaverat, multa in eorum vituperium congerens per majorem partem operis, maximè quod putet eos magis lucrum temporale quam salutem animarum procurare. Et quod prælati teneantur reddere rationem pro suis subditis, & quod Curato magis incumbit vocare adjutorẽ, & quod Philosophus reprobet multitudinem principum, contra hoc quod objiciebatur à regularibus, melius esse habere duo refugia. Quod magis divites quærant quam pauperes. Quod absque culpa innocens puniri non debet & Curatus jure suo privari. Quod adventitius sit veluti accidens quòd supponit substantiam completam, & subjecto cui accidit inhærere debet, non ab eo divelli. Quæ omnia & similia facilè dissolventur oppositione aliarum rationum. Nec verò verba quæ afferuntur ex eodem Authore probant illicitam esse atque adeo invalidam confessionem factam deputatis, quos etiam confirmat præsens Concilium can. 10. cùm asserat tantùm iste Author deputatos non esse proprios sacerdotes, sumpto nomine proprii sacerdotis pro eo qui ex obligatione tenetur aliquod sacramentum administrare sibi subdito.

Alij objiciunt similitudinem Hierarchiæ Angelicæ cui conformari debet Ecclesiastica: at in illa ordines infimi non illuminantur nisi per medios, non per supremos aut per caput omnium: sic ergo Laici debent illuminari per pastores immediatos, non per supremum caput aut ejus delegatos.

Sed hoc argumentum nimis probat & nihil probat; quia ordo qui est inter Angelos ad illuminandum non est ita necessarius, quin etiam supremi inter Angelos illuminent infimos, & ipsos homines ad quos aliquando mittuntur, sine interventu mediorum; juxta quod dicit Apostolus ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus.* Unde Parochianus poterit reduci ad Christum per Parochum, per Episcopum & per Pontificem: sicut homines reducuntur ad Deum per Angelos seu infimæ, seu mediæ, seu supremæ Hierarchiæ, licet teneatur magis ordinariè &

communiter reductionem illam fieri per Angelos: ſicut magis ordinariè fit per curatos: ſed id non ita neceſſarium, quin fieri poſſit etiam per Epiſcopum aut Summum Pontificem eorumque delegatos non minus quam per delegatos curati, ſic Deo abundanter & quaſi ſuperabundanter providente ſaluti animarum.

At cur inquies, eo ipſo quod per Eccleſiam electus in Papam accipit poteſtatem immediatè à Chriſto qui ab hominibus immutari non poteſt: ſic electus in Epiſcopum aut curatum immediatè à Chriſto juriſdictionem non accipit: ſicut Apoſtoli acceperunt.

Ratio eſt quia univerſalis Vicarius non poteſt inſtitui niſi à principali Domino, Vicarij vero particulares poſſunt inſtitui a Vicario univerſali jam inſtituto: ideo oportet primo illum inſtitui à Chriſto qui univerſalem ſollicitudinem ac regimen habet Eccleſiæ. Ac ſicuti Rex abiens in Regionem longinquam conſtituit per ſe Regni adminiſtrum generalem: ac ille quidem non confert poteſtatem judicibus ac præſidibus jam à Rege inſtitutis: ſi quis tamen eorum moriatur ſubſtituit ijs ſucceſſores, & quæ non ſunt adhuc expreſſè à Rege determinata de limitibus poteſtatis ipſorum, ipſe determinat: novos etiam Præſides inſtituit ſi opus: ſit ſic eſt de D. Petro & ejus locum tenentibus. Quare cum nullæ ſedes Epiſcopales aut Parochiales in particulari à Chriſto determinatæ inveniantur, juris fuit D. Petri providere.

Sic olim ſe habebant de hac re diſſidia, & quæ plura vidimus noſtro tempore renovata, nec forſan deerunt qui in poſterum eadem reſtaurent, ideoque iſta dedimus quæ ad veritatem perſpiciendam in hac obſcuritate alicujus momenti eſſe poſſunt, atque ad hujus decreti Lateranenſis Concilij Can. 21. elucidationem aliquam, quod ſemper & in pluribus locis magnas peperit controverſias. De quibus extat adhuc Richardi Archiepiſcopi Armachani primatis Hiberniæ Oratio habita in conſiſtorio coram Domino Papa Joanne 22. ſuper materia mendicitatis ac privilegiorum apud Avenionem octava die menſis Novembris anno Domini 1357. pro defenſione Curatorum. Sed & defenſio Religionis Mendicantium contra præfatum Archiepiſcopum edita à Magiſtro Rogerio Chonoë Ordinis Minorum, ubi & decretum præſentis Concilij multis illuſtrat, imo & totus fere eſt in illo explicando. Porro quidquid recens parturiunt libri hujus temporis hac de re, magna ex parte ex his fontibus derivatur in quamcunque vergant ſententiam. Solam hoc adverto ex prædicto Rogerio cap. 3. nullatenus eſſe præceptum per decretum præſens quod quis confiteatur proprio Curato in perſona, quia ſecunda pars decreti eſt diſpenſatoria ſuper ejus prima parte: quâ permittitur ut alteri ex ejus licentia fiat confeſſio: igitur implens ſecundam partem & alteri confitens de proprij Sacerdotis licentia, ad primam ulterius non tenetur. Non convenio tamen cum illo, quod nomen proprij Sacerdotis in hac decretali amplius extendat, quam ad Curatum, etſi poſtquam in Lateranenſi V. ſub Leone X. declaratum eſt ſatisfacere præcepto hujus decretalis qui privilegiatis confiterentur in Paſchate, jam ex vi alterius decreti extenditur ulterius. Quia decretalis hæc in varijs temporibus diverſas recipit modificationes, cum poſſit Eccleſia mutare leges ſuas, ſicut ipſe Deus mutavit legem veterem in novam & Evangelicam, ſicut docet præſens hoc Concilium.

Quod autem ſpectat ad noſtra tempora, non eſt tanta difficultas: cum poſt Concilium Tridentinum & ultima arreſta, juris ſit Epiſcopi dare approbationem cum limitatione temporis, caſuum, perſonarum, &c.

Solutio difficultatis. Dicet aliquis, cur Concilium non determinavit tempus Paſchale pro confeſſione ſicut pro Euchariſtia ſuſcipienda? Reſpondetur propter neceſſitatem confeſſionis, expediens viſum non fuiſſe ut coarctaretur illius præceptum ad aliquod determinatum tempus, ut quovis alio tempore liberius fieret, nec remitteretur ſub hoc prætexta quod tempus obligationis nondum adeſſet. Sic omnia prudenter fiunt per Eccleſiam. Sed de his plura differendi ſe dabit occaſio.

Advertendum autem pœnam injunctam de excommunicatione & privatione ſepulturæ contra illos qui huic præcepto defuerint, eſſe tantum comminatoriam, ut etiam ſi vigeret adhuc præceptum in viridi obſervantia, ut vocant, non liceret abſque ſententia Judicis Eccleſiaſtici privare quemquam Orthodoxum ſepultura Eccleſiaſtica præciſe ex vi hujus decreti.

De Simonia in ingreſſu Religionis.

Porro dubium aliud graviſſimum exoritur ex Canone 64. quo tam ſeverè puniuntur quæ cum aliqua pecunia admiſſæ ſunt in Monaſteria, ut egredi cogantur, &c. Quomodo etiam hodie in tota ferè Eccleſia mos invaluit ut nonniſi per portam auream ingrediantur puellæ in Monaſteria. Difficultas hæc plures torſit. De qua dixi 3. parte examinis pœnitentium, quæſito 15. reditionis tertiæ. Difficultatem hanc ſolui diſtinctione duplicis Simoniæ, ſcilicet Iuris Divini & Poſitivi. Cum autem datur pecunia in ingreſſu Religionis non pro ipſo ingreſſu, ſed pro indemnitate Religionis, Simonia eſt tunc juris poſitivi. Jus autem poſitivum contraria conſuetudine aboleri poteſt. De hac difficultate Leſſius in reſolutionibus variorum caſuum conſcientiæ *Verbo* Simonia caſu 9. Etſi, inquit, probabilius ſit eſſe Simoniam quando Monaſterium ſatis opulentum exigit aliquid in receptione religioſorum vel religioſarum pro victu, veſtibus, convivijs & ſimilibus, alioquin non recepturum eos, ut patet extravag. Urbani IV. & Franciſco Victoria 2. part. de Simonia num. 12. ubi ait hanc eſſe communem ſententiam Doctorum, nempe veterum: tamen probabilis eſt ſententia eorum, qui dicunt hoc jus per contrariam conſuetudinem, prælatis conniventibus eſſe ſublatum, modo non exigatur pro ipſo ſtatu religionis. Ita multi Doctores in Hiſpania & Italia qui dicunt hanc ſententiam eſſe ſecuram, quia Simonia Juris poſitivi poteſt aboleri: talem autem dicunt hanc eſſe. Idem tenet Navarrus cap. 27. num. 106. dum ait quod excuſentur à mortali ubi eſt conſuetudo contraria. Infero primo, poſt factum poſſe hanc ſententiam teneri & non eſſe cenſendos excommunicatos qui id fecerunt; Infero ſecundo, omnibus modis conandum ut hæc conſuetudo tollatur, ubi commodè fieri poteſt: quia potius eſt corruptela quam conſuetudo, ut inquit Urbanus. Concludit tamen rem poſſe tolerari ut probabilem.

Chriſtianus Lupus ad Canonem 19. Concilij ſeptimi multa congerit ad probandam Simoniam in ingreſſu Religionis, ſi fiat cum pacto pecuniarum: excipit tamen Monaſteria Belgij. Monaſteria, inquit, quæ piiſſimus Dominus Rex ſuis juribus exigere numquam voluerit, in Monachorum ſuorum Hæreditatem numquam poſſunt ſuccedere, ideoque ante illorum profeſſionem de ipſa cum parentibus ſtipulantur, accipiuntque quid præſens pro grandi futuro. Non itaque de Monaſtici ingreſſus aut profeſſionis, ſed de ſpectantis ad nos Hæreditatis pretio paciſcimur, ubi nulla vel ſpecies eſt Simoniæ. Opulenta & Fratrum ſuorum ſufficientem ſuſtentationem habentia ad ſummum de avaritia notari poſſunt.

De Abbate Ioachim.

QUia brevius perſtricta eſt cauſa Joachimi Abbatis, Ciſtercienſis ordinis, quæ magna pars fuit hujus Concilij circa doctrinam, ideo ſequentia duximus eſſe ſubjungenda. Dicta Joachim Abbatis ad tria reducuntur. Primò enim dicit quòd eſſentia generat & generatur in divinis, & de hoc ſatis patuit ſupra. Secundò idem Joachim dicit, quod tres perſonæ divinæ ſolum ſunt unum quaſi unitate ſpecifica, & ſic collectivè & non identicè, ſicut Petrus, Jacobus & Joan-

nes ſunt tres perſonæ humanæ, & in uno aliquo opere ſimul operantes ſunt unum ſcilicet collectivè & unitate ſpecifica. Et hic eſt error peſſimus & damnatus per Papam & Concilium generale Eccleſiæ *Extra.* de ſumma Trinit. & fide Cathol. cap. *damnamus Joachim.* Nam ibidem declaratur, quod eadem divina eſſentia numero & non ſolum ſpecie eſt in tribus perſonis, & ſic ibi eſt identica unitas, ſicut in anima rationali tres ſunt potentiæ, ſcilicet memoria, intellectus & voluntas, identicè non collectivè. Iſte Joachim ſicut inſcius modico credidit ſigno, probans ſuam poſitionem ex illa authoritate Chriſti orantis Patrem, dicentis: *Rogo ut ſint unum, ſicut & nos ſumus.* Unde dicit quod ex æquo nos non ſumus unum, niſi unitate naturæ ſpecificæ: Ergo nec perſonæ divinæ ſunt unum niſi unitate ſpecifica. Sed ad hoc reſpondetur ex prædicta decretali, quod ibi, *ly ſicut*, non dicit plenam ſimilitudinem, ſed ſic intelligitur. Rogo ut ſint unum ſecundum ſuum modum, ſicut nos ſumus unum ſecundum noſtrum modum, quia tres perſonæ ſunt unum per eſſentiam, nos autem ſumus unum per charitatem. Simile dicit Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt:* Et tamen impoſſibile eſt, quod nos ſimus ita plene perfecti ſicut pater cœleſtis, quia ille perfectus eſt natura, nos autem accidentali dono, ſed intelligitur ſecundum modum noſtrum, ſicut eſt nobis poſſibile. Tertiò idem Joachim dicit quòd Magiſter Sententiarum eſt hæreticus, eo quòd dicit eſſentiam nec generare nec generari. Sed Papa cum Concilio damnavit dicta Joachim, & approbavit dicta Magiſtri, quæ in hoc reddita ſunt maximè authentica ſecundum Scotum. Proinde Bonaventura 1. Sent. diſt. 5. dicit, quòd iſte Joachim Abbas fuit maximè præſumptuoſus & ſuperbus, qui cùm eſſet ſimplicianus & ignorans, tanto Magiſtro contradicere auſus eſt, unde meritò compulſus eſt revocare & libellum ſuum Concilio Lateranenſi præſentare, & quoniam Eccleſiæ obedivit & correctioni ſe ſubmiſit, ideò non eſt hæreticus, nam qui errat & paratus eſt corrigi, non eſt hæreticus 24. q. 13. *Dicit Apoſtolus.* Denique plura falſa loquutus eſt etiam de adventu Antichriſti: & quia poſuit adhuc tertium teſtamentum evenire, ut primum ſcilicet vetus Patri, ſecundum ſcilicet novum Filio, tertium Spiritui ſancto attribuatur, & multa alia fatua, propter quæ Bonavent. vocat illum pſeudoprepheram, quamvis aliqui ſalvando eum dicant, quòd plura vera prophetaverit, quæ tamen à nobis non intelliguntur. *Ex Pelbarto de Themiſuar 1. p. aurei Roſarij Theologiæ* verbo *opinio* §. 1.

Scripſit idem Abbas commentaria in aliquot ſcripturæ libros ex quibus legi ex parte commentarium ipſius in Jeremiam: ſed nihil magis abſonum à ſenſu Prophetæ.

Sunt nihilominus qui ipſum efferant, & exiſtiment Spiritum Prophetiæ habuiſſe, teſtatur quoque Blaſius Viegas in cap. 3. Apocalipſis ſect. 3. ubi ejus Apologiam agit, extare Honorij III. Epiſtolam ad Epiſcopum Lucanenſem adverſus Joachimi obtrectatores. Nec illud parum ad laudem ipſius eſt quod Clemens III. ipſi autor fuit ut ſcriberet in Apocalipſim, in qua dum explicat quæ pertinent ad Angelum Philadelphiæ c. 3. prædicit novum ordinem futurum in Eccleſia his verbis. *Oportet Eccleſiam concipere novum quendam ſpiritualem intellectum ſive etiam promiſſionis filios & prolem præ cæteris ſpiritualem, hoc eſt ipſum ordinem quem deſignat Jeſus, qui videlicet ordo præ multis alijs qui præcſſerunt erit amabilis & præclarus &c.* in quibus verbis dum plures putant ipſum Prophetaſſe de ſocietate Jeſu propter hæc verba *quem ſignat Jeſus*, Scriptores ejuſdem in hunc locum modeſtè id à ſe repellunt, nec tantam de ſe habere opinionem apertè fatentur ut prædictus Viegas & Cornelius à Lapide ad hunc locum Apocalipſis.

Joachimi apologia.

Societas Jeſu.

CONCILIVM LVGDVNENSE I.

GENERALE XIII.

ANNO M. CCXLV.

APPROBATUM

CXL. EPISCOPORUM.

In cauſa Friderici II. Imperatoris, expeditionisque in Terram Sanctam ſuſcipiendæ celebratum, tempore Innocent. IV.

HAnc ſacroſanctam Synodum auctoritate legitima & ordinaria à ſolo Pontifice Innocentio indictam & congregatam eſſe, indicat epiſtola ejuſdem Papæ, qua omnes Epiſcopos, ac Reges, & Principes Chriſtiani orbis, ad Synodicam hanc congregationem convocavit. Extat epiſtola apud Binium.

Acta hujus Concilij concisè & breviter recitantur apud Abbatem Stadenſem in Chronico, his verbis:

Anno Domini 1245. Papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima Sedes eſt Galliarum, veniens, poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ ibidem Concilium celebravit, & quintam partem ab Eccleſijs redituum requiſivit. Imperator pro ſe advocatos miſit, inter quos erat quidam Thaddæus, Doctor Legum, qui pro eo elegantiſſimè allegavit, ita ut plurimorum audientium ſibi conquireret favorem. Nihilominùs autem Papa Imperatorem in die Jacobi Feria tertia, quæ tertia dies erat Concilij, excommunicavit. Papa per totam terram Teutoniæ, lugubrem literam Principibus Eccleſiaſticis deſtinavit, conquerens flebiliter, quòd à gente quadam Saracena, quam Chores nuntiorum populum appellant, Sepulchrum Domini eſſet enormiter violatum, &c.

Et paulò infrà, cùm alia quædam de Saracenis, & prodigioſis orbium cœleſtium aſpectibus retuliſſet, ſubjungit:

Papa in jam dicto Concilio, ſcilicet in die Jacobi, contra Imperatorem excommunicationis ſententiam renovavit, & cum ab Imperiali culmine, auctoritate propria depoſuit, & hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgavit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis, ut nullus eum Imperatorem de cætero nominaret. Qua ſententia per mundum volante, quidam Principes cum multis alijs reclamabant, dicentes, ad Papam non pertinere Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere; ſed electum à Principibus coronare. Interea Papa ſibi citari fecit Principes, quos ad Imperium regendum credit idoneos, ut aliquis eorum onus Imperij ſumeret & laborem, promittens ei, quicumque Imperium aſſumeret, conſilium & auxilium pariter & favorem. Tandem Henricus Lantgravius, cognomento Raſpe, multis evictus precibus, Imperium accepit. Hæc Albertus Stadenſis.

Ejuſdem Concilij acta paulò minus explicata inſerit ſuis annalibus Bzovius ex quodam eorum abbreviatore.

Sed & Matthæus Paris ſub Henrico III. Anglorum Rege idem Concilium fuſius ſcribit ex quibus ſequentia accipe, ſed primum ex abbreviatore.

In nomine Domini, Amen. Anno ejuſdem milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto. Cum Dom. Innocent. Papa IV. ad partes Galliæ propter multa periculà, quæ imminebant generali Eccleſiæ ſe tran-

ſtituiſſet, Concilium convocavit apud Lugdunum, & in vigilia B. Petri Apoſt. Concilio convocato, in majori Eccleſia Dom. Papa, miſſâ celebrata, locum eminentiorem aſcendit. Imperator verò Conſtantinopolitanus ſedit ad dexteram, & quidam alij Principes Laici ſederunt ad ſiniſtram, & Diaconus Cardinalis, Vice-cancellarius, Magiſter Martinus Neapolitanus cum Notario, Auditore & Correctore, Capellanis, Subdiaconis & quibuſdam alijs: inferius verò ſic Prælati ſederunt. Ex oppoſito tres Patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Conſtantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, Aquilejenſis, de quo tertio ſcandalum eſt exortum, ex quo, ut alij Patriarchæ dicebant, ſedere non debebat juxta eos, cùm non eſſet de quatuòr Patriarchis, & deſtructa eſſet ſedes ejus: Et tandem ut vitaretur ſcandalum, de voluntate Domini Papæ, ut creditur, eſt reſecta. In navi verò Eccleſiæ ad dexteram & in eminentioribus locis ſederunt Epiſcopi Cardinales, ex altera verò Preſbyteri Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi poſt eos, in ſedibus autem conſtitutis in navi Eccleſiæ ſederunt aliqui de Epiſcopis, Abbates, Procuratores Capitulorum, Nuncij Regum, & Imperatoris Frederici, & multi alij qui erant ibi. Tunc Dominus Papa incepit: *Veni Creator Spiritus*; & illo hymno communiter ab omnibus decantato, dixit: *Dominus vobiſcum*, & reſponderunt omnes: *Et cum ſpiritu tuo. Oremus*: Ægidius Cardinalis dixit: *Flectamus genua*. Octavianus reſpondit, *Levate*: & ſic dixit Dominus Papa propriam orationem, qua dicta, Galeatius Capellanus incepit litanias: quibus expletis Dominus Papa dixit: *Oremus cum oratione de Spiritu ſancto: Deus, qui corda fidelium:* nec dixit, *Dominus vobiſcum*. Iſtis peractis incipit prædicare de authoritate Prophetiæ: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ, &c.* Incipiens, quòd multiplex erat dolor ſuus: quia quinque dolores circundederant eum. Primus erat de difformitate Prælatorum & ſubditorum. Secundus erat de inſolentia Saracenorum. Tertius de ſchiſmate Græcorum. Quartus de ſævitia Tartarorum. Quintus de perſecutione Friderici Imperatoris. Rediens ad primum articulum, de difformitate Prælatorum & ſubditorum: quia non erant tales quales conſueverant, & debebant eſſe, & de eorum exceſſibus multa dixit. Poſteà de inſolentia Saracenorum, referens rumores de ijs, quæ tunc acciderant ultra mare, quando Hieruſalem occupaverant, & ſepulchrum Domini everterant, & certa ſacra loca de partibus illis eripuerant, & Chriſtianos infinitos interfecerant, & quæcumque per eos ibi fuerant perpetrata. Tertiò de ſchiſmate Græcorum, quomodo Vattacius Imperator Græcorum cum Græcis ſchiſmaticis occupaverant & deſtruxerant ferè uſque ad Conſtantinopolim, & de civitate timeri poterat, niſi à Chriſtianis velocem ſuccurſum haberent. Quartò de ſævitia Tartarorum, quomodo terras Chriſtianorum intraverant, & Ungariam occupaverant non parcentes ſexui vel ætati. Quintò de perſecutione dicti Imperatoris, quomodo perſequebatur Eccleſiam, & ſuum prædeceſſorem Gregorium fuerat perſecutus: & in litteris, quas dictus Imperator per mundum mittebat, referebat publicè, quòd non perſequebatur Eccleſiam, ſed perſonam: quod verum non fuerat, quia in vacatione Pontificatus, eam perſequi non ceſſavit: imo tunc Clerum & Eccleſiam magis afflixit.

Poſtquam de afflictione plurima dixiſſet, fecit legi quoddam privilegium aurea Bulla munitum ab eodem Imperatore, cùm eſſet rex, Honorio prædeceſſori ſuo conceſſum: in quo inter alia potiſſimum habebatur, quomodo eidem juramentum fidelitatis præſtiterat, tanquam vaſallus ſuo Domino, & quoddam aliud privilegium, in quo ipſe fatebatur, quòd regnum Siciliæ & Apuliæ erat ſpeciale patrimonium B. Petri, & illud ab Eccleſia tenebat in feudum: & concedebat ac quietabat, ſi quod jus habuiſſet in electionibus Eccleſiarum prædicti regni & faciebat eaſdem Eccleſias liberas, francas, & immunes ab omni præſtatione, item fecit legi plura alia privilegia aurea Bulla munita Eccleſiæ, dum eſſet rex & poſtea Imperator, conceſſa: in quibus habebatur, quod ipſe quietabat, donabat & concedebat, & confirmabat totam terram à Caſtro Radicophani uſque ad Caſtrum Ceperani, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoleti, Exarchatum Ravennæ, Pantapolim, Comitatum Romandiolæ, & terram Comitiſſæ Mathildis: & multa alia erant ibi, quibus dictis, Judex Thadæus unus de nuncijs Imperatoris, ſurgens ferè ad ſingula, quæ dixerat Dominus Papa, reſpondit, & mirabiliter videbatur Imperatorem excuſare: & aſſeruit multa mala, quæ feciſſe & procuraſſe dicebat Eccleſiam contra eum, & oſtendit ibi plurima litterarum & reſponſio ejus fuit multis grata. Sed Dominus Papa reſpondet ad ſingula benè, ac ſi prævidiſſet, ſe & Eccleſiam excuſando, & ſic illius diei ſeſſio fuit terminata.

Secunda ſeſſio fuit ad octo dies poſtea, & quoad ſeſſionem & officia, idem factum fuit quod & in prima. His peractis ſurrexit Epiſcopus Calmenſis, Ciſtercienſis ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter deſcripſit vitam malam & ignominioſam & progreſſum dicti Imperatoris à pueritia ſua, & quæ erat ſua intentio: quòd ad hoc intendebat præcipuè, ut Prælati & Clerus ad illam reverterentur paupertatem, in qua fuerant tempore Eccleſiæ primitivæ, quod maximè patebat per litteras, quas per mundum contra Eccleſiam & Clerum tranſmittebat. Poſtmodum ſurrexit Archiepiſcopus de Hiſpania, qui multum Dominum Papam animavit ad procedendum contra Imperatorem referendo plurima, quæ contra Eccleſiam fecerat, & quomodo tota ejus fuit intentio, ut deprimeret Eccleſiam juxta poſſe, promittens quòd ipſe & alij Epiſcopi Hiſpaniæ, qui multum magnificè & generaliter pluſquam alia natio ad Concilium venerant, Domino Papæ aſſiſterent, in perſonis & in rebus, juxta ſuæ voluntatis beneplacitum. Hæc eadem promiſerunt in Synodo quam plures alij Prælatorum.

Tunc ſurrexit prædictus Judex Thaddæus, & multa gravia propoſuit contra dictum Epiſcopum Calmenſem, quòd non zelo, ſed ex malevolentiâ, ex eo quòd ipſum & ſuos pro manifeſtis exceſſibus punierat, talia contra Imperatorem proponere curavit, & ſic in ſecunda ſeſſione nihil aliud actum fuit. Veruntamen dictus Judex Thaddæus ſupplicabat inſtanter, quod prorogaretur tertia ſeſſio, pro eo quod Imperatorem exſpectabat, prout ipſe per certos habebat nuncios, ac ipſe ad eum plures alios, qui in civitate Taurinenſi fuerant, miſerat, quod iter arripuerat ad Concilium veniendo. Et quia dictus Papa hæc quam plurimùm affectabat, ut poſſet inter eos pacis fœdera reformare, uſque ad diem Lunæ, per octavam ſeſſionis ſecundæ, quæ fuerat in die Mercurij, contra multorum Prælatorum voluntatem prorogavit ſeſſionem tertiam, quod non fuit ſine tædio multorum Prælatorum & aliorum Templariorum, & Hoſpitalariorum, qui multos armatos ad cuſtodiam Domini Papæ & Concilij ſtuduerant deſtinare, & propter preſſuram hominum & dubitationem quæ in ipſa civitate, quæ cuſtodiebatur per armatos plurimos, die ac nocte fortiter aſſiſtebat. Et quia pro certo Domino Papæ conſtitit, quod ipſe non veniebat, nec cum mandato ſolemniter facto aliquos principes deſtinabat, dicto die Lunæ conſtituit tertiam ſeſſionem, & peractis officijs ut in prima, poſt multa dicta & hinc inde audita, antequam ad ſententiæ latorem accederetur, de Nativitate B. Mariæ Virginis glorioſæ ordinavit octavam, ſacro Concilio approbante. Deinde Dominus Papa quaſdam conſtitutiones, quæ pro recuperatione Terræ ſanctæ, ac alias quæ pro ſubſidio Romani Imperij, & etiam aliàs quæ contra Cataros factæ fuerant, fecit legi. Item poſtmodum Dominus Papa dixit, quod omnia privilegia Romanæ Eccleſiæ quæ à Principibus mundi,

Octava Nativitatis B. Virginis.

tam ab Imperatoribus, quàm à Regibus conceſſa fuerant eidem, exemplari fecerat, & in eis apponi fecit omnium, qui aderant, Prælatorum ſigilla, & volebat quod vigorem haberent, qualem ipſa originalia, quæ ibi lecta erant.

Deeſt aliquid.

Tunc ſurrexerunt Nuncij Regis Angliæ, & pro authenticatione quorundam privilegiorum conceſſorum à Rege Angliæ ipſi Eccleſiæ, quæ aſſerebantur facta præter conſilium principum terræ, licet privilegijs illis contratium diceretur, ad futurum Pontificem, & quibuſdam conſtitutionibus, quæ pro ſubſidio faciendo Eccleſiæ factæ fuerant.

Tunc ſurrexit Judex Thadæus, percipiens quod jam ſecuris poſita erat ad radicem, pro multorum privilegiorum authenticatione: & ſi contra dictum Imperatorem vellet procedere, appellaret ad futurum Pontificem & conſilium generale. Sed quia Dominus Papa reſpondit humiliter & benignè, quod illud erat Concilium generale, qua tam Principes ſæculares, quàm Clerici ad illud fuerant invitati, ſed omnes, qui in juriſdictione Imperatoris fuerant, ad illud eos accedere non permiſit. Propter quod Papa appellationem non admittebat, ſed ſtatim incipit recitare, quantum eum dilexerat, antequam in Papam eſſet aſſumptus, & quantum ſibi dimiſerat poſtmodum, & etiam poſtquam fuerat Concilium ordinatum, & cum ſemper verbis mirabiliter vocando: ita quod vix credebatur ab aliquibus, quod aliquam ferre deberet ſententiam contra eum, & ſtatim incepit promere ore tenus, & ferre ſententiam contra eum, privans ipſum omni honore, & imperio & alijs regnis ſuis, & poſtmodum ſententia in ſcriptis in ipſa Synodo lecta fuit. Qua lecta Dominus Papa ſurrexit, & incepit, *Te Deum laudamus*; quo hymno decantato per omnes, fuit Concilium diſſolutum.

Ex Matthæo Pariſ.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo decimo quinto, ſub *Innocentio IV.* Papa, celebrabatur aliud Concilium generale proximum, in quo decretum & ſcriptum eſt, quòd non deberet de jure Concilium generale celebrari, niſi ſemel infra quinquaginta annos, quod eſt ſpatium clauſum Jubilæo. Anno enim Jubilæo, vel infra tempus contentum infra annos quinquaginta, ſemel celebrari habet Concilium generale: in quo omnia collapſa habent reformari, & in bono ſtatu reſtitui & ſolidari.

Initium Actorum in Concilio Lugdunenſi.

Altiùs igitur ſolis orbitâ curſum ſuum peragente, videlicet circa æſtatis medium, congregati ſunt *Lugduni* ex totius fere *Chriſtianitatis* latitudine Prælati venerabiles, vel eorum idonei, Imperatoris quoque & multorum Principum aliorumque Procuratores, ſecundum Papalis mandati tenorem Concilium celebraturi. Abſentes autem quamplurimi Prælatorum, per eos, quos promiſerunt, Procuratores ſeſe ex legitimis cauſis ſufficienter excuſarunt, ſicut quidam ex *Anglorum* Regno, ut ſupra latiùs dictum eſt: inter quos Abbas S. *Albani* corpore gravis etiam ad ſenilem declinans ætatem, magiſtro Martino qui tunc temporis in Anglia proſperè commorabatur, teſtimonium veritati ſuæ per hoc perhibente, ſe rationabiliter per quemdam Monachum ſuum, Joannem videlicet de Bulum, & quemdam clericum, Magiſtrum Rogerum de Holdene, ſuam excuſavit abſentiam: & ſic indemnis & quietus remanſit, Domino Papa per ipſos civiliter ſalutato. Verumtamen de Regno Hungariæ, quæ pro multa ſui parte per Tartaros eſt vaſtata, nulli venerunt. De Alemannia bello Imperiali perturbata, pauci Prælati ad Concilium minimè convenire potuerunt. De terra verò ſancta, quæ multo patuit diſcrimini, nullus penitus potuit illuc advenire, ſed nec advocari.

Occaſionaliter tamen illuc advenit de Terra ſancta Epiſcopus Beritenſis, totius Syriæ nuntius generalis, & Syndicus omnium Chriſtianorum Terræ ſanctæ; mandatum bajulans lugubre, de exterminio, permittente Deo, in terra ſancta perpetrato.

A Dum autem Dominus Papa multos jam prælatos, licet tamen non omnes, vidiſſet congregatos, die lunæ proxima poſt Feſtum Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, intravit Dominus Papa cum Fratribus Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & alijs Prælatis ad Concilium convocatis, ſimul & Procuratoribus abſentium tam Principum quàm Prælatorum, in refectorium religioſorum ſancti Juſti, apud Lugdunum: fuerunt itaque ibidem abſque Cardinalibus, duo Patriarchæ ſcilicet Conſtantinopolitanus qui & Antiochenus, & Patriarcha Aquilegiæ, qui & Venetiæ: Imperator quoque Conſtantinopolitanus, Comes etiam Tholoſanus, & Procuratores Angliæ, Comes Bigod cum ſocijs ſuis Nobilibus, Archiepiſcopi verò & Epiſcopi, centum & quadraginta. Propoſuitque B Patriarcha Conſtantinopolitanus ſtatum & neceſſitates Eccleſiæ ſuæ, aſſerens quòd olim habuit ſub ſe Suffraganeos plus quam triginta, quorum vix jam tres remanſerunt. Subjungens inſuper quod Græci & quidem alij inimici Eccleſiæ Romanæ, totum jam Imperium Romaniæ fere uſque ad portas civitatis Conſtantinopolis violenter occuparunt; qui in nullo Romanæ Eccleſiæ obedientes, ipſamque deteſtantes, hoſtiliter eidem adverſantur. Unde dolor & confuſio omnium Chriſtianorum imminet, cùm ipſa ſua Eccleſia primò fuiſſet privilegiata, & merito plus cæteris honoranda: Primo enim conſtat Beatum Petrum Antiochiæ, quæ civitas Græcorum Imperio vel Regno ſubjecta eſt, ab antiquo ſediſſe, & inde Simonem Magum, & alios hæreticos confuſos aufugiſſe. Ad quod Papa tacuit. Conſequenter propoſitus fuit ſermo fide- C lis, & omni acceptatione dignus, de Canonizatione ſcilicet Beati Ædmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi, quem Dominus evidentiſſimis miraculorum ſignis illuſtravit. Cujus rei aſſertioni cùm conſtanter teſtimonium octo Archiepiſcopi, & circiter viginti Epiſcopi perhibuiſſent, & inſtanter, ut in ipſo Concilio venerantur ad majorem ſolemnitatem canonizaretur, poſtularent: ait Dominus Papa non ſuo, ſed aliorum ſpiritu invidorum dicens: Urgent nos dilationem non cupientia Eccleſiæ nimis ardua negotia, quare hoc meritò ad præſens tempus ſuſpendere debeat expectatum. Sed, vita comite, impoſterum neglectui non commendabitur: & quia Deus & mundus ſanctitati & virtutibus ejus perhibent teſtimonium, in Domino gaudemus, & gratias referimus uberiores. Adfuit D etiam præſens ibidem Thaddæus de Sueſſa, Domini Imperatoris Frederici Procurator, vir prudens & eloquentiæ ſingularis, miles & legum doctor, & ſui Palatij Judex Imperialis, pro Domino ſuo Imperatore tam conſtanter, quam diligenter reſponſurus. Pro cujus pace & priſtinæ amicitiæ reformatione, obtulit pro Domino ſuo Imperatore confidenter, ad unitatem Romanæ Eccleſiæ, totum Romaniæ, id eſt, Græciæ Imperium, revocare: & quòd ſeſe Tartaris & Choroſminis & Saracenis, & alijs Eccleſiæ hoſtibus & contemptoribus, Chriſto fideliter militando, potenter opponet: & quod ſtatum Terræ Sanctæ diſcrimini magno, & manifeſto periculo jam patentem, ſuis ſumptibus proprijs, perſonaliter, & pro poſſe ſuo, reformabit, & ablata Romanæ Eccleſiæ reſtituendo, de E injurijs ſatisfaceret. Ad quæ omnia reſpondit Dominus Papa, dicens exclamando: O quam multa & magna ſunt promiſſa, nunquam vel nuſquam tamen adimpleta, vel adimplenda. Sed & hæc nunc, ut conſtat, ſunt promiſſa, ut ſecuris jam ad radicem poſita, illuſo Concilio & ſoluto, per dilationem avertatur. Pacem nuper in anima ſua juratam, ſecundum formam præſtiti Sacramenti teneat, & adquieſco.

Qualiter Papa prima die Concilii initiavit.

Quo tenaces modo mutentur Proteus vultus.

Etſi concederem ſibi poſtulata, & reſilire vellet, nec aliud ſpero, quid nunc pro eo cavens fide juberet, ut cogeret reſilientem? Et cùm duos Reges videlicet Francorum

Francorum & Anglorum, Thaddæus ad hoc ſpopondiſſet fidejuſſores. Reſpondit Dominus Papa; Nolumus quia ſi pacta commutaſſet, vel penitus infirmaſſet, nec aliud credimus, propter frequentiam, aliquo tempore impoſterum, oporteret nos animadvertere in eoſdem: Et tunc haberet Eccleſia tres; quibus non ſunt in ſæculari potentia majores, imò nec pares, inimicos. Et cum Procuratio Thaddæi ad hoc non ſufficeret, neque temporis ſatis habuerit, ut hæc conſummarentur competenter, ſiluit contriſtatus.

Lachrymabiles rumores de Terra Sanctâin Concilio recitantur.

Epiſcopus autem Beritenſis, nomine Gualerannus, qui jam ſex menſibus per maris, & uno per terrarum diſcrimina labores itinerum ut prædictum eſt, ſuſtinuerat, ut cauſam Terræ ſanctæ nunciaret, auxilium & conſilium imperando, legi fecit litteras, quas Magnates, qui reſidui erant in Terra ſancta, omnibus Chriſtianis Occidentalibus miſerant conſignatas, per os fratris Arnulphi de ordine Prædicatorum in publico: quæ litteræ præſcribuntur in præcedentibus. Quarum tenor lugubris omnes audientes ad lachrymarum, nec immerito, movit effuſionem.

Quæſta ſunt feria quarta.

Feria verò quarta ſequente, intravit Dominus Papa Eccleſiam ſancti Joannis, indutus Pontificalibus cum omnibus alijs ſupradictis veſte nuptiali, prout ſingulis pertinuit, adornatis. Et facta invocatione Spiritus ſancti, cum litania ſequente, & alijs rite peractis, prædicavit Dominus Papa, præponens & ſingultibus interpoſitis proponens hoc thema: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Et ſatis eleganter ſermonem continuans, comparavit quinque dolores ſuos maximos, quinque vulneribus & plagis crucifixi. Unum, de inhumanis & feraliter Chriſtianitatem infeſtantibus Tartaris. Alium, pro ſchiſmate Romaniæ, id eſt, Græcæ Eccleſiæ, quæ noſtris temporibus & paucis evolutis annis, à gremio matris ſuæ velut novercæ inſolenter & inſolerter deciſa eſt & averſa. Alium, pro ſerpigine novarum hæreſeon, ſcilicet Paterinorum, Bulgarorum, Jovinianorum, & aliorum ſchiſmatum, ſectarum & errorum, quæ jam multas civitates Chriſtianitatis, præcipuè tamen Lombardiæ, ſubrependo maculavit. Alium de Terra ſancta: in qua Choroſimini deteſtabiles domos Templi & Hoſpitalis, civitatem quoque Hieruſalem, & alias multas Chriſtianorum civitates, cum magno Chriſtiani ſanguinis profluvio, uſque ad internectionem ſolo tenus diruendo, deſtruxerunt. Alium verò de Principe, id eſt, Imperatore, qui cùm eſſe teneretur ſummus ſæcularium Oeconomus, & protector Eccleſiæ, hoſtis factus familiaris, Eccleſiæ Chriſti efficax & validus factus eſt inimicus, & miniſtrorum ejus adverſarius jam manifeſtus.

Et proſequutus Dominus Papa materiam hanc, quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compaſſionis ſalubriter ſauciavit. Exitus enim aquarum deduxerunt oculi ejus, & ſingultus in ſermonem proruperunt. In fine autem prædicationis ſuæ propoſuit enormitates Imperatoris Frederici, ſcilicet hæreſim, ſacrilegium: & inter alia mala, quod civitatem quamdam in Chriſtianitate conſtruxerat novam, fortem & magnam, quam Saracenis populaverat, ipſorum utens ſed potiùs abutens ritibus & ſuperſtitionibus, ſpreto Chriſtianorum conſilio & religione familiaritatem ſpecialem contraxerat, ut aſſerebat, cum Soldano Babyloniæ, & quibuſdam alijs Saracenorum Primatibus: diſtractuſque & obſcœnis illectus illecebris, concubitu mulierculatum vel potius meretricularum Saracenarum, indifferenter & impudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex periurium: & quod ſpreto veritatis tenore nuſquam pacta, nuſquam promiſſa conſervabat. Super quibus ut magis hæc audientes certificaret, ſignorum imperialium de auro appenſione communitas litteras protulit multiplices quibus evidenter arguit & redarguit ipſum Imperatorem ſuper perjurio. Quibus etiam verbis alacriter ſe oppoſuit Thaddæus diligenter & multipliciter ſecundum probabiles rationes Dominum ſuum Imperatorem excuſando, &c. Supplicavit tamdem humiliter ſibi concedi modicam ſaltem dilationem judicialem ut Domino ſuo Imperatori nuntiare poſſet & tam affectuoſe quam efficaciter conſulendo perſuadere, ut perſonaliter ad Concilium, quod eum expectavit, venire properaret aut ulteriorem ei concederet poteſtatem. Ad quod Dominus Papa reſpondit: abſit hoc, timeo laqueos quos vix evaſi. Si enim veniret ſtatim cederem. Non adhuc opto ſanguinem nec me ſentio aptum aut paratum martyrio, vel cuſtodiæ carcerali. In ſequentibus narrat ut conceſſæ ſunt induciæ duarum hebdomadarum ad inſtantiam procuratorum Regum Francorum & Anglorum, & cum Imperator juri pariturus ad Concilium nollet accedere, quaſi toti Eccleſiæ contumax & rebellis, receſſerunt à favore ejus multi & fere ab omnibus accuſabatur, ejus cauſam Thaddæo defendente Imperiali procuratore. Poſt quæ omnia talem ſententiam excommunicationis in pleno Concilio, non ſine omnium audientium ſtupore & horrore terribiliter fulguravit.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c. Sacro præſente Concilio ad rei memoriam ſempiternam. Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione divinæ majeſtatis aſſumpti omnium Chriſtianorum curam vigili ſedulaque ſolertia gerere ac intimæ conſiderationis oculo ſingulorum facta & dicta diſcernere & providæ deliberationis ſtatera librare debemus, ut quos juſti vigor examinis dignos oſtenderit congruis attollamus & evehamus favoribus: quos autem reos & culpabiles invenerimus pœnis debitis pro gravitate culpæ afficiamus & deprimamus, &c. Exinde narrat fuſius quomodo Fridericus multa hoſtilia in Eccleſiam commiſerit, nec unquam ad cor redire ac paci acquieſcere voluerit. Subdit poſtea.

Et ut ad præſens de cæteris ejus ſceleribus & iniquitatibus taceamus; quatuor graviſſima, quæ nulla poſſunt celari tergiverſatione commiſit. Deerravit enim multoties: pacem quamdam inter Imperium & Eccleſiam reformatam temere violavit. Perpetravit etiam ſacrilegium capi faciens Cardinales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac aliarum Eccleſiarum Prælatos ac Clericos, religioſos & ſæculares ad Concilium venientes quod idem prædeceſſor duxerat convocandum. De hæreſi quoque non dubijs & levibus ſed difficilibus & evidentibus argumentis ſuſpectus habetur: plura ſiquidem eum commiſiſſe perjuria ſatis patet. Narrat hæc expreſſius. Pacis vero ipſum violatorem exiſtere plane conſtat. Quia cum olim tempore pacis inter ipſum & Eccleſiam reformatæ juraſſet coram bonæ memoriæ *J. de Abbatis villa* Epiſcopo Sabinenſi, & Magiſtro Thomaſio tunc temporis S. Sabini Preſbytero Cardinali præſentibus, cum multis alijs Prælatis, Principibus & Baronibus quod ſtaret & pareret præcisè, abſque ulla conditione, omnibus mandatis Eccleſiæ, ſuper his pro quibus erat vinculo excommunicationis adſtrictus, cauſis excommunicationis expreſſis per ordinem coram eo, & cætera. Poſtmodum pacem & juramenta, nequaquam erubeſcens irretiri perjurijs, non ſervavit, &c. Præterea conjunctus Sarracenis amicitia deteſtabili, nuncios ac munera pluries deſtinavit eiſdem, & ab eis viciſſim cum honorificentia & hilaritate recepit: ipſorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obſequijs notabiliter ſecum tenens, eorumdem etiam more uxoribus, quas habuit de ſtirpe regia deſcendentibus, eunuchos præcipuè, quos, ut dicitur ſerio, ipſe caſtrari fecerat, non erubuit deputare cuſtodes. Et quod execrabilius eſt olim exiſtens in partibus tranſmarinis, facta compoſitione quadam, imo verius colluſione cum Soldano, Mahometi nomen in templo Domini diebus ac noctibus publicè proclamari permiſit, &c.

Joannes Halgrinus.

Nos itaque ſuper præmiſſis & quam pluribus alijs ejus nefandis & execrandis exceſſibus & flagitijs, cum

fratribus noſtris Cardinalibus & ſacroſancto Concilio deliberatione præhabita matura & diligenti, cum Domini noſtri Jeſu Chriſti vices licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in beati Petri Apoſtoli perſona ſit dictum: *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis*, & memoratum principem qui ſe imperio & regnis, omni denique honore & dignitate reddidit tam indignum, quique propter ſuas iniquitates & ſcelera ne regnet vel imperet eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis à Deo ac abjectum omnique honore ac dignitate privatum à Domino oſtendimus ac denuntiamus & nihilominus ſententiando privamus. Omneſque qui ei fidelitatis juramento tenentur adſtricti vel obligati, à juramento hujuſmodi perpetuo abſolvimus & liberamus, auctoritate Apoſtolica firmiter & ſtrictim inhibendo ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori vel Regi pareat vel quomodolibet parere intendat. Decernendo quoſlibet qui deinceps ei velut Imperatori vel Regi conſilium præſtiterint ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant libere alium in ejus loco ſucceſſorem. De præfato vero Siciliæ regno providere curabimus, cum eorumdem fratrum noſtrorum conſilio ſicut viderimus expedire. Datum Lugduni decimo ſeptimo Calendas Auguſti Pontificatus noſtri anno tertio.

Hæc igitur in medio Concilio prolata cunctis audientibus, ad inſtar coruſcantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incuſſerunt. Magiſtri igitur Thaddæus *de Sueſſa*, & Vvalterius *de Ocia*, & alij procuratores Imperatoris & qui cum ipſis erant emiſſo ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes, vix à profluvio lachrymarum ſeſe continuerunt, & ait Magiſter Thaddæus memoratus. *Dies iſta dies iræ, calamitatis & miſeriæ.* Dominus igitur Papa & Prælati aſſidentes Concilio, candelis accenſis in dictum Imperatorem Fridericum, qui jam Imperator non eſt nominandus, terribiliter recedentibus & confuſis ejus procuratoribus fulguraruntur.

Excommunicatio ſolemnis.

His ſubjungit decreta quædam, quæ an omnia ſint Concilij incertum eſt, cum aſſerat quædam in Concilio, quædam ante, alia poſt, edita fuiſſe, & inter ea immiſcet quædam falſa de electoribus Imperatoris qui quales fuerint ſatis non agnoviſſe videtur, ut etiam obſervat Spondanus in annalibus: ideo horum ſummam breviter proponimus ex eodem, quæ licebit legere in ſexto decretalium magis integra.

Decreta Concilij.

1. Pro reparatione Terræ ſanctæ ſtatuit ſic inter alia. Ex communi Concilij approbatione ſtatuimus, ut omnes omnino clerici tam ſubditi quam Prælati viceſimam Eccleſiaſticorum proventuum uſque ad triennium integrè conferant ad ſubſidium Terræ ſanctæ, per manus eorum qui fuerint Apoſtolica ordinatione ordinati. Quibuſdam tamen religioſis exceptis ab hac præſtatione merito eximendis: illiſque ſimiliter qui aſſumpto vel aſſumendo crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos autem & fratres noſtri ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinales plenariè decimam perſolvemus, ſciantque omnes, ſe ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam incurrant.

2. Cruce ſignati à collectis & tallijs ſint immunes, &c.

3. Judicum nullus participantes in locutione & alijs cum excommunicato ante commonitionem canonicam minori excommunicatione excommunicare præſumat.

4. Ne committantur cauſæ judicibus delegatis, niſi perſonis quæ vel dignitate ſunt præditæ, nec alibi quam in civitatibus vel locis magnis & inſignibus ubi haberi valeat juris copia peritorum.

5. Actori non venienti ad terminum ad quem adverſarium citaverit, non permittetur iterum citare eumdem niſi ſufficienter caverit quod in termino debeat fideliter comparere.

6. Ne quis trahatur ad diverſos judices propter diverſas actiones perſonales.

7. Judex delegatus à ſede Apoſtolica ſine ſpeciali mandato non poteſt partes cogere ad comparendum perſonaliter coram ipſo, niſi cauſa fuerit criminalis, ſive pro veritate dicenda vel juramento calumniæ faciendo, juris neceſſitas partes ſibi jufſerit perſonaliter præſentari.

8. Poſitiones negativas, quæ probari non poſſunt niſi per confeſſionem adverſarij, judices admittere poſſint, ſi æquitate ſuadente judices viderint expedire.

9. In electionibus ſeu poſtulationibus vel ſcrutinijs, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia alternativa & incerta reprobamus & prohibemus. Statuentes ut hujuſmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris conſenſibus ſurgat electio, &c.

10. Si in criminalibus ſe ſpoliatum reus aſſerat à quocumque, infra quindecim dierum ſpatium poſt diem in quo proponitur, quod aſſeruit, comprobabit, &c. illum autem ſpoliatum intelligi volumus in hoc caſu cum criminaliter accuſatur, qui tota ſubſtantia ſua vel majori parte ipſius per violentiam ſe deſtitutum affirmat. Et ſecundum hoc loqui canones ſano credendum eſt intellectu. Quia nec nudi contendere, nec in errore inermes opponere nos debemus. Habet enim ſpoliatus privilegium ut non poſſit exui jam ſpoliatus.

11. Si contra actorem excipiatur quod ſit excommunicatus & intra octo dierum ſpatium manifeſtis documentis non probetur, judex in cauſa procedere non omittat.

12. Cum æterni tribunal judicis illum reum non habeat quem injuſtè judex condemnat. Si quis Judex Eccleſiaſticus ordinarius ſeu etiam delegatus famæ prodigus & proprij perſecutor honoris contra ſcientiam & contra juſtitiam in gravamen partis alterius in judicio quicquam fecerit per gratiam vel per ſordes, ab executione officij per annum noverit ſe ſuſpenſum, ſciturus quod ſi ſuſpenſione durante divinis ſe ingeſſerit damnabiliter, irregularitatis laqueo involvetur à quo non niſi per ſedem Apoſtolicam liberabitur.

Cum excommunicatio ſit medicinalis non mortalis, diſciplinans non eradicans, dum tamen in quem lata fuerit non contemnat, caute provideat judex Eccleſiaſticus ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis eſt & medentis. Quiſquis ergo excommunicat in ſcriptis proferat & cauſam expreſſe conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero ſcripturæ hujuſmodi teneatur excommunicato tradere infra menſem poſt diem ſententiæ, ſi fuerit requiſitus, &c.

Forma ſervanda in excommunicatione.

Cæterum notat præfatus Pariſius cum de contributione pecuniæ facta fuit mentio, contradictum fuiſſe Domino Papæ in facie, maximè propter hanc adjectionem omnibus inviſam, conferant ſubſidium per manus eorum qui ad hoc Apoſtolica fuerint providentia ordinati. Quia multoties & multipliciter conqueruntur fideles Eccleſiæ, ſe de pecunia ſua Terræ ſanctæ in auxilium contributa per Romanam curiam fuiſſe defraudatos. Sed & cum multum Thaddæus conquereretur de excommunicatione, dixiſſe ſummum Pontificem omnibus in propatulo. Quod meum eſt feci, faciat & proſequatur Deus quod voluerit.

Fridericus autem hoc audiens vix ſe præ indignatione capiens in vehementiſſimam iram exarduit, torvoque vultu omnes circumſedentes adſpiciens, intonuit dicens: Abjecit me Papa in ſynodo ſua privans me corona mea? unde tanta audacia? unde talis temeraria præſumptio? ubinam ſunt clitellæ meæ theſaurum meum portatilem continentes? & cum allatæ fuiſſent & coram eo ejus juſſu reſeratæ eſſent, ait: vide ſi jam ſunt amiſſæ coronæ meæ. Repertam igitur unam

Friderici ira & furor.

impoſuit capiti ſuo, & coronatus erexit ſe, & minacibus oculis, voce terribili & inſatiabili corde dixit in propatulo: non adhuc coronam meam perdidi. Vel Papali impugnatione vel ſynodali Concilio, ſive cruento perdam certamine: atque ex tunc animum viresque addixit ut in omnibus noceret ſummo Pontifici cui antea ſemper adverſarius fuerat. Cogitavitque ut partem ſuam magis roboraret, filiam ducis Auſtriæ in uxorem ducere, quæ renuit donec ipſe abſolveretur ab excommunicatione: ſcripſit quoque ad Reges ut eorum corda à veneratione Eccleſiæ ac ſummi Pontificis averterent. Nec deerant qui angerentur futura pericula ponderantes.

Controverſia hujus Concilij.

DIfficultas eſt hujus Concilij, an potuerit Papa vel Concilium deponere Imperatorem, in qua nihil volumus aſſerere, ſed tantum aliquas opiniones afferre, ut etſi quæſtionem tunc multis rationum momentis ultro citroque diſputatam non reſolvamus, eam tamen omnino non taceamus, cum etiam difficilia Conciliorum & momenta controverſiarum indicare nobis propoſitum fuerit.

Dicunt aliqui quod etſi Papa jure divino, quod idem dicas de Concilio, nullam habeat poteſtatem directam in principes, habet tamen indirectam, itaut quando neceſſe eſt ad finem ſpiritualem qui eſt ſalus animarum, poſſit poteſtas ſpiritualis Papæ coërcere laïcam principum poteſtatem: ſicut ſpiritus carni imperat ad finem ſuum obtinendum. Hanc opinionem explicat & tuetur Bellarm. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 6. 7. & ſeq.

Ægidius Romanus.

Ægidius Ro. Cardinalis in quæſtione de utraque poteſtate has inducit concluſiones.

1. Quod poteſtas ſpiritualis & temporalis ſint poteſtates diſtinctæ. Quod probat per rationes phyſicas & Theologicas, ex eo quod earum poteſtatum diverſi ſint actus ac diverſa objecta: nec non per jura canonica ac civiha.

2. Quod Deus poteſtatem ſpiritualem inſtituens nullum promiſit vel contulit dominium terrenorum patet ex cap. 16. Matth. ubi promittit Petro claves regni cœlorum. Eſt autem intelligendum, inquit, quod cum Chriſtus triplicem habuerit poteſtatem, videlicet rerum corporalium, animarum & facultatum temporalium. Prima quidem uſus eſt infirmitates curando, mortuos ſuſcitando, &c. Secunda uſus eſt & commiſit, videlicet ſpiritualem quantum eſt neceſſarium ad ſalutem animarum. Tertia nec uſus eſt, nec commiſit.

3. Quod ſint aliæ cauſæ merè ſpirituales, aliæ temporales mere quas commiſit Deus principibus, &c.

4. Eſt quod Rex Franciæ à ſolo Deo immediatè tenet regnum ſuum, à Vicario vero Chriſti non tenet nec in quantum eſt homo nec in quantum eſt Vicarius Chriſti. Patet ex Innocentio *extra* qui filij ſint legitimi, c. *per venerabilem* de Rege Francorum ſic loquente. Rex Francorum ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcit. Sed & nonne regnum evidenter approbatur à Deo cujus Reges divino munere conſecrantur? Hoc idem probant aperta miracula univerſo orbi manifeſtè notoria & notorie manifeſta. Unde Dominus Rex de juſto titulo ſuo reſpondens dicere poteſt illud in Evangelio, quod reſpondit Dominus Jeſus contra calumnias Judæorum, *ſi mihi non vultis credere, operibus credite*. Sicut enim hæreditario jure ſuccedit Patri Filius in adoptionem regni: ſic quaſi hæreditario jure ſuccedendi, facultatem Deo tradente, alter alteri in ſimili poteſtate miracula faciendi.

Rex Gallia.

Doctor quidam apud Almainum de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica cap. 5. aſſerit Papam habere poteſtatem plenariam in temporalibus & ſpiritualibus: hocque refellit Almainus, quia eſſet occaſio quod ratione talis poteſtatis Papa efferretur in maximam ſuperbiam, & illa plenitudo poteſtatis eſſet multum damnoſa ſubjectis, ideo illa etiam eſſet nociva Papæ & ſubjectis; & ſic non eſt veriſimile quod Chriſtus ei talem contulerit poteſtatem. Dices, ſi nemium excipit quomodo audes aliquem excipere? reſpondetur quod Chriſtus verbo & exemplo, & Apoſtoli docuerunt aliqua excipienda; *Reges dominantur, vos autem non ſic, &c.* Similiter exemplo, quando voluerunt eum facere Regem aufugit. Vide plura ibid.

Almainus.

Idem Almainus quæſt. 2. de ſuprema poteſtate Laïca, cap. 8. arguitur ad idem. Ab illo eſt Imperium qui poteſt Imperatorem deponere. Sed Papa hoc poteſt, igitur: major eſt certa, quia cujus eſt conſtituere Imperatorem, ejus eſt deponere. Patet in Can. *alius* 15. quæſt. 6. Zacharias Papa depoſuit Regem Francorum & inſtituit Pipinum Patrem Caroli: ſimiliter Innocentius depoſuit Fridericum Imperatorem: ergo, &c. Affert varias ſententias ea de re, tum ſubjungit. Ad Canonem *alius*, dico quod ſic intelligitur, Zacharias depoſuit regem, ideſt, deponentibus conſenſit. Unde tunc temporis non erat adhuc univerſitas Pariſienſis, quia tempore Caroli magni fundata fuit, & ſic pauci erant docti in Francia & habuerunt recurſum ad Papam, & ſic depoſuit, ideſt, conſenſit ut poſſent deponere & non depoſuit auctoritativè. Quantum ad aliud de Innocentio qui depoſuit Federicum Imperatorem, dicit Doctor, quod Innocentius depoſuit in Concilio, non quod habuerit authoritatem deponendi, ſed Concilium depoſuit, & Innocentius tulit ſententiam, vel loco Concilij à quo acceperat authoritatem deponendi, depoſuit. Hæc ibi, quæ ſatis non ſunt ad ſolvendam difficultatem, imo ipſam magis involvunt. Cum par ſit difficultas de authoritate Concilij ac ſummi Pontificis circa hoc factum. Sed nec vellem tanquam Judex pro tribunali ſedens cauſam iſtam definire: cum tanta ſemper fuerit ſuper ea doctorum contentio, ut ex contrarijs eorum ſcriptis vix quidpiam depromere liceat quod ſit expers contradictionis circa hanc ſpinoſam quæſtionem, quamque vix ex aliqua parte contrectare licet, itaut ſatisfiat curioſis & omne dubium exhauriat.

Rogerius.

Rogerus Vvidringtonus Catholicus Anglus, qui tamen à Philippo Labbe inter Hæreticos aut de Hæreſi ſuſpectos, cenſura aſperiori recenſetur in *Synopſi*, librum ſcripſit an. 1611. Coſmopoli apud Theopilum Pratum, qui inſcribitur, *Apologia Cardinalis Bellarmini pro jure Principum. Adverſus ſuum ipſius rationes pro auctoritate Papali Principes ſeculares in ordine ad bonum ſpirituale deponendi.* In quo ſibi ptoponit ita cautè & prudenter agendum, ut neque Pontificiæ dignitati quidquam detrahatur, neque ei aliquid, in majeſtatis regiæ præjudicium, plus æquo tribuatur, ſed ut juxta domini præceptum & Cæſari reddantur quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo. Laudabile certe conſilium, cum in his in mente habendum ſit ſcriptum ab Arnulpho Lexovienſi in Epiſt. ad Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum. *Quia neque pax Eccleſiæ ſine regno, neque regno ſalus poterit provenire niſi per Eccleſiam.* Addo nec diſputationem iſtam eſſe contra Pontifices Rom. qui non prætendunt ſe jus habere in res temporales ac dominia principum, ut ipſis affingunt hæretici, ut ejus primatum tam exoſum reddant: nec facta quorumdam Pontificum dogmata ſunt fidei: eſt ergo iſta diſputatio potius contra rationes quorumdam ſcriptorum.

Liber in tres partes principales dividi poteſt, licet uno tractu ſine diviſione ulla totus ſit in refellendis Cardinalis Bellarmini argumentis, quibus conatur probare Pontificem jus habere indirectè ob bonum ſpirituale, ob quædam crimina ſuis dominijs temporalibus ſpoliandi principes.

In prima parte oſtendit. Quot ſcriptores etiam ex Sanctis Patribus, ut Tertulliano in Apologetico, S. Ambroſio in Apologia David cap. 10. Hieronymo tom. 1. epiſt. 46. ex illis verbis pſalm. 50. *tibi ſoli*

peccavi, iſtam Bellarmini doctrinam impugnent. Alios profert qui Eccleſiam non niſi unum gladium, ſpiritualem nempe, habere profitentur, ut D. Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 7. Nicolaus Papa c. *inter hæc* 23. quæſt. 2. Cœleſtinus tertius cap. *cum ab homine* extra *de judicijs*. Gratianus 2. quæſt. 7. cap. *nos ſi*. Petrus Damiani Epiſt. ad Firmianum apud Baron. in Annal. an. 1503. D. Bernardus l. 2. de conſid. ad Eugenium Papam &c. ait non habere gladium materialem in juſſu ſed in nutu, nempe & ordinando quando Imperator illum pro Eccleſiæ neceſſitatibus extrahere debeat. Ac miratur cur Card. Bellarminus ſententias recenſens, ne unum quidem auctorem Catholicum recenſeat pro jure Principum, cum Trithemius Abbas in chronico Monaſterij Hirſaugienſis an. 1006. varias inter Theologos ea de re teſtetur fuiſſe ſententias, ſcribens. Ipſe autem (Henricus IV.) primus eſt inter omnes Imperatores per Papam depoſitus. Scolaſtici certant, & adhuc ſub judice lis eſt, utrum Papa Imperatorem poſſit deponere: quam quæſtionem cum ad nos non attineat, indiſcuſſam relinquamus. Subjungitiſtis in eadem parte nullo ſcripturæ loco fulciri opinionem Bellarmini nec praxi antiquæ Eccleſiæ (licet vires non defuerint ſub Diocletiano, Juliano aut Valente, cum exercitus Chriſtiani Catholici eſſent ex majori parte) quæ non agnoſcit aliam poteſtatem in Papa quam quæ ratione officij Paſtoralis ipſi attribuenda eſt. Nec ullam rempublicam privare poſſe ſuum delinquentem alijs bonis aut privilegijs quam quæ illius ſunt propria: ſicut poteſtas temporalis non privat bonis ſpiritualibus. Dein exaggerat incommoda hujus opinionis, ut quod poſſet etiam vita privare, idque competeret etiam alijs Epiſcopis & alia horrore plena quæ inde ſequerentur. Denique ex ipſo Bellarmino l. 2. de Rom. Pontifice cap. 29. ſicut ante Chriſtianam legem homines ſubjecti erant Imperatoribus: ita etiam poſtea eidem ſubditos eſſe, cum lex Chriſtiana neminem privet jure ſuo. Nec obſtat quod Baptiſati fuerint poſtra: nam cum facti fuerunt membra Chriſti, & Oves gregis dominici, tantum in rebus ſpiritualibus & quæ ad æternam ſalutem ſpectant Præſidi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſe ſubmiſerunt.

Argumenta V. Bellarmini.

In 2. parte reſpondet ad argumenta quinque Bellarmini. 1. eſt quod poteſtas civilis ſubjecta eſt poteſtati ſpirituali quando utraque pars eſt ejuſdem reipublicæ Chriſtianæ. Omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo &c. refutat quia hoc argumentum ſupponit utramque poteſtatem unam tantum rempublicam apud Chriſtianos conſtituere: quod ex principijs ipſius veritati diſſentaneum oſtendit, & axioma illud, quod ſuperior inferiori imperare poteſt, verum eſſe ait in ſenſu formali tantum, quo ad ea in quibus eſt ſuperior: eſt autem poteſtas ſpiritualis tantum ſuperior in rebus ſpiritualibus. Nec finis civilis poteſtatis qui eſt tranquillitas reipublicæ ſubordinatur per ſe & natura ſua fini ſpiritualis poteſtatis, ſed tantum per accidens, quatenus princeps agit propter finem ſpiritualem. Quælibet enim potentia, ut talis eſt, habet pro ſuo fine ſuum actum, ſicut quælibet ſcientia ſui objecti cognitionem, licet homo cui inhæret aliud ultra poſſit intendere, &c.

2. Argumentum eſt: quod reſpublica Chriſtiana debet eſſe perfecta & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem. Sed poteſtas diſponendi de temporalibus neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem, quia alioquin mali principes poſſent impune fovere hæreticos & evertere religionem &c. Reſpondet æquivocationem eſſe in iſta propoſitione. Non enim reſpublica Chriſtiana habet poteſtatem ſufficientem ad ſuum finem eo ſenſu, quaſi poſſet omnes ſalvare actu & de facto: nam ſic nullus periret abſque gravi Pontificis culpa: ſed tantum habet poteſtatem ſufficientem ex parte poteſtatis ſupponendo ſubjectum alias aptum & bene diſpoſitum. Quo poſito non eſt neceſſaria illa poteſtas diſponendi de rebus temporalibus. Cum ſufficeret contra magis contumaces excommunicatio, quâ nulla pœna gravior. Poſt quam nihil reſtat Eccleſiæ. Sed & idem argumentum poſſet retorqueri in præjudicium ſummi Pontificis ad ipſius depoſitionem per poteſtatem civilem ſi ipſius fini adverſetur: debet enim etiam illa eſſe ſufficiens in ordine ad ſuum finem, cum ſit à Deo & in ſuo genere perfecta, &c.

3. Argumentum eſt, quod non licet Chriſtianis tolerare regem infidelem aut hæreticum, ſi conetur ſubditos ad infidelitatem ſuam pertrahere: at pertinet ad Pontificem judicare an ita ſit: ergo pertinet ad ipſum judicare an deponendus ſit, cum cura religionis ipſi commiſſa ſit. Reſpondet captioſam eſſe argumentationem, & dato non tamen conceſſo, quod populus haberet hanc poteſtatem (circa quod adhuc multa diſcernenda eſſent) ſi Pontifex ad quem pertinet de omni peccato judicare in quantum offenſa Dei eſt, non alio tamen judicio iſtud judicaret, quam quatenus iſtud peccatum pœnis ſpiritualibus & cenſuris corrigendum eſſet, non autem pœna temporali qualis eſt depoſitio. Nam in foro mundano peccata quatenus turbant pacem reipublicæ ſubjiciuntur poteſtati politicæ, per quam judicari poſſunt & pœnis temporalibus ſubjici: at quatenus offenſa Dei ſunt & ſpirituali ſaluti nocent ſubjiciuntur judicio Eccleſiæ, ſeu in foro interiori pœnitentiæ ſeu in foro externo ſi publica & graviora ſunt, ſed tantum ut pœnis Eccleſiaſticis caſtigentur: Qualis non eſt privatio dominij &c. nec obſtat quod in confirmationem aſſumitur, conjugem fidelem liberam eſſe ab obligatione manendi cum conjuge infideli, cum non poteſt ſine injuria fidei. Aliud enim eſt non teneri manere, aliud deponere, quod arguit quamdam auctoritatem. Nec jus conjugij propterea rumpitur ut liceat mulieri ad alium virum convolare &c.

4. Argumentum eſt, quod principes quando Chriſtiani fiunt, admittuntur ab Eccleſia cum pacto expreſſo vel tacito, ut ſceptra ſua ſubjiciant Chriſto & polliceantur ſe fidem ſervaturos & defenſuros etiam ſub pœna perdendi regni. Ergo &c. Negat antecedens quoad utramque partem, cum in Baptiſmo non fiat ulla promiſſio, ſed ſit nudum propoſitum abrenuntiandi Sathanæ. Nec ullum verbum de perdendo regno, ſi aliter fiat, etiam cum inaugurantur. Nec leges in hæreticos latæ obligant Principes quoad vim coercitivam, quod ſpectat ad pœnas temporales, legibus enim ſoluti ſunt tuti imperij poteſtate à ſolo Deo temporalibus pœnis puniendi. & canon de confiſcandis bonis hæreticorum aſſenſu Imperatoris conditus eſt qui tunc Paduæ erat, ut notat Joannes Pariſienſis ex Hoſtienſi, *extra de hæreticis* cap. *ad abolendam*. Ubi quærit, quid ad Papam de temporalibus? & reſpondet cum Domino ſuo Innocentio, quod revera nihil, ſed hoc fecit de aſſenſu Imperatoris, qui tum Paduæ præſens conſenſit.

Paſtoris poteſtas triplex.

5. Argumentum, cum Petro dictum eſt *paſce oves meas* Joh. ult. data eſt illi facultas omnis Paſtori neceſſaria: at illa triplex, una circa lupos ut eos arceat: altera circa arietes ut ſi quando cornibus lædant gregem eos recludat nec ſinat præcedere: tertia circa oves ut tribuat convenientia pabula. Exinde triplex argumentum conficit: quia hæretici lupi ſunt, poterit paſtor eos arcere per excommunicationem & ſimul jubere populo ne eos ſequantur ac privare dominio. 2. Princeps Catholicus fidelis ſed adeo malus ut multum obſit religioni: eſt aries deſtruens ovile, quem ideo poterit paſtor recludere & redigere in ordinem ovium 3. poteſt oves ita paſcere ut eis convenit: debent autem reges defendere Eccleſiam: ergo poteſt Paſtor jubere ut id faciant, & niſi fecerint, cogere per excommunicationem & alias commodas rationes. Hæc eſt ultima ratio Bellarmini, in qua magis ingenioſe quam ſolidè intentum ſuum probat. Reſponderur: ſicut Paſtor ſeu princeps temporalis habet pro ſuo fine pacem temporalem & Paſtor ſpiritualis æternam ſalutem anima-

rum: ita uterque tum poteſtates tum inſtrumenta proportionata ad hos fines & conſequendos & conſervandos habere debet: unde fit ut licet Pontifex triplici hac poteſtate polleat, non tamen uti debet alijs inſtrumentis quam ſuo officio ſpirituali proportionatis. Talis autem non eſt depoſitio Principis. Deinde obſervat multiplex diſcrimen inter arietes & oves irrationales & rationales: ita enim arietes irrationales Paſtori ſubjiciuntur, ut non ſint alterius gregis nempe ſtatus politici, ſicut dicitur de Davide 1. Paral. 11. *Tu paſces populum meum.* Lupus animal brutum nequaquam fuit ovis & eſſe non poteſt, & à quolibet occidi poteſt, etiam privato, ſine licentia Paſtoris. Quod de Principe hæretico, qui lupo aſſimilatur, nequaquam dici poterit. Denique oves rationis expertes nulla habent arma quibus ſe defendant: at oves dominici gregis habent arma ſpiritualia, quibus cum hoſte fortiter pugnent, itaut niſi volentes ab ipſo non lædantur, de quibus Apoſtolus 2. Cor. 10. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum*, & ad Eph 6. *induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Ex quibus diſcriminibus aliter ratiocinandum eſſe patet de Paſtore ovium irrationalium & rationalium. Quin & inter Paſtores alij ſunt etiam Domini ovium, quibus licet morbidam ovem mactare, alij non ſunt domini quorum poteſtas magis limitata eſt, & multa non licent circa oves abſque domini licentia: at comparatio Paſtoris cum talibus Paſtoribus magis accomodanda videtur, cum Papa non ſit dominus omnium quorum eſt Paſtor. Denique argumentum retorqueri poſſet ſimili modo in favorem Principum, qui ſunt Paſtores civilis gregis contra quoſcumque qui injuriosè pacem publicam perturbarent.

Concludit relinquens ſubtilioribus ingenijs diſcutiendum an hæ rationes Bellarmini ſufficiant ad rem fidei ſatis ſtabiliendam, an potius ad rem probabilem vix confirmandam juxta ipſiusmet principia.

In tertia parte ejuſdem tractatus reſpondet ad duodecim exempla quibus idem confirmare conatus eſt Bellarminus cap. 8.

Argumentum ex 12. exemplis.

1. Exemplum eſt 2. Paral. 26. ubi legitur Oziam regem cum Sacerdotis officium uſurparet fuiſſe a Pontifice de templo ejectum, & cum propter idem peccatum lepra ad eo percuſſus fuiſſet, coactus fuit ex urbe diſcedere & regnum filio renuntiare. Ad quod inter alia reſpondetur, quod quamvis Sacerdotes Levitici haberent poteſtatem judicandi de lepra, non tamen privandi dominio. Privatio enim dominii ſemel facta perpetuo durat. Jus autem regni pœnes oziam fuit uſque ad mortem. Deinde comparatio inter Sacerdotem qui poterat ſeparare leproſum & Pontificem, ſalvari poteſt in ſola poteſtate excommunicandi per quam rex ſpiritualiter ſeparari poteſt.

2. Exemplum 2. Paral. 23. ubi cum Athalia tyrannice occupaſſet regnum & foveret cultum Baal, Joiada Pontifex vocavit centuriones & milites & juſſit eis, ut Athaliam interficerent, & pro ea Joas regem creavit. Miratur hic Rogerus quod in re tanta ex conjecturis adeo levibus argumentetur Bellarminus. Ex conſenſu enim ordinum id factitatum à Joiade ob tyrannidem Athaliæ, ut legitimus rex Joas in regni poſeſſionem mitteretur. Sollicitavit igitur id Joas, inito fœdere cum centurionibus contra injuſtam regni uſurpatricem.

3. Exemplum eſt B. Ambroſij qui Theodoſium Imperatorem excommunicavit & præcepit ut legem ferret ne ſententiæ latæ de cæde vel bonorum publicatione ratæ eſſent niſi poſt triginta dies. Apud Theodoretum l. 5. hiſt. cap. 17. quod non fecit D. Ambroſius prius quam cauſam illam cognoviſſet & judicaſſet. Reſp. nihil ad quæſtionem iſtud pertinere, cum non negetur Epiſcopos eſſe judices & Patres ſpirituales in utroque foro ad ferendas cenſuras propter peccata quæ ad forum internum & externum poſſunt pertinere. Præceptum autem Theodoſio ad ferendam legem impoſitum fuit in foro conſcientiæ, non tam ad pœnam quam ad cautelam. Quod ad quæſtionem præſentem nihil attinet.

4. Exemplum eſt Gregorij primi in privilegio quod conceſſit Monaſterio S. Medardi, & habetur in fine Epiſtolarum. Sub pœna privationis cujuſcumque dignitatis & ſublimitatis, ſi quis violaverit. Reſp. ibi non tam eſſe imperantis quam imprecantis deſiderium, ut ex contextu patere poteſt.

5. Exemplum eſt Gregorij ſecundi qui Leoni Imperatori Iconomacho prohibuit vectigalia ſolui ab Italis: ſicque parte Imperij eum muctabat. Reſp. non aliter quam perſuadendo id effeciſſe. perſuaſit, ait Otho Friſing. l. 5. hiſt. cap. 18.

6. Exemplum eſt Zachariæ qui rogatus à primoribus Francorum Childericum depoſuit & in ejus locum Pipinum Caroli magni Patrem creari juſſit. Reſp. tantum Zachariam primoribus Francorum deponentibus Childericum conſenſiſſe ac approbaſſe. Ita enim exponit Gloſſa in cap. *alius* 15. quæſt. 6. & Aimonius de geſtis Francorum lib. 4. cap. 61. refert Pipinum procerum ſuffragijs fuiſſe regem electum. Sic alij plures.

7. Exemplum eſt Leonis tertij qui Imperium tranſtulit à Græcis in Germanos, quod Græci nullum auxilium laboranti Eccleſiæ adferre poſſent. Reſp. tranſlationem factam fuiſſe ex conſenſu cleri, Senatus populique Romani, qui Imperium tot laboribus adquiſierat. Inter quos primus erat Leo qui tranſlationem ſollicitavit, quapropter illi hæc tranſlatio à pluribus ſcriptoribus attribuitur. Plures ad id firmandum ſcriptores profert: ut pateat hanc tranſlationem vim & efficaciam habuiſſe ex conſenſu Romanorum cæterorumque populorum Italiæ, &c.

8. Exemplum eſt Gregorij quinti qui ſanctionem edidit de eligendo Imperatore per ſeptem Germaniæ principes. Reſp. id factum ex conſenſu populi & omnium Alemanorum ut reſpondet Cardin. de Cuſa de *concordantia Catholica* cap. 4. qui ſibi Imperatorem eligere poterant. Exinde radicalem vim habet illa conſtitutio.

9. Exemplum eſt Gregorij VII. qui Henricum Imperatorem depoſuit. 10. Innocentij III. qui Othonem quartum ſimiliter depoſuit. 11. eſt Innocentij IV. qui in Concilio generali Lugdunenſi depoſuit Fridericum ſecundum. 12. exemplum eſt Clementis ſexti qui Ludovicum quartum à Joanne vigeſimo ſecundo & Benedicto duo. decimo excommunicatum depoſuit. Eſto iſta omnia vera ſint. Sed quæritur quo jure id factum fuerit. Addit nihilominus excuſari poſſe tales Pontifices, cum apud Theologos ſatis conſtet poſſe interdum ob conſcientiam vere probabilem, quæ (quoad culpam attinet) invincibili comparatur, eſſe bellum ex utraque parte licitum, quod tamen nihil impedit quo minus cauſa alterius partis ſit reipſa iniqua. Citatque in margine Victoriam relect. *de jure belli* n. 32. Vaſquez 1. 2. diſp. 64. nu. 16. & alios.

Quid Concilio egerit.

Obſervandum autem diligenter monet, quod quamvis Bellarminus dicat Innocentium IV. in generali Concilio Lugdunenſi conſentientibus univerſis Patribus Fridericum depoſuiſſe, ex ipſo tamen Concilio id colligi non poſſe, cum initio bullæ depoſitionis non legatur, Innocentius Servus ſervorum Dei &c. ſacro approbante Concilio, ſicut in alijs decretis, ſed tantum ſacro præſente Concilio. Nec fit mentio conſenſus Patrum, ſed tantum in fine meminit, ſe cum Concilio maturam deliberationem habuiſſe de pluribus nefandis flagitijs Friderici. At ſi univerſi approbaſſent, id non omiſiſſet Innocentius, ſicut in ſequenti decreto fecit. Concludit: memores Dominici præcepti ſuum cuique tribuamus, Cæſari reddentes quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo.

Nec vero iſte Rogerus primus eſt inter Anglos qui hanc quæſtionem ventilaverit: refert ſiquidem Pati-

fius Monachus cum ab Innocentio III. Johannes rex Angliæ privatus regno fuiſſet, Pſeudo-Theologus quidam Magiſter Alexander dictus Cæmentarius, qui ſuis iniquis prædicationibus non mediocriter regem ad crudelitatem commovit &c. Ad Papam quoque non pertinere de regum ſive de quorumlibet potentum laica poſſeſſione vel ſubditorum regimine, verisimilibus quibuſdam probavit argumentis. Cum præcipuè principali Apoſtolorum Petro, nihil à Domino, niſi Eccleſiæ tantum ac rerum Eccleſiaſticarum collata ſit poteſtas &c. Sed cum ipſius perverſitas ad ſummi Pontificis aures pervolaſſet, ipſo Papa procurante, bonis ac Beneficijs omnibus ſpoliatus ad tantam demum miſeriam perductus eſt, ut in habitu pauperrimo neceſſitate compulſus ſit panem ſuum oſtiatim mendicare, quem videntes multi ſubſannando dixerunt. *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem, ſuum* &c.

Alexander maſſo.

Hæc Matthæus Paris indicans utcumque inquam partem vergat, forſan quod regnum Angliæ fendatarium tunc eſſet Papæ.

Quam tandem vero quiſpiam amplectatur opinionem, non ſequitur inde in fide Concilium errare, quia non eſt hic aliqua determinatio alicujus articuli fidei, nec de hoc agitur, ſed eſſet magis defenſio Dominij D. Petri, quod cum Fridericus armis invaderet ac plures illius civitates occuparet, putavit Concilium vim vi repellendam eſſe, ac perniciem quam machinabatur in alios, in ipſum refundendam eſſe, ut vocatis in ſocietatem quibuſcumque potentibus à Dominio dejiceretur, qui aliena detinebat. Sic Baron. to. 10. anno Chriſti 897. de injuſto decreto Stephani aut Sergij Papæ contra Formoſum ac ordinatos ab eo ut reordinarentur loquens, ſcribit non fuiſſe errorem in fide, ſed violentam tyrannidem in facto fuiſſe. Quod dicimus, non quod depoſitionem illam Friderici, illo nomine dignam cenſeamus, cum ſanctus Ludovicus Rex probatam eam habuerit, ac Innocentium ſibi metuentem à furore Friderici, confirmaverit arma ſua in ejus tuitionem pollicitus, ſicque animum addiderit cum tæderet eum vivere ob plurima mala Eccleſiæ illata propter hanc depoſitionem: ſed ut quæcumque ſententia teneatur, nihil tamen ex hinc concludi poſſit contra infallibilitatem Conciliorum, quæ eſt circa fidei doctrinam ac morum decreta.

Solutio difficultatis.

CONCILIVM LVGDVNENSE II. GENERALE XIV.

Contra Græcorum errores, ac pro recuperatione Terræ Sanctæ. Celebratum anno Domini 1274. tempore Gregorij X. ac Rodulphi Imperatoris.

MAjorem ac univerſam fere Græcorum à Ro. Eccleſia diſciſſionem contigiſſe ſub Gregorio nono narrat Matthæus Paris in Hiſtoria Angliæ in Henrico tertio anno 1237. cum Germano Archiepiſcopo ſuo penitus adhæſerunt, ac ejus erroribus veteribus & novis per quos enormiter à Religione Catholicâ declinant: & in multis, inquit, Latinis contradicunt & eos ſpernunt, Eccleſiam Romanam in pluribus condemnantes, magis tamen ejus facta quam dicta. Conſtituit igitur Germanus ſedem ſuam quaſi alter Lucifer in Aquilone, ſcilicet in Conſtantinopoli Græcorum civitate Metropolitana: filius ſcilicet degener & Antipapa, vocans Eccleſiam ſuam & aſſerens dignioremi, & Eccleſiam Romanam ſororem ejus dicens, non matrem: eo quod B. Apoſtolorum Princeps Petrus, prius quam Romam veneret, Antiochiæ quæ Imperio Græcorum adjacet & pertinet, ſedem conſtituit Cathedralem. Addens quod Antiochia omnem quem potuit Apoſtolo Chriſti & ſic Chriſto exhibuit honorem & reverentiam: propter quod Theophilus meruit appellari. Roma vero eumdem Apoſtolum Petrum & Co-Apoſtolum ejus Paulum poſt probra & contumelias mortis ſupplicio condemnavit. Hinc honor & reverentia: illinc dedecus & inſolentia. Refertque præfatus Matthæus Epiſtolas tum Germani ad Gregorium, tum Gregorij ad Germanum occaſione majoris illius diviſionis conſcriptas, quæ cum tempore Gregorij decimi, poſt multa ad unionem utriuſque Eccleſiæ adhibita remedia, nondum ablata eſſet, hic Synodum œcumenicam indixit, ut præter cætera, quæ maxima acturus erat, Græcos ad Eccleſiæ fidem auctoritatemque ac pietatis officium revocaret: ac cum res iſta litteris & diſputationibus peragi debebat, ad illud Concilium vocavit inter cæteros D. Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum, ac Divus Bonaventura Ordinis Minorum clariſſimos facultatis Pariſienſis Doctores. Quorum ille ante ipſum Concilium obijt in itinere, hic in ipſo Concilio, cum jam Græcos ipſos ad rectam fidem capeſſendam induxiſſet, quorum animos non mediocriter ſibi conciliaverat in ipſo Concilij exordio oratione habita ſub hoc themate. *Exurge Jeruſalem & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem.* Sic mira fuit conjunctio D. Thomæ & Bonaventuræ, qui ambo in ſcolis Pariſienſibus condiſcipuli, ad Concilij Lugdunenſis labores ſimul vocantur, eodemque anno motiuntur ad cœleſtem beatitudinem evehendi tanquam duo ſancti perſimiles ac duo gemini fratres, ſicque qui in doctrina, ac virtute conjuncti erant in morte non ſunt diviſi. Quia vero acta Concilij deſiderantur, fragmentorum quorumdam collectanea hic dabimus, ex quibus intelligi poſſit, quantum ratio ſummæ patitur, quid in eo actum fuerit. ac primo Abrahamus Bzovius primus Baronij continuator inſervit ſuis annalibus ad annum 1274. collectionem cujuſdam anonymi, qui omnibus ejus actis interfuit, ex qua initium damus hujus Concilij, ſic ibi.

D. Thomas & Bonaventura.

Schiſma Græcorum.

Ex Collectore anonymo.

In nomine Domini, Amen. Anno ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, menſe Maji, die Lunæ ſeptima ejuſdem, tertia indictione. Congregato Generali Concilio per ſanctiſſimum Papam Dominum Gregorium decimum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummum & univerſalem Pontificem, Lugduni in majori Eccleſia ſancti Joannis Lugdunenſis, injuncto priùs per ipſum ſanctiſſimum Papam, quinto die ante ſeſſionem, ſcilicet ſecunda ejuſdem menſis, omnibus Prælatis & Capellanis ſuis jejunio triduano, & ſedibus præparatis in navi ipſius Eccleſiæ per circuitum, idem Dominus Papa circa horam Miſſæ deſcendens de camera ſua in ipſam Eccleſiam, præparato ſibi faldiſtorio in choro, conducentibus eum duobus Diaconis Cardinalibus, ut moris eſt, dixit tertiam & ſextam, quia erat dies jejunij, quibus finitis Subdiaconus venit cum ſandalibus, & calceavit illum, Capellanis dicentibus pſalmos conſuetos circa ipſum: & eo calceato & lotis manibus Diaconus & Subdiaconus more ſolito induerunt eum omnibus veſtibus Pontificalibus albi coloris, quia inter Paſcha & Aſcenſionem erat: & pallio, ſicut ſi eſſet Miſſam celebraturus: & inde præcedente Cruce, aſcendit pulpitum præparatum, & ornatum, & ſedit in faldiſtorio ſuo, miniſtrante ſibi pro Preſbytero Domino Simone tituli ſancti Martini, & Diacono Domino Othabono Cardinali, & aſſiſtentibus ſibi in eodem pulpito Domino Othabono ſancti Adriani, & Dominis Jacobo ſanctæ

Mariæ in Coſmedin, ſancti Georgij ad velum aureum, Huberto ſancti Euſtachij, Mathæo ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconis Cardinalibus: etiam ſedente juxta eum Domino Jacobo Rege Arragonum, aſſiſtentibus etiam ſibi quibuſdam Capellanis ſuperpelliceis indutis: ſedens idem ſummus Pontifex in faldiſtorio ſuo, fecit Crucem ſuper Prælatos & Concilium, qui ſic ſedebant ab oppoſito, & in eminentibus ſedibus præparatis. In medio navis ejuſdem Eccleſiæ ſederunt Domini Pantaleon Conſtantinopolitanus, & Opitio Antiochiæ Patriarchæ: in ſedibus alijs à latere dextro ſummi Pontificis ſederunt Domini Joannes Portuenſis & ſanctæ Ruffinæ, Petrus Tuſculanus Vice-Dominus Prænestinus, Fr. Bonaventura Albanenſis, Fr. Petrus Oſtienſis & Velletranus, Bertrandus Sabinenſis Epiſcopi Cardinales: à latere verò ſiniſtro Averus tituli S. Praxedis, Gulielmus ſancti Marci, Simeon tituli S. Cæciliæ Preſbyteri Cardinales; poſt hos verò à dextris & ſiniſtris ſederunt Primates, Archiepiſcopi & Epiſcopi, Abbates & Priores, & alij Eccleſiarum Prælati in magna multitudine, non diſceptantes de locis; cùm per eumdem ſummum Pontificem fuerit ordinatum, ut ſine præjudicio Eccleſiarum ſuarum ſederent. Stantibus autem inferiùs Fratre Vvilermo de Hoſpitali, & Fratre Roberto Magiſtro Templi, & aliquibus fratribus earumdem Religionum, & Nuncijs ſolemnibus Franciæ, Alemanniæ, Angliæ & Siciliæ Regum, & aliorum quoque multorum Principum, Baronum, Capitulorum, & Eccleſiarum Procuratoribus: Capellani cantaverunt Antiphonam, *Exaudi nos Domine*; qua finita Dominus Papa ſurgens dixit, *Oremus*: Dominus Othabonus flexis genibus, & Dominus Jacobus dixerunt; *Levate*: & ſummus Pontifex dixit alta voce Orationem, ſicut habetur in Ordinario. Deinde per unum Capellanum cantata eſt Litania minor, Domino Papa, & omnibus Cardinalibus ac Prælatis aſtantibus, genibus flexis & ſine mitra. Qua finita, per eumdem Capellanum & reſpondentibus ſibi quamplurimis, Dominus Papa ſurgens dixit, *Oremus*: Dominus Jacobus flexis genibus, & Dominus Gotifredus reſponderunt, *Levate*: & Dominus Papa dixit aliam Orationem in tono ſecundum primum. Poſt hæc Dominus Othabonus, facta reverentia Domino Papæ, & benedictione petita, ut moris eſt, cantavit Evangelium ſecundum Matthæum ſcilicet, *Deſignavit Dominus Jeſus alios ſeptuaginta duos*. Hoc finito Dominus Papa ſtans erectus alta voce incepit hymnum, ſcilicet; *Veni Creator Spiritus*, quo cantato per ipſum & totum Concilium, ſtans ſine mitra cum magna devotione, ipſe poſtea ſedit in faldiſtorio ſuo, & omnes Prælati in locis ſuis ſederunt, & tunc ipſe incepit ſermocinari, propoſito themate, ſcilicet; *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar, & antequam moriar*; & proſecutus eſt ſermonem ſuum. Quo finito, & aliquantulum pauſato, cœpit alloqui Concilium, narrando motum & votum animi ſui, & cauſas propter quas evocaverat Concilium, & ſuper quibus, ſcilicet ſuper ſubſidio Terræ ſanctæ, & ſuper unione Græcorum, & ſuper reformatione morum, deliberaturi eſſent. Qua allocutione completa ſurrexit de ſede, & indixit aliam ſeſſionem ad aliam diem, Lunæ ſcilicet, & ſic diſſoluta eſt prima ſeſſio. Idem autem Papa rediens ad locum, ubi ſe induerat, exuit ſe Pontificalibus veſtimentis, & dixit nonam.

Eodem anno & menſe, die verò veniente decima octava ejuſdem, facta eſt ſecunda ſeſſio, in qua omnia facta ſunt ſicut in prima: excepto quòd non fuit indictum jejunium, & pro Preſbytero ſervivit Dominus Averus, pro Diacono Dominus Jacobus: & quòd aliud Evangelium cantatum eſt, ſcilicet ſecundum Lucam; *Vos eſtis ſal terræ*: & quòd aliæ Orationes dictæ ſunt, ſicut habetur in Ordinario, & quòd Dominus Papa non fecit ſermonem, ſed allocutionem tantùm ſuper illis, quæ fuerant in prima ſeſſione. Qua allocutione finita, latæ ſunt Conſtitutiones pro zelo fidei, & licentiati ſunt omnes in iſta ſeſſione Procuratores Capitulorum ac Abbates, & Priores non mitrati: exceptis illis, qui fuerunt nominatim ad Concilium evocati. Licentiati ſunt omnes etiam alij inferiores Prælati mitrati, & indicta eſt tertia ſeſſio ad diem Lunæ poſt Octavam Pentecoſtes, quæ erat vigeſima-octava Maij, & ſic diſſoluta eſt ſeſſio ſecunda.

Inter primam & ſecundam ſeſſionem Dominus Papa cum Cardinalibus advocarunt ſegregatim Archiepiſcopos, & quemlibet cum uno Epiſcopo & Abbate ſuæ Provinciæ, & diviſos habuit eos in Camera ſua, Epiſcopos etiam & Abbates, qui immediatè ſubſunt Romanæ Eccleſiæ, & petijt, & obtinuit ab eis decimas omnes reddituum, fructuum & proventuum Eccleſiarum, uſque ad ſex annos continuos, incipiendo à Feſto S. Joannis Baptiſtæ inſtantis anni Domini milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi quarti, uſque ad ſex annos continuos futuros, ſicut in Conſtitutione habetur. Eodem anno, menſe verò Junij die ejuſdem ſeptima, facta eſt tertia ſeſſio, in qua omnia facta ſunt ſicut in prima, excepto quòd non fuit indictum jejunium, & quòd pro Diacono ſervivit Dominus Gaufredus ad velum aureum, & quòd cantatum eſt aliud Evangelium, ſcilicet ſecundum Matthæum: *Acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli, &c.* & quod aliæ Orationes dictæ ſunt, ſicut in Ordinario continetur; & quòd non fuit ibi Rex Arragonum, & quod Frater Petrus Oſtienſis Epiſcopus ſermocinatus eſt, incipiens thema, ſcilicet: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.* Et poſtea lectæ ſunt Conſtitutiones ſcilicet; *Ut circa electionem. Avaritiæ cæcitas. Quam ſit Eccleſijs. Perpetuæ ſanctionis: nulli liceat. Si quando contigerit. Quamvis Conſtitutio. Properandam. Eos qui Clericos. Exigit multorum.* Conſtitutiones felicis recordationis Innocentij Papæ, præſente Generali. Quibus lectis Dominus Papa allocutus eſt Concilium, & dedit licentiam omnibus Prælatis, quòd poſſint exire Lugduno, & elongare ſe uſque ad ſex leucas. Diem alterius ſeſſionis non præfixit, propter dubium adventum Græcorum, & ſic abſoluta eſt tertia ſeſſio. Tamen inter ſecundam & tertiam ſeſſionem Dominus Papa vocavit Prælatos, ſicut inter primam & ſecundam, & fecit coram eis legi Conſtitutiones prædictas, quæ lectæ ſunt.

Item pendente termino ſequentis ſeſſionis, Fr. Hieronymus & Fr. Bonagratia, qui miſſi fuerunt Nuncij cum duobus Fratribus per Romanam Eccleſiam ad Græcos, miſerunt quaſdam litteras Domino Papæ, de quibus ipſe Dominus Papa multum gaviſus eſt, & fecit vocari omnes Prælatos in majori Eccleſia Lugdunenſi, & ibi omnibus Prælatis exiſtentibus in cappis ſuis, Fr. Bonaventura Albanenſis Epiſcopus ſermocinatus eſt propoſito themate, quod legitur Bàruch. 5. *Exurge Hieruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem.* Poſt cujus ſermonem lectæ ſunt eorumdem Nunciorum litteræ prædictæ.

Eodem verò anno & menſe, die vigeſima quarta, Nuncij Imperatoris Græcorum venerunt, quorum nomina ſunt in littera miſſa Papæ. Omnes Prælati qui erant in Concilio cum familiaribus ſuis, Camerarius cum tota familia Papæ, Vice-Cancellarius & omnes Notarij, ac omnis familia Cardinalium exiverunt eis obviam, & eos uſque ad Palatium Domini Papæ honorificè deduxerunt. Hi ab eodem Domino Papa ſtante in porta ejuſdem Palatij cum omnibus Cardinalibus & multis Prælatis, ad pacis oſculum honorificè ſunt recepti, & eis repræſentaverunt litteras Imperatoris Græcorum bullatas bulla aurea, & alias litteras Prælatorum, & dixerunt in præſentia Domini Papæ, quod veniebant ad omnimodam obedientiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ad recognitionem fidei, quam ipſa Eccleſia tenet, & Primatum ipſius. Obtu-

leruntque Concilio litteras Michaëlis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani, &c. Unde conſtare poteſt præſentem non adfuiſſe, & memoria lapſum Trithemium in Chronico Hirſaugienſi aſſerentem in hac Synodo comparuiſſe Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, cum magno comitatu, aitque; tertia decima vice in ſententiam Rom. Eccleſiæ Græcos ſuos decima tertia vice deficientes conſilio neceſſario pertraxit. Ut quid enim litteras miſiſſet ad Concilium quæ in eo lectæ fuerunt, ſi in perſona propria adfuiſſet?

Cæterum quia acta hujus Concilij brevius complectitur Minorum Annalilta Wadingus, ex eo ſequentia excerpenda cenſuimus.

Ex Luca Vvadingo.

Jam tempus advenit celebrandi Concilium, quod Gregorius Pontifex omnibus indixit Principibus Chriſtianis cogendum Lugduni, & incipiendum Kalendis Maij hujus anni, uti ad Palæologum ſcripſiſſe ſuperiùs commemoravimus. Injuncto itaque per ipſum ſanctiſſimum Patrem primo poſt Kalendas die, ſecundo ſcilicet Maij omnibus Prælatis & Capellanis ſuis jejunio triduano, rebus omnibus accommodè diſpoſitis, & ſedibus præparatis in Eccleſia majori S. Joannis, incœpta eſt prima ſeſſio die ſeptima ejuſdem menſis, in quâ à latere dextro in medio navis Eccleſiæ ſedebant inter alios Vice-Dominus Prænestinus, & Bonaventura Albanenſis, Epiſcopi Cardinales, ut ſupra ex ipſa Hiſtoria ejuſdem Concilij præmonuimus. In ea præmiſſis ſolitis ritibus Pontifex aſſumpto themate, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*, & antequam moriar, egregiè ſermocinatus eſt, deinde motum animi ſui expreſſit, & cauſas propter quas Concilium indixit, quarum illæ præcipuæ: ſubſidium Terræ ſanctæ præſtandum, unio Græcorum, & morum reformatio. In ſecunda ſeſſione 18. ejuſdem menſis quibuſdam conditis ſtatutis dimiſſi ſunt inferioris ordinis Prælati, & cæteri præter eos, ad quos ſpectabat ferre ſuffragia, aut qui nominatim non fuerunt ad Concilium vocati. Antequam tertia fieret ſeſſio accepit Pontifex litteras miſſas à Fratre Hieronymo Aſculano, & Fratre Bonagratia, quos diximus hæſiſſe apud Palæologum pro conſummanda & acceleranda unione utriuſque Eccleſiæ, ad quas ſummè gaviſus eſt Pontifex; fecitque convocari omnes Prælatos in Eccleſia majori Lugdunenſi indutos pluvialibus, deinde coram omnibus graviſſimè & piiſſimè Cardinalis Bonaventura ſermonem habuit ijs propoſitis verbis: *Exurge Jeruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem.* Quo expleto in omnium conſeſſu lectæ ſunt prædictæ litteræ, quibus Nuncij Minoritæ ſignificabant ſe prope eſſe, atque in comitatu habere Legatos Græcorum, qui litteris & verbo præſentes obedientiam præſtent Eccleſiæ Romanæ, & concordiam Palæologi, Prælatorumque nomine ſtabiliant.

Deinde die ſeptima Junij lectis quibuſdam conſtitutionibus, & habita concione per Fratrem Petrum Oſtienſem Cardinalem Ordinis Prædicatorum ſub illo themate, *Leva in circuitu oculos tuos, & vide omnes iſti congregati ſunt, & venerunt tibi.* Facta eſt licentia Prælatis eundi Lugduno quocunque placeret intra ſex leucarum terminum, nec ſeſſionis ſequentis dies præfixus eſt, donec conſtaret de certo tempore adventus Græcorum: advenerunt autem Fratres prænominati ſimul cum Nuncijs Imperatoris & Andronici filij, nec non Prælatorum univerſæ Græciæ, quorum hæc nomina. Germanus ipſius Palæologi conſanguineus & magiſter, hujus nominis tertius, olim Patriarcha Conſtantinopolitanus centeſimus octavus, ex Metropolita Hadrianopolitano qui ſub anno primo Patriarchatu abdicato ſe recepit in cœnobium Monachorum, Georgius Acropolita magnus Logotheta, Theophanes Metropolita Nicænus, Bithyniæ Primas, Nicolaus Paveretha Camerarius Imperij, & Georgius Zinuchi viri omnes graves & in aula Imperatoria celebres. His proceſſerunt obviam omnes Prælati, qui erant in Concilio cum familiaribus ſuis, Camerarius cum tota familia Papæ, Vice cancellarius & omnes Notarij, ac univerſa familia Cardinalium, & magnificè eos conduxerunt uſque ad Palatium Pontificium. Pontifex vero ſtans in aula Palatij circumſtantibus Cardinalibus & multis Prælatis ad pacis oſculum honorificè illos recepit. Illi ſignificaverunt in omnium conſpectu ſe veniſſe, ut omnimodam obedientiam S. Rom. Eccleſiæ præſtarent, profiterenturque ejuſdem Eccleſiæ fidem & Primatum ejuſdem, alia adjungentes officioſa. Porrexerunt ibidem Imperatorium diploma ſub ſigillo aureo, in quo fidem Catholicam ſe profiteri & tenere juxta miſſam ſibi à Pontificibus Romanis Clemente & Gregorio inſtructionem, teſtabatur; quam publica profeſſione & juramento interpoſito coram prædictis Nuncijs Apoſtolicis, ſe ſecuturos proteſtati ſunt in aula Imperatoria Conſtantinopolitana Michaël Pater, & Andronicus filius ſub menſe Februarij hujus præſentis anni. Tenor autem litterarum à Michaële miſſarum Græco idiomate, addita interpretatione latina, ita habet.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo Primo & ſummo Pontifici, Apoſtolicæ ſedis venerabili Papæ, & communi Patri omnium Chriſtianorum, & venerabili Patri Imperij noſtri D. Gregorio Michaël in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ veſtræ Sanctitatis, convenientem honorem & reverentiam, cum ſincera & pura affectione & orationum poſtulatione.

QUoniam miſſi ſunt à magnitudine veſtra ad Imperium meum Nuncij Deo placentis Ordinis Fr. Minorum, Fr. Hieronymus de Aſculo, Fr. Raymundus Berengar, Fr. Bonagratia de S. Joanne in perſeceto, & Fr. Bonaventura de Mugello, & obtulerunt litteras magnæ Sanctitatis veſtræ Imperio meo: in quibus inter alia de confeſſione fidei quam docet, & prædicat, & confitetur ſancta Romana Eccleſia, continebatur, & oportebat in his magis reſponſionem convenientem nos facere, ecce hoc facit Imperium meum: habet autem profeſſio fidei in dictis omnibus taliter.

Profeſſio fidei Græcorum.

Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, *à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra*, viſibilia, inviſibilia, corporalia & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto, & Maria ſemper Virgine cum anima rationali: duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, non phantaſticum, ſed unum & unicum filium Dei in duabus, & ex duabus naturis, divina ſcilicet & humana, in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem & immortalem in divinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute

Coloſſ. 2.

Inchoatur Concilium Lugdunenſe.

Luc. 22.

Admonent Minoritæ ſe cum Legatis Imperatoris brevi adfuturos.

Barue. 3.

Iſaiæ 60.

Adventus illorum.

noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, cum qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. Credimus & Spiritum ſanctum plenum, & perfectum, verumque Deum; ex Patre Filioque procedentem, coæqualem & conſubſtantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unicum Deum omnipotentem, æternum & inviſibilem, & incõmutabilem. Credimus ſanctam Catholicam & Apoſtolicam, unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur ſanctum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem hujus carnis, quam nunc geſtamus; & viam æternam. Credimus etiam novi & veteris Teſtamenti, legis, ac Prophetarum & Apoſtolorum, unum eſſe authorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides Catholica, & hanc ſupradictis articulis tenet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed propter diverſos errores, à quibuſdam ex ignorantia & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorum. Quod ſi verè pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis, hoc eſt catharterijs, ſicut nobis Fr. Joannes videlicet Fr. Joannes de Montecorvino, vel potiùs F. Joannes de Conſtantinopoli explanavit, poſt mortem purgant, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperiùs dictum eſt, ſunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Eadem ſacroſancta Romana Eccleſia firmiter credit, & firmiter aſſeverat, quod nihilominus in die judicij, omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet ſancta Romana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta, unum ſcilicet Baptiſma, de quo dictum eſt ſupra; aliud eſt Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impoſitionem conferunt Epiſcopi chriſmando renatos: aliud eſt Pœnitentia, aliud Euchariſtia, aliud ſacramentum Ordinis, aliud Matrimonium, aliud Extrema Unctio, quæ ſecundum doctrinam S. Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana Eccleſia tenens & docens, quod in ipſo Sacramento panis vere tranſlubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De matrimonio verò tenet, quod nec unus vir plures uxores ſimul, nec una mulier permittitur plures habere viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, ſecundas & tertias deinde nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum Canonicum aliud alia ex cauſa non obſtat. Ipſa quoque ſancta Romana Eccleſia ſummum & plenum Primatum & Principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet; quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe ſuæ vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & communiter recognoſcit, & ſicut præ cæteris tenetur fidei ve-

ritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſuborta fuerint quæſtiones ſuo debent judicio definiri. Ad quam poteſt gravatus quilibet ſuper negotiis ad Eccleſiaſticum forum pertinentibus appellare; & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus ad ipſius poteſt judicium recurri, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarum Prælati obedientiam & reverentiam ipſi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſtitit, quòd Eccleſias cæteras ad ſollicitudinis partem admittit, quarum multas & Patriarchales præcipuè, diverſis Privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit, ſuasamen obſervata prærogativa, tum in Generalibus Concilijs, tum in aliquibus alijs ſemper ſalva. Supraſcripta fidei veritate (prout plenè lecta eſt & fideliter expoſita) veram, ſanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem cognoſcimus & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod verè tenet & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana Eccleſia; inviolabiliter obſervare eamdem profeſſionem, & in ea omni tempore perſeverare, nec ullo unquam tempore ab ipſa diſcedere quoquomodo, aut deviare, vel diſcordare promittimus. Primatum quoque ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius ſanctæ Eccleſiæ obedientiam ſpontaneam venientes, confitemur & recognoſcimus, acceptamus & ſponte ſuſcipimus. Confitentes verò hæc & approbantes, & acceptantes, & promittentes obſervare, ut ſuperiùs dictum eſt, rogamus Magnitudinem veſtram, ut Eccleſia noſtra dicat ſanctum Symbolum prout dicebat hoc ante ſchiſma uſque in hodiernum diem, & quòd permaneamus in ritibus noſtris, quib; utebamur ante ſchiſma, qui ſcilicet ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra divina præcepta, nec contra vetus & novum teſtamentum, nec contra doctrinam ſanctorum Generalium Conciliorum, & ſanctorum Patrum receptorum per ſancta Concilia, quæ celebrata ſunt à ſpirituali dominatione Eccleſiæ Romanæ. Hoc igitur non grave eſt veſtræ ſanctitati, nec inuſitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi. Commiſimus autem ſuper his præſentibus Imperij noſtri Nunciis, ut dicta per præſentes litteras noſtras confiteantur & affirment vice Imperij noſtri coram magna Sanctitate veſtra. Præſens igitur ſcriptum de noſtra recognitione, ſuſceptione, acceptatione, profeſſione, & confeſſione, propria manu noſtra Dei gratia Imperiali ſubſcriptione ſignavimus, & ſigillum noſtræ potentiæ inferiùs appendi fecimus. Datum Conſtantinopoli in ſacro Palatio Blachernarum menſe Aprili, Indict. 5. Sexto millemo ſeptimo centeno, octuageſimo, quinto anno.

Cum profeſſione fidei Latinorum petunt ut liceat ſuo Symbolo & ritibus uti.

Præter has Imperatorias, alias etiam præſentarunt miſſas à Prælatis Græciæ inter quos viginti ſex Metropolitæ, in litteris expreſſi fidei Rom. Eccleſiæ & cum eadem unioni ſubſcripſerunt, licet non potuerit induci Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus ut cum illis conſentiret. Unde fallitur Ciacconus cum alijs quibuſdam aſſerens eundem Joſephum ad Concilium perveniſſe. Cauſa autem cur Joſephus nollet conſentire in eiſdem litteris exprimitur, quod ipſe cum magna inſtantia teneret quod deberet agnoſci primus. Si vero, aiunt, immutabiliter ſe habet in ſententia, tunc dependebit omnis neceſſitas & ipſum dejicere & Patriarchali principatu privare. Nos autem conſtituemus & promovebimus alium qui utique conſentiat nobiſcum ejuſdem voluntatis eſſe, & reddet convenientem ordinatum ſummitati ſanctitatis veſtræ. Sunt autem primi horum Metropolitarum Metropolita Epheſius præhonoratus exarchus totius Aſiæ, cum ea quæ circa me eſt ſancta Synodo, *hoc eſt Epiſcopis ſuffragavit.*

Metropolitanus Heraclie in Thracia & præſul honoratorum cum ea quæ circa me eſt ſancta Synodo.

Metropolita Chalcedonis ſuperhonoratus cum ea &c.

Metropolita Tyanorum.

leruntque Concilio litteras Michaëlis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani, &c. Unde conſtare poteſt præſentem non adfuiſſe, & memoria lapſum Trithemium in Chronico Hirſaugienſi aſſerentem in hac Synodo comparuiſſe Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, cum magno comitatu, aitque; tertia decima vice in ſententiam Rom. Eccleſiæ Græcos ſuos decima tertia vice deficientes conſilio neceſſario pertraxit. Ut quid enim litteras miſiſſet ad Concilium quæ in eo lectæ fuerunt, ſi in perſona propria adfuiſſet?

Cæterum quia acta hujus Concilij brevius complectitur Minorum Annaliſta Wadingus, ex eo ſequentia excerpenda cenſuimus.

Ex Luca Wadingo.

Jam tempus advenit celebrandi Concilium, quod Gregorius Pontifex omnibus indixit Principibus Chriſtianis cogendum Lugduni, & incipiendum Kalendis Maij hujus anni, uti ad Palæologum ſcripſiſſe ſuperiùs commemoravimus. 1274. Injuncto itaque per ipſum ſanctiſſimum Patrem primo poſt Kalendas die, ſecundo ſcilicet Maij omnibus Prælatis & Capellanis ſuis jejunio triduano, rebus omnibus accommodè diſpoſitis, & ſedibus præparatis in Eccleſia majori S. Joannis, incœpta eſt prima ſeſſio die ſeptima ejuſdem menſis, in quâ à latere dextro in medio navis Eccleſiæ ſedebant inter alios Vice-Dominus Prænestinus, & Bonaventura Albanenſis, Epiſcopi Cardinales, ut ſupra ex ipſa Hiſtoria ejuſdem Concilij præmonuimus. In ea præmiſſis ſolitis ritibus Pontifex aſſumpto themate, *Luc. 22.* *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*, & antequam moriar, egregiè ſermocinatus eſt, deinde motum animi ſui expreſſit, & cauſas propter quas Concilium indixit, quarum illæ præcipuæ: ſubſidium Terræ ſanctæ præſtandum, unio Græcorum, & morum reformatio. In ſecunda ſeſſione 18. ejuſdem menſis quibuſdam conditis ſtatutis dimiſſi ſunt inferioris ordinis Prælati, & cæteri præter eos, ad quos ſpectabat ferre ſuffragia, aut qui nominatim non fuerunt ad Concilium vocati. Antequam tertia fieret ſeſſio accepit Pontifex litteras miſſas à Fratre Hieronymo Aſculano, & Fratre Bonagratia, quos diximus hæſiſſe apud Palæologum pro conſummanda & acceleranda unione utriuſque Eccleſiæ, ad quas ſummè gaviſus eſt Pontifex; fecitque convocari omnes Prælatos in Eccleſia majori Lugdunenſi indutos pluvialibus, deinde coram omnibus graviſſimè & piiſſimè Cardinalis Bonaventura ſermonem habuit iis propoſitis verbis: *Exurge Jeruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde colligе filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem.* *Baruc. 5.* Quo expleto in omnium conſeſſu lectæ ſunt prædictæ litteræ, quibus Nuncij Minoritæ ſignificabant ſe prope eſſe, atque in comitatu habere Legatos Græcorum, qui litteris & verbo præſentes obedientiam præſtent Eccleſiæ Romanæ, & concordiam Palæologi, Prælatorumque nomine ſtabiliant.

Deinde die ſeptima Junij lectis quibuſdam conſtitutionibus, & habita concione per Fratrem Petrum Oſtienſem Cardinalem Ordinis Prædicatorum ſub illo themate, *Iſaiæ 60.* *Leva in circuitu oculos tuos, & vide omnes iſti congregati ſunt, & venerunt tibi.* Facta eſt licentia Prælatis eundi Lugduno quocunque placeret intra ſex leucarum terminum, nec ſeſſionis ſequentis dies præfixus eſt, donec conſtaret de certo tempore adventus Græcorum: advenerunt autem Fratres prænominati ſimul cum Nuncijs Imperatoris & Andronici filij, nec non Prælatorum univerſæ Græciæ, quorum hæc nomina. Germanus ipſius Palæologi conſanguineus & magiſter, hujus nominis tertius, olim Patriarcha Conſtantinopolitanus centeſimus octavus, ex Metropolita Hadrianopolitano qui ſub anno primo Patriarchatu abdicato ſe recepit in cœnobium Monachorum, Georgius Acropolita magnus Logotheta, Theophanes Metropolita Nicænus, Bithyniæ Primas, Nicolaus Paveretha Camerarius Imperij, & Georgius Zinuchi viri omnes graves & in aula Imperatoria celebres. His proceſſerunt obviam omnes Prælati, qui erant in Concilio cum familiaribus ſuis, Camerarius cum tota familia Papæ, Vice cancellarius & omnes Notarij, ac univerſa familia Cardinalium, & magnificè eos conduxerunt uſque ad Palatium Pontificium. Pontifex vero ſtans in aula Palatij circumſtantibus Cardinalibus & multis Prælatis ad pacis oſculum honorificè illos recepit. Illi ſignificaverunt in omnium conſpectu ſe veniſſe, ut omnimodam obedientiam S. Rom. Eccleſiæ præſtarent, profiterenturque ejuſdem Eccleſiæ fidem & Primatum ejuſdem, alia adjungentes officioſa. Porrexerunt ibidem Imperatorium diploma ſub ſigillo aureo, in quo fidem Catholicam ſe profiteri & tenere juxta miſſam ſibi à Pontificibus Romanis Clemente & Gregorio inſtructionem, teſtabatur; quam publica profeſſione & juramento interpoſito coram prædictis Nuncijs Apoſtolicis, ſe ſecuturos proteſtati ſunt in aula Imperatoria Conſtantinopolitana Michaël Pater, & Andronicus filius ſub menſe Februarij hujus præſentis anni. Tenor autem litterarum à Michaële miſſarum Græco idiomate, addita interpretatione latina, ita habet.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo Primo & ſummo Pontifici, Apoſtolicæ ſedis venerabili Papæ, & communi Patri omnium Chriſtianorum, & venerabili Patri Imperij noſtri D. Gregorio Michaël in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ veſtræ Sanctitatis, convenientem honorem & reverentiam, cum ſincera & pura affectione & orationum poſtulatione.

Quoniam miſſi ſunt à magnitudine veſtra ad Imperium meum Nuncij Deo placentis Ordinis Fr. Minorum, Fr. Hieronymus de Aſculo, Fr. Raymundus Berengar, Fr. Bonagratia de S. Joanne in perſeceto, & Fr. Bonaventura de Mugello, & obtulerunt litteras magnæ Sanctitatis veſtræ Imperio meo: in quibus inter alia de confeſſione fidei quam docet, & prædicat, & confitetur ſancta Romana Eccleſia, continebatur, & oportebat in his magis reſponſionem convenientem nos facere, ecce hoc facit Imperium meum: habet autem profeſſio fidei in dictis quibus taliter.

Profeſſio fidei Græcorum. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, *à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra*, viſibilia, inviſibilia, corporalia & ſpiritualia. *Coloſſ. 1.* Credimus ſingulam quamque in Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto, & Maria ſemper Virgine cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, non phantaſticum, ſed unum & unicum filium Dei in duabus, & ex duabus naturis, divina ſcilicet & humana, in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem & immortalem in divinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute

Inchoatur Concilium Lugdunenſe.

Adventus illorum.

Admonent Minoritæ ſe cum Legatis Imperatoris brevi adfuturos.

noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe à mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, cum qua reſurrexit, & animæ aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. Credimus & Spiritum ſanctum plenum, & perfectum, verumque Deum; ex Patre Filioque procedentem, coæqualem & conſubſtantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unicum Deum omnipotentem, æternum & inviſibilem, & incõmutabilem. Credimus ſanctam Catholicam & Apoſtolicam, unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur ſanctum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem hujus carnis, quam nunc geſtamus; & viam æternam. Credimus etiam novi & veteris Teſtamenti, legis, ac Prophetarum & Apoſtolorum, unum eſſe authorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides Catholica, & hanc ſupradictis articulis tenet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed propter diverſos errores, à quibuſdam ex ignorantia & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorum. Quod ſi verè pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis, hoc eſt catharterijs ſicut nobis Fr. Joannes videlicet Fr. Joannes de Montecorvino, vel potiùs F. Joannes de Conſtantinopoli explanavit, poſt mortem purgant, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperiùs dictum eſt, ſunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Eadem ſacroſancta Romana Eccleſia firmiter credit, & firmiter aſſeverat, quod nihilominus in die judicij, omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet ſancta Romana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta, unum ſcilicet Baptiſma, de quo dictum eſt ſupra: aliud eſt Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impoſitionem conferunt Epiſcopi chriſmando renatos: aliud eſt Pœnitentia, aliud Euchariſtia, aliud ſacramentum Ordinis, aliud Matrimonium, aliud Extrema Unctio, quæ ſecundum doctrinam S. Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana Eccleſia tenens & docens, quòd in ipſo Sacramento panis vere tranſlubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De matrimonio verò tenet, quod nec unus vir plures uxores ſimul, nec una mulier permittitur plures habere viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, ſecundas & tertias deinde nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum Canonicum aliud alia ex cauſa non obſiſtat. Ipſa quoque ſancta Romana Eccleſia ſummum & plenum Primatum & Principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe ſuæ vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & communiter recognoſcit, & ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſuborta fuerint quæſtiones ſuo debent judicio definiri. Ad quam poteſt gravatus quilibet ſuper negotiis ad Eccleſiaſticum forum pertinentibus appellare; & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus ad ipſius poteſt judicium recurri, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarum Prælati obedientiam & reverentiam ipſi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quòd Eccleſias cæteras ad ſollicitudinis partem admittit, quarum multas & Patriarchales præcipuè, diverſis Privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit, ſuatamen obſervata prærogativa, tum in Generalibus Concilijs, tum in aliquibus alijs ſemper ſalva. Suprafcripta fidei veritate (prout plenè lecta eſt & fideliter expoſita) veram, ſanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem cognoſcimus & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod verè tenet & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana Eccleſia; inviolabiliter obſervare eamdem profeſſionem, & in ea omni tempore perſeverare, nec ullo unquam tempore ab ipſa diſcedere quoquomodo, aut deviare, vel diſcordare promittimus. Primatum quoque ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius ſanctæ Eccleſiæ obedientiam ſpontaneam venientes, confitemur & recognoſcimus, acceptamus & ſponte ſuſcipimus. Confitentes verò hæc & approbantes, & acceptantes, & promittentes obſervare, ut ſuperiùs dictum eſt, rogamus Magnitudinem veſtram, ut Eccleſia noſtra dicat ſanctum Symbolum prout dicebat hoc ante ſchiſma uſque in hodiernum diem, & quòd permaneamus in ritibus noſtris, quib; utebamur ante ſchiſma, qui ſcilicet ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra divina præcepta, nec contra vetus & novum teſtamentum, nec contra doctrinam ſanctorum Generalium Conciliorum, & ſanctorum Patrum receptorum per ſancta Concilia, quæ celebrata ſunt à ſpirituali dominatione Eccleſiæ Romanæ. Hoc igitur non grave eſt veſtræ ſanctitati, nec inuſitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi. Commiſimus autem ſuper his præſentibus Imperij noſtri Nunciis, ut dicta per præſentes litteras noſtras confiteantur & affirment vice Imperij noſtri coram magna Sanctitate veſtra. Præſens igitur ſcriptum de noſtra recognitione, ſuſceptione, acceptatione, profeſſione, & confeſſione, propria manu noſtra Dei gratia Imperiali ſubſcriptione ſignavimus, & ſigillum noſtræ potentiæ inferiùs appendi fecimus. Datum Conſtantinopoli in ſacro Palatio Blachernarum menſe Aprili, Indict. 5. Sexto millenio ſeptimo centeno, octuageſimo, quinto anno.

Cum profeſſione fidei Latinorum petunt ut liceat ſuo Symbolo & ritibus uti.

Præter has Imperatorias, alias etiam præſentarunt miſſas à Prælatis Græciæ inter quos viginti ſex Metropolitæ, in litteris expreſſi fidei Rom. Eccleſiæ & cum eadem unioni ſubſcripſerunt, licet non potuerit induci Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus ut cum illis conſentiret. Unde fallitur Ciacconius cum alijs quibuſdam aſſerens eundem Joſephum ad Concilium perveniſſe. Cauſa autem cur Joſephus nollet conſentire in eiſdem litteris exprimitur, quod ipſe cum magna inſtantia teneret quod deberet agnoſci primus. Si vero, aiunt, immutabiliter ſe haberet in ſententia, tunc dependebit omnis neceſſitas & ipſum dejicere & Patriarchali principatu privare. Nos autem conſtituemus & promovebimus alium qui utique conſentiat nobiſcum ejuſdem voluntatis eſſe, & reddet convenientem relatum ſummitati ſanctitatis veſtræ. Sunt autem primi horum Metropolitarum Metropolita Epheſius præhonoratus exarchus totius Aſiæ, cum ea quæ circa me eſt ſancta Synodo, *hoc eſt Epiſcopis ſuffraganeis.*

Metropolitanus Heracliæ in Thracia & præſul honoratorum cum ea quæ circa me eſt ſancta Synodo.

Metropolita Chalcedonis ſuperhonoratus cum ea, &c.

Metropolita Tyanorum.

Episcopus Metropolitanus Iconij, cum iis qui circa me sunt Episcopis.

Metropolitanus Nampacti superhonoratus, &c.

Metropolitanus Heracleæ Ponti superhonoratus, &c.

Expletis his primis officiis suæ Legationis, deducti sunt ad hospitia honorificè præparata. Deinde lectis litteris, & initis aliquando colloquiis, proposita est eis norma fidei Romanæ, quam profiteri deberent nomine eorum, à quibus mittebantur, quam illi libenter admiserunt, & se publicè professuros spoponderunt. Quare ejusdem mensis die 28. in festo Apostolorum Petri & Pauli Pontifex solemne sacrum fecit in prædicta majori Ecclesia circumstantibus omnibus Cardinalibus & Prælatis, qui ad Concilium fuerant evocati. Lecta est epistola Latino & Græco idiomate, cantavitque Evangelium Latinum Cardinalis Orthobonus de Fliſco, & Græcum Diaconus ex Græcis eodem habitu, quo hæc mysteria illius nationis viri solent peragere. Deinde Bonaventura Cardinalis de concordia incunda, & puritate fidei Romanæ, egregium habuit ex nostro sermonem. Ut hic dixit, statim cantarum est Symbolum fidei Constantinopolitanum, incipientibus, *Credo in unum Deum*, Dominis Cardinalibus & Episcopis, qui veluti Cantores & Primicerij præibant in cantu, prosequentibus Canonicis ejusdem Ecclesiæ. Deinde immediatè prædictus Germanus olim Patriarcha, cum cæteris Græcis & Archiepiscopis Calabriæ Græcum ritum sequentibus, nec non Frater V. de Morbecca Ordinis Prædicatorum, & Frater Joannes de Constantinopoli Ordinis Minorum, Domini Papæ Pœnitentiarij, qui linguam Græcam callebant, cantaverunt solemniter, & alta voce prædictum Symbolum: dum verò perventum est ad articulum de processione Spiritus sancti, solemniter & devotè illum expresserunt lento & gravi cantu dicentes, *qui à Patre Filioque procedit*. Terminaro Symbolo idē Patriarcha, Archiepiscopi &, Logotheta cum alijs cantaverunt Laudes solemnes in lingua Græca Domino Papæ: mox Pontifex circumdantibus altare Græcis Missam prosequutus est.

Cantatur unanimiter à Latinis & Græcis Symbolū fidei.

Die 4. Julij venientibus Legatis Tartarorum per Fratrem Hieronymum Asculanum, & cæteros socios Minoritas ad Concilium & fœdera Ecclesiæ conductis, obviam processit familia Cardinalium & Prælatorum, eosque deduxit in aulam Pontificiam, ubi Pontifex cum omnibus Cardinalibus & Prælatis agebat de rebus Concilij, receptosque cum honore & magnificentia remisit ad hospitia.

Advenium Legati Tartarorum.

Indixit deinde quartam sessionem ad diem Veneris proximè sequentem, Julij sextam, & octavam Apostolorum Petri & Pauli, in qua sedente Pontifice cum Diacono Cardinali, & immediatè post Cardinales à Latere dextro Nuncijs Græcorum, cantatum fuit per Dominum Hubertum Cardinalem S. Eustachij Evangelium illius diei, videlicet; *Jussit Dominus discipulis suis ascendere in navīculam*: Et prædicatum per Fr. Petrum Ostiensem: qui Domino Papæ tunc pro Presbytero serviebat, *Sub illo themate: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde*: cujus expleto sermone Pontifex alium habuit ad Patres Concilij circa tamas, propter quas coactum est, maximeque commendavit Imperatoris fidem, & sollicitudinem in mittendis Legatis contra multorum exspectationem. Deinde recta serie retulit, quæ cum illo per Nuncios egerit & scripserit, ut si ad unionem & fidem Romanæ Ecclesiæ sponte accedere nollet, significaret quæ fieri cuperet, illum autem ab omni petitione & tractatu rerum temporalium abstinuisse, solumque de amplectenda vera fide, & præstanda Ecclesiæ Romanæ obedientia egisse. Quod factum plurimi palam diffidebant. Jam verò rem ad felicem exitum pervenisse, & Nuncios præsto esse ad prosequendum ejusdem & filij nomimbus, quidquid doctrinæ habetur Catholicæ, & ad recognoscendum Ecclesiæ Romanæ Primatum, ipse Imperator suis litteris

Matt. 14

Psal. 75.

significabat. Demum Imperatorum, Andronici item Imperatoris, & Prælatorum diplomata tria signata bullis aureis & Latinitate donata publice fecit coram omnibus legi, quibus lectis magnus Logotheta dixit, se in mandatis accepisse ab Imperatore jurare in animum ipsius, & profiteri fidem Catholicam Ecclesiæ Romanæ: quare statim professus est eam, quæ lecta fuerat in Concilio, ut haberur. *De summa Trinit. & fide Cathol. in* 6. Dixitque eam velle credere & tenere Imperatorem ejusque subditos ac perpetuo servaturos, neque ullo unquam tempore ab ea recessuros. Denique Sacramentum addidit in hunc modum, quem cæteri in juramento servavērunt,

Græci profitentur fidem S. Ecclesiæ Rom.

Ego N. Nuncius habens ab eisdem sufficientem ad infra scripta mandata suprascriptam fidei veritatem, prout planè lecta est & fideliter exposita à me, Divi Domini nostri nomine, veram sanctam Catholicam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde & ore confiteor, ipsamque prout tenet & fideliter docet, & prædicat sancta Romana Ecclesia, inviolabiliter servaturum, & in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquomodo deviaturum, nec discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco & accepto, & sponte suscipio. Et ipse omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quàm circa ejusdem Ecclesiæ Romanæ Primatum, & Episcoporum recognitionem, acceptionem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam servaturum, præstito corporaliter juramento, promitto & confirmo: Sic Deus ipsum adjuvet, & hæc sancta Evangelia.

Sacramēta Græcorum.

His peractis sanctissimus Pontifex alta voce incepit: *Te Deum laudamus*, prosequentibue hymnum magna devotione, multis lacrymis, & solēni cantu Cardinalibus, & Patribus universi Concilij, Pontifice toto tempore dum canebatur in pedes erecto sine mitra: quo completo ex Cappellanis unus dixit verticulum, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, cui respondit ab omnibus: *à templo sancto tuo quod est in Hierusalem.* Subjunxit Pontifex, *Dominus vobiscum*, & Orationem: *Da Ecclesiæ tuæ, quæsumus omnipotens Deus, ut sancto Spiritu compacta, hostilis nullatenus incursione turbetur.* Finita oratione sedens in faldistorio suo allocutus est breviter sacrosanctum cœtum super immenso gaudio, animo concepto, & egregio hoc opere, quod Deus mirabiliter complevit, proposito themate illo, quod in Concilij limine suscepit. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Post sermonem Patriarcha (quis hic Patriarcha? cùm expresse habeatur in Epistola Græcorum supracitata Patriarcham eorumdem noluisse consentire unioni. Forte Germanus olim eorumdem Patriarcha, qui renuntiavit. Unde hoc anno num. 1. & Hieron. Zurita. 2. p. lib. 3. cap. 86.) & Archiepiscopus Græcorum descenderunt in navim Ecclesiæ, & sederunt in sedibus altis, in loco in quo sedebant Presbyteri Cardinales post eos; & tunc Dominus Papa reverenter incepit idiomate latino, *Credo in unum Deum*, quod sine mitra stans prosequutus est cum universis Concilij Patribus usque ad finem. Mox Patriarcha Græcorum similiter inchoavit lingua Græca idem Symbolum, quod per eum, Archiepiscopum Nicosiensem, & alios Græcos quicum convenerunt, nec non per alios & Archiepiscopos & Abbates Græcos de Regno Siciliæ solemni cantu ad finem usque deductum est, reperita tamen bis processione Spiritus sancti *à Patre Filioque*. Hoc solemni & omnium maximè sacro rite cum ingenti omnium gaudio completo, significavit Pontifex, quatenus rex Tartarorum misserat Nuncios, qui ex adverso coram Pontifice stabant ad pedes Patriarchaum, de rebus gravissimis acturos, jussitque litteras regias legi per quemdam Capellanum. His lectis iterum Concilij Patres allocutus

Græci agunt Deo Patres Concilij ob factam unionem.

Luc. 22.

est Pontifex, indixitque sessionem quintam ad diem Lunæ proximè sequentem.

Non potuit tamen haberi sessio die, quo decreta est propter dissensionem inter Pontificem & Cardinales circa bullam seu constitutionem, quam edidit, ostenditque eisdem circa electionem Romani Pontificis, qua voluit præpedire tot damna, quæ sequebantur ad seram Pontificum creationem. Adductis tamen omnibus in suam sententiam, subjectisque eorum sigillis die Lunæ 16. ejusdem mensis incepit sessio quinta; die tamen præcedenti evocato ad gaudia æterna sanctissimo viro Bonaventura Cardinali Albanensi anno ætatis suæ 52. ut largius & exactius mox dicemus. Porro illa die antequam Pontifex Ecclesiam ingrederetur, Frater Petrus Ostiensis Episcopus, præsentibus omnibus Prælatis, baptizavit unum ex Nuntijs Tartarorum cum duobus socijs, quibus Dominus Papa vestes fecit fieri coccineas seu quisquiliatas, secundum morem tamen Latinorum. Cantavit Matthæus Rubeus Cardinalis Sanctæ Mariæ in portica Evangelium secundum Matthæum, *Videte, & vigilate & orate, attendite vobis & universo gregi.* Lectæ sunt deinde variæ constitutiones, & Pontifex publicè expressit suum dolorem & Ecclesiæ damnum ex Bonaventuræ morte sequutum. Die 18. ejusdem mensis habita est ultima sessio, & lecta sunt alia salubria Ecclesiæ statuta: deinde Dominus Papa Pontificalibus indutus, allocutus est Patres Concilij circa subsidium Terræ sanctæ, & unionem Græcorum jam feliciter consummatam: & acrius invectus est contra pravos quorundam de clero mores, graves superaddens minas, nisi eos in meliores correxerint, omnesque hortatus est, ut in suis Ecclesijs residerent. Atque de his multa se curaturum dixit, quæ in Concilio ob varia & molesta negotia occurrentia non poterant tractari. Tandem omnibus finitis dixit sanctissimus Pater orationem pro terminando Concilio, & solemni benedictione populum sanctificavit: mox Cardinalis Otobonus altiori & solemni voce dixit, *Procedamus in pace*, & sic dissolutum est Concilium.

Moritur S. Bon.

Baptizantur Legati Tartarorum. Matth. 16.

Res gravissimæ actæ in Concilio.

Plurimæ res gravissimè pertractatæ sunt in hoc Concilio: confirmatum jus Imperij Orientis Palæologo, quantumvis reluctarentur Balduinus Pater, Philippus filius Imperatores Constantinopolis dicti, & Carolus Rex Siciliæ, qui omnem adhibebat opem, ut socerum in Imperij sedem, ex qua diximus à Palæologo ejectum, restitueret. Proclamatus etiam Occidentis Imperator Rodulphus, repugnante item per suos Nuntios, mox per seipsum Alphonso Rege Castellæ. Stabilitis enim utriusque Imperij Rectoribus, certiorem & potentiorem sibi promittebat opem pro succurrendis rebus Hierosolymitanis. Adfuit eidem Concilio Jacobus Rex Aragonum pro suscipiendo de manu Pontificis Regni diademate, neque obtinuit, dum pendere noluit vectigal à Petro ipsius Patre promissum, quo tempore coronam Rômæ susceperat: indignum judicans regnum virtute majorum partum, cuiquam Principi esse vectigale. Eidem se stitisse Concilio Michaëlem Palæologum scribunt plures, Chronicon Hirsaugien. Flavius Blondus, Robertus Guagninus, Joannes Naucletus, Petrus Galesinus, Severinus Binius, & plerique alij; qui etiam passim in picturis præsentem exponunt in Concilio Palæologum. Nequaquam verò ad sanctam Synodum accessisse certo certius constat, tum ex historia & actis ipsius Concilij, tum ex missis ab eo Nuntijs & epistolis interlocutorijs, atque ex harum responsis, quæ dabimus inferius. Convenerunt ex universo orbe Christiano Episcopi quingenti, Abbates sexaginta, & alij Antistites ac Sacerdotes mille, viri item primarij Laici innumeri.

Præsidem in Concilio egisse Bonaventuram expressè asserunt duo Pontifices Sixtus IV. & V. ille in bulla, in qua Sancti eidem decrevit honores; hic in decretali, qua primis eum Doctoribus connumeravit.

A Quod in eo sensu accipiendum est, quod in privatis cœtibus qui cogi solent in Concilijs tanquam præparatorij, ne res indiscussæ & immaturæ in universali consessu Episcoporum proponantur, primas tenuerit uti prospiceret ne quid detrimenti Ecclesia caperet, ipse enim Gregorius X. ferme omnibus sessionibus interfuit, sicque in ejus præsentia nullus alius præsidere potuit. Tanta tamen sub eo præstitit Bonaventura, ut omnium præsertim Græcorum animos sibi conciliarit, magnumque nomen *Eutychij* præclarum sapientiæ eruditionisque elogium obtinuerit. Cum ejus maximè opera, duce Spiritu sancto, unio utriusque Ecclesiæ summopere ac diu expetita perfecta tunc fuerit, multi quoque etiam Canones editi qui in sextum decretalium relati sunt, ac hæretici Religionem Mendicantium impugnantes confracti. Quare & eum Gregorius in ipso Concilio creavit Cardinalem Episcopum Albanensem, quod fortasse nemini unquam contigerat ut Cardinalis Episcopus pronuntiaretur antequam Presbyter Cardinalis extitisset. Ac cum in eodem Concilio diem extremum obiisset, Pontifex, Cardinales, Episcopique omnes funus ejus, præsentia sua condecorarunt. Quibus addunt aliqui etiam ipsum Imperatorem Constantinop. quod vix ulli præstantissimo viro contigisse in omni annalium antiquitate comperitur. Ut notat Author illius vitæ operibus ipsius præfixæ. cap. 13.

D. Bonaventura.

B

Ex Guilielmo de Nangianco.

C **Guilielmus de Nangianco Monachus S. Dionisij in Francia. Anno Domini M. CC. LXXIV. fuit dies Concilij assignata in Calendis Maij, & pluribus sessionibus habitis duravit Concilium usque ad festum B. Mariæ Magdalenæ. In quo Concilio multa utilia statuta fuerunt; scilicet de electione summi Pontificis & statu Ecclesiæ universalis. Et propter subsidium Terræ sanctæ fuit concessa decima à Prælatis & procuratoribus capitulorum & Ecclesiarum usque ad sex annos. Circa finem Concilij venerunt Græcorum & Tartarorum nuntij solemnes. Qui Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promittentes, in signum hujus rei Spiritum sanctum à Patre & Filio confessi sunt procedere, Symbolumque Apostolorum in communi Concilio solemniter decantaverunt. In eodem Concilio plures Ordines mendicantes sunt quassati, & biganni qui mensuram Clericalem tunc temporis deferebant, de cætero ferre prohibiti sunt ac uti privilegio Clericali. Numerus vero Prælatorum qui ad hoc Concilium interfuerunt, quingenti Episcopi, sexaginta Abbates & alij Prælati circa mille. Eodem anno cum rediret de Concilio Petrus de Charni Archiepiscopus Senonensis, defunctus est & successit eidem Magister Gillo Cornuti præcentor Ecclesiæ Senonensis. Hæc ille in gestis Philippi III. Francorum Regis.**

D

Sequitur decretalis promulgata in Concilio.

E FIdeli ac devota professione fatemur quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit. Hoc professa est & hactenus docuit sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium & magistra: hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis pariter & vera sententia. Sed quia nonnulli irrefragabilis præmissæ ignorantia veritatis in errores varios sunt prolapsi, nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approban-

re Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere, sive etiam ausu temerario asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principijs, non tanquam ex uno procedat.

Controversia hujus Concilij.

Processio Spiritus sancti disputatur.

Fuit hæc præcipuè ventilata inter Græcos & Latinos. Utrum Spiritus Sanctus procedat à Patre solò, non à Filio. Arguitur quòd sic: quia Damasc. lib. 1. dicit: Spiritum sanctum ex Patre dicimus, ex Filio non dicimus. Sed in contrarium est Symbolum Athanasij, & canit Ecclesia etiam in Symbolo Nicæno: quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit. Circa hæc ergo ponitur error Græcorum: quia, ut Magister in 1. dist. 11. dicit, Græci dicunt Spiritum sanctum procedere tantum à Patre non à Filio; ideoque non mirum, si Damascenus Græcus fuit illius opinionis, sed dicimus nos Latini Spiritum sanctum à Filio procedere. Notandum tamen quòd Græci & Latini conveniunt in scripturæ authoritate, confitentur enim Spiritum sanctum esse Filij sicut Patris: quia Apostolus dicit: *Misit Dominus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Et veritas in Evangelio: *Quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* Verumtamen dissentiunt in verbis & in ratione intelligendi, quia ubicumque sacra scriptura dicit Spiritum sanctum procedere, Græci ad intelligendum usi sunt similitudine processionis alio modo, & Latini alio modo: nam ex quo processio in creaturis dupliciter dicitur, uno modo motus localis ab uno in alium, secundo modo motus causalis unius ex alio. Modo Græci intellexerunt processionem Spiritus sancti primo modo ab uno in alium, Latini verò secundo modo, scilicet unius ex alio; & in hoc melius intellexerunt Latini quàm Græci, quia Latini quàm Græci, quia Latini comparaverunt processionem æternam processioni magis spirituali, & per consequens magis simili, ergo melius. Similiter ubi scriptura dicit Spiritum sanctum procedere per spirationem: & quia spiratio est duplex, scilicet flatus exterioris, & amoris interioris: modo Græci comparaverunt primo, & Latino secundo, & per consequens Latini melius, quia spiritualiori comparaverunt, & per consequens magis simili. Sic ergo etiam Robertus Linconiensis dicit sententiam Græcorum in hoc esse, quod Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium, sed Latinorum est à Patre & Filio, & quia dicunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere, ceciderunt in errorem, ut Bonav. dicit. Tum ex ignorantia, quia scripturas non bene intellexerunt, nec habuerunt rationes congruas: tum ex superbia, quia inflati proprio sensu, & se sciolos reputantes, noluerunt profiteri, quod per eos non erat inventum: tum ex pertinacia, quia sententiam suam defendendo contra authoritatem & determinationem Romanæ Ecclesiæ, facti sunt hæretici & schismatici pessimi, &c.

Ex D. Bonav. 1. sent. dist. 11. a. 1. q. 1.

Argumenta Græcorũ.

Secundò circa hæc ponuntur argumenta Græcorum Nam arguunt primo sic. Nihil est ponendum circa articulos fidei, quod non est expressum in Evangelio vel in sacra scriptura. Quare Dionysius & Damasc. dicunt, quod nihil est dicendum nec cogitandum de illa summa Trinitate præter id, quod nos sacra eloquia docuerunt, &c. Sed Spiritum sanctum procedere à Filio, non est expressum in Evangelio vel sacra scriptura, nec etiam in quatuor Conciliis apud Græcos celebratis, quæ sub anathemate sanciunt nihil plus addi, ut tangit Magister supra, ergo dicunt quod juxta Concilium, Quicumque, inquiunt, Spiritum sanctum à Filio procedere, addunt, anathema incurrunt, unde nos Latinos arguunt esse anathematis reos.

Secundò sic. Emanatio Spiritus sancti est processio ab una persona in aliam: si ergo Spiritus sanctus procedit à Filio, aut procedit in Patrem aut in aliam personam: non in Patrem, quia Pater nihil recipit à Filio: nec in aliam personam, cùm non sit dare quartam: ergo non procedit à Filio.

Tertiò sic. Spirit. sanct. procedit per modum spirationis videlicet amoris, sicut verbum per modum locutionis: sed in nobis amor non procedit, vel non spiratur à verbo.

Quartò sic. In Filio æqualis est perfectionis intellectus sicut voluntas: sed Filius per intellectum non producit verbum: ergo nec per voluntatem producit Spiritum sanctum.

Ultimo sic. Pater spirat Spiritum sanctum aut sufficienter aut insufficienter: si insufficienter, ergo Pater imperfectus est in spirando: si autem sufficienter, ergo superfluum est fieri per Filium, nam Peccatum est fieri per plura, id est, per duo, quæ possunt æque fieri per pauciora, id est, per unum.

Tertiò ergo ponuntur solutiones argumentorum. Ad primum dicendum, quòd quamvis non tradatur in scriptura per verba expressa Spiritum sanctum procedere ab utroque, non reperitur tamen contrarium, nec particula exclusiva. Contra reperitur sensus sacræ scripturæ dicens, quod Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio simul, ut patet ex authoritatibus infra. Denique nec in Concilijs illis omnia sunt instituta, quod ad fidem & mores. Unde non valet illud argumentum, quia multa tradita sunt quæ non sunt expressa in scripturis vel Concilijs, & est in Ecclesiâ authoritas proponendi & declarandi novas fidei veritates, quæ tamen non sunt contrariæ veritatibus definitis, cum ad sedandas controversias exortas id necessarium est. Sic etiam Christum descendisse ad inferna est articulus fidei, & tamen non exprimitur in Evangelio nec etiam in Symbolo Nicæni Concilij, quod canitur in Missa, & sic de pluribus alijs potest dari instantia. Item de anathemate, dicit Magister ibidem, quod intelligendum est sic: quod qui aliud, id est contrarium docuerit vel addiderit oppositio modo docendo, anathema sit, non autem qui supplendo quod minus erat, addit. Sicut & Apostolus ad Gal. dicit, *si quis aliud evangelizaverit*, id est, contrarium, *anathema sit*, non dicit si quis addiderit, nam si hoc diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui voluit supplere, quæ fidei aliquorum deerant, sicut scribit ad Thessal. Unde Græci falso dicunt nos anathematizatos.

Argumentis Græcorum satisfit.

Auctoritas Hæc Ecclesiæ circa res fidei.

Ad secundum dicendum secundum eumdem Bonavent. Quod processio in divinis non est localis motus ab uno in alium, sed originalis scilicet unius ex alio, quasi causalis. Nam Spiritus sanctus dicitur procedere in aliam: quia in aliam tendit sicut in objectum, est enim Spiritus sanctus amor, quo Filius amat Patrem. & è converso. Quod ergo arguitur, debet sic procedere in alium ut ab eo recipiatur, stultus est intellectus, sicut dicere quod amor, qui est Spiritus sanctus, oriatur à Patre & subsistat in Filio, sicut rivus oritur à fonte & requiescit in Lacu. Hoc stultum est.

Motus localis & originalis.

Ad tertium dicendum, quod non est simile, quia in creaturis non communicatur verbo fœcunditas voluntatis, sicut in divinis propter infinitatem fit communicatio ipsi verbo. Unde sicut ex duobus lignis procedit una flamma vel unus ignis, sic Spiritus sanctus procedit ab utroque.

Ad quartum dicendum, quod in Filio non est ita fœcundus intellectus sicut voluntas, quia intellectus, ut communicatur Filio, habet terminum adæquatum, voluntas verò non: ergo non est simile.

Ad ultimum dicendum quod Pater sufficienter producit Spiritum sanctum & Filius similiter, sed non duabus productionibus, imo unica tantum, & unicum principium sunt Spiritus sancti. Unde sicut non valet argumentum, Pater creat sufficienter, & Filius similiter, ergo alterum superfluit: sic in proposito, quia

Pater & Filius ſunt unum principium creaturarum, &c.

Græcis objectio.

Inſtant græci latinos eſſe cutioſos, quia ſine hujus articuli profeſſione ſalus erat. Quare ergo latini intromiſerunt ſe ad perquirendum quod neceſſarium non erat? Reſpondet 2. Bonaventura ubi ſupra, quod fuit id opportunum propter periculum in quod ipſi inciderunt. Urgent eſſe excommunicatos, quia ſymbola corrumpunt. Non corrumpimus, ait idem, ſed perficimus. Iterum ac tertio objiciunt, latinos eſſe ſchiſmaticos à quibus incepit divilio ex additione ad ſymbolum, ipſis non vocatis. Reſpondet idem hoc ſine ipſis potuiſſe addere Eccleſiam, & erat laborioſum eos vocare propter diſtantiam: infructuoſum propter eorum inſipientiam, quia non amplius erat tanta apud ipſos ſapientia, & periculoſum revocari in dubium quod pro certo habendum erat.

Quærimonia Græcorum retundunt.

Sed an proceſſio Spiritus ſancti à Filio latuit ſanctos Doctores Græcos? Reſponderur ſecundum Bonaventuram eadem diſt. 11. quod quamvis antiquitus non fuit expreſſum, quia non erat opus, eo quod nullus tunc negabat, nec negare volebat Spiritum ſanctum procedere etiam à Filio. Sed hæretici poſtea ſua importunitate compulerunt explicare, quæ erant implicitæ fidei: tamen nihilominus veteres etiam Doctores Græcorum & ſanctos Patres eorum non latuit, imo ſcripſerunt, quod Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio ſimiliter, ſicut adducit Magiſter plurimorum illorum authoritates ibidem. Primò Athanaſij qui fuit Græcus & dicit in ſymbolo: Spiritus ſanctus a Patre & Filio nec factus nec creatus, &c. Secundo Didymus, qui eorum fuit maximus doctor, lib. de Spiritu ſancto dicit procedere à Filio Spiritum ſanctum. Tertio Cyrillus Epiſcopus in Epiſtola Neſtorio directa dicit, quòd procedit Spiritus ſanctus à Filio ſicut à Patre. Quartò Chryſoſtomus in homilia quadam dicit, credendum eſt Spiritum ſanctum Patris eſſe & Filij: iſtum dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre & Filio, hoc credite, ne colloquia prava corrumpant bonos mores. Hæc lib. Sententiarum Magiſter tangit.

Auctoritates Græcorū Patrum.

Quod Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio ſimiliter, ut tenet Eccleſia Romana, unde probatur veritate certiſſima. Reſpondetur ſecundum Magiſtrum eadem diſt. 11. primi, & communiter Doctores docent, triplici via. Primò authoritatibus ſcripturæ. Nam Apoſtolus dicit Gal. 4. *Miſit Dominus Spiritum Filij ſui in corda veſtra.* Ecce dicit Spiritum Filij, &c. Idem Rom. 8. *Qui Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Item Chriſtus Joan. 15. dicit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c.* Ecce dicit, quòd ipſe mittit Filius Spiritum ſanctum, qui eſt Spiritus Patris & Spiritus veritatis, ideſt Filij: ergo habetur propoſitum. Alias authoritates cauſa brevitatis tranſeo, &c. Secundò probatur determinatione Eccleſiæ, *extrà de ſumma Trinitate & fide Catholica.* Hæc autem maxima & certiſſima, ut ponit Aug. in epiſtola contra Donatiſtas. Tertiò probatur ratione. Primò ſecundum Bonav. ſuperius, quia omnes fideles tam Græci quam Latini concedunt quòd Spiritus ſanctus procedit per modum amoris, & quòd donum eſt ac donatur hominibus à Filio, ſicut datus eſt à Chriſto Apoſtolis, ut patet per ſcripturas: ſed amare non tantum eſt Patris, ſed etiam Filij, & quia non datur, niſi à quo procedit: ergo &c. Secundò quia Pater producit ſibi æqualem Filium: ergo communicat ei omnem vim productivam, quæ ſibi non repugnat: ſed vis productiva Spiritus ſancti, id eſt ſpiratio activa, non repugnat Filio: ergo eam ſibi communicavit, alioquin non æqualem genuiſſet. Ergo, &c. Tertiò ſecundum Doctores communiter, quia ut probat Ricardus de ſancto Victore 6. de Trinitate: Inter perſonas divinas debet eſſe ſumma germanitas, ſicut & ſumma amicitia: ſed major germanitas eſt inter duos, quando unus procedit ab altero, & ambo à tertio, quam ſi unus nihil habeat ab altero. Hæc patent, nam major eſt germanitas filij ad patrem, quam fratris ad fratrem; ſi ergo Spiritus ſanctus non eſt à Filio, ſequitur quòd ibi non eſt ſumma germanitas inter Filium & Spiritum ſanctum, & per conſequens nec ſumma amicitia. Ultimò probatur ſecundum Doctorem & Scotiſtas ſic. In quocumque reperitur aliquod principium productivum ſine imperfectione non habens terminum adæquatum ſeu productum, illud habens poteſt producere ipſo principio, & ſi neceſſe eſt eſſe, neceſſariò producit: ſed Filius ſicut & Pater in divinis habet principium productivum Spiritus ſancti ſine imperfectione, quia habet voluntatem fœcundam non habentem terminum adæquatum ſeu productum, priuſquam ponatur Spiritus ſanctus: ergo Filius ſicut & Pater poteſt producere Spiritum ſanctum; & quia neceſſe eſt eſſe in Filio voluntatem fœcundam communicatam à Patre: ergo neceſſariò producit Spiritum ſanctum. Major patet; quia implicat aliquod eſſe principium productivum in aliquo, & quòd illo nihil poſſit produci. Minor declaratur: nam in primo ſiguo Pater habet intellectum & voluntatem, quæ ſecundum quòd ſunt potentiæ ordinatæ, ita exeunt in productiones ſuas. Cùm ergo intellectus natura præcedit voluntatem, ita primò Pater intellectu producit Filium, & eum producendo communicat ſibi voluntatem fœcundam, quæ, priuſquam ponatur Spiritus ſanctus, nondum habebat productum vel terminum adæquatum. Ideò per conſequens Pater & Filius per voluntatem fœcundam ambo producunt Spiritum ſanctum. Exemplum ad hæc: Ignis enim habet duo opera, ſcilicet calefacere & deſiccare, nec poteſt deſiccare, niſi prius calefaciat: ponatur ergo quod ignis communicet eandem numero virtutem deſiccativam, videlicet quam habet mediante calore, antequam deſiccet, tamen lignum eadem virtute qua ignis deſiccabit, ſic in propoſito. Hæc & plura alia peti poſſunt ex ſcholaſticis apud quos momenta omnia hujus difficultatis diſcutiuntur, ut non immerito D. Thomas & Bonaventura in Theologia Doctores primarij ad Græcorum argutias omnes retundendas vocati fuerint ad Concilium. Pleræque enim quæſtiones fidei non aliter elucidari poſſunt, quam per acuriſſimos Theologos, ut qui eorum authoritatem elevant, quaſi in chimæricas abſtractiones inciderint, aut qui nonniſi ſubſultantem & incertam doctrinæ legem ſequantur, validum Eccleſiæ propugnaculum adverſus hæreſes diruere moliantur.

Ratiocinium Doctoris ſubtilis.

D. Thomæ & D. Bonaventuræ.

Proceſſio Sp. S. triplici via probatur.

Non tantum autem definit Concilium à Patre & Filio Spiritum ſanctum procedere, ſed addidit ab utroque procedere tanquam ab uno principio, ut quamvis Pater & Filius ſint duo ſuppoſita, ſint tamen unus ſpirator Spiritus ſancti, licet poſſit dici eſſe duos ſpirantes, quia ſpirans eſt adjectivum: ad multiplicationem vero ſuppoſitorum adjectiva multiplicantur, nomen vero *Spirator* aut *principium* eſt ſubſtantivum: ad unitatem autem nominis ſubſtantivi ſufficit unitas formæ, etſi ſuppoſita immediata multiplicentur, ut patet ex eo quod Pater, Filius & Spiritus ſanctus dicuntur unus Deus propter unitatem divinitatis: ſicut in Patre & Filio eſt unica Spiratio activa. Nec obſtat quod dixerit Concilium tanquam ab uno principio, quia particula, tanquam, non minuit ſed explicat veritatem, ſicut cum dicitur Joan. 1. *Quaſi unigeniti à Patre.* Unde vix excuſari poteſt Durandus in 1. diſt. 29. quæſt. 2. & Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 22. qu. 1. cum dicunt Patrem & Filium duo principia Spiritus ſancti, quod inquiunt, nomen principii vel ſignificet ſolam virtutem ſpirandi, & ſic debent potius dici Pater & Filius habere unum pincipium Spiritus ſancti, vel ſignificat ſuppoſitum, tuncque erunt duo principia, quia ſunt duo ſuppoſita: cum enim nomen principium ſit ſubſtantivum, in recto dicit virtutem ſpirandi quæ unica eſt, in obliquo autem ſuppoſitum,

Pater & Filius unum Principium Spiritus ſancti.

Nomina autem ſubſtantiva non multiplicantur, niſi multiplicetur id quod in recto ſignificabant. Porro Durandi ſententiam temerariam vocant Torres quæſt. 36. art. 4. Vaſquez diſputatione 146. cap. 3. Suarez lib. 7. de Trinitate cap. 7. & alij. Quia in re graviſſima & ex profeſſo definita, diſcedere in modo loquendi à communi ſenſu Patrum & Theologorum, manifeſtè temerarium eſt.

Cæterum quia obiter actum eſt de objectione illa qua Græci arguunt Eccleſiam Rom. id eſt, Catholicam de curioſitate nimia in perquirendo modo ſingulari productionis Spiritus ſancti, quaſi res eſſet ſuperflua & minimè neceſſaria: unde tamen tam pernitioſa diſſentio Eccleſiarum oritur ex cauſa non neceſſariâ, non inutile erit paulò diutius immorari circa iſtam querimoniam, quam etiam aggravant hæretici hujus temporis ut Joannes Daillæus Miniſter Charentonianus in *Apologia Eccleſiarum reformatarum*, ubi nimiæ ſeveritatis accuſat Eccleſiam Rom. quod à corpore Chriſti multos ſeparet ob cauſas nullius aut parvi admodum momenti & quæ ad pietatem nihil ſpectat, ut eſt inter alia aſſertio illa de proceſſione Spiritus ſancti à Patre filioque, ſine qua ſalus non periclitaretur. Inhumana eſt iſta ſeveritas fulmina prætenſa indiſcriminatim mittere contra minores ac maximos errores, cum ferire ſoleant ſummos fulmina montes, non viles repenteſque per humum herbas. Nam inquit, quamvis error ſit non agnoſcere Spiritum ſanctum à Patre filioque procedere, attamen rem ipſam penſiculatius examinando, difficile eſt ut non dicam impoſſibile comprehendere, quodnam inferatur pietati præjudicium ſi iſtud non admittatur. Cætera iſtius hæretici dicta omitto. Porro ſatis conſtans eſt Theologorum ſententia, Spiritum ſanctum promiſiſſe aſſiſtentiam ſuam Eccleſiæ non ad revelandam quamcumque veritatem, ſed tantum eam, quæ ad finem conſequutionis æternæ beatitudinis eſt conducibilis ac neceſſaria, ut benè explicat Andræas Duvallius Decanus Faculc. Theol. Pariſ. de fide quæſt. 7. art. 2. *de hæreſi* poſt Cordubenſem quæſt. 17. §. 10.

Calviniſtæ conſpirant cum Græcis.

Ad hoc reſponderi poſſet rem iſtam non eſſe tam parvi momenti, ut nihil ſpectet ad pietatem & religionem, ob duas præcipuè cauſas.

1. Eſt quod Deus vult adorari à Chriſtianis in quantum unus eſt Deus in tribus perſonis, quarum prima ſit Pater, ſecunda Filius à Patre genitus, tertia Spiritus ſanctus à Patre & filio procedens: itaut quemadmodum Pater adoratur & colitur ut Pater & principium filij, ita Filius adoretur ut principium Spiritus ſancti. Neque enim minimum decus eſt Filij dici & eſſe principium Spiritus ſancti: gloria hoc eſt ipſius, qua Græci ipſum defraudant, ſicut Ariani cum illi conſubſtantialitatem auferebant, quamvis minus exorbitent Græci. Attamen ut ex gemma pretioſa non licet minimum quid auferre, ſic ex divina perſona.

Quanti momenti ſit proceſſio Spiritus ſancti à Filio.

2. Quod poſitio Græcorum inferat deſtructionem myſterij Trinitatis ſecundum doctrinam D. Thomæ: ſi enim Spiritus ſanctus a filio non procederet, à filio non diſtingueretur, ſicque myſterium unius Dei in tribus diſtinctis perſonis non ſubſiſteret: non ergò tam parvi momenti iſta eſt Græcorum aſſertio ut contemni debuerit, & non curari de ipſorum errore.

At ad iſta eſt quod reponatur. Ad 1. enim dicetur non conſtare de iſto cultu ſic præfixo & determinato ad ſingulas proprietates perſonales, cum vera adoratio & tanta quanta poteſt eſſe exhibeatur filio, conſiderando ipſius cum Patre eamdem divinitatem, & cum ipſo æqualitatem: nec enim minus colendus eſt Spiritus ſanctus quod ab ipſo Filius non procedat: cur non ſimiliter idem dicatur de Filio, ſi ab ipſo Spiritus ſanctus non procederet? Ut Deus agnoſcitur, omni cultu poſſibili dignus eſt.

Ad 2. dici poſſet iſtud adhuc minus eſſe conſtans & detrimento myſterij adorandæ Trinitatis & indiſtinctione Spiritus ſancti à Filio. Quis enim neſciat doctrinam Scoti in 1. diſt. 11. quæſt. 2. D. Thomæ contradicentis, quod duplici capite diſtinguatur Spiritus ſanctus à filio, & ratione ſpirationis activæ, & ratione filiationis, quæ per ſe ſit principium ſufficiens diſtinctivum Filij a Spiritu ſancto? omne namque ens eſt unum: unum vero dicitur quod eſt in ſe indiſtinctum & indiviſum, diſtinctum vero & diviſum à quolibet alio conſimilem entitatem non habente. Deinde videntur ſufficere relationes oppoſitæ diſparatè, etſi non relativè relatione illa producentis & producti. Quare adhærent Scoto Henricus quodlib. 5. Dionyſius Carthuſianus dicta diſt. 11. Ocham, Gabriel, Gregorius & omnes Scoti diſcipuli apud Rada in 1. controverſia 15. ubi totam quæſtionem ſolide diſcutit. Quid ergo impedit quominus Græci pietatem colant, Trinitatem veneretur, & ad metam felicitatis pertingant?

Conſiderari poteſt illis obſtaculo eſſe definitionem Eccleſiæ in multis Concilijs etiam generalibus, cui refragantur Græci: cum autem Eccleſia eodem Spiritu regatur in explicandis ſcripturis, quo ipſæ ſcripturæ ſacræ primò editæ ſunt: & loca ſcripturæ interpretata ſit de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio, iſtam aſſertionem ut revelatam à Spiritu ſancto in ſcripturis quilibet fidelis debet intelligere & credere ne impingat in illud Chriſti Matth. 1. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Quod autem iſtud ex curioſitate nimia & tanquam nihil ſpectans ad pietatem, ut dicunt hæretici, Eccleſia fruſtra definierit, dici non poteſt D. Paulo aſſerente 2. Timoth. 3. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad corripiendum, ad arguendum, ad inſtruendum ut ſit homo perfectus.* & Tertulliano contra Hermogenem, Adoro plenitudinem ſcripturarum.

Quod autem objiciunt hæretici, Eccleſiam non debere ſub anathemate damnare quoſlibet errores, ſed tantum capitales: idem eſt ac ſi quis diceret ſuperiores non debere prohibere peccata quædam leviora, etiamſi diſponant ad graviora: errores qui putantur non ita magni momenti, viam parant ad quoſvis graviores, Eccleſ. 19. *Qui minima negligit, paulatim decidet.*

Reſtaret autem inquirendum, an poſita definitione Eccleſiæ, naſceretur obligatio ad credendum jure divino, an tantum Eccleſiaſtico? nam ſi iſtud poſterius, diſpenſari poſſet forſan & concordia reſarciri facilius: qua de re infra in claſſe V. in Concilio Nymphæ.

CONCILIVM VIENNENSE.

GENERALE XV.

Trecentorum & amplius Epiſcoporum.

Quo Templarii extirpantur: hæreſes Petri Joannis, Begardorum & Beguinarum condemnantur, expeditioque pro recuperanda Terra Sancta ſuſcipienda decernitur, anno Domini 1311. tempore Clementis Papæ V. & Henrici Imperatoris.

CAuſa Concilij hujus congregandi fuerunt milites religioſi Templarij: plurium quoque errores qui tranquillitatem publicam perturbabant, ut eorum alios cujuſdam Petri Joannis Ordinis

Minorum, ſed & vineam Eccleſiæ depaſcebant vulpeculæ Begardi in Germania ac Beguinæ infideles ac perverſæ fœminæ: inſuper diſciplina in multis collapſa erat. Quare Durandus natione Waſco, Epiſcopus Mimatenſis, dictus Speculator quod Speculum juris ſcripſerat, juſſu Clementis V. Concilium Viennenſe celebraturi, ſcripſit de Concilio celebrando. Liberque editus eſt Pariſiis cum hoc titulo, de modo celebrandi Concilij generalis. Verum non de modo, ſed de rebus in Concilio deliberandis, in eo opere agitur. Quod opus eſt velut quædam invectiva generalis in omnes ordines Eccleſiæ, maximè in Eccleſiaſticos, nulla habita ratione dignitatis cujuſquam, etiam Papalis, ut Concilium Viennenſe celebrandum in omnibus reformatione illegitimam afferret. Habentur hujus libri præcipua capita ſeu tituli in Catalogo teſtium veritatis, qui catalogus à Lutherano homine fabricatus eſt, in quo quidquid ſcriptores catholici nominis, utinam ſemper & Catholicæ fidei, liberius aut ſæpe & præpoſtero zelo, aliove motivo ſcripſerunt in detrimentum Romanæ Eccleſiæ, abunde conglomeratum eſt. Iſta facerent ad ante acta hujus Concilij. Sed tam prolixa hic inſerere non eſt noſtri inſtituti. Ferunt autem quidam acta hujus Concilij edita fuiſſe Avenioni, ante aliquot annos: quæ quia videre non licuit, & pauca hactenus Conciliorum collectores de eo Concilio dederunt, præmiſſis aliquorum narrationibus, hoc præſens Concilium integrabimus, ex prima noſtra additione ad Summam Conciliorum, in qua non pauca à nobis collecta erant, quæ etiam paulo locupletiora hic reddimus.

S. Antoninus 3. part. Hiſtor. titul. 11. cap. 3. de hoc Concilio ſic loquitur: *Anno Domini* 1311. *Kalendis Novembris cœpit celebrari Concilium generale Viennæ in Burgundia, prout fuerat ante publicatum. In quo præſentes fuerunt pluſquam trecenti Epiſcopi ultra alios Prælatos de diverſis partibus orbis. Et cum Clemens, ut ſatisfaceret promiſſioni factæ Regi Franciæ in ſua promotione, ſcilicet, de delenda memoria Bonifacij ex Eccleſia, cum Prælatis Concilij tractaret; quia Rex illum hæreticum fuiſſe probare intendebat: Concilium nullo modo aſſentire voluit, ſed contrarium declaravit, ſcilicet, ipſum fuiſſe Catholicum & indubitatum Pontificem. Verùm quia ipſe fecerat proceſſus contra Regem Franciæ, ad quietandum ipſum, non valentem obtinere quod cupiebat injuſtum, declaravit & firmavit decreto Concilij, quod quacunque de cauſa Rex offendiſſet Bonifacium Papam, ſeu Eccleſiam, nullo unquam tempore poſſit ipſi Regi, vel ejus filiis & hæredibus aliquid damni inferri vel pœna.*

De Templariis hac Synodo ſublatis & extirpatis, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi iſta habet: *Ibi ordo Templariorum, qui annis fermè* 184. *ſteterat, ab ipſo Clemente Papa condemnatus fuit, & uno die per univerſum orbem deletus ad inſtantiam Philippi Regis Francorum, cujus promotione ipſe Papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarij valde divites, quorum poſſeſſiones, ut Rex ſibi acquireret, crimen ei hæreſeos falſum impoſuit, ut multi volunt, & extingui omnino procuravit.*

Joannes Marius eadem commemoratus, ait: *In hoc quoque Concilio decretum eſt, ut bona, redditus, ac poſſeſſiones Templariorum, qui propter hæreſim aliaque facinora nefanda deſtructi ac combuſti fuerant, equitibus Hieroſolymitanis, qui nunc Rhodij dicuntur, attribuerentur.*

Otho Urſpergenſis in Chronico poſt annum 1227. ait: *Fridericus II. apud Acon in Terra ſancta, ut aiunt, multa juſtinuit ex perfida proditione Templariorum.*

Platina in vita Clementis V. *Reſtitum eſt*, inquit, *Templarios à noſtris ad Saracenos defeciſſe.*

Sed audiamus quid dicat ipſe Clemens V. in ſua ſententia.

A *Ad perpetuam rei memoriam. Ad providam Chriſti Vicarij præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis circumſpectionem pertinet, &c. Dudum ſiquidem Ordinem Dominus militiæ templi Jeroſolymitani, propter Magiſtrum, & Fratres, cateraſque perſonas dicti ordinis in quibuſlibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diverſis non tam nefandis, quàm infandis (prob dolor!) errorum & ſcelerum obſcenitatibus, pravitatibus, maculis & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubjicimus, ejuſque Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio, non per modum diffinitivæ ſententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum*
B *inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, non poſſemus ferre de Jure; ſed per viam proviſionis ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuo valitura ſuffulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictius inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario ſe gerere præſumeret: quod ſi quis contra faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Univerſa etiam bona Ordinis prælibati, Apoſtolicæ Sedis ordinationi & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica duximus reſervanda, &c.*

C *Additio ad Concilium Viennenſe generale ſub Clemente V. tempore Philippi Pulchri Regis Galliarum celebratum. Anno 1311.*

PAuca valde hactenus ſcripſerunt de hoc Concilio Viennenſi Collectores Conciliorum, pauca, inquam, ſi habeatur ratio omnium quæ de illo ſcribi potuiſſent: idcirco in hac parte aliquatenus eorum omiſſioni ſupplebimus, ex varijs auctoribus, & libris Clementinarum, in quibus ejus Concilij decreta continentur. Ac primo.

Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1311. in diplomate quo Clemens Papa quintus Concilium indicebat Epiſcopis, Generalibus religionum & principibus, tres ejuſdem congregandi cauſas præſcribi recenſet. 1. ut ponderoſius examinaretur cauſa Templariorum de plurimis liſque graviſſimis criminibus accuſatorum: 2. ut ageretur de recuperanda Terra ſancta: 3. ut corrupti hominum mores reformarentur, Eccleſiaſtica aſſereretur libertas & depravata dogmata quorumdam eliminarentur.

D Idem author meminit trium ſeſſionum in hoc Concilio habitarum, quarum prima inchoata eſt Sabbato ante Feſtum ſancti Lucæ Evangeliſtæ, in qua Pontifex prædicta negotia propoſuit conſideranda, & ut quis, quid de unoquoque judicaret, exponeret. His meditandis & alterius conſiderationibus plenè diſcutiendis, reliquum illius anni & tres inſuper menſes elapſi ſunt. Unde ſecunda ſeſſio habita eſt anno 1312. tertio idus Aprilis, in qua collatis patrum ſententiis decretum eſt, ut nomen & ordo Templariorum penitus aboleretur, quorum inſtitutum multis turpitudinum maculis eſſe cœperat infame. Crimina eorum talia tamque enormia, ut non facta ſed potius ficta & anicularum fabulis ſimilia eſſe quis judicaret. Joannes Villanus illius temporis auctor, S. Antoninus & alij à calumnijs defendunt, fama tamen frequentior & ſenſus prope omnium condemnat. Clementis diplomata inquis, quæ in archivo Vaticano legi, &c. indicio eſſent famam haud quaquam vacuam fuiſſe, affirmantis duos & ſexaginta ex eodem ordine ſe coram quæſtione habita, ſcelera quæ enumerantur & communiter circumferuntur, faſſos veniam petiſſe, &c. Petivit etiam Philippus Rex ut condemnaretur Bonifacij Pontificis memoria, ejuſque nomen è ſerie Pontificum expungeretur: viriliter tamen reſtiterunt patres, &c. *Seſſiones*

E

duo etiam equites Catalani ad ſingulare certamen provocarunt, ſi qui eſſent qui Bonifacium, Pontificem fuiſſe negarent, aut hæreſis crimine maculatum auderent aſſerere, &c.

Tertia ſeſſio Concilij habita fuit in feſto ſancti Joannis ante portam Latinam, quod incidit in ſabbatum infra octavam Aſcenſionis Dominicæ. Sed die præcedenti patrum ſuffragijs in ſecreto conſiſtorio decretum eſt contra fratrem Ubertinum Caſalinum, ejuſque ſequaces, modum vivendi communitatis ordinis Minorum ab illis vehementer in multis accuſatum, eſſe licitum & ſufficientem ad veram regulæ ſancti Franciſci obſervantiam. Lectaque eſt conſtitutio quæ incipit *Exivi de Paradiſo, &c.* In qua dubia emergentia ſuper regula ad tollendos fratrum ſcrupulos explicantur.

Actum etiam de doctrina fratris Petri Joannis quam Ubertinus de Caſalis acerrimè defendebat contra ejus impugnatores perplurimos, concluſumque ut ea expreſſe condemnarentur quæ (primum tamen in Clementinis non reperitur & unde id hauſerit Wadingus mihi incertum) de Divina eſſentia generante & generata; de anima rationali corpus informante, non tamen ut rationali, & de Chriſto dum viveret lancea vulnerato, dixiſſe ferebatur: cæteris doctrinæ ejus capitulis ordini reſervatis, ut etiam totam ejus doctrinam interdiceret omneſque ejus commentationes, ſi ita videretur. Deinde hortatus eſt Pontifex, Prælatos Minorum ut charitativè tractarent hos fratres qui ſe prætextu ſtrictioris regulæ à cæteris ſegregaverant, & ad ordinis officia abſque ulla ab aliis differentia promoverent: illi viciſſim ad obedientiam redirent, pacemque cum cæteris ſervarent. At Frater Ubertinus genuflexus Pontifici exclamavit: *Retribue ſervo tuo, vivifica me ſecundum verbum tuum*; petitque ut ſibi ſuiſque daretur facultas extra illorum obedientiam militare ſub regula ſancti Franciſci, timens ne graviora ab illis pateretur. Sed noluit annuere ſummus Pontifex, ſed omnino voluit ut unus eſſet Paſtor & unum ovile, &c.

R. Lullus. Venit hoc tempore Viennam etiam Raymundus Lullus Majoricenſis, tria in Concilio propoſiturus, quæ toties magno bono rei Chriſtianæ uti putabat, alijs principibus & Pontificibus expoſuit. Quod & nos alias enarravimus: ad annum ſcilicet 1295. Primum ut per mundum varia juberentur exſtrui Monaſteria, in quibus viri ſancti ac devoti pro Chriſto mori nihil formidantes, varios ſermones docerent, ut in omnem terram exiret ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Secundum ut de cunctis Religioſis militibus, qui diverſorum ordinum ſunt, fieret unus Ordo, qui trans mare aſſiduis bellis Sarracenos lacceſſeret, donec ſancta Terra Chriſtiano pareret Imperio. Tertium ut auctoritate ſanctiſſimi P. R. Pontificis cunctorumque Cardinalium, inhiberentur ſcripta Averroïs legi in ſcholis Chriſtianorum, eo quod in pluribus fidelium mentes à ſinceritate & veritate fidei nutare cogunt, & ad impietatem perducunt.

Errata quædam Bzovij. Præter hæc carptim ex Vvadingo tranſcripta, Bzovius ab eodem arguitur de tribus erroribus in iis quæ ſpectant ad idem Concilium. Primus eſt quod dicat veritum ne regula ſancti Franciſci à Minoribus obſervetur, niſi ex formula à Concilio correcta. Regulam ſiquidem Concilium non correxit, ſed ejus dubia ad amovendos ſcrupulos explicavit. Secundus eſt quod aſſerat ſanctum Ludovicum Epiſcopum Toloſatem relatum eſſe à Concilio in Catalogum Sanctorum, id enim tantum factum eſt ſub Joanne vigeſimo ſecundo. Tertius eſt Clementem mandaſſe auctoritate Apoſtolica ut libri condemnati, Arnaldi Villa-novani ex Ordine Minorum per Univerſitatum moderatores, ac inquiſitores conquirerentur, igniique traderentur, cum ex Epiſtola quam citat, tantum pateat mandaſſe ſub excommunicationis pœna ut quicumque haberet quemdam ejus librum de medicina practica, vel qui ſciret alium habere revelaret, curaretque ad ſe tranſmitti. Hæc Vvadingus eo loci contra Bzovium qui Franciſcanos ſæpe ſæpius carpere ſolitus eſt.

Sed ut ſe habeant hæ ſingulares controverſiæ, fragmentum aliud Concilij Viennenſis verum, non omittendum hîc exiſtimavimus, quod idem Abrah. Bzovius ex Bibliotheca Vaticana numero 4177. tranſcriptum ſuis inſeruit Annalibus ad annum videlicet 1311. continet autem ſuffragium grave admodum cujuſdam Epiſcopi Mimatenſis vel alterius, de tribus præcipuis capitibus ob quæ Concilium indictum fuerat. Iſtud ſic ſe habet.

Suffragium cujuſdam Epiſcopi Mimatenſis, ſeu alterius in Concilio Viennenſi.

IN nomine Domini, Amen. Anno Domini 1311. Congregato Concilio generali Viennæ, per ſanctiſſimum Dominum Clementem Papam V. menſe Octobri in prima ſeſſione ſua, quæ fuit decima ſexta die ipſius menſis, primo propoſito verbo Domini, aſſumpto themate: *In Concilio juſtorum & congregatione; Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus.* Expoſuit dictus Papa tres cauſas, propter quas ille duxerat Concilium congregandum. Prima fuit pro negotio Templariorum, & ordine eorum, qui ſuper variis hæreſibus, & nefandis erroribus fuerunt graviter & multipliciter infamati, & multi proceſſus & inquiſitiones contra eos factæ. Secunda, propter ſuccurſum, & ſubſidium Terræ Sanctæ. Tertia, pro reformatione morum, & reformatione ſtatus Eccleſiaſtici. *Tres cauſæ Concilij.*

De Primo, ſcilicet de articulo Templariorum variis varia ſentientibus; aliis diſſentientibus & aſſerentibus, quod dicto ordini danda erat defenſio; nec debere tam nobile membrum Eccleſiæ, à corpore ejuſdem abſque juris rigore, & magna diſcuſſione truncari: alijs vero opinantibus, dictum ordinem deſtruendum, ſine aliqua tarditate. Tum propter grave ſcandalum, contra dictum ordinem in tota Chriſtianitate exortum: tum quia contra ipſum multi errores, & hæreſes, per dictos proceſſus, & inquiſitiones pluſquam per duo millia irſtium reperiebantur eſſe probati. Quid autem ſenſerim circa dictum articulum, ſequitur in hæc verba.

Quamvis infirmitas proprij corporis, qualitaſque loci ac temporis me graviter affligentes auferant opportunitatem deliberandi plenius & ſtudendi circa ea pro quibus Dominus noſter Summus Pontifex, prout in ſua 1. ſeſſione prædicta ſenatui expoſuit, decreverat iſtud Sacrum Concilium celebrandum, tamen prout parvitati mei occurrere poteſt ingenij. mihi videbitur, ſalva ſemper auctoritate majorum: quod quantum ad negotium Templariorum & ordinis templi attinet: Eccleſiæ Dei, & toti fidei Chriſtianæ mirabiliter expediret quod idem Dominus noſter, ſive de rigore juris, ſive de plenitudine poteſtatis, iſtum ordinem diffamatiſſimum, qui, ut ita dicam, odorem nominis Chriſtiani, quantum in ſe fuit, apud incredulos & infideles fœtere jam fecit, & nonnullos fideles in ſtabilitate fidei titubare, ſine tarditate aliqua, rejectis frivolis, & calumnioſis allegationibus ſuper defenſione tollenda, ex officio ſuo omnino tolleret: bonis ejus ordinis diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervatis, & ſine tarditate dico. Etiamſi à prima ſua inſtitutione fuerit ordo bonus. Cum dicat Scriptura diſt. *Verum.* Quod ſi nonnulli ex prædeceſſoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vergunt in errorem, & ſuperſtitionem, ſicut in dicto ordine apparet, ſine tarditate à poſteris deſtruantur: ſicut tam ibi, quam 4. Reg. XVIII. cap. de Ezechia legitur quod confregit æneum ſerpentem quem Domino jubente conſtruxit. *Templarij.*

Et iterum bene dico, ſine tarditate; ne ex tarditate moroſa, ſcintilla hujus erroris prorumpat in flammam,

mam, quæ posset intendere totum orbem, & fidem Catholicam non modicum denigrare, & accidat quod dicit Hieronymus, quod Arius una scintilla fuit in Alexandria; sed quia statim oppressus non exstitit, flamma ejus totum orbem populata est xxxiii. qu. 3. secundæ.

Nec multum movere debet Dominum nostrum quod dicunt aliqui prædictum ordinem, qui Eccles. videtur esse membrum tam nobile, non debere sine juris ordine, & plena discussione truncari: Cum, salvâ pace dicentium, & propter grave scandalum, quod in Eccles. Dei ex hoc ordine jam est ortum, & semper ubique terrarum ex morosa dilatione crebrescit, non videtur tanta discussio requirenda, veritate dicente, Matth. 6. & 18. *Si oculus tuus dexter, vel brachium scandalizant te, erue eos, & projice abs te. Expedit enim ut unum membrorum tuorum pereat, quam totum corpus.* Item etiam expedit dictum ordinem tolli alia ratione: videlicet ne eo remanente semper indigna facti memoria refricetur: unde super illud Levit. 20. *Mulier quæ accesserit ad omne pecus, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur*, dicit Augustinus, Inde credendum est pecora jussa interfici, nō quia peccaverint, cum sint irrationabilia, sed quod tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam. Et est decretum. 15. q. 1. c. *Mulier.*

De secundo, videlicet subsidio terræ sanctæ, licet ad sapientissimos vicos in mundanis, & expertissimos in rebus bellicis, tractatus hujusmodi amplius pertineat: quia tamen Dominus Papa circa hoc Prælatorum consilium & deliberationem cum instantia requisivit, mihi, licet imperito, & in tam arduis negotijs inexperto, quid prima facie videtur, propter bonum obedientiæ, aperiam, salva semper in omnibus authoritate majorum & consilio seniorum.

Subsidium Terræ sanctæ.

Quamquam non dubitem nondum advenisse vel instare tempus liberationis Hierusalem, cum videam tempora moderna tum propter scelera & transgressiones populi Christiani qui legem habent, & nihil de ea servant, & qui leges sapiunt, ac faciunt, nec lege uruntur: tam propter dissensiones, æmulationes, & schismata quæ & quas video inter se Christianos habere, non forte multum bene dispositas: quia tamen non est nostrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater in sua posuit potestate, & quia devotio templi, & maxime Domini Pontificis, cujus cordi istud negotium multum noscitur insidere, non est retrahenda in hac parte, sed potius excitanda, idcirco in primo mihi videtur, quod ex tunc præfigendus erat terminus passagij generalis, ad decem vel duodecim annos, prout ipsi Domino Summo Pontifici & aliis sapientibus videtur. Et quod interim crux per prælatos & alios viros idoneos per totam Christianitatem prædicetur efficaciter & ferventer, concessa cruce signandis indulgentia copiosa. Item quod bona ordinis templi, quæ ad hoc specialiter deputata fuerunt, administrentur interim & recipiantur per Prælatos, videlicet per quemlibet in sua civitate & Diœcesi, & per alias personas Ecclesiasticas idoneas, ab ipsis deputandas, ita libere, quod Reges & alij Principes sæculares, nullomodo de his se intromittant; sententijs latis in contrarium facientes.

Item quod omnibus eleemosynas, & subsidia præbentibus ad subsidium & liberationem Terræ sanctæ prædictæ, conferat Dominus noster talem indulgentiam, qualem concessit Pictavis pro Hospitalarijs, duraturam usque ad tempus passagij prædictæ faciendæ & ponendæ in truncis prædictis, jam per Hospitalarios factis & positis, quod omnia quæ jam in truncis prædictis sunt posita, interim recipiantur per Prælatos, vel alios deputandos ab ipsis.

Item, quod concedatur, & solvatur quolibet anno usque ad tempus prædictum, de proventibus & redditibus Ecclesiasticis dimidia decima colligenda per Prælatos, per quemlibet in sua civitate & diœcesi: ita quod

A ad hæc nullo modo advocetur brachium sæculare: ex quo in casu simili Ecclesiæ temporibus retroactis multum damnificatæ fuerunt. Ita quod durante dicto tempore, Ecclesiis vel personis Ecclesiasticis non imponatur per sedem Apost. gravis, vel alia quota solvendi de suis redditibus & proventibus Ecclesiasticis, pro subsidio Terræ sanctæ: vel alicui Regi aut Principi, hac de causa: alias ipsi Reges aut Principes dicto tempore hoc non petant, vel exigant, jure antiquo, vel
a consuetudine, seu indulgentia sibi concessa, vel concedenda. Et quod contrarium facientes compescantur per remedia opportuna ex nunc ad hoc exhibenda: alioquin ex nunc, à solutione dictæ dimidiæ decimæ cessaretur: cum Eccles. variis decimarum, & aliarum impositionum exactionibus, & in modis exigendi eisdem adeo gravatæ fuerunt tempore retroacto, quod majo-
B rem impositionem non possint æquo animo tolerare, nec videatur ad præsens illud subsidium nimis parvum, cum reperiatur alias in casu simili subsidij Terræ sanctæ vicesima tantum concessa in alio Concilio generali, cum nolint jura, propter fluctuum Terræ sanctæ Ecclesias enormiter aggravari. Et credo, quod minor quantitas data, grata, & hilari voluntate magis proderit & efficacior erit ad dictum opus, quam major exacta à nolentibus, tristibus & invitis.

Item, quod quilibet Prælatus teneatur secum afferre vel mittere ad Conc. Provinc. quolibet anno celebrandum, in aliqua certa civitate Provinciæ, omnia quæ receperit, tam de bonis dicti ordinis, & eleemosynis prædictis, quam dictam dimidiam decimam: & totum adunatum, reponatur in Ecclesia Cathedrali illius civi-
C tatis, in bona & secura arca, cujus arcæ, Metropolitanus, & singuli suffraganei habeant singuli claves: & de depósito fiat publicum instrumentum, Camerario Domini Papæ mittendum.

Item, quod aliquid de præmissis nullo modo assignetur, vel tradatur alicui cujuscumque conditionis, aut status sive dignitatis existat, sine literis sedis Apostolicæ Bullatis. Et quod Dominus noster optime caveat, per sententias, aliasque, adversus quoscumque, qui bona hujusmodi sive postquam deposita fuerint in æde sacra vel ante, per se, vel per alium, seu alios præsumpserint occupare, vel Prælatos hac occasione molestare.

Tertius articulus est, scilicet de reformandis in Ecclesia Dei, altiorem & prolixiorem requirit tractatum, cum sint infinita, adeo, quod eorum non est numerus, nec finis. *Reformatio in Eccles.*

D Circa quæ scripsi aliqua, quæ videri & legi poterunt, locis & tēporibus oportunis, & circa quæ si opponeretur remedium congruum, multum judicio meo reformaretur, & rectificaretur status universalis Ecclesiæ, & honestaretur Christianæ religionis cultus, ac totius fidei orthodoxæ.

Et licet iste tertius articulus sit ultimus in ordine, tamen præcedere debet secundum in executione, quia prius extirpanda sunt vitia, quam inserenda virtutes, & prius placandus esset Deus, & postea ejus auxilium implorandum; quia scimus: *Quod Deus peccatores non exaudit.*

E Zelus domus Dei, pariterque Christi charitas mandatique Apostolici (cui summopere obediendum est) urgens necessitas, quædam subdere annexa, quæ judicio meo in Ecclesia Dei per orbem terrarum longe lateq; diffusa, correctionis & reformationis, ut Domini Pontificis verbis utar, curam expectant, rudi filo, sed fideli juxta modum scientiæ & ingenij parvitatem scribere me compellunt, ut Domini summi Pontificis providentia, sacro approbante Concilio correctionem & directionem recipiant opportunam. Si autem in scribendis aliqua errore, seu erronea vel minus perfecte seu insufficienter reperiantur esse dicta, simplicitati & ignorantiæ scribentis, bonum zelum novit Deus forte non secundum scientiam habentis, non infidelitati vel malitiæ adscribantur. Quia in omnibus, & per omnia fidei Catholicæ quam sancte

Romana tenet, docet, prædicat Ecclesia, etiam usque ad sanguinis effusionem assentiens correptioni & mandato ipsius dicti Domini summi Pontificis, & Concilij, tanquam filius obedientiæ me subjicio reverenter.

Festa nō servantur.

In plerisque Regni Francorum partibus irreligiosa consuetudo, quæ reprobanduś inolevit abusus, videlicet, quod in diebus Dominicis, & aliis præcipuis anni festivitatibus Majestati altissimi dedicatis, in quibus populi Christiani deberent ab operibus servilibus cessare, ad Ecclesias convenire, servitio divino vacare, pabulum Dei permaxime sibi necessarium a Prælatis, & aliis quibus concessum est percipere, mercata & nundinæ, placita & assisiæ celebrantur. Ex quo accidit, quod fideles populi magis carnalia quam spiritualia sapientes, relictis Ecclesiis, & divinis servitiis ibidem convenient, sua mercimonia, & litigia exercentes. Ex quo fit, quod illis sacris diebus in quibus præcipue colendus esset Deus, colitur diabolus, Ecclesiæ remanent vacuæ, prætoria, tabernæ, & ergasteria, rixis, contumelijs, tumultibus, blasphemijs, perjurijs resonant: ibidemque fere omnium generum scelera perpetrantur. Ex quibus sequitur quod lex Dei, articuli fidei, & alia quæ ad religionem fidei Christianæ & salutem animarum pertinent, a fidelibus quasi totaliter ignorantur. Ex hoc Deus blasphematur, diabolus veneretur, pereunt animæ, fides Catholica sauciatur. Unde super tantis errore & abusu perneccssarium est salubre remedium adhiberi.

2. In nonnullis etiam ejusdem regni regionibus alia non minus damnabilis inolevit consuetudo, imo potius corruptela: videlicet, quod Archidiaconi, Rurales Archipresbyteri & Decani, jurisdictionem Ecclesiasticam exercentes, tam per se, quam per quosdam subsitutos viles, insciosś, & ignaros regni, Ecclesiis clavibus enormiter abutentes, homines pro parvis & levibus causis, imo multotiens sine causa excommunicationis percellunt: quæ non secundum Canones sit æternæ mortis damnatio, & qua pœna nulla major est in Ecclesia, non nisi pro mortali crimine, & a Majori judice Episcopo cum maturitate promulgari debet: Ex qua erroris corruptela, tantum excommunicationum inundat diluvium, quod communiter in una parochia, triginta vel quadraginta, ut non dicamus septuaginta (sicut oculata fide vidi) reperiuntur, pernales judices, potestatem Clavium ignorantes, variis, & ut plurimum injustis excommunicationum sententijs irretiti. Ex quo accipitur, quod homines, cum effrenata & monstruosa sententiarum multitudine assueti tales sententias omnino contemnunt, potestatem clavium vilipendunt, verba blasphema & scandalosa, contra Ecclesiam & ministros ejus proferunt. Unde judices (quod graviter est ferendum & concordi amaritudine referendum) innumerabiles populos catervatim ad barathrum secum trahunt, super quo nihilominus ad obviandum blasphemijs, & scandalis, & animarum periculis esset per Ecclesiam remedium adhibendum.

Excom. abusus.

3. Cum vero secundum Apostolum (non sit manus cito alicui imponenda) & transgressione hujus verbi, magnus hodie error reperitur in Ecclesia, dum innumerabiles personæ contemptibiles, & abjectæ vitæ, scientia & moribus indignæ ad sacros Ordines, & maxime ad sacerdotium promoventur. Ex quo fit, quod totus ordo Ecclesiasticus dehonestatur, ministerium Ecclesiasticum vituperatur, Ecclesia scandalizatur, dum effrænata multitudo sacerdotum, maxime indignorum, in Ecclesia a laicis populis consideratur. Ex quorum execrabili vita, & pernicioša ignorantia, infinita scandala oriuntur, sacramenta Ecclesiastica a laicis contemnuntur. Unde in plerisque apud laicos, sacerdotes Judæis viliores & contemptibiliores habentur; & licet circa tam levem manuum impositionem, multa jura providerint, judicio tamen meo adhuc provisione opus est, quia dicta jura pessime observantur.

Regulares.

4. Cum autem secundum Canones, quibus etiam in hac parte civilia jura concordant, Monachi mundo mortui, Deo autem viventes, nullatenus se debeant, juxta Apostolum, sæcularibus negotijs implicare, sed claustro suo contenti (sicut enim piscis sine aqua, sine claustro Monachus caret vita) juxta nominis sui interpretationem, ibidem soli & tristes debeant sedere, & officio suo vacare; multi, proh dolor! nomine & habitu tantum Monachi, de re autem aut vita Monachi in se nihil habentes, magis cum sæculo mori, quam cum Christo in claustro vivere cupientes, in prioratibus Ruralibus & aliis hinc inde vel trini malunt quam in congregationes sui monasterij conversari. Qui positi extra claustra, sicut equus effrænis abjecta observantia regulari, & divinis officijs penitus prætermissis, per mercata & nundinas discurrentes, negotiationes & mercationes, sicut laici mercatores exercent, multaque alia enormia, de quibus loqui verecundum est & turpe, ad detestationem sui ordinis, & grave scandalum populorum committere non verentur. Quare Ecclesiæ Dei, & rerum religioni pertinere judicarem, ut omnes tales Monachi, sic per orbem dispersi & vagantes, revocarentur ad claustrum; vel saltem de parvis prioratibus dicti Monachi, vel plures congregarentur in uno in quo juxta illud: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*; sicut in principali Monasterio regulariter, & illic se Domino famulari profiterentur; redditibus illorum parvorum Prioratuum, principali Monasterio, vel illi loco in quo adducerentur, ut præmittitur, applicatis. Sed unum præmissis obvians, proculdubio impedit tantum bonum. Cum enim Prælati tales Monachos, vel Monachas, in quibus adhuc majus periculum verteretur, ad claustrum revocare, aut in unum, ut dictum est, congregari curarunt, fundatores illorum parvorum Prioratuum, eorum bonam manu sua capiunt, occupant, & invadunt, asserentes se prædecessores suos qui dict loca, ob animarum suarum salutem & remedium fundaverunt, nolle fercnnis & suffragijs debitis defraudari. Circa quod esset salubri remedio providendum.

5. De excessibus exemptorum, & injurijs quæ præjudicijs & Prælatis, & personis Ecclesiasticis, & aliis inferunt, in grave præjudicium animarum, non est subsilentio transeundum. Ipsi enim, licet hoc per sanctissimum Patrem Dominum Bonifacium summum Pontificem, pro parte sit provisum, publice excommunicatos a suis ordinarijs, ad sacramentalia admittunt, in suis Ecclesijs & Capellis, in eisdem dispensationes clandestinas & benedictiones clandestinas, & quandoque inter personas excommunicatas, aut consanguinitate vel affinitate conjunctas, seu aliis personis matrimoniali vinculo confœderatis, celebrare non verentur, quod sæpe vidi referri. Dum enim causa matrimonialis inter aliquas personas coram ordinario verteretur, causa recte examinata, & discussa, jamque in januis sententia existente, & una ab alia persona de jure separari non debente, illa cui matrimonij conditio non placebat, cum alia persona damnabiliter contrahebat, & in capellis aliquorum exemptorum benedictionem nuptialem clandestine fieri procurabat. Et dum de talibus excessibus, & aliis enormibus flagitijs, de quibus non est dicendum per singula, ab ordinarijs arguuntur, de sua exemptione confisi, reddunt pro verbis humilibus, verba tumida & superba. Et personæ sic quidem, ut dictum est, cum gravi animarum periculo, scandalo plurimorum, in suo incæstuoso, sive adulterio, vel adulterino connubio permanentes, tandem ad barathrum delabuntur, & ut breviter concludam; non est qui eos corrigere valeat, confidenter delinquunt, & ad multa facinora eis frena laxantur.

Item pensiones, & procurationes antiquis, quas ex antiqua consuetudine, vel inita conventione cum Prælatis, exhibere tenentur eisdem, contumaciter solvere contradicunt.

Item res, & jura Eccleſiarum, & aliarum perſonarum, maxime Eccleſiaſtic. quotidie occupant, uſurpant & invadunt, & dum docti Prælati, aliæque perſonæ, maxime Eccleſiaſticæ, cum quo agant, non habeant; dumque per cenſuram Eccleſiaſticam, eos coërcere non poſſunt, jura ſua amittere compelluntur: cum tædioſum ſit & oneroſum quotidie contra ipſos ad ſedem Apoſtolicam habere recurſum.

Item, cum Priores majores Monaſt. per diverſas provincias & Diœceſes conſtituti, de antiqua & inveterata conſuetudine, cujus memoria non exiſtit, Prælatus ordinariis locorum, procurationes ſeu penſiones loco procurationũ exhibere conſueverint, denuo prætextu cujuſdam privilegij à Domino Bonifacio, ut aſſerebant conceſſi, cum tacita veritate, & falſitate ſubjecta, ut à multis creditur interpretari, eaſdem ſolvere contradicunt: & Prælatis ad prioratus ſuos accedentibus juxta morem, vi armata, & armati cum ſuis complicibus reſiſtentes, eiſdem Prælatis, & ſuis ſequacibus, auſu temerario, imo furioſe mortem inferre conantur, ſicut in pluribus eſt compertum: quod ſcio Dominum ſummum Pontificem non latere, qui dum in minori ſtatu ageret, talia ſæpe vidit, & quid bonæ memoriæ Dominus Bonif. ſuper hoc ſenſerit & declaraverit, magis novit.

6. Quia multi vita & moribus deteſtabiles, de diverſis mundi partibus ad ſedem Apoſt. concurrentes, tam in forma pauperum, quam alias, beneficia cum cura, vel ſine cura quotidie impetrare noſcuntur, maxime in locis, in quibus de vita eorum & moribus non habetur notitia. Et à Prælatis tamquam filiis obedientiæ, mandato ſedis Apoſtolicæ obtemperantibus veneranter inſtituti vel admiſſi, ita deteſtabilem vel deformem vitam ducũt, quod ob hoc Eccleſiæ deſtruuntur, populi ſcandalizantur, Dei Eccleſia blaſphematur. Prælati non poſſunt hodie bonis perſonis, obſtante numero talium. Impetrantium, providere. Ex quo fit, quod dicti Prælati dum non habeant, quod pro meritis retribuant literatis perſonis, non inveniunt ſervitores, ſine quibus prælationes ſuas recte adminiſtrare non poſſunt. Scio cathedralem Eccleſiam tantum triginta præbendas habentem, in qua tringinta quinque vel plures, à viginti annis citra vacaverunt, de quibus Epiſcopus qui dictis viginti annis & amplius, non abſque magnis laboribus, anguſtiis, & tribulationibus Epiſcoparum rexerat, obſtante impetrantium à ſede Apoſtolica multitudine, contulit tantum duas, & adhuc ſunt in dicta Eccleſia expectantes. Inſuper omnes dignitates quæ in dicta Eccleſia dicto tempore vacaverunt, contulit dicta Sedes maxime perſonis abſentibus qui numquam ipſam Eccleſiam intraverunt, & adhuc ſunt duo expectantes dignitates. Quid plura? parvæ Eccleſiæ Collegiatæ, in quibus ad Epiſcop. collatio pertinet præbendarum, quin etiam Eccleſiæ parochiales impetrantibus adeo ſunt objectæ, quod bonis Clericis patriæ & peritis in diverſis facultatibus, non poteſt idem Epiſcop. de Beneficiis, nec magnis, nec mediis, nec minimis providere; Et cum ſint pauperes, nec ſubſidium ab Eccleſia habere valeant, poſt proliza ſtudiorum exercitia, immenſoſq; labores; & qui amore ſcientiæ aliquando ſua patrimonia deſtruxerunt, urgente neceſſitatis articulo, paupertatiſque, aut ad curias ſæculares & Conſilia Principum in grave Eccleſiæ detrimentum ſe transferre coguntur: & iſti ſunt, qui Eccleſiam & Eccleſiaſticas libertates, quaſi contempti ab eis acrius perſequuntur. Heu! mittuntur ad Eccleſ. vel perſonæ milites, peregrinę linguę, barbarę nationis: vel ſi ſunt bonę perſonæ & utiles, numquam in eiſdem reſident Eccleſ, ſed in Rom. Curia, aut Regiis, aut Principum Curiis cõmorantes, per privilegia fructus Beneficiorum percipiunt: qui eiſdem Eccleſiis de nihilo ſerviunt, ſed fruſtra panem doloris comedentes, exquiſitis coloribus ab ipſis Eccleſiis ſe abſentant: de quorum numero ſunt quam plures, qui numquam viderunt Eccleſiarum, in quibus obtinent beneficia, Crucifixum. Unde hodie juxta illud, ſcriptum eſt: *Relinquetur ſola Sion ſicut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario.* Et rurſum: *Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam.* Qua de cauſa ipſæ Eccleſiæ Rurales, ruinæ, periculis, & deſolationis extremæ diſpendiis, omni conſilio deſtitutæ, lupis rapacibus exponuntur; a filiis viperinis decimæ, jura, bona eorum diripiuntur, invaduntur, occupantur; privilegia, immunitates, & antiquæ conſuetudines violantur, enervantur, annihilantur. Nec eſt qui aſcendat ex adverſo, & opponat ſe murum pro domo Iſrael. Quin etiam modernis temporibus in Eccleſia Dei, ſuorum abſentia mutilata, Divini cultus petit officium, & juxta Scripturam, ſenes de portis deficiunt, & juuenes de choro pſallentium. Unde verſus eſt in luctum, & carmen lugubre, chorus viæ; pauperibus patriæ Eccleſiarum largitio conſueta ſubtrahitur; pie fundantium, ſeu donantium voluntates, propulſo pietatis officio defraudantur.

7. Ad hæc vero quædam inconveniens abſurditas, quæ univerſalis Eccleſiæ robur & fortitudinem annihilat, ejuſdem decorem & pulchritudinem exterminat, & enervat, eamque mutilat & detruncat, non eſt ſilentio tranſeunda. Cum enim tam ſecundum jura divina, quam humana, ſingula Eccleſiaſtici juris officia ſint ſingulatim ſingulis committenda perſonis. Sicut enim in corpore phyſico multa membra habemus: *Omnia autem membra, non eundem actum habent.* Ita in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, multa membra ſunt, ſecundum viridicam ſententiam Pauli. Unde in eodem unoque corpore ſpirituali, committendum eſt hoc officium uni; aliud alteri conferendum: Nec quantumlibet exercitato uni, uno tempore duarum rerum ſunt officia committenda. Quia, *Si totum corpus oculus, ubi auditus? &c.* Unde lex civilis præmiſſis aſſentiens & concordans, hoc teſtatur, dicens: Quod eodem tempore non ſunt honores in duabus civitatibus ab eiſdem gerendi. Hodie quod cum dolore referendum eſt, una perſona, aliquando minus idonea, quatuor vel quinque in diverſis Eccleſiis obtinet Beneficia; ideſt, quinque vel quatuor dignitates, aliquando tres vel duas: quinimo, quod non eſt minimum inconveniens vel abſurdum, una perſona cui ſecundum ſtatum ſuum abunde ſufficeret una Canonia vel Præbenda, decem vel duodecim in diverſis Eccleſiis obtinet, & aliquando plures, ſicut vidi. Heu! aliquando una perſona tot obtinet dignitates, perſonatus, vel officia, quot ex eis poſſet quinquaginta vel ſexaginta exercitatis & literatis perſonis ſufficientiſſime providere. Ex quo pernicioſo abuſu ſequitur, deſtructio Eccleſiarum, defectus ſervitiorum Eccleſiaſticorum, enervatio & diſſipatio ſtudiorum, quæ modernis temporibus ubique terrarum depereunt, propter hoc quod bonis ſcholaribus exercitatum ingenium habentibus provideri non poſſit per Prælatos.

Beneficiorum pluralitas.

8. Quid autem de pueris, qui omni diſcretione carentes, & quorum ætas quid videat, ignorat, tot obtinent dignitates, & beneficia, referam, neſcio, niſi quod impletum eſſe videtur Iſaiæ vaticium, ſic dicens: *Ecce Dominator Dominus exercituum, auferet ab Hieruſalem, & a Juda, validum & fortem, conſiliarium & ſapientem de Architecto, & prudentem eloquij myſtici.* Et ſequitur: *Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis, &c.* Utrum vero tales, tantam Beneficiorum pluralitatem habentes periculum damnationis evadere valeant, non determino: ſed à ſapientiſſimis & peritiſſimis Theologis, quorum celebrior opinio non ignoratur, à pluribus requiratur.

9. Ut autem cum reverentia S. Rom. Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ loquar, multæ Eccleſiæ in diverſis mundi partibus hodie graviter deſolantur, propter hoc, quod dignitates & perſonatus, & eorum officia, à cõmorantibus in Rom. Curia detinentur, ibidẽ perpetuo

remanſuris: quodque inibi iterum, atque iterũ & quoties vacant, alijs Curialibus conferuntur. Et ſic tandem Eccleſiæ ob ſuarum abſentiam perſonarum & carentiam defenſorum, exterminio & ruinæ irreparabili ſubjacebunt. Quod unnam Dominus Summus Pontifex, & ſacer cœtus Cardinalium, qui ſunt *Animalia pennata, plena oculis ante & retro*; diligenter aſpicerent, ac noviſſima provideren.

10. Proh dolor! in tali ſtatu ſunt Eccleſiæ conſtitutæ, quod in eis vacantibus vix reperiuntur perſonæ eligibiles: & ſi quandoque, quod raró nunc accidit, bona perſona & idonea in eiſdem reperiatur latens, ſicut lilium inter ſpinas; tantum excedit numerus malarum & inutilium perſonarum, quod non permitterent perſonam bonam ad Prælationem aſſumi: ſed ſimiles ſimilibus applaudentes, eligunt ſibi virum juxta cor ſuum, ad deſtructionem Eccleſiæ, & plebium ſubjectarum. Olim enim quando plures erant boni quam mali in Eccleſia, tunc electio quæ fiebat ſecundum pluralitatem punctorum, bona erat & Canonica: plures enim erant qui eligebant Deo, illis qui eligebant diabolo, ſed modo fit à contrario. Quia plures ſunt mali quam boni regulariter; & ſic frequentius electio eſt diabolica, non celebrata per ſancti Spiritus inſpirationem, ſed per doloſam & machinoſam conſpirationem. Multi enim hodie introducuntur in Eccleſia inſidioſe & doloſe, alij per impreſſionem & importunitatem potentiæ ſæcularis; alij per ambitionem & fictionem hypocriticæ ſimulationis: alij affectione ſanguinis & cognationis; contra Hieron. dicentem: Principatum in populos, non ſanguini deferendum eſſe, ſed virtuti: hinc autem ſequitur, quod nunc cernimus plurimos his Beneficia conferre, non ut quærant eos in Eccleſia Columnas erigere, quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs delinitu, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit. Qui taliter intenſi, vix aut unquam in Prælatione bonum faciunt; non ædificant, ſed deſtruunt; non perficiunt, ſed corrumpunt. Difficile eſt enim ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata ſunt principio. Tales ambitioſi merito ſunt repellendi; quia ſecundum Gregorium, *ſicut locus regiminis deſiderantibus eſt negandus, ita fugientibus eſt offerendus.* Et rurſus: *Sicut qui invitatus venit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus: ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus.*

Electiones.

Hodie autem juxta parabolam quæ habetur Judicum undecimo, oliva, ficus, & vinea, primatum refugiunt, ſecundum illud Joannis Chryſoſtomi, quicumque deſideravit primatum in terra, inveniet confuſionem in cœlo: Rhamnus vero, qui ſecundum Magiſtrum in hiſtoriis eſt genus rubi aſperrimi, nimis aculeatum ſicut ſentes: & ſecundum Joſephum, ad nutum venti de ſe naturaliter ignem producit, primatum non refugit, ſed deſiderat, & ambit dicens: *ſi vere me regem conſtituiſtis, venite, & ſub umbra mea quieſcite*, &c. quæ ibidem continentur.

Ambitio

11. Utinam eligentes, vel confirmantes indignos ad Prælationem, punirentur pœna Canonica, etiam cum augmento, ut pœna docente cognoſcerent quantum crimen ſit quibuſque, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium & gubernationem Eccleſiæ credere: quia non eſt hoc conſulere populo, ſed nocere, non parare regimen, ſed augere diſcrimen: integritas enim præſidentium, ſalus eſt ſubditorum, ut Leo Papa ait. Et ſequitur: quod ſi in quibuſlibet Eccleſiæ gradibus, providenter ſcienterque curandum eſt, ut in domo Domini nihil ſit inordinatum, nihil præpoſterum, quanto magis enitendum eſt, ut in electione ejus, qui ſuper omnes gradus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde nihil eſt quod magis Eccleſiæ noceat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum. Cum enim per ignorantiam cæcati, aliis ducatum parare cœperint, ambo in foveam cadent. Unde dicitur in Pſalmo: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Cum enim obſcurantur illi qui præcunt, ad ferenda onera peccatorum; facile inclinantur ſequentes. Prælati tantum debent eſſe lux mundi, oculi Eccleſiæ, arietes gregis Domini qui debent ingredi, & egredi ante gregem, & ovibus paſcua procurare. Unde dixit ille ſapientiſſimus clericus loquens Prælatis: Vos eſtis Catholici gregis procuratores, ſal terræ, lux hominum, ovium Paſtores, muri domus Iſraël, Gentium Doctores, Judices Eccleſiæ, morum correctores; & ſequitur: Sed ſi deſit protectio gregis, grex labetur: ſi lux evanuerie, in quo ſalietur? niſi lux appareat, via neſcietur: niſi paſtor vigilet, caula confringetur.

12. De donis & muneribus quæ excæcant oculos judicum, & pervertunt corda juſtorum, dico, prout ait quidam ſanctus, ſcilicet beatus Edmundus Cantuarienſis Epiſcopus, ſic inquiens: Per dona quæ nec data, nec accepta ſunt ſecundum Deum, corrupta eſt Chriſtianitas hodie. Deficient priuſquam hoc advertant Chriſtiani, niſi ſe curare ſtuduerint ab hac peſte. Cupiditas enim quæ eſt radix omnium malorum, adeo hodie ramos ſuos & palmites ampliat, & maxime in Eccleſia Dei, quod fere totum mundum obumbrant. Unde multi, maxime Clerici, aurum quam ſolem gratius intuentur, eorum oratio & ſupplicatio ad Dominum aurum quærit, ergo aurum bibant, juxta illud: Craſſus aurum ſitivit, & aurum bibit.

Clericorũ corrupti mores.

13. De monſtruoſa, & inhoneſta vita clericorum modernorum, maxime beneficiatorum, expedit facere mentionem. Quam enim hodie deformiter vivant quamplurimi, in transformatione habituum, nutritura comarum, unguium, & barbarum, in diſciplinatione geſtuum nemo poſſet ſufficienter admirari: *Leva oculos tuos & vide*; qualiter ſe gerant in forma, imo in deformatura veſtium, tonſura crinium, apparatu menſarum, ferculorum & ciborum; quæ ſigna ſunt deformitatis mentium, juxta illud: Incompoſitio corporis, qualitatem indicat mentis. Unde juxta Bernardum, Clerici aliud eſſe, & aliud videri volunt: habitu milites, quæſtu Clerici, actu neutrum exhibentes. Nec enim pugnant ut milites, nec evangelizant ut Clerici, ventri ſuo, non Chriſto Domino ſervientes.

12. Sæpe vidi in Eccleſiis, quod eſt frequens apud Clericos exacrabilis, & extirpandus abuſus, quod Canonici, & alij Clerici ad horas nummarias currentes, & juxta deſideria cordis ſui per loca varia evagantes, in fine horæ quando dicebatur, Benedicamus Domino, ad chorum reverterentes, ſtipendium horæ percipere abſque conſcientia minime formidabant. Unde hac occaſione perverſa in Cathedralibus & aliis ſolemnibus Eccleſiis ſæpe accidit, quod dum dicuntur horæ, chorus remanet vacuus, vix duobus vel tribus Clericis ad horas remanentibus, aliis extra chorum evagantibus, ut dictum eſt, in grave ſcandalum ſpectantium populorum. Alij quod non eſt minus inconveniens vel abſurdum, in choro exiſtentes, non vacant pſalmodiis, ſed bini & trini confabulantur, verbis ſuavibus, riſu & cachinnis, & rumoribus recitandis ſe irreverenter occupantes, divinum ſervitium cum multorum ſcandalo impediunt & perturbant: & licet contra prædictos abuſus, multa jura prodierint, judicio meo eſſent pœnarum additione juvanda: cum pœnæ exacerbari debeant, quoties multis graſſantibus, opus eſt exemplo.

14. Hæc & alia quæ vix ſermonibus poſſent explicari, videntur in Dei Eccleſia reformanda. Super quorum ſingulis, difficile, vel quaſi impoſſibile foret de ſingulis remediis providere. Unum tamen remedium generale ac præſens ſufficere videretur, videlicet, quod dicta Sanctorum Patrum ſtatuta quatuor principalium Concil. videlicet, Nicæni, Conſtantinopol. Epheſini,

Chalcedon. necnon etiam Lateranenſ. maxime quantum *ad caput quod eſt de conceſſ. Prabend. Nulla eccl. Rom. Pontif. tam in capite quam in membris, ab omnibus integrè ſervantur.* Et hoc faciendo videretur ſatis ſtatus Eccleſiæ reformatus : quia Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines, qui ordinaverunt tempora Chriſti bono odore uſque ad conſummationem vitæ. Et bene dico, in capite. Nam licet princeps legibus ſit ſolutus, nihil tamen ſibi tam proprium, quam legibus vivere, & digna vox eſt majeſtate regnantis, ſe legibus alligarum principem profiteri : & rurſum dicit Leo Papa, quod totus familiæ domus ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. Hæc ille carcinomata Eccleſiæ, & præcipuè Gallican. in Concil. oſtendebat.

Breviatio Canonum Concilij Viennenſis circa doctrinam & diſciplinam ex quinque libris Clementinarum.

De ſumma Trinitate & fide Catholica.

Liber I. Clement. FIdei Catholicæ fundamento, præter quod, teſte Apoſtolo, nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes: apertè cum ſancta Matre Eccleſia confitemur unigenitum Dei Filium in his omnibus in quibus Deus Pater exiſtit: una cum Patre æternaliter ſubſiſtentem partes noſtræ naturæ ſimul unitas: ex quibus verus Deus in ſe exiſtens, fieret verus homo humanum videlicet corpus paſſibile: & animam intellectivam ſeu rationalem, ipſum corpus verè per ſe & eſſentialiter informantem aſſumpſiſſe ex tempore in virginali thalamo ad unitatem ſuæ hypoſtaſis &. perſonæ. Et quod in hac aſſumpta natura ipſum Dei verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi cruci & in eo mori voluit: ſed etiam emiſſo jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum: ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis formaretur unica & immaculata ac Virgo ſancta Mater Eccleſia conjux Chriſti, Sicut de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata, ut ſic certe figuræ primi & veteris Adæ, qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri in noſtro noviſſimo Adam, ideſt, Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis Aquilæ vallata teſtimonio : quam Propheta vidit Ezechiel Animalibus cæteris Evangelicis tranſvolantem, B. Ioannis, videlicet Apoſt. & Evangel. qui Sacramenti hujus rem geſtam narrans & ordinem in Evangelio ſuo dixit: *Ad Ieſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua: & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus, & ille ſcit quia vera dicit ut & vos credatis.* Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium ac Sanctorum Patrum ac Doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem mentis convertentes, ſacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apoſtolum & Evangeliſtam Ioannem rectum in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe; narrando quod Chriſto jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit.

POrro doctrinam omnem ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ vere ac per ſe humani corporis non ſit forma : velut erroneam ac veritati Catholicæ inimicam fidei : prædicto ſacro approbante Concilio reprobamus. Diffinientes ut cunctis nota ſit fidei ſinceræ veritas: ac præcludatur univerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis ſeu intellectiva, non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.

AD hoc baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut unus Deus, ac fides unica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aquis in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti, credimus eſſe tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum quia quantum ad effectum baptiſmi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe. Quibuſdam ex eis dicentibus per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti : ſed gratiam non conferri. Aliis econtra aſſerentibus: quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti : quia per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem ſacro approbante Concilio duximus eligendam.

Controverſia de opinionibus Petri Joannis Minoritæ.

HÆc conſtitutio Synodalis edita eſt contra dogmata Petri Joannis Olivi Minoritæ Conventus Biterrenſis, qui cum Spiritum paupertatis D. Franciſci æmularetur, conarentque Fratres ſuos à laxiori vita, ad ſtrictiorem & Regulæ conformiorem promovere, malè audiit apud eos, eorumque offenſam incurrit, unde eum peſſimè habuerunt, & in vita, & poſt mortem, poſtquam ab iis exhumatus eſt & delatus & accuſatus ab iis in Concilio Viennenſi quaſi fuiſſet hæreticus, multaque docuiſſet ac ſcripſiſſet fidei Catholicæ adverſaria. Inde ortum habuit hæc Clementina quæ intacta honoris fama ejuſque ſalvo nomine ac honore, tantum propoſitiones quaſdam condemnat,

quæ illi ab æmulis imputabantur. Cæterùm dum viveret, coram Provinciali ſuo accuſatus fuerat quod in quibuſdam tractatulis de Beata Virgine conſcriptis, novas opiniones immiſcuiſſet, ultra modum Virginis præconium efferens, ut ſolent aliqui, qui laudes illas illi tribuunt quæ ipſimet non placent & non tam laudes quam ineptiæ ſunt. Qui deberent attendere ad illam graviſſimam D. Bernardi ſententiam epiſt. 174. *Honor Reginæ Judicium diligit, Virgo Regia falſo non eget honore, veris cumulata bonorum titulis. Laudari vult, ſed diſcretè.* Ea propter juſſit Provincialis ut proprijs manibus opuſcula illa traderet incendio, quod ipſe fecit obediens abſque ulla animi commotione, ita ut ſtatim ad ſacrum faciendum accederet, dicens mirantibus fratribus, hoc ſe feciſſe pacatiſſimo animo, nec voluptuoſius pro ſuo captu illa ſcripſiſſe, quam pro Prælati imperio combuſſiſſe. Dixitque poſtea Provincialis coram Summo Pontifice dum ageretur de ejus vita, hoc ei præcepiſſe non tam ad ſupplicium, quam ad mortificationem, & quæ de Beata Virgine diſſerebat, non tam erronea quam nova & ſingularia fuiſſe. Quæ refert Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1278. quin etiam ad annum 1297. teſtatur Ubertinum de Caſſalis reſpondiſſe ſigillatim ad omnia quæ dicto Petro Joannis objiciebantur potius ex pravo affectu & ignorantia, quam ex ſincero veritatis amore. Nam quod illi objiciebatur aſſeruiſſe eſſentiam divinam rectè dici poſſe generantem & genitam, id benignè interpretari poſſe, ſicut ſimiles Patrum ſententias intelligi D. Thomas docuit, 1. part. quæſt. 39. art. 5. ut nomina abſtracta naturæ & eſſentiæ ſumantur & ponantur per concreta, vel per nomina perſonalia, ut cum dicitur eſſentia de eſſentia, vel ſapientia de ſapientia, ſit ſenſus, Filius qui eſt eſſentia & ſapientia. Sic in Symbolo dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. Sed quidquid ſit de iſta interpretatione, non debet ferri quod abſolutè dicatur eſſentia generans, &c.

Exemplum.

Ubertinus de Caſſalis.

Quod ſpectat ad aliud caput accuſationis de vulnere lateris inflicto Chriſto adhuc viventi, inciderat in quoddam exemplar Divi Chryſoſtomi, homil. 89. in Matthæum, in quo id inſinuabatur eo modo, cumque haberet Concionem de Paſſione, ut magis ad compaſſionem commoveret, laterale vulnus Chriſtum adhuc viventem excepiſſe ſubjunxit. Qua in re ſi cenſura dignus eſt, innumeri concionatores, ſcriptores & contemplativi plectendi forent qui in ſimiles exceſſus abripiuntur. Attamen dici poſſet illos nihil afferre contra expreſſa Scripturæ verba: quod ſi afferant, nihil vetat, quominus eorum aſſerta reprobentur quacumque intentione ea dicant à ſe propoſita. Nec enim Deus indiget noſtro mendacio, nec pietas falſo dogmati innixa ſummæ veritati probata eſt. Sine dubio autem ait Joannes Andræas, conjux Chriſti Eccleſia, quæ regenerat à Deo genitos, ita formari poterat per plagas & undas fluentes Chriſto vivente, ſicut Chriſto mortuo: nec in hoc diſputatio hæc reſpicit fidem. Sed opinio hic damnata detrahit miraculo, evidentius enim fuit miraculum hoc corpore mortuo manaſſe quam vivo. Item detrahit figuræ hic poſitæ. Item detrahit fidei Joannis Evangeliſtæ qui ultimus Evangelium ſuum ſcribens notabiliter expreſſit hunc ordinem. An autem Chriſtus meruerit tunc, quæſtio eſt Theologica, ad cujus ſolutionem proderit animadvertere ſtatum comprehenſoris in Chriſto non obſtitiſſe ejus merito ſicut in cæteris, & quibus verbis Apoſtolus in epiſt. ad Romanos & ad Hebræos de quibuſdam Chriſti actionibus loqui ſoleat. De quibus alias.

Quod autem attinet ad animam rationalem, quod aſſereret illam non eſſe formam corporis, negat Ubertinus talem propoſitionem unquam ab eo emanaſſe, nec in ejus univerſis operibus quidquam reperiri ex quo deduci poſſit, illam ergo ab adverſariis falſo illi impoſitam fuiſſe ait.

Quod vero dixerit non omnino conſtare an parvulis conferebantur gratia & virtutes in Baptiſmo, ſi habeatur ratio temporis non videtur id inter hæreſes enumerandum: Siquidem res erat tunc controverſa inter Theologos, his affirmantibus, illis negantibus: nec hodie poſt Concilium Tridentinum quæſtio ita expreſſè terminata eſt, ut ſit articulus fidei partem aicntem tueri.

Controverſiam hanc rectè expoſuit D. Bonaventura in 2. ſent. diſt. 26. art. 1. quæſt. 2. neceſſarium eſt inquit, quod vivificatio & informatio ab aliquo ſit ſicut ab efficiente & ab aliquo ſicut ab informante: conveniens eſt autem ponere aliquod donum creatum per quod anima informatur, quia nec poſſibile nec decens Deum eſſe formam perfectivam alicujus creaturæ, ſicut decens eſt eum eſſe principium effectivum. Hanc autem poſitionem præferendam credo priori, tum quia ſecurior, tum quia etiam rationabilior. Securior namque eſt quia conſonat communitati Magiſtrorum & verbis expoſitorum & pietati ſanctorum. Doctores enim Pariſienſes communiter hoc ſentiunt & ſenſerunt ab antiquis diebus. Verba etiam expoſitorum hoc prætendunt qui gratiam in ſacramentis dari & uſu virtutis augeri dicunt. Piæ etiam mentes & homiles huic poſitioni conſentiunt, pro eo quod etſi donum gratiæ non poſſit ſic percipi à quocumque, viros tamen virtute præclaros aliquando non latet divinæ bonitatis influentia, quam intrà ſemetipſos potius experiendo quam ratiocinando cognoſcunt. Hoc etiam piarum mentium eſt ut nihil ſibi tribuant. Sed totum gratiæ Dei, &c. præferenda eſt etiam quia rationabilior, quia tales effectus non poſſunt in vobis cogitari, quin ſint ab aliquo tamquam ab efficiente, ab aliquo ſicut informante, & ideo comparatur ipſa gratia creata influentiæ luminis, & principium ipſius comparatur ſoli, quia ſicut ab ipſo ſole materiali influitur lumen corporale in aëre, ſic & à Chriſto lumine ſpirituali influitur lumen ſpirituale in animam à quo ipſa formaliter illuminatur, gratificatur, reformatur, & ſicut influentia ſolis ipſam ſuſcipientia aſſimilat ipſi ſoli, fonti lucis quoad proprietates: ſic gratia, quæ eſt ſpiritualis influentia, mentes rationales fonti lucis aſſimilat & conformat. Hæc autem influentia rectè dicitur gratia, tum quia datur ex mera liberalitate, non enim exit ex principiis ſubjectinec à Deo exit ex neceſſitate, ſed ex ſua mera benignitate. Tum quia gratum facit. Dum enim hominem Deo conformat & aſſimilat, reddit ipſum Deo amicum & facit ipſum eſſe placitum & acceptum: tum quia etiam facit hominem gratis facere ea quæ facit. Affectus enim hominis recurvus eſt & mercenarius quantum eſt de ſe: unde quod facit intendendo proprium commodum facit: ſed cum divina gratia ſupervenit ſic totum hominem gratum facit, ut ſive ad utilitatem proximi ſive ad honorem Dei velit, totum gratis facit impendere.

Doctores Pariſienſes.

Gratia cur ſic appellata.

Plura alia illi ab adverſariis objiciebantur quæ diluere conatur poſt Ubertinum Wadingus anno quo ſupra, & de quibus Concilium Vienneuſe nullum decretum edidit: imo nec illi attribuere voluit pauca illa dogmata quæ condemnavit, neque illorum auctorem aut aſſertorem fuiſſe declaravit, tum propter variam hominum de eo opinionem quibuſdam ſanctum, aliis aliter acclamantibus: tum quod conſtiterit ex ejus libris & ultima fidei profeſſione nihil pertinacius defendiſſe, ſed omnia correctioni Eccleſiæ ſubjeciſſe. Hujuſmodi autem minimè hæreſis nota afficiendos eſſe conſtans eſt, tum ex definitione illa vulgata hæreſis, qua dicitur: *Error intellectus voluntarius, contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia aſſertus ab eo qui fidem recipit*; tum ex illa ſententia cap. *Damnamus*; de Summa Trinitate & fide Catholica: *Tunc enim qui morbidum aliquid pravumque ſapiunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes in exercitibus habentur inimici, quando correcti ut rectum ſanumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed & defen-*

dere perſſunt. Unde tantum abeſt ut ab aliis multis condemnetur; quin potius maximè commendatur, ut qui perſecutionem paſſus fuerit propter juſtitiam. Horum teſtimonia profert Vvadingus pro aſſerenda hominis innocentia, ne, inquit, per univerſas traducatur ætates. Quamvis Ubertinus acerrimus ejus propugnator in 1. Prologo Arboris Vitæ Crucifixi, profiteatur ſe eundem in aliquibus ſequi nolle; etenim, inquit, aliquando bonus dormitat Homerus, nec omnibus omnia data ſunt.

De reſcriptis. Gratiæ ut de dignitate vel de beneficio tibi provideatur renuntiare videris: ſi ante adeptionem ejuſdem aliud beneficium pacificè aſſequaris, quod ſimul de jure cum dignitate virtute dictæ gratiæ tibi debito retinere non poſſes, licet illud reſignaveris aut ſis reſignare paratus.

De Electione & Electi poteſtate. Religioſus in Abbatem, vel Prælatum alterius religionis, vel habitus eligi non poteſt: in Epiſcopum vero ſecularis vel cujuſlibet Regularis Eccleſiæ eligi non prohibetur.

De Renuntiatione. Illuſio, & variatio circa renuntiationem, & ceſſionem, ſeu reſignationem in perſonis Eccleſiaſticis maxime ſunt vicandæ.

De ſupplenda negligentia Prælatorum. Prælatorum non committendis, ſeu conferendis ſuis, cum vacant, Eccleſiis, aut quibuſvis aliis beneficiis, eaſque fortè menſis ſuis applicantium negligentia per Diœceſanos locorum eſt ſupplenda.

De ætate & qualitate, & ordine præficiendorum. Qui non eſt Subdiaconus vocem in Capitulo non habet. Subdiaconus decimo octavo, Diaconus vero vigeſimo, Preſbyter vigeſimo-quinto ætatis anno quis ordinari poteſt.

De Officio Vicarij. Quæ de Eccleſiis curam animarum habentibus eorumque Rectoribus ſtatuuntur, ſive de eorum promotione ad Sacerdotium, ſive de eorum ætate, eadem etiam in eorum perpetuis Vicariis obſervari debent.

De Officio & poteſtate Judicis delegati. Judex delegatus à Pontifice ſuper receptione teſtium in cauſa civili, alij vices ſuas licite poteſt committere, id eſt, ſubdelegare.

De Officio Judicis ordinarij Judicis ordinarij, id eſt, Epiſcopi Officium eſt, Clericos corrigere. Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui cum ordinario concurrit Beneficium obtinenti aliud non poteſt conferre, niſi de obtento facta fuerit ſpecialis mentio: alij vero Beneficiorum collationem habentes, bene poſſunt conferre.

De Procuratoribus. Procurator procuratorium inſtrumentum ſcienter recipiens cogitur conſtituentem defendere in omnibus cauſis, & negotiis, ad quæ prædictum inſtrumentum, ſeu litteræ ſe extendunt.

De reſtitutione in integrum. Eccleſia læſa intra quadriennium continuum reſtitui poteſt ad tantum tempus, quantum ſe læſam fore probabit.

Liber II. Clementinarum.

De Judiciis. In judiciis Eccleſiaſticis procedi debet ſimpliciter & de plano, & ſine ſtrepitu judicij & figura.

De foro competenti.

QVamvis ſacris Canonibus ſit generaliter interdictum, ne quis juriſdictionem in Diœceſi exerceat aliena: nos tamen Epiſcopis qui à ſuis ſedibus protervia impiorum expulſi, non audent propter metum perſequentium in ſuis civitatibus aut Diœceſibus, aut earum parte aliqua reſidere, nec juriſdictionem ad ſe ſpectantem per ſe, vel per alium inibi exercere, ne injuria in ipſorum expulſione ipſorum irrogata Eccleſiis hoc prætextu remaneat impunita, duximus indulgendum, ut in Diœceſibus alienis, in civitatibus ſcilicet vel locis insignibus ſuis Eccleſiis vicinioribus, in quibus poterunt ſecure morari, & juriſdictionem ſuam libere exercere, poſſint contra ſuos expulſores, & eorum in hac parte conſiliarios & fautores (dummodo civitates vel loca hujuſmodi eiſdem expulſoribus, conſiliariis & fautoribus ſint ſecura; & ipſi perſonaliter, vel ad domum, ſi hoc tute fieri valeat, alioquin publicè in Eccleſia Cathedrali loci vel domicilij eorumdem citati fuerint) liberè procedere, prout juſtitia ſuadebit. Si verò dicti Epiſcopi auſi non fuerint hujuſmodi ſuos expulſores vel eorum conſiliarios aut fautores dicto modo citare; vel ipſi malitioſè impedimentum præſtiterint, ne potuerint ſic citari, licitum ſit eiſdem Epiſcopis, ut expulſores, conſiliarios & fautores eoſdem diebus aliquibus dominicis vel feſtivis, cum populus convenerit ad divina, ut ſic facta citatio ad eos pervenire verisimilius præſumatur, citent vel citari faciant publicè in Eccleſiis civitatum vel locorum, inſignium prædictorum, & procedant deinde contra ipſos, ſi citati taliter ſtatuto ipſis peremptorio termino competenti coram eiſdem Epiſcopis noluerint comparere, ac ſi citati legitimè alias extitiſſent. Eiſdem etiam Epiſcopis indulgemus, ut inter ſuos ſubditos (ne ob defectum juſtitiæ aliquod diſpendium patiantur) poſſint in Diœceſibus alienis, in quibus moram traxerint (dummodo per ſe vel per alium hoc in ſuis propriis Diœceſibus facere non audeant, vel non poſſint) juriſdictionem ſuam omnimodam exercere. Ita tamen quòd ſubditi, qui expulſores aut eorum fautores vel conſiliarij non fuerint, ultra duas dietas à fine ſuæ Diœceſis non trahantur. Volumus inſuper, ut ante omnia à Diœceſanis locorum, in quibus moram traxerint, petant licentiam in præmiſſis, quam ſi obtinere nequiverint, procedant nihilominus prout ſuperius eſt expreſſum. Sanè ſi prædicti Epiſcopi aſſeruerint, ſe non fuiſſe auſos præfatos expulſores, conſiliarios vel fautores perſonaliter, vel ad domum aut publice (ut præmittitur) in eorum Eccleſia Cathedrali citare, vel ipſos malitioſe præſtitiſſe impedimentum, ne per eos potuerint ſic citari, aut quia in ſuis Diœceſibus juriſdictionem per ſe vel per alium contra ipſos exercere nequeunt vel non audent, ſtari ſuper his volumus aſſertionibus eorumdem, ipſis diſtrictius injungentes ſub interminatione divini judicij, ne circa præmiſſa contra conſcientiam quidquam mendaciter aut doloſe aſſerant vel confingant. Eorumdem autem Epiſcoporum ſententias & proceſſus, quos in præmiſſis caſibus in aliis Diœceſibus duxerint faciendos, denuncient ſeu denunciari faciant per ſuas Diœceſes convicini Epiſcopi, cum ab eis fuerint requiſiti. Per præmiſſa quoque nullum ex tranſcurſu temporis quanticumque, vel alias quoquomodo locorum Diœceſanis, vel aliis quibuſ-

cumque jurisdictionem habentibus in locis præmissis, in quibus prædicti Episcopi sic expulsi jurisdictionem (ut prædicitur) exercebunt, præjudicium generetur.

Annotatio de Jurisdictione Episcopi à propria civitate expulsi.

EX hoc Canone patet Episcopum expulsum à sua Diœcesi & civitate adhuc retinere jurisdictionem suam ac eam exercere posse in locis minus remotis, unde exurgit difficultas, an Capitulum possit per absentiam Episcopi exercere jurisdictionem. Videtur enim quod non possit ex hoc Canone, quia sic Jurisdictio Episcopalis per duos exerceretur, Episcopum absentem & Vicarium Capituli.

In hac difficultate duæ sunt opiniones, una affirmat Capitulum in aliis casibus præter mortem Episcopi exercere posse Jurisdictionem Episcopalem, ut si Episcopus in captivitate aut carcere detineretur sive per hæreticos, sive per paganos, sive Judæos, sive quoscumque alios. Quia mors civilis morti naturali æquiparatur: at in his casibus censetur Episcopus mortuus civiliter. Favet cap. *Si Episcopus de supplenda negligentia Prælatorum.* Ubi datur Jurisdictio Capitulo si Episcopus à paganis vel schismaticis captus esset quamdiu captivitas perseveraret. Quod Glossa ibidem extendit ad casum in quo captus est ab hæreticis, quia militat eadem ratio, estque tunc veluti servus. Unde & alij extendunt ad quoscumque casus in quibus contigerit Episcopum abesse, nec posse præsentem se exhibere in Diœcesi usque ad longi temporis spatium, sive per infideles seu fideles & subditos suos id contingat. Confirmatur quia alias non esset provisum Ecclesiæ, quæ interim multa detrimenta paterentur, nisi esset Jurisdictio penes Clerum vel Capitulum per quod concederentur Jurisdictiones ad absolvendum, approbationes, licentia ordinum conferendorum & alia hujusmodi quæ ad Episcopum pertinent. Hanc sententiam tuetur Diana part. 8. tract. 4. resolut. 4. & quidam alij propter authoritatem capitis citati, *si Episcopus.*

Alia opinio negat Capitulum posse exercere Jurisdictionem Episcopalem nisi in duobus casibus. Primus est mortis naturalis Episcopi, juxta caput, *olim cum de majoritate & obedientia.* Trident. Concil. Sess. 23. cap. 10. & melius Sess. 24. cap. 16. Secundus est captivitatis per paganos vel schismaticos juxta cap. *Si Episcopus de supplenda negligentia Prælatorum.* Hancque sententiam multi nostris temporibus sequuti sunt ex consilio etiam Nuntiorum Apostolicorum, cum Jurisdictionem Episcopalem sibi assumpsisset insigne Capitulum Galliæ Episcopo non comparente ex alia causa quam ex captivitate per schismaticos & paganos, cumque plures ordinati fuissent ab alieno Episcopo ex permissione Capituli illius. Suspensos ab ordinum executione sese habuerunt juxta canones antiquos, quoadusque dispensati fuissent per authoritatem summi Pontificis. Ut nihil dicam de iis qui approbationem aut etiam ipsam Jurisdictionem ab eodem capitulo suscipientes, multis absolutionem impenderant.

Huic opinioni adstipulatur Arnulphus Ruzeus quondam in universitate Aurelianensi regens Doctor & postea in Senatu Parisiensi Consiliarius Regius. Is in Tract. *Præeminentiæ Archiepiscopalis dignitatis*, in sexto privilegio, ubi notat Archiepiscopum expulsum per vim & potentiam à sua Archiepiscopali sede, ita quod jus ibi reddere non possit: tunc potest, inquit, in propria sede sui suffraganei juxta Clement. quamvis *de foro competenti*, & in vigesimo secundo privilegio discutiens quo juris remedio Pontifice Rom. captivo Ecclesiis pastore carentibus, cæterisque urgentibus negotiis statum Rom. Ecclesiæ concernentibus provideri possit. Pro discussione, inquit, præsuppono quod mors civilis æquiparatur morti naturali in casibus à jure expressis. Hanc regulam tradunt doctores civilistæ in L. *Gallus* §. *& si quid tantum ff. de liber. & posthu.* Bartolus in lege *ex ea parte* §. *insulam ff. de verborum obligationibus.* Canonistæ autem in cap. *susceptum* de rescriptis in 6. & Glossa in cap. *placuit* 16. *quæst.* 7. Videretur dicendum quod tempore captivitatis Rom. Pontificis nihil attentari possit, sed expectandum est donec ad plenum libertati restituatur, quia sicut mortuo Papa nemo potest Jurisdictionem Papalem exercere, sed eligitur successor in sede, & ita dicendum in morte civili per captivitatem, qua fingitur quis mortuus de jure communi §. *Si ab hostibus* instit. *quibus modis jus patriæ potestatis solvitur*, &c. Tertio fortificatur, quia semel hæres non potest desinere esse hæres L. *hæreditas ad diem ff. de hæredu institutione*, &c. Facit quia ista captivitas hodie inter Christianos non redigit quem in servitutem, ut per hoc amittat libertatem. Ita Bartol. in L. *Hostes ff. de captivis.* Hæc ibi & plura quæ multo majori ratione dicentur de Episcopis, quorum Diœceses tam promptum non requirunt auxilium ac Ecclesia universalis, & quorum necessitati supplere poterit summus Pontifex.

Rationes oppositæ partis non urgent. Nam illud de morte civili quod æquiparatur morti naturali, explicant Juristæ & Canonistæ intelligendum esse de casibus in jure expressis; & verendum est, si aliter explicetur, ne quidam similes appareant in judicio Dei cuidam Talismano Turcarum sacerdoti, qui consultus à Solimano Imperatore suo de scrupulo quem in anima patiebatur quod vellet quemdam ex suis aulicis, Bachanos vocant, vita privare, cum tamen illi jurasset, quod ipso vivente, interimendus non esset: dixit illi Talismanus ille, quod juberet ipsum Bassa interimi quando dormiret, quippe urgente somno non est homo vivus, sic tamen juramentum non violabis. Dixit, & factum est ita. Sed quæstio est, an coram Deo solutio ista valebit. Hoc exemplum lego apud Baudierum in historia Turcarum. Caput *si Episcopus* debet intelligi ut sonat, non extendi ad alios casus. Non enim est eadem ratio, si per alios maxime per fideles cogatur abesse Episcopus. Tunc enim tolerat Ecclesia Diœcesim particularem aliquod pati detrimentum & esse in statu luctus, sperans quod movebuntur fideles ex calamitate Ecclesiæ matris suæ, ne diutius abesse patiantur Episcopum, quod non moveret paganos & schismaticos, qui potius Ecclesiam penitus collapsam esse vellent. Atque hoc spiritu Ecclesia quandoque cessationem à divinis in quædam loca decernit. Unde nulla est ratio qua innituntur primæ opinionis defensores, qui ex cap. *Si Episcopus* non bene examinato decepti sunt. Quod caput jubet etiam ut moneatur summus Pontifex, ut non eo inscio exerceatur Jurisdictio.

Consilio sacerdotis Turcæ

De Causa possessionis & proprietatis. In causa Beneficiali, per Appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, & petitorio, & possessorio, ab utroque intentato, suspenso petitorio, in spoliantis odium, in solo possessorio procedendum est.

De dolo & contumacia. Ante & post sententiam definitivam quis appellare potest, nisi ejus primæ appellatio esset frivola manifeste: tunc enim ob dolum ejus, & contumaciam judex contra eum procedere potest.

De lite pendente nihil innovatur. Duobus super Beneficio litigantibus, si alter eorum moritur, lis non pendere videtur, cum superstes causam nihilominus prosequi potest. Lis autem pendere incipit, postquam citatio ad partem pervenit, vel per eum factum fuerit, quo minus ad ejus notitiam perveniret; in citatione autem tali exprimi debent ea, per quæ plene possit citatus instrui, super quibus in judicio conveniatur.

De

De sequestratione possessionum & fructuum. Non firmatur, quia huic titulo non præfiguntur hæc verba Clemens V. in Concilio Viennensi, *sicut solent præmitti in capite cæterorum titulorum.*

De Probationibus. Litteræ Pontificis, super quarum narratis gratia vel intentio ejusdem fundatur, plenam habent probationem.

De Testibus. Testes vitæ recepti & eorum attestationes publicatæ, super eisdem vel directo contrariis articulis, neque in principali, neque appellationis causa produci possunt.

De Iurejurando. Romanus Princeps Romanæ Ecclesiæ fidelitatis juramento adstrictus est.

De exceptionibus. Excommunicationis exceptio dilatorie in qualibet parte litis opponi potest.

De sententia. Qui tres contra se in petitorio vel possessorio sententias reportavit, ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex eis, nullatenus admittitur, donec ejusmodi sententiæ plenariè fuerint executæ. Henricus Imperator Regem Siciliæ extra Imperij districtum existentem citare: & ita in absentem nec citatum legitime, ac inauditum per consequens, & indefensum sententiam dicere non potuit.

De Appellationibus. Ubi appellandum est à pluribus judicibus, sufficit appellare à majori parte ipsorum. Appellans autem Apostolos instanter, & sæpius postulare appellationem: deinde judicialem, sive extrajudicialem, prosequi, & finire debet.

De vita & honestate Clericorum. Clericos oportet per decentiam habitus extrinseci, morum intrinsecam honestatem ostendere.

De Præbendis & dignitatibus. Papa dispensante, ut aliquis duas possit habere præbendas, nisi habita sit mentio, quæ illi vel alteri imminet, gratia hujusmodi velut subreptitia, nullius penitus est momenti, nisi Pontifex de beneficio alicui motu proprio provideat.

De concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis. Præbenda concessa sub conditione, antequam extat conditio, alteri ferri poterit. Sed si intra mensem à vacationis ipsius notitia acceptanda concessa est, ex quo ipsa vacatio in loco vel Ecclesia, hujusmodi præbendæ publicè nota erit, censet Pontifex, ipsum ex hoc acceptare, & collationem taliter sibi factam valere.

De rebus Ecclesiæ non appellandis. Res Ecclesiæ alienari non possunt, nisi necessitate aut utilitate, vel si Ecclesia vacans alteri Ecclesiæ per Episcopum suo consentiente capitulo uniatur, aut Religioso suo donetur, Rectore ipsius in hoc vocato.

De rerum permutatione. Beneficia ex causa permutationis hinc indo resignata, aliis quam ipsis permutare volentibus, conferri ab Episcopo non possunt.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus. Episcopus potest à religiosis etiam exemptis quando executores testamenti fuerint, rationem executionis exigere: illos si deliquisse repererit (quocumque nonobstante privilegio) puniturus.

De Sepulturis. Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres licentiam habent prædicandi verbum Dei, confessiones audiendi, & quoslibet sepeliendi in suis Ecclesiis & locis sepulturam eligentes, jure tamen Prælatorum, & Parochialium Ecclesiarum salvo.

De decimis, primitiis & oblationibus. Religiosi decimas Ecclesiis aliis debitas ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes sibi apptopriare, aut usurpare prohibentur.

De regularibus & transeuntibus ad religionem. Professores cujusvis paupertatis ordinis ad non mendicantium ordines transire, est prohibitum.

De statu Monachorum, vel Canonicorum Regularium. Monachis nigris inordinatus omnis seu exquisitus ornatus aut cultus, nec non in cibis, & potibus, equitaturis & lectisterniis quivis notabilis excessus interdicitur.

De religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ. Status Beguinarum mulierum, quæ habitum qui dicitur Beguinarum deferunt, & adhærent religiosis aliquibus ad quos specialiter trahitur affectio earumdem, disputanteque de summa Trinitate, &c. prohibetur, non tamen pœnitentium earum quæ honeste in suis hospitiis conversantur. Xenodochiorum, Leprosariorum, Eleemosynariorum seu Hospitalium rectores, locorum ipsorum bona, res & jura ab occupatorum, & usurpatorum manibus excutere non debent negligere.

De jure Patronatus Patroni Ecclesiastici præsentandis sufficientem de proventibus Ecclesiæ portionem assignare debent. Plures Patroni hæredes cantum unius rectoris vocem in præsentatione habent, possunt autem plures quidem præsentare personas, quod una ex iis eligi per Episcopum valeat, & admitti.

De censibus, exactionibus & procurationibus. Religiosi pro Ecclesiis quocumque titulo ad eos devolutis, procurationes Legatorum Sedis Apostolicæ, ac jura Episcopalia, & alia solvere tenentur. Ecclesiasticæ personæ pro rebus propriis quas non negotiandi causa deferunt, pædagia, vel quidagia solvere non tenentur.

De celebratione Missarum & aliis divinis officiis. Divina diurna, & nocturna officia convenienter, & debite celebrari debent.

De Baptismo & ejus effectu. In Ecclesiis baptisandum est, non privatis domibus, nisi Regum ac principum auctoritas, aut alioqui necessitas, aliud suaserit. *Festum Corporis Christi*

De Reliquiis & veneratione sanctorum. Constitutio Urbani IV. de Festo corporis Christi celebrando Feria quinta post octavum Pentecostes præcipitur servari, in qua ut ad id donis spiritualibus animentur fideles, vere pœnitentibus & confessis qui officio matutinali, vel Missæ, vel primis aut secundis vesperis interfuerint, indulgentiæ centum annorum conceduntur pro qualibet assistentia, quadraginta vero annorum iis qui vel primæ, tertiæ, nonæ, completorij Officiis interfuerint, centum vero annorum pro qualibet die octava illis qui prædictarum horarum officiis ac prædicationi interfuerint.

De immunitate Ecclesiarum. Constitutio Bonifacij de immunitate revocatur, omnesque Ecclesiasticas personas à talliis & collectis secundum Concilia generalia immunes esse statuitur.

De consanguinitate & affinitate. Consanguinei & affines in gradibus canonice interdictis, nec non moniales & religiosi Clerici in sacris ordinibus constituti matrimonium contrahentes ipso facto excommunicantur. *Liber 4. Clement.*

De magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Scholas ad docendas linguas Hebraïcam, Caldaïcam & Arabicam erigi statuitur, ubicumque Rom. curiam residere contigerit, nec non in universitatibus Parisiensi, Oxoniensi, Bolonien si & Salmaticensi. Prohibetur etiam, ne ultra tria millia Turonensium argenteorum expendantur in solemnitate circa Doctoratum, quia plerique cum sua solemnitate principia faciunt aut sui recipiunt insignia Doctoratus, circa cibus, vestes & alia sic in expensis excedunt, quod ipsi transeunte expensarum hujusmodi vanitate, vacui plerumque remaneant, & gravati Et cæteri qui vel nolunt vel nequeunt similes expensas subire: hac occasione frequenter à receptione honoris hujusmodi retrahuntur, &c. *Impensæ Doctoratus non tantæ sunt.*

Jurant Doctores Parisienses cum assumitur ad Doctoratum, se hanc constitutionem servaturos. Nec à quoquam exceditur, cum hodie lege minores fiant expensæ.

De Judæis & Sarracenis. Principes Christiani compescere debent Sarracenos sibi subjectos ab invocatione publica nominis Mahometi, & à peregrinatione

quam publice in magna multitudine facere ſolent ad ejus ſepulchrum. Ne ſcilicet ſacerdotes eorum Zabazala vulgariter nuncupati in templis ſeu meſquitis ſuis certis horis in loco aliquo eminenti Chriſtianis & Saracenis audientibus Mahometi nomen alta voce intonent & extollant verba quædam in illius honorem publice profitentes; ex quibus grave in cordibus fidelium ſcandalum generatur.

DE HÆRETICIS.

AD noſtrum (qui deſideranter in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus & pravitas hæretica de finibus fidelium exſtirpetur) non ſine diſplicentia gravi pervenit ad auditum, quod ſecta quædam abominabilis quorumdam hominum malignorum qui Begardi, & quarumdam infidelium mulierum quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemaniæ (procurante malorum operum ſatore) damnabiliter inſurrexit, tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega & perverſa inferius deſignatos errores.

Primo videlicet quod homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod redderetur impeccabilis: & amplius in gratia proficere non valebit: nam, ut dicunt, ſi poſſet quis ſemper proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri.

Secundo quod jejunare non oportet hominem nec orare poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quicquid placet.

Tertio quod illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur, quia (ut aſſerunt) *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Quarto, quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi: ſicut eam in vita obtinebit beata.

Quinto, quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

Sexto, quod ſe in actibus exercere virtutum eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à ſe virtutes.

Septimo, quod mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum. Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt: maxime cum tentatur exercens.

Octavo, quod in elevatione corporis Chriſti, non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere, aſſerentes quod eſſet imperfectionis eiſdem ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa myſterium ſeu Sacramentum Euchariſtiæ: aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.

Nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt & committunt: quæ oculos divinæ Majeſtatis offendunt: & grave in ſe continent periculum animarum. Cum autem ex debito commiſſi nobis Officij hujuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur ulterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) exſtirpare ab Eccleſia Catholica neceſſario habeamus. Nos ſacro approbante Concilio ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus & reprobamus omnino: inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet vel defendat. Eos autem qui ſecus egerint, animadverſione Canonica decernimus puniendos.

Annotatio de erroribus Begardorum & Beguinarum.

QUi fuerint Begardi & Beguinæ quorum nonnulla dogmata Concilium Viennense damnavit indicans & alia fuiſſe, ut melius intelligatur, ſupponendum eſt quod variis authoritatibus probat Demercius Thadæi in Nitela Franciſcanæ religionis cap. 1 contra tomum 14. Bzovij, ſcilicet varia nomina fortitos illos fuiſſe: iidem enim ſunt qui fratricelli ſeu fratres de paupere vita, Bizochi. Alvarus Pelagius vocat eoſdem Apoſtolos Pſeudo-Apoſtolos, alij fratres ordinis Apoſtolos, alii fratres ſeu Fratricellos de opinione: denique iidem ſunt ac Dulciniſtæ. Satagente nimirum Sathana hac multiplici appellatione ut impia ſecta & impura ſub uno nomine condemnata, ſub altero reviviſceret, ut in ſecta Arianorum, Manetis, & aliorum hæreſiarcharum contigit. Teſtatur autem Guido Carmelita agens de eorum hæreſibus eos ſe dixiſſe fratres & ſorores de pœnitentia de tertio ordine S. Franciſci, quam nuncupationem alii illis tribuunt, quos refellit prædictus Demercius, ſimul & quod ait Bzovius à pleriſque ex ordine Divi Franciſci hanc ſectam collectam fuiſſe, ex quibus liquido conſtare ait animum Bzovii in pauperculam Franciſci familiam atrociſſimum fuiſſe, nihilque magis eniti quam eam contemptibilem, infructuoſam, infamem reddere. Non ergo Franciſcani authores ſtatuendi hujus ſectæ: ſed Hermanus quidam Italus dictus Pongilupus, de quo Bergomas in ſupplemento ad annum 1298 hæreſis eorum inquit, qui ſe Fratricillos de opinione vulgariter nuncupant, hoc eodem anno à Bonifacio Pontifice damnatur, & ubique diligenti cura perrequiſita exterminari omnino jubentur. Unde & Hermani ejuſdem corpus ſectæ authoris apud Ferrariam Urbem viginti annis ſepultum, qui pro ſancto colebatur, exhumari & exuri fecit, habita prius de hujuſmodi re diligenti exquiſitione. Nec propterea hujuſmodi hæreſis exterminari potuit, quin in dies excreſcens, multos etiam religioſiſſimos viros doctiſſimos habuerit fautores, quod malum poſtea uſque ad tempora Joannis vigeſimi ſecundi diffuſum fuit: deinde refert eorum nocturnos conventus quos ſtupris & adulteriis commaculabant. Cæterum per quædam intervalla, ſecta hæc habuit famoſos quoſdam reſtauratores, quales fuerunt Gerardus Sagatelus qui ſub nomine Apoſtolorum eam reſtituit, & poſt eum Dulcinus quidam Novarienſis, quem ſex millia ſequuta ſunt anno 1305. qui illico comprehenſus eſt, prædicata cruce contra eum ejuſque ſectatores, & alii nonnulli in diverſis locis; inter quos Guido Carmelita loco citato videtur reponere Petrum Joannis de quo ſupra egimus: referens enim errores Begardorum & Beguinarum qui, inter ſe differebant ea

Varia nomina eorumdem hæreticorum.

eo differimine quo lupi & lupæ inter ſe, ait. Vegeſimo errant dicentes & aſſerentes quod tota doctrina & ſcriptura Petri Joannis eſt vera & Catholica & eamdem credunt, quam ut dicunt, Deus dicto fratri revelavit quem dicunt & venerantur ut ſanctum & maximum ac veriſſimum doctorem poſt Apoſtolos & Evangeliſtas qui fuerunt, &c. de cujus erroribus fuit ſupra dictum cum erroribus Joachim magiſtri ſui quem ſequitur in omnibus fere. Et utinam Petrus Joannis natus non fuiſſet, nec unquam ſcripſiſſet, nec tot dementes feciſſet & in errores induxiſſet: quia dici potius debet Angelus Satanæ quam Angelus lucis, cujus facies intelligentiæ non ut ſol, ut de eo iſta hæretici mentiuntur: ſed erroribus tenebroſa, cujus doctrina inutilis & damnoſa, multos ſubvertit cum eam hæreſim adduxit: ut patet in multis erroribus in quibus illi hæretici Beguini ſequuntur peſtifera documenta Petri Joannis. Hæc ille in ſumma de hæreſibus quæ primum edita eſt ann. 1342. in qua ultimorum hæreticorum locum tenent iſti Beguardi & Beguinæ, ut illis coëtaneus fere, certius reſcire potuerit quæ ſpectant ad eorumdem hiſtoriam. Attamen inter varia authorum ſtudia, præſtat nobis judicium ſuſpendere uſque ad diem Chriſti quæ illuminabit abſcondita cordium, lupoſque & hædos ab ovibus agniſque diſcernet: neque enim hæc ſcribimus quicquam aſſerentes: habet enim ille patronos ſuos, ut ſupra patuit.

Gratia ſemper poteſt augeri.

Circa vero errores hic damnatos advertendum eſt circa primum diſputari à Theologis in utramque partem apud Thomam de Hurtado Clericum regularem tract. de perfectione donorum ſupernat controverſ. 6. in præcurſore Theologo, an gratia poſſit ſemper in hac vita augeri. Quidam enim aſſerunt. Primo quia poteſt Deus unum hominem magis ac magis amicabiliter diligere: ergo poteſt pariter infundere majorem gratiam habitualem, atque ita hæc poterit creſcere. Prima conſequentia probatur, qui terminus dilectionis divinæ eſt gratia habitualis: antecedens eſt manifeſtum, quia Deus habet infinitam potentiam ad amandum nos. Secundo, quia gratia habitualis eſt formalis participatio naturæ divinæ cujus perfectio eſt infinita, & dato quolibet finito ei fieri poteſt additio. Confirmatur, quia gratia eſt primum principium meriti media charitate ſui augmenti, unde quo magis fuerit aucta, eo magis eſt proportionata ad eliciendos perfectiores actus & poteſt ſic mereri majus augmentum. Deinde lumen gloriæ & viſio beata ſemper poteſt augeri, quia cum Deus non comprehendatur à creatura, data qualibet viſione ſemper eſt magis viſibilis in infinitum. Tertio, quia ſubjectum ex receptione gratiæ magis dilatatur, unde ſemper fit magis magiſque capax illius ſuſcipiendæ. Sed in hac quæſtione aliud eſt loqui de gratia Chriſti, aliud de gratia puræ creaturæ. Probabile eſt enim gratiam Chriſti ita perveniſſe ad ſummum intenſionis gradum ſibi debitum & connaturalem, ut implicet contradictionem ipſam magis intendi ſi, ejus naturam & exigentiam attendamus. Sic tenet Caietanus 2. 2. qu. 24 art. 7. & docent antiqui fere omnes qualitates ſupernaturales habere terminum intrinſecum ſuæ intentionis ut, Scotus in 3. diſt. 13. q. 1. & alii. Non ſic eſt de gratia puræ creaturæ quæ in ſtatu hujus viæ poteſt ſemper augeri, nec propter hoc damnantur Begardi quod dicerent hominem non ſemper proficere poſſe in gratia, ſed quod dicerent ſi ſemper proficeret hinc fieri poſſe ut adæquaret vel etiam ſuperaret gratiam Chriſti. Id enim falſum eſt. Quia Deus præviſo omni termino gratiæ quam homines in hac vita conſequerentur, adhuc dedit majorem gratiam Chriſti animæ, quod itidem aſſeritur de Gratia B. Virgini Mariæ collata ſicut diximus in Theolog. Affectiva 1. 2. Tract. 4. Med. 21 ſed & eorum error adhuc in eo erat quod dicerent hominem ad ſtatum devenire in quo amplius non peccaret, non addendo ex ſpeciali privilegio aut ſpecialiſſimo aliquo Dei adjutorio. Hoc enim ſi appoſuiſſent error non erat. Nam & id conceſſum eſt B. Virgini.

Circa ſecundum & tertium errorem manifeſta eſt hallucinatio, cum in quocumque ſtatu ſit homo in hac vita immunitatem ullam à legibus divinis & humanis non conſequatur, hique errores manifeſtè favent libertati carnis eamque fovent damnabiliter.

Circa quartum & quintum legi poteſt Scotus 4. diſt. 49. ubi ait hunc errorem pejorem eſſe errore Pelagianorum, eumque refellit ibidem Hiquæus. Teſtatur autem Vuadingus ad ann. 1308. miſſum fuiſſe Scotum Coloniam ad redarguendos Begardorum errores, ubi & eorumdem impudentiam in redarguendis publice prædicatoribus in Germania, carpit. Quod ergo Durandus in 4. Sent. diſt. 49. q. 2. docet animam ſeparatam naturaliter videre Deum, hic condemnatur. Aliqui tamen eum vindicant ab errore, bene perpenſis omnibus ejus verbis in illa quæſtione.

Lumen gloriæ neceſſarium.

Majus eſt dubium de lumine gloriæ, quid de fide tenendum ſit de illo poſt definitionem hujus concilii. Ac 1. certum eſt de fide eſſe quod detur & neceſſarium ſit lumen gloriæ ad viſionem Dei. Damnat enim Begardos & Beguinas contrarium opinantes. Sed majus dubium eſt an ſit de fide, lumen iſtud eſſe habituale vel actuale, ſicut explicat Smiſing Minorita tract. 2. diſp. 6. q. 4. nu. 93 de Deo uno & trino. Quod ſit concurſus ſupernaturalis beatifici objecti, quatenus per illum concurſum, objectum iſtud ſeipſum manifeſtat, efficiendo cum intellectu beatam viſionem. Sed cum de iſto dubio nihil determinet Concilium, remanebit ſemper controvertendum, neutrumque eſt de fide. Probabilius tamen eſt lumen iſtud ſe habere per modum qualitatis permanentis quo intellectus ſtatim rapitur ad viſionem Dei, ſicque confortatur ut ſplendores indicibiles eſſentiæ divinæ ſuſtinere valeat abſque hoc quod deficiat. Sed de iſta difficultate ampliſſime agit Lallemandetus Ordinis Minimorum Theologus diſp. 6. de Deo uno, in ſupplemento diſputationis. Apud quem etiam Angelus a Monte piloſo valde ſollicitus de doctrina Scoti, quæ à Zanardo inſinuatur de hæreſi, aſſerit eum lumen gloriæ admiſiſſe tamquam habitum creatum intellectui inhærentem, ac ſufficienter Begardorum & Beguinarum fictionem confutaſſe.

Sextus error, quod virtutum exercitium ſit hominis imperfecti, impietatem ſapit, ſed & ſuper omnia ignorantiam veræ religionis ac cultus Dei ligitimi: non enim aliter Deus colitur quam actibus fidei, ſpei, charitatis, & virtutum quatuor Cardinalium ac eis annexarum. Nec vero actus hi virtutum unionem cum Deo impediunt, cum præter unionem quæ fit per gratiam juſtificantem, non alia major ſit in hac vita quam ea quæ per actus virtutum circa Deum aut propter Deum, quam ſæpius fieri poterit attenta infirmitate humana habetur. Unde & ſancti omnes, imo & Chriſtus ipſe in bonis operibus ſe exercuerunt & Paulus 2. Cor. 12. caſtigabat corpus ſuum.

Abuſus quorumdam ſpiritualium.

Non deſunt tamen hoc tempore qui hanc doctrinam vel ſequuntur vel imitantur, aſſerentes perfectionem majorem in quodam ſtatu paſſivo quietis ut vocant & ceſſationis actuum ſpiritualium internorum, qua ceſſatione verendum eſt ne foveant quamdam negligentiam ſpiritualem ſub prætextu contemplationis cujuſdam paſſivæ, quæ privet multis præmiis quæ debentur non minus act. interiorib. cum generoſo conatu elicitis, quam operibus externis, à quibus ceſſare docent Begardi & Beguinæ hic condemnati à Concilio. Inde provenit quod videas quoſdam devotos aut devotas, ut cum vulgo loquamur, certe inertes & variis phantaſiæ illuſionibus occupatos, qui dicunt ſe pati quemdam ſtatum ſpiritualem neſcio quem. Quibus optime dici poterit, ſtatum illum negligentiæ interiotis ex duplici fonte provenire in ipſis,

quam publice in magna multitudine facere ſolent ad A ejus ſepulchrum. Ne ſcilicet ſacerdotes eorum Zabazala vulgariter nuncupati in templis ſeu meſquinis ſuis, certis horis in loco aliquo eminenti Chriſtianis & Saracenis audientibus Mahometi nomen alta voce intonent & extollant verba quædam in illius honorem publice profitentes; ex quibus grave in cordibus fidelium ſcandalum generatur.

DE HÆRETICIS.

AD noſtrum (qui deſideranter in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus & pravitas hæretica de finibus fidelium exſtirpetur) non ſine diſplicentia gravi pervenit ad auditum, quod ſecta quædam abominabilis quorumdam hominum malignorum qui Begardi, & quarumdam infidelium mulierum quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemaniæ (procurante malorum operum ſatore) damnabiliter inſurrexit, tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega & perverſa inferius deſignatos errores. B

Primo videlicet quod homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod redderetur impeccabilis: & amplius in gratia proficere non valebit: nam, ut dicunt, ſi poſſet quis ſemper proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri. C

Secundo quod jejunare non oportet hominem nec orare poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quicquid placet.

Tertio quod illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur, quia (ut aſſerunt) *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Quarto, quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi: ſicut eam in vita obtinebit beata.

Quinto, quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

Sexto, quod ſe in actibus exercere virtutum eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à ſe virtutes.

Septimo, quod mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum. Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt: maxime cum tentatur exercens.

Octavo, quod in elevatione corporis Chriſti, non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere, aſſerentes quod eſſet imperfectionis eiſdem ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa myſterium ſeu Sacramentum Euchariſtiæ: aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.

Nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt & committunt: quæ oculos divinæ Majeſtatis offendunt: & grave in ſe continent periculum animarum. Cum autem ex debito commiſſi nobis Officij hujuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur ulterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) exſtirpare ab Eccleſia Catholica neceſſario habeamus. Nos ſacro approbante Concilio ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus & reprobamus omnino: inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet vel defendat. Eos autem qui ſecus egerint, animadverſione Canonica decernimus puniendos. D

Annotatio de erroribus Begardorum & Beguinarum.

QVi fuerint Begardi & Beguinæ quorum nonnulla dogmata Concilium Viennenſe damnavit indicans & alia fuiſſe, ut melius intelligatur, ſupponendum eſt quod variis authoritatibus probat Demercius Thadæi in Nitela Franciſcanæ religionis cap. 1 contra tomum 14. Bzovij, ſcilicet varia nomina ſortitos illos fuiſſe: iidem enim ſunt qui fratricelli ſeu fratres de paupere vita, Bizochi. Alvarus Pelagius vocat eoſdem Apoſtolos Pſeudo-Apoſtolos, alij fratres ordinis Apoſtolos, alii fratres ſeu Fratricellos de opinione: denique iidem ſunt ac Dulciniſtæ. Satagente nimirum Sathana hac multiplici appellatione ut impia ſecta & impura ſub uno nomine condemnata, ſub altero reviviſceret, ut in ſecta Arianorum, Manetis, & aliorum hæreſiarcharum contigit. Teſtatur autem Guido Carmelita agens de eorum hæreſibus eos ſe diciſſe fratres & ſorores de pœnitentia de tertio ordine S. Franciſci, quam nuncupationem alii illis tribuunt, quos refellit prædictus Demercius, ſimul & quod ait Bzovius à pleriſque ex ordine Divi Franciſci hanc ſectam collectam fuiſſe, ex quibus liquido conſtare ait animum Bzovii in pauperculam Franciſci familiam atrociſſimum fuiſſe, nihilque magis eniti quam eam contemptibilem, infructuoſam, infamem reddere. Non ergo Franciſcani authores ſtatuendi hujus ſectæ: ſed Hermanus quidam Italus dictus Pongilupus, de quo Bergomas in ſupplemento ad annum 1298 hæreſis eorum inquit, qui ſe Fratricillos de opinione vulgariter nuncupant, hoc eodem anno à Bonifacio Pontifice damnatur, & ubique diligenti cura perrequiſita exterminari omnino jubentur. Unde & Hermani ejuſdem corpus ſectæ authoris apud Ferrariam Urbem viginti annis ſepultum, qui pro ſancto colebatur, exhumari & exuri fecit, habita prius de hujuſmodi re diligenti exquiſitione. Nec propterea hujuſmodi hæreſis extetminari potuit, quin in dies excreſcens, multos etiam religioſiſſimos viros doctiſſimos habuerit fautores, quod malum poſtea uſque ad tempora Joannis vigeſimi ſecundi diffuſum fuit: deinde refert eorum nocturnos conventus quos ſtupris & adulteriis commaculabant. Cæterum per quædam intervalla, ſecta hæc habuit famoſos quoſdam reſtauratores, quales fuerunt Gerardus Sagatelus qui ſub nomine Apoſtolorum eam reſtituit, & poſt eum Dulcinus quidam Novarienſis, quem ſex millia ſequuta ſunt anno 1305. qui illico comprehenſus eſt, prædicata cruce contra eum ejuſque ſectatores, & alii nonnulli in diverſis locis; inter quos Guido Carmelita loco citato videtur reponere Petrum Joannis de quo ſupra egimus: referens enim errores Begardorum & Beguinarum qui, interſe diffebant eo

Varia nomina eorumdem hæreticorum.

eo differimine quo lupi & lupæ inter ſe, ait. Vegeſimo errant dicentes & aſſerentes quod tota doctrina & ſcriptura Petri Joannis eſt vera & Catholica & eamdem credunt, quam ut dicunt, Deus dicto fratri revelavit quem dicunt & venerantur ut ſanctum & maximum ac veriſſimum doctorem poſt Apoſtolos & Evangeliſtas qui fuerunt, &c. de cujus erroribus fuit ſupra dictum cum erroribus Joachim magiſtri ſui quem ſequitur in omnibus fere. Et utinam Petrus Joannis natus non fuiſſet, nec unquam ſcripſiſſet, nec tot dementes feciſſet & in errores induxiſſet: quia dici potius debet Angelus Satanæ quam Angelus lucis, cujus facies intelligentiæ non ut ſol, ut de eo iſta hæretici mentiuntur: ſed erroribus tenebroſa, cujus doctrina inutilis & damnoſa, multos ſubvertit cum eam hæreſim adduxit: ut patet in multis erroribus in B quibus iſti hæretici Beguini ſequuntur peſtifera documenta Petri Joannis. Hæc ille in ſumma de hæreſibus quæ primum edita eſt ann. 1342. in qua ultimorum hæreticorum locum tenent iſti Beguardi & Beguinæ, ut illis coëtaneus fere, certius reſcire potuerit quæ ſpectant ad eorumdem hiſtoriam. Attamen inter varia authorum ſtudia, præſtat nobis judicium ſuſpendere uſque ad diem Chriſti quæ illuminabit abſcondita cordium, lupoſque & hædos ab ovibus agniſque diſcernet: neque enim hæc ſcribimus quicquam aſſerentes: habet enim ille patronos ſuos, ut ſupra patuit.

Gratia ſemper poteſt augeri.

Circa vero errores hic damnotos advertendum eſt circa primum diſputari a Theologis in utramque partem apud Thomam de Hurtado Clericum regulatem C tract. de perfectione donorum ſupernat controverſ. 6. in præcurſore Theologo, an gratia poſſit ſemper in hac vita augeri. Quidam enim aſſerunt. Primo quia poteſt Deus unum hominem magis ac magis amicabiliter diligere: ergo poteſt pariter infundere majorem gratiam habitualem, atque ita hæc poterit creſcere. Prima conſequentia probatur, qui terminus dilectionis divinæ eſt gratia habitualis: antecedens eſt manifeſtum, quia Deus habet infinitam potentiam ad amandum nos. Secundo, quia gratia habitualis eſt formalis participatio naturæ divinæ cujus perfectio eſt infinita, & dato quolibet finito ei fieri poteſt additio. Confirmatur, quia gratia eſt primum principium meriti media charitate ſui augmenti, unde quo magis fuerit aucta, eo magis eſt proportionata D ad eliciendos perfectiores actus & poteſt ſic mereri majus augmentum. Deinde lumen gloriæ & viſio beata ſemper poteſt augeri, quia cum Deus non comprehendatur à creatura, data qualibet viſione ſemper eſt magis viſibilis in infinitum. Tertio, quia ſubjectum ex receptione gratiæ magis dilatatur, unde ſemper fit magis magiſque capax illius ſuſcipiendæ. Sed in hac quæſtione aliud eſt loqui de gratia Chriſti, aliud de gratia puræ creaturæ. Probabile eſt enim gratiam Chriſti ita perveniſſe ad ſummum intenſionis gradum ſibi debitum & connaturalem, ut implicet contradictionem ipſam magis intendi ſi ejus naturam & exigentiam attendamus. Sic tenet Caietanus 2. 2. qu. 24 art. 7. & docent antiqui fere omnes qualitates ſupernaturales habere terminum intrinſecum ſuæ intentionis ut, Scotus in 3. diſt. 13. q. 1. & alii. Non ſic eſt de gratia puræ creaturæ quæ in ſtatu hujus viæ poteſt ſemper augeri, nec propter hoc damnantur Begardi quod dicerent hominem non ſemper proficere poſſe in gratia, ſed quod dicerent ſi ſemper proficeret hinc fieri poſſe ut adæquaret vel etiam ſuperaret gratiam Chriſti. Id enim falſum eſt. Quia Deus prævi ſo omni termino gratiæ quam homines in hac vita conſequerentur, adhuc dedit majorem gratiam Chriſti animæ, quod itidem aſſeritur de Gratia B. Virgini Mariæ collata ſicut diximus in Theolog. Affectiva 1. 2. Tract. 4. Med. 21 ſed & eorum error adhuc in eo erat quod dicerent hominem ad ſtatum devenire in quo amplius non peccaret, non addendo

A ex ſpeciali privilegio aut ſpecialiſſimo aliquo Dei adjutorio. Hoc enim ſi apposuiſſent error non erat. Nam & id conceſſum eſt B. Virgini.

Circa ſecundum & tertium errorem manifeſta eſt hallucinatio, cum in quocumque ſtatu ſit homo in hac vita immunitatem ullam à legibus divinis & humanis non conſequatur, hique errores manifeſtè favent libertati carnis eamque fovent damnabiliter.

Circa quartum & quintum legi poteſt Scotus 4. diſt. 49. ubi ait hunc errorem pejorem eſſe errore Pelagianorum, eumque refellit ibidem Hiquæus. Teſtatur autem Vuadingus ad ann. 1308. miſſum fuiſſe Scotum Coloniam ad redarguendos Begardorum errores, ubi & eorumdem impudentiam in redarguendis publice prædicatoribus in Germania, carpit. Quod ergo Durandus in 4. Sent. diſt. 49. q. 2. docet animam ſeparatam naturaliter videre Deum, hic condemnatur. Aliqui tamen eum vindicant ab errore, bene perpenſis omnibus ejus verbis in illa quæſtione.

Majus eſt dubium de lumine gloriæ, quid de fide tenendum ſit de illo poſt definitionem hujus concilii. Ac 1. certum eſt de fide eſſe quod detur & neceſſarium ſit lumen gloriæ ad viſionem Dei. Damnat enim Begardos & Beguinas contrarium opinantes. Sed majus dubium eſt an ſit de fide, lumen iſtud eſſe habituale vel actuale, ſicut explicat Smiſing Minorita tract. 2. diſp. 6. q. 4. nu. 93. de Deo uno & trino. Quod ſit concurſus ſupernaturalis beatifici objecti, quatenus per illum concurſum, objectum iſtud ſeipſum manifeſtat, efficiendo cum intellectu beatam viſionem. Sed cum de iſto dubio nihil determinet Concilium, remanebit ſemper controvertendum, neutrumque eſt de fide. Probabilius tamen eſt lumen iſtud ſe habere per modum qualitatis permanentis quo intellectus ſtatim rapitur ad viſionem Dei, ſicque confortatur ut ſplendores indicibiles eſſentiæ divinæ ſuſtinere valeat abſque hoc quod deficiat. Sed de iſta difficultate ampliſſime agit Lallemandetus Ordinis Minimorum Theologus diſp. 6. de Deo uno, in ſupplemento diſputationis. Apud quem etiam Angelus a Monte piloſo valde ſollicitus de doctrina Scoti, quæ à Zanardo inſinuatur de hæreſi, aſſerit eum lumen gloriæ admiſiſſe tamquam habitum creatum intellectui inhærentem, ac ſufficienter Begardorum & Beguinarum fictionem confutaſſe.

Lumen gloriæ neceſſarium.

Sextus error, quod virtutum exercitium ſit hominis imperfecti, impietatem ſapit, ſed & ſuper omnia ignorantiam veræ religionis ac cultus Dei legitimi: non enim aliter Deus colitur quam actibus fidei, ſpei, charitatis, & virtutum quatuor Cardinalium ac eis annexarum. Nec vero actus hi virtutum unionem cum Deo impediunt, cum præter unionem quæ fit per gratiam juſtificantem, non alia major ſit in hac vita quam ea quæ per actus virtutum circa Deum aut propter Deum, quam ſæpius fieri poterit attenta infirmitate humana habetur. Unde & ſancti omnes, imo & Chriſtus ipſe in bonis operibus ſe exercuerunt & Paulus 2. Cor. 12. caſtigabat corpus ſuum.

Non deſunt tamen hoc tempore qui hanc doctrinam vel ſequuntur vel imitantur, aſſerentes perfec- E tionem majorem in quodam ſtatu paſſivo quietis ut vocant & ceſſationis actuum ſpiritualium internorum, qua ceſſatione verendum eſt ne foveant quamdam negligentiam ſpiritualem ſub prætextu contemplationis cujuſdam paſſivæ, quæ priver multis præmiis quæ debentur non minus act. interioribus, cum generoſo conatu elicitis, quam operibus externis, a quibus ceſſare docent Begardi & Beguinæ hic condemnati à Concilio. Inde provenit quod videas quoſdam devotos aut devotas, ut cum vulgo loquamur, certe inertes & vanis phantaſiæ illuſionibus occupatos, qui dicunt ſe pati quemdam ſtatum ſpiritualem neſcio quem. Quibus optime dici poterit, ſtatum illum negligentiæ interioris ex duplici fonte provenire in ipſis,

Abuſus quorumdam ſpiritualium.

1. quia satis sedulo & attente non laborarunt in acquirendis virtutibus moralibus justitiæ, religionis, obedientiæ, fortitudinis, patientiæ & aliis. 2. Quia non fervet in ipsis charitas, tepidus est infrequens actus amoris divinarum personarum, ad quem actum contra tepiditatem indevotionis, animam debere seipsam excitare docet Avila in Epistolis.

De septimo errore agit Alphonsus à Castro adversus hæreses l. 4. verbo coïtus hæresis 1. & 3. Notatque duos simul complecti errores. Unus est quod instigante carne carnalis coïtus non est peccatum, quod etiam defendebant Vualdenses. Tribuitque Martino de Magistris in libro suo de temperantia q. 2. de luxuria, sententiam afferentem, quod licet simplex fornicatio sit peccatum mortale, oppositum tamen credere non sit hæreticum, quia, ut dicit, scripturæ sacræ testimonia non sint satis expressa. Sed cum pace illius dixerim, ait, ego credo Martinum alioqui virum doctum in hac parte erraſſe, quoniam ut alias diximus, B. Hieron. nobis suffragante, in litteræ sensu consistit Evangelium & non in nuda litera. Alter error Begardorum est quod osculum sit peccatum, quod etsi de aliquo osculo verum sit, ut de eo quod ad sollicitandam carnem dirigitur, cum non est licitus coïtus, non tamen de omni osculo: omnis enim operatio, à fine ad quem dirigitur sumit denominationem, itaut si finis sit bonus & reliqua adsint, operatio sit bona. Sed isti hæretici similes illis erant hypocritis qui graviora crimina perpetrare non verentur, à levioribus tamen sollicite se custodiunt.

Circa octavum errorem, nullus est qui eum non deprehendat, & in eo dæmonis astutiam, qui innumeris artibus conatur homines avertere à debita Christi reverentia, & à pia meditatione vulnerum illius, qua nihil potentius ad excitandas hominum mentes in ejus amorem.

Illuminati. Porro hi errores in quibusdam procurante Sathana innascuntur ex amore inordinato cujusdam quietis & tranquillitatis interioris in qua perfectionem hujus vitæ reponunt, quod hic status beatorum statum aliquatenus imitetur, qui in contemplatione divinæ essentiæ sine ulla perturbatione conquiescunt: & quia Theologi spirituales quantum possunt adhortantur ad solum Deum sic inquirendum & illi adhærendum, ut cæteræ creaturæ despiciantur ac oblivioni tradantur, tanquam res nihili, quæ non debent animum tantisper interturbare dum Deo se addicit, in quo solo pax summa est: Hinc stupidam quamdam otiositatem consectantur, quam ut conservent, etiam exercitia virtutum postponunt, & ne tentationibus divexentur, quibus resistere constanter & usque ad mortem oportebat, eis concedunt, ut quietem illam prætensam & pacem interiorem assequantur, ficut si quis turpiter hosti se dederet ne labore certaminis turbaretur & à quiete mentis distraheretur: atque hujusmodi falsi spirituales illuminatos se vocant, tenebras à dæmone in eorum mentem immissas pro divino quodam lumine reputantes. Tam periculosum est à via trita & communi mentalis orationis velle deflectere sub prætextu altissimæ cujusdam contemplationis quæ sine studio & labore acquiratur. Sic sunt milleformes dæmonum incursus.

De homicidio voluntario vel casuali. Furiosus, infans, dormiens, seu invasus mutilantes vel occidentes excusantur.

De usuris. Usuras exercere est peccatum instar hæreseos puniendum: statuta ergo usuram adprobantia sunt delenda.

De excessibus Prælatorum. Prælati cum suis subditis in aliorum præsertim privilegiatorum & exemptorum gravamina, molestias, injuriam, seu jacturam prosilire inhibentur.

Parochia propria. *De privilegiis & excessibus privilegiatorum.* Religiosi Sacramentum Extremæ unctionis vel Eucharistiæ aliis præter suis domesticis, sine Parochialis Presbyteri licentia administrantes, aut excommunicatos à Canone ..... vel à sententiis per statuta provincialia aut Synodalia promulgatis absolvere præsumentes excommunicantur ipso facto, per sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, &c. Quibus etiam in virtute S. Obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus (*verba sunt Concilii*) ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant laïcos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, seu indulgentias pronuntient indiscretas, &c.

Archiepiscopo per quævis loca exempta suæ provinciæ facienti transitum aut ad ea forsan declinanti: ut crucem ante se libere portare faciat, benedicat populo, divina Officia privatim vel publice ibidem audiat; & ea etiam in Pontificalibus celebret (quovis privilegio contrario non obstante) sacro approbante Concilio præsentis constitutionis serie duximus concedendum.

De pœnis. Si quis suadente diabolo Pontificem sive per se, sive per alium injuria temere affecerit, percusserit, seu banniverit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit: vel socius in his foerit facientis, aut consilium in his dederit, anathematis mucrone percutitur, aliisque certis pœnis subjicitur.

De pœnitentiis & remissionibus. Ultimo deputandis supplicio negari, si petant, non debet pœnitentiæ Sacramentum. Eleemosynarum quæstores, nisi Apostolicas vel Diœcesani Episcopi literas exhibuerint, non sunt admittendi. *Addit gloſſa veteris negandum Sacramentum Euchariſtiæ, quod tamen uſus Galliæ non patitur, & à multis diſputatur ea de re. Lex quædam Caſtellæ non permittit ut ipſo die mortis communicent, propter indecentiam. Sed ſi pridie id fieret non eſſet indecens.*

De sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti. Excommunicantur ipso facto religiosi etiam exempti qui dirumpendo nervum Ecclesiasticæ disciplinæ civitatum, terrarum & aliorum locorum interdicta generalia violare præsumunt cum Cathedralem vel matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam illa sciverint observare, non obstantibus quibuscumque appellationibus, cum moderatione tamen decretalis *Alma*. Idem etiam in interdictis & cessationibus à divinis per Provincialia Concilia statutis vel ipsorum auctoritate, cum majus sit provinciale Concilium quam singularis Prælati Provinciæ, &c. non obstantibus privilegiis, consuetudinibus, &c. eadem pœna plectuntur nobiles & nomini temporales eadem interdicta violantes. Etsi Papa scienter cum excommunicato participet literis, verbo vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censeretur: nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto habere. Similiter si quem sub titulo cujuslibet dignitatis etiam ex certa scientia nominet, & per hoc in dignitate illa approbare non intelligitur, aut aliquid novi juris ei tribuere.

De verborum significatione.

EXivi de Paradiso, &c. Dictæ hæsitationi duximus respondendum, quod cum votum determinatum cujuslibet habeat cadere sub certo: vovens regulam non potest dici teneri ex vi voti hujusmodi ad ea concilia Evangelica quæ in regula non ponuntur, &c. Vilitatem autem vestram ..... hujusmodi autem vilitatis judicium ministris & custodibus seu guardianis duximus committendum: eorum super hoc conscientiam onerantes: ita tamen quod servent in vestibus

vilitatem. Quorum etiam miniſtrorum cuſtodum & guardianorum judicio eodem modo relinquimus, qua neceſſitate poſſint ipſi fratres calceamenta portare, &c. Sicque declaratum extitit per nonnullos prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices hanc expropriationem intelligi debere, tam in ſpeciali quam etiam in communi, propter quod & rerum omnium conceſſarum, oblatarum & donatarum fratribus (quas & quarum uſum facti, ſcilicet ordini vel fratribus licet habere) proprietatem & dominium in ſe & Romana Eccleſia receperunt: Dimiſſo ipſis fratribus in eis tantummodo uſu facti ſimplicis, &c. habere tamen hortos aliquos ut colantur, ac olera & alia hortalitia pretio diſtrahantur, nec non & vineas, repugnat ſuæ regulæ & ordinis puritati, &c. Rurſus cum prædictus ſanctus..... oſtenderit ſe velle quod fratres ſui & filii divinæ Providentiæ innitentes ſuos in Deum jacerent cogitatus: qui volucres paſcit qui non congregant in horrea nec ſeminant, nec metunt: non eſt veriſimile voluiſſe ipſum eos habere granaria vel cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent ſperare poſſe tranſigere vitam ſuam. Et idcirco non ex timore levi relaxare ſe debent ad congregationes & conſervationes hujuſmodi faciendas, ſed tunc tantum cum eſſet multum credibile ex jam expertis quod non poſſent vitæ neceſſaria aliter invenire, &c. Quamvis etiam paramenta & vaſa Eccleſiaſtica ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit Deus: tamen qui abſconditorum eſt cognitor, ad animum ſibi miniſtrantium reſpicit principaliter, non ad manum: nec per illa ſibi vult ſerviri quæ ſuorum ſervitorum conditioni diſſonarent ..... ſuperfluitas autem aut nimia pretioſitas vel quæcumque curioſitas in his ſeu aliis quibuſcumque non poteſt ipſorum profeſſioni vel ſtatui convenire: cum etiam hæc ſapiant theſauriſationem vel copiam, &c.

Annotatio de paupertate Minorum.

PAucos textus hîc damus ex pluribus, celebris illius Clementinæ *exivi de Paradiſo* de verborum ſignificatione, quam integram qui volet, conſulere poteſt lib. 5. Clementinarum, ſicut & cæteras conſtitutiones Concilij Viennenſis quæ ſpectant ad mores & diſciplinam, quas tantum hic perſtrinximus, ut quæ ſint omnibus perviæ in his quinque libris; ſed & cenſet Nicolaus Eymerici 2. part. directorii qu. 17. decretalem hanc non fuiſſe factam in Concilio Viennenſi, ſed poſt Concilium, Avenioni, ut habet fide digna multorum relatio. Unde hec cunctis hujus textibus nunc vacat immorari, ſed illi dumtaxat in quo agitur de retẽtione, ſeu acceptatione dominii per ſummos Pontifices, rerum quæ Fratribus Minoribus offeruntur. Ex hoc enim illi adſtruebant altiſſimam ſuam paupertatem, dicentes ſe panem Eccleſiæ comedere, ſolumque uſum rerum habere eumque determinatum, nullum vero dominium nec in particulari, nec in communi, quod eſſet pænes ſummum Pontificem & Romanam Eccleſiam: qui enim ita rem aliquam pro certis uſibus habet, ut non poſſit vendere, donare, commutare, aut ad alios uſus diſtrahere præter aliquem præfixum à ſuperioribus, is nequaquam Dominus eſt rei qua utitur, ſeu liber, ſeu veſtis, ſeu cibus aut potus ſit. Sed ibi non ſteterunt, plures enim ex iis altius aſſurgentes ut Ocham, & Bona gratia, Michaël Cæſennas Generalis ordinis & alij, dixerunt quod eodem modo Chriſtus, cujus vitæ Minorum vita conformis erat, nullarum rerum habuerit dominium ſed merum uſum. Quæ propoſitio vt in apertum erupit, non leviter commovit Joannem XXII. Papam, cum præſentiret inde deducendum, quod nec ipſe nec Prælati Eccleſiæ ullarum rerum dominium habere deberent, cum non ſit diſcipulus ſupra magiſtrum, ſicque vertebatur in litem D. Petri patrimonium. Unde conatus eſt eos à ſententia dimovere, qui potius in Comitiis Perufinis innitentes maxime cuidam conſtitutioni Nicolai 3. hanc propoſitionem ſubſignaverunt. *Dicere & aſſerere quod Chriſtus viam perfectionis docens & Apoſtoli eandem perfectionis viam ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfecte vivere, derivantes, nihil juris proprietatis Dominij ſeu juris proprij in communi habuerunt, non eſt hereticum ſed ſanum & Catholicum & fidele, &c.* Qua concluſione exandeſcens ſummus Pontifex, edito publice Avenioni affixo, abdicavit à ſe dominium quod acceptaverant prædeceſſores ſui, ſuper rebus datis aut oblatis Minoribus, prohibuitq; illos habere tales ſyndicos aut procuratores, qui nomine Romanæ Eccleſiæ ulla donaria pro ipſis reciperent, ut ſic habentes aliquarum rerum uſum, cogerentur fateri ſe earumdem habere dominium, cum aliter illud pænes nullum eſſet: exiſtimabat enim uſum earum rerum quæ utendo conſumuntur, non eſſe diſtinctum à dominio: quo dogmate ſimul deſtruebat potiſſimam uſurariorum rationem, & dominium aliquod in Chriſto & Apoſtolis adſtruebat. Sed (ut ut ſit de illo dogmate quod non erat de fide aut ad fidem pertinens) hujuſmodi abdicatio vehementer Minoribus diſplicuit, qui palam ei contradixerunt, adeout Frater Bonagratia de Bergamo procurator ad defendendam concluſionem Comitiorum Perufinorum contra eos qui aliter ſentirent, in curia Avenionenſi, anno 1313. non ſecreto ad pedes ſuæ ſanctitatis provolutus humiliter & ſupplicans, ut re melius conſiderata conſtitutionem revocaret, ut decebat eum agere, ſed publice in conſiſtorio Cardinalium ab ea auſus eſt provocare, librumque Pontifici porrexit in quo plurimis rationibus probabat eum iniq; cum ſodalitio ſuo egiſſe, nec ejus conſtitutionem poſſe ſubſiſtere quæ adverſabatur plurimorum Pontificum conſtitutionibus qui præfatum dominium ſibi aſſumpſerant. Quaſi vero in his quæ non ſunt fidei, non poſſit Summus Pontifex prædeceſſorum ſtatuta aut indulta revocare. Quare frater ille impune non tulit, comprehenſus enim extemplo terro carceri per annum mancipatus eſt. Sed & Summus Pontifex conſtitutionem edidit quæ incipit *cum inter nonnullos, &c.* in qua determinat hæreticum eſſe aſſerere pertinaciter Chriſtum & Apoſtolos nullum habuiſſe rerum aliquarum dominium, ita ut non poſſent eas pro libito vendere, donare aut alio modo diſtrahere. Sed ſingulari Dei providentia factum eſt ut in illa conſtitutione Chriſtum abſolute conſideraverit, & non ſub reſtrictione & reduplicatione quatenus viam perfectionis docens, &c. qua uſus fuerat Nicolaus tertius, & Comitia Perufina, unde inter Nicolaum tertium & Joannem vigeſimum ſecundum nulla eſt contradictio. Ut enim Chriſtus abſolute conſideratus dominium omnium rerum habuerit vi unionis hypoſtaticæ, ut æquius indicavimus in noſtra Theologia Affectiva, ſeu S. Thoma meditante 3. parte Medit. 20. puncto 1. Attamen ſi conſideretur cum illa reduplicatione & ſpecificatione quatenus viam perfectionis, ejuſque religioſæ, docens, non ita abſurdum eſt dicere non habuiſſe tale

Joan. 22. abdicat dominia rerum Fr. Min.

Habetur inter extrav. com. tit. de verb. ſignific.

Paupertas Minorum.

Dominiũ in Chriſto quatenus fuerit.

dominium. Ex qua diſtinctione credit Vvadingus ad annum 1323. totam exhauriri difficultatem, ut miretur tot ſapientes viros tantum laboraſſe in conciliando Joanne vigeſimo ſecundo cum Nicolao tertio, quare & comitia Peruſina Ordinis Minorum in quibus depoſitus Cæſenas Generalis, ſubmiſerunt ſe conſtitutioni Joannis vigeſimi ſecundi, de paupertate Chriſti eo modo inſpecta & intellecta, ſicque diſſidium ingens in Peruſinis Comitiis invaleſcens in Peruſinis evanuit ac diſſolutum eſt.

Verum inſtabunt aliqui non videri ſibi ita exhauſtam difficultatem, ut non adhuc conſiſtat, ſiquidem Chriſtus in quocumque ſtatu & tempore videtur habuiſſe ſuum jus & dominium, nam eo numquam caruit in quocumque ſtatu & tempore conſideretur, ſeu perfectos docens, ſeu minus perfectis & validis ex benignitate ſua condeſcendens. Certe ita eſt, ſi dominium illud in actu primo conſideremus, attamen Chriſtus qui *in propria venit, & ſui eum non receperunt*, poſſidebat omnia quaſi non poſſidens, cumque viam perfectionis doceret, nullum actum illius dominij exercebat in altiſſima degens paupertate & rerum abſtinentia ac privatione quaſi nullius rei foret Dominus; itaque Chriſtus viam perfectionis docens nullum in actu ſaltem elicito rerum habuit dominium, cum vulpes foveat haberent & aves cœli nidos; unde & vita Minorum imitatur paupertatem illam Chriſti & dominii carentiam, ſed dumtaxat ſimilitudinariam, quam ſolum D. Franciſcus conſideravit, non rem ita introſpiciens ſicut acutiores Theologi.

Nicolaus Papa.

Magis vero placet prædicto Nicolao Eymerici loco citato. Quod Nicolaus Papa non determinate ſed incidenter & narrative aſſerit paupertatem Chriſti & Apoſtolorum fuiſſe abdicationem proprietatis omnium rerum: idque damnaſſe Joannem XXII.

Quod autem dicitur in hac conſtitutione proprietatem & dominium rerum oblatarum aut datarum Minoribus Pontifices in ſe & Romana Eccleſia recepiſſe, id videtur dictum propter aliam controverſiam, ad quem videlicet pertineat proprietates & dominium bonorum Eccleſiaſticorum. Varia quippe authorum mens eſt ſuper hac difficultate. Ivo Carnotenſis Epiſt. VII. quæ eſt ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum, exiſtimat ad nullum pertinere niſi ad Deum. *Res enim Eccleſiaſtica*, inquit, *ſicut teſtantur et ipſa ſæculi leges, quia divini juris ſunt, in nullius bonis ſunt.*

Cigaldi opinio de bonis Eccleſiæ.

At Vincentius Cigaldus in libro, cui titulus *opus laudabile & aureum*, &c. Capitulo *an ſit licitum Romano Pontifici inferre bellum regibus Chriſtianis*, putat bonorum Eccleſiaſticorum dominium eſſe pauperum. Quæritur, inquit, qui ſint Domini rerum Eccleſiaſticarum & bonorum. Certe aliqui dicunt quod Eccleſia, alij quod Chriſtus, alii dicunt quodClerici ad inſtar civium univerſitatis. Sed pro certo dicerem quod imo pauperes Chriſti, de quibus bonis debent ſuſtentari per gloſ. notab. in cap. *expedit* XII. quæſt. 1. & neceſſitas incumbit Eccleſiaſticis dare pauperibus. Et ab etymologia vocabuli poteſt dici Papa pater pauperum, ſicut poteſt dici pater patrum. Et facilius expeditur adminiſtratio per unum quam per plures. Quin imo Paſtores dicuntur per violentiam auferre quod ultra neceſſitatem retinent.

Bona Eccleſ. cujus ſunt.

Probabilior videtur ſententia Joannis de Pariſiis, tract. *de poteſtate regia & Papali c. 6* & Petri de Alliaco Cardinalis & Epiſcopi Cameracenſis libro *de Eccleſiæ auctoritate*. Scilicet bona Eccleſiaſtica ut ſunt Eccleſiaſtica collata fuiſſe communitatibus Eccleſiarum, ſeu ipſis Eccleſiis & non perſonæ ſingulari: ita quod in bonis Eccleſiaſticis nulla perſona ſingularis habeat proprietatem & dominium, ſed ſola communitas. Perſona autem ſingularis non ut talis, ſed pars & membrum communitatis, habet in ipſis jus utendi ad ſuſtentationem, ſecundum exigentiam & decentiam perſonæ ſuæ & ſtatus. Cum hac tamen differentia, quod aliquis eſt tantum membrum ſimplex ut Canonicus: & ille non habet niſi uſum: alius vero eſt membrum principale & caput totius communicatis, ut eſt Epiſcopus reſpectu Diœceſis, & Papa reſpectu totius Eccleſiæ, & ille præter uſum ſecundum exigentiam & decentiam ſui ſtatus, habet adminiſtrationem & diſpenſationem generalem, ut de bonis communibus unicuique attribuat ſecundum proportionem juſtitiæ. Vnde Papa eſt diſpenſator generalis, Epiſcopus aut Abbas diſpenſator magis immediatus. Communitas autem dominium verum habet in bonis Eccleſiaſticis, in quam fundatores Eccleſiarum intenderunt illud primo & directe conferre ad uſum Deo ſervientium. Sunt ergo talia bona Eccleſiæ quantum ad proprietatem, Prælatorum quantum ad diſpenſationem. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 4: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et 1. Petri 5. *Non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregi.* Quo loco utitur D. Bernardus ad idem aſſerendum libro 2. ad Eugenium de conſideratione. Vnde præclare ait Gerſon. tract. *De temperantia in cibis, potu & veſtitu Prælatorum.* Quid ſunt viri Eccleſiaſtici, niſi quidam Eleemoſynarii bonorum Eccleſiaſticorum, & ipſorum quidem non Domini, ſed diſpenſatores? In quibus hoc ſolum pro ſe & pro ſuis habent quo contentari eos mandat Apoſtolus, alimenta ſcilicet & quibus tegantur. Definit Bernardus quod quicquid retinetur, rapina eſt, imo ſacrilegium. Dura vero ſententia contra Eccleſiaſticos & eos qui theſauriſant, & qui in luxuriis variis & impudicitiis converſantur, nihil dantes pauperibus, &c.

Attendant beneficiarij divites.

Hujuſce veritatis fundamentum poteſt eſſe, quod cum Chriſtus habuerit triplicem poteſtatem, ut diſſerit Ægidius Romanus in quæſt. de utraque poteſtate art. 3. videlicet rerum corporearum, animarum & temporalium facultatum, prima quidem poteſtate uſus fuerit in rebus corporalibus plura miracula faciendo, ſecunda uſus fuerit & commiſerit aliis, quantum ſcilicet neceſſarium eſt & expediens ad ſalutem animarum: tertia vero nec uſus fuerit, nec eam commiſerit, ut non eſſet diſcipulus ſupra magiſtrum, ut ſupra dictum eſt in controverſia Concilii Lugdunenſis I.

Quamvis autem qui conferunt bona Eccleſiæ ad honorem Chriſti conferant: attamen proprie Chriſto ea non conferunt, ſeu in quantum Deus eſt ſeu in quantum homo eſt, quia in quantum Deus eſt omnia ſua ſunt, in quantum vero homo non indiget, nec habet converſationem & communitatem corporalem cum iis qui ſunt in Eccleſia, pro quorum uſu & ſuſtentatione data ſunt: quare ipſa Eccleſia potius videtur habere penes ſe dominium & proprietatem rerum Eccleſiaſticarum. Alii tamen contra ſentiunt eſſe penes perſonas Eccleſiaſticas, ſeu ut vicarios Chriſti, ſeu ut donatarios piorum fundatorum, nec veritas iſta ita eſt aperta, ut non ſuperſit de ea dubium ſaltem probabile, idcirco nolentes ſummi Pontifices ante Clementem V. iſtam terminare controverſiam, non tantum in ſe, ſed etiam in Romana Eccleſia dominium & proprietatem bonorum quæ Minoritas contingunt, aſſumpſerunt.

Hactenus de Concilio Viennenſi: in quo Annotationes iſtas partim Hiſtoricas, partim Theologicas aliquis forſan prolixiores putabit, quam inſtituto noſtro conveniat. Attamen neceſſariæ nobis viſæ ſunt ad intelligenda quædam dicta circa doctrinam in eo Concilio aut diſcuſſam, aut explicatam, aut reprobatam, quæ quidem vix à pleriſque intelligi potuiſſet. Cæterum ſatis ſcimus non omnes Canones Clementin. in Concilio Viennenſi editos fuiſſe, cum Joannes XXIII. in præfatione ad ipſas, quoſdam ante, quoſdam poſt Concilium ſancitos aſſerat: idcirco eos tantum hîc appoſuimus in quorum capite ponun-

Clemen. ſpec.

turhoc verba: Clementis in Concilio Viennenſi: quæ circa diſciplinam ſunt contrahentes per ſummam & compendium, nonnulla etiam in iis prætermittentes, quæ vero circa doctrinam ſervatis Concilii verbis fere integra proponentes, ut quorum cognitio majoris eſt momenti.

Controverſiæ hujus Concilij.

Canones Concilii.

CIrca conſtitutiones hujus Concilii advertit Joannes Andreas in exordio Clementinarum, quod Conſtitutiones Concilij non fuerint omnes in ipſo Concilio publicatæ, tamen poſt Concilium de facto publicatæ fuerunt, & cum earum copia ſeu exemplar haberetur à pluribus æſtimabantur ligare. Sed quia, inquit ille, parum aliquas ex illis prolixe, aliquas defective compoſitas, aliquas etiam non expedire, noluit Clemens quod compoſitio illa conſtitutionum procederet: ſed ut fertur ſub excommunicationis pœna mandavit, quod illas habentes infra certos dies reſtituerent, vel incenderent, vel dilacerarent eaſdem. Dumum per peritiores fecit illas recenſeri, qui aliquas & paucas in totum reſecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba mente ſervata, in aliquibus menti & verbis detraxerunt & addiderunt, & has licet non ſub his verb. in Con. publicatæ fuiſſent, voluit ſub nomine Concilij reſervari, eis multas conſtitutiones utiles addens de quibus non fuerat in Concilio tractatum, ut de rescriptis omnes quæ ſunt poſt ſecundam: & de electione omnes poſt primam cum ſimilibus, fecitque illas una cum quibuſdam conſtitutionibus, quas prius ediderat ſub debitis titulis compilari: & ut à Domino Attrebatenſi audivi, qui tunc erat contradictarum auditor, Clemens præcipit illas in audientia publicari, &c. Ex quibus videre eſt valde controverſas fuiſſe conſtitutiones hujus Concilij & an obligatoriæ eſſent & intra quod tempus. Hoc tamen dubium amovit Joannes XXII. cum eas conſtitutiones ad univerſitatem Bononienſem miſit, mandans quatenus eas promto affectu ſuſcipiant uſuri iiſdem de cætero in judiciis & ſcholis. Unde ex hoc tempore prædictus Joannes Andreas cenſet fuiſſe publicatas, non antea, quod ſeu licet decreviſſet eas ſubjectis dare, ideſt, publicare. Clemens V. propoſitum tamen ſuum non implevit propter aſſiduam occupationem circa alia. Hoc porro intelligendum venit de conſtitutionibus circa judicia & quæ ſpectant ad diſciplinam, nam de aliis quæ ſpectant ad doctrinam & damnationem plurium errorum, nunquam dubitatum eſt quin ſemper obligarent tanquam decreta Concilii univerſalis, & propterea ab omnibus orthodoxis vim habeant regulæ fidei cui contradicere non liceat.

De templariis variis judiciis.

Aliud etiam non minus controverſum fuit circa hoc Concilium, an legitime ineo damnati fuerint religioſi milites Templarij, qui cum initio pauperes eſſent diutius poſtea aucti, virtute imminuti ſunt. De his Matthæus Pariſienſis in Chronico Minor. anno 1118. oritur ordo Templariorum, quorum primi fuerunt Hugo de Paganis & Godefridus de ſancto Audomaro, equites nobiles & religioſi adeo pauperes ut duo unum tantum equum haberent communem, unde eorum ſigillo inſculpuntur duo equites uni equo inſidentes.

Origo templariorum.

Balduinus Rex dedit eis locum quemdam in patrio juxta Templum. Canonici Templi dederunt plateam proximam ad domos conſtruendas, alii alia addiderunt.

Prima profeſſio fuit vias & tranſitus periculoſos peregrinantibus ſecuros reddere, eoſque ab inſidiis latronum defendere. (Addit Chronicon majus ejuſdem) in remiſſionem peccatorum ſuorum.

Poſt novem annos in Concilio Trecis à Papa Honorio inſtituta eſt illis regula & habitus albus; cum tantum novem eo uſque fuerunt, cœperunt creſcere numero & poſſeſſionibus, poſtea cruces rubeas manicis ſiniſtris addiderunt. Hodie in conventu plus 300. habent equites præter fratres innumeros, eoque potentiæ & divitiarum pervenerunt ut cum regibus contendant, eoque ſuperbiæ ut à Patriarchæ obedientia ſubtrahentes Papæ ſe conjunxerunt. *Et in Chronico majori ejuſdem.* Unde hoc cognito Patriarcha conqueſtus eſt, *filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Unde Eccleſiis Dei decimas privilegiis adquiſitis ſubtrahentes, facti ſunt multis valde moleſti.

Trecenſe Concil.

Hoc erat judicium de Templariis ante Concilium Viennenſe, cum vix eſſet provincia in orbe Chriſtiano quæ eis de bonis ſuis non contuliſſet, ut regias quaſdam opes poſſiderent. Cauſa vero eorum diſcuſſa in Concilio Viennenſi, & cum judicium in facto particulari circa ſpeciales perſonas, quod ex plurium teſtimoniis pendet, non habeatur omnino infallibile, ſicut eſt judicium Concilii generalis legitimi & approbati circa res fidei, hinc plures dubitarunt poſt Concilium de æquitate decreti in illos pronuntiati ad eorum deſtructionem. De quo hæc habet Maſſonus annalium lib. 3. ubi de Philippo Pulchro loquens. Cum adhuc Pictavij Clemens eſſet, Rex Aulicorum perſuaſionibus & ſpe lucri ordinem Templariorum accuſavit: initio mali orto à Priore Monfalconis in agro Tholoſano, & Noffo exule Florentino, quorum hic à Prætore Pariſienſi multorum criminum reus conjectus in carcerem fuerat, ille ex cauſa hæreſis & ſceleratæ vitæ judicio Magiſtri Templariorum perpetuo carceri addictus. Hi de ſalute & libertate ſolliciti, crimina illa finxerunt, ob quæ ordo Chriſtiano nomini utilis eſt everſus, ipſi quoque carcere dimiſſi infelicem habuerunt exitum vitæ. Noffo ex alia cauſa à carnifice ſtrangulato, Priore proditione occiſo. Cum ſceleratiſſimi viri crimina inaudita commenti eſſent, viros maxime pios accuſarunt. Acenſationis capita Procurator fiſci ad Regem ſcripta Pictavium miſit, qui tale avaritia motus pro veris habuit, delatoribus libertate & venia donatis, effecitque apud Pontificem, ut ordinis illius everſionem pollicerétur. Una litterarum ſignificatione tota Francia comprehenſi ſunt, & fiſcus in eorum fundos teſque movendas manum injecit. Lutetiæ Magiſter Templi Jacobus Mola Burgundus, cum novem & quinquaginta equitibus ſociis capitur. Arguebatur hæreſeos, averſæ libidinis, contemptæ crucis, læſæ majeſtatis. Sæpe torti nihil hujuſmodi de ſe ac ſociis ſunt confeſſi, quin inſontes ſeſe pioſque Templarii equites conſtantiſſimè teſtabantur. Macerati longo carcere ſex & quinquaginta, totidem modice diſtantibus palis alligati ac lento igne toſti ſunt: profeſſi ſe inſontes mori, amicis & conſanguineis coram fruſtra monentibus, ſpem ut veniæ, ſi crimen agnoſcerent, ab Rege propoſitam, amplecterentur. Supererant quatuor Jacobus Mola, Frater Delphini principis Viennenſium, Ugo Peraldus, & cujus nomen hiſtorici non prodiderunt, quidam olim regiæ Gazæ cuſtos. Hi Pictavium vincti ad Pontificem & Regem tracti ſunt, ubi propoſita ſpe ac impunitate aliquid de ſe confeſſi Lutetiam reducuntur, duobus Cardinalibus miſſis, qui everſionis decretum à Pontifice factum publice recitarent, & captivos de ſe confeſſos pœna aliqua mulctarent. Pro fratribus Templi Virginis ex theatro id decretum Cardinales captivis præſentibus, & circumfuſa ingenti multitudine recitati juſſerunt. Ibi Jacobus Mola facto ſilentio negavit vera eſſe, quæ de Templariorum hæreſi & criminibus recitata eſſent, ordinem illum ſanctum, juſtum & catholicum eſſe, ſe tamen dignum extremo ſupplicio, paratumque id ſubire ac ultro depoſcere, qui dulcedine vitæ impia de ſe ac ſociis, Pontifice Regeque hortantibus Pictavij, confeſſus eſſet. Dimiſſa concione captivi in tetrum

Accuſatio impia Templariorum.

Jacobus Mola.

carcerem reducuntur, quos Rex ad supplicium productos lento igne torreri jussit. Mola & Delphini fratter constantissime supplicium tulere, nulla alia edita voce, quàm Templariorum ordinem Catholicum & sanctum esse. Peraldus & ille olim regius quæstor præsentis supplicij metu affirmarunt vera esse, quæ coram Rege & Pontifice de Templariis protulissent. Itaque solutis vinculis dimissi sunt, infelici postea exitu vitæ. Quod memorabile sit, nocte supplicium secuta Monachi aliique religiosi homines Molæ & Viennensis sacros veluti Martyrum cineres collegere. Joannes Villaneus dignissimus fide scriptor hæc de impia Templariorum accusatione eversioneque ordinis & infontium equitum supplicio lib. 8. commemorat, & Gallicus scriptor hujus temporis Templarios injuria eversos ‖, ordinemque illum sanctissimum fuisse dicit. Quid hic lectores dicturi sunt? Regem illum certe impium, Pontificem inclementem fateantur necesse esse, mitiorem enim sententiam dicere non possunt. Hæc est Papirij mens, quoadusque veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit unicuique à Deo.

Eversio ordinis Templariorum.

Attamen in re obscura decet magis adhærere interim Concilij generalis decreto contra præfatum ordinem militarem, cujus religiosi eum à zelo & pietate majorum degeneraſſent propter abundantiam panis & bonorum temporalium: nec amplius in honorem mysterii sacro-sancti Redemptionis humani generis, ut par erat militarent, Concilium id impune fieri non patitur. Sicque patrocinatur in hoc decreto, ut de aliis taceam, Mysterio Redemptionis per Christum, cingulo militiæ privans indignos ipsius milites, cum non deessent plures alii ordines militares qui horum vices supplerent, ut unusquisque sibi ipsi caveat, metuens illud Job cap. 33. *contra multos & innumerabiles & stare faciet alios pro eis*, & illud Apoc. 3. *Ecce venio cito. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

CONCILIVM CONSTANTIENSE

OECUMENICUM CL. EPISCOPORUM, Imperatore Sigismundo.

Causa Schismatis tollendi cum tres pro Pontificibus se gererent anno 1414.

OEcumenica esse non destiterent quædam Concilia in Oriente celebrata, etsi in iis quædam improbata fuerint, ut patuit in secunda classe ejus tomi. Tale est hoc Concilium quod duravit quadriennio. Nec minima negotia in eo acta sunt, damnatis Bohemorum Husitarum erroribus, ac sublato schismate pernicioso, quod triginta annis pias fidelium mentes male vexaverat, dum Cardinalium discordia plures in eodem tempore personas in Romanos Pontifices eligeret: eo enim tres dicebantur Papæ à diversis. Longo sane tempore duraverat schisma, dum alius Romæ, alius Avenione crearetur à Cardinalibus Papa. Ad quod ab Ecclesia tollendum scandalum, Cardinales Pisanum indixerunt Concilium, ut inter Benedictum XIII. & Gregorium XII. discerneretur, uter eorum verus & legitimus esset Petri successor. Utroque autem contumaciter absente, creatus est ab eis Alexander V. quo intra annum defuncto, Bononiæ electus fuit Joannes XXIII. cui adhæserunt ambo Fratres Vvenceslaus & Sigismundus Reges, hic Ungariæ, ille Bohemiæ, uterque insuper Regis Romani titulum gerens. Quamvis enim Vuenceslaus depositus esset per Electores, tamen quoad vixit, Regem Roman. & Bohemiæ se scripsit. Pro eo igitur tollendo schismate, Sigismundus Rom. & Ungariæ Rex, nondum factus Imperator: paternæ pietatis æmulator, maximos subiit labores & sumptus itinerum: ejus enim gratia peragravit primo Italiam, deinde Gallias, Hispaniasque & Angliam. In Italia sane à Joanne XXIII. obtinuit, ut Concilium indiceret Constantiæ celebrandum, in quo postea effecit, ut rejectis omnibus tribus, qui Papæ auctoritatem sibi arrogabant, unus legitime in Concilio crearetur Papa, Otho Cardinalis de Columna, dictus Martinus Quintus.

MODVS OBSERVANDVS in publica Sessione Conciliorum Generalium, in Concilio Generali Constantiensi observatus.

PRimo in loco ubi tenetur Sessio, celebrabitur missa solemnis de Spiritu sancto, quocumque tempore, per Cardinales vel alium prælatum ad hoc deputatum. Qua missa durante, omnes prælati suis habitibus consuetis sunt induti, & sedent in loco dictæ sessionis secundum suas dignitates & prærogativas. Prædicta autem missa finita, omnes prælati in eadem sessione existentes, induunt se pluvialibus, & habent mitras albas, solo præsidente vel celebrante in Concilio excepto, qui habet mitram aut phrygiatam & gemmatam ac notabiliter ornatam. Qui quidem præsidens vel celebrans, associatus Diacono & Subdiacono, & aliis multis in habitibus Ecclesiasticis, sedet in Cathedra in medio Chori, habens dorsum ad altare, & vultum ad alios prælatos. Prælatis igitur sic indutis & ornatis, cantores cantant Antiphonam. Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice Domine. Versus. Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Qua Antiphona cantata, Diaconus clamat alta voce: Orate. Quo dicto, omnes prælati flectunt genua, & per aliquod intervallum orant sub silentio secundum devotiones suas. Et postquam in illa oratione per aliquod competens intervallum steterunt, idem Diaconus iterum clamat alta voce. Erigite vos. Et tunc omnibus prælatis surgentibus, & stantibus erectis, ipse præsidens vel celebrans etiam erectus, etiam hanc dicit orationem alta voce.

Missa de Spiritu sancto.

OREMVS.

ADsumus Domine sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate deterriti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris, & doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi in omnibus complacere valeamus. Esto salus, suggestor & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ qui summam diligis æquitatem: non in sinistram nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat: sed junge nos efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te non dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Amen.

Amen. Prædicta vero oratione finita, cantores Concilij incipiunt Antiphonam. Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, &c. ut ſupra. Qua Antiphona cantata, omnes (ut præmiſſum eſt) flexis genibus orant. Et facto parvo intervallo, Diaconus iterum dicit alta voce: Erigite vos. Tunc omnibus erectis, præſidens vel celebrans dicit iterum hanc orationem.

Oremus.

MEntibus noſtris, quæſumus Domine Spiritum ſanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in tunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut hic à te in nullo diſſentiat voluntas noſtra, ſed ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, exequamur in factis. Per Dominum, &c. Quibus ſic peractis, omnes flectunt genua, & Diaconus & Subdiaconus vel alij duo ad hoc deputati ante altare ſtantes, incipiunt Letaniam, cantoribus & aliis reſpondentibus. Et quando venitur ad illum locum: Ut domnum Apoſtolicum, præſidens vel celebrans qui cum aliis ſtabat flexis genibus, ſurgit; & vertens ſe ad congregationem, & dando benedictionem, cantando ter dicit, ut hanc ſanctam Synodum, & omnes gradus Eccleſiaſticos benedicere, regere, & conſervare digneris, cantoribus reſpondentibus qualibet vice prædicta, Te rogamus audi nos. Completa vero letania præſidens vel celebrans dicit: Oremus. Quo dicto Diaconus dicit: Flectamus genua, & Subdiaconus dicit, Levate. Deinde celebrans dicit hanc orationem: Da quæſumus Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, ut Spiritu ſancto congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Per Dominum, &c. His vero completis Diaconus habens librum ſupra pulpitum inter altare & celebrantem diſpoſitum, accenſis duobus cereis, circa ipſum pulpitum incipit Evangelium. *Vos eſtis ſal terræ*, vel quod ad legendum ſibi eſt ordinatum. Quo Evangelio perlecto, celebrans primo facit collationem, exhortando omnes & ſingulos ad ſollicitam meditationem & curam Dei, & ſuper omnibus cauſis, propter quas ſacroſancta Synodus eſt congregata. Deinde flexis genibus, incipit alta voce hymnum Veni creator Spiritus, quem hymnum cantant alternatim exiſtentes in ſeſſione cum cantoribus. Quo hymno ſolemniter & devote decantato, duo clerici induti ſuperpelliceis & aſtantes præſidenti, dicunt verſiculum, Emitte Spiritum tuum & creabuntur. Et cantores reſpondent: Et renovabis faciem terræ. Poſtea celebrans dicit hanc orationem: Oremus. Deus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Poſtmodum duo prædicti Clerici, vel Diaconus, vel Subdiaconus dicunt: Benedicamus Domino. Et adſtantes reſpondent: Deo gratias.

His autem omnibus completis, idem præſidens celebrans, & omnes alij Prælati ſedent & ponunt mitras in capitibus ſuis. Et tunc unus Prælatorum ad hoc deputatus legit decreta in illa ſeſſione expedienda. Et in eodem ambone cum dicto Prælato legente ipſa decreta, erant præſidentes nationum tempore Concilij Conſtantienſis, & reſpondebat quilibet præſidens, Placet, pro natione ſua. Præſidens vero generalis in dicta ſeſſione reſpondebat etiam, Placet etiam pro facto Concilio & collegio generali. Decretis vero perlectis, & reſponſo, Placet, & dicto, Te Deum laudamus, cum oratione de Spiritu ſancto, omnes depoſitis pluvialibus, & mitris reſumunt habitus ſuos conſuetos, & recedunt.

SESSIONES XLV. hujus Synodi.

Seſſio I.

PRima Seſſio, quæ poſt acceſſum Joannis Papæ ad quintum Novembris indicta, ſed propter emergentes cauſas dilata fuerat, habita eſt 16. Novembris anno 1414. Concilium exorſus eſt Joannes Papa habito ſermone ad patres ſub hoc themate: *Diligite veritatem*, multis productis textibus ex veteri & novo Teſtamento, ac poſt recitatam Bullam convocati Concilij, Notarij, Scribæ, aliique miniſtri Synodales deputati & conſtituti fuerunt: monituſque ad reſignandum & cedendum Papatui Joannes, ſe id facturum ultro ſpopondit. Producitur autem hæc prima Seſſio, donec plures Conſtantiam adventarent, qui expectabantur. Interim Joannes Huz quod diſſeminaret doctrinam Wicleffi in hoſpitio Conſtantiæ & monitus non deſiſteret, traditus eſt cuſtodiæ, Pontifice negante ſe ſalvumconductum dediſſe ei. Tantum enim habebat ſalvumconductum à Sigiſmundo Imperatore, cujus hortatu Conſtantiam venerat, ut de hæreſi de qua infamabatur, ſe purgaret: monueratque ſcripto omnes ſuos adverſarios, quo erat faſtu & præſidentia elatus, ut adeſſent ad eum coarguendum, ſeque non recuſare pœnas cujuſcunque hæretici, ſi de minimo errore in fide eum convincerent.

Joannes Huz à quo habebat ſalvum conductum.

Seſſio II.

Secunda Seſſio habita fuit anno 1415. tertia die Martij, Indictione 8. ejuſdem Pontificatus, in qua lectis ſolemnitatibus, quæ in Seſſionibus obſervari deberent, Joannes Papa jurato promiſit, ſe propter bonum pacis Pontificatui promptiſſime renuntiaturum, ſi idem Gregorius XII. & Benedictus XIII. Antipapæ facere non recuſarent. Quod cum feciſſet, eique Imperator magnas gratias egiſſet, magno omnium gaudio ſacer Patrum conſeſſus ſecundus finem accepit, ante tertiam tamen ſeſſionem diſceſſit Conſtantia, veritus ne Papatu cedere cogeretur.

Seſſio III.

Tertia Seſſio habita fuit 26. menſis ſupradicti, in qua Florentinus Cardinalis præmiſſa quadam adhortatiuncula ad Epiſcopos habita de perſonis in judicando non accipiendis, juxta deliberationem ſanctæ Synodi promulgavit hanc Synodum legitime convocatam, & Conſtantiæ inchoatam, uſque ad extirpationem ſchiſmatis nequaquam à Pontifice diſſolvi, vel alio transferri poſſe, aut debere: quodque Prælatis citra cauſam juſtam à Concilio diſcedere non liceat, hoc autem ita ſtatutum, ne ex diſceſſu Joannis Concilium deſereretur.

Seſſio IV.

Quarta Seſſio 30. Martij ejuſdem anni habita. In qua habetur ſic definitum, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitime, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etſi Papalis exiſtat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris, &c.

Decretum Concilij.

Item declarat quod quicunque cujuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis etiam Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilij

cilij generalis legitime congregati ſuper præmiſſis, ſive ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur & debite puniatur, &c.

Item definit & ordinat ſancta Synodus quod Dominus Joannes Papa Romanam curiam & officia publica illius, &c. de hac civitate Conſtantienſi non mutet ſine deliberatione & conſenſu ipſius ſanctæ Synodi: Si quid contra tentaverit, totum ſit irritum & inane.

Inſuper ipſi Papæ prohibetur, ne perſonas hic congregatas transferat vel avocet: ſimulque annullantur omnes proceſſus & cenſuræ, quas Pontifex Concilio adhærentibus intentaverat. Inſuper decretum fuit, ut tres Judices de qualibet natione eligantur, qui abeuntium cauſas dijudicent: & ut pro bono pacis facilius obtinendæ, nulli Cardinales novi creentur. Joannes, qui interea Conſtantia diſceſſerat, per litteras in publico Patrum conſeſſu lectas, & ad Imperatorem directas, nuntiavit, ſe nullo metu, ſed tantum aëris intemperie coactum Conſtantia diſceſſiſſe, factæque promiſſioni adhuc inhærere.

Seſſio V.

Quinta Seſſio habita fuit Sabbato 6. Aprilis ejuſdem anni, cui præfuit Jordanus de Urſinis Cardinalis Epiſcopus Albanus, interfuitque Sigiſmundus auguſtali habitu, ſicut ſemper in ſeſſionibus ſolitus eſt. In hac repetitis & approbatis Conſtitutionibus quatuor præcedentium Seſſionum declaratum eſt, Joannem illicite Conſtantia diſceſſiſſe, tenerique eumdem ſub pœna depoſitionis adimplere, quod de reſignando Pontificatu promiſerat; quodque recuſans Conſtantiam redire, corporalibus pœnis & vinculis innodari poſſit ac debeat. Poſt hæc confirmata eſt ſententia Concilij Rom. in Joannem Wicleffum ejuſque libros pronuntiata. In cauſa autem Joannis Hus conſtituti ſunt quatuor judices-Commiſſarij omnes Galli, qui aſſumptis ſecum Theologiæ Canonumque ſacrorum peritiſſimis viris, dogmata illius diſcutiant, & proceſſum contra eumdem dirigant, deque ſingulis actis poſtea Synodum informent. Poſt hæc, rogatu Synodi, in ſe recepit Rex Sigiſmundus, quod Pontificem in Schafhauſen ſub tutela Friderici Auſtriæ degentem, volentem, nolentem ad Concilium reducere velit.

Seſſio VI.

Sexta Seſſio habita fuit Præſide Joanne Oſtienſi Epiſcopo, in qua de mandato Concilij Epiſcopus Atrebatenſis duos articulos edidit. Et primo quidem decrevit, Procuratorium ſuper renuntiatione Papatus facienda, eſſe bonum pro unione Eccleſiæ. Secundo declaravit, prædictum D. Joannem Papam XXIII. teneri dare & facere dictum Procuratorium ad cedendum Papatui, pro bono unionis Eccleſiæ, juxta formam ſchedulæ per ipſum oblatæ: conſtituitque ſancta Synodus diverſarum Nationum Legatos, qui taliter à Concilio conſtituti requirant Papam, ut veniat ad Concilium, afferantque ipſi ſecuritates debitas, quatenus vel ad urbem Conſtantiæ, vel ad villam Ulmæ, vel ad villam Ravenſpurg, vel ad civitatem Baſileenſem accedat; juretque unum de dictis locis eligere infra duos dies, nec ab eo abſque conſenſu Concilij diſcedere. Inſuper quoque decernunt, quod ſuperſederi debeat à proceſſu contra Papam, donec habeatur reſponſio: & ſi præmiſſa adimpleverit, ceſſabitur à citatione. Inhibuit quoque ſancta Synodus, ne quis ullo modo contra quemcumque in civitate Conſtantienſi famoſos libellos ſub pœna carceris conficiat. Mandat ulterius, litteras & miſſivas informatorias rerum in Concilio geſtarum omnibus communicari. Poſt hæc recitatæ ſunt duæ Epiſtolæ, quarum alteram Univerſitas Pariſiënſis ad ſuos Legatos, alteram ejuſdem Academiæ Rector ad Epiſcopos Italiæ tranſmiſſit. Ad extremum decreta eſt citatio contra Hieronymum Pragenſem laïcum Wicleffi defenſorem, ut reſponderet ad ea quæ ei in fidei materia objicerentur. Ad quod à violentia, ait Concilium, juſtitia ſemper ſalva, omnem ſalvum-conductum noſtrum quantum in nobis eſt & fides exigit Orthodoxa, offerimus.

Salvus conductus datus Hier. de Praga qualis.

Seſſio VII.

Septima Seſſio celebrata fuit anno 1415. Jovis 2. Maij, in qua Henricus de Piro Concilij Promotor, allegans contumaciam Hieronymi Pragenſis hominis laici & Huſſo addicti, qui cum citatus non compareret, contra eum ulteriora decerni petivit, & impetravit. Accuſata deinceps Joannis Papæ fuga, & contumacis abſentia, atque eumdem citari, metumque mali alicujus alleganti & prætendenti, ſalvum conductum concedi obtinuit.

Seſſio VIII.

Octava Seſſio habita fuit 4. Maij anni ejuſdem, in qua poſt reproductam citationem contra ſectarios Wicleffi emanatam, lecta fuit ſententia damnationis articulorum 45. Wicleffi: eum hæreticum fuiſſe, adeoq; oſſa ejuſdem exhumari, & ab Eccleſiæ ſepultura efferri: necnon libros ejuſdem comburi debere, publico decreto eſt definitum.

Catalog. errorum 45. Joan. Wicleff.

Doctrinæ autem Joannis Wicleff & articulorum 45. tenor eſt qui ſequitur.

Primus. Subſtantia panis materialis & vini materialis manent in ſacramento altaris, &c.

2. Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem ſacramento.

3. Chriſtus non eſt in eodem ſacramento idemtice & realiter propria præſentia corporali.

4. Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.

5. Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

6. Deus debet obedire Diabolo.

7. Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.

8. Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum Diaboli non habet poteſtatem ſuper fideles, niſi forte à Cæſare.

9. Poſt Urbanum 6. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

10. Contra ſcripturam ſacram eſt, quod Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eſſe excommunicatum à Deo, & qui ſic excommunicat, eſt hæreticus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem & ad Concilium regni, eo ipſo traditor eſt Regis & regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati.

17. Licet alicui Diacono, vel Preſbytero prædicare verbum Dei abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ vel Epiſcopi Catholici.

15. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus.

17. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum, ad libitum ſuum auferre eas.

19. Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per prælatos vel religioſos, non plus proſunt eidem quam generales cæteris paribus.

20. Conferens eleemoſynam fratribus eſt excommunicatus ipſo facto.

21. Si quis ingreditur religionem privatam, qualemcunque, redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.

22. Sancti inſtituentes religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

23. Religioſi viventes in religionibus privatis, non ſunt de religione Chriſtiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum quærere, & non per mendicitatem. Prima pars eſt ſcandaloſe & præſumptuoſe aſſerta, pro quanto ſic generaliter & indiſtincte loquitur. Secunda erronea pro quanto aſſerit mendicitatem fratribus non licere.

25. Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

26. Oratio præſciti, nulli valet.

27. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

29. Univerſitates, ſtudia, collegia, graduationes & magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ vel cujuſcunque prælati non timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.

31. Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

32. Ditare clerum, eſt contra regulam Chriſti.

33. Sylveſter Papa & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.

34. Omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam ſunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem ſunt inhabiles ad obſervandum divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad regnum Cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſionem habent.

37. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ: nec Papa eſt immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.

38. Decretales epiſtolæ ſunt apochryphæ & ſeducunt à fide Chriſti, & clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eis.

39. Imperator & Domini temporales ſeducti ſunt à Diabolo ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſt introducta.

41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Error eſt ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam aut Concilium generale: aut pro quanto, negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. *Nota.*

42. Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.

43. Juramenta illicita ſunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt niſi pœnituerint, de hoc quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt & intraverunt religiones. Et ſic à Domino Papa uſque ad ultimum religioſum, omnes ſunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.

Cenſoria nota. Hos ſancta Synodus præfatos articulos 45. examinari fecit & ſæpius recenſeri: quibus examinatis, fuit repertum aliquos & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notorie hæreticos, & à ſanctis patribus reprobatos, alios non Catholicos ſed erroneos: alios ſcandaloſos & blaſphemos, quoſdam piarum aurium offenſivos: nonnullos eorum temerarios & ſeditioſos. Propterea Concilium pronunciat hæreticum Joannem Wicleff, ac memoriam ejuſdem condemnat, & mandat exhumari oſſa ipſius & cremari.

Cumque hac eadem Seſſione Fridericus Dux Auſtriæ in gratiam Sigiſmundi Regis recipi optaret, Rex vero ob eo juramentum præſtitum de illo nunquam in gratiam recipiendo, petitioni illius non acquieſceret; Synodali ſententia definitum fuit, regem allegato juramento non obligari: eoque non obſtante poſſe ac debere pœnitentem Auſtriacum in gratiam recipere. Qua definitione prævia Rex Sigiſmundus Fridericus Auſtriaco veniam conceſſit, ſed iſtis conditionibus, ut Joannem Papam ad Concilium reduceret, ſe ſuaque dominia Regiæ majeſtati ſubjiceret, ſeque nihil unquam ſimile deinceps admiſſurum eſſe promitteret. Accepit conditiones oblatas, publico conceptas, & ſigillo ſuo munitas, Fridericus Dux Auſtriæ.

Seſſio IX.

Seſſione Nona, quæ habita fuit 13. Maij, Procuratores Concilij citationis contra Joannem Papam factæ executionem reproduxerunt, accuſataque ejus contumacia, petierunt Commiſſarios deputari, coram quibus in hac cauſa teſtes produci & examinari poſſent. His peractis Franciſcus Cardinalis Florent. Bullam Pontificiam recitavit, qua Joannes Papa Petrum Cameracenſem & Guilielmum S. Marci Preſbyterum Procuratores conſtituit: cumque illi oblatum munus ex parte recuſaſſent & Henricus de Piro Promotor Concilij dixiſſet, in cauſa hac perſonali & curiali Procuratorem admittendum non eſſe; tandem mandatum fuit duobus Cardinalibus, & quinque Prælatis, ut eumdem viva voce extra portam urbis citarent. Qua re peracta, lecta eſt epiſtola Univerſitatis Pariſiendis, hortatoria ad conſummandum Concilium, erat epiſtolæ hujus epigraphe. *Egregiis inclytiſque patribus, viris ex omni gente delectis, in ſalutifero Conſtantienſi Concilio univerſalem Eccleſiam repræſentantibus*: hypographe vero ſeu ſubſcriptio. *Veſtrarum paternitatum egregiarum zelantiſſimi devoti imitatores Rector & univerſitas ſtudii Pariſienſis.* Oblata eſt epiſtola per Benedictum Gentiani Doctorem ex ordine S. Benedicti unum ex nuntiis univerſitatis. *Univerſitas Pariſ.*

Seſſio X.

Seſſione Decima, quæ ſub Præſidio Joannis Patriarchæ Antiocheni celebrata 14. Maij anno 1415. ad inſtantiam Henrici de Piro Promotoris Concilij citationem præcedenti die contra Joannem Papam ad ſuſpenſionem uſque procedi petentis, requiſitus eſt iterum extra portas Pontifex Joannes cum ſuis fautoribus. Cumque facta citationis executione nemo compareret, inſtante prædicto Promotore Concilij Henrico, declaratus eſt contumax; examinatiſque teſtibus ſuper Simoniæ, ſacrilegij, aliiſque quæ illi objiciebantur criminibus, communi omnium ſuffragio lata & publice recitata eſt contra eum ſententia, qua ab omni adminiſtratione & functione Eccleſiaſtica ſuſpenſus fuit ob notoria crimina, prohibituſque omnibus cujuſcumq; dignitatis ne ei ullo modo obedirent in quacumque re ad Papatum pertinente. Miſſique ſunt ad eum quinque Cardinales qui ei decretum Concilij referrent, qui non ſunt permiſſi ei deoſculari pedes, ſed tantum manus & os; quia poſt ſuſpenſionem nulla amplius Papalis reverentia ei exhibebatur. Quibus ipſe reſpondit ſe velle in omnibus ſtare determinationibus Synodi. *Joannes xxiii. ſuſpenſus à Papatu.*

Seſſio XI.

Seſſio Undecima, quæ celebrata fuit 15. Maij anno 1415. Promotores Concilij plus minus ſexaginta crimina articulatim congeſta, una cum deſignatione teſtium deſuper examinandorum, contra Joannem Papam exhibuerunt. Quos cum Decreto Synodali

Joannes Papa ad reſpondendum ſibi inſinuatos acceperat, reſpondit ſe neque articulos ſibi objectos negare, neque dicta teſtium impugnare, ſed potius ſe totum Synodali judicio & definitivæ ſententiæ ſubjicere: oblatam initio Papatus ceſſionem voluntariam, iterum nunc offerre: Synodum Conſtantienſem legitime congregatam errare non poſſe, libenter profiteri & agnoſcere, adeoque plane obtemperaturum ſententiæ, qualemcumque Patres Concilij protulerint & promulgarint: ſaltem hoc ſe rogare dixit, ut quam poſſet fieri primum, copiam latæ ſententiæ aſſequeretur.

Seſſio XII.

Seſſio Duodecima habita eſt 29. Maij, in qua reproductis iis, quæ Joannes Papa deputatis à Synodo commiſſariis ſuper objectis criminibus reſponderat, ad inſtantiam Promotorum Concilij lata eſt contra eum ſententia definitiva, qua ille Pontificatu deponitur, omneſque Chriſti fideles ab ejuſdem obedientia abſolvuntur. Poſt latam ſententiam conſtitutum fuit, ne quiſquam è tribus ſchiſmaticis Pontificibus de novo eligeretur. Sententiam ſibi per quoſdam à Concilio deputatos inſinuatam, Joannes quondam Pontifex approbavit, eique realiter & cum effectu cedendo Papatui obtemperavit, depoſitis omnibus ornamentis Papalibus, ut unio in Eccleſia fieri poſſet.

Joannes Papa deponitur.

Seſſio XIII.

Seſſio Tertiadecima anno Domini 1415. die Sabbati, Junij 15. celebrata, poſt conſuetas preces habitas, Promotores Concilij allegarunt reperiri inter Sacerdotes Petrum Dreſdenſem & Jacobellum Miſnenſem, Joannis Hus ſocios, qui laïcis non jejunis poſt cœnam Euchariſtiam ſub utraque ſpecie porrectam diſtribuerant, ſimulque contra antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem publice docebant, cuilibet etiam laïco in participatione, ſumptione, & communione hujus ſacramenti utramque ſpeciem panis & vini neceſſario diſtribuendam eſſe. Quæ cum Eccleſiæ conſtitutionibus & conſuetudinibus repugnarent, eorum petitione ex quatuor Nationibus diverſis conſtituti ſunt cognitores judices, qui habita deſuper deliberatione, communi voto & ſuffragio Patrum Concilij, erroneam & hæreticam doctrinam de Euchariſtia extra ſacrificium ſub utraque ſpecie neceſſario ſumenda damnaverunt, ſimulque Sacerdotibus omnibus inhibuerunt, ne ſub pœna excommunicationis ulli homini utramque ſpeciem panis & vini communicent.

Communio ſub utraque ſpecie.

Seſſio XIV.

Seſſione Quartadecima, quæ habita fuit die Jovis 4. Julij, Joan. Dominicus Cardinalis S. Sixti, & Carolus de Malateſtis à Gregorio XII. ad id conſtituti auctoritate ejuſdem Gregorij congregatum ob cauſam tollendi ſchiſmatis Synodalem Patrum conſeſſum approbarunt. Cumque judicio Patrum intellexiſſent, magis expedire, ut Gregorius Papatum reſignet priusquam hac de cauſa Benedictus Antipapa ſollicitetur, pacis conciliandæ gratia, pontificatum, quem ille legitima electione acceperat, reſignavit per procuratorium inſtrumentum. Reſignatione iſta, per Synodum acceptata, patres Concilij Cardinales utriuſque obedientiæ univerſant, atque proceſſus iiſdem intentatos caſſos atque irritos reddiderunt. De electione autem novi Pontificis conſtituerunt ne Cardinales citra conſenſum Concilij hac in re aliquid moliantur, neque tamen ultra finem Concilij electio differatur. Inſuper etiam declararunt, acta & geſta Gregorij rata ſervari debere, ut pote qui legitime electus, ſolius pacis gratia pontificatui ultro ceſſit. Et quamquam dignus judicaretur, qui denuo poſt factam reſignationem eligeretur, tamen ad majoris ſchiſmatis periculum evitandum, illud intermittendum eſſe ſunt proteſtati.

Gregor. Papatū reſignat.

Seſſio XV.

Seſſio Quintadecima 6. Julij habita. Articuli Joannis Huz damnati in Concilio, quoniam publice prædicabat Joannem Wicleff virum Catholicum & authorem Evangelicum.

Joannis Huz errores 30.

1. Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quoſdam actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eo quod prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidit.

4. Duæ naturæ divinitas & humanitas ſunt unus Chriſtus.

5. Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars ſanctæ Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis.

6. Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive ſint in gratia, ſive non ſecundum præſentem juſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt articulus fidei.

7. Petrus non fuit, neque eſt caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes ſacerdotij polluunt poteſtatem, & ſicut filij infideles ſentiunt infideliter de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ, de clavibus, de cenſuris.

9. Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ præfectio & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit.

10. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe vel alio, quod eſſet caput particularis Eccleſiæ: nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ.

11. Non oportet credere quod iſte quicumque eſt particularis Romanus Pontifex ſit caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.

12. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter à Deo recipiat procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicarij requiritur & morum conformitas, & inſtituentis authoritas.

13. Papa non eſt manifeſtus & verus ſucceſſor Apoſtolorum principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro, & ſi quærit avaritiam, tunc eſt Vicarius Judæ Iſcariotis. Et pari evidentia Cardinales non ſunt manifeſti & veri ſucceſſores collegij aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum ſervantes conſilia & mandata Domini noſtri Jeſu Chriſti.

14. Doctores ponentes quod aliquis per cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, judicio ſeculari eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Phariſæos, qui Chriſtum nolentem eis in omnibus obedire, tradiderunt Pontio Pilato.

15. Obedientia Eccleſiaſtica, eſt obedientia ſecundum adinventionem ſacerdotum Eccleſiæ propter expreſſam authoritatem Eccleſiæ.

16. Quod nulla ſint opera indifferentia, ſed hæc ſit diviſio immediata humanorum operum, quod ſint vel virtuoſa vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quicquam, tunc agit vitioſe: quia ſicut peccatum inficit univerſaliter omnes actus hominis vitioſi: ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

Indifferentia operum.

17. Sacerdos Chriſti vivens ſecundum legem ejus & habens notitiam ſcripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad ſacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi non obſtante excommunicatione.

19. Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ad ſui exaltationem clerus populum ſibi laicalem ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, viam præparat antichriſto.

20. Si Papa eſt malus, & maxime ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus eſt diabolus, fur, & filius perditionis.

21. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum quo corpus Eccleſiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti indiſſolubiliter.

22. Papa vel Prælatus malus & præſcitus eſt æquivoce paſtor & vere fur & latro.

23. Papa non debet dici ſanctiſſimus etiam ſecundum officium, quia alias rex deberet dici ſanctiſſimus ſecundum officium, & tortores, & præcones dicerentur ſancti, imo & diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Chriſto contrarie, etiam ſi aſcenderet per legitimam electionem ſecundum conſtitutionem humanam, tamen aliunde aſcenderet quam per Chriſtum, dato etiam quod intraret per electionem à Deo principaliter factam. Nam Judas Scarioth rite & legitime eſt electus à Deo ad Apoſtolatum, & tamen aſcendit aliunde in ovile ovium.

25. Condemnatio 45. articulorum Joannis Wicleff per doctores facta, eſt irrationabilis & iniqua & male facta.

26. Non eo ipſo quo electores, vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitime electa. Unde ſive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ quod oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia converſetur & conſervetur.

28. Chriſtus, ſine talibus capitibus monſtruoſis, per ſervos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, melius ſuam Eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli & fideles ſacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum.

30. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

31. Pronunciata eſt ſententia damnationis horum articulorum ſub eadem forma qua condemnati ſunt articuli Joannis Wicleff ſupra.

In eadem ſeſſione damnatur articulus ſequens.

Error de tyranno occidendo damnatur.

QVilibet tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vaſallum ſuum vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias & ſubtiles blanditias vel adulationes, non obſtante quocunque præſtito juramento ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicis cujuſcunque. Adverſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus exurgere, & ipſum funditus tollere, declarat & definit hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide & in moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat & condemnat. Declarat inſuper & decernit quod pertinaciter doctrinam hanc perniciofiſſimam aſſerentes ſunt hæretici, & tanquam tales juxta canonicas ſanctiones.

Nota. Hic eſt articulus M. Joannis Parvi ordinis Minorum qui è vivis exceſſerat, quem cum impugnaſſet Gerſonius vitæ periculum ſubiit ex parte Ducis Burgundiæ.

Quod autem ſpectat ad Joannem Huz Wicleſi Anglı ſectatorem cujus hæreſis ultra xx. M. hominum infecerat in Bohemia: Sic res ſe habuit in Synodo.

De hæreſi accuſatus & convictus, ex carcere in conſeſſum Patrum introductus, altoque ſedili, ut ab omnibus videri poſſet, conſtitutus fuit. Cumque ſub pœna excommunicationis & incarcerationis Patres Concilij ſingulis ſilentium indixiſſent, Henricus de Piro, Concilij Promotor & Procurator, Huſſiticam doctrinam articulatim congeſtam producens, petiit eandem tanquam pravam & hæreticam una cum authore condemnari, ejuſque libros igni adjudicari & concremari. Qua petitione prævia, poſt longam inquiſitionem damnatis prædictis hæreſibus, traditus brachio ſæculari, combuſtiſque perniciosis codicibus, degradatus eſt author hæreſeos, nolenſque reſipiſcere, juſto judicio per rogum & incēdium è vivis ait ſublatus. Producti ſunt autem præter 45. articulos jam memoratos & ab univerſitate Pariſienſi Facultate damnatos alij plures per univerſitatem Oxonienſem in Anglia collecti & reprobati, inter quos ille erat, quod omnia neceſſario evenıura erant, ac infantem baptiſatum & præſcitum victurum diutius & peccaturum in Spiritum ſanctum ut damnetur. Tradunt autem cum jubilo & pſalmis rogum ſuſcepiſſe: ac etiam prophetaſſe de Luthero. *Nunc quidem anſerem comburitis* (id enim Huz ſignificat) *ſed poſt centum annos exurget quem non comburetis.* Id de Luthero intelligunt qui figmentis delectantur. Quid ni? diabolus habet ſuos martyres, ſed & ejus ſectarij paſſioni Chriſti æquiparabant ejus mortem.

Joannis Huz condemnatio

Notat autem Lucas Wadingus tom. 5. anno 14. 15. poſtquam prædictus Joannes ſecundo ex fuga retractus fuiſſet in Monaſterio Minorum munitiori cuſtodiæ mancipatum fuiſſe. Conveniebant ad eum, inquit, in loco honeſto detentum Cardinales & Epiſcopi ut potiora ſuaderent; inter omnes vero frequentius Frater Didacus Minorita, gente Caſtellanus, magnus, inquit Zurita, Doctor & Solennis Magiſter in Theologia, cui commiſſum erat, ut rationum & ſacræ doctrinæ pondere, errantem in viam reduceret veritatis. Tanti fuit ut in multis convinceret, & in aliis vel nolentem fateri cogeret veritatem, præſertim circa auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Tandem examinatis Joannis Wicleffi erroribus quos Huz defendebat, iiſque cum auctoris memoria, condemnatis, ad defenſorem converſum eſt, quos cum tueri potius quam veram Eccleſiæ doctrinam ſequi maller, licet in principio ſe aſſentiri Synodo velle dixiſſet, atque in ſuis erroribus pertinaciter hæreret, perorante die 8. Junij contra ipſum ex magno quo ferebatur in fidei puritatem affectu, ipſo Imperatore Sigiſmundo, in refectorio Fratrum Minorum Conſtantiæ, quo Patres Concilij convenerant, tamquam Hæreſiarcha condemnatus eſt, & mox vivus exuſtus eſt 6. menſis Julij in octavâ Apoſtolorum Petri & Pauli.

Seſſio XVI.

Seſſio Sextadecima habita eſt 11. Julij, eaque conſtituti ſunt Procuratores, qui Benedictum Antipapam requirant, acceptiſque de reſignatione Gregorij XII. & depoſitionis Joannis XIII. inſtrumentis, vel eorum copiis, eundem facilius inducant. Poteſtas citandi eos, qui clam ſe à Concilio ſubduxerunt, judicibus depuratis conceditur, & ad inſtantiam Henrici de Piro contra turbatores, prædones, & ſpoliatores perſonarum quæ Concilio interfuerant, proceſſus decernuntur.

Seſſio XVII.

Seſſione Decimaſeptima die 15. Julij celebrata Rex Sigiſmundus ad Regem Aragonum pro inducendo ad reſignandum Benedicto XIII. Antipapa ſchiſmatico profecturus, non niſi plurimis precibus & orationibus

Deo commendatus ac cum benedictione accepta à Synodo est dimissus, statuta pœna excommunicationis in eum, qui pia de causa obeuntem impediret. Contra vero quadraginta dierum Indulgentiæ concessæ sunt ei, qui pro fœlici reditu ejusdem Regis singulis Dominicis diebus unam Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, sub processione, hac de causa etiam celebranda, oraret. Angelus de Corario, quondam Gregorius XII. non solum in numerum Cardinalium est relatus, verum etiam perpetuus Legatus à Latere in Provincia Marchiæ Anconitanæ est constitutus.

Sessio XVIII.

Sessione Decimaoctava 17. Augusti, editis quibusdam Synodalibus constitutionibus, quatuor judicibus supra nominatis delegatis est potestas judicandi exclusive usque ad sententiam definitivam omnes causas, quæ ad Concilium devolvebantur: quodque corruptores Epistolarum Synodalium, instar eorum qui Bullas Apostolicas corruperunt, puniri debeant.

Minorum de observantia unde.

Sessio XIX.

Sessio Decima-nona celebrata est 13. Septembris, in qua Hieronymus de Praga de hæresi accusatus & convictus, edita fidei professione, hæresim suam abjuravit. Franciscanis indultum est, quod teneantur Provinciales approbare, quem Fratres communi vel potiore suffragio Vicarium sive Guardianum sibi elegerunt. Quod de Observantibus statutum est an. 1415. quo pie admodum edita est constitutio in favorem Minorum de observantia qui austerius vitæ genus profitebantur in Gallia potissimum, ne à Fratribus suis laxioris vitæ impedirentur aut vexarentur, eorumque Vicarij de secta, nova vel reprobata quomodolibet vocarentur: sed nec etiam Fratres dictæ observantiæ alios Fratres sui ordinis infirmarent, aut eleemosinas oblationesve sibi dandas impedirent: refertur integra à Luca Wadingo ad prædictum annum, qui exinde Religiosos de observantia viguisse asserit. Insuper declaratum est à Synodo, non obligari Patres Concilij per Salvum conductum à sæculari potestate concessum hæreticis, eosque pertinaciter in hæresi permanentes justo judicio potestatem puniendi habere. Sit ne hæreticis servanda vel deneganda fides (ut asserunt Navatores nostri temporis) nihil est hic definitum. Inquisitio hæreticorum duobus Cardinalibus est demandata simulque est definitum, eos qui Concilio interessent, omnes Beneficiorum fructus juste acquirere.

Sessio XX.

Sessione Vigesima, die 21. Novembris celebrata, ad instantiam Gregorij Tridentini Episcopi contra Fridericum Austriens. Ducem propter invasa bona & jura Ecclesiæ Tridentinæ, decretum & executum est Monitorium, approbataque sunt 12. Capitula Narbonensia, quæ ad extirpationem schismatis Sigismundus, Legatique Constantiensis Concilij una cum Legatis Benedicti XIII. Narbone constituerant. Quorum primo statuitur, Qua forma Concilium convocari, vel potius de novo intimari debeat. Secundo, Quod in eo tantum agendum sit de schismate extirpando, paceque Ecclesiæ ineunda. Tertio, Quod statim cum corpore Ecclesiæ uniri debeant, qui Benedicto adhæserunt. Quarto, Quod omnes processus à Benedicti sectatoribus & fautoribus intentati annullari debeant. Quinto, Ut confirmentur gratiæ per Benedictum quibusvis personis collatæ. Sexto. Ut Cardinales ad electionem novi Pontificis tanquam veri & legitimi admittantur. Septimo, ut Officiales Romæ, per eumdem Benedictum constituti, non rejiciantur aut deponantur. Octavo, ut Electio alterius Pontificis non aliter quam per Concilium fiat. Nono, Utrimque constitutum fuit, ut si fortasse ejusdem tituli duo Cardinales constituti essent, uterque quoad vixerit, honorifice tractetur & habeatur. Decimo, Ut Benedicto, ejusve sectatoribus ad Concilium venire volentibus, de salvo-conductu, tutoque itinere per Regem & sæculares Principes provideatur. Undecimo, Ut Rex Sigismundus omnesque Episcopi, & quæ utrimque concordata sunt, juramento firment. Duodecimo, Ne denegentur instrumenta pactorum, quisquis ea habere voluerit. Quæ duodecim pacis & concordiæ ineundæ Capitula, dum post Regem omnes Episcopi & Legati juramento confirmassent; finita est Sessio xx.

Sessio XXI.

Sessione Vigesima prima, quæ habita est anno Domini 1416. 31. die mensis Maij, in hac habetur sententia contra Hieronym. de Praga laïcum, magistrum in artibus, qui post abjurationem in sess. 19. annotatam, audientiam publicam sibi dari in hac sancta Synodo postulavit: qua sibi concessa coram eadem Synodo publice asseruit, dixit & professus est quod præfatæ sententiæ damnationis dictorum Joannis Wicleff, & Joannis Huz inique consenserat, & illam sententiam approbando mentitus fuit, nec verebatur se confiteri mentitum, quinimo confessionem super illorum damnatione revocabat nunc & in æternum, asserens se in libris Joannis Wicleff, & Joannis Huz, nullam unquam hæresim vel errorem legisse, licet ante fuerit confessus, &c. Propter quæ sancta Synodus prædictum Hieron. palmitem putridum, aridum, in vite non manentem foras mittendum decernit, ipsumque hæreticum, & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiat & declarat atque damnat. Sicque Hieronymus Pragensis post recantatam emissæ professionis fidei palinodiam, de hæresi est condemnatus, traditusque post solitam degradationem potestati sæculari, combustus fuit.

Sessio XXII.

Sessione Vigesima-secunda celebrata 15. Octobris, Legati Regis Aragoniæ ad consessum Synodalem intromissi, decretoque Patrum debite locati, eas quas de convocando juxta initam concordiam Concilio, suppresso nomine Benedicti Antipapæ, ejus fautores Episcopi ad Regem Sigismundum scripserant Epistolas recitari procurarunt. Quibus ex ambone recitatis, constitutione Synodali Legatis Regis Aragoniæ, Castellæ, Portugalliæ, & Navarræ ex gratia, & singulari dumtaxat privilegio, pro hac vice tantum, est concessum, ut habeant suffragium tantæ auctoritatis, quantum omnium Episcoporum suarum Provinciarum valeret. Post hæc impleta sunt ea, quæ in Capitulis Narbonensibus supra Sess. XX. relatis concordata fuerant. Sedebat autem in eodem scamno post Gersonium Cancellarium Parisiensem Regis Galliæ oratorem Comes Cardonæ orator Regis Arragoniæ, nulla tunc existente controversia de sessionis ordine.

Sessio XXIII.

Sessione Vigesima-tertia anno Domini 1416. 5. Novembris celebrata, constituti sunt 12. Judices Commissarij, qui vel omnes, vel pro majore parte congregati, potestatem habeant decernendi & dijudicandi, qua ratione contra Petrum de Luna, sive Benedictum Antipapam, usque ad perfectam schismatis extirpationem procedatur.

Sessio XXIV.

Sessio Vigesima-quarta habita est 20. Novembris

prædicti anni, eaque per Commiſſarios ſupra commemoratos decreta, lecta, & approbata eſt citatio contra Petrum de Luna emanata.

Seſſio XXV.

Seſſione Vigeſima quinta, quæ habita eſt 14. Decembris, Comes de Fuxo per Procuratores ad id conſtitutos ad Concilij unionem eſt receptus, eo modo quo Rex Aragoniæ. Eadem Seſſione adminiſtratio Olomenſis Eccleſiæ, quæ per obitum Wenceſlai Patriarchæ Antiocheni vacabat, decreto Synodali commendata eſt Joanni Epiſcopo Lutomiſſenſi, uſque ad novi Pontificis electionem.

Seſſio XXVI.

Seſſione Vigeſima-ſexta habita 24. Decem. ad unionem Concilij per ſuos adhuc deputatos Legatos & Procuratores receptus eſt Rex Navarræ, eo modo quo Rex Aragonum. Ne vero diverſorum Legatorum conſeſſus Concilio aliquid turbarum adferret, optimo conſilio Patres conſtituerunt, nullum præjudicium cujuſquam dignitatibus & honoribus præjudicari debere, quomodocumque Legati Regum ac Principum in Concilio præſentes ſederent.

Seſſio XXVII.

Seſſione Vigeſima-ſeptima anni Domini 1417. die 20. Februarij celebrata, facta eſt relatio executi Monitorij, nuper contra Fridericum Auſtriæ Ducem, ad inſtantiam Tridentinenſis Eccleſiæ, contra ipſum emanati, accuſataque ejus contumacia, ad ulteriora eſt proceſſum.

Seſſio XXVIII.

Seſſione Vigeſima octava habita 3. die Martij, poſt ulteriores citationes Friderici reproductas, ejuſque contumaciam graviſſime accuſatam, excommunicatus eſt Fridericus Dux Auſtriæ, donec jura Tridentinenſis Eccleſiæ invaſa eidem reſtituat.

Seſſio XXIX.

Seſſione Vigeſima-nona, 8. Martij prædicto anno celebrata, in cauſa contra Petrum de Luna conſtituti ſunt Procuratores & Notarij: cumque ſemel atque iterum citatus idem Petrus de Luna non compareret, judicio Synodali contumax eſt declaratus, atque ulteriores contra eum citationes decretæ fuerunt.

Seſſio XXX.

Seſſione Trigeſima, 10. Martij habita, Nuntij & Oratores Concilij qui fuerant à Concilio deputati, de executione citationis contra Petrum de Luna, quem in caſtro Peniſcolæ in propria perſona convenerant, relationem fecerunt, approbatumque eſt factum Regis Aragonum, qui ſe ab obedientia Pſeudopontificis Benedicti ſubtraxerat.

Seſſio XXXI.

Seſſione Trigeſima-prima, Martij 31. ad inſtantiam Epiſcopi Aſtenſis Eccleſiæ, decretum & ex ambone promulgatum eſt Monitorium contra Philippum Comitem Virtutum: qui prædictum Epiſcopum vi armata manuque ſacrilega captum carceribus mancipaverat. Bayonenſi Eccleſiæ, quæ tempore ſchiſmatis duos Epiſcopos, alterum à Joanne XXIII. alterum à Benedicto XIII. conſtitutum habuerat, ſancta Synodus inhibuit, ne in locum defuncti Petri, qui fuerat de obedientia Joannis XXIII. alium per electionem ſufficiat, unique Guilielmo, quem Benedictus XIII. nominaverat, deinceps obtemperet.

Seſſio XXXII.

Seſſione Trigeſima-ſecunda, 1. Aprilis poſt accuſatam contumaciam Petri de Luna noviſſime citatus eſt viva voce Pontifex ſchiſmaticus: cumque nemo ejus nomine compareret, mandata eſt cauſæ diſcuſſio Judicibus Commiſſariis, qui habita poteſtate eumdem peremptorie citandi, teſteſque examinandi, uſque ad ſententiam contra eum procedant.

Seſſio XXXIII.

Seſſione Trigeſima-tertia Judices Commiſſarij retulerunt, quod prævia citatione debita articulos quoſdam contra Petrum de Luna oblatos recepiſſent, eoſque probari feciſſent: ſed nemo ejus nomine, ad effectum videndi iſta comparuerit. Publicatis itaque teſtium dictis, communicataque illi teſtimoniorum Actorumque aliorum copia, terminum contradicendi peremptorium illi præfixerunt.

Seſſio XXXIV.

Seſſione Trigeſima-quarta, 5. Junij facta eſt relatio Actorum in cauſa Petri de Luna: quæ vero ſententia in eum ferri ac pronuntiari deberet, ſingulorum conſultationi uſque ad ſubſequentem Seſſionem eſt relictum. *Petrus de Luna.*

Seſſio XXXV.

Seſſione Trigeſima quinta Joannes Rex Caſtellæ per ſuos Legatos ad id ſpeciali mandato conſtitutos, juxta Capitula Narbonenſia, una cum Concilio unionem & concordiam inivit.

Seſſio XXXVI.

Seſſio Trigeſima-ſexta, die 22. Julij, decreta, lecta, & promulgata eſt citatio Petri de Luna ad audiendum ſententiam privationis & depoſitionis, auctoritate Concilij proxima Seſſione promulgandam. Qua peracta, eadem Synodus Legatos Regis Caſtellæ à cenſuris Eccleſiaſticis abſolvit, quibus eos Petrus de Luna innodaverat.

Seſſio XXXVII.

Seſſione Trigeſima-ſeptima, 26. menſis Julij poſt reproductas binas Petri de Luna citationes, poſtque accuſatam ejuſdem contumaciam, ad petitionem Promotoris Concilij lata eſt in eum ſententia definitiva, qua ille Pontificatu deponitur, omneſque fideles ab ejuſdem obedientia abſolvuntur.

Seſſio XXXVIII.

Seſſione Trigeſima-octava, abſolutio Legatis Regis Caſtellæ conceſſa ad Henricum infantem, alioſque nonnullos extenditur: datumque Legatis Regis Aragoniæ Privilegium de ſuffragij ſui auctoritate, quam ſupra commemoravi, iterum revocatur.

Seſſio XXXIX.

Seſſione Trigeſima nona, Anno 1417. die 9. Octobris ſtatuitur de Conciliis Generalibus erga futura ſchiſmata. Edicto perpetuo ſancimus & ordinamus, ut amodo Concilia Generalia celebrentur, ita quod primum à fine hujus Concilij in quinquennium immediate ſequens: ſecundum vero à fine illius in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium per-

petuo celebrentur in locis quæ ſummus Pontifex per menſem ante finem cujuſlibet Concilij, approbante & conſentiente Concilio, vel in ejus defectu ipſum Concilium deputare & aſſignare teneatur, ut ſic per quandam continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur, quem terminum liceat ſummo Pontifici de ſuorum fratrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio ob emergentes forte caſus abbreviare, ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum abſque evidenti neceſſitate non mutet.

Seſſio XL.

Seſſione Quadrageſima, quæ 30. Octobris celebrata eſt, ſic ſtatuitur. Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans, ſtatuit & decrevit quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis per ſingulas nationes debeat reformare Eccleſiam in capite, & in membris, & curiam Romanam ſecundum æquitatem, & bonum regimen Eccleſiæ antequam hoc Concilium diſſolvatur ſuper materiis articulorum aliàs per nationes in reformatorio oblatorum, quæ ſequuntur. Primo de numero, qualitate & natione dominorum Cardinalium. Item de reſervationibus ſedis Apoſtolicæ. Item de Annatis, communibus ſervitiis & minutis. Item de collationibus Beneficiorum, & gratiis expectativis. Item de confirmationibus electionum. Item de cauſis in curia Romana tractandis, vel non. Item de appellationibus ad Romanam curiam. Item de officiis cancellariæ & pœnitentiariæ. Item de exemptionibus & incorporationibus tempore ſchiſmatis factis. Item de commendis. Item de fructibus medij temporis. Item de non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ. Item propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi. Item de extirpatione ſimoniæ. Item de diſpenſationibus. Item de proviſione Papæ & Cardinalium. Item de indulgentiis. Item de decimis. Hoc adjecto quod facta per nationes deputatione prædicta, liceat aliis, de licentia Papæ libere ad propria remeare.

Reformationis Eccleſiæ articuli.

Seſſio XLI.

Seſſione Quadrageſima prima, Anno 1417. die 8. Novembris. Conſtitutio Papæ Clementis 6. ſuper modo & forma obſervandis à Cardinalibus in conclavi exiſtentibus ſuper electione Pontificis promulgatur, fitque Decretum de non ſpoliando electum in Papam ſub pœna excommunicationis. Ac poſtea die 11. Novembris anni ſupradicti in Feſto ſancti Martini reverendiſſimi patres in conclavi exiſtentes Odonem de Columna ſancti Gregorij Diaconum Cardinalem de Columna vulgariter nuncupatum, natione Romanum, concorditer in Romanum pontificem elegerunt, qui Martinus Papa quintus nominari voluit, & ſic per Sereniſſimum Principem Sigiſmundum Romanorum Regem una cum ſancta Synodo apud Eccleſiam majorem hujus civitatis Conſtantienſis fuit inthronizatus, & coronatus Papa, cum ingenti gaudio totius Concilij & Eccleſiæ, de qua re placet hic verba Platinæ apponere, qui ſic ait: *Rebus autem hoc modo compoſitis, cum de reſtituenda Eccleſia, emendandiſque moribus Clericorum mentio haberetur, fieri id non poſſe exiſtimarunt, Sede vacante. Unde de eligendo novo Pontifice habitus eſt ſermo, quo Decreta Concilij majorem deinceps authoritatem haberent. Cum igitur hac de re verbum haberetur, placuit ex unaquaque natione viros ſex deligi, & quidem probatos, qui una cum Cardinalibus Conclave ingreſſi, Pontificem deligerent. Anno igitur* 1417. *ſexto idus Novembris Conclave ingreſſi, conſentientibus Cardinalibus duobus & triginta, nationibuſque omnibus, præter omnium ſpem & opinionem, cum jam quadriennio vero Pontifice caruiſſet Eccleſia, multique ſchiſmatici tum intereſſent, tertio Idus Novembris in celebritate B. Martini hora tertia, Otho Columna Romanus Princeps, ſancti Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis, Pontifex creatur, tanta omnium lætitia, ut præ gaudio loqui vix homines poſſent. Effuſus nimio gaudio Imperator, nulla habita dignitatis ſuæ diſcrimine, Conclave ingreſſus, gratias omnibus egit, qui tantum virum, & tam neceſſarium Reipublicæ Chriſtianæ prope extinctæ delegiſſent, & ante Pontificem proſtratus, cum ſumma veneratione ejus pedes oſculatus eſt, quem contra Pontifex amplexus, non ſecus ac fratrem in pretio habuit, eique gratias egit, quod ſua opera & induſtria pax tandem Eccleſiæ Dei reddita eſſet. Vocari autem Martinus voluit, quod ea electio in Martini celebritate habita fuiſſet.*

Seſſio XLII.

Seſſione Quadrageſima ſecunda, die 8. Decembris lecta & approbata eſt quædam Bulla Martini Papæ, vulgo V. qua Sigiſmundum Regem à cuſtodia Balthaſaris de Coſſa quondam Joannis XXIII. prout ille perierat, liberare, victumque ad ſe tranſmitti volebat.

Seſſio XLIII.

Seſſione Quadrageſima-tertia, anno Domini 1418. die 21. Martij. Martinus Papa conſtitutiones nonnullas edidit, quibus Eccleſiam, prout conſtitutum fuerat, in iis quæ ad Simoniam, diſpenſationes fructuum, & decimarum perceptiones, vitam, honeſtatemque Clericorum pertinent, emendavit & reformavit.

Seſſio XLIV.

Seſſione Quadrageſima-quarta, pro futuri poſt quinquennium (prout ſupra ſtatutum fuit) Oecumenici Concilij celebratione, deſignata eſt civitas Papienſis.

Seſſio XLV.

Seſſio Quadrageſima-quinta & ultima habita eſt anno Domini 1418. die veneris, 22. menſis Aprilis.

Martinus Papa quintus dixit quod omnia & ſingula determinata, concluſa & decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter, tenere & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contra ire quoquo modo. Ipſaque ſic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter nec alio modo: quo dicto ipſum Concilium abſolvit, omnibus & ſingulis in eo exiſtentibus ad propria remeandi, ipſo approbante Concilio, facultatem fecit.

BVLLA MARTINI QVINTI DE condemnatione Joannis Vvicleff de Anglia, & Joannis Huz de Bohemia, & Hieronymi Pragenſis damnati in hoc ſacro Concilio Conſtantienſi.

MArtinus Epiſcopus, &c. Inter curas & paſtoralis curæ ſolicitudines, illa potiſſimum nos angit, ut hæreticis de finibus Chriſticolarum expulſis, ſuiſque doctrinis & erroribus perverſis, penitus quantum nobis ex alto conceditur extirpatis, orthodoxa & Catholica fides integra & illibata permaneat. Narrat deinde quantum progreſſum habuerint perverſa dogmata Joan. Vviclef & Joan. Huz ex ſegnitie Prælatorum, qui ſicut canes muti contra ea non latrabant, itaut exinde plures infecti in ſtercore mendaciorum putreſcerent: quapropter Synodus Conſtantienſis eos de domo Dei corporaliter ejecit & ſpiritualiter ejectos declaravit, ſalutem omnium materna caritate conqui-

rens,

rens, ſicut moleſtus eſt medicus phreneticum ligando & pater indiſciplinatum filium cædendo, ſed ambo diligendo. Quoniam vero plures eorum libros adhuc legerent ac errores docerent, finemque eorum vitæ laudarent, jubet eos perquiri ac puniendos brachio ſæculari tradi. Tum expoſitis erroribus ſcilicet.

IOANNIS VVICLEFF XLV. & Joannis Hus XXX. in eadem forma quæ ſupra recenſiti ſunt, addit.

Modus interrogandi ad hæreſim detegendam.

SUper præmiſſis autem articulis quilibet de eis ſuſpectus ſeu in eorum aſſertione deprehenſus juxta hunc modum interrogetur. In primis utrum cognoverit Joannem Vvieleff de Anglia, & Joannem Huz de Bohemia, & Hieronymum de Praga. Item utrum teneat & credat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentet. Item, utrum credat quod illud quod Concilium Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit & approbat in favorem fidei & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum. Item, utrum credat & aſſerat quod in nullo caſu ſit licitum jurare. Item, utrum credat quod ad mandatum judicis juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad cauſam opportunum etiam pro purificatione infamiæ faciendum, ſit licitum. Item, utrum credat quod perjurium ſciens commiſſum ex quacunque cauſa vel occaſione pro conſervatione vitæ corporalis, vel patriæ, vel alterius etiam in favorem fidei, ſit mortale peccatum. Item, utrum credat quod deliberato animo contemnens ritum Eccleſiæ cerimonias exorciſmi & catechiſmi aquæ baptiſmatis conſecratæ peccet mortaliter. Item, utrum credat quod poſt conſecrationem ſacerdotis in Sacramento altaris ſub velamento panis & vini non ſit panis materialis & vinum materiale, ſed idem omnino Chriſtus qui fuit in cruce paſſus, & ſedet ad dexteram Patris. Item, utrum credat, & aſſerat quod facta conſecratione per Sacerdotem ſub ſola ſpecie panis tantùm & præter ſpeciem vini, ſit vera caro Chriſti & ſanguis, & anima, & Deitas, & totus Chriſtus; ac idem corpus abſolute, & ſub una qualibet illarum ſpecierum ſingulariter. Item, utrum credat, quod conſuetudo communicandi perſonas laicas ſub ſpecie panis tantum ab Eccleſia univerſali obſervata, & per ſacrum Concilium Conſtantiæ approbata, ſit ſervanda, ſic quod liceat eam reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito immutare. Item, utrum credat, quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem ſacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-Unctionis, aut ſolennizationis Matrimonij, peccet mortaliter. Item, utrum credat, quod Chriſtianus ultra contritionem cordis habita copia ſacerdotis idonei, ſoli ſacerdoti ex neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non laico, ſeu laicis quantumcumque bonis & devotis. Item, utrum credat, quod ſacerdos in caſibus ſibi permiſſis poſſit peccatorem confeſſum & contritum à peccatis abſolvere, & ſic pœnitentiam injungere. Item, utrum credat, quod malus ſacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, vere conficiat, vere abſolvat, vere baptizet, & vere conferat alia ſacramenta. Item, utrum credat, quod beatus Petrus fuerit Vicarius Chriſti habens poteſtatem ligandi & ſolvendi ſuper terram. Item, utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ſit ſucceſſor beati Petri, habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei. Item, utrum credat authoritatem juriſdictionis Papæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſolvendo & ligando eſſe majorem authoritate ſimplicis ſacerdotis, etiam ſi curam animarum habeat. Item utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis, & confeſſis ex cauſa pia & juſta poſſit concedere indulgentias in remiſſionem peccatorum, maxime pia loca viſitantibus. Item, utrum credat, quod ex tali conceſſione viſitantes Eccleſias ipſas, & manus adjutrices eis porrigentes ejuſmodi indulgentias conſequi poſſint? Item, utrum credat, quod ſinguli Epiſcopi ſuis ſubditis ſecundum limitationem ſacrorum canonum hujuſmodi indulgentias concedere poſſint. Item, utrum credat, & aſſerat licitum eſſe ſanctorum reliquias & imagines à Chriſti fidelibus venerari. Item credat, quod Papa vel alius Prælatus, vel ipſorum vicarij poſſint ſuum ſubditum Eccleſiaſticum, ſive ſecularem propter inobedientiam, ſive contumaciam, excommunicare, ita quod talis pro excommunicato ſit habendus. Item, utrum credat, quod inobedientia ſive contumacia excommunicatorum creſcente, Prælati vel eorum vicarij in ſpiritualibus habeant poteſtatem aggravandi, interdictum ponendi, & brachium ſæculare invocandi, & quod illis cenſuris per inferiores ſit obediendum. Item, utrum credat, quod liceat perſonis Eccleſiaſticis abſque peccato, hujus mundi habere poſſeſſiones & bona temporalia. Item, utrum credat, quod laicis ipſa ab eis auferre poteſtate propria non liceat etiamſi male viverent perſonæ Eccleſiaſticæ bona hujuſmodi poſſidentes. Item, utrum credat, quod liceat laicis utriuſque ſexus viris & mulieribus libere prædicare verbum Dei. Item, utrum credat, quod ſingulis ſacerdotibus libere liceat prædicare verbum Dei ubicunque, quandocunque & quouſcunque placuerit etiamſi non ſint miſſi. Item, utrum credat, quod omnia peccata mortalia, & ſpecialiter manifeſta ſint publice corrigenda & extirpanda.

Qui de præmiſſis hæreſibus, vel articulis, vel aliquo præmiſſorum infamati fuerint, ad arbitrium veſtrum expugnare teneantur. Alij vero qui per teſtes ſeu propriam confeſſionem, vel alias legitimas probationes convicti fuerint de prædictis hæreſibus, vel articulis, vel aliquo præmiſſorum eoſdem articulos & errores ſolenniter & publice revocare, abjurare, pœnitentiam condignam ſubire cogantur, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, &c. Datum Conſtantiæ Pontificatûs noſtri anno primo.

TITVLI CANONVM SEV DECRETORVM Conſtantienſis Concilij.

1. *Quod Concilium generale eſt ſupra Papam tempore ſchiſmatis.*
2. *Quod inobedientes Concilio puniantur.*
3. *Quod non procedatur ad electionem Papæ, ſi contingat ſedem vacare, ſine expreſſo conſenſu Concilij.*
4. *De communicando ſub una ſpecie tantum.*
5. *Quod nullus Presbyter, ſub pœna excommunicationis, communicet populum ſub utraque ſpecie panis & vini.*
6. *Quod non obſtantibus ſalvis conductibus Imperatoris, Regum, &c. poſſit per judicem competentem de hæretica pravitate inquiri.*
7. *De Concilijs generalibus, & proviſione circa futura ſchiſmata.*
8. *Forma de profeſſione Papæ faciendæ.*
9. *Ne Prælati transferantur inviti.*
10. *De ſpoliis & procurationibus.*
11. *De fructibus percipiendis.*
12. *De Simonia.*
13. *De diſpenſationibus.*
14. *De decimis, & aliis oneribus Eccleſiaſticis.*
15. *De vita & honeſtate Clericorum.*
16. *Quomodo ſolvenda ſit, ſive deneganda decima.*

DECRETA CONSTANTIENSIS Concilij.

Hæc 2. Sessione 1. & 2. Canon assumpti sunt.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti, Amen. Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis, generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu ſancto legitime congregata, ad conſequendum facilius, ſecurius, liberius & unionem & reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit & declarat, ut ſequitur. Et primo, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitime, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

2. Item declarat, quod quicunque cujuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi papalis, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuſcunque alterius Concilij generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo.

3. Item pronuntiat, decernit, ſtatuit & ordinat, ut ſi contingat ſedem Apoſtolicam quovis modo vacare, in prima vacatione ad electionem futuri ſummi Pontificis nullo modo procedatur ſine deliberatione & conſenſu hujus ſacri generalis Concilij. Et ſi contrarium fieret, ſit ipſo facto irritum & inane authoritate dicti ſacri Concilij. Nulluſque electum contra hoc decretum in Papam recipiat, nec illi ut Papæ quomodolibet adhæreat vel obediat, ſub pœna fautoriæ dicti ſchiſmatis & maledictionis æternæ: puniantur-que hoc caſu eligentes & electus, ſi conſentiat, ac illi adhærentes, pœnis per hoc ſacrum Concilium ordinandis. Suſpenditque dicta ſancta Synodus pro bono unionis Eccleſiæ, omnia jura poſitiva, etiam in Conciliis generalibus edita, & ipſorum ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, & conſuetudines, privilegia quibuſcunque conceſſa, & pœnas contra quoſcunque editas, inquantum effectum dicti decreti impedire poſſent quoquo modo.

Seſſio 13. fuit hic canon definitus.

4. Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere ſacramentum Euchariſtiæ ſub utraque panis & vini ſpecie ſuſcipere: & non ſolum ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini, populum laicum paſſim communicent: etiam poſt cœnam, vel alias non jejuni, & communicandum eſſe pertinaciter aſſerant: contra laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem, rationabiliter approbatam, tanquam ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur. Hinc eſt, quod hoc præſens Concilium ſacrum generale Conſtantienſe, in Spiritu ſancto legitime congregatum, adverſus hunc errorem ſaluti fidelium provideri ſatagens, matura plurium doctorum tam divini quam humani juris deliberatione præhabita, declarat, decernit & diffinit, *Quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile ſacramentum*: tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum authoritas, laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quod hujuſmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, à jure vel Eccleſia conceſſo vel admiſſo. Et ſicut hæc conſuetudo ad evitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Eccleſia hujuſmodi ſacramentum reciperetur a fidelibus ſub utraque ſpecie, poſtea à conficientibus ſub utraque, & a laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur: cum firmiſſime credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Unde cum hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſime obſervata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito mutare. Qua propter dicere, quod hanc conſuetudinem aut legem obſervare, ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum: & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi per Diœceſanos locorum ſeu officiales eorum, aut inquiſitores hæreticæ pravitatis in regnis ſeu provinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forſan attentatum aut præſumptum, juxta Canonicas & legitimas ſanctiones, in favorem Catholicæ fidei contra hæreticos, & eorum fautores, ſalubriter adinventas.

Chriſtus inſtituit ſacramentum ſub utraque ſpecie, ſed non præcepit: aliud autem eſt inſtitutio, aliud præceptum.

5. Item ipſa ſancta Synodus decernit & declarat ſuper iſta materia, reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum in ſpiritualibus Vicariis ubilibet conſtitutis, proceſſus eſſe dirigendos, in quibus eis committatur & mandetur authoritate hujus ſacri Concilij ſub pœna excommunicationis, ut effectualiter puniant eos contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum ſub utraque ſpecie panis & vini exhortati fuerunt, & ſic faciendum eſſe docuerint: & ſi ad pœnitentiam redierint, ad gremium Eccleſiæ ſuſcipiantur, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari. Qui vero ex illis ad pœnitentiam redire non curaverint animo indurato, per cenſuras Eccleſiaſticas per eos ut hæretici ſunt coercendi, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſecularis.

6. Præſens ſancta Synodus ex quovis ſalvo conductu per Imperatorem, reges & alios ſeculi principes, hæreticis, vel de hæreſi diffamatis, putantes eoſdem ſic à ſuis erroribus revocare, quocunque vinculo ſe aſtrinxerint, conceſſo, nullum fidei Catholicæ vel juriſdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe, ſeu debere declarat: quo minus, dicto ſalvo conductu non obſtante, liceat judici competenti & Eccleſiaſtico, de hujuſmodi perſonarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eoſdemque punire, quantum juſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores revocare pertinaciter recuſaverint judici, etſi alias non venturi: nec ſic promittentem, cum alias fecerit quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum.

7. Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri Dominici cultura eſt præcipua, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum & errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus, præmiſſa diſſeminat atque fovet: hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium conſideratio, ante oculos noſtros ponunt. Ea propter hoc edicto perpetuo ſancimus, decernimus & ordinamus, ut amodo Concilia generalia celebrentur, ita quod primum à fine hujus Concilij in quinquennium immediate ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur, in locis quæ ſummus Pontifex per meſem ante finem cujuſlibet Concilij, approbante & conſentiente Concilio, vel in ejus defectum, ipſum Concilium deputare, & aſſignare tenebitur, ut ſic per quamdam continuationem ſemper, aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur, quem terminum liceat ſummo Pontifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, ob emergentes

forte caſus abbreviare: ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum, abſque evidenti neceſſitate non mutet. Sed ſi forte caſus aliquis occurreret, quo neceſſarium videretur, ipſum locum mutari, puta obſidionis, guerrarum, peſtis, aut ſimilis: tunc liceat ſummo Pontifici, de prædictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, ſub eadem tamen natione, ſurrogare: niſi idem vel ſimile impedimentum per totam iſtam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum, hujuſmodi Concilium poterit convocari, ad quem Prælati & alij qui ad Concilium ſolent convocati, accedere teneantur, ac ſi à principio locus ille fuiſſet deputatus, quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus Pontifex legitime & ſolemniter publicare & intimare, & ad ipſum Concilium celebrandum prædicti poſſint ſtatuto termino convenire.

8. Quanto Romanus Pontifex eminentiori inter mortales fungitur poteſtate, tanto clarioribus ipſum decet fulciri fidei vinculis, & Sacramentorum Eccleſiaſticorum obſervandis ritibus alligari. Ea propter, ut in futurum Romanis Pontificibus in ſuæ creationis primordiis, & ſingulari ſplendore luceat plena fides, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps quilibet in Romanum Pontificem eligendus, antequam ſua electio publicetur, coram ſuis electoribus publice confeſſionem & profeſſionem faciat infra ſcriptas.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus ſancti, Amen. Anno à nativitate Domini milleſimo, &c. ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & B. Petro Apoſtolorum principi corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere ſanctam fidem Catholicam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum: maxime autem ſanctorum octo Conciliorum univerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, IV. Chalcedonenſis, quinti & ſexti Conſtantinopolitanorum, ſeptimi item Niçæni, octavi quoque Conſtantinopolitani, nec non Lateranenſis, Lugdunenſis & Viennenſis, generalium etiam Conciliorum. Et illam fidem uſque ad unum apicem immutilatam ſervare, & uſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare, & prædicare, ritum quoque pariter Sacramentorum Eccleſiaſticorum Catholicæ Eccleſiæ traditum, omnimodo proſequi & obſervare. Hanc autem profeſſionem & confeſſionem meam per notarium ſcriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ me jubente ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi omnipotenti Deo pura mente & devota conſcientia ſuper tali altari, &c. ſynceriter offero, in preſentia talium, &c. Datum, &c.

9. Cum ex prælatorum tranſlationibus Eccleſiæ ipſæ de quibus transferuntur, plerumque gravibus in ſpiritualibus & temporalibus ſubjaceant diſpendiis & jacturis, prælati quoque nonnunquam jura & libertates Eccleſiarum ſuarum tranſlationis formidine non adeo ſolerter ut alias proſequantur, ne ad importunitatem quorumdam, quæ ſua, & non quæ Jeſu Chriſti quærentium, Romanus Pontifex forſan, ut homo facti neſcius, in huiuſmodi circumveniatur, aut alias leviter inclineur, præſentibus ſtatuimus & ordinamus, invitorum Epiſcoporum & ſuperiorum tranſlationes abſque magna & rationabili cauſa, quæ vocata parte cognita fuerit, & deciſa de conſilio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel maioris partis eorumdem, & cum ſubſcriptione, de cætero fieri non debere. Inferiores vero, ut Abbates, aliique perpetuo beneficiati, inviti abſque iuſta & rationabili cauſa cognita amoveri ſeu privari non debeant: adjicientes, quod in mutationibus Abbatum, ſubſcriptio Cardinalium interveniat, ſicut in Epiſcopis eſt præmiſſum ſalvis conſtitutionibus, conſuetudinibus & privilegiis Eccleſiarum, Monaſteriorum & Ordinum quorumcumque.

10. Cum per Papam facta reſervatio & executio & perceptio procurationum, ordinariis aut aliis inferioribus prelatis debitarum ratione viſitationis, nec non & ſpoliorum decedentium prælatorum, aliorumque clericorum, gravia Eccleſiis, Monaſteriis & aliis beneficiis Eccleſiaſticiſque perſonis afferant detrimenta, præſenti declaramus edicto, rationi fore conſentaneum, & reipublicæ accommodatum, tales per Papam reſervationes: ac per collectores & alios authoritate Apoſtolica deputatos ſive deputandos, exactiones ſeu perceptiones de cetero nullo modo fieri ſeu attentari: quinimo procurationes huiuſmodi quorumcumque Prælatorum, Cardinalium etiam, vel ipſius Papæ familiarium, officialium, & aliorum quorumvis clericorum, in curia Romana vel extra, ubicunque & quandocunque decedentium, ſeu bona eorum mortis tempore reperta, plene & libere pertineant illis, per illos recipiantur, quibus alias, præfatis reſervationibus, mandatis & exactionibus ceſſantibus, competerent & pertinere deberent. Prælatis etiam inferioribus & aliis huiuſmodi ſpoliorum exactiones, preter & contra juris communis formam fieri interdicimus, conſtitutione tamen fœlicis recordationis Bonifacij Papæ octavi, quæ incipit, Præſenti, ſuper hoc edita ſpecialiter, in ſuo robore duratura.

11. Fructus & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Beneficiorum, vacationis tempore obvenientes, juris & conſuetudinis vel privilegii diſpoſitioni relinquimus, illaſque nobis vel Apoſtolicæ cameræ prohibemus applicari.

12. Multæ contra Simoniacam pravitatem ab olim factæ ſunt conſtitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter extirpari: nos volentes de cetero (ut poſſumus) attentius providere, ſacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati ſimoniace, ab executione ſuorum ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi. Electiones autem, poſtulationes, confirmationes & quævis proviſiones Simoniacæ Eccleſiarum, Monaſteriorum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ ſint ipſo iure, nullumque per illas ius cuiquam acquiratur; nec promoti, confirmati, aut proviſi faciant fructus ſuos, ſed ad illorum reſtitutionem, tanquam inique oblata percipientes, teneantur. Statuentes inſuper, quod dantes & recipientes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, etiamſi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant dignitate. *Sef. 43. præſidente Martino quinto 21 Mart.*

13. Quoniam beneficia propter officia concedantur, reputamus abſurdum, ut qui beneficia obtinent, recuſent aut negligant officium exercere. Nos igitur ſacro approbante Concilio omnes diſpenſationes à quibuſcunque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas quibuſcunque electis, confirmatis, ſeu proviſis ad Eccleſias, Monaſteria, Prioratus Conventuales, Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæcunque beneficia, quibus certus ordo debitus eſt vel annexus, ne munus conſecrationis Epiſcopi, ſive benedictionem Abbatis, aut cæteros debitos aut annexos ordines ſuſcipiant, præter illas quæ ſecundum formam conſtitutionis Bonifacij octavi, quæ incipit: Cum ex eo factæ ſunt, revocamus: ſtatuentes, ut qui de præſenti illos vel illa obtinent, infra ſex menſes à die publicationis hujuſmodi conſtitutionis noſtræ, & qui in poſterum obtinebunt, infra terminum iuris ſe faciant conſecrari; aut benedici, ſeu ad alium debitum ordinem promoveri. Aliquin ſint ipſis Monaſteriis, Eccleſiis, dignitatibus, officiis & beneficiis pro

ipſo jure privari, & aliis libere conferantur, aut provideatur de illis: cæteris conſtitutionibus circa hoc editis, in ſuo robore duraturis.

14. Præcipimus & mandamus, jura quæ prohibent inferioribus à Papa decimas, & alia onera Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis imponi, diſtrictius obſervari. Per nos autem nullatenus imponantur generaliter ſuper totum clerum, niſi ex magna & ardua cauſa & utilitate univerſalem Eccleſiam concernente, & de conſilio & conſenſu & ſubſcriptione fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Prælatorum, quorum conſilium commode haberi poterit. Nec ſpecialiter in aliquo regno vel provincia, inconſultis prælatis ipſius regni vel provinciæ, & ipſis non conſentientibus, vel eorum majori parte, & eo caſu per perſonas Eccleſiaſticas & authoritate Apoſtolica duntaxat leventur.

15. Inter cæteros Prælatorum & Clericorum exceſſus hoc maxime inolevit, quod ſpreta in veſtibus forma Eccleſiaſtica honeſtatis, plurimi delectantur eſſe deformes, & cupiunt laïcis conformari: quodque mente gerunt, habitu confitentur. Unde præter cætera quæ circa veſtes, tonſuram & habitus Clericorum, tam in formis quam in coloribus, atque comam ſeu capillos, vitamque & honeſtatem Clericorum jura ſtatuunt, & quæ nimirum collapſa ſunt tam in ſæcularibus quam in regularibus: Sacro approbante Concilio innovamus, & præcipimus diligentius obſervari, illum ſpecialiter abuſum (eodem approbante Concilio) decernimus penitus abolendum, quod in quibuſdam partibus nonnulli Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ ſeculares & regulares, etiam quod magis execramur, Prælati Eccleſiarum, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magna ſumptuoſa ſuperfluitate veſtes, etiam fillas retro, & in lateribus cum fodraturis ultra oram excedentibus etiam in fiſſuris deferunt, & cum talibus in Eccleſiis cum ſuperpelliciis ac aliis veſtibus ad cultum & officium Eccleſiaſticum ordinatis, etiam intra Eccleſias ipſas, in quibus beneficiati exiſtunt, non verentur divinis officiis intereſſe. Hanc veſtium deformitatem in quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis reprobamus, ac uſum talium inhibemus: contrarium autem facientes, ut tranſgreſſores canonum puniantur: ſpecialiter ſtatuentes, ut quicunque beneficiatus aut officium in Eccleſia gerens, in habitu hujuſmodi divinis officiis præſumpſerit intereſſe, pro qualibet vice à participatione proventuum Eccleſiaſticorum per menſem noverit ſe ſuſpenſum: fructuſque illi fabricæ Eccleſiæ applicentur.

fodratus.

16. Cum paterna pietas filiis hominum providere debeat, licet in caſu neceſſitatis urgentis valeat viciſſitudo laudabilis: declarat ſancta Synodus non licere Romano Pontifici injunctiones ſive exactiones quaſcumque ſuper Eccleſiam vel Eccleſiaſticas perſonas imponere per modum decimæ, vel alio quovis modo. Si vero cum neceſſitas acciderit Papæ qua eſſet eidem debite ſubveniendum, vocato generali Concilio, ſecundum quod expediens videbitur & utile ſecundum decretum Concilij provideatur eidem.

Quædam controverſa de Concilio Conſtantienſi.

Multi arguunt & inſectantur hoc Concilium.

NOn defuerunt qui hoc Concilium arguerunt. Nam Huſſitæ per illius decreta ab errore nequaquam deterriti vocaverunt Concilium angulare non generale: ubi non Prælati de regnis orbis, ſed pauci Monachi & ſimoniaci urbis fuiſſent, legis Dei inquiunt & veritatis æmuli manifeſti. Irridentes quoque juriſdictionem Papalem propter ſchiſma trium inter ſe contendentium. Impudentius vero Concilium exagitat continuator Vrſpergenſis in Paralipomenis, dicens potuiſſe maxima negotia pro gloria Domini, pro publica utilitate in eo peragi, ſi putris caro Eccleſiaſticorum potuiſſet ferre ſalem Evangelicum. Dicit inſuper de patribus hujus Concilij; atqui ſpiritus extinguebant, prophetias aſpernabantur, Chriſtum in membris ejus perſequebantur, eratque plane perſecutrix Eccleſiæ. Texit inſuper catalogum hunc perſonarum ſpiritualium & prophanarum præſentium.

Sexaginta millia & quingentæ perſonæ numeratæ inter feſta Paſchæ & Pentecoſtes.

Intererant 346. Archiepiſcopi & Epiſcopi.

Item 564. Abbates & Doctores.

Prophani vel ſæculares Principes, Duces, Comites, milites armigeri ſedecim millia.

Mulieres publicæ 450. ſexcenti Barbitonſores, trecenti & viginti Joculatores, Fiſtulatores, coci, &c. Sic ſcurræ iſti matrem ſuam Eccleſiam quæ eos genuit, quibus poſſunt modis ac ludibriis inhonorant.

Author catalogi teſtium veritatis addit iſtis calumniis, pium quemdam virum publice in templo ubi patres Miſſam de Spirito ſancto, & hymnum Veni ſancte Spiritus canere ſunt ſoliti, affixiſſe hanc ſcedam. *Aliis rebus occupati nunc adeſſe vobis non poſſumus.* Hæc & plura perverſi homines de hoc Concilio finxerant, odio exacerbati propter damnationem Joannis Huzij. diſcipuli Wicleffi ac Hieronymi Pragenſis. Calumniantur que Concilium decreviſſe non eſſe ſervandam fidem hæreticis, & contra ſalvum conductum combuſſiſſe hos hæreticos.

Alij autem minus mali inſurgunt in hoc Concilium quod decreverit ſummi Pontificis authoritatem Concilij authoritate inferiorem eſſe, ac Concilium poſſe de ſummis Pontificibus judicare, quare illud pro nihilo ducunt. Sic Cajetanus in tract. de authoritate Eccleſiaſtica & Laïca.

Sed revera plura ſunt in iſtis mendacia quorum plura contemnet qui Coclæum l. 12. Hiſtoriæ Huſſitarum legere voluerit, ubi deſcripto Sigiſmundi adventu in urbem Conſtantiæ in Vigilia Nativitatis ut intereſſet Miſſarum ſolemniis, & quo modo Papa celebrante Miſſam hic Imperator Diaconi habitum induitus, legerit Evangelium alta voce: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto*, ſubjungit poſtea plures Prælatos & principes adventaſſe in tanta frequentia, ut aliquando triginta millia equorum uno eodemque tempore Conſtantiæ fuiſſe tradantur. Adfuiſſe quoque Patriarchas quatuor, Cardinales 29. Archiepiſcopos 9. Epiſcop. 160. & cum his Abbatum, Priorum, Præpoſitorum & omnis generis Clericorum ingentem numerum. ſecularium quoque Principum, Comitum, Baronum, nobilium ingentem multitudinem.

De ſalvo-conductu.

QVod vero dicunt de ſalvi conductus fide non ſervata id calumnioſum eſt, ſicut & de facto decreto à Synodo de non ſervanda hæreticis fide, à veritate alienum eſt: nihil enim aliud Concilium de ſalvis conductibus declaravit, niſi Eccleſiaſticam poteſtatem in ſuo legitimo exercitio à ſæculari poteſtate impediri non poſſe, quo minus liceat Eccleſiaſtico judici officium ſuum exercere in hæretici examinatione ac damnatione. Quod verum eſt, cum ſuperior ligati non poſſit legibus & pactis inferioribus. C. *Cum interior.* Extra. *de majoritate & obedientia.* Sed nec ipſa Synodus Conſtantienſis ſalvum conductum Huzio dederat, ſed Sigiſmundus Imperator, qui credidit ſe non eſſe amplius obligatum ad illum ſervandum poſtquam ipſe Huſſius è Concilio fugit, ac è fuga retractus cuſtodiæ mancipatus eſt. Dederat enim ille ſalvum conductum jure communi contra vim injuſtam: non jure ſpeciali contra vim omnem juſtam & injuſtam. Citavit autem Concilium Hieronymum Pragenſem oblato ſalvo conductu, ſed cum hac clauſula, *ſalva ſemper juſtitia.* Quæ nequaquam erga eum violata eſt, cum per fugam exſpiraſſet

ſalvus conductus, & leges Imperatoriæ in hæreticos pertinaces pœnam capitis decernant. l. *quicumque C. de hæreticis.* Quare nihil egit Synodus hac contra datam fidem, ut mirum ſit quoſdam violationem fidei à Synodo pro re conſtanti habere, non lectis hujus Concilij ſeſſionibus aut decretis: plures id demonſtrarunt aperte, ac inter cæteros Martinus Becanus calumniam hanc Synodo impoſitam diſerte refellit in tractatu de fide hæreticis ſervanda capite 12. tomo 1. Opuſculorum.

Authoritas Concilii & Papæ.

Ad aliam difficultatem de poteſtate Concilii ſupra Papam ad perſpiciendam mentem Concilii quam ſolam hic inquirimus, juvat hic attexere quæ docte Cardinalis de Turrecremata, qui etiam Concilio interfuit, reſponder in ſumma de Eccleſia lib. 2. c. 99. Hæc quippe, etſi pluſcula, magis elucidant ſenſum & ſtatum hujus Concilij. Non eſt verum, inquit, imo falſum quod adverſarii dicunt: videlicet quod Conſtantiæ declaratum ſit ſive decretum, quod univerſalis Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata generale Concilium faciens, Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto habet immediate, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, ſive dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur, &c. Plane nunquam in Conſtantia ſub hac forma legitur aliquod decretum factum: declaratio autem facta per Patres illos ſub obedientia Ioannis XXIII. congregata emanavit ſub hac forma; *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis ſchiſmatis & unione ac reformatione Eccleſiæ in capite & in membris fienda, declarat, quod ipſa in Spiritu ſancto congregata generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto habet immediate, cui cuilibet, &c.* Ecce manifeſte quod decretum illorum Patrum non loquitur univerſaliter; ſed de illa ſingulariter, pro cujus tempore non erat in Eccleſia unus Paſtor totius Eccleſiæ indubitatus. Et ita patet primum, videlicet quod falſum ſit quod tale decretum in forma qua proponitur, factum fuerit Conſtantiæ.

Secundo non militant quæ inducuntur de Concilio Conſtantienſi, quoniam dato quod tale decretum quod dicitur per adverſarios ibi fuiſſe factum, non habet neceſſitatem, quoniam hoc quod adverſarii præſupponunt, videlicet quod fuerit ab univerſali Concilio legitime congregato, & repræſentante univerſam Eccleſiam militantem, eſt valde dubium apud multos, imo plurimorum judicio, ſcilicet eorum, qui fuerunt de obedientia Gregorii & Benedicti, falſum: quoniam ſicut apertiſſime patet ex geſtis illius congregationis, decreta illa, ſi ita ſint appellanda, facta ſunt ſolum à Patribus aliquibus obedientiæ Joannis XXIII. Pro quo notandum quod congregatio illa Conſtantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit in quo ſola obedientia præfati Joannis Balthazar Conſtantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corarius vocatus in obedientia ſua Gregorius XXII. juri ſuo cedens, præfatæ congregationi ſub certis modis & formis ſe conjunxit. Tertium tempus eſt, in quo Reges & Principes ac Prælati obedientes Petro de Luna Benedicto XIII. vocato in obedientia ſua, per ſuos oratores nova facta convocatione Concilij, ſe vnierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam univerſali Eccleſiæ, & fuimus nos tunc præſentes in minoribus conſtituri; pro quo ſolo tempore convenientibus omnibus ſimul tribus obedientiis, fuit certum dicere quod univerſalis Eccleſia repræſentative congregata eſſet Conſtantiæ: nullus autem dubitat quin aſſerere, quod ſola obedientia Joannis faceret Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium & ſcandalo-

Tres ſtatus Concilii Conſt.

ſum aliis duabus obedientiis.

Tertio ea quæ inducuntur de decretis Concilij Conſtantienſis non militant, quoniam authoritati illius ab-
dum duæ obedientiæ ſcilicet Gregorii & Benedicti apertiſſima contradictione in plena congregatione ſe oppoſuerunt, & eorum contradictio fuit accepta. Contradixit ac reclamavit imprimis Gregorius ita in ſua obedientia vocatus, qui verum ſe Romanum Pontificem aſſerens & ſcribens, mittens poſt præfatam declarationem factam ab illis de obedientia Joannis oratores ſuos ad Conſtantiam, committit eis Dominis ſcilicet Cardinali ſancti Sixti, Joanni electo Patriarchæ Conſtantinopolitano, Archiepiſcopo Trevirenſi, Comiti Palatino, Carolo de Malateſta authoritatem, congregationem ipſam Conſtantienſem, in quantum per ſerenitatem Regiam, & non per Balthazar ſe nuncupari facientem Joannem XXIII. vocatum vice ſua convocandi & authorizandi Generale Concilium, remota tamen omnimode inde prædicti Balthazar præſidentia & præſentia ab eiſdem, &c. verba ſunt formalia Bullæ datæ authoritatis præfatis oratoribus, quæ inſerta eſt in geſtis præfati Concilii. Quod autem hæc verba & geſta Domini Gregorii præfato decreto contradicant & opponantur, manifeſtum eſt. Contradixit propterea eidem decreto obedienia Dominorum Regum, Prælatorum & Principum & communitatum, qui Petro de Luna Benedicto 13. vocato tanquam vero Summo Pontifici univerſalis Eccleſiæ adhærebant. Nam ut ex geſtis ejuſdem Concilij patet, pro eo quod tenebant præfatos Patres Conſtantiæ congregatos ſub obedientia Joannis ſive etiam Gregorii, non facere Concilium univerſale, nec eorum congregationem repræſentare Eccleſiam Dei Catholicam, noluerunt ſe unire illi, niſi prius juxta compacta in Narbona cum bonæ memoriæ Domino Imperatore Sigiſmundo nova fierent per eos, apud quos veram eſſe arbitrabantur Dei Eccleſiam, Concilii convocatio, ſicut & factum eſt nobis præſentibus in minoribus conſtitutis. Quæ omnia ita facta eſſe & ab omnibus acceptata Synodus ipſa Conſtantienſis per diverſas ſeſſiones apertiſſime teſtatur. Quibus tribus obedientiis ita in nomine Chriſti Conſtantiæ convenientibus ſub intentione celebrandi Concilium univerſale, habita eſt certitudo & fides apud omnes Chriſti fideles univerſale Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans Conſtantiæ celebrari, & non ante concurrente ambigua inter fideles concertatione, apud quem trium pro Pontificibus Romanis ſe gerentium Apoſtolicæ ſedis authoritas reſideret & Principatus: ut enim teſtatur devotiſſimus Bernardus libro quinto de conſideratione: *Fides ambiguum non habet, aliàs ſi habet, fides non eſt, ſed opinio.* Ex qua contradictione duarum aliarum obedientiarum clariſſime perſpicit quiſque doctus quam præſumptuoſa ſit illa aſſertio: quod obedientia illa Balthazar Conſtantiæ conveniens, faceret Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans.

Quartò ea, quæ inducuntur de decretis Concilii Conſtantienſis, nullius ſunt roboris aut momenti, quoniam in illorum determinatione non modo non intervenit univerſalis Eccleſia, ſed obedientia una tantum, ſcilicet Joannis XXIII. ut dictum eſt: ſed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres doctiſſimi illius obedientiæ non præſtiterunt conſenſum aut aſſenſum ſuum, item nec ipſe in ſua obedientia vocatus Joannes XXIII. quoniam cum poſt receſſum ſuum à Conſtantia *Seaphuſe* conſtiturus audiret præfatam declarationem concluſam, Dominis oratoribus Chriſtianiſſimi Regis Franciæ viſitantibus eum, videlicet Domino Duce Bavariæ, Domino Nicolao de Calavilla aliiſque eorum collegiis amaro animo conqueſtus eſt, falſa quædam & erronea adverſus authoritatem Rom. Pont. decreta per æmulos ſuos poſt receſſum ejus eſſe concluſa.

Concil. Conſtăt. pro auctoritate Summi Pontif.

Quinto præfata decreta Concilij Conſtantienſis non militant, quoniam nunquam fuerunt per omnes alias obedientias ſimul approbata, imo nec repetita, imo tota Synodus ex tribus obedientiis congregata ſtatutis ſuis videtur deſignaſſe decretum illud nunquam in mente ſua inſediſſe. Quod patet ex duobus. Primo ex eo quod in Seſſ. 36. ita dicitur: *Sacroſancta Synodus Conſtantienſis ſtatuit & decrevit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus cum hoc ſacro Concilio, vel deputandus per ſingulas nationes debeat reformare Eccleſiam in capite Romanæ Curiæ ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, &c* & ſequitur in 13. art. *Propter quæ vel quomodo Papa poſſit corrigi vel deponi.* Ecce quod manifeſte debeat intelligi, quod Synodus illa hoc diſcernens non approbaverit, aut mente habuit illa decreta prima Conſtantiæ. Secundo ex illo quod præfata Synodus Conſtantienſis, poſtquam Papa Martinus fuit creatus, morem obſervando antiquorum Conciliorum humiliter petivit ab eo confirmationem & roborationem omnium quæ fecerat: cum autem confirmare & roborare ſuperioris authoritatis ſit, planiſſimum eſt quod Synodus illa integra ex omnibus obedientiis Chriſtianitatis non erat hujuſmodi fidei, quod Concilium univerſale habeat à Chriſto immediatè poteſtatem, cui etiam Papa obedire teneretur.

Sexto, præfatum decretum Conſtantienſe non militat, quoniam per Apoſtolicam ſedem non fuit approbatum, imo videtur per Dominum Martinum reprobatum, ſive annullatum in condemnatione erroris Joannis wiclef & Joannis Hus, inter quos ut patet in bulla quam approbante Conſtantienſi Dominus Martinus miſit univerſis Prælatis nationis Germaniæ, unus articulus condemnatus eſt; *Quod Petrus non eſt nec fuit caput Eccleſiæ ſanctæ.* Secundus articulus, de quo mandat præfatus Dominus Martinus Prælatis & Inquiſitoribus fidei, ut inquirant ſuſpectos de præfatis erroribus, *utrum credant quod Papa Canonicè electus qui pro tempore fuit ejus proprio nomine expreſſo ſit ſucceſſor Beati Petri habens authoritatem in Eccleſia Dei*, hæc ibi. Clariſſimum eſt autem quod hi duo articuli, per Dominum Papam aſſentiente & approbante Concilio plenario Conſtantienſi, videlicet quod Papa ſit caput ſanctæ ſedis Catholicæ, id eſt Vniverſalis, & quod habeat ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, non poſſunt ſimul ſtare cum decreto illo, quod Conſtantiæ factum legitur per quoſdam de obedientia Joannis Balthazar de ſuperioritate Conciliorum ſupra Papam; quoniam ut habetur in cap. inferior. d. 21. *Sola ſedes potior inferiorem convenienter abſolvit*, nec poteſt quiſquam, qui inferioris authoritatis eſt, eum, qui majoris poteſtatis eſt, adigere aut propriis ſubiugare diffinitionibus. Si Papa manens Papa alterius iudicio præter quam Dei ſubjacet, non poteſt ſtare in veritate articulus ille diffinitus Conſtantiæ per Dominum Martinum, quod Papa ſupremam poteſtatem habeat in Eccleſia, ut in ſuperioribus etiam deduximus.

De Gerſone Cancellario Pariſienſi.

EX quibus patere poteſt non ſatis perſpectam eſſe mentem Concilii Conſtantienſis ab his qui putant illud definiviſſe abſoluto omnimodam poteſtatem Concilii ſupra Papam ac in omni caſu. Nec ita abſoluta erat Pariſienſium ſententia aut Gerſonii cujus maxime ductu ac laboribus unio reſtituta eſt Eccleſiæ, ut poſt Deum optimum illius conſiliis ac ſollicitudini tribui poſſit. Qui enim illius operibus ann. 1606. Pariſiis editis vitam ejus præfixit, refert tunc concluſum fuiſſe, authoritatem ſanctitatem & unitatem Eccleſiæ Catholicæ iſtoc ſymboli articulo obſignatam, (Credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, &c.) non penes Antipapas (qui manibus atque pedibus unitatem Eccleſiæ impedire conabantur) ſed tantum penes eos qui conſilio, re & opere pacem, atque unionem procurarent, reſidere, & proinde iſtis invitis atque reclamantibus, Concilium unius obedientiæ, ut Gerſoniusappellat, indici & cogi poſſe, &c. Aliud eſt præferre authoritatem unius ſupra alterum abſolute & in omni caſu, aliud illam præferre in certo caſu, ut tempore ſchiſmatis cum plures ſibi attribuunt principatum Eccleſiæ & dubium eſt cui competat potius, aut cum Papa eſſet hæreticus, aut etiam forte in quibuſdam aliis caſibus de quibus agunt qui tractatus inſtituerunt de auferibilitate Papæ. Conveniunt omnes orthodoxi in certis rerum humanarum eventibus (quos Deus avertat) Eccleſiam ſibi ipſi providere poſſe, quia Deus in neceſſariis non deeſt. Quare Cajetanus ſcribens contra Gerſonium & ſcholam Pariſienſem, re non ſatis excuſſa criminatur ejus decreta tanquam pura puta ſomnia, ac imaginationes Gerſonij vocitat. Tract. de poteſtate laica & Eccleſiaſtica. Quo conſultius Doctor Navarrus in c. *novit.* de Judiciis. Non eſt, inquit, conſilium in præſentia definire cui principalius poteſtas Eccleſiæ fuerit à Chriſto collata, an Eccleſiæ toti, an vero ipſi Petro, propter illam maximam diſcordiam Romanorum & Pariſienſium: illi enim tenent Petro à ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem atque ideo Papam, Concilio eſſe ſuperiorem: ij vero quibus Gerſon adhæret, totam datam eſſe toti Eccleſiæ licet exercendam per unum: atque adeo in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam. Ubi indicat Navarrus in fluctuatione hujus difficultatis non abſolutè ac in omni caſu Gerſonium intellexiſſe, Eccleſiæ authoritatem antecellere authoritati Pōtificiæ, ſed in quibuſdam caſibus in quibus determinandis ex Pariſienſibus Theologis alij ſtrictiores, alij vero laxiores inveniuntur, ut ſunt diverſa hominum judicia. Sed ut ad Gerſonium redeamus, an rogo, inquit, præfatus author vitæ illius, Pontificiæ authoritati infeſtus eſt, qui ſanctam ſedem Apoſtolicam monarchicam eſſe aſſerit, ut neque ab Eccleſia unquam tolli, neque in puram Ariſtocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari poſſit? Atque inſuper Pontificem maximum ſic à Chriſto Domino inſtitutum probat, ut Eccleſiam ſolo principatu monarchico ab hæreticorum conventiculis & ſynagogis Sathanæ, dignoſci & ſecerni, atque ſolum Pontificem Conciliorum generalium convocandorum & comprobandorum authoritatem habere demonſtret.

Hæc breviter in defenſionem Gerſonis, ne per ſæcula traducatur quaſi adverſarius Sedis Apoſtolicæ. Extant autem plures ejus ſermones quos in Concilio Conſtantienſi habuit, & aliqui tractatus ad illud ſpectantes, *ut de modo ſe habendi tempore ſchiſmatis*, alii quoque de rebus in eodem ſtatutis. Habentur quoque tomo primo eius operum, propoſitiones factæ in Concilio Conſtantienſi contra aſſertiones Fr. Matthæi Grabon Dominicani de ſtatu perfectionis Religionis Chriſtianæ & Religioſorum. Is natione Saxo ut è diametro wicleffo ſe oppoueret qui religiones à diabolo proceſſiſſe contendebat, ut etiam clauſtra ingredientes vocaret diabolicos: è contra excommunicatos eſſe docebat communem vitam ducentes extra religionem approbatam, ſicque eam ſupra modum & veritatem extollebat, ut vix aliquid perfectionis agnoſceret & ſine peccato extra veras religiones à Papa approbatas: contra quem induxit Gerſo ſex propoſitiones oppoſitas falſæ iſtius doctrinæ, quam etiam coactus eſt reprobare, cum in ipſo Concilio examinata fuiſſet. *F. Matt. Grabon.*

Notantur 26. ejus errores ex ejus libellis excerpti, nec non eorum revocatio, ac alia cauſa qua in hos errores inductus eſt tomo 1. operum ejuſdem Gerſonis, qui fortiter ſe iis oppoſuit in ſex dictis propoſitioni-

bus, in quarum quinta nonnihil ſugillat nomen ſtatus perfectionis à religioſis uſurpatum noviter, ut ait, cum ſiet plures imperfectiſſimos tales religiones profiteri, & perfectio acquirenda quam dicit religio, non ſit perfectio acquiſita, atque ideo melius diceretur ex ejus mente via ad perfectionem, quamvis & addat nonnullos à perfectione impedire religionem quæ indiſcrete ſumitur vel non obſervatur.

Hoc autem non minus inter acta Concilij referri poſſet, quam damnatio Huſſitarum, aut ſceleratæ ac furioſæ aſſertionis Joannis Parvi beneficiis Ducis Burgundiæ corrupti, ut excuſationem haberet necis à ſe patratæ Ducis Aurelianenſis, cujus doctrinæ perverſitatem cum fortius expugnaſſet Gerſon & ejus in Concilio condemnationem promoviſſet in tantum odium & vitæ periculum à Duce Burgundiæ incidit, ut exacta Synodo in exilium ſpontaneum ſecedere, & vitam etiam mendicitate ſuſtentare elegerit, quam in Galliam redire, propoſita ſibi difficili peregrinatione in qua etiam Angelum cuſtodem viæ ſibi præmonſtrantem nactus eſt, ut ipſemet deſcripſit in icone hujus peregrinationis.

Joannes Parvi minor.

Nec curat Angelica Dux, ſed cura viſibus obſtat.

Moritur tamdem Lugduni 1319. die Julij 12. ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Pauli, ac in lapide ipſius membris ſuprapoſito hæc verba leguntur. *Panitemini & credite Evangelio.* Ubi etiam beneficiis miraculorum Jeſus Chriſtus ſuum famulum illuſtrare ac ejus ſanctitati clementer atteſtari dignatur. Cum autem in fine vitæ multos pueruloſ in templo congregaret catechiſandi cauſa, quibus in fine inſtructionis præibat in hac precatiuncula quam ab omnibus illis recitari volebat. *Deus meus Creator meus miſerere miſeri tui famuli Ioannis Gerſon*, factum eſt ut omnes pueri urbis, eo defuncto, eamdem recitarent pro ejus quiete, etiam quidam adhuc lactentes & nondum loquelæ idonei. Tantum abeſt à vero quod hac proteſtatione, ſic ſalutem ſuam unius Dei miſericordiæ in ſolidum adſcribere voluerit, nullo miſſarum aut peculiarum pro defuncti s & ejuſmodi traditionum Pontificiarum habito reſpectu, ut hæc maligne detorquet Author catalogi teſtium veritatis. lib. 18. quaſi Catholici & Ortodoxi magnam Dei miſericordiam ſæpius non implorarent. Quantum autem operæ contulerit ad hanc Synodum præfatus Cancellarius indicant hi duo verſus ad ejus Iconem apoſiti, ſumpto nomine Sorbonæ pro tota facultate Pariſienſi, ut communiter ſolet, cum ipſe ex domo Regiæ Navarræ prodierit.

Gerſonis mors.

Quid Sorbona poteſt monſtras doctiſſime Gerſo,
Gerſo ſacroſancti dux atque decuſque chori.

De alio decreto viva voce facto.

Refert ſanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3. p. Summæ tit. 25. cap. 2. declaraviſſe Martinum V. vivæ vocis oraculo in eodem Concilio, confeſſarium excommunicatum, etſi notorium, modo non ſit nominatim excommunicatus nec notorius percuſſor clerici, valide poſſe abſolvere. Ex hinc à tempore hujus Concilij mos invaluit ut non vitentur niſi duo genera excommunicatorum, ſcilicet nominatim excommunicati & notorij Clericorum percuſſores, cum antea plures eſſent de vitandis excommunicatis difficultates.

Excommunicati qui vitandi.

Concludit autem inde Arcudius de concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis lib. 4. cap. 5. Parochos Græcos errantes in fide & ab Eccleſia ſejunctos valide abſolvere pœnitentes Græcos de fide bene ſentientes ac ſibi ſubditos, qui recurrendo ad eos pro abſolutione non peccant cum utantur jure ſuo, & illi tolerati ſunt ab Eccleſia & ex Concilio Conſtantienſi poſſunt valide abſolvere eo ipſo quod non ſunt nominatim tales declarati, ac denuntiati excommunicati, nec adempta fuerit illis talis poteſtas abſolvendi, licet mortaliter peccent adminiſtrando ſacramentum in ſtatu hæreſis. Nec obſtat quod alij Epiſcopi & Patriarchæ Latini à temporibus Innocentij III. deſignati ſunt: nam propterea Græcos Epiſcopos ſchiſmaticos licet & hæreticos nominatim non excommunicavit Pontifex, ſed tolerat ſpe concordiæ, vocatque ad concilia Generalia, habens tanquam Epiſcopos.

Presbyter Græcus valide abſolvit.

De modo ſe habendi tempore ſchiſmatis.

Frequentior erat hæc controverſia à morte Gregorij XI. in cujus locum Cardinales fere omnes Galli tumultuantibus Romanis, coacti ſunt Italum ellegere Urbanum VI. dictum, de cujus electione ſubito pertæſi ac eam invalidam arbitrati, juxta diſt. LXXIX. ubi dicitur *Si quis pecunia vel gratia humana aut populari vel militari tumultu ſine concordia & Canonica electione Cardinalium ſedis Apoſtolicæ fuerit intronizatus, non Apoſtolicus ſed Apoſtaticus habeatur*, alium elegerunt Clementem ſeptimum, qui Avinium ſe recepit. Hæcque fuit origo ſchiſmatis, quod uſque ad præſens Concilium duravit. Dum interim alter Pontifex in alterum eique adhærentes ſævirent per cenſuras, quare dubium erat graviſſimum apud plures de validitate ſacramentorum & de ſtatu ſalutis animarum. Qua de re cum plures tunc ſcripſerint, poſt eos Thomas Illyricus minorita ac Lutheranæ hæreſis acer impugnator tractatum edidit in quo ſunt hæ ſequentes aſſertiones (ſalvo ſemper in omnibus ſuperiorum ac ſapientiorum judicio.)

Quocumque de Papatu contendentium demonſtrato non eſt hæreticum dicere, A non eſt Papa: in caſu prædicto ſtat aliquos eſſe, apud quos iſtud pertinaciter aſſerere, A non eſt Papa, ſaperet hæreſim.

In ſchiſmate temerarium, & injurioſum & ſcandaloſum eſt aſſerere, omnes tenentes iſtam partem, vel alteram vel omnes neutrales etiam abſolutos eſſe univerſaliter extra ſtatum ſalutis, vel excommunicatos vel rationabiliter de ſchiſmate ſuſpectos.

In ſchiſmate licitum, imo cautum eſt præſtantibus obedientiam iſti vel illi, eam ſub conditione tacita vel expreſſa tribuere.

Quacumque parte demonſtrata temerarium & ſcandaloſum & ſapiens hæreſim eſt aſſerere, ſacramenta Eccleſiæ ſuam efficaciam non habere, aut Sacerdotes non eſſe conſecratos, pueros non eſſe baptizatos, ſacramentum altaris non eſſe confectum & ſimilia.

In ſchiſmate temerarium & ſcandaloſum eſt aſſerere, quacumque parte demonſtrata, quod non licet audire Miſſas eorum, vel ſacramentis non communicare, præſertim attenta diverſitate locorum, temporum atque perſonarum.

Poſſibile eſt aliquos veræ parti aſſentientes, veraciter eſſe ſchiſmaticos: & aliquos falſæ parti modo prædicto aſſentientes, ſchiſmaticos non exiſtere.

Salubrius, juſtius, tutius eſt quærere utilitatem Eccleſiæ, inſiſtendo contra contendentes de Papatu, & hoc per viam ceſſionis utriuſque, vel ſubſtractionis obedientiæ, vel alterius licitæ coactionis, quam ſubditos per excommunicationis cenſuram vel aliter vexare ſeu turbare, aut quod una pars Chriſtianitatis ab alterius communione pertinaciter ſeparetur.

Ratio primæ concluſionis hæc eſt, quoniam nulla propoſitio, ad cujus verificationem exigitur veritas unius propoſitionis contingentis & ad fidem impertinentis, eſt de neceſſitate aut integritate fidei: nam ſicut propoſitio copulativa, cujus una pars eſt contingens, eſt tota contingens, cujus una pars eſt falſa aut impoſſibilis, eſt tota falſa aut impoſſibilis, ſic in propoſito: conſtat autem quod ad verificationem illius, A, non eſt Papa, exigitur non ſola una, ſed multæ contingentes poſſe eſſe veras, ut quod electio ſit rite celebrata, & ab illis qui habebant poteſtatem, & conſimiles multæ. Ex ſimili ratione colligitur quod

quocumque demonſtrato ſacerdote, iſta non eſt hæretica, iſte non eſt ſacerdos & conſequenter ſequitur quod nec iſta, hoc non eſt corpus Chriſti in altari, &c.

Ratio ſecundæ propoſitionis, quoniam propoſitio dicitur ſapere hæreſim, quando ex ipſa coaſſumptis aliquibus veris, quæ rationabiliter negari non poſſunt, ſequitur error in fide, ſed poſſibile eſt aliquos homines per revelationem vel aliter ſic certificatos eſſe, quod omnia rite facta ſunt in electione & conſecratione ejus in Papam, A. quod rationabiliter tunc dubitare non poſſunt. Si negant A. eſſe vel fuiſſe Papam, incidunt in errorem illum quod rite electus & conſecratus in Papam, non eſt nec unquam fuit Papa, & quod non ſuccedit Petro, & ſimilia quæ ſunt hæretica.

Ratio tertiæ concluſionis, quia multi ſunt ex utraque parte & neutrales, quibus non eſt materia ſchiſmatis clarificata, quin rationabiliter poſſint negare vel dubitare iſtam propoſitionem, quocumque contendentium demonſtrato, A. eſt aut fuit rite electus, A. non eſt ſchiſmaticus aut hæreticus, & conſimiles ad quas ſequitur, A. non eſt Papa, aſſumptum docet experientia, & tot doctorum diverſæ adverſæque ſententiæ: & conſtat multos eſſe ſimplices, qui ad talia dubia inveſtiganda non tenentur alios ſequi, nec moventur favore, vel odio, vel quæſtu ad conſentiendum huic parti vel illi, & parati ſunt obedire veritati ſufficienter agnitæ, nec ſunt pertinaces, igitur nec excommunicati, nec de ſchiſmate rationabiliter ſuſpecti.

Bona fides multos excuſat.

Ratio quartæ concluſionis colligitur ex præcedenti, & per ſimile de adoratione hoſtiæ in altari, dum occurrit aliqua dubitatio, quod preſbyter celebrans non compleverit omnia rite ad conſecrationem requiſita, ſufficit enim adorare ſub conditione implicita, imo ſemper debet ſubjungi conditio implicita, iſta videlicet vel ſimilis, ſi omnia rite facta ſint ſecundum inſtitutionem Chriſti & Eccleſiæ. Cur igitur in caſu ſchiſmatis multum dubio, & quod non tam propriè tangit ſtatum ſalutis & fidei, non poterit apponi conditio iſta vel conſimilis? ſi talis fuerit canonice electus & conſecratus, & non ſit hæreticus aut ſchiſmatice depravatus.

Ratio quintæ concluſionis manifeſta eſt advertenti, quoniam neque ſchiſma, neque hæreſes, neque aliud quodcunque vitium obſtat in miniſtro, quin Sacramentorum collatio habeat ſuam efficaciam, dummodo conferentes intendant id facere, quod Chriſtus & Eccleſia inſtituerunt, & recipiens illud recipere, ſicut rationabiliter præſumi debet de omnibus. Si autem aliquæ reperiantur ſanctorum authoritates, dicentes ſchiſmaticos & hæreticos non habere ſpiritualem poteſtatem, ſcilicet ſacramentalem, & ita non poſſe ſacramenta Eccleſiæ conferre, ſemper ſunt intelligendæ de illis hæreticis & ſchiſmaticis, qui formam Eccleſiæ non ſervant eſſentialem in collatione ſacramentorum, nec intentionem habent facere quod facit Eccleſia, vel intelliguntur quantum ad legitimum uſum illius poteſtatis, non autem ſunt referendæ ad ipſam eſſentiam poteſtatis, vel etiam ſunt intelligendæ (ſicut dixi in ſermone propoſito de Eccleſiæ clavibus, in quæſtione illa, utrum Epiſcopus hæreticus poſſit conferre Ordines) quantum ad rem Sacramenti ſive effectum ſalutiferum eorum qui recipiunt, pro eo quod Spiritus ſanctus non confert gratiam extra Catholicam Eccleſiam: quicumque enim ſcienter ab iis accipiunt ſacramenta, peccant; niſi Sacramentum baptiſmi in articulo neceſſitatis, & ita impediuntur quantum ad rem Sacramenti, ſcilicet utilitatem & fructum illa ſacramenta.

Adverte tamen quod hæretici & ſchiſmatici pertinaces, quos conſtat vere eſſe ſchiſmaticos, nullam habent poteſtatem juriſdictionis, ſecundum quod ponitur in c. *didicimus* 24. quæſt. 1. ubi dicitur: Didicimus omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere juris ac poteſtatis, unde nec abſolvere nec excommunicare poſſunt. De hac etiam poteſtate habetur in c. *Novatianus*. 7. q. 1. & extra *de ſchiſmaticis* c. 1. unde & ibidem dicit Gloſſa, quod dum Eccleſia habet paſtorem hæreticum vel ſchiſmaticum, vacare dicitur. ſupra *de reſcript.* c. 1.

Ratio ſextæ concluſionis ex præcedentibus manifeſtatur, quoniam nihil debet rationabiliter à talibus impedire excommunicatio lata, ſi non adſit pertinacia: nunquam excommunicatio intenditur ferri niſi in pertinaces, qui non ſunt parati audire Eccleſiam; alioquin fruſtra ferretur excommunicatio, imo damnabiliter in Eccleſiæ deſtructionem: non autem data eſt poteſtas miniſtris Eccleſiæ quibuſlibet ad deſtructionem, ſed ad ædificationem ſecundum Apoſtolum, quemadmodum medicina datur, prout conferre poſſit ſanitati, & ſanitas homini. Sic finis excommunicationis eſt ſubditorum emendatio, quod ſi clarè per excommunicationem videtur, aut videri debeat non ſequi emendatio vel fructus, ſed damnabilis in oppoſito conferri videatur ſecundum Auguſt. in parabola de zizaniis, Matth. 13. cum ibidem notatis. Rurſus iſta concluſio aperte trahitur ex tertia & quarta concluſionibus; ſi enim multi ex utraque parte ſunt in ſtatu ſalutis & non pertinaces, imo parati ſtare & mori in veritate agnita ſufficienter, aut qui ſub conditione etiam falſæ parti aſſentiunt, quæ conditio etiam eoſdem ab errore damnabili reddit excuſatos, conſtat quod tales non debuerunt nec potuerunt excommunicari, & per conſequens nec eorum communicationem prohiberi. Si dicatur quod etiam excommunicatio injuſtè lata eſt timenda, hæc propoſitio male intelligitur à pleriſque & ſcrupulos varios & periculoſos ingerit: tamen quantum ad præſens ſufficit reſpondere, quod ſi lator non reputetur judex, eadem executione qua hoc fit, poteſt conſequenter excommunicatio non tenere. Et quia multi tenentes unam partem debent rationabiliter tenere, quod alij ſint in ſtatu ſalutis non pertinaces & parati ſtare juri agnito, imo qui forte ſuo Papæ aſſentiunt ſub conditione, poſſunt ex hoc communicationem eis impendere, non enim debent ſuo Papæ tale crimen imponere, quod voluit homines non pertinaces excommunicare, vel eos qui tenent Antipapam, ſub conditione tamen rationabiliter appoſita, ſi & in quantum fuerit rite electus, & non aliter à communione Eccleſiaſtica canonice ſegregare.

Excommun. non ſemper ligat.

Ratio ſeptimæ concluſionis eſt, quia ſtat aliquem veræ parti aſſentientem & pertinacem eſſe, quod vel propter quæſtum ad obediendum veritati agnitæ, ſi per Eccleſiam vel aliter reperiretur eundem errare, vel etiam dum in tanto dubio involuto pro ſua aſſertione ſuſtinenda, ſepararet ſe à membris veris & vivis ipſius Eccleſiæ: non eſt enim ſchiſma tantum in ſeparatione membrorum à capite, ſed etiam in ſeparatione pertinaci membrorum ad invicem, ut ſupra oſtenſum eſt. Ex quo conſequenter habetur, quod temerarium & periculoſum eſt pertinaciter unam partem vel alteram impugnare, & ab ejuſdem communione eam deteſtando declinare.

Ratio octavæ concluſionis perſpicua eſt ex præcedentibus, quoniam ubi radix & origo talis vel principalis ipſius ſchiſmatis conſiſtit, ibi eradicatio fieri debet, aut antidotum ſumi pro unitatis adeptione; ipſi enim ſunt qui peccaverunt, alij autem qui oves ſunt, quid meruerunt? Ipſi ſunt propter quos tempeſtas orta eſt in mari, dederunt denique & dant tunc ſcandalum propter quod ad illud removendum de neceſſitate ſalutis obligantur. Non negandum eſt quod quilibet pro parte ſua obligatur ſecundum donum à Deo præſtitum, quærere quæ ad pacem ſunt, hic orando, ille monendo, alter docendo.

Ultima pars, quod non expedit unam partem generaliter vitare alteram, & facere ſciſſuram in principalioribus actibus religionis Chriſtianæ, &

fraternam

nam charitatem violare, patet ex præcedentibus & principaliter ex 5. concluſione & ſexta. Verum eſt enim quod ſingularitas in opinione propria contumaciter alios condemnans, incomparabiliter videtur eſſe periculoſior & deterior, quam communicatio fraternalis per charitatem, quæ eſt compago membrorum Eccleſiæ, ſub intentione ſemper recta & firma de obediendo Eccleſiæ: Etenim qui aliter agit, pro incerto verum, Ile ſe exponit violationi fraternæ charitatis.

Nec oportet allegare jura ſuper periculis & maledictionibus eorum qui non obediunt præceptis & inſtitutionibus ſummi Pontificis & ſententiis: habet enim locum talium allegatio apud illos, qui nulla poſſunt rationabili cauſa excuſari, quando ſciant vel ſcire debeant talem vel talem eſſe ſuum ſuperiorem. Si vero eſt ignorantia probabilis apud multos de utraque obedientia, & apud neutros, non reputantur talibus ſententiis alligati.

Ex omnibus prædictis videtur poſſe elici quædam documenta. Primum eſt, quod in ſchiſmate poteſt apud plurimos applicari rationabiliter documentum Ambroſij ad Auguſtinum de jejunando vel non jejunando ſabbata, ſecundum diverſitatem temporum, locorum & perſonarum. Poteſt ſine periculo ſchiſmatis nunc illi, nunc iſti, modis iſtis obedire, & nunc cum iſtis, nunc cum aliis communionem præſtare: & hoc totum dicitur propter probabilem ignorantiam juris iſtius, vel illius partis: & ſuppoſito quod ab initio ſchiſmatis forte tentanda fuiſſet alia via, ad ſciendum ſi per excommunicationes aut prædicationes, vel aliter omnes ad unam obedientiam trahi potuiſſent: attamen cognito per experientiam quod talia nihil proficerent, imo nocerent, quod de die in diem major involutio ſequeretur, videtur faciendum ut dictum eſt.

Secundum documentum eſt, quod inter omnes ejuſdem obedientiæ expedit adhærere ſententiis latis à ſuo ſuperiore credito, alioquin non eſſet vinculum charitatis.

Tertium documentum eſt, de caſibus reſervatis Papæ, de diſpenſationibus & aliis in foro conſcientiæ vel publico, poſſunt homines ſecundum credulitatem ſuæ partis & ſeipſos quietare, pro facto tenendo id, quod eorum ſuperior creditus fecerit: neutrales autem videntur habere ſufficientem recurſum ad ordinarios, ad quos ſecundum eorum opinionem communiter loquendo, eſt poteſtas devoluta.

Porro in his omnibus quod patitur majorem difficultatem eſt validitas abſolutionis propter neceſſitatem juriſdictionis legitimæ. Cum enim hæc ſit eſſentialis ſacramento Pœnitentiæ, quod agit per modum medicinæ, ad quam non ſufficit ut ſanet hominem, quod habeatur aliquo medicorum judicio probabilis, niſi etiam reipſa bona ſit, majores erant conſcientiarum anguſtiæ, circa validitatem abſolutionis: ideoque Martinus V. decretum edidit in hoc Concilio, quod multis etiam hodie ſolatio eſt, dum aliquot paſtores ſunt excommunicati, quod valida eſſet confeſſio facta excommunicatis, modo nominatim excommunicati non eſſent.

De notis cenſuræ, contra errores Vvicleffi & Huſſi.

QVid ſignificent notæ affixæ erroribus Vvicleſi & Huſſi, inquirunt plures. Ideo de ſignificatione harum notarum agunt Cardinalis Turrecremata lib. 4. ſummæ de Eccleſia parte 2. c. 11. Canus lib. 12. de locis. Bannes in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 11. art. 2. Suares tract. de fide diſp. 19. ſect. 2. ex quibus poteſt *Hæreſis.* intelligi Propoſitionem hereticam eſſe, quæ aduerſatur evidenter ſcripturæ ſacræ, aut propoſitioni quæ tanquam de fide definita eſt per Eccleſiam.

Propoſitio erronea.

Propoſitio erronea adverſatur doctrinæ Catholicæ: aliud eſt autem fides, aliud doctrina Catholica, quæ ea intelligitur quæ per evidentem conſequentiam colligitur ex fide, quæ tamen nondum eſt definita ab Eccleſia, vel propoſita tanquam traditio Apoſtolica vel ſacra ſcripeura. Tali autem doctrinæ propoſitio contraria dicitur erronea à modeſtis Theologis, etſi indirecte ſit hæretica.

Error.

Si autem propoſitio adverſetur concluſioni Theologicæ quæ deducatur per conſequentiam non ita evidentem, valde tamen probabilem & moraliter loquendo quaſi neceſſariam, dicitur error.

Sapiens hæreſi

Propoſitio ſapiens hæreſim ea eſt, quæ licet aliquando poſſit habere bonum ſenſum, tamen ex quibuſdam circumſtantiis vel ex parte aſſerentis vel ex temporum calamitate cum non ſit ſatis modificata, ſaporem quendam habet hæreſis judicio prudentum & ſapientum. Ut ſi legeretur in libro Arriani, Pater major me eſt.

Temeraria.

Propoſitio temeraria eſt quando aliquis aſſerit quidpiam contra communem opinionem Eccleſiæ aut Theologorum in materia gravi ſine magna authoritate: ut ſi quis diceret B. Virginem non fuiſſe aſſumptam in cœlum in corpore, aut mundum intra centum annos finem habiturum.

Scandaloſa.

Propoſitio ſcandaloſa quæ affert cauſam ſcandali circa aliquam doctrinam & veritatem fidei. Ut ſi quis pro concione publica incommoda omnia confeſſionis enumeraret, vel jejunij Eccleſiaſtici.

Injurioſa.

Propoſitio injurioſa quæ detrahit ſtatui alicui fidelium, aut notabili perſonæ.

Seditioſa.

Propoſitio ſeditioſa quæ diviſionem induceret in populo; ut ſi quis diceret malo Prælato aut Principi non eſſe obediendum.

Male ſonans.

Propoſitio male ſonans ac piarum aurium offenſiva, quæ aliquid profert indecens aut iniquum in materia pietatis ac religionis.

Quantum autem in pluribus hujuſmodi propoſitionibus detrahebant myſterio redemptionis Vvicleff & Hus, tantùm illud idem myſterium aſſerit & vindicat hæc Synodus, dum talibus notis ipſas afficit.

Judicium Sanctæſi Ebroicenſis Epiſcopi de Conſtantienſi Synodo repetit. 10. c. 4.

ADverſarij calumniantur hanc Synodum, & proſcindunt miris convitiis, quaſi minime generalem, & quaſi per imperitiam lapſa ſit à præcepto Domini, ipſumque irritum fecerit propter conſuetudinem per obreptionem introductam: & quaſi per temeritatem & arrogantiam ac propter traditionem ſuam à veteri & anteriori Eccleſia defecerit, in qua viguit ſub utraque ſpecie Euchariſtiæ adminiſtratio, tametſi eadem ſcandala & pericula imminerent: quaſi denique per imprudentiam, ſine rationabili cauſa remedium iniquum obortis ſcandalis adhibuerit, cum alia adeſſent æquiora, etiam per Eccleſiam comprobata, nimirum ut conſervato calice provideretur de vaſis idoneis, fiſtulis atque aliis modis, quibus populus ſine effuſione atque irreverentia communicare poſſit, cum etiam noſtro tempore Græci omnes & Æthiopes Chriſtiani viam illam nobis commonſtrent.

Hæreticis innatum nullam Synodum ampleCti, niſi per eam quo jure quave injuria obtineant, quod cupiunt. Ab Arrianis nunquam Nicæna, nec à Neſtorianis Epheſina, nec ab Eutychianis Chalcedonenſis Synodus, pro generali & legitima habita fuit vel creditа, ſed eas, à quibus damnantur, ſolent imperitiæ accuſare. Certe ſi quæ Conſtantiæ convenit multitudo Prælatorum, non mererur nomen univerſalis Eccleſiæ vel Synodi, quia Græci non interfuerunt, nec Nicænum Concilium jure diceretur generale, quia non legitur quiſquam ibi ex Gallia aut Germania adfuiſſe. Si autem, ut veritas habet, hoc nomen me- *Quando Concilia*

Generale dici debet.

tito sibi vendicat multitudo pastorum à primo pastore Ecclesiæ convocata, reliquis animo & consensu præsentibus, qui ob rationabilem causam absunt corpore, æque Constantiensis Synodus generalis fuit, ut Nicæna. Sic Paulus corpore aberat, sed spiritu præsens in Ecclesia Corinthiorum agebat, quando incestuosus ille Satanæ tradebatur. Sic Augustinus dicit plenario Concilio obtinuisse Catholicam sententiam, contrariam errori Cypriani: ubi plenarium Concilium non est necesse intelligere, omnium totius orbis Episcoporum in unum locum conventum, sed consensum omnium Patrum totius orbis, qui etiam ipso silentio in aliorum sententiam pedibus transierunt, aut scriptis suum suffragium sunt contestati: quemadmodum Eusebius ait ex provincialibus Synodis de Paschate Patres inter se contulisse per epistolas, atque ex actis generalium Synodorum ita solitum fieri constat.

Lib. 2. de Baptisme c. 4.

Lib. 5. c. 23. 25.

Quod si qui schismatici vel hæretici Episcopi fuerunt corpore & animo, non imminuit authoritatem Concilij plenarij, quoniam tales jam ad Ecclesiam Christianam non pertinent, sicut scriptura pronunciat cunctas undecim tribus, imo omnes filios Israël concurrisse contra Benjamin ad ultionem impuri flagitij, & tamen inventi fuerunt habitatores Jabes Galaad ibi non fuisse. Hi enim quia se à facto totius populi dividebant, à populo Israël reputantur extranei, ideoque ab aliis omnes internecioni traduntur. Græci certe quamvis essent scissi & divisi à Latinis tempore Constantiensis Synodi, tamen nunquam tum, nec postea, quando ad unionem redierunt, statuto unius speciei reclamarunt, imo huic cum aliis Ecclesiæ Latinæ dogmatibus consenserunt, & subscripserunt Florentinæ Synodo, quæ Constantiæ primum conventum habuit.

Quod si Prælatorum multitudo, si in scripturis & libris Patrum exercitatio, si zelus ac studium instaurandæ doctrinæ & disciplinæ Christianæ collapsæ, si prudentia & experientia, quibus pollebant plerique ibi præsentes, attenderetur, opinor Concilium istud cum omnibus, quæ unquam de toto orbe Christiano coacta fuerunt, comparari ac fortasse anteferri posse. Interfuerunt enim quinque Patriarchæ, triginta tres Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, ducenti viginti octo Episcopi, ducenti septemdecim sacræ Theologiæ, & trecenti triginta unus Juris utriusque Doctores, cum multis aliis ex Oriente & Græcia præclaris viris, ut Acta & historiæ ea de re conscriptæ testantur. Inter hos quasi lumina emicabant insignes viri Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis, qui Synodo librum suum de emendatione Ecclesiæ obtulit; Joannes Gerson quem, propter eruditionem & animi candorem ac fervorem erga puritatem Ecclesiæ, nemo non laudas adversariorum; Nicolaus de Clamangis Archidiaconus Bajocensis, vir emunctæ naris in notandis erroribus & abusibus, qui tum etiam libellum suum de corrupto Ecclesiæ statu edidit; Vincentius Ferratiensis inter sanctos postea relatus, atque eius generis complures alij viri, qui tum temporis nec Pontifici, nec Clero, nec Principibus, nec populo, in his quæ ad fidem, bonos mores, Ecclesiæque reparationem pertinebant, nihil sunt adulari, ut Acta ejusdem Synodi ostendunt. Non cædis hosce viros, atque eorum similes potius passuros fuisse membratim discerpi, quam vel uni decreto assentiri, cui qui subscriberet, sacrilegium committeret, & verum Christi membrum esse desineret. Cur vero Canon de Communione unius speciei præfatur, matura plurium Doctorum tam divini quam humani juris deliberatione prahabita, nisi ut intelligas nihil ibi præcipitanter aut inconsulto prolatum, discussum & decisum, ubi tot excellentes viri ac pij diu multumque prius rationum momenta apud se expenderunt, & inter se contulerunt, ac continuis precibus & votis cum vitæ sanctitate conjunctis, veritatem à Spiritu sancto comprecari solebant? si post cibum capere Eucharistiam præcepisset Christus, nemo, ait Augustinus, eum morem mutasset, quia Christus suis obtentibus obstitisset, & à via veritatis & præcepti aberrare non sivisset. Quantominus ubi non fuerunt duo soli aut tres in ejus nomine congregati, sed omnes universi orbis Christiani aquilæ, & cœlestes magis quam humani viri? Hoc est blasphemare Christum, qui oravit, ut Petri & Cathedræ ejus fides non deficeret. Hoc est blasphemare Spiritum sanctum, quasi male functus officio non arguerit mundum de peccato; si Christi præceptum violavit, & sacrilegio se contaminavit. Nemo Concilio restitit nec tum, nec postea ex Ecclesiis, vel viris Catholicis: tantum inventi sunt, qui refragarentur, infecti aliis hæresibus & sordibus in Bohemia, & Moravia. Propterea in adversarios valere debet Marciani Imperatoris post definitionem Chalcedonensis Synodi responsum hoc: Vere impius & sacrilegus est qui post Ecclesiam & tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.

Concilij commendatio.

Nota de communi. sub una specie.

Porro Christianis satis est argumenti, Christum non tulisse legem vel præceptum de communione sub utraque specie tanquam necessaria, quod Ecclesia congregata post multam & maturam deliberationem tot doctorum hominum, censuit communionem sub una specie populo sufficere, quoniam eam non permisissent Christus & Spiritus ejus id decernere, si de utraque contrarium promulgassent præceptum. Sed nec Christus nec Spiritus ejus irrepere sivissent pravam consuetudinem, seu potius corruptelam præcepti divini ex tali communione, sed statim obrepenti restitissent, & invalescenti opposuissent veritatis repagulum, nec ultra progredi & obtinere fuisent passi. At ex eo quod ei nascenti pessimi quique consenserunt, & proborum fulta suffragio contra improbos & hæreticos emersit, atque in universali Concilio à tota Ecclesia suscepta est & confirmata, judicium est maximum ductu Spiritus sancti eam cœpisse: & contra consuetudo directione Spiritus sancti inchoata, & à sanctis Patribus diutissime observata, attestatur Concilij constitutionem Deo & Spiritui sancto gratam ac ratam esse. Non enim Spiritus sanctus Ecclesiam tantum regit ac moderatur per constitutiones & Canones, sed etiam per pias consuetudines & earum introductionem: quemadmodum contra Cyprianum & ab eo coactam Carthaginensem Synodum provincialem, consuetudini scripturas & præceptum Domini objicientem, Stephanus Romanus Pontifex & Catholici defendebant, de non rebaptizandis qui ab hæreticis tingebantur, quod tandem per Nicænam Synodum & Augustini acumen verissimum esse comperierunt & evicerunt.

Non igitur Synodus Constantiensis per consuetudinem & constitutionem suam irritum fecit mandatum Dei de utraque specie, quod nullum esse scivit, sed gratiæ Spiritus sancti sacrilegia & hæreses de Sacramento Eucharistiæ repurganti non restitit, quia vetus Ecclesia nusquam credidit indici populo communionem utriusque speciei à Christo, imo multis suis exemplis docuit sub unica arbitrariam esse & liberam, & ex utraque hanc vel illam alteri præferendam ex rationabili causa.

CONCILIVM BASILEENSE

VNIVERSALE EX PARTE REPROBATVM.

SIGISMVNDO IMPERANTE, pro reformanda Ecclesia inchoatum, anno Dom. 1431. Pontificatus Eugenij IV. anno 1.

HActenus in Ecclesia nullum fuit Concilium quod majori cum molestia celebratum fuerat. Duravit fere septem-decim annos. Omnesque qui authoritatem summi Pontificis Conciliis anteponunt, illi detrahunt sicut & Constantienses, cum utrumque supremam sibi in definiendo statuendoque authoritatem tribuat: & ut res est ardua & difficilis quæ multorum exercet ingenia, non est unius hominis, sed Ecclesiæ Judicare, ait Joverius in præfatione hujus Synodi.

Quod spectat autem ad causam & progressum illius, hæc à Martino V. eius nominis Pontifice indicta, ope & auxilio Sigismundi adhuc Regis ex præscripto Constantiensis Consilij congregata fuit, eo fine, ut in eo de moribus fidelium reformandis, & Curia Romanorum in melius mutanda ageretur, & Bohemorum motus, turbæ, seditiones & hæreses componerentur. Præsidem Concilij instituerat Julianum Cæsarinum S. R. E. Cardinalem, Sedisque Apostolicæ Legatum. Post obitum Martini Eugenius Papa prædecessoris sui institutum secutus, idem Concilium confirmavit, & ut inchoaretur, prædicto Iuliano serio demandavit. Cumque maxima Prælatorum multitudo ex universo orbe Latino Basileam in dies singulos confluaret, atque 14. Calendas Augusti 1431. initio Pontificatus Eugenij Synodus inchoata esset, multa de reformatione Romanæ Ecclesiæ in ea tractari cœpta fuere. Qua in re dum illi sub specie reformandæ Reipublicæ Christi, pleraque Romanæ Ecclesiæ privilegia, omnino tollere & antiquare studerent; Eugenius Papa Legato Sedis Apostolicæ revocato, Concilium, cujus inchoationem antea approbaverat, dissolvit, & Ferrariam transtulit; ea præcipuè de causa, quod Græci de unione cum Romanis ineunda acturi, eum locum delegissent. De hoc Concilio Philippus Bergomas *in supplemento Chronici*, lib. 5. Pulcherrimum certe initium habuit, sed turpissimum exitum propter schisma excitatum & subsequutum, in quo Eugenius privatus & Amedeus eremita dudum Sabaudiæ Dux ad Pontificatum summum invitus delectus fuit quem & Fœlicem quartum nominaverunt. Verum Eugenius cognita Concilij injustitia, Delphinum, Caroli Francorum Regis filium cum magno equitatu in Basilienses concitavit. Cujus planè impetu, statim conventus ipse dissipatus est. Amedeus autem cum pacis & humilitatis amator existeret, mortuo Eugenio Pontifice, statim nullis pulsatus precibus, Nicolao Pontifici ejus successori humiliter cessit, & in loco pristinæ humilitatis rursus rediit: quo cognito Nicolaus & cæteri patres (confirmatis prius omnibus per eum gestis) in patria sua eum delegatum ex latere creatunt. Deficiens demum in senectute bona, post obitum, etiam miraculis clarus effulsit. Hæc ibi. Decreto Constantiensis Concilii statutum fuerat, ut Papiæ celebraretur: *sed cum pestilente constitutione inficeretur Papiense cœlum*, ut dicit Chronicon German. *placuit Pontifici concilium transferre Senas: cumque illuc ex multis Nationibus convenirent, multi quidem ex lar-*

gitionibus promissis contra Martinum moliebantur, ut de Pontificatu dejiceretur: quod ubi animadvertit Pontifex, statim Concilij conventum dissolvit: & ne quis calumniari posset, Pontificem sibi timere, statuit, post septem annos Synodum Generalem celebrandam, eique Concilio locum deputavit Basileam. Sic ibi. Paulus Langius in Chronico Citirensi Lausannæ, anno Domini 1448. prævia obsidione urbis dissolutum & dissipatum fuisse, atque ex glorioso principio humilem finem consecutum esse scribit.

Oecumenica fuit hæc Synodus, eo quod auctoritate Pontificis indicta, ac primo nutrita, & sub præsidio Iuliani Cardinalis continuata fuerit eousque, donec illicita potestate usurpata in Pontificem Romanum, Pontifex Legatum suum, pluresque alios Episcopos avocaret. Quando vero post horum discessum Synodus sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, invitoque Pontifice prorogata est, non tantum Oecumenica, verum etiam legitima Synodus esse desiit. Et propterea dicitur hoc Concilium *ex parte reprobatum*. Nam quod sit reprobatum auctoritate legitima, constat ex Sessione undecima Concilij Lateranensis sub Leone X. celebrati, ubi Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis appellatur. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem sententiam pronuntiare ausum est, omnes præcipui Episcopi discesserant, & quidam Cardinalis Arelatensis munus præsidendi sibi assumpserat. Et quia Episcopi paucissimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem Presbyterorum multitudinem: ita ut contra omnem formam Conciliorum, non Episcoporum, sed Presbyterorum Synodus esset. *Synodus Presbyt.* Deinde eodem tempore agebatur Florentiæ Concilium alterum, in quo præsidebat summus Pontifex, & cum eo sedebant Episcopi Latini & Græci sine comparatione plures, quam essent Basileenses, & una cum Episcopis aderat Imperator Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum: ut nullo modo dubitari posset, utrum ex duobus esset verum Concilium Ecclesiæ generale.

Dixi, hanc Synodum ex parte tantum reprobatam esse; quia Nicolaus V. pacis gratia approbavit Constitutiones, quæ de beneficiis Ecclesiasticis editæ ac promulgatæ fuerunt: reliqua omnia, quæ aliorum Conciliorum Decretis & Constitutionibus non sunt definita, judicio ejusdem Nicolai, sententiam prædecessoris sui Eugenii hac in re imitantis, rejecta & improbata fuerunt. Viderit ergo Paulus Langius, qua ratione erroris maculas huic Synodo inustas abstergere nitatur.

Certe parvi admodum æstimatur à pluribus Theologis. Legi potest Andræas Duvallius Facul. Paris. Decanus tract. *de suprema Rom. Pontif. auctoritate*, in Anteloquio. Ac ex Heterodoxis Robertus Creyghtonius Notis suis in historiam Concilii Florentini. In Synodo Basilienſi, inquit, huic nostræ Florentinæ coëtanea & corrivali, cum Episcoporum paucitate laborarent, ingentem Presbyterorum multitudinem invexerunt contra omnem omnium Conciliorum consuetudinem, ut non Episcoporum sed Presbyterorum Synodus diceretur, & non dubium sit quin nostra Florentina sit & generalis, & multis partibus Basileensi anteferenda.

SVMMA SESSIONVM XLV. hujus Synodi.

ANno Domini 1431. die 23. Iulii inchoatum est Concilium, septima Decembris in Ecclesia S. Leonardi convenientes, decreverunt, primam Sessionem celebrandam esse die Veneris, 14. Decembris, in Ecclesia Basileensi primaria. Quod cum per publicas literas valvis Ecclesiæ affixas singulis intimassent, omnesque ad Concilium convocari solitos vocassent tempore statuto prædicti Patres convenerunt, pri-

mamque Seſſionem inchoarunt, qua cum Præſes Concilij habita Orationcula, omnes Epiſcopos ſui officij memores reddidiſſet, in præſentia Legatorum Regis Sigiſmundi, & Amadæi Ducis Sabaudiæ, lectum eſt Decretum Conſtantienſe de celebrandis poſt lapſum quinquennij aut ſeptennij Generalibus Conciliis. Addita eſt lectio Bullarum Martini V. & Eugenij, quibus Baſileam pro loco Concilij deſignaverunt, cum Senis inchoatum, ex juſtis cauſis iſthinc transferri oporteret, neque ibidem continuari poſſet.

His ita peractis, monentur patres Concilij, vt fidei Chriſtianæ propagandæ, paci procurandæ, moribuſque reformandis ſedulam operam impendant, de rebus in Synodo peragendis, domi ſecum diu multumque cogitent, cogitataque libere proferant. Deinde conſtitutum fuit, quo modo, quove geſtu ſinguli ſe habere debeant, quod dignioribus nihil præjudicij generari debeat, ſi vel loco inconvenienti ſederint, vel ordine præpoſtero ſententiam ſuam dixerint: Ne verò illi, qui ad Concilium vocati ſunt, ulla ratione impedirentur, eodem privilegio donati ſunt quo Patres Concilij Conſtantienſis, quos ſub pœna excommunicationis ſoli Pontifici reſervatæ, non modo non ſpoliari, aliiſve injuriis afficere, ſed neque per viam arreſti alibi detinere aut impediri licebat. Similis pœna conſtituta fuit in eos, qui vel verbis, vel factis, palam vel occulte, per ſe vel per alios Concilium impedire, turbare, aut diſſolvere conati fuerint. Inſuper Decretum eſt, ut qui totius Eccleſiæ cauſa Concilio interſunt, fructus beneficiorum ſuorum plene & perfecte percipiant. Ad extremum ordinati fuerunt Notarij, Inſpectores Notariorum, Concilii Promotores, & ſedium ordinatores: à quibus dum ſinguli inſtrumenta actorum petiſſent, finita fuit Seſſio 1. Sed quatriduo poſt celebratam illam primam Seſſionem Eugenius Papa de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, Concilium, ſi quod Baſileæ congregatum videretur omnino diſſolvit; aliudque poſt annum cum dimidio Bononiæ cui ipſemet intereſſet, rurſuſque aliud in decennio decreti Conſtantienſis Avenione celebrari indixit, præcipuam revocationis cauſam inſinuans unionem Græcorum Bononiæ tractandam. Unde multæ oblocutiones contra eum ſecutæ ſunt, multique plurium conqueſtus revocationem hanc improbantium.

Seſſio II.

Anno 1432. 15. Calendas Martij habita eſt Seſſio II. cujus initio declaratum fuit, hanc Synodum Baſileæ legitime congregatam fuiſſe: poſtea confirmantur Decreta Concilij Conſtantienſis de auctoritate Concilij Oecumenici, ejuſque poteſtate ac juriſdictione ſuper Romano Pontifice; de Epiſcoporum acceſſu non impediendo: quodque ſine licentia nemo ante finem Concilij diſcedere debeat.

Seſſio III.

Eodem anno, die 19. Aprilis, Seſſione III. judicarunt, ad extirpandam Huſſitarum hæreſim, motuſque bellicos in Bohemia ſedandos, ipſius Eugenij præſentiam neceſſariam eſſe. Quam rem dum Patres Concilij molirentur, noverunt ex ſiniſtra informatione motum, Pontificem diſſolutionem Concilij attentare. Quod ne fieret, per Oratores certos à ſe deputatos rogarunt.

Seſſio IV.

Quarta Seſſione, quæ eodem anno 14. Calendas Julij celebrata fuit, conceſſus eſt ſalvus conductus omnibus ad Concilium vocatis, vel in eodem, controverſos de fide articulos proponere volentibus. Vocatis vero ad Concilium Cardinalibus inhibetur, ne ſede vacante novam electionem alibi, quam in ſacri Concilij loco aggrediantur. Papæ autem inſinuatur, ne extra locum Concilij ullos Cardinales creare, vel à Concilio eoſdem avocare præſumat.

Seſſio V.

Seſſione quinta quæ habita eſt in Vigilia ſancti Laurentii, Judices, Auditores, Procuratores, & Præcognitores, Notarij aliique Officiarii conſtituti ſunt cum eo mandato, ne ullius cauſæ judicium ultra treis menſes protrahant, neve præſentes in Concilio ad Curiam Romanam, vel alio avocari patiantur.

Seſſio VI.

Anno eodem, ſexta die Septembris habita fuit ſexta Seſſio, in qua Promotores Concilij Magiſter Nicolaus Amici & Hugo Berardi, Eugenij IV. contumaciam accuſarunt, quod Concilij prætenſam diſſolutionem non revocaſſet, nec citatus, per ſe vel per Legatos comparuiſſet. Tarentinus & Coloſſenſis Archiepiſcopi, Epiſcopus Magalanenſis, & Antonius de ſancto Vito, aliique pro Romano Pontifice intervenientes, Judicis incompetentis exceptionem, judicijque illius, quo Pontificis cauſa agitaretur, nullitatem allegarunt. Pro Cardinalibus vero ad judicium Synodale vocatis, allegata eſt juſta cauſa abſentiæ. Interpoſito itaque Decreto, cauſæ inquiſitio duobus Epiſcopis demandata fuit.

Seſſio VII.

Seſſione ſeptima habita ſexto die Novembris ejuſdem anni, terminus intrandi Conclave ad eligendum novum Pontificem eſt prorogatus. Cardinalibus vero contumaciter manentibus, pœna privationis impoſita fuit.

Seſſio VIII.

Seſſione octava cum Eugenius IV. Decreto Seſſionis III. non obtemperaret, ſub obteſtatione divini judicij, & per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti monitus eſt ſecundo, ut infra ſexaginta dies prætenſam diſſolutionem & convocationem Congregationis ſub nomine Concilij Generalis publice revocet. Concilio adſiſtat, & reliqua prioris Decreti impleat. Quod ſi non faciat, futurum decernitur, ut ſine ulteriori citatione contra eum procedatur: omnes ejuſdem promotiones & Ordinationes Eccleſiaſticæ à tempore contemptæ patitionis factæ caſſentur. Cardinales ſub pœna amiſſionis omnium Beneficiorum ad Concilium citantur; iiſque, ut à Curia Romana recedant, mandatur. Præter Baſileenſe, nullum aliud Concilium haberi permittitur: cæteræ congregationes, ſchiſmatica conventicula vocantur. Bononiam euntes Eccleſiaſtici ſub nomine Generalis Concilij, excommunicantur, & beneficiis ipſo facto privantur. Statuitur ne Beneficia eorum, qui Concil. interſunt, per Pontificem conferri poſſint. Alienatio, infeudatio, & impignoratio bonorum Eccleſiaſticorum interdicitur.

Seſſio IX.

Anno 1433. vigeſima ſecunda Januarii habita eſt Seſſio nona, qua Concilium recipitur, illique proceſſus, quos de Regni Ducatibus & Dominiis adimendis Eugenius Papa Sigiſmundo Imperatori, Wilielmo Bavariæ Duci, aliiſque Concilio adhærentibus intentarat, annullantur & reſcinduntur.

Seſſio X.

Seſſione Decima, quæ habita eſt 19. Februarij ejuſdem anni, poſt extenſionem & ampliationem Decreti

illius Seſſionis VIII. de Beneficiis eorum, qui Concilio A interſunt, non conferendis, Eugenij IV. contumacia eſt accuſata, quod prætenſam hujus Concilii diſſolutionem non revocarit, quodque tempore ſtatuto, neque per ſe neque per Legatos comparuerit, ſed etiamnum in contumacia perſeveret. Quare petitum eſt, eundem Papam velut contumacem damnari, diemque & locum ad hunc actum exercendum decerni. His auditis, decretum eſt, ut Vticenſis & Novarienſis Epiſcopi per literas valvis Eccleſiæ affixas inquirant, anne Eugenius IV. aut aliquis alius ſubſtitutus adeſſet, qui eius nomine coram Synodo comparere vellet. Nemine comparente, deputati ſunt, qui Actis contra Eugenium habitis diligenter perlectis, ea de re Concilio ſtatum cauſæ referant, ac deinceps prævia deliberatione, in cauſa eiuſdem definitive B pronuntiari poſſit.

Seſſio XI.

Seſſio undecima in Eccleſia majori Baſileenſi 27. Februarii eiuſdem anni celebrata eſt. In hac ſtatutum eſt. Primo, Quod Romanus Pontifex per ſe vel Legatos communi Cardinalium conſenſu eligendos Conciliis Generalibus cum omnibus perſonis Eccleſiaſticis, quæ de Iure tenentur, ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis intereſſe debeat. Secundo conſtitutum eſt: Quod Pontifex nemini, nequidem Cardinali, acceſſum ad Concilium prohibere poſſit: quodque ad Concilium accedere volentibus, licentiam impartiri teneatur: Concilium congregare, congregatum diſſolvere, aut de loco in locum ſine Con- C cilii expreſſo conſenſu transferre non poſſit. Tertio ſtatutum eſt, Ne hoc præſens Concilium Baſileenſe citra expreſſum omnium conſenſum diſſolvatur. De modo celebrandi Concilii in Conſtantienſi Synodo definito additum fuit, ut Electores Papæ ante Conclavis ingreſſum jurent, quod ſi quis eorum electus fuerit, hæc Decreta ſervare velit.

Seſſio XII.

Seſſio duodecima habita eſt 14. Martij, anni 1431. in qua Eugenij IV. contumacia iterum accuſata, quod nec tot Oratorum rationibus, nec totius Concilij precibus, nec Sigiſmundi Imperatoris crebris Legationibus motus, Concilio intereſſe dignaretur. Qua de cauſa Patres Concilij in eum varia convitia ſparſerunt, ut pote qui nihil intenderet aliud, quam ut Eccleſiam peſſumdet, ſibi vero ſuiſque ſucceſſoribus jus acquirat, non ſolum ritum ſacrorum Conciliorum abrogandi, & pro libito diſſolvendi; verum etiam Decreta promulgata abolendi. Et quamquam poſt expectationem ſeſquianni verentur, ne frequentior dilatio Pontifici conceſſa, fiduciam bonæ actionis generaret: iidemque jam ſententiam diffinitivam in eum pronuntiare parati eſſent; tamen ad inſtantiam D. Imperatoris, tertiam dilationem concedentes, ipſum Eugenium IV. citarunt, & orarunt ut diſſolutionem revocet, Decreta facta approbet, legitime inchoatum & continuatum declaret, atque ita Concilio adhærat, & huic Decreto intra ſexaginta dies E obtemperet. Quæ ſi non faceret, contumax, & ab omni adminiſtratione Pontificatus ſuſpenderetur, omneſque ſubditi ab ejus obedientia, fidelitate, & juramento abſolverentur. De electionibus hac Seſſione conſtitutum eſt, ut Prælati Canonice eligantur, ſine vllis, quas vocant, reſervationibus. Nemo niſi ætate legitima, moribus gravis, & doctrina præditus, in ſacris Ordinibus conſtitutus, & juxta Sanctiones Canonicas idoneus Epiſcopus eligatur: nullæ interceſſiones admittantur. Pontifex pro confirmatione electionis nihil penitus recipiat. Notariis detur ſalarium, non quod Prælaturæ aut Beneficio, ſed tantum quod æquivalens ſit, & reſpondeat laboribus & operis in ſcriptura impenſis.

Seſſio XIII.

Seſſio XIII. habita eſt undecima Septembris ejuſdem anni in Eccleſia majori Baſileenſi. In qua poſt accuſatam contumaciam Eugenij Papæ, quod infra 60. dies Concilio non adhæſerit, & Decreto ſatisfacere neglexerit, Promotores Concilij requiſierunt, ut in pœnas in Decreto contentas Pontifex condemnaretur. Imperator per Legatum proprium, ſimulque per Guilielmum Ducem Bavariæ, Synodi Protectorem, rurſus inſtat pro dilatione triginta dierum. Idem fecit Magiſter civium, aliique nonnulli nomine Concilij & civitatis Baſileenſis, promittentes, nunquam deinceps pro dilatione quidquam acturos. His de rebus Legati Sedis Apoſtolicæ per famam informati, acceſſerunt ad Synodum, allegantes, præfixum terminum ſexaginta dierum necdum elapſum: ideoque contra Pontificem nihil decernendum eſſe. Præſes Generalis Concilij Legatos male eſſe informatos reſpondit, petiitque declarari, num Papa Concilio per ſe vel Legatos ſuos adhærere velit. Cui interrogationi dum nihil reſponderetur, prorogata eſt dilatio triginta dierum, quæ in gratiam Imperatoris iterum conceſſa fuit. Dimiſſis Apoſtolicæ Sedis Legatis per Decretum Synodale, omnia contra Patres, vel quoſcumque alios in Concilio præſentes, irritantur, læſi in integrum reſtituuntur, occupanteſque beneficia eorum, qui in Concilio interſunt, excommunicantur.

Seſſio XIV.

Eodem anno, ſeptimo Idus Novembris habita eſt Seſſio XIV. in qua terminus 60. dierum Eugenio jam pridem conceſſus prorogatur, eique formula certa adhæſionis à Concilio præſcribitur, qua compariturus, Acta Synodalia confirmet, & quidquid ipſe contra Synodum eiuſque perſonas dixit vel conſtituit, caſſum & irritum pronuntiet. Eaque occaſione futurum promittitur, ut omnes ſe ad oſcula pedum Eugenii ſubmittant, illumque tamquam unicum legitimum Petri ſucceſſorem agnoſcant & venerentur.

Seſſio XV.

Seſſio XV. celebrata eſt in Eccleſia majori Baſileenſi eodem anno 6. Calendas Decembris. Hac ſtatutum eſt, D vel potius renovatum, ut in qualibet Diœceſi ad minimum ſemel in anno, idemque octava Reſurrectionis Domini, vel alia die ſecundum conſuetudinem Diœceſium per Diœceſanum in propria perſona (niſi Canonicum fuerit impedimentum) vel per Vicarium ad hoc idoneum, celebretur aliqua Synodus Diœceſana, quæ ad minimum biduo vel triduo duret, niſi Epiſcopis aliter viſum fuerit: quaque hoc ſedulo procuretur, ut Plebani ad diligentem animarum curam agendam admoneantur, Statuta Provincialia & Synodalia legantur, in vitam & mores à Diœceſano ſolerter inquiratur; Simonia, uſuræ, concubinatus, fornicationes, aliique exceſſus corrigantur; alienationes rerum Eccleſiaſticarum caſſentur; Clericorum abuſus tollantur; Clauſuræ Monialium ſtringantur, in ingreſſu ad Religionem nihil exigatur, contra hæreſes, ſortilegia, incantationes ſedulo & acriter animadvertatur: Viſitatores Diœceſis inſtituantur, qui per annum Diœceſim luſtrantes, Synodalia ubique ſervari, non emendata, ad proximam Synodum deferri, & delinquentes debite puniri procurent. Eadem Seſſione conſtituitur, ut à fine Generalis Concilii infra biennium, & deinde ad minus ſemel quolibet triennio in loco tuto celebretur Concilium Provinciale, cui Archiepiſcopus cum Suffraganeis cæteriſque Prælatis, ſub pœna ſuſpenſionis intereſſe teneatur, in quo ipſius admoneantur Epiſco. ut Ordines & beneficia Canonice conferant, bona Eccleſiæ uſui illicito non applicent, ſuique officij rationem reddant. Metropolitanus vero, tamquam

concubinatu abſtineant, ſerio monentur. De vitandis excommunicatis ſtatuitur, ut tantum vitarentur ex neceſſitate præcepti, qui nominatim determinati eſſent excommunicati, vel adeo manifeſte in aliquam excommunicationem incidiſſent, ut nulla poſſet tergiverſatione cælari aut excuſari. A

Seſſio XXI.

Seſſio xxi. habita eſt die nona Junii, in qua annatæ pro beneficiorum collatione & electionum confirmatione dari ſolitæ, velut Simoniacæ reprehenduntur. Triennalem beneficii poſſeſſorem non eſſe turbandum decernitur. Ad Horas canonicas tractim & debita gravitate cantandas, hic conſtitutum eſt, ut Clerici tunica talari, & ſuperpelliciis mundis ultra medias tibias longis, ſine confabulationibus Choro B interſint. In Matutinis, poſt Venite; in Miſſa, poſt ultimum Kyrie, in reliquis horis poſt primum Pſalmum, Chorum ingreſſus, vel non admittatur, vel ſaltem velut abſens habeatur: præſentiæ ad ſingulas horas diſtribuantur, additumque, ut privatim Horas legentes, eaſdem clare ac diſtincte legant: ut vagantes per Eccleſiam totius diei præſentia careant: ut Symbolum Nicænum integre canatur: Sacerdotes nullo debito ſe obſtringant: nulli actus Capitulares citra neceſſitatem feſtis diebus habeantur. Larvales & theatrales illi joci, qui in feſto Innocentium uſurpari ſolebant, ab Eccleſia arceantur.

Seſſio XXII.

Seſſione xxii. Idibus Octobris. Quemdam libellum editum ab Auguſtino de Roma, Archiepiſcopo C Nazareno, Ordinis D. Auguſtini cuius primus tractatus de Sacramento divinitatis Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ inſcribitur, ſecundus de Chriſto capite & eius inclyto principatu, alius de charitate Chriſti circa electos, & de eius infinito amore, tanquam non ſanam & erroneam in fide doctrinam continentem cum ſuis defenſoriis hæc ſancta Synodus damnat & reprobat, & potiſſimum ſcandaloſam aſſertionem erroneam in fide, ipſo libello contentam, ſcilicet.

Auguſt. de Roma errores.

Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus quotidie peccavit; quamvis pro capite Eccleſiæ Ieſum Chriſtum dicat ſe non intelligere, ſed ad membra ſua, quæ cum Chriſto capite unum Chriſtum eſſe aſſeruit, intelligentiam eius referendam dicat. Nec non & propoſitiones iſtas, & eis in ſententia ſimiles, quas in articulos damnatos in Concilio Conſtant. Incidere declarat, ſcilicet. D

Non omnes fideles iuſtificati ſunt membra Chriſti, ſed ſoli prædeſtinati.

Humana natura in Chriſto, vere eſt Chriſtus, & eadem eſt perſona Chriſti. Humana natura in Chriſto eſt perſona verbi. Humana natura aſſumpta à verbo ex unione perſonali eſt veraciter Deus naturalis, proprius, &c.

Chriſtus ſecundum voluntatem creatam, tantum diligit humanam naturam unitam perſonæ verbi, quantum diligit naturam divinam.

Sicut duæ perſonæ in divinis ſunt æqualiter diligi- E biles, ſita duæ in Chriſto humana & divina, ſunt æqualiter diligibiles propter perſonam communem.

Anima Chriſti videt Deum tam clare & intenſe quam ſeipſum Deus.

Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata.

Quas propoſitiones & alias ex eadem radice procedentes, tanquam erroneas in fide damnat & reprobat hæc ſancta Synodus, anno 1415. Nihil tamen acerbius decernitur in ipſum authorem, quod ſe Concilio ſubmiſiſſet.

Seſſio XXIII.

Seſſione xxiii. octavo Kalendas Octobris ann. 1436. Sanctiones de Romani Pontificis electione innovantur: nimirum, ut decima poſt obitum die Conclave cum Spiritus ſancti invocatione Cardinales ingrediantur, duos dumtaxat famulos ſecum habentes: cæri- *Modus eligendi Papam.* moniarum cauſa Clerici duo, quorum unus ſit Notarius, accedant: Cameratius reliquos excludat; omnia victualia, præter medica, à cubiculis amoveantur: cibaria ſingulis diebus perquirantur: nullæ epiſtolæ admittantur. Cardinales digniorem ſe electuros ante ſcrutinium jurent: ante ſex completa ſcrutinia nullus fiat acceſſus. Electus in Papam, teneatur conſentire, profeſſionem fidei emittere, omniumque Generalium Conciliorum obſervantiam polliceri, ſchiſma tollere, libertatem Eccleſiaſticam juvare, curiam ſuam reformare, Eccleſiæ ditiones fideliter gubernare, nulla in re quæſtum, ſed charitatem intendere.

Eadem Seſſione ſtatutum eſt, ne Pontifex conſanguineum vel affinem uſque ad tertium gradum, Ducem, Marchionem, Feudatarium, vel Emphyteutam Vrbis, vel etiam Provinciarum præſidem conſtituat: ne conſtitutum Cardinales approbent: omniaque Cardinalium conſilio gubernet. De numero & qualitate Cardinalium eligendorum hac Seſſione conſtitutum eſt, ut numerum 24. non excedant, & de omnibus regionibus Chriſtianis aſſumantur viri in ſcientia & moribus ac rerum experientia excellentes non minores 30. annis, Magiſtri ſeu licentiati in jure divino vel humano. Sit ſaltem tertia vel quarta pars de magiſtris in ſacra ſcriptura, non nepotes ex fratre vel ſorore Romani Pontificis aut alicujus Cardinalis viventis, non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicujus criminis, aut infamiæ nota reſperſi.

Seſſio XXIV.

Seſſione xxiv. octavo Kalendas Maii celebrata, promiſſio Legatorum, qui pro unione cum Græcis inunda Conſtantinopolim miſſi erant, acceptatur, approbatur, ratificatur, tempuſque pacta complendi ad annum prorogatur. Salvus conductus Græcorum Imperatori, Patriarchæ, aliiſque 700. perſonis offertur, licet unio non fieret. Cumque per auream Bullam Imperator Græcorum, & per plumbeam Patriarcha Conſtantinopolitanus ſe ad aliquem locum acceſſuros promiſiſſent, pro impetrandis neceſſariis hanc in rem impenſis promulgatæ & conceſſæ ſunt plenariæ indulgentiæ iis, qui in hunc finem tantum, quantum quiſque integra ſeptimana familiæ ſuſtentandæ impendit, contribuerent.

Seſſio XXV.

Seſſione xxv. quæ habita fuit nonis Maii 1437. de loco futuri Oecumenici Concilii ſtatutum eſt, quo vel Baſileæ, vel Avenione, vel in Sabaudia Græci, cujuſcumque ſint eminentiæ, teneantur convenire. Pro ſumptibus alendorum Orientalium, omnibus Eccleſiaſticis, exemptis & non exemptis, decimæ impoſitæ fuerunt.

Seſſio XXVI.

Seſſio xxvi. pridie Kalendas Auguſti eiuſdem anni celebrata fuit, qua Eugenium Papam inſimulant, quaſi nulla exhortatione ad morum emendationem, & abuſuum correctionem trahi potuerit, electioni bonorum Paſtorum aſſenſum non præbuerit; Beneficia ſimoniacè contulerit, Conc. Baſileenſi non adfuerit, bonos expulerit, pro gravi pecunia dignitates contulerit, Synodalia priorum Pontificum Decreta revo-

carit, à Concilio Legatos ſolverit, Cardinalium conſilia ſpreverit, diſpenſatione ſibi credita abutatur, patrimonium Petri perdiderit & diminuerit, ſubſidia in conductionem Græcorum conferenda, per multiplicatas in contrarium Indulgentias impediverit, juramentum præſtitum non ſervaverit. Quare eum una cum Cardinalibus iterum citant.

Seſſio XXVII.

Seſſione xxvii. habita 6. Calendas Octobris eiuſdem anni, abſenti à Concilio Pontifici, Cardinalium electionem interdicunt: eas, quas antea fecerat, caſſas & irritas eſſe pronuntiant, & quidem nominatim eam, qua Eugenius Cardinalitiæ dignitati mancipaverat Patriarcham Alexandrinum. Bullam eiuſdem Eugenii, qua Florentiam vel Vtinum pro loco Concilii futuri deſignaverat, nulla eſſe decernunt. Cumque pro unione Græcorum cum Latinis proſequenda impenſas contuliſſent, metuerentque ne hac de cauſa Pontifex civitatem Avenionem cum Comitatu Venayſino, & Dominiis ſibi adjacentibus aut venderet, aut oppignoraret, alienationem eius omnino prohibent.

Seſſio XXVIII.

Seſſio xxviii. habita eſt prima Octobris eiuſdem anni. In hac promotores Concilii Monitorium & citationem contra Eugenium reproduxerunt in originali, eumdemque contumacem declarati petierunt, quod in termino peremptorie præfixo non comparuiſſet. Qui exinde per duos Epiſcopos ter alta voce citatus, ex ambone declaratus eſt abſens, ideoque contra eum ulterioribus procedendum eſſe ſanxerunt.

Seſſio XXIX.

Seſſione xxix. quarto Idus Octobris celebrata, cauſæ, ob quas Pontifex Baſileam Oecumenico Concilio deſtinatam rejecerit, refutantur: Avenionem commodiorem eſſe Baſilea vel Sabaudia negatur: diffidii cauſa in Pontificem rejicitur: per Concilium Baſileenſe libertatem eſſe violatam negatur. Cumque Eugenius Concilium Ferrariam transferre cogitaret, eoque Conſtantienſis Concilij Decreta infringeret, illiuſque judicem ſe conſtitueret, approbationem factam revocaret, Decretum Baſileenſe vilipenderet: declarat Synodus prætenſam Concilii diſſolutionem & tranſlationem Ferrariam cum cenſuris irritas & inanes eſſe. præcepitque Eugenio, ut infra quatuor menſes cum vera ſatisfactione ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis à conatibus deſiſtat: omnes Bullas transferendi Concilij caſſat: Ferrariam adeuntes & Eugenii mandato obtemperantes excommunicat.

Nota. In iis caſibus, in quibus generale Concilium ſine authoritate Romani Pontificis legitime congregatur, ſive à Cardinalibus, ſive à Regibus, non poſſe Romanum Pontificem diſſolvere, vel alio transferre: ſcilicet, ſi congregatum ſit, quia Papa eſt notorie hæreticus, vel quia duo vel plures dubii & incerti Pontifices ſunt.

Seſſio XXX.

Seſſio xxx. habita eſt Calendis Januarii 1437. qua decernitur, quod laici & clerici non Sacerdotes communicare ſub utraque ſpecie non aſtringuntur: quodque Eccleſia poteſtatem habeat ordinandi modum quemdam, juxta quem non conficientes, Euchariſtiam ſumere debeant. Addit, certa fide tenendum eſſe, quod ſub ſpecie panis non tantum caro, & ſub ſpecie vini non ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie Chriſtus totus contineatur. Conſuetudinem laudabilem à Patribus introductam, diutiſſime obſervatam, à Doctoribus eximiis commendatam, pro lege habendam; neque deinceps ulli hominum licere eam vel reprobare, vel ſine authoritate Eccleſiæ immutare.

Seſſio XXXI.

Seſſione xxxi. nono Calendas Februarii 1438. de cauſis litigantium ſtatutum eſt, ut qui itinere quatuor dierum Roma diſtant, agitentur illo loco, ubi exortæ ſunt: appellationes frivolæ ad ſedem Apoſtolicam interpoſitæ, rejiciantur, introductaque appellatio ad evitandos ſumptus partium in loco committatur. Cum apud Concilium indictum Ferrariæ cauſæ agitentur, voluit Synodus cauſas quaſcumque pendentes, & commiſſas, perque appellationem ad Sedem Apoſtolicam devolutas, apud hanc Synodum tractari.

Eadem Seſſione de Beneficiorum collationibus conſtitutum eſt, ne Pontifex Romanus ulli deinceps quacumque ex cauſa expectativas, quas vocant, concedat. Reſervationes particulares quæcumque in poſterum annullantur: Beneficia non niſi doctis & litteratis conferantur, eo ordine & modo quo in Concilio hoc præſcribitur. Poſt hæc Eugenius velut contumax, ab omni adminiſtratione Pontificatus in ſpiritualibus & temporalibus ſuſpenditur; eamdem ad Concilium devolutam eſſe decernitur: Reges, aliique laici monentur: Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis mandatur, ut ea durante ſuſpenſione, Eugenio non obediant.

Seſſio XXXII.

Seſſio xxxii. habita fuit Calendis Aprilis, eiuſdem anni. In qua priori loco pro futura celebranda Synodo deſignato, duæ pluresve partes Synodi firmiter inhærent: illudque Concilium, quod ab Eugenio Ferrariæ celebrandum indictum fuerat, cum ipſo Eugenio, cæteriſque omnibus qui intereſſent, excommunicatur.

Seſſio XXXIII.

Seſſio xxxiii. an. 1439. decimo ſeptimo Calendas Iunii celebrata fuit: in qua, ad oſtendendum quod Synodus immediatam à Chriſto poteſtatem habeat, tres Aſſertiones, quas *Veritates fidei* perpetuas nominant, ponunt.

Aſſertio I. Concilium eſt ſupra Papam, & quemlibet alterum.

II. Quod Papa non poſſit Concilium legitime congregatum, ſine ejus conſenſu, vel pro ſua authoritate diſſolvere, aut in alium tempus prorogare, aut de loco ad locum tranferre.

III. Qui prædictas Aſſertiones pertinaciter impugnat, hæreticus eſto.

Seſſio XXXIV.

Seſſione xxxiv. habita Calendis Iulii eiuſdem anni vigore Conſtantienſis Concilii Seſſ. iv. & v. quo placitis Concilij refragantes & obedire nolentes ad condignas pœnas condemnantur, Synodus Eugenium, tanquam contumacem, præceptis Eccleſiæ inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, unitatis Eccleſiæ perturbatorem, Simoniacum, perjurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide devium, jurium & bonorum Eccleſiæ proditorem, à Pontificatu depoſitum declarat, inhiberque ne deinceps talem ſe gerat: Chriſtianos omnes ab eius fidelitate & obedientia abſolvit: omnibus ſub pœnis hæreſeos,

&

& omnium Beneficiorum dignitatumque privatio- A nis, obedientiam interdicens.

Seſſio XXXV.

Seſſione xxxv. ſexto Idus Iulij ejuſdem anni, juxta tenorem Synodalis ſupra promulgatæ, decernitur, quod nonniſi potiſſimorum Patrum votis conſentientibus Concilium diſſolvi poſſit, aut debeat: quodque poſt ſexageſimum depoſitionis diem, ad novi Pontificis electionem procedi debeat.

Seſſio XXXVI.

Conceptio B. Virgin.

Seſſione xxxvi. Sacroſancta generalis ſynodus Baſilienſ. in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Elucidantibus divinæ gratiæ myſteria, mercedem glorioſam repromiſit æterna Dei Patris ſapientia, dum ait: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Quod etiam de glorioſa Virgine, quæ ipſam Patris ſapientiam, Dei filium æternum in utero peperrulit, ac mundo peperit, ſacroſancta legit Eccleſia, Nam quicquid de dignitate, & ſublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc non dubium eſt ad laudem & honorem filij ſui pertinere. Et qui honorificant gratiam & ſanctitatem matris, honorificant & elucidant glorioſum nomen filij ejus, qui ipſam ſanctificavit, & replevit gratia. Vnde ſi in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino Deo eſt, præclara merita parturit, in ea re ſpecialiter fructus uberrimos afferre ſpetanda eſt, quæ ſanctificationem & dedicationem templi illius concernit, in quo ante ſecula, antequam terra fieret, & ab æterno ſibi manſionem ordinavit prima & æterna veritas. Id quoque maxime congruit, ut pax habeatur quæſtionibus concernentibus ſanctitatem illius, per quam pax diffuſa eſt in terris. Hactenus vero difficilis quæſtio in diverſis partibus, & coram hac ſancta Synodo ſuper conceptione ipſius glorioſæ Virginis Mariæ matris Dei, & exordio ſanctificationis ejus facta eſt, quibuſdam dicentibus ipſam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut inſtans temporis ſubiacuiſſe actualiter originali culpæ, aliis autem è converſo dicentibus, à principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo, gratiam eidem contuliſſe, per quam à macula originali illam beatiſſimam perſonam liberans, & præſervans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cum fundaret eam Altiſſimus ipſe, & ipſam fabricaret filius Dei Patris ut eſſet Mater ejus in terris. Nos vero diligenter inſpectis authoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſque doctrinæ coram hac ſancta ſynodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam differentem glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam præveniente & operante divini numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei catholicæ, rectæ rationi & ſacræ ſcripturæ, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, & diffinimus & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare ſeu docere. Renovantes præterea inſtitutionem de celebranda ſancta ejus conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias ſexto Idus Decembris antiqua & laudabili conſuetudine celebratur, ſtatuimus & ordinamus eandem celebritatem præfata die in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis & Conventibus Chriſtianæ Religionis ſub nomine Conceptionis, feſtivis laudibus colendam eſſe, cunctiſque fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ea die Miſſarum ſolemniis centum, primis autem vel ſecundis veſperis totidem, ſermoni vero verbi divini de ea feſtivitate intereſſentibus centum quinquaginta dies conceſſione perpetuis temporibus duratura, de injunctis ſibi pœnitentiis hæc ſancta Synodus elargitur. Datum Baſileæ in Seſſione noſtra publica in majori Eccleſia Baſileen. ſolenniter celebrata decimoquinto Kalendas Octobris. Anno à nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono.

al. qui interfuerint.

Seſſio XXXVII.

Seſſione xxxvii. quæ Kalendis Novembris ejuſdem anni habita eſt, ad futuram Pontificis electionem ſtabiliendam, conſtitutum eſt, ne, Sede vacante, aliter quam per Concilium Pontifex eligatur: quodque ante ſexageſimum diem vacantis ſedis ad electionem procedi non debeat, habeaturque ille Pontifex, quem duæ partes ſuffragantium & voventium Electorum Cardinalium elegerint.

Eadem Seſſione conſtitutum eſt, ut omnes Electores Euchariſtiam ſumant, & deinde ante ingreſſum Conclavis juramentum juxta Decretum Seſſionis xxiii. emittant. De electo ſtatuitur, ut in præſentia Notarij & decem teſtium infra diem naturalem conſentiat: ſin minus, electio irrita ſit: prius quam grave quid incipiat, vel tractet, in loco Concilij coronetur: ſe Catholicum ſemper fore, Concilia Generalia obſervaturum, pro hæreſibus extirpandis diligenter laboraturum, Conciliumque inchoatum continuaturum promittat.

Seſſio XXXVIII.

Seſſione xxxviii. tertio Calendas Novembris celebrata, Synodus carpit Eugenium, quod edito Florentiæ libello, tranſlationem prætenſam, & Conventiculum (ut vocant) Ferrarienſe defendat: quodque Synodum Baſileenſem, & Decreta Conſtantienſis Concilij in malignum ſenſum traxiſſe dicat: tres Veritates ſupra recenſitas, inanes pronuntiet, nec tamen aperiat, quo ſenſu eaſdem approbet. Ipſum vero libellum, quo Patres Baſileenſis Concilij Eugenius Eccleſiaſticis cenſuris perſtringit, Synodus omnibus Collegiis & Univerſitatibus, laïcis & Eccleſiaſticis interdicit: neve eundem publicent, aut eidem credant ſeu faveant, cenſuris damnationis vel reprobationis in eo contentis obediant, vel moveantur, ſevere præcipit. Statuit etiam Synodus hac Seſſione, ut defunctis Eccleſiarum & Cœnobiorum Prælatis, abſentes non expectentur, quique plurium quam duorum dierum itinere abſunt, ad electionem non vocentur, niſi aliud alibi peculiari ſtatuto & conſuetudine receptum fuerit. Ad futuram novi Pontificis electionem juxta Decretum Seſſionis xxxvii. ſupra enarratum, conſtituta ſunt triginta duæ diverſarum Nationum perſonæ, quæ una cum Notariis, aliiſque miniſtris ad electionem legitime proſequendam neceſſariis, proxima Seſſione Conclave ingrederentur.

Seſſio XXXIX.

Seſſio xxxix. habita eſt 15. Calendas Decembris ejuſdem anni. In hac illi triginta duo viri, qui præcedenti Seſſione ad novi Pontificis electionem deputati fuerant, poſt invocationem Spiritus ſancti Conclave ingreſſi, ſeptima die, quintoque ſcrutinio Amadæum Ducem Sabaudiæ, qui in ſolitudine Ripalliæ jam diu continenter vixerat, juxta factos Canones in Pontificem Romanum elegerunt, eamque factam electionem Patres Concilij approbarunt, & confirmarunt. De hoc Amadeo Sabaudiæ duce ſcribit Rup. Volater. lib. 3. Georg. quod rogatus ab oratoribus quibuſdam ſi quos haberet canes venaticos, eis oſtenderet, annuit ut poſtera die rediſſent. Cum vero adeſſent, ingentem mendicorum multitudinem oſtendit una diſcumbentium: atque hi ſunt, inquit, canes mei quos alo quotidie, qui-

bus ſpero me cœleſtem gloriam venaturum. Eum conjugatum fuiſſe plures aſſerunt cum electus fuit, ac valde pecuniosum, parcum tamen admodum, ut qui diceret cum aurum ab eo peteretur, pulcherrimam ſibi ſobolem eſſe quam inopem nollet relinquere. Permittente Deo ut in eo ambitionem ſuperaret avaritia, ut etiam ex Pontificatu augeret divitias, ſibi beneficiorum vacantium fructus reſervans, quo factum ut minus acceptus multis fuerit.

Seſſio LX.

Seſſio XL. anno 1440. quarto Kalendas Martij celebrata fuit, in qua dum Synodus Ludovicum Cardinalem S. Cæciliæ, alioſque Epiſcopos & Abbates cum Ioanne Comite in Thierſtein ad electum Amadæum pro Pontificatu ſuſcipiendo ablegaſſet, eumque magnis precibus ad conſentiendum & acceptandum induxiſſet, poſt inſignia Pontificatus illi collata, & juramentum ab eo præſtitum, factam electionem publicarunt, impoſito illi nomine Felicis V. eumdem pro vero Pontifice agnoſcendum, eidem ſoli ſub cenſuris ſuſpenſionis, privationis, & excommunicationis obediendum eſſe decreverunt, annullatis & caſſatis iis omnibus quæ Eugenius IV. contradixiſſet, vel edidiſſet.

Seſſio XLI.

Seſſio XLI. celebrata eſt decimo Kalendas Auguſti ejuſdem anni. In hac Synodus calumnias, convitia, aliaque injurioſa ſcripta contra Felicem V. ceteroſque hujus Concilij Patres publicata & evulgata, una cum inſertis comminationibus pœnarum, nulla & irrita eſſe declarat. Omnibus vero cujuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis, vel conditionis fuerint, eadem Synodus præcipit ſub omnibus cenſuris, ne hos libellos injurioſos acceptent, prædicent, publicent, defendant, iiſve quovis pacto conſentiant aut obediant; aut iſtorum libellorum prætextu, illius Beneficia occupare vel impetrare, aut quidquam in eorum præjudicium facere præſumant.

Seſſio XLII.

Seſſione XLII. Nonis Auguſti ejuſdem anni decernitur reclamantibus ſcholæ Pariſienſis Oratoribus & aliis, decimas omnium Eccleſiaſticorum proventuum, cujuſcumque nominis fuerint, Felici Papæ ejuſque collectoribus, pro nova proviſione, ſub pœna ſuſpenſionis & interdicti perſolvendas eſſe, non obſtantibus ullis privilegijs vel conſtitutionibus. Si tamen aliqua Natio ſe gravatam allegat, moderationi Felicis V. Synodus omnia committit. Statuit etiam, quod dictæ decimæ ſemel tantum quolibet anno exigantur, quodque Germaniæ Beneficia, quorum redditus quinque marcas argenti annuatim non excedunt, his non includantur. Collectoribus mandatur, ne quidquam ultra ſtatutas quintas vel decimas exigant, vel pro ſuo labore petant; ſed ſalario ex Camera Felicis illis aſſignando ſint contenti: Item, ne perſonæ ſolutionem negligentes, & exinde excommunicationem incurrentes, Romam, vel ad Curiam venire teneantur.

Seſſio XLIII.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſ. in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans: ad perpetuam rei memoriam. Inter aſſiduas militantis Eccleſiæ turbationes & procellas, quibus ipſa dietim affligitur, illa ſingularis jucunditas & egregia exultatio communitati fidelium relicta eſt, ut Dominum creatorem noſtrum intimis præcordiis diligentes eundem in ſanctis ſuis devote glorificent. Per hæc enim ut ipſe Dominus qui gratiam illis præſtitit digne collaudatur: & ipſorum ſanctorum promptiora erga nos reddimus patrocinia. Quodquidem ſingulariter eſt agendum cum calamitates irruunt, quæ abſque demeritis hominum non contingunt: ut per ipſorum ſanctorum preces & merita miſericordia Domini ſuper peccatis hominum imploretur & humanum genus ab imminentibus malis & innumeris periculis præſervetur. Inter autem omnes qui cœleſtem regem pro nobis interpellent præcipue ad glorioſiſſimam illam, & omni laude digniſſimam Dei genitricem Mariam eſt recurrendum, quæ quanto altior exiſtit tanto humilius ad nos reſpicit: omnes ad ſe trahere cupiens, pro quibus in utero geſtavit Salvatorem. Hæc apud Deum quem ipſa peperit ſedula pro nobis advocata nos juvat, nos tuetur, nos protegit, nos exaltat. Hæc omnibus qui ad eam recurrunt promptiſſimum exhibet patrocinium. Huic igitur ſanctiſſimæ Virgini, & ſi plures feſtivitates veneranda ſanctorum Patrum antiquitas conſecravit: irruentibus tamen dietim majoribus mundi calamitatibus & anguſtijs quæ ad expetenda ejuſdem Virginis auxilia vehementius urgent, jucunditatem illam ſibi cœlitus datam non immerito convenit celebrari. Virgo eadem beatiſſima cœleſti edocta nuncio & Spiritu ſancto duce aſcendens cum feſtinatione in montana humilem Zachariæ domum intravit. Jeſus enim qui in utero illius erat feſtinabat: ut adhuc in ventre matris Joannem poſitum ſanctificaret. Et ipſa Virgo glorioſiſſima cognatam Elizabeth viſitans fructuoſo ſalutavit alloquio. Maximam namq; lætitiam fidelium mentibus ingerere debet excellens illud myſterium quo matres illæ glorioſæ totius ſalutis noſtræ ferentes primordia tam familiariter inter ſe exultarunt. Virgo excellentiſſima de ſtirpe David Maria: & veneranda inter filias Aaron Elizabeth invicem colloquuntur: quarum altera creatorem omnium & Salvatorem noſtrum, altera præcurſorem Ioannem geſtat in utero: & ſanctæ illæ miraculo matres effectæ divina inter ſe beneficia commemorant. Felix quidem illa conventio & magnis divinæ gratiæ ſplendoribus illuſtrata: qua tales & tantæ in unum matres pariter affuerunt: quarum altera virgo ex Spiritu ſancto, altera ſterilis & in ſenectute conceperat, & utriuſque partum cœleſtis Angelus prænunciavit: qua Joannes adhuc maternis recluſus clauſtris venientem ad ſe Dominum in Mariæ utero veneratur. Qua repleta Spiritu ſancto Elizabet conceptui filij Dei & Salvatoris hominum gratulatur: qua ipſa prophetans beatiſſimam dixit Mariam quæ credidit & revelata myſteria pandit. Qua denique repleta ineffabili gaudio Mater Domini Maria omnia in corde ſuo conferens: vel quæ prius ab Angelo, vel tunc ab Elizabeth perceperat in canticum & laudem Domini prorumpit. Nunc admirabilem Dei potentiam qui reſpicit humilitatem ancillæ ſuæ collaudat. Nunc magnitudinem operum ejus glorificat. Nunc refert miſericordiam quæ à progenie in progenies ſuper ſe timentes diffunditur. Nunc juſtitiam qua ſuperbi domantur, & humiles exaltantur magnificat. Nunc promiſſionem Abrahæ, & ſemini ejus factam, & jam tunc completam commemorat; ac quod ſe beatam omnes generationes uſque ad conſummationem ſæculi dicerent divina inſpiratione prophetavit. Eandemque prophetiam ſic manifeſte videmus jugiter adimpleri, ut ſupervenientes generationes ipſam virginem beatam & beatiſſimam magis ac magis dicere conentur. Quis igitur tantam lætitiam ſalutis poterit explicare? Quis tanta myſteria condignis laudibus proſequatur? Quis hæc gaudia ſufficienter exponat? dum Joannes nondum natus exultat, Elizabeth adventu Virginis collætatur, Maria myſteriis gaudet, clauſus in utero Salvator à ſuo recognoſcitur præcurſore, lætantur angeli, cœlum & terra jucundantur, & tota Trinitas novis laudibus glorificatur? Hæc igitur gaudiorum magnitudo temporalibus eſt extollenda præconiis. Hæc ſingularibus ſolemnitatibus celebranda; in qua & Dominum qui geſtatur in utero &

virginem quæ portat, & ſterilem quæ concepit & præcurſorem qui viſitatur condecentibus proſequi debemus honoribus. In cujus commemorationem qui tribulati ſunt Mariam implorant: quæ gaudiorum hujuſmodi memor, ut ſperandum eſt non ſolum ſupplicantes exaudiet: ſed ſicuti ex ſua clementia conſuevit etiam ſupplicare volentes prece ſubveniet. Quæ conſiderans hæc ſancta Synodus, cum in hoc tempore tota proh dolor Chriſtianitas in laboribus & anguſtiis conſtituta cernatur: cumque fere ubique diviſiones, & bella per humani generis hoſtem introducta vigeant, & ipſa etiam Eccleſia militans non mediocribus agitetur procellis, dignum eſſe judicavit ſolennitatem hanc quæ congrue Viſitatio beatiſſimæ Virginis appellatur in ſingulis Chriſtianorum Eccleſiis celebrari: ut honorata in celebritate per pias & devotas fidelium mentes mater gratiæ & omnis conſolationis ſacerrima virgo Maria benedictum filium ſuum jam multis hominum peccatis offenſum ſua interceſſione concilians pacem & unitatem fidelibus largiatur. Ideoque ſtatuit & decernit eadem ſancta Synodus ad honorem ipſius Virginis Deigenitricis: ut poſt expleta Reſurrectionis Dominicæ, Pentecoſtes, glorioſæ Trinitatis, ſacri corporis Chriſti: beatorum Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli ſolennia, per ſingulas Chriſtianorum Eccleſias quolibet Anno ſexto nonas Julij feſtum hujuſmodi Viſitationis glorioſæ Virginis celebretur. Hoc igitur ſolenne feſtum amplectentur Chriſti fideles, & omnes qui beatam Virginem ſingulari devotione proſequuntur ſecum in hac ſolemnitate ſuæ exultationi congaudeant.

Quam ut eo libentius in divinis honorent officiis quo magis ſpiritualibus fuerint excitati muneribus; Ipſa ſancta Synodus omnibus Chriſti fidelibus qui, matutinis proceſſioni, ſermoni, miſſarum ſolennis: vel primis vel ſecundis veſperis hujus glorioſæ Virginis feſtivitatis interfuerint, pro unoquoque officiorū prædictorum centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer elargitur. Datum in Seſſione publica in Eccleſia majori Baſileenſi ſolenniter celebrata Kalendas Julij. Anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo.

Seſſio XLIV.

Seſſio XLIV. celebrata eſt 5. Idus Auguſti ejuſdem anni, quia illi qui Concilio interfuerant, eaque de cauſa ad inſtantiam nonnullorum apud Eugenium Pontificem ſpoliati erant, in integrum reſtituuntur, violentique detentores expelluntur & dejiciuntur ea conditione, ut niſi ante præfixum poſſeſſionem Beneficiorum, vel ipſi detentores evacuent, vel etiam ipſa Collegia evacuari non procurent, graves cenſuras incurrant: de perceptis fructibus cum priore juſto poſſeſſore tranſigi & componi mandatur: concediturque ad extremum, ut contra inobedientes & contumaces brachium ſæculare implore-tur.

Seſſio XLV.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileen. in Spiritu ſancto legitime congregata: univerſalem Eccleſiam repræſentans ad futuram rei memoriam. Deſideravit Ezechias rex ut fieret pax & veritas in diebus ſuis: & nos deſiderio deſideravimus ut pax & unio Eccleſiæ in diebus noſtris hoc ſacro durante Baſileen. Concilio daretur. Verum cum ex plurimis impedimentis quæ dietim ingeruntur & in futurum ſuccreſcere poſſent formidetur: ne pax & unio hujuſmodi deſiderata in hac civitate Baſileen. fieri, aut actus conciliares libere exerceri non valeant, volentes propterea caſibus futuris providere: ac ut fides & authoritas generalium Conciliorum univerſalem Eccleſiam repræſentantium illibate permaneant: quodque unio & pax vera Eccleſiæ detur: nec non ut continuetur celebratio generalium Conciliorum: attento quod jam ſanctiſſimus Dominus Felix Papa quintus prævidens neceſſitatis caſum pro futuro Concilio nominavit inclytam civitatem Lugdunum in partibus Galliarum: in hocque ſatisfaciendo decretis ſacrorum Conſtantien. & Baſileen. hujus generalium Conciliorum dictam civitatem Lugdunum quam experientia docente generalium ſynodorum hactenus in ea celebratarum accommodam & idoneam reputamus, tenore præſentium in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis pro futuro celebrando Concilio nominamus, deputamus & aſſignamus. Cumque immineant urgentiſſimæ cauſæ ut brevi fiat alterius generalis Concilij celebratio, propterea ſtatuimus & ordinamus ut infra triennium à datis præſentium computandum generale Concilium in præfata civitate Lugdunen. celebretur: Decernentes quod Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, ſeu quicunque alij qui ad generalia Concilia de jure vel conſuetudine convenire debent, in termino præmiſſo ad dictum locum accedere teneantur: dummodo poſt diſſolutionem hujus Concilij hoc vel alio in loco continuari reſtet unus annus ante hujuſmodi triennij finem. Volumus etiam & ſpecialiter concedimus quod prædictum terminum futuri celebrandi Concilij abbreviare valeat præfatus Papa Felix. Per præmiſſa autem & ſi recte inſpicientibus aliud videri non debeat: ad majorem tamen veritatis manifeſtationem declaramus quod non intendimus neque volumus hoc ſacrum generale Concilium Baſileen. diſſolvere aut diſſolutum quomodolibet cenſendum eſſe; quinimo in hoc loco continuandum fore & continuari debere: dum tamen integra & plena libertas atque ſecuritas, nec non ſalvus conductus per inclytam civitatem Baſileen. nobis & eidem ſynodo conceſſi ſerventur illæſi. Adjicientes quod ſi aliquod fieret impedimentum quominus in hac civitate Baſileen. juxta ritum conſuetum actus conciliares libere exerceri poſſent: aut libertas ſeu ſecuritas & ſalvus conductus hujuſmodi non ſervarentur: quibus caſibus ſeu eorum aliquo, quod Deus avertat, advenientibus, ſuper quo ſtari volumus arbitrio ſeu atteſtationi dilectiſſimorum Cardinalium & venerabilium Epiſcoporum aliorumque dilectorum Eccleſiæ filiorum per nos hodie deputatorum, aut majoris partis eorum pro tempore præſentium cum ſubſcriptione eorum inde ſuper conficiendo publico inſtrumento & ſigillis eorumdem muniendo ex tunc prout ex nunc: & ex nunc prout ex tunc hanc ſanctam ſynodum pro ipſius continuatione ab hac civitate Baſileen. ad civitatem Lauſanen. ejuſque uti provinciæ Biſuntinen. locum habilem, tutum & idoneum ad generalis Concilij celebrationem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti tenore præſentium transferimus ac tranſlatum eſſe decernimus cum eiſdem modis, formis, qualitatibus & ordinationibus cum quibus in hoc loco Baſile. continuata fuit & ſtat de præſenti. Datum Baſileæ in noſtra publica ſeſſione in Eccleſia majori Baſileen. ſolenniter celebrata 17. Kalendas Junij. Anno à Nativitate Domini 1448.

Bulla Nicolai Papæ V. ſuper approbatione actorum & geſtorum in Concilio Baſileenſi.

NIcolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ut pacis qua nihil deſiderabilius, in univerſali Eccleſia ampliſſime diffundatur & perduret ſerenitas: omnium corda quos exagitavit & defatigavit diviſio, unitas integra ad cuſlibet ſtatus & honoris proſperitatem conſolidet: libenter ſecundum noſtræ & Apoſtolicæ authoritatis plenitudinem magnitudinemque voluntatis omnia amplectimur, per quæ non ſolum ſuper præſentibus & futuris, ſed & præteritis ut firma illibate

taque permaneant, debitæ provisionis adhibeatur remedium. Cum itaque post crebras variasque conturbationes: quibus multis ab annis sancta Dei subiacuit Ecclesia, causantibus divisionibus: quæ inter felicis recordationis Eugenium Papam quartum prædecessorem nostrum, & tunc Basileen. Concilium viguerunt: hoc in nostro tempore & ex Altissimi Dei providentia ineffabili interpositione tractatuque oratorum charissimorum in Christo filiorum Francorum, Angliæ & Renati Siciliæ regum: necnon Delphini Viennen. primogeniti Francorum Regis illustris, pacem Ecclesiæ redditam videbamus: dum percepimus venerabilem & charissimum fratrem nostrum Amadeum primum Cardinalem: Episcopum Sabinen. in nonnullis provinciis Apostolicæ sedis Legatum vicariumque perpetuum Felicem Papam quintum tunc in sua obedientia nominatum, iuri quod in Papatu asserebat se habere ad hujusmodi pacem Ecclesiæ obtinendum cessisse. Eos vero qui Basileæ, postmodum Lausanæ sub nomine generalis Concilij hactenus congregati permanserunt, ordinasse & publicasse: nobis tanquam unico ac indubitato summo Pontifici obediendum esse à cunctis fidelibus, & præfatam Lausanen. dissolvisse congregationem. Desiderantes igitur toto affectu ea perficere: quibus Christi fideles supressis & extinctis dissensionum & differentiarum seminariis communi fruantur concordia cujuslibet eorum status, honoris, reputationis & quietis stabilitate firmata: quascunque promotiones, electiones, confirmationes, postulationes, admissiones, translationes, commendas, administrationes & provisiones ad quascunque Patriarchales, Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias, necnon Abbatiales dignitates ac monasteriorum regimina quorumcunque exemptorum, & non exemptorum: necnon quascunque collationes, provisiones & dispositiones quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum regularium & secularium de jure patronatus etiam laïcorum cum cura vel sine cura, si Ecclesiæ Parochiales fuerint: aut canonicatus & præbendæ, dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, vel principales in Collegiatis existant: personatusque perpetuæ administrationes vel officia etiam curata vel electiva in quibuscunque Ecclesijs: Prioratus conventuales aut cujuscunque conditionis, qualitatis vel naturæ fuerint: etiam alterius generis quam expressa paris vel majoris: etiam si ex quavis causa tunc dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservata fuerint litigiosa, aut alias affecta vel ad sedem Apostolicam quomodolibet devoluta: vim quorum seu prætextu collationum, provisionum, reservationum aut aliarum dispositionum hujusmodi seu alicujus præmissorum: alias quam ex titulo privationis factarum præmissarum occasionum, divisionum ipsarum Ecclesiarum, beneficiorum, dignitatum, officiorum, personatuum, administrationum, canonicatuum & præbendarum habita seu adepta sit possessio & possidentur de præsenti: admissiones etiam resignationum quorumcunque beneficiorum, dignitatum Ecclesiarum simpliciter vel ex causa permutationis factarum, authorizationum & institutionum pensionum quarumcunque super quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus, reservationibus & assignationibus cum processionibus & fulminationibus inde secutis: necnon uniones, annexiones, incorporationes quarumcumque dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium & regularium quibuscunque Patriarchalibus, Abbatialibus vel capitularibus, mensis aut monasteriis, conventibus, dignitatibus, canonicatibus & præbendis vel beneficiis seu ad invicem sub quibusvis verborum formis dimembrationes etiam Ecclesiasticarum & beneficiorum quorumcunque: Ecclesiarum quoque, monasteriorum studiorumque generalium fundationes, erectiones, A suppressiones, & subjectiones, & quoruncunque beneficiorum creationes, exemptiones. Item renovationes, pallii dationes, consecrationes, benedictiones personarum, de ordine ad ordinem translationes, infeudationes, institutiones, contractuum confirmationes: facultatis testandi concessiones, absolutiones, liberationes, quitantias super quibuscunque debitis ratione decimarum, semidecimarum indulgentiarum, annatarum, communium & minutorum servitiorum: vel alias quomodolibet dispensationes tam super ætatis quam natalium & aliarum inhabilitatum defectibus, super incompatibilibus in quocunque numero etiam si ad curas parochiales: matrimoniis, iuramento: ordinibus & voto etiam transmarino & rebus aliis quibuscunque: B nec non absolutiones à quibuscunque excommunicationum, anathematizationum, & aliis censuris Ecclesiasticis interdictorum tam generalium quam specialium relaxationes: ac etiam illarum fulminationes & appositiones juramentorum: etiam fidelitatum relaxationes, rehabilitationes ab omni macula irregularitatis, aut alia inhabilitate undecunque processerit: restitutione etiam ad famam & honores, gratiarum, indultorum indulgentiarum & privilegiorum, & quascunque alias concessiones: ac omnia & singula tam justitiam quam gratiam concernentia sive in foro conscientiæ, aut contentioso in personis aut locis quæ tempore concessionum & aliorum præmissorum obediverunt præfatovenerabili ac charissimo fratri nostro Amadeo Cardinali: &c. C *Approbat quæ Schismatis tempore gesserant in negotiis beneficiorum & dispensationum; inter quæ, exemptiones & immunitates Prænostratensium approbatæ sunt à concilio qui in his vexabantur ab Episcopo Ambianensi, ut de authenticis instrumentis inspeximus, &c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, confirmationis, provisionis, decreti, voluntatis, impositionis, cassationis, remissionis, relaxationis, donationis, absolutionis, liberationis, inhibitionis, impositionis, irritationis, annullationis, declarationis, denunciationis, advocationis, extinctionis, voluntatis, mandati, dationis, concessionis, adiectionis, & constitutionis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Spoleti Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo nono. 14. Kalendas Julij. Pontificatus nostri anno tertio. P. de Noxeto. Marcellus de Curia. Registrata in camera Apostolici Concilij.

In editione Severiana addantur hi articuli de modo procedendi in sacro Concilio legitimi & approbati, seu in generali congregatione. Die veneris 26. Septembris 1430. quos censuimus non esse omittendos

PRimo sint quatuor deputationes, sicut sunt, inter quas omnes de Concilio distribuantur æqualiter, quantum commode fieri poterit. Et sint in qualibet deputatione de quolibet statu scilicet dominorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Abbatum, Doctorum, Religiosorum, exemptorum & non exemptorum, & aliorum, & in qualibet de aliis nationibus distribuantur in quatuor æquales partes supposita singularum nationum. Et ad distribuendum supposita Concilij, eligentur quatuor, scilicet unus ex qualibet deputatione, qui quidem quatuor mensibus singulis eligantur de novo.

Item in qualibet deputatione eligatur unus præsidens singulis mensibus per vota singulorum. Et in qualibet earum deputetur unus promotor notarius & unus censor.

Item omnes deputationes congregabuntur ser in

ſeptimana regulariter, videlicet die Lunæ, die Mercurij, & die Sabbati de mane hora conſueta, & ſi in prædictis diebus factum aliquod concurrit præcipuum, poterunt in ſequenti die congregari, vel in die præcedenti ſi per præſidentem fuerit intimatum.

Item quod nulla deputatio aſtringat ſe quibuſcumque juramentis ad tenendum ſecrete materias, quæ tractabuntur in eadem. Sed ſit licitum ſingulis ſuppoſitis deputationum, conferre cum ſingulis de Concilio, tantum de rebus, de quibus agetur.

Item quolibet menſe deputentur tres de qualibet deputatione, qui duodecim pari numero ter in ſeptimana vel pluries, prout eis videbitur expedire, certis horis & loco, non tamen illis horis, quibus deputationes congregantur, convenient ad videndum materias eis datas de deputationibus diſtribuendas ad tractandum. Sic tamen, quod in fine cujuſlibet menſis eligendo novos deputatos, de qualibet deputatione maneat unus de præcedentibus deputatis, ille videlicet, quem ipſi duodecim elegerint: ſic tamen quod ille qui eligetur pro menſe ſecundo, non eligatur pro menſe tertio, qui quatuor habeant de novo venientes informare de agitaris in illo menſe finito. Et ſic deinceps ſingulis menſibus. Et illi duodecim eligant unum eis pro præſidente, qui toto menſe ſit eorum præſidens, ad cujus mandatum cæteri deputati tenebuntur in loco per eos eligendo convenire.

Item ſi aliqua deputatio, vel aliqua particularis perſona, habeat aliquam materiam præ manibus, quod illam poſſit eiſdem deputatis proponere, qui ſub juramento præſtito tradendam (niſi ſibi placuerit) non revelabunt.

Item quod deputationes præcipuè in rebus arduis & maxime ſi exigant celeritatem, non ſtatim ſuper propoſitis dum primo proponuntur, deliberabunt. Sed ad ſequentem congregationem differant propoſita, ut unus quiſque habeat tẽpus cogitandi, & mature deliberandi ſuper propoſitis. Et ſi res propoſita gravis fuerit, poterit bis vel ter, prout illius gravitas exigit, ſuper ea deliberari ut maturius concludatur, quod fuerit multiplici deliberatione recenſitum. Sic tamen, quod quilibet juxta propoſita per præſidentem reſpondeat pertinenter. Et non per materias ultra vagantes, ita ut non inducat aliam materiam quam illam, quæ per præſidentem fuerit introducta. Et ſi contingeret aliquem, vel aliquos introducere alias materias, dominus Præſidens non faciat ſuper illis deliberari pro tunc, ſed alia congregatione, niſi forte materia talis fuerit, quæ urgentem exigat celeritatem.

Item quando in una deputatione aliqua materia fuerit agitata & deliberata, ſi in bona ſententia omnes conveniant, & conventionem ſuam per duos ad alias deputationes deferant, cum motivis & perſuaſionibus ejuſdem deputationis. Si vero non fuerit omnium conſors ſententia, & quantumcumque una pars numero excedat aliam, nihilominus de qualibet parte ſumatur unus, & ambo ad alias deputationes tranſmittantur, ut diverſitas cum motivis & rationibus utriuſque ſic omnibus innoteſcat, ut ſic aliæ deputationes perceptis rationibus & motivis clarius valeant explicare.

Item quælibet deputatio in deferendo votum ſuum ſeu conventum ad alias deputationes ſervabit ordinem rerum de quibus agitur, ut pote ſi res ad fidem pertinet, primo ad deputationem fidei deferatur, & inde ad alias. Et ſimiliter ſi res exigit colorem expeditionem, indilate deferatur ad omnem deputationem, & ſimiliter in aliis. Communis vero deputatio tenebit eundem ordinem in deferendo communia ad alias deputationes.

Item prædicti duodecim deputati ſemper in die præcedenti ad congregationem generalem conveniant cum præſidente Concilij cum conventionibus, & ſtatutis, & agitatis deputationum, ut præſidens Concilij ſit plene informatus de ſingulis, quæ habet in generali congregatione proponere, cum motivis & rationibus. Nihil autem ardui proponat præſidens ad deliberandum ſeu concludendum, niſi prius fuerit propoſitum in ſingulis deputationibus, & agitatum: niſi res eſſet repentina, & talis cujus mora eſſet nociva, tunc poſſet proponi. Quæcunque vero in deputationibus agitata fuerint, ſive omnes convenerint, ſive non, proponat, dummodo ſaltem per duas deputationes ad proponendum fuerit requiſitus.

Item ſi in feria ſexta feſtum aliquod vel aliud impedimentum occurrerit, quod in die ſabbati fiat congregatio generalis, niſi per præſidentem aliud injunctum fuerit. Et ita ſit, ut nunquam in ſeptimana generalis congregatio omittatur.

Item quod Dominus præſidens in qualibet congregatione habeat catalogum ſeu Rotulum in quo ponantur materiæ proponendæ. Et litteris miſſivis lectis, quod ſemper incipiat à gravioribus: ita tamen ut omnia capita ſuper quibus eſt pro tunc declarandum, in principio explicentur.

Item exhortentur ſuppoſita deputationum, & etiam in congregatione generali per præſidentem, quod ſi in deputationibus vel congregationibus ſunt duæ vel tres opiniones, quicunque voluerint adhærere alicui illarum, non debent reiterare quod jam dictum fuerit, niſi velint aliquid addere vel diminuere, ſed potuerint illam, quam voluerint, partem brevi verbo eligere, vel novam dicere juxta eorum voluntatem.

Item ſi in deputationibus ſint ſuppoſita non deliberantia propter arduitatem materiarum, & dicant ſe velle cum libris vel alias deliberare, non concludatur, donec in ſequenti deputatione, in qua ſi dicere velint audiantur.

Item ne tempus inutiliter occupetur, & labatur in vanum, ordinetur quod deinceps ſuper cauſis & rebus tractandis & expediendis in hoc ſacro Concilio, ac in generali congregatione per Dominum præſidem ipſi Concilio proponendis, per prius ſingularum deputationum præſidentes vel notarij referant ſtatuta, deliberata, ſeu concluſa in eiſdem. Et ſi contingat majorem partem, hoc eſt, tres deputationes eſſe concordes, illico quarta deputatio, imo quodlibet ſuppoſitum hujus ſacri Concilij, diligenter & ad plenum audiatur benigne cum ſuis rationibus & motivis: quæ ſi forſitan excitationem aliquam ſeu difficultatem offerant, remittatur articulus ſuper quo ei difficultas fuerit exorta, ad deputationes latius & maturius dirigendas. Si vero rationes talium & motiva, dubietatem probabilem ſufficientem non adducant, concludatur quod probatum extitit, & maturo digeſtum per tres deputationes.

Item quod omnes deputati, & qui in poſterum inſerentur ipſi Concilio, prout ſunt deputati, ſingulis diebus ordinariis intrent ipſas deputationes ad agitandas & diſceptandas cauſas & materias occurrentes: ne quis prætendere poſſit ignorantiam proponendi in generali congregatione, & quod per vota omnium ſingula expediantur. Et qui tunc intraverint abſque rationabili cauſa, ſeu qui non ſignificarint hora debita ſe non poſſe intrare, & qui ante diſſolutionem receſſerint ſine licentia præſidentis, ipſius præſidentis arbitrio puniantur.

Item omnia ſuppoſita Concilij teneantur venire & ſtare in congregatione generali in Miſſis ſolemnibus & Proceſſionibus, quemadmodum ſupra dictum eſt de deputationibus.

Item antequam diſſolvatur congregatio generalis, aut ſingularum deputationum, per notarios congregationis generalis, & etiam ſingularum deputationum legantur conventa & ordinata in eiſdem, ut ſi per dictos notarios aliquis defectus in

ſcribendo fuerit commiſſus, corrigatur.

Item de qualibet deputatione eligatur unus, qui quatuor provideant de ſermonibus ad clerum ſingulis diebus ſolemnibus faciendis, quos ipſi perſonis idoneis ad hoc diſtribuant, & antequam ſermo hujuſmodi per eum qui aſſignatus eſt, publicetur, prius per eoſdem quatuor, vel alterum ipſorum videatur, ne error contingat aut ſcandalum exinde oriri. Et iſte ordo à feſto ſancti Michaëlis in antea ſemper continuetur.

Item ad expediendum aliquid, dentur aliqui deputati, qui dum conveniunt, ille qui dignior & primus eſt, inter eos proponat materiam tractandam, & dirigat illam, & vota aliorum exquirat. Et ſi aliquis vel aliqui de Concilio non deputati, volunt intereſſe ad deliberandum ſuper materia, de qua eſt tractandum, poſſint admonere deputandos de motivis ſuis, & ſi placet deputatis quod interſint, poterunt remanere.

Reformatio ſuppoſitorum Concilii eorumque familiæ.

ADmonet hæc ſancta ſynodus omnes ſacrum Concilium celebrantes ut omnem gravitatem & honeſtatem, quæ viros Eccleſiaſtiços decent, diligenter obſervent, vitam & converſationem exemplarem ducant: & cum ad dandam toti orbi convenerint, ipſi prius in ſe legem ſuſcepiſſe demonſtrent, ſint eorum mores ſine macula & ruga. Exhibeant ſe tanquam ſpeculum mundum, in quo alii ſpeculantes normam & exemplum ſanctimoniæ accipiant, meminerint ſe eſſe ſal terræ, in quo opus eſt ut nunc ſalietur mundus. Sint tales juxta præceptum Domini, ut lumen eorum luceat coram hominibus, ut videant bona opera ipſorum, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Ipſis inquit Apoſtolus in perſona Timothei, eſto exemplum fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Intima eſt bona conſcientia propter ſeipſos, bona fama propter proximos.

Et quantum ad conſcientiam attinet, unuſquiſque eam ſæpe examinet, & mundet, quantum fieri poteſt, ab his omnibus, quæ divinam majeſtatem offendunt. Qui ſacerdotes ſunt, ſæpe celebrent, alii vero ſæpe confiteantur; hoc plurimum valebit ad gratiam Domini impetrandam. Alioquin ſi iniquitatem conſpexerit in cordibus eorum, non exaudiet Dominus, & oratio peccatoris fiet ei in peccatum.

Et quoniam opera, quæ hoc ſacrum Concilium ſequitur, grandiora ſunt, quam ut viribus humanis ullatenus effici poſſint, neceſſario ad Dominum recurrendum eſt orationibus, eleemoſynis, & jejuniis. Quilibet igitur de Concilio ſingulis diebus aliquam ſaltem brevem orationem ad eum porrigat, pro ſucceſſu hujus ſacri Concilii. Mandat etiam hæc ſancta Synodus ut ſingulis feriis quintis, quandiu durat tractatus Bohemorum, in majori Eccleſia celebretur Miſſa de Spiritu ſancto cum orationibus ad hoc inſtitutis, in qua omnes de Concilio interſint. Ea autem die, nec non diebus dominicis, & aliis diebus ſolemnibus quibus præſente Concilio Miſſæ celebrantur, quilibet de Concilio offerat in gazophylacio ſaltem unum nummum, hoc modo, quod duo curſores cum pixidibus, unus ab uno latere chori, alius ab alio intra Miſſarum ſolemnia recipiant quicquid à ſuppoſitis Concilii offertur. Poſt Miſſam promotores Concilii diſtribuant hujuſmodi oblationes pauperibus, de quibus ipſis videbitur. Eandem Miſſam de Spiritu ſancto quinta feria, ſancta ſynodus mandat ſolemniter celebrari in qualibet Eccleſia collegiata & conventuali hujus civitatis. Mandat etiam tam ſuppoſitis Concilii celebrantibus, quam aliis ſacerdotibus in hac civitate exiſtentibus, ut in Miſſis ſuis dicant aliquam orationem pro pace & unitate Eccleſiæ,

Ut negotia, quæ in diſputationibus Concilii aguntur, Deus oraculo pietatis aſpiciat & proſperari faciat, expedit ut hi, qui illa tractant, ad ipſas deputationes devoti accedant: propterea quælibet deputatio, antequam negotiari incipiat, audiat in communi Miſſam in loco, quem ordinaverit propè ipſam deputationem. Ibidem omnes de deputatione curent intereſſe, niſi forſan aliqui ſint per ſe celebrantes.

Tempore divinorum non fiant invicem collocutiones. Sed quilibet vel oret, vel contempletur quæ aguntur vel dicuntur in Miſſa.

Et quoniam (ut inquit Tobias) *bona eſt oratio cum eleemoſyna & jejuniis*, quilibet ſemel in hebdomada feria ſexta vel alia jejunet. Et ſicut Moſes antequam legem meteretur ſumere, jejunavit: ita & nos legem reformationis à Domino accepturi, & tradituri mundo, facere curemus. Qui autem jejunare non poteſt det eleemoſynam.

His autem diebus quilibet in menſa ſua ſervet moderationem ſobrietatemque ciborum, etiamſi hoſpites adſint, non multitudine ac reprehenſibili varietate ferculorum, ſed modeſta & competenti refectione honorentur.

Prælati in menſis ſuis ſtudeant ſervare decretum Toletanum, quod tale eſt: Pro reverentia Dei Sacerdotum id univerſa conſtituit Synodus. Et quia ſolent crebro menſis otioſæ fabulæ interponi, in ompi Sacerdotali convivio divinarum literarum lectio miſceatur; per hæc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur.

Quælibet etiam Eccleſiaſtica perſona, antequam cibum ſumat, benedicat: & poſt refectionem orationes ab Eccleſia inſtituras dicere non negligat.

Caveant ſuppoſita Concilij, ad tollendas tentationes & murmurationes, ne convivia vel ſuſpecta commercia cum mulieribus habeant.

Suppoſita Concilij à verbis detractoriis, contentioſis, ſcurrilibus, vel male ædificantibus quibuſlibet accurate ſtudeant, ne factis aut verbis proximum ſcandalizent.

In via quilibet incedat pudicis oculis cum modeſtia & gravitate, ad loca minus honeſta non vadat, nec ad ſpectacula publica, choreas, ludos, haſtiludia, torneamenta & alia hujuſmodi. Veſtimentis utantur, prout ſacri Canones ſtatuerunt, abſtineant à coloribus rubeis, & viridibus; exceſſive veſtimenta deferant talaria, & tam retro, quàm à lateribus & ante clauſa, & ſine manicis ad cubitum pendentibus, & abſque foderaturis ultra oras excedentibus, & in fixuris. Nullus portet annulum, niſi cui competit ex officio dignitatis, & unum duntaxat. Ne corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec ſolatas, nec mitras ſericas, aut birreta longa, ſed parva aut honeſta caputia. Tonſuras deferant ſuis ordinibus congruentes, & capillos ita tonſos, ut aures pateant.

Non portent in frenis, ſellis, aut pectoralibus equorum aurum vel argentum, aut ornamenta metalli depicti aut figurati, aut mappas ſericeas, ſeu alia hujuſmodi ſuperfluitatum: & quod hujuſmodi ornamenta equorum ſint unius coloris, non rubei vel viridis, nec calcaribus deauratis utantur.

Et ne Prælati in multitudine, ſed honeſtate familiæ gloriari videantur incedendo per viam pedites aut equites, quanto pauciores poſſunt, præmittant familiares: Cardinales decem, Patriarchæ octo, Archiepiſcopi ſex ante ſe.

Et quia qualis pater-familias, tales & domeſtici ejus, curandum eſt, ut non ſolum patres de Concilio, ſed & eorum familiares decentem honeſtatem ſervent. Quilibet igitur familiares ſuos ſæpe admoneat, ne quid reprehenſibile aut ſcandaloſum publice vel occulte perpetrare audeant: hujuſmodi familiarium veſtes non ſint breviores genu, nec diver-

forum colorum, nec cum ſciſſuris vel prætexturis, vel alia ornamenta aurea vel argentea, nec cincturas exceſſivas ſumptuoſas. Sint eorum caligæ unius coloris: ſimiliter & caputia, nec pugiones aut cultellos ultra longitudinem unius palmæ deferant.

Nemo de ſuppoſitis Concilij ludat, aut familiares ſuos ad taxillos, vel alios ludos inhoneſtos ludere patiatur. Non permittant à familiaribus ſuis per civitatem cum civibus ſe aſſoclari.

Familiares dominorum de Concilio, beneficiati vel in ſacris conſtituti, taliter incedant, & non laïcaliter, tanquam ſcutiferi.

Omnes religioſi exiſtentes in hoc loco ſacri Concilij, portent habitus ſuarum Religionum in colore, valore, longitudine, amplitudine. Cum incedunt per civitatem veſtes deferant ſuperiores, juxta inſtitutiones ſuorum ordinum, & Canonici regulares pro veſte ſuperiori portent croceam, mantellum vel rediviellum.

Ne in hoc loco ſacri Concilij, religioſi ſine cauſa vagari præſumant, teneantur ſtatim poſt primam diem adventus ſui præſentare ſe ſuperioribus ſuis, vel eorum vicariis, aut procuratoribus: & qui ex his non habuerint ſuperiores, vel eorum Vicarios repræſentent ſe generali præſidenti: & ſi ſine legitima cauſa huc advenerunt, revertantur ad Monaſteria ſua. Quod ſi, ut prædictum eſt, repræſentare ſe, aut ad Monaſteria reverti contempſerint, de mandato prædictorum ſuperiorum ſuorum, vel præſidentis, per ſoldanum carceri mancipentur.

In hac congregatione generali deputationum ſervetur debita modeſtia. In loquendo nemo alium maledictis aut contumeliis laceſſet, unuſquiſque de alio reverenter & honeſte loquatur, præſertim minores de majoribus. Nemo alium loquentem interrumpat, imo loquente cæteri ſilentium ſervent. Quilibet proferat libere votum ſuum, ad neminem niſi ſolum Deum reſpectum habens. Nemo humana affectione ſeu paſſione moveatur.

Animadvertant Patres de Concilio verba illa quæ ſcribuntur in Paralipomeno. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.* Meminerit ergo quilibet juramenti in receptione ſua ad ſacrum Concilium præſtiti, videlicet, quod ſalubre Concilium dabit ſecundum Deum, & conſcientiam ſuam. In hoc loco ubi de communi totius Chriſtiani populi ſalute agitur, omnis minima culpa, maxima eſt, in diſtricto Dei judicio ſeveriter plectenda. Studeant ſuppoſita Concilii pacem & unitatem, quam mundo & Eccleſiæ dare procurant, inter ſe prius cuſtodire. Sint unum in Domino, idipſum ſentiant omnes. Non ſint inter eos ſchiſmata, contentiones & æmulationes. Servent ſuper omnia fraternam concordiam: quia, ut inquit Dominus, omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum ruet. Nemo eorum ſuſcitet odiorum & ſimultatum fomenta, quin potius extinguat. Alter alteri, ſi forte ſe offenſum putat, ignoſcat: & alterum alterius onera portate, & adimplere legem Chriſti. Nemo juxta juramentum ſuum, vota ſingulorum revelet, unde nemini veriſimiliter odium ſequi poſſit.

Hujuſmodi ordinationes & exhortationes quilibet præſidens per ſuppoſita ſuæ deputationis obſervari faciat, inquirendo diligenter an quiſquam eas tranſgrediatur. Tranſgreſſorem autem charitative corrigat, & ſi non emendet, adhibeat cum conſilio aliquorum de majoribus ſuæ deputationis efficax & opportunum remedium: promotores etiam Concilii ſolicite hujuſmodi tranſgreſſores inquirant, & ſuæ deputationis deferant præſidenti.

Quilibet præſidens deputationum in principio ſuæ præſidentiæ prædicta in ſua deputatione legi faciat, ut ſuperuenientibus innoteſcant.

Præſidens autem Concilij deputet aliquos qui ſolicitent cives, ut ea quæ pro honeſtate civitatis inſtituta ſunt executioni demandentur, & debite cuſtodiantur.

Admoneantur Baſileenſis Epiſcopus, & Officialis ejus, ut prædicta clero ſuo ingerant, & inviolabiliter obſervari faciant.

Controverſia hujus Concilii Baſileenſis.

Prima controverſia hujus Concilii eſt an deberet haberi pro legitimo Concilio univerſali: ſi enim tale habeatur infringitur authoritas Concilii Florentini, quod eodem tempore celebratum eſt per Eugenium quem Baſileenſe à Papatu depoſuerat. Res hæc varie agitata eſt, tum durante Concilio, tum ipſo exacto. Dum alii Eugenio ſemper adhæſerunt, ut Rex Galliæ Carolus VII. teſte Maſſono lib. 4. annal. Galliæ: alii Baſileenſe Concilium eiuſque decreta prætulerunt: Cardinalis Turrecremata non dubitat ſcribere in Summa de Eccleſia lib. 3. cap. 24. cum Concilium Baſileenſe, ut toti orbi notum eſt, ſcandaloſum fuerit & in multis præſumptuoſum tranſgrediens terminos quos poſuerunt patres ſancti in Conciliis univerſalibus, ab illo nullum argumentum ſumendum eſt. Sed ad penitus noſcendum quale judicium ferri debeat de hoc Concilio, ſufficiunt ea quæ ſcribit Spondanus Apamienſis Epiſcopus ad annum 1443. in quo ponit finem hujus Concilii. Quamvis enim, inquit, adhuc tam ibidem Baſileæ quam etiam Lauſanæ utcumque ſubſtiterit uſque ad annum 1448. parum tamen eſt quod ab illo poſt præſentem annum geſtum reperitur apud auctores: quam magis magis dixeris laceræ navis aberrationem quam rectam velificationem; quouſque demum & aura divina adſpirante, delata eſt ad tranquillum portum ſedis Apoſtolicæ. In quo quidem ſi excipias pauca quædam de beneficiis & de rebus cum Boëmis geſtis, (adde & quædam de beatiſ. Virg.) reliqua omnia acta illius talia ſunt, ut lectori longe plus tædii quam fructus afferant, & Eccleſiæ Dei plus abſque ullo dubio nocuerint, quam in aliquo profuerint. Cum & illa etiam quæ cum Boëmis compactata ſunt (ut illi vocabant) abierint in irritum, non permittente divino numine ut qui ab Eccleſiæ ſuæ capite diſciſſi eſſent, unionem cum aliis ſtabilire poſſent.

De authoritate Concilii & Papæ.

Quod vero ſpectat ad authoritatem Concilii ſupra Papam, an recte concludi poſſit ex hoc Concilio diſputatur. Ac aliqui exiſtimant non poſſe, quia Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. decretum ea de re à Baſileenſi ac Piſano Concilio editum irritavit ſeſſ. 2. ac 3. Sed id difficultatem auget potius quam tollat, quia ex hoc infertur quod contradicant ſibi invicem in materia fidei generalia Concilia, unde eorum fides dubia redditur. Verius eſt id concludi non poſſe, quia cum decretum iſtud contra Papam editum eſt, legitimum non erat tunc Concilium generale, nulluſque præſidebat nomine Pontificis Romani, quia Cardinalis Arelatenſis qui ſibi authoritatem præſidendi arrogaverat, decretum iſtud edidit ſine authoritate legitima præſidandi Concilio univerſali: & cum Nicolaus quintus Eugenii ſucceſſor Concilium Baſileenſe approbavit, nequaquam approvavit quoad omnia, ſed tantum quoad alia quæ ſpectabant magis ad diſciplinam quam ad doctrinam, ut ſupra patuit. Cæterum iſtud contra Authoritatem ſummi Pontificis decretum adeo ſine ullo ordine editum eſt, ut mira fuerit perturbatio & in diſcuſſione quæſtionis & in pronunciatione. Erat autem

Ventilatur quæſtio in utramque partem.

orta disputatio an Eugenius hæreticus habendus esset, qui Concilio non obtemperaret. Eratque conflictantium triplex sententia, aliis hæreticum affirmantibus, aliis relapsum etiam, aliis nec hæreticum, nec relapsum. Hique partes Eugenii tuebantur, dum alii convitiis lacerarent ac detestarentur eos qui talem hominem Pontifici Romano præfecissent. In hac conflictatione adversus Eugenii defensores multa disputavit Thomas de Courcellis Canonicus Ambianensis, inter Doctores Theologiæ insignis, ac præcipuus fabricator decretorum Concilii, ut nemo plura quam ipse in eo dictaverit. Papamque Concilio ac Ecclesiæ subesse pluribus asseruit: cum hæc errare non possit, ille posset: quod mater illa, hic filius; sponsa Christi illa, hic tantum Vicarius; quod quæ data sunt Petro Apostolo privilegia, data ei fuerint tanquam Ecclesiæ personam ferenti: quem etiam ad Ecclesiam remisit Dominus, cum dixit, *dic Ecclesiæ*, unde & fiat ut si Papa Ecclesiam non audierit, tamquam Ethnicus & publicanus haberi debeat. Qui secus sentirent aut quod Ecclesiæ competit non æque Concilio generali competere assererent, vel aviditate gloriæ, vel præmiorum expectatione & ambitionis excæcatione, adulatorie dicere. Gabrielem qui se Eugenium dictitaret, blasphemiæ in Spiritum sanctum Concilii Basileensis decreta contemnendo esse participem. Qui Rom. Pontificem per Concilium deponi posse negarent tabulas esse, pertinacia magis quam ignorantia contendentes, magis verbosos quam eloquentes: Papam verius dici Ecclesiæ Vicarium quam Christi; nullum autem esse dubium, quin Dominus Vicarios suos possit ad nutum suum destituere: si autem Ecclesia potest, ergo & Concilium: Concilium sine Papæ authoritate congregari posse, & qui id negarent ruinam secum Ecclesiæ trahere. Illud autem plusquam fatuum esse, dicere, postquam semel consensus Papæ accesserit, si revocetur, cessare Concilium, cum jus habere in suum superiorem non possit qui est inferior, quascumque demum causas, quascumque rationes habuerit. Hæc autem de veritate fidei Catholicæ esse, ex Concilio Constantiensi intelligi, adeo ut quicumqueea negarent hæretici essent: ac plane delirare illos qui veritatem de superioritate Concilii falsi, veritatem esse fidei non fatererentur. Hæc ille orator cum magno æstu & calore, cujus modestiam laudat Æneas Sylvius quod terram semper intueretur, eadem cum ipso opinione illaqueatus, laudansque eius argumenta, obliquasque scripturarum ac patrum interpretationes quibus abutuntur adversus summum Pontificem ipsi hæretici. Quapropter Episcopus Apamianensis ad annum Christi 1439. ipsum carpit, aitque convenientissime terram semper intuitum fuisse, qui nihil tunc cœleste sapiebat. Virum tamen in Doctrina eximium fuisse nemo negaverit, cujus indicia sunt tomi duo commentariorum in quatuor libros sententiarum, quod aliquando vidisse & tantisper legisse in bibliotheca Collegii Choletæi datum est. Missus quoque fuit Legatus à Concilio Basileensi ad Synodum Bituricensem, in qua condita fuit sanctio pragmatica quam vocant, majori ex parte ex decretis ejusdem Concilii Basileensis, in qua quantum se à Romano Pontifice eximebant Ecclesiastici viri, eo in majorem judicum sæculatium servitutem incidebant, quamque semper Romani Pontifices improbarunt, donec pœnitus abrogata est in Concilio Lateranensi quinto. Sed de hac pragmatica sanctione in altero tomo.

Ut autem viderentur pluribus magni roboris dicta istius Doctoris, non deerant qui vim talium argumentorum intenderent; quod totum sit majus sua parte & Papa sit tantum pars Ecclesiæ Quod plenissima potestas semper debeat in Ecclesia manere, manet autem semper potestas Ecclesiæ, non Pontificis qui moritur. Quod quando Papa eligitur, non assumat secum claves, quia sic esset Papa antequam esset Papa electus. Nec accipit ab Angelo, ergo ab Ecclesia, & cum moritur cui alii relinquit quam Ecclesiæ? unde concludi debet Ecclesiæ claves datas esse in sua amplitudine, à qua accipit Pontifex ut minister suus. Quo rendit scriptum à Divo Augustino super Psalm. 108. quædam dicuntur quæ & si ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur; non tamen habent illustrem intellectum, nisi referantur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gessisse personam, propter primatum quem in discipulis habuit, sicut est, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*. Ita Judas personam sustinet infidelium.

Sed alii diluebant majorem partem istarum rationum. Nam Papa diverso modo potest esse Filius & Pater Ecclesiæ: Filius generatione spirituali baptismi, Pater vero authoritate: sicut Christus respectu diversorum dicitur filius David & Pater eius, & Episcopus vocatur & est filius naturalis alicuius mulieris cujus erit Pater Spiritualis. Et si vero Papa sit membrum Ecclesiæ universalis non sequitur esse inferiorem in Iurisdictione, nam idem argumentum fieri potest de Christo quod esset inferior, cum sit etiam membrum Ecclesiæ 1. Corint. 12. *Vos estis corpus & membra de membro*. Glossa, dependentia de membro; idest Christo capite. Caput etsi membrum, est superius toto corpore in quod influit. Quod vero dicendum est Ecclesiæ si peccaverit in nos frater noster, ibi per Ecclesiam non possunt intelligi, nec omnes qui sunt in Ecclesia divisim sumpti nec collective sumpti, cum iis dici vix possit. Sed ibi per Ecclesiam intelliguntur prælati, qui ut capita Ecclesiam repræsentant, unde nihil certi inferri potest ex hac ratiocinatione. Neque etiam ex hoc quod dicitur totum esse majus sua parte: quia hoc verum est de majoritate quantitatis dimensivæ vel numeralis, non est verum de majoritate quantitatis virtualis. Potest enim una pars majór esse in virtute quam plures aliæ. Cum vero quæritur cui Pontifex claves relinquit moriens, aut à quo accipit si non sint semper in Ecclesia? Respondetur potestatem illam clavium semper remanere in Christo à quo ille accepit, qui præsentatur ei ab Ecclesia ministerio electionis, idque non nova traditione, sed antiqua illa ordinatione, qua Petro tradidit & in eius persona cuilibet suo successori: verbum enim Christi semper vivum & semper efficax dat claves cuilibet succedenti Petro, ut non sit necesse unum Papam ab altero accipere, quare vana est quæstio cui Papa moriens claves relinquat. De dicto Divi Augustini satis patet ex contextu illum locutum fuisse tantum de quibusdam dictis ad Petrum, non de omnibus, quæ ut habeant illustrem intellectum referenda sunt ad Ecclesiam, id est ad successores suos per totum Ecclesiæ decursum pro quibus etiam Petrus accepit potestatem clavium eorum gerens personam: quomodo recipiens castrum à Rege pro se ac filiis dicitur figurare ac repræsentare filios suos.

Sed hujusmodi controversiæ fusius narrantur ex Æneæ Sylvio, qui postea Papa fuit Pius secundus ex quo aliqua delibamus. Finita disputatione, inquit, cum instaret horum negotiorum extrema conclusio, Mediolanensis & Panormitanus Archipontifices se magnopere armabant ad impediendum. Igitur ubi ad generalem deventum est concionem, Burgensis Episcopus primus differri conclusionem petiit, & expectati aliorum principum oratores ex Mogontia propediem redituros. Tunc Panormitanus gravem & rhetoricum orationem habuit, admonens Patres, in omni re, quæ ab aliquo postulatur, quatuor esse considerandа, quis peteret, quid peteretur, cur peteretur, & qui demum effectus ex petito vel concesso provenirent. Primum hoc petere potentissimos Reges & Principes. Secundum petere etium tantum

sacri

Concilii, ut patres quiescerent in processu Papæ & conclusione rerum. Tertium non propter privatam sed publicam utilitatem petere, ad rem melius examinandam. Quarto ut effectus mente conciperent, sive negarent, sive concederent quod peteretur. Calefiebat autem dicendo Panormitanus & maxime cum de prælatis mentio incidit, diceretque apud se fore majorem partem prælatorum. Tum Ludovicus Romanus Protonotarius exorsus loqui, nec multa, nec valde bona adduxit, cum ex malo corio nemo bonus consuere calceos queat, &c. tum Ludovicus Cardinalis Arelatensis vir constantissimus & ad gubernationem generalium Conciliorum natus, oratorum omnium qui locuti sunt verba resumens, vehementer arguens Episcopos, qui metu veritatem celent, asseverans in Concilio non veritatem patrum, sed rationem spectandam esse, imo veritatem ante omnia. Se nullius Episcopi mendacium quamvis ditissimi, veritati ditissimi pauperis preponere. Nec dedignari Episcopus debeat si vox inopis Sacerdotis docti tamen & sancti, suæ præponatur. Adductis in hoc exemplis. Athanasium Presbyterum non Episcopum, vicisse Archiepiscopum Arrium (nota errorem; nam Arrius erat tantum Presbyter, &c.) Et cum Panormitanus dilationem in re fidei peteret: Multis exemplis probat Arelatensis periculum esse in morâ. Quod sæpe momenti, anni transitus sit. Hannibal apud Cannas victoria potitus, si è vestigio urbem petisset, omnium judicio cepisset Romam. Quia tamen in crastinum distulit restituro Romanis vigore exclusis est & audire metuit, vincere scis Hannibal, uti victoria nescis, &c.

Hic cum Arelatensis faciſſet loquendi finem turbatio non parva exorta fuit, erat ubique clamor, ubique strepitus, ubique jurgia effundebantur. Nunc Panormitano, nunc Ludovico sermo erat, Episcop. cum Episc. inferiores cum inferioribus verbales rixas habebant. Tum Ludovicus Patriarcha Aquileiensis, Dux de Dex in Suevia, versus ad Panormitanum & Ludovicum Protonotarium. Ne credite, inquit, ita rem abire, Germanorum nescitis mores, nempe si sic proceditur, nequaquam fas erit integris hanc provinciam exire capitibus. Quo verbo veluti fulmine tacti Panormitanus Mediolanensis & Ludovicus. Libertas, inquiunt, nobis eripitur? en quid est quod frangenda nobis capita Patriarcha minatur? Versique ad Joannem Comitem in Dierstein, qui tunc locum protectoris tenebat, scifcitati ab eo sunt, an protegere Concilium vellet, omnesque in libertate tutari. Tum Amadeus Lugdunensis Archiepiscopus quoniam strepitus ac vociferatio intendebatur, argute rem miraculo tribuit, septem annis durasse Concilium, jam claudos ambulare, muros loqui, pauperes evangelizare, sentiens novos adesse Prælatos qui usque in hanc diem tacuerint, nunc loquaces factos. Tum Arelatensis instabat ut Concordatum XIV. virorum legeretur, plurefque sibi in aures sibilabant ne sententia flecteretur. Panormitanus vero ut cœptum est legi concordatum, rursus vociferatur & quod dignum est se facit, & loquitur. Nos Prælatorum major pars sumus, ad nos concludere spectat. Ab ista Panormitani conclusione Nicolaus Amici Theologus Parisiensis appellabat, &c. Erant turbata omnia. Nec ut solebat suis subsellis Prælati insidebant. Sed ut quemque trahebat affectio, isti Arelatensem, illi Panormitanum adibant; & quasi principem quique suum aut exercitus Imperatorem adhortabantur.

Dictum Archiep. Lugdun.

Astus Cardin. Arelat.

Tum Arelatensis ut cognovit rem in periculo esse nec rectam conclusioni viam patere, utendum astu censuit, ut tumultum componeret. Habeo, inquit, Sanctissimi Patres, novas ex Gallia litteras, quæ mihi audita stupenda narrant: incredibiles illic novitates sunt, Quare & silentium subitum impetravit, & artificio mito attentos reddidit. Utque liberum dicendi campum patere vidit, sine fabula, sine ulla historia litterarum missarum seriem reseravit. Exinde prout oratoria exigit insinuatio pedetentim ad causam rediit: Eugenianos nuntios implesse Galliam dixit, qui novam doctrinam prædicantes, authoritatem Romani Pontificis supra Concilia generalia magnifacerent: quibus nisi cito occurreretur, fore ut pluribus fidem facerent: idcirco oportuisse sacrum Concilium de remedio cogitare, necessarioque veritates de quibus jam agetur examinatas, ut per eas Eugenianorum temeritas retundatur: quæ licet essent numero bis quatuor, non tamen fuisse intentio patrum omnes concludere, sed tantum priores tres, prout se, inquit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti concludere. Atque iis dictis lætus alacerque consurgens recessit. Alii eum, alii vestimentorum fimbrias osculabantur, &c. Missa facio convitia & contumelias quæ post hanc conclusionem auditæ sunt. Tentavit iterum concludere Arelatensis. Sed lecta forma decreti usque ad verbum decernimus, assurgens, assurgens Panormitanus, nihil passus est ulterius audiri. Nunquam fuit Concilium in majori discrimine, teste Silvio qui tum præsens ad pedes Turonensis & Lubecensis Episcoporum hæc collegit. Panormitanus Achilles fuit Eugenianorum, Arelat. Concilij Hector.

Ex his videre est non solum fuisse conclusum contra Papam sine legitima authoritate, sed etiam sine pluralitate suffragiorum Prælatorum, nam de Presbyteris qui intromissi erant ad hoc Concil. inauditum est eos habuisse vocem decisivam. Unde nec Concilium Constantiense, nec Basileense, si recte perpendantur, sufficiens argumentum præbere possunt ad subjiciendum Pontificem Concilio, extra certos casus ut schismatis & hæresis, dementiæ & forsan aliquos alios: quicquid interim sit de rei ipsius veritate quam hic non definimus.

Utrum vero ex quibusdam rationibus aut experientiis id colligi possit, ne hac occasione data avidum harum rerum lectorem omnino deseramus, colligit ex his responsionibus Cardinalis de Turrecremata in summa de Ecclesia l. 2. cap. 102.

Respondetur objectionibus contra authoritatem Papæ.

OBjicitur, ex c. *si Papa* si Papa est devius à fide judicari posse per Ecclesiam, ergo in allo crimine de quo Ecclesia scandalizaretur. Respondetur negando consequentiam, & ratio est quoniam per hæresim Papa cadit à Papatu, quod non fit per alia peccata: & ita cum per hæresim Papa fiat omnibus fidelibus minor, ut dicit sanctus Thomas, in 4. & habet Glossa in cap: *Acacius.* 24. q. 1. per Ecclesiam judicari poterit, sive judicatus à Deo declarari, quod non potest per alia peccata. Quod vero Papa per hæresim notoriam & contumaciter defensatam cadat à Papatu, & ita ipso jure sit privatus, patet ex multis. Tum ex eo quod fide perdita, per quam sit prima unio ad corpus Christi, quod est Ecclesia, membrum Ecclesiæ esse desinit, & per consequens esse caput: quomodo enim intelligi potest, ut aliquis sit caput corporis Ecclesiæ, cujus non modo membrum non est, sed nec etiam in corpore ipso, sed extra est? Deinde dato quod scriptura sancta aperte non expressierit, jus tamen Canonicum hanc differentiam satis sufficienter expressit, ut in cap. *Si Papa.* & in multis aliis ut c. *Oves.* magnam faciens differentiam in hoc loco de peccato hæresis & de peccatis aliorum generum, & hoc sufficit. Secundo potest responderi negando, quod in Sacra Scriptura talis differentia inter hæresim sive infidelitatem & alia peccata non reperiatur expressa: de peccato enim infidelitatis dicitur Matth. 10.

Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo: Item Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Item 2. Joan. 1. *Si quis venit ad nos & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec ave ei dixeritis, qui enim dixerit ei ave, communicat operibus ejus malignis:* ubi inquit gloſſa, nolite, id eſt non tantum non aſſentiatis, ſed nec ad horam recipiatis. Et iſta ita ſe extendunt ad Prelatos Chriſti doctrinam non accipientes ſicut ad ſubditos. De aliis autem peccatis non ſic loquitur ſcriptura divina, ſed ait Matth. 24. *Super cathedram Moiſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis ſervate & facite, ſecundum opera eorum nolite facere.* Ecce quod Dominus non dicit abjiciendos malos paſtores qui bonam doctrinam habent, vitam vero malam; ſed audiendos in doctrina, in operibus vero non imitandos: unde Auguſt. in Epiſtola ad Generoſum aſſignans rationem, quare Prælatis etiam malis ut pote Papæ etiam malo moribus obediendum eſſet, ſic dicit: Ab ipſo Petro numeramus Epiſcopos: & infra. In hoc ordine ſucceſſionis Epiſcoporum quæ deducitur ab ipſo Petro uſque ad Athanaſium, qui nunc eandem cathedram tenet, etiam ſi quiſquam traditorum per illa tempora ſurrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ & innocentibus, quibus Dominus providens ait de præpoſitis malis: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere,* ut certa ſit ſpes fidelium quæ non in homine, ſed in Deo collocata, nunquã tempeſtate ſacrilegij & ſchiſmatis diſſipatur: hæc ille. Item colligitur ex Apoſtolo ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,* Gloſſa bonis vel malis: 1. Petri 2. *Obedite præpoſitis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Ecce quam clara differentia ex ſacra ſcriptura colligitur inter peccatum infidelitatis in paſtoribus & alia peccata.

Objiciunt iterum, qui poteſt majus poteſt & minus, ut dicit textus in *c. ex parte extra. de decimis*, at majus eſt judicare in hæreſi. Reſpondetur, quod falſum præſupponitur, videlicet quod majus ſit judicare Papam in caſu hæreſis, quam in caſu aliorum peccatorum. Et ratio eſt quia Papa cadendo à Petra fidei, cadit à Papatu, ut dictum eſt, & ita efficitur minor quocũmque fideli, & ita minus eſt in hoc caſu judicare illum: quod non eſt in aliis peccatis, in quibus non cadit à ſuperioritate officii. Quod autem dicitur, quod ubi conceditur majus debet & concedi quod minus eſt, reſpondetur quod hoc verum eſt ubi majus & minus ſunt ejuſdem ordinis & rationis inter ſe: at hic non ſunt, ut ex allato diſcrimine notum eſt.

Inſtant, nulli membro parcendum eſt ut ſervetur corpus, & nulli corpori ſufficienter eſſe proviſum niſi membrum putridum poſſit abſcindi. Reſpondetur quod ratio non procedit propter multa. Tum primo, quia major illa deficit in veritate de membro capite, quia ab illo pendet ſenſus motus & virtus corporis, & ſine quo corpus non vivit. Hinc eſt quod Chriſtus, Matth. 18. inter membra ratione ſcandali abſcindenda, non nominat corpus, ſed membra illa, cum quorum abſciſſione ſtat vita ſenſus & motus corporis: à Papa autem ut habetur in cap. *Si Papa.* diſt. 48. poſt Deum ſalus Univerſitatis fidelium ſpecialiter pendet. Tum ſecundo ratio non videtur ad propoſitum inducta, quia quantumcumque Papa efficitur malis moribus membrum putridum, non poteſt totum corpus inficere, non permittente hoc Spiritu ſancto, quo Eccleſiæ corpus & vivit & vegetatur, & à quo ſalus eius principaliter dependet, maxime cum Chriſtus pollicitus ſit ſemper cum corpore ſuo manere dicens: *Ego vobiſcum ſum ad conſummationem ſæculi.* Tum tertio ratio non procedit, quia etſi hujuſmodi membri abſciſſionem aliis de Eccleſia vel Eccleſiæ non commiſit, ſibi tamen reſervavit, ſecundum illud Symmachi in cap. *aliorum.* c. 9. q. 3. dicentis, *Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari, ſed ſedis iſtius præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Stultum autem eſſet cogitare, quod minus ſit proviſum corpori Eccleſiæ, per hoc quod Chriſtus vicarii ſui cauſas ſuo ſine quæſtione arbitrio reſervavit, quam ſi aliorum judicio voluiſſet terminari. Nec etiam mirandum eſt ſi aliqua in hac vita remaneant impunita & juſtitia aliquoties exulet, quia multa divino examini reſervantur, quæ in hoc ſæculo manent impunita, ut in c. *Si oſtenditur.* 6. q. 1.

Urgent, Eccleſiam non fore aliter bene à Chriſto ordinatam, ſi ſuæ perditioni Papam puniendo non poſſet occurrere. Sed ad hoc quaſi ſimilis patet reſponſio: dicimus enim quod conſequentia illa adverſariorum nulla eſt, imo Chriſtus inſtituendo quod Papa eius Vicarius Generalis extra caſum hæreſis propter alia quæcumque peccata, propter quæ non cadit à Papatu & Vicarius ejus non poſſit corrigi ab aliis quam ab eo, ordinatiſſime fecit, quia ſic relucet in ordine Eccleſiæ ordo divinæ providentiæ, quæ habet quod in ordinatis ad ipſum prima agunt in poſteriora regendo, monendo, corrigendo & non è converſo. Unde cum Romanus Pontifex ſit primus & ſupremus in toto ordine Eccleſiæ ſecundum debitum ordinem ipſius, ita debuit inſtitui, ut ipſe alios corrigeret, & ipſe à ſolo Deo veniret corrigendus. Unde Gloſſa ſuper illud Pſalmi *Tibi ſoli peccavi*, inquit, quia Rex eſt omnibus ſuperior, ideo à Deo tantum, qui major eſt eo, puniendus eſt. Et ad probationem reſpondetur quod nulla eſt. Tum primo quia aliud eſt in caſu hæreſis & in aliis peccatis, ut ſæpe repetitum eſt. Tum ſecundo, quia aliud eſt reſiſtere volenti demoliri communitatem, & aliud eſt punire volentem demoliri, aut aliquid injuſtè attentare, primum poteſt convenire inferioribus, ſecundum non. Tum tertio quia, ut in prima reſponſione dictum eſt, caſus ille non eſt poſſibilis de communitate Eccleſiæ ſicut de aliis pollicente Chriſto Matth. 16. quod adverſus Eccleſiam etiam portæ inferi non prævalebunt.

Addunt aliam rationem quod ſi Papa vellet quemdam occidere teneremur de jure occidere; ergo ſi animas fidelium perderet. Reſpondetur quod ratio illa nihil facit ad propoſitum. Aliud eſt enim impedire hominem volentem alterum iniuſte interficere, aut tenendo eum vel removendo ſibi gladium, vel aliquid ejuſmodi: & aliud eſt eſſe ſuperiorem judicem illius, & poſſe contra eum procedere via juris ad eum puniendum. Unde ſi argumentum procederet, omnes homines poſſent ſuos quoſcumque ſuperiores, cum male agerent, judicare, & punire etiam Laici Clericos. Unde iſta argumenta fuerunt Bohemorum, ad probandum quod eorum communitas diſſolutum Cletum corrigere poſſet.

Simili ratione arguunt, quod liceret Papæ reſiſtere qui vellet uxorem alterius rapere, &c. Reſpondetur ſicut ad præcedentem, quod ratio non militat; aliud eſt enim reſiſtere, & aliud eſt punire ſive impugnare; primum poteſt convenire in caſu inferiori, ſicut Paulus reſiſtit Petro, ſed ſecundum non niſi ſuperiori.

Præterea objicitur quod Papa diffamatus ad vitandum ſcandalum debeat ſe purgare. Reſpondetur quod rationes illæ non militant in aliquo, quia dato quod Romanus Pontifex diffamatus debeat ſe expurgare ex debito conſcientiæ ad tollendum ſcandalum, non ſequitur ex hoc quod aliquis ſit judex eius ſuperior in cauſis, quoniam poterit ſe purgare abſque hoc quod purget coram aliquo judice ſuperiore, ſicut aperte colligitur ex purgationibus factis aliquibus ſuperioribus temporibus per Summos Pontifices, ſicut de Leone legitur in c. *au-*

Papa ſe purgat ab obiectis crimenibus.

ditum. 2. q. 7. quamtamen non fecit coram judice superiore vel Concilio universali, sed coram duodecim Episcopis tantum, ut in cap. *omnibus*. eod. causa & quæst. unde ait. *Auditum est, fratres charissimi, qualiter mali homines in me gravia crimina confinxerunt: quamobrem ego Leo Papa Pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ purifico me in conspectu vestro coram Deo & Angelis ejus, &c.* Item Sixtus Papa se purgavit in Concilio, sed non tanquam superiore judice: unde cap. *mandastis*. 2. q. 5. scribens omnibus Episcopis ita ait: *Scitote me criminari à quodam Basso & injuste persequi, quod audiens Valentinianus Augustus nostra authoritate Synodum congregari jussit: nota, nostra authoritate & facto Concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licet evadere aliter potuissem*, (quia ut ait Glossa ibi: Papa à nullo potest judicari 9. q. 3. *aliorum*. Nec ab universali Concilio 17. dist. 5. hinc etiam ff. *de lege priu.*) *suspicionem tamen fugiens expurgavi me*, scilicet à suspicione & æmulatione liberans, *sed non aliis, qui noluerint aut sponte hoc non elegerint, formam faciendi dans*. Hæc ibi. Item patet idem de Damaso Papa, qui non coram superiori judice, sed coram 42. Episcopis se purgavit, ut in cap. *nos si*. 2. quæst. 9. in fine. Collige ergo ex dictis B. Sixti in præfato cap. *mandastis*. Quod Papa non tenetur se purgare de objectis sibi criminibus, si non vult, etsi aliqui ut ipse ex humilitate hæc legantur fecisse.

Sed deficiente jure recurrunt ad Historias & exempla ex quibus conficiunt multos Pontifices per Ecclesiam correctos ac depositos fuisse. Sed frustra, quoniam nullo exemplo potest probari, quod unquam Romanus Pontifex verus & indubitatus, quantumcumque repertus fuerit moribus depravatus, fuerit per universalem Ecclesiam sive per Concilium universale depositus sive punitus: quod patet per omnes Romanos Pontifices, de quorum depositione sit aliqua mentio in gestis sive Chronicis antiquis.

Marcellinus. Non quidem Marcellinus Papa, qui licet propter idololatriæ scelus commissum universalem Ecclesiam scandalizasset, non Concilii sed sui ipsius judicio sententiam accepit: nam, ut etiam supra commemoratum est, cum confessus esset errorem suum & judicio se submitteret Concilii, Concilium dixit: *Absit ut à nobis summus Pontifex judicetur. negasti tu, negavit & Petrus Magister tuus, & quis Apostolus ausus fuit eum inde judicare? sed egressus foras flevit amare: tu ergo in sinu tuo causam colligе tuam, tuo proprio te ore judica*: audiens hæc Marcellinus, inquit; ob idololatriæ scelus, quod infœlix commisi, me judico deponendum, quæ tamen depositio executionem non habuit, sed in Pontificatu usque ad mortem permansit; unde in Chronico Bernardi Guidonis ita legitur: Hujus Papæ tempore tanta vis persecutionis effecbuit, ut infra triginta dies decem & septem millia hominum promiscui sexus per diversas provincias martyrio coronarentur, unde Marcellinus capite truncatus est, à quo die inter persecutiones cessavit Episcopatus annis septem mensibus sex. Ecce quod dicit quod à die, quo capite truncatus est, cessavit Episcopatus; unde manifestum est quod prius per depositionem non desierat.

Cæterum nec de Liberio potest verificari quod adversarii dicunt, quia etsi legatur depositus, non tamen ab Ecclesia nec propter sua demerita, sed quia hæreticis communicare nolebat, imo excommunicavit illis communicantes, à Constantino convocato Concilio ex hæreticis Arrianis in exilium missus est, & loco eius exulantis, Fœlix substitutus est. Item nec facit ad propositum adversariorum quod legitur de Anastasio in capite *Anastasius* dist. 19. & in glossa, quoniam licet ibi dicatur quod aliqui Presbyteri recessissent ab eo, quod communicasset Photio & Acacio, non tamen legitur quod per universalem Ecclesiam fuerit sententiatus aut condemnatus, sed bene legitur quod fuerit Divino judicio percussus, & ita à Deo depositus.

Constantinus. Præterea nec favet adversariis quod legitur de Constantino quodam, quem Stephanus congregato Concilio Episcoporum Italiæ de Ecclesia ejecit: quoniam non fuit verus Pontifex, sed tyrannus, qui laïcus existens præsumpserat invadere sedem Apostolicam.

Christophorus. Similiter nec facit pro adversariis quod Christophorus, de quo dicunt, qui sex mensibus sedisse in Apostolica sede legitur, ejectus de Papatu fuerit, & illo facto Monacho, Sergius institutus sit: quoniam ille non verus Papa, sed invasor Apostolicæ sedis fuit.

Benedictus IX. Item nec facit pro adversariis quod legitur de Benedicto nono, qui successit Stephano qui ejectus est à Papatu, & factus est Episcopus Sabinensis, qui vocatus est Silvester, qui cum per simoniam esset promotus, ejectus est; & Benedictus restitutus est, qui iterum ejectus est, & datus est Papatus Joanni Archipresbytero S. Joannis ante portam Latinam, qui Gregorius sextus vocatus est, qui tandem ab Henrico Imperatore depositus ultra montes fuit translatus: quoniam ista de facto procedebant vel à tyrannide Imperatoris, vel à protervia Romanorum, à quibus exempla non sunt sumenda.

Nec ista consequentia est bona; factum fuit sic, ergo legitime factum fuit: nos enim non debemus respicere quod factum est in præterito, sed quid juridice fieri debuit in futurum: ut in cap. *cum ad causam* de electio.

Joannes XII. Item nec favet adversariis quod de Joanne XII. dicitur, diversæ enim historiæ diversimode narrant gesta hujus Joannis: in quibusdam enim legitur quod non fuit depositus, sed ad admonitionem Ottonis & Collegii Cardinalium ac Cleri Romani renunciavit Papatui, & sic non est ad propositum adversariorum factum hujus Papæ, quoniam non negamus Romanum Pontificem posse renunciare Papatui. Aliæ historiæ dicunt quod iste non fuerit verus Apostolicus, sed magis Apostaticus, cum non intraverit Canonice: dicitur enim quod adhuc vivente Agapito Papa, Pater suus qui potens erat prece & pretio induxit nobiles & Potentes Romanos, & juramento adstrinxit, ut mortuo Agapito procurarent filium suum fieri Papam, sicut factum est contra. c. *nullus Pontifex*. dist. 79. unde cum iste juxta cap. *Si quis pecunia*. magis censendus veniret Apostaticus quam Apostolicus, non mirum si per Concilium fuit provisum, attenta maxime sua scandalosissima vita: & ita si hoc sit verum; ratio etiam adversariorum non est ad propositum. Cæterum etiam non favet adversariis dato quod ita sit, sicut inductum est quod ipse Joannes XII. ob turpem & scandalosam ejus vitam per Ottonem Imperatorem congregato à tota Italia Episcoporum Concilio legatur depositus, & communi voto Leo illi substitutus est: quoniam hoc videtur actum non de jure, sed de facto per Imperatorem congregatis non totius Ecclesiæ sed tantum Italiæ Episcopis, nec talia facta sunt attendenda, quia non exemplis sed Legibus judicandum est. cap. *de sen. nemo*. Quod verò illud de facto processerat: non de jure patet, quoniam ipse post recessum Ottonis à Romanis receptus Synodum congregavit Romæ, in qua Leonem & omnia eius gesta damnavit: nam ut refert Vincentius libro 25. capite 86. in hoc Romano Concilio publice omnium judicio fuit statutum Synodum à Leone habitam, in qua ipse Leo assumptus fuerat Joanne depositio, non nominandam Synodum, sed prostibulum, & ab ipso Leone ordinati fuerunt degradati & deordinati: jussi etiam singuli præsentare in charta scripturam hanc: Episcopus meus scilicet Leo, qui eos ordinaverat, nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Sed tamen quia vita ipsius Joannis erat detestabilis & Christiano populo plurimum scan-

daloſa, Dominus Ieſus Chriſtus non paſſus amplius Eccleſiam ſuam ſcandalizari, in eum damnationis ſententiam intulit, ut pote qui ſolus in eum poteſtatem habeat: nam cum uxore cujuſdam oblectaretur, à diabolo in tempora percutitur, & ita ſine pœnitentia moritur, cui Benedictus ſubrogatur & deinde Leo.

Ioan. 23. Benedict. 13.

Item nec ſuffragatur opinioni adverſariorum quod factum eſt in Conſtantia de Ioan. XXIII. & Benedicto 13. ſic in ſuis obedientiis nominatis, tum quia nullus eorum fuit indubitatus Romanus Pontifex habitus ab univerſali Eccleſia, tum etiam quia, ut ex eorum geſtis patet, pro hæreſi inter alia damnati ſunt, & ita ad propoſitum noſtrum non facit. Ex quibus manifeſtum habemus quod id, quod adverſarii dicunt, videlicet quod ſæpenumero univerſalis Eccleſia Summos Pontifices, ſive à fide deviantes, ſive pravis moribus notorie Eccleſiam ſcandalizantes correxerit & punierit, non conſiſtat in veritate, & mirum ſit quod multi adverſariorum non ſint veriti hujuſmodi fictionibus & mendaciis tractatulos ſuos in deceptionem ſimplicium replere.

Atque licet iis ſe ita habentibus, pervium eſſet ulterius progredi, & quid in hac difficultate omnino ſentiendum eſſet explicare, malumus tamen hic ſubſiſtere, omiſſa definitione quæſtionis quoad ſubſtantiam ipſius, & ſapientum lectorum acriori judicio dimiſſa, ne gravioribus concertationibus anſam præbeamus, in hoc tempore potiſſimum in quo pruriunt mentes plurium ad exagitandam Pontificis authoritatem, & ſi nulli hactenus ab eo diſceſſionem fecerint, niſi cum jactura Religionis Orthodoxæ. Equidem iſta inſtituto noſtro ſufficere arbitramur, ut remotis objectionum plurium obicibus [illegible] veritatem pateat aditus, nec ex iis ſic quidam præpediantur, ut nolint æmulari Æneam Sylvium, qui cum partes Concilii Baſileenſis ardentiſſime ſequeretur, ut crevit ætate, crevit etiam & ſapientia, nunquam non ſtudens ut eruditetur magis. Retractationem eius ſubjungimus.

Ex Pii Papæ Bulla 2. retractationum eorum quæ pro Concilio Baſileenſi contra Eugenium ſcripſerat dum eſſet adhuc in minoribus.

Pius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, Rectori & Vniverſitati ſcholæ Colonienſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. In minoribus agentes nondum ſacris ordinibus initiati, cum Baſileæ inter eos verſaremur, qui ſe generale Concilium facere, & univerſalem Eccleſiam repræſentare aiebant; Dialogorum quemdam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de authoritate Concilii ac de geſtis Baſileenſium, & Eugenii Papæ contradictione, ea probavimus vel damnavimus quæ probanda vel damnanda cenſuimus: quantum capiebamus, tantum defendimus aut oppugnavimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. Exiſtimavimus bene agere & recta incedere via, nec mentis noſtræ aliud erat objectum, quam publica authoritas & amor veri, ſed quis non errat mortalis? Sapientem, inquiunt Philoſopi, nunquam errare verum eſt. At quis ſapiens, niſi bonus? quis bonus, niſi ſolus Deus? *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, inquit Propheta Regius. Declinavimus & nos ab utero matris, erravimus in invio, & non in via, ambulavimus in tenebris, & procul à vera luce receſſimus: nec nobis tantum erravimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cœcis ducatum præbentes cœci, cum illis in foveam recedimus, forſitan & aliquos ex vobis ſcripta noſtra decepere, & de via deduxerunt: quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris requiſierit Dominus, non habemus quod reſpondere poſſimus, niſi nos, ut homines, peccaviſſe, qui arbitrantes rectum iter oſtendere, obliquum monſtravimus: in miſericordia tantum Dei ſpes noſtra ſita eſt, quæ ſuper omnia opera ejus elucet. Sed haud quaquam ſatis fuerit divinam miſericordiam implorare & dicere, Parce Domine, parce peccatis noſtris, niſi pro viribus nos vulnera quæ inflximus, veritate curare connitamur: & ſicut eſt in fabulis, ſagitta, quæ vulneravit, afferat opem: ſive ut canit Eccleſia, medelam inde ferat, hoſtis unde læſerat. Mortem quidam prius ſibi conſciverint, quam videri velint aliquando male ſenſiſſe: & nonnulli ne vel ad horam videantur erraſſe, temper errant, & dum vel minimam tolerare honoris jacturam nequeunt, totum abjiciunt, & perpetua notantur infamia, & in peſſimas prolabuntur hæreſes. Qui ne appareant inconſtantes, pertinaces efficiuntur, ſuperbiſſimi hoc agunt, qui videri dii, non homines, volunt: quales Conſtantiæ combuſti ſunt noſtra ætate in magno conventu Hieronymus & Ioannes Hereſiarchæ. Nos homines ſumus, & ut homines erravimus, neque imus inficias, multa, quæ diximus, ſcripſimus, egimus, damnari poſſe, verum non ut Arius, Eutyches, Macedonius aut Neſtorius, & alia blaſphemorum turba, ex animo damnatam viam elegimus: ſeducti peccavimus, ut Paulus, & ignoranter perſecuti ſumus Eccleſiam Dei, & Romanam primamque ſedem. Propter quod proſtrati ante oculos divinæ pietatis, ſupplices oramus: Pſalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias ne memineris, &c.* Pudet erroris, pœnitet male feciſſe, & male dictorum ſcriptorumque vehementer pœnitet, plus ſcripto quàm facto nocuimus. Sed quid agamus? ſcriptum & ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ multas inciderunt in manus, & vulgo leguntur, utinam latuiſſent quæ ſunt edita. Nam [illegible] futuro in ſæculo manſerint, & aut in malignas mentes inciderint aut incautas, fortaſſe ſcandalum parient. Qui hęc ſcripſit, inquient, in B. tandem Petri cathedra ſedit, & Chriſti Salvatoris vicariatum geſſit: ita ſcripſit Æneas, qui poſtea Summum Pontificatum adeptus, Pius II. appellatus eſt, nec inveniturmutaſſe propoſitum, qui eum elegerunt, & in ſummo Apoſtolatus vertice collocarunt, ab iis ſcripta ejus approbata videntur. Verendum eſt, ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus objiciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pii, atque ab ea ſede authoritatem vendicent, adverſus quam ignoranter latraverunt. Cogimur igitur, dilecti filii B. Auguſtinum imitari, qui cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. Humilis & probatiſſimi vir ingenii, qui ſuas ineptias verecunde confiteri & corrigere, quam impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus, confitebimur ingenuè ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus juvenes, error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam ſanctam ſedem oppugnare: nam [illegible] quem decuit unquam Romani primique throni eminentiam & gloriam defendere ac extollere, nos illi ſumus, quos ſine ullis meritis pius & miſericors Deus ſola diſpenſatione ſua ad B. Petri ſolium, & dilectiſſimi filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti vicariatum evocavit. Quibus ex rebus dilectiones veſtras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem ullam præſtetis, quæ ſupremam Apoſtolicæ ſedis authoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid adſtruunt, quod ſacroſancta Romana non amplectitur Eccleſia. Suadete omnibus, ut id ſolium præ cæteris venerentur, in quo ſalvator Dominus ſuos vicarios collocavit, & quod B. Apoſtoli Petrus & Paulus ſuo ſanguine dicaverunt: ne putetis divinam providentiam quæ cuncta gubernat & nihil negligit eorum, quæ creavit, inordinatam reliquiſſe militantem Eccleſiam, quæ

Luc. 18. Pſal. 13.

Pii 2. modeſtia & pœnitentia.

cum ſit ſponſa Chriſti, profecto à Deo eſt & ordinem habet, dicente Apoſtolo, quæ ſunt, à Deo ordinata eſſe. Requirit autem ordo, ut inferiora a ſuperioribus gubernentur, & ad unum tandem perveniatur tanquam principem & moderatorem cunctorum, quæ infra ſe ſunt. Sicut Grues unam ſequuntur, & in apibus unus rex: ita & in Eccleſia militanti, quæ iuſtat triumphantis habet, unus eſt omnium moderator & arbiter, Jeſu Chriſti vicarius, à quo tanquam capite, omnis in ſubjecta membra poteſtas & authoritas derivatur, quæ a Chriſto Domino Deo noſtro ſine medio in ipſum influit. Nec profecto in alium tanquam ſui exercitus Ducem, ſupremam authoritatem Chriſtus principaliter derivaſſet, quam in ſuum vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commiſſam novimus Dominici gregis curam: nec duos pluresve Petros Evangeliſtæ commemorant, nec duos aut plures inſtituit Dominus qui ſuum locum tanquam capita tenerent æqualia, ſed unum conſtituit ut verticem ac ducem & paſtorem univerſi gregis, Simonem Petrum, dicens, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo: & paſce oves meas.* Quæ nulli alteri ſeorſim dicta leguntur niſi Petro, ut in Petro unitas & ſumma contineretur authoritas: nec alius à Petra dictus eſt Petrus niſi Simon, ut intelligeremus unicum eſſe veræ & ſolidæ petræ, ideſt Chriſti, ut Paulus exponit, locum tenentem Simonem Petrum, qui ſolus pro Domino in periculo conſtituto exemit gladium. Petrus igitur & ſucceſſores eius Romani Pontifices Primatum in Eccleſia tenuerunt, & nos hodie quamvis indigni, ſola Domini voluntate digni tenemus, & quicumque Romanæ ſecundum Canonicas ſanctiones præficitur Eccleſiæ, quam primum electus eſt in ſacro collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordinem in omnem diffundit Eccleſiam, cuius peccata divino judicio punienda relinquuntur, *& poſt aliqua.*

Unus Papa.

Adverſus Concilij authoritatem mutare aliquid, crimen hæreſis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat: de ſedis Apoſtolicæ præcellentia aut ſilentium, aut contemptus, Concilium, Concilium cuncta ſonabant. Didicimus ergo quæ audivimus, & poſt aliquot annos ſexiſtimantes nos aliquid eſſe, diximus, ut eſt apud Satyricum.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam?

Iuvenal.

Puduit ſemper diſcipulum agere, ſubtraximus ferulæ manum, cœpimus loqui & magiſtri perſonam induimus. Scripſimus Epiſtolas & Opuſcula, hoc omnibus paſſim datur; docti & indocti ſcribunt, & quæ ſcripſit ipſe, nemo contemnit, niſi editionis fervorem tempus extinxerit: nobis placebant ſcripta noſtra more Poëtarum, qui poëmata ſua tanquam filios amant. Nec Baſileæ quemquam inveniebamus, qui ea damnaret. Probant enim ſimilia ſimiles, applaudebamus nobis ipſis, & in editionibus noſtris gloriabamur: & quamquam poſtea Eugenius Concilium in Italiam tranſtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ convenerit: quamquam Julianus ſancti Angeli & Joannes ſancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defeciſſent; quamquam pauciſſimi in fide Baſileenſi remanſiſſent. Noluimus tamen credere, exiſtimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent, & cum nihil haberemus, quod nobis auferri poſſet, perſeverandum putavimus, ne partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes detrimentum animæ faceremus. Manſimus igitur Baſileæ, quoad Eugenio, ut credimus, juſto judicio depoſito, Amadeus Sabaudienſis ſuffectus eſt, Felix quintus appellatus: quem non ut idolum, quod erat, ſed tanquam verum Chriſti vicarium venerati ſumus, nihil ad hæc ſiniſtri putantes interceſſiſſe.

Hæc & plura Æneas Sylvius retractans cum eſſet ſenex & Pontifex maximus, quæ junior ſcripſerat de Concilio Baſileenſi, quod initio quidem legitimum erat, non tamen in progreſſu cum Eugenium IV. legitimum Pontificem deponere aggreſſi ſunt patres illius Concilii; nam tunc non ſolum fuit achephalum, ſed etiam pluribus illud in dies deſerentibus ex Epiſcopis ut Eugenium ſequerentur. Qua de re idem Sylvius conquerebatur epiſt. 10. ad Lupum de Portugal legis doctorem. Mira rerum mutatio, qui ante favebant Concilio, jam impugnant, qui impugnabant, modo favent: luſus jam Eccleſia eſt, qualem de pila fieri videmus, dum huc atque illuc impellitur, luſorum ictibus percuſſa. Pluribus inquam quotidie Ferrariam confluentibus, Presbyteri plures quam Epiſcopi cum voce deciſiva in eo admiſſi ſunt, cum Concilia ſint Epiſcoporum juxta decretum Concilii Chalcedonenſis, mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt: ſed & idem Æneas ſuppreſſit duos libros quos de rebus ejuſdem Concilii juvenis ſcripſerat bona mente: longe alienus à congratulationibus adulatoriis quibus univerſitatis Colonienſis Theologos proſequebatur in dialogis ſuis de geſtis Concilii. Ubi ita habebat: Allatus namque ad nos eſt tractatulus quidam veſter, quo imperitiam, vel verius dicam, temeritatem illorum arguitis, qui & ſubjectum generali Concilio Romanum Pontificem & ſupremi judicii tribunal in Eccleſia eſſe diffitentur, quos ſic vivacibus rationibus & ſcripturarum veritate premitis & retunditis, ut nec tanquam lubrici angues ſe evolvere, nec in aliquo cavillari aut ſibilare queant. Hæc porro annotare libuit in exemplum eorum qui ſalivam quam ſemel imbiberunt male ſanarum opinionum, ſpuere nunquam volunt; qui utinam non eſſent in tanto numero, ut hæc ſcribere neceſſarium non eſſet.

De damnatione Auguſtini de Roma.

INter alias propoſitiones eius Epiſcopi damnatas, hæc qua aſſerebat ſolos electos eſſe membra Chriſti qui in perpetuum cum Chriſto regnaturi ſunt, prodit authorem illum quibuſdam articulis Joannis Huſſi in Concilio Conſtantienſi damnatis adhæſiſſe, ut etiam inſinuat ipſum Concilium. Scilicet jam tunc ſpargebantur ſemina Janſeniſmi ſeu errores libri illius, qui inſcribitur Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, hiſce diebus iterata damnatione & prohibitione ictâ ab Alexandro ſeptimo, cujus Bullam hac ipſa hebdomada qua hæc ſcribimus & ſimul Typographo committimus, ex decreto Vicariorum generalium Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis inter Miſſarum ſolemnia evulgantes, animadvertimus præcipuum eorum errorem profluxiſſe ex mala intelligentia evangelii ipſius Dominicæ in quo legitur ex Joannis cap. 10. *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Quippe illud intelligunt de ovibus ſecundum electionem æternam ad gloriam dumtaxat, unde pro ſolis electis volunt Chriſtum mortuum fuiſſe, ac ſi conſequentia cum ſuis principiis loqui velint, & quæ in iis latent expromere, ſolos illos membra eſſe Chriſti, tantum ipſorum Chriſtum eſſe caput qui in eos influat ſpiritum vitæ ac gratiæ illius efficacis, quam iis coloribus depingunt, ut omnino in caſſes Wicleſiſtarum incidiſſe videantur poſt Calvinum & Lutherum, non advertentes paſtorem habere diverſas oves, quarum aliquæ ſanæ ſunt, aliæ morbidæ, aliæ rebelles & extra caulas luporum rapacitati expoſitæ. Explicat hoc Cardinalis de Turrecremata D. Thomæ diſcipulus in ſumma de Eccleſia l. 1. c. 14. & ſeq. Ubi hunc errorem Auguſtini de

Roma fusius exagitat & refellit. Ibi enim c. 55. notandum, inquit, quod aliquis dicitur membrum Christi, ovis Christi, Filius Dei dupliciter in sacra Scriptura, & penes Doctores. Uno modo secundum prædestinationem tantum: alio modo secundum præsentem justitiam. De 1. modo habetur 1. Ioan 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* De secundo modo habetur Ioan. 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, &c.* 57. enodatius ista explicans. Accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi Christus est caput omnium, sed secundum diversos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum qui actu sibi uniuntur per gloriam. 2. eorum qui actu sibi uniuntur per charitatem. 3. eorum qui actu sibi uniuntur per fidem. 4. eorum qui sibi uniuntur tantum in potentia nondum reducta ad actum, reducenda tamen secundum divinam prædestinationem. 5. vero eorum qui sunt in potentia sibi jungi, quæ nunquam reducitur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc sæculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, qui jam nec sunt in potentia ut Christo uniantur. Quæ doctrina ibidem fusius explicata valde utilis est ad evellendum in sua radice istum errorem Augustini de Roma, ac simul omnia alia quæ ex hoc antecedenti inferuntur: De quibus alias scripsimus librum de beneficio crucis, seu articulos disputatos de gratia, & alibi Deo dante scripturi sumus. Quare hic solum annotabimus Martinum V. scripsisse Epistolam ad Prælatos Alemanorum, qua dicit hanc propositionem, quæ hic damnatur, in Concilio Constantiensi damnatam fuisse, qui secundum sensum coincidit cum quibusdam articulis Vuiclefistarum, ut agnoscamus jam à multo tempore exagitatam esse doctrinam Jansenii per Pontifices & per Concilia, etiam per ipsum Concilium Basileense, quod supra multa alia efferunt, quia Pontificem deprimit.

Christus est caput diversimodum.

Circa aliam propositionem de scientia animæ Christi, non minor dissentio fuit: quidam enim in oppositum tribuebant animæ Christi ignorantiam, ut Agnoïtæ qui erant ex Arrianis, propter illud dictum Marci 13. *De die autem illa nemo scit, neque Angeli cælorum neque Filius, nisi solus Pater*, indeque errorem suum stabiliebant contra coæqualitatem filii cum Patre. Unde Greg. Magn. l. 8. Epist. 42. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum istud, *neque filius* refert ad filium adoptivum, nempe populum Christianum, non ad filium naturalem, qui solus Christus est. Alii vero communius dictum Christi interpretantur de scientia & ignorantia communicativa, quia Christus nescit diem illum, ut aliis communicet, attentos & vigiles singulos esse desiderans in expectatione sui adventus. In eodem errore fuit quidam Themistius sive Calonymus, cujus fit mentio in sexta Synodo, qui etiam Christo ignorantiam non reformidabat tribuere, quod purum hominem esse putaret, qui nesciret diem judicii, nec sepulchum Lazari. Is erat Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, qui factus est caput Agnoïtarum inter quos plures fuere Monachi apud Photium eod. l. 30. His vero Augustinus de Roma è diametro adversarius parem ac divinitati scientiam, tribuebat humanitati Christi, ut etiam Deum comprehensive cognosceret. Hanc quæstionem solvendam proposuerat D. Fulgentio Ferrandus Diaconus Carthaginensis, qui responsione 3. ad ipsum, ubi multa disseruit de scientia animæ Christi ex eo quod Hebr. 3 dicitur, *non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, & ex illo Apostoli loco ad Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, afferre videtur discrimen aliquod inter scientiam divinitatis & humanitatis non sine fluctuatione aliqua: nescio tamen, inquit, utrum debeamus dicere quod anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum seipsam divinitas novit: an hoc potius dicendum est, *quia novit quantum illa, sed non sicut illa*, id est tam clare, tam intense: ad quam distinctionem non attendens Augustinus de Roma, laxus censuræ aperuit. Licet Fulgentii sensus non sit de intentiori illa notitia.

De Bohemis.

Bohemi missis oratoribus à Concilio vocati tandem accesserunt Basileam unionis causa cum multo equitatu ac vexillo imaginem Crucifixi ex una parte gerente, ex altera calicem tanquam dissentionis materiam, ut notat Florimundus l. 4. *Nascentis hæreseos.* Ad illos Julianus Cardinalis orationem habuit summo patrum consensu benigne & luculenter eos adhortans ad ea quæ pacis sunt, dicens ex re sua facere qui aquæ fluenta apud Concilium quærerent, matrem tandem audire statuerint. Responsum est à Bohemis, se neque Concilia neque Ecclesiam contempsisse, adversus inauditos sententiam Constantiæ latam, nihil se de religione detrahere. Interrogati quænam essent illa in quibus à Rom. Ecclesia dissentirent, quatuor articulos proposuere. Licet enim Joannis Hussi erroribus detinerentur, ex parte tamen Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ quatuor tantum articulos proponendos Concilio deferebant, ut si in iis Concilium ipsis assentiret, concordiam inirent cum Ecclesia, quasi ignis discordiæ extingui posset vel scintilla illius adhuc relicta, qua statim iterum accenditur.

Erant autem articuli 1. de Communione Eucharistiæ sub specie panis & vini. 2. de civili dominio, quod clericis interdictum divina lege dicebant. 3. de prædicatione Verbi quam liberam omnibus arbitrarentur. 4. de publicis delictis quæ nulla ratione toleranda putabant. Verum cum Julianus Legatus etiam se alia accepisse de Bohemis affirmaret, quia Religiones Mendicantium inventum diabolicum prædicarent; assurgens Procopius unus ex eis. Neque hoc falsum est, inquit, nam si neque Moses, neque ante eum Patriarchæ, neque post eum Prophetæ, neque in nova lege Christus, neque Apostoli instituere Mendicantes, quis non intelligit diaboli tenebrarumque opus esse? Exceptaque est Procopii vox cum ingenti auditorum cachinno. Cui breviter dici poterat ratiocinationem ejus deficere in sufficienti partium enumeratione, & cachinnus iste non erat tam nota approbationis quam despectus.

Selegerunt Bohemi magistros qui suos articulos à divina lege sumptos ostenderent. Totidem deputati ex parte Concilii qui eos confutarent. Disputatum est quinquaginta diebus. Multa in utramque partem adducta. Missi & oratores ex Concilio in Bohemiam, multa agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus. Legati Basileam remissi, qui declarationem super articulo Communionis expeterent. Pax tandem facta est in Bohemia, ad quam iterum missi fuerant oratores Concilii Philebertus Constantiensis Episcopus provinciæ Rothomagensis, Joannes de Palomar Archidiaconus Barchinonensis auditor Sacri Palatii & alii, ac sub certis conditionibus admissi sunt illi quatuor articuli. De 1. largitur Concilium communionem sub utraque specie iis qui in eius usu erant ac in cæteris Ecclesiæ universali conformes erant, modo Sacerdotes eis significarent sub specie panis non esse solum corpus Christi, nec solum sanguinem sub specie vini. Concederitque tanquam rem utilem & fructuosam non per modum solius tolerantiæ, quo pacto libellus repudii aut Judæos permissus fuerat, ita enim id declaratum fuisse refert Cochlæus in historia Hussitarum. De 2. articulo qui spectat ad dominium rerum civilium, concessum est non pertinere sic ad clericos ut seculariter eo utantur. De 3. convenerunt prædicationem Verbi Dei convenire tantum Sacerdotibus & Levitis idoneis sub authoritate Episcopo-

Concordia cum Bohemis initur de 4. artic.

rum aut ſummi Pontificis. De quarto cum non ſit privatæ perſonæ uniuſcujuſque peccatum & crimen punire, eo ſenſu admiſſus eſt articulus ut punirentur per habentem publicam authoritatem ſpiritualem aut civilem juxta delicti ſpeciem. Sed quo pacto potuerit Concilium Baſileenſe ſine authoritate Pontificis ritum communicandi immutare & novum permittere, non ſine cauſa diſputat Cochlæus. Notatque Bohemos nullo modo recte communicare poſt illam conceſſionem, cum ipſi in reliquis Eccleſiæ non adhæreant, nec dicant illis eorum Sacerdotes verba præſcripta, ac Joannem Huſſum pro Martyre ac ſancto colant. Ut ut ſit quia concordatum hujuſmodi initum fuerat, potiſſimum ad illud annitente Sigiſmundo Imperatore cum Alberto Auſtriæ Duce ipſius genero, coram ipſis etiam Rocziſanna præcipuus Pragenſium Doctor cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius Cleri obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtare ſe publice proteſtatum eſt. Sicque à cenſuris abſoluti ſunt, & in Eccleſiam per Concilii oratores introducti. Cumque paulo poſt præfatus Rocciſanna ad altare accedens ac Miſſa celebrata Sacramentum ex calice laico dediſſet, non ſervatis conditionibus, parum abfuit quin in irritum conventa caderent. Sed compoſita res eſt ex eo conventionum capite, quo ſancitum erat ne paucis pacta violantibus communis concordia rumperetur. Numquam tamen Bohemi Huſſitæ pacta iſta integra ſervaverunt, ſed ſæpe contempta ac inverſa ſunt ab ipſis, ut multum operæ, parum fructus produxerit in iſta reconciliatione.

Binius in appendice Concilii hujus refert orationes in quibus articuli Bohemorum diſcutiuntur. Prima eſt Joannis de Raguſio Ordinis Prædicatorum de communione ſub utraque ſpecie, quæ duravit per octo dies. Horis antemeridianis confutans quæ Rocciſanna pro neceſſitate utriuſque ſpeciei dixerat. Secunda Ægidii Carlerii decani Eccleſiæ Cameracenſis, qua reſpondit per quatuor dies articulo 2. Bohemorum de corrigendis peccatis publicis, quem propoſuerat per biduum Nicolaus Taborita. Tertia eſt Henrici Kalteiſen Dominicani Profeſſoris Theologiæ in Univerſitate Colonienſi, qua per triduum reſpondit iis quæ propoſuerat Udalricus Preſbyter Orphanorum de libera prædicatione Verbi Dei. Quarta eſt, Joannis de Polemar Archidiaconi Barcinonenſis, qua anno 1333. per tres dies refutavit quartum articulum Bohemorum de civili dominio Clericorum. Hæ orationes ſeu tractatus legi poterunt apud Binium ab iis quibus majus ſuppetit otium. Sufficit nobis hoc indicaſſe, ac animadvertere nullam quæſtionem diutius agitatam, quam quæ tangit neceſſitatem communionis ſub utraque ſpecie, quam avide poſtulabant Huſſitæ ſpem præbentes in ſpecie ſe alia Eccleſiæ dogmata amplexuros, ſi hoc indulgeret illis Eccleſia & rigorem Canonis Conſtantienſis relaxaret. Sed ut catholice Sancteſius repetit. 10. de Euchar. cap. 6. contra hæreticos diſputat, cur utramque ſpeciem flagitant, niſi ut oſtendant diu inter Catholicos viguiſſe abuſum in unius panis traditione? quæ vero utilitas ex talium conceſſione ad ipſos redibit, quam in errore obfirmatio & reſipiſcentiæ retardatio? tantum vero abeſt ut tum de emenda cogitent, quod criſtas erigunt & contra Eccleſiam inſoleſcunt, quaſi veritatem ſuperarint, eorumque opinioni tanquam certiori omnes acquieverint. Poſtea efferuntur audacia ac ſe in adulterio deprehendiſſe Eccleſiam prædicant: omnes rectores ac Doctores in ea hallucinatos fuiſſe & ſcripturas depravaſſe, & ab uno articulo ferendum judicium de tota doctrina Eccleſiæ. Nec vero intra limites conceſſionis conſiſtunt, ſed inde gradum faciunt ad convellenda graviora myſteria. Sic Bohemi Jacobullo Miſnienſi de utraque ſpecie concionanti, non modica geſtiebant lætitia quod articulum inveniſſent in Evangelica lege fundatum, per quem vel Romanæ ſedis ignorantia vel nequitia argui poſſet. Tum populum conantur poſt ſe abducere, quaſi rectius Catholicis de Religione ſentiant, quia vicerint aliqua in re atque obtinuerint. Ex hoc ſimplicibus ac minus intelligentibus de Eccleſiæ ſtatutis dubitandi datur occaſio, idemque ſibi concedi deſiderant quod hæreticis fuerit indultum. Experientia enim noſcitur quam ſit populus novitatis ac libertatis amans. Hæc & plura doctus ille Epiſcopus. Attamen Ruardus Taper. art. 15. tradit Paulum III. cum Bohemis in hac diſpenſaſſe, modo faterentur calicem non eſſe ad ſalutem neceſſarium.

Diſcutiuntur articuli 4. Bohemorum.

Inſolentia hæreticorum.

De Conceptione Immaculatæ Virginis.

GRaves controverſiæ de ea agitatæ fuerant Pariſiis occaſione propoſitionum Joannis de Monteſono Doctoris Dominicani Pariſienſis nationè Arragoni, hanc Conceptionem Immaculatam in publicis lectionibus impugnantis, qui cum juſſus à Magiſtris Univerſitatis Pariſienſis eas retractare non obtemperaret, cauſa ad Epiſcopum Pariſienſem Petrum de Ordeomonte delata eſt, qui eaſdem diligenter examinatas publice damnavit. A cujus ſententia ad ſedem Apoſtolicam appellans is Joannes de Monte-ſono univerſum Ordinem ſuum defenſorem habuit. Sed miſſis ab Vniverſitate Avenionem Petro de Alliaco, Ægidio de Campis & aliis doctoribus, confirmata eſt cenſura Pariſienſis, & juſſus à Clemente Joannes Pariſios redire & Univerſitatis correctioni ſe ſubmittere. Quod cum promiſiſſet nocte ſequenti in Arragoniam aufugit maximam in univerſum ſuum Ordinem invidiam relinquens. Qui & multa inde paſſus eſt, abſciſſus quippe eſt ab Univerſitate, interdicta ei prædicandi & confeſſiones audiendi facultas, negatæ eleemoſynæ, invocatoque regio auxilio multi inducti fuere ad revocandas iſtas propoſitiones, inter quos fuit Guillielmus de Valone ex eodem ordine Epiſcop. Ebroicenſis Regis confeſſarius, qui poſt hoc ex aula expulſus eſt & ſtatuit Rex Carolus VI. nunquam deinceps ex eo Ordine confeſſarium ſibi deligere. Nec potuit niſi longo poſt tempore Ordo Univerſitati reſtitui, cujus ſciſſuram adhuc poſt annum 25. luxit Joannes Gerſonus per ep. ad ſtudentes Collegii Navarræ. Multi vero tunc fuere conſcripti tractatus in defenſionem utriuſque partis, ut non mirum ſit multos hujuſmodi tractatus Baſileam comportatos fuiſſe ad examen hujus controverſiæ, ut nihil temere definiret Concilium. Quia tamen Concilium hoc non habet certam & infallibilem authoritatem, opinio de Immaculata Conceptione non eſt de fide, ut non bene putavit Almainus de poteſtate Eccleſiæ c. 16. Jodocus Clictoveus ſuper Damaſcenum l. 3. c. 2. & in ſerm. 3. de conceptione aliique defenſores hujus Concilii. Nec tamen contraria opinio hæretica eſt, nec nota temeritatis aut impietatis afficienda eſt. Idque ſtatuerunt plures Summi Pontifices. Putat tamen Suarez in 3. p. D. Th. quæſt. 27. art. 2. diſp. 3. ſect. 6. hanc veritatem, ſcilicet beatam Virginem Conceptam fuiſſe ſine peccato originali ab Eccleſia definiri poſſe tanquam de fide, quando id expedire judicaverit. Quia hæc veritas eſt ſupernaturalis multum conducens ad pietatem, & pervenire poteſt res ad eum ſtatum in quo abſque nova & explicita revelatione habeat Eccleſ. ſufficientia motiva ad veritatem hanc definiendam ex implicita & tacita Dei revelatione ſibi ſufficienter propoſita.

Origo controverſiarum circà conceptionem Virginis.

Confirmatur, quia ſæpe Eccleſia ſua authoritate aſſiſtente ſibi Spiritu ſancto, ſimiles controverſias definivit abſque nova revelatione expreſſa, ut patet in quæſtione de habitibus infuſis, de canonica authoritate aliquorum librorum ſactæ Scripturæ & aliis. Ad hanc enim definitionem ſatis eſt, ut aliqua ſupernaturalis veritas Traditione vel ſcriptura implicite contenta ſit, ut creſcente communi conſenſu

Ecclesiæ, per quem sæpe Spiritus sanctus traditiones explicat, vel scripturam declarat, tandem possit Ecclesia definitionem suam adhibere, quæ vim habeat cujusdam revelationis respectu nostri, propter infallibilem Spiritus sancti assistentiam. Hæc autem veritas sæpe in scriptura indicata est, & in universali Ecclesia paulatim recipitur non sine motione Spiritus sancti, ut creditur, qui plenitudinem gratiæ Virginis ita esse intelligendam sensim Ecclesiam docet. Posseretque ita consensus Ecclesiæ in hanc veritatem crescere, ut posset Ecclesia rem definire absque magna contradictione, cum jam fere omnes, paucis exceptis, dispositi sint ad hanc veritatem etiam tanquam de fide suscipiendam, si Ecclesia ita declararet.

Conceptio immaculata definiri posset de fide.

Addi potest aliquid amplius: quod si quæstio in Concilio generali determinanda proponeretur, vix credibile est aliam futuram Ecclesiæ definitionem quam pro asserenda illibata illa & immuni ab omni peccato conceptione. Jam enim toties suam propensionem in hanc partem variis decretis testificata est, ut in contrariam partem sese vertere absque nota aliqua inconstantiæ non posset. Ut quî enim fieri posset quod cum Ecclesia prohibuerit, ne quispiam doceret privatim & publice ne diceretur concepta in peccato originali, postea juberet ut diceretur concepta in peccato originali? Etsi enim nihil repugnet Ecclesiam pro diversitate circumstantiarum mutare sua decreta, id tamen locum habet circa res quæ sunt doctrinæ fidei, quæ cum sit immutabilis & sibi semper similis, manet semper eadem.

Porro quæ spectant ad asserendam, explicandam ac probandam hanc veritatem, tribus meditationibus primis per novem puncta aperuimus in tractatu de Beata Virgine, tertia parte Theologiæ Affectivæ, nec vacat ea modo repetere, pleni enim sunt libri hujusmodi probationibus. Tantummodo hic subjiciemus solutiones objectionum plurium contra hanc veritatem, ut quam debili innitantur fundamento qui minus tribuunt Beatæ Virgini, melius appareat.

Jodocus Clictoveus.

Certe leves sunt eorum rationes, ut qui illis illaqueari se sinunt, homini illi similes videantur qui se tenui filo teneri & captivum agi pateretur. Sic has diluit Jodocus Clictoveus serm. 3. de Conceptione, durius paulo adversarios exagitans, quod nondum ita agere tam severe prohibitum fuerat per summos Pontifices.

Una, quam magni putant momenti, innititur multis sacrarum litterarum sententiis, asserentibus neminem peccati exhortem immunemque esse: ut huic dicto Beati Pauli: *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei*, & quod per unum hominem peccatum in omnes pertranssit: Illi identidem verbo Psalmographi: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, & similibus id genus sacris eloquiis, quæ sonare videntur generatim omnes primævo peccato esse obnoxios.

Rom. 3.

Psal. 13.

Objectiones solvuntur.

Verum his omnibus una adaptanda est diluctio, eas videlicet secundum communem legem esse intelligendas, & illis duntaxat accommodandas, qui nullo peculiari privilegio dotati, eumdem communemque omnibus sortiti sunt exortum. At vero ab hac subjectionis ad peccatum lege, Beata Virgo Maria speciali gratia exempta est: quæ nisi exempta fuisset, illi utique communi legi peccati subjacuisset. Perperam igitur hæc scripturæ dicta trahuntur applicanturque ad Sacram Virginem, quæ divinæ gratiæ prærogativa præcipuoque munere ab illa hominum universitate secluſa est. Quod ne arbitrarium censeatur aut gratis assertum, conspiciantur alia gratiarum dona præter communem legem illi indulta. Sine parentum carnali commercio non potest naturaliter progigni soboles, ipsa Spiritu sancto fœcunda concepit prolem. Post conceptum & partum non potest naturæ legibus permanere virginalis in matre integritas, ipsa vero nec in conceptu, nec partu Virgineum amisit decorem. Insuper mulier cum parit, tristitiam habet & gravissimos dolores, ipsa nullum perpessa dolorem filium suum peperit, segregata à communi illa mulierum maledictione: *In dolore paries filios tuos.* Demum omnes homines, anima à corpore soluta, rediguntur in pulverem & resolvuntur in putredinem, ipsius autem B. Virginis sacro-sanctæ corpus cum anima assumptum est in gloria, ut absque aliqua hæsitatione adstruendum est neque subjectum fuit huic maledictioni, *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Si igitur in his quæ in vita eius & felici obitu gesta sunt, eam videmus communi legi minime subjectam fuisse, quare idem non fatebimur in primo vitæ exortu fuisse factitatum? quare ex multis id unum consimile non colligemus? Si vero pertinacius obsistat adversarius sacro-sanctam Virginem non fuisse secretam, neque sepositam ab ea communi lege peccati, in illud tandem impietatis barathrum decidet, quod neque Dominum nostrum omnino peccati jugo liberum fateri cogetur, sed ex Maria Virgine carnem sumpsisse, quæ aliquando in ea culpæ fuit obnoxia. Est enim Christus secundum carnem suæ matri vere consubstantialis, ut secundum Deitatem Patri: qui igitur Virginem Mariam non excipit à peccato, neque eius filium. Videre obsecro, quomodo hæc impietas etiam in Deum ascendit, & filio derogat, qui matris extenuat gloriam. Quod si Christum ab omni peccato vindicent matrem quoque vindicent, operæ pretium est. Sed & Clictovei solutionibus addi potest, non sic textus scripturæ involvere omnes homines in peccato per Adamum contracto, ut non etiam aliquando det occasionem suspicandi aliquem exemptum fuisse à contagio illo, ut cum ad Roman. 5. utitur his verbis. *Si enim unius delicto multi mortui sunt, &c.* ut quid enim multos, non omnes mortuos asserit, nisi ut immunitas cujuspiam ad hac lege non omnino scripturæ adversari videatur?

Privileg. plura B. Virginis.

Ioan. 16.

Genes. 3

Antimaritæ.

Aliam præterea Antimaritæ nostri (quos eo nomine nuncupamus, quod synceriſſimæ puritati Beatæ Mariæ sint contrarii & obluctantes) rationem adducunt, quam inflata bucca & ore tragico atque inflato more Zenonis Achillem personant, tanquam invictam viribus & inextricabilem: suam scilicet sententiam, probatissimorum Authorum & quidem quam plurimorum, assertionibus & authoritate defendi. In quorum nominibus recensendis magnam impendunt operam, tempus conterunt & membranas implent, sibi persuasum habentes, ea ab re veritatem magis accipere suam positionem, quod plures habeat assertores, tanquam in multitudine militum consisteret victoria belli, & non potius in robore & strenuitate. Meminisse debent illi Alexandrum magnum parvis admodum copiis, pene innumerum Darii exercitum ter profligasse: Themistoclem quoque inclytum Græciæ Imperatorem, exigua manu numerosum Xerxis agmen in trepidam fugam egisse. Et (ut ad nostratia descendamus exempla) ipsos non præterit insignem (ut reor) Judam Machabæum paucis militibus fretum, copiosas Antiochi vires contrivisse; aut fortem Sansonem in maxilla asini mille stravisse Allophylos; aut ipsum denique David, in funda & lapide terribilem & gigantæa mole horrendum Goliath deviciſſe. Omnis enim ille Authorum numerus, Beatam Virginem Mariam in conceptu maculam contraxisse asseverantium, etsi etiam decuplo esset major atque cumulatior, exiguum quiddam est, & parum authoritatis habet ad sacram scripturam, quæ manifeste asserit Beatam Virginem ab omni penitus peccati macula fuisse alienam. Cum enim puriſſimam Domini nostri carnem ab omni eximit contagione criminis, quis nisi cœcutiens non videt,

1. *Mac.* 3.

Iudic. 15.

1. *Reg.* 17.

dæ, & ſanctiſſimæ Virginis carnem, de qua ſumptum eſt ſacroſanctum Domini corpus, etiam à ſcriptura adſtrui nullius unquam peccati ream? Nam *Rom. 11.* radix ſancta, teſte Beato Paulo, & rami ſancti: quare converſo ordine ſi ramus ſanctus eſt, & radicem, ex qua enaſcitur, ſanctam quoque eſſe neceſſum eſt. Nullus autem ignorat omnem humanam aſſertionem ſcripturæ ſanctæ veritati cedere debere, quæ ſolidiſſima eſt & ſolvi non poteſt, neque a ſua firmitate decidere: ejus certitudo firmo conſtat fundamento, neque mutabunda titubat, ut humanarum aſſertionum propoſitiones in alterutram partem vacillantes, & huc illucque fluctuantes. Cum igitur ſacræ Scripturæ eas tutentur partes, quas aſtruimus, totam ſcilicet pulchram eſſe B. Virginem, & maculam in ea non eſſe, hac ſola maxilla totus Philiſthæorum & adverſariorum elidetur exercitus Samſonia vibrante dextera: hac Davidica funda & lapide Goliæ frons percutitur, & deſtitutus viribus, in terram ſemianimis procumbit; quandoquidem contra Divina eloquia fruſtra armant linguam humana ingenia, nec quicquam moliuntur calumniam aut cavillos adinventiones humanæ. Cæterum graviſſimorum, quos adducunt, Authorum ſuæ opinioni adſtipulantium nomini vel authoritati derogatum minime velim, ſed ſacram Scripturam illis præferendam libere proclamaverim. Ipſorum enim tempore non uſque adeo dilucide explicata fuit propoſitæ inquiſitionis veritas, neque ita ad unguem enucleata, ut hac noſtra tempeſtate. Quocirca facilis illis debetur venia, ſi in hujuſce diſceptationis amfractibus obliquam viam ſunt ingreſſi, ſi a recto calle exorbitarunt, per ſenticoſa tenebricoſaque diverticula oberrantes.

Demum neque eo moveri debemus timore, quem ingerere ſolent adverſarij, ſcilicet ſi B. Virginem Mariam mundam ab omni crimine in ipſo conceptu fuiſſe fateamur, quod videbimur eam æquare filio ſuo, cui omnimoda primum convenit à peccato mundities, & proinde cenſebimur ipſius Filij gloriam extenuare, quod ſibi proprium eſt, aliis quoque communicantes. Nam tametſi Mater id commune habet cum filio, puritatem ſcilicet in conce- *Luc. 1.* ptu, in multis aliis infetior eſt. Chriſtus enim verus Deus & homo, virtute Spiritus ſancti conceptus, Maria duntaxat homo, ex conjugatorum progenita conſortio.

Neque ob id nobis inſultent importuni calumniatores ſereniſſimam Virginem tabe originalis culpæ labefactam dici debere, quod ex nuptiali thoro pro- *Ibidem.* pagata ſit. Nam cum (ut teſtatur Lucas) non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum, qui Virgini gaudia titulumque matris contulit cum Virginitatis honore, qui ſteriles matres felici prole beavit, cur non potuit ex honorabilibus nuptiis & thoro immaculato fructum proferre communis labis neſcium? ſane cum omnipotens ſit, id quidem potuit: cum ſumme ſapiens, id decere cognovit: cum ſupreme bonus, id revera voluit. Ex quibus omnibus id poſtremum colligitur, quod illud effecerit, neque accurarius timandum nobis eſt, quomodo id à Deo effectum fuerit, ex connubiali fœdere natam eſſe prolem, peccati penitus expertem: ſed ſimplici fide id confitendum, ipſam B. Virginem & corpore ſanctam & Spiritu productam eſſe ad ortum, ſecundum ſuæ ſapientiæ nobis occultæ imperſcrutabilem diſpoſitionem. Qui enim Arcam Moſaicam ex lignis Sethim imputribilibus fieri juſſit, in qua reponendum erat manna Iſraëliticum, longe valentiori ratione Arcam illam animatam, in qua requieturus erat panis ille de cœlo deſcendens, ab omni putrefactione peccati in ſuo primordio præſervavit.

Poſtremum ipſi Chriſto datus ſpiritus gratiæ non ad menſuram & de ejus plenitudine nos omnes accepimus, quemadmodum legitur: ſacratiſſimæ autem Virgini non tanta gratiarum exuberantia infuſa admittitur, neque tanta divinorum chariſmatum cumulatio; nam quamvis affluentiſſimus in ea ſit gratiarum torrens, certa tamen menſura definitus eſt in ea, neque ad tantam excreſcit effundationem, quanta in Chriſto conſpicitur. Itaque quamvis immaculata fuerit ejus conceptio, ſicut & Chriſti, ſemper tamen in inferiore dignitatis gradu conſtituta eſt, quam filius ejus, cui (ut creatura creatori) ſubſtrata ſubjectaque conſiſtit.

Reſtat præcipua objectio ex ratione D. Thomæ petita 3. part. quæſt. 27. art. 2. qua obiter indicat (neque enim id ponit in aſſertione) B. Virginem incurriſſe maculam originalis culpæ: quia ſi aliter, non indiguiſſet redemptione & ſalute quæ eſt per Chriſtum: de quo dicitur Matth. 1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum à peccatis eorum.* Hoc autem inconveniens eſt, quod Chriſtus non ſit ſalvator omnium hominum ut dicitur 1. ad Timoth. 4. Unde relinquitur quod ſanctificatio ejus fuerit poſt animationem. *D. Thomas.*

Sed Scotus in 3. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. fuſe diſputat contra hanc rationem, & ex ipſo principio quo utuntur Thomiſtæ contrariam elicit concluſionem. Contra primam rationem, inquit, arguitur ex excellentia filij ſeu inquantum redemptor, reconciliator & mediator, quod ipſa non contraxit peccatum originale. Perfectiſſimus enim mediator habet perfectiſſimum actum mediandi reſpectu alicujus perſonæ: ſed reſpectu nullius perſonæ habuit excellentiorem gradum quam reſpectu Mariæ, ſed hoc non eſſet niſi meruiſſet eam præſervari à peccato originali. Probatque hoc tripliciter 1. per comparationem ad Deum, quia Chriſtus perfectiſſime non placat Trinitatem pro culpa contrahenda à filiis Adæ, ſi non præveniat ut alicui Trinitas non offendatur. 2. per comparationem ad malum à quo liberet, quia perfectiſſimus mediator meretur amotionem omnis pœnæ ab eo quem reconciliat, eſt autem culpa originalis major pœna, etiam carentia viſionis divinæ: ergo eam debuit omnino auferre ab aliqua perſona. 3. per comparationem ad obligationem perſonæ quam reconciliat, ut illi ſumme obligetur, ad quod neceſſe eſt ut ſummum bonum habeat quod poteſt per mediatorem haberi: illud autem eſt innocentia, nam excellentius beneficium eſt præſervare à malo, quam permittere incidere in malum & ab eo poſtea liberare. Quare autem nulla anima debuit fuit erit Chriſto pro innocentia, & quare cum omnes Angeli in patria ſint innocentes, nulla anima in patria erit innocens, niſi anima Chriſti? &c. *Scotus.*

Ad quæſtionem dico, quod Deus potuit facere quod ipſa nunquam in peccato originali eſſet potuit etiam feciſſe ut tantum in uno inſtanti eſſet in peccato originali: potuit etiam facere ut per tempus aliquod eſſet in peccato & in ultimo inſtanti illius temporis purgaretur, &c. Quod autem horum trium quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia, factum ſit Deus novit. Si authoritati Eccleſiæ vel authoritati ſcripturæ non repugnet videtur probabile, quod excellentius eſt attribuere Mariæ.

Hæc eſt concluſio Doctoris ſubtilis Scoti, cui præſens Concilium annitentibus maxime Theologis Pariſienſibus adhæſit, poſt Epheſinum Concilium in honorem Virginis propenſiſſimum & acceptius futurum, ſi qua reverentia hoc proſequebatur Cœleſtinum Pontificem Rom. eadem Eugenium coluiſſet. Interim miranda eſt modeſtia tum Doctoris Angelici D. Thomæ, tum Doctoris ſubtilis Scoti in iſta difficultate: ille tantum obiter impugnat immunitatem à peccato in conceptione, hic cum tanta ſubmiſſione illam admittit ut nihil illo ſit humilius: & tamen eorum diſcipuli tot clamoribus & tumultibus rem iſtam egerunt, ut non ſemel ſcandala ex eorum concertationibus exorientia viſa ſint. Sic abſolvuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli.

Andreas Duvallius Professor Theolog. Canus: Cajetanus.

Doctor Andræas Duvallius Decanus Facultatis Theologiæ Parisiensis Tract. de peccatis quæst. ultima art. 7. postquam totam istam quæstionem solide discussit, examinat amplius an sententia pro immaculata conceptione sit ab Ecclesia definibilis: resolvitque partim contra Canum l. 7. de locis c. 3. qui neutram partem definiri posse autumat, cum non possit revelatio ea de re expectari: partim contra Cajetanum qui putat si Ecclesia ad definiendum se accingeret, contra ipsam definituram: resolvit inquam immaculatam conceptionem esse in proxima dispositione ut definiatur ab Ecclesia tanquam de fide, quia ita parata & expedita videntur omnia, si adhiberetur à Pontifice diligentia consueta in negotio definitionum, nihil ultra esset desiderandum: & revera Patres Basileenses eam definierunt jam, licet propter ipsorum schisma vim non obtineat ipsorum definitio: quin imo, ut idem asserit, Gabriel in 3. dist. 3. scribit Legatos Eugenij ad Concilium Basileense, inter alias instructiones quas ab eo acceperant habuisse hanc etiam, ut controversiam de immaculata conceptione determinari curarent.

3. Regula ad definiendum res de fide.

Sunt autem tres regulæ quibus Ecclesia uti solet in definiendis propositionibus fidei, scriptura, traditio & generalis Ecclesiæ consensus, quarum regularum una sufficiens est ad definitionem, si saltem implicite contineatur in ipsa veritas definibilis. At jam conspirat paucis admodum exceptis universa gens Christianorum Catholicorum & sibi persuadet immaculatam fuisse Virginis conceptionem: traditio vero omnino locuples ipsi favet, ut exhibetur à Salazario l. 1. de conceptione c. 42. & à Ioanne Eusebio tomo integro, cui titulum præfixit *Opera Parthenica*. Scriptura vero id ipsum saltem implicite continet, ut non sit difficile ex ipsius verbis illam eruere & colligere: & ut innumera fere loca omittamus, quæ alibi discussimus, locus ille Geneseos c. 3. *& ipsa conteret caput tuum* quem de B. Virgine plures ex Patribus intellexerunt, rem totam conficere potens est, si advertatur post Jacobum Parez Episcopum Chrysopolitanum in *Canticum B. Mariæ*, ista verba quæ denotant ipsam immunem fuisse à morsu serpentis, ipsi usque caput quod est peccatum originale obtrivisse, prius dicta fuisse à Deo quam sententia ferretur in virum & mulierem, ut intelligamus præventam fuisse & liberatam à communi maledictione hominum & mulierum. Unde etiam putamus nec debito contrahendi istud peccatum umquam subjacuisse, cum non fuerit comprehensa in illo pacto ex cujus occasione incurritur istud peccatum: quamvis contra sentiant Suarez, Bellarminus, Vasquez & alij apud eundem Duvallium quæst. cit. art. 4. quorum rationes non convincunt.

Jacobus de Valentia Parez Episc. Hisp.

Quantum beneficium Virgini collatum in conceptione.

Porro hoc beneficium præservationis à macula originali tantum fuit, quod sola evaserit in passu illo ad vitam in quo cæteri pereunt & in mortem animæ incurrunt, ut non immerito potuerit tunc canticum gratiarum actionis, qua usa est ubi se matrem Dei nuncupari audivit ab Elizabeth, concinere. *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, quippe tunc Christum experta est esse salutare suum & Salvatorem modo excellentissimo: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, vere enim tunc in statu parvitatis suæ benigno quodam intuitu à Deo adspecta est, ex quo bonum maximum in illam profluxit. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, cum ex hac prima sanctificatione initium habuerint summæ ejus laudes quibus ab omnibus populis cumulatur. *Fecit mihi magna qui potens est.* Vere magnum fuit, eam solam sic mirabiliter liberari. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Fuit enim ista sanctificatio opus divinæ potentiæ, quæ tunc subvertit machinas omnes & cogitationes dæmonum, qui eam sibi subjicere meditabantur, &c. quæ sunt concionatoribus magis idonea.

Atque hactenus de præcipuis controversiis hujus Synodi, in quibus quæ diximus conferendo Concilij & Papæ authoritatem, quantumvis in unam partem magis propendere quam in aliam videri possimus, non tanquam rem ipsam definiendo à nobis scripta velim intelligi, quasi judicio decretorio quidpiam statuamus, sed narrando magis, quæ fuerint momenta hujus gravis controversiæ, ac litigiosa argumenta difficilium horum temporum inter doctos, ut qui magis historice quam didactice ista proponere intendamus: quoniam ut in præfatione hujus Concilij diximus, magis est Ecclesiæ universalis quam doctoris particularis in istis omnino assertive concludere, nec mediocritatis nostræ aut potius tenuitatis ingenij nostri nobis bene conscij quicquam arrogamus.

Intentio Auctoris.

CONCILIVM FLORENTINVM.

CENTVM QVADRAGINTA & unius Episcoporum.

SVB EVGENIO PAPA IV.

An. Dom. M. CCCCXXXVIII. & M. CCCCXXXIX. &c.

CELEBRATVM.

Contra errores Græcorum in præsentia Joannis Paleologi Constantinopolitani Imperatoris.

VT Samaria à Jerosolyma horrendo schismate diu separata, in potestatem tandem Assyriorum amissa libertate venit: sic Ecclesia Orientalis ab Occidentali per pernitiosum schisma divisa, in Turcarum Imperium translata est. Et quemadmodum tribui Juda idem postea accidit, quod Samariæ ac decem tribubus: sic metuendum ne ista pars Occidentalis innumeris divisionibus in temporalibus & spiritualibus obnoxia idem quandoque experiatur, dum tam multi tam leviter à vetere sacrosancta Religione Apostolica Romana in omni fere regno discedunt & in ipsa discessione tam pertinaciter hærent, objectis Synodorum decretis.

Cum autem Græci ac Orientales sæpius post primam ab Ecclesia Romana divisionem eidem reconciliati sæpius ab eadem defecissent, ultima eorum cum eadem unio in hoc Concilio facta est, quam cum brevi postea perruperint motu solitæ inconstantiæ, ac Marci Ephesini malitia aliisque causis permoti, sicut populus Israël Assyriis traditus nunquam reversus est, sic illi Turcæ sæculari brachio à Deo traditi, ob crimina, ad Ecclesiam Romanam postea non redierunt, Deo terribili in judiciis suis, cum aliis calamitatibus pœnales cæcitates immittente; post elapsum & male impensum tempus ultimæ suæ visitationis in hac Synodo. Nec est quod quidam putent indifferens & adiaforum esse ad pietatem si credatur Spiritus sanctus à filio procedere aut non procedere, quod solent dicere ministri Calviniani: nam præterquam quod destrueretur mysterium Trinitatis, manente Spiritu S. indistincto à Filio si ab ipso non procederet, ut opinantur communius Theologi post D. Thomam, sapit ingratitudinem non agnoscere Filium ut principium Spiritus sancti, quod est decus ipsius eximium ac ipsi cum Patre æterno commune. Debuit autem Ecclesia in recognitionem incarnationis ipsius ad redimendum genus humanum

Judicium Dei adversus Græcos terribile.

Gratitudo pro mysterio redemptionis.

quidquid honorificum filio conſtantiſſime aſſereret: ipſum enim ob hoc ſingulariter veneratur, ut ipſius ſit vox, *venerandum tuum verum & unicum filium.* Quamvis in inſtructione Arianorum in hac Synodo non pauca ſint pro myſterio redemptionis elucidando, acta integra hic dabimus ex verſione Bartholomæi Abrahami Cretenſis, qui primus Actorum Græce ſcriptorum Latinam verſionem edidit, non tamen ſine quibuſdam erratis quorum aliqua annotanda erunt, annotatis quibuſdam ejus erroribus. Prius tamen originem & progreſſum Concilij ex Wadingo ad annum 1439. damus ubi aliqua refert ad hanc præfationem idonea & ab aliis etiam omiſſa.

Miſere, inquit, lacerabatur hoc tempore Sacroſancta Chriſti Eccleſia contrariis Sacerdotum factionibus, adverſiſque Principum ſtudiis. Duo ſimul celebrantur Concilia Generalia, duo deſignati ſummi Pontifices, binas conſtituerunt acies Chriſtiani Principes, populi partes duæ inter duos Pontifices diviſæ; pars tertia nulli adhærebat. Eugenius Pontifex legitimus Chriſti Vicarius, ingenti conatu immenſoque ſumptu Græcorum gentem, nationeſque longe diſſitas Armenorum & Æthyopũm ad fidei unitatem ſtudet revocare, & ſub unico Paſtore fideles omnes ad unam caulam unumque ovile Catholicum reducere. Ex adverſo Europææ gentes, quæ ſub oculis erant, quæ prius uno hærebant corpore, eumdem hauriebant Spiritum & capite gloriabantur, uno à pacis & unitatis adverſario ſeductæ paulò antea ſopitum ſchiſma reſuſcitarunt. Etenim Baſileenſis Concilij Patres ægre ferentes negari ſibi, quam injuſte ambierant, ſupra ſummos Pontifices authoritatem, à ſuo etiam cœtu Græcos avocatos, indictumque Ferrariæ & Florentiam tranſlatum Concilium, furentes & inſanientes eo tandem abierunt dementiæ, ut ad ſeptimum Kalendas Julias depoſitionis ſententiam multis calumniis & contumeliis iufartam, tulerint in Eugenium, & poſt turbas plurimas ſcandaloſaque diſſidia, Amedeum olim Sabaudiæ Ducem, ad Ripaliæ ſolitudinem prope Lacum Lemanum vitam Eremiticam ſub habitu leucophæo & inſtituto Franciſcano, uti quidam volunt, ducentem Nonis Novembris Pontificem ſub Felicis 5. nomine renunciarint

Felix V. Papa creatur.

Eugenius totus addictus unioni Græcorum patienter tulit univerſa, nihilque injuriarum à graviſſimo potuit retrahere negotio donec abſoluit. Die ſexta Julij feria ſecunda, poſt Seſſiones 15. doctaſque diſcuſſiones, omnium conſenſu facta fuit definitio articulorum, de quibus maxime diſceptabatur, proceſſionis Spiritus ſancti à Filio, additionis vocula *Filioque* ad Symbolum Conſtantinopolitanum, conſecrationis in azymo aut fermentato, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, cruciatus animarum in Purgatorio per ſuffragia fidelium relevandi, viſionis beatificæ animarum purgatarum, condemnationis in peccato decedentium, & Romanæ ſedis Primatus. Tomi ſeu Bullæ quinque hujus unionis ſcriptæ ſunt Græce & Latine, quibus utraque natio ſubſcripſit, unam detulerunt Græci, altera manſit penes Pontificem, reliquæ deſtinandæ erant Patriarchis Orientis; atque ita lætabundus die 21. Julij diſceſſit cum ſuis Imperator, quod ſumme concupitam videre meruerit utriuſque Eccleſiæ unionem.

Fit unio Græcorum.

Nihil ei ſiniſtri accidit in toto itinere, nihil non lætum & jucundum, præter unam mortem Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani die nono Julij, eo tamen ſolatio tolerabiliorem, quod unioni & fidei Apoſtolicæ Eccleſiæ ſenioris Romæ paulo antea peculiari ſcheda ſubſcripſerit. Nocuit valde ſtabiliendæ unioni hujus piiſſimi viri obitus: licet enim in Concilio ſummo applauſu conclamata fuerit, tamen brevi duravit tempore, decedente paulo poſt reditum Ioanne Imperatore, & Marco Epheſino ſchiſmatis pertinaciſſimo ſuaſore & fautore, ubique vehementiſſimo aſtu Græcos ab unione & pactis in Concilio revocante. Defuit etiam, quæ ſumme erat neceſſaria, miſſio & inſtructio Doctorum, & Prædicatorum, quos oportebat multos ſtatim ad Græcos deſtinari, ut coram explicarent quæ in Concilio acta ſunt, dubia occurrentia diſſolverent, & quæ pervicaciſſimus Epheſinus objiciebat, diligenter & docte refutarent.

Sed parum duxit.

Subſcripſit huic Concilio Frater Guilielmus Generalis Miniſter. In domo Minorum, ut diximus, habitæ ſunt collationes præparatoriæ ad Seſſiones tum Ferrariæ, tum Florentiæ, & in eorumdem templo ſcripta eſt definitio & tomus unionis Græce & Latine convenientibus ex utraque natione ſex viris delectis; à parte quidem dextera Latine, cui ſubſcripſerunt Latini, appenſa Bulla Pontificia, ab altera Græce, cui Græcæ ſubſcriptiones, & aurea bulla Imperatoris ſuffixæ ſunt. Græcis autem ut ad Concilium & in Europam venirent, non ſegniter aut frigide perſuaſerunt Frater Bartholomæus de Yano, vir doctiſſimus & piiſſimus, & Albertus Sartianenſis ad hoc ab Eugenio miſſi, qui ſimul cum Imperatore in Italiam reverſi ſunt.

Interfuit huic Concilio ſanctus Bernardinus Senenſis, & magno quidem fructu, tũm vitæ ſuæ exemplo, tum privatis colloquiis & publicis prædicationibus Græcos ad unionem alliciendo. Laudabili ſtudio volebat ille veram ſalutis & veritatis viam docere, ſed magno animi dolore cruciabatur, quod Græcorum non calleret Idioma. Secum autem cogitans admiranda Dei opera, qualiter ſuis Apoſtolis contulerit, ut poſſent omnium gentium linguis loqui: obnixe rogabat, ut largiretur Græcis intelligentiam eorum, quæ dicturus eſſet ad illos. Mox ferventi ſpiritu multa in Deum fiducia fretus, aſcendit ſuggeſtum, Græceque concionatus eſt, de Catholica fide Græcos ſummo ſtudio erudiens: ita ut mirarentur omnes, dicerentque eum non minus probe noſſe Græce, quam ſi in Græcia natus eſſet: ſed Deus movebat linguam ejus, & loquebatur per eum. Cum enim à ſuggeſtu deſcendiſſet, & omnes laudarent ejus Græce dicendi facultatem & copiam, ille Deo ſoli honorem omnem tribuens, Græce linguæ expers, ſicuti antea fuerat, remanſit.

Bernardinum Senenſis.

In eadem Synodo ſub hujus anni finem, alia inſignis unio facta eſt gentis ampliſſimæ Armenorum. Ante biennium miſerat Eugenius aliquot viros doctos & pios ex Ordine Minorum ad gentem hanc, monituros indictum eſſe generale Concilium pro unione & pace concilianda nationum Orientalium cum Eccleſia Romana. Præcipui inter hos fuerunt Frater Franciſcus Bononienſis, Guardianus Conventus ſancti Pauli extra Bononiam, Frater Ludovicus eadem urbe oriundus, & Frater Iacobus de Primadiis, reliquorum Vicarius ſeu præfectus Generalis. *Hæc Wadingus.*

Unio Armenorũ.

Concilium iſtud conſtat ex ſeſſionibus viginti quinque quarum ſexdecim primæ Ferrariæ habitæ ſunt, reliquæ Florentiæ, ad quam urbem accedenti Eugenio ſacratiſſima Euchariſtia præferebatur in arcula equo ornatiſſime phalerato impoſita. Ab hac autem urbe nomen habet Concilium ſeu propter unionem Græcorum in ea factam, ſeu quod in ea ſecundo annò poſtquam inchoatum fuerat Ferrariæ, abſolutum ſit, aut potius quinto anno ut dicetur in controverſiis hujus Synodi. Porro in hac maximè enituit doctrina Juliani Cardinalis in diſputationibus, cujus etiam hoc argute dictum ad Imperatorem Græcorum memoria dignum, quod cum ſermo eſſet de codicibus D. Baſilij è quibus Græci deleverant nomen *filioque*, diceretque Imperator in Græcia multos eſſe codices ſine illa voce. Arqui Sereniſſime Imperator cum tu decreviſſes ad certamen venire, decuit arma tua tecum afferre, & non in ipſo certamine expectare. Hæc refert Antoninus in hiſtoria

Argutè dictum Juliani Card.

qui præſens aderat, nondum Archiepiſcopus.

Quod autem hanc ſynodum Octavam appellet Bartholomæus Abrahamus, imperitiæ ejus deputat Binius in notis ad octavam Synodum. Alij dicunt vocaviſſe octavam Græcam ſcilicet, nulla habita ratione veræ Synodi octavæ ſub Adriano ſecundo, qua Photium damnaſſet præcipuum Architectum ſchiſmatis ac diſſenſionis Eccleſiæ orientalis cum Romana. Sic enim hæretici malorum ſuorum Authores in honore habent.

Acta autem ejuſdem Concilij ſcripta fuere uno volumine in folio ab Horatio Iuſtiniano bibliothecæ vaticanæ cuſtode primario collecta, diſpoſita & notis illuſtrata. Prodiit quoque aliud volumen etiam in folio ex Hollandia advectum ejuſdem argumenti, impreſſum Hagæ-comitis an. M. DC. LX. græce ſcriptum per Sylveſtrum Sguropulum qui concilio interfuit cum aliis Græcia unioni maxime adverſarius, ut ex toto ejus libro liquet: tranſtulit vero in Latinum ſermonem Robertus Creyghton Anglus non minus unioni infenſus, ut ex tius notis patet, metuens forſan ne aliquando ſua Britannia ſimilem unionem cum Eccleſia Romana meditetur. Quæ ipſius gentis ſalus eſſet. Tam de auctore ipſo, quam de ejus interprete, quæ ratio haberi debeat, paucis explicat P. Labbe in ſua ſynopſi: non alia certe quam hæreticorum de Conciliis diſſerentium, ut evidens fiet ex aliquot additamentis infra inſerendis.

Acta generalis octavæ Synodi, è Græco in Latinum traducta, interprete Bartholomæo Abrahamo Cretenſi, præſule Ariensi.

ANno Domini noſtri Ieſu Chriſti M. quadringenteſimo trigeſimo octavo, die vero quarta menſis Martij, Pontificatus Eugenij Papæ quarti anno ſeptimo, Ioannes Palæologus Sereniſſimus Conſtantinopolitanus Imperator, ad celebrandam octavam œcumenicam Synodum, ad Francolinum Ferrariæ vicum triremibus invectus eſt. Quo ſtatim Nicolaus ipſius Ferrariæ Marchio, una cum ſuis præſtantioribus civibus, ac Pontificibus omnibus qui cum ſummo Pontifice Imperatorem ipſum Ferrariæ expectabant, obviam prodiit, ac ipſum equo inſidentem, una cum ſedis Romanæ legato, qui cum Imperatore Conſtantinopoli venerat, ad urbem & palatium, ubi ab ipſo ſummo Pontifice, omnibuſque Cardinalibus expectabatur, magna pompa deduxit. Quem cum ſummus pontifex jam adventare ſenſiſſet, reſurrexit, & lento gradu inambulare cœpit, ac ipſum paulo procul à ſede ſua excepit, & volentem genu flectere, minime permiſit, ſed ſtantem amplexus fuit, ac ei dexteram oſculandam dedit, ipſumque à ſiniſtra proximum ſibi conſedere voluit. Poſtea vero Imperator ſurrexit, ac ſua in ſede ſtans, à ſingulis ampliſſimis Cardinalibus honorificentiſſime fuit ſalutatus. Habitoque in conſeſſu cum ſummo pontifice brevi ſecretoque colloquio, uterque ſurrexit. Et pontifex ſummus in eodem palatio, ubi habitabat, remanſit. Imperator vero ad aliud ornatiſſimum pompa eadem ivit. Porro autem quatuor poſt dies Ioſephus ſanctiſſimus Conſtantinopolitanus Patriarcha cum majori parte ſuorum pontificum, (nam cæteri cum Imperatore fuere) cymbis multis ornatiſſimiſque, Venetiis Ferrariam advenit. Cui quidem è cymba exeunti quatuor ampliſſimi Cardinales, & ipſe Marchio, necnon viginti quinque Occidentalis Eccleſiæ præſules obviam iere, ac ipſum equitem medium que inter duos ampliſſimos Cardinales magna etiam pompa ad palatium comitati fuere: ubi pontifex ſummus ſtans in ſua ſede, ipſum amplexus, & in genua oſculatus eſt. Ipſis deinde conſedentibus, Orientales antiſtites dexteram ſimul, & genam ſummi pontificis, cæterorum vero Græcorum alij dexteram, alij pedum tantum oſculati fuere. Quæ quidem ſaluratione facta, pontifex ſummus in cubiculum ſe recepit: Patriarchæ vero, eodem quo venerat ordine ac pompa, domum ſibi paratiſſimam venit. Proxima vero dominica, quindecim Græci Sacerdotes Domini Imperatoris juſſu ejus Miſſam ſolemniter celebrarunt. Ubi etiam Marchio cum ſuis civibus adfuit, & panem benedictum per patriarchæ dexteram, more Græcorum, accepit atque libavit. Nonnullis deinde poſt diebus Imperator à ſummo pontifice contendere cœpit, ut quemadmodum ei promiſerat, non ſolum pontifices & Abbates, verum etiam reges & duces, ac cæteros Chriſtianorum principes ad Synodum convocaret. Quod quidem tametſi ſummo pontifici propter ipſorum principum diſcordias factu difficile videbatur, ut ad Synodum convenirent, ſe tamen operam daturum promiſit, ut principes ipſi convocarentur. Continuoque nuncios & litteras ad eos miſit, ut intra menſes quatuor vel ipſi adeſſent, vel ſuos Vicarios mitterent. Porro autem poſt aliquot dies tam Græcis quam Latinis majus operæpretium viſum fuit, ut edicto publico Synodus convocaretur hac conditione, ut niſi principes ipſi venirent, vel ſuos nuncios mitterent, Synodus tamen ipſa celebraretur, ac in ea de quibuſdam dogmatibus ageretur, & ſive Græcorum & Latinorum conjunctio fieret, ſive non, adhuc tamen Synodus ſumma pace dimitteretur. Dum autem hæc geruntur, quæſitum fuit, quonam ordine ſedes in Synodo diſponi deberent, qua de re non mediocris inter eos controverſia fuit orta. Nam ſummo pontifici videbatur conveniens eſſe, ut Imperator ac patriarcha cum ſuis hominibus à ſiniſtra templi parte, & occidentales pontifices à dextra, ipſe vero in capite medius inter utramque partem ſederet. At Imperator dicebat locum ipſum ſibi potius quam ſummo pontifici convenire. Poſt longas autem diſcrepationes, lectis exterarum Synodorum geſtis, omnes in unam ſententiam ivere, ut ſummus pontifex ac omnis occidentalis Eccleſia à dextra templi parte, Imperator autem cum orientali Eccleſia è regione à parte altera conſederet. Igitur in Baſilica divo Georgio conſecrata, à dextra parte apud majus altare pontificia ſedes, & proxima ei, paulo tamen inferior, Romanorum, vel (ut Græci dicebant) Germanorum Imperatoris ſedes diſpoſita fuit, quæ ſemper propter ejus abſentiam vacua ſtetit. Apud autem ipſam ampliſſimorum Cardinalium, deinde Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Occidentalis Eccleſiæ, qui ad centum & quinquaginta præter protonotarios & Abbates ac alios clericos, qui multo plures fuere, locus ordinatus fuit: è regione vero ſummi pontificis, ut paulo ante dictum eſt, Conſtantinopolitani Imperatoris eminens quidem ut pontificia, & illi proximi à ſiniſtra, paulo tamen inferior, patriarchalis ſedes collocata fuit. Et apud eam eodem ordine, legatorum trium cæterorum Patriarcharum, deinde aliorum Occidentalium patrum, ex quibus duo ex Iberia venere, ſedes fuerunt diſpoſitæ. Nam à dextris ipſius Imperatoris Demetrius Deſpotus frater ejus, infimo gradu ſubſedit. Ante vero majus altare aliud altare fuit erectum, ac ſuper eo inter beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli capita, ſanctorum Evangeliorum liber, ac ante ipſum duo accenſa candelabra fuere poſita. Quibus ita diſpoſitis, ac omnibus præparatis, ad diem nonam menſis Aprilis, quæ quidem feria quarta majoris hebdomadæ fuit, Cardinales ac omnes antiſtites veſtibus ſacris induti, una cum ſummo pontifice ac Imperatore templum illud introiere, ac ſuis in locis, abſente ob valetudinem patriarcha, paululum conſedere, deindeque ſurrexere, ſummuſque pontifex orare cœpit: quibuſdam denique pſalmis, hymnis, ac precibus hinc inde decantatis, omnes iterum conſedere juſſit, ut conſentiente Imperatore, abſentis patriarchæ conſenſus, & ſuum edictum ex ſuggeſto reci-

Ordo ſedium.

ſor. diſceptatio.

retur. Itaque Scriba quidam alta voce conſenſum ipſum in hac forma perlegit.

Conſenſus Patriarchæ Conſtantinopolitani, ut œcumenica Synodus Ferrariæ celebraretur.

IN nomine ſanctiſſimæ viuæque principij Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, duo Chriſti membra, Latinorum videlicet & Græcorum, ad ſanctam & œcumenicam Synodum convocandam, hodie convenerunt, ita ut beatiſſimus ac ſummus pontifex & ſancta Romana Eccleſia ex una, & Sereniſſimus Imperator cum tota Orientali Eccleſia ex altera parte concordes ſint, ut hic Ferrariæ in Divi Georgij templo, in loco ſane tutiſſimo, generale Concilium celebretur, edicentes, ut infra quatuor menſium ſpatium ab hoc die connumerandorum, omnes Chriſtiani, qui convenire velint, præſertim Reges & Principes, ac omnes Pontifices, & cæteri clerici, qui Baſileam vel Romam ad celebrandum Concilium profecti jam ſint, vel in poſterum proficiſci velint, huc debeant convenire. Qui vero venire neglexerit, niſi hujus futura decreta Concilij ſuſceperit, ac approbaverit, anathema eſto. Doctores autem, vel alicujus dignitatis homines, niſi conveneriut, vel ſuos Vicarios miſerint, vel ſaltem literis ipſa eadem futura decreta laudaverint, & approbaverint, anathemate ſint devincti. Quæ quidem pœna ſummi pontificis juſſu, de Regibus & Ducibus, ac cæteris Chriſtianorum Principibus intelligi quoque debeat. His tamen liceat, ſi voluerint, locum alium nominare, ubi Synodus hæc celebretur: ita tamen, ut ipſa Synodus de tali loco conſiderare, ac decernere valeat. Datum Ferrariæ, anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, die vero nona menſis Aprilis. Poſt hæc pontificis ſummi decretum à præſule Graden. Latine, à Dorotheo vero Mytylenen. Græce fuit recitatum in hoc tenore.

fol. decreta vel denunciata.

Decretum Summi Pontificis.

EVgenius ſervus ſervorum Dei, ad æternam rei memoriam. Magnas omnipotenti Deo gratias oportet nos agere, qui antiquarum ſuarum miſericordiarum non immemor, Eccleſiam ſuam continuo reddit ampliorem. Quam quidem etſi laborare multiſque tempeſtatibus fluctuare permittit, nunquam tamen ſubmergi patitur, verum a fluctibus, & magnis æſtibus maris reſervat, & pro ſuo erga genus humanum amore, inter multos & varios caſus & calamitates, virentem ſemper fovet, ac magis vigentem reddit. Ecce enim Orientales & Occidentales populi, jamdiu inter ſe diſſidentes atque disjuncti, ad pacem atque conjunctionem convenire feſtinant. Quippe qui diſcordes jam & inimici, tandem poſt multos annos, favente Deo, *ex quo omne datum bonum*, ſanctæ conjunctionis deſiderio affecti, in hunc convenere locum. Noſtræ igitur ſervitutis ac totius Eccleſiæ opera eſt, & eſſe credimus, tentare pro viribus, ut hæc principia tam felicia, ſtudio noſtro ita felicem exitum conſequantur, ut Dei gratiæ cooperatores eſſe dicique mereamur. Cum itaque dilectiſſimus filius noſter Ioannes Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator, una cum piiſſimo fratre noſtro Ioſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, necnon cæterorum Patriarcharum legatis, ac multis ampliſſimis metropolitis & Epiſcopis, ac alijs ordinibus Eccleſiaſticis & viris nobilibus, ad octavam diem proximi menſis Februarij Venetias advenerit, nobis id, quod alijs etiam ex locis antea fecerat, continuo litteris ſuis ſignificavit ſe quibuſdam de cauſis non alienis à ratione, Baſileam ubi Synodus celebranda erat, ire non poſſe, idque his, qui ibi jam eſſent ſcripſiſſe, notumque feciſſe: volens propterea & contendens, ut ipſa Synodus huc Ferrariam transferretur, & hic tam pium negotium concluderetur. Nos igitur, quibus ſancta Chriſtianorum conjunctio cordi mirum in modum eſt, quique ipſam celerrime conficere cupimus, decretum Baſileenſ. Concilij de celebrando generali Concilio, Græcis volentibus promulgatum ac editum, & à nobis poſtea Bononiæ, præſentibus ipſius Imperatoris ac Patriarchæ oratoribus, ſuſceptum & approbatum, quæque ad præſens ſanctæ conjunctionis negotium ſpectent, pro noſtra ſervitute volentes exequi ut debemus, ac cupientes ipſum ad concluſionem perducere omni modo & forma, quibus poſſumus & debemus, præſentibus & conſentientibus Imperatore ac Patriarcha, & cæteris hic ad celebrandam Synodum congregatis, notum facimus & declaramus, prædictam Synodum hic Ferrariæ, qui quidem locus liber & tutus eſt, celebrandam eſſe, & ſic ab omnibus exiſtimari ac dici debere, ſperantes hic abſque diſcordia & contentione, aliquave mœſtitia, ſed potius amore ſummo divinam ipſam pacem, & cætera ſancta opera, pro quibus Synodus convocatur tractari, Deoque placato ac favente, feliciter confici poſſe. Datum Ferrariæ, die nona menſis Aprilis, anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, pontificatus noſtri anno ſeptimo. Quo quidem decreto recitato, unus ex Latinis, & alter ex Græcis ſurrexit, & quiſque ſuos interrogavit, an eis placerent quæ recitata fuere. Qui cum eadem ſibi placere reſpondiſſent, partium ambarum conſenſum literis mandarunt, ac, Deo peractis gratiis, diſceſſerunt. Elapſis autem diebus paſchalibus, Occidentalis Eccleſia ne tempus fruſtra contereretur, incepit contendere, ut privatim de Spiritus ſancti proceſſione leviter agerent, donec qui eſſent venturi, convenirent. Orientali vero Eccleſia reſpondente, alienum eſſe à ratione, ut abſentibus his qui Baſileam ad celebrandam Synodum jam convenerant, quicquam tractaretur, poſt multam contentionem decreverunt de purgatorio ac aliis quibuſdam Eccleſiaſticis quæſtiunculis diſputare, donec tempus Synodi celebrandæ veniret. Itaque Latini duos ampliſſimos Cardinales & duos Archiepiſcopos, & duos Epiſcopos, & duos Abbates, & duos Monachos, & duos Notarios: Græci vero, Pontifices ſex & duos Abbates, & duos cruceſignatos, ac duos Notarios elegerunt, qui bis hebdomada quaque ad Divi Franciſci templum ad diſputandum convenirent. Qui cum ad diem quartam menſis Iunij conveniſſent, Latini quæſtionem de purgatorio propoſuerunt, ac ita dixerunt.

Iacobi. 1.

Quæſtio de Purgatorio. Latini.

NOs ignem, Patres ampliſſimi in hoc mundo, credimus eſſe, quo quidem animæ peccatis levioribus, vel (ut vulgo dicitur) venialibus obnoxiæ, coadjuvante Eccleſia, ſacerdotum precibus, Miſſis, ac eleemoſynis expiantur. Nam ſanctorum & juſtorum animas in cœlo eſſe, ac Trinitati aſſiſtere, ſuam denique felicitatem conſecutas eſſe, nemo dubitat. Animas vero eorum, qui ſine pœnitudine mortem obierint, in inferno una cum Iuda pœnas æternas luere profitemur, ita ut tria mortuorum loca ſimpliciter ſint. Vnus quidem ſanctorum, quod cœlum creditur eſſe. Alter delinquentium, qui ſunt inferi. Qui vero confeſſi, ſacratiſſimum Chriſti corpus, abſque tamen pœnæ prævia ſatisfactione, ſumunt, continuoque moriuntur, hi dubio procul in ſupradicto igne, quod Purgatorium appellari ſolet, purgantur. De quo quidem igne Paulus ad Corinthios ſcribit: *Vniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Et paulo infra: *Ipſe autem ſalvabitur, ſic tamen quaſi per ignem.* Hæc Latini. Græci autem ita reſponderunt: *Graci.* Quæcunque Patres ampliſſimi proluliſtis atque citaſtis, Orientalis Eccleſia profi-

retur, quamvis inter Græcos & Latinos parva sit differentia: vestram ergo sententiam literis tradite quod ipsi quoque facturi sumus, ut in quonam à vobis differamus, palam fiat. Quæ cum audissent Latini, magno affecti gaudio, gratias Deo egerunt, & datis literis, discesserunt.

Ad 14. autem diem ejusdem mensis iterum convenerunt. Et Græci, Pauli dictum longe aliter exposuerunt, ac suam expositionem ita literis mandarunt: *Græci* Paulus ad Corinthios scribens, Patres Amp. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam*, & reliqua, hominum vitam & opera intellexit, videlicet, an prava studiosave sint, ita ut cujus opera in igne combusta permanserint, is bonus censeatur, ac operum suorum mercedem accipiat: cujus autem *opus arserit*, id est, cujus opera frivola fuerint combusta, *ipse detrimentum patietur*; hoc est, damnabitur, & *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, in igne semper salvabitur, in eo luens pœnas æternas, ita ut ignis ipse, de quo Paulus loquitur, non purgatorius, verum æternum supplicium sit, de quo etiam inquit Evangelista, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Nam ipsi purgatorium, non ignem, sed obscurum quemdam locum, ac laborum plenum, esse censemus, in quo quidem existentes animæ, lumine divino privantur, donec coadjuvante Ecclesia (ut supra dictum est) expientur ac liberentur. Sic ergo sentimus de purgatorio. Sed in alio quoque differre videmur: ipsi namque tenemus, obnoxias animas & gravioribus ac (ut dicitur) mortalibus peccatis affectas, non satis perfecte in præsentia mulctari. Sed posteaquam cum suis corporibus resurrexerint, fore, ut perfectissimas pœnas pro suis delictis luant, quemadmodum etiam justorum & sanctorum accidit animabus: quippe quæ bono quodam imperfecte fruantur, post verò suam resurrectionem felicitatem sibi debitam consequentur, ut Paulus inquit: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Vos autem non ita sentire videmini. Idcirco vestram (si lubet) sententiam dicite.

Ibidem.

Mat. 25

Heb. 11.

Latini. Nos animas delinquentes, absque corporibus suis, Patres amplissimi, non perfecte puniri, ut ipsi quoque tenetis, credimus: ita ut in hoc bene conveniamus: justorum autem ac sanctorum animas, quatenus animæ sunt, perfectam suam felicitatem assecutas esse censemus: ita tamen, ut aliam cum suis corporalibus, perfectionem expectent, qua quidem perpetuo fruantur. *Græci.* Tum Græcorum alii cum Latinis, alii contra (ut supra dictum est) sentientes, partes in duas divisi fuere, quorum omnium sententiis hinc inde literis traditis, conventum solverunt.

Deinde ad 25. & ad 27. diem mensis ejusdem iterum convenerunt, ac eademmet repetierunt. Nam Latini dictum Apostoli sic exponebant: *Latini.* Nos quam plurimis aliis authoritatibus, Patres Amplissimi adducimur, ut credamus illud Apostoli, *Salvus erit quasi per ignem*, pro purgatorio, non autem pro igne perpetuo capi debere, juxta illud Prophetæ: *Salva me Domine, quoniam defecit sanctus.* Et alibi. *Salva servum tuum Deus meus sperantem in te.* Et *Domine Deus virtutum, convertere nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Petrus autem timens ne submergeretur, dixit: Domine salva me. Christus vero *extendens manum, accepit & salvavit ipsum.* Et, *Salva Deus populum tuum.* Verbum ergo, salvare, Patres Amplissimi, semper in bonam partem accipitur, nisi hujus oppositum demonstreris. *Græci.* Græci vero tergiversantes, se suas sententias literis daturos, responderunt. Nolebant enim suam sententiam explicare. Sed ita leviter disputabant, ut tempus protraherent, donec frequens Synodus conveniret.

Ibid. ipsa.

1. *Cor.* 3.
Psal. 11.
85. 97.
Mat. 14.

Ad 21. verò diem mensis Julii, Imperatoris justu Patriarchæ domum convenere, ut decernerent, quidnam Latinis de quæstione secunda respondere deberent, ubi diversa (ut paulo ante dictum est) sentire visi fuerunt. Tandem post multa, Imperatore ac Patriarcha præsente, omnes in eam sententiam iverunt, justorum ac sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen cum suis corporibus, cum resurrexerint, fruituras: quum etiam ut sol, vel lumen resplendeant, quemadmodum Jesus-Christus Dominus noster in Thabor monte resplenduit.

Dum autem hæc agerentur, terror magnus Græcos invasit. Nam morbus quidam vehementissimus Ferrariam affligere cœpit, ita ut mortem fere subitam Ferrarienses obirent: quo magis etiam Græci territi fuere, quod morbo eodem Dionysius præstantissimus ille Sardensis Præsul, non sine Græcorum omnium luctu, obiit. Dei tamen benignitate nemo alius ex Græcis, tum mortuus fuit. Porro autem jam mensibus quatuor elapsis, urgebant Græci, ut Synodus celebrati, sessionesque fieri inciperent tametsi nemo eorum, quos expectarent, convenerat. Quibus quidem Græcis Summus Pontifex æquo animo satisfecit: dicens: Ubi ego & Imperator ac Patriarcha sumus, ibi Christianorum omnium Synodus esse creditur: præsentibus præsertim cæterorum Patriarcharum legatis, nostrisque Cardinalibus.

Timebant autem Græci multitudinem Latinorum, propterea quod suas sententias suffragiis declarare solebant. Hoc tamen metu solutis Græcis, ut non suffragiis uterentur, verum quisque sententiam proferret, communi omnium sententia fuit decretum, ut sessiones inciperent celebrare, ac in primis de duabus quæstionibus agere: an fas sit, divino symbolo quicquam addere, & an additio jam facta, ex filioque, pia sit. Porro autem, quoniam Summus Pontifex laborabat podagra, & ad Basilicam, ubi Synodi locus (ut supra dictum est) paratus fuerat, nequaquam ire valebat: idcirco decretum ab ipsa Synodo fuit, ut in sacello palatii, ubi Summus Pontifex habitabat, sessiones celebrarentur, & octava die mensis Octobris inciperent. In eo igitur loco non aliter quam in Cathedrali Ecclesia, sedes fuere dispositæ: quarum equidem ordinem, brevitati studens, non repetam, silentio tamen neutiquam præteribo. Duces, Marchiones, Comites, equites, ac civitatum cum Aristocraticarum, tum Democraticarum oratores, ante Summi Pontificis & Romanorum Imperatoris sedem subsediſſe. E regione autem apud Patriarcham trium Oecumenicorum Patriarcharum legatos paulo inferius, reliquos deinde Pontifices Græcos consediſſe, cruce signatos verò, & reliquos Græcos nobiles, à dextera Imperatoris versus sacrarium subsediſſe. Nam Demetrius Despotus Imperatoris frater, prope dexteram ejus, multo tamen eo inferius consedit. Sedem autem Patriarchæ, quamvis Pontificiæ Imperatoriæque sedi, quæ quidem æqualiter eminentes fuere, paulo inferior fuerit, simili tamen ornatu decoratam fuisse. Patriarcharum vero Legatos fuisse Antonium Heracleensem, & Gregorium Venerandum, ac Magnum Confessorem pro Alexandræo, & Marcum Ephesium, & Isidorum Rhutenum pro Antiocheno, Dositheum vero Monembasien. ac Dionysium Sarden. qui mortem obiit, pro Hierosolymitano. Cæterorum autem Græcorum Pontificum, & aliorum clericorum nomina hic prætereo, quandoquidem ipsa in unionis literis subscribam. Ante vero majus altare, quod (ut supra dictum est) dispositum fuit, à Latinorum parte sex eorum doctores, à parte autem altera sex alii ex Græcis confederunt, qui quidem ad disputandum à suis selecti fuere, videlicet ex Græcis Marcus Ephesius, & Isidorus Rhutenus; & Bessarion Nicænus & Theodo-

Ordo sedendi.

rus Xanthopolus, cognomento Siderophus, magnus sacrista, & Silvester Balsamorum magnus Bibliothecarius, ac Georgius Gemistus. Ex Latinis autem Nicolaus tituli sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis, & Julius Cæsarinus tituli sanctæ Sabinæ, item Presbyter Cardinalis, & Andræas Archiepiscopus Colossen. & Forolivien. antistes, ac duo Monachi in Theologia præclari. Quibus omnibus ex ordine (ut prædictum est) considentibus, Latini pro sua in Græcos benevolentia concesserunt ipsis, ut primi exordirentur. Bessarion itaque facundissimus orator, impetrata prius ab Imperatore ac Patriarcha facultate dicendi, Græcam luculentissimam orationem habuit.

DIE MERCURII OCTAVO mensis Octobris, Anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo.

SESSIO PRIMA FERRARIÆ.

BESSARIONIS TVNC ARCHIEP. Nicæni, deinde vero S. R. E. Cardinalis Oratio in octavo Concilio Ferrariæ habita, eodem Bartholomæo antistite interprete.

NAvantes in rebus arduis operam, non modo cum ex eorum animi sententia rerum ipsarum exitum assecuti sunt, verum etiam cum res ipsas aggrediuntur, ac in earumdem initiis versantur, magnam capiunt voluptatem, cujusvis enim rei principium non parum posse, forsan necesse est. Idque propterea totius facti dimidium, communi doctorum sententia esse dicitur: quod si quispiam quicquam inceperit, facilius finem eius consequetur, quàm prorsus homines pigri rem ipsam auspicentur. Porro autem nostrum divini hujusce muneris principium, aliis cujusvis rei principiis multo magis conducere posse sperandum, ac exitum bonum portendere credendum est. Id quidem divinæ credentibus promissioni, Deum ipsum nobiscum esse, quo quidem præsente, ne quicquam nobis desperandum est: hoc autem ab his est censendum, qui ex rebus præteritis magnam de futuris faciunt conjecturam. Membra enim Ecclesiæ tam diu ita disiuncta fuere, ut non modo convenire, verum etiam conjunctionis nomen sentire mirum in modum abhorrerent, ac potius elirent in proprio incommodo permanere. Nunc autem ea dere tanto affecta desiderio sunt, ut tametsi multæ res ipsis sint impedimento, remotis nihilominus omnibus, summo studio in conficiendam pacem incumbant. Quis igitur hæc non censeat divino numini adscribenda? Quis deinde non speret ex his magnum commodum posse consequi? Hæc igitur dies jucunda & læta est, & nobis convenit exultare, ac in spiritu gaudere. Nam illustrium rerum exitus, illustria solent habere principia, ubertimarumque frugum multæ primitiæ sunt. Machinationes jam & insidiæ, ac doli, quibus noster hostis acerrimus nos ita complicuit, ut amici fratresque, imo unius ipsius capitis membra partesque, nec non illius pastoris grex, inter nos certaremus, dissolvi & explicari ac destrui videntur incipere. Ipsa vero sejuncta confractaque membra, conjungi atque uniri, & uno ac eodem angulo fulciri cupiunt atque contendunt. Propterea-que hi patres omnimes, pariqua studio frequentes huc convenere, non plane curantes quavis in causa victores evadere magis, quam victi succumbere:

Initium Synodi.

quandoquidem si eo animo essent, Christi discipuli, probive viri non censerentur, verum homines seditiosi, ac sibi suisque voluptatibus tantummodo indulgentes, maximo sane veritatis cognoscendæ desiderio sunt affecti, etiamsi cadere debeant. Nam sine veritate nullo pacto victoriam vellent consequi. Quapropter necesse est, ut veritas omnibus pateat, ac cæteris rebus præstet & dominetur, & se perturbantes conculcet, atque cunctorũ mortalium insideat animis. Mendacium autem cum his, qui ab ipso dependent malis, procul ab hominibus lateret: & ut tantum dominetur ac impendeat, à quibus ut parens colitur, quique (ipso duce) omnia dicunt & audent. Quis, obsecro, quicquam aliud hujus nostri muneris simile proferre, vel præteritorum aliquid præsentibus his rebus æquiparare poterit? Recedant igitur vetera, & nova sint omnia: omnes exultemus ac gaudeamus in spiritu, omnes Servatori hymnum canamus, & pro his rebus gratias ei agamus, eundemque religiosissimè imploremus, ut exitum initii hujusmodi congruum concedat. Porro autem oportet, ut quisque nostrum, quæ ad hujuscemodi finem pertineant, & sacræ Ecclesiarum conjunctioni expediant, pro suis viribus conferat. Sane omnia sunt tentanda atque tractanda, nil prorsus omittendum, non studio, non diligentia, non officio, non denique laboribus est deficiendum. Repetendum præterea nobis memoriæ est, non tantum oportere Deum ipsum precari, verumetiam ei ministrare: non enim omnia ab eo nobis speranda essent, nisi ipsi quoque insudaremus. Naimque nostris precibus prorsus contrarium videretur, si Dei auxilium implorantes, nil dignum operaremur, quare id agere ac nobis auxilio esse deberet. Quod si fecerimus, nobis profecto favebit, ac sese benigniorẽ, alacrioremque fautorem ad finem usque præstabit. Servator Deus, utinam fiat, ut in eam diem vivamus, ac diem triumphalem & celebrem hymnum tibi cantemus, atque à te uno eodemque patre custoditi, idem tibi melos canamus, ac una eademque harmonia conjuncti, sub te solo capite vivamus, spiremus, moveamur, ac illud idem unumque velle & nolle sentiendo ac proferendo, unum simus.

Preces habenda pro Synodo.

Ad Deum patrem.

Christe Rex omnium, te ipsum solum Regem nostrum esse volumus, ac obtestamur, qui teipsum pro nobis reis & obnoxiis Redemptionis pretium dedisti, tuoque pretiosissimo sanguine à tyranno nos redemisti & eripuisti. Fac igitur ut unum tuum ovile simus, ac ne patiare, ut tui cum simus omnes, disiuncti inter nos dissideamus, neque decertantibus nobis te ducem præbeas, nec denique parti decertare volenti faveas: verum utrique simul parti auxilio sis, quandoquidem pro utraque parte teipsum tradidisti, effusoque tuo sanguine partem utramque redemisti. Nobis obsecro communiter annue, communemque nobis te præbeas adjutorem, ac nos proportione quadam in te, relatione vero ac habitudine inter nos dispositos, ad te ipsum unum eundemque nostrum institutum finem adducito, neutiquam permittendo, ut inter nos divisi atque sejuncti maneamus. Ex eo namque necessario id acciderit, ut simul cum cæteris mortalibus tanto ac tali frustraremur fine.

Ad Christum.

Sancte Spiritus, gratiarum fons, Spiritus sapientiæ & intellectus ac timoris Dei, de quo & cum quo hoc Ecclesiarum certamen propositum est: tu nam superba mente nos liberes, ac Dei timorem nostrum omnium animis ingeras, nobisque prudentiam ac sapientiam largiare, & nobiscum certamen hoc, quod pro te gerimus, iniens, veritatem ipsam omnibus patefacias, quia non modo veritatis Spiritus es & appellaris, verum etiam ad te spectat, secundum veram & nunquam fallacem illius veritatis vocem, omnem nobis veritatem ostendere.

Ad Spiritum sanctum. Ioan. 16.

Deus Trinitas, quæcuncta ineffabiliter provides, producis, contines, regis atque gubernas, cujus opus est homo, post cuncta alia in lucem creatum, quod

Ad Trinitatem.

cum omnibus visibilibus præstet, illud etiam eximium ac abs te regale privilegium habuit, ut præparatis suisque prædordinatis commodis ad vitam prodiret, cui quidem sæpe, quinimo semper corpora hæc, & præsentis vitæ ratione conducibilia, nedum ea, quæ ad optimum animi statum pertineant, prospicis. Cujus præcipuum bonum est veritas, ac circa lætalia non decipi, quod sane rerum omnium, quas habemus, vel in posterum habere poterimus, optimum ac divinum esse censetur. Nobis ergo concedas posse veritatem agnoscere, cognitamque complecti. Et si in aliquo, in his præsertim, quæ de te facimus verbis, quicquam committimus, nobis indulgeas: quandoquidem ipsa non modo incomprehensibilis ac imperscrutabilis es, verum etiam plura eorum, quæ à divina tua emanant imagine, abstrusa valde, umbræque similima, & ut similitudines quædam existunt. Nostris precibus quæsumus annue, ac viam, quæ ad te solum verum Deum dirigit gressum, nobis te ducem sequi volentibus ostende: ac quemadmodum ipsa ex tribus constitens personis, tali ternatio numero non obstante, unicam substantiam & naturam continues: ita etiam nos, tametsi multi, diversorumque generum, imo jam authore maligno hoste, variæ opinionis ac fidei simus, hanc istam tamen differentiam è medio nostri tollas, & ita facias, ut unam fidem colentes, unam sententiam habeamus, non generum nostrorum diversitate, vel nostrorum corporum numero ac multitudine obsistente, quo minus unum in te prorsus simus, ac illud idem de te sentiamus. Sed de precibus hactenus.

Ad patres.

De vobis autem patres ampliss. quid dicam, qui sacram hanc Synodum celebratis, qui tantæ rei estis authores, qui plurimum elaborastis, qui multi sæpe numero vota effudistis, ut diem hunc videretis, quippe qui dies futurarum clariss. rerum nuncios, ac earundem initium, exitusque præco præclarus est? Quis igitur vobis satis digne benedicere poterit, vosque satis laudare decenter, qui jam laborum vestrorum fructus pullulare germinareque conspiciatis?

Ad Sum. Pontif.

Pater beate, nunc beatus existis vere, nec eris dubio procul beatior, cum Dei benignitate ad hujus divini muneris exitum pervenerimus, ad quem Deus ipse nos duxerit. à quo quidem, si Ecclesias eius conjunxeris, amplissima tibi præmia proponuntur. Præclarum profecto facinus erit, si ad finem perseveraveris & scandalis ac offendiculis è medio sublatis, pacemac conjunctionem Ecclesiarum confeceris, ut pote qui vehementi zelo, cura eximia, longis denique vigiliis ac cogitationibus, Christi filios terrarum undique congregaveris, jam pridem cogitantes, ut illustrata veritate fraterne spiritualiterque conjungantur, idemque velint ac sentiant. Quæ, pater sanctissime, quis obsecro poterit inficiari? quæ quidem cunctis mortalibus patent, & quorum ego ac omnes hi patres testes sumus. Oportet igitur te finem ipsum aspicere, ac quæcunque ad Deum spectant, ita providere, disponere, conficere, ut quam nunc ex his capimus voluptatem, eadem prosequendo vires augeat, ac multo magis aucta, prope finem ultimam tandem attingit lineam. Si namque principia hæc & exordia sunt præclara, exitum his congruum qualem fore putas? Quibus profecto benedictionibus dignus fuerit, quantam laudem & honorem suscipiet, quot denique merebitur laureolas is, qui, cum tot mortalium excusationes abstulerit, quàm plurima etiam alia impedimenta in futurum evertit? Qua in re, pater sanctissime, filium Imp. adjutorem habebis, te quod opus fuerit consecuturum, ut pote qui pius, religiosus, vehemensque Christicola est, quique cum pluribus virtutibus præditus sit, in Deo tamen colendo, & pro religione pie certando, plurimum excellit, & qui quamvis confectus ætate sit, conjungendarum tamen Ecclesiarum desiderio semper affectus, summo studio quærit opportunitatem, prudentia vero prospicit & amplectitur omnia, quæ ad hanc rem opus sint, quique ad hoc tantum taleque bonum aspiciens, ac ei vehementer incumbens, pericula omnia adiit: & otium parvipendens, maximos maris æstus, ac in cælum sublatos fluctus nequaquam extimuit, vitam denique suam simul cum patria maximo rerum discrimini objecit, ut Christo deserviens, Ecclesiæ pacem conficiat, cujus sese ministrum, nedum acerrimum defensorem, obtulit. Præterea, perbeate Pater, Pius ac sacer Patriarc. tibi pari studio præsto est, qui licet ad extremam jam pervenerit senectutem, confectoque corpore sit, ejus tamen animus semper multis præditus bonis viget, ferveq; ac magno afficitur desiderio votaque plurima adit, ut sibi liceat tibi in hoc divino munere inservire, cujus gratia his rebus quæ modo fiunt, mirum in modum oblectatur, simulque labores libentissime sustinet, ut præclarum hoc facinus ad optimum exitum perducatur, quo sine ne vivere quidem vellet. Amplius beatissime pater, omnes hi patres amplissimi in hac tibi provincia auxilio erunt: quippe qui nil aliud magis desiderant, quam hunc optatissimum finem assequi, ad quem quidem omnes spectamus, eoque ipsius desiderio vehementer affecti sumus, & cujus causa huc de longinquo spatio frequentes convenimus, ac in exteta terra moramur, cum alii in media terra Græciæ, alii vero ex orientalibus, subsolanisque regionibus, adhæc Italiæ plagam navigaverimus. Tot igitur ac tantorum hominum studium ne vincat hostis malignus, nequaquam fiat ô Servator ac omnipotens Deus, ut tot clarissimorum virorum conventus, cura eximia, longo tempore, summo labore, maximo deniq; studio convocatus, suo voto, spe que frustretur: non enim id esset sapientum ac divinorum virorum, nec eorum qui suos sermones in judicio disponunt. Alios igitur is hostis invadat, & aliorum hominum victoria gaudeat. Nos autem nullo pacto vexet. Ipsi spiritualibus armis vestiamur, ut ei pro viribus obsistemus. Ipsi justitiæ loricam, spiritusq; galeam induamur, ac duce verbo Dei, in nostros irruamus hostes, & quocunque nos illud duxerit, ibi finem imponamus: & nulla contra Deum arrogantia & superbia, vanaque mente in certaminibus nostris utentes, sed Deum ipsum præ oculis habentes, ad eundem ipsum Deum festinemus. Porro autem fit, ut nonnulli bene succumbere malint, quam semper vincere male, ut non solum bonum sit vincere, verum etiam quandoque vinci, servata tamen semper boni ratione ac mensura, non magis in victore quam in victo. Etsi quispiam forsan dixerit, semper vincere magis expedire, quemadmodum etiam cuivis magis conducit, aliquo se ipsum afficere bono, quam aliis benefacere: & audire melius est, quam aliis rem aliquam patefacere, nec non aliquem non errare, quàm quominus alii errore ducantur, agere.

Ad Imp.

Invictissime Imperat. in cardine jam res est, quodque jamdiu desiderabas, adest. Deum ergo glorifica & extolle, cujus hoc opus est, ut pote qui id tibi venire fecit in mentionem, ac ut eius desiderio capere, necnon eodem authore, res ad hunc statum pervenit. Si igitur pro rebus peractis maximas ipsi Deo gratias habebimus, pro futuris vero eidem ex corde preces effundemus, rem profecto dignam nobis, nec non præsenti nostro muneri necessariam faciemus: quinimo misericordiam ab ipso consequemur, si de præteritis quidem non ingrati, in posterum vero nos, ac totum ipsum negocium ad eundem Deum referentes, & omnem spem curamq; nostram in ipso reponentes, nostris precibus dignos nos ostenderimus, qui quidem Deus divino nos ac cœlesti cibo nutriet, absque quo nemo vivere potest. Ut ergo nunc usque fecisti, cum eum obtestando, & auxilium eius implorando, tum per te ipsum quæ opus essent, conficiendo, ita etiam in futurum, quo magis ad exitum appropinquamus, eo alacriorem, promptioremque te ostende, in hoc negocium incumbendo, die noctuque vigilando, quousque ad perfectum finem pervenias, atque curis

Laudem Imperat. Græci.

&

& cogitationibus animum tuum leves. Et quoniam natura comparatum esse videtur, ut ea quæ vi moventur, suoque motus causam extrinsecus habent: cum prope metam sint, tardius *cientur, quam illa quibus ejusmodi causa intrinseca est, quæcum propius vident metam, eo fieri videntur velociora: ideirco tu, qui in his bonis rebus versaris, quorum caput Ecclesiarum conjunctio est, quique ab intrinseco ac naturali motu moveris, cave obsecro, ne illud accidat tibi, ut in finem tardior evadas. Sed ipsum tuum optatissimum finem pro viribus tuis assequere, quandoquidem bona, omnia bonum sibi rebus in omnibus finem conciliant. Ergo tu factus semper alacrior, nos etiam cum adhortatione, tum summo tuo imperio diligentiores reddas. Beatissimum autem patrem nostrum, quia senex ac invalidus est, ætati & ejus valetudini prius consulens, ut hæc omnia memoria repetat, cum ipsum exhortando, tum etiam tuam ei operam navando, excita. Tantum enim ac talem hortatorem reverebitur, quem nactus non lentum una cum sacro Patriarcha nostro, necnon amplissimis his S. R. E. Cardinalibus, cæterisque præsentibus reverendis patribus, duce Deo, finem his rebus impones, quem utinam assequamur, ac lætiores, spiritalique gaudio plenius affecti, beatissimo patri laudem, tuo vero sacro imperio summum habeamus honorem, extollentes, ac maximis vos laudibus efferentes. Sanctissimus autem Patriarcha, & horum sanctorum Patrum conventus, utinam posteaquam Deo dignum hymnum cantaverint, vobis etiam laureolam orationibus suis contexant: mihi denique reliquum utinam sit extremum id oneris subire, ut simul omnes communi laude extollam, ac meo munere magno honore afficiam: ita ut mea extrema & communi oratione, quod equidem vehementissime cupio, vos sub uno eodemque Deo, ac vero nostroque Domino existentes, exornem, quod quidem summum eorum creditur esse, quæ Deo afferre possumus & debemus, cui gloria convenit in æternum. Cum autem Bessarion peroraſſet, synodus sancta decrevit, ut sessio dimitteretur, & ad 12. diem mensis ejusdem sessio 2. celebraretur.

Cientur.

Scuropulus additamentum.

Scuropulus multa in hac prima sessione prolata fuisse à Marco Ephesino commemorat. 1. custodiendam esse necessario concordiæ & pacis, quam Dominus Christus nobis testamento legavit indissolubilem nexum 2. Ro. Ecclesiam hactenus oculis in amorem sui nimiū obliquatis, fraternam erga alios charitatem neglexisse, pacemque dissoluisse patrimonium Christi. 3. Ro. Eccles. hanc qualitatem jam postliminio revocantem, sedulam navasse operam, ut huc migraremus, ad discutienda differentiarum momenta & causas. 4. fieri nunquam posse ut pax in sinum nostrum redeat, nisi discordiarum fundamina penitus exstirpentur. 5. Æquum esse ut omnes definitiones omnium antehac definitionum œcumenicarum publice perlegantur. Quæ nervose, inquit, explicuit. Addit offensionem Imperatoris Græci quod in prima sessione non satis honorifice habitum se putaret.

Sessio secunda Ferrariæ.

Sessio 2. Ferrariæ die Sabbathi 11. mensis Octob. celebrata, in qua Reverend. Pater Andreas Colossensis orationem copiosissimam habuit, qua quidem in omnibus Bessarionem imitatus, in primis beatissimum Patrem, deinde Serenissimum Imperatorem, ac sanctissimum Patriarcham, totam denique synodum laudavit, & benedixit. Cum autem jam advesperasceret, sessio dimissa fuit, decreto, ut ad diem Martis sequentem 3. sessio conveniret. Interea quæsitum privatim inter ipsos disputatores fuit, quisnam primus negocium aggredi, & quonam genere disputandi uti, & de qua quæstione agere prius deberet. Post multa vero placuit eis, ut Græci prius exordirentur, & argumentis brevibus, ut assolent dialectici, uterentur: & an divino symbolo quicquam liceat addere, prius agerent.

Modus quo in disputando servandus esset.

Scuropulus multum exaggerat contentiones Græcorum contra Andræam Rhodi pro Latinis perorare incipientem, duo postulante Marco Ephesio, ut sibi fas esset prius in propositam quæstionem exspatiari, & ut præcedentium synodorum definitiones recitarentur. Quod ut infructuosum respuebat Andræas. Quid vos Græci lucrabimini, si nos Latinos diro anathemate damnati, inquit, subjicitis? quæ fuit causa Papæ in alium diem conventum dimittendi.

Scuropuli additamentum.

DIE MARTIS DECIMAQUARTA mensis Octobris.

Sessio tertia Ferrariæ.

TErtia igitur sessione congregata, Marcus Ephesius præclarus Theologus, Imperatoris ac Patriarchæ jussu, negocium ipsum aggressus, pro Græcis sermonem hunc habuit.

Marc. Quoniam omnipotentis Dei benignitate huc frequentes convenimus, ut summo studio Ecclesias conjungamus, ac summam pacem, quod quidem opus divinum est, conficiamus: ideirco summopere convenit, ut nostris in disputationibus ac omnibus controversiis mutua nostra benevolentia semper servetur. Et si nobis contigerit aliquid proferre, quod vestras offenderit aures, id opinionum ac rationum nostrarum varietati ascribatis: quandoquidem amicitia vera ex hominum vultu magis, quam ex verbis percipi creditur. Scire autem vos Patres amp. velimus, nos de symboli additione verba esse facturos, quod neque vera neque prorsus conveniens sit, quam sane constat nostri schismatis ac dissidij, præcipuam causam fuisse. Si quidem igitur vobis placet, rem nunc aggrediemur: sin minus, in sessionem sequentem differatur. Videtur autem nobis sic semper fieri oportere, ut quod sequentibus sessionibus tractaturi simus, id prius omnibus pateat, ut parati ad differendum veniamus. Tum Andreas præsul Colossensis pro Romana Ecclesia ita respondit.

And. Nos quidem à vobis mutuo diligi, ac vobiscum Deum esse censemus: propterea si quicquam prolatum fuerit, (ut à vobis dictum prudenter est) quod cuipiam displicuerit, id vitio nemini vertendum, sed nostræ potius disputationis naturæ concedendum est. Operæpretium autem est, ut ad singulas interrogationes non ambiguis & obscuris, verum apertis & claris orationibus vicissim respondeamus. Quoniam vero ex nobis quæsistis, cur Ro. Ecclesia additionem ad Symbolum fecerit: ideirco quid ipse sentiam paucis respondebo, meam tamen responsionem nolim nunc ut perfectam suscipiatis, sed consultis patribus his, alias accuratius respondebo.

Andreæ Colossensis.

Mar. Responsione aliqua pater reverende, præsertim tua, quam nobis pollicitus es, negotiquam in præsentia indigemus. Nondum enim in medium protulimus ea, quæ ad hanc rem pertinerent: ex ipsorum igitur patrum sententia, suo loco (ut à te dictū est) respondebis.

And. Dixi equidem, pater reverende, nolle me responsionem meam tanquam perfectam admitti: puto tamen quam maxime convenire, ut, ne beatissimus sanctæ sedis hujusce Præsidens, necnon mitissimus Imperator ac Patriarcha sanctissimus, cæteriq, præsentes patres, hinc hodie (ut ita dixerim) jejuni abeant: ipse nonnulla, prout tempus hoc mihi videtur concedere, verbo nunc faciam, maturius tamen in posterum responsurus.

Mar. Additionis vestræ rationem quærentes, ut hi, qui causas agunt in foro, actores esse videmur. Ideirco, nobis visum est petisse, si vestro commodo possit fieri, hanc nostram accusationem audire, ut nobis rem ipsam nunc aggredi concederetis, vestram deinde responsionem libenti animo audituris.

Andr. De his igitur hactenus, & proferas quodcunque libuerit. Nos autem suo loco sigillatim ad omnia respondebimus.

Mar. Tum idem Marcus præsul Ephesinus impetrata prius ab Imperatore & Patriarcha dicendi copia ita exorsus est: Jesus Christus Deus noster suam prospi-

ciens mortem, Patres ampl. ſuis diſcipulis dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Quæ quidem verba teſtamentum ipſius convenienter appellare ſolemus, quo eis veram ac optimam hæreditatem reliquit, quæ cum Chriſti propria eſſet, meam ideo protulit: pro qua nil aliud ab ipſis petierat, quam ut ſeſe mutuo diligerent: ita ut certa conditione, non autem libere, ipſa defrui deberent hæreditate. Quidam enim veteres homines certa conditione ſua bona legare ſolebant, qua quidem nequaquam ſervata, hæredes illico exhæredabantur. Haud aliter ergo Servator noſter teſtamentum ſuum ſignavit, ita, ut ſi ejus diſcipuli vel hæredes mutuam inter ſe benevolentiam non ſervaſſent, eadem ipſa hæreditate, hoc eſt, pace Chriſti, privarentur. Cujus quidem pacis ac mutuæ illorum benevolentiæ gratia, Servator noſter multa bona verba iiſdem ſuis auditoribus fecit, modo inquiens: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem:* modo autem ita, *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis.* A quorum quidem altero bono, id eſt, à mutua erga ſororem ſuam Orientalem Eccleſiam benevolentia, Romana Eccleſia jam defecerat, dogmaque ſibi proprium fixerat, ac ſibi perpetuo conſervaverat, quod neque literis ſacris relictum, neque ab univerſalibus Conciliis celebratum, neque à majoribus noſtris ſuſceptum & probatum fuerat. Idque propterea ſolvendæ noſtræ amicitiæ cauſam ſimultatumque noſtrarum initium, dubio procul fuiſſe conſtat. Ut igitur ex ipſo dogmate inimicitiæ diſcordiæque inter nos conſequutæ ſunt, ita quoque Romana Eccleſia benignitate Dei pacem vehementer deſiderans, eam ut facilius conficiat, ab amicitia ipſa facere aggreſſa eſt, quam pariter Eccleſia noſtra cupiens, huc quam celerrime venit: ſperans cooperante Deo, ut ſumma pax hinc ſequatur, ac ſimultates diſſenſionesque noſtræ cauſis remotis tollantur, quemadmodum adverſis valetudinibus ſolet contingere: hæc quidem vera medendi ratio videtur eſſe. Vos igitur enixe rogamus, ac vehementer à vobis contendimus, velitis, ut nobis id temporis rédeat, in quo conjuncti ſumma pace fueramus, idem ſemper volentes & ſentientes. Et quemadmodum ad pacem nobiſcum reconciliandam, qua quam longiſſimo temporis intervallo ſumus privati, à vobis benigne ſumus convocati: ita etiam non * committatis, quin nobiſcum ac cum majoribus noſtris, qui in ſeptem univerſalibus illis Conciliis claruerunt, in unam eandemque ſententiam conveniatis, quorum in primis definitiones; & decreta nobis ſunt recitanda, ut ipſas inter ſe concordes ac valde convenientes, non ſolum in ordine, verum etiam in ſententiis fuiſſe, luce clarius oſtendamus. Sic enim hoc noſtrum generale Concilium eo cætera Concilia facilius, uſ par eſt, * mirabitur. A recitandis ergo decretis ejuſmodi debemus incipere: tum ea, quam modo diximus, ratione: tum etiam, ut patrum ſanctorum precibus hoc noſtrum munus melius agatur, ac eorundem ſententiis & authoritatibus pro noſtris fundamentis utamur.

And. Orationem veſtram, Patres ampl. quæ quinq; nobis in partes diſtributa videtur eſſe, bene credimus percepiſſe. In prima namque de uno Chriſti Domini noſtri verbo ſubtiliter Epheſius pater diſſeruit, quanam ratione ſuis diſcipulis pacem ſuam Chriſtus ipſe reliquerit: ex qua quidem noſtra amicitia naſcitur, ac deinde ex ea pax ſumma conſequitur. In altera vero parte probare conatus eſt, Rom. Eccleſ. amicitiam veſtram nihili feciſſe: ob idque pacem, quam à Chriſto (ut ſupra dictum eſt) habuimus diſſolvi neceſſe fuiſſe. Nam in parte tertia demonſtravit, vos ad noſtras controverſias diſſolvendas, pacemq; reconciliandam, ab eadem Rom. Eccl. rogatos, frequentes huc conveniſſe. In quarta deinde parte declaravit, nulla ratione fieri poſſe, ut pax inter nos componatur, niſi prius ſchiſmatis & diſſidij noſtri cauſa penitus tollatur, quemadmodum ægris corporibus ſolet evenire, quæ tunc bene ſanantur, cum radices ægritudinis evelluntur. In ultima denique parte concluſit operæpretium eſſe, ut decreta majorum noſtrorum inſpiciamus, ac in primis eadem recitentur: ut hoc etiam ſacrum Concilium cætera rebus in omnibus imiteturac conſectetur, & de hoc noſtro negotio melius argumentari poſſimus. Ad quæ omnia Patr. amp. quandoquidem ad fidem noſtram plurimum attinent, ac magna indigent conſideratione, ſeſſione ſequenti accuratius reſpondebimus: nonnulla tamen in præſentia verba faciemus, quæ nobis modo ſcitu digna videntur. Namque vobis notiſſimum eſt, noſtram in vos benevolentiam ſemper firmam validamque fuiſſe & eſſe: quæ quoniam à Deo optimo maximo dependet, qui nos in primis dilexit, quique optimus amicitiæ verę author, ac perfectiſſimus finis exiſtit, idcirco amicitia ipſa in ejus Eccleſia à nobis colitur & ſervatur. Qua de re neſcio equidem Patres amp. cur nullam feceritis mentionem. Miror autem vehementer, quod vos lateat, ipſam Rom. Eccleſ ortæ jam plurimæ in Orientali Eccleſia hæreſi, tum literis & legatis, cum cæteris opportunis remediis quibus potuit, ſe provide ac diligenter oppoſuiſſe, ipſique Eccleſiæ auxilio ſemper fuiſſe. Nonne Nicæno Concilio Sylveſter ille Pontifex ſummus interfuit? Num cæteris in Conciliis generalibus, Pontificibus ſummis abſentibus, eorum legati defuerunt? Si ergo Conſtantinopolitani Imperatores pari ſtudio, mutuiſque officiis Romano Pontifici quandoque fuerant auxilio, mirari profecto deberet nemo. Credo equidem Patres ampl. exploratum vobis eſſe, ſummos omnes Pontifices, orta tali controverſia ac diſcordia, pacem ſemper deſideraſſe, eique vehementer incubuiſſe. Imperatores etiam ipſos ac cæteros Orientales principes, ut pacem componerent, ac ipſis (ut par eſſet) obedirent, rogare & obſecrare non deſtitiſſe. Rogo autem vos, me patiamini quandoque liberius loqui, etiam ſi quicquam protulero, quod veſtras offenderit aures. Nam ſi (ut aſſeritis) verum eſſet, nos à veſtra pace diſceſſiſſe, quando eam à nobis repetiſtis? quando legatos ad renovandam ipſam ad nos miſiſtis? Sed venio ad tertiam ſimul & quartã partem: Meridiana profecto luce clarius eſt, id quod vos nequaquam inficiari poteſtis, Rom. Eccleſ. concordiam valde deſiderare. Nonne ſummus hic Pontifex pro pace conficienda multam pecuniam erogavit? Nonne legatos ad vos hac de cauſa ſæpenumero miſit? Si quidem igitur amicitiam noſtram, quam modo velle videmini, antea quoque voluiſſetis, eam proculdubio, ut nunc, facile habuiſſetis. Quid? Nonne Gregorius ſummus Pontifex, ad celebrandum Lugdunenſe Concilium, nuncios ad Conſtantinum Imperatorem, atq; ad alios Orientales principes miſerat, quando etiam rem ipſam concordi pace compoſuit? Non igitur Romanam Eccleſ. pacis recuſandæ incuſare veſtro jure poteſtis, cum ab ipſa pax ſemper ſumma Religione ſit culta, quæ in poſterum etiam ejus pro dignitate ſervabitur. Sed de his hactenus. Ad extremam autem orationis veſtræ partem reſpondeo, non inconveniens fore, ſi majorum noſtrorum decreta Græce Latineque recitabuntur. Etſi non inſcius ſum, ad quæſtionem noſtram ea neutiquã attinere, cum divino Evangelio, ſupremum obtinenti locum ac dignitatem, in primis nobis ſit innitendum. In medium igitur afferatis, quicquid vobis videbitur, quod quidem ipſi libenter ac attente audiemus, ſperantes ex eo facile fieri poſſe, ut etiam vos reſponſionem noſtram benigne auſcultetis.

Marcus. Tametſi verum eſt, Pater reverende, Romanam Eccleſiam Orientis ſemper hæreſi obſtitiſſe, temporibuſque perturbatæ fidei noſtræ auxilio magno fuiſſe, id tamen ad argumenta noſtra ſolvenda minime pertinere videtur. Nam ante hujuſmodi ſchiſma & diſſidium noſtrum, mutuam inter nos benevolentiam pacemque ſummam fuiſſe conſtat. Orto autem ſchiſmate, proh dolor, etſi Romani Pontifices ad Orientalem Eccleſiam litteras ſæpiſſime ſcripſerint, legatos & nuncios miſerint, ipſam exhortan-

Si huic dicto fidemus ligaret S. Silveſtrũ Nicæno Concilio interfuiſſe.

id, quod.

Ro. Eccl. ſtudioſa pacis cum Græc.

emittatis

mirabitur.

Additio ad ſymb. cauſa diſcordiæ.

tes, ut à Romana Eccleſia non diſſideret: id tamen, non ſublata ſchiſmatis cauſa, ut de valetudinum cauſis ſuperius dictum eſt, haudquaquam fieri potuit. Cujus quidem ſchiſmatis cauſam, acceſſionem ſymboli fuiſſe diximus. Neque igitur amicitia, quæ ante hoc noſtrum diſſidium inter nos mutua fuerat, neque ea veſtra in nos benevolentia, talis diſcordiæ cauſa permanente, cujus vos veri authores fuiſtis, memoria repetenda eſt, quod nulla ejus ratio haberi debere videtur. Verum nobis redeat tempus illud, in quo conjuncti fueramus: quod quidem nullo pacto bene fieri poterit, niſi prius ejuſdem diſſidij cauſam radicitus evellatis. Definitiones autem & decreta aliarum omnium Synodorum recitanda nobis videntur, ut hæc noſtra Synodus non ſolum ab illis non diſcrepare, verum etiam ipſas in omnibus imitari velle videatur, quoniam nos firmiter credimus, majores noſtros nil prorſus ſilentio præteriiſſe, quod ad noſtrum fidei ſymbolum ſpectet, additionemque veſtram neutiquam ipſi ſymbolo defuiſſe, ac idem nulla prorſus caſtigatione indiguiſſe, ob idque patres ipſos omnibus præcepiſſe, ne cui ſymbolum aliud ſuſcipere, vel ei quippiam addere, aut quicquam ab ipſo auferre liceret, non ignorantes, ſe, quod opus eſſet, ſanxiſſe. Additio igitur veſtra, ſchiſmatis cauſa fuiſſe videtur.

Andreas. Oratio tua, reverende pater, ex quatuor partibus conſtare videtur. In prima dixiſti, meam orationem fuiſſe veram, haudquaquam tamen ad rem attinentem, Summoſque Pontifices vehementer incubuiſſe, ut pax inter nos reconciliaretur, ſchiſmatis tamen cauſam tollere noluiſſe. In ſecunda vero parte probare conatus es, fieri facile poſſe, ut cognita vel ablata ipſius ſchiſmatis ratione pax ſumma ſtatim conſequeretur. Nam in tertia voluiſti, ut generalium Concilıorum decreta in primis recitarentur, ut illa ſectari, imitarique velle videamur. In extrema denique protuliſti, nil ab ipſis Conciliis omiſſum fuiſſe, ita ut aliqua ſit opus additione.

Mar. Non equidem protuli, pater reverende, fieri facile poſſe, ut ſi veſtrum dogma verum eſſe cognoſceretur, Eccleſiæ ſtatim conjungerentur, ſed ſi additio ipſa tolleretur, pax illico ſumma fieret. Namque tametſi forte contigerit, ut tale dogma verum eſſe declaretur, id tamen nullo pacto ſuſcipere poterimus, cum à majoribus noſtris nulla nobis facultas relicta fuerit, ut ſacro ſymbolo quicquam apponere, vel ab ipſo adimere valeamus. Qua quidem in re tota noſtra controverſia conſiſtit, ac in ea ſe vertit cardo.

Andreas. Conſtat, Patres ampliſſimi, ſummos Pontifices additionis hujus rationem, quam ſchiſmatis diſſidiique noſtri cauſam appellatis, tunc etiam litteris mandaſſe, cum ad pacem & concordiam veſtram repetendam legatos ad vos miſerant. Siquidem igitur Orientalis Eccleſia, in primiſque quatuor Patriarchæ, quos etiam ſummam Pontificiam facultatem habere creditis, Romanam Eccleſiam in hoc dogmate erraſſe, ac talem additionem ſine ulla ratione facultateque feciſſe, ſummo ſtudio voluerant oſtendere, aut jam ſatis oſtenderent, cur, obſecro, noſtra hujuſcemodi lis adhuc ſub judice eſt? An quod nil contra nos probare potuerint? Id equidem vobis concedo, fieri potuiſſe, ut tot Conſtantinopolitani Imperatores, tot Patriarchæ, tot alij prudentiſſimi viri, eandem additionem haud recte factam fuiſſe crediderint: quia tamen id nunquam nobis oſtendere potuerunt, idcirco deleta minime fuit. Itaque Romanam Eccleſiam immerito accuſatis. Porro autem, quoniam ab illorum Conciliorum definitionibus & decretis nos creditis prohiberi, quominus quicquam agere valeamus, idcirco pluribus ac firmis argumentis oſtendere vobis intendimus, quodcunque ſequens generale Concilium fuerit, ejuſdem fore dignitatis ac authoritatis, qua cætera alia Concilia generalia prædita fuerant, ad ea videlicet facienda, quæ ad Eccleſiam ſpectent. Sed velim nobis reſpondeatis, ſi talis additio vera eſt, cur non jure fieri

Concilia æqualis poteſtatis

A ri debuiſſet? aut quid obſtet, quominus id quod verum eſſe conſtaret, ſymbolo apponi deberet?

Marcus. Idipſum obſtat, Patres Ampliſſimi, quod nefas eſt: nam multa quoque alia bona & vera videntur eſſe, quod tamen noſtræ religionis ſymbolo nequaquam nobis addere licet, cujus rei ex eo poſſumus facere conjecturam, quod majores noſtri non omne, quod neceſſarium fuerat, eidem ſymbolo addiderunt. Sed pro exigua temporis oportunitate hactenus.

Andreas. Quoniam mihi videor, Patres Ampliſſ. attente auſcultari, ideo hæc duo vobis quam breviſſime probare recipio. Primum, nullam eſſe factam à nobis additionem: deinde, licet facta ſit, eam fieri neceſſario debuiſſe. Verum negocium hoc in ſeſſionem ſequentem differatur. Tum ſynodus ſancta
B decrevit, ut die proximo quarta ſeſſio fieret: quo decreto ſeſſio dimiſſa fuit.

Scuropuli additum mentitur.

Scuropulus memorat, ubi ad lectionem ſeptimæ ſynodi ventum eſſet, Latinos codicem ipſius veterem exhibuiſſe, ubi in ſymbolo Nicæno expreſſum habebatur Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere. Ad quæ, inquit, eruditus Gemiſtius, ſi hoc ſine fuco eſſet, nunquam tam inaniter oleum atque operam perdidiſſet Aquinas veſter, aliique. Nec enim præteriiſſent Herculeam illam confirmationem: nam pro toto verborum Oceano & modiis ſyllogiſmorum quos cõvoluunt, ſuffeciſſet illud unum aſſeruiſſe, &c. Atque his ita dictis à Gemiſtio, tertia ſeſſio dirempta eſt, ſubjungitque quotquot aderant Latinorum viri candore præditi multum ingemuiſſe doctores ſuos nihil
C præcepiſſe de Conciliorum definitionibus, ac ſe percipere Græcos melius ſentire.

Sed hęc quam inania, ſola conſtitutio *cum Salvator* in Synodo Alexandrina primum edita, deinde in Epheſina generali approbata ut ſupra viſum eſt, ſufficit ad iſta Scuropuli commenta exſufflanda. Additio eſt Concilij Epheſ. & ſubſequentium Concil. quotquot Epheſinum approbarũt, ut etiam fecit 7. ſynodus. Sednon omnis determinatio Conciliorum ſymbolum eſt. Ivo 1. p. decreti c. 3. proponit determinationem Epheſ. ſub hoc titulo, *ſymbolum Epheſini Conc.* 200. *Epiſc.* In qua habetur Spir. ſanct. à Patre Filioque procedere, cum Neſtorius contra quem eſt determinatio, id negaret: unde orta eſt neceſſitas id tunc definiendi. Eſt autem iſtud ſymbolum Ivonis de verbo ad verbum extractum ex determinatione illa Epheſina *cum Salvator*, quam
D confundit cum ſymbolo, paulo latius accepto nomine ſymboli, pro eo omni inſtrumento in quo determinationes præcipuæ continentur. Jam cum 7. ſynodus ſex priorum ſynodorum acta & definita omnia comprobaſſe certum ſit, æque certum eſſe debet 7. ſynodum approbaſſe iſtud dogma de proceſſione Spir. ſancti *à Patre filioque*, in Epheſina ſynodo receptum contra novum errorem Neſtorij. Tantum ergo ſupererit dubium de nomine ſymboli, quid præciſe per illud intelligi poſſit. Quæ controverſia levis eſt, modo conſtet
E de mente & definitione Concilij. D. autem Tho. ſatis advertit, ut ſupra viſum eſt, in relectione ſcolaſt. ad Concil. Nicænum prævia, Neſtorium negaſſe proceſſionem Sp. ſancti à Patre & Filio, ſed defectu codicum de actis Conciliorũ qui infrequentiores erant ſuo ſęculo, non advertit ejus erroris damnationem in eodem Epheſino. Quæ potuit eſſe cauſa cur minus defenſa ab ipſo & aliis ſcolaſticis Theologis cauſa Latinorum, & defuerit Herculea illa confirmatio Gemiſtij.

DIE MERCURII DECIMAQUINTA menſis Octobris.

Seſſio quarta Ferrariæ.

ANDREAS.

SI beatiſſimo patri noſtro, ac ſereniſſimo Imperatori, necnon ſanctiſſimo Patriarchæ placuerit, quæ

Doctor Andræas Duvallius Decanus Facultatis Theologiæ Parisiensis Tract. de peccatis quæst. ultima art. 7. postquam totam istam quæstionem solide discussit, examinat amplius an sententia pro immaculata conceptione sit ab Ecclesia definibilis: resolvitque partim contra Canum l. 7. de locis c. 3. qui neutram partem definiri posse autumat, cum non possit revelatio ea de re expectari; partim contra Cajetanum qui putat si Ecclesia ad definiendum se accingeret, contra ipsam definituram: resolvit inquam immaculatam conceptionem esse in proxima dispositione ut definiatur ab Ecclesia tanquam de fide, quia ita parata & expedita videntur omnia, si adhiberetur à Pontifice diligentia consueta in negotio definitionum, nihil ultra esset desiderandum: & revera Patres Basileenses eam definierunt jam, licet propter ipsorum schisma vim non obtineat ipsorum definitio: quin imo, ut idem asserit, Gabriel in 3. dist. 3. scribit Legatos Eugenij ad Concilium Basileense, inter alias instructiones quas ab eo acceperant habuisse hanc etiam, ut controversiam de immaculata conceptione determinari curarent.

Andreas Duvallius Professor Theolog. Canus: Cajetanus.

Sunt autem tres regulæ quibus Ecclesia uti solet in definiendis propositionibus fidei, scriptura, traditio & generalis Ecclesiæ consensus, quarum regularum una sufficiens est ad definitionem, si saltem implicite contineatur in ipsa veritas definibilis. At jam conspirat paucis admodum exceptis universa gens Christianorum Catholicorum & sibi persuadet immaculatam fuisse Virginis conceptionem: traditio vero omnino locuples ipsi favet, ut exhibetur à Salazario l. 1. de conceptione c. 42. & à Ioanne Eusebio tomo integro, cui titulum præfixit *Opera Parthenica*. Scriptura vero id ipsum saltem implicite continet, ut non sit difficile ex ipsius verbis illam eruere & colligere: & ut innumera fere loca omittamus, quæ alibi discussimus, locus ille Geneseos c. 3. *& ipsa conteret caput tuum* quem de B. Virgine plures ex Patribus intellexerunt, rem totam conficere potens est, si advertatur post Jacobum Parez Episcopum Chrysopolitanum in *Canticum B. Mariæ*, ista verba quæ denotant ipsam immunem fuisse à morsu serpentis, ipsi usque caput quod est peccatum originale obtrivisse, prius dicta fuisse à Deo quam sententia ferretur in virum & mulierem, ut intelligamus præventam fuisse & liberatam à communi maledictione hominum & mulierum. Unde etiam putamus nec debito contrahendi istud peccatum umquam subjacuisse, cum non fuerit comprehensa in illo pacto ex cujus occasione incurritur istud peccatum: quamvis contra sentiant Suarez, Bellarminus, Vasquez & alij apud eumdem Duvallium quæst. cit. art. 4. quorum rationes non convincunt.

3. Regula ad definiendum res de fide.

Iacobus de Valentia Parez Episc. Hisp.

Porro hoc beneficium præservationis à macula originali tantum fuit, quod sola evaserit in passu illo ad vitam in quo cæteri pereunt & in mortem animæ incurrunt, ut non immerito potuerit tunc canticum gratiarum actionis, qua usa est ubi se matrem Dei unicupari audivit ab Elizabeth, concinere. *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, quippe tunc Christum experta est esse salutare suum & Salvatorem modo excellentissimo: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, vere enim tunc in statu parvitatis suæ benigno quodam intuitu à Deo adspecta est, ex quo bonum maximum in illam profluxit. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, cum ex hac prima sanctificatione initium habuerint summæ ejus laudes quibus ab omnibus populis cumulatur. *Fecit mihi magna qui potens est.* Vere magnum fuit, eam solam sic mirabiliter liberari. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Fuit enim ista sanctificatio opus divinæ potentiæ, quæ tunc subvertit machinas omnes & cogitationes dæmonum, qui eam sibi subjicere meditabantur, &c. quæ sunt concionatoribus magis idoneæ

Quantum beneficium Virgini collatum in conceptione.

Atque hactenus de præcipuis controversiis hujus Synodi, in quibus quæ diximus conferendo Concilij & Papæ authoritatem, quantumvis in unam partem magis propendere quam in aliam videri possimus, non tanquam rem ipsam definiendo à nobis scripta velim intelligi, quasi judicio decretorio quidpiam statuamus, sed narrando magis quæ fuerint momenta hujus gravis controversiæ, ac litigiosa argumenta difficilium horum temporum inter doctos, ut qui magis historice quam didactice ista proponere intendamus: quoniam ut in præfatione hujus Concilij diximus, magis est Ecclesiæ universalis quam doctoris particularis in istis omnino assertive concludere, nec mediocritatis nostræ aut potius tenuitatis ingenij nostri nobis bene conscij quicquam arrogamus.

Intentio Auctoris.

CONCILIVM FLORENTINVM.

CENTVM QVADRAGINTA & unius Episcoporum.

SVB EVGENIO PAPA IV.

An. Dom. M. CCCCXXXVIII. & M. CCCCXXXIX. &c.

CELEBRATVM.

Contra errores Græcorum in præsentia Ioannis Palæologi Constantinopolitani Imperatoris.

VT Samaria à Jerosolyma horrendo schismate diu separata, in potestatem tandem Assyriorum amissa libertate venit: sic Ecclesia Orientalis ab Occidentali per pernitiosum schisma divisa, in Turcarum Imperium translata est. Et quemadmodum tribui Juda idem postea accidit, quod Samariæ ac decem tribubus: sic metuendum ne ista pars Occidentalis innumeris divisionibus in temporalibus & spiritualibus obnoxia idem quandoque experiatur, dum tam multi tam leviter à vetere sacrosancta Religione Apostolica Romana in omni fere regno discedunt & in ipsa discessione tam pertinaciter hærent, objectis Synodorum decretis.

Cum autem Græci ac Orientales sæpius post primam ab Ecclesia Romana divisionem eidem reconciliati sæpius ab eadem descivissent, ultima eorum cum eadem unio in hoc Concilio facta est, quam cum brevi postea perruperint motu solitæ inconstantiæ, ac Marci Ephesini malitia aliisque causis permoti, sicut populus Israël Assyriis traditus nunquam reversus est, sic illi Turcæ sæculari brachio à Deo traditi, ob crimina, ad Ecclesiam Romanam postea non redierunt, Deo terribili in judiciis suis, cum aliis calamitatibus pœnales cæcitates immittente; post elapsum & male impensum tempus ultimæ suæ visitationis in hac Synodo. Nec est quod quidam putent indifferens & adiaforum esse ad pietatem si credatur Spiritus sanctus à filio procedere aut non procedere, quod solent dicere ministri Calvinistæ: nam præterquam quod destrueretur mysterium Trinitatis, manente Spiritu S. indistincto à Filio si ab ipso non procederet, ut opinantur communius Theologi post D. Thomam, sapit ingratitudinem non agnoscere Filium ut principium Spiritus sancti, quod est decus ipsius eximium ac ipsi cum Patre æterno commune. Debuit autem Ecclesia in recognitionem incarnationis ipsius ad redimendum genus humanum

Iudicium Dei adversus Græcos terribile.

Gratitudo pro mysterio redemptionis.

quidquid honorificum filio conſtantiſſime aſſerere: ipſum enim ob hoc ſingulariter veneratur, ut ipſius ſit vox, *venerandum tuum verum & unicum filium.* Quamvis in inſtructione Arianorum in hac Synodo non pauca ſint pro myſterio redemptionis elucidando; acta integra hic dabimus ex verſione Bartholomæi Abrahami Gretenſis, qui primus Actorum Græce ſcriptorum Latinam verſionem edidit; non tamen ſine quibuſdam erratis quorum aliqua annotanda erunt, annotatis quibuſdam ejus erroribus. Prius tamen originem & progreſſum Concilij ex Wadingo ad annum 1439. damus ubi aliqua refert adhanc præfationem idonea & ab aliis etiam omiſſa.

Miſere, inquit, lacerabatur hoc tempore Sacroſancta Chriſti Eccleſia contrariis Sacerdotum factionibus, adverſiſque Principum ſtudiis. Duo ſimul celebrantur Concilia Generalia, duo deſignati ſummi Pontifices, binas conſtituerunt acies Chriſtiani Principes, populi partes duæ inter duos Pontifices diviſæ; pars tertia nulli adhærebat. Eugenius Pontifex legitimus Chriſti Vicarius, ingenti conatu immenſoque ſumptu Græcorum gentem, nationeſque longe diſſitas Armenorum & Æthyopũm ad fidei unitatem ſtudet revocare, & ſub unico Paſtore fideles omnes ad unam caulam unumque ovile Catholicum reducere. Ex adverſo Europææ gentes, quæ ſub oculis erant, quæ prius uno hærebant corpore, eumdem hauriebant Spiritum & capite gloriabantur, uno à pacis & unitatis adverſario ſeductæ paulò antea ſopitum ſchiſma reſuſcitarunt. Etenim Baſileenſis Concilij Patres ægre ferentes negari ſibi, quam injuſte ambierant, ſupra ſummos Pontifices authoritatem, à ſuo etiam cœtu Græcos avocatos, indictumque Ferrariæ & Florentiam tranſlatum Concilium, furentes & inſanientes eo tandem abierunt dementiæ, ut ad ſeptimum Kalendas Julias depoſitionis ſententiam multis calumniis & contumeliis infartam, tulerint in Eugenium, & poſt turbas plurimas ſcandaloſaque diſſidia, Amedeum olim Sabaudiæ Ducem, ad Ripaliæ ſolitudinem prope Lacum Lemanum vitam Eremiticam ſub habitu leucophæo & inſtituto Franciſcano, uti quidam volunt, ducentem Nonis Novembris Pontificem ſub Felicis 5. nomine renunciarint

Felix V. Papa creatur.

Eugenius totus addictus unioni Græcorum patienter tulit univerſa, nihilque injuriarum à graviſſimo potuit retrahere negotio donec abſolvit. Die ſexta Julij feria ſecunda, poſt Seſſiones 25. doctaſque diſcuſſiones, omnium conſenſu lecta fuit definitio articulorum, de quibus maxime diſceptabatur, proceſſionis Spiritus ſancti à Filio, additionis voculæ *Filioque* ad Symbolum Conſtantinopolitanum, conſecrationis in azymo aut fermentato, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, cruciatus animarum in Purgatorio per ſuffragia fidelium relevandi, viſionis beatificæ animarum purgatarum, condemnationis in peccato decedentium, & Romanæ ſedis Primatus. Tomi ſeu Bullæ quinque hujus unionis ſcriptæ ſunt Græce & Latine, quibus utraque natio ſubſcripſit, unam detulerunt Græci, altera manſit penes Pontificem, reliquæ deſtinandæ erant Patriarchis Orientis; atque ita lætabundus die 21. Julij diſceſſit cum ſuis Imperator, quod ſumme concupitam videre meruerit utriuſque Eccleſiæ unionem.

Fit unio Græcorum.

Nihil ei ſiniſtri accidit in toto itinere, nihil non lætum & jucundum, præter unam mortem Ioſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani die nono Julij, eo tamen ſolatio tolerabiliorem, quod unioni & fidei Apoſtolicæ Eccleſiæ ſenioris Romæ paulo antea peculiari ſcheda ſubſcripſerit. Nocuit valde ſtabiliendæ unioni hujus piiſſimi viri obitus: licet enim in Concilio ſummo applauſu conclamata fuerit, tamen brevi duravit tempore, decedente paulo poſt reditum Ioanne Imperatore, & Marco Epheſino ſchiſmatis pertinaciſſimo ſuaſore & fautore, ubique vehementiſſimo æſtu Græcos ab unione & pactis in Concilio revocante. Defuit etiam, quæ ſumme erat neceſſaria, miſſio & inſtructio Doctorum, & Prædicatorum, quos oportebat multos ſtatim ad Græcos deſtinari, ut coram explicarent quæ in Concilio acta ſunt, dubia occurrentia diſſolverent, & quæ pervicaciſſimus Epheſinus objiciebat, diligenter & docte refutarent.

Std parum duv.

Subſcripſit huic Concilio Frater Guilielmus Generalis Miniſter. In domo Minorum, ut diximus, habitæ ſunt collationes præparatoriæ ad Seſſiones tum Ferrariæ, tum Florentiæ, & in eorumdem templo ſcripta eſt definitio & tomus unionis Græce & Latine convenientibus ex utraque natione ſex viris delectis; à parte quidem dextera Latine, cui ſubſcripſerunt Latini, appenſa Bulla Pontificia, ab altera Græce, cui Græcæ ſubſcriptiones, & aurea bulla Imperatoris ſuffixæ ſunt. Græcis autem ut ad Concilium & in Europam venirent, non ſegniter aut frigide perſuaſerunt Frater Bartholomæus de Yano, vir doctiſſimus & piiſſimus, & Albertus Sarrianenſis ad hoc ab Eugenio miſſi, qui ſimul cum Imperatore in Italiam reverſi ſunt.

Interfuit huic Concilio ſanctus Bernardinus Senenſis, & magno quidem fructu, tum vitæ ſuæ exemplo, tum privatis colloquiis & publicis prædicationibus Græcos ad unionem allicendo. Laudabili ſtudio volebat ille veram ſalutis & veritatis viam docere, ſed magno animi dolore cruciabatur, quod Græcorum non calleret Idioma. Secum autem cogitans admiranda Dei opera, qualiter ſuis Apoſtolis contulerit, ut poſſent omnium gentium linguis loqui: obnixe rogabat, ut largiretur Græcis intelligentiam eorum, quæ dicturus eſſet ad illos. Mox ferventi ſpiritu multa in Deum fiducia fretus, aſcendit ſuggeſtum, Græceque concionatus eſt, de Catholica fide Græcos ſummo ſtudio erudiens: ita ut mirarentur omnes, dicerentque eum non minus probe noſſe Græce, quam ſi in Græcia natus eſſet: ſed Deus movebat linguam ejus, & loquebatur per eum. Cum enim à ſuggeſtu deſcendiſſet, & omnes laudarent ejus Græce dicendi facultatem & copiam, ille Deo ſoli honorem omnem tribuens, Græce linguæ expers, ſicuti antea fuerat, remanſit.

Bernardinum Senenſis.

In eadem Synodo ſub hujus anni finem, alia inſignis unio facta eſt gentis ampliſſimæ Armenorum. Ante biennium miſerat Eugenius aliquot viros doctos & pios ex Ordine Minorum ad gentem hanc, monituros indictum eſſe generale Concilium pro unione & pace concilianda nationum Orientalium cum Eccleſia Romana. Præcipui inter hos fuerunt Frater Franciſcus Bononienſis, Guardianus Conventus ſancti Pauli extra Bononiam, Frater Ludovicus eadem urbe oriundus, & Frater Iacobus de Primadiis, reliquorum Vicarius ſeu præfectus Generalis. *Hæc Vvadingus.*

Unio Armenorũ.

Concilium iſtud conſtat ex ſeſſionibus viginti quinque quarum ſexdecim primæ Ferrariæ habitæ ſunt, reliquæ Florentiæ, ad quam urbem accedenti Eugenio ſacratiſſima Euchariſtia præferebatur in arcula equo ornatiſſimo phaleratoque impoſita. Ab hac autem urbe nomen habet Concilium ſeu propter unionem Græcorum in ea factam, ſeu quod in ea ſecundo annò poſtquam inchoatum fuerat Ferrariæ, abſolutum ſit, aut potius quinto anno ut dicetur in controverſiis hujus Synodi. Porro in hac maximè enituit doctrina Iuliani Cardinalis in diſputationibus, cujus etiam hoc argute dictum ad Imperatorem Græcorum memoria dignum, quod cum ſermo eſſet de codicibus D. Baſilij è quibus Græci deleverant nomen *filioque*, diceretque Imperator in Græcia multos eſſe codices ſine illa voce. Atqui Sereniſſime Imperator cum tu decreviſſes ad certamen venire, decuit arma tua tecum afferre, & non in ipſo certamine expectare. Hæc refert Antoninus in hiſtoria

Argutè dictum Iuliani Card.

qui præſens adeſt, nondum Archiepiſcopus.

Quod autem hanc ſynodum Octavam appellet Bartholomæus Abrahamus, imperitiæ ejus deputat Binius in notis ad octavam Synodum. Alij dicunt vocaviſſe octavam Græcam ſcilicet, nulla habita ratione veræ Synodi octavæ ſub Adriano ſecundo, qua Photium damnaſſet præcipuum Architectum ſchiſmatis ac diſſenſionis Eccleſiæ orientalis cum Romana. Sic enim hæretici malorum ſuorum Authores in honore habent.

Acta autem ejuſdem Concilij ſcripta fuere uno volumine in folio ab Horatio Iuſtiniano bibliothecæ vaticanæ cuſtode primario collecta, diſpoſita & notis illuſtrata. Prodiit quoque aliud volumen etiam in folio ex Hollandia advectum ejuſdem argumenti, impreſſum Hagæ-comitis an. M. DC. LX. græce ſcriptum per Sylveſtrum Sguropulum qui concilio interfuit cum aliis Græcis unioni maxime adverſarius, ut ex toto ejus libro liquet: tranſtulit vero in Latinum ſermonem Robertus Creyghton Anglus non minus unioni infenſus, ut ex ius notis patet, metuens forſan ne aliquando ſua Britannia ſimilem unionem cum Eccleſia Romana meditetur. Quæ ipſius gentis ſalus eſſet. Tam de auctore ipſo, quam de ejus interprete, quæ ratio haberi debeat, paucis explicat P. Labbe in ſua ſynopſi: non alia certe quam hæreticorum de Conciliis diſſerentium, ut evidens fiet ex aliquot additamentis infra inſerendis.

Acta generalis octava Synodi, è Græco in Latinum traducta, interprete Bartholomæo Abrahamo Cretenſi, præſule Arienſi.

ANno Domini noſtri Ieſu Chriſti M. quadringenteſimo trigeſimo octavo, die vero quarta menſis Martij, Pontificatus Eugenij Papæ quarti anno ſeptimo, Ioannes Palæologus Sereniſſimus Conſtantinopolitanus Imperator, ad celebrandam octavam œcumenicam Synodum, ad Francolinum Ferrariæ vicum triremibus invectus eſt. Quo ſtatim Nicolaus ipſius Ferrariæ Marchio, una cum ſuis præſtantioribus civibus, ac Pontificibus omnibus qui cum ſummo Pontifice Imperatorem ipſum Ferrariæ expectabant, obviam prodiit, ac ipſum equo inſidentem, una cum ſedis Romanæ legato, qui cum Imperatore Conſtantinopoli venerat, ad urbem & palatium, ubi ab ipſo ſummo Pontifice, omnibuſque Cardinalibus expectabatur, magna pompa deduxit. Quem cum ſummus pontifex jam adventare ſenſiſſet, reſurrexit, & lento gradu inambulare cœpit, ac ipſum paulo procul à ſede ſua excepit, & volentem genu flectere, minime permiſit, ſed ſtantem amplexus fuit, ac ei dexteram oſculandam dedit, ipſumque à ſiniſtra proximum ſibi conſedere voluit. Poſtea vero Imperator ſurrexit, ac ſua in ſede ſtans, à ſingulis ampliſſimis Cardinalibus honorificentiſſime fuit ſalutatus. Habitoque in conſeſſu cum ſummo pontifice brevi ſecretoque colloquio, uterque ſurrexit. Et pontifex ſummus in eodem palatio, ubi habitabat, remanſit. Imperator vero ad aliud ornatiſſimum pompa eadem ivit. Porro autem quatuor poſt dies Ioſephus ſanctiſſimus Conſtantinopolitanus Patriarcha cum majori parte ſuorum pontificum, (nam cæteri cum Imperatore fuere) cymbis multis ornatiſſimiſque, Venetiis Ferrariam advenit. Cui quidem è cymba exeunti quatuor ampliſſimi Cardinales, & ipſe Marchio, necnon viginti quinque Occidentalis Eccleſiæ præſules obviam iere, ac ipſum equitem mediumque inter duos ampliſſimos Cardinales magna etiam pompa ad palatium comitati fuere: ubi pontifex ſummus ſtans in ſua ſede, ipſum amplexus, & in genua oſculatus eſt. Ipſis deinde conſedentibus, Orientales antiſtites dexteram ſimul, & genam ſummi pontificis, cæterorum vero Græcorum alij dexteram, alij pedum tantum oſculati fuere. Quo quidem ſalutatione facta, pontifex ſummus in cubiculum ſe recepit: Patriarchæ vero, eodem quo venerat ordine ac pompa, domum ſibi paratiſſimam venit. Proxima vero dominica, quindecim Græci Sacerdotes Domini Imperatoris juſſu ejus Miſſam ſolemniter celebrarunt. Ubi etiam Marchio cum ſuis civibus adfuit, & panem benedictum per patriarchæ dexteram, more Græcorum, accepit atque libavit. Nonnullis deinde poſt diebus Imperator à ſummo pontifice contendere cœpit, ut quemadmodum ei promiſerat, non ſolum pontifices & Abbates, verum etiam reges & duces, ac cæteros Chriſtianorum principes ad Synodum convocaret. Quod quidem tametſi ſummo pontifici propter ipſorum principum diſcordias factu difficile videbatur, ut ad Synodum convenirent, ſe tamen operam daturum promiſit, ut principes ipſi convocarentur. Continuoque nuncios & litteras ad eos miſit, ut intra menſes quatuor vel ipſi adeſſent, vel ſuos Vicarios mitterent. Porro autem poſt aliquot dies tam Græcis quam Latinis majus operæpretium viſum fuit, ut edicto publico Synodus convocaretur hac conditione, ut niſi principes ipſi venirent, vel ſuos nuncios mitterent, Synodus tamen ipſa celebraretur, ac in ea de quibuſdam dogmatibus ageretur, & ſive Græcorum & Latinorum conjunctio fieret, ſive non, adhuc tamen Synodus ſumma pace dimitteretur. Dum autem hæc geruntur, quæſitum fuit, quonam ordine ſedes in Synodo diſponi deberent, qua de re non mediocris inter eos controverſia fuit orta. Nam ſummo pontifici videbatur conveniens eſſe, ut Imperator ac patriarcha cum ſuis hominibus à ſiniſtra templi parte, & occidentales pontifices à dextra, ipſe vero in capite medius inter utramque partem ſederet. At Imperator dicebat locum ipſum ſibi potius quam ſummo pontifici convenire. Poſt longas autem diſcrepationes, lectis exterarum Synodorum geſtis, omnes in unam ſententiam ivere, ut ſummus pontifex ac omnis occidentalis Eccleſia à dextra templi parte, Imperator autem cum orientali Eccleſia è regione à parte altera conſederet. Igitur in Baſilica divo Georgio conſecrata, à dextra parte apud majus altare pontificia ſedes, & proxima ei, paulo tamen inferior, Romanorum, vel (ut Græci dicebant) Germanorum Imperatoris ſedes diſpoſita fuit, quæ ſemper propter ejus abſentiam vacua ſtetit. Apud autem ipſam ampliſſimorum Cardinalium, deinde Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Occidentalis Eccleſiæ, qui ad centum & quinquaginta præter protonotarios & Abbates ac alios clericos, qui multo plures fuere, locus ordinatus fuit: è regione vero ſummi pontificis, ut paulo ante dictum eſt, Conſtantinopolitani Imperatoris eminens quidem ut pontificia, & illi proximi à ſiniſtra, paulo tamen inferior, patriarchalis ſedes collocata fuit. Et apud eam eodem ordine, legatorum trium cæterorum Patriarcharum, deinde aliorum Occidentalium patrum, ex quibus duo ex Iberia venere, ſedes fuerunt diſpoſitæ. Nam à dexteris ipſius Imperatoris Demetrius Deſpotus frater ejus, infimo gradu ſubſedit. Ante vero majus altare aliud altare fuit erectum, ac ſuper eo inter beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli capita, ſanctorum Evangeliorum liber, ac ante ipſum duo accenſa candelabra fuere poſita. Quibus ita diſpoſitis, ac omnibus præparatis, ad diem nonam menſis Aprilis, quæ quidem feria quarta majoris hebdomadæ fuit, Cardinales ac omnes antiſtites veſtibus ſacris induti, una cum ſummo pontifice ac Imperatore templum illud introiere, ac ſuis in locis, abſente ob valetudinem patriarcha, paululum conſedere, deindeque ſurrexere, ſummuſque pontifex orare cœpit: quibuſdam denique pſalmis, hymnis, ac precibus hinc inde decantatis, omnes iterum conſedere juſſit, ut conſentiente Imperatore, abientis patriarchæ conſenſus, & ſuum edictum ex ſuggeſtu reci-

Ordo ſedendi.

for. diſceptatis. nef.

tarentur. Itaque Scriba quidam alta voce conſenſum ipſum in hac forma perlegit.

Conſenſus Patriarchæ Conſtantinopolitani, ut œcumenica Synodus Ferrariæ celebraretur.

IN nomine ſanctiſſimæ vnæque principij Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, duo Chriſti membra, Latinorum videlicet & Græcorum, ad ſanctam & œcumenicam Synodum convocandam, hodie convenerunt, ita ut beatiſſimus ac ſummus pontifex & ſancta Romana Eccleſia ex una, & Sereniſſimus Imperator cum tota Orientali Eccleſia ex altera parte concordes ſint, ut hic Ferrariæ in Divi Georgij templo, in loco ſane tutiſſimo, generale Concilium celebretur, edicentes, ut infra quatuor B menſium ſpatium ab hoc die connumerandorum, omnes Chriſtiani, qui convenire velint, præſertim Reges & Principes, ac omnes Pontifices, & cæteri clerici, qui Baſileam vel Romam ad celebrandum Concilium profecti jam ſint, vel in poſterum proficiſci velint, huc debeant convenire. Qui vero venire neglexerit, niſi hujus futura decreta Concilij ſuſceperit, ac approbaverit, anathema eſto. Doctores autem, vel alicujus dignitatis homines, niſi convenerint, vel ſuos Vicarios miſerint, vel ſaltem literis ipſa eadem futura decreta laudaverint, & approba-
fol. decreta evi denciata. verint, anathemate ſint devincti. Quæ quidem pœna ſummi pontificis juſſu, de Regibus & Ducibus, ac cæteris Chriſtianorum Principibus intelligi quoque C debeat. His tamen liceat, ſi voluerint, locum alium nominare, ubi Synodus hæc celebretur: ita tamen, ut ipſa Synodus de tali loco conſiderare, ac decernere valeat. Datum Ferrariæ, anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, die vero nona menſis Aprilis. Poſt hæc pontificis ſummi decretum à præſule Graden. Latine, à Dorotheo vero Mytylenen. Græce fuit recitatum in hoc tenore.

Decretum Summi Pontificis.

EVgenius ſervus ſervorum Dei, ad æternam rei memoriam. Magnas omnipotenti Deo gratias oportet nos agere, qui antiquarum ſuarum miſericordiarum non immemor, Eccleſiam ſuam continuo D reddit ampliorem. Quam quidem etſi laborare multiſque tempeſtatibns fluctuare permittit, nunquam tamen ſubmergi patitur, verum à fluctibus, & magnis æſtibus maris reſervat, & pro ſuo erga genus humanum amore, inter multos & varios caſus & calamitates, virentem ſemper fovet, ac magis vigentem reddit. Ecce enim Orientales & Occidentales populi, jamdiu inter ſe diſſidentes atque disjuncti, ad pacem atque conjunctionem convenire feſtinant. Quip-
Iacobi. 1. pe qui diſcordes jam & inimici, tandem poſt multos annos, favente Deo, *ex quo omne datum bonum*, ſanctæ conjunctionis deſiderio affecti, in hunc convenere locum. Noſtræ igitur ſervitutis ac totius Eccleſiæ opera eſt, & eſſe credimus, tentare pro viribus, ut hæc principia tam felicia, ſtudio noſtro ita felicem exitum conſequantur, ut Dei gratiæ cooperatores eſſe dicique mereamur. Cum itaque dilectiſſimus filius noſter Ioannes Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator, una cum piiſſimo fratre noſtro Ioſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, necnon cæterorum Patriarcharum legatis, ac multis ampliſſimis metropolitis & Epiſcopis, ac alijs ordinibus Eccleſiaſticis & viris nobilibus, ad octavam diem proximi menſis Februarij Venetias advenerit, nobis id, quod aliis etiam ex locis antea fecerat, continuo litteris ſuis ſignificavit ſe quibuſdam de cauſis non alienis à ratione, Baſileam ubi Synodus celebranda erat, ire non poſſe, idque his, qui ibi jam eſſent ſcripſiſſe, notumque feciſſe: volens propterea & contendens, ut ipſa Syno- A dus huc Ferrariam transferretur, & hic tam pium negotium concluderetur. Nos igitur, quibus ſancta Chriſtianorum conjunctio cordi mirum in modum eſt, quique ipſam celerrime conficere cupimus, decretum Baſileenſ. Concilij de celebrando generali Concilio, Græcis volentibus promulgatum ac editum, & à nobis poſtea Bononiæ, præſentibus ipſius Imperatoris ac Patriarchæ oratoribus, ſuſceptum & approbatum, quæque ad præſens ſanctæ conjunctionis negotium ſpectent, pro noſtra ſervitute volentes exequi ut debemus, ac cupientes ipſum ad concluſionem perducere omni modo & forma, quibus poſſumus & debemus, præſentibus & conſentientibus Imperatore ac Patriarcha, & cæteris hic ad celebrandam Synodum congregatis, notum facimus & declaramus, prædictam Synodum hic Ferrariæ, qui quidem locus liber & tutus eſt, celebrandam eſſe, & ſic ab omnibus exiſtimari ac dici debere, ſperantes hic abſque diſcordia & contentione, aliquave mœſtitia, ſed potius amore ſummo divinam ipſam pacem, & cætera ſancta opera, pro quibus Synodus convocatur tractari, Deoque placato ac favente, feliciter confici poſſe. Datum Ferrariæ, die nona menſis Aprilis, anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, pontificatus noſtri anno ſeptimo. Quo quidem decreto recitato, unus ex Latinis, & alter ex Græcis ſurrexit, & quiſque ſuos interrogavit, an eis placerent quæ recitata fuere. Qui cum eadem ſibi placere reſpondiſſent, partium ambarum conſenſum literis mandarunt, ac, Deo peractis gratiis, diſceſſerunt. Elapſis autem diebus paſchalibus, Occidentalis Eccleſia ne tempus fruſtra contereretur, incepit contendere, ut privatim de Spiritus ſancti proceſſione leviter agerent, donec qui eſſent venturi, convenirent. Orientali vero Eccleſia reſpondente, alienum eſſe à ratione, ut abſentibus his qui Baſileam ad celebrandam Synodum jam convenerant, quicquam tractaretur, poſt multam contentionem decreverunt de purgatorio ac aliis quibuſdam Eccleſiaſticis quæſtiunculis diſputare, donec tempus Synodi celebrandæ veniret. Itaque Latini duos ampliſſimos Cardinales & duos Archiepiſcopos, & duos Epiſcopos, & duos Abbates, & duos Monachos, & duos Notarios: Græci vero, Pontifices ſex & duos Abbates, & duos crucefignatos, ac duos Notarios elegerunt, qui bis hebdomada quaque ad Divi Franciſci templum ad diſputandum convenirent. Qui cum ad diem quartam menſis Iunij conveniſſent, Latini quæſtionem de purgatorio propoſuerunt, ac ita dixerunt.

Quæſtio de Purgatorio. Latini.

NOs ignem, Patres ampliſſimi in hoc mundo, credimus eſſe, quo quidem animæ peccatis levioribus, vel (ut vulgo dicitur) venialibus obnoxiæ, coadjuvante Eccleſia, ſacerdotum precibus, Miſſis, ac eleemoſynis expiantur. Nam ſanctorum & juſtorum animas in cœlo eſſe, ac Trinitati aſſiſtere, ſuam denique felicitatem conſecutas eſſe, nemo dubitat. Animas vero eorum, qui ſine pœnitudine mortem obierint, in inferno una cum Iuda pœnas æternas luere profitemur, ita ut tria mortuorum E loca ſimpliciter ſint. Vnus quidem ſanctorum, quod cœlum creditur eſſe. Alter delinquentium, qui ſunt inferi. Qui vero confeſſi, ſacratiſſimum Chriſti corpus, abſque tamen pœnæ prævia ſatisfactione, ſumunt, continuoque moriuntur, hi dubio procul in ſupradicto igne, quod Purgatorium appellari ſolet, purgantur. De quo quidem igne Paulus ad Corinthios ſcribit: *Vniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Et paulo infra: *Ipſe autem ſalvabitur, ſic tamen quaſi per ignem.* Hæc Latini. Græci autem ita reſponderunt: *Græci.* Quæcunque Patres ampliſſimi protuliſtis atque citaſtis, Orientalis Eccleſia profi-

retur, quamvis inter Græcos & Latinos parva sit differentia: vestram ergo sententiam literis traditè quod ipsi quoque facturi sumus, ut in quonam à vobis differamus, palam fiat. Quæ cum audissent Latini, magno affecti gaudio, gratias Deo egerunt, & datis literis, discesserunt.

Ad 14. autem diem ejusdem mensis iterum convenerunt. Et Græci, Pauli dictum longe aliter exposuerunt, ac suam expositionem ita literis mandarunt: *Græci.* Paulus ad Corinthios scribens, Patres Amp. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam,* & reliqua, hominum vitam & opera intelexit, videlicet, an prava studiosave sint, ita ut cujus opera in igne combusta permanserint, is bonus censeatur, ac operum suorum mercedem accipiat: cujus autem *opus arserit*, id est, cujus opera frivola fuerint combusta, *ipse detrimentum patietur*; hoc est, damnabitur, & *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, in igne semper salvabitur, in eo luens pœnas æternas, ita ut ignis ipse, de quo Paulus loquitur, non purgatorius, verum æternum supplicium sit, de quo etiam inquit Evangelista, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Nam ipsi purgatorium, non ignem, sed obscurum quemdam locum, ac laborum plenum, esse censemus, in quo quidem existentes animæ, lumine divino privantur, donec coadjuvante Ecclesia (ut supra dictum est) expientur ac liberentur. Sic ergo sentimus de purgatorio. Sed in alio quoque differre videmur: ipsi namque tenemus, obnoxias animas & gravioribus ac (ut dicitur) mortalibus peccatis affectas, non satis perfecte in præsentia mulctari. Sed posteaquam cum suis corporibus resurrexerint, fore, ut perfectissimas pœnas pro suis delictis luant, quemadmodum etiam justorum & sanctorum accidit animabus: quippe quæ bono quodam imperfecte fruantur, post verò suam resurrectionem felicitatem sibi debitam consequentur, ut Paulus inquit: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Vos autem non ita sentire videmini. Idcirco vestram (si lubet) sententiam dicite.

Ibidem.

Mat. 25

Hebr. 11.

Latini. Nos animas delinquentes, absque corporibus suis, Patres amplissimi, non perfecte puniri, ut ipsi quoque tenetis, credimus: ita ut in hoc bene conveniamus: justorum autem ac sanctorum animas, quatenus animæ sunt, perfectam suam felicitatem assecutas esse censemus: ita tamen, ut aliam cum suis corporalibus, perfectionem expectent, qua quidem perpetuo fruantur. *Græci.* Tum Græcorum alii cum Latinis, alii contra (ut supra dictum est) sentientes, patres in duas divisi fuere, quorum omnium sententiis hinc inde literis traditis, conventum solverunt.

Deinde ad 25. & ad 27. diem mensis ejusdem iterum convenerunt, ac eademmet repetierunt. Nam Latini dictum Apostoli sic exponebant: *Latini.* Nos quam plurimis aliis authoritatibus, Patres Amplissimi adducimur, ut credamus illud Apostoli, *Salvus erit quasi per ignem*, pro purgatorio, non autem pro igne perpetuo capi debere, juxta illud Prophetæ: *Salva me Domine, quoniam defecit sanctus.* Et alibi. *Salva servum tuum Deus meus sperantem in te.* Et *Domine Deus virtutum, convertere nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Petrus autem timens ne submergeretur, dixit: Domine salva me. Christus vero *extendens manum, accepit & salvavit ipsum.* Et, *Salva Deus populum tuum.* Verbum ergo, salvare, Patres Amplissimi, semper in bonam partem accipitur, nisi hujus oppositum demonstretis. *Græci.* Græci vero tergiversantes, se suas sententias literis daturos, responderunt. Nolebant enim suam sententiam explicare. Sed ita leviter disputabant, ut tempus protraherent, donec frequens Synodus conveniret.

Ibid. ipsa.

1. *Cor.* 3.

Psal. 11.

85. 97.

Mat. 14.

Ad 21. verò diem mensis Julii, Imperatoris justu Patriarchæ domum convenere, ut decernerent, quidnam Latinis de quæstione secunda respondere deberent, ubi diversa (ut paulo ante dictum est) sentire visi fuerunt. Tandem post musta, Imperatore ac Patriarcha præsente, omnes in eam sententiam iverunt, justorum ac sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen cum suis corporibus, cum resurrexerint, fruituras: quum etiam ut sol, vel lumen resplendeant, quemadmodum Jesus Christus Dominus noster in Thabor monte resplenduit.

Dum autem hæc agerentur, terror magnus Græcos invasit. Nam morbus quidam vehementissimus Ferrariam affligere cœpit, ita ut mortem fere subitam Ferrarienses obirent: quo magis etiam Græci territi fuere, quod morbo eodem Dionysius præstantissimus ille Sardensis Præsul, non sine Græcorum omnium luctu, obiit. Dei tamen benignitate nemo alius ex Græcis, tum mortuus fuit. Porro autem jam mensibus quatuor elapsis, urgebant Græci, ut Synodus celebrari, sessionesque fieri inciperent tametsi nemo eorum, quos expectarent, convenerat. Quibus quidem Græcis Summus Pontifex æquo animo satisfecit: dicens: Ubi ego & Imperator ac Patriarcha sumus, ibi Christianorum omnium Synodus esse creditur: præsentibus præsertim cæterorum Patriarcharum legatis, nostrisque Cardinalibus.

Timebant autem Græci multitudinem Latinorum, propterea quod suas sententias suffragiis declarare solebant. Hoc tamen metu solutis Græcis, ut non suffragiis uterentur, verum quisque sententiam proferret, communi omnium sententia fuit decretum, ut sessiones inciperent celebrare, ac in primis de duabus quæstionibus agere: an fas sit, divino symbolo quicquam addere, & an additio jam facta, ex filioque, pia sit. Porro autem, quoniam Summus Pontifex laborabat podagra, & ad Basilicam, ubi Synodi locus (ut supra dictum est) paratus fuerat, nequaquam ire valebat: idcirco decretum ab ipsa Synodo fuit, ut in sacello palatii, ubi Summus Pontifex habitabat, sessiones celebrarentur, & octava die mensis Octobris inciperent. In eo igitur loco non aliter quam in Cathedrali Ecclesia, sedes fuere dispositæ: quarum equidem ordinem, brevitati studens, non repetam, silentio tamen neutiquam prætermittam. Duces, Marchiones, Comites, equites, ac civitatum cum Aristocraticarum, tum Democraticarum oratores, ante Summi Pontificis & Romanorum Imperatoris sedem subsedisse. Ex regione autem apud Patriarcham trium Oecumenicorum Patriarcharum legatos paulo inferius, reliquos deinde Pontifices Græcos consedisse, cruce signatos verò, & reliquos Græcos nobiles, à dextera Imperatoris versus sacrarium subsedisse. Nam Demetrius Despotus Imperatoris frater, prope dexteram ejus, multo tamen eo inferius consedit. Sedem autem Patriarchæ, quamvis Pontificiæ Imperatoriæque sedi, quæ quidem æqualiter eminentes fuere, paulo inferior fuerit, simili tamen ornatu decoratam fuisse. Patriarcharum vero Legatos fuisse Antonium Heracleensem, & Gregorium Venetandum, ac Magnum Confessorem pro Alexandræo, & Marcum Ephesium, & Isidorum Rhutenum pro Antiocheno, Dositheum vero Monembasien. ac Dionysium Sarden. qui mortem obiit, pro Hierosolymitano. Cæterorum autem Græcorum Pontificum, & aliorum clericorum nomina hic prætereo, quandoquidem ipsa in unionis literis subscribam. Ante vero majus altare, quod (ut supra dictum est) dispositum fuit, à Latinorum parte sex eorum doctores, à parte autem altera sex alii ex Græcis confederunt, qui quidem ad disputandum à suis selecti fuere, videlicet ex Græcis Marcus Ephesius, & Isidorus Rhutenus; & Bessarion Nicænus & Theodo-

Ordo sedendi.

tus Xanthopolus, cognomento Siderophis, magnus sacrilla, & Silvester Balsamorum magnus Bibliothecarius, ac Georgius Gemistus. Ex Latinis autem Nicolaus tituli sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis, & Julius Cæsarinus tituli sanctæ Sabinæ, item Presbyter Cardinalis, & Andræas Archiepiscopus Colossen. & Forolivien. antistes, ac duo Monachi in Theologia præclari. Quibus omnibus ex ordine (ut prædictum est) considentibus, Latini pro sua in Græcos benevolentia concesserunt ipsis, ut primi exordirentur. Bessarion itaque facundissimus orator, impetrata prius ab Imperatore ac Patriarcha facultate dicendi, Græcam loculentissimam orationem habuit.

DIE MERCURII OCTAVO mensis Octobris, Anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo.

SESSIO PRIMA FERRARIÆ.

BESSARIONIS TVNC ARCHIEP. Niceni, deinde vero S. R. E. Cardinalis Oratio in octavo Concilio Ferrariæ habita, eodem Bartholomæo antistite interprete.

NAvantes in rebus arduis operam, non modo cum ex eorum animi sententia rerum ipsarum exitum assecuti sunt, verum etiam cum res ipsas aggrediuntur, ac in earumdem initiis versantur, magnam capiunt voluptatem, cujusvis enim rei principium non parum posse, forsan necesse est. Idque propterea totius facti dimidium, communi doctorum sententia esse dicitur: quod si quispiam quicquam inceperit, facilius finem eius consequetur, quàm prorsus homines pigri rem ipsam auspicentur. Porro autem nostrum divini hujusce muneris principium, aliis cujusvis rei principiis multo magis conducere posse sperandum, ac exitum bonum portendere credendum est. Id quidem divinæ credentibus promissioni, Deum ipsum nobiscum esse, quo quidem præsente, ne quicquam nobis desperandum est: hoc autem ab his est censendum, qui ex rebus præteritis magnam de futuris faciunt conjecturam. Membra enim Ecclesiæ tam diu ita disiuncta fuere, ut non modo convenire, verum etiam conjunctionis nomen sentire mirum in modum abhorrerent, ac potius elirent in proprio incommodo permanere. Nunc autem ea de re tanto affecta desiderio sunt, ut tametsi multæ res ipsis sint impedimento, remotis nihilominus omnibus, summo studio in conficiendam pacem incumbant. Quis igitur hæc non censeat divino numini adscribenda? Quis deinde non speret ex his magnum commodum posse consequi? Hæc igitur dies jucunda & læta est, & nobis convenit exultare, ac in spiritu gaudere. Nam illustrium rerum exitus, illustria solent habere principia, ubertimarumque frugum multæ primitiæ sunt. Machinationes jam & insidiæ, ac doli, quibus noster hostis acerrimus nos ita complicuit, ut amici fratresque, imo unius ipsius capitis membra parteſque, nec non illius pastoris grex, inter nos certaremus, dissolvi & explicari ac destrui videntur incipere. Ipsa vero sejuncta confractaque membra, conjungi atque uniri, & uno ac eodem angulo fulciri cupiunt atque contendunt. Propterea-que hi patres unanimes, parique studio frequentes huc convenere, non plane curantes quavis in causa victores evadere magis, quam victi succumbere: quandoquidem si eo animo essent, Christi discipuli, probive viri non censerentur, verum homines seditiosi, ac sibi suisque voluptatibus tantummodo indulgentes, maximo sane veritatis cognoscendæ desiderio sunt affecti, etiamsi cadere debeant. Nam sine veritate nullo pacto victoriam vellent consequi. Quapropter necesse est, ut veritas omnibus pateat, ac cæteris rebus præstet & dominetur, & se perturbantes conculcet, atque cunctorũ mortalium insideat animis. Mendacium autem cum his, qui ab ipso dependent malis, procul ab hominibus latitet: & iis tantum dominetur ac impendeat, à quibus ut parens colitur, quique (ipso duce) omnia dicunt & audent. Quis, obsecro, quicquam aliud hujus nostri muneris simile proferre, vel præteritorum aliquid præsentibus his rebus æquiparare poterit? Recedant igitur vetera, & nova sint omnia: omnes exultemus ac gaudeamus in spiritu, omnes Servatori hymnum canamus, & pro his rebus gratias ei agamus, eundemque religiosissimè imploremus, ut exitum initii hujusmodi congruum concedat. Porro autem oportet, ut quisque nostrum, quæ ad hujuscemodi finem pertineant, & sacræ Ecclesiarum conjunctioni expediant, pro suis viribus conferat. Sane omnia sunt tentanda atque tractanda, nil prorsus omittendum, non studio, non diligentia, non officio, non denique laboribus est deficiendum. Repetendum præterea nobis memoriæ est, non tantum oportere Deum ipsum precari, verumetiam ei ministrare: non enim omnia ab eo nobis speranda essent, nisi ipsi quoque insudaremus. Namque nostris precibus prorsus contrarium videretur, si Dei auxilium implorantes, nil dignum operaremur, quare id agere ac nobis auxilio esse deberet. Quod si fecerimus, nobis profecto favebit, ac sese benigniorẽ, alacrioremque fautorem ad finem usque præstabit. Servator Deus, utinam fiat, ut in eam diem vivamus, ac diem triumphalem & celebrem hymnum tibi cantemus, atque à te uno eodemque patre custodiri, idem tibi melos canamus, ac una eademque harmonia conjuncti, sub te solo capite vivamus, spiremus, moveamur, ac illud idem unùmque velle & nolle sentiendo ac proferendo, unum simus.

Initium Synodi.

Preces habendæ pro Synodo.

Ad Deum patrem.

Christe Rex omnium, te ipsum solum Regem nostrum esse volumus, ac obtestamur, qui teipsum pro nobis reis & obnoxiis Redemptionis pretium dedisti, tuoque pretiosissimo sanguine à tyranno nos redemisti & eripuisti. Fac igitur ut unum tuum ovile simus, ac ne patiare, ut tui cum simus omnes, disiuncti inter nos dissideamus, neque decertantibus nobis te ducem præbeas, nec denique parti decertare volenti faveas: verum utrique simul parti auxilio sis, quandoquidem pro utraque parte teipsum tradidisti, effusoque tuo sanguine partem utramque redemisti. Nobis obsecro communiter annue, communemque nobis te præbeas adjutorem, ac nos proportione quadam in te, relatione vero ac habitudine inter nos dispositos, ad te ipsum unum eundemque nostrum institutum finem adducito, neutiquam permittendo, ut inter nos divisi atque sejuncti maneamus. Ex eo namque necessario id acciderit, ut simul cum cæteris mortalibus tanto ac tali frustraremur fine.

Ad Christum.

Sancte Spiritus, gratiarum fons, Spiritus sapientiæ & intellectus ac timoris Dei, de quo & cum quo hoc Ecclesiarum certamen propositum est: utinam superba mente nos liberes, ac Dei timorem nostrum omnium animis ingeras, nobisque prudentiam ac sapientiam largiare, & nobiscum certamen hoc, quod pro te gerimus, iniens, veritatem ipsam omnibus patefacias, quia non modo veritatis Spiritus es & appellaris, verum etiam ad te spectat, secundum veram & nunquam fallacem illius veritatis vocem, omnem nobis veritatem ostendere.

Ad Spiritum sanctum. Ioan. 16.

Deus Trinitas, quæ cuncta ineffabiliter provides, producis, contines, regis atque gubernas, tuum opus est homo, post cuncta alia in lucem creatum, quod

Ad Trinitatem.

cum omnibus visibilibus præstet, illud etiam eximium ac abs te regale privilegium habuit, ut præparatis suisque præordinatis commodis ad vitam proderet, cui quidem sæpe, quinimo semper corporea hæc, & præsentis vitæ ratione conducibilia, nedum ea, quæ ad optimum animi statum pertineant, prospicis. Cujus præcipuum bonum est veritas, ac circa lætalia non decipi, quod sane rerum omnium, quas habemus, vel in posterum habere poterimus, optimum ac divinum esse censetur. Nobis ergo concedas posse veritatem agnoscere, cognitamque complecti. Et si in aliquo, in his præsertim, quæ de te facimus verbis, quicquam committimus, nobis indulgeas: quandoquidem ipsa non modo incomprehensibilis ac imperscrutabilis es, verum etiam plura eorum, quæ à divina tua emanant imagine, abstrusa valde, umbræque simillima, & ut similitudines quædam existunt. Nostris precibus quæsumus annue, ac viam, quæ ad te solum verum Deum dirigit gressum, nobis te ducem sequi volentibus ostende: ac quemadmodum ipsa ex tribus consistens personis, tali ternatio numero non obstante, unicam substantiam & naturam continues: ita etiam nos, tametsi multi, diversorumque generum, imo jam authore maligno hoste, variæ opinionis ac fidei simus, hanc istam tamen differentiam è medio nostri tollas, & ita facias, ut unam fidem colentes, unam sententiam habeamus, non generum nostrorum diversitate, vel nostrorum corporum numero ac multitudine obsistente, quo minus unum in te prorsus simus, ac illud idem de te sentiamus. Sed de precibus hactenus.

Ad patres.

De vobis autem patres ampliss. quid dicam, qui sacram hanc Synodum celebratis, qui cantæ rei estis authores, qui plurimum elaboratis, qui multi sæpe numero vota effudistis, ut diem hunc videretis, quippe qui dies futurarum clariss. rerum nuncius, ac earundem initium, exitusque præco præclarus est? Quis igitur vobis satis digne benedicere poterit, vosque satis laudare decenter, qui jam laborum vestrorum fructus pullulare germinareque conspiciatis?

Ad Sum. Pontif.

Pater beate, nunc beatus existis vere, nec eris dubio procul beatior, cum Dei benignitate ad hujus divini muneris exitum pervenerimus, ad quem Deus ipse nos duxerit, à quo quidem, si Ecclesias eius conjunxeris, ampliss. tibi præmia proponuntur. Præclarum profecto facinus erit, si ad finem perseveraveris & scandalis ac offendiculis è medio sublatis, pacemac conjunctionem Ecclesiarum confeceris, ut pote qui vehementi zelo, cura eximia, longis denique vigiliis ac cogitationibus, Christi filios terrarum undique congregaveris, jam pridem cogitantes, ut illustrata veritate fraterne spiritualiterque conjungantur, idemque velint ac sentiant. Quæ, pater sanctissime, quis obsecro poterit inficiari? quæ quidem cunctis mortalibus patent, & quorum ego ac omnes hi patres testes sumus. Oportet igitur te finem ipsum aspicere, ac quæcunque ad Deum spectant, ita providere, disponere, conficere, ut quam nunc ex his capimus voluptatem, eadem prosequendo vires augeat, ac multo magis aucta, prope finem ultimam tandem attingit lineam. Si namque principia hæc & exordia sunt præclara, exitum his congruum qualem fore putas? Quibus profecto benedictionibus dignus fueris, quantam laudem & honorem suscipies, quot denique merebitur laureolas is, qui, cum tot mortalium excusationes abstulerit, quàm plurima etiam alia impedimenta in futurum evertit? Qua in re, pater sanctissime, filium Imp. adjutorem habebis, te quod opus fuerit consecuturum, ut pote qui pius, religiosus, vehemensque Christicola est, quique cum pluribus virtutibus præditus sit, in Deo tamen colendo, & pro religione pie certando, plurimum excellit, & qui quamvis confectus ætate sit, conjungendarum tamen Ecclesiarum desiderio semper affectus, summo studio quærit opportunitatem, prudentia vero prospicit & amplectitur omnia, quæ ad hanc rem opus sint, quique ad hoc tantum taleque bonum aspiciens, ac ei vehementer incumbens, pericula omnia adiit: & eorum parvipendens, maximos maris æstus, ac in cælum sublatos fluctus nequaquam extimuit, vitam denique suam simul cunctis patria maximo rerum discrimini objecit, ut Christo deserviens, Ecclesiæ pacem conficiat, cujus sese ministrum, nedum acerrimum defensorem, obtulit. Præterea, perbeate Pater, Pius ac sacer Patriarc. tibi pari studio præsto est, qui licet ad extremam jam pervenerit senectutem, confectoque corpore sit, ejus tamen animus semper multis præditus bonis viget, fervetq; ac magno afficitur desiderio votaque plurima adit, ut sibi liceat tibi in hoc divino munere inservire, cujus gratia his rebus quæ modo fiunt, mirum in modum oblectatur, simulque labores libentissime sustinet, ut præclarum hoc facinus ad optimum exitum perducatur, quo sine ne vivere quidem vellet. Amplius beatissime pater, omnes hi patres amplissimi in hac tibi provincia auxilio erunt: quippe qui nil aliud magis desiderant, quam hunc optatissimum finem assequi, ad quem quidem omnes spectamus, atque ipsius desiderio vehementer affecti sumus, & cujus causa huc de longinquo spatio frequentes convenimus, ac in extera terra moramur, cum alii in media terra Græciæ, alii vero ex orientalibus, subsolanisque regionibus, adhæc Italiæ plagam navigaverimus. Tot igitur ac tantorum hominum studium ne vincat hostis malignus, nequaquam fiat ô Servator ac omnipotens Deus, ut tot clarissimorum virorum conventus, cura eximia, longo tempore, summo labore, maximo deniq; studio convocatus, suo voto, spe que frustretur: non enim id esset sapientum ac divinorum virorum, nec eorum qui suos sermones in judicio disponunt. Alios igitur is hostis invadat, & aliorum hominum victoria gaudeat. Nos autem nullo pacto vexet. Ipsi spiritualibus armis vestiamur, ut ei pro viribus obsistemus. Ipsi justitiæ loricam, spiritusq; galeam induamur, ac duce verbo Dei, in nostros irruamus hostes, & quocunque nos illud duxerit, ibi finem imponamus: & nulla contra Deum arrogantia & superbia, vanaque mente in certaminibus nostris utentes, sed Deum ipsum præ oculis habentes, ad eundem ipsum Deum festinemus. Porro autem fit, ut nonnulli bene succumbere malint, quam semper vincere male, ut non solum bonum sit vincere, verum etiam quandoque vinci, servata tamen semper boni ratione ac mentura, non magis in victore quam in victo. Etsi quispiam forsan dixerit, semper vincere magis expedire, quemadmodum etiam cuivis magis conducit, aliquo se ipsum afficere bono, quam aliis benefacere: & audire melius est, quam aliis rem aliquam patefacere, nec non aliquem non errare, quàm quominus alii errore ducantur, agere.

Ad Imp.

Invictissime Imperat. in cardine jam res est, quodque jamdiu desiderabas, adest. Deum ergo glorifica & extolle, cujus hoc opus est, ut pote qui id tibi venire fecit in mentionem, ac ut eius desiderio caperere, necnon eodem authore, res ad hunc statum pervenit. Si igitur pro rebus peractis maximas ipsi Deo gratias habebimus, pro futuris vero eidem ex corde precès effundemus, rem profecto dignam nobis, nec non præsenti nostro muneri necessariam faciemus: quinimo misericordiam ab ipso consequemur, si de præteritis quidem non ingrati, in posterum vero nos, ac totum ipsum negocium ad eundem Deum referentes, & omnem spem curamq; nostram in ipso reponentes, nostris precibus dignos nos ostenderimus, qui quidem Deus divino nos ac cælesti cibo nutriet, absque quo nemo vivere potest. Ut ergo nunc usque fecisti, cum eum obtestando, & auxilium eius implorando, tum per te ipsum quæ opus essent, conficiendo, ita etiam in futurum, quo magis ad exitum appropinquamus, eo alacriorem, promptioremque te ostende, in hoc negocium incumbendo, die noctuque vigilando, quousque ad perfectum finem pervenias, atque curis

Imperat. Græci.

&c

& cogitationibus animum tuum leves. Et quoniam natura comparatum esse videtur, ut ea quæ vi moventur, suique motus causam extrinsecus habent: cùm prope metam sint, tardius * cientur, quam illa quibus ejusmodi causa intrinseca est, quæ cum propius vident metam, eo fieri videntur velociora: idcirco tu, qui in his bonis rebus versaris, quorum caput Ecclesiarum conjunctio est, quique ab intrinseco ac naturali motu moveris, cave obsecro, ne illud accidat tibi, ut in finem tardior evadas. Sed ipsum tuum optatissimum finem pro viribus cura assequere, quandoquidem bona omnia bonum sibi rebus in omnibus finem conciliant. Ergo tu factus semper alacrior, nos etiam cum adhortatione, tum summo tuo imperio diligentiores reddas. Beatissimum autem patrem nostrum, quia senex ac invalidus est, ætati & ejus valetudini prius consulens, ut hæc omnia memoria repetat, cum ipsum exhortando, tum etiam tuam ei operam navando, excita. Tantum enim ac talem hortatorem reverebitur, quem nactus non lentum una cum sacro Patriarcha nostro, necnon amplissimis his S. R. E. Cardinalibus, cæterisque præsentibus reverendis patribus, duce Deo, finem his rebus imponet, quem utinam assequamur, ac lætiores, spiritalique gaudio plenius affecti, beatissimo patri laudem, tuo vero sacro imperio summum habeamus honorem, extollentes, ac maximis vos laudibus efferentes. Sanctissimus autem Patriarcha, & horum sanctorum Patrum conventus, utinam posteaquam Deo dignum hymnum cantaverint, vobis etiam laureolam orationibus suis contexant: mihi denique reliquum utinam sit extremum id onetis subire, ut simul omnes communi laude extollam, ac meo munere magno honorem afficiam: ita ut meq extrema & communi oratione, quod equidem vehementissime cupio, vos sub uno eodemque Deo, ac vero nostroque Domino existentes, exornem, quod quidem summum eorum creditur esse, quæ Deo afferre possumus & debemus, cui gloria convenit in æternum. Cum autem Bessarion peroraſſet, synodus sancta decrevit, ut sessio dimitteretur, & ad 11. diem mensis ejusdem sessio 2. celebraretur.

*cientur.

Scuropuli additamentum.

Scuropulus multa in hac prima sessione prolata fuisse à Marco Ephesino commemorat. 1. custodiendam esse necessario concordiæ & pacis, quam Dominus Christus nobis testamento legavit indissolubilem nexum. 2. Ro. Ecclesiam hactenus oculis in amorem sui nimiū obliquatis, fraternam erga alios charitatem neglexisse, pacemque dissoluisse patrimonium Christi. 3. Ro. Eccles. hanc qualitatem jam postliminio revocantem, sedulam navasse operam, ut huc migraremus, ad discutienda differentiarum momenta & causas. 4. fieri nunquam posse ut pax in sinum nostrum redeat, nisi discordiarum fundamina penitus exstirpentur. 5. Æquum esse ut omnes definitiones omnium antehac definitionum œcumenicarum publice perlegantur. Quæ nervose, inquit, explicuit. Addit offensionem Imperatoris Græci quod in prima sessione non satis honorifice habitum se putaret.

Sessio secunda Ferrariæ.

Sessio 2. Ferrariæ die Sabbathi 11. mensis Octob. celebrata, in qua Reverend. Pater Andreas Colossensis orationem copiosissimam habuit, qua quidem in omnibus Bessarionem imitatus, in primis beatissimum Patrem, deinde Serenissimum Imperatorem, ac sanctissimum Patriarcham, totam denique synodum laudavit, & benedixit. Cum autem jam advesperasceret, sessio dimissa fuit, decreto, ut ad diem Martis sequentem 3. sessio conveniret. Interea quæsitum privatim inter ipsos disputatores fuit, quisnam primus negocium aggredi, & quonam genere disputandi uti, & de qua quæstione agere prius deberet. Post multa vero placuit eis, ut Græci prius exordirentur, & argumentis brevibus, ut assolent dialectici, uterentur: & an divino symbolo quicquam liceat addere, prius agerent.

Modus quo in disputando servandus esset.

Scuropulus multum exaggerat contentiones Græcorum contra Andræam Rhodi pro Latinis perorare incipientem, duo postulante Marco Ephesio, ut sibi fas esset prius in propositam quæstionem exspatiari, & ut præcedentium synodorum definitiones recitarentur. Quod ut infructuosum respuebat Andræas. Quid vos Græci lucrabimini, si nos Latinos diro anathemati, inquit, subjicitis? quæ fuit causa Papæ in alium diem conventum dimittendi.

Scuropuli additamentum.

DIE MARTIS DECIMAQUARTA mensis Octobris.

Sessio tertia Ferrariæ.

TErtia igitur sessione congregata, Marcus Ephesius præclarus Theologus, Imperatoris ac Patriarchæ jussu, negocium ipsum aggressus, pro Græcis sermonem hunc habuit.

Marc. Quoniam omnipotentis Dei benignitate hic frequentes convenimus, ut summo studio Ecclesias conjungamus, ac summam pacem, quod quidem opus divinum est, conficiamus: idcirco summopere convenit, ut nostris in disputationibus ac omnibus controversiis mutua nostra benevolentia semper servetur. Et si nobis contigerit aliquid proferre, quod vestras offenderit aures, id opinionum ac rationum nostrarum varietati ascribatis: quandoquidem amicitia vera ex hominum vultu magis, quam ex verbis percipi creditur. Scire autem vos Patres amp. velimus, nos de symboli additione verba esse facturos, quod neque vera neque prorsus conveniens sit, quam sane constat nostri schismatis ac dissidij, præcipuam causam fuisse. Si quidem igitur vobis placet, rem nunc aggrediemur: sin minus, in sessionem sequentem differatur. Videtur autem nobis sic semper fieri oportere, ut quod sequentibus sessionibus tractaturi simus, id prius omnibus pateat, ut parati ad differendum veniamus. Tum Andreas præsul Colossensis pro Romana Ecclesia ita respondit.

And. Nos quidem à vobis mutuo diligi, ac vobiscum Deum esse cernimus: propterea si quicquam prolatum fuerit, (ut à vobis dictum prudenter est) quod cuipiam displicuerit, id vitio nemini vertendum, sed nostræ potius disputationis naturæ concedendum est. Operæprecium autem est, ut ad singulas interrogationes non ambiguis & obscuris, verum apertis & claris orationibus vicissim respondeamus. Quoniam vero ex nobis quæsistis, cur Ro. Ecclesia additionem ad Symbolum fecerit: idcirco quid ipse sentiam paucis respondebo, meam tamen responsionem nolim nunc ut perfectam suscipiatis, sed consultis patribus his, alias accuratius respondebo.

Andreæ Colossensis.

Mar. Responsione aliqua pater reverende, præsertim tua, quam nobis pollicitus es, neq; quam in præsentia indigemus. Nondum enim in medium protulimus ea, quæ ad hanc rem pertinerent: ex ipsorum igitur patrum sententia, suo loco (ut à te dictū est) respondebis.

And. Dixi equidem, pater reverende, nolle me responsionem meam tanquam perfectam admitti: puto tamen quam maxime convenire, ut, ne beatissimus sacræ sedis hujusce Præsidens, necnon mitissimus Imperator ac Patriarcha sanctissimus, cæteriq; præsentes patres, hinc hodie (ut ita dixerim) jejuni abeant: ipse nonnulla, prout tempus hoc mihi videtur concedere, verbo nunc faciam, maturius tamen in posterum responsurus.

Mar. Additionis vestræ rationem quærentes, ut hi, qui causas agunt in foro, actores esse videmur. Idcirco, nobis visum est petiisse, si vestro commodo possit fieri, hanc nostram accusationem audire, ut nobis rem ipsam nunc aggredi concederetis, vestram deinde responsionem libenti animo audituris.

And. De his igitur hactenus, & proferas quodcunque libuerit. Nos autem suo loco sigillatim ad omnia respondebimus.

Mar. Tum idem Marcus præsul Ephesinus impetrata prius ab Imperatore & Patriarcha dicendi copia ita exorsus est: Jesus Christus Deus noster suam prospi-

ciens mortem, Patres ampl. ſuis diſcipulis dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Quæ quidem verba teſtamentum ipſius convenienter appellare ſolemus, quo eis veram ac optimam hæreditatem reliquit, quæ cum Chriſti propria eſſet, meam ideo protulit: pro qua nil aliud ab ipſis petierat, quam ut ſeſe mutuo diligerent: ita ut certa conditione, non autem libere, ipſa deſtrui deberent hæreditate. Quidam enim veteres homines certa conditione ſua bona legare ſolebant, qua quidem nequaquam ſervata, hæredes illico exhæredabantur. Haud aliter ergo Servator noſter teſtamentum ſuum ſignavit, ita, ut ſi ejus diſcipuli vel hæredes mutuam inter ſe benevolentiam non ſervaſſent, eadem ipſa hæreditate, hoc eſt, pace Chriſti, privarentur. Cujus quidem pacis ac mutuæ illorum benevolentiæ gratia, Servator noſter multa bona verba iiſdem ſuis auditoribus fecit, modo inquirens: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem:* modo autem ita, *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis.* A quorum quidem altero bono, id eſt, à mutua erga ſororem ſuam Orientalem Eccleſiam benevolentia, Romana Eccleſia jam defecerat, dogmaque ſibi proprium fixerat, ac ſibi perpetuo conſervaverat, quod neque literis ſacris relictum, neque ab univerſalibus Conciliis celebratum, neque à majoribus noſtris ſuſceptum & probatum fuerat. Idque propterea ſolvendæ noſtræ amicitiæ cauſam ſimultatumque noſtrarum initium, dubio procul fuiſſe conſtat. Ut igitur ex ipſo dogmate inimicitiæ diſcordiæque inter nos conſequutæ ſunt, ita quoque Romana Eccleſia benignitate Dei pacem vehementer deſiderans, eam ut facilius conficiat, ab amicitia ipſa facere aggreſſa eſt, quam pariter Eccleſia noſtra cupiens, huc quam celerrime venit: ſperans cooperante Deo, ut ſumma pax hinc ſequatur, ac ſimultates diſſenſioneſque noſtræ cauſis remotis tollantur, quemadmodum adverſis valetudinibus ſolet contingere: hæc quidem vera medendi ratio videtur eſſe. Vos igitur enixe rogamus, ac vehementer à vobis contendimus, velitis, ut nobis id temporis rédeat, in quo conjuncti ſumma pace fueramus, idem ſemper volentes & ſentientes. Et quemadmodum ad pacem nobiſcum reconciliandam, qua quam longiſſimo temporis intervallo fuimus privati, à vobis benigne ſumus convocati: ita etiam non * committatis, quin nobiſcum ac cum majoribus noſtris, qui in ſeptem univerſalibus illis Conciliis claruerunt, in unam eandemque ſententiam conveniatis, quorum in primis definitiones; & decreta nobis ſunt recitanda, ut ipſas inter ſe concordes ac valde convenientes, non ſolum in ordine, verum etiam in ſententiis fuiſſe, luce clarius oſtendamus. Sic enim hoc noſtrum generale Concilium eo cætera Concilia facilius, uſ par eſt, * mirabitur. A recitandis ergo decretis ejuſmodi debemus incipere: tum ea, quam modo diximus, ratione: tum etiam, ut patrum ſanctorum precibus hoc noſtrum munus melius agatur, ac eorundem ſententiis & authoritatibus pro noſtris fundamentis utamur.

Joan. 14.

amittatis

mirabitur.

And. Orationem veſtram, Patres ampl. quæ quinq; nobis in partes diſtributa videtur eſſe, bene credimus percepiſſe. In prima namque de unp Chriſti Domini noſtri verbo ſobriliter Epheſius pater diſſeruit, quanam ratione ſuis diſcipulis pacem ſuam Chriſtus ipſe reliquerit: ex qua quidem noſtra amicitia naſcitur, ac deinde ex ea pax ſumma conſequitur. In altera vero parte probare conatus eſt, Rom. Eccleſ. amicitiam veſtram nihili feciſſe: ob idque pacem, quam à Chriſto (ut ſupra dictum eſt) habuimus diſſolvi neceſſe fuiſſe. Nam in parte tertia demonſtravit, vos ad noſtras controverſias diſſolvendas, pacemq; reconciliandam, ab eadem Rom. Eccl. rogatos, frequentes huc conveniſſe. In quarta deinde parte declaravit, nulla ratione fieri poſſe, ut pax inter nos componatur, niſi prius ſchiſmatis & diſſidij noſtri cauſa penitus tollatur, quemadmodum ægris corporibus ſolet evenire, quæ tunc bene ſanantur, cum radices ægritudinis evelluntur, in ultima denique parte concluſit operæpretium eſſe, ut decreta majorum noſtrorum inſpiciamus, ac in primis eadem recitentur: ut hoc etiam ſacrum Concilium cætera rebus in omnibus imitetur ac conſectetur, & de hoc noſtro negotio melius argumentari poſſimus. Ad quæ omnia Patr. amp. quandoquidem ad fidem noſtram plurimum attinent, ac magna indigent conſideratione, ſeſſione ſequenti accuratius reſpondebimus: nonnulla tamen in præſentia verba faciemus, quæ nobis modo ſcitu digna videntur. Namque vobis notiſſimum eſt, noſtram in vos benevolentiam ſemper firmam validamque fuiſſe & eſſe: quæ quoniam à Deo optimo maximo dependet, qui nos in primis dilexit, quique optimus amicitiæ verę author, ac perfectiſſimus finis exiſtit, idcirco amicitia ipſa in ejus Eccleſia à nobis colitur & ſervatur. Qua de re neſcio equidem Patres amp. cur nullam feceritis mentionem. Miror autem vehementer, quod vos lateat, ipſam Rom. Eccleſ. ortæ jam plurimæ in Orientali Eccleſia hæreſi, tum literis & legatis, cum cæteris opportunis remediis quibus potuit, ſe provide ac diligenter oppoſuiſſe, ipſique Eccleſiæ auxilio ſemper fuiſſe. Nonne Nicæno Concilio Sylveſter ille Pontifex ſummus interfuit? Num cæteris in Conciliis generalibus, Pontificibus ſummis abſentibus, eorum legati defuerunt? Si ergo Conſtantinopolitani Imperatores pari ſtudio, mutuiſque officiis Romano Pontifici quandoque fuerant auxilio, mirari profecto deberet nemo. Credo equidem Patres ampl. exploratum vobis eſſe, ſummos omnes Pontifices, orta tali controverſia ac diſcordia, pacem ſemper deſideraſſe, eique vehementer incubuiſſe. Imperatores etiam ipſos ac cæteros Orientales principes, ut pacem componerent, ac ipſis (ut par eſſet) obedirent, rogare & obſecrare non deſtitiſſe. Rogo autem vos, me patiamini quandoque liberius loqui, etiam ſi quicquam protulero, quod veſtras offenderit aures. Nam ſi (ut aſſeritis) verum eſſet, nos à veſtra pace diſceſſiſſe, quando eam à nobis repetiſtis? quando legatos ad renovandam ipſam ad nos miſiſtis? Sed venio ad tertiam ſimul & quartam partem: Meridiana profecto luce clarius eſt, id quod vos nequaquam inficiari poteſtis, Rom. Eccleſ. concordiam valde deſiderare. Nonne ſummus hic Pontifex pro pace conficienda multam pecuniam erogavit? Nonne legatos ad vos hac de cauſa ſæpenumero miſit? Si quidem igitur amicitiam noſtram, quam modo velle videmini, antea quoque voluiſſetis, eam proculdubio, ut nunc, facile habuiſſetis. Quid? Nonne Gregorius ſummus Pontifex, ad celebrandum Lugdunenſe Concilium, nuncios ad Conſtantinum Imperatorem, atq; ad alios Orientales principes miſerat, quando etiam rem ipſam concordi pace compoſuit? Non igitur Romanam Eccleſ. pacis recuſandæ incuſare veſtro jure poteſtis, cum ab ipſa pax ſemper ſumma Religione ſit culta, quæ in poſterum etiam ejus pro dignitate ſervabitur. Sed de his hactenus. Ad extremam autem orationis veſtræ partem reſpondeo, non inconveniens fore, ſi majorum noſtrorum decreta Græce Latineque recitabuntur. Etſi non inſcius ſum, ad quæſtionem noſtram ea neutiquá attinere, cum divino Evangelio, ſupremum obtinenti locum ac dignitatem, in primis nobis ſit innitendum. In medium igitur afferatis, quicquid vobis videbitur, quod quidem ipſi libenter ac attente audiemus, ſpectantes ex eo facile fieri poſſe, ut etiam vos reſponſionem noſtram benigne auſcultetis.

Si huic dicto fidem adhibuiſſet S. Sylveſter Nicæno Concilio interfuiſſe.

id. quod.

Ro. Eccl. ſtudioſa pacis cum Græcis.

Marcus. Tametſi verum eſt, Pater reverende, Romanam Eccleſiam Orientem ſemper hæreſi obſtitiſſe, temporibuſque perturbatis fidei noſtræ auxilio magno fuiſſe, id tamen ad argumenta noſtra ſolvenda minime pertinere videtur. Nam ante hujuſmodi ſchiſma & diſſidium noſtrum, mutuam inter nos benevolentiam pacemque ſummam fuiſſe conſtat. Orto autem ſchiſmate, proh dolor, etſi Romani Pontifices ad Orientalem Eccleſiam litteras ſæpiſſime ſcripſerint, legatos & nuncios miſerint, ipſam exhortan-

Additio ad ſymb. cauſa diſcordiæ.

tes, ut à Romana Eccleſia non diſſideret: id tamen, non ſublata ſchiſmatis cauſa, ut de valetudinum cauſis ſuperius dictum eſt, haudquaquam fieri potuit. Cujus quidem ſchiſmatis cauſam, acceſſionem ſymboli fuiſſe diximus. Neque igitur amicitia, quæ ante hoc noſtrum diſſidium inter nos mutua fuerat, neque ea veſtra in nos benevolentia, talis diſcordiæ cauſa permanente, cujus vos veri authores fuiſtis, memoria repetenda eſt, quod nulla ejus ratio haberi debere videtur. Verum nobis redeat tempus illud, in quo conjuncti fueramus: quod quidem nullo pacto bene fieri poterit, niſi prius ejuſdem diſſidij cauſam radicitus evellatis. Definitiones autem & decreta aliarum omnium Synodorum recitanda nobis videntur, ut hæc noſtra Synodus non ſolum ab illis non diſcrepare, verum etiam ipſas in omnibus imitari velle videatur, quoniam nos firmiter credimus, majores noſtros nil prorſus ſilentio præteriiſſe, quod ad noſtrum fidei ſymbolum ſpectet, additionemque veſtram neutiquam ipſi ſymbolo defuiſſe, ac idem nulla prorſus caſtigatione indiguiſſe, ob idque patres ipſos omnibus præcepiſſe, ne cui ſymbolum aliud ſuſcipere, vel ei quippiam addere, aut quicquam ab ipſo auferre liceret, non ignorantes, ſe, quod opus eſſet, ſanxiſſe. Additio igitur veſtra, ſchiſmatis cauſa fuiſſe videtur.

Andreas. Oratio tua, reverende pater, ex quatuor partibus conſtare videtur. In prima dixiſti, meam orationem fuiſſe veram, haudquaquam tamen ad rem attinentem, Summoſque Pontifices vehementer incubuiſſe, ut pax inter nos reconciliaretur, ſchiſmatis tamen cauſam tollere noluiſſe. In ſecunda vero parte probare conatus es, fieri facile poſſe, ut cognita vel ablata ipſius ſchiſmatis ratione pax ſumma ſtatim conſequeretur. Nam in tertia voluiſti, ut generalium Conciliorum decreta in primis recitarentur, ut illa ſectari, imitarique velle videamur. In extrema denique protuliſti, nil ab ipſis Conciliis omiſſum fuiſſe, ita ut aliqua ſit opus additione.

Mar. Non equidem protuli, pater reverende, fieri facile poſſe, ut ſi veſtrum dogma verum eſſe cognoſceretur, Eccleſiæ ſtatim conjungerentur, ſed ſi additio ipſa tolleretur, pax illico ſumma fieret. Namque tametſi forte contigerit, ut tale dogma verum eſſe declaretur, id tamen nullo pacto ſuſcipere poterimus, cum à majoribus noſtris nulla nobis facultas relicta fuerit, ut ſacro ſymbolo quicquam apponere, vel ab ipſo adimere valeamus. Qua quidem in re tota noſtra controverſia conſiſtit, ac in ea ſe vertit cardo.

Andreas. Conſtat, Patres ampliſſimi, ſummos Pontifices additionis hujus rationem, quam ſchiſmatis diſſidiique noſtri cauſam appellatis, tunc etiam litteris mandaſſe, cum ad pacem & concordiam veſtram repetendam legatos ad vos miſerant. Siquidem igitur Orientalis Eccleſia, in primiſque quatuor Patriarchæ, quos etiam ſummam Pontificiam facultatem habere creditis, Romanam Eccleſiam in hoc dogmate erraſſe, ac talem additionem ſine ulla ratione facultateque feciſſe, ſummo ſtudio voluerant oſtendere, aut jam ſatis oſtenderent, cur, obſecro, noſtra hujuſcemodi lis adhuc ſub judice eſt? An quod nil contra nos probare potuerint? Id equidem vobis concedo, fieri potuiſſe, ut tot Conſtantinopolitani Imperatores, tot Patriarchæ, tot alij prudentiſſimi viri, eandem additionem haud recte factam fuiſſe crediderint: quia tamen id nunquam nobis oſtendere potuerunt, idcirco deleta minime fuit. Itaque Romanam Eccleſiam immerito accuſatis. Porro autem, quoniam ab illorum Conciliorum definitionibus & decretis nos creditis prohiberi, quominus quicquam agere valeamus, idcirco pluribus ac firmis argumentis oſtendere vobis intendimus, quodcunque ſequens generale Concilium fuerit, ejuſdem fore dignitatis ac authoritatis, qua cætera alia Concilia generalia prædita fuerant, ad ea videlicet facienda, quæ ad Eccleſiam ſpectent. Sed velim nobis reſpondeatis, ſi talis additio vera eſt, cur non jure fieri

Concilia æqualis poteſtatis

ri debuiſſet? aut quid obſtet, quominus id quod verum eſſe conſtaret, ſymbolo apponi deberet?

Marcus. Idipſum obſtat, Patres Ampliſſimi, quod nefas eſt: nam multa quoque alia bona & vera videntur eſſe, quod tamen noſtræ religionis ſymbolo nequaquam nobis addere licet, cujus rei ex eo poſſumus facere conjecturam, quod majores noſtri non omne, quod neceſſarium fuerat, eidem ſymbolo addiderunt. Sed pro exigua temporis oportunitate hactenus.

Andreas. Quoniam mihi videor, Patres Ampliſſ. attente auſcultari, ideo hæc duo vobis quam breviſſime probare recipio. Primum, nullam eſſe factam à nobis additionem: deinde, licet facta ſit, eam fieri neceſſario debuiſſe. Verum negocium hoc in ſeſſionem ſequentem differatur. Tum ſynodus ſancta decrevit, ut die proximo quarta ſeſſio fieret: quo decreto ſeſſio dimiſſa fuit.

Scuropuli additæ mentiri.

Scuropulus memorat, ubi ad lectionem ſeptimæ ſynodi ventum eſſet, Latinos codicem ipſius veterem exhibuiſſe, ubi in ſymbolo Nicæno expreſſum habebatur Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere. Ad quæ, inquit, eruditus Gemiſtius, ſi hoc ſine fuco eſſet, nunquam tam inaniter oleum atque operam perdidiſſet Aquinas veſter, aliique. Nec enim præteriiſſent Herculeam illam confirmationem: nam pro toto verborum Oceano & modiis ſyllogiſmorum quos cõvoluunt, ſuffeciſſet illud unum aſſeruiſſe, &c. Atque his ita dictis à Gemiſtio, tertia ſeſſio dirempta eſt, ſubjungitque quotquot aderant Latinorum viri candore præditi multum ingemuiſſe doctores ſuos nihil præcepiſſe de Conciliorum definitionibus, ac ſe percipere Græcos melius ſentire.

Sed hęc quam inania, ſola conſtitutio *cum Salvator* in Synodo Alexandrina primum edita, deinde in Epheſina generali approbata ut ſupra viſum eſt, ſufficit ad iſta Scuropuli commenta exſufflanda. Additio eſt Concilij Epheſ. & ſubſequentium Concil. quotquot Epheſinum approbat ſit, ut etiam fecit 7. ſynodus. Sednon omnis determinatio Conciliorum ſymbolum eſt. Ivo 1. p. decreti c. 3. proponit determinationem Epheſ. ſub hoc titulo, *ſymbolum Epheſini Conc.* 200. *Epiſc.* In qua habetur Spir. ſanct. à Patre Filioque procedere, cum Neſtorius contra quem eſt determinatio, id negaret: unde orta eſt neceſſitas id tunc definiendi. Eſt autem iſtud ſymbolum Ivonis de verbo ad verbum extractum ex determinatione illa Epheſina *cum Salvator*, quam confundit cum ſymbolo, paulo latius accepto nomine ſymboli, pro eo omni inſtrumento in quo determinationes præcipuæ continentur. Jam cum 7. ſynodus ſex priorum ſynodorum acta & definita omnia comprobaſſe certum ſit, æque certum eſſe debet 7. ſynodum approbaſſe iſtud dogma de proceſſione Spir. ſancti *à Patre filioque*, in Epheſina ſynodo receptum contra novum errorem Neſtorij. Tantum ergo ſupererit dubium de nomine ſymboli, quid præciſe per illud intelligi poſſit. Quæ controverſia levis eſt, modo conſtet de mente & definitione Concilij. D. autem Tho. ſatis advertit, ut ſupra viſum eſt, in relectione ſcolaſt. ad Concil. Nicænum prævia, Neſtorium negaſſe proceſſionem Sp. ſancti à Patre & Filio, ſed defectu codicum de actis Conciliorũ qui infrequentiores erant ſuo ſęculo, non advertit ejus erroris damnationem in eodem Epheſino. Quæ potuit eſſe cauſa cur minus defenſa ab ipſo & aliis ſcolaſticis Theologis cauſa Latinorum, & defuerit Herculea illa confirmatio Gemiſtij.

DIE MERCURII DECIMAQUINTA menſis Octobris.

Seſſio quarta Ferrariæ.

ANDREAS.

SI beatiſſimo patri noſtro, ac ſereniſſimo Imperatori, necnon ſanctiſſimo Patriarchæ placuerit, quæ

ſeſſione proxima volebam oſtendere, ea nunc libenter aggrediar.

Marc. Nos qui prius dicere cœpimus, pater reverende, proſequi quoque debemus.

Andr. Miror equidem vehementer, pater reverende, cur talia verba proferas, cum ſeſſione ſuperiore nobis attente audientibus, de additione ipſa longam orationem habueris.

Marc. Dixi equidem majorum noſtrorum decreta in primis eſſe recitanda, quod, cum ſeſſione ſuperiore fieri commode non potuerit, nunc ideo peragendum putamus.

Andr. Non ignoratis, Patres Ampliſſimi, quæſtionem à vobis eſſe propoſitam, ſatiſque dictum, ac denique petitum, ut ipſi reſponderemus: quod quidem ob temporis anguſtiam ut hanc ſeſſionem fuit dilatum. Non igitur mirari deſinimus, cur id nunc fieri non permittatis. Nos enim à definitionibus patrum recitandis rem aggredi debemus. Tum Beſſarion Nicænus Archiepiſcopus pro Græcis ita reſpondit.

Beſſarion. Beſſarion. Verum an falſum quippiam dicatur, præſtantiſſimi Patres, non ab audiente, verum ab eo, qui profert ipſum, præcipue dependet: nam priuſquam aliquid dicatur, id verum ne ſit an falſum, dijudicandum non eſt. Oportet igitur ut prius quiſque quicquid voluerit, in medium proferat: deinde vero audientes, orationem eſſe probandam, aut penitus refellendam, decernant. Neceſſarium ergo nobis videtur, ut nos primi proferamus, quæ ad rem noſtram ſpectare credimus. Quibus deinde intellectis, ibi reſpondeatis. Latet autem me, cur nobis rem prius aggredi non concedatis: ſed mirabundi tot contra nos argumentis uramini, cum ipſi benignitate Dei nullam vobis dederimus anſam, quare merito mirari poſſetis: vos tamen voce, non autem animo, mirari putamus. At ipſi contra, quippe qui, quamvis de vobis quandoque magnam capiamus admirationem, tacemus tamen. Porro autem hæc diſputandi ratio, qua utimini, quod longa fiat oratione, neutiquam nobis placet. Hac namque via nunquam ad concluſionem aliquam perveniemus. Operæprecium igitur eſt, nos non perpetua & prolixa oratione, ſed dialectice congredi, brevibus quærendo, brevibuſque reſpondendo. Cumque fuerit opus, brevius viciſſim contradicendo: ſic enim agendo, finem facilius aſſequemur. Porro autem quoniam noſtrum eſt, quæſtionem vobis proponere ac ſimul argumentari: propterea cum id ipſi fecerimus, tunc jure veſtro reſpondebitis. Namque ſi nondum noſtras audiviſtis, quonam obſecro pacto ad eas bene poteritis reſpondere?

Julianus Cardin. *Julianus.* Tum Julianus ſanctæ Sabinæ Cardinalis pro Romana Eccleſia ita reſpondit: Reverendi Nicæni præſulis oratio, Patres ampliſſimi, mihi mirum in modum placet, ut brevibus differatur, & quavis propoſita quæſtione, ipſius quoque ratio explicetur ac declaretur, & ei concluſioni acquieſcamus, quæ pluribus placuerit, quamque major pars noſtrum probarit. Namque ſi nobiſipſis conſtare, ac in eadem ſententia permanere nolimus, nil boni prorſus egerimus. Si quidem igitur pater Epheſius propoſuerat, Romanam Eccleſiam cauſam ſchiſmatis fuiſſe, ac quæſtionem ipſam, de qua ſumus dicturi, patefecerat, & Coloſſenſem antiſtitem provocaverat, ut tunc vel ſeſſione ſequenti reſponderet, conveniens mihi videtur eſſe, ut Coloſſenſis ipſe reſpondeat, deinde cuivis concedi ad proferendum quicquid libuerit.

Beſſarion. Ita profecto ſentimus ac volumus, Patres ampliſſimi, ut attente vos audiamus. Poſtea tamen quam rationes noſtras in medium protulerimus, ut pater Epheſius dixiſſe videtur: quippe qui nobis promiſit, ſe tum aut ſequenti ſeſſione habiturum orationem, ac deinde vos reſpondentes benigne auditurum.

Andr. Quoniam, Patres Ampl. ad ea, quæ nuper dixiſtis, quæ quidem mihi tria fuiſſe viſa ſunt, accurate non poteram reſpondere, ideirco rogo vos mihi concedatis, ut de eiſdem nunc agam. Tum Iſidorus præſul Rhutenus pro Græcis dixit ita:

Iſidorus Rhuth. *Rhutenus.* Equidem expediam quam breviſſime, quod veritas ipſa paucis facilius inſtruatur: nobis, ut primi dicamus, Patres ampliſſimi, conceſſiſtis. Nos autem hanc propoſuimus quæſtionem, nullam additionem ſymbolo fieri debuiſſe. Nobis ergo permittite concluſionem ejuſmodi demonſtrare. Deinde vero reſpondebitis, quandoquidem de proœmiis ſatis.

Andr. Orationi veſtræ, Patres ampliſſimi, quam tribus in partibus diſtributam fuiſſe ſuperius protuli, velim reſpondere: ac in primis Ariſtotelica authoritate probatæ quæſtioni, quia eſt, (ſic enim dialectici eam ſolent appellare) quam quidem ſeſſione proxima propoſuiſtis, vos cauſam ac rationem ſimul reddidiſſe: namque dixiſtis additionem ſchiſmaticis cauſam fuiſſe, ac Romanam Eccleſiam rei hujuſce cauſa multos legatos ad Orientalem Eccleſiam miſiſſe: fieri autem non potuiſſe, ut manente ipſius ſchiſmatis cauſa pax fieret. Hæc profecto mihi videtur orationis veſtræ ſumma fuiſſe. Ego autem (pace veſtra dixerim) non ſolum ex novo veterique teſtamento, verumetiam majorum noſtrorum decretis ac firmis argumentis vobis promitto probare clariſſime, Romanam Eccleſiam nullam ad ſymbolum acceſſionem feciſſe, quæ ei licere non videretur: ſed quam vos additionem vocatis, eam explanationem, dilucidationemque quandam eſſe, ipſamque ab eadem Romana Eccleſia jure fieri potuiſſe, ac denique Romanam ipſam Eccleſiam non minus addere quædam, quam obſcura illuſtrare clarioraque reddere, ſummam facultatem habere.

Beſſar. An licet, Pater reverende, quavis in controverſia confirmationibus uti?

Andreas. Quid ni?

Beſſ. Si quidem igitur nobis conceſſiſtis, ut rationibus noſtris uteremur, nos autem nullam adhuc earum tetigimus, cur obſecro non permittitis, ut ipſas nunc afferamus? An vultis, ut noſtram cauſam abſque confirmatione relinquamus?

Andr. Dixi equidem, à beatiſſimo patre noſtro ampliſſimiſque patribus iſtis conceſſum vobis fuiſſe, ut quicquid libuerit proferatis, noſtra prius audita reſponſione, quam à nobis ſeſſione proxima contendiſtis, ad ea, quæ tunc in medium protuliſtis.

Beſſar. Nequaquam debetis aſſerere, ſimpliciter vobis conceſſum fuiſſe, ut nobis reſponderetis, cum certa conditione id vobis fuerit datum, poſteaquam videlicet ea nos attulerimus, quæ nobis viderentur ad noſtrum negotium pertinere. Quandoquidem ipſi firmiter credimus, nil addere ſymbolo licere, ſanctorum Patrum authoritatibus innitentes: quippe qui non modo novas ſententias, verumetiam dictiones, aut alia verba ſymbolo addere prohibuerunt. Quod cum alia ratione demonſtrare non valeamus, niſi eorundem ſanctorum Patrum decretis, idcirco neceſſe nobis videtur, ab eiſdem decretis exordiri: quibus deinde recitatis, vobis erit reſpondendi facultas.

Andreas. Eadem ipſa, Patres ampliſ. ſæpiſſime repetiſtis. Ad probandum autem, falſam eſſe veſtram concluſionem, haud ſane magnum negocium eſt, quod tria nobis incommoda ex ea conſequerentur: quod omnes homines rei eſſent culpæque obnoxij, ac ipſimet ſancti Patres anathemate eſſent devincti, quodque quam maximum incommodum noſtra religio pateretur, ſi nulla declarandi facultas Eccleſiæ derelicta fuiſſet.

Joannes. Tum quidem magiſter Joannes provincialis, pro Romana Eccleſia ſermonem hunc habuit: Magno affecti deſiderio, ſummoque ſtudio Patres ampliſſimi, huc frequentes convenimus, ut Dei benignitate controverſia noſtra tollatur: eodem igitur animo, ac amicæ rem iſtam nos tractare oportet. Nam in Canticorum

canticis ſcriptum eſt, Pacem ſponſam Chriſti veram eſſe. Nobis itaque conuenit, ut mutua benevolentia agamus, ac noſtris in actibus optimum ordinem ſervemus. Ordo enim apud doctorem Auguſtinum, eſt parium ac diſparium rerum ſua cuique tribuens diſpoſitio. Quandoquidem igitur orationem vos habuiſtis, reliquum eſt, ut reſponſionem noſtram audiatis. Vos enim non ignorare putamus, duo genera quæſtionum apud Ariſtotelem eſſe. Alterum quidem ſimplex, alterum vero, quod à dialecticis, propter quid ſolet appellari. Quo ſane genere ſi quiſpiam quicquam quæſierit, ejuſdem etiam quæſtionis cauſam reddere ſimul tenetur, deinde reſponſionem. Sin autem ſimplici illo quæſierit, ſane nulla reddita ratione, reſponſionem ſtatim debet audire. Cum igitur vos illo modo ſimplici uſi fueritis, jure nunc noſtro vobis reſpondere debemus.

Cant. 8. locus obſcurus.

Beſſar. De amicitia, reverende pater, eleganter diſſeruiſti, quod noſtris in diſputationibus ſit ſemper ſervanda. Quod cum omnes idem ſentiamus ac velimus, & de hoc ſatis multa dixerimus, de tam clara re non amplius dicere debemus. Ordo quoque nobis ſervandus eſt, ſed de his ſatis. Quod autem de duobus quæſtionum generibus mentionem feciſti, equidem tibi reſpondeo, quod ſi quæſtio noſtra ſimplex fuiſſet propoſita, proculdubio vobis nunc dicere conveniret. Verum quoniam altero interrogandi genere vſi ſumus, quærentes cur, quod fieri non liceret, commiſeritis, ipſius idcirco, non licere, rationem & cauſam nos prius afferre oſtendereque debemus, quam reſponſionem veſtram auſcultemus, qui quidem ordo conveniens eſſe videtur.

Iul. Beatiſſimi patris noſtri, ac horum omnium patrum juſſu, Imperator ſereniſſime, vobis dico nos jam credidiſſe, fore ut præſuli Coloſſenſi, qui modo paratus ad cauſam additionis reddendam venit, copiam dicendi concederetis, ut vos ipſe vehementer rogavit. Quoniam autem precibus ejus non acquieſcitis, ac plurimum convenit, ut ſumma pace ſeſſionem ſolvamus, quemadmodum etiam huc convenimus, idcirco ſummus Pontifex jubet, ut hic nil amplius hodie fiat. Verum ad diſputandum electi, privatim agant.

Imp. Surgamus ergo, ſi lubet, accurate diſpiciamus, an ſit honeſtum, pacique noſtræ congruum, ut privatim diſputemus. Dimiſſa igitur ſeſſione, Patriarchæ domum frequentes convenimus, ibique poſt multas inter Latinos ac Græcos diſputationes, à Græcis decretum fuit, ut nil amplius ageretur, niſi prius ſanctorum patrum decreta, divinumque ſymbolum recitaretur. Quæ quidem ſententia, Latinis ipſam comprobantibus, vicit. Sequenti autem ſeſſione, quicquid Græci voluerant, Græce fuit recitatum, interprete Nicolao Secundino Cretenſi, in utraque lingua eruditiſſimo. Quæ omnia duo ſcribæ Græci totidemque Latini præſentes litteris mandabant.

DIE IOVIS DECIMA-SEXTA menſis Octobris.

Quinta ſeſſio Ferrariæ.

MARCVS.

QVod ipſi concupivimus, pater beatiſſ. id tu pro tua ſumma humanitate nobis conceſſiſti, ut ſanctarum Oecumenicarum ſynodorum definitiones, & decreta in medium afferrentur: tum ut earum ordinem imitemur: (ſingula enim Concilia, majorum ſuorum acta recitare ſolebant, ipſaque Catholicæ fidei fundamenta ponebant) tum, ut patrum illorum ſenſus, ac eorundem mutuus conſenſus & convenientia, ergaque ſuorum majorum religionem pietas ac obſervantia nobis pateſiat: tum denique, ut eorundem ipſorum Patrum ſanctorum ad Deum preces, nobis in hoc noſtro munere auxilio ſint. Libri igitur hi (ſi vobis placet) legantur.

Iul. Sanctiſſimi patris noſtri ac horum ampliſſimorum patrum juſſu, Patres ampliſſ. vobis honeſtum eſſe pronuncio, ut heſternus noſter conſenſus ſervari firmiter debeat. Vobis enim conceſſum eſt, ut hæc decreta legantur, & ſi Coloſſenſis præſul ad reſpondendum Epheſio ſeſſione proxima paratus acceſſerit. Ut lubet igitur faciatis, hac tamen conditione, ut non videantur poſthac decreta talia requirentibus ac contendentibus nobis, recitata fuiſſe.

Mar. Eam tantum decretorum partem, amp. Patres, intendimus recitare, quæ nobis videatur ad noſtrum negocium ſpectare. Porro autem quoniam de divinis primi ac alterius Concilij dogmatibus nil aliud reperitur, niſi duæ tantum noſtræ fidei expoſitiones, hoc eſt, duo ſymbola, quæ tamen præ uno à cæteris Conciliis ſuſcepta fuerunt: idcirco à recitandis tertij Concilij geſtis auſpicandum nobis cenſemus, à quo quidem divinum illud Nicænum fuerit illuſtratum, ac in libro geſtorum ejus nonnulla ſecundi Concilij decreta ſcripta ſunt. Quod profecto Concilium tertium, ut ipſum ſymbolum immutabile perpetuo permaneret, decreverat. Vos ergo rogamus, tot ac tantorum Patrum ſanctorum voces, noſtraſque rationes & argumenta, quæ ſumus in medium allaturi, benigne ac attente audiatis. Quandoquidem vobis probare promittimus, Chriſtianorũ omnium vitam eſſe Catholicam fidem, ad quam, acceſſionem aliquam fieri, aut quicquam ab ea non liceat auferri. In primis ergo Nicænum ſymbolum, à trecentis decem & octo patribus Nicææ celebratum, recitetur. Credimus in unum Deum omnipotentem, viſibilium omnium & inviſibilium factorem, & in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum, ex Patre, id eſt, ex ſubſtantia Patris natum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, quæque in terra. Qui propter nos homines, & homo factus, ac paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cœlos, & ad dexteram Patris ſedet, & venturus eſt judicare vivos & mortuos: & in ſanctum Spiritum. Proferentes autem Filium Dei aliquando, & anteaquam naſceretur, non fuiſſe, & ex nihilo factum, aut ex alia hypoſtaſi vel ſubſtantia, aut mutabilem vel alterabilem eſſe, ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia anathematizat. Quo quidem ſymbolo Patr. amp. in tertio Concilio recitato, Neſtorianorum etiam hæreticum ſymbolum perlectum & improbatũ fuiſſe conſtat. Legatur etiam ejuſdem Concilij definitio, ut idem Nicænum ſymbolum immutabile ac immobile permaneret, neminique fas eſſet aliam fidem in poſterum proferre. His igitur lectis, ſynodus ſancta determinat & definit, ut fidem aliam ab ea, quam ſancti patres in Nicæno concilio, ſancto Spiritu congregati ſanxerant, proferre, aut conſcribere, aut componere liceat nemini. Qui vero auſi fuerint aliam fidem componere, aut eos docere, qui ad veritatis viam, vel à Judæis, aut hæreticis aut gentilibus venerint, ij ſi clerici fuerint, priventur: ſi vero laici, anathematizentur. Hic duo nobis, amp. Patres in dubium ſunt vocanda: cur tertium Concilium inhibuerit ut ſymbolum Nicænum neutiquam mutari deberet, duo vero priora Concilia nullam pro ſeipſis inhibitionem decreverint: Non enim memoriæ proditum eſt, aut Nicænum pro ſuo, aut Conſtantinop Concilium pro Nicæno ſuove ſymbolo interdixiſſe. Et cur tertium idem Concilium, nulla de ſecundo ſymbolo mentione facta, primi tantum meminerit ac pro eo ſanxerit? Ad primam quidem ambiguitatem, ex ipſius rei natura ſumentes argumentum, reſpondemus, quod alienum eſſet à ratione ac nimis arrogans & ineptum, ſi duo illa prima Concilia ſuis pro ſymbolis ita terminaſſent, ac poſterioribus ſuis interdixiſſent, ut eiſdem ſymbolis quicquam addere, aut ab ipſis nemo auferre

Tertium Concil.

Querimonia Græcorum adverſus Latinos de additione ad Symbolum.

Poſſet. Tertium autem Concilium, cujus profecto au-
thores priorum Conciliorum patribus neque numero
pauciores, neque dignitate aut virtute fuerant inferio-
res, convenienter feciſſe creditur, majorum ſuorum
ſymbola ita probaſſe ac obſignaſſe, ut ſemper immu-
tabilia permanerent, ab Evangelio ſancto Apoſtolo-
rumque authoritate, ab univerſo denique teſtamento
capiens exemplum, quo plane nemini fuerat interdi-
ctum, quominus quiſque ſyllabam aliquam addere
aut auferre poſſet. Poſteriores tamen ſtrictiſſime pro-
hibuerant, ut nulli Chriſtiano id liceret committere:
ut pote qui voluiſſent ut honor maximus ſanctis Apo-
ſtolis à cunctis mortalibus haberetur. Ejuſdem igitur
tertij Concilij authoritate poſteriores adducti, primis
illis duobus ſymbolis parem honorem (ut paulo infra
probabimus) communi ſententia tribuerunt: ita ut am-
bo ipſa ſymbola pro uno accepta, ſemper immutabi-
lia permanerent. Item alia ratione eandem ipſam quæ-
ſtionem diſſolvere poſſumus, ab ejus accidentibus ar-
gumentum ſumentes. Inter namque primum Conci-
lium, à quo divinum illud Nicænum ſymbolum fue-
rat editum, ac ſecundum, non parum ſane temporis
interceſſerat. In quo quidem temporis intervallo fere
triginta alia ſymbola à particularibus & privatis Con-
ciliis prodita fuere. Quæ tametſi non ab illo primo dif-
ferrent, quia tamen verbum, conſubſtantialem, aufe-
rebant, ob idque Chriſticolarum plurimos ad hæſi-
tandum de fide cogebant, idcirco ſecundum Concili-
um Oecumenica præditum dignitate, propterea que
particularibus illis Conciliis longe excellentius ac va-
lidius, divinam contra ſancti Spiritus inimicos ratio-
nem, accuratius explicavit & illuſtravit, & ad evet-
tendum hæreticum Apollinarij dogma, verbo huic, in-
carnatus, illud, ex Spiritu ſancto & Maria Virgine, ad-
didit: haud tamen poſterioribus interdixit, quominus
Chriſtianum dogma dilucidius explanarent, volens ut
eadem ipſa declarandi facultas in Dei Eccleſia perpe-
tuo permaneret. Quam quidem opportunitatem Ne-
ſtoriani hæretici nacti, divinum illud Nicænum ſym-
bolum transformarunt, & ei diverſa impiaque dog-
mata addiderunt, ac ſuum hæreticum ſymbolum edi-
derunt, quod veluti veram eximiamque doctrinam hi,
qui ad baptiſma veniebant, ediſcerent. Quo quidem
multos poſt annos in tertio Concilio recitato, decre-
tum fuit, ut in futurum mutandi Nicæni ſymboli fa-
cultatem haberet nemo, ut pote quod à Conſtantinop.
ſymbolo nequaquam in aliquo diſcreparet, quando-
quidem hoc in illo potentia videbatur incluſum, ita ut
ambo pro uno (ut prædictum eſt) haberentur. Quam
ergo idem tertium Concilium addendi auferendique
poteſtatem haberet, eam omnem ſibi & poſteritatibus
abſtulit: ut re ipſa ſtatim id declaravit. Nam verbum
Θεοτοκον, hoc eſt, Deiparam, vel Dei genitricem,
quod tunc adverſus Neſtorianam hæreſim eſſe de-
monſtravit, Nicæno ſymbolo noluit addere, quam-
vis ad dogma de Servatoris noſtri Incarnatione, quam
maxime neceſſarium fuiſſet. Nunc venio ad alteram
quæſtionem. Multis profecto & fortiſſimis conſtat ar-
gumentis, duo illa priora ſymbola ab omnibus Con-
ciliis generalibus pro uno ſuſcepta fuiſſe, præſertim à
tertio, ut pote quod prius cæteris Conciliis, utrumque
vidit atque probavit. Et quamvis toto orbe terrarum
ſimul ambo celebrarentur, de primo tamen ſymbolo
tertium, cæteraque Concilia mentionem fecere: cum
pro ipſius primi Concilij authoritate & exiſtimatione,
quod majore patrum numero celebratum fuerat, quod-
que veluti cæterorum Conciliorum fundamentum ha-
beretur: tum etiam, quod eodem ipſo Nicæno ſymbo-
lo Chriſtianorum plures, quique denuo baptizantur,
frequentius uterentur: tum denique quod alte-
rum (ut ſæpenumero dictum eſt) à primo poteſtate
continebatur. Præterea ut boni oratores ſolent in foro
rebus uſitatis magis inniti, ita etiam Concilium ter-
tium, quo ſymbolo magis homines uti videbat, pro
eo tantum decrevit atque prohibuit: cum præſertim

A

B

C

D

E

ſecundum ſymbolum, expoſitio primi, non autem ip-
ſius aliqua mutatio, fuerit. Scio equidem vos non ig-
norare, præſtantiſſimi Patr. in hoc de tertio Concil.
libro multas B. Cyrilli literas ſcriptas eſſe: quippe Cæ-
leſtini ſanctiſſimi ſummi Pontif. eidem Concilio le-
gatus ac vicarius præfuit. Pars igitur tantum literarum
earum, quas ad Joan. Antiochenum præſulem ſcrip-
ſit, quarum inſcriptio eſt, pro unione, quæque inci-
piunt ita; Gaudeant Angeli, (ſi lubet) recitetur: Ne-
quaquam, inquit, tolerabimus, ut definita præſcripta-
que fides, aut Nicænum ſymbolum ab aliquo immu-
tetur: nullam nobis vel aliis mortalibus facultatem
concedentes, ut aliquam ejus dictionem mutare, aut
unam ſyllabam præterire valeant. Hujus enim ſenten-
tiæ recordamur, *Ne tranſgrediaris terminos anti-* *Prov. 22.*
quos, quos poſuerunt patres tui, ut pote qui non ex
ſe, verum Dei Patris ſpiritu afflati loquerentur, qui ex
eo procedit, non autem alienus à Filio ſecundum ſub-
ſtantiæ rationem exiſtit, & reliquas S. Cyrilli ſentent.
amp. Patr. intellexiſtis, ſibi ſimul cæteritque mortali-
bus inhibentis, ut ne literam quidem divino ſymbolo
poſſent addere. Quæ deinde S. Cyrilli literæ poſt illud
divinum ſymbolum à generali quarto Concilio pro
noſtræ fidei fundamento ſuſceptæ fuere. Ad cujus Con-
cilij definitionem nunc venimus, qua quidem utrum-
que ſymbolum explanatum, ac pro uno fuerat habi-
tum, inhibendo ſimul ut nemini fas eſſet ipſum immu-
tare. Quæ (ſi lubet) definitio recitetur. Sancta gene- *Quartum*
ralis ſynodus, benignitate Dei ac religioſiſſimorum *Concil.*
optimorumque Chriſticolarum Valentiniani ac Mar-
ciani Impp. Auguſtorum auſpiciis in Calced. Metro-
poli Bithynienſis diœceſis, in ſanctæ ac triumphantis
martyris Euphemiæ Baſilica celebrata, ita decernit:
Dominus & Deus noſter Jeſus Chriſtus, ad ſuorum
diſcipulorum fidem in ſe confirmandam, dixit eis: *Pa-* *Joan. 14.*
cem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: ut
nemo Chriſtianorum à reliquis Chriſti fidelibus piis
in dogmatibus differret, ſed omnes unam eandemque
veritatem ſentirent. Quoniam autem callidiſſimus
hoſtis in veris optimiſque ſermonibus zizania ſemper
ſeminat, ac novi ſemper aliquid in veritatem molitur,
idcirco idem Chriſtus Dominus noſter pro ſua erga
genus humanum benignitate providit, ut ij piiſſimi
Imper. Eccleſ. undique rectores convocarent: ut ipſo
Chriſto coadjuvante, omnem erroris ignorationiſque
notam ab ejus ovili depellerent, ac veritatis germini-
bus grex ejuſdem pingueſceret. Quod ecce jam com-
muni omnium ſententia confectum eſſe videtur. Fal-
ſa namque dogmata ſunt expulſa, & firma validaque
majorum noſtrorum religio, nobis divinum illud tre-
centorum illorum decem & octo patrum ſymbolum
prædicantibus, ac centum quinquaginta Patres alios,
qui Conſtantinop. Concil. ſymbolum idem ſuſcepe-
rant, ſumma laude extollentibus, reſplendet. Qua-
propter Epheſim ſancti Concil. ſequentes veſtigia, cui
Cæleſtini ſanctiſſ. Roman. Pontificis tempore, Cyril-
lus Alexandrinus & Joannes Antiochenus antiſtites
præerant, necnon fidei noſtræ normam & canones di-
ligentiſſime obſervantes, definimus ac determinamus,
veræ ac immaculatæ noſtræ fidei expoſitionem, hoc
eſt, divinum illud Nicænum ſymbolum magni Con-
ſtantini Imperatoris tempore celebratum, ſemper de-
bere ſplendeſcere, ac eorumdem centum & quinqua-
ginta Patrum decreta, firma & valida eſſe, quippe qui
ad hæreſim evertendam, noſtram autem Catholicam
atque Apoſtolicam fidem confirmandam, ſecundum
Concil. Conſtantinop. celebrarunt. Quartum etiam
generale Concil. patres optimi, utrumque ſymbolum
pro uno ſolo ſuſceperat, id non ignorans, ad perfe-
ctiſſimam veritatis intelligentiam ſingulum per ſe ſa-
tisfacere. Rei autem perfectiſſimæ nil prorſus deeſſe
creditur. Sed reliquum ejuſdem diffinitionis legatur.
Igitur ad veram, inquit, noſtræ religionis notionem
ſymbolum hoc ſalutiferum, ac divinæ ſapientiæ gra-
tiæque plenum, perfectiſſimum eſſe decernimus, quod

Patris & Filij ac ſancti Spiritus perfectionem nonedocet, & Incarnationem Domini Chriſti fidelibus patefacit. Et infra: Ut hæc ergo diligentiſſime accuratiſſimeque concludamus ac obſignemus, idcirco ſancta generalis ſynodus definit atque determinat, ut aliam fidem conſcribere, aut componere, aut ſentire, aut docere liceat nemini. Qui vero quippiam tale commiſerint, aut aliud commentum ſymbolum ex gentilibus, vel Judæis, aut hæreticis ad noſtram religionem venientibus, tradere fuerint auſi, ſi clerici, priventur, laici vero, anathemate notentur. Sed de quarto Concilio hactenus. De quinto autem generali Concilio particula ſermonis Joannis Conſtantinopolitani præſulis in primis recietur. Propterea, inquit, ut fidei fundamentum, juxta ſanctorum Patrum decreta, ſacrorumque normam, Domini ac Servatoris noſtri benignitate firmiſſimum maneat, ſummo ſtudio incubimus. Quid enim ab eo pie poterit tolli? ſpe ducti, ea ratione Eccleſias inter ſe diſſidentes facile conjungi poſſe, ita ut Chriſti fideles ab ineptis verbis abſtineant, mentem autem ſuam divino ſymbolo, quo baptizati ſumus, adhibeant. Quod quidem Nicæna ſynodus ſancti Spiritus gratia memoriæ prodidit, Conſtantinopolitana vero ſuſcepit, Epheſina probavit, Calcedonenſis denique obſignavit. Quam ſane noſtram piam religionem quis unquam ratione aliqua poterit evertere, quæ male credentium excuſationem auferet? Hanc igitur firmam & validam complectens religionem, omni vanitate atque malitia vacui, ne dubitemus ſanctam conſubſtantialem Trinitatem ſimul extollere, ac ipſam ita celebrare: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, &c. Qui quidem Patres totum ſymbolum celebrarunt, quemadmodum Eccleſia in præſentia utitur. Legatur etiam pars hæc literarum Vigilij Romani Pontificis, quas ad Eutychen Conſtantinopolitanum præſulem ſcripſerat. Idcirco unioni ſtudentes, veſtræ (inquit) Apoſtolicæ ſanctæ ſedi ſignificamus, notumque facimus, nos noſtram fidem ſemper tenuiſſe, tenereque, quam cum à Deo optimo maximo Servatoreque noſtro Jeſu Chriſto ſancti ejus Apoſtoli accepiſſent, eam univerſo mundo prædicarunt, ac ipſam deinde majores noſtri, præſertim ij qui quatuor generalia Concilia celebraverant, illuſtrarunt. Quæ quidem omnia cunctis in rebus ipſi quoque complectimur. Nicænum à trecentum decem & octo patribus celebratum, qui ſanctum ſymbolum, quod noſtræ religionis doctrina creditur eſſe, primi expoſuerant, ac Arrij Arrianorumque inſaniam anathematizaverant, necnon Conſtantinopolitanum Concilium comprobamus, quod eandem ipſam doctrinam dilucidaverat, ac divinam ſancti Spiritus rationem illuminaverat, & Macedonij contra ſancti Spiritus proceſſionem hæreſim, ac Apollinarium impium, eorumque ſectam damnaverat. Epheſinum præterea ſuſcepimus, quod quidem majores ſuos ſecutum impium Neſtorium, ejuſque ſceleſtiſſima dogmata & ſectam improbaverat. Quartum denique Concilium, à ſexcentis & triginta ſanctiſſimis Patribus celebratum, laudibus ſummis extollimus, quod, ſuſcepto Nicæno ſymbolo, definiverat, ut qui aliud ſymbolum docuiſſent, aut expoſuiſſent, aut Eccleſiis ſanctis tradidiſſent, anathemati ſubjacerent. Nunc obſecro, Patres ampliſſimi, ſexti generalis Concilij decretum, attente, ut hucuſque feciſtis, audiatis. Sacrum generale ac illuſtre Concilium, Dei gratia & religioſiſſimi Conſtantini Imperatoris auſpiciis, in hac à Deo ſervata, & terrarum omnium Imperatrice, regiaque civitate Conſtantinopolitana, novaque Roma, in ſacri Palatij Conclavi, Trullus vulgo nuncupato, celebratum, ita decernit: Dei Patris unigenitus, & Verbum, quod noſtri ſimilis, ſine tamen peccato factus eſt homo, Chriſtus verus Deus noſter, Evangelica voce palam ita locutus eſt: *Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lu-*

Per commentitium.

Quintum Concil.

Vigilium.

Sextum Concil.

Joan. 8.

men vitæ. Item: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, qua quidem divina voce ac doctrina mitiſſimus Imperator adductus, utpote qui ſe veræ noſtræ fidei ducem, nedum impietatis inimicum acerrimum eſſe profiteretur, hoc ſacrum generale Concilium convocavit, ac Eccleſias hinc convenire juſſit. Quod quidem Concilium in effugandis impietatis tenebris, non multo ante oborris, ſanctis vero patribus recta conſectandis, omnia exacta Conciſlia imitatur: Nicænum videlicet, in Arrium mentis inopem, celebratum: & Conſtantinopolitanum, quod Macedonium ſancti Spiritus hoſtem, & Apollinarium impium damnavit: necnon Epheſinum, contra Neſtorium quia cum Judæis ſentiret, convocatum: & Chalcedonen. quod Eutychen ac Dioſcorum, homines maxime Deo exoſos, damnavit. Quintum denique, in hac ipſa regia civitate celebratum, quod Theodorum Mopſueſtienſem, Origenem, Didymum, Evagrium & quædam Theodoriti opuſcula contra duodecim ſancti Cyrilli capita, necnon & Epiſtolam Ibæ inſcriptam, quam Iba ad Marin Perſen ſcripſerat, condemnavit. Hoc igitur Concilium cæteris innitens, divina omnia dogmata renovat, & impias opiniones refellit. Nicænum autem ſymbolum libenti animo ſuſcipit, approbat, obſignat, quemadmodum ab ipſis quoque Conciliis ad omnem hæreſim Chriſtianorum animas inquinantem, evertendam, ſuſceptum probatumque fuerat. Legatur nunc pars hæc literarum, quas Agathon Romanus Pontifex ad Conſtantinopolitanum Imperatorem ſcripſerat. Quæcunque à ſanctis (inquit) majoribus noſtris, necnon à quinque ſacris Conciliis canonice, puro corde, ſumma religione & fide, ac ſine ambiguitate decreta fuerunt, ea ipſi quoque dubio procul ſervamus, huicumi ſummo ſtudio incumbentes, ut nil prorſus eorum minuatur, aut pereat, aut quicquam ipſis addatur, verum omnia in verbis atque ſententiis eadem permaneant. Et alibi: Conſtanti animo ſumus, inquit, ut decreta à catholica & Apoſtolica ſede nobiſcum pro fide tradita, ſervemus atque colamus, credentes in unum Deum patrem omnipotentem, & reliqua.

Joan. 14.

Nunc venio ad ſeptimum & ultimum generale Concilium, & dum ejus definitio recitetur, obſecro vos, attente audiatis. Sancta generalis ac illuſtris ſynodus, Dei gratia & religioſiſſimorum Chriſtianorum Conſtantini & Irenæ matris ejus Imperatorum noſtrorum auſpiciis in clara civitate Nicæna, quæ Bithynienſis metropolis exiſtit, in ſanctæ Sophiæ baſilica ſecundo celebrata, cunctas Catholicæ Eccleſiæ definitiones ſequendo jubet ita. Chriſtus Dominus noſter, qui nobis notionis ſuæ lumen largitus eſt, quique nos idolorum inſania & tenebris liberavit, ut ſua ſancta catholica atque Apoſtolica Eccleſia ſine ſorde maculaque ſervaretur, ſuis ſanctis Apoſtolis id ſe velle declarans, dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Quæ quidem promiſſionis verba non ſolum illis, verum etiam nobis, qui per eos in ipſum credimus, facta fuiſſe putantur. At nonnulli ab illo noſtro acerrimo hoſte elati, munus ejuſmodi nihili pendentes, à recto tramite deviarunt, & dum Catholicæ Eccleſiæ decretis ſeſe opponunt, in veritatis intelligentiam peccant, juxta illud dictum: Axem aratri in errorem impulerunt, ob idque nullos collegerunt fructus. Namque cum ſancti homines cenſerentur, non eſſent tamen, divinum ritum atque ornatum evertere auſi ſuerunt. Quibus Deus per Propheram inquit: *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam.* Impios enim homines, qui ſuo ingenio non mediocriter confiderent ſecuri, ſanctam Dei Eccleſiam Chriſto Deo noſtro convenientem damnaverunt, ac nullam inter pietatem impietatemque differentiam facientes, Domini ac ſanctorum imagines, idolorum ac diabolorum ſigna credunt eſſe. Idcirco Dominus

Septimum Concilium.

Matt. 28

Hiere. 12

Deus noster, quandoquidem à recta reliquæ pernicie suos pellumini non patitur, omnes terrarum undique præsules ut convenirent, prævidit: ut non sine divino zelo à Deo afflatorum ac fidelissimorum Imperatorum nostrorum Constantini & Irenæ, divinæ Catholicæ Ecclesiæ traditiones communi sententia obsignarentur atque servarentur. Rebus igitur omnibus perspectis diligentissime, ac veram rationem sequentes, nil addimus, neque tollimus. Verum omnia Catholicæ Ecclesiæ decreta, quam diligentissime servanda censemus, necnon sex sancta illa Concilia generalia; in primis clarissimum illud Nicænum, ac alterum in regia à Deo * servata civitate Constantinopolitana celebratum, imitantes, credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & reliqua, & infra: Omnes credimus, ita sentimus, ita prudentes ac scientes conscribimus: hæc est Apostolorum, sanctorum Patrum, omnium denique bene credentium fides, quæ universum orbem terrarum firmavit. Cumque Deum unum in Trinitate adoremus, necesse est etiam venerandas ejus imagines excolamus: qui vero non ita sentiunt, sint anathema, & ab Ecclesia expellantur. Ipsi namque veteres Ecclesiæ Catholicæ sanctiones suscipimus, ac majorum nostrorum decreta servamus: qui vero quicquam addiderint, aut ab his, quæ ab ipsa tradita sunt, abstulerint, anathemate sint astricti. Legatur etiam hæc particula inscripta de anathematibus, quam solet Orientalis Ecclesia quotannis celebrare: Qui Ecclesiasticas, inquit, sanctiones litteris traditas, aut aliter memoriæ proditas, reprobat, anathema esto.

Transferenda.

** Codex sept. Concilii à Latinis prolatus.*

Lecta septimi generalis Concilij definitione, Latini quendam vetustissimum librum in medium attulere: in quo quidem eadem ipsa definitio, sanctumque Spiritum ex Patre filioque procedere, scriptum erat: quæ de re non mediocris contentio in illa sessione fuit orta. Nam Latini librum ipsum vetustissimum ostentabant: ac vehementer elati, eum cum Græcorum libro conferebant: tentantes ex patrum subscriptionibus rebusque aliis, eorundem librorum convenientiam demonstrare. Quos cum in omnibus, ipsa tantum accessione excepta, convenire vidissent, visi sunt mirum in modum admirari. Græci vero ob temporis angustiam nil ad id respondere: veruntamen Latinis contendentibus, ut ipsa eadem definitio cum additione ejusmodi recitaretur, benigne concessere.

Deinde Pater Ephesius orationem prosecutus est, dicens: Majorum nostrorum sententias, Patres amplissimi, quas vel in Conciliis communi consensu promulgassent, aut Conciliorum legati pro fide sua declarassent, aut mutuis literis, privatisve commentariis memoriæ prodidissent, intellexistis. Quæ quidem literæ ac commentaria, & si privatorum doctorum fuerint, pro consultis tamen Conciliorum, communibusque sententiis habita susceptaque fuere. Ipsi ergo, qui nostros majores plurimum veremur, quique eorum decreta colimus, ac ipsorum execrationes timemus, accessionem ad symbolum factam suscipere nolumus. Opportunum autem esse videtur, ut accusationi ac rationibus nostris (si lubet) respondeatis: quandoquidem satis est nobis, Conciliorum omnium Canones & definitiones, ac ipsorum rationes in præsentia recitasse. Namque vestra prius ad hæc audita responsione, aliorum quoque sanctorum Patrum authoritates ac sententias ad nostram causam confirmandam afferemus, quas vel publice profitentes, vel quid quisque de nostra religione sentiret, literis mandantes, memoriæ prodiderunt. Vos autem Patres amplissimi, rogamus, nobis distincte ac per capita dialecticorum more respondere velitis: ut ipsi rationes vestras facilius memoria repetentes, his commodius ac dilucidius respondere possimus: quandoquidem vos ignorare non credimus, nos neque memoria valere, neque componendi, dividendique rationem bene scire, neque profiteri ad quamvis nobis propositam quæstionem posse dicere. Verum nobis simplicitas & modestia semper inest, ut quod ratione non abhorrens sit, id libenter suscipiamus, oppositum autem ejus ingenue abjiciamus.

Jul. Septimi Concilij symbolum sereniſſime Imperator, quod modo fecimus recitari, in vetustissimo volumine scriptum est: ita ut nemo * poterit suspicari corruptum fuisse, cum præsertim quidam historicus noster, antiquus quidem ac literatus, inter alia id quoque testetur, hoc ipsum symbolum in septimo Concilio recitatum fuisse. Tali propterea symbolo cum hac additione vel declaratione, ex filioque, non mediocrem tribuimus authoritatem. Porro autem, quoniam velle videmini, ut nos brevibus ac sigillatim respondeamus, idcirco conabimur vobis pro viribus satisfacere. Verum ut id facilius assequamur, quod forsitan causa fuerit, cur vos quoque clare respondere valeatis: operæ precium est, ut quæcunque modo recitata, scriptaque sunt, ea simul conferamus. Quibus quidem memoria repetitis, eorumque perfecta convenientia, sequenti sessione ad omnia facilius respondebimus. Tum jubente synodo, ad diem vigesimam mensis ejusdem sessio fuit dilata.

sit posse.

DIE LVNÆ VIGESIMA mensis Octobris.

Sessio sexta Ferrariæ.

JVL. CARDINALIS.

NVdiustertius, patres amplissimi, cum una privatim ageremus, id quod à nobis saepissime dictum fuerat, communi sententia repetivimus, nos ad veritatem summa pace investigandam, huc convenisse. In hanc igitur rem summo studio mutuisque officiis debemus incumbere, & alteri alteris esse grati. Qua quidem spe ducti, vobis eos libros libenter præstare promisimus, quos sanctissimus Pontifex haberet. Assentientibus autem vobis pari studio velle nos prosequi, reverendum Ephesium ac Nicænum rogavimus, ut librum vestrum de octavo Concilio per horam nobis mutuo darent. At illi nostro desiderio satisfacere noluerunt. Siquidem igitur ipsum hunc attulistis, bene evenit: sin minus, anteaquam quippiam agatur, ut asseratur jubete.

Mar. Id quod vobis promisimus, Patres amplissimi, libenter satisfaciemus. Verum interea nequaquam impediri debemus, quominus negocium nostrum prosequamur, præsertim cum nobis videatur non expedire, ita librum ipsum vobis concedere ut eo prorsus privati simus. Præterea Concilium illud inter generalia connumerandum non est: quandoquidem non modo non susceptum, verumetiam antiquatum, fuisse constat. Joannis enim & Adriani summorum pontificum tempore convocatum fuit, ac Photium Constantinopolitanum antistitem condemnavit. Is deinde Joannes aliud Concilium habuit, quod item appellavit octavum, quod acta ipsius Concilij, quod vos octavum fuisse dicitis, improbavit, Photiumque restituit. Cujus quidem Joannis pro Photio literæ, memoriæ proditæ sunt, & adhuc extant. Ut quo plane Concilio inter alia fuerat decretum, ut hæc eadem symboli additio tolleretur, quod vos non ignorare putamus. Si quidem igitur ipsius Concilij acta reprobata videntur, non est congruum rationi ut de his aliqua mentio fiat, cum alterum octavum Concilium sequi potius deberemus. Propterea tempore ex eo Constantinopolitana Ecclesia, hucusque solet ita celebrari. Quæcunque in sanctos patriarchas † Agnatium & Photium scripta vel dicta sunt, anathema esto.

Spiſſi bic mendacia Ephesini.

Ignatii.

Jul. Hoc metu vos libero, præstantissimi patres: nam nil de ipso Concilio recitabitur. Sed quoniam in eo volumine nonnulla sexti septimique Concilij acta sunt scripta,

Cardinalis.

ſcripta, ideirco ea videre vellemus, nam de octavo Concilio nobis curæ non eſt.

NOTA. *Hic argui Julianum Cardinalem qui octavam Synodum dicacitate ac mendaciis Marci Epheſini velut proſtratam non defendit, argui quoque Latinos qui ſynodum hanc octavam per Anaſtaſium Bibliothecarium Latinitate donatam non haberent ſecum. Defectum tamen illum Juliani reſtituit Andreas Coloſſenſis in ſequenti ſeſſione.* Vide Binium in notis ad octavam ſynodum.

Mar. Hac ergo conditione vobis hoc volumen libenter concedimus: abſonum enim eſſet à ratione, poſtpoſitis Conciliis generalibus, privati conventus rationem habere. Sed de his hactenus.

Andreas Coloſſenſis ſeu Rhodienſis Ord. Prædicatorum.

And. Ex veſtra longa oratione, patres ampliſſimi, aliqua equidem collegimus capita. Initio namque B ſymbolum vel (ut rectius loquar) ſymbolum, deinde generalium Conciliorum decreta, tertio Cyrilli, Vigilij, Agathonis, Cæleſtinique litteras recitaſtis. Poſtremo autem protuliſtis, vos tot tamque clariſſimos patres ita veteri, ac eorundem execrationes pertimeſcere, ut quicquam ipſorum dictis vel addere, vel ab eis auferre vehementer abhorreatis. Velim autem vos non ignorare, patres optimi, quam vos acceſſionem & incrementum ſymboli appellare ſoletis, eam nos expoſitionem ac dilucidationem eſſe credere, qua quidem ratione à Romana Eccleſia in ſymbolo celebratur, & ſi prima orationis parte conati fuiſtis oſtendere, additionem ipſam ab ipſa Romana Eccleſia factam fuiſſe. Nam in ſecunda dixiſtis, nemini ratione aliqua fas eſſe, quicquam divino ſymbolo addere: ex tertia C vero parte creditis demonſtraſſe incrementum illud, falſum ac inconveniens eſſe. Ex quibus omnibus quarum illud caput conſequebatur, vos ſanctorum patrum execrationes veritos, acceſſionem hujuſmodi nunquam ſuſcepturos eſſe. Hæc vos in ſumma. Ipſi autem contra probabimus, quam vos acceſſionem & cumulum nuncupatis, eam potius divini ſymboli explanationem ac declarationem eſſe. Deinde, nobis interdictum non eſſe, quominus expoſitiones hujuſmodi facere valeamus. Tertio, declarationem ipſam veram & congruam eſſe. Poſtremò, plurimis ac fortiſſimis argumentis demonſtrabimus, hujus veritati Chriſtianos omnes acquieſcere debere. Nunc venio ad primum. Et quoniam in qualibet quæſtione abſolutas ac intelligibiles rationes deſiderare videmini, D idcirco vobiſcum dialectice agam. Rogo autem vos, me attente audiatis. Nulla expoſitio vel dilucidatio alicujus artis aut ſcientiæ, debet additio appellari: ſed verbum, ex filioque, in verbo ex parte concluditur, ejuſque dilucidatio eſt, ergo verbum illud nulla ratione poteſt additio nuncupari. Porro autem quoniam ſyllogiſmum hunc, quod perfectus eſt, ac dialectico Canone factus, inficiari debetis minime: ideo reliquum eſt, ut propoſitionem ejus utramque veram eſſe probemus, quarum primam majorem, alteram vero minorem dialecticorum more nominabimus. Majorem autem ſic demonſtrandam putamus: Omnis additio vel augmentum ex rebus extraneis ſit, ut omnis ſchola philoſophorum tenet, præſertim Ariſtotelis, qui in De generatione ac interitu libro in- E quit, adveniente aliquo ſit augmentum. Siquidem igitur omnis additio ſit augmentum, expoſitio verò atque dilucidatio ab intrinſecis, ac iis, quæ in eadem ipſa re inſunt, ſole clarius ſequitur, cujuſvis ſcientiæ expoſitionem ex rebus his factam, quæ in ejuſdem ſcientiæ ſubjecta materia ſint, additionem vel augmentum neutiquam appellari debere. Namque ſi nullam inter expoſitionem & additionem differentiam poſuerimus, multa profecto nobis acciderint incommoda, ſacris enim litteris additio facta fuiſſe videretur, & ad Nicænum ſymbolum ſecunda ſynodus acceſſionem feciſſe cenſeretur, quam tamen conſtat fuiſſe profeſſam quæcunque protulerat à ſuis majoribus accepiſſe, quemadmodum etiam Gregorius cogno-

Non additio ſed expoſitio & dilucidatio.

A mento Theologus, qui in eadem ſecunda Synodo affuit ad Clydonium ſcribens, inquit: Nos fidei patrum ſanctorum, qui ad Arrianam hæreſim evertendam Nicænam ſynodum celebraverant, nil unquam ante poſuimus, neque quippiam poſſumus præferre. Verum ejus ejuſdem fidei ſumus, ac ſemper erimus, addentes tantum id, quod de ſancto Spiritu ideo imperfecte prolatum fuiſſet, quod antehac nunquam in controverſiam fuerat vocatum, an Pater & Filius ac ſanctus Spiritus, una divinitas ſit, ipſumque ſpiritum Deum eſſe, nos oporteat credere. Et ex his verbis, præſtantiſſ. patres, credere debemus, quam plurima fuiſſe à ſecundo Concilio declarata, quæ tamen minimè diceremus additiones fuiſſe. Nam in Nicæno ſymbolo, Viſibilium omnium & inviſibilium: & filium natum ante omnia ſecula: &, in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, neutiquam erant ſcripta, quæ licet ab ipſo Concilio, ſymbolo fuerint addita, non tamen propterea putavit acceſſionem novam ad ſymbolum ipſum feciſſe, ut is beatus Gregorius teſtatur, qui nil aliud ſentire profitetur, quam quod Nicæna ſynodus edidiſſet. Quinimmo ſi diligenter vultis attendere, vobis noniſſimum fiet, nullum generale Concilium, poſt primum, celebratum fuiſſe, quod quicquam Nicæno ſymbolo non addiderit, aut non ademerit ab eodem. Alterum enim Concilium illud Nicæni ſymboli, ex ſubſtantia patris, prorſus abſtulerat. Quarum vero Concilium, totum hoc, natum ex Patre, id eſt, ex ſubſtantia patris, in, conſubſtantialem patri ſecundum Divinitatem, nobis autem ſecundum humanitatem, mutaverat, ut Eutychis hæreſim everteret. Apparet igitur manifeſte, cujuſpiam rei declarationem non eſſe additionem: quod item ex ipſius reverendi patris Epheſij oratione probare volumus, quippe qui reſpondens huic à ſe propoſitæ quæſtioni, cur tertium Concilium de Nicæno tantum ſymbolo mentionem fecerit, de altero vero minime, dixit, quod ambo illa ſymbola unum eſſent, nec in aliquo differrent. Syllabæ igitur & dictiones, quæ Nicæno ſymbolo videntur appoſitæ, nullam ad illud fecerunt acceſſionem propterea quod eundem ſymboli ſervaverunt ſenſum. Major ergo noſtri ſyllogiſmi propoſitio, bene probata videtur, nullam videlicet declarationem eſſe additionem. Reliquum autem eſt, ut minorem etiam demonſtremus, quod quidem majoris negocij eſt, ac majori conſideratione indiget, verbum, ex filioque, non quidem additionem, verum expoſitionem eſſe. Neceſſe eſt enim, qui profitentur ſanctum Spiritum ex Patre procedere, Filium ſimul intelligant, ad quod quidem probandum, non niſi veſtrorum ſanctorum doctorum authoritatibus innitar, quibus quidem clariſſime demonſtrabo, quemadmodum ex patre, ita etiam ex filio Spiritum ſanctum procedere. Beatus enim Cyrillus exponens hoc dictum Joannis, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, inquit: Cum Dei & patris bonorum eſſentialium filius particeps ſit, eadem etiam ratione Spiritum habet, quemadmodum pater eundem habere percipitur, non quidem adventitium aut extraneum (Inſipientis enim, immo ut melius dicam, inſani hominis eſſet ſic credere) ſed quemadmodum quiſque noſtrum, ſuum ſpiritum continet, ac ipſum ex viſceribus ſuis emittit. Propterea Servator noſter corporaliter Spiritum flavit, ut oſtenderet, quemadmodum ſpiritus ex ore humano corporaliter exit, ſic etiam ipſum ex divina ſubſtantia, ut Deo convenit, profluere. Quibus verbis Cyrillus videtur concludere, quoniam ſi patris omnia bona filius ſecundum ſuam naturam & ſubſtantiam habet, id etiam habeat, neceſſe eſſe, ut inſtar patris ſpiritum emittat manentibus perſonarum proprietatibus. Unde ſequitur, filium ſic ſe habere ad ſpiritum, quemadmodum etiam pater. Ne autem quiſquam crederet, non de ipſo Spiritu, verum de quodam ſpirituali chariſ-

Gregorius Theologus.

Cyrillus. Ioan. 14.

Ioan. 20.

mate vel gratia doctorem ipſum ſenſiſſe, dictum hoc Servatoris noſtri perpendat: *Accipite Spiritum ſanctum.* Porro autem, quoniam in ſymbolo Spiritus unam trium perſonarum ſignificet, neceſſe eſt, procedat ex filio, quemadmodum etiam ex patre. Sed forſan aliquis dixerit ſermonem ipſum de ſpiritu, ambiguum eſſe, ita ut non Spiritus perſonam ſignificet. At nos ad oſtendendum hujus oppoſitum, magnum Baſilium adducemus teſtem, qui vos docebit, Patrem & filium ac ſanctum Spiritum, ſic ſe habere, ut neque pater ſine filio & Spiritu, neque filius abſque Spiritu poſſit intelligi. Qui Spiritum (inquit) intelligit, ipſum & eum, cujus eſt Spiritus, ſimulque filium mente concepit: qui autem hunc percepit, ſane ſpiritum non ſejunxit. Verum conſequenter ſecundum ordinem, conjunctim autem ſecundum naturam ipſas tres perſonas intelligens, veram aſſequutus eſt fidem. Porro autem, quoniam Spiritus Chriſti eſt, & ex eo, ut inquit Apoſtolus: ideo quemadmodum ſi quis alterum extremum alicujus catenæ traxerit, proculdubio catenam totam attrahêret, ſic etiam Patrem ſimul & filium per eundem Spiritum traheret. Et ſi quis filium tenet, altera quidem patrem, ſanctum autem Spiritum altera parte tenebit. Fieri enim non poteſt, ut eis ſejunctionem aut diviſionem intelligas eſſe, ut filium ſine patre, vel Spiritum ſejunctum à filio, & reliqua: ita patres ampliſſimi, divinæ perſonæ ſe habere creduntur, ut qui unam intelligit, alias quoque percipere neceſſe habeat. Ex quo plane conſequitur, ut qui patrem intelligit Spiritum ſanctum producere, is quoque neceſſario credat, eundem Spiritum à filio produci. Ne autem oratio noſtra incredibilis videatur, eundem ipſum Baſilium attente audiatis, qui filium probat habere quæcunque pater habere creditur, hoc excepto, filium non eſſe patrem. Patrem (inquit) & filium proculi. Has mihi tene proprietates; filius ergo manens in eſſe filij & quatenus filius eſt, omnia eſt quæ pater, juxta hoc noſtri Domini dictum: *Et mea omnia tua, & tua mea ſunt.* Imaginis enim omnia, rei ſunt exiſtentis & cætera. Sermo Baſilij, patres optimi, plurimum noſtræ ſententiæ convenit. Ergo Patri ſimul & filio commune eſſe videtur, Spiritum ſanctum producere. Multas quoque alias rationes afferre poterimus, quibus notiſſimum fieret, quoniam Spiritus ex Patre procedere creditur, neceſſe eſſe intelligi, eundem Spiritum ex filio quoque procedere; ſed de his hactenus. Importunum enim videtur hac de re in præſentia diſputare. Sequenti igitur ſeſſione de hoc accuratius forſan agemus. Verum Deus optimus maximus utinam talem controverſiam è medio noſtri tollat, ita ut in poſterum haudquaquam nobis ſit opus de hac re verba facere. Sed redeo unde digreſſus ſum; nullam factam fuiſſe dicebam additionem, quandoquidem declaratio nulla ratione poteſt additio nominari, quæ minor noſtri ſyllogiſmi propoſitio fuerat: ad quam quidem probandam, oportebat etiam declarare id quod ſcitu facile eſt, Spiritum ex filioque produci. Quod ergo ſymbolo appoſitum eſſe dicetur, id non additio, ſed potius quædam ſymboli expoſitio ac explicatio eſt. Nunc venio ad ſecundam partem, qua quidem probare promiſimus, quicquid ſit illud, ſive acceſſio, ut vobis, ſive declaratio, ut nobis videtur, id quo minus fieri poſſet, nunquam fuiſſe prohibitum. Namque ſi id eſſet augmentum, dubio procul foris veniſſet, & extraneum eſſet. Cum autem multas ſyllabas & dictiones utrique teſtamento, nedum ſanctorum patrum decretis ſynodorumque definitionibus, appoſitas fuiſſe conſtet, Deo favente probabimus: ſequitur, nobis non interdictum fuiſſe nec eſſe, additiones ejuſmodi facere: quod ſane ſi quis negaverit, is nullo pacto poterit effugere, quin ſimul concedat, majores noſtros, qui ſymbolo ac majorum ſuorum dictis addiderant aliquid, ſub anathemate eſſe. Præterea

Joan. 20. *Baſilius.* *Rom. 8.* *Joan. 17.*

Paulus inquit: *Si quis vobis aliud, præterquam quod tradidi vobis, Evangelizatus fuerit, anathema ſit:* ad ejus tamen ſcripta acceſſiones non paucæ factæ fuerant. Multa etiam Nicæna, multa denique protulit Epheſina, de quibus neque prima, neque ſecunda mentionem fecerat. Veritum igitur illis videtur fuiſſe, ſymbolo novi quicquam apponere, declarare autem, minime; nam ipſi fere omnes anathemate devincti eſſemus. Præterea, idem Apoſtolus ad Corinthios inquit: *Littera quidem occidit, ſpiritus autem vivificat*, quos quidem Corinthios incuſabat, quod accuratius ſcripturæ, quam opus eſſet, inniterentur. Non ergo ea debemus inſpicere, quæ videantur occidere, in quo Judæi vehementiſſime peccant, quippe qui mentem à ſcriptura non efferunt, quod à noſtris doctoribus mirum in modum reprehenditur, quorum primus beatus Gregorius Theologus inquit: De nominibus non certabimus, ſi rem eandem ſignificent. Veſter item Gregorius cognomento Doctor: Parum, inquit, curo de dictionibus, non enim ſtilum in verbis, verum etiam in rebus apud Gregorium Theologum pietas conſiſtit. Porro autem oratio noſtra de dogmate ac de re ipſa fieri videtur, in qua quidem ſi convenerimus, haud quaquam in dictionibus diſcrepabimus. Siquidem igitur tantus Doctor de dictionibus non curavit, nobis profecto multo minus de eiſdem eſſe curæ deberet: ſed ſuo loco diligenter tractabimus, an Concilia prohibuerint, ut dictionum hujuſmodi nulla prorſus additio fieret. Satis enim nobis in præſentia fuerit, ſi conſtiterit, cui litterarum ac ſyllabarum acceſſio refellenda non ſit, qua in re hoc manifeſto utar exemplo: nam ipſi ſymbolum Latine proferimus, vos autem Græce, alij vero lingua ſua: ſed quoniam idem omnes ſentimus, ideo nullum ex eo inconveniens poteſt accidere. Verum dialectico argumento agamus, quod etiam bonis literis mediocriter eruditis patet. Omnes ſcientiæ *axiomata* propria, hoc eſt, pronunciata, vel (ut dialectice loquar) principia vel dignitates habent, quæ tametſi multa poteſtate contineant, ac in ſeipſis ſua facultate plures concluſiones includant, eas tamen Doctores ſyllogiſmis, inductionibus, exemplis, quovis denique argumentorum genere demonſtrare ac explicare ſolent, propterea tamen nemo profecto ſcientiam eorum diverſam eſſe. Teſtis eſt Ariſtoteles in ſuis poſterioribus analyticis. Siquidem igitur & ipſi principia Theologicaſque dignitates habemus, quibus in ratione divina innitimur atque credimus, ex his proculdubio demonſtrare poterimus ſanctum Spiritum ex filioque procedere. Id ergo quod Romana Eccleſia profitetur, patet additionem non eſſe.

Paulus Galat. 1. *1. Cor. 3.* *Gregorius Theologus.* *Nonnulla ſed ſenſim.*

Amplius oſtendere poſſumus, additiones hujuſmodi poſſe fieri. Nam Paulus inquit *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium.* Ergo & una Eccleſia. Utrum autem & una dignitas, an non? ſed de hoc alias. Eadem igitur Eccleſia diverſis temporibus, ac urgente neceſſitate, acceſſiones facere poterat. Quæ quidem facultas nunquam poterit auferri. Noſter enim Servator inquit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ quidem oratio nequaquam ſignificat, ut Deus nobiſcum ſimpliciter ſit, ac nos ſimpliciter regat. Sic enim lapidibus & plantis, ac omnibus animantibus ſemper ineſt, ac ſimpliciter ipſa gubernat, verum ſemper nobiſcum creditur eſſe, nos ſua gratia unaquæ religione ac fide conjungendo, quod proculdubio in iis membris videre non eſt quæ diverſa fide ſejuncta ſunt; libera igitur Eccleſia videtur eſſe. Præterea, ſi veſtra opinio vera eſſet, magnum incommodum ipſis accidere facile poſſet. Nam ſi aliquando emerſerit hæreſis, Eccleſia ſeſe non poſſet ei opponere. Secundum tamen Concilium acceſſionem facere cœpit, hanc excuſationem afferendo, ut ſi fieri poſſet, firmam & illæſam Eccle-

Epheſ. 4. *Matt. 28.*

ſiam ſemper eſſe, ſine nulla eſſet onus additione. Sed quoniam quandoque videtur periclitari, idcirco neceſſe erat acceſſionem ad Nicænum ſymbolum facere, ut ipſi quoque aſſerimus Romanæ Eccleſiæ conſtigiſſe. At ei fuerat interdictum. Hoc equidem oſtendatis velim, cum à majoribus noſtris nil aliud prohibitum fuiſſe conſtet, quam ut nemini liceret diverſam fidem proferre, aut componere, literiſve mandare, ut in Epheſini Concilij actis (ut bene noſtis) videtur, quod cæteræquoque ſynodi conſectantes, ſimili modo prohibuere, ſanctique Doctores, qui de ſyllabis & dictionibus privatim fecerant mentionem, ad illud idem Concilium ſe retulerant. Poſteriores denique omnes ipſius tertij Concilij prohibitionem eadem ratione ſuſceperant, ne cui divino ſymbolo diverſas dictiones aliam fidem ſignificantes, liceret apponere. Neceſſe eſt igitur verba omnia ad eumdem ſenſum referri, eoſque, qui ſyllabarum & dictionum meminerant, idem intellexiſſe, ut hæ dictiones eſſent fugiendæ, quæ diverſam fidem ſignificarent. Quemadmodum enim diverſus à noſtra religione ſenſus, vehementer eſt rejiciendus: ita etiam verba fidem aliam ſignificantia, refellenda ſunt. Patet igitur, prohibitionem ipſam nequaquam contra nos facere, quodque vos additionem, nos vero declarationem appellamus, id rem unam eandemque fidem ſignificare, & ad eandem ſpectare, unde liquet nos nequaquam eſſe ſub anathemate. Alia quoque præſtantiſſimi patres, ad hanc rem plurimum pertinentia dicere poſſemus, quæ ex quarti Concilii actis collegimus, verum opportunum eſt ut ſurgamus. Tum ſynodus decrevit, ut ad diem proximi ſabbati ſeſſio prorogaretur.

Intentio Epheſini Concilij.

Die Sabbati 25. Octobris. Septima Seſſio Ferrariæ.

TVA venia & gratia, pater beatiſſime, necnon mitiſſimi Imperatoris ac ſanctiſſimi Patriarchæ juſſu, orationem noſtram, quam proxima ſeſſione habuimus, proſequemur. Quaquidem oratione duo credimus oſtendiſſe, Spiritum ex filioque procedere, quemadmodum Romana Eccleſia profitetur, additionem non eſſe: ac nunquam interdictum fuiſſe, quo minus acceſſiones hujuſmodi ab Eccleſia fierent. Reliquum autem nobis erat, duo alia demonſtrare, quæ tunc probare promiſimus, additionem ipſam valde convenientem, nedum veram eſſe, ac plurimum oportere, ut à Chriſtianis omnibus excolatur: & ſi ſanctiſſimus ac ſummus pontifex, ac hi præſtantiſſimi patres, unum tantum ſufficere crederent, ut demonſtraremus acceſſionem ipſam veram & congruam eſſe. Veritas enim perpendenda eſt. Quandoquidem ipſa cognita, ejus contraria facillime diſſolvuntur, ut Ariſtoteles noſter teſtatur: quia omnia vero conſonant, falſo (inquit) cito diſſonat verum. Conveniens igitur eſſet, ipſius argumenti veritatem oſtendere, quod eo modo facilius vobis ſuaderetis, id Romanæ Eccleſiæ dubio procul facere licuiſſe: ad quod quidem probandum, cum publicis & privatis orationibus, tum certis libellis nos ſæpenumero provocaſtis, ea præſertim oratione, qua pater Epheſius ex nobis quæſivit, cur Romana Eccleſia acceſſionem ad ſymbolum fecerit. His ergo patribus gratiſſimum fieret, ſi veritas hæc eluceſceret. Namque cum in dubium vocari non poſſit, declarationem ipſam à majoribus noſtris fuiſſe factam: & ne forte quiſpiam ambigeret, an tali eſſet opus declaratione, idcirco nobis (ut ſupra dictum eſt) videbatur operæprecium, ejuſce rei veritatem oſtendere & aggredi, ex quo etiam crederetis, ipſam à Romana Eccleſia convenienter, maxima præſertim urgente neceſſitate additam ſymbolo fuiſſe. Veſtra autem argumenta, quæ privatim inter vos ferebantur, ut nunc nobis relatum eſt, facile poſſent refelli, quibus oſtendere credebatis, nos à ratione propoſita divertiſſe, ac nulla reſponſione ad veſtram orationem facta, ad valde impertinentia veniſſe. Quorum neutrum, patres ampliſſimi, credimus commiſiſſe. Si namque vos (ut libuit) peroraſtis, à ratione non fuerat abſonum, ſi ipſi quoque ad libitum noſtrum reſpondiſſemus, cum præſertim oratio noſtra nequaquam inepta videretur: ſed neque pace veſtra dixerim, impertinens fuerat. Nam etiam is, qui cauſam dicit in foro, aut in academia ſibi propoſitis argumentis reſpondet, quandoque ſolet divertere, & aliquam concluſionem probare: cujus deinde veritate percepta, ad propoſitum reverti: ita tamen, ut de juribus petentis neutiquam mutiatur. Sed ideo vobis videtur, nos nequaquam ad propoſitum reſpondiſſe, quod nondum ad tertiam partem venimus. Quærentibus enim vobis, an nobis liceret divino ſymbolo quicquam addere, aut verbum ejus aliquod declarare, necne, id nos proculdubio facere poſſe profeſſi fuimus. Sed cum aliam hujus rationem afferre non poſſemus, idcirco noſtram ipſam declarationem, veram ac neceſſariam eſſe volebamus oſtendere: Quod plane caput orationis noſtræ tertium futurum fuerat. De quo quidem non eſſet abs re (ut paulo ante dictum eſt) accuratius diſputare. Sed quoniam id graviter ferre videmini, ac nobis enunciaſtis, vos ad id minime reſponſuros eſſe, idcirco ut hac etiam in re vobis gratiſſimum faciamus, parte illa poſtpoſita, nonnulla alia proferemus, quibus & habita noſtra oratio explanabitur, quæque ad ea, quæ ſuo loco probavimus, neceſſaria fuerint: ita ut omnes intelligant, nos ad propoſitum reſpondere, & an juſtam in nos invehendi cauſam habeatis. Ut autem noſtra oratio plana & intelligibilis ſit, ex his ipſis noſtrum ſumemus exordium, quæ modo vos recitaſtis. Initio Nicænum ſymbolum protuliſtis: quod cur feceritis, non ipſi videmus, quandoquidem id videtur nulla nobis ratione obſtare, neque noſtræ ſententiæ contrarium eſſe. Noſtra enim controverſia eſt, an ſanctus Spiritus quemadmodum ex patre, ita etiam ex filio procedat; & an Romanæ Eccleſiæ hoc declarare licuerit. Symbolum autem ipſum tametſi ſanctiſſimum ſit, ad propoſitum tamen neutiquam ſpectare videtur. Num illud ipſi non credimus? Num à nobis non ſuſcipitur? num approbatur, num excolitur, num celebratur? num denique nobis idem & vobis commune non eſt? At pater Epheſius dixerat, ſecundum & tertium Concilium definiſſe, ſymbolum illud immutabile manere debere. Hoc etiam ipſi fatemur, non ita tamen, ut idem clarius ac lucidius reddi, ſi opus eſſet, non poſſet: ſed quæ ad ejus veritatem ſpectarent, ea ſemper immota manerent. Nam quemadmodum ſcientiarum principia, omnia ſua poſteriora potentia continent, ac in ſeipſis includunt: ita etiam Nicænum ſymbolum, Chriſtianorum doctrinam & fidem in ſeipſo implicitam continere, includere cenſetur. Illud enim, in filium ex patre natum, in Arrium hæreticum celebratum fuerat. Sanctum autem ſpiritum Deum eſſe, in Macedonium & Eunomium. Filium vero fuiſſe incarnatum & genitum, adverſus Neſtorium. Imo ſi quis omnia diligenter perpenderit, nullam prorſus præteritam inveniet hæreſim, vel futuram excogitabit, quæ non ejuſdem Nicæni ſymboli facultate diruta fuerit, vel quæ deſtrui non poſſit. Siquidem igitur ſymbolum hoc noſtræ fidei fundamento celebratum fuerat, neceſſe eſt, immutabile maneat, principiorum cæterarum ſcientiarum inſtar: quibus datis atque conceſſis, immotiſque permanentibus, multas concluſiones Doctores probare ſolent. Patet ergo cur Romanam Eccleſiam ex ipſo ſymbolo neutiquam accuſare poteſtis, quod una cum tertij Concilij definitione velim iterum recitetur. Audiſtis, ampliſſimi patres, interdictum ipſius Concilij utraque lingua perlectum: quo plane nil aliud prohibetur, niſi ut diverſa fides componi, vel litteris mandari, aut ab aliquo proferri non poſſit, quarum nihil ipſi benignitate

Symbolum Nicænum.

Dei commiſimus: quandoquidem paulo ante probavimus, unius ac ejuſdem eſſe religionis, profiteri ſanctum Spiritum ex filio, quemadmodum ex patre, procedere: quod expoſitio, explanatio, declaratio, dilucidatio, id denique genus alia, additiones non ſunt, cum diverſam fidem nequaquam ſignificent. Conſtat ergo clariſſime, interdictum illud minime contra nos facere.

Sed ad Cyrilli litteras veniamus; quas ad Joannem Antiochenum præſulem ſcripſerat, quæ (ſi placet) iterum recitentur. Ipſius tertij Concilij, authores Patres amplisſimi, præſertim idem ipſe Cyrillus, qui eidem præfuerat, ad ejus definitionem ac interdictum ſe referentes, privatim conſcripſerant. Siquidem igitur patres hi de fide tantum diverſa, non autem de verbis curabant, in dubium vocari non debet, quia litteræ quoque Cyrilli non eundem habeant ſenſum, ut ſingulas earundem litterarum particulas accurate conſideranti patet. Nullam (inquit) vel nobis vel mortalibus aliis facultatem concedimus, ut aliquam ſymboli dictionem mutare, aut unam ſyllabam præterire valeant, quorum neutrum in ſanctum ſymbolum nobis commiſiſſe videmur. Hæ ergo litteræ in aliquo nobis non obſtant. Præterea ſcitu dignum eſſe exiſtimo, cunctas ejuſcemodi definitiones & decreta, præſertim illud, de quo paulo ſuperius dicebamus, poſt Conciliorum decreta ſcriptum fuiſſe: Ergo quemadmodum cogente neceſſitate, his non obſtantibus interdictis, licebat Eccleſiæ declarare, divinaque dogmata illuſtriora reddere, ac ipſa Chriſtianos docere: ita etiam ſi quædam ſymboli particula a Romana Eccleſia fuerat explanata, id vitio vertendum non eſt: neque quicquam contra definitiones & prohibitionem ipſam commiſſum fuiſſe videtur. Amplius, pater Epheſius vocavit in controverſiam, cur tertia ſynodus de prima tantum fecerat mentionem, de ſecunda vero minime, qui deinde ſibipſi recte ſubtiliterque visus eſt reſpondiſſe, quod utrumque earundem ſynodorum ſymbolum pro uno ſolo dijudicabatur, quod ſenſum unum habebant, etſi quibuſdam in verbis differre plurimum viderentur. Quam quidem reſponſionem ipſi ſuſcipimus, ac ei noſtra in controverſia innitimur: parique ratione credimus hoc noſtrum ſymbolum diverſis vocabulis unam eandemque fidem ſignificare. Hoc igitur tertij Concilij interdictum haud contra nos facere videtur. Sed Chalcedonenſe quoque legatur decretum.

Jul. Card. In Chalcedonenſi Concilio, Patres optimi, Nicænum primo, deinde Conſtantinopolitanum ſymbolum fuit recitatum, poſtea vero Concilium ipſum decrevit, hoc ſymbolum ad perfectam noſtræ fidei notionem ſufficere: ultimo autem inſtar tertij Concilij interdixit, ut aliam fidem proferret nemo.

Andr. Etſi hujuſmodi definitio & interdictum, præſtantiſſimi Patres, nequaquam contra nos facit, tamen ut id omnes clarius intelligant, nonnullas afferam rationes. Nam illuſtriſſima ſynodus illa decreverat Conſtantinopolitanum ſymbolum ad incarnationis Dei filij dilucidationem, ac noſtram fidem ſufficere: quia tamen verbis clariſſimis non conſtabat, idcirco nonnulla ei verba addiderat, nonnulla etiam ab ipſo (ut patet) abſtulerat: propterea tamen fidem ipſam mutaſſe, aut prorſus aliam feciſſe non creditur. Interdicta igitur ipſa facta fuiſſe cenſemus, ne cui ſenſum ipſius ſymboli mutare liceret: non autem, quo minus Eccleſia ſymbolum ipſum in poſterum exponere dilucidareque poſſet. Sed velim à vobis amp. patres doceri, an ſacratiſſimum Evangelium perfectiſſimam noſtræ religionis doctrinam præ ſe ferat. Equidem vos aliud nil puto pro veſtra ſumma pietate reſponſuros, quam conſummatiſſimam fidei noſtræ ſcientiam in ipſo concluſam eſſe, licet quam plurimi Græcorum ac Latinorum Doctores, illud, necnon Apoſtolorum ſymbolum explanaverant ac declaraverant. Hæc igitur patris Epheſij ſententia vera videtur eſſe, totam ſacram ſcripturam ita noſtris à majoribus fuiſſe probatam & obſignatam, ut addere vel ab ea quicquam auferre fas nemini ſit. Propterea que dicebat, idem quoque nobis de ſymbolo credendum eſſe. Evangeliſtas autem noluiſſe, quin aliquis eorum ſcriptis addere poſſet: ſed ipſorum fuiſſe ſententiæ, ut talis inhibendi facultas ſuis poſterioribus deferretur: necnon ſecundum Concilium, ipſorum Evangeliſtarum veſtigia ſequutum, nequaquam interdicere voluiſſe. Hæc (pace veſtra dixerim) in pagina ſacra non extant. Imo Paulus ad Galat. inquit: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et Joannes in Apocalyp. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Omnes ergo Doctores ſancti potuerunt interdicere, ne cui liceret acceſſionem ad eorum ſcripta facere: poſteriores tamen ſcripturam ſanctam clariorem neceſſario reddidere. Nam quoniam Arrius profitebatur Dei filium creaturam, alteriuſque ſubſtantiæ à Patris ſubſtantia eſſe, ſcilicet his verbis ſervatoris innitens, *Pater major me eſt*: ideo Doctores hac adducti neceſſitate, quanam ratione Patre Filius minor eſſet, declaravere: ut in poſterum accidere poterit. Sanctum enim Spiritum, Deum ac Dominum & vivificantem profitemur, & qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: ipſum tamen cœli & terræ factorem eſſe neutiquam in ſymbolo celebramus. Ergo ſi nova hæreſi quereretur, cur ſanctus Spiritus, inſtar Patris & Filij, factor Cœli terræque non celebretur, nonne tum nobis neceſſe fuerit, ut convocata Eccleſia quæſtionem hujuſmodi diſſolvamus, ac veritatem ipſam prædicemus, ſanctum videlicet Spiritum ita Cœli & terræ factorem eſſe, quemadmodum Pater & Filius? & Eccleſia igitur neque à tertia, neque à quarta neque cæteris à ſynodis ita præſcriptis legibus interdicta videtur eſſe, ut cogente neceſſitate, ambigua declarare non valeat. Sed quatræ ſynodi definitio iterum (ſi lubet) recitetur. Ecce, Patres ampliſſimi, quam clariſſime patet, quidnam in hac quæſtione dicendum ſit. Synodus enim quarta decreverat, ne cui liceret in poſterum aliam fidem aut diverſum ſymbolum componere vel proferre, quorum neutrum ipſi gratia Dei commiſimus. Sed verbum illud, ſi ſuffeciſſet, diligentius rogo perpendite. Non enim ſynodus dixerat, ſufficit: ita ut oratio ipſa ſic intelligi debeat, ſi nulla hæreſis emerſiſſet. Sed quoniam plurima inſurrexerat hæreſis, ideo neceſſe fuerat, ut diverſis temporibus, fide tamen ſymboloque non mutato, diverſæ fierent expoſitiones. Symbolum autem fuiſſe perfectum, quemadmodum pater Epheſius protulit, ob idque nulla indiguiſſe additione, ratione duplici poteſt intelligi vel quantum ad veritatem & fidem, vel quantum ad notionem pertineat. Ea igitur ratione ita ſymbolum fuiſſe perfectum, ut ei non eſſet opus acceſſione, fatemur: ob plurimam tamen hæreſim ortam, neceſſe fuerat ut accuratiori expoſitione perfectiorique explanatione ſymbolum ipſum dilucidaretur. Rerum profecto neceſſitatem ac varios temporum curſus, Patres ampliſſimi, conſiderare debetis. *Caſus.* Homines enim mortales cum ſint, omniaque futura neutiquam perſpicere poſſint, neceſſe eſt, eadem ſemper Eccleſia maneat, eademque dignitate prædita ſit: ut uſque ad ſeculi finem contradicentibus ſe opponat, ipſoſque redarguat, & refellat. His igitur fortiſſimis patet argumentis, nullum obſtare decretum, quo minus Eccleſia valeat dubia & obſcura exponere ac dilucidare. Præterea poſt ſymbolum & decreta ſancita, definitiones traditæ fuerant: quod ſi valde eſſet ignotum, quid tenendum eſſet pro religione ac bonis moribus, eſſet in poſterum declarandum, propterea que ſæpiſſime aliæ atque aliæ definitiones poſteritati

damnamus. Sanctorum igitur Patrum decreta ita præfinita videntur esse, ut quemadmodum diversa denuo definitio tradinit, ita etiam explanatio ipsi conveniens possit fieri. Porro autem ipsi quoque concedimus, quod pater Ephesius protulit, nulli fas esse aliud symbolum tradere: ea tamen ratione, qua præsul ipse dicebat, Constantinopolitanum à Nicæno neutiquam discrepare, etsi plures illud syllabas, ac dictiones habeat, huic vero multa vel addita, vel ab eodem ablata fuerint.

Iul. Card. Sessione proxima, Patres optimi, verbum, si suffecisset, ac totam ipsam orationem non accuratè exposuistis. Verùm, quod quæstionem nostram facile solverit, prætermisistis. Nam Chalcedonense Concilium, inquit, nil addentes vel auferentes, sed Sanctum Spiritum esse Dominum declarantes, & reliqua. Quiquidem sermo erat in eos qui sacræ paginæ innitentes contra Sanctum Spiritum differebant. Ex his itaque verbis quæ vos silentio præteristis, luce clarius patet, ipsam nostram declarationem, ex filioque, talem non esse accessionem, qualem Conciliorum decretis prohiberi censemus, quemadmodum Beatus Thomas in lib. contra Græcos hanc eandem quæstionem dissolvit. Sed ex quinti Concilii actis, Joannis Constantinopolitani præsulis sermo recitetur.

Andr. Orationem nostram, patres Amplissimi, ex quinti Concilii sententia, veram esse probabimus: Ut Christi fideles (inquit ipse Joannes) ab ineptis verbis abstineant, mentem autem suam divino symbolo, quo baptizati sumus, adhibeant, quod quidem Nicæna Synodus sancti Spiritus gratia memoriæ prodidit, & reliqua. A cæteris tamen Conciliis magna verborum mutatio eidem symbolo facta fuisse videtur, quam tamen ipsi declarationem esse dicimus: quandoquidem eorum, quæ ad fidem pertineant, nulla prorsus in eo apparet mutatio. Non ergo Romana Ecclesia divino symbolo quicquam addiderat, neque in posterum addet: Sed Vigilii litteræ iterum legantur. Summus is Pontifex, patres Amplissimi, declarans quid de religione sentiret, id quod ipsi quoque credimus ac profitemur, memoriæ prodidit: ut aliam doctrinam & fidem aut diversum symbolum nemo profiteri deberet, sed tantum illud, quod Nicæna Synodus pie tradidit. Constantinopolitana vero ampliavit, ac Ephesina illustravit. Idem igitur cum Vigilio volumus, idem sentimus, qui nil prorsus decrevisse videtur, quod non ipsi quoque profiteamur, summoque studio prosequamur.

Iul. Car. Harum litterarum una particula, patres optimi, nostram quæstionem dissolvet. Ephesinam, inquit, suscipimus Synodum, quæ majores suos sequuta, Nestorium impium ac eius scelestissima dogmata sectamque damnaverat. Siquidem igitur ea ratione Nestorius fuerat damnatus, sequitur, ut hi, qui ea omnia quæ in symbolo sunt inclusa, profitentur, nequaquam debeant condemnari: verùm hi tantum, qui à symbolo diversa sentiant: quandoquidem diversitas dogmatum solummodo prohibetur. Sed sextæ Synodi decretum iterum recitetur. Nicænum ecce symbolum in primis susceperat, dein Ephesinum, postea vero decreverat, postremo autem interdixerat. Undè vestra ex sententia sequeretur, eos, qui ipsius Synodi decretis, nedum qui symbolo addiderint, prophanos esse.

Marc. Brevitati studentes ipsi, definitiones hujusmodi recitare noluimus.

Iul. Card. At plurimum ad nos spectare videntur. Nemo enim crederet eos sub anathemate esse, qui ejusmodi definitionum fuerant Authores, quæ non in symbolo celebrantur. Sed magna inter hos libros discrepantia esse videtur. Nam in Constantinopolitano symbolo, quod ab Ephesina & Chalcedonensi synodo constat cinctum fuisse, neque Deum de Deo, neque de cœlis, legitur in hoc libro. Operæpretium igitur est hoc in vetustioribus libris inspicere. Est ne ita reverende pater, an non?

Marc. Ipsi sane symbolum celebramus, quod scripturæ relictum fuerat. Si autem inter vos talis controversia est, ut videritis.

Iul. Card. Hic non est scriptum, de cœlis. In margine autem ita legitur: Nota Græcos qui celebrent, de cœlis.

Ruth. Num vos, de cœlis, non celebratis?

Iul. Card. Id ipsi celebrare solemus.

Ruth. Ergo convenimus, quemadmodum in nostris libris est scriptum. Unde autem vestra hæc ambiguitas orta fuerit ignoramus. Siquidem igitur sic ab omnibus celebratur, quemadmodum in nostris ac vetustissimis libris legitur, nullam ipsi rememur reddere rationem, cur in libris vestris discrepantia sit.

Iul. Card. Hæc ideo protuli, ut ostenderem id addi symbolo potuisse, quod non esset alienum à ratione: ut constat, post Ephesinum interdictum, accessionem congruam ad symbolum factam fuisse.

And. Sed neque ex sextæ synodi inhibitione, præstantissimi patres, potestis nos merito incusare. quandoquidem ipsa Synodus de alia tantum fide, diversoque symbolo sentiebat. Ipsi vero (ut supra multis ac fortissimis argumentis probavimus) non aliam fidem colimus, neque diversum symbolum celebramus. Nunc ad Agathonis literas veniamus quas iterum, obsecro recitetis. Sententia nostra, patres Amplissimi, litteris his confirmatur. Huic uni summe studio, inquit, incumbentes, ut nil prorsus eorum minuatur aut mutetur, aut quicquam ipsis addatur, verùm omnia in verbis atque sententiis eadem permaneant. Et infra: Constanti animo sumus, ut decreta à Catholica & Apostolica sede nobiscum pro fide tradita, servemus, atque colamus. Satis est ergo, ut in sententiis, hoc est in significatione & intelligentia, rata maneant juxta illud Apostoli: *Corde creditur ad justitiam.* Fides autem non solum in mente, verum etiam in confessione consistit, quæ quidem non nisi verbis fieri potest. Porro quoniam apud Aristotelem, voces sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ, animorum videlicet affectus significantes: Idcirco quid quisque profiteatur, intelligi bene non poterit, nisi verba menti conveniant, ut exemplari exemplum. Bene ergo credimus non licere, verba rationi contraria, vel diversam significantia fidem, apponere symbolo. Paulo vero supra probavimus, declarationem ad perfectam intelligentiam pertinentem, non esse vetitam. Agathon igitur summus Pontifex, verba diversam tantum fidem significantia prohibuerat. *Rom. 10.*

Iul. Card. In Agathonis symbolo, patres optimi, nonnulla sunt verba, quæ Constantinopolitano symbolo, multis aliis ablatis, is addiderat. Nam abstulit quidem hæc, *& in unum Dominum Iesum Christum, & ex Patre natum ante omnia sæcula*: nec-non, *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum.* Hæc autem addidit, *quæ in cœlo, & in terra.* Quæ quidem verborum accessio, declaratio potius quam additio debet nuncupari: quæ declaratio (ut sæpe ac sæpius dictum est) nullis præscriptis legibus prohibetur. Si quidem igitur Agathoni licuerat Constantinopolitano symbolo non minus addere, quam ab eo verba plurima auferre, non tamen propterea ipsum accusatis, cur nos parvæ hujus additionis, ex filio, quæ verum significat, tam vehementer arguitis? *Forsan: & quæ.*

Andr. Probitas ergo & innocentia nostra ex his, quæ diximus, explorata est, ac nos immerito à vobis incusari. Nunc autem ad septimam Synodum venimus, cujus in primis symbolum recitetur.

Septima Synodi symbolū.

Iul. Card. Maxima librorum noſtrorum diſcrepantia videtur eſſe. Nam in noſtro veruſtiſſimo ſcriptum eſt, ex filioque, in veſtro autem minime. Sed de hoc alias.

Andr. Symboli particulam, ex filioque, à ſeptimo generali Concilio conſtat celebratam fuiſſe, ſed hoc alias accuratius perſcrutabimur. Symbolum autem dixiſtis, à majoribus noſtris ita probatum & obſignatum fuiſſe, ut nulla ratione mutari liceat, quemadmodum ex eo cognoſci poteſt, quod verbum *Τεκτονος*, id eſt, deipara, in ſymbolo neutiquam celebratur. De qua cum eſſet Neſtorii temporibus vocatum in dubium, an Mater Dei nominari deberet, nec ne, habita diligenti conſideratione, Concilium definivit, ut vera Dei mater appellaretur, quod tamen ſymbolo (ut dictis) nolens addere, decrevit, utin actis eius conſcriberetur, poſteritatique traderetur. Quæ omnia, patres Ampliſſimi, concedimus, ac vera fatemur eſſe. Sed ideo neceſſe nequaquam fuiſſe, ut verbum illud ſymbolo adderetur, quod pluribus aliis ſymboli verbis cognoſcitur, Mariam Virginem Dei genitricem eſſe. Nam ex Patre natum, & conſubſtantialem Patri, (Filius enim Deus eſt, quemadmodum etiam Pater) amplius & incarnatus, & homo factus: omnia hæc in ſymbolo celebrata, proculdubio Deum & hominem natum eſſe ſignificant. Præterea, tametſi definitiones & ſymbolum in aliquo differunt, in pluribus tamen conveniunt. Nam differre quidem videntur, quod plura eorum, quæ ad fidem pertinent, à definitionibus quam à ſymbolo continentur, (dequibus in præſentia dicere non opus; nam multa volumina decretis ejuſmodi plena ſunt) convenunt autem, quod ſimul ad noſtram ſpectant religionem. Propterea noſtri majores ipſius ſymboli ac decretorum omnium authores, pro cunctis ſimiliter interdixerant, ut ſymbolum pariter & decreta vim eandem habere oſtenderent. Unde evenit, ut eorundem ſymboli ac decretorum prævaricatores, in quibuſdam conventibus anathemate fuerint devincti, non tamen propterea Chriſti fidelibus viſum fuit, fidem in aliquo diminutam fuiſſe; Virginem autem Dei genitricem fuiſſe tantundem eſt in definitionibus fuiſſe repoſitum, ac ſi in ſymbolo celebratum fuiſſet. Quod tamen ſi patres ii facere voluiſſent, his quas ſupradiximus rationibus, proculdubio potuiſſent, quemadmodum poſteriores ſynodi multa ſymbolo verba addiderunt, quæ non ita, ut verbum, Dei genitrix, neceſſaria fuiſſe videntur. Illis enim Synodis exploratum fuerat, quæ de Servatore noſtro in Nicæno ſymbolo celebrantur, quam maxime ſatisfacere.

Symbola & definitiones.

Iul. Card. In hoc valde diſſentire videmur, ſi omnia poſt primum Concilia generalia, verbum, Deiparam, addere ſymbolo voluiſſent, utrum potuiſſent; an non. Et ſi Chalcedonenſe Concilium, quod materiam hanc tractaverat, id feciſſet, an prophanum fuiſſet? Reſpondeat ergo Pater Epheſius, reſpondeat, inquam, ac affirmet vel deneget.

Imperat. Non neceſſarium eſſe videtur, ut ad hoc ſolùm reſpondeat, verum tota intellecta oratione, vobis ad omnia reſpondebit.

Iul. Card. Videre videor mentem veſtram, Patres Ampliſſimi. Creditis enim ſanctos Chalcedonenſis Concilii authores, fuiſſe prophanos, & verbum, Deiparam, ſymbolo addidiſſent. Atſi ſynodorum dignitatis rationem habere volumus, eamdem conctis facultatem fuiſſe credemus. Sin autem ipſarum authorum numerum conſiderare velimus, in Epheſina ſane 200. in Chalcedonenſi vero 600. & 30. Patres fuiſſe conſtat, qua quidem ratione hæc illa dignior, majoriſque poteſtatis fuiſſe videtur.

Andr. Satis nobis videtur, Patres Ampliſſimi veſtris quæſtionibus reſpondiſſe, ipſaſque diſſolviſſe. Nam ſymbola & decreta divinaque dogmata, nec non ſanctorum literæ, quas in medium protuliſtis, in hoc convenire videntur, quod cuncta ſignificant nemini Chriſti fideli licere divino ſymbolo fidem aliam addere literiſve mandare, aut quovis modo proferre, quandoquidem Patres hi de verbis nihil curaverant. Ipſi autem demonſtravimus Romanam Eccleſiam, neque nominibus, neque verbis, neque aliqua ratione diverſam fidem poſteritati prodidiſſe. Patet etiam illud, *ex Filioque*, quod ipſa Romana Eccleſia ſolet in ſymbolo celebrare, nequaquam fuiſſe veritum.

Licuit Eccleſ. nom. ſym. dilucidare.

Sequitur caput ultimum explicare, ac multis argumentis probare, Romanæ Eccleſiæ licuiſſe particulam ipſam dilucidare prædicareque, cum præſertim Sanctorum Patrum ſententia nota, magnorum principum authoritate adducta, magna deniq; neceſſitate coacta fuerit. Propterea q; majores noſtri huic ſententiæ facillime acquieverant quemadmodum vos, qui proborum patentum probi filii eſſe cenſemini, facere ac ſentire nobiſcum deberetis. Sed nunc ſanctorum Doctorum authoritates in medium afferamus, & in primis Auguſtini illuſtriſſimi Latinorum Doctoris: quem cuncta Synodus conſecravit, quippe qui multis in locis, præſertim in libro de Trinitate, Sanctum Spiritum ex Patre Filioque procedere, ſcriptum reliquerat. Idem etiam Clariſſimus Doctor Ambroſius literis mandaverat. Idem Gregorius noſter teſtatur. Hilarius etiam (quem magnum appellare ſoletis) eandem ſententiam in libro de Trinitate reliquerat. Quorum omnium Doctorum ſententiam ſi diligenter perpenderitis, proculdubio cognoſcetis Romanam Eccleſiam nil abſoni, nil incongrui, nil denique quod cum Sanctorum Patrum dogmatibus pugnet, profiteri. Sed ut veritas melius illuſtretur, nonnullos etiam veſtrorum Doctorum teſtemur. Nam magnus Baſilius in Epiſtola ad Canonicos, naturalem Patris & Filii, ſanctique Spiritus ordinem deſcripſit. Sanctus ſpiritus, inquit, Patri quidem & Filio connumeratur, cum ſupra omnem creaturam ſit, ordine vero tertius eſt, ut Euangeliſta nos docet, Domino dicente: *Euntes in univerſum mundum, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Qui autem eum præponit Filio, aut ſuperiorem Patre dicit, hic contradicit Dei traditioni, & alienus à ſana fide eſt, quam accepit, laudationis formam non ſervans. Et poſt pauca: Quare ſi quis hunc ordinem pervertit, ipſam perſonarum exiſtentiam & totam fidem inficiatur. Beatus item Gregorius magni Baſilii frater, ac in dignitate & doctrina ipſo nequaquam inferior, inquit, Filium immediate ex Patre eſſe, idque ipſius Filii proprium eſſe. Athanaſius etiam; Qualem ordinem, inquit, & naturam Filius habet ad Patrem, talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium. Sed ad eundem Baſilium redeamus, qui Zachariæ illud, *aurealampas*, exponens: Quemadmodum, inquit, Pater naturaliter ac eſſentialiter Sanctum Spiritum habet. Beatus quoque Joannes Chryſoſtomus ſuper Joanne Evangeliſta: Omnia, inquit, Filius eſt, quæ & Pater, hoc & excepto, quod ille quidem eſt genitor, hic autem natus. Sunt etiam alii Orientales Doctores, qui hanc ſententiam memoriæ prodidere, de quibus ſuo loco dicemus. Nunc autem quandoquidem tota noſtra difficultas videtur eſſe in verbi, *procedere*, vi percipienda, idcirco nonnullos veſtros doctores in medium producemus, complures vero alios ad aliud tempus ſervabimus, qui omnes profeſſi fuerant ſanctum Spiritum ex Filioque procedere. In primis igitur Simeon Metaphraſtes veſtris in Eccleſiis celeberrimus accedat, qui in Beati Dionyſii vita inquit: Terminum corporeæ peregrinationis accipit, & quæ Spiritus ſunt, ſpiritualiaque exercet, ac in cœlos Chriſtus meus aſcendit, ad paternamque ſedem revertitur, & Spiritum qui ex ipſo procedit, diſcipulis ſuis demittit, ut ipſi gentem infidam regant. Ex hujus ſancti ſententia,

Patres antiqui.

Matt. 16. Matt. 28.

Baptizationis.

Zach. 4.

præſtantiſſimi Patres, apparet, Spiritum ex Filioque procedere, quemadmodum Romana Eccleſia profitetur, verum eſſe. Quam enim apud Græcos genitivus caſus vim habet, eandem apud Latinos ablativus ſibi vendicare videtur. Anaſtaſius etiam de monte Sina veniat, qui in ſermone de noſtris veris dogmatibus inquit: Ex corporis proprietate ac membrorum analogia ſimilitudineque capientes exemplum, divinarum perſonarum relationem, mutuamque dependentiam comprehendimus. Sic enim ſpiritus oris eius, hoc eſt, Dei, ſanctus Spiritus nominatur, cum os unigeniti ſit. Rurſus: Spiritus qui ex ipſo procedit, & mittitur, non ſolum ex patre, verum etiam ex Filio. Legatur & Theodoriti dictum, ac ad ipſum Cyrilli reſponſio. Sed accedat magnus ille veſter doctor Epiphanius, qui ſuper his dictis: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, dicit ita: Si ergo à Patre procedit, & de meo accipiet, dicit Dominus, quemadmodum nemo Patrem novit niſi Filius, & nemo Filium niſi pater: ita equidem proferre audeo, & Spiritum nemo noverit, niſi Pater & Filius, à quo procedit & accipit. Hæ ſunt doctorum veſtrorum ſententiæ, pluribus aliis omiſſis, de quibus in præſentia mentionem facere nolumus, quibus Romana Eccleſia innixa, non putat quicquam aliud celebrare, quam quod ſancti Conciliorum generalium authores, ac eorumdem poſteriores, nobis tradiderant, major pars quorum, ut Anaſtaſius & Maximus teſtantur, in eis conciliis fuerat: ergo verum eſt, ex Filioque proferre, idque neceſſario additum, quemadmodum Orientalis Eccleſiæ patres hæreticorum importunitate coacti, multas ſymboli particulas declaraverant. Namque Neſtoriana ſecta in Orientali Eccleſia prædicabat, ſanctum Spiritum, neque ex Filio eſſe, neque ab eo eſſe accipere, ut ex Neſtorii ſymbolo pater. Theodoritus quoque ipſius Neſtorii conſcius, illud Pauli: *Spiritus filii*, declarans, dicebat ibidem ſanctum Spiritum non accipere eſſe à Filio. Propterea Cyrillus literis mandavit ſanctum Spiritum eſſe per Filium, ac Filii eſſe, & ab ipſo profluere: quam profecto ſententiam non dixiſſet, niſi coactus fuiſſet hæreticorum ipſorum opinionem evertere, quemadmodum etiam Romanæ Eccleſiæ contigit. Nam maximo in Gallia & Hiſpaniis ſchiſmate imminente, cum jam ex Filioque, paſſim celebraretur, Romano Pontifici fuit neceſſe, in multorum Occidentalium amplæ dignitatis magnique conſilii patrum conventu, addito, *ex Filioque*, ſymbolum magis illuſtrare, nequaquam ſane putanti quicquam indigni committere, quippe qui non fuerat neſcius, conventus multos ante primam Nicænam Synodum celebratos fuiſſe, initio Antiochiæ contra Paulum Samoſatenum, deinde Ancyræ adverſus eos, qui revertentes ad fidem, à qua tormentorum metu defecerant, recipere recuſarent: Poſtea vero Neocæſareæ, quos tamen conventus omnes Synodus ipſa Nicæna comprobavit, nonnullis eiuſdem Neocæſarienſis conventus de ſeptem diaconibus actis exceptis, quæ cum probanda non eſſent, refellit. Conventum etiam Sardenſem, Occidentalem poſtea nuncupatum, Conſtantini tempore celebratum, Synodus ſecunda ſuſcepit: ad quem cum 70. Patres Orientalis Eccleſiæ conveniſſent, in ipſum intrare noluerant, quod Patres Occidentales Paulum & Athamſium excludere noluerunt, qui quidem Patres, Nicænæ tum Synodi geſta ab omnibus Chriſtianis ſuſcipi ac excoli debere, decreverunt. Quod quidem decretum ſecunda deinde Synodus ſine ulla controverſia confirmavit. Sed rem altius repetamus. Imperante Conſtantino, magni Conſtantini filio, Conſtantinus frater eius cum Arrianis hæreticis conſpirabat, maximo ſane deſiderio affectus, ipſius Nicænæ Synodi acta reſcindere, ipſamque piam doctrinam funditus evertere: quæ ſummus Pontifex ægre ferens, Imperatori ſcripſit: is autem Conſtantino fratri ſuo minatus, ſe ei bellum acerrimum illaturum, niſi ea tali propoſito receſſiſſet. Propterea Sardenſe ipſum particulare Concilium fuit celebratum, quod in tertio ſecundæ Synodi canone, Occidentale (ut ſupra dictum eſt) nuncupatur. In quo ſanctum fuit, trecentorum decem & octo Patrum fidem in prima Synodo traditam, veram & ſanctam fuiſſe, atque ab omnibus Chriſti fidelibus complectendam & excolendam. Quam deinde ſanctionem ipſa ſecunda Synodus approbavit, ut in hoc Græco de Eccleſiaſtica hiſtoria volumine legitur.

Imperat. Quiſnam eſt author hujus voluminis?

Andr. Hermeus.

Imperat. Eſt ne rationi congruum, ut in Synodo hiſtoriæ innitamur?

Andr. Ad cognoſcendum res geſtas, Sereniſſime Imperator, hiſtoria uti debemus. Nam & Evangelium, ac vetus ſacra Scriptura, inſtar hiſtoriæ, poſteritati tradita fuerat.

Imperat. Hiſtoriam illam in noſtra religione debemus ſuſcipere, quam majores noſtri probaverunt, aliam vero minime.

Andr. De Romanorum, aut Græcorum, aut Regum bello hiſtoria, mitiſſime Imperator, in Synodo nequaquam uti debemus. Sed cùm hiſtoria hæc Eccleſiaſtica mera ſit, in qua cuncta omnium Synodorum acta & Patrum Sanctorum definitiones & canones explicantur, cur ei credendum non eſt, cum præſertim in veſtro Græco, nedum in noſtro volumine, res eædem narrantur? Sed (ut lubet) humaniſſime Imperator, omiſſis his, unde digreſſi ſumus, revertamur. Ut noſtræ fidei veritas, Patres Ampliſſimi, dicebamus, magis illuceſceret, magna præſertim urgente neceſſitate, Romanam Eccleſiam hac vera particula *ex Filioque* ſuperaddita, Symbolum declaraſſe ac dilucidaſſe. Sed ſi quis quæret, cur ad id cæteras Eccleſias convocare noluerit, ingenue reſpondebimus, incertum nobis eſſe an non fuerint convocatæ. Deinde Romanam Eccleſiam ad convocandas ipſas nequaquam obſtrictam fuiſſe. Nobis namque notiſſimum eſt, veteres illas Synodos diverſo patrum numero fuiſſe celebratas. Primam videlicet trecentorum decem & octo, alteram 100 & 50. tertiam 200. quartam vero 610 & quæ quandoque pauciores Patres decreverant, ea ſine controverſia à cunctis ſuſcepta fuiſſe, ut ſeptimæ Synodo contigiſſe conſtat. Cui poſteaquam Conſtantinus Imperator ſe literis excuſaverat, cur præſules non convenerint, nec ipſe adeſſe potuerit, quod magnis negotiis fuerat impeditus, eam magna veneratione ſuſcepit, ac eius acta probavit. Siquidem igitur tot Occidentales Antiſtites præſente Summo Pontifice, cui ad celebrandum Concilium ſumma facultas fuit, & eſt, ut veſtri quoque Doctores teſtantur, Concilio celebrato ſymbolum declaraverant, nihil referre videtur, ſi nonnulli præſules adfuerint. Accedat autem Stephanus Doctor veſter, ac teſtetur injuſſu Summi Pontificis ſynodum celebrari non poſſe. Qui cum vidiſſet quoſdam Conſtantinopoli congregatos, magno affectos Concilii convocandi deſiderio, eos vehementiſſime increpaverat, dicens: Quonam pacto injuſſu Summi Pontificis, ac ejus abſente vicario, Concilium convocare celebrareque poteſtis? Veniat & B. Cyrillus, qui Cœleſtini vicarius (ut prædictum eſt) Epheſinæ Synodo præfuit, ad quam cum Joannes Antiochenus præſul ſerius veniſſet, Cyrillum increpavit, quod ſe ſuiſque ſociis abſentibus, eam jam cœperit celebrare, propterea que volebat ejus acta reſcindere. Cui Cyrillus reſpondit, ſatis ei fore conſultum ſi in Synodum introduceretur, ipſi autem non licere acta Synodi reprobare; ita ut quæ ante ipſius Joannis adventum acta aut acta fuerant, firma validaque non permanſiſſent. Ergo nec vobis convenit, Patres Ampliſſimi, Romanam Eccleſiam incuſare, quod inconſultis vobis ſymbolum declaraverat. Præterea cur à Romana Eccleſia

Ioan. 16. Mat. 11.

Gal. 4.

Conſtans

convocari deberetis, non inſcii quemadmodum jam diu ſymbolum celebraret ac prædicaret, non ſolum ei contradicere noluiſtis, verum etiam longum tempus cum ipſa conjuncti fuiſtis? ex quo quidem facimus conjecturam, vos ob ejuſcemodi ſymboli declarationem haud in nos commotos fuiſſe, neque à nobis ſejunctos. Propterea ſanctus Maximus dicere ſolebat, Romanam Eccleſiam ab Orientali immerito accuſari. Cujus literæ ad Marinum ſcriptæ legantur. Quibus quidem Græce recitatis, atque à Coloſſenſi præſule latine expoſitis, Nicolaus Græcorum interpres, habita dicendi facultate, dixit ita:

Nicolaus. Non bene, pater reverende, interpretatus hoc dictum es, dicens, ſanctum Maximum literis mandaſſe, Græcos unicum ſancti Spiritus principium cognoviſſe. Non enim ex literis hic ſenſus elicitur, verum Græcos Filium ſancti Spiritus cauſam neutiquam facere: deinde quod unicum Filii ſanctique Spiritus cauſam Patrem noverant.

Andr. Tum præſul Coloſſenſis: de his, inquit, ſuo loco dicemus, quando etiam demonſtrabimus ſanctum ipſum hanc intelligentiam habuiſſe. Porro autem ſit ſatis nobis, probaſſe, beatum, Maximum putaſſe Romanam Eccleſiam injuſte inculari. Sed videamus & aliud dictum ejus.

Nicol. Tum Nicolaus: Noveritis, inquit, Patres ampliſſimi, dictum fuiſſe Maximi, ſed ab alio ſcriptum poſt ſchiſma fuiſſe.

Andr. Tum Coloſſenſis: De his, inquit, alias accuratius agemus. Nunc autem ex his hanc habemus concluſionem, ſummum illum Pontificem ſextæ Synodi tempore fuiſſe, ut ex ſcriptis cognoſcitur, quando etiam ſymbolum cum particula, *ex Filioque*, non ignorantibus vobis, Romana Eccleſia celebrat. Nequaquam ergo proferre debetis, id inſcientibus vobis additum fuiſſe. Amplius ex 7. ſynodi actis apparet, particulam ipſam tunc probatam, ſuſceptamque fuiſſe. Conſtat namque Synodum ipſam nullam de Nicæno Conſtantinopolitanoque ſymbolo mentionem feciſſe, quemadmodum fecerant priores: propterea quia cunctis jam fidelibus notum foret, utrumque ſimul pro unico ſuſcipiendum, ac nullam de ſymbolo controverſiam eſſe. Præterea ex Tharaſii Conſtantinopolitani præſulis literis, in tertia ejuſdem ſynodi
7. Synod. ſeſſione ſcriptis, apparet, ſanctum Spiritum ex Patre per Filium procedere, quod idem eſſe probabimus *ex Filioque*. Siquidem igitur ſoli Tharaſio id egiſſe licuerat, cur non Romano Pontifici ac tot Occidentalium Patrum Concilio licebit? Præterea vetuſtiſſimum ſeptimæ ſynodi librum habemus, in quo plane ſanctum Spiritum *ex Filioque* procedere ſcriptum eſt, ut multis etiam aliis annalibus conſtat, argumentiſque plurimis ipſi demonſtrare poſſemus. Sed quoniam ſeſſione proxima octavi Concilij meminiſtis, ideo quædam nobis ad eas prius dicenda ſunt, quæ nobis tunc objeciſtis. Photius namque Romanæ Eccleſiæ inimicus acerrimus, nullam de ſymboli additione faciens mentionem, in Nicolaum ac Adrianum ſummos Pontifices literis invectus eſt
Photius. plurimum. Qui cum in eos meliorem invehendi materiam habere non potuiſſet, quam ipſos prævaricatores legis, anathemateque notatos eſſe probare, id tamen nequaquam feciſſet: argumento maximo eſt, Romanam Eccleſiam à vobis immerito accuſari. Amplius Rom. Eccleſia, ſummuſque Pontifex ab eodem ipſo Concilio, ſciente quonam modo ſymbolum celebrarent, & prædicarent, ſummopere laudantur, ac Photius ipſe pro Ignatio condemnatur. Hoc inſuper præterea ſummus Pontifex, qui ante quintum Concilium Juſtiniani Imperatoris tempore fuerat, quaſdam literas ſcripſit, quas Joannes Conſtantinopolitanus præſul, ac cæteri Orientales ejuſdem temporis Præſules, æquo animo ſuſcipere, cum in eis clariſſime ſcriptum fuiſſet ſanctum Spiritum ex Filioque procedere. Cur igitur, Patres Ampliſſimi, additionem ipſam diſjunctionis ac diſſidii noſtri cauſam fuiſſe aſſeveratis, nolentes ea manente, nobiſcum jungi? Sed neque verum, rationique conſonum eſſe videretur, octavum illud Concilium antiquatum fuiſſe, cum neque Romanus Pontifex, neque vicarius ejus *8. Synod.* in illo ultimo conventu, quod paulo ante octavum Concilium nuncupaſtis, adfuerit. Si enim adfuiſſet, in eius annalibus proculdubio ſcriptum fuiſſet, quandoquidem omnia Romanorum Pontificum geſta, etiam non nimis neceſſaria memoriæ diligentiſſime tradi ſolent. Præterea, ſi conventus ipſe Ioannem ſummo Pontificatu privaverat, ac ſimul interdixerat, ut hæc ſymboli particula non amplius celebraretur, cur Romanus tum Pontifex non idem in ſua Eccleſia ſtatuit? Cur deinde vobis cum Prophanis anathemateque devinctis conſuetudo fuit? Cur denique tot ſummis Pontificibus in hoc etiam, quemadmodum pluribus aliis in rebus feciſtis, nequaquam contradixiſtis? Ex quibus ſequitur, ut vel ipſe conventus celebratus non fuerit, vel de re nullam prorſus fecerit memoriam. Hæc ergo particula, *ex Filioque*, Patres optimi, neque additio eſt, neque unquam prohibita fuerat, ſed explanatio, ac non aliena ratione dilucidatio eſt, ut pote quæ à noſtræ fidei veritate, ac ipſius rei neceſſitate, nec non Romani Pontificis facultate, multorum denique præſulum authoritate cauſam habuiſſet. Quam cum vos tolerando, ac tot annos tacendo, minimeque contradicendo confirmaſſe videamini, cur nunc contra nos commovemini? Si alia ratione adducti noſtram amicitiam fugitis, eam nobis obſecro patefacite. Namque qui ſanctum Spiritum ex ſolo Patre procedere diceret, is plane Sanctorum Patrum ſententiæ ac veræ fidei contradiceret. Duorum enim alterum incommodum neceſſe eſſet incurrat, ut vel in divinis perſonis non naturalem ordinem eſſe credat, aut Filium ſanctumque Spiritum, Patris creaturas eſſe. In quem quidem erro-
Eutyches. rem Arrius & Eutychius ac Macedonius inciderunt. Quem cum Romana Eccleſia clare vidiſſet, Occidentalium Patrum conſilio, ſummaque ſapientia divinum ſymbolum declaraverat.

Ut autem vobis pateat, ſolam hanc Petri ſedem *Mat. 16.* noſtræ fidei declarandæ facultatem habere, contra quam portæ inferi, hoc eſt, hæreſes, neutiquam prævalebunt, quemadmodum hucuſque minime prævaluere potuerunt, hæc ſola Græca legatur authoritas, quæ inſcribitur Epiſtola ſuper ſermone de fide, tametſi plures alias Græcas authoritates ad hanc rem pertinentes habeamus, præſertim beati Cyrilli theſauros, in quibus Romani Pontificis facultas & dignitas plurimum reſplendet. Sed hæc hactenus in præſentia. Silentio autem præterire nolim, Romanam Eccleſiam, cujus humeris incumbit veritatem reddere clariorem, hanc quoque veritatem, *ex Filioque*, neceſſario ſuſcepiſſe. Quæ quidem ſi non implicite vel explicite ſuſcepta fuerit, ſervari poterit nemo. Siquidem igitur, Patres optimi, orationi veſtræ velitis (ut par eſt) acquieſcere, non alia re opus fuerit, niſi ut clauſis ac poſtpoſitis libris, omnes veritatem hanc amplectamur, ac in Dei Eccleſia conjungamur.

Jul. Carth. Quoniam, reverendi Patres, Agathonis literis vehementer innixi videmini, ideirco non- *Agathon.* nulla proferre velim, quæ Coloſſenſis reſponſionem confirment, ac ipſam clariorem reddant. Sed prius hæ literæ perlegantur. Si veritatem, inquit, ſilentio præteribo, quam verbis his *Paſce oves meas, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos,* *Joan. 21.* *Luc. 22.* juſſus ſum præſtare volentibus: quando nobis neceſſe eſt Chriſtianos ea docere, quæ ad veram fidem pertineant: & infra, tota Catholica Chriſtianorum, generaliaque Concilia, eius, hoc eſt, Romani Pontificis doctrinam fideliter amplexata, nec non ſancti

omnes

omnes doctores ipſius Eccleſiæ lumina, ejuſdem doctrinam ſequentes, & reliqua. Cum ergo quippiam agitur de fide, neceſſe eſt Romano Pontifici ambigua declarare, eademque prædicare: ſynodis vero totique Eccleſiæ doctrinam ejus ſuſcipere: quemadmodum ex his ipſis Agathonis literis habemus, quas ſexta ſynodus ſuſcepiſſe videtur. Sed hæc hactenus. Et ſi libet furgamus, cumque vobis viſum fuerit, ſeſſionem aliam celebremus. Tum ſancta ſynodus juſſit, ut ad primam diem menſis Novembris ſeſſio fieret.

DIE PRIMA SABBATI MENSIS Novembris.

Seſſio octava Ferrariæ.

BESSARION.

ORationem veſtram, Patres ampliſſimi, æquo animo audivimus, cui modo nos reſponſuros, oportet etiam vos mutua benevolentia auſculteris, ita ut dictio noſtra mutuo habeatur amore: noſterque ſenſus ſic explicetur, ut ad ſanctam Eccleſiarum unionem omnes aſpicere videamur, agentes ea, quæ oportet agere: refellentes vero, quæ ad ipſum noſtrum finem pertinere non videantur, ut non nobis ipſis magis indulgere quam univerſalis Eccleſiæ commodo velle conſulere cenſeamur. Ipſi quidem vobis promittimus non ullum verbum proferre, vel patienter auſcultare, quod inhoneſtum eſſet, vel ſimultatem inter nos aliquam poſſet parere, credentes idem vos velle, idemque ſentire. Sed dum hæc agimus, attendite, obſecro. Sermonem noſtrum Patres ampliſſimi, partes in quatuor diviſiſtis, ac nonnullas rationes pro parte qualibet attuliſtis, quibus creditis nos innixos, ejuſmodi ſententiam habuiſſe. Unde poſtea evenit, ut nobis contradicere cupientes, ea demonſtrare aggreſſi fueritis, quæ neutiquam ad rem attinere viderentur. Initio namque concluſiones quatuor oſtendere promiſiſtis. Primo, *ex Filioque*, particulam non additionem, verum declarationem, ac ſymboli dilucidationem eſſe. Secundo, Romanam Eccleſiam facultatem habere declarationes ejuſmodi faciendi. Tertio, particulam ipſam ex Eccleſiæ doctorum ſententia veram eſſe. Poſtremo, cognita hujuſmodi veritate, Chriſticolas omnes ipſam ſuſcipere, prorſuſque conſectari debere. Porro autem longa oratione de duabus primis partibus per vos habita, de aliis duabus ſeſſione præterita verba facere promiſiſtis. Rurſus ad ſecundam redeuntes partem de ea dixiſtis plurimum, quinimo veſtra tota fere oratio in ipſa verſata fuerat, ut ſcilicet probaretis, Romanæ Eccleſiæ licere obſcura declarare, ac ejuſmodi declarationem divino ſymbolo addere, quæ cum modeſtiſſime ageretis, à nemine noſtrum interpellati fuiſtis. Ad extremum autem proculiſtis, & ſi valde conveniens eſſet, reliquas duas partes oſtendere: nobis tamen volentes facere gratum, nolle quidquam de eis proferre, pro quo quidem veſtro in nos officio vobis magnas agimus gratias, licet in eo non minus vobiſipſis quam nobis ſatisfeceritis, quod de omnibus partibus late diſſeruiſtis. Nos autem non omnem veſtram orationem forſan ad rem pertinere, brevibus amiceque vobis demonſtrare promittimus, ab extrema parte ſermonis veſtri ſumentes exordium, de qua profecto plurimum dixiſtis, tametſi paulo ante de ea nihil proferre promittebatis. Porro etiam ipſi concedimus veritatem, commune bonum atque omnibus mortalibus conducibile eſſe, ita ut qui mentis ſit compos, contra ipſam quidquam agere proferreve minime debeat, ſed modis omnibus eam inveſtigare, ac inventam ſectari, præque oculis ſemper habere. Non ergo nos laborare oportet, ut quæ omnibus non ſunt notiſſima, ea tractemus ac demonſtremus. Veritas enim ſimplex exiſtit ac non multis indiget argumentis, parte igitur ipſa poſtpoſita, ad primam ſimul & tertiam veniamus. De quibus profecto multa dixiſtis, etſi de tertia parte (ut paulo ante dictum eſt) nil velle dicere videbamini. Sed neque de ipſis nunc agere nobis opus eſſe videtur: verum cum ipſius dogmatis veritatem, de qua præcipue agimus, velimus inquirere, an ſanctus Spiritus ex filioque procedat, tunc de eiſdem duabus partibus diffuſius diſſeremus. Reliquum igitur eſt ut ad ſecundam tantummodo partem in præſentia reſpondeamus, an Romanæ Eccleſiæ liceat declarare, ac ejuſmodi declarationes in ſymbolo celebrare. Nequaquam enim poſſe fieri credimus, ſimul de omnibus his partibus diſputare, ac ſimul in omnibus convenire: verum ab una in aliam venire, ac ſic de omnibus agere, neceſſe nobis videtur. Oportet autem ab ea parte incipere, quæ prior cæteris ſecundum naturam exiſtit. Nam niſi probare poteritis, Romanam Eccleſiam addendi facultatem habere, quid obſecro vobis proderit demonſtraſſe, ſanctum Spiritum ex Filioque procedere, veram declarationem eſſe? nil prorſus, propterea quod licet id clariſſime oſtendatis, ipſi tamen vobis reſpondebimus, tametſi verum ſit, ſymbolo tamen apponi nefas eſſe: quando etiam multa alia vera ſunt quorum nullam factam ad ſymbolum fuiſſe videmus acceſſionem. Tota igitur noſtra controverſia in ſecunda parte conſiſtit: propterea de ipſa noſtram orationem præcipue habebimus, in primis leviter perſtringentes quæ fuerant a vobis prolata, ut his quæ perperam dicta fuerint, in aliud tempus dilatis, de eis tantum in præſentia diſſeramus, quæ nobis videantur ad propoſitum pertinere. Dignum autem admiratione non fuerit, ſi ad veſtram prolixam orationem longa utamur reſponſione, in hoc præſertim initio: nam in poſterum erit neceſſe brevibus agamus, interrogando mutuoque reſpondendo, quouſque ad concluſionem aliquam pervenerimus. Pro viribus tamen in præſentia quoque brevitati ſtudebimus. Sat eſſet profecto (ut paulo ante dictum eſt) de ſecunda tantum quæſtione diſſerere, de qua præcipue agitur.

4. Latinorum propoſitiones.

Verum ut noſtra oratio uberior habeatur, omiſſis ſuperfluis, de prima etiam nonnulla perſtringemus, quæ non aliena à propoſito videantur. Magno igitur vos affecti deſiderio, particulam ex Filioque demonſtrare divini ſymboli declarationem eſſe, quod quidem ſermonis veſtri primum caput fuiſſe diximus, quodam ſyllogiſmo fuiſtis uſi: de cujus ſecunda propoſitione, argumentiſque veſtris eam (ut creditis) confirmantibus, nobis in præſentia diſputandum non eſt. Rationibus vero, quas ad primam ejuſdem ſyllogiſmi propoſitionem probandam attuliſtis, quod rem ſpectare videntur, brevibus reſpondebimus. Quam quidem propoſitionem in primis quodam ſyllogiſmo confirmaſſe putatis, deinde cæterorum generalium Conciliorum exemplo, quippe quæ nonnulla obſcura ſymboli verba explanaverant ac declaraverant: poſtremo, ex quodam patris Epheſij ſermone. Ad ſyllogiſmum igitur ipſum veniamus, cui dum reſpondeo, rogo attendite. Omnis additio é rebus, dicitis, extraneis fit, declaratio vero ab intimis: ex quibus nullam declarationem, additionem eſſe inſertis. Quæ quidem prima propoſitio ſimpliciter concedatur, licet eam, quo ad noſtram materiam ſpectet, inficiari vere poſſimus. Secundam vero communiter veram eſſe negamus: fieri namque poteſt, ut aliqua declaratio ab intrinſecis ac intimis fiat, omnis autem minime. Imo declaratio forſan quæque, præſertim hæc de qua agimus, quæ Theologica eſt, ad extraneum quadam ratione refertur, ac ab ipſo dependet, quod primæ majoriſque propoſitionis rationem habet, ita ut major ipſa veſtri ſyllogiſmi propoſitio ab illa contineatur, ac ab ea ſecundum locum obtineat,

Additio declaratio.

quæque potius contineri quam continere credatur. Exempli causa sanctũ Spirit. ex Patre procedere communiter proferre solemus: quæ quidem oratio, ex verbis intrinsecis res significantibus constat: volentes autem eundem probare Spirit. ex Filioque procedere, hanc orationem extraneam sumitis, Patris omnia Filij esse: ex qua deinde hanc infertis conclusionem, Spiritũ ipsum *ex Filioque* procedere: quam declarationem appellare soletis. Cujus quidem conclusionis secunda propositio extrinsecus à sua priori dependet: quæ (ut paulo ante protulimus) ab extraneo vim habere videtur. Non igitur verum communiter est, quamvis declarationem, ex verbis res intimas significantibus semper fieri. Nam etsi nonnulla pars declarationis ab extrinsecis fit, majori tamen ex parte ab intrinsecis constituitur: quod ab axiomate, hoc est, pronunciato, vel (ut dialectici dicunt) dignitate, aut saltem ab aliqua extranea dictione dependet. Qui ergo sanctũ Spiritum *ex Filioque* procedere dicit, is symbolum forsan declarat, eidem nihilominus quidquam procul videtur apponere. Talis igitur declaratio additio est. Præterea verbum, *ex Filioque* augmento vel rei sanctæ diversa ratione simile est. Nam augmentatio (ut Aristoteles inquit) ita fit ab extraneo, ut id simile esse oporteat. Nam ut vestro utar exemplo, tametsi nutrimentum extraneum sit, id tamen simile esse necesse est. Quodvis enim, quod aliter, à suo simili nutritur. Ergo cum additio duas habeat in sese rationes, alteram quidem ut ab extrinsecis, alteram vero ut ex similibus fiat: additio, *ex Filioque*, utramque rationem habere videtur. Intrinseca namque similisque juxta vos est, quod rem eandem significat. Extrinseca vero atque dissimilis, tum quod dictio extranea atque dissimilis est: tum etiam quod extrinsecus & dignitate quadam probatur, ac ab ipsa (ut est supra dictum) dependet. Cum igitur, *ex Filioque*, additio sit, & additiones fieri, constet vetitum esse, sequitur particulam ipsam prohibitam esse: quamvis forsan declaratio sit. Sed de syllogismo hactenus. Porro autem reliquis argumentis, quibus eandem ipsam primam propositionem confirmastis, perpetua oratione responderemus, nisi eisdem ipsis ad secundam partem probandam usi fueritis. Ne igitur eadem bis repetamus, ad eam nunc veniamus, simulque vestras ipsas rationes solvamus. Quam quidem secundam partem, scilicet fas esse symbolo declarationes apponere, quatuor rationibus probasse videmini. Primo, cunctarum synodorum exemplo, quæ nostram fidem declaraverant; quibusdam deinde pronunciationibus à symbolo differentibus. Tertio, principiorum scientiarum exemplo, quæ quidem principia videntur in sese ea omnia potestate includere, quæ in eisdem tractantur scientiis. Postremo, quod quoniam una eademque dignitate semper Ecclesiam fulgere necesse est, idcirco eandem facultatem Ecclesiam ipsam semper habere oporteat. Hæc vos. Ipsi autem credimus, Patres amplissimi, nunquam licuisse, neque fore ut liceat, ut diversum dogma intrinsecis verisque rationibus declaretur. Quæ vero à nostræ fidei principiis continentur, ea solum lucidiora reddere nobis fas esse. Nam majoribus nostris non solum declarandi, verumetiam declarationes suas divino symbolo addendi, summa facultas fuisse creditur. Quæ deinde vetita fuerat, ne cui symbolo quidquam addere liceret: declarandi tamen potestas in Dei Ecclesia permanserat, semperque manebit. Nam duo illa prima generalia Concilia, maxima dignitate facultateque prædita fuerant. Postea vero, quoniam nonnulli impij symbolum sæpe mutando, perversaque dogmata non sine maxima Christicolarum pernicie ingerendo, ea facultate abutebantur: idcirco tertia synodus videns facultatem ejusmodi perniciei potius quam commodo mortalibus esse foreque, ita symbolum obsignavit, ut nemo ei quidquam addere posset, quod ex eo nullum prorsus incommodum Christianis accideret. Quonam, obsecro, pacto id ipsis contingere potuit, cum eadem ipsa profiteantur, quæ divi patres docuerant? Aut quis Christianus, qui compos mentis fuerit, ipsorum patrum decreta, imperfectionis incusaverit? Contra ex facultate mutandi symboli, pernicies magna profecto consequetur; datâ quandoque mutandorum verborum occasione. An autem tertia synodus interdixerit, literis multis, præsertim beati Cyrilli ad Acacium Melitinensem præsulem scriptis, apparet. Sancta, inquit, synodus Ephesi celebrata, necessario providit, ut alia fidei expositio Dei Ecclesiis neutiquam ingeretur præter eam, quam beatissimi Patres nostri sancto affiati Spiritu definierant. In quibus quidem literis multa notatu digna videntur: Sed tria tantum (si lubet) perpendamus. Primum, tertiam synodum primum inhibuisse, quod verbum providit, significat. Deinde verbum, necessario. Postremum, aliam fidei expositionem fuisse vetitam. Præterea memoria dignum est, ab universali Ecclesia interdictum fuisse, quod hæc verba significant, ut Dei Ecclesiis non ingeretur.

Quæ omnia, Patr. ampl. consideremus oportet, præsertim quod ex primo sequi videtur. Constat enim tertiam synodum primum quippiam vetuisse, duas vero priores jampridem interdixisse, ne quis contraria dogmata proderet. Ergo sequitur, synodum ipsam aliud ab eo, quod jam vetitum fuerat, prohibuisse. Quod ipsi credimus esse, ne verborum mutatio vel additio symbolo fieret. Quod quidem decretum ab universali Ecclesia (ut supra dictum est) factum fuerat: quippe quæ, non quod hic vel ille profiteretur, sed ne, quod communiter in Ecclesiis celebraretur, & in quo baptizaremur, mutaretur, curavit. Et non solum aliis, verumetiam sibiipsi interdixit. Quod plane patet ex eo, quod verbum, Deiparam, divino symbolo voluerit addere. Nam etsi in ipso includeretur, ac valde necessarium esset, ut eidem apponeretur, tamen posterioribus exemplo se voluit esse, suum decretum in ipsa confirmando: quamvis (ut prædictum est) propter impij Nestorij dogmata, magna necessitas urgeret, ut symbolo nomen illud apponeretur, cum præsertim abeo potentia contineretur. Nam hæc, Filium esse consubstantialem Patri, ac ipsum de cœlis descendisse & incarnatum de Spiritu sancto ex Maria Virgine fuisse, Deum ipsum ex sancta Virgine natum esse significant. Ergo nomen hoc, Dei genitrix, etsi symboli declaratio esse poterat, haud tamen additum fuerat. Sed quispiam forsan diceret, id ideo additum non fuisse, quoniam à symbolo clare contineretur. At alia quoque complura fuerant quæ quamvis à symbolo non tam clare continerentur, ea tamen posteaquam declarata fuerant, synodi symbolo neutiquam addiderunt. Nam neque Filij Dei cum assumpta natura nostra secundum hypostasim unionem, de qua tertium generale Concilium: neque Dominum nostrum Jesum Christum duas post ipsam unionem naturas inconfusas servasse, de quo quartum: neque duas voluntates operationesque duas habuisse, de quo sextum tractaverat, divino symbolo addidere: quamvis ea omnia divinæ scripturæ pluribus in locis non clare scripta fuerint. Neque igitur quæ non à symbolo manifeste continentur, eidem addita fuisse videntur, neque quæ clariora essent, tertia synodus ipsi symbolo apposuerat. Nulla ergo ratione quidquam licet apponere symbolo, quod quidem cætera post tertium generalia summa cum veneratione servaverunt. Si qua tamen vobis ambiguitas in septimi Concilij libro videtur esse, eam suo loco diffusius declarabimus, & ipsum Concilium cætera fuisse secutum probabimus. Quod tantum abfuit, ut symbolo quidquam apponeret, ut cum cætera Concilia declarationes

4. probationes Latinorum excutiũtur.

Facultas explicandi symbolum in Ecclesia.

ſuas, cum his qui declarabant, convenienter ſolerent conſcribere, eaque ſimul cum declarationibus memoriæ tradere, ipſi ſoli convenientius viſum fuerit, intacta primitiva ſcriptura, ſuas ejuſmodi declarationes literis ſeparatim mandare. Licet nonnulli doctores, præſertim hi, quibus ante tertium Concilium declarandi facultas fuerat, quadam adducti neceſſitate diverſa ratione ſuis declarationibus uſi fuerint, cum præſertim nondum fuerit interdictum. Hoc autem Pauli dictum, *Si quis vobis aliud præterquam quod tradidi vobis, evangelizatum fuerit, anathema ſit*, neque contra majores noſtros, neque prorſus in nos facere videtur, quandoquidem Paulus aliam fidem tradi vetuerat, majores vero noſtri fidem diverſam nequaquam docuerant. Qui quidem Pauli ſermo in omnes, qui declarandi facultatem habent, vel in poſterum habere crediderint, verus eſt. Propoſitum autem noſtrum partim ſimile, partim diſſimile videtur eſſe, propter ea interdicendi neceſſitate, quam tum fuiſſe probavimus. Quod autem dicitis, B. Gregorium ſanctorum primi generalis Concilij Patrum fidei, nil voluiſſe vel potuiſſe proferre, nonnil tamen de ſancto Spiritu declaraſſe, quod dictum obſcure fuiſſe videretur, vobis reſpondemus, eum non aliam fidem expoſuiſſe, quamvis declarandi facultatem haberet, quod in ea ſynodo eſſet, quam conſtat ante prohibitionem fuiſſe. His igitur authoritatibus, quæ ante tertiam ſynodum proditæ fuerant, nequaquam poteſtis inniti. Si qua vero ſynodus poſt ipſam, ſymbolo dictionem vel ſyllabam aliquam addiderit, id obſecro nobis oſtendite. Quod ſi profecto nobis probabitis, abſque ulla controverſia in veſtram ſententiam ibimus. Sed id certe nunquam probare poteritis. Cuncta enim ipſarum ſynodorum C acta meridiana luce ſunt clariora, poſteriorumque patrum ſententiæ actis ipſis quam maxime conſonæ videntur: quippe qui quamvis abſtruſa quam plurima dicta neceſſario declaraverint, nil tamen prorſus divino ſymbolo appoſuerant, ſed rectam rationem invenerant, qua quæ opus eſſent, bene conficerent, ſimulque majorum ſuorum religionem intacto ſacro ſymbolo, ſed verba tantum ejus ambigua exponentes, ſumma cum veneratione ſervarent. Ex quo quidem nullum unquam Chriſtianis incommodum accidere poterit, quod ipſi valde timere videmini. Una igitur ac eadem ratione majores noſtri fidem dilucidantes, magno Chriſtianis commodo fuerunt, & ſymbolum non tangentes, majorum ſuorum terminos minime D tranſgreſſi videntur eſſe. Quod autem idem magnus in Theologia Gregorius literis mandavit, nullam ſyllabarum dictionumve rationem habere: id plane nihil ad propoſitum pertinet. Ipſe enim de dictionibus illis loquutus eſt, quæ rem unam ſignificent, quæque de uno eodemque ſubjecto prædicentur, quemadmodum ſunt hypoſtaſes, perſonæ, proprietates, de quibus is loquebatur, quæ quidem rem unam ita ſignificant, ut bis duo, ſunt quatuor: necnon ut veſtis, pallium & indumentum, quod à noſtro propoſito alienum eſſe videtur. Alia eſt enim Patris perſona, alia vero Filij, ita ut Spiritum ex Patre procedere, aut ex Patre Fi-
Vis argumenti Græcorũ. lioque, diverſa prorſus ſignificent: ut ſuo loco diffuſius diſputabimus, cum interrogando mutuoque reſ- E pondendo, brevibus agemus.

Nunc ad illud argumentum veſtrum veniemus, quod ex ſymbolo diverſis Chriſtianorum linguis, idem tamen ſignificantibus prolato ſumitis: aſſerentes, nobis de dictionibus illis curæ non eſſe debere, quæ rem unam ſignificent. De quo quidem argumento, etſi paulo ante, cum de prima parte ageremus, mentionem aliquam fecimus, nunc tamen plenius dicimus illud, ſanctum Spiritum ex Patre Filioque procedere, non ſolum dictiones diverſas eſſe, verumetiam res diverſas ſignificare. Nam unaquæque oratio unum habet ſignificatum, Spiritum autem ex Patre procedere, oratio una eſt: ex Patre vero Filioque duæ, quæ licet una tantum dicatur conjunctione, duas tamen

orationes negative contrarias continet: alteram quidem veſtra noſtraque ſententia falſam, alteram vero (ut noſtra fert opinio) veram. Vocibus ergo diverſis eandem vel diverſas res ſignificare, non eſt idem. Si namque nos Græco, vos autem Latino ſermone protulerimus, bona dies, ob id profecto nequaquam diſſentiremus, rem enim unam ſignificaremus, propterea que conjuncti eſſemus, quemadmodum ante additionem hujuſmodi fuimus. Nunc vero non ſolum à vobis Rom. differamus neceſſe eſt, verumetiam ab ipſis noſtris hominibus longe diſſentiremus, ſi tale peccatum committerent. Sed ponamus orationem ipſam rem unam ſignificare, haud tamen propterea non interdicto tenemini, quo quidem omnis additio vetita eſt. Præterea cujuſvis ſcientiæ, dicitis, principia, ea omnia continent quæ in ipſis ſcientiis tractantur. Et quoniam fides noſtra ſcientia Theologica eſt, B ejus ideirco principiis dogma veſtrum verum eſſe probare poteſtis: Quod quidem nobis ſi probaveritis, gratias vobis agemus, ipſum tamen propterea fidei noſtræ principiis forſan nequaquam addiderim, cum inconveniens ſit quidquam principiis addere: noſtris præſertim, propter tertij Concilij interdictum. Principium enim, & ea, quæ poſt principium ſunt, in multis, imo forſan in omnibus, interſe differunt: quandoquidem illud commune eſt, hæc vero particularia: necnon ex illo ſolent fieri demonſtrationes, hæc autem demonſtrantur: Illud denique prima ſyllogiſmi propoſitio eſt, hæc vero concluſiones. Quonam igitur pacto commune fiet particulare? vel demonſtrationis principium, concluſio demonſtratumque fiet? Neceſſe eſt igitur poſteriora à principiis ſuis contineantur, non autem ipſis addantur, præſertim ſi quid interdictum, ut in re, de qua agimus, interceſſerit: tunc enim nulla prorſus fieri poſſet additio. Unde evenit, ut tametſi complura vera ſint in Theologia, ejus tamen principiis nequaquam addita fuerint. Cuncta namque divina dogmata ex ſacræ ſcripturæ fonte hauriuntur, quæ fidei noſtræ principium ac magnum fundamentum exiſtit: cui quidem nil huc uſque prorſus eſt additum, neque unquam à nobis dum liberi erimus, neque ab aliis Chriſtianis, ut credimus, addetur. Siquidem igitur divinum ſymbolum in Dei Eccleſia principium eſſe cenſemus, nil ei prorſus addendum eſt. Ipſam autem Eccleſiam, unam eandemque ſemper eſſe, ac una eademque facultate præditam eſſe debere, concedimus: ita tamen, ut ſanctorum Patrum decreta ſervet, ipſaque pro divinis vocibus reputet. Synodi namque diverſæ rationibus diverſis adductæ variis temporibus celebratæ fuere: quæ quidem ad unum eundemque finem, hoc *Synodorum finis.* eſt, ad hominum ſalutem tendentes, diverſas res pro temporum conditione tractarunt ac de diſſimilibus rebus leges diſſimiles promulgarunt. Leges igitur ipſas poſteriores ſynodi ſervare, quæque ab illis neceſſario definita fuerant, neutiquam præterire debent. Sic enim magis unam ac eandem facultatem Eccleſia ſemper habebit: ſin minus, ipſa ſeipſam deſtrueret, ſponteque ſua corrueret. Quod quidem igitur à majoribus noſtris prohibitum fuerit, id poſteriores cavere debent. Contra, quia illi non interdixerant ne cui liceret expoſitiones ſuas extra primitivam ſcripturam reponere, idcirco ſacram ſcripturam ita nos exponere poſſumus, quemadmodum ipſam Agathon, Cyrillus, Sophronius, multique alij explanaverant: quippe qui quæ ſibi clariora reddere licebat, privatis ea commentariis explicaverant. Porro autem nobis curandum non eſt quid quiſque eorum dixerit, aut ſcripſerit, cum præſertim ipſorum ſenſus perfectus fuiſſe credatur. Cuivis ergo communia dogmata ſervanti, licet ſuam, ut ſentit, fidem exponere: de communi autem dogmate, divinove ſymbolo ferre legem, fas eſſe nemini credimus. Qua quidem ratione beatus Agathon multique præſules, ac alij minore dignitate præditi Doctores, populos fidem docuerunt, quod

minime nobis videtur obſtare. Sed hæc hactenus. A Quemadmodum autem vos, patres ampliſſimi, de eisdem rebus bis diſſeruiſtis, & ſi de ipſis ab initio luculentam orationem habueritis: ita nos etiam de quibus multa modo fecimus verba, ea paucis repetere volumus, tum quod in ſuperiore ſermone noſtro potentia concluduntur, tum etiam quod tempus anguſtum eſt. Tota veſtra oratio, Patres ampliſſimi, in decem vel plures partes diſtribui poteſt: quas ipſi repetentes, ac ea prætereuntes ſilentio, quæ ad propoſitum nequaquam ſpectare videntur, tantum decem ipſis partibus quam breviſſime reſpondebimus. Initio admirati fuiſtis, quod ſymbolum Nicænum recitaverimus. Ipſi vero vobis iterum reſpondemus, idcirco recitatum è nobis fuiſſe, ut vobis oſtenderemus, pro duarum illarum primarum ſynodorum amplitudine in tertia ſynodo in primis citatum, ac ipſarum duarum B ſynodorum ſymbola pro uno tantum ſuſcepta fuiſſe, ipſamque tertiam ſynodum ſimul interdixiſſe, ne cui liceret in poſterum ei quidquam apponere.

Jul. Card. Creditiſne, primæ ſecundæque ſynodi Symbolum in tertia recitata fuiſſe?

Mar. Secundum ſymbolum lectum fuiſſe non diximus, ſed ipſum à primo potentia contineri, ut fortiſſimis argumentis ſupra probavimus.

Beſſ. Deinde prohibitionem ad fidem tantum, non autem ad dictiones vel ſyllabas referri debere dixiſtis: ad quod quidem, omnium ſynodorum decretis ac definitionibus innitentes, oratione longa reſpondere poſſemus, in quibus plane decretis, de ſymbolo ac interdicto particularis mentio fit. Verum res ipſa nobis ipſarum ſynodorum ſenſum clariſſime patefacit, quippe quæ, quamvis ſæpiſſime aliqua cogerentur neceſſitate, nil tamen prorſus divino ſymbolo voluerant addere. Sed hactenus de ſecunda parte. Nam in tertia de ſcientiarum principiis mentionem feciſtis, quibus etiam ipſi reſpondemus, id duplici ratione verum non eſſe, quod ex ipſis principiis oſtendere volebatis. Altera quidem, quod omnibus principiis à natura conceſſum eſt, ut quatenus alicujus ſcientiæ principia ſunt, in eadem fieri concluſiones non poſſint. Altera vero, quod uſu evenit, ut ipſis Theologiæ principiis, in quibus verſamur, nullus poſt tertiam ſynodum Doctor quidquam addiderit: quamvis ea, quæ declaraverant, ab eiſdem continerentur principiis.

Andr. Bene eſſet, Patres ampliſſimi, ut noſtras orationes ſcriptas haberetis. Sic enim ſervato earum ordine, melius ipſis reſponderetis.

Beſſ. Nos ordinem veſtrarum orationum ſervare putamus, ea tamen diſponendarum orationis partium facultate, qua vos in differendo uſi fuiſtis.

Andr. Id ſane fieri poteſt: at tertium vel quartum nominare locum, longe aliter quam à nobis prolatum fuerat, non licet.

Beſſ. Nullum equidem orationis veſtræ locum privatim citavi, ſed tertio vel quarto ſimpliciter protuli.

Andr. Sic eſto.

Beſſ. Unde ergo digreſſi ſumus, redeamus. Concluſiones non paucas à ſanctis patribus ex fidei noſtræ principiis demonſtratas fuiſſe, dicebamus: quas hi principiis ipſis, aut ſacræ Scripturæ noluerant addere. Nam illud, conſubſtantialem Patri, ac in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, multaque alia quæ quamvis paruæ ſint dictiones, atque à ſacra Scriptura contentæ, principiis tamen nequaquam appoſitæ fuerant. Aut igitur hæc etiam ſcripturæ ſacræ ſunt apponenda, aut Symbolo prorſus addendum. Quod quidem ipſorum ſanctorum Patrum ſententia, eadem præditum eſt authoritate, qua ſacra fulget ſcriptura. Omnium autem ſynodorum acta poſt tertiam, ad ipſam tertiam, ut rectam normam, referri debere, non imus inficias: non ita tamen, quemadmodum dicitis, ut ipſius acta cæterarum ſint expoſitiones. Namque quo pacto fieri poſſet, ut poſteriora prioribus explanentur, cum ejus oppoſitum ſit verum? Siquidem igitur poſteriores Doctores, præſertim beatus Cyrillus, qui Romani Pontificis Vicarius tertiæ ſynodo præfuit, necnon poſt ipſum beatus Agathon, ejus Synodi acta poſteritati clariora reddiderant: ſequitur, ut ij, eorumdem actorum expoſitores merito appellandi ſint. Quid enim ipſorum litteris clarius? Scitu præterea dignum eſt, ut non ſolum poſteriorum Doctorum verba, ad ejuſdem tertiæ ſynodi dicta, verum etiam eorundem ſenſum ad ipſius intelligentiam referri oporteat, ita ut qua mente ipſa ſynodus interdixerat, eadem etiam cætera prohibuiſſe putentur. Mens autem ipſi fuerat, ſyllabarum etiam acceſſionem vetare, ut is beatus Cyrillus ſuis litteris declamavit. Neceſſario (inquit) ſynodus interdum hoc fecerat, ergo cæteras etiam ſynodos ad eundem finem aſpicientes interdixiſſe credendum, ut re ipſa demonſtraſſe videntur: quippe quæ quidquam addere ſymbolo noluiſſent, ac ſimul interdixiſſent, ne cui liceret, cum non ſine magna Chriſtianorum pernicie fieri poſſet, alia componere ſymbola. Quod autem creditis, hoc Sancti Cyrilli dictum, non tolerabimus ut ab aliquo fides mutetur, & reliqua, nequaquam ſignificare, ne cui liceret ſymbolo quidquam apponere, ſeſſione ſequenti vobis reſpondebimus, in qua etiam perorabimus: ad illud enim noſtra feſtinat oratio, ut brevibus interrogationibus ac reſponſionibus agere incipiamus. Mihi autem eſt ut convenimus, cum uno ex his ampliſſimis patribus differendum. Sed hæc hactenus. Ad ſequentem vero ſeſſionem, favente Deo, accingamur. Tum ſancta ſynodus juſſit, ut ad diem ſequentis martis ſeſſio prorogaretur quo decreto, ſeſſio dimiſſa fuit.

C

DIE MARTIS IV. NOVEMBRIS.

Seſſio nona Ferrariæ.

MAjori ex parte, præſtantiſſimi Patres, orationi veſtræ pro viribus reſpondiſſe credimus. Ob temporis autem brevitatem, nonnulla penitus prætermiſimus, nonnulla vero paucis tetigimus, quibus nunc brevi reſpondere intendimus. Quæ quidem ſunt hæc, ſi bene memoria tenemus. Primum, fidem mutare, ut beatus Cyrillus inquit, aliud quoddam ſignificare, quam quippiam declarare. Alterum, interdictum poſt decreta factum fuiſſe. Tertium, beatum Agathonem eas dictiones prohibuiſſe, quæ res à fide diverſas ſignificarent. Quartum, eundem ipſum divinum hominem, dum ſuam fidem exponeret, ſymbolo quædam addidiſſe, quædam vero ab eodem abſtuliſſe. Quintum, minime fuiſſe neceſſarium, ut verbum, Deipara, ipſi ſymbolo adderetur. Poſtremo, ſanctam Romanam Eccleſiam ſanctorum vocibus motam, magnaque neceſſitate coactam, additionem ejuſmodi ſuo jure feciſſe. Ad quæ quidem (quemadmodum diximus) paucis reſpondebimus, ne tempus fruſtra conteramus: quemadmodum ſeſſionibus ſuperioribus nobis accidit, cum præſertim longas orationes habere, neque conveniens ſit, neque (ut mihi videtur) ad propoſitum pertinens. Hoc enim pacto nunquam ad concluſionem poterimus pervenire: brevibus igitur (ut lubet) agamus. Partem primam, Patres ampliſſimi, falſam eſſe cenſemus. Is enim Cyrillus inquit, nequaquam tolerabimus & reliqua: quod deinde re ipſa declaraſſe videtur, quippe qui nil prorſus apponens ſymbolo, ejuſdem verba non pauca explanaverit. De interdictis poſt definitiones editis, quæ quidem pars altera fuerat, is ipſe Cyrillus inquit: Neque quidquam definitionibus licet addere, ſi ſint declarationes, quod ad declarationem nulla fieri debet acceſſio. Id igitur nobis non obſtat, namque tertiæ ſynodi Patres orationē perpetua de ſingulis ſymboli partibus mentionem fecere. Sed hæc & alia ad propoſitum pertinentia, ſuo loco forſan diffuſius per-

D

E

Symbolum & ſcriptura

ſcrutabimur. Nunc ad tertiam partem veniamus, in qua B. Agathonis fuiſſe ſententiam dicebatis, ut fides verbis, nedum intelligentia ſervari deberet, cum ipſi firmiter teneamus, quodvis genus additionis ab ipſo fuiſſe vetitum, ut ex verbis ejus percipitur. Summo ſtudio, inquit, incumbentes ut nil prorſus eorum, hoc eſt, decretorum, minuatur aut mutetur, aut quidquam ipſis addatur, verum omnia in verbis atque intelligentia eadem permaneant. Siquidem igitur ſanctus is judicaverat, à verborum additione, ſenſuſque majorum noſtrorum mutatione cavendum eſſe, patet quod nos ſentimus, id ejus ſententiæ magis convenire. Et ſi (quemadmodum ſupra diximus) nihil ad propoſitum attinet, ſi in exponenda ſua religione ſymbolo quidquam addiderit, vel ab eodem ademerit: propriam enim expoſitionem cujuſcunque nunquam Eccleſia vetuit, neque vetabit, nam quiſque videlicet doctor, quid ſentiat de fide proferre, literiſve mandare valet: communem vero doctrinam tradi, vel jam traditæ ſyllabam aliquam à quoquam mutari poſſe, prohibuit: propterea que ſanctus ipſe doctor verbo, mutatur, uſus fuerat, cuivis igitur communia dogmata colenti, ſua licet, ut novit, exponere. Sed de tertia ſimul & quarta parte hactenus. Porro autem cur quintam protuleritis partem, ipſi non videmus. Si namque verbum, Deipara, neceſsarium non fuiſſet, nullam prorſus de eo mentionem fieri, ac in actis ſynodi ſcribi oportuiſſet: ſin autem conveniens (ut creditur) ac dignum fuerat declaratione cum ſymbolo non fuerit additum, patet argumentum noſtrum verum eſse. An autem Rom. Eccleſia ſanctorum vocibus mota fuerit, necne, in poſterum Deo favente conſiderabimus. An vero urgente neceſſitate ſymbolo potuerit addere? credimus, ipſam quavis neceſſitate cogente id minime facere debuiſse. Non enim neceſſitas vos excuſat, cum in decretis ipſis ſcriptum non ſit, urgente neceſſitate id fieri poſſe. Sed de hujuſmodi neceſſitate ſuo loco forſan agemus. De poteſtate vero Romanæ Eccleſiæ plurimum diceremus, niſi aliud ageremus. Non enim inſcij ſumus quæ ſit ipſius facultas ac prærogativa. Sciatis tamen, velimus, addendi ſymbolo facultatem non ſolum Rom. verumetiam univerſali Eccleſiæ, generalique ſynodo interdictam fuiſſe. Si quidem igitur Rom. Eccleſ. quavis facultate prædita ſit, univerſali tamen Eccleſia, quam generalis ſynodus præ ſe fert, inferior eſt: ſi ejuſcemodi facultatem ab univerſali Eccleſia tollimus, multo magis ipſam à Rom. Eccleſia tollendam putamus: tollimus inquam, non noſtra authoritate, verum majorum noſtrorum decretis. Sed hæc hactenus. Quæ quidem non ideirco protulimus, quod nobis omnia viderentur ad propoſitum attinere, verum ut veſtræ orationi omni ex parte reſponderemus. Si lubet ergo, ad rem ipſam paucis veniamus, quidque majores noſtri hac in re ſenſerint, exacte conſideremus. Nos enim credimus, in univerſum ipſos interdixiſſe, ita ut ne ſyllabam quidem unam ſymbolo liceat addere, ut ex eorundem actis (quemadmodum ſæpiſſime dictum eſt) clariſſime conſtat. Ut igitur brevibus agamus, ex vobis quærimus, an ſanctorum Patrum interdictum ad ſymbolum, vel ad aliud referatur. Hæc Beſſarion vir præſtantiſſimus.

Iſta conſonant Baſileen. Concilio Papam ſc. non eſſe ſupra Concilium.

Andr. Andreas autem Coloſſenſis præſul volens reſpondere, longum de Spiritus ſancti proceſſione ſermonem habuit. Cui, cum ad propoſitum Græcis ſpectare non videretur, aures præbere, nedum ipſum literis mandare noluerant, quemadmodum de multis aliis ſupervacaneis verbis facere ſolebant. Sancta vero ſynodus juſſit, ut ſeſſio ſolveretur, & ad diem proximi ſabbati conveniret.

DIE SABBATI VIII. NOVEMBRIS.

Decima ſeſſio Ferrariæ.

Joannes Provincialis Lombardiæ Ord. Predicatorum.

BEatiſſimi Patris juſſu, Patr. amp. veſtris orationibus reſpondebimus ab his tribus exordientes, quæ in proœmij ſpecieu protuliſtis.

Non eſt nobis (dicitis) diſputandum, ut videamur viciſſe, verum ut veritatem inveniamus, ac ipſam in lucem proferamus. Quam quidem veſtram opinionem probamus atque ſuſcipimus, ac ut veritatem ipſam aſſequamur vehementer incumbimus, Beati Hieronymi ſententiæ innitentes: Nunquam errat, inquit, qui ſequitur veritatem, præſertim fidei noſtræ, quæ mortales locorum diſtantia & lingua moribuſque plurimum inter ſe differentes, componit & congregat, ut ſimul conveniant: ut magnus etiam Dionyſius in de divinis nominibus libro teſtatur: Hæc ratio, inquit, eſt ſimplex, & exiſtens exiſtentis veritas, circa quam, ſicut mundam & non erroneam totorum cognitionem, divina fides eſt, quæ eſt manens credentium collocatio, quæ iſtos collocat in veritate, & reliqua.

Siquidem igitur eo deſiderio ſumus affecti, ut ſanctam Dei Eccleſiam conjungamus, in hoc vehementer debemus incumbere. Quod quidem ut aſſequamur, maxima cura & diligentia ſummoque ſtudio nobis opus eſſe videtur. Nobis deinde convenite dixiſtis, ut quantum ſubjecta materia patitur, humanitatem ſervemus, ut omni ex parte mutua benevolentia videamur eſſe affecti. Qua de re magna equidem afficior lætitia, quod una cum Propheta dicere poſſum: *Dediſti lætitiam in corde meo.* Nam (ut beatus Paulus inquit) *ſervum Domini non oportet litigare*, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docilem, & reliqua. Poſtremo, id, quod valde videre cupio, nunciaſtis, ut interrogationes reſponſioneſque noſtræ breves habeantur: quod quidem non alienum a ratione videtur eſſe, quod ſermo brevis facilius intelligitur, memoriæque mandatur. Non tamen propterea brevitati ſtudendum eſt ita, ut noſtra oratio ſit obſcura. Rogo igitur vos Patres ampliſſimi, ne duo à me repugnantia ſimul contendatis, ut brevi oratione, id quod fieri bene non poteſt, ad veſtram prolixam reſpondeam. Porro autem vobis promitto, ſervato veſtri ſermonis ordine, ad quamlibet ejus partem quam potero breviſſime reſpondere, partim concedendo, partim autem denegando, noſtræ tamen ejuſmodi denegationis congruas rationes reddendo: partim etiam declarando, quædam vero leviter tangendo, ita ut ad omnes orationis veſtræ partes per capita reſpondendo, vobis ſatisfacere ſperem. Ad rem igitur ipſam, Jeſu Chriſto Domino noſtro favente, veniamus. Initio, præſtantiſſimi Patres, verum protuliſtis, veſtras nobis aures benigne ſemper præſtitiſſe, non igitur ad hoc reſpondebimus. Deinde particulam, *ex Filioque*, additionem extraneam eſſe, propterea que non ſine ratione prohibitam. Præterea quāvis hujuſmodi dogma verum eſſet, id tamen diuino ſymbolo neutiquā addi debuiſſet: cum etiam multæ aliæ ſymboli declarationes factæ fuerint, quarum nulla videtur eidem appoſita, propterea quia id fieri non liceret. Amplius, nonnullis rationibus probaſſe putatis, omne genus additionis fuiſſe vetitum: ex quo etiam ſequebatur, particulam ipſam fuiſſe prohibitam. Quæ cum ageretis, Coloſſenſis ſyllogiſmum ſubtiliter repetentes, his quæ vobis ad propoſitum viderentur ſpectare, reſpondiſtis, de reliquis vero ſuo loco differere promiſiſtis. Quiquidem ſyllogiſmus talis fuerat: Omnis additio ex rebus extraneis ſit, declaratio vero tali modo non ſit, ergo declaratio non eſt additio. Cujus profecto ſyllogiſmi veritatem, quoniam graviſſimus ſubtiliſſimuſque Theo-

Pſalm. 4. 2. Tim. 2.

logus Coloſſenſis præſul optime demonſtravit, idcirco eo poſtpoſito, ad explicandum id veniamus, de quo ſupra diximus vos vehementer ambigere, an videlicet illud, *ex filioque*, ſit additio vetita.

Quam quidem particulam, ſanctorum authoritatibus innitentes, ac fortiſſimis argumentis adducti, cenſemus additionem non eſſe, nec ulla ratione prohibitam: quod autem ſimpliciter non ſit additio patet, cum ex novo teſtamento, quod à veteri poteſtate continebatur: tum etiam ex noſtræ fidei articulorum declaratione, quæ variis temporibus facta fuerat, de quo quidem in novo teſtamento beatus Auguſtinus in Fauſtum inquit: Chriſtus non venit ſolvere legem, ſed adimplere: non ita, ut quæ legi deerant, ipſa eidem adderentur, verum ut fierent, quæ ſcripta erant, quemadmodum ipſius Chriſti verba teſtan- B
Matth. 5 tur. Quippe qui non dixit, *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege*, donec addantur quæ deerant: ſed, *donec omnia fiant*. Item in libro de catechizandis rudibus inquit: In teſtamento veteri eſt occultatio novi, in teſtamento novo eſt manifeſtatio veteris. In quæſtionibus autem veteris ac novi teſtamenti, *Ibidem.* ſenſus enim legis ad ſalutem (inquit) hominis per- *Ezech. 1.* tinet, iuxta illud: *Oculum pro oculo*, & infra. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.* Vnde Ezechiel ait, *quaſi ſit rota in medio rota*. Quod dictum à Gregorio ſic exponitur: Vetus teſtamentum in novo: qui etiam alio loco, quod lex (inquit) jubet, & prophetæ ſervant & Evangelium, id etiam Apoſtoli in *Matth. 5* univerſo prædicant mundo. Præterea ex hujus dicti C expoſitione. *Non veni ſolvere legem*, apparet Evangelium legis veteris eſſe declarationem. Sequitur ergo, declarationem non eſſe ſimpliciter ac proprie ſecundum ſenſum additionem. Si enim apud Auguſtinum tot novi teſtamenti myſteria, idcirco ſecundum intelligentiam additiones non appellantur, quod à veteri lege continerentur: nil mirum, ſi qua etiam ipſorum myſteriorum declaratio ac illuſtratio non ſit ſimpliciter, & quoad eorundem ſignificata, vere additio, ſed potius implicatæ rei explicatio. Quod etiam patet (ut paulo ante dictum eſt) ex multa fidei articulorum declaratione. Propterea idem ipſe beatus Auguſtinus inquit: Tempora præterierunt, non autem fides. Eadem enim præteritorum, poſteriorumque patrum fides exiſtit. Nam & D
Matth. 21. præteriti patres, ac ipſorum poſteriores dicebant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. facta tamen fuit articulorum multiplicatio, necnon implicatorum verborum explicatio, ac infinita decreta. Unde apparet, Patres ampliſſimi, pro noſtra fide & ſalute poſt Abrahæ tempora maiorem ambiguorum declaGeneſ. 22 rationem factam fuiſſe, quam ipſius temporibus, *Eſaia. 7.* cui quidem fuerat ab Angelo nunciatum: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*. Eſaias præterea hanc protulit declarationem: *Ecce Virgo concipiet*, ſed Angelus multo quidem majorem, qui Virgini Con*Luc. 1.* ceptionis ſuæ modum quærenti, reſpondit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*. Eadem igitur ratione articulus de ſancto Spiritu diverſis temporibus fuerat illuſtratus. Apoſtoli namque ſic ipſum celebrarunt, E Credo in Spiritum ſanctum. Concilia vero generalia, qui ex Patre procedit, addiderant: non tamen propterea novus articulus poſteritati proditus credebatur fuiſſe, verum is, qui jam fuerat, magis declaratus dilucidatuſque redditus putabatur. Pari ratione, qui particulam, *ex filioque*, addiderant, non novum articulum celebraſſe, ſed eundem ipſum clariorem reddi*Additionis genus triplex.* diſſe putarunt. Quod quidem additionis genus cenſemus non eſſe vetitum. Apud namque Bonaventuram in Theologia clariſſimum, triplex genus additionis litteris traditum eſt. Unum, cum id quod additur, ei, cui apponitur, oppoſitum eſt. Alterum, quod non oppoſitum, ſed tantum diverſum ab illo cui apponitur, fuerit. Tertium, cum utrumque congruum ſit. Quorum quidem primum genus hæreticum, ac prorſus alienum exiſtit à fide, ut ſi quis A Deum Patrem protulerit genitum, Filium vero ingenitum, ſanctum autem Spiritum à nullo procedentem. Altero vero genere inepti homines uti ſolent. Nam ſummæ ineptitudinis eſt, inſolita verba & à ſacris litteris aliena proferre, ut ſi quiſpiam Deum patrem appellaverit Geometram, Filium Aſtronomum, ſanctum autem Spiritum arithmeticum, quæ licet à veritate non diſcrepent, quandoquidem quævis divina perſona cunctacognoſcit ac poteſt, tamen quoniam ejuſmodi ſermo, neque in ſacris litteris, neque in ſanctorum ſcripturis legitur, ideo ineptis hominibus adſcribi ſolet. Tertium autem genus, quo Deum patrem omnipotentem æternũ, Filium vero conſubſtantialem, ſanctum autem Spiritum, ſpiratum procedentemque dicimus eſſe, pium & Catholicum eſt, B noſtræque Religionis doctrinam declarans: idcirco duo illa additionum genera, pœna graviſſima prohibentur, juxta illud Apocalypſis: *Si quis apposuerit ad* *Apoc.* *hæc, apponet illi Dominus plagas ſcriptas in libro iſto.* 22. Genus vero tertium tantũ abeſt ab interdicto, vt qui eo utuntur, à Servatore noſtro præmijs afficiantur ampliſſimis, ut Sẽtentiarum magiſter in proœmio ſuo teſtatur. Siquidem igitur additio, de qua agimus, non ex oppoſitis diverſiſve conſtat, ſequitur ipſam non eſſe vetitam, cum præſertim illa, *ex filioque*, particula valde conveniens ac congrua ſit. Apoſtoli namque ſancti cum ſanctum Spiritum celebrarent, non ipſum ex patre procedere proferebant: quod cum ab ipſo C Apoſtolorum ſymbolo poteſtate contineretur, eique quam maxime conveniret, ſancti poſteriores patres ad avertendos impios hæreticorum errores, id ipſi ſymbolo appoſuerunt, ac ipſum Spiritum ex patre procedere declaraverunt. Quod cum adhuc modo quodam ambiguum eſſe videretur, idcirco, *ex filioque*, particulam alij poſteriores patres addidere, ipſumq; ſymbolum clariſſimum reddidere, proferentes, ſanctum Spiritum ex Patre filioque procedere. Sed dum in hac materia plurimum inſiſto, demonſtrans particulam ipſam conſonam veramque ſymboli declarationem eſſe, vobis forſan videor extra propoſitum agere. Cum igitur vobis libuerit, prolixius ac ſubtilius hanc quæſtionem tractabimus: ita volenti veritatem agnoſcere palam fiet, declarationem ejuſmodi D nequaquam fuiſſe prohibitam.

Caput quæſtionis. Nunc autem ad illam veniamus partem, quæ caput quæſtionis noſtræ videtur eſſe, & de qua vehementer ambigitis, anne ſyllabam quidem ſymbolo liceat addere. Nam quatuor illa repetere nolumus, quæ vos breviſſime protuliſtis, quandoquidem nobis videtur magis operæprecium eſſe, ipſam controverſiæ noſtræ radice mdiſcutere, pro qua quatuor ipſa dixiſtis. Nam primo interdicti cauſam declaraſtis. Deinde uno uſi fuiſtis argumento. Tertio quandam beati Cyrilli ſententiam uſurpaſtis. Poſtremo, à convenientibus innixi loco, rationem hanc protuliſtis, valde conveniens ac dignum memoria fuiſſe, facultatem ipſam addendi ſymbolo, ut pote non modo Chriſtianis inutilem, verum etiam perniciosam, ab Eccleſia prorſus E abſtuliſſe. Nam majores noſtri naſcentis fidei noſtræ temporibus ſummam (ut dicitis,) facultatem habebant, ut quæ à ſacra ſcriptura obſcure continerentur, ea declararent, ſymbolo vel alij ſcripturæ, excepta ſolummodo ſacra, apponerent, & ipſis arbitratu ſuo uterentur: quæ deinde facultas à poſterioribus ex parte fuit diminuta, ita ut poſſent tantum ambigua declarare, dilucidioraque reddere, divino tamen ſymbolo nil addere poſſe. Quod ipſi (pace veſtra dixerimus) falſum credimus eſſe, primis illis patribus abſque generali Concilio licuiſe cõmuni ſymbolo quicquam addere. Nam ſanctus Thom. teſtatur, nunquã ſymbolum ex- *Symbolum.* tra ſynodũ declaratũ fuiſſe, de eo ſymbolo loquens, quod vulgo in Eccleſia celebratur. Hoc igitur jacto fundamento quatuor illa capita leviter perſtringamus, quibus veſtrũ propoſitũ probare conati fuiſtis.

Primum enim dixiſtis, majores noſtros uſque ad ſecundam ſynodum addendi ſymbolo poteſtatem habuiſſe; ſed cum ipſa facultate nonnulli non ſine ſua pernicie abuti inceperint, ſymbolum transformantes, ac impia dogmata docentes & prædicantes, tertium idcirco generale Concilium videns facultatem ipſam damno magno potius, quam commodo, Chriſticolis fore, eam penitus abtuliſſe. Nos autem ad hoc reſpondemus, falſum eſſe, cuivis ante tertium Concilium licuiſſe ſymbolo quicquam apponere, niſi ea fortaſſis licentia, quam quidam hæretici ſibi vendicaſſent, quam quidem ſolam ab ipſo Concilio, verbis his, ne cui liceret ſymbolo quippiam addere, circumſcriptam interdictamque credimus eſſe. Deinde protuliſtis, addendi facultate ablata, nullum Chriſtianis incommodum accidere poſſe, ac nullum compotem mentis, ob decretum ejuſcemodi merito dicere poſſe religionem noſtram imperfectam eſſe: contra, fieri facile poſſe, ut pro eadem facultate cuivis conceſſa, Catholica Eccleſia aliquo afficiatur incommodo. Ipſi vero (pace veſtra dixerimus) argumentum hoc claudicare cenſemus, ut ſuo loco probabimus. Immo etiã cæteris duabus poſtpoſitis partibus, ad fundamentum ipſum veniamus, quo quidem everſo, cætera facile ruent. Omiſſis ergo corticibus, medullam ipſam tangamus. Quod quidem ſperamus conſequi, ſi legiſlatoris verba non nimis curantes, mentem ejus accurate conſiderabimus. Id autem fuerat tertium generale Concilium, quod id tantum vetuiſſe putatur, quod fidem contrariam pareret, ut Bonaventura teſtatur: qui, Prima patrum, inquit, interdicti ſententia nequaquam ad alios attinet, niſi ad fidei noſtræ oppugnatores, & eos, qui ſymboli dictiones mutando, vel ei quicquam addendo, Eccleſiam ſtudent evertere. Addendi vero facultate nunquam Eccleſiæ fuerat interdictum neque interdicetur in poſterum, dummodo legitimo imperio, præſeuteque principe, qui facultatem univerſalis Eccleſiæ habeat, ad evertendos hæreticorum errores, conveniat. Quis obſecro, tum vocaret in controverſiam, an Eccleſia, cogente neceſſitate, ne Chriſti fideles, circa divina myſteria in aliquam hæreſim caderent, partem aliquam ſymboli fidei congruam declarare poſſit, necne? Nemo profecto. Qua igitur ratione illud, *confiteor unum baptiſma*, ipſi ſymbolo fuerat additum, eadem etiam ratione, id eſt, pro animarum ſalute, *ex filioque* particulam, noſtri majores addiderant. Et quemadmodum illud, *& incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine*, addidere: ita etiam, ipſam Dei genitricem fuiſſe, ipſis, ſi voluiſſent, ſymbolo licebat apponere. Verum facultatem ejuſmodi non unam tantum perſonam vel particulatem Eccleſiam, habere concedimus. Interdictum igitur illud tantum ad privatos homines, ac contra fidem loquentes, refertur. Propterea (inquit ipſe Bonaventura) patres illi non ſic interdixerant, ut viam Eccleſiæ in futurum præcluderent, quo minus ei liceret eadem uti facultate, ſi Dei benignitate meliora præviderit. Et infrà: Eorum (inquit) ſententia fugienda eſt, qui credunt patres illos opinionis hujus fuiſſe. Ut autem credatis, patres ampliſſimi, nos bene cum illis ſentire, nonnulla ſynodorum acta, præſertim tertiæ, necnon quaſdam patrum ſanctorum litteras tempeſtatibus illis ſcriptas, afferemus. Quæ dum facimus, rogamus vos, diligenter attendite. Frequenti tertia ſynodo, patres ampliſſimi; convocatus Neſtorius, accedere recuſavit: tunc ipſa Nicænum ſymbolum (ut moris erat) recitavit, ut quæ verba fidei convenirent, probarentur, diſſona vero ejicerentur. Unde patet, ſynodum ipſam voluiſſe, non fidem majorum ſuorum religioni congruam prohibendam eſſe, verum verba diſcrepantia, & ab ipſa fide diverſa, quemadmodum hæc ejuſdem ſynodi verba ſignificare videntur, nemini liceat aliam à Nicæna fidem proferre. Nicæno autem ſymbolo recitato, Cyrilli litteræ ad ipſum Neſtorium ſcriptæ, in medium prolatæ fuere, quibus idem Cyrillus quædam ipſius ſymboli verba repetens, demonſtrabat, Chriſtum Deum & hominem una tantum hypoſtaſi ex Maria Virgine genitum, ipſamque veram Dei genitricem eſſe, dicens ſe ſacræ innitendo ſcripturæ ita ſentire. Quibus quidem litteris recitatis, quæ ita incipiebant: Non vereor me veræ fidei Nicænive ſymboli prævaricatorem eſſe, Cyrillus ipſe ſynodum interrogavit, an quæ de ſymbolo Nicæno litteris mandaverit, vera eſſent. Cui ſynodus ipſa reſpondit: Nil vani aut ſupervacanei; verum cuncta congrue Cyrillus edidit: quæque Nicæna ſynodus paucis decreverat, is ſuis litteris explanavit ac illuſtravit. Quæ quidem litteræ plurimum luminis præbent, ita ut edicta Nicæna ex his clariſſime poſſint intelligi. Synodus igitur ipſa profeſſa fuit, Cyrilli litteras eadem ipſa ſignificare, quæ à ſymbolo Nicæno continerentur. Poſt hæc litteræ quoque Neſtorij ad Cyrillum ſcriptæ perlectæ fuerunt, quibus, ſacram uſurpando ſcripturam, Mariam Virginem non Dei genitricem eſſe, ſignificabat. His igitur litteris Neſtorij recitatis, iterum Cyrillus ſynodum ipſam interrogavit quid de ipſis ſentirent, an Nicænorum patrum religioni convenirent. Synodus autem ſic reſpondit: Nequaquam conſonæ ſunt, ſed veram fidem oppugnant, quandoquidem Cyrilli & Nicænorum Patrum fidei quã maxime contrariæ ſunt. Idcirco vera fides Neſtorium anathemate notat, quippe qui impia dogmata nefariamque cõmunionem poſteritati conatur tradere. Quibus patet, Patres ampliſſimi, quanam mente tertia ſynodus interdixerit, ne cui liceret eam fidem proferre, quæ contra Nicænam, hoc eſt, à vera fide aliena eſſet: ita ut interdictum ejuſmodi, veræ fidei diſcrepantiã & contrarietatem, non autem declarationem ipſi fidei conſonantem, ſignificet atque vetet. Quod quidem Cyrillus ipſe teſtatur, qui Nicænum ſymbolum candidius reddidit. Teſtes ſunt & ipſius tertij Concilij litteræ ad Imperatores pro fide ſcriptæ, quibus acta recolendo ſua, inter cætera memoratu digna declarat, Cyrilli ſe litteras, ſanctorum patrum dogmati conſonantes, ac nulla ex parte ab Apoſtolorum & ipſorum patrum fide alienas comperiſſe, Neſtorij vero dogmata ejuſdem fidei contraria deprehendiſſe. Poſtea Cæleſtini litteræ, quas ad ipſum Neſtorium ſcripſerat, recitatæ fuere, quæ ſic incipiebant. Quibuſdam diebus citra. Et infra: Quis unquam, inquit, non fuerit anathemate dignus, qui ſymbolo quicquam addiderit, aut ademerit, cum fides nobis ab Apoſtolis tradita, neque additione neque imminutione indigeat? veſtris enim in libris legimus cum quam maxima pœna affici debere, qui vel addiderit, vel quicquam abſtulerit, & reliqua. Scitu præterea dignum eſt, ante ſynodum Epheſinam addendi quippiam Apoſtolorum ſymbolo, vel ab ipſo facultatem auferendi, gravi pœna vetitam fuiſſe, ut in extrema earundem litterarum parte legere eſt. Eidem tamen ſymbolo appoſita multa fuere, atque ab eo ablata: Interdictum igitur illud, cui vos mirum in modũ innitimini, contra nos minime facere videtur. Amplius, Cæleſtinus Neſtorium reprehenderat, quod à ſymbolo verbum, Deiparam, auferendũ cenſuerit. Qui quidem Cæleſtinus Apoſtolorum ſymbolum intelligebat, quorũ omnium unica ratio fuit: quod neque Nicæna, neque prima Conſtantinopolitana, neque cæteræ ſynodi contra rationem fideique veritatẽ ſymbolo quicquam addiderant, aut ab eo deduxerant, Neſtorius autẽ contra. Ergo tum quiſque vel addere, vel auferre merito vetatur, cum contra rationem ac veram religionem id facit: unde tota noſtra controverſia facile ſolvitur. Nam Romana Eccleſia, non ut Conſtantinopolitanum ſymbolum & fidem ipſam everteret, ex filioque, particulam addidit. Verum vt noſtri majores idcirco Nicænum Conſtantinopolitanumque ſymbolum idem eſſe, idemque ſignificare decreverant, quod altero audito, ſtatim alterum intelligebatur, licet in verbis differrent: ita etiam Ro-

D. Bonaventura.

Acta in tertia ſynodo.

mana Eccleſia profitetur, utrumque ſymbolum noſtrum rem eamdem ſignificare, ſibiq; propterea licuiſſe ipſum declarare, quod ea particula nequaquam aliena videretur à fide, cum ipſi valde conveniat, ac ad eundem ſenſum pertineat, necnon ipſius identitatem ſignificet & declaret, licet in voce differant. Præterea, ut alia multa memoria digna, hæc etiam ab ipſo Cæleſtino litteris tradita fuerant. Catholica (inquit) Eccleſia contradicit, quominus ab Apoſtolorum ſymbolo auferatur, beatam Mariam Dei genitricem fuiſſe, quod noſtram ſalutem annunciat, ac ab ipſo ſymbolo potentia continetur. Patet igitur, neutiquam licuiſſe, ab Apoſtolorum ſymbolo quicquam dimovere, tamen illud, deſcendit ad inferos, ablatũ eſſe videmus, licet Chriſtum ad inferos deſcendiſſe verum ſit, atque à majoribus noſtris conceſſum. Quoniam autem Neſtorius (ut ſupra dictum eſt) contendebat Virginem Deum non genuiſſe: idcirco Cæleſtinus ipſe litteris eiſdem mandaverat, ut niſi decem dierum ſpatio Neſtorius à tali ſe revocaverit hæreſi, Eccleſiæque Catholicæ dogma prædicaverit, non ignoraret ſe ab eadem Eccleſia excludendum eſſe. Sunt & aliæ rationes, patres ampliſſimi; ad propoſitum attinentes. Verum noſtra feſtinat oratio ad probandum, quod ſupra diximus, argumentum veſtrum claudicare. Unde multum forſan vagavit oratio, haud tamen extra propoſitum. Sed hactenus in præſentia. Quibus dictis, ſynodus ſancta decrevit, ut ſeſſio ipſa ſolveretur, & ad diem ſequentem martis congregaretur.

Nota. *Hic deſiderari mentionem Epiſtolæ ſinodi Alexandrinæ ad Neſtorium, quæ incipit, cum ſalvator, quæ in Epheſino lecta eſt & approbata ex actis Gelaſij Cyziani ut ſupra diximus in Conc. Ephiſino: in qua cum expreſſe aſſeratur Sp. Sanctum etiam à filio procedere, nihil poterat magis Græcos convincere, cum ab ipſo Epheſino conſtet poſt Alexandrinam ſinodum ſub D. Athanaſio explicationem primum factam: tantum abeſt, ut ſit contra ipſius Concilij Epheſ. mentem.*

DIE VNDECIMA NOVEMBRIS,
ſeſſio undecima Ferrariæ.

VTraque ex parte, patres ampliſſimi, copioſe, ſcite ac ſubtiliter dictum eſt, veſtras tamen orationes forſan non niſi ſummi Theologi, virique doctiſſimi percipere poterant. Idcirco eam equidem orationem ad propoſitũ pertinentem habebo, quam docti pariter & mediocriter eruditi ſine ambiguitate intelligent, quaque (ni fallor) controverſiam noſtram ad exitũ perducemus. Attendite igitur obſecro. Namque poſthac per capita brevibuſque nos agere oportebit. Si ſic ergo fieri vobis videtur, rem ipſam aggrediar: ſin minus, voluntati veſtræ acquieſcam.

Imp. Dicat Cardinalis.

Iul. Card. Attingam quidem, Patres ampliſſimi, quæſtionis noſtræ radicem. Nam tota noſtra controverſia in Epheſinæ ſynodi interdicto conſiſtit, in his videlicet verbis: Nemini liceat proferre, conſcribere, componere, & reliquis. Quæ quidem verba nos credimus hoc ſolum ſignificare, ut fas ſit nulli, Nicænorum patrum fidei contrarium proferre. Vos autem longe aliter ſentire videmini, ut non ſolum ad aliam, oppoſitamque fidem, verum etiam ad quamvis declarationem, ac cujuſvis generis additionem, interdictum ipſum debeat referri, propterea nullam prorſus ſymboli dilucidationem fieri debuiſſe. Dicere autem ſolent legiſperiti, fieri non poſſe, ut quiſquam bene legem intelligat, niſi totam perſperexerit. Neceſſe eſt igitur, ea quoque diligenter conſideremus, quæ interdictum ipſum præceſſerant. Legitur in actis tertiæ ſynodi, quoſdam Anaſtaſium & Photium Neſtorianos hæreticos, neſcio quem Iacobum ad ſuam hæreſim mortalibus prædicandam miſiſſe: qui quidem aliud fidei ſymbolum, vel (ut quidam Charifius in ipſa ſynodo præſens dicebat) impietatis ſymbolum prædicans, ac eundem ipſum Chariſium impietatis incuſans, quam plurimos Chriſtianos deceperat. Propterea Chariſius, ut ſe Orthodoxon, id eſt, recte ſe de fide ſentientem eſſe probaret, in primis ſymbolum ſuum, deinde Neſtorianum in eadem ſynodo recitavit, quod quidem Chariſij ſymbolum, neque Nicænum, neque Conſtantinopolitanum fuiſſe conſtabat. Poſtremo vehementer conqueſtus, quod à Neſtorianis communione ſibi fuerat interdictum, Credo (inquit) in unum Deum, & reliqua. Quod autem nonnulli profitentur, ipſe. inficior, Chriſtum videlicet quandoque non fuiſſe. Poſuerat namen in ſuo ſymbolo, Spiritum eſſe conſubſtantialem patri & filio, quod in neutro duorum illorum ſymbolorum ſcriptum fuerat. Quibus quidem Chariſij & Neſtorianorum ſymbolis recitatis, ſancta ſynodus ipſa decrevit, ne cui liceret fidem aliam proferre aut docere: ſimulque confictum illud Neſtorianorum ſymbolum, nulla prorſus de ipſius Chariſij ſymbolo mentione facta, damnavit. Siquidem igitur mentis ejuſdem Concilij fuiſſet, quamcunque aliam à Nicæna profeſſionem vetare, ita ut non aliud niſi tantum Nicænum ſymbolum verbis eiſdem celebraretur, dubio procul Chariſij etiam expoſitionem ac ſymbolũ antiquaſſet reprobaſſetque. Sed quoniam verum ac pium fuerat, idcirco ſynodus ipſum noluit antiquare. Quæ omnia profecto nobis argumento maximo ſunt, decretum illud, ad fidem religioni Nicænorum patrum oppoſitam, referri debere, ita ut ipſius decreti vis, ex his (ut mihi videtur) clariſſime pateat. Amplius, eadem ipſa Synodus, Patres ampliſſimi, quæ, ne cui quicquam liceret proferre, aut litteris mandare, prohibuerat, ſimul quoque decrevit ut nulla alia præter Nicænorum Patrum fides teneretur. Siquidem igitur à me requiſiti, an Deum æternum eſſe credatis, mihi reſpoudebitis ita: quæro, an ſub anathemate fueritis, quod verba illa à ſymbolo Nicæno minime continentur. Infinita ſunt vera, Patres ampliſſimi, quæ credimus & profitemur, ab ipſo tamen ſymbolo non contenta. Sed hæc hactenus.

Porro autem certis perſonis (ut dicitis) licere ambigua declarare, Catholicæ vero Eccleſiæ minime, longe mihi alienum à ratione, ac ipſi interdicto contrarium eſſe videtur. Nam in eius principio legitur, ne cui liceret, & reliqua. In fine vero Epiſcopis & clericis, ac ſecularibus in univerſum interdicitur. De quibus ſecularibus ideo facta mentio fuit quod Græcis mos fuerat, ut non niſi clerici ſymbolum in Eccleſiis cantarent. Patet igitur, interdictum ipſum neminem excludere; omneſque fere Chriſtianos anathemate notatos eſſe, ſi ſynodus ipſa quodvis expoſitionis genus (ut creditis) prohibuerat. Amplius, notatu dignum eſt, Agathonis litteras quas (ut ſupra dictum eſt) ad ſynodum miſerat, non ab ipſo ſolo, ſed ab Occidentali Eccleſia ſcriptas fuiſſe. Ipſe namque litteris eiſdem teſtatur, eas una cum centum ac 25. Occidentalis Eccleſiæ præſulibus conſcripſiſſe, ſubſignaſſeque. Præterea præſtantiſſimus Nicænus, volens ad id reſpondere, quod Coloſſenſis præſul attulerat; urgente videlicet neceſſitate Romanam Eccleſiam declaraſſe, nullam neceſſitatem protulit interdicto fuiſſe exceptam, neque ullam prorſus mentionem de ea factam. Quam quidem reſponſionem in vos retorquentes, dicimus, quoniam in prohibitione illa nullius perſonæ ratio haberi videtur: idcirco ipſam una ratione de cunctis hominibus debere intelligi, ita ut nulla ratione cuiquam ſymbolum exponere liceat: quod tamen conſtat à multis expoſitum fuiſſe. Amplius, eadem ipſa tertia ſynodus nullam de Conſtantinopolitano ſymbolo mentionem feciſſe videtur. Aut igitur, quia tantum Nicænum ſymbolum à poſterioribus in Eccleſia celebrari voluerat, & ſic ipſi delinquimus, qui potius illud quam Nicænum celebrare ſolemus: aut ejus quoque ſymboli

Iacobus Chariſius

boli fuerat recordata, ſed tanquam alterius ſymboli contrarium, ob idque non dignum celebritate ipſum poſtpoſuerat, quod quidem nequaquam credendum eſt: aut utrumque pro uno eodemque putaverat, quod eandem veritatem & fidem utrumque ſignificabat, quamvis multis in verbis differrent. Si quidem igitur verum eſt, Conſtantinopolitanum (ut dicitis) ſymbolum à Nicæno potentia contineri, ac altero intellecto, ſtatim alterum ſubintelligi: ac ideo illud nequaquam fuiſſe vetitum, quod eandem veritatem declarabat: magis ſane convenit, ut credamus interdictum ipſum ad fidem diverſam, & à veritate diſſonam referri debere.

Refellit Græcos ſexta Synodum.

Item luce clarius eſt, cuncta Synodorum decreta ſancti Spiritus gratia fieri, ac ipſum pariter in omnibus eſſe. Cum autem ſextum etiam generale Concilium edixiſſet, ne cui fas eſſet ſanctiones eius evertere, ac aliam ſapere fidem, & reliqua: palam eſt, idem Concilium, vel Spiritum ſanctum pro eo, interpretatum fuiſſe, declaraſſeque, quonam modo decretum tertiæ Synodi deberet intelligi, ne cui liceret aliam fidem proferre, hoc eſt, quæ veram religionem everteret: ideoque nequaquam prohibuit quo minus ad veritatis intelligentiam expoſitiones fieri deberent. Præterea cum de quibuſdam alicujus legis dubitamus, ipſius Legiſlatoris ſenſum inſpicere accurateque debemus perpendere, qui quidem vel ejuſdem legis exordio, vel verbis aliis conſequentibus haberi ſolet. Porro tertiæ Synodi proœmium hoc conſtat fuiſſe, cum patres convenirent, Symbolum Nicæn. perlegerant, ut ſermones extraneos cum eo conferrent, quippe qui ipſi ſymbolo conſonarent, eos ſuſciperent, oppoſitos autem rejicerent. Mens igitur ipſius Legiſlatoris, hoc eſt, Epheſinæ Synodi, quæ non ad verba, ſed ad Scripturæ Sacræ ſignificationem inſpiciebat, nulla alia fuerat, quam ut fidem aliam, vel expoſitionem fidem veram deſtruentem, vetaret: ut ex Cyrilli litteris apparet, qui Nicæno ſymbolo recitato, protulit: nos patrum confeſſionem, ac ipſorum intelligentiam ſectantes, veram fidem exponimus.

Septima Synodus.

Septima quoque Synodus: Veram, inquit, rationem diligentiſſime ſequentes, & infrà. Veram fidem, quæ non facit errare ſectantes, Nicænæ fidei nihil addimus, & reliqua. Ipſa nihilominus Synodus decretum pro imaginibus addidit. Apparet igitur, Legiſlatorem ipſum voluiſſe, ut veritas ſemper prædicaretur, ac nulla ratione taceretur. Unum poſtremo mihi venit in mentem, quod controverſiæ noſtræ ſimillimum eſſe videtur. Sed antequam veniam ad ipſum, unum aliud in medium proferam, quo quidem facilius primum illud intelligamus. Attendite igitur, obſecro.

Quarta Synodus.

Chalcedon. Concil. ita protulit: Leo Pontifex maximus à quibuſdam graviter incuſatur ſymbolum aliud feciſſe, ac aliter fidem expoſuiſſe, quam per Nicænos patres liceret. Ne autem in poſterum quiſquam talem in eum afferat accuſationem, ac ipſum reprehendat, Synodus hæc in eos, qui contra veritatem inſurgerent, reſpondet atque declarat, Leonem ipſum in exponenda declarandaque fide nil contra prohibitionem commiſiſſe: quandoquidem naſcentibus novis erroribus, nova diverſaque medicamina à Sanctis Patribus exhiberi debent. Nam etſi fides à Patribus prodita ſatisfaciat, quia tamen plurimi veram ejus ſignificationem conantur evertere, idcirco convenit fidem ipſam exponere, magiſque declarare. Nam ſi, promptum eſt, pariter ab omnibus coleretur, nulla re alia opus eſſet, niſi tantum Nicænorum patrum fidem exçolere. Sed cum à recta via quamplurimi deerrent, ac per anfractus, id eſt, per viam falſitatis aberroris vadant, ideo nobis neceſſe eſt veritatis viam oſtendere, &c. Plura etiam id genus alia, Patres Ampliſ. Synod. ipſa protulerat, quæ ad propoſitum attinent. Verum ad id noſtra feſtinat oratio, quod paulo ante poſtremum mihi dicendum eſſe promiſi.

Quidam enim Flavinianus (ut noſtis) in Conſtantinopol. Synod. Eutychen condemnavit: deinde Synodo Epheſi 2. convocata, quam poſtea conſtat reprobatam fuiſſe, quod quidam Dioſcorus legatus ei tyrannice præfuit, is Eutyches ibi præſens, magno affectus deſiderio excuſandi ſe atq; ulciſcendi, Nicænum ſymbolum de verbo ad verbum profeſſus fuit, ac ita protulit: Hæc eſt patrum fides, in qua vivere moriique volo. Quam quidem prima Synod. Epheſ. probaverat, ſimulque declaraverat, ut aliam nemo proferret. Eam itaque fidem, dicebat ipſe, profiteor, Flavianum autem peccare denuncio, quippe qui profiteretur Chriſtum ex duabus, ac in duabus ſimul naturis eſſe, quod à Nicæno ſymbolo neutiquam continetur. Veritatem igitur ipſam, quo minus declararetur, ac Nicæno ſymbolo adderetur, Eutyches prohibere volebat, ita ut verborum etiam additionem non admittere videretur. Quidam autem Euſebius exclamavit. Mentiris Eutyches, dicens: nam hoc quod dicis, nulla lex prohibet. Dioſcorus vero reſpondit: cur ita dicis Euſebi, cum hic duo Epheſinæ Synodi volumina habeamus, in quibus legitur nemini licere Nicæno Symbolo quicquam addere? Tacebat autem ipſa Synodus, Euſebiique ſententiam tacite videbatur ſuſcipere. At tyrannus Dioſcorus Euſeb. ipſum ac Flavianum, ut Epheſinæ legis prævaricatores, damnare, ac eorum Epiſcopatibus privare contendit, dicens ſynodum Epheſinam decreviſſe, ut qui fidem aliam proferret, vel adderet, vel auferret, ſi præſul fuerit, Epiſcopatu privaretur. Patres autem ipſius Concil. & ſi præſente Dioſcoro, voluntati ejus acquieſcere viderentur, poſtea tamen abſoluto Flaviano & Euſeb. à Chalcedon. Conc. magno gaudio affecti fuere. Porro autem Dioſcoro præſente, protulerant, Flavianum & Euſebium merito condemnari debere, ac ipſos pontificali dignitate indignos eſſe, ut pote qui contra Epheſ. interdictum auſi fuerint ſymbolo quicquam apponere, quod Nicæna Synodus prodidit, Epheſina vero probavit atq; ſuſcepit, ſimulque prohibuit, ne cui liceret ipſi quippiam addere, vel ab eodem auferre decernens, ut ſi quiſquam præſul tale commiſerit facinus, Epiſcopatu privaretur. Cum autem hæc in Chalcedon. Synodo recitata fuerint, decretum ab ipſa Synodo eſt, Dioſcorum anathemate notatum eſſe, ut pote qui contra Flavianum ac Euſebium male judicaverit, ac eos inique damnaverit. Propterea q; ſententiam eius antiquandam eſſe, quod Flavianus nil prorſus contra Nicænam vel Epheſinam Synodum commiſerit. Nam & ſi Chriſtum duas habere naturas in Nicæno ſymbolo neutiquam legitur, ab ipſo tamen ſymbolo potentia continetur. Unde non ſequitur, addentem quippiam, aut declarantem, condemnari debere, dummodo vera, Catholicæque fidei conſona proferat. Videtur mihi, Patres Ampliſ. exemplum melius proferri non poſſe, quod ad propoſitum attineat, quam quod de Flaviano protulimus, ita ut eo facile adducar, ut credam interdictum illud, ne cui liceret, & reliqua, ad eos tantum referri, qui fidem aliam à vera tenerent, quique Scripturam Sacram aut Nicænum ſymbolum immutarent. Quibus equidem argumentis puto controverſiam noſtram ſolutam eſſe: ſin minus, vellem à vobis doceri, cur ita credendum non ſit. Siquidem igitur Romana Eccleſia profitetur, neque ad Sacram Script. neque ad Nicænum ſymbolum, neque ad alicujus ſynodi definitionem, falſam aliquam acceſſionem fieri poſſe, ita ut in hoc vobiſcum conveniat, operæ precium eſt, hujuſcemodi quæſtione poſtpoſita, nos ad eam venire, utrum Sanctus Spiritus ex Filioque procedat, nec-ne. Nam ſi nobis probabitis ipſum ex filio nequaquam procedere, tum additionem ſymbolo factam eſſe fatebimur, ipſamque Romanæ Eccleſiæ minime facere licuiſſe: ſin minus, tunc vos oportebit concedere, fas ipſi fuiſſe ſymbolum dilucidaſſe clariuſque reddidiſſe: quo quidem pacto pax inter nos facillime fieret. Hæc beatiſſimi Patris dominique noſtri, nec non Sereniſſimi Imperato-

Punctum difficultatis.

mana Eccleſia profitetur, utrumque ſymbolum noſtrum rem eamdem ſignificare, ſibiq; propterea licuiſſe ipſum declarare, quod ea particula nequaquam aliena videretur à fide, cum ipſi valde conveniat, ac ad eundem ſenſum pertineat, necnon ipſius identitatem ſignificet & declaret, licet in voce differant. Præterea, ut alia multa memoria digna, hæc etiam ab ipſo Cæleſtino litteris tradita fuerant. Catholica (inquit) Eccleſia contradicit, quominus ab Apoſtolorum ſymbolo auferatur, beatam Mariam Dei genitricem fuiſſe, quod noſtram ſalutem annunciat, ac ab ipſo ſymbolo potentia continetur. Patet igitur, neutiquam licuiſſe, ab Apoſtolorum ſymbolo quicquam dimovere, tamen illud, deſcendit ad inferos, ablatũ eſſe videmus, licet Chriſtum ad inferos deſcendiſſe verum ſit, atque à majoribus noſtris conceſſum. Quoniam autem Neſtorius (ut ſupra dictum eſt) contendebat Virginem Deum non genuiſſe: idcirco Cæleſtinus ipſe litteris eiſdem mandaverat, ut niſi decem dierum ſpatio Neſtorius à tali ſe revocaverit hæreſi, Eccleſiæque Catholicæ dogma prædicaverit, non ignoraret ſe ab eadem Eccleſia excludendum eſſe. Sunt & aliæ rationes, patres ampliſſimi; ad propoſitum attinentes. Verum noſtra feſtinat oratio ad probandum, quod ſupra diximus, argumentum veſtrum claudicare. Unde multum forſan vagavit oratio, haud tamen extra propoſitum. Sed hactenus in præſentia. Quibus dictis, ſynodus ſancta decrevit, ut ſeſſio ipſa ſolveretur, & ad diem ſequentem martis congregaretur.

Nota. *Hic deſiderari mentionem Epiſtolæ ſinodi Alexandrinæ ad Neſtorium, quæ incipit, cum ſalvator, quæ in Epheſino lecta eſt & approbata ex actis Gelaſij Cizeni ut ſupra diximus in Conc. Ephiſino: in qua cum expreſſe aſſeratur Sp. Sanctum etiam à filio procedere, nihil poterat magis Græcos convincere, cum ab ipſo Epheſino conſtet poſt Alexandrinam ſinodum ſub D. Athanaſio explicationem primum factam: tantum abeſt, ut ſit contra ipſius Concilij Epheſ. mentem.*

DIE VNDECIMA NOVEMBRIS,
ſeſſio undecima Ferrariæ.

VTraque parte, patres ampliſſimi, copioſe, ſcite ac ſubtiliter dictum eſt, veſtras tamen orationes forſan non niſi ſummi Theologi, virique doctiſſimi percipere poterant. Idcirco eam equidem orationem ad propoſitũ pertinentem habebo, quam docti pariter & mediocriter eruditi ſine ambiguitate intelligent, quaque (ni fallor) controverſiam noſtram ad exitũ perducemus. Attendite igitur obſecro. Namque poſthac per capita brevibuſque nos agere oportebit. Si ſic ergo fieri vobis videtur, rem ipſam aggrediar: ſin minus, voluntati veſtræ acquieſcam.

Imp. Dicat Cardinalis.

Jul. Card. Attingam quidem, Patres ampliſſimi, quæſtionis noſtræ radicem. Nam tota noſtra controverſia in Epheſinæ ſynodi interdicto conſiſtit, in his videlicet verbis: Nemini liceat proferre, conſcribere, componere, & reliquis. Quæ quidem verba nos credimus hoc ſolum ſignificare, ut fas ſit nulli, Nicænorum patrum fidei contrarium proferre. Vos autem longe aliter ſentire videmini, ut non ſolum ad aliam, oppoſitamque fidem, verum etiam ad quamvis declarationem, ac cujuſvis generis additionem, interdictum ipſum debeat referri, propterea nullam prorſus ſymboli dilucidationem fieri debuiſſe. Dicere autem ſolent legiſperiti, fieri non poſſe, ut quiſquam bene legem intelligat, niſi totam perſpexerit. Neceſſe eſt igitur, ea quoque diligenter conſideremus, quæ interdictum ipſum præceſſerant. Legitur in actis tertiæ ſynodi, quoſdam Anaſtaſium & Photium Neſtorianos hæreticos, neſcio quem Iacobum ad ſuam hæreſim mortalibus prædicandam miſiſſe: qui quidem aliud fidei ſymbolum, vel (ut quidam Charifius in ipſa ſynodo præſens dicebat) impietatis ſymbolum prædicans, ac eundem ipſum Charifium impietatis incuſans, quam plurimos Chriſtianos deceperat. Propterea Charifius, ut ſe Orthodoxon, id eſt, recte ſe de fide ſentientem eſſe probaret, in primis ſymbolum ſuum, deinde Neſtorianum in eadem ſynodo recitavit, quod quidem Charifij ſymbolum, neque Nicænum, neque Conſtantinopolitanum fuiſſe conſtabat. Poſtremo vehementer conqueſtus, quod à Neſtorianis communione ſibi fuerat interdictum, Credo (inquit) in unum Deum, & reliqua. Quod autem nonnulli profitentur, ipſe inficior, Chriſtum videlicet quandoque non fuiſſe. Poſuerat tamen in ſuo ſymbolo, Spiritum eſſe conſubſtantialem patri & filio, quod in neutro duorum illorum ſymbolorum ſcriptum fuerat. Quibus quidem Charifij & Neſtorianorum ſymbolis recitatis, ſancta ſynodus ipſa decrevit, ne cui liceret fidem aliam proferre aut docere: ſimulque confictum illud Neſtorianorum ſymbolum, nulla prorſus de ipſius Charifij ſymbolo mentione facta, damnavit. Siquidem igitur mentis ejuſdem Concilij fuiſſet, quamcunque aliam à Nicæna profeſſionem vetare, ita ut non aliud niſi tantum Nicænum ſymbolum verbis eiſdem celebraretur, dubio procul Charifij etiam expoſitionem ac ſymbolũ antiquaſſet reprobaſſetque. Sed quoniam verum ac pium fuerat, idcirco ſynodus ipſum noluit antiquare. Quæ omnia profecto nobis argumento maximo ſunt, decretum illud, ad fidem religioni Nicænorum patrum oppoſitam, referri debere, ita ut ipſius decreti vis, ex his (ut mihi videtur) clariſſime pateat. Amplius, eadem ipſa Synodus, Patres ampliſſimi, quæ, ne cui quicquam liceret proferre, aut litteris mandare, prohibuerat, ſimul quoque decrevit ut nulla alia præter Nicænorum Patrum fides teneretur. Siquidem igitur à me requiſiti, an Deum æternum eſſe credatis, mihi reſpondebitis ita: quæro, an ſub anathemate fueritis, quod verba illa à ſymbolo Nicæno minime continentur. Infinita ſunt vera, Patres ampliſſimi, quæ credimus & profitemur, ab ipſo tamen ſymbolo non contenta. Sed hæc hactenus.

Symbolũ Charifij.

Porro autem certis perſonis (ut dicitis) licere ambigua declarare, Catholicæ vero Eccleſiæ minime, longe mihi alienum à ratione, ac ipſi interdicto contrarium eſſe videtur. Nam in eius principio legitur, ne cui liceret, & reliqua. In fine vero Epiſcopis & clericis, ac ſecularibus in univerſum interdicitur. De quibus ſecularibus ideo facta mentio fuit quod Græcis mos fuerat, ut non niſi clerici ſymbolum in Eccleſiis cantarent. Patet igitur, interdictum ipſum neminem excludere; omneſque fere Chriſtianos anathemate notatos eſſe, ſi ſynodus ipſa quodvis expoſitionis genus (ut creditis) prohibuerat. Amplius, notatu dignum eſt, Agathonis litteras quas (ut ſupra dictum eſt) ad ſynodum miſerat, non ab ipſo ſolo, ſed ab Occidentali Eccleſia ſcriptas fuiſſe. Ipſe namque litteris eiſdem teſtatur, eas una cum centum ac 25. Occidentalis Eccleſiæ præſulibus conſcripſiſſe, ſubſignaſſeque. Præterea præſtantiſſimus Nicænus, volens ad id reſpondere, quod Coloſſenſis præſul attulerat; urgente videlicet neceſſitate Romanam Eccleſiam declaraſſe, nullam neceſſitatem protulit interdicto fuiſſe exceptam, neque ullam prorſus mentionem de ea factam. Quam quidem reſponſionem in vos retorquentes, dicimus, quoniam in prohibitione illa nullius perſonæ ratio haberi videtur: idcirco ipſam una ratione de cunctis hominibus debere intelligi, ita ut nulla ratione cuiquam ſymbolum exponere liceat: quod tamen conſtat à multis expoſitum fuiſſe. Amplius, eadem ipſa tertia ſynodus nullam de Conſtantinopolitano ſymbolo mentionem feciſſe videtur. Aut igitur, quia tantum Nicænum ſymbolum à poſterioribus in Eccleſia celebrari voluerat, & ſic ipſi delinquimus, qui potius illud quam Nicænum celebrare ſolemus: aut ejus quoque ſymboli

Iacobus Charifius

boli fuerat recordata, ſed tanquam alterius ſymboli contrariſum, ob idque non dignum celebritate ipſum poſtpoſuerat, quod quidem nequaquam credendum eſt: aut utrumque pro uno eodemque putaverat, quod eandem veritatem & fidem utrumque ſignificabat, quamvis multis in verbis differrent. Si quidem igitur verum eſt, Conſtantinopolitanum (ut dicitis) ſymbolum à Nicæno potentia contineri, ac altero intellecto, ſtatim alterum ſubintelligi: ac ideo illud nequaquam fuiſſe veritum, quod eandem veritatem declarabat: magis ſane convenit, ut credamus interdictum ipſum ad fidem diverſam, & à veritate diſſonam referri debere.

Refellit Græcos ſextæ Synodum.

Item luce clarius eſt, cuncta Synodorum decreta ſancti Spiritus gratia fieri, acipſum pariter in omnibus eſſe. Cum autem ſextum etiam generale Concilium edixiſſet, ne cui fas eſſet ſanctiones eius everterre, ac aliam ſapere fidem, & reliqua: palam eſt, idem Concilium, vel Spiritum ſanctum pro eo, interpretatum fuiſſe, declaraſſequo, quonam modo decretum tertiæ Synodi deberet intelligi, ne cui liceret aliam fidem proferre, hoc eſt, quæ verem religionem everteret: ideoque neqnaquam prohibuit, quo minus ad veritatis intelligentiam expoſitiones fieri deberent. Præterea cum de quibuſdam alicujus legis dubitamus, ipſius Legiſlatoris ſenſum inſpicere accurateque debemus perpendere, qui quidem vel ejuſdem legis exordio, vel verbis aliis conſequentibus haberi ſolet. Porro tertiæ ſynodi proœmium hoc conſtat fuiſſe, cum patres convenirent, Symbolum Nicæn. perlegerant, ut ſermones extraneos cum eo conferrent, quippe qui ipſi ſymbolo conſonarent, eos ſuſciperent, oppoſitos autem rejicerent. Mens igitur ipſius Legiſlatoris, hoc eſt, Epheſinæ Synodi, quæ non ad verba, ſed ad Scripturæ Sacræ ſignificationem inſpiciebat, nulla alia fuerat, quam ut fidem aliam, vel expoſitionem fidem veram deſtruentem, vetaret: ut ex Cyrilli litteris apparet, qui Nicæno ſymbolo recitato, protulit: nos patrum confeſſionem, ac ipſorum intelligentiam ſectantes, veram fidem exponimus. Septima quoque Synodus: Veram, inquit, rationem diligentiſſime ſequentes, & infrà. Veram fidem, quæ non facit errare ſectantes, Nicænæ fidei nihil addimus, & reliqua. Ipſa nihilominus Synodus decretum pro imaginibus addidit. Apparet igitur, Legiſlatorem ipſum voluiſſe, ut veritas ſemper prædicaretur, ac nulla ratione taceretur. Unum poſtremo mihi venit in mentem, quod controverſiæ noſtræ ſimillimum eſſe videtur. Sed anteaquam veniam ad ipſum, unum aliud in medium proferam, quo quidem facilius primum illud intelligemus. Attendite igitur, obſecro. Chalcedon. Concil. ita protulit: Leo Pontifex maximus à quibuſdam graviter incuſatur ſymbolum aliud feciſſe, ac aliter fidem expoſuiſſe, quam per Nicænos patres liceret. Ne autem in poſterum quiſquam talem in eum afferat accuſationem, ac ipſum reprehendat, Synodus hæc in eos, qui contra veritatem inſurgerent, reſpondet atque declarat, Leonem ipſum in exponenda declarandaque fide nil contra prohibitionem commiſiſſe: quandoquidem naſcentibus novis erroribus, nova diverſaque medicamina à Sanctis Patribus exhiberi debent. Nam etſi fides à Patribus prodita ſatisfaciat, quia tamen plurimi veram ejus ſignificationem conantur everrere, idcireo convenit fidem ipſam exponere, magiſque declarare. Nam ſi, prout eſt, pariter ab omnibus coleretur, nulla re alia opus eſſet, niſi tantum Nicænorum patrum fidem exçolere. Sed cum à recta via quamplurimi deerrent, ac per amfractus, id eſt, per viam falſitatis aò errotis vadant, ideo nobis neceſſe eſt veritatis viam oſtendere, &c. Plura etiam id genus alia, Patres Ampliſ. Synod. ipſa protulerat, quæ ad propoſitum attinent. Verum ad id noſtra feſtinat oratio, quod paulo ante poſtremum mihi dicendum eſſe promiſi.

Septima Synodus.

Quarta Synodus.

Quidam enim Flavinianus (ut noſtis) in Conſtanti-

A nopol. Synod. Eutychen condemnaviſt: deinde Synodo Epheſi 2. convocata, quam poſtea conſtat reprobatam fuiſſe, quod quidam Dioſcorus legatus ei tyrannice præfuit, is Eutyches ibi præſens, magno affectus deſiderio excuſandi ſe atq; ulciſcendi, Nicænum ſymbolum de verbo ad verbum profetlus fuit, ac ita protulit: Hæc eſt patrum fides, in qua vivere morique volo. Quam quidem prima Synod. Epheſ. probaverat, ſimulque declaraverat, ut aliam nemo proferret. Eam itaque fidem, dicebat ipſe, profiteor, Flavianum autem peccare denuncio, quippe qui profiteretur Chriſtum ex duabus, ac in duabus ſimul naturis eſſe, quod à Nicæno ſymbolo neutiquam continetur. Veritatem igitur ipſam, quo minus declararetur, ac Nicæno ſymbolo adderetur, Eutyches prohibere volebat, ita ut verborum etiam additionem non admittere videretur.

Eutyches.

B Quidam autem Euſebius exclamavit, Mentiris Eutyches, dicens: nam hoc quod dicis, nulla lex prohibet. Dioſcorus vero reſpondit: cur ita dicis Euſebi, cum hîc duo Epheſinæ Synodi volumina habeamus, in quibus legitur nemini licere Nicæno Symbolo quicquam addere? Tacebat autem ipſa Synodus, Euſebiique ſententiam tacite videbatur ſuſcipere. At tyrannus Dioſcorus Euſeb. ipſum ac Flavianum, ut Epheſinæ legis prævaricatores, damnare, ac eorum Epiſcopatibus privare contendit, dicens Synodum Epheſinam decreviſſe, ut qui fidem aliam proferret, vel adderet, vel auferret, ſi præſul fuerit, Epiſcopatu privaretur. Patres autem ipſius Concil. & ſi præſente Dioſcoro, voluntati ejus acquieſcere viderentur, poſtea tamen abſoluto Flaviano & Euſeb. à Chalcedon. Conc. magno gaudio affecti fuere. Porro autem Dioſcoro præſente, protulerant, Flavianum & Euſebium merito condemnari debere, ac ipſos pontificali dignitate indignos eſſe, ut pote qui contra Epheſ. interdictum auſi fuerint ſymbolo quicquam apponere, quod Nicæna Synodus prodidit, Epheſina vero probavit atq; ſuſcepit, ſimulque prohibuit, ne cui liceret ipſi quippiam addere, vel ab eodem auferre decernens, ut ſi quiſquam præſul tale commiſerit facinus, Epiſcopatu privaretur. Cum autem hæc in Chalcedon. Synodo recitata fuerint, decretum ab ipſa Synodo eſt, Dioſcorum anathemate notatum eſſe, ut pote qui contra Flavianum ac Euſebium male judicaverit, ac eos inique damnaverit. Propterea q; ſententiam eius antiquandam eſſe, quod Flavianus nil prorſus contra Nicænam vel Epheſinam Synodum commiſerit. Nam & ſi Chriſtum duas habere naturas in Nicæno ſymbolo neutiquam legitur, ab ipſo tamen ſymbolo potentia continetur. Vnde non ſequitur, addentem quippiam, aut declarantem, condemnari debere, dummodo vera, Catholicæque fidei conſona proferat. Videtur mihi, Patres Ampliſ. exemplum melius proferri non poſſe, quod ad propoſitum attineat, quam quod de Flaviano protulimus, ita ut eo facile adducar, ut credam interdictum illud, ne cui liceret, & reliqua, ad eos tantum referri, qui fidem aliam à vera tenerent, quique Scripturam Sacram aut Nicænum ſymbolum immutarent. Quibus equidem argumentis puto controverſiam noſtram ſolutam eſſe: ſin minus, vellem à vobis doceri, cur ita credendum non ſit. Siquidem igitur Romana Eccleſia profitetur, neque ad Sacram Script. neque ad

C

D

E Nicænum ſymbolum, neque ad alicujus ſynodi definitionem, falſam aliquam acceſſionem fieri poſſe, ita ut in hoc vobiſcum conveniat, operæ precium eſt, hujuſcemodi quæſtione poſtpoſita, nos ad eam venire, utrum Sanctus Spiritus ex Filioque procedat, nec-ne. Nam ſi nobis probabitis ipſum ex filio nequaquam procedere, tum additionem ſymbolo factam eſſe fatebimur, ipſamque Romanæ Eccleſiæ minime facere licuiſſe; ſin minus, tunc vos oportebit concedere, fas ipſi fuiſſe ſymbolum dilucidaſſe clariuſque reddidiſſe: quo quidem pacto pax inter nos facillime fieret. Hæc beatiſſimi Patris dominique noſtri, nec-non Sereniſſimi Imperato-

Punctum difficultatis.

tis, ac horum omnium præſtantiſſimorum patrum juſſu, pro viribus dixi.

Beſſ. Quamquam orationes utraque ex parte habitæ, tua præſertim Ampliſſime Cardinalis, mihique quam maxime colende, luculentiſſima fuerit, ac ad propoſitum pertinens, rem enim ipſam dictu mirabile tetigiſti, nihilque eorum, quæ opus eſſent præteriſti: mutua tamen benevolentia nunc, ſi commode fieri poſſet, vobis reſponderemus, ac probaremus, plura eorum, quæ protuliſtis, pro noſtra cauſa facere. Verum opportunum eſſe videtur, ut ſeſſio dimittatur. Nam non niſi veſtris orationibus prius memoria diligentiſſime repetitis, vobis bene reſpondere poterimus. Si lubet ergo, Dei benignitate reſurgamus. Quod quidem ſanctæ Synodo placuit, jubenti, ut ad proximum Sabbatum ſeſſio protogaretur.

DIE SABBATI 15. NOVEMBRIS.

Seſſio duodecima Ferrariæ.

Marcus. NOn altercandi, neque ſermonum noſtrorum viciſſim refellendorum cauſa, Patres Ampliſſimi, huc frequentes convenimus. Sic enim hi ſolent agere, qui potius oſtentationis & jactantiæ, quam inquirendæ veritatis gratia contendunt. Verùm ut de quibus ambigeremus, ea diligentiſſime ac cum ſumma pace; mutuaque benevolentia ſimul ita tractaremus & conſideraremus, ut pari ſtudio concluſionem veram conſequeremur: brevi ergo, & non luculenta oratione, ſed his ſolùm innixi, quæ vos concedere videbamini, primum præſtantiſſimo Cardinali, deinde Reverendo Joanni benignitate Dei reſpondebimus. Cujus quidem Cardinalis oratio, ut ad propoſitum ſpectans, ac non inepta, ita etiam plana, clara & elegans fuerat. Propterea que ipſi hunc honorem habebimus, ut nil eorum, quæ per capita dixerat, indiſcuſſum prætereamus. Nam ſi omni eius orationis parti reſpondere velimus, ſermoni profecto noſtro non hodie modus dabitur. Porro autem ipſum obſecro, ut ſi forte fuerit à me requiſitus, mihi ſtatim reſpondeat, ac velit vel mecum ſentire, vel mihi paucis contradicere. Nam ego cum eo, non autem in ipſum, eius argumenta perpendere velim: quippe qui cùm veritas patefiet, (novi equidem ipſius naturam & ingenium) majorem capiet voluptatem, quam ſi ejus argumenta ſuſciperentur. Vnde ſane poterit evenire, ut ſi vir ipſe ſapientiſſimus pro veritate fuerit redarguta majori me benevolentia proſequatur, juxta illius ſapientis ſententiam: *Prov. 9.* *Argue ſapientem, & diliget te.* Porro ei quoque ſuo jure conceditur, me interpellare: nam æquo animo feram, ſi ab eo fuero requiſitus, cujuſvis dicti mei reddere rationem, necnon ſi me corripiet & corriget, cùm ſibi videbitur quicquã me falſi protuliſſe. Nã ſi non contradicentibus vobis quicquam protulero, id verum eſſe, nullaque demonſtratione in poſterum indigere cenſebimus: quam quidem conditionem poſthac ſervare debemus. Primum autem ejuſdem præſtantiſſimi Cardinalis Argumentum hoc fuerat: Quidam Chariſius libello, quem contra Neſtorianos tertiæ Synodo dederat, ſuæ fidei declarationem mandavit, multum quidem diverſam ab ea, quæ à Nicænis patribus tradita fuerat, quæ tamen Chariſij expoſitio ab ipſa Synodo antiquata non fuit. Ergo non omnem fidem in univerſum, verum tantum contrariam, vetitam fuiſſe credendum eſt. Ita dixiſti, an non?

Jul. Card. Oratio tua, Pater Reverende, me magno gaudio affecit, de cujus exordio nil equidem proferam: ſed beati Petri doctrinam ſequens, ad omnem tuam petitionem libentiſſime pro viribus reſpondebo. Velim autem aliquem ex his Doctiſſimis viris interroges, qui tibi melius reſponderet. Verum ſi mecum agere mavis, tibi libenter obtemperabo. Et quoniam (ut ſæpius dictum eſt) ad inquirendam veritatem huc convenimus, non equidem erubeſcam, ſi quiſquam veſtrum errores meos notaverit, ac correxerit: quinimmo pro tali eius erga me beneficio, Deo optimo maximo gratias habebo. Hac tibi tamen conditione, Reverende Pater, tecum agam, ut ſi non bene tuis argumentis reſpondero, patres hi tibi ſatisfaciant: & ſi falſi quicquam protulero, ſoli mihi aſcribatur. Mihi præterea perplacet, te mihi libenti animo reſponſurum, quoties fueris à me requiſitus. Porro autem mihi videtur nunc opus eſſe, ut ex me quicquam requiras, quando plane clareque dixeram, ac oratio mea litteris tradita eſt. Verum ſi tibi fuerit gratum, tuis petitionibus reſpondebo. Sed prius velim mihi proferas, an ſatis dixerim. Nam ſi tibi videtur, ſatis me non feciſſe, dicam amplius.

Mar. Non alia indigemus reſponſione, præſtantiſſime Pater, niſi ut proferas, utrum orationem tuam bene memoriterque perceperim, nec-ne, id quod profecto brevibus facere poteris.

Imper. Ampliſſimo Cardinali patres hi moleſti videntur eſſe. Siquidem igitur vobis placet, alii pro eo reſpondeant. Sin minus, fiat ut lubet.

Mar. Velimus, Patres Ampliſſimi, quemadmodum ipſi paucis interrogabimus, ita vos etiam brevibus reſpondeatis.

Jul. Card. Nil aliud equidem ex te, Pater Reverende, requiro, quam ut intelligam, an tibi placeat, omiſſis interrogationibus, lecta tantum oratione mea, contra eam argumentari. Nam ſi hoc non lubet, tibi libenter obtemperabo. Quæ autem de Chariſio ſeſſione proxima protuli, brevibus repetam. Chariſius Catholicam ſuæ fidei declarationem litteris traditam, tertiæ Synodo dedit: Deinde Neſtorianum ſymbolum rectatum, ipſa ſynodus reprobavit, Chariſii verò declarationem minime. Quam item dubio procul antiquaſſet, ſi is Chariſius declarandi facultatem non habuiſſet, ut pote quæ cum Symb. Nic. in verbis paucis conveniret. Ita memini me dixiſſe, niſi aliter tibi videtur. *Chariſii ſymbolũ non improbatum.*

Mar. Fateor, Ampliſſ. Pater, expoſitionem Chariſii ſecundum ſenſum fuiſſe Catholicam, ſecundum autem verba minime. Multum enim fuerat à Nicæni ſymboli verbis diverſa. Propterea credendum eſt, expoſitionem ipſam non ut Catholicam, verum tanquam à fide Catholica dependentem, Chariſio privatim ac ſigillatim ab ipſa Synodo probatam fuiſſe. Itane res ſe habet, an non?

Jul. Card. Tibi equidem, Pater Reverende, concedo, ipſam Chariſii declarationem ſecundum intelligentiam fuiſſe Catholicam, vel à Catholica (ut aſſeris) dependentem, licet in verbis à ſymbolo Nicæno plurimum differret. Eam autem ipſe Catholicam fidem appello, quæ vera ſit. Sed quoniam in hoc convenimus, ipſius videlicet Chariſii declarationem Catholicæ fidei congruam fuiſſe, nec-non ab ipſa dependentem, idcirco ulterius ex te quæro, utrum ejuſmodi declaratio ab eadem Synodo ſuſcepta fuerit, nec-ne?

Mar. Vt propriam & particularem Chariſii expoſitionem ſuſceptam fuiſſe concedimus: non autem, ut ea in univerſum celebraretur.

Jul. Card. Imo quoniam vera declaratio fuerat, idcirco eam Synodus ipſa ſuſcepit.

Mar. Satis de interrogationibus, Ampliſſimi Patres, & ad argumentum ipſum veniamus. Chariſius tribus de cauſis Neſtorianos in Synodo incuſaverat. Prima, quod hi ſuum hæreticum ſymbolum, veluti communem ac veram doctrinam, hæreticos ad veram Religionem revertentes docebant. Quod quidem facinus ad Nicænæ Synodi ac eius ſymboli injuriam committebant. Altera, quod falſa multa impiaque dogmata prædicabant, ob idque fidem ipſorum Chariſius infidelitatem potius, quam fidem, appellandam cenſebat. Poſtrema, quia videbat ſeipſum ab his tanquam hæreticum odio haberi, ac perſequi, fidemque ſuam impiam reputari, propterea *Neſtoriani.*

operæpretium esse sibi putavit, quod de fide sentiret, exponere, ut ostenderet sese cum Nicænis patribus idem sapere. Qui quidem bene feciſſe videtur, ut ab hæreticis provocatus, in eorum impia dogmata inveheretur, cum præsertim non fuerit interdictum, ne cuivis liceret suam fidem exponere, ac ut visus sibi fuerit declarare, non ita tamen, ut communiter à cunctis Christianis celebraretur: verum, ut quid quisque de fide sentiret, ostenderet. Cuivis igitur (ut prædictum est) suam fidem licebat exponere, præsertim Charisio, cum interdictum illud nondum fuerit editum. Ideoque plurimi Ecclesiarum Antistites variis temporibus suam declarantes fidem, diversis vocabulis usi fuere. Quemadmodum, ut tu Pater Amplissime protulisti, B. Agathon fecit. Qui cum fidem una cum suis præsulibus exposuisset, eam ad sextam Synodum misit. Beatus item Sophronius ante ipsum Agathonem ad Hierosolym. Patriarchatum promotus, quid de fide sentiret, ad Constantinopolit. Antistitem scripserat: cujus deinde litteræ in eadem sexta Synodo, recitatæ fuere. Unde usuvenit, ut omnes communiter præsules suæ professionis expositionem literis tradentes, quas Synodicas appellare solebant, eas inter se darent. Ut nunc usque Patriarchæ tres faciunt, qui ad Patriarchatum promoti, statim suis litteris Constantinopolitanum certiorem reddere solent, quid quisque ipsorum de nostra Religione sentiat, ita ut, quod ab illis fidei nascentis temporibus cœperat, nunc usque vigeat. Ipsius ergo Charisii expositio non fuit à synodo antiquata, quod non fuit, ut à posterioribus pro symbolo in universum celebraretur, verum (ut sæpissime dictum est) ut ex ipsa, pia fides Charisii patefieret: quod quidem declarandi genus nequaquam vetitum fuisse concedimus, nisi aliter ipsi creditis. Cur autem non ita fit, ex vobis scire desidero. Huic igitur quæstioni (si lubet) respondeas.

Litteræ Synodicæ

Iul. Card. Tribus de causis inquis, Reverende Pater, ab ipsa Synodo Nestorianorum symbolum, non autem Charisii, antiquatum fuisse. Prima, quod ipsum instar Nicæni symboli celebrandum ediderint. Altera, quod in eo multa falsa dogmata scripta fuerint. Tertia, quod ipsum Charisium modio non mediocri prosequerentur, quod ab eorum dogmate vehementissime abhorreret. At ego priusquam vobis respondeam, pauca in medium proferam, quæ litteris mandata fuere. Cum quidam homines (inquit ipsa synodus) conspirassent, ut spreto Nicæno symbolo, vulgum decipierent, falsum symbolum tradidere, & reliqua. Non ergo alia de causa Synodus Nestorianum symbolum antiquasse videtur, nisi quod nefanda dogmata in eo continebantur. Siquidem igitur pium fuisset, ipsum Synodus suscepisset. Prima igitur causa, quam profertis, cur symbolum illud reprobatum fuerit, falsa videtur. Alteram vero rationem concedimus: sed tertia inconveniens nobis apparet, ita ut primam & tertiam falsam esse putemus. Adduci enim ad credendum non possum, Nestorianum symbolum ex eo reprobatum fuisse, quod Nestoriani Charisium insectabantur, ac si scilicet id synodus valde curasset: sed potius putare debemus, synodum ipsam plurimum curasse, ne falsa dogmata in vero symbolo scriberentur. Hic autem, Pater Reverende, dixisti, synodum ipsam nunquam prohibuisse ne cui liceret privatas expositiones literis date, dummodo à vera fide alienæ non sint, quemadmodum Agathon, Sophroniusque fecere, qui quid de fide sentirent, impune litteris tradidere. Ipse vero quæro ex te, an is Agathon & Sophronius in explananda fide sua, quicquam in interdictum ipsum commiserint.

Mar. Minime. Non enim addiderant symbolo. Et quoniam de religione sua privatim conscripserant, idcirco interdicto Ephesino non subjacent. Diximus enim supra, neminem vetitum esse ne fidem explicet suam: quandoquidem tantum fuerat interdictum, ut nemo propriam expositionem pro

Notanda distinctio.

A symbolo celebrari velit, aut symbolo quippiam addat.

Iul. Card. Gaudeo te credere, Reverende Pater, Agathonem & Sophronium ac Charisium in sua fide dilucidanda interdictum ipsum neutiquam fuisse prævaricatos: nunc ad id, quod ex me quæsivisti, libenter respondeo, Charisium suum symbolum, quod verum ac Catholicæ fidei congruum fuisse creditur, non ita tradidisse posteritati, ut id Ecclesia communiter celebraret, (non enim ad eum spectabat populum docere, aut communis fidei normam prodere) verum ut suum tantum dogma manifestaret. Mihi autem satis est fuisse probatum, Charisium ipsum nil in interdictum illud commisisse. Unde sequitur, neque Catholicæ Ecclesiæ, neque Rectori eius, docendi popu-
B li facultatem habenti, ab universali Ecclesia fuisse vetitum, ne sibi liceat symbolo quippiam addere.

Mar. Ex tua oratione, Pater Amplissime, id tantum habetur, idcirco Charisium condemnatum à Synodo non fuisse, quod nil digni pœna commiserit: nequaquam tamen ex eo consequi, Ephesinum Concilium mutandi symboli facultatem volentibus permisisse, quod Charisii symbolum neutiquam antiquaverat. Tuum igitur argumentum destructum esse videtur. Utrum autem Ecclesia Catholica ea sit prædita facultate, ut cõmne symbolum immutare transformareque valeat, nec-ne, in posterum suo loco (favente Deo) considerabimus. Nunc autem ex te scire velim, an quod Charisio facere non licuerit, id Nestorianis, si de fide bene sensissent, facere licuisset.
C Nam paulo supra mihi visus es protulisse, si hi fuissent Catholici, ipsis etiam fas fuisse, Nicæno postposito symbolo, aliud eius loco in baptismate tradere.

Iul. Card. Duo mihi dixisse videris, Pater Reverende, quorum primum prætermittendum non est, immutandi symboli facultatem Ephesino interdicto cuivis hominum fuisse vetitam: eodem tamen interdicto nequaquam fuisse prohibitum, ne cui liceret professionem suam litteris tradere.

Mar. Dummodo vera sit, communeque symbolum non transmutet.

Iul. Card. Sufficit nobis probatum esse, Synodum Ephesinam nequaquam interdixisse, ne cui suam fidem verbis à symbolo diversis declarare liceret: sed antea quam ad respondendum his veniamus: hæc ipsius Synodi verba accuratius perpendamus. *Nemini*
D *fidem*, inquit, *aliam proferre aut conscribere liceat*, & reliqua. Quæ quidem ita videris exponere, ut verbis aliis quisquam symbolum explanare non valeat, etiam si laïcus, nedum si clericus fuerit. Unde profecto maxima dictorum suorum inter se repugnantia sequitur. Nam ex una parte concedis quemvis suam fidem quibusvis verbis exponere posse: ex alia vero videtur interdictum illud ad laïcos usque protendi. Quod ideo tibi quidem incommodum accidit, quod ipsa verba ponis ad aliam simpliciter fidem referri. Quæ si credideris (ut ego exposui) fidem tantum religioni nostræ contrariam significare, nullum prorsus incommodum incurrisses. Præterea non ita Synodus jussit, ut liceat nemini vel publice, vel privatim, vel simul, vel
E disjunctim addere, seu proferre: verum simpliciter ac in universum interdixit, ut nemini liceat, & reliqua. Patet etiam ex ejusdem Synodi proœmio, interdictum illud non nisi ad oppositam fidem referri. Cum patres, inquit, convenissent, symbolum Nicænum perlegerant ut sermones extraneos cum eo conferrent, quique ipsi symbolo consonarent, eos susciperent, oppositos vero rejicerent. Decretum igitur Synodi verbis his respondere debet, ut verba, quæ fidei nostræ convenirent, ea tantum susciperentur, contra vero rejicerentur. Per aliam ergo fidem, tantum contrariam pugnantemque ipsa Synodus intellexerat. De his ergo me, velim interroges, an ipsa possim ostendere. Verum ne videar tuis quæstionibus respondere nolle, ipsis modo libentissime respondebo. Charisium

(inquis) idcirco fuiſſe laude affectum à ſynodo quod non habens facultatem aliud ſymbolum componendi, nequaquam aliud compoſuerat. Qua quidem ratione meum argumentum credis fuiſſe deſtructum, dicens Neſtorianos propterea fuiſſe damnatos, quod aliud ſymbolum celebrandum ediderint. Nam ſi verum ipſum quoque fuiſſet, hi nunquam à ſynodo fuiſſent damnati. Cui equidem ſententiæ acquieſco, ut ſi Neſtorianum ſymbolum fuiſſet Catholicum, ipſum etiam inſtar Chariſii, Agathonis atque Sophronii Symbolorum ſuſceptum fuiſſet. Sed quoniam contraria dogmata continebat, ideo fuit antiquatum.

Mar. Neſtorianum ſymbolum. Patres ampliſſimi longe alia ratione, fuerat editum, quam Chariſii, Agathonis, atque Sophonii ſymbola. Illud namque his, qui ab hæreſi ad fidem revertebantur, pro Nicæno ſymbolo tanquam communis doctrina, traditum fuerat: hæc vero non ita, ut per ipſa baptiſma celebraretur, poſteritati fuere prodita. Unde non ſequitur, ut una omnium eademque ratio ſit. Nam illud, etiam ſi Catholicum fuiſſet, merito tamen ſynodus adhuc ipſum antiquaſſet: hæc autem cum non pro ſymbolis communiter celebrandis, verum ut expoſitiones atque ſententiæ propriæ, ſcripturæ relictæ fuerint, idcirco reprobata non ſunt. Patet igitur falſum eſſe, quod profiteris, Neſtorianos, ſcilicet, immutandi ſymboli facultatem habuiſſe, ſi recte de fide ſenſiſſent, nec non Chariſium, ac cæteros Nicænum ſymbolum neutiquam retigiſſe.

Jul. Card. Sane mihi videris, R. P. oppoſitum veritati proferre. Nam ipſe Chariſius in ſuæ fidei expoſitione vel ſymbolo, Nicænum ſimul & Conſtantinopolitanum mutaverat, dicens: *Et in Spiritum ſanctum paracletum, Spiritum veritatis, conſubſtantialem Patri & Filio*, quæ quidem verba in ipſis ſymbolis non leguntur. Porro quoniam in tui ſermonis exordio protuliſti, argumentum illud conceſſum nobis putatum iri, cui non fuiſſet reſponſum, ideo non ſimul omnibus, verum ſingulis reperiris, ad omnia reſpondebo. Dico igitur, idque profiteor, quod nulla inter Neſtorianorum atque Chariſii, ac Sophronii, Tharaſiique ſymbola differentia fuiſſet, ſi Neſtorianum veritatem in ſe contineret. Tu autem, Pater Reverende, non deberes legem ipſam exponere aliter quam poſſet intelligi. Nam (ut ſæpiſſime dictum eſt) idcirco Synodus Neſtorianum ſymbolum antiquaverat, quod in ſe multa dogmata nefanda concluderet. Hanc ergo perpende ſententiam. Nam equidem interdictum fuiſſe puto, ne cui homini privato liceret, Eccleſiæ Catholicæ celebrandum quippiam tradere, quod aliam (hoc eſt, oppoſitam) fidem ſignificaret. Ne autem eidem Eccleſiæ ab homine privato verum ſymbolum ita traderetur, ut ipſo eundi Chriſticolæ uterentur, non ipſo eodem interdicto, verum alia ratione, fuiſſe veritum cenſeo. Quandoquidem minime conveniret, ut Eccleſia mortalibus obediret, qui nullam ab ea facultatem haberent, cum præſertim omnibus in rebus divinis, particulares Eccleſiæ communem ſectari debeant.

Mar. Eadem ipſa mihi videris repetere, atque in eiſdem, Ampliſſimi Pat. verſari, ſcilicet Catholicam Eccleſiam ea facultate præditam eſſe, ut ſymbolum immutare, ac ipſum particularibus Eccleſiis celebrandum tradere valeat. Ad hoc autem nondum clarius reſpondiſti, utrum ſi Neſtoriani bene de fide ſenſiſſent, ſuum ſymbolum jure ſuo prodere potuiſſent, nec ne. Huic ergo quæſtioni (ſi lubet) apertius reſpondeas, ut tandem ipſam concludamus.

Jul. Card. Satis mihi videtur ad propoſitum reſpondiſſe.

Mar. Ex te requiro, Pater Ampliſſime, utrum Neſtorianis liceuerit ſuum ſymbolum ita tradere celebrandum, ut homines ipſo in ſacro baptiſmate uterentur, an non? Nam Chariſii ac cæterorum fidei expoſitiones, non ſane fuerant ſymbola, neque ſymbola nuncupata, neque denique pro ſymbolis à Synodo ita ſuſcepta, ut per ipſa baptiſma fieret.

Jul. Card. Fateor equidem, omnino licere proprium ſymbolum ita proferre, ut communiter in Eccleſia celebretur. Neſtorianos autem ipſos potuiſſe ſymbolum verum exponere ac ipſo uti, idemque proferre ac ſapere, non eo inficias. Sin autem protuli, etiamſi ſymbolum ipſorum Nicænum ſymbolum oppugnaret, me falſum dixiſſe confiteor. Tenetamen memoria, me tantummodo protuliſſe, fas ipſis fuiſſe ſymbolum verum proferre.

Privatum non eſt ſymbolum novum edere.

Mar. Neſtoriani ſuum ſymbolum communiter celebrandum tradiderant, volentes, ut qui ad fidem reverterentur ab hæreſi, Nicæno poſtpoſito ſymbolo, illo tantum baptizarentur. Num igitur ipſis id agere licuiſſet, ſi ſymbolum ipſum fuiſſet Catholicum?

Jul. Card. Etſi prolixe clareque mihi videor reſpondiſſe, tamen ut tibi pro viribus ſatisfaciam, reperio, Neſtorianos proculdubio potuiſſe ſymbolum ſuum proferre, dummodo verum fuiſſet: eodem tamen communiter in Eccleſiis uti, nequaquam ipſis licuiſſe.

Mar. Idem. Pater Ampliſſime, quod equidem volebam concludere, non alia videlicet de cauſa Neſtorianos fuiſſe damnatos, quam quod ſuum ſymbolum pro communi doctrina Nicæni ſymboli loco celebrandum tradiderint: quod tamen quoniam videbantur ſibi jure facere potuiſſe, quod nondum interdictum illud editum fuerat, idcirco ſynodus Epheſina legem (ut ſupra dictum eſt) promulgavit, ut in futurum neque Neſtoriani, neque quiſquam cæterorum mortalium facultatem, vel (ut melius dicam) licentiam ipſam haberet. Quam quidem conſtat plurimorum falſorum dogmatum cauſam fuiſſe, ita ut ſuſum dicere, ut Synodus ipſa nunquam interdictum ejuſmodi ediderit, ſi Neſtoriani licentiam ipſam non habuiſſent, qua quidem nefanda dogmata ſeminarent. Sed prudentiſſima ſynodus incommoda futura proſpiciens, in univerſum prohibuit, ne cui liceret aliam à Nicænorum patrum fide docere, non inſcia, (ut ſæpenumero dictum eſt) immutandi ſymboli licentiam, falſorum dogmatum cauſam fuiſſe, foreque. Patet etiam ex ipſius ſynodi ſumma facultate, qua prædita fuerat, ſuæ mentis fuiſſe, ut aliam fidei expoſitionem ac ſymbolum nemo auderet componere. Quam quidem concluſionem tuis ex dictis, ut quoddam conſequens, vel (ut ita dixerim) corollarium expreſſimus, niſi aliter tibi videtur, quod velim ex te cognoſcere.

Jul. Card. Tibine magis, Reverende Pater, an Epheſinæ definitioni credendum eſt?

Mar. Nos ſane ſynodo tribuimus plurimum, eamque quicquam vocamus in dubium, decretis, ac expoſitoribus ejus magis concedimus, quam nobis ipſis indulgeamus. Porro autem Beatus Cyrillus ad Joannem & Acacium Melitinen. ſcribens definitionem ipſam explanat, lucidioremque reddit. Ejuſdem ergo Cyrilli expoſitionem diligenter conſideremus, ac ipſum in omnibus imitemur: quo quidem melior interpres inveniri poterit nemo, niſi tu ita ſentias.

Jul. Card. Idcirco equidem ex te, Pater Reverende, quæſivi, cui nos magis oporteat credere, quod ipſa tertia ſynodus decreti ſui reddidit rationem, dicens: quoniam Neſtorianum ſymbolum perverſa contrariaque dogmata continebat.

Mar. Nequaquam res ſic ſeſe habuit, ut cauſa ex illa ſymbolum ipſum fuerit antiquatum.

Jul. Card. Sancta tertia ſynodus, Pater Ampliſſ. Neſtorii expoſitionem, hoc eſt, dogmata nefanda

damnavit, quod item ex verbis Chartifij apparet, qui cum incuſaret Neſtorianos, ita protulit: Hi Nicæno ſymbolo ſpreto, infidelitatis ſymbolum protulerunt. Præterea Cyrillus Neſtoriano ſymbolo ac literis in ſynodo recitatis, eam interrogavit, an ipſi vera viderentur ea quæ in his ſcripta eſſent. Quam quidem ſynodum reſpondiſſe conſtat, ea omnia falſa eſſe, ipſaque propterea ſtatim reprobavit. Quod autem Cyrillo, R. P. ideirco magis credendum exiſtimes, quod ſummi pontificis Vicarius & Legatus in eadem ſynodo fuerat, tibi ipſe aſſentior. Cujus quidem litteræ, non ſolum meam ſententiam non impugnant, verum etiam ipſam mirum in modum confirmare videntur: quarum ſenſum ſi bene perpenderis, ſatis tibi fuerit exploratum, ipſum per aliam fidem, contrariam tantum intellexiſſe. Cujus quidem rei ex eo quoque potes capere rationem: nam is Cyrillus, litteris ad Joannem Antiochenum miſſis, quibus cuidam epiſtolæ Neſtorij reſpondebat, multa reliquerat, quæ in Nicæno ſymbolo non expreſſe leguntur. Quæ quidem tamen, quandoquidem à veritate non fuerant aliena, idcirco dixiſſe creditur, nil addimus neque auferimus. Ergo quominus ex ipſis litteris nequaquam percipere poſſimus, hoc eſſe puto, ut cum ſymboli vera ſervatur intelligentia, tum neque additio neque ablatio fieri cenſeatur. Litteræ autem ipſius Cyrilli ad Acacium ſcriptæ, non ſolum non contra nos ſunt, ſed etiam à nobis eſſe videntur: quandoquidem ex his patet, quonam modo intelligi debeat illud, addere non licere: ita ut qui quicquam exponit atque declarat, non novi quicquam apponere, verum idem ipſum dilucidare, clariuſque reddere cenſeatur.

Cyrillus.

Quid additio ad ſymbolum.

Marc. Num Cyrillus non prohibuerat, ne verbis extraneis declarationes ejuſmodi fierent?

Jul. Card. Qui expoſitionem ejuſcemodi fecerit, is nil ſane novi protulerit, neque propterea cenſeretur divinum ſymbolum immutaſſe, verum quę clara fuiſſent, illuſtriora magiſque perceptibilia reddidiſſe. Quod aliud argumentum hoc, obſecro, fortius poterit excogitari? Quod cum proxime, loquente Nicæno præſule, quærens invenire nequaquam potuerim, id deinde mihi, ne me falſum eſſe putareris, diligenter inveſtiganti occurrit, quo proculdubio noſtra controverſia ſolvitur. Nam Cyrillus ipſe litteris ad quemdam Neſtorij auditorem ſcriptis, quæ quidem ſic incipiebant, res quidem declarationem hanc, (de qua agimus) additionem non eſſe demonſtrat. Quibus quidem literis in ſynodo recitatis, Cyrillus ipſam interrogavit.

Marc. De quibus obſecro Cyrilli literis mentionem facis?

Jul. Card. De his, quas contra Neſtorium ſcripſerat. Synodum, inquam, Cyrillus interrogavit, an Nicænæ ſynodo conſonantes eſſent. Frequens autem ſynodus reſpondit, eas quam maxime congruas eſſe, quod his veritas magis pateat, quodque à ſymbolo Nicæno paucis ac obſcure contineretur, id prolixius atque clarius redditum ſit. Unde ſynodus ipſa concluſit, Cyrillum ipſum eadem cum ſynodo Nicæna ſentire, ac eundem nil prorſus innovaſſe. Siquidem igitur Cyrilli verba fidem aliam, hoc eſt, Nicæni ſymboli contrariam, ſignificaſſent, is proculdubio legis tranſgreſſor prævaricatorque fuiſſet. Sed quoniam authoritati Cyrilli vehementer innititur, idcirco expoſitionem ejus in medium proferamus, quam de ſymbolo fecerat, qua quidem cognoſcere poſſimus, quid illa ſynodus cum interdicto ſuo voluerit. Sancta ſynodus, inquit, Epheſi (Deo annuente) celebrata, ſanctam in Neſtorium ac eos, qui vana cum ipſo ſentirent, vel in futurum ſenſerint, & in eos qui vanitates ejuſmodi proferre aut litteris mandare fuerint auſi, ſententiam promulgavit, pariterque damnavit. Ex literis his amp. Patres clariſſime patet, cur Neſtorius ac ejus ſecta condemnata fuerit: & illud, fidem aliam, contrariam fidem ſignificare, quemadmodum

A Neſtorij fides fuerat: & ideo Neſtorianum ſymbolum antiquatum fuiſſe, quod talia dogmata contineret, qualia Neſtorius ipſe videbatur ſentire. Quam quidem ſententiam, licet tum contraria ſit, tu tamen vir prudentia & ſapientia præditus, ex literis ipſis percipies, ſi eas diligenter inſpexeris: ex quibus quidem tibi fieret notum, Epheſinam ſynodum nil aliud, quam fidem fidei veræ contrariam, vetuiſſe. Rogo igitur te atque obſecro, pater reverende, ne tot ac tantos authores ſermonibus ita frivolis, ut vel à pueris poſſint refelli, detineas. Verum ſi vobis etiam, quemadmodum nobis videtur conducere, omiſſa hujuſmodi controverſia, ad principem illam veniamus, de qua quidem longam orationem, non tamen alienam à ratione, ſperamus habere: ſin autem in hac

B eadem quæſtione adhuc malitis perſiſtere, per menſem, nedum per diem, tibi paratus ſum reſpondere, quamvis animi dolore afficiar, quod tempus vane conteritur.

Fides alia, contraria.

Marc. Sermones noſtros neque inutiles, neque de parvis rebus habitos, neque denique tales, ut vel à pueris (ut dicis pater amp.) poſſint diſſolvi: verum valde convenientes, ac ad propoſitum pertinentes fuiſſe putamus: quandoquidem divorum patrum ſententias expoſuimus, credentes, tametſi veſtrum ejuſmodi dogma verum forſitan fuerit, ipſum tamen divino ſymbolo nequaquam addendum eſſe. Convenientius ergo majorique veneratione dignum, ac ipſius rei naturam conſequens eſſe videtur, ut omiſſa illa, de qua velles agere quæſtione, hanc prius con-

C cludamus. Scias igitur velim, nos veritatis hujus inveſtigationem nolle prius relinquere, quam communi ſententia ad concluſionem aliquam perveneritmus quandoquidem (ut ſupra dictum eſt) nos aſſerimus, & ita ſentimus (prout oſtendere facile poſſumus) dogma illud (de quo ſuo loco conſiderabimus) quamvis fuerit cognitum verum eſſe, alibi tamen quam in ſymbolo ſcribendum eſſe, quemadmodum Concilia generalia feciſſe conſtat. Ab ipſo igitur ſymbolo dimovendum eſſe cenſemus, ut cunctorum Chriſtianorum conjunctio fiat, qui ex ea cauſa jamdiu diſſident.

Jul. Card. Rebus omnibus, pater reverende, quibus humanum genus fruatur, tempus experibilius eſt. Propterea quæ ſereniſſimus Imperator ſepiſſime protulit, id conterendum fruſtra non eſſe. Quandoqui-

D dem ergo ſermonibus & ſcripturis ſatis de hac re egimus, voſque, qui ſapientes ac magno ingenio præditi eſtis, jam agnoviſſe cenſemini, rei hujuſmodi veritatem & rationem non amplius in dubium vocari debere, idcirco ad aliam controverſiam veniamus. Cur autem ejuſmodi quæſtionem in medium, R. P. proferis, haudquaquam intelligo: niſi forſan id feceris, quod oratores egregij faciunt, quippe qui, cum aliquam cauſam volunt agere, à facilioribus incipere ſoleant. Qua quidem ratione tu quoque forſan adductus, ac non inſcius te magno certamine certaturum eſſe, prius armatura levi nobiſcum agere voluiſti. At quoniam hujuſce cauſæ veritatem perdiu inveſtigavimus, ita ut in præſentia luce clarius pateat,

E (tametſi ſemper vobis fuerit nota, veruntamen ut vobis fieret exploratum, quonam pacto Latini homines reſpondere ſcirent, ideo de nobis periculum facere voluiſtis) idcirco vos rogo, ut tandem ad majorem illam quæſtionem veniamus. Nam ſi nobis (ut ſupra diximus) demonſtrabitis, ſanctum Spiritum ex Filio nequaquam procedere, vobis illico concedemus, id nulla ratione à Romana Eccleſia apponi ſymbolo potuiſſe. Sin autem illud non poteritis aſſequi, ſed ejus oppoſitum vobis probabitur, nullam amplius inter nos controverſiam fore cenſeo. Porro autem per me nunquam ſtabit quominus quæſtionem illam, quoad vobis libuerit, proſequamur: dummodo diſputationis hujuſmodi auditores non tædeat. Nam equidem ad omnes, quas propoſueris quæſtiones, libentiſſime reſpondebo: ſed magis forſitan ar-

Tranſitio ad aliam quæſtionem.

Prima illa quæſtio.

pediret, ut ſtatis diebus de principe illa quæſtione verba facturi conveniremus. Interea vero extraordinarie congregati, hanc etiam quæſtionem tractaremus, niſi tu, Pater reverende, malis in hac eadem materia verſando, ex me quicquam aliud quærere; qua in re tibi libentiſſime reſpondebo: quandoquidem tecum veluti cum Patre meo magna cum declaratione diſſero. Sed antequam de aliqua re me interroges, ad id quod ſæpenumero repetiſti, interdictum videlicet nullum ante tertiam ſynodum fuiſſe, reſpondebo. De quo equidem longe aliter ſentio: ideo non abs re eſſet, ut vos, Patres ampliſſimi, hanc etiam ambiguitatem auferetis, de qua in ſermone, quem literis tradidi, nullam prorſus feceram mentionem.

Delectatione.

Argumentum, cui mirum in modum inniti videmini, cur ſymbolo quicquam addi non liceat, ex Cyrilli literis ſumitis: cujus tamen verba, ſi juxta mentem ejus accuratius perpenderitis, non de verborum additione, verum de alia fide Cyrillum ipſum intellexiſſe videbitis. Porrò licet concedamus vobis, eum noluiſſe ſymbolo quippiam apponi poſſe, id tamen nobis nequaquam videtur obſtare: quandoquidem ſcripturæ ſacræ fuerat innitus, in qua legitur ita: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui*, ut pote qui non ex ſeſe, verum Dei Patris Spiritu afflati, loquerentur. Quoniam ergo non ſancti Patres, verum ſanctus Spiritus loquebatur, ideo Cyrillo videbatur nil addendum aut auferendum eſſe. Quæ quidem verba longe ante Chriſti adventum, nedum ante tertiam ſynodum fuerant prolata. Propterea beatus Cæleſtinus hæc literis tradidit: quis unquam non dignus anathemate fuerit judicatus, qui fidei Catholicæ quicquam addiderit, vel ab eadem ademerit? Credere autem non debemus, literis Apoſtolicis quippiam additum, vel ab ipſis ablatum fuiſſe, quandoquidem noſtris ex legibus gravi pœna mulctantur, qui literas ejuſmodi transformaverint. Quas quidem literas Cæleſtini, ante tertiam ſynodum fuiſſe conſtat, quibus tamen ipſe prohibuit, ne fidei Catholicæ quippiam adderetur, vel ab ipſa auferretur. Duos igitur teſtes contra tuam ſententiam attuli: ſed quoniam *in ore duorum vel trium ſtat omne verbum*, idcirco tertium quoque producam. Septima namque ſynodus inquit: Eccleſiæ Catholicæ traditiones neque diminutionem neque ullam acceſſionem ſuſcipere poſſunt. Magna igitur afficiendi ſunt pœna, qui quicquam abſtulerint, vel addiderint: ac execrandus eſt ille, qui negligit veritatem agnoſcere, ac antiquos patrum ſuorum terminos tranſgreditur. Synodus ipſa eiſdem ſacræ ſcripturæ verbis innitens, inquit: Qui terminos antiquos, & reliqua: quod quidem his ſolet accidere, qui veritatem non curant cognoſcere. Unde ſequitur eum terminorum eſſe tranſgreſſorem, qui fidem à ſuis patribus traditam, neutiquam amplexatur. Ergo qui eam declarat, ſuorum patrum fines nequaquam egreditur, neque quicquam ei vel addit, vel aufert, quandoquidem apud Cyrillum interdictum illud tantum in eos qui contra majorum ſuorum decreta loquerentur, editum fuerat, quod ſanctus Spiritus veritatis eſt ſpiritus: & qui eam profitetur, ipſa etiam excolere creditur, ac intra terminos eſt. Contra, qui vanus & mendax eſt, is procul dubio ſancti Spiritus fines tranſgreditur, & patrum fidei quippiam addere, vel ab eadem auferre putatur. Igitur ex ſacra ſcriptura clariſſime patet, ut qui veritatem agnoſcere nolit, is addere quicquam vel auferre credatur. Porrò, quoniam ſæpiſſime protuliſti, prohibitionem ipſam à tertia ſynodo, vel per eam à ſancto Spiritu promulgatam fuiſſe, idcirco reverende pater, ex te quæro, utrum nobis credendum ſit, Nicænam ſynodum majorum ſuorum terminos tranſgreſſam fuiſſe, an non. Plane ſi credimus mutationem verborum, nedum intelligentiæ fuiſſe prohibitam, neceſſe eſt, ut credamus, Nicænam quoque ſynodum anathemate devinctam eſſe, ut pote quæ nonnulla verba (quemadmodum ſu-

Ante 3. Synodum additio ad Symb. vetita.

Deut. 19. Matt. 18.

perius dictum eſt) ab Apoſtolorum ſymbolo abſtulerit: necnon ſecundam ſynodum anathemati ſubjacere, quæ poſt illam teſtamenti veteris prohibitionem Nicæno ſymbolo verba multa addiderit. Sed quoniam Patres ij veritatem protulerant, idcirco eadem, non autem aliena, vel contraria, cum majoribus ſuis ſenſiſſe creduntur. Falſum eſt ergo proferre poſteriores ſynodos veritas fuiſſe, ne ſymbolo quicquam addere poſſent. Amplius in hoc Græco volumine, quod nobis Conſtantinopoli miſſum fuit, Nicænum & Conſtantinopolitanum ſymbolum (prout vulgo celebratur) deſcripta ſunt: in alio vero libro, qui quingentorum annorum & ultra creditur eſſe, abſque, *de cælis*, ac *ſecundum ſcripturas*, Conſtantinopolitanum ſymbolum legitur, licet in alio libro, qui Longobardorum literis ſcriptus eſſe videtur, ſymbolum idem cum eiſdem verbis legatur. Volumen autem veſtrum, in quo quarti generalis Concilij acta ſcripta ſunt, nonniſi trecentorum annorum creditur eſſe. Ut igitur, pater Epheſie, neutiquam in nos invehemini, licet *Deum de Deo*, in noſtro volumine ſcriptum ſit, cum in veſtro non extet: ita quoque nos incuſare non deberetis, quod verbum unum addidimus ſymbolo.

Marc. Ad omnia, quæ paulo ante dixiſti, Patres ampliſſimi, reſpondendi tempus non eſt: quandoquidem longa indigent reſponſione. Quædam enim ex nobis quæſiviſti, ſimulque contendiſti, ut ea vobis concederemus: quod plane noſtrum non eſſet exiſtimationis, quando poſſumus ad omnia reſpondere ac veritatem ipſam attingere. De his igitur, ac de hoc veſtro volumine ſuo loco dicemus. Quod autem ad Romanam Eccleſiam ſummumque Pontificem adſpiciens protuliſti, Catholicam Eccleſiam ac ejus principem commune ſymbolum reformare poſſe, idcirco toties hæc à te repetita, præterire non poſſumus indiſcuſſa. De hac igitur quæſtione ſequenti ſeſſione, ſi vobis videbitur, diſputabimus, argumentaque plurima & fortiſſima pro noſtra cauſa afferemus. Sed quoniam vehementer ambigimus, ne ſermones hujuſmodi aures veſtras offendant, ideo, ſi vobis videbitur, protuli.

Jul. Card. Inter alia capita, Patres ampl. in quibus Græci, Latinique differunt, eſt id, quod de Romanæ Eccleſiæ facultate in dubium Græci vocant: quoniam tamen nunc agimus, an ſanctus Spiritus *ex Filioque* procedat, qui quidem fidei articulus eſt, idcirco non convenit has quæſtiones confundere. Propterea quæ in oratione, quam ſcripturæ traditam vobis dixi, me de facultate Romanæ Eccleſiæ tunc minime eſſe dicturum protuli, putans fuiſſe conveniens, ut in aliud tempus differatur. Suo igitur loco, pater reverende, in ejuſcemodi controverſia, ut decet liberum hominem, quicquid volueris, in medium proferes, in quo ſanctiſſimo Domino noſtro Pontifici maximo nulla profecto fiet injuria: quippe qui non alia de cauſa præſens eſt, niſi ut veritas illuſtretur. Cujus quidem ſummi Pontificis, Eccleſiæque Romanæ facultas, tum ex Evangelio, tum etiam ex ſanctis Conciliis generalibus benignitate Dei patet clariſſime. Siquidem igitur quæſtio, utrum liceat addere ſymbolo, necne, ab illa quæſtione longe aliena videtur eſſe, ſane non convenit ambas has contemplationes ſimul (ut ſupra dixi) confundere. Rogo igitur vos, atque obſecro, ut ad quæſtionem de ſancti Spiritus proceſſione veniamus, quandoquidem ſi hac in re convenerimus, equidem perſuadeo fore facile, ut in cæteris quoque conveniamus. His dictis ſeſſio fuit dimiſſa, & ad alium diem dilata. Elapſis vero nonnullis diebus, ſummus Pontifex juſſit, ut ad diem vigeſimum ſeptimum menſis ejuſdem iterum convenirent.

DIE JOVIS VIGESIMA-SEPTIMA mensis Novembris.

Sessio decima tertia Ferrariæ.

FRequenti synodo ducis Burgundiæ oratores in sessionem hanc introducti fuere, ex quibus quatuor præsules, & unus Diaconus, & duo equites fuerunt, qui salutato de more summo Pontifice, Imperatore vero nequaquam, (nam Patriarcha valetudine adversa detentus non aderat) consedere, summoque Pontifici literas dedere. Quibus quidem Latine recitatis, & à Græcis non intellectis, sessio fuit dimissa. *Imperatoris offensus animus.* At Imperator ægre tulit vehementissime, quod non fuerit salutatus, asserens se magna injutia fuisse affectum: & nisi sequenti sessione ab oratoribus ipsis pro sua dignitate salutaretur, se nunquam amplius in sessionem venturum, quinimo fore, ut synodus dimitteretur. Patriarcha vero tametsi plurimum ægrotaret, tamen per nuncios egit, ut summi Pontificis nuncij Imperatorem rogarent, ut à synodi celebratione nequaquam desisteret, promittentes ei, ut ab oratoribus ipsis sessione sequenti imperatorio more salutaretur. Quapropter ipso consentiente, summus Pontifex jussit, ut ad diem quartam mensis Decembris sessio convocaretur.

Additamentum negatoriam Sgurobuli. Sgurobulus addit ad has sessiones inter alia, suæ hist. sect. 6. c. 23. Forte fortuna synodo intererant nonnulli Eremitæ & monachi ex ordine anachoretico, qui tum pedem extra limen cœnobiorum promoverant, ad disserrationes audiendas: qui cum argumenta à nobis prolata auribus percepissent dixerunt: Græci procul dubio veram propugnant fidem & hucusque dogmata sana retinuerunt: quodubi percrebuit in curia, aulici papales accersitos in curiam monachos sic objurgarunt: vos estis hominum genus segregatum in claustra, satis edocti cucullorum usum & in asceticis institutis exercitati: at supremæ sapientiæ ne prima didicistis elementa. Quare hæc vobis mandat Papa, linguas compescite nec populum infestate. Sic Græcus iste nugis causam suam tuetur, quid enim Græci hactenus dixerunt, quod non à Latinis repercussum fuerit satis superque?

DIE JOVIS QVARTA MENSIS Decembris.

Sessio decimaquarta Ferrariæ.

HAc frequenti sessione, absente tamen Patriarcha, Imperatorem ipsi legati salutavere, non ita ut ipsum deceret. Id tamen æquo animo tulit, ac jussit, ut dissertores electi negotium prosequerentur. Ephesius autem volens Cardinali respondere, dixit se velle brevibus, ac per Sic & Non, disputare: quandoquidem Latini videbantur ei prolixis orationibus uti, ut eloquentissimi viderentur. Deinde de Charisio protulit, exemplum illud ad Latinos non pertinere. Quibus & aliis ab Ephesio dictis, Julianus Cardinalis vir summo ingenio memoriaque profunda præditus, ita prolixe respondit, ut dicendo dies ipsum defecerit, & sessio fuit dimissa, decreto, ut triduo post convenirent.

DIE LVNÆ DECIMA OCTAVA mensis Decembris.

Sessio decimaquinta Ferrariæ.

EPhesius Imperatoris jussu, longam orationem habuit, volens ostendere, ne syllabam quidem addere symbolo licere. Quæ quidem oratio ita vaga est, ut omnes sibi facile suaderent ei neminem responsurum esse. At Julianus eloquentissimus, qui loquente Ephesio, ne verbum quidem protulerat, orationem ejus ordine summo memoriterque repetit ac in duas de triginta partes distribuit, volens partim philosophando, partim sacram scripturam citando, ac dialecticis argumentorum locis utendo probare, Latinos minime peccavisse, quamvis addiderint symbolo. Contra Ephesius magno affectus desiderio, quæstionem hujusmodi ad extremum tandem perducere, ac clarius demonstrare, nullam verborum accessionem ad symbolum fieri licuisse, Juliani sermonem in octo partes divisit. Et in prima quidem probavit, Charisij symbolum haudquaquam fuisse commune, in altera vero de Nestorij symbolo mentionem nullam fieri debuisse: nam in tertia pœnarum vim in interdicto contentarum ostendit, in quarta vero pœnas ipsas singulariter, non autem communiter in delinquentes editas fuisse demonstravit. Nam in tribus sequentibus partibus Cyrilli literas & Agathonis exposuit, ac probavit, quidnam ipsi docuerint. In extrema denique parte additionem ipsam absque synodo nequaquam fieri potuisse docuit: in hunc postremo modum peroravit. *Memoria Juliani Cardinal.*

Marc. Symbolum illud, præstantissimi patres, quod ut optimum depositum à patribus nostris in nostra Imperatrice civitate susceptistis, à vobis tale reperimus, quale vobis fuerat traditum. Nonne quisque depositum sibi creditum reddere tenetur? Patrum igitur depositum nobis (ut dictum est) restituite. Quod quia perfectum est, idcireo diminutione vel additione non indiget. Qui quidem patres nostri eos reprobavere procul dubio, qui contra symbolum ipsum quicquam innovassent: alios vero pœna gravissima affecere, qui aliud symbolum fecissent. Quod si unius solæ dictionis additio parum refert, ac parva de ea ratio deber haberi, ablata igitur, parum vel nihil prorsus nocebit, imo certe plurimum prodesset: nam ea ratione cuncti Christicolæ dubio procul conjungerentur. Contra magnum ac indignum facinus esset, si talis additio tolleretur, ob idque magna ratio de hac re debet haberi. Non igitur ipsi peccamus, qui rem hanc plurimi facimus. Amplius, si talis additio imprudenter fuerat facta, nunc quoque prudentius nobis consuleretur, si ipsam auferretis: sic enim amicos vobis conjunctissimos faceretis, qui vestram mutuam amicitiam magnifacerent & excolerent. Vos igitur, ô patres, fratres ac reverendi Domini nostri, ut sæpenumero fecimus, ita etiam nunc per viscera Domini nostri Jesu Christi, qui nos peccatores ac perditos mortales dilexit, & animam suam pro nobis dedit, rogamus ac obsecramus, ut pacem optimam & summam inter nos, sanctosque patres nostros conjunctionem faciamus, qua quidem tum fuimus conjuncti, cum idem omnes volebamus ac sentiebamus, & nullum inter nos dissidium erat. Conjungamur obsecro tanquam fratres. Veneremur majores nostros, definitionibus ac decretis ipsorum honorem plurimum habeamus, eorundem minas & pœnas vereamur. Ipsorum denique traditiones servemus, custodiamus, excolamus, ut uno corde ac ore, Patris & Filij, sanctique Spiritus nomen dignissimum celebremus, & glorificemus nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen. *Repetitio ejusdem argumenti.*

Julianus autem Cardinalis ampliffimus, à disputatione nolens desistere, sententiam suam vehementissime defendens, post multa protulit, pro singulis decem argumentis, quæ sibi fuissent proposita, se decem millia redditurum. Deficiente autem die, sessio fuit dimissa. Tum Græci tam præsules, quam cæteri omnes tædio affecti, de suo in patriam reditu, infecta re, cogitare cœperunt, dicentes: In vanum tempus conterimus, quandoquidem nec à Latinis nos, nec à nobis ipsi suaderi possent. At Imperator ma- *Julianus Card.*

gnanimus animes ipſorum curando reſtituit. Porro volentibus Græcis diſputationi facere modum, Latini mirum in modum incumbebant, ut in ſeſſionibus de ipſo dogmate ageretur, aſſerentes de quæſtione prima jam ſatis dictum fuiſſe, ac ſe nolle amplius quærere, cur illud, ex Filioque, ſymbolo fuerit additum. Nam cum fieri non poſſit, ut quod jam factum probatumque fuerit, prius tollatur, quam oſtendatur à Græcis impium eſſe: operæ pretium eſſe dicebant, ut in poſterum de ipſo dogmate agerent: quod quidem ſi impium eſſe conſtaret, illico tollerent: ſin autem receptum eſſet, minime ſe eſſe incuſandos. Hæc Julianus doctiſſimus. Contra vero dicebat Epheſius: Tollatur à ſymbolo proprioque termino circunſcribatur, quemadmodum de multis verbis conſtat factum fuiſſe. At Julianus vehementius instans, dicebat: Inquiratur (Pater) veritas, inquiratur, & ſi verbum illud impium eſſe dignoſceretur, neque in ſymbolo ſtabit, neque in alio loco (ut dicis) circunſcribetur, impia enim nulla ratione proferri debent, pia vero quovis in loco nedum in ſymbolo, ſtare poſſunt. Interea Imperator ægrotavit, ſimulque Patriarcha adverſa valetudine jam pridem domi tenebatur. Poſt autem dies ſedecim vix potuit Imperatoris domum lectica venire, quo biduo poſt Græci quoque præſules convenere. Ad quos Imperator ſuit ita loquutus.

Imp. Noſtra relicta patria, patres optimi, pro Eccleſiarum conjunctione non ſine magno periculo huc frequentes convenimus: & vos quidem antiſtites pro veſtrarum Eccleſiarum ſecuritate, Laïci verò tum pro veſtra pia religione, tum etiam pro poſteris veſtris ſoliti eſtis, ob idque onus hoc libenter ſubjiſtis. Ego autem ſolum, ut à Deo gratiam conſequar, id quod etiam ad vos pertinet, vehementer laboro, quippe qui filios vel hæredes non habens, nec dignitate majore affici cupiens, pro genetis noſtri ſalute plura quàm cæteri (ut videtis) onera ſuſtineo. Operæprecium igitur eſt multis de cauſis, præſertim ut Latinis conjuncti, noſtram in patriam, magno affecti honore, potius quam dedecore, hinc diſjuncti proficiſcamur: operæprecium (inquam) eſt, ut ſummo ſtudio in unionem Eccleſiarum incumbamus.

Imperatoris pietas.

Quo quidem ſermone audito, Græci quanam ratione de dogmate ipſo agendum eſſet, inter ipſos locuti ſunt. Tandem viſum eſt ipſis, ut duodecim præſules ex ſuis ſeligerent, qui cum totidem Latinis de ſancti Spiritus proceſſione privatim diſſererent; quodque benignitate Dei ab ipſis probatum eſſet, id omnes ſuſciperent. Nolebant enim cum Latinis oratione perpetua publice contendere. Dum autem hæc agerentur, à ſummo Pontifice Græcis fuit nunciatum, ob peſtem ſynodum eſſe Florentiam transferendam. Quod etſi quam maxime Græcorum conventum turbaſſet, poſt multas tamen altercationes, quas quidem ſilentio præterij, quod ad rem neutiquam pertinerent, videntes Imperatori ac Patriarchæ non nimium diſplicere ſynodum ipſam transferri, ſummi Pontificis voluntati his conditionibus acquieverunt, ut ſummus Pontifex menſium octo ſubſidium Conſtantinopolim mitteret: ipſis autem Græcis, & quinque menſium victum, & commeatum Florentiam uſque tribueret, ac pro his omnibus (ut vulgo dicitur) bancum ibidem aſſignaret, necnon ultra Florentiam nequaquam proficiſcerentur, verum ibidem ſynodus quatuor menſium ſpatio terminaretur, ac Græcis omnibus eſſet facultas illinc, cum ſibi viſum fuerit, diſcedendi. Quibus quidem conditionibus à ſummo Pontifice pro ejus pietate acceptis, in cathedrali Eccleſia extrema ſeſſio Ferrariæ celebrata fuit. In qua quidem nil aliud factum eſt, niſi ut ſummi Pontificis decretum de transferenda Florentiam ſynodo recitatum fuerit. Non autem conſtat, in quo die talis ſeſſio celebrata fuerit, cum

Peſtis Ferrariæ cauſa tranſlat. Concilij.

tantum reperiatur, die undecima menſis Januarij Græcos pecunias pro eorum commeatu, necnon novem decim millia ducatorum pro Conſtantinopolitano ſubſidio à ſummo Pontifice accepiſſe, die vero decima ſexta ſummum Pontificem Ferraria diſceſſiſſe.

Seſſio 16. ultima Ferrariæ.

FRequenti ſeſſione, patriarcha tantum ob valetudinem ejus abſente, Neapolitanus antiſtes Miſſam ſolenniter celebravit. Qua quidem finita, litaniiſque decantatis, Gradenſis præſul Latine, Mytylenen. autem Græce, conſentiente Imperatore, ſummi Pontificis decretum omnibus Cardinalibus & præſulibus Pontificaliter (ut moris eſt) indutis, ex ſuggeſtu recitavit, cujus tenor hic fuit.

Decretum ſummi Pontificis de ſynodo tranſferenda.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Generale Concilium Ferrariæ coi vocatum fuerat. Quod quidem & ſi noſtræ ſententiæ fuerit ibidem conficere, terminareque, tamen ferveſcente peſte, præſertim in hyeme, ex quo credendum eſſet in vere quoque futuram eſſe, illud juxta leges noſtras Ferraria Florentiam transferre volumus. Quæ quidem civitas libera & pacifica & aere ſaluberrimo eſt. Poſt autem dies paucos ſummus Pontifex, una cum Cardinalibus præſulibuſque Latinis, primus Florentiam proficiſcitur, qui cum equo inſidens egrederetur, Nicolaus Ferrariæ Marchio, equi ſummi Pontificis lora tenens, pedeſter una cum ſuo filio Ferraria exivit. Poſtridie autem Patriarcha cum antiſtitibus Græcis ſecutus fuit. Cui Florentiam appropinquanti, Cardinales duo ac triginta præſules obviam venere, honoreque magno in civitatem ipſam introduxere. Triduo vero poſt Imperator etiam venit, qui à Florentinis pompa magna honorificentiſſimeque ut Imperatorem deceret, ſuſceptus fuit. Nam Florentiæ rectores & Domini, nobiliſſimo ac honorato quoque comitem ſe præbente, pedeſtres ipſum ad portam civitatis in conſpectu Cardinalium & præſulum omnium excepernnt, ac domum deduxerunt. Tempus autem catniſprivij erat, in quo multa variaque ſpectacula prope domum ejus Florentina reſpublica honorificentiſſime celebravit. Primo vero quadrageſimæ die, Græci præſules ipſius Imperatoris juſſu in domo ejus congregati, ac interrogati, quidnam vellent agere, dixerunt ſe ad celebrandas ſeſſiones paratos eſſe, tamen ſi magis expediret ut per ſelectos doctores privatim, ne tumultus fieret, ageretur. Quod cum ſummus Pontifex intellexiſſet, juſſit ut ad diem vigeſimum ſextum Februarij menſis in ſuo palatio ſeſſio fieret, ubi frequenti ſeſſione ac ordine de more ſervato, Julianus Cardinalis primus omnium ſermonem hunc habuit.

Imperator Florentiæ ſuſceptus honorifice.

ANNO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, die Jovis vigeſima ſexta menſis Februarij ſeſſio prima, ordine vero decima ſeptima Florentiæ celebrata fuit.

Prima ſeſſio Florentiæ habita.

IVL. CARDINALIS.

QVoniam, Imperator mitiſſime, ac vos ampliſſimi & pientiſſimi patres, de numero ſum illorum, qui ad diſſerendum vobiſcum electi fuerant, ideirco mihi beatiſſimus ac ſummus Pontifex juſſit, ut hæc vobis pauca verba faciam. Brevi ergo ac nuda utar oratione, quandoquidem divina res, de qua agitur, opere magis quam verbis indigere videtur. Quam plurimi profecto ſermones utraque ex parte ſunt habiti, in quibus temporis multum contrivimus: nunc autem res in cardine eſt: nam ſereniſſ. Imperator ſanctiſſimo Domino noſtro nuperrime nunciavit, operæpretium

operæpretium sibi videri, ut paucis ac privatim agamus. Ergo in Domini nostri Jesu Christi nomine rem ipsam aggrediamur. Porro autem quoniam cum de transferenda synodo Ferrariæ tractaremus, serenissimus Imperator, necnon sanctiss. Patriarcha magno affecti desiderio videbantur esse, ut inter nos conjunctio fieret, quod plane summo Pontifici perplacebat: (valde enim interest sua, ut hujusmodi controversia ad finem celerrime perducatur, quod quidem fieri commode non posset, nisi sessiones sæpissime celebrentur) idcirco sanctissimus ipse Pontifex vellet, (si lubet) ut vel singulis quibuscumque diebus, vel saltem singula quaque hebdomada sessiones ipsas frequentes celebremus, & quævis sessio non minus tribus horis continuis habeatur, etiamsi serenissimus Imperator ac Patriarcha sanctissimus absentes à sessionibus ob valetudinem fuerint.

Propositur modus ineundi conventionem.

Imp. Magis, amplissime Pater, expediret, ut antequam ad differendum conveniremus, aliquot ex nostris ac vestris doctoribus seligeremus, qui privatim agerent, ac nostræ conjunctionis modum invenirent. Et si nihil proficerent, tum communiter in sessionibus disputaremus, quemadmodum probi viri aliqua de re contendentes facere solent, qui consultis prius amicis communibus, si suas controversias componere nequeant, ad judices deveniunt. Non aliter igitur nobis faciendum esse putamus. Cui quidem sententiæ summus Pontifex acquiescere videbatur, ut modus conjunctionis privatim inveniretur. Julianus autem Cardinalis ita respondit.

Jul. Card. Cum, Patres amplissimi, sereniss. Imperator primus sententiam hic & Ferrariæ dixerit, ut privatim rem ageremus, idcirco summus Pontifex adductus spe serenissimum ipsum Imperatorem unionis ejusmodi modum posse facilius excogitare, credit ipsi quam maxime convenire, ut is modum ipsum inveniat, nobisque patefaciat, ut ipsi quoque de eo paulisper consideremus. Credo equidem assequutum fuisse id, quod vobis promiseram, me, quemadmodum beatissimus pater noster jusserat mihi, brevi ac nuda oratione dixisse.

Imp. Quod jam præstantissimo Cardinali, si me non interpellasset, dicere volebam, id modo proferam, dein ejus orationi respondebo. Ipsi quidem plurimum disseruimus, plurimæque orationes altro citroque sunt habitæ, quæ ad quæstionem de additione ipsa spectare viderentur, & quamvis alia plura fortioraque argumenta proferre potuissemus, cum tamen Cardinalis ipse multique probatissimi præsules convenientius esse dixissent, quod sanctissimus pater à me privatim contenderat, ut omissa illa quæstione, ad aliam veniremus, tum etiam quod ipsi brevitati vehementissime studemus, idcirco non volumus ad aliam quæstionem venire, ita tamen, ut cum ad primam regredi voluerimus, nobis liceat. Quod quidem vobis prædicimus, ne unquam forsan diceretis, ab illa causa nos prorsus cecidisse. Fateor autem me primum omnium protulisse, privatim prius nobis agendum esse: verum nil nunc nobis venit in mentem, quod ad componendam pacem proponeremus. Nobis ergo, Pater amplissime, gratissimum faceretis, si quicquam in medium afferretis, quod ad concordiam hujusmodi pertineret. Videmur enim videre vos, aliquid tale dicturos esse. Dicant igitur alii quicquid velint, nos etenim hæc dixisse volumus. Cardinales autem antistitesque Latini ad sanctum Pontificem accessere, simulque collocuti fuere, deinde Julianus Cardinalis ita respondit.

Jul. Card. Serenissime Imperator, sanctissimi Domini nostri jussu, ac horum præstantissimorum Patrum consilio elegantissimæ tuæ orationi paucis respondebo, quam profecto bene percipimus. Nam satis dictum fuisse dixisti, an liceret symbolo quicquam apponere. Præterea licet argumenta vestra fortissima, & à ratione minime aliena fuerint, vos tamen multo plura fortioraque afferre potuisse, nisi ego à vobis sæpissime contendissem, ut ejusmodi quæstione postposita, ad alteram, an sanctus Spiritus ex Filioque procedat, veniremus, quemadmodum etiam Patri beatissimo conveniens esse videbatur. Ut igitur nobis gratissimum faceres, nobis concedere videbare, ut hac de re differeremus, hac tamen conditione, ut vobis, cum visum fuerit, liceret ad quæstionem primam redire, quandoquidem ab ipsa nequaquam penitus discessistis. Ad quæ, Patres amplissimi, breviter à me repetita, brevissime quam potero, respondebimus. Porro autem ipsi videre non possumus, quidnam vestris in codicibus habeatis, quasque alias rationes afferre potuissetis: quandoquidem nobis videtur quæstionem illam ita explicasse, ut amplius ambigendum de ea non sit, id quod vos etiam tenetis, ut credimus. Fieri enim non potest, ut vos qui summo ingenio, maximaque rerum scientia præditi estis, argumenta nostra firmissima & invicta esse, nequaquam intellexeritis. Sed neque non inscij estis, vos semper facultatem respondendi nostris rationibus habuisse, ita ut si quicquam aliud in nos afferre potuissetis, id proculdubio tanto decurso tempore, ex quo vestra refellimus argumenta, potuissetis. Si quidem igitur rationes nostras silentio præteristis, credimus vos ipsas refellere neutiquam potuisse, neque alias rationes ad quæstionem ipsam spectantes (ut dicitis) habuisse. Quid enim vobis fuit impedimento, quominus nobis responderetis, nisi quod argumenta nostra vobis firmissima visa fuerint? Propterea que beatissimus Pater noster dicebat valde conducere, ut ad alteram quæstionem veniremus, cui cum videretur nostram causam ita illustratam fuisse, ut nulla prorsus alia indigeret consideratione, idcirco ferebat ægre, videre tempus incassum produci, quandoquidem disputationes de rebus tantum ambiguis debent fieri. Hac igitur de causa, Pater amplissime, patrum horum sententia ex vobis ipse contendi, ut ad aliam controversiam veniremus, videntes clarissime quæstionem primam Apostolorum authoritate, synodorum decretis, sanctorum doctorum sententia perfectissime solutam fuisse. Si quidem igitur, ne beatissimi quidem patris rogatu ab ipsa causa decedere voluisti, priusquam multæ fierent disputationes, idcirco nequaquam convenit, ut sine conclusione, infectaque re ad aliam veniamus. Sed melius esse videtur, ut si quid argumentorum adhuc vobis reliquum sit, id etiam in medium afferatis: quandoquidem omnia pater beatissimus, necnon hi præstantissimi patres attenti auscultabunt, spe adducti, ea quoque benignitate Dei nos facile posse dissolvere. Quod autem tibi, serenissime Imperator, in mentem non venit, neque prorsus excogitasti, quonam pacto conveniremus, ob idque dicis conducere, ut ipsi modum ipsum inveniamus, ac in medium proferamus, respondeo, jam satis de hoc dictum esse, cum ipse dicenti tibi fore commodius, ut privatim egeremus, contradixerim, quod magis expediret per sessiones ac publice agere. Si autem hæc nostra sententia tibi non placet, putanti privatam collocutionem magis expedire, idque vestri Pontifices volunt, sane non alienum esset à ratione, si primi quoque nostræ conjunctionis modum in medium afferretis, quemadmodum ipsi proculdubio faceremus; si sententiam illam primi dixissemus.

Imp. Ad ea, quæ de omittenda prima quæstione, ac altera capienda dixeram, vos minime responsuros putabam: quandoquidem jam inter nos convenit, ut ad aliam veniremus. Miror autem vehementer, cur nos quæstionem illam prorsus reliquisse credatis, cum nondum ipsam (ut nostis) terminaverimus. Namque si nobis id contigisset,

Græci ad primam quæſt. de additione nolunt redire.

ſatis jam dictum eſſe protuliſſemus, & nulla alia opus eſſe diſputatione. Ad alteram igitur quæſtionem, ut inter nos convenit, veniamus, hac tamen (ut dixi) conditione, ut ad primam, cum viſum fuerit, liceat nobis reverti: à qua quidem nunquam ipſi diſceſſimus, neque prorſus diſcedendum putamus. Sed neque unquam conveniens eſſe protuli, ut ipſi ſoli noſtræ conjunctionis modum inveſtigemus, ac nulla neceſſitate coacti, ſoli in eam rem incumbamus, ſed vobiſcum ſimul de ea conſiderandum putavi. Si quidem igitur quicquam aliquis in præſentia teneat, quod ad propoſitum ſpectet, id in medium proferat. Si minus, poſteaquam quiſque privatim, ac per ſeſe de hac re melius cogitaverit, in ſeſſione ſuam ſententiam dicat, quo quidem modo ſperandum nobis eſſet, noſtræ controverſiæ finem, ut mihi videtur, facilius poſſe facere, ita tamen, ut, ſi hac non ſucceſſerit, per ſeſſiones agere poſſimus.

Iul. Card. Ne de me, ſereniſſime Imperator, in poſterum admirere, nonnulla paucis repetam. Non equidem protuli quæſtionem illam communi ſententia terminatam fuiſſe, ſed inconveniens eſſe, ad eandem reverti: de qua conſtat ſatis dictum fuiſſe, ac vos ad argumenta noſtra fortiſſima Ferrariæ reſpondere minime potuiſſe. Dixi quoque, ut veſtri proferrent, ut lubet: nam ipſi benignitate Dei ad reſpondendum parati fuimus. Magis enim conducere videbatur de quæſtione illa diſſerere, quouſque communi ſententia finiretur, quam poſteaquam de altera cœperimus diſputare, omiſſa ipſa, ad primam redire. Adeamus tem, ſereniſſime ac prudentiſſime Imperator, præcipue ſpectare videtur, quemadmodum juſſu ſanctiſſimi Patris ac horum amplißimorum Patrum ſuperius protuli, ut diligenti conſideratione conjunctionis ejuſmodi modum, quodque magis expediens ſit, ſolus excogites, quemadmodum etiam, ut privatim agere debemus, ſolus ipſe propoſuiſti. Porro quoniam in extremum expoſtulaſti, ut ipſi etiam hanc ipſam rem penſitemus, ac examinemus, quod tu, quidnam agendum eſſet, nondum excogitaſti: idcirco patri beatiſſimo cunctiſque nobis videtur operæpretium eſſe, ut hoc negotium in ſeſſionem ſequentem differatur, ut tunc accincti meliuſque parati conveniatis, & quid agendum ſit proferatis. Quod quidem jure veſtro debetis facere. Namque volentibus nobis per ſeſſiones ac publice diſputare, te autem ſereniſſime Imperator contendente, privatim nobiſcum agere, ad te ſpectare videtur, unionis etiam modum excogitare.

Imp. Si ad totam tuam orationem reſpondere vellemus, noſtra profecto diſputatio fieret infinita. Ut igitur dictioni noſtræ modum faciamus, id quod ſæpiſſime diximus, paucis repetamus, neceſſe videlicet eſſe, ut, quod inter nos convenit, ad quæſtionem alteram veniamus, hac tamen conditione, ut ad primam, ſi nobis placuerit, redire valeamus. Interea vero ſi vobis ita videtur, ut unionis modum communiter inquiramus, nobis etiam placet.

Iul. Card. Vos de tali modo videritis: ipſi vero ad ea, quæ opus fuerint, reſpondebimus.

Quibus peractis, ſeſſio fuit dimiſſa. Græcis autem qua ratione conjunctionis ejuſmodi viam invenirent, non mediocre negotium videbatur. Domum igitur Patriarchæ frequentes convenerunt, ut quidnam ſequenti ſeſſione de unione proferrent in medium, inter eos conſulerent. Cum autem quid agerent aut proferrent, neſcirent, Imperatorem rogarunt, ut à ſummo Pontifice impetraret, ut hi quos ex ſuis ſeligerent cum totidem Latinis privatim agerent, ea ratione adducti, fore ut modum ipſum benignitate Dei excogitarent. Cui quidem ſententiæ Imperator acquieſcens, voluit ut ſtatim diſputatores ipſos ſeligerent, qui cum Latinis diſputarent. Selectis autem trium Patriarcharum vicariis, videlicet Antonio Heraclien. Gregorio confeſſore, Marco Epheſio, Iſidoro Rhuteno, Doſitheo Monembaſien. Bellarione Nicæno, ac Dorotheo Mytilenen. hiſque ſummo Pontifici nunciatis, ipſe ſe velle reſpondit, ut per ſeſſiones ac per electos (ut moris eſſet) ageretur, quandoquidem conjunctionis modum (ut Græci promiſerant) neutiquam invenere. Convocata ſeſſione, abſentibus ob valetudinem Imperatore ac Patriarcha, Joannes ille in Philoſophia & dialectica præclariſſimus, pro Latinis ita dixit.

DIE LVNÆ SECVNDA menſis Martij.

Seſſio decima octava Florentiæ.

Provincialis Lombardiæ Ord. Prædicatorum.

IOANNES.

BEatiſſimi patris juſſu, Patres amp. de ſancti Spiritus proceſſione verba facturus ſum, quæ quidem plurimum ad fidem ſpectare videntur, & de quibus (ut in primo de Trinitate capite Auguſtinus inquit) maxima cum veneratione loqui debemus. Rogo igitur vos atque obſecro, me attente audiatis. Velim autem, ſi quid ambigui aut alieni à ratione imprudens protulero, in primis ab eodem ipſo Patre ſanctiſſimo, qui beatiſſimi Petri ſedem tenens piam religionem excolit atque defendit, deinde à vobis in Theologia clariſſimis, corrigi ac emendari. Porro autem non debemus de verbis diſſerere, atque in ipſis verſari, ſed veram dictorum intelligentiam ac veritatem ipſam exacte perpendere: ſpe adducti, ut quemadmodum Dei filius nobis veritatem promiſerat, ita etiam is, à quo mens mortalium illuſtratur, ſua benignitate faciet, ut veritatem ipſam *Joan. 16.* percipiamus, ac rebus in omnibus proficiamus. Deus enim ipſe qui voluit, ut in hoc generali Concilio de ſancti Spiritus proceſſione agamus, nobis per eundem ſanctum Spiritum dubio procul præſtabit, ut mutua inter nos benevolentia, & ſervato Eccleſiarum decore, quæſtionis ejuſmodi veritas demonſtretur ac declaretur, ita ut tali veritate ſine controverſia cognita, quemadmodum *unus eſt Dominus ac una fides*, ut Paulus inquit, ita nos multi unum in fide ac in Chriſto ſimus. In primis autem nobis memoria repetendum eſt id, quod ſereniſſimi Imperatoris arbitratu inter nos Ferrariæ convenit, ne longas orationes habeamus, verum per argumenta & authoritates paucis agamus, ſpe adducti, ea ratione concluſionem aliquam facilius aſſequi poſſe. Cui quidem ſententiæ cum omnes acquieveritis, ſanctiſſimus Dominus noſter, ut ipſi ſereniſſimo Imperatori & vobis faceret gratum, ipſam ſuſcepit: operæpretium eſſe putans, ejuſmodi diſputandi ratione in poſterum uti. Quoniam autem beatus Auguſtinus in primo libro de Civitate Dei. Quis, inquit, diſceptandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus exiſtimemus? idcirco, patres ampliſſimi, conveniens eſſet, ut ſanctorum patrum ſcripturis atque ſententiis, quas ſancta complectitur Eccleſia, inniteremur, ac ipſis veluti decretis ac legibus uteremur: ita ut nemini noſtrum liceret eas inficiari, quemadmodum à majoribus noſtris nobis traditum eſt, præſertim ab Agathone ſummo pontifice, qui ad Conſtantinopolitanum Imperatorem & ſextam ſynodum ita ſcripſit: Quorundam ſanctorum patrum authoritates, quas ſancta & Apoſtolica Eccleſia ſuſceperat, ipſas cum libris, legatis noſtris dedimus, ut ipſis ſolis innitentes, ſereniſſimorum ac Chriſtianiſſimorum Imperatorum auxilio, quæ opus eſſent, conficerent. Calcedonenſe quoque Concilium in ſermone ad Martianum Imperatorem ſcripto, qui ſic incipiebat: Ad *Epiſt. 4.*

tuam Imperatoriam majestatem deceret plurimum: (sermo enim erat de Leonis Epistola ad Flavianum scripta) Non oportet, inquit, de Romanæ Ecclesiæ præsidentibus admirari, ac Epistolam impietatis accusare, priusquam inveniatis eam cum sacris scriptis neutiquam convenire, ac à patrum sententia alienam esse. Et infra, Ut nullam amplius excusationem afferre valeant, qui homini Apostolico detrahunt, ac ipsum injuria afficiunt, & reliqua. Ex his ergo, Patres amplissimi, quæ pauca ex multis excerpsimus, quod supra dixi, probatum est, nos sanctorum patrum sententiis inniti debere: quo quidem anticipato & posito, ad rem veniamus. Porro quoniam in quavis quæstione nomen rei, de qua agitur, prænosci debet, ac nostra quæstio est de sancti Spiritus processione, idcirco quærendum in primis ex vobis est, quidnam processio significet: & an in divinis personis, prout in rebus humanis, intelligi debeat. Juxta namque divini Dionysij doctrinam in de divinis nominibus libro, Deum ipsum à rebus creatis appellare solemus: verbum autem processio, in sacra scriptura non solum de Spiritu, verum etiam de Filio dicitur, ac ambobus adscribitur: quemadmodum Joannes Evangelista testatur, de Filio dicens, *Exivi à Patre:* de sancto autem Spiritu, *Qui ex Patre procedit.* Hæc volui dixisse, non inscius opus esse ut hæc nobis sint nota, & in omnibus sessionibus mentionem de his faciamus.

Proces-sio.

Joan. 16. Joan. 15.

Marc. Omissis supervacaneis, Patres amplissimi, quæ reverendus hic pater in sui sermonis exordio protulit, quandoquidem in his non differimus, ad ejus interrogationem solummodo respondebo. Verbum processio, aliter quidem in rebus humanis, aliter vero in divinis personis significat. Et quamvis duabus divinis personis conveniat, juxta tamen scripturam sacram ac omnes sanctos doctores, & exactam rationem Theologiæ, sancti Spiritus processionem præcipue creditur significare: cujus quidem sancti Spiritus essentialis processio, à Filij processione eodem ipso verbo differre videtur, ob idque processio Filij generatio nuncupatur: Spiritus vero, præcipue magisque proprie processio nominatur. Multa namque nomina sunt, quæ res alias proprie, alias vero communiter significant. Propterea non est admiratione dignum, si verbum processio apud scripturam sacram Filio ascribatur. Exivi autem à Patre, non idem est cum verbo procedere, sed aliud significare videtur. Ideoque Spiritus sancti processio, ineffabilis & carens nomine, à Theologis nominatur: quod Filij processionem, hoc est, generationem, minus obscure quam Spiritus processionem percipimus. Propterea Beatus Ioannes Damascenus de Spiritus processione ita scriptum reliquit: Alia ratio essentiæ hujus est ineffabilis quidem, ac innominabilis, alia inquam à Filij generatione. Hactenus ad tuam interrogationem.

Processionis verbum duo significat.

Joan. 16.

Joan. Ex tua responsione, Pater reverende, capita tria collegimus. Primum, processionem Filio Spirituique communem esse, quatenus ex Patre procedant: alterum, processionem ipsam magis proprie ad Spiritum quam ad Filium pertinere, ob idque verbi processionem, id est, generationem, magis quam Spiritus processionem, nobis notam esse: postremum, eandem ipsam processionem, essentialem & substantialem esse. Nunc de tertio capite ex te quæro: Cum in divinis personis nil aliud sit, nisi essentia & proprietas atque relatio, quidnam hæc verba significent: Processio ex essentia in divina persona, num essentiam significat vel proprietatem ab altero accipere? Processio namque videtur esse via ab uno in aliud, & essentialis existit, quæ quidem à Patre accipitur. Et quoniam ipsi credimus, accipere essentiam, & ex Filio esse, idem significare, idcirco velim ex te scire an vos etiam ita sentiatis.

Marc. Eam intelligo processionem esse, qua sanctus Spiritus à Patre accipit esse, ac illud totum, quo est, quoque proprie sanctus Spiritus nuncupatur.

Joan. Magno equidem gaudio afficior, quod hanc ex te conclusionem habuerim, sanctum Spiritum ex Patre accipere esse, ac ex ipso procedere, idem significare. Nam si sanctus Spiritus à quo esse accipit, ex eodem quoque procedit, accipit autem esse ex Filio, ergo ex Filioque necessario procedit, juxta præcipuam ac propriam processionis significantiam, quam ipsi paulo ante concessisse videmini. Possumus autem quam plurimis testibus demonstrare sanctum Spiritum à Filio esse accipere.

Marc. Unde obsecro id habetis? Nos enim hoc non concedimus.

Joan. Videor videre, Pater amplissime, quod quæro, facile posse concludere. Nam sanctum Spiritum ex Filio esse, ac ab ipso esse accipere, ex sancti Epiphanij dictis ostenditur: quippe qui in sermone *angyroto* nuncupato, è Græco in Latinum ab Ambrosio verso, loquens de Deo Patre, inquit: Ita Filium dico eum, qui ex ipso est: sanctum autem Spiritum, qui ex utroque est. Siquidem igitur sanctus Spiritus apud Epiphanium ex utroque est, sequitur ipsum ex utroque habere esse. Amplius idem Epiphanius in eodem sermone inquit: Quemadmodum *nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater:* ita dicere audeo, nec sanctum Spiritum nisi Pater & Filius, à quo accipit, & procedit, neque Patrem & Filium nisi Spiritus sanctus, qui vere glorificat, docens omnia, qui quidem est à Patre & Filio. Ex his igitur Epiphanij dictis apparet, ex Patre & Filio Spiritum accipere esse, & ex Patre Filioque accipere, idem significare: unde sequitur, sanctum Spiritum à Patre & Filio accipere esse.

Probatur Spiritum sanctum accipere esse à Filio. D. Epiphanius.

Matt. 11.

Marc. Id non probasti, Pater reverende, quod nobis fuisti pollicitus, scilicet sanctum Spiritum à Filio accipere esse, quandoquidem nullam sanctorum authoritatem ad ostendendum illud attulisti, neque S. Epiphanij verba videntur illud concludere. Non enim sequitur necessario, si sanctus Spiritus ex Patre Filioque est, ut ab ipsis etiam habeat esse, quandoquidem quicquam ex alio esse, multis modis accipitur, ita ut minime necesse sit, ut omne quod ex alio sit, ab ipso etiam esse habeat. Epiphanij ergo dictum non solum non ad tuam sententiam pertinere, verum etiam tibi plurimum obstare videtur. Non enim inquit, sanctus Spiritus à filio esse accipit, verum simpliciter accipit. Quam quidem sententiam ex hoc Evangelio habuit. *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Porro autem si sanctus Epiphanius sensisset, ut vos ipsum interpretamini, ita profecto dixisset: Nemo novit Patrem & Filium, nisi Spiritus sanctus à quibus procedit, & à quibus accipit: quo quidem locutionis modo verbum procedit, ad illud accipit retulisset: sed cum duo illa verba pronomine simulac præpositione sejunxerit, dicens, à quo procedit, & à quo accipit, dubio procul sensisse videtur verba ipsa res diversas significare: illud quidem essentiam sancti Spiritus, quam ex Patre creditur habere, hoc autem ejusdem sancti Spiritus cum patre filioque convenientiam atque conjunctionem, qua Spiritus ipse discipulis ea enunciat, quæ quidem ipsos à filio edisci oportet. Quam mihi sententiam à Cyrillo atque Ioanne Chrysostomo sumpsi. Nam hic illud, *de meo accipiet*, declarans: De mea, inquit, intelligentia, qua dictis meis convenientia nunciabit. Ille autem in *Thesauris* inquit: Non enim Filius suam patrisque differentiam declarare volens, dixit: *De meo accipiet, & annunciabit vobis*: verum quod sanctus Spiritus verbis ejus uteretur, qui quidem quoniam ejusdem naturæ ac substantiæ cum filio est, idcirco æque ac ipse filius operatur ac loqui-

Ab alio esse multis modis dicitur.

Joan. 16.

De meo accipiet quid importet.

tur. Siquidem igitur illud, *De meo accipiet, & annunciabit vobis*, juxta ſanctos ipſos tantum ad verba filij refertur: ſequitur ex eo, nos minime credere debere ſanctum Spiritum à filio accipere eſſe.

Ioan. Orationem tuam P. R. bene percepimus; quæ quidem probare volebas, longe me aliter Epiphanij dictum expoſuiſſe, quam ipſe ſenſiſſet: Ego autem in eadem opinione perſiſtens, eodem ipſo dicto probabo, ſanctum Spiritum à Patre & Filio accipere eſſe. Fieri enim non poteſt, neque mente concipi, ut una res ab alia ſit, niſi ab eadem accipiat eſſe qualecunque fuerit illud eſſe. Quoniam autem res creatæ, apud Dionyſium in *de Divinis nominibus libro*, à Deo ſunt, ut ipſi quoque fatemur: quæro ex te utrum intelligendum ſit ita, ut à Deo eſſe accipiant, necne.

Marc. Ita prorſus, ſed communiter verum non eſt, ut eum quicquam ab alio eſſe dicatur, neceſſe ſit intelligere ab eodem etiam accipiat eſſe.

Ioan. Crediſne rès creatas à Deo habere eſſe?

Marc. Credo equidem. Ideo enim creatæ res nuncupantur, quod earum Deus cauſa eſt.

Ioan. Quoniam autem res creatæ, à Deo differenter accipiunt eſſe, idcirco etiam differenter à Dei ſubſtantia appellantur. Verum Epiphanius ſimpliciter inquit, Spiritus à filio eſt: quod quidem verbum eſt, quia infert eſſe: quid aliud, obſecro, poteſt ex eo inferri? Siquidem igitur credendum non eſt, eſſe Spiritus, ab eſſe filij differre: neceſſe eſt ut credamus, ſanctum Spiritum illud idem eſſe habere à filio quod à Patre habere creditur, ut verbum Epiphanij, eſt, manifeſte ſignificat.

D. Epiphanius.

Mar. Legatur (ſi lubet) idem Epiphanij dictum, tametſi, patres ampliſſ. authoritas hæc corrupta videtur eſſe, vobis nihilominus eadem ipſa ſatisfacere poſſumus, dicentes verbum *eſt*, ſcriptum in ea non eſſe. Sanctum enim Spiritum (inquit) qui ex utroque, abſque verbo, *eſt*.

Ioan. Ita dicere audeo, (inquit Epiphanius) nec ſanctum Spiritum novit aliquis niſi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit. Verbum ergo procedit, ad patrem refertur: illud autem, accipit, ad filium. Deinde declarans, quidnam illa duo verba ſignificent, inquit: Neque Patrem & Filium, niſi Spiritus ſanctus qui verè glorificat, docens omnia, qui quidem eſt à Patre & Filio. Infert igitur Epiphanius, ſanctum Spiritum à filio eſſe. Porro autem in divinis, eſt & eſſe, ſunt idem: ac eſſe ſignificatur per eſt: unde plane ſequitur, Spiritum à filio habere eſſe, quemadmodum à Patre. Namque ſi ſanctus Epiphanius non ita ſenſiſſet, ita profecto dixiſſet: ſanctus Spiritus rerum creatarum inſtar, à Patre & Filio habet eſſe. Præterea in eodem ſermone inquit: Sanctus Spiritus ingenitus, non factus, non frater, non avus, à Patris filiique ſubſtantia. Credere ergo neceſſe eſt, ſanctum Spiritum à filio habere eſſe.

Mar. Dicere mihi videris, P. R. quoniam ſanctus Spiritus ex Patre filioque ſimpliciter dicitur, idcirco etiam ipſum ex eiſdem habere eſſe: ergo neceſſe eſt ita ſentias, ut Spiritus ex Patre, hoc eſt, ex hypoſtaſi vel perſona Patris ſit ſimiliter etiam ex Filio, id eſt ex perſona filij: unde evenit, ut ſanctus Spiritus ex duabus perſonis ſit, niſi tu aliter ſentias.

Inſtantia Marci Epheſini.

Ioan. Sanctum Spiritum nos dicentes ex Patre procedere, patrem ipſum percipimus, ac ipſum conſideramus, quatenus una divina perſona eſt: non ſecus, ex filio proferentes, ex ipſius perſona procedere mente concipimus. Cum autem ex utroque Spiritum ipſum procedere dicimus, proceſſionem ejuſmodi ab uno ſolo principio fieri credimus, quandoquidem ex patre filioque communiter ſit.

Mar. Si, cum Spiritus ſanctus ex Patre procedere dicitur, patris perſonam intelligis, ſimiliter filij perſonam intelligis, cum ex filio: cum autem ex utroque dicitur, quid aliud (obſecro) poteris intelligere, quam ex utriuſque perſona? Ponamus autem id verum ac neceſſarium eſſe, ut cum Spiritus ex patre procedere dicatur, ex ejus perſona intelligatur, & videamus (ſi lubet) an idem quoque de filio, ac de utroque credendum ſit: cum Spiritum ex filio dicimus, aut ex Patre & filio, ex filij, vel patris ſimul & filij perſonis nos oporteat credere, an alio modo.

Ioan. Cum ex Patre dicimus, ex ipſius perſona intelligimus, ſimiliter etiam cum ex filio, quandoquidem patris & filij eadem ſubſtantia creditur eſſe. Emittere autem, ita patris & filij eſt, ut ab uno principio Spiritus ſanctus credatur procedere.

Mar. Melius (obſecro) perpendamus, utrum ſi ſanctus Spiritus ex patre filioque credatur procedere, ex ipſorum perſonis neceſſe ſit intelligere, necne.

Ioan. Non opus eſt in præſentia diſputare, an ſanctus Spiritus ex patre, aut ex filio, aut ex utroque procedat: ſed nobis prius diligenter conſiderandum eſt, an ſi, cum aliquid ab aliquo eſſe dicatur, neceſſe ſit intelligere, idem ejus quoque ſubſtantiam habere.

Mar. Dediſti nobis, P. R. ſanctum Spiritum ex perſona patris procedere, quandoquidem ex patre dicitur eſſe. Porro, quid ex hoc ſequatur, accurate conſideremus. Magnus Baſilius in Eunomium, de ſancti Spiritus proceſſione loquens, inquit: Generat Deus, non ut homo, generat autem vere & natum ex ſe Spiritum emittit per os, non quale eſt hominum, quandoquidem Dei os, non eſt corporeum: ex ipſo autem Spiritus, & non aliunde. Siquidem igitur Spiritum ex ipſo, id eſt, ex patre dicentes eſſe, ex ejus perſona intelligamus neceſſe eſt, Baſilius autem inquit ex ipſo eſſe, & non aliunde, ſequitur, ſanctum Spiritum ex ſola patris perſona eſſe.

D. Baſilius.

Ioan. Magnus Baſilius in tertio contra Eunomium libro, ſcriptum reliquit, ſanctum Spiritum ex filio eſſe, quod quidem eſt hujus oppoſitum, quod modo protuliſti, Spiritum non eſſe aliunde. Illud autem, emittit Spiritum per os, & reliqua, ſimilitudine quadam ab eo dictum fuiſſe concedimus. Apud enim ſacram Scripturam, verbum Dei ut dicitur, & verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus. Talis ergo loquendi modus, in ſcriptura ſacra videtur, ad quam nos ſemper debemus aſpicere, non quod illa in Deo corporea ſit. Verba ergo Scripturæ ſacræ, necnon ipſius Baſilij, ad propoſitum facere videntur. Tum Coloſſenſis antiſtes, Baſilij ac Epiphanij dictum recitavit.

Mar. His in poſterum reſpondebimus, nunc autem ad propoſitum redeuntes, quæro ex te Pater Reverende, quidnam illud Baſilij ſignificet, Generat Pater: & paulo infra, Ex ipſo Spiritus & non aliunde, utrum ejus perſona ſit generans, an ipſius ſubſtantia, & utrum ex perſona ſua, an ex ſua ſubſtantia Spiritum ſanctum emittat? Rogo te, Pater Reverende, ut his quæſtionibus reſpondeas.

Ioan. Nondum, pater reverende, ad propoſitum reſpondiſti. In hoc enim erat controverſia noſtra, utrum dicentes Spiritum à filio eſſe, ut Epiphanius inquit, neceſſe ſit intelligere eundem Spiritum à filio habere eſſe, necne. Huic ergo quæſtioni prius reſpondeas, deinde nos ad veſtras libentiſſime reſpondebimus. Namque ſeipſum magnus Baſilius expoſuerat, dicens: Spiritus à filio habet & accipit, de quibus ſuo loco diffuſius dicemus. Quonam igitur modo Epiphanij dictum intelligi debeat, nobis (rogo) declares, deinde ad alia veniemus.

Mar. Tametſi, P. Reverende, ſanctum Spiritum à filio habere eſſe, ſancti Epiphanij authoritate valde fuiſti conatus oſtendere, patet tamen te nihil probaſſe. Non enim Epiphanius ipſe protulit ſanctum Spiritum à filio habere eſſe, verum ſimpliciter ac ſine verbo, *eſt*, ab utroque, hoc eſt, à Patre & Filio, ut ipſe aſſeris: propterea quæſivi ex te, an cum Spiritum ex patre procedere dicimus, ex ejus perſona neceſſe nobis ſit intelligere? Tu vero affirmans ita credi debere, ſanctum Epiphanium fuiſti teſtatus. Poſtea

mutata oratione ad magnum Basilium venimus, ubi equidem ex te quæsivi, an illud, ex ipso, ex persona Patris deberet intelligi, ut ex similibus similia fierent clariora. Ideirco, ut quæstionem hujusmodi concludamus, quæ supra diximus repetentes, iterum quærimus, an dicentes Spiritum ex Patre procedere, patris personam intelligant? Huic ergo quæstioni prius respondeas, deinde vero, si aliam contrariam authoritatem in medium afferre poteris, alias de ea considerabimus. A

Ioan. Ita credimus, quemadmodum supra diximus, illud, ex ipso, personam patris significare.

Mar. Magnus autem Basilius dixit, sanctum Spiritum ex ipso, hoc est, ex Patre, vel (ut dicitis) ex persona patris: deinde addidit, non autem aliunde, id est, non ex alia persona nisi ex persona patris, procedere: ergo sequitur, sanctum Spiritum ex solo patre esse. B

Acute disputatur.

Ioan. Magnus Basilius, Reverende Pater, in Eunomium profitentem, sanctum Spiritum creaturam esse, ideo dixit ex ipso, & non aliunde, ut declaret ipsum Spiritum ex patris esse substantia & natura, non autem aliunde, hoc est, non alterius esse substantiæ vel naturæ. Nunc ergo ad Epiphanium redeamus, testantem sanctum Spiritum à filio esse: & quæro ex te, an accipere à Patre, & ex Patre esse, idem significent? Fieri autem non potest, ut non idem significent. Porro Spiritum ex Patre Filioque accipere esse, duabus authoritatibus paulo ante probavimus, quarum prima Epiphanii fuerat, proferentis sanctum Spiritum ingenitum, non factum, non fratrem, non avum, à patris filiique substantia. A patre autem esse, & Patris essentiam accipere, idem sunt, ut paulo supra probavimus: altera vero magni Basilii asserentis clarissime, sanctum Spiritum accipere esse à filio. C

Mar. Sumis, ut à nobis concessum, Pater Reverende, sanctum Spiritum accipere esse à Filio, quod quidem neque Epiphanius dixerat, neque ipsi concessimus, nec à vobis ostensum est, imo magni Basilii authoritate oppositum hujus probavimus, ad quem iterum (si lubet) veniamus. Namque cujus contrarium paulo ante dixisti, id modo sentire videris. Magnus (inquit) Basilius invectus in Eunomium, asserentem sanctum Spiritum creaturam esse, scriptum reliquit ipsum ex Patre, hoc est, ex substantia naturaque patris, non autem aliunde, hoc est, non alia ex substantia & natura, creaturarum instar, esse: itane, R. P. sentis, an ut superius protulisti? D

Non aliunde esse, quid importet.

Beff. Illud ex ipso, paternam personam significare, paulo ante, P. R. dicebas: modo autem protulisti, per idem ex ipso, Patris essentiam & naturam debere nos intelligere.

Ioan. Esse & essentia patris idem sunt, idcirco P. R. qui ex patre dicit, patris etiam essentiam intelligere debet. Præpositio autem, *ex*, processionem à principio consubstantiali significat, Spiritus vero non ex seipso, sed ex alio est. Et cum dicimus Spiritum à Filio esse, ab alio sentimus: si quidem igitur non ex seipso Spiritus est, sed ex alio, à quonam sit, perpendamus. Quod quidem magnus Basilius explanat atque declarat, cujus sententiam debemus suscipere. Spiritus, inquit, ex ipso est. Epiphanius autem scriptum reliquit, Spiritum ex Patris Filiique substantia esse. Si quidem igitur Spiritus à Patre & Filio habet esse, necesse est ut ab ipsis accipiat. Quam quidem sententiam hi sancti Doctores ex hoc Evangelico dicto, *De meo accipiet*, habuere: sed hæc accuratius in futurum considerabimus. E

Ioan. 16.

Mar. Ut illud magni Basilii dictum magis dilucidetur, quæro ex te, P. R. an divina substantia & persona sint idem, ac verbum ex patre, patrisque simul substantiam significent, vel secundum Doctores inter se differant?

Ioan. Divina substantia & persona, P. R. re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur: Nam persona ex substantia proprietatibusque consistit, quæ tametsi ratione ac secundum nostram intelligentiam (ut supra dictum est) differant, ipsa tamen substantia cum personis communicat, proprietates vero nequaquam communicabiles sunt. Quod quidem ex relationis vi creditur evenire, quemadmodum etiam Doctores vestri, præsertim Sanctus Gregorius Theologus in Epiphaniæ sermone tenet. Nam si proprietas communicabilis esset, proprietas non esset proprietas. Ut igitur personæ differant inter se, necesse est ut hypostaticæ personalesque proprietates incommunicabiles sint. Propterea Doctores inquiunt, nil nisi principii habitudo est. In qua quidem hæc duo considerantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid, ob idque Pater & Filius sunt, quod Pater principium est, Filius autem ex principio, in quo quidem nequaquam communicant, cum cæteris in rebus inter se dubio procul communicent, ut Epiphanius de tali principii vel principali habitudine, qua subsistant personæ, sensisse creditur, cui quidem non aliud, quàm à quo aliquid & ad quod aliquid convenit. Si quidem igitur divina omnia, proprietatibus personarum exceptis, inter se communicabilia sunt, sequitur, cum quippiam ex aliquo credimus esse, intelligamus, ipsum ab eodem etiam accipere esse. Patet igitur id, de quo ambigere videbamini. Reliquum autem est, ut ipsi quoque Basilii dictum exponatis: quod obsecro faciatis.

Persona quid importet.

Mar. Quemadmodum Divina substantia & persona differant in se, non opus est in præsentia dicere, cùm præsertim in hoc minime forsan differamus. Constat enim ipsas differre simpliciter, ut commune differt à proprio, ut magnus Basilius ad suum fratrem Gregorium scribit, & quemadmodum (ut utar exemplo vulgari) humana substantia à persona sua differre videtur, ut vos quoque sentire censeo.

Sed ad dictum Basilii redeamus: Generat, inquit, Deus, non ut homo, generat autem vere: & natum ex ipso Spiritum, emittit per os. Velim, mihi declares P. R. quid hæc verba significent, utrum pater ex sua substantia, ac ex sua persona generet?

Ioan. Dixi equidem, Pater Reverende, Filium ex Patre, ac ex Patris substantia generari, idem significare: ita tamen, ut persona sit producens & generans: principium autem, quo ipsa persona generet, id quod solum communicabile est. Pater ergo generativum principium est, & suppositum quoddam significat: divina vero substantia, quæ cum Patre realiter idem sunt, non quidem generat, sed est principium, quo generatio fit, quandoquidem suppositum nullum significat. Porro autem actiones, juxta omnem Philosophorum scholam, suppositorum esse videntur, ut in hominum genere fieri videmus. Quamvis enim hic homo (hoc est persona vel suppositum) generet, ejus tamen substantia, generationis ejusmodi principium est, quandoquidem actiones suppositorum (ut diximus) sunt: quæ quidem substantia vel essentia in homine, cum sit humanitas, humanæ generationis principium existit, quo generat homo. Unde evenit, ut homo cum filio non communicet, quod filius quatenus filius est, neutiquam generat, verum ipsa natura cum filio in eadem specie communicare videtur. Natura igitur humana communicabilis est: persona vero vel homo hic, operatur. Non aliter profecto de divinis personis intelligere possumus. Nam Patris persona, suppositum est atque generans: divina vero natura, generativum principium, quo Pater Filium generat: qui quidem Pater suam personam Filio nequaquam communicat, cum tantum ejus substantia & natura (ut supra dictum est)

communicabilis ſit. Quæ cum una numero ſit, idcirco non ea ratione communis dicitur eſſe, qua eſt humanitas, ſed rationem tantum habet communis, quatenus communicabilis eſt, quæ quidem cauſa eſt, cur Filius à Patre, ut à principio naſci credatur, quod à divina Patris ſubſtantia naſcitur, in unaquaque tamen perſona identitate reali manente. Sola namque relatio, quam principalem habitudinem ſuperius nominavimus, apud omnes tam Græcos quàm Latinos Doctores, divina proceſſione perſonas multiplicat: cui etiam duo illa, à quo, & ad quod, de quibus eſt ſuprà dictum, conveniunt. Siquidem igitur relationes hujuſmodi perſonas multiplicant, ita ut non ulla alia ratione, quam vi relationis, Pater à Filio, ac una perſona ab alia differant, quem quidem in modum, Spiritus etiam ab alio eſt: neceſſe eſt, juxta omnes ſupradictos Doctores, ſic intelligere, ut idcirco perſona hæc, id eſt Spiritus, dicatur accipere atque eſſe, quod ab alio eſt. Propterea magnus Baſilius ac Epiphanius aſſerunt, ſanctum Spiritum accipere eſſe à Filio, ac procedere, idem eſſe. Conſtat igitur principalis ratio, Pater Reverende, cur ab alio Spiritus eſſe dicatur.

Sola relatio multiplicat perſonas.

Nunc ad illud magni Baſilii dictum veniamus, quod vos in medium protuliſtis. Cui cum vehementèr inniti videamini, idcirco totum perlegamus, ut ipſum ſecundum Latinorum doctrinam, ac ipſius Baſilii mentem, interpretemur ac exponamus: quippe qui, ut ſanctum Spiritum ex Patre, non autem aliunde, hoc eſt, non ex alia ſubſtantia, demonſtraret eſſe, in Eunomium ſcribit ita: Sed tu tanquam infidelis blaſphemas, qui cum Spiritus ſancti proceſſio ex Deo generatio nuncupata non fuerit, idcirco nec oris Dei Spiritum eſſe credis, ſed opus manuum Dei, ita ut humanis utens exemplis, divina dogmata, quæ ſeipſis conſtant, & ab alio non dependent, evertas, cum ſacram Scripturam veneratione atque Religione audire, ac ejus dicta ſumma pietate deberes ſuſcipere. Generat Deus non ut homo, generat autem vere: ac genitum ex ſe, enunciat verbum non humanum, emittit autem verbum ex ſe vere. Emittit Spiritum per os, non humanitus: quandoquidem Dei os humanum non eſt: ex ipſo autem Spiritus, & non aliunde, cum Pater Ampliſſime, Spiritum eſſe creatum hæretici profiterentur, idcirco magnus Baſilius ipſum ex Dei ſubſtantia, non autem aliunde, protulit eſſe. Deinde ſubjungit: operatur Deus non humanis manibus. Operatur autem, non ex ſe res creatas producens, ſed agendo eas facit ſubſiſtere: quemadmodum etiam homo ſuis manibus operando, opus ex ſe non producit. Non dimoveas divinorum rationes. Spiritus nec Filius eſt, nec creatura. Non de filio quæras, curnam Spiritus non dicatur: neque de Spiritu, curnam filius non ſit: non denique Spiritum creaturam eſſe blaſphemes. Filius Dei fructus, Sanctus ex ſancto, æternus ex æterno, ſancti Spiritus dator, ad ſubſtantiam formationemque creaturæ. Ex his patet, præſtantiſſimi Patres, illud, non aliunde, non alia ex ſubſtantia, ſignificare, ſanctumque Spiritum, ſanctum fructum ex ſancto, ac æternum ex æterno eſſe. Unde ſequitur, ſi ſancti Spiritus dator eſt filius, neceſſe eſſe, ut etiam ex filio idem Spiritus ſit. Propterea ſanctus Athanaſius in tertio libro in Arrianos, de filio ſcribens, inquit: Ipſe Spiritum dat, & quæcunque Spiritus habet, à verbo habet. Luce igitur clarius eſt, ſanctum Spiritum à filio habere eſſe. Si enim quæcunque Spiritus habet, à filio eſſe dicuntur: ſequitur, ut eſſe quoque à filio habeat, ut Athanaſius inquit: ipſe Spiritum dat, ac Spiritus dator exiſtit. Siquidem igitur ex his patet, ſanctum Spiritum ex filio eſſe, palam ſequitur, ut ex filioque procedat, de quo tota noſtra quæſtio eſt. Non equidem auderem vos, Patres Ampliſſimi, tantoſque Doctores aſpicere, niſi eſſe ſic firmiter crederem.

D. Athan.

Hæc cum Joannes dixiſſet, Coloſſenſis præſul ſinc Epiphanii expoſitionem ſuper hoc Evangelico dicto: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, recitavit. Ioan. 16.

Mar. Inſpicite diligenter, Patres Ampliſſ. Epiphanii authoritatem, in qua verbum, *eſt*, quod hic Pater Reverendus pronunciat, dicens, Spiritus ex Patre ac Filio eſt, ſcriptum non eſſe videtur. Iuxta ergo Sanctorum Patrum Theologiam, intelligere poſſumus ac debemus, Spiritum ex Patre procedere, hoc eſt, eſſentiam Patris habere: à Filio autem dari, ac ab his ſuſcipi, qui credunt in ipſum. Qua quidem expoſitione nobis dictum illud non obſtat, neque quicquam ex ipſo in nos poſſetis concludere.

Ioan. Uſu venit, Pater Ampliſſime, ut Doctores, nominibus poſitis, quandoque verbum omittant, cum neceſſario ſubintelligatur, ut in hoc dicto, à quo aliquid, & ad quod aliquid, feciſſe videntur, ubi verbum *eſt*, non expreſſerant. Quemadmodum etiam Epiphanius ipſe in eodem ſermone paulo ſupra inquit: Filium dico, qui ex ipſo eſt: Sanctum autem Spiritum, qui ex utroque. In qua quidem oratione verbum, *eſt*, dubio procul ſubintelligitur. Verbum igitur, *eſt*, in hac quoque oratione, Spiritus à Patre & Filio, ſubintelligi debet, quod etiam hac ratione probabo. In ipſis duabus orationibus, vel (ut dialectice loquar) propoſitionibus verbum, *eſt*, neceſſario ſubintelligitur. Nam propoſitiones ejuſmodi proprietatem a principio inferunt. Et quemadmodum non eſt proceſſio reſpectu termini à quo, ita & in propoſitionibus ipſis. Et quoniam habitudo terminum à quo, infert: ideo terminum etiam ad quem, neceſſe eſt inferat. Modus autem proceſſionis ſancti Spiritus eſt, ut ſubjectum per ipſam proceſſionem accipiat eſſe.

Mar. Tametſi vobis, præſtantiſſimi Patres, forſan concederemus, ut in hac, quam tractamus, Theologia verbum, *eſt*, ſubintelligatur, quamvis expreſſum non ſit (poteſt enim hic locus aliter etiam ut ſupra diximus explanari) non eſt tamen neceſſe, ut illud ex Patre, vel ex Patre filioque, paternam perſonam, aut perſonas duas ſignificet: quandoquidem ex ipſo ſermone non aliquam diſiunctionem vel differentiam qua Filius ex Patre, vel ſanctus Spiritus ex Patre filioque habeat eſſe, intelligere poſſumus: verum potius conjunctionem, qua Patri Filius, ac Spiritus Patri & Filio conſubſtantialis exiſtit, (ut à Doctoribus traditum eſt) Spiritum ſanctum ex Patre filioque, id eſt, ex ipſorum ſubſtantia eſſe: quandoquidem ejuſdem naturæ cum Patre filioque pie creditur eſſe, propterea que ſanctus Cyrillus inquit: ſanctus Spiritus ex Patris filiique ſubſtantia eſt. Sed redeamus unde ſumus digreſſi, ne magni Baſilii authoritatem indiſcuſſam tranſeamus, quam bene nondum explicaſti, neque ad ipſam dilucide reſpondiſti. Ex ipſo, inquit, hoc eſt, ex Patre, Spiritus eſt, & non aliunde. Si quidem igitur illud ex Patre, ex Patris perſona, ut inquis, ſignificat: neceſſe eſt illud quoque, non aliunde, non ex alia perſona, ſignificet. Sin autem utrunque ad ſubſtantiam debeat referri, ita ut illud ex Patre, ex ſubſtantia Patris: non autem aliunde, non alia ex ſubſtantia, ſignificet: quandoquidem ipſa ſubſtantia perſonis tribus communis eſt, ac ſanctus Spiritus Patri & Filio conſubſtantialis ac connaturalis exiſtit: ſequitur, ut tam illud, ex Patre procedere, (quod paſſim legitur in Scriptura Sacra) quam illud Epiphanii, ex utroque, ad Patris filiique ſubſtantiam referri debeat. Non igitur eſt credendum, quod ipſe modo dicebas, ut in divinis, quod ex ſubſtantia dicitur eſſe, idem ſit ex perſonis. Ideo ergo ſanctus Spiritus ex Patre filioque dicitur eſſe, quod ipſis conſubſtantialis (ut eſt ſupra dictum) exiſtit.

Ioan. Ex tua oratione, Pater Reverende, duas habui concluſiones: ut tametſi nobis concederemus

verbum, est, subintelligi, minime tamen ex eo consequatur, ut esse spiritus, ex persona sit: cujus tamen oppositum, Reverende Pater, innitens magni Basilii authoritate, paulo ante dixisti. Qui quidem magnus Basilius, si sic sensisset, ut à vobis exponitur, sibi ipsi nequaquam constaret, sed valde contrarius esset, ac duo simul oppositа litteris mandasset: quandoquidem modo inquit, ex Patre, & non aliunde: modo autem Spiritum Sanctum ex Filio esse. Propositam igitur ipsius Basilii authoritatem, in primis diligenter debemus perpendere: id deinde, quod ex ipsa consequi videatur. His dictis, sessio missa fuit, sancta Synodo decernente, ut ad diem Jovis proximam conveniret.

DIE JOVIS 5. MENSIS MARTII,

Sessio decima nona Florentiæ.

Joan. SUperiore sessione, Patres Amplissimi, magni Basilii authoritatem, quam in medium protulistis proferentibus vobis illud, non aliunde, non alia ex persona, significare: nobis autem, non alia, quam ex divina substantia, implicatam & indiscussam reliquimus. Porro autem magnus ipse Basilius in Eunomium scribens; Sanctum Spiritum ex Filio habere esse, si per illud non aliunde, non ex alia persona, ut dicitis, intellexisset, duo simul contraria litteris proculdubio mandavisset: quod de tanto Doctore absurdum esset asserere, quandoquidem tales doctores maximum nostræ fidei fundamentum existunt. Cujus magni Basilii vetustissimum librum una cum duabus expositionibus vidimus, ac unum ejus dictum ad propositum valde pertinens fideliter in Latinum converti curavimus. Talem ergo ac tantum testem & antiquissimum Doctorem, coram tot Doctissimis Patribus Latine prius; (vel si vobis magis expedit) Græce recitetur. Præterquam quod, inquit, Spiritus non appellatur Filius, quonam pacto humana exempla, & *reliqua?* Ex quibus patet, magnum Basilium credidisse, sanctum Spiritum ex Filio habere esse. In sequenti vero capite, quod incipit ita: Nisi quis dicat Spiritum ex Deo, eandem ipsam infert conclusionem, quod quidem caput, quoniam rationi plurimum consonat, ac ad propositum pertinet, idcirco puto te illud accurate vidisse, totum igitur recitetur.

For. Tali, ergo ac tantus testis & antiquissimus Doctor, coră.

Mar. Hæc, Pater Reverende, ad propositum minime spectant, quandoquidem verba confundis, cum unum quodque separatim proferre deberes. Quod cum in exponendo Epiphanio nequaquam feceris, ejus sententiam confudisti, obscuramque reddidisti. Quæ igitur protulisti, ea repetentes, accuratius contemplemur. Illud, inquis, Basilij, ex ipso, & non aliunde, non quidem ex Patris persona, & non ex alia, verum ex Patris, ac non ex alterius substantia & natura, significare: ita ut ipsum, non aliunde, ad non aliam substantiam referri debeat, quod sanctus Spiritus esset creatura, ut Eunomius asserebat. Quam quidem nos expositionem suscipientes, illud etiam, Spiritum ex Patre vel Filio, vel ex utroque, non ex Patris, vel Filii, vel ex amborum personis: verum ex ipsorum substantia esse, significare sentimus: ita ut illa verba significent, sanctum Spiritum Patri & Filio consubstantialem esse, non autem ex alia natura ut creatura. Quam quidem expositionem Theologi ratiocinantes bene demonstrasse videntur, cum si (quemadmodm ipsi creditis) illa verba voluissent exponere, non tam profecto vehementer in demonstrando elaborassent.

Joan. Video mihi, P. R. duas ex sermone tuo habuisse conclusiones: alteram, minimè me ex Basilii mente dicere debuisse, sanctum Spiritum ex Patre ac Filio esse, cum id ex dictis ejus neutiquam possit haberi: alteram vero, Basilium ipsum hujus fuisse sententiæ, ut sanctus Spiritus non nisi ex Patris Filiique substantia sit, ita ut ex ipsa substantia sanctus Spiritus intelligatur produci.

Mar. Item velim nonnihil P. R. proferre, deinde te respondere. Magno namque Basilio, intendenti hæreticorum evertere dogma, credentium spiritum Sanctum non ex Patris Filiique substantia esse, non opus erat probare, à quonam Sanctus Spiritus haberet esse, cum etiam ipsi crederent Deum Spiritus causam esse, quandoquidem mortales omnes a Deo cuncta fatentur esse: neque, Spiritus idem ex cujusnam sit persona: quoniam ex Evangelio patet ipsum ex Patre procedere. Verum magnus ipse Basilius, ad ostendendum sanctum Spiritum ita esse ex Dei substantia, quemadmodum etiam Filius, protulit ipsum ex Patre, non autem aliunde, esse. *Locus D. Basilii excutitur amplius.*

Joan. Volebat, inquis, primum P. R. magnus Basilius adversus hæreticos demonstrare, sanctum Spiritum Patri Filioque consubstantialem esse: deinde non erat ipsi necesse probare, an Patet vel Filius causa sancti Spiritus sit: in extremum autem protulisti, eundem ipsum magnum Basilium ostendisse sanctum Spiritum ex Patris, & non ex alia substantia esse; ego autem primam partem affirmans, in qua quidem convenimus, secundæ nequaquam assentior: quandoquidem eius, quod ipsa sessione dixisti, contraria videtur esse. Tunc enim illud non aliunde, pro non alia ex persona, fuisse positum asserebas: nunc autem aliunde, ad Dei substantiam & naturam debere referri immemor ipsius Basilij, in eodem loco dicti, Spiritum emittit per os. Idcirco quæro ex te, P. R. utrum hæc verba significent spiritum Sanctum ex Patre, an ex Filio mitti. Namque quodcunque dederis, sancti Spiritus causam proculdubio assignabis. Sanctum autem Spiritum ex Patris substantia esse, id quod in parte tertia protulisti, ipsi etiam profitemur: quandoquidem Patris Filiique substantia, una eademque numero est: Sanctus vero Spiritus creatura phantasmave minime creditur esse, ita ut ex Patre, non autem ex Filio sit. Ergo quemadmodum Spiritus à Deo accipit quicquid sit Dei, hoc est, substantiam ejus: ita quoque necesse est, a Filio accipiat, quicquid filii sit, id est, substantiam ejus. Omissa igitur prima parte, in qua (ut dictum est) convenimus, quidnam de duabus aliis sentias, obsecro, nobis declares.

Mar. Tuam equidem expositionem, R. P. ut nostræ sententiæ consonam, eadem sessione suscipiens, te coram tot Amplis. Patribus in contraria incidisse probavi: neque requisitis, an illud ex Patre, ex Patris persona, significaret, ita esse dixisti. Deinde magnum Basilium attuli, asserentem Spiritum ex Patre, ac non aliunde esse, neque ipsi sententiæ innitentem fateri coëgi, hæc etiam verba ad Patris solam personam referri, ita ut in exponendis ipsis duobus dictis tibi constare videretur. Postea vero, mutata oratione, ipsam secundam Basilii authoritatem ita exposuisti, ut illud ex Patre, non autem aliunde, ex Patris substantia, non autem ex alia, significaret: quamquidem expositionem suscipientes, neutiquam simul pugnantia, ut asseritis, protulimus. Verum quidnam ex ipsa sequeretur, patefecimus. Namq; clarissime sequebatur, ut illud etiã Epiphanii, sanctum autem Spiritum, qui ex utroque, non necessario ad Patris filiique personas, verum ad ipsorum substantiam & naturam referri: quandoquidem Sanctus Spiritus Patri & Filio consubstant alis creditur esse, quemadmodum etiam ipsi ob unitatem, & (ut ita dicam) identitatem nostræ substantiæ non ex eisdem personis, verum ex una substantia consistere dicimur, ut apud sacram Scripturam, Judas de Ioseph loquens, inquit: *Caro enim & frater noster* est. Patet autem, fratrem non eandem personanam habere, verum ejusdem est substantiæ ac naturæ. *Locus obsc.* *Gen. 37.*

Joan. Quæ sessione proxima protuli, Pater Reverende, quanam videlicet ratione Spiritus ex Patris substantia & persona sit, hi præstantissimi Patres ep-

time percepiſſe videntur: quibus etiam exploratum A est, ſanctum Spiritum non ex alia perſona eſſe. Ad propoſitum ergo veniamus, ſic enim forſan nos Spiritus ſanctus conjunget. Porro licet tibi ex noſtris expoſitionibus eam ſuſcipere, quæ tibi magis placuerit Namque quamcunque nobis dederis, ipſam ſine controverſia defendemus: quãdoquidem extrema tua oratio vera fuit. Ergo ponatur, id quod tibi magis placere videtur ut illud, non aliunde, non alia ex ſubſtantia, ſignificet: in quo quidem quoniam Dei benignitate convenimus, idcirco ad tertiam part. veniamus.

Mar. Cum altera de parte ageremus, ipſum, non aliunde, non alia quam, ex Patris ſubſtantia, ſignificare volebas Eſt-ne ita?

Joan. Ita prorſus.

Mar. Præterea ſi quidem, inquis, ſanctus Spiritus ex Patris ſubſtantia dicitur eſſe, neceſſe eſt, credere B ipſum ex filii quoque ſubſtantia eſſe: quandoquidem Patris filiique ſubſtantia, una eademque numero eſt, ita ut videaris profiteri, Patris filiique ſubſtantiam, ſancti Spiritus cauſam eſſe.

Joan. Non ita dico. Hæc igitur repetamus.

Mar. Quando Spiritum ex Patre dicimus, eſſe Patris filiique ſubſtantiam debemus percipere: in qua ſanctus ipſe Spiritus eſſe habeat. Ita ne credis?

Ioan. Non ita plane ſentimus.

Mar. Quando Spiritum ex Patris filiique ſubſtantia eſſe audimus, ejuſdem Spiritus cauſam neceſſario intelligimus. An non ita vobis videtur?

Cauſa principium. *Ioan.* Proferentes Pater R. ſanctum Spiritum ex Patris Filiique ſubſtantia eſſe, ipſum ex cauſa eſſe neceſſario intelligimus, quam quidem Doctores noſtri principium appellare ſolent Porro autem quoniam Baſilius loquens de ſancti Spiritus cauſa, inquit, Spiritus ex ore eſt: idcirco quæſivi ex te, utrum ex Patris, an ex ore Filii intellexerit, quandoquidem quod proferimus, id etiam nos ſentire oportet. Ex Evangelio autem late patet ſpiritum Sanctum ex patre, hoc eſt, ex ejus ſubſtantia procedere. Siquidem igitur ex patre procedit, ex ipſo etiam accipit, ut ſupra probatum eſt. Et quemadmodum Spiritus à Patre ſubſtantiam accipit, quod eſt idem à Filio eſſe, ita etiam à Filio accipit, cum Patris Filiique ſubſtantia una ſit. Exemplum autem de Ioſeph, ad propoſitum ſpectat minime.

Mar. Magnum Baſilium, ac Evangelium ſimul miſſum in præſentia faciamus: tu vero, P. R. clarius lucidiuſque mihi reſpondeas, an profitentes ſanctum D Spiritum ex Patris Filiique ſubſtantia eſſe, ex ipſorum quoque perſonis eundem Spiritum eſſe, credere debeamus.

Ioan. Quod quæris, Pater Reverende, id eſt quod ſeſſione proxima demonſtravi, videlicet juxta omnem philoſophorum ſcholam, actiones eſſe ſuppoſitorum. Nonne ita ubi videtur?

Actiones ſunt ſuppoſitorũ. *Mar.* An ita ſit Pater Reverende, nolo in præſentia reſpondere: tu autem mihi, velim, reſpondeas: deinde vero libenti animo ad omnia reſpondebitur.

Ioan. Jacob in hoc mundo, P. Reverende, ſuppoſitum unum eſt. Superius autem diximus, Divinam ſubſtantiam non generare, neque ſpirare: quandoquidem ejuſmodi generatio atque ſpiratio ad perſonas ſolummodo pertinet: unde ſequitur, ut Patris perſona, non autem ſubſtantia, generationis ſpirationiſque cauſa ſit. Porro autem quoniam ipſa patris perſona in generando Filio ſubſtantiam ei communicat, idcirco juxta Doctores Filius ex Patris, Spiritus autem ex Patris Filiique ſubſtantia dicitur eſſe, ut perſonarum ſervetur diſtinctio: in quibus oppugnantia relativa non eſt, quia ſunt unum re cum ſubſtantia. Quanam igitur ratione Spiritus Filiique ſubſtantia eſſe habeat, ex his patet.

Mar. Tua equidem verba, Pater Reverende, componere, rimarique nequeo, ut pote quæ mihi videantur pluri mum inter ſe oppugnantia. Nam quandoque profers Spiritum ex Patris Filiique ſubſtantia eſse, quæ una eademque numero creditur eſſe: quandoque vero, mutata ſententia, dicis ſubſtantiam ipſam per ſe apud Doctores, perſonarum non eſſe cauſam.

Diſtinctio ſubtilis. *And* Bene ſciteque pater hic Reverendus loquutus eſt, tuque pater præſtantiſſime acutiſſime reſpondiſti. At in genetum æquivocatione ac ambiguitate verſari videmini. Nam in communi, tum Græcorum, tum Latinorum Doctorum Theologia multum differt, ſimpliciter proferre divinam ſubſtantiam, vel Patris Filiique ſubſtantiam: haud quaquam tamen ex eo putare debetis, ut re differant, quandoquidem ſola ratione ac intelligentia differre creduntur. Doctores igitur ipſi divinam ſubſtantiam ſimpliciter proferentes, Patris & Filii ſanctique Spiritus commune quoddam intelligunt: ſubſtantiam vero Patris dicentes, Patris perſonam mente concipiunt.

Mar. Id, P. R. quandoque, non autem ſemper ac neceſſario contingere creditur.

Imperat. Duobus ſimul præſertim inter ſe contradicentibus noſtri Doctores reſpondere non poſſunt.

Ioan. Ut exemplum Jacob, Pater Reverende, fiat clarius, licet mihi de eo ſatis dixiſſe videar, verba tamen nonnulla ad idem ſpectantia proferam. Nam Jacob humanum ſuppoſitum eſt, cujus quidem ſubſtantia & natura, hoc eſt, humanitas, communicabilis eſt, non tamen generans, ſed natura qua Ioſeph à Jacob generatur, quæque Ioſeph ipſi communicatur. Quanam igitur ratione oratio hæc intelligi debeat, Ioſeph eſt a natura Jacob, ex his patet. Ioſeph enim à Jacob ſuppoſito, per ipſius Jacob naturam ut per principium, quod quidem communicabile eſt, generatur, quandoquidem actiones ſunt ſuppoſitorum, ut ſæpenumero dictum eſt. Fieri autem non poteſt, ut ipſius Jacob ſubſtantia, a Ioſeph ſubſtantia diſiuncta non ſit. Exempli tamen cauſa eadem eſſe ponatur. Porro autem quoniam divina generatio, infinita & imperceptibilis eſt, idcirco dicimus Patrem perſona ſubſiſtere, quæ quidem eſt ſuppoſitum generans: generatio autem actio eſt, quæ ſuppoſito ſolum cognoſcitur: Patris vero ſubſtantia principium eſt, per quod generat Pater, quodque per generationem filio tradit atque communicat, & ab eo ſuſcipitur & communicatur, quemadmodum Jacob humanitati & naturæ contigit, quam Ioſeph à generante ſuppoſito ſuſcepit. Verum Divina ſubſtantia omnium ſubſtantiarum excellentiſſima eſt, quæ cum ſit una eademque numero in Patre ſimul & Filio ac ſancto Spiritu, ita ut in nullo alio differant, niſi quod Pater eſt Pater, & Filius eſt Filius: ſapientiam quoque Dei, nec non benignitatem & potentiam ejus, communicabilem eſſe credimus, quandoquidem idem ſunt. Quoniam autem divina ſubſtantia nomen abſtractum exiſtit, idcirco generatio ei non poteſt aſcribi. Namque cum una numero ſit, ſi quidem generare poſſet, proculdubio in divinis eſſet diſtinctio: quandoquidem non ſeipſam, verum quicquam aliud generaret, propterea communi doctorum ſententia divina ſubſtantia nequaquam generat. Unde ſequitur verum eſſe, id quod ſæpiſſime protuli, ut cum Spiritum ex Patris ſubſtantia eſſe audiamus, neceſſe E ſit, ex ſuppoſito intelligamus, ſimilitet etiam cum ex Filio. Ut veritatem igitur aſſequamur, ad illud dictum Baſilii redeamus, quandoquidem nil aliud agimus, niſi ut veritatem inveſtigemus.

Mar. Ex ſermone tuo, P. R. ut puto, concluditur, Patris Filiique ſubſtantiam, quæ una eademque numero eſt, ſancti Spiritus principium eſſe. (quo ſane nomine videris uti ſæpiſſime) quod Pater & Filius ſua communi ſubſtantia & natura, Spiritum ſanctum producunt. Siquidem igitur ex Patris ac Filii ſubſtantia, ut ex cauſa, Spiritum eſſe credis, num etiam neceſſe eſt, ut intelligamus Patris Filiique ſubſtantiam, principium & cauſam eſſe?

Ioan.

Ioan. Principium equidem bipartitus fui.

Mar. Creditne modo quodam, Patris, Filijque substantiam principium & causam esse?

Distinxi principij nomen.

Ioan. Quidni?

Mar. Ergo sequitur, substantiam sancti Spiritus, ex communi Patri Filioque principio, causatam esse.

Ioan. Ex communi quidem principio, à Patre Filioque Spiritui sancto.

Mar. Siquidem communem Patri filioque substantiam, sancti Spiritus causam vel principium quo dicis esse: quid obstat, obsecro, cur Sancti Spiritus substantia causata non sit?

Ioan. Non plane sequitur.

Mar. Cur obsecro?

Ioan. Cur? quia id quod fit in humanis, tantum ab agente supposito fit, ita ut falsum sit proferre, hoc humanum suppositum ab humana natura productum esse, quandoquidem apud nostros Theologos humanitas abstractum nomen est, ac suppositum nullum significat. Iacob ergo vel homo suppositum hoc quod substat, significans, humanitate sua suppositum aliud producit.

Mar. Itane etiam de divinis possumus proferre?

Ioan. Quidni?

Mar. Ex eo tamen non sequitur P. R. ut sanctus Spiritus ex substantia sit, & spiretur, vel ex Patris substantia generetur, ut ex substantia filij spiretur, vel procedat.

Mos Conciliorum Patres antiquos proferre primum.

Ioan. Memini me, pater Reverende, dixisse, sanctis Patribus in generalibus Synodis morem fuisse, ut antequam quicquam de fide sancirent: majorum suorum sententias viderent, ac ipsis summopere inniterentur: quem quidem usum me servare volentem, ac dicta Sanctorum in medium proferre incipientem interpellastis, ac magnum Basilium attulistis, de quo satis, quandoquidem orationes nostras omnes hi patres ampl. videntur intellexisse: ad alias ergo Sanctorum sententias veniamus.

Mar. At nondum quicquam ex illis concluſimus.

Ioan. Ut equidem tibi, pater Reverende, gratum facerem, animo libenti concessi, ut tot verba in hac materia haberentur. Non est igitur alienum à ratione, ut ipse quoque concedas, ut alias patrum Sanctorum sententias videamus, nam sic ad conclusionem facilius perveniemus.

Mar. De his paulo post. Namque nondum videmus, pater Reverende, quænam conclusio tuis ex verbis haberi possit. In humano genere suppositum hoc (inquis) ab alio supposito, id est, hic homo per naturam communē ab alio fit: & falsum esset proferre, hominem ab humanitate fieri: siquidem igitur ita quoque de divinis personis credendum est, ut falsum sit dicere, divinam personam à communi divina substantia esse: quandoquidem ipsa substantia suppositum per se subsistens nequaquam significat, à quo aliud suppositum fieri dicatur: sequitur, nos nullam causam intelligere posse, quando Spiritum ex patre filioque dicimus esse, quandoquidem divinæ substantiæ non est (ut inquis) generare aut producere, quemadmodum de natura humana dici solet.

Ioan. Volo equidem tibi, Reverende pater, ostendere, dicentibus quicquam ab aliquo esse, necesse esse, intelligere illud ex persona esse. Magnus namque Basilius in 3. contra Eunomium libro inquit: Cur enim non esse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum à filio, cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuncietur nobis, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit. Siquidem igitur apud Basilium, cui Doctores omnes plurimum tribuunt, Spiritus à filio habet esse, ac ab ipso est ut causa, nobisque supra concessum fuerat, accipere, ac esse, idem juxta Doctores significare: necessario sequitur, ut idem Spiritus à filio quoque procedat. Porro quantæ authoritatis ac existimationis in sancti Spiritus materia Basilius fuerit, Chalcedonen. Synodus ad Martianum scribens, testatur: Hic magnus (inquit) Basilius minister gratiæ. Et infra, Hic doctrinam de sancto Spiritu illustravit. Siquidem igitur sancti patres tantum in sancti Spiritus materia Basilio tribuere, ipse vero in ea clarissime scripsit, necesse mihi videtur, ut ipsi, totaque Ecclesia, Patres ipsos sequentes, eundem magnum Basilium suscipiamus ac amplexemur, ejusque scriptis acquiescamus, cujus quidem vetustissimus liber hic est, quem (si lubet) legatis.

D. Basilij laus.

Mar. Hoc magni Basilij dictum, Pater Reverende, suo loco considerabimus. Nunc autem concludamus, quidnam ex illo tuo sermone sequatur.

Ioan. Quinimo R. P. huic authoritati primo respondeas, quæ quidem sola controversiam nostram dissolvet.

Mar. Communem Patri filioque substantiam, Pater Reverende, quæ una eademque numero creditur esse, sancti Spiritus causam & principium esse dicis, quo plane Spiritus ex patre procedit: unde sequitur manifeste, substantiam sancti Spiritus causatam esse, ac duas substantias inter se, secundum causam & causatum oppositas, in sacratissima Trinitate existere, quod quidem à Christiana Theologia longe alienum & à nullo unquem Doctore memoriæ proditum est: quippe qui Divinam substantiam neque generare, neque producere, neque Patrem vel filium per communem sibi substantiam, ut vos dicitis, verum per substantiam vel hypostaticam proprietatem, generare vel producere profitentur. Hoc igitur inconveniens ex tuis verbis sequi videtur, quæ (si lubet) diligentius contemplemur, vel his in aliud tempus dilatis, nunc ad Basilium veniamus.

Ioan. Quoniam non me bene videris intellexisse, Reverende Pater, idcirco quæ paulo ante protuli, ea clariora reddam: ergo diligenter attende. Substantia duobus modis à Doctoribus solet intelligi, uno quidem, pro rei ratione, quæ definitionem, quod quid esse rei significantem, vel alio nomine, entitatem atque naturam rei significat: altero vero modo substantia pro supposito capitur, quemadmodum Aristoteles in 5. Metaphysicæ libro, juxta omnium Doctorum expositionem, dicere videtur: quod quidem suppositum, in prædicamentali substantiæ linea, speciebus atque generibus apud Porphyrium subsitat, ut Socrates atque Plato: quæ alio quoque nomine, hypostasis vel existentia, vel res naturæ solet appellari. In genere autem humano eadem substantia personam significat, quandoquidem persona dicitur esse natura rationis capax, incommunicabilis existentia, ita ut in rationali specie substantia pro supposito accepta, existentiam atque personam apud omnes illos Doctores significet, qui in Arrium ac Macedonium conscripserunt, quorum ille Filium creaturam, non autem ex Patris substantia, hic vero Spiritum neque ex patris, neque ex filij substantia dicebat esse. Pater ergo, cum sit rationalis naturæ substantia, suppositum vel existentia vel persona dubio procul appellari debet. Porro (quoniam generare sic vere convenit personæ patris, quemadmodum est verum proferre, substantiam hanc huic substantiæ convenire: sequitur, ut ipsa substantia eadem sit Patri ac Paternitati, nullaque ratione communicabilis. Unde evenit, ut quoniam proprietates incommunicabiles sunt, idcirco Doctores nostri substantia non pro patris persona, sed pro natura patris utantur, quemadmodum in hominis diffinitione substantia capitur, ita ut in hac oratione, Spiritus ex patris substantia est, substantiam ideſt, entitatem ipsam insitam patri, Doctores intelligant. Substantia ergo cum una ratione suppositum, vel (ut supra dictum est) in divinis hypostasim vel personam significet, cum Spiritus ex patris substantia dicitur esse: substantia plane talis nun-

Substantia duobus modis intelligitur.

quam à Doctoribus noſtris pro ſuppoſito vel exiſtentia ſuppoſiti accipitur, quandoquidem ea ratione incommunicabilis eſt.

Verum altera capitur ratione, quemadmodum diffinitio ſubſtantiam rei ſignificat, quæ natura vel entitas (ut ſupra dictum eſt) appellatur. Cum ergo Doctores noſtri pronunciant, ſanctum Spiritum ex Patris filiique ſubſtantia eſſe, per ſubſtantiam ipſam non exiſtentiam Patris, verum naturam ejus intelligunt, quæ quidem eſt in Patre, ac in ſeipſa, quemadmodum & Pater. Patris vero non ſubſtantiam habitudinemque ſignificat, per quam hæc exiſtentia vel hoc ſuppoſitum, ab alio differat. Hæc ergo communis ſubſtantia, quam in Patre protulimus eſſe, cauſa B eſt & principium, quod per generationem communicatur. Porro Pater generat, filiumque producit, ſubſtantia tamen hæc filio nequaquam communicatur, in quo quidem ſolent homines ſæpiſſime decipi. Cum enim dicimus Patris ſubſtantiam filio communicari, non id aſſerimus verum eſſe, quatenus Pater filium generet, quandoquidem filius etiam generaret. Propterea que dicere ſolemus, nec ipſum eſſe communicari, quia filius quoque neceſſario (ut paulo ante dictum eſt) generaret. Hæc autem ſubſtantia (ut ita dixerim) abſolute ſimpliciterque conſiderata, quæ generandi poteſtas eſt, principium eſt quo vel per quod, quidem à Patre filio communicatur & traditur, non tamen ſecundum abſolutam ejus conſiderationem. In generatione autem filij, omnia Patris communicantur: quandoquidem principium eſſe C communicabile, filiationi ſe non opponit.

Pater ergo cum generet, per eandem ipſam ſubſtantiam, quæ principium eſt quo vel per quod, id etiam cum filio communicat, ut is etiam ſancti Spiritus principium ſit, quandoquidem Spiritus ſancti principium in Patre eſſe, habitudini proprietativæ filij nequaquam opponitur: propterea tamen non ſequitur, ut hæc ſubſtantia ſecundum ſuum eſſe commune ac abſolutum, principium ſit per quod. Secundum igitur ejuſmodi conſiderationem, potentia producens vocatur, filioq; communicatur, qua quidem ratione non ſequitur, ut eadem ſubſtantia cauſa ſit atque cauſata. Hanc nobis doctrinam, P. R. Doctores omnes tradiderunt, orationes has exponentes, Filius eſt ex ſubſtantia Patris, & ſanctus Spiritus ex Patris D filiique ſubſtantia. Quam quidem doctrinam ſi etiam ipſi ſequimini, profecto nunquam errabitis. Sed hactenus. Seſſione vero ſequenti, de his diffuſius dicam, tu autem (ſi lubet) reſpondeas.

Jul. Card. Quæſtionem tuam, pater Epheſie, Provincialis pater ſcite diſſoluiſſe videtur.

Mar. Nos juxta primæ Synodi Theologiam ac ejus ſymbolum R. P. illud ex Patre, id eſt, ex patris ſubſtantia natum, nil aliud ſignificare putamus, quam ex Patris perſona, hoc eſt, ex patris ſubſtantia ejuſque proprietatibus. Nonne tibi quoque videtur ita, ut perſona ſubſtantia nominetur? an quicquam aliud præter hoc?

Ioan. Nonne dixi, P. R. duo eſſe ſubſtantiarum genera: alterum, quatenus tribus perſonis natura communis exiſtit: alterum vero, cum una cum exiſtentibus proprietatibus conſideratur, qua quidem E ratione hypoſtaſis & perſona nuncupatur? Illud ergo quod in Nicæno Symbolo celebratur, ex Patre, ideſt, ex patris ſubſtantia natum: neceſſe eſt ex hypoſtaſi patris ſignificet: quod aliud quoque genus ſubſtantiæ, præter illa duo, videtur eſſe. DD. tamen ſubſtantiæ nomine, duobus tantum modis utuntur. Nam primum illud, quod ſupra protuli, non aliter à Latinis quam pro hypoſtaſi capitur, ita ut merito nemo nos poſſit accuſare, tria ſubſtantiæ genera profiteri: quandoquidem filium eſſe conſubſtantialem Patri, id quod prima Nicæna Synodus declaraverat, ipſamque ſubſtantiam, per quam filius patri conſubſtantialis exiſtit, tribus perſonis communem A eſſe: ac illud ex patris ſubſtantia, principium quo vel per quod, non autem generans ſignificare, firmiter tenemus.

Mar. Subſtantia, per quam (inquis) Pater & Filius eſt, tribus perſonis communis exiſtit: num ergo verum eſt dicere, ſanctum Spiritum ex trium perſonarum ſubſtantia hypoſtatice procedere? quandoquidem paulo ante vilus es protuliſſe, ſanctum Spiritum ex communi Patri Filioque ſubſtantia dependere.

Ioan. Num, cum ex Patre profertis, præpoſitio ex differentiam vel diſiunctionem inter ſubſtantias aliquam apud vos ſignificat?

Mar. Ita profecto.

Ioan. Realem-ne, an ſecundum rationem? B

Mar. Perſonarum diſiunctio, Pater Reverende, ſecundum noſtram intelligentiam conſideratur, non autem inter ſe, verum hypoſtaſis quæque realiter.

Beſſ. Tametſi P. R. ſecundum noſtram intelligentiam inter ſe Divinæ Perſonæ differunt, ſuis tamen proprietatibus re ſubſtant.

Ioan. Hic quæro ex te, P. R. an proprietates cum perſona ſint idem?

Beſſ. Secundum quidem rem & ſubjectum idem eſſe creduntur, ratione vero differre.

Ioan. In Patre quidem, Pater Reverende, paternitas eſt ac ſubſtantia, tribus divinis perſonis communis: Patris vero perſona, non niſi ratione ab ipſa paternitate ſubſtantiaque differt, cum ab alijs duabus perſonis re quoque differat. Siquidem igitur in Patre paternitas ac ſubſtantia eſt, quanam obſecro ratione C pater generat? Et utrum ſuppoſitum eſt? paternitas-ne, an ſubſtantia, an utrumque?

Mar. Subſtantia eſt, P. R. id quod Patri communicatur, per ipſam tamen nequaquam filio pater communicatur, verum per ſuam proprietatem, quæ quidem paternitas eſt ad filiumque refertur, atque principium eſt, non tamen tribus perſonis commune.

Ioan. Imo ſubſtantia eſt, pater Reverende, id quod filio communicatur, quandoquidem in Patris perſona (ut paulo ante dictum eſt) nil aliud quam ſubſtantia & paternitas eſt. Ergo ſuppoſitum, non ut proprietas, communicabile eſt. Nam cum ſuppoſitum & ſubſtantia unum ſint, neceſſe eſt, ut non alia ratione, quam per ipſam communem ſubſtantiam, Pater D ipſe communicabilis ſit.

Mar. Quod, pater Reverende, protuli, ita debet intelligi, ut communis ſubſtantia per quam pater cum filio communicatur, quæque una eademque numero creditur eſſe, in Patrem & filium ac ſanctum Spiritum ſecundum noſtram intelligentiam diſtribuatur. Propterea que deſiunctam proferre ſolemus Patris ſubſtantiam, filij ſubſtantiam, ſancti Spiritus ſubſtantiam, intelligentes propriam uniuſcujuſvis hypoſtaſim. Quid autem ex his concludere velles, quam cito proferas.

Ioan. Ex tuo ſermone, P. R. contrarium ejus quod ſuperius protuliſti, concluditur. Cum namque ſubſtantia in tribus perſonis exiſtit, ex tua plane ſententia ſequeretur, ut Patris ſubſtantia, quæ filio ſancto-que Spiritui communicabilis eſt, ratione tantum E non autem re communicetur: quod in noſtra Religione quam maximum inconveniens eſſe videtur, quandoquidem ipſam tribus divinis perſonis re ipſa communicari, nobis eſt profitendum. Nam ſi ſingula quæque perſona dependet à cauſa, ſequeretur ut perſonæ ratione ſolummodo differant: quod impium eſſet ceredre.

Mar. Non equidem protuli, P. R. divinas perſonas ratione tantum differre, ſed quoniam unaquæque perſona una cum ſubſtantia intelligitur, idcirco ſeparantes hæc, ſubſtantiam ipſam mente concipimus. Quo quidem modo hypoſtaſim filij ex Patris hypoſtaſi demonſtramus, ac divinas perſonas percipimus, nequaquam ſane credentes ipſas ratione tantum differre.

Ioan. Id neque nos profitemur.

Mar. Quæro ergo ex te, P. R. quanam ratione Patris & filij ſanctique Spiritus ſubſtantiam intelligat.

Ioan. Nonne dixi vobis, patres ampliſſimi, quemadmodum Doctores noſtri ratione triplici ſubſtantiam divinam intelligant, videlicet pro ſubſtantia & entitate ac exiſtentia? Quamvis autem tres ſint hypoſtaſes & perſonæ re invicem differentes, eas tamen unicum Deum & opificem univerſi credimus eſſe, perſonam vero ex divina ſubſtantia proprietateque conſtare, ita ut perſona nil aliud niſi ſubſtantia & proprietas ſit: quæ quidem ſubſtantia & proprietas, licet unum re ipſa ſint, & per ſuas proprietates re inter ſe differant, quandoquidem ad aliquid ſunt, ipſas tamen ſecundum ſubſtantiam Deum unum eſſe fatemur.

IVL. CARDINALIS. Jam quatuor horarum ſpatium elapſum eſt, ſit igitur in præſentia ſatis. Tum Synodus ſancta decrevit, ut poſtridie convenirent.

DIE SABBATI SEPTIMA MENSIS *Martij, ſeſſio* 10. *Florentiæ.*

Marcus. VT quæſtionem propoſitam, patres ampliſſimi, tandem concluderemus, eam accuratius contemplari volebamus: ſed quoniam cuiuſdam magni Baſilij dicti bis aut ter meminiſtis, ipſi plurimum innitentes, ac ſi ad veſtram ſententiam pertineret, idcirco quæſtione illa in aliud tempus dilata, ad ipſum Baſilium veniamus, qui (ſi lubet) iterum recitetur. Cur enim (inquit) neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate namque ipſum ſecundum à filio, cum ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa dependeat cauſa, pietatis ratio tradit. *Ioan.* Hic locus, patres ampliſſimi, mendoſus ac corruptus eſſe videtur. Quinque enim vel ſex tantum libri Conſtantinopoli extant, quos in hoc loco mendoſos credimus eſſe, cum qui ſani ſint, plus quam mille habeantur: quibus ipſi propter eorum vetuſtatē & copiam magis credimus, cum præſertim ad ipſius Doctoris mentem, ut ex conſequentibus eiuſdem verbis apparet, hi noſtri libri facere videantur. Quemadmodum igitur Divinum Symbolum additionem paſſum conſtat fuiſſe, ita quoque credendum eſt, libros hos in hoc loco ab aliquo, qui dogma veſtrum ſectaretur, corruptos fuiſſe. Quod vobis quoque patebit, ſi noſtrum vetuſtiſſimum librum diligentius inſpexeritis, verba ſequentia cum antecedentibus conferentes, ac omnia ſimul ad ſenſum Baſilij applicantes: in quo quidem noſtro libro, non ita, ut in veſtro, legere eſt.

Basilij Codices corrupti.

Marcus. Deo mihi, pater Reverende, dixiſſe videris, te ſermone perpetuo quæſtionem illam, de qua nuper multa fecimus verba, libentiſſime concludere voluiſſe. Verum ut nobis facias gratum, te ipſam in aliud tempus transferentem, ad magnum Baſilium à nobis jam requiſitum venire velle, id quod profecto nobis gratiſſimum eſt: quandoquidem operæprecium eſt, ac plurimum convenit, ut à patrum ſanctorum teſtimonio, noſtræ diſputationis ſumamus exordium: quorum authoritas apud nos non mediocris eſſe debet, ac ipſos ut noſtros duces ſectari, ac in omnibus imitari debemus. Deinde dixiſti, noſtrum hunc librum in hoc loco corruptum eſſe, quemadmodum etiam accidit ſymbolo: cui certam additionem factam fuiſſe videmus. Ad quæ tibi, Pater Reverende, reſpondeo, ita clare ac copioſe in illa materia hinc inde fuiſſe dictum, ut mihi ipſi ſuadeam nil planius, apertius, fortiuſque noſtris argumentis fieri potuiſſe: nil denique fuiſſe omiſſum, quod ad ipſam

S. Patrū teſtimonia.

quæſtionem ſpectaret. Verum ſi adhuc ambigis, putans non ſatis dictum fuiſſe, hac (de qua modo agimus) quæſtione in extremum prius adducta, ad illam (ſi tibi videbitur) revertimur. Nam de hoc Baſilij libro, quem in hoc loco mendoſum & corruptum eſſe dixiſti, reſpondemus ipſum à Nicolao Secundino Cretenſi viro optimo doctiſſimoque nuper huc Conſtantinopoli allatum fuiſſe. Qui quidem liber conſtat ex membrana, & ſexcentorum annorum videtur eſſe, cum diſſidium & controverſia noſtra nondum fuerat orta. Præterea locus & littera hæc talibus punctis & lineis diſpoſita eſt, ut nulla prorſus ex ordine talis corruptionis ſuſpicio poſſit haberi. Hic igitur liber corruptus non eſt, præſertim à Romanis, à quibus nunquam antehac viſus fuerat: quandoquidem non obliteratio, non macula, non denique diverſa manus in hoc libro deprehenditur. Præterea ex veteriſſimarum veſtrarum ſynodorum actis apparet, corrumpendorum librorum vitium & malignitatem (pace veſtra dixerim) apud vos à noſtræ Regionis hoſtibus ortam fuiſſe, ut Cyrillus literis ad Joannem Antiochenum antiſtitem miſſis quæ ſic incipiunt, Gaudeant Cœli, quaſve Chalcedonenſ. ſynodus ſuſcepit, teſtatur. Si quis inquit, legiſlatorum verba vera evertit, mea quoque dicta, ut ſibi placet, tranſmutat, &c. Tua ergo pietas non miretur, quandoquidem (ut optime novit) generis cujuſvis hæretici ex à Deo ſpirata ſcriptura, erroris ſui cauſam capientes, quæ per ſanctum Spiritum bene prolata ſunt, malignitate ſua corrumpunt, & reliqua. In quibus quidem litteris Athanaſij dedit exemplum, oſtendens ejus epiſtolam, ad Epictetum datam, corruptam fuiſſe. Præterea Cyrillus idem ad Acacium ſcripſit, cujus quidem litteræ fuerunt inſcriptæ, Mutua locutio: Si quæ litteris (inquit) mandaveram, ſic à nonnullis in medium proferuntur, ut credam me eorum, quæ in Epheſina ſynodo celebravimus, pœnituiſſe, id etiam derideatur: Dei namque benignitate ſanæ mentis ſumus, ac à recta ratione neutiquam aberravimus. Ex quibus meridiana luce clarius apparet, ſanctum Cyrillum in Epheſina ſynodo, ac ſemper alias unius ſententiæ fuiſſe. Præterea in eiſdem litteris de quodam Meſenenſi præſule facit mentionem, à quo quidem interrogatus, an ipſe quoque ſentiret idem quod ATHANASIVS ad Epictetum ſcripſerat, reſpondit: ſi ſanas & non mendoſas Athanaſij litteras haberes, ipſis quidem acquieſcerem, ac eadem cum Athanaſio ſentirem. Viſis deinde ipſis Athanaſij litteris, quas Cyrillus ſanas habebat, ſatis apparuit, omnes alias ejuſdem exemplit litteras, quæ toto fere in Oriente fuerant, mendoſas fuiſſe: idcirco Meſenus ipſe pontifex veras ipſas Athanaſij litteras ſtatim exſcripſit, ac ad Joannem Antiochenum antiſtitem miſit. Ergo rationi congruum eſt, & ita credimus hunc Baſilij librum fuiſſe, antequam de Spiritus ſancti proceſſione quæſtio inter nos oriretur. Qua deinde exorta, (quamvis ab ipſo fere Religionis noſtræ principio hæc controverſia fuerit) authores noſtri ſchiſmatis in corrumpendum hunc locum incubuiſſe: verum Spiritus ſancti benignitate librum hunc Conſtantinopoli fuiſſe ſervatum, ne ab impiis ipſis corrumperetur: qua quidem ratione adducimur, ut credamus hanc magni Baſilij authoritatem nequaquam mendoſam eſſe. Siquidem igitur ad veritatem inveſtigandam, ac pro communi bono mutua benevolentia huc frequentes convenimus, operæprecium eſt ut libros noſtros, qui vetuſtiores fuerint, conferamus, (de re profecto non mediocri agitur) ut ex ſequentium ad præcedentia connexu, quidnam ipſe Baſilius ſenſerit, facilius cognoſcamus. Sed pro evitando odio hactenus.

Religio.

Mar. Nonnullos libros, Pater ampliſſime, cum hac additione Conſtantinopoli extare, paulo ante protulimus; nil mirum igitur ſi unus ex ipſis hoc

fuerit allatus. Quos quidem libros ipſi ſimplicitate noſtra utentes, ac veritate confiſi, extare ſinimus: quamvis eos facillime, quod perpauci fuerint, delere prorſus potuiſſemus: ex quibus hunc veſtrum librum ab aliquo, qui in illa regione vobiſcum ſentiret, exſcriptum fuiſſe credimus. Quod quidem admiratione dignum non eſt, cum hic etiam quamplurimi veſtri ſint homines, qui majorum noſtrorum ſequentes veſtigia, pium dogma noſtrorum ſectentur: non autem imus inficias, codices multos in terris noſtris ab hæreticis, qui vana dogmata in Dei Eccleſia introducere voluiſſent, ſæpiſſime corruptos fuiſſe: idcirco authoritatibus, quas modo citaſti, æquo animo aſſentimur. Verum ea vos non ignorare exiſtimo, quæ Zoſimi ſummi pontificis tempore acta fuerant. Qui cum ad Carthaginenſe Concilium ſcripſiſſet, Nicænæque ſynodi decretum miſiſſet, Romanum pontificem œcumenicum appellandum. Concilium illud reſpondit, ſe prius velle ipſius ſynodi acta, quæ vel Alexandriæ apud Cyrillum, vel Conſtantinopoli apud Proclum eſſent, diligenter inſpicere: quandoquidem apud acta ipſius Nicæni Concilij decretum ejuſmodi non extabat: quibus deinde Nicæni Concilij geſtis ab Alexandria miſſis, diligenter inſpectis, ipſoque decreto nequaquam invento, idem Charthaginenſe Concilium Zoſimo reſpondit, ſe tale nomen ipſi nolle tribuere quod à generali ſynodo decretum minime fuerit. Nonne vides, Pater Reverendiſſime, ſummum Pontificem, decretum falſum, & non in ſynodo promulgatum, ad tantum Concilium pro re tam magna miſiſſe? Non igitur tam vehementer debetis mirari, ſi quidam etiam ex noſtris hominibus vel novum dogma volentes defendere, vel quod ita ſibi temere viſum fuerat, aliquos libros corruperint. Cum igitur noſtrorum librorum veruſtas & copia, tum etiam id ipſum, quod nos hujuſmodi libros mendoſos extare permiſimus, cum ipſos (ut ſupra dictum eſt) facile delere potuiſſemus, nobis victoriam dat, ac nos corrumpendorum voluminum authores non eſſe demonſtrat: veritati namque confiſi, ac multis aliis ipſius magni Baſilij authoritatibus innixi additionem ipſam verbis Baſilij factam parvifecimus. Non ergo nobis proprium eſt, ut inquis, libros corrumpere. Sed Baſilij ſententia in noſtro libro legatur: Qui vero (inquit) illi ſancti ſint & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere: Fueritne unquam homo ſic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe? dignitate namque ipſum ſecundum à Filio, pietatis ratio forſan tradit. Magnus Baſilius, præſtantiſſimi Patres, Eunomium accuſans, quod temere dogma novum inſtrueret, diſputationis cauſa concedit, ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium à Filio eſſe: deinde concludit, non tamen propterea neceſſe eſſe, Spiritum natura quoque tertium eſſe: dignitate namque ipſum ſecundum à Filio pietatis ratio forſan tradit. Sic in noſtro quam veruſtiſſimo libro ſcriptum eſt, ut videtis, & ſic præcedentibus conſequentia conſonant. Non enim Baſilius ſuſcipit Spiritum ſanctum ordine ac dignitate tertium eſſe, neque id aliquos Doctores litteris mandaſſe fatetur: quinimo etiamſi ſic ſit, negat tamen prorſus ex eo conſequi, Spiritum natura quoque tertium eſſe. Cur igitur magnus ipſe Baſilius rationem hanc reddidiſſet, dignitate ipſum ſecundum a filio, cùm ab ipſo eſſe habeat & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa dependeat cauſa? Erratur eas cauſas reddidiſſet, quas antea non ſuſceperat? Additio igitur ipſa neque præcedenti ſermoni convenit, neque magni Baſilij menti conſonat. Contra ut noſtro ſcriptum eſt libro, ſequentia prioribus convenientius connectuntur. Nam verbum illud forſan, Baſilius protulit, quod ipſam orationem diſputationis cauſa

Nicænū Cōcilium corruptū.

Zoſimo imponitur.

(ut ſupra dictum eſt) concedebat: propterea inferius inquit, quorſum hæc oratio? quod non omnino, ſi quid ordine ac dignitate ſecundum aut tertium eſt, id & naturam tertiam habet. Nam quemadmodum Angelorum alius Princeps, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diverſitas, in natura vero communitas eſt, & reliqua: ſic in noſtro libro legere eſt, imo etiam in veſtro quadam cum hæſitatione ſcriptum eſſe videtur. Si dignitate (inquit) ac ordine tertius eſt Spiritus, cur igitur magnus Baſilius illud ſubjunxiſſet, cum ab ipſo eſſe habeat: ſi diſputationis cauſa (ut ſæpenumero dictum eſt) ſanctum Spiritum tertium eſſe, ſecundum vero à Filio dederit, id putans alienum à ſanctorum eſſe doctrina? Porro autem, ut melius intelligatis ipſum Baſilium non hujus fuiſſe ſententiæ, ſanctum Spiritum ex Filio procedere, ac ab ipſo eſſe habere, idem ipſe Baſilius afferatur, qui quidem ſuis litteris ad fratrem ſuum Gregorium de ſubſtantiæ hypoſtaſiſque differentia ſcriptis, quidnam de ſancti Spiritus proceſſione ſenſerit, luce clarius explicavit: Sanctus (inquit) Spiritus, à quo cuncta bona in mundum emanant, quique filio adaptatur, & ſimul cum ipſo percipitur, à cauſa vero paterna habet eſſe dependens & procedit, id notionis per proprietatis hypoſtaſim habet ut poſt Filium & cum ipſo noſcatur, ac ex Patre ſubſtet. Filius autem, qui ex Patre procedentem Spiritum, per ipſum & cum ipſo cognoſcit, ac ſolus unigenitus ex ingenito lumine reſplendet, nullam ſecundum propriam notionem communionem habet cum Patre, aut cum ſancto Spiritu, verum ſupradictis ſignis cognoſcitur. His verbis Patres ampliſſimi, magnus Baſilius ſentire videtur, ſanctum Spiritum ex ſolo Patre habere eſſe. Sanctus (inquit) Spiritus Filio adaptatur, hoc eſt, poſt Filium ordinatur atque diſponitur. Cujus deinde cauſam volens reddere, non ſane dixit, quod ex ipſo procedit, vel quod ex ipſo eſſe habet, ut in authoritate, cui vos innitimini habetur: verum ſubjunxit, quod ſimul cum ipſo percipitur, videlicet à Patre. Poſtea ſermonem figura diſtinguens, inquit: A cauſa vero Paterna habet eſſe dependens, unde quoque procedit. Videsne Pater Reverende, quemadmodum Patri, veluti cauſæ, magnus Baſilius tribuit, ut ſanctus Spiritus ex ipſo dependeat? Non autem credere debemus, eundem Baſilium ſibi ipſi contradixiſſe. Orationis namque partitio non patitur, ut idem filio quoque tribuatur, quandoquidem hoc notionis ejus dedit ſignum, ut ſimul cum ipſo percipiatur. Deinde ſubjungit: Filius autem, qui ex Patre procedentem Spiritum per ipſum, & cum ipſo cognoſcit. Non autem dicit, mittit, ſed cognoſcit Spiritum ex Patre procedentem, hoc eſt, ſecum ipſum manifeſtat. Poſtremo dicens, ac ſolus unigenitus ex ingenito Patre reſplendet, nullam ſecundum propriam notionem communionem habet cum Patre, & reliqua, declarat filium nullam habere communionem cum Patre, ut ſanctum Spiritum mittat: quandoquidem id Patri ſoli aſcribitur, quemadmodum & filio ſoli tribuitur, ut his ſolis ſignis noſcatur, quod ſolus unigenitus ex ingenito lumine reſplendet, quodque per ipſum & cum ipſo Spiritum ſanctum cognoſcat. Siquidem igitur filius his, non autem aliis, ſignis cognoſcitur: palam ſequitur, ut in mittendo Spiritu, cum Patre nequaquam communicet, verum ipſi Patri proprium ſit, ut ſanctum Spiritum mittat.

Locus de ſcurus.

Joan. Longam orationem habuiſti, Pater Reverende, cum brevis forſan fieri potuiſſet. Volentibus enim veritatem attingere, quæ quidem vel parua indiget illuſtratione, nonniſi Sanctorum ſententiis ac authoritatibus opus eſt. Ad duo ergo, quæ contra magni Baſilij authoritatem ex noſtri codicis lectione dixiſti, paucis reſpondebo. Credendum eſt, inquis, aliquem eorum, qui quondam nobiſcum ſentirent, locum hunc corrupiſſe. Quod quidem falſum eſſe deprehendimus, quod cum hic liber exſcriberetur, nul-

la prorſus inter Græcos & Latinos controverſia fuerit. Nunquam autem affirmarem, Patres qui ſunt, aut qui fuerant, tale facinus commiſiſſe: quandoquidem firmiter credimus, à primis noſtri diſſidij authoribus, veſtros libros fuiſſe corruptos, ſive Græci, ſive Latini fuerint illi, quippe qui dogma veſtrum ſequentes, non ipſum defendere potuiſſent niſi veros Baſilij libros corrupiſſent, quos contra ſe facere viderent. Nunc venio ad Zoſimum Summum Pontificem in quem nullum unquam teſtem fide dignum poſſetis producere, cum equidem contra vos binas Cyrilli litteras protulerim, ex quibus unas Chalcedonenſis Synodus ſuſcepit. Aut ergo tales teſtes contra tantum pontificem debebas producere, aut in ipſum ſine teſtibus neutiquam invehi: quandoquidem minime convenit ex te crimina talia contra eum proferre, ſed veteſtiſſimas ac humaniſſimas Julij Liberrique Summorum pontificum litteras, Pater Reverende, bene memoria tenere deberes quas Julianus præſtantiſſimus ſanctæ Sabinæ Cardinalis vobis oſtendit, quibus patet, B. Athanaſium (cum ab Antiocheno Concilio damnatus fuerit, ac eundem Concilium ipſum vehementer perſequeretur) ad Felicem, Marcum, Julium, Liberiumque, qui ſequentibus temporibus Romani pontifices fuere, ſcripſiſſe, ac eoſdem obſecraſſe, ut tum fuiſſe, ut acta Nicenæ Synodi, quæ perfecta & non mendoſa Romæ in bibliotheca extarent, ad ipſum mitterent, quandoquidem omnia, quæ in Orientali Eccleſia extarent, ab Arrianis corrupta fuerant. Cui quidem Athanaſio, Summi pontifices ipſi reſpondere, ſe acta illa, quæ Græce Latineque ſcripta ipſorumquemet Nicænorum Patrum manibus ſubſcripta, & eorumdem ſigillis obſignata à Summis pontificibus ſumma veneratione ſervarentur, nolle mittere: ſe tamen ipſi Athanaſio nonnullos exſcriptos Canones daturos, qui ad rem ejus facere viderentur. Deinde cum Athanaſius ab ipſo Antiocheno Concilio ad Romanam ſedem provocaſſet, hæreticis eiſdem objicientibus, id non jure fieri potuiſſe, Liberius ipſe ad Athanaſium, Nicænum decretum de provocando ad Romanam Eccleſiam exſcriptum miſit: quo deinde is Athanaſius acerrime ſe contra hæreticos defendit. Julius autem ipſius Antiocheni Concilij authores litteris acriter reprehendit, quod abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate convocare Synodum auſi fuerint, oſtendens illis ex Nicænæ Synodi decreto, nullam unquam Synodum ſine Romani pontificis authoritate celebrandum eſſe. Cur ergo, pater Reverende, Zozimum accuſas immerito, ipſum ad Carthaginenſe Concilium, falſum Nicænæ Synodi Canonem miſiſſe, cum illud idem Concilium, quos ex oriente Canones acceperat, omnes corruptos ac falſos eſſe cognoverit? ut multis Sanctorum authoritatibus, quorum veteſtiſſimos libros habemus, patet. Nil mirum autem, Pater reverende, ſi in exponendis magni Baſilij verbis in multa incommoda incurriſti: quandoquidem (ut philoſophi dicunt) parvus error in principio, magnus in extremum efficitur: quod quidem accidiſſe tibi videtur, quod male Baſilium ipſum expoſuiſti. Ad veritatem igitur cognoſcendam operæpretium eſt, tantum de duobus differere, quæ modo viſus es proteliſſe, an Pater ſolus ſancti Spiritus cauſa ſit, tametſi Spiritus Filio adaptari dicatur: & an Spiritus eundem ordinem & naturam ad filium non habeat, quem quidem Filius ad Patrem habere creditur? Porro autem ut hæc diſſolvamus, neceſſe mihi videtur, ut ex te quæram, quænam differentia ſit inter aliquid alicui adaptari, & aliquid ab aliquo eſſe habere vel dependere: quandoquidem nobis videtur, ut quod ab aliquo perfectibile eſt, idem ab aliqua cauſa dependeat, non tamen propterea profitemur divinas perſonas perfectibiles eſſe: id namque noſtri doctores minime dixere. Filium autem credimus principium ex principio, ac Deum de Deo eſſe, quandoquidem Pater principium eſt.

Authoritas Papæ Rom. ex Concilio Nicæno.

Athanaſius condemnatus.

For. obſecraſſe, ut

Arriani libros in Oriente corruperunt.

Aliquid alicui adaptari quid.

Magnum etiam ipſum Baſilium non ſolum in hoc, verumetiam multis aliis in locis oſtendiſſe, ſanctum Spiritum eodem ad Filium ordine ſe habere, quo Filius ad Patrem diſponitur, ac ſe habet. Qualis autem ejuſmodi diſpoſitio ac ordo ſit, velim ad mentem Baſilij exponas.

Marc. Nullam equidem de Zoſimo mentionem feciſſem, Pater reverende, niſi meum de eo ſermonem verum eſſe poſſem oſtendere. Sed quoniam noſtros libros ad hanc rem pertinentes Conſtantinopoli reliquimus, non inſcij, unum ex illis apud vos eſſe, ex quo vobis ipſius Zoſimi acta nota credimus eſſe, idcirco de his hactenus.

Joan. Quem librum inquis?

Marc. De omnium Conciliorum actis.

Joan. Apud nos, Pater reverende, nullum librum invenies, quo quidem patear; Zoſimum ipſum ad Carthaginenſe Concilium pro ſe falſum ſcripſiſſe. Sed miſſa hæc faciamus, quandoquidem alia indigent conſideratione.

Marcus. Placet nobis ad aliud venire, quandoquidem in præſentia de Zoſimo non opus eſt diſputare.

Joan. Igitur ad exponendum Baſilium, ſi lubet, redeas.

Marc. Magnus ipſe Baſilius, Patres ampliſſimi, illud, Filio ſpiritus adaptatur, exponens, inquit, qui poſt Filium & cum ipſo percipitur. Quæ namque connumerantur, non poſſunt uno verbo proferri atque diſponi: verum neceſſe eſt, ut alterum poſt alterum proferatur ac numeretur. Si quidem igitur Spiritus adaptari Filio dicitur, fieri profecto non poteſt, ut aliter intelligatur, quam quod poſt filium diſponatur, non ita tamen, ut ab eo tanquam à cauſa eſſe habeat, ac dependeat. Propterea Baſilius ipſe ſubjunxit, qui poſt Filium & cum ipſo percipitur. Tu autem, Pater Reverendiſſime, unde habes, ut quod alicui adaptetur, ac poſt ipſum diſponatur, id etiam ſit neceſſe, ut ab eodem eſſe habeat, & dependeat? Nobis ſane non alia opus expoſitione, quandoquidem is Baſilius ſeipſum expoſuiſſe videtur, qui verbi, adaptatur, cauſam illico reddit, dicens, quod ſimul cum ipſo percipitur.

Joan. Si quidem igitur, Pater reverende, illud, filio ſpiritus adaptatur, à te ſic exponitur, ut ſpiritus ad Filium diſponatur ac ordinetur, quæro ex te an ipſa diſpoſitio, ſanctique Spiritus ad Filium ordo, ſit cauſa extrinſeca, an principium à quo?

Marc. Non equidem protuli Spiritum ad Filium, verū poſt Filium diſponi. Neceſſe enim eſt, ut in divinis ordo numerandi ſervetur: ita ut Filius poſt Patrem, Spiritus vero poſt filium numeretur.

Joan. Talem igitur enumerationis ordinem tantum vocalem eſſe putas, ita ut re ipſa nullus in divinis ſit ordo?

Marcus Neceſſe eſt, Pater reverendiſſime, ut divinæ perſonæ quoquo modo diſpoſitæ ſint. Nam enumerari non poſſent, niſi quidam inter ipſas ordo ſervaretur, qui quidem modo quodam realis eſt, ut idem magnus Baſilius demonſtrat: dum dicit, ſolus unigenitus ex ingenito lumine reſplendet, ubi Filij ad Patrem diſpoſitionem ac ordinem oſtendit. Unde ſane neceſſario evenit, ut ſanctus Spiritus tertius in ordine numeretur, ne ad Filium ordinatus, vel filio (ut ſupra dictum eſt) adaptatus, ad Patrem vero immediate relatus, ipſe quoque Filius eſſe videretur. Quoniam igitur ſanctus Spiritus poſt Patrem cum Filio continuo numeratur, idcirco tertius à Patre diſponitur atque collocatur, quod quidem ſolum diſpoſitionis & ordinis genus in divinis creditur eſſe, cum aliud apud Theologos nequaquam inveniatur.

Joan. Ex magni Baſilij ſententia, Pater Reverende, profiteris inter Filium ac ſanctum Spiritum ordinem eſſe naturæ. Utrum igitur inter Patrem & Fi-

lium is eſt ordo, an aliud in diſpoſitionis ordiniſve genus inter ipſos exiſtit? quandoquidem mihi ſentire videris, illud adaptari, atque diſponi, cauſam non ſignificare. Porro quoniam inter Patrem & Filium ordo naturæ ut ipſa dicitur eſſe, certam ſignificans dependentiam, idcirco neceſſe eſt ſentiamus, Filium à Patre, ut à cauſa, dependere. Unde evenit, ut quoniam inter Filium & ſanctum Spiritum idem ordo naturæ creditur eſſe, ideo neceſſe ſit Filium ſancti Spiritus cauſam eſſe, quemadmodum magnus Baſilius in eodem contra Eunomium libro teſtatur, ubi probat Spiritum ejuſdem eſſe naturæ cum Patre & Filio, quamvis ordine ac dignitate ſecundus à Filio ſit, quemadmodum, inquit, Filius ordine quidem a Patre ſecundus eſt, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo & cauſa exiſtendi Pater ipſi eſt, & quoniam per ipſum acceſſus & adductio ad Deum Patrem, natura vero nullo modo ſecundus, quod in utroque una deitas eſt: ita etiam ſanctus Spiritus, etſi dignitate ac ordine ſecundus à Filio eſt, non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe naturæ, inde conſequitur. Quibus verbis probatum eſt, ſanctum Spiritum eundem ordinem ad Filium habere, quem Filius ad Patrem habere creditur. Quod Angelorum exemplo idem Baſilius oſtendit continuo. Angeli omnes, inquit, ut appellationis unius, ſic ejuſdem ſunt naturæ inter ſe: attamen alij ipſorum gentibus præpoſiti ſunt, alij vero fidelium ſingulos conſequuntur. Quanto autem gens uni viro præponenda eſt, tanto majorem neceſſe eſt Angeli, qui gentis principatum habeat, eſſe dignitatem, dignitate eorum, quibus ſingulorum tutela commiſſa eſt. Et infra: Quorſum hæc oratio? quod non omnino, inquit, ſi quod ordine ac dignitate ſecundum aut tertium eſt, id & naturam alteram habet. Nam quemadmodum Angelorum alius princeps, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diverſitas, in natura vero communitas eſt, etenim ſtella ſtellæ præſtat in gloria, & natura ſtellarum omnium una: & manſiones multæ apud Patrem, id eſt dignitatum diverſitates, glorificatorum vero una natura: ſic profecto & Spiritus ſanctus dignitate quidem ordine ſecundus eſt. Accipimus enim ipſum tertium à Patre & Filio numeratum, cum ipſe Dominus in traditione ſalutaris baptiſmatis ordinem tradiderit, his verbis. *Euntes, baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* in natura autem, tertium a filio ac patre dejectum Spiritum, nullibi audivimus. Hæc magnus Baſilius. Qui quidem nil aliud in ipſo tertio in Eunomium libro concludere voluit, quam ſanctum Spiritum ejuſdem eſſe naturæ cum Patre ac Filio, quamvis in ordine ac dignitate tertius ſit, quod quidem Angelorum exemplo, multiſque rationibus clare probaſſe videtur.

Marc. Inter Patrem & Filium, Patres ampliſſimi, quatenus ex Patre Filius habet eſſe, ac ad ipſum immediate refertur, naturalis eſt ordo. Quæ quidem ſola cauſa eſt, cur ſanctus Spiritus neceſſario tertius numeretur: ob idque magnus Baſilius de Patre Filioque loquendo, verbo, adaptatur, vel diſponitur, nequaquam utitur, neque Filium Patri adaptari, vel poſt ipſum diſponi dicit. Verum ipſum ſecundum eſſe à Patre, quod ab ipſo eſſe habeat: ſanctum autem Spiritum Filio dicit adaptari, hoc eſt, poſt ipſum (ut dictum eſt ſupra) diſponi: quod quidem ideo evenit, ut ſanctus Spiritus tertius collocetur, quod Filius neceſſario præcognoſcitur, quoniam ad Patrem immediate refertur. Quod ſi magnus Baſilius credidiſſet, eundem ordinem inter Filium ac ſanctum Spiritum eſſe, quem inter Patrem & Filium eſſe noverat, ita ut ſi ea ratione Spiritum ſecundum à Filio, qua Filium ſecundum à Patre percepiſſet, nequaquam profecto Eunomium inſecutus fuiſſet, neque ipſum dixiſſet ſanctorum doctrinam falſo citaſſe, cum diceret ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Ex quo quidem patet, ipſum Baſilium non ſuſcipere

1. *Cor.* 15. *Joan.* 14.

Pat. docere omnes gentes, baptizantes eos in. Matth. 28.

A ſanctum Spiritum dignitate ſecundum à Filio eſſe, verum illud ex hypotheſi diſputationiſque gratia (ut ſupra dictum eſt) dare.

Joan. In ambiguo verſamur, Patres ampliſſimi, propterea definitionibus uti debemus. Nam inter Filium ſanctumque Spiritum ordo naturæ dicitur eſſe, ac illud verbum, diſponitur, ordinem naturæ ſignificat. Idcirco nos diligenter debemus diſpicere, quonam pacto ordinem ipſum naturæ percipimus: quandoquidem ex veſtro libro probavimus, ſanctum Spiritum eundem ordinem ad Filium habere, quo quidem Filius à Patre diſponitur. Sed ut nos ſereniſſimus Imperator melius intelligat, hanc rem altius repetam. Nam omnes Theologi Philoſophos imitantes, diffinitionibus in earum propria ſignificatione utuntur. Quod ſi qua ambiguitas eſſet in eis, omnis ipſorum doctorum ſcientia tueret. Propterea veſter Ariſtoteles (quem equidem invitus teſtor) in v. Metaphyſicæ lib. in capitulo de natura, quotnam modis natura poſſit intelligi, demonſtrans: Natura vero, inquit, dicitur uno quidem modo naſcentium generatio: altero vero, ex quo generatur primo quod naſcitur, qui quidem ſecundus modus ordinem generationis ſignificat, ut ea quæ generantur ab ipſa ſubſtantia fiant: quo ſane generationis ſignificato, Baſilius, Athanaſius, Auguſtinus, ac omnes alij doctores, tam Græci quam Latini fuerunt uſi, tenentes generationis ordinem unius perſonæ ab alia ordinem eſſe naturæ: ita ut neque cæteri doctores in ambiguo fuerint verſati credentes proceſſionis ordinem nil aliud eſſe, quam unius perſonæ ab alia proceſſionem, quemadmodum Ariſtoteles naturam altero modo (ut ſupra dictum eſt) diffinivit. Si quidem igitur ordo naturæ ſancti Spiritus ad Filium eſt, neceſſe eſt ut ſanctus Spiritus à filio eſſe habeat, id quod Baſilius ſenſiſſe videtur, qua quidem in re, tota noſtra controverſia eſt.

Ariſtoteles.

Marc. Anteaquam de tali ordine, Reverende Pater, agamus, illa Baſilij ſententia nobis diligentiſſime conſideranda eſt. Dic ergo mihi, crediſne magnum Baſilium hujus fuiſſe ſententiæ, ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, nec-ne?

Joan. Ita prorſus, quemadmodum Filius ſecundus à Patre dicitur.

Marc. At idem Eunomius aſſerebat.

Joan. Cum hanc ſententiam Eunomius, Reverende Pater, ex ſacra pagina ſuſcepiſſet, ex ea concludere volebat, ſanctum Spiritum natura quoque tertium eſſe. Non igitur Eunomium magnus Baſilius reprehendebat, quod illius ſententiæ eſſet, cum dubio procul in ea convenirent: verum quod ex ipſa volebat inferre, ſanctum Spiritum natura quoque tertium eſſe, id quod (ut dicit Baſilius) nequaquam inde conſequitur.

Mens D. Baſilij adhuc exquiritur.

Marc. Veritatem igitur Eunomius aſſerebat, ſanctum Spiritum ordine dignitateque tertium eſſe?

Joan. Cur non?

Marc. Siquidem igitur ea in re cum Baſilio ſentiebat, quænam ejus ſententia fuerit, accurate diſpiciamus. Nonne in veſtro prædicto libro ſcriptum eſt ita: Eunomius ſanctorum ſimulat conſervare doctrinam, & tacet eos qui ipſam tradiderant?

Joan. Simulat (inquit) ſanctorum ſervare doctrinam, qui quidem (ut dicit Baſilius) credebant ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Ex quo Eunomius inferebat, eundem Spiritum natura quoque tertium eſſe. A ſanctis enim (ait) didiciſſe, ordinem ac dignitate tertium eſſe Spiritum: à ſe autem ipſo credidiſſe, natura quoque tertium eſſe.

Marc. Non ita, Pater Reverende, Baſilius dicit, ſed Eunomius ſimulat ſanctorum doctrinam ſervare, qui ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe dicebant. Qui vero illi ſancti ſint, & quibus ſermonibus doctrinam fecerint, non poteſt dicere.

Joan. Illud verbum, ſimulat, Pater Reverende, ad Eunomij concluſionem refertur, quam ex ſanctorum.

doctrina diſſimulabat inferre. Nam ſancti dicentes, A
ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, nequaquam credebant ipſum quoque natura tertiũ eſſe quod tamen ex ipſorum poſitione Eunomius ſimulabat inferri poſſe. Quæ quidem Eunomij verba, quoniam clara ſunt, idcirco nulla indigent expoſitione. Nam ſi Baſilio viſum fuiſſet, falſum eſſe, ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, huic etiam ſententiæ clare contradixiſſet, quemadmodum argumentis fortiſſimis ac Angelorum exemplo, Spiritum natura tertium eſſe, oppugnavit.

Marc. Si ſanctorum ac magni Baſilij, Reverende Pater, hæc fuiſſet opinio, ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, nequaquam profecto protuliſſet, Eunomius ſimulat ſanctorum doctrinam ſervare, ſed potius clare teſtatus fuiſſet, in hoc Eunomium bene ſenſiſſe. Porrò quoniam is magnus Baſilius non credebat ſententiam illam veram, & aliquorum ſanctorum eſſe, idcirco dixit, ſimulat ſanctorum doctrinam ſervare. Et paulo infra Eunomium reprehendit, quod quinam illi doctores fuerint non expreſſerit. Et paulo inferius: Fueritne unquam homo ſic audax, inquit, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? Authorem novorum dogmatum, ac audacem, Patres ampliſſimi, Baſilius Eunomium nominat, quod ea proferebat, quæ nemo unquàm ſanctorum dixerit, quandoquidem Baſilio non conſtabat, quinam ſancti huius ſententiæ fuerint, ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Tuæ igitur partes ſunt, Pater Reverende, probare ſanctos aliquos hanc ſententiam habuiſſe: nam ipſi credimus demonſtraſſe, magnum Baſilium in ea opi- C
nione cum Eunomio neutiquam convenire, ſed potius ipſam oppugnaſſe. Num in veſtro quoque libro non ita legitur?

Ioan. Quoniam inficiaris, Pater Reverende, magnum Baſilium credidiſſe ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, idcirco de hoc accuratius contemplemur, ac Athanaſium authorem digniſſimum videamus, cuius fidem Cyrillus profitebatur excolere. Qui quidem Athanaſius in dialogo, quem in ſynodo Nicæna in Arrium habuit, ac in quibuſdam ſuis litteris ita dicit: Si quidem Spiritus ex Patris Filiique ſubſtantia non eſt, cur Filius cum ſanctum baptiſma ſuis diſcipulis traderet, de eo fecit
Matt. 28 mentionem, dicens: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti*? Præterea, quoniam in ſacro ſymbolo de tribus perſonis mentio fit, idcirco Athanaſius ipſe ad Sera- D
pionem ſcribens, Spiritum ex Patris Filiique ſubſtantia dicit eſſe. Spiritus (inquit) à Filio accipit iuxta
Ioan. 16. Ioan 5. Ioan. 14. Domini vocem. *De meo accipiet, & annunciabit vobis*. De Filio autem, *In nomine Patris veni*. De Paracleto verò, *Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Si quidem igitur (inquit Athanaſius) talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem, quoniam pacto is, qui Spiritum creaturam eſſe credit, idem quoque de Filio non neceſsario crederet? Athanaſij ergo ſententia clara eſt, qualem ordinem Filius habet ad Patrem, talem Spiritum habere ad Filium: ita ut ex prima eius authoritate apparet, Spiritum perſonam tertiam eſſe: ac ex altera, Spiritus ad Filium ordo: ex E
utraque verò, Spiritum à Filio accipere. Quonam autem ordine Spiritus à Filio eſſe accipiat, veſtrum eſt declarare, quandoquidem non oportet magno Athanaſio objicere. Sed de his in præſentia ſatis. Sequenti vero ſeſſione ex ipſo magno Baſilio eandem ſententiam luce clarius demonſtrabimus. Quibus dictis, ſeſſio fuit dimiſſa, & ad diem Martis prorogata.

DIE MARTIS DECIMA menſis martii.

Seſſio vigeſimaprima Florentiæ.

MARCVS.

SEſſione proxima, Patr. ampl. magni Baſilij ſententiam accurate conſiderantes, ac ipſius librorum diſcrepantiam inſpicientes, ex vobis quæſivimus, an Baſilius ipſe crediderit ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Quod quidem affirmantibus vobis ſtatim aliam propoſuimus quæſtionem, in dubiumque vocavimus, utrum opinio Eno- B
mij ex doctrina ſanctorum fuerit, nec ne. Quod cum etiam nobis dederitis, magnum Baſilium contra vos manifeſte citavimus. Sanctorum, inquit, ſimulat conſervare doctrinam, non autem, inquit, conſervat. Deinde reprehendens Eunomium, dicit: Qui vero illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere. Fueritne unquam homo ſic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? Quamvis igitur filius ordine ac dignitate ſecundus à Patre eſt, quod ab ipſo eſt: non tamen & magni Baſilij dictis concluditur, *Fer. ex* ſanctum etiam Spiritum ordine dignitateque ſecundum à Filio eſſe, ac ab ipſo veluti a cauſa eſſe habere, quandoquidem ipſe Baſilius hanc ſententiam nequaquam ſuſcepiſſe videtur. Vos ergo verborum diſcrepantiam bene conſiderantes, deprehendenteſque C
notham acceſſionem ad ſermonem Baſilij fuiſſe factam, quippe qui cum Eunomio neutiquam ſen- *Novam vel adul-* tiens, ſanctum Spiritum ſecundùm à Filio eſſe, cur *trinam.* ſit ſecundus, nullam reddiderit cauſam: verborum, inquam, diſcrepantiam bene conſiderantes, omiſſo Baſilio, ad magnum Athanaſium confugiſtis, ad oſtendendum ſanctum Spiritum ordine dignitateque tertium eſſe. Cuius quidem Athanaſij duas authori- *D. Athanaſii ſenſus exa-* tates citaſtis, quarum prima fuerat hæc: Sanctus *minatur.* Spiritus ordine tertius, abſque verbo, eſt: altera vero, ſanctum Spiritum eundem ordinem & naturam ad filium habere, qualem filius ad Patrem habere creditur. Quibus verbis probaſſe putaris, ſanctum Spiritum dignitate quoque tertium eſſe. Nos autem, præſtantiſſimi Patres, profitemur ſanctum Spiritum in Trinitate tertium eſſe, ut Seruator noſter baptiſma tradens pronunciavit: dignitate vero tertium eſſe, nequaquam aſſerimus, de vobis mirum in modum admirantes, qui quod à ſanctis doctoribus ne ſcriptum quidem fuerit, id ut datum ac à nobis conceſsum ſumitis, quemadmodum alias feciſtis fæpiſſime. Nam huic orationi, Spiritus à Patre & Filio, à qua quidem verbum, *eſt*, abeſt, ipſum apponitis: huic verò, Spiritus à Filio accipit, *accipere eſſe*, additis, ita ut quæ adhuc vocantur in dubium, & ſub iudice ſunt, ea pro claris atque probatis, ſumatis: quod quidem demonſtrandi genus deterrimum & inutiliſſimum eſſe conſtat, quodque principij petitio à dialecticis nuncupatur. Nunc venio ad alteram Athanaſij authoritatem, in qua nobis accurate conſiderandum eſt, cur & ad quos homines ſermonem ipſum Athanaſius magnus habuerit. Eum enim oportet, ut Cyrillus in tertia ſynodo protulit, qui ſermonibus in divinis verſatur, perſonarum & temporum ac omnium cauſarum rationem habere, & cur quæque verba prolata fuerint, quo quidem pacto quiſque cuiuſque verbi, ſancti Spiritus bonitate, rationem congruam facile reddere poterit. Nam glorioſiſſimus Athanaſius in acerrimos, qui filium eiuſdem dignitatis atque ſubſtantiæ cum Patre profitentes eſſe, ſanctum Spiritum minorem eſſe, ac poſt ipſos dicerent, quod ipſum inter creaturas connumerarent, ad oſtendendum ipſum quo-

que consubstantialem, ejusdemque dignitatis cum Patre ac Filio esse, eo quo cæteri doctores argumento fortissimo fuit usus, sanctum videlicet Spiritum ejusdem ordinis, & voluntatis ac operationis cum Patre & Filio esse, quemadmodum ad Serapionem Episcopum scribens: Filius quidem, inquit, à Patre
Ioan. 3. mittitur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Filius autem mittit Spiritum,
Ioan. 16. *Si* enim, inquit, *ego abiero, mittam eum ad vos.* Et
Ioan. 17. Filius quidem Patrem clarificat, *Ego*, inquit, *te cla-*
Ioan. 16. *rificavi.* Spiritus autem clarificat Filium, *Ille*, enim,
Ioan. 8. inquit, *me clarificabit.* Amplius Filius quidem dicit,
Ioan. 16. *quæ audivi à Patre, hæc loquor in mundo.* Spiritus vero
Ioan. 5. ex Filio accipit. *De meo*, inquit, *accipiet, & annunciabit vobis.* Et Filius in Patris nomine venit. De Spi-
Ioan. 14. ritu autem dicit, *quem mittet Pater in nomine meo.* Si quidem igitur talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem: quonam pacto is, qui Spiritum dicit creaturam esse, idem quoque de Filio non necessario credet? Quibus verbis, Patres amplissimi, doctor ipse non personarum distinctionem, neque unde existendi causam haberent, sed earundem potius unitatem & conjunctionem ac consubstantialitatem probasse videtur, ex eo quod analogia proportioneque quadam ejusdem sunt voluntatis ac operationis. Non enim inquit Filium à Patre habere esse, Spiritum autem a Filio: neque Patrem generare filium, Spiritum vero à filio mitti. Namque si sic Athanasius protulisset, talis profecto sermo ad vestram sententiam faceret. Verum bonitatem Patris ex operibus filij, & bonitatem ejus ex operibus sancti Spiritus proportione quadam (ut supra dictum est) demonstravit. Ex eo enim, quod Filius à Patre, & Spiritus à Filio mittitur, Patris bonitas (ut inquit Gregorius) comprehenditur, ita ut ipsa missio sit bonitas Patris, & sancti Spiritus missio, bonitas Filij sit putanda. Illud autem, Filius quidem Patrem, Filium vero Spiritus glorificat, operationum proportionem, & voluntatis eorum identitatem significat. Etenim quoniam Filius jamdiu cognito Patre, mundo apparuit, deinde vero sanctus Spiritus palam se fecit: idcirco ne *antitheoi* hoc est, adversus Deum esse videantur, Filius quidem Patrem, Spiritus autem Filium clarificare dicitur, & quæ tacuerat, Filius discipulis revelavit. *Qua audivi à Patre, hæc*, inquit, *loquor in*
Ioan. 8. *mundo.* Spiritus vero a Filio accipit, quemadmodum scripturæ relictum est, *De meo accipiet, & annuncia-*
Ioan. 16. *bit vobis.* Ex quibus quidem verbis credere debemus, sanctum Spiritum à Filio sermonem accipere, ac ipsum discipulis nunciare. Spiritus ergo non accipit esse à Filio, ut tu P. R. sentire videris. Deinde Filius de
Ioan. 5. se loquens inquit: *In Patris nomine veni.* De Spiritu
Ioan. 14. vero dicit, *Quem mittet Pater in meo nomine*, ut voluntatis identitatem, & operationum suarum analogiam (ut sæpe sæpius dictum est) declararet. Propterea quæ magnus Athanasius illud protulit, talem ordinem & naturam Spiritum ad Filium habere, qualem Filius ad Patrem: hoc est, ita Spiritus cum Filio disponitur, & ei consubstantialis existit, quemadmodum Filius Patri. Quonam igitur, inquit, pacto is, qui Spiritum creaturam dicit, idem quoque de filio non necessario credet? stante videlicet ipsorum voluntatis substantiæque unitate, necnon eorundem operationum analogia.

Sic magnus Athanasius, P. amp. debet exponi, quippe qui non personarum distinctionem, verum ipsarum conjunctionem, ac earundem substantiæ unitatem (ut supra diximus) ostendere voluit. Hæc igitur Athanasij authoritas, P. R. longe aliter, quam speratis, exposita est: atque ita, ut ad dogma vestrum nequaquam facere videatur. An autem de sancti Spiritus processione, ita ut ipsi creditis, senserit, & an filius sancti Spiritus causa sit, necne, alia ejusdem Athanasij authoritate posset intelligi, quippe quin sermone de filij ac spiritus æterna essentia, divinarum personarum disiunctionem edocens, solum Patrem, divinitatis fontem ac ingenitum nominavit. Ac si solum ipsum dixisset genitorem ac mittentem esse: non igitur sentiebat filium, sancti Spiritus causam esse, si divinitatis fontem, Patrem solum esse credebat. Disiungimur, inquit, & abiis, qui Judæos secuti, cum Deum de Deo negant, Christianorum fidem evertentes, unum Deum ut Judæi profitentur, non quod solus ingenitus & solus fons divinitatis est Pater, idcirco Deum ipsum nunciant, sed quod genitor filij & absque fructu vivi verbi. Siquidem igitur solus fons divinitatis, ac solus ingenitus, Pater est: sequitur, ut solus filij genitor, ac solus Spiritum mittens existat. Non igitur apud Athanasium filius sancti Spiritus causa est, & ab ipso spiritus esse habet. Hæc nunc ad tuam orationem.

Ioan. Hæc via, Pater Reverende, qua quidem ad veritatem illustrandam progrederis, tenebras potius inducit, quam (quod omnes summopere cupimus) lucem afferat. Nec id sane principio nostræ disputationis inter nos convenit, ut tam longis orationibus uteremur, verum ut brevibus ultro citroque habitis argumentis atque responsionibus, paucis rem ipsam concluderemus: te tamen longam habentem orationem, verbaque duo per horam exponentem, hi præstantissimi Patres audiendo jam fessi sunt, & ut mihi videtur, nil aliud de tuo sermone intellexerunt, quam id, in quo me valde reprehendisti, quod verbum, est, Athanasij verbis addiderim, ut sæpenumero facere soleo; nam alteram ipsius Athanasij authoritatem, sanctum videlicet Spiritum talem ordinem & naturam ad filium habere, qualem is ad patrem habere creditur, male explanasti, qui autem sermonem aliquem exponit male, is nunquam bene respondere potest: deinde ad materiam de temporali personarum processione venisti, in qua necessario concludere possumus Spiritum sanctum ex filio etiam ab æterno procedere, ex eo quod ab eodem temporaliter procedere creditur. In qua quidem materia tibi paucis respondebo, quamvis de ea nullam modo mentionem facere debebas, quandoquidem ad propositum neutiquam spectare videtur. Sed antequam aliud proferam, ex te, Pater Reverende, scire velim, an ita protuleris, cum Filius patrem dicitur audire, verba ejus audit, quandoquidem auditus ad verba refertur, & ita dictum evangelij, *De meo accipiet &* Ioan. 16. *annunciabit vobis*, ut inquis, debet intelligi, ex quo quidem, sanctum Spiritum à filio habere esse minime sequitur; itane sentis, an non?

Marc. Quidni? nam & magnus Athanasius evangelium ipsum sic exponit.

Ioan. Ex hoc, Pater reverende, secundum vestros & nostros sanctos Doctores, Deo favente, probabimus, sanctum Spiritum à filio æternum esse suscipere. Sed anteaquam ad demonstrandum hoc veniamus, orationi tuæ brevibus respondebo. Nam sessione proxima ex me quæsivisti, an ex magni Basilij sententia sentirem, sanctum Spiritum ordine dignitateque tertium esse: deinde me, hanc ejus fuisse sententiam, asserentem interrogasti, an alij quoque sancti doctores fuerint idem sentientes: me vero respondente, multos sanctos hujus fuisse sententiæ, continuo ad ostendendum oppositum, magni Basilij authoritatem exposuisti, quemadmodum etiam modo fecisti, ita dicens in summa: Eunomius sanctorum simulabat conservare doctrinam, sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse: qui vero illi sancti sint, & in quibus sermonibus doctrinam fecerunt, non potest dicere: idcirco magnus Basilius, utpote qui non sentiret aliquos sanctos ejusce fuisse sententiæ, inquit: Fueritne unquam homo sic audax, & reliqua? Credis igitur ex mente Basilij, neminem sanctum ejus opinionis fuisse, quod Eunomius ipsos citare nesciverit. Hanc expositionem tuam, Pater Rever. volui repetisse, ut hi Patres amp. solutionem ejus, quam

quam afferam, facilius intelligant. Nos Magni Basilij librum habemus, quem non mendosum, sed fide dignum esse putamus, cujus quidem rei ex eo facimus conjecturam, quod cum Mitylenensis praesulis vetustissimo libro, quemadmodum ij testari possunt, qui utrumque diligenter perlegerant, in omnibus convenit: qui quidem liber, si lubet, in medium afferatur.

Marc. Hi libri eadem manu exscripti videntur esse.

Ioan. Tria vobis Pater Ampliss. demonstrare volo. Primum, alia Basilij authoritate sanctum Spiritum à filio accipere esse: alterum, quanto dedecori Basilio magno futurum fuisset, si scripturae reliquisset, ita ut in vestro legitur libro, & quemadmodum talem tantumque virum, ac in Dei Ecclesia, ut Chalcedonens. Synodus testatur, maximae authoritatis, exponitis: ultimo ex praecedentibus ac consequentibus verbis ejus ostendam, ipsum non aliter sensisse, quam in nostro libro scriptum videtur. In explicandis autem his tribus capitibus, Pater Ampliss. non ero multus, neque mea vagabis oratio, spe adductus, sancti Spiritus (de quo agitur) bonitate, vos non mediocrem per nos ab ipso gratiam consecuturos, quo quidem magnus Basilius plenus, non potuisset in tanta materia, de qua agimus, diversis in locis diversa conscribere: quandoquidem sancti Doctores in his, quae ad fidem spectarent, sibiipsis constare, nullibique contraria scripsisse creduntur. Nupe ergo cum essem in amplissimi sanctae Sabinae Cardinalis domo, Ambrosio ejus fratre praesente, egregio literarum Graecarum professore, eruditissimus, ac hujus civitatis illustrissimus Scriba, vel (ut vulgo dicitur) Cancellarius, vetustissimum quoddam volumen Graecum nobis attulit, in quo quidem quaerentibus nobis quandam Epistolam, forte fortuna sermo quidam Basilij de sancto Spiritu occurrit: quem ego sperans tum videre miraculum, (credebam etenim, id quod fuerat, magnum Basilium sancti Spiritus plenum, in ipso sermone claram aliquam & manifestam sententiam reliquisse) ejusdem Amplissimi Cardinalis jussu perlegi: quo quidem perlecto maximas ipsi sancto Spiritui gratias egimus, quod nobis evenit ex sententia, ut quod à Christianis in hac materia celebrari debeat, id ex eodem ipso sermone cognoverimus. Unum quidem Patrem, inquit, unum Filium, unum Spiritum sanctum, juxta divinam traditionem, profitendum nobis est: non autem duos Patres, neque duos Filios, quandoquidem Spiritus neque Filius est, neque nuncupatur: non enim a Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus: sed eo ad nos veniente nosque sanctificante, divinitatis hereditatem suscipimus, nec non hereditatis aeternae praemium, ac aeternorum bonorum primitias. Haec sunt, quae nos à Spiritu accipimus, quaeque nobis creata fuere, atque à sancto Spiritu causata. Siquidem igitur, Pater Amplissime juxta Basilium, non ita nos a Spiritu accipimus, quemadmodum à Filio Spiritus: nos autem à Spiritu creaturas accipimus, sequitur, ut quod is à Filio accipit, divinum sit: quandoquidem quaeque res, vel divina, vel creata creditur esse. Quae autem sint illa, quae nos à Spiritu suscipimus, Basilius ipse declarat, videlicet divinitatis hereditatem, ac hereditatis aeternae praemium. Scriptum est enim: Psal. 81. *Ego dixi, dij estis.* Nam facti filij cohaeredes, dij possumus appellari, & hereditatis aeternae ac aeternorum bonorum participes efficimur. Qua quidem ratione Basilius ipse sententiam improborum evertit, quod illud esse, quod Spiritus accipit, creatorum bonorum causa est.

Nunc vero ad secundum, & luce clarius demonstrabo, magno Basilio non mediocri dedecori fore, si sic intelligatur, quemadmodum à Patre Ephesio exponitur. Quod quidem utramque nostram

Scriptum D. Basilij doctrina.

A expositionem diligentissime conferentibus, palam fiet. Si igitur (ut lubet) agamus. Nam in nostro libro scriptum est ita: Cur enim necesse est, si ordine ac dignitate tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? in vestro autem ita: Cur enim necesse est, si ordine ac dignitate secundus est sanctus Spiritus, natura quoque ipsum secundum esse? In nostro ergo libro tertius, in vestro autem secundus, sanctus Spiritus ponitur.

Marcus. Imò in nostro quoque libro tertius legitur.

Ioan. Deinde in nostro haec verba sequuntur: Dignitate namque ipsum secundum à Filio, cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit, natura vero tertij uti, nec à divinis scripturis docti sumus, nec à dictis potest consequenter ratiocinari. In vestro autem libro legitur ita: Dignitate namque ipsum secundum à Filio, tradit forsan ratio pietatis, ubi verbum forsan, ambiguam reddit orationem, & magnum illum Basilium dubitasse demonstrat. Deinde in vestro libro sic legitur. Natura vero tertia uti nec à divinis scripturis docti sumus, nec à dictis potest consequenter ratiocinari, *ubi nonnulla verba deesse videntur.* Deinde Basilius praedicatorum reddit rationem, ut in utroque libro legere est, nam inquit: Quemadmodum Filius ordine, quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo & dignitate, quoniam origo atque causa existendi Patet ipsi est, & quoniam per ipsum accessus & adductio ad Deum Patrem: natura vero, nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas. Postea in nostro libro haec verba sequuntur, quae in vestro neutiquam extant: Ita videlicet sanctus Spiritus & si dignitate & ordine secundus à Filio est, non tamen verisimiliter aliene ipsum esse naturae inde consequitur. In his ergo quae de Filio Basilius loquitur, bene convenimus: ubi vero de Spiritu mentionem facit, liber vester deficere, ac mendosus esse videtur. Quis enim ambigit, an verbum illud, forsan, non sit Basilii, an contra tanti viri existimationem positum? Nam id semper potius esse debet, ut quo quippiam demonstratur: quandoquidem (ut dialectici dicunt) ex ambiguis & abstrusis nil prorsus potest dilucidari, cum à notioribus ad minus nota procedere, natura nobis B insitum sit, qui quidem demonstrandi modus à sapientibus approbatur. Nam Eunomius ita ratiocinabatur: Quoniam Spiritus dignitate tertius est, ut ex scripturis Sacris habetur: idcirco sequitur, ipsum natura quoque tertium esse. Cujus quidem argumenti illationem & consequentiam Basilius volens evertere, plurimis exemplis scripturae Sacrae demonstrat, dicens Angelorum alios primos, alios secundos, alios ordine dignitateque tertios esse: non tamen ex eo consequi, natura quoque tertios esse. Siquidem igitur ipse Basilius verbo forsan, fuisset usus, argumentum ejus in Eunomium, quod clarum esse debeat, nullo fuisset ambiguum. At inconveniens esse videtur, tali tantoque viro tantam inurere notam, de quo Chalcedonensis Synodus testatur, ipsum exactissimam ac E accuratissimam de sancto Spiritu nobis scientiam tradidisse, si verbo forsan, usus fuisset? Illud ergo forsan, quod magni Basilij sensum corrumpit, ex libris ejus deleri penitus debet. Praeterea is magnus Basilius in eodem sermone clarissime dicit sanctum Spiritum à Filio accipere. Quod autem accipit, id profecto non creaturam, ut nos, verum (ut supra dictum est) divinum esse necesse est. Etenim quidnam aliud, obsecro, sanctus Spiritus in ipsa Trinitate à Filio accipit? quandoquidem, quod accepit vel accipit, vel in futurum accipiet, id aeternaliter habet. Et filij unitus à Patre, ac ejus notio, idem sunt. Et divinorum intelligentia, & esse ipsorum, idem esse creduntur.

Discrimen codicum Graec. & Lat.

Codices conferuntur.

Nec non illud, à Patre audire, nil aliud apud Latinos & Græcos, (ut probabo) quam, ex Patre ſubſtantiam capere. Quod ergo Spiritus à Filio accipit, id noſtro & eſſe, divinaque ſubſtantia eſt. Cur igitur eſt cenſendum, magnum Baſilium in ſermone de ſancto Spiritu, quem in ejus celeberrimo die habuit, abſque aliqua hæſitatione dixiſſe, Spiritum à Filio accipere: alio vero loco, eundem ipſum Baſilium de eodem Spiritu, quo plenus fuiſſe creditur, illud forſan, tam inconſtanti ſententia protuliſſe? Veræ namque ſententiæ ab hominibus ſanctis ſacris literis traditæ fuerant: quibus innitens Baſilius, in Eunomium vehementer invehebatur. Sed venio ad tertium illud, quod ab initio vobis probare promiſeram, ut ex præcedentium & conſequentium verborum Baſilij nexu cognoſcatis, cujuſnam ſententiæ fuerit. Nam clariſſime patet, verbis his, forſan pietatis ratio tradit: orationem hanc, quæ ſubſequitur, ita videlicet & ſanctus Spiritus etſi dignitate & ordine ſecundus à Filio eſt, non tamen veriſimiliter, alienæ ipſum eſſe naturæ; inde conſequitur, oppoſitam eſſe: quandoquidem ſimpliciter ac ſine ambiguitate à Baſilio fuerat prolata, etſi quidam fallaces homines ex ejus ſententia inferebant, Spiritum ſanctum natura quoque tertium eſſe. Ex his igitur Baſilij verbis, Non enim à ſpiritu accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus, cum nil aliud præter divinam naturam poſſit accipere: nec non ex alia ejuſdem Baſilij authoritate palam fit, verbum illud forſan, ipſius Baſilij neutiquam eſſe, quandoquidem ſibi-ipſi conſtare non videretur, quod ei magno dedecori eſſet: ſi quidem igitur accipere eſſe, ac procedere, idem ſignificant, & Spiritus a Filio accipit, ut probatum eſt, Spiritus ergo ex Filioque procedit.

Eunomius hæreticus.

Sed ut magni Baſilii ſententia hæc clarior, verba ejus in tertio contra Eunomium libro altius repetam, Vix tandem, inquit, blaſphemiis in Unigenitum ſaturatus, ad Spiritum ſanctum tranſiit, totique ſuæ conſentanea voluntati de ipſo etiam diſſerit, ſic ſcribens: Cum vero hæc nobis de Unigenito ſufficiant, reliquum eſt ut de Paracleto quoque dicamus: nec opiniones inexquiſitas multorum ſequemur: ſed ſanctorum in omnibus doctrinam conſervabimus: à quibus cum dignitate ac ordine tertium ipſum didicerimus, tertium quoque natura eſſe credidimus. Hæc Eunomius arrogans & ſuperbus, qui (ut Baſilius conſequenter dicit) quod non potuit oportere in ſimplici & ſyncera fide multorum permanere, ſed artificioſis quibuſdam cavillatoriis rationibus ad id, quod ſibi videtur, veritatem rurſus commutare, ſatis verbis ſuis oſtendit. Cum enim contemnat opinionem multorum, qui Spiritum ſanctum glorificant, ſanctorum ſimulat conſervare doctrinam, & tacet eos qui ſibi ipſam tradiderunt. Nam ex eorum ſcripturis cognoſceremus, an hæc illatio, & (ut ita dixerim) conſequentia, ex ipſorum ſententia fuerit, ſi ordine ac dignitate tertius eſt Spiritus, ipſum natura quoque tertium eſſe. Magnus ergo Baſilius in Eunomium invehitur, quod ipſorum Sanctorum libros non citaſſet, ex quorum ſententia inferebat ſanctum Spiritum natura quoque tertium eſſe: quorum quidem ſanctorum authoritate Baſilius approbabat, ſanctum Spiritum (ut ſupra dicitur) tertium eſſe: verum ipſam Eunomii conſequentiam reprobabat, Spiritum natura quoque tertium eſſe. Propterea quæ paulo inferius Angelorum exemplum dat, dicens, alium principem, alium ſubditum, omnes tamen unius eſſe naturæ. Deinde de Spiritu inquit: ſic profectus & Spiritus ſanctus dignitate quidem & ordine ſecundus eſt. Accepimus enim ipſum tertium à Patre & Filio numeratum, cum ipſe Dominus in traditione ſalutaris baptiſmatis, ordinem tradiderit his verbis: *Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: in natura autem tertia à Filio ac Patre dejectum ſpiritum nullibi audiviſti. Poſtea ſuam ſententiam argumento confirmat, dicens: Cum enim duæ res dicantur, deitas & creatura, dominatus ac ſervitus, ſanctificans & quæ ſanctificatur, qua in parte Spiritum ordinabimus? in his, quæ ſanctificantur? at ipſemet ſanctificatio eſt. Et infra: Non ergo ipſum principalem naturæ Spiritum, fas eſt nobis conſervum dicere, nec creaturis connumerare eum, qui in divina & beata Trinitate connumeratur. Unde patet, P. Ampliſſim. ſanctum Spiritum non creaturis, ſed ipſi divinitati connumerandum eſſe, quandoquidem quæque res, vel divina vel creatura creditur eſſe. In qua quidem divinitate, magnus Baſilius Spiritum ſanctum ordine ac dignitate tertium eſſe crediderat, quippe qui paulo ante protulerat, Filium à Patre ſecundum, ordine quidem, quoniam ab illo: dignitate vero, quoniam origo & cauſa eſſendi, Pater eſt: ſanctum autem Spiritum, à Filio ſecundum: hic vero extra creaturas ipſum connumerat, quæ quidem, inquit, à communicatione, quam cum illo habent, qui natura ſanctus eſt, ſanctificationem habet: Spiritus autem natura ſanctitas eſt, illis vero participatione ineſt. Siquidem igitur ſanctus Spiritus tertius eſt, neceſſe eſt Filium, cauſam & principium ejus eſſe per divinæ naturæ participationem. Quandoquidem (ut quam ſæpiſſime protuli) inter duas perſonas ordo, ab uno in aliud eſſe creditur, quo quidem una perſona ex alia ſubſtantiam & eſſe ac ordinem accipit. Unde evenit ut quoniam nobis conceſſum eſt, accipere & eſſe idem ſignificare: Spiritum qui à Filio habet eſſe, ab ipſo quoque procedat.

Alias quoque authoritates, Patres Ampliſſimi, poſſem afferre, ad oſtendendum, ſanctum Spiritum à Filio eſſe atque procedere, nec non ad eaſdem duas ejuſdem Baſilij authoritates luce clarius explanandas: verum majus operæ pretium mihi videtur, ut ad Athanaſium veniamus: quem quidem ſi bene Pater Reverende, expoſuiſſes, intelleximus melius ipſum, qui in Apologia ſua in Arium dicit: Si ſanctus Spiritus ex Patris Filiique ſubſtantia non eſt, cur Dei Filius in ſymbolo ſanctificationis ipſum connumeraſſet, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*? Igitur ex Athanaſio patet, quod ſi Spiritus ſanctus ex Patris Filiique ſubſtantia non eſſet: nulla prorſus ratione in ſanctificationis ſymbolo connumeraretur. Porro vos Græci Domini noſtris, quod à vobis ſymbolum dicitur, id à Latinis compoſitionem vel ſignum nuncupari, juxta B. Clementem, qui poſt ſanctum Petrum ad B. Jacobum ſcribens, inquit, Apoſtoli congregati ſymbolum fecere, quod quidnam ſignificet, ſexponens dicit, quod quidem ideo compoſitio aè ſignum dicitur, quod è quandam compoſitionem confecerunt, ex qua quod creditur, demonſtretur. Propterea, Patres optimi, ſanctificationis ſymbolum ab Athanaſio nominatur, quod baptiſmatis charactere ac ſigno, Chriſtianus à non Chriſticola diſcerni creditur. Ergo paulo ante vobis probavi clariſſime, ita ſanctum Spiritum ex Filij ſubſtantia habere eſſe, quemadmodum Filius ex Patris. Nunc autem Athanaſius inquit, ſi ſanctus Spiritus à Filio non haberet eſſe, cum ipſo non connumeraretur.

Athanaſij locus.

Ibidem.

Symboli compoſitio dicta.

Porro autem, Pater Reverende, quoniam ſeſſione proxima reſpondens mihi, dixiſti, me hinc inde ſumere authoritates neutiquam ad rem pertinentes, quemadmodum in Beati Epiphanij authoritatibus feceram, quibus quidem abs re verbum, eſt, apponebam, idcirco ad Epiphanium ipſum venire volo. Et quoniam complures interpretes docti ac in Philoſophia præclari, præſertim Sereniſſimus Imperator hîc adſunt: ideo non aliis teſtibus opus eſt ad probandum, an verbum, *eſt*, in ipſis Epiphanij dictis ſubintelligi debeat; quod non equidem primus, verum Ambroſius appoſuerat, dicens ita: Filium Epiphanius dicit, qui eſt ex ipſo: ſanctum autem

Ambroſ. interpres Epiphan.

Mat. 28.

Auſus eſt temnere.

Spiritum, qui ex utroque, quæ quidem Epiphanij authoritas prima fuerat. De qua iterum ex vobis quæro, an hæ duæ propositiones ex verbum *est*, necessario includant? [*locus obscurus, sic forte elucidandus: Hæ duæ propositiones ex, ideſt, ex propositio bis in allegata paulo ante Epiphanii authoritate posita, videlicet in, Qui ex ipso: & in, Qui ex utroque.*] Nam ipse multis in Ambros. expositionibus talem modum loquendi comperio, ut mos est Græcis, qui, cum verbum necessario intelligitur, illud non exprimunt, quemadmodum etiam Basilius fecerat, qui dicens Spiritum ordine dignitateque tertium, verbum omiserat, quod necessario intelligitur. Altera vero Epiphanii authoritas fuit hæc: Neque filium novit quis, nisi Spiritus sanctus, qui clarificat & docet omnia, qui ex Patre Filioque: ubi verbum, est, deest, ipsum tamen subintelligitur. Rogo igitur te, Pater Reverende, ne in posterum oratione morali, vel verbis quandoque mores significantibus, uti velis, quandoquidem ex ipsis qui firmi poterimus assequi. Et ne me in eo amplius reprehendas, quod quæ verba necessario subintelligantur, ea exprimo.

Ad secundam autem Athanasii authoritatem brevibus respondeo: ex ea nobis credendum, si diligenter ipsam perpenderimus, sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse. Talem, inquit, ordinem & naturam sanctus Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem. Quonam igitur pacto, qui Spiritum dicit creaturam esse, idem quoque de Filio non necessario credet? Hoc est ob ipsorum ordinis similitudinem. Ordine namque naturæ, juxta Philosophos & Theologos, ut alias demonstravi, quippiam ex aliquo generatur, ac ex una persona producitur altera. Porro autem non debemus in Theologia rerum diffinitionibus aliter uti, quam ipse significent, quamque à Doctoribus accipi soleant. Si quidem igitur ordo naturæ, processionis est ordo, per quam una res ab alia naturam accipit, quæ quidem natura, principium est quo vel per quod, ut Damascenus etiam inquit: sequitur, generationem esse ordinem naturæ, non veluti generantis, verum quo generans generat, quod quidem principium communicabile est.

Marc. Ne mutes dictiones, P. Reverende. Aliud enim est dicere, ordinem & naturam: aliud vero, ordinis naturam.

Ioan. Ordo secundum naturam, Pater Reverende & ordo naturæ, idem significant, quemadmodum de persona, ex qua fit aliud, dici potest, si relationem principii habeat, quod quidem secundum naturam communicatur. Vnde sequitur, sanctum Spiritum ordine ac natura secundum post Filium esse, ab eodem esse accipere, ac consequenter ab ipso procedere. Sed hæc hactenus. Nam de temporanea sancti Spiritus processione suo loco dicemus, quandoquidem alterius est considerationis.

Imp. Operæpretium esse nostis, Patres Amplissimi, ut brevibus disputetis: vos autem tam longam habuistis orationem, ut antea dies defecturus videatur, quam nostri respondere sufficiant. Quibus dictis, sessio missa fuit, & ad diem sabbati dilata.

DIE SABBATI DECIMA-QUARTA mensis Martii.

Sessio vigesima secunda Florentiæ.

MARCVS.

Si ad omnes orationis tuæ partes oratione perpetua respondere velim, hic dies mihi Pater Reverende, ad dicendum nequaquam sufficeret. Quoniam igitur sermones prolixi, nobis inutiles sæpissime visi fuerunt: idcirco singulam quamque orationis tuæ partem memoria (ut potero) repetendo, ad ipsas singillatim paucis respondebo, te interrogando, ac ex te rationes quærendo, & tibi cum fuerit opus, reddendo. Quoniam autem, P. R. dixisti nos primam Athanasij authoritatem non bene intellexisse, quandoquidem ipsam male exposuimus, ideo nostræ responsionis exordium ab ea sumemus.

Ioan. Ut disputatio nostra, Pater Reverende, juxta prioris nostri sermonis ordinem habeatur, à magno Basilio debes incipere, deinde ad Athanasium venire.

Marc. Quoniam sessione proxima, P. R. Magni Athanasii authoritas recitata & exposita fuit à te, idcirco mihi videtur, ut eamdem prius explanemus clariorem que reddamus, postea vero ad magnum Basilium veniamus.

Ioan. Ut ordine bono, P. R. hac in re procedamus, egendum est nobis, ut dixi: sin minus, inter nos confusio poterit exoriri. Nam in superiore sessione primo ex me quæsivisti, an crederem magnum Basilium hujus fuisse sententiæ, ac una cum sanctis suis majoribus sensisse, Sanctum Spiritum ordine dignitateque tertium esse: deinde verbis ejus à te explanatis, continuo ad Athanasium venisti. Ego vero, ut eodem ordine tibi responderem, eamdem Basilii authoritatem prius exposui, ac ejus aliam simul attuli, & ex præcedentium cum consequentibus ejusdem Basilii verborum nexu, mentem ipsius dilucidavi, nec non ex tua expositione magnum ipsum Basilium inconveniens sequi demonstravi: in extremum autem ad magnum Athanasium veni. Ne igitur orationes nostræ confundantur, idem nobis ordo servandus est, cum præsertim beatissimus Dominus noster Serenissimo Imperatori, ac nobis omnibus id contendentibus benigne concesserit, ut singulis argumentis atque orationis partibus respondentes, eo usque disputationem nostram trahamus, quousque controversiæ nostræ modum inveniamus. Ad primam igitur magni Basilii authoritatem prius respondere debes.

Marc. Volebam equidem, R. P. eodem ordine quo proxime sum loquutus, adhuc in præsentia tecum agere, ac in primis ostendere magni Athanasii authoritatem ad nostram magis sententiam, quam vestram, facere. Verum quando tibi videtur, ut tui sermonis ordinem sequar, in hoc etiam morem geram tibi, & à Basilii authoritate incipiam.

Primo, tribus argumentis probare conatus es, librum vestrum mendosum non esse, quem ipsi dubio procul corruptum esse putamus. Quorum quidem argumentorum primum fuit, quod idem Basilius alio etiam in loco testatur, sanctum Spiritum à Filio esse habere: alterum, quod contra ejus esset existimationem, (qui Doctor egregius, admiratione neque valde dignus existit) si de Divinis dogmatibus hæsitans, verbo forsan, usus fuisset, ac non sine ambiguitate suam sententiam litteris mandasset. Postremo, ex nexu verborum ipsius Basilij judicaris, vestrum librum incorruptum, nostrum autem mendosum esse, sanctumque Spiritum ordine dignitateque tertium esse. Sed anteaquam vobis respondeamus, hæc Basilii authoritas recitetur: Vnum (inquit) Patrem, unum Filium, unum Spiritum sanctum esse juxta divinam traditionem, profitendum nobis est, non autem duos Patres, neque duos Filios: quandoquidem sanctus Spiritus Filius non est, neque nominatur. Et reliqua. In quibus verbis, Patres Amplissimi, non legitur, neque ex ipsis necessario potest inferri, sanctum Spiritum à Filio esse accipere: nam illud: Non enim à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus: sic debet exponi, nos non à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à Filio accipimus Spiritum: nam Spiritus apud Græcos neutri generis est. Et illud, quemadmodum à Filio Spiritus, quod vos pro nominativo casu accipitis, nos ac- *Expositio contorta.*

cusativum credimus esse: quæ quidem expositio, nostræ sententiæ ac verbis ipsius Basilii, necnon ejusdem menti quam maxime convenire videtur, ut statim monstrabimus: nam sancti Spiritus inimici, hac disjuncta oratione utentes, contra Christi fideles sic argumentari solebant: Si Spiritus ex Patre genitus est, ecce duo filii: si autem ex Filio, ecce duo Patres, hoc est, Pater & Filius. Adversus quos hæreticos magnus Basilius inquit: Vnum Patrem, unum Filium, unum Spiritum sanctum, juxta divinam traditionem, profitendum nobis. Nam sanctus Spiritus, quamvis ex Patre procedat, non tamen filius est, neque ex ipso, ut filius, natus, propterea inquit: Non autem duos Patres, neque duos filios, quandoquidem sanctus Spiritus filius non est, neque nominatur. Porro autem patet, nos à filio Spiritum sanctum accipere, id est, adoptionis Spiritum: nam filii secundum sui naturam proprium est, nos per Spiritum adoptare, ut Paulus ad Galatas scribit: *Quoniam autem estis Filij Dei, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Siquidem igitur Spiritum adoptionis à filio accipientes, à Patre dicimur adoptari, à Spiritu vero nil aliud præter Spirit. ipsum accipimus, quemadmodum à filio Spiritum ipsum, qui ab ipso alius est, sequitur, sanctum Spiritum non esse filium, propterea nec a sactis litteris filius nominatur. Hoc ergo sensu magnus Basilius protulit, Spiritum non esse filium, quod à Spiritu non accipimus aliqua ab ipso videlicet aliena, & per sese subsistentia, quemadmodum filii Spiritum accipimus, alium ab ipso secundum ejus personam, sed ipsum Spiritum ad nos venientem, & nos sanctificantem, ac nobis sua charismata donaque largientem suscipimus, ut Apostolus inquit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ipse vero unde habeas, Pater Reverende, Spiritum à Filio esse accipere, non video, cum ex his, quæ longa oratione recitavimus, Basilii verbis, neutiquam inferri videatur.

Sanctum esse.

1. Cor. 12.

Ioan. Quamvis longam orationem, Reverende Pater, in exponendo Basilio habuisti, rem tamen ipsam neutiquam tetigisti, præterquam quod in fine ex me quæsivisti, unde illam expositionem habuerim. Ego autem tibi respondeo, verba hæc, unum Patrem, unum Filium, & reliqua, non absolute sed definite ac determinate prolata fuisse. Propterea, paulo inferius inquit: Non enim à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus, quæ quidem comparatio est.

Mar. At non ita nobis videtur.

Ioan. Ut si quis (verbi gratia) dixerit, nemo de Serenissimi Imperatoris subditis, ab eo quicquam accipiet, quemadmodum eorum aliquis, quos in consilium Summus Pontifex adhibet, ab ipso accipiet. In qua quidem oratione, quemadmodum non potest intelligi, ut illud, eorum aliquis quos in consilium adhibet, sit casus accusativi: ita quoque necesse est, ut illud, à Filio Spiritus, nominativi sit casus.

Mar. Res ita, ut dicis, Pater Reverende se haberet, si sic scriptum esset, quemadmodum à Filio Spiritus accipit. Verum cum Spiritus (ut sæpe supius dictum est) accusativi sit casus, ea, quam ipse dicis comparationem, à mente Basilii aliena videtur esse, quemadmodum ipsum exponis, nos scilicet à Spiritu non accipere aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus. Nam ipse volens ostendere Spiritum non esse filium, verbis his usus fuit. Quæ quidem si ad mentem ipsius Basilii conferas, nos ipsum melius explanare cognosces. Idcirco magnus Basilius inquit, sanctus Spiritus non est Filius, neque nominatur, quod ipsum à filio non accipimus, qui ab eo personaliter differt: à Spiritu autem non accipimus aliqua, quæ ab ipso differrent, quemadmodum is Spiritus alius à filio est. Deinde sequitur, sed ipsum Spiritum ad nos venientem, ac nos sanctificantem, & nobis sua charismata largientem, videlicet communionem divinitatis, Filiique cohæreditatem, & reliqua id genus dona suscipimus. Sic ergo magnus Basilius debet exponi. Nam expositio hæc, ejus sententiæ melius convenit.

Disputatio cujus casus esset Spiritus.

Ioan. Non accipimus, inquis, à Spiritu aliqua, quæ ab ipso differant.

Mar. Non ea differre intelligo, quemadmodum Spiritus à filio alius existit.

Ioan. Velim equidem huic vestræ sententiæ objicere, ut Sacræ Scripturæ, ac ipsi veritati contrariæ.

Mar. Cur obsecro, cum is Doctor id sentiat?

Ioan. Quæro ex te, Pater Reverende, an sancti Spiritus dona, sint ab eis donis diversa, quæ nobis tribuit?

Mar. Non ea ratione sunt alia, ut per sese propriisque personis subsistant, quemadmodum Filius ac Sanctus Spiritus per sese subsistere creditur.

Ioan. Non equidem quæro, an sancti Spiritus dona, eo modo sint eadem vel diversa.

Mar. Sunt sane diversa, non tamen per sese subsistentia.

Bess. Quamvis Spiritus dona suscipiamus, ea tamen per se non subsistunt.

Ioan. At paulo ante proferebaris, ipsa diversa esse à Spiritu, quemadmodum ipse diversus à filio creditur esse.

Mar. Eamdem ipsam sententiam illa Basilii authoritate confirmare possumus.

Ioan. Quæro ex te, Reverende Pater, utrum Spiritus à Filio datus, creator sit, an creatura. Nam quævis res, creator creditur esse vel creatura. Porro autem ipsi credimus sanctum Spiritum creatorem esse, opera vero eius creatura: utrum, inquam, is sanctus Spiritus, quem Deus per Iesum Christum in nos infundit abunde, sit creatura nec-ne? Obmutuit pater Ephesius. Item peto, Pater Reverende, an sancti Spiritus gratiæ, una cum ipso ac ejus persona, Christicolis largiantur, nec-ne: & an sint eædem cum his, quæ ab hominibus suscipiuntur? Videns autem Imperator Ephesium respondere nolle, ac timens, ne sermo ad aliam quæstionem transiret, Græcique cogerentur de creatore ac creatura differere, jussit ne amplius de quæstione hujusmodi verba facerent. Latinis autem repetentibus, ita respondit.

Imp. Hæc ad propositum, Patres Amplissimi, nequaquam spectare videntur, neque ab hujusce modi quæstione nostrum dependet negocium: de quo solo, non autem alia de re; quæ forsan causa futuræ nobis controversiæ fuerit, inter nos agere convenit.

Ioan. At operæ precium esset, serenissime Imperator, ut hæc etiam quæstio dissolveretur.

Mar. Illa Basilii authoritas, Patres Amplissimi, longe aliter à nobis, quam à vobis exponitur. Siquidem igitur ex ambiguis ac obscuris, nil necessario potest concludi, sequitur vos nihil ex ipsis ostendere posse. Quamvis autem authoritas ipsa sic etiam posset exponi, quemadmodum vobis videtur, à Spiritu non accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus accipit, licet talis expositio prioribus verbis Basilii nequaquam conveniat, quia tamen ex eo non infertur Filium Spiritus causam esse, idcirco ipsa omissa, ad aliam veniamus.

Ioan. Ex Beati Cyrilli litteris, Patres Amplissimi quæ sic incipiunt, Servatore nostro clare loquente, docemur, nos non solum accurate verba perpendere, verum etiam Doctoris mentem diligenter inspicere debere. Siquidem igitur authoritates Sanctorum in medium proferentes, ipsarum sensum exacte non explicare, dispicereque vellemus, contra sane Cyrilli Canonem ageremus. At ipsi, qui profitemur ipsam

Cyrilli ſententiam & legem ſervare, illâ Baſilii authoritatem meridiana luce clariorem eſſe tenemus, de qua tantum hi merito poſſunt ambigere, qui eam exponunt male, ut vobis credimus contigiſſe. Qui cum ipſam non bene intelligatis, in multa incidiſtis incommoda, ac facitis eamdem ipſam authoritatem, oppoſita ſimul includere, proferentes, quemadmodum à Spiritu accipimus aliqua, ita etiam à Filio Spiritus, quod contra omnes Doctores videtur eſſe: quandoquidem Spiritum accipientes à Filio, Spiritus etiam dona ſuſcipimus, nec non eadem dona ſuſcipientes, Spiritum etiam ipſum una cum eius donis accipimus. Rom 5. Quemadmodum Paulus Apoſtolus inquit: *Charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Siquidem igitur accipientes à Filio Spiritum, Spiritus etiam dona (ut eſt ſupra dictum) accipimus, & ipſa dona ſuſcipientes, Spiritum etiam ipſum ſuſcipimus. Et magnus Baſilius inquit: A Spiritu non accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus: ubi profecto, quia quamdam accipiendi diverſitatem is Doctor intellexiſſe videtur, neceſſe eſt, ut Spiritus nominativi, non autem accuſativi, ſit caſus. Latinorum itaque patrum expoſitio, vera & clara eſt, ut non accipiamus à Spiritu aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus accipit: nam ipſa dona (ut ipſi etiam paulo ante dixiſtis) à Spiritu ſunt ſejuncta, & quod Spiritus à Filio accipit, divinum idemque cum ipſo Spiritu creditur eſſe, quandoquidem creatura non eſt: ſunt vero dona, quæ nobis largitur, proculdubio creaturæ ſunt. Neceſſe eſt ergo, magni Baſilii authoritatem exponi ſic, & intelligi.

Mar. Nos non inficiamur, Patres Ampliſſimi, hanc veſtram expoſitionem poſſe ſtare ac veram eſſe, cum omnes in hoc conveniamus, fieri non poſſe, ut abſque Spiritu nos ejus dona acceperimus, quandoquidem ſingula eorum cum eodem Spiritu ſuſcipimus, quod totus Spiritus in ſuis ſingulis donis exiſtit. Quæ quidem verba tametſi vera ſint, adhuc tamen expoſitio noſtra vera poteſt eſſe: quandoquidem à Spiritu non aliqua per ſeſe ſubſiſtentia ſuſcipimus, quemadmodum à Filio Spiritum accipimus. Quæ quidem expoſitio præcedentibus Baſilii verbis conſona magis videtur. Quæ omnia, Patres Ampliſſimi, quamvis veriſimilia ſint, nequaquam tamen ex ipſis conſequitur, ſanctum Spiritum à Filio eſſe accipere, ſed nos ab ipſo Spiritu creaturas ſuſcipere. Hæc ergo, Pater Reverende, melius demonſtrato, de quibus inter nos controverſia eſt.

Imp. Ut tibi Pater Epheſius morem geſſerit, huic quæſtioni Pater R. reſpondit. Verum ni poſterum ne verbum quidem de ea faciet, quandoquidem non tot de cauſis huc convenimus.

Ioan. Hæc expoſitio, Patres Ampliſſimi, vera eſt, ut Spiritus nominativi ſit caſus. Nam hæc oratio, à Filio Spiritum accipimus, nos Spiritum una cum ejus donis accipere ſignificat, ut ait Apoſtolus: *Dilectio Dei poſita eſt in cordibus noſtris*, hoc eſt, ideo, quod filius dat nobis Spiritum. Accipere igitur à filio Spiritum, nil aliud ſignificare videtur, quam (ut paulo ante dictum eſt) Spiritum cum ejus donis accipere: quæ quidem donorum acceptio nil aliud eſt, quam quod idem Baſilius in eodem loco declarat, videlicet divinitatis communicatio, & bonorum participatio, ac pignus hæreditatis æternæ, quæ omnia (ut Baſilius inquit) à Spiritu accipimus. Quæ igitur à Spiritu accipere credimus, his eadem donis ipſis eſſe videntur, quæ nobis filius elargitur per Spiritum. At magnus Baſilius, non enim, inquit, à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio Spiritus: quæ quidem, ſi Spiritus, caſus eſſet accuſativi, eſſent eadem. Verum maxima differentia debet eſſe inter ea, quæ Spiritus à filio accipit, quæque ipſi à Spiritu accipimus: quandoquidem principium in Theologia notiſſimum eſt, id quod ipſe Baſilius in eodem loco ait, duo tantum genera rerum exiſtere, ideſt, creatorem & creaturam: porro dona, quæ Spiritus nobis largitur, creaturæ ſunt & ſejuncta: Spiritus vero ſanctus, creator. Unde ſequitur, ſi non à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio Spiritus, ut id quod Spiritus à filio accipit, divinitus ſit. Tua igitur expoſitio nulla ratione menti Baſilii convenit. Hæc Joannes. Nolente autem Epheſio quicquam de hoc amplius proferre, Imperator ſic dixit:

Imp. De propoſita quæſtione neceſſe eſt in præſentia diſputetis, de hac vero forſan alias.

Ioan. Equidem te, Sereniſſime Imperator, ſapientiſſimum ac ingenioſiſſimum eſſe puto, mihique perſuadeo, te veritatem hujuſce rei cognoſcere, ac ipſum Baſilium aliter exponi non poſſe. Siquidem igitur tibi lubet, ut finem his ponamus, ſatis tibi libentiſſime faciemus.

Imp. Si qua dubitatio eſt, Pater Reverende, viderint Antitores. *Nolunt Græci ſe confiteri vitiis in aliquo.*

Iul. Card. Dominus Provincialis, Patres Ampliſſimi, Baſilii authoritatem quam optime declaravit, ita ut aliter exponi non poſſit, ut vobis omnibus exploratum eſt: idcirco (ſi vobis placet) ad alia veniamus.

Imp. De hac quæſtione ſuo loco conſiderabimus.

Ioan. Quoniam de his ſatis eſt dictum, ideo ſi beatiſſimo Summo Pontifici & Sereniſſimo Imperatori videtur, orationem noſtram ad alia transferemus.

Mar. Quoniam authoritas ipſa videtur ambigua, & utraque ex parte varie intellecta: idcirco ad alterum orationis tuæ caput, ſi lubet, veniamus.

Ioan. Nos autem profitemur ipſam ſatis ſuperque expoſuiſſe ac dilucidaſſe.

Mar. Fieri non poteſt, Patres Ampliſſimi, ut Spiritum in loco tertio diſponamus & numeremus: nam in divinis perſonis non ſunt, primum, ſecundum, tertium? neque unum, duo, tria, verum unum & unum & una ſubſtantia. Siquidem igitur generare producereq; non naturalia & propria, ſed hypoſtatica ſunt: ſequitur, ſi ſanctus Spiritus ex Patre Filioque producitur, ut ex duabus perſonis proeducatur, quæ duæ cauſæ ac duo principia eſſent.

Ioan. Nequaquam, Pater Reverende, nequaquam. Non enim duo principia, duaſve cauſas in divinis, verum unicum tantum principium & cauſam profitemur. Nam Pater ut Pater, ad Filium refertur: Filij enim eſt Pater. Similiter Filius ut filius, ad Patrem: Patris namque filius eſt, quo quidem non exiſtente, Pater eſſe non potuit, quandoquidem relativa ſunt. At ſanctus Spiritus, neque ad Patrem, neque ad Filium, quatenus Pater & Filius ſunt, per ſe poteſt referri. Eſt-ne ita, an non?

Mar. Quid ni?

Ioan. Porro Spiritus ut Spiritus, ad ſpirantem refertur. Spirantes vero ſunt, Pater ſimul & Filius, cum ſine ulla controverſia Spiritus Patris Filiique dicatur eſſe: qui quidem una eademque ſpiratione, facultateque productiva, Spiritum ſanctum ſpirant atque producunt. Quæ quidem potentia facultaſque productiva, cum una eademque numero ſit, Patris præcipuè creditur eſſe, à quo etiam filius accipit ipſam. Quæ ratione Patres Ampliſſimi, dicere ſolemus Patrem & Filium, unicum Spiritus ſancti principium & cauſam eſſe. *Unus ſpirator.*

Mar. Fieri-ne poteſt, Pater Reverende, ut duæ perſonæ una ſit cauſa? Nimirum perſonæ conjungi non poſſunt, alioquin verum eſſet Sabellii dogma. *Duarum perſonarum.*

Ioan. Si me patienter & æquo animo auſcultaveris, me Pater Reverende facile intelliges. Nam unicam cauſam unicumve principium, Patris in divinis eſſe profitemur, Filii quidem per generationem, Spiritus

Ibid.

Theologia dubitaſſe, ac verbo forſan, uſum fuiſſe, dicentem, forſan pietatis ratio tradit. Ipſi autem tibi reſpondemus, hanc magnam Baſilii ſententiam non fuiſſe, neque aliquos ſanctos id litteris mandaſſe, quod Eunomius proferebat, ſanctum videlicet Spiritum ordine dignitateque tertium eſſe, ut ex ipſius Baſilii verbis apparet. Sanctorum, inquit, ſimulat conſervare doctrinam. Et infra: Qui vero illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere: Fuerit-ne unquam homo ſic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? nullos profecto ſanctos Eunomius poterat citare, qui talem ſententiam habuiſſent. Nam magnum Athanaſium nequaquam ſanctum eſſe credebat, ante ipſum neminem ſanctum Doctorem fuiſſe conſtat, qui illam ſententiam habuiſſet. Neque igitur Eunomius oſtendere poterat, eam fuiſſe ſanctorum Doctrinam, neque ipſam Baſilius ſuſcepiſſe videtur. Porro quoniam Eunomius Scripturæ Sacræ potiſſet inniti, in qua Servator noſter inquit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: ex quibus verbis quiſquam forſan credere poſſet, ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, idcirco magnus Baſilius id diſputationis cauſa ſuſcipiens, ac ex hypotheſi ſumens, inquit, ſanctum Spiritum dignitate ſecundum eſſe à filio, forſan pietatis ratio tradit: pietatis quidem rationem appellans eam, quam ex ſancto Evangelio habemus, ita ut hoc modo magnum Baſilium exponentes, credere debeamus ipſum in hoc hæſitaſſe, an ratione pietatis, hoc eſt, ex ſacra Scriptura haberetur, ſanctum Spiritum dignitate quoque tertium eſſe? propterea inquit, cur enim neceſſe eſt, & ſi dignitate ac ordine tertius eſt, natura quoque ipſum tertium eſſe? ita ut illud forſan, ad id debeat referri, quod ex ſacra Scriptura non clare patet, ſanctum videlicet Spiritum dignitate tertium eſſe. Ne autem quiſquam crederet, ſanctum Spiritum ex eo dignitate tertium eſſe, quod ordine tertius eſt, ideo magnus idem Baſilius (ut in noſtro libro bene ſcriptum eſt) poſt Angelorum exemplum inquit: Sic profecto & Spiritus ſanctus dignitate quidem & ordine ſecundus eſt, ut aiunt, accepimus enim ipſum tertium à Patre & Filio numeratum, & reliqua. Cui ſoli Evangelicæ authoritati, Patres Ampliſſimi, Eunomius innitebatur, quandoquidem ſanctorum aliam non habebat, qua ſuam ſententiam tueretur. Quod quidem Evangelicum dictum Baſilius (ut ſæpenumero dictum eſt) dans Eunomio eo modo interpretandum, verbo forſan uſus fuit, acſi ſic dicere voluiſſet: Eunomius Evangelio forſan innititur, quod forſan dicit ſanctum Spiritum dignitate tertium eſſe: non tamen inde conſequitur, ipſum natura quoque tertium eſſe. Qui quidem Baſilius, cum vocaret in dubium, an ſanctus Spiritus dignitate tertius ſit, in eodem ipſo ſermone ſic inquit: non tamen alienæ ipſum eſſe naturæ inde conſequitur, quanquam concedendum non ſit. Quæ quidem particula, quanquam concedendum non ſit, in veſtro libro nequaquam habetur. Non igitur magno Baſilio dedecori vel turpitudini creditur eſſe, ſi in eo ſermone, quem non affirmat, ſed ex hypotheſi ſumit, verbum forſan, protulerit. Sic ergo Baſilium, noſtris libris qui quamplurimi ſunt, acquieſcentes, exponimus ac intelligimus.

Mat. 28.

Ioan. **Ut veritas libri noſtri, ac ſimul veſtrorum falſitas appareat, Pater Ampliſſime, fierique non poſſe, ut aliqua ratione, ex veſtris hujuſmodi libris veritas habeatur, tres omnes Baſilii in Eunomium libros, ſecundum Ambroſii expoſitionem, diligenter examinavi: ex quo quidem bene cognovi, in quibuſnam differamus. Quæ dum explico, attendite, obſecro. In noſtro quidem libro ſcriptum eſt ita: Dignitate namque ipſum ſecundum à filio, cum ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa cauſa dependeat, pietatis ratio tradit: natura vero tertia uti, & reliqua. In veſtro autem ita: Dignitate namque ipſum ſecundum eſſe à filio, forſan pietatis ratio tradit, natura vero tertia uti, &c. ubi multorum verborum defectus patet clariſſime. Præterea Baſilius volens probare, Spiritum ita ſeſe habere ad filium, quemadmodum Filius ad Patrem, his verbis utitur: Nam quemadmodum filius, ordine quidem à Patre ſecundus eſt, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo atque cauſa eſſendi Pater ipſi eſt, & quoniam per ipſum acceſſus & deductio ad Deum Patrem: natura vero nullo modo ſecundus, quoniam in utroque una eſt deitas: ita videlicet & ſanctus Spiritus, & ſi dignitate & ordine ſecundus à Filio eſt, non tamen virtualiter alienæ ipſum eſſe naturæ inde conſequitur. Hæc in noſtro volumine. In quibus quidem verbis nulla eſt ambiguitas vel conditio, ſed ſimplex ac mera comparatio vel ſimilitudo. Vos tamen his verbis hoc additis, quamquam concedendum non eſt: facitis, ut argumentum & ratio tanti viri, ſit ambigua & conditionalis.**

Sed eſt alia quoque magna noſtrorum codicum diſſonantia. Nam magnus ipſe Baſilius, poſt Angelorum ac ſiderum exemplum, eandem veram, ſimplicem, ac ſine ambiguitate aliquave conditione, certam concluſionem infert, ſanctum Spiritum dignitate & ordine tertium eſſe, quam quidem pietatis ratione, cui inniti maxime videtur, demonſtrat. Accepimus enim, inquit, tertium à Patre & Filio numeratum, cum ipſe Dominus in traditione ſalutaris baptiſmatis ordinem tradiderit his verbis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quæ ſane verba Baſilius pietatis vocat rationem, quibus verbis opinionem ſuam (ut dictum eſt ſupra) fulciens, ſanctum Spiritum dignitate & ordine tertium eſſe oſtendit, quæ omnia ſequentium cum præcedentibus nexu valde conſonant. Nam Angelorum exemplum pro vero ac abſoluto ſuſcipiens, ſic ex eo argumentatur: Quemadmodum Angelorum alius princeps, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diverſitas, in natura vero communitas eſt, ſic profecto & Spiritus ſanctus, &c. In quo quidem argumento, quod in prima propoſitione videtur accipere, id ſimplex, abſolutum, definitum, ac ſine aliqua conditione aut hæſitatione videtur eſſe: ergo neceſſe eſt, ut id quod ex eo conſequitur, certum & non ambiguum ſit, quemadmodum ex noſtri codicis lectione habetur. At in veſtro verbum hoc, ut aiunt, additum eſt, ita ut magnus Baſilius non ex certa ſcientia, verum dubitanter eam ſententiam habuiſſe videatur. Videre videor, Patres Ampliſſimi, verba Baſilii, ut in veſtro noſtroque codice ſcripta ſunt, memoriter repetiſſe. Verum, ſi qua in parte defecerim, eam tu, Reverende Pater, explana, quandoquidem mihi videtur non aliis in Baſilii verbis nos differre. Ut autem veritas magis pateat, in exponendis ipſis patienter conſtanterque perſiſtamus. Nam in ipſis vertitur cardo, cum eiſdem jactis pro fundamentis, magnus Baſilius in Eunomium diſputat, quæ quidem verba ſi eſſent ambigua nil prorſus oſtendere poſſent. Quæro igitur ex te, Reverende Pater, id quod ſeſſione proxima ex me petiiſti, utrum ex hac Baſilii authoritate ſentias, magnum Baſilium credidiſſe aliquos ſanctos fuiſſe, qui credidiſſent, litterisque mandaſſent, ſanctum Spiritum ordine dignitateque tertium eſſe, nec-ne?

eandem.

Mat. 28.

Mar. Equidem, Pater Reverende, neque Baſilium id ſenſiſſe, neque ipſum credidiſſe, hanc fuiſſe ſanctorum ſententiam, neque denique aſſenſum fuiſſe Eunomio, proferenti ſententiam ipſam à ſanctis ſibi fuiſſe traditam, cenſeo, ut ex ipſius Baſilii verbis apparet.

Ioan. **Ut magnum Baſilium, Pater Reverende, hoc ſacrum Concilium intelligat optime, ab initio tertii**

in Eunomium libri, usque ad eam partem, *cur enim necesse est*, omnia verba Basilij reperens, ipsum explanabo, quandoquidem ipse non pauca præteriisti. Vix tandem, inquit, blasphemiis in Unigenitum saturatus, ad Spiritum sanctum transiit, totique suæ consentanea voluntati de ipso etiam differt: id est, cum nil a sanctis habuisset. Deinde verba Eunomij repetit. Cum vero, inquit, hæc nobis de Unigenito sufficiant, reliquum est, ut de Paracleto quoque dicamus. Nec opiniones non exquisitas multorum sequamur, sed sanctorum in omnibus doctrinam conservabimus, à quibus cum dignitate ac ordine tertium ipsum didicerimus, tertium quoque natura esse credidimus. Hæc Eunomius. In quo quidem sermone magnus Basilius tria verba in primis notare videtur. Primum illud, nec opiniones non exquisitas multorum sequamur. Secundum illud, sed sanctorum in omnibus doctrinam conservabimus. Postremum illud, à quibus cum dignitate ac ordine, & reliqua. Quibus omnibus eodem ordine contradicit, ita dicens: Quod igitur non putat oportere in simplici ac sincera fide multorum permanere, sed artificiosis quibusdam ac cavillatoriis rationibus ad id, quod sibi videtur, veritatem rursus commutare. Eunomium igitur reprehendit, quod multorum fidem despicere videbatur, qua Spiritum sanctum glorificarent. Ex quibus quidem verbis apparet, Eunomium bene novisse, quinam hi fuerint, qui eam de Spiritu sancto opinionem habuerint: quos tamen Eunomius nihili faciens, sanctorum simulat conservare doctrinam, & tacet eos, inquit, quemadmodum in sermonibus suis de filio fecerat. Et infra: Qui vero illi sancti sint, & in quibus sermonibus. Et paulo infra: cur enim necesse est, & reliqua. Quæro igitur ex te, Reverende Pater, an ipse magnus Basilius multorum illorum sententiam noverit, quos Eunomius sectari noluerat? & an artificiosa & cavillatoria Eunomij sciverit argumenta, quibus veritatem evertere cupiebat? Credo equidem, Patres Amplissimi, Basilio hæc omnia exploratafuisse, necnon quinam hi sancti fuerint, quos Eunomius proferre non poterat.

Mar. Eunomius, Pater Reverende, multorum opinionem de sancto Spiritu eam esse intelligebat, quam multitudo Christianorum ex traditione baptismatis salutaris conceperat. Ex eo enim quod sanctus Spiritus cum Patre & Filio disponitur atque numeratur, pie quoque Christiani crediderant, Spiritum sanctum ejusdem esse naturæ.

Ioan. Bene igitur Athanasius ac cæteri sentiebant?

Mar. Ipsi etiam credebant cum pluribus.

Ioan. Eunomij autem artificiosos ac sophisticos sermones, quos putas fuisse?

Mar. Quia multorum spernebat opinionem, quodque sanctorum doctrinam simulabat servare, quos nequaquam proferre, nominareque potuisset, (nullos enim tales fuisse credendum) quod denique sanctum Spiritum ordine dignitateque tertium esse concedens, ipsum natura quoque tertium esse, artificiosè cavillatorieque ratiocinabatur. Quam quidem conclusionem Basilius volens evertere, dat, non tamen concedit Eunomio, Spiritum ordine dignitateque tertium esse, probans, non tamen ex eo necesse esse, ut natura quoque tertius sit. Patet ergo, Eunomij rationes artificiosas fuisse, quibus concludere ostendereque nitebatur, id quod ex ipsis necessario non potuisset inferre.

Ioan. Eunomius, Patres Amplissimi, sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse, à sanctis accepisse profitebatur, ratus, ex eo simpliciter ac sine controversia concludere posse, ipsum natura tertium esse. Necesse enim fuerat ei ad conclusionem ipsam probandam, argumento saltem sophistico, apparentetque vero uti, quod quidem fuisse creditur, jam quod à sanctis accepisse dicebat. Idcirco Basilius, inquit, A Sanctorum simulat conservare doctrinam, non autem dicit; artificiosas & cavillatorias rationes accepit. Patet igitur, Eunomium ex præcedenti vero, conclusionem suam ostendere voluisse, ac ipsam veram esse putasse. Quod quidem Eunomij argumentum si bene percepteris, dubio procul vobis patebit, ipsum conclusionem eam inferre voluisse. Cum sanctis autem illis, qui sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse proferrent, ipse Basilius sentiebat, quorum sententia Eunomio nequaquam opitulabatur, ut ex ea conclusionem suam posset inferre, sanctum videlicet Spiritum natura quoque tertium esse. Quandoquidem sancti, tametsi noti fuerint, quoniam tamen eorum sententia ad Eunomij rem neutiquam facere videretur, idcirco is Eunomius ipsos (ut inquit Basilius) nominare non audebat, quos multos esse B dicens, opiniones eorum non exquisitas appellabat, qui sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse profitebantur, quos tamen Eunomius parvifaciebat, & nullis jali sancti fuerant, quos vere posset citare. Propterea Basilius inquit: Qui vero illi sancti sint, & qui in quibus sermonibus doctrinam fecerunt, non potest dicere. Quibus quidem Basilij verbis, pater Ephesie, falso videris adduci, ut credas ipsum Basilium neutiquam credidisse, sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse, nec illos unquam sanctos hujusmodi sententiam habuisse, cum, si qui fuissent, eos, inquis, Eunomius citavisset. At ipsi dicimus, nonnullos sanctos nostros ante ipsum fuisse, qui cum ejus opinionis fuerint, Spiritus sancti quoque processionem credebant: Eunomium autem Arrianorum secta involutum, cum ipsis sanctis sentire noluisse. Nunc redeo ad proximum meum sermonem, ad quem etiam C respondisti. In quo quidem Eunomij verba repetij, ut vos, Patres Amplissimi, rem nostram melius intelligeretis. Magnum dicebam Basilium volentem Eunomio contradicere, suam primo conclusionem simpliciter posuisse, ac ipsam deinde (ut ex nostri codicis lectione videtur) duabus rationibus demonstrasse: altera, quod quemadmodum filius se habet ad Patrem, ita etiam Spiritus ad Filium: altera vero, Angelorum exemplo, quippe qui verus ratiocinandi modus existit, ut ex propositionibus veris, simplicibus ac absolutis, veræ, simplices & absolutæ conclusiones inferantur: quandoquidem Canon certus ac non fallax in dialectica est, ut ex propositionibus veris, falsum inferri non possit. Cum igitur vera & non ambigua magnus Basilius proposuerit, conclusionem D etiam veram necessario intulit: Differt autem nihil, sive illa fuerint argumenta, sive authoritates: sacra namque Scriptura & authoritates Sanctorum, verorum argumentorum vim habent. Ex vestri vero libri lectione duo non parva incommoda sequi videntur: nam ex propositionibus veris falsa conclusio sequitur, & ex ambigua Basilii propositione, vera, non autem ambigua conclusio habetur. Quod dubio procul fieri non potest: nam necessaria conclusio, ex dubia propositione nequaquam consequitur. Dispice igitur, obsecro, Pater Reverende, quibus in tenebris versere, in hac ista tua persistens sententia: nam ex his duabus rationibus patet, librum vestrum in hac parte mendosum & corE ruptum esse.

Mar. Non equidem arbitror, Patres Amplissimi, necessarium esse, ut ex simplici ac absoluta oratione conclusio simplex & absoluta semper sequatur: quinimo fieri posse existimo, ut quippiam verum simpliciter, sed ex hypothesi ac alicujus positione verum existat. Quemadmodum magnus Basilius ratiocinari videtur, qui Angelorum exemplis, quæ vera simpliciter sunt, non necessarium esse, diversam ipsos naturam habere, demonstrat, & si alius quidem princeps, alius vero subditus (ut inquit Basilius) sit: quippe qui positis Angelorum exemplis, daroque sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse, quod Eu-

nomius ab Evangelio habere profitebatur, non tamen neceſſarium eſſe demonſtrat, Spiritum natura quoque tertium eſſe. Non igitur verum eſt, ut ex ſimpliciter abſoluteque veris, id, quod concluditur, tale ſit. A

Ioan. Ut melius intelligas, R. P. hoc exemplum do tibi: Homo currit, ergo movetur. In quo quidem argumento neceſſe eſt intelligere, non ſolum hominem ſimpliciter currere, verum etiam ex conditione, ut ſi homo currit, moveatur.

Mar. Non ita ſe habet.

His dictis, ſeſſio fuit dimiſſa, ſancta jubente Synodo, ut dicte Martis frequens iterum conveniret.

DIE MARTIS VIGESIMA SEPTIMA MENSIS Martij, ſeſſio vigeſima tertia. B

MARCVS

NOſtra quidem Religio, Patres Ampliſſimi, non ab hominibus, neque per homines initium habuit, confirmataque fuit, verum ab ipſo Domino JeſuChriſto, quem diſcipulis ſuis clare & aperte locutum fuiſſe credimus: idcirco verbis ambiguis & obſcuris poſtpoſitis, (licet etiam accurate conſiderata, à nobis magis, quam contra nos faciant) eo noſtram transferamus orationem, unde rerum omnium canonem nos habere oportet. Porro autem credendum eſt, magnum Baſilium nec contra Chriſtum Dominum & ejus diſcipulos, nec ipſorum poſteriores, nec ſibi ipſi diſſona ſcripſiſſe, memoriæque prodidiſſe, ut pluribus ejuſdem Baſilii verbis vobis probavimus, ac Dei benignitate, à quo dicendi facultatem habemus, probabimus. Age igitur laudemus diſcipulum à præceptore, ac ſervum à Domino, & eundem ipſum Baſilium in ſuis ſermonibus, non à Domino diſcrepaſſe, verum ipſum ſecutum fuiſſe, probemus. In primis quidem Deus & verbum, ac primus Theologus & Theologorum omnium Doctor, cum extremo ſermone diſcipulis ſuis illa Theologiæ ſecreta proderet dixit: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* In quo quidem ſermone, cum de tribus perſonis mentio ſit, tribus etiam verbis utitur, ſingulis videlicet ad perſonam ſingulam referendis. Nam de Spiritu ſancto protulit illud: *Cum autem venerit paracletus*: de ſeipſo patreque: *Quem ego mittam vobis à Patre*: de ſolo autem Patre: *Qui à Patre procedit.* Inſpice igitur, obſecro, Pater Reverende, quam exactiſſimam Theologiam nobis tradiderit. Per illud enim, *Cum veneris*, maximam Spiritus libertatem ac facultatem oſtendit: per illud vero: *Quem ego mittam vobis à Patre*, ſuam & Patris benevolentiam erga Spiritus ſancti præſentiam, apparitionemque demonſtravit: per illud autem, *Qui à Patre procedit*, Patrem Spiritus cauſam eſſe patefecit. Pro quarum duabus primis partibus Greg. Theol. in ſerm. de ſancto Spiritu, quem in feſto Pentecoſtes habuit, inquit: Venientem quidem ut liberum, miſſum vero non ut *auriſbeon* hoc eſt, cõtra Deum. Quoniam enim Pater jamdiu præcognitus fuerat, ac deinde filius, poſtremo vero Spiritus ſanctus apparuit, ne quiſquam impius crederet, ipſum alterius exiſtentem naturæ ac voluntatis, adverſus Deum veniſſe, idcirco à Patre & Filio mitti dicitur, ita ut illa miſſio, ipſorum benevolentiam (ut eſt ſupra dictum) ſignificet. Item in alio de ſancto Spiritu ſermone Theologus idem inquit: Mittitur quidem œconomice, venit autem ſua ſponte: ſancti Spiritus apparitionem, ob generis humanicommodum, œconomiam appellans. Ergo quemadmodum verbum mittere, ad Patrem ſimul & Filium refertur: venire vero, ad Spiritum: (ſolus enim Spiritus venit, minimeque neceſſe eſt intelligere, perſonam aliam cum ipſo veniſſe vel venire) ita quoque credendum eſt, verbum procedere, ad Patrem item referri, ut ex ipſo ſolo, non autem ex Filio, proceſſio fieri intelligatur. Cur etenim de ſancto Spiritu loquens Dominus, cum ex Filio & Patre miſſi protulit? de proceſſione vero faciens mentionem, non à nobis dixit, vel ex me Patreque procedere, verum, qui à Patre procedit? Quoniam igitur Spiritus ſancti proceſſio, Patris propria eſt: idcirco neceſſe non eſt ut filius in ea intelligatur, cujus quidem rei teſtis eſt ſæpe nominatus Greg. qui de divinarum perſonarum proprietatibus loquens, inquit: Propterea noſtris in terminis ſtantes, ingenitum & genitum, & quod ex Patre procedit proferimus, ut ipſe Deus & verbum dicit. Siquidem igitur ſancti Spiritus proprium eſt, non quidem ſimpliciter, ſed ex Patre procedere: proprium vero cum eo, cujus eſt proprium, neceſſario convertibile eſt, ac eidem æquale: neceſſe eſt has enunciationes veras eſſe: Quod ſanctus Spiritus eſt, id ex Patre procedit: & quod ex Patre procedit, id ſanctus Spiritus eſt: ita ut ſi quid aliud eſſet, quod ex alio quoque procederet, id Spiritus ſanctus non ſit; quod palam eſt ſecundum veram rationem converſionis. Fieri ergo non poteſt, cum ſanctus Spiritus ex Patre procedere dicitur, ut ex filioque ſubintelligatur procedere, quam quidem firmiſſimam rationem ex noſtri Servatoris verbis, nec non ex noſtro Theologo habuimus. Nunc ad ipſius noſtri Servatoris diſcipulum, & arcanorum ejus participem, & cœleſtem hominem, ac vas electionis Paulum veniamus: quidque ipſe de ſancto Spiritu ac ejus eſſentia ſcripſerit ad Cor. accurate conſideremus. *Nos autem*, inquit, *non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo.* Ne autem quiſpiam crederet Paulum ex filio quoque ſubintellexiſſe, per B. Ioannis Theologi doctrinam inſpiciat, eandem ipſam Pauli Theolog. dilucidantem, ea videlicet ex parte, qua, ſemper Virg. Dei genitrice Maria favente magno ac admiratione digno Gregor arcana Theologiæ aperuit, ut B. Greg. Niſſen. in ejus vita teſtatur. Qui quidem S. Joann. inquit: Unus Spiritus ſanctus ex Deo eſſentiam habens, ac per filium manifeſtatus hominibus, & reliqua. Unde clarum eſſe videtur, fieri non poſſe, verbum, *ex filioque* ſubintelligi: nam huic rationi, ex Deo eſſentiam habens, non illud ſtatim ſubjunxiſſet, ac per filium manifeſtatus hominibus: qua quidem particula demonſtravit, ſoli Patri proprium eſſe, ut ex ipſo ſanctus Spiritus eſſe habeat: filio autem, ut per ipſum mortalibus appareat. Audientes ergo Spiritum ex Deo eſſe, non eſt neceſſe, quinimo fieri non poteſt, ut *ex filioque* ſubintelligant: quandoquidem hæ duæ orationes, ſanctum Spiritum ex Deo eſſentiam habere, ac per filium manifeſtari, diverſa ſignificant. Hoc enim filio, illud vero Patri, dubio procul aſcribitur. Quæ quidem ex litteris ſactis habentur. C D E

Ioan. 15.

Eor. ſanctus Spiritus eſt id, quod ex.

1. Cor. 2.

Eor. Deo eſt.

Porro autem Dionyſius Pauli diſcipulus, ac ejuſdem Secretorum & myſteriorum particeps, quidnam in hoc ſentiat, videamus; quippe qui in capitulo, quod inſcribitur: Quæ ſit unitio & diſcretio in Divinis, inquit: Eſt autem & diſcretio in ſuperſubſtantialibus Theologiis, non quam dixi tantum, quod ſecundum ipſam unitionem immixte & inconfuſe collocatur unaquæque principalium perſonarum, ſed quod ea, quæ ſunt ſuperſubſtantialis Deiformitatis, non convertuntur ad ſe invicem. Solus autem fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater. Siquidem igitur ſolus fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater, qua quidem ratione à Filio & Spiritu ſejungitur, (loquitur autem de perfecta Divinarum Perſonarum diſjunctione) ſequitur, ut neque Filius, neque Spiritus cum Patre, quatenus fons eſt, communicet: alioquin in Perſonis ipſis confuſio, non autem ſejunctio eſſet. Propterea, inquit, neque conjuncta deſtruere, neque ſubjuncta confundere licet. Fontis autem ratio nullo pacto refertur ad filium, ob idque ſancti Spiritus cauſa filius eſſe non poteſt: nam à ſuperſubſtantiali Divinitatis fonte Spiritus ſanctus ſcaturit. Siquidem igitur

D. Dionyſius Areop.

igitur ſolus Pater Divinitatis fons eſt, quo quidem à filio ſanctoque Spiritu ſegregatur, ſequitur, ut ſolus etiam mittens Spiritum ſit.

Unde ſequitur, ut veſtrum dogma ex talis tantique Doctoris ſententia, non ſolum nequaquam probetur, verum etiam clariſſime refellatur ac reprobetur. quam quidem ſententiam magnus etiam Athanaſius in ſermone, qui de æterna filij ſanctique Spiritus eſſentia inſcribitur, ita teſtatur: Diſiungimur (inquit) ab iis, qui Judæos ſecuti, cum Deum de Deo negant, ut Chriſtianorum fidem evertant, Deum unum ut Judæi profitentur: non quod ſolus ingenitus aç ſolus divinitatis eſt Pater, verum quod ſine filio, ac ſine fructu viventis verbi exiſtit. Ubi Doctor etiam ipſe, Patrem ſolum ingenitum, ac ſolum fontem Divinitatis teſtatur. Ut autem fieri non poteſt, ut eſſe ingenitum, alicui perſonarum communicetur: ita etiam fieri poteſt, ut fons divinitatis cum filio communicetur. Unde ſequitur, ut filius non ſit fons, neque conſequenter ſancti Spiritus cauſa. Ecce Patres amp. quam clare ſancti Doctores in hac veritate conveniant.

Sed univerſalium quoque Conciliorum ſententias, eandem ipſam veritatem teſtantes, in medium proferam. Nam primum Nicænum ad hæſitantem quendam philoſophum pro Leontio Cæſareenſi præſule, ſcripſit ita: Suſcipe unam Patris divinitatem, filium ineffabiliter generantis, necnon filij ex eo geniti, ſanctique Spiritus, qui ex ipſo Patre procedit, quique filij proprius eſt, ſecundum Paulum Apoſtolum, qui, *ſi quis Spiritum*, inquit, *Chriſti non habet, is non eſt ejus.* Quæ quidem verba Patres amp. perpendenda ſunt, ac ipſius ſacræ Synodi mens accurate conſiderandæ, quæ de Spiritus ſancti Theologia loquens, videlicet unde procedat & divinitatis cauſam habeat, ex Patre protulit: ne quis forſan putaret, proceſſionem ad filium debere referri, de quo paulo ante fecerat mentionem. *Rom. 8.*

Joan. Statutum ordinem mihi, Pater Reverende, præterire videris: quandoquidem inter nos convenit, ut de parte in partem, & de argumento in argumentum progrediamur.

Mar. Non equidem ordinem ſtatutum, Pater Reverende, perverto, dum ſtudeo fortiſſimis argumentis oſtendere, noſtrum magni Baſilij librum non eſſe mendoſum, neque Baſil. ipſum ſibiipſi contradixiſſe.

Joan. Superiori ſeſſione, Patres ampliſſimi, beatiſſimi Patris noſtri, necnon Imperatoris ſereniſſimi juſſu convenimus, ut de parte in partem, ac de argumento in argumentum progrederemur: ideirco à Magni Baſilij ſermone, quem pro Pentecoſtes celebritate litteris mandavit, proximæ noſtræ orationis exordium ſumpſimus, in qua tametſi forſan multus viſus fuerim, nunquam tamen à propoſito ſermo noſter defleXit, ſed in veritatem inveſtigandam vehementer incubuit, quam deinde aſſecutus, ſtatim ad alteram ipſius Baſilij authoritatem in tertio contra Eunomium libro veni: in qua quidem exponenda, longa etiam uſus fui oratione, nihilominus à propoſito nunquam ſermonem meum diverti. Volenti namque mihi eam ſententiam patefacere, neceſſe fuit, ipſam clare exponere, fideliterque interpretari: nunquam tamen (ut dixi) ab ejus verbis diſceſſi, qua in re mihi videor aſſecutus fuiſſe, ut ex præcedentium verborum Baſilij expoſitione, ſequentia reddita fuerint clariora. Poſt hæc argumenta duo validiſſima protuli, quibus mihi videor probaſſe, verbum illud forſan, neutiquam ſtare poſſe, in qua quidem diſputatione pro magnitudine rei brevior eſſe non potui. Si quidem igitur, Reverende Pater, ordinem eundem ſervare voluiſſes, profecto contra meam ejuſmodi expoſitionem & argumenta primo dixiſſes. At puto contigiſſe, ut argumenta mea ita tibi valida viſa fuerint, ut ipſa non potens deſtruere, ad aliam materiam veneris: quod mihi profecto vehementer placeret, ſi etiam tu idem affirmares. Porro ſi ea fugere declinareque cupiebas, ſaltem ad Athanaſij authoritatem venire debebas, quam poſt Baſilium attuli, quæ quidem non minus, ac ipſius Baſilij authoritas, ad rem noſtram ſpectare videtur. Pater Reverende poſtpoſitis his, ac nullo (ut dictum eſt) ordine ſervato, alias de ſancti Spiritus proceſſione quæris authoritates, perinde ac illæ, de quibus agimus, in ſancto Evangelio fundatæ non ſint. Num illa Baſilij ſententia ex his Evangelij verbis, *De meo accipiet, & annunciabit vobis*, non dependet? num in ratione pietatis ac veritatis, quam in traditione baptiſmatis Servator noſter protulerat, bene fundata non exiſtit? Imo ſi diligenter, Pater Reverende, proſpexeris, quod in 15. Joannis Evangeliorum capite dicitur, *qui à Patre procedit*, id in ſubſequenti capite, quonam pacto intelligi debeat, ab eodem Joanne expoſitum clare reperies; ubi dicit: *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Si quidem igitur & authoritates ipſæ, quas citavi, & argumenta noſtra ex ſacra Scriptura ſunt, magnum profecto inconveniens eſſet, & huic ſacro Concilio non mediocri dedecori, ſi poſtpoſitis ipſis, ac nulla per vos ad argumenta noſtra reſponſione habita, ad eas veniremus authoritates, quas modo protuliſti. At longe aliter mihi mens eſt. Nam ſis in dicendo multus, ut lubet: quandoquidem non ego, ſed ſereniſſimus Imperator tibi legem imponere poteſt: ego tamen diſputationis normam & ordinem ſemper ſervabo, ita ut nunquam huic tuæ orationi reſpondeam, niſi tu, Pater Reverende, ſervato noſtræ diſputationis ordine, (ut ſupra dictum eſt) nobis prius reſponderis. Quod quidem agendum eſt tibi, ſi nolis tempus vane conterere. A te igitur vehementer contendo, ut ad argumenta noſtra reſpondeas, ex quibus magni Baſilij mentem dubio procul percipies, niſi aliter ſanctiſſimus Dominus noſter juſſerit. Sed tertiæ Synodi authoritatem, quam etiam S. Cyrillus citavit quamque memini alias ad propoſitum protuliſſe, iterum repetam. Sanctorum (inquit) Patrum profeſſionem rebus in omnibus conſectantes, quam in ipſis, Spiritu ſancto loquente, habuerant, necnon mentem ipſorum diligenter inveſtigantes, veritatem proferimus. Qui quidem Canon, Pater ampl. à nobis debet ſervari, ac ita ſanctorum authoritates citare debemus, ut conſtanter ac diligenter ipſarum veritatem inveſtigemus.

Mar. Diſputationis ordinem, Patres ampliſſimi, ut inter nos convenit, dubio procul ſervavimus. Porro, quoniam in exponendis nonnullis magni Baſilij verbis proximam ſuperioremque ſeſſionem (ut noſtis) fruſtra contrivimus, ideo ne in ipſis verbis ſemper verſando, ac dicendo & reſpondendo, diſputatio noſtra fiat infinita, majus operæpretium nobis eſt viſum, non obſcuris, ambiguis, & mendoſis libris, verum ſancta Scriptura, & ſanctorum ſententiis ab omnibus Chriſtianis conceſſis atque receptis, noſtram cauſam agere. Nam eadem ſemper repetentes, nil unquam profecerimus, cum præſertim illud verbum Forſan, non noſtris libris additum fuiſſe, clariſſime probaverimus. Ne autem (ut paulo ante dictum eſt) in eis continuo verſaremur, alias authoritates, quam maxime Baſilio conſonantes, in medium proferre voluimus, ut etiam ex ipſis appareat, noſtros libros non eſſe mendoſos: quibus deinde repetitis, dialectice ac ſuo loco, favente Deo reſpondere poteritis. *Joan. 16.* *Joan. 15.* *Joan. 16.*

Imp. Si Patris Epheſij per orationem, præſt. Patres, audire expectaviſſetis, veſtris etiam argumentis reſpondiſſet: ſed quoniam vos ſemper dicere vultis, nobis vero nunquam opportunitas datur dicendi, ideirco Pater Epheſius data occaſione, rationes ſuas nunc intendit afferre.

Mar. Ergo redeamus unde ſumus digreſſi. Primam ſanctam generalem Synodum, Pater ampliſſ. dicebamus, pro Leontio Cæſareenſe antiſtite ad quendam hæſitantem philoſopum ita ſcripſiſſe: Suſcipe unam Patris divinitatem, & reliqua. Ubi ſcitu dignum eſt, ſanctum ipſum Concilium illud ex Patre protuliſſe, ne quiſquam crederet, verbum ex ipſo, ad filium que-

Marcus non reſpondet ad difficultatem.

que referri: quandoquidem de eo quoque fecerat mentionem, ac ſi ſic protuliſſet, non ex filio, ſed ex Patre Spiritum ſanctum procedere. Quam etiam ob cauſam illud quoque ſubjunxerat, quique filij proprius eſt: perinde ac ſi dixiſſet, tametſi Spiritus ex filio non procedat, non tamen eſt alienus ab ipſo, quandoquidem conſubſtantiales exiſtunt. Ad quam quidem intelligentiam Paulus dixiſſe creditur, *ſi quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus*, ut beatus etiam Cyrillus Theodorito reſpondens, à quo quidem incuſabatur, ſe credere Spiritum ſanctum ex filioque procedere, inquit: Quamvis ſanctus Spiritus ex Deo & Patre procedat, non tamen alienus à filio eſt. Sed de his alias, ſi dabitur opportunitas, accuratius conſiderabimus. Quibus quidem cum ſanctis Patribus ac ſancta Synodo magnus etiam Baſilius convenit, quippe qui 18. capite ad Amphilochium inquit: Spiritus Chriſti dicitur, ut ejus proprius ſecundum naturam, hoc eſt, ut conſubſtantialis: quem ſi Baſilius credidiſſet ex filio accipere eſſe, non ipſum, ut ejus proprium ſecundum naturam, verum ut procedentem, & ex ipſo habentem eſſe, ac annunciantem, dixiſſet, quæ ſane verba magis conſequi viderentur. Qui etiam magnus Baſilius in ſermone contra Sabellium & Eunomium inquit: Equidem Spiritum cum Patre, non autem ipſum Patrem eſſe novi: necnon ipſum cum Filio accepi, non autem filium nuncupatum: & proprietatem ejus ad Patrem intelligo, quandoquidem ex Patre procedit: ad filium vero, quandoquidem illud audio, *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus*. Inſpicite, obſecro, Patres ampl. hæc verba, quam ejus ac aliorum ſanctorum Patrum dictis conſona ſint. Ad Patrem, inquit, quandoquidem ex Patre procedit: ad filium vero, quoniam Apoſtolus dicit: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus*, ideſt, ſimpliciter, quia ſecundum ejus naturam proprius eſt, (ut paulo ſupra dictum fuit) non autem quia ex ipſo procedit. Quid clarius, quid dilucidius hac tanti viri ſententia poterit eſſe? Diſpicite, obſecro, P. ampl. pro Canone ſola veritate utentes, an ei fuiſſet conveniens talia verba memoriæ tradere, Il ſanctum Spiritum credidiſſet ex filioque procedere. Hæc ex prima ſancta generali Synodo habemus: quibus profecto conſona magnus idem Baſilius ſenſiſſe videtur, quæ quidem Synodus in ſuo Symbolo Servatoris verbis innitens, quibus in baptiſmatis traditione fuerat uſus, ſanctum Spiritum ita cum Patre filioque diſpoſuit, ut poſt Patris filique Theologiam, ſermonem ſuum ad illum tranſtulerit. Cujus deinde Spiritus ſancti Theologiam altera generalis Synodus exponere, quaque ratione contra ſancti Spiritus inimicos cum patre filioque diſponeretur, dilucidare volens, protulit, & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur. Ubi ſanctorum illorum intelligentia nobis diligentiſſime perpendenda eſt, utpote qui primam illam ſancti Spiritus Theologiam, necnon ejuſdem cum patre filioque diſpoſitionem declaraverint, ac ejuſdem diverſam erga patrem & filium proprietatem docuerint, ac ſi ſic dixiſſent: Et in Spiritum ſanctum, qui ita cum patre filioque diſponitur, ut ab illo procedere, ſimul vero cum filio adorari ac conglorificari credatur, quandoquidem conſubſtantialis ejuſdemque dignitatis cum eis exiſtat. Nam ſi ſancta ſynodus ipſa, ſanctum Spiritum credidiſſet ex patre filioque procedere: cur, cum de utroque ſimul fecerat mentionem, non ita protuliſſet; Qui ex patre filioque procedit, quique cum ipſis ſimul adoratur & conglorificatur? Nam cum quippiam ad duo refertur, præſertim ſi ab eis ut à cauſis dependeat, id ita in oratione ſolemus diſponere, ut utramque cauſam primo proferamus, deinde communi ambobus utamur verbo, quemadmodum hæc duo verba, ſimul adoratur & conglorificatur, cauſam utramque ſignificant. Siquidem igitur ſancta ſynodus, ad declarandam ſancti Spiritus cauſam, nullam de filio mentionem fecerat; volens autem conſubſtantialem eum oſtendere, filij quoque meminerat: ſequitur, ipſam ſynodum non credidiſſe, Spiritum ſanctum ex filioque procedere, quandoquidem filium neutiquam tacuiſſet, cum idcirco ea protulerit omnia, ut Niceenum ſymbolum clarius redderet. An autem talis Nicæni ſymboli declaratio abſolutiſſima ſit, non autem (ut dicitis) imperfecta, ita ut ſynodus illa cauſam etiam tacuerit, ex eo facere poſſumus conjecturam, quod nulli poſteriori ſynodo declarationem ipſam magis illuſtrare, vel illud ex filioque ſymbolo apponere viſum fuerit, ſed potius poſteriores ſynodi prohibuerint, necui liceret ipſi Symbolo quippiam addere, ac ſi veſtrum hoc dogma tunc vobis futorum eſſe divinaſſent. Cujus quidem ſecundæ Synodi defenſor, & acerrimus propugnator, necnon ejuſdem Symboli, quo nos utimur (ut fertur) compoſitor & conſcriptor magnus Gregorius, qui poſtea ob ejus Theologiam, in qua præclariſſimus fuerat, Theologus fuit cognominatus, in ſermone, qui inſcribitur, de navigatione ex Ægypto, dicit: Omnia, quæ Pater habet, ſunt etiam filij, excepta cauſalitate. Ubi patrem à filio cauſalitate ſejungit, quemadmodum Dionyſius ſonte. Siquidem igitur filius in hoc differt à patre, quod non eſt cauſa: luce clarius ſequitur, ut neque mittens, neque Spiritus ſancti cauſa ſit. Hæc ille clariſſimus Doctor palam profeſſus fuit. Sed tertia quoque Synodus eandem ipſam ſententiam habuit, ac re ipſa firmavit: quippe quæ Neſtoriano Symbolo recitato, per quendam Chariſium Sacerdotem allato, in quo quidem continebatur, Spiritum ſanctum non eſſe filium, neque per filium eſſentiam habere, Theologiam ipſam ſuſceperit, inveniens eam ſanctis patribus convenire, ac ſacræ Scripturæ conſonam eſſe, ita ut neque opinionem ipſam antiquaverit, neque Neſtorium pro ea damnaverit, tametſi Neſtorianum Symbolum ſimpliciter reprobaverit, decernens ita: Si qui Symbolum illud credidorint vel docuerint, quod Chariſius in medium protulit ac recitavit, in quo de unigeniti filij Dei incarnatione, hoc eſt, de turpibus & obſcœnis Neſtorianis dogmatibus, mentio ſit, hujus ſanctæ & œcumenicæ Synodi ſententiæ ſubjaceant: ubi patet, Patres ampliſſimi, Synodum ipſam Neſtorianum de Dei filij incarnatione dogma, non autem Neſtorij de Spiritu ſancto Theologiam, damnaſſe. Unde fieri poteſt facilior conjectura, tunc temporis communem opinionem fuiſſe Spiritum ſanctum ex filio nequaquam procedere, quam quidem ſententiam prima Nicæna Synodus habuit, ipſam deinde tertia ſuſcepit & approbavit. Porro autem Cyrillus contra Neſtorium pro ſancti Spiritus proceſſione litteris mirum in modum invehens, nonnullis aliquam dedit anſam, ut ab eis incuſaretur, quod ſanctum Spiritum crederet à filio eſſentiam habere. Unde evenit, ut Theodoritus contra Cyrillum invectus, ex Orientalium Patrum ſententia ſcripſerit ita: Siquidem ſanctum Spiritum idcirco proprium filij noverant, quod unius naturæ ſunt, ac ex Patre procedit: id etiam ipſi profitemur, ac ut piam vocem ſuſcipimus. Sin autem, quod ex filio vel per filium procedit, illum tanquam blaſphemum impiumque refellimus, credentes Domino, qui dixit, *Spiritum veritatis, qui ex Patre procedit*, necnon Apoſtolo proferenti, *vos autem non Spiritum mundi accepiſtis, ſed Spiritum, qui ex Deo & Patre*. Cui deinde invectivæ Cyrillus, litteris ad quendam Evopium antiſtitem ſcriptis, reſpondit, dicens ſe à Theodorito incuſari, ſibique pro ipſius Theodoriti odio in ſe, ac ejuſdem erga Neſtorium benevolentia, primum detrahi. Decretum (inquit) accepi, quo de tua pietate certus ſum factus, quod quidem dicitur factum eſſe contra eos, qui Theodoritum Cyri, quem *to lychnion*, appellari dicebat, anathemate notant. Quod cum accepiſſem, Deo gratias egi, ac pſalmum illum decantavi: *Domine, libera animam meam à labiis iniquis & à lingua doloſa*, quandoquidem mihi videor ubique detrahi, ac

Rom. 8.

Ibidem.

Ibidem.

A negativis non valet argumentũ.

Gregorius Nazianzenus orat. 24. per cauſalitatem intelligit ibi generationem.

Joan. 15.

1. Cor. 2.

Theodoretus.

Pſal. 119.

multis de causis incusari, ejus præsertim opinionis, pro qua me blasphemum appellat. Cyrillus ergo non ejus sententiæ fuerat, de qua Theodoritus ipsum incusabat, verum ipsam tenebat opinionem, cui quoque Theodoritus assentiebat, dicens ipsam ut piam vocem susciperet, sanctum videlicet Spiritum filij proprium esse, ideſt, ejus connaturalem, ex Patre vero procedentem, quemadmodum Cyrillus ipse accusationi suę respondens, affirmat. Quamvis (inquit) Spiritus sanctus ex Patre procedat, non tamen alienus à filio est, utpote qui patris habeat omnia. Unde patet, Patres ampl. Cyrillum ipsum ea in parte cum Theodorito convenire, quam ipse Theodoritus dicebat, ut piam vocem susciperet. Facta deinde Cyrilli cum Patribus Orientalibus pace, Cyrillus ipse ad Joannem Antiochenum præsulem eadem de re scripsit, ubi etiam de Spiritus sancti processione, necnon de Symbolo non mutando mentionem fecit, dicens: Nequaquam tolerabimus, ut definita præscriptaque fides, aut Nicęnum Symbolum ab aliquo immutetur, nullam nobis vel aliis mortalibus facultatem concedentes, ut aliquam ejus dictionem mutare, vel unam syllabam prætermittere valeant. Hujus enim sententiæ recordaremur. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*, utpote qui non ex sese, verum Dei Patris Spiritu affecti, loquerentur, qui ex eo procedit, non autem alienus à filio secundum substantiæ rationem existit. Ex quibus etiam patet, in quonam Cyrillus cum Theodorito conveniret: nam orationem tuam bipartitam fuisse videtur. In prima namque protulit parte, qui ex Patre procedit: in altera vero, non autem alienus à filio secundum substantiæ rationem existit, quemadmodum etiam Theodoritus ipse (ut est supra dictum) profitebatur. Quas deinde Cyrilli literas Theodoritus una cum Orientalibus Patribus suscepit, ac tandem agnoscens Cyrilli de sancto Spiritu Theologiam, opinioni suæ scripturæque sacræ consonam esse, ad eundem Joannem scripsit ita: Quæ modo nobis Cyrillus scripsit, Evangelica honestate fulta sunt. Deum enim perfectum & hominem Dominum nostrum Jesum Christum appellat, sanctum autem Spiritum non ex filio, vel per filium essentiam habere, verum ex Patre procedere, dicens ipsum filij proprium esse. Qua quidem veritate perspecta, quam Cyrillus ipse suis litteris tradidit, balbutientium linguarum medicum, ac dissonantium vocum ad harmoniam moderatorem laudavimus. Videte, obsecro, Patres ampl. quibus in rebus Theodoritus cum Orientalibus patribus conveniebat, asserens spiritum sanctum haud ex filio vel per filium essentiam habere, verum ex Patre procedere, ac filij proprium, ideſt, consubstantialem existere. An autem ij Patres sic senserint, Cyrillus ipse testatur, qui eadem de re ad eundem ipsum Joannem scripsit ita: Vestris vocibus intellectis, cognitoque, vos unum Dominum, unam fidem, unum denique baptisma credere, Deum omnium servatorem glorificavimus, magno gaudio affecti, quod à Deo spiritus litteris, necnon Sanctorum Patrum decretis, nostra simul & vestra Ecclesia consonam fidem habeat. In sua vero expositione super Lucam, sic inquit: Quemadmodum digitus à manu non separatus existens, ab ipsa dependet, ac ei inhæret natura: ita quoque Spiritus sanctus filio consubstantialiter conjungi creditur, quāvis ex Deo Patre procedat. Ac si sic dicere voluisset: Spiritus quamvis ex filio non procedat, nec ab ipso essentiam habeat, sed ex Patre, unius tamen naturæ sunt, & cum ipso in eadem natura disponitur. Quibus quidem fortissimis argumentis, Patres præst. probatum est, nos neque à sacra Scriptura, neque à Sanctorum Patrum & Doctorum nostrorum traditionibus aliena sentire, neque illum nostrorum dogmatum nobis divinitus traditorum mutasse, vel coinquinasse, neque quidquam eis addidisse, vel ab ipsis abstulisse. Quapropter rogamus vos, pro mutua nostra benevolentia velitis nobiscum, necnon cum sanctis Patribus

Cyrillus.

Prov. 22.

efflati.

ejus, aut suam.

A

B

C

D

E

cōvenire, non permittentes ut hoc dogma vestrum ab Ecclesiis suscipiatur, cum ea quæ celebramus, satisfaciant, ut omnes eadem credentes ac profitentes, unanimes & concordes, Patrem & filium ac sanctum Spiritum glorificemus, cui convenit omnis honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

SVM. PONT. Conveniens est ut ad extremam quoque Provincialis orationem respondeas: quandoquidem quidquid tibi habuit, protulisti.

Mar. Illud Basilij, forsan, quod in nostro libro scriptum est, Pater sanctissime, absque aliqua ipsius Basilij nota, modo quo demonstravimus, conveniens esse videtur, vestris frivolis argumentis nequaquam acquiescentes, quibus nostrum librum mendosum, vestrum autem incorruptum ac verum esse, conari fuistis ostendere: ad quæ quidem argumenta si semper eadem repetentes, respondere vellemus, oratio nostra (ut supra diximus) infinita fieret. Omissis igitur his, nil amplius habemus, nec volumus proferre, quam quod sæpissime diximus, librum nostrum non esse mendosum, quemadmodum vetustas ejus, & magna similium librorum copia, necnon sequentium verborum cum præcedentibus nexus, (ut est supra dictum) testatur. Et de his hactenus.

Joan. Quoniam, Pater Ephesie, extremum meum sermonem non bene memoria tenere videris, ideirco ut serenissimo Imperatori, qui tibi jussit ut meis omnibus argumentis respondeas, satisfacere valeas, partem tantum unam ipsorum repetam, simulque tuam responsionem ea tantum in parte, quæ aliqua indiget consideratione, dissolvam: quin etiam si coram Imperatore mitissimo nobis promiseris veritati, quam tibi probavero, acquiescere, quæcunque modo in medium protulisti, majori studio evertam. Nam initio dixisti, nos omissis istiusmodi libris, qui nobis ambigui videntur esse, ad fundamentum (hoc est, ad scripturam sacram) venire debere. Mihi autem, Pater Reverende, ejusmodi differendi modus inutilis esse videtur, ac à Doctoribus improbatus, qui mentem authoris inspicientes, ac consequentia cum præcedentibus verbis ejus conferentes, verum a falso solent discernere: quos quidem Doctores & sapientes, ipsi etiam in hoc negocio imitari debemus plurimum. In primis igitur hoc tibi repetam argumentum: dixi equidem, stante illo forsan, quod est verbum ambiguum, duo maxima sequi incommoda: primum, ut ex illo Angelorum exēplo, quæ vera necessariaque propositio est, necessitatem ex sacra Scriptura sumens, ambigua conclusio sequeretur: quod quidem magnum inconveniens esset. Hoc enim magnus Basilius utitur argumento: Si Angelorum alij secūdi, alij vero ordine dignitateque tertij sunt, eos tamen natura quoque tertios esse non est necesse: idem etiam de divinis Personis, ideſt, de sancto Spiritu, (de eo namque loquitur) affirmamus. Ex quo quidem exemplo simpliciter, ac sine hypothesi sumpto, conclusionem veram & sine aliqua dubitatione infert, sanctum videlicet Spiritum, & si ordine ac dignitate tertius sit, natura tamen tertium non esse. Ad quam illationem & consequentiam veram esse probandam, hoc tibi exemplo sessione proxima usus sum: Si homo currit, ergo movetur. Sed aliud etiam exemplum magis ad propositum spectans afferam, quo beatus Aug. 15. lib. de Trinitate magnum Basilium imitatus, usus fuit, dicens: A quo autem habet filius ut sit Deus, ab illo habet utique, ut de illo procedat Spiritus sanctus. Quod quidem argumentum hypotheticum est, in quo nil prorsus ponitur esse, neque quidquam ex eo consequitur vel concluditur, nisi alia propositio ex sacra Scriptura sumatur, quæ dubio procul subintelligitur, hoc est, filium habere a Patre, quæcunque Pater habeat. Ex qua profecto propositione ab Evangelio sumpta, necessario hæc infertur conclusio, filium ex Patre habere, ut etiam ex se Spiritum mittat. Quo quidem argumentandi genere (ut paulo ante dictum est) Augustinus utitur, ita ut

argumentum, quod hypotheticum fuerat, Evangelica propoſitione ſumpta, non amplius hypotheticum, ſed neceſſarium factum ſit. Quomodo Baſilius etiam ratiocinatur: Ita ſe habent (inquit) divinæ Perſonæ, ſicut Angeli. Siquidem quamvis alij ſecundi, alij autem ordine ac dignitate tertij ſint, non tamen neceſſe ſit, ut natura quoque tertij exiſtant: quod argumentum hypotheticum eſſe videtur. Deinde vero ponens Angelos ita neceſſario ſe habere, ſine ulla conditione concludit, idem quoque de divinis perſonis credendum eſſe: alioquin indoctiſſimus omnium Baſilius Magnus fuiſſet, ſi ex præcedentibus concludere voluiſſet id, quod ex ſacra Scriptura neceſſario pateat: Ut ergo de Angelis, ita quoque de Spiritu ſancto credendum eſt.

Mar. Non equidem protuli, Pater Reverende, neque hujus ſententiæ ſum, libros noſtros ambiguos eſſe, verum ne in hoc ſemper verſaremur, id contendentibus vobis conceſſi, tametſi certus ſim libros veſtros mendoſos eſſe, nec ad Baſilij mentem ſpectantes, ex eo faciens conjecturam, quod huic noſtro libro mille alij ſunt ſimiles, qui Conſtantinopoli extant: quod equidem probare recipio tibi, ſi cæteris in controverſiis noſtris convenerimus. Porro ultimæ veſtræ orationi reſpondeo, nil mirum eſſe, ſi magnus ille Baſilius ex aliquo pro vero dato, licet ambiguum fuerit, quidquam probaverit, ut noſipſi Ferrariæ fecimus, proferentes, tametſi veſtrum dogma forſan ſit verum, haud tamen neceſſe eſſe, ipſum apponere Symbolo. Sic ergo Baſilius ratiocinabatur: Poſito, non tamen conceſſo, (huic enim opinioni, ut multis argumentis probavimus, contradixit) ſanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, minime tamen neceſſe eſt, ipſum natura quoque tertium eſſe: quæ quidē figura *antiparaſtaſis*, ab oratoribus appellatur: Angelorum (inquit) alius principes, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, *& ſtellæ ſtella*
1. Cor. 15 *præſtat in gloria*. & natura ſtellarum omnium una, &
Ioan. 14. *manſiones multæ apud Patrem*, ideſt, dignitatum diverſitates, glorificatorum vero natura una. Non igitur ex propoſitionibus veris, ambiguam (ut inquis) infert concluſionem, ſed ex ambiguo, ſumpto tamen pro vero, neceſſarium quoddam concludit. Miror autem, P. R. te virum doctiſſimum latuiſſe, nos ex nonnullis ex hypotheſi pro veris ſumptis, veritatem neceſſario demonſtrare poſſe.

Ioan. Quam plurima, Pater Epheſie, non autem ad propoſitum pertinentia mihi protuliſſe videris. Nam ſeſſione proxima neceſſariam & admirabilem quæſtionem in medium protulimus, tu vero, infecta re, ad alias quæſtiunculas veniſti. Aut igitur ad propoſitum redeamus, & quæſtionem illam ad exitum perducamus, quemadmodum Imperator mitiſſimus juſſit, ut una prius habita concluſione, ad aliam veniamus. Aut nobis da manus, falſus nil amplius in hac cauſa habere quod proferas. Quod quidem ſi feceris, gratias tibi magnas habebimus. Ut ergo magis veritas eluceſcat, ad propoſitum redeas. Nam prolixam orationem, quam modo coram tot ampliſſimis auditoribus habuiſti, (Spiritu ſancto favente) facile diſſolvere poſſum, necnon ſimul oſtendere, authoritates, quas attuliſti, magis ad noſtram, quam ad veſtram rem facere, ſed velim, ut ipſe prius reſpondeas ad propoſitum.

Mar. Non equidem cuncta, quæ dicta ſunt, bene memoriæ teneo. Satis tamen mihi dictum eſſe videtur.

Ioan. Ea tibi, Pater Reverende, libentiſſime repetam, quorum non recordaris. Noſtra quidem oratio ad magnum Baſilium fluxit, qui contra Eunomium tertio libro demonſtravit, ut quemadmodum inter Angelos & ſtellas ac manſiones in domo Patris, ordo quidam dignitatis abſque tamen ipſorum naturæ diſcretione creditur eſſe, ita etiam in Divinis Perſonis ſit.
Ibidem.
Ibidem.

Mar. Ergo ex rebus creatis, ut rerum creatarum exemplis, res divinas oſtendere vis?

Ioan. Quidni? Exempla namque creata res increatas declarant, quandoquidem incomprehenſibiles ſunt, ita ut vix intelligi poſſint, & non niſi rebus humanis, ut aliarum rerum exemplis figurántur.

Mar. At magnus Baſilius non ita ſenſiſſe videtur. Cur enim (inquit) neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, ipſum natura quoque tertium eſſe? ideſt, poſito, non tamen conceſſo, ſanctum Spiritum dignitate ac ordine tertium eſſe, non tamen ex eo ſequitur, ipſum natura quoque tertium eſſe: ut ipſi quoque Ferrariæ dicebamus, poſito, dogma veſtrum verum ac pium eſſe, non tamen licere, ipſum Symbolo addi. Magnus ergo Baſilius nequaquam profitetur ſanctum Spiritum ex filio eſſe habere, vel ordine ac dignitate tertium eſſe, quandoquidem ex his Eunomius inferebat Spiritum ſanctum natura quoque tertium eſſe.

Ioan. Credi non poteſt, Pater ampliſſime, magnum illum Doctorem contra dialectices artem ſcripſiſſe. Nonne hoc argumentum à dialecticis eſt acceptum: Quicunque curit, movetur: ergo movetur, ſi currit? quo quidem argumentandi modo Baſilius (ut ſupra dictum eſt) utitur. Porro quoniam, Pater Epheſie, ampliſſimos hos auditores magnam Theologiam docere voluiſti, idcirco, ne forte ignores, quidnam ipſi de conſubſtantiali Trinitate ſentiamus, de hoc tibi pauca dicam. Nos quidem, qui Apoſtolicam ſedem ſectamur, Patrem unicam filij ſanctique Spiritus cauſam profitemur eſſe, quæ plane noſtra fides atque Religio, ab illo primo Apoſtolorum præconio hucuſque meridiana luce clarior eſt, & ſermo Domini ad Apoſtolorum principem habitus non præteriit, nec ullo unquam tempore præteribit, nec portæ inferi adverſus noſtram ipſam fidem prævalebunt. Unde merito evenit, ut cæteræ Chriſtianorum Eccleſiæ huic Romanæ, ut maximo fundamento baſique fulciantur, quandoquidem pia eſt, ac hæreticorum linguam, ne malum loquatur, comprimit, credens firmiſſime non duas cauſas vel principia, verum principium vel cauſam unicam in Divinis Perſonis eſſe: ac ſimul anathemate notans eos, qui duas cauſas, duove principia in ipſis Perſonis Divinis eſſe crediderint. Quibus ita peractis, ſeſſio fuit dimiſſa, & hic ſermo Græcis perplacuit, ita ut non mediocri gaudio fuerint affecti, quod Latini Patrem unicam eſſe filij ſanctique Spiritus cauſam, non autem duas, fuerint profeſſi. Paucos vero poſt dies, antiſtites Græci Patriarchæ domum frequentantes convenerunt, ubi ſereniſſimus Imperator orationem hanc habuit.

Pater unicum principium Spiritus ſancti.

Imp. Non equidem, Patres ſancti, noſtræ profectionis ad Italiam ſolus author fui, neque primus ego, ſed Imperator Pater meus negocium hoc prius fuit aggreſſus: quippe qui cum eſſet in Iſthmo Eudomono, Joannem hujuſce rei cauſa ad Italiam miſerit. Cujus quidem mei Patris Imperatoris ingenium, prudentiam & conſilium noſtis, utpote qui non ſolum in Philoſophia præclarus, verumetiam in exponendis Eccleſiæ dogmatibus ſubtiliſſimus fuerit: apud quem ille etiam Euthimius Patriarcha & magnus Theologus, ac omni virtute præditus fuit. Qui duo tanti, taleſque viri, non ſolum primi rem hanc excogitarunt, verumetiam, ut ipſa conficeretur, vehementer conati fuere. At temporum anguſtiis impediti, totum negocium conficiendum mihi reliquerunt: quod dubio procul melius ipſe tractavi. Nam ut hæc Synodus ſancta celebraretur, non imprudentibus vobis, ac magno ſumptu meo, triremes ad exorandum ſummum Pontificem ad Italiam miſi. Quo deinde vos, meo ſanctique Patriarchæ juſſu, frequentes æquo animo conveniſtis, nil tamen poſt longum tempus profecimus. Recordamini, Patres, recordamini, quanto in impiorum diſcrimine noſtram domum dereliquerimus, cui quidem ſi quid acciderit incommodi, proh

Græcus Imperator unionem cum Eccleſia procuravit.

dolor, videre videor, majorem fore noſtri perſecutionem & calamitatem, illa quæ Diocletiani & Maximiani temporibus facta fuerit, quam conſtat acerrimam fuiſſe. Operæprecium igitur eſt, ut omiſſa diſputatione ac contentione, pacis remedium excogitemus, quod equidem exiſtimo per vos ſtare. Doctor namque Joannes in Synodo palam protulit, Latinos firmiter credere Deum Patrem, unicam filij ſanctique Spiritus cauſam eſſe, duo vero principia, duaſve cauſas in conſubſtantiali Trinitate profitentes execrari: quam Latinorum ſententiam litteris traditam habui, ut his diligenter perſpectis, noſtræ conjunctionis modum inveniatis. Hæc Imperator.

Græcis autem, quidnam agendum eſſet, inter ſe conſulentibus, de ſancti Maximi litteris ad Marinium Preſbyterum Cyprium ſcriptis, mentio facta fuit in hac forma: Ex Synodalibus præſentis ſanctiſſimi ſummi Pontificis actibus, duo tantum ex tot capitibus hi, qui erant in Baſilea, ſuſceperant: in quorum altero habetur, ſanctum Spiritum ex filioque procedere, in altero vero, Chriſtum Dominum abſque originali peccato, hominem natum fuiſſe. Et ad primum illud caput probandum, Romanorum Patrum ſententias, necnon Cyrilli, ſuper Joannem expoſitionem attulerant, non ad demonſtrandum filium Spiritus cauſam, quandoquidem ipſi quoque Patrem ſolum filij ſanctique Spiritus cauſam eſſe cognoverant, illius quidem ſecundum generationem, hujus autem ſecundum proceſſionem: verum ut per eum quoque Spiritum ſanctum procedere declararent, ac ea ratione conſubſtantialitatem & immutabilitatem ipſorum oſtenderent. Quibus litteris lectis, ac Latinorum ſcripturis poſtpoſitis, animum ſuum ad contemplandas ipſas Græci converterunt, omnes unanimes, profitendum fore, ut cum Latinis conjungerentur, ſi literæ ipſæ ab eis quoque ſuſciperentur. Tum Imperator, toto Græcorum conventu ipſoque Patriarcha volente, nuncios ad ſummum Pontificem miſit, ut ipſum interrogarent, an is quoque cum Latinorum conventu ſancti Maximi literas ſuſcipere, ac ipſis acquieſcere vellet. Cui Pontifex ſummus reſpondit, Græcos ſeſſione proxima plurimum diziſſe, nobiſque promiſiſſe, altera ſeſſione ſe ſuas aures præſtaturos. Aliter ergo fieri non poſſe, niſi prius ſeſſione vocata, Latini reſpondeant. Quæ cum Imperator audiſſet, juſſit ut iterum ſeſſio haberetur. Qua quidem convocata, abſente Marco Epheſio & Heraclienſi antiſtitibus, Joannes ſuit ita loquutus.

DIE SABBATI VIGESIMAPRIMA menſis Martij.

Seſſio vigeſimaquarta Florentiæ.

JOANNES.

VElim, Patres ampliſſimi, Patrem Epheſium hic adeſſe, ut ſuorum argumentorum diſſolutionem audiat. At quoniam (ut creditur) victus abeſt, ideo ad vos meam orationem habebo. Ergo vos, obſecro, me attente audiatis.

Imp. Nil in præſentia dicturi ſumus, quandoquidem non ad diſputandum, verum ut vobis gratum faceremus, & ne ſeſſiones negligere videremur, convenimus, propterea que pater Epheſius nobiſcum noluit convenire. Vobis ergo neutiquam reſpondebitur.

Joan. Ex duabus propoſitis quæſtionibus, Patres ampliſſimi, neutram ad concluſionem perduximus, tametſi magni Baſilij authoritates clariſſimæ ſint, quibus patet, Spiritum ſanctum à Filio, quemadmodum etiam à Patre, habere eſſe: necnon ipſi profeſſi fuerimus, Patrem unicam Filij ſanctique ſpiritus cauſam eſſe, ita tamen, ut filius ſanctum ipſum Spiritum à Patre præcipuè mittat. Quibus quidem Baſilij authoritatibus quoniam pater Epheſius reſpondere noluerit, idcirco poſtpoſitis his, ejus tantum extremo ſermoni reſpondebo, ab ipſo Servatore noſtro Jeſu Chriſto ſumens exordium, quemadmodum is pater Epheſius fecit. Nam Servator noſter inquit: *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* ubi verbum mittam, quid aliud, obſecro, ſignificat, quam quod ex aliquo mittitur? qui vero quippiam mittit, is ſuum mittere videtur, & id quod mittitur, ex ipſo dicitur eſſe, ut ſi præfectus provinciæ quidquam fecerit, is non ex ſe, verum Imperatoris juſſu id feciſſe videtur. Ita etiam Filius, qui cum in generatione à conſubſtantiali Patre Spiritum ſanctum accepiſſet, eandem & paternam facultatem ac naturam habens, eumdem Spiritum mittere creditur, non tamen, ut Pater, præcipue: quandoquidem pater ipſe, radix & fons divinitatis exiſtit, qui cum ſumma ſubſtantia, nedum indiviſibilis ſit, à ſubſtantia & hypoſtaſi indiſtincta percipitur, propterea quia non re, ſed ſolâ ratione, paterna hypoſtaſis à ſubſtantia ſua ſejungitur: Pater igitur ſubſtantialis hypoſtaſis eſt, Filiumque ſubſtantialiter generat, & ipſe ſubſtantialis hypoſtaſis generatur, ita tamen, ut duæ hypoſtaſes unus Deus ac unica ſit natura, cum qua ſanctus Spiritus ſimul & indiſtincte cognoſcitur. Qui cum neque Pater, neque Filius, neque relativorum aliquid ſit, tamen ut Spiritus, ad ſpirantem refertur. Porro quoniam apud ſacram ſcripturam Spiritus Patris ac Filij eſt, ſequitur, ut ambo ſimul Spiritum ſpirent. Præterea Filius ſecundum divinitatem ad Patrem reſpiciens, dixit: *Ego & Pater unum ſumus,* Joan. 10. *&, ego in Patre, & Pater in me eſt:* &, *qui vidit* Joan. 14. *me, vidit & Patrem meum.* Duabus igitur perſonis unica poteſtas ſpirans & mittens exiſtit, quæ quamvis unica miſſio & cauſa ſit, à Patre tamen (ut ſupra dictum eſt) præcipue creditur eſſe, à quo Filius eandem ipſam facultatem habens, una cum Patre principium unicum eſt, non tamen perſonarum confuſione. Pater enim, Pater ac ingenitus eſt: Filius vero, Filius atque genitus, ita ut inter eos, ſecundum cauſam & cauſatum ordo quidam exiſtat: ſanctus autem Spiritus ad Patrem Filiumque diſponitur, ne quædam indiſpoſitio vel confuſio in divinis perſonis exiſtat. Siquidem igitur, cum Pater Filium generet, cum ipſo ſubſtantiam ſuam communicat, quatenus ei communicabilis ſit, & filius ſic acceptam, Spiritui ſancto communicat, quatenus ſi quoque communicari poſſit, unica ſemper ipſa ſubſtantia exiſtente, qua quidem ille generetur, hic vero procedat: ſequitur, Patrem unicum principium & cauſam eſſe, ſanctumque Spiritum ex utroque procedere. Præterea dictum à ſanctis Patribus eſt, ſanctum Spiritum per Filium natura procedere: unde ſequitur, Spiritum ipſum ex Patre filioque procedere, quandoquidem per præpoſitio, ut ex præpoſitio, hac in re ſignificare videtur, ut Leonis, Gregorij Papæ, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, ac aliorum multorum doctorum authoritatibus clariſſime patet. Quas cum Joannes in medium protuliſſet, & perlegiſſet, ſeſſio fuit dimiſſa decreto ipſius ſynodi, ut ad diem Martis proximum conveniret.

Miſſio Spiritus ſancti à Filio.

DIE MARTIS VIGESIMAQUARTA menſis Martij.

Seſſio vigeſimaquinta & ultima Florentiæ.

IOANNES.

Patrum authoritates pro Latinis.

NEſcio equidem, Patri ampl. cur pater Epheſius in ſeſſionem venire noluerit, quem profecto vellem adeſſe, ut noſtram ad argementa ſua reſpon-

fionem audiret. Porro quoniam abeſt, vos obſecro me, dum Orientalium ſanctorum ſententias affero, attente (ut hucuſque feciſtis) audiatis. Magnus ille Baſilius inquit: Quemadmodum Filius ordine quidem à Patre ſecundus eſt, pater enim in baptiſmatis traditione primus diſponitur, dicente Domino: *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, necnon filius dignitate ſecundus eſt, utpote qui ſit ex Patre, non autem pater ex Filio, licet in natura æquales eſſe credantur, *ego enim & Pater*, inquit Dominus, *unum ſumus*: ita quoque Spiritus ſanctus ordine quidem ſecundus à Filio, in eadem baptiſmatis traditione diſponitur: item etiam dignitate, nam Spiritus Filij dicitur, quandoque à Filio mittitur. Scriptum eſt enim: *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra.* Non autem filius ſancti Spiritus dicitur, natura vero Patri & Filio æqualis exiſtit. Quorum enim una eſt operatio, ipſorum etiam una eſt natura. Hæc Baſilius. Sed magnus etiam Epiphanius in medium veniat. Siquidem, inquit, creditur Chriſtus ex Deo eſſe, ut Deus de Deo, ſic etiam ſanctus Spiritus ex ambobus eſſe, credendum eſt. Quemadmodum enim nemo novit Patrem niſi filius, ita dicere audeo, nemo Filium niſi Spiritus, qui ex ambobus procedit. Magnus autem Cyrillus inquit: Spiritus ex Filio ita profluit, quemadmodum etiam ex patre. Didymus vero ſapientiſſimus, & magnus Athanaſius, ita dicunt: Siquidem Spiritus ex patre procedit, & de meo accipiet, & annunciabit vobis, ſequitur, ut ex patre Filioque ſit. Has & plures alias ſanctorum ſententias Joannes in medium protulit, præſertim binas Cyrilli literas, quarum alteræ incipiunt, Gaudeant cœli: alteræ vero, Domino ſervatore noſtro Jeſu Chriſto, necnon quaſdam Nicænæ ſynodi authoritates, clariſſime demonſtrantes ſanctum Spiritum ex filioque procedere. Rhutenus autem præſul pro Græcis dixit ita.

Matth. ult.

Joan. 20.

Gal. 4.

Credidus

Rhu. Qui ſolus vel in ſtadio currit, vel aliud ſubit certamen, victor dubio procul evadit. Non aliter, Pater Reverende, qui nemine contradicente ſermocinatur & diſputat, facillime vincit, ut tibi evenit. Qui cum plurima Theologia fueris uſus, ac ſubtiliſſimam orationem habueris, ſi tibi non reſponderimus, viciſſe videbere. Sed quoniam jam adveſperaſcit, ſequenti ſeſſione tibi non minus ſubtiliter, clareque reſpondebitur.

Imp. Hos libros nobis mutuo date, ut horum ſanctorum dictis diligenter conſideratis, vobis bene reſpondere poſſimus.

Jul. Card. Quæcumque diximus, ſereniſſime Imperator, à noſtris ſcribis literis tradita ſunt. Aut igitur ab eis exſcripta inter vos contemplemini, aut ſi vobis commodius fuerit, ad divi Franciſci templum, prope quod habitas, nos ſelecti privatim conveniamus, ut ibi noſtris omnibus ſcripturis & libris collatis, verius ac clarius reſpondere valeatis. Cui quidem ſententiæ omnes acquievere; ſeſſioque dimiſſa fuit. Poſtridie autem in illo templo viſis hinc inde ſcripturis & libris, concordiam & pacem benignitate Dei facile fieri poſſe Græci cognoverant.

Papa. Summus deinde Pontifex Patriarchæ rogatu ſeſſiones æquo animo diſtulit, ut inter ſe Græci privatim conſulerent.

Rhu. Facto autem in Patriarchæ domo Græcorum conventu, Rhutenus verba plurima fecit, operæpretium eſſe demonſtrans, æquo animo cum Latinis conjungi, paceque inita domum redire, potius quam infecta re, ac abſque ratione turpiter à ſynodo diſcedere.

Beſſ. Tum Beſſarion Rhuteni ſermonem excipiens ſubtiliſſime ac magna dicendi arte ſententiam ejus confirmavit.

Doſith. Contra Doſitheus Monembaſien. Num, inquit, dogma noſtrum debemus prodere? Malo A equidem mortem obire quam cum Latinis ſentire.

Ruth. Cui Rhutenus: Nec ipſi, inquit, Latini fieri volumus. Verum ſi patet Spiritum ex filio procedere, quemadmodum Græci doctores ac Latini ſimul teſtantur, cur non eſt pium, ut ſanctos noſtros ſequentes, cum Romana Eccleſia conjungamur?

Herac. Tum Heraclien. Num, inquit, occidentales doctores ſanctis noſtris doctoribus, ac ſynodorum patribus plures ſunt? qui quidem ſancti noſtri, Spiritum ſanctum ex Patre, non autem ex Filio procedere, literis mandaverunt.

Ephe. Quem ſermonem Epheſius excipiens, prolixam habuit orationem, in peroratione autem protulit Latinos hæreticos, nedum ſchiſmaticos, eſſe, B idque Orientalem Eccleſiam toleraſſe, quod genus ipſorum majus ac fortius eſſet, propterea quæ Græcos tot annos ab eis diſiunctos eſſe, quod hæretici ſunt. Dicebat igitur, ſe cum Latinis neutiquam debere conjungi, prius quam additionem illam à ſymbolo prorſus auferant.

Beſſ. Tum Beſſarion. Proferentes igitur, inquit, ſanctum Spiritum ex Filioque procedere, hæretici ſunt?

Ephe. Epheſio vero, Quid-ni, reſpondente?

Beſſ. Beſſarion exclamavit, dicens: Deus miſereatur, ergo ſancti, qui hanc ſententiam tradidere, hæretici fuerant? *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur* *Pſal. 30.* *adverſus juſtum iniquitatem.* Nonne clare vidiſtis, Occidentales ac Orientales doctores ſanctos in hoc neutiquam diſcrepare? quandoquidem idem ſanctus C Spiritus omnibus ſanctis æqualiter fuerat loquutus. Conferamus ipſorum ſcripta, ut maximam eorundem convenientiam clarius videamus.

Ephe. Epheſio deinde proferenti: Quis novit an libri eorum mendoſi ſint? reſpondit.

Beſſ. Quis, obſecro, tam temere dicere audebit, tot Latinorum ſermones, tot Evangeliorum expoſi- *Diviſi* tiones, abſolutam denique de Spiritu ſancto Theo- *inter ſe* logiam, ſimul omnem mendoſam & corruptam eſſe? *Græci.* quam quidem ſi veluti mendoſam è libris velimus tollere, tantum papyrus alba in tot voluminibus remanebit.

Tum Græcorum conventus in duas partes diviſus fuit: nam altera pacem cum Latinis vehementer deſiderabat, altera vero diſſidij authoribus favens, ab ea mirum in modum abhorrebat: cui quoque parti, Græcorum nobilium & laicorum plurimi vehementer favebant: ſingulis tamen diebus frequentes abſque Latinis conveniebant, ut quidnam agerent, Latiniſve reſponderent, inter ſe conſulerent.

Patriarcha. Feria vero quarta majoris hebdomadæ iterum congregati, à Patriarcha fuerunt interrogati, an aliud dicere vellent?

Herac. Reſpondente autem Heraclienſi, ſe divinorum agendorum cauſa conveniſſe.

Mytil. Mytilenenſ. præſul dixit: Quinimo, Domine, aut ſanctos ipſos ipſi ſequentes cum Latinis pacem conficiamus, aut infecta re, diſcedamus. Sed ſcire velim, an magnum Maximum velitis ſuſcipere? Quibus omnibus annuentibus, protulit magni Maximi fuiſſe ſententiam, ſanctum Spiritum ſubſtantialiter quidem ex Patre, ineffabiliter vero per filium procedere.

Beſſ. Tum Beſſ. ipſam Maximi ſententiam quam plurimis ſanctorum authoritatibus, præſertim magni Tharaſii, longa illuſtravit oratione.

Patriar. Patriarcha vero illas ipſas ſanctorum ſen- *Nunc.* tentias exſcribi juſſit, ut illis accuratius viſis, conventu *Græcorū.* ſequenti communi omnium ſententia concluſio fieret. Poſtridie autem Rhutenum & Nicænum, necnon duos cruceſignatos & magnum Bibliothecarium ac magnum Eccleſiaſtem, nuncios ad ſummum Pontificem Græci miſerunt, qui ei nunciarent, ſe nolle amplius cum Latinis diſſerere: quandoquidem diſputatio nil aliud præter contentionem maximam pariet,

necnon ipſi Latini in reſpondendo nunquam deficiunt, ita ut infinita fieret diſputatio, ſi cum ipſis vellent contendere. In infinito vero verſari, magnum incommodum eſſe; idcirco ſe modum alium conjunctionis vehementer deſiderare, quem quidem vellent à Latinis cognoſcere, quandoquidem Græci, pro viribus dixiſſe, necnon paterno dogmati ſuo à ſeptem ſynodis tradito acquieſcere dicunt.

ſe pro.

Papa. Quibus quidem nunciis Pontifex ſummus reſpondit, putare ſe Græcos non inſcios eſſe, quonam ſtudio, quo labore, quanto denique ſumptu, hoc in negocium incubuerit, & adhuc incumbat, eos tamen ſemper negligentes fuiſſe, quodque pejus eſſe videtur, ad diſputandum nobiſcum, ut inter nos convenit, ipſis curæ non eſſe: idcireco ſe velle, ut ſereniſſimus Imp. fraterque ſuus Patriarcha, totaque Orientalis Eccleſia, unam ex his quatuor conditionibus eligant, ut vel Latinorum ex literis ſacris demonſtrationibus habitis acquieſcant, ita ut profiteantur in poſterum, Spiritum ex patre filioque procedere: quod quamvis luce clarius demonſtratum ſit, ſe tum velle, ſi adhuc Græci dubitant, magis pateſacere, ut ipſis melius ſatisfiat: vel hi, ſi quas alias authoritates habeant, quibus poſſint inniti, eas in medium proferant: vel ſi fortioribus argumentis probare poſſunt, dogma ſuum magis pium eſſe, in certamen deſcendant: vel denique ſeſſione vocata, ſolemnique Miſſa celebrata, quiſque Græcorum ſimul & Latinorum juratus, liberis ſuffragiis ſuam ſententiam dicat, ita ut, quæ ſententia pluribus conſtaret ſuffragiis, ea ſuſcipiatur: nam inſiurandum inter Chriſtianos non mediocriter valet.

tamen

4. Modi finiendi controverſiam.

Græci. Quæ cum Græcorum conventui allata per nuncios ipſos fuiſſent, omnes obmutuerunt, cum quid ad tam juſtas conditiones reſpondere poſſent, non haberent. Nam ſanctorum plurimos eſſe dicebant, qui Sanctum ſpiritum ex filioque procedere teſtentur: alios autem ſe citare non poſſe, qui contrarium literis mandaverint, minimeque credendum eſſe, ſanctos inter ſe contraria protuliſſe, & aliis argumentis ſe probare non poſſe, ſuum dogma magis pium eſſe: quandoquidem tametſi pium eſſe credatur, quod à majoribus ſuis traditum fuerit, non minus tamen pium Latinorum dogma videri, utpote quod multorum ſanctorum patrum ſententia comprobatum fuerit. In ſacratiſſimo vero Chriſti corpore ac ſanguine inſiurandum, quamvis ſit fugiendum, quod nulla unquam alia ſynodus eo fuerit uſa, ipſum tamen honeſte ſe fugere nequaquam poſſe. Hæc inter ſe Græci.

Mytil. Cum Mitylenenſ. antiſtes ad eos, dixerit: Quid inter vos, P. R. contenditis, ac valde ambigitis? An non videtis (tametſi noſtrum dogma pium) Latinorum tamen additionem pro majori ſymboli declaratione inventam, piam, & à ſanctis patribus traditam eſſe? & quemadmodum divinum ſymbolum ex ſcriptura ſacra depromptum fuiſſe, ita etiam illud, ex filioque, ex eadem ipſa ſacra ſcriptura à Latinis expreſſum eſſe, ita ut utrunque dogma piiſſimum ſit, quandoquidem unam fidem, unam religionem, unum Deum in tribus perſonis, & nos & ipſi firmiter colimus. Non amplius ergo, Patres ampliſſ. tempus perperam conteramus, verum cum Dei Eccleſia, duce veritate jungamur, non plura inveſtigemus, hoc tandem reſponſum perbeato ſummo Pontifici demus.

dixit.

Imp. Cui quidem præſuli cum nemo contradixiſſet, Imperator reſpondit, hoc non eſſe quod quæritur, ſed quidnam ad illa quatuor ſummi Pontificis quæſita reſpondendum ſit, id nobis diligenter perveſtigandum.

Gregorius Cui Gregorius ſic reſpondit: Quid, obſecro, ſereniſſime Imperator, ſummo Pontifici reſpondere poſſumus? Dicere namque hæc eſſe falſa, illa vero mendoſa, & hæc nos ignorare, illa vero proſus inficiari, nobis indignum videtur.

Imp. Tum Imperator rogatu Græcorum omnium eoſdem nuncios ad ſummum Pontificem remiſit, ut ei reſponderent, Græcis videri quatuor illa quæſita tantum ab uno dependere, vel ad unum ſolum ſpectare, ſcilicet, ut diſputationibus agatur: quandoquidem ut ambigua dilucidentur, & ſcripturæ exponantur, ut denique inſiurandum fiat, judicio opus eſt, quod abſque diſputatione fieri benenon poſſet, à qua Græcos mirum in modum abhorrere, quandoquidem ex ea nil commodi conſequi ſperant. Nam ipſi majorum ſuorum authoritati acquieſcentes ſymbolo à ſanctis patribus ac à ſeptem œcumenicis ſynodis tradito, nulla unquam ratione quidquam apponerunt: contra, multorum ſanctorum authoritatibus Latinos clariſſime demonſtraſſe, additionem illam veram eſſe, fierique non poſſe, ut à ſymbolo dimoveretur, etiam ſi Græci vehementiſſime cupiant. Operæpretium igitur eſſe, ut contentione, ſanctorum authoritatibus, diſputatione, denique jurejurando poſtpoſito, beatiſſimus pater, utraque parte in ſuo dogmate permanente conjunctionis modum excogitet: ſin minus, infecta re, Græcos à ſynodo diſceſſuros.

Sum. Pont. Quibus ſummo Pontifici nunciatis, reſpondit ſe nonnullos Cardinales ad Græcorum conventum miſſurum, ut eis coram Imperatore reſpondeant.

Beſſ. Interea Beſſarion luculentiſſimam orationem pro pace in conventu Græcorum habuit, ac literis ipſam mandavit, quam in extremo hujus libri interpreti mihi diſponere viſum fuit, quoniam ab eodem ipſo Beſſarione poſt nonnullos annos latinitate donata fuerit. Triduo autem poſt Cardinales tres, necnon antiſtites decem, ac nonnulli monachi præclari Theologi, ſummi Pontificis juſſu, ad Græcorum conventum domi Patriarchæ, præſente Imperatore celebratum, convenere, ubi Julianus ille facundiſſimus Cardinalis hanc habuit orationem.

Jul. Card. Non inſcius ſum, Patres ampliſſimi, huc mecum præclaros doctores veniſſe, qui ſanctiſſimi Domini noſtri mandata melius quam ego referre poſſent. Verumtamen quoniam ego ſuperioribus etiam ſeſſionibus fuerim locutus, idcirco præſtantiſſimorum horum patrum conſenſu, nunc etiam pro viribus pauca proferam, hac tamen conditione ut ipſi, quæ imprudens omiſero, ſuppleant. Notum eſt vobis, Patres ampliſſimi, nos Ferrariæ convenſſe, ut in qualibet hebdomada duas ad minus ſeſſiones celebraremus, quandoquidem viſum eſt nobis operæpretium eſſe, ut noſtra dogmata diſputationibus clara lucidaque reddantur. Cur autem hanc noſtram conditionem ſervare nolitis, ipſi penitus ignoramus, cum non ſine magno veſtro noſtroque ſumptu huc, ut veritatem inveſtigemus, convenerimus: quam quidem non alia via, quam diſputando, poterimus conſequi. Porro quatuordecim menſium ſpatio ideo nihil profecimus, quod in eo longiſſimo tempore, non niſi viginticuinque ſeſſiones celebravimus, cum non minus quatuor quolibet menſe celebrare commodiſſime potuiſſemus. Unde patet, negligentia veſtra nos multum temporis contriviſſe, de quo quidem vehementer dolemus animo. Quapropter rogamus vos præſtantiſſimi P. velitis ad ſeſſiones venire, quandoquidem hac ſola via facile conjungi poterimus, quinimo fieri non poteſt, ut ſine diſputatione negocium noſtrum confici poſſit.

Imp. Satis ſuperque præſtantiſ. P. dixiſſe videmur. Non enim inter nos convenit ut in infinitum diſputemus. Reliquum igitur eſt, ut noſtræ conjunctionis modum inveſtigemus. Nam ut æger, cum prævalet ægritudo, non autem poſteaquam convaluerit, uti ſolet diæta, (non enim ſemper prodeſt abſtinere à cibo) ita etiam nobis diſputatio quondam profuit, nunc vero

neutiquam convenit. Verum nos alium modum, quo pacem poſſimus conficere, excogitare oportet.

Jul. Card. At nondum nobis ſereniſſime Imperator, ſatisfactum fuiſſe videtur, quandoquidem à diſputatione prius deſiſtere non debemus, quam nobis veritas pateat, cum præſertim ipſi multorum ſanctorum attulerimus authoritates, quibus dogma noſtrum pium eſſe probavimus, ac eum non eſſe Chriſtianum, qui Spiritum ſanctum non crederet ex filioque procedere. Vos autem cum neque nobiſcum ſentire velitis, neque argumenta noſtra refellatis, ſed à diſputatione vehementer abhorrere videamini, tantummodo proferentes, ſatis jam dictum eſſe, quod ſane nobis inconveniens eſſe videtur. Vos igitur oportet oſtendere, vel nos bene ſentire, vel ſine aliqua excuſatione ad ſententiam noſtram venire, ac nobiſcum conjungi, vel ad diſputationis certamen deſcendere, quouſque veritatem ipſam aſſequamur. Nam exemplum tuum ſereniſſime Imperator, à nobis potius eſſe videtur, quandoquidem ut ægroti ſolent uti diæta, ita nos etiam ob ſchiſma noſtrum, quod magnam ægritudinem eſſe duco, eouſque diſputare debemus, quouſque pacem ineamus: præſertim cum fieri non poſſit, ut alia conjunctionis via inveniatur. Pace vero conjunctioneque noſtra (favente Deo) confecta, ut ægroti diæta, ita nos diſputatione nequaquam egebimus.

Imp. Dico equidem, P. amp. nos amplius vobiſcum diſputare nolle, quandoquidem verbis abundatis, ac uſu dialectices vobis venit, ut nunquam ſuaderi velitis, verum ſemper differere, ad extremum autem vehementiſſime perorare, ſtatimque conſurgere, ac ſeſſionem dimittere, ut animos auditorum ad veſtram orationem flectatis. Omiſſo igitur multiloquio, viam qua Dei benignitate conjungi poſſimus, excogitemus.

Jul. Card. Ipſi profecto ſereniſſ. Imp. non multi prolixive fuimus, ſed dialectici non obmutescere, nec ſermone deficere ſolent, quandoquidem argumentis rationibuſque ſemper abundant. Qui autem propoſitam quæſtionem veris rationibus ſuſtinere non potens, tacet diſputationemque fugit, is dare manus deberet, atque à cauſa palam diſcedere, ut pater Epheſius feciſſe debuerat, quippe qui non habens quid amplius diceret, victus diſceſſit, nolens amplius diſputare, ac ſe victum ingenue fateri, cui vos quoque aſſentiri videmini. At non ita convenimus, verum ut eouſque diſſereremus, quouſque quæſtionem noſtram ad veram concluſionem perduceremus. Cui quidem ſermoni ſereniſſimus Imperator acquieſcere nolens, ac à diſputatione vehementer abhorrens, juſſit ut utraque ex parte decem viri ſeligerentur, qui tantum octies convenirent, & viam conjunctionis inveſtigarent: qua non inventa, ſynodo dimiſſa diſcederent. Poſtridie vero ad ſummum Pontificem ivit, ac ei ſuam ſententiam dixit: quam cum ſummus Pontifex approbaſſet, latini Cardinales duos, & duos antiſtites, ac duos doctiſſimos monachos, & duos alios clericos, Græci autem decem præſules elegere, qui cum ſimul conveniſſent, Græci prius à Latinis quæſiverunt, an ſancti Maximi literas ſuſcipere vellent, quibus clariſſime patet, Filium Spiritus ſancti non eſſe cauſam.

Latini. Quibus Latini reſponderunt, ſe minime credere, Filium principem ſancti Spiritus cauſam eſſe, ſed Patrem unicam filij ſanctique ſpiritus cauſam profiteri, illius ſecundum generationem, hujus vero ſecundum proceſſionem. Ut autem pateat, unam eandemque ſubſtantiam ipſorum eſſe, ſanctum Spiritum per filium procedere, Latinos dicere, qui etiam indiviſibilitatem eorum ſubſtantiæ ab hypoſtaſibus, profitentur: nam Filius ſubſtantialiter Patris Filius eſt, ſanctus vero Spiritus ſubſtantialiter Patris & Filij. Dicebant ergo Latini: Si Spiritus ſubſtantialiter Patris & Filij eſt, ſubſtantia vero ab hypoſtaſi ſejungi non poteſt, neceſſe eſſe, ut ſanctus Spiritus ex Filij etiam hypoſtaſi procedat. Authoritates autem, quas Maximus citare videtur, ab Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, ac aliorum ſanctorum doctorum Occidentalium authoritatibus neutiquam eſſe diverſas, quorum quidem volumina plena ſunt, ſanctum Spiritum ex patre filioque procedere. Quibus omnibus intellectis, conventus ipſe dimiſſus fuit. Poſtridie autem iidem patres convenere. Græcique ſancti Tharaſij Patriarchæ Conſtantinopolitani authoritates attulere, tenentis ſanctum Spiritum ex Patre per filium procedere, cupientes eo modo ſymbolum celebrantes, cum Latinis conjungi. At illi præpoſitionem *per*, longe melius quam Græci, expoſuere. Contendentibus enim Græcis, *per* & *ex* præpoſitiones diverſa ſignificare, Latini ſubtiliter reſpondebant, dicentes: Siquidem diverſa ſignificant, neceſſe eſſe, ut in divinis duæ ſint operationes: altera quidem Patris, quæ per *ex*: altera vero filij quæ per præpoſitionem *per* ſignificetur, quod quam maximum inconveniens eſt. Nolebant ergo Latini præpoſitionem *per*, ſuſcipere, ne propter ambiguitatem vocabuli, quiſquam impius crederet, præpoſitionem *per*, organum quoddam ſignificare, inſtar ſcilicet aquæ ductus, cum ipſi profiterentur ſanctum Spiritum ex Patre filioque, ut ab uno ſolum principio unica operatione procedere. Quibus dictis, diſceſſerunt. Et quamvis Græci nollent amplius convenire, (quid enim dicerent, non habebant) tamen à Latinis coacti, ter iterum convenerunt. Et factum fuit poſt multa, ut Latini, contendentibus Græcis, ſententiam ſuam literis mandaverint in hac forma.

Latini. Quoniam Græci ſuſpicantur nos duo principia, duaſve cauſas in ſancta conſubſtantialique Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes ſententiam vel talia profitentes, anathemate notamus, quandoquidem ipſi credimus, Patris & filij operationem poteſtatemque mittendi, unicam Spiritus ſancti cauſam eſſe, ita ut filius non ſit diverſum à Patre principium, ex quo quidem Spiritus ſanctus procedat, ac eſſe habeat. Nam Patrem unicam cauſam, & radicem, ac fontem divinitatis profitemur eſſe: non ita tamen, ut patris & filij ex eo confundamus perſonas, quod operationem ipſorum unam eſſe credimus (id enim eſſet impium credere) verum duas patris filiique perſonas exiſtere, unam autem operationem, ac eorundem unicam poteſtatem mittendi: unum denique eſſe, quod ex ipſorum ſubſtantia & hypoſtaſi mittitur, profitemur. Idcirco autem divinum ſymbolum, declaratum ac dilucidatum à majoribus noſtris fuiſſe dicimus, ne quiſquam ambigens, an filius Spiritus ſancti cauſa ſit, in aliquam incideret hæreſim. Nam credentes ſanctum Spiritum ex filio nequaquam procedere, neceſſe eſt ut intelligant, Spiritum ex ſolo Patre procedere, ac conſequenter non eſſe filium. Qui autem proferunt Spiritum ex ſola patris perſona procedere, hi proculdubio ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant, & partitionem imaginantur divinæ ſubſtantiæ, quod à ratione fideque valde alienum, pie creditur eſſe.

Græci. Quibus quidem literis à Græcis perlectis, eas vario ſenſu intellexerunt. Nam alij dicebant, Latinos Filiũ Spiritus ſancti cauſam eſſe clariſſime credere, & cum Græcis neutiquam convenire: alij vero, Latinos ipſos duo principia, duaſve cauſas Trinitati aſcribere: alij denique, qui ingenioſiores haberentur, mirum in modum contendebant ut ipſæ literæ diligentius inſpicerentur. Latini autem, audita tanta Græcorum inter ſe controverſia, alias ad eos literas miſerunt in hoc tenore.

Latini. Quoniam Græci nos calumniantur, ac nobis objiciunt, duo principia vel duas cauſas in ſancta & conſubſtantiali Trinitate ponere, idcirco profeſſionem noſtram his literis mandamus: Credimus in unum Deum Patrem, & in unum Filium unigenitum

& ex Patre natum, & in unum Spiritum ſanctum, ex Patre quidem habentem eſſentiam, quemadmodum etiam Filius, verum ex Filioque procedentem, quandoquidem Patrem unicam filij ſanctique Spiritus cauſam profitemur, illius quidem per generationem, hujus vero per proceſſionem. Porro autem, ne ideo trinitatem conjunctionemque divinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam eamdem ſubſtantiam re non autem ſola ratione, ab hypoſtaſibus & perſonis differre, credere videamur: nec non quiſpiam credendo ſanctum Spiritum ex ſolo Patre procedere, tres in partes unicam illam divinam ſubſtantiam dividi mente concipiat, idcirco verbum, ex filioque, neceſſarium in ſymbolo duximus eſſe, profitentes ſanctum Spiritum ex Patre Filioq; tanquam ab unico principio, procedere. Quas quidem literas cum Græci biduum diligentiſſime contemplati fuiſſent, nolentes ulla ratione concedere Filium ſancti Spiritus cauſam eſſe, vix ipſi quoque ſententiam ſuam literis hac forma traditam ad Latinos requiſiti miſere.

Græci. Cum Latini profiteantur, Patrem unicam filij ſanctique Spiritus cauſam eſſe, ac à nobis contendant, ut noſtram ſententiam, quidque in hac re ſentiamus, noſtris literis declaremus, idcirco Patrem filij ſanctique Spiritus fontem & radicem, Filium vero & ſanctum Spiritum, ſecundum primam œcumenicam Synodum & magnum Baſilium & Cyrillum divina germina profitemur eſſe, nec non Spiritum à Filio ſcaturire, hauriri, prodi, emitti ac profundi.

Latini. Quas quidem literas ad Latinos hac conditione Græci miſerunt, ut ipſas cum voluiſſent, exponere poſſent.

Hauriri ſcaturire, profundi.

At Latini literis ipſis nequaquam acquievere, proferentes ſe verborum ipſorum expoſitionem vehementer deſiderare: quandoquidem verbum ſcaturire, in actis ipſius primæ Synodi, hauriri vero & profundi, in nonnullorum ſanctorum commentariis legitur: quid autem talia verba ſignificent, (ut paulo ante dictum eſt) ſe ſcire cupere: quia vulgo ferebantur ejuſmodi verba, ſecundam ac temporalem miſſionem ſignificare: ſe autem credere, ſanctos patres de una tantum ſancti Spiritus miſſione litteris mandaſſe, ac ipſam Spiritus à filio eſſe effuſionem, ſecundam non eſſe. Etſi quamvis temporalis etiam ſancti Spiritus miſſio ad homines ſit, ſe tamen primam illam inveſtigare, qua quidem filius ſancti Spiritus cauſa creditur eſſe: nam qua ratione ſanctus & hypoſtaticus Spiritus à Filio ſcaturiret, niſi ab ipſo haberet eſſe? vel quonam modo apud Cyrillum, ab eodem Filio ut à Deo Patre proflueret, ſi non ab ipſo penderet? Dicebant ergo Latini ſe cum Græcis in hoc ſentire; verum ut omnis ambiguitas tolleretur, & ne quiſquam in poſterum opinetur, miſſionem ipſam, de qua agitur, in ſimpliciſſima divinitate ſecundam eſſe, idcirco declarationem, quam ſupra dixerant, à Græcis ipſis deſiderare.

Græci. Quæ cum Græci audiviſſent, magno animi dolore affecti, quod ea ratione modum rei facere non poſſent, proferebant magnum ſe facinus contra trium legatorum Patriarcharum, videlicet Heracleenſ. Epheſij & Monembaſienſ. nec non ex aliis antiſtitibus Anchialen, ac ex clericis magni Bibliothecarij, ac protec. dici ſententiam commiſiſſe quod literas ipſas ad Latinos ſcripſiſſent, ſeque nil aliud poſſe facere, quandoquidem Latini ſanctorum authoritatibus acquieſcere nolunt, ideoque operæ pretium eſſe ad patriam, infecta re, remeare.

Latinos ſcurus for. Deſcribei.

Imp. Quæ cum ſereniſſ. Imperat. intelleXiſſet, eorum ſocordiam exprobravit, ob quam ſibi videbatur ipſis male actum fuiſſe, ac ſtatim ad ſummum Pontificem ivit, ipſique ſignifiavit, quæ inter ſuos antiſtites proferrentur.

Papa. Cui Pontifex Summus ità reſpondit: Nos Imperator fili, ſæpe ſæpius à vobis contendimus ut diſputando veritatem inveſtigaremus: deinde inquirentibus vobis, quidnam de ſumma Trinitate ſentiremus, bis ad vos ſcripſimus. Quod cum vobis nequaquam placuerit, quaſdam nobis ſanctorum authoritates miſiſtis, quæ quoniam nobis ambiguæ viderentur, vos enixe rogavimus, ut ipſas clariores redderetis. Vobis autem id facere recuſantibus, quid amplius poterimus facere?

Imp. Non equidem, P. beatiſſ. Græcorum conventui dominor, neque vellem ipſum tyrannice cogere, ut vobiſcum pacem componat. Qui cum clariſſimas ſuæ profeſſionis literas ad vos libenti animo miſerit, neſcio cur alia opus ſit expoſitione. Nam ſcaturire, profundi, hauriri, & reliqua illa vocabula, filium cauſam eſſe ſignificant, tametſi noſter conventus, ne tumultus ob ignorantiam vulgi fieret, ea clarius explicare non audeat. Siquidem igitur vobis credentibus Filium ſancti Spiritus cauſam eſſe, non ſolum non contradicimus, verum etiam cum verbis illis conjungi volumus, quidnam aliud, obſecro, à nobis deſideratis?

Jul. Card. Quoniam, Imperator Sereniſſime, conventus veſter videtur credere, verba, ſcaturire, hauriri, atque profundi, ſecundam quandam & temporalem miſſionem ſignificare, idcirco vehementer deſideramus, ut veſtram ſententiam veſtris literis clarius exponatis: quandoquidem ipſi ſentimus Cyrillum his verbis oſtendere voluiſſe, Spiritum ſanctum ex Patre Filioque eſſentialiter eſſe, nec non ex Filio, ſicut ex Patre, procedere.

Imp. Quæ omnia ſereniſſimus Imperator conventui ſuo retulit.

Græci. Qui quidem ea graviter ferens, poſt aliquot dies eoſdem illos nuncios ad Summum Pontificem remiſit, cum obſecraturos, ut hujus rei tandem faceret finem.

Papa. Qui Summus Pontifex ſtatim eoſdem ipſos tres Cardinales ad conventum Græcorum miſit, ipſos rogaturos, ut ſuas exponeret literas, præſertim quonam modo illam præpoſitionem *per*, intelligeret, cum apud Latinos quatuor res videatur ſignificare, videlicet inſtrumentum ut feram, & materiam ut domum, & tranſitum ut aquæ ductum, ac naturaliter ſubſtantialiterque, quemadmodum ſpiritus Sanctus per Filium mitti creditur.

Imp. Quæ cum Græcis nunciata fuerunt, Imperat. Cardinalibus ipſis reſpondit, ſuos antiſtites aliud nolle conſcribere, vel proferre, ſe tamen maxime deſiderio affici, nec non paratos eſſe cum Latinis conjungi: ſin minus, propediem à Synodo diſceſſuros. Hæc & alia verba ſimilia Imperator proximo quoque die Cardinalibus ipſis eamdem expoſitionem enixe petentibus protulit. Deinde vero ad Summum Pontificem accerſitus ivit.

Papa. Cui Summus Pontifex ita dixit; Cum tuum ad conjungendas Eccleſias magnum ſtudium, Imperator fili, viderem, magno equidem gaudio afficiebar, ita ut æquo animo labores ac non mediocres ſumptus ferrem: nunc autem contra videns tuorum hominum in tali tantaque re ſocordiam & pigritiam, animi dolore afficior, ac ſimul vehementer admiror, undenam hæc tam ſubita, tantaque rerum mutatio ſit, cum mihi profecto videantur abſque conſona ratione ab Eccleſiarum conjunctione mirum in modum abhorrere, ita ut videar operam & oleum (ut vulgo dicitur) perdere. Porro autem ſcire velim quid unquam fuerit opus, in quo vobis non ſatisfecerimus? vel quid à vobis contenderimus, quod fieri non poſſit? Aut igitur noſtram plam profeſſionem ſuſcipite, aut excolite: aut veſtras literas, quas nuper ad nos miſiſtis, nobis reddite clariores, quo quidem pacto facillime conjungeremur; an quicquam prohibet, quo neutrum horum poſſit fieri?

Imp. Juſta petis, P. ſancte, ut noſtras litteras ex-

ponamus, clarioresque reddamus. Verum nonnulli A praesules nostri, Latinorum petitionem credentes congruam rationi non esse, nolunt ei acquiescere: difficileque eis videtur, dogma majorum suorum tam subito dimittere, cum semper crediderint. Latinorum fuisse sententiam, Spiritum sanctum duas substantiales causas habere, propterea que noluerint illud, *ex Filioque* suscipientes, vobiscum pacem componere. Nobis ergo necesse est ut patrias leges moresque servemus. Ego vero qui conventui nostro (ut paulo ante dixi) non impero, ipsum tyrannice cogere nolo, ut quicquam praeter ejus voluntatem dicat vel agat, ita ut in hoc quod à me, Pater Beatissime, petis, minime tibi satisfacere valeam.

Papa. Vester ergo conventus veniat, ut mihi respondeat, ut mihi & tibi Imperatori plurimum con- B venit.

Imp. Tum jussu Imperatoris, absente tamen ipso ac Patriarcha, Graeci omnes Antistites ad summum Pontificem venere. Quem cum Cardinalibus novem ac pluribus praesulibus offendere. Ubi confidentibus omnibus, is Summus Pontifex orationem hanc habuit.

Quinta difficultas unionis Ecclesiarum.

Papa. Nequaquam, fratres prudentissimi, Orientalis Ecclesiae consiliarij, terrenarum & caducarum rerum, aut nostri commodi causa, verum Spiritu sancto afflati, ut Dei Ecclesias conjungamus, non sine magno labore divinum hoc opus libenter aggressi fumus. Qua quidem in re quantum laboris susceperimus, ac in dies suscipiamus, vobis notissimum esse putamus. Quod profecto aequo animo ferebamus, C dum crederemus, vos etiam in hanc rem vehementer incumbere, videntes multa vos terra marique passos, ad conjungendas ipsas Dei Ecclesias festinantes huc convenisse. Nunc autem taciti nobiscum considerantes, vos ipsos negligentes & hac in re pigros factos esse, vehementer miramur, ac vestri plurimum miseremur, etiam non inscij vos & patria, & necessariis, ac vestris commodis carere, nec non Ecclesias vestras non mediocriter pati, magno animi dolore afficimur, praesertim bene prospicientes, si nostras Ecclesias, ob negligentiam & contumaciam vestram neutiquam conjunxerimus, quanta mala futura sint. Ut autem (fratres) dogma nostrum pium esse demonstraretur, frequentes fieri sessiones ac inter nos disputationes ab initio studio summo curavimus. At vos ita rem D semper voluistis differre, ut dum essemus Ferrariae, non amplius quam 16. sessiones fuerint celebratae. Quod quidem licet aegrè ferremus, tamen ad sanctam pacem prospicientes, rebus in omnibus, quas à nobis petiistis, vobis libentissime satisfecimus. Communi deinde sententia Synodum huc transtulimus, ubi sane numquam destitimus, quin ex mutuis conditionibus, quas Ferrariae accepimus, vos ad disputandum hortaremur, ac hujus rei causa, quandoque increparemus. Nam ibi convenimus, ut tres singula quaque hebdomada sessiones celebraremus, etiam- E si summus Pontifex, vel Imperator, vel Patriarcha, vel quisquam ex electis disputatoribus detentus valetudine à sessione abesset, & si festum, aliudve impedimentum contingeret, proxima die sessio haberetur, ut nulla ratione ulla unquam sessio posset impediri. At vos vix novem aliis sessionibus hic Florentiae celebratis, ut privati conventus fierent, contendistis, sperantes, eo modo nostrae conjunctionis viam invenire. Qua etiam in re tametsi vobis indulserimus, nihil tamen ob socordiam vestram profecimus, quandoquidem contendentibus vobis cognoscere, quidnam de Spiritus sancti processione sentiremus, binas litteras scripsimus, quod forsan pro Romanae Ecclesiae dignitate fieri non debebat. Quanto enim honore ac observantia Orientalis Ecclesia Romanam semper fuerit prosecuta, vos scire credimus. Deinde nobis quoque volentibus intelligere, quidnam ipsi de eadem processione sentiretis, literas nobis multum ambiguas & obscuras scripsistis. Postremo, plurimum requisiti atque rogati, ut eas exponeretis, clarioresque redderetis, nobis satisfacere noluistis, ita ut ipsas intelligere non possimus. Quid igitur faciamus, nescimus. Videmur autem videre non sine omnium nostrum incommodo & dedecore nos (quod absit) semper disjunctos fore, quod quidem quo animo creditis Occidentales principes audituros esse? ac nos quanto animi dolore afficiendos? Vos vero quanta moestitia vestram ad patriam reddituros? Contra, pie conjunctis Ecclesiis, & principes ipsi nobiscum vehementissime gaudebunt, & omnes vobis auxilio erunt, ita ut non solum Christiani, qui sub Imperij vestri ditione sunt, verum etiam illi, qui sub impio tyranno & Christi nominis hoste degunt, animo leventur. Rogamus itaque vos fratres, per Domini nostri Iesu Christi praeceptum, ne velitis Dei Ecclesias disjunctas semper manere, verum ipsis conjunctis Deum simul glorificemus: quando quidem Ecclesiarum conjunctio animabus nostris saluti, nobis vero non mediocri fuerit honori, ac eam dubio procul corporei ac incorporei acerrimi nostri hostes, nobiscum Angelis gaudentibus vehementer timebunt, ita ut non minus in coelo quam in terra non mediocre gaudium sit futurum.

Ruth. Oratio tua, Pater sanctissime, vera nobis videtur esse, sed quoniam magnae res magna indigent consideratione, idcirco in hoc longissimo tempore, in primis serenissimus Imperator Concilio & prudentia, deinde nostrum publicis, tum privatis disputationibus, diligentissimaque pervestigatione, in Ecclesiarum conjunctionem mirum in modum incubuimus, ita ut totos hos quatuor annos, ex quo negocium hoc tractare coepimus, plurimum laboraverimus: nil mirum autem, si pro magnitudine rei nihil fere confecerimus, quandoquidem (ut paulo ante diximus) longa opus est contemplatione.

Graci. Quibus dictis, Graeci ad Patriarcham venere, ac ei omnia retulere.

Patriar. Ipse vero, sic contendentibus pluribus, Ruthenum & Nicaenum & Lacedaemonium, ac Mitylenen. antistites ad Imperatorem misit, ut ei nunciarent, conventum Graecorum, Patriarcha duce, cum Latinis conjungi velle: ideoque rogarent ipsum ut pacem conficeret, sin minus, invito eo, antistites suos eam confecturos.

Imp. Quae cum Imperator audisset, timens, ne sui homines in ipsum conspirarent, cogitare coepit quonam pacto pacem cum Latinis iniret. Die vero sequenti in Graecorum conventu domi Patriarchae facto, haec habuit verba.

Non alia de causa, Pontifices optimi, ad hanc venimus regionem, nisi ut Ecclesias conjungamus, & non pro alia re tot labores pertulimus, quam nostrae Ecclesiae dignitatis ac amplitudinis causa. Sed ecce jam mensis 15. agitur, ex quo patria & commodis nostris privati, in Italia sumus, & nihil profecimus. Porro mihi videtur disjunctionem ac nostrum à Latinis dissidium, perniciosissimum esse: conjunctionem vero atque piam concordiam, nobis valde conducere posse. Ideo duo nobis opposita, ut pote mala, damniferaque fugienda sunt: alterum, ne sine ratione cum Latinis jungamur: alterum autem, ne impie ab eisdem dissideamus. Ergo diligenter debetis considerare, quidnam nobis magis conducere possit, ac in primis, quantum calamitatis talis discordia nobis afferre posset. Mementote ergo Patres optimi, vt patriae nostrae Constantinopolitanae auxilio sitis, quae quidem sola Christianorum refugium, spes ac servatrix in Oriente relicta est. Consulite, obsecro, incolumitati ac saluti eius: dicite sententias neque animabus, neque corporibus perniciosas. Pia quidem & non absque ratione Ecclesiarum conjunctio, nobis valde conducet: earundem vero disjun-

ctio contra: ſed animarum noſtrarum ſalute omnia debent metiri. Cavendum igitur, ne, ſi talis conjunctio pia eſt, eam ſine ratione fugiatis, ita ut tanto talique careamus bono, quandoquidem Eccleſiarum diſiunctio horribilis eſt & dicitur. Si quis autem impedit, quominus pia Eccleſiarum pax fieri poſſit, is cum Iuda damnetur.

Græci. Tum Antiſtites omnes una voce clamarunt: Si quis Eccleſiarum conjunctionem non deſiderat, ſit anathema.

Ruſs. Credo equidem, fratres, vos non ignorare diſſidium & controverſiam noſtram cum Latinis, multorum malorum cauſam fuiſſe. Occidentalium ergo ac Orientalium Sanctorum Doctorum ſententias accurate conſideremus: quippe qui videntur inter ſe quam maxime convenire, quandoquidem nobis credendum eſt, ipſos à Spiritu ſancto æqualiter afflatos fuiſſe: ipſis ergo debemus æqualiter credere, niſi aliter vobis videtur.

Beſſ. Annuentibus autem his omnibus Pontificibus, Nicænus prolixiorem habuit orationem, dicens: Si creditis, Patres Ampliſſimi, ſanctos eſſe concordes, cur etiam cum ipſis non creditis ſanctum Spiritum ex Patre Filioque procedere? Deinde multas attulit authoritates, præſertim Cyrilli ſuper Ioannem, & ex ejus theſauris, & ex Epiphanij angyroto: quorum aliæ teſtabantur ſanctum Spiritum ex Patre Filioque procedere, aliæ ex utroque, aliæ ipſum Spiritum à Filio habere eſſe, aliæ vero ab eodem profundi & mitti.

Mytil. Quibus quidem Orientalium Doctorum ſententiis intellectis, Mitylenen. etiam Præſul ſanctos Occidentales Doctores citavit, proferentes Patrem & Filium unicam ſancti Spiritus cauſam eſſe, Patrem tamen præcipuam eſſe cauſam, licet Spiritus ex conſubſtantiali quoque filio ſit, ac ex utroque procedat.

Græci. Quibus omnibus ſanctorum ſententiis viſis, Pontifices ipſi dixerunt, ſe nunquam alias ipſas intelleziſſe, nunc autem eas æquo animo ſuſcipere.

Imp. Tum Imperator dixit illis: Si ergo talibus ſententiis acquieſcitis, veſtras ſententias dicite.

Græci. Hi vero Pontifices ac Patriarcha ſimul reſponderunt, Occidentales ſanctos ſe ſectari velle, ac ipſorum doctrinam ſuſcipere, quam quidem neceſſe eſt veram eſſe, cum ab uno eodemque ſanctorum Spiritu æqualiter omnes afflati fuerint.

Geor. Sequenti autem die Georgius Scholarius vir doctiſſimus, qui cum ſacris initiatus non eſſet, in Synodum venire non poterat, ab Imperatore vocatus, ut quidnam in hac ſentiret materia, proferret, hanc orationem in conventu Græcorum habuit.

Scholarius. Quid equidem, Imperator optime, de facienda cum Latinis pace ſenſerim, ac ſentiam, ex ſermone, quem nuper ad hos Patres amp. ſcripſi, patet quo quidem ipſos, ut cum Latinis conjungerentur, pacemque componerent, & Reipublicæ Conſtantinopolitanæ auxilium ferrent, pro viribus hortatus ſui. Nunc autem duas alias orationes, quas nuper exaravi, tibi conſecro, in quarum altera contingetur, quinam ratione pax hujuſmodi fieri debeat, in altera vero non argumentis ac humanis probationibus, verum ex ipſa ſacra Scriptura, & Sanctorum Doctorum ſententiis demonſtratur, ſanctos omnes Doctores inter ſe concordes ac conſonos eſſe. Quas quidem duas orationes, ſereniſſime Imperator, tametſi neque ſapientia, neque ſcientia, neque ingenio prædirus ſim, pro meo tamen munere ac gratiis, quas mihi pro illo primo meo ſermone humaniſſime reddidiſti, quas equidem minimas ſimul & maximas eſſe cenſeo, illud quod alias majoribus me beneficiis affeciſti, hoc autem quod indignus ſum, ut tot ac tantæ mihi gratiæ agantur: pro meo (inquam) munere, ac horum præſtantiſſimorum patrum in me mutua benevolentia, ſummo ſtudio ac lucubrationibus & longis vigiliis compoſui. Quibus plane patet, quidnam ego in hac re ſentiam, videlicet omnes probos & non contentioſos Chriſtianos, firmiter credere debere, ſanctos Doctores (ut paulo ante dictum eſt) quam maxime concordes eſſe, quorum omnium rationem cuicumque volenti auſcultare paratus ſum reddere. Porro quoniam tu, Imperator divine, ac omnes hi præſtantiſſimi Patres mihi jubetis, ut eo quoque quidnam de tali re ſentiam, nunc in medium proferam, idcirco cum tametſi convenientius eſſet mihi paci per vos faciendæ acquieſcere, quam in ea ſententiam dicere: quandoquidem talem proferre ſententiam ad Eccleſiarum rectores pertinere videtur, tibi tamen imperanti mihi, non autem quod authoritate mea in hac re opus ſit, pro viribus ſatisfaciam. Sed ubi de fide veritatiſque profeſſione agitur, propria uti authoritate ineptiſſimum eſt, nam nec imprudentium quiſquam aliquid crederet, quod non aliqua ratione conſtaret, licet ſola fidei veritate (ut novimus) Chriſtiani ſervari, & divinam gratiam conſequi poſſunt. Sed hæc hactenus.

Primum autem Deo optimo maximo, ſereniſſime Imperator, gratias ago, qui veſtrum omnium mentes, ad componendam pacem ſibi gratiſſimam direxiſſet, quique paſſus nequaquam fuiſſet ut ſui fideles ſpe tanta fraudarentur: me deinde veſtri ſacri conventus, quinimmo hujus œcumenicæ Synodi ſententiæ ac futuro decreto ſummitto, quod quidem ſumma veneratione ac non mediocri gaudio ſuſcipiam & amplectar, ipſique magnum honorem pro viribus tribuam, ut pote quod non ab hominibus, ſed à Deo eſſe prolatum exiſtimem. Hanc autem ſententiam dico, non quia laicus ſum, ob idque mihi neceſſe eſt divino tuo Imperio, & œcumenico Patriarchæ noſtro, & huic ſancto conventui, & multo magis generali Synodo ſemper obedire, neque præterea, quod in hac materia ſemper hujus ſententiæ fuerim, ut cum Latinis conjungeremini, verum & ſi contrariam ſententiam prius habuiſſem, & quavis dignitate in Dei Eccleſia præditus eſſem, ſapientiaque cæteros mortales præcellerem, adhuc tamen non aliam ſententiam in præſentia dicerem. Demum magno affectus deſiderio, veritatis confeſſione meam linguam expiare, ſanctificareque, ut Chriſti ſervatoris noſtri de me quoque confeſſionem in cœlis expectem, quam quidem ipſe, qui veritas eſt, his qui eum coram hominibus profitentur, promittit, pia mente credo & profiteor, ſanctos Doctores, tam Orientales quàm Occidentales, quos inter ſe conſonos eſſe, neceſſe eſt, & quorum alij literis mandarunt, ſanctum Spiritum ex Patre Filioque, alij ex Patre per Filium procedere vel mitti, vel ex Filio, vel ex Patre per Filium eſſe, alij vero vel ex Filio profundi, quemadmodum ex Patre, vel ſubſtantialiter ex utroque effundi, vel denique ex filio ſcaturire, ac alia id genus; ſanctos, inquam, DD. ipſos, ad hanc unam veritatem reſpexiſſe, ſanctum ipſum Spiritum à Patre filioque accipere eſſe, ac ex Patre filioque procedere, ut ab unico principio, atque uno mittente, patremque ſimul & filium unicum Spiritus ſancti principium eſſe, non autem ex eo propterea conſequi. Patrem & Filium duas cauſas eſſe, neque ipſos inter ſe confundi, quamvis nonnulli ſuſpicentur huic ſententiæ talia incommoda contingere. Quod ideo ipſis accidit, quod ſententiam ipſam non bene percipiunt. Ego autem credo, Spiritum ſanctum ex Patre Filioque, vel ex Patre per Filium, ut ab unico principio cauſave procedere, veram ſententiam eſſe, ac ſanctos omnes (quos ſupra diximus) in hoc concordes fuiſſe, quinimmo nequaquam fieri potuiſſe, ut in aliquo diſſentirent. Propterea que duas cauſas in divinis eſſe credentes, aut Patris filiique perſonas confundentes execrandos, anathemateque notandos cenſeo. Dixit, ac ſtatim è conventu exivit.

Mat. 10. Marc. 8. Luc. 12.

Græci vero multis Orientalium Doctorum ſententiis repetitis, & accurate conſideratis, patefacta denique veritate, ſententias ſuas hoc modo ac ordine dixerunt: Occidentalium ſanctorum Doctorum ſcripta diligenter auſculta vimus, quorum alia ſanctum Spiritum ex patre filioque, alia vero ex patre per filium procedere teſtantur: quæ quidem omnia tametſi ſignificent idem, nos tamen illud ex filioque, poſtponentes, ſanctum Spiritum ex patre per filium ab æterno ſubſtantialiterque, ut ab unico principio vel unica cauſa procedere profitemur, quandoquidem præpoſitio *per*, in ſancti Spiritus proceſſione causâ ſignificat.

Reſolutio Græcorum.

Imp. Hanc equidem ſanctam generalem Synodum nequaquam cæteris inferiorem eſſe cenſeo, quarum quædam etiam pro multitudine patrum, aliæ Gregorij & Cyrilli, aliæ vero aliorum clariſſimorum Doctorum authoritate fuerint illuſtres: hanc tamen non minus ipſis piam & ſanctam exiſtimo, neque ipſam minori proſequor veneratione, quod in ea diviniot & difficilior quæſtio tractatur, & viri, qui tantam rem agunt, ſancti venerationeque plurima digni ſunt, præſertim pontifex ſummus, ac patriarcha noſter ſanctiſſimus. Cum igitur hæc Synodus talis ac tanta ſit, ego Dei gratia Imperator, ejus futuræ ſententiæ acquieſcere, quodque decretum ipſa vel major numerus patrum ediderit, more majorum meorum, ac pro viribus ſacri Imperij abſque aliqua excuſatione defendere promitto, tum cauſis antedictis, tum etiam quod mihi ipſi ſuadeo, ubi de divinis dogmatibus in œcumenica ſynodo agitur, ſanctam Dei Eccleſiam communi patrum ſententia nequaquam errare poſſe. Fieri namque poteſt, ut unus, duo, tres vel plures homines per ſeſe meditantes, ac rem aliquam contemplantes, aberrent: communem autem Eccleſiam, de qua Dominus dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, errare non poſſe cenſeo. Alioquin & Servatoris noſtri verba vana eſſent, & noſtra Religio peſſundaretur. Quæ quia maxima incommoda eſſent, credendum potius fieri non poſſe, ut Eccleſia Dei decipiatur. Neceſſe eſt ergo (ut paulo ante dictum eſt) Imperatoriam majeſtatem Eccleſiæ decreta defendere. Sed velim, ne à Latinis cogamur, ut ſacro Symbolo noſtro quicquam apponamus, vel cæremoniarum aliquid in Eccleſia noſtra mutemus.

Mat. 16.

Rhu. Sanctorum Occidentalium ſcripta nobis ſuſcipienda cenſeo, ſanctumque Spiritum ex filio habere eſſe, necnon patrem & filium unicam Spiritus cauſam eſſe, credo & profiteor, ac coram Deo & vobis palam dico.

Beſſa. Poſt autem Beſſarion eandē ſententiam dixit.

Verum enimvero rem altius repetens, plurimis ac fortiſſimis argumentis oſtendit, eum Chriſtianum ſervari non poſſe, qui ſanctum Spiritum ex Patre filioque procedere crederet minime.

Mity. Ego ab ineunte ætate litteris & ſermone cum Latinis certabam acerrime, ipſis ſemper contradicendo, quod mihi duas in ſacratiſſima Trinitate cauſas ponere viderentur, dicentes filium ſanctique Spiritus cauſam eſſe. Nunc autem in Synodo, dogmate ipſorum accurate dilucidato, eos longe aliter & non à ratione aliena ſentire cognovi: quandoquidem profitentur patrem, ut pater eſt, filij patrem eſſe: ac Filium, quatenus filius eſt, patris filium eſſe, cum relativa & ad aliquid ſint: ſanctum autem Spiritum per ſeſe neque ad patrem, neque ad filium referri, quatenus pater & filius ſunt, quod Spiritus per ſe relativum non eſt: ratione vero, qua Spiritus eſt, ad ſpirantem referri: neminemque proferre debere, patrem & filium ſpirantes non eſſe, cum paſſim legatur Spiritum patris & filij eſſe, ac in Evangelio ſcriptum ſit, *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Et, *Qui videt me, videt & Patrem meum*: Ergo pater & filius unica ſpirandi, mittendive facultate (ut bene Latini dicunt) ſanctum Spiritum ſpirant. Quæ cum à ſanctis Doctoribus memoriæ tradita diligenter vidiſſem, omnes valde conſonos ac concordes eſſe percepi, quamvis Occidentales magis quam Orientales expreſſe clareque litteris ea tradiderint. Nam Orientales his verbis, profundi, emitti, ſcaturire, hauriri, ac aliis id genus vocabulis uſi fuerunt, ſanctumque Spiritum per filium procedere protulerunt: Occidentales vero ſanctum Spiritum ex Patre filioque, tanquam ab unico principio procedere, litteris clariſſime mandavere. Quorum item ego volens ſequi veſtigia, ſanctum Spiritum ex Patre filioque, ut ab unico principio, non autem à duabus cauſis procedere, profiteor: quandoquidem non patrem, unam: filium, alteram Spiritus ſancti cauſam eſſe: ſed Patrem unicam filii ac Spiritus cauſam ab ipſis Latinis perdidici, Patremque ſimul & filium unicum ipſius Spiritus principium eſſe; ita ut cum ſanctus Spiritus ex Patre filioque procedere celebretur, tanquam ab unico principio intelligi debeat: quod ita eſſe coram Deo & hominibus credo & profiteor.

Græci. Tum nonnulli alij Patres eandem ſententiam dixere.

Poſt aliquot dies facto iterum in Patriarchæ domo conventu, Imperator hæc verba fecit:

Imp. Proximis diebus, pontifices opt. multorum ex vobis ſententias intellexi, & coram vobis & Patriarcha meam dixi, & jam mihi notiſſimum eſt, majorem dignioremque partem veſtrum cum Latinis ſentire, credereque proculdubio præpoſitiones *per* & *ex*, idem ſignificare, necnon Occidentalium Doctorum authoritates ſuſcipiendas, quibus patet clariſſime, ſanctum Spiritum ex Patre filioque procedere. Operæprecium igitur eſt, ut qui proximo conventu non dixit ſuam ſententiam, eam in præſentia dicat, ut hoc tandem negocium concludamus. Reſpondentibus autem omnibus valde conveniens eſſe ut Patriarcha primus ſuam ſententiam dicat, ita is protulit.

Patriarcha Conſtantinopol.

Ego noſtrum Paternum dogma non derelinquam neque mutabo, ſed in eo quouſque vixero, permanebo. Sed quoniam Latini non temere, nec ex ſententia propria, verum Sanctorum authoritatibus adducti, ſanctum Spiritum ex Patre filioque procedere credunt, idcirco eis aſſentior, & cum ipſis conjungor, ac præpoſitionem *per* filium, Spiritus ſancti cauſam ſignificare concedo.

Græci. Tum patres ſequentes, præſertim Cizicen. & Trapezunden. ac Monenbaſien. & Heracleen. qui antea vehementiſſime repugnabant, eandem ſententiam dixerunt, excepto ſolo Epheſio, qui in eadem permanſit perfidia, ſanctum Spiritum ex filioque nequaquam procedere. Conventus ergo Græcorum, in hanc ſententiam ivit, ſanctum Spiritum ex patre filioque, ut ab uno principio ac unica ſubſtantia, unica ſpiratione, proceſſione procedere: per filium vero, tanquam à conſubſtantiali ejuſdemque naturæ. Poſtridie autem Græci iterum congregati, eandem ipſam ſententiam dixerunt, ac tribus litteris tradiderunt, quarum unas ſummo pontifici, alteras Imperatori, tertias vero patriarchæ dedere. Quas cum ſummus pontifex vidiſſet, magno gaudio affectus, convocatis extraordinarie tam Græcis quam Latinis pontificibus omnibus, Imperatore tantum & patriarcha abſentibus, litteras ipſas Græco Latinoque ſermone recitari juſſit. Quibus quidem perlectis, omnes amplexati, ac inter ſe oboſculati fuere. Tum ſummus pontifex, Cretenſ. Archiepiſcopum, & Coronenſ. Epiſcopum, ac (neſcio quem) Thomam Doctorem ad Imperatorem miſit, ut ei pacem ejuſmodi non mediocri omnium gaudio confectam eſſe, nunciarent.

Locus obſc.

Obſtinatio Marci Epheſij.

Papa. Sequenti vero die Græci à ſummo pontifice requiſiti, ut de ſuis præſulibus quoſdam ad eum mitterent, Rhutenum & Beſſarionem, & Trapezundenſ. ac Mitylenenſ. ad ipſum miſerunt, quibus ita loquutus fuit: Nos Spiritus ſancti gratia conjuncti ſumus, ac in præcipua quæſtione, de qua vehemen-

Summa rerum materiarum in hac Concilio

Tom. 14.

tractatarum, puta de processione Spiritus sancti, de igne purgatorio, de Papa principatu, de azimo & fermentato pane, & panis in Eucharistia trãsmutatione.

ter ambigebamus, ita convenimus, ut nil amplius de ea dicere debeamus. Porro autem operæpretium est, ut & de purgatorio igne, & de summi pontificis principatu, & de azymo & fermentato pane, de divina denique panis transmutatione agamus, ut omni ex parte conjunctio nostra sit absoluta, ita ut nulla inter nos controversia in posterum relinquatur.

Græci. Cui summo pontifici statim hi præsules responderunt: Nos, pater sanctissime, nullam ad hæc respondendi facultatem habemus, tamen ex nobis ipsis proferimus justorum animas perfectam lauteolam in Cœlo iam consequutas esse, ac impiorum perpetuas pœnas luere, medias vero in purgatorio esse: quod quidem sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, non refert. Summum vero pontificem privilegia sua merito habere debere, quæ ante nostrum dissidium habuisset. Nam de pane, sive azimus, sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet, & Sacerdos, qui Christi sacratissimum corpus conficit, legitimis sit sacris initiatus, & ubi Missa celebratur, sacer locus sit. De panis autem transmutatione Latinis quærentibus, cur Græci post hæc dominica verba, *Accipite & manducate:* ac infra: *Bibite ex hoc omnes*, quibus profecto verbis sacramentum confici creditur: hac etiam uruntur oratione: Et fac panem quidem hunc, honorabile corpus Christi tui: quod autem in Calice isto est, honorabilem sanguinem Christi tui, ea sancto tuo Spiritu transmutante: Responderunt, se firmiter credere, verbis illis dominicis sacramentum fieri, sed quemadmodum Latini, confecto sacramento, hac solent uti oratione: Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, ita quoque Græcos illa verba proferre solere: ut sanctissimum Christi Corpus & Sanguis, peccatorum nostrorum remissioni, ac nostris animabus saluti fiat.

Papa. Quibus quidem quatuor quæstionibus dissolutis, summus pontifex petiit, ut de divina panis transmutatione, quæ quidem quarta quæstio fuit, in Synodo ageretur.

Græci. At Græci dixerunt, se sine totius Orientalis Ecclesiæ authoritate quæstionem aliam tractare non posse, cum pro illa tantum de Spiritus sancti processione Synodus convocata fuerit, se tamen velle Imperatori referre.

Mors subita Patriarchæ.

Dum autem hæc agerentur, inclinante jam die, increbuit, patriarcham nostrum morte subita objisse. Accurrimus, ac ipsum mortuum vidimus Et nobis causam tam subitæ mortis quærentibus, ejus famuli responderunt, postquam cœnasset, in penetrale domus scribendi causa (ut sui moris erat) intrasse: dum vero scriberet, tremore ac animi langore affectum, statim occubuisse. Cupientes autem ipsi videre, quidnam tum litteris mandaret, has litteras jamiam scriptas offendimus.

Littera patriarchæ.

Ioseph miseratione divina Constantinop. & novæ Romæ Archiepiscopus, ac œcumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni, idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam his litteris palam facio. Nam quæ Domini Iesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimũ acquiesco.

Eugenii 4. successorumque eius primatus haud parvum testimonium.

Beatissimum autem Patrum Patrem, summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini nostri Iesu Christi vicarium esse concedere, atque animarum purgatorium esse non inficior. Datum Florentiæ, & mensis Iunij, 1499.

Mane autem magna Cardinalium & pontificum Florentinorumque pompa, ipsum in sanctæ Mariæ novæ templo, sepulchro condidimus.

Postridie vero summus Pontifex, convocatis ad se Rhuteno & Nicæno ac Mitylenen. sic fuis loquutus.

Papa. Magno animi dolore afficimur, tum ob vestri Patriarchæ mortem, tum etiam ipsius nostræ conjunctionis causa, de qua ipse bene sentire, ac in eam vehementer incumbere (id quod ipsi plane non agitis) videbatur. Operæpretium autem est quandoquidem præcipuam illam, & ad fidem quam maxime pertinentem quæstionem concluſimus, ut de his etiam aliis quæstiunculis per sessiones agamus, ut nostra conjunctio firma, stabilis, & absque aliqua controversia in posterum sit, videlicet de azimo & fermentato pane, de purgatorio, de summi Pontificis potestate, necnon, de divina panis transmutatione, an denique Græci particulam ipsam, *ex filioque*, symbolo debeant addere.

Græci. Quæ cum ipsi Pontifices intellexissent, ad quatuor ipsas primas quæstiunculas, ut pridie responderunt: ad ultimam vero dixerunt ita: Nos pater sanctissime, illud *ex filioque*, verum esse concedimus, ac ipsum in Occidentali Ecclesia celebrandum permittimus, quandoquidem nobis constitit, urgente necessitate ad declarandum divinum Symbolum à vobis additum fuisse, cum non diversam fidem significet, nec non utraque Symbolo nostro apponere nolumus, sed hac conditione vobiscum conjungimur.

Imp. Hæc Græci, nolentes tamen, consentiente Imperatore, ut de alia quæstione præter illam de Spiritus sancti processione, in unionis litteris ulla mentio fieret: contendente vero summo pontifice, ut etiam de reliquis ageretur, excepta illa de panis transmutatione, ut perfectissima fieret unio: cum præsertim Ferrariæ de purgatorio bene fuerit dictum: post plurimam inter Latinos & Græcos contentionem, Imperator jussit Latinis, ut dicerent, quidnam de summi Pontificis potestate, nec non de azymo & fermentato pane sentirent. Tum summi pontificis jussu Joannes ille, ac (nescio quis) frater Ambrosius in Græcorum conventu multa de quæstionibus ipsis verba fecerunt. Post autem aliquot dies frequenti Græcorum conventu multa de quæstionibus ipsis verba fecerunt. Post autem aliquot dies frequenti Græcorum conventu, in domo Imperatoris Latinis absentibus facto, post plurimam inter Græcos disputationem, lectis Græcorum Doctorum de summi pontificis potestate sententiis, definitum fuit, non solum Romanam Ecclesiam de Spiritus sancti processione pie sentire, verum etiam ipsi necessitate urgente, iure suo particulam illam, *ex filioque*, Symbolo apponere licuisse, necnon Romanum pontificem primatum in universum orbem tenere, beatique Petri principis Apostolorum successorem ac verum Vicarium, & totius Ecclesiæ caput, ac omnium Christianorum patrem & doctorem esse: ipsique ad pascendam, regendam, & gubernandam universam Ecclesiam, plenam à Domino nostro Iesu Christo potestatem fuisse traditam. Præterea purgatorium esse: & sive in azymo sive in fermentato pane Sacramentum fieret, minime referre. Quæ cum Latinis mirum in modum placuissent, sex præstantissimi viri utraque ex parte selecti fuere, qui consultis cæteris patribus, sanctæ conjunctionis litteras componerent atque conscriberent.

Romani Pontificis potestas.

Sententia de purgatorio & de azymo & fermentato.

Dum autem hæc agerentur, sereniſſimus Imperator Heracleonsem, & Ephesium, & Rhutenum ac Nicænum ad se convocari jussit, eo scilicet animo, ut Ephesium hortaretur, ut is etiam in cæterorum patrum sententiam iret, & cum Latinis conjungeretur. At ille ne verbum quidem voluit audire. Duodecim autem illi selecti, in componendis litteris ipsis in hoc discordes fuerunt. Nam Græci volebant, ut vel de summi pontificis nomine nulla prorsus in eis mentio fieret: vel hæc verba in eisdem litteris scriberentur, consentiente ad infra scripta Imperatore, necnon patriarchatum loca tenentibus, & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus. Quibus quidem Græcis summus pontifex in hoc etiam humanissime satisfecit, ut de Imperatore ac patriarchis, ut vellent, fieret mentio. Demum duodecim illi Doctores concordes litteras conscripserunt, quas cum

Marcus Ephesinũ reluctatur unioni.

Summus Pontifex & Imperator accurate vidiſſent, A juſſerunt, ut Græcis & Latinis litteris, in uno eodemque folio deſcriberentur, ita ut à parte dextera Latine cum Occidentalium Patrum ſubſcriptionibus, ac ſummi Pontificis ſigillo, ab altera vero parte Græce cum Græcorum item ſubſcriptionibus, nec non ipſius Imperatoris ſigillo ſcriptæ eſſent. Quibus quidem omnibus rite diligenterque peractis, communi partium ambarum conſenſu, Summus Pontifex Imperatore præſente, omnibuſque tam Græcis quam Latinis præſulibus veſtibus ſacris indutis, in templo ſanctæ Mariæ liberatæ, die Lunæ ſexta menſis Iulij, Miſſam ſolemniter celebravit. Qua quidem celebrata, ipſæ eædem litteræ à Iuliano Cæſarino ſanctæ Sabinæ Cardinali Latine, à Beſſarione vero Græce, Dei gratia lectæ, promulgatæque fuere in hac forma.

Sed adverte prius quod Sguropulus ſect. 8. deſcribens ſeſſiones Florentiæ habitas, omittit diſcuſſionem factam de textibus Patrum Græcorum, aſſerit vero per duas ſeſſiones Latinos Chartulis è ſinu evolutis, aliquot Occidentalium Patrum ſententias exhibuiſſe, ad dogma corroborandum de proceſſione Spiritus ſancti *à Filio*, quibus reſponſa flagitarunt: quibus, inquit, noſtri reſponſa non dederunt, aſſeverantes, ſe rem Patribus ſatisfacturos, cum autographa eorum oculis luſtraſſent: & cum urgeretur Marcus Epheſius ab Imperatore, ut eis ſatisfaceret: Ego, ait, penitus ignoro an auctoritates Patrum Occidentalium, quibus nos obruunt, ſatis pertineant ad eos Patres unde citantur, & ſi fas eſſet eloqui, ut adulterinas reſpuerem. Quod ut dictum durius à pluribus è ſuis judicatum eſt. Anglus vero interpres Sguropuli in notis: Epheſius, inquit, ut moleſtiam omnem ſimul & ſemel amoveret, omnes Latinos Patres eorumque ſententias & dicta tantum non eliminat & proſcribit, qui in hoc negotio, ſi in ullo alio inſigniter tergiverſatur. Hæc ille, & ſi Latinis infenſus. Quid mirum ergo quod talis, qui etiam auſus eſt in Concilio Rom. Eccleſiam hæreticam appellare, unionem impedire conatus fuerit?

SANCTÆ VNIONIS *littera.*

Definitio Concilij.

EVgenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, conſentiente ad infra ſcripta chariſſimo filio noſtro Ioanne Palæologo Romeorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. Lætentur cœli & exultet terra, ſublatus eſt enim de medio paries qui Occidentalem Orientalemque dividebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum, vinculo fortiſſimo charitatis & pacis, unumque jungente parietem; & perpetuæ unitatis fœdere copulante ac continente, poſtque longam mœroris nebulam & diſſidii diuturni atram ingratamque caliginem, ſerenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus invicem diffidentes, jam videt in unitatem pacemque rediiſſe: & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat, ex ipſorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, matri Catholicæ Eccleſiæ collætentur. Ecce enim Occidentales Orientaleſque Patres, poſt longiſſimum diſſenſionis atque concordiæ tempus, ſe maris ac terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum œcumenicum Concilium deſiderio ſacratiſſimæ unionis & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti alacreſque convenerunt, & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim laborioſamque indaginem, tandem Spiritus ſancti clementia, ipſam optatiſſimam ſanctiſſimamque unionem conſecuti ſunt. B

Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre ſufficiat? Quis autem divinæ miſerationis divitias non obſtupeſcat? cujuſve ferreum pectus tanta ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus divina opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & divinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum boni ſponſæ tuæ Catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, ut enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem divinumque munus nobis Deus largitus eſt, oculiſque noſtris vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aſpicere nequiverunt. Convenientes enim Latini & Græci in hac ſacroſancta œcumenica Synodo, magno ſtudio invicem uſi ſunt, ut inter alia, etiam articulus ille de divina Spiritus ſancti proceſſione ſumma cum diligentia & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis vero teſtimoniis ex divinis Scripturis, plurimiſque authoritatibus Sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibuſdam verò ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum ſanctum, & ad eandem intelligentiam aſpicientibus omnibus ſub diverſis vocabulis: Græci quidem aſſeruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum ſanctum ex Patre procedere, non hac mente proferrent, ut excludant Filium, ſed quia eis videbatur (ut aïunt) Latinos aſſerere Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere, tanquam ex duobus principiis & duabus ſpirationibus, ideo abſtinuerunt à dicendo quod Spiritus ſanctus ex Patre procedat & Filio. Latini vero affirmaverunt, non ſe hac mente dicere Spiritum ſanctum ex Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin ſit fons ac principium totius deitatis, filij ſcilicet & Spiritus ſancti, aut quod id quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, ſive quod duo ponant eſſe principia, ſeu duas ſpirationes, ſed ut unum tantum aſſerant eſſe principium unicamque ſpirationem Spiritus ſancti, prout hactenus aſſeruerunt: & cum ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis ſenſus, tam- C D E

dem in infra ſcripeam ſanctam Deo amabilem eodem ſenſu eademque mente unionem, unanimiter concordarunt & conſenſerunt.

In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, hoc ſacro univerſali approbante Florentino Concilio, diffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quia Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica Spiratione procedit, declarantes, quod id, quod Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum Latinos vero principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Diffinimus inſuper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.

De materia de azymo & fermentato pane.

Item in azymo ſive fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.

De Purgatorio.

Item, ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis Purgatoriis poſt mortem purgari, & ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta: illorumque animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, (prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi & intueri clare ipſum Deum trinum & unum, ſicuti eſt, mortorum tamen diverſitate alium alio profectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

De primatu Summi Pontific.

Item, diffinimus ſanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem, in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

Renovantes inſuper ordinem traditum in Canonibus, cæterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum.

Datum Florentiæ in ſeſſione publica Synodali, ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Incarnationis dominicæ 1439. pridie nonas Iulii, Pontificatus noſtri anno nono.

Subſcriptiones Imperatoris ac Orientalium Patrum, qui in Synodo aderant.

EGo Joannes Palæologus, fidelis in Chriſto Rex & Imperator Romeorum, ſubſcripſi.

Ego Antonius humilis metropolita Heracleenſ. & conſiliarius Edeſſenorum, totius Thraciæ & Macedoniæ Pontifex, & Philothei ſanctiſſimi Patriarchæ, & ſedis Apoſtolicæ Alexandrinæ locum tenens, ſubſcripſi.

Ego Georgius Protoſingelus Confeſſor Spiritualis, ac ſedis Apoſtolicæ Alexandriæ & ejus Domini Patriarchæ locum tenens, ſubſcripſi.

Ego Iſidorus Metropolita Syriæ & totius Rhoſi, ac Domini Dorothei Patriarchæ Antiocheni, & ejus ſedis Apoſtolicæ locum tenens, ſubſcripſi.

Ego Doſitheus humilis Metropolita Mopſueſtiæ, & Ioachini Sanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitani, ac ejus Apoſtolicæ ſedis locum tenens ſubſcripſi. *Ioachim.*

Ego Metrophanes humilis Metropolita Cyzici, ac locum tenens Ancyrenſis, ſubſcripſi. Ego Dorotheus humilis Metropolita Trapezuntenſ. ac locum tenens Cæſareenſis antiſtitis, ſubſcripſi. Ego Beſſarion divina miſeratione Archiepiſcopus Nicænus, ac locum tenens Sardenſis præſulis, ſubſcripſi. Ego Macarius humilis Metropolita Nicodemiæ, ſubſcripſi. Ego Ignatius humilis Metropolita Toronæ, ac locum tenens Nicomedienſ. antiſtitis, me ſubſcripſi. *Memem.*

Ego Dorotheus humilis Metropolita Mitylenenſ. ac locum tenens Sidenſis Pontificis, me ſubſcripſi. Ego Damianus humilis Metropolita Muldoblachienſis, ac locum tenens Sebaſtienſis præſulis, ſubſcripſi. Ego Ioſeph humilis Metropolita Amaſienſis, ſubſcripſi. Ego Nathanael humilis Metropolita Coloſſenſis ac inſularum Cycladum, ſubſcripſi. Ego Caliſtus humilis Metropolita Driſtenſis, ſubſcripſi. Ego Gennadius humilis Metropolita Melitenenſis, ſubſcripſi. Ego Doſitheus humilis Metropolita Dramenſis, ſubſcripſi. Ego Sophronius humilis Metropolita Anchialenſis, ſubſcripſi. Ego Beſſarion Archiepiſcopus Nicænus, mandato ac nomine Emmanuelis Diaconi ac magni ſachelarij, Chryſocuchi vulgo nuncupati, qui eadem nobiſcum ſenſit, ſub-

For. Melachin.

Caliſtus ſer. Chryſoſon. vel Chriſoſen. ſeen. vel Chriſon. For. Damen. vel

Dardanien. ſcripſi. Ego Theodorus Zanthopulus, Diaconus & magnus ſacrilta, ſubſcripſi. Ego Michael Balſamorum Archidiaconus, & magnus bibliothecarius, ſubſcripſi. Ego Sylveſter Syropulus, Diaconus Eccleſiarches, ac juris ſervator, ſubſcripſi. Ego Gregorius prptecdicus Diaconus Cappadocus ſubſcripſi. Ego Conſtantinus Archipreſbyter ac locum tenens Muldoblachienſis præſulis ſubſcripſi. Ego Eccleſiarches venerandæ manſionis, & ſanctæ Baſilicæ magnæ Lauræ montis ſancti, ac ipſius manſionis locum tenens, ſubſcripſi. Ego Athanaſius olim Abbas circunſpectæ, ſubſcripſi. Ego Generontius Abbas ſanctæ manſionis Omnipotentis, ſubſcripſi. Ego Germanus olim Abbas S. Blaſii, ſubſcripſi. Ego Pachumius confeſſor ac Abbas S. Pauli, ſubſcripſi.

For. Eccleſia Argie.

For. Mulachienſ. vel Monenbachienſ. circunſpecte.

Subſcriptiones Latinorum Patrum.

Ego Antonius Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Benonienſ. ſupradictas diffinitiones veras & Catholicas eſſe affirmo, & illis me ſubſcripſi. Ego Bertranda Epiſcopus Portuenſ. Card. Placentinus, me ſubſcripſi. Ego Nicolaus tituli ſanctæ Crucis Preſbyter Card. me ſubſcripſi. Ego Franciſcus tituli ſancti Clementis Presbyter Card. me ſubſc. Ego Veri glorioſus tituli ſancti Marci Presbyter Card. me ſubſcripſi. Ego Julianus tituli ſanctæ Sabinæ Presbyter Cardin. me ſubſcripſi. Ego Proſper S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardin. me ſubſcripſi. Ego Dominicus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis me ſubſcripſi.

Ego Baſilius Patriarcha Hieroſolymitanus, me ſubſcripſi. Ego Marcus Patriarcha Graden. me ſubſcripſi. Ego Joannes Epiſcopus Morinenſ. illuſtriſſimi Domini Ducis Burgundiæ & Brabantiæ orator, me ſubſcripſi. Ego Joannes Epiſcopus Nivernenſ. ejuſdem Domini ducis orator, me ſubſcripſi. Ego Bartholomæus Spalaten. me ſubſcripſi. Ego Fantinus Archiepiſcopus Cretenſ. me ſubſcripſi. Ego Julianus Archiepiſcopus Piſanus, me ſubſcripſi. Ego Andreas Archiepiſcopus Coloſſen me ſubſcrip. Ego Nicolaus Archiepiſcopus Capuanus, me ſubſcripſi. Ego Ludovicus Archiepiſcopus Florentinus, me ſub. Ego Latinus de Vrſinis, Archiepiſcopus Trojanus, me ſubſcripſi. Ego Benedictus Archiepiſcopus Conſanus, me ſubſcripſi. Ego Epiſcopus Andrien. me ſubſcripſi. Ego Petrus Epiſcopus Paduanus, me ſubſcripſi. Ego Daniël Epiſcopus Concordienſis, me ſubſcripſi. Ego Antonius Portugalenſis Epiſcopus, me ſubſcripſi. Ego Bartholomæus Epiſcopus Valuenſis, me ſubſcripſi. Ego Thomas Epiſcopus Farenſis, me ſubſcripſi. Ego Chriſtophorus Epiſcopus Ariminenſis, me ſubſcripſi. Ego Amicus Epiſcopus Aquileienſis, me ſubſcripſi. Ego Petrus Epiſcopus Dignienſis, me ſubſcripſi. Ego Ioannes Epiſcopus Ferrarien. me ſubſcripſi. Ego Valentinus Epiſcopus Orranus, me ſubſcripſi. Ego Joannes Epiſcopus Arbenſis, me ſubſcripſi. Ego Bernotius Epiſcopus Eſculanus, me ſubſcripſi. Ego Carolus Senienſis Epiſcopus, me ſubſcripſi. Ego Andreas Epiſcopus Megarenſis, me ſubſcripſi. Ego Carolus Epiſcopus olim Mutienſis, me ſubſcripſi. Ego Nicolaus Tiburtinus, me ſubſcripſi. Ego Antonius Epiſcopus Graſſen. me ſubſcripſi. Ego Angelus Epiſcopus Baren. me ſubſcripſi. Ego Petrus epiſcopus Auſeren. me ſubſcripſi. Ego Matthæus epiſcopus Zapatenſis, me ſubſcripſi. Ego Angelus de Graſſis Epiſcopus Arianenſ. me ſubſcripſi. Ego Petrus epiſcopus Meſſanus, me ſubſcripſi. Ego Petrus Epiſ. Cavillicen. me ſubſcr. Ego Antonius Epiſcopus Cæſenaten. me ſubſcr. Ego Donatus Epiſcopus Piſtorien. me ſubſc. Ego Scipio Epiſcopus Mutinen. me ſubſc. Ego Chriſtophorus Epiſcopus Cortunen. me ſub. Ego Andreas Epiſcopus Conſeranen. me ſubſcr. Ego Alexius Epiſcopus Cluſinus, me ſubſcripſi. Ego Garſias Epiſcopus Tuden. me ſubſ. Ego Gregorius Epiſcopus Granatenſis, me ſubſcripſi. Ego Aimericus Epiſcopus Montis regalis, me ſubſcripſi. Ego Baptiſta electus & confirmatus Teatinus, me ſubſcripſi. Ego Nicolaus Tricarenſis, me ſubſcripſi. Ego Ioannes electus & confirmatus Agenenſis, me ſubſcripſi. Ego Guilielmus electus & confirmatus Leonenſis, me ſubſcripſi. Ego Andræas Epiſcopus Roſſenſis, me ſubſcripſi. Ego Matthæus Epiſcopus Cortonienſis me ſubſcripſi. Ego Julianus electus & confirmatus Citaridenſis, me ſubſcripſi. Ego Joannes Epiſcopus Canapenſis, me ſubſcripſi. Ego Thadæus Epiſcopus Aceſtiatenſ. me ſubſcripſi. Ego Petrus Archidiaconus Trecenſis, ambaſiator illuſtriſſimi Ducis Burgundiæ, me ſubſcripſi. Ego Zazonus Epiſcopus Bajocenſis, me ſubſcripſi. Ego Laurentius Epiſcopus Acherontinus, me ſubſcripſi. Ego Ludovicus Epiſcopus Terniſinus, me ſubſcripſi. Ego Ioannes de Mella electus & confirmatus Leonenſis, ſubſcripſi. Ego Guilielmus electus & confirmatus Andegauenſis, me ſubſcripſi.

For. Alginenſis.

Aſtenenſ.

Ego Ambroſius Generalis ordinis Camaldulenſium, me ſubſcripſi. Ego frater Guilielmus Generalis Minorum, me ſubſcripſi. Ego Girardus frater Generalis Auguſtinenſium, me ſubſcripſi. Ego Placidus Generalis Vallis umbroſæ, me ſubſcripſi. Ego Comerius Abbas Florentinus, me ſubſcripſi. Ego Joannes de Urſinis Abbas Forſenſis, me ſubſcripſi. Ego Antonius Abbas ſancti Capraſij, me ſubſcripſi. Ego Franciſcus Abbas ſancti Leonardi, me ſubſcripſi. Ego Fredericus Abbas de Borto, me ſubſcripſi. Ego Antonius Abbas de Alphyllo, me ſubſcripſi. Ego Bartholomæus Abbas Campaſilonis, me ſubſcripſi. Ego Sepulchrus Abbas Urbis, me ſubſcripſi. Ego Angelus Abbas de Seyto, me ſubſcripſi. Ego Paſchaſius Abbas ſancti Sepulchri, me ſubſcripſi. Ego Benedictus Abbas de Coner, me ſubſcripſi. Ego Iacobus Abbas ſancti Salmi, me ſubſcripſi. Ego Aloyſius Abbas ſancti Pauli, me ſubſcripſi. Ego Ioannes Abbas de Tyro, me ſubſcripſi. Ego Daniel Abbas de Tarralino, me ſubſcripſi. Ego Benedictus Abbas ſancti Pancratij, me ſubſcripſi. Ego Franciſcus Abbas ſanctæ Mariæ de Pariano, me ſubſcripſi. Ego Joannes Gratianus Abbas de Bipolis, me ſubſcripſi. Ego Angelus Abbas ſanctæ Mariæ de Piſtorio, me ſubſcripſi. Ego Nicolaus Abbas ſancti Modelti Recenſ. me ſubſcripſi. Ego Jacobus ſancti Salvacis de Frame Abbas me ſubſcripſi. Ego Bertacius Abbas Montis plani Piſtorienſis, me ſubſcripſi. Ego Petrus Abbas ſancti Felicis de Florentia, me ſubſcripſi. Ego Nicolaus Abbas ſanctæ Mariæ de Diciano, me ſubſcripſi. Ego, Bartholomæus Abbas de Vibona me ſubſcripſi. Ego Laurentius Abbas de Culoros, me ſubſcripſi. Ego Fredericus Abbas S. Pantaleonis, me ſubſcripſi. Ego Lucas Abbas Arut in Apribus, me ſubſcripſi. Ego Lucas Abbas Facundus, me ſubſcripſi. Ego Iacobus Abbas Monaſterij ſancti Petri de Maſſa, me ſubſcripſi. Ego Franciſcus Abbas ſanctorum Martyrum Cordulenſ. me ſubſcripſi. Ego Guilielmus Abbas S. Salvatoris, me ſubſcripſi. Ego Antonius Abbas ſancti Salvatoris Burdegalenſ. me ſubſcripſi. Ego Antonius Abbas Sanctorum Salvatoris & Nigilij, me ſubſcripſi. Ego Gabriel Abbas ſancti Iacobi de Pontada, me ſubſcripſi. Ego Bernardus Abbas ſanctæ Mariæ de Marona, me ſubſcripſi. Ego Hieronymus Abbas S. Gundæ, me ſubſcripſi. Ego Dionyſius Abbas S. Mariæ de Sandinenſ. me ſubſcripſi. Ego Maphæus Abbas ſancti Firmidæ de Verona, me ſubſcripſi. Ego Timotheus Abbas ſancti Andreæ de Mantua me ſubſcripſi.

Sexto.

Nemo autem mirari debet, cur plures patrum ſubſcriptiones non ſint, nam ultima ſeſſione celebrata, multi priuſquam hujuſmodi ſubſcriptio fieret, diſceſſerunt: cum præſertim mos in Conciliis minime fuerit, ut in Prioratus ordine conſtituti, vel fratres, vel magiſtri, vel juriſperiti, in decretis ipſorum Conciliorum ſubſcriberent.

Quibus quidem litteris Græce Latineque (ut ſu-

Supponitur Patriarcha alius Joachimus.

Supponitur alius Coloſſenſ. Nathanaël. Deceſſoman Epiſcopi.

Mutinen.

Acernenſ. Vel Acuen. Salpen.

pra

pra dictum est) rocitatis, genu simul & dexteram summi Pontificis, necnon Græci, cum Latinis inter se summa lætitia osculati sunt.

Quæstiones Græcis propositæ.

Post autem dies aliquot Pontifex summus, convocatis Græcis ab eis quæsivit, cur partem sacratissimi panis in calice cum sacratissimo sanguine miscerent.

Et in magna exodo, quando, videlicet panis in patena, & vinum in calice de uno in aliud altare vidente populo fertur à Sacerdote, capita sua reverenter inclinent, cum panis ipse vinumque nondum sint consecrati: Et aquam ferventem, non autem frigidam, in calicem fundant: Et cur ante consecrationem his verbis utantur, *Unus autem de militibus lancea latus eius aperuit, & statim sanguis & aqua exivit.* Et paulo post, Ecce stella venit, & stetit super pueri caput. Et cur Presbyteri, non autem Pontifices, sacro chrismate utantur, cum soli Pontifices eo uti deberent. Et mortuos ungant oleo. Et neque Pontifices, neque Presbyteri celebraturi, peccata sua confiteri soleant. Et post hæc dominica verba, *Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum*, & reliqua, quibus procul dubio sacratissimi Christi corpus & sanguis conficitur, his quoque verbis utantur: Et fac quidem panem hunc, honorabile corpus Christi tui: quod autem in calice isto est, honorabilem sanguinem Christi tui, ea sancto tuo Spiritu transmutante: Amen, Amen, Amen. Et cur matrimonia separent, cum Dominus noster præceperit, eos disiungendos non esse quos Deus conjunxerit. Cur denique sum Patriarcham ibidem non eligant, sed absque eo discedere patiantur. Quas quidem quæstiunculas præsul Mityienens. dissolvisse facile visus est, ultimis duabus exceptis, in quibus cum summo Pontifici neutiquam satisfecerit, summus Pontifex Imperatorem rogavit, ut doctiores de pontificibus suis ad ipsum mitteret, quippe qui duas ipsas ambiguitates melius explicare scirent. Imperator autem nolens de talibus quæstionibus agere, indoctiores ad summum Pontificem misit, à quibus cum eadem ipse summus Pontifex repetiisset, hi responderunt se nullam habere ad ea respondendi facultatem, Imperatori tamen ipsos omnia relaturos.

Mat. 26. Mar. 14. Luca 22.

Mat. 19. Mar. 10.

Alius Imperatoris.

Papa. Porro autem ad diem 14. mensis ejusdem Pontifex summus Græcis præsulibus ad se convocatis, hæc verba fecit: Cum fratres, Dei gratia conjuncti simus, eademque gratia caput ego vestrorum membrorum existam, propterea que conveniat, ut quæ ad nostram piam religionem atque Ecclesiam pertineant, ea vobis patefaciam, ac vos ad ipsa servanda exhorter: idcirco vos, & fratres nostros, & Ecclesiarum Rectores scire velim, quemadmodum à Romana Ecclesia mirum in modum accusamini, quod matrimonia separetis, quodque præsul Ephesius rationem non reddat, cur nostræ communi sententiæ neutiquam acquiescens, à nobis disiungatur, atque dissideat, ac si sapientissimus omnium esset. Nam de Patriarcha vestro videtur nobis magis operæpretium esse, ut hic à vobis, præsentibus nobis de more vestro eligatur, quandoquidem Ecclesia vestra Patriarcha indiget, ex qua quidem electione non aurum, non argentum, non denique tem aliam lucrari cupimus, cum ipsi parati simus, ut vobis pecunias (si opus fuerit) liberaliter erogemus, ac Patriarcham quem suffeceritis, confirmemus, & quem ipsi nostri dissidij tempore elegerimus, altero per vos suffecto, statim deponamus, ita ut in posterum unicus Patriarcha Constantinopolitanus omnia sua privilegia tenens existat, quandoquidem Ecclesiam vestram multis bonis afficere volumus. Hic vester Imperator adest, & œcumenica Synodus est, cui summus Pontifex præest: hic Orientales dignioresque præsules adsunt, ex quibus Patriarcham vestrum sine ullo impedimento (ut par est) potestis eligere. Nam inconveniens ac indecens est, ut hinc absque capite discedatis: fierique jure non potest, ut nisi Patriarcham vestrum hic eligeritis, electum à nobis in posterum deponamus. Hæc summus Pontifex.

Matrimonia dissuasa Græci.

Græci autem responderunt, se non sine legitima causa matrimonia separare, ac præsulem Ephesium causam suam dicturum esse. Patriarcham vero nostrum extra Constantinopolim nostro jure neutiquam eligi posse, cum Græcis semper mos fuerit in sua Ecclesia Patriarcham sufficere, simulque consecrare, quarum quidem cæremoniarum & consuetudinis Imperator noster non inscius, nequaquam nobis permittet ut hic electionem hujusmodi faciamus.

Græci.

Papa. Quæ cum summus Pontifex ægre audivisset, se verbis humanissimis excusavit, & ipsos dimisit. Die autem 21. selecti omnes Imperatoris in domo congregati, quinque unionis ejusmodi litteras Patrum omnium subscriptionibus, summique Pontificis ac Imperatoris sigillis munitas, Græce Latineque exscripsere, quarum unas Latinis, alteras Græcis, tres vero alias trium Patriarcharum legatis dedere. Quo quidem pacto finis octavi generalis Concilij factus est.

Armenii.

Dum autem hæc gerebantur, Armeniorum Patriarchæ legati, viri sane virtute plurima præditi, ad Synodum ipsam venerunt, & summum Pontificem venerati fuerunt, necnon Imperatorem salutaverunt dicentes se suamque Ecclesiam cum Catholica conjungi, ac ipsum Synodi decretum pie servare velle, qui quidem benignissime susceptí vehementissimeque laudati, ac magno honore affecti, una cum Græcis Florentia discesserunt.

Finis generalis octavæ Synodi Florentinæ, juxta versionem Bartholomæi Abrahami Cretensis, cum paucis additionibus ex historia eiusdem Synodi per Sguropulum.

Instructio Armenorum.

DECRETVM EVGENII Papæ quarti.

Psal. 80.

EVgenius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. *Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob*, omnes qui ubique nomine censemini Christiano. Ecce enim iterum recordatus Dominus misericordiæ suæ, alium dissidij lapidem nongentis & amplius inveteratum annis, de Ecclesia sua auferre dignatus est: & qui facit concordiam in sublimibus, & per quem in terra pax est hominibus bonæ voluntatis, optatissimam Armenorum unionem sua ineffabili miseratione concessit. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Intuens namque pissimus Dominus Ecclesiam suam, modo ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non parvis agitari turbinibus, ut inter ipsas respirare angustias, & ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidie modis consolari & roborare dignatur. Nam & pridem magnam illam Græcorum unionem, multas longe lateque continentium nationes & linguas, hodie vero hanc ipsam Armenici populi, qui per Septentrionem & Orientem in magna copia diffusus est, in eodem

2. Cor. 1.

fidei & charitatis vinculo cum ſede Apoſtolica ſtabilivit. Hæc profecto tam magna & mira ſunt divinæ pietatis beneficia, ut non ſolum pro utroque, ſed ne quidem pro altero ſatis dignas ſuæ Majeſtati referre gratias poſſit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, uno eodemque tam brevi tempore, duo ſic præclara, & tot ſeculis deſiderata opera, in hoc ſacro Concilio fuiſſe tam feliciter conſummata? *vere à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Quomodo enim hominum prudentia vel induſtria, niſi gratia Dei & cœpiſſet & perfeciſſet, has tantas & tales res explere potuiſſet? Laudemus igiter & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit *mirabilia magna ſolus*, ipſique pſallamus Spiritu, pſallamus & mente, oreque & opere, quantum ſinit humana fragilitas, pro tantiſque muneribus gratias agamus, orantes & obſecrantes, ut quemadmodum ipſi Græci atque Armeni unum cum Eccleſia Romana effecti ſunt, ita fiant & cæteræ nationes, præſertim Chriſti caractere inſignitæ, & totus denique populus Chriſtianus omnibus odiis belliſque extinctis, mutua invicem pace & fraterna charitate quieſcat & gaudeat.

Pſal. 117.

Pſal. 15.

Armeni. Ipſos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos eſſe merito cenſemus. Ve primum enim à nobis ad ſynodum accerſiti ſunt, tanquam Eccleſiaſticæ avidi unitatis, ſpectabiles, devotos, & doctos oratores ſuos cum ſufficienti mandato, de ſuſcipiendo videlicet quicquid Spiritus ſanctus hanc ſanctam ſynodum illuſtraverit, ex remotiſſimis regionibus per multos labores, mariſque pericula ad nos & hoc ſacrum Concilium deſtinarunt. Nos vero tota mente, ut noſtrum paſtorale decebat officium, cupientes tam ſanctum perficere opus, ſæpe cum ipſis oratoribus de hac ſancta unione contulimus: & ne vel parva hinc ſanctæ rei dilatio fieret, deputavimus de omni ſtatu hujus ſacri Concilij viros, juris divini & humani doctiſſimos, qui cum omni cura, ſtudioque & diligentia, rem iſtam cum iſtis pertractarunt oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem tam circa divinæ unitatem eſſentiæ, & divinarum perſonarum Trinitatem, quam Domini noſtri Ieſu Chriſti humanitatem, & ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, & alia ad fidem orthodoxam & ritus univerſalis Eccleſiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis diſputationibus, collocutionibus, & tractatibus, poſtque non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex ſanctis Eccleſiæ patribus & doctoribus deducta ſunt, & earum, de quibus agebatur, rerum diſcuſſionem, tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipſos Armenos hæſitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum ſede Apoſtolica, unioque ipſa ſtabilis & perpetua ſine ullo ſcrupulo perſeveret, ut ſub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, per hoc decretum, ſacro hoc approbante Florentino Concilio, ipſis oratoribus ad hoc etiam conſentientibus, traderemus.

In primis ergo damus eis ſanctum Symbolum, à centum quinquaginta Epiſcopis in œcumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, *Filioque*, ipſi ſymbolo declarandæ veritatis gratia, & urgente neceſſitate, licite & rationabiliter appoſita, cujus talis eſt tenor: *Credo in unum, &c.* hoc autem ſanctum ſymbolum ſicut apud Latinos mos eſt, ita decernimus per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſſarum ſolennia, ſingulis ſaltem dominicis diebus & majoribus feſtivitatibus, decantari vel legi.

Secundo tradimus eis diffinitionem quarti univerſalis Concilij Chalcedonenſis, in quinto poſtea & ſexto univerſalibus Conciliis renovatam, de duabus naturis in una Chriſti perſona, cujus tenor talis eſt.

Definitio Chalced. Concilii.

Sufficeret quidem ſapiens hoc & ſalutare divinæ gratiæ ſymbolum ad plenam cognitionem ac confirmationem pietatis. De Patre enim & Filio, & Spiritu ſancto perfectionem docet, & Domini humanitatem fideliter accipientibus repræſentat. Sed quoniam hi qui conantur reprobare prædicationem veritatis, per proprias hæreſes novas voces genuerunt, & hi quidem præſumentes corrumpere myſterium diſpenſationis Domini, quæ propter nos facta eſt: alij vero introducentes confuſionem permixtionemque, & ſtulte confingentes unam eſſe naturam carnis & deitatis, & portentoſe dicentes paſſibilem unigeniti divinam naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem præſens nunc ſancta ſynodus, prædicationem hanc docens ab initio immobilem, decrevit ante omnia fidem trecentorum decem & octo ſanctorum patrum manere irrecuſabilem: & poſteriore tempore propter illos quidem qui pugnant adverſus Spiritum ſanctum, corroborat doctrinam de ſubſtantia Spiritus traditam à patribus centum quinquaginta apud Conſtantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt: non quaſi inferentes, quod aliquid minus eſſet in præcedentibus, ſed eorum intellectum de Spiritu ſancto ſcripturarum teſtimoniis declarantes, adverſus eos qui dominationem ejus reſpuere tentaverunt. Propter illos autem qui moliuntur corrumpere diſpenſationis myſterium, & impudenter delirant, dicentes purum hominem eſſe illum, qui ex ſancta MARIA virgine natus eſt, ſuſcepit epiſtolas ſynodicas beati Cyrilli quondam præſulis Eccleſiæ Alexandrinæ ad

Neſtorium & ad Orientales, congruas exiſtentes ad convincendas Neſtorij vetanias, & ad interpretationem eorum qui ſalutaris ſymboli mentem pio zelo noſſe deſiderant. Quibus etiam conſequentiſſime epiſtolam coaptavit magnæ & ſenioris urbis Romæ præſulis beatiſſimi ac ſanctiſſimi Leonis Papæ, quæ ſcripta eſt ad ſanctæ memoriæ Archiepiſcopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, ut pote congruentem illius magni Petri confeſſioni, & exiſtentem nobis quandam columnam communem adverſus prava dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque qui in duos filios diſpenſationis divinæ myſterium diſcerpere nituntur, obſiſtit: & illos qui paſſibilem deitatem Vnigeniti auſi ſunt dicere, à ſacro cœtu expellit: & his qui in duabus naturis Chriſti temperamentum aut confuſionem exquirunt, reſiſtit: & eos qui dicunt, ſervi formam quam ex nobis aſſumpſit, cœlestem eſſe aut alterius alicujus ſubſtantiæ, ut dementes abigit: & qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero poſt unitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur ſanctos patres, unum eumdemque confiteri Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in humanitate, Deum vere & hominem vere, eumdem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem nobis eumdem ſecundùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato, ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundum deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter ſalutem noſtram ex Maria Virgine Dei genitrice ſecundum humanitatem, unum eumdemque Chriſtum verum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata differentia naturarum, propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrentem, non in duas perſonas partitum ſive diviſum, ſed unum eumdem filium Deum verum Dominum Ieſum Chriſtum, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Ieſus Chriſtus erudivit, & ſanctorum patrum nobis tradidit ſymbolum.

Tertio, diffinitionem de duabus voluntatibus, duabuſque Chriſti operationibus in prædicto ſexto Concilio promulgatam, cujus tenor talis eſt: *Sufficeret quidem*, & reliqua, quæ in ipſa diffinitione Concilij Chalcedònenſ. ſuperius enarrata, ſequuntur uſque ad finem, poſt quem ſequitur in hunc modum.

Et duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, ſecundum ſanctorum patrum doctrinam adæque prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impij aſſeruerunt hæretici, ſed ſequentem humanam ejus voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potius & ſubjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, ſubjici vero voluntati divinæ, juxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim eius caro, Dei verbi dicitur & eſt: ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei verbi dicitur & eſt, ſicut ipſe ait: *Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me, Patris*: ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis eius. Nam & caro eius propria facta eſt, quemadmodum enim ſanctiſſima atque immaculata animata eius caro, deificata eſt, non eſt perempta, ſed in proprio ſui ſtatu & ratione permanſit: ita & humana eius voluntas deificata eſt, non eſt perempta; ſalvata eſt autem magis, ſecundum deiloquum Gregorium dicentem; Nam velle illius qui in Salvatore intelligitur, non eſt contrarium Deo; deificatum eſt totum, duas enim naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter in eodem Domino Ieſu Chriſto vero Deo modo glorificamus, hoc eſt divinam operationem & humanam operationem, ſecundum divinorum prædicatorem Leonem apertiſſime afferentem: *Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis*: nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum eſt, in divinam educamus eſſentiam; neque quod eximium eſt divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deiiciamus. Vnius enim & eiuſdem tam miracula, quamque paſſiones cognoſcimus, ſecundum aliud & aliud eorum ex quibus eſt naturis, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Vndique igitur inconfuſum atque indiviſum conſervantes unum ſanctæ Trinitatis, brevi voce cuncta proferimus: & poſt incarnationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum eſſe credentes, aſſerimus duas ejus eſſe naturas in una ejus radiante ſubſiſtentia, in qua tam miracula quamque paſſiones, per omnem ſui diſpenſationem converſatus, non per phantaſiam, ſed veraciter hæc demonſtravit, ob naturalem differentiam in eadem una ſubſiſtentia cognoſcendam, dum utraque natura cum alterius communione indiviſe & inconfuſe propria vellet atque operaretur: juxta quam rationem, & duas naturales voluntates & operationes

confitemur, ad ſalutem humanam convenienter in eo concurrentes.

Armeni tres tantum Syn. admittebant.

Quarto, quoniam hactenus ipſi Armeni præter has tres, Nicænam, Conſtantinopolitanam & Epheſinam primam Synodos, nullas alias univerſales poſtea celebratas, nec ipſum beatiſſimum hujus ſanctæ ſedis Antiſtitem Leonem, cuius authoritate ipſa Chalcedonenſis Synodus extitit congregata, ſuſceperunt, aſſerentes eiſdem fuiſſe ſuggeſtum, tam Synodum ipſam Chalcedonenſem quam memoratum Leonem, ſecundum damnatam Neſtorii hæreſim diffinitionem feciſſe: inſtruximus eos & declaravimus: hujuſmodi falſam fuiſſe ſuggeſtionem, ipſamque Synodum Chalcedonenſem & Beatiſſimum Leonem ſancte & recte veritatem de duabus in una perſona Chriſti naturis ſuperius deſcriptam diffiniviſſe, contra impia Neſtorij & Eutychis dogmata: injunximuſque ut ipſum Beatiſſimum Leonem, qui veræ fidei columna fuit, & omni ſanctitate & doctrina refertus, tanquam ſanctum & catalogo ſanctorum merito deſcriptum, de cætero reputent & venerentur, atque non ſolum dictas tres Synodos, ſed & omnes alias univerſales authoritate Romani Pontificis legitime celebratas, ſicut & cæteri fideles reverenter ſuſcipiant.

Leo Papa I.

Quinto, Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem, pro ipſorum Armenorum tam præſentium quam futurorum faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redigimus formula: Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima, ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſeipſo perfectionem: duo ultima, ad totius Eccleſiæ regimen multiplicationemque ordinata ſunt. Per baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per confimationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ: per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam-unctionem, per Ordinem vero Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, quæ **characterem**, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum, à cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Septem Sacram.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus (ut inquit Veritas) in regnum cœlorum introire. Materia hujus Sacramenti, eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis ſervus Chriſti, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Vel, baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, verum perficiatur baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam Laïcus vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus, baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti effectus, eſt remiſſio omnis culpæ originalis actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio: ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum cœlorum & Dei viſionem perveniunt.

Baptiſmus.

Confirmatio.

Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cuius materia eſt, chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat. *Cum enim audiſſent*, inquit, *Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro eis ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in* *Act. 8.*

quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum ſanctum. Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio. Legitur tamen aliquando, per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem eius, qui Iudæis eſt & ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur.

1. Cor. 1.

Euchariſtia.

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia Sanctorum Patrum ac Doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ paſſionis repræſentationi. Inquit enim Beatus Alexander Papa quintus à Beato Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolennia Domino offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque, id eſt, ſanguis & aqua, ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tum etiam quod convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, ſecundum illud Apocalyp. Aquæ multæ populi multi. Et Iulius Papa ſecundus poſt Beatum Sylveſtrum, ait: Calix Dominicus juxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in Calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & jungitur. Cum ergo tam ſancta Romana Eccleſia à beatiſſimo Apoſtolo Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque ſacerdotes in Calicis oblatione paululum a-

In prima de ep. & conſ. diſt. 2. In Sacramentorum.

Apoc. 17. Non invenitur in epiſt. Iulii, ſed de conſ. diſtinct. 2. Cum omne crimen.

quæ (prout dictum eſt) admiſceant vino. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini: ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur: conſequens eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quo ad vitam operatur ſpiritualem, in quo (ut inquit Vrbanus Papa) gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.

Pœnitentia.

Quartum Sacramentum, eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium & eleemoſynam. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: *Ego te abſolvo, &c.* Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, habens authoritatem abſolvendi vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus hujus Sacramenti, eſt abſolutio à peccatis.

Extrema unctio.

Quintum Sacramentum eſt Extrema-unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis unguendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius Sacramenti eſt hæc: *Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum, & cætera.* Et ſimiliter in aliis membris. Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos. Effectus vero eſt mentis ſanatio, & inquantum animæ expedit, ipſius etiam corporis. De hoc

Jacob. 5. ſacramento inquit B. Iacobus Apoſt. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.*

Ordo. Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Preſbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus vero per libri evangeliorum dationem, Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma ſacerdotii talis eſt: *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti:* Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius miniſter huius ſacramenti eſt Epiſcopus. Effectus, augmentum gratiæ ut quis ſit idoneus Chriſti miniſter.

Matrim. Septimum eſt ſacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Cauſa efficiens Matrimonii, regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum eſt proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam unus coniugum alteri ſervare debet. Tertium indiviſibilitas matrimonii, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.

Sexto, compendioſam illam fidei regulam, per beatiſſimum Athanaſium editam, ipſis præbemus oratoribus, cuius tenor talis eſt: *Quicunque vult ſalvus, &c.*

Septimo, decretum unionis cum Græcis unionis conſummatæ pridem in hoc ſacro œcumenico Florentino Concilio promulgatum, cuius tenor talis eſt: *Eugenius, &c. Lætentur cæli, &c.*

Octavo, cum inter alia ſit etiam cum ipſis Armenis diſputatum, quibus diebus feſtivitates Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis beati Ioannis Baptiſtæ, & conſequenter Nativitatis & Circunciſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Præſentationis ejuſdem in templo, ſeu Purificationis beatæ Virginis Mariæ celebrari debeant, ſatiſque dilucide veritas patefacta fuerit, tam ſanctorum patrum teſtimoniis, quam conſuetudine Eccleſiæ Romanæ & omnium aliarum univerſaliter apud Latinos & Græcos: ne igitur in tantis celebritatibus diſpar, ſit Chriſtianorum ritus, unde perturbandæ charitatis occaſio poſſit oriri, decernimus tanquam veritati & rationi conſentaneum, & juxta totius reliqui orbis obſervantiam, ut ipſi etiam Armeni feſtum Annunciationis beatæ Mariæ, die vigeſima-quinta Martij, Nativitatis B. Ioannis Baptiſtæ vigeſima-quarta Iunij, Nativitatis vero ſecundum carnem Salvatoris noſtri, vigeſima-quinta Decembris, Circunciſionis ejuſdem Ianuarii, Epiphaniæ ſexto ejuſdem Ianuarii, Epiphaniæ ſexto eiuſdem prima Ianuarii, Præſentationis Domini in templo, ſeu Purificationis Dei genitricis, ſecunda Februarii debeant ſolenniter celebrare. *Dies feſti.*

His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores nomine ſuo, & ſui Patriarchæ & omnium Armenorum, ſaluberrimum ſynodale decretum cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſa deſcriptam, necnon quicquid tenet & docet ſancta ſedes Apoſtolica Roman. Eccleſ. cum omni devotione & obedientia acceptant, ſuſcipiunt, & amplectuntur. Illos quoque doctores & ſanctos patres, quos Eccleſia Romana approbat, ipſi reverenter ſuſcipiunt: quaſcunque vero perſonas & quicquid ipſa Rom. Eccleſia damnat & reprobat, ipſi pro reprobatis & damnatis habent, profitentes, tanquam veri obedientiæ filii, nomine quo ſupra, ipſius ſedis Apoſtolicæ ordinationibus & iuſſionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ in publica ſeſſione ſynodali ſolemniter in Eccleſia maiori celebrata, anno Dom. milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, decimo Cal. Decemb. Pontificatus noſtri anno nono.

Quædam controverſa circa Concilium Florentinum.

NOn eſt quod principalem controverſiam hujus Concilij iterum proponamus Hæc eſt de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio, & de additione *ex filio* facta ſymbolo, ſatiſque diſcuſſa fuit in doctis diſputationibus quas integras exhibuimus, quod nunquam in univerſo orbe celebriores extiterint inter doctiſſimos homines Orientis & Occidentis in præſentia ſummi Pontificis, ac Imperatoris Græcorum Ioannis Palæologi celebratæ, de materia divina prorſus, ſcilicet de proceſſione Spiritus ſancti, in quibus etiam plura ſublimioris Theologiæ, ac Rhetoricæ inveniuntur argumẽta. Fueruntq; hæ diſputationes habitæ, poſitis ſex pro utraq; parte diſputatoribus, qui in medio totius Concilij conſedebant, ſex videlicet ex una parte & ſex ex alia ſibi invicem facies conſpicientes, productis ipſis codicibus ex quibus Patrum authoritates legebantur: interpres autẽ ſtabat in medio omnium referendo cuncta in Latino & Græco ſermone, quæ ab utraq; parte dicebantur: tres vero Notarii erant conſtituti pro qualibet parte, qui omnia geſta in Latino & Græco fideliter conſcribebant, ut ex Fantino de Valereſo Archiepiſcopo Cretenſi qui Concilio ipſi ſubſcripſit, illudq; Latina explicatione donavit in Bibl. Vaticana aſſervata, notat Horatius Juſtinianus ejuſdem Bibliothecæ cuſtos primatius in præfatione *Diſputatio omnium maxima in Florent.*

actorum ejuſdem Concilij. Hæ diſputationes (ſeſſiones ne an collationes aptius dicerentur, diſputatio de nomine) tantum indigent ſedulo ac vigili lectore, ut præter eas nihil neceſſe ſit explanare. Quamvis in iis non omnia referantur quæ dicta vel facta ſunt in Synodo, & alij actorum collectores nonnulla alia referant quæ ſtudioſe ſupplevit in ſuis actis præfatus Horatius Iuſtinianus. Sed nec omnes Græcorum errores examinati ſunt, cum numerentur uſque ad quadraginta & unum, qui ex Baſilea Biturim miſſi ſunt, cum ibi haberetur Synodus à Gallis, ut videre eſt apud Spondanum an. 1438. & Guido Carmelita in ſumma de hæreſibus numerat viginti ſex errores Græcorum. Inter quos præter enumeratos in hac Synodo præcipui ſunt: quod dicunt animas à corpore ſolutas non videre Deum uſque ad diem judicij, nec eſſe in cœlo aut in inferno, ſed eſſe errantes ſicut aves cœli. Multa à peccato excuſant, ut uſuram, ſimplicem fornicationem, deceptionem inimicorum quoquo modo fiat etiam pejerando, de Simonia vix ſcrupulos patiuntur: contra damnant eos qui radunt barbas & comedunt de ſuffocato. Item pro furto, uſura, rapina Sacerdotes eorum non injungunt pœnitentibus ut ſatisfaciant: ſed raptorem inungunt oleo ſimplici, & remittunt ut det Sacerdotibus ſeptem aliquam pecuniæ quantitatem, & ſic dimittitur abſolutus. Plura videbis apud citatos Authores, ut cum omnes errores excuſſi non fuerint, mirandum non ſit quod eorum ad Eccleſiam reductio tam brevi duraverit. Quod itidem contigit Huſſitis in Baſileenſi Concilio, in quo tantum ad examen vocati ſunt quatuor eorum errores. Falſa eſt pœnitentia juxta Canones, ſi ita agatur pœnitentia de uno peccato ut non agatur de altero. Quod dictum referri poteſt ad reductionem hæreticorum qui omnes & ſingulos non deteſtantur errores.

Plures errores græcorum non examinati.

De authoritate huius Concilii.

Dubitatum eſt primo an generale & legitimum habendum ſit hoc Concilium. Qui enim Baſileenſe Concilium in omnibus recipiunt ac defendunt, huic multum detrahunt, cum eodem tempore non poſſent eſſe ſimul in Eccleſia duo Concilia generalia. Sic Duarenus Juriſconſultus lib. 5. de ſacris Eccleſiæ miniſtris cap. 11. Baſileæ, inquit, congregati Patres nequaquam ab incœpto deſiſtunt, præter paucos quoſdam factioſos qui ad Conventum alium Eugenij in Italia, quo jure quaque injuria, ab ipſo indictum proficiſcuntur: qui Baſileæ convenerant, illud Concilium Ferrariæ primo indictum, ſimul ac Eugenium qui indixerat, excommunicarunt ſeſſ. 31. & conventiculum vocant, Seſſ. 38.

Et contra hoc Concilium Baſileenſe PP. excommunicavit, ac Ludovicus ſeu Aloyſius de Pyramo Minorita Epiſc. Forolivienſis die 15. Feb. an. 1618. ex ſuggeſto Pontificis legit decretum quo omnia Baſileenſium irritabat acta, ac eos in graviſſimas cenſuras incurriſſe declarabat, apud Wadingum in annalibus ad prædictum an. 1618. Sed & prima parte actorum Florentinorum Juſtiniani habetur integrum iſtud decretum: excipitur tamen cauſa Boëmorum quoad articulum de communione ſub utraque ſpecie, quem permittit continuari Baſileæ ad triginta dies tantum. Ac cum Baſileenſes non obtemperarent, anno ſequenti promulgata eſt bulla alia contra ipſos, tenoris ſequentis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Bulla contra Baſileenſes.

Moïſes vir Dei, populi ſibi commiſſi ſalutem zelans, timenſque ne ob ſeditioſorum ſchiſma Chore, Datan & Abiron, ira Dei in ipſum populum, ſi illos conſequeretur, inſurgeret, juſſu Domini dixit ad plebem univerſam: Recedite à tabernaculis impiorum hominum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent ne involvamini in peccatis eorum. Senſerat enim ipſo Domino inſpirante, ſeditioſos & Schiſmaticos illos ultionem graviſſimam excepturos, ſicut poſtmodum rei monſtravit eventus, dum nec ipſa terra eos potuit ſuſtinere, ſed juſto Dei judicio illos abſorbuit, ut deſcenderent in infernum viventes. Sic & nos, quibus licet immeritis, Dominus Jeſus Chriſtus populum ſuum committere dignatus eſt, audientes illud execrabile ſcelus, quod quidam perditi homines Baſileæ commorantes ad ſcindendam S. Eccleſiæ unitatem proximis diebus machinati ſunt, metuenteſque ne quos incautos ſeducant fraudibus, & venenis inficiant, ad ipſum Domini noſtri Jeſu Chriſti populum nobis creditum clamare pari voce compellimur: recedite à tabernaculis hominum impiorum; cum longe amplior ſit plebs Chriſtiana, quàm illi tunc Judæorum; Eccleſia ſanctior quàm Synagoga, & Chriſti Vicarius ipſo Moiſe authoritate & dignitate ſuperior.

Quam Baſileenſem impietatem dudum prævidere cœpimus, quandoquidem illud tunc Baſileenſe Concilium intuebamur jam in tyrannidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum, ſtandumque pro libitu factionis Authorum cogerentur, dum nonnullorum vota & judicia diverſis artibus extorquerentur, dum conſpirationibus, conjurationibus, monopoliis & conventiculis pene omnia cederent, & pro ambitione Papatus diuturna protractio ipſius Concilij quærebatur. Ubi denique innumeræ novitates, inordinationes, deformitates, & quaſi infinita patrabantur mala, ad quod etiam laici & clerici infra ſacros Ordines conſtituti, ignorantes, inexperti, vagi, dyſcoli profugi, apoſtatæ, de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, nobis & ſuis Superiorib. rebelles, & reliqua iſtiuſmodi hominum monſtra concurrerent, qui & ab ipſis ſcelerum magiſtris in omnem corruptionis labem facile trahebantur.

Advertimus etiam ad illud Sanctiſſ. opus unionis Eccleſiæ Orientalis, quod per quorumdam factioſorum Baſileenſium fraudes omnino periclitari videbamus; & idcirco tantis malis, quantum in nobis erat, providere cupientes, ex prædictis & aliis rationabilibus & neceſſariis cauſis, de quibus in decreto tranſlationis plenius continetur, præfatum tunc Baſileenſe Concil. de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Card. conſilio, plurib. venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis Archiepiſ. Epiſcopis, Electis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis ac Magiſtris & Doctoribus id laudantibus, ad civitatem Ferrarienſem tranſtulimus, ubi etiam cum Occident. & Orient. Eccleſia Conc. œcumenicum Domino diſponente fundavimus; deinde morbo peſtis ſuperveniente & continuante, ad hanc civitatem Florentinam ejus gratia annuente, eodem approbante Concilio tranſtulimus, in qua ipſe piiſſimus & clementiſſimus Deus oſtendit mirabilia ſua, ut ſcilicet ſchiſma illud perniciоſiſſimum, quod in Dei Eccleſia per quingentos fere annos cum maximo totius Chriſtianitatis detrimento duraverat, & ad illud extirpandum plurimi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, multique Reges & Principes & alij Chriſtiani magnis olim laboribus & expenſis diutiſſime inſudarunt, poſt multas tandem in utroque loco diſputationes publicas & privatas, diverſos tractatus ac labores multiplices ſublatum fuerit, & ſanctiſſima Latinorum & Græcorum unio feliciter conſummata, prout in decreto ſuperinde confecto, & ſolemniter promulgato plenius continetur.

Ex quare ipſi æterno Deo inexhauſtas gratias referentes, omnique fideli populo congratulantes, obtulimus illi hoſtiam jubilationis & laudis. Vidimus enim non gentem unam, velut Hebræorum populum ad terram repromiſſionis revocati, ſed multarum gen-

Iacob. 5. sacramento inquit B. Iacobus Apost. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Ordo. Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus vero per libri evangeliorum dationem, Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ ut quis sit idoneus Christi minister.

Matrim. Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, secundum Apostolum dicen-

Eph. 5. tem: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Sexto, compendiosam illam fidei regulam, per beatissimum Athanasium editam, ipsis præbemus oratoribus, cuius tenor talis est: *Quicunque vult salvus, &c.*

Septimo, decretum unionis cum Græcis unionis consummatæ pridem in hoc sacro œcumenico Florentino Concilio promulgatum, cuius tenor talis est: *Eugenius, &c. Lætentur cæli, &c.*

Octavo, cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festivitates Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis beati Ioannis Baptistæ, & consequenter Nativitatis & Circuncisionis Domini nostri Iesu Christi, ac Præsentationis ejusdem in templo, seu Purificationis beatæ Virginis Mariæ celebrari debeant, satisque dilucide veritas patefacta fuerit, tam sanctorum patrum testimoniis, quam consuetudine Ecclesiæ Romanæ & omnium aliarum universaliter apud Latinos & Græcos: ne igitur in tantis celebritatibus dispar, sit Christianorum ritus, unde perturbandæ charitatis occasio possit oriri, decernimus tanquam veritati & rationi consentaneum, & juxta totius reliqui orbis observantiam, ut ipsi etiam Armeni festum Annunciationis beatæ Mariæ, die vigesima-quinta Martij, *Dies fe-sti.* Nativitatis B. Ioannis Baptistæ vigesima-quarta Iunij, Nativitatis vero secundum carnem Salvatoris nostri, vigesima-quinta Decembris, Circuncisionis ejusdem Ianuarii, Epiphaniæ sexto ejusdem Ianuarii, Epiphaniæ sexto eiusdem prima Ianuarii, Præsentationis Domini in templo, seu Purificationis Dei genitricis, secunda Februarii debeant solenniter celebrare.

His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores nomine suo, & sui Patriarchæ & omnium Armenorum, saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipsa descriptam, necnon quicquid tenet & docet sancta sedes Apostolica Roman. Eccles. cum omni devotione & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque doctores & sanctos patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt: quascunque vero personas & quicquid ipsa Rom. Ecclesia damnat & reprobat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent, profitentes, tanquam veri obedientiæ filii, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia maiori celebrata, anno Dom. millesimo quadringentesimo trigesimonono, decimo Cal. Decemb. Pontificatus nostri anno nono.

Quædam controversa circa Concilium Florentinum.

NOn est quod principalem controversiam hujus Concilij iterum proponamus Hæc est de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, & de additione *ex filio* facta symbolo, satisque discussa fuit in doctis disputationibus quas integras exhibuimus, quod nunquam in universo orbe celebriores extiterint inter doctissimos homines Orientis & Occidentis in præsentia summi Pontificis, ac Imperatoris Græcorum Ioannis Palæologi celebratæ, de materia divina prorsus, scilicet de processione Spiritus sancti, in quibus etiam plura sublimioris Theologiæ, ac Rhetoricæ inveniuntur argumēta. Fueruntq; hæ disputationes habitæ, positis sex pro utraq; parte disputatoribus, qui in medio totius Concilij consedebant, sex videlicet ex una parte & sex ex alia sibi invicem facies conspicientes, productis ipsis codicibus ex quibus Patrum authoritates legebantur: interpres autē stabat in medio omnium referendo cuncta in Latino & Græco sermone, quæ ab utraq; parte dicebantur: tres vero Notarii erant constituti pro qualibet parte; qui omnia gesta in Latino & Græco fideliter conscribebant, ut ex Fantino de Valereso Archiepiscopo Cretensi qui Concilio ipsi subscripsit, illudq; Latina explicatione donavit in Bibl. Vaticana asservata, notat Horatius Justinianus ejusdem Bibliothecæ custos primatius in præfatione

Disputatio omnium maxima in Florent.

actorum ejuſdem Concilij. Hæ diſputationes (ſeſſiones ne an collationes aptius dicerentur, diſputatio de nomine) tantum indigent ſedulo ac vigili lectore, ut præter eas nihil neceſſe ſit explanare. Quamvis in iis non omnia referantur quæ dicta vel facta ſunt in Synodo, & alij actorum collectores nonnulla alia referant quæ ſtudioſe ſupplevit in ſuis actis præfatus Horatius Juſtinianus. Sed nec omnes Græcorum errores examinati ſunt, cum numerentur uſque ad quadraginta & unum, qui ex Baſilea Biturim miſſi ſunt, cum ibi haberetur Synodus à Gallis, ut videre eſt apud Spondanum an. 1438. & Guido Carmelita in ſumma de hæreſibus numerat viginti ſex errores Græcorum. Inter quos præter enumeratos in hac Synodo præcipui ſunt: quod dicunt animas à corpore ſolutas non videre Deum uſque ad diem judicij, nec eſſe in cœlo aut in inferno, ſed eſſe errantes ſicut aves cœli. Multa à peccato excuſant, ut uſuram, ſimplicem fornicationem, deceptionem inimicorum quoquo modo fiat etiam pejerando, de Simonia vix ſcrupulos patiuntur: contra damnant eos qui radunt barbas & comedunt de ſuffocato. Item pro furto, uſura, rapina Sacerdotes eorum non injungunt pœnitentibus ut ſatisfaciant: ſed raptorem inungunt oleo ſimplici, & remittunt ut det Sacerdotibus ſeptem aliquam pecuniæ quantitatem, & ſic dimittitur abſolutus. Plura videbis apud citatos Authores, ut cum omnes errores excuſſi non fuerint, mirandum non ſit quod eorum ad Eccleſiam reductio tam brevi duraverit. Quod itidem contigit Huſſitis in Baſileenſi Concilio, in quo tantum ad examen vocati ſunt quatuor eorum errores. Falſa eſt pœnitentia juxta Canones, ſi ita agatur pœnitentia de uno peccato ut non agatur de altero. Quod dictum referri poſſet ad reductionem hæreticorum qui omnes & ſingulos non deteſtantur errores.

Plures errores græcorum non examinati.

De authoritate hujus Concilii.

Dubitatum eſt primo an generale & legitimum habendum ſit hoc Concilium. Qui enim Baſileenſe Concilium in omnibus recipiunt ac defendunt, huic multum detrahunt, cum eodem tempore non poſſent eſſe ſimul in Eccleſia duo Concilia generalia. Sic Duarenus Juriſconſultus lib. 5. de ſacris Eccleſiæ miniſtris cap. 11. Baſileæ, inquit, congregati Patres nequaquam ab incœpto deſiſtunt, præter paucos quoſdam factioſos qui ad Conventum alium Eugenij in Italia, quo jure quaque injuria, ab ipſo indictum proficiſcuntur: qui Baſileæ convenerant, illud Concilium Ferrariæ primo indictum, ſimul ac Eugenium qui indixerat, excommunicarunt ſeſſ. 32. & conventiculum vocant, Seſſ. 38.

Et contra hoc Concilium Baſileenſe PP. excommunicavit, ac Ludovicus ſeu Aloyſius de Pyramo Minorita Epiſc. Forolivienſis die 15. Feb. an. 1628. ex ſuggeſto Pontificis legit decretum quo omnia Baſileenſium irritabat acta, ac eos in graviſſimas cenſuras incurriſſe declarabat, apud Wadingum in annalibus ad prædictum an. 1638. Sed & prima parte actorum Florentinorum Juſtiniani habetur integrum iſtud decretum: excipitur tamen cauſa Boëmorum quoad articulum de communione ſub utraque ſpecie, quem permittit continuari Baſileæ ad triginta dies tantum. Ac cum Baſileenſes non obtemperarent, anno ſequenti promulgata eſt bulla alia contra ipſos, tenoris ſequentis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Moïſes vir Dei, populi ſibi commiſſi ſalutem zelans, timenſque ne ob ſeditioſorum ſchiſma Chore, Datan & Abiron, ira Dei in ipſum populum, ſi illos conſequeretur, inſurgeret, juſſu Domini dixit ad plebem univerſam: Recedite à tabernaculis impiorum hominum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent ne involvamini in peccatis eorum. Senſerat enim ipſo Domino inſpirante, ſeditioſos & Schiſmaticos illos ultionem graviſſimam excepturos, ſicut poſtmodum rei monſtravit eventus, dum nec ipſa terra eos potuit ſuſtinere, ſed juſto Dei judicio illos abſorbuit, ut deſcenderent in infernum viventes. Sic & nos, quibus licet immeritis, Dominus Jeſus Chriſtus populum ſuum committere dignatus eſt, audientes illud execrabile ſcelus, quod quidam perditi homines Baſileæ commorantes ad ſcindendam S. Eccleſiæ unitatem proximis diebus machinati ſunt, metuentesque ne quos incautos ſeducant fraudibus, & venenis inficiant, ad ipſum Domini noſtri Jeſu Chriſti populum nobis creditum clamare pari voce compellimur: recedite à tabernaculis hominum impiorum; cum longe amplior ſit plebs Chriſtiana, quàm illi tunc Judæorum; Eccleſia ſanctior quàm Synagoga, & Chriſti Vicarius ipſo Moïſe authoritate & dignitate ſuperior.

Bulla contra Baſileenſes.

Quam Baſileenſem impietatem dudum prævidere cœpimus, quandoquidem illud tunc Baſileenſe Concilium intuebamur jam in tyrannidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum, ſtandumque pro libitu factionis Authorum cogerentur, dum nonnullorum vota & judicia diverſis artibus extorquerentur, dum conſpirationibus, conjurationibus, monopoliis & conventiculis pene omnia cederent, & pro ambitione Papatus diuturna protractio ipſius Concilij quærebatur. Ubi denique innumeræ novitates, inordinationes, deformitates, & quaſi infinita patrabantur mala, ad quod etiam laici & clerici infra ſacros Ordines conſtituti, ignorantes, inexperti, vagi, dyſcoli profugi, apoſtatæ, de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, nobis & ſuis Superiorib. rebelles, & reliqua iſtiuſmodi hominum monſtra concurrerent, qui & ab ipſis ſceterum magiſtris in omnem corruptionis labem facile trahebantur.

Advertimus etiam ad illud Sanctiſſ. opus unionis Eccleſiæ Orientalis, quod per quorumdam factioſorum Baſileenſium fraudes omnino periclitari videbamus; & idcirco tantis malis, quantum in nobis erat, providere cupientes, ex prædictis & aliis rationabilibus & neceſſariis cauſis, de quibus in decreto tranſlationis plenius continetur, præfatum tunc Baſileenſe Concil. de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Card. conſilio, pluribus venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis Archiepiſ. Epiſcopis, Electis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis ac Magiſtris & Doctoribus id laudantibus, ad civitatem Ferrarienſem tranſtulimus, ubi etiam cum Occident. & Orient. Eccleſia Conc. œcumenicum Domino diſponente fundavimus; deinde morbo peſtis ſuperveniente & continuante, ad hanc civitatem Florentinam ejus gratia annuente, eodem approbante Concilio tranſtulimus, in qua ipſe piiſſimus & clementiſſimus Deus oſtendit mirabilia ſua, ut ſcilicet ſchiſma illud perniciosiſſimum, quod in Dei Eccleſia per quingentos fere annos cum maximo totius Chriſtianitatis detrimento duraverat, & ad illud extirpandum plurimi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, multique Reges & Principes & alij Chriſtiani magnis olim laboribus & expenſis diutiſſime inſudarunt, poſt multas tandem in utroque loco diſputationes publicas & privatas, diverſos tractatus ac labores multiplices ſublatum fuerit, & ſanctiſſima Latinorum & Græcorum unio feliciter conſummata, prout in decreto ſuperinde confecto, & ſolemniter promulgato plenius continetur.

Ex qua re ipſi æterno Deo inexhauſtas gratias referentes, omnique fideli populo congratulantes, obtulimus illi hoſtiam jubilationis & laudis. Vidimus enim non gentem unam, velut Hebræorum populum ad terram repromiſſionis revocati, ſed multarum gen-

tium populos, nationes & linguas ad unum divinæ veritatis eloquium meritumque concurrere, per quod etiam jam magna spes redditur, ut ipse sol justitiæ in Oriente oriens ad aliarum multarum gentium, etiam infidelium tenebras radios suæ lucis extendat, fiatque salus Domini usque ad extremum terræ.

Cujus quidem rei jam optimas arrhas Deo disponente tenemus, dum ipse Omnipotens per operam nostram Armenorum oratores ex longissimis Orientis partibus ad nos, & sanctam Apostolicam sedem & sacrum hoc Concilium his diebus cum pleno mandato pervenire concessit, qui nos non aliter quam B. Petrum Apostolorum Principem intuentes ac venerantes, ipsamque sanctam sedem veluti matrem omnium fidelium & magistrum recognoscentes, ad eam & præfatum Concilium pro spirituali cibo, & sanæ doctrinæ veritate se venire professi sunt; oh quam rem ipsi Deo nostro multas gratias retulimus. Sed quas in præfato divino opere molestias, quas impugnationes, quas denique persecutiones, non quidem à Turcis & Saracenis, sed à vocatis Christianis huc usque passi fuimus, horret animus commemorare. Refert B. Hieronym. quod ab Adriani temporibus usque ad Imperium Constantini in loco resurrectionis Dominicæ simulachrum Jovis, & in Crucis rupe statua Veneris ex marmore à gentibus posita colebantur, existimantibus persecutionis Authoribus tollere nobis fidem resurrectionis, & Crucis, si sancta loca per idola polluissent.

Non dissimile à Basileens. illis hominibus perditissimis, nobis & Ecclesiæ Dei his diebus fieri contigit, C nisi quod illud à paganis & verum Deum ignorantibus factum est, hoc ab his, qui cognoverunt & oderunt, & idcirco superbia eorum, juxta Propheram, ascendit semper, eo periculosius quo sub reformationis specie, quam in se semper horruerunt, venena diffundunt. Primum quidem postquam hi, qui omnis scandali paratores Basileæ fuerunt, Græcis in promissione defecerant, cum per ipsorum Græcorum & Orientalis Ecclesiæ oratores planè intelligerent, charissimum in Christo filium nostrum Ioannem Palæologum Romæorum Imperatorem illustrem, & bonæ memoriæ Iosephum Patriarcham Constantinopolit. reliquosque tam Prælatos, quàm alios Orientalis Ecclesiæ ad locum illum pro œcumenico Concilio celebrando per nostros Legatos & Præsidentes, alioisque ex præstantioribus ibidem existentes, ad quos jus eligendi locum, juxta conventionem communi omnium ejusdem Concilij consensu firmatam, post graves suppositorum ejus dissensiones devolutum erat, legitime accedere velle: cumque etiam nos hanc ipsam loci electionem, ad supplicationem & instantiam maximam dictorum Oratorum in generali Consistorio Bononiæ confirmasse, & galeas & alia necessaria pro executione ipsius decreti conventionalis, & hujus sanctissimæ unionis opere, multis laboribus & impensis versus Constantinopolim destinare percepissent, quoddam detestabile monitorium, seu citatorium, quo sanctum hoc opus interciperent, contra nos & præfatos Cardinales decernere ausi sunt, illudque ad E præfatos Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum mittere, ut ipsos & omnes alios omnino à veniendo diverterent; sciebant enim illos ad alium locum quam electum, ut præmittitur, nullo pacto venturos. Deinde cum prædictos Imperatorem & Patriarcham, ac reliquos pro ipso sanctissimæ unionis opere ad nos jam venire percepissent, alium impietatis laqueum huic tam divinæ rei injicere sunt conati, dum quamdam sacrilegam suspensionis ab administratione Papatus assertam sententiam contra nos protulerunt.

Postremo memorati scandalorum duces, numero quidem pauciſſimi, quorum plerique conditionis infimæ & nominis, veræ pacis odiosissimi, iniquitatem super iniquitatem apponentes, ut non intrarent in justitiam Domini, dum Spiritus sancti gratiam pro ipsorum Græcorum unione jam in nobis operari conspicerent, à recta linea per anfractus erroris exorbitantes, prætensam quamdam 17. Kalend. Junij proxime præteriti sessionem fecerunt, in qua quibusdam decretis, licet per unam tantum ex tribus obedientiis post recessum Ioannis XXIII. sic in eadem obedientia nuncupati, Constantiæ schismate tunc vigente editis inhærere se dicentes, tres propositiones, quas fidei veritates vocant, quasi nos & omnes Principes, & Prælatos, & alios fideles, & devotos Apostolicæ sedis hæreticos fecerent, protulerunt, quarum tenor sequitur in hæc verba. *Concil. Basil. sess. 35.*

Veritas de potestate Concilii generalis universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam, & quemlibet alterum declarata per Constantiense, & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ. B *Tres propositiones.*

Veritas hæc, quod Papa Concilium generale universalem Ecclesiam repræsentans actu legitime congregatum super declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum, sine ejus consensu nullatenus authoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans censendus est hæreticus.

In hoc perniciosissimi, dum suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, Constantiense Concilium in malum ac reprobum sensum & à sana doctrina penitus alienum pertrahunt, cæterorum schismaticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores & impia dogmata ex divinis Scripturis & Sanctis Patribus perverse intellectis, semper sibi adstruere moliuntur.

Deinde avertentes penitus sensum suum, & declinantes oculos suos ne viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum, more Dioscori & damnatæ Ephesinæ Synodi, ad quamdam venenatam & execrabilem assertæ declarationis, seu privationis sententiam à dignitate, & officio Summi Apostolatus inexpiabili quodam scelere processerunt, cujus tenorem omni piæ menti horribilem hic habere D volumus pro sufficienter expresso, nihil omittentes, quantum in eis fuit, quin hoc incomparabile unionis bonum in totum everterent. O miseros & degeneres filios! O pravam & adulteram generationem! Quid hac impietate ac iniquitate crudelius, quid detestabilius, horribilius atque insanius excogitari poterat? dixerant olim nihil melius, nihil gloriosius atque fructuosius hac sanctissima unione, ab exordio nascentis Ecclesiæ in populo Christiano visum vel auditum fuisse, neque expedire in re illa de loco contendendum fore, sed pro ea consequenda nedum hujus mundi substantiam, sed corpus atque animam exponi debere, pro hoc toto orbe clamantes, & ad id commoventes populum Christianum, E veluti in suis decretis & epistolis plene continetur. Nunc vero tam furiosè, tam impie, quantum in eis est, id idem persequuntur, ut ad illud Basileense latrocinium totius orbis dæmonia confluxisse videantur: & licet illorum iniquitatem sibi semper mentitam omnipotens Deus huc usque prævalere non permiserit, cum tamen ad eam complendam usque ad abominationem desolationis in Dei Ecclesia viribus omnibus studeant, nos, qui sine gravissima Dei offensa, ac imminenti periculo confusionis & abominationis in Dei Ecclesia talia dissimulare nullomodo valemus, juxta Pastoralis officij nostri debitum, multis etiam Dei zelo succensis, nos ad hoc ipsum impellentibus, tantis malis obviare volentes, ac, quantum in nobis est, optime & salubriter providere, execrabilemque *Concil. Eph. in quo S. Leo fuit damnatus à Dioscor. Con. Basil. Sess. 34.*

lemque impietatem ac pestem perniciosissimam à Dei Ecclesia eliminare, prædecessorum nostrorum sequentes vestigia, qui, ut scribit Nicolaus Papa, solitis sunt Concilia etiam universorum Pontificum nequiter celebrata cassare, sicut in universali contigit Synodo Ephesina secunda, quam beatiss. Leo Papa submovit, & Chalcedonensem iustitut, solemne & salubre declarationis decretum contra sacrilegos ipsos authoritate Apostolica in sacro Ferrariensi generali Concilio 15 kal. Martij per nos editum, hoc sacro approbante Concilio, innovamus. Per quod quidem inter alia omnes & singulos Basileæ sub prætensi Concilij nomine, quod verius Conventiculum esse diximus, contra translationem & declarationes nostras contravenientes, & illa scandalosa & nefaria præsumentes, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, aut alia quavis dignitate Ecclesiastica vel seculari præfulgerent, excommunicationis, privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum, ac inhabilitationis ad futura, pœnas in nostris dictis litteris translationis contentas, ipso sacro Ferrariensi approbante Concilio, incidisse declaravimus.

Omnium scilicet Episcoporum sine authoritate summi Pontificis congregatorum.

Decernentes etiam nunc & declarantes, quæcumq; per dictos impios homines Basileæ existentes facta & attentata, de quibus in præfato nostro Ferrariensi Concilio fit mentio, similiter omnia & singula per prædictos ex post facta, gesta, & attentata, specialiter in duabus prætensis sessionibus, seu verius conspirationibus, ultimo nominatis, ac quicquid ex eis vel ex ea forsitan secutum est, & in futurum sequi posset, tanquam ab impiis hominibus & nullam potestatem habentibus, à Deo abjectis & reprobatis, fuisse & esse nulla, cassa, & irrita, & de facto præsumpta, ac nullius penitus effectus, roboris vel momenti.

Damnat propositiones de potestate Concilii supra Papam.

Ipsasque propositiones superius descriptas, juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti sacrosanctæ Scripturæ & sanctorum Patrum & ipsius Constantiensis Concilij sensui contrarium, necnon præfatam assertam declarationis seu privationis sententiam, cum omnibus inde sequutis, & quæ in posterum sequi possent, tanquam impias & scandalosas, necnon in manifestam Ecclesiæ Dei scissuram, ac omnis Ecclesiastici ordinis, & Christiani Principatus confusionem tendentes, ipso sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus, ac damnatas & reprobatas nunciamus. Decernimus etiam & declaramus, omnes & singulos prædictos fuisse & esse schismaticos & hæreticos, & ultra pœnas in præfato Ferrariensi Concilio declaratas, tanquam tales cum omnibus eorum fautoribus, & defensoribus cujuscumque status, conditionis, & gradus Ecclesiastici vel secularis, extiterint, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, aut alia quavis dignitate præfulgeant, ut cum prædictis Chore, Dathan, & Abiron æternam accipiant portionem, pœnis condignis omnino puniendos.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, declarationis, damnationis, reprobationis, nuntiationis, constitutionis, & dispositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Florentiæ in sessione publica Synodali solenniter in Ecclesia sanctæ Mariæ Novellæ celebrata, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo nono, pridie nonas Septembris, Pontificatus nostri anno nono.

Porro & si Basileenses hanc bullam Eugenij damnarint sess. 38. tamen vim suam obtinet tanquam à legitima potestate promanans.

De decreto Eugenij.

Dubitatum est etiam an decretum Eugenij quo continetur instructio Armenorum & eorum unio cum Ecclesia, sit pars hujus Concilij. Aliqui enim multum discriminis ponunt inter definitionem Concilij qua continetur unio cum Græcis, & decretum illud Eugenij: illi enim omnem authoritatem tribuunt quæ decretis Synodi generalis competere potest, huic non ita, quod jam Græci discessissent cum unio facta est cum Armenis, itaut non putent tunc fuisse Concilium generale. Verum Arcudius in præclaro opere de Concordia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis cap. 5. optime ostendit decretum illud nomine totius Concilij editum fuisse: quamvis enim Græci in toto illo Concilio pars Concilij fuerint, illisque non præsentibus pars aliqua Concilij defuerit, tamen quia ipsis contentientibus unio Armenorum subsequuta est (quippe Græcis placebat Armenos à Latinis instrueudos esse, ut intelligere licet ex colloquio Armenorum privatim habito cum Imperatore) & Concilium censetur unum & integrum ex continuatione, præsertim quando supersederit & non abierit caput summus Pontifex cum quibusdam nobilissimis membris, propterea omni alleveratione affirmo nomine totius Concilij decretum editum fuisse. Idque ostendunt verba decreti, in quibus ait Pontifex se dare Armenis sub quodam brevi compendio Orthodoxæ fidei veritatem sacro approbante Concilio. Hoc confirmat Episcopus Appamiensis Spondanus ad annum 1439. alterens non una cum Græcorum discessu dissipatam esse, quod multi crediderunt, Florentinam Synodum, sed porro continuatam cum Patribus Latinis, nec vero hoc solum anno, verum etiam tribus sequentibus: quod scilicet vellet secum perpetuo habere Eugenius, cum quibus posset de schismate quod parabatur in Germania consultare ac decernere. Quod & luculenter confirmatum reperimus ex actis Concilij Tridentini, quæ in arce S. Angeli asservantur Romæ. Ubi legitur quod cum Episcopus Clodiensis in congregatione generali die 26. Februarij 1547. excitasset dificultatem de bulla unionis Jacobitarum, quasi ea non pertineret ad Concilium Florentinum quod terminatum fuisset anno 1439. quo consignata est bulla unionis Græcorum, bulla autem Jacobitarum anno 1441. Cardinalis à Monte Concilij præsidens respondent hallucinari eos, qui putarent finem Concilij Florentini fuisse unionem Græcorum, cum longe post, per tres scilicet fere annos perduraverit, usque videlicet ad an. Domini 1442. quo an. 6. Kal. Maij celebrata sessione Romam translatum fuit. Idque ea occasione factum est, ut idem narrat Spondanus ad an. 1442. quod legatione missa ad Imperatorem Abyssinorum, qui vulgo *Presbyter Ioannes*, vel per contractionem *Pretiannes* dicitur, seu in honorem Jonæ Prophetæ, seu quod pretiosum eum haberent *Belulgian* vocarent propria lingua, quasi nihil in orbe esset pretiosius hoc Imperatore, eos exspectaret brevi accessuros ad Concilium suscipiendæ fidei Orthodoxæ causa. Atque ut majorem authoritatem ex loco acciperet Concilium, ipsum Florentia Romam transtulit approbante Concilio ipso, prosequendum in Basilica Lateranensi, propria & prima sede summi Pontificis, decima quinta die post ejus ad urbem reditum. Non constat autem quid Romæ actum fuerit, sed de Legatione missa ad Æthiopes acta Florentinæ Iustiniani parte 1. attestantur in epistola ibi contenta Nicodemi Abbatis Æthiopis Ierosolymis constituti super Æthiopibus ibidem degentibus ad Eugenium. Qua illi gratias plurimas agit de hac Legatione ad Æthyopes missa: & quamvis, inquit, Romanorum pontificum negligentia minus eos partes curantium & immensa locorum distantia accidisset, ut nulla visitationis memoria aut litterarum communicatio ab octingentis

Ubi finitur Concil. Florent.

Æthiopum Epist. ad Eugenium.

ferme annis apud eos extaret; nihilominus Æthiopas tanta veneratione semper Romanã sedem coluisse, ut pedes eorum qui Roma venirent in Æthiopiã oscularentur, vestiumque eorum partes raperent & reliquiarum loco servarent. Nec id quidem mirum. Si enim Regina Saba abiit in Jerusalem ut sapientiam Salomonis audiret, plusquam Salomon summum Pontificem esse: Regem item potentissimum Æthiopum cui centum subessent Reges, tantum facere Romanum nomen & Latinorum fidem, ut nihil æque in votis haberet, atque cum Romana Ecclesia uniri & Pontificis subjici pedibus, amantissimeque amplexurum quæ de concordia statuerentur in Synodo, nec se legatos dispiciendi caussa mittere, sed ut summi Pontificis sententiam de rebus fidei sequerentur: vetustam enim & orbi notam esse Latinorum sententiam, nec debere discipulum esse supra magistrum. Hæc & plura in actis Florentinis Iustiniani quæ Romæ edita fuerunt.

Narrat autem in vita Eugenii Papæ quomodo oratores præfati regis Æthiopum Romam venerint. Anno 1441. die 10. Octobris Abbas sancti Antonij in Ægypto vir insignis apud Imperatorem Æthiopiæ vulgo Presbyterum-Joannem vocatum, duodecim ferme monachis comitatus Romam venit, & ad portam obviam illi factis gubernatore, senatore, regionariis urbis, præfecto arcis S. Angeli & conservatoribus multisque aliis civibus, deductus est in Basilicam S. Petri, ubi illi vultus sanctus ostensus, hospitatus est ad S. Laurentium in Damaso, & postea capita Apostolorum & cæteræ urbis reliquiæ monstratæ fuerunt.

Extant quoque in valvis æneis tempore Eugenii Papæ IV. in majori parte Basilicæ S. Petri collocatis nobiliora ejusdem Pontificis monumenta, inter quæ visitur eorumdem oratorum in urbem ingressus, subinde insculptum etiam cernitur, quando Eugenius Papa decretum fidei eisdem oratoribus tradidit in Basilica S. Joannis in Laterano.

Chaldæi & Maronitæ.

Dedit quoque Eugenius constitutionem pro Chaldæis & Maronitis eodem sacro approbante Concilio quod Romæ prosequebatur, item pro Syris & Indis. Quę omnia Basileenses in pejorem partem sumentes prædicabant Eugenium Romam Concilium transtulisse, tum ne compelleretur ad aliud concilium in Germania celebrandum, tum ut ostenderet se summum imperium habere supra Concilium. At vero Eugenius universali Concilio præsidens nationes & regna ad Apostolicæ sedis obedientiam reduxit, atque ad ipsum in vertice montium & Episcopum Episcoporum constitutum iuxta Prophetæ vaticinium fluebant omnes gentes: tabescentibus interim Basileensis conciliabuli sub prætextu reformationis schismaticis, ut iuxta prophetæ oraculum viderent & confunderentur zelantes populi Is. 26. ut annotat præfatus Iustinian. 3. p. actorum huius Concilii.

Unde debemus intelligere non tantum decretum illud Eugenii pro Armenis partem esse huius Concilii, sed & plerasque alias constitutiones pro Jacobitis, Chaldæis, Syris, Æthiopibus aliisque cæteris populis qui delegatos oratores Romam miserunt ut Ecclesiæ Romanæ reconciliarentur, ab eaque orthodoxæ fidei articulos, in quibus aberrant, reciperent. Necesse etenim à centro unitatis, quod est in Ecclesia Romana, diffitos eo magis à se invicem per varias opiniones dissentire: sicut lineæ quo plus à centro distant, eo magis à se invicem elongantur. Nam de erroribus Armenorum catalogum texit Guido Carmelita in summa *de hæresibus*. Ubi inter cætera refert ipsos non celebrare cum gaudio festum Nativitatis Christi, sed eo die jejunare: faciunt vero festum apparitionis baptismi, quod dicunt festum nativitatis spiritualis. In suo quodam Concilio ab annis sexcentis habito statuerunt, quod non crederent Spiritum sanctum à Filio procedere, & contrarium tenentes graviter puniri-

Armenorum errores varii.

A reneur: in eodem Concilio damnaverunt Leonem Pontificem Rom. & Dioscorum Alexandrinum per Concilium Chalcedonense damnatum canonizaverunt. Dicunt omnes homines usque ad Christum damnatos fuisse. Animam filii purgari ab anima patris, & Angelum ab Angelo. Dicunt animas puerorum qui nati sunt ex Christianis, B sine baptismo exeunt, ire ad paradisum terrestrem. Quod homines mediocriter mali post judicium manebunt in terra: vocant autem mediocriter malos conjugatos in sæculo viventes. Dicunt non esse infernum, quia Christus eum destruxit: sed quod perfecte malis in Oceano sulphuris cruciabuntur. Purgatorium non admittunt, negant peccatum originale. Dicunt in Christo naturam humanam in divinam fuisse conversam. Dicunt C eos qui cadunt per peccatum à gratia, non posse resurgere in majori sive æquali gratia. Solam passionem ad salutem sufficere sine gratia gratum facientè ac sine ullo dono justificante. Quod peccator non potest, nisi semel absolvi ab omni peccato. Quod aliqua peccata sint irremissibilia. Quidam eorum baptisant in puro vino, quidam in lacte, quidam in aqua. Transubstantiationem non admittunt in Eucharistia, sed solam figuram corporis Christi. Quod sacerdotes per fornicationem amittunt potestatẽ absolvendi. Quod aqua non est miscenda vino: tres tantum ordines admittunt, quos nonnisi promissa pecunia conferunt. Quod nullus resurget in sexu muliebri, sed omnes in virili. Jacobitæ porro apud eumdem Guidonem circumcidunt pueros. Negant confessionem quæ fit sacerdotibus, sed soli Deo confitenda, ponuntq; ignem juxta se cum incenso, in signum quod Deus in tali confessione consumit eorum peccata: unam tantum naturam in Christo admittunt, ac ideo uno tantum se digito signant. *Jacobitæ.*

Æthiopes autem magna ex parte Nestorium sequuntur, qui depravit maximam partem Orientis, præsertim, ut ait idem Guido, terram Presbyterĩ Joannis, nec non per Sergium Saracenos.

De Eucharistia & pane azymo.

DIsputatum fuisse etiam de Eucharistia in hoc Concilio multi testantur: non quidem quod noluerint Græci admittere mutationem panis in corD pus Christi, ut mentitur Kemnitius apud Arcudium de concordia utriusque Ecclesiæ lib. 3. cap. 2. Quia nunquam Græci cum Latinis ea de re disceptarunt, sed tantum actum fuit de verbis, quibus illa ineffabilis mutatio fieret, Marco Ephesio contendente aliis quam Christi verbis hanc mutationem fieri. *Græcorum cum Latinis consensus circa Eucharist.*

Agitata quoque fuit controversia de materia hujus Sacramenti, an panis deberet esse azymus secundum Latinorum, an fermentatus secundum usum Græcorum. Determinavit autem Concilium panem seu azymus sit seu fermentatus, materiam esse hujus sacramenti, licet unusquisque ritum Ecclesiæ suæ servare deberet, quem privata authoritate mutare non licet. Nihil autem determinavit Concilium, an convenientius ad exemplum Christi Salvatoris ex pane azymo fieret, ut contendunt Latini, licet ea de re magna fuerit controversia, ex eo potissimum orta, quod non videatur mors Christo illata die solemni Paschæ, ac per consequens non instituisse Eucharistiam in vespera, quæ præcedebat Pascha, ubi incipiebat usus azymi, sed aliquo die antea, ubi adhuc erat usus panis fermentati, ut 11. die juxta illud Joan. 13. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, &c.*

Ad quod respondetur cœnam agni Paschalis, in qua fuit instituta Eucharistia, factam fuisse à Christo die 14. ad vesperam, secundum legis præceptum Exod. 12. hanque vesperam dici ante diem festum Paschæ, supple lucescentem seu artificialem, non diem naturalem, prout includit noctem

& diem. Et aliud eſt ſolemnitas Paſchæ, aliud dies feſti Paſchæ.

Hoc tempore, Euchar. inſtituta à Chriſto.

Objicies ex Ioan. c. 19. *Ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Ergo nondum cœna agni Paſchalis facta erat, cum pateretur Chriſtus.

Reſpondetur ibi per Paſcha, intelligi victimas Paſchales per 7. dies continuos immolari ſolitas, à quibus manducandis ne impedirentur, ac immunditiam legalem contraherent, nolebant ingredi in domum Pilati Gentilis hominis. *Ita Gordonus in c. 19. Ioannis.*

Objicies diem, in quo Chriſtus paſſus eſt, vocari paraſcevem Paſchæ Ioan. 19. hoc eſt præparatorium Paſchæ; ergo ante Paſcha Chriſtus paſſus eſt.

Reſpondetur vocari paraſcevem Paſchæ, non reſpectu Paſchæ in quo incidebat, ſed reſpectu Sabbati ſolemnioris intra octavam Paſchæ tunc incidentis, quod Sabbatum apud Iudæos celebrius erat, & cum præparatione agebatur.

Objicies non videri probabile in die ſolemni Paſchæ licitum fuiſſe exercere judicia, nec veriſimile Iudæos illum diem voluiſſe violare.

Reſpondetur omnia fuiſſe cum tumultu, cum furore, cum impietate, cum Dei contemptu, nedum diei Paſchæ: itaque res acta eſt contra eorum primum propoſitum, cum dicerent, *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.*

Objicies Luc 22. diſcipulos primâ die azymorum dixiſſe Chriſto, *Quo vis eamus, ut paremus tibi Paſcha?*

Reſpondetur diem 13. vocari primam diem azymorum, quia in illius veſpera incipiebat uſus azymorum: Itaque dies Paſchæ erat decima quarta & decima quinta, ſed 14. quoad initium Paſchæ, 15. quoad complementum: & primus dies azymorum dicebatur 13. dies & 14.

Objicies non apte initium diei vocari veſperam.

Reſpondetur id non eſſe inſolitum in ſcriptura, quæ ait veſpere & mane factos eſſe primos dies creationis, atque etiam Sabbatha a veſpera ad veſperam jubet computari.

Objicies inde ſequi, ut fuerint octo dies azymorum, non ſeptem, nam computando à veſpera decimæ quartæ, uſque ad diem 21. ad veſperam, in qua Exod. 12. ponitur finis azymorum, invenientur octo dies.

Reſpondeti poteſt Ioſephum computare octo dies azymorum: melius reſpondetur hæc verba Exodi, uſque ad diem 21. ad veſperam, ſcilicet primam, intelligenda eſſe excluſive, non incluſive.

Objicies quoſdam patres aſſerere Chriſtum obiiſſe Luna 15.

Reſpondetur, ſi qui ſint hujus opinionis, plures ſunt contrariæ opinionis, ut Orig. Tract. 25 in Matth. Epiph hær. 50. citatur etiam author quæſtionum veteris & novi Teſtamenti inter opera D. Auguſt. adſcriptus, item D. Anſel. ſuper c. 27. Matth. apud Suarem ad a. 6. q. 1. D. Th. diſp. 40. ſect. 5. & communis eſt opinio Chriſtum occiſum eſſe in die ſolemni Paſchæ, in quo mos erat unum reum liberari, qui tunc fuit Barrabas, Ioan. *18. Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha.* Et dies ille vocatur ſolemnis à D. Mat. c. 27.

In confirmationem eorum omnium. Iſraëlitæ primum Paſcha celebraverunt in prima veſpera lunæ ſeu diei decimæ quartæ: Ergo Iſraëlitæ deinceps, atque etiam Chriſtus.

Probatur antecedens ex c. 12. Num. *Profecti igitur de rameſſe menſe primo quinta decima menſis primi, altera die phaſe filii Iſrael in manu excelſa.* Verſio Pagnini habet: quintadecima die menſis primi in craſtino Paſchæ egreſſi ſunt filij Iſrael. 70. habent: poſtridie ipſius Paſchæ, egreſſi ſunt filij Iſrael: at non potuerunt congregari in rameſſe ex oppidis & urbibus niſi ſaltem per ſpatium unius diei, &c. Egreſſi ſunt etiam de domibus media nocte poſt phaſe celebratum, &c. Ergo apparet comediſſe agnum Paſchalem in prima veſpera lunæ decimæquartæ.

De authoritate Pontificis Romani.

Circa authoritatem Pontificis Romani in hoc Concilio definitam & à Græcis recognitam & approbatam poſt multas à tempore Photij conflictationes, dubium eſt quid ſibi velint iſta verba: *Quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur.* Tacet enim Abramus quod habent acta Biniana, diſſidium fuiſſe de modo exprimendi poteſtatem ſummi Pontificis, cum Latini vellent ut ſcriberetur eum habere ſua privilegia juxta determinationem factæ ſcripturæ & dicta ſanctorum Patrum. Quæ verba Imperator effuſe nimis dicebat. An ſi quis ſanctorum honorat Papam in Epiſtola, hoc habendum erit pro privilegio? Cumque tandem viſum fuiſſet pro dictis ſanctorum opus Dei, id eſt, unionem non eſſe impediendam, convenerunt omnes in illa expreſſione quæ in definitione ſeu litteris unionis exhibita fuit. Quamvis non deſint qui latinam verſionem vituperent in hac parte, diſcrimenque ponunt inter particulas *ex*, atque *etiam*. Alij vero ſunt qui non aliter iſta verba intelligenda eſſe putant, quam ut præfigatur modus authoritati Pontificis, ut non aliud poſſit quam quod determinatum eſt in Conciliis Orientalibus & eorum canonibus ſanctum, ultra quos nihil poſſit agere aut aggredi, ita ut intra limites eorum canonum omnis ejus coërceatur poteſtas. Unde & ulterius inferre volunt irritum eſſe & inane quicquid attentaverit ſummus Pontifex, ſi non eſt eorum Conciliorum canonibus explicatum. Quod non parvam inferret imminutionem illius poteſtati, & non minimam in Eccleſia perturbationem, dum tot diſpenſationes, inſtitutiones novæ privilegiaque revocarentur in dubium.

Aliam autem fuiſſe mentem Concilij Florentini docet inter cæteros Thomas Illyricus in tractatu de poteſtate ſummi Pontificis, dicens, Cum hæc verba retulit, notandum eſſe, non noviter ab hac ſynodo inventam eſſe hanc definitionem, ſed declaratum fuiſſe ab hac ſynodo ipſam contineri in aliorum Conciliorum geſtis. Unde, inquit, in canone Concilij Chalcedonenſis dicitur: Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat poteſtatem appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ: quem habemus Petrum petram refugij: & ipſi libera poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi Epiſcopi infamiam ſecundum claves à Deo ſibi datas. Quem tamen canonem inter Chalcedonenſes non invenimus. Satis tamen indicavimus & manifeſtam fecimus tam in canonibus quam in controverſijs primorum Conciliorum hanc authoritatem Pontificiam.

Aliud autem eſt quod authoritas primaria Pontificis Romani antea aſſerta fuerit quoad ſubſtantiam in primis Conciliis, aliud quod in iiſdem ſic modificata fuerit, ut non ad alia ſe extendat quam quæ ibidem determinata ſunt. Primum verum eſt & ſufficienter à nobis demonſtratum in his Conciliis. Secundum abſolute non debet admitti, quamvis æquum ſit Pontificem juxta canones regere Eccleſiam, nihil aliud obſtet: non tamen iis canonibus omnis ejus poteſtas coërcetur, cum non humani ſed divini juris ſit.

Nec obſtat iſti authoritati quod Chriſtus immediate inſtituerit ac miſerit Apoſtolos, dederitque eis poteſtatem, quibus cum ſuccedant Epiſcopi, videri deberent ab ipſo immediate dependere, ſicut Apoſtoli à ſolo Chriſto: eſt enim diſcrimen valde attendendum, quia tunc ſolus Chriſtus regebat Apoſtolos, nec alium habebant ante ſe à quo dependerent, unde tunc ſolum ab eo tanquam à ſummo ſacerdote & Pontifice habebant authoritatem: nunc vero ipſo in cœlos

ascendente Petrum habent Episcopi aut ejus successorem pro capite & principe, à quo pendet eorum authoritas: sicut enim rex à regno discessurus disponit ac dividit regni officia, mandans, ut constituto ab eo vicario obediant omnes quos variis officiis præposuit: sic Christus ex hoc mundo discessurus, constituit Apostolos & septuaginta discipulos quibus designabat Episcopos, & Curatos etiam seu minores sacerdotes Episcopis ipsis immediate subditos, varia gratiarum dona ac jurisdictiones potestatesque concedens, sed super omnes reliquit Regentem in suo regno seu vicarium generalem à quo omnes sic dependerent, ut quamvis non posset ordinem Episcoporum aut Curatorum omnino tollere, posset tamen ex plenitudine potestatis quæ ei commissa est, si utile judicaverit, hos sublimare, illos deprimere, de Curatis Episcopos creare, de Episcopis Archiepiscopos, horum jurisdictionem coarctare, aliorum dilatare: plenitudo siquidem potestatis, ait D. Bernardus epist. 121. ad Mediolanenses, super universas orbis Ecclesias Apostolicæ sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Potestas suprema cur Pont. Rom. conveniat potius.

Cur vero potius Romano Pontifici competit hæc auctoritas quam Antiocheno aut Constantinopolitano, aut alii, in promptu ratio est, quia Pontifex Rom. est successor D. Petri, cui tota Ecclesia ac omnes Christi oves commissæ sunt. Unde si Petrus perseverasset usque ad mortem in Ecclesia Antiochena quam sibi primo propriam reddiderat, non Pontif. Roman. sed Antiochenus esset successor D. Petri cum authoritate in universam Ecclesiam: sed quia Petrus adhuc vivens reliquit hanc Ecclesiam D. Ignatio gubernandam cum minori potestate, & inde Romam venit ac illic permansit usque ad mortem, sedemque summi Pontificatus instituit in ea urbe, ideo qui ejus successor est Rom. Pontifex primariam ac universalem habet potestatem sicut D. Petrus: ex conjunctione enim Ecclesiæ Romanæ cum summo Pontificatu firmata per mortem D. Petri, Ecclesia Romana addita est & appropriata summo Pontificatui. Quod non sine quadam divina ordinatione factum rectissime creditur, cum Christus apparens Petro fugienti ex urbe Roma propter persecutionis atrocitatem insinuavit ipsi ut Romam rediret, his verbis, Vado Romam iterum crucifigi, prout refert Divus Hieronymus in libro de viris illustribus. Unde non ordinatione humani Imperatoris primo, sed cœlestis, nec Concilii generalis, sed consilio divino primum conjunctio hæc facta est, licet postea & per Imperatores & per Concilia corroborata fuerit. Vnde hic dicitur in hoc Concilio Romano Pontificem successorem esse Beati Petri principis Apostolorum & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere: & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universam Ecclesiam à Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Infallibilitas Rom. Pontificis à quibusdam asserta.

Ex quibus verbis etiam inferunt plures, cum Ecclesia sit columba & firmamentum veritatis, quæ totaliter errare non potest in fidei & morum doctrina, summum quoque Pontificem omnium Christianorum ac totius Ecclesiæ doctorem ex divina ordinatione cum universam docet Ecclesiam & omnes Christianos ex cathedra, id est, ex ea authoritate qua potest omnes obligare, sic ipsam decipere non posse: ac errare ipse non potest ex assistentia divina quæ illum non deserit. Vnde, inquiunt, inhonorant matrem suam Ecclesiam, qui illi doctorem assignant errori obnoxium ac qui ipsam in errorem præcipitare possit. An non melius est talem doctorem datum esse Christianis omnibus qui non possit abire in consilio impiorum, & non possit stare in cathedra pestilentiæ? An non inde securiores sumus in nostra fide? An non majorem Dei erga Ecclesiam amorem, majusque beneficium à Deo optimo illi collatum agnoscimus, cum talem illi præceptorem assignavit? ecce enim possit Pontifex ut privatus homo propriæ opinioni aliquid indulgere, at non quatenus est doctor universalis Ecclesiæ, quia Deus non permittit ipsum tunc falsa docere, quia alias nihil esset certum in Ecclesia, sicut in discipulo qui tenetur audire magistrum hallucinantem: & quamvis stando præcisè in ratione naturalis luminis, quæ ratio sine fide in errorem præceps est, videri possit nihil impedire quominus Papa præventus aliqua opinione erronea, ipsam etiam declaret & jubeat suscipi ab omnibus, credens ipse id expedire & veritatem ipsam se manifestare; attamen quia regimine aliquo supernaturali Deus dirigit Ecclesiam militantem, quatenus Papa subest tali Dei regimini, non potest, nec unquam faciet. At instabis, quid si Papa vellet? & ego contra opponam: quid si Deus deseret Ecclesiam à qua se numquam recessurum pollicitatione sua se adstrinxit?

Placet hic adjicere Westoni Doctoris Angli sententiam in Commentariis de moribus reipublicæ lib. 5. cap. 15. Nos porro infallibile judicium quoad veritatem definiendam attribuentes Romano Pontifici, eodem singulari modo Dei erga nos bonitatem, juxta Christi meriti ubertimos fructus, amplificamus: quis ignorat præclare consultum fore ei reipublicæ, cujus princeps Dei instinctu perpetuo dirigeretur ad sententiam recte ferendam in omni materia justitiæ, sive ea legis latæ genuinam interpretationem, sive ipsum in reipsa justum respiceret? Veræ enim justitiæ in plerisque obscurum esse nobis sensum quis dubitat, vel minime in se experitur? Hinc eximium ac propemodum divinum esset illius reipublicæ ornamentum, simulque firmamentum, si modo in ea princeps judicium esset semper laturus infallibiliter ad naturam ipsius justitiæ, quantumvis abstrusæ aut hominum opinionibus controversæ. Cur ergo hæretice invides aut iniqne fers, Dei Ecclesiæ hoc privilegium in persona summi Pontificis concedi? quamobrem ab affluentia meritorum Christi in Ecclesiam redundantium hoc ingens beneficium ingratus prorsus repellis, neque ut nos Dei bonitatem & Redemptoris munificentiam commendas? Num inde quod superbus in te animus haud patiatur externo, nedum Romano solum regi magisterio, vel quod cupias externæ authoritatis omni tribunali excusso, in rebus fidei promiscue tumultuari duntaxat, ac demum immani tragœdia cuncta earum momenta funestare? Vereamini ne nos Catholici Christum sua gratia plus æquo proficuum exhibeamus. Deo profecto Christo humano generi eodem infesti consistitis, quo Romano Pontifici hoc divinitatis oraculum detrahitis.

Plura de hoc argumento suppeditat Card. Turrecremata lib. 2. cap. 109. & sequentibus in summa Ecclesiæ. Nec vero ut objiciebat quispiam Anonymus, Concilia erunt inutilia si Papa in rebus fidei est infallibilis: quinimo eo magis utilia erunt, quod præsidentem habeant non errantem; quem audierunt semper hactenus, & secuta sunt quæ legitima habentur. Sed ne levius rem istam egisse videamur, auxiliaris noster erit Stapleto, qui in relectione scholastica controversia 3. q. 5. hanc ipsam Anonymi rationem inter alias hæreticorum reponit pro octavo eorum argumento, (etsi non inficior omnem hereticorum objectionem aut rationem non esse hæreticam.) Si, inquiunt hæretici, non posset Papa errare in decreto fidei, frustra congregarentur Concilia generalia, quia solus ille posset omnia determinare. Ad 8. inquit Stapleto, non frustra congregatur Concilium, etsi solus Papa possit decernere, propter multas causas. Primum quia decernit non prophetice, sed discursive & humano modo, ideoque inquisitione opus habet. Sic in primo Concilio Apostolico, etsi

Concilia necessaria.

Iohus Petrus ſententiam tulit, & eum ſecuti ſunt cæteri omnes, tamen prius *conquiſitio magna facta eſt*, Act. 15. in hac autem conquiſitione juvant plurimorum judicia. Secundo propter infirmitatem fidelium qui libentius acquieſcunt multorum patrum judicio quam unius. Tertio quia quòad mores multa ſunt definienda: qua in re praxes variarum Eccleſiarum inſpiciendæ ſunt, quod ſine congregatis Epiſcopis difficillime fit. Quarto ut audiantur & corrigantur hæretici ipſi, & eorum vel ſaluti conſulatur vel impietati occurratur. Hæc Stapleto. Denique cum debeat Summus Pontifex determinationi de fide præmittere examen ſufficiens, pro rei de qua agitur gravitate ac circumſtantiis, illius eſt convocare quos judicaverit ad illud. Aliquando autem res controverſiæ talis ſunt momenti ac in talibus circumſtantiis, ut non aliter quam in Concilio generali debite valeant examinari ac definiri ut fructus aliquis ex definitione ſperari debeat. Ac tunc non deerit officio paſtor Eccleſiæ Sed de his alias.

Delegatio confeſſariorum à Papa.

Cæterum ex eadem definitione authoritatis Pontificiæ per Concilium inferunt alij ipſum Pontificem poſſe ubique delegare confeſſarios, ſic enim Leſſius ex hoc decreto argumentatur in additionibus ad D. Thomam qu. 8. art. 5. dub. 5. Romanus Pontifex eſt caput totius Eccleſiæ & omnium Chriſtianorum Pater & Doctor, & habet plenam poteſtatem regendi univerſalem Eccleſiam: ergo poteſt ubique locorum confeſſiones audire, ac proinde aliis quos idoneos judicaverit eamdem poteſtatem committere: cum enim non poſſit omnes per ſe immediate paſcere, neceſſe eſt ut poſſit aliis ſuas vices committere. Confirmatur, quia Epiſcopus abſque licentia ſui parochi poteſt dare poteſtatem audiendi confeſſiones in parœchia: ergo multo magis Pontifex abſque conſenſu Epiſcopi. Sed hæc illatio non placet Anonymo, qui omnem movet lapidem ut à Pontifice auferat illam poteſtatem ac Religioſorum privilegia irrita reddat. Quod cum non poſſit aliter facere quam errantem exhibendo ſummum Pontificem à quo emanarunt, ideo tot congerit, poſt exagitatam definitionem Concilij, ut infallibilitatem illam evertat. Sicque non modicæ controverſiæ noſtris diebus anſam dedit hæc definitio Florentina, quæ vix per clerum Gallicanum ſopita eſt, apud quem delata fuit, dum huic editioni incumbebamus.

De Ordinationibus Græcorum.

CÆterum ut ad difficultatem propoſitam quaſi è prolixiori diverticulo redeamus. Si decretum iſtud vere eſt Concilij Florentini, tenerentur ergo Græci in Ordinationis Sacramento tradere inſtrumenta tangenda ordinandis, & uti formis quas aſſignat decretum in adminiſtratione Sacramentorum. Quod tamen minime ab iis obſervatur.

Nodum hunc diſſolvit præfatus Arcudius loco citato. Græcos teneri bene ſentire de toto illo decreto tanquam Synodico. Teneri etiam in Sacramentis nihil eſſentiale prætermittere. Formas autem Græcas & Latinas, ſicut & materias idem valere. Quod variis locis occaſione data demonſtrare conatur. Quod ſpectat autem ad ordinationem, aſſerit primam manus impoſitionem apud Latinos eſſe materiam eſſentialem, ut & apud Græcos, ſed apud Latinos una cum inſtrumentis magis explicatam & dilatatam eſſe, quam dilatationem Græci non damnant, neque enim unquam cum Latinis de hac re conqueſti ſunt, eam tamen non adhibent. Non enim neceſſe eſt ſi non eſt talis mos apud illos, ut eam adhibeant; ſed ſatis eſt ſi eam non damnent in aliis, ſed per ſolam manus impoſitionem totum adimpleant. Et videretur nimis durum aſſerere Græcos iterum debere ordinari. Hac enim ratione nunquam fuiſſet Sacerdotium apud Græcos, & tamen Græci de hac re nunquam accuſati ſunt apud Latinos, & præxis Eccleſiæ hoc nos docet. Non enim Eccleſia Romana Presbyteros Græcos ad concordiam revertentes iterum ordinat, aut aliquid ſupplet in eorum ordinatione. Quin Eugenius Pontifex in Concilio hoc jam tum facta concordia, cum multas quæſtiones de rebus minutiſſimis etiam ad ritus & ceremonias circa Sacramenta propoſuiſſet Græcis, quod à Latinis differre videbantur, hanc quæ maximi momenti eſt, ne attigit quidem.

Et licet Concilium mentionem aliquam de manuum impoſitione non faciat, unde anſam arripuit Dominicus Soto in 4. diſt. 24 quæſt. 1. art. 5. docendi eam non eſſe eſſentialem in ordinatione: quia tamen Concilium refert ſe ad Pontificale Romanum in quo expreſſa eſt manuum impoſitio, nihil ex hoc Concilio contra illam manuum impoſitionem concludere poteſt.

Impoſitio manuum.

Hanc Arcudij ſententiam laudat Hiquæus. t. 4. ſent. diſt. 24. qu. unica, & explicatur hoc modo: quia non requiritur aliud ad materiam Ordinis niſi ut fiat ſigno viſibili per quod gradus illius miniſterij repræſenterur ſufficienter prolata debita forma. Ad quod reſpiciens Trident. ſeſſ. 23. c. 3. dicit ſacram ordinationem verbis & ſignis perfici. Dicit ſignis, quia ſicut traditio poteſtatis per ſigna externa variis modis fit, ut impoſitione manus, & traditione inſtrumentorum, alterutrum ſufficit, quando eſt proportionatum ſignum traditæ poteſtatis: eſt autem apud Græcos impoſitio manuum ſignum proportionatum traditæ poteſtatis Sacerdotalis, quando fit ſimul cum prolatione verborum quæ ſecundum eorum Euchologium hæc ſunt. Pontifex impoſita manu una cum pallio clara voce enunciat. *Divina gratia quæ ſemper infirma curat & quæ deſunt ſupplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo ut veniat in eum gratia Spiritus ſancti, &c.* Ratio eſt quia verba iſta determinant impoſitionem hanc manuum ad ſignificandam poteſtatem Sacerdotalem, quæ tunc confertur. Verum eſt expreſſius ſignificari per traditionem inſtrumentorum, ſed cum Sacramentum conſtet ex duplici ſigno, uno minus expreſſe ſignificante effectum Sacramenti, quod idcirco vocatur materia; altero magis expreſſe ſignificante, ac ideo magis determinato, quod forma nuncupatur non eſt neceſſe quod tam expreſſe ſignificet effectum Sacramenti id quod vocatur materia: ideoque ſola impoſitio manuum poteſt eſſe ſufficiens materia eſſentialis, quamvis expreſſius ſignificaret cum traditione inſtrumentorum, ſicut apud Latinos.

Canones autem qui nunc de ſola manus impoſitione loquuntur, nunc de ſola traditione inſtrumentorum, non ſunt intelligendi præciſive aut excluſive, quaſi altera ſola eſſet materia ex divina inſtitutione: ſed intelligendi ſunt de materia ſufficiente, & quæ in uſu eſt aut fuit, juxta particularem ritum Eccleſiarum. Et hinc etiam probabiliter cenſent Albertus magnus in 4. diſt. 24 art. 38. ad 2. & Vaſquez diſp. 246. cum aliis contactum inſtrumentorum non requiri de neceſſitate Sacramenti, quamvis quicquid ſit de veritate ſpeculativa, ſequenda ſit praxis Pontificalis in uſu: qui autem contra ſentiunt, videant quo pacto Græcos cum Latinis conciliabunt.

Doctrinam hanc omnino confirmat Morinus Oratorij Preſbyter egregie doctus, in Comment. *de ſacris Eccleſiæ ordinationib.* ubi ad veritatem iſtius axiomatis in ſcholis vulgatiſſimi, ſtabiliendam, materias Sacramentorum eſſe perpetuas ſicut & formas, nec unquam mutandas, oſtendit tam apud Græcos quam apud Latinos in prioribus ſæculis pro materia & forma ordinationis conſpici ſolâ impoſitionem manuum & orationem unicuique gradui convenientem. His autem primo Orientales novos ritus addiderunt, ſed multo ſerius & paulatim, quod demonſtrat ex variis Ritualibus antiquis & recentioribus in hoc

commentario inſertis; Unde etiam ſugillat ſcholaſticos ad quorum decreta minime Græcorum ordinationes conformandæ ſint. Attamen Durandus in 4. ſent. diſt. 24. qu. 1. docet antiquitus in Eccleſia ſola manuum impoſitione cum verbis ordinatum fuiſſe Diaconum ſecundum ordinarium antiquiſſimum Eccleſiæ Anicienſis, cui inquit, præfuimus. Sed nos volentes conformari exteris Eccleſiis poſuimus de manu noſtra in margine dicti ordinarij, quod liber Evangeliorum tradatur Diacono cum conſueta verborum forma. Favent alij ſcholaſtici D. Bonaventura, & alij apud Arcudium l. 6. c. 3.

Alia ſolutio proponitur diſcutienda.

Sed hanc difficultatem adhuc alio modo ſolvimus alibi, primarios ordines à Græcis non conferri niſi ad altare, in quo ſupponuntur eſſe inſtrumenta, quæ hoc ipſo moraliter tanguntur ab ordinandis. Qui contactus habetur ſufficiens à pluribus bonæ notæ Theologis. Quos refert, licet non ſequatur Thomas Sanchez conſiliorum moral. l. 7. c. 1. dubio 2. Caietanus, Tabiena, Armilla, Albertus magnus, Victoria. Ledeſma probabilem dicit ſicut Sotus in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. & Henriquez l. 10. de ord n. c. 105. Quia videtur ſufficere quod Epiſcopus oſtendat materiam præſentem: ſicuti in ſermonibus familiaribus cum quis donat alteri equum, ſufficit quod dicat accipe equum, licet ille qui accipit, non tangat. Hinc apud Theodoretum *in religioſa hiſtoria* c. 13. legimus Macedonium Monachum per aſtutiam ac dolum ad altare accitum fuiſſe, ut ipſi de ordinatione nihil ſuſpicanti à Flaviano Epiſ. Antioch. celebrante, manus imponerentur. Hinc apud Simeonem Theſſal. diviſio ordinum in eos qui ad altare conferuntur, & eos qui extra altare, ut inde colligi poſſit non aliud eſſe diſcrimen quam quod contactus inſtrumentorum ſit apud alios moralis, apud alios realis: Græci enim cenſeri poſſent tangere inſtrumenta eo ipſo quod ad altare per Epiſcopum celebrantem ordinantur. *Ordinationes autem eximia*, ait Simeon Theſſalon. Archiep. in libro de ſacris ordinationibus cap. 1. *& propriè dicta quæ intra ſanctuarium fiunt & in ipſa ſanctiſſima menſa, tres ſunt in Trinitatis ſimilitudine, de quibus loquitur S. Dionyſius, Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi.* Atque in ſequenti claſſe in Synodo ad quercum dicta notabimus inter plura alia objectum fuiſſe D. I. Chryſoſtomo quod non ordinaſſet ad altare: tam neceſſarium id Græci exiſtimabant. Ex quibus bene perpenſis intelligi debet contactum inſtrumentorum, moralem ſaltem apud Græcos viguiſſe.

Advertendum autem deſiderari in tomis Conciliorum hactenus editis compendiariam quandam repetitionem omnium in decreto contentorum per ipſos Armenos in Synodo factam, quæ repetitio eſt in bulla originaria in ipſo Concilio confecta, quæ decenter ſervatur in Bibliotheca Conventus Minorum ſtrictioris obſervantiæ Fæſularum prope Florentiam. Hanc integram exhibet Wadingus tom. 5. annalium Minorum ad ann. 1439. cum dicta repetitione ab aliis prætermiſſa. Ob reverentiam inquit, ſacro-ſanctæ Synodi & graviſſimi diplomatis Pontificij, in quo nihil non ſanctum neque otioſe dictum ſuſpicari poſſum, aut mihi perſuaderi patiar, & in venerandæ veruſtatis gratiam, ne hanc excidere contingat, totum integrum miniſtrabo lectori. Hæc ille, ubi etiam teſtatus ſe hujus bullæ integræ exemplar authenticum dediſſe Horatio Juſtiniano hoc Concilium edituro.

ADDITAMENTVM

ad Decretum Eugenij.

LEcto autem ſolemniter in noſtra & hujus ſanctæ Synodi præſentia memorato decreto, mox dilectus Filius Narſes Armenus nomine ipſorum, oratorum in idiomate Armenico publice hæc, quæ ſequuntur, legit, quæ in continenti dilectus filius Baſilius Ordinis Minorum, noſter & ipſorum Armenorum communis interpres, publice ſermone Latino in hunc modum ex ſcripto legit.

Beatiſſime Pater & ſanctiſſima Synode, totum hoc ſanctum decretum, quod nunc Latine coram veſtra publice lectum eſt præſentia, fuit pridie nobis de verbo ad verbum in noſtro idiomate clare expoſitum & interpretatum, quod quidem optime nobis placuit, & placet: ad majorem autem noſtræ mentis expreſſionem, eius effectum ſummatim repetimus.

In ipſo continentur primo, qualiter populo noſtro Armenorum traditis Sanctum Symbolum Conſtantinopolitanum, cum illa additione, *Filioque*, ut in Eccleſiis noſtris, diebus ſaltem Dominicis majoribuſque feſtivitatibus intra Miſſarum ſolemnia decantari ſeu legi debeat.

Secundo diffinitionem Concilii quarti Chalcedonenſis, de duabus naturis in una Chriſti perſona.

Tertio diffinitionem de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus in ſexto univerſali Concilio promulgatam.

Quarto declaratis, quod ipſa Chalcedonenſis Synodus & Beatiſſimus Leo Papa, recte de duabus in una Chriſti perſona naturis, veritatem diffinierint, contra impij Neſtorij & Eutychis dogmata, jubetiſque ut ipſum Beatiſſimum Leonem, tanquam ſanctum & fidei columnam veneremur, atque non ſolum has tres Synodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam & Epheſinam primam, ſed & omnes alias univerſales authoritate Rom. Pontificis legitime celebratas reverenter ſuſcipiamus.

Quinto brevem formulam ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ, videlicet, Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, Ordinis & Matrimonij, declarando quæ ſit cujuſlibet Sacramenti materia, forma & miniſter: quodque in ſacrificio altaris dum calix offertur, vino paululum aquæ admiſceri debet.

Sexto quandam compendioſam B. Athanaſij fidei regulam, quæ incipit: Quicunque vult ſalvus eſſe, &c.

Septimo decretum unionis concluſæ cum Græcis in hoc facto Concilio pridem promulgatum, continens qualiter Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter procedit, & quod illa additio, *Filioque*, licite & rationabiliter ipſi ſymbolo Conſtantinopolitano fuit appoſita, quodque triticeo, azymo vel fermentato, corpus Domini conficitur: quid etiam credendum ſit de pœnis Purgatorij & inferni, ac vita Beata, & ſuffragiis, quæ pro defunctis fiunt. Item de plenitudine poteſtatis Sedis Apoſtolicæ tradi-

ta à Christo Beato Petro & suis successoribus, atque de ordine Patriarchalium sedium. A

Octavo decernitis, ut de cætero Armeni has festivitates infra scriptis diebus, more universalis Ecclesiæ, celebrare debeant, videlicet Annunciationis B. Mariæ Virginis 25. Martij, Nativitatis B. Ioannis Baptistæ 24. Iunij, Nativitatis Salvatoris nostri secundum carnem 25. Decembris, Præsentationis Domini in templo, sive Purificationis B. Mariæ 2. Februarii.

Nos igitur Oratores nomine nostro, nostrique Reverendi Patriarchæ & omnium Armenorum, sicut & vestra sanctitas in ipso decreto attestatur, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis Capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam, nec non quicquid tenet & docet sancta sedes Apostolica & Romana Ecclesia, cum omni devotione & obedientia acceptamus, suscipimus & amplectimur: illos quoque Doctores & Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reverenter suscipimus: quascumque personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat & damnat, nos pro reprobatis & damnatis habemus: profitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus & jussionibus fideliter obtemperare. Tum subjungitur consignatio anni & mensis ut supra. B C

DE LIBRIS CANONICIS.

ADvertendum autem in hac recapitulatione nullam fieri mentionem cujusdam decreti de eodem Deo veteris ac Novi Testamenti, ac de catalogo librorum omnium Sacræ Scripturæ, quod quidem decretum ponit Bartholomæus Carranza loco alterius quod incipit: *Septimo decretum unionis cum Græcis consummata, &c.* prout dedimus illud post Horatium Justinianum, Wadingum qui originale exscribi curavit, post Franciscum Joverium, post Binium, & Petrum Crabbe. Qui omnes decreti illius de eodem Deo veteris ac Novi Testamenti, ac de Catalogo librorum Sacrorum Armenis dato nihil penitus habent. Unde licèt concludere erratum esse à Bartholomæo Carranza in parte hac hujus decreti Eugenij, ex quo etiam aliqui alij decepti sunt, nam Corilanus in sua summa Conciliorum Carranzæ errorem secutus est. Et Beccanus tract. de fide cap. 3. q. 1. ait Patres Concilij Tridentini accepisse per traditionem scripturarum canonem ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut videre est, inquit, apud Bartholomæum Carranzam in summa Conciliorum. Sed & Bellarminus de verbo Dei l. 1. c. 4. inter Concilia, quæ libros Scripturæ Sacræ enumerant post Laodicenum can. 59. Carthaginense 3. can. 49. ponit etiam Florentinum in instructione Armenorum, juxta fidem, inquit, summæ Conciliorum. Sed revera in hoc nulla fides habenda Carranzæ, qui nonnisi ex falsis actis Concilij Florentini decretum istud haurire potuit: nam & falsata fuisse acta hujus Concilij à quibusdam Græcis testatur Arcudius & Justinianus, unde Concilium Anti-Florentinum quod plura habet aliter gesta. Quamvis cur circa istud decretum quicquam immutatum fuerit à Græcis non appareat. D E

CONCILIVM LATERANENSE V.

SVB IVLIO II. ET LEONE X.

tempore Maximiliani Imperatoris, anno 1512. *pro reformatione & pacificatione Ecclesiæ.*

JULIUS secundus in sui electione promisit jurejurando se celebraturum Concilium generale pro reformatione Ecclesiæ, & pace inter principes Christianos componenda. Requisitus autem post, ut prædictum juramentum servaret, & juxta constitutionem Concilij Constantiens. expleto decennio à proximo Concilio celebrato novum celebraret, ille tamen differebat. Tandem instantibus aliquibus prælatis Ecclesiæ, & urgentibus celebrationem Concilij, & Pontifice, vel non valente, vel non volente, Bernardinus de Caravajal Hispanus, & Federicus de sancto Severino Ecclesiæ Romanæ Cardinales, cum quibusdam aliis Cardinalibus venerunt Pisas, deinde Mediolanum, & contra voluntatem & authoritatem Romani Pontificis vocaverunt Episcopos & Christianos Principes ad generale Concilium in prædictis locis indictum. Contra hoc Concilium indixit Iulius Pontifex generale Concilium Romæ apud Lateranum celebrandum. Atqueut Pisani Patres imitabantur Basileenses, sic etiam contra ipsos Pisanos egit Concilium sicut Florentinum, contra Basileenses.

Unde istud Lateranense Concilium, ut scite annotat Sherlogus in cap. 6. Cantici Cant. vestigatione xxxiv. explanationis mysticæ sect. unica, quartum est inter ea concilia quæ ob schismata intrusorum Pontificum & ad unionem & concordiam reparandam in statu Ecclesiastico, congregata sunt. Primum enim horum Conciliorum est Lateranense I. sub Calixto II. anno redemptionis 1122. qui nobilis Conventus Patrum, ait Baronius tom. 12. dicto anno, in eo multus fuit ut Ecclesiam Dei diuturnis schismaticorum factionibus labefactatam in pristinam restitueret disciplinam. Deinde per Concilium etiam Lateranense III. approbatumque & convocatum an. Domini 1179. sub Alexandro III. Liquet enim ex decretorum illius Concilii primo capite intendisse Pontifices, ut quoad fieri posset, schismatum in posterius occasiones præscinderentur. Postea per Concilium Constantiense ann. 1414. scopum enim præcipuum habuit schismata inter Pontifices tollere, ut acta edocent. Demum per præsens Concilium Lateranens. V. inchoatum sub Iulio II. anno 1512. & absolutum à Leone X. anno 1517. de eo namque Julius Papa in bulla indictionis: divisionem ait, ovilis nobis ex alto commissi, in illoque schisma per quod Ecclesia scindi & scandalizari, grexque Dominicus nobis creditus, quoquo modo turbari possit, quantum cum Deo possimus prohibentes, ac damna & scandala, quæ inde evenire possint, enervantes, &c. F

4. Concilia ob schismata.

Quantum autem malum est schisma inter Papas, tantum bonum est, Concilium istud quod istud curare potest reintegrata Ecclesiæ pace. Nunquam magis concutitur Ecclesiæ status quam per Anti-papas, ut ipsorum de Papatu altercatio atrocior sit Ecclesiæ persequutio, ex qua plura detrimenta accipit religio Christiana quam ex gentilium Imperatorum sævitia aut hæreticorum pertinacia. Quod non semel exaggerat in Annalibus suis apex Historicorum Baronnius

Anti-papa quo ingens malum.

miſerandis planctibus indulgens cum ad has calamitates venit, ut tom. 10. ad annum 897. & alibi, & Litteræ Cardinalium ad Benedictum XIII. initio Concilij Piſani, loquentes de hujuſmodi ſchiſmate, inquiunt: *commixit clerum, ſubvertit populum, fidem maculat, Sacramenta profanat, & Eccleſiaſtica cenſura contemptum inducit, Eccleſia libertatem omnino extinguit, & indevotos reddit Chriſti caracteres inſignitos, ut vix dignoſci valeat quis exiſtat Catholicus.* At quis his tetrius & miſerabilius? quibus malis per hoc Concilium ſubventum eſt, cum Ludovicus XII. Gallorum Rex miſſo Epiſcopo Maſſilienſi ad Leonem X. per ipſum Concilio Piſano renunciavit, & præſenti Concilio adhæſit. Unde & plures Galliæ Epiſcopi à Iulio excommunicati communioni Eccleſiæ reſtituti ſunt, &c.

Myſterium redemptionis vindicatum in Concilio.

Etſi vero is fuerit ſcopus Concilij, non deſitit tamen etiam myſterium redemptionis humani generis aſſerere dum ſeſſione 8. definivit, quæ fides habenda ſit de anima rationali, quæ eſt objectum præcipuum redemptionis: cum definivit eam eſſe immortalem & eſſe formam corporis humani, ac multiplicem eſſe, non unicum communem in omnibus: *Aliàs*, inquit Concilium, *incarnatio & alia Chriſti myſteria nobis non profuiſſent, nec expectanda eſſet reſurrectio*: adeo verum eſt omnia concilia variis modis obſtitiſſe ſemper, ne recta fides hujus myſterij per quam ſalus homini conſtat, per errores depravaretur, qui de anima ſuadente diabolo, tunc temporis divulgari incipiebant quorumdam audacia.

Occaſionem autem prædictæ definitioni dederunt quidam Philoſophi, ut teſtatur Spondanus ad annum 1513. num 10. inter alios recenſetur Petrus Pomponatius Mantuanus: qui enarrans Ariſtotelem & Averroëm Bononiæ, animas poſt corporis mortem interituras ex ſententia Ariſtotelis probare conatus, juventutem valde corruperat: ſe eo tuens quod Philoſophicè loqueretur, ſed aliter cum Chriſtianus eſſet, ſentiret. Nec deerant alij ſuæ ſcientiæ oſtentatores, qui alia etiam non ſana de anima docerent, quibus modum adhibuit hoc Lateranenſe: ſicut ex alia parte providit litteratis per concordatum de beneficiis, ut plures ipſis non ſint ingrati.

Seſſio prima 10. die menſis Maij, anni 1512.

Leguntur Bullæ indictionis Concilij. Miniſtri & officiales Concilij nominantur ac Pontifex exhortatur Synodum ad Eccleſiæ reformationem, & ſchiſmatis extinctionem, pacem inter Chriſtianos Principes componendam, & expeditionem contra infideles conficiendam. Mox admonentur per Pontificem cauſæ non celebrati Concilij cum toties ante fuiſſet promiſſum, nec tamen uſque ad eum diem fuerat inchoatum. Præcipuus autem fuit conflictus apud Ravennam civitatem Romandiolæ habitus inter exercitum ipſius Julij Pontificis, & Regis Hiſpaniæ Ferdinandi cognomento Catholici, & exercitum Ludovici Regis Francorum, & aliorum adhærentium Concilio Piſano. In quo conflictu fuerunt interfecta multa millia hominum. Et abſoluta eſt actio prima.

Seſſio ſecunda 17 menſis Maij ejuſdem anni.

Legitur bulla in qua Piſanum Conciliabulum damnatur, & omnia in eo geſta annullantur, & irritantur. Lateranenſe quoque Concilium legitime à Spiritu ſancto eſſe congregatum definitur. Excipiunt ſuffragia omnium præſentium. Erant Cardinales 16. & Patriarchæ 13. Archiepiſcopi 64. Generales Ordinum 4. &c. quibus etiam alij acceſſerunt.

Seſſio tertia 5. Decembris ejuſdem anni.

Tantum legitur bulla, in qua iterum reprobantur omnia & ſingula per Cardinales ſchiſmaticos acta, tam in Tranſalpinis, quam Ciſalpinis locis, Revocantur quoque conceſſa privilegia, ſive gratiæ per ſedem Apoſtolicam in eiſdem locis. Confirmatur interdictum in Regnum Galliæ, excepto ducatu Britanniæ, propter adhærentiam Regis pluriumque prælatorum ac nobilium ad Concilium Piſanum. Tranſlatioque nundinarum Lugdunenſium ad civitatem Genebenſem renovatur. Nota. *Regnum tamen Galliæ per hoc interdictum non eſt datum primo occupanti, nec regna aut terra fœderatorum, ne minime ex hinc occaſione cuiquam data ſit ad occupandum Navarræ Regnum. Unde de hoc graves angoſtiæ animæ paſſi ſunt duo Reges Hiſpani in morte.*

Seſſio 4. 10. Decembris ejuſdem anni, Pontificatus Julii Papæ anno 10. Præſidente eodem.

Legitur bulla, in qua Pragmatica ſanctio, & geſta per Conciliabulum Piſanum ſuper eadem annullantur: cum ſanctio ipſa ab omni ad id poteſtate carentibus, nullorumque Romanorum Pontificum aut generalium legitimorum Conciliorum auctoritate facta, ſed quodam abuſu tantum in illis partibus introducta & obſervata fuerit, quam etiam claræ memoriæ Ludovicus XI. Francorum Rex abrogavit. Rem adeo perniciоſam in Dei offenſam & Eccleſiæ vilipendium & evidens detrimentum amplius ferre nequeuntes, &c.

Seſſio 5.

Præſidente Epiſcopo Hoſtienſe Cardinali propter ægritudinem Julij Pontificis 16. Februarii, anni 1513.

Legitur bulla innovationis & confirmationis contra ſimoniacam pravitatem in electione Pontificis non committendam. In qua ſacro approbante Concilio ſtatuitur, quod electio Romani Pontificis per ſimoniam facta eo ipſo nulla exiſtat, & ſic electo nulla in ſpiritualibus, vel temporalibus tribuatur facultas. Et Cardinales qui ſimoniace aliquem elegerint, à ſuis ordinibus, dignitatibus & beneficiis ſint abſque alia declaratione privati. Mediatores etiam tam Clerici quam Laici cujuſcumque dignitatis ſint, privantur omnibus beneficiis, honoribus, & bonis eo ipſo, & ad ſimilia ſunt inhabiles, &c.

Prædicta conſtitutio placuit univerſis Epiſcopis & Patribus, exceptis quinque Epiſcopis.

Quatriduo poſt hanc ſeſſionem vigeſima-quinta Februarij, anni 1513. Julius ſecundus Papa obiit Romæ apud ſanctum Petrum in palatio Pontificum.

Feria ſexta 11. Martij ejuſdem anni eligitur Canonice Epiſcopus Romanus & Papa univerſalis Eccleſiæ Cardinalis de Medicis, nuncupaturque Leo decimus.

Seſſio 6. Aprilis 27. prædicti anni.

Fit electio viginti quatuor prælatorum, qui adſint cum Cardinalibus in his, quæ pertractanda ſunt coram Pontifice. Et diſtributi ſunt per claſſes: una claſſis erat ad conferenda pertinentia ad componendam pacem inter Principes, & extirpandum ſchiſma. Alia ad tractandum quæ pertinent ad generalem reformationem curiæ. Tertia vero ad ea, quæ pertinerent ad fidem, & Pragmaticam Sanctionem.

Seſſio ſeptima, feria 6. 17. Junii 1513. Præſidente Leone X.

Leguntur litteræ ſubſcriptæ per Bernardinum Caravajal & Federicum de ſancto Severino olim Cardinales, ſuper materia abjurationis ſchiſmatis & unionis

nionis Ecclesiæ, & confessionis erroris ipsorum, & veniæ petitionis propter suscitatum ab illis schisma, &c. Qui post paucos dies in palatio Apostolico pristinæ dignitati sunt restituti in consistorio secreto post solemnem abjurationem schismatis, venientes ad palatium tanquam privati clerici, & ante pedes Papæ abjurato schismate alta & intelligibili voce.

Sessio 8. 19. Decembris anni 1513. Præsidente Leone X.

Huic sessioni interfuerunt oratores Regis Galliæ jam Rege ipso Concilio adhærente. Ac per Archiepiscopum Gnesnensem Polonum.

Quod anima hominis unica sit, ipsaque immortalis definitur.

Legitur schedula super fide animæ humanæ sub hac forma.

Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus: & aliqui temere Philosophantes (secundum saltem Philosophiam) verum esse asseverant. Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cum illa non solum vere & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Canone Clementis Papæ V. in generali Viennensi Concilio edito continetur, verum & immortalis & pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata & multiplicanda sit. Quod manifeste constat ex Evangel. cum Dominus ait, *animam autem occidere non possunt.* Et alibi: *Qui odit animam suam in hoc mundo, &c.* Et etiam cum æterna pœna & æterna supplicia pro merito vitæ judicandis repromittit.

Alias incarnatio & alia Christi mysteria nobis minime profuissent: nec resurrectio expectanda foret, ac sancti & justi miserabiliores essent (juxta Paulum) omnibus hominibus.

Fides nõ contraria vero.

Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus, omnesque hujusmodi erroneis assertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos & puniendos fore decernimus.

Præcipitur præceptoribus Philosophiæ ut discipulis suis ostendant & declarent veritatē religionis Christianæ.

Insuper omnibus & singulis Philosophis in universitatibus studiorum generalium, & alibi publice legentibus districte præcipimus, ut cum Philosophorum principia aut conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explicaverint (quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate ac alia hujusmodi) teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo (pro posse) docere, ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta (cum omnia solubilia existant) pro viribus excludere atque resolvere.

Prohibetur constitutis in sacris ordinibus incūbere Poëtis studiis.

Statuimus insuper, ne quis de cætero in sacris Ordinibus constitutus, in studiis generalibus, vel alias publice audiendo Philosophiæ aut Poëtis studiis ultra quinquennium, post grammaticam & dialecticam, sine aliquo studio Theologiæ, aut juris Pontificij, incumbat. Verum exacto dicto quinquennio, si illis studiis insudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum Theologiæ, aut sacris Canonibus operam navaverit, ut in his sanctis & utilibus professionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philosophiæ & Poëtis radices purgare & sanare valeant.

Hos Canones per ordinarios locorum & Rectores universitatibus singulis annis in principio studij in virtute sanctæ obedientiæ publicari mandamus.

Sessio nona quinta Maij 1514. Præsidente Leone Papa.

Legitur in hac sessione publice bulla reformationis curiæ Romæ, in qua sequentes Canones subjiciuntur.

Canon I.

Decernimus, ut servetur quod Innocent. Papa III. in Lateranensi Concilio decrevit de ætate & gravitate morum & litterarum scientia in personis promovendis in Episcopos & Abbates diligenter inquirenda. *De elect. cum in cunctis.*

Can. II. Ne Episcop. aut Abbat amoveantur non præmissa defensionis copia.

Statuimus, ut nullus Episcopus aut Abbas, quovis instante aut requirente (nisi sibi copia & facultas legitimæ defensionis permittatur) etiamsi crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis causa plenarie probata fuerit, privari valeat. Neve aliquis prælatus invitus, nisi aliis justis, efficacibusque rationibus & causis, transferatur, juxta formam ac decretum Constantiensis Concilij.

Can. III. Ne monasteria aliqua commendentur.

Et quoniam ex commendis Monasteriorum, Monasteria ipsa, tam in spiritualibus quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim avaritia vel incuria collabuntur, & in dies divinus cultus in eis magis diminuitur, volumus & sancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo modo cuiquam possint commendari: sed de persona idonea, juxta præscriptam constitutionem, eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates (prout decet) præfuturi sint.

Canon IV.

Uniones perpetuæ (præterquam in casibus à jure permissis, vel sine rationabili causa) nequaquam fiant.

Can. V. Ne plura incompatibilia quis habeat.

Dispensationes autem ad plura incompatibilia ultra duo nisi qualificatis juxta formam juris communis non concedantur, nisi ex magna & urgente causa.

Can. VI. Vt Cardinales assistant Romano Pontifici.

Cum Cardinalium officium in primis versetur in frequenti Romani Pontificis assistentia, & Sedis Apostolicæ negotiis, statuimus, ut omnes Cardinales in Romana curia resideant, & qui sunt absentes si in Italia intra sex menses, si extra Italiam infra annum à die publicationis præsentis constitutionis revertantur, alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum emolumenta amittant.

Can. VII. De officio præceptorum puerorum.

Statuimus ut magistri scholarum, & præceptores pueros suos sive adolescentes, nedum in Grammatica & Rhetorica ac cæteris hujusmodi instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent, ut sunt Præcepta divina: Articuli fidei, sacri Hymni, & Psalmi, ac Sanctorum vitæ. Diebusque festivis nihil aliud eos docere possint, quam in rebus ad Religionem & bonos mores

pertinentibus. Eosque in illis instruere, hortari & cogere inquantum possunt, teneantur, nedum ad missas sed etiam ad vesperas, divinaque officia audienda ad Ecclesias accedant. Similiter ad sermones audiendo impellantur. Nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere permittant.

Can. VIII. de innovatione constitutionum contra Simoniacos.

Ut nephariæ simoniæ labes ac pestis non solum à Romana curia, sed ex omni etiam Christiana ditione impiorum deturpetur, constitutiones per antecessores nostros, etiam in sacris Conciliis editas, contra hujusmodi simoniacos, innovamus: easque inviolabiliter observari præcipimus.

Can. IX. contra blasphemos.

Ad abolendam vero exsecrabilem blasphemiam ordinamus, ut quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscenis verbis Dominum nostrum Iesum Christum vel gloriosam Virginem Mariam expresse blasphemaverit, si munus publicum aut jurisdictionem vegetlerit perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officij: si tertio, illo eo ipso sit privatus. Si clericus vel Sacerdos fuerit, pro prima vice beneficiorum fructibus unius anni mulctetur: pro secunda vice, si unicum habuerit beneficium eo privetur: si plura, quod ordinarius maluerit amittere cogatur. Pro tertia vice omnibus privatus eo ipso existat, & ea libere impetrari & conferri possint. Laicus vero blasphemans si nobilis fuerit pœna 25. ducatorum mulctetur, pro secunda vice 50. ducatorum. Pro tertia nobilitatem perdat. Si autem ignobilis & plebeius, in carceres trudatur. Quod si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores Ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur ad Judicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ rem absque gravissima pœnitentia, seueri confessoris arbitrio injuncta possit absolvi.

Can. X. Ut privetur beneficio, qui canonicas non recitaverit horas.

Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis officij, & temporis: sed eos tanquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium: intelligatur autem officium omittere quo ad hoc, ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. Reliquos canones quia non necessarios judicavimus, huc minime transcripsimus.

Sessio decima Maii quarta 1515. Præsidente Leone Papa X.

In hac sessione edicta est decretalis super confirmatione Montis Pietatis sub hac forma.

Mons pietatis.

Cum inter nonnullos controversiam quandam non sine populorum scandalo olim exortam esse comperimus circa pauperum relevationem in mutuis, eis publica authoritate faciendis, qui Montes pietatis vulgo appellantur, quique à nonnullis prædecessoribus nostris probati & confirmati sunt: nonnullis etiam Magistris & Doctoribus docentibus eos montes non esse licitos, in quibus aliquid ultra sortem per ministerium hujus montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur. Nos super hoc opportune providere volentes sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes Pietatis antedictos per respublicas institutos, & authoritate sedis Apostolicæ hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem Montium recipitur, nec speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, nec ullo pacto improbari: Quinimmo meritorium esse ac laudari & probari debere tale mutuum, & minime usuratium putari, licereque eorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis à sede Apostolica eam ob causam concessis: & deinceps alios similes Montes cum Apostolicæ sedis approbatione erigi posse. Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuite constituerentur (hoc est) si illos erigentes aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte hujusmodi Montium ministrorum solvantur impensæ, ut ad leviorem aris solvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat.

Omnes autem religiosos & Ecclesiasticas ac seculares personas, qui contra præsentis declarationis & Sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrere volumus, non obstantibus, &c.

Et interrogati per scrutatores votorum Episcopi, responderunt placere contenta in schedula, excepto R. Patre Hieremia Archiepiscopo Tranensi, qui dixit non placere, quia didicit per experientiam, quod præfati montes sunt plus damnosi quam utiles.

In eadem sessione edicta est decretalis super impressione librorum, sub hac forma.

Sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus librum aliquem, sive aliam quamcunque scripturam tam in urbe nostra quam in aliis civitatibus & diœcesibus imprimere, seu imprimere facere præsumat nisi prius in urbe per vicarium nostrum & sacri palatij magistrum, in aliis vero diœcesibus per Episcopum vel alium ab Episcopo ad id deputandum & inquisitorem hæreticæ pravitatis illius diœcesis in quibus librorum impressio ejusmodi fieret, diligenter examinetur, & per horum manu propria subscriptionem gratis, & sine dilatione imponendam approbetur. Qui autem secus præsumpserit ultra librorum amissionem, & illorum publicam combustionem, excommunicationis sententia innodatus existat.

In eadem sessione statuitur, ut contra exemptos diœcesani, & alij locorum ordinarij procedere possint, quando ab illis quibus per Apostolicam sedem amandata est illorum correctio, non corrigantur.

Ibidem definitur ut singulæ causæ quomodolibet Ecclesiasticum forum concernentes in prima instantia extra Romanam curiam coram ordinariis locorum terminentur, & nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio admittatur, nisi ab interlocutoria.

Sessio undecima 19. Decembris 1516. Præsidente Leone X.

In hac sessione edita est decretalis super modo prædicandi verbum Dei, in qua post alia multa subjicitur. Sacro approbante Concilio statuimus & ordina-

mur, ut nullus tam clericus secularis, quam cujuscunq; etiam mendicantium ordinis regularis, aut quivis alius ad quem facultas prædicandi, tam de jure quam de consuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius superioris oneramus) ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudẽtia & vitæ exẽplo ad illud aptus & idoneus reperiatur. Et hic quocunque postea prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine & idoneitate sua per literas, seu alias sui examinatoris approbatorisque Episcopis & aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat. Mandamusque omnibus, qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt, ut Evangelicam veritatem & sanctam Scripturam juxta declarationem & interpretationem Doctorum quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quicquam eius proprio sensui contrarium, vel dissonum adjiciant: sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ Scripturæ verbis rite, ac sane & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis non discordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Anti christi adventum, aut certum diem judicij prædicare vel asserere nequaquam præsumant, cum veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora vel momenta. Cæterum si quibusdam eorum Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus inquit: *Prophetiam nolite spernere, &c.* hos aliorum fabulosorum & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus.

Quæ sint prohibita prædicatoribus prædicare.

1. Thess. 5.

Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sit probandus spiritus an ex Deo proveniat, volumus ut lege ordinaria tales assertæ inspirationes antequam publicentur aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ sedis examini reservatæ intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut urgens necessitas aliud suaderet, tunc ordine servato ordinario loci notificetur, ut ille adhibitis secum tribus aut quatuor doctis & gravibus viris, & hujusmodi negocio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possint. Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quicquam ausi fuerint, excommunicationem incurrant, à qua non nisi à Rom. Pontificibus absolvantur.

Et ut horum exemplo alij attentare similia minime audeant, eis prædicationis officium interdictum esse perpetuo decernimus, non obstantibus quibuscunque privilegiis, &c.

Concordatum pro beneficiis Francie.

In eadem sessione lectæ sunt literæ Concordatorum inter Leonem X & Franciscum Galliæ Regem anno præcedenti Bononiæ tractatorum pro bono pacis circa collationem ac præsentationem beneficiorum ac abrogationem Pragmaticæ Sanctionis.

Leo Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Concordata inter Leo. X. & regẽ Francia.

Primitiva illa Ecclesia in Angulari petra à Salvatore nostro Jesu Christo fundata, divino quodam consilio parœchias instituit, diœceses distinxit, Episcopos creavit & Metropolitanos præfecit. Tum expositis quæ circa constitutionem Pragmaticæ Sanctionis in regno Franciæ contigerant, subjungit.

De eorumdem fratrum consilio & unanimi consensu, ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco dictæ Pragmaticæ constitutionis, ac omnium & singulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto regno, Delphinatu & Comitatu Diensi, ac Valentin. infra scriptæ observentur constitutiones: videlicet quod Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis, nunc & pro tempore, etiamsi per cessionem in manibus nostris & successorum nostrorum Rom. Pontificum canonice intrantium sponte factam vacantibus, illarum capitula & canonici, ad electionem seu postulationem inibi futuri Prælati, procedere non possint, sed illarum occurrente hujusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, unum gravem magistrum sive licentiatum, in Theologia aut in utroque, seu in altero jurium Doctorem, aut licentiatum, in universitate famosa & rigore examinis, & in 27. ætatis suæ anno ad minus constitutum, & alias idoneum, infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum eorumdem computandos, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus seu sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem hujusmodi nominata, per nos & successores nostros, seu sedem prædictam provideri: & si contingeret præfatum Regem, personam taliter non qualificatam, ad dictas Ecclesias, sic vacantes nominare, per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minime provideri debeat, sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, solicitatori nominationem non qualificatam prosequenti, consistorialiter factæ, intimandæ computandos, alium supra dicto modo qualificatum nominare: alioquin dispendiosæ Ecclesiarum hujusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti, per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi de persona, ut præfertur, qualificata, nec non Ecclesiis per obitum apud sedem prædictam vacantibus semper, nulla dicti Regis præcedente nominatione, libere provideri possit, decernentes electiones contra præmissa attentatas, ac provisiones per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi factas, nullas & invalidas existere: consanguineis tamen præfati Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili & legitima, in nominatione & Apostolicis literis exprimenda, nec non religiosis mendicantibus reformatis, eminentis scientiæ & excellentis doctrinæ, qui juxta sui ordinis regularia instituta ad gradus hujusmodi assumi non possint, sub prohibitione præmissa minime comprehensis, sed de eorum personis dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti Regis nominationem per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi, libere provideri possit.

Nominatio Regis ad Beneficia.

Monasteriis verò & Prioratibus Conventualibus & vere electivis, videlicet in quorum electionibus forma capituli, *quæpropter*, servari, & confirmationes electionum hujusmodi solemniter peti consueverunt, in Regno, Delphinatu & Comitatu hujusmodi nunc & pro tempore etiam per similem cessionem vacantibus, illorum Conventus ad electionem seu postulationem Abbatis seu Prioris, procedere non possint, sed idem Rex illorum occurrente hujusmodi vacatione, Religiosum ejusdem Ordinis in ætate 25. annorum ad minus constitutum, infra simile tempus sex mensium, à die vacationis Monasteriorum & Prioratuum hujusmodi, computandorum, à nobis & successoribus nostris sedi hujusmodi nominare, & de persona per Regem hujusmodi Monasterio vacanti nominata, per nos & successores nostros seu sedem hujusmodi provideri: Prioratus vero, personæ ad illum per Regem eumdem nominatæ conferri debeat. Si verò idem Rex Presbyt. sæcularem, aut Religiosum alterius Ord. aut minorem 21. annorum vel alias inhabilem, nobis aut successoribus nostris infra dictum semestre, seu sedi hujusmodi nominaret, talis nominatus recusari & nullatenus sibi provideri debeat: sed

Rex ipſe infra trimeſtre, à die recuſationis ſupradicto modo intimandæ computandum, alium modo ſupra dicto qualificatum Monaſterio ſeu Prioratui tunc vacanti nominare, & de perſona ad Monaſterium nominata, illi providerit: ad Prioratum vero nominato, Prioratus ipſe per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis novem menſibus efluxis, nulla, ſeu de perſona minus idonea & modo præmiſſo non qualificata, facta nominatione, ac etiam vacantibus apud ſedem prædictam, Monaſteriis provideri: Prioratus vero, perſonis, ut præfertur, qualificatis dumtaxat conferri libere poſſint. Electiones autem & illarum confirmationes, nec non proviſiones per nos & ſucceſſores noſtros, & ſedem prædictam contra præmiſſa pro tempore factas, nullas, irritas ac inanes eſſe decernimus. Per præmiſſa tamen non intendimus in aliquo præjudicare capitulis Eccleſiarum, Conventibus Monaſteriorum & Prioratuum, hujuſmodi privilegia à ſede Apoſtolica proprium eligendi Prælatum obtinentium, quominus ad electionem Epiſcoporum ac Abbatum, & Priorum, juxta privilegia eis conceſſa libere procedere poſſint, juxta formam in eorum privilegiis contentam, & ſi in eorum privilegiis forma aliqua expreſſa non fuerit, tunc Concilii generalis, quapropter, ſervare teneantur, dummodo de privilegiis ſibi conceſſis hujuſmodi, per litteras Apoſtolicas ſeu alias authenticas ſcripturas docuerint, omni alia ſpecie prolationis eis in hoc adempta.

Volumus quoque & ordinamus, ut in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis, de cætero non detur aliquæ gratiæ expectativæ, ac ſpeciales vel generales reſervationes ad vacatura beneficia, per nos & ſedem prædictam non fiant: & ſi de facto per importunitatem, aut alias à nobis & ſucceſſoribus noſtris & ſede prædicta emanaverint, illas irritas & inanes eſſe decernimus.

In Cathedralibus tamen, Metropolitanis & Collegiatis Eccleſiis, in quarum ſtatutis cavetur expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium obtinere poſſit, niſi in illis actu Canonicus ad effectum dumtaxat inibi obtinendum, dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium hujuſmodi, & non conſequendum primam præbendam vacaturam, creare poſſe intendimus.

Statuimus, inſuper, quod Ordinarius collator in unaquaque Cathedrali, ac etiam Metropolitana Eccleſia Canonicatum & præbendam Theologalem inibi exiſtentem, conferre teneantur uni Magiſtro vel licentiato, aut baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in univerſitate ſtudij generalis privilegiata ſtuduerit, ac onus reſidentiæ, lecturæ & prædicationis actu ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas, impedimento ceſſante legitimo, legere debeat, & quoties ipſum in hujuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli per ſubſtractionem diſtributionum totius Hebdomadæ puniri poſſit, & ſi reſidentiam deſeruerit, de illis alteri provideri debeat. Et ut liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit à divinis, habeatur pro præſente, itaut nihil perdat. Præfatique ordinarij collatores, ſeu Patroni Eccleſiaſtici quicumque fuerint, ultra dictam præbendam Theologalem, quam, ut præfertur, qualificato conferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad eorum collationem, proviſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem quomodolibet ſpectantium, viris litteratis, graduatis, & per univerſitates nominatis hoc modo: videlicet primo menſe poſt præſentium acceptationem, & earundem publicationem præfati Ordinarii collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ad eorum collationem, proviſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, ut præfertur, ſpectantia graduatis hujuſmodi, qui litteras ſuorum graduum cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre teneantur. Beneficia vero quæ in duobus ſequentibus menſibus vacare contigerit, illa juxta juris communis diſpoſitionem perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare poſſint: beneficia autem, quæ in quarto menſe vacare contigerit, viris graduatis per univerſitatem nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre ſeu præſentare teneantur. Beneficia vero quæ in quinto menſe & ſexto vacare contigerit, ſimili modo perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas ad illa præſentare poſſint. Beneficia autem, quæ ſeptimo menſe vacare contigerit, graduatis, qui ſimili modo litteras gradus cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre teneantur. Beneficia vero, quæ octavo & nono menſibus vacare contigerit, pari modo perſonis idoneis conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare teneantur. Beneficia autem quæ menſe decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, per eoſdem ordinarios conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant. Beneficia autem, quæ undecimo & duodecimo menſibus vacare contigerit, per eoſdem ordinarios perſonis idoneis juxta juris communis diſpoſitionem conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant.

Si quis vero cujuſcumque ſtatus, etiamſi Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiſcopalis aut Pontificalis, vel alterius cujuſlibet dignitatis contra prædictum ordinem & qualificationem ſuperius ordinata, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis, quibuſvis aliis beneficiis Eccleſiaſticis hujuſmodi aliter, quam modo præmiſſo diſpoſuerit, diſpoſitiones ipſæ ſint ipſo jure nullæ: collationeſque ac proviſiones & diſpoſitiones illorum ad immediatum ſuperiorem devolvantur, qui eiſdem perſonis modo præmiſſo qualificatis providere teneatur. Et ſi contravenerit, ad alium ſuperiorem devolvatur proviſio & præſentatio hujuſmodi gradatim, donec ad ſedem Apoſtolicam fiat devolutio. Præterea volumus, ut collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati, qui dignitates, perſonatus, adminiſtrationes ac beneficia & officia, in menſibus graduatis & nominatis aſſignatis vacantia, illis graduatis ſimplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præſentare teneantur, qui per tempus competens in univerſitate famoſa ſtuduerint. Tempus autem competens, decennium in magiſtris ſeu licentiatis aut Baccalaureis in Theologia, ſeptennium vero in doctoribus ſeu licentiatis in jure Canonico, Civili aut Medicinis, quinquennium in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus inclusive, aut in altiori facultate: ſexennium autem, in Baccalaureis ſimplicibus in Theologia, quinquennium vero, in Baccalaureis juris Canonici aut Civilis, in quibus Baccalaureis juris Canonici aut Civilis, ſi ex utroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernimus. Præfatique graduati ac nominati, collatoribus ordinariis ſive patronis Eccleſiaſticis ſemel autẽ vacationem beneficij de litteris gradus ſeu nominationis, & de præfato tẽpore ſtudij per litteras patentes univerſitatis, in qua ſtuduerint, manu ſcribæ & ſigillo univerſitatis ſignatas fidẽ facere teneantur. Cum vero probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum, ut nobiles ipſi gaudere poſſint beneficio minoris temporis ſtudij, tunc nobilitas ipſa per quatuor teſtes deponentes in judicio coram judice ordinario loci, in quo natus eſt ille, de cujus nobilitate ex utroque parente conſtare debet, etiam in partis abſentia probari poſſit: teneanturque præfati graduati tam ſimplices, quam nominati, pa-

Præbenda Theologalis.

Nominatio ſcholaſtica ad beneficia.

Nobilis gradui.

tronis Eccleſiaſticis ſeu collatoribus ordinariis, quibus gradus aut nominationis literas huiuſmodi inſinuare deberent, literas tuorum graduum & nominationis, certificationis, temporis, ſtudii, & atteſtationis nobilitatis, duplicatas dare, ac ſingulis annis tempore quadrageſimæ, per ſe vel procuratorem ſuum collatoribus, nominatoribus, ſeu patronis Eccleſiaſticis aut eorum vicariis, eorum nomina & cognomina inſinuare, & eo anno quo præfatam inſinuationem facere omiſerint, beneficium in vim gradus aut nominationis hujuſmodi petere non poſſint. Et ſi collatoribus ordinariis aut patronis Eccleſiaſticis in menſibus deputatis graduatis ſimplicibus, aut graduatis nominatis, non eſſet graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerint, ſeu collatio ſeu præſentatio per collatorem ſeu patronum Eccleſiaſticum etiam eiſdem menſibus facta alteri quam graduato vel nominato, non propter hoc irrita cenſeatur: ſi tamen graduatus ſimplex aut beneficium poſt inſinuationem gradus aut nominationis in menſibus eis aſſignatis vacans petierit, & inter ſuam inſinuationem & præfatam requiſitionem non ſupervenerit quadrageſima, in quam nomen & cognomen inſinuare debuerit, ad beneficium ſic vacans, eum capacem, ipſumque illud conſequi poſſe & debere decernimus.

Statuimus quoque & ordinamus, quod collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati inter graduatos, qui literas gradus cum tempore ſtudij & atteſtationes nobilitatis debite inſinuaverint, quoad beneficia in menſibus eis deputatis vacantia, gratificare poſſint illum ex eis, quem voluerint: quo vero ad beneficia in menſibus graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, ſeu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, temporis ſtudij, & atteſtationis nobilitatis, debite inſinuaverit, præſentare ſeu nominare teneantur. Concurrentibus autem nominationibus ejuſdem anni, Doctores licentiatis, Licentiati Baccalaureis, demptis Baccalaureis formatis in Theologia, quos favore ſtudii Theologici, Licentiatis in jure Canonico, civili aut Medicina, præferendos eſſe decernimus: Baccalaureos juris Canonici ac civilis Magiſtris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diverſis facultatibus, doctorem Theologum doctori in jure, doctorem in jure Canonico doctori in jure civili, doctorem in iure civili, doctori in Medicina, præferendos eſſe decernimus. Et idem in Licentiatis ac Baccalaureis ſervari debere volumus. Et ſi in eiſdem facultate & gradu concurrerent, ad datam nominationis, ſeu gradus recurrendum eſſe volumus. Et ſi in omnibus his concurrant, tunc collator ordinarius inter eoſdem concurrentes gratificare poſſit. Volumus autem, quod nominati literas nominationis ab univerſitatibus, in quibus ſtuduerint, obtinentes in nominationum literis beneficia per eos poſſeſſa, & eorum verum valorem exprimere teneantur: alioquin literæ nominationis huiuſmodi eo ipſo nullæ cenſeantur. Si quis vero ex dictis qualificatis, graduatis ſimplicibus aut nominatis, tempore vacationis beneficii in menſibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas in Cathedralibus etiam Metropolitanis aut collegiatis, ſeu dignitatem vel præbendam vel aliud beneficium ſeu alia beneficia, quorum in ſimul vel cujus fructus, redditus & proventus tempore reſidentiæ & horis divinis intereſſendo, ad ſummum ducentorum florenorum de Camera aſcenderent, beneficium, in vim gradus ſeu nominationis hujuſmodi, tunc petere & conſequi non poſſit. Et inſuper, quod tam graduati ſimplices, quam nominati, in menſibus eis deputatis beneficia vacantia petere & conſequi poſſint ſecundum propriæ perſonæ condecentiam & conformitatem, videlicet ſæculares ſæcularia, & religioſi religioſa beneficia Eccleſiaſtica, ita quod ſæcularis nominatus beneficia regularia in menſibus aſſignatis vacantia, prætextu cujuſvis diſpenſationis Apoſtolicæ, & è contra religioſus beneficia ſæcularia petere aut conſequi minime poſſint. Quodque beneficia ſimpliciter vel ex cauſa permutationis, in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis aſſignatis vacantia eis non ſint affecta nec debita, ſed ex cauſa permutationis cum permutantibus dumtaxat: ſimpliciter vero beneficia vacantia hujuſmodi perſonis idoneis per ipſos ordinarios libere conferri poſſint.

Quis præferendus inter nominatos.

Parochiæ urbium mutatæ.

Statuimus quoque, quod Parochiales Eccleſiæ in civitatibus aut villis mutatis exiſtentes, nonniſi perſonis modo præmiſſo qualificatis, aut ſaltem qui per tres annos in Theologia vel altero jurium ſtuduerint, ſeu Magiſtris in artibus, qui in aliqua univerſitate privilegiata ſtudentes magiſterii gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni univerſitates, ſub pœna privationis omnium & ſingulorum privilegiorum à nobis & ſede Apoſtolica obtentorum, ne collatoribus ſeu patronis Eccleſiaſticis habeant aliquos nominare, niſi eos qui ſecundum præfata tempora ſtuduerint, & ſecundum dictarum univerſitatum ſtatuta ad gradus & non per ſaltum provecti fuerint. Quod ſi ſecus fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum literis declaramus, univerſitates ipſas nominandi privilegio ad tempus, ſecundum culpæ qualitatem ſuſpendimus.

Si quis autem graduatorũ aut nominatorum in menſibus deputatis, a collatoribus ordinariis ſeu patronis Eccleſiaſticis, beneficium vacans in vim gradus aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in proceſſu poſuerit & aliter moleſtaverit, illum ultra expenſarum, damnorum & intereſſe condemnationem, à fructibus ſui gradus & nominationis privandum eſſe decernimus: eodemque vinculo collatores ordinarios & patronos Eccleſiaſticos, quibus graduati & nominati debite (ut ſupra) qualificati, niſi ſuos gradus & nominationis literas inſinuaverint, aſtringimus, ut beneficia ad eorum collationem vel præſentationem ſpectantia, in menſibus graduatorum ſimplicium & nominatorum vacantia, ſtantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis, illa proſequentibus, aliis, quam graduatis aut nominatis conferant, ſub pœna ſuſpenſionis poteſtatis conferendi beneficia in octo menſibus, illo anno ad collationem eorum aut præſentationem liberam ſpectantibus. Statuimus quoque & ordinamus, quod quilibet Pontifex Romanus ſemel dumtaxat tempore ſui Pontificatus, literas in forma mandati juxta formam inferius annotatam, & non ultra dare poſſit hoc modo: videlicet unum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in uno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum & ultra, in duobus dumtaxat beneficiis gravare poſſit, ita tamen, quod in eadem Eccleſia Cathedrali vel Collegiata, collatorem unum pro tempore in duabus præbendis non graver. Et ut obvietur litibus, quæ occaſione literarum mandatorum hujuſmodi oriri poſſent, mandata hujuſmodi ſub forma, quæ inferius eſt annotata, dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apoſtolica publicari, & in illius quinterno regiſtrari mandamus, declarantes, proſequentes hujuſmodi mandata, quoad beneficia ſub illis comprehenſa, ordinariis collatoribus & graduatis ſimplicibus & nominatis præferendos eſſe, noſque & ſucceſſores noſtros jure prævention is, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, ſæcularia & quorumdam Ordinum regularia, quæcumque & quomodocumque qualificata, tam in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis aſſignatis, vacantia ac etiam ſub dictis mandatis comprehenſa libere conferre.

Statuimus inſuper, quod in proviſionibus quas

perſonis quibuſvis de beneficiis vacantibus ſeu ver- A eo modo vacaturis, per nos & ſucceſſores noſtros ac ſedem prædictam etiam motu proprio, etiam promotis ad Eccleſias Cathedrales & Metropolitanas ac Monaſteria, ut obtenta per eos beneficia retinere poſſint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de camera, aut libras Turon. ſeu alterius monetæ, valor ſecundum communem æſtimationem exprimi debeat: alioquin gratiæ ipſæ ſint ipſo jure nullæ.

Qui judices in cauſis nominatorum.

Statuimus quoque & ordinamus, quod in Regno Delphinatus & Comitatu prædictis, omnes & ſingulæ cauſæ, exceptis majoribus in jure expreſſe denominatis, apud illos judices in partibus, qui de jure aut conſuetudine præſcripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. Et ne ſub umbra appellationum, quæ nimium & B nonnunquam frivole interponi conſueverunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpe multiplicari, injuſtis vexationibus materia præbeatur: volumus, quod ſi quis offenſus coram ſuo judice juſtitiæ complementum habere non poſſit, ad immediatum ſucceſſorem etiam ad nos & ſucceſſores noſtros vel ſedem prædictam, omiſſo medio, nec à gravamine in quacumque inſtantia ante definitam ſententiam quomodolibet appelletur: niſi forſitan tale gravamen exiterit, quod in definitiva reparari nequiret, & eo caſu nonniſi ad immediatum ſuperiorem liceat appellari. Si quis vero immediate ſubjectus ſedi Apoſtolicæ, ad eandem ſedem duxerit appellandum, cauſa committatur in partibus per reſcriptum uſque ad finem litis, videlicet uſque ad tertiam ſententiam conformem inclusive ſi ab illis appellati contigerit, niſi propter C defectum denegatæ juſtitiæ vel juſtum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis & cum cauſarum expreſſione, quæ etiam de illis, etiam legitime alias quam per juramentum coram judicibus à ſede Apoſtolica deputandis, conſtare debeant. Proceſſus autem contra præmiſſa attentatos, nullos & irritos eſſe volumus, ac reſcripta contra præmiſſa impetrantes, in expenſis, damnis & intereſſe condemnari debere decernimus atque declaramus. Sanctæ vero Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui pro univerſali Eccleſia continue laborant, necnon dictæ ſedis Officiales officia ſua actu exercentes, ſub præſenti decreto non intendimus comprehendi.

Concubinarii. D

Statuimus etiam & ordinamus, quod judices cauſas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, ſub pœna excommunicationis & privationis beneficiorum per eos obtentorum eo ipſo incurrenda, infra biennium terminare debeant. Pars vero diffugiens & expeditionem ipſius cauſæ malitioſe impediens, graviſſime per eoſdem judices mulctetur, etiam uſque ad privationem juris in hujuſmodi proceſſu prætenſi, ſi eis viſum fuerit, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Ab interlocutoriis autem ſecundo, à definitivis vero tertio dumtaxat provocare licere decernimus, volumuſque ſecundam ſententiam interlocutoriam conformem, & tertiam definitivam etiam conformem, omni mora ceſſante, executioni debitæ demandari debere, quacumque interpoſita appellatione non obſtante. E

Triennalis poſſeſſio.

Statuimus quoque, quod quicumque, dummodo non ſit violentus, ſed habens coloratum titulum, pacifice & ſine lite Prælaturam, dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium, ſeu quodcumque beneficium Eccleſiaſticum triennio proximo hactenus poſſidet, vel pro tempore poſſidebit, in petitorio vel poſſeſſorio, à quoquam etiam ratione juris noviter reperti moleſtari nequeat, præterquam prætextu hoſtilitatis aut alterius legitimi impedimenti, de quo proteſtari, & illud juxta Concilium Viennenſe intimari debeat. Lis autem hoc caſu quoad futuras controverſias intelligatur, ſi ad executionem citationis juriſque ſui in judicio exhibitionem, aut terminorum omnium obſervationem proceſſum fuerit. Monemus etiam Ordinarios, ut diligenter inquirant ne quis ſine titulo beneficium, & quem beneficium ſine titulo poſſidere repererint, declarent illi jus non competere, cujuſvis temporis detentione nonobſtante, de ipſoque beneficio poſſit illi, dummodo non ſit intruſus vel violentus aut alias indignus, vel alteri idoneo provideri.

Concubinarii.

Statuit deinde contra concubinarios & addit: Præterea omnibus ſæcularibus viris etiam ſi regali præfulgeant dignitate, ne verum qualecumque inferant impedimentum quocumque quæſito colore prælatis, qui ratione officii adverſus ſubditos ſuos pro huiuſmodi concubinatu & aliis caſibus ſibi à jure permiſſis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſario evitandum, monemus omnes laïcos tam uxoratos quam ſolutos, ut ſimiliter à concubinatu abſtineant, &c. qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, juxta Apoſtoli conſilium uxorem ducat.

Statuimus inſuper quod ad vitandum ſcandala & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, quod nemo deinceps à communicatione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione aut aliis quibuſcumque Divinis vel extra pretexto cuiuſcumque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis ab homine vel à jure generali promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Eccleſiaſticum obſervare: niſi ſententia prohibitio, ſuſpenſio vel cenſura huiuſmodi, fuerit vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem Eccleſiaſticam, aut locum certum aut certam à Judice publicata & denuntiata ſpecialiter & expreſſe, aut niſi notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari, cum à communione illius abſtinere volumus juxta Canonicas ſanctiones, &c.

Concordata perlecta in Concilio placuerunt omnibus, tribus exceptis qui dixerunt ſibi placere dummodo Galli acceperint bullam revocationis Pragmaticæ ſanctionis. Alius excepit quod conſentus Regis requireretur circa reſignationes factas in curia, hocque dixit ſibi non placere. Rev. Pater Dominus Terdonenſis placuit conſuetudo parlamentorum quod habeant juriſdictionem in perſonas Eccleſiaſticas. Et in quantum ſupra bulla tribuit Juriſdictionem ſæcularibus in perſonas Eccleſiaſticas, non placet ei.

Deinde Reverendus Pater, D. Ioannes Baptiſta Epiſcopus Cavallicenſ. aſcendit ambonem & legit ſcedulam abrogationis Pragmaticæ ſanctionis ſeu corruptelæ, cuius tenor ſequitur, & eſt talis.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam ſacro approbante Concilio. Paſtor æternus gregem ſuum, &c.

Nec illud nos movere debet quod ſanctio ipſa & in ea contenta in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante à Bituricenſi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia poſt tranſlationem eiuſdem Baſileenſis Concilii per fœlicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum factam à Baſileenſi conciliabulo ſeu potius conventiculo, quæ præſertim poſt hujuſmodi tranſlationem Concilium amplius non meretur appellari, facta exiterint ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam ſolum Roman. Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, tranſferendorum ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere, eadem ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis, dictis ſanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet: quorum aliqua referre pla-

Poteſtas Roman. Pontificis circa Concilia.

cuit, reliqua vero ut pote notiora silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse non debere absque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari. Neque vos latet etiam eumdem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonensem transtulisse. Ephesinam quoque primam Synoduum Cœlestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Adriano, octavam Nicolao, octavam etiam Constant. Adriano prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus & mandatis in sacris Conciliis per eos editis & factis reverenter & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse tentantur: quandoquidem constet Romanum Pontificem, cujus ante omnia debet spectari decretum, talibus non præbuisse consensum. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione a Romano Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Ephesina ac Chalcedonensi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna & Romana sub Symmacho, & Aimari libro de Synodis manifeste colligitur, quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat, &c. *& post aliqua.* Præfatam pragmaticam sanctionem seu corruptelam ex certa nostra scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine eodem facto Concilio approbante, &c. Nullius roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus, &c.

Pragmatica Sanctio aboletur.

Postremo, Reverendus Pater, D. Ioannes Episcopus Sabinensis ascendit ambonem & legit scedulam disponentem circa Religiosos & eorum privilegia, cujus tenor talis est.

Religiosorum privilegia.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Dum intra mentis arcana revoluimus, &c. Concessiones hujusmodi eisdem Religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, ut ipsi fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foveantur, quam aliquo modo molestentur & inquietentur: una est enim regularium & secularium, Prælatorum & subditorum, exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides: & propter ea decet qui ejusdem sunt corporis unius etiam esse voluntatis, &c. Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si unicuique quantum fieri potest, sua Iurisdictio conservetur.

Deinde statuit ut ab Episcopis visitentur Ecclesiæ Parrochiales ad fratres ratione locorum suorum spectantes.

Ut veniant ad processiones solemnes si invitati fuerint, dummodo eorum loca sub-Vrbana ultra unum milliare à civitatibus respective non sint remota.

Tum subjungit. Nec non superiores eorumdem fratrum, fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Prælatorum elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac præsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint: alioqui eorum Vicariis, dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis, confitentes constitutioni quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur, ipsique fratres etiam Forensium confessores audire valeant. Laicos tamen & Clericos sæculares à sententiis ab homine latis, nullatenus absolvere possint.

Confessio Paschalis.

Eucharistiæ vero, Extremæ Vnctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum etiam decedentium & infirmorum confessiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa sibi denegasse, dare nequeant: nisi denegatio sive legitima causa facti, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem verò fratrum obsequio insistentibus, Sacramenta hujusmodi nullo modo dare valeant, nisi illorum durante obsequio. Pacta autem & conventiones inter eosdem fratres & Prælatos atque Curatores pro tempore inita, valeant, nisi per subsequutum capitulum proximum generale vel Provinciale refutata, ac per eos refutatio hujusmodi debito tempore intimata fuerit, &c.

Quodque fratres ipsi ad Ordines promovendi, per ordinarios de Grammatica & sufficientia examinati, & dummodo competenter respondeant per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam à Diœcesano Episcopo, vel ejus Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo in Diœcesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant. Nec ab alio Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel altaris aut cœmeterij benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia & instantia requisitis, sine legitima causa id recusaverit, &c. Censuras autem per eosdem ordinarios latas & promulgatas ac in matrice Ecclesia civitatum, nec non in Collegiatis & Parrochialibus Ecclesiis Castrorum & oppidorum respective solemniter publicatas, quando super hoc ab ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare ac servare, &c.

Ex Episcopis quinque approbarunt sine approbatione privilegiorum.

Sessio duodecima 16. Martii 1517. Præsidente Leone Papa X.

In hac sessione prolata est decretalis cum censura excommunicationis majoris contra invadentes domos Cardinalium in nova electione Romani Pontificis.

Hac sessione absolutum est Concilium & confirmatum, & probata universa & singula quæ definita sunt in Concilio per Leonem decimum, cum prohibitione ne quisquam ad decreta, Canones & constitutiones hujus sacro-sancti Concilij ullas glossas vel interpretationes, citra consensum sedis Apostolicæ adjiciat: extat quoque bulla ejusdem Leonis X. ad universos & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores & Scholares universitatum directa, qua ipsum Concilium diligenter ac fideliter impressum recipi mandat, ut eo de cætero utantur in judiciis & scholis. Quodque in iis contenta inviolabiliter serventur, & per vos servari mandentur, si, ait, gratiam nostram charam habetis, & nostram indignationem cupitis evitare. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 25. Maij 1521. Pontificis nostri anno nono.

CONTROVERSIÆ HUJUS CONCILII.

CConcilium hoc generale & Oecumenicum fuisse, præsidentia Summi Pontificis ac præsentia Orientalium Patriarcharum, nec non convocatio omnium Episcoporum testatur, licet plures non adfuerint ac

maxime Episcopi Galliæ ob Pisanum Concilium quod A fovebat Rex Galliæ. Veruntamen quia in turbulento tempore peractum est, hinc ejus authoritas minor fuit, nec decreta ejus ubique publicata ac recepta fuerunt, quamvis res gravissimæ & magni momenti per ea determinatæ fuerint. Certe eius excommunicationes non admittit Caietanus in summula *Verbo* excommunicatio capite 81. Ubi enim multa excommunicationum genera proposuit, subdit. Præter has autem excommunicationes inveniuntur multæ aliæ in aliis distinctæ genera. Earum enim aliquæ quamvis sint notæ, non tamen sunt consensu utentium approbatæ. Aliæ sunt communiter ignotæ, quales sunt multæ quæ dicuntur Joan. XXII. vidit forte aliquis unam copiam & scripsit, quod ea facilitate rejiciuntur qua proponitur. Has ego, inquit, non retuli quia nolo esse B Doctor facilium. Hæc duo genera non ligant, quia leges abrogatæ sunt. Aliæ sunt notæ quidem, sed quia novæ & nondum sunt receptæ, ideo ambiguus sum, ut sunt illæ quæ in Concilio Lateranensi ultimo sub Julio II. & Leone X. continentur, quamvis possint privationem excommunicationum habere. Hæc Caietanus. Bonacina t. 2. Divi Thomæ quæst. 1. art. 10. asserit idem Concilium per omnem Galliam receptum non fuisse, & ab eo futurum Concilium provocatum fuisse a Gallis, iis scilicet qui Pisano Concilio adhærebant. Nam Concilio etiam interfuit oratori Regis Galliæ & sess. 10. excusavit absentiam Episcoporum Gallorum, quod transitus viarum bello impediantur: Favet Suarez tomo 5. in 3. partem D. Thomæ disp. 23. sect. 7. ubi annotat post Caietanum & Navarrum censuras hujus Concilij non esse ubi re- C ceptas.

DE MONTIBUS PIETATIS.

SAtis mirum videri debet quod ex tot Episcopis, qui Concilio aderant, unicus Archiepiscopus Traverensis montibus ipsis se opposuerit, cum tot hodie qui quodlibet lucrum ex occasione mutui acceptum usurarium prædicent, ac in hoc maxime se pios ac Religiosos exhibeant. Sed in illa quæstione non idem sensus omnium.

Est autem Mons Pietatis, summa quædam pecuniæ vel alterius rei mutabilis deputatæ ad subveniendum necessitatibus paupertum per mutuum sub pignore, cum tribus conditionibus. Prima, ut pecunia D data indigentibus sit in determinata quantitate & ad certum tempus. Secunda, ut si non reddatur suo tempore pignora vendantur. Tertia ut mutuatarius aliquid det in singulos menses vel annos pro montis expensis.

Montem istum usurarium reputat Caiet. tom. 2. opusc. tract. 6 Sotus de Justitia & jure quæst. 1. art. 6. Ratio prima est quia dives qui reliquit talem summam pauperibus mutuandam cum onere aliquid dandi ultra sortem pro excutiendis & servandis pignoribus ac pro referendo in Libros rationum dati & accepti, &c. Si ipse dives talem mutuasset pecuniam & aliquid ultra sortem accepisset, fœnerator haberetur: ergo & communitas. Secunda ratio est quia excussio & servatio pignorum aliaque hujusmodi one- E ra fiunt in gratiam mutuantis ac pro ejus securitate: ergo injuste à mutuatariis eorum præmium accipitur.

Sed authoritas hujus Concilij ac plurimorum Pontificum Pauli II. Xisti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. prævalere debet paucorum ratiocinationi, nullusque verba omnia hujus Concilij expenderit qui contrariam sententiam non amplexetur, cum tantopere montes istos commendet, indulgentiarum concessione muniat, ac iis oblatrantes sic retundat. Nec obstat quod addit Concilium melius fore si omnino tales montes gratuito constituerentur: non enim sequitur ex hinc esse malos, cum bono vino dari possit melius.

Nec audiendus Sotus cum ait pleraque hujus Concilij decreta non fuisse recepta. Nam ut ait Rebellus 2. part. de obligat. Justit. lib. 8. quæst. 13. decreta quæ ex mero jure positivo vim habent, si non recipiantur vim habere desinunt: determinationes tamen quæ ad fidem ac mores pertinent, si à Concilio generali vel summo Pontifice emanent, non pendent ex acceptione, cum in his errare non possint, inquit, ut alibi ostendi solet. Accidit quod conditiones montis pietatis summo Pontifici propositæ sint & diligenter examinatæ, ac rationes in contrarium, ut quod dicit Evangelium: *Mutuum date nihil inde sperantes*, Luc. 6. & quod exinde tuta dari possit ad alios contractus ob similem rationem. & quod abuti possint quidam ista determinatione Concilii, ut solent plures non bene applicare in particulari ea quæ generalius dicuntur, nihilominus determinatio est pro labore ministrorum aliquid ultra sortem accipere licitum esse.

Rationes vero oppositæ nihil concludunt. Nam dives ille potuisset pro sustentatione famulorum quos vere in eo munere detinuisset, aliquid ultra sortem accipere, quamvis à peccato scandali non excusaretur, cum homines qui omnia fere in pejorem partem solent interpretari, eum pro ipso mutuo lucrum accipere criminarentur, cum & legibus politicis quibus unicuique obtemperandum, id prohiberi soleat. Ad aliud dicendum etiam pauperum interesse ut pignora serventur, & ratio dati & accepti in libros referatur, ut ejusmodi munus gratis subire mutuator non teneatur.

De Constitutione Concordati Gallici.

NOn mediocres turbas excitavit in Gallia Concordatum hoc, multis aperte illud improbantibus, unde tunc vulgo jactabatur illud versus contra authores: *Vivata Leo maluit sarsuris antra petere.* Continebantur enim capitula & monasteria de abla- *Querela de concordato.*
to jure electionum, & magis placebat scholasticis Pragmatica Sanctio qua ex tribus beneficiis vacantibus unum jure suo consequebantur. Denique cum parlamenta nollent illud admittere, ad obtinendum eorum consensum, jus indultorum, quod vocant, singulis consiliariis concessum, quo etiam ipsi placentæ portionem haberent: ac sic quodammodo Christi tunica in varias partes divisa est. Has controversias luculenter satis exhibet Sauffaius nunc Tullensis Episcopus in Panoplia Episcopali l. 2. ex quo & Duareno plura hic damus.

Promulgata in sessione 11. Concilij Lateranensis, subindeque in Senatu Parisiensi, sed non sine gravissima omnium Galliæ ordinum conclamatione, & ipsius Curiæ renixu, quam refractum ire oportuit suprema authoritate Regia. Fuerunt sane ex Doctoribus qui acerbissime hanc pactionem proferrent, qua dicebant à Pontifice jus electionis tanta antiquitate, tanta authoritate stabilitum, Ecclesiis cum Canonica libertate adimi, atque in Regem transferri, sibi vero sanctæque sedi Papam ingens ingeneravisse dispendium, cum tam infausta permutatione, temporali quodam jure reservato, spirituale abdicaverit. Jugum etiam grave Ecclesiis plerique querebantur fo fuisse impositum, quod insuper Pontifex cum Rege convenerit, ut annatæ non ex veteri censu, qui longe minor erat, sed ex vero & novo solvendæ imposterum essent. Vox insuper communis erat, Papam Regemque sibi suisque vicissim dum majora commoda quærerent, graviora Ecclesiæ & regno incommoda accersisse. Existimavit certe Genebrardus Chronol. l 4. sub Leone X. hinc Gallicanæ Ecclesiæ perniciem ortam esse, hocque fuisse seminarium omnis generis hæreseon, Simoniarum, fiduciarum, exterminationis scientiæ, virtutis, pietatis, regni denique pestem. Thuanus porro lib. 2. censuit, id Regis

Francisci

Franciſci rebus & ejus geneſi exitium attuliſſe. Plerique alij abuſos non modo dictitabant utrumque, nempe Regem & Papam, poteſtate ſua, imo de re non ſua utrumque ſibi diſpoſitionem injuria vendicaſſe, cum neque ad Papam pertineret ſe immiſcere Prælatorum particularium Eccleſiarum deſignationi ac inſtitutioni. Sat eſt ſi exempla majorum ſecutus, univerſalis Eccleſiæ gubernationi tam circa fidem quam generalem morum diſciplinam, providentiæ ſuæ curam impenderet. Relicta vero (ut jus ferebat antiquum) particularibus Eccleſiis, libera ſuorum Præſulum electione, & Metropolitanis Suffraganeorum ordinatione, ipſis Metropolitis pallium impertiret, cujus nexu ſibi tanquam ſummo capiti, omnes tenerent aſtrictos. Juris vero Regij non eſſet, paſtores animarum deligere, ac deſignare Epiſcopos, quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo; Act. 20. Magiſtratus à Rege inſtituendos divina oracula decernere, 1. Petr. 2. Sacerdotes aut Pontifices creari à Deo, per miniſterium Eccleſiæ, Act. 13. Ut ſint divinorum miſteriorum, non Regiorum munerum diſpenſatores.

Verum pace dixerim eorum ſalva, qui tam acerbe contra Concordata Leonis X. & Franciſci I. invehuntur: æquius certe de iis poterant, ſi accuratius cuncta libraſſent conſideranda, hac in re arbitrari. Diſſimulaſe equidem non poſſum ſucciſam fuiſſe ſpem mediocris fortunæ literatis, per ſublationem electionum, provectionis ſuæ ad Eccleſiaſticas præfecturas, Capitulis etiam non minimum decus ademptum: quum jus illud Epiſcopos aut Abbates deligendi, electores, cunctis dignitatum candidatis admodum ſpectabiles redderet. Verum hæc tanti momenti non ſunt, ut ideo omnia in deterius verſa, per Concordatorum illorum tranſactionem oporteat conclamari. Imo utilitatem non modicam per hæc Eccleſiæ & regno acceſſiſſe, mihi non abs re perſuadeo. Primo quidem quod tametſi electiones, cum canonice agebantur multum Eccleſiæ ſolatij, decoris ac utilitatis afferrent: tamen quia ut plurimum fiebant, non ex canonum præſcripto, ſed ex motu & ambitu privato Clericorum ad ſacras dignitates anhelantium: quibus populi in varias plerumque diſtracti partes impetus, potius quam legitimus aſſenſus interveniebat, hincque tumultus paſſim oriebantur, ſchiſmata naſcebantur, potentior quam bene meritus prævalebat. Proinde per Concordatorum viam his incommodis ac ſcandalis, à Papa & Rege occurſum eſt, quorum maxime intererat, Reipublicæ labantis meliori ſtatui proſpicere.

Sane ſi unquam in Gallia electiones liberæ fuerunt, & fieri quo decet modo potuerunt, ante annos quadrigentos id fuit, cum hæreſes & ſchiſmata nondum ſubortæ eſſent. Attamen quantis cum diſſidiis ac conflictationibus actitarentur, facile quiſque poterit perſpectum ire ex Concilio Bituricenſi, quod Philippo Audace regnante S. Ludovici filio, celebravit anno 1276. Simon Cardinalis S. Cæciliæ, in Galliæ regno, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus, evocatis generalem in conventum Epiſcopis queiſque, atque cæteris Prælatis ac primoribus Cleri legationis ſuæ: in quo contra factiones, ſeditiones, & ſcandala quæ paſſim in electiones irrepſerant, Conſtitutio edita eſt Synodalis, quæ jam jam admiſſos in electionibus abuſus ex Clericorum ambitu, populi malitia ac potentum violentia, temporumque corruptione graphice depingit. Adverſus quos erumpentes in Dei ſacrarium nefarios auſus, quis non videat non potuiſſe opponi antidota fortiora ab Eccleſiæ præſulibus, cum etiam ob tumultus & contentiones cogerentur Reges Pontificeſque ad ſe pertrahere lites de ſacrorum Magiſtratuum deſignationibus non niſi cum labore, tempore expenſiſque finiendas.

Quod aiunt hinc Galliæ Eccleſiæ perniciem ortum, cum paſtum illud extiterit omnis generis hæreſeon ſeminarium; ſi ad tempus reſpiciunt, forſan id augurantur ex eo quod eo ferme tempore quo jus electionis ablatum eſt, Lutherus cœpit eſſe Apoſtata à fide. Quæ levis eſt conjectura, vel larenter, ut reor, inſinuare volunt eos, qui poſtea ſectæ facti ſunt perditionis Magiſtri, inde virus concepiſſe ac ſparſiſſe ſuum, quod ſe deſpectos viderent, omnique fruſtratos ſpe promotionis per gradus doctrinæ, ad ſacrarum dignitatum faſtigia. Sed hæc ratio nullius eſt profecto momenti. *Neceſſe eſt hæreſes eſſe* (ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*: ac etiam qui reprobi; *Corde corrupti mente erant, qui naufragaverunt circa fidem*, in qua ſi fuiſſent *radicati & ſtabiles*, nunquam ab ea exciditſſent, quocumque motu animi aut rationis prætextu. De ejuſmodi igitur apposite dici poteſt, quod de horum ſimilibus dilectus Domini ait: *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. ſic igitur manifeſti facti ſunt, quoniam ex nobis non erant.* Actium Hæreſiarchen ideo factum, litteris SS. Epiph. & Aug. prodidere, quod Epiſcopatum ambiens repulſam paſſus fuiſſet. Qui certe, ſi quod cupiebat, culmen honoris fuiſſet aſſecutus, plus Eccleſiæ in ſummo gradu, quam in minore nocuiſſet.

1. Tim 1.
Coloſſ. 1.
1. Joan. 2.

Nec meliori ratione dici poteſt, Simoniarum & Fiduciarum profluvia, ex Concordatis initis inter Leonem X. & Franciſcum I. orta eſſe, ſi quidem diu ante eruperant. Unde cohibendo tam exitiali malo, plenus extat in ſacro jure de Simonia titulus, ex antiquorum Patrum, veterum Conciliorum & ſummorum Pontificum ſententiis, Canonibus, decretis confectus, quibus Eccleſia tam horrendæ peſtilitatis contagium hactenus continuo conata eſt ſtudio amoliri. Regum quoque variæ extiterunt conſtitutiones, quibus hoc infecti crimine à Magiſtratibus cum ſeveritate multari decernitur. Capitularium Caroli magni capitulo 19 & 97. ut & Canones Conciliorum indices ſunt morum improborum ejus ſæculi in quo celebrantur, ſicut pharmaca à medicis decreta morbos produnt quibus curandis apponuntur: plura ex antiquis Conciliis Aurelianenſe II. & V. Cabilonenſe ſub Clodoveo II. & alia teſtantur ſatis malum iſtud non à tam recenti principio profluxiſſe.

l. 5. tit. 6.

Porro quod natam ex Concordatis objiciunt *exterminationem ſcientiæ*, tam ludicrum eſt, ut refellere pigeat. Siquidem luce clarius eſt, à multis retro ſæculis tantis doctrinæ inſignibus Clerum in Gallia non enituiſſe, quantis ab initorum Concordatorum tempore emicuit, ac etiamnum præfulget. Abſit dicto invidia, longe fortunatius (ut plurimum) cum Gallia per nominationes, quam diu ante per electiones actum. Siquidem quibus quantiſque Epiſcopis abhinc, quo Regia nominatione deſignari cœperunt, Gallia abundarit, ſingularum Eccleſiarum Cathedralium Pontificales catalogi propatulo exponunt. Horum nomina terrori ſunt hæreticis. Doctorum porro ſecundi in Sacerdotio Ordinis quis enumerare poſſet innumerabiles copias invictiſſimaſque acies, qui omni armatura fortium inſtructi adverſus hæreſes pugnaverunt?

Nec juſta querela eſt, quod Capitulis eligendi libertas his Concordatis ſublata ſit. Quam exili enim libertatis umbra, ante Concordata inita fruerentur, ſupra manifeſte apparuit. Reſervabat paſſim ſummos Pontifex ſuæ diſpoſitioni, ſummos Eccleſiarum Magiſtratus. Quod ſi earum Sacerdotalis Senatus deligere fortaſſis ex adverſo præſumeret, mox formidabilibus cenſuris compellebantur Canonici acta ſua retractare; electus vero jure ſuo quantocyus cedere, ne fulminationibus Pontificiis obrueretur. Intercedebat Rex vindex ſui juris, quo patronus & fundator illarum Eccleſiarum tutelam, ad ſe titulo ipſo diadematis pertinere contendebat: ſuique intereſſe, ut iis regnoque utiles, ſibique grati & accepti Antiſtites præfirerentur. Quo igitur ea ad in-

tentionem perduceret, Capitulis quidem jus electionis integrum ex antiquis jutis formulis dicebat competere: adeoque ut his legitimum, contra Pontificias præventiones seu reservationes defendebat. At commodi sui decorique, non Capituli plerumque intuitu, cujus eligendi facultatem in magnas angustias coërcebat. Celebrati enim sacra ad obeundas electiones Comitia asserebat non licere, nisi ex suo arbitratu. Quam conveniendi delectus causa licentiam, non solebat pro instanti eorum efflagitatione statim concedere, at tempus à suo volebat pendere nutu. Deinde concessa demum conveniendi venia, eo suum destinabat missum, qui toti actioni vice sua superintenderet. Hujus ministerio ut plurimum sic utebatur, ut non quem affectabat Clerus, Antistitem is consequeretur, sed ipse deligeretur, quem Rex ipse voluisset. Hunc pro more in Comitiorum ingressu, per nuncium suum capitulo commendabat, datis etiam interdum benevolis, non magis quam honorificis ad sacrum coetum litteris; quibus si annueret Canonicum Collegiata mox erat electio, sed ejus quem Capitulum quidem elegerat, verum non sibi ex ingenti affectu, at ex Regis motu; adeo ut vere dixisses Reges per Capitulum designasse, at vero Capitulum non tam elegisse inaugurandum Pontificem, quam à Rege electum approbasse, eius ut pote voluntatem, non suam propensionem, ea in re sequutum. Cui si Capitulum pro insolito (ne dicam insolenti) quodam pristinæ dignitatis motu reniteretur, incassum id tentabat. Rex enim fere nunquam acceptabat hoc electum modo Præsulem, Regalia retinebat, juramentum fidelitatis admittere recusabat, nec requiescebat à cœptis, donec in irritum ducta Capituli postulatione potius quam electione, ille quem elegisse significaverat, à Capitulo si non eligeretur, saltem haberetur pro electo. Missumque ad Provinciæ Archipræsul. jubebat Rex mox consecrari, qui si renuebat & à Senatu interpellabatur, ac si recusare pergeret, temporalium comprehensione & obsignatione cogebatur Regis jussibus obtemperare. Quæ omnia non paucorum peccatorum ansam præbebant, & bonis luctum & malis gaudium afferebant. Atque hæc mala sustulit concordati constitutio.

Nec est quod Clerus inferioris Ordinis, etiam male secum fuisse actum ejusmodi transactione regni cum sede Apostolica, graviter admodum expostulet. Nec enim omnes qui adscribuntur Clero, infulis destinantur. Cæterum inferiorum Episcoparu, aut Monasticis præfecturis beneficiorum, in majorem longe spes, quam erat ante concordiæ sæpedictæ transactionem, affulget: ex eo quod debite graduatis certi assignentur menses, quibus vel inviti Præsules, iis Curas & Canonicatus, aliaque inferioris gradus beneficia conferre obstringuntur, imo nec his ad dignitates præcluditur aditus. Cum prima ab Episcopali, debeat per electionem Canonicam, de Ecclesia benemeritis deferri: quæ vero primariæ proximæ sunt, graduatorum juri subjaceant, adeo ut à candidatorum meritis pendeat, congruos his assequendis dignitatibus in Academiis gradus, per optimarum disciplinarum studia adipisci, vel iis se dotibus scientiæ & virtutis præstare commendabiles, ob quas ab iis qui in electionibus jus suffragij habent, primarij honoris digni censeantur. Magna igitur ad doctrinam ac pietatem per concordata harum studiosis, ex solatio præmij, quod non inaniter sperari potest, oritur excitatio: *Omne opus etenim* (ait præclare S. Hieron.) *leve fieri solet, cum cui præmium cogitatur, & spes præmii solatium fit laboris.*

Cæterum nonnisi absurde dici potest, non spectare ad Pontificem neque ad Regem, sese Episcoporum delectui immiscere: unde absque jure hunc sibi eorum arrogasse nominationem, illum vero confirmationem ac provisionem reservasse, cum promotio ipsa ad Metropolitanum, electio ad plebem, vel potius ad Clerum hunc que Cathedraticum, jure Ecclesiastico jam olim condito ac servato, pertineret? paulò enim ut respondeam, dico si non ad Papam & Regem spectat prospectum ire, ut Ecclesiis digni Episcopi præficiantur, multo minus ad populum, imo & Clerum hoc pertinere, cum membra sint Clerus & populus Ecclesiæ & Regni, Papa vero & Rex capita, hic Christianissimi regni, ille vero Catholicæ Ecclesiæ. Electioni quidem populum præbuisse olim solum assensum, clero delatam electionem potius ex Ecclesiæ usu & permissu, quam ulla institutione divina: unde jus istud qualecumque fuerit, tandem positivum erat, quamobrem variari poterat, quin & propter abusum, quem passim irrepsisse ostendimus, multiplicem, potuit ac debuit etiam submoveri. Cum aliunde & Imperatores & Reges jamdudum ab antiquis temporibus privilegia se habere prætenderint in designatione præsulum, ut multi non nisi interposita eorum authoritate ad infulas pervenerint. Quæ de re exempla apud Historicos & Græcos & Latinos passim occurrunt. Quam vero difficile esset regum animos à prætenso isto jure ac aliqua consuetudine firmato avellere? Sed nec Catholice dici potest, Pontificis non interesse, curare de Episcoporum delectu, cum mandatum a Deo acceperit in B. Petro (cujus sedem & fidem tenet) *suos confirmandi fratres*, hoc est Luc. 22. Episcopos omnes, quotquot in orbe sunt & esse possunt, in salutis ministerio statuendi, ipsisque, ut suo quique munere strenue defungantur, omnem curam & opem impertiendi. Ad eum enim spectat universalis Ecclesiæ sollicitudo & gubernatio, nec modo agnorum, sed & ovium procuranda salus. ipsi demandata divinitus ex officio incumbit. Quamobrem à Patribus non modo fidelium omnium Pater ac Pastor appellabatur, sed & Pontifex maximus, Patrum Pater, Episcoporum Episcopus, ipsorumque Patriarcharum Princeps prædicatur.

Hæc & plura R. Tullensis Episcopus pro defensione concordati, attento statu corruptorum Ecclesiasticarum in plerisque. Nam si cum metu & tremore Judiciorum divinorum congruam sollicitudinem pro animabus gererent Ecclesiæ præsides ac ipsi Reges, non defuissent alij modi ad assumendos ex hominibus Pastores magis idoneos quamplures ex Regia nominatione inveniantur, si saltem attenderent Reges ad hanc D. Pauli regulam. *Qui domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

Sed quæ hactenus dicta sunt spectant ad nominationem Regiam, præter quam alia est in concordato expressa, quæ dicitur nominatio Scholastica: quæ innumeras lites parturit. De ea librum utilem & copiosum scripsit Rebuffus, quo multo brevior Duarenus Iurisconsultus lib. 5. de Beneficiis c. 13. sequentibus hæc compendiose tractat, quæ hic inferimus in gratiam Scholasticorum, qui hoc opus lecturi sunt, ut discant etiam modum non negligendum sane, perveniendi ad beneficia.

Tractat, quis nominare possit. Ac respondet id competere Scholis publicis ac celebrioribus Franciæ quæ Universitates dicuntur vulgo, non quod omnium disciplinarum in iis vigeat professio, sed quod professoribus ac studiosis litteratum corpus, Collegium ac veluti respublic. habere liceat, quamvis alias id jure prohibitum sit, id enim significat universitas apud Jurisconsul. Eodem autem jure nominandi gaudere deberet civitas aliqua in qua esset Universitas, si ad Galliæ ditionem de novo accederet, cum fœdus generalis & indefinitus futura quoque complectatur. Nam si in constituenda servitute cautum sit ne luminibus officiatur, omne lumen tam præsens quam futurum contineri veteres responderunt. *l. si servitus de servit. ur. prad.* & in specie dissimili censuit Livius l. 1. dec. 3. in fœdere Rom. Carthaginensiumque cautum fuerat ut neutri alteris, eorumque sociis bellum inferrent. Saguntinis postea in P. R. societatem asciscentibus bellum intulere Carthaginenses. Cum assumere novos liceret socios, quis æquum censeret ut ob nullamquam

CONCILIVM TRIDENTINVM

SVB PAVLO III. IVLIO III.

A paci tantum insidiatur, quantum paci Ecclesiæ Iesu Christi. Nam ut insignis Theologus Joannes Driedo advertit inter præambula libri *de captivitate & redemptione generis humani*, cum super omnium aliarum nationum fidem sola Christianorum fides sit vera salutis æternæ fides Spiritu sancto cœlitus data, inimicus salutis nullam aliam nationum fidem ita dissipare, evertere ac in hæreses & schismata dividere conatur sicut fidem Christianam. Neque enim curæ est ipsi ut expugnet falsam Iudæorum ac gentium Idololatriam: cum jam omnes illæ gentes suæ sint, quas suis laqueis captivas detinet secundum suam ipsius voluntatem: ipse autem ea quæ sua sunt quæque in pace jam possidet, numquam expugnare molitur. Sathanas si Sathanam ejicit, inquit Christus, *quo modo stabit regnum eius?* Unde ex hoc ipso possumus discere, non esse alam in terris fidem piam atque B divinam regno diaboli contrariam, præter eam solam, quæ est in Christum Dominum Redemptorem & Salvatorem omnium ac maxime fidelium, quos vera fide & sincera Sacramentorum applicatione sic sanctificat, ut etiam ad supremum salutis gradum per gloriam æternam promoveat. Nec alias tot armis eam fidem impugnare Sathan pergeret, totam œconomiam redemptionis humani generis invertens denuo: ac Sacramenta quibus vim suam exerit, contaminans, modumque justificationis evertens, malignis sensibus in publicum evulgatis, nisi fides illa omnibus numeris absoluta & ab omni errore desecata, ostium esset ad salutem. Quare æstimare debemus præcipuum divinæ dilectionis, atque protectionis erga nos indicium, quod non inveniamus ab initio aliam fidem ullam tot ac tantis temporibus impugnatam, & tamen non deletam, præter illam quæ C est in Christum mediatorem, sicut illam tenuit, & tenet Ecclesia Romana quæ certe inviolata non maneret tot machinis impugnata, nisi manus Dei protegeret & assidue custodiret.

Ioannes Driedo.

Fides Christiana pluribus divisionibus scinditur Luca 11.

Mysterium Redemptionis a Lutthero impetitur.

Quod egregie præstitutum est semper per concilia, ac nunc per Concilium Tridenti coadunatum, cum fuisset multis annis antequam inchoaretur, à multis desideratum, ut Lutheranæ hæresi in Germania grassanti occurreretur. Tandem vero post multas protelationes aut tergiversationes, quod de modo illud habendi omnes non convenirent ac valde iniquas conditiones requirerent Lutherani, quas refert & refellit Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 21. Primo anno 1537. à Paulo III. indictum fuit Mantuæ: deinde absque ullo effectu, quod dux Mantuæ ingentem pecuniarum summam vellet sibi suppeditari pro militari præsidio, quod ad tuendam Urbem in magna externorum hominum congregatione necessarium prætendebat: anno consequenti Vincentiæ indictum fuit, in terra Venetorum, qui pace nuper cum Solimano facta, existimaverunt eum facile suspicaturum ipsorum auspiciis Christianos principes contra ipsum conjurare, si in oppido ditionis eorum, tanta hominum multitudo conflueret. Quare rursum hoc irrito conatu, anno 1542. ab eodem Paulo Pontifice, Tridenti celebrati jussum est, cœptumque anno 1545. ac primis septem sessionibus celebratis Bononiam translatum est anno 1547. ac per quadriennium stetit. Deinde sub Julio III. resumptum Tridenti, ac sequenti suspensum, quievit usque ad annum 1562. quo sub Pio IV. iterum celebrari cœpit, ac demum anno 1563. consummatum est. Quamvis autem viginti quinque sessiones numerentur, tamen quatuordecim tantum fuerunt, in quibus aliquid tractatum sit de rebus doctrinæ aut morum; videlicet septem sub Paulo, duæ sub Julio, & quinque sub Pio: reliquæ namque undecim aut apertiones fuerunt, aut suspensiones, aut prorogationes.

Difficultas in assignando loco Concilij.

In hoc Concilio diligentius actum est quam in cæteris de fide explicanda, moribusque corrigendis. Multique ex toto orbe Christiano adfuerunt, præser-

miserandis planctibus indulgens cum ad has calamitates venit, ut tom. 10. ad annum 897. & alibi, & Litteræ Cardinalium ad Benedictum XIII. initio Concilij Pisani, loquentes de hujusmodi schismate, inquiunt: *conculit clerum, subvertit populum, fidem maculat, Sacramenta prophanat, & Ecclesiastica censura contemptum inducit, Ecclesiæ libertatem omnino extinguit, & indevotos reddit Christi caractere insignitos, ut vix dignosci valeat quis existat Catholicus.* At quis his tetrius & miserabilius? quibus malis per hoc Concilium subventum est, cum Ludovicus XII. Gallorum Rex misso Episcopo Massilienſi ad Leonem X. per ipsum Concilio Pisano renunciavit, & præsenti Concilio adhæsit. Unde & plures Galliæ Episcopi à Iulio excommunicati communioni Ecclesiæ restituti sunt, &c.

Mysterium redemptionis vindicatum in Concilio.

Etsi vero is fuerit scopus Concilij, non defuit tamen etiam mysterium redemptionis humani generis adstruere dum sessione 8. definivit, quæ fides habenda sit de anima rationali, quæ est objectum præcipuum redemptionis: cum definivit eam esse immortalem & esse formam corporis humani, ac multiplicem esse, non unicum communem in omnibus: *Aliàs*, inquit Concilium, *incarnatio & alia Christi mysteria nobis non profuissent, nec expectanda esset resurrectio*: adeo verum est omnia concilia variis modis obstitisse semper, ne recta fides hujus mysterij per quam salus homini constat, per errores depravaretur, qui de anima suadente diabolo, tunc temporis divulgari incipiebant quorumdam audacia.

Occasionem autem prædictæ definitioni dederunt quidam Philosophi, ut testatur Spondanus ad annum 1513. num 10. inter alios recensetur Petrus Pomponatius Mantuanus: qui enarrans Aristotelem & Averroëm Bononiæ, animas post corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis probare conatus, juventutem valde corruperat: se eo tuens quod Philosophicè loqueretur, sed aliter cum Christianus esset, sentiret. Nec deerant alij suæ scientiæ ostentatores, qui alia etiam non sana de anima docerent, quibus modum adhibuit hoc Lateranense: sicut ex alia parte providit litteratis per concordatum de beneficiis, ut plures ipsis non sint ingrati.

Sessio prima 10. die mensis Maij, anni 1512.

Leguntur Bullæ indictionis Concilij. Ministri & officiales Concilij nominantur ac Pontifex exhortatur Synodum ad Ecclesiæ reformationem, & schismatis extinctionem, pacem inter Christianos Principes componendam, & expeditionem contra infideles conficiendam. Mox annotantur per Pontificem causæ non celebrati Concilij cum toties ante fuisset promissum, nec tamen usque ad eum diem fuerat inchoatum. Præcipuus autem fuit conflictus apud Ravennam civitatem Romandiolæ habitus inter exercitum ipsius Julij Pontificis, & Regis Hispaniæ Ferdinandi cognomento Catholici, & exercitum Ludovici Regis Francorum, & aliorum adhærentium Concilio Pisano. In quo conflictu fuerunt interfecta multa millia hominum. Et absoluta est actio prima.

Sessio secunda 17 mensis Maij ejusdem anni.

Legitur bulla in qua Pisanum Conciliabulum damnatur, & omnia in eo gesta annullantur, & irritantur. Lateranense quoque Concilium legitime à Spiritu sancto esse congregatum definitur. Excipiunt suffragia omnium præsentium. Erant Cardinales 16. & Patriarchæ 13. Archiepiscopi 64. Generales Ordinum 4. &c. quibus etiam alij accesserunt.

Sessio tertia 3. Decembris ejusdem anni.

Tantum legitur bulla, in qua iterum reprobantur omnia & singula per Cardinales schismaticos acta, tam in Transalpinis, quam Cisalpinis locis, Revocantur quoque concessa privilegia, sive gratiæ per sedem Apostolicam in eisdem locis. Confirmatur interdictum in Regnum Galliæ, excepto ducatu Britanniæ, propter adhærentiam Regis pluriumque prælatorum ac nobilium ad Concilium Pisanum. Translatioque nundinarum Lugdunensium ad civitatem Genebensem renovatur. Nota. *Regnum tamen Galliæ per hoc interdictum non est datum primo occupanti, nec regna aut terra fœderatorum, ut minime ex hinc occasione cuiquam data sit ad occupandum Navarræ Regnum. Unde de hoc graves angustias animo passi sunt duo Reges Hispani in morte.*

Sessio 4. 10. Decembris ejusdem anni, Pontificatus Julii Papæ anno 10. Præsidente eodem.

Legitur bulla, in qua Pragmatica sanctio, & gesta per Conciliabulum Pisanum super eadem annullantur: cum sanctio ipsa ab omni id potestate carentibus, nullorumque Romanorum Pontificum aut generalium legitimorum Conciliorum auctoritate facta, sed quodam abusu tantum in illis partibus introducta & observata fuerit, quam etiam claræ memoriæ Ludovicus XI. Francorum Rex abrogavit. Rem adeo perniciosam in Dei offensam & Ecclesiæ vilipendium & evidens detrimentum amplius ferre nequeuntes, &c.

Sessio 5.

Præsidente Episcopo Hostiense Cardinali propter ægritudinem Julij Pontificis 16. Februarii, anni 1513.

Legitur bulla innovationis & confirmationis contra simoniacam pravitatem in electione Pontificis non committendam. In qua sacro approbante Concilio statuitur, quod electio Romani Pontificis per simoniam facta eo ipso nulla existat, & sic electo nulla in spiritualibus, vel temporalibus tribuatur facultas. Et Cardinales qui simoniace aliquem elegerint, à suis ordinibus, dignitatibus & beneficiis sint absque alia declaratione privati. Mediatores etiam tam Clerici quam Laici cujuscumque dignitatis sint, privantur omnibus beneficiis, honoribus, & bonis eo ipso, & ad similia fiunt inhabiles, &c.

Prædicta constitutio placuit universis Episcopis & Patribus, exceptis quinque Episcopis.

Quatriduo post hanc sessionem vigesima-quinta Februarij, anni 1513. Iulius secundus Papa obiit Romæ apud sanctum Petrum in palatio Pontificum.

Feria sexta 11. Martij ejusdem anni eligitur Canonice Episcopus Romanus & Papa universalis Ecclesiæ Cardinalis de Medicis, nuncupaturque Leo decimus.

Sessio 6. Aprilis 27. prædicti anni.

Fit electio viginti quatuor prælatorum, qui adsint cum Cardinalibus in his, quæ pertractanda sunt coram Pontifice. Et distributi sunt per classes: una classis erat ad conferenda pertinentia ad componendam pacem inter Principes, & extirpandum schisma. Alia ad tractandum quæ pertinent ad generalem reformationem curiæ. Tertia vero ad ea, quæ pertinerent ad fidem, & Pragmaticam Sanctionem.

Sessio septima, feria 6. 17. Junii 1513. Præsidente Leone X.

Leguntur litteræ subscriptæ per Bernardinum Caravajal & Federicum de sancto Severino olim Cardinales, super materia abjurationis schismatis & unionis

nionis Eccleſiæ, & confeſſionis erroris ipſorum, A
& veniæ petitionis propter ſuſcitatum ab illis ſchiſma, &c. Qui poſt paucos dies in palatio Apoſtolico priſtinæ dignitati ſunt reſtituti in conſiſtorio ſecreto poſt ſolemnem abjurationem ſchiſmatis, venientes ad palatium tanquam privati clerici, & ante pedes Papæ abjurato ſchiſmate alta & intelligibili voce.

Seſſio 8. 19. Decembris anni 1513. Præſidente Leone X.

Huic ſeſſioni interfuerunt oratores Regis Galliæ jam Rege ipſo Concilio adhærente. Ac per Archiepiſcopum Gneſnenſem Polonum.

Quod anima hominis unica ſit, ipſaque immortalis definitur.

Legitur ſchedula ſuper fide animæ humanæ ſub hac forma.

Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis ſit, aut unica in B
cunctis hominibus: & aliqui temere Philoſophantes (ſecundum ſaltem Philoſophiam) verum eſſe aſſeverant. Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cum illa non ſolum vere & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in Canone Clementis Papæ V. in generali Viennenſi Concilio edito continetur, verum & immortalis & pro corporum quibus infunditur multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata & multiplicanda ſit. Quod manifeſte conſtat ex Evangel. cum Dominus ait, *animam autem occidere non poſſunt.* Et alibi: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, &c.* Et etiam cum æterna pœna & æterna ſupplicia pro merito vitæ judicandis repromittit. C

Alias incarnatio & alia Chriſti myſteria nobis minime profuiſſent: nec reſurrectio expectanda foret, ac ſancti & juſti miſerabiliores eſſent (juxta Paulum) omnibus hominibus.

Fides nō contraria vero.

Cumque verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus, omneſque hujuſmodi erroneis aſſertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos & puniendos fore decernimus.

Præcipitur præceptoribus Philoſophiæ ut diſcipulis ſuis oſtendant & declarent veritatē religionis Chriſtianæ.

Inſuper omnibus & ſingulis Philoſophis in univerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publice legentibus diſtricte præcipimus, ut cum Philoſophorum principia aut concluſiones, in quibus à recta D
fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explicaverint (quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate ac alia hujuſmodi) tenerentur eiſdem veritatem Religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo (propoſſe) docere, ac omni ſtudio, hujuſmodi Philoſophorum argumenta (cum omnia ſolubilia exiſtant) pro viribus excludere atque reſolvere.

Prohibetur conſtitutis in ſacris ordinibus incūbere Poëſis ſtudiis.

Statuimus inſuper, ne quis de cætero in ſacris Ordinibus conſtitutus, in ſtudiis generalibus, vel alias publice audiendo Philoſophiæ aut Poëſis ſtudiis ultra quinquennium, poſt grammaticam & dialecticam, E
ſine aliquo ſtudio Theologiæ, aut juris Pontificij, incumbat. Verum exacto dicto quinquennio, ſi illis ſtudiis inſudare voluerit, liberum ſit ei, dum tamen ſimul aut ſeorſum Theologiæ, aut ſacris Canonibus operam navaverit, ut in his ſanctis & utilibus profeſſionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philoſophiæ & Poëſis radices purgare & ſanare valeant.

Hos Canones per ordinarios locorum & Rectores univerſitatibus ſingulis annis in principio ſtudij in virtute ſanctæ obedientiæ publicari mandamus.

Seſſio nona quinta Maij 1514. Præſidente Leone Papa.

Legitur in hac ſeſſione publice bulla reformationis curiæ Romæ, in qua ſequentes Canones ſubjiciuntur.

Canon I.

Decernimus, ut ſervetur quod Innocent. Papa III. in Lateranenſi Concilio decrevit de ætate & gravitate morum & litteratum ſcientia in perſonis promovendis in Epiſcopos & Abbates diligenter inquirenda. *De elect. cum in cunctis.*

Can. II. Ne Epiſcop. aut Abbas amoveantur non premiſſa defenſionis copia.

Statuimus, ut nullus Epiſcopus aut Abbas, quovis inſtante aut requirente (niſi ſibi copia & facultas legitimæ defenſionis permittatur) etiamſi crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis cauſa plenarie probata fuerit, privari valeat. Neve aliquis prælatus invitus, niſi aliis juſtis, efficacibuſque rationibus & cauſis, transferatur, juxta formam ac decretum Conſtantienſis Concilij.

Can. III. Ne monaſteria aliqua commendentur.

Et quoniam ex commendis Monaſteriorum, Monaſteria ipſa, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim avaritia vel incuria collabuntur, & in dies divinus cultus in eis magis diminuitur, volumus & ſancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo modo cuiquam poſſint commendari: ſed de perſona idonea, juxta præſcriptam conſtitutionem, eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates (prout decet) præfuturi ſint.

Canon IV.

Uniones perpetuæ (præterquam in caſibus à jure permiſſis, vel ſine rationabili cauſa) nequaquam fiant.

Can. V. Ne plura incompatibilia quis habeat.

Diſpenſationes autem ad plura incompatibilia ultra duo niſi qualificatis juxta formam juris communis non concedantur, niſi ex magna & urgente cauſa.

Can. VI. Vt Cardinales aſſiſtant Romano Pontifici.

Cum Cardinalium officium in primis verſetur in frequenti Romani Pontificis aſſiſtentia, & Sedis Apoſtolicæ negotiis, ſtatuimus, ut omnes Cardinales in Romana curia reſideant, & qui ſunt abſentes ſi in Italia intra ſex menſes, ſi extra Italiam infra annum à die publicationis præſentis conſtitutionis revertantur, alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum emolumenta amittant.

Can. VII. De officio præceptorum puerorum.

Statuimus ut magiſtri ſcholarum, & præceptores pueros ſuos ſive adoleſcentes, nedum in Grammatica & Rhetorica ac cæteris hujuſmodi inſtruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent, ut ſunt præcepta divina: Articuli fidei, ſacri Hymni, & Pſalmi, ac Sanctorum vitæ. Diebuſque feſtivis nihil aliud eos docere poſſint, quam in rebus ad Religionem & bonos mores

pertinentibus. Eosque in illis instruere, hortari & cogere inquantum possint, teneantur, nedum ad missas, sed etiam ad vesperas, divinaque officia audienda ad Ecclesias accedant. Similiter ad sermones audiendo impellant. Nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere permittant.

Can. VIII. *de innovatione constitutionum contra Simoniacos.*

Ut nephariæ simoniæ labes ac pestis non solum à Romana curia, sed ex omni etiam Christiana ditione imperpetuum deleatur, constitutiones per antecessores nostros, etiam in sacris Conciliis editas, contra hujusmodi simoniacos, innovamus: easque inviolabiliter observari præcipimus.

Can. IX. *contra blasphemos.*

Ad abolendam vero exsecrabilem blasphemiam ordinamus, ut quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscenis verbis Dominum nostrum Iesum Christum vel gloriosam Virginem Mariam expresse blasphemaverit, si munus publicum jurisdictionem vegetiferit perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officij: si tertio, illo eo ipso sit privatus. Si clericus vel Sacerdos fuerit, pro prima vice beneficiorum fructibus unius anni mulctetur: pro secunda vice, si unicum habuerit beneficium eo privetur: si plura, quod ordinarius maluerit amittere cogatur. Pro tertia vice omnibus privatus eo ipso existat, & ea libere impetrari & conferri possint. Laicus vero blasphemans si nobilis fuerit pœna 25. ducatorum mulctetur, pro secunda vice 50. ducatorum. Pro tertia nobilitatem perdat. Si autem ignobilis & plebeius, in carceres trudatur. Quod si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores Ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur ad judicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia, seueri confessoris arbitrio injuncta possit absolvi.

Can. X. *Ut privetur beneficio, qui canonicas non recitaverit horas.*

Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis officij, & temporis: sed eos tanquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium: intelligatur autem officium omittere quo ad hoc, ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. Reliquos canones quia non necessarios judicavimus, huc minime transcripsimus.

Sessio decima Maii quarta 1515. *Præsidente Leone Papa X.*

In hac sessione edicta est decretalis super confirmatione Montis Pietatis sub hac forma.

Mons pietatis.

Cum inter nonnullos controversiam quandam non sine populorum scandalo olim exortam esse comperimus circa pauperum revelationem in mutuis, eis publicaum authoritate faciendis, qui Montes pietatis vulgo appellantur, quique à nonnullis prædecessoribus nostris probati & confirmati sunt: nonnullis etiam Magistris & Doctoribus dicentibus eos montes non esse licitos, in quibus aliquid ultra sortem per ministerium hujus montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur. Nos super hoc opportune providere volentes sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes Pietatis antedictos per respublicas institutos, & authoritate sedis Apostolicæ hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem Montium recipitur, nec speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, nec ullo pacto improbari: Quinimmo meritorium esse ac laudari & probari debere tale mutuum, & minime usurarium putari, licereque eorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis à sede Apostolica eam. ob causam concessis: & deinceps alios similes Montes cum Apostolicæ sedis approbatione erigi posse. Multo tamen perfectius, meritoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuite constituerentur (hoc est) si illos erigentes aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte hujusmodi Montium ministrorum solvantur impensæ, ut ad leviorem æris solvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat.

Omnes autem religiosos & Ecclesiasticas ac seculares personas, qui contra præsentis declarationis & Sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrere volumus, non obstantibus, &c.

Et interrogati per scrutatores votorum Episcopi, responderunt placere contenta in scedula, excepto R. Patre Hieremia Archiepiscopo Tranensi, qui dixit non placere, quia didicit per experientiam, quod prædicti montes sunt plus damnosi quam utiles.

In eadem sessione edicta est decretalis super impressione librorum, sub hac forma.

Sacro adprobante Concilio statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus liberum aliquem, sive aliam quamcunque scripturam tam in urbe nostra quam in aliis civitatibus & diœcesibus imprimere, seu imprimere facere præsumat nisi prius in urbe per vicarium nostrum & sacri palatij magistrum, in aliis vero diœcesibus per Episcopum vel alium ab Episcopo ad id deputandum & inquisitorem hæreticæ pravitatis illius diœcesis in quibus librorum impressio ejusmodi fieret, diligenter examinetur, & per horum manu propria subscriptionem gratis, & sine dilatione imponendam approbetur. Qui autem secus præsumpserit ultra librorum amissionem, & illorum publicam combustionem, excommunicationis sententiæ innodatus existat.

In eadem sessione statuimus, ut contra exemptos diœcesani, & alij locorum ordinarij procedere possint, quando ab illis quibus per Apostolicam sedem amandata est illorum correctio, nolit corrigantur.

Ibidem definitur ut singulæ causæ quomodolibet Ecclesiasticum forum concernentes in prima instantia extra Romanam curiam coram ordinariis locorum terminentur, & nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio admittatur, nisi ab interlocutoria.

Sessio undecima 19 *Decembris* 1516. *Præsidente Leone X.*

In hac sessione edita est decretalis super modo prædicandi verbum Dei, in qua post alia multa subjicitur. Sacro approbante Concilio statuimus & ordina-

net, ut nullus tam clericus ſecularis, quam cujuſcunq; etiam mendicantium ordinis regularis, aut quivis alius ad quem facultas prædicandi, tam de jure quam de conſuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujuſmodi officium exercendum admittatur, niſi prius per ſuperiorem ſuum diligenter examinatus (in qua re conſcientiam ipſius ſuperioris oneramus) ac morum honeſtate, ætate, doctrina, probitate, prudẽtia & vitæ exẽplo ad illud aptus & idoneus reperiatur. Et hic quocunque poſtea prædicaturus accederit, de hujuſmodi examine & idoneitate ſua per literas, ſeu alias ſui examinatoris approbatoriſque Epiſcopis & aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat. Mandamuſque omnibus, qui hoc onus ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ut Evangelicam veritatem & ſanctam Scripturam juxta declarationem & interpretationem Doctorum quos Eccleſia vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quicquam eius proprio ſenſui contrarium, vel diſſonum adjiciant: ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius ſacræ Scripturæ verbis rite, ac ſane & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis non diſcordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Anti chriſti adventum, aut certum diem judicij prædicare vel aſſerere nequaquam præſumant, cum veritas dicat, non eſſe noſtrum noſſe tempora vel momenta. Cæterum ſi quibuſdam eorum Dominus futura quædam in Dei Eccleſia inſpiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipſe promittit, & Paulus Apoſtolus inquit: *Prophetiam nolite ſpernere, &c.* hos aliorum fabuloſorum & mendaciũm gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus.

Qua ſint prohibita prædicatoribus prædicare.

2. Theſſ. 5.

Et quoniam res magni momenti eſt, eo quod non de facili credendum ſit omni ſpiritui, ſed ſit probandus ſpiritus an ex Deo proveniat, volumus ut lege ordinaria tales aſſertæ inſpirationes antequam publicentur aut populo prædicentur, ex nunc Apoſtolicæ ſedis examini reſervatæ intelligantur. Quod ſi ſine moræ periculo id fieri non valeret, aut urgens neceſſitas aliud ſuaderet, tunc ordine ſervato ordinario loci notificetur, ut ille adhibitis ſecum tribus aut quatuor doctis & gravibus viris, & hujuſmodi negocio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt (ſuper quo eorum conſcientias oneramus) licentiam concedere poſſint. Si qui autem contra præmiſſorum aliquod committere quicquam auſi fuerint, excommunicationem incurrant, à qua non niſi à Rom. Pontificibus abſolvantur.

Et ut horum exemplo alij attentare ſimilia minime audeant, eis prædicationis officium interdictum eſſe perpetuo decernimus, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, &c.

Concordatum pro beneficiis Franciæ.

In eadem ſeſſione lectæ ſunt literæ Concordatorum inter Leonem X & Franciſcum Galliæ Regem anno præcedenti Bononiæ tractatorum pro bono pacis circa collationem ac præſentationem beneficiorum ac abrogationem Pragmaticæ Sanctionis.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Concordata inter Leo. X. & regẽ Franciæ.

Primitiva illa Eccleſia in Angulari petra à Salvatore noſtro Jeſu Chriſto fundata, divino quodam conſilio parœchias inſtituit, diœceſes diſtinxit, Epiſcopos creavit & Metropolitanos præfecit. Tum expoſitis quæ circa conſtitutionem Pragmaticæ Sanctionis in regno Franciæ contigerant, ſubjungit.

De eorumdem fratrum conſilio & unanimi conſenſu, ex certa noſtra ſcientia & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco dictæ Pragmaticæ conſtitutionis, ac omnium & ſingulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto regno, Delphinatu & Comitatu Dienſi, ac Valentin. infra ſcriptæ obſerventur conſtitutiones: videlicet quod Cathedralibus & Metropolitanis Eccleſiis in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis, nunc & pro tempore, etiamſi per ceſſionem in manibus noſtris & ſucceſſorum noſtrorum Rom. Pontificum canonice intrantium ſponte factam vacantibus, illarum capitula & canonici, ad electionem ſeu poſtulationem inibi futuri Prælati, procedere non poſſint, ſed illarum occurrente hujuſmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore exiſtens, unum gravem magiſtrum ſive licentiatum, in Theologia aut in utroque, ſeu in altero jurium Doctorem, aut licentiatum, in univerſitate famoſa & rigore examinis, & in 27. ætatis ſuæ anno ad minus conſtitutum, & alias idoneum, infra ſex menſes à die vacationis Eccleſiarum eorumdem computandos, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſeu ſedi prædictæ nominare, & de perſona per Regem hujuſmodi nominata, per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem prædictam provideri: & ſi contingeret præfatum Regem, perſonam aliter non qualificatam, ad dictas Eccleſias ſic vacantes nominare, per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem hujuſmodi de perſona ſic nominata eiſdem Eccleſiis minime provideri debeat, ſed teneatur idem Rex infra tres alios menſes à die recuſationis perſonæ nominatæ non qualificatæ, ſolicitatori nominationem non qualificatam proſequenti, conſiſtorialiter factæ, intimandæ computandos, alium ſupra dicto modo qualificatum nominare: alioquin diſpendioſæ Eccleſiarum hujuſmodi vacationi celeriter conſulatur, Eccleſiæ tunc ſic vacanti, per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem hujuſmodi de perſona, ut præfertur, qualificata, nec non Eccleſiis per obitum apud ſedem prædictam vacantibus ſemper, nulla dicti Regis præcedente nominatione, libere provideri poſſit, decernentes electiones contra præmiſſa attentatas, ac proviſiones per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem hujuſmodi factas, nullas & invalidas exiſtere: conſanguineis tamen præfati Regis, ac perſonis ſublimibus ex cauſa rationabili & legitima, in nominatione & Apoſtolicis litteris exprimenda, nec non religioſis mendicantibus reformatis, eminentis ſcientiæ & excellentis doctrinæ, qui juxta ſui ordinis regularia inſtituta ad gradus hujuſmodi aſſumi non poſſint, ſub prohibitione præmiſſa minime comprehenſis, ſed de eorum perſonis dictis Eccleſiis pro tempore vacantibus, ad dicti Regis nominationem per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem hujuſmodi, libere provideri poſſit.

Nominatio Regia ad Beneficia.

Monaſteriis verò & Prioratibus Conventualibus & vere electivis, videlicet in quorum electionibus forma capituli, *quæ propter*, ſervari, & confirmationes electionum hujuſmodi ſolemniter peti conſueverunt, in Regno, Delphinatu & Comitatu hujuſmodi nunc & pro tempore etiam per ſimilem ceſſionem vacantibus, illorum Conventus ad electionem ſeu poſtulationem Abbatis ſeu Prioris, procedere non poſſint, ſed idem Rex illorum occurrente hujuſmodi vacatione, Religioſum ejuſdem Ordinis in ætate 23. annorum ad minus conſtitutum, infra ſimile tempus ſex menſium, à die vacationis Monaſteriorum & Prioratuum hujuſmodi, computandorum, à nobis & ſucceſſoribus noſtris ſedi hujuſmodi nominare, & de perſona per Regem hujuſmodi Monaſterio vacanti nominata, per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedem hujuſmodi provideri: Prioratus vero, perſonæ ad illum per Regem eumdem nominatæ conferri debeat. Si verò idem Rex Preſbyt. ſæcularem, aut Religioſum alterius Ord. aut minorem 22. annorum vel alias inhabilem, nobis aut ſucceſſoribus noſtris infra dictum ſemeſtre, ſeu ſedi hujuſmodi nominaret, talis nominatus recuſari & nullatenus ſibi provideri debeat: ſed

Rex ipſe infra trimeſtre, à die recuſationis ſupradicto modo intimandæ computandum, alium modo ſupra dicto qualificatum Monaſterio ſeu Prioratui nunc vacanti nominare, & de perſona ad Monaſterium nominata, illi providere: ad Prioratum vero nominato. Prioratus ipſe per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis novem menſibus effluxis, nulla, ſeu de perſona minus idonea & modo præmiſſo non qualificata, facta nominatione, ac etiam vacantibus apud ſedem prædictam, Monaſteriis provideri: Prioratus vero, perſonis, ut præfertur, qualificatis dumtaxat conferri libere poſſint. Electiones autem & illarum confirmationes, nec non proviſiones per nos & ſucceſſores noſtros, & ſedem prædictam contra præmiſſa pro tempore factas, nullas, irritas ac inanes eſſe decernimus. Per præmiſſa tamen non intendimus in aliquo præjudicare capitulis Eccleſiarum, Conventibus Monaſteriorum & Prioratuum, hujuſmodi privilegia à ſede Apoſtolica proprium eligendi Prælatum obtinentium, quominus ad electionem Epiſcoporum ac Abbatum, & Priorum, juxta privilegia eis conceſſa libere procedere poſſint, juxta formam in eorum privilegiis contentam, & ſi in eorum privilegiis forma aliqua expreſſa non fuerit, tunc Concilii generalis, quapropter, ſervare teneantur, dummodo de privilegiis ſibi conceſſis hujuſmodi, per litteras Apoſtolicas ſeu alias authenticas ſcripturas docuerint, omni alia ſpecie prolationis eis in hoc adempta.

Volumus quoque & ordinamus, ut in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis, de cætero non detur aliquæ gratiæ expectativæ, ac ſpeciales vel generales reſervationes ad vacatura beneficia, per nos & ſedem prædictam non fiant: & ſi de facto per importunitatem, aut alias à nobis & ſucceſſoribus noſtris & ſede prædicta emanaverint, illas irritas & inanes eſſe decernimus.

In Cathedralibus tamen, Metropolitanis & Collegiatis Eccleſiis, in quarum ſtatutis caveror expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium obtinere poſſit, niſi in illis actu Canonicus ad effectum dumtaxat inibi obtinendum, dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium hujuſmodi, & non conſequendum priman præbendam vacaturam, creare poſſe intendimus.

Statuimus, inſuper, quod Ordinarius collator in unaquaque Cathedrali, ac etiam Metropolitana Eccleſia Canonicatum & præbendam Theologalem inibi exiſtentem, conferre teneantur uni Magiſtro vel licentiato, aut baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in univerſitate ſtudij generalis privilegiata ſtuduerit, ac onus reſidentiæ, lecturæ & prædicationis actu ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas, impedimento ceſſante legitimo, legere debeat, & quoties ipſum in hujuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli per ſubſtractionem diſtributionum totius Hebdomadæ puniri poſſit, & ſi reſidentiam deſeruerit, de illis alteri provideri debeat. Et ut liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit à divinis, habeatur pro præſente, itaut nihil perdat. Præfatique ordinarij collatores, ſeu Patroni Eccleſiaſtici quicumque fuerint, ultra dictam præbendam Theologalem, quam, ut præferrur, qualificato conferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad eorum collationem, proviſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem quomodolibet ſpectantium, viris litteratis, graduatis, & per univerſitates nominatis hoc modo: videlicet primo menſe poſt præſentium acceptationem, & earundem publicationem præfati Ordinarii collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ad eorum collationem, proviſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, ut præfertur, ſpectantia graduatis hujuſmodi, qui litteras ſuorum graduum cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre teneantur. Beneficia vero quæ in duobus ſequentibus menſibus vacare contigerit, illa juxta juris communis diſpoſitionem perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare poſſint: beneficia autem, quæ in quarto menſe vacare contigerit, viris graduatis per univerſitatem nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre ſeu præſentare teneantur. Beneficia vero quæ in quinto menſe & ſexto vacare contigerit, ſimili modo perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas ad illa præſentare poſſint. Beneficia autem, quæ ſeptimo menſe vacare contigerit, graduatis, qui ſimili modo litteras gradus cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre teneantur. Beneficia vero, quæ octavo & nono menſibus vacare contigerit, pari modo perſonis idoneis conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare teneantur. Beneficia autem quæ menſe decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, per eoſdem ordinarios conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant. Beneficia autem, quæ undecimo & duodecimo menſibus vacare contigerit, per eoſdem ordinarios perſonis idoneis juxta juris communis diſpoſitionem conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant.

Si quis vero cujuſcumque ſtatus, etiamſi Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiſcopalis aut Pontificalis, vel alterius cuiuſlibet dignitatis contra prædictum ordinem & qualificationem ſuperius ordinata, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis, quibuſvis aliis beneficiis Eccleſiaſticis hujuſmodi aliter, quam modo præmiſſo diſpoſuerit, diſpoſitiones ipſæ ſint ipſo jure nullæ: collationeſque ac proviſiones & diſpoſitiones illorum ad immediatum ſuperiorem devolvantur, qui eiſdem perſonis modo præmiſſo qualificatis providere teneatur. Etſi contravenerit, ad alium ſuperiorem devolvatur proviſio & præſentatio hujuſmodi gradatim, donec ad ſedem Apoſtolicam fiat devolutio. Præterea volumus, ut collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati, qui dignitates, perſonatus, adminiſtrationes ac beneficia & officia, in menſibus graduatis & nominatis aſſignatis, vacantia, illis graduatis ſimplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præſentare teneantur, qui per tempus competens in univerſitate famoſa ſtuduerint. Tempus autem competens, decennium in magiſtris ſeu licentiatis aut Baccalaureis in Theologia, ſeptennium vero in doctoribus ſeu licentiatis in jure Canonico, Civili aut Medicinis, quinquennium in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus inclusive, aut in ulteriori facultate: ſexennium autem, in Baccalaureis ſimplicibus in Theologia, quinquennium vero, in Baccalaureis juris Canonici aut Civilis, in quibus Baccalaureis juris Canonici aut Civilis, ſi ex utroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernimus. Præfatique graduati ac nominati, collatoribus ordinariis ſive patronis Eccleſiaſticis ſemel antè vacationem beneficij de litteris gradus ſeu nominationis, & de præfato tempore ſtudij per litteras patentes univerſitatis, in qua ſtuduerint, manu ſcribæ & ſigillo univerſitatis ſignatas fidē facere teneantur. Cum vero probario nobilitatis fieri deberet ad effectum, ut nobiles ipſi gaudere poſſint beneficio minoris temporis ſtudij, tunc nobilitas ipſa per quatuor teſtes deponentes in judicio coram judice ordinario loci, in quo natus eſt ille, de cujus nobilitate ex utroque parente conſtare debet, etiam in partis abſentia probari poſſit: teneanturque præfati graduati tam ſimplices, quam nominati, pa-

Præbenda Theologalis.

Nominatio ſcholaſtica ad beneficia.

Nobiles gradati.

tronis Ecclesiasticis seu collatoribus ordinariis, quibus gradus aut nominationis literas huiusmodi insinuare deberent, literas suorum graduum & nominationis, certificationis, temporis, studii, & attestationis nobilitatis, duplicatas dare, ac singulis annis tempore quadragesimæ, per se vel procuratorem suum collatoribus, nominatoribus, seu patronis Ecclesiasticis aut eorum vicariis, eorum nomina & cognomina insinuare, & eo anno quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in vim gradus aut nominationis hujusmodi petere non possint. Et si collatoribus ordinariis aut patronis Ecclesiasticis in mensibus deputatis graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis, non esset graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerint, seu collatio seu præsentatio per collatorem seu patronum Ecclesiasticum etiam eisdem mensibus facta alteri quam graduato vel nominato, non propter hoc irrita censeatur: si tamen graduatus simplex aut beneficium post insinuationem gradus aut nominationis in mensibus eis assignatis vacans petierit, & inter suam insinuationem & præfatam requisitionem non supervenerit quadragesima, in quam nomen & cognomen insinuare debuerit, ad beneficium sic vacans, eum capacem, ipsumque illud consequi posse & debere decernimus.

Statuimus quoque & ordinamus, quod collatores ordinarij & patroni Ecclesiastici præfati inter graduatos, qui literas gradus cum tempore studij & attestationes nobilitatis debite insinuaverint, quoad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, gratificare possint illum ex eis, quem voluerint: quo vero ad beneficia in mensibus graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, temporis studij, & attestationis nobilitatis, debite insinuaverit, præsentare seu nominare teneantur. Concurrentibus autem nominationibus ejusdem anni, Doctores licentiatis, Licentiati Baccalaureis, demptis Baccalaureis formatis in Theologia, quos favore studii Theologici, Licentiatis in jure Canonico, civili aut Medicina, præferendos esse decernimus: Baccalaureos juris Canonici ac civilis Magistris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diversis facultatibus, doctorem Theologum doctori in jure, doctorem in jure Canonico doctori in jure civili, doctorem in iure civili, doctori in Medicina, præferendos esse decernimus. Et idem in Licentiatis ac Baccalaureis servari debere volumus. Et si in eisdem facultate & gradu concurrerent, ad datam nominationis, seu gradus recurrendum esse volumus. Etsi in omnibus his concurrant; tunc collator ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare possit. Volumus autem, quod nominati litteras nominationis ab universitatibus, in quibus studuerint, obtinentes in nominationum litteris beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur: alioquin literæ nominationis huiusmodi eo ipso nullæ censeantur. Si quis vero ex dictis qualificatis, graduatis simplicibus aut nominatis, tempore vacationis beneficii in mensibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas in Cathedralibus etiam Metropolitanis aut collegiatis, seu dignitatem vel præbendam vel aliud beneficium seu alia beneficia, quorum in simul vel cujus fructus, redditus & proventus tempore residentiæ & horis divinis interessendo, ad summum ducentorum florenorum de Camera ascenderent, beneficium, in vim gradus seu nominationis hujusmodi, tunc petere & consequi non possit. Et insuper, quod tam graduati simplices, quam nominati, in mensibus eis deputatis beneficia vacantia petere & consequi possint secundum propriæ personæ condecentiam & conformitatem, videlicet sæculares sæcularia, & religiosi religiosa beneficia Ecclesiastica; ita quod sæcularis nominatus beneficia regularia in mensibus assignatis vacantia, prætextu cujusvis dispensationis Apostolicæ, & è contra religiosus beneficia sæcularia petere aut consequi minime possint. Quodque beneficia simpliciter vel ex causa permutationis, in mensibus graduatis simplicibus & nominatis assignatis vacantia eis non sint affecta nec debita, sed ex causa permutationis cum permutantibus dumtaxat: simpliciter vero beneficia vacantia hujusmodi personis idoneis per ipsos ordinarios libere conferri possint.

Quis præferendus inter nominatos.

Parochiæ urbium muratarum.

Statuimus quoque, quod Parochiales Ecclesiæ in civitatibus aut villis muratis existentes, nonnisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui per tres annos in Theologia vel altero jurium studuerint, seu Magistris in artibus, qui in aliqua universitate privilegiata studentes magisterii gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni universitates, sub pœna privationis omnium & singulorum privilegiorum à nobis & sede Apostolica obtentorum, ne collatoribus seu patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictatum universitatum statuta ad gradus & non per saltum provecti fuerint. Quod si secus fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum literis declaramus, universitates ipsas nominandi privilegio ad tempus, secundum culpæ qualitatem suspendimus.

Si quis autem graduatorũ aut nominatorum in mensibus deputatis, a collatoribus ordinariis seu patronis Ecclesiasticis, beneficium vacans in vim gradus aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in processu posuerit & aliter molestaverit, illum ultra expensarum, damnorum & interesse condemnationem, à fructibus sui gradus & nominationis privandum esse decernimus: eodemque vinculo collatores ordinarios & patronos Ecclesiasticos, quibus graduati & nominati debite (ut supra) qualificati, nisi suos gradus & nominationis literas insinuaverint, astringimus, ut beneficia ad eorum collationem vel præsentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis, illa prosequentibus, aliis, quam graduatis aut nominatis conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus, illo anno ad collationem eorum aut præsentationem liberam spectantibus. Statuimus quoque & ordinamus, quod quilibet Pontifex Romanus semel dumtaxat tempore sui Pontificatus, literas in forma mandati juxta formam inferius annotatam, & non ultra dare possit hoc modo: videlicet unum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in uno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum & ultra, in duobus dumtaxat beneficiis gravare possit, ita tamen, quod in eadem Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, collatorem unum pro tempore in duabus præbendis non gravet. Et ut obviemus litibus, quæ occasione literarum mandatorum hujusmodi oriri possent, mandata hujusmodi sub forma, quæ inferius est annotata, dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinterno registrari mandamus, declarantes, prosequentes hujusmodi mandata, quoad beneficia sub illis comprehensa, ordinariis collatoribus & graduatis simplicibus & nominatis præferendos esse, nosque & successores nostros jure præventionis, dignitates, personatus, administrationes & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, sæcularia & quorumdam Ordinum regularia, quæcumque & quomodocumque qualificata, tam in mensibus graduatis simplicibus & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis assignatis, vacantia ac etiam sub dictis mandatis comprehensa libere conferre.

Statuimus insuper, quod in provisionibus quas

personis quibuslvis de beneficiis vacantibus seu certo modo vacaturis, per nos & successores nostros ac sedem prædictam etiam motu proprio, etiam promotis ad Ecclesias Cathedrales & Metropolitanas ac Monasteria, ut obtenta per eos beneficia retinere possint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri decamera, aut libras Turon. seu alterius monetæ, valor secundum communem æstimationem exprimi debeat: alioquin gratiæ ipsæ sint ipso jure nullæ.

Qui judices in causis nominatarum.

Statuimus quoque & ordinamus, quod in Regno Delphinatu & Comitatu prædictis, omnes & singulæ causæ, exceptis majoribus in iure expresse denominatis, apud illos judices in partibus, qui de iure aut consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. Et ne sub umbra appellationum, quæ nimium & nonnumquam frivole interponi consueverunt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari, injustis vexationibus, materia præbeatur: volumus, quod si quis offensus coram suo judice justitiæ complementum habere non possit, ad immediatum successorem etiam ad nos & successores nostros vel sedem prædictam, omisso medio, nec à gravamine in quacumque instantia ante definitam sententiam quomodolibet appelletur: nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret, & eo casu nonnisi ad immediatum superiorem liceat appellari. Si quis vero immediate subjectus sedi Apostolicæ, ad eandem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem inclusive si ab illis appellari contigerit, nisi propter defectum denegatæ justitiæ vel justum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis & cum causarum expressione, quæ etiam de illis, etiam legitime alias quam per juramentum coram judicibus à sede Apostolica deputandis, constare debeant. Processus autem contra præmissa attentatos, nullos & irritos esse volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes, in expensis, damnis & interesse condemnari deberi decernimus atque declaramus. Sanctæ vero Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui pro universali Ecclesia continue laborant, necnon dictæ sedis Officiales officia sua actu exercentes, sub præsenti decreto non intendimus comprehendi.

Concubinarii.

Statuimus etiam & ordinamus, quod judices causas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, sub pœna excommunicationis & privationis beneficiorum per eos obtentorum eo ipso incurrenda, infra biennium terminare debeant. Pars vero diffugiens & expeditionem ipsius causæ malitiose impediens, gravissime per eosdem judices mulctetur, etiam usque ad privationem juris in hujusmodi processu prætensi, si ei visum fuerit, super quo eorum conscientias oneramus. Ab interlocutoriis autem secundo, à definitivis vero tertio dumtaxat provocare licere decernimus, volumusque secundam sententiam interlocutoriam conformem, & tertiam definitivam etiam conformem, omni mora cessante, executioni debitæ demandari debere, quacumque interposita appellatione non obstante.

Triennalis possessor.

Statuimus quoque, quod quicumque, dummodo non sit violentus, sed habens coloratum titulum, pacifice & sine lite Prælaturam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium, seu quodcumque beneficium Ecclesiasticum triennio proximo hactenus possidet, vel pro tempore possidebit, in petitorio vel possessorio, à quoquam etiam ratione juris noviter reperti molestari nequeat, præterquam prætextu hostilitatis aut alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & illud juxta Concilium Viennense intimari debeat. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis juriſque fui in judicio exhibitionem, omnium minorum omnium observationem processus fuerit. Monemus etiam Ordinarios, ut diligenter inquirant ne quis sine titulo beneficium, & si quem beneficium sine titulo possidere repererint, declarent illi jus non competere, cujuslvis temporis detentione nonobstante, de ipsoque beneficio possit illi, dummodo non sit intrusus vel violentus aut alias indignus, vel alteri idoneo provideri.

Concubinarii.

Statuit deinde contra concubinarios & addit: Præterea omnibus sæcularibus viris etiam si regali præfulgeant dignitate, ne verum qualecumque inferant impedimentum quocumque quæsito colore prælatis, qui ratione officii adversus subditos suos pro huiusmodi concubinatu & aliis casibus sibi à iure permissis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessario evitandum, monemus omnes laicos tam uxoratos quam solutos, ut similiter à concubinatu abstineant, &c. qui vero solutus est, si continere nolit, iuxta Apostoli consilium uxorem ducat.

Statuimus insuper quod ad vitandum scandala & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, quod nemo deinceps à communicatione alicuius in sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscumque Divinis vel extra pretexto cuiuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ seu suspensionis aut prohibitionis ab homine vel à jure generali promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum observare: nisi sententia prohibitio, suspensio vel censura huiusmodi, fuerit vel contra personam, Collegium, Universitatem Ecclesiasticam, aut locum certum aut certam à Judice publicata & denuntiata specialiter & expresse, aut nisi notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari, eum à communione illius abstinere volumus iuxta Canonicas sanctiones, &c.

Concordata per decem Concilio placuerunt omnibus, tribus exceptis qui dixerunt sibi placere dummodo Galli acceperent bullam revocationis Pragmaticæ sanctionis. Alius excepit quod consensus Regis requireretur circa resignationes factas in curia, hocque dixit sibi non placere. Rev. Patri Domino Terdonensi placuit consuetudo parlamentorum quod habeant iurisdictionem in personas Ecclesiasticas. Et in quantum supra bulla tribuit Iurisdictionem sæcularibus in personas Ecclesiasticas, non placet ei.

Deinde Reverendus Pater, D. Ioannes Baptista Episcopus Cavallicens. ascendit ambonem & legit scedulam abrogationis Pragmaticæ sanctionis seu corruptelæ, cuius tenor sequitur, & est talis.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Pastor æternus gregem suum, &c.

Nec illud nos movere debet quod sanctio ipsa & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem eiusdem Basileensis Concilii per fœlicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum factam à Basileensi conciliabulo seu potius conventiculo, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium amplius non merebatur appellari, facta exiterint ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Roman. Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius & potestatem habere, eadem ex sacræ Scripturæ testimoniis, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet: quorum aliqua referre pla-

Potestas Romani Pontificis circa Concilia.

cuit, reliqua vero ut pote notiora silentio præterite. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse non debere absque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari. Neque vos latet etiam eundem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonensem transtulisse. Ephesinam quoque primam Synoduum Cœlestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Adriano, octavam Nicolao, octavam etiam Constant. Adriano prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus & mandatis in sacris Conciliis per eos editis & factis reverenter & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse tellantur: quandoquidem constet Romanum Pontificem, cujus ante omnia debet spectari decretum, talibus non præbuisse consensum. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum quam in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione a Romano Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Ephesina ac Chalcedonensi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna & Romana sub Symmacho, & Aimari libro de Synodis manifeste colligitur, quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat, &c. *& post aliqua.* Præfatam pragmaticam sanctionem seu corruptelam ex certa nostra scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine eodem sacro Concilio approbante, &c: Nullius roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus, &c.

Pragmatica Sanctio aboletur.

Postremo, Reverendus Pater, D. Ioannes Episcopus Sabinensis ascendit ambonem & legit scedulam disponentem circa Religiosos & eorum privilegia, cujus tenor talis est.

Religiosorum privilegia.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Dum intra mentis arcana revoluimus, &c. Concessiones hujusmodi eisdem Religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, ut ipsi fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foveantur, quam aliquo modo molestentur & inquietentur: una est enim regularium & sæcularium, Prælatorum & subditorum, exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides: & propter ea decet qui ejusdem sunt corporis unius etiam esse voluntatis, &c. Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si unicuique quantum fieri potest, sua Iurisdictio conservetur.

Deinde statuit ut ab Episcopis visitentur Ecclesiæ Parrochiales ad fratres ratione locorum suorum spectantes.

Ut veniant ad processiones solemnes si invitati fuerint, dummodo eorum loca sub-Vrbana ultra unum milliare à civitatibus respective non sint remota.

Tum subjungit. Nec non superiores eorumdem fratrum, fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Prælatorum elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac præsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint: alioqui eorum Vicariis, dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis, confitentes constitutioni quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur; ipsique fratres etiam Forensium confessores audire valeant. Laicos tamen & Clericos sæculares à sententiis ab homine latis, nullatenus absolvere possint.

Confessio Paschalis.

Eucharistiæ vero, Extremæ Vnctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum etiam decedentium & infirmorum confessiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa sibi denegasse, dare nequeant: nisi denegatio sive legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem verò fratrum obsequio insistentibus, Sacramenta hujusmodi nullo modo dare valeant, nisi illorum durante obsequio. Pacta autem & conventiones inter eosdem fratres & Prælatos atque Curatores pro tempore inita, valeant, nisi per subsequutum capitulum proximum generale vel Provinciale refutata, ac per eos refutatio hujusmodi debito tempore intimata fuerit, &c.

Quodque fratres ipsi ad Ordines promovendi, per ordinarios de Grammatica & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam à Diœcesano Episcopo, vel ejus Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo in Diœcesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant. Nec ab alio Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel altaris aut cœmeterij benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia & instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit, &c. Censuras autem per eosdem ordinarios latas & promulgatas ac in matrice Ecclesia civitatum, nec non in Collegiatis & Parrochialibus Ecclesiis Castrorum & oppidorum respective solemniter publicatas, quando super hoc ab ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare ac servare, &c.

Ex Episcopis quinque approbarunt sine approbatione privilegiorum.

Sessio duodecima 16. Martii 1517. Præsidente Leone Papa X.

In hac sessione prolata est decretalis cum censura excommunicationis majoris contra invadentes domos Cardinalium in nova electione Romani Pontificis.

Hac sessione absolutum est Concilium & confirmatum, & probata universa & singula quæ definita sunt in Concilio per Leonem decimum, cum prohibitione ne quisquam ad decreta, Canones & constitutiones hujus sacro-sancti Concilij ullas glossas vel interpretationes, citra consensum sedis Apostolicæ adjiciat: extat quoque bulla ejusdem Leonis X. ad universos & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores & Scholares universitatum directa, qua ipsum Concilium diligenter ac fideliter impressum recipi mandat, ut eo de cætero utantur in judiciis & scholis. Quodque in iis contenta inviolabiliter serventur, & per vos servari mandentur, si, ait, gratiam nostram charam habetis, & nostram indignationem cupitis evitare. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 25. Maij 1521. Pontificis nostri anno nono.

CONTROVERSIÆ HUJUS CONCILII.

CConcilium hoc generale & Oecumenicum fuisse, præsidentia Summi Pontificis ac præsentia Orientalium Patriarcharum, nec non convocatio omnium Episcoporum ostiatus, licet plures non adfuerint ac

maxime Episcopi Galliæ ob Prfanum Concilium quod fovebat Rex Galliæ. Verumtamen quia in turbulento tempore peractum est, hinc ejus authoritas minor fuit, nec decreta ejus ubique publicata ac recepta fuerunt, quamvis res gravissimæ & magni momenti per ea determinatæ fuerint. Certe eius excommunicationes non admittit Cajetanus in summula *Verbo* excommunicatio capite 81. Ubi enim multa excommunicationum genera proposuit, subdit. Præterhas autem excommunicationes inveniuntur multæ aliæ in tria distinctæ genera. Earum enim aliquæ quamvis sint notæ, non tamen sunt consensu utentium approbatæ. Aliæ sunt communiter ignotæ, quales sunt multæ quæ dicuntur Joan. XXII. vidit forte aliquis unam copiam & scripsit, quod ea facilitate rejicitur qua proponitur. Has ego, inquit, non retuli quia nolo esse Doctor fanaticus. Et hæc duo genera non ligant, quia leges abrogatæ sunt. Aliæ sunt notæ quidem, sed quia novæ & nullibi in fori recepta, ideo ambiguæ sunt, ut sunt illæ quæ in Concilio Lateranensi ultimo sub Julio II. & Leone X. continentur, quamvis aliquis partionem excommunicatorum sibi det. Hæc Cajetanus. Bonacina 2. 24 Divi Thomæ quæst. 1. art. 10. asserit idem Concilium nec omnem Galliam receptum non fuisse, & ab eo Futurum Concilium provocatum fuisse a Gallis, sicut Concilio Pisano adhærebant. Nam Concilio etiam interfuit oratot Regis Galliæ & sess. 10. excitavit absentium Episcoporum Gallorum, quod tum ob viarum bella impediebantur: Favet Suarez tomo 5. in 3. partem D. Thomæ disp. 22. sect. 7. ubi annotat post Cajetanum & Navarrum censuras hujus Concilij non esse ubi receptas.

DE MONTIBVS PIETATIS.

SAtis mirum videri debet quod ex tot Episcopis, qui Concilio aderant, unicus Archiepiscopus Transmontibus ipsis se opposuerit, cum tot fuerint hodie qui quodlibet lucrum ex occasione mutui acceptum usurarium prædicent, ac in hoc maxime se pios ac Religiosos arbitrentur. Sed in ista quæstione non idem sensus omnium.

Est autem Mons Pietatis, summa quædam pecuniæ vel alterius rei mutabilis deputata ad subvertendum necessitatibus pauperum per mutuum sub pignore, cum tribus conditionibus. Prima, ut pecunia data indigentibus sit in determinata quantitate & ad certum tempus. Secunda, ut si non reddatur suo tempore pignora vendantur. Tertia ut mutuatarius aliquid det in singulos menses vel annos pro montis expensis.

Montem istum usurarium reputat Cajet. tom. 2. opusc. tract. 6 Sotus de Justitia & jure quæst. 1. art. 6. Ratio prima est quia dives qui reliquit talem summam pauperibus mutuandam cum onere aliquid dandi ultra sortem pro excutiendis & servandis pignoribus ac pro referendo in Libros rationum dati & accepti, &c. Si ipse dives talem mutuasset pecuniam & aliquid ultra sortem accepisset, fœnerator haberetur: ergo & communitas. Secunda ratio est quia excussio & servatio pignorum aliaque hujusmodi onera fiunt in gratiam mutuantis ac pro ejus securitate: ergo injuste à mutuatariis eorum præmium accipitur.

Sed authoritas hujus Concilij ac plurimorum Pontificum Pauli II. Xisti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. prævalere debet paucorum ratiocinationi, nullusque verba omnia hujus Concilij expenderit qui contrariam sententiam non amplexetur, cum tantopere montes istos commendet, indulgentiarum concessione muniat, ac iis oblatrantes sic retundat. Nec obstat quod addit Concilium melius fore si omnino tales montes gratuito constituerentur: non enim sequitur ex hinc esse malos, cum bono vino dari possit melius.

Nec audiendus Sotus cum ait pleraque hujus Concilij decreta non fuisse recepta. Nam ut ait Rebellus 2. part. de obligat. Iustit. lib. 8. quæst. 13. decreta quæ ex mero jure positivo vim habent, si non recipiantur vim habere desinunt: determinationes tamen quæ ad fidem ac mores pertinent, si à Concilio generali vel summo Pontifice emanent, non pendent ex acceptione, cum in his errare non possint, inquit, ut alibi ostendi solet. Accidit quod conditiones montis pietatis summo Pontifici propositæ sint & diligenter examinatæ, ac rationes in contrarium, ut quod dicit Evangelium: *Mutuum date nihil inde sperantes*, Luc. 6. & quod exinde nulla dari possit ad alios contractus ob similem rationem, & quod abuti possint quidam ista determinatione Concilii, ut solent plures non bene applicare in particulari ea sit quæ generalius dicuntur, nihilominus determinatum est pro labore ministrorum aliquid ultra sortem accipere licitum esse.

Rationes vero oppositæ nihil concludunt. Nam dives ille potuisset pro sustentatione familiorum quos vere in eo munere detinuisset, aliquid ultra sortem accipere, quamvis à peccato scandali non excusaretur, cum homines qui omnia fere in pejorem partem solent interpretari, eum pro ipso mutuo lucrum accipere criminarentur, cum & legibus politicis quibus unicuique obtemperandum, id prohiberi soleat. Ad alia dicendum etiam pauperum interesse ut pignora serventur, & ratio dati & accepti in libros referatur, ut hujusmodi munus gratis subire mutuator non teneatur.

De Constitutione Concordati Gallici.

NOn modicas turbas excitavit in Gallia Concordatum hoc, multis aperte illud improbantibus, unde tum vulgo jactabatur iste versus contra authorem ejus: *Virgula Leo mulier furfuris antra petant.* Complectebatur enim capitula de monasteriis de abbatio jure electionum, & magis placebat scholasticis Pragmatica Sanctio quæ ex tribus beneficiis vacantibus unum jure suo consequebantur. Denique cum parlamenta nollent illud admittere, ad obtinendum eorum consensum, jus indultorum, quod vocant, singulis consiliariis concessum, quo etiam ipsi placentæ portionem haberent: ac sic quodammodo Christi tunica in varias partes divisa est. Has controversias luculenter satis exhibet Saussaius nunc Tullensis Episcopus in Panoplia Episcopali l. 2. ex quo & Duareno plura hic damus. *Querela de concordato.*

Promulgata in sessione 11. Concilij Lateranensis, subindeque in Senatu Parisiensi, sed non sine gravissima omnium Galliæ ordinum conclamatione, & ipsius Curiæ renixu, quam refractum ire oportuit suprema authoritate Regia. Fuerunt sane ex Doctoribus qui acerbissime hanc pactionem proferrent, qua dicebant à Pontifice jus electionis tanta antiquitate, tanta authoritate stabilitum, Ecclesiis cum Canonica libertate adimi, atque in Regem transferri, sibi vero sanctæque sedi Papam ingens ingenerasse dispendium, cum tam infausta permutatione, temporali quodam jure reservato, spirituale abdicaverit. Jugum etiam grave Ecclesiis plerique querebantur sic fuisse impositum, quod insuper Pontifex cum Rege convenerit, ut annatæ non ex veteri censu, qui longe minor erat, sed ex vero & novo solvendæ imposterum essent. Vox insuper communis erat, Papam Regemque sibi suisque vicissim dum majora commoda quærerent, graviora Ecclesiæ & regno incommoda accersisse. Existimavit certe Genebrardus Chronol. l 4. sub Leone X. hinc Gallicanæ Ecclesiæ perniciem ortam esse, hocque fuisse seminarium omnis generis hæreseon, Simoniarum, fiduciarum, exterminationis scientiæ, virtutis, pietatis, regni denique pestem. Thuanus porro lib. 2. censuit, id Regis

Francisci

Pranestci rebus & ejus generi exitium attuliſſe. Plerique alij abuſos non modo dictitabant utrumque, nempe Regem & Papam, poteſtate ſua, imo de re non ſua utrumque ſibi diſpoſitionem injuria vendicaſſe, cum neque ad Papam pertineret ſe immiſcere Prælatorum particularium Eccleſiarum deſignationi ac inſtitutioni. Sat eſt ſi exempla majorum ſecutus, univerſalis Eccleſiæ gubernationi tam circa fidem quam generalem morum diſciplinam, providentiæ ſuæ curam impenderet. Relicta vero (ut jus ferebat antiquum) particularibus Eccleſiis, libera ſuorum Præſulum electione, & Metropolitanis Suffraganeorum ordinatione, ipſis Metropolitis pallium impertiret, cujus nexu ſibi tanquam ſummo capiti, omnes teneret aſtrictos. Juris vero Regij non eſſet, paſtores animarum deligere, ac deſignare Epiſcopos, quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, Act. 20. Magiſtratus à Rege inſtituendos divina oracula decernere, 1. Petr. 2. Sacerdotes aut Pontifices creari à Deo, per miniſterium Eccleſiæ, Act. 13. Ut ſint divinorum miſteriorum, non Regiorum munerum diſpenſatores,

Verum pace dixerim eorum ſalva, qui tam acerbe contra Concordata Leonis X. & Franciſci I. invehuntur: æquius certe de iis poterant, ſi accuratius cuncta libraſſent conſideranda, hac in re arbitrati. Diſſimulare equidem non poſſum ſuccisam fuiſſe ſpem mediocris fortunæ literatis, per ſublationem electionum, provectionis ſuæ ad Eccleſiaſticas præfecturas, Capitulis etiam non minimum decus ademptum: quum jus illud Epiſcopos aut Abbates deligendi, electores, cunctis dignitatum candidatis admodum ſpectabiles redderet. Verum hæc tanti momenti non ſunt, ut ideo omnia in deterius verſa, per Concordatorum illorum tranſactionem oporteat conclamari. Imo utilitatem non modicam per hæc Eccleſiæ & regno acceſſiſſe, mihi non abs re perſuadeo. Primo quidem quod tametſi electiones, cum canonice agebantur multum Eccleſiæ ſolatij, decoris ac utilitatis afferrent: tamen quia ut plurimum fiebant, non ex canonum præſcripto, ſed ex motu & ambitu privato Clericorum ad ſacras dignitates anhelantium: quibus populi in varias plerumque diſtracti partes impetus, potius quam legitimus aſſenſus interveniebat, hincque tumultus paſſim oriebantur, ſchiſmata naſcebantur, potentior quam bene meritus prævalebat. Proinde per Concordatorum viam his incommodis ac ſcandalis, à Papa & Rege occurſum eſt, quorum maxime intererat, Reipublicæ labantis meliori ſtatui proſpicere.

Sane ſi unquam in Gallia electiones liberæ fuerunt, & fieri quo decet modo potuerunt, ante annos quadringentos id fuit, cum hæreſes & ſchiſmata nondum ſuborta eſſent. Attamen quantis cum diſſidiis ac conflictationibus actitarentur, facile quiſque poterit perſpectum ire ex Concilio Bituricenſi, quod Philippo Audace regnante S. Ludovici filio, celebravit anno 1276. Simon Cardinalis S. Cæciliæ, in Galliæ regno, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus, evocatis generalem in conventum Epiſcopis queiſque, atque cæteris Prælatis ac primoribus Cleri legationis ſuæ: in quo contra factiones, ſeditiones, & ſcandala quæ paſſim in electiones irrepſerant, Conſtitutio edita eſt Synodalis, quæ jam jam admiſſos in electionibus abuſus ex Clericorum ambitu, populi malitia ac potentum violentia, temporumque corruptione graphice depingit. Adverſus quos erumpentes in Dei ſacratium nefarios auſus, quis non videat non potuiſſe opponi antidota fortiora ab Eccleſiæ præſulibus, cum etiam ob tumultus & contentiones cogerentur Reges Pontificeſque ad ſe pertrahere lites de ſacrorum Magiſtratuum deſignationibus non niſi cum labore, tempore expenſiſque finiendas.

Quod aiunt hinc Galliænæ Eccleſiæ perniciem ortam, cum paſtum illud extiterit omnis generis hæreſeon ſeminarium; ſi ad tempus reſpiciunt, forſan id augurantur ex eo quod eo ferme tempore quo jus electionis ablatum eſt, Lutherus cœpit eſſe Apoſtata à fide. Quæ levis eſt conjectura, vel larenter, ut reor, inſinuare volunt eos, qui poſtea ſectæ facti ſunt perditionis Magiſtri, inde virus concepiſſe ac ſparſiſſe ſuum, quod ſe deſpectos viderent, omnique fruſtratos ſpe promotionis per gradus doctrinæ, ad ſacrarum dignitatum faſtigia. Sed hæc ratio nullius eſt profecto momenti. *Neceſſe eſt hæreſes eſſe* (ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*: ac etiam qui reprobi; *Certe corrupti mente erant, qui naufragaverunt circa fidem*, in qua ſi fuiſſent *radicati & ſtabiles*, nunquam ab ea excidiſſent, quocumque motu animi aut rationis prætextu. De ejuſmodi igitur apoſite dici poteſt, quod de horum ſimilibus dilectus Domini ait: *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, ſed ut manifeſti fierent, quoniam ex nobis non erant.* Aërium Hæreſiarcham ideo factum, litteris SS. Epiph. & Aug. prodidere, quod Epiſcopatum ambiens repulſam paſſus fuiſſet. Qui certe, ſi quod cupiebat, culmen honoris fuiſſet aſſecutus, plus Eccleſiæ in ſummo gradu, quam in minore nocuiſſet.

1. Tim 1.

Coloſſ. 1.

1. Joan. 2.

Nec meliori ratione dici poteſt, Simoniarum & Fiduciarum profluvia, ex Concordatis initis inter Leonem X. & Franciſcum I. orta eſſe, ſi quidem diu ante eruperant. Unde cohibendo tam exitiali malo, plenus extat in ſacro jure de Simonia titulus, ex antiquorum Patrum, veterum Conciliorum & ſummorum Pontificum ſententiis, Canonibus, decretis confectus, quibus Eccleſia tam horrendæ peſtilitatis contagium hactenus continuo conata eſt ſtudio amoliri. Regum quoque variæ extiterunt conſtitutiones, quibus hoc infecti crimine à Magiſtratibus cum severitate mulctati decernitur. Capitularium Caroli magni capitulo 19 & 97. ut & Canones Conciliorum indices ſunt morum improborum ejus ſæculi in quo celebrantur, ſicut pharmaca à medicis decreta morbos produnt quibus curandis apponuntur: plura ex antiquis Conciliis Aurelianenſe II. & V. Cabilonenſe ſub Clodoveo II. & alia teſtantur ſatis malum iſtud non à tam recenti principio profluxiſſe.

l. 5. tit. 2.

Porro quod natam ex Concordatis objiciunt *exterminationem ſcientiæ*, tam ludicrum eſt, ut refellere pigeat. Siquidem luce clarius eſt, à multis retro ſæculis tantis doctrinæ inſignibus Clerum in Gallia non epiſuiſſe, quantis ab initorum Concordatorum tempore emicuit, ac etiamnum præfulget. Abſit dicto invidia, longe fortunatius (ut plurimum) cum Gallia per nominationes, quam diu ante per electiones actum. Siquidem quibus quantiſque Epiſcopis abhinc, quo Regia nominatione deſignari cœperunt, Gallia abundarit, ſingularum Eccleſiarum Cathedralium Pontificales catalogi propatulo exponunt. Horum nomina terrori ſunt hæreticis. Doctorum porro ſecundi in Sacerdotio Ordinis quis enumerare poſſet innumerabiles copias invictiſſimaſque acies, qui omni armatura fortium inſtructi adverſus hæreſes pugnaverunt?

Nec juſta querela eſt, quod Capitulis eligendi libertas his Concordatis ſublata ſit. Quam exili enim libertatis umbra, ante Concordata inita fruerentur, ſupra manifeſte apparuit. Reſervabat paſſim ſummus Pontifex ſuæ diſpoſitioni, ſummos Eccleſiarum Magiſtratus. Quod ſi earum Sacerdotalis Senatus deligere fortaſſis ex adverſo præſumeret, mox formidabilibus cenſuris compellebantur Canonici acta ſua retractare; electus vero jure ſuo quantocyus cedere, ne fulminationibus Pontificiis obrueretur. Intercedebat Rex vindex ſui juris, quo patronus & fundator illarum Eccleſiarum tutelam, ad ſe titulo ipſo diadematis pertinere contendebat: ſuaque intereſſe, ut iis regnoque utiles, ſibique grati & accepti Antiſtites præficerentur. Quo igitur res ad in-

CONCILIVM TRIDENTINVM

SVB PAVLO III. IVLIO III.

ac Pio IV. contra Lutheri, ac aliorum hæreticorum errores, nec non pro pace inter Principes ac reformatione Eccleſiæ, inchoatum, anno 1545. ac cum aliquamdiu fuiſſet interruptum, finitum tandem, anno 1563. tempore Caroli V. & Ferdinandi I.

Hiſtoria Concilij Tridentini.

NON ſatis fuit implacabili Sathanæ in Eccleſiam Jeſu Chriſti Domini noſtri odio tot hactenus varia hæreſeon monſtra parturiiſſe, acquirit vires eundo, & ex prioribus fere hæreſibus novam producit hoc ſæculo, cum nova cohors hæreticorum hominum ſub duce Lutheco Monacho Auguſtiniani Ordinis excucullato, Beneficiis Chriſti Redemptoris ingrato, eamdem Chriſti Eccleſiam validiori impetu aggreditur. Illi Neochriſtiani, ut ſub ſpecie pietatis ſeipſos primum, deinde alios decipiant, nec conſcientiæ ſtimulis divexarentur, Eccleſiam CatholicamRomanam, ſummo Pontifici Romano Chriſti in terris Vicario & Apoſtoli Petri ſucceſſori in ſummo Sacerdotio ſemper fide & obedientia conjunctam mille probris afficiunt ſub nomine Papiſmi, erroribus & ſuperſtitionibus involutam à multis ſæculis calumniantur; ad fidei dogmata dijudicanda nullum auctorem nullamque humanam auctoritatem admittere volunt, ſed ſola ſcripturæ verba ſuo ſenſu intellecta. Prioribus quidem ſex ſæculis aut ſaltem quinque Eccleſiam integram fuiſſe & adhuc incorruptam admittunt, ſed nongentis ſequentibus totam erroribus obfuſcatam prætendunt, ut habeant quod dicant doctrinam ſuam non primitivæ fidei Chriſtianorum mutationem afferre, ſed poſterioris corruptionis reformationem: prætenduntque nova ſua dogmata non eſſe aliud quam antiquam doctrinam olim in Eccleſia primitiva receptam, nunc quaſi poſtliminio revocatam ac reſtitutam. Atque dum iſta falſiſſima antecedentia ſibi perſuaderi ſinunt plerique populi, qui debebant ſcire unam eſſe Chriſti Eccleſiam in terris juxta Pſalmos, Prophetas & Evangelium, ac nullo unquam temporis puncto errori poſſe eſſe obnoxiam, quin ſemper in recta fide, in vero Dei cultu & religione, juxta Chriſti promiſſum permanſura ſit, fidemque illam quæ nongentis poſterioribus annis in Eccleſia extitit, per omnia quadrare illi quæ ſexcentis prioribus admiſſa fuit: dum inquam, pleræque gentes iſtam Eccleſiæ inviolabilem conſtantiam ac fortitudinem nolunt agnoſcere, ab ipſa ſeſe temerarie ac ſtulte, ejurato Chriſti in terris Vicario & ſupremo Paſtore, quem tanquam Anti-Chriſtum odio habuerunt, cum ſempiterno interitu animarum ſuarum, ſegregarunt. Factaque eſt contentio inter populos nominis Chriſtiani tanta, quanta vix ulla per Arrianos aut Eutichianos alioſque fidei hoſtes viſa fuerat antea. Tota Europa ex hinc odiis mutuis dilacerata, tota ſanguine purpurata eſt, tota incendiis devaſtata, & quid non malorum inde emanavit? ut triumphaſſe viſus ſit communis omnium ſalutis adverſarius Sathan, qui nullius regni aut reipublicæ paci tantum inſidiatur, quantum paci Eccleſiæ Jeſu Chriſti. Nam ut inſignis Theologus Joannes Driedo advertit inter præambula libri *de captivitate & redemptione generis humani*, cum ſuper omnium aliarum nationum fidem ſola Chriſtianorum fides ſit vera ſalutis æternæ fides Spiritu ſancto cœlitus data, inimicus ſalutis nullam aliam nationum fidem ita diſſipare, evertere ac in hæreſes & ſchiſmata dividere conatur ſicut fidem Chriſtianam. Neque enim curæ eſt ipſi ut expugnet falſam Iudæorum ac gentium Idololatriam: cum jam omnes illæ gentes ſuæ ſint, quas ſuis laqueis captivas detinet ſecundum ſuam ipſius voluntatem: ipſe autem ea quæ ſua ſunt quæque in pace jam poſſidet, numquam expugnare molitur. Sathanas ſi Sathanam ejicit, inquit Chriſtus, *quo modo ſtabit regnum eius?* Unde ex hoc ipſo poſſumus diſcere, non eſſe aliam in terris fidem piam atque divinam regno diaboli contrariam, præter eam ſolam, quæ eſt in Chriſtum Dominum Redemptorem & Salvatorem omnium ac maxime fidelium, quos vera fide & ſincera Sacramentorum applicatione ſic ſanctificat, ut etiam ad ſupremum ſalutis gradum per gloriam æternam promoveat. Nec alias tot artibus eam fidem impugnare Sathan pergeret, totam œconomiam redemptionis humani generis invertens denuo: ac Sacramenta quibus vim ſuam exerit, contaminans, modumque juſtificationis evertens, malignis ſenſibus in publicum evulgatis, niſi fides illa omnibus numeris abſoluta & ab omni errore defœcata, oſtium eſſet ad ſalutem. Quare æſtimare debemus præcipuum divinæ dilectionis, atque protectionis erga nos indicium, quod non inveniamus ab initio aliam fidem ullam tot ac tantis temporibus impugnatam, & tamen non deletam, præter illam quæ eſt in Chriſtum mediatorem, ſicut illam tenuit & tenet Eccleſia Romana quæ certe inviolata non maneret tot machinis impugnata, niſi manus Dei protegeret & aſſidue cuſtodiret.

Ioannes Driedo.

Fides Chriſtiana pluribus diviſionibus ſcinditur Luca 11.

Myſterium Redemptionis à Luthero impetitur.

Quod egregie præſtitutum eſt ſemper per concilia, ac nunc per Concilium Tridenti conſummatum, cum fuiſſet multis annis antequam inchoaretur, à multis deſideratum, ut Lutheranæ hæreſi in Germania graſſanti occurreretur. Tandem vero poſt multas protelationes aut tergiverſationes, quod de modo illud habendi omnes non convenirent ac valde iniquas conditiones requirerent Lutherani, quas refert & refellit Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 21. Primo anno 1537. à Paulo III. indictum fuit Mantuæ; deinde abſque ullo effectu, quod dux Mantuæ ingentem pecuniarum ſummam vellet ſibi ſuppeditari pro militari præſidio, quod ad tuendam Urbem in magna externorum hominum congregatione neceſſarium prætendebat: anno conſequenti Vincentiæ indictum fuit, in terra Venetorum, qui pace nuper cum Solimano facta, exiſtimaverunt eum facile ſuſpicaturum ipſorum auſpiciis Chriſtianos principes contra ipſum conjurare, ſi in oppido ditionis eorum, tanta hominum multitudo confluereret. Quare rurſum hoc irrito conatu, anno 1542. ab eodem Paulo Pontifice, Tridenti celebrari juſſum eſt, cœptumque anno 1545. ac primis ſeptem ſeſſionibus celebratis Bononiam tranſlatum eſt anno 1547. ac per quadriennium ſiluit. Deinde ſub Julio III. reſumptum Tridenti, ac ſequenti ſuſpenſum, quievit uſque ad annum 1562. quo ſub Pio IV. iterum celebrari cœpit, ac demum anno 1563. conſummatum eſt. Quamvis autem viginti quinque ſeſſiones numerentur, tamen quatuordecim tantum fuerunt in quibus aliquid tractatum ſit de rebus doctrinæ aut morum; videlicet ſeptem ſub Paulo, duæ ſub Julio, & quinque ſub Pio: reliquæ namque undecim aut apertiones fuerunt, aut ſuſpenſiones, aut prorogationes.

Prætextus ſpecioſi Lutheranorum.

Difficultas in aſſignando loco Concilij.

In hoc Concilio diligentius actum eſt quam in cæteris de fide explicanda, moribuſque corrigendis. Multique ex toto orbe Chriſtiano adfuerunt, præſer-

merita in amicitiam recipi, aut receptos in fidem non defendi? ait Livius. Atque hinc forsitan prætensio Regis ad nominandos Episcopos in iis civitatibus, quæ post istam constitutionem eius regno adjunctæ essent.

Norunt prætendentes ad beneficia in vim gradus.

2. Tractat, quis possit nominari. Respondet eos qui Scholasticis gradibus & titulis præditi sunt. Quorum primus est eorum qui tyrocinij depositi insignia accipiunt, & vulgo Baccalarij dicuntur. Ex quo gradu Theologiæ Professores duos faciunt. Alter est eorum, qui Mellodidascali designantur, vult dicere licentiatos: tertius ac supremus Doctorum ac Magistrorum. Scholasticos titulos cum dico, eos tantum intelligi volo qui à conventibus Scholastic.s, solemni & accurata prius inquisitione facta deferuntur. Quare Doctores codicillares qui diplomate Principis aut Pontificis hos titulos consequuntur, capaces nominationis hujus non habentur. Et notandum est horum graduum infimum sufficere, præterquam in Dialectices ac Medicinæ studio; cum in hoc Magistrum, in illo Mellodidascalum esse oporteat.

Præterea tempus certum constitutum est quod in studiis ante solemnem istam gradationem consumptum esse necesse est, quod cum in Leonina constitutione sit expressum, non est quod repetamus.

3. Tractat quomodo sit concipienda nominatio, in scriptis scili. à scriba conventus scholastici, eiusque annulo ac signo obsignari. Quod idem dicendum de ea testatione, quæ ad legitimi studiorum temporis fidem faciendam conficitur. Præterea nominationis formula beneficia omnia nominati cum vera reditus ac adventionum æstimatione complecti debet, cum eos nominare non liceat, qui beneficiis aucti sunt ad quantitatem ducentorum aureorum.

4. Apud quos nominare oporteat: apud eos scilicet qui beneficiorum conferendorum ius habent: non tamen apud patronos laicos, in quos non simili potestate & imperio ac in Ecclesiastico uti solent Romani Pontifices. Alij etiam excipiunt patronos Ecclesiasticos qui unum aut alterum beneficium tantum conferendum habent, idque arrestis firmatum aiunt.

5. Tractat de denuntiatione nominationis quam insinuationem vocat. Nec enim beneficiorum collatores ignorationem nominationis causare possint, denuntiandæ sunt illis litteræ illius & quæ ad beneficium reddunt litteratum aliquem idoneum. Puta testatio de gradu per litteras autenticas, testatio de legitimo studiorum tempore: de nominatione scholastici Conventus: in nobilibus de nobilitate ex utraque parte. Nec omittendæ Clericatus litteræ quibus ad beneficia patet aditus. Estque constitutum ut ea denuntiatio fiat per Notarium tempore quadragesimæ, earumque omnium litterarum exempla dimitti debeant penes antistitem, ac eos qui promovendi ad ministeria sacra beneficiorum potestatem habent. Ac postquam id semel factum fuerit, eorumdem insinuationem quotannis repetere non cogitur, sed nomen suum profiteri debet quotannis si beneficium affectet: alias jure excidit pro eo anno in quo professio illa in quadragesima defuerit.

6. Tractat de effectu nominationis Scholasticæ, qui est ut beneficia ob mortem beneficiarij vacantia mense Iulio & Ianuario obnoxia fiat sic nominatis à Scholastico universitatis conventu, ut suo jure qui antiquior est nominatione, ea possit petere, & alij facta collatio irrita sit. Aiunt tamen plerique si alij collatum esset beneficium, posse collatorem mutata voluntate nominato conferre. Quæ sententia, ait Duarenus, probabilis est. Tempus autem intra quod nominatus petere debet beneficium, constitutione Leonina definitum non est, sed rationi consentaneum Lateranensis Concilij tempus spectari, quod sex mensium est. Quod si requisitus antistes ambientem repulerit, jus conferendi ut caducum ad superiores antistites gradatim devolvitur.

Atque hæc de nominatione graduatorum de rigore, ut vocant. Nam est alia quæ dicitur graduatorum simplicium qui cum gradu Scholastico insigniti sint, licet non nominati a Scholastico conventu duos alios menses habent Aprilem & Octobrem, in quibus beneficia vacantia tenentur collatores uni ex ipsis quem magis voluerint conferre, si ante vacantiam per mortem litteras gradus cum litteris temporis studiorum, nec non tonsuræ ipsis denuntiari fecerint dimissis exemplaribus.

Porro difficilia omnia observare quæ in hoc privilegio Academiarum Franciæ occurrunt, unde lites & bella oriuntur inter Clericos, quibus dijudicandis occupantur plura Magistratuum ac judicum tribunalia, non ita ad nos spectat, qui satis habemus generalem quamdam ideam istius nominationis scholasticæ exhibuisse in utilitatem studentium, quibus nulla commodior ratio excogitari potuit, ut tertiam partem beneficiorum consequerentur, imo forsitan plusquam tertiam, cum ij menses designati sint in quibus solent plerique è vivis excedere.

Rigorosè fit examen graduatorum.

In hoc autem privilegio Concilium præsens multum confidit professoribus universitatum, qui ingeniorum Scholasticorum justi possunt esse æstimatores vel ex frequentia colloquutionis & auditionis illorum, vel ex examine quod habere debent antequam testimonium detur auditionis, ut præmia studiorum nonnisi idoneis conferantur. Multum, ait Gregorius Tolosanus lib. 18. *de republica* cap. 9. nocuit reipublicæ quod professores aliqui reperiuntur parum timoratæ conscientiæ, & non considerant quale pecus Arabicum intrudant Ecclesiis & subselliis, ad gratiam sæpe gradus conferentes prophanis. Nec considerant se rationem reddituros coram Deo & hominibus de tanta in probandis studiis negligentia. Intrudunt quoque aliquando in Cathedras hæreticos, ex quibus virus & perniciem aut pestem reipublicæ sequi necesse est. In quibus emendandis opus est reformatione diligenti. Atque hoc magis urget quod extet regula cancellariæ, quoad Doctores in jure Canonico vel Civili, ac in Theologia & Medicina, ut qui per aliquot annos legerint in artibus Magistri, nec non in altero jurium, vel Theologia Baccalaurei, non examinentur à prælatis conferentibus beneficia. Subjungit post aliqua. Nam si Episcopo daretur examinatio graduatorum aut nominatorum, nunquam inveniret graduatum aut nominatum doctum aut sufficientem, etiamsi esset Bartolo aut Panormitano similis, nisi esset illi propitius, &c. Dixeratque antea. Major præsumptio pro graduato ab universitatibus. Ut non potuerim continere aliquando bilem adversus superbiam Pharisaïcam aliquorum qui tantum sibi arrogare voluerunt, ut tentaverint apud prælatos sibi concedi facultatem examinandi nominatos & graduatos ab universitatibus. Hæc ibi & plura; ex quibus universitatum Magistri discere debent non esse nimium faciles & remissos in examine, quo sub juramento tentant ac probant graduum Scholasticorum candidatos.

Vidimus aliquos antistites qui quoquo modo graduatorum ac nominatorum jura interturbare conabantur sub hoc prætextu, quod in faciliori examine indocti admitterentur contra intentionem hujus Conc. quod voluit procurare Ecclesiis Pastores doctos; quid si ergo, quod avertat Deus, hæresi inficeretur aliqua universitas aut insignes magis eius Duces & Magistri? quod præcipue cavet hoc Conc. sess. 8. Notat Surius in commentariis de rebus suo tempore per orbem gestis, Sigismundum Poloniæ Regem pium & Catholicum, anno 1514. proposito severo edicto omnes Polonorum liberos qui Witembergæ litteris operam dabant, ubi erat ante aliquot annos Academia, quam Lutherus depravarat, erecta, revocasse ne hæresi polluerentur, & deinceps Poloniæ regnum corrumperent. Et multo ante Zeno Imp. scholam Edissenam quam

Perſicam vocabant, tanquam quæ Neſtorij doctrinam traderet, ſubvertit & abrogavit, apud Theodorum Lectorem lib. 2. *Collectaneorum hiſtoria Eccleſiaſtica*, tom. 1. Bibliothecæ ſanctæ. Tanti momenti Univerſitates ſunt & Academiæ, ut ex iis bonum omne & malum Eccleſiarum pendere exiſtimem, in quas proinde jure merito Pontifices & Concilia curam magnam & ſollicitudinem impendant, ſeu ut privilegiis exornent ad fovendum ſtudiorum ardorem, ſeu ut abuſus quoſcumque qui lapſu temporis ſenſim irrepunt, reformare conentur; repurgare vero potiſſimum Doctrinam omnem quæ adverſus Catholicam Religionem & avitam fidem quotidie pullulat, ſi non eradicetur penitus, eo magis debent Epiſcopi, quo plus ſatagunt hæreſeon patroni in univerſitates ſtudiorum vitus ſuum immittere, ut ex eis fotas deriventur. Quod experti ſumus noſtris diebus, cum tot artibus præoccupabantur mentes juvenum Theologorum in Academia Pariſienſi, ut fere ſopitum Calvini ſpiritum ſub alio nomine denuo excitarent, niſi plures zelo bono incenſi conatus iſtos comprimere non ſemel curaviſſent.

De poteſtate ſummi Pontificis.

Bellarminus lib. 2. *De Conciliorum auctoritate* cap. 17. ait hoc Concilium Lateranenſe ultimum ſub Leone X. ſeſſ. 11. diſerte & ex profeſſo docuiſſe Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia, & reprobaſſe contrarium decretum editum in Concilio Baſileenſi. *Solum*, inquit, *Romanum Pontificem ſuper omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum transferendorum ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere, nedum ex ſacra Scriptura teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed propria eorumdem confeſſione, manifeſte conſtat.*

Additque. Ad hunc locum nihil poteſt reſponderi niſi vel non fuiſſe Concilium Generale, vel non fuiſſe ab Eccleſia receptum, vel non definiviſſe hoc tanquam de fide. Sed non fuiſſe generale vix dici poteſt: nam etſi fuerunt Epiſcopi pauciſſimi, nam ad centum non pervenerunt: tamen Concilium omnibus patebat, & omnes vocati fuerant, & in eo ſummus Pontifex verus & indubitatus præſidebat. Quod autem non fuerit receptum ab omnibus parum refert, nam decreta Conciliorum non egent approbatione populi, cum ab eo non accipiant authoritatem: verum eſt quidem decreta de moribus ſi non recipiantur & Pontifex conniveat, tandem conſuetudine abrogari, quia cum videt ea longo tempore non obſervari & tacet, cenſetur ipſe abrogare. At decreta de fide immutabilia ſunt, nec poſſunt ullo modo abrogari poſteaquam ſemel ſtatuta ſunt. Tale vero eſt hoc de quo agimus. Quod vero Concilium proprie hoc rem iſtam non definierit, ut decretum fide Catholica tenendum, dubium eſt, & ideo non ſunt proprie hæretici, qui contrarium ſentiunt, ſed à temeritate magna excuſari non poſſunt.

Quod Bellarmini dictum eo verius eſt, quod Concilium Lateranenſe iſtud tantum afferat in præfatione decreti quo abrogatur Pragmatica Sanctio, tanquam rationem cur illam abroget etſi à Concilio Baſileenſi facta ſit, quia ſcilicet facta fuerit poſt tranſlationem eiuſdem Concilij ab Eugenio IV. poſt quam non merebantur amplius nomen Concilij, ſed potius conciliabuli aut conventiculi: rationes autem Conciliorum non ſunt de fide, ut communiter dici ſolet.

Dubitari adhuc poteſt num decretum hoc contrarium ſit decreto Concilij Conſtantienſis. Sed jam ſupra ſatis dictum eſt quid ſit cenſendum de ſtatu Concilij Conſtantienſis, cum decretum edidit in præjudicium Summi Pontificis, & cum quali limitatione. Nec obſtat quod Martinus V. dixerit ſe approbare & ratificare conciliariter facta ac decreta in materiis fidei per illud Concilium; per illud enim verbum *Conciliariter* in materiis fidei, & non aliter nec alio modo, intelligit facta & decreta cum prævio diligenti examine & deputatione Commiſſariorum ut mos eſt: in actis autem Concilij Conſtantienſis prima mentio de materiis fidei & deputatione commiſſariorum contra hæreſes fit in ſeſſ. ſexta & octava, unde ab his ſeſſionibus ſumendum eſt initium decretorum fidei, quæ in hac generali approbatione Martinus V. approbavit, & ſic poſt decretum illud poteſtatis Concilij ſupra Papam factum in ſeſſionibus quarta & quinta. Quamvis cum Conſtantienſe loquatur in caſu determinato, hoc vero Lateranenſe generalius, à contradictione facile ſit utrumque eximere.

Conſiliariter actu quid?

Advertet autem prudens Lector, duas eſſe quæſtiones diſcrepantes, una an Concilium ſit ſupra Papam, aut è contra Papa ſupra Concilium; altera an ex hoc Concilio probari poſſit tanquam de fide Papam eſſe ſupra Concilium. A prima quæſtione data opera abſtinemus ad vitandas turbas & contentiones quæ ſæpe ob id excitantur, quibus remedium nullum adhiberet noſtræ circa eam rem ſententiæ aperta manifeſtatio: de ſecunda quæ ultro ſe offert, & quæ communiter tractari ſolet, tantum hic nobis ſermo eſt, ſicut cum controverſias Concilij Conſtantienſis aut Baſileenſis agitaremus: Cæterum qui ſubordinationem debitam ſuæ Academiæ ad decreta Summi Pontificis peſſundant, nec diſtinguunt tempora turbulenta ſchiſmatum à ſtatu tranquillo Eccleſiæ ſub ſuo Pontifice certo & indubio, multa perturbare ſolent, viamque ſternunt ad inobedientiam. Vide de his controverſiis M. Andræam Duvallium decanum Facultatis Pariſienſis in tractatu contra Simonem Vigorium Iuriſconſultum parte 4. quæſt. 7. & 8. ubi ponderatis rationibus utriuſque partis declarat ſententiam ſuam ſe aliter exprimere noluiſſe, quam quod ſententia pugnantium pro concilijs non eſſet hæretica, erronea & in ratione opinionis temeraria, quamvis aliquam, ut ingenuè fatear, inquit, viam ad inobedientiam & rebellionem ſternere poſſit. Quod mihi conſultius viſum fuit, ne turbas & contentiones nuperrime in Academia noſtra excitatas exacerbarem potius quam ſedarem, ſic ille emeritus Theologiæ Profeſſor.

Duæ quæſtiones, diſtinguenda.

Sunt autem qui aliter ſe expediunt ab hac difficultate. Cum enim quæſtio iſta proponatur in caſu illo in quo differentes eſſent definitiones Concilij & Pontificis indubij & certi circa materiam fidei, dicunt quæſtionem iſtam eſſe inutilem nec poſſe unquam habere locum: quia aut ſermo eſt de Concilio ſeparato à Papa, aut cum ipſo adunato. Si primum, non eſt verum Concilium generale, quod non poteſt eſſe ſine legitimo capite, ſicuti nec Eccleſia univerſalis quam repræſentat, ſaltem diu poteſt conſiſtere ſine ſuo capite viſibili: ſi ſecundum, hoc non poteſt eſſe, nec unquam viſum fuit ut inter ſe diſſentirent. Sed de his ſatis ſuperque, cum lectio attentior ſeſſionis 11. præſentis Concilij, ſatis multa ſubminiſtret ad informationem omnium qui nullo præjudicio ducuntur.

disputaverat contra ipsos de Libero arbitrio, meritis bonorum operum & traditionibus, præpareat eum jam animo corruptum fuisse antequam indulgentias impeteret. Propositiones ejus ea de re extant tomo 1. operum ejus Latinorum, ut testatur Spondanus ad annum 1517.

Lutherus Monachus scrupulosus.

Sed & cum adhuc in Catholicis esset Ecclesiæ Monach. scrupulosus erat & conscientiæ inquietissimæ ac trepidantis ne in malo esset statu, cui Monachus senior fuit eruditus (refert Stapleto oratione Academica 9.) ut nimia trepidatione dejectum ad meliorem spem erigeret, dixit non solum credere remissionem peccatorum in genere datam, juxta Symboli tenorem, sed etiam firmissime credere sibi remissa esse peccata & hunc esse illius articuli sensum. Quibus verbis ille non tam sursum erectus quam deorsum præcipitatus est, & ex timido inflatus, ex meticuloso audax cœpit fabricare portenta opinionum de libertate Christiana, de speciali certitudine justitiæ, de imputativa justitia & alia quibus primum sibi, tum etiam aliis libertatem conscientiæ, operum præceptorum ac metus divinorum judiciorum excusso jugo, sua doctrina afferret.

Ipsemet verbis suis super ea re se explicavit in prima præfatione operum suorum. Ego autem, inquit, qui me, utcumque Monachus irreprehensibilis vivebam, sentirem coram Deo esse peccatorem inquietissimæ conscientiæ, nec mea satisfactione placatum confidere possem, non amabam imo odiebam justum & punientem peccatores Deum; taciteque si non blasphemia, certe ingenti murmuratione indignabar Deo dicens. *Quasi vero non satis sit miseros peccatores & æternaliter perditos peccato originali omni genere calamitatis oppressos esse per legem decalogi, nisi Deus per Evangelium dolorem dolori adderet, & etiam per Evangelium nobis justitiam & iram suam intentaret?* Furebam ita sæva & perturbata conscientia. Pulsabam tamen importune eo loco Paulum, ardentissime sitiens scire quid vellet, donec misericorditer Deo connexionem verborum attenderem, nempe, *Justitia Dei revelatur in illo sicut scriptum est; justus ex fide vivit.* Ibi justitiam Dei cœpi intelligere, eam qua justus donante Deo vivit, nempe ex fide, & esse hanc sententiam revelari per Evangelium justitiam Dei, scilicet passivam, scilicet qua nos Deus misericors justificat per fidem, *quia justus ex fide vivit.* Hic me prorsus renatum esse sensi, & apertis portis in Paradisum intrasse. Igitur quanto odio vocabulum justitiæ Dei oderam antea, tanto amore dulcissimum mihi vocabulum extollebam: ita mihi locus iste Pauli fuit vere porta Paradisi. Postea legebam Augustinum de Spiritu & littera, ubi præter spem offendi, quod & ipse justitiam Dei similiter interpretatur, qua nos Deus induit dum nos justificat. Hæc Lutherus dissimilis Patri suo Augustino, qui metu judiciorum divinorum concussus ex quo oriri solet conversio peccatoris, dum tollit coelicem D. Pauli sub arbore prostratus ac legit in eo: *Non in comessationibus & ebrietatibus, &c. Sed induimini Dominum Jesum Christum*, mutatus est in virum alterum, & ex infideli ac hæretico in Orthodoxum & pium Catholicum: contra vero Lutherus legens in eodem carpidice justum ex fide vivere, ex Monacho utcumque irreprehensibili, ut ipse asserit, in Apostatam à fide & Religione mutatus est, ut abjecta obligatione legum, præceptorum, confessionum, pœnitentiarum, satisfactionumque, quibus non plene adimpleris metus incutitur animæ de ira ac offensa Dei in cujus manus incidere horrendum est, securus & tranquillus viveret ex fide sola, nec scrupulis angeretur quicquid ageret, hac sola retenta.

ad Rom. 1.

ad Rom. 13.

lib. 8. Confess. cap. 12.

Adeo res periculi plena est laxare prætor veritatem conscientias, velleque sibi aut aliis omnimodam ac nimiam securitatem procreare, cum hic status postulet ut magis cum metu & tremore salutem nostram operemur. Ideo non est prudentis directoris animam

nisi enim ait Div. Aug. in lib. an-

A prorsus metum excutere velle ab animabus: convenit hujus vitæ statui metus aliquis ac tremor, qui innatus quoque est electis à Deo ac prædestinatis mulieribus. Miserum vero prorsus est opinionibus relevantibus, si a vero deflectant, a se aut ab aliis justum metum cadentem in constantem visum, quem abusive dicunt scrupulos, avellere. Nec forsan uni Luthero id contigit, ut ad malam pacem in conscientia sibi ipsi conciliandam, erroneam sententiam & hæresim amplexus sit. Novi hujusmodi inquietos spiritus, quorum dubitationi nunquam longa experientiæ Doctor satisfecisset, facillime in novas hæreses prolabi. Cum nullibi constent ob inquietam mentem, in omne latus se verrunt, si forsan melius sese habeant. Sed aliquando tenentur adstricti vinculis dæmonum, immittente Deo pœnales excæcitates ad confundendam superbiam.

notationum in Iob. grandinis speī nostræ. ū tremore dānationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas & secura præsumptio.

B

Ut ut sit de aliis, ex hinc exordium sumpsit pestilentissimæ hæresis Lutheri, qui paulatim progressus ex forensica id Leonem mutatus est: nam initio arguebat tantum quosdam abusus quos deprehendebat in publicatione indulgentiarum, graviter ferens quod nominati fuissent ex ordine Dominicanorum ad eas evulgandas, cum ex more Religionis Eremitarum S. Augustini, in quo Ordine Monachus militabat, solerent Religiosi assumi, qui eas populo in Saxonia annuntiarent: hinc sumpta occasione primum leviuscule indulgentiis reluctatus est, scedulamq; disputatoriam edidit, in qua revocatis in dubium indulgentiarum dogmatibus, doctiores tantum invitabat ad certamen. Joannes Techelius Dominicanus Francofurti, alias propositiones Lutheranis contrarias evulgat: atque ex his sic oppositis Thesibus facta est veluti quædam litis contestatio, quoniam Lutherus suas explicatione addita defendebat. Ecclesiæ vero oppugnabat adversario scripto. Scripta utraque parte Romam perferuntur. Actum Prieratis Ordinis Dominicanorum per Dialogum, Entellas seil. Dareti se opponens, Lutheri propositiones convellit, cui Lutherus respondit ponens illa fundamenta 1. illud Pauli 1. Thessal. 5. *Omnia probate* & ad Galat. 2. *Si Angelus de cœlo aliud vobis Evangelizaverit* 2. Illud Augustini ad Hieronym. Ego solis in Libris qui Canonici appellantur hunc honorem deferre didici, ut nullum scriptorem eorum errasse firmissime credam: Cæteris autem quantalibet doctrina sanctitateq; polleant, non ideo verum esse credo, quia illi sic senserunt, &c. 3. Fundamentum illud erat Clement. *De pœnit. & remiss. cap. ab episcopis.* Quæstionibus nihil licere (in ventis prædicandis) proponere populo; quem quod in eorum literis contemnat. Et in fine responsionis scribit ad Lectorem. Opiniones maneant opiniones, non autem onera Christianorum. Non fecimus opiniones pares articulis fidei & Christi Pauliq; decretis. Ex hinc vero libellis ex utraque parte multiplicatis res exacerbantur, acerum ab adversariis urgeretur ex potestate Summi Pontificis, in illam cœpit insurgere, cui primo se submissum esse protestabatur: deinde alia capita impugnavit de pœnitentia, de purgatorio, de bonis operibus.

Initia Lutheri.

C

Inferea anno 1518. Lutherus vocatus à Cardinale Cajetano Legato Summi Pontificis in Germania, venit Augustam, ubi Legatus de mandato Summi Pontificis tria Luthero proposuit facienda, 1. ut ad cor rediret erroresque revocaret. 2. promitteret in futurum abstinere ab iisdem. 3. etiam ab omnibus abstineret quibus Ecclesia perturbari posset. Quæ omnia illi proponebat, ut si sanari posset sine strepitu judicij in viam reduceretur. Rem autem fraude & cavillationibus agens Lutherus, præsentibus quatuor Cæsareæ majestatis Senatoribus adductisque notario & testibus, legit scedulam coram Legato in hunc modum. In primis ego Frater Marthinus Lutherus Augustinianus profiteor me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid con-

D

Lutherus initio submissus & humilis.

tra vel aliter dictum fuit vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo. Verum quia Dominus Cardinalis exigit ut super disputatione de Indulgentiis tria faceremhodie, protestor omnia quæ dixi, mihi sana, vera & Catholica viderentur. Tamen ad superabundantiam offero me personaliter hic vel alibi etiam in publico reddere rationem dictorum meorum. Quod si hoc non placet Legato, paratus sum vel in scripto, suis objectionibus, si quas habet, respondere, & super his audire sententiam & judicium universitatum Imperialium Basileensis, Fribergensis & Lovaniensis.

Cumque sic in erroribus pertinaci minaretur Legatus, ad Pontificem appellavit, clamque se Augusta subduxit, ac deinde appellationem suam in locis publicis affigi curavit. Ac postea cum audiret processum Romæ contra se fore à Summo Pontifice ad futurum Concilium appellavit cum esset Witembergæ, ac varia scripta in vulgus emisit quibus tyrannidem & violentiam Cardinalis accusabat: docebatque inter alia Pontificis vocem audiendam esse quæ consona sit scripturæ, ac in materia fidei non modo generale Concilium esse supra Papam, sed etiam quemlibet fidelem, si melioribus nitatur authoritate & ratione. Quantum jam distabat à seipso qui primo anno quo indulgentias impugnabat ad Leonem X. scripserat cum hac testatione suæ submissionis. Beatissime Pater prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, approba, reproba ut placuerit: vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem metui, mortem non recusabo: Domini enim est terra & plenitudo eius, qui est benedictus in sæcula amen, qui te & servet in æternum amen. Anno Domini 1518. refert continuator Uspergensis in Paralippomenis, eius sectæ & opinionibus addictus licet.

Disputatio Lutheri.

Anno 1519. disputatio per multos dies Lipsiæ habita de pluribus capitibus errorum inter Lutherum & Carolostadium magistrum eius ex una parte, & Eccium Doctorem Catholicum ac Canonicum Ingolstadiensem ex altera parte, præsente Georgio Saxoniæ principe, constitutisque scribis ex utraque parte qui dicta exciperent, ac judicibus (ægerrime licet consentiente Luthero) Parisiensibus Theologis ac Erfordiensibus: in qua disputatione cum initio à consiliariis Georgij Principis ac fratris Friderici Ducis Saxoniæ moneretur Lutherus, qui incalescebat, ut nihil per iram sed modeste ageret, ne auditoribus scandalo esset, impiissime juxta ac impudentissime respondit; *Non propter Deum hanc rem captam esse, neque propter Deum finiturum.* Finita autem disputatione antequam per judices lata esset sententia, cum Dux Georgius cum suis consiliariis, universitas ac Senatus Lipsiensis ac publica fama victoriam Ecio tribueret, variis scriptis conatus est Lutherus contrarium suadere, & si multoties inter disputandum obmutuisset, de multis conquerens & in Eccium acerrime invectus & in alios sibi adversantes, ut quos veritate non posset, eos convitiis, schommatibus, ludibriis, calumniis obrueret, semper omnem hæresis suspicionem longe à se propulsare moliens.

Cumque hoc ipso anno quædam Lutheri aserta per varias universitates damnata essent per Colonienſem ac Lovaniensem, quæ pro Eccij parte judicium ferens censuram edidit in plura eius dogmata: ille in Doctores edito valde mordaci libello sit debacchatus est, ut viros doctrina & pietate conspicuos non aliter habuerit ac si capita sine cerebro truncisque stupidiores essent. Tantumque abest ut mentem mutarit, quinimo scribere ausus fuit in calce cujusdam Epistolæ pro defensione sua adversus Lovaniensem & Colonienſem universitates, cujus exordium est. *Fama pervenit ad me Christiane lector. Vltimum quod habeo exponam. Nempe hanc animam & hunc sanguinem. Melius est enim me millies occidi, quam unam syllabam damnatorum articulorum revocare.*

Anno 1520. ad nobilitatem Germaniæ scripsit contra tres morbos Papistarum, ut vocabat Catholicos: quorum primus est quod dicunt magistratum prophanum in eos nihil habere potestatis; secundus est quod si urgeantur scriptura, dicunt nemini licere hanc exponere quam Papæ: tertius est, si Concilio urgentur, dicunt neminem posse indicere Concilium nisi solum Pontificem Romanum, in quo libro multa alia tractat argumenta contra Ecclesiam Catholicam.

Erasmus.

Erasmus Epistola ad Archiepiscopum Moguntinum pro Luthero scribit, commonefaciens eum, à Theologis ac Monachis damnata tanquam hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernardi & Augustini libris ut orthodoxa & pia leguntur. Addit in eius favorem ut non immerito à Scholasticis vulgo jactaretur aut Lutherum Erasmizare, aut Erasmum Lutherizare, quamvis ipse id tantum egerit ut medius inter partes incedere velle videretur, neutri se totum addicens: unde id consequutus est, ut apud Catholicos & Lutheranos male audiret.

Anno eodem 1520. Eccius Romam profectus ad Leonem Pontificem, quanta immmerent pericula ostendit, si tempestive grassantibus in Germania Lutheri erroribus non occurreretur. Quare Pontifex Bullam contra eum edidit in qua damnat quadraginta & unum ex eius erroribus, eiusque libros per ignem aboleri jussit, dato illius sequacibus, ad errorum abjurationem in manibus doctorum Prælatorum sexaginta dierum spatio: quod nisi fecissent excommunicati essent, uti notorij & pertinaces hæretici ab omnibus vitandi & per magistratus puniendi. Hæ porro indutiæ nihil profuerunt, nam Lutherus ex hac propalata damnatione in furorem versus, intelligens se damnatum, & si bulla taceret examen damnatarum propositionum 41. & an in ejus libris continerentur, & si damnatis in globo erroribus tanquam hæreticis, scandalosis, falsis, offensivis piarum aurium & simplicium mentium seductivis, respective attributa singulis incerta qualitate nec designata quæ unicuique sigillatim conveniret, iis inquam non obstantibus ex quibus posteriores novatores prætendere voluerunt controversiam integram manere, & nihil esse definitum contra se, sentiens se Ecclesiastico fulmine ictum, à Pontifice ut ab Anti-christo provocavit ad Concilium: libros omnes juris canonici cum hac Bulla Leonis incendit, libellumque Apologeticum edidit in hujus facinoris defensionem atrocissimis calumniis refertum. Nec destitit postea scripta aliis hortari Principes ut Pontificem & Cardinales armis impugnarent, se Prophetam venditans ad reducendam Ecclesiam ad Christi normam: addens scriptis virulentissimis, figuras, ac picturas ridiculas, aliaque diabolicarum inventionum genera, ac nihil impudentiæ, scurrilitatis ac irreligionis omittens, ut in quoscumque sibi adversantes pestifer Apostata inveheretur.

Libri Lutheri.

Inter hujusmodi scripta eminet liber de captivitate Babylonica Ecclesiæ. Præludium est, cum ejaculatione hac. *Lata libertas*, item carmine isto annexo.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.

Hujus libri initia sic ait. Utinam à Bibliopolis queam impetrare ut universos libros meos de indulgentijs exurant, & pro omnibus quæ de eis scripsi, hanc propositionem apprehendant. Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ: & paulo post. Papatum cum negassem divini, admisi esse humani juris: sed scio nunc & certus sum, Papatum Regnum esse Babylonis & potentiam Nembrot robusti

robuſti venatoris: proinde oro librarios, oro lectores : A ut iis quæ ſuper hac re edidi exuſtis, hanc propoſitionem teneant. *Papatus eſt robuſta venatio Romani Epiſcopi.* Vid s ex ungue Leonem, nihil Luthero in hoc ſcripto unquam protervius, excuſſo omni ſenſu religionis: ac ſeipſo in dies pejor factus, vix aliquid in piis dogmatibus intactum relinquit. Unde factum ut Antuerpiæ & Gandavi libri ejus publice exurerentur, multique ad ſcribendum contra ipſum excitarentur inter quos primum locum tenet Jodocus Clictoveus Doctor Pariſienſis, de quo dicitur, quod nomine ejus pronuntiato ſuper tumulum Lutheri, cineres ejus contremiſcant : nec inter ultimos numerandus eſt Edoardus Povellus Cæſariſburgenſis Theologus in Anglia, qui poſt Henrici VIII. in Lutherum opus de aſſertione ſeptem Sacramentorum, turpe eſſe judicans, Imperatore in acie pugnante, militem oſcitare in caſtris, propugnaculum ſummi Sacerdotij Evangelici conſcripſit, tanta eloquentia ac doctrina ut vix ſimile poſtea quidpiam è prælo exierit circa eam materiam. Licet autem Theologi Pariſienſes Lutherum arbitrarentur indignum contra quem ſcriberetur: propterea quod non ſolum Wicleffiſtarum & Huſſitarum, ſed etiam vetuſtiſſimos pugnaces errores quos olim Eccleſia fudit enervaratque, denuo jam in arenam revocaret, & idcirco hominem tam impium flammis potius quam argumentis examinandum. Attamen quia jam cum Germani ex calice errorum Lutheri abunde potati & inebriati eſſent, at virus illud ſerpere inciperet ad exteras nationes, unicuique neceſſe fuit regioni ſe adverſus malum iſtud præmunire, ideo Facultas Theologica Pariſienſis ſcripta Lutheri examini ſuo ſubjecit, ac pluribus in iis detectis erroribus cenſuram condidit, quæ & Galliæ populos in fide antiqua conſervavit, & multis etiam exteris, apud quos in pretio eſt authoritas principis hujus Facultatis, præſidio fuit, ne occuparentur eorum mentes ab errorum currentium profluvio. Hanc cenſuram defendit Thomas Illiricus multarum authoritatum ac rationum clipeo, quam ex illo excerptam inſerendam hic cenſuimus : nam & utilis eſt ad detegendos quoſdam Janſenij Ipreuſis Epiſcopi errores, quos ſi in hac cenſura matris ſuæ prædamnatos cui Sacramentum dederunt novelli quidam Theologi, noviſſent, non ita facile in laqueos incidiſſent ex quibus vix hodie ſe poſſunt expedire. Monemus tantum ut loco Univerſitatis Pariſienſis Facultas ipſa Theologiæ intelligatur, cum utriuſque diſcrimen ignotum D non ſit ejus alumnis.

Inſolentia Lutheri.

Jodocus Clictoveus.

PROPOSITIONES MARTINI Lutheri cum Cenſura Facultatis Pariſienſis in eaſdem.

De Sacramentis.

Luther. Neganda ſunt mihi ſeptem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda Baptiſmus, Pœnitentia, Panis. Nam recens eſt Sacramentorum inventio. E

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio innuens non eſſe ſeptem Sacramenta & recenter ab hominibus inventa & non à Chriſto inſtituta, eſt temeraria, impia & manifeſte hæretica.

Luther. Licet modo quæcumque legis opera fieri, ſi ea requirat fraterna charitas : quo caſu licet etiam modo circumcidi ſine periculo, imo cum multo merito.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt Chriſtianæ legis inimica : Judaicæ perfidiæ favens & hæretica.

De Confirmatione & Extrema-unctione.

Luth. Satis eſt pro ritu quodam Eccleſiaſtico, ſeu ceremonia Sacramentali, Confirmationem habere, ſimilem cæteris cæremoniis conſecrandæ aquæ, aliarumque rerum. Confirmatio & Extrema-unctio non ſunt Sacramenta à Chriſto inſtituta.

De Ordine.

Luth. Hoc Sacramentum Eccleſia Chriſti ignorat, inventumque eſt ab Eccleſia Papæ.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt hæretica & eſt error Pauperum de Lugduno, Albigenſium & Wicleffiſtarum.

Luth. At dices. Quid ad Dionyſium dices qui ſex Sacramenta enumerat, inter quæ & ordinem ponit in Eccleſiaſtica Hierarchia? Reſpondeo. Scio hunc ſolum auctorem haberi ex antiquis pro ſeptenario Sacramentorum : licet matrimonio omiſſo, ſenarium tantum dederit. Nihil enim prorſus in reliquis patribus de iſtis Sacramentis legitur : nec Sacramenti nomine cenſuerunt, quoties de his rebus locuti ſunt. Recens enim eſt Sacramentorum inventio. Atque mihi (ut magis temerarius ſim) in totum diſplicet, tantum tribui (quiſquis fuerit) Dionyſio illi, cum fere nihil in eo ſit ſolidæ eruditionis. Nam ea quæ in Cœleſtii Hierarchia de Angelis commiſcitur, in quolibet ſic ſudarunt curioſa & ſuperſtitioſa ingenia. Qua rogo auctoritate aut ratione probari? Nonne omnia ſunt illius meditata, ac prope ſomniis ſimillima, ſi libere legas & judices? In Theologia vero myſtica, quam ſic inflant ignorantiſſimi quidam Theologiſtæ, etiam pernicioſiſſimus eſt, plus platonizans quam Chriſtianizans, ita ut nollem fidelem animum his libris operam dare, vel minimam. Chriſtum ibi adeo non diſces, ut ſi etiam ſcias, amittas. Expertus loquor. Paulum potius audiamus : ut Jeſum Chriſtum & hunc Crucifixum diſcamus. Ita in Eccleſiaſtica Hierarchia quid facit? niſi quod ritus quoſdam Eccleſiaſticos deſcribit ludens allegoriis ſuis, quæ ſunt otioſorum hominum ſtudia. B

D. Dion. Areopag.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, temerarie & arroganter aſſerta, ac viro ſancto inſigni eruditione claro injuria : quem Damaſcenus divinum Areopagitam, Pauli diſcipulum, Sacerrimum & Dei-loquentiſſimum appellat.

De Euchariſtia.

Luth. Credo firmiter panem eſſe corpus Chriſti.

Vn. Pariſ. Hæc credulitas Lutheri eſt abſurda hæretica & olim damnata.

Luth. Miſſa paſſim creditur eſſe ſacrificium quod offertur Deo. Inde Chriſtus hoſtia altaris dicitur, ſed Evangelium non finit Miſſam eſſe ſacrificium.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio quoad ſecundam partem ſcil. Sed Evangelium, &c. eſt impia, in ſacro-ſanctum Evangelium blaſphema, ac hæretica, prout vocabulo *Miſſa* cum Gregorio utimur.

Luther. Manifeſtus eſt error Miſſam applicare, ſeu offerre pro peccatis, pro ſatisfactionibus, pro defunctis, aut quibuſcunque neceſſitatibus ſuis aut aliorum.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt in Eccleſiam Catholicam Chriſti ſponſam contumelioſa & hæretica & eſt Erianorum Hæreticorum & Artotyritarum erroribus conformis.

Luther. Non eſt dubium univerſos hodie Sacerdotes & Monachos cum Epiſcopis & omnibus ſuis majoribus eſſe idololatras, in ſtatu periculoſiſſimo agentes, ob Miſſæ ſeu Sacramenti ignorationem, abuſionem & irriſionem.

Rex ipſe infra trimeſtre, à die recuſationis ſupradicto modo intimandæ computandum, alium modo ſupra dicto qualificatum Monaſterio ſeu Prioratui tunc vacanti nominare, & de perſona ad Monaſterium nominata, illa providerit: ad Prioratum vero nominato. Prioratus ipſe per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis novem menſibus effluxis, nulla, ſeu de perſona minus idonea & modo præmiſſo non qualificata, facta nominatione, ac etiam vacantibus apud ſedem prædictam, Monaſteriis provideri: Prioratus vero, perſonis, ut præfertur, qualificatis dumtaxat conferri libere poſſint. Electiones autem & illarum confirmationes, nec non proviſiones per nos & ſucceſſores noſtros, & ſedem prædictam contra præmiſſa pro tempore factas, nullas, irritas ac inanes eſſe decernimus. Per præmiſſa tamen non intendimus in aliquo præjudicare capitulis Eccleſiarum, Conventibus Monaſteriorum & Prioratuum, hujuſmodi privilegia à ſede Apoſtolica proprium eligendi Prælatum obtinentium, quominus ad electionem Epiſcoporum ac Abbatum, & Priorum, juxta privilegia eis conceſſa libere procedere poſſint, juxta formam in eorum privilegiis contentam, & ſi in eorum privilegiis forma aliqua expreſſa non fuerit, tunc Concilii generalis, quapropter, ſervare teneantur, dummodo de privilegiis ſibi conceſſis hujuſmodi, per litteras Apoſtolicas ſeu alias authenticas ſcripturas docuerint, omni alia ſpecie prolationis eis in hoc adempta.

Volumus quoque & ordinamus, ut in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis, de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectativæ, ac ſpeciales vel generales reſervationes ad vacatura beneficia, per nos & ſedem prædictam non fiant: & ſi de facto per importunitatem, aut alias à nobis & ſucceſſoribus noſtris & ſede prædicta emanaverint, illas irritas & inanes eſſe decernimus.

In Cathedralibus tamen, Metropolitanis & Collegiatis Eccleſiis, in quarum ſtatutis caveatur expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium obtinere poſſit, niſi in illis actu Canonicus ad effectum dumtaxat inibi obtinendum, dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium hujuſmodi, & non conſequendum primam præbendam vacaturam, creare poſſe intendimus.

Statuimus, inſuper, quod Ordinarius collator in unaquaque Cathedrali, ac etiam Metropolitana Eccleſia Canonicatum & præbendam Theologalem inexiſtentes, conferre teneantur uni Magiſtro vel licentiato, aut baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in univerſitate ſtudij generalis privilegiata ſtuduerit, ac onus reſidentiæ, lecturæ & prædicationis actu ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas, impedimento ceſſante legitimo, legere debeat, & quoties ipſum in hujuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli per ſubſtractionem diſtributionum totius Hebdomadæ puniri poſſit, & ſi reſidentiam deſeruerit, de illis alteri provideri debeat. Et ut liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit à divinis, habeatur pro præſente, ita ut nihil perdat. Præfatique ordinarij collatores, ſeu Patroni Eccleſiaſtici quicumque fuerint, ultra dictam præbendam Theologalem, quam, ut præfertur, qualificato conferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad eorum collationem, proviſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem quomodolibet ſpectantium, viris litteratis, graduatis, & per univerſitates nominatis hoc modo: videlicet primo menſe poſt præſentium acceptationem, & earundem publicationem præfati Ordinarii collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ad eorum collationem, proviſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, ut præfertur, ſpectantia graduatis hujuſmodi, qui litteras ſuorum graduum cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre teneantur. Beneficia vero quæ in duobus ſequentibus menſibus vacare contigerit, illa juxta juris communis diſpoſitionem perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare poſſint: beneficia autem, quæ in quarto menſe vacare contigerit, viris graduatis per univerſitatem nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre ſeu præſentare teneantur. Beneficia vero quæ in quinto menſe & ſexto vacare contigerit, ſimili modo perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas ad illa præſentare poſſint. Beneficia autem, quæ ſeptimo menſe vacare contigerit, graduatis, qui ſimili modo litteras gradus cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, conferre teneantur. Beneficia vero, quæ octavo & nono menſibus vacare contigerit, pari modo perſonis idoneis conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare teneantur. Beneficia autem quæ menſe decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore ſtudij debite inſinuaverint, per eoſdem ordinarios conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant. Beneficia autem, quæ undecimo & duodecimo menſibus vacare contigerit, per eoſdem ordinarios perſonis idoneis juxta juris communis diſpoſitionem conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant.

Si quis vero cujuſcumque ſtatus, etiamſi Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiſcopalis aut Pontificalis, vel alterius cujuſlibet dignitatis contra prædictum ordinem & qualificationem ſuperius ordinata, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis, quibuſvis aliis beneficiis Eccleſiaſticis hujuſmodi aliter, quam modo præmiſſo diſpoſuerit, diſpoſitiones ipſæ ſint ipſo jure nullæ: collationeſque ac proviſiones & diſpoſitiones illorum ad immediatum ſuperiorem devolvantur, qui eiſdem perſonis modo præmiſſo qualificatis providere teneatur. Et ſi contravenerit, ad alium ſuperiorem devolvatur proviſio & præſentatio hujuſmodi gradatim, donec ad ſedem Apoſtolicam fiat devolutio. Præterea volumus, ut collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati, qui dignitates, perſonatus, adminiſtrationes ac beneficia & officia, in menſibus graduatis & nominatis aſſignatis vacantia, illis graduatis ſimplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præſentare teneantur, qui per tempus competens in univerſitate famoſa ſtuduerint. Tempus autem competens, decennium in magiſtris ſeu licentiatis aut Baccalaureis in Theologia, ſeptennium vero in doctoribus ſeu licentiatis in jure Canonico, Civili aut Medicinis, quinquennium in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus inclusive, aut in ulteriori facultate: ſexennium autem, in Baccalaureis ſimplicibus in Theologia, quinquennium vero, in Baccalaureis juris Canonici aut Civilis, in quibus Baccalaureis juris Canonici aut Civilis, & utroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernimus. Præfatique graduati ac nominati, collatoribus ordinariis ſive patronis Eccleſiaſticis ſemel ante vacationem beneficij de litteris gradus ſeu nominationis, & de præfato tempore ſtudij per litteras patentes univerſitatis, in qua ſtuduerint, manu ſcribæ & ſigillo univerſitatis ſignatas fidem facere teneantur. Cum vero probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum, ut nobiles ipſi gaudere poſſint beneficio minoris temporis ſtudij, tunc nobilitas ipſa per quatuor teſtes deponentes in judicio coram judice ordinario loci, in quo natus eſt ille, de cujus nobilitate ex utroque parente conſtare debet, etiam in partis abſentia probari poſſit: teneanturque præfati graduati tam ſimplices, quam nominati, pa-

Præbenda Theologalis.

Nominatio ſcholaſtica ad beneficia.

Nobiles graduati.

tronis Eccleſiaſticis ſeu collatoribus ordinariis, quibus gradus aut nominationis literas huiuſmodi inſinuare deberent, literas ſuorum graduum & nominationis, certificationis, temporis, ſtudii, & atteſtationis nobilitatis, duplicatas dare, ac ſingulis annis tempore quadrageſimæ, per ſe vel procuratorem ſuum collatoribus, nominatoribus, ſeu patronis Eccleſiaſticis aut eorum vicariis, eorum nomina & cognomina inſinuare, & eo anno quo præfatam inſinuationem facere omiſerint, beneficium in vim gradus aut nominationis huiuſmodi petere non poſſint. Et ſi collatoribus ordinariis aut patronis Eccleſiaſticis in menſibus deputatis graduatis ſimplicibus, aut graduatis nominatis, non eſſet graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerint, ſeu collatio ſeu præſentatio per collatorem ſeu patronum Eccleſiaſticum etiam eiſdem menſibus facta alteri quam graduato vel nominato, non propter hoc irrita cenſeatur: ſi tamen graduatus ſimplex aut beneficium poſt inſinuationem gradus aut nominationis in menſibus eis aſſignatis vacans petierit, & inter ſuam inſinuationem & præfatam requiſitionem non ſupervenerit quadrageſima, in quam nomen & cognomen inſinuare debuerit, ad beneficium ſic vacans, eum capacem, ipſumque illud conſequi poſſe & debere decernimus.

Statuimus quoque & ordinamus, quod collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati inter graduatos, qui literas gradus cum tempore ſtudij & atteſtationes nobilitatis debite inſinuaverint, quoad beneficia in menſibus eis deputatis vacantia, gratificare poſſint illum ex eis, quem voluerint: quo vero ad beneficia in menſibus graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, ſeu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, temporis ſtudij, & atteſtationis nobilitatis, debite inſinuaverit, præſentare ſeu nominare teneantur. Concurrentibus autem nominationibus ejuſdem anni, Doctores licentiatis, Licentiati Baccalaureis, demptis Baccalaureis formatis in Theologia, quos favore ſtudii Theologici, Licentiatis in jure Canonico, civili aut Medicina, præferendos eſſe decernimus: Baccalaureos juris Canonici ac civilis Magiſtris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diverſis facultatibus, doctorem Theologum doctori in jure, doctorem in jure Canonico doctori in jure civili, doctorem in iure civili, doctori in Medicina, præferendos eſſe decernimus. Et idem in Licentiatis ac Baccalaureis ſervari debere volumus. Et ſi in eiſdem facultate & gradu concurrerent, ad datam nominationis, ſeu gradus recurrendum eſſe volumus. Et ſi in omnibus his concurrant, tunc collator ordinarius inter eoſdem concurrentes gratificare poſſit. Volumus autem, quod nominati literas nominationis ab univerſitatibus, in quibus ſtuduerint, obtinentes in nominationum literis beneficia per eos poſſeſſa, & eorum verum valorem exprimere teneantur: alioquin literæ nominationis huiuſmodi eo ipſo nullæ cenſeantur. Si quis vero ex dictis qualificatis, graduatis ſimplicibus aut nominatis, tempore vacationis beneficii in menſibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas in Cathedralibus etiam Metropolitanis aut collegiatis, ſeu dignitatem vel præbendam vel aliud beneficium ſeu alia beneficia, quorum in ſimul vel cujus fructus, redditus & proventus tempore reſidentiæ & horis divinis intereſſendo, ad ſummum ducentorum florenorum de Camera aſcenderent, beneficium, in vim gradus ſeu nominationis huiuſmodi, tunc petere & conſequi non poſſit. Et inſuper, quod tam graduati ſimplices, quam nominati, in menſibus eis deputatis beneficia vacantia petere & conſequi poſſint ſecundum propriæ perſonæ condecentiam & conformitatem, videlicet ſæculares ſæcularia, & religioſi religioſa beneficia Eccleſiaſtica; ita quod ſæcularis nominatus beneficia regularia in menſibus aſſignatis vacantia, prætextu cujuſvis diſpenſationis Apoſtolicæ, & è contra religioſus beneficia ſæcularia petere aut conſequi minime poſſint. Quodque beneficia ſimpliciter vel ex cauſa permutationis, in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis aſſignatis vacantia eis non ſint affecta nec debita, ſed ex cauſa permutationis cum permutantibus dumtaxat: ſimpliciter vero beneficia vacantia hujuſmodi perſonis idoneis per ipſos ordinarios libere conferri poſſint.

Quis præferendus inter nominatos.

Parochiæ urbium murandæ.

Statuimus quoque, quod Parochiales Eccleſiæ in civitatibus aut villis muratis exiſtentes, nonniſi perſonis modo præmiſſo qualificatis, aut ſaltem qui per tres annos in Theologia vel altero jurium ſtuduerint, ſeu Magiſtris in artibus, qui in aliqua univerſitate privilegiata ſtudentes magiſterii gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni univerſitates, ſub pœna privationis omnium & ſingulorum privilegiorum à nobis & ſede Apoſtolica obtentorum, ne collatoribus ſeu patronis Eccleſiaſticis habeant aliquos nominare, niſi eos qui ſecundum præfata tempora ſtuduerint, & ſecundum dictatum univerſitatum ſtatuta ad gradus & non per ſaltum provecti fuerint. Quod ſi ſecus fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum literis declaramus, univerſitates ipſas nominandi privilegio ad tempus, ſecundum culpæ qualitatem ſuſpendimus.

Si quis autem graduatorum aut nominatorum in menſibus deputatis, a collatoribus ordinariis ſeu patronis Eccleſiaſticis, beneficium vacans in vim gradus aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in proceſſu poſuerit & aliter moleſtaverit, illum ultra expenſarum, damnorum & intereſſe condemnationem, à fructibus ſui gradus & nominationis privandum eſſe decernimus: eodemque vinculo collatores ordinarios & patronos Eccleſiaſticos, quibus graduati & nominati debite (ut ſupra) qualificati, niſi ſuos gradus & nominationis literas inſinuaverint, aſtringimus, ut beneficia ad eorum collationem vel præſentationem ſpectantia, in menſibus graduatorum ſimplicium & nominatorum vacantia, ſtantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis, illa proſequentibus, aliis, quam graduatis aut nominatis conferant, ſub pœna ſuſpenſionis poteſtatis conferendi beneficia in octo menſibus, illo anno ad collationem eorum aut præſentationem liberam ſpectantibus. Statuimus quoque & ordinamus, quod quilibet Pontifex Romanus ſemel dumtaxat tempore ſui Pontificatus, literas in forma mandati juxta formam inferius annotatam, & non ultra dare poſſit hoc modo: videlicet unum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in uno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum & ultra, in duobus dumtaxat beneficiis gravare poſſit, ita tamen, quod in eadem Eccleſia Cathedrali vel Collegiata, collatorem unum pro tempore in duabus præbendis non gravet. Et ut obvietur litibus, quæ occaſione literarum mandatorum hujuſmodi oriri poſſent, mandata hujuſmodi ſub forma, quæ inferius eſt annotata, dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apoſtolica publicari, & in illius quinterno regiſtrari mandamus, declarantes, proſequentes hujuſmodi mandata, quoad beneficia ſub illis comprehenſa, ordinariis collatoribus & graduatis ſimplicibus & nominatis præferendos eſſe, noſque & ſucceſſores noſtros jure prævenientis, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, ſæcularia & quorumdam Ordinum regularia, quæcumque & quomodocumque qualificata, tam in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis aſſignatis, vacantia ac etiam ſub dictis mandatis comprehenſa libere conferre.

Statuimus inſuper, quod in proviſionibus quas

perſonis quibuſvis de beneficiis vacantibus seu ver- A so modo vacaturis, per nos & ſucceſſores noſtros ac ſedem prædictam etiam motu proprio, etiam promotis ad Eccleſias Cathedrales & Metropolitanas ac Monaſteria, ut obtenta per eos beneficia retinere poſſint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de camera, aut libras Turon. ſeu alterius monetæ, valor ſecundum communem æſtimationem exprimi debeat: alioquin graves ipſæ ſint ipſo jure nullæ.

Qui judices in cauſis nominatorum.

Statuimus quoque & ordinamus, quod in Regno Delphinatus & Comitatu prædictis, omnes & ſingulæ cauſæ, exceptis majoribus in jure expreſſe denominatis, apud illos judices in partibus, qui de jure aut conſuetudine præſcripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. Et ne ſub umbra appellationum, quæ nimium & B nonnunquam frivole interponi conſueverunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpe multiplicari, injuſtis vexationibus materia præbeatur: volumus, quod ſi quis offensus coram ſuo judice juſtitiæ complementum habere non poſſit, ad immediatum ſucceſſorem etiam a nos & ſucceſſores noſtros vel ſedem prædictam, omiſſo medio, nec à gravamine in quacumque inſtantia ante definitivam ſententiam quomodolibet appelletur: niſi forſitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret, & eo caſu nonniſi ad immediatum ſuperiorem liceat appellari. Si quis vero immediate ſubjectus ſedi Apoſtolicæ, ad eandem ſedem duxerit appellandum, cauſa committatur in partibus per reſcriptum uſque ad finem litis, videlicet uſque ad tertiam ſententiam conformem inclusive ſi ab illis appellari contigerit, niſi propter C defectum denegatæ juſtitiæ vel juſtum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis & cum cauſarum expreſſione, quæ etiam de illis, etiam legitime alias quam per juramentum coram judicibus à ſede Apoſtolica deputandis, conſtare debeant. Proceſſus autem contra præmiſſa attentatos, nullos & irritos eſſe volumus, ac reſcripta contra præmiſſa impetrantes, in expenſis, damnis & intereſſe condemnari debere decernimus atque declaramus. Sanctæ vero Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui pro univerſali Eccleſia continue laborant, necnon dictæ ſedis Officiales officia ſua actu exercentes, ſub præſenti decreto non intendimus comprehendi.

Concubinarii. D

Statuimus etiam & ordinamus, quod judices cauſas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, ſub pœna excommunicationis & privationis beneficiorum per eos obtentorum eo ipſo incurrenda, infra biennium terminare debeant. Pars vero diffugiens & expeditionem ipſius cauſæ malitioſe impediens, graviſſime per eoſdem judices mulctetur, etiam uſque ad privationem juris in hujuſmodi proceſſu prætenſi, ſi eis viſum fuerit, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Ab interlocutoriis autem ſecundo, à definitivis vero tertio dumtaxat provocare licere decernimus, volumuſque ſecundam ſententiam interlocutoriam conformem, & tertiam definitivam etiam conformem, omni mora ceſſante, executioni debitæ demandari debere, quacumque interpoſita appellatione non obſtante. E

Triennalis poſſeſſio.

Statuimus quoque, quod quicumque, dummodo non ſit violentus, ſed habens coloratum titulum, pacifice & ſine lite Prælaturam, dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium, ſeu quodcumque beneficium Eccleſiaſticum triennio proximo hactenus poſſidet, vel pro tempore poſſidebit, in petitorio vel poſſeſſorio, à quoquam etiam ratione juris noviter reperti moleſtari nequeat, præterquam prætextu hoſtilitatis aut alterius legitimi impedimenti, de quo proteſtari, & illud juxta Concilium Viennenſe intimari debeat. Lis autem hoc caſu quoad futuras controverſias intelligatur, ſi ad executionem citationis juriſque ſui in judicio exhibitionem, aut terminorum omnium obſervationem proceſſum fuerit. Monemus etiam Ordinarios, ut diligenter inquirant ne quis ſine titulo beneficium, & ſi quem beneficium ſine titulo poſſidere repererint, declarent illi jus non competere, cujuſvis temporis detentione nonobſtante, de ipſoque beneficio poſſit illi, dummodo non ſit intruſus vel violentus aut alias indignus, vel alteri idoneo provideri.

Concubinarii.

Statuit deinde contra concubinarios & addit: Præterea omnibus ſæcularibus viris etiam ſi regali præfulgeant dignitate, ne verum qualecumque inferant impedimentum quocumque quæſito colore prælatis, qui ratione officii adverſus ſubditos ſuos pro huiuſmodi concubinatu & aliis caſibus ſibi à jure permiſſis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſario evitandum, monemus omnes laïcos tam uxoratos quam ſolutos, ut ſimiliter à concubinatu abſtineant, &c. qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, juxta Apoſtoli conſilium uxorem ducat.

Statuimus inſuper quod ad vitandum ſcandala & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, quod nemo deinceps à communicatione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione aut aliis quibuſcumque Divinis vel extra pretextu cuiuſcumque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis ab homine vel à jure generali promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Eccleſiaſticum obſervare: niſi ſententia prohibitio, ſuſpenſio vel cenſura huiuſmodi, fuerit vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem Eccleſiaſticam, aut locum certum aut certam à Judice publicata & denuntiata ſpecialiter & expreſſe, aut niſi notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari, eum à communione illius abſtinere volumus juxta Canonicas ſanctiones, &c.

Concordata per ſeſſum Concilio placuerunt omnibus, tribus exceptis qui dixerunt ſibi placere dummodo Galli acceptent bullam revocationis Pragmaticæ ſanctionis. Alius excepit quod conſenſus Regis requireretur circa reſignationes factas in curia, hocque dixit ſibi non placere. Rev. Patri Domino Terdonenſi placuit conſuetudo parlamentorum quod habeant juriſdictionem in perſonas Eccleſiaſticas. Et in quantum ſupra bulla tribuit Juriſdictionem ſæcularibus in perſonas Eccleſiaſticas, non placet ei.

Deinde Reverendus Pater, D. Joannes Baptiſta Epiſcopus Cavallicenſ. aſcendit ambonem & legit ſcedulam abrogationis Pragmaticæ ſanctionis ſeu corruptelæ, cujus tenor ſequitur & eſt talis.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam ſacro approbante Concilio. Paſtor æternus gregem ſuum, &c.

Nec illud nos movere debet quod ſanctio ipſa & in ea contenta in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante à Bituricenſi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia poſt tranſlationem eiuſdem Baſileenſis Concilii per fœlicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum factam à Baſileenſi conciliabulo ſeu potius conventiculo, quæ præſertim poſt hujuſmodi tranſlationem Concilium amplius non meretur appellari, facta extiterint ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam ſolum Roman. Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, tranſferendorum ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere, ipſum ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis, dictis ſanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet: quorum aliqua referre pla-

Poteſtas Roman. Pontificis circa Concilia.

cuit, reliqua vero ut pote notiora silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Fœlici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse non debere absque Romani Pontificis autho itate Concilia celebrari. Neque vos latet etiam eundem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum Chalcedonensem transtuliſſe. Ephesinam quoque primam Synoduum Cœlestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Adriano, octavam Nicolao, octavam etiam Constant. Adriano prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus & mandatis in sacris Conciliis per eos editis & factis reverenter & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur: quandoquidem constet Romanum Pontificem, cujus ante omnia debet spectari decretum, talibus non præbuisse consensum. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione a Romano Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Ephesina ac Chalcedonensi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna & Romana sub Symmacho, & Aimari libro de Synodis manifeste colligitur, quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat, &c. *& post aliqua.* Præfatam pragmaticam sanctionem seu corruptelam ex certa nostra scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine eodem sacro Concilio approbante, &c: Nullius roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus, &c.

Pragmatica Sanctio abolitur.

Postremo, Reverendus Pater, D. Ioannes Episcopus Sabinensis ascendit ambonem & legit scedulam disponentem circa Religiosos & eorum privilegia, cujus tenor talis est.

Religiosorum privilegia.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Dum intra mentis arcana revoluimus, &c. Concessiones hujusmodi eisdem Religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, ut ipsi fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foveantur, quam aliquo modo molestentur & inquietentur: una est enim regularium & sæcularium, Prælatorum & subditorum, exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides: & propter ea decet qui ejusdem sunt corporis unius etiam esse voluntatis, &c. Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si unicuique quantum fieri potest, sua Iurisdictio conservetur.

Deinde statuit ut ab Episcopis visitentur Ecclesiæ Parrochiales ad fratres ratione locorum suorum spectantes.

Ut veniant ad processiones solemnes si invitati fuerint, dummodo eorum loca sub-Vrbana ultrà unum milliare à civitatibus respective non sint remota.

Tum subjungit. Nec non superiores eorumdem fratrum, fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Prælatorum elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac præsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint: alioqui eorum Vicariis, dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis, confitentes constitutioni quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat satisfeciſſe censeantur; ipsique fratres etiam Forensium confessores audire valeant. Laicos tamen & Clericos sæculares à sententiis ab homine latis, nullatenus absolvere possint.

Confessio Paschalis.

Eucharistiæ vero, Extremæ Vnctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum etiam decedentium & infirmorum confessiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa sibi denegasse, dare nequeant: nisi denegatio sive legitima causa facti, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem verò fratrum obsequio insistentibus, Sacramenta hujusmodi nullo modo dare valeant, nisi illorum durante obsequio. Pacta autem & conventiones inter eosdem fratres & Prælatos atque Curatores pro tempore inita, valeant, nisi per subsequutum capitulum proximum generale vel Provinciale refutata, ac per eos refutatio hujusmodi debito tempore intimata fuerit, &c.

Quodque fratres ipsi ad Ordines promovendi, per ordinarios de Grammatica & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam à Diœcesano Episcopo, vel ejus Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo in Diœcesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant. Nec ab alio Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel altaris aut cœmeterij benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia & instantia requisitis, sine legitima causa id recusaverit, &c. Censuras autem per eosdem ordinarios latas & promulgatas ac in matrice Ecclesia civitatum, nec non in Collegiatis & Parrochialibus Ecclesiis Castrorum & oppidorum respective solemniter publicatas, quando super hoc ab ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare ac servare, &c.

Ex Episcopis quinque approbarunt sine approbatione privilegiorum.

Sessio duodecima 16. Martii 1517. Presidente Leone Papa X.

In hac sessione prolata est decretalis cum censura excommunicationis majoris contra invadentes domos Cardinalium in nova electione Romani Pontificis.

Hac sessione absolutum est Concilium & confirmatum, & probata universa & singula quæ definita sunt in Concilio per Leonem decimum, cum prohibitione ne quisquam ad decreta, Canones & constitutiones hujus sacro-sancti Concilij ullas glossas vel interpretationes, citra consensum sedis Apostolicæ adjiciat: extat quoque bulla ejusdem Leonis X. ad universos & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores & Scholares universitatum directa, qua ipsum Concilium diligenter ac fideliter impressum recipi mandat, ut eo de cætero utantur in judiciis & scholis. Quodque in iis contenta inviolabiliter serventur, & per vos servari mandentur, si, ait, gratiam nostram charam habetis, & nostram indignationem cupitis evitare. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 25. Maij 1521. Pontificis nostri anno nono.

CONTROVERSIÆ HUJUS CONCILII.

CConcilium hoc generale & Oecumenicum fuisse, præsidentia Summi Pontificis ac præsentia Orientalium Patriarcharum, nec non convocatio omnium Episcoporum testatur, licet plures non adfuerint ac

maxime Epiſcopi Galliæ ob Piſanum Concilium quod fovebat Rex Galliæ. Verumtamen quia in turbulento tempore peractum eſt, hinc ejus authoritas minor fuit, nec decreta ejus ubique publicata ac recepta fuerunt, quamvis res graviſſimæ & magni momenti per ea determinatæ fuerint. Certe eius excommunicationes non admittit Cajetanus in ſummula *Verbo* excommunicatio capite 81. Ubi enim multa excommunicationum genera propoſuit, ſubdit. Præter has autem excommunicationes inveniuntur multæ aliæ in aria diſtinctæ genera. Earum enim aliquæ quamvis ſint notæ, non tamen ſunt conſenſu utentium approbatæ. Aliæ ſunt communiter ignotæ, quales ſunt multæ quæ dicuntur Joan. XXII. vidit forte aliquis unam copiam & ſcripſit, quod ea facilitate rejiciuntur qua proponuntur. Has ego, inquit, non remuli quia nolo eſſe Doctor ſimulorum. Istæ duo genera non ligant, quia leges abrogatæ ſunt. Aliæ ſunt notæ quidem, ſed quia novæ & recitio non ſunt receptæ, ideo ambiguus ſum, ut ſunt illæ quæ in Concilio Lateranenſi ultimo ſub Julio II. & Leone X. continentur, quamvis colligat præſumere excommunicatum ubique. Hæc Cajetanus. Bonacina t. 2. Divi Thomæ quæſt. 1. art. 10. aſſerit idem Concilium per omnem Galliam receptum non fuiſſe, & ab eo futurum Concilium provocatum fuiſſe à Gallis, iis ſcilicet qui Piſano Concilio adhærebant. Nam Concilio etiam interfuit oratot Regis Galliæ & ſeſſ. 10. excuſavit abſentium Epiſcoporum Gallorum, quod tardius viarum bello impedirentur: Favet Suarez tomo 5. in 3. partem D. Thomæ diſp. 22. ſect. 7. ubi annotat poſt Cajetanum & Navarrum cenſuras hujus Concilij non eſſe ubi receptas.

DE MONTIBVS PIETATIS.

SAtis mirum videri debet quod ex tot Epiſcopis, qui Concilio aderant, unicus Archiepiſcopus Traventis montibus ipſis ſe oppoſuerit, cum tot ſint hodie qui quodlibet lucrum ex occaſione mutui acceptum uſurarium prædicent, ac in hoc maxime ſe pios ac Religioſos arbitrentur. Sed in iſta quæſtione non idem ſenſus omnium.

Eſt autem Mons Pietatis, ſumma quædam pecuniæ vel alterius rei mutabilis deputatæ ad ſubveniendum neceſſitatibus pauperum per mutuum ſub pignore, cum certis conditionibus. Prima, ut pecunia data indigentibus ſit in determinata quantitate & ad certum tempus. Secunda, ut ſi non reddatur ſuo tempore pignora vendantur. Tertia ut mutuatarius aliquid detur ſingulos menſes vel annos pro montis expenſis.

Montem iſtum uſurarium reputat Caiet. tom. 2. opuſc. tract. 6 Sotus de Juſtitia & jure queſt. 1. art. 6. Ratio prima eſt quia dives qui reliquit talem ſummam pauperibus mutuandam cum onere aliquid dandi ultra ſortem pro excutiendis & ſervandis pignoribus ac pro referendo in Libros rationum dati & accepti, &c. Si ipſe dives talem mutuaſſet pecuniam & aliquid ultra ſortem accepiſſet, fœnerator haberetur: ergo & communitas. Secunda ratio eſt quia excuſſio & ſervatio pignorum aliaque hujuſmodi onera fiunt in gratiam mutuantis ac pro ejus ſecuritate: ergo injuſte à mutuatariis eorum præmium accipitur.

Sed authoritas hujus Concilij ac plurimorum Pontificum Pauli II. Xiſti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. prævalere debet paucorum ratiocinationi, nulluſque verba omnia hujus Concilij expenderit qui contrariam ſententiam non amplexetur, cum tantopere montes iſtos commendet, indulgentiarum conceſſione muniat, ac iis oblatrantes ſic retondat. Nec obſtat quod addit Concilium melius fore ſi omnino tales montes gratuito conſtituerentur: non enim ſequitur ex hinc eſſe malos, cum bono vino dari poſſit melius.

Nec audiendus Sotus cum ait pleraque hujus Concilij decreta non fuiſſe recepta. Nam ut ait Rebellus 2. part. de obligat. Juſtit. lib. 8. quæſt. 13. decreta quæ ex mero jure politivo vim habent, ſi non recipiantur vim habere deſinunt: determinationes tamen quæ ad fidem ac mores pertinent, ſi à Concilio generali vel ſummo Pontifice emanent, non pendent ex acceptione, cum in his errare non poſſint, inquit, ut alibi oſtendi ſolet. Accipit quod conditiones montis pietatis ſummo Pontifici propoſitæ ſint & diligenter examinatæ, ac rationes in contrarium, ut quod dicit Evangelium: *Mutuum date nihil inde ſperantes*, Luc. 6. & quod exinde anſa dari poſſit ad alios contractus ob ſimilem rationem, & quod abuti poſſint quidam iſta determinatione Concilii, ut ſolent plures non bene applicare in particulari eſſu quæ generalius dicuntur, nihilominus determinatum eſt pro labore miniſtrorum aliquid ultra ſortem accipere licitum eſſe.

Rationes vero oppoſitæ nihil concludunt. Nam dives ille potuiſſet pro ſuſtentatione famulorum quos vere in eo munere detinuiſſet, aliquid ultra ſortem accipere, quamvis à peccato ſcandali non excuſaretur, cum homines qui omnia fere in pejorem partem ſolent interpretari, eum pro ipſo mutuo lucrum accipere criminarentur, cum & legibus politicis quibus unicuique obtemperandum, id prohiberi ſoleat. Ad aliud dicendum etiam pauperum intereſſe ut pignora ſerventur, & ratio dati & accepti in libros referatur, ut hujuſmodi munus gratis ſubire mutuator non teneatur.

De Conſtitutione Concordati Gallici.

NOn modicas turbas excitavit in Gallia Concordatum hoc, multis aperte illud improbantibus, unde tunc vulgo jactabatur iſte verſus contra authoreſſam: *Grata Leo mulier furturis antra petant.* Circumvolabantur enim capitula & monaſteria de ablato jure electionum, & magis placebat ſcholaſticis Pragmatica Sanctio quæ ex tribus beneficiis vacantibus unum jure ſuo conſequebantur. Denique cum parlamenta nollent illud admittere, ad obtinendum eorum conſenſum, jus indultorum, quod vocant, ſingulis conſiliariis conceſſum, quo etiam ipſi placentæ portionem haberent: ac ſic quodammodo Chriſti tunica in varias partes diviſa eſt. Has controverſias luculenter ſatis exhibet Sauſſaius nunc Tullenſis Epiſcopus in Panoplia Epiſcopali l. 2. ex quo & Duareno plura hic damus. *Querela de concordato.*

Promulgata in ſeſſione 11. Concilij Lateranenſis, ſubindeque in Senatu Pariſienſi, ſed non ſine graviſſima omnium Galliæ ordinum conclamatione, & ipſius Curiæ renixu, quam refractum ire oportuit ſuprema authoritate Regia. Fuerunt ſane ex Doctoribus qui acerbiſſime hanc pactionem proferrent, qua dicebant à Pontifice jus electionis tanta antiquitate, tanta authoritate ſtabilitum, Eccleſiis cum Canonica libertate adimi, atque in Regem transferri, ſibi vero ſanctæque ſedi Papam ingens ingeneraſſe diſpendium, cum tam infauſta permutatione, temporali quodam jure reſervato, ſpirituale abdicaverit. Ingum etiam grave Eccleſiis plerique querebantur ſic fuiſſe impoſitum, quod inſuper Pontifex cum Rege convenerit, ut annatæ non ex veteri cenſu, qui longe minor erat, ſed ex vero & novo ſolvendæ impoſterum eſſent. Vox inſuper communis erat, Papam Regemque ſibi ſuiſque viciſſim dum majora commoda quærerent, graviora Eccleſiæ & regno incommoda accerſiſſe. Exiſtimavit certe Genebrardus Chronol. l 4. ſub Leone X. hunc Gallicanæ Eccleſiæ perniciem ortam eſſe, hocque fuiſſe ſeminarium omnis generis hæreſeon, Simoniarum, fiduciarum, exterminationis ſcientiæ, virtutis, pietatis, regni denique peſtem. Thuanus porro lib. 2. cenſuit, id Regis

Franciſci

Franciſci rebus & ejus geneſi exitium attuliſſe. Plerique alij abuſos non modo dictitabant utrumque, nempe Regem & Papam, poteſtate ſua, imo de re non ſua utrumque ſibi diſpoſitionem injuria vendicaſſe, cum neque ad Papam pertineret ſe immiſcere Prælatorum particularium Eccleſiarum deſignationi ac inſtitutioni. Sat eſt ſi exempla majorum ſecutus, univerſalis Eccleſiæ gubernationi tam circa fidem quam generalem morum diſciplinam, providentiæ ſuæ curam impenderet. Relicta vero (ut jus ferebat antiquum) particularibus Eccleſiis, libera ſuorum Præſulum electione, & Metropolitanis Suffraganeorum ordinatione, ipſis Metropolitis pallium impertiret, cujus nexu ſibi tanquam ſummo capiti, omnes teneret aſtrictos. Juris vero Regis non eſſet, paſtores animarum deligere, ac deſignare Epiſcopos, quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, Act. 20. Magiſtratus à Rege inſtituendos divina oracula decernere, 1. Petr. 2. Sacerdotes aut Pontifices creari à Deo, per miniſterium Eccleſiæ, Act. 13. Ut ſint divinorum miſteriorum, non Regiorum munerum diſpenſatores.

Verum pace dixerim eorum ſalva, qui tam acerbe contra Concordata Leonis X. & Franciſci I. invehuntur: æquius certe de iis poterant, ſi accuratius cuncta libraſſent conſideranda, hac in re arbitrari. Diſſimulare equidem non poſſum ſucciſam fuiſſe ſpem mediocris fortunæ literatis, per ſublationem electionum, provectionis ſuæ ad Eccleſiaſticas præfecturas, Capitulis etiam non minimum decus ademptum: quum jus illud Epiſcopos aut Abbates deligendi, electores, cunctis dignitatum candidatis admodum ſpectabiles redderet. Verum hæc tanti momenti non ſunt, ut ideo omnia in deterius verſa, per Concordatorum illorum tranſactionem oporteat conclamari. Imo utilitatem non modicam per hæc Eccleſiæ & regno acceſſiſſe, mihi non abs re perſuadeo. Primo quidem quod tametſi electiones, cum canonice agebantur multum Eccleſiæ ſolatij, decoris ac utilitatis afferrent: tamen quia ut plurimum fiebant, non ex canonum præſcripto, ſed ex motu & ambitu privato Clericorum ad ſacras dignitates anhelantium: quibus populi in varias plerumque diſtracti partes impetus, potius quam legitimus aſſenſus interveniebat, hincque tumultus paſſim oriebantur, ſchiſmata naſcebantur, potentior quam bene meritus prævalebat. Proinde per Concordatorum viam his incommodis ac ſcandalis, à Papa & Rege occurſum eſt, quorum maxime intererat, Reipublicæ labantis melioti ſtatui proſpicere.

Sane ſi unquam in Gallia electiones liberæ fuerunt, & fieri quo decet modo potuerunt, ante annos quadringentos id fuit, cum hæreſes & ſchiſmata nondum ſuborta eſſent. Attamen quantis cum diſſidiis ac conflictationibus actitarentur, facile quiſque poterit perſpectum ire ex Concilio Bituricenſi, quod Philippo Audace regnante S. Ludovici filio, celebravit anno 1276. Simon Cardinalis S. Cæciliæ, in Galliæ regno, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus, evocatis generalem in conventum Epiſcopis queſque, atque cæteris Prælatis ac primoribus Cleri legationis ſuæ: in quo contra factiones, ſeditiones, & ſcandala quæ paſſim in electiones irrepſerant, Conſtitutio edita eſt Synodalis, quæ jam jam admiſſos in electionibus abuſus ex Clericorum ambitu, populi malitia ac potentum violentia, temporumque corruptione graphice depingit. Adverſus quos erumpentes in Dei ſacrarium nefarios auſus, quis non videat non potuiſſe opponi antidota fortiora ab Eccleſiæ præſulibus, cum etiam ob tumultus & contentiones cogerentur Reges Pontifexque ad ſe pertrahere lites de ſacrorum Magiſtratuum deſignationibus non niſi cum labore, tempore expenſiſque finiendas.

Quod aiunt hinc Gallicanæ Eccleſiæ perniciem ortam, cum pactum illud extiterit omnis generis hæreſeon ſeminarium; ſi ad tempus reſpiciunt, forſan id augurantur ex eo quod eo ferme tempore quo jus electionis ablatum eſt, Lutherus cœpit eſſe Apoſtata à fide. Quæ levis eſt conjectura, vel latenter, ut reor, inſinuare volunt eos, qui poſtea ſectæ facti ſunt perditionis Magiſtri, inde virus concepiſſe ac ſpartiſſe ſuum, quod ſe deſpectos viderent, omnique fruſtratos ſpe promotionis per gradus doctrinæ, ad ſacrarum dignitatum faſtigia. Sed hæc ratio nullius eſt profecto momenti. *Neceſſe eſt hæreſes eſſe* (ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*: ac etiam qui reprobi; *Certe corrupti mente erant, qui naufragaverunt circa fidem*, in qua ſi fuiſſent *radicati & ſtabiles*, nunquam ab ea exciſiſſent, quocumque motu animi aut rationis prætexto. De ejuſmodi igitur apoſite dici poteſt, quod de horum ſimilibus dilectus Domini ait: *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, ſed ut manifeſti fierent, quoniam ex nobis non erant.* Arium Hæreſiarchæ ideo factum, litteris SS. Epiph. & Aug. prodidere, quod Epiſcopatum ambiens repulſam paſſus fuiſſet. Qui certe, ſi quod cupiebat, culmen honoris fuiſſet aſſecutus, plus Eccleſiæ in ſummo gradu, quam in minore nocuiſſet.

1. *Tim* 1.

Coloſſ. 1.

1. *Joan.* 2.

Nec meliori ratione dici poteſt, Simoniarum & Fiduciarum profluvia, ex Concordatis initis inter Leonem X. & Franciſcum I. orta eſſe, ſi quidem diu ante erumperant. Unde cohibendo tam exitiali malo, plenus exiit in ſacro jure de Simonia titulus, ex antiquorum Patrum, veterum Conciliorum & ſummorum Pontificum ſententiis, Canonibus, decretis confectus, quibus Eccleſia tam horrendæ peſtilitatis contagium hactenus continuo conata eſt ſtudio amoliri. Regum quoque variæ exiterunt conſtitutiones, quibus hoc infecti crimine à Magiſtratibus cum ſeveritate mulctari decernitur. Capitularium Caroli magni capitulo 19. & 97. ut & Canones Conciliorum indices ſunt morum improborum ejus ſæculi in quo celebrantur, ſicut pharmaca à medicis decreta morbos produnt quibus curandis apponuntur: plura ex antiquis Conciliis Aurelianenſe II. & V. Cabilonenſe ſub Clodoveo II. & alia teſtantur ſatis malum iſtud non à tam recenti principio profluxiſſe.

l. 5. tit. 2.

Porro quod natam ex Concordatis objiciunt *exterminationem ſcientiæ*, tam ludicrum eſt, ut refellere pigeat. Siquidem luce clarius eſt, à multis retro ſæculis tantis doctrinæ inſignibus Clerum in Gallia non enituiſſe, quantis ab initorum Concordatorum tempore emicuit, ac etiamnum præfulget. Abſit dicto invidia, longe fortunatius (ut plurimum) cum Gallia per nominationes, quam diu ante per electiones actum. Siquidem quibus quantiſque Epiſcopis abhinc, quo Regia nominatione deſignari cœperunt, Gallia abundarit, ſingularum Eccleſiarum Cathedralium Pontificales catalogi propatulo exponunt. Horum nomina terrori ſunt hæreticis. Doctorum porro ſecundi in Sacerdotio Ordinis quis enumerare poſſet innumerabiles copias invictiſſimaſque acies, qui omni armatura fortium inſtructi adverſus hæreſes pugnaverunt?

Nec juſta querela eſt, quod Capitulis eligendi libertas hiis Concordatis ſublata ſit. Quam exili enim libertatis umbra, ante Concordata inita fruerentur, ſupra manifeſte apparuit. Reſervabat paſſim ſummus Pontifex ſuæ diſpoſitioni, ſummos Eccleſiarum Magiſtratus. Quod ſi earum Sacerdotalis Senatus deligere fortaſſis ex adverſo præſumeret, mox formidabilibus cenſuris compellebantur Canonici acta ſua retractare; electus vero jure ſuo quantocyus cedere, ne fulminationibus Pontificiis obrueretur. Intercedebat Rex vindex ſui juris, quo patronus & fundator illarum Eccleſiarum tutelam, ad ſe titulo ipſo diadematis pertinere contendebat: ſuaque intereſſe, ut iis regnoque utiles, ſibique grati & accepti Antiſtites præficerentur. Quo igitur eas ad in-

CONCILIVM TRIDENTINVM

SVB PAVLO III. IVLIO III.

ac Pio IV. contra Lutheri, ac aliorum hæreticorum errores, nec non pro pace inter Principes ac reformatione Eccleſiæ, inchoatum, anno 1545. ac cum aliquamdiu fuiſset interruptum, finitum tandem, anno 1563. tempore Caroli V. & Ferdinandi I.

Hiſtoria Concilij Tridentini.

NON ſatis fuit implacabili Sathanæ in Eccleſiam Jeſu Chriſti Domini noſtri odio tot hactenus varia hæreſeon monſtra parturiiſſe, acquirit vires eundo, & ex prioribus fere hæreſibus novam producit hoc ſæculo, cum nova cohors hæreticorum hominum ſub duce Luthero Monacho Auguſtiniani Ordinis excucullato, Beneficiis Chriſti Redemptoris ingrato, eamdem Chriſti Eccleſiam validiori impetu aggreditur. Illi Neochriſtiani, ut ſub ſpecie pietatis ſeipſos primum, deinde alios decipiant, nec conſcientiæ ſtimulis divexarentur, Eccleſiam Catholicam Romanam, ſummo Pontifici Romano Chriſti in terris Vicario & Apoſtoli Petri ſucceſſori in ſummo Sacerdotio ſemper fide & obedientia conjunctam mille probris afficiunt ſub nomine Papiſmi, erroribus & ſuperſtitionibus involutam à multis ſæculis calumniantur; ad fidei dogmata dijudicanda nullum auctorem nullamque humanam auctoritatem admittere volunt, ſed ſola ſcripturæ verba ſuo ſenſu intellecta. Prioribus quidem ſex ſæculis aut ſaltem quinque Eccleſiam integram fuiſſe & adhuc incorruptam admittunt, ſed nongentis ſequentibus totam erroribus obfuſcatam prætendunt, ut habeant quod dicant doctrinam ſuam non primitivæ fidei Chriſtianorum mutationem afferre, ſed poſterioris corruptionis reformationem: prætenduntque nova ſua dogmata non eſſe aliud quam antiquam doctrinam olim in Eccleſia primitiva receptam, nunc quaſi poſtliminio revocatam ac reſtitutam. Atque dum iſta falſiſſima antecedentia ſibi perſuaderi ſinunt plerique populi, qui deberent ſcire unam eſſe Chriſti Eccleſiam in terris juxta Pſalmos, Prophetas & Evangelium, ac nullo unquam temporis puncto errori poſſe eſſe obnoxiam, quin ſemper in recta fide, in vero Dei cultu & religione, juxta Chriſti promiſſum permanſura ſit, fidemque illam quæ nongentis poſterioribus annis in Eccleſia extitit, per omnia quadrare illi quæ ſexcentis prioribus admiſſa fuit: dum inquam, pleræque gentes iſtam Eccleſiæ inviolabilem conſtantiam ac fortitudinem nolunt agnoſcere, ab ipſa ſeſe temerarie ac ſtulte, ejurato Chriſti in terris Vicario & ſupremo Paſtore, quem tanquam Anti-Chriſtum odio habuerunt, cum ſempiterno interitu animarum ſuarum, ſegregarunt. Factaque eſt contentio inter populos nominis Chriſtiani tanta, quanta vix ulla per Arrianos aut Eutichianos aliosque fidei hoſtes viſa fuerat antea. Tota Europa ex hinc odiis mutuis dilacerata, tota ſanguine purpurata eſt, tota incendiis devaſtata, & quid non malorum inde emanavit? ut triumphaſſe viſus ſit communis omnium ſalutis adverſarius Sathan, qui nullius regni aut reipublicæ paci tantum inſidiatur, quantum paci Eccleſiæ Jeſu Chriſti. Nam ut inſignis Theologus Joannes Driedo advertit inter præambula libri *de captivitate & redemptione generis humani*, cum ſuper omnium aliarum nationum fidem ſola Chriſtianorum fides ſit vera ſalutis æternæ fides Spiritu ſancto cœlitus data, inimicus ſalutis nullam aliam nationum fidem ita diſſipare, evertere ac in hæreſes & ſchiſmata dividere conatur ſicut fidem Chriſtianam. Neque enim curæ eſt ipſi ut expugnet falſam Judæorum ac gentium Idololatriam: cum jam omnes illæ gentes ſuæ ſint, quas ſuis laqueis captivas detinet ſecundum ſuam ipſius voluntatem: ipſe autem ea quæ ſua ſunt quæque in pace jam poſſidet, numquam expugnare molitur. Sathanas ſi Sathanam ejicit, inquit Chriſtus, *quo modo ſtabit regnum eius?* Unde ex hoc ipſo poſſumus diſcere, non eſſe aliam in terris fidem piam atque divinam regno diaboli contrariam, præter eam ſolam, quæ eſt in Chriſtum Dominum Redemptorem & Salvatorem omnium ac maxime fidelium, quos vera fide & ſincera Sacramentorum applicatione ſic ſanctificat, ut etiam ad ſupremum ſalutis gradum per gloriam æternam promoveat. Nec alias tot artibus eam fidem impugnare Sathan pergeret, totam œconomiam redemptionis humani generis invertens denuo: ac Sacramenta quibus vim ſuam exerit, contaminans, modumque juſtificationis evertens, malignis ſenſibus in publicum evulgatis, niſi fides illa omnibus numeris abſoluta & ab omni errore defœcata, oſtium eſſet ad ſalutem. Quare æſtimare debemus præcipuum divinæ dilectionis, atque protectionis erga nos indicium, quod non inveniamus ab initio aliam fidem ullam tot ac tantis temporibus impugnatam, & tamen non deletam, præter illam quæ eſt in Chriſtum mediatorem, ſicut illam tenuit & tenet Eccleſia Romana quæ certe inviolata non maneret tot machinis impugnata, niſi manus Dei protegeret & aſſidue cuſtodiret.

Prætextus ſpecioſi Lutheranorum.

Joannes Driedo.

Fides Chriſtiana pluribus diviſionibus ſcinditur Luca 11.

Myſterium Redemptionis à Luthero impetitur.

Quod egregie præſtitutum eſt ſemper per concilia, ac nunc per Concilium Tridenti coadunatum, cum fuiſſet multis annis antequam inchoaretur, à multis deſideratum, ut Lutheranæ hæreſi in Germania graſſanti occurreretur. Tandem vero poſt multas prorelationes aut tergiverſationes, quod de modo illud habendi omnes non convenirent ac valde iniquas conditiones requirerent Lutherani, quas refert & refellit Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 21. Primo anno 1537. à Paulo III. indictum fuit Mantuæ: deinde abſque ullo effectu, quod dux Mantuæ ingentem pecuniarum ſummam vellet ſibi ſuppeditari pro militari præſidio, quod ad tuendam Urbem in magna externorum hominum congregatione neceſſarium prætendebat: anno conſequenti Vincentiæ indictum fuit, in terra Venetorum, qui pace nuper cum Solimano facta, exiſtimaverunt eum facile ſuſpicaturum ipſorum auſpiciis Chriſtianos principes contra ipſum conjurare, ſi in oppido ditionis eorum, tanta hominum multitudo conflueret. Quare rurſum hoc irrito conatu, anno 1542. ab eodem Paulo Pontifice, Tridenti celebrari juſſum eſt, cœptumque anno 1545. ac primis ſeptem ſeſſionibus celebratis Bononiam tranſlatum eſt anno 1547. ac per quadriennium ſiluit. Deinde ſub Julio III. reſumptum Tridenti, ac ſequenti ſuſpenſum, quievit uſque ad annum 1562. quo ſub Pio IV. iterum celebrari cœpit, ac demum anno 1563. conſummatum eſt. Quamvis autem viginti quinque ſeſſiones numerentur, tamen quatuordecim tantum fuerunt in quibus aliquid tractatum ſit de rebus doctrinæ aut morum; videlicet ſeptem ſub Paulo, duæ ſub Julio, & quinque ſub Pio: reliquæ namque undecim aut apertiones fuerunt, aut ſuſpenſiones, aut prorogationes.

Difficultas in aſſignando loco Concilij.

In hoc Concilio diligentius actum eſt quam in cæteris de fide explicanda, moribuſque corrigendis. Multique ex toto orbe Chriſtiano adfuerunt, præſer-

merita in amicitiam recipi, aut receptos in fidem non defendi? ait Livius. Atque hinc forsitan prætensio Regis ad nominandos Episcopos in iis civitatibus, quæ post istam constitutionem eius regno adjunctæ essent.

Norma prænotandæ ad beneficia inviam gradus.

2. Tractat, quis possit nominari. Respondet eos qui Scholasticis gradibus & titulis præditi sunt. Quorum primus est eorum qui tyrocinij depositi insignia accipiunt, & vulgo Baccalarij dicuntur. Ex quo gradu Theologiæ Professores duos faciunt. Alter est eorum, qui Mellodidascali designantur, vult dicere licentiatos: tertius ac supremus Doctorum ac Magistrorum. Scholasticos titulos cum dico, eos tantum intelligi volo qui à conventibus Scholasticis, solemni & accurata prius inquisitione facta deferuntur. Quare Doctores codicillares qui diplomate Principis aut Pontificis hos titulos consequuntur, capaces nominationis hujus non habentur. Et notandum est horum graduum infimum sufficere, præterquam in Dialecticæ ac Medicinæ studio; cum in hoc Magistrum, in illo Mellodidascalum esse oporteat.

Præterea tempus certum constitutum est quod in studiis ante solemnem illam gradationem consumptum esse necesse est, quod cum in Leonina constitutione sit expressum, non est quod repetamus.

3. Tractat quomodo sit concipienda nominatio, in scriptis scili. à scriba conventus scholastici, eiusque annulo ac signo obsignari. Quod idem dicendum de ea testatione, quæ ad legitimum studiorum temporis fidem faciendam conficitur. Præterea nominationis formula beneficia omnia nominati cum vera reditus ac obventionum æstimatione complecti debet, cum eos nominare non liceat, qui beneficiis aucti sunt ad quantitatem ducentorum aureorum.

4. Apud quos nominare oporteat: apud eos scilicet qui beneficiorum conferendorum ius habent: non tamen apud patronos laicos, in quos non simili potestate & imperio ac in Ecclesiastico uti solent Romani Pontifices. Alij etiam excipiunt patronos Ecclesiasticos qui unum aut alterum beneficium tantum conferendum habent, idque arrestis firmatum aiunt.

5. Tractat de denuntiatione nominationis quam insinuationem vocat. Nec enim beneficiorum collatores ignorationem nominationis causare possint, denuntiandæ sunt illis litteræ illius & quæ ad beneficium reddunt litteratum aliquem idoneum. Puta testatio de gradu per litteras authenticas, testatio de legitimo studiorum tempore: de nominatione scholastici Conventus: in nobilibus de nobilitate ex utraque parte. Nec omittendæ Clericatus litteræ quibus ad beneficia patet aditus. Estque constitutum ut ea denuntiatio fiat per Notarium tempore quadragesimæ, earumque omnium litteratum exempla dimitti debeant penes antistitem, ac eos qui promovendi ad ministeria sacra beneficiorum curam habent. Ac postquam id semel factum fuerit, eorumdem insinuationem quotannis repetere non cogitur, sed nomen suum profiteri debet quotannis si beneficium affectet: alias jure excidit pro eo anno in quo professio illa in quadragesima defuerit.

6. Tractat de effectu nominationis Scholasticæ, qui est ut beneficia ob mortem beneficiarij vacantia mense Iulio & Ianuario obnoxia fiant sic nominatis à Scholastico universitatis conventu, ut suo jure qui antiquior est nominatione, ea possit petere, & alij facta collatio irrita fit. Aiunt tamen plerique si alij collatum esset beneficium, posse collatorem mutata voluntate nominato conferre. Quæ sententia, ait Duarenus, probabilis est. Tempus autem intra quod nominatus petere debet beneficium, constitutione Leonina definitum non est, sed rationi consentaneum Lateranensis Concilij tempus spectari, quod sex mensium est. Quod si requisitus antistes ambientem repulerit, jus conferendi ut caducum ad superiores antistites gradatim devolvitur.

Atque hæc de nominatione graduatorum de rigore, ut vocant. Nam est alia quæ dicitur graduatorum simplicium qui cum gradu Scholastico insigniti sint, licet non nominati a Scholastico conventu duos alios menses habent Aprilem & Octobrem, in quibus beneficia vacantia tenentur collatores uni ex ipsis quem magis voluerint conferre, si ante vacantiam per mortem litteras gradus cum litteris temporis studiorum, nec non tonsuræ ipsis denuntiari fecerint dimissis exemplaribus.

Porro difficilia omnia observare quæ in hoc privilegio Academiarum Franciæ occurrunt, unde lites & bella oriuntur inter Clericos, quibus dijudicandis occupantur plura Magistratuum ac judicum tribunalia, non ita ad nos spectat, qui satis habemus generalem quamdam ideam istius nominationis scholasticæ exhibuisse in utilitatem studentium, quibus nulla commodior ratio excogitari potuit, ut tertiam partem beneficiorum consequerentur, imo forsitan plusquam tertiam, cum ij menses designati sint in quibus solent plerique è vivis excedere.

Rigoroſa ſit examen graduatorum.

In hoc autem privilegio Concilium præsens multum confidit professoribus universitatum, qui ingeniorum Scholasticorum justi possunt esse æstimatores vel ex frequentia colloquutionis & auditionis illorum, vel ex examine quod habere debent antequam testimonium denæ auditionis, ut præmia studiorum nonnisi idoneis conferantur. Multum, ait Gregorius Tolosanus lib. 18. *de republica* cap 9. nocuit reipublicæ quod professores aliqui reperiuntur parum timoratæ conscientiæ, & non considerant quale pecus Arabicum intrudant Ecclesiis & subselliis, ad gratiam sæpe gradus conferentes prophanis. Nec considerant se rationem reddituros coram Deo & hominibus de tanta in probandis studiis negligentia. Intrudunt quoque aliquando in Cathedras hæreticos, ex quibus virus & perniciem aut pestem reipublicæ sequi necesse est. In quibus emendandis opus est reformatione diligenti. Atque hoc magis urget quod extet regula cancellariæ, quoad Doctores in jure Canonico vel Civili, ac in Theologia & Medicina, ut qui per aliquot annos legerint in artibus Magistri, nec non in altero jurium, vel Theologia Baccalaurei, non examinentur à prælatis conferentibus beneficia. Subjungit post aliqua. Nam si Episcopo daretur examinatio graduatorum aut nominatorum, nunquam inveniret graduatum aut nominatum doctum aut sufficientem, etiamsi esset Bartolo aut Panormitano similis, nisi esset illi propitius, &c. Dixeratque antea. Major præsumptio pro graduato ab universitatibus. Ut non potuerim continere aliquando bilem adversus superbiam Pharisaïcam aliquorum qui tantum sibi arrogare voluerunt, ut tentaverint apud prælatos sibi concedi facultatem examinandi nominatos & graduatos ab universitatibus. Hæc ibi & plura; ex quibus universitatum Magistri discere debent non esse nimium faciles & remissos in examine, quo sub juramento tentant ac probant graduum Scholasticorum candidatos.

Vidimus aliquos antistites qui quoquo modo graduatorum ac nominatorum jura interturbare conabantur sub hoc prætextu, quod in facilioti examine indocti admitterentur contra intentionem hujus Conc. quod voluit procurare Ecclesiis Pastores doctos; quid si ergo, quod avertat Deus, hæresi inficeretur aliqua universitas aut insignes magis eius Duces & Magistri? quod præcipue cavet hoc Conc. sess. 8. Notat Surius in commentariis de rebus suo tempore per orbem gestis, Sigismundum Poloniæ Regem pium & Catholicum, anno 1534. proposito severo edicto omnes Polonorum liberos qui Witembergæ litteris operam dabant, ubi erat ante aliquot annos Academia, quam Lutherus depravarat, erecta, revocasse ne hæresi polluerentur, & deinceps Poloniæ regnum corrumperent. Et multo ante Zeno Imp. scholam Edissenam quam

disputaverat contra ipsos de Libero arbitrio, meritis bonorum operum & traditionibus, ut appareat eum jam animo corruptum fuisse antequam indulgentias impetreret. Propositiones ejus ea de re extant tomo 1. operum ejus Latinorum, ut testatur Spondanus ad annum 1517.

Sed & cum adhuc in Cathol. esset Ecclesia Monach. scrupulosus erat & conscientiæ inquietissimæ ac trepidantis ne in malo esset statu, cui Monachus senior sui etdinis (refert Stapleto oratione Academica 9.) ut nimia trepidatione dejectum ad meliorem spem erigeret, dixit non solum credere remissionem peccatorum in genere datam, juxta Symboli tenorem, sed etiam firmissime credere sibi remissa esse peccata & hunc esse illius articuli sensum. Quibus verbis ille non tam sursum erectus quam deorsum præcipitatus est, & ex timido inflatus, ex meticuloso audax cœpit fabricare portenta opinionum de libertate Christiana, de speciali certitudine justitiæ, de imputativa justitia & aliis quibus primum sibi, tum etiam aliis libertatem conscientiæ, operum præceptorum ac metus divinorum judiciorum excusso jugo, sua doctrina afferret.

Lutherus Monachus scrupulosus.

Ipsemet verbis suis super ea re se explicavit in prima præfatione operum suorum. Ego autem, inquit, qui me, utcumque Monachus irreprehensibilis vivebam, sentirem coram Deo esse peccatorem inquietissimæ conscientiæ, nec meis satisfactione placatum confidere possem, non amabam imo odiebam justum & punientem peccatores Deum; tacitusque si non blasphemia, certe ingenti murmuratione indignabar Deo dicens. *Quasi vero non satis sit miseros peccatores & æternaliter perditos peccato originali omni genere calamitatis oppressos esse per legem decalogi, nisi Deus per Evangelium dolorem dolori adderet, & etiam per Evangelium nobis justitiam & iram suam intentaret.* Furebam ita sæva & perturbata conscientia. Pulsabam tamen importunius eo loco Paulum, ardentissime sciens scire quid vellet, donec misericorde Deo connexionem verborum attenderem, nempe, *Justitia Dei revelatur in illo sicut scriptum est, justus ex fide vivit.* Ibi justitiam Dei cœpi intelligere, eam qua justus donatus Dei vivit nempe ex fide, & esse hanc sententiam revelari per Evangelium justitiam Dei, scilicet passivam, scilicet qua nos Deus misericors justificat per fidem, *quia justus ex fide vivit.* Hic me prorsus renatum esse sensi, & apertis portis in Paradisum intrasse. Igitur quanto odio vocabulum justitiæ Dei oderam ante, tanto amore dulcissimum mihi vocabulum extollebam: ita mihi locus iste Pauli fuit vere porta Paradisi. Postea legebam Augustinum de Spiritu & littera, ubi præter spem offendi, quod & ipse justitiam Dei similiter interpretatur, qua nos Deus induit dum nos justificat. Hæc Lutherus dissimilis Patri suo Augustino, qui metu judiciorum divinorum concussus ex quo oriri solet conversio peccatoris, dum tollit codicem D. Pauli sub arbore prostratus ac legit in eo: *Non in comessationibus & ebrietatibus, &c. Sed induimini Dominum Jesum Christum*, mutatus est in virum alterum, & ex infideli ac hæretico in Orthodoxum & pium Catholicum: contra vero Lutherus legens in eodem codice justum ex fide vivere, ex Monacho utcumque irreprehensibili, ut ipse asserit, in Apostatam à fide & Religione mutatus est, ut abjecta obligatione legum, præceptorum, confessionum, pœnitentiarum, satisfactionumque, quibus non plene adimpleris metus incutitur animæ de ira ac offensa Dei in cujus manus incidere horrendum est, securus & tranquillus viveret ex fide sola, nec scrupulis angeretur quicquid ageret, hac sola retenta.

ad Rom. 2.

ad Rom. 13.

lib. 2. Confess. cap. 12.

Adeo res periculi plena est laxare prætor veritatem conscientias, velleque sibi aut aliis omnimodam aut nimiam securitatem procreare, cum hic status postulet ut magis cum metu & tremore salutem nostram operemur. Ideo non est prudentis directoris animam

nisi enim ait Div. Aug. in lib. an-

A prorsus metum excutere velle ab animabus: convenit hujus vitæ statui metus aliquis ac tremor, qui innatus quoque est electis à Deo ac prædestinatis mulieribus. Miserum vero prorsus est opinionibus relevantibus, si a vero deflectant, à se aut ab aliis justum metum cadentem in constantem vitum, quem abusive dicunt scrupulos, avellere. Nec forsan uni Luthero id contigit, ut ad malam pacem in conscientia sibi ipsi conciliandam, erroneam sententiam & hæresim amplexus sit. Novi hujusmodi inquietos spiritus, quorum dubitationum nunquam longæva experientiæ Doctor satisfecisset, facillime in novas hæreses prolabi. Cum nullibi constent ob inquietam mentem, in omne latus se vertunt, fisperan melius sese habeant. Sed aliquando tenentur adstricti vinculis dæmonum, immittente Deo pœnales excitates ad confundendam superbiam.

notatio. num in Iob. gaudium spei nostra in tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas & secura præsumptio.

Ut ut sit de aliis, ex hinc exordium sumpsit pestilentissima hæresis Luthori, qui paulatim progressus ex formica in Leonem mutatus est: nam initio arguebat tantum quosdam abusus quos deprehendebat in publicatione indulgentiarum, graviter ferens quod nominati fuissent ex ordine Dominicanorum ad eas evulgandas, cum ex more Religionis Eremitarum S. Augustini, in quo Ordine Monachus militabat, soleret Religiosi assumi, qui eas populo in Saxonia annuntiarent: hinc sumpta occasione primum leviuscule indulgentiis reluctatus est, scedulamq; disputatoriam edidit, in qua revocatis in dubium indulgentiarum dogmatibus, doctiores tantum invitabat ad certamen. Joannes Techelius Dominicanus Francofurti, alias propositiones Lutheranis contrarias evulgat: atque ex his sic oppositis Thesibus facta est veluti quædam litis contestatio, quoniam Lutherus suas explicatione addita defendebat. Eccius vero oppugnabat adversario scripto. Scripta utraque parte Romam perferuntur. Actum Prieras Ordinis Dominicanorum per Dialogum, Eccius seu Dareus se opponens, Lutheri propositiones convellit, cui Lutherus respondit ponens illa fundamenta 1. illud Pauli 1. Thessal. 5. *Omnia probate* & ad Galat. 2. *Si Angelus de cœlo aliud vobis Evangelizaverit* 2. Illud Augustini ad Hieronym. Ego solis in Libris qui Canonici appellantur hunc honorem deferre didici, ut nullum scriptorem eorum errasse firmissime credam. Cæteris autem quantalibet doctrina sanctitateq; polleant, non ideo verum esse credo, quia illi sic senserunt, &c. 3. Fundamentum illud erat Clement. *De panit. & remiss. cap. ab usibus.* Quæstionibus nihil licere (in ventis prædicandis) proponere populo, quem quod in eorum literis contineatur. Et in fine responsionis scribit ad Lectorem. Opiniones mutentur opiniones, non autem onera Christianorum. Non facimus opiniones pares articulis fidei & Christi Pauliq; decretis. Ex hinc vero libellis ex utraque parte multiplicatis res exacerbantur, accum ab adversariis urgeretur ex potestate Summi Pontificis, in illam cœpit insurgere, cui primo se submissum esse protestabatur: deinde alia capita impugnavit de pœnitentia, de purgatorio, de bonis operibus.

Initia Lutheri.

Interea anno 1518. Lutherus vocatur à Cardinale Cajetano Legato Summi Pontificis in Germania; venit Augustam, ubi Legatus de mandato Summi Pontificis tria Luthero proposuit facienda, 1. ut ad cor rediret erroresque revocaret. 2. promitteret in futurum abstinere ab iisdem. 3. etiam ab omnibus abstineret quibus Ecclesia perturbari posset. Quæ omnia illi proponebat, ut si sanari posset sine strepitu judicij in viam reduceretur. Rem autem fraude & cavillationibus agens Lutherus, præsentibus quatuor Cæsareæ majestatis Senatoribus adductisque notario & testibus, legit scedulam coram Legato in hunc modum. In primis ego Frater Marthinus Lutherus Augustinianus protestor me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid con-

Lutherus initio submissus & humilis.

tra vel aliter dictum fuit vel fuerit, pro non dicto ha- A
beri & habere volo. Verum quia Dominus Cardinalis exigit ut ſuper diſputatione de Indulgentiis tria faceremus hodie, proteſtor omnia quæ dixi, mihi ſana, vera & Catholica videntur. Tamen ad ſuperabundantiam offero me perſonaliter hic vel alibi etiam in publico reddere rationem dictorum meorum. Quod ſi hoc non placet Legato, paratus ſum vel in ſcripto, ſuis objectionibus, ſi quas habet, reſpondere, & ſuper his audire ſententiam & judicium univerſitatum Imperialium Baſileenſis, Friburgenſis & Lovanienſis.

Cumque ſic in erroribus pertinaci minaretur Legatus, ad Pontificem appellavit, clamque ſe Auguſta ſubduxit, ac deinde appellationem ſuam in locis publicis affigi curavit. Ac poſtea cum audiret proceſſum Romæ contra ſe eundum fore à Summo Pontifice ad futurum Concilium appellavit cum eſſet Witembergæ, ac varia ſcripta in vulgus emiſit quibus tyrannidem & violentiam Cardinalis accuſabat: docebatque inter alia Pontificis vocem audiendam eſſe quæ conſona ſit ſcripturæ, ac in materia fidei non modo generale Concilium eſſe ſupra Papam, ſed etiam quemlibet fidelem, ſi melioribus nitatur authoritate & ratione. Quantum jam diſtabat à ſeipſo qui primo anno quo indulgentias impugnabat ad Leonem X. ſcripſerat cum hac teſtatione ſuæ ſubmiſſionis. Beatiſſime Pater proſtratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, approba, reproba ut placuerit: vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mortem non recuſabo: Domini enim eſt terra & plenitudo eius, qui eſt benedictus in ſæcula amen, quite & ſervet in æternum amen. Anno Domini 1518. refert continuator Uſpergenſis in Paralippomenis, eius ſectæ & opinionibus addictus licet.

Diſputatio Lutheri.

Anno 1519. diſputatio per multos dies Lipſiæ habita de pluribus capitibus errorum inter Lutherum & Caroloſtadium magiſtrum eius ex una parte, & Eccium Doctorem Catholicum ac Canonicum Ingolſtadienſem ex altera parte, præſente Georgio Saxoniæ principe, conſtitutiſque ſcribis ex utraque parte qui dicta excíperent, ac judicibus (egerrime licet conſentiente Luthero.) Pariſienſibus Theologis ac Erfordienſibus: in qua diſputatione cum initio à conſiliariis Georgij Principis ac fratris Friderici Ducis Saxoniæ moneretur Lutherus, qui incaleſcebat, ut nihil D
per iram ſed modeſte ageret, ne auditoribus ſcandalo eſſet, impiiſſime juxta ac impudentiſſime reſpondit; *Non propter Deum hanc rem captam eſſe, neque propter Deum finiturum.* Finita autem diſputatione antequam per judices lata eſſet ſententia, cum Dux Georgius cum ſuis conſiliariis, univerſitas ac Senatus Lipſienſis ac publica fama victoriam Ecio tribueret, variis ſcriptis conatus eſt Lutherus contrarium ſuadere, & ſi multoties inter diſputandum obmutuiſſet, de multis conquerens & in Eccium acerrime invectus & in alios ſibi adverſantes, ut quos veritate non poſſet, eos convitiis, ſchommatibus, ludibriis, calumniis obrueret, ſemper omnem hæreſis ſuſpicionem longe à ſe propulſare moliens.

Cumque hoc ipſo anno quædam Lutheri aſſerta per varias univerſitates damnata eſſent per Colonienſem E
ac Lovanienſem, quæ pro Eccij parte judicium ferens cenſuram edidit in plura eius dogmata: ille in Doctores edito valde mordaci libello ſit debacchatus eſt, ut viros doctrina & pietate conſpicuos non aliter habuerit ac ſi capita ſine cerebro truncíſque ſtupidiores eſſent. Tantumque abeſt ut mentem mutarit, quinimo ſcribere auſus fuit in calce cujuſdam Epiſtolæ pro defenſione ſua adverſus Lovanienſem & Colonienſem univerſitates, cujus exordium eſt. *Fama pervenit ad me Chriſtiane lector. Vltimam quod habeo expensam. Nempe hanc animam & hunc ſanguinem. Melius eſt enim me millies occidi, quam unam ſyllabam damnatorum articulorum revocare.*

Anno 1520. ad nobilitatem Germaniæ ſcripſit contra tres morbos Papiſtarum, ut vocabat Catholicos: quorum primus eſt quod dicunt magiſtratum prophanum in eos nihil habere poteſtatis; ſecundus eſt quod ſi urgeantur ſcriptura, dicunt nemini licere hanc exponere quam Papæ: tertius eſt, ſi Concilio urgentur, dicunt neminem poſſe indicere Concilium niſi ſolum Pontificem Romanum, in quo libro multa alia tractat argumenta contra Eccleſiam Catholicam.

Eraſmus Epiſtola ad Archiepiſcopum Moguntinum pro Luthero ſcribit, commonefaciens eum, à Theo- *Eraſmus.*
logis ac Monachis damnata tanquam hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernardi & Auguſtini libris ut orthodoxa & pia leguntur. Addit in eius favorem ut non immerito a Scholaſticis vulgo jactaretur aus Lutherum Eraſmizare, aut Eraſmum Lutherizare, quamvis ipſe ita rem egerit ut medius inter partes incedere velle videretur, neutríve totum addicens: unde id conſequutus eſt, ut apud Catholicos & Lutheranos male auditet.

Anno eodem 1520. Eccius Romam profectus ad Leonem Pontificem, quanta imminerent pericula oſtendit, ſi tempeſtive graſſantibus in Germania Lutheri erroribus non occurreretur. Quare Pontifex Bullam contra eum edidit in qua damnat quadraginta & unum ex eius erroribus, eiuſque libros per ignem aboleri juſſit, dato illius ſequacibus, ad errorum abjurationem in manibus duorum Prælatorum ſexaginta dierum ſpatio: quod niſi feciſſent excommunicati eſſent, uti notorij & pertinaces hæretici ab omnibus vitandi & per magiſtratus puniendi. Hæ porro inducíæ nihil profuerunt, nam Lutherus ex hac propalata damnatione in furorem verſus, intelligens ſe damnatum, & ſi bulla taceret examen damnatarum propoſitionum 41. & an in ejus libris contimerentur, & ſi damnatis in globo erroribus tanquam hæreticis, ſcandaloſis, falſis, offenſivis piarum aurium & ſimplicium mentium ſeductivis, reſpective attributa ſingulis incerta qualitate nec deſignata quæ unicuique ſigillatim conveniret, iis inquam non obſtantibus ex quibus poſteriores novatores præterire noluerunt controverſiam integram manere, & nihil eſſe definitum contra ſe, ſentiens ſe Eccleſiaſtico fulmine ictum, à Pontifice ut ab Anti-chriſto provocavit ad Concilium: libros omnes juris canonici cum hac Bulla Leonis incendit, libellumque Apologeticum edidit in hujus facinoris defenſionem atrocíſſimis calumniis refertum. Nec deſtitit poſtea ſcriptis aliis hortari Principes ut Pontificem & Cardinales armis impugnarent, ſe Prophetam, vanditans ad reducendam Eccleſiam ad Chriſti normam: addens ſcriptis virulentiſſimis, figuras, ac picturas ridículas, aliaque diabolicarum inventionum genera, ac nihil impudentiæ, ſcurrilitatis ac irreligionis omittens, ut in quoſcumque ſibi adverſantes peſtifer Apoſtata invehereretur.

Inter hujuſmodi ſcripta eminet liber de captivitate *Libri*
Babylonica Eccleſiæ. Præludium eſt, cum ejaculatione hac, *Lata libertas*, item carmine iſto ſequens. *Lutheri.*

Hoſtis Herodis impie,
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœleſtia.

Hujus libri initio ſic ait. Utinam à Bibliopolis queam impetrare ut vniverſos libros meos de indulgentiis exurant, & pro omnibus quæ de eis ſcripſi, hanc propoſitionem apprehendant. Indulgentiæ ſunt adulatorum Romanorum nequitiæ: & paulo poſt. Papatum cum negaſſem divini, admiſi eſſe humani juris: ſed ſcio nunc & certus ſum, Papatum Regnum eſſe Babylonis & potentiam Nembrot robuſti

robusti venatoris: proinde oro librarios, oro lectores: ut iis quæ super hac re edidi exultis, hanc propositionem teneant. *Papatus est robusta venatio Romani Episcopi.* Vid s ex ungue Leonem, nihil Luthero in hoc scripto unquam protervius, excusso omni sensu religionis: ac seipso in dies pejor factus, vix aliquid in piis dogmatibus intactum relinquit. Unde factum ut Antuerpiæ & Gandavi libri ejus publice exurerentur, multique ad scribendum contra ipsum excitarentur inter quos primum locum tenet Jodocus Clictoveus Doctor Parisiensis, de quo dicitur, quod nomine ejus pronuntiato super tumulum Lutheri, cineres ejus contremiscant: nec inter ultimos numerandus est Edoardus Povellus Cæsariburgensis Theologus in Anglia, qui post Henrici VIII. in Lutherum opus de assertione septem Sacramentorum, turpe esse judicans, Imperatore in acie pugnante, militem ociosum esse in castris, propugnaculum summi Sacerdotij Evangelici conscripsit, & tanta eloquentia ac doctrina ut vix simile posthac quidpiam è prælo exierit circa eam materiam. Licet autem Theologi Parisienses Lutherum arbitrarentur indignum contra quem scriberetur: propterea quod non solum Wicleffistarum & Hussitarum, sed etiam vetustissimos pugnaces errores quos olim Ecclesia fudit enervaratque, denuo jam in arenam revocaret, & ideirco hominem tam impium flammis potius quam argumentis examinandum. Attamen quia jam cum Germani ex calice errorum Lutheri abunde potati & inebriati essent, at virus illud serpere inciperet ad exteras nationes, unicuique necesse fuit regioni se adversus malum istud præmunire, ideo Facultas Theologica Parisiensis scripta Lutheri examini suo subjecit, ac pluribus in iis detectis errotibus censuram condidit, quæ & Galliæ populos in fide antiqua conservavit, & multis etiam exteris, apud quos in pretio est authoritas principis hujus Facultatis, præsidio fuit, ne occuparentur eorum mentes ab errorum currentium profluvio. Hanc censuram defendit Thomas Illiricus multarum authoritatum ac rationum clipeo, quam ex illo excerptam inferendam hic censuimus: nam & utilis est ad detegendos quosdam Jansenij Iprensis Episcopi errores, quos si in hac censura mactis suæ prædamnatos cui Sacramentum dederunt novelli quidam Theologi, novissent, non ita facile in laqueos incidissent ex quibus vix hodie se possunt expedire. Monemus tantum ut loco Universitatis Parisiensis Facultas ipsa Theologiæ intelligatur, cum utriusque discrimen ignotum non sit ejus alumnis.

Insolentia Lutheri.

Jodocus Clictoveus.

PROPOSITIONES MARTINI *Lutheri cum Censura Facultatis Parisiensis in eàsdem.*

De Sacramentis.

Luther. Neganda sunt mihi septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda Baptismus, Pœnitentia, Panis. Nam recens est Sacramentorum inventio.

Vn. Paris. Hæc propositio innuens non esse septem Sacramenta & recenter ab hominibus inventa & non à Christo instituta, est temeraria, impia & manifeste hæretica.

Luther. Licet modo quæcumque legis opera fieri, si ea requirat fraterna charitas: quo easu licet etiam modo circumcidi sine periculo, imo cum multo merito.

Vn. Paris. Hæc propositio est Christianæ legis inimica: Judaicæ perfidiæ favens & hæretica.

De Confirmatione & Extrema-unctione.

Luth. Satis est pro ritu quodam Ecclesiastico, seu ceremonia Sacramentali, Confirmationem habere, similem cæteris cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum. Confirmatio & Extrema-unctio non sunt Sacramenta à Christo instituta.

De Ordine.

Luth. Hoc Sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ.

Vn. Paris. Hæc propositio est hæretica & est error Pauperum de Lugduno, Albigensium & Wiclefistarum.

Luth. At dices. Quid ad Dionysium dices qui sex Sacramenta enumerat, inter quæ & ordinem ponit in Ecclesiastica Hierarchia? Respondeo. Scio hunc solum auctorem haberi ex antiquis pro septenario Sacramentorum: licet matrimonio omisso, senarium tantum dederit. Nihil enim prorsus in reliquis patribus de istis Sacramentis legitur: nec Sacramenti nomine censuerunt, quoties de his rebus locuti sunt. Recens enim est Sacramentorum inventio. Atque mihi (ut magis temerarius sim) in totum displicet, tantum tribui (quisquis fuerit) Dionysio illi, cum ferme nihil in eo sit solidæ eruditionis. Nam ea quæ in Cœlestii Hierarchia de Angelis commiscitur, in quolibet sic sudarunt curiosa & superstitiosa ingenia. Qua rogo auctoritate aut ratione probat? Nonne omnia sunt illius meditata, ac prope somniis simillima, si libere legas & judices? In Theologia vero mystica, quam sic inflant ignorantissimi quidam Theologistæ, etiam pernicioſissimus est, plus platonizans quam Christianizans, ita ut nollem fidelem animum his libris operam dare, vel minimam. Christum ibi adeo non discet, ut si etiam scias, amittas. Expertus loquor. Paulum potius audiamus: ut Jesum Christum & hunc Crucifixum discamus. Ita in Ecclesiastica Hierarchia quid facit? nisi quod ritus quosdam Ecclesiasticos describit ludens allegoriis suis, quæ sunt otiosorum hominum studia.

D. Dion. Areopag.

Vn. Paris. Hæc propositio est falsa, temerarie & arroganter asserta, ac viro sancto insigni eruditione claro injuria: quem Damascenus divinum Areopagitam, Pauli discipulum, Sacerrimum & Dei-loquentissimum appellat.

De Eucharistia.

Luth. Credo firmiter panem esse corpus Christi.

Vn. Paris. Hæc credulitas Lutheri est absurda hæretica & olim damnata.

Luth. Missa passim creditur esse sacrificium quod offertur Deo. Inde Christus hostia altaris dicitur, sed Evangelium non finit Missam esse sacrificium.

Vn. Paris. Hæc propositio quoad secundam partem scil. Sed Evangelium, &c. est impia, in sacro-sanctum Evangelium blasphema, ac hæretica, prout vocabulo *Missa* cum Gregorio utimur.

Luther. Manifestus est error Missam applicare, seu offerre pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunque necessitatibus suis aut aliorum.

Vn. Paris. Hæc propositio est in Ecclesiam Catholicam Christi sponsam contumeliosa & hæretica & est Erianorum Hæreticorum & Artotyritarum erroribus conformis.

Luther. Non est dubium universos hodie Sacerdotes & Monachos cum Episcopis & omnibus suis majoribus esse idololatras, in statu periculosissimo agentes, ob Missæ seu Sacramenti ignorationem, abusionem & irrisionem.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt maxime falſa & ſcandaloſa, univerſo Eccleſiaſtico ſtatui contumelioſa, arroganter & ſtulte prolata. Et in eo quod prætendit neminem in ſtatu ſalutis eſſe, niſi qui hujuſmodi erroribus acquieſcit, cum Donatiſtarum, Aſcitarum & Apoſtolicorum perfidia conveniens, aſſerentium nonniſi apud ſe, remanſiſſe Eccleſiam Dei.

Luth. Negare Laïcis utramque ſpeciem eſt impium & Tyrannicum.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt erronea, Schiſmatica, Impia, & ex damnato errore Boëmorum elicita.

Luth. Magnus & perniciosus error eſt, ſi quis accedat ad Sacramentum Euchariſtiæ, ea nixus fiducia, quia confeſſus eſt, quia non ſibi conſcius mortalis peccati, quia Orationes & Præparatoria ſua præmiſerit, omnes hi judicium ſibi manducant & bibunt. Unde & probatio qua homo peccata ſua diſcutit, ac ponderat, non pertinet niſi ad inſenſatos & craſſos Sacramenti contemptores.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt impia, à debita Sacramenti ſuſcipiendi præparatione, maxime retractiva, ad deſperationem inducens & doctrinæ Pauli contraria, nec fideles ea nixi fiducia, ſecludunt divinam miſericordiam.

De Pœnitentia.

Luther. Periculoſum, imo falſum eſt, opinari pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt temeraria, erronea, ac fatue aſſerta, ac Beato Hieronymo illam ponenti, injuria.

Luth. Ars confitendi quam hucuſque docti ſumus, arenam numerare, ſingula peccata diſcutere, colligere atque ponderare, ad faciendam contritionem eſt ars inutilis, imo ars deſperandi & perdendi animas.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, impia, ſchiſmatica, & confeſſioni, quæ eſt res lucrandi animas, injuria.

De Contritione.

Luth. Neque timore, neque amore poteſt homo ſe erigere ad capeſcendam gratiam Dei ſine gratia primo remittente culpam, nec votum remiſſionis quærendæ homo poteſt habere.

Vn. Pariſ. Hæc prima propoſitio eſt in fide & moribus erronea, omnem præparationem ad pœnitentiam impie auferens.

Hæc ſecunda propoſitio eſt falſa, impia & peccatorum ad deſperationem inductiva.

Luth. Contra Beatum Auguſt. dicentem. Bonus eſt timor & utilis, licet ſit inſufficiens per quem paulatim fit conſuetudo juſtitiæ. Hoc eſt, inquit, meo judicio conſuetudo deſperandi & odiendi Deum, ſi excludatur gratia.

Vn. Pariſ. Judicium Lutheri de illo dicto Auguſt. bonus eſt timor, &c. eſt falſum, temerarium & impium, accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente ſicut eam accipit ſcriptor.

Luth. Si Ioannes Baptiſta timorem docuiſſet eſſe initium pœnitentiæ, non ideo ſequitur pœnitentiam incipere à timore.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt manifeſte erronea, in Chriſtum & inſpiratam præcurſoris ejus doctrinam contumelioſa.

Luth. Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, A fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc inquam contritio facit hominem hypocritam, imo magis peccatorem.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, viæ ad pœnitentiam impeditiva, ſcripturis ſacris & doctrinæ Sanctorum difformis.

De Confeſſione.

Luth. Confeſſio illa quæ nunc agitur occulte in aurem, nullo poteſt jure divino probari. Nec ita fiebat primitus.

Vn. Pariſ. Hujus propoſitionis prima pars eſt falſa, & ex ignorantia juris Divini aſſerta. Secunda eſt temeraria poſita. B

Luth. Spiritualis defectus eſt ſoli Deo aperiendus: etſi oportet confiteri occulta cordis, tantum ea quæ pleni ſunt conſenſus in opus homines debent confiteri. Peccata etiam contra duo ultima præcepta Decalogi commiſſa, ſunt prorſus à Confeſſione ſecludenda.

Vn. Pariſ. Quælibet harum trium propoſitionum eſt in fide erronea, & impie confeſſionem dimidians.

Luth. Qui ſponte confeſſus ſive correptus, veniam petierit coram quovis fratre, non dubito à peccatis ſuis illum eſſe abſolutum.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio innuens Laicos tam viros quam mulieres poteſtatem clavium habere, eſt falſa, Sacramentis Ordinis & Pœnitentiæ contumelioſa & hærerica, cum errore conveniens Valdenſium & Quintilianorum. C

Luth. Nullo modo præſumat homo confiteri peccata venialia.

Vn. Pariſ. Hæc diſſuaſio innuens præſumptionis eſſe confiteri peccata venialia, eſt temerarii animi indicativa, ab opere bono retractiva & ideo perniciosa.

De Abſolutione.

Luther. Abſolutio eſt efficax, non quia ſit, à quocumque tandem ſit, ſive erret, ſive non erret, ſed quia creditur. Crede fortiter te eſſe abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de tua contritione. D Eſto per impoſſibile quod confeſſus non ſit contritus, aut quod Sacerdos non ſerio ſed joco abſolvat; ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

Vn. Pariſ. Hæ tres propoſitiones ſi ſenſum ſcriptoris, ſunt falſæ, impiæ, ignoranter & difformiter ad ſanam ſacræ Scripturæ intelligentiam aſſertæ. Et in hoc quod dicitur, à quocumque tandem fiat, erret ſive non erret. Et in eo quod ſubditur, non ſerio ſed joco abſolvat, ſunt piarum aurium offenſivæ, Sacramenti Pœnitentiæ irriſoriæ, & Conciliorum Generalium determinationibus contrariæ.

Luth. Peccata Deus ſemper & gratis remittit atque condonat, nihil à nobis invicem requirens quam ut in poſterum bene vivamus. E

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt à ſententia Sanctorum Doctorum aliena, fideles vana & ſtulta confidentia, à debita ſatisfactione pro peccatis terrahens & hæretica.

De Satisfactione.

Luth. Sententia eſt Apoſtoli pœnam & culpam ſimul finiri. Item de induſtria damnat Prophetæ ſententiam probantium ſatisfactionem dicens: Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem; holocauſtis non delectaberis. Deinde, irridet Michæas Propheta eos qui per opera ſatisfacere volunt.

Vn. Pariſ. Prima harum propoſitionum eſt in Pau-

lum : Secunda in Prophetam, Tertia in Michæam, contumelioſa, & omnes falſæ, impiæ & in Spiritum ſanctum blaſphemæ.

Luth. Virtute clavium jactant quidam ſolvi pœnas per divinam Iuſtitiam requiſitas, quod non credo verum.

Vn. Pariſ. Hæc præpoſitio quæ negat virtute clavium, pœnas per divinam juſtitiam requiſitas, ſolvi: eſt falſa, ſcandaloſa, poteſtati clavium derogativa. Et in hoc quod dicit, quod non credo verum, nec probabile: eſt animi temerarij indicativa, & arrogantis.

Luth. Pœna qua Deus vult peccatum punire, non poteſt auferri per hominem vel per Papam.

Vn. Pariſ. Hæ propoſitio eſt uctoritati Eccleſiæ à Chriſto conceſſæ impie & ſchiſmatice contraveniens & ſapiens hæreſim.

De Matrimonio.

Luth. Matrimonium non eſt Sacramentum divinitus inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt hæretica & olim damnata.

Luth. Conjunctio viri & mulieris tenet quomodocumque contra leges hominum contigerit. Item Sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quæ contra Eccleſiaſticas, vel Pontificias leges fuerint contracta, in quibus Papa poteſt diſpenſare, & quæ non ſunt in Scriptura ſacra expreſſæ.

Vn. Pariſ. Utraque harum propoſitionum eſt falſa, Eccleſiæ poteſtati impie derogativa, & ex damnato Valdenſium errore procedens.

De Divina Eſſentia, & forma Corporis humani.

Luth. Iſtis noviſſimis trecentis annis, multa perperam determinata ſunt, quale eſt eſſentiam divinam, nec generari, nec generare. Et animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, ab homine qui alienus eſt à Catholica Eccleſia, arroganter aſſerta, ac ſacris Conciliis generalibus injuria.

De Natura Chriſti, & hominis aſſione.

Luth. Iſte articulus; duæ Naturæ, Divinitas & Humanitas ſunt unus Chriſtus, eſt à Catholicis concedendus. Et ſimiliter ille, diviſio humanorum operum eſt quod ſunt virtuoſa vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus & agit quicquam, vitioſe agit: & ſi eſt virtuoſus & agit quicquam, virtuoſe agit.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, & ex ignorantia vetæ Theologiæ aſſerta. Primus autem illorum duorum articulorum ſc. duæ Naturæ, &c. eſt propoſitio hæretica. Secundus vero ſc. diviſio humanorum operum, &c. eſt propoſitio ſapiens hæreſim.

Luth. Opera quæcumque ante Charitatem, ſunt peccata, & damnabilia, & indiſponentia ad gratiam.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa & temerarie aſſerta, peccatorum ab emendatione retractiva, & ſapiens hæreſim.

De bonis operibus.

Luth. Opera nihil ſunt coram Deo; aut omnia ſunt æqualia quantum ad meritum attinet.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, ſacris eloquiis adverſa, atque errori Jovinianiſtarum conformis.

De Spe.

Luth. Spes non provenit ex meritis.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, præſumptionis inductiva, ac ſacris Scripturis diformis.

De Charitatis certitudine.

Luth. Peſſime docent Theologi, quando dicunt nos neſcire quando ſumus in Charitate. Itaque caveat omnis Chriſtianus, ne unquam incertus ſit, an Deo placeant opera ſua. Qui enim ſic dubitat, peccat, & perdit opera ſua cuncta, fruſtraque laborat.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio, intelligendo neſcire certitudine fidei, de qua loquitur ſcribens, eſt falſa, ſacris Doctoribus diſſona, & ſanæ intelligentiæ ſcripturæ, ac hujuſmodi conſilium, loquendo de certitudine, ut ſupra, eſt temerarium, pernicioſum, & ſacris eloquiis difforme.

Luth Hoc eſt mortalium mortaliſſimum, non credere ſe eſſe damnabili & mortali peccato obnoxium coram Deo.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, impia, deſperationis inductiva & ſapiens hæreſim.

De Præceptis legis.

Luth. Qui negat Deum nobis impoſſibile juſſiſſe, peſſime facit, & qui hoc falſum eſſe dicit, pluſquam peſſime facit.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, legis Chriſtianæ infamativa, ac auctore Auguſtino, in Deum blaſphema.

Luth. Sola duo ultima Decalogi præcepta ſunt, quæ à nullo quantumcumque ſancto aliquo modo implentur. Cætera omnia implent, ſed in his duobus manent rei & peccatores, quia nihil de iſtis implent.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt erronea, impia, in Legem & Legiſlatorem blaſphema, & in ſanctos contumelioſa.

Luth Omne præceptum Dei magis poſitum eſt, ut oſtendat præteritum & præſens peccatum, quam ut futurum prohibeat. Siquidem juxta Apoſtolum, per legem nihil niſi cognitio peccati.

Vn. Pariſ. Hujus propoſitionis prima pars eſt falſa, temerarie & ſine ratione aſſerta. Secunda vero, quod juxta Apoſtolum per legem, &c. eſt erronea, legi intentionique Pauli contraria.

Luth. Quia homini charitatem habenti, nulla lex neceſſaria eſt, ideo per hoc præceptum, Sabbata ſanctifices, non opus præcipitur, ſed quies. Et iterum. Iſtud præceptum, Sabbata ſanctifices, ceſſavit proprie, imo omnia, quoad perfectos Chriſtianos, quia juſto non eſt lex poſita. Rurſuſque, ait: infirmis qui nondum ſunt mortificati ſecundum veterem hominem, opus eſt, ut certis officiis, diebus, modis, occupentur vigiliis, jejuniis, orationibus, diſciplinis & ſimilibus quibus perveniant ad perfectum ſtatum interioris hominis. At ubi corpus fuerit caſtigatum & in ſervitutem fuerit redactum & mortificatæ paſſiones, tunc ipſa ceſſent paulatim & tantum minuentur, quantum profecerit interior homo: adeo ut ſi perfectus fuerit, illa omnino ceſſare debeant.

Vn. Pariſ. Quælibet harum trium propoſitionum, eſt ex erroneo ſcripturæ intellectu aſſerta: jure in Concilio Viennenſi contra Begardos reprobata & hæretica.

Luth. Lege manifeſtata, aut in memoriam revocata, mox ſequitur augmentum peccati, ſi gratia deſit.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio loquendo de gratia gratum faciente, eſt falſa, à recta Sacræ Scripturæ intelligentia aliena, & à meditatione divinæ legis retractiva.

De Conciliis Evangelicis.

Luth. Illud verbum Chriſti, Matth. 5. qui te percuſſerit in maxillam dexteram, &c. Et illud ad Roman. 12. Non vos defendentes chariſſimi, &c. non ſunt conſilia, ſicut etiam multi Theologi errare videntur, ſed præcepta. Ex quo ſequitur quod requirere coram judice de injuriæ reparatione Chriſtianis prohibitum eſt.

Vn. Pariſ. Prima pars propoſitionis eſt falſa, legis Chriſtianæ nimium onerativa, & ſanæ intelligentiæ ſcripturæ adverſa. Secunda pars eſt ſcandaloſa, juri divino naturalique diſſona.

De Libero Arbitrio.

Luther. Liberum arbitrium non eſt Dominus actuum ſuorum.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, ſacris Doctoribus ac omni doctrinæ morali adverſa, cum Manichæorum errore conveniens ac hæretica.

Luth. Fruſtra garriunt Sophiſtæ actum bonum eſſe à Deo, ſed non totaliter.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt ſanctis Doctoribus eam ponentibus injurioſa, Ambroſio potiſſimum, Auguſtino & Bernardo, quos hic Sophiſtas appellat. Et quantum ad id quod prætendit actum bonum eſſe totaliter à Deo, & nullo modo à libero arbitrio, eſt hæretica.

Luth. Liberum arbitrium dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, in fide & moribus erronea.

Luth. Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet niſi ad peccandum, non autem ad pœnitendum.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente, de qua loquitur ſcriptor, eſt erronea, errori Manichæorum conformis, à ſacris eloquiis aliena, perverſe & truncate ex Auguſtino allegata.

Luth. Liberum arbitrium ſine gratia tanto magis appropinquat iniquitati, quanto fortius intenderit actioni.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio accipiendo gratiam ut prius, eſt falſa, piarum aurium offenſiva, à bonis operibus retractiva, inique & mutilate ex Ambroſio excerpta.

De peccatorum diſtinctione.

Luth. Theologi docentes regula ſua venialia peccata diſtincta eſſe à mortalibus, ad infamiam perditiſſime nituntur trahere hominum conſcientias.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt ſtulte & præſumptuoſe aſſerta, ſacris Doctoribus injuria, & inquantum prætendit venialia non diſtingui à mortalibus, eſt hæretica.

Luth. Juſtus in omni bono opere peccat. Et omne opus bonum optime factum, eſt peccatum veniale.

Vn. Pariſ. Utraque harum propoſitionum eſt falſa, piarum aurium offenſiva, ac bonorum operum infamativa.

De Conſtitutionibus Eccleſiæ.

Luth. Neque Papa, neque Epiſcopus, nequeullus hominum habet jus unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu, & quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt à debita ſubditorum erga Prælatos & ſuperiores ſubjectione & obedientia retractiva, legum poſitivarum ſeditioſe deſtructiva, ac in fide & moribus erronea, & eſt error damnatus Valdenſium, cum errore Erianorum conveniens.

Luth. Si Imperator vel principes revocent libertatem datam perſonis, ac rebus Eccleſiaſticorum, non poteſt ei reſiſti ſine peccato & impietate.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, impia, ſchiſmatica, libertatis Eccleſiaſticæ enervativa, ac impietatis tyrannicæ excitativa & nutritiva.

De Immaculata Mariæ Virginis Conceptione.

Luth. Contradictoria hujus propoſitionis: Beata Virgo eſt concepta ſine peccato originali, non eſt reprobata.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, ignoranter & impie contra honorem Immaculatæ Virginis aſſerta.

De Purgatorio.

Luth. Scriptura divina tota, prorſus nihil habet de Purgatorio.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, Valdenſium errorem maxime fovens, ac Sanctorum Patrum ſententiæ repugnans.

Luth. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu horrent pœnas & petunt requiem, quia quærunt quæ ſua ſunt pluſquam voluntatem Dei, quod eſt contra charitatem.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, impia, purgandis animabus injuria, & hæretica.

Luth. Non videtur probatum eſſe quod animæ in Purgatorio ſunt extra ſtatum meriti ſeu augendæ charitatis.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, temerarie & impie aſſerta, & in hoc quod prætendit animas in Purgatorio non eſſe extra ſtatum meriti ſeu augendæ charitatis, eſt in fide erronea.

Luth. Non videtur probatum eſſe quod ipſæ animæ in Purgatorio ſint de ſua beatitudine certæ & ſecuræ, ſaltem omnes.

Vn. Pariſ. Hæc propoſitio eſt falſa, & præſumptuoſe aſſerta, & in hoc quod prætendit animas Purgatorij non eſſe certas de ſua beatitudine, eſt traditioni Eccleſiæ & doctrinæ ſanctorum contraria.

Luth. Probabile eſt animas Purgatorij præ confuſione neſcire in quo ſtatu ſint, damnatæ an ſalvæ, immo ſibi videntur jam ire in damnationem & deſcendere in lacum. Rurſus. Animæ in Purgatorio nihil aliud ſentiunt quam incipere ſuam damnationem, niſi quod ſentiunt nondum clauſam poſt ſe portam inferi.

Vn. Pariſ. Utraque harum propoſitionum eſt falſa, piarum aurium offenſiva, voluntarie & irrationabiliter poſita, & ſtatui animarum Purgatorij injurioſa.

Luth. Imperfecta ſanitas ſeu charitas morituri neceſſario ſecum fert magnum timorem, tantoque majorem, quanto minor fuerit ipſa. Rurſus, pœna Purgatorij eſt pavor & horror damnationis & inferni.

Vn. Pariſ. Utraque harum propoſitionum eſt falſa, temerarie & ſine ratione poſita.

Luth. Omnes animæ in Purgatorium deſcendentes, ſunt imperfectæ fidei ſeu ſanitatis, imo per quantamcumque ablationem pœnarum non eſſent ſanæ, niſi prius ab eis auferatur peccatum, id eſt imperfectio fidei, ſpei & charitatis.

Vn. Pariſ. Hæc præpoſitio quantum ad omnes partes eſt falſa: & temerarie aſſerta, ac ſanæ ſcripturarum intelligentiæ diſſona.

De Philoſophia.

Luth. Philoſophia Ariſtotelis de virtute morali,

de obiecto, de actu elicito, talis est, quæ nec in populo doceri possit, nec est ad scripturæ intelligentiam utilis, quia continet dumtaxat portenta verborum non nisi ad contentiones verborum confecta. *Aristoteles.*

Vn. Paris. Hæc propositio quantum ad omnes suas partes, loquendo de Philosophia Aristotelis, in his maxime in quibus à fide non discedit, est falsa, & tanquam ab inimico scientiæ, arrogantèr ac incipienter asserta.

Luth. Omnes virtutes morales & scientiæ speculativæ, non sunt vere virtutes & scientiæ sed peccata & errores.

Vn. Paris. Hæc propositio quantum ad primam partem quod virtutes morales sunt peccata, est eodem modo qualificanda, sicut prius fuit illa qualificata, opera quæcumque ante charitatem sunt peccata. Quantum ad alteram, quod scilicet scientiæ speculativæ sunt errores, est manifestè falsa.

Luth. Theologi Scholastici Aristotelis moralia prorsus convenire mentiti sunt cum Christi Paulique doctrina.

Vn. Paris. Hac propositione impudenter & falso, Theologis Scholasticis imponit scriptor quod non est verum, quamquam satis exploratum sit, in multis, moralia Aristotelis cum Christi Paulique doctrina consentire.

De bello contra Turcas.

Luth. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

Vn. Paris. Hæc propositio universaliter intellecta est falsa, nec sacris eloquiis conformis.

De pœna hæreticorum.

Luth. Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus.

Vn. Paris. Hæc propositio est falsa, contra voluntatem spiritus divini asserta, & errori Catharorum & Valdensium consona.

De votis Religionis.

Luth. Suadendum est ut vota prorsus omnia tollantur aut vitentur.

Vn. Paris. Hæc propositio est Christi doctrinæ & Sanctorum Patrum observationi qui vovere consulunt, contraria: ex errore procedens Lamperianorum, Wicleffistarum & eorum qui se jactabant de ordine Apostolorum.

Luth. Probabile est vota hodie non valere nisi ad operum jactantiam & præsumptionem.

Vn. Paris. Hæc propositio est falsa, statui religionis contumeliosa & præfatis erroribus consona.

De Iuramento.

Luth. Quia Christiani temporalia non debent amare, ideo propter ea non debent jurare.

Vn. Paris. Hæc propositio est in moribus erronea & sapiens hæresim.

Luth. Judæis ad libitum, verum jurare est permissum.

Vn Paris. Hæc propositio si intelligatur permissum tanquam licitum, est falsa, divino præcepto adversa & antiquus error Judæorum.

De Conciliis generalibus.

Luth. Via jam nobis facta est enervandi authoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis; ac judicandi eorum decreta.

Vn. Paris. Hæc propositio si velit scriptor, licitum esse cuipiam legitimi Concilij authoritati contradicere in his quæ fidem & mores concernunt, est schismatica & hæretica.

Luth. Certum est inter articulos Ioannis Hus vel Bohemorum multos esse plane Christianissimos & Evangelicos, quos non possit universalis Ecclesia damnare.

Vn. Paris. Hæc propositio loquendo de articulis condemnatis, de quibus intendit scriptor, est falsa, impia & sacris Conciliis injuriosa.

Luth. Isti duo articuli; Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas. Et universalis sancta Ecclesia tantum est una, sicut tantum est unus numerus prædestinatorum, non sunt Joannis Hus, sed Augustini super Joannem.

Vn. Paris Hæc propositio ad Hussitarum intelligentiam, est falso Augustino attributa. Articuli autem loquendo de Ecclesia Militante, de qua ibi fit sermo, sunt propositiones hæreticæ.

De Theologia Scholastica.

Luth. Theologia Scholastica est falsa scripturæ & Sacramentorum intelligentia, & exulem nobis fecit veram & sinceram Theologiam.

Vn. Paris. Hæc propositio est falsa, temeratie & superbe asserta, ac sanæ doctrinæ inimica.

Luth. In sermonibus Joannis Tauleri lingua Theutonica conscriptis plus reperio Theologiæ solidæ & sinceræ quam in universis omnium Universitatum Scholasticis Doctoribus repertum est, aut reperiri possit in omnibus suis sententiis.

Vn. Paris. Propositio quam Lutherus asserit, est manifestè temeraria.

Luth. Libidinem corrumpendæ scripturæ jam ferme trecentisannis patitur Ecclesia incomparabili damno suo à Doctoribus Scholasticis.

Vn. Paris. Hæc propositio est falsa, stulte & malitiosè asserta.

CONCLUSIO.

Finis Condemnationis Doctorum Paris.

NOs præfati Decanus & Facultas præmissa, hæc omnia tempore multo examinavimus, & quid de his sentirent Ecclesiastici Doctores, quidve sacra Concilia, quid insuper in Scripturis sanctis caveretur diligenter annotavimus, post quod examen nostrum apud Sorbonam sæpius frequentatum, in plerisque nostris per juramentum vocatis & factis concionibus, unanimi omnium voto fuerunt concluſa ac definita; ac demum ex abundanti in Generali nostra congregatione apud sanctum Mathurinum rursus per juramentum super his specialiter denuntiata, hæc eadem post Missam more nostro celebratam iterum concordi omnium assensu, laudavimus, comprobavimus ac rata habuimus; laudamus, comprobamus, & rata habemus, & uti talia inconcusse tenenda, nostra sententia diffinimus & decernimus. Acta fuerunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. D. XXI. die 15. Aprilis. In quorum testimonium, his institutis quæ in Archivis & scriniis nostris ad perpetuam rei memoriam reservamus, sigillum nostrum duximus apponendum. Ad quorum exemplar de mandato nostro præsentes fuisse fideliter impressas, testamur.

I. le Coincte.

Hoc fuit judicium Parisiensium de Lutheri conclusionibus sigillatim expensis apposita propria censuræ nota, ut mos est antiquus Facultatis, eorum cuilibet. Cui si stetisset Lutherus ut aliquando promiserat, Concilio opus non fuisset. Sed quis corrigat quem Deus despexerit? Ex his oppositionibus, ait

Petrus Suavis Polanus in Hiſtoria Concilij Tridentini lib. 1. nihil aliud eſt effectum niſi quod reponente ſemper Luthero, libri multiplicabantur, contentionum ardor augeſcebat, multorum curioſitas excitabatur, qui capti ſtudio diſcutiendi controverſias, facile deprehendebant abuſus & errores qui redarguebantur, atque adeo à cultu Pontificio alieniores ſæpe fiebant. Ubi advertendum exemplar Gallicum verus iſtius Hiſtoriæ, quæ in Latinum ſermonem purioris ſtyli verſa eſt & in Anglia edita anno 1622. non habere errores, ſed tantum abuſus. Ut pejus aliquid ſuſpicari liceat de verſione Latina hujus Hiſtoriæ, quæ ab hæretico homine prodiiſſe monſtratur, cum abuſus ab Luthero notatos additione errorum augeat. Nec mihi dubium eſt quin pleriſque aliis in locis verſio iſta Latina hujus Hiſtoriæ res amplificet aut imminuat in detrimentum veritatis Orthodoxæ, ut merito ſuſpecta haberi debeat.

Frapauli hiſtoria verſio.

Porro cætera proſequi quæ ad reducendum Doctorem iſtum errantem, tam ex parte Pontificis quam ex parte Imperatoris impenſa ſunt remedia, ad hiſtoricos qui rerum geſtarum etiam minutias exponunt nec quidquá gravis momenti prætermittunt, ſpectat. Vere dictum eſt à Chriſto: *Quod ſi ſal evanuerit in quo ſalietur?* quia ordinarie Doctoris non datur Doctor, ille ſolet aliis dare præcepta fidei & morum, & ſi careat humilitate Chriſtiana à quoquam non vult accipere, ſe ſibi ſufficientiſſimum reputans. Ut ut ſit cum tot remedia in dies adhibita fomitem diſſenſionis non extinguerent, ab omnibus Concilium deſiderabatur: ſed dum de loco, de perſonis quæ ad illud admitterentur, de eo qui præſideret, & de aliis conditionibus varia proponuntur ac deliberantur, multi anni elabuntur ſine Concilio, ac interim ubique in orbe Chriſtiano qui antea Catholicus erat ſub obedientia Rom. Pont. præter quoſdam Huſſitas in aliquibus Bohemiæ oppidis & paucis Waldenſibus in Sabaudiæ aliquot Vallibus & circa Alpium radices, invaluerunt hæreſes, cum ipſi Lutheri diſcipuli inter ſe etiam diſſentirent & non pauca errata eius damnatis dogmatibus adderent, ut inter cæteros Calvinus Preſbyter Noviodunenſis in Picardia verſipellis aſtutiæ vir, à quo plures Galli ſeducti avitæ Religioni renuntiarunt.

Matt. 6.

Mirabitur autem quiſpiam qui fieri potuit, ut tantum excreſcerent hæreſes, ac tot animas obtinere potuerint, cum tot eſſent ubique Catholici Epiſcopi & Sacerdotes. Cujus rei non una cauſa eſt. Primum opportunum tempus aderat inimico homini ſeminandi Zizania ſuper triticum, dum dormirent homines Matth. 18. dormiunt autem homines duplici ſomno ignorantiæ circa veritatem & negligentiæ circa virtutum opera: ut enim ſomnus ſenſuum ligatio, ſic ignorantia & mala vita rectæ rationis oppreſſiones quædam ſunt. Non exerit lumen ſuum ratio errore & ignorantia detenta, aut in voluptates dejecta. Ante ortum autem hæreſis pauci inter Epiſcopos & Sacerdotes ſcientia pollebant, & corruptio morum tanta ubique, ut pietas in exilium amandata eſſe videretur. Vnde nova dogmata improbæ vitæ conſentanea facile in plurium mentibus aditum invenerunt, cum exiguus eorum eſſet numerus qui poſſet iis reſiſtere.

Origo Hereſeon.

Hypocriſis quoque & prætextus majoris erga Deum pietatis & pluta illi tribuendi, multos fefellit. Dicebant enim illi: Juſtitiam non aliam quærimus præter illam Agni Dei nobis imputatam: Romani autem ſuam volunt ſtatuere eamque ſibi inhærentem. Nos ita ad pedes Chriſti abjecti eſſe volumus ut in bono opere nihil actionis vitalis nobis tribuamus, ſed omnem activitatem gratiæ. Romani autem ſe audacius erigunt, cooperationem cum Dei gratia ſibi vindicantes. Operibus noſtris nihil fidimus, ea omnia peccata mortalia fatemur, noſque plane evacuantes una fide in Chriſtum ac fiducia in ipſum ſalutem animarum aſſequutos arbitramur: Romani fidei adjungunt opera ſua quæ præſumunt eſſe meritoria, adjungunt ſuas ſatisfactiones, ac Sanctorum, ut non ſolis Chriſti perpeſſionibus ſalventur. Hinc pernoti ſunt vulgi animi, ut ſectam quæ tantum Chriſto tribuit divinam putarent, contrariam erroneam humi repentem, ac Pelagianam quæ ſolum liberum arbitrium exaltat.

Acceſſit ad hæc quod novarum hæreſum Prædicatores, ut earum deformitatem honeſto quodam tegumento obvolverent ſe maximos puri divini Verbi præcones proclamaverunt, omne ſcripturarum ſtudium anterioribus ſæculis abjectum, ac propter earum ignorantiam humanas inventiones, ac traditiones popularium animos occupaſſe: Vnde corrupto Eccleſiæ ſtatu, neceſſe fuerit homines à Deo excitari qui ipſam reſtituant: atque adeo ipſorum opera revocari omnes ad purum lumen Evangelij, ad ſcripturæ diſcutiendum medullam, Biblia vulgari idiomate deſcripta, alias interdicta, ipſorum ope, in publicum conſpectum educere, quicquid dicerent evulgarentque liquidis ſcripturæ verbis, non Thomæ, non Scoti aut ullius hominis authoritate ſtabiliri, cum ſola ſcriptura ſufficeret ad omnium eruditionem, non hominum commenta. Quæ cum audiret populus neſciretque omnium Hæreticorum morem, qui ſe præ aliis ſcripturarum inclitos aſſertores profitentur, haud recogitans ſenſum ſcripturæ à legitimis Paſtoribus accipiendum eſſe, non à ſeipſo legente, ad novam hanc & prætenſam reformationem Eccleſiæ accurrit ac ſi claſſico ſonante commonefactus eſſet: ſed & altum quid ab eo judicatur, propria ſcientia ac ſcripturarum propria diſcuſſione & intelligentia ſic ad apicem rerum ſacrarum veniſſe, ut non amplius obedientia erga Eccleſiam aut animi ſummiſſione erga Patres Eccleſiæ Græcæ aut Latinæ opus eſſet: quare deſpectui haberi cœperunt, & multitudo horum dogmatum ſuavitate delinita, quæ ſola Biblia in pretio habuit, ex quibus putabat ſe poſſe de omnibus fidei controverſiis diiudicare. At quid tandem (præclare ait Weſtonus lib. 5 *de moriб. reipub.* cap. 22. ubi hoc argumentum docte & erudite proſequitur) diſcuſſis Bibliis didicere Proteſtantes? quid in cœlo, quid in terra inde arcani novere? In cœlo adſpexere Deum auctorem eſſe peccati, ſanctos ibi nullos reperiri nedum à nobis honorandos aut invocandos, nullam aut abſurdam competere Deo providentiam in terra perſpexere; principum leges non obligare conſcientias ſubditorum: Eccleſiæ ut pote fallibili non eſſe credendum: non repetiri in hominum moribus decus virtutis, nullum peccatum credenti & ſperanti in Chriſtum nocere aut imputari. An non conſultius ad calceos conſuendos, vel ad molendina vertenda, fuiſſe hoſce aſinos relegatos quam temiſſos ad Biblia, ex quibus adeo barbara, impia, horrendaque expreſſere? nec abſurdum hic fuerit recenſere quod de fœmina à Manichæo infecta recenſet Lucas Siculus apud Baronium tom. 9 colloquens illa cum quodam Sergio. Dic ergo mihi, aiebat, cur ſacra Evangelia non legis? quibus ille verbis illectus nec occultum potius intuens nequitiæ venenum, quod latebat, ita reſpondit: Nobis iſta legere non licet, ſed Sacerdotibus dumtaxat. At illa, non ita eſt, inquit, ut putas, nec enim perſonarum eſt exceptio apud Deum: *Omnes ſiquidem homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* At Sacerdotes veſtri quoniam Dei verbum adulterant & myſteria occultant quæ in Evangelio continentur, idcirco vobis audientibus non omnia legunt quæ ſcripta ſunt, ſed quædam legunt, quædam omittunt.

Scriptura lectio quam damnoſa hæreticis.

His artibus addidere arma Lutherani & Calviniſtæ aliorumque nominum hæretici. Horrenda bella movere in Catholicos: vi & armis ubicumque potuerunt loca munitiſſima occupaverunt. Eccleſias ac Monaſteria expilarunt, altaria denudarunt: in principes legitimos rebellarunt: hinc etiam ad principatum in aliquot regionibus pervenerunt, nec Catholicos paſſi ſunt ſubſiſtere. Quibus vero armis ferroque & igni

nocere non potuerunt, nocuerunt calumniis teterrimis, toti inculpandis Catholicis, ac Religiosis diserti rabidique: Solet enim per calumnias incrementum capere infidelitas. Quod vetus fuit inventum Arianorum hæreticorum in Concilio Nicæno, ubi hæretici Episcopi relicta ipsa controversia qua dissentiebant à Catholicis, libellos crimipatorios Constantino exhibuerunt, vitia quorumdam Episcoporum continentes, quos voluit non lectos exuri Constantinus Magnus, ut hac occasione tractatio fidei non impediretur. Adeo autem res hæc successit Luthero, ut congestis omnibus seu fictis, seu veris Pontificum omnium vitiis, eos sicut Anti-christos exosos reddiderit apud suos Sectatores, & Pastores variis criminibus oneratos, cooperante ad hoc eorum inscitia, tanquam Lupos à populis fugari fecerit. Deo interim ad peccata punienda id permittente, & ut eo modo reformaretur Ecclesia, cum malit pauciores habere veros fideles & Catholicos, quam plures omnibus vitiis conspurcatos, & quorum fœditate vitæ inhonoratur Religio ipsa Christiana, qui etiam si in Catholica remansissent, nihilominus damnarentur.

Iis ac similibus modis in magnum populum crevit Lutherus, cui non destitit quamdiu vixit variis scriptis arma subministrare ad impugnandam Ecclesiam.

Finis Lutheri.

Cum autem an. 1546. quo obiit, jam incœptum esset Concil. Trident. in quo examinari & damnari incipiebant ejus hæreses, fertur dixisse circumstantibus: *Orate pro Domino Deo nostro & eius Evangelio, ut ei bene succedat: quia Concilium Tridenti, & abominabilis Papa graviter ei adversantur.* Hæc fuit cygnea vox Lutheri qui de se prophetasse dicebat S. Joann. Hussum cum diceret, *anserem comburitis, exsurget cygnus quem non comburetis.* Quid insultius à deliranteomine proferri potuit, quam orandum esse pro Deo? aut quid ei timendum à Papa, si vera fuit alia eius vox, *postis eram vivens, moriens ero mors tua Papa?* Sed quid verũ ab ore impuri & excucullati Apostatæ profluere unquam potuit? mortuus est Lutherus & tot eius sequaces, & vivit Papa, cui dixit Christus Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Cui proinde Origenes Homil. 17. in Genesim verba hæc Genesis 49. *Non deficiet Princeps ex Juda*, adaptat, id est, *hic qui post eius resurrectionem Ecclesiarum princeps ordinatur*, &c. *Et videtur ista posse ita intelligi, quod usque ad consummationem sæculi non deerunt isti Duces, donec veniant ea quæ reposita sunt, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.*

Papa perpetuus.

A nibus plena, dissentientibus præsertim Principibus iis inter se, quibus summa rerum pæne omnis a Deo permissa est: cum unum ovile & unum Pastorem Dominici esse gregis, ad integritatem Christianæ Religionis, & ad cœlestium bonorum spem in nobis confirmandam, necessarium duceremus, schismatis, dissidiis, hæresibus erat Christiani nominis divulsa jam pæne & lacerata unitas: cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis Rempubl. optaremus, nostris erratis, nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum & meditatum contra Italiam contraque Austriam & Illiricum terra marique bellum: cum impius & immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia & dissensiones suam benegerendæ rei occasionem ducerent. Igitur, ut dicebamus, in

B tanta hæresum, dissensionum, bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam & gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum conjecimus in Domino cogitatus nostros ut ipse nos nutriret, animumque nostrum firmitate & robore, mentem consilio sapientiaque instrueret: deinde animo repetentes majores nostros sapientia admirabili & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reipublicæ periculis, remedium optimum atque opportunissimum Oecumenica Concilia & Episc. Generales Conventus adhibuisse: ipsi quoque animum ad Generale habendum Conc. adjecimus, exquisitisque Principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis & opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non

C alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, Oecumenicum Concil. & Generale eorum Episcop. aliorumque Patrum, ad quos pertineret, anno Incarnationis Domini, sicut litteris & monumentis nostris testatum est, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Pontificatus nostri tertio, à decima Kalend. Junij inchoandum: spem prope certam habentes fore, ut cum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicut promisit Dominus in medio nostrum adfuturus, & bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset. Matth. 18. Sed ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem & expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus, ab institutis majorum nostrorum, & conditione temporum, nostraque ac hujus sanctæ Sedis ac nominis Ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienas, quas in aliis litteris nostris expressimus. Quapropter alium invenire locum, aliamque deligere civitatem necesse habuimus: quæ cum non statim nobis occurreret idonea & apta, ad sequentes Kal. Novemb.

D prorogare Conc. celebrationem fuimus coacti. Interim sævus & perpetuus hostis noster Turca ingenti classe Italiam adortus, aliquot oppida in litoribus Apuliæ cæpit, vastavit, diripuit, prædas hominum abegit: nos in maximo timore & periculo omnium muniendis litoribus nostris, finitimisque auxilio juvandis fuimus occupati: nec tamen interea destitimus consulere & hortari Christianos Principes, ut de idoneo ad

E habendum Concil. loco quid sentirent, nobis exponerent. Quorum cum essent incertæ variæque sententiæ, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi; nos optimo animo, atque (ut arbitramur) etiam consilio Vincentiam elegimus, urbem copiosam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia, cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam atque tutam in primis in se habentem. Sed cum jam tempus longius progressum esset, novæque urbis electionem omnibus significari conveniret: jamque Kal. Novemb. appetentes facultatem hujus divulgationis excluderent, hiemsque esset propinqua, rursus altera progatione tempus Concilij

BULLA INDICTIONIS SACRI OECUMENICI *CONCILII TRIDENTINI sub Paulo III. Pontif. Max.*

PAulus Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Initio nostri hujus Pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem, Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes jam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium, nostra Pastoralis sollicitudo & vigilia esset vocata; cupiebamus quidem mederi Christianæ Reipublicæ malis, quibus illa jamdudum vexata, & propemodum oppressa est: sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam & conservandam à plurimis impendentibus periculis Rempublicam, omnia invenimus odiis & dissensio-

differre in proximum ſequens ver, Maiique futuras Kalend. compulſi fuimus. Qua re firmiter conſtituta atque decreta, cum & nos ipſos & certa omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandumque Conventum paratemus, plurimum reputantes intereſſe cum celebrationis Concilij, tum univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, Chriſtianos Principes pace inter ſe & concordia conſentire, chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Romanorum Imperat. ſemper Auguſtum, & Chriſtianiſſ. Regem Franciſcum, duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta atque ſubſidia, orare atque obſecrare inſtituimus, ut ad colloquium inter ſe & nobiſcum una convenirent: quorum quidem apud utrumque litteris, nuntiis, & à Latere noſtro Miſſis ex venerabilium Fratrum noſtrorum numero Legatis ſæpiſſime egeramus ut ex ſimultate & diſſidiis ambo in unum fœdus & piam amicitiam vellent convenire, labentibuſque ſuccurrere Chriſtianis rebus: quarum ſervandarum cum eſſet illis poteſtas à Deo præcipue tributa, ſi id non agerent, & ad commune Chriſtianorum bonum ſua conſilia non dirigerent, acris & ſevera ratio eidem Deo ab ipſis reddenda eſſet. Qui aliquando precibus noſtris annuentes, Niceam ſe contulere: quo nos quoque longum iter, & ſenili ætati noſtræ vehementer contrarium, Dei & pacis conciliandæ cauſa ſuſcepimus: neque prætermiſimus interea, cum tempus Concilij præſtitutum, Kal. videlicet Maij, appropinquaret, tres Legatos ſummæ virtutis ac auctoritatis à latere noſtro, de numero eorumdem fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Vincentiam mittere, qui initium Concilij facerent, Prælatoſque undique venientes exciperent, & ea quæ judicarent eſſe opus, agerent & tractarent, quo nos ab itinere & negotio pacis reverſi, omnia accuratius dirigere poſſemus. Interim vero in illud ſanctum opus maximeque neceſſarium tractationem videlicet pacis inter Principes, incubuimus, & quidem omni animi ſtudio, omni pietate ac diligentia. Teſtis eſt nobis Deus, cujus freti clementia, noſmetipſos itineris & vitæ periculo expoſuimus. Noſtra teſtis conſcientia, quæ nihil habet hac in re quidem, in quo nos arguat aut prætermiſſæ aut non quæſitæ ad pacificandum occaſionis. Principes ipſi teſtes, quos tam ſæpe tamque vehementer Nuntiis, litteris, Legatis, monitis, hortatu, precibuſque omnibus obſecraverimus, ut ſimultates deponerent, ut ſocietatem coirent, ut Chriſtianæ Reipub. in maximum & propinquum jam adductæ diſcrimen, communibus ſtudiis opitularentur. Jam vero teſtes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni nocturnique animi noſtri labores, graveſque ſollicitudines, quas ob hanc rem & cauſam plurimas jam ſuſcepimus, nec tamen ad optatum exitum noſtra conſilia & acta adhuc perducta ſunt. Ita enim viſum Domino Deo eſt, quem tamen non deſperamus aliquando optata noſtra benignius reſpecturum. Ipſi quidem, quantum in nobis fuit, nihil quod eſſet Paſtorali noſtro officio debitum, in hac re omiſimus. Quod ſi qui ſunt, qui actiones pacis noſtras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, ſed tamen in dolore noſtro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patientiæ noſtræ ſuos voluit Apoſtolos haberi dignos, qui *pro nomine Jeſu*, qui *pax noſtra eſt*, contumeliam peterentur. Verum in illo congreſſu colloquioque noſtro, quod Niceæ habitum eſt, etſi peccatis noſtris impedientibus inter duos Principes vera & perpetua pax non potuit confici, inducia tamen decennales factæ ſunt: quarum opportunitate nos ſperantes & ſanctum Concilium commodius celebratum iri, & deinde ex Concilij auctoritate perfici poſſe pacem, apud Principes inſtituimus, ut & ipſi venirent ad Concilium, & Prælatos ſuos præſentes ducerent, abſenteſque accerſerent. Qui cum de utroque ſe excuſaſſent, quod & ipſis redire in Regna ſua, tum neceſſe eſſet, & Prælatos, quos ſecum habuiſſent, itinere atque impen-

Act. 5.
Eph. 2.

diis feſſos atque exhauſtos recreari & reficiendos oporteret, nos hoſtati ſunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi Cõcilij decerneremus. Qua itre concedenda cum eſſemus aliquantum difficiles, literas interim à Legatis noſtris, qui Vincentiæ erant, accepimus, tranſacto jam & longius prætereo Concilij ineundi die, unum vix, aut alterum ex exteris Nationibus Prælatum Vincentiam ſe contuliſſe. Quo nuncio accepto, cum videremus eo tempore nulla jam ratione haberi Concilium poſſe, ipſis Principibus conceſſimus, ut differretur tempus Concilij uſque ad ſanctum Paſcha, diem feſtum futuræ Dominicæ Reſurrectionis. Cujus noſtri præcepti expectationiſque decretæ litteræ, Genuæ anno Incarnationis Dominicæ 1539. 4. Calend. Julij factæ publicatæque ſunt: hanc dilationem eo propenſius fecimus, quod pollicitus eſt nobis uterque Princeps Legatos ſuos Romam ad nos ſe miſſurum, ut ea quæ ad perfectionem pacis reliqua eſſent, neque Niceæ ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur & tractarentur. Et ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, ut hæc pacificationis procuratio Concilij celebrationi proponeretur, cum ipſum Concilium, pace facta, multo deinde utilius & ſalutarius Chriſtianæ Reipub. futurum eſſet. Semper enim hæc pacis ſpes nobis injecta, Principum nos voluntatibus aſſentiri hortata eſt: quam ſpem vehementer auxit poſt diſceſſum à Nicea noſtrum, ipſorum duorum principum inter ſe benevola amicaque congreſſio, quæ maxima noſtra cum lætitia à nobis intellecta, confirmavit nos in bona ſpe, ut tandem aliquando noſtras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta eſſe crederemus. Hanc igitur pacis concluſionem cum & expeteremus & urgeremus, nec ſolum duobus antedictis Principibus, verum etiam chariſſimo in Chriſto filio noſtro Ferdinando Regi Romanorum videretur, actionem Concilij, niſi pace facta, ſuſcipi non oportere, cunctique à nobis per literas ſuoſque Oratores contenderent, ut alias rurſus temporis prorogationes faceremus; præcipue autem inſtaret Sereniſſimus Cæſar, promiſiſſe ſe demonſtraturum, iis qui à Catholica unitate diſſentiunt, ſe operam ſuam apud nos interpoſiturum, ut aliqua concordiæ ratio initetur, quod ante ſuam in Germaniam profectionem apte non poſſet fieri: nos eadem ſemper ſe pacis, & tantorum Principum voluntate adducti, cum præſertim cerneremus, ne ad dictum quidem Reſurrectionis feſtum alios Prælatos Vincentiam convenille, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam ſæpe fruſtra fuerat repetitum, celebrationem Generalis Concilij ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere maluimus. Itaque fecimus, & de ſuſpenſione hujuſmodi literas ad ſingulos ſupradictorum Principum decima die Junij 1539. dedimus, ſicuti ex illis perſpicue poteſt intelligi. Ea itaque ſuſpenſione neceſſario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis præciſque aliqua concluſio expectatur, quæ & dignitatem poſtea frequentiamque Concilio, & Chriſtianæ Reipublicæ præſentiorem ſalutem erat allatura, Chriſtianæ interea res in deterius quotidie prolapſæ ſunt, Hungaris Rege ipſorum mortuo Turcam vocantibus, Ferdinando Rege bellum in eos movente, Belgis ad defectionem à Cæſare ex parte quadam incitatis, cujus defectionis comprimendæ cauſa per Galliam amiciſſime, & cum Rege Chriſtianiſſimo concordiſſime, magno benevolæ inter eos voluntatis indicio, tranſiens in Belgas Sereniſſimus Cæſar, & illinc deinde in Germaniam provectus, Conventus Germaniæ Principum & Civitatum, tractandæ ejus, quam dixerat, concordiæ cauſa habere cœpit. Sed cum, ſpe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandæ in Conventibus tractandæque concordiæ ad majores potius diſcordias aptus eſſe videretur, inducti fuimus ad priſtinum Concilij Generalis remedium reverti: idque per Legatos noſtros

noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ipſi Cæſari obtulimus, quod etiam poſtremo & præcipue Ratiſponenſi Conventu egimus, cum illic dilectus filius noſter Gaſpar tituli ſanctæ Praxedis Cardinalis Contarenus, ſumma doctrina & integritate, Legatum noſtrum ageret. Nam cum (id quod ne accideret, antea veriti eramus) ex ejus Conventus ſententia peteretur à nobis, ut ab Eccleſia diſſentientium quoſdam articulos tolerandos declararemus, quoad per Oecumenicum Concilium illi excuterentur & deciderentur, idque nobis ut concederemus, neque Chriſtiana & Catholica veritas, neque noſtra & ſedis Apoſtolicæ dignitas permitteret, palam potius Concilium ut quam primum fieret, proponi mandavimus. Neque vero in alia unquam ſententia & voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore Concilium Oecumenicum & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo & pacem populo Chriſtiano, & Chriſtianæ Religionis integritatem poſſe recuperari: verumtamen id cum bona gratia & voluntate Chriſtianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum obſervamus tempus abſconditum, tempus beneplaciti tui, ô Deus, aliquando tandem decernere compulſi ſumus, omne eſſe tempus beneplacitum Deo, cum de rebus ſanctis & ad Chriſtianam pietatem pertinentibus conſilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi noſtri cum dolore, rem Chriſtianam quotidie in peius ruere, Hungaria à Turcis oppreſſa, Germanis periclitantibus, cæteris omnibus metu mœroreque afflictis, nullius jam Principis conſenſum expectare, ſed tantum Dei omnipotentis voluntatem, & Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem attendere conſtituimus. Itaque cum Vincentiam amplius non haberemus, cuperemuſque cum univerſæ Chriſtianorum ſalutis, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos novo Concilij habendi loco conſulere, aliquotque locis propoſitis, ipſam Tridentinam civitatem ab ipſis deſiderari videremus: nos, etſi in citeriore Italia commodius omnia tractari poſſe judicabamus, ad eorum tamen poſtulationes noſtram voluntatem paterna charitate defleximus. Itaque Tridentinam civitatem elegimus, qua in civitate Oecumenicum Concilium ad proxime venturas Calendas Novembris haberetur, idoneum locum ipſum fortuentes, quo ex Germania quidem, aliiſque Germaniæ finitimis Nationibus facillime, ex Gallia, Hiſpania, cæteriſque Provinciis ulteterioribus non difficiliter Epiſcopi & Prælati convenire poſſent. Dies autem Concilij ea à nobis ſpectata eſt, quæ ſpatium in ſe haberet & publicandi per Chriſtianas Nationes noſtri hujus decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quo minus autem annuum tempus præfiniremus mutando Concilij loco, ſicut quibuſdam Conſtitutionibus alias præſcriptum eſt, res fuit in cauſa, quod longius extrahi ſpem ſanandæ aliqua in parte Chriſtianæ Reipublicæ, quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta eſt, nolumus. Et tamen videmus tempora, agnoſcimus difficultates, quid ſperari poſſit ex conſiliis noſtris, incertum eſſe intelligimus. Sed quia ſcriptum eſt. *Revela Domino viam tuam, & ſperavit in eo, & ipſe faciet*: magis Dei clementiæ & miſericordiæ confidere, quam noſtræ imbecillitati diffidere conſtituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod humana conſilia non valent, divina virtus efficiat. Hujus igitur ipſius Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac beatorum ejus Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque ſubnixi, de venerabilium item fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſublata amotaque ſuſpenſione, de qua ſupra commemoratum eſt, quam per præſentes tollimus & amovemus, ſacrum Oecumenicum & generale Concilium in civitate Tridentina, loco commodo & libero omnibuſque nationibus opportuno, ab Kalendas proximas Novembris anni præſentis ab Incarnatione Domini 1542. incipiendum, proſequendum, & eodem Domino adjuvante, ad ipſius gloriam atque laudem atque Chriſtiani totius populi ſalutem abſolvendum perficiendumque indicimus, annuntiamus, convocamus, ſtatuimus atque decernimus: omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, quam alios quoſcumque, quibus jure aut privilegio in Concilijs generalibus reſidendi, ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis in vi juriſjurandi, quod nobis & huic ſanctæ Sedi præſtiterunt, ac ſanctæ virtutis obedientiæ, aliiſque ſub pœnis, jure aut conſuetudine in celebrationibus Conciliorum adverſus non accedentes ferri & proponi ſolitis, mandantes arcteque præcipientes, ut ipſimet, niſi forte juſto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per ſuos legitimos Procuratores & Nuncios ſacro huic Concilio omnino adeſſe & intereſſe debeant. Supra autem dictos Imperatorem, Regemque Chriſtianiſſimum, necnon cæteros Reges, Duces, Principes quorum præſentia ſi alias unquam, hoc quidem tempore maxime ſanctiſſimæ Chriſti fidei, & Chriſtianorum omnium futura eſt ſalutaris, rogantes atque obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus fidei veritas & Religio intus & extra graviter jam oppugnatur: ut ſi ſaluam volunt Chriſtianam eſſe Republicam ac ſe Domino obſtrictos & obligatos pro maximis illius erga ſe beneficiis intelligunt, ne deſerant ipſius Dei cauſam & negotium, ipſimet ad ſacri Concilij celebrationem veniant, in quo ipſorum pietas atque virtus communi utilitati, ſalutique ſuæ ac cæterorum & temporali & æternæ plurimum eſt profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipſi non poterunt, at graves ſaltem viros Legatos cum authoritate mittant, qui perſonam Principis ſui quiſque, & cum prudentia & cum dignitate poſſint in Concilio referre. In primis vero, ut id curent, quod ipſis facillimum eſt, ut ex ſuis cujuſque Regnis ac Provinciis Epiſcopi & Prælati ſine tergiverſatione & mora ad Concilium proficiſcantur. Quod maxime quidem à Prælatis principibuſque Germaniæ Deum ipſum atque nos impetrare æquum eſt, ut cum eorum præcipue cauſa ipſiſque cupientibus Concilium indictum ſit, & in ea civitate indictum, quæ ab eis eſt deſiderata, non graventur ipſi ſua cunctorum præſentia id celebrare & ornare, quo melius atque commodius, quæ ad integritatem & veritatem Chriſtianæ Religionis, quæ ad bonorum morũ reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe, tam Principum quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorũ & infidelium, quibus illi univerſam Chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dicto ſacro Oecumenico Concilio, & conſpirante omnium charitate conſuli, tractari, confici, ad optatoſque exitus deduci quam primum, & quam optime poſſint. Atque ut noſtræ hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiæ excuſationem prætendat, cum præſertim etiam non ad omnes eos quibus nominatim illæ eſſent intimandæ, tutus forſitan pateat acceſſus: volumus & mandamus, ut in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & Eccleſia Lateranenſi cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari ſolita eſt, palam clara voce per Curiæ no-

Civitas Tridentina electa ad concil.

Concil. Conſtant. Seſſ. 39.

Pſal. 36.

ſtræ Curſores, aut Notarios aliquos publicos legantur, lectæ in valuis dictarum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ portis, & Campi Floræ ſolito loco affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquamdiu expoſitæ pendeant: cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eiſdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem affixionemque hujuſmodi omnes & quoſcumque quos antedictæ noſtræ comprehendunt, poſt ſpatium duorum menſium, à die literarum publicationis & affixionis, ita volumus obligatos eſſe atque adſtrictos, ac ſi ipſiſmet illæ coram lectæ & intimatæ eſſent; tranſumptis quidem earum, quæ manu publici Notarij ſcripta, aut ſubſcripta, & ſigillo perſonæ alicujus Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ munita fuerint, ut fides certa & indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Indictionis, annuntiationis, convocationis, ſtatuti, decreti, mandati, præcepti & obſecrationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1542. undecima Kalendas Junij Pontificatus noſtri anno octavo.

BLOSIVS.

HIER. DAND.

SESSIO PRIMA SACRO-SANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

Sub Paulo III. Pontifice Maximo celebrata die 13. menſis Decembris, anno Domini 1545. Præſidentibus in ea, nomine ejuſdem Pontificis, Reverendiſſimis D D D. Ioanne Maria de monte, Marcello Cervido, Reginaldo Polo, S. R. E. Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate ejuſdem Domini noſtri 1545. Indictione tertia, die vero dominica tertia adventus Domini, in qua fuit Feſtum ſanctæ Luciæ, & 13. menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli, divina Providentia Papæ Tertij anno 12. pro felici inchoatione ſacroſanctæ Oecumenicæ & Generalis Tridentinæ Synodi fuit facta Proceſſio generalis in civitate Tridentina ab Eccleſia ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis ad Eccleſiam Cathedralem; aſſiſtentibus in eâ tribus Sedis Apoſtolicæ Legatis, & Reverendiſſ. Illuſtriſſ. Domino Chriſtophoro Madrucio, tituli S. Cæſarij S. R. E. Presbytero Cardinali, & Epiſcopo Tridentino: nec non RR. Patribus Dominis Archiepiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, ac illuſtribus & nobilibus viris infraſcriptis, cum multis alijs Doctoribus tum in Theologia, tum in utroque jure: etiam cum magno numero Baronum & Comitum, necnon cum clero & populo dictæ Civitatis. Qua finita, præfatus Reverend. & Illuſtriſſ. Dominus Cardinalis de Monte, primus Legatus, celebravit Miſſam de ſancto Spiritu in Sancta Cathedrali Eccleſia, & Reverend. Pater Dominus Epiſcopus Bizontinus habuit Orationem. Deinde finita Miſſa, dictus Reverend. D. de Monte Cardinalis dedit benedictionem populo. Poſtmodum comparuit coram eiſdem RR. Legatis & Prælatis, egregius vir Magiſter Zorrilla, Secretarius Illuſtriſſ. D. Didaci de Mendoza, Oratoris Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis, & præſentavit litteras excuſatorias ſuper ejus abſentia, quæ fuerunt lectæ alta voce. Interea lectæ fuerunt Bullæ indictionis Concilij.

Poſtmodum præfatus Reverendiſſ. de Monte Legatus, vertit ſe ad Patres Concilij, dicens: Placetne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & Religionis Chriſtianæ, ad extirpationem hæreſium, ad pacem & unionem Eccleſiæ, ad reformationem Cleri & populi Chriſtiani, ad depreſſionem & extinctionem hoſtium Chriſtiani nominis, decernere & declarare, ſacrum Tridentinum & Generale Concilium incipere, & inceptum eſſe? Reſponderunt: Placet. Et cum proxima ſit celebritas Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſubſequantur aliæ Feſtivitates labentis & incipientis anni; placetne vobis, primam futuram Seſſionem habendam eſſe die Iovis poſt Epiphaniam, quæ erit ſeptima menſis Januarij, anno Domini 1546. Reſponderunt: Placet. Poſtremo idem Reverendiſſ. de Monte benedixit Synodum: & deinde Cantores cantaverunt, Te Deum. Super quibus omnibus D. Hercules Severolus, ipſius Concilij Promotor, petiit à D. Claudio de la Caſa, Clerico Virdunenſis Diœceſis, Notario ejuſdem Concilij, & ab alijs Notarijs, unum vel plura fieri Inſtrumentum, ſeu Inſtrumenta. *Exordiũ Concilij.*

Admonitio atque Hortatio Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ad PP. in Concilio Tridentino, habita in prima Seſſione.

PAtres Reverendiſſ. &c. Cum ipſa muneris noſtri ratio, qui in hac ſancta Synodo Præſidentium & Sedis Apoſtolicæ Legatorum perſonam gerimus, hoc poſtulatura videtur, ut creſcentibus negotijs, quæ in hoc ſacro Conſeſſu ad Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem ſunt expedienda, ſæpius apud vos cohortandi & commonendi cauſa, verba faciamus: cum vero in hac prima Seſſione, quæ felix (ut ſperamus) principium ipſi Concilio eſt datura, minime hoc à nobis prætermittendum duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur, quod cum vos vel hortamur, ut ea faciatis quæ digna tanto Conventu ſint, vel à contrariis dehortamur, noſmetipſos etiam hortamur, qui in eadem quaſi navi vobiſcum ſumus, iiſdemque periculis, quibus vos, iiſdem tempeſtatibus ſubjicimur. Noſmetipſos (inquam) excitamus ad vigilandum, ne vel in ſcopulos incidamus, qui plurimi proculdubio in hoc curſu ſeſe offerent; vel magnitudine negotiorum, tamquam fluctuum obrui nos negligentia noſtra patiamur: verum ſpe & fide erecti, eo navigationem dirigamus, quo maxime portus ſalutis ad Dei gloriam in Chriſto Jeſu ſeſe oſtendet. Igitur ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc principio admonendi omnes ſumus, unuſquiſque noſtrum ante oculos ſibi in primis proponere debet, quænam ſint quæ ab hoc ſacro Concilio expectentur: ex quo quiſque facile intelliget, quantum ſibi oneris incumbat. Sunt vero ea (ut omnia ſummatim complectamur) quæ in Bulla Indictionis Concilij continentur; nempe hæreſum extirpatio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ & morum reformatio, ac tandem pax æterna totius Eccleſiæ. Hæc ergo ſunt, quæ nos curare, vel potius pro *Scopus Concilij triplex.*

quibus aſſiduè orare, ut Dei benignitate fiant, oportet: atque illud eſt, de quo ante omnia in ipſo Concilij exordio, omnes & ſingulos qui huc convenimus: primum autem nos ipſos qui in tam ſancto miniſterio præſidemus, admonendos duximus, ne umquam cogitemus, vel per ſingulos qui hic adſunt, vel per univerſum Concilium, etiamſi omnes Paſtores ex univerſo terrarum orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Chriſti eſt oppreſſus, provideri poſſe. Si enim putamus hoc à nobis perfici poſſe, aut ab alio quam ab ipſo Chriſto, quem Deus Pater unicum nobis ſervatorem & paſtorem dedit, cui etiam omnem poteſtatem dedit; erramus ſane in fundamento omnium actionum noſtrarum, & divinam iram magis provocabimus. Adjungimus enim ad ſuperiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quod ipſum fontem aquæ vivæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quod noſtra vel prudentia, vel potentia iſidem malis mederi velimus: ut merito de nobis dicatur, quod Propheta in perſona Dei, veterem populum accuſans, dicit: *Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas non valentes continere aquas.* Tales vero ciſternæ ſunt omnia conſilia, quæ à noſtra prudentia, non afflata Spiritu divino, proficiſcuntur; quæ non modo populos in pietate & obedientia, tanquam aquam in ciſternis, continere non valent, ſed quo magis his artibus retinere eos laboramus, violentius tanquam torrentes à nobis defluunt & diſcedunt: ut ſuperiorum annorum experientia multis in locis ſatis nos docere poteſt, & nunc admonere, unicam tantum viam medendis his malis relictam, ſi noſtra omnia remedia inutilia eſſe agnoſcentes, & valere potius ad augenda quam tollenda mala: ad Chriſti potentiam, quem dexteram ſuam Deus Pater appellat; ad Chriſti ſapientiam, qui eſt ſapientia Patris, in omnibus nos, qui Patrum perſonam gerimus, fide & ſpe confugiamus, hujus nos in omnibus miniſtros eſſe agnoſcamus. *Hic vero quaritur* (inquit Apoſtolus) *inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Hoc autem nunc nobis agendum eſt, ut miniſtros nos in omnibus idoneos præbeamus. Erimus vero idonei, ſi nos ex nobis minime idoneos eſſe judicaverimus. Quis enim (inquit idem Apoſtolus) ad hæc idoneus? ut qui *ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſimus ſufficientes.* Verum hoc fateri non ſatis eſt nobis; hoc dicere potuit Apoſtolus, & per hanc portam ingredi ad obeundum munus ſuum, in eo ſe miniſtrum fidelem ac idoneum oſtendere, qui ſimul dicere potuit de miniſterio ſuo loquens: *Nihil mihi conſcius ſum.* Nobis vero, qui, ſi verum fateri volumus, aliter dicere non poſſumus, quin nobis conſcij ſimus, in adminiſtrando munere nobis impoſito, in plurimis defeciſſe, & horum etiam malorum, ad quæ corrigenda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe, non ſatis eſt hic fateri, ad tantum munus nos impares eſſe. Quid ergo miniſtri in Eccleſia inſtauranda facere poſſimus? Idem prorſus, quod Chriſtus ipſe Epiſcopus animarum noſtrarum fecit, cum venit ad fundandam & formandam Eccleſiam ſuam. Idem ſane, Patres, faciendum erit nobis, quod ipſa ſapientia Patris fecit, cum venit ut multos filios in gloriam adduceret: id quod nobis item propoſitum nunc eſſe debet. Is enim cum oppreſſos peccatis omnes inveniſſet, omnia omnium peccata in ſeipſum tranſtulit, ſeque unum ante Deum pro omnibus reum & nocentem conſtituit, ac pœnam nobis debitam ſuſtinuit, tanquam omnia flagitia & omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe commiſiſſet, cum tamen ab omni labe peccati puriſſimus eſſet: *Quippe qui peccatum non fecit, neque unquam inventus eſt dolus in ore ejus.* Quod vero Chriſtus pro immenſa ſua charitate erga Deum Patrem, & pro miſericordia erga noſtrum genus fecit; hoc nunc ipſi faciamus, juſtitia ipſa à nobis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos paſtores coram tribunali miſericordiæ Dei reos conſtituamus, atque omnium peccata in nos ipſos non tam pie quam juſte transferentes, quia revera horum malorum magna ex parte nos cauſa ſumus, divinam miſericordiam per Ieſum Chriſtum imploremus. Quod vero dicimus, nos paſtores his malis, quibus Eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe, ſi quis hoc acrius, & magis per exaggerationem quandam verborum, quam vere dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Reſpiciamus ergo paululum ad ipſa mala, quibus Eccleſia opprimitur, ac ſimul etiam ad noſtra peccata. Sed quis hæc numerare valeat, quæ ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris, & uſque ad Cœlum clamant? Circumſcribamus ergo tantam multitudinem noſtrorum malorum illis limitibus, quibus hoc Concilium, quod capitalibus malis medendis eſt vocatum, ea circumſcripſit. Sunt vero illa tria quæ ſupra commemoravimus, hæreſes, lapſa morum diſciplina, & inteſtinum atque externum bellum. Hic ergo videamus & conſideremus cum tam multis annis Eccleſia his calamitatibus vexetur, unde nam ipſa originem habuerunt; num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus? Primum vero examinemus initium hæreſum, quæ hac noſtra ætate paſſim pullularunt: quibus ſi negare volumus nos principium dediſſe, quia nullius hæreſeos ipſi auctores fuimus; tamen cum perverſæ de fide ſententiæ, tamquam vepres quædam ſint & ſpinæ, quæ in agro Domini, qui nobis colendus commendatus eſt, ortæ ſunt: & ſi illæ quidem ſua ſponte, ut ſolent aliquando vitioſæ herbæ, pullularunt, tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui non ſeminavit, qui pullulantes per ſe non ſtatim curam adhibuit, ut extirparet, non minus quidem principium illis dediſſe dicendus eſt, quam ſi ipſa ſeminaverit, præſertim cum hæc omnia à negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo ſeipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro Domini, conſcientiam ſuam interrogent, quomodo in eo colendo, quomodo in ſeminando ſe geſſerint. Quod qui fecerint, his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi agro Domini colendo incumbunt, non multum (credimus) dubitabunt, num ad ipſos pullulantium paſſim in Eccleſia hæreſum culpa pertineat. Hæc vero monendi tantum cauſa dicta ſatis ſint de his quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad ſecundum, quod lapſam morum diſciplinam, & abuſus (ut vocant) complectitur. Hic vero nihil attinet diu inveſtigare, quinam tantorum malorum auctores fuerint, cum præter nos ipſos ne nominare quidem ullum alium auctorem poſſimus. Quare ad tertium accedamus, quod impedimenta pacis Eccleſiæ in ſe continet, qualia ſunt arma vel domeſtica, vel externa: hæc enim jampridem pacem Eccleſiæ perturbarunt, & adhuc perturbant. De quibus hoc tantum dicimus, ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella ejus ſunt, quibus nos affligit; quia duorũ priorum capitum rei ſumus, in quibus nos excuſare non poſſumus, etiam horum armorum præcipuam nos cauſam eſſe negare non poſſumus. Ejuſmodi vero flagella Deum ob eam cauſam immittere cenſemus, ut nos peccantes caſtiget, & peccata ipſa, quibus Majeſtatem ejus maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic vero quiſquis aliquando animadvertit, quibus modis Eccleſia armorum violentia vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint, in quibus præcipue Eccleſia propter ipſa arma detrimentum patiatur. Nec vero hic refert, de quorum armis loquamur, ſive de inteſtinis noſtrorum Principum, ſive de externis Turcarum armis quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt; ſive de eorum, qui ab obedientia ſuorum Paſtorum deceſſerunt, & ipſos à ſuis ſedibus

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Negligentia Epiſcoporum carpitur.

1. Petr. 2.

expulerunt. Hoc enim ſummatim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra nos tractarunt, à ſuis Eccleſiis Paſtores fugarunt, Ordines confuderunt, laïcos autem in Epiſcoporum locum ſuffecerunt. Eccleſiæ bona diripuerunt, curſum verbi Dei impediverunt: hic, inquam, dicimus, nihil horum eſſe, quod in libro abuſuum Paſtorum, maxima illorum pars qui hoc nomen ſibi vendicant, per ſe factum eſſe ſi legere libuerit, non ſcriptum apertis verbis inveniat. Noſtram enim ambitionem, noſtram avaritiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populum Dei prius affeciſſe ſtatim inveniet, atque harum vi ab Eccleſiis Paſtores fugari, eaſque pabulo verbi privari, bona Eccleſiarum, quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis Sacerdotia conferri, & illis, qui nihil à laïcis, præterquam in veſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt, quod negare poſſimus per hos annos à nobis factum eſſe? Quare ſi Turca, ſi hæretici hoc idem adverſus nos faciunt, quid hic aliud quam flagitia noſtra, & ſimul juſtum Dei judicium videmus? Iudicium vero plenum miſericordia. Si enim pro meritis nos caſtigaret, jam pridem *ſicut Sodoma & Gomorrha fuiſſemus.* *Iſaiæ 1.*
Cur vero hæc nunc commemoramus? an ut vos confundamus? abſit: ſed magis ut vos ſeu Patres & Fratres chariſſimos, primum autem noſmetipſos admoneamus, quo pacto hæc, quibus nunc affligimur, flagella & graviora quæ impendent, niſi reſipiſcamus, vitare poſſimus, ut effugiamus tremendum illud Dei judicium, omnibus quidem non reſipiſcentibus tremendum, maxime vero illis qui præſunt. *Iudicium enim grave* (inquit Scriptura) *his qui præſunt, fiet.* *Sap. 5.* *1. Petr. 4*
Iudicii vero incipere nunc videmus *à domo Dei.* Dum enim nunc ejiciuntur Sacerdotes dum conculcantur ab hominibus; quid aliud hoc indicat, quam divinũ de nobis judicium, quod prædixit Chriſtus, cum diceret Sacerdotes ſuos eſſe ſal terræ: *quod ſi ſal evanuerit,* ad nihil valere ultra, *niſi ut ejiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Hæc vero omnia nos nunc patimur. Quod ſi propter juſtitiam, ut noſtri majores, beati nos quidem; at nunc juſte quidem, quia ſal evanuit. Minime autem propter juſtitiam patimur: in omnibus enim noſtris afflictionibus videmus judicium Dei. Atque utinam quidem illud videremus! hoc enim initium eſſet omnia Dei judicia & flagella effugiendi, atque in gratiam & veram gloriam ingrediendi. Quæ res fecit, ut in his commemorandis acriores & longiores fuerimus: niſi enim hæc bene cognita & perſpecta fuerint, fruſtra intramus in Concilium, fruſtra invocamus Spiritum ſanctum, qui primum ingreſſum in animam hominis ſemper facere ſolet per ipſius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato. Quare niſi ille Spiritus nos apud noſmetipſos primum condemnaverit, nondum illum ingreſſum eſſe ad nos affirmare poſſumus, ac ne ingreſſurum quidem, ſi peccata noſtra audire recuſamus. Idem enim dicetur nobis, quod populo veteri per Prophetam Ezechielem eſt dictum, cum nondum agnitis ſuis ſceleribus, Deum per Prophetam interrogare vellent. Sic autem ait Propheta: *Venerunt viri Iſrael ad interrogandum Dominum, & ſederunt coram me. Hæc autem dicit Dominus: Numquid ad interrogandum me veniſtis? Vivo ego, dicit Dominus, quia non reſpondebo vobis.* Sequitur autem: *Si judicas eos, abominationes patrum illorum oſtende illis.* In quibus verbis oſtendit Deus, quare noluerit reſpondere illis, quia nondum ſcilicet abominationes ſuas & Patrum ſuorum audierant. Quare cum idem Dei Spiritus ſit, qui tum dabat reſponſa, & quem nunc nos ſedentes coram Domino invocamus: quid nobis faciendum ſit, ut propria reſponſa habeamus, ex his videtis; & ſimul quam neceſſario nos, qui præſidemus in hoc ſacro Conſeſſu, à detegendis noſtris peccatis ſermonis exordium vobiſcum duximus. Quia vero nonnullos nunc videmus, ſua primum peccata & noſtri Ordinis gravius deflentes, atque Dei miſericordiam omnibus votis implorantes: ideo quidem in maxima ſpe ſumus, adveniſſe, quem invocamus Dei Spiritum. Hoc nos vero maximum pignus divinæ miſericordiæ habemus, nempe ipſam hanc inchoationem Concilij, in quo nunc convenimus ad erigendam & inſtaurandam pæne collapſam Eccleſiam, ut vetus populus, poſt diuturnam captivitatem apud externos Reges, rediit Jeroſolymam ad inſtaurandum templum. In illius vero populi ſtatu, in illorum læta ad patriam profectione, & templi inſtauratione, noſtri quidem temporis & noſtri ſtatus, in hoc præſertim Concilio imaginem intueri poſſumus: & in ducum ejuſdem populi exemplo, veſtrum, quiduces eſtis populo Dei ad cæleſtem patriam contendentis, oſtium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, ut ſæpius ad memoriam revocetis, quæ in Eſdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris ſunt ſcripta, in quibus conſilia omnium Ducum populi explicantur, quæ hunc unum ſemper ſcopum habuerunt, ut ſua & populi atque Patrum peccata confitentes ad pœnitentiã & implorationem divinæ miſericordiæ omnes excitarent. Quod cum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter ſucceſſere. Eadem vero conſilia nobis, ſi felicem ſucceſſum & exitum expectare volumus in inſtauranda Eccleſia, ob quam cauſam læti huc in ſpiritu convenimus, ſequenda erunt: atque eo quidem magis quo etiam majora nobis certamina impendent inſtauraturis Eccleſiam, quam illis inſtauraturis templum. Si enim illis multi, quo minus id perficeretur, ſe oppoſuere, ſi multi etiam, cum opus impedire non poſſent, eos irriſerunt: hoc quidem ſic habetote, nobis nec irriſores defuturos, nec qui maximis viribus à cœpto opere nos deterreant & avocent. Habebimus vero non modo *Colluctationem cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitiis in cæleſtibus.* Verum his omnibus potentior eſt is, in cujus nomine hoc opus ſumus aggreſſi. Quare in eo confidamus, ipſum precibus invocemus, & ipſe omnia perficiet. Quia vero hoc Concilium cum deliberantium, tum vero judicantium ſpeciem refert, in quo & deliberatur de iis quæ ad univerſalis Eccleſiæ bonum pertinent, & etiã judicatur tam de rebus quam de perſonis, (ſedemus enim tanquam judicantes duodecim tribus Iſrael, quibus comprehenditur univerſus populus Dei) ideo maxime locus videtur nos ipſos admonendi, ut caveamus ab his, quæ vel conſultandi vel judicandi vim in nobis depravare ſolent. Hæc vero ſunt ipſæ animi paſſiones, quæ ideo etiam perturbationes vocantur, quia rectum & verum de rebus judicium & ſenſum perturbant ac pervertunt. In quibus maxime illa ſunt cavenda quæ recte monet Ethnicus ille in conſilijs abjicienda, cum dicit, omnes homines qui de rebus dubiis conſultãt, ab ira, odio, amicitia, vacuos eſſe debere. Nam cum in hæc omne genus hominum ſit propenſum, tum vero ij maxime, qui Principibus ſerviunt (tales enim vehementiores habent affectiones:) facillime autem ad gratiã loquuntur, vel ad odium, prout ſcilicet ipſos exiſtimant Principes affectos eſſe, à quibus mercedem expectant. Cum vero de Principibus loquimur, tam de his qui Eccleſiaſtici vocantur, quam qui ſæculares, loquimur. Ac licet quidem nos Principes Chriſtianos habere agnoſcamus & gaudeamus, id quod in veteri & jam recens fundata Eccleſia Patres noſtri non habuerunt: tamen ante omnia nobis in hoc Concilio ſemper eſt animadvertendum, hunc non eſſe locum laudandi aliquem, niſi ſolum Deum in Chriſto Ieſu, atque illum ſolum juſtificandi, omne autem genus hominum condemnandi, primum vero nos ipſos, qui hæc loquimur, ut cum Daniele dicamus: *Nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris, qui peccaverunt: tibi autem Domino DEO noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te, & non audivimus vocem Domini Dei* *Eph. 6* *Cæſar. in Catil. verba.*

noſtri, ut ambularemus in lege ejus, quam poſuit nobis per ſervos ſuos Prophetas. Et omnis Iſrael prævaricati ſunt legem tuam & declinaverunt, ne audirent vocem tuam: & ſtillavit ſuper nos maledictio & deteſtatio. Hic vero nunc locus eſſet, ut ejuſdem Prophetæ exemplum ſequentes, cujus verba modo recitavimus, non ſolum noſtra qui Sacerdotes ſumus, ſed populi, ſed Principum, coram Deo & Eccleſia ejus, peccata confiteremur, proque omnibus veniam implo-
Ibid. raremus. Sic vero dicit Daniel: *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei:* nomine populi hoc loco omnium ordinum perſonas complectens, ut ejus confeſſio, quam modo recitavimus, declarat. Qua in re, quid nobis, qui pro ſalute univerſæ Eccleſiæ tantis malis oppreſſæ, huc convenimus, faciendum ſit, ſatis indicare videtur: nimirum ut noſtra, & ſimul Principum ac populi peccata flentes confiteamur. Id quod plane in ſpiritu mœroris ſatis nunc abunde facimus, verbis vero uberius faceremus, ſi ipſi Principes adeſſent, qui ſuam nobiſcum confeſſionem & lacrymas conjungerent. Ejuſmodi vero quaſi funiculus peccatorum, ut Prophetæ loquuntur, Sacerdotum ac Principum atque ipſius populi peccata ſunt colligata, ut difficile ſit de unius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum ſimul ordinum peccata appareant. Sic vero omnes ordines una rationis ſerie accuſans, in veteri populo di-
Ezech. 22 cit Ezechiel in perſona Dei: *Sacerdotes ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam. Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, ad perdendas animas, & avare ſectandà lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam.* Hæc ille. Quæ utinam ad illa ſolum tempora pertinerent, ac non noſtri quoque temporis imaginem referrent! Utinam, cum de corruptela morum ſacerdotum loquimur, huic maximam occaſionem, maximam materiam & authoritatem ipſos Principes, atque ipſum populum dediſſe negare poſſemus! Sed reprimamus nunc verba uſque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lacrymarum aperiamus. Redeamus vero ad eos, quos cœpimus, admonendos, præſertim Epiſcopos, qui cum mandatis Principum huc venerunt. Sic vero illos admonemus, ut omni qua poſſunt, fide & diligentia ſuis Principibus ſerviant: verum ut Epiſcopos decet,
1. Cor. 7. ſic illis ſerviant, *ut ſervi Dei, non ut ſervi hominum. Nolite*, inquit Apoſtolus, *ſervi hominum eſſe.* Primum vero ſerviant uni Regi Chriſto, cui Deus Pater omnem poteſtatem dedit: deinde vero propter eum
Rom. 13. omnibus, maxime autem Principibus: *Cui honorem, honorem; cui tributum, tributum.* Hortamur autem, ut Principibus ſerviant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipſis præ ſeferunt: in quibus nihil fere, niſi honorificum, & ad publicam utilitatem ſpectans, proponitur. Sic vero in ſumma ſerviant, ut eorum officium in primis ſpectet ad honorem Dei, & utilitatem hujus Concilij, quod propter publicum bonum eſt convocatum. Quare ut ab hoc maxime dehortamur omnes, qui hic ſententias coram Deo & Angelis ejus, atque coram univerſa Eccleſia ſummus dicturi; ne ad gratiam hominis alicujus loquamur: ſic etiam multo magis, ne ad odium cujuſquam ſententiam proferamus, etiam ſi contra nos adverſarij, vel inimici & hoſtis perſonam gerat: denique ut ab omni inter nos contentione abſtineamus, maxime optamus, & in Domino hortamur. Hæ enim ſunt, quæ contriſtant & repellunt quem invocamus Spiritum ſanctum, ſine quo nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum & pacem Eccleſiæ cedat. *Cum enim*, inquit Apoſtolus, *ſint inter vos*
2. Cor. 3. *contentiones, nonne homines eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Cum vero homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem quæ ad reformationem Eccleſiæ pertinent, ob quam cau-

A ſam convenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primum formavit: de quo hoc ipſum opus ingrediente, ſic in perſona Dei Propheta loquitur: *Ecce ſervus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum: judicium gentibus nuntiabit: non contendet, neque clamabit, arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Hunc vero ſpiritum pacis, charitatis & manſuetudinis, cum ſemper apud omnes, & cum omnibus oſtendere debeamus, tum vero maxime in hoc ſacro Conſeſſu, in quo convenimus, ut per gratiam ipſius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu Eccleſiam vexarunt, finis tandem imponatur. Quare ne ipſi ullam contentionis anſam alteri demus, qui pacificorum perſonam gerimus, maxime eſt cavendum. Hoc vero & cæteta omnia incommoda & B impedimenta pacis unico modo evitabimus, atque ad optatum pacis portum perveniemus, ſi precibus ab humili & contrito corde profectis, ipſum Chriſti *Epheſ. 23* Spiritum, *qui eſt pax noſtra*, invocaverimus: ut in hoc Concilio præſideat: ut lucem cordibus noſtris infundat, utque nos in omnibus ad ipſius honorem, & veram Eccleſiæ utilitatem regat & dirigat. Ad tales *Iſa. 65.* enim ipſe dicit: *Adhuc te loquente, ecce adſum.* Quare ut hujuſmodi orationibus aſſidue incumbamus, quanta poſſumus charitate vos in Domino hortamur, ut uno ore atque uno ſpiritu Deum Patrem in Chriſto Jeſu glorificemus, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. Amen.

SESSIO SECUNDA.

C *Celebrata die ſeptima menſis Januarij, anno 1546.*

ANno à Nativitate Domini 1546. Indictione 4. die Jovis 7. menſis Januarij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. D. N. Pauli divina providentia Papæ III. anno duo decimo, Reverendus Pater D. Epiſcopus Caſtellimaris celebravit Miſſam de Spiritu ſancto in Eccleſia Cathedrali & in loco Seſſionis. Qua finita, Reverendus Pater Dominus Epiſcopus S. Marci habuit Orationem. Deinde Reverend. Cardinales & alij Prælati acceperunt pluvialia & mitras, fueruntque cantatæ Litaniæ. Poſtea Reverend. Cardinalis de Monte benedixit Synodum, & fuerunt factæ cæremoniæ in Seſſionibus publicis fieri D ſolitæ. Deinde Reverendus Pater D. Epiſcopus Caſtellimaris legit Decretum. Quo lecto, interrogavit Patres, utrum hæc placerent: qui reſponderunt, placent, cum aliquibus additionibus, per aliquos ex Patribus additis. Deinde interrogavit eos: Placet, quod proxima Seſſio fiat 4. Februarij proxime futura? Qui reſponderunt: Placet.

DECRETUM SECUNDÆ SESSIONIS.

De modo vivendi, & aliis in Concilio ſervandis.

SAcroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſidentibus ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, agnoſcens cum beato E Jacobo Apoſtolo, quod *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, qui iis, qui poſtulant à ſe ſapientiam, *dat omnibus affluenter, & non improperat eis*: & ſimul ſciens, quod *initium ſapientiæ eſt timor Domini*: ſtatuit, & decrevit, omnes & ſingulos Chriſti fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos eſſe, prout exhortatur, ut ſe à malis & peccatis hactenus commiſſis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare, ſæpius confiteri, Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, Eccleſias frequentare, præcepta denique Dominica (quantum quiſque poterit) adimplere, necnon quotidie pro pace Principum Chriſtia-

Jacob. 1. *Eccl. 1.* *Pſal. 110*

norum ac unitate Eccleſiæ privatim orare velint: Epiſcopos vero, & quoſcunque alios in Ordine Sacerdotali conſtitutos, Oecumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut aſſidue Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes, & preces offerre, Sacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die Dominico (in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in Diſcipulos infudit) peragere ſatagant: facientes, ſicut idem Spiritus ſanctus per Apoſtolum præcipit, *Obſecrationes, Orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, pro ſanctiſſimo D. N. Papa, pro Imperatore, *pro Regibus & cæteris qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ac pro omnibus hominibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus*, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur ut jejunent ſaltem ſingulis ſextis Feriis in memoriam Paſſionis, Domini, eleëmoſynas pauperibus erogent: in Eccleſia autem Cathedrali ſingulis quintis Feriis celebretur Miſſa de Spiritu ſancto, cum Litaniis & aliis Orationibus ad hoc inſtitutis. In aliis vero Eccleſiis eadem die dicantur ad minus Litaniæ & orationes. Tempore autem quo Sacra peragentur, collocutiones & confabulationes non fiant, ſed ore & animo Celebranti aſſiſtatur.

Act. 4. 1. Tim. 2.

1. Tim. 3

Et quoniam oportet Epiſcopos eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ bene præpoſitos; hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in menſa ſervet ſobrietatem moderationemque ciborum: deinde cum in eo loco ſæpe otioſi ſermones oriri ſoleant, ut in ipſorum Epiſcoporum menſis divinarum Scripturarum lectio admiſceatur. Familiares vero ſuos unuſquiſque inſtruat & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in veſtitu & in cultu, & omnibus actibus honeſtatem præ ſe ferant, ſicut decet miniſtros miniſtrorum Dei.

Tit. 3

Ad hæc, cum hujus ſacroſancti Concilij præcipua cura, ſolicitudo & intentio ſit, ut propulſatis harumſum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, Ieſu Chriſto, qui vera lux eſt, annuente, candor, puritaſque refulgeat, & ea quæ reformatione egent, reformentur: ipſa Synodus hortatur omnes Chatholicos hic congregatos & congregandos, atque eos præſertim, qui Sacrarum litterarum peritiam habent, ut ſedula meditatione diligenter ſecum ipſi cogitent, quibus potiſſimum viis & modis ipſius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum ſortiri poſſit, quo maturius & conſultius damnari damnanda, & probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore & eadem fidei confeſſione glorificent Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. In ſententiis vero dicendis, juxta Toletani Concilij ſtatutum, in loco benedictionis conſidentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare, nullus etiam falſis vaniſve aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quidquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicij acies perturbato animo inflectatur.

Joan. 1

Tolet. 11 Can. 1.

Inſuper ipſa ſacra Synodus ſtatuit & decrevit, quod ſi forte contigerit aliquos debito in loco non ſedere, & ſententiam etiam ſub verbo, Placet, proferre, Congregationibus intereſſe, & alios quoſcunque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.

Angelus Maſſarellus ſacri Concilij Secretarius, manu propria.

Deinde indicta fuit futura Seſſio ad diem Jovis 4. Menſis Februarij proxime venturi.

SESSIO TERTIA.

ANno à Nativitate Domini 1546. quarto menſis Februarij, fuit Seſſio generalis, & celebrata Miſſa de Spiritu ſancto per Archiepiſcopum Panormitanum. Magiſter Ambroſius Catharinus habuit Orationem, & R. P. D. Archiepiſcopus Turritanenſis legit Decretum: & interrogavit Patres an placeret? reſponderuntque, ſed aliqui cum certis additionibus, Placet.

DECRETVM

De Symbolo fidei.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hanc ſacroſanctam Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum conſiderans, præſertim earum quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæreſibus, & moribus reformandis, continentur, quorum cauſa præcipue eſt congregata: agnoſcens autem cum Apoſtolo, non eſſe ſibi colluctationem *adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus ſpiritales nequitias, in cœleſtibus*, cum eodem omnes & ſingulos inprimis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis ejus, *in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo* poſſint *omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*, atque galeam ſpem ſalutis accipiant cum gladio ſpiritus, *quod eſt verbum Dei*. Itaque ut hæc pia ejus ſollicitudo principium & progreſſum ſuum per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit & decernit præmittendam eſſe Confeſſionem fidei, Patrum exempla in hoc ſecuta, qui ſacratioribus Concilijs hoc ſcutum contra omnes hæreſes in principio ſuarum actionum apponere conſuevere: quo ſolo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare ſymbolum fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Chriſti profitentur, neceſſario conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod *portæ inferni nunquam prævalebunt*, totidem verbis, quibus in omnibus Eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuit, quod quidem ejuſmodi eſt.

Eph. 6

Matt. 16

CRedo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis: ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundũ Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificantur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Con-

fiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Indictio futuræ Seſſionis.

EAdem ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, intelligens multos Prælatos ex diverſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe quo huc veniant, cogitanſque omnia ab ipſa ſacra Synodo decernenda, eo majoris apud omnes exiſtimationis & honoris videri poſſe, quo majori fuerint & pleniori Patrum Concilio & præſentia ſancita & corroborata: ſtatuit & decrevit, futuram Seſſionem poſt præſentem, celebrandam eſſe die Jovis, quæ ſubſequetur Dominicam *Lætare* proxime futuram: interim tamen non differri diſcuſſionem & examinationem eorum, quæ ipſi Synodo diſcutienda & examinanda videbuntur.

SESSIO QVARTA.

ANno à Nativitate Domini 1546. Indictione quarta, die vero Jovis, octava menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pauli, divina Providentia Papæ III. anno 12. præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis legatis, R. P. D. Salvator Alexius Archiepiſcopus Turritanenſis celebravit Miſſam de ſancto Spiritu in Eccleſia Cathedrali, & loco Seſſionis. Deinde Generalis Servorum habuit Orationem. Qua finita, RR. Cardinales & Prælati, acceperunt pluvialia & mitras, & Cantores inceperunt cantare Antiphonam, Exaudi nos Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua. Qua finita, Diaconus clamavit, Orate: quo dicto, omnes Prælati flexerunt genua, & orarunt. Deinde Subdiaconus clamavit, Erigite. Tunc R. D. de Monte, primus Præſidens, dixit hanc Orationem. Adſumus Domine ſancte Spiritus. Qua finita, item Diaconus dixit iterum, Orate: & paulo poſt dixit, Erigite. Deinde idem Præſidens dixit hanc Orationem: Mentibus noſtris, quæſumus Domine, adſpirando, &c. Quibus peractis, Cantores inceperunt Litanias: & cum venerunt ad illum locum. Ut Dominum Apoſtolicum, Præſidentes, qui flexis genibus erant, ſurrexerunt, & R. Cardinalis de Monte primus Præſidens, vertit ſe ad Congregationem, dans Benedictionem, & dixit: Ut hanc ſanctam Synodum, &c. Cantores reſponderunt. Te rogamus audi nos. Completis vero Litaniis, Diaconus dixit, Flectamus genua: & Subdiaconus reſpondit, Erigite. Deinde idem R. Præſidens dixit hanc Orationem: Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, ut Spiritu ſancto congregata. Quibus peractis, Diaconus cantavit Evangelium, *Attendite à falſis Prophetis.* Quo finito præfatus Reverendiſſimus Præſidens incepit Hymnum, *Veni Creator Spiritus.* Quo finito, idem R. Præſidens dixit hanc Orationem, Deus qui corda. Deinde præfatus Dominus Archiepiſcopus legit Decretum, & quæſivit ex Patribus, utrum hæc placerent. Qui omnes reſponderunt, Placet, cum aliquibus additionibus. Poſtremo, utrum placeret quod prima futura Seſſio celebraretur die Jovis poſt feſtum Pentecoſtes? qui reſponderunt. Placet.

Matt. 7.

Item hæc ſancta Synodus ſtatuit & decrevit, proximam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

Quo quidem decreto, ut præmittitur, lecto poſtquam Patres in Concilio præſentes reſponderunt, Placet; D. Angelus Maſſarellus, ipſius Concilij Secretarius, legit deputationem Oratorum Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis, in perſonam Illuſtrium D. Didaci de Mendoza, & D. Franciſci à Toleto ad Concilium Tridentinum, ac faciendum quæ Cæſarea Majeſtas faceret, ſi præſens eſſet.

DECRETVM.

De Canonicis Scriptis, 8. Aprilis promulgatum in quarta Seſſione.

SAcro-ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelij in Eccleſia conſervetur: quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis ſanctis Dominus noſter Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit: perſpicienſque, hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto; traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt: Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, necnon traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit ac veneratur.

Jerem. 31. Matt. 28. Marc. ult.

2. Theſſ. 2.

Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint qui ab ipſa Synodo ſuſcipiantur. Sunt vero infra ſcripti: Teſtamenti veteris. Quinque libri Moyſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus & ſecundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Jeremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, ſcilicet Oſeas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & ſecundus. Teſtamenti novi, quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: quatuordecim epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli, ſcilicet, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ: Joannis

Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli una: Iudæ Apoſtoli una: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli.

Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa Synodus, poſt jactum fidei Confeſſionis fundamentum, ſit progreſſura, & quibus potiſſimum teſtimonijs ac præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit uſura.

DECRETVM

De editione & uſu Sacrorum Librorum.

INſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circunferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat. Præterea, ad coërcenda petulentia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi hujuſmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à Iure ſtatuis puniantur.

Sed & Impreſſoribus modum in hac parte, ut par eſt, imponere volens, qui jam ſine modo, hoc eſt, putantes ſibi licere quidquid libet, ſine licentia Superiorum Eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ Scripturæ libros, & ſuper illis Annotationes & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam emendato prælato, & quod gravius eſt, ſine nomine Auctoris imprimunt; alibi etiam impreſſos libros hujuſmodi remere venales habent; decernit & ſtatuit, ut poſthac ſacra Scriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus & Vulgata editio quam emendatiſſime imprimatur; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi prius examinati probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis & pecuniæ, Canone Concilij noviſſime Lateranenſis appoſita. Et ſi Regulares fuerint, ultra examinationem & probationem hujuſmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam ſuarum Ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores. Et qui eos habuerint vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideo in fronte libri vel ſcripti vel impreſſi authentice appareat: idque totum, hoc eſt, probatio & examen, gratis fiat: ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Seſſio 10. De impreſſ. lib.

Poſt hæc temeritatem illam reprimere volens, quæ ad prophana quæque convertuntur & torquentur verba & ſententiæ ſacræ, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, ſoſtes, libellos etiam famoſos; mandat & præcipit, ad tollendam hujuſmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba Scripturæ ſacræ ad hæc & ſimilia audeat uſurpare: ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, Iuris & arbitrij pœnis per Epiſcopos coërceantur.

Indictio futuræ Seſſionis.

ITem hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decernit proximam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

SESSIO QUINTA.

ANno à Nativitate Domini 1546. Indictione quarta, die vero Jovis, decima ſeptima menſis Junij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pauli, divina Providentia Papæ Tertij anno 12. præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, Reverendus Pater Dominus Alexander de Picolominibus Senenſis, Epiſcopus Pientinus in Tuſcia, celebravit Miſſam de ſancto Spiritu in Cathedrali Eccleſia & loco Seſſionis. Deinde Magiſter Marcus Laurens Calaber, Frater Ordinis Prædicatorum, habuit Orationem. Qua finita, Reverendiſſimi Cardinales & alii Prælati acceperunt pluvialia & mitras: fuerunt-que factæ cæremoniæ in aliis Seſſionibus fieri ſolitæ; lectum fuit etiam Decretum.

Indictio futuræ Seſſionis.

ITem ſacroſancta Synodus ſtatuit & decrevit, primam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe die Jovis, Feria quinta poſt Feſtum beati Jacobi Apoſtoli.

DECRETVM.

De Peccato Originali.

VT fides noſtra Catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, purgatis erroribus, in ſua ſinceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Chriſtianus omni vento doctrinæ circunferatur; cum *Geneſ. 3.* ſerpens ille antiquus, humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, ejuſque remedio non ſolum nova, ſed etiam vetera diſſidia excitaverit: ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, ſacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium & conſenſum ſecuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat.

SI quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam prævaricationis *Geneſ. 2.* hujuſmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat

Rom. 5. fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub
1. Cor. 15. eius potestate, *qui mortis* deinde *habuit imperium*, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.

Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ; anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem*
Rom. 5. *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, idest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in Sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio: aut negat ipsum Iesu Christi meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari; anathe-
1. Tim. 2. ma sit? *quia non est aliud nomen sub cœlo datum*
2. Cor. 1. *hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Un-
Act. 4. de illa vox: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit*
Ioan. 1. *peccata mundi.* Et illa: *Quicumque baptizati*
Gal. 3. *estis, Christum induistis.*

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id quod
Rom. 5. dixit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum, etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex*
Ioan. 3. *aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & proprium peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti
Rom. 6. sunt cum Christo per Baptismum in mortem: *qui non secundum carnem ambulant*, sed vete-
Ephes. 4. rem hominem exuentes, & novum induen-
Col. 3. tes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo
Rom. 8. dilecti, effecti sunt *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur ac sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quinimmo, *qui legitime certaverit coronabitur.* Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.

DECRETUM
DE REFORMATIONE.
CAPVT I.

FAdem sacro sancta Synodus, piis Summorum Pontificum & probatorum Conciliorum Constitutionibus inhærens, easque amplectens, & illis adjiciens, ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit & decrevit, quod in illis Ecclesiis, in quibus Præbenda, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium, pro Lectionibus Sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, eos qui Præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem & interpretationem per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. De cætero vero Præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, & quæ per seipsos id munus explere possint, conferantur: & aliter facta provisio nulla sit & invalida.

In Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi

nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium A hujusmodi deputatum reperitur; Præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum vsum ipso facto perpetuo constituta & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficij, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suæ civitatis & Diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ Lectio habeatur, ita tamen, ut quæcumque aliæ Lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ, propter id minime prætermittantur.

Ecclesiæ vero, quarum annui proventus tenues fue- B rint, & ubi tam exigua est Cleri & populi multitudo, ut Theologiæ Lectio in eis commode haberi non possit, saltem Magistrum habeant ab Episcopo cum concilio Capituli eligendum, qui Clericos aliosque scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia, annuente Deo transire possint. Ideoque illi Magistro Grammatices, vel alicujus simplicis Beneficij fructus, quos tamdiu percipiat quamdiu docendo perstiterit, assignentur, dum tamen Beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex Capitulari, vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur; vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ Ecclesiæ & Diœcesi accommodam; ne pia hæc, uti- lis atque fructuosa prouisio quovis quæsito colore C negligatur.

In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam Lectio sacræ Scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc ut Sedis Apostolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

In Conventibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacræ Scripturæ Lectio similiter habeatur: quæ Lectio à Capitulis Generalibus vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris.

In Gynasiis etiam publicis, ubi tam honorifica, & ceterorum omnium maxime necessaria Lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum ac Rerumpublicarum pietate & charitate, ad Catholicæ fidei defensionem & incrementum, sa- D næque doctrinæ conservationem & propagationem, instituatur: & ubi instituta foret, & negligeretur, restituatur.

Et ne sub specie pietatis impietas dissemineiur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad hujusmodi Lectionis officium, tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur.

Docentes vero ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis scholis studeni, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia, à Jure communi concessis, plene E gaudeant & fruantur.

CAPVT II.

QUia vero Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelij, quam lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus: statuit & decrevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium.

Si vero contigerit Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam Generalis Concilij, viros idoneos assumere teneantur, ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.

Archipresbyteri quoque, plebani, & quicumque *Conc. La-* Parrochiales, vel alias curam animarum habentes, *teranens.* Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios *sub Inn.* idoneos, & legitime impediti fuerint, diebus saltem *III. c.10.* Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet, etiam si Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Diœcesim existenti forsan annexæ vel vnitæ, modo reipsa in Diœcesi sint, provida Pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur, Thren 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si hoc ei expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.

Si quæ vero Parrochiales Ecclesiæ reperiantur subjectæ Monasteriis in nulla Diœcesi existentibus, si Abbates & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, à Metropolitanis, in quorum Provinciis Diœceses ipsæ sitæ sunt, tanquam, quo ad hoc, Sedis Apostolicæ Delegatis, compellantur. Neque hujus Decreti executionem consuetudo, vel exemptio aut appellatio, aut reclamatio, sive recursus impedire valeat, quousque desuper à competenti Judice, qui summarie, & sola facti veritate inspecta procedat, cognitum & decisum fuerit.

Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo prædicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.

Si vero (quod absit) prædicator errores aut scandala dissemiuaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum Iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiam si prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis prædicator vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, justamve de eis conquerendi occasionem habeat.

Caveant præterea Episcopi, ne aliquem vel eorum, qui cum sint nomine Regulares, extra Claustra tamen & oobedientiam Religionum suarum vivunt, vel Presbyterorum sæcularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumliber privilegiorum prætextu, in sua civitate vel Dio-

ceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis A ſuper ea re ſancta Sedes Apoſtolica conſulatur, à qua privilegia hujuſmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio, ab indignis extorqueri verisimile non eſt.

Quæſtores vero eleemoſynarii, qui etiam Quæſtuarii vulgo dicuntur, cujuſcumque conditionis exiſtant, nullo modo nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant: & contra facientes ab Epiſcopis & Ordinariis locorum privilegiis quibuſcumque non obſtantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decernit, primam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe die Iovis, Feria 5. poſt Feſtum Beati Iacobi Apoſtoli.

Prorogata deinde fuit Seſſio ad diem 13. menſis B Ianuarij 1547.

SESSIO SEXTA.

IN nomine Dómini Jeſu Chriſti, Amen. Anno à Nativitate eiuſdem Domini 1547. Indictione 5. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto P. & D. N. D. Pauli divina Providentia Papæ tertij; anno tertio decimo, die vero Iovis decima tertia menſis Ianuarij, Tridenti in Eccleſia Cathedrali, in loco eminentiori ipſius Eccleſiæ, ad Concilium celebrandum & Seſſiones habendas deputato, celebrata eſt ſexta publica Seſſio ſacro-ſancti Oecumenici & generalis Concilij Tridentini, præſidentibus in ea nomine ejuſdem ſanctiſſimi D. N. Papæ, Reverendiſſimis Patribus & Illuſtriſſ. DD. Ioanne Maria de Monte Epiſcopo Prænestino, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis. In qua quidem Seſſione, poſt celebratam Miſſam de Spiritu ſancto per R. B. P. Archiepiſcopum Spalaten. & habita Oratione per Reverendum B. D. Epiſcopum Salpenſem, nec non peractis per R. & Illuſtriſſ. Cardinalem de Monte præfatum ſolitis cærimoniis, publicatum eſt Decretum de Iuſtificatione, tenoris infraſcripti.

DECRETUM
DE JUSTIFICATIONE.

Proœmium.

CUm hoc tempore, non ſine multarum animarum jactura, & gravi Eccleſiaſticæ unitatis detrimento, erronea quædam diſſeminata ſit de Iuſtificatione doctrina: ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Eccleſiæ tranquillitatem, & animarum ſalutem, ſacro ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea nomine ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli, divina Providentia Papæ Tertij, Reverendiſſimis Dominis, DD. Joanne Maria de Monte Epiſcopo Prænestino, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Preſbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis, exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus veram ſanamque doctrinam ipſius Iuſtificationis, quam ſol juſtitiæ Chriſtus Jeſus, fidei noſtræ auctor & conſummator, docuit, Apoſtoli tradiderunt, & Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto ſuggerente, perpetuo retinuit, diſtrictius inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præſenti Decreto ſtatuitur ac declaratur.

De natura & legis ad juſtificandos homines imbecillitate.

CAPUT PRIMUM.

PRimum declarat ſancta Synodus, ad Iuſtificationis doctrinam probe & ſincere intelligendam, oportere ut unuſquiſque agnoſcat & fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi, &, ut Apoſtolus inquit, *natura filij iræ*, quemadmodum in Decreto de peccato originali expoſuit, uſque adeo ſervi erant peccati, & ſub poteſtate diaboli ac mortis, ut non modo Gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam litteram Legis Moiſi inde liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minime extinctum eſſet, viribus licet attenuatum & inclinatum. *Rom. 5. 1. Cor. 15. Epheſ. 2. Sup. Seſ. 5. in prin.*

De diſpenſatione & myſterio adventus Chriſti.

CAPVT II.

QVo factum eſt, ut cœleſtis Pater, *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*, Chriſtum Ieſum Filium ſuum, & ante Legem, & Legis tempore multis ſanctis Patribus declaratum ac promiſſum, cum venit beata illa *plenitudo temporis*, ad homines miſerit; ut & Iudæos, *qui ſub Lege erant, redimeret*; Et Gentes, quæ *non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderet*, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc *propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine* ipſius *pro peccatis noſtris: non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.* *1. Cor. 1. Gen. 40. Pſal 84. cũ ſimil. Galat. 4. Rom. 3. 1. Ioan. 2.*

Qui per Chriſtum iuſtificantur.

CAPVT III.

VErum, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; ſed ij dumtaxat quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nam ſicut revera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti, cum ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, numquam juſtificarentur, cum ea renaſcentia per meritum paſſionis eius, gratia, qua juſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur Patri, *qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum Filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum.* *2. Cor. 5. Coloſſ. 1.*

Inſinuatur deſcriptio Iuſtificationis impij, & modus eius, in ſtatu gratiæ.

CAPVT IV.

QVibus verbis Iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: quæ quidem tranſlatio, poſt Evangelium promulgatum, ſine Lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* *1. Cor. 15. Galat. 4. Tit. 3. Ioan. 3.*

De neceſſitate præparationis ad Iuſtificationem in adultis, & unde ſit.

CAPVT V.

DEclarat præterea, ipſius Iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum prævenientem gratia ſumendum eſſe, hoc eſt; ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo & cooperando, diſponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninonon agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. *Zach. 1.* Unde in Sacris litteris cum dicitur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis noſtræ admonemur: *Thren. 5.* cum reſpondemus, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*; Dei nos gratia præveniri confitemur.

Modus præparationis.

CAPVT VI.

DIſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem exauditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata. *Hebr. 11.* De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* & *Matt. 9.* *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* & *Eccl. 1.* *Timor Domini expellit peccatum.* & *Act. 2.* *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* & *Mat. 28.* *accipietis donum Spiritus ſancti.* &, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, 1. Reg. 7.* *docentes eos ſervare quæcunque mandavi vobis.* Denique, *Præparate corda veſtra Domino.*

Quid ſit Iuſtificatio impii, & quæ eius cauſa.

CAPVT VII.

HAnc diſpoſitionem, ſeu præparationem Iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: unde homo ex injuſto fit juſtus, *Tit. 3.* & ex inimico amicus, *ut ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Hujus Iuſtificationis cauſæ ſunt: finalis quidem, gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna; efficiens vero, miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat, ſignans & ungens *Spiritu promiſſionis ſancto, Eph. 2.* *qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*; meritoria autem, dilectiſſimus unigenitus ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus; *Rom. 5.* qui cum eſſemus inimici, *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos*, ſua ſanctiſſima *Epheſ. 2.* paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit: inſtrumentalis item, Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio: demum unica formalis cauſa eſt, juſtitia Dei; non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam *Spiritus ſanctus partitur* *1. Cor. 12.* *ſingulis prout vult*, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quamquam enim *Philip. 3.* nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impij juſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei *Rom. 5.* diffunditur in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis inhæret: unde in ipſa Iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat & *Jacob. 2.* charitas, neque unit perfecte cum Chriſto, neque corporis eius vivum membrum efficit: qua ratione veriſſime dicitur, fidem ſine operibus mortuam & otioſam eſſe; &, in Chriſto Ieſu neque circumciſionem *Gal. 5.* aliquid valere, neque præputium, ſed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante Baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Cathecumeni ab Eccleſia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe & charitate fides præſtare non poteſt: & ſtatim verbum Chriſti audiunt: *Mat. 19.* *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Itaque veram & Chriſtianam juſtitiam accipientes, eam, ſeu primam ſtolam, pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis do- *Rom. 5.* natam, candidam & immaculatam jubentur ſtatim renati conſervare, ut eam perferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem & gratis juſtificari.

CAPVT VIII.

CUm vero Apoſtolus dicit, juſtificari hominem *per fidem, & gratis*; ea verba in eo ſenſu intel- *Rom. 5.* ligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit: ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis Iuſtificationis, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo*, & ad filiorum *Hebr. 11.* eius conſortium pervenire: gratis autem juſtificari *Epheſ. 2.* ideo dicimur, quia nihil eorum quæ Iuſtificationem *Tit. 3.* præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam Iuſtificationis gratiam promeretur. *Si enim gratia eſt, iam non ex operibus: alioquin*, ut idem Apoſtolus inquit, *Rom. 11.* *gratia iam non eſt gratia.*

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

CAPVT IX.

QUamvis autem neceſſarium ſit credere, neque *Tit. 3.* remitti, neque remiſſa umquam fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum: neminitamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti vel dimiſſa eſſe dicendum eſt, cum apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, immo noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & abomni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui vere juſtificati ſunt, abſque ulla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe

esse justificatos, neminemque à peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum & justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De accepta Justificationis incremento.

CAPVT X.

Psal. 85. SIc ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut
2. Cor. 4. Apostolus inquit, *de die in diem*, hoc est, mortifican-
Coloss. 3. do membra carnis suæ, & exhibendo ea *arma justitiæ in sanctificationem*, per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt,
Apoc. 22. atque magis justificantur, ficut scriptum est: *Qui in-*
Eccl. 18. *stus est, justificetur adhuc.* Et iterum: *Ne verearis us-*
Jacob. 2. *que ad mortem justificari.* Et rursus: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmentum.

De observatione mandatorum, deque illius necessitate & possibilitate.

CAPVT XI.

NEmo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat
1. Joan. 5. ut possis. Cujus *mandata gravia non sunt*; cujus *in-*
Matt. 11. *gum suave est, & onus leve.* Qui enim sunt Filij Dei,
Joan. 14. Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones eius: quod utique cum divino auxilio præstare possunt Licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti & justi, in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est & humilis & verax:
Matt. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quod liberati iam à peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste, & pie viventes, proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum
Tit. 2. *Rom. 5.* habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiam si Christo non com-
Rom. 8. patiatur, ut & conglorificatur. Nam & Christus ipse,
Heb. 5. ut inquit Apostolus, *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam; & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Propterea Apostolus ipse monet justificatos,
1. Cor. 9. dicens: *Nescitis, quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium? sic currite ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum*
1. Petr. 1. *aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Item Prin-

A ceps Apostolorum Petrus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Unde constat, eos Orthodoxæ Religionis doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare: aut (quod intolerabilius est) pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cùm hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cum scriptum sit: *Inclinavi cor meum ad faciendas* *Psal. 118.*
justificationes tuas, propter retributionem. Et de Moï- *Hebr. 11.*
se dicat Apostolus, quod *respiciebat in remunerationem.*

B

Prædestinationis temerariam præsumptionem cavendam esse.

CAPVT XII.

NEmo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit.

De Perseverantiæ munere.

C

CAPVT XIII.

SImiliter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic* *Mat. 10.*
salvus erit, quod quidem aliunde haberi non potest, *& 24.*
nisi ab eo qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim (nisi illius gratiæ defuerint) sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans *velle & perficere.* Verumtamen, qui se existi- *Philip. 1.*
mant *stare*, videant ne cadant, & *cum timore ac tre-* *1. Cor. 10.*
more salutem suam operentur *in laboribus, in vigi-* *Philip. 2.*
liis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in
ieiuniis, & castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi *Rom. 8.*
cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

De lapsis, & eorum reparatione.

CAPVT XIV.

QUi vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum *Joan. 20.*
dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali, eaque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut *cor contritum & Psal. 50.*

humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem confessionem, saltem in voto & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritalis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui, gratiæ Dei quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti.

Apoc. 2. De qua pœnitentia scriptum est: *Memor esto unde excideris*: *age pœnitentiam, & prima opera fac.* Et iterum: *Quæ secundum Deum tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: Et rursus: *Pœnitentiam agite*: &, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

2. Cor. 7.
Matt. 3.
Luc. 3.

B

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem.

CAPVT XV.

Rom. 16. ADversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui *per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*, asserendum est, non

1. Cor. 6. modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam Iustificationis gratiam amitti; divinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur.

C

De fructu Iustificationis, hoc est de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.

CAPVT XVI.

HAc igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli

1. Cor. 15. verba: *Abundate in omni opere bono, scientes*
Hebr. 6. *quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim*
Heb. 10. *iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Et, *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa *corona*

2. Tim. 4. *iustitiæ*, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus à justo Iudice sibi red-

1. Cor. 11. dendam; non solum autem sibi, sed & *omnibus qui diligunt adventum eius.* Cum enim ille ipse Christus

Ioan. 15. Iesus, tanquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus Salvator noster dicat: *Si quis biberit*

Ioan. 4. *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.

D

Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in Sacris literis usque adeo tribuatur, ut etiam qui *unicx ex minimis potum aquæ frigidæ dederit*, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testetur, *id quod est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* operari *in nobis*: abfit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et qua in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda est, sed Dei, *Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabis consilia cordium*; *& tunc laus erit unicuique à Deo*, qui, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua.*

Matt. 10.
2. Cor. 4.
2. Cor. 10.
Iacob. 3.
1. Cor. 4.
Matt. 16.

Post hanc Catholicam de Iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

E

DE IVSTIFICATIONE.

CANON I.

SI quis dixerit, hominem suis operibus quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse justificari coram Deo, Anathema sit.

CANON II.

SI quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit, Anathema sit.

CANON III.

SI quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit.

CANON IV.

SI quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, Anathema sit.

CANON V.

SI quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immò titulum sine re, figmentum denique à satana invectum in Ecclesiam, Anathema sit.

CANON VI.

SI quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit eius proprium opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, Anathema sit.

CANON VII.

SI quis dixerit, opera omnia, quæ ante Iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, Anathema sit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, Anathema sit.

CANON IX.

SI quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad Iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, Anathema sit.

CANON X.

SI quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, Anathema sit.

CANON XI.

SI quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, Anathema sit.

CANON XII.

SI quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur, Anathema sit.

CANON XIII.

SI quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, Anathema sit.

CANON XIV.

SI quis dixerit, hominem à peccatis absolvi, & justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, Anathema sit.

CANON XV.

SI quis dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, Anathema sit.

CANON XVI.

SI quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & ineffabili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, Anathema sit.

CANON XVII.

SI quis Iustificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, ut pote divina potestate prædestinatos ad malum, Anathema sit.

CANON XVIII.

SI quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, Anathema sit.

CANON XIX.

SI quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem Præcepta nihil tinere ad Christianos, Anathema sit.

CANON XX.

SI quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero

Evangelium sit nuda & absoluta promissio A vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, Anathema sit.

CANON XXI.

SI quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, Anathema sit.

CANON XXII.

SI quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, Anathema sit. B

CANON XXIII.

SI quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, numquam vere fuisse iustificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata C Virgine Maria tenet Ecclesia, Anathema sit.

CANON XXIV.

SI quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse iustificationis acceptæ, non autem ipsius augendæ causam, Anathema sit.

CANON. XXV.

SI quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem, Anathema sit. D

CANON XXVI.

SI quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem E à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, Anathema sit.

CANON XXVII.

SI quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, Anathema sit.

CANON XXVIII.

SI quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti: aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, Anathema sit.

CANON XXIX.

SI quis dixerit eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana & universalis Ecclesia, à Christo Domino & eius Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit, & docuit, Anathema sit.

CANON XXX.

SI quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, Anathema sit.

CANON XXXI.

SI quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, Anathema sit.

CANON XXXII.

SI quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anathema sit.

CANON XXXIII.

SI quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de Iustificatione à sancta Synodo hoc præsenti Decreto expressam, aliqua ex parte Dei gloriæ Dei vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Iesu Christi gloriam illustrari, Anathema sit.

DECRETVM

DECRETUM

DE REFORMATIONE.

Publicatum in eadem ſexta Seſſione, decima tertia Januarii.

CAPVT PRIMVM.

FAdem ſacro-ſancta Synodus, eidem Præſidentibus, Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad reſtituendam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, depravatoſque in Clero & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens, ab his, qui majoribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim Præſidentium, ſalus eſt ſubditorum: Confidens itaque per Domini ac Dei noſtri miſericordiam, providamque ipſius Dei in terris Vicarii ſolertiam, omnino futurum, ut ad Eccleſiarum regimen (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordiis, uſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta, teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quovis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, ut attendentes ſibi & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo Iudice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: cum certiſſimum ſit, non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cæleſtibus ac divinis humana præferentes, in diverſis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſollicitudine (ovili derelicto, atque ovium ſibi commiſſarum cura neglecta) ſe detinent occupatos, placuit ſacro-ſanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuria pene in deſuetudinem abierunt, adverſus non reſidentes promulgatos, innovare; quemadmodum virtute præſentis Decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere atque ſancire. Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia, ſibi quocumque titulo, cauſa, nomine, ſeu jure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat (legitimo impedimento, ſeu juſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus) ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abfuerit: quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Eccleſiæ & pauperibus loci per Superiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, ut ſæviori Sacrorum Canonum cenſuræ ſubjiciantur. Metropolitanum vero abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per litteras, ſeu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur: qui in ipſos abſentes (prout cujuſque minor aut major contumacia exegerit) ſuæ ſu-

Reſidentia.

A premæ Sedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

CAPVT II.

EPiſcopi inferiores quævis Beneficia Eccleſiaſtica, perſonalem reſidentiam de Iure ſive conſuetudine exigentia, in titulum ſive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis juris remediis reſidere cogantur, nullique privilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur: Indulgentiis vero, & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus cauſis tantum conceſſis, & coram Ordinario legitime probandis, in ſuo robore permanſuris: quibus caſibus nihilominus officium ſit Epiſcoporum, tanquam in hac parte à Sede Apoſtolica Delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quoad hoc, privilegio ſeu exemptione quacumque ſuffragante.

B

CAPVT III.

ECcleſiarum Prælati, ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter ac diligenter intendant: & nemo ſæcularis Clericus, cujuſvis perſonalis vel regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu tutus cenſeatur, quominus, ſi deliqueris, ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegato, ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi valeat.

C

Forte legendum vel cujuſvis ordinis.

CAPVT IV.

CApitula Cathedralium & aliarum majorum Eccleſiarum, illorumque perſonæ nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quominus à ſuis Epiſcopis & aliis majoribus Prælatis, per ſe ipſos ſolos, vel illis quibus ſibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas ſanctiones, toties quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica poſſint & valeant.

D

CAPVT V.

NUlli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu Pontificialia in alterius Diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati, ab executione Ordinum ſint ipſo Iure ſuſpenſi.

Indictio futuræ Seſſionis.

E

PLacetne vobis, proximam futuram Seſſionem celebrari die Iovis Feria quinta poſt primam Dominicam ſubſequentis Quadrageſimæ, quæ erit die 3. menſis Martij? Reſponderunt, Placet.

SESSIO SEPTIMA.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate ejuſdem Domini 1547. Indictione quinta, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pauli divina providentia Papæ Tertij, anno ejus tertio decimo, die vero Iovis tertia menſis Martij, Tridenti in Eccleſia Cathedrali, in loco eminentiori ipſius Eccleſiæ, ad Concilium celebrandum & Seſſiones ha-

bendas deputato, celebrata est septima publica Sessio sacro sancti Oecumenici & Generalis Concilij Tridentini, præsidentibus in ea nomine eiusdem sanctissimi Domini nostri Papæ, Reverendissimis Patribus, & Illustrissimis Dominis Ioanne Maria de Monte, Episcopo Prænestino, & Marcello tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Presbytero, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis. In qua quidem Sessione, post celebratam Missam de Spiritu sancto per Reverendissimum Dominum, Dominum Archiepiscopum Corcyrensem (non fuit enim habita Oratio, quia Reverendus P. D. Episcopus S. Marci Neapolitanus, qui eam habiturus erat, erat raucus) nec non post peractas per Reverendissimum, & Illustrissimum Dominum Cardinalem de Monte & Præsidentem præfatum solitas cærimonias, publicata fuerunt duo Decreta, seu certi Canones super Sacramentis in genere, & super Baptismo & Confirmatione in specie, nec non certi alii Canones super residentia, tenorum infra scriptorum.

DECRETUM

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

Publicatum in sacro-sancta Oecumenica, & Generali Tridentina Synodo septima Sessione, die tertia Martij 1547.

PROOEMIUM.

AD consummationem salutis de Iustificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Sessione, uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacro-sancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim à Patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati, & animarum saluti magnopere officiunt, sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum & Patrum consensui inhærendo, hos præsentes Canones statuendos & decernendos censuit, reliquos qui supersunt, ad cœpti operis perfectionem deinceps divino Spiritu adjuvante edictura.

CANONES

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CANON I.

SI quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie Sacramentum, Anathema sit.

CANON II.

SI quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cærimoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, Anathema sit.

CANON III.

SI quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, Anathema sit.

CANON IV.

SI quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis aut eorum voto, per solam fidem, homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, Anathema sit.

CANON V.

SI quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, Anathema sit.

CANON VI.

SI quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, Anathema sit.

CANON VII.

SI quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, Anathema sit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.

CANON IX.

SI quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, Anathema sit.

A

CANON X.

SI quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, Anathema ſit.

CANON XI.

SI quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.

B

CANON XII.

SI quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, Anathema ſit.

CANON XIII.

SI quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, Anathema ſit.

C

DE BAPTISMO.

CANON I.

SI quis dixerit, Baptiſmum Ioannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti, Anathema ſit.

D

CANON II.

SI quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri Ieſu: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, ad metaphoram aliquam detorſerit, Anathema ſit.

CANON III.

Eccleſia Romana.

SI quis dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam, Anathema ſit.

E

CANON IV.

SI quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, Anathema ſit.

CANON V.

SI quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe; hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.

CANON VI.

SI quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiam ſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere, Anathema ſit.

CANON VII.

SI quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, Anathema ſit.

CANON IX.

SI quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo, Anathema ſit.

CANON X.

SI quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, Anathema ſit.

CANON XI.

SI quis dixerit, verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, Anathema ſit.

CANON XII.

SI quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, Anathema ſit.

CANON XIII.

SI quis dixerit, parvulos eò quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles compurandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu

proprio credentes, baptizari in ſola fide Ecclesiæ, Anathema ſit. A

CANON XIV.

SI quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt; & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, Anathema ſit. B

DE CONFIRMATIONE.

CANON I.

SI quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam cærimoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; Anathema ſit. C

CANON II.

SI quis dixerit, injurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, Anathema ſit.

CANON III.

SI quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, Anathema ſit. D

DECRETUM
DE REFORMATIONE.

Publicatum in eadem ſeptima Seſsione Concilii Tridentini, die vero tertia menſis Martii, anno 1547.

EAdem ſacro-ſancta Synodus, eiſdem præſidentibus Legatis, incœptum reſidentiæ & reformationis negotium ad Dei laudem, & Chriſtianæ Religionis incrementum proſequi intendens, ut ſequitur, ſtatuendum cenſuit, ſalua ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate. E

CAPUT PRIMUM.

AD Cathedralium Eccleſiarum regimen nullus; niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, literarumque ſcientia, juxta Conſtitutionem Alexandri tertii, quæ incipit: *Cum in cunctis*, in Concilio Lateranenſi promulgatum, præditus aſſumatur.

Cap. 16. Concil. Lateran.

CAPVT II.

NEmo, quacumque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum, ſive Commendam, aut alio quovis nomine contra Sacrorum Canonum inſtituta recipere & ſimul retinere præſumat; cum valde felix ſit ille cenſendus, cui unam Eccleſiam bene ac fructuoſe, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentis Decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam ſedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur; alioquin Eccleſiæ ipſæ, ultimo obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur.

CAPVT III.

INferiora Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſeipſos curam ipſam exercere valeant, juxta Conſtitutionem Alexandri tertij in Lateranenſi, quæ incipit: *Quia nonnulli*, & aliam Gregorii decimi, in Generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit, *Licet Canon*, editam, conferantur: aliter autem facta collatio ſive proviſio omnino irritetur, & Ordinarius collator pœnas conſtitutionis Concilii Generalis, quæ incipit, *Grave nimis*, ſe noverit incurſurum.

Cap. 14. Concil. Lateran.

Concil. Lat. ſub Innoc. 3.

CAPVT IV.

QUicumque de cætero plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica, ſive per viam unionis ad vitam, ſeu Commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo contra formam ſacrorum Canonum, & præſertim Conſtitutionis Innocentii tertii, quæ incipit, *De multa*, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit, Beneficiis ipſis juxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem ipſo Iure, etiam præſentis Canonis vigore, privatus exiſtat.

Cap. 15. Concil. Lateran.

CAPVT V.

ORdinarij locorum quoſcumque plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere diſtricte compellant: & alias procedant juxta Conſtitutionem Gregorij decimi, in Generali Lugdunenſi Concilio editam, quæ incipit, *Ordinarii*; quam eadem ſancta Synodus innovandam cenſet & innovat: addens inſuper, quod ipſi Ordinarii etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & Beneficia ipſa debitis obſequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, & exemptionibus quibuſcumque, etiam cum Iudicum ſpecialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmiſſis nemini ſuffraganti-bus.

CAPVT VI.

VNiones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, poſſint; & quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero quæ à dicto tempore citra conceſſæ, nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cujuſvis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus cauſis, coram loci Ordinario, vocatis quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit; per ſubreptionem obtentæ

præſumantur, ac propterea, niſi aliter à Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

CAPVT VII.

BEneficia Eccleſiaſtica Cuiuſcumque, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur; qui ſollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos (niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus, quibuſcumque in præmiſſis minime ſuffragantibus. B

CAPVT VIII.

LOcorum Ordinarii Eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica, ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis iuris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, ſi qua illis imminet, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.

CAPVT IX.

AD majores Eccleſias promoti, muhus conſecrationis infra tempus à Jure ſtatutum ſuſcipiant, & prorogationes ultra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

CAPVT X.

NOn liceat Capitulis Eccleſiarum, ſede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias, ſeu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Iuris communis diſpoſitione, quàm etiam cujuſvis privilegij aut conſuetudinis vigore, alicui, qui Beneficij Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere. Si ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto; & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant; in majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, ſint ipſo Iure ſuſpenſi. D

CAPVT XI.

FAcultates de promovendo à quocumque non ſuffragentur, niſi habentes legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in litteris exprimendam: & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. E

CAPVT XII.

FAcultates de non promovendo, præterquam in caſibus à Jure expreſſis, conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur.

CAPVT XIII.

PRæſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ad quævis Eccleſiaſtica Beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur etiam prætextu cujuſvis privilegij, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: & nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quominus examen ſubire teneatur: præſentatis tamen, electis ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.

CAPVT XIV.

IN exemptorum cauſis Conſtitutio Innocentij IV. quæ incipit, *Volentes*, in Generali Concilio Lugdunenſi edita, ſervetur; quam eadem ſacro-ſancta Synodus innovandam cenſuit, & innovat: addendo inſuper, quod in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, Clerici ſæculares, aut Regulares extra Monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum Iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, ſi ipſum Iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conveniri, & jure medio ad ſolvendum debitum cogi & compelli poſſint: privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris. *C. 1. de Privileg. in 6.*

CAPVT XV.

CUrent Ordinarij, ut hoſpitalia quæcumque à ſuis Adminiſtratoribus, quocumque illi nomine cenſeantur, etiam, quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur: Conſtitutionis Concilij Viennenſis, quæ incipit, *Quia contingit*, forma ſervata: quam quidem Conſtitutionem eadem ſancta Synodus innovandam duxit & innovat, cum derogationibus in ea contentis. *Clement. Quia cõtingit, de Relig. domibus.*

Indictio futuræ Seſſionis.

ITem hæc ſacro-ſancta Synodus ſtatuit & decrevit, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe die Jovis Feria quinta poſt ſequentem Dominicam in Albis, quæ erit vigeſima prima menſis Aprilis præſentis, anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſeptimi.

Et quia ego Angelus Maſſarellus, Sancto-Severinas, utriuſque Iuris Doctor, & Protonotarius Apoſtolicus, ac ſacri Tridentini Concilii Secretarius, publicationi ſupra ſcriptorum Decretorum, manu aliena mihi fida ſcriptorum, interfui, & ea cum originalibus, quæ penes me ſunt, collata ſunt, & cum eis concordant; ideo ſupra ſcripta Decreta ſingula manu mea propria obſignavi, ac de eis omnibus, ad quorum manus pervenerint, fidem facio indubitatam.

BVLLA FACVLTATIS
Transferendi Concilii.

PAulus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Joanni Mariæ Epiſcopo Præneſtino, & dilectis filiis Marcello tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem Presbytero, ac Reginaldo ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinalibus, noſtris & Apoſtolicæ Sedis Legatis de latere; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Regimini univerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino præſidentes, noſtri officij partes eſſe putamus, ut ſi quid gravius cauſa Reipublicæ Chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modo tempore oportuno, verum etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper,

poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri Oecumenici & Univerſalis Concilij alias per nos in civitate Tridentina ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, de ſimili conſilio & aſſenſu factam, audita pace inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Franciſcum Francorum Regem Chriſtianiſſimum conciliata, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoveramus, nequeuntes ipſi, tunc legitime impediti, ad dictam civitatem perſonaliter accedere, & eidem Concilio intereſſe, vos noſtros & Apoſtolicæ Sedis Legatos de latere in eodem Conciſilio de ſimili conſilio conſtituerimus & deputaverimus, voſque ad eamdem civitatem tanquam pacis Angelos deſtinaverimus, prout in diverſis noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur. Nos, ne tam ſanctum celebrationis Concilij hujuſmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique conſilio & aſſenſu, vobis in ſimul, aut duobus ex vobis, aliquo legitimo impedimento detento ſeu inde forte abſente, quandocumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem ſeu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi & mutandi, ac illud in ipſa civitate Tridentina ſupprimendi & diſſolvendi, nec non Prælatis & aliis perſonis Concilij hujuſmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujuſmodi, ad quam illud transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud Prælatos & alias perſonas Concilij Tridentini hujuſmodi, etiam ſub perjurij, & aliis in litteris Indictionis Concilij hujuſmodi expreſſis pœnis evocandi, eidemque ſic tranſlato & mutato Concilio nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in eo procedendi, cæteraque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, alias juxta priorum vobis directarum litterarum continentiam & tenorem faciendi, ſtatuendi, ordinandi & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem, ratum & gratum habituri quidquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, executumve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inviolabiliter obſervari: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1547. octavo Kalendas Martij, Pontificatus noſtri anno undecimo.

Fab. Epiſcop. Spol.
B. MOTTA.

HUcuſque progreſſum fuit Concilium Tridentinum ſub Paulo III. à quo poſtea Concil. idem Bononiam tranſlatum, illic ad tempus eſt intermiſſum. Interim vero Paulus Tertius viam univerſæ carnis ingreſſus, ſucceſſorem habuit Julium tertium, ſub quo poſtea convocatum eſt iterum in eadem civitate Tridentina, & vocati omnes, qui ſolent intereſſe Concilio, ad primam diem Maij 1551. qua die adfuit præſens Legatus Creſcentius cum nonnullis Epiſcopis, nihil tamen actum eſt propter paucitatem Epiſcoporum uſque ad 11. Octobris ejuſdem anni, qua die celebrata eſt tertia Seſſio ſub Iulio Pontifice.

SESSIO OCTAVA.

Tranſlatio ob periculū vitæ ex peſte.

DEcretum, ſancitum, & publicatum in octava Seſſione, habita die undecimo menſis Martij 1547. ſuper tranſlatione Concilij ex Tridentino ad civitatem Bononienſem, rogante Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Cardinale de Monte, ipſius Concilij Præſidente & Legato, Patrum ſententias ſub infra ſcripta forma videlicet.

Placet-ne vobis decernere & declarare, de huiuſmodi morbo ex præmiſſis & aliis allegatis ita manifeſte & notorie conſtare, ut Prælati in hac civitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcirco inviti minime retineri poſſint & debeant? Itemque attento receſſu multorum Prælatorum poſt proxime præteritam Seſſionem: & attentis proteſtationibus aliorum complurium Prælatorum in Congregationibus Generalibus factis, hinc omnino timore ipſius morbi abire volentium, qui juſte detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu Concilium vel diſſolveretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progreſſus impediretur: & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex Patribus in ipſis Congregationibus allegatis, ut pote notorie veris & legitimis: placet ne vobis ſimiliter decernere & declarare, pro conſervatione & proſecutione ipſius Concilij, & ſecuritate vitæ ipſorum Prælatorum, Concilium ipſum ad civitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem & idoneum, pro tempore transferendum eſſe, & ex nunc transferri, & ibidem Seſſionem jam indictam, ſtatuta die vigeſima prima Aprilis celebrandam eſſe, & celebrari, & ſucceſſive ad ulteriora procedendum, donec ſanctiſſimo Domino noſtro, & ſacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum invictiſſimo Cæſare, Chriſtianiſſimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Chriſtianis, ipſum Concilium reduci poſſit & debeat.

Decretum ſupra ſcriptum placuit longe majori parti Patrum, contradicentibus tamen, & palam reclamantibus Patribus nonnullis.

SESSIO NONA.

Bononiæ celebrata, die vigeſima prima menſis Aprilis 1547.

DECRETUM

Prorogationis Seſſionis.

HÆc Sacro-ſancta, Oecumenica, & Generalis Synodus, quæ dudum in civitate Tridentina congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea, nomine ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, D. Pauli, divina providentia Papæ tertij, eiſdem Reverendiſſimis D. D. Joanne Maria Epiſcopo Præneſtino de Monte, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem Preſbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de Latere Legatis: conſiderans, quod die 11. menſis Martij præſentis anni, in generali publica Seſſione in eadem civitate Tridenti, & in loco conſueto celebrata, omnibuſque agendis de more peractis, ex cauſis tunc inſtantibus, vigentibus & legitimis; interveniente etiam authoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, eiſdem Reverendiſſimis Præſidentibus etiam ſpecialiter conceſſa, decrevit & ordinavit, Con-

cilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit, itemque Sessionem pro præsenti, die vigesima prima Aprilis illic indictam, ut de Sacramentorum & reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, canones sancirentur & promulgarentur, in hac ipsa civitate Bononiæ celebrari debere: consideransque, nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueverunt, his superioribus majoris hebdomadæ, & solemnitatis Paschalis diebus, in propriis Ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen brevi affuturos sperandum esset, ac propterea factum esse, ut honesta, quam sancta Synodus desiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipsæ Sacramentorum & Reformationis examinari & discuti: ut omnia maturo consilio cum dignitate & gravitate debita fiant, bonum opportunum & expediens censuit censetque, Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die, ut præfertur, celebranda erat, ad diem Jovis infra Octavam Pentecostes proxime futuram, quo ad ipsas materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maxime opportunam, & Patribus, præsertim absentibus, percommodam judicavit & judicat: hoc tamen adjecto, quod terminum ipsum ipsa sancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilij putaverit expedire, etiam in privata Congregatione restringere & imminuere possit & valeat.

SESSIO DECIMA.

Bononiæ celebrata die secunda mensis Iunij 1547.

DECRETUM

Prorogationis Sessionis.

QUamvis hæc sacro sancta Oecumenica & generalis Synodus Sessionem, quæ die vigesima prima mensis Aprilis proxime præteriti, super Sacramentorum & Reformationis materiis in hac inclyta civitate Bononiæ, ex decreto in urbe Tridentina in publica Sessione die undecima mensis Martij promulgato, celebranda erat, propter aliquas causas, ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos brevi affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam, & prorogandam esse decreverit, volens tamen cum his, qui non venerunt, etiam adhuc benigne agere, eadem sacro-sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicæ Sedis Legatis, statuit & decernit, Sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Iunij præsentis, anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi celebrare decreverat, ad diem Iovis post Festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit decima quinta mensis Septembris proxime futuri, quoad prædictas & alias materias expediendas differendam & prorogandam esse, quamadmodum differt & prorogat: ita tamen, quod prosecutio discussionis & examinationis eorum, quæ tam ad dogmata quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, & terminum ipsa sancta Synodus pro eius libito & voluntate, etiam in privata congregatione, abbreviare & prorogare libere possit & valeat.

SESSIONIS XI.

PROROGATIO.

Acta in generali Congregatione, habita die Mercurij, 14. mensis Septembris, anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi, super Prorogatione undecimæ Sessionis Bononiensis.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. anno a Nativitate eiusdem 1547. Indictione quinta, die vero Mercurij decima quarta mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, D. Pauli divina providentia Papæ tertij, anno tertio decimo, Bononiæ, in domo Campegiorum, & solitæ residentiæ Reverendissimorum & Illustrissimorum Dominorum, sacri Concilij Præsidentium, & Apostolicorum de latere Legatorum, & in aula, ubi generales congregationes fieri consueverunt, hora circiter vigesima, habita fuit Congregatio generalis Patrum ipsius sacri Concilij: in qua quidem Congregatione primum more solito, Reverendissimus & Illustrissimus D. Ioannes Maria, Episcopus Prænestinus, Cardinalis de Monte, ipsius sacri Concilij Præsidens & Legatus, invocavit auxilium sancti Spiritus, legens alta & intelligibili voce infra scriptam orationem, videlicet.

Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & eius Filio nomen possides glorioſum. Non patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summam diligis æquitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel personæ corrumpat: sed junge nos efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo aberremus à vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

Qua Oratione absoluta idem Reverendissimus & Illustrissimus D. Cardinalis de Monte, Præsidens & Legatus præfatus allocutus fuit Patres his verbis, videlicet.

Dies crastina, Sanctissimi Patres, ut Dominationes vestræ sciunt, erit ea Dies, quæ statuta fuit à nobis ad Sessionem celebrandam. Quot quantisque & quam diversis circumveniamur angustiis, difficultatibus & impedimentis, nemo est qui non videat. Nondum venerunt Prælati complures, quos scimus arripuisse iter, ac præsertim piæ & inclytæ nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodie, heri, nudiustertius, nudiusquartus, denique tam de repente, ut non potuerint seipsos & animum suum informare in materia tam gravi, ampla & diffusa, prout est hæc Sacramentorum Ecclesiæ, & abusuum innumerabilium, qui in ministerio ipsorum Sacramentorum irrepserunt. Sed quid loquimur de absentibus, aut de iis qui nuper venerunt, cum illi, qui semper fuerunt præsentes, & tota æstate versati sunt in disputationibus & examinationibus, & audiendo privatim & publice minores Theologos, adhuc parati non sint, neque esse potuerint? His difficultatibus accedit atrocitas insperati casus Illustrissimi Ducis Placentiæ, qui nos ita detinet occupatos in tuenda libertate civitatum Ecclesiæ, ut nos ipsi neque per horam quidem vel punctum tem-

poris liberi ſimus. Lætamur & gratias agimus Deo, quod in Decreto proximæ præteritæ Seſſionis fuerit addita illa clauſula in fine, prorogandi & reſtringendi terminum, etiam in privata Congregatione, &c. per quam certe magna cura & ſollicitudine levamur, cum non oporteat nos imparatos ad Eccleſiam accedere, ut Seſſionem celebremus. Itaque ne diutius Dominationes veſtras perplexas detineamus, conſilium noſtrum eſt, (quid dicimus conſilium? quinimo neceſſitas) ut beneficio illius Decreti & clauſulæ nos juvemus, prorogando nunc terminum Seſſionis, & omittendo craſtina die celebrationem. Cupimus intelligere, utrum placeat Dominationibus veſtris conſilium noſtrum. Hoc puncto abſoluto, agemus de tempore.

Super qua re rogatis ſententiis Patrum, placuit omnibus Seſſionem ipſam, quæ die craſtina celebranda erat, prorogari.

Deinde idem Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. D. Cardinalis de Monte, Præſidens & Legatus præfatus, proſequendo ſermonem ſuum, dixit infra ſcripta verba, videlicet.

Multum cogitavimus de tempore hujus prorogationis: nullam tandem invenimus in mente noſtra rationem, in qua poſſimus figere fidem pro aliquo die certo. Certi eſſe non poſſumus quando erimus parati in materiis noſtris, ita ut ſuper ipſis poſſit promulgari Decretum. Scimus quod cum eſſemus Tridenti, & crederemus ſpatio quindecim dierum expediri poſſe Decretum juſtificationis, coacti fuimus inſudare in eo ſeptem continuis menſibus, non intermittendo unam diem, & habendo ſæpe duas Congregationes in uno & eodem die. Vbi agitur de fide, de dogmatibus, de confundendis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in unius verbuli diſcuſſione longo tempore immorari. Occurrunt nobis etiam aliæ difficultates permultæ: ſed quæ nos acrius & vehementius vrget, eſt, quia eam videmus eſſe conditionem temporum, & ita eſſe tempora præparata & diſpoſita ad producendas res novas, ut neſciamus, neque pro firmo & conſtanti aſſerere poſſimus, utrum neceſſitas nobis futura ſit celebrandi Seſſionem perendie, ex aliquo novo & inſperato emergenti & accidenti, vel hinc ad octo dies, vel ad unum menſem, vel plures. Propterea ſumus huius ſententiæ, ut ſi velimus caute & prudenter agere, debeamus facere prorogationem ad beneplacitum Concilij. Hoc modo, & hac ratione erit ſemper ſacro Concilio liberum & integrum, ut poſſit celebrare Seſſionem tunc & quando noverit ita honori divino & rationibus ipſius Concilij & Reipublicæ expedire. Sic denique putamus ex uſu eſſe præſentis temporis. Sciunt Patres, nos ſemper habuiſſe oculos ad conſervandum jus & authoritatem Concilij, & ad bene dirigendum & ordinandum ipſum Concilium. Credere debent, nos non mutaſſe animum; & propterea poſſunt habere aliquam fidem in nobis, & quoad hoc, ſe nobiſcum conformare: habentes pro certo, quod nos bene conſiderabimus, quid deceat & expediat in præſenti rerum & temporum ſtatu. Una tantum ratio poſſet forte aliquid ſcrupuli injicere in mente alicujus, videlicet, quia ſi Patres ſcirent diem certum Seſſionis, poſſent aliqui ex eis melius conſulere rebus ſuis propriis una ratione, vel alia. Creditmus, quod hæc hæſitatio haud longo tempore durabit, & quod unuſquiſque non poſt non multos dies videre poterit, quem curſum & quem progreſſum ſit ſancta hæc Synodus habitura. Et nihilominus, capiendo rem in quẽcumque ſenſum, etiam aſperiorem, & in quocumque eventu, poſſunt Patres ſperare & ſibi polliceri de nobis, quod non erimus ſegniores, quam hactenus fuerimus, & quod ita ſemper publica dirigemus, ut privatæ Patrum commoditatis rationem (quantum fieri poterit) habeamus. Sit igitur concluſio, quod huius ſententiæ & opinionis ſumus, ut ſi Patribus ita videatur & placeat, hæc prorogatio fiat ad beneplacitum Concilij. Unuſquiſque dicat libere, more ſolito, ſententiam ſuam, prout Reipublicæ Chriſtianæ, honori Concilij, commoditati Patrum putaverit expedire, & Spiritus ſanctus ſuggeſſerit ei. Quæcumque à nobis dicta ſunt, nulla alia ratione dicta eſſe cenſeri volumus, quam pro majori Patrum informatione: quia multi à nobis petierunt, ut quid in hac re ſentiremus, Patribus aperire vellemus.

Poſtea Patres dixerunt ſententias ſuas, & omnibus placuit, Seſſionem ipſam, quæ die craſtina juxta Decretum publicatum in proxima præcedenti Seſſione 2. Junij præſentis anni celebranda erat, prorogari ad beneplacitum ſacri Concilij. Et ita fuit concluſum Decretum, & firmatum. Deinde dimittitur Congregatio, & Patres omnes receſſerunt circa horam vigeſimam tertiam.

Quam maturè deliberatum de juſtificatione.

BVLLA RESVMPTIONIS
CONCIL. TRIDENT.
SVB IVLIO TERTIO
PONTIFICE MAXIMO.

JULIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cum ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore, non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione & ſcandalo viguerunt, bonum, opportunum & expediens eſſe videatur, ſicuti etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus nobis per ſuas litteras & nuntios ſignificari fecit; ut ſacrum Oecumenicum & generale Concilium per felicis recordationis Paulum Papam III. prædeceſſorem noſtrum indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore inſignitos, atque ipſius prædeceſſoris nomine, una cum duobus aliis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ipſi Concilio præſidentes, inceptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ & ſolemnes habitæ fuerunt Seſſiones, pluraque tam in cauſa fidei quam reformationis promulgata Decreta, multaque etiam ad utramque cauſam pertinentia, examinata & diſcuſſa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos & ſummos pro tempore Pontifices ſpectat, Generalia Concilia indicere & dirigere, ut Eccleſiæ pacem, & Chriſtianæ fidei atque Orthodoxæ Religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem, gloriam procuremus, & quantum in nobis eſt, tranquillitati ipſius Germaniæ, quæ ſane provincia retroactis temporibus in vera Religione, ac ſacrorum Conciliorum & Sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus Chriſti Redemptoris noſtri in terra Vicariis, debita obedientia & reverentia, nulli Chriſtianorum Provinciæ fuit unquam ſecunda, conſulamus, ſperantes per ipſius Dei gratiam & benignitatem futurum, ut Reges omnes ac Principes Chriſtiani juſtis piiſque noſtris in hac re votis annuant, faveant, atque aſſiſtant: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, omneſque alios & ſingulos, qui de Jure, vel conſuetudine, vel privilegio Conciliis generalibus intereſſe debent, quoſque idem prædeceſſor noſter ſuis Indictionis & aliis quibuſcumque de ſuper confectis & publicatis licentiis Concilio intereſſe voluit, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti hortamur, requirimus, & monemus, ut proximis futuris Kalendis Maij, quem diem ad ipſum Concilium in eo in quo nunc reperitur ſtatu reſumendum, & proſequendum prævia matura deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ authoritatis plenitudine,

dine, ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decernimus, & declaramus in ipſa civitate Tridentina, legitimo ceſſante impedimento, convenire & ſe congregare, ac ipſius Concilij continuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere velint. Nos enim operam ſedulo daturi ſumus, ut in eadem civitate noſtri omnino adſint Legati, per quos (ſi per ætatem noſtram, valetudinemque, & Sedis Apoſtolicæ neceſſitates perſonaliter adeſſe nequiverimus) Spiritu ſancto duce, ipſi Concilio præſidebimus, quacumque ipſius Concilij tranſlatione & ſuſpenſione, cæteriſque contrariis nonobſtantibus quibuſcumque, ac præſertim illis, quæ idem prædeceſſor noſter in ſuis litteris prædictis, quas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus atque decernimus, & quatenus opus ſit, innovamus, voluit non obſtare. Irritum nihilominus decernentes & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum hortationis, requiſitionis, monitionis, ſtatuti, declarationis, voluntatis, innovationis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

M. Car. Creſcentius.
Rom. Amaſæus.
R. per Romulum Secret.
R. de ſancta Maria.

JULIUS, PAPA III.

AD futuram rei memoriam. Superioribus diebus de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio ex cauſis tunc expreſſis, Apoſtolica authoritate decrevimus, quod ſacrum Oecumenicum & univerſale Concilium Tridentinum, ubi olim incœptum fuerat, reduci; & ibi (adjuvante Domino) terminari deberet, tempuſque ad illud reſumendum & proſequendum Kalend. Maij proxime futuri præfiximus, omneſque & ſingulos quomodolibet in eo intereſſe debentes hortati fuimus & monuimus, ut dicto tempore Tridenti eſſe vellent prout in noſtris ſub plumbum deſuper expeditis literis plenius continetur. Ne autem propterea, quod dictæ litteræ nondum publicatæ fuerunt, aliqui ignorantiam rei ullo modo prætexere poſſint, ſed omnes plenam illius notitiam habeant, dicta authoritate per præſentes ordinamus, quod tam prædictæ quam præſentes literæ, per aliquem ex noſtris Curſoribus in Baſilicis ſancti Petri de Urbe & ſancti Joannis Lateranenſis, dum ibi divina celebrantur, publice ac alta & intelligibili voce legantur, & poſtquam lectæ fuerint, valuis ipſarum Baſilicarum affigantur, & ibi aliquandiu dimittantur, & relicta poſtea illarum copia, amoveantur. Decernentes, publicationem faciendam omnes & ſingulos ipſius Concilij celebrationi quomodolibet intereſſe debentes perinde arctare, ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuiſſent: quodque ipſarum literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur: ac hortantes & in Domino requirentes omnes & ſingulos venerabiles fratres noſtros, Patriarchas & Archiepiſcopos, ad quos ipſarum literarum exempla impreſſa tranſmitti curabimus, ut pro ſuo officio & debito, id eorum Suffraganeis & aliis minoribus Prælatis & Abbatibus notificent: contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 27. Decembris 1550. Pontificatus noſtri anno primo.

MANDATUM

IVLII III. SVMMI PONTIFICIS in reductione Concilij ad Civitatem Tridentinam.

JULIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Marcello, tituli ſancti Marcelli Preſbytero Cardinali Creſcentio nuncupato, noſtro & Apoſtolicæ ſedis ad Concilium Tridentinum Legato de latere, & venerabilibus fratribus Sebaſtiano Pignino Archiepiſcopo Sipontino, ac Aloyſio Lypomano Epiſcopo Veronenſi, noſtris & ipſius Sedis, ac in dicto Concilio una cum eodem Marcello Cardinali & Legato, nomine noſtro ad præſidendum Nuntiis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad prudentis Patris-familias officium ſpectat, ea quæ per ſeipſum commode efficere non poteſt, ut per alios idoneos fiant, diligenter curare. Dudum ſi quidem, cum ex certis tum expreſſis cauſis bonum, oportunum & expediens eſſe videretur, ut ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium, per felicis recordationis Paulum Papam III. prædeceſſorem noſtrum indictum, ad civitatem Tridentinam reduceretur, noſ ſperantes per omnipotentis Dei gratiam & benignitatem futurum, ut Reges omnes & Principes Chriſtiani juſtis piiſque noſtris in hac re votis annuerent, & aſſiſterent, venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac dilectos filios Abbates, omneſque alios & ſingulos, qui de Jure vel conſuetudine, aut privilegio Conciliis generalibus intereſſe debent, hortati fuimus, requiſivimus & monuimus, ut proxime futuris Kalendis Maij, quam diem ad ipſum Concilium, in eo quo reperitur ſtatu reſumendum, prævia matura deliberatione, ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decrevimus & declaravimus, in ipſa civitate Tridentina, legitimo ceſſante impedimento, convenire & ſe congregare, ac ipſius Concilij continuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere vellent, prout in aliis noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur, qui ætate noſtra jam ingraveſcente, & aliis multipliciter impediti, ad dictam civitatem ad præſens perſonaliter accedere, & ipſi Concilio juxta deſiderium cordis noſtri intereſſe nequimus, volentes reſumptionem, continuationem & proſecutionem Concilij hujuſmodi ex noſtra abſentia non impediri, te, fili Marcelle Cardinalis, fide ferventem, prudentia, ſcientia ac rerum uſu cõſpicuum, noſtrum & Apoſtolicæ Sedis ad Concilium hujuſmodi Legatum de Latere, ac vos fratres, Sebaſtiane Archiepiſcope, & Aloyſi Epiſcope, pietate & doctrina ac rerum experientia inſignes, noſtros & ipſius Sedis ad dictum Concilium una tecum, fili Marcelle, Cardinalis & Legate, nomine noſtro præſidendum Nuntios, cum ſpeciali & expreſſo mandato, nec non ratihabitionibus & aliis clauſulis in ſimilibus apponi ſolitis, de ſimili eorundem fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica authoritate tenore præſentium conſtituimus & deputamus: voſque ad dictam civitatem Tridentinam, tanquam pacis Angelos deſtinamus, ac vobis nomine & authoritate noſtra eidem Concilio præſidendi & proſequendi, nec non in illo pro veſtra pietate & ſapientia ea omnia, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & alias quomodolibet opportuna eſſe, ac alias

ad laudem & honorem Dei pertinere noveritis, etiam si magis ſpeciale mandatum exigant, juxta noſtrarum prædictarum, ac indictionis & aliarum ipſius prædeceſſoris ſuper præmiſſis confectarum, & publicatarum litterarum formam, faciendi & exercendi plenam & liberam, authoritate & tenore prædictis, concedimus poteſtatem & authoritatem. Hoc itaque munus vobis injunctum ita implere ſtudeatis, ut ſperati fructus inde proveniant, voſque à nobis commendationem, & à Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam conſequi mereamini. Datum Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

MANDATUM IMPERATORIS.

CArolus V. divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Jeruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Comes Haſpurgi, Flandriæ & Tirolis, &c. Cum beatiſſimus in Chriſto Pater & D. D. N. Julius III. divina providentia S. R. ac Univerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus D. N. R. ſacrum Oecumenicum & generale Concilium, per Sanctitatis ſuæ prædeceſſorem felicis record. Paulum Papam III. indictum & inceptum, & aliquandiu intermiſſum, ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore maxima totius orbis Chriſtiani perturbatione viguerunt, denuo ad civitatem Tridentinam revocaverit, ac per literas ſuæ ſanctitatis ad Kalendas Maias proxime præteritas convocaverit; Nos vero ob adverſam valetudinem, cum qua aliquandiu jam continuo ferme conflictamur, tum aliis negotiis impediti, cum eidem Concilio, ut cupiebamus, perſonaliter intereſſe non poſſimus: ne tamen muneri noſtro in re tam ardua defuiſſe videamur, operæ pretium duximus, Mandatarios & Procuratores noſtros eo ablegare. Ac proinde confiſi de fide, probitate & rerum experientia, ac erga ſacroſanctam Religionem noſtram orthodoxam, zelo & pietate venerabilium, devotorum, ac generoſitate nobilium fidelium, nobis dilectorum Hugonis Comitis à Monfort, Don Franciſci à Toleto Prioris Monaſterij Reconvallenſis, & Guillelmi à Pictavia Archidiaconi Campaniæ, Conſiliariorum noſtrorum, eoſdem tam ratione Imperialis noſtræ dignitatis, quam ſuſtinemus, quàm Regnorum & Provinciarum hæreditario jure nobis ſpectantium, conjunctim & ſeparatim fecimus, creavimus, conſtituimus, & ordinavimus, atque ex nunc tenore præſentium, ex certa animi noſtri ſcientia, & omnibus aliis melioribus medio, via, jure & cauſa, quibus validius & efficacius poſſumus & debemus, ſolemniter facimus & creamus, conſtituimus & ordinamus noſtros veros legitimos & indubitatos Oratores & Mandatarios: dantes eis, & cuilibet eorum in ſolidum amplam facultatem & poteſtatem, ut omnes ſimul, aut tres, duo, vel unus ipſorum nomine noſtro in dicto Concilio Oecumenico comparere, in omnibus Seſſionibus noſtrum locum, uti Oratores & Mandatarij noſtri habere, res & negotia Religionis & fidei, & alia quæcumque in prædicto Concilio tractanda, una cum aliis ibidem ſtantibus Reipublicæ Chriſtianæ Principibus, eorumve Legatis, Oratoribus, Mandatariis conſultare, agere & tractare, illiſque omnibus & per omnia adeſſe, conſilium, votum & decretum noſtro nomine dare, impartiri ac interponere, aliaque omnia tractare, procurare, agere, concludere & exercere debeant & poſſint, quæ ad Dei gloriam, fidei unionem & exaltationem, & Reipublicæ Chriſtianæ honorem, commodum & augmentum pertinere, & in ipſo Concilio expedire viſa fuerint, & quæ nos ipſi agere, tractare, procurare & facere poſſemus, ſi præmiſſis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus, etiamſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum. Ponentes idcirco præfatos Oratores & Mandatarios noſtros, quoad præmiſſa, in locum & vicem perſonæ noſtræ; promittentes in verbo noſtro Cæſareo, nos habituros ratum, & gratum, quidquid per ipſos Oratores & Mandatarios noſtros, tres, aut duos, vel unum ipſorum, ad modum prænarratum, actum, procuratum & geſtum fuerit, dolo & fraude penitus ſemotis: harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione munitarum.

Datum in civitate noſtra Imperiali Auguſta Vindelica, die prima menſis Julij, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Imperij noſtri 31. & Regnorum noſtrorum 36.

ORATIO ORATORIS IMPERAT.

Poſt præſentationem ſui Mandati.

POſtquam intermiſſum annis aliquot ſacroſanctum Concilium, Illuſtriſſimi D. R. Præſules, P. Ampliſſimi, ad fidei & Religionis Chriſtianæ incrementum, hæreſes extirpandas, morumque reformationem non modo utiliſſimum, verum & neceſſarium, à ſanctiſſimo Patre Julio III. Pontifice maximo Cæſar invictiſſimus in hac civitate Tridentina proſequendum impetravit, omnes tam Imperij Romani quam Regnorum ſuorum & patrimonialium Provinciarum Præſules hortari, monere, frequenter etiam orare, ut ad Concilium ſe conferrent, non deſtitit: quod equidem & Præſulum in hoc conventu frequentia, & Illuſtriſſ. ſacri Romani Imperij Electorum præſentia, uel me tacente, atteſtatur. Nec his contentus Cæſar, quo majorem teſtatioremque animi ſui erga ſacram Synodum propenſionem oſtenderet, præter fideliſſimum, & jamdudum hoc munere fungentem D. Illuſtriſſ. Franciſcum à Toleto, unum ex Hiſpaniarum Regnis, ex patrimonialibus ſuis Provinciis, alterum me quoque licet indignum, ex Germania, ad ipſius vices una cum illo hic gerendas, Oratorem ac Mandatarium conſtituit. Unde magnum animi Caroli Cæſaris invictiſſimi erga Religionem Chriſtianam, ac Germanicæ nationis ſalutem extat argumentum. Ut verò voluntati clementiſſ. Domini mei morem gererem, ejuſque juſſis obtemperarem, omiſſis rebus omnibus, huc me, quam diligentiſſime potui, contuli. Quamobrem ego vos, Præſules Reverendiſſ. ac P. Ampliſſ. precor, ut juxta Cæſarei Mandati tenorem, in eius me Oratorem recipiatis. Dixi.

RESPONSVM SYNODI ad Oratores Imperatori.

ILluſtres Domini: Mandatum Cæſareæ Majeſtatis, quod modo à Dominationibus veſtris exhibitum eſt, & coram Patribus recitatum fuit, huic ſanctæ Synodo jucundiſſimum nuntium attulit. Quantum enim in hoc tam univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſalutari opere, de piiſſima huius Religione, & potentiſſimi Principis animo ſibi polliceri poſſit, facile tum ex ipſius Mandati lectione, tum ex perſonarum veſtrarum deſtinatione intellexit. Quare & Dominationes veſtras, quas ob ſingularem earum prudentiam & Religionis ſtudium magno ſibi adjumento fore ſperat, grato & benevolo animo amplectitur, & Mandatum ſuæ Cæſareæ Majeſtatis, quantum de jure poteſt, libentiſſime admittit: & cum de his omnibus ſancta Synodus Deo benedicto gratias agat, ſimul & divinam clementiam pro ſalute eiuſdem Majeſtatis, & felici rerum ipſius eventu aſſidue precabitur.

A

SACRO-SANCTI OECVMENICI, ET GENERALIS CONCIL. TRIDENTINI, SESSIO XI.

Quæ eſt prima ſub Iulio III. Pontif. Max. celebrata Kalendis Maij 1551.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione nona, die vero Veneris prima menſis Maij, Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri Julij diuina Prouidentia Papæ tertij, anno ſecundo, Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. D. Marcellus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis de Creſcentiis, prælibati ſanctiſſimi D. Papæ de Latere Legatus, ac R. D. Sebaſtianus Pighinus Archiepiſcopus Siponti-nus, & Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis, Apoſtolicæ Sedis Nuntij, una cum reliquis Patribus, qui Tridenti aderant, de mane convenerunt in Eccleſia Cathedrali ſancti Vigilij civitatis Tridentinæ, in qua celebrarunt primam Seſſionem huius ſacri Concilij Tridentini ſub eodem ſanctiſſimo D. N. Julio: ubi celebrata prius de Spiritu ſancto ſolemni Miſſa, peractiſque conſuetis cærimoniis, lectæ fuerunt litteræ eiuſdem ſanctiſſimi D.N. Papæ ſuper reaſſumptione & proſecutione ſacri Oecumenici & Generalis Concilij Tridentini. Deinde R. D. Archiepiſcopus Turritanus converſus ad Patres, alta & intelligibili voce legit hæc, quæ ſequuntur.

B

C

DECRETUM DE RESUMENDO CONCILIO.

D

REverendiſſimi & Illuſtriſſimi D D. Reverendi Patres, placet ne vobis, ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & Religionis Chriſtianæ, ſacrum Oecumenicum & generale Concilium Tridentinum, juxta formam & tenorem litterarum Sanctiſſimi Domini noſtri, reſumi debere, & procedendum eſſe ad ulteriora? Reſponderunt, Placet.

Indictio futuræ Seſſionis.

D. Illuſtriſſimi Domini, Reverendique Patres, placet ne vobis, proxime futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe in futuris Kalendis Septembris? Reſponderunt, Placet.

E

Et ſucceſſive ab ipſo Reverendiſſimo Domino Legato declaratum eſt, Concilium ipſum reſumptum eſſe, & procedendum eſſe ad ulteriora.

Ego Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius, ſcripta omnia, ita ut notata ſunt, acta fuiſſe e. cap. In quorum fidem manu mea propria ſubſcripſi.

EXHORTATORIA ORATIO Reverendiſſimorum ſacri Concilij Tridentini Præſidum nomine recitata Kalendis Septembris 1551.

CUm poſt reſtitutam huc Synodum, Patres Amplisſimi, recens iſque peroppoſtunus ac nobis optatiſſimus duorum clariſſimorum Germaniæ Præſulum, & eorumdem ſacri Romani Imperij Principum Electorum adventus, magnam ſpem attulerit nobis, fore ut non ſolum multi eiuſdem Nationis Epiſcopi, illorum exemplo excitati, verum etiam alij quam plurimi variis ex locis propediem huc adſint, atque ita ſacrum Concilium, ad Dei omnipotentis honorem proſequi & peragere liceat: nunc denique noſtras eſſe partes duximus, pro loco ac perſona quam ſuſtinemus, ut in principio & tanquam limine actionum noſtrarum, pauca verba veſtri ſimul & noſtri hortandi atque admonendi cauſa faciamus. Etſi enim vos pro veſtra pietate & ſapientia ac ſtudio ſalutis animarum, in tam gravi Chriſtianæ Reſpublicæ tempore ac neceſſitate, bonorum Sacerdotum & Paſtorum officio fungi paratos eſſe minime dubitamus; tamen tanta eſt earum rerum, quas præclarè inchoatas, Deo adjuvante, perſequi, & ad exitum adducere inſtituimus, magnitudo, ut nulla, quæ nos vehementius excitet & officij noſtri ſæpius admoneat, ſupervacanea videri debeat oratio. Tollendæ enim nobis, ut ſcitis, atq; extirpandæ ſunt hæreſes: quibus non ſine maxima animarum jactura longè lateque diſſeminatis, & in dies longius ſerpentibus miſerandum in modum Eccleſia ſciſſa, laterata & perturbata eſt. Corrigenda & reformanda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, quæ jamdiu depravata atque corrupta, harum ipſarum hæreſum magna ex parte cauſa origoque extitit. Poſtremo agendum eſt de ſedandis Regum inter ſe Principumque diſcordiis: quibus effectum eſt, ut Chriſtiana Reſpublica maximas intus & foris calamitates acceperit, & impiorum hoſtium aucta potentia, noſtris autem fractis & debilitatis viribus, ſalus jam & libertas Chriſtianorum omnium, atque adeo ipſa fides & Religio in ſummum & extremum pœnè diſcrimen adducta ſit. Unde autem noſtræ hortationis initium aptius duxerimus, quam ut nos tantis ac tam arduis rebus non modo perficiendis, ſed ne aggrediendis quidem impares eſſe intelligamus? Quis enim oculos ad tantarum rerum molem inſpiciendam attollens, inde eoſdem ad humanarum virium exiguitatem conſiderandam dejiciens, hoc non intelligat, nequaquam tanto oneri ſubeundo ac ſuſtinendo infirmitatem humanam poſſe ſufficere? Nec vero hoc deterrendi veſtri cauſa dicimus, ſed ut noſtram imbecillitatem agnoſcentes, ad Dei Optimi Maximi opem & miſericordiam nobis confugiendum eſſe ſtatuamus. Ex eo omnis, ut inquit Apoſtolus, *ſufficientia noſtra eſt*. Itaque in illo noſtra omnis nobis ſpes & fiducia collocanda & reponenda eſt, qui omnibus, dummodo in fide poſtulent, affluenter dat: & non improperat. Agitur ipſius Religionis cauſa: agitur Eccleſiæ ſalus, quam tantopere dilexit, ut eam Filij ſui unigeniti paſſione & morte redimendam putaverit. Ut ſuperioribus temporibus illi numquam defuit, ita nec hoc quidem tempore aut in poſterum unquam eſt defuturus. Jacta ſunt, eo auctore, harum rerum fere omnium fundamenta. Profecto cujus impulſu atque auxilio opus jam inſtitutum & cœptum eſt, eodem quoque vires ſubminiſtrante, & nobiſcum ſimul operante, abſolvetur. *Non eſt abbreviata manus Domini*, ut Eccleſiæ ſuæ opitulari non poſſit; neque minuta clementia, ut nolit. Cujus quidem propriæ voluntatis erga nos cum alia multa, tum hoc non minimum teſtimonium

habemus, quod Germaniæ Præſules, auctoritate, prudentia, pietate præſtantiſſimos in eam mentem impulit, ut tam opportuno tempore, multis magnis, quibus impediebantur, difficultatibus conſilio & virtute ſuperatis, ad hanc ſanctiſſimam Synodum accederent. Nos modo contrito & humiliato corde ſupplices ejus opem aſſidue imploremus, quemadmodum paulo ante more Majorum atque inſtituto ſtatuimus. Intimo animi dolore peccata noſtra ingemiſcamus, atque in bonis operibus & dignis pœnitentiæ fructibus ambulantes, animas noſtras & corda Spiritui ſancto, tanquam ſedes ac templa munda, præbeamus, memores ejus quod ſcriptum eſt, Iſaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Maxima ſemper, ut vos minime præterit, Patres, Generalium Conciliorum vis, maxima fuit auctoritas. Nec enim dubium eſt, quin eis modo recte & ordine habeantur, Spiritus ſanctus ipſe præſideat. Etenim ſi Dominus noſter, ubicunque duo aut tres in nomine ejus fuerint congregati, in medio eorum ſe futurum eſſe confirmavit: quis eum & ſanctum ipſius Spiritum abeſſe putet ab hujuſmodi plurimorum Patrum & Sacerdotum Conventu juſto atque legitimo, qui quemadmodum hic noſter, propter cauſam fidei & religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique & tranquillitatem Eccleſiæ ſit coactus? Itaque talium Conciliorum ſcita, non hominum magis quam Dei ipſius exiſtimantur eſſe decreta. Horum exemplum nobis, primis illis Eccleſiæ temporibus, Spiritu ſancto pleni, Apoſtoli prodiderunt. Ad hoc remedium majores noſtri demceps grauiſſimis Eccleſiæ temporibus confugerunt. Hoc Arrianam illam ſectam, toto terrarum orbe diffuſam, tam inveteratam, tantis ſtudiis opibuſque potentiſſimorum Principum defenſam: hoc Macedonij, Neſtorij, & Eutychetis hæreſim, innumerabileſque alias ſuſtulerunt: hoc ſæpe Sacerdotum & populi mitam ac mores reformarunt, hoc ſeditionibus & diſſidiis aliquando agitatam Eccleſiam, in quietum & tranquillum ſtatum redegerunt. Quare magna ſpe, magno animo, Patres, tam pias actiones & tam Chriſtiano nomini ſalutares proſequamur. Hoc munus, hæ partes, hoc officium noſtrum eſt, qui hanc ob cauſam ex tam diſtantibus ac remotis regionibus in hanc urbem convenimus. Ac primum quidem æterni Dei honor & gloria, & ſanctiſſimæ ipſius fidei ac Religionis cauſa nos moveat. Nam cum propter pravos & corruptos mores, Dei venerationem, cultum & charitatem ubique imminutam, tum vero hæreſibus & impietate dogmatum, veritatem & ſinceritatem fidei nuſquam fere non contaminatam atque pollutam videamus, quis tam ingratus ac tam immemor divinorum munerum ac beneficiorum erit, qui Dei benedicti cultum & gloriam non cæteris modo rebus anteponat, ſed vita & anima ſua non habeat chariorem? Qui, ut reliqua ejus in humanum genus beneficia quæ ſunt innumerabilia, & longe maxima, omittamus, tantopere nos figmentum manuum ſuarum luteum amavit, quamquam inimici ei eſſemus, & eo impie relicto ac repudiato, muta & fragilia quædam ſimulachra coleremus; tamen per unigeniti Filij ſui mortem crudeliſſimoſque cruciatus nos ſibi reconciliaverit, & ſatanæ dominatu ac peccatorum mole oppreſſos, æterniſque ſuppliciis addictos liberarit, atque in filios ſibi in ſpem æternæ gloriæ & cœleſtis hæreditatis adoptarit. Quod ſi ejus honori & gloriæ fideles omnes tantopere inſervire oportet, quanto majore ſtudio nos, quos ille ſibi Sacerdotes elegit, ejus cultum & Religionem tueri, defendere & conſervare debemus? Salus præterea nos moveat animarum, pro quibus agnus ille immaculatus, D. N. Jeſus Chriſtus ſuum in ara crucis ſanctiſſimũ & pretioſiſſimum Sanguinem effudit. Quæ cum fidei & cuſtodiæ noſtræ commiſſæ & cõmendatæ fuerint, earum incolumitati à nobis omni cura & ſollicitudine providendum eſt ſi officio noſtro ſatisfacere, ſi noſtræ ipſorum ſaluti conſulere volumus. Væ enim iis, qui Dei opus negligenter faciunt. Væ nobis, ſi tam neceſſario tempore, officio ac muneri noſtro defuerimus. Quas per Ezechielem minas Dominus paſtoribus, oves ſibi commiſſas negligentibus, intentavit? quam acriter, quam ſeverè, quam atrociter gregem ſuum ſe de eorum manu requiſiturum eſſe denuntiavit? Qui cum primo eorum negligentiam his verbis accuſaſſet: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis; & quod contractum, non alligaſtis; & quod abjectum, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis*; hæc paulo poſt adjunxit: *Vivo ego, quia pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri: ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* Quæ eadem fere quamquam aliis rebus, per Jeremiam minatus eſt. Utinam vero, Patres, hæc magno animæ dicerentur cum dolore! Utinam hæc tam vehemens increpatio in noſtra tempora minime conveniret! non tantum ovium numerum deſideraremus, non grex Domini tantopere diſſectus ac laceratus fuiſſet. Heu! quis tantam ejus diſſipationem, diſſipationem autem, immo vero ſtragem ac vaſtitatem ſatis digne poſſit deplorare? Superat omnem non orationis modo copiam, ſed vim etiam doloris tantæ & tam luctuoſæ cladis magnitudo. Expergiſcamur igitur, expergiſcamur per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et quoniam iis, quæ interierunt, ovibus amplius ſubvenire non poſſumus, demus ſaltem operam, ut tum ab ovili Dominico abductas recuperemus, tum illas quæ inde non exierunt, diligentius in poſterum cuſtodiamus. Non de ſalute tantum eorum agitur, noſtra quoque ipſorum ſalus agitur. Neque perire illæ incuria noſtra poſſunt, quin id animabus noſtris exitioſum futurum ſit. Earum à nobis rationem in tremendo illo Judicio is reponſet, qui illas Sanguine ſuo redemptas nobis paſcendas cuſtodiendaſque commiſit. Hinc nos viventis Dei mine commoveant, cujus in *manus incidere horrendum eſt*, ſi officio noſtro defuerimus: inde parata nobis laboris & ſollicitudinis futuræ merces excitet, ſi fueris per nos Dominici gregis ſaluti proſpectum atque conſultum. Omittimus laudem, quæ ab omnibus non hujus modo ætatis hominibus, ſed ab omni poſteritate ſacro huic Concilio ſine dubio maxima tribuetur: & eam omittimus, propterea quod minime decet nos inanem iſtam & falſam gloriam aucupari, aut in ullum recte factorum fructum ponere. Quod qui faciunt, ii, ut Dominus in Evangelio inquit, *mercedem ſuam receperunt.* De vera illa & ſolida & ſempiterna gloria loquimur, quæ bonis operibus à Chriſto Domino noſtro promiſſa & præparata eſt. Etenim ſi iis, qui proximum ſuum eſurientem, aut ſitientem, aut nudum, cibo, potu, veſte, aut aliis hujuſmodi charitatis officiis juverint, regnum ab eo cœleſte promiſſum eſt; quanto illud magis ſperare is debebit, qui proximi & fratris ſui animam ex ipſis ſatanæ faucibus eripuerit? Quid? qui non de uno aut altero fratre, ſed de cuncto fidelium cœtu & univerſa Republica Chriſtiana optime fuerit meritus, ipſamque Dei Religionem conſiliis & laboribus ſuis inſtauraverit, quanto majora ab illo omnium bonorum operum auctore, & eodem remuneratore, præmia conſequetur? Hæc ſunt quæ ſpectare, quæ intueri, quæ propoſita habere & poſſumus & debemus. Hæc ſunt genere ipſo ineffabilia, magnitudine infinita, diuturnitate perpetua & ſempiterna. Quamobrem incumbamus, Patres, toto pectore, ut aiunt, ad ſananda Chriſtianæ Reipublicæ vulnera: incumbamus quanta maxima poſſumus cura & diligentia ad eas actiones, ex quibus ad Deum honor, ad Eccleſiam ſalus, ad nos æterna gloria & felicitas perventura eſt. Incredibile eſt quibus piorum omnium votis expetitum, qua lætitia cœptum, qua expectatione rurſus reſtitutum hoc fuerit inſtauratumque Concilium. Perſuaſum iis eſt & recte perſua-

Ier. 48.

Cap. 34.

Ezec. 34

Ierem. 2.

Mat. 18.

Heb. 10.

Mat. 9.

Mat. 15.

sum, hoc unum esse remedium, quo Ecclesiæ navis, jamdiu hæresum & discordiarum procellis agitata atque quassata, & cum vi tempestatis, tum nautarum etiam negligentia prope obruta, è periculo eripi, & tuto in portu possit collocari.

Hæcne eorum vota inania, has spes fallaces, hanc voluptatem irritam patiemur evadere? Quid reliquum erit amplius quod sperent? quid superet quod expectent? Si ullo umquam tempore bonorum & sapientium Sacerdotum Ecclesia fidem auxiliumque imploravit, hoc tempore, Patres, hoc tempore maxime implorat, afflicta, vexata, lacerata, tot spoliata præsidiis, tot charissimis filiis orbata, supplex Deo & vobis manus tendit, filios suos è sinu sui ereptos recuperare pia parens desiderat, & cum eorum desiderio angitur, tum de reliquorum etiam salute est sollicita. Quas illa Deo grates aget? quanta præ lætitia ac voluptate exultabit, si quod optat, per vos fuerit consecuta? Quam ea res non huic solum quæ in terris est, verum etiam illi cœlesti Ecclesiæ grata, jucunda, optataque accidet? Etenim si vel uno peccatore in terris pœnitentiam agente, beatæ illæ mentes tanopere in cœlo gaudent, quid tot populis ad veritatis lucem & rectam vivendi rationem revocatis futurum esse censemus? Ipsum profecto cœlum Ecclesiæ hac unione, & Religionis ac disciplinæ Ecclesiasticæ instauratione lætabitur, & terra ob factoris sui gloriam jubilabit, ac Domino nobis placato atque propitio, lætiores posthac dies, feliciora tempora, uberiores terræ fructus erunt. Reliquum est, Patres Amplissimi, ut vos pro officio nostro admoneamus, tametsi gravitas & sapientia vestra minime admonitionem nostram desideret, ut hæc quæ pro totius Ecclesiæ salute agere molimur, in spiritu lenitatis & mansuetudinis, quemadmodum sanctæ huic Synodo dignum est, agantur. Facessat hinc omnis hujus sacro sancti Cœtus majestate indigna contentio. Facessat omne odium, omnis verborum immoderatio. Sit summa inter nos, ut debet, charitas, summa animorum consensio, summa concordia. Nemo nostrum quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi. Denique meminerimus, huic Conventui, Deum ipsum nostrorum consiliorum & actionum omnium spectatorem ac judicem esse assurarum. Cui salus est & honor in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 15.

Gal. 6.

SESSIO XII.

Quæ est secunda sub Julio III. Pont. Max. celebrata, die 1. Septemb. 1551.

DECRETUM

Prorogationis Sessionis.

SAcro-sancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus eisdem Sedis Apostolicæ Legato & Nuntiis, quæ in proxime præterita Sessione, sequentem hanc hodie habendam, & ad ulteriora procedendum esse decreverat, cum ob inclytæ Germanicæ nationis, cujus præcipue causa agitur, absentiam procedere hactenus distulerit, de venerabilium in Christo fratrum & filiorum suorum Moguntini & Trevirensis Archiepiscoporum, ac sacri Romani Imperij Principum Electorum, & complurium ipsius aliarumque Provinciarum Episcoporum sub hanc ipsam diem adventu in Domino exultans, & dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque spem concipiens, quam plurimos tam ipsius Germaniæ, quam aliarum Nationum prælatos, & sui officij debito, & hoc exemplo cõmonitos propediem esse venturos; futuram Sessionem ad quadragesimam diem, quæ erit 11 mensis Octobris proxime sequentis, indicit, & Concilium ipsum in statu in quo reperitur, prætequendo: cum in præteritis Sessionibus de septem Sacramentis novæ legis in genere, & in specie de Baptismate & Confirmatione definitum fuerit, statuit & decernit, de Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, nec non quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum residentiam pertinent, agi & tractari debere: ac monet & hortatur omnes Patres, ut interim D. N. Jesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis & orationibus vacent, ut tandem placatus qui in sæcula sit benedictus Deus, corda hominum ad veræ fidei agnitionem & sanctæ matris Ecclesiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

Matt. 4.

Joan. 7.

Concordat cum originali. In cujus fidem ego Angelus Massarellus, sacri Concilij Secretarius, subscripsi manu propria.

SESSIO XIII.

Quæ est tertia sub Julio III. Pontif. Max. celebrata die undecima Octob. 1551. Celebravit autem Missam summam Episcop. Majorensis, Orationemque habuit Archiepiscopus Turritanus.

DECRETUM

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

SAcro-sancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ sedis Apostolicæ Legato & Nuntiis, & si in eum fin em non absq; peculiari Spiritus sancti ductu & gubernatione convenerit, ut veram & antiquam de fide & Sacramentis doctrinam exponeret, & ut hæresibus omnibus aliisque gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia misere nunc exagitatur, & in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret, hoc præsertim jam inde à principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania execrabilium errorum & schismatum, quæ inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrina fidei, usu & cultu sacro-sanctæ Eucharistiæ superseminavit: quam illi Salvator noster in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit eius unitatis & charitatis, qua Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta Synodus sanam & syncteram illam de venerabili hoc & divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta retinuit, & ad fidem usque sæculi conservabit, omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de Sanctissima Eucharistia aliter credere, docere aut prædicare audeant, quam ut est hoc præsenti Decreto explicatum atque definitum.

Matt. 13.

Eph. 4.

Luc. 22.

De reali præsentia Domini nostri Jesu Christi in sanctissimo Eucharistia Sacramento.

CAPUT PRIMUM.

PRincipio docet sancta Synodus, & aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, D. N. Jesum Christum, verum Deum atque hominem,

vere, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Neque enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus. Ita enim majores noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem diſerte ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. Quæ verba à ſanctis Evangeliſtis commemorata, & à D. Paulo poſtea repetita: cum propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præferant, ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt, indigniſſimum ſane flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri, quæ tanquam *columna, & firmamentum veritatis*, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut ſatanica, deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

Eph. 1.

Matt. 19.

Mat 26. Mar. 14. Luc. 22 1. Cor. 11.

1. Tim. 3.

De ratione inſtitutionis hujus ſanctiſſimi Sacramenti.

CAPUT II.

ERgo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoque ſymbolum unius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos, tanquam membra arctiſſima, fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, ut idipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.

Pſ. 110. Luc. 22. 1. Cor. 11. Joan. 6. Epheſ. 2. 1. Cor. 11. Epheſ. 5. Rom. 12. 1. Cor. 1.

De excellentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſuper reliqua Sacramenta.

CAPUT III.

COmmune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem; verum illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Euchariſtia, ipſe ſanctitatis author ante uſum eſt. Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & diviſitate exiſtere, ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamq; ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: divinitatem porro, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra ſpecie atque ſub utraque contineri: totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, item ſub vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtit.

Rom. 6.

De Tranſſubſtantiatione.

CAPUT IV.

QUoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat; per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus; quæ converſio convenienter, & proprie à ſancta Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiatio eſt appellata.

De cultu & veneratione huic ſanctiſſimo Sacramento exhibenda.

CAPUT V.

NUllus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſ. Sacram. in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum: nam illum eundum Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: quem Magi *procedentes adoraverunt*, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur.

Hebr. 1. Ex Pſal. 96. Matt. 6. Mat. 28.

Declarat præterea ſancta Synodus, pie & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam, & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, utque in Proceſſionibus reverenter & honorifice, illud per vias, & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione, gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræſentatur. Atq; ſic quidem oportuit victricem de mendacio & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.

De aſſervando Sacro Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.

CAPUT VI.

COnſuetudo aſſervandi in Sacrario ſanctam Euchariſtiam, adeo antiqua eſt, ut eam ſæculum etiam Nicæni Concilij agnoverit. Porro deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & veruſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.

De præparatione quæ adhibenda eſt, ut digne quis ſacram Euchariſtiam percipiat.

CAPUT VII.

SI non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte, certe quo magis ſanctitas & divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat: præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non* 1. Cor. 11. *dijudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam eius præceptum: B *Probet autem ſeipſum homo.* Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur.

CAPUT VIII.

QUoad uſum autem, recte & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. C Quoſdam enim docuerunt Sacramentaliter dumtaxat id ſumere, ut peccatores: alios tantum ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem ſentiunt: tertios porro Sacramentaliter ſimul & ſpiritualiter; ii autem ſunt, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant. In Sacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos, tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure ac merito retineri debet.

Demum autem paterno affectu admonet ſancta D Synodus, hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo jam tandem aliquando conveniant & concordent: memoreſque tantæ majeſtatis, & tam eximij amoris Jeſu Chriſti Domini, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſteria Corporis & Sanguinis eius ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is vere eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis: cujus vigore confortati, ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem pa- E triam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo ſacris velaminibus edunt, abſque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non eſt ſatis veritatem dicere, niſi & detegantur & refellantur errores; placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubjungere, ut omnes jam agnita doctrina Catholica, intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caveri vitarique debent.

A]

DE SACRO-SANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

SI quis negaverit, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima & divinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit, tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute, Anathema ſit. II

CANON II.

SI quis dixerit, in ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſſubſtantiationem appellat, Anathema ſit. C

CANON III.

SI quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.

CANON IV.

SI quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantum in uſu dum ſumitur, non autem ante vel poſt: & in Hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, Anathema ſit.

CANON V.

SI quis dixerit, vel præcipuum fructum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, Anathema ſit.

CANON VI.

SI quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſ-

sionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ ritum & consuetudinem solemniter circungestandum, vèl non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, Anathema sit.

CANON VII.

SI quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, Anathema sit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter, Anathema sit.

CANON IX.

SI quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Pascha te, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, Anathema sit.

CANON X.

SI quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, Anathema sit.

CANON XI.

SI quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Anathema sit.

Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

DECRETUM
DE REFORMATIONE.

CAPUT PRIMUM.

EAdem sancta Tridentina Synodus, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato & Nuntiis, intendens nonnulla statuere quæ ad jurisdictionem pertinent Episcoporum, ut juxta proximæ Sessionis Decretum, illi in commissis sibi Ecclesiis eo libentius residoant, quo facilius & commodius sibi subjectos regere, & in vitæ ac morum honestate continere potuerint: illud primum eos admonendos censet, ut se pastores, non percussores esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant; elaborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur, aut, si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur: cum sit diligentis & pij simul Pastoris officium, morbis ovium lenia primum adhibere fomenta, post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora & graviora remedia descendere: si autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis, cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare. 1. Tim. 5. Tit. 1. 2. Tim. 4.

Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas & Episcoporum subterfugienda judicia, querelas & gravamina simulent, & appellationis diffugio Judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut hujusmodi eorum calliditati & tergiversationi occurratur, ita statuit & decrevit.

In causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur: nec Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivolæ deferre teneatur, sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, nec non omni stylo & consuetudine & etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus, sacrorum & antiquorum Canonum statuta illibata perstiant.

CAPUT II.

ASententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarij generalis, in criminalibus appellationis causa (ubi appellationi locus fuerit) si Apostolica authoritate in partibus eam committi contigerit Metropolitano, seu illius etiam in spiritualibus Vicario generali, aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum vicariis, non autem inferioribus judicibus committatur.

CAPUT III.

REus ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram judice, ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omnino producat, & judex, nisi illis visis, ad ejus absolutionem minime procedat: is autem, à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit, terminetur.

CAPUT

A

CAPUT IV.

CUm vero tam gravia nonnunquam ſint delicta ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, ut ob eorum atrocitatem è ſacris Ordinibus deponendæ & Curiæ ſint tradendæ ſæculari, in quo ſecundum ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur; quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita juris executio differretur, ſi quando autem intervenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: propterea ſtatuit & decrevit, Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicarium in ſpiritualibus generalem, contra Clericum in ſacris etiam Preſbyteratus Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem, & per ſeipſum etiam ad actualem atque ſolemnem B degradationem ab ipſis ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia in numero à Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat, adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum mitræ & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in civitate aut Diœceſi reperiri & commode intereſſe poſſint: alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves ac Juris ſcientia commendabiles exiſtant.

CAPUT V.

ET quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, ut non- C nulli ejuſmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ illis Epiſcoporum juſta ſeveritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cum non ferendum ſit, ut mendacium, quod tantopere Deo diſplicet, non modo ipſum impunitum ſit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentienti, idcirco, ut ſequitur, ſtatuit & decrevit. Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſubrepſione & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerit, falſis precibus impetratur, per ſeipſum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummarie cognoſcat, ipſamque gratiam poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam eſſe legitime conſtiterit, non admittat.

CAPUT VI.

QUoniam vero ſubditi Epiſcopi ſametſi jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odiſſe, & tanquam injuria affecti ſint, falſa illi crimina objicere ſolent, ut quoquo pacto poſſint ei moleſtiam exhibeant, cujus vexationis timor plerumque illum ad inquirenda & punienda eorum delicta ſegniorem reddit: idcirco ne is magno ſuo & Eccleſiæ incommodo gregem ſibi creditum relinquere, ac ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita ſtatuit & decrevit: Epiſcopus niſi ob cauſam, ex E qua deponendus ſive privandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denuntiationem vel accuſationem, ſive alio quovis modo procedatur, ut perſonaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

CAPUT VII.

TEſtes in cauſa criminali ad informationem vel judicia, ſeu alias in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis & famæ fuerint, non recipientur: & ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, gravibus pœnis mulctentur.

CAPUT VIII.

CAuſæ Epiſcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipſum terminentur.

DECRETUM

PROROGATIONIS DEFINITIONIS quatuor articulorum de Sacramento Euchariſtiæ, & Salviconductus Proteſtantibus dandi.

EAdem ſancta Synodus errores omnes, qui ſuper hoc ſanctiſſimo Sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro Dominico evellere, ac omnium fidelium ſaluti proſpicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti pie oblatis, inter alios ad hoc Sacramentum pertinentes articulos diligentiſſima veritatis Catholicæ inquiſitione tractatos, plurimis accuratiſſimiſque pro rerum gravitate diſputationibus habitis, cognitis quoque præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, hoc etiam tractabat, an neceſſarium ſit ad ſalutem, & divino jure præceptum, ut ſinguli Chriſti fideles ſub utraque ſpecie ipſum venerabile Sacramentum accipiant: & num minus ſumat qui ſub altera, quam qui ſub utraque communicat: & an erraverit ſancta Mater Eccleſia, Laïcos, & non celebrantes Sacerdotes, ſub panis ſpecie dumtaxat communicando: & an parvuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſima Germaniæ Provincia ii, qui ſe Proteſtantes nominant, ſuper his ipſis articulis, antequam definiantur, audiri à ſancta Synodo cupiunt, & eam ob cauſam fidem publicam ab illa poſtularunt, ut ipſis tuto huc venire, & in hac urbe commorari, ac libere coram Synodo dicere atque proponere quæ ſenſerint, & poſtea cum libuerit, recedere liceat: ſancta ipſa Synodus, licet magno deſiderio eorum adventum multos antea menſes expectarit, tamen ut pia mater, quæ ingemiſcit & parturit, ſummopere id deſiderans D ac laborans, ut in iis, qui in Chriſtiano nomine cenſentur, nulla ſint ſchiſmata, ſed quemadmodum eundem omnes Deum & Redemptorem agnoſcunt, ita idem dicant, idem credant, idem ſapiant: confidens in Dei miſericordia, & ſperans fore, ut illi in ſanctiſſimam & ſalutarem unius fidei, ſpei, charitatiſque concordiam redigantur, & libenter ei in hac re morem gerant. ſecuritatem & fidem, ut petierunt, publicam, quam Salvum conductum vocant, quoad ſepertinet, ejus, qui infra ſcriptus erit, tenoris dedit atque conceſſit, & eorum cauſa definitionem illorum articulorum ad ſecundam Seſſionem diſtulit; quam, ut illi commode intereſſe poſſent, in diem Feſtum Converſionis D. Pauli, quæ erit 25. die menſis Januarij anni ſequentis, indixit: illudque præterea ſtatuit, ut in eadem Seſſione de Sacrificio Miſſæ agatur, propter magnam utriuſque rei connexionem. Interea Seſſione proxima de Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die Feſto D. Catharinæ Virginis & Martyris (qui erit 25. Novembris) habendam eſſe decrevit: ſimulque ut in utraque materiam reformationis proſequatur.

Salvus conductus datus Proteſtantibus.

SAcro-ſancta Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, Præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatis & Nuntiis.

Omnibus & ſingulis, ſive Eccleſiaſticis ſive ſæcu-

laribus perſonis univerſæ Germaniæ, cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis & qualitatis ſint, quæ ad Oecumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipſa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipſum Oecumenicum Concilium libere & tuto venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quos illis videbitur, tam ſcripto quam verbo offerre, proponere, & cum Patribus, ſive iis qui ab ipſa ſancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abſque ullis convitiis & contumeliis diſputare, nec non quando illis placuerit, recedere poſſint & valeant, publicam fidem & plenam ſecuritatem, quam Salvum conductum appellant, cum omnibus & ſingulis clauſulis & decretis neceſſariis & opportunis, etiam ſi ſpecialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreſſis haberi voluit, quantum ad ipſam ſanctam Synodum ſpectat concedit. Placuit præterea ſanctæ Synodo, ut ſi pro majori libertate & ſecuritate eorum, certos tam pro commiſſis quam pro committendis per eos delictis judices eis deputari cupiant, illos ſibi benevolos nominent, etiam ſi delicta ipſa quantumcumque enormia ac hæreſim ſapientia fuerint.

ANGELUS MASSARELLUS, *Scrvit.*

SESSIONIS XIV.

Quæ eſt quarta ſub Julio III. Pont. Max. celebrata die 25. Novembris 1551.

Doctrina de ſanctiſſimis Pœnitentiæ, & Extremæ-Unctionis Sacramentis.

SAcro-ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Legatis, & Nuntiis. Quamvis in Decreto de Juſtificatione multus fuerit, de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus; tanta nihilominus circa illud noſtra hac ætate diverſorum errorum eſt multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe, in qua demonſtratis & convulſis, Spiritus ſancti præſidio, univerſis erroribus, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret, quam nunc ſancta hæc Synodus Chriſtianis omnibus perpetuo ſervandam proponit.

De neceſſitate & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT PRIMUM.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo, erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, *dives in miſericordia*, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui perivíſſent, ut pervertitate abjecta, & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Unde Propheta ait: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dominus etiam dixit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et Princeps Apoſtolorum Petrus, peccatoribus Baptiſmo initiandis Pœnitentiam commendans, dicebat: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Porro nec ante adventum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante Baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit atque condemnavit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei & Chriſti Evangelium annuntiandi contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem falſo detorquent.

Eph. 2. *Pſ. 102.* *Ezech. 18. & 33.* *Joël. 2.* *Luc. 13.* *Act. 2.* *Joan. 20.*

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi.

CAPUT II.

CÆterum hoc Sacramentum multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur.

Nam præterquam quod materia & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur longiſſime diſſidet, conſtat certe, Baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus. *Quid enim mihi*, inquit Apoſtolus, *de his qui foris ſunt, judicare?* Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi, ſui corporis membra effecit. Nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo cõtaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tanquam reos, ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum Pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus; ut merito Pœnitentia laboriоſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.

1. Cor. 5. *Gal. 3.* *2. Cor. 5.*

De partibus & fructu hujus Sacramenti.

CAPUT. III.

DOcet præterea ſancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: *Ego te abſolvo, &c.* Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, Satisfactio: qui, quatenus in Pœnitente ad integri-

tatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur. Sane vero res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Hæc de partibus & effectu hujus Sacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, inculſos conſcientiæ terrores, & fidem eſſe contendunt.

De Contritione.

CAPUT IV.

COntritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc contritionem, non ſolum ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitionem & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere juxta illud: *Ezech.18* *Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* Et certe, qui illos ſanctorum clamores conſideraverit. *Pſal. 50.* *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* *Pſal. 6.* *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum:* *Iſa. 38.* *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* & alios hujuſmodi generis; facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. *Jonæ 3.* *Matt.12.* Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falſo quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre: quod nunquam Eccleſia docuit, nec ſenſit. Sed & falſo docent, Contritionem eſſe extortam & coactam, non liberam & voluntariam.

De Confeſſione.

CAPUT V.

Luc.5.& 17. *Jacob. 5.* *1.Joan.1* EX inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides & Judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderunt, quo pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntiant. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animum gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis quæ in manifeſto admittuntur. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verum cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant; neceſſum eſt omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia *Eph. 2.* quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt. Qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Unde alienum à ratione eſt, docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe, aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem. Sed & impium eſt, Confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim, nihil aliud à pœnitentibus in Eccleſia exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine*, Pſ. 18. Ipſa vero hujuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſime conferuntur. Cæterum quoad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publice confiteri poſſit, non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis *Con. Lat. ſub Inn. III. c.21.*

initium habuiſſe, docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit ut Chriſti fideles confiterentur, quod Jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Unde jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maxime probat & amplectitur, tanquam pium & merito retinendum.

De miniſtro huius Sacramenti & abſolutione.

CAPUT VI.

CIrca miniſterium autem hujus Sacramenti declarat ſancta Synodus, falſas eſſe, & à veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, clavium miniſterium pernicioſe extendunt; putantes, verba illa Domini: *Quæcumque alligaveritis* *Matt.18.* *ſuper terram, erunt alligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*: &, *Joan.20.* *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*; ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcue, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti in Ordinatione collatam, tanquam Chriſti miniſtros functionem remittendi peccata exercere: eoſque prave ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamvis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficij ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata: ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut à judice, ſententia pronuntiatur: atque ideo non debet pœnitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut etiam ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agendi & vere abſolvendi deſit, putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem vere & coram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine Pœnitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret, nec is eſſet niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem jocoſe abſolventem agnoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret.

De caſuum reſervatione.

CAPUT VII.

QVoniam igitur natura & ratio judicij illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à Summis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Vnde merito Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſuper reliquos *Rom. 13.* inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illos, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem, conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantum in externa Politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris, abſolvere poſſint: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant.

De ſatisfactionis neceſſitate, & fructu.

CAPUT VIII.

DEmum quo ad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime noſtra ætate, ſummo pietatis prætextu impugnatur ab eis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt: ſancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & à verbo Dei *Gen.3.* alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin *Num.12.* univerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & *& 20.* illuſtria in Sacris literis exempla reperiuntur, quibus, *2.Reg.12.* præter divinam traditionem, hic error quam manifeſtiſſime revincitur. Sane & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute *1.Cor.3.* liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare & Spiritum ſanctum contriſtare *Epheſ.4.* non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimit- *Rom.2.* tantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurij & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & *Jacob.5.* quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & *Ezech.13* vitioſos habitus male vivendo comparatos, contrariis *Jona.2.* virtutem actionibus tollunt. Neque vero ſecurior *Jer.3.18.* ullo via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit ad *& 25.* amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm *Iſa.30.* ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi *Eccli.17.* dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum ſa- *Matt.3.* tisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui *4.11.& 18* pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra *2.Cor.3.* ſufficientia eſt, conformes efficimur; certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & glorificabimur. Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio, hæc quam pro peccatis noſtris exoluimus, ut non *Rom.8.* ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confor- *2.Cor.3.* tat, omnia poſſumus. Ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt: in *Philip.4.* quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, *1.Cor.1.* facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim *Gal.6.* habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum accep- *Act.17.* tantur à Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, *Luc.3.* quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claues Sacerdotum non ad ſolvendum

dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent. Nec propterea exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ vel pœnarum, ſicut nemo umquam Catholicus ſenſit, ex hujuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Jeſu Chriſti vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui, quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam Pœnitentiam novam vitam eſſe docent, ut omnem Satisfactionis vim & uſum tollant.

De operibus Satisfactionis.

CAPVT IX.

DOcet præterea, tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolum pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus.

DOCTRINA
DE SACRAMENTO
EXTREMÆ UNCTIONIS.

VIſum eſt autem ſanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento Extremæ unctionis: quod non modo Pœnitentiæ, ſed etiam totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus. Primum itaque circa illius inſtitutionem declarat & docet, quod clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis, adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint, ita Extremæ unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Nam
1. Pet. 5 etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſet; nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ proſpicit.

De Inſtitutione Sacramenti Extremæ-unctionis.

CAPUT PRIMUM.

INſtituta eſt autem ſacra hæc Vnctio infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum Novi Te-
Marc. 6. ſtamenti, à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſto-
Iacob. 5. lum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur* (inquit) *quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti. Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum: nam unctio aptiſſime Spiritus ſancti gratiam, quæ inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Formam deinde eſſe illa verba: *Per iſtam unctionem, &c.*

De effectu hujus Sacramenti.

CAPUT II.

REs porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum,* Iac. c. 5. *& alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti; cujus unctio, delicta ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur. Gen. 3.

De miniſtro huius Sacramenti, & tempore quo dari debeat.

CAPUT III.

IAm vero, quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & oſtenditur illic, proprios hujus Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Preſbyteros: quo nomine eo loco non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinati per impoſitionem manuum Presbyterii. Declaratur etiam, eſſe 1. Tim. 4. hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Vnctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Jacobi ſententiam, docent hanc Vnctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem: & qui illam jam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Eccleſia referenda eſſet; & qui dicunt, ritum & uſum, quem ſancta Romana Eccleſia in hujus Sacramenti adminiſtratione obſervat, Jacobi Apoſtoli ſententiæ repugnare, atque ideo in aliam commutandum eſſe; & denique, qui hanc Extremam Vnctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmant. Hæc enim omnia manifeſtiſſime pugnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. Nec profecto Eccleſia Romana, aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtranda Vnctione, quantum ad ea quæ hujus Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſervat, quam quod Beatus Jacobus præſcripſit. Neque vero tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus ſancti injuria eſſe poſſet.

Hæc ſunt, quæ de pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis Sacramentis hæc ſancta Oecumenica Synodus profitetur & docet, atque omnibus Chriſti fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem Canones inviolabiliter ſervandos eſſe tradit, & aſſerentes contrarium perpetuo damnat & anathematizat.

DE SACRO-SANCTO POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

SI quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, Anathema ſit.

CANON II.

SI quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, Anathema ſit.

CANON III.

SI quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, Anathema ſit.

Joan. 20.

CANON IV.

SI quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, Anathema ſit.

CANON V.

SI quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, Anathema ſit.

CANON VI.

SI quis negaverit, Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, Anathema ſit.

CANON VII.

SI quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem Canonicam imponendam: aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilij Lateranenſis Conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ, Anathema ſit.

CANON IX.

SI quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat ſe eſſe abſolutum: aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat: aut dixerit, non requiri confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit, Anathema ſit.

CANON X.

SI quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omni-

bus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum: A
Mat.18. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*: Et; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*: Quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit, ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem, Anathema ſit.

CANON XI.

SI quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad exB. ternam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere quo minus Sacerdos à reſervatis vere abſolvat, Anathema ſit.

CANON XII.

SI quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quam fidem, quâ apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, Anathema ſit.

CANON XIII.

C

SI quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam, Anathema ſit.

CANON XIV.

D

SI quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque beneficium mortis Chriſti obſcurantes, Anathema ſit.

CANON XV.

SI quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe tantum ad ſolvendum, non etiam ad liE gandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quod virtute clavium ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat, Anathema ſit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-VNCTIONIS.

CANON I.

SI quis dixerit, Extremam-Vnctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; Anathema ſit.

CANON II.

SI quis dixerit, ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, Anathema ſit.

CANON III.

SI quis dixerit, Extremæ-Vnctionis ritum & uſum, quem obſervat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ Beati Iacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, C poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, Anathema ſit.

CANON IV.

SI quis dixerit, Preſbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, Anathema ſit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

PROOEMIUM.

CUm proprie Epiſcoporum munus ſit, ſubditorum omnium vitia redarguere; hoc illis præcipue cavendum erit, ne Clerici, præſertim ad animarum curam conſtituti, criminoſi ſint, neve inhoneſtam vitam ipſis connivantibus ducant. Nam ſi eos pravis & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto laicos de ipſorum vitiis redarguent, qui uno ab eis ſermone convinci poſſent, quod Clericos ipſi patiantur eſſe deteriores? Qua etiam libertate laicos corrigere poterunt Sacerdotes, cum tacite ſibi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe quæ corripiunt? Monebunt propterea Epiſcopi ſuos Clericos, in quocumque ordine fuerint, ut converſatione, ſermone, & ſcientia commiſſo ſibi Dei populo præeant, memores ejus quod ſcriptum eſt: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum*, & juxta Apoſtoli vocem, nemini dent ullam offenLevit. 11. ſionem, ut non vituperetur miniſterium eorum: ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut miniſtros Dei, ne illud

Ezec.22. Soph.3. Prophetæ dictum impleatur in eis : *Sacerdotes Dei contaminant ſancta & reprobant legem.* Ut autem ipſi Epiſcopi id liberius exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant, eadem ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legato & Nuntiis, hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos & decernendos duxit.

CANON I.

CUm honeſtius ac utius ſit ſubjecto, debitam Præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quam cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus & dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur.

CANON II.

ET quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes & populo Chriſtiano, cum fere vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Jeſu *Sup. ſeſſ. 6. c. 5. de Refor.* Chriſti, ſed alienas oves inſcio proprio paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe Pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci Ordinarij expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum, exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius Diœceſis ſua temeritate eligunt & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum litteras commendatitias non habeant, Clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam Preſbyteratus Ordines promovere præſumunt: quo plerumque fit, ut minus idonei, & rudes ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerunt, ordinati, nec divina Officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta recte valeant miniſtrare. Nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegij, ſibi de promovendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ, commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut Minores Ordines, vel primam tonſuram promovere ſeu ordinare valeat. Contra faciens, ab exercitio Pontificalium per annum; taliter vero promotus, ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

CANON III.

EPiſcopus quoſcumque ſuos Clericos, præſertim in Sacris conſtitutos, abſque ſuo præcedenti examine & commendatitiis litteris, quacumque auctoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo à quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad divina Officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minus idoneos & capaces reperierit, à ſuſceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis ne in Altari aut aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

CANON IV.

OMnes Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per hujus ſanctæ Synodi ſtatuta, cujuſvis privilegij prætextu tutus cenſetur, quo minus juxta Canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi poſſit, ſi in Eccleſiis ſuis reſederint, quoſcunque ſæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias ſuæ juriſdictioni ſubeſſent; de eorum exceſſibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tanquam adhoc Apoſtolicæ Sedis Delegati, corrigendi & caſtigandi facultatem habeant: quibuſcumque exemptionibus, declarationibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum ſuos obligent auctores, ipſis Clericis ac eorum conſanguineis, Capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuſlibet, ipſorum exemptorum contemplatione & intuitu minime ſuffragantibus.

CANON V.

INſuper, cum nonnulli, qui ſub prætextu quod ſuper bonis & rebus ac juribus ſuis diverſæ eis injuriæ ac moleſtiæ inferantur, certos Judices per litteras Conſervatorias deputari obtinent, quiſſos à moleſtiis & injuriis hujuſmodi tueantur ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi, bonorum, rerum, ac jurium ſuorum manuteneant & conſervent, nec ſuper illis eos moleſtari permittant, ejuſmodi litteras in pleriſque contra concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: idcirco nemini omnino, cujuſcumque dignitatis & conditionis ſit, etiam ſi Capitulum fuerit, Conſervatoriæ litteræ cum quibuſcumque clauſulis aut decretis, quorumcumque Judicum deputatione, quocumque etiam alio prætextu aut colore conceſſæ ſuffragentur ad hoc, ut coram ſuo Epiſcopo, ſive alio Superiore ordinario, in criminalibus & mixtis cauſis accuſari & conveniri, ac contra eum inquiri & procedi non poſſit; aut quo minus, ſi qua jura ei ex ceſſione competierint, ſuper illis libere valeat apud Judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe Actor extiterit, aliquem ex apud ſuos Conſervatores Judices in judicium trahere minime liceat. Quod ſi in iis cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, vel electus ab eo Conſervator ab Actore ſuſpectus eſſe dicatur, aut ſi qua inter ipſos Judices, Conſervatorem & Ordinarium, controverſia ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma Juris electos, ſuper ſuſpicione, aut juriſdictionis competentia fuerit judicatum. Familiaribus vero ejus, qui hujuſmodi litteris conſervatoriis tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat: ſi tamen illi propriis ejus ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere poſſit: Non licet quoque Conſervatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. In cauſis vero mercedum, aut miſerabilium perſonarum, hujus ſanctæ Synodi ſuper hoc Decretum in ſuo robore permaneat. Univerſitates autem generales, ac Collegia Doctorum ſeu ſcholarium, & Regularia loca, necnon Hoſpitalia actu hoſpitalitatem ſervantia, ac Univerſitatum, Collegiorum, locorum & Hoſpitalium hujuſmodi perſonæ, in præſenti Canone minime comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur. *Sup. Seſſ. c. 14. de Reform.*

CANON VI.

QUia vero, etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci,

extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, Religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem Clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice Laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates personatus, officia, aut Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & Beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & Beneficiorum hujusmodi, coërceri possint & debeant. Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit: *Quoniam*, innovando & ampliando.

Clement. Quoniam de vita & honestate Cleric.

CANON VII.

Exod. 21. CUm etiam, qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferre liceat; sed omni Ordine, ac Beneficio & officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

CANON VIII.

PRæterea, quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt pastores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus præesse quærunt, ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant: quicumque, etiam Episcopali præditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra Clericos sibi non subjectos, præsertim in Sacris constitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprij ipsorum Clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam suam residerit, aut personæ ab ipso Episcopo deputandæ interventu, nequaquam procedere debeat: alias processus, & inde secuta quæcumque, viribus omnino careant.

CANON IX.

ET quia jure optimo distinctæ fuerunt Diœceses, & Parochiæ, ac unicuique gregi proprij attributi Pastores, & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesum fiat, non sine gravi eorum incommodo qui illi subditi fuerint. Beneficia unius Diœcesis, etiam si Parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia Beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius Diœcesis Beneficio, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuo non uniantur; Decretum hujus sanctæ Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

Sup. sess. 7 c. 6 & 7. de refor.

CANON X.

REgularia Beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis qui habitum omnino suscipere & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur.

Dent. 22.

CANON XI.

QUia vero Regulares de uno ad alium Ordinem translati, facile à suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent, ex quo vagandi & apostatandi occasio tribuitur, nemo cujuscumque Ordinis Prælatus vel Superior, vigore cujuscumque facultatis, aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat: ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia sæcularia, etiam Curata, omnino incapax existat.

CANON XII.

NEmo etiam, cujusvis dignitatis, Ecclesiasticæ vel sæcularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori, reservetur.

CANON XIII.

NOn liceat præterea patrono, cujusvis privilegij prætextu, aliquem ad Beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, jure pertineret, quoquo modo præsentare: alias præsentatio ac institutio forsan secutæ, nullæ sint & esse intelligantur.

CANON XIV.

DEclarat præterea sancta Synodus, in futura Sessione, quam ad 25. diem Januarij subsequentis, anni 1552. habendam esse jam decrevit, una cum sacrificio Missæ, agendum & tractandum esse de Sacramento Ordinis, & prosequendam esse materiam Reformationis.

Angelus Massarellus subscripsit, in fidem & testimonium præmissorum.

SESSIO XV.

Quæ eſt quinta ſub Iulio III. Pont. Max. celebrata, die Ianuarij 1552. Rem divinam fecit Epiſcopus Catanenſis, Orationem autem habuit Epiſcopus Maioricenſis.

DECRETUM

Prorogationis Seſſionis.

CUm ex eo quod proximis Seſſionibus decretum fuit; ſancta hæc & univerſalis Synodus per hos dies accuratiſſime diligentiſſimeque tractaverit ea, quæ ad ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, & ad Sacramentum Ordinis ſpectant, ut hodierna Seſſione, quemadmodum Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſet, Decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinentes, in hac tandem Seſſione dilatos publicaret, atque interim affuturos eſſe putaverit ad hoc ſacro-ſanctum Concilium eos, qui Proteſtantes ſe vocant, quorum cauſa eorum publicationem articulorum diſtulerat, & ut libere ac ſine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam ſive ſalvuum conductum conceſſerat: tamen cum illi nondum venerint, & eorum nomine ſupplicatum huic ſanctæ Synodo fuerit, ut publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in ſequentem ſeſſionem differatur, certa ſpe allata, affuturos eſſe omnino multo ante illam ſeſſionem, ſalvo conductu amplioris formæ interim accepto: eadem ſancta Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata, iiſdem Legato & Nuntiis præſidentibus, nihil magis optans, quam ex præſtantiſſima natione Germanica omnes de Religione diſſenſiones & ſchiſmata tollere, ac eius quieti, paci, otioque conſulere, parata ſeipſos, ſi venerint, & humaniter excipere, & benigne audire; confidenſque eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, ſed veritatis cognoſcendæ ſtudio eſſe venturos, & ut Evangelicæ veritatis ſtudioſos decet, ſanctæ Matris Eccleſiæ Decretis ac diſciplinæ ad extremum eſſe acquieturos: ſequentem ſeſſionem ad edenda & publicanda ea quæ ſupra commemorata ſunt, in diem feſtum ſancti, qui erit in die 19 menſis Martij, diſtulit, ut illi ſatis temporis & ſpatij haberent non ſolum ad veniendum, verum etiam ad ea quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem diutius cunctandi cauſam adimat, fidem publicam, ſive ſalvum conductum, ejus qui recitabitur tenoris & ſententiæ, libenter dat & concedit. Interea vero de Matrimonij Sacramento agendum & de eo, præter ſuperiorum Decretorum publicationem, definiendum eſſe eadem ſeſſione ſtatuit & decernit, & proſequendam eſſe materiam Reformationis.

Germani invitantur ad Concilium.

SYNODI TRIDENTINÆ Proteſtatio.

In Congregatione Generali 25. Ianuarij, 1552. antea quam Proteſtantes audirentur, acta.

HÆc ſacro ſancta Synodus, &c. Ne ob diſceptationes (quæ tam de perſonis comparentibus, mandatiſque & ſcripturis exhibendis, quam de loco ad ſedendum perſonis aſſignando oriri poſſent) felix ipſius Concilij progreſſus retardetur, inhærens Decreto in ſecunda ſeſſione promulgato, atque illud innovans ſtatuit, decernit, declarat, quod ſi forte contigerit aliquos, qui ex diſpoſitione Iuris aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi aut recipiendi non eſſent, vel per ſeipſos, vel per interpoſitas perſonas admitti aut recipi, vel in loco non debito ſedere, vel ſententiam ſub verbo *Placet* proferre, vel Congregationibus intereſſe, vel alios quoſcumque actus facere Concilio durante; quodq; ſi etiam contigerit mandata, inſtrumenta, proteſtationes, & alia cujuſvis generis ſcripta quæcumque, quæ ipſius Concilij honorem, jus, ac poteſtatem quomodocumque læderent ſeu lædere poſſent, recipi aut admitti, propterea non præjudicetur, neque aliquomodo præjudicatum cenſeatur vel intelligatur præſenti Concilio, neque Concilis Oecumenicis ac generalibus in perpetuum celebrandis: cum omnis intentio hujus Concilij ſit & eo tendat, ut pax & concordia quacumque ratione, licita tamen & congruenti, in Eccleſia reducantur.

Salvus conductus datus Proteſtantibus.

SAcro-ſancta Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, Præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legato & Nuntiis, inhærendo ſalvo conductui in penultima ſeſſione dato, & illum juxta tenorem infraſcriptum ampliando, univerſis fidem facit, quod omnibus & ſingulis, Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militantibus, popularibus, & aliis cuiuſcumque ſtatus & conditionis & qualitatis exiſtant, Germaniæ Provinciæ & nationis civitatibus, ac aliis locis eiuſdem, & omnibus aliis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ Confeſſionis perſonis, qui aut quæ una cum ipſis ad hanc Generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt, quocumque nomine cenſeantur, aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, quam ſalvum conductum appellant, libere ad hanc Tridentinam civitatem veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipſa Synodo de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet tam ſcripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eoſque Scripturis Sacris, & Beatorum Patrum verbis, ſententiis & rationibus declarandi, aſtruendi & perſuadendi, & ſi opus fuerit, ad objecta Concilij Generalis reſpondendi, & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi Chriſtiane, aut charitative abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, convitiis, ac contumeliis penitus ſemotis; & ſignanter, quod cauſæ controverſæ, ſecundum ſacram Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & Sanctorum Patrum authoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, ut Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum aut committendorum minime puniantur, impartitur ac omnino concedit; ſic etiam, ut propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa civitate Tridentina à divinis Officiis quovis modo ceſſetur. Et ut, his peractis, vel non peractis, quandocumque ipſis libuerit, aut majorum ſuorum mandato & aſſenſu, ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque ulla retinentia & occaſione aut mora, ſalvis rebus eorum, & ſuorum pariter honore, & perſonis, vice verſa poſſint juxta beneplacitum libere & ſecure redire: de ſcientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum ſecu-

ſtati abſque dolo & fraude provideatur. Vult etiam ſancta Synodus in hac publica fide Salvoque conductu, omnes quaſcumque clauſulas includi ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, ac redeundo, neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad majorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod ſi quiſpiam, aut illorum aliqui, ſive in itinere Tridentum veniendo, ſive ibidem morando, ac redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari, aut caſſari; vult & concedit, ut in hujuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis, condigna animadverſione, cum emenda ſufficienti, per partem ipſius Synodi merito approbanda & laudanda, mox puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa Synodo, ſive in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in hujuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa Synodo dumtaxat, & non ab aliis, condigna animadverſione, & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ Confeſſionis, tunc hîc præſentium merito laudanda & approbanda, mox puniantur, præſenti aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipſa Synodus, quod liceat ipſis Ambaſſiatoribus, omnibus & ſingulis, toties quotieſcumque opportunum fuerit ſeu neceſſarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, & reverti ad eamdem, nec non nuntium vel nuntios ſuos ad quæcumque loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis libere mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere, toties quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui, vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati provideant vel provideat. Qui quidem Salvus conductus & ſecuritates ſtare ac durare debent, & à tempore, & per tempus, quo in ipſius Synodi & ſuorum uitionis eatam ipſos ſuſcipi contigerit, & uſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cum ipſi petierint, aut Concilium, habita hujuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento uſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo favente reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia, pro univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus quibuſcumque, atque omnibus aliis Eccleſiaſticis ac ſæcularibus perſonis, cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cenſeantur, inviolabiliter obſervanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet. Inſuper, omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam, vel manifeſte vel occulte, occaſionem quæſituram, aut aliqua authoritate, potentia, jure, vel ſtatuto, privilegio Legum vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Senenſis, quacumque forma verborum expreſſa, in aliquod hujus fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præjudicium quovis modo uſuram, aut quemquam uti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod ſi ſancta Synodus, aut aliquis ex ea vel ſuis, cujuſcumque conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & Salvi conductus formam & modum in quocumque vel clauſula violaverit, (quod tamen avertere dignetur Omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, ipſorum arbitrio merito approbanda & laudanda, habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas jure divino & humano, aut conſuetudine hujuſmodi Salvorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione aut quavis in hac parte contradictione.

Concil. Conſtantienſe ſeſſ. 19.

Datum Tridenti in Seſſione publica, die 25. Januarij 1552.

Ego ANGELUS MASSARELLUS, *ſacri Concil. Secret. in fidem & teſtimonium præmiſſorum manu propria ſubſcripſi.*

SESSIO XVI.

Quæ eſt ſexta & ultima ſub Julio III. Pontif. Max. celebrata die 28. *Aprilis* 1552.

DECRETUM

Suſpenſionis Concilij.

SAcro ſancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea Reverendiſſ. Dominis Sebaſtiano Archiepiſcopo Sipontino & Aloyſio Epiſcopo Veronenſi, Apoſtolicis Nuntiis, tam eorum proprio, quam Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Marcelli, tituli S. Marcelli, S. R. E. Cardinalis Creſcentij, Legati ob adverſam eius graviſſimam valetudinem abſentis nomine, non dubitat Chriſtianis omnibus patere, hoc Concilium Oecumenicum Tridentinum primo à Paulo felicis recordationis convocatum & collectum fuiſſe, deinde à ſanctiſſimo Domino noſtro Julio tertio efflagitante Carolo quinto Auguſtiſſimo Imperatore, ea præcipue de cauſa fuiſſe reſtitutum, ut Religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diverſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum revocaret, abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret. Cumque ad hoc agendum quamplurimi Patres, nulla laborum ſuorum periculorumque habita ratione, è diverſis regionibus alacriter confluxiſſent; reſque ſtrenuè magno fidelium concurſu feliciterque procederet; ac ſpes eſſet non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in Concilium venturos ſic animatos, ut veteris Eccleſiæ rationibus unanimiter acquieſcerent: lux denique quædam rebus affulſiſſe videretur, caputque attollere inciperet profligata antea & afflicta Reſpub. Chriſtiana; ij repente tumultus, ea bella, hoſtis generis humani verſutia exarſerunt, ut Concilium velut hærere, ac ſuum curſum interrumpere ſatis incommode cogeretur; ſpeſque omnis ulterioris progreſſus hoc in tempore tolleretur: tantumque aberat ut ſancta Synodus Chriſtianorum malis & incommodis mederetur, ut multorum mentes, præter ſui animi ſententiam, irritatæ potius quam placaret. Cum igitur ipſa ſancta Synodus omnia, & præcipue Germaniam armis ardere & diſcordiis videret, omnes fere Epiſcopos Germanos, præſertim Principes Electores, ſuis conſultum Eccleſiis, è Concilio abiiſſe; decrevit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, ut Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ovibus proſpectum ad ſuas Eccleſias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, hujus Oecumenici Concilij Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decernit, prout præſenti Decreto ſuſpendit, ea tamen lege, ut ſi citius pacata res ſit, ac tran-

Concil. ſuſpenditur ob bella.

quillitas priſtina revertatur, quod ſperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo forſan ſpatio futurum, ipſius Concilij progreſſus, eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur. Sin autem (quod Deus avertat) peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, cum primum ceſſaverint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur Concilio ſit reſtitutum & eſſe intelligatur, ſine alia nova Concilij convocatione: accedente ad hoc Decretum conſenſu & auctoritate Sanctitatis ſuæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Interea tamen eadem ſancta Synodus exhortatur omnes Principes Chriſtianos, & omnes Prælatos, ut obſervent, & reſpective, quatenus ad eos ſpectat, obſervari faciant in ſuis Regnis, Dominiis & Eccleſiis omnia & ſingula, quæ per hoc ſacrum Oecumenicum Concilium fuerunt hactenus ſtatuta & decreta.

Angelus Maſſarellus Secretarius Concilij ſacri ſubſcripſi.

BVLLA CELEBRATIONIS
CONCIL. TRIDENT.
SVB PIO QUARTO
PONTIFICE MAXIMO.

PIus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Eccleſiæ regimen, licet tanto oneri impares, ſola Dei dignatione vocati, ſtatim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Chriſtianæ partes, cernentesque non ſine magno horrore, quam longe lateque peſtis hæreſum & ſchiſmatis pervaſiſſet, & quanta Chriſtiani populi mores correctione indigerent; in eam curam & cogitationem pro ſuſcepti muneris officio incumbere cœpimus, quemadmodum ipſas hæreſes extirpare, tantumque & tam perniciоſum ſchiſma tollere, moreſque adeo corruptos & deptavatos emendare poſſemus. Cum autem intelligeremus, ad hæc ſanaſida mala aptiſſimum eſſe remedium, quod ſancta hæc Sedes adhibere conſueviſſet, Oecumenici Generaliſque Concilij; eius congregandi, & Deo juvante, celebrandi conſilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit à fel. rec. Paulo III. & eius ſucceſſore Julio prædeceſſoribus noſtris, ſed variis de cauſis ſæpius impeditum & interpellatum, perfici non potuit. Siquidem Paulus, cum id primo in vrbem Mantuam, deinde Vincentiam indixiſſet, quaſdam ob cauſas in litteris eius expreſſas, id primo ſuſpendit, poſtea Tridentinum tranſtulit. Deinde cum quibuſdam de cauſis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuiſſet, tandem ſuſpenſione ſublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum Seſſionibus aliquot habitis, & nonnullis Decretis factis, ipſum ſe poſtea Concilium aliquibus de cauſis, accedente etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Bononiam tranſtulit. Julius autem, qui ei ſucceſſit, in eamdem civitatem Tridentinam id revocavit; quo quidem tempore facta alia quædam Decreta ſunt. Sed cum novi in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuiſſent, & bellum in Italia & Gallia graviſſimum exarſiſſet, rurſus Concilium ſuſpenſum & dilatum fuit: adnitente ſcilicet humani generis hoſte, aliiſque ex aliis difficultates & impedimenta objiciente, ut tantum Eccleſiæ commodum quod prorſus auferre non poterat, ſaltem quam diuriſſime retardaret. Quantopere vero interea auctæ fuerint & multiplicatæ ac propagatæ hæreſes, quantopere ſchiſma creverit, ſine maximo animi dolore nec meminiſſe poſſumus, nec referre. Sed tandem pius & miſericors Dominus, qui numquam ita iraſcitur ut miſericordiæ oblivi ſcatur, Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & unanimitatem donare dignatus eſt. Qua nos occaſione oblata, maximam in ſpem venimus, ipſius miſericordia freti, fore ut hiscantis quoque Eccleſiæ malis, eadem Concilij via finis imponatur. Nos itaque ad ſchiſma hæreſesque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Chriſtianos Principes conſervandam, celebrationem eius non eſſe duximus diutius differendam. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus noſtris S. Rom. Eccleſ. Cardinalibus deliberatione matura, factis etiam conſilii noſtri certioribus chariſſimis in Chriſto filiis noſtris, Ferdinando Romanorum Imperatore electo, & aliis Regibus atque Principibus, quos quidem (ſicut de eorum ſumma pietate & ſapientia nobis polliceba-mur) paratiſſimos ad ipſius Concilij celebrationem adjuvandam invenimus, ad Dei omnipotentis laudem & honorem & gloriam, atque univerſalis Eccleſiæ utilitatem, de eorumdem fratrum noſtrum conſilio & aſſenſu, ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium, ex auctoritate ejuſdem Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum (qua nos quoque in terris fungimur) freti & ſubnixi, in civitate Tridentina ad ſacratiſſimum diem Reſurrectionis Dominicæ proxime futurum indicimus, & ibi celebrandum, ſublata ſuſpenſione quacumque, ſtatuimus atque decernimus. Quocirca Venerabiles Fratres noſtros, omnibus ex locis, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, ceteroſque quibus in Concilio Generali ſedere, & ſententiam dicere, jure communi, vel privilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet, vehementer in Domino hortamur & monemus, atque etiam diſtricte præcipiendo mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, in vi quoque juramenti quod præſtiterunt, & ſub pœnis quas in eos, qui ad Concilia generalia convenire neglexerint, ſacris ſcitine eſſe Canonibus conſtitutas, ut ad Concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, niſi forte impedimento fuerint legitimo præpediti; quod tamen impedimentum per legitimos Procuratores Synodo probare debebunt. Monemus præterea omnes & ſingulos quorum intereſt intereſſeve poterit, ut in Concilio adeſſe ne negligant. Chariſſimos vero in Chriſto filios noſtros, Romanorum Imperatorem electum, ceteroſque Reges & Principes, quos optandum ſane eſſet Concilio intereſſe poſſe, hortamur & rogamus, ut ſi ipſi intereſſe Concilio non poterint, Oratores ſuos prudentes, graves, & pios viros utique mittant, qui ipſorum nomine illi interſint, curentque diligenter pro ſua pietate, ut ex eorum Regnis atque Dominiis Prælati ſine recuſatione ac mora, tam neceſſario tempore, Deo & Eccleſiæ officium ſuum præſtent: eoſdem etiam caraturos eſſe minime dubitantes, ut per ipſorum Regna & dominia tutum ac liberum iter Prælatis, eorumque familiaribus, comitibus & aliis omnibus ad Concilium euntibus, & ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, ſicut (quod ad nos attinet) ipſi quoque curabimus: qui nihil omnino prætermittere decrevimus, quod ad tam pium & ſalutare opus perficiendum à nobis in hoc loco conſurgentis præſtari poſſit; nihil, ut Deus ſcit, quærentes aliud, nil propoſitum habentes in hoc Concilio celebrando, niſi honorem ipſius Dei, diſperſarum ovium reductionem ad ſalutem, & perpetuam Chriſtianæ Reipubl. tranquillitatem ac quietem. Ut vero hæ litteræ, & quæ in eis continentur, ad omnium quorum oportet, notitiam perveniant, nec quiſquam ea excuſatione uti poſſit, quod illæ ignoraverit, præſertim cum non ad omnes, quos de his litteris certiores fieri oportet, tutus forſitan pateat aditus; volumus & mandamus, ut in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc cum in eis populus, ut Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palam

clara voce à Curiæ noſtræ Curſoribus, ſeu Notariis aliquibus publicis, recitentur. & poſtquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ, affigantur, ibique, quo legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquandiu relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iiſdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem, & affixionem, omnes & ſingulos, quos his literis comprehenduntur, poſt duos menſes à die publicationis & affixionis earum, volumus perinde adſtrictos & obligatos eſſe, ac ſi ipſiſmet illæ coram editæ & lectæ fuiſſent. Tranſumptis quoque earum, quæ manu publici alicujus Notarij ſcripta ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, ut ſine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, ſtatuti, decreti, præcepti, admonitionis, & adhortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1560. 3. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Antonius Florebellus, Barengus.

Ego Pius, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

SI MEI NON FUERINT



Ego Rever. Cardin. de Carpo, Epiſc. Portuenſis.
Ego F. Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus.
Ego Feder. Cardin. Cæſius, Epiſc. Prænestinus.
Ego Ioan. Card. Moronus, Epiſc. Albanenſis.

* *

Ego Chriſtophorus Madrucius, Card. Trident.
Ego Otthо Truchſes, Card. Augoſtanus.
Ego B. de la Cueva, Cardinalis ſanctæ Crucis.
Ego Tiberius Cardin. Criſpus.
Ego Ioan. Mich. Card. Saracenus.
Ego Ioan. Cardin. S. Vitalis.
Ego Ioan. And. Cardin. Meſſanenſis.
Ego Iacobus Cardin. Puteus.
Ego Ioan. B. Cicada, Card. S. Clementis.

* *

Ego Scipio, Cardin. Piſarum.
Ego Ioan. Card. Romanus.
Ego Ioan. Cardin. Capiſucæus.
Ego Thad. Cardin. Gaddus.
Ego F. M Card. Alexandrinus.
Ego Clem. Card. Anconit.

Ego Iacob. Card. Sabellus.
Ego Ioan. Card. S. Gregorij.

*

Ego A. Card. Farneſius Vicecancellarius.
Ego G. Af. Card. Camerarius.
Ego Hip. Card. Ferrarienſis.

*

Ego Iul. Card. Urbinas.
Ego Aloy. Card. Cornelius.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius, Card. Vitellius.
Ego Ioan. Card. de Medicis.
Ego Carolus, Card. Borromæus.

Antonius Florebellus Lavellinus Barengus.

ANno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, Indictione tertia, die vero ſecunda menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pij, divina Providentia Papæ IV. anno primo, retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt in locis ſuprascrip. juxta earum ſeriem & tenorem, & etiam ut moris eſt, & illis amotis, dimiſſis illarum copiis affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Ioannem Andream Panniza, Apoſtolicos Curſores.

Petrus Petrini, Magiſter Curſorum.

BREVE PII PP. IV.

Super ordine ſedendi in Concilio, non habita ratione dignitatis Primitialis.

DIlecti filij noſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut ea quæ pacem & concordiam nutriunt, pura mente ſemper inquirimus, ita ex debito noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis tenemur illa ſubmovere, quæ diſcordiam ſuſcitare, & ſcandalum introducere poſſe videntur. Itaque ad tollendam omnem controverſiarum materiam, quæ inter Prælatos, ad celebrationem ſacri Oecumenici & generalis Concilij in civitate Tridentina pro tempore congregatos, ſuper eorum præſedentia forte jam ſunt exortæ, & in dies oriri poſſunt, Volumus, ac vobis per præſentes mandamus, ut omnes & ſingulos Prælatos prædictos, videlicet venerabiles fratres Patriarchas primo, ſecundo Archiepiſcopos, tertio autem loco Epiſcopos in quibusvis actibus publicis, ſecundum gradum & Ordinem ſuarum ad eorum Eccleſias promotionum (ita quod qui prius promotus ad eas fuerit, in ſuo quiſque ordine prior exiſtat) incedere, ſedere, ac locum habere (nulla habita ratione ad ipſorum dignitates Primitiales, ſive veræ, ſive prætenſæ illæ fuerint) authoritate noſtra facias, ſtudioſeque & diligenter curetis, atque pro veſtra prudentia ac pietate geratis, ut cuncta iſtic concordibus animis in virtute Spiritus ſancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quiete faciliterque procedere valeant: non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die ultima Decembris 1562. Pontif. noſtri anno ſecundo.

A

DECLARATIO

Facta per Illuſtriſſimos Dominos Legatos, ſuper Decreto ſanctiſſimi Domini N. D. PII PP. IV.

QUia dubitari poſſet, an ex prædicto Decreto ſanctiſſimi Domini noſtri aliquod præjudicium generetur Primatibus ſupradictis in proprietate ſeu poſſeſſione ſuarum Primatiarum, ſive veratum, ſive prætenſarum: Nos Hercules tituli ſanctæ Mariæ novæ de Mantua, Hieronymus tituli ſanctæ Suſannæ, Seripandus Staniſlaus tituli ſancti Laurentij in Paliſperna Varmienſis, ac Ludovicus tituli S. Cyriaci in Thermis Simonetta, nuncupati, S. R. E. Preſbyteri Cardinales, ſacri Oecumenici Concilij Tridentini Præſidentes, & Apoſtolici de Latere Legati, declaramus, quod mens ſanctiſſimi D. N. & noſtra eſt, quod per hoc Decretum nulli jus de novo acquiratur, nulliſque præjudicium generetur, nulliuſque jus in proprietate vel poſſeſſione lædatur, atque demum in omnibus & per omnia unumquemque Primatem, verum vel prætenſum, in eodem ſtatu poſt hoc Concilium remanere, in quo antea permanebat.

B

C

SACRO-SANCTI OECVMENICI, ET GENERALIS CONCIL. TRIDENTINI, SESSIO XVII.

Quæ eſt prima ſub Pio IV. Pontif. Max. celebrata die 18. Januarij 1562.

DECRETUM

De celebrando Concilio.

D

ILluſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Reverendiſque Patres, placet-ne vobis, ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & Religionis Chriſtianæ, ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium Tridentinum, in Spiritu ſancto legitime congregatum, ab hodierno die, qui eſt decimus octavus menſis Januarii, anni à Nativitate Domini milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſecundi, Cathedræ Romanæ Beati Petri Apoſtolorum Principis conſecrato, ſublata quacumque ſuſpenſione, juxta formam & tenorem literarum ſanctiſſimi D. N. Pij IV. Pont. Max. celebrari, & in eo ea, debito ſervato ordine, tractari, quæ proponentibus Legatis ac Præſidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, ſedandas de Religione controverſias, coercendas linguas doloſas, depravatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur? Reſponderunt: Placet.

Proponit Legati.

E

Indictio futuræ Seſſionis.

ILluſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Reverendique Patres, placet-ne vobis, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſecundam Dominic. Quadrageſ. quæ erit die 26. menſis Feb. Reſponderunt: Placet.

Propoſitio facta.

IN prima præterita Seſſione declaratum eſt, & communi omnium voto approbatum pertractandum eſſe de eis, quæ neceſſaria videbuntur ad Catholicæ fidei doctrinam ſtabiliendam, atque morum integritatem reſtituendam.

Ut autem hæc, Deo duce, aggrediamur, viſum eſt magnopere referre ad doctrinam de fide in ſuam puritatem reſtituendam, ut libri à variis Authoribus poſt exortas hæreſes ſcripti, atque etiam librorum cenſuræ in diverſis locis à Catholicis editæ, examinentur. De quibus quidquid ſancta Synodus ſtatuerit, tanquam ſacro ſanctum Decretum ſuo tempore publicabitur, ut ab omnibus abſque ulla tergiverſatione cuſtodiatur. Super qua re quicunque pro eius facilieri expeditione aliquid afferre voluerint, libenter audientur.

Ad hæc rite dijudicanda ut vocentur omnes ex decreto ſanctæ Synodi, conſentaneum fore exiſtimavimus, ad quos iſtarum rerum aliqua pertinere quoquo modo poteſt, ne deinceps inauditos ſe eſſe condemnatos cenſeri poſſint.

Non abs re quoque putavimus eſſe, omnes qui in hæreſes quaſcumque lapſi ſunt, & adhuc irretiti ſunt, ad pœnitentiam invitare, cum Salvi-conductus ampla conceſſione ac promiſſione magnæ & ſingularis clementiæ & benignitatis, modo redeant ad cor, & ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ poteſtatem agnoſcant.

Tam ſuper modo facilioris expeditionis examinis librorum & cenſuratorum, quam ſuper aliis, quæ ſequuntur, Patres, poſtquam hujus ſcripti exemplum acceperint, & conſideraverint, dicant ſententias ſuas in ſequenti Congregatione.

SESSIO XVIII.

Quæ eſt ſecunda ſub Pio IV. Pontif. Maxim. celebrata die 26. Februarij 1562.

DECRETUM

De librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis.

SAcro-ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatis, non humanis quidem viribus confiſa, ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti (qui os & ſapientiam Eccleſiæ ſuæ daturum ſe promiſit) ope & auxilio freta, illud præcipue cogitat, ut Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter ſe diſſidentium opinionibus pluribus in locis inquinatam & obſcuratam, in ſuam puritatem & ſplendorem aliquando reſtituat, & mores qui à veteri inſtituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet, corque patrum ad filios, & cor filiorum ad patres convertat. Cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore ſuſpectorum ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longe lateque diffunditur, numerum nimis excreviſſe (quod quidem in cauſa fuit, ut multæ cenſuræ in variis provinciis, & præſertim in alma urbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint) neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo ſalutarem ullam profuiſſe medicinam, cenſuit, ut delecti ad hanc diſquiſitionem Patres de cenſuris libriſque quid facto opus eſſet diligenter conſiderarent, atque etiam ad eandem ſanctam Synodum ſuo tempore referrent;

Luc. 21.

Malac. 4.

quo facilius ipſa poſſit varias & peregrinas doctrinas, A
tanquam zizania, à Chriſtianæ veritatis tritico ſepa-
rare, deque his commodius deliberare & ſtatuere, quæ
Matt.13. ad ſcrupulum ex complurium animis eximendum, &
tollendas multarum querelarum cauſas, magis op-
portuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam
quorumcumque deducta eſſe vult, prout etiam præ-
ſenti Decreto deducit, ut ſi quis ad ſe pertinere aliquo
modo putaverit, quæ vel de hoc librorum & cenſu-
rarum negotio, vel de aliis quæ in hoc Generali Con-
cilio tractanda prædixit, non dubitet, à ſancta Syno-
do ſe benigne auditum iri.

Quoniam vero eadem ſancta Synodus ex corde op-
tat, Deumque enixe rogat quæ ad pacem ſunt Eccle-
ſiæ, ut univerſi communem matrem in terris agno-
Pſal.121. ſcentes (quæ quos peperit, obliviſci non poteſt) B
unanimes uno ore glorificemus Deum Patrem Do-
mini noſtri Jeſu Chriſti, per viſcera miſericordiæ ejuſ-
Iſa.49. dem Dei & Domini noſtri, omnes qui nobiſcum com-
munionem non habent, ad concordiam & reconcilia-
tionem, & ut ad hanc ſanctam Synodum veniant,
invitat atque hortatur, utque charitatem, quod eſt
vinculum perfectionis, amplectantur, pacemque
Chriſti exultantem in cordibus ſuis præ ſe ferant, in
quam vocati ſunt in uno corpore. Hanc ergo non hu-
Rom.15. manam, ſed Spiritus ſancti vocem audientes, ne ob-
durent corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non ambulantes,
Coloſſ. 3. neque ſibi placentes, ad tam piam & ſalutarem matris
ſuæ admonitionem excitentur & convertantur. Om-
nibus enim charitatis officiis ſancta Synodus eos ut
Pſal.94. invitat, ita complectitur. C
Epheſ.4. Inſuper eadem ſancta Synodus decrevit, fidem
publicam in congregatione generali concedi poſſe,
& eamdem vim habituram, ejuſdemque roboris &
momenti futuram, ac ſi in publica Seſſione data &
decreta fuiſſet.

Indictio futuræ Seſſionis.

EAdem ſacro-ſancta Synodus Tridentina, in Spi-
ritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in
ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit & decre-
vit, proximam futuram Seſſionem habendam & ce-
lebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum Fe-
ſtum Aſcenſionis Domini, quæ erit die 14. menſis
Maij.

SALVVS-CONDVCTVS CONCESSVS

Germanicæ nationi, in Congregatione generali, die 14. Martij anno 1562.

SAcro-ſancta Oecumenica & Generalis Tridenti-
na Synodus, in Spiritu ſancto legitime congre-
gata, præſidentibus in ea eiſdem Sedis Apoſtolicæ
Legatis, univerſis fidem facit, quod omnibus & ſin-
gulis, Sacerdotibus, Electoribus, &c. *eſt ejuſdem te-
noris ſicut qui habetur ſupra in Seſſione 15.*

Extenſio ad alias Nationes.

EAdem ſacro-ſancta Synodus in Spiritu ſancto le-
gitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem
Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis, omnibus & ſin-
gulis aliis qui nobiſcum in iis quæ ſunt fidei communionem non habent, ex quibuſcumque Regnis, na-
tionibus, provinciis, civitatibus ac locis, in quibus
publice & impune prædicatur, vel docetur, ſive cre-
ditur contrarium ejus, quod ſancta Romana ſentit
Eccleſia, dat fidem publicam ſive Salvumconductum,
ſub eadem forma & eiſdem verbis, quibus datur
Germanis.

SESSIO XIX.

Quæ eſt tertia ſub Pio IV. Pontif. Maxim. celebrata die 14. Maij 1562.

DECRETUM

Prorogationis Seſſionis.

SAcro-ſancta Oecumenica & generalis Tridentina
Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata,
præſidentibus in eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis,
decreta ea quæ hodie in præſenti Seſſione ſtatuenda ac
ſancienda erant, juſtis nonnullis ac honeſtis cauſis, in
Feriam quintam poſt proximam ſolemnitatem corpo-
ris Chriſti (quæ erit pridie Nonas Junij) proroganda
eſſe cenſuit ac prorogat, dictaque die Seſſionem ha-
bendam eſſe ac celebrandam omnibus indicit. Interea
rogandus eſt Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chri-
ſti, auctor pacis, ut ſanctificet corda omnium, quo
adjuvante, ſancta Synodus & nunc & ſemper medita-
ri ac peragere valeat, quæ ad ejus laudem & gloriam
pertineant.

SESSIO XX.

Quæ eſt quarta ſub Pio IV. Pontif. Maxim. celebrata die 4. Junij 1562.

DECRETVM

Prorogationis Seſſionis.

SAcro-ſancta Oecumenica, & Generalis Triden-
tina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congre-
gata præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Le-
gatis, propter varias difficultates ex diverſis cauſis
exortas, atque etiam ut congruentius majorique cum
D deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata,
cum iis quæ ad Reformationem ſpectant, ſimul tra-
ctentur & ſanciantur; ea quæ ſtatuenda videbuntur,
tam de Reformatione quam de dogmatibus, in pro-
xima Seſſione, quam omnibus indicit in diem ſextam-
decimam ſubſequentis menſis Julij, definienda eſſe
decrevit. Hoc tamen adjecto, quod dictum termi-
num ipſa ſancta Synodus, pro eius arbitrio & volun-
tate, ſicuti rebus Concilij putaverit expedire, etiam
in Generali Congregatione, reſtringere & prorogare
libere poſſit & valeat.

SESSIO XXI.

E

Quæ eſt quinta ſub Pio IV. Pontif. Maxim. celebrata die 16. Julij 1562.

DOCTRINA

De Communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum.

SAcro ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina
Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata,
præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis,
cum de tremendo & ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacra-
mento varia diverſis in locis errorum monſtra, ſeqiiſ-
ſimi dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in

nonnullis Provinciis multi à Catholicæ Ecclesiæ fide atque obedientia videantur discessisse, censuit ea, quæ ad Communionem sub utraque specie, & parvulos pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac de his aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quam est his Decretis explicatum atque definitum.

Laicos & Clericos non conficientes, non adstringi jure divino ad Communionem sub utraque specie.

CAPUT PRIMUM.

Isaiæ 11. ITaque sancta ipsa Synodus à Spiritu sancto (qui Spiritus est sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & pietatis) edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum: neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad *Mat. 26.* salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & *1. Cor. 11.* vini speciebus instituit & Apostolis tradidit: non tamen illa institutio & traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Joannem sexto recte colligitur, utriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: *Joan. 6.* *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet* *Ibidem.* *in æternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; dixit etiam: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam* *Ibidem.* *carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*; dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Ecclesia potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT II.

PRæterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem Apo- *2. Cor. 4.* stolus non obscure visus est innuisse, cum ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat cum in multis aliis, tum in hoc Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius *1. Cor. 11.* usum: *Cætera*, inquit, *cum venero disponam.* Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis, non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissima jam mutata illa consuetudine, gravibus & justis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut, sine ipsius Ecclesiæ auctoritate, pro libito mutare non licet.

Totum & integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi.

CAPUT III.

INsuper declarat, quamvis Redemptor noster (ut *Mat. 26.* antea dictum est) in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

Parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.

CAPUT IV.

DEnique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate, ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE *specie, & parvulorum.*

CANON I.

SI quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, Anathema sit.

CANON II.

SI quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laïcos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, Anathema sit.

CANON III.

SI quis negaverit, totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & authorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidem falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, Anathema sit.

CANON IV.

SI quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, Anathema sit.

Duos

Duos vero articulos alias propoſitos, nondum tamen excuſſos, videlicet, an rationes quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub una tantum panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione Calicis uſus cuiquam ſit permittendus: &, an, ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel Regno Calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam ſint illæ: eadem ſancta Synodus in aliud tempus, oblata ſibi quamprimum occaſione, examinandos atque definiendos reſervat.

DECRETUM

DE REFORMATIONE.

FAdem ſacro-ſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & ſanctæ Eccleſiæ ornamentum, ea quæ ſequuntur, de reformationis negotio in præſenti ſtatuenda eſſe cenſuit.

CAPUT I.

QVoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Cleticalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alij Ordinum collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant. Notarij vero, in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint, dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: nec Epiſcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus, directe vel indirecte, provenire poſſit. Tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit, contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum (quæ potius abuſus & corruptelæ, Simoniacæ pravitati faventes, nuncupari poſſunt) penitus caſſando & interdicendo, & qui ſecus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a Jure inflictas ipſo facto incurrant.

CAPUT II.

CVm non deceat, eos qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere: compertumque ſit, complures pleriſque in locis ad ſacros Ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, (quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate) ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere. Id vero Beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficij titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtituto quod aliunde vivere commode poſſit: & aliter facta reſignatio, nulla ſit. Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes, ordinari poſt hac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint, atque illa deinceps ſine licentia Epiſc. alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.

CAPUT III.

CVm Beneficia ad divinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur, ſtatuit ſancta Synodus, in Eccleſiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum & obventionum, tam dignitatum quam Canonicatuum, Perſonatuum, Portionum & officiorum ſeparati debere, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros divinis intereſſentes proportionabiliter, juxta diviſionem ab Epiſcopo, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione faciendam, dividantur: Salvis tamen conſuetudinibus earum Eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſervientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt. Non obſtantibus exemptionibus ac aliis conſuetudinibus, etiam immemorabilibus & appellationibus quibuſcumque: creſcenteque non ſervientium contumacia, liceat contra eos procedere juxta juris ac Sacrorum Canonum diſpoſitionem.

CAPUT IV.

EPiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, in omnibus Eccleſiis Parrochialibus vel Baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo; cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis vero, quibus ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem, Parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta & divina officio audienda accedere non poſſunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Conſtitutionis Alexandri tertij (quæ incipit, *Ad audientiam*) conſtituere poſſint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Eccleſiis noviter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio, arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus, & ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam: quacumque reſervatione, generali vel ſpeciali, vel affectione ſuper dictis Eccleſiis, non obſtantibus. Neque hujuſmodi ordinationes & erectiones poſſint tolli, nec impediri, ex quibuſcumque proviſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

CAPUT V.

UT etiam Eccleſiarum ſtatus, ubi ſacra Deo Officia miniſtrantur, ex dignitate conſervetur, poſſint Epiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, juxta formam juris, ſine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & Baptiſmalium, & aliorum Beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, & in cæteris caſibus à jure permiſſis, etiam ſi dictæ Eccleſiæ vel Beneficia eſſent generaliter vel

ſpecialiter reſervata, aut qualitercumque affecta; quod uniones etiam non poſſint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuſcumque proviſionis etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.

CAPUT VI.

QVia illiterati & imperiti Parochialium Eccleſiarum Rectores, ſacris minus apti ſunt Officiis, & alij propter eorum vitæ turpitudinem potius deſtruunt quem ædificant, Epiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, eiſdem illiteratis & imperitis, ſi alias honeſtæ vitæ ſint, Coadjutores aut Vicarios pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter providere poſſint, quacumque appellatione & exemptione remota: eos vero, qui turpiter & ſcandaloſe vivunt, poſtquam prænoniti fuerint, coërceant ac caſtigent: & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos Beneficiis, juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones, exemptione & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.

CAPUT VII.

CVm illud quoque valde curandum ſit, ne ea quæ ſacris miniſtris dicata ſunt, temporum injuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant; Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis Delegati, transferre poſſint Beneficia ſimplicia (etiam Juriſpatronatus) ex Eccleſiis, quæ vetuſtate vel alias collapſæ ſint, & ob eorum inopiam nequeant inſtaurari; vocatis his quorum intereſt, in matrices aut alias Eccleſias locorum eorumdem, ſeu viciniorum, arbitrio ſuo: atque in eiſdem Eccleſiis erigant Altaria vel Capellas ſub eiſdem invocationibus, vel in jam erecta, Altaria vel Cappellas transferant, cum omnibus emolumentis & oneribus, prioribus Eccleſiis impoſitis. Parochiales vero Eccleſias, etiam ſi Juriſpatronatus ſint, ita collapſas reſici & inſtaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuſcumque, ad eaſdem Eccleſias quomodocumque pertinentibus. Qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos, omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Eccleſias ditutas, in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

CAPUT VIII.

QVæcumque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum eſt. Propterea commendata Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis obſervantia, nec non Beneficia, tam curata quam non curata, ſæcularia & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta ab Epiſcopis, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis Delegatis, annis ſingulis viſitentur; curentque iidem Epiſcopi congruentibus remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent aut reſtauratione, reficiantur; & cura animarum, ſi qua illis, vel eorum annexis imminear, aliaque debita obſequia recte exerceantur, appellationibus quibuſcumque, privilegiis, conſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, conſervatoriis, judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus, non obſtantibus. Et, ſi in eis vigeret obſervantia Regularis, provideant Epiſcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regularium Superiores juxta eorum Regularia inſtituta, vivendi rationem obſervent & obſervari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant ac moderentur. Quod ſi admoniti, intra ſex menſes eos non viſitaverint, vel correxerint, tunc iidem Epiſcopi, etiam ut Delegati ſedis Apoſtolicæ, eos viſitare poſſint & corrigere prout ipſi Superiores poſſent juxta eorum inſtituta; quibuſcumque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obſtantibus.

CAPUT IX.

CVm multa à diverſis antea Conciliis, tam Lateranenſi ac Lugdunenſi, quam Viennenſi, adverſus pravos eleemoſynarum Quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiuſque eorum malitia, ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo & querela excreſcere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla ſpes amplius relicta videatur, ſtatuit, ut poſthac in quibuſcumque Chriſtianæ Religionis locis eorum nomen atque uſus penitus aboleatur, nec ad officium hujuſmodi exercendum ullatenus admittantur, non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, & quibuſvis cujuſcumque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias vero aut alias ſpiritales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit. Quibus etiam eleemoſynas, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, ut tandem cœleſtes hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.

Indictio futuræ Seſſionis.

EAdem ſacro-ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, ſtatuit & decrevit, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt Octavam Feſti Nativit. B. Mariæ Virginis, quæ erit decima-ſeptima menſis Septemb. proxime futuri. Hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ac nnicuique Seſſioni in poſterum præfigendum, ipſa ſancta Synodus pro ejus arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putaverit expedire, etiam in generali Congregatione reſtringere & prorogare libere poſſit & valeat.

SESSIO XXII.

Quæ eſt ſexta ſub Pio IV. Pontifice Max. celebrata die 17. Septembris 1562.

Doctrina de Sacrificio Miſſæ.

SAcro ſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, ut vetus, abſoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Euchariſtiæ myſterio in ſancta Catholica Eccleſia fides atque doctrina retineatur, & in ſua puritate propulſatis erroribus atque hæreſibus, conſervetur, de ea, quatenus verum & ſingulare Sacrificium eſt, Spiritus ſancti illuſtratione edocta, hæc quæ ſequuntur docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

CAPUT I.

QVoniam ſub priori Teſtamenta, teſte Apoſtolo Paulo, propter Levitici Sacerdotij imbecilli- *Heb. 7.*

tatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium *secundum ordinem Melchisedech surgere*, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblatus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, eiusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech* se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Pascha, (quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat) novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis effusionem nos redemit, atque *eripuit de potestate tenebrarum*, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit, & quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, *mensæ Domini participes fieri*; per mensam, Altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias Sacrificiorum Naturæ & Legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur.

Hebr. 9. & 10. *Mat. 26.* *Ps. 109.* *Enc. 22.* *1. Cor. 11.* *Exod. 12.* *1. Cor. 15.* *Ioan. 13* *Coloss. 1.* *Malac. 1.* *1. Cor. 10.* *Gen. 4. & 22.* *Levit. 1. & alibi.* *Heb. 9.*

CAPUT II.

ET quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus Sacrificium illud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis (cruentæ inquam) fructus per hanc incruentam uberrimi percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

CAPUT III.

ET quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CAPUT IV.

ET cum sancta sancte administrati conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium, Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem & pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Etenim constat eum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis Institutionibus.

CAPUT V.

CVmque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissa voce, alio vero clariore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione quo & Majestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAPUT VI.

OPtaret quidem sacro sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus sanctissimi Sacrificij fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

CAPUT VII.

MOnet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

CAPUT VIII.

ETsi Missa maguam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera, sanctissimi hujus Sacrificij mysterium aliquod de-

clarat, diebus præsertim Dominicis & Festis.

CAPUT IX.

QUia vero adversus veterem hanc in sacro-sancto vangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque à multis docentur, atque disputantur: sancta Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei sacræque doctrinæ adversantur, damnare, & à sancta Ecclesia eliminare per subjectos hos Canones constituit.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

CANON I.

SI quis dixerit, in Missa, non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, Anathema sit.

CANON II.

SI quis dixerit, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & Sanguinem suum, Anathema sit.

CANON III.

SI quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, Anathema sit.

CANON IV.

SI quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in cruce peracto per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, Anathema sit.

CANON V.

SI quis dixerit, impostruram esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, Anathema sit.

CANON VI.

SI quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, Anathema sit.

CANON VII.

SI quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis, Anathema sit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, Anathema sit.

CANON IX.

SI quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, Anathema sit.

DECRETUM

De observandis & evitandis in celebratione Missæ.

QUanta cura adhibenda sit, ut sacro-sanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in Sacris litteris eum vocari, *qui opus Dei facit negligenter*, Ierem. 48 Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti Sacrificij dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut ordinarij locorum Episcopi ea omnia prohibere atque è medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus; vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest; vel superstitio, veræ pietatis falsi imitatrix, induxit. *Ephes. 5.*

Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec-non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à Simoniaca, vel certe à turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis Diœcesibus inveredicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Nemini prærerea, qui publice & notorie criminosus sit, aut sancto Altari

miniſtrare, aut ſactis intereſſe permittant: neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium, à ſæcularibus aut regularibus quibuſcumque peragi: ac niſi prius, qui intereſſint, decenter compoſito corporis habitu, declaraverint ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore adeſſe. Ab Eccleſiis vero Muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſcetur, item ſæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant, ut Domus Dei vere domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit.

Poſtremo, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint. Quarundam vero Miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quam à vera Religione inventus eſt, omnino ab Eccleſia removeant, doceantque populum, quis ſit, & à quo potiſſimum proveniat hujus ſanctiſſimi Sacrificij eam pretioſus ac cœleſtis fructus. Moneant etiam eundem populum; ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & majoribus Feſtis accedant. Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non ſolum ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inviolate ſervanda, cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant; non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque.

DECRETUM
DE REFORMATIONE.

FAdem ſacro-ſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, ut Reformationis negotium proſequatur, hæc in præſenti Seſſione ſtatuenda eſſe cenſuit.

CAPUT PRIMUM.

NIhil eſt quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cum enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tanquam in ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac Religione plenum præ ſe ferant: levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Eccleſia Dei & utilitate & ornamento hæc ſunt, ita etiam diligentius ſint obſervanda, ſtatuit ſancta Synodus, ut quæ alias à Summis Pontificibus, & à ſacris Conciliis, de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis, copioſe ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum, iiſdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarij imponendis, obſerventur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua vero ex illis in deſuetudinem abiiſſe comperirit, ea quam primum in uſum revocari, & ab omnibus accurate cuſtodiri ſtudeant, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque: ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſolvant.

CAPUT II.

QUicumque poſthac ad Cathedrales Eccleſias erit aſſumendus, is non ſolum natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis quæ à ſacris Canonibus requiruntur, plene ſit præditus: verum etiam in ſacro Ordine antea, ſaltem ſex menſium ſpatio, conſtitutus: quarum rerum inſtructio, ſi ejus notitia nulla, aut recens in Curia fuerit, à ſedis Apoſtolicæ Legatis, ſeu Nuntiis Provinciarum, aut eius Ordinatio, eoque deficiente, à vicinioribus Ordinariis ſumatur. Scientia vero præter hæc hujuſmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere: ideoque antea in Univerſitate ſtudiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia vel Jure Canonico merito ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quod ſi Regularis fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat. Prædicti autem omnes und e inſtructio ſeu teſtificatio erit ſumenda, hæc fideliter & gratis referre teneantur: alioquin eorum conſcientias graviter oneratas eſſe ſcient, ac Deum & Superiores ſuos habebunt ultores.

CAPUT III.

EPiſcopi, etiam tanquam Delegati Apoſtolici, ex fructibus & proventibus quibuſcumque, omnium dignitatum, perſonatuum, & officiorum in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis exiſtentium, tertiam partem in diſtributiones eorum arbitrio aſſignandas dividere poſſint: ut ſcilicet qui eas obtinent, ſi perſonaliter competens ſibi ſervitium, juxta formam ab eiſdem Epiſcopis præſcribendam, quolibet die ſtatuto non impleverint, illius diei diſtributionem amittant, nec ejus quoquo modo Dominium acquirant, ſed fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicetur. Creſcente vero contumacia, contra eos juxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedant. Quod ſi alicui ex prædictis dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis, de Jure, ſeu conſuetudine juriſdictio, adminiſtratio, vel officium non competat, ſed extra civitatem in Diœceſi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in Curata Eccleſia reſederit ac miniſtraverit, tanquam præſens ſit ac divinis interſit, in Eccleſiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur. Hæc in his tantum Eccleſiis inſtituta intelligantur, in quibus nulla eſt conſuetudo, vel ſtatutum, ut dictæ dignitates non ſervientes aliquid amittant, quod ad tertiam dictorum fructuum & proventuum partem aſcendat: non obſtantibus conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & conſtitutionibus, etiam juramento & quavis authoritate firmatis.

CAPUT IV.

QUicumque in Cathedrali vel Collegiata, ſæculari aut Regulari Eccleſia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiam ſi hoc ſibi ab aliis libere fuerit conceſſum. Si vero, qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis

Eccleſiis obtinent, aut in poſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet, ut alij Miſſas, alij Evangelia, alij Epiſtolas dicant & cantent, quocumque ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur, juſto impedimento ceſſante, infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos, alioquin pœnas incurrant, juxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit, *Vt ii, qui, &c.* quam præſenti Decreto innovat: cogantque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſeipſos exercere, ac cætera omnia officia quæ debent in cultu divino præſtare, ſub eiſdem & aliis etiam gravioribus pœnis arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in poſterum fiat proviſio, niſi iis qui jam ætatem & cæteras habilitates integre habere dignoſcantur: aliter irrita ſit proviſio.

Clem. ut ii, qui de Ætat. & qualitat.

CAPUT V.

DIſpenſationes quacumque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eæ vero quæ gratioſe conceduntur, ſuum non ſortientur effectum, niſi prius ab eiſdem, tanquam Delegatis Apoſtolicis, ſummarie tantum & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubjacere.

CAPUT VI.

IN commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonniſi ex juſta & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ ſummarie & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate vel ſuggeſta falſitate, fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

CAPUT VII.

LEgati & Nuntij Apoſtolici, Patriarchæ, Primates & Metropolitani, in appellationibus ad eos interpoſitis, in quibuſvis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus poſt appellationem ſervare teneantur formam & tenorem ſacrarum Conſtitutionum, & præſertim Innocentij IV. quæ incipit, *Romana*, quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, aut ſtylo vel privilegio in contrarium non obſtantibus: alias inhibitiones & proceſſus, & inde ſecuta quæcumque, ſint ipſo jure nulla.

Cap. Romana, de appellat. in 6.

CAPUT VIII.

EPiſcopi, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, in caſibus à Jure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, ſint executores: habeant jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laïcorum, etiam quæ Scholas ſive quocumque alio nomine vocant: non tamen quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia. Eleemoſynas Montis pietatis, ſive charitatis, & pia loca omnia, quocumque modo nuncupentur, etiam ſi prædictorum locorum cura ad Laïcos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſint munita, ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſive pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi ex officio ſuo juxta Sacrorum Canonum ſtatuta cognoſcant & exequantur, non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut ſtatuto.

CAPUT IX.

ADminiſtratores tam Eccleſiaſtici quam Laïci, fabricæ cujuſvis Eccleſiæ, etiam Cathedralis, Hoſpitalis, Confraternitatis, Eleemoſynæ Montis pietatis, & quotumcumque piorum locorum, ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinario; conſuetudinibus & privilegiis quibuſcumque in contrarium ſublatis: niſi ſicus forte in inſtitutione & ordinatione talis Eccleſiæ ſeu fabricæ expreſſe cautum eſſet. Quod ſi ex conſuetudine, aut privilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis, ratio reddenda eſſet; tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Adminiſtratoribus minime ſuffragentur.

CAPUT X.

CUm ex Notariorum imperitia, plurima damna & multarum occaſio litium oriatur, poſſit Epiſcopus quoſcumque Notarios, etiam ſi Apoſtolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ, examinatione adhibita, eorum ſufficientiam ſcrutari: illiſque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officij eius, in negotiis, locis & cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus exercendi uſum perpetuo aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem Ordinarij ſuſpendat.

CAPUT XI.

SI quem Clericorum aut Laïcorum, quacumque in dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, vel alicujus Eccleſiæ, ſeu cujuſvis ſæcularis aut Regularis Beneficij, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in miniſtrorum ac pauperum neceſſitates converti debent, per ſe vel per alios, vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum aut Laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ Perſonæ, pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque Adminiſtratori, ſive beneficiato, integre reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus ultra prædictas pœnas eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis & uſurpationis hujuſmodi fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, nec non quibuſcumque Beneficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem, arbitrio ſui Ordinarij ſuſpendatur.

DECRETUM

Super petitione conceſſionis Calicis.

INſuper, cum eadem ſacro-ſancta Synodus ſuperiori Seſſione duos articulos alios propoſitos & tum nondum diſcuſſos, videlicet, an rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret Laicos; atque etiam non celebrantes Sacerdotes,

sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus; & An, si honestis & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus sit concedendus, & quænam sint illæ; in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinandos atque definiendos reservaverit: nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti Decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.

Indictio futuræ Sessionis.

INsuper, eadem sacro-sancta Tridentina Synodus diem futuræ Sessionis ad Feriam quintam post Octavam festivitatis omnium Sanctorum, qui erit dies duodecimus mensis Novembris, indicit; & in ea decernetur de Sacramento Matrimonij, &c.

Prorogata fuit Sessio usque ad diem 15. Julij 1563.

SESSIO XXIII.

Quæ est septima sub Pio IV. Pontif. Max. celebrata die 15. Julij 1563.

Doctrina de Sacramento Ordinis.

CAPUT PRIMUM.

SAcrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi & retinendi, Sacræ litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

Heb. 20.

CAPUT II.

CVm autem divina res sit tam sancti Sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, quod dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi, ut qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarij, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconus ad majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus.

Luc. 22. Joan. 20.

Philip. 1. 1. Tim. 3 Act. 22.

CAPUT III.

CVm Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis. Inquit enim Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.*

2. Tim. 1.

CAPUT IV.

QVoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel rite ordinatos, iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere. perinde ac si contra B. Pauli Doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes sint Doctores. Proinde sacro sancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto *regere Ecclesiam Dei*: eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet insuper sacro sancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis Potestatis, & Magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius decernit, eos qui tantummodo à populo, aut sæculari Potestate ac Magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, esse. Hæc sunt quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis & propriis Canonibus in hunc qui sequitur modum damnare constituit, ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere & tenere possint.

Can. 6. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Act. 20. Joan. 10.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CANON I.

SI quis dixerit, non esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi, sed officium tantum & nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, Anathema sit.

CANON II.

SI quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, Anathema sit.

CANON III.

SI quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum, à Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros Verbi Dei & Sacramentorum, Anathema sit.

CANON IV.

SI quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopo dicere, *Accipe Spiritum sanctum*; aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos semel fuit, laïcum rursus fieri posse, Anathema sit.

CANON V.

SI quis dixerit, sacram Vnctionem qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam & pernicioſam esse, similiter & alias Ordinis cærimonias, Anathema sit.

CANON VI.

SI quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis & Presbyteris & Ministris, Anathema sit.

CANON VII.

SI quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos, sine populi, vel Potestatis sæcularis consensu, aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica & Canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, Anathema sit.

CANON VIII.

SI quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum, Anathema sit.

A

DECRETUM
DE REFORMATIONE.

EAdem sacro-sancta Tridentina Synodus, reformationis materiam prosequens, hæc quæ sequuntur, in præsenti decernenda esse statuit & decernit.

CAPUT PRIMUM.

CVm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacro-sancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne vero ea quæ de residentia sancte & utiliter jam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus à sacro-sanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, illis inhærendo, declarat sacro-sancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque nomine & titulo præfectos, etiam si S. R. E. Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant, decernit eadem sacro-sancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas à beatissimo Rom. Pont. aut à Metropolitano, vel eo absente, à suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus Reipubl. & officium Episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis à se vel à Suffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversi sunt, sacro-sancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam speret religiosam & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent. Si quis autem (quod utinam numquam

Joan. 21. Act. 20.

Joan. 10. 1. Pet. 5.

1. Reg. 8. Ierem. 48.

quam

quam eveniat) contra hujus Decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacro-ſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas & innovatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere: nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe: ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque Collegio aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino, etiam quo ad culpam & amiſſionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habentes, obtinent, ſacro ſancta Synodus declarat & decernit: ita tamen, ut quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcop. cognita & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam, in ſcriptis gratiiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem & ſubtractionem fructuum aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere. Nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque Beneficij, pactione, ſtatuto, etiam juramento vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Conſtitutionis, ſuſpendi poſſe.

Poſtremo tam Decretum illud ſub Paulo III. quam hoc ipſum, in Conciliis Provincialibus & Epiſcopalibus publicari ſancta Synodus præcipit. Cupit enim, quæ adeo ex paſtorum munere animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

CAPUT II.

Eccleſiis Cathedralibus, ſeu ſuperioribus, quocumque nomine ac titulo præfecti, etiamſi S. R. E. Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: ſi intra totidem menſes poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo jure ſint privati. Conſecratio vero, ſi extra Curiam Romanam fiat in Eccleſia ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, ſi commode fieri potuerit, celebretur.

CAPUT III.

Epiſcopi per ſemetipſos Ordines conferant. Quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter quam jam probatos & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.

CAPUT IV.

Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſecularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidum cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

CAPUT V.

Ad majores Ordines promovendi, bonum à Parocho, & a Magiſtro Scholæ in qua educantur, teſtimonium habeant. Hi vero, qui ad ſingulos majores erunt aſſumendi, per menſem ante Ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat ut nominibus ac deſiderio eorum qui volent promoveri, publice in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita, à fide dignis diligenter inquirat; & litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum, quamprimum tranſmittat.

CAPUT VI.

Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum Beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, aut Clericalem habitum & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat: vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos, verſetur. In Clericis vero conjugatis ſeruetur Conſtitutio Bonifacij VIII. quæ incipit. *Clerici qui cum uxoribus*; modo hi Clerici alicujus Eccleſiæ ſervitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant vel miniſtrent, & Clericali habitu & tonſura utantur; nemini quoad hoc, privilegio vel conſuetudine, etiam immemorabili, ſuffragante.

CAPUT VII.

Sancta Synodus, antiquorum Canonum veſtigiis inhærendo, decernit, ut quando Epiſcopus Ordinationem facere diſpoſuerit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, Feria quarta ante ipſam Ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Epiſcopus autem, Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in Eccleſiaſticis Sanctionibus exercitatis, ſibi aſſciſcis, Ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget & examinet.

CAPUT VIII.

Ordinationes ſactorum Ordinum, ſtatutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia vocatis præſentibus ad id Eccleſiæ Canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur. Vnuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas ac mores, Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

CAPUT IX.

Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat; conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.

CAPUT X.

ABbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impositam his, qui contra hujus sanctæ Synodi sub Paulo III. Decretum, à Capitulo, Episcopali sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad illos qui eisdem litteras non à Capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopo loco Capituli, sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti, ab officio & Beneficio per annum sint ipso jure suspensi.

CAPUT XI.

MInores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia (nisi aliud Episcopo expedire magis videretur) conferantur, ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate, vitæ meritum & doctrina major accrescat: quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea corporis Christi communio, maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.

CAPUT XII.

NUllus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscumque, quoad hoc, penitus exclusis.

CAPUT XIII.

SUbdiaconi & Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, & his quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, si sperent, Deo auctore, se continere posse, Ecclesiis, quibus ascribentur, inserviant: sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis & solemnibus, cum Altari ministraverunt, sacram communionem percepisse. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum (nisi aliud Episcopo videatur) ascendere non permittantur. Duo facti Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur; privilegiis ac indultis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque.

CAPUT XIV.

QUi pie & fideliter in ministeriis antea sibi gestis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium. 1. Tim. 3. Et hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum (nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur) ministraverint, sed etiam ad populum docendum, ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Curet Episcopus, ut in saltem diebus Dominicis ac Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

CAPUT XV.

QUamvis Presbyteri in sua Ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sacro-sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.

CAPUT XVI.

CUm nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, sancta Synodus, vestigiis sexti Canonici Concilij Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episc. deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus, sine commendatitijs sui Ordinarij litteris, ab ullo Episcopo ad divina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur.

CAPUT XVII.

UT Sanctorum Ordinum, à Diaconatu ad Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermissæ, in usum juxta sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis, tamquam otiosæ traducantur, illius pristini muneris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus, decernit, ut in posterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur: omnesque & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas: & ex aliqua parte reddituum aliquorum simplicium Beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ, si proventus supperant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus, si negligentes fuerint, ordinarii judicio aut ex parte mulctari, aut in totum privari pos-

fint. Quod ſi miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis, Clerici cœlibes præſto non erunt, ſuffici poſſint etiam conjugati, vitæ probatæ (dummodo non bigami) ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram & habitum Clericalem in Eccleſia geſtent.

CAPVT XVIII.

Genes. 8. CUm adoleſcentium ætas, niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas; & niſi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfecte ac ſine maximo ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in diſciplina Eccleſiaſtica perſeveret; ſancta Synodus ſtatuit, ut ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Eccleſiæ, pro modo facultatum, & Diœceſis amplitudine, certum puerorum ipſius civitatis & Diœceſis, vel eius Provinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco convenienti, ab Epiſc. eligendo, alere, ac religioſe educare, & in Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere & ſcribere competenter noverint, & quorum indoles & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſiæ inſerviendi. Hos pueros Epiſc. in tot claſſes, quot ei videbitur, diviſos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim, cum ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit, alioſq; in locum eductorum ſufficiet, ita ut hoc Collegium, Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Ut vero in eadem diſciplina Eccleſiaſtica commodius inſtituantur, tonſura ſtatim atque habitu Clericali ſemper utentur. Grammatices, cantus, Computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent: ſacram Script. libros Eccleſiaſt. Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad Confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcop. ut ſingulis diebus Miſſæ Sacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & juxta Confeſſoris judicium ſumant corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti: Cathedrali & aliis loci Eccleſiis, diebus feſtis inſerviant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna & neceſſaria, Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum & graviorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent; eaque ut ſemper obſerventur ſæpius viſitando, operam dabunt. Dyſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo; omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conſervandum & augendum, tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegij fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios ſumptus, certi reditus erunt neceſſarij, ultra ea quæ ad inſtituendos alendoſve pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic Seminario ſub eadem Epiſc. cura applicata cenſeantur, iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſc. alter ab ipſo Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcop. alterius vero ad Clerum pertineat, ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capitali, & quarumcunque dignitatum, perſonatuum, officiorum, Prebendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cujuſcunque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, & Hoſpitalium quæ dantur in titulum vel adminiſtrationem, juxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit: *Quia contingit*, & Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiamſi juris patronatus cujuſcumque fuerint, etiamſi exempta, ſi nullius Diœceſis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis piis, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis Eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumq; aliis Eccleſiaſticis redditibus, ſeu proventibus, etiam aliorum Collegiorum (in quibus tamen Seminaria diſcentium vel docentium ad commune Eccleſiæ bonum promovendum actu non habentur; hæc enim exempta eſſe voluit præterquam ratione reddituum qui ſuperflui eſſent, ultra convenientem ipſorum Seminariorum ſuſtentationem) ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis Scholæ appellantur, & omnium Monaſteriorum, non tamen Mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laïcos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolvi ſolent, & Milites cujuſcumque Militiæ aut Ordinis pertinentibus (Fratribus S. Ioan. Jeroſol. dumtaxat exceptis) partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non beneficia aliquot ſimplicia cujuſcumq; qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, ſine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiamſi Beneficia ſint reſervata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum Beneficiorum, uniones & applicationes, ſuſpendi vel ullo modo impediri poſſint: ſed omnino quacumq; vacatione, etiamſi in Curia, effectum ſuum ſortiantur, quacumque Conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſolvendam, Beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium & ſingulorum ſupra commemoratorum poſſeſſores, non modo pro ſe, ſed pro penſionibus, quas aliis forſan ex dictis fructibus ſolverent, retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis penſionibus illis erit ſolvendum, ab Epiſcopo loci per cenſuras Eccleſiaſticas ac alia juris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſæcularis: quibuſvis, quoad omnia & ſingula ſupradicta, privilegiis, exemptionibus, etiamſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine, etiam immemorabili & quavis appellatione & allegatione, quæ executionem impediat, non obſtantibus. Succedente vero caſu, quo per uniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter Seminarium ipſum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex ſingulis Beneficiis, ut ſupra detracta & incorporata, ab Epiſc. prout res ipſa exegeris, in totum vel pro parte remittatur. Quod ſi Cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum Prælati, in hac Seminarij erectione, ejuſque conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectaverint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores Synodus Provincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat: & ut quam primum hoc ſanctum & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, ſtudioſe curabit. Rationes autem reddituum hujus Seminarij, Epiſcopus ſingulis annis accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero civitatis deputatis.

Deinde, ut cum minori impenſa hujuſmodi Scholis inſtituendis provideatur, ſtatuit S Synodus, ut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, Scholaſterias obtinentes, & alios quibus eſt electionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis Scholis inſtituendos, per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem Scholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubſtractionem fructuum, cogant & compellant. Quod ſi judicio Epiſcopi digni non fuerint, alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remota. Quod ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet,

Docebunt autem prædicti quæ videbuntur Episcopo expedire. De cætero vero officia vel dignitates illæ, quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in Sacra pagina, aut in jure Canonico, & alias personis idoneis, & qui per seipsos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta provisio, nulla sit & invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua Provincia Ecclesiæ tanta paupertate laborent, ut Collegium in aliquibus erigi non possit, Synodus Provincialis, vel Metropolitanus, cum duobus antiquioribus Suffraganeis, in Ecclesia Metropolitana, vel alia Provinciæ Ecclesia commodiori, unum aut plura Collegia prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis Collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur.

In Ecclesiis autem amplas Diœceses habentibus, possit Episcopus unum vel plura in Diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria; quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum & constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Postremo si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione, vel assignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione, difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam hujus Seminarij institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur, Episcopus cum supra deputatis, vel Synodus Provincialis, pro Regionis more, pro Ecclesiarum & Beneficiorum qualitate, etiam suprascripta, si opus fuerit, moderando aut augendo, omnia & singula, quæ ad felicem hujus Seminarij profectum necessaria & opportuna videbuntur, decernere aut providere valeat.

Indictio futuræ Sessionis.

INsuper, eadem sacro sancta Tridentina Synodus proximam futuram Sessionem in diem decimamsextam mensis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonij, & de aliis, si qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri possint. Item, de provisionibus Episcopatuum, dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac de diversis Reformationis articulis.

Prorogata fuit Sessio ad diem 11. Novemb. 1563.

SESSIO XXIV.

Quæ est octava sub Pio IV. Pontifice Maxim. celebrata, die 11. Novemb. 1563.

Doctrina de Sacramento Matrimonij.

MAtrimonij perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tamquam à Deo prolata referens dixit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*; statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apost. innuit dicens: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea*; Ephes. 5. mox subjungens: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ibid.

Cùm igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christi gratiam præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia & universalis Ecclesiæ traditio, semper docuerunt. Adversus quam impij homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Evangelij, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto & verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura. Quorum temeritati sancta & universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum schismaticorum hæreses & errores, ne plures ad se trahat pernicios eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos eorumque errores decernens Anathematismos.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CANON I.

SI quis dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, Anathema sit. *Ephes. 5.*

CANON II.

SI quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege divina esse prohibitum, Anathema sit.

CANON III.

SI quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, Anathema sit. *Levit. 18.*

CANON IV.

SI quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, Anathema sit.

CANON V.

SI quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonij vinculum, Anathema sit.

CANON VI.

SI quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, Anathema sit.

CANON VII.

SI quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonij vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ, dimisso adultero, alij nupserit, Anathema sit.

Mat. 19. Luc. 16. 1. Cor. 7

CANON VIII.

SI quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, Anathema sit.

CANON IX

SI quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium; qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, Anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos, *supra id quod possumus tentari.* 1. Cor. 10.

CANON X.

SI quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio, Anathema sit.

CANON XI.

SI quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones aut alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, Anathema sit.

CANON XII.

SI quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, Anathema sit.

DECRETUM
DE REFORMATIONE
Matrimonij.

CAPUT PRIMUM.

TAmetsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, Matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco sacri Lateranensis Concilij, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parrocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur. Ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit & annullat. Insuper Parrochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in tem-

plo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, ſtatuitque benedictionem à proprio Parocho fieri, neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi poſſe: quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio, non obſtante. Quod ſi quis Parochus vel alius Sacerdos, ſive Regularis, ſive ſæcularis ſit, etiam ſi id ſibi ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Habeat Parochus librum, in quo conjugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti Matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Poſtremo ſancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus & cærimoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum potuerint, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum Diœceſium Parochialibus Eccleſiis: idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat; deinde vero quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.

CAPUT II.

DOcet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptiſatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum ſpiritalis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint ut baptiſatum de ſacro Fonte ſuſcipiant: & eum vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat; doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excuſari valeant. Quod ſi alij ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, Conſtitutionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si Parochi culpa vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illius patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omniſſo ſublatis.

CAPUT III.

IVſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia, quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.

CAPUT IV.

PRæterea ſancta Synodus, eiſdem & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem fornicatione ex contractam inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit. In ulterioribus vero gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſtea contractum dirimere.

CAPUT V.

SI quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contemſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

CAPUT VI.

DEcernit ſancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſepatata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non, decenter arbitrio Judicis dotare.

CAPUT VII.

MVlti ſunt qui vagantur & incertas habent ſedes, & ut improbi ſunt ingenij, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente diverſis in locis ducunt: cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant. Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut eos ſevere coërceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem ipſi fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

CAPUT VIII.

GRave peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere: graviſſimum vero, & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis provideat, ſtatuit hujuſmodi concubinarios, tam ſolutos quam uxoratos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi

postquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse: à qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio, graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel Diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit brachio sæculari, ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

CAPUT IX.

ITa plerumque temporalium Dominorum ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis Matrimonium invitos contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit Matrimonij libertatem violare, & ab eis injurias nasci, à quibus jura expectantur, præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant.

CAPUT X.

AB Adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut ea quæ decet modestia & honestate fiant, curabunt. Sancta enim res est Matrimonium, & sancte tractandum.

DECRETUM
DE REFORMATIONE.

EAdem sacro-sancta Synodus, Reformationis materiam prosequens, hæc in præsenti Sessione statuenda decrevit.

CAPUT PRIMUM.

SI in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multo magis elaborandum est, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totus familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde, etsi alias sancta Synodus de promovendis ad Cathedrales & superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit, hoc tamen unus hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, numquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cum primum Ecclesia vacaverit, Supplicationes ac preces publicæ privatimque habeantur, atque à Capitulo per civitatem & Diœcesim indicantur, quibus Clerus populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare.

Omnes vero & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quacumque ratione a sede Apostolica habent aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, qui juxta sacros Canones & Tridentinæ hujus Synodi Decreta requiruntur. Quoniam vero in sumendo de prædictis omnibus qualitatibus gravi idoneoq; bonorum & Doctorum virorum testimonio, non uniformis ratio ubique ex Nationum, populorum ac morum varietate potest adhiberi, mandat sancta Synodus, ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda præscribatur, quibusque locis & Provinciis propria examinis, seu inquisitionis aut instructionis faciendæ forma, sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur: ita tamen, ut cum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta, quam primum ad sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur, ut ipse Summus Pontifex, plena totius negotij ac personarum notitia habita, pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia, ac probationes quæcumque de promovendi qualitatibus & Ecclesiæ statu à quibuscumque, etiam in Romana Curia habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipsa Cardinalis relatoris & trium Cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia, invenisse promovendos qualitatibus à Jure & ab hac sancta Synodo requisitis præditos, ac certo existimare, sub periculo salutis æternæ, idoneos esse qui Ecclesiis præficiantur; ita ut relatione in uno Consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur; nisi aliud beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea vero omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam si Diaconi sint, exigenda: quos Sanctissimus Pontifex ex omnibus Christianitatis Nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos reperierit, assumet. Postremo eadem sancta Synodus, tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, vel lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat, & bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eo magis, quod ovium Christi Sanguinem, quæ ex malo negligentium, & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus eius sit requisiturus.

1. Tim. 5.

Sup. sess. 22. c 2. de Reform.

Sup. sess. 6. & 7. c. 1. Sess. 22. c. 2. de Reform. & Sess. 23. c. 4. de Sac. Ord.

Ioan. 21.

Ezech. 3. Act. 20.

CAPUT II.

PRovincialia Concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis renoventur. Quare Metropolitani per ſe ipſos, ſeu, illis legitime impeditis, Coepiſcopus antiquior intra annum ad minus à fine præſentis Concilij, & deinde quolibet ſaltem triennio poſt Octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more Provinciæ, non prætermittat Synodum in Provincia ſua cogere: quo Epiſcopi omnes, & alij, qui de Jure vel conſuetudine intereſſe debent (exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transferendum eſſet) convenire omnino teneantur. Nec Epiſcopi comprovinciales prætextu cujuſlibet conſuetudinis Metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inviti compellantur. Itidem Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſervent ac obſervari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio & privilegia ſalva atque integra maneant. Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt quicumque illi ſint Synodo intereſſe. Quod ſi in his tam Metropolitani quam Epiſcopi, & alii ſupraſcripti negligentes fuerint, pœnas ſacris Canonibus ſancitas incurrant.

CAPUT III.

PAtriarchæ, Primates, Metropolitani & Epiſcopi propriam Diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum Generalem Vicarium aut Viſitatorem, ſi quotannis totam propter eius latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem majorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant. A Metropolitanis vero, etiam poſt plene viſitatam propriam Diœceſim, non viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque Diœceſes ſuorum Comprovincialium, niſi cauſa cognita & probata in Concilio Provinciali. Archidiaconi autem, Decani, & alij inferiores in iis Eccleſiis, ubi hactenus viſitationem exercere legitimam conſueverunt, debeant quidem, aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſeipſos tantum ibidem viſitare. Viſitatores etiam à Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus viſitandi habet, prius ab Epiſcopo approbentur: ſed non ideo Epiſcopus, vel eo impedito, eius Viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur: cui ipſi Archidiaconi, vel alij inferiores, viſitationis factæ infra menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & privilegiis quibuſcumque. Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam Orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacem innocentiamque accendere, cætera, prout locus, tempus & occaſio fieret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Quæ, ut facilius feliciuſque ſuccedant, monentur prædicti omnes & ſinguli, ad quos viſitatio ſpectat, ut paterna charitate, Chriſtianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modeſto contenti equitatu famulatuque, ſtudeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſolvere. Interimque caveant,

A ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves oneroſive ſint; neve ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios uſus, præter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra, erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur ſi malint ſolvere id quod erat ab ipſis antea ſolvi certa pecunia taxata, conſuetum; an vero prædicta victualia ſubminiſtrare; ſalvo item jure conventionum antiquarum cum Monaſteriis, aliiſve piis locis, aut Ec-
B cleſiis non Parochialibus inito, quod illæſum permaneat. In iis vero locis ſeu Provinciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſervetur. Quod ſi quiſquam (quod abſit) aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit; præter dupli reſtitutionem, intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Conſtitutionem Concilii Generalis Lugdunenſis, quæ incipit, *Exigit*, nec non & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, abſque ulla ſpe veniæ, mulctetur. *Cap. Exigit de cenſib. in 6.*
Patroni vero in iis quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præſumant ingerere; neque viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum proventibus immiſceant, niſi quatenus id eis ex inſtitutione ac fundatione competat: ſed Epiſcopi ipſi hæc faciant, & fabricarum reddit us in uſus Eccleſiæ neceſſarios & utiles, prout ſibi expedire magis viſum fuerit, expendi curent.

CAPUT IV.

PRædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus quo frequentius poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones alias *Sub. ſeſſ.* ſuper hoc editos ſub fel. recor. Paulo III. aptius præ- *5. c. 2. de* ſentium temporum uſui accommodando, mandat, ut *Reform.* in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut, ſi legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument;
D in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſive iis impeditis per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum qui eas præſtare vel tenentur vel ſolent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte Diœceſis cenſebunt expedire, ſaltem omnibus Dominicis & ſolemnibus diebus feſtis; tempore autem jejuniorum Quadrageſimæ & Adventus Domini quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras Scripturas, divinamque legem annuntient; & alias, quotieſcumque id opportune fieri poſſe judicaverint. Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſæcularis, ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. Iidem etiam ſaltem Dominicis & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, &
E obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt; &, ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent: non *Sup. ſeſſ.* obſtantibus privilegiis & conſuetudinibus. In reli- *5. c. 2. de* quis, ea quæ de prædicationis munere ſub eodem *Reform.* Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.

CAPUT V.

CAuſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis (quod abſit) quæ depoſitione aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Romano Pontifice cognoſcantur & terminentur. Quod

si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda; nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata: nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Cætera alias sub felic. rec. Julio III. super his decreta, nec non & Constitutio sub Innocentio tertio in Concilio Generali, quæ incipit: *Qualiter & quando*, quam sancta Synodus in præsenti innovat, ab omnibus observentur. Minores vero criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur & terminentur, vel à deputandis per Concilium Provinciale.

Sup. sess. 3. c. 6. de Refor. in Concil. Lateran. sub. Inn. 3. cap. 3.

CAPUT VI.

Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.

CAPUT VII.

Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam à sancta Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam; quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt: nec non ut inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra Eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus Festis vel solemnibus explanent: eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

CAPUT VIII.

1. Tim. 5. A Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ, proximæ vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.

CAPUT IX.

Quæ alias sub felic. rec. Paulo III. & nuper sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in Beneficiorum, etiam exemptorum visitatione, constituta sunt, eadem etiam in iis Ecclesiis sæcularibus observentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur; ut ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, qui semel in Concilio Provinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato visitentur: non obstantibus privilegiis & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus.

Sup. sess. 7. c. 8. & Sess. 21. de Ref. c. 8.

CAPUT X.

Episcopi, ut aptius quem regunt populum possint in officio atque obedientia continere, in omnibus his, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant, etiam tamquam sedis Apostolicæ Delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquomodo impediat, aut suspendat.

CAPUT XI.

Quoniam privilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur, decernit sancta Synodus, ut si quando justis, gravibus, & fere necessariis suadentibus causis aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolytatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, aut aliis hujusmodi in Romana Curia, vel extra, insignibus decorandos esse placuerit; nec non alios, cuicumque Monasterio oblatos, vel quomodocumque addictos aut sub nomine servientium Militiis, seu Monasteriis, Hospitalibus, Collegiis, aut quocumque alio titulo assumi, nihil ex his privilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur, quo minus ij, quibus jam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, plene in omnibus, & quo ad Cappellanos Regios, juxta Constitutionem Innocentij III. quæ incipit: *Cum Capella*, subjecti existant, exceptis tamen iis, qui prædictis locis aut Militiis actu serviunt, & intra eorum sepia ac domos residentes, subque eorum obedientia vivunt, sive iis, qui legitime & secundum Regulam earumdem Militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat: non obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam Religionis sancti Joannis Jerosolymitani, & aliarum Militiarum. Quæ vero privilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent; ea in iis qui Beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum Beneficiorum minime intelligantur, sed Ordinarij jurisdictioni subjecti permaneant: non obstantibus quibuscumque inhibitionibus.

Cap. cum Capella de privil.

CAPUT XII.

Cum dignitates, in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut, qui eas

obtinerent pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera & officio juvarent; merito qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum-quintum suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus, doctrina, ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta Constitutionem Alexandri III. in Concil. Later. promulgatam, quæ incipit: *Cum in cunctis*. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico: ad cæteras autem dignitates, vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur. Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis ad minus inter duos menses in manibus ipsius Ep. vel eo impedito coram generali ejus Vicario, seu Officiali, Orthodoxæ suæ fidei publicam facere Professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Epis. seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut suprà, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipient, nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, Præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus à jure & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat. In omnibus vero Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus: Episcop. autem cum consilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex Sacris annexus in posterum esse debeat, ita tamen ut dimidia saltem pars Presbyteri sint; cæteri vero Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint Presbyteri; omnino observetur. Hortatur etiam sancta Synodus, ut in Provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus, conferatur tantum Magistris, vel Doctoribus; aut etiam Licent in Theologia, vel jure Canonico. Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem an. lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonif. VIII. Decretum, quod incipit: *Consuetudinem*, quod sancta Synodus in usum revocat: non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus.

sup. sess. 7. de Ref. cap. 12.

cap. unic. de Cler. non resid. in 6.

Omnes vero divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia: & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere & inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. Vestitu insuper decenti, tam in Ecclesia, quam extra, assidue utantur; ab illicitisque venationibus aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant; atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiæ Senatus dici possit. Cætera, quæ ad debitum in divinis Officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in Choro conveniendi & permanendi, simulque de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si qua hujusmodi, Synodus Provincialis pro cujusque Provinciæ utilitate & moribus certam cuique formulam præscribet. Interea vero Episcopus non minus quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis quæ expedire videbuntur, poterit providere.

CAPUT XIII.

QUoniam pleræque Cathedrales Ecclesiæ, tam tenuis redditus sunt & angusti, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant; examinet Concil. Provinciale, vocatis iis quorum interest, & diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmissis instrumenta ad Summum Romanum Pontificem mittat; quibus instructus Summus Pontifex, ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Interim vero, donec prædicta effectum sortiantur, hujusmodi Episcopis, qui fructuum subventione pro Diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, (dum tamen Curata non sint, nec dignitates, nec Canonicatus & Præbendæ, nec Monasteria, in quibus viget Regularis observantia, vel quæ Capitulis generalibus & certis Visitatoribus subduntur) à Sum. Rom. Pont. provideri. In Parochialibus etiam Ecclesiis quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere; curabit Episcopus, si per Beneficiorum uniones (non tamen Regularium) id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive Præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, Militiisve non uniantur; & quæ unitæ sunt, revideantur ab Ordinariis, juxta alias Decretum in eadem Synodo sub fel. record. Paulo III. quod etiam in unitis ab eo tempore citra, æque observetur: non obstantibus in iis quibuscumque verborum formis, quæ hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad hæc in posterum omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.

Sup. sess. 7. de Ref. cap. 6.

In iis quoque civitatibus ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant; mandat sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas proprias que Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quam primum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privilegiis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

CAPUT XIV.

IN pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis & Parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intel-

ligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficij, Canonicatuum aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones; compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra interponantur. Hæc cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quicumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas ac scandalosas rejiciant & aboleant. Eos vero qui adversus hæc in præsenti comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra Simoniacos editis, sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit: non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis; de quarum subreptione, & obreptione, & intentionis defectu Episcopus, tanquam Apostolicæ sedis Delegatus cognoscere possit.

CAPVT XV.

IN Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu Capituli vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen Regularia, iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus Laicorum sint, quorum fructus & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus & privilegiis, aut quacumque reservatione, generali vel speciali, aut affectione: neque prædictæ uniones, aut suppressiones tolli seu impediri possint ex quibuscumque provisionibus etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

CAPVT XVI.

CApitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures, fideles ac diligentes deputet, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur; qui saltem in jure Canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropol. deputatio hujusmodi devolvatur: &, si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eandem Ecclesiam vacantem promotus, ex iis quæ ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario, & aliis quibuscumque Officialibus & administratoribus, qui sede vacante, fuerunt à Capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administratio-

nis, aut cujuscumque eorum muneris: possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint, etiamsi prædicti Officiales, redditis rationibus à Capitulo, vel à deputatis, ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episc. teneatur Capitulum, de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere.

CAPUT XVII.

CUm Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum; sancte sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, seipsos, non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens præsenti Decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia Beneficia, tam sæcularia quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam Parochiales quam Beneficia omnia quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, provideatur.

CAPVT XVIII.

EXpedit maxime animarum saluti, à dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, ut cum Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiam si cura Ecclesiæ vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum vel plures administratur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcop. uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter; etiam vigore indulti seu privilegij in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum, debeat Episc. statim, habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idonetim in eo Vicarium, cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. Porro Episc. & qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujusvis ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et, si Episcopo, aut Synodo Provinciali, pro regionis more videbitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive, eo

impedito, ab eius Vicario Generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus vel Vicarius quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab eo probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores, Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alij Clerici seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioqui Simoniæ vitium tam ipsi, quam alij dantes, incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali (si opus erit) rationem reddere teneantur. A qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter, eius arbitrio, puniri possint. Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex hisque Episcopus eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero Jurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si Jurispatronatus Laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibusque supradictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, juxta supradictam regulam, de Ecclesia, provideatur: nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates vel Patriarchas interposita, impediat aut suspendat: alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab eius Ecclesiæ custodia & administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus & electus fuerit, ut supra sit provisum: alias provisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur: non obstantibus huic Decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque Universitatibus, etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscumque. Si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere; aut ob apertas factiones seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari; poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. Licebit etiam Synodo Provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

A

B

C

D

E

CAPUT XIX.

Decernit sancta Synodus, mandata de providendo, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, concedantur; & hactenus concessa, abrogata esse censeantur.

CAPUT XX.

Causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si Beneficiales sint in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium à die motæ litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, judices superiores, alias tamen competentes, adire; qui causam in eo statu quo fuerit, assumant, & quam primum terminari curent, nec antea aliis committantur, nec avocentur: neque appellationes ab eisdem interpositæ, per superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio aut inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente; & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ quæ juxta Canonicas sanctiones apud sedem Apostolicam sunt tractandæ; vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum Signaturæ Sanctitatis suæ, manu propria subscribendum committere, aut avocare. Ad hæc causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur; etiamsi in præsenti inter Episcopum & Decanum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat; coram quo, si pars vere paupertatem probaverit, non cogatur extra Provinciam, nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera & alimenta & expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, Nuntij, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultarum vigore, non solum Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito eoque negligente, procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem, partibus illati, teneantur. Præterea si quis in casibus à jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium Judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta, ad Judicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit judici appellationis significare. Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quæ translata sunt, expensas proportione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, & ad minus intra mensem exhibere. Qui Notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio Ordinarij suspendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis

fuerit, inter appellantem & pauperes loci distribuendam, compellatur. Judex vero, si & ipse impedimenti hujus conscius participesve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integra acta intra tempus tradentur; ad eandem dupli pœnam, prout supra, teneatur: non obstantibus, quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ suos tantum teneant auctores, & aliis quibuscumque consuetudinibus.

CAPVT XXI.

CVpiens sancta Synodus, ut ex Decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in Decreto publicato Sessione prima sub beatissimo D. N. Pio IV. videlicet: *Qua proponentibus Legatis ac Præsidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de Religione controversias, coërcendas linguas dolosas, pravorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram & Christianam pacem conciliandam apta & idonea ipsi sancta Synodo videbuntur.* Sup. Sess. 17. explicando declarat, mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ullo ex parte immutaretur, neque novi quidquam, præter quod à sacris Canonibus, vel Generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur.

Indictio futuræ Sessionis.

INsuper, eadem sacro-sancta Synodus proximam futuram Sessionem Feria quinta post Conceptionem B. Mariæ Virginis, quæ erit dies nona mensis Decembris proxime venturi, habendam esse statuit & decernit, cum potestate etiam abbrevlandi: in qua Sessione tractabitur de sexto, nunc in eam dilato capite, & reliquis Reformationis capitibus jam exhibitis, deque aliis de eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in Congregationibus proponetur.

Abbreviata est dies Sessionis.

SESSIO XXXV.

Quæ est nona & ultima sub Pio IV. Pontifice Maxim. cepta die 3. absoluta die 4. Decembris 1563.

Decretum de Purgatorio.

Sup. sess. 21. c. 2. & can. 3.

CVm Catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex Sacris litteris & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari, præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus se-

1. Tim. 3.

cludantur. Incerta item, & quæ specie falsi laborant, evulgari & tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, Eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta pie & devote fiant; & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed à Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris, & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter & accurate persolvantur.

De invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & Sacris imaginibus.

MAndat sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum à primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, imprimis, de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore & legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere: illos vero, qui negant, Sanctos æterna fœlicitate in cœlo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Iesu Christi, vel stultum esse, in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.

Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: ita ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari atque opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

1. Tim. 2. 1. Cor. 3.

Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quod fiducia in Imaginibus ſit figenda, velut olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repreſentant; ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Concil. Nicen. 2. Act. 3. 4. & 6. ciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicænæ Synodi, Decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Illud vero diligenter doceant Epiſcopi, per Hiſtorias Myſteriorum noſtræ redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aſſidue recolendis; tum vero ex omnibus ſacris Imaginibus magnum fructum percipi, non ſolum quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit, aut ſenſerit, Anathema ſit.

In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullæ falſi dogmatis Imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit. Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſciuia vitetur; ita ut procaci venuſtate Imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad commeſſationes atque ebrietates non abutantur; quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum ac laſciviam agantur. Poſtremo tanta circa hæc diligentia & cura ab Epiſcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſtere & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat, cum domum Dei deceat ſanctitudo. Pſalm. 92.

Hæc ut fidelius obſerventur, ſtatuit ſancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo, qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Conſilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea judicaverit. Quod ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam controverſiam dirimat, Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet; ita tamen, ut nihil inconſulto ſanctiſſimo Romano Pontifice novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

De Regularibus & Monialibus.

EAdem ſacro-ſancta Synodus Reformationem proſequens, ea quæ ſequuntur, ſtatuenda eſſe cenſuit.

CAPUT PRIMUM.

QVoniam non ignorat ſancta Synodus, quantum ex Monaſteriis pie inſtitutis, & recte adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris atque utilitatis oriatur; neceſſarium eſſe cenſuit, quo facilius ac maturius, ubi collapſa eſt, vetus & Regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius, ubi conſervata eſt, perſeveret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſciptum vitam inſtituant & componant: atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, nec-non ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda, pertinentia, fideliter obſervent. Omniſque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus & Provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum ſit, ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertineant, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

CAPUT II.

NEmini igitur Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum, ad ſolos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex, ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat: nihilque ſuperflui in ea ſit nihil etiam, quod ſit, neceſſarium, eis denegetur. Quod ſi aliquis quidquam tenere deprehenſus aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta ſuæ Regulæ & Ordinis Conſtitutiones puniatur.

CAPUT III.

COncedit ſancta Synodus omnibus Monaſteriis & Domibus tam virorum quam mulierum, & Mendicantium (exceptis Domibus fratrum ſancti Franciſci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de Obſervantia vocantur) etiam quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quod ſi aliqua loca ex præ-

ctis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit. In prædictis autem Monaſteriis & Domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis Eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari: nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.

CAPUT IV.

PRohibet ſancta Synodus, ne quis Regularis, ſine ſui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujuſvis pii operis prætextu, ſubjiciat ſe obſequio alicujus Prælati, Principis, vel Univerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuſcumque perſonæ, ſeu loci; neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis ſuper iis obtenta, ſuffragetur. Quod ſi contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus à ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint. Qui vero ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur. Illi autem, qui, ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

CAPUT V.

Cap. Periculoſo, de Stat. Mon. n. 6.

BOnifacij Octavi Conſtitutionem, quæ incipit, *Periculoſo*, renovans ſancta Synodus, univerſis Epiſcopis, ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur Synodus, & ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, omnibus Magiſtratibus ſæcularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt Profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & privilegiis non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis, vel indultij hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi. Et quia Monaſteria Sanctimonialium, extra mœnia urbis vel oppidi conſtituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus ſine ulla ſæpe cuſtodia, ſunt expoſita, curent Epiſcopi, & alij Superiores (ſi ita videbitur expedire) ut Sanctimoniales ex eis ad nova vel antiqua Monaſteria intra urbes vel oppida frequentia redocantur, invocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſecularis: impedientes vero, vel non obedientes per cenſuras Eccleſiaſticas parere compellant.

CAPUT VI.

IN electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia recte & ſine fraude fiant, in primis ſancta Synodus diſtricte præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in poſterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut aliquos quoſcumque titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda, inhabilis exiſtat; facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur: & ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſubrepticiæ habeantur.

CAPUT VII.

ABbatiſſa & Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum 30. exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt Profeſſionem recte vixerint, Epiſcopo vel alio Superiore conſentiente, eligatur. Duobus vero Monaſteriis nulla præficiatur. Ita ſi qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra ſex menſes cætera reſignare. Poſt id vero tempus, niſi reſignaverit, omnia ipſo jure vacent. Is vero, qui electioni præeſt Epiſcopus, ſive alius Superior, clauſtra Monaſterij non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat. In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum Conſtitutiones.

CAPUT VIII.

MOnaſteria omnia, quæ Generalibus Capitulis aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent Ordinarios Regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione ac directione regi conſueverunt, teneantur infra annum à fine præſentis Concilii, & deinde quolibet triennio ſeſe in Congregationes redigere, juxta formam Conſtitutionis Innocentij III. in Concilio Generali, quæ incipit: *In ſingulis*; ibique certas regulares perſonas deputare quæ de modo & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, ac ſtatutis in iis exequendis deliberent & ſtatuant. Quod ſi in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cujus Provincia prædicta Monaſteria ſunt, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, eos pro prædictis cauſis convocare. Quod ſi infra limites unius Provinciæ non ſit ſufficiens talium Monaſteriorum numerus ad erigendam Congregationem, poſſint duarum vel trium Provinciarum Monaſteria unam facere Congregationem. Ipſis autem Congregationibus conſtitutis, illarum Generalia Capitula, & ab illis electi Præſides vel Viſitatores eamdem habeant auctoritatem in ſuæ Congregationis Monaſteria, ac Regulares in eis commorantes, quam alij Præſides ac Viſitatores in cæteris habent Ordinibus, teneanturque ſuæ Congregationis Monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obſervare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt decreta. Quod ſi etiam Metropolitano in-

ſtante, prædicta exequi non curaverint, Epiſcopis, in quorum Diœceſibus loca prædicta ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, ſubdantur.

CAPUT IX.

MOnaſteria Sanctimonalium, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, etiam ſub nomine Capitulorum ſancti Petri, vel ſancti Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Epiſcopis, tamquam dictæ Sedis Delegatis, gubernentur, non obſtantibus quibuſcumque. Quæ vero à Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, ſub eorum cura & cuſtodia relinquantur.

CAPUT X.

ATtendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores Monaſteriorum Sanctimonialium, ut in Conſtitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacro-ſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Præter ordinarium autem Confeſſarium, alius extraordinarius ab Epiſcopo & aliis Superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat. Quod vero ſanctiſſimum Chriſti corpus intra Chorum, vel ſepta Monaſterii, & non in publica Eccleſia conſervetur, prohibet ſancta Synodus, non obſtante quocumque indulto, aut privilegio.

CAPUT XI.

IN Monaſteriis, ſeu Domibus virorum ſeu mulierum quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas quæ ſunt de illorum Monaſteriorum ſeu locorum familia, perſonæ tam Regulares quam ſæculares, hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediate in iis quæ dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, niſi de ejuſdem conſenſu, ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo; excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis Monaſteriis ſeu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capitul Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monaſteriis ſeu Domibus in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores, juriſdictionem Epiſcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent: ſalvo tamen eorum Epiſcoporum jure, qui majorem in prædicta loca vel perſonas juriſdictionem exercent.

CAPUT XII.

CEnſuræ & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſerventur.

CAPUT XIII.

COntroverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſeculares quam Regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & deferenda umbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque, componat. Exempti autem omnes, tam Clerici ſæculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

CAPUT XIV.

REgularis, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo ſcandalo ſit; Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſevere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minus, à ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

CAPUT XV.

IN quacumque Religione, tam virorum quam mulierum, Profeſſio non fiat ante decimum-ſextum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad Profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta, ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis vel Ordinis obſervationem, aut ad aliquos quoſcumque effectus.

CAPUT XVI.

NUlla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi ſive eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante Profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta Profeſſione, aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renuntiatione, etiam jurata, ſit irrita & nullius effectus. Finito tempore Novitiatus, Superiores, Novitios quos habiles invenerint, ad profitendum admittant aut è Monaſterio eos ejiciant. Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jeſu, juxta pium eorum Inſtitutum à ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino & ejus Eccleſiæ inſervire poſſit. Sed neque ante Profeſſionem, excepto victu & veſtitu, Novitij vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat: nec facile, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit: quin potius præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant: quod ut recte fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.

CAPUT XVIII.

LIbertati Profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit atque decernit, ut ſi puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia Profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus, vel eo abſente vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis depuratus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat; & ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas juxta Monaſterij illius & Ordinis Regulam, nec non Monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cujus Profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta Monaſterio

eum

eum ante menſem certiorem facere; quod ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit. A

CAPUT XVIII.

ANathemati ſancta Synodus ſubjicit omnes & ſingulas perſonas cujuſcumq; qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, ſæculares vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocumque coëgerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in caſibus in jure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ſuſcipiendum habitum cujuſcumque Religionis, vel ad emittendam Profeſſionem, quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut Profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubjicit eos, qui ſanctam Virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel vori emittendi quoquomodo ſine juſta cauſa impedierint. Eaque omnia & ſingula, quæ ante Profeſſionem, vel in ipſa Profeſſione fieri oportet, ſerventur non ſolum in Monaſteriis ſubjectis Epiſcopo, ſed & in aliis quibuſcumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes aut Convertitæ appellantur, in quibus Conſtitutiones earum ſerventur. B

CAPUT XIX.

QUicumque Regularis prætendet, ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velisque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum à die Profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur, interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum ſuæ Religionis. C

CAPUT XX.

ABbates, qui ſunt Ordinum capita, ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores, Epiſcopis non ſubjecti, quibus eſt in alia inferiora Monaſteria Prioratuſve legitima juriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita Monaſteria & Prioratus, ſuo quiſque loco atque ordine, ex officio viſitent, etiamſi commendata exiſtant. Quæ cum Ordinum ſuorum capitibus ſubſint, declarat ſancta Synodus, in iis, quæ alias de viſitatione Monaſteriorum commendatorum definita ſunt, non eſſe comprehenſa: teneanturque quicumque prædictorum Ordinum Monaſteriis præſunt, prædictos Viſitatores recipere, & illorum Ordinationes exequi. Ipſa quoque Monaſteria, quæ ſunt Ordinum capita, juxta ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & cujuſque Ordinis Conſtitutiones viſitentur. Et quamdiu durabunt hujuſmodi Commendæ, Priores Clauſtrales, aut in Prioratibus Conventum habentibus Superiores, qui correctiones & ſpirituale regimen exercent, à Capitulis Generalibus, vel ipſorum Ordinum Viſitatoribus inſtituantur. In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas & loca & jura concernunt, firma ſint & illæſa.

Sup. ſeſſ. 21. cap. 8. de Ref.

CAPUT XXI.

CUm pleraque Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ, ex mala eorum, quibus commiſſa fuerunt, adminiſtratione, non levia paſſa fuerint tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus detrimenta, cupit ſancta Synodus ad congruam Monaſticæ vitæ diſciplinam omnino revocare. Verùm adeo dura difficiliſque eſt præſentium temporum conditio, ut nec ſtatim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium poſſit adhiberi. Ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis ſalubriter aliquando provideri poſſit, primum quidem confidit ſanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuos Conventus habent, Regulares perſonæ, ejuſdem Ordinis expreſſe profeſſæ, & quæ gregi præire & præeſſe poſſint, præficiantur. Quæ vero in poſterum vacabunt, nonniſi Regularibus ſpectatæ virtutis & ſanctitatis conferantur. Quoad ea vero Monaſteria, quæ capita ſunt ac primates Ordinum, ſive Abbatiæ, ſive Prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præſenti ea in commendam obtinent (niſi ſit eis de Regulari ſucceſſore proviſum) infra ſex menſes Religionem illorum Ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut iis cedere: alias Commendæ prædictæ ipſo jure vacare cenſeantur. Ne autem in prædictis omnibus & ſingulis fraus aliqua adhiberi poſſit, mandat ſancta Synodus, ut in proviſionibus dictorum Monaſteriorum qualitas ſingulorum nominatim exprimatur: aliterque facta proviſio ſubreptitia eſſe cenſeatur, nullaque ſubſequenti poſſeſſione, etiam triennali, adjuvetur. B C

CAPUT XXII.

HÆc omnia & ſingula, in ſuperioribus Decretis contenta, obſervare ſancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis ac Monaſteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium, nec non quarumcumque Sanctimonialium, virginum ac viduarum, etiamſi illa ſub gubernio Militiarum, etiam Jeroſolymitanæ, vivant, & quocumque nomine appellentur, ſub quacumque Regula, vel gubernatione, vel quavis ſubjectione, aut annexione, vel dependentia cujuſcumq; Ordinis Mendicantium, vel non mendicantium vel aliorum Regularium Monachorum, aut Canonicorum quorumcumque: non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis, ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Conſtitutionibus & Regulis etiam juratis atque etiam conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui vero Regulares tam viri quam mulieres ſunt, quæ ſub arctiori Regula vel ſtatutis vivunt, excepta facultate habendi bona ſtabilia in communi, eos ab eorum Inſtituto & obſervantia ſancta Synodus amovere non intendit. Et quia ſancta Synodus deſiderat, ut omnia & ſingula ſupradicta quamprimum executioni demandentur, præcipit omnibus Epiſcopis, in Monaſteriis ſibi ſubjectis, & in omnibus aliis ipſis in ſuperioribus Decretis ſpecialiter commiſſis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum ſupradictorum, ut ſtatim prædicta exequantur. Et ſi quid executioni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concilia Prouincialia ſuppleant & coërceant; Regularium vero Capitula Provincialia & Generalia, & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem Ordinis provideant. Hortatur etiam ſancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſpublicas & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut velint præ- D E

dictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Præfectis in superius contentæ reformationis executione suum auxilium & auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti, ut sine ullo impedimento præmissa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

DECRETUM

DE REFORMATIONE.

CAPUT PRIMUM.

OPtandum est, ut ii qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: In primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Qua propter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omnino vero eis interdicit ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa: imo quam maxime potest eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica, tam Sæcularia quàm Regularia, obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ merito omnium in se oculos convertant.

Can. 39. Apost.

CAPUT II.

COgit temporum calamitas, & invalescentium hæresum malitia, ut nihil sit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præsidium videatur posse pertinere. Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine in Concilio Provinciali, post finem præsentis Concilij habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac sancta Synodo definita & statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant & profiteantur; simulque hæreses omnes, à sacris Canonibus & Generalibus Conciliis, præsertimque ad hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur & anathematizent. Idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi, in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex supradictis omnibus (quod absit) renuerit, Episcopi comprovinciales statim Summum Romanum Pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant. Cæteri vero omnes, sive in præsenti, sive in futurum Beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo Diœcesana convenire debent, idem, ut suprà, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebratur, faciant & observent: alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur. Adhæc omnes ii, ad quos Universitatum & studiorum generalium cura, visitatio & reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdum Universitatibus Canones & Decreta hujus sanctæ Synodi integre recipiantur; ad eorumque normam Magistri, Doctores, & alij in eisdem Universitatibus ea, quæ Catholicæ fidei sunt, doceant & interpretentur, seque ad hoc institutum initio cujuslibet anni solemni juramento obstringant: sed & si aliqua alia in prædictis Universitatibus correctione & reformatione digna fuerint, ab eisdem ad quos spectat, pro Religionis & disciplinæ Ecclesiasticæ augmento emendentur & statuantur. Quæ vero Universitates immediatæ Summi Romani Pontificis protectioni & visitationi sunt subjectæ, has Sua Beatitudo per ejus Delegatos eadem, qua supra, ratione, & prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari & reformari curabit.

CAPUT III.

QUamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere quam salutem. Qua propter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem revelationis, ut aiunt, pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur; & tunc non alias quàm ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moveat; nec ad eas concedendas cujusvis secularis, etiam Magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit. In causis vero judicialibus mandatur omnibus Judicibus Ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte judicij propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam definiendo à censuris Ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, Il expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam Laïcos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi existentibus eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem Beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, & causas definire. Quod si executio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga Judicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit à censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facile locus esse non possit, licebit Judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem

monitione, etiam per Edictum, id postulet. Nefas autem sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsenti Decreto non sint observata, cum non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta & communicationem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo censuris innexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum, procedi possit.

CAPUT IV.

COntingit sæpe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere: unde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur: sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius & utilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus, rediligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerint.

CAPUT V.

RAtio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requirantur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in Præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint observetur, ut eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur: & aliter facta provisio, subreptitia censeatur.

CAPUT VI.

Sup. sess. 6. de Ref. cap. 6.

STatuit sancta Synodus, ut in omnibus Ecclesiis, Cathedralibus & Collegiaris Decretum sub fel. rec. Paulo III. quod incipit, *Capitula Cathedralium*, observetur non solum quando Episcopus visitaverit, sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus contra aliquem ex contentis in dicto Decreto procedet, ita tamen, ut cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant: videlicet, ut Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio & assensu Episcopus, vel eius Vicarius, tam in formando processum, quàm in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in eius domo aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant: & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devol-

A vatur; & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet articulus, in quo erat discordia, terminetur, alias processus, & inde secuta, nulla sint, nullosque producant Juris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto *De Concubinariis*, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem & necessariam detentionem procedere, servato tamen in reliquis ordine præmisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis præterea ubique is honos tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro & in Capitulo, in Processionibus, & aliis B actibus publicis sit prima sedes & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur; ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Absente vero Episcopo, omnino hoc abiis de Capitulo, ad quos hoc Jure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. Cæteris autem in rebus Capituli jurisdictio & potestas, si qua eis competit, & bonorum administratio salva & intacta omnino relinquatur. Qui vero non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, ii omnes in causis Ecclesiasticis Episcopo subjiciantur: non obstantibus, quoad supradicta, privilegiis, ex fundatione competentibus, nec-non C consuetudinibus, etiam immemorabilibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores: salvis tamen in omnibus privilegiis, quæ Universitatibus studiorum generalium, seu earum personis sunt concessa. Hæc autem omnino & singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi aut eorum Vicarij ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, seu quocumque alio Jure majorem habent potestatem, authoritatem, ac jurisdictionem, quam præsenti Decreto sit comprehensum, quibus sancta Synodus derogare non intendit.

CAPUT VII.

CUm in Beneficiis Ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur; nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque Decretum in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ac etiam Cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscumque personis etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat. In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur. Quod si aliquando Ecclesiæ Cathedralis aut Monasterij urgens necessitas aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura E successione detur, quam hæc causa prius diligenter à sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à Jure & Decretis hujus sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur; alias concessiones super his factæ, subreptitiæ esse censeantur.

Sup. sess. 7. c. 1. & Sess. 12. cap. 2. de Reform.

CAPUT VIII.

ADmonet sancta Synodus quoscumque Ecclesiastica Beneficia sæcularia, seu Regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium, à Sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum pro-

venus licebit, prompte benigneque exercere aſſuescant; memores eos qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere. Illis vero, qui Hoſpitalia vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, ſenum pauperumve uſum præcipue inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcumque titulum aut etiam Eccleſiis ſuis, unita, obtinent, vel Eccleſiæ Parochiales, Hoſpitalibus forte unitæ, aut in Hoſpitalia erectæ, earum Patronis in adminiſtrationem conceſſæ ſint, præcipit omnino, ut impoſitum illis onus officiumve adminiſtrent, atque hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, juxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis aliàs in hac eadem Synodo ſub fel. recor. Paulo III. innovatam, quæ incipit: *Quia contingit.* Quod ſi Hoſpitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta; nec in loco, ubi ſunt dicta Hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium vſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit: niſi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione aut inſtitutione fuerit expreſſum: quo caſu, quod ordinatum fuerit, obſervari curet Epiſcopus; aut, ſi id non poſſit, ipſe prout ſupra, utiliter provideat. Itaque ſi prædicti omnes, cujuſcumque Ordinis, & Religionis, & dignitatis, etiamſi Laici fuerint, qui adminiſtrationem Hoſpitalium habent, non tamen Regularibus ſubjecti, ubi viget Regularis obſervantia, ab Ordinario moniti hoſpitalitatis munus, adhibitis omnibus ad quæ teneantur neceſſariis, re ipſa obire ceſſarint, non ſolum per Eccleſiaſticas cenſuras, & alia Juris remedia ad id compelli poſſint, ſed etiam Hoſpitalis ipſius adminiſtratione curave perpetuo privari poſſint, aliique eorum loco ab iis, ad quos ſpectabit, ſubſtituantur. Et prædicti nihilominus etiam ad fructuum reſtitutionem, quos contra ipſorum Hoſpitalium inſtitutionem perceperunt, quæ nulla eis remiſſione aut compoſitione indulgeatur, in foro conſcientiæ teneantur: nec adminiſtratio ſeu gubernatio hujuſmodi locorum uni & eidem perſonæ ultra triennium deinceps committatur; niſi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obſtante, quoad omnia ſupradicta, quacumque unione, exemptione, & conſuetudine in contrarium etiam immemorabili, ſeu privilegiis, aut indultis quibuſcumque.

Cl. Quia contingit, de Relig. dom. ſup. Seſſ. 7. c. 22 c. 9. de Reform.

CAPUT IX.

Sicut legitimas patronatuum jura tollere, piaſque fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare æquum non eſt, ſic etiam, ut hoc colore Beneficia Eccleſiaſtica in ſervitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur, non eſt permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio obſervetur, decernit ſancta Synodus, ut titulus Juriſpatronatus ſit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis Jure requiſitis oſtendatur: ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundum juris diſpoſitionem. In iis vero perſonis, ſeu communitatibus, vel Vniverſitatibus in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi, præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ, non minori ſaltem quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in Beneficiis tam ſæcularibus, quam Regularibus, ſeu Parochialibus, vel Dignitatibus aut quibuſcumque aliis Beneficiis in Cathedrali vel Collegiata Eccleſia: ſeu facultates & privilegia conceſſa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, præſentandi ad ea, cum vacant (exceptis patronatibus ſuper Cathedralibus Eccleſiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu regna poſſidentes, alioſque ſublimes ac ſupremos Principes, jura Imperij in Dominiis ſuis habentes, pertinent, & quæ in favorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt) in totum prorſus abrogata & irrita, cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta, intelligantur: Beneficiaque hujuſmodi, tanquam libera, à ſuis collatoribus conferantur, ac proviſiones hujuſmodi plenum effectum conſequantur. Ad hæc liceat Epiſcopo præſentatos a patronis, ſi idonei non fuerint, repellere. Quod ſi ad inferiores inſtitutio pertineat, ab Epiſcopo tamen, juxta alias ſtatuta ab hac ſancta Synodo, examinentur: alioquin inſtitutio ab inferioribus facta, irrita ſit & inanis. Patroni autem Beneficiorum, cujuſcumque ordinis & dignitatis, etiam ſi Communitates, Vniverſitates, Collegia quæcumque Clericorum vel Laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque Beneficiorum, etiam ſi vere de Jure patronatus ipſorum & fundatione & dotatione eſſent, nullatenus, nullave cauſa vel occaſione ſe ingerant; ſed illos libere Rectori, ſeu Beneficiato, non obſtante etiam quacumque conſuetudine, diſtribuendos dimittant, nec dictum Juſpatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra Canonicas ſanctiones transferre præſumant. Si ſecus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis ſubjiciantur, & dicto Jurepatronatus ipſo Jure privati exiſtant.

Sup. ſeſſ. 7. c. 13. & Seſſ. 24. c. 18. de Refor.

Inſuper acceſſiones per viam unionis factæ de Beneficiis liberis ad Eccleſias Juriſpatronatui, etiam Laicorum, ſubjectas, tam Parochiales, quam ad alia quæcumque Beneficia, etiam ſimplicia, ſeu dignitates vel Hoſpitalia, ita ut prædicta Beneficia libera ejuſdem naturæ cum iis, quibuſcum uniuntur, efficiantur, atque ſub Jure patronatus conſtituantur: hæ ſi nondum plenarium ſortitæ ſunt effectum, vel deinceps ad cujuſvis inſtantiam fiant quacumq; authoritate etiam Apoſtolica, conceſſa fuerint, ſimul cum unionibus ipſis per ſubreptionem obtentæ intelligantur, non obſtante quacumque in iis verborum forma, ſeu derogatione, quæ habeatur pro expreſſa, nec executioni amplius demandentur, ſed Beneficia ipſa unita, cum vacaverint, libere, ut antea, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis, citra factæ, effectum & plenam incorporationem ſunt conſecutæ; hæ nihilominus ab Ordinariis, tanquam à Sede Apoſt. Delegatis, revideantur & examinentur, ac quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, ſimul cum unionibus irritæ declarentur, ac Beneficia ipſa ſeparentur, & aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicumq, in Eccleſiis, & quibuſcumque aliis Beneficiis, etiam dignitatibus, antea liberis acquiſitis à quadraginta annis citra, & in futurum acquirendi, ſeu ex augumento dotis, ſeu ex nova conſtructione, vel alia ſimili cauſa, etiam authoritate Sedis Apoſt. ab iiſdem Ordinariis, uti Delegatis ut ſupra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoſcantur; & quos non repererint ob maxime evidentem Eccleſiæ, vel Beneficij ſeu dignitatis neceſſitatem legitime conſtitutos eſſe, in totum revocent; atque Beneficia hujuſmodi ſine damno illa poſſidentium, & reſtituto patronis eo quod ab eis idcirco datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant; non obſtantibus privilegiis, conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

CAPUT X.

Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, uſque

adeo haberi non poteſt, hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis cauſæ in partibus delegantur: ſtatuit ſancta Synodus, in ſingulis Conciliis provincialibus, aut Diœceſanis, aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacij Octavi, quæ incipit, *Statutum*, & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum, uſque ad futuram Provincialem aut Diœceſanam Synodum: ita ut habeat quæq; diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra qualificatas quibus hujuſmodi cauſæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atq; etiam à Sede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſc. ad Sum. Pont. tranſmittant, delegationes quæcunque aliorum judicum aliis quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Admonet deinc ſancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoſcunque judices, ut terminandis cauſis quanta fieri poterit brevitate ſtudeant, ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicij differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Cap. Statutum de Refc. c. 6.

CAPUT XI.

MAgnam Eccleſiis pernicieꝫ afferre ſolet, cum earum bona repꝛæſentata pecunia, in ſucceſſorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fient, nullatenus in præjudicium ſucceſſorum validæ intelligantur, quocunque indulto aut privilegio non obſtante, nec hujuſmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam Juriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare; nec conductoribus per ſe aut alios ea exercere; aliterque conceſſiones, etiam à Sede Apoſt. factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Locationes vero rerum Eccleſiaſt. etiam authoritate Apoſt. confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra, ad longum tempus, ſeu in nonnullis partibus, ad viginti novem, ſeu bis viginti novem annos vocant, factas Synodus Provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra Canonicas ſanctiones contractas fuiſſe judicabunt.

CAPUT XII.

NOn ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt, cum decimarum ſolutio debita ſit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediont, res alienas invadant. Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus cujuſcunque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas ad quas de Jure tenentur, in poſterum Cathedrali aut quibuſcumque aliis Eccleſiis, vel perſonis; quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur. Hortatur deinc omnes & ſingulos, pro Chriſtiana charitate; debitoque erga Paſtores ſuos munere, ut de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, large ſubvenire ad Dei laudem, atque Paſtorum ſuorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

CAPUT XIII.

DEcernit ſancta Synodus, ut quibuſcumque in locis, jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integra jure, & eadem portione, qua antea ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.

CAPUT XIV.

QUam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore teſtatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ revocentur, populuſque hinc eos magis diſcat revereri, quo illos vita honeſtiores cognoverit, prohibet ſancta Synodus quibuſcumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam cõſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis, à ſacris Canonibus vel Statutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quòd ſi à Superioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Epiſc. applicetur. Si vero in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ad proventus ſuorum Beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam à Beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, uti Sedis Apoſtolicæ Delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur: & ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc Beneficiis, portionibus ac officiis, & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, Beneficiis, ac officiis in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut ſuſpendat: ſupradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu & figura judicij, & ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſint. Clerici vero Beneficia Eccleſiaſtica aut penſiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perſeverantiam & qualitatem, ab ipſo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliiſve modis juxta ſacros Canones puniantur. Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint & à Synodo Provinciali admoniti, ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: &, ſi perſeverent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem, ab eadem Synodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, ſi opus erit, in eos animadvertat.

CAPUT XV.

UT paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maxime puritas ſanctitaſque decet, longiſſime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt Matrimonio, in Eccleſiis, ubi eorum patres Beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam diſſimile, Beneficium obtinere; nec in

dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, ut alias obtinuerunt, habere. Quod ſi in præſenti Pater & Filius in eadem Eccleſia Beneficia obtinere reperiantur: cogatur filius ſuum Beneficium reſignare, aut cum alia permutare extra Eccleſiam, intra trium menſium ſpatium, alias ipſo jure eo privatus exiſtat; & ſuper iis quæcumque diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Ad hæc, reciprocæ reſignationes, ſi quæ poſthac à parentibus Clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius Beneficium conſequatur, in fraudem hujus Decreti, & Canonicarum ſanctionum factæ omnino cenſeantur: nec collationes ſecutæ, vigore hujuſmodi reſignationum, ſeu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipſis Clericorum filiis ſuffragentur.

CAPUT XVI.

STatuit ſancta Synodus, ut Eccleſiaſtica Beneficia ſæcularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum inſtitutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in ſimplex Beneficium, etiam aſſignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur: non obſtantibus quibuſcumque gratiis, quæ ſuum plenarium effectum non ſunt conſecutæ. In iis vero in quibus contra earum inſtitutionem ſeu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum tranſlata eſt, etiamſi in hoc ſtatu, ab immemorabili tempore reperiantur, ſi congrua portio fructuum Vicario Eccleſiæ, quocumque nomine is appelletur, non fuerit aſſignata, ea quamprimum, & ad minus intra annum à fine præſentis Concilij arbitrio Ordinarij, juxta formam Decreti ſub fel. rec. Paulo III. aſſignetur: Quod ſi id commode fieri non poſſit, aut intra dictum terminum factum non erit: cum primum per ceſſum vel deceſſum Vicarij, ſeu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit; Beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen ceſſet, & in antiquum ſtatutum reſtituatur.

Sup. ſeſſ. 7. c. 7. de Reform.

CAPUT XVII.

NOn poteſt ſancta Synodus non graviter dolere, audiens, Epiſcopos aliquos, ſui ſtatus oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter dehoneſtare, qui cum Regum miniſtris, Regulis, & Baronibus in Eccleſia, & extra, indecenti quadam demiſſione ſe gerunt, & veluti inferiores miniſtri Altaris, nimis indigne non ſolum loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſerviunt. Quare hæc & ſimilia deteſtans ſancta Synodus, ſanctos Canones omnes, Conciliaque Generalia, atque alias Apoſtolicas ſanctiones ad dignitatis Epiſcopalis decorem & gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujuſmodi in poſterum Epiſcopi ſe abſtineant: mandans eiſdem, ut tam in Eccleſia quam foris ſuum gradum & Ordinem præ oculis habentes, ubique ſe Patres & Paſtores eſſe meminerint: reliquis vero tam Principibus, quam cæteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia proſequantur.

CAPUT XVIII.

SIcuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus caſibus & neceſſitatibus, pro communi utilitate ſatisfiat: ſic frequentibus legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, &, quoad eius fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcunque ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur.

CAPUT XIX.

DEteſtabilis duellorum uſus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe quo penitus exterminetur; Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione & dominio civitatis, caſtri, aut loci in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur, &, ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant: & ut homicidæ juxta ſacros Canones puniri debeant: &, ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli tam in Jure quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec-non ſpectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obſtante quocumque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili.

CAPUT XX.

CUpiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolum reſtitui, ſed etiam perpetuo ſartam tectam à quibuſcumque impedimentis conſervari, præter ea quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit; confidens, ut eos Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei Eccleſiæque protectores eſſe voluit, jus ſuum Eccleſiæ reſtitui, non tantum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Cletum, Parochos, & ſuperiores Ordines reverentiam revocaturos, nec permiſſuros, ut Officiales, aut inferiores Magiſtratus Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio ſeu inconſideratione aliqua violent, ſed una ipſis Principibus debitam ſacris Summorum Pontificum & Conciliorum Conſtitutionibus obſervantiam præſtent. Decernit itaque & præcipit, ſacros Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non Apoſtolicas ſanctiones, in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti etiam Decreto innovat, exacte ab omnibus obſervari debere. Protereaque admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes & ſingulos cujuſcumque ſtatus & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, tamquam Dei præcepta, eiuſque patrocinio tecta, venerentur, nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliiſve Dominis temporalibus, ſeu Magiſtratibus, maximeque miniſtris ipſorum Principum, lædi patiantur, ſed ſevere in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque juriſdictionem impediunt, animadvertant, quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, Religionem, Eccleſiarumque protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſiæ ſuæ in primis authoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque in ea re quiſque officium ſuum ſedulo præſtet, quo cultus divinus devote exerceri, & Prælati cæterique Clerici

in residentiis & officiis suis quieti & sine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

CAPUT XXI.

Sup. sess. 7. de Ref. in prine.

POstremo sancta Synodus omnia & singula, sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum Reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel. record. Paulo tertio ac Julio III. quam sub beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse ut in his salva semper sedis Apostolicæ authoritas & sit, & esse intelligatur.

DECRETUM

DE CONTINVENDA SESSIONE in diem sequentem.

CUm ea omnia, quæ in præsenti Sessione tractanda erant, quia hora tarda est, commode expediri non possint, propterea juxta id quod in Generali Congregatione à Patribus statutum fuit, ea quæ supersunt, in diem crastinam hanc eandem Sessionem continuando differuntur.

CONTINUATIO SESSIONIS DIE IV. DECEMBRIS.

DECRETVM

De Indulgentiis.

Mat. 16. & 18. Joan. Joan. 21.

CVm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacro-sancta Synodus Indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad Summum Romanum Pontificem referantur: cujus authoritate & prudentia, quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur, ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

DE DELECTV CIBORVM, IEIVNIIS & diebus Festis.

INsuper hortatur sancta Synodus, & per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur, ut tamquam boni milites illa omnia quæ sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum magistra, statuit; nec non ea quæ tam in hoc Concilio, quam in aliis Oecumenicis statuta sunt, quibuscumque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt: ut ciborum delectus, & jejunia; vel etiam quæ faciant ad pietatem augendam, ut dierum Festorum devota & religiosa celebratio: admonentes populos crebro, obedire Præpositis suis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui vero contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.

De Indice Librorum, Catechismo, Breviario, & Missali.

Sup. sess. 18. in prine.

SAcro-sancta Synodus in secunda Sessione sub sanctissimo D. N. Pio quarto celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris vel suspectis, vel perniciosis, quid facto opus esset considerarent, atque ad ipsam sanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem distincte & commode posse a sancta Synodo dijudicari, præcipit, ut quidquid abillis præstitum est, sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut eius judicio atque auctoritate terminetur & evulgetur. Idemque de Catechismo à Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de Missali & Breviario fieri mandat.

De loco Oratorum.

Sup. sess. 2. in fin.

DEclarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præjudicium; sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, & Rerumpublicarum, ac Principum suorum jura & prærogativas illæsas & salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.

De recipiendis & observandis Decretis Concilii.

TAnta fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda unquam fuerit, aut tam certo statutum, quod non, humani generis hoste suadente, illi errore aliquo contaminaverint: ea propter sancta Synodus id potissimum curavit, ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret & anathematizaret, veramque & Catholicam doctrinam traderet & doceret, prout damnavit, anathematizavit, & definivit. Cumque tamdiu tot Episcopi, ex

variis Christiani orbis Provinciis evocati, sine magna gregis sibi commissi jactura, & universali periculo ab Ecclesiis abesse non possint, nec ulla spes restet, hæreticos, toties fide etiam publica, quam desiderarunt, invitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius adventuros; ideoque tandem huic sacro consilio finem imponere necesse sit: superest nunc, ut Principes omnes, quod facit, in Domino moneat, ad operam suam ita præstandam, ut quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis depravari aut violari non permittant, sed ab his & omnibus devote recipiantur, & fideliter observentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut definitionem postulent; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis, ex illis præsertim Provinciis unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

De recitandis Decretis Concilii sub Paulo tertio & Julio tertio in Sessione.

QUoniam diversis temporibus, tam sub felic. record. Paulo III. quam Julio III. multa in hoc sacro Concilio quoad dogmata ac morum Reformationem statuta & definita sunt, vult sancta Synodus, ut illa nunc recitentur & legantur.

Recitata sunt.

De fine Concilii, & confirmatione petenda à Sanctissimo Domino nostro.

ILlustrissimi Domini, Reverendissimique Patres, placet-ne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic sacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur, & omnium & singulorum, quæ tam sub fel. record. Paulo III. & Julio III. quam sub sanctissimo D. N. Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta & definita sunt confirmatio nomine sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos & Præsidentes à Beatissimo Romano Pontifice petatur?

Respondent: Placet.

Postmodum Illustrissimus & Reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & Præsidens, benedicens sanctæ Synodo, dixit: Post gratias Deo actas, Reverendissimi Patres, ite in pace.

Qui responderunt: Amen.

ACCLAMATIONES PATRUM IN FINE.

Cardinalis à Lotharingia.

BEatissimo Pio Papæ & Domino nostro, sanctæ & universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

Responsio Patrum.

Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

Card. Beatissimorum Summorum Pontificum animabus, Pauli tertij & Julij tertij, quorum auctoritate hoc sacrum Generale Concilium inchoatum est, pax à Domino, æterna gloria atque felicitas in luce Sanctorum.

Resp. Memoria in benedictione sit.

Cardin. Caroli quinti Imperatoris & Serenissimorum Regum, qui hoc Universale Concilium promoverunt & protexerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen, Amen.

Card. Serenissim. Imperatori Ferdinando, semper Augusto, Orthodoxo & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuspublicis & Principibus nostris, multi anni.

Resp. Pium & Christianum Imperatorem Domine conserva: Imperator cœlestis, terrenos Reges rectæ fidei conservatores custodi.

Card. Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo præsidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

Resp. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Card. Reverendiss. Cardinalibus, & Illustriss. Oratoribus.

Resp. Magnas gratias, multos annos.

Card. Sanctissimis Episcopis vita & felix ad Ecclesias suas reditus.

Resp. Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multos annos.

Card. Sacro-sancta Oecumenica Tridentina Synodus!: eius fidem confiteamur, eius Decreta semper servemus.

Resp. Semper confiteamur, semper servemus.

Card. Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes & amplectentes subscribimus. Hæc est fides Beati Petri, & Apostolorum: hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum.

Resp. Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus.

Card. His Decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis & gratia primi & magni Supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, & intercedente simul inviolata Domina nostra sancta Deipara, & omnibus Sanctis.

Resp. Fiat, fiat. Amen, Amen.

Card. Anathema, cunctis hæreticis.

Resp. Anathema, Anathema.

Post hæc mandatum fuit à Legatis & Præsidentibus sub pœna excommunicationis omnibus Patribus, ut antequam discederent è civitate Tridentina, subscriberent manu propria Decretis Concilij, aut ea per publicum Instrumentum approbarent. Qui omnes deinde subscripserunt, & fuerunt numero 255. videlicet. Legati 4. Cardinales 2. Patriarchæ 3. Archiepisc. 25. Episcopi 168. Abbates 7. Procuratores absentium cum legitimo mandato 36. Generales Ordinum 3.

LAUS DEO.

Concordat cum Originali: in cujus fidem subscripsimus.

Ego Angelus Massarellus, Episcopus Thelesinus sacri Concilij Tridentini Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus Comensis, ejusdem Concilij Notarius.

Ego Cynthius Pamphilius, Clericus Camerinensis Diœcesis, ejusdem Concilij Notarius.

Nomina, cognomina, patriæ & dignitates Legatorum, & aliorum Patrum, item Oratorum, & Theologorum, qui ad Sacro-sanctam Oecumenicam Tridentinam Synodum convenerunt sub Pio IV. Pontif. Maximo.

HErcules Gonzaga S. R. E. Presbyter Cardin. tit. sanctæ Mariæ novæ, Mantuanus. Obiit Tridenti, die secunda Martij 1563. & sepultus est Mantuæ.

Hieronymus Seripandus S. R. E. Presbyt. Card. tit. S. Susannæ, Neapolitanus. Obiit Tridenti die 18. Martij

Martij 1563. & ibi ſepultus in Eccleſia ſancti Marci Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cujus olim fuerat Generalis.

Joannes Moronus S. R. E. Card. Epiſcopus Prænestinus, Mediolanenſis, in demortui Card. de Mantua locum miſſus.

Staniſlaus Hoſius S. R. E. Preſbyter, Cardin. tit. ſancti Laurentij in Paliſperna, Polonus, Warmienſis.

Ludovicus Simoneta S. R. E. Preſbyt. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, Mediolanenſ.

Marcus Siticus S. R. E. Diaconus Cardin. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum, de Altaemps, Germanus.

Bernardus Navagerius S. R. E. Preſbyt. Card. tit. S. Nicolai inter Imagines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum miſſus.

Cardinales non Legati.

Carolus à Lotharingia S. R. E. Preſbyt. Card. tit. S. Apollinaris, Princeps & Archiepiſc. Rhemenſis, Gallus.

Ludovicus Madrutius S. R. E. Diaconus Card. S. Calliſti, electus Epiſc. Trident. Germanus.

Oratores, quorum nomina hic deſcribuntur juxta eorum loca, quæ in eadem ſacro-ſancta Synodo habuerunt.

Oratores Eccleſiaſtici ſedebant à manu dextra Legatorum, videlicet.

Antonius de Muglitio, Moravus, Archiepiſc. Ptagenſis, Orator Cæſareus.

Georgius Draſcovitius, Croatus, Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, Orator Cæſareus pro Regno Hungariæ, poſtea Cardinalis.

Valentinus Herburtus, Polonus, Epiſc. Præmiſlienſis, Orator Sereniſſimi Regis Poloniæ.

Marcus Antonius Bobba, Caſalenſis, Epiſc. Auguſtenſis in Pedemontio, Excellentiſſ. Ducis Sabaudiæ Orator, poſtea Cardinalis.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, Epiſcopus Cortonenſis, Orator Excellentiſſ. Ducis Florentiæ. Miſſus in locum Ioan. Strozzij.

Fr. Martinus Royas, Portalrubeo, Hiſpanus, Orator Religionis Jeroſolymitanæ.

Oratores ſeculares ſedebant à manu ſiniſtra Legatorum.

Sigiſmundus à Tuun, Tridentinus, Orator Cæſareus.

Oratores Chriſtianiſſimi Galliarum Regis.

Ludovicus de Lanſac.

Renaldus Ferrerius, Præſidens in Parlamento Pariſienſi, &c.

Guido Faber, Iudex major Toloſæ.

Ferdinandus Martineus Mazcarenius, Orator Sereniſſimi Regis Portugalliæ.

Oratores Sereniſſimi Domini Ducis Venetorum.

Nicolaus de Ponte, Doctor & Eques, & Matthæus Dandelus, Eques.

Melchior Luſſi, Eques auratus, Orator ſeptem Cantonum Helveticorum.

Auguſtinus Paumgartner, I. V. D. de Monachio, Orator Excellentiſſimi Alberti Ducis Bavariæ.

Claudius Fernandez Quingnonij, Comes Lunenſis, Orator Regis Catholici, in locum Illuſtriſſ. Ferdinandi de Avalos Marchionis Piſcariæ miſſus. Obiit Tridenti die 20. Decemb. 1563. poſt finem Concilij, ibique ſepultus eſt.

Hic ſeparatim ab aliis Oratoribus ſedebat apud Reverendiſſimum Thelefinum Secretarium ſanctæ Synodi, ob contentionem ſuper præcedentia ortam inter ipſum & Oratores Regis Chriſtianiſſimi.

Patriarchæ.

Antonius Helius, Juſtinopolitanus, Patriarcha Hieroſol. Aquileienſis.

Daniel Barlarus Venetus Patriarcha.

Joannes Triviſanus, Venetus, Patriarcha Venetiarum.

Archiepiſcopi Pauli III.

Ferdinandus Annius, Neapolitanus, Archiepiſcop. Amalphitanus, poſtea Epiſcopus Bovin.

Petrus Landus, Venetus, Archiepiſcopus Cretenſis.

Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, Archiepiſcopus Hydruntinus.

Marcus Cornelius, Venetus, electus Archiepiſcop. Spalatrenſis.

Sebaſtianus Leccavella, Græcus, Ordinis Prædicatorum Archiepiſcopus Nazian. poſtea Epiſcopus Litteran.

Petrus Guerrero, Hiſpanus, Archiepiſcopus Granatenſis.

Antonius Altovitus, Florentinus, Archiepiſcopus Florentinus.

Cæſar Cibo, Genuenſis, Archiepiſcopus Taurinenſis. Obiit Tridenti die 26. Decemb. 1562.

Archiepiſcopi Pauli III.

Ferdinandus Annius, Neapolitanus, Archiepiſcop. Amalphitanus, poſtea Epiſcopus Bovin.

Petrus Landus, Venetus, Archiepiſcopus Cretenſis.

Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, Archiepiſcopus Hydruntinus.

Marcus Cornelius, Venetus, electus Archiepiſcopus Spalatrenſis.

Sebaſtianus Leccavella, Græcus, Ord. Præd. Archiepiſcop. Nazianz. poſtea Epiſc. Litteran.

Petrus Guerrero, Hiſpanus, Archiepiſcopus Granatenſis.

Antonius Altovitus, Florentinus, Archiepiſcopus Florentinus.

Cæſar Cibo, Genuenſis, Archiepiſcopus Taurinenſis. Obiit Tridenti, die 26. Decemb. 1562.

Archiepiſcopi Julij III.

Paulus Æmilius Verallus, Romanus, Archiepiſcopus Roſſanenſis, poſtea Epiſcopus Caputaquenſis.

Joannes Brunus de Olchinio, Macedo, Regni Serviæ Primas, Archiepiſcopus Antibarenſis.

Joannes Baptiſta Caſtaneus, Romanus, Archiepiſcopus Roſſanenſis, poſtea Pontif. Maxim. dictus Vrbanus III.

Joannes Baptiſta Vrſinus, Romanus, Archiepiſcopus ſanctæ Severinæ.

Archiepiſcopi Pauli IV.

Ludovicus Beccatellus, Bononienſis Archiepiſcopus Raguſin.

Mutius Calvinus, Brixienſis, Archiepiſc. Iadren.

Sigiſmundus Sarracenus, Neapolitanus, Archiepiſcopus Matoran.

Antonius Parrages de Caſtilleio, Hiſpanus, Archiepiſcopus Calaritan.

Julius Paveſius, Brixienſis, Ord. Præd. Archiepiſcopus Surrentinus.

Bartholomæus de Martyribus, Luſitanus, Ordinis Præd. Archiepiſcopus Bracharenſis.

Auguſtinus Salvago, Genuenſis, Ord. Præd. Archiepiſcopus Genuen.

Archiepiſcopi Pij IV.

Philippus Mocenicus, Venetus, Regni Cypri Primas, & Legatus natus, Archiepiſcopus Nicoſienſis.

Guilielmus Davanſon, Gallus, Archiepiſcopus Ebredunen.

Antonius Caucus, Venetus, Archiepiſcopus Coccyrenſis.

Germanicus Bandinus, Senenſis, electus Archiepiſcopus Senarum.

Marcus Antonius Columna, Romanus, Archiepiſcopus Tarentinus, poſtea Cardinalis.

Gaſpar de Foſſo Conſentinus, Calaber, Ordinis ſancti Franciſci de Paula, Archiepiſcopus Rhegi-
B nus.

Antonius de Muglitio Moravus, Orator Cæſareus Archiepiſcopus Pragenſis.

Maximus de Maximis, Romanus, Archiepiſcopus Amalphitanus.

Gaſpar Cervantes de Gaëta, Hiſpanus, Archiepiſc. Meſſanenſis.

Leonardus Marinus, Genuenſis, Ord. Præd. Archiepiſcopus Lancianenſis.

Octavianus Præconius, Meſſanenſis, Ordin. Minor. Conventualium S. Franciſci, Archiepiſcopus Panormitanus.

Nicolaus de Pelve, Gallus, Archiepiſcopus Senonenſis, poſtea Cardinalis.

Ant. Iuſtinianus Chienſis, Græcus, Ord. Præd. Ar-
C chiepiſcopus Naxienſis.

Ant. Pureus, Nicienſis, Archiepiſc. Barenſis.

Epiſcopi Leonis X.

Vincentius Nicoſantius de Fano, Epiſcop. Arben.

Joannes Franciſcus de Fliſco, Genuenſis, Epiſcopus Andrien.

Ioan. Thomas de ſancto Felicio, Neapolitanus, Epiſcopus Caven. ſenior.

Epiſcopi Adriani VI.

Quinctus de Ruſticis, Romanus, Epiſcop. Melitenſis.

Epiſcopi Clementis VII.

D

Lucas Bayzantius de Catharo, Epiſcopus Cathacenſis.

Aloyſius Piſanus, Venetus, Epiſcopus Patavinus, poſtea Cardinalis.

Alexander Piccolhomineus, Senenſis, Epiſcopus Bientinus.

Dionyſius Græcus, Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, Epiſcopus Milipotamenſis ſenior.

Gabriel le Veneur, Gallus, Epiſcopus Ebroicenſis.

Guilielmus de Montbas, Gallus, Epiſcopus Lectorenſis.

Epiſcopi Iulij III.

E

Antonius à Camera, Sabaudus, Epiſcopus Belicenſis.

Nicolaus Maria, Carracciolus, Neapolitanus, Epiſcopus Catanienſis.

Bernardus Bon-Ioannes, Romanus, Epiſcopus Camerinenſis.

Fabius Mirtus, Neapolitanus, Epiſcopus Cajacenſis.

Scipio Bongallus, Romanus, Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ.

Georgius Cornelius, Venetus, Epiſcopus Tarviſinus.

A Vincentius Durantius, Brixienſis, Epiſcopus Thermularum.

Mauritius de Petra, Papienſis, Epiſcopus Viglevenſis.

Mauritius de Martiis, Medices, Florentinus, Epiſc. Marſicenſis.

Ioannes Vincentius Michaëlius, Barolitanus, Epiſc. Minerbinenſis.

Gabriël de Boucery, Gallus, Epiſcopus Andegavenſis.

Leonardus Haller, Germanus, Epiſcop. Philadelphienſis.

Ludovicus Vannius de Theodolis, Forolivienſis, Epiſcop. Britonorien. Obiit Tridenti, die 31. menſis Januarij 1563.

Ægidius Falcetta, Cingulanus, Epiſc. Caprulanus, poſtea Britonorienſis.

Iulius Contarenus, Venetus, Epiſc. civitatis Belunenſis.

Thomas Caſſellus, Roſſanenſis, Ord. Præd. Epiſc. Caven. junior.

Hippolytus Arivabenus, Mantuanus, Epiſcopus Hierapetrenſis.

Hieronymus Macchabæus, Romanus, Epiſcopus Caſtrenenſis.

Petrus Auguſtinus, Hiſpanus, Epiſc. Oſcen. & Iacenſis.

Jacobus Naclantus, Florentinus, Ord. Præd. Epiſc. Clodienſis.

Bartholomæus Sirigo, Cretenſis, Græcus, Epiſc. Caſtellatenſis.

Thomas Thella, Venetus, Ord. Præd. Epiſcopus Iuſtinopolitanus.

Petrus du Val, Gallus, Epiſc. Sagienſis.

Ioannes Antonius Pantuſa, Conſentinus, Epiſcopus Litterienſis. Obiit Tridenti, die 17. Octobris 1562.

Ioannes Baptiſta de Groſſis, Mantuanus, Epiſcop. Regienſis.

Ioannes Xuarez, Luſitanus, Ord. S. Aug. Epiſc. Coymbricenſis.

Philippus Riccabella, Recanatenſis, Epiſcop. Recanatenſis.

Ioannes Iacobus Barba, Neapolitanus, Ord. ſancti Auguſt. Epiſc. Interamenſis.

Michaël à Turre, Utinenſis, Epiſcop. Canetenſis, poſtea Cardinalis.

Pompeius Zambeccanus, Bononienſis, Epiſc. Sulmonenſis.

Ioannes Beroaldus, Panormitanus, Epiſcop. ſanctæ Agathæ.

Antonius Scarampus, Aquenſis, Epiſcopus Nolanus.

Antonius de Comitibus, Genuenſis, Ord. Prædic. Epiſcopus Brugnacenſis.

Cæſar Foſſa, Roſſanenſis, Epiſcopus Vmbriaticenſis.

Cæſar Comes à Gambara, Brixienſis, Epiſcopus Torton.

Ioannes Baptiſta de Bernardis, Lucenſis, Epiſcop. Adiacenſis.

Martinus Perezius de Ayala, Hiſpanus, Epiſcopus Segobienſis.

Nicolaus Pſalme, Gallus, Epiſc. Verdunenſis.

Alphonſus Roſettus, Ferrarienſis, Epiſcop. Comaclenſis, poſtea Ferrarienſis.

Iulius Pariſianus de Tolentino, Epiſc. Ariminenſis.

Bartholomæus Sebaſtianus, Hiſpanus, Epiſcopus Pactenſ.

Franciſcus Lambertus, Sabaudus, Epiſc. Nicienſis.

Maximilianus Doria, Genuenſis, Epiſc. Naulenſis.

Euſtachius du Bellay, Gallus, Epiſcop. Pariſienſis.

Bartholomæus de Gepranica, Romanus, Epiſcop. Carinenſis.

Ennius Maſſarius de Nania, Epiſcop. Ferentanus,

Achilles Brancia, Neapolitanus, Epiſc. Bouenſis.
Ioannes Franciſcus Verdura, Mallanenſis Epiſcop. Chironenſis.
Albertus Duimius de Gliricis, Chataresis, Ordin. Præd. Epiſc. Veglenſis.
Ioannes Antolinez de Bricianos, de la Ribera, Hiſpanus, Epiſcopus Iuvenacenſis.
Triſtanus de Bizet, Gallus, Epiſc. Xantonenſis.

Epiſcopi Iulii III.

Aſcanius Ghetardinus de Amelia, Epiſc. Catacenſis.
Marcus Gonzaga, Mantuanus, Epiſc. Autiſſiodorenſis.
Baldouinus de Baldouinis, Piſanus, Epiſc. Aversanen.
Petrus Franciſcus Palavicinus, Genuenſis, Epiſcop. Alerienſis.
Ægidius Puſcararius, Bononienſis, Ord. Præd. Epiſc. Mutinenſis.
Timotheus Iuſtinianus de Chio, Græcus, Ordin. Præd. Epiſc. Calamonenſis.
Didacus de Almanſa, Hiſpanus, Epiſc. Caurienſis.
Lactantius Rouerella, Ferrarienſis, Epiſ. Aſculanus.
Amaroſius Monticula, Lunenſis, Sarzanenſis, Ep. Segnin.
Sebaſtianus Gualterius, Vrbevetanus, Epiſcopus Viterbienſis.
Honoratius Faſcitellus, Neapolitanus, Monachus Ordin. S. Benedicti, Epiſc. Inſulanus. Obiit Romæ menſe Martii 1564.
Petrus Camaianus, Aretinus, Epiſcop Fæſulanum.
Horatius Græcus, Troianenſis, Appulus, Epiſcop. Leſin.
Fabius Cupallata, Placentinus, Epiſcopus Lachedonenſis.
Gaſpar de Caſal, Luſitanus, Ordin. S. Auguſtini, Epiſc. Lebrienſis.
Bernardinus de Cuppis, Romanus, Epiſc. Auximan.
Ioannes de Morvillier, Gallus, Epiſ. Aurelianenſis.
Iulius Gentilius, Tortonenſis, Epiſc. Vrturarienſis.
Adrianus Fuſconius, Romanus, Epiſcop. Aquinas.
Antonius de S. Michaële, Hiſpanus, Ordin. ſancti Franciſci de Obſervantia, Epiſc. Montis-Mariani.
Hieronymus Melchiorius, Recanatenſis, Epiſcopus Maceratenſis.
Petrus de Petris de Monte, Aretinus, Epiſcopus Lucerin.
Cæſar Iacomellus, Romanus, Epiſc. Bellicaſtenſis.
Iulius Grittus, Venetus, Epiſc. Parentinus.
Iacobus Sylverius Piccolhomineus, de Celano, Epiſc. Aprutin.
Ludovicus de Brezé, Gallus Epiſc. Meldenſis.
Iacobus Mignanellus, Senenſis, Epiſ. Groſſetanus.
Ioannes Andreas Crucius, de Tiburte, Ep. Tiburtin.
Franciſcus Richardotus, Burgundus, Epiſcopus Atrebatenſis.
Carolus Cicada, Genuenſis, Epiſcopus Albinganenſis.
Franciſcus Maria Piccolhomineus, Senenſis, Epiſc. Ilcinenſis.
Aciſculus Moys de Contreras Hiſpanus, Epiſcop. Ilicen.
Galeatius Roſcius de Interamna, Epiſc. Aſſiſienſis. Obiit Tridenti, die 16. Octob. 1563.
Iacobus Maria Sala, Bononienſis, Epiſcopus Vivatienſ.
Gabriel de Monte S. Sabini, Epiſc. Heſin.
Marianus Sabellus, Romanus Epiſcop. Eugubinus.
Agapitus Belhomo, Romanus Epiſc. Caſertanus.
Iulius Cananius, Ferrarienſis, Epiſcop. Hadrienſis, poſtea Cardinalis.
Iulius Gallettus, Piſanus, Epiſc. Meſſanenſ.
Hieronymus Burgenſis, Gallus, Epiſcopus Catalonenſis.

Epiſcopi Pauli IV.

Scipio Æſtenſis, Ferrarienſis, Epiſ. Caſalenſis.
Didacus Sarmiento de Sotomajor, Hiſpanus, Epiſ. Aſtoricenſis.
Thomas Goduellus, Anglus, Epiſc. Aſſaphenſis.
Fauſtus Caffarellus, Romanus, Epiſ. Fundanus.
Beliſarius Balduinus, Neapolitanus, Epiſcopus Larinenſ.
Vrbanus Vigerius de Ruere, Genuenſis, Epiſcopus Senogallienſis.
Jacobus Suretus, Græcus, Epiſcopus Milopotamen. junior.
Joannes Baptiſta Oſius, Romanus, Epiſ. Reatinus. Obiit die 12. Novemb. 1562.
Marcus Laureus, Tropienſis, Ord. Præd. Epiſc. Campanienſis.
Franciſcus de Bauquere, Gallus, Epiſc. Metenſis.
Ioannes Franciſcus Commendonus, Venetus, Epiſc. Zacinthen.
Carolus de Graſſis, Bononienſ. Epiſc. Montis Faliſci, poſtea Cardinalis.
Arrias Gallego, Hiſpanus, Epiſ. Gerunden.
Hieronymus Gallego, Hiſpanus, Epiſ. Oueten.
Hercules Ratzinger, Germanus, Epiſcop. Laventin.
Iulius de Rubeis, Polian. Epiſc. S. Leonis. Obiit Romæ menſe Martio 1564.
Ioannes de Munatones, Hiſpanus, Epiſc. S. Auguſt. Epiſc. Segorbicen.
Franciſcus Blanco Hiſpanus, Epiſ. Aurien.
Vincentius de Luchis, Bononienſis, Epiſcopus Anconitan.
Pompeius Piccolhomineus, de Aragonia, Epiſcopus Tropien.
Petrus Barbaricus, Venetus, Epiſc. Curzolen.
Franciſcus Bachodius, Sabaudus, Epiſc. Gebenenſis.
Carolus de Angennes, Gallus, Epiſ. Cenomanenſ. poſtea Cardinalis.
Hieronymus de Nichiſola, Veronenſis, Ord. Præd. Epiſc. Theanen.
Marcus Antón. Bobba, Caſalenſis, Epiſcop. Aug. poſtea Cardinalis.
Iacobus Lomellinus, Meſſanenſis Epiſc. Mazarien.
Donatus de Laurent. de Aſculo Apulus, Ep. Arian.
Petrus Contarenus, Venetus, Epiſc. Papien.
Petrus Daneſius, Gallus, Epiſ. Vauren.
Hieronymus Savorgnanus, Forojulienſis Epiſcop. Sibinicenſis.
Philippus du Bec, Gallus, Epiſ. Veneten.
Carolus de Rovey, Gallus, Epiſc. Sueſſionenſis.
Georgius Draſcovitius, Croacus, Epiſc. Quinque Eccleſ. poſtea Archiepiſcop. Colocenſ. & Cardinalis.
Franciſcus de Aguirre, Hiſpanus, Epiſcopus Calaguritanus.
Andreas de Cueſta, Hiſpanus, Epiſc. Legionenſ.
Antonius Garrionero, Hiſpanus, Epiſc. Almerien.
Antonius Auguſtinus, Hiſpanus Epiſc. Alerden. poſtea Archiep. Tarraconenſis.
Angelus Maſſarellus, Septemdenenſis, Epiſcopus Theleſinus.
Antonius Ciurlia, Barenſis, Epiſ. Buduenſis.
Dominicus Caſablanca, Meſſanenſis, Ord. Præd. Epiſcop. Vicenſis.
Petrus Faunus, Coſtacciarius, Epiſc. Aquenſ.
Ioannes Carolus Bonius, Bononienſis, Epiſcopus Oſtunen. poſtea Archiepiſ. Brunduſinus.
Hugo Boncompagnus, Bononienſis, Epiſc. Veſtan. poſtea Pont. Max. Greg. XIII.
Salvator Pacinus de Colle, Epiſc. Cluſinus.
Lupus Martinez, Hiſpanus, Epiſc. Elnen.
Carolus de Epinay, Gallus, Epiſc. Dolen.
Ægidius Spifame, Gallus, Epiſc. Nivern.
Anton. Sebaſt. Minturn. de Traject. Epiſ. Uxentin.

Bernardus del Bene, Florentinus, Epiſcopus Nemanſen.

Dominicus Bollan. Venetus, Epiſc. Brixien.

Ioannes Antonius Vlpius, Comenſis, Ep. Comen.

Ludovicus de Ginolhac, Gallus, Epiſc. Tutellen.

Philippus Maria Campegius, Bononienſis, Epiſc. Feltren.

Joannes de Quignones, Hiſpanus, Epiſcopus Calagurritan.

Didacus Covarruvias de Leyna, Hiſpanus Epiſc. Civitaten.

Philippus Gerius, Piſtorienſis, Epiſc. Iſclanen. poſteà Aſſiſien.

Joannes Antonius Fachinettus Bononienſis, Epiſc. Neocaſtren. poſteà Pont. Max. dictus Innoc. IX.

Epiſcopi Pii IV.

Hippolytus Capilupus, Mantuan. Epiſc. Fanen.

Joannes Fabricius Severinus, Neapol. Ep. Aceren.

Martinus Rithoviuc. Flander. Epiſc. Ipren.

Antonius Havetius, Flander, Ord. Prædicat. Epiſc. Namureen.

Conſtantinus Bonellus, Ferrarien. Epiſc. civitatis Caſtelli.

Iulius Superchius, Mantuanus, Ordin. Carmelit. Epiſc. Accien. poſteà Caprulan.

Matthæus de Concinis, Florentinus Ep. Cortonen.

Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis, Epiſc. Cremonen. poſteà Pontif. Max. dictus Gregorius XIV.

Ventura Buffalinus, Tiphernas, Epiſcop. Maſſanen.

Ludovicus de Buel, Gallus, Epiſc. Vencien.

Hieronymus Galleratus, Mediolenſis, Epiſc. Sutrin.

Ioannes Petrus Delphinus, Venetus, Ord. Canonicorum Regularium, Epiſc. Zacinthi, & Cephaloniæ ſecundus.

Ioannes Andreas Bellonius, Meſſanenſis, Ep. Maſſalubren.

Georgius Zifchovid, Hungarus, Ord. Min. S. Franciſci de Obſerv. Epiſc. Signien.

Federicus Cornelius, Venetus, Epiſc. Bergomen. poſteà Patavin. & Cardinalis.

Stephanus Bouther, Gallus, Epiſcopus Anglonen.

Ioannes Paulus Amanius, Cremenſ. Epiſc. Anglon.

Alexander Sforcia de S. Flora, Epiſc. Parmen. poſteà Cardinalis.

Antonius le Cirier, Epiſc. Abrincen.

Andreas Mozenicus, Venetus Epiſc. Nimoſien.

Benedictus Salvinus, Firmanus, Epiſcop. Verulan.

Guilielmus Caſſador, Hiſpanus, Epiſc. Barchinen.

Petrus Gonzalez de Mendoza, Hiſpanus, Epiſcop. Salmarin.

Martinus de Corduba de Mendoza, Hiſpanus, Ord. Præd. Epiſc. Destuſen.

Iulius Magnan. Placentinus, Ord. Min. Convent. S. Franciſci, Epiſc. Calven.

Valentinus Herburus, Polonus, Epiſc. Premiſlien. Orator Regis Poloniæ.

Simon Aleotus, Forojulienſis, electus Epiſcopus Forojulien. Mortuus eſt Tridenti die 20. Aug. 1562.

Petrus de Xaquo, Hiſpanus, Ord. Prædicat. Epiſc. Niochen.

Proſper Rebiba, Maſſanenſis, Epiſc. Trojanus, poſteà Patriarcha Conſtantinop.

Melchior à Voſmediano, Hiſpanus, Ep. Guadixen.

Hippolytus de Rubeis, Parmenſis, Epiſc. Papien. poſteà Cardinalis.

Didacus de Leon, Hiſpanus, Ord. Carmelitarum Epiſc. Columbrien.

Annibal Saracen. Neapolitanus, Epiſc. Licien.

Paulus Iovius. Comenſis, electus Epiſc. Nucerinus.

Hieronymus Triviſan. Venetus, Ordin. Prædicatorum, Epiſc. Veronen. Mortuus eſt Tridenti die 9. Septemb. 1562.

Hieronymus Ragazon. Venetus, Epiſc. Famagu-

A ſtan. poſteà Bergomenſis.

Romulus de Valentibus, de Trebia, Epiſc. Converſan.

Lucius Maranus, Vnuſin. Epiſc. Lavellen.

Simon de Nigris, Genuenſis, Epiſc. Sarnen.

Theophilus Gallupus, Tropien. Epiſc. Oppiden.

Iulius Simoneta, Mediolanenſis, Epiſc. Piſaurien.

Petrus de Allebret, Gallus, Epiſc. Convenarum.

Iacobus Guidius, Volaterran. Ep. Penen. & Adrien.

Didacus Ramirez, Hiſp. Epiſc. Pampilonen.

Franciſcus Delgado, Hiſpanus, Epiſc. Luten.

Ioannes Clauſſe, Gallus, Epiſc. Senecen.

Iacobus Gibertus de Negueras, Hiſp. Ep. Aliphan.

Ioannes Annius Neapolitanus, Epiſc. Hipponen. & Coadjutor Bovin.

B Antonius Maria de Salviatis, Romanus, Epiſc. S. Pauli, poſteà Cardinalis.

Matthæus de Priulis, Epiſcop. Æthonien poſteà Vincentin.

Thomas Lilius, Bononienſis, Epiſc. Sozan.

Hieronymus Guerrin. Ferretranus, Epiſc. Imolen.

Thomas Oyerllaithe, Hybernus, Epiſc. Coſſen.

Franciſcus Valete, Gallus, Epiſc. Vabren.

Fabius Pignatellus, Neapolitanus, Epiſc. Monopolitan.

Carolus de Vicecomitibus, Mediolan. Epiſc. Ventimillien poſtea Cardinalis.

Ioannes Coloſvarin Hungarus, Ordin. Prædican. Epiſcopus Canadien. Obiit Tridenti die 24. Novemb. 1562.

C Andreas Duditius Sbardellatus, Hungarus, Epiſc. Tininien. poſteà Quinque Eccleſien.

Spinellus Benctus, Politianus Epiſc. Montis Politiani.

Franciſcus Abundius, Caſtilloneus, Epiſc. Bobien. poſteà Cardinalis.

Staniſlaus Faleſchi, Polonus, Epiſc. Theodoſien.

Eugenius Ohairt, Hibernus, Ord. Prædic. Epiſc. Achaden.

Donatus Magongial, Hibernus, Epiſc. Rapoten.

Guido Ferrerius, Pedemontanus, Epiſc. Vercellen. poſteà Cardinalis.

Ioannes Baptiſta Sighicellius, Bononienſis, Epiſcopus Faventin.

D Sebaſtianus Vantius, de Arimino, Epiſc. Vibevetan.

Ioannes Bapt. Lomellin. Meſſanenſis, Ep. Gardien.

Ioan. Baptiſta Milaneſius, Florent. Epiſc. Marſican.

Auguſtin. Molignarus, Vercellenſis, Ep. Trivican.

Carolus Grimaldus, Genuenſis, Epiſc. Savonen.

Fabricius Landrian. Mediolanenſis, Epiſc. S. Marci.

Bartholomæus Ferratin. Amerinus, Epiſc. Amerin.

Petrus Fragus, Hiſpan. Ep Vſellen. poſteà Algaren.

Hieronym. de Gaddis, Florentin. Epiſc. Cortonen.

Franciſcus Contarenus, Venetus, Epiſc. Paphen.

Ioannes Delphin. Venetus, Epiſc. Torcellan.

Alexander Molus, Commenſis, Epiſc. Minor.

Hieronymus Vielmus, Venetus, Ord. Prædic. Epiſc. Argolicen.

Franciſcus Raguſeus, Ordin. S. Franciſci de Obſervan. Epiſc. Marchanen.

Abbates.

E Ludovicus de Baiſſey, Abbas Ciſtercienſis & Gen.

Hieronymus de Sonchier, Gallus. Abb. Clarævallen. poſteà Cardinalis.

Simplician. Abb. S. Salvatoris Papiæ, Vultolina, Congreg. Caſinen.

Stephanus Carantius Novarienſis, Abb. S. Mariæ Gratiarum, Placentin. Diœceſ. Congreg. Caſinenſ.

Auguſtin. Loſcus. Hiſpanus, Abb. S. Benedicti de Ferraria, Congreg. Caſinen.

Eurychius Cordes, Antuerpienſis, Abb. S. Fortunati apud Baſſianum, Congreg. Caſinenſis.

Claudius Sainctes, Gallus, Abb. Lunevillan.

Cosmas Damianus, Hortulan. Hispanus, Abb. A Villabertrandi.

Generales.

Vincentius Iustinian. Genensis, Gener. Ordin. Prædic. postea Cardinalis.

Franciscus Zamora, Hispan. Gener. Ord. Minor. de Observantia.

Antonius de Sapientibus, Augustanus, Gen. Ord. Minorum Conventualium.

Christophorus Paravin. Gener. Ordin. Eremit. S. Augustini.

Io. Baptista Migliavacca, Astensis, Gener. Ordin. S. Mariæ Servorum.

Stephanus Fazinus, Cremonensis, Provincialis B Lombardiæ, pro Generali Carmelitarum.

Iacobus Lainez, Hispanus, Præpositus Gen. al. Societatis Iesu.

Thomas..... Civitatis de Castello, Gener. Capucinorum.

Doctores legum pro S. Concilio.

Gabriel Palæotus, Bononiensis, Auditor Rotæ, postea Episc. Bonon. & Cardinalis.

Scipio Lancelottus, Romanus, Advocatus consistorialis postea Cardinalis.

Io. Baptista Castellius Bononiensis, Promotor, postea Episc. Ariminensis.

Michael Thomasius, Majoricensis, Doctor Decretorum, postea Episc. Illerden. C

Theologi à summo Pontifice missi.

Fr. Petrus de Soto, Hispanus, Ord. Præd. Obiit Tridenti mense Aprilis 1563.

Alphons. Salmeron. Hispan. Societ. Iesu.

Franciscus Torrensis, Hispanus, Doctor Theolog. postea Societatis Iesu.

Anton. Solisius, Hispanus, Doctor Theolog.

Fr. Camillus Campegius, Papiensis, Ord. Præd. Inquisitor Ferrariæ.

Fr. Hieronymus Bravo, Hispanus, Ord. Præd.

Fr. Adrian. Valentin. Venetus, Ord. Præd. in demortui F. Petri de Soto locum.

Doctores Theologiæ Facultatis Parisiensis, missi à Carolo IX. Galliarum Rege Christianissimo. D

Nicolaus Maillard, Decanus Facultatis Parisien.

Ioan. Peletier.

Ant. Damochares Rossonæus.

Nicolaus de Bris.

Iacobus Hugonis Franciscan. Idem etiam Procurator Reverendiss. Ioann. Vrsini Episcopi Trecorens.

Simon Vigor.

Richardus du Pré.

Natalis Paillet, Obiit Trid. 7. Kal. Decemb. 1562.

Robertus Fournier.

Antonius Coquier.

Lazarus Broychot.

Claudius de Sanctis, Canon. Regularis.

Theologi missi à Philippo Rege Catholico.

Cosmas Damian. Hortulan. Abbas Villabertrandi.

Ferdinandus Tritius, Doctor Theolog. Canon. Taurien.

Ferdinandus Vellosillus, Doctor Theol. Canon. Seguntin.

Thomas Dassio I. V. D. Canonicus Valentin.

Licentiat. Anton. Covarruvias, Audit. Granaten.

Ferdinandus Mincacen. Decretorum Doct.

F. Ioan. Ramirez, Hispanus, Minister Provinciæ S. Iacobi.

Fr. Alfonsus Contreras, Commiss. Ordinis in Curia Regis Hispaniæ.

Fr. Michael de Medina, Hispanus, Ord. Min. sacræ Theologiæ Doctor.

Fr. Ioan. Lobera, Hispanus, sacræ Theologiæ Lector Salmanticæ, Socius Ministri Provincialis S. Iacobi.

Cosmus Palma Fonreyus, Hispanus, sacræ Theologiæ Doctor, Socius Hortulani Abb.

Fr. Ioan. Gallo, Hispanus, Ord. Præd.

Fr. Petrus Fernandez, Hispanus, Ordin. Præd. in societate Magistri Gallo.

Fr. Desiderius de S. Martino, Pharmitanus, Ord. Carmelitani.

Michael Bayus ab Atho, sacræ Theologiæ Doctor.

Io. Hessels à Lovanio, sacræ Theol. Doctor.

Cornelius Ianseníus, Hulstensis, sacræ Theologiæ Doctor, post Episc. Gandavensis.

Theologi missi à Rege Portugalliæ.

Fr. Franc. Forerius, Ord. Præd.

D. Iacobus à Payua de Andrade, Lusitanus, Doctor Theol.

D. Melchior Cornelius, Decretorum Doctor, Senator Regis Portugalliæ.

Ab Excellentissimo Duce Bavariæ.

Ioan. Cavillonius, Flander, è Societate Iesu.

Procuratores Episcoporum absentium.

Marchantius Doctor Theologus, pro Illustriss. Card. de Mendoza, Episc. Burgen.

Ioan. Cothardus, Cler. sæcularis, Germanus, pro Reverendiss. Ratisbonensi.

Georgius Hochenuater, Cler. sæcul. Doctor Theologus, Suffraganeus pro Reuerendiss. Episc. Basileensi

Frater Felicianus Ningarda à Morbinio. Ordin. Præd. pro Illustrissimo Domino Salisburgensi Orator.

Petrus Cumel, Doctor Theol. Canonicus Malacitanus, pro Reverend. Malacitano.

Ioan. Delgadus, Doctor Theolog. Canonicus Tudensis, pro Reverendiss. D. Ioanne de S. Æmiliano, Episcopo Tudensi.

Gaspar Cardillus, Villalpandeus, Segob. Doctor Theol. pro Reverend. Episc. Abulen.

Frater Io. de Ludenna, Doctor. Theolog. Ordin. Prædic. pro Reverendiss. Episcopo Seguntin.

Frater Franc. Orantes, Lector Vallisoleti, Ord. Minorum, pro Reverend. Episcopo. Palentino.

Cæsar Ferrantius, Suessan. Doctor Theol. pro Reverendiss. Episc. Suessano, apud Reverendiss. dominum Herdensem.

Procuratores Ordinum.

Ioannes Contingnon Doctor, Gallus, Prior & Procurator Ord. Cluniac. E

Nicolaus Boucherat, Gallus, Prior Monast. de Recluso, Procurator Gener. Ordin. Cistercien sis.

Theologi sæculares, & Doctores Iuris Canonici.

Georgius Girard, Gallus, Doctor Theol. cum Reverend. Andegavensi.

Gentian. Hervetus, Gallus, cum Illustriss. Cardinali à Lotharingia.

Franc. Sancius, Decan. Facultatis Theologiæ, & Canonicus Salmanticens. cum Reverendiss. Salmanticensi.

Matthæus Guerra, Consentin. Calaber, Presbyter,

ſæcularis, cum Reverendiſſ. Epiſcopo S. Marci.
Federicus Pendaſius, cum Illuſtriſſ. Cardinali de Mantua, Legato ſacri Concilij.
Ioannes Franciſcus Lombardus, cum Illuſtriſſ. Cardinali Seripando, Legato ſacri Concilij.
Petrus Mercatus, Theolog. cum Reverend. Vicenſi.
Trigillus, Doctor Theol. Canonicus Legionenſ. cum Reverend. Legionen.
Sobannus, Doctor Theolog. cum Reverendiſſ. Legionen.
Antonius Leitonius, Doctor Theolog. cum Reverendiſſ. Coymbricenſi.
Petrus Fontidonius, Doctor Theol. cum Reverendiſſ. Salmantino.
Ioannes Villeta, Doctor Theolog. cum Reverend. Barchionenſi.
Ioannes Fonſeca, Doctor Theol. cum Reverendiſſ. Archiepiſcopo Granatenſi.
Michaël Oroncuſpe, Doctor Theol. cum Reverendiſſ. Epiſc. Pampilonenſi.
Alfonſ Fernandez de la Guerra, Hiſpanus, Doctor Theol. cum Reverend. Guadixienſi.
Michaël Ytero, I. V. D. cum Reverend. Epiſcop. Pampilonenſi.
Ioſephus Puebla, Doctor Theolog. cum Reverendiſſ. Epiſc. Civitatenſi.
Ioannes Chiacon. Doctor Iuris Canonici, cum Reverend. Epiſcopo Almerienſi.
Antonius Garçias, Doctor Theol. cum Reverend. Epiſc. Ovetenſi.
Benedictus Arias Montanus, Ordin. S. Iacobi, Doctor, cum Reverend. Epiſc. Segobienſi.
Ioannes Barcellona, Theol. cum Reverend. Epiſc. Vſellenſi.

Doctores Galli Ordinis S. Benedicti.

Ioannes Carthougne, Doctor Theol.
Ioannes de Verdun, Doctor Theol.

Theologi Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Angelus Cioſius, Florentinus, cum Illuſtriſſ. Card. Mantuano Legato ſacri Concilij.
Seraphinus de Caballis, Brixienſis, Provincialis Terræ ſanctæ, cum Reverend. ſuo Generali.
Eliſæus Capys, Venetus, Theol. cum Reverend. Archiepiſcopo Pragenſi.
Petrus Aridienſis Gallus, cum Reverend. D. Cenomanenſi.
Bernardus Bernardi, Gallus, inquiſitor Avenionenſis, Vicarius Congreg. Franciæ, cum Reverend. D. Nemauſenſi.
Ioannes Matthæus Valdina, cum Reverend. D. Tarentino.
Petrus Martyr Coma, Hiſpanus, cum Reverend. Gerundenſi.
Petrus Satorres, Hiſpanus, cum Reverendiſſ. D. Dertuſenſi.
Antonius de Groſupco, cum Reverendiſſ. D. Viglevanenſi.
Aurelius de Chio cum Reverendiſſ. D. Spalatenſi.
Adrianus Valentin. Venetus, cum Reverendiſſ. D. Nicoſienſi.
Marcus Medices, Veronenſis, cum Reverend. D. Cenetenſi.
Benedictus Herba, Mantuanus, cum Reverendiſſ. D. Brixienſi.
Michaël de Aſt, Genuenſis, Prior S. Laurentij.
Conſtantinus Coccianus, Iſorella, cum Reverend. D. Montis Politiani.
Henricus de S. Hieronymo, cum Reverend. D. Bracharenſi.
Ludovicus de Sotomaior, cum Revet. D. Gerundenſi.
Baptiſta de Lugo, cum Reverendiſſ. D. Veronenſi.
Hieronymus Barolus, Papienſis.

Theologi Ordinis Minorum B. Franciſci de Obſervantia.

Aloyſius de Burgo novo, Italus, ſacræ Theol. Lector Bononiæ, poſteà Ord. Gener.
Thomas Sogliano, Italus, Provinciæ Bononiæ Miniſter.
Antonius de Padua, Luſitanus, Ordin. Secretarius.
Bonifacius Raguſæus, Apoſtolicus Prædicator. Terræ ſanctæ Gubernator, poſteà Epiſ. de Stragno in Dalmatia.
Angelus de Perziolo, Italus, Lector ſacræ Theol. Perugiæ.
Angelus Iuſtinianus, Italus, Lector ſacræ Theol. Genuæ.
Vincentius de Meſſina, Italus, ſacræ Theologiæ Lector, Neopoli.
Iulius Pallavicinus Vrceanus, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Bergomi.
Iacobus Alani, Gallus, Theologus, cum Rever. Epiſcopo Veneten.

Theologi Ordinis FF. Minorum Conventualium.

Marcus Antonius Gambaronus à Lugho, Socius Religionis.
Bartholomæus Goſphel de Pergula.
Ioannes Tertius, Bergomenſis, Lector Theologiæ in Gymnaſio Papienſi.
Clemens Thomaſinus de Florentia, Regens in Conventu S. Crucis Florentiæ.
Auguſtinus Balbus à Lugho.
Ioannes Baptiſta Ghiſulphus, Ordinis Scriba.
Antonius de Grignano, Regens ſancti Antonij de Patavio.
Lucius Anguſiola, Placentinus, Regens S. Franciſci Bononiæ.
Maximianus Benianus, Cremon. Orator pro Religione, & Inquiſitor Paduæ.
Octavianus Charus de Neapoli, Regens ſancti Laurentij de Neapoli.
Antonius Poſius de Monte Ilcino, Regens in Conventu XII. Apoſtolorum Romæ.
Bonavent. Meldulen. Regens in Conventu Parmæ.
Martialis Peregrinus, Calaber, Regens in Conventu Ferrariæ.
Antonius à Cubalo, Feltrenſis.
Andreas Schynopius de Amandula, cum Rever. D. Cathanzario.
Balthaſar Criſpus, Neapolitanus, cum Reverend. D. Tropienſi.

Theologi Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

Thadæus Perugin. cum Reverend. D. Salviato.
Ioannes Paulus, Recanaten. cum Rever. D. Quinque eccleſien. Oratore.
Simon Florentin. cum Illuſtriſſimo Card. Seripando, Legato.
Cherubinus Lavoſius de Caſſia, cum Reverendiſſ. D. Vercellenſi.
Gabriël Verratellus, Anconicanus.
Ambroſius Veronenſis, Prior Conventus S. Marci in vrbe Tridentina.
Ioannes Baptiſta Burgos, Valentinus, Hiſpan.

Antonius Mondulphenſis, cum Reverendiſſ. D. A Pragenſis Oratore.

Ægidius Volaterranus, cum Reverend. Epiſcopo Tinien.

Eugenius Piſaurenſis, Concilij Prædicator.

Adamantius Florentinus, cum Illuſtriſſimo Cardinali Madrutio.

Aurelius Corinaldenſis, cum D. Oratore Helvetiorum.

Balthaſar Maſſanus, cum Reverend. Epiſcop. Catanien.

Sebaſtianus Fanenſis, Ordinis Scriba.

Chriſtophorus de Sanctotis, Burgenſis, Hiſpanus.

Simon de Brazzolaris, Patavinus.

Angelus Ferrus, Venetus, cum Reverendiſſ. D. de Oſma. B

Petrus Luſinus, cum Reverend. D. Leirien.

Theologi Ordinis Fratrum Carmelitarum.

Ioannes Iacobus Cherecatus, Vicentinus. Provincialis Venetiarum.

Theodorus Maſius, Mantuanus, cum Reverend. D. Cremonenſi.

Sylveſter, Confeſſor Illuſtr. Card. Mantuani.

Lucretius Abſolanus, cum Reverend. D. Patriarcha Venetiarum.

Nicolaus, Gallus, cum R. P. Generali.

Eraldus, Gallus, cum R. P. Generali.

Laurentius Lauretus, Venetus, cum R. Patre Generali. C

Angelus Ambroſianus, Venetus.

Theologi Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ.

Stephanus Bonutius, Aretinus, poſtea Epiſcopus Aretinus, & Cardinalis.

Amatus, pro congregatione Servorum, cum Reverend. D. Sibinicien.

Officiales Sacri Concilii Tridentini.

Epiſcopus Cavenſis, Commiſſarius.

Epiſcopus Theleſinus, Secretarius.

Ludovicus Bondonius, Magiſter cærimoniarum. D

Cantores ſacri Concilii.

Simon Bartolinus, Peruſinus.

Joannes Aloyſius de Epiſc. Neapolitanus.

Bartholomæus Conte, Gallus.

Matthias Albo, de Fulginio.

Franciſcus Buſtamante, Hiſpanus.

Joannes Antonius Latinus, Beneventanus.

Franciſcus Druda, Callienſis.

Lucas Longinquus, Piſonenſis.

Petrus Scorreccius, Aretinus.

Notarii.

E

Marcus Antonius Peregrinus, Comenſis, & Cynthius Pamphilus de S. Severino.

Hieronymus Gambarus, Brixien. Foren.

Antonius Manellus, Depoſitarius.

Curſores Sancti Domini Noſtri & Sacri Concilii.

Nicolaus de Matthæis, &
Jacobus Carra, Allobroges.

CONFIRMATIO CONCILII.

NOs Alexander, ſancti Laurentij in Damaſo Diaconus Cardinalis de Farneſio, S. R. E. Vicecancellarius, fidem facimus & atteſtamur, qualiter hodie, die Mercurij 26. Ianuar. 1564. Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri D. Pij, divina providentia Papæ IV. anno quinto, in Conſiſtorio ſecreto apud S. Petrum, Reverendiſſ. DD. mei, Cardinales Moronus, & Simoneta, nuper reverſi à ſacro Concilio Tridentino, cui uti Sedis Apoſtolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem ſanctiſſ. Domino noſtro, ut infrà.

Beatiſſime Pater. In Decreto ſuper fine Concilij Oecumenici Tridentini, pridie Nonas Decembris præteriti publicato, ſtatutum fuit, ut per Sanctitatis veſtræ & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatos & Præſidentes peteretur nomine dicti Concilij à Sanctitate veſtra confirmatio omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quam ſub Sanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Ludovicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati & præſidentes eramus, volentes exequi quod in dicto Decreto ſtabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilij Oecumenici Tridentini, ut Sanctitas veſtra dignetur confirmare omnia & ſingula, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quam ſub Sanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt.

Quibus auditis, Sanctitas ſua, viſo & lecto tenore dicti Decreti, habitis votis Reverendiſſ. DD. meorum Cardinalium, reſpondit per hæc verba.

Petitioni, nomine Concilij Oecumenici Tridentini ſuper eius confirmatione per dictos Legatos nobis factæ annuentes, omnia & ſingula, quæ in dicto Concilio tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. prædeceſſoribus noſtris, quam Pontificatus noſtri tempore decreta & definita ſunt, auctoritate Apoſtolica, etiam de Venerabilium FF. NN. Cardinalium conſilio & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita confirmamus, atque ab omnibus Chriſti fidelibus recipi, & inviolabiliter obſervari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Raph. A. Card. Farneſius Vicecancell.

BULLA S. P. N. PII,

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

Super confirmatione Oecumenici Generalis Concilij Tridentini.

PIus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis:* 2. Cor. 1. qui reſpicere dignatus Eccleſiam ſuam ſanctam, tot procellis & tempeſtatibus agitatam atque vexatam, & gravius in dies laborantem, apto tandem ei ſubvenit optatoque remedio. Ad plurimas & perniciоſiſſimas hæreſes extirpandas, ad corrigendos mores, & reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam, ad pacem & concordiam Chriſtiani populi procurandam, indictum jampridem in civitate Tridentina Oecumenicum & Generale Concilium à piæ memoriæ Paulo III. prædeceſſore noſtro, & Seſſionibus aliquot habitis cœptum fuerat: ab eius autem ſucceſſore Iulio in eamdem urbem re-

vocatum, poſt alias Seſſiones celebratas, variis impedimentis & difficultatibus objectis, ne tunc quidem peragi potuerat: itaque diutius interuiſſum fuerat non ſine maximo mœrore omnium, cum quotidie magis Eccleſia ejuſmodi remedium imploraret. Nos autem poſt ſuſceptum Sedis Apoſtolicæ regimen tam neceſſarium ac ſalutare opus ſicut Paſtoralis ſollicitudo monebat, divinæ miſericordiæ fiducia perficere aggreſſi, adjuti pio ſtudio chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorum Chriſtianorum Regum, Rerumpublicarum, ac Principum, tandem conſecuti ſumus quod nec diurnis nec nocturnis curis elaborare deſtitimus, quodque *à Patre luminum* aſſidue precati ſumus. Cum enim eam in urbe undique ex Chriſtiani nominis Nationibus convenifſet, noſtris convocata litteris, & ſua etiam ipſorum pietate excitata, Epiſcoporum, & aliorum inſignium Prælatorum maxima, & Oecumenico Concilio digna frequentia; præter plurimos alios pios, & Sacrarum litterarum ſcientia, divinique & humani Juris cognitione præſtantes viros, præſidentibus ipſi Synodo Sedis Apoſtolicæ Legatis, nobis adeo Concilij libertati faventibus, ut etiam de rebus Sedi Apoſtolicæ propriæ reſervatis, liberum ipſi Concilio arbitrium per litteras ad Legatos noſtros ſcriptas, ultro permiſerimus, quæ de Sacramentis, & aliis rebus, quæ quidem neceſſariæ viſæ ſint, tractanda, definienda, & ſtatuenda reſtabant, ad confutandas hæreſes, ad tollendos abuſus, & emendandos mores, à ſacro-ſancta Synodo ſumma libertate diligentiaque tractata, & accurate ac mature admodum definita, explicata, ſtatuta ſunt. Quibus rebus perfectis, & Concilium tanta omnium qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, ut conſenſum eum plane à Domino effectum fuiſſe conſtiterit, idque in noſtris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam ſingulari Dei munere Supplicationes ſtatim in alma hac Urbe indiximus, quæ maximo Cleri & populi pietate celebratæ fuerunt; laudeſque & gratias divinæ Majeſtati merito perſolvendas curavimus: cum eiuſmodi Concilij exitus ſpem magnam & prope certam attulerit, fore ut majores in dies fructus ad Eccleſiam ex ipſius Decretis Conſtitutionibuſque perveniant. Cum autem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reverentia, antiquarum etiam Conciliorum veſtigiis inhærens, Decretorum ſuorum omnium, quæ noſtro & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, Decreto de ea re in publica Seſſione facto; Nos ex Legatorum litteris prius, deinde poſtea ipſum eorum, ex iis quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius Synodi cognita, habita ſuper hac re cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ſanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea Decreta omnia Catholica, & populo Chriſtiano utilia ac ſalutaria eſſe cognoviſſemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu in Conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia & ſingula auctoritate Apoſtolica hodie confirmavimus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda ac ſervanda eſſe decrevimus, ſicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & ſuſcipi obſervarique decernimus. Mandamus autem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis & ſacris Canonibus conſtitutis, aliiſque gravioribus, etiam privationis, arbitrio noſtro infligendis, univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, & aliis quibuſvis Eccleſiarum Prælatis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & dignitatis ſint, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, ut eadem Decreta & ſtatuta in Eccleſiis ſuis, civitatibus & Diœceſibus, in judicio & extra judicium diligenter obſervent, & à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent, inviolabiliter faciant obſervari: contradictores quoſlibet & contumaces per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, etiam in ipſis Decretis contentas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Ipſum vero chariſſimum filium noſtrum Imperatorem electum, cæteroſque Reges, Reſpublicas, ac Principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtamur, ut qua pietate Concilio per Oratores ſuos adfuerunt, eadem pietate, ac pari ſtudio, divini honoris & populorum ſuorum ſalutis causa, proſectis quoque Apoſtolicæ & ſacræ Synodi reverentia, ad eiuſdem Concilij exequenda & obſervanda Decreta Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio & favore ſuo adſint, neque adverſantes ſanæ ac ſalutari Concilij doctrinæ opiniones à populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitus interdicant. Ad vitandam præterea perverſionem & confuſionem, quæ orti poſſet, ſi unicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilij Commentarios & interpretationes ſuas edere, Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus, tam Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint ordinis, conditionis & gradus, quam Laicis, quocumque honore ac poteſtate præditis; Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis vero, quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra, audeat ullos Commentarios, gloſſas annotationes, ſcholia, ullumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilij Decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu majoris Decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore, ſtatuere. Si cui verò in iis aliquid obſcurius dictum & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicam, omnium fidelium magiſtram, cujus auctoritatem etiam ipſa Sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates & controverſias, ſiquæ ex eis Decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipſa quoque ſancta Synodus decrevit, reſervamus; parati, ſicut ea de nobis merito confiſa eſt, omnium Provinciarum neceſſitatibus ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit providere. Decernentes nihilominus irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excuſatione ignorationis uti poſſit, volumus & mandamus, ut hæ literæ per aliquos Curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc, cum in eis populus, ut Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palam & clara voce recitentur, & poſtquam recitatæ fuerint, ad valvas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur, ibique ut legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquamdiu per relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Urbe ad impreſſionem tradantur, quo commodius per Chriſtiani nominis provincias & Regna divulgari poſſint. Tranſumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici Notarij ſcripta ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, fidem ſine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reſervationis, voluntatis, mandatorum & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1563. ſeptimo Kal. Feb. Pontif. noſtri anno 5.

Confirmatio Concilium per Papam.

EGO

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego F. Card. Pisan. Episc. Ostiens. Decan.
Ego Fed. Card. Cæsius, Episc. Portuen.
Ego Io. Card. Moronus, Episc. Tusculan.
Ego A. Card. Farnesius, Vicecanc. Episc. Sabin.
. . . . . .
. . . . . .
Ego R. Card. S. Angeli Major Pœniten.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Ego Io. Card. S. Vitalis.
Ego Iq. Michaël, Card. Saracenus.
. . . . . .
Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.
Ego Scipio, Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reoman.
Ego F. M. G. Card. Alexandrin.
Ego F. Clem. Card. Arœcali.
Ego Iac. Card. Sabellus.
. . . . . .
. . . . . .
Ego B. Card. Salviatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Lugd. Card. Simoneta.
. . . . . .
. . . . . .
Ego F. Card. Pacieccus, y de Tol.
Ego M. A. Card. Amulius.
Ego Io. Franc. Card. de Gambara.
Ego Carol. Card. Borromæus.
Ego M. S. Card. Constantien.
Ego Alfon. Card. Gesualdus.
Ego Hippol. Card. Ferrar.
Ego Franc. Card. Gonzaga.
. . . . . .
Ego Cul. Asc. Diac. Card. Camer.
Ego Vitellotius, Card. Vitellius.

Ant. Florebellus Lanellin.
H. Cumyn.

BVLLA PII PAPÆ IV.

Super Declarationes temporis, ad observanda Decreta sacri Oecumenici & Generalis Concilii Tridentini.

PIus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sicut ad sacrorum Conciliorum Decreta ac Canones, auctoritas atque confirmatio Apostolicæ Sedis & debet & solet accedere, ita si qua super eis exorta sit dubitatio, eiusdem Sedis iudicio & declaratione tollenda est. Ad aures nostras pervenit, multos esse qui dubitent ex quo tempore cœperint Decreta sacri Generalis Concilij Tridentini, ad reformationem & Ius positivum dumtaxat spectantia, eos ad quos pertinent, obligare, illa præsertim, quæ tempora certa præstituunt ad Provinciales Diœcesanasque Synodos celebrandas, ad sacros Ordines suscipiendos, ad Religionem profitendam, ad Parochiales Ecclesias, aliaque Beneficia Ecclesiastica, quæ eiusdem Concilij Decretis retineri prohibitum sit, resignanda, & ad complures res huiusmodi exequendas, ac alias omnes ad prædictam Reformationem iusque positivum tantùm spectantes, quæ observari aut evitari debent. Nos itaque, ut omnis controversia dubitatioque tollatur: Motu proprio eam rem, prout rationi, Iuri & æquitati convenire censuimus, duximus declarandam. Nam etsi ipsius Concilij Decreta, etiam de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & assensu in Consistorio nostro secreto confirmata à nobis fuerunt sub finem mensis Ianuarij, & ab eo etiam tempore apud hanc sanctam Sedem observari cœperunt; quia tamen non parum temporis in eis Romæ diligenter emendateque imprimendis necessario consumptum fuit; & in Iure etiam communi sancitum est, ut Constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & iustum visum est præclara Decreta omnia ad dictam reformationem Iusque positivum dumtaxat spectantia, à Kal. Maij proximè præteriti obligare cœpisse; neque post eam diem excusationem cuiusquam, quod ea ignoraverit, admittendam: atque ita Apostolica auctoritate declaramus ac definimus, & ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus; decernentes irritum & inane, si quid secùs à quoquam quacumque dignitate, auctoritate & potestate prædito contigerit iudicari; Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis aliisque in contrarium facientibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, definitionis, mandati, statuti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dom. 1564. 15. Kal. Augusti, Pont. nostri anno 5.

Fed. Card. Cæsius.

Cæs. Glorierius.
H. Cumyn.

Laus Deo, Beatæque Virgini Matri Mariæ.

CONTROVERSIÆ CONCILII Tridentini ac ipsius Apologia.

Protestantium exceptiones variæ contra Concilium Tridentinum in genere, breviter confutantur.

SECTIO I.

PLurimas adferunt hodie adversarij contra gravissimum illud Concilium exceptiones apud Stapletonum controversia 3. l. 7. c. 9. Displicere aiunt, quòd fuerit ibi Papa Pontifex Romanus Concilij Caput & Præses. At in generalibus Conciliis id iuris obtinet ut sæpius probatum.

Displicet illum esse iudicem cum aliis Episcopis, qui in hac controversia sint partes, illos enim, personas esse in hac controversia reas: sed omnium Hæreticorum eadem est exceptio. Nolunt præsentem Ecclesiam iudicem esse, à cuius doctrina sese sejungi apertè vident. Sed hoc ipsum & solum hæreticum convincit, quòd Ecclesiam præsentem iudicem ferre non vult, quam solam in terris omnium controversiarum præsentem unaquaque ætate & tempore iudicem, Christus constituit; solam dico, non in toto corpore suo aut quibusvis eius partibus, sed in solis Episcopis maximeque Petri successore omnium Episcoporum Principe. Vide in V. Classe ad Synodum Dortrectanam.

Hoc ipsũ Hæreticũ cõvincit, quod Ecclesiã iudicem recusat.

Displicet tertiò, quod majori numero suffragiorum res decernatur. Quid volunt ergo? ut paucitate vel æqualitate suffragiorum feratur sententia? nihil enim est tertium præter id quod antea repudiarunt. At verò paucitatem stipulari, est omnium Hæreticorum proprium; & si non sic esset, quæro quare major in

De numero suffragiorũ in Conciliis.

paucitate quam in multitudine suffragiorum certitudo est? In æqualitate similiter sentientium, decerni nihil potest. Vana est ergo exceptio. Quanquam sanè nec ipsa pluralitas, sed, ut ita loquar, totalitas suffragiorum concludit, deliberativa enim sententia certè plurium est; definitiva autem sententia omnium est. Nam in sententiam plurium omnes transeunt, & communi omnium consensu res fidei semper decernitur.

Deinde volunt ut scripturâ res definiatur: audio, & id nostros facere asserimus: negant illi. Quis erit arbiter, nisi quibus ut nos illi, *obedire & subjacere*, Apostolus iubet, *Ecclesia præpositi?* nisi quam audire iubet Salvator, *Ecclesia?* nisi de quibus dicit, *qui vos audit, me audit*, Apost. successores? Deinde scriptura audit, sit iudex, sed illam utraque pars prætendit, nec minùs Catholicus quàm Hæreticus profert: illa mihi non loquitur, illa seipsam non semper exponit. Vivæ vocis interpres & iudex desideratur. Illa, si Christiani sumus, non alia quàm Ecclesia esse potest.

Hebr. 13. Mat. 18. Luca 10.

Displicet adhuc magis, quod in Concilio, non ex iudicio, sed ex præjudicio & affectu contra eorum dogmata conclusum fuerit. Nam ante ipsum Concilium cœptum, solum Papam eos pro hæreticis damnasse, & Leonem X. editâ Bullâ Lutheri articulos anathemate percussisse, quin & quotannis in Bullâ Cœnæ Domini idem repetere. Hoc autem Romani Pontificis iudicium, quasi præjudicatam sententiam sine inquisitione, & examine alios Episcopos sequutos fuisse: ex consuetudine scilicet iam recepta, & traditione majorum magis quàm ex verbo Dei rem controversam definientes. Aliis quoque maximis præjudiciis causam ipsorum à cæteris Episcopis & Sacerdotibus iamdudum damnatam extitisse, quia pro hæreticis ab illis iam ante Concilium habebantur. Hæc illi hodie. Æquior fortasse & iustior hæc querela adversariorum multis videri poterit. Sed nihil ea vanius aut etiam iniquius. Nam cum doctrina Ecclesiastica, orthodoxa, Christiana, nulla sit iam nova, ac ne post primam Evangelij propagationem nova unquam fuerit, inde consequens sit, ut ad hæresim aliquam pro huiusmodi declarandam & damnandam, nulla opus sit novâ definitione, sed tantùm veteris & orthodoxæ fidei (quæ illa sit) declaratione & explicatione, quod certè nihil aliud est, quam consuetudini receptæ & traditioni majorum mordicus adhærere, & paribus semper vestigiis incedere.

De istis præiudiciis conquerentur Ecclesiæ Saxonicæ in repet. Cõfessionis Aug. in fine.

Sed in omnibus Conciliis hactenus contra hæreses collectis, nihil novum definitum est, sed antiqua fides stabilita de novo, & confirmata illustrius fuit. Similiter ante Concilia collecta contra omnes hæreses, Episcopi qui convenerunt præjudicatam sententiam (quam ex regulâ fidei & majorum traditione hauserant) secum attulerunt. In Concilio Nicæno primo contra Arrium definierunt Episcopi qui ipsum Arrium ante Concilium excommunicaverant, ut Alexander Patriarcha Alexandrinus cum aliis permultis suæ Provinciæ, totius videlicet Ægypti, Episcopis in Synodo quadam Alexandrinâ priùs collectis. Definierunt quoque contra illum in ipso Concilio Patres, quia veteres Episcopos prædecessores suos ita semper sensisse animadverterant, ut disertè Eusebius Cæsarienſis in Epistola ad suos, ut Athanasius quoque attestantur. Ideoque (ut idem notat Athanasius in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ) in definitione fidei, *Non scripserunt Patres Nicani, visum est nobis, ut in quæstione de Paschate, sed scripserunt, sic credit Catholica Ecclesia.* Commemorat quoque Theod. in suo Philotheo, illam sententiam in Concilio Nicæno obtinuisse, quæ tunc per universum orbem vicerat, ac divulgata fuerat fidei confessio. Sic de seipso scribit Hilarius, se antequam de fide Nicæna audivisset, *homœusion* tamen ut consubstantialem Patri Filium credidisse, & ex scripturis didicisse. Quid ergo? num propterea Arriani Nicæni Concilij iudicio ac sententiæ stare non debuerunt, quia tanto cum præiudicio illi Episcopi convenerunt? aut quia veteri traditioni maiorum suorum adhæserunt? Sed amplius est, quod in omnibus generalibus Conciliis postea consecutis, tanto cum præiudicio Episcopi accesserunt, ut semper ante cœptum Concilium generale, Apostolica sedes in Romano Pontifice omnes illas hæreses Ecclesiæ pacem tunc perturbantes priùs damnaverit; idque vel Synodo priùs Romæ ea de re habita, vel Epist. ipsius Rom. Pontificis de re tota ad Concilium conscripta, cuius doctrinam ad amussim semper reliqui Patres & Episcopi secuti sunt: sic ante Concilium Constantinopolitanum secundum, Damasus Papa collecta Romæ Synodo, Macedonium, Apollinarem, Photinum, Sabellium & Eunomium condemnavit, ut patet ex Epistola eius ad Paulinum Thessalonicensem Episcopum. Athanasius quoque Alexandrinus Patriarcha cum Eusebio Vercellensi, collecta Alexandriæ Synodo Macedonij hæresim longe ante Concilium illud generale contra illum damnavit. Sic Cœlestinus Papa ante Concilium generale Ephesinum cœptum damnavit Nestorium, & Litteris ad Cyrillum scriptis decem dies ad deliberandum Nestorio præscripsit, infra quos nisi sententiam mutaret, excommunicationi ut degradationi subiaceret. Quam sententiam secutus Cyrillus, necessariò se compulsum illa Rom. Pontificis Epistola scribit. Contra Eutychetem ante cœptum Concilium Chalcedonense, iam pronunciaverat Leo Papa scripta eruditissimâ Epistola contra illud dogma hæreticum, atque ad Concilium missa, quam ita secuti sunt illius Concilij Patres, ut ne latum unguem ab illâ discederent. Similiter Petrum Antiochenum priùs Simplicius Papa damnaverat. Sic hæreticos Monothelitas, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos Episcopos, Theodorus & Martinus I. Rom. Pontifices collectâ Synodo Provinciali ante celebratam aut celebratâ cœptam Synodum sextam generalem (in qua hæc hæresis totius Ecclesiæ iudicio damnata fuit) publico decreto damnaverant. Ad ipsam quoque Synodum litteras scripsit Agatho Papa, quibus hanc hæresim suo iudicio & præiudicio iugulavit: *Agathonis enim relationem* (ait Imperator Constantinus IV.) *tanquam ipsius divini Petri vocem superuirati sumus: nemo enim discrepavit nisi unus.* Sic ante Nicænam secundam Generalem septimam contra Iconomachos collectam, litteras præmisit Adrianus Pontifex ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, quibus priùs damnavit illam hæresim. Sic postremo Photium Nicolaus primus priùs damnaverat, quam in Concilio Generali 8. Constantinopolit. 4. condemnaretur sub Imperatore Basilio. Denique contra nullos hæreticos unquam in Concilio maximè Generali (quod postremum est remedium ad hæreses reprimendas) coitum fuit, quin priùs multis & maximis præiudiciis Episcopi orbis Christiani, maximè sedes Apostolica Rom. illos pro damnatis habuerint. Coierunt tamen nihilominus, ut plenius, ut ad populi Christiani ipsorumque Principum majorem instructionem damnarentur, atque ut ultimus tandem illi controversiæ finis imponeretur; audita iam & intellecta clarissimè in Concilij decreto, universæ Ecclesiæ voce, quam qui audire recusaret, non iam pro Christiano, sed pro *Ethnico & Publicano*, iuxta vocem Salvatoris habendus esset. Quo iure ergo Protestantes hodie propter Romani Pontificis cæterorumque Episcoporum præjudicia contra se facta, Concilij Tridentini sententiæ ac iudicio acquiescere nolunt, eodem iure prænominati omnes hæretici absolventur, & Conciliis prænominatis acquiescere non debuisse probabuntur.

Papa prius dã. nat hæreses.

Vide Theodor. hist. Eccl. l 5. c. 10. Script. al. 3. c. 5. Evagr. l. 1. c. 4.

Epist. 10. ad Flavianum.

In vita Theod. & Mart. t. PP. Cõc. Ge. 16. Act. 4. Act. 18.

Concil. Nican. 2. Act. 2.

Mat. 18.

Socrates l. 1. c. 1.

Socrates l. 1. c. 5.

In Epist. ad Africanos.

In vita Iacobi Nisibenſis Episcopi.

In fine libri de Synodis.

Imò si rectè advertimus, in primo illo Concilio Hierosolim. ab ipsis Apostolis celebrato, nonne contra Iudaïzantes Christianos, & Legalium observationem baptizatis gentibus imponere volentes, iamdiu ante

manifesta praxis in contrarium Apostolorum maximè Petri & Pauli apertè præjudicabat? Nam & antea Petrus Cornelium cum totâ suâ domo baptizaverat, nullo tali iugo imposito, & Paulus per multas gentes transiens & prædicans similiter fecerat; & denique disertè Apostoli in Epistola Synodali ad gentes missa, profitentur sine vllo mandato novos illos prædicatores & perturbatores pacis Ecclesiæ suum novum dogma sparsisse. *Audivimus*, inquiunt, *quia quidam à nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, quibus non mandavimus.* Postremò Petrus, cùm iam fieret magna conquisitio, & antequam ad aliquid concludendum veniretur, suam sententiam præmittens tantum causæ præjudicium attulit, ut *tacente multitudine*, Apostolorum videlicet & seniorum aliquorum (nam illi soli convenerant) *in sententiam Petri* (ait Hieron.) *Iacobus primùm, mox que alii omnes Presbyteri transirent.* Quod exemplum secuta posteritas, in sedis Apostolicæ Romanæ (in quâ Petri successor sedet) præjudicatam sententiam contra omnes hæreses, in omnibus Conciliis unanimi consensu transivit; ut modo in singulis ostendimus, solo primo Nicæno excepto, cuius acta ad nostras manus non venerunt. Non debuerunt ergo ex Protestantium sententia Iudaizantes illi Christiani Apostolorum decreto stare, vel propter præjudicatam ipsorum sententiam & opinionem, vel quia Papa ille, Petrus præjudicio cæteros traxit. Vides ergo quam sit hæc Protestantium exceptio non solùm vana, sed etiam iniquissima, ut quæ omnibus, qui hactenus extiterunt, hæreticis patrocinatur, ipsam verò fidem Orthodoxam (si semel admittatur) penitus pessundat & evertit. Nulla enim hæresis, hactenus legitimè damnata fuerit, ac nequidem unquam rectè ac legitimè damnari poterit, hæc istorum hominum exceptio si semel admittatur.

Act. 10. Act. 14. Act. 15.

Act. 15.

Ep. 11. inter Epist. August.

Quale Concilium postulent Protestantes.

Sed audiamus, si Papam cum suis, ideſt, si Ecclesiæ Catholicæ Episcopos de controversiis hodie iudicare nolunt, quos demum Iudices, quos arbitros admittent? Qui tandem illi erunt, qui in Concilio collecti sententiam ferant? Concilium enim diu multumque flagitarunt, Christianum scilicet & liberum, in quo hæc dissentio tandem componatur. Aiunt Concilium se expetere, *in quo instituatur examinatio doctrinæ iuxta verbum Dei per homines idoneos, non partiales.* Cui illorum voto sic breviter respondetur. Iam facta est in Concilio Oecumenico Tridentino, prolixa valdè, accurata, & diligentissima examinatio doctrinæ, doctissimis viris & Theologis scientissimis undequaque collectis, idque iuxta verbum Dei, tam scriptum in utroque instrumento sacræ paginæ, quam etiam non scriptum. Quod quidem vel ipsa decreta eius Concilij Canonibus præfixa, lucu'enter ostendunt. Ubi liquidissimis sacræ Scripturæ testimoniis universa ferè doctrina solidè confirmatur. Imò, aiunt illi, sacræ Scripturæ testimonia iniquissimè in alienum sensum torquentur, & causæ præsenti nihil subserviunt. Rogo ergo hoc loco, quàm possum studiosissimè Protestantes omnes & singulos, quis huius rei arbiter erit, rectene illi Patres, Episcopi & Doctores in Ecclesia constituti, scripturam tractaverint, an non? Vosne illi iudices esse vultis? omitto quòd adhoc minus vocati non estis. Authoritatis enim hæc res est, non rationis aut argumenti; Deinde hoc respondeo, hoc urgeo, quòd & vos ipsi partiales estis, & cum præjudicio ad hoc examen venitis. An tertij generis iudicem proferre potestis? An Græcos schismaticos, an Turcas, an Mauros inter nos & vos hanc litem componere vultis? Verbum Dei, dicitis, Iudex erit. Sed verbum Dei scriptum (quale solum vos intelligitis) iam utrique protulimus. De interpretatione, tractatione, & applicatione huius verbi quæritur. Accusatis Concilium homines superbissimi, & veteribus omnibus hæreticis simillimi, quòd malè tractaverit Verbum Dei.

Protestantes de æquitate Concilii iudicare non possunt.

Condemnavit vos vicissim ipsum Concilium, & anathema vobis dixit, more sanè omnium hactenus Conciliorum, quòd scelerate & perniciosè animas fidelium ab avita fide abduxistis, & ita pestilenter seduxistis: nec alia magis ratione, quàm Verbi Dei fraudulenta corruptela. Debetis, debetis, ô Protestantes, aut Concilio acquiescere, *Ecclesiam* in suis pastoribus *audire, & præpositis vestris obedire, Episcopis qui regunt Ecclesiam parere, per Pastores & Doctores quos Christus Ecclesiæ suæ dedit, ædificari & consummari*, ideſt, instrui & doceri; *Ecclesiam pro columna & firmamento veritatis agnoscere*: aut certè ostendere, vos esse illos pastores, illos præpositos, illos Doctores, illos Episcopos Ecclesiarum: illam denique Ecclesiam, quam solam agnoscere, audire, revereri, & cui soli parere & acquiescere oportet. omnes: aut profectò quod res est confiteri, vos *Ethnicos* non Christianos esse, qui Ecclesiam non auditis; vos Christum spernere, qui eos spernitis quos ipse misit, vos de numero ovium Dominici gregis non esse, vos denique ad Ecclesiam Christianorum non pertinere: aut denique quartò & postremò dicere vos oportet, nullam esse ad res controversas in Religione Christiana finiendas viam & rationem, nullam esse disciplinam, nullam certam authoritatem, nullos pastores, doctores, præpositos, vel Episcopos, nullam denique Ecclesiæ stabilitatem aut firmitatem: sed ut in Babylonica Philosophorum & gentium sapientum civitate factum est, ut egregie ostendit Augustinus, intò ut in regno tenebrarum fit, licere unicuique æque vociferari, sentire & iudicare ut libet, seorsim sapere, licenter docere, astruere, destruere, prout libet.

Resolutio necessaria circa Iudicii normam.

Matth. 18. Hebr. 13. Act. 20. Ephes. 4. 1. Tim. 3.

Matt. 18. Luc. 10.

De Civit. Dei l. 8. c. 41.

Sed adhuc respondetis, *idoneos & non partiales ad examen doctrinæ iuxta verbum Dei admitti oportere.* Sed ô insensati, quis vos fascinavit, planeque etiam communi vos sensu privavit, ut non videatis, vel certe, (quod magis existimo) vos non videre dissimuletis, aliam hoc loco quæstionem esse longe maximam, qui tandem illi idonei sint & non partiales, & quorum iudicio constabit, qui tandem idonei sint? Certe si non partiales vultis hoc examen facere, Christianum orbem exire debetis. Omnes enim Christiani in his controversiis partiales sunt aut certe Christiani non sunt, omnes inquam vel Catholicas partes tuentur, vel ad aliquam sectam vestram ferio pertinent: nisi forte nec frigidi sint nec calidi, sed tales quos evomat Christus, id est, è numero suorum longe projiciat. Sed quis non videt hoc vos agere, homines scilicet minimè malos, & in quibus non est dolus, ut vos ipsi aut sectarum vestrarum primi magistri, pro idoneis examinatoribus habeantur, & pro non partialibus? At quis vos censebit idoneos? Vestri, opinor, Principes & Magistratus, quos nequitia & astutia vestra circumvenistis. Quid ergo alij Principes Christiani iudicabunt, qui vestras hæreses cane peius & angue merito exhorrescunt? Imò tot inter sectas vestras, qui tandem idonei communi consensu (de communi enim & generali Concilio agitur) omnium vestrum erunt? An vos Lutherani Bezam pro iudice admittetis? An ex Heluetiorum plagis, Comitatu Palatino Rheni, ex Anglia & Scotia quempiam ascisendum pro idoneo, & non partiali putabitis? Imo vos molliores, Flaccum-ne Illyricum cum ejus Magdeburgensibus sociis, admittere pro idoneis voletis? vel qui rigidiores inter vos sunt, ipsos molliores audient? Desinite istis nugis & præstigiis orbi terrarum illudere & imponere: sed potius omni studio agite & contendite, ut ubi sit vera Ecclesia, ubi legitimi Ecclesiarum magistri, præpositi & Episcopi sint, certò tandem & liquidò inveniatis; ac demum illorum sententiæ & iudicio, quibus videlicet Spiritus sanctus certò & infallibiliter promissus est, & quibus obediendum esse tot scripturæ tam manifestè docent, simpliciter & fideliter

Apoc. 3.

acquieſcatis, id niſi fiat, rixandi & altercandi nunquam finis erit, utcumque docendo, prædicando, ſcriptitando dies.

Objectiones ſubdole Petri Suavis Polani, ſeu Fra. Pauli ventilantur.

SECTIO II.

ETſi Theologus iſte Venetus, Religioſus ordinis Servitarum, magno in pretio ab aliquibus habeatur, ut etiam ipſius vita Italice & poſtea Gallice conſcripta typis edita fuerit cum multa commendatione actorum ipſius, quibus hic nihil derogare volumus; quibuſdam tamen aliis ſuſpectus eſt in Hiſtoria quam conſcripſit Concilij Tridentini, maxime ob id quod explicando momenta controverſiarum in congregationibus agitatarum, ſic agit ut partes Hæreticorum magis tutas ac magis probabiles ferè exhibeat: partes vero Catholicorum magis immunitas & indefenſas, quaſi in his infirmiores fuiſſent Theologi Eccleſiæ Romanæ: ſicque lectoribus ſuis parum peritis rerum Theologicarum ſcrupulos infigit ac dubia ingenerat contra ea quæ in ſeſſionibus à Concilio definita ſunt. Hinc Angli librum illum avide ſuſcepernnt, in latinam linguam verſum per Archiep. Spalatenſem Marcum Anthonium de Dominis de quo diximus in Apparatu, ubi exhibemus cenſuram Facultatis Theol. Pariſ. contra ipſius libros. Quare non abs re eſſe putamus, ſi quædam ab illo ſcripta breviter excutiamus. Sic ille.

Circa Seſſionem IV. de Scriptura libris & traditionibus.

In Germaniam ubi pervenere magnam ſermonibus materiam ſuppeditarunt. Nonnullis audax inceptum videbatur, v. Cardinales & xlviij. Epiſcopos præcipua Religionis capita hactenus indeciſa, levi brachio definire, authoritate Canonica libris antea incertis & apocryphis data, tranſlatione quæ à textu originario defleckit, authentica facta, modo etiam præſcripto ad quem ſenſus verbi divini ſit extendendus aut reſtringendus. In his tamen præſulibus non temere reperiri aliquem præcellentis doctrinæ laude inſignem. Leguleios eſſe aliquot, in iuris profeſſione doctos, ſed Religionis non admodum intelligentes. Perpaucos Theologos, eoſque eruditione infra vulgus Theologorum. Pleroſque omnes nobiles, aut aulicos. Ex iis qui aliqua ſint dignitate aliquos eſſe titulares tantum, ſed Epiſcopos magnam partem tantum eſſe civitatum adeo minutarum, ut ſi quiſque populum cui præeſt, referat, vix omnes malleſimam orbis Chriſtiani partem repræſentent. Sed è Germania præſertim ne unum quidem adeſſe Epiſcopum unicumve Theologum. Dies menſis VIII. proximæ congregationi habendæ dictus, Patribus eo die, qui apud vulgum Hilariorum eſt & prophanari ſolet, rebus ſeriis ac Synodalibus intentus. In ea de communi aſſenſu ſtatutum, ut traditiones eadem cum verbo Dei ſcripto authoritate eſſent. Ac in margine habetur; Congregatio habita die Hilariorum. Pontifex cum Romæ conſeſſus decreta conſpicatus eſſet, rerum tractandarum gravitate conſiderata cum animo ſuo ſtatuit Concilij negotium penſius habere, quam hactenus habuiſſet.

Reſponſio. Hæc objectio ex pluribus conſtat mendaciis, quod res hactenus indeciſæ leviter definitæ ſint de novo, & quod libris antea incertis & apocryphis authoritas canonica tributa ſit. Iamdudum enim in antiquis Conciliis, Summorum Pontificum decretis catalogus librorum canonicorum fixus erat, ut in Epiſtola 3. Innocentij I. ad Exuperium, in Concilio Carthaginenſi III. quod alij quintum, alij ſextum vocant. Et à D. Auguſt. traditus l. 2. de doctrina Chriſtiana c. 8. & in Concilio Milevitano c. 2. decreverunt Patres ne aliter intelligeretur ſcriptura ſacra niſi quemadmodum Eccleſia Catholica ſemper intellexit. Nec vllo unquam ſæculo defuit ſollicitudo maxima Eccleſiæ in recipiendis libris divinis tanquam authenticis, ac rejiciendis iis qui minime in canone recipi debebant. Qua de re videri poteſt in prima claſſe ſynagogæ Iudæorum diligentiam non deſideratam fuiſſe, quantominus Eccleſiæ Chriſti deſiderari potuiſſet. Nec vero unquam caruit tranſlatione ſcripturarum vera & fideli, quæ fuerit recepta & à Patribus celebrata. Non enim in re tanti momenti decepta ac deluſa eſſet Eccleſia. Sed cum vitio exſcriptorum varia mendæ irrepſiſſent in plures ſcripturarum codices, opus erat ut ederentur cum emendatione & correctione horum mendorum, quod Concilium mandavit fieri; ac ut executionem conſequeretur, plures Summi Pontifices à Pio IV. uſque ad Clementem VIII. diligentiam maximam adhibuerunt, ut recentia Biblia cum veteri vulgatæ linguæ Latinæ editione concordarent.

Veritas vulgatæ editionis bibliorum.

Quoad oppoſitiones autem contextus Græci aut Hebraici cum illa vulgata editione Latina, cum illo tempore, quo purior erat contextus Græcus aut Hebraicus, tranſlatio in Latinum ſermonem facta fuerit, nondum per Iudæos aut hæreticos corruptis illis fontibus, plus authoritatis ineſt vulgatæ iſti Latinæ editioni, quam Græcis aut Hebraicis Bibliis.

Nec obſtat quod in illa vulgata editione adhuc aliqua errata Grammatices inveniantur, non enim id ignorarunt ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres, nec defuerunt critices periti qui ea poſſent corrigere, ſed maluit Eccleſia diſſimulare: tum quia ex his levibus erratis nihil imminebat periculi circa fidem & mores, tum ne fideles tam exactæ correctionis novitate offenderentur, quorum aures vetus illa editio ab infantia occupaverat. Poſtremo ut veruſtam illam editionem venerarentur, quæ naſcentis Eccleſiæ fidem educaverat & creſcentis roboraverat, ſanctamque ac venerandam illam ſimplicitatem antiqui interpretis qui non ſermonis ornatum, ſed hiſtoriæ veritatem quæſivit, ſua ipſorum approbatione honorarent & veſtigia majorum ſuorum ſequerentur, qui eoſdem errores ſacra quadam pietate ducti tolerarunt, exemplo ſanctorum Apoſtolorum, qui quamquam ſcirent editionem Septuaginta interpretum in multis redundare & in multis deficere, eam tamen non contempſerunt, ſed ubique eam prædicaverunt, & ex ea prima fidei noſtræ fundamenta jecerunt. Temerarium igitur eſt, imo plane hæreticum, ait Xiſtus Senenſis Biblioth. ſanctæ l. 8. hæreſi 13. propter leves quoſdam defectus, qui in noſtra vulgata editione, citra vllum fidei ac morum detrimentum reperiuntur, eam ſpernere & abjicere, novaſque & prophanas in locum eius hæreticorum tranſlationes introducere: præſertim poſt Oecumenici Concilij decretum vulgatam comprobans editionem. Legi poteſt de iſtis prædictus Sixtus Senenſis l. illo octavo, Bellarminus l. 1. de verbo Dei & alij.

Quid vero ad paucitatem Patrum qui primis Seſſionibus aderant? ſed cum omnia decreta in fine Concilij relicta fuerint & uno omnium conſenſu à 255. probata & ſubſignata, robore caret iſta objectio.

Non moror autem quod inſinuet Paulum III. poſt iſtud decretum, omni ſtudio & cura attendere voluiſſe ad res Concilij: quaſi vero antea rem tanti ponderis non curaſſet ſerio, aut decretum ignoraſſet, quod ex eius inſtructione proponentibus ſuis legatis conditum fuiſſet, nondum deſignato per illud decretum codice vulgatæ & antiquæ verſionis quæ probabatur.

Verſiones hæreticæ Bibliorum.

Merito autem Eccleſia hæreticorum traductiones

abhorret & improbat. Tum quod ſanctorum Patrum & interpretum authoritatem pro nihilo ducunt. Tum quod interpretationes Iudaicas plus æquo conſectantur. Tum quod nullus ex proprio ſenſu ſcripturas interpretari poteſt, ſed magis ex dono & gratia Spiritus ſancti, ſicut ait D. Petrus 2. Epiſt. c. 1. *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.* Spiritus autem ille non influit extra corpus ſanctæ Eccleſiæ in membra per hæreſim abſciſſa, quæ ſicut palmes à vite diſciſſus, areſcunt quotidie.

Quarto quantum poſſunt hos textus in Biblia intrudunt qui magis favent erroribus Iudæorum aut antiquorum hæreticorum, cuius rei plura exempla ſuppeditat Cotonus in præfatione *Genevæ plagiariæ*, §. XIV. Quinto, quia ubi offendunt quidpiam ſuis erroribus oppoſitum, illico conqueruntur textum eſſe corruptum. Sic Beza ad illud Matthæi cap. 10. *Primus Simon qui dicitur Petrus.* In ſuis annotationibus *ecce*, quid ſi hoc vocabulum ab aliquo additum eſt, qui primatum Petri vellet ſtabilire? nihil enim ſequitur quod cohæreat. Nec vero tunc rationem vllam habent textus Græci aut Hebraïci quem depravatum eſſe conclamant, atque eo modo aut abradendo, aut addendo, aut inflectendo, aut immutando verſionem ſuam inſtaurant, ut cum ipſorum erroribus conſpirate ſacra Biblia videantur. Has depravationes manifeſte propalat totus liber Genevæ plagiariæ, ut non veritatem inquirere, ſed fucum facere, plebeculam decipere, erroreſque ſuos verbi Dei ſpecie obtectos obtrudere moliantur per varias illas verſiones ab antiqua diſſentaneas, quas Genevæ & alibi cuderunt. Caſtalionis neſcio quam verſionem in pretio habent, qui, ut notat Sixtus Senenſis eodem l. 8. hæreſi 13. ſe Latine loqui non putat niſi quam effeminatiſſime loquatur, & citra omnem divinæ ſcripturæ majeſtatem ac divini interpretis gravitatem, ſingulas quaſque ſententias meretricularum more fuco pingat & calamiſtris inurat, laſciva quadam mollium verborum affluentia luxurians, ut in Canticis canticorum fecit. Et ſicut hunc Salomonis librum inhoneſtis lenociniis contaminavit, ita omnem divinam ſcripturam prophanis, gentilibus ac impiis vocibus prophanavit Semi-paganus ac Semi-gentilis iſte interpres. Nomen Dei ac nomen Ieſu Chriſti mutavit in nomen divum, armipotentem, gradivum, ac cœlicolam, divinam eius charitatem appellans cupidinem, eius Angelos genios, ac innumera his ſimilia, quæ prolixior ſim ſi enarrare incipiam.

Verſio Caſtalionis meretricia.

Quam melior eſt una illa certa, conſtans ac uniformis vulgatæ Latinæ editio hactenus recepta & uſitata, quam tot novæ hæreticorum verſiones, quas etiam ipſe Lutherus improbat in commentariis de noviſſimis verbis Danielis, quod turbent memoriam legentium, ſtudium remorentur, ac in multis incertiorem quam fuerat mentem dimittant: dicas de catholicis illud Geneſ. 11. *Erat autem terra labii unius.* Contra de hæreticorum ſynagoga. *Vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ.*

Quod vero tantum elevat doctrinam Epiſcoporum, id ut ſine probatione affertur, contemni debet & inter calumnias hæreticorum contra Catholicos annumerari. Nonniſi à doctiſſimis viris prodiiſſe Concilium iudicaturi ſunt qui illud omni ex parte penetrabunt.

Dicit Hilarium.

Quod vero de traditionibus narrat, de iis decretum fuiſſe à Patribus in die hilariorum, fanna eſt quâ ſibi addictos exhilarat, quaſi nihil ſerium agi poſſet à cordatis hominibus iis diebus quos ſtulti & ſæculo addicti homines in ludicris impendunt.

Circa Seſſionem V. De peccato originali.

Decreta vero confeſſus ubi typis excuſa in Germaniam pervenere, multorum ſermonibus materiam dederunt. Iactabatur enim vulgo de impietate Pelagiana & ſupervacue actum in Concilio quæ ante mille annos à tot Conciliis, de communi Eccleſiæ conſenſu ſatis damnata. Tolerabile quidem eſſe ut doctrina vetus confirmetur. Nec incongruè iuxta illam veram univerſalem doctrinam fuiſſe propoſitam, ſc. peccatum Adami ad poſteros omnes propagatum: ſed eandem, mox addita exceptione, everſam. Nec quicquam iuvare quod dicitur, exceptionem illam nihil afferere, ſed in ambiguo rem relinquere. Sicut enim particularis univerſalem contradictionem falſam efficit: ita particularem ambiguam, incertam reddere univerſalem. Ecquis vero non videt exceptione ea vigente, etiamſi ambigua, unumquemque iure poſſe concludere, non eſſe indubitatæ veritatis, peccatum Adæ ad omnes poſteros transfuſum, quia non eſt certum ad beatam Virginem tranſiſſe; maxime quod ea ratio, quæ exceptionem hanc ſuadet, alias pleraſque admittendas perſuadet. Scite enim à Bernardo aſſeri, eandem rationem quæ ſuggerit conceptionem Virginis eſſe celebrandam, evincere, patris quoque & matris, item avorum ipſius ac proavorum, totiuſque proſapiæ conceptiones uſque in infinitum celebrari dignas. Sed in infinitum non procedi, quia ubi ventum erit ad Abrahamum, illum ſolum ſuo merito ab originali peccato eximendum. Illum ſe eſſe, cui de redemptore facta ſit promiſſio. Chriſtum ſemper dici ſemen Abrahæ: illum vocari patrem Chriſti & omnium credentium & exemplar fidelium: eaſque dignitates multo eſſe majores quam [illegible] utero Chriſtum geſtare iuxta divinum reſponſum quo Virgo pronuntiata beatior, quod verbo Dei audiens eſſet quam quod Deum lactaſſet & peperiſſet. Ac ſi quis ob prærogativam ſe non adduci patietur ad Abrahamum excipiendum, neque veterem rationem probabit, Chriſtum eſſe ſine peccato, quod de Spiritu ſancto natus ſit, abſque ſeminis virilis commixtione; is certè affirmaverit multo ſatius fuiſſe ſapientis conſilium ſequi & terminos à Patribus poſitos non tranſilire. Addebant inſuper omnes Concilio plurimum debere, qui fateantur & agnoſcant manere in baptiſatis concupiſcentiam Fore alioqui ut cogantur homines negare ſe in ipſis illud ſentire, quod planè ſentiunt.

Pelagianiſmus damnatus in Trid.

In decreto reformationis expectabant omnes ſcholaſticorum & Canoniſtarum abuſus emendatum iris quod hi divinas proprietates Pontifici tribuant, Deum vocantes, infallibilitatem ei adſcribentes, idem tribunal utrique concedentes: atque ipſo Chriſto clementiorem aſſerentes. Illi verò doctrinæ Chriſtianæ fundamentum ſcriptura neglecta in Ariſtotelis Philoſophia ponant, omnia in quæſtionem vocantes & in utramque partem diſputantes, etiam an Deus ſit.

Reſponſio. Quid ſugillas Synodum quod Pelagianiſmum ab antiquis temporibus damnatum, iterum damnet? tota cohors Lutheranorum de Pelagianiſmo inſimulabat Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam & Ro. nihil frequentius in ore habebant & adhuc habent, quam Pontificios, aut Papiſtas (nec enim de iſto cognomine indignamur, legitimus filius Papam ſuum & Patrem ignoſcit, illegitimus & ſpurius neſcit quem Patrem habeat) nihil inquam frequentius crepanto re maledico & mendaci, quam ipſos Pelagij eſſe diſcipulos. Quot paginas occupat iſta calumnia in magno volumine Iprenſis Epiſcopi, qui in hac parte Lutheranis ſe fragatur? Debuit ergo Eccleſia ad retundendum os loquentium iniqua, condemnando Pelagij errores, ab iis ſe eſſe immunem declarare. Quid Momus ipſe in hoc reprehendat

Prima quæ in his ſermonibus includitur objectio ſoluta manet ex iis quæ in controverſia Concilij Baſileenſis dicta ſunt circa conceptionem immaculatæ Virginis, ubi ſatis patuit terminum univerſalem *omnes* non excludere legem extraordinariam, qua aliqui à communi lege eximuntur. Nec tamen falſa eſt propoſitio quâ dicitur peccatum Adami ad poſteros omnes propagatum eſſe, quia id intelligitur ſecundum legem ordinariam, non incluſis iis, qui privilegio peculiari immunes eſſent à peccato.

Quod vero vituperant exceptionem factam de Beata Virgine à Concilio, ignorant forſan D. Auguſtinum præfulſiſſe Patribus Concilij; cum l. de natura & gratia cap. 36. ſic loquitur. *Excepta itaque ſancta Virgine Maria de qua propter honorem Domini nullam prorſus cum de peccatis agitur habere volo quæſtionem.*

Nec eadem ratio eſt de Patre ac Matre aviſque & atavis B. Virginis, cum primus gradus ſua decora habeat, quæ ad ulteriores gradus & remotiores nonniſi abſurdè extenderentur.

Neque abſque cauſa dixit Concilium concupiſcentiam remanere in baptiſatis: quia cum deleatur peccatum originale in baptiſatis, quod peccatum Lutherani dicunt eſſe concupiſcentiam, pertinebat ad majorem manifeſtationem veritatis, ut diceretur, manere concupiſcentiam, deleto peccato originali, ut appareret concupiſcentiam non eſſe idem cum peccato originali.

Mera vero calumnia eſt, quod proprietates divinæ Pontifici attribuantur, etſi enim Deus ſit exemplar omnium perfectionum, longè tamen aliter in Deo & in creaturis reperiuntur, iuxta illud Ioan. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quæ addit de Theologia ſcholaſtica, cum nullas adducat rationes, nonniſi malam eius prouiginem produnt proba quæque ac probata carpendi & ſugillandi. Scholaſticam hæretici vituperant quia neſciunt, ac illi ſe vident impares.

Circa Seſſionem VI. De Iuſtificatione.

Vbi vero ad alias regiones, maximè ad Germaniam decreta pervenerunt, prius illud fidei, longè majorem loquendi dedit occaſionem, quod magna attentione legendum, & animo diligenter pervolutandum, ut intelligi poſſet. Id autem non facilè erat aſſequi ſine perfecta cognitione interiorum animi motuum; & in quibus ſit activus, in quibus paſſivus, quæ quidem quia ſubtiliſſima ſunt & variis ſeſe produnt ſpeciebus, viſa ſunt idonea, qua ſcholarum diſputationibus exagitentur; quippe ſuper hoc cardine univerſa Concilij doctrina vertente: An videlicet, primum objectum voluntatis operetur in voluntate, an voluntas in objecto, an vero uterque motus ſit activus & paſſivus? A nonnullis facetè dictum, ſi Aſtrologi motuum cœleſtium veras cauſas neſcientes, ad ſimilitudinem veri conſervandam, orbes excentricos & Epiciclos excogitarunt, mirum non eſſe, ſi ad conſervanda veſtigia motuum ſupracœleſtium, in opinionum excentricitatem incideriut; Grammatici vix continebant admirationem imo riſum, in artificioſo contextu huius propoſitionis v. capite. *Neque homo ipſe nihil omnino agat*, quam parum intelligibilem dicebant, & aliis diſſimilem. Nam ſi Synodus hoc dicere volebat, etiam homo ipſe aliquid agat, perſpicuè id dici potuiſſe, ſicuti par eſt in materia fidei, ubi ſimpliciſſima ſenſorum animi expreſſio longè optima eſt: ſin autem elegantiam adhibere cuperent, ſic exprimere potuiſſe, etiam homo ipſe nonnihil agat. Sed interpoſita voce *omnino*, orationem eſſe incongruam & ſenſus expertem; quemadmodum alias omnes orationes conſtantes duabus negationibus, quæ in affirmativam reſolvi nequeunt. Nam ſi quis velit eam reſolvere, dicendum habeat, etiam homo ipſe aliquid omnino agat, quod incongruum eſt, cum intelligi vix poſſit, quid ſignificet, aliquid *omnino*, in hoc propoſito; niſi dicas hominem habere actionem certo quodam modo, quæ aliis modis actio non ſit.

Differia hæreticorum.

Et cum non deeſſent, qui Patres excuſatum irent, dicerentque in verbis, & loquendi formula non ita omnia ad vivum eſſe reſecanda; quod id cavillandi ſtudium proderet. Reſpondebant, formulis loquendi uſu receptis benignam interpretationem tribuendam. Vbi vero perſpicuo uſitatoque ſenſu relicto ad novas & ineptas interpretationes itur, quæ contradictionem includunt, cavillis viam ſtruunt & utrimque homines in errorem abducunt, publicæ utilitatis rationem depoſcere, ut fraus detegatur.

At qui Theologiæ periti & intelligentes, doctrinam eam, poſſe hominem inſpirationes divinas ſemper rejicere, dicebant pugnare cum publica & antiqua Eccleſiæ precatione: *Et ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Quam orationem pro deſiderio vanam ac futili habere non convenit, ſed ut loquitur D. Iacobus, tanquam ex fide factam atque à Deo erga electos ſuos miſericordi exauditam. Neque amplius dicendum cum D. Paulo ab homine non proficiſci, quod vaſa iræ à vaſis divinæ miſericordiæ ſeparat, cùm quod ſeparat, ſit humanum illud, nonnihil omnino. Plerique etiam locum illum cap. 7. excutiebant, ubi dicitur, unicuique dari juſtitiæ menſuram ſecundum Dei beneplacitum & propriam cujuſque recipientis diſpoſitionem: cum horum utrumque verum eſſe nequeat. Nam ſi Deo viſum uberiori menſura largiri ei qui minus rectè diſponatur, non tum dabit pro menſura diſpoſitionis in recipiente: aut ſi pro ea menſura gratiam donat, habet Deus ſemper cauſam forinſecus impellentem ad operandum, neque unquam beneplacito ſuo utitur.

Mirabantur quoque nonnulli, quod damnaſſent eos qui dicerent, fieri non poſſe ut homines præcepta Dei obſervent, cum in decreto ſecundæ Seſſionis, Synodus fideles Tridenti congregatos hortetur, pœnitentiam agentes, delicta confitentes & Euchariſtiæ Sacramentum ſumentes, præcepta Dominica adimplere, quantum quiſque poterit. Quæ quidem modi adjectio foret impia, ſi iuſtificatus poſſet ea abſolutè ſervare, obſervabantque ad omnem cavilli anſam effugiendam ipſam vocem, præcepta addidam.

In Eccleſiaſtica Hiſtoria multum verſati affirmabant in omnibus Conciliis ab Apoſtolorum temporibus ad hoc uſque ſæculum in Eccleſia congregatis, ſi in unum omnia conferantur, tot articulos haudquaquam definitos, quot in unica hac Seſſione patres decidiſſent, quorum bonam partem deberi Ariſtoteli, cauſarum genera exactius diſtinguenti, abſque quo ſi fuiſſet, multos fidei articulos Eccleſia deſideraſſet. Etiam politici, quorum non eſt in res religionis nimium inquirere, ſed præeuntes ſequi, in hoc decreto nonnihil deſiderabant. Nam cum cap. x. præcipiatur obſervatio mandatorum Dei & Eccleſiæ, idemque Can. xx. repetatur, offendiculo ipſis erat, quod de obſervandis principum ac magiſtratuum edictis obligatio nulla adderetur: ſacra ſcriptura obedientiam his debitam in primis inculcante, nec veteri tantum lege, ſed in novo quoque teſtamento Chriſto Salvatore, D. Petro, item & D. Paulo, multis verbis & diſertis, eam omnibus commendante. Vt Eccleſia audiatur expreſſe præcipi, ut ei pareatur, non adeo aperte, his enim obediri, qui de ſuo imperant, hos audiri, qui alienum mandatum promulgant. Neque ſatis his faciebat, quod obtendebatur, obedientiam Principum includi præceptis de obedientia Dei, quod Deus ipſe præcepcrit ſuperioribus eſſe parendum. Reſpondebant enim eadem ratione mentionem Eccleſiæ fuiſſe omittendam: atqui hanc fuiſſe expreſſam, illam ſilentio

prætermiſſam, forte quod Eccleſiaſticis iam dudum propoſitum ſit, pernicioſam eam opinionem in hominum mentibus alere, obedientiam ipſis deberi propter conſcientiam, Principibus autem & magiſtratibus ſolum ad temporales pœnas evitandas, cum de cætero eorum mandata tranſgredi liceat, qua via facile ſit omne regimen politicum in odium adducere, & quaſi tyrannidem repræſentet ſubvertere: ſubjectionem vero ſacerdotibus, tanquam viam unicam & principalem ſubvolandi in cœlum omnibus ingerendo, omnem in ſe juriſdictionem primùm, ac tandem imperium derivare.

Doctrina de iuſtificatione per Trid. elucidata.

Reſponſio. Vt doctrina de iuſtificatione per Concilium elucidata eſt potiſſimum, quam vix antea leviter alia Concilia attigerant; ſic contra hanc ſeſſionem ut eam mendacem ac ridiculam exhibeat, majores machinas admovet vafertimus hiſtoricus aut potius hæreticus, qui ſententias claras Concilij involuere nititur nugacitate grammaticorum, quaſi obſcura eſſent iſta verba c. 5. *Itaut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens.* Sed iis præſidiis ſepta eſt doctrina Concilij Tridentini de iuſtificatione, ut nulla vi argumentorum perfringi poſſit, multo minus ineptis illis dicteriis de orbibus excentricis, qui in ejus capite voluuntur, ut à centro unitatis Eccleſiæ aberret. Numera quæſo quoties Ariſtotelem, & ſcripturam quoties laudet ſynodus, & ex tuo calculo comperies cui magis ſit addicta. Sed ad rem. Vere hæretici dicti ſunt aucupes ſyllabarum, ſed melius eſt ut nos irrideant grammatici quam non intelligant populi. Vt nihil reliquum faciant libero arbitrio, totum opus iuſtificationis ſoli Deo tribuunt, contra Catholici volunt etiam ſuas partes habere liberum arbitrium poſtquam inſpiratione Spiritus ſancti præventum fuerit. Cum ergo ſentiant hæretici liberum arbitrium nihil omnino agere in opere iuſtificationis, non potuit Concilium melius eorum hæreſim retundere quam eorum aſſertioni & affirmationi negativam hanc opponere: Per iſta verba retundit tam ſententiam Lutheranorum qui dicunt voluntatem tantum paſſivè ſe habere, quam etiam Calviniſtarum ac aliorum, quocumque nomine cenſeantur, qui dicunt quidem activè ſe habere, putantes ſic à Luthero ſe diſcriminare: ſed tamen cum talem actionem admittant quæ non ſubjaceat indeterminatæ & indifferenti in utramque partem contradictionis aut contrarietatis motioni, ſi diſputatio ad vivum reſecanda ſit, haud hilum à Lutheranis differunt, tantumdem enim eſt agere ex neceſſitate præmotionis cujuſdam Phyſicæ aut gratiæ per ſe efficientis & ſibi ineluctabiliter ſubjicientis liberum arbitrium, ac paſſivè agere, ſeu melius dicas, paſſivè agi. Quocumque enim modo intelligatur, privatur voluntas dominio ſui actus, nec laudem meretur quicquid utrovis modo agat. Quare ſynodus volens præcavere tam Lutheri quam Calvini errori & ipſorum ſenſui contradicere, prudenter uſa eſt his verbis: *Neque homo ipſe nihil omnino agat.* Ex ipſis terminis patet mens Concilij; quid urges elegantiam grammaticorum? *indignum vehementer exiſtimo ut verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati*, ait D. Greg. l. 1. moral. c. 5. & rurſum D. Auguſtinus l. 3. de doctr. Chriſt. c. 3. *Plerumque legendi conſuetudo vulgaris utilior eſt ſignificandis rebus quam integritas litterata.* Sed & Arnobius l. 1. contra Gentiles ad hanc paganorum objectionem contra Chriſtianos, *barbariſmis & ſolœciſmis obſita res veſtra* Reſpondet: *Puerilis ſane atque anguſti pectoris reprehenſio.* Et poſt multa quæ affert in eam rē, *cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures con mulceat, ſed quas afferat audientibus utilitates.* Quamvis & aſſertio Concilij, ſi communis uſus loquendi ſpectetur, non adeo

Paſſivè & activè agere quid.

A ſit inconcinna, ut hac indigeat apologia. Maxime ſi ſpectemus adverbium *omnino* magis ad exaggerationem inſervire, magiſque rem quampiam affirmare aut negare, prout propoſitio hac modalitate affecta eſt affirmans aut negans. Sed inſuper quis neſciat duas negationes affirmationi æquivalere? aut quod ſcribit D. Auguſtinus l. 1. hypognoſticon c. 5. *Ipſum nihil quid eſt? tamen dicimus nihil eſt: pro conſuetudine addimus eſt ad nihil.* Quidni ad agere addatur?

Compulſio moralis.

Ad ratiocinationes Theologorum non difficilis eſt ſolutio. Ad 1. ſi ex termino *compelle* velit inferre voluntatem non reſiſtere inſpirationibus divinis, ex termino *rebelles* contrarium inducitur: non talis eſt illa compulſio quæ violentiam inferat, ſed magis quæ ſuavitatem afferat, moralis eſt non Phyſica, & ſicut dicitur: *Trahit ſua quemque voluptas:* ſic æque B diceretur, compellit ſua quemque voluptas, abſque neceſſitate tamen, ut non inelegantèr explicat etiam D. Auguſtinus tract. 25. in Ioannem tractans hæc verba ejuſdem Ioannis 6. à Chriſto prolata: *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Ad 2. ſeparatio vaſorum iræ à vaſis miſericordiæ non eſt ſecundum D. Paulum ab homine ſolo & primario, ſed præſuppoſita miſericordia Dei quæ unicuique ſufficienter adeſt: non eſt à mente Pauli alienum quod unuſquiſque propria voluntate prout reſiſtit aut ſubdit ſe vocanti Deo, reddat ſe vas iræ aut miſericordiæ æternæ, ut quid enim Deus tamdiu ſuſtineret in patientia vaſa iræ? ad Rom. 2. Ad 3. non repugnant inter ſe quod gratia iuſtificans detur unicuique à Deo ſecundum propriam diſpoſitionem in co- C operando divinæ motioni qua præparatur voluntas per antecedentem gratiam, ut loquitur D. Auguſtinus Epiſt. 106. & quod detur ſecundum divinum beneplacitum & gratis: quia hoc Dei beneplacitum excludit tantum meritum hominis ex condigno, quod in illo nullum eſt ante ſtatum gratiæ iuſtificantis ſeu habitualis. Verumque enim conſiſtere poteſt ut menſura iuſtitiæ, ſeu gratia iuſtificans detur major aut minor pro ratione actuum ferventiorum aut magis remiſſorum fidei, ſpei & deteſtationis peccati, ſeu detur gratuito & ex Dei beneplacito, quia datur homini hos prævios actus exercenti tanquam ei qui ſe diſponit ad gratiam ſanctificantem, non tanquam ei qui ipſam mereatur ex condigno: nam de merito ex congruo non eſt quod loquamur, cum proprie meritum non ſit. Ad 4. de præceptis divinis non eſt impia additio, ut ea adimpleat quiſque quantum poterit, & ſi ipſa poſſibilia ſint: quia adimplentur ab uno perfectius & ferventius, ab alio imperfectius, cumque tepore, idcirco non fruſtra exhortatur Concilium ut ea quiſque adimpleat quantum poterit perfecte.

Ad hiſtoricos. Verum eſt multa in hac Seſſione definita fuiſſe, ſed quæ ut plurimum ſic inter ſe connexa ſunt, ut ex poſitione unius alia multa inferre liceret. Nec in rebus difficillimis Philoſophorum vera dogmata dedignatur. Vaſa illa ſunt Ægyptiorum quæ Iſraëlitæ ſecum adſportant ad uſum templi. Sed forſan vult pungere Concilium aut in occulto ſicut ſerpens mordere, quaſi tam multa definiri non potuerint cum debito examine: ſed audiat præſidem Concilij Cardinalem de Monte: coacti fuimus, ait, in eo (decreto juſtificationis) inſudare ſeptem menſibus, non intermittendo unam diem & habendo ſæpe duas congregationes in uno & eodem die. Vt ſupra ad Seſſionem 11. relatum eſt. Ad politicos: certe illi parum urbani ſunt, ſi etiam ſilentem ſynodum increpent. Quo ſe vertat Eccleſia, ſeu loquatur ſeu taceat? ut rea ab iis quos peperit (tam infœlices & mordaces habet filios) arguitur, irridetur, dilaceratur. O quale monſtrum eſt hæreſis & quantum malum!

Examen politicum in actid.

Circa Sessionem XIII. *de Eucharistia.*

Evulgatis Sessionis hujus decretis doctrina de Eucharistia Germanis, aliisque in rebus examinandis curiosis, multiplicem differendi materiam præbuit. Primum ubi de modo existentiæ agitur, qui dicitur vix verbis posse exprimi; mox tamen affirmatur conversionem eam proprie vocari transsubstantiationem, & alibi, vocem eam esse aptissimam, unde dubitandum non fuisse quin posset verbo exprimi. Deinde quod dicitur Christum post panis vinique benedictionem dixisse, se suum ipsius corpus & sanguinem præbere, pugnat cum omnium Theologorum & totius Ecclesiæ Romanæ opinione, quasi consecrationis verba non fuerint, hoc est corpus meum, cum ea post consecrationem dicta esse affirmet. Ad hæc quod asseritur corpus esse in Eucharistia ante usum, quia Christus affirmabat, corpus suum esse quod præbebat, antequam Apostoli Eucharistiam de manu Domini acceperant, arguere videtur præbitionem non pertinere ad usum, licet contrarium in manifesto sit. Tum quod cap. 5. doctrinæ, dicitur Sacramento Eucharistiæ deberi cultus latriæ sive divinus, tanquam loquutio admodum impropria subnotabatur, cum per Sacramentum non res significata aut contenta, sed significans & continens intelligatur: Ideoque in can. VI. loquutionem eam emendatam, ubi dicitur Dei filium in Sacramento adorandum. Notatum denique quod dicitur Anathemate; totum Christum contineri sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta, quasi inde sequeretur, non esse totum in singulis partibus etiam ante separationem.

Transubstantiatio.

Responsio. Doctrinam Concilij de sacramento omnium excellentissimo suspectam reddere nititur scriptor actorum Tridentinorum, grandia facturus si essent vires pectoris maliciæ pares, aut hæretico animo robora optata responderent: sed quia hæc illi deficiunt, non potuit aliis quam levioribus argumentis, constantissimam in omnibus sæculis de Eucharistia doctrinam à Concilio declaratam ac definitam impetere. Nam rogo quot sunt quæ dicuntur, etsi non nisi vix dici posse ferantur? Quamvis ergo Concilium dixerit vix posse exprimi conversionem substantiæ panis in corpus Christi, & postea vocari proprie transubstantiationem, quid hic reprehensione dignum aut à communi modo loquendi absonum? Vix certè dici potest quam sit inane hoc argumentum, & tamen ut nihil intactum aut intentatum relinquat, illud in fronte statuit pugnaturus adversus Deum in Sacramento Eucharistiæ existentem.

Sed quod subjungit nihilo validius est, cum sit mendacium: non enim Concilium affirmat Christum post consecrationem protulisse hæc verba, *hoc est corpus meum*, in quibus ipsa consistit consecratio, sed tantum Christum post benedictionem corpus suum præbuisse. Legantur verba omnia c. 1. illius sessionis 13. sed forsan per benedictionem vult ipsam consecrationem intelligi. Quod minime admittendum est, cum verbum *benedixit* quod præmittunt Evangelistæ verbis consecrationis, primo ad Deum referatur, quem Christus laudabat & invocabat eius beneficentiam super panem, ut ex eo fieret corpus proprium; quemadmodum nos ex Christi imitatione, ante consecrationem laudes ad Deum præmittimus, post quas sequitur consecratio in prolatione horum verborum: *hoc est corpus meum.*

Quod circa caput 3. ejusdem Sessionis ex verbis Concilij sequi præbitionem corporis Christi non pertinere ad usum, infert, quod Christus diceret esse corpus suum quod præbebat, ex eodem capite & iisdem verbis videtur inferri potius contrarium: quia cùm usus rei esse ipsius rei præsupponat, sicut & ipsa præbitio, qua non præbetur res non existens, Concilium narrans quod Christus affirmaret corpus suum esse quod præbebat, dat intelligere corpus præexistisse in aliquo priori præbitioni illius ac ejus acceptioni factæ ab Apostolis.

Quod arguit locutionem impropriam in cultu latriæ, quem ipse magis improprie divinum vocat, circa sacramentum Eucharistiæ, cum per sacramentum non res significata & contenta, sed res significans & continens significetur, in hoc aberrat à vera notione sacramenti provt usurpatur ab Ecclesia, quæ per illud intelligit quoddam compositum ex speciebus panis & sanguinis atque simul ex corpore aut sanguine, itavt in ipso composito sacramentali contineatur ipse Christus, ac proinde non immerito cultus latriæ illi debeatur. Nec canone 6. istud correxit Concilium, sed clarioribus verbis explicavit. Nam utrumque verum est, & quod sacramentum sit adorandum & quod Christus in eo sit adorandus: sicut si quis diceret & Christum esse adorandum & verbum in Christo, in neutro à veritate deflecteret.

Cultus latriæ debitus Eucharistiæ.

Notatum vltimum est minoris momenti, cum intenderet tantum Concilium id explicare quod aliquam difficultatem pati videretur, an post speciérum separationem in singulis etiam partibus integer Christus existeret.

Circa Sessionem XIV. *De Pœnitentia.*

Hic Theologi Lovanienses contra illud de reservatione casuum objiciunt, rem non esse perspicuæ veritatis. A nullo enim patrum mentionem ejus unquam factam, immo Durandum qui ipse fuerat pœnitentiarius, & Gersonem & Cajetanum magni nominis viros affirmare non peccata, sed censuras modo Pontificis judicio reservatas; adeoque durum nimis videri, hæreticis eos annumerare, qui aliter sentiant. Horum vero sententiæ accedebant Colonienses Theologi & ipsi quoque affirmantes neminem ex antiquis scriptoribus reservationis meminisse, nisi in casu peccatorum publicorum; & neque bonum factum neque Concilio decorum censentes, damnare Cancellarium Parisiensem ita pium ac Catholicum scriptorem qui scriptis suis reservationes exagitasset. Certe hæreticos eas incusare tanquam pecuniarum aucupes: neque aliud esse Cardinalis Campegij de iis in sua reformatione judicium. Itaque cavendum patribus, ne adversariis materiam præbeant ea objiciendi, quæ Theologis non promptum sit refellere: quin potius ea moderatione utendum tam in doctrina quam in Canone, ut Catholicis ipsis offensioni non sint. Addunt porro iidem Colonienses sensum verborum, *quæcunque ligaveritis* Canone x. damnatum, esse ipsam Theophylacti disertis verbis interpretationem, cujus condemnatione Protestantes triumphaturi sint. Item quod dictum sit potestatem ligandi de injungendis pœnitentiis accipiendam, à sanctorum veterum mente longe abesse, qui ligandi voce intelligebant, à perceptione sacramentorum, quoad plene satisfeciſſent. Instabant etiã pœnitentiæ publicæ mentionem esse faciendam, quam adeo frequenter memorant Patres, Cyprianus in primis & D. Gregorius Pontifex, quorum hic in Epistolis iure divino necessariam asserit; & quamquam nisi in usum revocetur, sperandum non sit, Germaniam hæreticis & scelerum manifestis liberatum iri, nullum tamen neque in decreto de doctrina neque in canonibus in ejus commendationem verbum editum, sed enervari potius & vim omnem ei detrahi: Postulabant denique certo aliquo signo externo sacramenti hujus materiam manifestari: alioqui objectiones adversariorum satis commode dilui non posse.

Scotistarum sententia de partibus pœnitentiæ.

Theologis Ordinis Franciscanorum duo admodum displicebant, alterum quod Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem materiam esse sacramenti Pœnitentiæ declarassent, non quod ea ad pœnitentiam

tiam neceſſario requiri negarent, ſed quod pro partibus eſſentialibus non agnoſcerent. Materiam enim dicebant eſſe quiddam quod à miniſtro applicatur recipienti, non autem actum ipſius recipientis, ſicuti in omnibus apparet ſacramentis: abſurdum itaque eſſe pœnitentis actus ſacramenti partem conſtituere. Immo non minus requiri contritionem in ſacramento Baptiſmi quam in Pœnitentia, neque tamen partem efficere baptiſmi. Olim ante baptiſmum peccatorum confeſſionem requiſitam, ſicuti in illis videre eſt, quos divus Joannes baptiſavit: & egiſſe pœnitentiam Catechumenos. Neque tamen iſta quis aut partes aut materiam baptiſmi dixerit. Quamobrem, qui opinionem iſtam damnet, quam & veteres Theologi Franciſcani tenuerunt, & nunc ſchola univerſa Pariſienſis, terminos egredi, quos patres poſuerunt. Rurſus male habebat eos, quod hæreſi adſcriberetur, dicere abſolutionem ſacramentalem eſſe declarativam, cum hæc fuerit D. Hieronymi, Magiſtri Sent. & Bonau. dilucida ſententia; ac propè omnes Theologi ſcholaſtici perſpicuè dixerint, abſolutionem in ſacramento Pœnitentiæ eſſe abſolutionis declarationem. Atque cùm hic quidam reſponderent, pro hæretico non damnari, qui affirmet abſolutionem eſſe declarationem quod peccata ſint remiſſa ei, qui certo credat ſibi eſſe remiſſa, ut ſola Lutheri opinio anathemate hoc feriatur: ea reſponſio Franciſcanis haud ſatisfaciebat, aiebant enim, ubi de hæreſi agitur perſpicuè loquendum neque ad manum adfuturum ſemper aliquem qui iſtam adferat declarationem, ideo tam in capite doctrinæ quam in Anathemate articulum hunc elucidandum. Ad hæc F. Ambroſius Pelargus Electoris Trevirenſis Theologus, monuit verba Chriſti, *quorum remiſeritis*, vix ab vllo Patrum exponi de inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ: ſed a nonnullis accipi de Baptiſmo, ab aliis de quocumque modo quo peccatorum remiſſio obtinetur. Itaque qui verba ea ad ſolam inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ reſtringat, & hæreticos pronuncier omnes qui verba aliter accipiant, magnam aduerſarius palmam dare, & materiam geſtiendi, ob damnatam in Concilio veterem Eccleſiæ doctrinam. Hortari igitur, ſuſpenſo ut gradu incedentes, omnes patrum expoſitiones prius conſulant, ac ſingulis examinatis, quid ſtatuendum ſit denique deliberent. Patrum plerique monitis his auſcultandum iudicabant, poſtulabantque, uti novam deputati intrent conſultationem, ſolitoque more, ſubmotis iis quæ cuivis offenſionem creabant, decretum conficerent, omnium ſuffragiis approbandum.

Abſolutio in pœnitentia.

Non ſatis fuit Petro Suavi Polano, aut quovis alio nomine vocetur (nam *Petrus Polanus ſuavis* anagramma eſt proprij ipſius nominis, quod erat *Paulus Harpius Venetus*) cum eſſet Notarius actorum Tridentinorum in examine Sect. 6. Grammaticos, Dialecticos, Theologos, Hiſtoricos, Politicos in Concilium produxiſſe, niſi etiam alias copias in aciem educeret ad ſubvertendam penitus doctrinam de Pœnitentia. Hæ ſunt ex Theologis pluribus, Durando, Gerſone, Caietano, ex Colonienſibus, ac etiam Franciſcanis, cum aculeatis Scoti argumentis prodeuntibus. Sed copiæ iſtæ omnes Deo auſpice diſſipabuntur. Nam primo Concilium non annumerat inter hæreticos qui dicunt ſolas cenſuras non ipſa peccata reſervari, ut cenſent multi inter probatos Doctores Catholicos, ſed tantum eos qui dicerent ius non competere Epiſcopis reſervare ſibi caſus: at vero Catholici Doctores ius illud Summo Pontifici ac Epiſcopis competere non inficiati ſunt, cum poſſint caſus aliquos tam ratione cenſuræ quam culpæ ſibi reſervare, itaut abſolutio ab aliis data ſit irrita, cum pertineat ad Summum Pontificem diviſio Diœceſeon ac diſtributio ſubditorum unicuique Epiſcopo, ſicut & ipſo annuente diviſio parœchiarum ac diſtributio ſubditorum unicuique parocho ad Epiſcopos pertinet. Sicut ergo in Pontificis ac Epiſcopi poteſtate eſt dare hos vel illos ſubditos: ita etiam in poteſtate eſt ſubdere illos abſolutè vel tantum ſecundum certos caſus. Nec poteſtatem illam aut ius exagitavit Gerſon, ſed abuſum qui poteſt aliquando irrepere in multitudine caſuum reſervatorum, cum omnia ad ædificationem tendere debeant in Eccleſia. Legi poteſt in ſerm. contra Bullam Mendic. &c. Sicut & de antiquo uſu reſervationis peccatorum Cyprianus Epiſtola quæ incipit *miror vos fratres*, ex qua patet idololatriam ſibi reſervaſſe extra caſum mortis. Sed & D. Ambroſius cædes à Theodoſio in urbe Theſſalonica patratas, ſibi ſic reſervaverat, ut nullus inferiorum ſacerdotum auderet eum abſolvere, in hiſt. trip. l. 19. c. 30. & Origenes hom. 10. ſuper *Numeros* dicit pœnitentem quandoque indigere non ſolum ſacerdote, ſed etiam Epiſcopo. Vide Chapeauillam de caſibus reſervatis c. 2. q. 5.

Reſervatio caſuũ.

Quod addit de damnata per Canonem x: Interpretatione Theophilacti, id omnino à veritate alienum eſt. Sic enim Theophilactus ad Matthæi c. 16: *Habent enim poteſtatem ligandi & ſolvendi, qui ſicut Petrus Epiſcopatus gratiam aſſecuti ſunt.* Et in cap. Joan. 20. ſimilia verba tractans. *Vide inſuper ſacerdotum dignitatem quod divina ſit, Dei enim eſt remittere peccata.* Quæ longe ſunt a mente Lutheri, qui in libro de captivitate Babylonica confeſſionem coram quovis privato fratre factam probat, nec neceſſe aſſerit prælato aut ſacerdoti confiteri. *Quare*, ait, *ego principes iſtos Babylonis & Epiſcopos Bethavem amoverem: ne de occultis audienda confeſſionis facultatem permittant liberrimam omnibus fratribus & ſororibus, ut peccator cui voluerit ſuum peccatum revelet.* Quæ doctrina Lutheri hoc canone perſtricta eſt, non interpretatio Theophilacti, ut mucro quem in Concilium diſtrinxerat in ejus potius pectus infixus ſit, tantumque abeſt ut ex Theophilacto aſſequatur quod petit, ut illo potius juguletur.

Subſequentem mox interpretationem aliam de poteſtate ligandi, id eſt, arcendi ab abſolutione ac ſacramentis uſque ad plenam ſatisfactionem, evincit ratio manifeſta, cum opus peccatoris non ſit ſatisfactorium niſi prius remiſſa ſit culpa: ſed & damnatio Petri Oxonienſis per Sixtum IV. de qua dicemus tomo ſequenti, in eandem interpretationem cadit & hæreticam demonſtrat.

Quod exagitat Concilium eo quod tacuerit de pœnitentia publica, nimis in hoc moroſum & minus attentum ad Seſſ. 24. c. 8 de reformatione ſe oſtendit, nec ſibi ipſi conſtat cum reprehendit alias Concilium, quod tam multa definiat.

Thomiſtarum opinio probata circa partes pœnitentiæ.

Objectio Franciſcanorum tangit controverſiam ſcholaſticam, in qua putamus Thomiſtas Scotiſtis prævalere, ac actus pœnitentis contritionem & confeſſionem eſſe materiam ex qua Sacramenti pœnitentiæ, cùm iis etiam ſignificetur licet magis confuſe remiſſio peccatorum: quippe qui coram Domino pio ac clemente luget peccata, ferè ex hoc ipſo abſolutionem conſequutus eſt. Nec obſtat quod tam Tridentinum quam Florentinum vocent quaſi materiam, quia hoc eſt tantum ad ſignificandum quod non apponantur extrinſecus, quaſi aqua, verbi gratia in Baptiſmo, non tamen id neceſſarium eſt ad veram materiam Sacramenti, cum etiam in matrimonio conſenſus mutuus habeat rationem formæ & materiæ, etſi ſit quid intrinſecum; unde non patum opinio Scoti per Concilium impetita eſt, licet ejus diſcipuli ictum avertere conentur variis evaſionibus quas hic non perpendimus. Quod vero urget Polanus in Baptiſmo contritionem, ac confeſſionem prævias non eſſe materiam etſi in adultis requirantur, ac proinde in pœnitentia non debere haberi pro materia; dici poteſt ad hoc argumentum Sacramentorum materias ac formas ex Dei arbitrio inſtitutas

fuiſſe, erat autem ratio peculiaris cur in Baptiſmo actus baptiſati non eſſent materia, ut facilius iſtud Sacramentum applicaretur etiam parvulis, quia non tam gravia cenſentur crimina illius qui nondum fidem Chriſto dedit ac in eius ſocietatem admiſſus eſt, ut Sacramento faciliori iure adjuvari poſſit, quod advertit Concilium eadem ipſa Seſſ. cap. 8. Nam poſt Baptiſmum gravius eſt peccare & templum Dei violare, ideo Sacramentum inſtituit Deus paulò ſeverius, in quo voluit actus laborioſos pœnitentis eſſentialiter requiri, unde fit ut non valeat conſequentia à materia Baptiſmi ad materiam pœnitentiæ. Nec in re tanta debuit curare Concilium aliquantulam offenſionem Scotiſtarum circa materiam pœnitentiæ, licet circa formam eorum Doctori magis adhæſerit cum in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 4. præclarè aſſerit doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ ſubalternari doctrinæ de judiciis & etiam doctrinæ de ſententiis: pro quanto enim eſt in Eccleſia duplex forus ſcilicet privatus & publicus, pro tanto eſt duplex judicium, & quantum ad aliquas regulas iuſtitiæ oportet eſſe convenientiam hic & ibi. Ubi benè ait, quoad aliquas regulas, quam judicio externo abſolutio Eccleſiæ eſt magis declaratoria, at in judicio interno eſt magis operatoria remiſſionis peccatorum, in quo judex ſpiritualis majori pollet virtute quam Judex ſæcularis. Nec Concilium item hanc diſtinxit, cum limitatè ad opinionem Lutheri Can. 9. damnet aſſerentes abſolutionem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium, &c.

Circa eamdem Seſſionem 14.

Continuantur objectiones Polani.

Multam ſermonis materiam dedit, quod primo capite doctrinæ & ſexto Canone definitum eſt, Chriſtum Sacramentum Pœnitentiæ tum inſtituiſſe, quando inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens, *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, &c.*

Inſtitutio ſacram. pœnitentiæ.

Mirum igitur meritò videri, eumdem Chriſtum, inſtituentem ritum confitendi homini ſua peccata, adeo ſigillatim & exacte, ut nulla exſtet iſtiuſmodi vetus conſuetudo, verbis minimè apertis non effari, ſed ejuſmodi ex quibus per conſequentiam ſolam, eamque peſſimè connexam Chriſti mens elicitur, imo per conſequentias plurimas valdè remotas, ex Synodi ſententia petatur. Nec minus mirum illud quod cum inſtitutio habeat verbum, Remittendi, Patres in ſolemni ſua forma, non dicant, Remitto tibi peccata, ſed potius abſolvo te à peccatis: alij addebant, ſi per hæc verba ſacramentum abſolutionis inſtituitur, cum hac forma, *Abſolvo te*, propter eum qui abſolvitur, inevitabili neceſſitate ſequi, alterum ſacramentum aut ipſum hoc inſtituendum propter eum qui ligatur, cujus hæc ſit forma, *ligo te*: cum intelligi ſatis non poſſit, quomodo eadem poteſtas abſolvendi & ligandi fundata in verbis Chriſti plane ſimilibus, in ſolvendo requirat pronuntiationem verborum, *Abſolvo te*: & in ligando non requirat ea verba pronunciari, *ligo te*. Aut qua de cauſa ad exequendum illud quod Chriſtus dixit, quorum remiſeritis, &c. &, quæcumque ligaveritis, neceſſe non ſit dicere, *ligo te*: ſed ad exequendum, quorum remiſeritis & quæcumque ſolveritis, neceſſario dicendum ſit, *Abſolvo te*.

Nec diſſimile erat Criticorum judicium de verbis ſis cap. 5. doctrinæ, ubi dicitur Chriſtum, eiſdem illis verbis conſtituiſſe Sacerdotes peccatorum judices, ad ſententiam remiſſionis aut retentionis peccatorum pro poteſtate clavium ipſis tradita pronuntiandam; ac proinde à pœnitentibus peccata omnia in ſpecie ac ſigillatim ipſis in confeſſione revelanda, etiam circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant. Ex verbis enim Chriſti liquido apparere, Chriſtum non diſtinxiſſe duo genera peccatorum, unum quod oporteat remittere, & alterum quod retinere; ideoque Sacerdoti ſciendum, utrius generis delinquens ſit reus: ſed duo potius genera peccantium, verbis iis, quorum & quorum, unum pœnitentium, quibus remiſſio peccatorum conceditur; alterum impœnitentium, quibus remiſſio denegatur. Ideoque Sacerdoti cognoſcendum potius ſtatum delinquentis, quam naturam & numerum peccatorum. Illud autem quod additur de circumſtantiis peccati ſpeciem mutantibus, admodum inſipidum judicabant; poſſeque quemvis virum bonum ſalva conſcientia dejerare, ſanctos Apoſtolos, & ipſorum diſcipulos, rerum cœleſtium peritiſſimos, numquam adeo curioſos ſubtilitatum humanarum ſpeculatores fuiſſe, ut ipſis curæ eſſet intelligere, eſſe in peccatis circumſtantias ſpeciem mutantes: & pleroſque omnes forſitan id adhuc ignoraturos, niſi Ariſtoteles ad iſtam ſpeculationem viam præiviſſet, quæ iam nunc, ſi diis placet, articulum fidei ad ſalutem neceſſarium nobis concinnavit. Id quidem probabant, *Abſolvo* verbum eſſe iudiciale & valere conſequentiam, Sacerdotes ſi abſolvant, eſſe judices. Sed inconſtantiæ rurſus eſſe videbatur, damnare eos, qui dicerent abſolutionem nudum eſſe miniſterium pronuntiandi remiſſa eſſe peccata: cum manifeſtum ſit, in hoc verſari judicis officium, ut innocentem pronuncier ac declaret eum, qui immunis eſt à culpa, & reum qui deliquit. Non permittere autem perſonam judicis, quam ſuſtinet Sacerdos, ut delinquentem juſtum reddat, quod tamen ſibi vendicat. Enimuero principem eſſe, qui delinquenti pœnam remittat, ac famæ reſtituat: huic ſimiliorem, qui ex impio faciat iuſtum, quam judici, qui muneris ſui partes tranſgreditur, quoties alium inſontem pronunciat, quam eum, quem vere talem comperit. Illud verò ſupra omnia admirationi fuit, quod integram & ſingularem cum circumſtantiis omnibus peccatorum confeſſionem inde evincere ſatagebant, quod neque judicium ſine cauſæ cognitione exerceri, neque in pœna pœnitentibus imponenda æquitas ſervari poterat, peccatis Sacerdoti in genere ſolummodo cognitis: tum quod Chriſtus ipſe hoc genus confeſſionis ideo præcepiſſet, quo condignam pœnitentibus pœnam poſſent imponere. Sic ſane ridiculos mortales facere, & palam fatuos cenſere, quibus quidvis quantumvis abſurdum ipſis aſſerentibus tanquam fide dignum perſuaderi poſſit. Neminem enim eſſe adeo ſimplicem qui neſciat, aut non videat à confeſſariis quotidie pœnitentiam præſcribi, non modo delictorum meritis non ponderatis, ſed ne minima quidem eorum habita ratione. Qui verba Concilij audiat, credat forſan eſſe confeſſariis trutinam, ad quam peccatorum minutiſſima & veluti atomos expendant. Atqui nimio plus compertum eſſe, multorum homicidiorum, adulteriorum ac furtorum reis ſæpenumero in pœnam denunciari orationis dominicæ quinis vicibus recitationem. Eſſeque familiare confeſſariis pleriſque omnibus, etiam litteratis, in pœna denuncianda dicere, ſe partem modo pœnitentiæ imponere. Quorſum igitur exactam illam pœnitentiam ad modulum delictorum? aut cui fini particularem peccatorum cum ſuis circumſtantiis enumerationem? ſed quid opus eſt longius provehi, aut plura conſectari, cum ipſa Synodus doctrinæ cap. 9. & anathemate rurſus 13. ſtatuat; pœnis pro peccato vindicando ſponte ſuſceptis, & rebus adverſis patienter toleratis apud Deum ſatisfieri? Itaque neque neceſſarium, neque juſtum, aut pœnam quæ peccato reſpondeat in confeſſione imponere, aut particularem peccatorum enumerationem ea de cauſa ut illi aiunt, inſtituram adhibere. Verùm ut quæ dicta ſunt, in conſiderationem veniant, negabant omnino fieri poſſe, ut confeſſarius, quantlibet doctus, attentus ac prudens, audita hominis moderati de admiſſis uniu

Circumſtantia peccatorum.

tani confeſſione, multoque minus, ſi inſigniter flagitioſum plurium annorum commiſſa retegentem audiat, adeo certum de pœna peccatis ejus debita judicium ferat, Canonibus etiam cuicumque peccato ſuam pœnam aſſignantibus adiutus, ut non dimidio plus erret. Imo ne ejuſmodi quidem confeſſorem, etiamſi peccatorum catalogum in ſcriptis habeat, & pluſculis diebus ſecum expendat, ita circumſpecte ſtaturam unquam appenſurum, ut pœnas peccatis æquilibres faciat; tantum abeſſe, uti (quod hodie fit) exemplo abaudita confeſſione, rem acu queat attingere. Quamobrem Concilij Patres melius rectiuſque facturos, ſi cæteros mortales non ita deſpiciant, neque tam male ſanos ac vecordes exiſtiment, ut his, quæ tam abſurdè atque inepte ab ipſis ſtatuuntur, credendum habeant. De reſervatione caſuum cum Theologis Lovanienſibus & Colonienſibus pariter ſentiebant, ea Curiæ Romanæ avaritiæ & dominandi cupiditati imputata.

Reſponſio. Ad tria capita reduci poſſunt quæ hic cum multa loquacitate argumenta proponit contra doctrinam Concilij de confeſſione peccatorum Sacramentali, qui debuiſſet attendere ad verba D. Auguſt. lib. 1. ad Januarium cap. 5. quid horum ſit faciendum, ſi divinæ ſcripturæ præſcribit authoritas non eſt dubitandum. *Similiter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia; nam & hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.*

1. Eſt quod Chriſtus expreſſis verbis non dixerit ſingula peccata eſſe confitenda. Ad quod dicimus Evangeliſtas non omnia verba Chriſti retuliſſe, ſicut nec omnia geſta quæ ſi ſcripta eſſent, totus mundus ea capere non poſſet. Voluit Deus ſcripturas eſſe obſcuras iuſtis de cauſis, quas hic non examinamus. Cæterum ex his verbis *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ſatis colligitur neceſſitas manifeſtationis peccatorum, cum per ea verba, Apoſtoli conſtituti ſint iudices, ad quos proinde pertinebat ut ea manifeſta haberent de quibus judicium ferre debebant. Qua de re nullus ambigere poteſt, & id evidentius eſt quam quicquid ad elucidationem afferri poſſet.

2. Eſt quod non eſt potior ratio cur ex verbis Chriſti inferatur neceſſitas alicujus ſacramenti in cujus forma dicatur *abſolvo te*, quã alterius in cujus forma dicatur *ligo te*, nam quod præmittit dicendum fore, remitto non abſolvo, hoc minimè reſponſum meretur, cum utrumque dici poſſet, niſi Eccleſiæ uſus obſtaret. Ad id vero quod ait non minori ratione inſtituendum fore Sacramentum ad ligandum quam ad abſolvendum, ſi verbis à Chriſto prolatis inhærendum eſſet. Dicendum quod cum Sacramentum inſtituturum ſit ad cõferendam gratiam, non poſſe inſtitui Sacramentum ad ligandum aut retinendum, ideſt, non remittendum peccatum, aut retinendum peccatorem in eodem vinculo peccati, ut magis vulgata ferat horum verborum interpretatio. Cur vero non dicatur *ligo te?* etſi forſan verbis æquivalentibus id dicat Sacerdos, abſolutè tamen id dicere neceſſarium non eſt, cum ex eo quod Sacerdos non dicat *abſolvo te*, ſatis ſignificet ſe ligare aut retinere peccatum.

3. Eſt quod non benè inferatur neceſſitas confitendi circumſtantias peccatorum ſpeciem mutantes, ex obligatione confeſſarij ad imponendam ſatisfactionem peccatis proportionatam, cum nunquam poſſet imponi talis ſatisfactio, ut quæ trutina indigeret. Equidem id locum haberet ſi proportio quædam mathematica hic deſideraretur, ſed ſufficit quædam proportio moralis inter peccata confeſſa & ſatisfactionem impoſitam, habita etiam ratione doloris in pœnitente, ob quem minor ſatisfactio injungenda, ſicut etiam facultatis ipſius tam corporalis quam ſpiritualis. Quæ omnia dum leviter à quibuſdam perpenduntur aut prætermittuntur, vix dici poteſt quantæ tur-

bæ excitatæ ſunt noſtris diebus circa Sacramentum Pœnitentiæ.

Circa Seſſionem vigeſimam primam.

Hujus Concilij actiones anteactis temporibus numquam tantam ſui exſpectationem concitaverant, quantam hoc tempore, omnibus ferè principibus in eo depoſcendo conſpirantibus, legationibus ea gratia miſſis; tam multis præſulibus ex ſingulis regionibus ac provinciis congregatis, ut eorum qui ſuperioribus convocationibus interfuere numerum quadruplo excederent; & quod caput erat, principio ante ſex menſes ei facto, iiſque in quotidianis & aſſiduis tractationibus conſumptis, multis curſoribus, ac præſulibus continuo Roma Tridentum, & Tridento Romani feſtinantibus. Ubi vero decreta Seſſionis Typis mandata prodiere, tum uno ore omnes vulgatum proverbium de montibus parturientibus uſurpare; ac ſigillatim duorum articulorum in aliud tempus reſervationem notare. Mirum enim videbatur cum quatuor Anathematis totidem articulis fidei confectis, illum de uſu Calicis concedendo iuris eſſe Eccleſiaſtici declarari non potuiſſe. Multis quoque videbatur articulus ille primo loco tractandus; quod eo ſemel conceſſo diſputationum materia præcideretur. Tertium doctrinæ caput in fine diligenter fuit examinatum, quod fidelis ſolum Chriſti corpus ſumens gratia neceſſaria minimè fraudatur. Qua manifeſta confeſſione videbatur admitti gratiã non neceſſariam. Sed hic rurſus dubitabatur, an ſit poteſtas aliqua humana quæ poſſit impedire ſuperabundantem & non neceſſariam Dei gratiam. Etſi fortè poſſit, an charitas admittat hujuſmodi ad bonum impedimenta. Duo autem præ cæteris materiam ſermonibus præbuere. Unum neceſſitas hominibus impoſita credendi, veteres Eccleſiæ Patres parvulorum communionem pro neceſſaria minimè duxiſſe. Ubi enim agitur de veritate hiſtoriæ, res eſt facti & præteriti, ubi authoritas locum non habet, quæ jam facta immutare nequit. Atqui notum eſt legentibus D. Auguſtinum, eum novem in locis, non uno verbo, ſed oratione perpetua aſſerere Euchariſtiam parvulis eſſe neceſſariam: duobus vero ex his eam baptiſmo æquare, quoad neceſſitatem. Immo ſæpius quam ſemel, dicere, ipſam Eccleſiam Romanam tenuiſſe, ac definiviſſe eam neceſſariam ad parvulorum ſalutem; adductoin eam rem Innocentio Pontifice, cujus adhuc extat Epiſtola, id explicatè adſtruens. Subiitque permultos mirari, cur Synodus citra omnem neceſſitatem huic ſe implicarit quæſtioni ſine fructu, certè cum manifeſto diſcrimine, ne palam affirmetur, aut Innocentium aut Concilium erraſſe. Alterum erat, anathema ſecundum, quo declaratur hæreticum eſſe, qui dicit Eccleſiam non juſtis rationibus adductam, ut laicos abſque calice communicaret. Quod non aliud eſt, quam fidei articulum ſuper actione humana ſtabilire. Et mirabile viſum fateri, hominem non teneri ad obſervationem decreti niſi de jure humano: ſed ut idem credat eſſe juſtum, obligari jure divino. Tum pro articulis fidei ea ſtatuere, quæ quotidiè immutantur. Alij addebant ad hæc ſi tã juſtæ eſſent decreti cauſæ, eas non fuiſſe reticendas, neque homines terroribus, ſed modeſtis ſuaſionibus ad credendum cogendos. Id enim verè eſſe dominatũ ſuper fide exercere, quod B. Paulus adeò adverſatur. De capitibus reformationis hæc publica fuit hominum vox, neque articulos minoris momenti, neque leviori brachio attingi potuiſſe: Patres ſcilicet, imitatos medicum, qui corpore à Phthiſi laborante, in pruritus curationem incumbat. Illud verò, manum violentam in populi vulgam immittere ad Eccleſiæ novum Rectorem ſuis ſumptibus ſuſtentandum, aut Eccleſias collapſas reſtaurandas, ſatis inſolens, tum quoad ſubſtantiam, tum quoad modum videbatur. Quoad ſubſtantiam, quod Clero etiam ad luxum

Polani obiectiones alias.

Vſus calicis.

opes ſupereſſent, qui variis nominibus laicis ob accepta mage debitor erat. Quoad modum; quod neque Chriſto, neque Apoſtolis unquam venerit in mentem compellere homines ad ſua contribuenda, ſed ſuis tantum permittere, ut ſponte oblata acciperent.

Legenti verò D. Pauli ad Corinthios & Galatas Epiſtolas, facile appariturum, quam curam debeat Dominus bovi trituranti, & quod officium Catechumenus inſtitutori elementis religionis ipſum imbuenti; ſic tamen ut nulla actio aut ius ejus exigendi iis competat, neque ullum exret prætoris edictum cujus auctoritate niti debeant.

Reſponſio. Non ſatis diſputatum erat ab Huſſitis & Calixtinis de communione ſub utraque ſpecie, niſi accederent Lutherani & Calviniſtæ hereticque contentio major, juxta illud Iſaiæ cap. 24. *Clamor erit in plateis ſuper vino*; idcirco cum tanta verborum pompa rem iſtam aggreditur nugaculus noſter, cui peculiare eſt, ut quod nonniſi levioribus argumentis ac rationibus poteſt efficere, ſtrophis ac meris calumniis probare elaboret, ſed inutile eſt aquilam irretire velle aranearum telis. Prudentia magna Concilium decretum hoc edidit, fideles laicos ſub una ſpecie communicantes nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudari. Hoc decreto retundebat rationes eorum qui tantopere calicem ſitire ſe aiebant, nec attingebat quæſtionem ſcholaſticam, major-ne gratia ſub duplici ſpecie quam ſub unica conferretur. Diſplicet Frapaulo prudentia hæc qua percutitur, & in dubium revocat an ſit poteſtas in Eccleſia qua poſſit impedire ſuperabundantem & non neceſſariam Dei gratiam. Quo ſimili dubio multa ſimul evertere poſſet, an poſſit Eccleſia prohibere jejunium die Dominico, quia per opus bonum jejunij gratia in Chriſtianis plurimis creſceret? an poſſit impedire ne ter quaterve quiſpiam eodem die celebraret aut communicaret, quia illa prohibitione impeditur gratiæ augmentum? an amovere poſſit præfectus ſpiritualis Religioſum ab immodicis auſteritatibus? &c. ſi in illis nullum eſt dubium, cur erit in prohibitione alterius ſpeciei, etiamſi exinde ſequeretur imminutio aliqua gratiæ? per accidens iſta ſequuntur ex prohibitione aliàs licita ob alios fines. Certè tenetur Eccleſia providere media ad ſalutem neceſſaria, non vero omnia quæ poſſunt eſſe utilia, nam & Sacramentorum, quorum eſt diſpenſatrix, debet proſpicere veneration.

Quod vero ſubdit, condere articulos fidei de rebus factis aut ſuper actione humana non licere Concilio, neſcit morem Eccleſiæ quæ pro ratione dictorum ab hæreticis ac rationum quibus dogmata ſua muniunt aut explicant, varios edit Canones: quod obſervare licet in duodecim anathematiſmis D. Cyrilli contra Neſtorium ab Epheſina Synodo probatis. Ad id coegit importunitas hæreticorum, qui non ſufficienter damnatos credunt, niſi Canones edantur oppoſiti iis propoſitionibus ac dicendi modis, quibus eas ſtabilire ſolent, quod in pleriſque aliis Concilium hoc obſervat.

Ad aliud de cogendo populo ad Paſtorem ſuſtentandum deficientibus aliis mediis, non tantum mirabitur qui ad D. Paulum attendet, 1. Cor. 9. *Magnum eſt ſi nos qui ſpiritualia vobis ſeminamus, carnalia veſtra metamus.*

Communio infantium. Sed ne parvulos per contemptum præterriſſe videamur, dicimus Dn. Auguſtinum in eo locis non loqui de neceſſitate communionis Sacramentalis, ſed ſpiritualis, fructus ſcilicet Euchariſtiæ, cujus etiam participes redduntur in ipſo baptiſmate. Nam præceptum communicandi, ad ipſos Chriſtus non direxit, qui illud percipere non poterant; cum active loquitur, *niſi manducaveritis*, quo ſimili modo non expreſſit præceptum baptiſmi, paſſivè loquens, *niſi quis renatus fuerit*, ut neceſſitate medij neceſſarium eſſe hic intelligatur & utriuſque Sacramenti non eadem aut par neceſſitas. Unde nec conſuetudo parvulos communicandi univerſalis fuit in Eccleſia, & ad honorem tanti Sacramenti expedire judicavit Eccleſia ab illo arcere, qui ad illud dignè ſeſe non poſſunt diſponere, ut ſunt pueri, ut ex hac parte minus irreverenter & irreligiosè habetur Chriſtus Dominus, maximè in hoc tempore, in quo graſſantibus hæreſibus rarè ſunt in pluribus locis indignæ participationes divini hujus Sacramenti, cujus decori providere omni meliori modo ſatagit Eccleſia.

Quod ſi aliter mentem D. Auguſtini placeat interpretari, an non licebit Eccleſiæ quod D. Hieronymo, qui cum D. Auguſtino innoxiè pugnavit? Sed Judex ſit ipſe D. Auguſtinus qui tantum ſibi non arrogat, ut menſuram omnem cœleſti diſciplinæ velit præfigere, cum ſcribit Epiſt. 19. ſolos Scripturæ libros ab errore omni immunes, & lib. 11. contra Fauſtum cap. 5. ſuos libros cum judicandi libertate, non credendi neceſſitate vult eſſe legendos. Quamvis, & cum ejus tempore quæſtio iſta dubia & nondum ſatis excuſſa eſſet, liberum fuerit Eccleſiæ, ad finiendam controverſiam quid in ea tenendum eſſet determinare. *D. Auguſtini modeſtia.*

In conſequentibus multis verbis exaggerat quod omnes articuli ad communionem ſub utraque ſpecie attinentes confeſtim in Synodo definiti non fuerint; ſed quod poſt multam ac diuturnam diſcuſſionem ad ſummum Pontificem remiſſi fuerint, contra omnium expectationem qui juris ſibi debiti reſtitutionem in calicis conceſſione poſtulabant, quaſi Chriſtianorum conditio eſſe juxta Iſaiæ vaticinium *mandata remanda, expecta rexpecta.* Tum in commentariis ſuis memorialibus ait ſe non invenire, quod decretum de ſacrificio miſſæ magnam ſermonibus præbuerit materiam, niſi quod de prohibitione linguæ vulgaris in miſſa ſit aliquid dictum, maximè propter locum D. Pauli 1. ad Cor. 14.

At iſta tot paginas non merentur, Concilium ea ſtatuit in decretis quæ ſufficere putat ad revincendam graſſantem hæreſim & fideles in officio pietatis continendos. Quod vero legati remittant ad ſummum Pontificem ac ejus intentionem exquirant, id certè pro officio agunt, legati quippe non agunt proprio nomine, ſed illius nomine à quo miſſi ſunt & cujus vices gerunt, ut interim conquieſcat immoderatus quorumdam fervor, & res maturius expendantur. Quam bene Cardinalis de Monte in Seſſione 11. hujus Concilij, *ubi agitur de fide, de dogmatibus, de confundendis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in unius verbuli diſcuſſione longo tempore immorari.* Sed quid iſtis faceres? ſi res controverſa intra paucos menſes definiatur, dicunt ſine debito examine & cum nimia feſtinatione prolatam eſſe ſententiam, ſicut Neſtoriani in Epiſtola Ibæ conquerebantur de nimia properatione in damnando Neſtorio: ſi res protrahatur, iam ſpargunt querimonias *manda remanda, expecta rexpecta.*

Quod autem ſpectat ad celebrationem miſſæ, quod prohibeatur in lingua vulgari, plures ſunt hujus prohibitionis rationes æquiſſimæ, quas paſſim offendes apud Theologos Polemicos, ideſt, qui de controverſiis contra hæreticos concertant. Etenim cum in Occidente ab Eccleſia Romana ritus celebrandi officij acceperimus, ejus lingua merito utimur; & ſi Lutherani miſſalia ſua conſulerent ante hæreſim edita, pauca ut puto miſſæ linguæ Germanicæ reperirent. Nunquid in gente Judaïca poſt captivitatem Babylonicam ſcripturæ legebantur ſecundum antiquum ſermonem Hebræum, quem amplius vulgus non intelligebat? 2. Eſdræ cap. 8. preces publicæ ad Deum diriguntur qui omnium corda & linguas novit, nec unquam ſummus Sacerdos Aaronicus melius pro populo orabat, quam cum ſemel in anno in ſancta Sanctorum ingrediebatur, cum tamen vox ejus à *Prohibitio miſſæ in vulgari ſermone.*

populo non audiretur. Tantum vero abeſt ut D. Paulus faveat huic in publicis officiis vulgatæ linguæ uſui, dicens *ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet amen*? Quin potius ex his verbis appareat olim inſtitutos fuiſſe miniſtros alterius qui ſervirent & idiotarum locum ſupplerent non intelligentium, & reſponderent pro tota illiteratorum Eccleſia. Ut ad hunc locum D. Pauli advertit Catharinus. Verum eſt aliquando permiſſum alicui nationi ut officia vernacule celebrarentur, ſed [redacted] ad tempus: cum enim illa natio tota ſimul fidem amplexa fuiſſet, deerant ſacerdotes qui latinè poſſent officia peragere; ideoque [redacted] inductum propter neceſſitatem, ad tempus.

Polanus arguitur mœroſitatis.

Atque cum in iis videamus quacumque ex parte argumentationis inanitatem, pergit tamen & magnum illum pruritum calumniandi & quælibet arguendi quo divexatur, teſtatum facit omnibus, ut minus aptè Suavis nomen ſibi uſurpaverit qui tam acrem ac difficilem ad minuta quæque, etiam circa reformationem ſe exhibet, ut rhamnus humi repens videri poſſet, ſolis ſpinis ac ſatyricis aculeis glorioſus, & ſupra cedros Libani. Patres ſcilicet Tridentinos regnare præſumens. Si mentem hominis ſequamur, nihil prudenter, nihil ſapienter à Patribus Concilij ex omni orbe congregatis poſt maturam deliberationem, diſcuſſionemque geſtum eſt. Ubique quod rodat mus iſte invenit, ſtomachum illi movet tanquam nauſeabundo quicquid ad refellendam hæreſim aut reſtituendam diſciplinam Synodus adinvenit. Si exactius res perpendat & pluribus decretis aut Canonibus controverſiam definiat, in fruſtula omnia diſſecantur, omni quæſtione in quovis ſubjecto propoſita: ſi tantum rerum ſubſtantiam attingat Concilium, modis prætermiſſis, hinc arguit magnam Patrum ad diſcedendum Tridento feſtinationem: quaſi non ſatis fuiſſet tot annos cum gente hæretica bella gerere in iſta vrbe. Equidem non ſine cauſa multi exitum Concilij deſiderarunt. Teſtantur literæ Sanctefij ad Eſpenſæum, quantum prolixior commoratio in hac urbe exhauſtis marſupiis, tædioſa erat, ut ibi plures Doctores mallent in Sorbona mori, quam diutius cum exigua re familiari, Tridenti vivere. Nec [redacted] novum fuit. Id ſæpe experti ſunt Patres in Conciliis, ut ſupra de Epheſinis notatum eſt, cum diutius paulo, per aliquot Hebdomadas, differretur definitio, ad expectandum Joannis Antiocheni adventum. Si ex aliquot Hebdomadis incommodè ſe habuerunt Epiſcopi Epheſini, quid ex pluribus menſibus & annis paſſi non ſunt Tridentini? ſed quia hic tantum argumentis ejus Theologis reſponſionem paramus, iiſque magis utitur in convellendis ſi poſſet indulgentiis, ex quibus prima mali labes in Luthero & origo Concilij nati eſt, in quarum etiam aſſertione finem accepit, quid contra eas moliatur attendamus pauliſper, & quo cuſpide eas transfigere conetur.

Circa Seſſionem 23. ſub Pio IV.

Inter omnia hujus Concilij acta, nullum tam flagranti deſiderio homines avebant inſpicere, quam iſtius Seſſionis, poſtquam in lucem exiit, cupidiſſimis quibuſque videndi, quid tandem illud eſſet, quod tot prælatos decem totos menſes *Tridenti* in contentione, omneſque principum Chriſtianorum aulas in negotio detinuiſſet. Verum accidit quod eſt in Proverbio *mons parturiit, at ille murem peperit.*

Frapauli mens detegitur.

Vel hæc ſola cenſura Frapauli circa Decreta Concilij de Sacramento ordinationis notum facit, quali mente fuerit. Multa contumelioſe ſcripſit Lutherus contra iſtud Sacramentum, de quo aiebat in libro de *capt. Babilonica*, plura robuſtius, ubi iſta Papiſtis amicis meis diſplicere ſenſero. At nihil tam indignum quam quod Frapaulus pro more habet ſancta hæc decreta Concilij: indignus fefſe eſt mui-ſte, ſed non ſele & iracundia piorum & ortodoxorum. Quis iſta à regulari calamo ſecundo repetita expectaſſet? quam benè in illum quadrant, quæ in Lutherum dicta ſunt à Povelo: miſeret me profecto tui, adeo dementer in Romanam Eccleſiam debacchantis, qui ut vehementiſſimè illi diſpliceas, quicquid illa affirmat tu negas: quicquid illa probat, tu damnas: quod illa amat tu odis: tam ſedulo omnia adverſus eam gladiatorio animo agis. Unde & cum Boos inter primores & principes Synagogæ eximus honoraverit quondam Ruth mulierem, & eandem Moab viridem: & Salmon quoque princeps in tribu Juda Raab mulierem olim gentilem; tu tamen Luthere Frater mendicus & Apoſtata cum his, Romanam Eccleſiam dedignaris venerari: cum nihil quod non illi & Chriſto debeas: & tamen pro benevolentia convitium, pro beneficiis contumeliam, pro amore odium, pro humilitate ſuperbiam, pro ſubjectione contumaciam, homo omnium ingratiſſimus nunc reddere non erubeſcis: tam bene de matre tua filius degener mereris. *Ruth. 2.*

At quæ cauſæ tanti contemptus? deſiderabant, inquit, homines aliquantulum in rebus Theologicis verſati, ut declararetur aliquando quid ſibi vellet Concilium per illam poteſtatem *retinendi peccata*. Si ſcripturam ſacram æſtimant eſſe perſpicuam omnibus, quid interpretationem quærunt illius poteſtatis, quam aſſerit ſcriptura ſacra? non aliud intellexit quam quod Chriſtus, nempe ut ſacerdotes peccata non remitterent peccatoribus non benè diſpoſitis, nec errores præteritos cum vero dolore retractantibus, quales ſunt poriſſimum hæretici, quibus procella tenebrarum ſervata eſt. *Poteſtas retinendi peccata.*

Legebatur ab aliis, inquit, cum admiratione declaratio ea *ordines inferiores gradus tantum eſſe ad ſuperiores, & omnes ad ſacerdotium.* At unde admiratio niſi ex ignorantia? ignorabant illi excellentiam ſummam ſacerdotij, ad quod per ſaltum unum adſcendere indecens eſt: ideo tamquam ad apicem dignitatum omnium pervenitur per diverſos ordines inferiores, quibus homo paulatim præparatur. Hoc ita Chriſto inſtituente per ſummam qua viget ſapientiam: in eo nihil aliud admirandum quam tanta altitudo ſacerdotij Chriſtiani: ſed magis ſtupenda res eſt pertinacia hominis Religioſi & Sacerdotis, qui his artibus ſacerdotium infamat.

Sed non ibi conquieſcit, ſpecioſum in primis decretum illud, ut miniſteria ordinum à Diaconatu uſque ad oſtiariatum non exercerentur niſi à promotis ad ordinem cujuſque proprium. Sed ſatis difficile videbatur ut nullæ in Eccleſia pulſari poſſent campanæ aut portæ obſerari vel aperiri niſi ab oſtiariis ordinatis: ſed nec accendi lampades & candelæ niſi ab acolytis munera illa manuaria exercentibus ut ad ſacerdotium pervenire poſſent: & videbatur nonnihil habere contradictionis ut illa miniſteria non obirent niſi ordinati; & poſtea prælatis præcepiſſent, ut ea, quantum commodè fieri poſſet, reſtituerent. Difficile certè iſtud videatur tepidis in divino cultu & dignitatem ſacrificij incruenti reputare neſcientibus. Ferventibus & amantibus, quos zelus domus Dei comedit, nihil difficile: & ſi in domo regis terreni nullum vile officium reputari ſolet, cur in domo Dei, in Eccleſia quicquam vile reputabitur? Omnia levitis competebant in Synagoga circa templum: cur non magis omnia ordinatis & conſecratis miniſtris è clero circa ſacrificium, ut omnia decenter & cum ordine fiant miniſteria, quæ qualiacumque ſpecie tenus videantur, magna ſunt omnia ad ſacrificium corporis Chriſti relata? Atque cum hoc inruina illa deſideraret Eccleſia reſtitui ſicut erant antiquitus ad majorem Dei gloriam. Sed quia id non fiet negligentia ſæculi, tolerat interim ut quædam fiant à laicis, non tamen ex officio & cum ſolemnitate, ne *Minores ordines.*

aliter censuræ incurrantur. Unde dissolvi poterit apparens illa & prætensa contradictio.

Sed subjungit laudans & vituperans illico. In decreto de presbyterorum ordinatione admodum convendens omnibus videbatur conditio præscripta, ut apti sint ad Populum erudiendum: sed hæc non satis videbatur cohærere cum illa altera doctrina & consuetudine, sacerdotio non esse essentiale non habere curam animarum. Illud vero assignare uti conditionem necessariam in minoribus ordinibus, linguæ latinæ intelligentiam, dicebant nonnulli manifestam declarationem esse Concilium generale non constare de omnibus nationibus Christianis. At hæc sugillatio facile repellitur, non sit essentialis sacerdotio cura animarum, non minus is gradus doctrinæ quo possint alios docere, in ipsis merito desiderabitur. Quid enim minus requiri potest, ut intelligant mysterium omne sacro-sancti sacrificij in quo tot sunt magna & abscondita scituque necessaria, ut magni doctores vix ea omnia benè calleant? Sed & amplitudo Ecclesiæ id habet ut quidam ex suis ministris quasi Angeli adsistentes, paratiamen sint semper ad ministerium proximi & curam animarum, cum vocati fuerint & Ecclesia ipsorum opera uti voluerit. De ista vero latinæ linguæ peritia, quid imperiti mordeant, haud satis clarum est, cum leges ferantur & intelligantur accommodatè ad loca & tempora: at non improbent usum linguæ græcæ in Oriente, imo & jubent. Quare hæc minimè morati nos debent, sed nec illud quod sequitur de sexto canone, in quo articulus fidei de Hierarchia constituitur, qui propterea canon in Germania notam & reprehensionem non effugit. Voce, inquit, & significatione sacris litteris & consuetudini primitivæ Ecclesiæ non modo aliena, verum etiam contraria: & voce inventa à quodam fortasse satis antiquo, sed de quo haud planè constet quis aut quando fuerit: scriptore cætero qui hyperbolico, quem nec in illius vocabuli usu, nec in aliis ab ipso excogitatis quisquam antiquorum imitatur. Quod si stylum dicendi & modum operandi Christi & sanctorum Apostolorum & antiquæ Ecclesiæ sequi voluissent, non *Hierarchiam*, sed *Hierodiaconiam* quandam aut *Hieroduliam* statuendum fuisse. Sed bene est quod antea de D. Dionysio D. Pauli Apostoli discipulo ac ipsius libris satis multa dixerimus partim in V. classe, partim etiam in prolegomenis hujus Concilij: hoc me liberabit ab ulteriori discussione hujus litis. Sed ad retundendam asperitatem & mendacitatem Frapauli in hoc loco, non dubitamus asserere Hierarchiam, quæ sacrum principatum designat eorum qui aliis purgandis, illuminandis ac perficiendis invigilant, more Angelorum superioris chori aut Hierarchiæ, ex Apostolo Paulo colligi posse, cum 2. Cor. 12. varias divisiones gratiarum, ministrationum ac operationum ab uno Dei spiritu in Ecclesia esse docet, ut nimirum illa variis ordinum gradibus illustrata, velut altera Salomonis domus ministrorum serie enitens se omnibus gloriosam redderet, ac tanquam castrorum acies ordinata tot sacris hominibus roborata, impiis, hæreticis & tartaries hostibus formidabilem se præberet.

Cura animarū.

Has itaque objectiones fecerit, ut pro colophone addit Frapaulus, suarum concionum subjectum, *Petrus Paulus Vergerius in valle Telina*, doctrinæ Concilij detrahens. Sed quid profuerit cani in lenam latrasse? non alio tendunt hæc adversariorum Concilij dicteria, quam ut ordinis Sacramentum convellant nec habeant homines super se alios à quibus regantur & sacra participent ex ordinatione divina: sed cum omnes pares inter se fuerint, confusio inducatur Babylonica. At profecto nulla gens tam agrestis, nulla natio tam fera fuit, ut inter sacerdotes & prophanos nihil discreverit. Semper sacerdotes in pretio & honore habiti sunt: in lege naturæ primogenitus jure sacerdotij gaudebat ac duplici in hæreditate paterna portione. In lege Mosaïca quibus privilegiis à Deo sacerdotes & levitæ donati fuerint, quis potest ignorare? denique ubi Deus colitur, sacerdotes in veneratione sunt, & impie de Christo sentit qui cum vilissimis quibusque hominibus eos confert, facit Luthero adhærens.

Circa Sessionem 24. de matrimonio.

Etsi in censuræ hujus initio videatur Frapaulus parcius acturus, quod materia matrimonij non videretur posse res magnopere observatu dignas apportare, attamen in se alios more solito transfigurans, non multò indulgentior apparet, & vere materia est ingeniis litibus inter plures.

In sexto anathemate de matrimonio multos in admirationem dedit, *dissolutionem matrimonij per solemnem professionem non consummati*, articulum fidei constitu. Plura mirari solent qui solam scripturam pro regula fidei statuunt, nec agnoscunt traditionem eadem vi pellere ex qua Ecclesia possit non tam articulum in rebus obscuris quam propositionem fidei elicere. Quod hic facit Concilium in dissolutione matrimonij nondum consummati, per Professionem in Religione, id magnum est Privilegium Religioni à Christo concessum, non statui sacerdotali nec Episcopali. Fundamenta hujus doctrinæ subministrat Pontius l. 9. de matrimonio c. 5. ac auctores qui ex instituto Christi hanc dissolutionem vim habere docuerunt: ibidem afferuntur Scotus in 4. dist. 31. qu. 1. Abulensis 1. reg. c. 8. q. 98. & 103. & 113. Victoria de potestate Papæ parte 1. nu. 1. ad 1. Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. conclusione 1. Petrus Soto lect. 1. de matrim. §. *post hæc*. Cordubà l. 2. quæstionarij q. 23. §. *ad rationes*. Ferdinandus Rebellus parte 2. l. 3. q. 4. sect. 2. & alij recentiores. Cujus rei veritas colligitur ex quibusdam decretis Pontificum ab Apostolorum tempore pro constanti habitum [illegible]: quod magno argumento est traditionem esse divinam ex institutione Christi qui auctor est Religionis. Potissimum est autem decretum Eusebij Papæ qui anno 309. texit Ecclesiam apud Gratianum 26 q. 2. c. *desponsatam*; desponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere, licet tamen illi si voluerit monasterium eligere. Verba enim non licet, non nova lex indicitur, sed iam statuta exprimitur, ut ex multis canonibus liquet.

Dissolutio matrimonii ob religionis ingressū.

Nonus canon sermonis materiam dedit ob illam assertionem, *Deum non negare donum castitatis rectè petentibus*, quæ contraria videntur Evangelio dicenti *omnibus non datum*, & D. Paulo qui non hortatus est ad id petendum: quod erat facilius quam matrimonium inire. Vetus est ista querela hominum libidinosorum, qui putant sibi omnia licere, quia dicunt se non habere donum [illegible] castitatis, & mandata Dei impossibilia. At canon dicit non denegari istud donum rectè potentibus: quare si non datur omnibus est quia omnes non rectè petunt, ipsorum est propria culpa, maximè cum canon etiam habeat pro altera ratione, *nec patiatur Deus nos supra id quod possumus tentari*. Quod si D. Paulus aliud remedium insinuat, nihil est contradictionis in istis omnibus, rectè orare, tentationi resistere viriliter, & matrimonium inire tria sunt antidota: si ergo Paulus unum remedium indicat, Concilium adhuc aliud, nihil est quod conquerantur febricitantes inter tot remedia.

Donum castitatis.

Duodecimus anathematismus politicos admodum sollicitos habuit, quasi hæresis esset tenere causas matrimoniales non pertinere ad judices Ecclesiasticos, cum certum sit leges matrimoniales omnes ab Imperatoribus conditas, & cæt. Sed in hoc falluntur ac fallere volunt censores: matrimonium est contractus civilis & est sacramentum: ratione primi causæ ad judicem sæcularem pertinent: ratione secundi ad

Causæ matrimoniales.

Judicem Eccleſiaſticum. Unde pro utriuſque foro leges inveniuntur. Unuſquiſque ex judicibus poterit de eo quod ad ſe pertinet judicare, & erit iſta diſtributio æqua & pax fructus ejus.

Addit Frapaulus. Etiam in primo limine decreti de reformatione matrimonij multi hærebant, cum tanquam articulum fidei definitum intelligerent matrimonia clandeſtina verè fuiſſe Sacramenta. & Eccleſiam nihilominus *ea ſemper fuiſſe deteſtatam*, cum ſit perquam abſonum Sacramenta deteſtabilia habere. Item quod parochus jubeatur conjuges interrogare & eorum conſenſu intellecto dicere, *ego vos in matrimoniũ conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Id critici irridebant dicentes: aut ſine iſtis verbis conjunctos eſſe aut ſecus: ſi non ſunt conjuncti non eſſe igitur verum, quod Concilium Florentinum decrevit conſenſu perfici matrimonium. Sin conjuncti ſunt, cujuſmodi eſſe illam conjunctionem quam Parochus facit perſonarum jam conjunctarum? Quod ſi verbum (conjungo) hanc ſententiam habeat, conjunctos declaro, ex eo promptum eſt concludere etiam verba abſolutionis eſſe declaratoria. Sed non erat difficile Frapaulo hos ſcrupulos diſſipare, dicendo Eccleſiam matrimonia clandeſtina deteſtatam fuiſſe, non qua matrimonia ſunt, ſed qua clandeſtina: ſicut alicubi dicit D. Auguſtinus Deum odio habuiſſe *Eſau*, non qua hominem, ſed qua peccatorem. Ad argumentum vero cornutum ſeu dilemma, concedendo juxta dictum Florentini Concilij, matrimonium iam eſſe contractum per conſenſum legitime præſtitum: & verba ſacerdotis eſſe tantum confirmatoria rei jam factæ. At ſecus eſt in ſacramento pœnitentiæ, quod eſt ſacramentum mortuorum: ſæpius pœnitens adhuc in vinculis eſt, cum dicit confeſſarius, *ego te abſolvo*, & per hæc verba vere remittit peccatum. Unde inane eſt prætendere ex hac computatione abſolutionem non niſi declaratoriam fore.

Matrimonia clandeſtina.

Hæc tacet & magis auget ſcrupulos lectorum circa eadem clandeſtina matrimonia, quæ in poſterum annullat Concilium, quomodo hoc decretum non fraudis aut negligentiæ taxat eos qui a principio huic malo non conſuluerunt. Verum eſt fuiſſe tolerata ad tempus ita matrimonia clandeſtina: ſed tempus omni rei, tempus eſt medendi & ſanandi. Quid ſi pater familias uſque ad meſſem ſinit creſcere zizania, & Eccleſia uſque ad diem judicij ſui, quod exercet maxime in Concilio generali, tolerat aliqua mala ſperans homines emendaturos delicta ſua? tandem vero cum intuetur ipſos fieri pejores patientia ſua, remedium potentius adhibet. Sed difficilius eſt quod ſubjungit, cum emanaſſet fama diſtinctionis illius ſuper qua decretum eſt fundatum, nempe contractum qui materia eſt ſacramenti, annullari, difficile fuit aliquantiſper id animo comprehendere. Sed vult Frapaulus torquere animos lectorum, excitando difficultates quibus nullam apponit ſolutionem: quaſi Concilium erraſſet in iſto decreto de clandeſtinis matrimoniis, aut inſtitutum Chriſti immutaſſet, contractum publicum & ſolemnem coram parocho & duobus teſtibus determinando pro materia hujus ſacramenti, cum ita Chriſtus non determinaſſet. Supplebimus libenter quod ille omittit, quacumque mente id faciat.

Materia Sacramenti an mutata per Conc.

Verum eſt igitur quod Chriſtus determinavit formas & materias ſacramentorum & ita conveniebat fieri, tum quia pollebat poteſtate excellentiæ ſuper omnes: tum quia ſacramenta ſunt fundamenta religionis, propterea per ſeipſum ea debebat ponere & inſtituere: tum quia ſic magis ſunt fixa & immutabilia, non manente in Eccleſia ad eorum ſubſtantiam mutandam poteſtate: tum quia ſic magis provocamur ad collocandam ſpem noſtram in ipſo, non in aliis: tum denique ut in majori reverentia haberentur illa quæ tam nobilem parentem habent, qualis eſt Chriſtus. Sed ſciendum quod non eodem modo omnium ſacramentorum materiam inſtituit: quorumdam enim materiam magis in ſpeciali determinavit ut aquam naturalem in baptiſmo, aliorum magis in generali ut in ordine illa inſtrumenta, quibus ſignificaretur poteſtas ordinato collata: ac in matrimonio aſſignavit pro materia contractum civilem ac legitimum in genere, id eſt, contractum cum iis conditionibus factum, quos Eccleſia pro loco & tempore probaverit: ſine igitur antè Concilium valuerit contractus clandeſtinus pro materia & poſt non valeat; ſemper materia à Chriſto inſtituta eadem eſt formaliter, quia in utroque caſu eſt contractus cum conditionibus ab Eccleſia probatis initus. Nec plus eſt difficultatis quod in baptiſmo verba proferantur latine aut græce, cum in utroque caſu verba ſignificent effectum baptiſmi, qualia pro forma Chriſtus inſtituit.

Quod amplius circa illam ſeſſionem crimini vertebatur, Gallos reſpicit qui decretum illud, *ut raptor mulierem raptam teneatur arbitrio judicis dotare*. Sed tædet me hujuſmodi criminationibus reſpondere: quaſi non poſſet Eccleſia mater omnium, ſaluti omnium invigilans, omnis conditionis & ſexus & ætatis monere, aut ſæcularem poteſtatem luderet addita clauſula, *invocato ſi opus fuerit brachio ſeculari*. At profecto in iſtis nimium ſunt meticuloſi plures politici homines: illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. Pluribus reſpondet Andreas Duvallius Decanus facultatis Pariſienſis hujuſmodi rationibus contra Concilium ex poteſtatis ſæcularis futuro detrimento petitis, & apud me libri ſunt Gallici qui abunde iis ſatisfaciant: magis hæreticorum Calviniſtarum gravamen ſublevare juvat.

Circa Seſſionem XXV. De Indulgentiis.

Polanus in hiſtoria Concilii Tridentini.

At in Germania, inquit, decreta reformationis, neque apud Proteſtantes, neque apud Catholicos digna videbantur, in quæ conſiderationem intenderent. A Proteſtantibus ſola fidei dogmata examinabantur. Uerum de Indulgentiis plus erat quam de cæteris omnibus ſermonum. Illas enim occaſionem dediſſe ei, quæ nunc viget inter Chriſtianos ſciſſuræ: illarum gratia Concilium præcipuè congregatum: nullam in hoc argumento partem eſſe, non controverſam & incertam, etiam apud ipſos ſcholaſticos. Et tamen Synodum ſicco pede, illud tranſiiſſe, de dubiis & controverſis, ne verbo quidem dicto, aut ulla facta declaratione. Quod autem abuſuum remedia ſpectat, verbis adeò ambiguis locutam, ut ex his intelligi nequeat, quid aut probetur aut improbetur, dum ait ſe in his concedendis moderationem quamdam cupere juxta veterem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem.

Indulgentiæ.

Nam certum eſſe, neque diſſimulari poſſe, in Eccleſia Orientali cujuſcumque Nationis Chriſtianæ, neque antiquis temporibus, neque vltimis, vllum uſum fuiſſe Indulgentiarum cujuſcumque generis; & in Occidentali, ſi nomine veteris conſuetudinis intelligenda ſit illa, quæ obſervata ante Vrbanum II. uſque ad annum M. XCV. nullas, quod quiſquam ſciat, aut fidem facere poſſit, indulgentias in uſu fuiſſe. Ab illo tempore uſque ad annum M. CCC. earum aliquem uſum apparere, ſed infrequentem & dumtaxat pro liberatione à pœnis per confeſſorem impoſitis. Ex eo tempore qui abuſus inveteraverint, è Concilio Viennenſi certi poſſe; qui uſque ad Leonem X. creverint in immenſum. Itaque quod cupiat Synodus reſtitutam antiquam conſuetudinem in Eccleſia approbatam, neceſſario declarandum, in qua Eccleſia & quo tempore. At illa verba, quod nimia in concedendis indulgentiis facilitate diſciplina Eccleſiaſtica enerueretur, dicebant expreſſam eſſe confeſſionem, indulgentias ad conſcientiam non perti-

nere, neque vlla re liberare apud Deum, ſed externa tantum ſpectare, quo in genere eſt diſciplina Eccleſiaſtica. De ciborum delectu & jejuniis dicebant, ea commendare eſſe laudabile; ſed id non eſſe deciſum, de quo mundus tantopere queritur, nempe hic prætendi conſcientiæ obligationem. Neque vero principes proteſtantes Germaniæ hoc Concilium vllo numero habebant, tantum Miniſtri aliquot confeſſionis Auguſtanæ, atque ij pauci proteſtationem quandam ediderunt in publicum, quæ non magni habita. Et Catholici dogmata de purgatorio & indulgentiis non curabant, in impetranda Calicis communione, Sacerdotum conjugio, & relaxandis multiplicibus juris poſitivi circa jejunia, dies Feſtos, aliaque id genus præceptis, toti defixi.

Antiquitas indulgentiarum.

Reſponſio. Hic multum ſudat Petrus Suavis contra Indulgentiarum decretum, quaſi illæ antiquæ in Eccleſia non fuerint, aut ad conſcientiam & forum interius non pertineant. Sed ad antiquitatem illarum comprobandam ſufficit quod D. Paulus aliquando Indulgentias conceſſerit 2. ad Cor. 2. *Cui aliquid donaſtis & ego; nam & ego quod donavi ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti.* Nam per donationem intelligit hîc Apoſtolus remiſſionem pœnæ impoſitæ, quam in perſona Chriſti, ideſt, ejus authoritate remiſit inceſtuoſo Corinthio de peccato dolenti, ne vehementiori triſtitia abſorberetur. Hæc porro remiſſio pœnæ impoſitæ indulgentia eſt. Sed & ſupra in Can. 11. Concilij Niceni 1. dictum eſt Epiſcopo licere *humanius aliquid cogitare* circa eos qui aliquod tempus ferventer pœnitendo expleverint. Atque hujus rei haud obſcura manent veſtigia in Concilio Ancyrano cap. 2. circa annum 308. Item in Laodiceno quod Nicænum præceſſit Can. 2. ut videbitur quartâ claſſe horum Conciliorum. Nec Tertullianus iſtas indulgentias ignoravit, cùm lib. ad martyres circa principium ſcripſit. *Quam pacem quidem in Eccleſia non habentes à martyribus in carcere exorare conſueverunt, eam in vobis cuſtodire debetis, ut ſi forte aliis eam dare poſſitis.* Ut in hunc locum explicat Pamelius.

Porro de antiquitate indulgentiarum in quantum ſignificant remiſſionem pœnæ temporalis extra ſacramentum factæ poſt remiſſionem culpæ, egregie diſſeris Doctor Severtius l. *de hæreſibus* c. 20. nam in veteri teſtamento contendit indulgentias datas fuiſſe regi Nabugodonoſor, Ninivitis & aliis: contendit 1. Chriſtum dum in terris converſaretur ceteris eaſdem conceſſiſſe, ſeu ægrotos plures à variis langoribus ſanando, ſeu mortuos excitando, ſeu alia beneficia miſeris poſt remiſſionem culpæ conferendo. Quo in genere elucet miſericordia ipſius in mulierem in adulterio deprehenſam Joan. 8. ut ex xxx. ſcripturæ textibus probet indulgentias contra Viretti Calvinitam virulentum, ut nunquam alij ſcriptores tot textibus ſcripturæ indulgentias confirmaverint. Sed ſufficiat digitum ad fontem intendiſſe.

Severtius Doctor.

Atque ut ad hiſtoricum noſtrum redeamus, ſi ex quibuſdam verbis Concilij vult inferre indulgentias ad conſcientiam non pertinere, perabſurdum eſt: nam & ſi demus indulgentias certorum annorum intelligendas eſſe de annis qui in hac vita juxta Canones in pœnitentia peragi deberent, ſi in tantum vita ſe extenderet, cum tamen Eccleſia propter ſalutem animarum & earum à pœnis purgatorij liberationem, etiam has pœnas impoſuerit, iuxta poteſtatem ſibi à Chriſto traditam in ædificationem non in deſtructionem, cum eadem poteſtate eas relaxat, tollit ab animabus impedimenta ingreſſus in Cœlum: atque ſi ad conſcientiam & forum interius pertinet ſolutam eſſe animam à pœnis æternis in Sacramento pœnitentiæ, cur non etiam ad idem forum pertinebit eam eſſe ſoluram à pœnis temporalibus extra Sacramentum per indulgentiarum largitionem? Vix eſt quiſquam vel leviter Theologiæ initiatus, qui facilè mendacia & vanitatem harum objectionum non deprehendat & qui non poſſit refellere.

Nec ſolidiori nititur fundamento quod ſubjungit de ciborum delectu & jejuniis non debere in his prætendi conſcientiæ obligationem. Hoc ex Luthero hauſit, qui aſſerebat hominem non habere jus condendi leges ſuper Chriſtianos: quia, inquiebat, Chriſtianis per Chriſtum libertas donata eſt ſuper omnes leges hominum.

Poteſtas Eccleſiæ ad ferendas leges.

In quem ſic Povellus inſurgit *in propugnaculo Sacerdotii.* Aquas Chriſtianis planè ſtygias propinat Lutherus, ecce homo omnis pacificæ reipublicæ extinctor execrandus. Leges namque humanæ tametſi ideo cuduntur, ut fræna ſint malis & calcaria bonis, ut ſic iſti ad virtutes invitentur, illi autem à vitiis deterreantur, exandeſcit tamen Lutherus qui conctos vivere impunes vellet & Chriſtianos homines nullis humanis legibus regi. Nam ſi leges ſeponantur, quæ alia reipublicæ adminiſtratio eſſe poterit, niſi, ſic volo ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas? At ductu naturæ, inquit, omnia fœlicius aguntur. Ductu naturæ? cujus quæſo naturæ, nonne illius de qua Dominus noſtes ait Geneſ. 8. *Senſus & cogitatio humani cordis ad malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua?* Quid ſi ſcriptura hac in re pœnitus conticeret, tamen id veriſſimum eſſe humanus in malo quam in bono riſus magis facilis perſpicuè commonſtraret. Natura igitur humana corrupta cum ſit & ad malum propenſa, quid rogo aliud quam flagitia vitæ & morum corruptelam docebit? ſi igitur natura hoc potius ſuadet ut procaces petulantes & mali ſimus, quis rempublicam tam laſciva & corrupta ductrice fœliciter adminiſtrari dicat? Quod ſi modo libertatem per Chriſtum ita Chriſtianis donatam Lutherus prædicat, ut humanis legibus etiamſi divinis quadrent, obtecundare non teneantur; Quis rogo, niſi is cui natus non ſit, non facilè olfacit Lutherum iam optare, nec certè aliud in animo nunc moliri, quam omnem Chriſti Religionem pellumdare, apertam flagitiis viam ſtruere, & Petrum Apoſtolum manifeſte confundere 1. Epiſt. 2. ipſe enim eſt, qui ait, *ſubiecti eſtote Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis.* Tametſi haud temerè lex Chriſti perfectæ libertatis dici poterit, quæ à triplici ſervitute liberat. Primo à ſervitute peccati, id quod vetus non fecit, quia ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Deinde quia redemit a ſervitute inferni ſeu limbi in quo piorum animæ detinebantur, quod lex antiqua præſtare non potuit, quia atteſtante David, *quis eſt homo qui vivet & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?* Tertiò liberat lex Chriſti a ſervitute cæremoniarum, earum ſcilicet quæ futuram Chriſti paſſionem & mortem adumbrabant, non earum quæ internam mentis pietatem ſignificabant, vel ad majorem Dei cultum populum excitabant. *Pſal. 88.*

Atque hæc ſunt quæ dicenda viſa ſunt ad objectiones Germanorum tam contra Concilium in genere quas proponit diſſoluitque Stapleto, quam contra ejus Seſſiones in particulari, quas refert ſine vlla reſponſione Petrus Suavis Polanus in hiſtoria Concilij Tridentini, quibus reſpondere operæ pretium nobis viſum.

Plures ſcripſerunt contra Concil. Trid.

Plures porro ſcripſerunt contra Concilium Tridentinum. Chemnitius voluminе integro auſus eſt dijudicata in illo Concilio ſuo examini ſubjicere, vocavitque librum illum, examen Concilij Tridentini. Calvinus majori temeritate & impudentia tractatum edidit contra idem Concilium, quod prænotavit antidotum Concilij Tridentini, quaſi eſſet virus, totque injuriis Epiſcopos proſcindit, quos etiam vocat Patres Cornutos & colluviem Tridentinam, ut mirum ſit tam horrenda è calamo hominis ac Sacerdotis baptiſati profluere potuiſſe; ſcripſerunt & alij de eodem argumento quibus etiam à Catholicis reſponſum eſt. Ut tamen plus periculi eſt ab occulto hoſte

quam

quam à notorio, à quo ſolent omnes cavere, nullus ſcriptor magis periculoſus eſt, quam ille qui ſe Petrum Suavem Polanum indigitavit; ac ſub nomine Hiſtoriæ Concilij Tridentini, ut minus ſuſpectus eſſet, illud impugnavit, mente ficta & ad pietatem præferendam circumſpecta: in illa quippe hiſtoria fucata & fallaci totus eſt ad traducendam ſedem Apoſtolicam, quaſi ſummus Pontifex omnia tyrannicè in eo Concilio egerit, ſed & ad res geſtas per varias ac multiplices cavillationes, ſuppoſitiones, interpretationes in ſequiorem partem, divinationeſque proprij cerebri, infamandas, ut nihil ordinatè geſtum appareat, ſed cuncta ſtudio partium & ex variis paſſionum motibus: quin etiam majorem partem decretorum labefactare conatur propoſitis Germanorum contra illa judiciis, in quibus plura momenta ad ea arguenda inſinuat ſtylo Hiſtorico. Hiſtoria autem hæc Italicè ac Latinè edita eſt Londini in Anglia ante aliquot annos, per infœlicem illum, ait Spondanus ad annum 1545. Marcum Antonium de Dominis ex Archiepiſcopo Spalatenſi in Dalmatia factum Apoſtatam, ac rurſum ex ſimulato pœnitente, ac Romam reduce relapſum in hæreſim, ac in ea mortuum, ac poſt mortem combuſtum: ut ex hinc intelligas quæ fides his actis habenda ſit, & quo motivo adacti fuimus ut Germanorum judiciis germanas ſolutiones adhibere conaremur, ac ex multiplicibus contra Concilij doctrinam querelis, his reſponderemus quæ videntur palmares. Plura ſuppeditabit volumen integrum P. Palaviſini recenter Romæ editum contra eamdem Polani Hiſtoriam, & Petavius *de lege & gratia*, l. 2. c. 11. non formidat ipſum vocare Catholicæ partis apertum hoſtem.

Polani hiſtoria perſtringitur.

Marcus Anth. de Dominis.

SECTIO III.

De receptione Concilij Tridentini in Gallia.

Anno 1564. illud Concilium confirmavit Pius IV. Romæque, primò promulgatum eſt, deſignatique ab ipſo Cardinales qui decretorum exequutioni incumberent. Atque ad vitandam confuſionem quæ oriri poſſet ſi unicuique liceret pro libito in ejus decreta gloſſas & commentarios edere, annotationes vel ſcholia, iſtud inhibuit. Ac quemadmodum Romæ una eſt congregatio quæ cum magno fructu inquiſitionis negotiis incumbit, ita alia inſtituta eſt quæ interpretando Concilio vacaret, & ad quam dubia ſuper decretis Concilij exorta referrentur. Unde prodierunt tot determinationes congregationis Cardinalium ad interpretandum Concilium, quas collectas videre eſt per Doctorem Duacenſem Joannem Galemart cum editione ipſius Concilij Turnonenſi, & per Barboſam in tomo integro collectaneorum ſuper Concilium ipſum. Quibus determinationibus non minor fides adhibenda eſt, quam pluribus ſimul Theologis notæ probitatis & doctrinæ, qui collatione inter ſe habita, de quadam difficultate ſententias ſuas expromerent & rem pro æquitate determinarent. Aliqui vero quidpiam etiam majus tribuunt his determinationibus, licet non ſint de fide. Sed dubium iſtud determinavit Vrbanus VIII. cujus extat decretum 2. Auguſti anno 1631. fidem non adhibendam in judicio ac extra judicium, niſi illis quæ fuerint in forma autenthica ſolito ſigillo & ſubſcriptione Cardinalis præfecti & ſecretarij ſacræ Congregationis.

Commentaria in Concil. Trident. quæ prohibita.

Bene autem advertit Suar. tom. 5. in 3. partem D. Thomæ diſp. 13. ſect. 7. excommunicationem quæ lata eſt per Bullam Pij IV. in perſonas quaſlibet prælatis inferiores commentarios aut interpretationes in Concilium edentes, intelligendam eſſe de edentibus proprios commentarios, gloſſas aut ſcholia ſuper ipſum Concilium quaſi integrum: nam aliquod decretum ſeorſim interpretari prohibitum non eſt, ut ex uſu & neceſſitate ipſa conſtat, cum vix alia ratione tradi poſſit Theologica doctrina. Nec verba Bullæ aliud in rigore exigunt.

Non autem ita facilè admiſſio Concilij in aliis regnis ac Romæ proceſſit. Nam ut taceamus hæreticos, quibus nihil ipſius ſapere potuit, ſicut & Græcis qui ad illud vocati excuſaverunt ſe, ne adventus ſuus in Italiam Turcæ ſuſpectus eſſet, uteſtatur Arcudius *lib. 4. de Concordia utriuſque Eccleſiæ cap. 5.* in Gallia de ejus publicatione gravius actum eſt, etſi enim quæ doctrinam ſpectant Orthodoxi omnes admittant ſine contradictione, non ita tamen ea quæ ad diſciplinam pertinent & reformationem morum, maximè in duabus vltimis ſeſſionibus, quod Regij Oratores poſt reditum in Galliam, quædam decreta exacerbarint, quaſi ex compoſito contra jura Galliæ & Regiam authoritatem concepta fuiſſent, veluti cum datur Epiſcopis poteſtas mulctandi laicos pœnis pecuniariis & in eos manum injiciendi, & alia quædam agendi de quibus agit Paquerius in *diſquiſitionibus Gallia*, lib. 3. c. 34. Etſi vero pluries inſtiterint apud Regem Epiſcopi ut publicè publicaretur ex ejus authoritate, ſaluis Gallicanæ Eccleſiæ privilegiis & juribus Regiis, nihil tamen obtinere potuerunt, excepto decreto de clandeſtinis matrimoniis, ſeu quod alia præcedentia Concilia minimè publicatione illa donata fuerint, ſeu quod alta mente repoſitum maneat, quod circa Oratores contigerit, ſeu ob alias rationes. Fortius autem Cardinalis Richelæus adhuc Epiſcopus Lucionenſis in ſtatibus Regni Pariſinis anno 1615. apud Regem Ludovicum XIII. rem iſtam vrgebat his rationibus. Ob rei ipſius bonitatem, cauſæ authoritatem, finis ſanctitatem, fructum quem ejus decreta producunt, malum quod ex dilata ejus receptione profluit, exempla aliorum principum, & datam fidem ab ipſius Patre Henrico magno, qui cum hac obligatione in gremium Eccleſiæ, ejurata hæreſi, admiſſus ſit. Hanc vero Orationem minimè habitam fuiſſe ex conſenſu ſtatuum ex eo manifeſtum ſit, quod rogati nobiles, & magiſtratus ſæculares tertij ſtatus à Clero ut ſeſe jungerent eorum interceſſioni apud Regem, minimè ſuffragari ſibi voluerint, his dicentibus, ut ipſi Clerici illud obſervarent primi, unius beneficij ſingularitate ſervata, ut eſt in libro inſtructionum & Epiſtolarum ad acta ejus Concilij ſpectantium, de quo mentionem fecimus in præludiis hujus Concilij. Quamvis quod ſpectet ad ſingularitatem unius beneficij, decretum Concilij ſit etiam doctrinale, ut vocant, ne quis ſub falſa præſumptione, ſeipſum fortaſſis, non Deum decipiat, ut ibi dicitur.

Richelæus Card.

Decretum de unitate beneficii.

Illud vero ſingulare eſt, quod cum Molinæus Juriſconſultus Pariſienſis libertatis Gallicanæ ſublimis oſtentator, conſultationem quamdam edidiſſet, qua ob multas cauſas Concilium nullum, vitio indictum habitum & terminatum contra antiqua Patrum decreta, Regni Francici dignitatem, ac libertatem contendebat. Quia altum ſapere non ad ſobrietatem exiſtimatus eſt, qui religionis negotium Concilio decidendum relinqui debere cenſebant, ut par eſt, graviter offenſi pervicerunt in ſenatu Pariſienſi, ut is tanquam male de Religione ſentiens & ſeditionis incentor ignominiosè in carcerem conjiceretur. Ex quo tamen Regis juſſu poſt aliquod tempus emiſſus eſt, ſed ea conditione nequid ille in poſterum injuſſu Regis edere poſſet, apud Spondanum anno Chriſti 1564. ex Thuano lib. 36. quin & apud eumdem Spondanum in proluſione ſæculi decimi ſeptimi anno 1615. in Conventu Cleri Gallicani Lutetiæ habito, quod nunquam obtinere potuiſſet frequentiſſimis precibus, illud Concilium receptum fuerit ab omnibus qui aderant ex cunctis regni Provinciis Archiep. Epiſc. & cæteris viris Eccleſiaſticis quantum in ipſis fuit: nec tamen propterea quoad ea quæ ſunt juris novi poſitivi circa diſciplinam cenſetur obligare in

Molinæus advocatus Pariſ.

Gallia Concil. Trid. iuxta cap. *in iſtis* §. *leges* diſt. 4. leges inſtituuntur cum promulgantur & firmantur cum moribus utentium approbantur de qua quæſtione legendus Andræas Duvalius de ſumma poteſt. Pontif. parte 3. q. 7.

Vindicatur Concilium Tridentinum à propoſitionibus Baii circa Redemptionis Myſterium.

SECTIO IV.

Ut nullum Concilium tam manifeſte & expreſſe aſſeruit myſterium redemptionis generis humani per Chriſtum liberatorem, quam Tridentinum ad retundendos hæreticos, qui illam redemptionem ac modos & media quibus adimpletur, everſebant per varios errores: ſic nulli magis adverſantur Concilio Tridentino quam ij qui idem myſterium redemptionis male intelligant vel errando circa ſtatus varios hominis, vel circa extenſionem ipſius redemptionis, vel varios modos ac media, quibus ipſius fructus applicantur. Ac velut in arena exportari juſſis priorum qui devicti fuerunt cadaveribus, novi ſubeunt pugiles qui pugnam inſtaurant & de victoribus pœnas repetunt: ſic ſibi ipsicem ſuccedunt adverſantes huic Synodo. Equorum numero extitit Michaël Bajus & qui eum mordicus defendere voluerunt. Quorum varias propoſitiones, tam ex libro noſtro de *beneficio crucis*, quam ex præcedenti editione hujus ſummæ, repræſentare operæ pretium ducimus, omni verborum aſperitate ſemota, & magis amica velitatione, quam turbulenta & amara refutatione, cum jam omnes conveniamus in harum omnium propoſitionum reprobatione, nec inter doctores Catholicos ullum hodie ſuperſit diſſidium: provt autem methodus doctrinæ tradendæ exigit ad vitandas tenebras & obſcuritates, prius quædam de iis propoſitionibus generatim dicenda videntur antequam ad ſingulas deſcendamus ſeorſim expendendas.

Reductio 78. propoſitionum Theologis Baii ad tria capita, ſecundum tres ſtatus naturæ, innocentis, corruptæ & reparatæ.

Tot propoſitiones ſine nexu & ordine inter ſe permixtæ confuſionem aliquam pariunt & obſcuritatem in mentibus legentium. Quod ſi certa methodo ad aliquot claſſes ſecundum materiam de qua ſunt, reducantur, major inde perſpicuitas orietur. Hoc egregiè præſtitit Univerſitas Duacena in opere ad Urbanum Papam VIII. directo, cui titulus. *Veritas & æquitas cenſuræ Pontificiæ Pii V. Gregorii XIII. Vrbani VIII. ſuper articulis lxxxvi. damnatis*, &c. ſive *Antitheſis* depromtæ digeſtæque ad mentem S. Auguſtini ex luculentis commentariis eximiorum D. D. ac MM. NN. Guillielmi Æſtij ac Franciſci Sylvij & cæt. Duaci Typis viduæ Marci Vvion ſub ſigno Phœnicis 1649.

Facultas Theologiæ Duacenſis.

Partitio operis.

Totum hoc opuſculum ex verbis ſententiiſque Æſtij ac Sylvij contextum nec non ex verbis D. Auguſtini, ab his auctoribus fideliſſimè explicatis, congruè diviſum eſt in tres partes.

Prima eſt de ſtatu naturæ liberæ ante peccatum, cui adimunt adverſarij omnem rationem divinæ gratiæ, ſive intrinſecæ ſive extrinſecæ.

Secunda eſt de ſtatu naturæ humanæ lapſæ, in qua nativam liberi arbitrij indifferentiam penitus extingunt, de propria rationali natura peſſime meriti.

Tertia eſt de ſtatu naturæ reparatæ per Chriſtum, in quo ſtatu nullam agnoſcunt gratiam Chriſti ſufficientem ad ſervanda Chriſti mandata, nedum ad ſalutem per ipſum conſequendam; minimum ac vile æſtimantes ſanguinis Chriſti pretium, nec venerantes prodigum animæ ſalvatorem, nec copioſam apud ipſum redemptionem.

Circa 1. caput de ſtatu naturæ liberæ ante peccatum, adſtruunt 1. gratiam ſupernaturalem eſſe naturalem ante peccatum articulis damnatis lxxvi. *falſa eſt Doctorum ſententia*, & cæt. art. xxiv. *à vanis & natura otioſis hominibus*, &c. art. lxxiv. *immortalitas primi hominis*, & cæt. art. xxi. *humanæ naturæ ſublimatio*, & cæt. art. xxiii. *abſurda eſt ſententia*, &c. art. ix. *Bona conceſſa homini integro*, art. xxvi. *integritas prima creationis*, &c.

Error Baii circa ſtatum naturæ innocentis.

Adſtruunt 2. actus ſupernaturales fuiſſe naturales in illo ſtatu innocentiæ & natura ſua ad ſupernaturale præmium ordinatos. Art. xxxiii. *diſtinctio illa duplicis amoris*, & cæt. art. xxxvi. *Amor naturalis*, & cæt. art. xi. *quod pie*, &c. art. v. *in promiſſione facta Angelo*, &c. Art. xii. & xiii. *Pelagii ſententia eſt*, & cæt. art. ii. *ſicut opus malum*, &c. art. xiv. *opera bona infidelium*, &c.

Adſtruunt 3. Actus ſupernaturales fuiſſe liberi arbitrij, non ſpecialia gratiæ dona art. 1. *nec Angelinec primi hominis*, &c. art. vii. *primi hominis*.

Adſtruunt 4. excluſo favere Dei debitam fuiſſe felicitatem bonis operibus ex vi ſua, quaſi diceres ex opere operato art. vi. *naturali lege*, art. 3. *& bonis Angelis*, &c.

Unde videre eſt quantum extollebat virtutem pure naturalem non corroboratam gratia Dei, ut Pelagius Paradiſi terreſtris dictus ſit à quibuſdam. Sed & inde intelligi poteſt aberrationem circa ſtatum illum primum naturæ innocentis dediſſe ipſi cauſam ſcandali circa alios ſtatus: cum primo non bene intellecto, facile ſit hallucinari circa ſtatum naturæ lapſæ: ſicut & hoc non intellecto, circa ſtatum naturæ relevatæ per Chriſtum, cum redemptionis bonum minimè concipiatur ſine notitia prævia ſervitutis quæ præceſſit.

Error circa ſtatum naturæ corruptæ.

Circa ſecundū caput de ſtatu naturæ corruptæ tantū exaggerat ejus infelicitatē ut peſſime de ipſa mereatur

1. Negat in Dei poteſtate ſitum fuiſſe ut tam miſera produci poſſit, art. liii. *Deus non potuiſſet*, &c.

2. Adſtruit obnoxiam eſſe peccato independenter à voluntate art. xlv. *ad rationem & definitionem peccati*, &c.

3. Concupiſcentiam ipſam eſſe peccatum art. lxxi. *concupiſcentia in renatis*, &c.

4. Hominem vel nolentem peccare art. lxxii. *motus pravi concupiſcentiæ*, &c. art. lxxiii. *quamdiu aliquid*, &c. art. xlviii. & xlix. *prava deſideria*.

5. Omne peccatum poſſe transfundi à patre in filios art. l. *omne ſcelus*.

6. Nec cogitantem peccatum: incurrere art. lxv. *infidelitas pure negativa*, &c.

7. Omnem poſſibilitatem actus honeſti naturalis amiſiſſe, art. xxxvii. *cum Pelagio ſentit*, &c.

8. Non eſſe liberum arbitrium niſi ad peccandum art. xxvii. & xxviii. *liberum arbitrium*, &c. *Pelagianus eſt error*, &c. art. xxix. *fures ſunt*, &c.

9. Hominem quaſi perpetuo peccare art. xx. *cum Pelagio ſentiunt*, art. xxv. *omnia opera infidelium*, art. lxv. *Non niſi Pelagiano errore*, & cæt. art. xxxv. & xl. *Omne quod agit peccator*, &c.

10. Hominem niſi neceſſario agat, damnatione dignum reddi art. lxiii. *homo peccat*.

11. Omne ejus peccatum eſſe mortale art. xx. *nullum eſt peccatum*. Quamvis hæc duo vltima non minus ad ſtatum naturæ reparatæ reduci valeant.

Error circa ſtatum naturæ reparatæ.

Circa tertium caput de ſtatu naturæ reparatæ per Chriſtum, quamvis gratiam Chriſti videantur extollere ſi qui ſint Baij defenſores: illam tamen ex multis capitibus valde imminuunt, cum non aliam admittunt quam neceſſitantem liberum arbitrium certa ipſius indifferentiæ ruina, ſic gratiam illam non ſalvare vulnus liberi arbitrij niſi affligo alio vulnere.

art. xl. *in libertatis modus*, &c. art. xxxviii. *quod voluntarie fit*, art. lxiii. *sola violentia*, &c.

2. Gratiam Christi non esse sufficientem ad implenda præcepta, art. lii. *definitiva hæc sententia*, &c.

3. Nec gratiam Christi sufficere ut cuipiam meritum vitæ æternæ donet aut satisfaciendi vim vllam art. lviii. *illa doctorum distinctio*, &c. art. lix. *Illa quoque distinctio*, &c. art. xvi. *non est vera legis obedientia*, art. xv. *ratio meriti*, &c. art. xvii. *sentiunt cum Pelagio*, art. viii. *in redemptis per gratiam Christi*, art. x. *solutio pœnæ temporalis*, &c. art. lxxiii. *satisfactiones laboriosæ iustificatorum*, &c. art. lv. *quando per eleemosynas*, art. lvi. *per passiones sanctorum*, &c. art. xviii. *Opera catechumenorum ut fides*, &c. art. lx. *illa distinctio duplicis iustitiæ*, &c. art. lxi. *Item & illa distinctio duplicis vivificationis*, &c.

4. Charitatem Dei perfectam non iustificare art. xxx. xxxi. xxxii. *Charitas perfecta & sincera*, &c. art. lxvi. & lxvii. *Homo existens in peccato mortali*, &c.

5. Adstruunt sacramenta baptismi & pœnitentiæ solum reatum peccati tollere art. liv. & lv *in peccato duo sunt*, &c. *unde in sacramento baptismi*, &c.

6. Legem Christi strictissimam reddunt, quæ unico amoris affectu excepto, alios omnes condemnat art. xxxvii. *Omnis amor creatura*, &c.

7. Gratiam Christi habitualem & sanctificantem nullam esse art. cvii. *Iustificatio impii fit formaliter*, &c. xlii. *iustitia qua iustificatur*, &c.

8. Justificationem simul cum peccato aiunt consistere art. xliii. *in hominibus pœnitentibus*.

9. Abolent meritum incrementi virtutum ex bonis operibus, art. xliv. *operibus plerisque*, &c.

10. In ipsum Christum injurij sunt, cujus meritum & sacrificium incruentum evacuant, art. xxix. *opera iustitiæ*, &c. art. xlv. *sacrificium missæ non alia ratione*, &c.

Ex quibus quilibet cordatus intelligat hæc omnia serio revoluens quantum propositiones adversentur bono redemptionis humani generis, & quam merito earum damnationem acceptaverit Vniversitas Duacena & Facultas Theol. Parisiensis.

Reductio brevior propos. Mich. Baii.

Aliam reductionem propositionum Baij ad octo capita Martinez de Ripalda tom. 3. de Ente supernaturali in proœmio affert.

1. Caput de gratia Angelorum & primi hominis vndecim propositiones continet.

2. Caput de libero arbitrio & ejus viribus undecim quoque continet propositiones.

3. Caput de meritis operum quindecim propositiones continet.

4. Caput de meritis operum duodecim propositiones.

5. Caput de peccato originis septem propos.

6. Caput de charitate & impletione legis vndecim propositiones.

7. Caput de justificatione & sacramentorum effectu octo propositiones.

8. Caput de solutione pœnæ temporalis sex propositiones.

Circa quæ capita plura disputat eruditissimè & solidissimè prædictus Ripalda in duobus voluminibus magnæ molis, quorum primum dumtaxat percurrere licuit, secundo fortsan nondum in publicam lucem emisso non sine detrimento reipublicæ litterariæ: cum ipsius disputationes sint gravissimæ & subtilissimæ contra Baianos ut vocat, nulla facta mentione Cornelij Jansenij.

Prima tamen reductio ad tres classes facilior videtur, cum tota hæc Theologia Baij tot propositionibus sine nexu contexta errores contineat circa naturam integram hominis, de qua docet id quod de natura lapsa docebat Pelagius cum suis sequelis.

2. Circa naturam lapsam de qua idem fere sentit quod Calvinus supra modum exaggerans plagas peccati originalis & regnum peccati in iis quæ affert de libero arbitrio, ignorantia & concupiscentia.

3. Circa statum naturæ reparatæ, ubi non parum detrahit gloriæ Redemptionis humani generis quam operatus est Christus, dum talem gratiam admittit quæ hominem necessitati subdit, & parum aut nihil tribuit gratiæ iustificanti in meritis & satisfactionibus bonorum operum, parum quoque charitati, parum justificationi, parum ipsis etiam sacramentis & denique sacrificio incruento quod negat, & ipsi justificationi cum qua non est remissio peccatorum nec possibilis observatio præceptorum. Quæ omnia quantum repugnent Concilio Tridentino maxime sessioni quintæ, sextæ, septimæ, decimæ quartæ & vigesimæ secundæ, in quibus de doctrina potissimam statuitur, studiosus quisque ex lectione deprehendet facile.

Status naturæ corruptæ est mixtus cum statu liberato.

Advertendum quod licet hi tres status naturæ humanæ affligantur, attamen statum naturæ corruptæ non diu extitisse simpliciter ut purum statum naturæ corruptæ, quia statim post lapsum reparari cœpit natura lapsa Adami per gratias quasdam auxiliantes ex vi meritorum Christi futuri ipsi concessas ex misericordia Dei ut adversus peccatum pugnaret. Quod similiter præstitum fuit ejus posteris seu ante legem seu sub lege ante Christi adventum viventibus Quod expresse asserit D. Leo serm. 3. in *solemnit. nativitatis*, verbi incarnatio hæc contulit faciendo quæ facta, inquit, & sacramentum humanæ salutis in nulla antiquitate cessavit. Quare aliqua asseruntur de statu naturæ corruptæ, quæ intelligenda sunt præcise de illo statu spectato ut tali, absque adjunctione gratiæ vllius Christi, qua incipit reparari. Quo pacto in illo statu naturæ corruptæ sic formaliter spectatæ concupiscentia dominatur, omne opus bonum ad salutem conducens excluditur, mors regnat & innumera mala & infirmitates hominem deprimunt & captivum tenent de quibus D. Augustinus l. 3. de *libero arbitrio*, ista est enim pœna justissima ut amittat quisque quæ bene uti noluit potestatem ..... ut etiam volens non possit mandata Dei implorare, &c.

Vt intelligi debet D. Augustinus.

Sed & idem D. Augustinus l. 83. q. q. 66. & alibi quadruplicem statum hominis statuit ante legem: sub lege, sub gratia: & in pace. Statum ante legem cum supponitur homo ignorare legem divinam: sub lege, cum illam novit, sed fidem in Christum nondum cogitatur habere: statum sub gratia, cum cogitatur homo credere in Christum liberatorem eumque diligere. Denique statum in pace, cum domita est omnino cõcupiscentia post hanc vitam. Cum ergo de his statibus asserit D. August. in prima ergo actione quæ est ante legem nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi. In secunda quæ sub lege est pugnamus, sed vincimur: in tertia pugnamus & vincimus: in quarta non pugnamus, sed æterna pace requiescimus. Cum hæc dicit D. Augustinus non tam attendenda sunt diversa temporum intervalla in quibus hæc ita se habeant, quam diversi status & conditiones hominis, in quibus si præcise spectatur, ita se res habent sicut explicat D. Augustinus. Alioquin ante legem Moysis & post legem Moysis, ante adventum Christi extiterunt plures homines qui virtutum laudabiles & meritorios actus exercuerunt: ut ante legem Noë & Job, sub lege David & Prophetæ, id tamen præstiterunt in fide Christi venturi & ex ipsius gratia, quæ iam ab origine mundi per anticipatam quamdam solutionem dabatur. Quæ si recte intelligantur, proderit multum ad plura loca difficilia D. Augustini intelligenda: sæpe enim D. Augustinus ita loquitur de defectu & infirmitate hominis post peccatum & in statu naturæ corruptæ, ostendendo solum ad id quod illi competit ex vi peccati & status naturæ corruptæ formaliter ut talis, in qua circa.

actus supernaturales nihil potest, & excidit à libertate & privilegio status naturæ innocentis, licet cum eo stet quod ex virtute gratiæ Christi quæ nullo umquam tempore defuit, multa possit & valeat perficere.

Libri Iansenii sed. Pii.

Atque hinc est quod ut doctrinam Michaëlis Baij tueretur ac illustraret Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus librum suum cui nomen Augustinus inscripserit juxta tria illa capita doctrinæ Bajanæ, *de humanæ naturæ sanitate, ægritudinem, edicina adversus Pelagianos & Massilienses.* Quid autem censendum de propositionibus Baij indicat hæc Bulla.

Pius Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Pius V.

EX omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quod religio Christiana tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim & promiscuè deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simul atque prosiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quod plerique spectatæ alioqui probitatis & doctrinæ, in varias sententias offensionis & periculi plenas, tum verbo tum scriptis prorumpant: deque eis etiam in scolis invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes. 1. Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia, &c. *Quæ infra proponentur suo ordine nobis repetantur.* 76. Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine justitia naturali. Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas & in pias aures offensionem immittentes respectivè, ac quæcumque super iis verbo scriptoque emissa præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, deque eisdem & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus. Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos excepto mortis articulo liberare, &c.

Sex notæ propos. Mich. Baii.

Datum Romæ 1567. Kalendis Octobris Pontificatus nostri anno 2.

Quam constitutionem & inhibitionem Pij V. Gregorius XIII. Successor ejus confirmavit anno 1579. Pontif. sui 8. quarto Kalend. Februarij, ut dubitari non possit quin verè à Pio V. primum emanarit.

Hujus autem constitutionis controversias plurimas & quæ nostro tempore clarissima ingenia exercuerunt, magna ex parte tractavimus in libro nostro de *beneficio crucis*, seu in articulis disputatis *de gratia*. Ac quia libri hujus exemplaria citò distracta fuerunt, ac laborem quem in eo impendimus omnino perire nobis grave est, & suspicantur viri graves quandoque denuo suscitandas hujusmodi rixas, quod Deus omen avertat, aliqua ex his in hac editione inferenda duximus, quæ solidioris ac profundioris Theologiæ avidis, ingrata forsan non erunt.

De notis & qualitatibus censuræ in propositiones Michaëlis Baii.

QUæritur quibus notis Summus Pontifex Pius infamet prædictas sententias Michaëlis Baij.

Respondetur eas notas expressas in his verbis immediatè præcedentibus earum enumerationem. Magno enim mœrore afficimur, inquit Pius Pontifex, quod plerique spectatæ alioqui probitatis & doctrinæ *in varias sententias offensionis & periculo plenas*, tum verbo tum scriptis prorumpant, & in illis subsequentibus earumdem Catalogum. *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas quamquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas & in pias aures offensionem immittentes respectivè, &c.*

Quibus verbis Summus Pontifex intendit omnes istas propositiones damnare tanquam falsas, & singulas afficere non quidem omnibus notis ibi expressis, sed aliqua ex illis; itaut aliquæ sint hæreticæ, aliæ temerariæ, aliæ scandalosæ, aliæ vel aliæ ex his in pias aures offensionem immittentes, &c. Probatur utrumque, & primò quod intendat omnes damnare tanquam falsas, quia discrimen est inter propositionem damnatam & prohibitam: quod propositio prohibita possit esse vera, licet veritum sit illam propugnare ob aliquam rationabilem causam. Quemadmodum aliqui censent de Conceptione Beatæ Virginis in peccato Originali, assertio enim hæc tantum est prohibita, unde necdum declarata est falsa: at propositio damnata falsa est & veritati repugnans. Secundo quod non intendat omnibus & singulis propositionibus notas omnes singulas censuratum infligere, probatur ex isto termino addito his notis (*Respectivè.*) Quo significatur has propositiones affici his notis non omnibus omnes, sed his illis notis respectivè & in ordine ad hanc aut illam ad has aut illas propositiones: itaut præter notam falsitatis expressam in verbo (*damnamus*) aliqua adhuc ex his notis illis conveniat. Ut hæc & illa sit hæretica, hæc tantum temeraria, &c. Sint insuper omnes sententiæ offensionis & periculi plenæ & mœrore afficientes summum Ecclesiæ Pastorem, dum à viris doctis propugnantur.

Particula respectivè quid significet.

Quod omnes propositiones in Bulla expressæ, sint damnatæ.

OBJICIES, non videri omnes damnatas tanquam falsas, ac veritati repugnantes: quia Pontifex Pius piè ac benigne addit. Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.

Respondetur si hæc objectio locum haberet, nec Lutherani nec Calvinistæ Bullæ isti se opponerent, libenter enim susciperent ea lege ut nullus Articulus in ea esset damnatus falsitatis, erroris ac hæresis in sensu ab assertoribus intento. Etiam frustra Bullam hanc post multum laborem examinis, edidisset Summus Pontifex & inutilis foret; cum enim nullam designet in particulari, sic liceret omnes defendere: unde dicendum est omnes, nulla excepta, damnari in terminis quibus exprimuntur, quia quamcumvis ab assertoribus possit illis aliquis verus sensus adaptari qui etiam verbis ipsis conveniret, & quem se intendisse affirmarent ob verborum amphibologiam; attamen quia cum verus & falsus sensus lateat in cortice verborum alicujus propositionis, damnari potest ob falsum sensum, nonobstante vero alio sensu: ideo propositiones istæ omnes, quia falsum aliquem sensum continent sub cortice verborum, quem præ se ferunt & exhibent, etsi verus aliquis sensus iis affingi possit ab authoribus, jure merito omnes damnantur, abolentur ac circumscribuntur à summo Pontifice. Quare non est hic opus disputare de commate, utrum repositum fuerit in Originali Bullæ post verbum *Possent*, an post alia verba, ita-

ut verba iſta (*in rigore & proprio verborum ſenſu*) referantur, non ad (*ſuſtineri poſſent*) ſed ad (*damnamus*) ut vult Martines Ripalda Tom. 3. de *Ente ſupernaturali* diſputatione prima, libro primo in Proœmio, cum ubicumque reponatur iſtud comma, quod in originalibus Bullarum nullum ſolet extare, ſufficienter exprimatur damnatio iſtarum propoſitionum: Quamvis manifeſtius adhuc exprimatur, repoſito illo commate poſt verbum (*poſſent*) ſicut idem Ripalda extitiſſe teſtatur in Originali à ſe viſo & perſpecto, quod emanaverat à Gregorio XIII. qu eaſdem propoſitiones damnavit poſt Pium V. Quod originale Romæ impreſſum erat anno 1579 Februarij 4. traditumque erat Cardinali Toleto, ut Bullam vulgari curaret. Quod autem dicunt adverſarij miſſum fuiſſe Romæ exemplar Bullæ in quo comma illud non erat, unde anſam arripiunt conquerendi vitiatam eſſe Bullam Summi Pontificis, in qua comma iſtud reperitur poſt (*poſſent*) hoc nihil eſt, quia exemplar Bullæ ad Baium miſſæ, erat manuſcriptum, ideoque ſine vllis interpunctionibus: Exemplar autem Bullæ Cardinali Toleto traditæ erat impreſſum cum illo commate, quo Pontifex Gregorius manifeſtavit ſuam mentem. Sed quocumque loco reponatur interpunctio, ſemper urgent Bajani Summum Pontificem aſſeruiſſe, nonnullas propoſitionibus *in rigore & in proprio verborum ſenſu* defendi poſſe: unde concludunt non omnes damnatas eſſe, & incertas eſſe illas quæ damnantur: unde ulterius quærunt ut Summus Pontifex velit aperire quænam illæ ſint quæ ſuſtineri poſſint, & quænam aliæ. Ideo ſtandum eſt primæ ſolutioni quam affert Michaël Paludanus Doctor Lovanienſis ex ordine Divi Auguſtini in *Apologia conſtitutionis Vrbaniana* Part. 1. cap. 14. Eſto enim, inquit, ſenſus propoſitionis ſit ejus anima & cor & medulla, non ideo ad propoſitionem undequaque irreprehenſibilem ſufficeret habere verum aliquem ſenſum: ſed oportet ut & ipſe cortex, ideſt verba quibus uti corpore anima ipſa veſtitur & in publicum prodit, ſint irreprehenſibilia. Eodem fere modo quo ad ſalutem non ſufficit nos fidem corde confiteri, ſed eam oportet nos etiam ore profiteri. Quid enim ſi ſub una propoſitione, ob verborum ambiguitatem, lateant ſenſus & verus & falſus, nonne conſultius illa prohibebitur ob falſum ſenſum, quam admitteretur ob ſenſum verum?

Quod damnatio Baii non cadat in Divum Auguſtinum.

OBjicies non potuiſſe damnari has propoſitiones à Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. quin ſimul damnetur doctrina D. Auguſtini, quæ ab antiquis Pontificibus approbata, a novis Pontificibus notari non poteſt, quin appareat contradictio manifeſta inter Summos Pontifices, quorum unus deſtruat in materia doctrinæ quod alter adſtruxit & ædificavit. Unde conſequitur fruſtra jactari infallibilitatem Summorum Pontificum in materia fidei & doctrinæ ſi ſe invicem mordeant & ab invicem conſumantur, uno probante doctrinam aliquam, altero vero improbante.

Reſpondeo multas involui difficultates in iſta objectione, quibus ſigillatim reſpondere opus eſt, ne infirmi Scolaſtici earum pondere ita opprimantur, ut nullam obedientiam Bullæ Pianæ exhibere ſe poſſe exiſtiment ſalua anima & conſcientia, quæ tamen non mediocriter periclitatur in contemptu iſtius Bullæ doctrinalis; quæque à Summo Pontifice lata eſt ut judice doctrinæ & fidei Catholicorum, nec ſolum ad componendas turbas & ſedanda ſcandala infirmorum. Reſpondeo igitur primò ſatis apparere ex brevi diſcuſſione harum propoſitionum, majorem earum partem evidenter D. Auguſtino contrariam eſſe, ut fruſtrà prætendatur à nonnullis identitas doctrinæ cum ſancto Doctore Auguſtino. Quod vero doctrina D. Auguſtini probata ſit ab aliquot antiquioribus Pontificibus, id verum eſt de aliqua parte doctrinæ D. Auguſtini, non de omnibus ejus dictis & operibus. Quod annotare operæ pretium ad continendos quorumdam ſpiritus qui ita loquuntur de omnibus ſententiis D. Auguſtini, ac ſi confirmatæ eſſent omnes authoritate Summorum Pontificum non ſecus ac decreta Conciliorum generalium in rebus fidei, quibus ideo adverſari nefas eſt. Probavit tantum poſt Innocentium & Zoſimum Cœleſtinus Papa novem articulos, ſeu novem capita doctrinæ D. Auguſtini, contra Pelagianos ac ſemi-Pelagianos, proteſtans in fine Epiſtolæ, ſe alias profundiores & difficiliores incurrentium quæſtionum partes nolle adſtruere. Horum autem capitum vel articulorum ne unus quidem in propoſitionibus damnatis Baij continetur: hos videre eſt in Epiſtola Cœleſtini Papæ pro Proſpero & Hilario *de Gratia Dei ad quoſdam Epiſcopos Galliæ*, quæ Epiſtola & inter opera D. Proſperi Aquitanici reperitur & in tomis Conciliorum. An non miſerandum eſt novæ doctrinæ ſectatores ad ſingulos errores Baij obtrudere doctrinam eſſe D. Aug. à ſummis Pontificibus approbatam, cum nec conſtet vllum caput doctrinæ Baianæ à Sum. Pontif. Pio & Greg. damnatæ eſſe in terminis doctrinam D. Auguſt. & ſi iſtud conſtaret, quod tamen non admittimus, certiſſimum ſit ex ipſa lectione & inſpectione, non eſſe ex illis capitibus doctrinæ D Auguſtini quæ à Summis Pontificibus Innocentio, Zozimo & Cœleſtino approbata eſt, ut inviolabilis aliqua ſanctio & Eccleſiaſtica regula, ac ſumpta ex authoritate divina documenta, quibus contradicere nefarium ac illicitum. Unde nulla eſt contradictio inter Summos Pontifices qui doctrinam Divi Auguſtini contra Pelagianos & Semipelagianos probaverunt, & qui articulos 78 Baij improbaverunt ac damnaverunt, ut illi & hi infallibiles eſſe potuerint abſque vlla à ſe invicem diſſonantia. Legant Epiſtolam hanc, conferant omnes articulos ibidem probatos, cum articulis Baij improbatis, ipſi judices eſſe poſſunt, non niſi ad fallendum, nuperos quoſdam doctores tam ſæpe obloqui, doctrinam omnem quam tradunt de Gratia & libero arbitrio & eſſe doctrinam D. Auguſtini, & eo ipſo doctrinam eſſe Eccleſiæ Catholicæ ad fidemque pertinere, quaſi eam antiqui Pontifices probaverint. Quod ubi animadverterint, ſciant ſe nihil habere in decretis antiquiorum Eccleſiæ Pontificum quo ſibi formare tutam poſſint conſcientiam ad obluctandum Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium.

Articuli doctrina probati à 3. Pontificibus.

Quod propoſitiones Baii damnatæ ſint propter ipſam doctrinam quam continent.

PRætendunt proſcriptionem propoſitionum Michaëlis Baij ſibi nihil officere, quia ſummus Pontifex Pius has prohibuit non ob earum vitium & falſitatem, ſed ob hominum huius temporis ſeu infirmitatem, ſeu ignorantiam, qui cum in libris D. Auguſtini verſati non ſint & tam ſublimis ac cæleſtis doctrinæ capaces non ſint, ob Molinithicæ doctrinæ principia quibus præventi ſunt, ex hinc turbantur ac commoventur vehementius. Atque hanc inſtantiam tanti faciunt Janſeniani Baianæ doctrinæ propugnatores majori ex parte, ut hanc non niſi divino quodam ingenio excogitatam arbitrentur, ad conciliandos Summos Pontifices Baio adverſarios cum doctrina D. Auguſtini ac cum Summis Pontificibus antiquioribus, qui aliquot ejus doctrinæ capita probaverunt.

Sicque videntur ſibi inveniſſe modum quo & doctri- A nam D. Auguſtini in Baio contentam, & Summos Pontifices Pium & Gregorium ſimul tueantur, etſi articulos doctrinæ Auguſtinianæ improbaverint, quia non ob falſitatem, ſed ob hominum præſentis ſæculi imbecillitatem illos proſcripſerunt. Verum ſi ita eſt, cur ita impotenter in hanc Bullam debacchantur, ut ex vulgatis eorum libellis conſtat? Si errores ſuos non eſſe hac Bulla propalatos ac manifeſtos, arbitrentur, cur eam tam hoſtiliter impetunt, ut per eam D. Auguſtini doctrinam peſſumdari tam altè inclament? Sed quis non videat, non tantum prohiberi articulos iſtos, ſed etiam damnari? Quod nonniſi falſæ doctrinæ competere poteſt. Sed quis ferat homines iſtos tantum ſibi ſpiritus arrogare, ut cæteros mortalium qui eorum menti repugnant, bardos ac ſtupidos exiſtiment, quaſi vero cum illis & nata ſit & mori debeat ſapientia? A quo iſta tanta ſui ingenij præfidentia, ut cæteros cæcos, ſe ſolos oculatos exiſtiment? Et tamen videmus in quotidianis colloquiis hoc eorum eſſe ingenium. A qua mente Deus eos avertat.

Objicies iterum ſaltem non omnes Baij propoſitiones in Bulla expreſſas cenſeri debere damnatas propter ſententias quas continent, ſed ſolum propter ſellcam quandam maritudinem, qua oppoſitas ſententias damnant, ita ut non propter dictum improbentur, ſed propter modum dicti, quia inſimulant Pelagianiſmi aut erroris contrarium opinantes. Non ſocus ac improbantur ij qui aſſerunt hæreſim eſſe, aſſerere Beatiſſimæ Virginis Conceptionem eſſe Immaculatam. Sicque magnæ authoritatis ſcriptores opinantur, Suarez, Vaſquez, Cardinalis Toletus & alij.

Reſpondetur, quod etſi ita viſum fuerit aliquibus, nihilominus longè probabilius eſſe omnes damnari ob doctrinam falſam quam continent, & non tantum ob cenſuram immodicam qua contrariam ſententiam feriunt. Quia Summi Pontifices non revocant in authoris audaciam rationem ſuæ condemnationis, ut deberet fieri, ſi tantum propter acerbitatem dicendi illas propoſitiones damnaſſent. Nec tam ſententiæ iſtæ indigerent damnatione quam prohibitione ad conſulendum paci fidelium, quæ læditur mordacioribus quorumdam dictis. At non prohibentur modo, ſed quod plus eſt, damnantur. Eſt autem damnatio, declaratio & pronunciatio falſitatis ſententiæ. Demum Summus Pontifex utitur hoc modo damnationis. *Quas quidem ſententias ſtricte coram nobis examine ponderatas.* Quæ verba ſubſtantiam ipſarum propoſitionum denotant, non ipſarum modum quo enuntiantur. Atque ita cenſet Ripalda lib. citato ſect. 4. Accedit quod non omnes Baij propoſitiones compoſitæ ſint ex illa dicendi aſperitate & acrimonia, cum plures ex iis ſint ſimplices, ut vocant Dialectici, quas ideo Summus Pontifex intactas reliquiſſet, cum nihilominus illas damnaverit.

DAMNATIO JUSTA
78. Propoſitionum Michaëlis Baij.

Art. 1. *L. de Meritis Operum, c. 4.*

Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

QUæritur an hic articulus rectè damnatus ſit: etenim illud appellatur Gratia à Michaële Baio quod vel eſt gratia ipſa, vel ex gratia profectum eſt: at merita primi hominis nec ſunt gratia ipſa, ut evidens eſt, nec ex gratia originem ducunt; ille enim ſtatus primi hominis ſicut & Angeli adeo excellens, & ſublimis erat, ut gratiæ divinæ ſuperadditæ viribus naturalibus, non indigeret adjutorio ad merendum: ideoque merita ex ipſamet natura rectè inſtituta profluebant.

Reſpondetur in hoc erraſſe Michaëlem Baium quod nimis extolleret ſtatum naturæ integræ, qualis erat in Angelo & primo homine, adeo ut quod Pelagius malè ſentiebat de ſtatu naturæ corruptæ, illam ſcilicet gratia ſupernaturali non indigere, idem ipſe ſentiret de ſtatu naturæ integræ, ipſam ſcilicet ſibi ſufficere ad merendum vitam æternam ſine gratiæ ſupernaturalis & indebitæ adminiculo: ut non immerito Pelagius Paradiſi Terreſtris appellari poſſit. Si quam autem gratiam admitteret in illo ſtatu volebat illam debitam eſſe naturæ innocenti, non ſecus ac gratiam habitualem Chriſto homini debitam fuiſſe naturaliter defendit Thomas Hurtado *in Præcurſore Theologo*, tract. ultimo *controverſia* ſexta, poſt pleroſque Theologos: qua in ſententia viam ſingularem ſequutus eſt, & Theologis antiquis incognitam, ex qua innumera ſequuntur abſurda, ideoque rectè damnatus eſt hic articulus; cui etiam obnititur D. Auguſtinus in Pſal. 70. *Angeli*, inquit, *tibi debent quod juſtè vivunt, tibi debens quod beatè vivunt:* & poſt pauca: *Nec potes hominem ſolum pertinere ad gratiam Dei, quid eſt Angelus, ſi deſeras qui creavit?* Ex hoc enim merita Angeli, & primi hominis rectè vocantur gratia, quod ex illa conditoris liberalitate naturæ ſuperaddita virtutem ſuam deſumant. *Status naturæ integræ.*

Ad argumentum oppoſitum, neganda eſt propoſitio, quod ſtatus ille per ſe tam excellens fuerit ut gratia non indigeret ad merendum. Sic enim D. Auguſtinus loquitur in *Enchiridio*, cap. 106. *Quamvis ſine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet.* Nec gratia illa ita dici poteſt connaturalis primo homini vel Angelo, ſicut Chriſto Deo homini, cujus eſſe, quia erat ſupernaturale, decebat etiam illius paſſiones ac virtutes tali eſſe correſpondentes, ſupernaturales eſſe in propria entitate, licet reſpectivè ad ipſum connaturales aut naturales dici poſſent. Nimium igitur extollitur ſtatus ille primus, ſi ſtatui Dei hominis, cui nihil par aut ſecundum in honore iſto, adæquetur.

Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

Art. 2. *L. 2. de Meritis Operum. cap. 2.*

QUæritur an rectè damnatus ſit hic articulus; Etenim Deus magis propendet in favorem, & miſericordiam quam in rigorem, & juſtitiam, proniorque eſt ad præmia conferendum, quam ad pœnas & ſupplicia inferendum: ergo ſi malum opus ex ſe mortis æternæ meritorium eſt, multo magis bonum opus ex ſe vitæ æternæ meritorium erit.

Reſpondetur doctorem Baium voluiſſe ſuperfluam, & non neceſſariam eſſe gratiam ſupernaturalem ad meritum vitæ æternæ, qua in re fefellit eum propria opinio: ut enim vita æterna eſt ſupernaturalis, ſic etiam per merita ordinis ſupernaturalis acquiri debet, ut ſic medium fini ſit proportionatum: quare opera bona debent habere aliquid ſupernaturale in ſe, ut attingant vitam illam ſupra naturam eminentem: ſicque proficiſci debent ex gratia ſupernaturali actuali vel habituali, ut ſint ſupernaturalia; non igitur ex ſeipſis meritoria ſunt vitæ æternæ. Quod videtur magis probari ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. Ubi rationem reddit, cur juſti mereantur vitam æternam ſuis operibus. *Cum enim*, inquit, *ille ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos ingiter virtutem influat, quæ virtus eorum bona opera ſemper antecedit & comitatur & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſint, nihil ipſis juſtificatis deeſſe poſſe credendum eſt, quo minus vitam æternam promeriſſe cenſeantur.* Ubi per virtutem Concilium intelligit gratiam, per quam bona opera redduntur Deo grata & meritoria, quæ non eſſent ob propriam naturam.

Ad argumenta in oppoſitum neganda eſt comparatio : quia facilis deſcenſus Averni, nec eſt ad aſtra mollis è terris via : ſcilicet facilius homo mortem ſibi comparat quam vitam, eſt ſpiritus vadens & non rediens, per ſe & ſponte ſua ruit in mortem ac proprijs viribus ; non autem ita vitam acquirit, maximè illam quæ ſupernaturalis eſt, Sicque natura ſibi ipſi ſufficiens eſt ad deſtructionem & interitum, non ad provectionem tantam qualis eſt ſtatus gloriæ.

Et bonis Angelis & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad mortem ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces & non gratia.

Art. 3. *B. 1. de Meritis Operum. cap. 4.*

QUæritur an hic articulus etiam cenſura notandus fuerit : nam ſi ſtatus ille perſeveraſſet, gratia non erat neceſſaria ; ergo fœlicitas æterna non debuiſſet gratiæ ſupernaturali attribui, nec dici gratia ſic ut modo, ſed tantum merces. Probatur antecedens, quia ſi natura gratia indiguiſſet in hoc ſtatu, redundaret in injuriam creatoris : quaſi non ſatis perfectam & robuſtam naturam condidiſſet, cum ſint ejus perfecta opera.

Reſpondetur doctrinam hujus articuli omnino affinem eſſe doctrinæ præcedentium articulorum, ideoque potuiſſe in eadem cenſura involui. Supponit ſiquidem gratiam ſupernaturalem & naturæ ſuperadditam, non habituram locum in ſtatu innocentiæ in quo conditus eſt Angelus & primus homo. Quod impugnat D. Auguſtinus lib. 12. de Civit. cap. 9. ubi ita diſſerit : nam & hoc diſcutiendum eſt ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, utrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt : ſi aliqua, utrum mala an bona : ſi mala, quomodo potuit eſſe mala voluntas bonæ voluntatis effectrix ? ſi bona, ergo iam habebant : & iſtam quis fecerat niſi ille qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto quo illi adhærent, creavit, *ſimul in eis & condens naturam & largiens gratiam.* Ubi D. Auguſtinus per gratiam intelligit amorem illum caſtum ſeu bonam voluntatem naturæ ſuperadditam ; quæ in malis Angelis per peccatum corruit, etſi naturalia in eis remanſerint, ut fruſtra quidam hic interpretari velint D. Auguſtinum, de Amore quodam naturali qui eorum naturam ſequeretur ſicut gravitas lapidem : diſtinguit enim hic D. Auguſtinus naturam & gratiam, quod & de primo homine ſimiliter ſentiendum eſt.

Ad rationem in oppoſitum dicendum eſt ſemper perfecta eſſe Dei opera in eo perfectionis gradu quem illis conferre intendit, & iis modis quibus ea complere gradatim & per partes ſolitus eſt. Agit in homine & ut creator, & ut largitor gratiæ, & ut glorificator, nec minus perfectus eſt creator, quod ut glorificator ad altiorem gradum naturam creatam attollit : itaque natura à Deo condita in ratione naturæ perfecta eſt, etſi per gratiam & gloriam ad ſublimiorem gradum evehatur. Vide quæ ſcripſimus in *Theologia Affectiva*, 1. 2. tract. 1. Medit. 2. Ubi perfectionem hominibus non una vice & totam ſimul conferri demonſtramus.

Art. 4. *Ibidem. cap. 2.*

Vita æterna homini integro & Angelo promiſſa fuit, intuitu bonorum operum : & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

QUæritur an notari debuerit hæc propoſitio : prima enim illius pars non videtur vllam pati difficultatem prout jacet in terminis. Secunda vero pars videtur aſſerta à D. Auguſtino l. 12. de *civit.* c. 1. ubi dicit naturæ eſſe Angelorum Deo adhærere, ut proinde mirum non ſit ſi ex lege naturæ, id eſt, naturaliter ſine auxilio ſupernaturali gratiæ per bona opera vitam æternam mereantur. Verba D. Auguſtini ſunt. Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtenditur quod ad naturam oculorum pertinet viſus : & cum vitium aurium dicitur ſurditas, ad earum naturam pertinere demonſtratur auditus : *ita cum vitium Angelicæ creaturæ dicitur, quod non adhæret Deo ; hinc apertiſſime declaratur, eius naturæ ut Deo adhæreat, convenire.* Si ergo naturale eſt ut videtur innuere D. Auguſtinus, homini & Angelo Deo adhærere, non erit neceſſarium donum aliquod ſupernaturale & gratuitum fidei vel gratiæ ad vitam æternam promerendam : Sicque ex lege naturæ non gratiæ, bona opera ad illam aſſequendam ſufficient.

Reſpondetur ſupra oſtenſum eſſe ex Concilio Tridentino, gratiam ſupernaturalem requiri ad meritum, juncta ratione de proportione requiſita inter medium & finem, inter meritum vitæ æternæ & fœlicitatem. Volebat autem Baius naturam intellectualem, ſeu Angelicam, ſeu humanam in primo ſtatu tanta excellentia donatam fuiſſe, ut opera ſolius liberi arbitrij nulla gratia ſupernaturali adiuti, aut elevati, digna eſſent vita æterna, ad quam proinde & homines, & Angeli ex ſolo talium operum intuitu prædeſtinati eſſent. Quaſi vita æterna, juxta Apoſtoli dictum ad Rom. 6. non eſſet gratia Dei tam in ſtatu naturæ integræ, quam corruptæ, quia ſcilicet vita illa promittitur à Deo ob ea opera quæ valorem omnem hauriunt ex illa gratia quæ indebito erga hominem divinæ dignationis beneficio ſupra naturalia conceditur, qualis eſt filiationis adoptivæ dignitas, quæ & creaturam reddit nobiliorem, ejuſque opera ſic afficit & elevat, ut æternæ vitæ dignam reddat retributione ; Quo fit ut cum homo excidit à dignitate illa filiationis & gratiæ ſanctificantis, omnia illico merita deperdat Ezech. chap. 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ eius non recordabuntur :* cujus veritatis ampliores probationes plerique afferunt Theologi, quas hic aggregare, extra noſtrum eſt inſtitutum.

Ad rationem oppoſitam ex D. Auguſtino deſumptam, reſpondetur cum Leonardo Coquæo Commentariis ad illud caput, D. Auguſtinum docere quidem id maximè convenire naturæ Angelicæ, vel in univerſum intellectuali, ut Deo adhæreat, non tamen ſeipſa vel ſecluſo omni dono ſupernaturali, ſed vult diſtinguere naturam Angelicam à naturis ratione carentibus, quibus non convenit ut beatæ eſſe poſſint. Eſt ergo naturæ hominum in ſtatu innocentiæ ſicut & naturæ Angelicæ Deo adhærere, ſed modo non naturali, ſed ſupernaturali : ſicut ejuſdem naturæ eſt Deum videre facie ad faciem, ſed per lumen gloriæ ſuper-infuſum & ſupernaturale.

In promiſſione facta Angelo & primo homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.

QUæritur an quicquam dignum ſit virga cenſoria in iſto articulo : videtur ſiquidem juſtitia ſeu æquitas naturalis exigere, ut bonum dignum vita æterna Deus non relinquat ſine præmio & ſine promiſſione præmij, ſicut opus malum ſine ſupplicio & interminatione ſupplicij non dimittit : quare cum Deus promiſerit Angelo & primo homini fœlicitatem, ſi recte agerent, videtur Deus ex quodam debito juſtitiæ naturalis feciſſe, ut ſi aliter ſe geſſiſſet contra æquitatem naturalem feciſſet. Sicque in illa promiſſione vitæ æternæ, naturalis juſtitiæ conſtitutio contineri & ineſſe videtur. Art. 5. *Ibidem.*

Reſpondetur tot titulis creaturas intellectuales quales ſunt Angelus & homo devinctas eſſe Deo, ut milleſimæ parti debitorum ſuorum Deo in rigore ſatisfacere non poſſint. Omnia enim opera ſua Deo debent in recognitionem ſupremi illius dominii & excelſæ majeſtatis : ea debent titulo gratitudinis propter creationis, conſervationis & ſuſtentationis bene- *Obligatio creaturæ ad Deum.*

ficium. Ea debent homines propter minimi peccati remiſſionem : quare potuiſſet Deus abſque vlla iniquitate contra juſtitiam naturalem nihil omnino promittere de bonis cœleſtibus, ſed homini vel Angelo dicere potuiſſet, veſtra bona opera accepta habeo tanquam mihi debita ex gratitudine, & ſervitute, & ex ſatisfactione pro delictis. Sic D. Bernardus ſerm. 1. *in Annunt.* Nec enim inquit, talia ſunt hominum merita *ut propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret niſi eam donaret : nam omnia dona Dei ſunt : & ita propter ipſa magis homo Deo debitor eſt, quam Deus homini.*

Ad argumentum in oppoſitum, reſpondetur æquè liberum eſſe Deo dimittere peccatum impunitum, ac bonum opus ſine mercede vitæ æternæ : quapropter docent Theologi non defuiſſe Deo alios modos præter Incarnationem, quibus potuiſſet hominem liberare, ut ſi ex miſericordia tanquam ſupremus princeps culpam condonaſſet.

Art. 6. Ibidem. cap. 3.

Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

QUæritur quid culpæ inveniri poſſit in hac aſſertione, nam *ſtipendium peccati mors eſt*, ut loquitur Apoſtolus ad Rom. 6. & injuſtum eſt, ut homo Deo obediens, morte puniatur, aliumque ſtatum nanciſcatur quam illum, in quo viget immortalitas, qualis eſt ſtatus beatificus.

Reſpondetur hanc aſſertionem affinem eſſe illi, quæ immediatè diſcuſſa eſt & improbata, ut proinde improbanda veniat. Quantumvis enim primus homo ſanctè ac piè in mandatis Dei vixiſſet : attamen quis illum ad beatam vitam à qua procul exulat mortalitas, evexiſſet ? neque enim ipſe ſuis viribus è terra ad cœlum tranſmigrare potuiſſet, aut ſeipſum in terra immortalem conſervare, durante quatuor humorum conflictu, ex quo tandem infirmatur corpus & langueſcit ad mortem : naturali enim lege, ſemota alia conditoris liberalitate & gratia, homo moritur propter naturalem corporis conſtitutionem, nec obedientia quam debet & quam præſtat conditori naturalem illam conſtitutionem immutat : quare ſi homo fuiſſet immortalis, id adſcribendum fuiſſet divinæ liberalitati & munificentiæ, non naturali legi & juſtitiæ. Sic D. Auguſtinus l. 6. de Geneſi ad lit. c. 25. *Aliud eſt*, inquit, *non poſſe mori, aliud poſſe non mori. Secundum quendam modum primus creatus eſt homo immortalis, quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ*, & paucis interjectis. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Unde patet, non ex debito & ex lege naturali hominem permanſurum immortalem ſi in obedientia perſeveraſſet, ſed quia Deo placuiſſet ex dono & gratia illi immortalitatem concedere, & ex illa obedientiam ejus liberè abſque debito & obligatione remunerari, ſicut Iſraëlitarum veſtes & calceamenta per plures annos in deſerto non atteri voluit.

Ad argumentum in oppoſitum dicendum eſt Apoſtolum id quod factum eſt narrare dum dicit mortem ſtipendium eſſe peccati, quia revera propter peccatum hominem occidit : quamvis ſi non peccaſſet, & Deus res naturales curſum ſuum tenere permiſiſſet, mori non deſiiſſet : nec injuſtus propterea Deus fuiſſet, cum nulla lege teneretur rerum mortalium ordinem immutare, niſi liberaliter promiſiſſet.

Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed iuxta modum loquendi ſcripturæ Sacræ, non recte vocarentur gratia, quæ fit ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

QUæritur an quidpiam ſit animadverſione dignum in hoc articulo : homo enim creatus fuit propter Dei gloriam ad eum videndum, debebatque viſionem Dei per bonorum operum merita adipiſci : eo ipſo quod à Deo fuit creatus propter hunc finem, connaturaliter ex vi creationis debebantur illi bona merita, tanquam aliquid naturaliter conſequens creationem : quare merita primi hominis fuerunt primæ creationis munera : at cum ex gratia indebita naturæ non profluxerint, gratia non debent appellari in ſenſu in quo ſcriptura id quod promanat è gratia, gratiam nuncupat : tantum ergo merita, non gratia dici debent. Art. 7. Ibidem. cap. 4.

Reſpondetur cum merita fundata ſint in gratia ſanctificante potiſſimum, quæ Adamo non debebatur ex vi primæ creationis à Deo : illum non potuiſſe habere vlla merita ad vitam æternam extra gratiam Dei & cum in phraſi ſcripturæ, gratia illud dicatur quod innititur gratiæ, vel ab ea ducit originem, rectè merita primi hominis dici debent gratia & non ſolum merita. In hoc autem deceptus eſt Bajus, quòd crederet gratiam ſanctificantem in qua homo creatus eſt, fuiſſe illi naturaliter debitam ut per eam ad beatitudinem tanquam ad finem naturalem ad quem conditus erat perveniret : quare iuxta ejus mentem illa gratia erat tantum gratia creationis, non verò gratia Theologica quæ eſt donum ſupernaturale & naturæ indebitum ad aſſequendam beatitudinem gratuito collatum. Quod Principium Baij improbatur à D. Thoma 1. p. qu. 95. art. 1. à Scoto in 2. ſent. diſt. 2. qu. 5. & aliis communiter, ut Theologia Baij merito dici poſſit peregrina & nova.

Ad argumentum in oppoſitum dicendum eſt hominem creatum fuiſſe propter beatitudinem tanquam propter finem ſupernaturalem, ad eamque debuiſſe pervenire per media ſupernaturalia, quæ Deus ex providentia ſua ſufficienter homini ſubminiſtraſſet. Sed de his infra luculentius.

D *In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigne collatum.* Art. 8. Ibid.

QUæritur an quid cavendum fuerit in hac concluſione. Omnes enim redempti per gratiam Chriſti fuerunt ſaltem in peccato originali, & plures in aliis peccatis : Quare quicquid illis divina liberalitas conceſſit, nonniſi indignis ob demeritum conceſſit : ergo hæc concluſio expungenda fuerat ex numero articulorum damnatorum.

Reſpondetur magnam indignitatem hominis tolli per baptiſmum, ut benè docet Hervæus Brito in 4. diſt. 4. q. 2. art. 2. Ac eos qui ſunt in gratia ſanctificante iam conſtituti ex mera Dei miſericordia, non iam cenſeri indignos divinis donis, ſicut indigni habentur qui ſunt in ſtatu peccati mortalis. Sed quia poſſet Baius contendere eos aliquando fuiſſe indignos, ideo reſpondetur hunc articulum damnandum fuiſſe propter beatiſſimam Virginem quæ in numero redemptorum vel redemptarum per gratiam Chriſti collocanda eſt : quis tamen aſſereret nullum inveniri potuiſſe bonum in ipſa meritum quod non fuerit indignæ collatum, cum nunquam originali peccato maculata fuerit ? Ut unio hypoſtatica quæ eſt gratia gratiarum & exemplar omnium gratiarum, humanitati Chriſti non indignæ nec demerenti collata eſt; ſic gratia & omne bonum meritum ex ea profluens collata ſunt Beatiſſimæ Virgini non indignæ nec per peccatum demerenti. Sed & bona opera, quæ iam iuſtificatis

Maria Virgo.

iuſtificatis divino munere conceduntur, non indignis conferri dici debent, quod alias fuerint in peccato: nam ſic & gloriam, cum ſanctis omnibus tribuitur, indignis tribui poſſet dici, cum alias etiam, excepta B. Virgine, in peccato fuerint. Quod piarum aurium offenſivum eſt, cum peccatum in iis perfectè delerum ſit; & nihil damnationis ex eo amplius remaneat.

Ad rationem in oppoſitum dicendum eſt, quod ut aliquid conceſſum indigno cenſeri debeat, non ſatis eſſe, quod aliquando indignus fuerit, niſi & tunc indignus ſit, cum de facto conceditur. Gratia enim Dei extollit hominem ad ſtatum quemdam eminentem, quo filius & amicus Dei conſtituitur, hæres Dei & coliæres Chriſti, ut nimis honorificatos Dei amicos eſſe, exclamet Propheta regius Pſal. 138. & Apoſtolus ad Coloſſ. *gratias agentes Deo Patri qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.*

Art. 9. Ibidem. *Dona conceſſa homini integro & Angelo ſerſican non improbanda ratione, poſſunt dici gratia, ſed quia ſecundum uſum ſacræ ſcripturæ, nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per Ieſum Chriſtum male merentibus & indignis conferuntur: ideo neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet.* Ibidem.

QUæritur an caſtigari debuerit hæc propoſitio in aliqua ſui parte. Prima enim illius pars, quæ tantum ſub dubio aſſerit dona conceſſa homini integro qualia ſunt fides, ſpes, charitas, poſſe nomine gratiæ donari, non videtur arguenda. Baius enim dona illa, etſi exiſtimaret debita naturæ integræ primi hominis, gratiam appellabat, quod apud illum creatio & quæ illam conſequebantur nomen gratiæ ſortiebantur, etſi non præſupponerent ſubjectum, quod illa ſine vllis meritis reciperet gratis & ſine debito vllo à Deo collata: creatio ſiquidem ex dono & libera Dei munificentia eſt. Secunda vero propoſitionis pars videtur uſurpare nomen gratiæ in vero ſenſu; cum autem homo adhuc in ſtatu integritatis degens, in quo concupiſcentiæ motus nulli contra rationem inſurgebant, nihil peccaſſet adhuc nec demeritus fuiſſet; quod idem de primo Angelo ſentiendum eſt, gratia locum in illis non habebat, quare nec eorum merita nec merces illis reddenda, gratiæ nomine nuncupari debebant.

Reſpondetur Baium in eumdem offenſionis lapidem incurrere in hoc articulo in quem iam in aliquibus articulis præcedentibus impegerat, ut mirum non ſit ſi adhuc confringatur. Abutitur enim nomine gratiæ ſicut & Pelagius, cum creationem & dona ex illa conſequentia gratiam vocat, hæc enim gratia Philoſophica eſt, non Theologica. Sed tranſeat iſtud cum dictum ſuum interpretetur, & dicenti congruat ut ſemetipſum interpretetur: ſecunda vero pars propoſitionis tolerari non potuit, cum ſtrictiùs gratiæ nomen uſurpet quam ſoleat à ſcriptura ſacra uſurpari, quæ non tantum illud gratiam eſſe dicit, quod peccatori & demerenti, per actum aliquem poſitivum peccati, confertur, ſed etiam quod iuſtis aut iuſtificatis. Quomodo enim alias Angelus Virginem ſaluraſſet ut gratia plenam, Luc. 1. quæ nunquam malè merita erat? Sed & quomodo ſtabit diviſio gratiæ ſanctificantis in primam & ſecundam, ſi non alia eſt gratia quam quæ indigno & exiſtenti in ſtatu peccati confertur? Quare cum merita primi hominis, nec non Angeli ex gratia vera profluxerint, gratia dici debent, ſicut & merces illis reddenda iuxta Apoſtolum ad Rom. 6. *gratia Dei vita æterna.*

Ad rationem oppoſitam patet ſolutio ex diſſertis in corpore articuli.

Gratia Philoſophica & Theologica.

Soluto pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe remanet, & corporis reſurrectio, propriè non niſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

QUæritur an vera ſit iſta propoſitio, & cum merita Chriſti maximè extollat, quid in illa arguendum ſit: omnia enim bona à Chriſti meritis profluxerunt, & Chriſtum magis honorat, qui plures effectus redemptionis noſtræ illi attribuit. Art. 10. Ibidem.

Reſpondetur, etſi hæc propoſitio habeat aliquam ſpeciem veritatis & pietatis, ſi tamen penitus perſpiciatur, in hoc arguenda eſt, quod non niſi meritis Chriſti, dimiſſionem pœnæ temporalis necnon reſurrectionem corporis, vendicans, excludit omnem virtutem ſatisfaciendi in piis & pœnalibus operibus, virtutem quoque merendi reſurrectionem corporis cum aliis ad beatitudinem ſpectantibus ab iiſdem arbet operibus. At ſermo divinus nos adhortatur ad opera ſatisfactionis. Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et opera hominis per pœnitentiam iuſtificati ex meritis Chriſti habent vim expiandi reatum pœnæ temporalis poſt culpam dimiſſam reſtantis, dignitas enim quædam illis acceſſit ex gratia & inhabitante Spiritu Sancto, & pretioſiora ſunt apud Deum, & ut loquitur D. Leo Sermone de *collectis* exigua iſta impendia tanta eſtimari taxatione merentur, *quia pondera operum charitatis hanc penſantur.* Unde Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Can. 13. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut ieiuniis, vratiombus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam; anathema ſit:* & Seſſ. 6. Can. 32. *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam ipſius iuſtificati merita, aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum, cuius vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* Ubi cum aliis cauſis à meritis Chriſti, licet ſecundariis & minus præcipuis attribuatur remiſſio pœnæ & reſurrectio corporis quæ in æterna vita continetur, non ſatis Catholicè aſſeritur non niſi meritis Chriſti, hæc attribuenda eſſe.

Ad rationem oppoſitam dicendum eſt Chriſtum nihil plus exoptare quam ut ejus meritis tanquam cauſis palmaribus ac præcipuis tribuantur effectus redemptionis; nec dedignatur nos habere ſecum cooperatores ut cum Apoſtolo dicere poſſimus, *non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15.

Art. 11. Lib. 2. De meritis operum. *Quod piè ac iuſtè in hac vita converſati vitam conſequamur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ iuſto Dei iudicio deputandum eſt, neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut iuſto Dei iudicio obedientiæ mandatorum, vita æterna reddatur.*

QUæritur an quid minus rectè poſitum in tota hac aſſertione. Cum enim Deus condiderit hominem propter ſuam gloriam ac propter vitam æternam, ne fruſtra propter hunc finem creatus fuerit aut deterioris conditionis ſit quam inferiores creaturæ, quæ naturalibus mediis, non ſupernaturalibus, finem ſuum conſequuntur, nec aliud ab homine præſtantius expectari poſſit ut finem ſuum attingat, quam ſi mandatis Dei ſe morigerum præbeat, videtur id ex lege naturali & ex vi ſuæ creationis debitum

esse, ut si obediat mandatis Dei, ad finem suum perveniat.

Respondetur, præterquam quod hic articulus nonnihil pugnare videatur cum præcedenti, ubi tam excelse merita Christi attollebat, quæ hic abjicit: supponit insuper beatitudinem finem esse hominis naturalem, quem propterea mediis naturalibus ejusdem ordinis, adipisci debeat, non per gratiam supernaturalem naturæ indebitam: at homo conditus est propter finem supernaturalem, quem naturaliter & viribus solius naturæ attingere non potest. Porro ex supernaturalitate finis tanquam ex principio procedit necessitas gratiæ supernaturalis, vix enim ejus necessitas adstrui posset, si finis ille supernaturalis non esset: quare gratia Dei supernaturalis primas tenet in consequutione beatitudinis per hominem: non igitur soli mandatorum obedientiæ consequutio vitæ æternæ tribuenda est, sed etiam gratiæ Dei, quæ medium est illi proportionatum. Unde in ista proportione Baius gratiæ Christi plurimum derogat, quasi non ipsa, sed natura esset semen gloriæ: plurimum quoque detrahit efficaciæ passionis ac redemptionis illius, quasi per eam aditus ad cœlestem gloriam nobis apertus non esset, sed per sola opera naturæ, quæ quamtumvis heroïca, sunt improportionatissima toto ordine ad sublimitatem visionis divinæ.

Ad rationes oppositas dicendum est, non propterea peioris esse conditionis hominem si finem suum non consequatur sicut bellua per media naturalia, sed potius hoc arguere nobilitatem ac sublimitatem finis illius, qui adeo excelsus est, ut mediis supernaturalibus indigeat, quæ Deus ex providentia sua omnibus suppeditat, ut non frustra, propter hunc finem homo conditus sit, si velit gratiæ Dei bene operando, cooperari.

Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cœlestis meritorium.

Art. 11. *Eodem lib. cap. 4 in titulo.*

QUæritur an falsi convinci possit assertio hæc, in qua continetur magis quæstio facti quam iuris. In qua non est probabile errasse Michaelem Baium.

Respondetur censuisse Pelagium, hominem viribus naturæ posse acquirere beatitudinem, sine gratia sanctificante aut actuali tam in statu naturæ integræ quam in statu naturæ lapsæ. Nam cum peccatum originale non admitteret, & hominis naturales vires æque esse potentes existimaret ante peccatum Adami, ac post peccatum Adami ad eliciendos actus meritorios vitæ æternæ, excludebat pœnitus in omni statu necessitatem gratiæ adoptionis, quæ est gratia sanctificans quæ nos reddit filios Dei. Naturalia quippe remanserunt integra post peccatum tam in sententia Catholicorum quæ est apud Magistr. 2. sent. dist. 33. & D. Thomam 1. 2. quæst. 85. art. 1. & libro 4. contra gentes cap. 52. quam in sententia Pelagij qui ex Augustino lib. de Gratia & libero Arbitrio cap. 13. gratiam sanctificantem tantum requirebat ad remissionem peccati, non ad fugiendum malum aut faciendum bonum per quod mereretur vitam æternam: quare cum sine gratia adoptionis opus meritorium vitæ æternæ assereret Pelagius, falso illi affingebat Baius, quod sententia ejus fuisset, sine gratia illa opus esse meritorium: qua in positione etiam Catholicos Pelagianismi insimulabat: apud quos probata est hæc assertio, quod [illegible] gratia sanctificante opus non est meritorium [illegible] contra Canonem 18. Concilij Arausicani [illegible] *debetur bonis operibus si fiant, sed gratia precedit ut fiant.* Cujus rei ratio præcipua est quod non aliis quam filiis hæreditatem vitæ æternæ Deus promiserit, provt innuit Apostolus ad Rom. 8. *si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur ut & conglorificemur.*

Gratia sanctificans à Baio exclusa.

Quod tamen non est ita intelligendum quasi promissio Dei faceret istam condignitatem bonorum operum ac ipsis conferret valorem: est enim tantum conditio sine qua non ex parte Dei, quæ supponit illum valorem in operibus, ex eo quod sint à gratia sanctificante: Ac sicut comminatio Dei non facit opus malum dignum pœna æterna, sed supponit: sic nec promissio dat operibus illum valorem: quare nec opera peccatorum bona quibus promittitur remissio merentur illam remissionem, quia ex se non sunt digna illa remissione. Sic etiam opera animarum purgatorij etsi ejusdem valoris cum operibus justorum hujus vitæ, nō merentur defectu acceptationis & promissionis divinæ, quæ est conditio sine qua non. Cujus rei radix est quod Deus nulli puræ creaturæ potest esse debitor absque sua promissione: quia esse debitorem importat aliquam inferioritatem ac veluti subjectionem ad reddendum: aliunde cum opera bona sint finiti valoris, Deus posset illa acceptare in compensationem aliorum debitorum hominis justi, ut supra dictum.

Ad oppositum dicendum est erasse Baium in quæstione facti, & merito notatum esse, cum doctrinam Catholicam hæretico attribuat, quasi esset hæretica. Quamvis enim hæretici recte sentiant quando cum Catholicis conveniunt: non solent tamen aliæ sententiæ illis attribui, quam illæ in quibus à Catholicis Doctoribus discrepant.

Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipient rationem meriti ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. Art. 23. *Eodem lib. cap. 7.*

QUæritur an quid censura dignum sit in hac positione, etenim videtur Scriptura illi favere, dum præmium attribuit obedientiæ mandatorum nulla habita ratione status gratiæ sanctificantis, seu Spiritus adoptionis inhabitantis, sic ad Rom. 1. 2. *Factores legis justificabuntur*, & ibidem, *reddet unicuique secundum opera sua.* Itavt quemadmodum malis operibus supplicium retribuetur, sive perpetrata sint à iusto aut ab injusto, sic idem videatur asserendum de bonis operibus, quibus sine acceptatione personarum præmium reddetur seu ab homine in statu justitiæ, seu in statu peccati existente prodierint.

Respondetur principium illud Baij quo excludebat gratiam sanctificantem à ratione meriti, iam sæpius impugnatum esse: & iterum iterumque impugnatur his Apostoli verbis, ad Galat. 5. *In christo Jesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per charitatem operatur*, & absolutè dicit idem Apostolus, 1. Cor. 13. *Si charitatem non habeam nihil sum.* Quæ testimonia evidenter ostendunt statum gratiæ ad meritum vitæ æternæ requisitum esse; cujus rei ratio est, quod persona debet esse Deo accepta, ut opus ejus acceptetur à Deo & illi polliceatur præmium vitæ æternæ. Quod communiter infertur ex illo Genes. 3. *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit*: quia Deus considerat qualitatem personæ operantis, si illi grata sit & accepta, ut opus ejus ad tam sublime præmium acceptet. Unde quia Abel charitate donatus erat, in tantum Deo grata fuit ejus oblatio, ut dicit Aquilas relatus à Procopio in cap. 3. Geneseos, quod deposuerit iram qua in Adamum exarserat: cujus rei pœnes ipsum fides sit.

Ad opposita dicendum est, quando Scriptura Sacra attribuit operibus rationem meriti aut demeriti, nulla facta mentione status personæ operantis, non exprimere omnes conditiones ad meritum necessarias, quod necesse non est, ut in singulis locis id significet. Sufficit ergo aliquando scripturæ sanctæ ex-

primere præcipuum subjectum meriti & demeriti, quod est opus ipsum, quod quidem quando bonum est, & procedit à persona sancta, majorem habet proportionem cum præmio, cum principium operis sit qualitate supernaturali affectum, sicut præmium ipsum supernaturale est: quæ qualitas cum aliquid conferat ad dignitatem majorem operis, non est in retributione acceptatio personarum, quæ tantum locum habet cum fit ob solam personam sine alia justa ratione.

Art. 14. Eodem lib. cap. 7.

Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

QUæritur an mulctari debuerit hic articulus, etenim gloria datur secundum gradus gratiæ hujus vitæ & secundum merita, & si quis multiplicatis bonum opus & meritorium efficiat, statim ei datur augmentum gratiæ in ratione præmij, itaut cum quis excidit è vita nullus novus gratiæ gradus ei attribuatur: ergo cum gloria ad mensuram gratiæ hujus vitæ à Deo concedatur, non est quod ampliorem mercedem expectent justi quam quæ debetur in rigore justitiæ eorum bonis operibus: favet D. Bernardus serm. 1. *in Assumpt. B. Virg.* ubi sic eleganter loquitur. *Quantum enim gratiæ in terris adepta est præteritis, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis.* Ergo gratia hujus vitæ & gloria (quæ repugnat) non est in ratione præmij, non ergo novus gratiæ, aut gloriæ gradus datur post hanc vitam ut excedantur merita hujus vitæ à gloriæ præmio. Deinde hanc doctrinam Baij secutus Vega quæst. 5. *de justificatione*, & videtur eam Paulus Apostolus asserere ad Rom. 2. *reddet unicuique secundum opera ejus.* Demum tam pœnæ in rebus quam damni videntur longe excedere demerita peccati quod brevi tempore perpetratur, & cum conversione ad bonum temporale plerumque latis seu ulla, cum pœnæ illæ sint infinitæ in duratione ac intensissimæ in suis gradibus.

Philippus à S. Trinitate Carmelita.

Respondetur propositionem hanc Baij à quibusdam videri posse hac ratione debere damnari, quod sit contra communem Theologorum, imo & multorum antiquorum Patrum sententiam, scilicet quod Deus bonos remuneret ultra condignum, sicut & malos punit citra condignum. Sic D. Thomas 4. sent. dist. 46. qu. 2. art. 2. hic D. Bonaventura eadem dist. art. 2. qu. 3. sic plures alij. Sic etiam inter patres D. Fulgentius l. 1. ad *Monimum* cap. 10. ubi gratiam retributionis exuperantem vocat & omne meritum excedentem. Sic D. Hilarius in Psalm. 51. & alij. Quod posset explicari vel de præmio essentiali quod daretur majus, ex liberalitate Dei in suos profusissima, qua fruitionem redderet intensiorem & perfectiorem visionem, quam sit præcisè ex justitia propter merita operum debita, itaut propterea omnes gratiæ divinæ gratias agere debeant Deum: vel verius potest explicari de accidentibus beatitudinis, quia salva justitia potuisset Deus sufficienter præmiare bona opera solo præmio essentiali visionis aut fruitionis beatificæ, non tot nec tam magnos ornatus essentiali beatitudini adjungendo: unde ipsi Lucæ 6. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Adde considerationes Philippi à sancta Trinitate Carmelitæ excalceati qui primam Theologiæ mysticæ ac scholasticæ alteram evulgavit tract. de gratia dubio ix. ubi Baium impugnat ex hoc quod in omnibus Dei operibus relucent misericordia & justitia, & misericordia ejus sit super omnia opera ipsius. Quod non esset nisi supra condignum præmiaret, & infra condignum puniret. Deinde peccator mereretur annihilari, & peccata sunt infinitæ malitiæ: quibus tamen non redditur pœna sensus infinita. Præterea potuit Deus non præmiare merita mortificata sicut non castigat peccata dimissa: similiter posset dare gratiam correspondentem meritis tantum & non gratiæ sacramentali: ergo Deus præmiat ultra condignum & punit citra dignum. Verumtamen forsan eo non respexit Baius, sed magis ad bonitatem moralem operum ex qua sola mercedis quantitatem metiebatur, sine ullo respectu quod a gratia sanctificante procederent: Quod axioma Pelagianorum fuit, & tapus tam impugnatum est & adhuc a nobis impugnandum est: quare merito hic articulus censura mulctatus est.

Ad oppositum dicendum est non dari novum gradum gratiæ justis post hanc vitam, ratione cujus etiam novus gloriæ gradus tribuatur, ut sic supra condignum præmientur bona opera. Sed circa assignanda mercede bonis operibus non attendit solum Deus ad valorem quem ex se habent: quod volebat Baius: sed etiam ad gratiam & charitatem ex qua procedunt & ex qua magis meritoria redduntur, quod negabat Baius.

Art. 15. Eodem l. cap. 7. & sequenti

Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam & inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum quod obedit divinæ legi.

QUæritur an locus sit censuræ circa hanc propositionem: etenim si aliunde quam ex opere ipso in se spectato & ex obedientia legis proveniret meritum, scilicet ex statu gratiæ sanctificantis in qua operans constituitur, sequitur inutilem, qua vita æternæ præmio muneraturbona opera, non consistere in compensatione ipsius laboris & operis, sed in compensatione qualitatis & boni status operantis, nec Deum spectare laborem unius cujusque: sicque fieret, ut quo minus laboris subjisset, & leviorem obedientiam legi præstitisset, deportare posset ampliorem mercedem propter majorem gratiam sanctificantem: quod prudenti cuique non leviter absurdum videri possit.

Respondetur præter ea quæ superius dicta sunt circa similes articulos Michaelis Baij, qui doctrinam hanc usque ad nauseam sæpius inculcavit, ut sic crambe recocta magistros vexans, probari adhuc nova aliqua ratione doctrinam hanc notandam fuisse. Quia si status Gratiæ Sanctificantis nihil confert obedientiæ legis, ut sit meritoria, sequitur eum qui in statu mortalis peccavit legit, eoque ipso pœna æterna dignus est, nihilominus mereri vitam æternam simulque dignum esse, & pœna æterna & vita æterna, debereque simul incurrere privationem vitæ æternæ, & illius possessionem obtinere. Quare merito visa est absurda hæc Baij doctrina ex qua tanta absurda consequuntur.

Ad oppositum dicendum est, Deum nihilominus spectare opus & laborem unius cujusque dum illum justo præmio compensat, quia scilicet opus hominis sanctioris cæteris paribus est dignius propter dignitatem quandam moralem, quam in illud influit sanctitas, & Gratia operantis. Unde etiam fieri potest ut eleemosyna unius alijs ab homine sanctiore facta, tantum meriti habeat quantum eleemosyna duorum alium si fiat ab homine minus sancto. Quod si paradoxum appareat, non nisi is paradoxum est, qui minus secreta Theologiæ perspexerunt.

Art. 16. Lib. 2. de Merito Operum cap. 1.

Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate.

QUæritur an quid damnationis sit in ista propositione, est quippe propositio ista pia & ad in[illegible] quandam perfectionem animas advocat, ut omnia in charitate peragant, juxta monitum Apostolicum, *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. Corinth. 16. Sive per charitatem intelligatur intentio divinæ gloriæ, seu status gratiæ habitualis & charitatis.

Respondetur Nicolaum Eymerici 2. p. *Directorii inquisitorum*, q. 11. referre Berengarium de Monte-

Falcone Ordinis Ciſtercienſis de Monaſterio Populeti tempore Innocentij VI. authorem & caput fuiſſe eorum qui dogmatizabant (refero verba ipſa authoris) quod omnia de genere bonorum quæ fienda ſunt, ſunt fienda Dei puro amore & non alia cauſa nec ſpe mercedis æternæ. Qui error fuit condemnatus ſolemniter & publice per F. Roſelium Inquiſitorem de Ordine Prædicatorum. Quod idem refertur à F. Bernardo Luzemburgo in *Catalogo hæreticorum* litt. H. verbo *Bugantius*, ut ibi habetur, loco Berengarij, ſicut & ibidem habetur errorem iſtum condemnatum fuiſſe per Sancyrium non Sanchium, ut habet Codex Eymerici, qui Sancirius Tarraconenſis Epiſcopus damnavit hunc errorem, quod in partibus Cataloniæ vigeret ſuo tempore. At propoſitio iſta Baij fere in eumdem ſenſum recidit, quare nihil novum eſt ſi damnationem etiam incurrit. Si vero intelligatur propoſitio de obedientia qua mandata Dei exequutioni demandantur extra ſtatum gratiæ & charitatis, evidentior eſt ejus falſitas, ut propterea tam male audierint qui ex hac Baij propoſitione, & aliis ſimilibus concludere volebant, peccatum eſſe ſi quis Sacroſanctæ Sacrificio Miſſæ aſſiſteret in peccato mortali degens. Multa enim bona fieri poſſunt à peccatoribus, ut plura opera miſericordiæ, obedientiæ, & aliarum virtutum, de quibus alias diximus 2. 2. *Theolog. Affect.* tract. 1. Medit. 7. Edition. 3. & 4.

Ad oppoſitum dicendum eſt, hæreſim nihil eſſe ordinariè niſi ſuperſtitionem, & Dei cultum majorem in ſpecie proponere, quem tamen poſtea deſtruit. Unde multæ hæreſes & multi errores maximam redolent pietatem ſub cujus prætextu piæ aliquæ animæ, & ſimpliciores decipi ſolent: ideoque etſi propoſitio hæc decima ſexta præcipuæ pietatis appareat, quia tamen conſilium vertit in neceſſitatem, & rationem obedientiæ amovet ab iis quæ fiunt ſine perfectiſſima charitatis intentione, aut extra ſtatum gratiæ Sanctificantis, jure merito damnata eſt.

Art. 17. *Eod. lib. cap. 4.* *Sentiunt cum Pelagio qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per Gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum deificum.*

QUæritur an iſte articulus debuerit inter damnatos recenſeri, etenim ſi aliter ſenſerit Pelagius, error eſt in facto, & Bajus per errorem laudavit Pelagium: at quoties citantur falſo authores aliqui etiam à graviſſimis authoribus, hi propterea non incurrunt ullam offenſionem à Summis Pontificibus; ergo videretur hic idem eſſe aſſerendum.

Reſpondetur jam ſæpius dogma Bajanum impugnatum fuiſſe, quo contendit Gratiam Sanctificantem, quæ eſt gratia adoptionis, qua ſublimatur anima ad ſtatum deificum, non requiri ad rationem meriti: quod dogma iterum hac ratione impugnatur, quod ſi homo abſque Gratia Sanctificante poſſet mereri vitam æternam, poſſet quoque ipſammet primam Gratiam Sanctificantem mereri, eſt quippe vita æterna gratia perfecta & conſummata: unde ſi hanc mereri poſſet viator abſque Gratia Sanctificante, multo magis mereri poſſet ipſammet Gratiam primam Sanctificantem; ex quo fieret, ut homo in peccato exiſtens poſſet via meriti conſequi gratiam illam qua remitterentur illi peccata, ſicque remiſſionem peccatorum via meriti obtinere, quod valde abſurdum eſt. Unde conſtans eſt doctrina in ſchola tota, meritum vitæ æternæ non eſſe ſine Gratia Sanctificante: etſi enim actio aliqua poſſit eſſe meritoria ex vi gratiæ actualis ex qua produceretur, tamen locum habere non poteſt niſi eliciatur actio in eodem inſtanti in quo infunditur ipſa Gratia Sanctificans, qua operans reddatur Deo gratus & acceptus. Quare cum Gratia Sanctificans requiratur ad meritum: qui doctrinam iſtius veritatis Pelagio attribuit, idem eſt ac ſi Pelagianam ac Hæreticam diceret.

Ad oppoſitum dicendum eſt Bajum non aſſequutum fuiſſe doctrinam, & mentem Pelagij de Gratia Sanctificante, quam tantum pro remiſſione peccati neceſſariam eſſe volebat: non ad vitandum malum aut ad faciendum bonum opus in quo eſt meritum. Patet ex D. Aug. de Gratia & Libero arbitrio c. 14. *Dicunt etiam Gratiam Dei qua data eſt per fidem Jeſu Chriſti, qua neque lex eſt, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel ut repugnantia ſuperentur, &c.* Male ergo Bajus aſſequutus eſt mentem Pelagij & pejus erravit, quod doctrinam vetam hæretico attribuat.

Opera Catechumenorum ut Fides & Pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ meritoria, quâ vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Art. 18. *Eod. lib. cap. 7.*

QUæritur an quidquam in hoc articulo improbandum ſit: etenim cum fidem habeant Catechumeni, & plura bona opera exerceant, non videntur privandi mercede ſua: tamen quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum, juſtum eſt ut prius illis remittantur peccata quam de facto in cœlum ingrediantur, vitam æternam conſequuturi. Favet D. Auguſtinus lib. de Natura & Gratia cap. 22. *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem perficiendamque juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, hoc eſt de vita æterna, etiamſi in aliqua gente aut in aliquo ſuperiori tempore fides eam latuit ſanguinis Chriſti, non enim eſt injuſtus Deus qui juſtos fraudet mercede ſua.*

Reſpondetur, cum Catechumeni, etſi fidem informem habeat & propter peccatum originale, aut peccata actualia, ſint indigni viſione beatifica, imo pœnam æternam vel damni ſolius, vel damni & ſenſus ſimul mereantur, fieri non poſſent cum illo reatu & obligatione ſimul mereantur vitam æternam beatificam, juxta ſuperius dicta, eaque vita digni ſint, itaut illis debeatur remoto obice peccati. Dignitas enim tanta & indignitas tanta ſimul conſiſtere non poſſunt, & qui in peccato mortali eſt, ita diviſus à Deo eſt, ut cum ſumma ignominia ſtatim poſſit privari vita, & pane quo veſcitur, & in infernum detrudi ſine ulla laude aut præmio quorumcumque operum. Quo jure ergo vitæ æternæ fructum prætendere poterit ex operibus mortuis? quare fruſtra pugnat Bajus pro operibus illis in ſtatu offenſæ mortalis peractis.

Ad oppoſitum dicendum eſt, non deberi cœlum iis qui inferno obligati ſunt: nec privantur mercede debita cum privantur vita æterna ij, quibus non debetur, niſi pœna & ſupplicium. Nec favet locus D. Auguſtini quem pro ſua opinione allegabat Bajus: ſi enim aliquis adimpleat totam legem, eo ipſo juſtus eſt & habet remiſſionem peccatorum, ut propterea ſubjungat D. Auguſtinus hanc rationem, *Non enim injuſtus Deus qui juſtos fraudet mercede ſua.*

Opera juſtitiæ & temperantiæ quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt majorem valorem. Art. 19. *Ibidem. cap. 7.*

QUæritur an hic articulus correctionem aliquam ſubire debuerit: etenim opus juſti habentis gratiam intenſam ut octo, non eſt cæteris paribus majoris meriti & valoris, quam alterius juſti habentis tantum gratiam intenſam ut quatuor: ergo nec opus juſtitiæ aut temperantiæ à Chriſto elicitum habebit amplius meritum aut valorem propter majorem illius gratiam, ſeu illa ſit ſubſtantialis ut in illo erat unio hypoſtatica, ſeu accidentalis.

Reſpondetur cõmunem eſſe doctrinam Theologorum opera Chriſti fuiſſe valoris infiniti propter dignitatem perſonæ illius: quapropter, & fuerunt ſatisfactoria pro peccatis totius mundi quæ quaſi infinita erant. Videntur autem opera illa tantum debuiſſe habere valorem in merendo propter dignitatem perſonæ, quantum habebant in ſatisfaciendo propter eamdem dignitatem. Quapropter Clemens VI. in Extravagante *Unigenitus* docet Chriſtum acquiſiviſſe hominibus infinitum theſaurum, nec metuendum eſſe ne exhauriatur vel minuatur propter infinita Chriſti merita, cujus quidem una gutta ſanguinis propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficiſſet. Quod videtur fundatum in quadam æquitate naturali, ſecundum quam opera dignorum perſonarum majori præmio remunerantur. Sic in juſtitia majus eſt ſtipendium præſidis quam conſiliarij, & hujus quam procuratoris, & hujus quam apparitoris: & in militia majus eſt ſtipendum generalis exercitus totius, quam ducis alicujus cohortis, & hujus quam militis gregarij, licet in eodem prælio non æquales labores ſubierint, imo aliquando plus laboris ſubierit miles gregarius quam dux cohortis. Cujus inæqualitatis ratio eſſe poteſt, quod cum præmium debeat aliquid eſſe magnum reſpectu operantis, & eadem res poſſit eſſe magna reſpectu unius infimæ aut mediocris dignitatis, quæ non erit magna reſpectu alterius eminentiori dignitate pollentis: cum ille dignior ſit qui ampliori præditus eſt gratia ſanctificante, debetur illi præmium majus, ut reſpectu illius ſit quid magnum. Vide de hac quæſt. Cardinalem de Lugo in 3. par. D. Thomæ *de Myſterio Incarnationis* diſp. 6. ſect. 1. & 2.

Ad oppoſitum dicendum eſt idem opus bonum habere inæqualem valorem ex inæquali gratia habituali; quia major gratia facit ut opus ſit excellentioris & nobilioris perſonæ opus, cui majus præmium deberi ut ſit æſtimabile in ordine ad illam perſonam; major enim gratia conſtituit perſonam digniorem, excellentiorem & venerabiliorem, unde ejus opus præmium requirit excellentius.

Art. 10. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*
Ibid. c. 8.

QUæritur an quid peccaverit Doctor Bajus in illa formidanda aſſertione de peccato veniali: Etenim Doctor Gerſon eamdem docuit ſententiam, multiſque confirmavit tomo 3. operum in lib. de *vita ſpirituali anima* lect. 1. Omne peccatum, inquit, pro quanto eſt offenſa Dei & contra legem ejus æternam, eſt de ſua conditione & indignitate mortiferum ſecundum rigorem juſtitiæ & à vita gloriæ ſeparativum: ratio eſt quoniam omnis offenſa in Deum poteſt juſtè ab ipſo judice Deo puniri pœna mortis tam temporalis quam æternæ, imo annihilationis pœna: eſt igitur de ſe mortifera. Aſſumptum deducunt ex hoc quod nulla pœna talis eſt ita mala, quam non mala eſt ipſa offenſa Dei. Alias adducit rationes ad idem probandum, ex quibus infert hoc corollarium, nullam offenſam Dei eſſe de ſe venialem niſi tantummodo per reſpectum ad divinam miſericordiam: cur autem hæc aſſertio potius damnabitur in Doctore Lovanienſi quam in Doctore Pariſienſi?

Reſpondetur diſtinctionem peccati mortalis & venialis ſatis manifeſtè expreſſam eſſe à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. *de juſtif.* c. 11. his verbis; licet enim in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti *in levia ſaltem & quotidiana quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti*, & his aliis verbis. *Unde conſtat eos, Orthodoxæ religionis doctrinæ adverſari, qui dicunt juſtum in omni opere bono ſaltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius, pœnas æternas mereri.* Quibus verbis Concilium damnat hæreticos, qui aſſerentes juſtum in omni opere bono peccare, conſequenter aſſerebant etiam pœnas æternas mereri, quod intolerandum prorſus aſſerit Concilium. Hoc autem ipſum eſt, quod aſſerebat Baius: ergo doctrinæ orthodoxæ adverſatur, & intolerabile eſt dogma: & certe nullius amicitiæ tam ſeveræ leges ſunt, ut pro minima offenſa diſſoluta debeat, ut offenſus amicus leviter offendenti amico pœnas æternas decernat. Nec patet quiſquam eſt qui jure privaret filium hæreditate propter quodlibet leve erratum.

Ad oppoſitum ergo dicendum eſt, quod quamvis Deus ratione ſui dominij in creaturam, poſſit ei quamlibet inferre afflictionem, non tamen id erit in pœnam & punitionem delicti, niſi delictum tale ſit ut illam exigat. Culpa enim & pœna relative dicuntur: at peccatum veniale non exigit pœnas æternas & privationem æternam Dei, quia peccatum veniale non eſt contra medium neceſſarium, ad aſſequendam ſimpliciter vitam æternam: ſed tantum contra medium neceſſarium ad illam poſt mortem aſſequendam ſine retardatione aliqua. Quare meretur tantum retardationem felicitatis, non pœnas æternas, quibus fœlicitas omnium impediretur. Quod à nobis paulo fuſius & expreſſius dictum eſt *in Theol. Affectiva* 1. 2. tractatu 2. meditatione 21. puncto 2. editionis tertiæ & quartæ. Gerſon porro in ſequentibus ſe corrigit ut lectione 4. non Baius.

Humana natura ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt & non ſupernaturalis. Art. 21. *l. de primi hominis juſtitia cap. 4. & 5.*

QUæritur an propoſitio hæc culpam contineat, quæ tam digne ſenſit de humana natura prout ſpectatur in ſtatu illo innocentiæ & integritatis perfectæ in quo primum condita fuit ante lapſum Adami: cur enim non eſſet gratia accidentalis ſanctificans debita humanæ naturæ innocenti, cum D. Leo Pontifex ſerm. 1. de jejunio decimi Menſis ſcribat hanc eſſe naturalem generis noſtri dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat? Ubi gratiam vocat dignitatem hominis naturalem.

Reſpondetur gratiam ſanctificantem tantæ eſſe dignitatis ut reddat homines Dei filios & capaces divinæ fruitionis in beata vita, ſicut enim loquitur D. Petrus 2. Epiſt. cap. 1. *magna & pretioſa nobis promiſſa donavit ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* At tanta dignitas non potuit eſſe debita naturæ, quam ſervilis omnino conditionis Deus creare poterat. Unde gratia qua in filium Dei adoptatur homo & qua tendit ad vitam æternam, omnino naturalis eſſe non poteſt, medium enim & finis ſunt ejuſdem ordinis: at vita æterna beata eſt ſupernaturalis: ergo & gratia debet eſſe ſupernaturalis. Rurſus gratia eſt qualitas & virtus ſine qua opera hominis juſti nullo modo Deo grata & meritoria eſſe poſſent, & eſt aqua ex qua ſi quis biberit fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: at gratia ordinis naturalis diverſi omnino ordinis eſt à vita æterna: ergo opus ortum ex ipſa, neque ſalit in vitam æternam neque ipſam aliquo modo meretur, quis enim dicat gratiam ordinis naturalis in ſua ſubſtantia facere poſſe hominem dignum, ut ei conferatur vita æterna? ſic Thomas Hurtado in *præcurſore Theologo* diſputatione 1. de *ſupernaturalitate rerum*, controverſia 5. membro 1. puncto 1. Quo fit ut D. Athanaſius, Oratione 1. contra *Arianos* vocet gratiam ſupernaturalem & ſupra hominem τὸ ὑπὲρ ἄνθρωπον. Quod idem firmat Divus Cyrillus Alexandrinus libro 1. in Joannem & alibi. Itaque ipſa opus eſt divinæ mu-

nificentiæ & dici poteſt de homine quem ea corona- A vit illud Heſter 6. *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.*

Ad oppoſitum, dicendum eſt dignitatem illam gratiæ vocatam fuiſſe naturalem à D. Leone, non quod fuerit debita ut proprietas aliqua ex ſe à natura fluens, ſed quod ab exordio & velut à nativitate hominis conceſſa fuerit.

Art. 22. Ibid. c. 5. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

QUæritur an damnanda ſit hæc propoſitio, etenim dixerat immediatè antè D. Paulus *non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur*, & poſteà ſubiungit: *cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*: ubi videtur loqui de gentibus quæ juſtificantur, quæ vocat factores legis, quod fieri non poteſt ſine gratia fidei. Pelagianum eſt enim aſſerere ſine gratia fidei & ſine converſione ad fidem, quemquam juſtificari. Atque hæc interpretatio conformis eſt D. Auguſtino l. *de ſpiritu & littera* cap. 26.

Reſpondetur Apoſtolum loqui de gentibus nondum converſis ad fidem, quæ poſſunt, non quidem omnia quæ in re legis, exequi, ſed ſaltem aliqua, idque ſine fide & ſine fidei gratia. Poſſunt enim honorare parentes, opus miſericordiæ alicui miſero impendere ad ſublevandam ejus miſeriam & quædam faciliora legis præcepta implere, cui non gravior aliqua urget tentatio; non tamen poſſunt totam legem implere ſine gratia, cum per naturæ ſolius vires actus ſupernaturalium virtutum qui ſunt de lege, obſervare non poſſint. Ubi attendendum eſt non dicere Apoſtolum gentes facere vel implere legem, *ſed ea quæ legis ſunt*, puta eaque ſunt minus ardua & difficilia: cum vero ait juſtificari eos qui faciunt, non addit ea quæ legis ſunt, ſed *legem*, ſcilicet integram & ſecundum omnes ſuas partes. Porro dogma Pelagianum erat homines ſine auxilio gratiæ nedum præcepta aliqua faciliora, ſed totam legem ſervare poſſe: ideo non ſentiunt cum Pelagio qui dicunt gentes fidei gratiam non habentes naturaliter & ſine ſupernaturali auxilio aliqua legis præcepta implere poſſe, D ut intelligit Apoſtolus: ſentirent vero cum Pelagio, ſi dicerent omnia ſervari poſſe, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Ad oppoſitum dicendum eſt Apoſtolum loqui de diverſis perſonis, cum loquitur de factoribus legis & de gentibus legem non habentibus. Intendit enim probare Apoſtolus, oportere legem totam implere: & quia gentes non totam legem adimplent, ſed tantum aliqua legis præcepta, vexantur in conſcientia, variarumque cogitationum ſtimulis torquentur. *Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus*, &c. Hic eſt ſenſus Apoſtolici contextus ut accurate legenti patet. Eumdemque ſenſum tandem amplectitur D. Auguſtinus l. eodem de ſpiritu & littera, c. 18. poſtquam E locum Apoſtoli variis interpretationibus adornavit.

Art. 23. Ibid. c. 7. *Abſurdæ eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate Deum ſupernaturaliter coleret.*

QUæritur an hic articulus ſit alicui reprehenſioni obnoxius. Etenim cum Deus condiderit hominem rectum, nec rectus eſſe potuerit, niſi per virtutes Theologicas fidei, ſpei & charitatis, Deo inhæreret: videntur hæ virtutes homini fuiſſe connaturales, ut ſine quibus rectus & perfectus eſſe non poſſet qualis à Deo conditus eſt.

Reſpondetur juſtitiam originalem primo homini conceſſam fuiſſe ſupra debitum naturæ, ex mera Dei liberalitate erga illum, quod vellet eum exaltare ſupra ſtatum primæ creationis. Juſtitia autem originalis nonerat unicus ſimplex habitus, aut una tantum qualitas, ſed erat ipſamet gratia ſanctificans cum habitibus fidei, ſpei, charitatis & virtutum moralium infuſarum, quibus omnibus efficiebatur, ut durante ſtatu innocentiæ, anima illius Deo eſſet ſubjecta, appetitus inferior rationi, nec non corpus animæ. Probari hoc poteſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 5. can. 1. ubi ita ait. *Si quis non confiteatur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe &c. anathema ſit.* Ex his infertur primo habuiſſe fidem, ſpem & charitatem, ſine quibus ſanctitas viatorum nulla eſt. Secundo infertur iſta non fuiſſe naturalia homini, quia ſicut poſt peccatum naturalia remanſerunt in Angelis, ſic in homine nulla facultas aut potentia naturalis ſtatim amittitur poſt peccatum, remanent membra, remanent oculi, remanent ſenſus, remanet color, remanet robur & fortitudo corporis: cur ergo etiam non remanerent virtutes animæ ſi illi eſſent naturales? quare exiſtimandum eſt hominem in paradiſo ornatum fuiſſe pluribus habitibus ſupernaturalibus i. naturæ indebitis, quibus tanquam mediis proportionatis ad fidem ſupernaturalem beatitudinis contenderet.

Ad oppoſitum dicendum eſt Deum condidiſſe hominem rectum, quia in ipſo creationis momento eum juſtitia originali veſtivit, quam virtutes ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis comitabantur, uti deration & legi Dei per omnia conformis erat: porro conformitas illa eſt ejus rectitudo primæva non ex ſolis naturalibus, ſed etiam ex ſupernaturalibus conflata.

Art. 24. Ibid. c. 7. & 8. *A vanis & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt, hominem ſic ab initio conſtituens, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus & in Dei Filium adoptatus.*

QUæritur an hic aliquis error deprehendi poſſit: etenim Deus in ratione creatoris imperfectus non fuit, nec actioni creationis quicquam defuit: quare ergo ex vi illius homo ad imaginem Dei creatus, abſque alia largitate & quæ extra creationem ſit, in honorem filiationis adoptivæ ſublimatus non fuit? Dona omnia gratuito & ex miſericordia ſuperaddita conceduntur homini per Redemptorem Jeſum Chriſtum: at nondum cogitatur redemptor, cum nondum peccator homo exiſtit: ergo iſta omnia ad gratiam creationis ſolam referenda videntur, non ad liberalitatem aliam gratuito ſuperadditam.

Reſpondetur aegui merito Baium tum propter notas cenſuræ quibus doctrinam communem ſcholarum afficit, aſſerens eam à vanis & otioſis hominibus ſecundum ſcientiam Philoſophorum excogitatam, & ad Pelagianiſmum eamdem referens: hæ enim notæ contrariæ ſunt charitati & paci fidelium, ingeruntque malam ſuſpicionem de religionis integritate, quaſi obcæcati eſſent & in caligine verſarentur Theologi omnes, cum doctrina communiter ab iis aſſerta tantis calumniis inficitur, ut propterea hujuſmodi notarum auctores adverſus doctrinam communem coërceri debeant. Deinde vero argui debet quia doctrinam veram impugnat, nam ſi Baius id tantum verum exiſtimet quod authoritati D. Auguſtini innititur, doctrina hæc quod dona quædam largitate conditoris ſuperaddita ſint naturæ, maximè

vero ſublimatio hominis in Filium Dei, defenſorem habet D. Auguſtinum contra Maximum lib. 3. cap. 15. *homo ad Dei ſimilitudinem factus, non eſt verus filius, & ideo fit gratia filius.* Quid expreſſius deſiderari poteſt? Ad quod amplius cognoſcendum, conſiderandum eſt quam multa importantur per donum completæ juſtitiæ originalis: non enim eſt ſimplex qualitas aut unicus habitus, ſed eſt aggregatum quoddam ex gratia habituali in anima, quæ gratia ſit principium meriti vitæ æternæ, & ex virtutibus moralibus & intellectualibus, quibus ſiebat in ſtatu innocentiæ ut magis Deus ſaperet animæ quam quælibet delectabilia alia, ſenſuſque omnes & appetitus delectabilius ſe haberent, ſubordinãdo ſe rectò rationis dictamini quam circa propria delectabilia inordinata: denique ex quodam jure ad arborem vitæ ejuſque fructus quibus corpus ſervaretur ab ægritudine & ab ipſa morte. Tale autem donum tantum eſt, ut non poſſit non cenſeri indebitum primo homini ex ipſi ex gratia creatoris ſuperadditum: nam in ſtatu naturæ puræ haud tale donum habuiſſet, idcirco ſupernaturale dicendum eſt. An vero ſit ſupernaturale quo ad modum tantum an etiam quoad ſubſtantiam diſputatur inter Theologos: videtur autem magis probabile fuiſſe ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod tale eſt quod ex ſe poſtulat produci ab aliquo agente quod eſt extra ſeriem omnium cauſarum totius univerſi, quale erat iſtud donum.

Deſcriptio juſtitiæ originalis.

Ad oppoſitum dicendum eſt Deum fuiſſe ſimul & creatorem & liberaliſſimum donatorem ac largitorem plurium perfectionum, quibus ſupra debitum naturæ Adamum & creabat & ſimul adornabat ac locupletabat: quare quemadmodum diſputabat contra Pelagium D. Auguſtinus in libro de *natura & gratia c. 34. non ergo ſic debemus laudare creatorem ut cogamur dicere, imo vero convincamur, dicere ſuperfluum ſalvatorem*: ſic in hac controverſa dicimus, nos non ita debere laudare Deum creatorem, ut cogamur dicere illum non fuiſſe etiam magnificentiſſimum donatorem plurium perfectionum liberaliter primo homini conceſſarum. Lib. 2. contra Julian. cap. 8.

Omnium opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

Art. 25. *Lib. de Virtutibus impiorum. c. & 6.*

QUæritur an plectenda ſit hæc propoſitio, quæ manifeſtè aſſeritur à D. Auguſtino, in præfatione Pſal. 21. & pluribus aliis locis. Et ratio eſt quia in doctrina D. Auguſtini, omne opus peccatum eſt, quod non refertur in Deum, quod etſi officio bonum eſt, ipſo non recto fine peccatum eſt. At infideles non habent fidem quæ opera dirigat in Deum tanquam in finem vltimum: ergo eorum opera quæ ſpeciem boni habent, peccata ſunt, iuxta verbum Apoſtoli *quicquid non eſt ex fide peccatum eſt*, ad Roman. 14.

Reſpondetur & ſcripturam ſacram & D. Auguſtinum aſſerere infideles bona moralia opera agere poſſe & de facto agere: nam Act. 10. dicitur de Cornelio qui nondum fidem ſuſceperat ſupernaturaliter infuſam, *orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ*, &c. Matth. 5. *ſi diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne ethnici hoc faciunt?* at diligere diligentem ſe non eſt actus peccaminoſus, ſicut nec eſt actus miſericordiæ corporalis aut ſpiritualis quę quandoque exercet ethnicus: & D. Auguſtinus in l. *de ſpiritu & littera* c. 28. ſic ait. *Sicut enim non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad vitam æternam nihil proſunt impio aliqua opera bona, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet impij ducitur.* Quod luculentius aſſeritur ab Hieronymo ſuper cap. 1. *Epiſt. ad Galat.* Sed & Concilium Tridentinum manifeſtè reprobat hanc propoſitionem, ſic ſtatuens contra Lutherum ejuſdem patronum ſeſſ. 6. *De juſtific.* can. 7. *ſi quis dixerit opera omnia quæ ante juſtificationem ſiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere gratiæ, tanto eum gravius peccare, anathema ſit.* Neque enim infideles prius habent fidem qua opera in Deum dirigant quam charitatem & ipſam juſtificationem, ut eadem ſint opera ante juſtificationem, ac ante fidem per charitatem operantem.

Ad oppoſitum dicendum eſt iuxta Magiſtrum ſent. lib. 2. *diſt.* 4. D. Auguſtinum appellare opus malum quod vitæ æternæ mẽritorium non eſt, ſed eſt ad illam inutile. Quæ interpretatio tantum aliquibus locis D. Auguſtini convenire poteſt, non omnibus: Ideo addenda eſt interpretatio Doctoris Angelici 2. 2. quæſt. 10. art. 4. aſſerentis D. Auguſtinum loqui de operibus infidelium quatenus ſunt infideles & agunt ex motivo infidelitatis ad falſum Deum colendum. Ut quæ Saracen præſtant in cultum Mahometi pſeudo Prophetæ. Sed & obſervari poteſt D. Auguſtinum l. 5. *de civit.* c. 12. quando virtutes Philoſophorum vitia vocat, loqui de iis operibus virtutum quæ ob finem vanitatis aut ambitionis eliciebantur ut legenti accuratius perſpicuum erit. Libro vero 19. c. 25. apertius loquitur, ac virtutes ſic inflatas, non virtutes vocat. Sed in fine iſtius capitis ſatis oſtendit ſe loqui de virtutibus meritoriis vitæ æternæ, reddit enim hanc rationem cur virtutes non ſint: *ſicut enim*, inquit, *non eſt à carne quod carnem facit vivere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beatè vivere.* Quod expreſſius adhuc habetur lib. 4. contra *Iulianum* cap. 3. Sed & libro de *bono conjugali* cap. 9. ſatis evidenter mentem ſuam exprimit. *Sane*, inquit, *videndum eſt, alia bona nobis Deum dare quæ propter ſeipſa expetenda ſunt, ſicut eſt ſapientia, ſalus, amicitia; alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, &c. Quiſquis vero eis propter hoc utitur propter quod data ſunt, bene facit.* Apoſtolus per fidem intelligit conſcientiam.

Integritas primæ creationis non fuit habitus naturæ humanæ exoletis, ſed naturalis eius conditio.

Art. 26. *Lib. de primi hominis iuſtitia. cap. 4.*

QUæritur an hæc propoſitio ſit contra veritatem, ut inter propoſitiones cenſura iuſtas computari debuerit: etenim integritas quæ erat in ſtatu innocentiæ conſiſtit potiſſimum in ſubjectione appetitus ſenſitivi ad rationem ut contra illam non ſeratur in objecta ſenſibus deſiderata, cum tanta præcipitatione & excellu, ut nunc illum ferri videmus & experimur, cum tanto detrimento animæ, ac tot infauſtis eventibus, ut exclamet Apoſtolus, *ſentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ad Rom. 7. & iterum eodem capite, *infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* At non eſt veriſimile quod iſta rebellio debita ſit naturæ humanæ & illi connaturalis: ſic enim homo natura ſua Deo rebellis eſſet, nec tam ad gloriam quam ad opprobrium & inhonorationem creatoris ſui, cujus legibus ex naturæ ſuæ conditione rebellis eſſet, ut magis contra ipſius gloriam quam ad ipſius gloriam, fabricatus eſſe videretur.

Reſpondetur eſſe de naturali conſtitutione hominis, ut habeat diverſos appetitus, quorum unus, qui ſenſitivus dicitur, naturaliter inclinetur ad objecta ſenſitiva: alter qui eſt voluntatis rationalis, feratur inſuper ad objecta ſpiritualia & cœleſtia: unde neceſſariò oriatur rixa & diſſentio inter utrumque appetitum: itaut tamen ex illa rixa & diſſenſione, voluntas non neceſſitetur ad peccandum conſentiendo appetitui inferiori, quia

objecta ſenſuum quantumvis alliciant, non neceſſitant tamen voluntatem, propter defectus quos ſecum patiuntur, quorum defectuum intuitu, poteſt voluntas allecta & tentata illa reſpuere, adhærendo legi Dei & objectis ſpiritualibus: ſolius enim Dei clare viſi prærogativa eſt, ut ad ſui amorem, neceſſitatem poſſit imponere voluntati, quæ ab illo avertere ſe non poſſit, quia omni ex parte beatus eſt & perfectus: ſicut ergo eſt de naturali conſtitutione hujus mundi, ut elementa aſymbola in ſe contineat, quæ ſibi invicem adverſantur: Sic eſt de naturali conſtitutione hominis, ut varias in partes abripiatur per contrarietatem appetituum. Unde integritas primæ creationis quæ hanc pugnam ſubmovebat, fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, nec fuit naturalis ejus conditio.

Ad oppoſitum dicendum nec Deum condidiſſe hominem cum iſta rebellione appetitus inferioris adverſus rationem, cum juſtitia originalis dona quædam contineret quibus in officio continebatur ille appetitus: potuiſſet tamen ſic creari, tuncque Deus modis illis quos novit gloriam ſuam elicuiſſet ex homine ſic condito: non minus ac hodie illam ſemper ſibi vendicat ex homine eodem lapſo & in pœnam peccati in eadem rebellione procreato: Neque tunc neceſſario homo legem Dei infringeret, ſed libertà tantum: ſicut in præſenti ſtatu naturæ corruptæ.

Art. 27. Lib. 2. de virtutibus impiorum. cap. 8.

Liberum Arbitrium ſine gratia Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.

QUæritur an quid poſſit eſſe offendiculo in hac aſſertione cui tam loculenter favet Concilium ſecundum Arauſicanum cap. 22. dicens, *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque juſtitiam, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.* Si ergo homo de ſuo nihil habet niſi peccatum & mendacium, ſemota gratia, nihil poteſt niſi peccare. Favet etiam D. Auguſt. contra duas Epiſt. Pelagianorum c. 8. item Epiſt. 106.

Reſpondetur Michaëlem Bajum tantum deprimere naturam humanam poſt peccatum, quantum illam exaltabat ante peccati ſtatum. Unde aſſeruit illam poſt peccatum, ſi removeatur gratiæ auxilium neceſſitari ad peccandum, nec poſſe ullum opus bonum exequi, ſed malum dumtaxat: qua in opinione adverſarium habet Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. can. 5. ſic dicens: *Si quis liberum hominis Arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit.* Vere enim amiſſum & extinctum eſt Liberum Arbitrium poſt peccatum, ſi cogitatur auxilium gratiæ non adeſſe: nam tunc nec bonum nec malum agere poterit: non bonum, quia in eorum opinione, nullum agitur ſine gratia; nec etiam malum aut peccatum, quia ubi eſt neceſſitas actionis alicujus, in illa non eſt peccatum, quod non committitur, cum vitari non poteſt. Eſt enim ſententia D. Auguſtini, lib. *de Duabus Animabus*, cap. 12. *Peccati rerum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſſe*, ut infetius probabitur. Sed & conſiderandum eſt, poſſe ſine gratiæ auxilio per vires Liberi Arbitrij hominem amare patentes, imo & Deum ut authorem naturæ, poſſe dæmonem odio proſequi, & execrari grande aliquod facinus, ut homicidium, adulterium. Hæc autem omnia & plura ſimilia, quæ poteſt Liberum Arbitrium, non recte vocantur peccata, nec vere ſunt, quis enim odium peccati aut amorem Dei naturalem peccatum audeat appellare? ſed & perpendendum quod per Dei adjutorium Baius non intelligebat ſolius Dei inſpirationes, ſed Gratiam efficacem, cujus neceſſitatem ad bonum requirebat.

Mirabitur vero quiſpiam unde tantum deprimant A Baiani liberum arbitrium poſt peccatum. Quod etiam faciunt Lutherani & Calviniſtæ ſub prætexta doctrinæ Auguſtinianæ. Id vero procedit ex eo quod non diſtingunt libetum arbitrium, & libertatem. Sicut ea diſtinxit D. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium contra duas Epiſt. Pelagianorum. Quis noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, ſed illa ſola quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. Quod eſt dicere, Adamum perdidiſſe ſua privilegia & libertates ac dona gratuita Paradiſi terreſtris: non vero liberum arbitrium. Quam ineptus eſſet qui libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ſicut loquuntur, à libero arbitrio non B diſcerneret. Unde

Ad oppoſitum canonem Concilij Arauſicani dicendum eſt, Concilium ibi diſtinguere hominem à Deo, & ea aſſignare quæ habet à ſe ſolo, ab iis quæ habet à Deo, & cum Dei auxilio: à ſe autem ſolo, cum ex nihilo ſit creatus, tendit ad nihilum peccati & non habet finaliter niſi mendacium & peccatum: cætera autem quæ non ſunt peccata, habet vel ex auxilio gratiæ, vel ſaltem ex concurſu generali Dei, qui in peccato ut tale eſt non invenitur, nam ſine ipſo factum nihil. 1. peccatum. Quod ſpectat ad locum D. Auguſtini ex cap. 8. lib. 6. *contra duas epiſt. Pelagianorum*, in quo ſpem poſuerunt adverſarij, nihil eos juvat, nec verbis, nec ſenſu conſonat cum aſſer- C tione damnata Baij, ſic enim habet D. Auguſtinus, *& Liberum Arbitrium captivatum non niſi ad peccatum valet, ad juſtitiam vero non liberatum adiutumque non valet.* Ubi per Liberum Arbitrium captivatum, intelligit animam operantem ex inſtinctu concupiſcentiæ aut dæmonis, quæ ſic non poteſt niſi male agere, ſicque & mens & verba D. Auguſtini diverſa ſunt à mente, & verbis Baij: ad Epiſt. 106. intelligit D. Auguſt. & ad non peccandum finaliter.

Aliud libertas aliud liberum arbitrium.

Pelagianus eſt error dicere, quod Liberum Arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. Art. 28. Eodem lib. cap. 9

QUæritur an virga cenſoria feriri debuerit hic articulus, etenim Concilium Arauſicanum ſecundum, manifeſte ſtat pro hac ſententia ſic ſtatuens Can. 14. *Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur niſi qui Dei miſericordia prævenitur.* Ex quo infert Vaſquez in 1. 2. diſp. 189 cap. 87. multiſque inſuper probat per ſequentia capita, ne minimam quidem tentationem vinci poſſe ab homine ſine auxilio gratiæ per Chriſtum: quod idem ſentiunt plures Scholaſtici. Minime ergo hic articulus in catalogo damnatorum articulorum reponi debuit; ſed & D. Auguſtinus Liberum Arbitrium ad peccatum vitandum ſine gratia inſufficiens eſſe aſſerit, Epiſt. 106.

Reſpondetur quoſdam cenſuiſſe hunc articulum damnari propter notam cenſuræ quam continet, non propter ipſam doctrinam, quæ à multis Scholaſticis probabilis ſuſtinetur: attamen, ſi perpendantur verba articuli, facile quiſque judicabit per ea nimium deprimi naturam humanam poſt peccatum Adami, ſignificant enim verba iſta tam horribili plaga percuſſam eſſe humanam naturam ex Adæ peccato, ut neceſſario involui debeat in omni genere peccatorum, ſi cogitetur abeſſe auxilium gratiæ Chriſti. Quid eſt enim non valere arbitrium liberum ad vitandum ullum peccatum: niſi quod neceſſario *debeat incurrere* in quodlibet peccatum, in parricidia, inceſtus, ſacrilegia, & quælibet monſtra libidinum? at pleraque horum facilius vitantur quam admittuntur. Nectam infœlix eſſet ſtatus dæmonum & animarum damnatarum, quam infœlix eſſet ſtatus hominum in hac terra degentium. Valet enim voluntas damnatorum ad vitanda pleraque peccata, quorum rei non ſunt: at in ſententia Baij tam monſtruoſa infirmitate, ac deformitate vulneratum eſt arbitrium liberum, ut

non

non valeat ad vllum peccatum vitandum ſeu parvum, ſeu magnum. Quo nihil dici poteſt indignius homine & contra veritatem abſurdius. Eſt tamen Baianorum dogma & palmaris Janſeniſtarum doctrina, quod ut gratia efficax neceſſitat hominem ad bonum: ſic concupiſcentia ſine illius unicæ gratiæ adjutorio, neceſſitat ad malum.

Ad oppoſitum Canonem, dicendum, Concilium Arauſicanum loqui de actu & de facto, non de poſſibilitate viribus humanæ naturæ: hanc ſiquidem Deus ita prævenit in benedictionibus auxiliorum à crepuſculo naſcentis rationis, ut de facto nullum vitet peccatum, quin prius miſericordia Dei præventa fuerit: non determinat autem Concilium de poſſibilitate ad illud vitandum, de qua eſt difficultas. Ad opiniones Scholaſticorum dicendum eſt, quod etſi ab actu ad poſſe valeat conſequentia: non valet tamen à non actu ad non poſſe. Textus vero Divi Auguſtini hunc ſenſum habet, quod fieri non poſſit, quin liberum arbitrium, ſine gratia Dei labatur in aliquod peccatum, & vitet omnia; cum quo ſtare poteſt quod vitet aliquod peccatum in particulari, de quo forte non tentatur, & aliqua moraliter bona operetur, quæ naturæ vires non excedunt.

Art. 29. Ibidem. *Non ſoli fures ij ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis, & vitæ negant, ſed etiam quicumque a unde quam per ipſum in viam juſtitiæ, hoc eſt ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe docent.*

QUæritur an quicquam minus veritati conſonum ſit in hoc articulo: etenim Chriſtus fons eſt & origo omnis juſtitiæ & ſanctitatis de quo dicitur 1. Reg. 2. *Non eſt ſanctus ut eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te.* Quia non eſt quiſquam ſanctus & juſtus extra Chriſtum & ſine illius gratia & adjutorio: ergo illius gloriæ detrahunt & fures dici poſſunt, qui omnem hominum juſtitiam in illius gratiam non refundunt.

Reſpondetur non eſſe hic immorandum in aſperitate ſtili Baiani, quo perſtringit Doctores Catholicos, dum in latronum claſſem eos reducit, ſed magis diſtinguendum eſſe duplex opus bonum ſeu duplicem juſtitiam: eſt enim aliquod opus bonum morale quod cogitatur eſſe purè naturale, & ex ſolis principiis naturalibus productum, quod opus ita cogitatum non eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem, nec eſt meritorium vitæ æternæ: aliud eſt opus morale quod ex principiis gratiæ productum eſt, eſtque utile ad juſtificationem adipiſcendam, & ſi fiat illa jam acquiſita, eſt meritorium: igitur ſine gratia Chriſti poſſet homo poſt peccatum Adæ aliquod bonum opus agere mòrale, ut puta colere parentes, reddere debitum in ſtatu matrimonij, vel ſolvere debitum creditori in juſtitia civili, & alia hujuſmodi, ut aſſerit D. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 2. Sed non poteſt agere aliquod opus, quo ſufficienter diſponatur ad juſtificationem: aut quo poſt illam jam adeptam mereatur vitam æternam. Quare cum Patres & Concilia prærequirunt gratiam Chriſti ad quippiam boni agendum, addunt limitationem ad juſtificationem conſequendam aut merendam. Sic D. Auguſtinus qu. 2. ad Simplicianum. *Niſi vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari*, ſic Arauſicanum 2. Can. 6. *Non autem ut credamus, vellimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus.* Quod expreſſius habet Tridentinum ſeſſ. 6. *de juſtific.* Can. 3. Cum ergo Baius vellet nullum bonum opus morale fieri poſſe ſine Dei gratia ob infirmitatem humanam poſt lapſum, etſi opus eſſet ſterile & inutile ad ſalutem æternam, damnationem incurrit ejus propoſitio: non enim in tantum contractæ ſunt vires Liberi Arbitrij:

Vide in Concil. Araus. 2. Claſſe iv.

etſi forſan vera ſit ejus propoſitio ob abundantiam gratiæ prævenientis quæ ſine gratia hominem vix benè agere ſinit; quod illi adſit ex liberalitate patris luminum qui dat omnibus affluenter & non improperat: quemadmodum in meridie homo non poteſt ſine luce ambulare propter lucis ipſius affulgentiam aut puer ſine nutrice non poteſt gradi, quia ſemper illi præſens eum manu ducit: licet aliquot paſſus agere poſſet ſuis viribus, etſi nutrix abeſſet.

Ad oppoſitum dicendum eſt, nullum poſſe abſque Chriſti gratia, aliquod bonum opus agere *ut oportet* quod ſit utile ad ſalutem, & ad eam conducat; Sicque Chriſtum eſſe fontem omnis boni ſalutaris, non autem boni alicujus naturalis quod ſterile ſit, & ad vitam æternam nihil conducens. Hoc autem bonum putat Baius eſſe peccatum, nec dignum nomine juſtitiæ, unde medium non admittit inter peccatum & opus dictum *ut oportet*. Hinc origo multarum ipſius propoſitionum etroneatum, quem in hoc imitatur Janſenius.

Aut tentationi vllæ ſine gratia ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſicut in vitam non inducatur aut ab ea non ſuperetur. Art 30. Ibidem.

QUæritur an cenſura Pontificia debuerit etiam in hanc aſſertionem cadere: verba ſiquidem ſunt D. Auguſtini Epiſt. 106. *Nos dicimus quod ſine gratia voluntatis arbitrium nihil valeat ad non peccandum.* Deinde ſine gratia hominem non poſſe vincere nec minimam tentationem ſententia eſt probabilis, quam multis tuetur Vaſquez, ut ſupradictum eſt, aliique Scholaſtici: at ſi ſubjiciantur opiniones probabiles cenſuræ Summorum Pontificum, nullus erit finis cenſurarum. Quis enim author, qui de Theologia Scholaſtica, vel morali & caſuum conſcientiæ ſcripſit, qui non innumera habeat quæ probabilia ſunt duntaxat?

Reſpondetur D. Bonaventuram in 2. ſent. diſt. 2. art. 1. & 2. q. 2. tractare præſentem quæſtionem: ac articulo quidem primo qu. 2. diſtinguit inter reſiſtentiam & victoriam tentationis: reſiſtentia enim in hoc conſiſtit quod quis non conſentiat ſuggeſtioni diabolicæ, ſed victoria conſiſtit in aſſequendo oppoſitum ejus quod diabolus intendebat, ita ut homo ex pugna contra tentationem, reddatur magis Dei amicus, & mereatur regnum æternum. Articulo vero ſecundo qu. 2. reſoluit hominem ſine gratia non poſſe omni tentationi reſiſtere ſicut cenſebat Pelagius, non habere tamen neceſſe quod omni tentationi ſuccumbat. Quia illud valde durum videtur quod in ſtatu tali, nulli poſſit tentationi reſiſtere, cum naturale habeat judicatorium & quendam inſtinctum naturalem remurmurantem contra malum; cum non ſit etiam in malo confirmatus. Unde exiſtimandum hominem ſine gratiæ auxilio non poſſe reportare victoriam fructuoſam & diſponentem ad gratiam aut ad gloriam, hæc dicitur *ut oportet*. Atque in hoc ſenſu intelligendi veniunt Patres qui in tantum deprimunt vires Liberi Arbitrij, ut poteſtate vincendi minimam & leviſſimam tentationem illud ſpohient: Poſſe vero ſine gratiæ adjutorio minimæ alicui tentationi reſiſtere ſeu non ſuccumbere, reſiſtentia infructuoſa ad gratiam aut vitam æternam. Quamvis de facto ſine gratia illi non reſiſtat, quod ut ibidem ait Seraphicus Doctor, Liberum Arbitrium numquam deſtituatur omni gratia gratis data: in quo fuit occaſio erroris Pelagij, qui ſuperbia excæcatus inter naturalia & gratuita diſtinguere neſcivit. Sed & maxime perpendendum eſt quid Baius intellexerit per adjutorium gratiæ; nihil enim aliud intelligebat quam gratiam quamdam efficacem, & de facto juſtificantem, per quam ſpiritus in anima inhabitat, repudiatis cæteris gratiæ auxiliis juſtificationem ipſam antecedentibus, ut annotavit Vaſquez,

Reſiſtentia & victoria.

1. 2. disp. 190. cap. 18. intolerandum autem videtur A asserere, quod peccator ante justificationem succumbat omni tentationi, cum sæpè contrarium experiatur.

Ad oppositum dicendum apud doctos non esse probabilem opinionem Baij, cum levis tentatio addat tantum levem aliquam difficultatem ad opus bonum: quam per vires naturæ superari non posse omnino, improbabile est. Nec mens est D. August. asserere impotentiam Liberi Arbitrij gratia destituti ad vitandum aliquod tantum peccatum, sed ad vitandum omnia & ad implenda mandata omnia, usque ad finem. Vide dicta ad Concil. Arausic. 2. classe 4.

Art. 31. *Lib. de Charitate cap. 7.*

Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tàm in Catechumenis quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. B

QUæritur an quidpiam damnandum fuerit in hac propositione: etenim ibi sermo est de actu Charitatis, quem in peccatoribus esse simul cum peccato non videtur repugnare, cum per actum charitatis non deleatur peccatum, sed per gratiam inhærentem, sitque actus charitatis tantum dispositio ad remissionem peccati: porro dispositio tempore præcedit id ad quod disponit. Quare cum existimaret Baius, ut refert Vasquez 1. 2. disp. 103. cap. 3. hominem paulatim justificari, inde consequens erat, ut homo pro aliquo tempore simul esse posset in peccato, & in actu Charitatis. Quod videtur probare C experientia, qua peccatores sentiunt in se aliquos actus amoris Dei, etiamsi sint in peccato.

Respondetur actum veræ Charitatis erga Deum à peccatoribus elicitum ex Gratia Actuali movente ad illum actum, esse ultimam dispositionem ad remissionem peccati, saltem quoad culpam, itavt qui vere Deum diligit, statim à Deo diligatur, infundaturque illi gratia & Charitas supernaturalis, qua omnia peccata deleantur. Hoc tam certum putat Petrus à Soto relatus à Suare tom. 4. in 3. part. D. Th. disp. 9. sect. 1. assert. 2. ut dicat esse de Fide. Probatur autem maximè his Scripturæ testimoniis. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur* 1. Joan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*, & Prov. 10. *Universa delicta operit Charitas*, & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et ratio est, quia actus charitatis est de se connaturalis dispositio ad habitum charitatis, cum quo conjungitur gratia habitualis peccatorum remissiva ac delectiva, ut idcirco D. Augustinus lib. de Spir. & littera, cap. 32. vocet charitatem qua nos Deus dilectores suos efficit *Justitiam Dei qua justi sumus.* D

Ad oppositum dicendum est actum dilectionis Dei esse ultimam dispositionem ad justificationem & remissionem peccati mortalis de quo hic sermo. Sic Pighius in libro de Controversiis apud Jansenium Gandavensem *Concord. Evang.* cap. 18. Etsi autem homo adultus paulatim justificetur, id fit, quia statim non elicit actum veræ dilectionis, sed incipit dispositionem suam ab aliis virtutum actibus minus perfectis. Quod spectat ad experientiam peccatorum, qui motus dilectionis divinæ in se sentiunt. Diximus in Theol. Affectiva, 1. 2. tract. 2. Medit. 19. puncto 3. post Durandum in 1. *sent. dist.* 12. *qu.* 10. & 6. Salesium *l.* 4. *de Amore Dei cap.* 9. 10. & 11. esse quemdam imperfectum amorem Dei in peccatoribus qui verus amor Dei non est. Sed falsus, quo plures decipiuntur si propter hunc amorem, in bono statu constitutos se putent. Dicta hic non repetemus.

Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Art. 32. *Ibidem.*

QUæritur an improbanda sit hæc assertio: etenim magna momenta affert Velosillus Lucensis Episcopus *in animadversionibus ad* 2. *tomum* D. August. *quæstio sexta*, ubi disputat contra Scotum asserentem hominem sese ex naturalibus disponere ad gratiam sanctificantem, quotiescumque præceptum dilectionis quoad substantiam implet. Si enim actus dilectionis est ultima dispositio ad gratiam, etiam alius actus moraliter bonus quicumque sit erit ultima dispositio ad gratiam: quod ex eo constat quod actus ille dilectionis nullum habeat privilegium supra cæteros actus: & si aliquod habet, quia ex parte objecti est melior, potest dari alius actus ratione quarumdam circumstantiarum melior actu Charitatis erga Deum, ut puta eleemosyna mille aureorum, actus heroicus fortitudinis. Deinde in Evangelio non habetur quod remissio peccatorum fiat per dilectionem, sed per pœnitentiam: Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum Cælorum.* Et licet Magdalenæ videantur remissa peccata propter dilectionem ejus multam, lachrymæ tamen illius testantur dolore pœnitentiali eam non carnisse, cum insuper per potestatem excellentiæ potuerit Christus peccata illi indulgere per dilectionis actum. Deinde verò Luthero favet opinio de sufficientia actus dilectionis ad peccata delenda, ipse enim non requirebat nisi propositum melioris vitæ, cum quo egregie quadrat actus solius dilectionis.

Respondetur actum perfectum Charitatis non posse compati peccata, sed ea delere & abstergere. Patet ex verbis Christi ad Mariam Magdalenam Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* Quæ est mens D. Augustini tract. 5. in Epist. D. Joan. asserentis Charitatem dividere inter filios Dei & perditionis: & D. Gregorij Magni Homil. 33. *in Evang.* vocantis Charitatem *ignem rubiginem peccati consumentem:* D. Bernardi Epist. 170. sic scribentis, *nemo se amari diffidat si eum amat, neque enim redamare pigebit eum qui nos amavit nec dum amantes.* Certè Catharinus in c. 7. Epist. ad Rom. vehementer arguit istam propositionem. Porro, inquit, quæ conjunctio Christi cum Belial? & quæ societas lucis ad tenebras? Itaque anathematizandum est dogma illud quod novi hæretici fuscitarunt, esse in homine criminoso & peccatore gratiam Dei: contra quos dilectus clarissimè ait, *si quis diligit mundum, non est Charitas Dei in eo:* quia nec diligit Deum, nec diligitur à Deo: iniquos enim odio habet Deus. Hæc & pluta Catharinus qui tempore doctorem Baium antecessit.

Ad oppositra dicendum est privilegium hoc esse actus perfectæ dilectionis Dei super omnia, ut sit extra sacramentum ultima dispositio ad gratiam. Cæteri actus quantumcumque intensi & perfecti ex circumstantiis, quibus etiam scriptura attribuit remissionem peccatorum, sunt dispositiones magis vel minus remotæ, vel tantum remittunt pœnam, non culpam. Quod attribuitur charitati propter summam ejus excellentiam inter omnes virtutes, & quia virtualiter includit omnes actus virtutum aliarum. Unde qui habet actum dilectionis, iam in voto saltem habet pœnitentiæ actum, quæ requiritur ad delectionem peccati. Debet autem actus ille charitatis elicitus esse ex supernaturali Dei gratia excitante, quia actus amoris Dei ex sola natura elicitus, non est *sicut oportet* ut homini justificationis beneficium conferatur.

Art. 33. Lib. de Charitate cap. 7.

Catechumenus iustè, rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, & legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

QUæritur an ista propositio doctrinæ Christianæ adversetur: etenim ad oculum patet plures Catechumenos sanctè vixisse, & pleraque historiæ id testantur. Quod vero remissionem peccati originalis & aliorum non obtineant ante susceptionem Baptismi, id videtur convenire dignitati sacramenti Baptismi, quem spoliat honore proprio & effectu, qui ante illum peccata deleri autumat.

Respondetur articulum istum fundari in duobus præcedentibus articulis iam impugnatis & ex iis probabili consequentia deduci: si enim per actum dilectionis Dei super omnia non delentur peccata, necessario id debet fieri per sacramenta. Quæ fuit opinio Michaëlis Baij, sicut testatur Jansenius Gandavensis, illius errorem de charitate cum peccato manente refellens cap. 48. *Concordantiæ Evangelicæ* ex verbis Christi ad Mariam Magdalenam *propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ubi vult dilectionem esse causam formalem iustificationis, sicut caliditas calefactionis: non autem dispositionem tempore præcedentem ipsam iustificationem: quod vltimum impugnans sic ait de Baio & ejus sequacibus. Non dissimilis sententiæ hodie quidam Doctores, asserentes charitatem (quam ex Aug. nihil aliud esse volunt quam bonam voluntatem) præcedere remissionem peccatorum, quam non nisi per sacramenta conferri volunt. Hæc mens & sensus Baij, qui ex hoc refellitur; Quod Catechumenus, qui iustè & sanctè vivit, exercens actus Charitatis erga Deum, eò ipso obtinet remissionem peccatorum ante susceptionem Baptismi, sicut Baptizatus qui lapsus est in peccatum mortale, si perfectè de eo conteratur, ejus remissionem assequitur ante absolutionem sacramentalem. Sicut Albertus magnus in Lucam c. 17. dicit ostensum fuisse in decem Leprosis, qui dum essent in via antequam ad Sacerdotes pervenissent mundati sunt. Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, & Dan. 3. *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur.*

Ad oppositum concedendum est aliquos Catechumenos sanctè vixisse, sed non sine remissione peccatorum ante realem susceptionem Baptismi: neque hoc derogat honori Baptismi, quia remissio illa non obtineretur nisi cum voto ipsius Baptismi & in ordine ad illum.

Art. 34. Lib. de Charitate cap. 4.

Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est, commentitia & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata.

QUæritur an pondus censuræ Pontificiæ in hanc sententiam cadere etiam debuerit: etenim Vasquez 1. 2. disp. 195. cap 2. 3. & 4. in ea est opinione, quod non debeat distingui duplex amor amicitiæ erga Deum, unus qui sit naturalis erga Deum ut authorem naturæ, alter qui sit gratuitus & infusus à Deo, seu supernaturalis erga Deum ut authorem gloriæ, quo in sensu distinctionem hanc improbat Baius; probatque tum à posteriori, quia nisi omnis amor amicitiæ erga Deum esset supernaturalis, sed aliquis esset naturalis, cum amor ille naturalis cum peccato subsistere non possit, sequeretur amorem aliquem naturalem iustificare & expellere peccatum. Probat etiam à priori, quia quando in objecto formali non distinguitur duplex ratio, in quam ipse affectus feratur, non potest etiam distingui duplex amor specie diversus: at non distinguitur ratio formalis amandi, ex eo quod Deus sit auctor naturæ vel gratiæ: quemadmodum (ut puto elucidandam esse mentem Vasquez,) non distinguitur in Deo duplex ratio ipsum amandi ex eo quod sit creator terræ & Creator Cœli, ista enim non sufficiunt ad constituendos diversos amores. Objiciens autem sibi damnationem propositionis 34. ipsius Baij in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. respondet, ibi nihil agi de materia propositionis, quod spectat ad duplicem amorem, sed quod attinet ad nimis austeri & severi judicij libertatem, qua perstringebat author ille Doctores, qui prædicta distinctione utebantur.

Respondetur cum affectus aliquis possit dici supernaturalis uno ex tribus modis; vel ex parte solius principij, vel ex parte solius objecti, vel ex parte utriusque, totidemque modis possit dici naturalis, non posse negari quin aliquo ex his tribus sensibus detur amor aliquis naturalis & aliquis supernaturalis. Porro objectum dicitur supernaturale vel ex eo solum quod non possit cognosci viribus totius naturæ, sed ut cognoscatur præsupponit aliquam Dei revelationem: sicque Deus ut beatificator est objectum supernaturale, quia sine revelatione non cognoscitur istud attributum. Quamvis Baiani contrarium opinentur, ex eo quod putent visionem Dei esse finem hominis naturalem, quod supra rejectum est & infra rejicietur amplius. Datur igitur amor supernaturalis, quod ipsi admittunt: sed posse dari naturalem ex parte principij negant. Qua de re videbitur paulo inferius.

Ad opposita dicendum est quod quamvis detur aliquis amor Dei naturalis, ex eo tamen homo non justificatur, quia lex Dei est & ejus voluntas, nihil acceptare ad gratiam sanctificantem & ad gloriam ex actibus humanis, nisi sint ex ejus gratia, dicente Christo Joann. 6. *nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Quod bene advertit Velosillus *in advert.* ad 1. tom. *Augustt.* quæsito 4. Quare amor Dei naturalis ex viribus naturæ solius elicitus non iustificat: ad id autem quod rursus opponit de insufficientia rationis ad distinguendos duos amores, verum est si ageretur de distinctis amoribus specie Physica, sed sufficit quod distinguantur specie Morali, ad quod non tot requiruntur. Quod vero censura non attingat doctrinam, id gratis dicitur & negatur.

Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est.

Art. 35. *Baius nõ agnoscit à se dictum ani scriptum.*

QUæritur an gladio censuræ percutienda fuerit hæc propositio: etenim Christus dixit manifestè *non potest arbor mala bonos fructus facere:* est autem peccator arbor mala: ergo nihil potest boni agere, sed quicquid agit peccatum est. Quod ideo asserebat Baius quod nullum opus bonum fieri posse sine gratia existimet: quare si peccator destituatur gratia supernaturali eaque efficaci & quæ importat secum gratiæ statum, quam solam admittunt Baiani, explosa pænitus sufficiente quam pejus cane & angue oderunt, quicquid agit, peccatum est: quod videtur confirmare Divus Augustinus in libro de fide & operibus capite 14. *sequuntur bona opera hominem iustificatum, non præcedunt iustificandum.*

Respondetur satis Scripturam Sacram asserere aliqua bona fieri à peccatoribus nondum iustificatis, ad quod probandum sufficeret exemplum Centurionis Cornelij de quo dicitur Actorum 10. *Bona opera tua & eleemosynæ ascenderunt ad Deum*, sed quia aliquis contendere posset Cornelium iustificatum fuisse, cum bona illa ageret, propter præconia quibus à Scriptura ipsa cumulatur, idcirco

alij proferunt exemplum obſtetricum Ægypti quæ timuerunt Deum, & parvulos Iſraëlitarum ſervabant contra edictum Regis impij propter quod Deus, *ædificavit illis domos.* Exod. 1. augendo rem earum familiarem ac ingentem bonorum temporalium copiam largiendo. Sed & Ezech. 29. Deus teſtatur Regem Babylonis Nabuchodonoſor, ſibi ſerviviſſe in expugnanda Tyro, propter quod eum remunerat. *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* In quem locum D. Hieronym. aſſerit, ethnicos ſi quid boni fecerint non abſque mercede feciſſe Dei judicio. Sed D. Auguſtinus l. 5. *de Civit.* c. 15. laudat bonas artes Romanorum, quas virtutes vocat, quibus ad gloriam imperij pervenire nitebantur, eaſque compenſatas fuiſſe ait gloria hujus mundi, cum vita æterna digni non eſſent.

Ad oppoſitum dicendum eſt per arborem bonam Chriſtum intellexiſſe non hominem ipſum nec ejus voluntatem, ſed actum ejus internum, qui ſi bonus eſt producit bonum fructum actus externi: & per arborem malam intellexiſſe actum internum malum, à quo prodit exterior actus malus. Sic interpretatur Albertus Magnus in 2. ſent. diſt. 41. art. 5. ſic etiam Scotus in 2. ſent. diſt. 37. qu. 1. Quod autem aſſerit D. Auguſtinus bona opera non præcedere hominem juſtificandum, loquitur de Operibus meritoriis vitæ æternæ, quæ debent procedere ab homine juſtificato & in ſtatu gratiæ conſtituto.

Art. 36. Lib. de charitate, cap. 6.

Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

QUæritur an hæc propoſitio coërcenda fuerit: loquitur enim de natura humana in ſtatu peccati conſtituta; & in tantum per illud peccatum depreſſa, ut non ſit probabile ex ſuis naturalibus poſſe aſſurgere ad tam nobilem actum, qualis eſt amor Dei, ne alioqui cogamur admittere eamdem poſſe obtinere, ex ſuis naturalibus peccati remiſſionem. Quod ſemel objectum eſt & iterum objicitur propter rei gravitatem; Deus enim diligentes ſe diligit: ergo diligentes Deum diliguntur à Deo: & dilecti à Deo peccata non habent amplius. Sicque homo ex naturalibus amicitiam Dei & gratiam conſequetur, quod omnino Pelagianum eſt.

Reſponderur inter Doctores illos, qui defendunt amorem divinum eſſe poſſibilem naturaliter, pugnaciſſimum eminere Scotum in 2. *ſent. diſt. 28.* & in 3. diſt. 27. qu. *unica* quem ſequuntur Scotiſtæ omnes præter Pitigianum. Fundatur autem in his rationibus, 1. quod ratio naturalis oſtendat aliquid ſummè diligendum: quia in omnibus actibus & objectis ſubordinatis eſt aliquid ſupremum: ergo aliquod ſupremum diligibile quod Deus eſt: nihil enim poteſt intellectus rectè dictare ex naturalibus, in quod dictatum, non poſſit voluntas naturaliter tendere, aliter voluntas eſſet naturaliter mala, vel ſaltem non libera ad tendendum in quodlibet bonum ſibi præoſtenſum ab intellectu, 2. quod fortis politicus ſecundum rectam rationem, debet ſe morti exponere propter bonum reipublicæ, etſi præmium alterius vitæ non ſperet, ſecundum autem rectam rationem magis diligendum eſt bonum divinum, quam Reipublicæ alicujus: ergo propter bonum divinum poterit ſeipſum quis morti exponere, Deum ſuper omnia diligendo. 3. Additur perſuaſio Theologica, quia qui ſe ſentiret pronum ad Deum diligendum cognoſceret ſe eſſe in charitate, cum ex natura id non procederet. Eamdem ſententiam ſequutus eſt Gofridus quodlib. 4 quæſt. 6. & plures alij variis ducti rationibus: cujus contrarium mihi non poſſum perſuadere, ſi limitetur actus ille amoris ad aliquod breve tempus, & in illa ſaltem occaſione, in qua non urgent graves aliquæ tentationes; quis enim tunc hominem ſepararet ab actu aliquo amotis Dei, qui tantopere diligendus apparet, cum tot alia objecta & vilia præ Deo ardenter diligat?

Ad oppoſitum dicendum eſt poſt Veloſillum in *Advertentiis* ad 1. tomum D. Auguſtini *quæſito* 4. Quod ſolum ille actus amoris Dei eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, qui eſt ſpecialiter ex Deo trahentes non ille actus qui eſt ex naturalibus, ut cum nobis Gratiam Juſtificantem confert, totum illi debeamus. Eſt autem Pelagianum aſſerere actum aliquem ex naturalibus ſolis eſſe ultimam diſpoſitionem ad gratiam: non actum ex Deo trahente elicitum; nimirum Deus id ſibi & gratiæ ſuæ excitanti reſervavit. Quemadmodum quamvis Angelus poſſit ex naturalibus, juxta Scotum, cogitationes cordis cognoſcere, tamen Deus id ſibi reſervare voluit; quia nobis id expediens fuit; ſcilicet gratia eſt velut ſponſa Chriſti ex qua generat ſibi filios; unde ſoli illi actus qui ex ea promanant, ſunt *ſicut oportet*, ut Gratia Sanctificans, aut gloria ipſa conferatur: nec quemquam in hoc decipiat ratio humana, cum de neceſſitate gratiæ admoneat nos Scriptura divina.

Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit. Art. 17. Ibidem.

QUæritur an improbari etiam debuerit hæc propoſitio: etenim aſſerit D. Jacobus Epiſt. c. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*: ergo ſi producatur aliquod bonum, quod vocetur morale aut naturale, neutiquam naturale eſt, cum ſit ex principio ſupernaturali gratiæ & ex dono Patris æterni. Vanum ergo dogma eſt Theologorum, cum dividunt actus bonos in naturales & ſupernaturales, virtutes in infuſas & naturales; cum nullum bonum ſit quod non ſit ſupernaturale & ex gratia profectum. Redolet ergo Pelagianiſmum admittere aliquod bonum naturale ex ſolis naturæ viribus ortum. Unde D. Auguſt. Soliloq. c. 15. *Si quid boni eſt parvi vel magni, donum tuum eſt Domine: & noſtrum non niſi malum eſt. Unde igitur gloriabitur omnis caro? numquid de malo? hæc non eſt gloria ſed miſeria: ſed numquid gloriabitur de bono? numquid de alieno? tuum Domine eſt bonum, tua eſt gloria: qui enim de bono tuo gloriam ſibi quærit, ea non tibi quærit, ille fur eſt & latro, & ſimilis eſt diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

Reſponderur quaſdam propoſitiones Baij taſſative damnatas eſſe in proprio verborum ſenſu ab illo intento: unde quamvis hæc propoſitio provt jacet à pluribus magnæ notæ authoribus defendatur: attamen Baius non diſtinguebat inter auxilium gratiæ actualis ſeu Spiritus Sancti nondum inhabitantis, & auxilium gratiæ habitualis, in quo contradicebat Concilio Tridentino ſeſſ. 41. cap. 4. ut notavit Vaſquez 1. 2. diſp. 90. cap. 18. Unde conſequenter exiſtimabat omnia opera ante fidem per dilectionem operantem & juſtificantem animam, eſſe ex ſolis naturæ viribus, etiamſi eſſent ex motione Spiritus Sancti nondum inhabitantis, ſeu ex gratia excitante & prævenienre. Quatenus ergo per hanc propoſitionem intendebat nullum bonum produci poſſe ab homine, ante ſtatum gratiæ juſtificantis & charitatis, cenſuram merito incurrit, quia nulli hactenus Theologi id probatum habuerant: etſi enim plures vellent nullum poſſe produci bonum ex naturæ ſolis viribus, admittebant tamen produci poſſe ex motione Spiritus Sancti, nondum inhabitantis & ex gratia prævenienre ante juſtificationem ipſam, in quo à Baio diſſidebant.

Ad oppoſitum dicendum eſt redolere Pelagianiſmum admittere aliquod bonum ortum ex viribus ſo-

In naturæ ; opponendo naturam tam auxilio Spiritus-Sancti nondum inhabitantis, quam auxilio Spiritus-Sancti habitantis per iuſtificationem ipſam : non vero opponendo naturam ſoli auxilio Spiritus-Sancti habitantis, provt opponebat Baius. Deinde diſtinguendum eſt inter bonum maius, ſeu perfectionem virtutum, & bonum minus, itemque inter bonum, *ut oportet*, *morale* quod conducit ad remiſſionem peccatorum & meritum vitæ æternæ, & bonum quod non conducit : de priori illo bono loquitur D. Jacobus, de hoc D. Auguſtinus in *Soliloquiis*, ſi tamen illa Soliloquia ſint illius germanum opus.

Art. 38. *Lib. de charitate cap. 6.*

Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum-Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.

QUæritur an proſcribi debuerit dogma hoc pietatem redolens, quod patronum habet D. Auguſtinum multis in locis, ut in Enchiridio cap. 117. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas*, & Chriſtus in Evangelio dicit, *Matth.* 12. *Qui non eſt mecum, contra me eſt*, quia ſicut contrà Chriſtum nemo eſſe poteſt niſi per cupiditatem malam, ſic cum illo nemo eſſe poteſt, niſi per charitatem & voluntatem bonam, aiebat Baius : & iterum D. Auguſtinus lib. 9. *de Trinit.* cap. 7. nemo volens aliquid facit quod non in corde ſuo priùs dixerit. *Quod verbum amore concipitur creatura ſive creatoris, id eſt, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis : ergo aut cupiditate, aut charitate, non quod non ſit amanda creatura : ſed ſi ad creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, ſed charitas erit, tunc enim eſt cupiditas cum propter ſe amatur creatura, tunc non utentem adiuvat, ſed corrumpit fruentem.* Ubi D. Auguſtinus nullum agnoſcit medium inter charitatem & cupiditatem.

Reſpondetur proſcribi hanc Baij propoſitionem, quod ex illa inferatur charitatem ſolam virtutem eſſe, ſoloſque ejus actus ſtudioſos eſſe & laudabiles : unde & damnantur omnes actus virtutum moralium ex motivo earum ſpecifico eliciti : ita vt opus miſericordiæ ad ſublevandam pauperis egeſtatem relatum, ſit actus vitioſæ & damnatæ cupiditatis : item de actu temperantiæ & fortitudinis, imo & ipſius religionis : unde & hæc propoſitio deſtruit omnes virtutes morales, quod Scripturæ repugnat, quæ eas ſæpènumero commendat ; rationi quoque, quia actus earum virtutum ex ſolo earum motivo ſpecifico eliciti, nullam habent oppoſitionem ad charitatem quæ eos imperat ac ad Deum refert. Quare & in ſeipſis conſiderati, vitioſi non ſunt nec improbæ cupiditatis actus, ſed honeſti & laude digni, apud quemlibet rerum æquum æſtimatorem ; imo & apud Deum cui ingrati non ſunt tales actus, etſi non attingant vltimum perfectionis gradum, niſi referantur ad Deum imperio charitatis.

Ad oppoſitum dicendum eſt D. Auguſtinum ſumere in his locis charitatem non ſtrictè pro virtute Theologica, ſolum bonum divinum ſpectante, ſed latiùs pro virtute quæ eſt communis Theologicæ & Morali infuſæ, itemque ſumere cupiditatem pro ipſa libidine, qua proprium bonum appetitus inferioris inordinate amatur. Quod autem vrgent Baiani in doctrina D. Auguſtini amorem creaturæ, qui non tendit in Deum, eſſe peccatum, id debet intelligi de amore inhæſivo & fruitivo, quo amaretur creatura, ut ſummum bonum, omnino propter ſe & ad illam cætera referendo : is enim eſt amor fruitivus. Id autem patet ex verbis, in objectione productis, *tunc non utentem adiuvat & corrumpit fruentem* : & ex illo celebri dogmate Auguſtiniano lib. 10. de Trinitate cap. 10. & lib. 83. quæſtionum qu. 30. *Omnem humanam perverſitatem eſſe fruendis mi & utendis fruis:*

quæ teſtimonia lucem afferunt pluribus aliis ex eodem D. Auguſtino collectis ad firmandum Baij articulum, quem Bulla proſcribit.

Quod voluntariè ſit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen ſit.

Art. 39. *Lib. de Libero Arbitrio cap. 7.*

QUæritur an incuſari debuerit hic articulus, qui fautorem habet Divum Auguſtinum lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum ; ubi cum Julianus urgeret, liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, id eſt bonum & malum, ſic arguit Divus Auguſtinus, *Liber ergo Deus non eſt, quia malum non poteſt velle, de quo etiam ipſe dixiſti, Deus eſſe, niſi iuſtus, non poteſt. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potius intelligere debes eſſe quamdam beatam neceſſitatem qua Deus iuſtus non poteſt eſſe* ? Ubi D. Auguſtinus, Libertatem cum neceſſitate ſimul aſſerit, ergo liberè fieri poterit, quod ſit neceſſario. Sed & apud ipſum familiare eſt libertatem cum voluntate confundere, ut idem ſit apud ipſum eſſe voluntarium & liberum.

Reſpondetur D. Auguſtinum ſatis mentem ſuam aperuiſſe lib. de natura & gratia cap. 65. *Liberi Arbitrij nos condidit Deus, neque ad virtutem, neque ad vitia neceſſitate trahimur : alioqui ubi neceſſitas, neque corona eſt*, & lib. de vera Religione cap. 15. *Nec hoc dubitandum video habere animas liberum voluntatis arbitrium, tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus iudicavit, ſi ei ſervirent liberaliter, quod nullo modo poſſit fieri, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* Ubi D. Auguſtinus evidenter opponit libertatem neceſſitati, ſed & D. Thomas in *quæſt. diſſi.* q. 6. de *malo*, art. unico, excutiens præſentem controverſiam, hæreſeos nota afficit propoſitionem de qua hic ſermo. *Hæc autem*, inquit, *opinio eſt hæretica : tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus ; non enim videtur eſſe demeritorium, vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, ut vitare non poſſit.* Sed & poſt D. Thomam plures inſignis notæ Theologi hæreticam aſſeruerunt eandem opinionem, maximè qui poſt hæreſim Calvini ſcripſerunt : horum Theologorum catalogum, quia plures referunt, omittimus.

Ad oppoſitum notari poſſet obiter, ſimilem eſſe argumentationem Calvini lib. 1. Inſtit. cap. 5. §. 5. ſed quia commune eſt recentioribus Baianis dicere Calvinum rectè ſcripſiſſe de Trinitate, nec ea reprehenſioni obnoxia eſſe ex eo quod à Calvino prolata ſint, ideo melius dicendum eſt, D. Auguſtinum eo loco, agere de libertate contrarietatis ad bonum & malum, ut ex ipſis terminis patet. Hæc autem libertas in Deo non eſt, ſed eſt in eo libertas quædam ſublimior, quæ extenditur ad innumera bona in particulari, circa quæ poteſt agere vel non agere, ea procreando vel non : libertatem enim diverſos habere ſtatus diverſaſque extenſiones abundè diximus in *Theol. Affect.* 1. p. tract. 4. *Medit.* 14. quæ non libet hic repetere : neceſſitas autem quæ eſt in Deo, eſt neceſſitas hypothetica ad bonum tantum in communi, quia ex hypotheſi quod agat, non agere aliud poteſt quam bonum. Unde D. Aug. tantum componit libertatem contradictionis cum neceſſitate hypothetica ad bonum in communi ; & libertas hominis poſt naturam lapſam eſt contradictionis ac contrarietatis circa bonum & malum, quæ non poteſt ſubſiſtere cum neceſſitate, circa bonum & malum in particulari, qualem volunt eſſe Baiani neceſſitatem hominis : eſt ergo diſparitas inter Deum & hominem circa præſentem controverſiam. Quod autem D. Auguſtinus pluribus in locis confundat liberum cum voluntario ; verum eſt, ſed uſurpat voluntatem provt illam definivit, in lib. de Duabus Animabus cap. 11. Illæ animæ ſi naturam non volunt nec faciunt, ideſt, ſi libero ad faciendum, & ad non

faciendum malum animo catent, &c. Ubi ſemetipſum interpretatur D. Auguſtinus, ſed iſtum locum diſſimulant Baiani.

In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.

Art. 40. *A Baio non agnoſcitur.*

QUæritur an labefactari poſſit hic articulus; etenim quid ex corrupta hominis natura prodire poteſt, quod non ſit damnabile? quid in homine regnum obtinebit niſi cupiditas, ſi abſit charitas & nondum eum poſſideat? & ſi totus Chriſti verbis depingitur homo, valde miſerum eſſe animal convincitur, *Quod enim*, inquit D. Joan. Epiſt. 1. cap. 3. *natum eſt ex carne, caro eſt*, affectus autem carnis, teſte Apoſtolo ad Rom. 8. *Mors eſt*, quando quidem *inimicitia eſt adverſus Deum*: eoque legi Dei non ſubditur nec ſubdi poteſt. Quod non ita intelligi debet de carne, ut non etiam ad animam pertineat, quia ex verbis Domini, oportet hominem renaſci, *quia caro eſt*, Joan. 3. Non renaſcitur autem tantum ſecundum carnem, ſed maximè ſecundùm animam, ergo totus homo caro eſt, id eſt, ſecundum ſe totum corruptus & depravatus ac cupiditatibus ſubditus. Quare Apoſtolus ad Rom. 3. volens humani generis arrogantiam dejicere ait, *Non eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, &c.* Quibus fulminibus, inquit Calvinus lib. 1. Inſt. cap. 4. §. 2. non in certos homines, ſed in univerſam filiorum Adam ſeriem invehitur.

Reſpondetur intolerandam eſſe Theologiam hujus articuli: quæ non ex alio principio a Doctore Baio invecta eſt, niſi quod non aliam gratiam Chriſti admittit, quam ſanctificantem, quam reponit in fide; per dilectionem operante, ante quam vult naturam nihil poſſe aliud quam peccare & ſervire cupiditati improbæ: at neceſſe non eſt, ut quicquid egit homo ante infuſionem fidei per charitatem operantis, agat ex motivo malæ libidinis. Homo ex ſua natura animal eſt partim cœleſte, partim terreſtre, mortale & immortale, ſpirituale & corporale. Hoc cum anima, illud eſt cum corpore, ut eleganter ſcripſit Nazianzenus *Orat.* 10. ſed & ante infuſionem charitatis dum adhuc peccator eſt, præparatur voluntas ejus à Domino per gratias prævenientes & excitantes, quibus gradatim pervenit ad actum aliquem ſatis perfectum, ut ſit ultima diſpoſitio ad ſuſceptionem charitatis infuſæ ſeu gratiæ juſtificantis. Quis autem non abſurdum putet, in iis actibus in quibus peccator obedit gratiæ excitanti, ſervire dominanti cupiditati? Saltem debuiſſent excipi actus illi, qui eliciuntur à peccatore adhuc in peccato exiſtente, qui actus vocantur actus regreſſus animæ ad Deum, ut diſtinguantur ab actibus averſionis animæ à Deo. Quo pacto ergo diſponet ſe peccator cum auxiliis gratiæ nondum ſanctificantis, ſi omnes ejus actus à dominante cupiditate imperentur? Sed & ſi dum homo eſt in ſtatu charitatis non deſinit concupiſcentia aliquos actus exercere propter quos juſti ſe eſſe ſine peccato non audent aſſerere, cur cum eſt in ſtatu peccati, etiam gratia excitans non producet in eo aliquid non vitioſum?

Ad oppoſitum dicendum eſt Apoſtolum eo loco agere de prudentia carnis quæ vitium eſt & peccatum quod Deo ſubjici non poteſt, licet homo laborans iſto vitio Deo ſubjici poſſit, ſic albedo non poteſt eſſe nigredo, licet niger albus fieri poſſit. Verba autem Chriſti de eo quod natum eſt ex carne, longe diverſum habent ſenſum, tantum enim eum denotant eſſe terminum generationis carnalis qui dat eſſe carnale, ſicut terminus generationis ſpiritualis in Baptiſmo dat eſſe ſpirituale, aſſimilando hominem Spiritui ſancto, ut egregiè oſtendit Stapleton in *Antidoto* in Joan. cap. 3. Fruſtra autem & falſo Calvinus verba Apoſtoli ex Davide deſumpta negat dicta eſſe in certos homines, cum de iis dicta ſint de quibus in principio Pſalmi 52. dictum erat, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, ſcilicet de Atheis.

Is Libertatis nomen non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.

Art. 41. *Lib. de libero arbitrio cap. 7.*

QUæritur an explodi debuerit iſte articulus, etſi enim ſcriptura ſacra loquatur ſæpius de libertate, de illa tamen maximè loquitur, quæ eſt à peccato; ut cum dicitur Joan. 7. *Si filius vos liberavit, verè liberi eritis*, itemque ad Rom. 6. *liberati à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ.*

Reſpondetur Summos Pontifices noluiſſe favere Baio & ejus ſequacibus etiam quoad unam voculam. Unde determinatum eſſe voluerunt, non ſolum libertatem à neceſſitate quoad rem ipſam in ſacris ſcripturis contineri, ſed etiam eamdem libertatem ſub voce & nomine libertatis exprimi. Quod patet ex hoc loco D. Pauli 1. Cor. 10. *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?* junctoque ibidem commentario D. Thomæ. Itemque Tobiæ 1. dicitur. *Quoniam memor fuit Dominus in toto corde ſuo, dedit illi Deus poteſtatem quæcumque vellet ire habens libertatem quæcumque facere voluiſſet.* Sed & quod ait Bains ſolum nomen libertatis à peccato exprimi in ſcriptura, admitti non poteſt, cum etiam libertas à miſeria ſub nomine libertatis exprimatur, ad Rom. 8. *Tunc & ipſa creatura liberabitur à corruptione in libertatem gloriæ Filiorum Dei.* Atque etiam libertas à jugo graviſſimarum multipliciumque cæremoniarum Moſaicæ legis, ut cum dicit D. Paulus Galat. 2. ſubintroiſſe falſos fratres ad explorandam *libertatem quam habebant in Chriſto Jeſu.*

Ad oppoſitum dicendum eſt, non hæc ſola ſcripturæ loca loqui de libertate, ſed & plura alia, ut inter cætera, ea quæ produximus in corpore articuli, ubi videmus nomen libertatis uſurpatum & ad ſignificandam libertatem gloriæ filiorum Dei quæ eſt libertas à miſeria, & ad ſignificandam libertatem à jugo legis Moſaicæ, quæ eſt libertas Evangelica, qua ij etiam fruuntur, qui ſunt in ſtatu peccati.

Juſtitia qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in Filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum ſanctum renovatus, deinceps bene vivere & mandatis Dei obedire poſſit.

Art. 42. *Lib. de Juſtitia c. 5.*

QUæritur an inter damnatos articulos hunc accenſere debuerit Summus Pontifex: etenim plures graviſſimi Doctores, quos refert & ſequitur Vaſquez 1. 2. diſput. 203 cap. 19. cenſent probabile eſſe hominem formaliter ſanctificari poſſe per actum dilectionis aut contritionis, etſi nullus habitus gratiæ & charitatis infunderetur, quia ad Coloſ. 1. dicitur charitas *vinculum perfectionis* & 1. ad Tim. 1. dicitur *finis præcepti*. Hoc eſt conſummatio & complementum legis, quia charitate ſervatur tota lex, & ad Rom. 13. ob eamdem rationem Charitas dicitur *plenitudo legis* & 1. Petri 4. dicitur *Charitas operit multitudinem peccatorum*, quibus amplius quidpiam ad juſtificationem deſiderari non poteſt.

Reſpondetur jure repudiatam eſſe ac damnatam hujus articuli doctrinam in quantum excludit gratiam ſanctificantem infuſam & permanentem in anima à juſtificatione, quaſi illa conſiſteret in ſola boni operatione, & in exequutione mandatorum abſque infuſione ullius doni habitualis. Quo ſemel ad-

miſſo, non pateret quo pacto infantes juſtificarentur, cum juſtitiam bonorum operum non habeant. Videreturque juſtificatio eſſe aliquid tranſiens ſicut eſt ipſa actio, qua mandatis divinis obtemperatur. Sed & ſcriptura ſacra non obſcure gratiam inhærentem admittit, qua juſtificantur homines. Ut quid enim Apoſtolus diceret ad Rom. 3. *juſtificati gratis per gratiam ipſius*? & cap. 5. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Quam in rem plura coacervat Suarez l. 7. *de Gratia* c. 7. & Vaſquez citata diſputatione.

Ad oppoſitum dicendum eſt, quod quamvis hominem formaliter juſtificari poſſe per actum amoris qui virtualiter continet obedientiam mandatorum, plures inſignis notæ Doctores probabile eſſe defendant: attamen ſuſtinent id tantum fieri poſſe de potentia abſoluta, nam de facto juſtificantur omnes per habitum infuſum gratiæ juſtificantis, licet id de fide hactenus definitum non ſit: unde non excludunt propterea habitum infuſum gratiæ & Charitatis quo formaliter juſtificantur homines: at Baius negat illum habitum, contra communem ſententiam Doctorum.

Art. 43. *Lib. de Juſtitia cap. 7.*

In omnibus pœnitentibus ante ſacramentum abſolutionis, & in Catechumenis eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

QUæritur an minus rectè poſita ſit hæc aſſertio: etenim juſtum eſſe eſt juſtè agere & obedire mandatis divinis: ſicut videtur innuere Propheta Regius dicens. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua.* Pſalm. 14. & alia quæ ibidem narrat: at poteſt homo ex fide operante per dilectionem hæc omnia bona agere, quibus juſtus ſit coram Deo: etſi nondum deleta ſint peccata per receptionem ſacramentorum, per quorum efficaciam remittantur peccata: ergo videtur admittenda Baij propoſitio ab cenſuræ nota.

Reſpondetur hanc Baij propoſitionem & quaſdam alias ſimiles in Bulla damnatas niti duabus aliis propoſitionibus ejuſdem Doctoris. Una eſt quod Charitas & alia bona opera meritoria non poſſunt eſſe cum ſtatu peccati, quod extra Sacramenta non deletur in ejus ſententia: altera eſt quod juſtificatio non fit per receptionem gratiæ inhærentis & permanentis ſeu habitualis, ſed per exercitium bonorum operum. Utraque autem propoſitio falſa eſt & novam Theologiam invehit, antiquis Doctoribus incognitam. Nam fides per dilectionem operans non patitur ſecum vlla peccata, ut ſuperius dictum & probatum eſt, iterumque probatur ex D. Auguſtino, ſolam dilectionem aſſerente inter filios regni & perditionis diſcernere lib. 15. *De Trinit.* cap. 7. cujus diſcriminis rationem inquirens Albertus Magnus in 1. *ſent. diſt.* 17. *art.* 9. dicit quod nulla alia virtus univerſaliter dividit inter filios regni & perditionis: quia ipſa uno modo eſt forma omnium, & ideo cum nullo vitio habetur: aliæ autem virtutes non excludunt niſi vitium unum & non omnia: & diſt. 1. *einſdem libri art.* 7. idem Albertus aſſerit hominem non poſſe eſſe in ſtatu medio inter culpam & gratiam, & deletionem culpæ ſequi collationem gratiæ. Quod idem firmant magno conſenſu plerique poſteriores Theologi. Sed & Concilium Trident. Seſſ. 14. cap. 4. aſſerit contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare priuſquam ſacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur. Quod adſtruitur Ezech. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit.* Altera autem propoſitio de juſtificatione quæ excludat gratiam habitualem conſiſtatque in ſolo exercitio bonorum operum, in præcedenti articulo rejecta eſt.

Ad oppoſitum dicendum, juſtificationem tantum eo ſenſu conſiſtere in exercitio operum, quatenus ſunt diſpoſitio ad juſtificationem, vel inſerviunt ad illam conſervandam, nec non etiam augendam: nam forma juſtificationis eſt gratia habitualis ſed ſanctificans, cui veritati dum ſatis non conſentiunt defenſores ac confœderati Baij, anſam arripuerunt obligandi pœnitentes poſt abſolutionem ad frequens & diuturnum bonorum operum exercitium, antequam ad Sacram Euchariſtiæ participationem admitterentur, quaſi non intelligerent animam aliter juſtificari, nec perciperent virtutem gratiæ ſanctificantis ad abluendam animam in momento.

Art. 44. *Eodem lib. c. 5.*

Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt ſolum ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vice legis juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutis.

QUæritur an in vlla ſui parte claudicet hæc propoſitio, aut in ejus cauda lateat aliquod venenum ut aliqui ſuſpicari poſſent: etenim tantum concluditur per hanc propoſitionem opera bona ſine imperio charitatis non mereri incrementa virtutum, ſicut nec merentur augmentum gratiæ & gloriæ eſſentialis. Quæ fuit ſententia Bannez 2. 2. quæſt. 24. art. 6. dubio 2. & 5. Ubi graviter & catholicè id determinat, ut loquitur Thomas de Hurtado in *præcurſore Theologo controverſia ſecunda diſputationis ſecundæ*: multis in hanc rem adductis tum authoritatibus, tũ etiam rationibus. Ut propterea extra cenſuræ aleã in tuto poſita eſſe videatur hæc aſſertio.

Reſpondetur duplici ex parte claudicare dictam propoſitionem. Primo quidem in hoc, quod aſſerit juſtificari homines (intellige formaliter ad mentem Baij) per obedientiam mandatorum. Quod iam multoties improbavimus. Secundo vero in hoc quod aſſerit, per bonos actus, homines juſtos non obtinere incrementa virtutum: conſtans enim eſt doctrina Theologorum bonos actus meritorios eſſe augmenti gratiæ: aucta autem gratia augentur in eadem menſura virtutes infuſæ, ſicut egregiè explicat Cardinalis de Cuſa lib. 2. *exercitationum* ex illo ſermone, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Qui habet charitatem, inquit, omnes virtutes morales habet & creſcente ea creſcunt cæteræ virtutes quælibet in ſua ſpecie, *ſicut creſcente manu creſcunt digiti*, auticulari tamen ſemper manente minore aliis. Porro per actus bonos augeri gratiam & virtutes haud obſcure aſſerit ſcriptura Apoc. vlt. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*, & ad Coloſ. 1. Ut ambuletis dignè Deo in omni opere bono *fructificantes & creſcentes.* Plura vide apud Suarium l. 9. de Gratia c. 1. & l. 12. c. 8. n. 9. qui opinionem Banneſianam nullo modo probandam aut tolerandam cenſet; quia videtur parum conſentanea ſcripturis, & communi ſenſui Eccleſiæ & Patrum, nimiumque coarctat merita Sanctorum.

Ad oppoſitum dicendum eſt quod quamvis plerique illuſtres Theologi contra noſtram mentem doceant ſolos actus charitatis eſſe meritorios præmij eſſentialis, ſimul tamen docent actus aliarum virtutum ſine imperio & directione charitatis eſſe meritorios præmij alicujus accidentalis, ad quod non eſt abſurdum revocare incrementa virtutum.

Art. 45. *Lib. de Sacrificio c. 2.*

Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus bonum quod fit ut ſanctæ ſocietate Deo homo inhæreat.

QUæritur an quid minus vero conſentiens ſit in hac aſſertione: etenim D. Auguſtinus lib. 10.

de Civitate cap. 6. dicit, *ſacrificium verum eſt omne opus, quod agitur ut ſancta ſocietate inhæretur Deo, relatum ad illum finem boni quo veraciter beati eſſe poſſumus*: at nihil poteſt amplius habere ſacrificium Miſſæ quam ut ſit verum ſacrificium. Quod cum bonis operibus conveniat ex mente D. Auguſtini, nihil reſtat in quo ſacrificium Miſſæ magis dici poſſit ſacrificium.

Reſpondetur hæreſim eſſe aſſerere quod ſacrificium Miſſæ non alia ratione, & magis propriè ſit ſacrificium quam bona opera. Definit enim Concilium Tridentinum Seſſ. 22. de *Sacrificio Miſſæ* Canone 1. *Si quis dixerit in Miſſâ non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.* Et ratio eſt quia definitio ſacrificij Miſſæ competit non aliis bonis operibus: eſt enim ſacrificium actus externus Religionis quo ad divinam Majeſtatem recognoſcendam & noſtram erga eum ſervitutem proteſtandam, res aliqua certo ritu ac cæremonia ei offertur ac immolatur: addunt aliqui per Sacerdotem & in altari ut magis explicent certum illum ritum quo debet offerri: at ſatis evidens eſt bonis operibus iſtam definitionem non competere: ergo non ſunt propriè Sacrificium latè ſumptum pro eo omni quod placat Deum, habetque aliquem effectum Sacrificij. Quod ſi ita non eſſet, fruſtra defenderetur caracter, prærogativa & dignitas Sacerdotum. Fruſtra tot diſputationes inſtitutæ eſſent contra hæreticos pro aſſerendo Sacerdotij honore, inunctione ac conſecratione, cum quibuſlibet laicis probatorum morum commune eſſet, cum bonis operibus ſæpe plus abundent. Sed quæ ad hanc controverſiam contra hæreticos ſpectant, doctè & ſolidè tractantur ab eminentiſſimo Cardinali Richelio in opere illo poſthumo, quo methodum tradit ad reducendos in gremium Eccleſiæ ab ea ſegreges parte 3. c. 5. ubi & omnes hæreticorum objectiones diluit.

Ad oppoſitum reſpondent Leonardus Coquæus in commentario ad illum locum D. Auguſtini & Leonardus Leſſius 3. p. q. 8. art. 1. dubio 1. D. Auguſtinum accipere nomen ſacrificij latè, non propriè, ſcilicet pro eo quod aſſequitur finem ſacrificij, qui eſt placare Deum. Et vocat ſacrificium verum ratione effectus & dignitatis, non ratione formæ & eſſentiæ ſacrificij propriè dicti. Quia ſcilicet Deus magis placatur bonis operibus quam ſacrificiis externis legalibus. Similis ſententia eſt, Joan. 15. *Ego ſum vitis vera*: nec enim Chriſtus ſignificare volebat, ſe magis eſſe vitem quod attinet ad formam & eſſentiam vitis, quam ſit illa quæ plantatur in vineis, ſed ſolum ſe eſſe vitem nobiliorem & nobiliores effectus producere. Vitem ſcilicet myſticam, ea quæ vitis ſunt, ſpiritualiter & multo excellentius præſtantem.

Art. 46. Lib. de Peccato originis. cap. 7.

Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec deſinitionis quæſtio eſt ſed cauſæ & originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

QUæritur an quid veritati repugnans ſit in hoc articulo: etenim non ſolent cauſæ eſſe de eſſentia rerum quæ definiuntur: ergo nec voluntas, nec voluntarium debent ingredi definitionem peccati. Unde ſæpe D. Auguſtinus & alij patres definunt peccatum nulla facta mentione voluntarij.

Reſpondetur poſt D. Thomam 1. 2. qu. 76. art. 3. quod voluntarium eſt de ratione peccati. De ratione, ideſt, de eſſentia & definitione ut uſurpari ſolet nomen, ratio & q. 61. art. 6. peccatum nihil aliud eſſe quam actum humanum malum. Quod autem aliquis actus ſit humanus, habet ex hoc quod eſt voluntarius, ſive ſit voluntarius quaſi à voluntate elicitus ut ipſum velle vel eligere: ſive quaſi à voluntate imperatus, ut exteriores actus vel loquutionis vel operationis. Ex hoc infertur voluntarium eſſe de eſſentia peccati quod eſſentialiter eſt actus humanus, quemadmodum ſubſtantia eſt de eſſentia hominis qui eſſentialiter definitur animal: ut enim animal eſt eſſentialiter ſubſtantia, ſic actus humanus eſſentialiter eſt voluntarius. Unde & qui expreſſius definiunt peccatum, dicunt illum eſſe defectum voluntarium perfectionis debitæ, quo homo deficiat à lege modum determinante ad aſſequendum finem ultimum beatitudinis. Et D. Auguſt. l. *de Religione* cap. 14. uſque adeo peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium. Quod idem repetit lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 17. & 18. Sed & lex divina abunde id teſtatur cum *Deuteronomij* 22. & 30. capite, innocens & ſine punitione maneat qui contra voluntatem occidit, ſicut & virgo quæ invita & renitens ſtuprum magis patitur quam agit, quia tunc peccatum non eſt defectu voluntarij actus.

Ad oppoſitum dicendum eſt in rebus moralibus ſæpiſſime cauſas & principia rerum ingredi ipſarum definitionem. Et quamvis in aliquibus locis D. Auguſtinus peccatum definiat ſine ulla mentione voluntarij, alibi tamen mentionem illius expreſſam habet, ut cum in libro de Duabus animabus ita definit peccatum cap. 11. Peccatum *eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat*, & aliis locis indicatis in corpore articuli. Quod ſimiliter alij patres aſſerunt.

Unde peccatum originis habet verè rationem peccati ſine ullâ relatione & reſpectu ad voluntatem à quâ originem habuit. Art. 47. Lib. de Peccato originis

QUæritur an hæc propoſitio virga cenſoria percuti debuerit: non enim apparet quomodo peccatum infantium quale eſt originale, qui nec intelligunt, nec volunt quidquam, poſſit eſſe voluntarium, aut ullum reſpectum ad voluntatem cujuſquam habere.

Reſpondetur nodoſam eſſe & difficilem quæſtionem peccati originalis, quomodo derivetur ad omnes homines, & per quam rimam in animas de novo per omnipotentiam divinam creatas ingrediatur: ſicut autem illud participamus per quamdam traductionem à parentibus in filios, ſic illud ſecretum cognoſcimus per traditionem & quamdam doctrinam quæ ab antiquioribus Theologis tradita ad nos uſque pervenit, a qua tantiſper deflectere non licet ſine erroris periculo. Certum eſt autem cum omne peccatum ſit aliquo pacto voluntarium, idem competere peccato originali, cujus cauſa non naturalis & phyſica, ſed moralis fuit primus parens, quatenus ex ejus voluntate & beneplacito pendebat, transfundere juſtitiam originalem & gratiam ſanctificantem in ea incluſam ad poſteros, ſi mandato morigerum ſe præbuiſſet, ita enim Deus ſtatuerat: ſicut & ſtatuerat, ut eo peccante, ineſſet in poſteris privatio gratiæ ſanctificantis quæ formaliter peccatum eſt originale, quatenus profluit ex Adami inobedientia ac prævaricatione voluntaria. Quare non eſt iſtud peccatum ſine reſpectu ad voluntatem Adami à qua originem habuit: unde Albertus Magnus in 2. ſent. diſtinct. 22. vocat peccatum originale voluntarium voluntate remota & antecedente, licet non propinqua & conſequente, ut originale inquit eſt voluntarium voluntate Adæ & non voluntate noſtra; & D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. inordinatio quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex ejus origine derivantur, ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum: quibus favet D. Auguſtinus in fine de Libero Arbitrio, ubi oſtendit peccatum originale quodammodo fuiſſe voluntarium propter voluntatem Adæ.

Ad

Ad oppoſitum ergo dicendum eſt peccatum originale eſſe defectum gratiæ Sanctificantis præciſe ex prævaricatione Adami ortum, & eſſe voluntarium voluntate ipſius Adami qui defectum hunc impedire poterat.

Art. 48. *Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium: & ex habituali voluntate dominante, fit ut parvulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſequutus fuerit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet & legi Dei repugnet.*

Ibid. c. 7. & 8.

QUæritur an aliquod ſit erratum in iſta propoſitione de peccato Originali: etenim D. Auguſtinus lib. 1. de *nuptiis & concupiſcentia*, cap. 25. loquens de peccato Originali, *non enim ſubſtantialiter manet*, inquit, *ſicut aliquod corpus aut Spiritus, ſed affectio eſt quædam malæ qualitatis, ſicut Languor.* Quæ doctrina magis explicatur ab Henrico de Gandavo, quodlib. 2. quæſt. 11. Ubi aſſerit peccatum originale eſſe pronitatem quamdam ad ſiniſtram peccati, & cum caſo infecta ſit cum ſenſibus ſuis rebellione contra Spiritum, cum virtute ſua ſemen informat, ac morbidam ſuam qualitatem ei imprimit, qua anima inficitur propter connexionem ad corpus. Haberque pronitatem ad conſentiendum carni in peccatum: qua parvulus ſtatim aptus eſt ad concupiſcendum & factus adultus actu concupiſcit: & talis diſpoſitio, inquit, ad peccatum non niſi culpa eſt, in ea enim conſiſtit ratio formalis omnis culpæ tam actualis quam originalis.

Reſpondetur peccatum originale conſiſtere formaliter in defectu gratiæ ſanctificantis ex Adami prævaricatione orto, ut fert ſententia communior & verior Theologorum plurium poſt D. Thomam 1. 2. quæſt. 82. art. 2. & 3. & Scotum in 2. diſt. 32. quæſt. unica. Siquidem peccatum iſtud nihil poteſt eſſe poſitivum, quia illud produceretur vel virtute naturali ipſius peccati Adami, vel quadam alia virtute ſupernaturali. 1. dici non poteſt, quia peccatum Adami non habet hanc vim, & forte deletum erat cum Adamus primum filium produxit infectum peccato originali. Secundum minus dici poteſt, quia ſic Deus ſolus eſſet author peccati originalis, quod ſuſtineri non poteſt. Quare fictitia eſt illa voluntas habitualis habitualiter manens, quæ dominetur puero, & illum in Dei odium impellat. Deinde pronitas ad peccatum nondum peccatum eſt, ſed diſpoſitio, ſicut nec reatus ad pœnam, qui magis eſt effectus peccati, non eſt peccatum.

Ad oppoſitum dicendum eſt peccatum originale dici habituale quatenus habituale opponitur actui, non quatenus ſignificat propenſionem & inclinationem ad actum aliquem ſicut ſumitur à Philoſophis. Ad Henricum dicendum non ſatis recte intellexiſſe eſſentiam peccati originalis, cum ſit difficillimum intellectu: unde tantopere in illo explicando laborant Theologi, ut non minus peccatum iſtud ſit ſeminarium plurium opinionum erroneārum, quam calamitatum humanæ vitæ.

Art. 49. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, non concupiſces.*

L. eodem cap. 11. 15. & 16.

QUæritur an quidpiam deſiderari poſſit in hac aſſertione: etenim verba ipſa præcepti Ex. 10. nihil aliud videntur ſignificare, quid enim eſt non concupiſces, niſi, nihil pravum deſiderabis, nec habebis prava deſideria, circa res delectabiles? at ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Reſpondetur obſcuram eſſe iſtam propoſitionem: ideoque diſtinguenda eſſe deſideria, ut alia ſint elicita, alia vero naturalia: elicita ſunt actiones deſiderij immediate à voluntate eliciti: naturalia vero ſunt ipſi motus carnis & titillationes circa res turpes, quæ exſurgunt in carne, invita mente hominis & repugnante, quæ Apoſtolus vocat legem membrorum repugnantem legi mentis ſuæ, alij fomitem peccati vocant, alij aliis exprimunt vocibus. Prava autem deſideria elicita prohibita ſunt præcepto, *non concupiſces*, & peccata ſunt niſi inadvertentia, & inconſideratio omnino excuſent; nec poſſunt eſſe niſi voluntaria, quia actus ſunt ipſius voluntatis, quæ à nullo objecto creato cogi poteſt ad volendum. Unde primum deſiderium fornicationis ex adſpectu mulieris alienæ, peccatum eſt, etſi remordeat ſyndereſis, & ratio non conſentiat, ut actu perpetretur. Alia vero prava deſideria naturalia jam explicata, quæ ſunt viæ & diſpoſitiones ad peccatum & quæ volens nolens aliquando juſtus quiſque patitur, non ſunt objectum præcepti, non concupiſces. Quia autem ſenſus propoſitionis à Baio intentus eſt de deſideriis pravis, juxta hanc ultimam acceptionem merito damnatur: ex hoc enim ſequeretur remanere aliquod peccatum in renatis, & aliqua ad evitandum impoſſibilia eſſe prohibita: quæ contrariantur Concilio Tridentino, Seſ. 5. in Decreto de *Peccato Originali*, & Seſ. 6. de *Juſtifi.* c. 11. Accedit quod quemadmodum pravi homines laudem non merentur ex quibuſdam ſanctis cogitationibus, aut inſpirationibus quas vel nolentes aliquando ſentiunt & quibus oblectantur; ſic nec ſancti homines peccant, aut pœnam merentur propter pravas quaſdam concupiſcentiæ commotiones quas inviti ſentiunt. Unde nec in illis præceptum tranſgrediuntur.

Ad oppoſitum dicendum eſt, præceptum intelligendum eſſe de pravis deſideriis elicitis, circa quæ homo liber eſt, ut ea eliciat vel non eliciat: non enim cogitur adſpecta muliere deſiderare actum fornicationis aut adulterij, idcirco cum illum deſiderat, voluntarie deſiderat, & eo magis voluntarie, quod concupiſcentia non minuat voluntarium, ſed augeat potius: diſtinguendum autem deſiderium, à ſimplici, & inefficaci complacentia.

Art. 50. *Concupiſcentia ſive lex membrorum & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.*

Ibidem.

QUæritur an à tramite veritatis deflectat hæc aſſertio: etenim Lutherani apud Stapletonem, l. 3. de Juſtificatione c. 4. urgent ex Apoſtolo ad Rom. 6 Concupiſcentiam vocari ut minimum quinquies peccatum, ad Rom. autem 7. ſexies, & ad Rom. 8. ter, & ad Hebr. 11. vocari *circumſtans nos peccatum.* Apoſtolum autem ſemetipſum interpretari loqui de vero peccato, cum ad Rom. 5. dicit de illa concupiſcentia, quod non ſit *bonum*, & quod ſit *adjacens malum* ita ut propter hoc clamet, *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Si autem concupiſcentia ſit peccatum, eſt legis inobedientia.

Reſpondetur Concilium Tridentinum hanc difficultatem explicaſſe Seſ. 5. in Decreto de peccato originali. *Hanc concupiſcentiam*, inquit, *quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere & proprie peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat: ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Quod & probatur ex eo quod baptiſma delet omnia peccata, cum tamen poſt illud remaneat in renatis concupiſcentia ad agonem; ut eodem loco explicat Concilium: ergo concupiſcentia per ſe peccatum non eſt. Quæ doctrina eſt D. Auguſtini, ut temere eum in ſuas partes trahere conentur adverſarij lib. 1. c. 13. contra 2. *Epiſtolarum Pelagian.* Dicimus baptiſma

dare indulgentiam omnium peccatorum & auferre crimina, non radere. Sed de concupiſcentia carnis credo eos falli vel fallere, *quæ quamvis peccatum ab Apoſtolo vocetur, peccatum tamen non eſt, ſed ideo ſic vocatur quia peccato facta eſt ut Scriptura monet, vel quia ad peccatum movet.* Atque id confirmant exempla ſanctorum, ut ſancti Benedicti & ſancti Franciſci, quorum ille moribus carnis pulſatus inter vepres & ſpinas corpus nudum volutavit, hic vero nivibus involuit, quarum theſauros dicitur Deus præparaſſe Job. 18. in diem pugnæ & hoſtis. An tunc legi divinæ inobedientes fuiſſe cenſendi ſunt, cum illos æſtus involuntariè paterentur? Præclarè Div. Proſper lib. 3. de *Vita contemplativa* cap. 1. *non concupiſcentiam in nobis ſentiendo, ſed ei conſentiendo peccamus.*

Ad oppoſitum dicendum jam ſatis elucere ex mente Concilij ac D. Auguſtini quo ſenſu concupiſcentia vocetur peccatum, à D. Paulo. Quod vero vocetur etiam malum, hoc non probat eſſe peccatum, cum inter malum & peccatum plurimum ſit diſcriminis. illud enim defectus eſt, etiam non voluntarius, hoc vero defectus voluntarius. Quia vero concupiſcentia eſt miſeria & languor etiam in corpore mortali reſidens, ideo exoptat Apoſtolus à tali corpore liberari ne forte conſentiat & peccet.

Art. 52. Ibid. c. 6. *Omne ſcelus eſt ejus conditionis ut ſuorum auctorem & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.*

QUæritur an non immunis à damnatione debuerit eſſe hæc propoſitio, cum ei ſuffragari videatur D. Auguſtinus in enchiridio c. 45. & 46. affirmans probabiliter poſſe defendi peccatis etiam aliorum parentum parvulos obligari. Deinde non videtur ulla ratio cur unum peccatum diffundatur à parente in poſteros, non aliud.

Reſpondetur D. Thomam 2. 2. quæſt. 82. art. 2. diſſolvere nodum hujus difficultatis ex eo, quod ea quæ pertinent ad individuum ſicut perſonales actus & quæ ad eos attinent, non traducuntur ad filios à parentibus, unde pater grammaticus non gignit filium grammaticum; ſed ea quæ pertinent ad naturam ſpeciei, traducuntur à parentibus ad filios, niſi ſit defectus naturæ, ſicut oculatus gignit oculatum. Sicut autem ad perſonam pertinet aliquid ſecundum ſeipſam, & ex dono gratiæ, ita etiam ad naturam poteſt aliquid pertinere ſecundum ſeipſam, ſcilicet quod cauſatur ex principiis ejus, & aliquid ex dono gratiæ: & hoc modo juſtitia originalis ſicut in 1. dictum eſt (quæſt. 100. art. 1.) erat quoddam donum gratiæ toti humanæ naturæ divinitus collatum in primo parente, quod quidem primus homo amiſit per primum peccatum: Unde ſicut illa originalis juſtitia traducta fuiſſet in poſteros ſimul cum natura, ita etiam inordinatio oppoſita. Sed alia peccata actualia vel primi parentis, vel aliorum non corrumpunt naturam quantum ad id quod naturæ eſt, ſed ſolum quantum ad id quod perſonæ eſt, unde alia peccata non traducuntur. Hæc D. Thomas opportunè ad propoſitam quæſtionem. Scilicet Adamus acceperat juſtitiam originalem pro ſe & pro ſuis poſteris, ſi obediviſſet: erat enim hoc pactum inter Deum & ipſum. Quod his verbis Geneſ. 2. exprimitur *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ex quibus elicitur debuiſſe illam juſtitiam pro ſe & pro ſuis poſteris amittere ſi inobediens fuiſſet in præcepto ſingulari, de non comedendo fructu arboris. Non enim patres alij accipiunt gratiam ſanctificantem pro ſe & poſteris cum hujuſmodi conditione & lege: illa eſt in ipſis donum gratiæ perſonale, unde inordinatio illi oppoſita, cum eam amittunt, ad filios non tranſit: totaque corruptio peccati originalis eſt ex primo parente tanquam ex primo fonte, nec contrahitur per alios parentes proximiores, niſi tanquam per canales, per quos ab Adamo in ipſos deſcendit, ut egregiè differit Albertus Magnus in 2. ſent. diſt. 33. art.

Ad oppoſitum reſpondet idem D. Thomas D. Auguſtinum hanc quæſtionem movere in enchyridio, ſed inſolutam relinquere. Cum enim reipſa putaret peccatum originale in reatu conſiſtere, afficiantur-que aliquando pœna temporali filij ob delicta parentum: majorem anſam habuit ea de re dubitandi. Patet ex cap. 47. ubi concludit ſe temere nihil audere affirmare.

Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum à generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam qui cum majoribus. Art. 52. *Ibidem. cap. 6.*

QUæritur an contradictio aliqua fieri poſſit hujuſmodi propoſitioni, quæ nihil aliud videtur ſignificare quam æqualitatem peccati originalis in omnibus hominibus & reſpectu omnium. Quod aſſeritur ab Alberto Magno in 2. ſentent. diſtinctione 32. articulo 4. & Divo Thoma 1. 2. quæſtione 82. articulo 4. & communiter ab aliis Theologis. Quia omnes privantur gratia ſanctificante propter tranſgreſſionem Adami, & æqualiter rei, ſunt & viſione beatifica privandi æqualiter. Licet autem inclinatio ad malum major ſit in uno quam in altero, id non eſt ex peccato originali, ſed magis ex conſtitutione & complexione naturali, quam quiſque habuiſſet in pura natura.

Reſpondetur difficultatem hujus propoſitionis in eo ſitam eſſe, quod putaverit Baius non ſolum peccatum Adami, ſed etiam aliorum parentum in filios tranſfundi, ut patet ex articulo præcedenti. Quia credidit ipſe peccatum patris tranſire ad filium quodcumque illud ſit, nec admittebat pactum illud inter Deum & Adamum, quod tali lege initum fuit, ut ſi ipſe peccaret, omnes poſteri in eo peccarent, ſi non peccare, omnes in juſtitia originali naſcerentur. Baianorum enim mens eſt, ut notat Ripalda tom. 3. de *Ente ſupernaturali.* diſp. 3. ſect. 2. peccatum originale ex natura in poſteros tranſfundi, tanquam verum & naturalem ejus effectum, & non moralem ab aliqua Dei lege ſeu pacto pendentem, pactum enim iſtud fictitium putant. Ex quo principio pervium eſt æſtimare etiam alia peccata & demerita parentum ad filios tranſfundi, juxta verba Exodi 20. *Ego ſum Deus fortis, &c. viſitans iniquitates Patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Et quædam exempla ſcripturæ in quibus filios ob delicta parentum ſupplicijs affectos videmus, quæ refert Michael Palatius in 3. ſentent. diſtinct. 33 diſput. *unica.* Quapropter Divus Auguſtinus in Enchyridio c. 47. quæſtionem hanc meticuloſe tractat, nec audet quidquam definire, ne poſterius nati graviori ſarcina peccatorum progenitorum ſuorum onerarentur. Quod autem non audebat aſſerere Divus Auguſtinus, auſus eſt Baius. Et quia difficultas obvia erat de filiis qui naſcuntur cum minori concupiſcentia & depravatione naturali, an æque participes eſſent malorum meritorum ejus à quo vitam hauſiſſent, ideo ejus propoſitio fuit, quæ hic damnatur. *Tantum meritorum malorum (ſcilicet quorumcumque peccatorum) à generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitiis, ac qui cum majoribus.*

Ad oppoſitum, quidquid ſit de æqualitate peccati originalis, dicendum articulum non intelligi de malis meritis ſolius originalis, ſed aliorum etiam peccatorum, quæ tranſfundi à generante in filium opinabatur Baius. Quæ opinio non eſt ad mentem ſcripturæ, quæ tantum intelligit filios puniri ob delicta parentum, ſi Deum odio ipſi habeant & ſint imitatores paternorum delictorum, ut explicat Magiſter lib. 2. ſentent. diſtinctione 33. Quare cum hæreſis apud Judæos invaluiſſet, filios puniri ob peccata parentum, graviter reprehenduntur per Ezechielem c. 18.

Filij Iſrael quæ eſt hæc parabola, cum dicunt in Iſrael: patres ederunt uuam acerbam & dentes filiorum obſtupuerunt, &c. anima quæ peccaverit ipſa morietur. Ut notat Procopius commentariis in Exodum.

Art. 53. Eodem l. cap. 12.

Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagij ſit.

QUæritur an hæc aſſertio à vero deflectat: nam quod Pelagius hanc aſſertionem admiſerit ſatis manifeſtum eſt: ex hoc enim principio neceſſitatem gratiæ excludebat, quod diceret Deum nihil homini præcepiſſe impoſſibile: ſi autem neceſſaria eſſet gratia ad præceptorum obſervationem, jam præcepta eſſent impoſſibilia & ſupra vires hominis. Quod vero tribuitur D. Auguſtino, indicat liber *de Gratia & Libero Arbitrio*. cap. 17. ubi ita habetur. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam, poterit autem cum magnam habuerit & inflam:* & ibidem de D. Petro aſſeritur, putabat ſe poſſe, quæ ſe velle ſentiebat.

Reſpondetur plurimum intereſſe, ut in legitimo ſenſu intelligatur aſſertio, cum ſi mandata Dei intelligantur eſſe ſimpliciter impoſſibilia, ab eorum obſervatione non leviter homines deterreantur: nemo enim, ait Ferus in cap. 41. *Epiſt. Johannis*, facile rem aggreditur quam audit ſibi impoſſibilem. Conſiderari igitur poteſt homo in duplici ſtatu poſt peccatum Adami. Primo in ſtatu naturæ corruptæ ſimpliciter, qualis effecta eſt ex vi peccati denudata omni gratiæ auxilio. Secundo in ſtatu corruptæ, ſed tamen adiutæ ex meritis Chriſti quibuſdam gratiæ auxiliis, quæ poſt peccatum ſtatim adfuerunt, itaut primus ille ſtatus vix duraverit, Deo ſtatim poſt lapſum ſatagente hominem erigere, ut in Geneſi patet. Igitur ſecundum primum ſtatum, præcepta ſi data eſſent homini, eſſent impoſſibilia. Secundum ſtatum ſecundum qui verus & realis eſt hominis ſtatus, præcepta ſunt poſſibilia, nec poſſunt aſſeri impoſſibilia juxta Decretum Concilij Tridentini, Seſ. 6. *Nemo temeraria illa & à patribus ſub anathemate, &c.* Cum fruſtra darentur à Deo pro ſtatu illo in quo ſervari non poſſent: unde præcepta ſunt homini poſſibilia, non tantum in ſtatu naturæ integræ quod volebat Baius, ſed etiam in ſtatu naturæ corruptæ propter auxilium gratiæ ſufficiens quo corroboratur Fuitque illa mens D. Auguſtini, lib. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 6. *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid homini impoſſibile præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adiuvandum quo fiat, quod iubet, impoſſibile aliquid eſſe, &c.* Deum igitur aſſerebat Pelagius nihil præcepiſſe impoſſibile homini abſolute ſpectato: at non ita D. Auguſtinus, volebat enim præcepta eſſe impoſſibilia homini in ſtatu naturæ corruptæ ſimpliciter ſpectato, ſed non homini cum gratia; unde cum abſolutè & de facto præcepta ſint poſſibilia, infertur neceſſitas gratiæ ſufficientis. Vide D. Auguſtinum, lib. *de Gratia & Libero Arbitrio*, cap. 16.

Ad oppoſitum dicendum eſt aſſertionem falſo tribui D. Auguſtino in ſenſu in quo admittebatur à Pelagio, qui intendebat Deum nihil præcepiſſe impoſſibile homini gratia omni deſtituto, cui ſenſui non adhærebat D. Auguſtinus, ut patet ex cap. 16. libri de gratia & libero Arbitrio. Unde benè Toſtatus Abulenſis in cap. 16. Matth. quæſt. 178. mandata Dei poſſibilia eſſe demonſtrat, etſi ad ea requiratur gratia Dei, quia quod per alium poſſumus dicimur ſimpliciter poſſe, ut dicitur 3. *Ethic.* quæ per amicos poſſumus & per alios dicimur poſſe. Deus autem nulli ſubtrahit auxilium generale, ideo non eſt crudelis jubendo: etiam ſi juberet quod haberemus charitatem & gratiam, & virtutes, non eſſet crudelis, quia etiam hoc erat facile obtineri, cum quidquid ab eo petierimus ſtatim concedat, ſic eſt de neceſſariis ad ſalutem noſtram.

Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem qualis nunc naſcitur.

Art. 54. *Non habetur in libris Baij.*

QUæritur an non ſit orthodoxa hæc propoſitio: nam homo nunc naſcitur mortalis, & variis concupiſcentiis ſubditus atque miſeriis præſentis vitæ, & iſta omnia pœnæ ſunt peccati: cum ergo Deus hominem condidiſſet ſine peccato, non potuiſſet innocens pœnis peccatorum ſubjici & talis exiſtere qualis nunc naſcitur.

Reſpondetur, excepto peccato, nihil repugnare quo minus tam morti & miſeriis ac concupiſcentiis obnoxius crearetur à Deo quam nunc eſt: nam cum naturalis hominis compoſitio ſit ex anima & corpore, ſicut hujus mundi compoſitio eſt ex diverſis elementis: ſpiritui vero & corpori competant naturaliter diverſæ facultates & inclinationes, ex quibus neceſſe eſt oriri motuum repugnantiam ac contradictionem reciprocam, atque etiam infirmitatem ac mortalitatem corporis, Deus potuiſſet ſi ita voluiſſet, res omnes ſinere ut agerent ſecundum vires ſuas accommodando illis concurſum ſuum generalem; quis enim omnipotentem naturæ authorem ad aliter agendum poſſit adigere? poteſtati enim ejus quis reſiſtit? nec injuſtitiæ damnandus eſſet hic proceſſus, cum nihil creaturæ debeat ſupra id quod ejus naturæ principiis competit. Unde ſi ex hinc pateretur corpus, aut triſtaretur ſpiritus, non immerito illud Evangelicum uſurpare poſſet. *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt & vade.* Matth. 20. Sic dicit Heruæus Britto in 3. diſt. 4. quæſt. 1. fomes eſt habitualis inclinatio appetitus ſenſitivi in aliquod delectabile ſecundum ſenſum præter imperium rationis. Quæ quidem inclinatio poſſet eſſe in homine in puris naturalibus conſtituto, ut ſi fieret homo de lapide, & nullum ſupernaturale donum ei conferretur, & tunc eſſet talis inclinatio non culpa vel pœna, ſed tantum quidam defectus naturalis.

Ad oppoſitum, dicendum aliquid poſſe competere uni rei dupliciter, vel tanquam debitum connaturale, vel tanquam pœnam aut ſupplicium peccati: igitur ſi homo ab initio talis creatus fuiſſet qualis nunc naſcitur, habuiſſet repugnantiam appetituum, mortalitatem & miſerias vitæ velut aliquod debitum connaturale, non tanquam pœnam & ſupplicium, quæ ſolutio inferius magis elucidabitur.

In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu nihil manet niſi reatus ſive obligatio ad pœnam.

Art. 55. *Lib. de Orat. pro Defunctis.*

QUæritur an deficiat in aliquo hic articulus: etenim præter illa duo non apparet quid in peccato reperiatur, & quid tranſeunte actu ſuperſit, præter reatum, ſeu obligationem ad pœnam.

Reſpondetur inter diverſos effectus peccati etiam numerari maculam: nam cum omne peccatum ſit privatio perfectionis debitæ: hæc autem perfectio metaphoricè ſit quidam nitor animæ quæ peccans privatur: privatio autem nitoris ſit quædam macula: idcirco præter reatum manet etiam macula poſt peccatum. De qua Joſue 22. *Uſque in præſentem diem macula huius ſceleris in vobis permanet.* Quin etiam manet averſio quædam à Deo, quæ duplex conſiderari poteſt, una à Deo tanquam à legiſlatore quæ eſt eſſentialis peccato, altera à Deo tanquam ab ultimo fine quæ eſt effectus peccati, ex quibus etiam ſequitur offenſa Dei ſeu provocatio ad iram, & reatus pœnæ, & innumera mala quæ peccatum conſequuntur. Legendus Doctor Angelicus 1. 2. quæſt. 86. art. 1. & 2.

Ad oppoſitum dicendum eſt non ſatis intelligere malitiam peccati, qui præter reatum nihil poſt illud in peccante remanere putant: remanet, inquit D. Thomas, ubi ſupra, aliquid privativè, ſcilicet privatio conjunctionis ad divinum lumen, nec remanet in eadem habitudine ad Deum in qua erat prius. Unde conſequenter fit, ut peccatum non poſſit remitti quin fiat converſio libera ad Deum, ſeu ſit perfecta illa dilectionis & contritionis, ſeu attritionis.

Art. 56. *Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum ſolum liberat à reatu.*
Ibidem.

QUæritur an Cenſorium ſtigma inuri etiam debuerit iſti propoſitioni, quæ ex præcedenti articulo conſequens eſt, maxime cum D. Auguſt. tractatu 49. *in Johannem*, & alibi, & D. Greg. Magnus Hom. 26. in *Evangelia*, dicant quod in ſuſcitatione mortui Lazari ſignificata eſt reſuſcitatio peccatoris, ſed Lazarus eſt prius à Domino vivificatus quam traderetur diſcipulis exolvendus: ergo abſolutio Sacerdotis nihil operatur ſuper culpam, tantum ergo ſuper reatum, ut à pœna ſolvatur peccator.

Reſpondetur propoſitionem Baij duplici modo ſuſtineri à quibuſdam, ab his enim defenditur quod credant prærequiri perfectam contritionem, ut diſpoſitionem & neceſſariam & præviam abſolutioni Sacerdotis: quo poſito ſemper abſolutio inveniet culpam remiſſam; unde tantum operabitur in reatum pœnæ, illum tollendo: ab aliis defenditur quod nihil præter reatum remanere putant tranſeunte actu peccati; unde & in ſolum reatum virtutem exercere poſſe Sacerdotem exiſtimant. Sed uterque modus explodi debet, primus quidem quia baptiſmus ut plurimum confertur infantibus, in quibus extat peccatum originale nullo prævio contritionis actu deletum: quod etiam ſimiliter in adultis invenitur, in quibus peccata remanent, quia plures ſolum diſponuntur ad Sacramentum Pœnitentiæ per actum attritionis, qui inſufficiens eſt ad deletionem peccatorum ſine actuali abſolutione. Secundus etiam modus, qui eſt magis ad mentem Baij rejiciendus eſt, quia tranſeunte actu peccati, remanet macula ſeu peccatum habituale, ſive illud conſiſtat in privatione gratiæ, vel in actu ipſo peccaminoſo non retractato & moraliter remanente, de quo diſputant Theologi. Macula autem illa ſeu peccatum habituale tollitur per Baptiſmum & Pœnitentiam. Cujus rei ratio eſt quod forma horum Sacramentorum ſignificet remiſſionem veri peccati: efficiunt autem id quod ſignificant; parum enim eſſet ut bene ait Durandus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. quod Sacerdos Evangelicus virtute clavium ſolum oſtendat culpam à Deo dimiſſam, ſicut Sacerdos legalis ſolum oſtendebat in aliquo lepram eſſe mundatam: iſtud enim eſt contra dignitatem Sacramentorum novæ legis quæ efficiunt quod figurant, ipſa autem forma abſolutionis ſignificat dimiſſionem peccati.

Ad oppoſitum dicendum eſt duplicem diſtingui vivificationem peccatoris: unam per gratiam excitantem, alteram per gratiam juſtificantem, prior autem vivificatio nondum tollit culpam: & ſecundum illam peccator debet eſſe vivificatus ut ſe ſiſtat Sacerdoti: non vero neceſſario ſecundum poſteriorem vivificationem, quam operatur ſæpe ſæpius Sacerdos in adultis ſolum attritis, & penes hoc debet intelligi comparatio Lazari cum pœnitente.

Art. 57. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat, miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.*
Ididem.

QUæritur an hæc propoſitio in eadem damnatione reputari debeat cum duabus præcedentibus quibus affinis eſt: etenim Hugo de ſancto Victore qui parvus Auguſtinus dictus eſt, hujus aſſertor eſt lib. 2. *de Sacramentis* parte 14. cap. 8. ubi modum explicans quo peccatum remittitur. Hoc bene, inquit, in reſuſcitatione Lazari ſignificatum eſt, quem ipſe Dominus per ſe prius intrinſecus à vinculo mortis abſoluit, vivificatum autem deforis miniſterio ipſorum Apoſtolorum ſolvi præcepit. Sic namque in ſancta Eccleſia nunc mortuos peccatis per ſolam gratiam ſuam interius vivificans ad compunctionem accendit, atque vivificatos per confeſſionem foras venire præcipit: ac ſic deinde confitentes per miniſterium Sacerdotum ab interiori vinculo, hoc eſt, à debito damnationis abſolvit.

Reſpondetur ex ſupradictis ſatis patere Sacerdotem non ſolum à reatu, qui eſt effectus peccati, ſed etiam ab ipſomet peccato, aut culpa ſeu macula abſolvere. Quare D. Joannes Chryſoſtomus Homil. 6. in 2. Epiſt. ad Cor. ſic loquitur de Deo: nec hoc ſolum mirum eſt quod *vivificet*, ſed etiam eadem faciendi poteſtatem aliis quoque tribuit. *Accipite* enim inquit *Spiritum Sanctum*, &c. Quibus addendum eſt ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. in decreto de *Juſtificatione* cap. 14. pœnam æternam vel ſacramento vel ſacramenti voto una cum culpa remitti. Et Michael Palatius in 4. ſent. diſt. 18. diſp. 2. ait Ugonem viam novam excogitaſſe quam nullus Theologorum probatam jam habet, ideoque exolita via eſt. Et dilemmate, inquit, iſto agam contra Ugonem, quia vel hic juſtificatus manet obligatus ad pœnam æternam, vel non manet: ſi non manet, igitur dimiſſa eſt pœna æterna: ſi manet obligatus, ergo manet ſub crimine, ſi quidem à poſterioti ſi rem agis, reatus ad ipſam pœnam eſt ipſum crimen. Quare Dominus Matth. 5. crimen ſubindicans ait, *qui autem dixeris fratri ſuo Racha, reus eris Gehennæ ignis.* Et criminoſi in ſcriptura rei Gehennæ appellitantur; &c. Igitur ipſum peccatum eſt indignitas ad poſſidendum regnum Dei. Ablato igitur peccato ex Dei gratia, neceſſario juſtificatus dignus eſt vita æterna: ſi dignus illa, quomodo manet obligatus ad æterna ſupplicia? Nam obſecro quid differt ab inimico, aut quomodo intelliges purgatam eſſe inimicitiam, ſi obligatio adhuc manet ad æterna ſupplicia? Nonne Paulus inquit ad Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto:* at iſte juſtificatus, ante abſolutionem eſt in Chriſto ut tu fateris. Et demum ſicut ſtipendia peccati mors, ita ſtipendia gratiæ eſt vita æterna.

Ad oppoſitum dicendum eſt, comparationem Lazari cum peccatore reſurgente in alio puncto conſiſtere, ut ſupra explicatum: nec habendam eſſe rationem authoritatis Magiſtri Ugonis, cum in hac quæſtione valde perplexi fuerint antiqui quidam Scolaſtici ac parum convenientia ſcripſerint. Cum nondum per Concilia res elucidata fuſſet nec D. Thomæ opuſculum 22. *de forma abſolutionis*, lucem non modicam attuliſſet ad quædam tunc obſcura & difficilia explananda, quem poſtea omnes fere Theologi ſequuti ſunt.

Art. 58. Lib. de Indulgentiis cap. 8.

Quando per Eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut qui dum errantes exiſtimant nam alioqui eſſemus aliqua ex parte redemptores; ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur.

QUæritur an à linea recti & veri abſcedat hæc propoſitio: etenim videtur extollere dignitatem Chriſti Domini, qui pro nobis ita abunde ſatisfecit virtute & efficacia paſſionis ſuæ, ut cooperatoribus non indigeat, qui illi addantur, videtur per illos derogari excellentiæ ſatisfactionis illius, de qua ſic D. Joan. 1. Epiſt. canon. cap. 2. *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum; ſed etiam pro totius mundi.* Imo docent Theologi communiter ſatisfactionem Chriſti ſufficientem fuiſſe ad exhaurienda peccata mundorum infinitorum, ſi tot extitiſſent. Superflua ergo eſt hominum ſatisfactio, & ſine neceſſitate admittitur juſtum pretium in eorum operibus ad ſatisfaciendum.

Reſpondetur bona opera quæ fiunt ab homine juſtificato, eſſe juſtum & æquale pretium pro Redemptione pœnæ temporalis quæ ſupereſſe ſolet poſt remiſſionem culpæ, neque id habere ex applicatione ſatisfactionis Chriſti, quaſi non aliter eſſent ſatisfactoria quam per communicationem ſatisfactionis Chriſti quæ det illis formam ipſius ſatisfactionis aut partiale ſupplementum ſine quo non eſſent ſatisfactoria. Probatur quia eodem modo theologizare convenit de merito vitæ æternæ, ac de ſatisfactione noſtra pro pœna temporali, cum æqualiter dependeant opera noſtra à Chriſto ut meritoria & ut ſatisfactoria: at opera juſtorum ex gratia profecta habent condignitatem ad vitam æternam abſque eo quod conſtituantur in eſſe meritorio per meritum Chriſti illis applicatum: ergo multo magis habebunt condignitatem ad redimendas pœnas temporales, abſque eo quod communicetur illis ſatisfactio Chriſti ad conſtituendum vel totum uel partialem illorum valorem. Probatur conſequentia quia vita æterna plus excedit opera noſtra quam pœna temporalis: ergo ſi ad hanc acquirendam habent æqualitatem, multo magis ad illam redimendam. Favet quoque Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. *de Juſtificatione* ubi aſſeritur in pœnitentia contineri ſatisfactionem per eleemoſynas & jejunia pro pœna temporali. Quod intelligitur de ſatisfactione ex condigno & non tantum ex congruo: nam ſic eſſent etiam pro pœna æterna. Lege de his Suarem de Gratia lib. 12. cap. 19. & Cardinalem de Lugo de pœnit. diſp. 24. ſect. 1.

Ad oppoſitum dicendum eſt nullam injuriam irrogari meritis aut ſatisfactioni Chriſti ex operibus noſtris meritoriis aut ſatisfactoriis, quia valor omnis operum noſtrorum fundatur ſaltem remote in paſſione Chriſti à qua habemus gratiam & auxilia, quibus operemur meritorie & ſatisfactorie: nec inconveniens eſt ſi aliqua ex parte dicamur noſtri Redemptores, ſcilicet minus principaliter & dono Chriſti, juxta illud Danielis 4. *peccata tua eleemoſynis redime.* Unde quo magis theatrice iſtud obtrudunt hæretici, eo inanius eſt.

Art. 59. Ibidem.

Per Paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

QUæritur an quid ſit heterodoxum & minus doctrinæ communi Theologorum conforme in hoc articulo, multum enim illi favere videtur Magiſter lib. 4. ſent. diſt. 18. & ad illam diſtinctionem art. 11. Albertus Magnus aſſerens ibi charitatem Eccleſiæ dimittere peccata, quia dicitur, participem me fac Deus omnium timentium te, & cuſtodientium mandatua, ergo in participatione bonorum Eccleſiæ dimittuntur peccata. Sed charitas eſt quæ facit bona communia & participabilia à diverſis. Adhuc unus ticulus eſt *Sanctorum communionem*, & ab omnibus ſolet exponi, Credo in Spiritum Sanctum per charitatem communicantem bona Eccleſiæ: ſed per bona remittuntur mala: ergo videtur quod per charitatem Eccleſiæ ſolvantur delicta. Adhuc proverb. 10. *univerſa delicta* operit charitas.

Reſpondetur Michaelem Bajum per hujus articuli verba intendiſſe tollere poteſtatem juriſdictionis quæ eſt in Eccleſia, maxime in Summo Pontifice ad concedendas indulgentias, quibus extra ſacramentum per applicationem ſatisfactionum Chriſti ac ſanctorum ſolverentur juſti à pœnis temporalibus poſt remiſſionem culpæ remanentibus. Indulgentia enim abſolutio dici poteſt reſpectu vivorum, ſolutio vero reſpectu defunctorum ut docet Bellarminus lib. 1. *de Indulgentiis* cap. 5. eſſe autem poteſtatem in Eccleſia ad concedendas indulgentias definit Concilium Tridentinum in decreto *de Indulgentiis*, & Leo decimus in *Bulla* contra Lutherum, & demonſtrat antiquiſſimus Summorum Pontificum uſus: qua in re credi non poteſt eos deceptos fuiſſe, itaut erraverint in illis concedendis. Itaque indulgentia non eſt negotium ſolius charitatis quæ reddat bona amantium communia, ſed etiam negotium eſt poteſtatis & juriſdictionis, qua Summus Pontifex ad paſcendas oves Chriſti, ſuperabundantes Chriſti & quorumdam ſanctorum plus habentium ſatisfactiones aliis applicat minus habentibus, idque juridice & cum poteſtate extra ſacramentum.

Ad oppoſitum dicendum eſt Albertum Magnum ita aſſerere charitatem Eccleſiæ dimittere peccata, id eſt pœnas temporales peccatorum, ut tamen id fiat per poteſtatem clavium iis qui ſunt in charitate. Unde & docet ad diſt. 20. ejuſdem libri, Pontificem extra charitatem exiſtentem concedere indulgentias (art. 20.) quia tali Papæ influit Spiritus Sanctus ea quæ ſunt poteſtatis, & dare indulgentias eſt, inquit, gratia gratis data, quæ poteſtatis eſt, non bonitatis vitæ aut probitatis.

Art. 60. Lib. 2. de Meritis operum. cap. 1.

Illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt ad modum meritorum, commenticia eſt & explodenda.

QUæritur an immerito impetat illam diſtinctionem: cum enim Scholaſtici Theologi aliqui ſcaturiant pluribus diſtinctionibus frivolis & levibus, forſan illarum de numero hæc eſſet. Vult enim Deus obſervari ſua mandata perfectè, ut eum amemus ex toto cordo, operando modo ſublimiori. Deuter 16. *juſte quod juſtum eſt perſequeris*: ergo videntur mandata non poſſe obſervari quoad ſubſtantiam, niſi etiam obſerventur cum omnibus circumſtantiis quibus ita perfectè obſerventur, ut valeant operantem ad regna cœlorum perducere.

Reſpondetur conſtantiſſimam eſſe doctrinam Theologorum quod omnis actus moraliter bonus non eſt meritorius vitæ æternæ, niſi fiat cum aliquibus circumſtantiis & conditionibus quæ ad meritum requiruntur, utputa quod fiat liberè, ab homine viatore, exiſtente in ſtatu gratiæ, & ſecundum plures quod actu referatur in Deum per charitatem vel per religionem. Certum eſt etiam quod poſſunt plures homines facere aliquod opus bonum & præceptum,

Ad oppoſitum dicendum eſt non ſatis intelligere malitiam peccati, qui præter reatum nihil poſt illud in peccante remanere putant: remanet, inquit D. Thomas, ubi ſupra, aliquid privativè, ſcilicet privatio conjunctionis ad divinum lumen, nec remanet in eadem habitudine ad Deum in qua erat prius. Unde conſequenter fit, ut peccatum non poſſit remitti quin fiat converſio libera ad Deum, ſeu ſit perfecta illa dilectionis & contritionis, ſeu attritionis.

Art. 56. Ibidem. *Vnde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & Miniſterium Sacerdotum ſolum liberat à reatu.*

QUæritur an Cenſorium ſtigma inuri etiam debuerit iſti propoſitioni, quæ ex præcedenti articulo conſequens eſt, maxime cum D. Auguſt. tractatu 49. *in Johannem*, & alibi, & D. Greg. Magnus Hom. 26. in *Evangelia*, dicant quod in ſuſcitatione mortui Lazari ſignificata eſt reſuſcitatio peccatoris, ſed Lazarus eſt prius à Domino vivificatus quam traderetur diſcipulis exolvendus: ergo abſolutio Sacerdotis nihil operatur ſuper culpam, tantum ergo ſuper reatum, ut à pœna ſolvatur peccator.

Reſpondetur propoſitionem Baij duplici modo ſuſtineri à quibuſdam, ab his enim defenditur quod credant prærequiri perfectam contritionem, ut diſpoſitionem & neceſſariam & prævíam abſolutioni Sacerdotis: quo poſito ſemper abſolutio inveniet culpam remiſſam; unde tantum operabitur in reatum pœnæ, illum tollendo: ab aliis defenditur quod nihil præter reatum remanere putant tranſeunte actu peccati; unde & in ſolum reatum virtutem exercere poſſe Sacerdotem exiſtimant. Sed uterque modus explodi debet, primus quidem quia baptiſmus ut plurimum confertur infantibus, in quibus extat peccatum originale nullo prævio contritionis actu deletum: quod etiam ſimiliter in adultis invenitur, in quibus peccata remanent, quia plures ſolum diſponuntur ad Sacramentum Pœnitentiæ per actum attritionis, qui inſufficiens eſt ad deletionem peccatorum ſine actuali abſolutione. Secundus etiam modus, qui eſt magis ad mentem Baij rejiciendus eſt, quia tranſeunte actu peccati, remanet macula ſeu peccatum habituale, ſive illud conſiſtat in privatione gratiæ, vel in actu ipſo peccaminoſo non retractato & moraliter remanente, de quo diſputant Theologi. Macula autem illa ſeu peccatum habituale tollitur per Baptiſmum & Pœnitentiam. Cujus rei ratio eſt quod forma horum Sacramentorum ſignificet remiſſionem veri peccati: efficiunt autem id quod ſignificant; parum enim eſſet ut bene ait Durandus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. quod Sacerdos Evangelicus virtute clavium ſolum oſtendat culpam à Deo dimiſſam, ſicut Sacerdos legalis ſolum oſtendebat in aliquo lepram eſſe mundatam: iſtud enim eſt contra dignitatem Sacramentorum novæ legis quæ efficiunt quod figurant, ipſa autem forma abſolutionis ſignificat dimiſſionem peccati.

Ad oppoſitum dicendum eſt duplicem diſtingui vivificationem peccatoris: unam per gratiam excitantem, alteram per gratiam juſtificantem, prior autem vivificatio nondum tollit culpam: & ſecundum illam peccator debet eſſe vivificatus ut ſe ſiſtat Sacerdoti: non vero neceſſario ſecundum poſteriorem vivificationem, quam operatur ſæpe ſæpius Sacerdos in adultis ſolum attritis, & penes hoc debet intelligi comparatio Lazari cum pœnitente.

Art. 57. Ibidem. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat, miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.*

QUæritur an hæc propoſitio in eadem damnatione reputari debeat cum duabus præcedentibus quibus affinis eſt: etenim Hugo de ſancto Victore qui parvus Auguſtinus dictus eſt, hujus aſſertor eſt lib. 2. *de Sacramentis* parte 14. cap. 8. ubi modum explicans quo peccatum remittitur. Hoc bene, inquit, in reſuſcitatione Lazari ſignificatum eſt, quem ipſe Dominus per ſe prius intrinſecus à vinculo mortis abſoluit, vivificatum autem deforis miniſterio ipſorum Apoſtolorum ſolvi præcepit. Sic namque in ſancta Eccleſia nunc mortuos peccatis per ſolam gratiam ſuam interius vivificans ad compunctionem accendit, atque vivificatos per confeſſionem foras venire præcipit: ac ſic deinde confitentes per miniſterium Sacerdotum ab interiori vinculo, hoc eſt, à debito damnationis abſolvit.

Reſpondetur ex ſupradictis ſatis patere Sacerdotem non ſolum à reatu, qui eſt effectus peccati, ſed etiam ab ipſomet peccato, aut culpa ſeu macula abſolvere. Quare D. Joannes Chryſoſtomus Homil. 6. in 2. Epiſt. ad Cor. ſic loquitur de Deo: nec hoc ſolum mirum eſt quod *vivificat*, ſed etiam eadem faciendi poteſtatem aliis quoque tribuit. *Accipite* enim inquit *Spiritum Sanctum*, &c. Quibus addendum eſt ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. in decreto de *Juſtificatione* cap. 14. pœnam æternam vel ſacramento vel ſacramenti voto una cum culpa remitti. Et Michael Palatius in 4. ſent. diſt. 18. dilp. 2. ait Ugonem viam novam excogitaſſe quam nullus Theologorum probatam jam habet, ideoque exolita via eſt. Et dilemmate, inquit, iſto agam contra Ugonem, quia vel hic juſtificatus manet obligatus ad pœnam æternam, vel non manet: ſi non manet, igitur dimiſſa eſt pœna æterna: ſi manet obligatus, ergo manet ſub crimine, ſi quidem à poſteriori ſi rem agis, reatus ad ipſam pœnam eſt ipſum crimen. Quare Dominus Matth. 5. crimen ſubindicans ait, *qui autem dixeris fratri ſuo Racha, reus eris Gehennæ ignis.* Et criminoſi in ſcriptura rei Gehennæ appellitantur; &c. Igitur ipſum peccatum eſt indignitas ad poſſidendum regnum Dei. Ablato igitur peccato ex Dei gratia, neceſſario juſtificatus dignus eſt vita æterna: ſi dignus illa, quomodo manet obligatus ad æterna ſupplicia? Nam obſecro quid differt ab inimico, aut quomodo intelliges purgatam eſſe inimicitiam, ſi obligatio adhuc manet ad æterna ſupplicia? Nonne Paulus inquit ad Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto:* at iſte juſtificatus, ante abſolutionem eſt in Chriſto ut tu fateris. Et demum ſicut ſtipendia peccati mors, ita ſtipendia gratiæ eſt vita æterna.

Ad oppoſitum dicendum eſt, comparationem Lazari cum peccatore reſurgente in alio puncto conſiſtere, ut ſupra explicatum: nec habendam eſſe rationem authoritatis Magiſtri Ugonis, cum in hac quæſtione valde perplexi fuerint antiqui quidam Scholaſtici ac parum convententia ſcripſerint. Cum nondum per Concilia res elucidata fuſſet nec D. Thomæ opuſculum 22. *de forma abſolutionis*, lucem non modicam attuliſſet ad quædam tunc obſcura & difficilia explananda, quem poſtea omnes fere Theologi ſequuti ſunt.

Art. 58. *Lib. de Indulgentiis cap. 3.*

Quando per Eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut qui adhuc errantes exiſtimant nam alioqui eſſemus aliqua ex parte redemptores; ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur.

QUæritur an à linea recti & veri abſcedat hæc propoſitio: etenim videtur extollere dignitatem Chriſti Domini, qui pro nobis ita abunde ſatisfecit virtute & efficacia paſſionis ſuæ, ut cooperatoribus non indigeat, qui ſi illi addantur, videtur per illos derogari excellentiæ ſatisfactionis illius, de qua ſic D. Joan. 1. Epiſt. canon. cap. 2. *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum; ſed etiam pro totius mundi.* Imo docent Theologi communiter ſatisfactionem Chriſti ſufficientem fuiſſe ad exhaurienda peccata mundorum infinitorum, ſi tot extitiſſent. Superflua ergo eſt hominum ſatisfactio, & ſine neceſſitate admittitur juſtum pretium in eorum operibus ad ſatisfaciendum.

Reſpondetur bona opera quæ fiunt ab homine juſtificato, eſſe juſtum & æquale pretium pro Redemptione pœnæ temporalis quæ ſupereſſe ſolet poſt remiſſionem culpæ, neque id habere ex applicatione ſatisfactionis Chriſti, quaſi non aliter eſſent ſatisfactoria quam per communicationem ſatisfactionis Chriſti quæ det illis formam ipſius ſatisfactionis aut partiale ſupplementum ſine quo non eſſent ſatisfactoria. Probatur quia eodem modo theologizare convenit de merito vitæ æternæ, ac de ſatisfactione noſtra pro pœna temporali, cum æqualiter dependeant opera noſtra à Chriſto ut meritoria & ut ſatisfactoria: at opera juſtorum ex gratia profecta habent condignitatem ad vitam æternam abſque eo quod conſtituantur in eſſe meritorio per meritum Chriſti illis applicatum: ergo multo magis habebunt condignitatem ad redimendas pœnas temporales, abſque eo quod communicetur illis ſatisfactio Chriſti ad conſtituendum vel totum vel partialem illorum valorem. Probatur conſequentia quia vita æterna plus excedit opera noſtra quam pœna temporalis: ergo ſi ad hanc acquirendam habent æqualitatem, multo magis ad illam redimendam. Favet quoque Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. *de Juſtificatione* ubi aſſeritur in pœnitentia contineri ſatisfactionem per eleemoſynas & jejunia pro pœna temporali. Quod intelligitur de ſatisfactione ex condigno & non tantum ex congruo: nam ſic eſſent etiam pro pœna æterna. Lege de his Suarem de Gratia lib. 12. cap. 19. & Cardinalem de Lugo de pœnit. diſp. 24. ſect. 1.

Ad oppoſitum dicendum eſt nullam injuriam irrogari meritis aut ſatisfactioni Chriſti ex operibus noſtris meritoriis aut ſatisfactoriis, quia valor omnis operum noſtrorum fundatur ſaltem remote in paſſione Chriſti à qua habemus gratiam & auxilia, quibus operemur meritorie & ſatisfactorie: nec inconveniens eſt ſi aliqua ex parte dicamur noſtri Redemptores, ſcilicet minus principaliter & dono Chriſti, juxta illud Danielis 4. *peccata tua eleemoſynis redime.* Unde quo magis theatrice iſtud obtrudunt hæretici, eo inanius eſt.

Art. 59. *Ibidem.*

Per Paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

QUæritur an quid ſit heterodoxum & minus doctrinæ communi Theologorum conforme in hoc articulo, multum enim illi favere videtur. Magiſter lib. 4. ſent. diſt. 18. & ad illam diſtinctionem art. 11. Albertus Magnus aſſerens ibi charitatem Eccleſiæ dimittere peccata, quia dicitur, participem me fac Deus omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua, ergo in participatione bonorum Eccleſiæ dimittuntur peccata. Sed charitas eſt quæ facit bona communia & participabilia à diverſis. Adhuc unus riculus eſt *Sanctorum communionem*, & ab omnibus ſolet exponi, Credo in Spiritum Sanctum per charitatem communicantem bona Eccleſiæ: ſed per bona remittuntur mala: ergo videtur quod per charitatem Eccleſiæ ſolvantur delicta. Adhuc proverb. 10. *univerſa delicta* operit charitas.

Reſpondetur Michaëlem Bajum per hujus articuli verba intendiſſe tollere poteſtatem juriſdictionis quæ eſt in Eccleſia, maxime in Summo Pontifice ad concedendas indulgentias, quibus extra ſacramentum per applicationem ſatisfactionum Chriſti ac ſanctorum ſolverentur juſti à pœnis temporalibus poſt remiſſionem culpæ remanentibus. Indulgentia enim abſolutio dici poteſt reſpectu vivorum, ſolutio vero reſpectu defunctorum ut docet Bellarminus lib. 1. *de Indulgentiis* cap. 5. eſſe autem poteſtatem in Eccleſia ad concedendas indulgentias definit Concilium Tridentinum in decreto *de Indulgentiis*, & Leo decimus in *Bulla* contra Lutherum, & demonſtrat antiquiſſimus Summorum Pontificum uſus: qua in re credi non poteſt eos deceptos fuiſſe, itaut erraverint in illis concedendis. Itaque indulgentia non eſt negotium ſolius charitatis quæ reddat bona amantium communia, ſed etiam negotium eſt poteſtatis & juriſdictionis, qua Summus Pontifex ad paſcendas oves Chriſti ſuperabundantes Chriſti & quorumdam ſanctorum plus habentium ſatisfactiones aliis applicat minus habentibus, idque juridice & cum poteſtate extra ſacramentum.

Ad oppoſitum dicendum eſt Albertum Magnum ita aſſerere charitatem Eccleſiæ dimittere peccata, id eſt pœnas temporales peccatorum, ut tamen id fiat per poteſtatem clavium iis qui ſunt in charitate. Unde & docet ad diſt. 20. ejuſdem libri, Pontificem extra charitatem exiſtentem concedere indulgentias (art. 20.) quia tali Papæ influit Spiritus Sanctus ea quæ ſunt poteſtatis, & dare indulgentias eſt, inquit, gratia gratis data, quæ poteſtatis eſt, non bonitatis vitæ aut probitatis.

Art. 60. *Lib. 2. de Meritis operum. cap. 1.*

Illa Doctorum diſtinctio, divina legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt ad modum meritorum, commentitia eſt & explodenda.

QUæritur an immeritò impetat illam diſtinctionem: cum enim Scholaſtici Theologi aliqui ſcaturiant pluribus diſtinctionibus frivolis & levibus, forſan illarum de numero hæc eſſet. Vult enim Deus obſervari ſua mandata perfectè, ut eum amemus ex toto cordo, operando modo ſublimiori. Deuter 16. *juſte quod juſtum eſt perſequeris*: ergo videntur mandata non poſſe obſervari quoad ſubſtantiam, niſi etiam obſerventur cum omnibus circumſtantiis quibus ita perfectè obſerventur, ut valeant operantem ad regna cœlorum perducere.

Reſpondetur conſtantiſſimam eſſe doctrinam Theologorum quod omnis actus moraliter bonus non eſt meritorius vitæ æternæ, niſi fiat cum aliquibus circumſtantiis & conditionibus quæ ad meritum requiruntur, utpura quod fiat liberè, ab homine viatore, exiſtente in ſtatu gratiæ, & ſecundum plures quod actu referatur in Deum per charitatem vel per religionem. Certum eſt etiam quod poſſunt plures homines facere aliquod opus bonum & præceptum,

quod non habebit propterea omnes circumſtantias ad meritum requiſitas. Ut puta ſi fiat ab homine exiſtente in ſtatu peccati, aut cum intentione aliqua temporali: unde tunc implet mandatum quoad ſubſtantiam, & non ſervat modum ſecundum quem poteſt eſſe meritorium vitæ æternæ. Ex quo naſcitur hæc diſtinctio, quæ in re ſolida fundatur, ut non poſſit haberi levis & frivola ſeu commentitia & explodenda.

Ad oppoſitum dicendum eſt poſt D. Thomam 1. 2. quæſt. 100. art. 11. Modum præcepti non cadere ſub præceptum, modus charitatis inquit, non cadit ſub præcepto. Hoc eſt dicere quod in hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quod honoretur pater ex charitate, ſed ſolum quod honoretur pater. Unde qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur tranſgreſſor hujus præcepti: etſi ſit tranſgreſſor præcepti, de actu charitatis.

Art. 61. *Illa quoque diſtinctio quæ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumſtantiis rectum & bonum, quod moraliter bonum appellare conſueverunt, vel quia eſt meritorium regni æterni, eo quod ſit à vivo Chriſti membro per ſpiritum charitatis, reiicienda eſt.*

Ibid. c. 6.

QUæritur an non rectè doctor Baius incedat in explodenda illa diſtinctione: etenim non videtur admittendum ullum opus bonum ex objecto & circumſtantiis omnibus ſine gratia: gratia autem efficit hominem vivum Chriſti membrum & infert ſecum juſtificationem, quia eſt efficax & includit fidem per dilectionem operantem: ergo non poteſt ſeparari opus bonum à ſtatu in quo homo eſt vivum Chriſti membrum: fruſtra ergo diſtinguitur opus bifariam bonum eo modo qui explicatur in articulo.

Reſpondetur Doctorem Baium conſequenter loqui ad ſua principia: poſito enim quod non ſit alia gratia per Chriſtum, niſi efficax quæ infert juſtificationem hominis & reddit eum vivum Chriſti membrum: poſito rurſus quod nullum opus bonum elici poſſit ab homine niſi habeat gratiam illam efficacem, jam optimè ſequitur, nullum opus bonum morale produci ab homine, niſi ſit juſtificatus & ſit vivum Chriſti membrum: unde fit ut diſtinctio illa evaneſcat. Sed quia ordinarium eſt ut dato uno abſurdo aliud abſurdum ſequatur, idcirco datis & admiſſis illis principiis abſurdis, ſequitur etiam illud abſurdum, quod talis diſtinctio rejicienda ſit, cum potius retinenda ſit, tanquam maxime conformis doctrinæ veræ, & Theologicæ, & principia illa, ex quibus infertur eſſe rejiciendam, falſa ſint. Datur enim aliqua gratia per Chriſtum quæ prævenit Liberum Arbitrium, movetque & adjuvat ut aliqua bona agat quibus ſe diſponit ad juſtificationis gratiam. Patet ex ſcripturis paſſim & ex Concilio Tridentino ſeſ. 6. *de Juſtificatione* can. 3. & 4. Poteſt etiam homo plura bona moralia agere ex virtute & cum adjutorio gratiæ prævenientis, etſi non inferat ipſam juſtificationem, etiam in ſtatu naturæ corruptæ. Nam aliqua bona opera non ſunt ipſi naturæ improportionata: & aliunde ſi natura ipſa nihil poſſet niſi malum, peior eſſet dæmonibus ipſis, qui non peccant cum credunt & contremiſcunt, etiam ſine adjutorio prævenientis gratiæ.

Ad oppoſitum dicendum eſt aliqua bona opera elici poſſe ab homine in ſtatu peccati exiſtente ex adjutorio gratiæ prævenientis: unde objectio innititur falſis principiis. Legi poteſt de iis Faber Faventinus in diſput. Theolog. de Prædeſt. quæſtione 1. diſput. 6.

Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem: alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, qua divina legis juſtificatio impleatur, ſimiliter reiicitur.

Art. 62. Lib. de charitate quantum ad 1ēſum

QUæritur an non juſte damnetur hæc diſtinctio: etenim hic ſermo eſt de ſtatu naturæ corruptæ quæ potentiori auxilio indiget quam natura integra, cui ſatis erat gratia excitans & ſufficiens ad bene operandum ſi vellet, unde tunc locum habere poterat inſpiratio Spiritus Sancti, cui liberum & arbitrarium eſſet voluntati reſiſtere: at poſt peccatum natura eſt extreme abjecta & infirma, ut opus illi ſit gratia efficaci quæ inferat Spiritum charitatis inhabitantem: ergo in ſtatu naturæ corruptæ malè affertur diſtinctio illa qua ſtabilitur gratia quædam ſufficiens, cum non ſit niſi gratia efficax quæ reddit Spiritum-Sanctum in anima inhabitantem.

Reſpondetur diſtinctionem illam ſatis expreſſe fundari in verbis Apocalypſis, cap. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum & cœnabo cum illo & ipſe mecum.* Quin & in Canticis Canticorum idem exhibetur cum ſponſus loquitur ad ſponſam, invitans illam ut ſibi portam cordis referet, quo apud illam fixa manſione reſidere poſſit, cap. 5. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, &c.* & cap. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum ut paſcatur in hortis, &c.* Ubi videmus ſponſum animarum mox excitare ipſas ad bona opera, mox in ipſiſmet inhabitare: ſcilicet, ut rectè Lovanienſes aſſerunt *in perdocta explicatione damnationis articulorum Baij*, ante remiſſionem peccatorum, atque inhabitantem Spiritum & juſtificationis & vitæ, quædam inchoationes dumtaxat ſunt conceptionibus, ut loquitur Auguſtinus, quæſt. 2. ad *Simplicianum*, ſimiles: at non ſolum ſpiritaliter concipi, verum etiam naſci opus eſt, tum demum cœptum juſtificationis opus ac vivificationis infuſione vivificæ charitatis abſolvitur.

Ad oppoſitum dicendum eſt eamdem eſſe naturam humanam in ſtatu naturæ integræ, & in ſtatu naturæ corruptæ: tantumque differre quod in illo ſtatu habebat gratiam qua motus concupiſcentiæ reprimebantur: in hoc habet privationem gratiæ, quo fit ut motus concupiſcentiæ validius agant. Ad hoc autem reſarciendum non opus eſt ut gratia in præſenti ſtatu ſit alterius ſpeciei; ſed tantum ut ſit paulo potentior ad impetus concupiſcentiæ moderandos. Unde neceſſe non eſt ut ſemper ſit efficax & inferat actualem Spiritus-Sancti inhabitationem.

Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vita nova propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius qua vivificatur qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſti efficitur, pariter commentitia eſt, & ſcripturis minime congruus.

Art. 63.

QUæritur an non jure Doctor Baius inſurgat adverſus hanc diſtinctionem: qua quidam Theologi ſolvunt, quod ait Magiſter lib. 4. ſent. diſt. 18. poſt aliquot patres, Chriſtum obtuliſſe Lazarum jam vivificatum diſcipulis ſolvendum, ad probandum quod Sacerdotes nihil poſſunt in ipſam culpam, ut eam diluant, ſed à ſolo Deo remittatur cum præſupponitur peccator jam vivificatus antequam confiteatur: ergo gratia ſanctificante donatus, quæ eſt vita hominis interioris, juxta quem modum ſcriptura vivos appellare ſolet qui ſunt in gratia conſtituti, mortuos qui ea privati ſunt, ſicut dicitur Apoc. 3. de

Episcopo Sardensi. *Nemo habet quod vivat, & mortuus est.*

Respõdetur improbationem duplicis hujus vivificationis ex eodem fundamento ortam esse ac improbationem præcedentium distinctionum; scilicet non concinit Baius doctrinæ communi in Ecclesia receptæ, quod peccator sæpe per gratias prævenientes & inefficaces adhuc justificationis realis, moveatur, incitetur ac adjuvetur ad disponendum se sanctificationi per varios actus fidei, spei, & charitatis, & Pœnitentiæ seu Contritionis. Vult istos omnes pios motus produci, & causari à gratia ipsa sanctificante quæ vita est hominis. Quasi vero gratia sanctificans esset medium ad illos pios motus, qui etiam metaphoricè dici possunt vita hominis saltem inchoata, & non potius illi motus pij essent medium ad gratiam sanctificantem acquirendam, ad quam sunt dispositiones juxta Concilium Tridentinum sess. 6. in decreto justificationis cap. 6. *Disponuntur autem ad instificationem, &c.* & juxta D. Thomam 1. 2. quæst. 109. art. 6. ubi satis evidenter se explicat, licet alibi à seipso dissentire videatur. Quare priusquam peccator justificetur, ex inspiratione & adjutorio Spiritus-Sancti primum aliquos producit pios motus, quibus paulatim disponitur ad gratiam justificantem. Raro enim in instanti perficitur hæc dispositio, sed paulatim præparatur voluntas à Domino.

Ad oppositum dicendum etiam peccatorem qui ex gratia excitante movetur, & disponit se ad gratiam sanctificantem, metaphoricè dici posse vivum; quia habet aliquas actiones vitæ spiritalis, etsi etiam metaphoricè dici posset mortuus propter privationem gratiæ habitualis, aut semivivus, vel semimortuus quia vita ejus nondum perfecta est: nec istud alienum à Scriptura, quæ Luc. 10. exhibens hominem in statu peccati, semivivum relictum esse dicit post plagas peccati, quia adhuc elicit quasdam actiones vitæ spiritualis ex motione Spiritus-Sancti: nec necesse est comparationes ad unguem servari quoad omnia. Vide Alensem in cap. 3. *Apoc.* ubi quatuor affert signa vitæ spiritualis.

Art. 64. Nec est in Baij libris. *Non nisi Pelagiano errore admisso potest usus aliquis Liberi Arbitrii bonus, sive non malus, & gratia Christi iniuriam facit, qui ita sentit & docet.*

QUæritur an perversum dogma contineat hæc propositio: etenim nihil familiarius est in scriptura, quam hominem nihil posse boni operari sine gratia Christi, Joan. 6. *Sine me nihil potestis facere*, & D. Augustinus epist. 47. post D. Cyprianum, omnia quæ pertinent ad bonos mores vult esse petenda à Deo in oratione, *ne de libero*, inquit, *præsumentes arbitrio à divina gratia excidamus*; at non petimus à Deo id quod habemus in potestate: ergo nullum bonum morale est in potestate Liberi Arbitrij, sed omnia tribuenda sunt gratiæ per Christum, quæ est efficax & infert ipsam charitatem. Unde in mente D. Augustini actiones infidelium, etsi studiosæ apparerent, peccata sunt.

Respondetur post Fabrum Faventinum in disp. de *gradest.* quæst. 1. disp. 61. cap. 2. ex hac propositione, quod nihil boni operari possit natura humana, sequi illam magis esse imperfectam, quam quæcumque alia natura creata irrationalis & inanimata: imo videretur esse figmentum diaboli: consequentia probatur, quia ex propriis viribus non posset facere nisi malum; nullum autem bonum non solum supernaturale, sed nec naturale & ordinis inferioris: cæteræ autem creaturæ ex viribus suis naturalibus cum influentia generali, possunt efficere bonum opus sibi proportionatum. Certè maximæ indignitatis & imperfectionis est quod natura humana non habeat omnia requisita ad faciendum opera sibi connaturalia, ut ad subveniendum pauperi, ad honorandum patrem: ignis autem ad comburendum, & aqua ad madefaciendum habeat omnia requisita & auxilium Dei generale paratum, & possit operari opera convenientia suæ naturæ & speciei. Hæc Faventinus & plura ibidem digna quæ legantur à Baianis, & si nobis necesse non sit admittere, quod ista fiant sine Dei gratia, qui prævenit hominem & ad bene operandum incitat ac adjuvat: etsi non sit illa gratia efficax & invincibiliter justificans, ac charitatem importans, quam solam gratiam per Christum male agnoscunt.

Ad oppositum dicendum est textum D. Joannis intelligi de operibus quibus homines disponuntur ad gratiam, quæ sine gratia Christi fieri non possunt, & de operibus ibidem meritoriis vitæ æternæ: quod autem bona opera petantur in oratione, hoc non arguit necessitatem gratiæ efficacis ad illa operanda, sicut quando petitur pluvia aut panis quotidianus in oratione, non inde fit ut gratia efficax sit requisita ad illa; quod autem requirunt actum amoris Dei, ad bonum opus, & si ista admitteretur, tamen gratia excitans sufficeret ad faciendum aliquod opus intuitu Dei, nec video cur tam difficilis appareat aliquis actus amoris Dei, ut in illo eliciendo, nescio quem Herculem domandum sibi fingant. Quod vero spectat ad actiones studiosas infidelium, præter ea quæ dicta sunt in superioribus articulis, addimus ex doctissimo Thoma Hurtado disputatione 18. de *supernaturalitate* rerum *controversia* 5. membro 3. vocari à D. Augustino peccata, negative non positive: quia non sunt ut oportet ad vitam æternam, attamen non inferunt reatum pœnæ, nec hoc ullibi dixit D. Augustinus.

Art. 65. Lib. de Libero Arbitrio cap. 7. *Sola violentia repugnat hominis libertati naturali.*

QUæritur an ista propositio censuræ latus præbeat: etenim qui hanc arguendam esse putant, ea maxime ratione ducuntur quod etiam necessitas repugnet hominis libertati naturali: ita ut non sit liberum quod fit necessario, quamvis voluntariè fiat & sine coactione: at id minime admittendum est; quandoquidem in sententia Scoti, Spiritus-Sanctus producitur libere à Patre & Filio; etsi producatur necessario: ergo necessitas non repugnat libertati, sed solum violentia & coactio: & D. Augustinus in Enchyridio cap. 105 sic enim prius oportebat hominem fieri, ut & bene velle possit & male: nec gratis si bene, nec impune si male: postea vero sic erit, ut male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio; *multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino servire non poterit peccato*: ergo homo non desinit liberum habere arbitrium, etiamsi necessitetur ad bonum.

Respondetur Baium & ejus asseclas opinioni isti de libertate adhærere, eo quod sit illis medium ad defendendam gratiam efficacem in præjudicium gratiæ sufficientis: cum enim viderent sibi opponendum forte, admissa illa gratia cui voluntas necessario obtemperare deberet, sequi destructionem libertatis ad agendum & non agendum, mutaverunt essentiam libertatis humanæ ut se habet in præsenti statu, dixeruntque illam minime bilancis instar hinc & inde ferri posse, sed quamvis necessario uni parti adstricta sit, dum voluntarie & sine violenta manu id fiat, libere fieri, quia liberum & necessarium simul conveniunt nec sibi invicem repugnant. Sicque error de gratia efficaci impulit in errorem istum de libertate præsentis status. Nam cum hæc libertas sit idonea merito & demerito, non possit vero esse meritum & demeritum, ubi est necessitas agendi: nec potest esse libertas præsentis status cum hac necessitate. Et certè mens Baij fuit, hominem in statu naturæ integræ fuisse liberum ad bonum & malum: in statu autem

naturæ corruptæ ante auxilium ſpeciale, quod vocant, gratiæ efficacis, non poſſe niſi malum agere, poſito vero illo auxilio, neceſſario bonum agere ad quod movet voluntatem. Cum tamen ſcriptura ſacra ſatis innuat eſſe in hominis arbitrio agere vel non agere bonum, ut cum dicitur Matt. 16. *ſi quis vult venire poſt me abnegat ſemetipſum* & cap. 19 *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Quod ſi ita non eſſet, fruſtra eſſent conſilia, exhortationes, aliique conatus quibus ad bene agendum excitantur homines.

Ad oppoſitum, Scoti caliginem diſpelles, intelligendo ipſum intellexiſſe per produci libere Spiritum-Sanctum, produci a voluntate, ſicut quando dicit filium produci naturaliter, intelligit produci ab intellectu: patet ex quæſt. 1. prologi in *reportatis* art. 3. ubi dicit Spiritum-Sanctum libere produci, filium non libere ſed naturaliter. At ſi liberum nihil aliud diceret quam ſpontaneum, æque filius produceretur libere. Unde ait differentiam productionis filij eſſe in principio, ſcilicet intellectu, qui eſt de eſſentia naturæ intellectualis, non ſic autem voluntas. Quod ſpectat ad D. Auguſtinum: hic eſt controverſia de Libero Arbitrio ſecundum ſtatum præſentis vitæ, prout eſt capax meriti & demeriti. Sic autem ſumptæ libertati, non ſolum coactio ſed etiam neceſſitas repugnat, quia non meremur iis quæ neceſſario facimus. At D. Auguſtinus loquitur de Libero Arbitrio ſecundum ſtatum futuræ vitæ, quod non ſe extendit ad malum, ſed ad bonum aliquod unum ex pluribus. De quo diximus plura in Theol. *Affect.* 1. par. tract. 4. medit. 14.

Art. 66. *Non eſt in Baii libris.*

Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.

QUeritur an culpabilis ſit hic articulus: nam D. Auguſtinus lib. 3. de Libero Arbitrio c. 18. ejus patrocinium ſuſcipere videtur dicens. *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere & non poteſt.* Ubi apparet ſatis evidenter peccandi neceſſitas, quæ tamen improbanda decernitur à Sancto Doctore Auguſtino.

Reſpondetur nihil evidentius eſſe in doctrinâ etiam D. Auguſtini, neminem peccare in eo quod vitare non poteſt: ſic enim loquitur lib. *de duabus animabus* cap 12. *peccati reum teneri aliquem, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt.* Et ibidem *ſi ita coguntur ut reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant* & lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 18. *quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem: caveri igitur poteſt*: plures ſunt alij textus D. Auguſtini qui in eamdem ſententiam conſpirant, quam omnes eo ipſo veriſſimam habent, quod mandata Dei in quorum tranſgreſſione peccatur, non ſint impoſſibilia, unde homo non neceſſitatur ad ea tranſgredienda cum ſint poſſibilia, Deo ſuppeditante cuilibet ſufficiens auxilium ad eorum obſervationem: ſed cum Baius negaret iſtud auxilium ſufficiens videretque ſibi opponi, homines neceſſario tranſgreſſuros præcepta Dei, & in illa tranſgreſſione fore innocentes, cum aliter agere non potuiſſent: ut defenderet illum errorem de gratia, aſſeruit nihilominus homines damnandos fore, nonobſtante neceſſaria præcepti tranſgreſſione. Sicque abiſſus abiſſum invocat, & error errorem trahit, & qui unum abſurdum mordicus defendunt, abſurda alia pleraque ſine fronte admittunt: talis eſt doctrina hujus articuli Baiani, quo admiſſo, ſequitur hominem in hac vita peioris eſſe conditionis quam ipſi dæmones & damnati, quibus nullus accedit novæ damnationis gradus ob quaſcumque tranſgreſſiones quibus ex neceſſitate ſuccumbunt quotidie: tam abſurdum eſt ei non refragari.

Cap. 19. peccatum

Ad oppoſitum dicendum eſt, eo loci ſermonem eſſe D. Auguſtino de Vitiis & concupiſcentiis, earumque motibus involuntariis quos nolentes aliquando ſentimus. At hi motus non ſunt proprie peccata & culpæ, etſi ita vocentur quod ex peccato primi parentis inſurgant & peccatorum cauſæ ſint ac radices. Quare ſunt improbandi, ſatiſque in progreſſu hujus textus demonſtrat D. Auguſtinus in hominis eſſe poteſtate his motibus ad peccandum non conſentire, ob præſens Dei auxilium. *1. pœnâ peccati.*

Infidelitas pure negativa, in his in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

Art. 67. *Nec eſt in eius libris.*

QUæritur an erroneus ſit hic articulus: etenim D. Auguſtinus lib de Gratia & Libero Arbitrio cap. 3. agens de fide & ignorantia in his qui nihil de fide audierunt: ait non ſic illos per eam excuſari ut non ſint æternis pœnis obnoxij, ſed ſic *ut levius ſaltem illis torqueantur.* Quod firmari poteſt hoc argumento, quia ſi quis excuſaretur à peccato ob infidelitatem negativam, maxime ob defectum revelationis fidei. Sed defectus ille non poteſt excuſare, quia eſt pœna inflicta homini ob peccatum Adæ: quæ pœna cum ſit voluntaria in ſua cauſa, quæ eſt peccatum Adæ, non excuſat à peccato.

Reſpondetur infidelitatem negativam ſeu privativam in Barbaris & infidelibus qui de fide nihil audierunt, non eſſe peccatum, nec propter illam damnandos fore, ſed propter alia peccata quæ admiſerunt. Sic cenſet D. Auguſtinus tract. 89. in Joan. & D. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 1 probaturque ex verbo Chriſti Joan. 15. *ſi non veniſſem & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*: at Chriſtus non eſt loquutus ad plures infideles qui nullum unquam prædicatorem audierunt: & quamvis Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, infundatque varias inſpirationes etiam in animabus Barbarorum: primæ tamen ejus illuminationes & inſpirationes non ferunt directe ad fidem habendam primo, ſed alia quædam bona moralia, quæ ſi peragerent diſponerentur ut etiam illuminarentur & inſpirarentur ad fidem capeſcendam: Quare pluribus non loquitur Deus ullo modo de fide, ſicque ex intentione humana eam capeſcere non poſſunt. Unde immunes ſunt à peccato ex hoc capite, quod præciſe fidem non habent. *l. 3. de Lib. Arbitr. cap. 19.*

Ad oppoſitum dicendum eſt mentem D. Auguſtini eo loci eſſe, quod infideles iſti non excuſabuntur ab aliis peccatis contra legem naturæ perpetratis propter infidelitatem & ignorantiam myſteriorum fidei. Quod vero additur eſſe voluntate primi hominis, non ſequitur magis eſſe peccatum quam ſit ipſa mortalitas quæ peccatum non eſt, etſi in pœnam peccati invecta.

Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ, quæ per eam faciat juſtificatos implere legem. Art. 68. *Lib. de Juſtitia cap. 5.*

QUæritur an diſcordet hic articulus à Doctrina Chriſtiana: Namque ſcriptura ſacra videtur attribuere juſtificationem hominis ipſimet obſervationi mandatorum quæ includitur in charitate & dilectione quæ eſt plenitudo legis & præcepti. Proverb. 10. *Univerſa delicta operit charitas* & 1. Petri 4. *charitas operit multitudinem peccatorum.* Id autem eſt juſtificatio. Deinde D. Auguſtini effatum eſt lib. de nat. & grat. cap. ultimo, charitatem inchoatam eſſe inchoatam juſtitiam, charitatem provectam eſſe juſtitiam provectam & charitatem perfectam eſſe perfectam juſtitiam: at dilectio Dei in quo includitur obſervatio mandatorum, formalis eſt ſanctitas & formaliter hominem ſanctificat, abſque communicatione illa & inſpiratione alterius formæ ſanctificantis, quæ dicitur gratia habitualis.

Reſpondetur

Reſpondetur pluries Concilium Tridentinum declarare actus pios ſpei, timoris, pœnitentiæ ac dilectionis quibus continetur obedientia legis divinæ & mandatorum obſervatio, eſſe tantum diſpoſitiones ad gratiam Dei habitualem ac juſtificationem conſequendam. Sic dicit ſeſſ. 6. in decreto *de juſtificatione* can. 13. *ſi quis dixerit ſine Spiritus-Sancti inſpiratione hominem credere, ſperare, pœnitere aut diligere poſſe ſicut oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit*, & cap. 7. aſſerit juſtitiam qua juſtificamur dari unicuique ſecundum propriam uniuſcujuſque diſpoſitionem: non datur autem obedientia legis ſecundum propriam uniuſcujuſque diſpoſitionem: ergo ipſa obedientia legis non eſt id quo formaliter juſticantur impij. Plura argumenta ſuppeditabit in eam rem, Cardinalis de Lugo de pœnitentia diſp. 8. ſect. 4.

Ad oppoſitum dicendum eſt & ſcripturam Sacram & D. Auguſtinum attribuere juſtificationem & dilectioni & juſtitiæ qua legi obtemperatur, ſed non tanquam cauſæ formali, ſed tantum tanquam diſpoſitioni. Sicut in eodem ſenſu remiſſio peccatorum tribuitur eleemoſynæ.

Art. 69. Lib. de charitate. cap. 7.

Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

QUæritur an hallucinatus ſit Baius in hoc articulo aſſerendo: neque enim peccatum mortale habet ullam repugnantiam cum gratia habituali: quia peccatum eſſentialiter eſt privatio rectitudinis debitæ actui, non gratiæ aut charitatis: quod ex eo manifeſtum eſt, quod ſi peccatum mortale eſſet privatio gratiæ, aut charitatis: omnia peccata eſſent ejuſdem ſpeciei & naturæ, cum eſſent privationes ejuſdem habitus aut formæ: cum ergo peccatum non ſit eſſentialiter privatio gratiæ aut charitatis, quid repugnat quominus poſſit peccatum conſiſtere cum gratia, aut charitas cum reatu æternæ damnationis?

Reſpondetur quamvis inter Theologos diſputetur probabiliter ex utraque parte, apud Fabrum Faventinum in 4. ſent. diſt. 14. quæſt 1. cap. 9. an peccatum expellat gratiam phiſicè & formaliter, an vero tantum moraliter & demeritoriè: tamen non poſſe probabiliter ex utraque parte diſputari, an expellat vel non expellat, quoquo modo id fiat, quia per peccatum mortale de quo hic ſermo eſt, homo eſt invisus Deo & inacceptus ad vitam æternam, per gratiam vero & charitatem homo eſt gratus Deo & acceptus ad vitam æternam: quæ duo ſunt incompoſſibilia & ſimul non poſſunt ſubſiſtere. Unde ſcriptura loquens de Juſtificatione demonſtrat illam eſſe tranſitum à ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ ad Coloſ. 1. *Tranſtulit nos in regnum filii dilectionis ſuæ:* & Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. *in Decreto Juſtificationis*, ait quod iſta ſit, *tranſlatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei*: ex quibus ſequitur hominem non habere gratiam quin tranſeat a ſtatu peccati. Sicque peccatum & juſtitia ſimul conſiſtere non poſſunt.

Ad oppoſitum dicendum eſt, peccatum actuale eſſe privationem rectitudinis debitæ, peccatum vero habituale quod ſemper conjungitur peccato actuali non retractato, eſſe privationem gratiæ ex peccato actuali ortam: unde quamvis diverſa peccata privent hominem eadem forma gratiæ & charitatis, quia tamen privant in ordine ad diverſa peccata actualia, eo ipſo plura ſunt & diverſa, quia eſt privatio ob diverſos titulos & cauſas.

Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martirii ſine actuali ſuſceptione Sacramenti. Art. 70. Ibidem.

QUæritur an hæc propoſitio inter damnatas reponenda ſit: nam D. Auguſtinus ſcribit tract. 13. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc farcinam iniquitatis ſuæ portat: non ille dimittitur niſi cum venerit ad baptiſmum.*

Quod confirmatur ex hoc, quod Concilium requirat Confeſſionem in Sacerdote celebraturo, niſi in neceſſitate & defectu Sacerdotum: ſi Contritio delet peccata, fruſtra requiritur Confeſſio.

Reſpondetur D. Auguſtinum eſſe in contraria ſententia cum ſcribit cap. ultimo libri de natura & gratia, *charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt, charitas provecta provecta juſtitia eſt, charitas magna, magna juſtitia eſt.* Sed Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. ait juſtificationem quæ aliquando habetur ante Sacramentum ſuſceptum, non eſſe adſcribendam ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, ex quo evidentiſſime deducitur, vi Contritionis ante ſuſceptum Sacramentum aliquando juſtificari hominem, ſcilicet ſi contingat illum contritione donatum eſſe. Quod ex eo adhuc magis elucet, quod non ſit minoris virtutis & efficaciæ Contritio in lege nova quam erat in veteri lege: at in veteri lege remittebatur peccatum ex virtute Contritionis, neque enim Sacramenta id operabantur. Quare dicitur Iſai. 30. *Cum ingemuerit peccator tunc ſalvus erit*, juxta 70. & Ezechiel. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Quare mirum eſt Franciſcum Sylvium Doctorem Duacenſem huic Baij placito adhæſiſſe in quæſt. 5. ſupplementi D. Thomæ art. 1.

Ad oppoſitum, dicendum D. Auguſtinum ita loquutum fuiſſe, quia regulariter non fit ut Catechumenus ad perfectionem Contritionis aſſurgat, ſed raro admodum. Quod autem confeſſio præmittenda ſit ante celebrationem, id ex præcepto divino eſt, Apoſtolo dicente 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Quæ verba continent præceptum Confeſſionis: quæ idcirco duplici titulo præmittenda eſt, & ad mundandam ſecurius animam, & ad ſatisfaciendum præcepto divino.

Omnes omnino impiorum affectiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum: unde & Job & martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt. Art. 71. Non habetur in eius libris.

QUæritur an vacillet tantiſper hic articulus ut per cenſuram pungi debuerit: namque cum ordine & juſtitia omnia humana Deus diſponit: ut quia peccato debetur pœna, hæc illud juſtè conſequatur, & ſine culpa miſeria locum non habeat in hominibus. Unde D. Auguſtinus lib. 6. de Civitate Dei cap. 13. loquens de dæmonibus damnatis, ſic ait: porro quia providentia ſummi Dei, ſicut etiam ipſi fatentur; non fortuita temeritate regitur mundus, *numquam eſſet iſtorum æterna miſeria, niſi eſſet magna malitia.* Inde videtur conſequens, ut ſi natura in ſtatu integro ſteriſſet, quod expers debuiſſet eſſe omnium pœnarum & cruciatuum quibus nunc poſt peccatum concutitur, ut quemadmodum in illo ſtatu fœlicitatis illis eſſet connaturalis, ſic nunc miſeria ſit contranaturalis, ſi hoc verbo uti fas eſt, nec niſi in vindictam peccati homines quibuſvis tribulationibus impetantur.

Reſpondetur hunc articulum Baij affinem eſſe alteri, in quo dicit. *Deus non potuiſſet ab initio creare talem hominem qualis nunc naſcitur*, ſcilicet cõcupiſcentiis agitatus, & mortalitate ac ægritudinibus quibus ad mortem paulatim diſponitur, obnoxius, quia vult

omnimodam fœlicitatem debitam fuiſſe primo homini titulo creationis, non ſatis perſpiciens quid ex liberalitate & magnificentia addidiſſet Deus dono primo creationis, ſi innocenter vixiſſet primus Adam: magnum enim malum concupiſcentiæ mortalitaſque ac cruciatus qui eam comitantur aut præcedunt, hominis conditionem conſequuntur, qui cum ſit naturæ ſenſitivæ, impreſſionibus agentium externorum, alterationibuſque diverſis ſic expoſitus eſt, ſicut cæteræ animantes criminis neſciæ & expertes: quod etiam fatetur D. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 4. dicens: *quamvis ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus eſſet Deus, ſed laudandus.* Itaque etiam ſi aliqui juſti in hac vita variis crucientur miſeriis ac tormentis, non ſemper id fit, eorum peccatis id exigentibus, ſed ſæpe ob altiores quaſdam rationes ſicut dicitur Tobiæ 2. de illo. *Hanc autem tentationem ideo permiſit Deus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & ſancti Job:* ad eorum perfectionem conducit tribulatio, diſcunt ex tribulationibus ob dona Dei non ſuperbire, ex hinc cæteri agnoſcunt eorum erga Deum fidelitatem, probatur eorum erga Deum confidentia, merita adaugentur, illuſtrioreſque redduntur: ut ſæpe ſæpius longè ſublimiora Deus meditetur in afflictionibus juſtorum quam eorum punitionem, ut non immerito Baiani conſolatores onerosi dici debeant, ſicut amici Job, qui ejus peccatis flagella illius imputabant.

Cauſa calamitatum hujus vitæ variæ.

Quamvis autem peccato originali tribui poſſent omnes afflictiones quibus juſti in hac vita concutiuntur, per illud enim peccatum genus humanum factum eſt dæmonum ludibrium ut ait D. Auguſt. l. 6. contra *Julianum* c. 9. & quibuſvis calamitatibus obnoxium ut ait Proſper l. 2. de *vocatione gentium* c. 22. Attamen cum de peccatis actualibus ſeu perſonalibus agitur, ipſemet Job teſtis eſt ſe non propter illa ſic percuſſum fuiſſe à Deo quinque partita ſua calamitate, videlicet per damna rei familiaris, dolores corporis, opprobria amicorum, deſertionem neceſſariorum & amiſſionem authoritatis & honorum, quæ omnia ſic aggreditur recenſere c. 6. *utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui & calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hac gravior appareret:* indicans calamitatem ſuam non fuiſſe à Deo ſibi immiſſam in vindictam peccatorum, cum longè eorum pondus excedat: de quibus videri poterit non Janſenius, ſed Janſonius ad dictum caput Job.

Ad oppoſitum dicendum eſt pœnas & cruciatus ſpectari poſſe vel ſecundum ſe, vel quatenus ſunt in punitionem & vindictam. In priori acceptione poſſunt abſque culpa convenire naturæ ſenſitivæ inter adverſa ſua & contraria degenti, in poſteriori non conveniunt niſi naturæ peccato obſtrictæ. Secundum poſteriorem acceptionem loquitur D. Auguſtinus.

Art. 72. *Nec eſt in eius libris.*

Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato Originali: hinc beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum fuerunt ultiones peccati Actualis vel Originalis.

Quæritur an non ſit conformis hic articulus & Scripturis Sacris quæ omnes in Adam peccaſſe ac mortuos eſſe prædicant, & ſanctis patribus qui contra Pelagium & Cœleſtium hæreticos negantes pueros naſci cum peccato Originali, fortiter urgent omnes naſcentes Adæ peccato involutos eſſe, ac proinde baptiſmo & gratia Chriſti indigere, qui ſolus immaculatus agnus eſt, ut mundi peccata tollat: quam ſententiam inter præcipuos exaggerat D. Auguſtinus tract. 79. *in Joannem*, ac pluribus in libris, ubi contra Pelagianos diſputat: ut inde alij inferant injuriam ipſius gloriæ irrogari, ſi alius ſine peccato natus aſſeratur, vel à peccato, ipſius morte non redemptus.

Reſpondetur duplici titulo improbandum eſſe hunc articulum. Primo quod aſſerat fuiſſe in S. Virgine peccatum Originale; quam ſententiam alias impugnavimus in *Theologia Affectiva*. 3. p. tract. 2. Medit. 1. his tribus conſiderationibus, 1. quod poſſibile Deo fuerit reddere immunem Beatâ Virginem à peccato Originali 2. quod id decens fuerit, 3. quod actu & de facto immunis fuerit. Quæ hic repetere non juvat; cum aliunde plures hoc argumentum explicaverint, ut in honorem Beatæ Virginis aſſeri poſſit iſtud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Secundo vero quod & ſi præſupponeretur ipſam pro aliquanto tempore in peccato Originali extiiſſe, cum tamen ab ipſo ſtatim liberata fuerit, ut defendunt Authores Catholici, qui ſalva fidei compage, illud peccatum in illa aſtruunt, non recte inferetur omnes ejus afflictiones fuiſſe ultiones iſtius peccati, aut quod magis horrerent piæ aures, peccati Actualis quod ipſa aliquando admiſiſſet: tam ferventes enim ac frequentes divini amoris actus ipſa elicuit, ut ipſorum virtute omnem pœnam ſatisfactoriam abſorptam fuiſſe minime dubitandum ſit, ſi enim id juſtis perfectionibus competit, quanto magis id de Matre Dei credendum eſt? Sed abſit ut hanc quidquam inquinamenti habuiſſe unquam putemus.

Maria Virgo fuerit peccato originali.

Ad oppoſitum dicendum eſt D. Auguſtinum hanc proteſtationem feciſſe in lib. de natura & gratia cap. 36. *excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua cum de peccatis agitur, propter honorem Domini nullam prorſus habere volo quæſtionem.* Unde in iſtis loquutionibus ſemper venit excipienda Beatiſſima Virgo, cujus gloria, Filij gloria eſt, cum ſcriptum ſit à Sapiente, Eccleſi. 3. *dedecus Filij Mater ſine honore.* Nec propterea deſinit morte ipſius eſſe liberata, per præſervationem ſcilicet ne peccarum incurreret, non per liberationem à peccato quod incurriſſet. Quamvis autem dicat Hervæus Brito in 3. ſent. diſt. 4. qu. 1. mortem eſſe pœnam peccati originalis, & nullum puniri pro peccato quod non incurrit, quantumcumque incurſurus eſſet, hoc nihil eſt. Quia Virgo mortem ſubiit, non pro peccato proprio quod incurrerit aut incurſura eſſet, ſed pro peccato Adami, qui ejus morte punitus eſt, non ipſa, cum nullam habuerit filiam immortalem, & quæ propter ejus tranſgreſſionem mortua non eſt, unde mors Virginis punitio Adami eſt.

Cauſa mortis ipſiusque

D *Concupiſcentia in Renatis relapſis in peccatum mortale, & quibus iam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.* Art. 73. *Nec eſt.*

Quæritur an ſit locus cenſuræ contra iſtum articulum: dicit enim D. Auguſtinus lib. 19. de civitate Dei cap. 4. *nonnullum peccatum eſt, quando caro concupiſcit adverſus ſpiritum* ut dicitur ad Galatas 5. & ſi opponatur ideo articulum hunc cenſuræ locum præbere quod habitus pravos vocet peccata, puta habitus intemperantiæ aut injuſtitiæ, dici poteſt etiam peccata vocari poſſe, quia ſeparant à Deo: quod enim à Deo ſeparat, mors animæ eſt & peccatum.

Reſpondetur ex eo maxime improbandum eſſe hunc articulum, quod velit habitus pravos, quibus homo inclinatur ad malum & qui ſæpe remanent etiam peracta pœnitentia, eſſe peccata, non ſecus ac ipſam concupiſcentiam quæ dominatur. Ut enim admittamus concupiſcentiam dominantem, id eſt actu & de facto, ferentem & ducentem animam ad actum prohibitum cum conſenſu, ut ſic, eſſe peccatum, id tamen admitti non debet de vitiis & pravis habitibus, qui per ipſam abſolutionem non deſtruuntur, ſed per plures actus virtutum iis contrarios: ſicut per plures actus perverſos acquiſiti ſunt. Sic enim etiam dormiens homo peccaret, cum retineat

habitus illos, imo & bene operans, cum nonobstante virtutis actu, remaneat vitium & habitus pravus, qui nihil aliud est quam promptitudo quædam & facilitas ad male operandum ex pluribus malis actibus acquisita.

Ad oppositum, dicendum est non fideliter allegari textum D. Augustini lib. 19. de civit. c. 4. ut verum sit plures errores in Augustinum eos inutiliter, quam in Augustino invenisse. Sic enim ibi habetur *neque enim nullum est vitium cum caro concupiscit adversus spiritum.* Quod durante conflictu inter carnem & spiritum vix est quispiam qui aliquo vitio non detineatur. Quapropter & in eodem capite D. Augustinus vocat eam rebellionem infirmitatem, pestem & languorem: notum autem est discrimen apud eos qui vel elementa Theologica callent, inter vitium & peccatum. Ex quo discrimine solvi etiam potest quod objicitur de habitibus pravis, qui vitia sunt quæ à Deo separant dispositivè, non autem formaliter, sicut ipsum peccatum.

Art. 74. Lib. de peccato orig. c. 11. 15. 16.

Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto, non concupisces. Unde homo eos sentiens & non consentiens transgreditur præceptum non concupisces; quamvis transgressio ipsa peccatum non deputetur.

QUæritur an distringi debuerit censura in hunc articulum. Nam dicitur 1. Joan. 2. *omne quod est in mundo aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo.* Unde concluditur concupiscentiam cum non sit ex Deo sed ex mundo, esse peccatum, & ideo, contra Dei legem: non enim solum ad superbiam refertur quod dicit *non est ex patre*, sed ad ipsam concupiscentiam cum suis omnibus membris.

Respondetur cum ibi sermo sit de motibus primis concupiscentiæ involuntariis & qui rationem prævenire solent, propterea que evitari non possunt, jure merito non esse computandos inter ea quæ à Deo in præceptis decalogi prohibita sunt: cum alias præcepta Dei ad impossibilia obligarent. Quæ sententia etsi Baianorum sensui sit conformis, reprobatur tamen à Doctoribus Catholicis & in superiorum articulorum discussione improbata est: insuper D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei cap. 25. manifeste asserit motus illos concupiscentiæ non esse peccata. *Quod si*, inquit, *illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in moribundis habitat, præter nostra voluntaris legem, quasi lege sua movetur: quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Et satis mirum est cur velit Baius istos motus involuntarios esse contra præceptum Dei; & tamen non imputari ad peccatum, cum peccatum definiatur à D. Augustino lib. 22. contra Faustum, *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam* & à D. Ambrosio, *Divinæ Legis transgressio & Cœlestium inobedientia mandatorum lib. de Paradiso* cap. 8. & D. Joannes 1. Epist. canon. cap. 3. vocet peccatum, ἀνομίαν id est exorbitationem à lege & ἀνομίαν.

Ad oppositum dicendum est rectè dici concupiscentiam non esse ex patre, sed ex mundo, etiam si peccatum non sit: quia motus indeliberati concupiscentiæ non extitissent de facto absque peccato, posito eo rerum statu quem Deus instituerat de justitia originali: sicut dicitur de morte, quod Deus eam non fecerit, quia posito statu à Deo instituto, mors non extitisset, quantumvis sit naturalis homini in statu puræ naturæ spectato.

Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non fit præceptum.

Art. 75. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

QUæritur an non eximi debuerit à vexatione censuræ hic articulus: etenim probatum est dogma D. Augustini, quod ubi est charitas perfecta, nulla sit cupiditas, cum generatio unius sit corruptio alterius: sic Homil. 8. in lib. 50. homiliarum. Et quia radix omnium malorum est cupiditas & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt, nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non poterit.

Respondetur, dicendum motus concupiscentiæ indeliberatos reperiri aliquando posse in viris perfectis, qui Deum toto corde amant, cum sint instar Jebusæorum quos Deus in medio nostri reliquit ad agonem, ad exercendum Israelem, & ne deficiente adversario virtus repescat otio, quæ in infirmitate ista continenda perficitur: sic D. Paulus Deum toto corde diligebat, si quis inter mortales, ipse tamen profitetur de seipso ad Rom. 7. *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati*: id est me invitum & nolentem motibus concupiscentiæ (quos ipse invisos habebat) concutientem, qui motus apti nati erant ad peccatum ipsum allicere, nisi restitisset: sed & D. Augustinus serm. 5. de Verbis Apostoli, disertè asserit motus concupiscentiæ involuntarios non impedire, quominus homo dicatur spiritualis, qualis est qui præceptis Dei obtemperat. *Quicumque*, inquit, *carnalibus concupiscentiis credis atque consentis, totus carnalis es; si autem concupiscis quidem* (ex motus primo primi) *non concupiscentiam autem tuam non eas, mente spiritualis es, carne carnalis*, &c. Hujus rei ratio est quod exercitium virtutum magis perfectarum durante hac vita, non nisi in lucta & conflictu contra adversarias potestates, perficiatur, cum simus in statu Ecclesiæ militantis. Quod verum est non tantum respectu Ecclesiæ universalis, sed etiam respectu cujuslibet animæ in individuo spectatæ: ita ut viri maximè spirituales inter orandum & etiam sacrificandum nonnumquam confundantur dum procurante sathana, aut alia ex causa motus isti vel invitis sese ingerunt, de quibus legi potest Johannes à Cruce Carmelita in lib. 1. *Obscuræ noctis*, cap. 4. & Richardus à S. Victore annot. in Psal. 28.

Ad oppositum dicendum est D. Augustinum ibi explicare ad quid tendere & conari debet homo in hac vita, scilicet ad cupiditatem radicitus & funditus evellendam & charitatem acquirendam: sic enim ante hæc verba, *loquitur beatus Apostolus, ait, velut spiritalis ac peritissimus medicus, quid fugere & quid expetere debeamus ostendit, & quia radix, &c.* Quid quod ibi sermo est de avaritia voluntaria, quæstio autem est de motibus involuntariis!

Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

Art. 76. *Lib. de Indulgentiis cap. 8.*

QUæritur an hæc propositio censuræ obnoxia esse debuerit: etenim Christi est pro peccatis hominum satisfacere, & injuriam videtur illi irrogare, qui alterius satisfactionem virtute aliqua pollere censet, quasi ejus satisfactio non fuerit plenissima.

Respondetur Catholicos scriptores impugnare hæreticos qui eumdem articulum defendere solent, ut Lessius quæst. 13. in additionem D. Thom. *seu supplementi*, art. 1. dubio 4. Cardinalis de Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ*, disput. 14. sect. 1. ubi & ea ratione probat satisfactiones justificatorum expiare de condigno pœnas temporales restantes post remissam culpam, quia per Bullam Pij V. & Gregorij XIII.

damnatus ſit hic articulus cum alio præcedenti, qui in eumdem ſenſum coaleſcit. Probatur autem per ſcripturam Proverb. 16. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*, & 1. ad Cor. 11. *ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur à Domino.* i. ſi noſmetipſos puniremus, non puniremur à Deo in altera vita, & per Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 4. Ubi in pœnitentia ait contineri *ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, & non quidem pro pœna æterna quæ vel Sacramento vel ſacramenti voto una cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali.* Quibus verbis ſatis aſſerit pro pœna temporali ſatisfieri, id eſt, exhiberi ſufficiens pretium ad earum redemptionem. Probatur etiam ratione, quia opera bona juſtificatorum digna ſunt vita æterna, juxta illud 2. ad Timoth. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddat mihi juſtus iudex.* Ergo multo magis condigna ſunt pro redemptione pœnæ temporalis: quæ multo minor eſt quam vita æterna, maxime cum eædem conditiones ad merendum requiſitæ reperiantur in operibus bonis ad ſatisfaciendum: nam ſatisfacientes in Dei gratia ſunt conſtituti, opera eorum ſunt ſupernaturalia & divino proportionata, extatque Dei promiſſio: quare [illegible] deſiderari poteſt ad valorem condignæ ſatisfa[illegible]ed & D. Auguſtinus in Enchirid. c. 7. *Deus [illegible] delet commiſſa peccata, ſi non ſatisfactio congrua [illegible]*, & hom. 50. cap. 15. *non ſufficit malum in melius commutare, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Deo*: quid clarius?

Ad oppoſitum dicendum eſt non magis ſatisfactiones juſtificatorum præjudicium inferre ſatisfactionibus Chriſti, quam eorum orationes orationibus Chriſti: imo in honorem ejus cedunt, in hoc quod non tantum pro nobis ſatisfecit, ſed etiam virtutem dedit ſatisfaciendi ad applicandam nobis virtutem ſatisfactionis ſuæ per varia media quæ ad hunc finem ſunt ab ipſo inſtituta, ut ſunt varia ſacramenta, fides ac bona opera: ſicut cedit aliquomodo in honorem Dei non ſolum quod omnia operatur, ſed etiam quod virtutem operandi nobis dederit.

Art. 77. *Non habetur in eius libris.*

Immortalitas primi hominis non eſt gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

QUæritur an non omnium calculis laudari debuerit hæc aſſertio, tantum abeſt ut cenſuræ notam incurrere debuerit: etenim cum anima ſit immortalis, æquum non eſt, ut ipſa conjungatur corpori mortali. Unde D. Auguſtinus lib. 13. de Civit. Dei cap. 15. *Conſtat inter Chriſtianos veraciter tenentes fidem Catholicam*, etiam ipſam nobis corporis *mortem non lege naturæ, ſed merito inflictam eſſe peccati*, & Concilium Arauſicanum 2. *Canone 2.* ſic ſtatuit. *Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & eius propagini aſſerit nocuiſſe, aut certe mortem tantum corporis (quæ pœna peccati eſt) non autem & peccatum, quod mors eſt animæ per unum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit contradicens Apoſtolo dicenti (ad Rom. 5.) per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertranſiit in quo omnes peccaverunt.* Unde colligitur mortem eſſe præter naturam hominis & non niſi in pœnam peccati.

Reſpondetur diſtinguendos eſſe diverſos ſtatus hominis. Primus ſtatus puræ naturæ: ſecundus ſtatus naturæ integræ, & pluribus privilegiis ſupra debitum naturæ locupletatæ ampliori Dei beneficentia: tertius eſt ſtatus naturæ corruptæ, & in corruptione ſua derelictæ: quartus eſt ſtatus naturæ reparatæ per Chriſti gratiam, qui ſtatus diverſos habet gradus: ſtatus autem puræ naturæ licet poſſibilis fuerit, numquam extitit, quia Deus ſtatim naturæ plura liberaliter reddidit beneficia. Status etiam naturæ corruptæ & in corruptione derelictæ numquam extitit, licet etiam poſſibilis fuerit, quia Deus plura beneficia gratiæ ex merito paſſionis futuræ, ſtatim contulit naturæ corruptæ. Homo igitur ſecundum ſtatum puræ naturæ, ſi extitiſſet, morti obnoxius erat propter diverſitatem elementorum inter ſe pugnantium quibus conſtabat: ſed quia hic ſtatus de facto non extitit propter beneficia creatoris, creatus eſt immortalis ex beneficio Dei, mortaliſque effectus eſt de facto merito peccati in pœnam inobedientiæ. Unde ait Sapiens; *Deus mortem non fecit*, & hoc confirmat D. Auguſtinus lib. 6. de Geneſi ad litteram. cap. 25. *Aliud eſt*, inquit, *non poſſe mori, aliud poſſe non mori, ſecundum quemdam modum primus creatus eſt homo immortalis, quod & præſtatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ*, & paulo poſt: *mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Quam veritatem adhuc confirmat l. 13. de Civit. Dei, c. 27. & l. 1. de *peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 4. & pluribus aliis in locis. Quod amplius confirmari poteſt ex eo quod homo extra Paradiſum Terreſtrem in quo immortalis fuiſſet, creatus ſit, ut intelligeret dona illius loci ex ſuperaddita gratia ſibi concedi, & non eſſe ſibi naturalia: ac certe immortalis nec à natura hominis ex contrariis, & ſibi invicem repugnantibus humoribus conflata oriri poterat, nec in illa natura ſufficientem cauſam habebat.

Ad oppoſitum dicendum eſt non eſſe neceſſe omnia quæ aptiſſime rebus congruunt, debita eſſe naturali jure; ſicut optimè decens eſt hominem creatorem non offendere, non tamen id illi debitum eſt naturaliter: & nihilominus quia animæ immortali corpus immortale congruebat, de facto Deus dederat homini corpus immortale beneficio ligni vitæ, & aliis mediis. Unde hoc præſuppoſito, dicit Diu. Auguſtinus mortem *merito peccati* inflictam fuiſſe, *non lege naturæ*, quia de facto ita inflicta eſt, non quod aliter accidere non potuerit: quomodo ſolvitur etiam objectio ex Arauſicana Synodo.

Art. 78. *Nec habetur in Baij libris.*

Falſa eſt Doctorum ſententia primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine juſtitia naturali.

QUæritur an quidquam acerbius decernere ac ſancire debuerit Summus Pontifex contra hanc aſſertionem, qua contendit Doctor Baius hominem non potuiſſe creari in puris naturalibus, ut vocant, ſine gratia Dei quæ ei naturaliter debita ſit, & qua fiat, ut potentiæ ejus inferiores ſuperioribus ſubditæ ſint, & qua Deo anima ſubdita ſit prout exigit juſtitia: ratio vero deſumitur ex eo quod Deus non potuerit creare hominem cum aliqua miſeria, antequam peccaſſet, cum ſit illa peccati pœna. Et ex eo quod non potuit condere hominem niſi propter ultimum finem beatitudinis: at poſito quod homo creatus ſit propter hunc ultimum finem, debuit etiam creari cum mediis proportionaris & ſufficientibus ad hunc ultimum finem aſſequendum, quæ propterea quaſi naturaliter illi debentur: ergo debuit creari cum gratia & juſtitia naturali, quia eſt medium ſine quo finis ille non poteſt poſſideri. Et augetur hæc difficultas ex appetitu naturali quem habet homo ad beatitudinem, quapropter extra illam non ſatiatur, ſicut dicit D. Auguſtinus l. 1. confeſſ. cap. 4. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.*

Reſpondetur aſſertionem hanc Doctoris Baij multum accedere ad opinionem Begardorum & Beguinarum damnatam a Clemente V. in Concilio Viennenſi *de hæreticis*, aſſerentium quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata, &c. Merito autem improbatur quia cum juſtitia originalis quæ naturalis vocatur a Baio, ſit accidens hominis & extra ejus eſſentiam, valde mirum eſſet, ſi Deus hominem ſine illa creare non poſſet, quid enim hic omnipotentiæ ejus limites ſtatueret? Sed & divinam

gratiam nulli deberi creaturæ satis diserte probat Daniel à sancto Josepho Carmelita tom. 1. in *D. Thomam* disp. 125 cap. 5. & disput. 14. cap. 11. Quia gratia divina est terminus amicitiæ divinæ, quam ulli deberi creaturæ tam repugnat, quam ullam à Deo produci quæ ex propria creatæ rei conditione ejus serva non sit. Sed & natura sua esset impeccabilis creatura, si naturali jure & gratia & beatitudo illi deberentur: sed & D. Augustinus sine cujus authoritate nihil Baianis sapit, lib. 12. de Civit. Dei cap. 1. ait, *quia creatura est*, (scilicet assequi beatitudinem) *non ex sit potest, quia ex nihilo creata est.* Unde infertur esse supra debitum illius naturæ, cum creatura dicatur ex se posse quod ex naturalibus potest.

Ad oppositum dicendum est fere omnia ibi contenta neganda esse. Primo illud quod affertur non potuisse Deum supremum Dominum creare hominem cum aliqua miseria antequam peccasset. Quid ergo? non potuisset Deus creare hominem in zona frigida aut torrida, ne frigore aut calore nimio adureretur? non potuisset creare monoculum aut claudum? quis hoc credat? *Quis enim ei diceret*, inquit D. Augustinus in Psal. 70. *quid feciſti, si damnaret injustum?* Quem textum corrumpunt Baiani, dicuntque legendum esse injustum. Deinde negatur quod dicitur, non potuisse condi, nisi propter beatitudinem: quamvis enim beatitudo hominis in pro præsenti statu finis ultimus hominis, non est tamen ultimus finis Dei, qui est ejus gloria, quam multis modis posset sibi conquirere extra beatitudinem supernaturalem hominis: deinde posito quod homo creatus sit propter illum finem, poterat Deus ad ipsum sine gratia & justitia originali elevare hominem. Quod additur de appetitu naturali ad videndum Deum, etiam si admitteretur, non sequitur tamen posse naturaliter illud consequi, quia ut benè arguit Bellarminus de *primi hominis gratia* cap. 7. anima separata habet appetitum naturalem ad unionem cum corpore proprio, cui tamen non nisi supernaturali virtute iterum unietur in resurrectione, quæ non erit opus naturale.

Sequitur earumdem 78. propositionum revocatio ab eodem Michaële Baio.

ERrare potuit Michael Baius, sed hæreticus esse non potuit, dum semper mente & voluntate Cathedræ Petri adhæsit. Absit ut talis vir contra stimulum calcitrare, errorem tutari, calcesque illidere censoribus in animum inducat. In quo exemplum sapientiæ, ut notat Theophilus Raynaudus in libro de bonis ac malis libris num. 571. quibusvis scriptoribus, nec non exemplum virtutis statuit, cum ei oblata censura à Francisco Toleto per Pontificem delegato, an acquiesceret rogatus, *malle se* dixit *porcos pascere, quam cujuscumque per Ecclesiam delecti inditio descriptionibus suis oblutari.* Munierat scilicet animum sancta humilitate, qua felicius D. Augustinum sese corrigentem in retractationum libris æmulatus est. Unde postea reliquum vitæ tempus usque ad annum 1589. in quo obiit, in silentio his de rebus, peregit. Est autem hæc formula revocationis ipsius.

Ego Michaël de Baii Cancellarius Universitatis Lovaniensis agnosco & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R. P. D. Francisco Toleto concionatore suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententiis & propositionibus jam olim à sanctissimo Domino nostro Pio V. felicis recordationis sub data Calendarum Octob. anno M. D. LXVII. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo sub data 4 Kalendas Februarii anno M. DLXXIX. iterato damnatis & prohibitis, itemotum & eo perductum esse, ut plane mihi habeam persuasum earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem, jure meritoque

ac non nisi matura judicio ac diligentissima excussione premissis factam atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim & ante emanatam sedis Apostolica super iis censuram conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, in eo sensu in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere & damnationi à sancta sede facta acquiescere, neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle. Actum die vigesimoquarto Julii M. D. L. XXX.

Michaël de Baij.

Quæ censurarum nota propositionibus singulis Michaelis Baij affigi possint.

HActenus conati sumus demonstrare methodo Scholastica singulas Baij propositiones falsitatis aut erroris alicujus vitio laborare, adductis in hujus rei confirmationem aliquibus momentis, & dissolutis nonnullis objectionibus contrariis, ex quarum oppositione veritas effulgeret, per legem contrariorum, qua sibi invicem opposita magis elucescunt. Quamvis autem pauca ad singulos articulos dixerimus, ut librum prolixiorem non ederemus, quia tamen eædem propositiones sæpius repetuntur, quas quibuscumque verborum involucris circumvestitas esse, tolerare noluerunt Summi Pontifices: qui omnia quæ ad idem spectant per varios articulos dispersa in unum collegerit, forsan plura inveniet quam prima facie appareat. Consulto autem abstinuimus à designatione notarum quæ cuilibet propositioni convenire possint, quia id nondum præstiterunt Summi Pontifices, & magis id deceat fieri authoritate publica quam privata. Attamen idipsum est quod multi expetunt & expectant, quorum votis ut aliqua ex parte satisfaciamus, donec expressius judicium Summi Pontificis accedat, hic operæ pretium arbitrati sumus mentem sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis de iis notis censoriis contra plures propositionum harum, ut ex actis illius exscribuntur, ad calcem hujus secundæ partis adjungere, ut certius instruantur qui & veritatem amant sine fuco ac verborum pigmentis manifestatam, & facultatis primariæ auctoritatem ita suspiciunt, ut ejus decretis fidem adhibere non detrectent.

Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, die Jovis vigesima-septima Mensis Junij, sacratissima Theologiæ facultas Parisiensis post Missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio per juramentum congregata est in materia fidei super propositionibus infrascriptis per eandem facultatem cum matura deliberatione Magistrorum nostrorum censura notatis, quas Fr. Petrus De Querbo, Gardianus Conventus Bivaliensis, & Fr. Ægidius de Quercto Gardianus Atrebatensis prædictæ facultatis Theologiæ miserunt. Signatis prædictorum Conventuum signatas, rogantes obnixè ut super iis dicta facultas censuram ferret. Quarum propositionum series sequitur cum censura ad easdem.

Prima propositio. Liberum Arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita, nec illi convenit ea potestas ex ipsius naturali & intrinseca ratione.

Censura Prima pars hujus propositionis est hæretica, secunda est falsa, & erronea, & Moralí Philosophiæ adversa.

Secunda propositio. Libertas & necessitas eidem convenit respectu ejusdem, & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.

Censura. Hujus propositionis prima pars includit contradictionem & est hæretica; secunda est falsa.

Tertia propositio. Liberum Arbitrium ex sua ratione intrinseca non habet ut ex se, de se, & per se efficiat actum liberum.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, erronea & perniciosa.

Quarta propoſitio. Liberum Arbitrium ex ſe non poteſt niſi peccare, & omne opus Liberi Arbitrij ſibi dimiſſi, eſt peccatum mortale, aut veniale.

Cenſura. Hæc propoſitio pro utraque parte eſt hæretica.

Quinta propoſitio. Homo faciendo quod in ſe eſt, peccat, & non poteſt non peccare faciendo quod in ſe eſt.

Cenſura. Tota hæc propoſitio eſt hæretica.

Sexta propoſitio. Poſſe peccare non eſt de ratione Liberi Arbitrij hominis: nec ejuſmodi potentia peccati, homini data eſt à Deo.

Cenſura. Hujus propoſitionis prima pars eſt falſa, & ſecunda hæretica.

Septima propoſitio. Liberum Arbitrium hominis non poteſt absque ſpeciali gratia Dei vitare peccatum; unde fit ut omne opus hominis pure infidelis, ſit peccatum.

Cenſura. Hujus propoſitionis ſecunda pars eſt falſa & male ex præcedenti infertur.

Octava propoſitio. Liberum Arbitrium libere vult quidquid ſponte ſua voluntariè vult, ita ut quod neceſſario vult, idem libere velit.

Cenſura. Hujus propoſitionis ſecunda pars implicat contradictionem, & eſt hæretica.

Nona propoſitio. Hæreticus, Schiſmaticus & homo non purè infidelis, meretur quandoque de condigno vitam æternam.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt plane hæretica.

Decima propoſitio, Homo exiſtens in peccato mortali ſive ejus reatu ad æternam mortem, habet in ſe charitatem.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica.

Vndecima propoſitio. Per contritionem non adhibito realiter Sacramento Baptiſmi vel pœnitentiæ non dimittitur crimen extra caſum martyrij & neceſſitatis.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica.

Duodecima propoſitio. Peccator faciat quod mandatur per contritionem, & confeſſionem factam Sacerdoti, non remittitur illi peccatum niſi Sacerdos abſolvat, etiam ſi per malitiam abſque ratione Sacerdos illi neget abſolutionem.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica.

Decimatertia propoſitio. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt ante primam juſtificationem in homine Liberi Arbitrij uſus bonus: & qui ſe præparat ad eam, peccat, ut is qui peſſimè abutitur ſuis bonis naturalibus. Nam ante eam omnia opera hominis ſunt peccata damnatione digna.

Cenſura. Hæc propoſitio pro omnibus partibus eſt hæretica.

Decimaquarta propoſitio. Non datur gratia niſi reluctanti, perinde nec prima juſtificatio, quæ juſtificatio eſt ipſa fides: fides enim eſt qua ex impio quis fit pius.

Cenſura. Hujus propoſitionis duæ primæ partes ſunt hæreticæ, & tertia eſt falſa.

Decimaquinta propoſitio. Homo neceſſario peccat etiam damnabiliter in aliqua ſpecie peccati, & actus ad quem neceſſario fertur, eſt illi peccatum: quare ut libere feratur in actum, non eſt conditio neceſſaria ad peccandum.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt hæretica pro omnibus partibus.

Decimaſexta propoſitio. Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum quod contraxerat ex Adam, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, ſunt vltiones peccati originalis vel actualis. Unde & Job paſſus eſt, & Martyres propter peccata ſua.

Cenſura. Hæc propoſitio pro omnibus partibus eſt hæretica, & Beatæ Mariæ Virgini Dei Genitrici & ſanctis injurioſa.

Decimaſeptima propoſitio. Omnia in gloriam Dei facite; & dico vobis non reſiſtere malo, ſint ſimpliciter ut præcepta accipienda.

Cenſura. Hujus propoſitionis poſterior pars, ut jacet, eſt hæretica.

Decimaoctava propoſitio. Omne opus bonum eſt meritorium vitæ æternæ. Quod ſi aliquod remuneretur temporaliter tantum non dignum vita æterna, illud malum eſt, quia nullum eſt opus meritorium niſi æternæ vitæ.

Cenſura. Hæc tota propoſitio repugnat Sacræ Scripturæ.

Hæc ſunt decreta Facultatis Pariſienſis ante nonaginta & duos annos edita ab his Doctoribus, quorum multi damnaverant errores Lutheri & Calvini antè Synodum univerſalem Tridentinam, & ab his qui ferveſcente in Gallia hæreſi Calviniſtarum, contra ipſos pro fide & doctrina ſæpius decertabant. Sed ut Baiani Bullas Summorum Pontificum Pij V. contra Baium, & Vrbani VIII. contra Janſenium, etiam ipſis Pontificibus adhuc ſuperſtitibus aſſeruerunt ſubrepticias, dolo extortas, aut etiam commentitias, obſervatis temporum conſignatione, epithetis, aptibus aliiſque pluribus, quibus reſpondendum eſſe duximus: ſic de cenſura hac facultatis, quantumvis in ejus regeſtis ſuo loco inſcripta reperiatur (ut quemadmodum juxta gloſſam decreti ad diſtinct. 19. decretalis præſumitur quæ reperitur inter decretales, ita illius quæ reperitur inter Moniales quæ præſumitur ex hoc Monialis, ſic illa pro cenſura facultatis Theologicæ habeatur) idem facere pridem moliti ſunt: nunc obſervantes latam fuiſſe die vigeſimaſeptima menſis Junij, quæ non eſt dies comitiorum: quaſi cenſuræ tanti ponderis extra Kalendas menſium non conſiderentur, cum ſoleant examinari propoſitiones cenſura notandæ in pluribus congregationibus, ut ſæpè vidimus obſervatum, unde mirum non eſt ſi die comitiis inſolita lata fuerit. Nunc conquerentes confirmatam non fuiſſe. At moris eſt facultatis, ut quæ acta ſunt in una congregatione & conſignata actis publicis, robur obtineant & pro confirmatis habeantur, ſi in congregatione ſequenti non retractentur immutenturve. Nunc etiam expoſtulantes inveniri exemplaria variis in locis hujus cenſuræ cum aliqua immutatione in titulo aut præfatiuncula: ſed ubi res ipſa tenetur & habetur corpus cenſuræ, non admodum de titulo litigandum eſt. Quamvis hic præfatiuncula, ut ex chartofilacio publico exſcripta eſt, exhibeatur. Hanc porro cenſuram volumine integro tuetur Antonius Ricardus Theologus, qui putatur eſſe P. Stephanus Deſchams S. I. cujus liber pereruditus jam pluries typis editus eſt, quod perplexos circa libertatem nodos incontroverſos hac optime diſſoluat.

Prorogatio controverſiæ contra Baium occaſione libri cui nomen Auguſtinus de ſanitate, ægritudine & Medicina humanæ naturæ.

SECTIO V.

AN ex fœdere cum Michaële Baio, an cum veteribus Prædeſtinianis & cum aſſertoribus prædeterminationis & præmotionis Phyſicæ recentiorum Themiſtarum, liber editus fuerit incertum eſt: certum tamen utrique iſti parti illum in multis conſentire, ſed a Concilio Tridentino diſſentire. Quæ ratio eſt cur iſtam controverſiam hic adjungamus, in ſpiritu tamen pacis & lenitatis, ut præſens tempus & rerum ſtatus expetere videntur. Quare ſatis erit ſi quale fuit initium hujus controverſiæ in Belgio ac deinde in Academia Pariſienſi detegamus: cum omiſſis diſputationibus extrema illius tangamus ut

ſubſcriptione indicta & actu præſtita, aliquid forſan addituri pro cautela contra recidiuans.

Au Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi doctrina conſonet cum Concilio Tridentino.

In Belgio liber Cornel. Jan. impetitus & deffidium cum Cõc. Tridentino.

VIx igitur editus erat Liber cui nomen *Auguſtinus*, ac publici juris factus, cum ſtatim conqueſtus auditi ſint de oppoſitione illius Libri cum Concilio Tridentino, ac proinde cum doctrina Orthodoxa, & ne id gratis aſſeri videretur, prodierunt Theſes Lovanij, per P. Joannem *Longhe* Societatis Jeſu, anno 1641. in quibus inter alia exhibebatur in aliquot capitibus doctrina Janſenij cum definitionibus oppoſitis Concilij Tridentini ex adverſo collata.

Primo circa peccatum originale, quia Janſenius dicit tom. 2. lib. 3. *De ſtatu puræ Naturæ*, nec mortem nec qualecumque malum inferri poſſe creaturæ rationali ſine culpa, & Tridentinum Seſſ. 5. aſſerit non eſſe ſuæ intentionis comprehendere Deiparam Virginem in decreto de peccato originali, & Seſſ. 6. aſſerit ſpeciali Dei privilegio præſervatam fuiſſe ab omni Veniali peccato, & tamen mortua eſt B. Virgo & miſerias hujus vitæ ſuſtinuit.

2. Circa articulum de morte Chriſti. Quia Janſenius dicit non pro totius mundi redemptione mortuum fuiſſe, ſed tantum pro iis qui ſaluantur, & Concilium Seſſ. 6. cap. 3. pro omnibus mortuum.

3. Circa gratiam ſufficientem & efficacem, quia Janſenius aſſerit Chriſti gratiam ſemper habere effectum, nec arbitrio hominis ſubjacere cum indifferentia in utramque partem ſicut ante lapſum Adæ tom. 5. lib. 2. cap. 4. at Concilium Seſſ. 6. Can. 4. aſſerit liberum hominis arbitrium poſſe diſſentire ſi velit, & cap. 5. tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, illum poſſe inſpirationem rejicere.

4. Circa libertatem, quia Janſenius admittit libertatem cum neceſſitate agendi tom. 3. lib. 6. cap. 6. & alibi, hocque eſt deſtruere libertatem præſentis ſtatus: at Concilium Seſſione 6. Can. 5. damnat aſſerentes amiſſum eſſe liberum arbitrium.

5. Circa præceptorum impoſſibilitatem, quia eam adſtruit Janſenius tom. 3. libr. 3. cap. 13. negat hoc Concilium Seſ. 6. cap. 11. item Can. 18. ejuſdem Seſſionis.

6. Circa attritionem ex timore pœnæ: Janſenius ſiquidem negat illam poſſe voluntatem peccandi excludere tom. 3. lib. 5. cap. 23. contra Tridentinum Seſſione 14. cap. 14.

Hoc autem fuit multæ contentionis initium, hoc prolixi litigij caput, hincque nata eſt acrior noſtri ſæculi concertatio, quæ per viginti circiter annos Theologorum plurium ingenia exercuit in multis diſputationibus & ſcriptis ex utraque parte contendentium. A Belgio autem ubi primum orta contentio, in Galliam ac in facultatem Theologiæ Pariſienſem cauſa iſta pervenit, poſtquam Urbanus VIII. Papa renovavit Bullas Pij V. & Gregorij XIII. in propoſitiones Michaëlis Baij, unaque librum R. Iprenſis cui nomen *Auguſtinus* prohibuit, tamquam in ſedis Apoſtolicæ contemptum à grave ſcandalum Eccleſiæ ad damnatas dicti Michaëlis propoſitiones inſtaurandas, ſcriptum Siquidem cum non obſtante Vrbani VIII. prohibitione, à quibuſdam liber defenderetur, & in publicis diſputationibus inter Bacchalaureos rixæ non modicæ excitarentur ob ejus libri Doctrinam, viſum eſt venerando D. Scindico *Cornet* proponere facultati VII. propoſitiones tacito ipſarum authore, de quibus ſi Facultas vellet deliberare & mentem ſuam aperire, diſſenſiones iſtas ſopitum iri exiſtimabat. Conſilium placuit facultati Calendis Julij ann. 1649. nominatique pro rei gravitate novem aut decem magiſtri, qui in privatis comitiis, ut moris eſt, prius eas diſcuterent & judicium ſuum referrent ad facultatem, ut ipſis prius auditis, definiret menſe ſequenti.

Origo controverſiæ in facult. Pariſien.

VII. Propoſitiones exponantur definiendæ facultati Theol. Pariſ.

I. PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque iis gratia qua poſſibilia fiant.

dicium Deputatorum.

Hæc doctrina eſt Hæretica.

Ex libro de beneficio crucis parte 3. ac ex editione præcedenti.

MOti ſunt Deputati facultatis ad infligendam hanc notam, ex eo, maximè quod doctrina eſt cenſenda hæretica, quæ evidenter adverſatur ſcripturis Sacris & doctrinæ Conciliorum generalium: at talis eſt doctrina hujus propoſitionis Janſenianæ: ergo, &c. Major revocari non poteſt in dubium. Minor probatur quia 1. Ioan. 2. dicitur *& mandata eius gravia non ſunt.* Et Chriſtus dicit de lege ſua Matth. 11. *Iugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve:* At ſi eſſent impoſſibilia & deeſſet pluribus gratia, qua poſſibilia fierent, verè graviſſima eſſent, nec iugum ſuave aut onus leve dici deberent. Rurſus hujus propoſitionis doctrina pugnat ex diametro cum doctrina Concilij Tridentini Seſſ. 6. de juſtif. cap. 11. *Nemo temeraria illa & à Patribus ſub anathemate prohibita vocetur* (ſupple debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis & petere quod non poſſis* (ex D. Auguſtino lib. de nat. & gratia cap. 43.) *& adiuvat ut poſſis*, & can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Quem Canonem non evitant, neſcio quid diſtinguentes de homine ſub gratia conſtituto: quaſi non eſſent ſub gratia conſtituti, quicumque volunt & conantur Dei mandatis obtemperare, cum voluntas illa & conatus non ſit aliunde quam ex ipſa gratia excitante. Nec prodeſt aliud effugium quo contendunt Concilium Tridentinum damnaſſe aſſertionem de impoſſibilitate mandatorum tantum in eo ſenſu in quo defendebatur à Luthero. Enimvero quicquid ſit de Canone Concilij, at doctrina capitis præcitati, abſolute damnat aſſerentes mandata eſſe impoſſibilia, & damnat in eo ſenſu in quo damnarunt Patres antiqui qui de Luthero ne ſomniaverunt quidem. Nemo, inquit, temeraria illa *& à Patribus ſub anathemate prohibita, &c.*

Nec formidandum erat ſi facultas tota abiret in ſententiam Deputatorum ſuorum, ne probi viri & Magiſtri ſapientiſſimi ipſi D. Auguſtino ſtigma cenſorium inurerent, ut metuebat quidam ex Janſenij gregalibus: quaſi D. Auguſtinus mandata eſſe impoſſibilia cenſuiſſet, doeuiſſetque. Sufficit enim ad vanam hanc formidinem repellendam ſola auctoritas Concilij Tridentini, quod ipſiuſmet D. Auguſtini auctoritate utitur, ſulcitque illius axiomate doctrinam de poſſibilitate præceptorum divinorum: tantum abeſt ut unquam putaverit eum eſſe in contraria ſententia.

Et revera nihil apertius eſt in libris illius. Serm. 61. de tempore ſic loquitur de Deo. *Nec impoſſibile aliquid potuis imperare qui juſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuis vitare, qui pius*

eſt, lib. de fide contra Manichæos cap. 10. *Quis non clamet ſtultum eſſe dare præcepta ei cui liberum non eſt quod præcipitur, facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere? Has injuſtitias & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere*, lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. *Nec hi libri obſcuri ſcrutandi mihi erant, unde dicerem neminem ſupplicio dignum qui aut id velit quod injuſtitia velle non prohibet: aut id non faciat quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores & in theatris Poëtæ, & indoctiin circulis & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis & antiſtites in Sacris Locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Item initio Pſalm. 56. ſed pluribus hujuſmodi textibus ex D. Auguſtino exſcribendis ſupersedeo, quod hi quibus hi textus ad introſpiciendam ejus mentem non ſuffecerint, verè cœci habendi ſunt.

Sed indagarum quoſdam alios textus obſcuriores in quibus ſe melius perſpicere putant ſententiam D. Auguſtini quam in textibus luce meridiana clariori. bus. Sic lib. de Gratia & Libero Arbitrio cap. 17. ſcribit. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam.* Sed hujuſmodi nebulæ quibus illorum animi involuuntur, diſtinctione duplicis potentiæ, proximæ & remotæ diſpelluntur. Omnes ſcilicet poſſunt vel potentia proxima vel remota præcepta Dei adimplere: aliqui non poſſunt potentia proxima, qui remota poſſunt: ſicut qui ſupinus jacet, currere poteſt potentia ſaltem remota, quia poteſt ſurgere, ut proximè currere valeat. Sic qui habet adhuc voluntatem invalidam, elicere poteſt actum robuſtiorem voluntatis: & qui tepidè orat ut non obtineat, ferventius orare poteſt ut obtineat media potentiora ad mandata adimplenda.

Quare hujuſmodi objectiones remoram injicere non potuerunt, quo minus doctrina hujus primæ propoſitionis de hæreſi notaretur abſque offenſione D. Auguſtini, cujus honori multo melius conſulitur à nobis quam ab iſtis, cum eum Patronum eſſe volunt hujus doctrinæ qua fides Orthodoxa & morum pietas valde labefactaretur. Unde & anno 1522. hæc Lutheri aſſertio, *qui negat Deum impoſſibile iuſſiſſe peſſimè facit: & qui hoc falſum eſſe dicit, plusquam peſſimè facit*, ſic notata eſt à facultate Pariſienſi. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, Legi Chriſtiana infamativa, ac authore Auguſtino in Deum blaſphema.*

II. PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Iudicium Deputatorum.

Hæc propoſitio eſt contraria ſacris Scripturis.

Nihil modeſtius dici poterat in hanc propoſitionem, quæ utinam vera eſſet, non tot impiis & peccatoribus ſcateret mundus, nec tot animæ igniibus ſempiternis comburerentur, nec tot injuriis Dei honor violaretur. Sed nec quicquam verius: cum toties in ſcripturis ſacris conqueratur Deus de neglectu gratiarum ſuarum. *Quoties*, inquit Chriſtus Matthæi 23. *volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Act. 7. D. Stephanus eo nomine increpabat Judæos. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri ita & vos.* Qui locus non poteſt intelligi de ſola gratia exteriori, cum Spiritus ſancti operatio potiſſimum A ſit in corde hominis. D. Paulus ad Hebr. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ* 2. Cor. 6. *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid pluribus in re aperta opus eſt? Soli ne ſancti ſunt Bajani qui nunquam deſunt gratiæ Dei? Sed & ſi nunquam reſiſtitur gratiæ interiori, cur ipſi ac ipſorum devoti ac devotæ accuſant ſe aliquando de neglectu inſpirationum divinarum? mentiunturne tunc? Cur Deus tantopere conqueritur de impiis, Prov. 1. *vocavi & renuiſtis, &c.* Ut propterea ſe eos in interitu ſuo irriſuros, ideſt, æternis tormentis cruciaturos minetur?

Nec D. Auguſtinus adverſatur in hac parte. Sic enim loquitur lib. 83. qu. q. 68. ad *illam unam neque omnes qui vocati ſunt venire voluerunt, neque qui nolucrunt venire alteri debent tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate.* Sed quoties ipſe in libris Confeſſionum oſtendit ſe motibus divinæ gratiæ reſtitiſſe, cum tamdiu procraſtinabat ac remorabatur converſionem? Parum in lectione horum librorum verſati ſunt, qui id non deprehendant.

Quod vero dicat D. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 8. *Hæc itaque gratia quæ occultè cordibus humanis divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur*, non ibi ſermo eſt D. Auguſtino de Gratia quacumque interiori, ſed de quadam gratia particulari. *Hæc itaque gratia*, inquit, hæc ſcilicet quæ datur ſecundum propoſitum, ideſt, intuitu prædeſtinationis & cum præparatione eorum mediorum quæ Deus novit infallibiliter effectum fœlicem ſortitura. Huic gratiæ etſi poſſint ſancti reſiſtere, nunquam tamen uſque ad finem reſiſtunt. Cum quo ſtare poteſt quod alteri gratiæ ſæpius reſiſtant homines. Ut de facto Prædeſtinati, de quibus loquitur ibi D. Auguſtinus, ſaltem aliqui ſæpe in vita reſiſtunt divinis inſpirationibus, finaliter tamen obediunt, nec in duritia cordis moriuntur, alias non eſſent de numero prædeſtinatorum. Atque hæc animadverſio ſufficeret ad plures difficultates diluendas, quæ petuntur quidem ex Divo Auguſtino, ſed non ſane intellecto, quod non ſatis attendatur quod ſæpe loquitur reſpective ad ſenſus & mentem Pelagij quem refutare intendit.

III. PROPOSITIO.

Ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Judicium Deputatorum.

Hæc doctrina deſtruit rationem meriti & demeriti & eſt Hæretica.

Si error eſt in cenſura tertiæ hujus propoſitionis, totus rejiciendus eſſet in principem Theologorum D. Thomam, ex quo de verbo ad verbum deprompta eſt. Sic enim ille quæſt. 6. *de malo*, articulo unico: ubi excutiens adverſariorum ſententiam antequam naſcerentur, ſic de ea cenſuit. Dicendum quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate moveatur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt extra. *Hæc autem opinio eſt hæretica:* tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe demeritorium vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit ut vitare non poſſit: eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis.

Si-

Si enim non ſic libenter aliquid in nobis, ſed ex A
neceſſitate moverentur ad volendum, tollitur delibe-
ratio, exhortatio, præceptum & punitio; laus & vi-
tuperium: circa quæ Moralis Philoſophia conſiſtit.
Hujuſmodi autem opiniones quæ deſtruunt principia
alicujus partis Philoſophiæ dicuntur poſitiones ex-
traneæ: ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia
Philoſophiæ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitio-
nes ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim
quidem propter proterviam, partim propter aliquas
rationes Sophiſticas, quas ſoluere non potuerunt.
Hæc Doctor Angelicus, cujus doctrina ore ipſius
Chriſti commendata eſt & toti Eccleſiæ jamdudum
probata, ut non temerariè egerint deputati ipſius
cenſuram innovando, cum errot quem tam acriter
& tot rationibus impugnat, non ſit minus arguen- B
dus in hoc ſæculo, quam in illo in quo ſcribebat D.
Thomas. Cujus ſententiæ ſi addatur cenſura Facul-
tatis Pariſienſis anni 1560. die 27. menſis Junij in quo
ordinariè & extra primum diem Menſis, ut ſolet ali-
quando in rebus magis arduis, congregata per juta-
mentum apud Collegium Sorbonæ in materia fidei,
ſimilem propoſitionem de concordia libertatis & ne-
ceſſitatis, ſimili hæreſeos nota inuſſit pluries; judica-
bit facilè quilibet mentem Facultatis ipſius quæ con-
ſtanter ſuis decretis inhæret, aſſequutos fuiſſe depu-
tatos in hac cenſuræ nota: Cujus etiam Doctrinæ
non mediocriter favet D. Auguſtinus diſput. 1. con-
tra Fortunatum. Ubi inducit animam Deum ſic allo-
quentem ut ſe immunem à peccato aſſerat, ſi ex ne- C
ceſſitate peccaverit. *Quid peccavi*, inquit anima,
*quid merui, quid ut expulſtirde regnis tuis? corrup-
ta ſum, non eſt mihi ſervatum Liberum Arbitrium,
tu voſti neceſſitatem qua preſſa ſum: cum ergo noveris
neceſſitatem qua hic oppreſſa ſum, qua reſpirare non
potui, quid me accuſas quaſi peccantem?* Nec ad rem
eſt, quod idem ſic ſcribit lib. 3. de Libero Arbitrio
cap. 18. *Sunt etiam neceſſitates facta improbanda, ubi
vult homo rectè facere & non poteſt.* Cum eo loci ſer-
monem habeat de concupiſcentia, quam Metapho-
rice peccatum vocat, quemadmodum ſermo dicitur
lingua, quod ſit effectus peccati ut ibidem ſemetip-
ſum interpretatur. Nec obſtat quod ſtante doctrina
hujus propoſitionis facilius explicatur libertas Chri-
ſti qui non potuit non mori propter præceptum, &
nihilominus libere mortem oppetiit. Quia non de-
ſunt alij modi libertatem Chriſti ſaluandi. Quia pro-
Libertas Chriſti. babiliſſimum eſt, cum primo oſtenſum eſt Chriſto
præceptum de prædicanda Evangelica lege vitiiſ-
que reprehendendis, tunc dum ſic ardenter hanc Pa-
tris voluntatem fuiſſe amplexum, quod licet ſciret
ex Judæorum perfidia ob hanc cauſam mortem ſibi
imminere, petiiſſe tamen à Patre, ut hoc ſibi man-
datum imponeret. Deinde licet ex obedientia mor-
tuus ſit quæ ſibi neceſſaria erat, cum eſſet impecca-
bilis: per actum tamen reflexum, ita mortem pro ho-
minibus redimendis amare potuit, ut ſi non fuiſſet
impoſitum mortis præceptum, adhuc tamen libenter
mortem ſubiret pro ſalute hominum. Adde quod
poſita lege moriendi, diſpenſationem à Patre petere E
potuiſſet & obtinere, ſicut manifeſtavit loquens de
duodecim legionibus Angelorum, in auxilium ſuum
mittendis à Patre, ſi rogaſſet, unde fit ut libere
mortuus fuerit & abſque neceſſitate. Ex quibus pa-
tere poteſt inutilitas doctrinæ hujus propoſitionis ad
ſaluandam Chriſti libertatem.

IV. PROPOSITIO.

*Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gra-
tiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus,
etiam ad initium fidei, & in hoc erant hære-
tici quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui
poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtempe-
rare.*

Iudicium Deputatorum.

*Prima pars hujus propoſitionis eſt falſa & temera-
ria. Secunda vero quæ aſſerit hæreticum eſſe ad-
mittere gratiam cui poſſit humana voluntas reſiſte-
re, eſt hæretica.* B

IN duas partes diviſa eſt hæc propoſitio & in u-
tramque pro merito animadverterunt Deputat.
Primæ falſitatis & temeritatis notam affixerunt,
quod vellet aliquid aſtruere contra communem &
receptam ab omnibus veram ſententiam, idque ſine
gravi aliqua ratione aut authoritate, quod vocatur
temerarium. Excuſæ ſunt in comitiis ac diligenter
examinatæ tũ D. Proſperi, tum D. Hilarij Arelatenſis
Epiſcopi ad D. Auguſtinum Epiſtolæ, quod iis mens
Maſſilienſium ſeu Semi-Pelagianorum contineretur, ex iiſque pateret apertè eos initium fidei & bo-
norum actuum ad naturalem hominis facultatem vel C
ad prædicationem verbi externam retuliſſe, non ad
prævenientem gratiam interiorem. Sic enim habet
D. Proſper de Maſſilienſibus.

1. *Atque hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur
pervenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo,
quærendo, pulſando.*

2. *Et ad hoc ſalutis donum* (de Baptiſmo loquitur)
*omnes homines univerſaliter ſive per naturalem, ſive
per ſcriptam legem, ſive per Evangelicam legem vo-
cari.*

3. *Qui ex Libero Arbitrio aut faciant quæ iubentur
aut negligant.*

4. *Et tantum quiſque facultatis ad bonum, quan-
tum habeat ad malum.*

D 5. *Nec conſiderant ſe gratiam Dei quam comitem non
præcedentem velunt eſſe meritorum, etiam illis vo-
luntatibus ſubdere quas ab ea ſecundum ſuam phan-
taſiam volunt eſſe præventas.* Intellige hoc vltimum,
per naturalem legem vel prædicationem.

6. Loquela de infidelibus. *Quando quidem inex-
cuſabiles ſint qui & ad unius veri Dei cultum inſtrui
potuerint intelligentia naturali.*

7. Cum duo ſint quæ humanam operantur ſalu-
tem, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia. *Prio-
rem volunt obedientiam eſſe quam gratiam, ut initium
ſalutis ex eo qui ſaluatur, non ex eo qui ſaluat cre-
dendum ſit ſtare, & voluntas hominis divinæ gratiæ
ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat
voluntatem.* E

8. *In iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non me-
diocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis
male in homine collocatur.*

Ex quibus omnibus vel cæcis ipſis eluceſcere po-
teſt, Semi-Pelagianorum errorem in eo fuiſſe quod
excluſa gratiæ interioris neceſſitate ſolam facultа-
tem naturalem ac auxilia exteriora Legis ac Prædica-
tionis ſufficere putarent ad initium ſalutis, quam
proinde facultatem naturalem nomine initialis gra-
tiæ intelligebant.

Ac de iiſdem ſermonem habens D. Hilarius. *Vitia
conſequens putant exhibendam ab ea fidem, cujus na-
turæ id voluntate conditoris conceſſum eſt: & naturam
ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat
vel poſſit ſe ſanare,*

Quod vero in eadem Epiſtola habeatur. *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum vel perficiendum quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentimus*; Id ita eſt, quod Semi-Pelagiani diſtinguebant inter actus & opera, inter actum & opus, ut ex adjunctis verbis manifeſtum eſt. *Neque enim alicui operi curationis annumerandas putant, exterrita & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.* Sic igitur prærequirebant gratiam ad bona opera exteriora adimplenda, nullam vero requirebant ad bonos actus interiores, piorum ſcilicet deſideriorum ac actuum fidei: ſufficientes ad id vires putabant eſſe naturales ſolas voluntatis, omni gratia ſupernaturali interiori etiam denudatæ. Ex qua ſola proinde diſcretionem reproborum ac electorum repetebant. Ex cujus diſcriminis oſcitabunda inconſideratione profluxit Janſeniſtarum hallucinatio. Quæ proinde merito à Deputatis notata eſt.

Nec illorum cauſæ patrocinatur, quod Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 19. aliqua intermiſceat de inſpiratione Dei, dum ſenſa ſua aperit, ipſe Semi-Pelagianus. Nec enim ibi loquitur de primo voluntatis pio motu, de quo eſt controverſia. Nec loquitur de iſta inſpiratione tanquam neceſſaria eſſet, quod eſt alterum caput controverſiæ. Et rectè annotat Cuiætius Epiſcopus Ruremondenſis in annot. ad Caſſiani Libros, Semi-Pelagianum Chæremonem docere quædam bene geri ex præveniente gratia, quædam ſine illa. Quod ſcilicet neceſſitatem illam prævenientis gratiæ non admitterent.

Quod ſpectat ad ſecundam partem cenſuræ, jure quodam talionis uſi ſunt Deputati. Unde enim illis emanavit hoc privilegium, ut fideles omnes qui hactenus exiſtimaverunt plures ex hominibus parum fideliter gratiis divinis cooperari, Semi-Pelagianos ac hæreticos nuncupent, ac eorum ſententiam Catholicam ut hæreticam traducere audeant, ipſorum vero ſententia etiam poſt definitionem Concilij qua lucidè damnatur, intacta manebit, & non licebit illam proprio nomine donare, quod eſt hæreſis? An obſcura ſunt verba Concilij Tridentini Seſſ. 6. de Juſtificat. cap. 5. *Itaut tangente Deo cor hominis per Spiritum ſancti illuminationem, neque homo ipſe omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit*, & Can. 4. ejuſdem Seſſionis: *ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meremque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Vel hoc ſolo Canone fulminatur ſententia ſequacium Janſenij, itavt vel Janſenius debeat cedere authoritati Patrum Tridentinorum, vel ipſi Patres Tridentini Janſenij ſententiæ: ex quibus duobus, utrum ſit æquius, iudex eſſe quivis poteſt.

Nec enim cavillationes, quibus hujus Canonis authoritatem infringere, quidam conantur, minus quam ridiculæ ſunt. Poteſt diſſentire ſi velit, ſed numquam volet inquiunt. At propoſitio notata, non eſt de actu, ſed de poſſe: ſed & ſi de actu ipſo ageretur, cum ſint innumeræ hominum voluntates omnes variæ & ferè inconſtantes, qui fieri poſſet, ut nulla diſſentiret actu ex innumeris voluntatibus hominum, quæ tamen diſſentire poſſent? Sed & quis poſſet dicere homini ex neceſſitate quadam ab externo agente determinato ad aliquid agendum, potes non agere ſi velis? aut quo ſenſu dici poſſit inſuperabilis illa gratia, ad hominem loquor, ſi ex Concilio, voluntas illi poteſt reſiſtere?

Sed obſtare videtur quod aſſerit D. Auguſtinus lib. de correptione & gratia, cap. 11. & 12. ubi ſtatuit diſcrimen inter adjutorium datum primo homini in ſtatu innocentiæ, & adjutorium eidem datum in ſtatu naturæ corruptæ, in quo voluntas humana per peccatum ſauciata & denudata iis virtutibus quibus in paradiſo veſtita erat conditoris largitate, potentiori quodam adjutorio indiget, de quo ſic loquitur. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia *indeclinabiliter atque inſuperabiliter* ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur: & poſt pauca: Fortiſſimo (ſupple Adamo) dimiſit atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervavit, ipſo donante *invictiſſimè*, quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere *invictiſſimè* nollent: ex quo conficitur voluntatem humanam in præſenti ſtatu naturæ corruptæ adjutorio Dei non poſſe reſiſtere. Atque hæc eſt veluti clavis totius doctrinæ R. Iprenſis quam centies inculcat.

A quibuſdam ſoluitur difficultas iſta gratis, aſſerendo ſynonyma eſſe apud D. Auguſtinum indeclinabiliter, invictiſſimè ac certiſſimè: ſicut cum lib. de Perſeverantia cap. 14. definit Prædeſtinationem, præparationem beneficiorum Dei *quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Ubi æque potuiſſet dicere, quibus invictiſſimè liberantur quicumque liberantur: ſicque hac via effugium patet difficultati: attamen quia in eodem libro *de correptione & gratia* cap. 11. vocat D. Auguſtinus eam gratiam potentiorem prima, quæ data fuit primo Adamo in ſtatu innocentiæ, ideo adhuc conſiderandum eſt D. Auguſtinum ſtatuere diſcrimen inter gratiam ſtatus innocentiæ & gratiam ſtatus naturæ corruptæ, quod illa daret tantum poſſe agere, non velle: quia ſcilicet gratia ſtatus innocentiæ in ſola illuminatione intellectus conſiſtebat, cum voluntas nullis adhuc acta concupiſcentiæ ſtimulis motione non indigeret, nihil enim, ut loquitur ibidem D. Auguſtinus, *concupiſcentialiter ex ſeipſa illi reſiſtebat*: at gratia ſtatus præſentis potentior eſt in eo quod præter illuminationem adhuc inſpirationem contineat, qua moveatur voluntas ad bonum contrà impetus concupiſcentiarum, quæ à bono ipſam retrahunt. Quare dicit D. Auguſtinus gratiam illam dare non tantum poſſe, ſed etiam velle & potentiorem vocat. Quod vero dicat illa invictiſſimè ac inſuperabiliter agi hominem, conſiderandum eſt D. Auguſtinum in eo loco inſtituere comparationem prædeſtinati cum Adamo, & gratiam prædeſtinati in eo potentiorem aſſerere, quod per eam tamdem & finaliter ſuperatis omnibus adverſis perſeveret uſque ad mortem: multoque magis poſt mortem adepta iam felicitate æterna ad quam præcipue reſpicit ibi D. Auguſtinus. Quod Adamo in ſtatu innocentiæ non contigit. Unde ſic concludit profundam iſtam ratiocinationem cap. 12. *Hæc de his loquor qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, quorum ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis: non de his, qui cum annuntiaſſet & loquutus eſſet, multiplicati ſunt ſuper numerum, ipſi autem vocati dici poſſunt, non autem electi, quia non ſecundum propoſitum vocati.* Cujus diſcriminis radicem refert in Dei gratiam, voluntatem ipſam proximè excitantem in prædeſtinatis, itavt detur eis gratia bonæ ac piæ volitionis, qua mediante perſeverent, cum Adamo non ſit data illa gratia neceſſario: *habens*, inquit de Adamo in ſtatu innocentiæ, *virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali quo Deus operaretur in illo, ut vellet.* Ita c. 12. itaut perſeverantia relicta ſit in ejus arbitrio ac voluntate, quæ tales vires habebat, cum ſine ullo fuiſſet inſtituta peccato & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſteret, ut facilè perſeverare poſſet, non addita illa gratia piæ ac bonæ volitionis: qua gratia inſuperabiliter aguntur prædeſtinati, & adimplent bonum, quia hypotheticè & ex ſuppoſitione quod gratia illa piæ inſpirationis

data sit secundum propositum, ideſt, ex intuitu & prævisione prædestinationis, & cum præparatione illorum mediorum ac beneficiorum, *quibus certissime liberantur quicumque liberantur*, quæ Deus prævidit effectum habitura, illi finaliter resistere non possint, sed invictè perseverent.

V. PROPOSITIO.

Semi-Pelagianorum error est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Iudicium Deputatorum.

Ista propositio falsa, scandalosa, insimulans erroris veritatem Sacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam.

UT pateat qua æquitate & veritate notata sit per censuram hæc propositio, præsupponendum Semi-Pelagianos docuisse Christum pro omnibus esse mortuum, atque ea de causa male audisse ac reprehensos fuisse, quia non simpliciter ut verba sonant, illud docebant, verum etiam cum adjuncto: nempe mors Christi pro omnibus sufficeret omnibus ad salutem inchoandam sine ullo superaddito gratiæ interioris auxilio ex sola voluntatis facultate naturali. Hoc enim sensu arguuntur Semi-Pelagiani à D. Prospero in Epistola ad D. Augustinum, *Universis tamen hominibus*, inquit, *propitiationem quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem, & ad lavacrum regenerationis accedere voluerint, salvi esse possint*. Quod & D. Prosper c. 5. de ingratis, *dum libertatem arbitrii affectumque volendi in naturalibus motibus vigore locentes sana bona quæque docent scilicet posse suopte ingenio, quam posse subest cuique in malo ferè*. In qua propositione, pœnes omnes esse asserebant Dominicæ mortis beneficium, vel repudiare, vel admittere ex propriis viribus sine gratiæ interioris adjutorio, quia vim sufficientem esse putabant in sola ac nuda facultate naturali ad fruendum isto beneficio in baptismo aut justificatione per aliud medium advenientes. Sed autem merito arguenda venit hæc propositio: at si intelligatur, ut verba præ se ferunt, quod Christus mortem suam pro omnibus obtulerit, error non est, nec sic unquam intellecta est à Semi Pelagianis. Unde Deputati censuerunt propositionem in terminis acceptam, primo falsam esse, quia nec error est, nec à Semi-Pelagianis asserta ut error dici possit. Secundo censuerunt esse scandalosam, quia exiguam charitatem Christi asserit & ab amando Christo non parum homines deterret; & si enim sola ejus perfectio satis esse deberet ad inflammanda eorum pectora, quæ est tamen hominum infirmitas, plures alliciuntur eo motivo ad eum diligendum, quod ipse prior eos dilexerit, cum pro omnibus mortuus sit. Tertio censuerunt eam erroris insimulare veritatem Sacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam: tum quia nihil est evidentius scripturarum authoritate assertum, quam Christum pro omnibus mortuum fuisse, ut ex dicendis in hac tertia parte satis abundè patebit, ne pluries idem repetatur, quia hæc fuit mens Concilij Tridentini Sess. 6. de Justif. cap. 3. ubi contra Calvini sententiam declarat Christum mortuum fuisse pro omnibus, quod negabat Calvinus: nec obstare quod plures mortis ejus beneficium (justificationis scilicet) non recipiant; quia cum triplex sit beneficium mortis Christi, seu triplex fructus passionis, aut triplex gradus redemptionis, juxta superius dicta & alibi expressa, Concilium ibi loquitur de solo secundo beneficio, justificationis scilicet, ut inspici potest ex titulo ipsi capiti infixo, taceatque de cæteris. Etsi ergo plures pro quibus mortuus est Christus, secundum beneficium Passionis Christi non recipiant in justificatione, quam numquam consequuntur, primum tamen beneficium recipiunt, quod est liberatio seu redemptio ab impotentia salutem operandi per gratiam sufficientem aut media omnibus parata, & proposita ex merito mortis illius. Quemadmodum ergo si dicerem, Rex Galliæ omnes strumâ laborantes tetigit, etsi non omnes sanati sunt, significarem eos etiam ab eo tactos fuisse qui non convaluerint. Pari modo magna Synodus dicens: *est ille pro omnibus mortuus est, non tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, scilicet justificationem, de qua sola ibi sermo est, ut indicat ipse titulus, significat etiam pro illis mortuum esse, qui non sunt justificati: scilicet mortuus est Christus pro omnibus liberandis, vel ab impotentia salutem operandi in qua primario consistit ruina & captivitas humani generis per Adamum illata, vel liberandis à culpa ipsa per beneficium justificationis, vel insuper etiam à morte & ab omni miseria ac calamitate per glorificationem. A primo quidem redemptionis nullus eximitur: à secundo & tertio extranei sunt qui primo non bene utuntur, sic Passio Christi omnibus prodest, licet non omnibus medeatur: & cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit, ab eo tamen extranei sunt, ut loquitur idem D. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum cap. 6. *Qui aut delectati captivitate redire noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi*. Quæ etsi alibi copiosius dicta, iterum memoriæ oblivioso rum repræsentantur, quod hic articulus de morte Christi non bene intellectus ab aliquibus, veluti sit annulus, ex quo plurium errorum catena pendet.

Sensus Semi-Pelagianorum de morte Christi pro omnibus.

Unde Jansenio incumbebat omnes intimi nervos contendere ad hunc articulum solidissime stringendum, ex quo majores rumores & conquestus contra ejus dogmata exoriri debebant: & tamen, ut annotarunt quidam ex deputatis, nullum fere dogma illius magis immunitum est; nullum infirmius ab ipso probatur. Nam ut omittam nunc quædam alia ejus argumenta quæ punctum difficultatis non attingunt, major vis probationum quas affert, est in hoc textu D. Augustini ex epist. 102. *Non perit unus ex illis pro quibus Christus mortuus est*. Ubi sanctus Doctor loquitur de iis qui gloriantur in Cruce Christi, & à via crucis non recedunt, etiamsi ignorent ea quæ subtilissime disserantur. Dicitque unum ex istiusmodi hominibus non perire pro quibus Christus mortuus est, an propterea asserit non fuisse mortuum pro aliis? si quis diceret, non perit unus ex Baij discipulis vere pœnitentibus pro quibus Christus mortuus est, an propterea liceret concludere non fuisse pro aliis Christum crucifixum? Quinimo D. Augustinus, paulo ante in eadem epistola supra duas lineas, contrarium asserit. *Nam si propter eos solos, inquit, Christus mortuus est, qui vera intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesia laboramus*. Unde potius contrarium dogma Jansenio inferri potest.

Sed ut ad rem propius accedamus, quia in pluribus Scripturæ locis asseritur Christum pro omnibus mortuum, ne cogerentur ex vi termini istius, *omnes*, agnoscere Christi charitatem ad omnes animas ad Dei imaginem creatas diffusam aliquando fuisse, objiciunt Scripturam Sacram sæpe usurpare nomen *omnes* pro aliquibus duntaxat.

Respondeo nec præcise ex vi termini istius, *omnis*, si solitariè sumatur, convinci posse pertinaces disputantes, quod Christus pro omnibus nullo sensu, ideo, mortuus sit, sed convinci posse ex quibusdam adjunctis isti termino, quæ adjuncta ostendunt nullum eximi posse. Sic verba illata ad Timoth. 1. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: vi-

dentur intelligi de omnibus nullo excepto, quia omnes (salvo semper B. Virginis privilegio) mortui sunt in peccato originali. Sic verba ista 1. ep. Joan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, inferunt Christum obtulisse se victimam pro omnibus, nullo excepto propter particulam adversativam, *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, maxime cum D. Joannes non soleat loqui de mundo in bonam partem, scilicet de mundo electorum, sed in malam partem, asserens illum totum in maligno positum esse.

Objiciunt Scripturam explicare nomen *omnes*, per nomen *plurium* Matt. 26. *hic est sanguis, &c. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Marc. 10. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis* ad Hebr. 9. *Christus semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Respondeo sæpe etiam Scripturam per plures intelligere omnes, ut cum ad Rom. 5. dicitur. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, &c.* Sed demus hæc loca intelligi debere ad litteram de multis, non de omnibus, sed tunc dicimus ibi agi de redemptione Christi quoad secundum gradum, qui non est communis omnibus, & verba ipsa hoc indicant, *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum:* nec enim temere scriptura hæc verba usurpat, *in remissionem peccatorum*, aut ista *ad multorum exhaurienda peccata.* Unde D. Bernardus Hom. 2. super *Missus est.* Si enim nec folium de arbore, sine causa, nec unus de passeribus sine Patre cœlesti cadit, putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sancti Historia Verbi? non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo. Scilicet diversimode Christus salvat homines, alios solum ab impotentia salutem operandi, in qua maxime consistit captivitas & servitus hominum ex peccato Adami orta, alios etiam à remissione actuali peccatorum, alios insuper ab omni miseria corporis & animæ; nunc autem loquitur scriptura de uno modo, alias de altero modo. Quod itidem observandum est in Patribus; videndum enim de quo salute & de quo gradu salutis loquuntur, quod dum non attendunt discipuli Jansenij multa obtrudunt, quæ eorum causam non juvant, nisi apud eos qui nonnisi in obscuritate tenebrarum degunt: atque hunc sensum videtur sequi expresse Dionysius Carthusianus in cap. 10. Joannis, quamvis in cap. 10. Matt. aliam nec incongruam suppeditet solutionem, dicens Christum venisse dare animam suam redemptionem, idest, inquit, pretium liberativum pro *multis* hominibus non pro dæmonibus.

Tres gradus salutis ac redemptionis distinguendi.

Quod autem obtenditur Scripturam sæpe asserere Christum pro ovibus suis animam posuisse juxta illud Joan. 10. *& animam meam pono pro ovibus meis*, idest, ut interpretantur, pro prædestinatis: Quamvis istud admitteremus pro eorum voto, prædestinatos intelligi per oves Christi, hoc nihil ad controversiam, cum omnes conveniamus Christum pro prædestinatis animam posuisse: & tantum inter nos decertamus, an non etiam pro reprobis animam posuerit, de quo articulo altum est silentium in his locis Scripturæ: sed & Christum intelligere utrosque sub nomine ovium suarum, satis demonstrat locus iste Joannis 21. *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: si enim solos prædestinatos hic intelligeret, Ecclesiam quam Petro omini subjecit Christus, ex solis prædestinatis coalescere, non male inferrent Calvinistæ: quare non immerito Ambrosius Catharinus in annotationibus adversus Caietanum pagina 275. eum arguit, quod illa verba de solis prædestinatis intellexit, quæ non dubito inquit esse falsa & periculosa, Si enim Petro non esset mandata cura nisi super solis prædestinatis, profecto super aliis non habebit: quod est falsum & hæreticum: ad hæc ignoramus, immo ipse ignorasset super quibus mandata esset ei cura, non enim sciebat, qui essent prædestinati, quod est stultum fateri. Atque de eodem plura notari possunt apud Stapletonum tom. 1. controversia 2. lib. 6. c. 10. Unde non est necesse excludere ab ovili Christi pro quo mortuus est, reprobos omnes; scilicet Christus est magnus Pastor qui ovile magnum habet in quo oves sunt sanæ & scabiosæ, prædestinati & reprobi, & omnes committit Christus vicario suo ut ex amore & charitate omnes pascat, sicut ipse pro omnibus animam posuit. Quid autem mirum, addit ibidem Catharinus, si & non prædestinati ovium vocabulo significentur, quando etiam significantur per regnum Cœlorum quod sagenæ comparatur bonos & malos congreganti? quare derogat ibi verbo Christi proculdubio reverendissimus, dicens quod secundum veritatem nemo rapit oves & non dispergunt, cum Christus doceat, quod *venit lupus & rapit & dispergit oves.* Hæc ille, quibus addimus, si Christus de iisdem ovibus dicit, *nemo rapiet eas de manu mea*, in hoc sensu ibi dictum esse, quod violenter & repugnantibus ac contranitentibus ovibus non rapiuntur à dæmone, cum vim ipse non inferat, sed tentando alliciat animas quæ pereunt, cum nullus nisi volens pereat & damnetur juxta illud Psalmi 139. *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori.* Quia semper concupiscentia & voluntas nos reos faciunt, ut commentatur Bellarminus in hunc Psalmum. Denique totam hanc difficultatem juxta mentem nostram resolvit Dionysius Carthusianus in cap. 10. Joan. ubi explicans quo sensu dicat Christus se animam suam ponere pro ovibus suis, idest electis: nam inquit, licet Christus passus sit, & satisfecerit pro omnibus sufficienter, non tamen efficienter, quia in solis electis Passio Christi fructificat per consequutionem sui finalis effectus qui est salus æterna. Quibus verbis Doctor extaticus Ritelius videtur agnovisse plures esse distinguendos fructus aut effectus Passionis Dominicæ, licet clare non expresserit: cum enim loquimur de ultimo illius effectu, supponit aut quendam, aut quosdam alios anteriores esse: & vere ita est, mors Christi beneficium est omnibus hominibus ac singulis commune, licet inæqualiter per illud juventur homines, & quidem à toto malo liberentur, alij non nisi à tanto, ut lequuntur.

Oves Christi.

Ac cum amare aliquem, sit illi velle bonum, Christum eos omnes amasse quibus bonum aliquod voluit aut reipsa contulit, negari non potest. Est autem bonum, liberum esse ab impotentia salutem operandi: quare cum mors Christi libertatem illam attulerit etiam iis qui de facto non justificantur, eos etiam amasse dicendus est secundum aliquem gradum amoris. Et si Deus omnia diligit quæ sunt & nihil odio eorum habet quæ fecit, quia saltem bona aliqua naturalia contulit, quanto magis dicendus est eos amasse quibus gratiæ prævenientis auxilia pleraque impertitur, & pro quibus sacramenta instituit expectans eos in multa patientia? *Fidem eorum desiderasti & veritatem invenisti*, ait ipse Christus apud S. Augustinum in Psalm. 68. Quid quod gratia illa prævenies sit semen cæterarum gratiarum, & ipsius gloriæ? atque etiam per illam, quamvis homo non justificetur aut persevèret, multa tamen gravissima peccata evitantur à reprobis. Quare mitius in inferno habebunt ob plura peccata non admissa per virtutem illius, quod non est parvipendendum, ut si non à toto, à tanto liberentur tormento. Ut est in Theologia Affectiva 3. part. tract. 1. medit. 19. puncto 2. editionis 3. & 4. ad quæ dum non attendunt, Christum charitate spoliant, minusque sitientem salutis

Christus secundum quid omnes amavit.

hominum exhibent quam ſint plerique homines. Quid de Beata Virgine quæ de ſeipſa loquitur lib. 6. revelatione Sancti Brigittæ cap. 10. Ego ſum regina cœli. Ego mater miſericordiæ. Ego juſtorum gaudium & aditus peccatorum ad Deum. Nulla etiam pœna eſt in purgatorij igne, quæ propter me non remiſſior etit & levior ad ferendum quam aliter eſſet. Nullus eſt adeo maledictus qui quandiu vivit careat miſericordia mea, quia propter me levius tentatur à Dæmonibus quam alter tentaretur: At ſi hæc de matre dici poſſint, quanto magis de filio? non fuit paſſio ipſius ſeparata ab amore. Deus ab æterno omnes amavit & ad beatitudinem ordinavit voluntate antecedente, & quos voluntate conſequente ad bonum ſupremum non dilexit, ad alia media bona qualiacumque illa ſint, dilexiſſe exiſtimandus eſt. Unde de amore Chriſti cujus voluntas Dei voluntati conformis fuit, dijudicandum. Ac careat ſucceſſibus opto, quiſquis ab eventu facta notanda putat, ac de dilectione alicujus cenſendum. Similiter ſolvitur aliud.

Si Chriſtus pro omnibus oravit, ergo omnes ſalvari debere. *Non enim poſſunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater Filium tradit in mortem ut vivant:* ut loquitur D. Bernardus Homil. 3. de Laudibus Virginis.

Reſpondetur Chriſtum pro omnibus oraſſe ut haberent primum fructum & gradum redemptionis, liberarenturque omnes à poteſtate tenebrarum, & ab impotentia ſalutem conſequendi, quæ eſt ſervitus maxima peccati invecta per culpam Adami: pro pluribus vero oravit, ut etiam obtinerent ſecundum & tertium fructum Paſſionis ſuæ ſecundum quod prænovit eos benè uſuros ſufficientibus mediis quibus donabantur, aut cum hac conditione, ſi bene iis uterentur: ſicque omnis Oratio Chriſti exaudita eſt prout decebat propter ejus reverentiam: ſed perſpiciendum eſt illud quod poſtulavit pro his & illis, diverſa enim petiit in oratione ſua: oravit pro reprobis, ut haberent gratias excitantes, & ſi illis cooperarentur per liberum arbitrium iiſdem gratiis adjutum & elevatum, haberent gratiam juſtificantem, & alia dona quæ illis à tempus conceſſa ſunt ex merito mortis ejus, ut ipſimet adverſarij concedere coguntur. Sed & quot peccata avertit Chriſtus à reprobis? qui enim hæc Gratiæ Chriſti non deputat, Auguſtinum negavit, qui hæc Gratiæ Chriſti deputat: unde & ſcripſit Homiliarum 50. Homil. vltima. *Nullum eſt enim peccatum quod facit homo, quod non faceret homo ſi deſit rector à quo factus eſt homo.* Quid quod docet Albertus Magnus de 4. coævis tomo 19. tract. 4. qu. 58. particula 2. Deum velle Angelum cooperari ad ſalutem damnandi ut pauciora committat peccata. Ex his porro intelligere eſt non fuiſſe inutiles etiam reprobis Chriſti ſudores & orationes.

At quid ad verba Concilij Tridentini: *Non tamen omnes meritis ejus beneficium recipiunt, ſed ij dumtaxat quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.* Quibus verbis Concilium innuit falſum eſſe omnes ex merito Paſſionis recipere media ſufficientia ad ſalutem, ut diſcipuli Molinæ aſſerunt, cum non omnibus detur fructus Paſſionis Chriſti?

Reſpondetur eos non aſſequi mentem Concilij, qui non conſiderant triplicem gradum redemptionis humanæ, triplexque beneficium aut triplicem fructum Paſſionis Chriſti. Porro ex titulo cap. 3. Seſſ. 6. *de juſtificatione*, ubi aſſerit ut doctrina fidei Chriſtianæ, mors Chriſti pro omnibus, patet ſermonem eſſe de ſecundo fructu aut beneficio Paſſionis Chriſti, quod beneficium eſt ipſa juſtificatio, eſt enim in titulo *qui per Chriſtum juſtificantur*, atque ubi in fine præcedentis capitis Concilium dixiſſet: *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris: non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi:* Poſt hæc verba ſic exorditur caput tertium, jungens illud ſecundo capiti; *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt (ſcilicet juſtificationem) ſed ij dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur?* ſcilicet per baptiſmum. Quis hæc omnia ſimul componens, non intelligit mentem Concilij fuiſſe, pro omnibus mortuum Chriſtum, etſi omnes non juſtificentur. Quemadmodum ſi quis diceret, medicus omnes urbis ægrotos viſitavit, etſi non omnes ſervati ſint, intelligeret profecto, etiam medicum curam habuiſſe omnium ægrotorum & etiam eorum qui ſanati non fuiſſent; placet enim hoc exemplum medici quo D. Auguſtinus apoſitè uſus eſt tract. 12. in Joan. *Ergo quantumvis medico eſt ſanare venit ægrotum, ipſe ſe interimit qui præcepta medici obſervare non vult, venit Salvator in mundum, &c.* Quem locum mirum, quot nebulis interpretationum obtegere conantur, ne videant veritatem, & agnoſcant cum humilitate, charitatem Chriſti erga omnes animas, beneficiumque commune omnibus mortis Chriſti venerentur, quod potius ipſi inficiantur; ut non immeritò de illis dicere poſſim, quod de quibuſdam hæreticis ſui ſæculi dicebat Theologus Nazianzen. Orat. 42. circa lucem tenebroſis, circa ſapientiam imperitis, *pro quibus Chriſtus gratis mortuus eſt, ingrata creatura.* Ne ergo inſimulent nos ingratitudinis erga Chriſtum, cujus charitatem ad omnes diffuſam prædicamus, & cujus gratiæ primas partes actionum omnium piarum tribuimus, hoc ipſorum vitium eſt & peccatum, non noſtrum.

VI. PROPOSITIO.

Fenſim olim Eccleſia privatam ſacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non ſufficere. Judicium Deputatorum.

Ista propoſitio vel ſpectat ad quæſtionem juris & ſenſus eſt, ſenſit olim Eccleſia privatam ſacramentalem pœnitentiam reipſa & abſolute pro peccatis occultis non ſufficere, & eſt hæretica errorem infallibili Eccleſiæ affingens: vel ſpectat ad quæſtionem facti & ſenſus eſt: ſenſit olim Eccleſiæ ex illius temporis diſciplina non ſufficere privatam ſacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis, & falſa eſt & temeraria.

Involutæ ſunt errantium ſemitæ: ideo nihil mirum ſi propoſitiones eorum ambiguæ in varios ſenſus explicentur & de eis diverſum feratur judicium. Unde & propoſitio examini ſubjecta ſi intelligatur iuxta primum ſenſum inter hæreticas annumeranda viſa eſt, quia ſic habet canon ſextus Concilij Tridentini ſeſſ. 14 *de ſacramento pœnitentiæ.* Si quis negaverit, confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam vel ad ſalutem eſſe neceſſariam jure divino: aut dixerit modum ſecretæ confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit. Ex quibus verbis evidenter apparet privatam ſacramentalem pœnitentiam, pro peccatis maxime occultis, ſi pro aliquibus, eſſe de jure divino, ideoque ſufficientem fuiſſe, nec pro iis jure divino ſe pœnitentiam publicam deſideratam fuiſſe. Si autem propoſitio intelligatur iuxta ſecundum ſenſum, falſa & temeraria viſa eſt, quia adverſatur doctrinæ ejuſdem Concilij in eadem ſeſſione cap. 5. ſecretum inquit, quo ad modum confitendi ſecreto apud ſolum ſacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum & ſui humiliationem, tum ob aliorum exemplum tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præcipe-

retur, ut delicta præſertim ſecreta publica eſsent confeſſione aperienda. Unde fit, ut qui dixerit hanc confeſſionem publicam pro ſecretis peccatis fuiſse ex Eccleſiaſtico jure, aliquando præceptam, non ſatis conſulte Eccleſiam egiſse declaret; quod ſine temeritate aſseri non poteſt. Verum quia doctrina hæc Concilij ſpectat ad confeſſionem, propoſitio videtur magis ſpectare ad ſatisfactionem ſacramentalem: aut ſaltem de ea poſset intelligi: nihil tamen amplius de hac propoſitione in privatis comitiis definitum à deputatis, qui non intendebant de aliis referre ad facultatem niſi de quinque prioribus circa quas ardentior erat contentio. Itaque, quaſi dicis cauſa, de ultima etiam ſic cenſuerunt, & ut nihil ab ipſis prætermiſsum videretur.

VII. PROPOSITIO.

Naturalis attritio ſufficit ad ſacramentum Pœnitentiæ.

Judicium Deputatorum.

HÆc propoſitio intellecta de attritione mere naturali ut ſufficiente ad ſacramentum pœnitentiæ cum effectu gratiæ juſtificantis recipiendum, eſt hæretica.

Addita eſt hæc propoſitio diſcutienda per deputatos, ut ſatisfieret iis qui eam doceri putabant à Theologis quibuſdam: non quod de illa controverſia ſuborta fuiſset. Satis enim manifeſte impugnatur ex can. 3. Concilij ſeſ. 6. de *juſtificatione*. Si quis dixerit ſine præveniente ſpiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Porro propoſitio damnata falſo à quibuſdam attributa eſt Suarii, cum ipſe in 3. par. quæſt. 85. diſp. 5. ſect. 1 diſerte aſserat eum dolorem qui in ſolo temporali aut humano motivo fundatur non mereri nomen attritionis, etiamſi Soto & nonnulli alij Theologi aliter interdum loquantur. Auguſtinus vero lib. *de vera & falſa pœnitentia* cap. 2. inutilem dolorem vocat, & ſine ſpe veniæ: & lib. *de catechiſandis rudibus* cap. 17. pœnitentiam fictam appellat.

Deſiderabatur ut quid ſignificaretur nomine attritionis naturalis planius aperiretur: ſed cum intentum non eſset referre alias ex his VII. propoſitionibus niſi quinque priores, ſuperſederunt ampliori diſquiſitioni.

Igitur tales erant ſententiæ nominatorum à Facultate ſuper propoſitis ſeptem articulis, qui quoniam ob perturbatos ordines ipſius, nequidem legi ac ad ipſam referri potuerunt, ut cenſuram doctrinalem de iis ferret, illuſtriſſimi Galliarum Epiſcopi circiter octoginta, priores quinque ex his articulis ad ſummum Pontificem Innocentium X. miſerunt. Ut de iis ferret judicium pro ſua auctoritate. Quod cum præſtitiſset poſt debitum examen & auditis partibus contendentibus, edita ob id conſtitutione, qua notis aſperioribus quam factum fuerat à deputatis facultatis V. propoſitiones damnabat, eamque conſtitutionem Alexander VII. confirmaſſet, & inſuper formulam fidei cui omnes ſubſcriberent ad conciliandam pacem, propoſuiſſet: tot modis ac tot quæſitis prætextibus obluctati ſunt qui libri R. Ipr. ab omni cenſura liberum eſſe volebant, ut ubique in Galliarum provinciis innumeræ eſſent contentiones: uſque ad annum 1668. quo, Deo propitio, qui plus reſiſtebant antea, glorioſa contra ſeipſos parta victoria, auctoritatique Summi Pontificis cedentes, ſubſcriptione quæ ab ipſis expectabatur facta, pacem Eccleſiæ reddiderunt & plurium ſaluti oportune conſuluerunt. Atque totius iſtius difficilis negotij originem progreſſum & exitum recogitans admiranda Dei conſilia non poſsum non ſuſpicere, qui per contrarias vias fortunat, ut bonæ notæ ſcriptor advertit, Joſephum per ſervitutem provexit ad imperium, Danielem per captivitatem deduxit ad honorem: plura accidunt quæ effuſis lachrymis deploramus, unde pendet noſtra ſalus, vita, & honor. Quanta ſubtilitate gubernat reſiſtentes ſibi, ut juventur ipſis impedimentis ipſis potiſſimum ſæpe implet decreta Dei, qui refutat: per illam viam qua fugit accedit. Putabatur tunc vera fidei doctrina de immenſa Chriſti charitate extincta, cum Facultatis Theologicæ cenſura impedita fuit. Sed per hoc impedimentum aperta via eſt R. Epiſcopis recurrendi ad tribunal Summi Pontificis, qui cum majori auctoritate eam ſancivit & cum multo majori fructu, itaut etiam Rex Chriſtianiſſimus, zelo vere pio & numquam ſatis celebrando, eamdem cenſuram multis edictis, quorum ultimum hic inferimus, fulciret.

Cauſa devoluta ad Summum Pontificem.

Subſcriptio finem controverſiæ affert.

Jo. Euſebius Theopol. p. 1. c. 29.

Arreſtum Secretioris Conſilii datum Sanct-germani in Laia 23. Octobris 1668.

CUm Rex cognoverit per breve quod ſua ſanctitas ad ſuam direxit Majeſtatem die 18. menſis Septembris poſtremo elapſi, & per vivam vocem D. Archiepiſcopi Thebarum Nuntij ipſius ordinarij apud ſe, quod ſuæ Sanctitati plene ſatisfactum eſt per obedientiam quam N. N. N. N. præſtiterunt conſtitutionibus Paparum Innocentij X & Alexandri VII. diebus 29. Maij 1654 & 16. Octobris 1656. tam per ſinceram ſubſcriptionem propriam, quam illam quam in ſynodali convocatione decreverunt debere fieri ab omnibus ſuarum Diœceſum Eccleſiaſticis, formulæ fidei inſertæ in conſtitutione ejuſdem Papæ Alexandri VII. Febr. 15. an. 1665 ac etiam per litteras quas dicti D. Epiſcopi eodem menſe Septembri ultimo ad ſuam Sanctitatem ſcripſerunt ut ipſi nota eſſet ſua ſubmiſſio circa prædictas conſtitutiones, quæ eamdem ſanctitatem induxerunt ad oblivioni tradendum, quicquid antea geſtum fuerat vigentibus ultimis contentionibus Cum etiam idem Nuntius ſuæ Majeſtati notum fecerit, noſtrum S. Patrem inſtanter deſiderare ex pietate & zelo quo ferver pro bono religionis, ad pacem Eccleſiæ & unionis inter fideles conſervationem, quod ſuæ Majeſtati gratum foret, potenter interponere auctoritatem ſuam regiam ad impediendum quo minus eædem contentiones quibus ab aliquot annis Eccleſia Galliarum agitata eſt occaſione condemnationis libri Janſenij cui titulus *Auguſtinus*, quoquo modo unquam poſſint reminiſcere, cupiente ſua Majeſtate huic rei providere & cooperari ſanctis piiſque votis dicti S. Patris noſtri, & Eccleſiæ anſam dare proficiendi utiliter exoſce quam in ipſa reſtituit ipſe S. Pater: Rex in ſuo conſilio aſſiſtens decrevit & decernit dictas bullas & conſtitutiones ſupra relatas continuo & inviolabiliter obſervari & executioni demandari in omni loco ſui regni, regionibus, terriſque ſuæ obedientiæ; hortatur & nihilominus injungit omnibus Arch. & Epiſc. dicti ſui regni, ut in id invigilent attendantque. Statuit ut præcedentes contraventiones & inexecutiones adverſus prædictas conſtitutiones & declarationem ſuæ Majeſtatis, tanquam non factæ fuiſſent, habeantur abſque eo quod umquam poſſint renovari à quocumque ſub quocumque prætextu. Prohibuit prohibetque omnibus ſibi ſubditis ne ſe invicem aggrediantur aut provocent ſub prætextu præteritorum, utendo nominibus illis, *hæretici, Janſenitæ, Semi-Pelagiani*, aut altero nomine partis, atque etiam ſcribendo & divulgando libellos ſupra dictis materiis controverſis, neque ullum ex his qui ex juſſione ſuorum Archiep. aut Epiſcoporum dictæ fidei formulæ ſubſcripſerint vocibus injurioſis in fama lædant, ſub pœna punitionis exemplaris. Præſenſque arreſtum executioni

Epiſcopi.

demandabitur nonobſtantibus oppoſitionibus aut appellationibus quibuſcumque. Quarum ſi aliquæ ſint, ſua Majeſtas ſibi ſuoque conſilio reſervat judicium, illudque inhibet omnibus ſuis curiis & judicibus. Actum in conſilio ſtatus Regis, præſente ſua Majeſtate, quod habitum eſt San-germani in laia 25. Octobr. 1668. ſignatum, DELIONNE.

Damnantur qui ſubſtripſerunt Bullæ Innocentii X. & Alexandri VII. in cauſa V. propoſitionum in eodem ſenſu in quo damnatæ ſunt ab iiſdem Pontificibus.

QUiſquis exactius examinaverit formulam fidei, à Pio IV. perſcriptam ex Decreto Concilij Tridentini, cui formulæ ſubſcribunt non ſolum qui ex caſtris hæreticorum ad Eccleſiæ Catholicæ Apoſt. & Rom. gremium redeunt, ſed etiam qui admitti deſiderant ad majora beneficia & dignitates Eccleſiæ; in ea formula eamdem aut ſimilem rem invenit, quam putarunt ſe offendiſſe in formula fidei ab Alexandro VII. emanante ad finem imponendum controverſiæ de V. propoſitionibus. Caulabantur ſcilicet quæſtionibus juris annexam fuiſſe quæſtionem facti de ſenſu Cornelij I. Iprenſis Epiſcopi in libro ſuo, cui nomen *Auguſtinus*. At eadem difficultas eſt in formula illa fidei Catholicæ Pij IV. proponitur enim in illa credendum & ſubſignandum quicquid determinatum fuit à Concilio Tridentino de juſtificatione: at quæſtio eſt facti, ſi quidquam determinatum eſt à Concilio Tridentino de juſtificatione. Sed & vix aliqua fidei formula reperitur in qua aliquod factum non contineatur: quin etiam ſymbolum Eccleſiæ factum continet in articulo Reſurrectionis Chriſti Domini cum legitur ibi *ſecundum ſcripturas*. Quod ut rectè docet Almainus Doctor Pariſienſis qui floruit tempore Concilij Baſileenſis in 3. ſent. diſt. 25. qu. 11. ad generandum actum fidei oportet de neceſſitate habere alium actum qui non eſt de fide Theologica, ſed topica ut loquitur, id eſt, probabili: quod verum apparet cum propoſitio de fide non bene explicatur ſine aliquo adjuncto. Idcirco qui ſubſcripſerunt non-obſtante illa difficultate non minus laude digni ſunt, quam illi qui quotidie formulæ fidei Catholicæ ſe ſubſcribendo ſubmittunt, tantum abeſt ut reprehenſionem vllam mereantur.

Confirmatur quia juſtis de cauſis Papa inductus eſt ad inſerendum illud factum in ipſa formula, ſcilicet ad tollendam æquivocationem, nec non ad ſatisfaciendum ſupplicationi ipſi oblatæ, quaſi in limine judicij ab ipſis qui V. propoſitiones defenſuri Romam venerant anno 1653. quo cauſa primum judicata eſt ab Innocentio X. Illud enim memoria recolendum: ab ipſis tres ſenſus in tribus columnis dictarum V. propoſitionum oblati ſunt eidem Pontifici: primum vocabant hæreticum, ſecundum Auguſtinianum ſibi ipſis proprium, tertium Moliniſticum; urgebant libello ſuo ſupplici, ut declararet in quo ſenſu eas damnaret, ne, inquiebant, vllus locus relinqueretur æquivocationi, calumniæ & artificiis pravorum ingeniorum. Quid faceret ſummus Pontifex? Damnaret in ſenſu Calviniſtarum? at eſſet actum agere. Quid ergo in ſenſu Moliniſtarum? equidem gratum illis feciſſet, nec quæſtio facti mota fuiſſet umquam. Sed veritas id prohibebat: nec facile ſenſum illum prætenſum admitrebant propoſitiones. Quid igitur facto opus? Damnavit in ſenſu Janſenij ad tollendam æquivocationem. Hoc eſt in eo ſenſu quem magis denotat & menti primum imprimit literalis ſuperficies. Quid conſultius fieri potuit? Cum igitur ſummus Pontifex legitime ſeſe geſſerit, non eſt quod quiſquam amplius eos arguat, qui cum debita obedientia ipſius bullis ſeſe ſubmiſerunt.

Libellus ſupplex oblatus D. Papæ Innocentio.

Accedit ad hæc, quod cum fervente concertatione multi libelli evulgarentur, imo etiam libri non paruæ molis ad impugnandam ſubſcriptionem: multi etiam in contrarium libri alij prodierunt, in quibus ſic omnia quæ objiciebantur diſcuſſa ſunt ac diſſipata, ut nullus ſcrupulus cordatis viris remanere deberet, quin rectè & laudabiliter ſubſcriberetur propoſitæ fidei formulæ. Denique id videbatur efflagitare jus divinum, ut de jure canonico taceamus: ratio eſt quia fidelis quilibet tenetur fidem profiteri aperte & ſine æquivocatione, cum id jubent ſuperiores legitima ex cauſa: at ita hic ſe res habet.

Judicium plurium librorum.

Declaratur quia celebris eſt ſententia I. D. Petri cap. 3. *parati omni poſcenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis eſt fide & ſpe.* Itemque Apoſtoli Pauli ad Rom. 10. *corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, & David Pſalm. 115. *credidi propter quod locutus ſum*, & D. Auguſtini lib. *de fide & ſymbolo*, cap. 1. Apræſenti ſæculo maligno ſalvari non poſſumus niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, ore etiam profiteamur fidem quam corde geſtamus. Idem autem de profeſſione quæ fit ſcripto, ac de ea quæ ore tantum. Id ſpecialius declarat D. Thomas 2. 2. quæſt. 3. art. 2. ubi docet neceſſarium eſſe ad ſalutem confiteri fidem, quando per dimiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo & utilitas proximis impendenda. Quæ veritas habetur in Evangelio Matt. 10. *omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Quæ cum ita ſint, nihil potuit religioſius ac magis ad honorem & ſalutem proximorum fieri quam hæc externa fidei confeſſio, ut propterea ſubſcribentibus ſit congratulatus Pontifex per Epiſtolam.

Venerabilibus Fratribus N. N. N. N.

Clemens Papa Nonus.

VEnerabiles fratres, ſalutem. Venerabilis frater Archiepiſcopus Thebarum Nuntius iſtic noſter miſit ad nos elapſis diebus fraternitatum veſtrarum Epiſtolam, in qua cum ingenti nobis, & huic ſanctæ ſedi obſequij, per vos debiti teſtatione ſignificabatis, vos juxta præſcriptum litterarum Apoſtolicarum à felicis recordationis prædeceſſoribus noſtris Innocentio X. & Alexandro VII. emanatarum ſincere ſubſcripſiſſe, & ſubſcribi feciſſe formulario in ejuſdem Alexandri VII. litteris edito. Eſſi autem quædam, de ea re ſecus circumlata, occaſionem nobis præbuerant, in tam gravi negotio ſerius procedendi (nam dictorum noſtrorum prædeceſſorum Conſtitutionibus firmiſſime adhærentes nullam circa illud exceptionem, aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus) in præſenti tamen, cum nova, & gravia, iſtinc acceperimus documenta, veræ, ac totalis obedientiæ veſtræ, qua, & formulario ſincere ſubſcripſiſtis, & damnaſtis abſque ulla exceptione aut reſtrictione quinque propoſitiones, in omnibus ſenſibus, in quibus à ſede Apoſtolica damnatæ fuerunt, aliepi prorſus eſtis à renovandis in hac re erroribus illis, qui ab eadem damnati ſunt. Tribuere vobis voluimus hoc paternæ benevolentiæ argumentum, fidentes plane divinæ gratiæ, ac virtuti & pietati veſtræ, quod omni conatu facturi ſitis in poſterum, ut ſinceræ obedientiæ veſtræ, & ſubmiſſionis à vobis in hoc actu nobis præſtitæ, pleniudo magis ſemper appareat, doctrinam, & pietatem veſtram in id potiſſimum adhibentes, ut una cum obſequio nobis, & huic ſanctæ ſedi per vos debito Catholicam veritatem firmiter tueamini, zelo curæque Pontificis ſedulo cooperantes, in extirpando ab Eccleſia Dei Novitates omnes, ac perturbationes fidelium animarum, vobis venerabiles fratres Apoſtolicam benedictionem permanenter impertimur. Datum Romæ

apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 19. Januarij 1669. Pontificatus noſtri ſecundo.

Vindicatur Concilium Tridentinum contra improperium multitudinis Anathematum.

SECTIO VI.

QUia hæc vox ſæpe repetitur in Concilio, anathema ſit, offenduntur hæretici, ut dicatur illud Pſalmi 17. *fulgura multiplicavit & conturbavit eos*, præ cæteris Daillæus miniſter Gallus Calviniſta in Apologia Eccleſiarum reformatarum Galliæ illud improperat Synodo Tridentinæ, quod prodiga fuerit excommunicationum. Numquam inquit c. 7. viſi ſunt homines in profundendis anathematiſmis liberaliores. Ipſis non ſufficit pedes ſummaque montium ferire, vix vllæ tam viles lentiſcæ ſunt in agro adverſariorum ſuorum quæ liberæ fuerint ab ipſorum fulmine. Illi qui dubitant an matrimonium ſit ſacramentum, aut quod Eccleſia poſſit diſpenſare de gradibus in Levitici libro ſtatutis, aut quod Epiſcopus Preſbytero ſuperior ſit, aut quod æquis rationibus prohibitus ſit calix laicis, omnia quæ nullius ſunt aut parui admodum ad religionem momenti, tam anathemate percelluntur ac ſi divinitatem Domini negarent, vel ultimam reſurrectionem. Haud ſcio quo pacto benignitas tantopere nobis commendata ex legis criſtianæ præceptis poſſit concordare. Hæc ille & plura quibus tres alij miniſtri ex famoſioribus Maiſtrerat, Drelincourt & Aubertin approbando ſubſcripſerunt.

Sed non erit arduum ab iſto improperio liberare ſynodum, ſi paululum pecpendamus inductam fuiſſe ſynodum ad tam frequentes anathematiſmos evibrandos tam propter multitudinem hæreſeon & errorum tam circa doctrinam fidei quam diſciplinam morum, in quibus calumniam inferebant Eccleſiæ antiquæ Catholicæ Apoſtolicæ & Rom. iſti Neo-Chriſtiani, quam propter duritatem & pervicaciam cordis eorum ad non cedendum illi auctoritati. Scrutati ſunt illi Jeruſalem in lucernis, omnes ipſius fidei articulos ac concluſiones, omnia ejus membra, omnia ejus officia, omnes gradus, omnia tempora, omnes ejus actus ſcrutati ſunt, & ubique fere invenerunt quod morderent ſicut canes rabidi. Quid mirum ergo ſi ad ipſos continendos frequenti ictu baculorum Paſtoralium opus fuerit, ad rectam fidem tuendam & concordiam in probis moribus ſervandam? Equidem ſi fides qualiſcumque, ut prætendunt, articulorum aliquot fundamentalium, in quibus aſſignandis digladiantur inter ſe, ſufficeret ad ſalutem, tot anathemata non eſſent neceſſaria. Sed quantumvis homo fulgeat bonis moribus & in Deum credat quoque ut de ſeipſis opinantur plures Judæi, Turcæ & hæretici, niſi tamen totam legem Dei obſervet in præceptis, fidei, morum & ſacramentorum reductam, niſi primo ſanam fidem habeat, qualis docetur tantummodo in Eccleſia Romana, cætera omnia quantumvis magna in ſpecie nihil proderunt dicente Apoſtolo ad Hebr. 10. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hic tamen, ut bene advertit Thomas Stapleto in proœmio Propugnaculi primitivæ fidei Anglorum, fidei vocabulo non quælibet fides ſignificatur. Nec enim cuilibet domo quodlibet fundamentum ſufficit. Si enim de fide generali quadam ac communi ratione loquamur, quis neget etiam ipſos Turcas, Judæos ac hæreticos ſuam quamdam fidem habere? cum tamen Apoſtolus dicat, 1. Theſ. 3. *non omnium eſt fides.* Habet quidem Turca Alcoranum ſuum in quo fides ejus continetur, adeoque credit in unum Deum creatorem cæli & terræ &c. Judæus autem una nobiſcum vetus teſtamentum recipit, nec tamen eodem ſenſu quo nos intelligit: quin ipſos Pſalmos & Prophetas longe alia interpretatione quam nos exponit, ut pote qui nec Meſſiam veniſſe fatetur, nedum talem qualis Chriſtus dominus verus Meſſias erat, expectat. Hæretici denique teſtamentum tam vetus quam novum, commune nobiſcum habent, exceptis iis partibus quas ſecta quælibet pro errore quem tenere ſtatuit melius tuendo expungit. Sunt nihilominus hæretici, quia illas ſcripturas ſuo privato ſpiritu interpretantur contra communem Eccleſiæ Catholicæ ſententiam. Hinc illa Apoſtoli admonitio ad Galatas 1. *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis*, nempe tam verbo ſcripto quam tradito, anathema ſit. Quod cum Lutherani & Calviniſtæ ſub prætextu reformationis moliti fuerint, multa de novo Evangelizantes contra ea quæ accepta fuerant a fidelibus, tam à verbo ſcripto quam a grafo & non ſcripto, tantam multitudinem anathematum contra ſua nova dogmata invexerunt.

Moderatio Synodi in proferendis anathematismis.

Sed nec caruit moderatione ſynodus in proferendis cenſuris ſuis; cum præter morem antiquorum Conciliorum abſtinuit ab excommunicationibus ad hominem ut loquuntur. Non enim minus poterat dici anathema Luthero, Calvino, Beræ & ſimilibus monſtris quam quondam Neſtorio & aliis de quibus ſupra actum: ipſos tamen non ſine humanitate, intactos & innominatos reliquit, hac forſan ratione ut putant aliqui, quod non tam ipſi, qui facile comprimi poterant, quam quidam ſupremi principes ac illuſtriſſimi Germaniæ Electores laici, immemores beneficij à ſummis Pontificibus quondam accepti quo ad dignitatem electionis Imperatoris aſſumpti erant, hæreſim ac ſchiſma præſens invexerint ſuo exemplo & auctoritate populos ſuos a recta fide majorum deterrentes. Scriptum eſt, non maledicendum principibus.

Cæterum ut ad difficultatem propoſitam regrediamur, cur tot telæ ejaculata ſit ſynodus minus adhuc mirabitur qui quæ tradit Doctor Severius in libro *de Atheiſmo & hæreſibus* c. 4. ſect. 1. attendet. Fide Catholica inquit, credimus non ſolum ſcripturam, ſed etiam Conciliorum Eccleſiæ decreta eſſe à Deo inſpirata. Quippe non modo integra ſacrorum voluminà Bibliorum cum ſuis partibus ſunt fide tenenda, ut clariſſime decrevit Concil. Trid. ſeſſ. 4. verum ſingula quoque verba credere decet tanquam divina & multis ſalutiferis myſteriis referta. Unde aliqua vel arrodere vel ſuperflua dicere, vel ea nolle credere hæreticum eſt: cum ſacra ſcriptura ſit immediatum Dei verbum ſcriptoribus revelatum, & inſtitutum medium humanæ ſaluti prorſus neceſſarium. Decreta vero Eccleſiæ univerſalis credenda tanquam legitima & juſta ſi tota in ſe conſiderentur, ſcilicet quia in iis condendis præeſt Spiritus Dei (Act. 15. Matth. 16.) qui ea ab omni infidelitatis ſpurcitia & inſcitiæ errore vindicat circa res ad Eccleſiam univerſam ſpectantes. Ea propter ex Eccleſiæ ſtatuto ſunt paſſim media humanæ conſequendæ felicitatis neceſſitate præcepti, non medij. Quo fit ut verè ſit hæreticus is, quicumque talia ſancta non credat. Cum ergo taliter ſentire de ſingulis Dei verbis ac Eccleſiæ univerſalis decretis neceſſarium ſit ad ſalutem, quod æque extendi poteſt, ut ex dictis in apparatu hujus ſummæ præſupponimus ad traditiones cum ex his ſuos canones Concilium expreſſerit, nec à pervicacibus iſta pro nihilo haberentur. Sic Deus terribiliter comminatur Deuter. 28. *niſi cuſtodieritis & feceritis omnia verba legis hujus quæ ſcripta ſunt in hoc volumine & timueritis nomen ejus glorioſum ac terribile, hoc eſt dominum Deum veſtrum, augebit Dominus plagas tuas & plagas ſeminis tui.*

Marcus Antonius de Dominis Archiepiſc. Spalatenſis per Farraginem quatuor librorum de rep. Eccleſ. orbi Chriſtiano ſatis notus, cum pro ſeptimo capite conſilij ſui ab Eccleſia Romana diſcedendi, errorum articulorum fidei in Rom. Eccleſia confi-

ctionem

tionem propoſuiſſet in horum librorum damnatorum proœmio, ſic exceptus eſt à Zacharia Boverio in Cenſura Parænetica. Sex iam monſtruoſi tui conſilij capitibus abſciſſis : ſeptimum obtruncandum aggredior de quo ita ſcribis. Vidi iam & apertiſſime perſpexi Romæ abſque vllo legitimo fundamento, imo per ſummam vim innumeros fidei articulos, novos quotidie cudi & nobis obtrudi, in his non modo quæ ad fidem divinam nihil pertinent, ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem &c. Cum hæc tua legerem, inquit Boverius, mihi alterum Nabuchodonoſorem audire videbar qui nos illis verbis compelleret (Danielis 2.) *Vidi ſomnium & mente confuſus ignoro quid viderim. Somnium i. aque dicite mihi*, &c. Quis profecto non videat te nobis hanc ſomniaſſe calumniam : neque aliud eſſe quod de nova hac articulorum fictione dicis, præterquam merum tui cerebri figmentum, nulla rei veritate ſubſiſtens? Certa quidem eſt illa Lirinenſis vox quæ ad præſentem quoque Eccleſiæ ſtatum pertinet: Chriſti Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua. Quod non immerito dixerim de Synodo Tridentina. Nova hæreſis ex veteribus quibuſque hæreſibus cento erat, nihil fere intentatum & intactum reliquere in doctrina & diſciplina Eccleſiæ Chriſtianæ in terris militantis, acceſſerant plurium de gremio ipſius corrupti mores & abuſus merito reformandi. Non potuit Synodus minori anathematum frequentia omnia iſta componere. Tot morbi curandi erant, tot vulnera in omni ſtatu, ut non minori cenſurarum, medicinalium pœnarum numero curari potuerint. Itaut etiam augeri potuiſſet harum numerus, ſi tempora permiſiſſent diutius prorogari Synodum. Needum enim omnibus ſatis manifeſte providit, ut ex erroribus Bajanorum & Janſenianorum poſtea patuit, quod ad eorum radicem (qualis eſt reprobatio ſine intuitu operum, & præmotio Phyſica, & quædam alia hujuſmodi principia) Synodus ſecurim non apposuiſſet, ut ex ante dictis patere poteſt. Sed accedat ad Boverium ex Ordine D. Franciſci ſtrictiori ſocius Pater Ivo Capucinus orbi literario non ignotus, *frater enim qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma*. Proverb. Reſpondet ille tomo 4. Theologiæ naturalis vulgari idiomate conſcriptæ cap. 29. querimoniis quæ à quibuſdam fiunt quod Religio Chriſtiana proponat præcepta ſervanda ſub pœna peccati mortalis : ac poſtea non aliter fieri potuiſſe oſtendit quin Eccleſia Dei quæ ſalutem noſtrum omnium peroptat, ſub tali pœna obſervanda Dei ipſius præcepta denuntiaret, cum aliter nobis miſere adularetur, & nos deciperet in via ſaluris, atque à Deo ad quem nos debet conducere, abalienaret potius. Quod cum libertini fateri cogantur : attamen conqueruntur quod præter Dei præcepta nova quædam alia inſtituerit Eccleſia ſub pœna etiam peccati mortalis. At quid ad hæc? cum homines ignorantia plerumque obcæcati ac variis impulſi paſſionibus incapaces exiſtant ad noſcendum quis ſit ſenſus Dei, & quis cultus benè determinatus quo coli debet à nobis, debuit Eccleſia nobis leges præſcribere : tales autem leges obligatorias eſſe convenit, quippe nomen legum non mererentur nec obſervarentur aliter. Intuendum enim eſt qualis ſit natura hominis ita in molliriem & relaxationem vitæ propendens quam illi paſſiones ſuggerunt & ſuadent, ut tota ad vitioſa feratur, ſinon incutiatur gravis aliquis metus potentior ſpe præmiorum ad continendum ipſum in officio. Nec de multitudine præceptorum querimonia juſta eſt, cum mille modis à vero & à juſto aberrent homines, ſicut à ſcopo innumeris modis. Hinc ergo eſt, quod tot fulgura multiplicavit Eccleſia in Synodo Tridentina : conquerantur hæretici de multitudine ſuorum errorum, quibus ab unitate fidei diſcedebant : non fuit remedium aptius: tali ſeveritate contineri debebat inſolentia prævaricatorum in recta fide.

Nec vero tutum eſt quod dicunt hæretici ſufficere quaſdam fidei veritates fundamentales, ut dicunt, recipere, quales ſunt articuli duodecim Symboli Apoſtolorum, & ſi in aliis erretur : non ita Apoſtolus cum arguit Galatas ut inſenſatos, quod cum fide in Chriſtum quam retinebant, circumciſionis adhuc neceſſitatem defenderent. *Modicum fermentum*, inquit *totam maſſam corrumpit*. Quod eſt dicere, minimus in fide error totam fidem corrumpit. Nec enim Chriſtus plures fides tradidit ſed unicam, nec plures Eccleſias ædificavit, ſed unicam : at ex contradicentibus ſibi in fide opinionibus nec unica fides nec una Eccleſia conſurgit. Unde ab initio Eccleſiæ ubi errores exorti ſunt non ſolum circa divinitatem Chriſti, ſed in aliis fidei ipſius contrariis; ſtatim magno ardore pugnatum eſt per anathematiſmos per Concilia, per libros & per prædicationes. Exiſtimarunt ſancti Patres ſic inter ſe connexas fidei veritates, ut qui unam, deſtrueret cæteras, & rectam fidem redemptionis humani generis interpolaret. Quare dicebat Gregorius Nazianzenus orat. 37. in myſteriis religionis veræ unum uni cohærere, & ex eis quamdam auream & ſalutarem fieri cathenam. Et D. Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes in c. 9. Lucæ l. 6. unum horum ſi tetraxeris, tetraxiſti ſalutem tuam; nam etiam hæretici habere ſibi Chriſtum videntur, nemo enim Chriſti nomen negat: ſed negant Chriſtum qui non omnia quæ Chriſti ſunt confitentur. Ac de his plura apud recentem ſcriptorem Biblioth. Theologicæ Dominicum à ſancta Trinitate tomo 3. l. 1. act. 1. c. 6.

Quid eſt negare Chriſtum.

Quæ cum ita ſint, præſtaret ſane has querelas dimittere & unumquemque ex adverſariis Synodi Tridentinæ ſibi ipſi providere per obedientiam & captivitatem intellectus in obſequium fidei contra ipſius anathemata. Quæ ſi modo tanquam fluvina bruta parvi pendantur : at veniet tempus anguſtiæ & mortis in quo tot hæretici manifeſti & Theologi maleſani in fide de excommunicationibus Synodorum ac Pontificum nihil nunc ſolliciti ſentient ſe nullam partem habituros in Eccleſia triumphante, qui ab unitate Eccleſiæ militantis per ſpiritus ſui præſumptionem averterunt ſe per contemptum cenſurarum, quibus tunc ſe compeditos ſero nimium intelligent. Nec eſt infrequens iſtud peccatum, cui non incongruè adaptatur quod de peccato in ſpeciali tradit Seraphicus Doctor D. Bonaventura Dietæ *ſalutis*, tit. 1. c. 2. peccatum eſt ſicut vinculum quo ducitur porcus ad macellum & bos ad victimam, & quo ligatur falco ad perticam & ſimia ad truncum. Sicut enim carnifex ducens porcum non ſtringit nimis pedem ejus ne clamet : ſic diabolus non ſtringit nimis peccatorem per temporalem adverſitatem, ne clamet per confeſſionem vel orationem, ut ſic ducat eum melius ad macellum infernale, unde dicitur Prov. 7. *ignorat quod ad vincula ſtultus trahitur*. Item ſicut bos ligatus non ſentit ſe eſſe ligatum quando ducitur ad macellum, niſi quando vult fugere. Item ſicut ſimia non ſentit ſe eſſe ligatam, niſi cum vult pilotam à ſe removere : nec falco niſi cum vult de pertica volare : ſic peccator non ſentit vinculum peccati dum perpetrat & in peccato perſeverat, ſed tunc vincula ſentit, cum anima infelix à corpore recedit. Hæc verba ſimplicia ſunt, ſed magni ſenſus, & utinam contemptores cenſurarum ea ſibi mente imprimerent. Eccleſia quod ſuum eſt præſtitit cum magno labore & examine & attentione pro ſalute gregis Chriſtiani. Tridentina Synodus, quam ejus anacæphaleoſim & recapitulationem reliquorum Conciliorum appellaveris, ob quatuor ſtigmes corrigegata, diſſipandas hæreſes, corrigendos mores, reſtimendam Eccleſiaſticam diſciplinam & pacem Chri-

Metuendæ excommunicatio.

ſtiani populi procurandam, nihil videtur omiſiſſe ad A
hæc quatuor promovenda. Fidei integritas hujus Synodi beneficio floret: ubi terrent ipſius anathemata. Si nihil iis moventur Lutherani & Calviniſtæ, aderit Synodus judicij ultimi.

Quod non plura, ſed pauciora anathemata videri poſſet quibuſdam Concilium Tridentinum protuliſſe.

TAntum abeſt ut nimiam anathematum multitudinem protulerit Synodus Tridentina, ut conqueruntur hæretici, quin videri poſſit paucipra, pro multitudine graſſantium errorum, intorſiſſe, quorum tantum præcipuos anathematizavit, ut habetur in ſeſſ. 25. ſub finem: unde tam multi poſt Concilium errores Eccleſiam infeſtarunt, qui poterant uno Eccleſiæ fonte ſiccari, ſi opportunum viſum fuiſſet Concilio plura expreſſius definire. Sed quia aut tempus non patiebatur, aut non ſatis luminis affulgebat ex verbo Dei ſcripto aut tradito ad quædam alia determinanda, aut propter judicia Dei nobis ignota, oportet enim & hæreſes eſſe, abſtinuit à cenſura quarumdam opinionum circa reprobationem, maxime ex mero Dei beneplacito, & prædeterminationem actuum liberorum hominis, nec non circa præmotionem phyſicam. Quæ capita intacta relinquens oſtium apertum dimiſit tantis Theologorum diſſenſionibus, quibus non modicum in hoc ſæculo reſpublica Chriſtiana agitata eſt, ac agitanda erit, propter connexionem inter hæc antecedentia & aliarum propoſitionum conſequentia. Quicquid enim ſit de pluribus qui facultati ſuæ ratiocinanti ſilentium valent imponere, aut beneficio quarumdam diſtinctionum obſcurarum, admiſſis antecedentibus, conſequentias vitare: Attamen ut non eſt ingeniorum par felicitas, ſuccumbent multo plures ſi ſemel præventi fuerint talibus principiis. Exinde veteres Prædeſtiniani, Godeſcalciani, ambo Joanſes Hus & Wiclef, & alii ex Lutheranis & Calviniſtis, quibus talis doctrina tentatio fuit, & velut ovum ex quo ſerpentes hæreſum ſuarum excluſerunt, putantes ſe conſentanee loqui ad ea antecedentia, quæ extra omnem aleam cenſuræ poſita ſunt: omnis quippe arbor bona bonos fructus facit nec colliguntur ex uvis ſpinæ, aut ex ficubus tribuli. Aliqui hoc deprehenderunt, etiam ex caſtris adverſariorum. Namque, ſi ponas reprobationem fieri ex mero Dei beneplacito, ſine vllo intuitu futurorum operum, quia non placet Deo talibus dare vitam æternam, quæ eſt beneficium cunctis indebitum, aut quia vult manifeſtare gloriam ſuam & oſtendere jus ſuum & ſupremum dominium excludendo quos voluerit, abſque hoc quod quiſquam poſſit illi dicere cur ita facis: ſi inquam hoc admittas, ut bene Thomas Campanella obſervat c. 4. *de prædeſt. & repr.* art. 2. Si quis medullitus introſpiciat, quid præfata ſententia continet, inveniet Deum eſſe cauſam mali culpæ ſic pœnæ, licet effugiant verbo tenus argumenti ſequelam: ſiquidem reprobare poſitive eſt odiſſe poſitive, vel odio poſitivo non eligere nec auxiliari, propter gloriam ſuam, temere & *à capritio*, ut vulgo dicitur, abſque ratione prævisæ culpæ ullius &c. ut videatur potentiſſime iratus & ſine cauſa, & E
derelinquens ut faciamus malum, nec dans efficaciam ut poſſimus bonum, ad quod dicit nos exhortari ore tenus modo, cum tamen in corde ſuo contrarium omnino ſtatuerit, ut pereamus & ipſe in tot hominum perditione glorietur: & privat nos præſentibus bonis ſpe futurorum, quæ tamen ab æterno decreverat non dare. Quod argumentum per plura capita proſequitur, oſtendens Deum ab æterno neminem odio poſitivo vel negativo ex ſe odiiſſe, ſed tantum ex prævisa, non culpa ſimpliciter, ſed impœnitentia finali reprobaſſe quaſdam creaturas rationales. Quod fulcit tot auctoritatibus D. Thomæ, ut patent ipſum. B

Thomas Campanella.

longe abfuiſſe ab infelicitate & cruculentia illius opinionis quæ illi affingitur & recentioribus de reprobatione ex mero beneplacito.

Hoc autem poſito non poteſt venire in mentem rationalem, quod Deus miſerit Filium in mundum pro ſalute omnium omnino, ut ſincere & ex animo vellet omnes ſalvare. Exemplo res fiet evidentior. Pater habet quinque filias quarum duas ſolum fixo decreto ſtatuerit nuptui dare, alias à domo abjiceret ſi laboret ille Pater ad acquirendas opes pro collocandis filiabus, pro quibus ex illis laborat? non profecto pro illis quas ex animo pœnitus abjecit. Rex ex duabus civitatibus ab hoſte obſeſſis, ſtatuat unicam tantum liberare quam deſignat, alia neglecta & dimiſſa hoſti. Si exercitum comparet ad liberandam civitatem, dicetur-ne cogere exercitum propter amorem illius civitatis, quam negligit? res per ſe manifeſta. Egi familiariter cum Theologo erudito & ex coriphæis inter defenſores quinque propoſitionum damnatarum à ſummis Pontificibus. Ut quid aiebam, potuiſti tibi perſuadere tales propoſitiones veras eſſe? doctrina, inquit, de prædeſtinatione & reprobatione gratuita omnia iſta perſuadet: nec poteſt res aliter ſe habere, ſi ratiocinio aliquis locus ſupereſt. Atque idem dici poteſt de auxilio per ſe efficaci quale Prædeterminatores admittunt. Germanus & Gallus Apoſtatæ, ait Doctor ex Thomiſtis tractans diſcrimina doctrinam inter Thomiſticam & Janſenianam: viderunt, inquit, primam gratiæ efficacitatem, ſed ex principio ſano non infirmas tantum, ſed mortiferas conſequentias deduxere. Lutherus nempe & Calvinus. Sic ex eodem puncto, inquit, quædam lineæ in Orientem, aliæ verſus Occidentem pertrahuntur: ſic idem ſol ceram liquefacit & lutum indurat: ſic palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis, & oculis ægris odioſa lux quæ puris eſt amabilis. Deus movet, præmovet, prædeterminat gratia efficaci liberum hominis arbitrium, fatentur hæretici: viri doctiſſimi de Eccleſia bene meriti conveniunt in eodem principio, ergo & in concluſione: quæ concluſio? quaſi ex ſimili per media diſſimilia non poſſet diſſimile naſci. C

P. Bernardus Gaiatinus.

Hæc ille ſatis ingenue: verumtamen ubi res ad ſolam ratiocinationem redacta eſt, quaſi ad triarios eventus prælij, conceſſis principiis & antecedentibus, qui volet ingenio cedere rarus erit. Ideo tam obdurati hæretici in materia prædeſtinationis & gratiæ, & quæ eam ſequuntur; Quod vident principia quibus fulciuntur, admitti in Eccleſia ſumma auctoritate, quaſi inviolabilia, & aliunde conſequentias quas multo evidentiores & minus reprehenſioni obnoxias judicant. D

Nam quale eſt iſtud quæſo, quo ſe quidam recentes (non enim D. Thomæ nec antiquorum ipſius commentatorum hoc fuit inventum) ſeſe defendunt à ſequelis talium propoſitionum damnatarum. Nimirum admittunt gratiam ſufficientem, non ad actum, ſed ad merum *poſſe*, quæ dat poſſe *poſſe*, nihil amplius. Quam quidem ita ponunt ut excuſetur Deus & juſtificetur in damnatione impiorum, impij vero juſte damnentur & inexcuſabiles ſint, quia habuerunt ex paſſione crucis iſtam gratiam qua poterant *poſſe*. Gratiam vero ad actum efficacem non habuerunt, quia non eſt communis omnibus. Quam docte & erudite hoc commentum refellit prædictus Campanella c. 7. per plures articulos, omnem gratiam adſtruens efficacem quantum eſt ex parte Dei, ſed tamen ex defectu hominum inveniri ineffacem. Ergo illa gratia, inquit, eſt effimera per ſe, ita ut de facto poſſimus venire ad Chriſtum & non ſolum de poſſibili: poſſumus enim per eam operari & pervenire, & non ſolum poſſumus poſſe, hoc enim ludicrum eſt, & Deus eſſet infidelis cum dicit *venite ad me omnes*. Quapropter neſcio quomodo venit in mentem loquentibus in doctrina Thomiſtica, quod

Effugia inane Thomiſtarū recent.

Gratia ſufficiens.

ſicut oculus eſt ſufficiens ad videndum ſine luce, & cum luce eſt efficax ad videndum : ita homo cum gratia ſufficienti non operatur, ſed cum efficaci. Fallaciter enim hoc affirmatur. Oculus enim non eſt ſufficiens ad videndum ſine luce, ſicut nec citharœdus ſufficiens ad citharizandum ſine cithara vel ſine arte : nec avis ad volandum ſine alis. Quod ſi Deus nos juberet volare ſine alis, vel cum alis ligneis, eſſet irriſor, &c. Si nobis imputaret ad culpam quia non videmus ſine lumine, & quia non volamus ſine alis, & hoc per decretum antecedens ad iuſſionem &c.

Ex cap. xi. Lutherani & Calviniſtæ aſſerunt Deum oſtendere voluntatem ſalvandi omnes in lege & Evangelio. Attamen decipere iuxta illud Pſalm. 72. *Verum tamen propter dolos poſuiſti eis : dejeciſti eos dum allevarentur.* Aſt hoc non eſſe peccatum Deo, quia Dominus eſt. Contra hos eſt communis conceptio hominum omnium, & tota ſcriptura Dei quæ non mentitur . . . *Venite ad me omnes*, &c. & *quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*, &c. *Qui vult omnes ſalvos fieri & neminem perire*, &c. & *nolo mortem peccatoris*, &c. & *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et quidem hæc omnia eſſent mendacia Dei, ſi Deus ſtatuiſſet antecedenter ad merita plurimos reprobare.

Sic uno dato abſurdo multa alia dari conſequium eſt. Item nequaquam Deus miſiſſet animas in mundum, ut in corporibus militando merita ſibi acquirerent, ſed ſtatim creatas poſuiſſet illas in paradiſo, has in inferno, nec diciſſet *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, &c. *ante hominem mors & vita*, &c. Quæ proponit Deut. 30. promiſſa conditionata. Ad quid ludus iſte animarum corporibus perſonatarum cum falſis pollicitationibus, ſi bene fecerint, recipient bona æterna ; ſi male mala æterna ? cum æternaliter ipſe decreverit nobis bene & male facta & temporaliter ad utraque moveat, itaut reſiſti à nobis non poſſit, & inevitabiliter ſuccedant : cum ab æterno reprobatio à reprobo ſeparari non poſſit, ut faciat ſenſum diviſum eum qui ſemper eſt compoſitus.

O facinus (clamat apud Homerum Jupiter) *mortale genus vos numina primum*
Incuſat, fontemque putat cauſamque malorum
Quæ veniunt : ſua ſed pereunt ob fata nefanda,
Cum præter fatum ſibi ſponte incommoda quærant.

Ratio hujus rei deſumi poteſt ex hoc quod & ſi liberum ſit opinari quoad exercitium actus, eliciendo vel ſuſpendendo actum intellectus circa ea quæ non videntur clare, non eſt tamen liberum quoad ſpecificationem actus, ut intellectus putet aliquid verum vel falſum pro arbitrio voluntatis : cujus rei cauſam aſſignat Ariſtoteles l. 2. de anima textu 155. imaginari eſt liberum, nam pendet ab arbitrio : at opinari non ſic, nam pendet totaliter ab objecto cui ſoli debet conformari in aſſenſu vel diſſenſu ut verus ſit: at objectum non eſt in poteſtate arbitrij noſtri. Undecum illud quod in agendo pendet à movente neceſſario agat, & intellectus in aſſenſu opinativo pendeat ab objecto cui tantum debet conformari ut ſit verus vel falſus, illudque objectum ſit tale independenter à voluntate, non eſt in arbitrio poſitum, ut intellectus adhæreat alicui propoſitioni tanquam veræ, vel illi diſſentiat ut falſæ. Ac ſicuti ſtatera ponderibus inclinatur in hanc vel illam partem : ſic intellectus ponderibus rationum ac motivorum apparentium in judicando de rerum veritate aut falſitate neceſſario inclinatur & determinatur, & ſi ita determinatus velit in praxi contrarium ſequi, diſſimulator eſt & proditor perſpicaciæ ſuæ mentis & agit contra conſcientiam reclamantem, imaginaturque ac fingit, non opinatur. Hanc concluſionem multis tum Philoſophorum, tum Theologorum celebertimorum auctoritatibus, nec non decem argumentis pro-

Intellectus in opinando non eſt liber.

A bat quiſquis auctor eſt diſputationis de *Opinionum praxi*, quæ Genuæ edita eſt an. 1652. Sed & ante ipſum Joannes Picus comes Mirandulanus eamdem doctrinam in ſua Apologia pluribus rationibus valde evidentibus confirmat : ut eſt illa, quod quis interrogatus cur credat potius fidei Chriſtianæ quam Mahumetanæ, non aſſignabit ſuæ voluntatis actum, ſed potius motiva fidei Chriſtianæ quibus determinatur ad credendum : & ſi unus crederet, alter non crederet præciſe quia vult, eſſet actus tyrannicus voluntatis & in neutro appareret major vel minor rationabilitas, quæ ut ait Albertus in 3. de anima, cum voluntas ſic agit præciſe quia vult ſic agere, aſſimilatur tyranno. Hac igitur aſſertione ſuppoſita, intelligi poterit quanti ſit momenti non adhærere quibuſdam B propoſitionibus ex quibus aliæ per ſatis evidentem conſequentiam inferuntur & offerunt intellectui. Ut enim verum vero congruit, ſicut in Lateranenſi V. dictum eſt ſeſſ. 8. ſi propoſitiones illæ antecedentes & velut fundamenta aliarum veræ habentur, ſimiliter & illæ veræ exiſtimabuntur quæ ex ipſis tanquam filiæ ex matribus prognatæ erunt. Quare prædictum Concilium, ut ibi viſum eſt, modum adhibuit Philoſophis, ne docerent illas opiniones Philoſophorum quæ minus fidei veritatibus congruerent. Nam inde fides labefactari incipit : namque ut aiebat Cyrillus Alexandrinus l. 1. contra Julianum, Philoſophia catechiſmus eſt ad fidem: Atqui ſi ita eſt de propoſitionibus Philoſophicis, quanto magis de Theologicis quæ cum aliis Theologicis C magis conſpirant, qualis eſt doctrina de reprobatione mere gratuita & de prædeterminatione ac præmotione Phyſica omnium actuum, ad quam pertinet gratia per ſe efficax, ut intelligitur à pleriſque, paucis data ad modum gratiæ gratis datæ, &c. Id ſane advertiſſe videntur plerique Ordines religioſi, dum in Capitulis generalibus aut Provincialibus prohibuerunt ſub gravibus pœnis omnibus Lectoribus & concionatoribus ne non ſolum propoſitiones illas damnatas docerent, ſed etiam quæ iis affines ſunt : itavt iis datis & conceſſis, aliæ erroneæ inferantur quod omnes ſimul inter ſe junctæ ſint : ut idem iis accidat quod catenarum anſulis ſibi innexis & perplexis, quarum ſi quis unam accipit, etiam cæteras attrahat neceſſe eſt. Extant plura hujuſmodi decreta in Appendice xl. diſput. Antonini Moraines, ſcilicet D Capucinorum an. 1650. Junij 25. Benedictinorum Congregationis ſancti Mauri in Gallia in comitiis generalibus habitis Vindocini an. 1647. ubi ſancitum eſt ut omnes Theologiæ Profeſſores gratiam ſufficientem quæque ei annexa ſunt profiteantur ac doceant, neve ad peregrina dogmata, neglecta Doctorum Regia via temere deflectant, &c. Congregationis Fulienſis in capitulo generali, in Monaſterio S. Bernardi Pariſiis habito an. 1646. ubi prohibet Fratribus docere, prædicare, defendere doctrinam Janſenij nuper introductam, & alias hujuſmodi quæ turbarum & rixarum occaſio eſſe poſſunt. Item RR. PP. Minimorum in Capitulo Provinciali an. 1650. Item RR. PP. Carmelitarum Diſcalceatorum in Capitulo Provinciali, in Conventu Carentonenſi celebrato an. 1646. die 24. Aprilis, & in altero an. 1649. die 23. Aprilis quo Decretum prioris capituli confirmatum eſt, ne doceatur doctrina Corn. I. Ipr. Epiſc. & ſimiles magnas in Eccleſia turbas excitantes, verbi gratia quod omnes actiones infidelium ſint peccata, quod Deus nolit omnes ſalvos fieri & alia hujuſmodi.

Decreta Ordinum religioſorum.

Ex quibus intelligi poteſt non ſimpliciter prohiberi doctrinam quinque propoſitionum, ſed earum etiam quæ illis ita annexæ ſunt ut eas inducant aut foveant. Quia vero in Ordine Dominicanorum etſi nulla ex prædictis V. propoſitionibus, tamen ſub prætextu doctrinæ Doctoris Angelici illa docentur de reprobatione & prædeterminatione quæ

eſt, lib. de fide contra Manichæos cap. 10. *Quis non clamet ſtultum eſſe dare præcepta ei cui liberum non eſt quod præcipitur, facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere? Has injuſtitias & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere*, lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. *Nec hi libri obſcuri ſcrutandi mihi erant, unde dicerem neminem ſupplicio dignum qui aut id velit quod injuſtitia velle non prohibet: aut id non faciat quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores & in theatris Poëta, & indocti in circulis & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis & antiſtites in Sacris Locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Item initio Pſalm. 56. ſed pluribus hujuſmodi textibus ex D. Auguſtino exſcribendis ſupersedeo, quod hi quibus hi textus ad introſpiciendam ejus mentem non ſufficerint, verè cæci habendi ſunt.

Sed indagarun quoſdam alios textus obſcuriores in quibus ſe melius perſpicere putant ſententiam D. Auguſtini quam in textibus luce meridiana clarioribus. Sic lib. de Gratia & Libero Arbitrio cap. 17. ſcribit. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam.* Sed hujuſmodi nebulæ quibus illorum animi involuuntur, diſtinctione duplicis potentiæ, proximæ & remotæ diſpelluntur. Omnes ſcilicet poſſunt vel potentia proxima vel remota præcepta Dei adimplere: aliqui non poſſunt potentia proxima, qui remota poſſunt: ſicut qui ſupinus jacet, currere poteſt potentia ſaltem remota, quia poteſt ſurgere, ut proximè currere valeat. Sic qui habet adhuc voluntatem invalidam, elicere poteſt actum robuſtiorem voluntatis: & qui tepidè orat ut non obtineat, ferventius orare poteſt ut obtineat media potentiora ad mandata adimplenda.

Quare hujuſmodi objectiones remoram injicere non potuerunt, quo minus doctrina hujus primæ propoſitionis de hæreſi notaretur abſque offenſione D. Auguſtini, cujus honori multo melius conſulitur à nobis quam ab iſtis, cum eum Patronum eſſe volunt hujus doctrinæ qua fides Orthodoxa & morum pietas valde labefactaretur. Unde & anno 1512. hæc Lutheri aſſertio, *qui negat Deum impoſſibile iuſſiſſe peſſimè facit: & qui hoc falſum eſſe dicit, pluſquam peſſimè facit*, ſic notata eſt à facultate Pariſienſi. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, Legi Chriſtianæ infamativa, ac authore Auguſtino in Deum blaſphema.*

II. PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Judicium Deputatorum.

Hæc propoſitio eſt contraria ſacris Scripturis.

NIhil modeſtius dici poterat in hanc propoſitionem, quæ utinam vera eſſet, non tot impiis & peccatoribus ſcateret mundus, nec tot animæ igniibus ſempiternis comburerentur, nec tot injuriis Dei honor violaretur. Sed nec quicquam verius: cum toties in ſcripturis ſacris conqueratur Deus de neglectu gratiarum ſuarum. *Quoties*, inquit Chriſtus Matthæi 23. *volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Act. 7. D. Stephanus eo nomine increpabat Judæos. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri ita & vos.* Qui locus non poteſt intelligi de ſola gratia excitioti, cum Spiritus ſancti operatio potiſſimum ſit in corde hominis. D. Paulus ad Hebr. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ* 2. Cor. 6. *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid pluribus in re aperta opus eſt? Soli ne ſancti ſunt Bajani qui nunquam deſunt gratiæ Dei? Sed & ſi nunquam reſiſtitur gratiæ interiori, cur ipſi ac ipſorum devoti ac devotæ accuſant ſe aliquando de neglectu inſpirationum divinarum? mentiunturne tunc? Cur Deus tantopere conqueritur de impiis, Prov. 1. *vocavi & renuiſtis, &c.* Ut propterea ſe eos in interitu ſuo irriſuros, ideſt, æternis tormentis cruciaturos minetur?

Nec D. Auguſtinus adverſatur in hac parte. Sic enim loquitur lib. 83. qu. q. 68. ad *illam unam neque omnes qui vocati ſunt venire voluerunt, neque qui noluerunt venire alteri debent tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate.* Sed quoties ipſe in libris Confeſſionum oſtendit ſe motibus divinæ gratiæ reſtitiſſe, cum tamdiu procraſtinabat ac remorabatur converſionem? Parum in lectione horum librorum verſati ſunt, qui id non deprehendant.

Quod vero dicat D. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 8. *Hæc itaque gratia quæ occultis cordibus humanis divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur*, non ibi ſermo eſt D. Auguſtino de Gratia quacumque interiori, ſed de quadam gratia particulari. *Hæc itaque gratia*, inquit, hæc ſcilicet quæ datur ſecundum propoſitum, ideſt, intuitu prædeſtinationis & cum præparatione eorum mediorum quæ Deus novit infallibiliter effectum fœlicem ſortitura. Huic gratiæ etſi poſſint ſancti reſiſtere, nunquam tamen uſque ad finem reſiſtunt. Cum quo ſtare poteſt quod alteri gratiæ ſæpius reſiſtant homines. Ut de facto Prædeſtinati, de quibus loquitur ibi D. Auguſtinus, ſaltem aliqui ſæpe in vita reſiſtunt divinis inſpirationibus, finaliter tamen obediunt, nec in duritia cordis moriuntur, alias non eſſent de numero prædeſtinatorum. Atque hæc animadverſio ſufficeret ad plures difficultates diluendas, quæ petuntur quidem ex Divo Auguſtino, ſed non ſane intellecto, quod non ſatis attendatur quod ſæpe loquitur reſpective ad ſenſus & mentem Pelagij quem refutare intendit.

III. PROPOSITIO.

Ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Judicium Deputatorum.

Hæc doctrina deſtruit rationem meriti & demeriti & eſt Hæretica.

SI error eſt in cenſura tertiæ hujus propoſitionis, totus rejiciendus eſſet in principem Theologorum D. Thomam, ex quo de verbo ad verbum deprompta eſt. Sic enim ille quæſt. 6. *de malo*, articulo unico: ubi excutiens adverſariorum ſententiam antequam naſcerentur, ſic de ea cenſuit. Dicendum quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt extra. *Hæc autem opinio eſt hæretica:* tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe demeritorium vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit ut vitare non poſſit: eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis.

Si-

Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex A
neceſſitate moveamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio; laus & vituperium: circa quæ Moralis Philoſophia conſiſtit. Hujuſmodi autem opiniones quæ deſtruunt principia alicujus partis Philoſophiæ dicuntur poſitiones extraneæ: ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia Philoſophiæ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes Sophiſticas, quas ſoluere non potuerunt. Hæc Doctor Angelicus, cujus doctrina ore ipſius Chriſti commendata eſt & toti Eccleſiæ jamdudum probata, ut non temeratiè egerint deputati ipſius cenſuram innovando, cum errot quem tam acriter & tot rationibus impugnat, non ſit minus arguendus in hoc ſæculo, quam in illo in quo ſcribebat D. Thomas. Cujus ſententiæ ſi addatur cenſura Facultatis Pariſienſis anni 1560. die 27. menſis Junij in quo ordinariè & extra primum diem Menſis, uſ ſolet aliquando in rebus magis arduis, congregata per juramentum apud Collegium Sorbonæ in materia fidei, ſimilem propoſitionem de concordia libertatis & neceſſitatis, ſimili hæreſeos nota inuſſit pluries; judicabit facilè quilibet mentem Facultatis ipſius quæ conſtanter ſuis decretis inhæret, aſsequutos fuiſſe deputatos in hac cenſuræ nota: Cujus etiam Doctrinæ non mediocriter favet D. Auguſtinus diſput. 1. contra Fortunatum. Ubi inducit animam Deum ſic alloquentem ut ſe immunem à peccato aſſerat, ſi ex neceſſitate peccaverit. *Quid peccavi*, inquit anima, C
quid merui, quid me expulisti de regnis tuis? corrupta ſum, non eſt mihi ſervatum Liberum Arbitrium, tu noſti neceſſitatem qua preſſa ſum: cum ergo noveris neceſſitatem qua hic oppreſſa ſum, qua reſpirare non potui, quid me accuſas quaſi peccantem? Nec ad rem eſt, quod idem ſic ſcribit lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 18. *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non poteſt.* Cum eo loci ſermonem habeat de concupiſcentia, quam Metaphorice peccatum vocat, quemadmodum ſermo dicitur lingua, quod ſit effectus peccati ut ibidem ſemetipſum interpretatur. Nec obſtat quod ſtante doctrina hujus propoſitionis facilius explicatu libertas Chriſti qui non potuit non mori propter præceptum, & nihilominus libere mortem oppetiit. Quia non deſunt alij modi libertatem Chriſti ſaluandi. Quia probabiliſſimum eſt, cum primo oſtenſum eſt Chriſto præceptum de prædicanda Evangelica lege vitiiſque reprehendendis, tunc dum ſic ardenter hanc Patris voluntatem fuiſſe amplexum, quod licet ſciret ex Judæorum perfidia ob hanc cauſam mortem ſibi imminere, petiiſſe tamen à Patre, ut hoc ſibi mandatum imponeret. Deinde licet ex obedientia mortuus ſit quæ ſibi neceſſaria erat, cum eſſet impeccabilis: per actum tamen reflexum, ita mortem pro hominibus redimendis amare potuit, ut ſi non fuiſſet impoſitum mortis præceptum, adhuc tamen libenter mortem ſubiret pro ſalute hominum. Adde quod poſita lege moriendi, diſpenſationem à Patre petere E
potuiſſet & obtinere, ſicut manifeſtavit loquens de duodecim legionibus Angelorum, in auxilium ſuum mittendis à Patre, ſi rogaſſet, unde fit ut libere mortuus fuerit & abſque neceſſitate. Ex quibus patere poteſt inutilitas doctrinæ hujus propoſitionis ad ſaluandam Chriſti libertatem.

Libertas Chriſti.

IV. PROPOSITIO.

Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Iudicium Deputatorum.

Prima pars hujus propoſitionis eſt falſa & temeraria. Secunda vero quæ aſſerit hæreticum eſſe admittere gratiam cui poſſit humana voluntas reſiſtere, eſt hæretica.

IN duas partes diviſa eſt hæc propoſitio & in utramque pro merito animadverterunt Deputati. Primæ falſitatis & temeritatis notam affixerunt, quod veller aliquid aſtruere contra communem & receptam ab omnibus veram ſententiam, idque ſine gravi aliqua ratione aut authoritate, quod vocatur temerarium. Excuſsæ ſunt in comitiis ac diligenter examinatæ tū D. Proſperi, tum D. Hilarij Arelatenſis Epiſcopi ad D. Auguſtinum Epiſtolæ, quod iis mens Maſſilienſium ſeu Semi-Pelagianorum contineretur, ex iiſque pateret apertè eos initium fidei & bonorum actuum ad naturalem hominis facultatem vel ad prædicationem verbi externam retuliſſe, non ad prævenientem gratiam interiorem. Sic enim habet D. Proſper de Maſſilienſibus.

1. *Atque hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur pervenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando.*

2. *Et ad hoc ſalutis donum* (de Baptiſmo loquitur) *omnes homines univerſaliter ſive per naturalem, ſive per ſcriptam legem, ſive per Evangelicam legem vocari.*

3. *Qui ex Libero Arbitrio aut faciant quæ iubentur aut negligant.*

4. *Et tantum quiſque facultatis ad bonum, quantum habeat ad malum.*

D 5. *Nec conſiderant ſe gratiam Dei quam comitem non prævenientem volunt eſſe meritorum, etiam iſtis voluntatibus ſubdere quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam volunt eſſe præventas.* Intellige hoc vltimum, per naturalem legem vel prædicationem.

6. Loquens de infidelibus. *Quando quidem inexcuſabiles ſint qui ex adunius veri Dei cultum inſtrui potuerint intelligentia naturali.*

7. Cum duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia. *Priorem voluit obedientiam eſſe quam gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo qui ſalvat credendum ſit fieri, & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat* E *voluntatem.*

8. *In iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis male in homine collocatur.*

Ex quibus omnibus vel cæcis ipſis eluceſcere poteſt, Semi-Pelagianorum errorem in eo fuiſſe quod excluſa gratiæ interioris neceſſitate ſolam facultatem naturalem ac auxilia exteriora Legis ac Prædicationis ſufficere putarent ad initium ſalutis, quam proinde facultatem naturalem nomine initialis gratiæ intelligebant.

Ac de iiſdem ſermonem habens D. Hilarius. *Vnde conſequens putant exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntatis conditoris conceſſum eſt: & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel poſſit ſe ſanare,*

Quod vero in eadem Epiſtola habeatur. *Cæterum ad nullum opus vel inſipiendum vel perficiendum quemque ſibi ſufficere poſſe conſentiunt*; Id ita eſt, quod Semi-Pelagiani diſtinguebant inter actus & opera, inter actum & opus, ut ex adjunctis verbis manifeſtum eſt. *Neque enim alicui operi curationis annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.* Sic igitur prærequirebant gratiam ad bona opera exteriora adimplenda, nullam vero requirebant ad bonos actus interiores, piorum ſcilicet deſideriorum ac actuum fidei: ſufficientes ad id vires putabant eſſe naturales ſolas voluntatis, omni gratia ſupernaturali interiori etiam denudatæ. Ex qua ſola proinde diſcretionem reproborum ac electorum repetebant. Ex [illegible] diſcriminis oſcitabunda inconſideratione profluxit Janſeniſtarum hallucinatio. Quæ proinde merito à Deputatis notata eſt.

Nec illorum cauſæ patrocinatur, quod Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 19. aliqua intermiſceat de inſpiratione Dei, dum ſenſa ſua aperit, ipſe Semi-Pelagianus. Nec enim ibi loquitur de primo voluntatis pio motu, de quo eſt controverſia. Nec loquitur de ifta inſpiratione tanquam neceſſaria eſſet, quod eſt alterum caput controverſiæ. Et rectè annotat Cuiſcius Epiſcopus Ruremondenſis in annot. ad Caſſiani Libros, Semi-Pelagianum Chæremonem docere quædam bene geri ex præveniente gratia, quædam ſine illa. Quod ſcilicet neceſſitatem illam prævenientis gratiæ non admitterent.

Quod ſpectat ad ſecundam partem cenſuræ, jure quodam talionis uſi ſunt Deputati. Unde enim illis emanavit hoc privilegium, ut fideles omnes qui hactenus exiſtimaverunt plures ex hominibus parum fideliter gratiis divinis cooperari, Semi-Pelagianos ac hæreticos nuncupent, ac eorum ſententiam Catholicam ut hæreticam traducere audeant, ipſorum vero ſententia etiam poſt definitionem Concilij qua lucidè damnatur, intacta manebit, & non licebit illam proprio nomine donare, quod eſt hæreſis? An obſcura ſunt verba Concilij Tridentini Seſſ. 6. de Juſtificat. cap. 5. *Itaut tangente Deo cor hominis per Spiritum ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſead juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit*, & Can. 4. ejuſdem Seſſionis: *ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meroque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Vel hoc ſolo Canone fulminatur ſententia ſequacium Janſenij, itavt vel Janſenius debeat cedere authoritati Patrum Tridentinorum, vel ipſi Patres Tridentini Janſenij ſententiæ: ex quibus duobus, utrum ſit æquius, iudex eſſe quivis poteſt.

Nec enim cavillationes, quibus hujus Canonis authoritatem infringere, quidam conantur, minus quam ridiculæ ſunt. Poteſt diſſentire ſi velit, ſed numquam volet inquiunt. At propoſitio notata, non eſt de actu, ſed de poſſe: ſed & ſi de actu ipſo ageretur, cum ſint innumeræ hominum voluntates omnes variæ & ferè inconſtantes, qui fieri poſſet, ut nulla diſſentiret actu ex innumeris voluntatibus hominum, quæ tamen diſſentire poſſent? Sed & quis poſſet dicere homini ex neceſſitate quadam ab externo agente determinato ad aliquid agendum, potes non agere ſi velis? aut quo ſenſu dici poſſit inſuperabilis illa gratia, ad hominem loquor, ſi ex Concilio, voluntas illi poteſt reſiſtere?

Sed obſtare videtur quod aſſerit D. Auguſtinus lib. de correptione & gratia, cap. 11. & 12. ubi ſtatuit diſcrimen inter adjutorium datum primo homini in ſtatu innocentiæ, & adjutorium eidem datum in ſtatu naturæ corruptæ, in quo voluntas humana per peccatum fauciata & denudata iis virtutibus quibus in paradiſo veſtita erat conditoris largitate, potentiori quodam adjutorio indiget, de quo ſic loquitur. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia *indeclinabiliter atque inſuperabiliter* ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur: & poſt pauca: Fortiſſimo (ſupple Adamo) dimiſit atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervatis, ut ipſo donante *invictiſſimè*, quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere *invictiſſimè* nollent: ex quo conſeitur voluntatem humanam in præſenti ſtatu naturæ corruptæ adjutorio Dei non poſſe reſiſtere. Atque hæc eſt veluti clavis totius doctrinæ R. Iprenſis quam centies inculcat.

A quibuſdam ſoluitur difficultas iſta gratis, aſſerendo ſynonyma eſſe apud D. Auguſtinum indeclinabiliter, invictiſſimè ac certiſſimè: ſicut cum lib. de Perſeverantia cap. 14. definit Prædeſtinationem, præparationem beneficiorum Dei *quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Ubi æque potuiſſet dicere, quibus invictiſſimè liberantur quicumque liberantur: ſicque hac via effugium patet difficultati: attamen quia in eódem libro *de correptione & gratia* cap. 11. vocat D. Auguſtinus eam gratiam potentiorem prima, quæ data fuit primo Adamo in ſtatu innocentiæ, ideo adhuc conſiderandum eſt D. Auguſtinum ſtatuere diſcrimen inter gratiam ſtatus innocentiæ & gratiam ſtatus naturæ corruptæ, quod illa daret tantum poſſe agere, non velle: quia ſcilicet gratia ſtatus innocentiæ in ſola illuminatione intellectus conſiſtebat, cum voluntas nullis adhuc acta concupiſcentiæ ſtimulis motione non indigeret, nihil enim, ut loquitur ibidem D. Auguſtinus, *concupiſcentialiter ex ſeipſa illi reſiſtebat*: at gratia ſtatus præſentis potentior eſſet eo quod præter illuminationem adhuc inſpirationem contineat, qua moveatur voluntas ad bonum contrà impetus concupiſcentiarum, quæ à bono ipſam retrahunt. Quare dicit D. Auguſtinus gratiam illam dare non tantum poſſe, ſed etiam velle & potentiorem vocat. Quod vero dicat illa invictiſſimè ac inſuperabiliter agi hominem, conſiderandum eſt D. Auguſtinum in eo loco inſtituere comparationem prædeſtinati cum Adamo, & gratiam prædeſtinati in eo potentiorem aſſerere, quod per eam tamdem & finaliter ſuperatis omnibus adverſis perſeveret uſque ad mortem: multoque magis poſt mortem adepta iam felicitate æterna ad quam præcipue reſpicit ibi D. Auguſtinus. Quod Adamo in ſtatu innocentiæ non contigit. Unde ſic concludit profundam iſtam ratiocinationem cap. 12. *Hæc de his maxime qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, quorum ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis: non de his, qui cum annuntiaſſet & loquutus eſſet, multiplicati ſunt ſuper numerum, ipſi autem vocati dici poſſunt, non autem electi, quia non ſecundum propoſitum vocati.* Cujus diſcriminis radicem refert in Dei gratiam, voluntatem ipſam proximè tacitantem in prædeſtinatis, itavt detur eis gratia bonæ ac piæ volitionis, qua mediante perſeverent, cum Adamo non ſit data illa gratia neceſſario: *habent*, inquit de Adamo in ſtatu innocentiæ, *virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali quo Deus operaretur in illo, ut vellet.* Ita c. 12. itaut perſeverantia relicta ſit in ejus arbitrio ac voluntate, quæ tales vires habebat, cum ſine vllo fuiſſet inſtituta peccato & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſteret, ut facilè perſeverare poſſet, non addita illa gratia piæ ac bonæ volitionis: qua gratia inſuperabiliter aguntur prædeſtinati, & adimplent bonum, quia hypoteticè & ex ſuppoſitione quod gratia illa piæ inſpirationis

data sit secundum propositum, ideſt, ex intuitu & prævisione prædestinationis, & cum præparatione illorum mediorum ac beneficiorum, *quibus certissime liberantur quicumque liberantur*, quæ Deus prævidit effectum habitura, illi finaliter resistere non possint, sed invictè perseverent.

V. PROPOSITIO.

Semi-Pelagianorum error est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Iudicium Deputatorum.

Ista propositio est falsa, scandalosa, insimulans erroris veritatem Sacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam.

UT pateat qua æquitate & veritate notata sit per censuram hæc propositio, præsupponendum Semi-Pelagianos docuisse Christum pro omnibus esse mortuum, atque ea de causa male auditilè ac reprehensos fuisse, quia non simpliciter ut verba sonant, istud docebant, verum etiam cum adjuncto: itavt mors Christi pro omnibus sufficeret omnibus ad salutē inchoandam sine vllo superaddito gratiæ interioris auxilio ex sola voluntatis facultate naturali. Hoc enim ipsu atguuntur Semi-Pelagiani à D. Prospero in Epistola ad D. Augustinum, *Diuersis tamen hominibus*, inquit, *propitiationem quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint, &c.* Et D. Prosper c. 5. de ingratis, *dum libertatem arbitrii affectumque volendi in naturalis motus vigore locantes tam bona quæque docent scelere posse suopte ingenio, quam posse subesse cuique in mala fortè.* In qua propositione, pœnes omnes esse asserebant Dominicæ mortis beneficium, vel repudiare, vel admittere ex propriis viribus sine gratiæ interioris adjutorio, quia vim sufficientem esse putabant in sola ac nuda facultate naturali ad fruendum isto beneficio in baptismo aut justificatione per aliud medium advenientes: sit autem merito arguenda vemt hæc propositio: at si intelligatur, ut verba præ se ferunt, quod Christus mortem suam pro omnibus obtulerit, error non est, nec sic unquam intellecta est à Semi Pelagianis. Unde Deputati censuerunt propositionem in terminis acceptam, primo falsam esse, quia nec error est, nec à Semi-Pelagianis asserta ut error dici possit. Secundo censuerunt esse scandalosam, quia exiguam charitatem Christi asserit & ab amando Christo non parum homines deterret; & si enim sola ejus perfectio satis esse deberet ad inflammanda eorum pectora, quæ est tamen hominum infirmitas, plures alliciuntur eo motivo ad eum diligendum, quod ipse prior eos dilexerit, cum pro omnibus mortuus sit. Tertio censuerunt eam erroris insimulare veritatem Sacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam: tum quia nihil est evidentius scripturarum authoritate assertum, quam Christum pro omnibus mortuum fuisse, ut ex dicendis in hac tertia parte satis abundè patebit, ne pluries idem repetatur, quia hæc fuit mens Concilij Tridentini Sess. 6. de Justif. cap. 3. ubi contra Calvini sententiam declarat Christum mortuum fuisse pro omnibus, quod negabat Calvinus: nec obstare quod plures mortis ejus beneficium (justificationis scilicet) non recipiant; quia cum triplex sit beneficium mortis Christi, seu triplex fructus passionis, aut triplex gradus redemptionis, juxta superius dicta & alibi expressa, Concilium ibi loquitur de solo secundo be-

Sensus Semi-Pelagianorum de morte Christi pro omnibus.

neficio, justificationis scilicet, ut inspici potest ex capitulo ipsi capiti infixo, taceatque de cæteris. Etsi ergo plures pro quibus mortuus est Christus, secundum beneficium Passionis Christi non recipiant in justificatione, quam numquam consequuntur, primum tamen beneficium recipiunt, quod est liberatio seu redemptio ab impotentia salutem operandi per gratiam sufficientem aut media omnibus parata, & proposita ex merito mortis illius. Quemadmodum ergo si diceremus, Rex Galliæ omnes strumalaborantes tetigit, etsi non omnes sanati sunt, significaremus eos etiam ab eo tactos fuisse qui non convalescerent. Pari modo magna Synodus dicent: *etsi ille pro omnibus mortuus est, non tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, scilicet justificationem, de qua sola ibi sermo est, ut indicat ipse titulus, significat etiam pro illis mortuum esse, qui non sunt justificati: scilicet mortuus est Christus pro omnibus liberandis, vel ab impotentia salutem operandi in qua primario consistit ruina & captivitas humani generis per Adamum illata, vel liberandis a culpa ipsap er beneficium justificationis, vel insuper etiam à morte & ab omni miseria ac calamitate per glorificationem. A primo gradu redemptionis nullus eximitur: à secundo & tertio extranei sunt qui primo non bene utuntur; sic Passio Christi omnibus prodest, licet non omnibus medeatur: & cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit, ab eo tamen extranei sunt, ut loquitur idem D. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum cap. 6. *Qui aut delictis captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi.* Quæ etsi alibi copiosius dicta, iterum memoriæ oblivisorum repræsentantur, quod hic articulus de morte Christi non bene intellectus ab aliquibus, veluti sit annulus, ex quo plurium errorum catena pendet.

Unde Jansenio incumbebat omnes ingenij nervos contendere ad hunc articulum solidissime firmandum, ex quo majores rumores & conquestus contra ejus dogmata exoriri debebant: & tamen, ut annotarunt quidam ex deputatis nullum fere dogma illius magis immunitum est; nullum infirmius ab ipso probatur. Nam ut omittam nunc quædam alia ejus argumenta quæ punctum difficultatis non attingunt, major vis probationum quas affert, est in hoc textu D. Augustini ex epist. 102. *Non perit unus ex illis pro quibus Christus mortuus est.* Ubi sanctus Doctor loquitur de iis qui gloriantur in Cruce Christi, & à via crucis non recedunt, etiamsi ignorent ea quæ subtilissime disseruntur. Dicitque usum ex istiusmodi hominibus non perire pro quibus Christus mortuus est, an propterea asserit non fuisse mortuum pro aliis? si quis diceret, non perit unus ex Baij discipulis vere pœnitentibus pro quibus Christus mortuus est, an propterea liceret concludere non fuisse pro aliis Christum crucifixum? Quinimo D. Augustinus, paulo ante in eadem epistola supra duas lineas, contrarium asserit. *Nam si propter eos solos, inquit, Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesia laboramus.* Unde potius contrarium dogma Jansenio inferri potest.

Sed ut ad rem propius accedamus, quia in pluribus Scripturæ locis asseritur Christum pro omnibus mortuum, ne cogerentur ex vi termini istius, *omnes*, agnoscere Christi charitatem ad omnes animas ad Dei imaginem creatas diffusam aliquando fuisse, objiciunt Scripturam Sacram sæpe usurpare nomen *omnes* pro aliquibus duntaxat.

Respondeo nec præcise ex vi termini istius, *omnis*, si solitarie sumatur, convinci posse pertinaces disputantes, quod Christus pro omnibus nullo excepto, mortuus sit, sed convinci posse ex quibusdam adjunctis isti termino, quæ adjuncta ostendunt nullum eximi posse. Sic verba ista 1. ad Timoth. 1. *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: vi-

dentur intelligi de omnibus nullo excepto, quia omnes (salvo semper B. Virginis privilegio) mortui sunt in peccato originali. Sic verba ista 1. ep. Joan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, inferunt Christum obtulisse se victimam pro omnibus, nullo excepto propter particulam adversativam, *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, maxime cum D. Joannes non soleat loqui de mundo in bonam partem, scilicet de mundo electorum, sed in malam partem, asserens illum totum in maligno positum esse.

Objiciunt Scripturam explicare nomen *omnes*, per nomen *plurium* Matt. 26. *hic est sanguis, &c. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Marc. 10. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis* ad Hebr. 9. *Christus semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Respondeo sæpe etiam Scripturam per plures intelligere omnes, ut cum ad Rom. 5. dicitur. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, &c.* Sed demus hæc loca intelligi debere ad litteram de multis, non de omnibus, sed tunc dicimus ibi agi de redemptione Christi quoad secundum gradum, qui non est communis omnibus, & verba ipsa hoc indicant, *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum:* nec enim temere scriptura hæc verba usurpat, *in remissionem peccatorum*, aut ista *ad multorum exhaurienda peccata.* Unde D. Bernardus Hom. 2. super *Missus est.* Si enim nec folium de arbore, sine causa, nec unus de passeribus sine Patre cœlesti cadit, putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sancti Historia Verbi? non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo. Scilicet diversimode Christus salvat homines, alios solum ab impotentia salutem operandi, in qua maxime consistit captivitas & servitus hominum ex peccato Adami orta, alios etiam à remissione actuali peccatorum, alios insuper ab omni miseria corporis & animæ; nunc autem loquitur scriptura de uno modo, alias de altero modo. Quod itidem observandum est in Patribus; videndum enim de qua salute & de quo gradu salutis loquuntur, quod dum non attendunt discipuli Jansenij multa obtrudunt, quæ eorum causam non juvant, nisi apud eos qui nonnisi in obscuritate tenebrarum degunt: atque hinc sensum videtur sequi expresse Dionysius Carthusianus in cap. 10. Joannis, quamvis in cap. 10. Matt. aliam nec incongruam suppeditet solutionem, dicens Christum venisse dare animam suam redemptionem, idest, inquit, pretium liberativum pro *multis* hominibus non pro dæmonibus.

Tres gradus salutis ac redemptionis distinguendi.

Quod autem obtenditur Scripturam sæpe asserere Christum pro ovibus suis animam posuisse juxta illud Joan. 10. *& animam meam pono pro ovibus meis*, idest, ut interpretantur, pro prædestinatis: Quamvis istud admitteremus pro eorum voto, prædestinatos intelligi per oves Christi, hoc nihil ad controversiam, cum omnes conveniamus Christum pro prædestinatis animam posuisse: & tantum inter nos decertamus, an non etiam pro reprobis animam posuerit, de quo articulo altum est silentium in his locis Scripturæ: sed & Christum intelligere utrosque sub nomine ovium suarum, satis demonstrat locus iste Joannis 21. *Pasce oves meas, pasce agnos meos* si enim solos prædestinatos hic intelligeret, Ecclesiam quam Petro omini subjecit Christus, ex solis prædestinatis coalescere, non male inferrent Calvinistæ: quare non immerito Ambrosius Catharinus in annotationibus adversus Caietanum pagina 275. cum arguit, quod illa verba de solis prædestinatis intellexit, quæ non dubito inquit esse falsa & periculosa, Il enim Petro non esset mandata cura nisi super solis prædestinatis, profecto super aliis non habebit: quod est falsum & hæreticum: ad hæc ignoratemus, immo ipse ignoraret super quibus mandata esset ei cura, non enim sciebat, qui essent prædestinati, quod est stultum fateri. Atque de eodem plura notari possunt apud Stapletonum tom. 1. controversia 2. lib. 6. c. 10. Unde non est necesse excludere ab ovili Christi pro quo mortuus est, reprobos omnes; scilicet Christus est magnus Pastor qui ovile magnum habet in quo oves sunt sanæ & scabiosæ, prædestinati & reprobi, & omnes committit Christus vicario suo ut ex amore & charitate omnes pascat, sicut ipse pro omnibus animam posuit. Quid autem mirum, addit ibidem Catharinus, si & non prædestinati ovium vocabulo significentur, quando etiam significantur per regnum Cœlorum quod sagenæ comparatur bonos & malos congreganti? quare derogat ibi verbo Christi proculdubio reverendissimus, dicens quod secundum veritatem nemo rapit oves & non dispergunt, cum Christus doceat, quod *venit lupus & rapit & dispergit oves.* Hæc ille, quibus addimus, si Christus de iisdem ovibus dicit, *nemo rapiet eas de manu mea*, in hoc sensu ibi dictum esse, quod violenter & repugnantibus ac contranitentibus ovibus non rapiuntur à dæmone, cum vim ipse non inferat, sed tentando alliciat animas quæ pereunt, cum nullus nisi volens peccet & damnetur juxta illud Psalmi 139. *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori:* Quia semper concupiscentia & voluntas nos reos faciunt, ut commentatur Bellarminus in hunc Psalmum. Denique totam hanc difficultatem juxta mentem nostram resolvit Dionysius Carthusianus in cap. 10. Joan. ubi explicans quo sensu dicat Christus se animam suam ponere pro ovibus suis, idest electis: tam inquit, licet Christus passus sit, & satisfecerit pro omnibus sufficienter, non tamen efficienter, quia in solis electis Passio Christi fructificat per consequutionem sui finalis effectus qui est salus æterna. Quibus verbis Doctor extaticus Ringelius videtur agnovisse plures esse distinguendos fructus aut effectus Passionis Dominicæ, licet clare non expresserit: cum enim loquimur de ultimo illius effectu, supponit aut quosdam, aut quosdam alios anteriores esse: & vere ita est, mors Christi beneficium est omnibus hominibus ac singulis commune, licet inæqualiter per illud juventur homines, & quidem à toto malo liberentur, alij non nisi à tanto, ut sequuntur.

Oves Christi.

Ac cum amare aliquem, sit illi velle bonum, Christum eos omnes amasse quibus bonum aliquod voluit aut reipsa contulit, negari non potest. Est autem bonum, liberum esse ab impotentia salutem operandi: quare cum mors Christi libertatem illam attoleret etiam iis qui de facto non justificantur, eos etiam amasse dicendus est secundum aliquem gradum amoris. Et si Deus omnia diligit quæ sunt & nihil odio eorum habet quæ fecit, quia saltem bona aliqua naturalia contulit, quanto magis dicendus est eos amasse quibus gratiæ prævenientis auxilia pleraque impertitur, & pro quibus sacramenta instituit expectans eos in multa patientia? *Fidem eorum desideriasti & veritatem invenit*, ait ipse Christus apud S. Augustinum in Psalm. 68. Quid quod gratia illa prævenions sit semen cæterarum gratiarum, & ipsius gloriæ? atque etiam per illam, quamvis homo non justificetur aut perseveret, multa tamen gravissima peccata evitantur à reprobis. Quare mitius in inferno habebunt ob plura peccata non admissa per virtutem illius, quod non est parvipendendum, ut si non à toto, à tanto liberentur tormento. Ut est in Theologia Affectiva 3. part. tract. 1. medit. 19. puncto 2. editionis 3. & 4. ad quæ dum non attendunt, Christum charitate spoliant, minusque sitientem salutis

Christus secundum quid omnes amavit.

hominum, exhibent quam sint plerique homines. Quid de Beata Virgine quæ de seipsa loquitur lib. 6. revelatione Sancti Brigittæ cap. 10. Ego sum regina cœli. Ego mater misericordiæ. Ego justorum gaudium & aditus peccatorum ad Deum. Nulla etiam pœna est in purgatorij igne, quæ propter me non remissior erit & levior ad ferendum quam aliter esset. Nullus est adeo maledictus qui quandiu vivit careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur à Dæmonibus quam alter tentaretur: At si hæc de matre dici possint, quanto magis de filio? non fuit passio ipsius separata ab amore. Deus ab æterno omnes amavit & ad beatitudinem ordinavit voluntate antecedente, & quos voluntate consequente ad bonum supremum non dilexit, ad alia media bona qualiacumque illa sint, dilexisse existimandus est. Unde de amore Christi cujus voluntas Dei voluntati conformis fuit, dijudicandum. Ac careat successibus opto, quisquis ab eventu facta notanda putat, ac de dilectione alicujus censendum. Similiter solvitur aliud.

Si Christus pro omnibus oravit, ergo omnes salvari debere. *Non enim possunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater Filium tradit in mortem ut vivant:* ut loquitur D. Bernardus Homil. 3. de Laudibus Virginis.

Respondetur Christum pro omnibus orasse ut haberent primum fructum & gradum redemptionis, liberarenturque omnes à potestate tenebrarum, & ab impotentia salutem consequendi, quæ est servitus maxima peccati invecta per culpam Adami: pro pluribus vero oravit, ut etiam obtinerent secundum & tertium fructum Passionis sive secundum quod prænovit eos bene usuros sufficientibus mediis quibus donabantur, aut cum hac conditione, si bene iis uterentur: sicque omnis Oratio Christi exaudita est provt decebat propter ejus reverentiam: sed perspiciendum est illud quod postulavit pro his & illis, diversa enim petiit in oratione sua: oravit pro reprobis, ut haberent gratias excitantes, & si illis cooperarentur per liberum arbitrium iisdem gratiis adjutum & elevatum, haberent gratiam justificantem, & alia dona quæ illis à tempus concessa sunt ex merito mortis ejus, ut ipsimet adversarij concedere coguntur. Sed & quot peccata avertit Christus à reprobis? qui enim hæc Gratiæ Christi non deputat, Augustinum negavit, qui hæc Gratiæ Christi deputat: unde & scripsit Homiliarum 50. Homil. ultima. *Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non faceret homo si deesset rector à quo factus est homo.* Quid quod docet Albertus Magnus de 4. coævis tomo 19. tract. 4. qu. 38. particula 2. Deum velle Angelum cooperari ad salutem damnandi ut pauciora committat peccata. Ex his porro intelligere est non fuisse inutiles etiam reprobis Christi sudores & orationes.

At quid ad verba Concilij Tridentini: *Non tamen omnes morte ejus beneficium recipiunt, sed ij dumtaxat quibus meritum Passionis ejus communicatur.* Quibus verbis Concilium innuit falsum esse omnes ex merito Passionis recipere media sufficientia ad salutem, ut discipuli Molinæ asserunt, cum non omnibus detur fructus Passionis Christi?

Respondetur eos non assequi mentem Concilij, qui non considerant triplicem gradum redemptionis humanæ, triplexque beneficium aut triplicem fructum Passionis Christi. Porro ex titulo cap. 3. Sess. 6. *de justificatione*, ubi asserit aut doctrina fidei Christianæ, mors Christi pro omnibus, patet sermonem esse de secundo fructu aut beneficio Passionis Christi, quod beneficium est ipsa justificatio, est enim in titulo *qui per Christum justificantur*, atque ubi in fine præcedentis capitis Concilium dixisset: *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi:* Post hæc verba sic exordi-

ditur caput tertium, jungens illud secundo capiti; *Verum ut si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt (scilicet justificationem) sed ij dumtaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur*; scilicet per baptismum. Quis hæc omnia simul componens, non intelligit mentem Concilij fuisse, pro omnibus mortuum Christum, etsi omnes non justificentur. Quemadmodum si quis diceret, medicus omnes urbis ægrotos visitavit, etsi non omnes servati sunt, intelligeret profecto etiam medicum curam habuisse omnium ægrotorum & etiam eorum qui sanati non fuissent; placet enim hoc exemplum medici quo D. Augustinus appositè usus est tract. 12. in Joan. *Ergo quantum in medico est sanare venit ægrotum, ipse se interimit qui præcepta medici observare non vult, venit Salvator in mundum, &c.* Quem locum mirum, quot nebulis interpretationum obtegere conantur, ne videant veritatem, & agnoscant cum humilitate, charitatem Christi erga omnes animas, beneficiumque commune omnibus mortis Christi venerentur, quod potius ipsi inficiantur; ut non immeritò de illis dicere possim, quod de quibusdam hæreticis sui sæculi dicebat Theologus Nazianzen. Orat. 42. circa lucem tenebrosis, circa sapientiam imperitis, *pro quibus Christus gratis mortuus est, ingrata creatura.* Ne ergo insimulent nos ingratitudinis erga Christum, cujus charitatem ad omnes diffusam prædicamus, & cujus gratiæ primas partes actionum omnium piarum tribuimus, hoc ipsorum vitium est & peccatum, non nostrum.

VI. PROPOSITIO.

Sensisse olim Ecclesia privatam sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere.
Judicium Deputatorum.

Ista propositio vel spectat ad quæstionem juris & sensus est, sensit olim Ecclesia privatam sacramentalem pœnitentiam reipsa & absolute pro peccatis occultis non sufficere, & est hæretica errorem infallibili Ecclesiæ affingens: vel spectat ad quæstionem facti & sensus est: sensit olim Ecclesiæ ex illius temporis disciplina non sufficere privatam sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis, & falsa est & temeraria.

Involutæ sunt errantium semitæ: ideo nihil mirum si propositiones eorum ambiguæ in varios sensus explicentur & de eis diversum feratur judicium. Unde & propositio examini subjecta si intelligatur juxta primum sensum inter hæreticas annumeranda visa est, quia sic habet canon sextus Concilij Tridentini sess. 14 *de sacramento pœnitentiæ.* Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem esse necessariam jure divino: aut dixerit modum secretæ confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit. Ex quibus verbis evidenter apparet privatam sacramentalem pœnitentiam, pro peccatis maxime occultis, si pro aliquibus, esse de jure divino, ideoque sufficientem fuisse, nec pro illis jure divino esse pœnitentiam publicam desideratam fuisse. Si autem propositio intelligatur juxta secundum sensum, falsa & temeraria visa est, quia adversatur doctrinæ ejusdem Concilij in eadem sessione cap. 5. secretum inquit, quo ad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, & si Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præcipe-

retur, ut delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda. Unde fit, ut qui dixerit hanc confessionem publicam pro secretis peccatis fuisse ex Ecclesiastico jure, aliquando præceptam, non satis consulte Ecclesiam egisse declaret; quod sine temeritate asseri non potest. Verum quia doctrina hæc Concilij spectat ad confessionem, propositio videtur magis spectare ad satisfactionem sacramentalem: aut saltem de ea posset intelligi: nihil tamen amplius de hac propositione in privatis comitiis definitum à deputatis, qui non intendebant de aliis referre ad facultatem nisi de quinque prioribus circa quas ardentior erat contentio. Itaque, quasi dicis causa, de ultima etiam sic censuerunt, & ut nihil ab ipsis prætermissum videretur.

VII. PROPOSITIO.

Naturalis attritio sufficit ad sacramentum Pœnitentiæ.

Judicium Deputatorum.

HÆc propositio intellecta de attritione mere naturali ut sufficiente ad sacramentum pœnitentiæ cum effectu gratiæ justificantis recipiendum, est hæretica.

Addita est hæc propositio discutienda per deputatos, ut satisfieret iis qui eam doceri putabant à Theologis quibusdam: non quod de illa controversia suborta fuisset. Satis enim manifeste impugnatur ex can. 3. Concilij sess. 6. de *justificatione*. Si quis dixerit sine præveniente spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Porro propositio damnata falso à quibusdam attributa est Suarì, cum ipse in 3. par. quæst. 85. disp. 5. sect. 2 diserte asserat eum dolorem qui in solo temporali aut humano motivo fundatur non mereri nomen attritionis, etiamsi Soto & nonnulli alij Theologi aliter interdum loquantur; Augustinus vero lib. *de vera & falsa pœnitentia* cap. 2. inutilem dolorem vocat, & sine spe veniæ: & lib. *de catechizandis rudibus* cap. 17. pœnitentiam fictam appellat.

Desiderabatur ut quid significaretur nomine attritionis naturalis planius aperiretur: sed cum intentum non esset referre alias ex his VII. propositionibus nisi quinque priores, supersederunt ampliori disquisitioni.

Igitur tales erant sententiæ nominatorum à Facultate super propositis septem articulis, qui quoniam ob perturbatos ordines ipsius, nequidem legi ac ad ipsam referri potuerunt, ut censuram doctrinalem de iis ferret, illustrissimi Galliarum Episcopi circiter octoginta, priores quinque ex his articulis ad summum Pontificem Innocentium X. miserunt. Ut de iis ferret judicium pro sua auctoritate. Quod cum præstitisset post debitum examen & auditis partibus contendentibus, edita ob id constitutione, qua notis asperioribus quam factum fuerat à deputatis facultatis V. propositiones damnabat, eamque constitutionem Alexander VII. confirmasset, & insuper formulam fidei cui omnes subscriberent ad conciliandam pacem, proposuisset: tot modis ac tot quæsitis prætextibus obluctari sunt qui libru R. Ipr. ab omni censura liberum esse volebant, ut ubique in Galliarum provinciis innumeræ essent contentiones: usque ad annum 1668. quo, Deo propitio, qui plus resistebant antea, gloriosa contra seipsos parta victoria, auctoritatique Summi Pontificis cedentes, subscriptione quæ ab ipsis expectabatur facta, pacem Ecclesiæ reddiderunt & plurium saluti oportune consuluerunt. Atque totius istius difficilis negotij originem progressum & exitum recogitans admiranda Dei con-

Causa devoluta ad Summi Pontificem.

Subscriptio finem controversiæ affert.

Jo. Eusebius Theopol. p. 1. c. 29.

filia non possum non suspicere, qui per contrarias vias fortunat, ut bonæ notæ scriptor advertit, Josephum per servitutem provexit ad imperium, Danielem per captivitatem deduxit ad honorem: plura accidunt quæ effusis lachrymis deploramus, unde pendet nostra salus, vita, & honor. Quanta subtilitate gubernat resistentes sibi, ut juventur ipsis impedimentistis potissimum sæpe implet decreta Dei, qui refutat: per illam viam qua fugit accedit. Putabatur tunc vera fidei doctrina de immensa Christi charitate extincta, cum Facultatis Theologicæ censura impedita fuit. Sed per hoc impedimentum aperta via est R. Episcopis recurrendi ad tribunal Summi Pontificis, qui cum majori auctoritate eam sancivit & cum multo majori fructu, itaut etiam Rex Christianissimus, zelo vere pio & numquam satis celebrando, eamdem censuram multis edictis, quorum ultimum hic inferimus, fulciret.

Arrestum Secretioris Consilii datum San-germani in Laia 23. Octobris 1668.

CUm Rex cognoverit per breve quod sua sanctitas ad suam direxit Majestatem die 28. mensis Septembris postremo elapsi, & per vivam vocem D. Archiepiscopi Thebarum Nuntij ipsius ordinarij apud se, quod suæ Sanctitati plene satisfactum est per obedientiam quam N. N. N. N. *Episcopi.* præstiterunt constitutionibus Papatum Innocentij X. & Alexandri VII. diebus 29. Maij 1653. & 16. Octobris 1656. tam per sinceram subscriptionem propriam, quam illam quam in synodali convocatione decreverunt debere fieri ab omnibus suarum Diœcesum Ecclesiasticis, formulæ fidei insertæ in constitutione ejusdem Papæ Alexandri VII. Febr. 15. an. 1665. ac etiam per litteras quas dicti D. Episcopi eodem mense Septembri ultimo ad suam Sanctitatem scripserunt ut ipsi nota esset sua submissio circa prædictas constitutiones, quæ eamdem sanctitatem induxerunt ad oblivioni tradendum, quicquid antea gestum fuerat vigentibus ultimis contentionibus Cum etiam idem Nuntius suæ Majestati notum fecerit, nostrum S. Patrem instanter desiderare ex pietate & zelo quo ferver pro bono religionis, ad pacem Ecclesiæ & unionis inter fideles conservationem, quod suæ Majestati gratum foret, potenter interponere auctoritatem suam regiam ad impediendum quo minus eædem contentiones quibus ab aliquot annis Ecclesia Gallicana agitata est occasione condemnationis libri Jansenij cui titulus *Augustinus*, quoquo modo unquam possint reminiscere, cupiente sua Majestate huic rei providere & cooperari sanctis piisque votis dicti S. Patris nostri, & Ecclesiæ ansam dare proficiendi utiliter exspectæ quam in ipsa restituit ipse S. Pater: Rex in suo consilio assistens decrevit & decernit dictas bullas & constitutiones supra relatas continuo & inviolabiliter observari & executioni demandari in omni loco sui regni, regionibus, terrisque suæ obedientiæ; hortatur & nihilominus injungit omnibus Arch. & Episc. dicti sui regni, ut in id invigilent attendantque. Statuit ut præcedentes contraventiones & inexecutiones adversus prædictas constitutiones & declarationem suæ Majestatis, tanquam non factæ fuissent, habeantur absque eo quod umquam possint renovari à quocumque sub quocumque prætextu. Prohibuit prohibetque omnibus sibi subditis ne se invicem aggrediantur aut provocent sub prætextu præteritorum, utendo nominibus illis, *hæretici*, *Jansenitæ*, *Semi-Pelagiani*, aut altero nomine partis, atque etiam scribendo & divulgando libellos supra dictis materiis controversis, neque illum ex his qui ex jussione suorum Archiep. aut Episcoporum dictæ fidei formulæ subscripserint vocibus injuriosis in fama lædant, sub pœna punitionis exemplaris. Præsensque arrestum executioni

mandabitur nonobſtantibus oppoſitionibus aut appellationibus quibuſcumque. Quarum ſi aliquæ ſint, ſua Majeſtas ſibi ſuoque conſilio reſervat judicium, illudque inhibet omnibus ſuis curiis & judicibus. Actum in conſilio ſtatus Regis, præſente ſua Majeſtate, quod habitum eſt San-germani in laia 25. Octobr. 1668. ſignatum, DELIONNE.

Laudantur qui ſubſcripſerunt Bullæ Innocentii X. & Alexandri VII. in cauſa V. propoſitionem in eodem ſenſu in quo damnatæ ſunt ab iiſdem Pontificibus.

QUiſquis exactius examinaverit formulam fidei, à Pio IV. perſcriptam ex Decreto Concilij Tridentini, cui formulæ ſubſcribunt non ſolum qui ex caſtris hæreticorum ad Eccleſiæ Catholicæ Apoſt. & Rom. gremium redeunt, ſed etiam qui admitti deſiderant ad majora beneficia & dignitates Eccleſiæ; in ea formula eamdem aut ſimilem remoram invenit, quam putarunt ſe offendiſſe in formula fidei, ab Alexandro VII. emanante ad finem imponendum controverſiæ de V. propoſitionibus. Cauſabantur ſcilicet quæſtionibus juris annexam fuiſſe quæſtionem facti de ſenſu Cornelij I. Iprenſis Epiſcopi in libro ſuo, cui nomen *Auguſtinus*. At eadem difficultas eſt in formula illa fidei Catholicæ Pij IV. proponitur enim in illa credendum & ſubſignandum quicquid determinatum fuit à Concilio Tridentino de juſtificatione: at quæſtio eſt facti, ſi quidquam determinatum eſt à Concilio Tridentino de juſtificatione. Sed & vix aliqua fidei formula reperitur in qua aliquod factum non contineatur: quin etiam ſymbolum Eccleſiæ factum continet in articulo Reſurrectionis Chriſti Domini cum legitur ibi *ſecundum ſcripturas*. Quod ut recte docet Almainus Doctor Pariſienſis qui florebat tempore Concilij Baſileenſis in 3. ſent. diſt. 25. qu. 11. ad generandum actum fidei oportet de neceſſitate habere alium actum qui non eſt de fide Theologica, ſed topica ut loquitur, id eſt, probabili: quod verum apparet cum propoſitio de fide non bene explicatur ſine aliquo adjuncto. Idcirco qui ſubſcripſerunt non-obſtante illa difficultate non minus laude digni ſunt, quam illi qui quotidie formulæ fidei Catholicæ ſe ſubſcribendo ſubmittunt, tantum abeſt ut reprehenſionem vllam mereantur.

Confirmatur quia juſtis de cauſis Papa inductus eſt ad inſerendum illud factum in ipſa formula, ſcilicet ad tollendam æquivocationem, nec non ad ſatisfaciendum ſupplicationi ipſi oblatæ, quaſi in limine judicij ab ipſis qui V. propoſitiones defenſuri Romam venerant anno 1653. quo cauſa primum judicata eſt ab Innocentio X. Illud enim memoria recolendum: ab ipſis tres ſenſus in tribus columnis dictarum V. propoſitionum oblati ſunt eidem Pontifici: primum vocabant hæreticum, ſecundum Auguſtinianum ſibi ipſis proprium, tertium Moliniſticum; urgebant libello ſuo ſupplici, ut declararet in quo ſenſu eas damnaret, ne, inquiebant, vllus locus relinqueretur æquivocationi, calumniæ & artificiis pravorum ingeniorum. Quid faceret ſummus Pontifex? Damnaret in ſenſu Calviniſtarum? at eſſet actum agere. Quid ergo in ſenſu Moliniſtarum? equidem gratum illis feciſſet, nec quæſtio facti mota fuiſſet unquam. Sed veritas id prohibebat: nec facile ſenſum illum prætenſum admittebant propoſitiones. Quid igitur facto opus? Damnavit in ſenſu Janſenij ad tollendam æquivocationem. Hoc eſt in eo ſenſu quem magis denotat & menti primum imprimit literalis ſuperficies. Quid conſultius fieri potuit? Cum igitur ſummus Pontifex legitime ſeſe geſſerit, non eſt quod quiſquam amplius eos arguat, qui cum debita obedientia ipſius bullis ſeſe ſubmiſerunt.

Libellus ſupplex oblatus D. Papæ Innocentio.

Accedit ad hæc, quod cum fervente contentione multi libelli evulgarentur, imo etiam libri non paruæ molis ad impugnandam ſubſcriptionem: multi etiam in contrarium libri alij prodierunt, in quibus ſic omnia quæ objiciebantur diſcuſſa ſunt ac diſſipata, ut nullus ſcrupulus cordatis viris remanere deberet, quin recte & laudabiliter ſubſcriberetur propoſitæ fidei formulæ. Denique id videbatur efflagitare jus divinum, ut de jure canonico taceamus: ratio eſt quia fidelis quilibet tenetur fidem profiteri aperte & ſine æquivocatione, cum id jubent ſuperiores legitima ex cauſa: at ita hic ſe res habet.

Judicant plurium librorum.

Declaratur quia celebris eſt ſententia I. D. Petri cap. 3. *parati omni poſcenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis eſt fide & ſpe.* Itemque Apoſtoli Pauli ad Rom. 10. *corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, & David Pſalm. 115. *credidi propter quod loquutus ſum*, & D. Auguſtini lib. *de fide & ſymbolo*, cap. 1. Præſenti ſæculo maligno ſalvari non poſſumus niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, ore etiam profiteamur fidem quam corde geſtamus. Idem autem de profeſſione quæ fit ſcripto, ac de ea quæ ore tantum. Id ſpeciatim declarat D. Thomas 2. 2. quæſt. 3. art. 2. ubi docet neceſſarium eſſe ad ſalutem confiteri fidem, quando per dimiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo & utilitas proximis impendenda. Quæ veritas habetur in Evangelio Matt. 10. *omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Quæ cum ita ſint, nihil potuit religioſius ac magis ad honorem & ſalutem proximorum fieri quam hæc externa fidei confeſſio, ut propterea ſubſcribentibus ſit congratulatus Pontifex per Epiſtolam.

Venerabilibus Fratribus N. N. N. N.

Clemens Papa Nonus.

VEnerabiles fratres, ſalutem. Venerabilis frater Archiepiſcopus Thebarum Nuntius iſtic noſter miſit ad nos elapſis diebus fraternitatum veſtrarum Epiſtolam, in qua cum ingenti nobis, & huic ſanctæ ſedi obſequij, per vos debiti teſtatione ſignificabatis, vos juxta præſcriptum litterarum Apoſtolicarum à felicis recordationis prædeceſſoribus noſtris Innocentio X. & Alexandro VII. emanatarum ſincere ſubſcripſiſſe, & ſubſcribi feciſſe formulario in ejuſdem Alexandri VII. litteris edito. Etſi autem quædam, de ea re ſecus circumlata, occaſionem nobis præbuerant, in tam gravi negotio ſerius procedendi (nam dictorum noſtrorum prædeceſſorum Conſtitutionibus firmiſſime adhærentes nullam circa illud exceptionem, aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus) in præſenti tamen, cum nova, & gravia, iſtinc acceperimus documenta, veræ, ac totalis obedientiæ veſtræ, qua, & formulario ſincere ſubſcripſiſtis, & damnaſtis abſque ulla exceptione aut reſtrictione quinque propoſitiones, in omnibus ſenſibus, in quibus à ſede Apoſtolica damnatæ fuerunt, alieni prorſus eſtis à renovandis in hac re erroribus illis, qui ab eadem damnati ſunt. Tribuere vobis voluimus hoc paternæ benevolentiæ argumentum, fidentes plane divinæ gratiæ, ac virtuti & pietati veſtræ, quod omni conatu facturi ſitis in poſterum, ut ſinceræ obedientiæ veſtræ, & ſubmiſſionis à vobis in hoc actu nobis præſtitæ, pleniudo magis ſemper appareat, doctrinam, & pietatem veſtram in id potiſſimum adhibentes, ut una cum obſequio nobis, & huic ſanctæ ſedi per vos debito Catholicam veritatem firmiter tueamini, zelo curæque Pontificis ſedulo cooperantes, in extirpando ab Eccleſia Dei Novitates omnes, ac perturbationes fidelium animarum, vobis venerabiles fratres Apoſtolicam benedictionem permanenter impertimur. Datum Romæ

apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 19. Januarij 1669. Pontificatus noſtri ſecundo.

Vindicatur Concilium Tridentinum contra improperium multitudinis Anathematum.

SECTIO VI.

QUia hæc vox ſæpe repetitur in Concilio, anathema ſit, offendantur hæretici, ut dicatur illud Pſalmi 17. *fulgura multiplicavit & conturbavit eos*. præ cæteris Daillæus miniſter Gallus Calviniſta in Apologia Eccleſiarum reformatarum Galliæ illud improperat Synodo Tridentinæ, quod prodiga fuerit excommunicationum. Numquam inquit c. 7. viſa ſunt homines in profundendis anathematiſmis liberaliores. Ipſis non ſufficit cedros ſummaque montium ferire, vix vllæ tam viles lentiſcæ ſunt in agro adverſariorum ſuorum quæ liberæ fuerint ab ipſorum fulmine. Illi qui dubitant an matrimonium ſit ſacramentum, aut quod Eccleſia poſſit diſpenſare de gradibus in Levitici libro ſtatutis, aut quod Epiſcopus Preſbytero ſuperior ſit, aut quod æquis rationibus prohibitus ſit calix laicis, omnia quæ nullius ſunt aut parui admodum ad religionem momenti, tam anathemate percelluntur ac ſi divinitatem Domini negarent, vel ultimam reſurrectionem. Haud ſcio quo pacto benignitas tantopere nobis commendata ex legis chriſtianæ præceptis poſſit concordare. Hæc ille & plura quibus tres alij miniſtri ex famoſioribus Maiſtrerat, Drelincourt & Aubertin approbando ſubſcripſerunt.

Sed non erit arduum ab iſto improperio liberare ſynodum, ſi paululum perpendamus inductam fuiſſe ſynodum ad tam frequentes anathematiſmos evibrandos tam propter multitudinem hæreſeon & errorum tam circa doctrinam fidei quam diſciplinam morum, in quibus calumniam inferebant Eccleſiæ antiquæ Catholicæ Apoſtolicæ & Rom. iſti Neo-Chriſtiani, quam propter duritatem & pervicaciam cordis eorum ad non cedendum ulli auctoritati. Scrutati ſunt illi Jeruſalem in lucernis, omnes ipſius fidei articulos ac concluſiones, omnia ejus membra, omnia ejus officia, omnes gradus, omnia tempora, omnes ejus actus ſcrutati ſunt, & ubique fere invenerunt quod morderent ſicut canes rabidi. Quid mirum ergo ſi ad ipſos continendos frequenti ictu baculorum Paſtoralium opus fuerit, ad rectam fidem tuendam & concordiam in probis moribus ſervandam? Equidem ſi fides qualiſcumque, ut prætendunt, articulorum aliquot fundamentalium, in quibus aſſignandis digladiantur inter ſe, ſufficeret ad ſalutem, tot anathemata non eſſent neceſſaria. Sed quantumvis homo fulgeat bonis moribus & in Deum credat quoque ut de ſeipſis opinantur plures Judæi, Turcæ & hæretici, niſi tamen totam legem Dei obſervet in præceptis, fidei, morum & ſacramentorum reductam, niſi primo ſanam fidem habeat, qualis docetur tantummodo in Eccleſia Romana, cætera omnia quantumvis magna in ſpecie nihil proderunt dicente Apoſtolo ad Hebr. 10. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Hic tamen, ut bene advertit Thomas Staplero in proœmio Propugnaculi primitivæ fidei Anglorum, fidei vocabulo non quælibet fides ſignificatur. Nec enim cuilibet domo quodlibet fundamentum ſufficit. Si enim de fide generali quadam ac communi ratione loquamur, quis neget etiam ipſos Turcas, Judæos ac hæreticos ſuam quamdam fidem habere? cum tamen Apoſtolus dicat, 2. Theſ. 3. *non omnium eſt fides*. Habet quidem Turca Alcoranum ſuum in quo fides ejus continetur, adeoque credit in unum Deum creatorem cœli & terræ &c. Judæus autem una nobiſcum vetus teſtamentum recipit, nec tamen eodem ſenſu quo nos intelligit: quin ipſos Pſalmos & Prophetas longe alia interpretatione quam nos exponit, ut pote qui nec Meſſiam veniſſe fatetur, nedum talem qualis Chriſtus dominus verus Meſſias erat, expectat. Hæretici denique teſtamentum tam vetus quam novum, commune nobiſcum habent, exceptis iis partibus quas ſecta quælibet pro errore quem tenere ſtatuit melius tuendo expungit. Sunt nihilominus hæretici, quia illas ſcripturas ſuo privato ſpiritu interpretantur contra communem Eccleſiæ Catholicæ ſententiam. Hinc illa Apoſtoli admonitio ad Galatas 1. *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis*, nempe tam verbo ſcripto quam tradito, anathema ſit. Quod cum Lutherani & Calviniſtæ ſub prætextu reformationis moliti fuerint, multa de novo Evangelizantes contra ea quæ accepta fuerant a fidelibus, tam à verbo ſcripto quam à grafo & non-ſcripto, tantam multitudinem anathematum contra ſua nova dogmata invexerunt.

Moderatio Synodi in proferendis anathematis.

Sed nec caruit moderatione ſynodus in proferendis cenſuris ſuis; cum præter morem antiquorum Conciliorum abſtinuit ab excommunicationibus ad hominem ut loquuntur. Non enim minus poterat dici anathema Luthero, Calvino, Beræ & ſimilibus monſtris quam quondam Neſtorio & aliis de quibus ſupra actum: ipſos tamen non ſine humanitate, intactos & innominatos reliquit, hac forſan ratione ut putant aliqui, quod non tam ipſi, qui facile comprimi poterant, quam quidam ſupremi principes ac illuſtriſſimi Germaniæ Electores laici, immemores beneficij à ſummis Pontificibus quondam accepti quo ad dignitatem electionis Imperatoris aſſumpti erant, hæreſim ac ſchiſma præſens invexerint ſuo exemplo & auctoritate populos ſuos a recta fide majorum deterrentes. Scriptum eſt, non maledicendum principibus.

Cæterum ut ad difficultatem propoſitam regrediamur, cur tot telæ ejaculata ſit ſynodus minus adhuc mirabitur qui quæ tradit Doctor Severius in libro *de Atheiſmo & hæreſibus* c. 4. ſect. 1. attendet. Fide Catholica inquit, credimus non ſolum ſcripturam, ſed etiam Conciliorum Eccleſiæ decreta eſſe à Deo inſpirata. Quippe non modo integra ſacrorum voluminа Bibliorum cum ſuis partibus ſunt fide tenenda, ut clariſſime decrevit Concil. Trid. ſeſſ. 4. verum ſingula quoque verba credere decet tanquam divina & multis ſalutiferis myſteriis referta. Unde aliqua vel arrodere vel ſuperflua dicere, vel ea nolle credere hæreticum eſt: cum ſacra ſcriptura ſit immediatum Dei verbum ſcriptoribus revelatum, & inſtitutum medium humanæ ſaluti prorſus neceſſarium. Decreta vero Eccleſiæ univerſalis credenda tanquam legitima & juſta ſi tota in ſe conſiderentur, ſcilicet quia in iis condendis præeſt Spiritus Dei (Act. 15. Matth. 16.) qui ea ab omni infidelitatis ſpurcitia & inſcitiæ errore vindicat circa res ad Eccleſiam univerſam ſpectantes. Ea propter ex Eccleſiæ ſtatuto ſunt paſſim media humanæ conſequendæ fœlicitatis neceſſitate præcepti, non medij. Quo fit ut verè ſit hæreticus is, quicumque talia ſancta non credat. Cum ergo taliter ſentire de ſingulis Dei verbis ac Eccleſiæ univerſalis decretis neceſſarium ſit ad ſalutem, quod æque extendi poteſt, ut ex dictis in apparatu hujus ſummæ præſupponimus ad traditiones cum ex his ſuos canones Concilium expreſſerit, neà petuicacibus iſta pro nihilo habentur. Sic Deus terribiliter comminatur Deuter. 28. *niſi cuſtodieritis & feceritis omnia verba legis hujus quæ ſcripta ſunt in hoc volumine & timueritis nomen ejus glorioſum ac terribile, hoc eſt dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas & plagas ſeminis tui.*

Marcus Antonius de Dominis Archiepiſc. Spalatenſis per Farraginem quatuor librorum de rep. Eccleſ. orbi Chriſtiano ſatis notus, cum pro ſeptimo capite conſilij ſui ab Eccleſia Romana diſcedendi, novorum articulorum fidei in Rom. Eccleſia confictionem

tionem propoſuiſſet in horum librorum damnatorum proœmio, ſic exceptus eſt à Zacharia Boverio in Cenſura Paræneticâ. Sex iam monſtruoſi tui conſilij capitibus abſciſſis : ſeptimum obtruncandum aggredior de quo ita ſcribis. Vidi iam & apertiſſime perſpexi Romæ abſque vllo legitimo fundamento, imo per ſummam vim innumeros fidei articulos, novos quotidie cudi & nobis obtrudi, in his non modo quæ ad fidem divinam nihil pertinent, ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem &c. Cum hæc tua legerem, inquit Boverius, mihi alterum Nabuchodonoſorem audire videbar qui nos illis verbis compelleret (Danielis 2.) *Vidi ſomnium & mente confuſus ignoro quid viderim. Somnium i. aque dicite mihi*, &c. Quis profecto non videat te nobis hanc ſomniaſſe calumniam : neque aliud eſſe quod de nova hac articulorum fictione dicis, præterquam merum tui cerebri figmentum, nulla rei veritate ſubſiſtens? Certa quidem eſt illa Lirinenſis vox quæ ad præſentem quoque Eccleſiæ ſtatum pertinet: Chriſti Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua. Quod non immerito dixerim de Synodo Tridentina. Nova hæreſis ex veteribus, quibuſque hæreſibus cento erat, nihil fere intentatum & intactum reliquere in doctrina & diſciplina Eccleſiæ Chriſtianæ in terris militantis, acceſſerant plurium de gremio ipſius corrupti mores & abuſus merito reformandi. Non potuit Synodus minori anathematum frequentia omnia iſta componere. Tot morbi curandi erant, tot vulnera in omni ſtatu, ut non minori cenſurarum, medicinalium pœnarum numero curari potuerint. Itaut etiam augeri potuiſſet harum numerus, ſi tempora permiſiſſent diutius prorogari Synodum. Needum enim omnibus ſatis manifeſte provident, ut ex erroribus Bajanorum & Janſenianorum poſtea patuit, quod ad eorum radicem (qualis eſt reprobatio ſine intuitu operum, & præmotio Phyſica, & quædam alia hujuſmodi principia) Synodus ſecurim non appoſuiſſet, ut ex ante dictis patere poteſt. Sed accedat ad Boverium ex Ordine D. Franciſci ſtrictiori ſocius Pater Ivo Capucinus orbi literario non ignotus, *frater* enim *qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma*. Proverb. Reſpondet ille tomo 4. Theologiæ naturalis vulgari idiomate conſcriptæ cap. 29. querimoniis quæ à quibuſdam fiunt quod Religio Chriſtiana proponat præcepta ſervanda ſub pœna peccati mortalis : ac poſtea non aliter fieri potuiſſe oſtendit quin Eccleſia Dei quæ ſalutem noſtrum omnium peropeat, ſub tali pœna obſervanda Dei ipſius præcepta denuntiaret, cum aliter nobis miſere adularetur, & nos deciperet in via ſalutis, atque à Deo ad quem nos debet conducere, abalienaret potius. Quod cum libertini fateri cogantur : attamen conqueruntur quod præter Dei præcepta nova quædam alia inſtituerit Eccleſia ſub pœna etiam peccati mortalis. At quid ad hæc? cum homines ignorantia plerumque obcæcati ac variis impulſi paſſionibus incapaces exiſtant ad noſcendum quis ſit ſenſus Dei, & quis cultus benè determinatus quo coli debet à nobis, debuit Eccleſia nobis leges præſcribere : tales autem leges obligatorias eſſe convenit, quippe nomen legum non mererentur nec obſervarentur aliter. Intuendum enim eſt qualis ſit natura hominis ita in mollitiem & relaxationem vitæ propendens quam illi paſſiones ſuggerunt & ſuadent, ut tota ad vitioſa feratur, ſinon incutiatur gravis aliquis metus potentior ſpe præmiorum ad continendum ipſum in officio. Nec de multitudine præceptorum querimonia juſta eſt, cum mille modis à vero & à juſto aberrent homines, ſicut à ſcopo innumeris modis. Hinc ergo eſt, quod tot fulgura multiplicavit Eccleſia in Synodo Tridentina : conqueranturque hæretici de multitudine ſuorum errorum, quibus ab unitate fidei diſcedebant : non fuit remedium aptius: tali ſeveritate contineri debebat inſolentia prævaricatorum in recta fide.

Nec vero tutum eſt quod dicunt hæretici ſufficere quaſdam fidei veritates fundamentales, ut dicunt, recipere, quales ſunt articuli duodecim Symboli Apoſtolorum, & ſi in aliis erretur : non ita Apoſtolus cum arguit Galatas ut inſenſatos, quod cum fide in Chriſtum quam retinebant, circumciſionis adhuc neceſſitatem defenderent *Modicum fermentum*, inquit *totam maſſam corrumpit*. Quod eſt dicere, minimus in fide error totam fidem corrumpit. Nec enim Chriſtus plures fides tradidit ſed unicam, nec plures Eccleſias ædificavit, ſed unicam : at ex contradicentibus ſibi in fide opinionibus nec unica fides nec una Eccleſia conſurgit. Unde ab initio Eccleſiæ ubi errores exorti ſunt non ſolum circa divinitatem Chriſti, ſed in aliis fidei ipſius contrariis; ſtatim magno ardore pugnatum eſt per anathematiſmos per Concilia, per libros & per prædicationes. Exiſtimarunt ſancti Patres ſic inter ſe connexas fidei veritates, ut qui unam, deſtrueret cæteras, & rectam fidem redemptionis humani generis interpolaret. Quare dicebat Gregorius Nazianzenus orat. 37. in myſteriis religionis veræ unum uni cohærere, & ex eis quamdam auream & ſalutarem fieri cathenam. Et D. Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes in c. 9. Lucæ l. 6. unum horum ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem tuam; nam etiam hæretici habere ſibi Chriſtum videntur, nemo enim Chriſti nomen negat: ſed negant Chriſtum qui non omnia quæ Chriſti ſunt confitentur. Ac de his plura apud recentem ſcriptorem Biblioth. Theologicæ Dominicum à ſancta Trinitate tomo 3. l. 1. act. 3. c. 6. *Quid eſt negare Chriſtum.*

Quæ cum ita ſint, præſtaret ſane has querelas dimittere & unum quemque ex adverſariis Synodi Tridentinæ ſibi ipſi providere per obedientiam & captivitatem intellectus in obſequium fidei contra ipſius anathemata. Quæ ſi modo tanquam flumina bruta parvi pendantur : at veniet tempus angustiæ & mortis in quo tot hæretici manifeſti & Theologi maleſani in fide de excommunicationibus Synodorum ac Pontificum nihil nunc ſolliciti ſentient ſe nullam partem habituros in Eccleſia triumphante, qui ab unitate Eccleſiæ militantis per ſpiritus ſui præſumptionem averterunt ſe per contemptum cenſurarum, quibus tunc ſe compeditos ſero nimium intelligent. Nec eſt infrequens iſtud peccatum, cui non incongruè adaptatur quod de peccato in ſpeciali tradit Seraphicus Doctor D. Bonaventura Dietæ *ſalutis*, tit. 1. c. 2. peccatum eſt ſicut vinculum quo ducitur porcus ad macellum & bos ad victimam, & quo ligatur falco ad perticam & ſimia ad truncum. Sicut enim carnifex ducens porcum non ſtringit nimis pedem ejus ne clamet : ſic diabolus non ſtringit nimis peccatorem per temporalem adverſitatem, ne clamet per confeſſionem vel orationem, ut ſic ducat eum melius ad macellum infernale, unde dicitur Prov. 7. *ignorat quod ad vincula ſtultus trahitur*. Item ſicut bos ligatus non ſentit ſe eſſe ligatum quando ducitur ad macellum, niſi quando vult fugere. Item ſicut ſimia non ſentit ſe eſſe ligatam, niſi cum vult pilotam à ſe removere : nec falco niſi cum vult de pertica volare : ſic peccator non ſentit vinculum peccati dum perpetrat & in peccato perſeverat, ſed tunc vincula ſentit, cum anima infelix à corpore recedit. Hæc verba ſimplicia ſunt, ſed magni ſenſus, & utinam contemptores cenſurarum ea ſibi mente imprimerent. Eccleſia quod ſuum eſt præſtitit cum magno labore & examine & attentione pro ſalute gregis Chriſtiani. Tridentina Synodus, quam eius anacæphaleoſim & recapitulationem reliquorum Conciliorum appellaverit, ob quatuordecim congregata, diſſipandas hæreſes, corrigendos mores, reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam & pacem Chri- *Metuenda excommunicatio.*

ſicut oculus eſt ſufficiens ad videndum ſine luce, & cum luce eſt efficax ad videndum : ita homo cum gratia ſufficienti non operatur, ſed cum efficaci. Fallaciter enim hoc affirmatur. Oculus enim non eſt ſufficiens ad videndum ſine luce, ſicut nec citharœdus ſufficiens ad citharizandum ſine cithara vel ſine arte : nec avis ad volandum ſine alis. Quod ſi Deus nos juberet volare ſine alis, vel cum alis ligneis, eſſet irriſor, &c. Si nobis imputaret ad culpam quia non videmus ſine lumine, & quia non volamus ſine alis, & hoc per decretum antecedens ad iuſſionem &c.

Ex cap. xi. Lutherani & Calviniſtæ aſſerunt Deum oſtendere voluntatem ſalvandi omnes in lege & Evangelio. Attamen decipere iuxta illud Pſalm. 72. *Verum tamen propter dolos poſuiſti eis : dejeciſti eos dum allevarentur.* Aſt hoc non eſſe peccatum Deo, quia Dominus eſt. Contra hos eſt communis conceptio hominum omnium, & tota ſcriptura Dei quæ non mentitur . . . *Venite ad me omnes*, &c. & *quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*, &c. *Qui vult omnes ſalvos fieri & neminem perire*, &c. & *nolo mortem peccatoris*, &c. & *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et quidem hæc omnia eſſent mendacia Dei, ſi Deus ſtatuiſſet antecedenter ad merita plurimos reprobare.

Sic uno dato abſurdo multa alia dari conſequium eſt. Item nequaquam Deus miſiſſet animas in mundum, ut in corporibus militando merita ſibi acquirerent, ſed ſtatim creatas poſuiſſet illas in paradiſo, has in inferno, nec dixiſſet *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, &c. *ante hominem mors & vita*, &c. Quæ proponit Deut. 30. promiſſa conditionata. Ad quid ludus iſte animarum corporibus perſonatarum cum falſis pollicitationibus, ſi bene fecerint, recipient bona æterna ; ſi male mala æterna ? cum æternaliter ipſe decreverit nobis bene & male facta & temporaliter ad utraque moveat, itaut reſiſti à nobis non poſſit, & inevitabiliter ſuccedant : cum ab æterno reprobatio à reprobo ſeparari non poſſit, ut faciat ſenſum diviſum eum qui ſemper eſt compoſitus.

O facinus (clamat apud Homerum Jupiter) *mortale genus vos numina primum*
Incuſat, fontemque putat cauſamque malorum
Quæ veniunt : ſua ſed pereunt ob fata nefanda,
Cum præter fatum ſibi ſponte incommoda quærant.

Ratio hujus rei deſumi poteſt ex hoc quod & ſi liberum ſit opinari quoad exercitium actus, eliciendo vel ſuſpendendo actum intellectus circa ea quæ non videntur clare, non eſt tamen liberum quoad ſpecificationem actus, ut intellectus putet aliquid verum vel falſum pro arbitrio voluntatis : cujus rei cauſam aſſignat Ariſtoteles l. 2. de anima textu 153. imaginari eſt liberum, nam pendet ab arbitrio : at opinari non ſic, nam pendet totaliter ab objecto cui ſoli debet conformari in aſſenſu vel diſſenſu ut verus ſit : at objectum non eſt in poteſtate arbitrij noſtri. Unde cum illud quod in agendo pendet à movente neceſſario agat, & intellectus in aſſenſu opinativo pendeat ab objecto cui tantum debet conformari ut ſit verus vel falſus, illudque objectum ſit tale independenter à voluntate, non eſt in arbitrio poſitum, ut intellectus adhæreat alicui propoſitioni tanquam veræ, vel illi diſſentiat ut falſæ. Ac ſicuti ſtatera ponderibus inclinatur in hanc vel illam partem : ſic intellectus ponderibus rationum ac motivorum apparentium in judicando de rerum veritate aut falſitate neceſſario inclinatur & determinatur, & ſi ita determinatus velit in prazi contrarium ſequi, diſſimulator eſt & proditor perſpicaciæ ſuæ mentis & agit contra conſcientiam reclamantem, imaginaturque ac fingit, non opinatur. Hanc concluſionem multis tum Philoſophorum, tum Theologorum celeberrimorum auctoritatibus, nec non decem argumentis pro-

Intellectus in opinando non eſt liber.

bat quiſquis auctor eſt diſputationis de *Opinionum præxi*, quæ Genuæ edita eſt an. 1652. Sed & ante ipſum Joannes Picus comes Mirandulanus eamdem doctrinam in ſua Apologia pluribus rationibus valde evidentibus confirmat : ut eſt illa, quod quis interrogatus cur credat potius fidei Chriſtianæ quam Mahumetanæ, non aſſignabit ſuæ voluntatis actum, ſed potius motiva fidei Chriſtianæ quibus determinatur ad credendum : & ſi unus crederet, alter non crederet præciſe quia vult, eſſet actus tyrannicus voluntatis & in neutro appareret major vel minor rationabilitas, quæ ut ait Albertus in 3. de anima, cum voluntas ſic agit præciſe quia vult ſic agere, aſſimilatur tyranno Hac igitur aſſertione ſuppoſita, intelligi poterit quanti ſit momenti non adhærere quibuſdam propoſitionibus ex quibus aliæ per ſatis evidentem conſequentiam inferuntur & offeruntur intellectui. Ut enim verum vero congruit, ſicut in Lateranenſi V. dictum eſt ſeſſ. 8. ſi propoſitiones illæ antecedentes & velut fundamenta aliarum veræ habentur, ſimiliter & illæ veræ exiſtimabuntur quæ ex ipſis tanquam filiæ ex matribus prognatæ erunt. Quare prædictum Concilium, ut ibi viſum eſt, modum adhibuit Philoſophis, ne docerent illas opiniones Philoſophorum quæ minus fidei veritatibus congruerent. Nam inde fides labefactari incipit : namque ut aiebat Cyrillus Alexandrinus l. 1. contra Julianum, Philoſophia catechiſmus eſt ad fidem: Atqui ſi ita eſt de propoſitionibus Philoſophicis, quanto magis de Theologicis quæ cum aliis Theologicis magis conſpirant, qualis eſt doctrina de reprobatione mere gratuita & de prædeterminatione ac præmotione Phyſica omnium actuum, ad quam pertinet gratia per ſe efficax, ut intelligitur à pleriſque, paucis data ad modum gratiæ gratis datæ, &c. Id ſane advertiſſe videntur plerique Ordines religioſi, dum in Capitulis generalibus aut Provincialibus prohibuerunt ſub gravibus pœnis omnibus Lectoribus & concionatoribus ne non ſolum propoſitiones illas damnatas docerent, ſed etiam quæ iis affines ſunt ; itavt iis datis & conceſſis, aliæ erroneæ inferantur quod omnes ſimul inter ſe junctæ ſint : ut idem iis accidat quod catenarum anſulis ſibi innexis & perplexis, quarum ſi quis unam accipit, etiam cæteras attrahat neceſſe eſt. Extant plura hujuſmodi decreta in Appendice xl. diſput. Antonini Moraines, ſcilicet Capucinorum an. 1650. Junij 25. Benedictinorum Congregationis ſancti Mauri in Gallia in comitiis generalibus habitis Vindocini an. 1647. ubi ſancitum eſt ut omnes Theologiæ Profeſſores gratiam ſufficientem quæque ei annexa ſunt profiteantur ac doceant, neve ad peregrina dogmata, neglecta Doctorum Regia via temere deflectant, &c. Congregationis Fulienſis in capitulo generali, in Monaſterio S. Bernardi Pariſiis habito an. 1646. ubi prohibet Fratribus docere, prædicare, defendere doctrinam Janſenij nuper introductam, & alias hujuſmodi quæ turbarum & rixarum occaſio eſſe poſſunt. Item RR. PP. Minimorum in Capitulo Provinciali an. 1650. Item RR. PP. Carmelitarum Diſcalceatorum in Capitulo Provinciali, in Conventu Carentonenſi celebrato an. 1646. die 24. Aprilis, & in altero an. 1649. die 23. Aprilis quo Decretum prioris capituli confirmatum eſt, ne doceatur doctrina Corn. I. Ipr. Epiſc. & ſimiles magnas in Eccleſia turbas excitantes, verbi gratia quod omnes actiones infidelium ſint peccata, quod Deus nolit omnes ſalvos fieri & alia hujuſmodi.

Decreta Ordinum religioſorum.

Ex quibus intelligi poteſt non ſimpliciter prohiberi doctrinam quinque propoſitionum, ſed earum etiam quæ illis ita annexæ ſunt ut eas inducant aut foveant. Quia vero in Ordine Dominicanorum etſi nulla ex prædictis V. propoſitionibus, tamen ſub prætextu doctrinæ Doctoris Angelici illa docentur de reprobatione & prædeterminatione quæ

9. Solos electos & Prædeſtinatos vere juſtificari.
4. Juſtificatos teneri per fidem credere ſe eſſe è numero prædeſtinatorum.
5. Juſtificatos non poſſe amittere gratiam &c.

In articulorum examine, illico in primo ſententiis eſt variatum. Theologi maximæ celebritatis articulum eum pro orthodoxo habuere & contrarium pro hæretico, quod ſcriptores Scolaſtici Divi Thomas, Scotus aliique ſic ſentiant. Nempe Deum ante mundi fabricam ex univerſa maſſa generis humani per ſolam meramque miſericordiam nonnullos elegiſſe ad gloriam, quibus efficacia media præparavit ad eam obtinendam, quod dicitur prædeſtinare. Horum numerum eſſe certum & determinatum neque incrementum admittere: cæteros quos non prædeſtinavit, non habere quod querantur quando Deus his quoque auxilium ſufficiens præparavit, licet revera alij quam electi ſalutis effectum non ſint conſequuturi. Rationem validiſſimam afferebant è D. Paulo ad Romanos, qui *Jacobum* in exemplo Prædeſtinatorum, & *Eſavum* reprobatorum citans profert ipſum ea de re Dei decretum, antequam naſcerentur pronuntiatum, non ex operibus, ſed ſecundum merum ipſius beneplacitum. Dein adjungebant ejuſdem Apoſtoli ſimilitudinem: ſicut figulus ex eódem luto format unum vas ad honorem & aliud ad contumeliam: ſic Deum ex eadem hominum maſſa quos ſibi viſum erat, elegiſſe, alios neglectis. Etiam D. Paulum ad id confirmandum citaſſe verba Dei ad Moyſem, *miſerebor cujus miſeriturus ſum*: non eſſe igitur volentis neque currentis. Item Deum miſereri cujus vult, *& quem vult indurat*, &c. Multa denique afferebant ex Evangelio D. Joannis & prope innumerabilia ex Auguſtino, qui quidem vir ſanctus ætate grandis in favorem hujus doctrinæ plurima ſcripſerat.

Iſtam tamen opinionem impugnabant alij non tanti nominis Theologi, duram, crudelem, inhumanam horribilem, impiamque vocantes: quippe quæ Deum efficeret & perſonarum acceptatorem, ſi abſque cauſa impulſiva unum eligeret, alium repudiaret; & injuſtum ſi propria voluntate homines damnationi adjudicaſſet, non ex ipſorum meritis, tantamque multitudinem hoc nomine creaſſet ut damnaret. Inculabant eam quod everteret liberum arbitrium, cum nec electi poſſint malum patrare, nec reprobi bonum: quod in barathrum deſperationis homines demergeret, ſemper addubitantes, an non ſint è reprobis: quod perverſis anſam improbe operandi daret, depoſito pœnitentiæ ſtudio, pro certo apud ſe ſtatuentibus ſi electi eſſent non perituros, ſi reprobi, incaſſum nulloque emolumento bonum operaturos. Fatebantur opera non ſolum non eſſe cauſam divinæ electionis, quod hæc ab æterno, illa longo intervallo præcedat; ſed ne opera quidam prævisa poſſe Deum impellere ad prædeſtinandum: immo ipſum velle pro infinita ſua miſericordia ut omnes ſint ſalvi, omnibuſque ad hunc finem idonea inſtrumenta ſalutis præparare, quæ ſinguli, prout ipſis videtur, pro arbitrij libertate aut admittunt aut rejiciunt. Quin etiam Deum in æterno ſuo conſilio prævidere, qui oblata adjumenta ſint accepturi & ea in rem ſuam converſuri, qui rurſus eadem ſint rejecturi: atque hos reprobare, hos eligere. Alioquin cauſam nullam apparere cur Deus in ſcriptura de peccatoribus tam frequentes querimonias habere, aut eiſdem ad pœnitentiam & vitæ emendationem revocandis tot exhortationes adhibere debeat: niſi efficacibus eos ad id mediis ad ea aſſequenda communiat, abſque hoc adjumentum illud ſufficiens ab alteris excogitatum omnino non ſufficere, quod ex ipſorum ſententia nullum unquam ſortitum ſit nec ſortietur effectum.

Prior certe ſententia magnum complexa myſterium & arcanum mentem hominis humiliabat, atque hinc deformitatem peccati, illinc divinæ gratiæ excellentiam intuentem, abjecta protinus ſui fiducia, in Deo plane defigebat. Altera vero magis plauſibilis, popularis ſpecioſa, & augendo mentis humanæ faſtui accommodatior, hoc ipſo & gratior erat fratribus, artem potius prædicandi quam accuratam Theologiæ cognitionem ſemper profeſſis; & auditis probabilior videbatur, quippe conſentanea rationibus politicis. Habuit quoque Epiſcopos Bitontinenſem & Halpenſem ſatis acres propugnatores. Ac profecto qui eam propugnabant quod rationibus mere humanis niterentur, apud humana ſapientes aliis plus poterant: ubi vero ad ſcripturæ teſtimonia ventum, cauſa facile cadebant.

Catarinus autem ejuſdem ſententiæ patronus, ut ſcripturæ nodos quos diverſæ partis Theologi nexuerant, diſſolveret, mediam opinionem comminiſcitur: nempe Deum, pro ſua bonitate è cœtu hominum panciſſimos aliquot delegiſſe, quos omnino ſalvare decreverit, eoque mediis potentiſſimis, efficaciſſimis, quæque fallere non poſſint, inſtruxerit. Cæteros omnes velle quidem ſalvos fieri, atque huic fini media omnibus ſufficientia præparaſſe, ſed penes ipſos relictum ea vel accipiendo ſalvari, vel rejiciendo damnari. Cauſam prædeſtinationis primorum eſſe ſolam divinam voluntatem, aliorum acceptationem uſumque divini auxilij & cooperationem eidem à Deo prævisam: cauſam vero reprobationis ultimorum prævisam à Deo perverſam ipſorum voluntatem in repudiando Dei auxilio, aut eodem male utendo. *Catharini opinio.*

Hæc in hiſtoria concilij Tridentini reperiuntur agitata fuiſſe, licet de iis nihil decretum fuerit expreſſe, cum à Concilio ſolum damnata ſit præſumptio temeraria de propria prædeſtinatione, intactis ipſius cauſis, aut modo quo fit ab æterno. Intelligimus tamen inde viſam fuiſſe aliquibus primam ſententiam Thomiſtarum probabilem propter ſcripturæ auctoritatem, aliam etiam multis probabilem (relinquimus enim nunc ſententiam Catharini) propter rationes. Sed qui oſtenderet caput nonum ad Romanos nullo modo favere primæ ſententiæ, ſed ſecundæ, haberet profecto illa ſententia quidquid ad fundandam penitus opinionem veram neceſſarium. At hoc eſt quod manifeſtum fecimus in Apparatu hujus ſummæ, ubi ſenſum totius Epiſtolæ ad Rom. rimari conati ſumus. Quod ſufficiat hic indicaſſe, ut acta congregationis redeamus. *Caput 9. ad Romanos non ſatis intellectum.*

Secundi articuli cenſura pro trium opinionum antedictarum varietate fuit diverſa. Catarinus enim primam ejus partem veram agnoſcebat propter efficaciam divinæ voluntatis erga eos quos Deus proſequitur affectu ſingulari: ſecundam vero falſam, tam propter ſufficientiam ſubſidij divini quod omnibus defertur, quam humanam in cooperando libertatem. Alij qui cauſam prædeſtinationis in omnibus tribuunt aſſenſui humano, articulum omnino damnabant utraque ſui parte. At qui ſententiam D. Auguſtini quæ Theologorum erat communis, eam diſtinguebant: in ſenſu compoſito eam veram eſſe dicentes, in ſenſu autem diviſo eam damnabilem. Quæ quidem ſubtilitas & Præſulum animis caliginem effudit licet exemplo familiari illuſtrata, nec ipſis auctoribus ſatis videbatur intellecta. Exemplum erat hujuſmodi: qui movet non poteſt conſiſtere: in ſenſu compoſito inquiebant, verum eſt, ſcilicet interim dum movet: ſed in ſenſu diviſo falſum, id eſt alio tempore. Sed dum huic propoſito applicatur, parum eſt appoſitum. Neque enim dici poteſt prædeſtinatum damnari poſſe aliquo tempore quo prædeſtinatus non eſt, cum ſemper in eo ſtatu ſit: & generaliter ſenſus ille diviſus locum non habet, ubi accidens à ſubjecto eſt inſeparabile, &c. *Senſus compoſitus & diviſus.*

Tali modo excepta in illo conſeſſu celeberrimo diſtinctio illa *in ſenſu compoſito & in ſenſu diviſo*, qua plures Theologi utuntur ad obſcurandas magis res per ſe difficiles, quam ad eas elucidandas. Si ſe

intelligunt, non intelliguntur tamen, aut concedunt quod ipſis pro abſurdo opponitur, concedentes verum eſſe in ſenſu compoſito præmotionem aut gratiam per ſe efficacem qualem intelligunt, officere libertati: Sed nec iſtud quidem verum eſt, cum liberum arbitrium poſſit reſiſtere gratiæ inexiſtenti nedum actuali ſed etiam habituali, & ſi firmius per modum habitus radicata ſit. Similis eſt alia diſtinctio in materia prædeſtinationis iuxta primam ſententiam de *intentione & remissione*. Vt enim tranſeat illa diſtinctio quatenus tangit prædeſtinatos: at quatenus tangit reprobos, quod Deus in primo inſtanti, ſine ullo intuitu operum, voluerit plures homines damnare ſeu negative ſeu poſitive, quod eſt odio habere gratis, non eſt hoc ſentire de Domino in bonitate, ut nobis præcipit ſapiens: & notæ quibus eam perſtringunt ſecundæ ſententiæ auctores, ſatis produnt, quam parum deceat illam in pulpitis exponere. Nihilne ergo, quæret quiſpiam, circa illas opiniones proderit Concilium Tridentinum, cum ſit tam gravis momenti illas non doceri, propter conſequentias ex ipſis deducendas?

Multum profecto proderit ſi attendatur ad illa ipſius doctrinæ capita, quod Deus non ſit auctor peccati, quod in homine ſit liberum arbitrium, quod mandata Dei non ſint impoſſibilia, quod poteſt homo Sp. Sancti inſpirationi reſiſtere, quod Deus neminem deſerat niſi prius deſertus ſit. Hæc enim excludunt ſatis prædictas opiniones, cum quibus non poſſunt conſiſtere: ut mirum ſit cur poſt Concilij doctrinam adhuc terram occupent, & quibuſdam Theologis Concilio adhærentibus, arrideant. Sed quod ſcripſit R. Iprẽus in ſuo Auguſtino in libro proœmiali de Caſuitis (ſi tamen tales unquam extiterint) quod *niſi quidpiam directe feriat ipſa decalogi verba*, licitum & minime prohibitum arbitrantur: ſic certe iſti niſi aliquod dogma directe feriat ipſa verba expreſſæ definitionis Eccleſiæ, rerum ac ſanum arbitrantur: nec minimum ſcrupulum patiuntur in rebus ſpeculativis quæ non ſunt in terminis definitæ per Eccleſiam. Quaſi non eſſet par obligatio in intellectu vitandi illa quæ non cohærent cum definitionibus Eccleſiæ, ac in voluntate avertendi ſe ab omni malo volito quod non eſt conforme ipſis verbis decalogi, etſi illa directe non feriat. de quibus legi poteſt D. Bernardinus Senenſis ſermone in feria 6 poſt Domin. 2. quadrag. ad hoc thema Matth. 21. *Malos male perdet*. Sed hæc obiter: nec enim iſtas quæſtiones licet ad vivum reſecare, ne prohibitam de auxiliis tractationem videamur ſuſcipere, & gratias illas quas vocant quidam, Dominicanam & Moliniſticam inter ſe componere, cum ſuis appendicibus ſub Clemente VIII. diſputatis: nec enim id noſtri inſtituti eſt; ſed quoniam prædeſtinationis grave momentum nullum non tangit in quo de ſumma rerum agitur, aliquid inſinuare minus eſperum, quam quod tradunt Calviniſtæ inter quos degimus.

Explicatio Prædeſtinationis magis conſona fidei.

Aſſertio. Cum varij ſint modi explicandi prædeſtinationis & reprobationis altiſſimum myſterium, is magis conformis videtur tum doctrinæ Doctoris Angelici, tum ſanctorum Patrum antiquorum, quo juxta duplicem Dei voluntatem, unam antecedentem & alteram conſequentem, aſſignatur duplex prædeſtinatio, una voluntatis antecedentis, altera voluntatis conſequentis: unica autem reprobatio quæ ſit ſolius voluntatis conſequentis.

Explicatur ut ſcribit D. Thomas in 1. ſent. diſt. 46. duplex eſt voluntas, antecedens & conſequens, & hoc contingit non ex aliqua diverſitate voluntatis divinæ ſed propter diverſas conſiderationes ipſius voliti. Poteſt enim in unoquoque homine conſiderari ejus natura: & aliæ circumſtantiæ ipſius, ut quod eſt volens & præparans ſe ad ſalutem ſuam, vel etiam repugnans & contrarie ſe habens. Si ergo in homine tantum ejus natura conſideretur, æqualiter bonum eſt, omnem hominem ſalvari, quia omnes conveniunt in natura humana, & cum hoc bonum ſit volitum à Deo, hoc etiam Deus vult, & hæc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines vult ſalvos fieri ſecundum Damaſcenum. Hæc D. Thomas conformiter ad D. Paulum 1. Timot. 2. *qui vult omnes homines ſalvos fieri*. Nempe voluntate antecedente, hoc eſt, præcedente conſiderationem operum hominis. Non enim repugnat Deum velle quidpiam ſecundum unam conſiderationem, quod non velit ſecundũ aliam conſiderationem: ut quia natura hominis prior eſt ipſius operationibus, in aliquo priori ordinis, Deus primo intuetur & fertur ad homines ſecundum naturam ſpectatos, quam ſpectatos ſecundum opera, ac in illo priori Deus prædeſtinat omnes homines æqualiter ad beatitudinem: nullum reijcit, nullam reprobat voluntate antecedente in illo priori. Omnes amat, omnes diligit, quia ſic fieri bonum eſt. Sed in altero inſtanti, perſpecta diverſitate hominum ſecundum diverſa opera, voluntate conſequenti & ſuccedenti iſti prævisioni diverſitatis operum: quia tunc non eſt bonũ & æquum omnes æqualiter beari, aliquos prædeſtinat & ordinat ad vitam beatam, alios ab ipſa excludit. Et hæc eſt prædeſtinatio voluntatis conſequentis, ſicut & reprobatio, qua qui jam erant dilecti à Deo & prædeſtinati ſecundum voluntatem antecedentem, delentur quodammodo de libro prædeſtinatorum voluntatis Dei antecedentis, juxta illud pſal. 68. *deleantur de libro viventium*: nam de libro prædeſtinationis voluntatis conſequentis, quia ipſa ſit conſideratis omnibus hominum operibus, deletur nullus: ipſa eſt indelebilis & infallibilis.

Prædeſtinatio voluntatis antec. & conſeq.

Unde dici poteſt, quod Deus voluntate antecedenti, ſicut Pater paterno amore, vult omnibus hominibus hæreditatem vitæ æternæ. Sed voluntate conſequente, cum illi objiciuntur homines in diſſimili vitæ ſtatu: ex patre mutatus in judicem, quos malos & ut degeneres filios intuetur exhæredat, à domo ejicit, ad pœnam ordinat & reprobat propter ipſorum culpam & finalem impœnitentiam.

Talis autem prædeſtinatio & reprobatio voluntatis conſequentis, nullum infert præjudicium libertati humanæ: quia quamvis infallibiliter hoc & illud operatura ſit in tempore, quod ſoli Deo notum eſt, id tamen eſt ex hypotheſi, quod ſe libere & ſine neceſſitate determinatura erat ad hoc & illud agendum: talis autem neceſſitas non officit libertati.

Quod ſi cui non arrideat talis explicatio tanti myſterij, non deeſt alia æque facilis aliquot ſequentibus aſſertionibus contenta.

1. Aſſertio: certus eſt apud Deum & in ipſius ſcientia numerus prædeſtinatorum qui nec minui nec augeri poteſt. Ita D. Auguſtinus l. de correp & gratia c. 13. probaturque ex loco ſapientiæ c. 2. *omnia in menſura, numero & pondere diſpoſuiſti*. Unde certus eſt apud Deum numerus paſſerum, avicularum & etiam capillorum capitis qui numerati ſunt. Quanto magis hominum aut Angelorum prædeſtinatorum? Probant id Primaſius Epiſcopus Africanus, Beda Preſbyter Anglus & Autbertus Monachus Benedictinus, omnes antiqui interpretes Apocalipſis, ex illo loco c. 3. ejuſdem Apocalipſis, *tene quod habes, ut alius accipiat coronam tuam*. Neque enim neceſſe eſſet, ut alius coronam alterius acciperet, niſi eſſet certus numerus prædeſtinatorum, quorum aliquo excidente, alius pro eo ſubſtitueretur ad eamdem coronam eumdemque gloriæ gradum.

2. Aſſertio (quoniam tanta eſt benignitas Dei, ut ſinat nos vermiculos, de iis quæ ſibi tantum nota ſunt & ab oculis omnium quamtumcumque ſapientum abſcondita, ænigmaticas conjecturas facere) non improbabilis eſt eorum meditatio, qui ita Deum

prædestinantem concipiunt, ut in æternitate in qua omnes homines possibiles illius adspectui infinito præsentes erunt, tot ex illis possibilibus & idoneis ad gloriam consequendam mediante gratia & libertate sua destinaverit ac proposuerit è nihilo educere & creare, quot volebat esse qui gloria sua frueren-

Doctor Suiernus in Opusc.

tur. Verum cum ex illa multitudine hominum creandorum in eadem æternitate provideret multos defectu cooperationis liberi arbitrij, justitia sua id exigente, a gloria excludendos: alios rursus è possibilibus hominibus creare proposuerit, pares numero illis qui primum excludendi prævisi sunt. Ac quia ex iisdem iterum prævidit plures iterum excludendos, justitia sua id exigente propter prævisum eorum peccatum & defectum liberæ cooperationis, alios similiter è possibilibus educere in lucem proposuerit: ac ita deinde, donec tandem tot homines createt, quod ex iis qui creandi erant, haberet numerum illum præfixum prædestinatorum qui præventi gratiæ auxiliis, cooperando & perseverando tales inveniretur in hora exitus, qui admittendi essent ad gloriam æternam. Hanc porro substitutionem pluribus similitudinibus expressam legimus in libris Revel.

Revelat. S. Brigittæ

S. Brigittæ, qui libri numquam non erunt in debita æstimatione apud me, post insignium virorum approbationes, sicut & punitiones manifestas plurium qui contemptui habebant. In his Deus seipsum comparat vitrario lib. 6. cap. 44. qui uno vase confracto mox aliud conficit, & c. 85. *revel. extravagantium.* Ego sum quasi fictor qui de luto facit pulchram imaginem ad hoc ut eam nobiliter deauret: evoluto autem aliquo tempore inspiciens fictor vidit imaginem humidam & quasi ex humore deformatam; os quippe retortum à pulchritudine sua factum est quasi os canis, &c. tunc dicit Magister: non es digna ut vestiaris auro: & arripiens co-uminuit, & facit aliam auro suo dignam. Ego sum ille fictor qui hominem feci de terra ad hoc ut auro divinitatis meæ eum insignirem. Nunc autem amor voluptatis ejus & cupiditatis sic eum deformaverat, ut indignus sit auro meo: nam os quod ad laudem meam creatum est nihil loquitur nisi placentia & proximo nociva. Aures nihil audiunt nisi terrena, oculi nihil vident nisi voluptuosa, frons humilitatis decciderat & erecta est superbia: ideo eligam mihi pauperes, id est, paganos despectos, & dicam eis, ingredimini & quiescite in brachio charitatis meæ. Vos autem qui mei esse deberetis & ignoviistis, vivite secundum voluntatem vestram tempore vestro, & in tempore meo, scilicet judicij, dicam vobis: Ecce tantum dabitur vobis de tormentis, quantum dilexistis voluntatem vestram plusquam Deum vestrum. Hæc ibi: qui habet aures audiendi audiat. Probatur quia processus iste, qui in Deo fit in instanti sine ordine prioris & posterioris temporis, conformis est isti loco Apostoli, *omnia propter electos*, etiam ipsi reprobi, ut patet ex hoc processu. Deinde in executione sic res ipsa videtur se habere, nam testatur Evangelium perditionem multorum esse aliis occasionem salutis. Parabolæ Evangelicæ de quodam homine faciente cœnam magnam, & de Domino vineæ, bellè id attestantur: sicut & Apostolus dum asserit ruinam Judæorum fuisse salutem gentium. Idemque significabat Joannes Baptista Matth. 3. *facite ergo dignum fructum pœnitentiæ & nolite dicere apud vosmet ipsos, Patrem habemus Abraham: potèns est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ad quæ verba

De correp & grat. c. 13.

D. Augustinus citato l. de correp. & gratia c. 13. ut ostendat, inquit, sic istos esse amputandos, ut non desit numerus qui promissus est Abrahæ, &c. si enim unus non est accepturus nisi alius perdiderit; certus est numerus.

3. Assertio, numerus prædestinatorum apud homines, incertus est: nec quilquam absque speciali Dei revelatione potest certus esse, quod sit de illo numero. Id sæpe inculcant scripturæ, ut nemo præsumat & unusquisque cum metu & tremore salutem operetur. Sicque Concilium Tridentinum definivit. Unde idem D. Augustinus quod dictum est Angelo i. Episcopo Philadelphiæ, vult dictum omnibus prædestinatis. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, ne altum sapiant nimis. Quis enim, inquit, ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Sathanæ Angelum ne extolleretur, tantus colaphisaretur Apostolus 2. ad Cor. 12. ac propter utilitatem hujus secreti ait quosdam reprobos in fide quæ per dilectionem operatur incipere juste vivere, & postea cadere: ut nemo sit securus, & incertum maneat quis perseveraturus sit usque in fidem, quia præsumptio in hoc loco tentationum non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Ratio desumitur ex hoc quod nescit homo, si habeat illa opera quæ dicuntur, *ut oportet*, an ex habitu naturali rectè agit quæ agit. Fallitur etiam sæpe circa puritatem intentionis suæ, & licet in iis nihil desideretur, præditus est tamen libertate volubili & inconstanti voluntate, quam ignorat ad quam partem crastina luce aut post aliquot menses, sese vertet. Interim stat sabitque lex Dei æterna, neminem ex adultis, de quibus hic sermo, salutem adeptum iri, nisi libere gratiæ cooperando ac perseverando usque in finem.

At inquiet quispiam, cur Pharaoni & Judæ aliisque quos cum proposuit creare excludendos à gloria prævidit, majora & potentiora auxilia non præparavit & dare disposuit? Sic sapientia Dei æquissimi & optimi dispositum est, ut certa esset mensura tum illustrationum ac revelationum circa objecta fidei credenda, tum inspirationum & motivorum circa bona per voluntatem diligenda, ut rebus in quodam æquilibrio relictis propter varia momenta ex utraque parte trahentia aut impellentia, semper esset locus humanæ libertati, sufficienter nihilominus gratiæ auxiliis adiutæ, non minus sufficienter in iis qui pereunt quam in iis qui salvantur. Ut culpa sit ipsius qui perit, cum plures etiam salventur, cum infirmioribus auxiliis quam illa fuerint quæ supra sufficientiam collata sunt Pharaoni & Judæ: qui duo etiam si potentius adiuti fuissent, quid melius speravisse? Ex hinc porro deducitur generationes hominum adhuc durare, necdum mundum finiri, quia necdum completus est numerus electorum, propter multitudinem eorum hominum qui cum in præcedentibus sæculis male usi fuerint gratia Dei & libero suo arbitrio, excluserant se suo demerito ab illo numero, quem forsan complere potuissent: quare in eorum locum alij sufficiendi sunt per generationum continuationem, usquequo locus omnis convivij cœlestis repletus sit, nec sit vel unius locus vacuus; tamdiu enim durabit hic mundus, & vocabit Deus homines ad magnam cœnam juxta parabolam Luc. c. 5.

Corollaria notanda.

4. Assertio, finis prædestinationis non est tam gloria ipsorum electorum, quam gloria ipsiusmet Dei qui omnia quæcumque agit, propter se agit & ut inde glorificetur Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Id est, quod sint reprobi ad diem malum damnationis reservati, id totum ad majorem Dei gloriam. Itaque prædestinatio & reprobatio, salus & perditio hominum sunt coram Deo unquam media suæ glorificationis, quæ major inde elucebit. Unde confirmantur quæ dicta sunt, quod Deus in prædestinatione & reprobatione habuerit scientiam tam bonorum quam malorum operum omnium hominum: quia non aliter cederet majorem illam gloriam Dei, acceptare voluntate consequenti & absoluta quosdam ad felicitatem, alios excludere &

ad ſupplicia deſtinare, niſi præſuppoſita notitia futu- A rorum operum ob quæ id rationabiliter fieret. Explicatur ex comparatione regis cujuſdam potentiſſimi, cujus gloria eſt, ut eos habeat aulicos & curiales qui ſibi amici & obſequentes fideleſque fuerint, non perfidos non rebelles: ac ſi qui tales inventi ſint, honor ejus eſt ut eos opprimat debitiſque pœnis afficiat, nullum vero ex ipſis ad delitias & honores ſuæ curiæ admittat, niſi prius debita ſatisfactione culpam eluerit, & in gratiam redierit. Quod ſi aliter ſe res haberet, inglorius eſſet iſte Rex. Simile quid cogitare debemus de Deo juxta illud 1. Reg. 2. *Quicumque glorificaverit me glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Hæc eſt lex æterna, qua ſarta tecta manet Dei gloria. Quare qui prædeſtinationis & reprobationis analyſim & reſolutionem ponunt in nuda Dei voluntate, non ſatis B conſulunt Dei gloriæ, ad quam potius reductio illa facienda eſt: Ut electi Dei gloriam ſuſpiciant, cui ſumme debitores ſint, reprobi vero agnoſcant illam gloriam compati non poſſe, ut quamdiu manſerint Dei mandatis inobedientes & in infidelitate obſtinati, tanquam filij & amici à Deo habeantur. Unde etiam fit ut ipſi reprobi debuerint habere media ſufficientia ad obtemperandum Dei mandatis & ſalutem operandam: quoniam non eſſet gloria Dei, homines innoxios & aliunde omnino impotentes, ſine malis demeritis, deſtinari ad æternum cruciatus. Sic igitur quicquid agant homines, in quamcumque partem vertant ſeſe, numquam Deus privabitur gloria ſua ſibi propria: quare dicit per Iſai. c. 1. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis & de inimicis meis vindicabor*, & c. 48. *gloriam meam alteri non dabo*, etſi C electos gloriæ conſortes ſuæ maxime efficiat.

Gloria Dei in quo ſita eſt.

Hæc autem prædicatio non poteſt non ſolari bonos ut perſeverent, & impios concutere ut ad meliorem frugem redeant, provt in eorum arbitrio poſitum eſt. Contraria vero prædicatio, quæ ad voluntatem Dei ſummo jure dominantem refert, quod hi electi ſint, hi reprobi, diſſolvit manus hominum & animos dejicit, cum vident rem illam concluſam eſſe ab æterno, nullo habito reſpectu ad ſua opera. Aliunde vero rem totam reducere ad libertatem hominis, excluſo gratiæ interioris adjutorio, Pelagianum eſt. Relinquitur itaque via media tutior præſcientiæ mediæ operum & gratiæ adjutorio in quorum futurorum prævisione in electis Deus ex ſumma gratia eos creare propoſuit, licet alij multi eſſent in pari ſtatu futuri quos creare noluit ex altitudine ſa- II pientiæ ſuæ: ex qua etiam ſtatuit creare eos, quos prævidebat minime ſuæ gratiæ cooperaturos ac damnandos, ſed propria ſua culpa, ut miſericordia eſſet quod crearentur, juſtitia quod damnarentur: ſicut Rex qui eo glorioſior eſt quo magis auget rempublicam, etſi in majori numero ſubditorum inveniendi ſint, quos ſuppliciis deprimere, æquum regimen poſtulabit, ad aliorum tutelam & indemnitatem, ut explicat D. Thomas in Opuſc. de Præſcientia & de Prædeſtinatione, ubi quatuor iſta docet inter ſe ordinata, ſcientiam, præſcientiam, providentiam & prædeſtinationem, de cujus etiam eſſentia docet eſſe ipſam præſcientiam c. 1. in quo ordine, ſi diligenter attendatur, minimè principia habet communia cum Calvini prædeſtinatione, quæ ob ſuam atrocitatem à pluribus ex ſuis tolerari non E potuit, de qua theſes iamprídem Bernenſes edicto vetuerunt & Trigurini exuſſerunt: & Ordines Hollandiæ, ne vel ex ſcripto vel ex cathedra populo proponeretur an. 1614. prohibuerunt. Ut apud Romæum in Effigie Calvini videre eſt. Quanto magis eidem Generales Ordinum religioſorũ prohibere pot eſſet? At quid de prædefinitione æterna & præmotione Phyſica in tempore? licet enim ſententiam proferre, modo hæreſis notam contrariæ ſententiæ non inferas juxta Decretum Pauli V. ſit igitur.

5. Aſſertio: prædefinitiones Dei circa actus liberos hominis diſiunctivæ ſunt: itaut ad unum ex duobus ferantur, ſcilicet quod homo vel actus bonos eliciat, vel pœnam & damnum incurrat: atque cum ex duobus alterum infallibiliter eveniat, ſemper Dei voluntas impletur & retinet dominium ſuum in hominem ad quodcumque ſe vertat, nec vllus voluntati ejus reſiſtit, facitque de homine & in homine quicquid vult.

Probatur, quia ſcriptura nobis indicat hanc eſſe voluntatem Dei ut homo vel illud agat vel puniatur, Pſal. 24. *Omnes viæ Domini miſericordia & veritas*, hoc eſt, quicquid vult Deus circa hominem, vult primo ex amore & benevolentia: ſi id non ſuccedat, agit ex juſtitia & ſeveritate: neciſta duo diſiuncta ſunt in mente Dei, quæ dum homines diſiungunt in nodos difficultatum inextricabiles incurrunt. Sic dicitur Eccleſ. 15. *Appoſui tibi aquam & ignem.* Non aquam ſolum, ſed ignem ſimul. Sic Eccleſiaſtici 15. *Reliquit hominem in manu conſilij ſui*, &c. Denique eo tendunt omnes cohortationes & commi- B nationes ſcripturæ.

Probatur 2. ex D. Auguſtino l. de Spiritu & litera c. 33. qui enim dicit, volo ut omnes iſti ſervi mei operentur in vinea, ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat, videtur quicumque contempſerit, contra voluntatem domini ſui facere: ſed tunc eam vincit, ſi & piſtrinum effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate: & idem l. 1. c. 14. contra adverſarium legis & Prophetarum: Nec enim voluit Deus quod non potuit, hoc enim voluit, ut aut obediens homo eſſet, aut inobediens impune non eſſet. Ubi videtur inſinuare D. Auguſtinus, ſuppoſita libertate hominis, Deum non potuiſſe velle abſolute & præciſe obedientiam hominis, quin in ejus eſſet arbitrio, eſſet enim ſimul ædificare & deſtruere, & contradictoria velle. Quamvis iſtud diſcuſſionem majorem requirat. Item in l. de correp. & Grat. c. 14. ubi dixit quod Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium, ſubjungit iſtam rationem. *De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult*, nempe, puniendo.

Item Proſper Aquitanicus ita ſæpe voluntatem Dei explicat, ut in reſp. ad object. xvi. ex Vincentianis. Qui enim voluntatem Dei ſpreverunt invitantem, ſentient vindicantem. Unde inferre licet voluntati Dei ſi complete ſumatur, neminem reſiſtere: ſed dum ad unam tantum illius partem attendimus, ſimiles illis ſumus qui verſum aliquem integrum audire volunt, ut judicent.

6. Aſſertio, Deus præſcivit ab æterno actus liberos & morales hominis non in ſua voluntate ſimpliciter ſpectata, quia indeterminata eſt: ſed in ſua voluntate determinante creationem hominum in tali ſtatu & occaſionibus ac circumſtantiis rerum externarum, cum ejus temperamento ac diſpoſitione interiori. Probatur quia hac poſita voluntate, Deus altitudine ſui intellectus penetrat agenda ab homine, in gradu altiori & eminentiori, quam faceret vir ſagaciſſimus aut Angelus cœleſtis: atqui vir ille vel Angelus agenda ab homine agnoſceret probabiliter, ſaltem quoad multa: ergo Deus agnoſcet infallibiliter quoad omnia. Confirmatur, quia homo determinatur ad agendum ex diſpoſitione & habitibus & temperamento, & ex occaſionibus, exemplis, hortationibus, conſuetudine, auxiliis, excitationibus, adjutoriis & hujuſmodi. Quæ omnia cum intime perſcrutetur Deus, meliuſque cognoſcat hominem quam ipſe homo ſeipſum, certo & infallibiliter præſcit quæcumque acturus eſt in voluntate prædicta. Et cum gloria æterna annexa ſit actibus bonis, ſicut & damnatio malis, videt conſequenter horum gloriam, ſicut & illorum damnationem, ac ſic prædeſtinat ac reprobat.

Porro ex his duabus aſſertionibus tolluntur multæ difficultates,

difficultates? Nam ſi Deus prædefiniat eorum diſjunctive hoc aut illud, non eſt neceſſe admittere prædeterminationem Phyſicam ad hoc ut prædefinitiones æternæ ſuum actum habeant: neque ad hoc ut dominium Dei ſervetur & omnipotens ejus voluntas impleatur: quia per hunc modum fit quidquid vult Deus nec ullus effugit ejus voluntatem: deinde libertas hominis omnino ſalva & intacta remanet, nec illi metuendum eſt ex parte prædefinitionis divinæ, quæ nullam neceſſitatem ei imponit, ſed veluti cum quadam reverentia eam habet, aut velut florem aut gemmam, ut ſic loquar, delicato quodam contactu eam tractat, ac ſicuti plectrum cum Cytharæ conſonis fidibus conſentit. Juxta illud ſap. 12. *Cum tranquillitate judicas & cum reverentia diſponis nos.* Quare nec neceſſe eſt fingere novas & exteras definitiones libertatis ad componendam ipſam cum aliis. Sicut fecerunt nuper Gibius & alij indifferentiam ad plura à libertatis definitione eradentes.

Quare debet ſufficere abſque multiplicatione entium ſine neceſſitate, Quod Deus poſt creatam cauſam ſecundam & continuo conſervatam & inſtructam virtute requiſita ad agendum, adjutamque ſimultaneo concurſu, nequaquam ad eam gubernandam, illam præmoveat impreſſione cujuſdam entitatis innominatæ & ineffabilis & mirabilis & mirificæ, ut loquitur Franciſcus Cumel. tom. 2. diſc. 5. ſect. 2. quæ actioni præeat, ac cum ea avolet. Sed abſque ipſa, attingat à fine uſque ad finem & diſponat omnia ſuaviter, dum & initio potenter omnia creat tanquam prima cauſa, & in fine actionibus hominum vel præmia vel ſupplicia decernat jure ſui dominij ac tanquam ſupremus judex: inter utrumque vero diſponat omnia ſuaviter, præparando cauſas neceſſarias effectibus neceſſariis, contingentes vero contingentibus ac liberis actibus hominum, quibus alliciantur & adjuventur, retento jure libertatis & dominij ſui in actus proprios, quod Deus deſtruere non intendit: ſi aut tamen partibus hujus mundi magis inſignibus, quales ſunt in domo fundamentum, parietes & tectum, cauſas potentiores & aptiores diſpoſuerit, minus præcipuis quales ſunt picturæ & ornamenta in eadem domo, non ita potentes & infallibiles: ſicque propter ſummam bonitatem & ſapientiam omnia gubernat quæ condidit, nihilque horum negligit, licet certam menſuram gratiarum diſtribuere & largiri voluerit inter homines ex alto & inſcrutabili judicio: Tantum vero abeſt ut relicta homini indifferentia ad agendum quidquid vult & poteſt ſine illa prædominante gratia per ſe efficaci quidquam detrahat abſoluto Dei dominio, ut quidam cauſantur: quin potius id magis probat ſupremam Dei potentiam, independentiam & quod minime hominibus indigeat: cum relictis hominibus ſibi ipſis, ut tendant quo velint, non poſſint tamen perturbare divinæ providentiæ ordinem: nec eos neceſſitat ad ſerviendum ſibi: ſicut heri ſolent famulos & ſervos, quia non indiget ipſis. Quidquid agant, ſtabit & vivet ipſius gloria: & ipſe tantum bonum eſt, ut deceat ipſum non neceſſitate actos homines eligere, ſed cum omnimoda libertate. Ut ita cum poſſent homines bene vel male agere, per propria merita præmium beatitudinis conſequerentur, vel debitis ſupplicijs afficerentur: ſicque ex libertate hominis fulgeret juſtitia Dei, in malos ſeveritas, in bonos major charitas. de quibus Bellarminus lib. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 18.

Quid ergo ſi Deus crearet hominem talis mentis & complexionis, ut quibuſlibet gratiis interioribus & externis ad converſionem ipſum moraliter allicientibus reſiſteret, nec poſſet ullis gratiis talibus flecti & moveri? Attamen poſſet Deus illum ſalvare. nec aliter quam auxilio efficaci præmotionis phyſicæ: nec tamen in illo caſu talis præmotio ejus libertatem deſtrueret.

An omnibus gratiis quæ poſſ-

Negant quidam caſum eſſe poſſibilem, nec tantam poſſe eſſe duritiam cujuſcumque voluntatis, cui Deus non poſſit præparare auxilia ſufficientia ad eam molliendam in aliqua occaſione. Sed inſtant alij repugnare divinæ omnipotentiæ, quod non poſſet creare hominem omni congruæ vocationi repugnaturum cum ſciat etiam occaſiones in quibus innumeri homines qui pereunt ſalvarentur, ſi in illis creati fuiſſent. Reſpondetur poſſe hypotheſi talis hominis inconvertibilis, non poſſe ſalvari via ordinaria cum uſu ſuæ libertatis: poſſe tamen abſolute ſalvari ſi vellet Deus, nonobſtante duritie, ipſum ad cœlum evocare, indignis enim & immerentibus poteſt Deus ſua dona conferre, quantum ſpectat ad ſuam potentiam, licet id exigente juſtitia ſua numquam facturus ſit: ſed in locum pereuntium ſit alios ſubſtituturus quo aduſque numerus electorum ſuorum completus ſit, qui quantus futurus ſit, novit ipſe, cui ſit gloria & adoratio in ſæcula.

ferreſ. ſtare.

De ſuffragiorum diſſidiis in Concilio Tridentino.

SECTIO VII.

VAriantes plurium ſententias refert Polanus in Hiſtoria Concilij Tridentini, cui in omnibus fidem omnem non abrogamus.

Ex hinc cavillantur Proteſtantes cujuſcumque etiam Generalis Concilij ſententiam ac judicium, non eſſe totius Eccleſiæ judicium, quia nec in Concilio omnes adſunt, nec omnes, qui adſunt, ſemper conſentiunt. Sed reſpondetur in Concilio totam illam Eccleſiam adeſſe, quæ de dogmate fidei judicandi poteſtatem à Chriſto accepit, ut advertit Stapleto in libro à nobis indicato ad initium harum controverſiarum. Atque illi omnes conſentiunt, licet non ſemper in deliberando, tamen in definiendo. Atque hinc fit ut Concilij Generalis ſententia, ſit totius Eccleſiæ ſententia, atque authoritatem totius Eccleſiæ obtineat. Unde Auguſtinus tum alibi, tum contra Donatiſtas ſæpe, plenarij Concilij ſententiam, totius Eccleſiæ conſenſionem vocat. *Antequam*, inquit, *plenarij Concilij ſententia, quid in hac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet.* Et paulo poſt in eodem opere, Concilij Generalis decretum vocat *univerſa Eccleſia ſtatutum.* Plenaria autem *Concilia vocat, quæ ex univerſo Chriſtiano orbe ſunt.* Non quod præciſe ex univerſis provinciis Chriſtianis, ei omnes Epiſcopi neceſſario adeſſe debeant, ſed quia vel ex univerſis provinciis aliqui Epiſcopi, vel ex pleriſque provinciis, & multo majori ac celebriori orbis Chriſtiani parte, plures Epiſcopi in hujuſmodi Conciliis convenire ſoleant. Prævia convocatione generali, ac nullo Epiſcopo non excommunicato, excluſo.

Concilij generalis ſententia totius Eccleſiæ judicium eſt.

De bapt. contra Donat. l. 1. cap. 18. l. 2. c. 1. & 9. l. 2. cap. 3.

Quod & factum eſt in hoc Concilio ad quod omnes totius orbis Chriſtiani Epiſcopi vocati fuerunt, ipſi quoque Græci, ut diximus ex Arcudio lib. 4. *de concordia utriuſque Eccleſiæ cap.* 5. Quamvis, ne adventus eorum in Italiam ſuſpectus eſſet Turcæ, abſentiam ſuam excuſaverint. Sed illis multo remotior Patriarcha Mozul venit ex regionibus ultra Euphratem ad Pium IV. anno 1562. ac poſt præſtitam illi obedientiam ſuſceptamque ab illo inſtructionem Catholicam, Concilio interfuit, ut ejus definitiones ad Aſſyrios, Perſas, Indoſque eos referret, qui non pauci ſub ejus Patriarchatu Chriſtiani vivunt, dum alij qui tam prope erant adeſſe contempſerunt, nullius prætextum ſui ipſorum judicio ſubmiſſi. Sed & Synodo interfuerunt quinque Cardinales Legati, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi 33. Epiſcopi 235. Ordinum generales 7. Theologi 146. ad diſcutiendas difficultates antequam Epiſcopi ſuffragium ferrent, Oratores vero majoris partis principum ac ſtatuum totius Europæ. Et licet conſeſſus Epiſcoporum in

Græci vocati ad Concil. Trident.

exordio Concilij non esset adeo frequens, in fine tamen Concilij antequam dissolveretur cum esset cœtus numerosior, quæcumque statuta erant sub Paulo III. ac Julio III. quoad dogmata, ac eorum reformationem recitata sunt ac lecta publice, ac nullo refragante probata.

Cæterum plures aliæ circa Concilij decreta controversiæ proponi ac discuti poterant, vel si solius Polani dolosas objectiones omnes perscrutati fuissemus, apud quem multæ aliæ reperiuntur; quem non satis vindicas asserendo illum historiam scripsisse, & quæ ab aliis dicta fuerant nerraviſſe. Quia sic uni parti addictum esse ut oppositæ partis responsiones silentio prætereas, non tam historiam quam apologiam redolet, quam ille pro Lutheranis contra Catholicos scripsit, sub titulo historiæ ut magis fucus lateret. Has vero omnes controversias, nec limites in tanta rerum copia nobis præfixi ferunt ut ventilemus: & ex iis plurimæ passim reperiuntur apud Theologos Scholasticos seu morales ac juris Canonici tractatores, necnon, qui mentem Concilij de ordine satisfactionis in pœnitentia indagarunt, ac de aliis nostri temporis disputatis quæstionibus. Quibus omnibus finem imponet Concilium omnium generalissimum, adversus quod nulli erit reclamandi locus. Quod Concilium finem imponet huic volumini, præmissa oratione quæ ultimo habita est in Concilio Tridentino.

Præmittur.

ORATIO HABITA IN sessione nona, & ultima sacri Concilij Tridentini,

CELEBRATA CONTINVIS DIEBVS, tertia & quarta Decemb. M. D. LXIV. sub PIO VI. PONT. MAX.

A R.P.D. HIERONYMO RAGAZONO Veneto, Episcopo Nazianzeno & Coadjutore Famagustano.

Hic summatim recensentur omnia in Concilio Tridentino definita, quæ & ad pie credendum & ad bene vivendum pertinent.

AUdite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Tridentinum Concilium jam diu cœptum, aliquando intermissum, distractum varie atque divulsum, nunc demum singulari Dei omnipotentis beneficio, summa atque incredibili omnium Ordinum ac nationum voluntate, connectitur atque perficitur. Dies hæc quidem fœliciſſima Christiano populo illuxit, in qua templum Domini disturbatum frequenter ac dissipatum reficitur, & absoluitur: & navis hæc una bonorum omnium ex maximis ac diuturnis turbinibus atque fluctibus tuta in portu collocatur: quam utinam conscendere nobiscum ij voluissent, quorum in primis gratia hæc ipsa navigatio instituta fuit: atque ædificij hujus construendi participes existent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt; majoris nunc profecto lætitiæ causam haberemus. Sed nostra id certe culpa non accidit.

Nos urbem hanc in Germaniæ faucibus, id est, in domus illorum fere limine positam elegimus: nos custodiam nullam nobis, ne suspicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus: nos eam fidem publicam illis concessimus, quam sibi ipsi composuerunt: nos hic illos perdiu expectavimus, neque hortari ac rogare umquam destitimus, ut ad veritatis lucem cognoscendam accederent. Verum illis etiam absentibus satis, ut puto, à nobis consultum est. Etenim cum duo essent, in quibus ægris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda: alterum fidei Catholicæ ac vere Evangelicæ illis in rebus quæ in dubium ab ipsis vocantur, quæque opportunæ his temporibus viderentur, explicata & confirmata, dilectis omnibus ac dissipatis errorum tenebris, doctrina; alterum disciplinæ Ecclesiasticæ, cujus potissimum depravatione illi se à nobis defeciſſe affirmant, restitutio: utrumque, quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione, curare præstitimus.

Principio enim sancta hæc Synodus (fiducia ex laudabili majorum nostrorum consuetudine suæ fidei professione) ut quoddam quasi fundamentum futuris actionibus poneret, & quibus testimoniis atque præsidiis in dogmatibus sanciendis nitendum esset, ostenderet, veteris ac novi Testamenti libros, qui essent sine ulla dubitatione recipiendi, antiquorum Conciliorum probatissimorum exemplo, pie & prudenter enumeravit: ac, ne de verbis quidem ulla ex variis versionibus oriri posset difficultas, certam ac definitam de Græcis & Hebraicis translationem approbavit. Hinc omnium hæresum caput, atque arcem aggrediens de humanæ naturæ corruptis initiis ea statuit, quæ veritas ipsa, si loqui posset, exprimeret. De justificatione deinceps (res magna, & cum ab antiquis, tum à nostri temporis hæreticis miram in modum oppugnata) ea definit, quibus & perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur, & recte sentiendi ratio miro quodam ordine, atque admirabili sapientia (ut in illis Dei spiritum facile agnoscas) demonstraretur. Præstantissimo hoc post hominum memoriam decreto hæreses fere universæ jugulantur, & quasi caligo Sole discutiuntur ac dispelluntur: eaque claritas usque splendor veritatis apparet, ut tantum lumen quin videat, dissimulare jam nemo possit. Subsecuta est salutaris septem divinorum Ecclesiæ Sacramentorum tractatio: primum simul de omnibus, post de unoquoque separatim. Hic verò quis non videt, quàm distincte, explicate, abundanter, illuminate, & (quod caput est) vere loca cœlestium horum mysteriorum ratio contineatur? Quis in tam magna multiplicique doctrina quid aut sequendum aut fugiendum sit, potest ullo modo desiderare? Quis in illis omnibus errandi locum aut occasionem inveniet? Quis denique de Sacramentorum horum vi atque virtute dubitare in posterum poterit cum gratiam illam, quæ illis ipsis quibusdam quasi stillicidiis in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis affluisse tam copiose perspiciatur? Accesserunt ad hæc de sacrosanctæ Missæ sacrificio, & de Communione sub utraque specie & parvulorum decreta: quibus quidem nihil sanctius, nihil utilius, ut de cœlo lapsa, non ab hominibus composita videantur. Adjungetur his hodie certa de Indulgentiis, de Purgatorio, de Sanctorum veneratione, Invocatione, Imaginibus & Reliquiis doctrina, qua non solùm hæreticorum fraudibus & calumniis obsisteur, sed piorum etiam Catholicorum conscientiis plane satisfiet.

Hæc de rebus ad salutem nostram pertinentibus, quæ dogmata appellantur, & fauste ac fœliciter erunt peracta: neque aliud quidquam præterea eo in genere à nobis hoc tempore expectabatur.

In eorum autem quibusdam administrandis cum nonnulla essent quæ non rite omnino ac recte servarentur, accuratissimè, Patres amplissimi, curastis, ut pure illa & caste, atque ex more instituto-que majorum tractarentur. Ita omnem superstitionem, omnem quæstum, omnem (ut dicunt) irreverentiam à divina Missarum celebratione abstulistis: vagis, ignotis & criminosis sacerdotibus sanctum hoc offerre sacrificium interdixistis: rei hujus sacratissimæ ortum à privatis domibus & profanis in sacra & religiosa loca revocastis: molliores cantus &

ſymphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes à templo Domini ſummoviſtis. Ita Eccleſiaſtico ordini quæque gradui leges illæ à vobis præſcriptæ ſunt, ut tradito illis divinitus ordine, abutendi nullus utiquè locus relinquatur. Ita nonnulla Matrimonij impedimenta, quæ anſam quaſi quandam ad violandæ Eccleſiæ præcepta dare videbantur, removiſtis: facilem veniæ conſequendæ viam minus legitime connubij fœdus inentibus intercluſiſtis. Quid de furtivis tenebricoſiſque Matrimoniis commemorem? Equidem ita ſentio, ſi alia nulla cauſa convocandi Concilium fuiſſet, (quæ multæ & maximæ fuerunt) propter unam hanc id omnino fuiſſe faciendum. Nam cum res hæc ad omnes ſpectet, neque vllus in orbe terrarum univerſo angulus reperiatur, quem labes hæc non invaſerit; curandum meritò fuiſſet, ut communi huic malo, communi etiam conſilio provideretur. Innumerabilium, Patres ſanctiſſimi, & graviſſimorum delictorum ac ſcelerum occaſio, prudentiſſima iſta veſtra ac prope divina ſanctione penitùs ablata eſt, & Chriſtianæ Reip. gubernationi ſapientiſſime conſultum. Accedet ad hæc utilis in primis ac neceſſaria multorum in Purgatorij, Sanctorum Invocationis, Venerationis Imaginum & Reliquiarum, atque Indulgentiarum ratione abuſuum interdictio, qui rerum ipſarum pulcherrimam faciem inquinare atque turpare mirum in modum videbantur.

Altera verò pars, in qua de labenti ac prope cadenti Eccleſiaſtica diſciplina fulcienda erat agendum, diligentiſſime etiam abſoluta fuit atque perfecta. Eligentur in poſterum ad Eccleſiaſtica munera obeunda, qui virtute, non ambitione, præſtent; quique populi commodis, non ſuis inſerviant, & proſint potiùs, quàm præſint. Enuntiabitur atque explanabitur frequentiùs & ſtudioſiùs verbum Domini, omni ancipiti gladio penetrantius.

Aderunt ſuis gregibus, & invigilabunt Epiſcopi, cæterique, quibus animarum cura commiſſa eſt; neque extra creditam ſibi cuſtodiam vagabuntur. Nihil cuiquam proderunt aut ad impurè & flagitioſè vivendum, aut ad male & pernitioſè docendum privilegia: nullum ſine pœna crimen, nulla ſine præmio virtus relinquetur. Pauperum & mendicantium ſacerdotum multitudini optimè proviſum eſt: certæ unuſquiſque Eccleſiæ, ſtatuitoque operi unde ali poſſit, adſcribetur.

Avaritia, qua nullum vitium eſt terrius, præſertim in domo Dei, ab ea omnino tolletur: gratis Sacramenta omnia, ut par eſt, conferentur. Ex una Eccleſia plures, ex pluribus una, ut populi commodum & ratio poſtulabit, conſtituetur. Eleemoſynarum quæſtores (ut appellant) qui ſua, non quæ Jeſu Chriſti quærentes, magnum noſtræ religioni damnum, magnam infamiam afferebant; ex omni hominum memoria (quod ſummæ fœlicitatis loco ponendum eſt) penitus evellentur. Hinc noſtra præſens calamitas ſumpſit exordium: hinc ſerpere infinitum malum manareque in dies latius non deſiſtebat: neque occurri illi adhuc multorum Conciliorum cautionibus ac proviſionibus potuit. Quamobrem quis non niſi ſapientiſſimè factum dixerit, ut membrum hoc in quo ſanando diu ac multum fruſtra laboratum eſt, ne reliquo corpori noceret, excideretur?

Porro Deo cultus tribuetur puriùs & accuratiùs, atque ita, qui ferunt vaſa Domini, mundabuntur, ut ad ſui imitationem alios trahant: in quo præclare illud fuit excogitatum, ut qui ſacris eſſent initiandi, ij moribus atque litteris in unaquaque Eccleſia à prima ætate inſtituerentur, ut quoddam quaſi virtutum omnium ſeminarium illud exiſteret. Iam verò Provincialibus Synodis reſtitutis, Viſitationibus ad populorum utilitatem, non ad querelam & ſumptum renovatis: tradita Paſtoribus regendi ſuos, neque paſcendi commodiùs facultate: Pœnitentia publica in uſum revocata: Hoſpitalitate tum Eccleſiaſticis hominibus, tum piis locis indicta: in Curatis Sacerdotiis conferendis memorabili ac pœne cœleſti ratione conſtituta: beneficiorum (ut ajunt) pluralitate ſublata: hæreditaria ſanctuarij Dei poſſeſſione prohibita: modo excommunicationibus impoſito ac terminato: primis judiciis iis in locis ubi lites oriuntur, aſſignatis: ſingularibus certaminibus interdictis: omnium hominum, ac ſacrorum in primis luxuriæ, cupiditati, atque licentiæ freno quaſi quodam, quod excuti non facile poſſit, injecto: Regibus ac Principibus ſui muneris diligenter admonitis: aliiſque rebus hujuſmodi prudentiſſimè ſancitis, quis non videt veſtras vos, P. optimi, hac etiam in re partes emulatiſſimè exercuiſſe? Actum ſæpe eſt in ſuperioribus Conciliis de fide noſtra explicanda, moribuſque corrigendis: ſed neſcio an umquam diligentiùs atque diſtinctius. Hic, præſertim hoc biennio, ex omnium populorum ac nationum, in quibus Catholicæ religionis veritas agnoſcitur, non ſolum Patres, ſed Oratores habuimus. At quos viros? Si doctrinam ſpectemus, eruditiſſimos; ſi uſum, peritiſſimos; ſi ingenia, perſpicaciſſimos; ſi pietatem, religioſiſſimos; ſi vitam, innocentiſſimos. Numerus hic quoque fuit, ut, ſi præſentes Chriſtiani orbis conſiderentur angustiæ, frequentiſſima hæc omnium, quæ antea fuerunt, Synodus appareat. Hic ſingula omnium vulnera detecta, mores expoſiti fuere: nihil diſſimulatum eſt: noſtrorum adverſariorum argumenta & rationes ita tractatæ, ut eorum tum cauſa, non noſtra, agi videretur. Tertium nonnulla, atque etiam quartum diſcuſſa: ſumma ſæpe contentione certatum: eo ſcilicet conſilio, ut, quemadmodum igne aurum, ita quibuſdam quaſi luctationibus veritatis vires ac nervi probarentur. Quæ enim inter idem ſentientes idemque ſpectantes, diſcordia potuit exiſtere?

Quæ cum ita ſint, licet optandum (ut initio dicebam) ſummopere fuiſſet, ut una cum illis hæc agerentur quorum potiſſimum cauſa tractata ſunt: abſentium tamen etiam incolumitati atque ſaluti ita proviſum eſt, ut alia ratione provideri, ſi affuiſſent, non potuiſſe videatur. Legent illi quæ de fide noſtra ſtatuimus, ut Chriſtianum hominem decet, humiliter: & ſi lumen eis aliquod fulſerit, ne faciem avertant: & ſi vocem Domini audierint, corda ſua non obdurent. Ac, ſi ad communem matris Eccleſiæ complexum, unde ſe illi diſtraxerunt, redire voluerint, clementiam ſibi omnem ac miſericordiam tribuendam non dubitent. Sed præcipua illa ratio eſt, P. A. diſſentientes à nobis animos conciliandi, conſentientes in fide atque officio retinendi; ſi quæ hoc in loco verbis ſancivimus, re ipſa in noſtris Eccleſiis præſtemus. Leges etſi optimæ ſunt, mutæ tamen res eſt. Quid Hebræo populo Dei ipſius ore latæ leges profuerunt? Quid Lycurgi leges Lacedæmonijs; Solonis, Athenienſibus; ad libertatem retinendam, quam ob cauſam erant conſcriptæ, utilitatis attulere? Sed cur extera atque antiqua nimis commemoro? Quæ ad benè beateque vivendum inſtituta atque præcepta ex unius Chriſti Domini noſtri vita atque doctrina deſiderare aut poſſumus aut debemus? Quid item fuit à majoribus noſtris omiſſum, quod cum ad rectè ſentiendum, tum ad præclarè agendum pertineret? Medicamentum quidem ſalutare compoſitum ac paratum iamdiu habemus: verùm ſi morbum debet expellere, ſumendum eſt, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc ſalutis nos primum inebriemur, cariſſimi, & vivæ atque loquentes leges ſimus & norma quaſi quædam ac regula, ad quam aliorum actiones & ſtudia dirigantur atque ita ſibi unuſquiſque perſuadeat, nihil è Chriſtianæ reip. commodo ac dignitate ſuccreſcturum, niſi, quantum in ſe ſit, ſtudioſè præſtiterit.

Id curandum nobis cum antea fuit: tum multo erit in posterum accuratius. Etenim, si magistri nostri ac Salvatoris exemplo facere prius debeamus, quam docere: postquam docuimus, quin faciamus, quæ esse potuerit excusatio? Quis ferre nos ac pati potuerit, si, cum non furandum esse demonstraverimus, ipsi furemur? si cum non mœchandum, mœchemur? Sanctos à sancto Concilio: innocentes atque integros ab integritatis præceptis & innocentiæ: firmos in fide atque constantes à fidei nostræ firmata doctrina discedere minime convenit. At tales quidem expectant nos populi nostri, qui nostrum iam diu reditum sustinentes, ea se ipsi ratione consolabantur: fore, ut hanc temporis usuram majori præsentes studio sarciremus. Sed fiet id à vobis, ut spero, Patres sanctissimi, diligenter: & quemadmodum hoc in loco fecistis, ita etiam domi satis Deo atque hominibus facietis. Nunc (quod huius temporis est) Deo primum ipsi maximo atque immortali, maximas atque immortales gratias & agamus & habeamus, qui non secundum peccata quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, sed diem hunc lætissimum, quem videre multi concupiverunt, nobis non solum videndum, sed etiam celebrandum, incredibili cum totius Christiani populi assensu atque approbatione, sua magna benignitate concessit. Pio deinde IV. summo nostro atque optimo Pontifici gratiæ perpetuæ ac singulares habendæ sunt: qui, cum primum beati Petri sedem ascendit, tanto Synodum hanc instaurandi desiderio exarsit, ut in eo suas omnes curas & cogitationes defigeret. Nuncios statim, viros probatissimos, ad indicendum illis nationibus atque provinciis Concilium misit, pro quorum in primis salute convocabatur. Hi Aquilonis partes prope omnes peregrarunt, rogarunt, obsecrarunt, obtestati sunt: tuta omnia atque amica promiserunt: atque id etiam egerunt, ut in Angliam trajicerent: legatos postmodum pietate ac doctrina præstantissimos, cum interesse illi Synodo, ut mirum in modum cupiebat, non posset, huc misit: ex quibus duos (quorum memoria in benedictione est) statura die tametsi nulli fere Episcopi convenissent, hic esse voluit. Hi, atque additus eis paulo post tertius, novem menses, atque eo amplius, justum ad Synodum instituendam Episcoporum numerum hoc in loco nihil agentes expectaverunt: cum interea nihil aliud, Pontifex ipse aut ageret aut meditaretur, quam ut Patres quamplurimi quamque optimi, & quam primum huc accederent, & Christiani nominis Reges omnes ac Principes suos huc Oratores mitterent: ut communi omnium voto atque consilio communis hæc causa gravissima omnium atque maxima tractaretur. Quid vero postea omni cura, solicitudine, sumptibus prætermisit, quod ad Concilij hujus amplitudinem, libertatem & commodum pertinere aliquo modo videretur? O singularem Pastoris ac Patris nostri pietatem atque prudentiam: ô summam etiam ejusdem fœlicitatem, cujus auctoritate atque auspiciis jactatum hoc diu, & agitatum Concilium constitit & conquievit. Te Paulum III. te Julium, mortuos appello: quamdiu, quantoque studio videre, quos nos videmus, exoptastis, quot in eam rem sumptus, quot labores insumpsistis? Quamobrem vere tibi atque ex animo, Pie sanctissime ac beatissime gratulamur, quod tantam tibi lætitiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximum divinæ in te benevolentiæ argumentum est) Dominus reservavit, quem nos precibus omnibus, ac votis supplices oramus, ut te nobis incolumem, pro Ecclesiæ suæ sanctæ commodo atque ornamento & quam citissime reddat & quam diutissime conservet. Serenissimo etiam Imperatori gratias agere & gratulari jure optimo debemus. Ille potentissimorum Cæsarum, qui propagandæ Christianæ religionis miro quodam desiderio flagrarunt, animum, ut locum, referens, urbem hanc ab omni periculo liberam conservavit, & nos ut tutam tranquillamque pacem traheremus, sua vigilantia perfecit, magnamque nostris animis securitatem, assiduarium suorum Legatorum summorum virorum præsentia ac prope pignore, attulit. Ille de nostris his rebus pro sua eximia pietate sollicitus mirifice fuit.

Ille à se atque à nobis dissentientes homines, ex obscurissimis, in quibus versantur tenebris, eruere, atque ad sanctæ hujus Synodi clarissimam lucem aspiciendam adducere maximopere laboravit. Regum præterea Christianorum ac Principum in Concilio hoc amplissimis suis legationibus ornando, & suos vestræ auctoritati fasces submittendo, pia maxime voluntas grata nobis memoria prosequenda est. Jam vero quis est, Illustrissimi Legati & Cardinales, qui se vobis debere plurimum non fateatur? Vos nostrarū actionū duces optimi ac moderatores extitistis. Vos, ne nostra aut in decernēdo in dicendò libertas violari aliqua ex parte videretur, incredibili patientia ac diligentia curastis. Vos nulli corporis labori, nulli animi contentioni pepercistis, ut ad optatum res exitum, quod alij multi vestri similes frustra tentaverunt, quamprimum perduceretur. In quo præcipuam quamdam ac propriam lætitiam habere tu, Morone Illustrissime atque ornatissime debes: qui cum vigesimo ab hinc anno primum præclaro huic ædificio lapidem posueris, extremam nunc manum post alios multos huic operi architectos adhibitos, fœliciter, pro summa tua ac prope divina sapientia, impones. Factum hoc tuum egregium ac singulare omnium sermone perpetuo celebrabitur, neque ulla umquam ætas de tuis his laudibus conticesset. Quid de vobis dicam, Patres sanctissimi, quam bene de Christiana republ. vestris his præstantissimis actionibus meruistis? quanta vestrum uniuscujusque nomini commendatio, quanta gloria à Christiano populo universo tribueretur? Vos vere patres, vere pastores & agnoscent omnes & prædicabunt: vobis suam unusquisque vitam atque salutem acceptam libentissime referet: O diem illam populis nostris jucundissimam atque lætissimam, in qua primum revisere illis nos atque amplecti à templi Domini ædificatione redeuntes contigerit.

Sed fac, tu Domine Deus noster, ut tam eximiæ de nobis opinioni egregiis factis respondeamus, & semen hoc, quod in agro tuo seminavimus, uberem fructum afferat, fluatque ut ros eloquium tuum: atque quod fore aliquando pollicitus es, sint temporibus nostris, ut unum sit omnium ovile, & unus pastor, atque is potissimum Pius IV. in tui nominis gloriam sempiternam. Amen.

CONCILIVM GENERALE VLTIMVM

iudicii universalis super omnia hominum opera, præside Jesu-Christo assidentibus Apostolis anno incerto.

JUdicia Dei *abyssus multa* Psal. 35. quæ Judicia ab initio mundi incœperunt cum de bonis & malis Angelis Judicium tulit Deus, ac de primis parentibus Adamo & Eva, cum eos variis hujus vitæ ærumnis cum tota progenie, nec non morti subdidit. In progressu vero sæculorum omnia sunt Judiciis Dei plena, quæ nobis exhibent tam sacræ quam prophanæ scripturæ, dum & bonos plerosque præmiis à Deo affectos, contra vero impios & irreligiosos pluribus flagellis ac supplicis mactatos ob oculos ponunt. Sic tremor Cain, diluvium tempore Noe, captivitas filiorum Israel in Ægypto, submersio Pharaonis in mari rubro cum antecedentibus plagis, destructio exercitus Sennacherib, Nabuchodonosor Regis è Regno ejectio, Annaniæ & Saphiræ occisio per D. Petrum, Juliani interitus & innumera alia peccatorum supplicia per universam historiam sparsa Dei sunt Judicia. Sed in fine mundi complebit con-

firmabitque Judicia omnia in Judicio ultimo ac generali, in quo dijudicata omnia dijudicabuntur ac controverſiæ omnes cum ſumma juſtitia ac veritate finientur, juxta illud Pſalm. 74. *Cum accepero tempus ego juſtitias judicabo.*

Hoc Judicium ultimum jure merito Concilium ſeu Synodus Generaliſſima appellari poteſt ad quod congregabuntur gentes omnes, ut nulla unquam fuerit aut futura ſit per omne ævum major congregatio ſeu congregatos ſpectemus, ſeu cauſam cur congregentur, ſeu præſidem qui futurus eſt Chriſtus Dominus Rex Regum & Dominus dominantium, ſummus Sacerdos & Pontifex in æternum. Poſt illud enim nullum aliud expectandum eſt Concilium.

D. Bernardus ſeu quiſquis eſt auctor ſermonis ad Clerum in Concilio Rhemenſi congregatum, qui inter ejuſdem D. Bernardi Sermones reperitur, judicium generale Concilium nuncupat ſeu ſynodum, dum his verbis Clerum alloquitur. *Matth. 5.* *Vos eſtis lux mundi: ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes: verumtamen ſicut homines moriemini & ſicut unus de principibus cadetis*, &c. Unde cadent vel quo? de latere Domini in profundum inferni. Fratres, duo mala magna reſtant, mors videlicet & judicium. Dura eſt enim conditio mortis, & idcirco rarus eſt qui velit mori. Sed quæ cura mori, cum hæc ſit via univerſæ carnis *eia quo ibo à Spiritu tuo & quo a facie tua* *Pſ. 138.* *fugiam?* cum dicat Apoſtolus, *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque rationem de his quæ geſſit in corpore ſuo ſive bonum ſive malum.* Fratres, aliam ſynodum pronuntio vobis, ubi Dominus Deus ſedebit in judicio & ibi omnes nos oportet repræſentari...ſive ſit Papa, ſive Cardinalis, ſive Archiepiſcopus ſive Epiſcopus, ſive dives ſive pauper, ſive doctus ſive indoctus, ut referat unuſquiſque rationem de his quæ geſſit in corpore ſuo. Heu quid fiet de hiſquæ quisque geſſit in corpore Chriſti quod eſt Eccleſia? Eccleſia Dei vobis commiſſa eſt, & dicimini Paſtores, cum ſitis raptores &c.

Nec à nomine abluduit ſcriptura Pſalm. 1. *Ideo non reſurgent impij in Judicio neque peccatores in Concilio juſtorum*; Etſi enim impij ibi ſint futuri præſentes, non tamen ſtabunt aut conſiſtent, quia condemnati cauſa ſua cadent, cum è contra Juſti ibi cauſam ſuam obtinere debeant, ideo vocatur eorum Concilium. Sed & Matth. 5. *reus erit Concilio.* Ubi Theophilacti interpres. *Quiſquis igitur injuria affecerit fratrem ſuum, contumelia invadens, obnoxius erit Concilio eundem ſanctorum Apoſtolorum quando ſedebunt Judicantes duodecim tribus Iſrael.*

Si vero res quæ in Conciliis geri ſolent ſpectemus multo majori ratione Concilium vocare poterimus ſolemnem illam congregationem hominum, ut recipiat unuſquiſque prout geſſit.

In Conciliis enim reformatur Eccleſia à pravis moribus, quos hominum ſeu malitia ſeu infirmitas induxere ſolet: & hic Chriſtus cum ventilabro juſtitiæ purgabit aream ſuam ac triticum emundabit, ut exhibeat ſibi gloriosam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam.

In Conciliis impij damnantur, hæretici anathematiſantur, Simoniaci privantur gradu & beneficiis, variæque pœnæ ſtatuuntur adverſus legum prævaricatores: quid aliud vero erit in Judicio cum Deus anathemate percutiet omnem terram, ſeparabitque malos de medio Juſtorum tanquam contumaces & in malo obſtinatos? ac ſi in tribunali illo horrendo de verbis otioſis reddenda eſt ratio, quanto magis de ſcriptis peſtilentibus, de ſcandalis, de hæreſibus, de corruptelis Verbi Dei palam & publice expoſitis?

In Conciliis præſidet Spiritus ſanctus nec erratur: nec errabit in Judicio Chriſtus, cum unicuique æquiſſance jus ſuum tribuet. Iſaiæ 11. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intelle-*

A *ctus, &c. Non ſecundum viſionem oculorum judicabit neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia pauperes & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.*

In Conciliis aperitur liber Evangeliorum ut inter hæreſes & Evangelia judicetur. Quid vero hoc aliud quam libri qui in Judicio aperientur? Apocal. *& libri aperti ſunt.* Quos libros venerabilis Beda interpretatur de duobus teſtamentis, & Alcazar ejus mentem ſequitur. Ratherius porro Veronenſis qui ſæculo nono florebat, in tract. *de contemptu Canonum* hoc videtur etiam extendere ad Libros Canonum qui eduntur in Conciliis. Sed velimus nolimus, ipſos legis Dei quos modo tam obdurauter odimus atque contemnimus Libros habebimus Judices, ipſos accuſatores, quos haberi oportuerat defenſores. Scriptum eſt enim Daniel. 7. &c.

In octava Synodo act. 1. duo ligna poſita invenimus cum Evangelio, ut intelligamus etiam crucem in Conciliis propoſitam fuiſſe, quæ ultimæ deerit in Judicio, in quo *parebit ſignum filii hominis* Matt. 24. Neque obſtat illud Eccleſiæ, *hoc ſignum Crucis erit in Cælo cum Dominus ad judicandum venerit*, nam etiam vera Crux dici poteſt ſignum Crucis, id eſt, inſtrumentum habens figuram Crucis.

Imagines deferri ſolitas ad Concilia teſtatur Gregor. Papa II. epiſt. 2. ad Leonem Iſaurum Imperatorem: ſic etiam imagines traditæ fuerant, ipſiqne Pontifices imagines ad Concilia deferebant, nec ullus ex Chriſti amantibus ac Religioſis hominibus iter peragens abſque imaginibus peregrinationes obibat, utpote qui virtute præditi atque apud Deum probi eſſent. In Judicio vero non imagines, ſed ipſi ſancti aderunt omnes.

Jejunium obſervandum & eleemoſynæ diſtribuendæ ante Concilium ex decreto Concilij Ravennatenſis 2. rubrica 16. & nobis bonis operibus & ſatisfactoriis pro expiatione peccatorum vacandum eſt, antequam adveniat dies magnus Concilij Generalis.

In Conciliis ſubſcribunt decretis prælati majores & aliquot magis inſignes ac Religioſi viri, quibus jus competit ſuffragij, idque tanquam Judices cum Summo Pontifice: ſic quoque in Judicio generali Apoſtoli ac majores ſancti ſententiæ Chriſti ultimæ ſubſcribent tanquam aſſeſſores, eamque comprobabunt, juxta illud Pſal. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis Judicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.*

Denique poſt Conciliorum definitionem apparent qui ſunt hæretici, qui Catholici. Nam ante definitionem Conciliorum transfigurant ſe hæretici in Angelos lucis, volunt ipſi haberi pro Orthodoxis, venditant ſe quaſi ſoli eſſent illuminati ac filij lucis: Catholicos aſpernantur quaſi errantes & viam veritatis ignorantes, & qui fideles ſunt ab infidelibus tanquam infideles ac ſeducti à ſeductoribus habentur: ſed poſt Concilia Arriani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani, Acephali, Monoreliræ, Iconoclaſtæ, Bruſſiani, Albigenſes, Huſſitæ, Lutherani, Calviniſtæ, qui ſe tantopere jactabant, de hæreſi convicti ſunt: itidem erit poſt promulgatam Judicij definitionem: qui veri, qui pij, qui fideles, qui Religioſi erant, apparebit. ſicuti falſatij, qui errantes, qui irreligioſi: unde voces illæ impiorum Sap. 5. *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt: ergo erravimus à via veritatis & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis, &c.* ad quæ alludens

ſanctus Ephrem Syrus tract. 1. de variis tormentis inferni. Tunc amariſſime illachrymantes ejulantesque dicent: ô quo pacto in negligentia atque torpore tempus noſtrum tranſeginus? ô quo modo illuſi ſumus? ô quomodo divinam ſcripturam audientes irridenteſque nos ipſos irriſimus? ibi nobis Deus loquebatur per ſcripturas & non attendebamus, hic jam clamamus & ſuam à nobis faciem avertit, &c.

In fine Conciliorum fiunt plures fauſtæ acclamationes in gratiam Pontificum, Imperatorum, eorumque à quibus fides integra inviolataque ſervata eſt: pronuntiantur quoque anathematiſmi & execrationes contra impios hæreticos, fideique ac Eccleſiæ & religionis hoſtes. Neque iſtud deerit in Concilio Generaliſſimo Judicij ultimi. Sancti Chriſto lætis vocibus acclamabunt, maledictioneſque contra impios intorquebunt. Pſal. 149. *Exultationes Dei in gutture eorum, &c. ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis* Dicent lætis vocibus. Vivat Chriſtus altiſſimus Dei filius, vivat æquiſſimus Judex vivorum & mortuorum. Regnet in ſæcula ſæculorum mitiſſimus Redemptor noſter, mortis triumphator. In nomine Jeſu flectatur omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Laudetur nomen ejus ſanctiſſimum per omnem æternitatem. Vivat Sereniſſima Regina Angelorum, Mater & Virgo incomparabilis. Ametur in ſæcula ſæculorum immenſa Dei bonitas. Vivat martyrum conſtantia, coronetur Doctorum fides, palmas decoris gerat Virginum puritas. Benedicta ſit in æternum perſeverantiæ ſanctæ invicta firmitas: at contra intorquebuntur fulmina contra impios. Maledicta ſit impietas, & divini cultus negligentia, maledicta ſit hæreticorum contumacia; maledicta ingratitudo, Dei oblivio, luxuria, ſuperbia, avaritia, maledicta ſit vitiorum cohors, peccatorum ſpurcitia, &c.

Quod ipſe apparatus judicij errores multos evidenter condemnabit.

MAtth. 24. dicitur crucis vexillum judicem Chriſtum præceſſurum, *tunc parebit ſignum filij hominis, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Addunt alij reliqua paſſionis inſtrumenta apud Uiquerium c. 11. §. 2. verſu 1. Id convincet errorem Prædeſtinianorum, qui putant non pro omnibus Chriſtum fuiſſe mortuum: ideo enim crux oſtendetur ut cognoſcant quo pretio redempti ſunt omnes & agnoſcant conſilium iniquitatis ſuæ, qui de tanta redemptione fructum noluerunt accipere. Dicitur quod veniet in magna majeſtate & omnes Angeli ejus cum eo Matth. 25. *cum venerit filius hominis in majeſtate ſua & omnes Angeli ejus cum eo.* Id arguet errores tot hæreticorum qui ipſum aut verum hominem aut verum Deum negaverunt. Per hæc ſiquidem tam vera ejus divinitas quam humanitas patebunt.

Dicitur quod ipſius Apoſtoli cum ipſo ſeſſuri judicabunt. Matth. 10. *cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.* Hoc arguet errorem eorum qui poteſtatem Apoſtolorum ac Eccleſiæ non deſinunt impugnare, cum ad tantam dignitatem promoti erunt primi duces ac præſules Eccleſiarum. Dicitur quod voce ſenſibili proferentur ſententiæ tam pro juſtis quam contra iniquos ob diverſa ipſorum opera. Matth. 25. *venite benedicti Patris mei, &c.* Hoc manifeſte convincet errores aſſerentium bona opera non eſſe meritoria, & quod non datur liberum arbitrium in homine ad bene & male agendum: nec enim alia opera laude aut ſupplicio digna ſunt, quam quæ fiunt ex libera voluntate non ex neceſſitate, nec pœnam meretur qui mandatum ſibi impoſſibile prætergreſſus ſit. Unde & commemorans opera propter quæ daturus eſt regnum cœlorum, non commemorat majora ſanctorum facinora, ut quod B. Vincentius in equuleo tortus fuerit & D. Laurentius in craticula aſſatus, ſed tantum aliqua vulgaria & inter hominès non valde difficilia, ut mali videant quam facile illis fuerit hoc ipſum præmium adipiſci. Nec enim à te repoſcit, amice, ut carnem tuâ diſciplinæ verberibus dilaceres ut S. Dominicus; nec noctibus jungas dies in oratione cum S. Franciſco: nec te ſpelæo concludas ut D. Paulus primus eremi cultor: nec tibi pectus lapidum ictibus dirumpas ut D. Hieronymus: abſit, ſed illud quod minimo poſſis labore facere, quale eſt fame pereunti ſuccurrere, ſi tibi ſuppetit facultas, panis fruſtum elargiri mendicanti, greſſum unicum ad hoſpitale, ut præclare obſervat de Lanuza Epiſcopus Barbaſtrenſis hom. 6. de extremo judicio §. 14.

Tantum abeſt ab æquitate Chriſti judicis ut in illo judicio illos tantum percutiat anathemate quibus non fuerit liberum bene agere in vita, quod deeſſet illis gratia qua mandata Dei poſſibilia ipſis fierent, aut auxilio & gratia ſufficienti privati fuerint durante vita, ut in hoc judicio juſte poſſent excludi à gloria. Quæ non eſſet neceſſe amplius hic reperire, niſi eſſent quibus hæc dogmata placeret in Theologiam comportare, quibus quamdam reprobationem ex mero beneplacito divino cum æquitate ſummæ judicij divini, in quo rationes omnium diſcutiendæ ſunt, concordare moliuntur. Quaſi vero talis reprobatio judicij æquitati non contradiceret.

Controverſiæ hujus Concilii Generaliſſimi.

QUia vero ad ſingula fere Concilia Generalia, præcipua aliquot capita controverſiarum adjunximus, non pigebit & in hoc ultimo Concilio omnium Generaliſſimo etiam aliqua addere ad hujus controverſias ſpectantia. Hæc porro tractant Theologi omnes qui curſum Theologiæ ad finem uſque perduxerunt, nec difficile erit in quolibet ex iis ſimilia reperire. Sequuti tamen ſumus in iſtis Authorem qui nobis tunc erat ad manum, Pelbartum de Themiſtat in roſario Theologiæ pag. 4. aliquibus immutatis, detractis aut additis ut melius viſum eſt, iis maxime quæ inſervire poſſunt ad convincendos hæreticos & quoſdam errores in hoc ſæculo graſſantes.

Verum ſit futurum Judicium Generale?

ARguitur quod non; quia dicitur Nahum 1. *Non judicabit* Deus *bis in idipſum*, ſed nunc Deus judicat de ſingulis hominum operibus, cum poſt mortem unicuique pœnas vel præmia ſecundum merita reddet. Et etiam in hac vita quoſdam pro malis vel bonis operibus punit vel præmiat, ergo videtur quod non ſit aliud Judicium futurum. Item in nullo Judicio executio ſententiæ præcedit Judicium, ſed ſententia divini Judicij eſt adeptio regni vel excluſio à regno, ut patet Matth. 25. cum ergo aliqui adipiſcantur regnum æternum, & rurſus quidam ab illo perpetuo excludantur: videtur quod nullum aliud Judicium ſit futurum poſt illud particulare quo quis judicatur in morte.

Item propter hoc aliqua in Judicium oportet adduci, quia dubium eſt quid diffiniendum ſit de eis: ſed ante finem mundi determinata eſt unicuique damnatorum ſua damnatio & cuique Sanctorum ſua beatitudo, videtur igitur quod non oporteat aliquod Judicium fore futurum.

In contrarium dicitur Joan. 5. *Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt in reſurrectionem Judicii*, igitur erit aliquod generale judicium futurum. Reſpondetur, quod futurum ſit generale judicium, eſt notum ex fide & ratione. Et probat D. Auguſt. xx. de Civit. Dei utriuſque teſtamenti ſcripturis. Unde Salvator exprobrando civitatibus ubi multas virtutes fecerat dicebat; *Væ*

rum tamen dico vobis, Tyro & Sydoni remiſſius erit in die judicii quam vobis, Matt. 11. Et paulo poſt, inquit civitati. *Amen dico vobis quia terra Sodomorum remiſſius erit in die judicii quam tibi.* Ubi evidentiſſime hic prædicit diem judicij eſſe futurum. Atque hoc ſemper crediderunt Judæi, imo & ante diluvium hoc prædixerat ſeptimus ab Adam Enoch, cum hoc eſſet maximum frænum ad continendos homines à peccatis & libidinibus, quæ illius tempore abundabant. Refertque Prophetiam ejus Judas in ſua epiſtola Canonica, quam Prophetiam potuit viva voce edere, & hæc per traditionem conſervari, ut de libro Enoch neceſſe non ſit ſermonem inſtituere, tationes ſunt.

Prima eſt D. Aug. ſuper Pſal. 54. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea.* Venit finalis determinatio ut nec boni ultra exerceantur per malos, nec mali corrigantur à bonis; debet enim finaliter ſeparari purum ab impuro ut ſic impuri relegentur & pœnis & carceribus, ſicut oſtendit per totum lib. 20. de Civit. Dei. Debet enim multitudo prævisa ad regnum actu determinari ad poſſidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, ut ſic ſit ſequeſtratio duarum civitatum ſcilicet ſupernæ Hieruſalem & Babylonis. Secunda eſt congruentia: quia non ſufficit ſecreta juſtitia in politia, ex quo non eſt omnibus nota; ergo non videtur ſufficere punitio malorum occulta, nec retributio etiam bonorum niſi fiat præſentibus omnibus, & hoc eſt quod dicit Apoſt. 1. Corinth. 4. *Illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſta faciet conſilia cordium.* Ut quilibet in ſpeciali ſua merita aut demerita conſideret ac quo ad alios tam perſonas quam merita & demerita in generali attendat, ut puta omnes relictos in terra reprobos, omnes obviam Chriſto raptos in aëra. Vel ut omnium cogitationes tam perſonarum quam meritorum aut demeritorum etiam in ſpeciali divino miraculo cauſentur in quolibet. Sic quo enim cognitiones tales non ſunt oppoſitæ formaliter, & poſſunt ſucceſſive in eodem intellectu ſuccedere, quid mirum ſi poſſit Deus eas ſimul infundere? & ſi ſic fiat, tempus nullum aut modicum exigitur. Vel ut divino miraculo unico actu intelligendi in quolibet quilibet ſe & alios diſtincte cognoſcat & merita & demerita; nec mirum ſi Deus poſſit talem actu producere ſpeciem quæ hæc omnia ſimul repræſentet. Tertia congruentia, ut ſicut fuit unus exitus omnium rerum in creatione à Deo: ita decet ut ſit una finalis reductio ad fines debitos unicuique per operationem iſtam à Deo, de qua Salvator Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur & ego operor.*

Adde id judicium præter privatum, debere compenſare juſtorum damna quorum virtus in hac vita ſæpe latuit, & opprobriis ac irriſionibus oppreſſa fuit & abſcondita: unde illud ſapientiæ 5. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum*, &c. corpus quoque peccati complex apparere debet judici. Sed & Deus vult juſtitiam ſuam omnibus probari, & inſcrutabiles ſapientiæ ſuæ vias manifeſtari: ut enim qui periodum ſolam orationis legit, non plane concipit ſenſum ex antecedentibus & conſequentibus ſuſpenſum: ſic effecta providentiæ non ſatis videntur, donec totus contextus Conciliorum Dei appareat. Quin etiam quorumdam ſcelera non ſunt completa ante finem mundi. Arrius, Pelagius, Mahometus, Lutherus Calvinus in multos annos produxerunt ſcelera ſua per doctrinam nempe & exemplum. Quare expectandus eſt ſæculorum exitus, ut frondes & fructus integros videant, carpantque longam probrorum mercedem ab iis quos deceperunt. Fœcunda fuerunt eorum ſcelera in alieno ſolo ut ſcribit acute Joannes Euſebius in *Theopolitico* pag. 1. cap. XV. & XVI.

Ad primum argumentum reſpondetur quod quilibet ſingularis eſt quædam perſona, & etiam eſt pars totius humani generis, unde ei duplex judicium debetur. Unum particulare quod de eo fiet poſt ſuam mortem, quando recipiet juxta ea quæ in corpore geſſit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus & hoc ſecundum quod eſt perſona. Aliud judicium debet eſſe de eo, ſecundum quod eſt pars totius humani generis; ſicut aliquis judicari dicitur ſecundum humanam juſtitiam, quando etiam judicium datur de communitate cujus ipſe eſt pars. Nec Deus judicat bis in idipſum: quia non duas pœnas pro uno peccato infert, ſed pœna quæ ante judicium complete inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur, ſcilicet in corpore & anima.

Ad ſecundum dicitur, quod propria executio illius generalis judicij eſt vocalis ſeparatio bonorum & malorum ab invicem: quæ ſeparatio generale judicium non præcedet: ſed nec hoc judicium præceſſit executio: quia boni poſt judicium amplius præmiabuntur tum ex corporis gloria, tum etiam ex Sanctorum numero & meritis, & per contrarium ſimiliter reprobi punientur. Ad tertium dicendum, quod quamvis cuilibet homini ante judicium generale ſit certa notitia de damnatione vel præmio, non tamen omnibus innoteſcit omnium juſta præmiatio vel damnatio, &c.

Verum in judicio Chriſtus ab omnibus videbitur in forma gloriosa?

ARguitur quod non: quia oculus non poteſt videre niſi in proportionata diſtantia; ſed in judicio aliqui ita erunt remoti à Chriſto propter maximam hominum multitudinem, quod erit diſtantia improportionata oculo ad videndum Chriſtum: ergo non videbitur ab omnibus, nec in forma glorioſa, nec aliter. Item lumen corporis glorificati improportionabile eſt oculo non glorificato, ſed damnati non habebunt oculos glorificatos; ergo humanitatis Chriſti gloriam non videbunt. Item viſio humanitatis Chriſti delectabilis eſt videnti, ſed damnati nullam delectationem habebunt; ergo non videbunt glorioſam Chriſti humanitatem.

In contrarium dicitur Luc. 21. *Tunc videbunt filium hominis in nube venientem cum poteſtate magna & majeſtate:* Reſpondetur quod ſicut dicit D. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. boni & mali viſuri ſunt judicem vivorum & mortuorum: ſed proculdubio eum mali videre non poterunt niſi ſecundum formam qua filius hominis eſt, ſed tamen in claritate in qua judicabit, non in humilitate in qua judicatus eſt. Cujus ratio eſt, quia judicare & judicari actus ſunt oppoſiti. Primus reſpicit poteſtatem, ſecundus vero infirmitatem. Et ideo ſicut in primo adventu quando venit ut pro nobis judicaretur apparuit in natura humana mortali: ita in ſecundo adventu quando veniet ut judicet, apparebit omnibus in forma humana glorioſa. Et quamvis mali viſuri ſint gloriam corporis, gloriam tamen animæ ejus non videbunt, nec oculo corporali nec intellectuali; niſi in quibuſdam effectibus ſuis de quibus dolebunt. Sed eam boni videbunt, & quantum ad gloriam corporis oculo corporali, & quantum ad gloriam animæ, mentali.

Deinde oportet ut in majeſtate judicis veniat, qui prius in humilitate peccatoris veperat. Oportet enim ut cum confuſione impij illum videant, quem cum impudentia cruci affixerunt, talio reddendus eſt filio Dei, ait ibid. Euſebius.

Ad primum argumentum dicendum, quod nullus tantum diſtabit quin ipſum videat, quia erit in aëre eminens & maxima claritate refulgens, & ideo valde a longinquo poterit videri. Vel poteſt dici quod ſicut ſupernaturaliter fiet ut ſua vox à remotioribus partibus audiatur, quæ per naturam non poſſet audiri: ſic ſupernaturaliter fiet ut à remotiori loco videatur.

Ad ſecundum dicendum quod in poteſtate hominis glorificati eſt ut oſtendat gloriam corporis ſui oculo

tus activorum sit in patiente disposito; electi eo quod totaliter erunt perfecti per gloriam, erunt totaliter indispositi ad susceptionem doloris, juxta illud Apocalyps. 21. *dolor non erit ultra*. Ad secundum dicendum quod mali cognoscent bona quæ aliquando fecerunt, & ex hoc amplius affligentur. Magnus enim dolor est cum homo cognoscit multa perdidisse bona. Unde Boët. 2. de consol. ait. In omni adversitate fortunæ infœlicissimum genus est infortunij fuisse fœlicem. Vel potest dici quod reprobi post resurrectionem ita perfecte erunt à pœna possessi, quod omnino erunt indispositi ad gaudij susceptionem: & licet placeant eis bona quæ fecerunt, quia sciunt se minus punitos quam si ea non fecissent; tamen illa complacentia nullum poterit eis gaudium gignere propter ipsorum indispositionem ad gaudendum. A

Utrum omnia videantur simul ab omnibus in judicio existentibus?

ARguitur quod sic; quia dicitur Job. 8. *Induetur confusione*. Gloss. viso judice mala omnia ante oculos mentis versantur. Item etiam ratione videtur, quia insimul infligetur tota pœna, ergo simul & scienter ponderabitur culpa. Si ergo magnitudo culpæ pendet ab actibus & circumstantiis & earum iteratione; omnia hæc manifestari debent simul.

In contrarium arguitur, quia unum solum intelligimus secundum Philosophum, ergo non plura simul; non ergo poterunt omnia simul videri. Item in damnatis non erit natura melior quam nunc est, ergo si eorum intellectus nunc non potest plura intelligere simul, nec tunc poterit: quod si tunc poterit, ergo sublimatus erit. Respondet S. Bonavent. ubi supra quæst. 3. quod omnes repente simul omnia peccata videbunt, & credendum est magis quod simul. Ad quod intelligendum, notandum quod simul videre multa hoc potest esse tripliciter; aut ratione ejus in quo videt; quia videt multa uno intuitu, & sic in speculo æterno est videre multa, quia idem homo ibi videt diversa: aut ratione sublimitatis intellectus qui efficitur deiformis per gloriam, unde videt multa sicut Deus, licet non omnimode, sicut Angelus beatus simul cognoscit Deum in se, & creaturam in Deo & in proprio genere: aut ratione divinæ virtutis hoc facientis, quæ tamen non efficit gloriam ut ostendat ei exemplar externum, sed levat intellectum ut possit aliquid supra se vel ad gloriam vel ad pœnam. His tribus modis videbunt animæ bonæ in judicio. Primis duobus modis in patria, sed tertio tantummodo animæ malæ in judicio. Utrum autem post sic videant in inferno hoc non determino, quamvis non improbabiliter dici possit ut pœna unius sit consummata & uniformis. B

Ad primum. dicendum quod illud verum est per virtutem divinam. Ad secundum dicendum quod illa sublimatio potius est depressio, scilicet in offensione omnium turpitudinum. Sicut enim recogitatio multorum bonorum amplificat lætitiam: ita recogitatio multorum malorum amplificat tristitiam. Post librorum conscientiæ apertionem erit judicij discceptatio.

Sed diceres contra prædicta. Videtur quod non videantur in judicio omnia nude, saltem quo ad opesum circumstantias, quia dicunt electi Matth. 25. *Quando vidimus te esurientem?* & similiter dicunt reprobi. Respondet Lyra ibidem, quod non est quæstio procedens ex ignorantia, quia justi certitudinaliter cognoscent quod opera misericordiæ facta Christi membris, Christus reputat sibi, & è converso. Hic est quæstio admirationis pro magnitudine gratiæ quæ fiet electis; & miseriæ quæ infligetur reprobis. C

Utrum in judicio erit vocalis disceptatio?

ARguitur quod non; quia Sap. 4. dicitur, *dirumpet illos inflatos sine voce*. Et August. 10. de Civit. dicit quod Deus conscientiam reproborum convincet sine vlla sermonum prolixitate.

In contrarium dicit Greg. 26. Moral. quod illi reprobi verba judicis audient qui ejus fidem saltem verbo tenuerunt: sed hoc de Verbo Dei interiori intelligi non potest, ergo intelligitur de verbo vocali. Respondet Richard. in 4. dist. 47. art. quæst. 2. quod dixerunt aliqui quod nulla ibi erit disceptatio vocalis, sed tantum mentalis, quia vocalis esset superflua, eo quod illi qui erunt in judicio mutuo cognoscent conscientias suas: opinionem suam confirmantes per D. Augustinum 20 de Civit. quod simul omnes & singuli judicabuntur: sed si cum quolibet in singulari, esset disceptatio vocalis, illud judicium per maximum tempus protenderetur. Alij qui magis videntur concordare cum sensu sacræ Scripturæ, dicunt quod ibi erit disceptatio & mentalis & vocalis, quia Christus qui judicabit Deus est & homo; ideo judicabit modo divino & humano: ex hoc erit majus gaudium sensibile bonorum, & major dolor sensibilis reproborum. Unde non erit frustra: ac sicut in corporali ejus apparitione, gaudebūt justi & tristabuntur reprobi. Mentalis ergo & vocalis erit citatio, quia etiam mentaliter ad judicium vocabuntur & etiam per ministerium Angelorum, iuxta illud Matth. 13. *Mittet Angelos suos & congregabit electos suos*, quod facient Angeli cum tuba. Mentalis etiam & vocalis erit reproborum accusatio, accusabunt enim eos conscientiæ eorum secundum Apostolum Rom. 2. Et erit iniquitas quæ erit omnibus manifesta. Christus autem vocaliter accusabit eos, ut habetur Matt. 25. dicens eis: *Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c.* Nec hoc erit contra formam recti judicij quod judex proponet contra eos, quia ipse procedet ex officio suo. Testificatio etiam erit mentalis & vocalis, quia omnes videbunt conscientiam cujuslibet; itaque in conscientiis propriis testificabitur quilibet esse verum illud de quo conscientia accusabit impium. Angeli etiam qui fuerunt custodes eorum specialiter testificabuntur contra eos; quod non tantummodo tenent fideles, sed etiam Philosophi plures, ut patet in lib. de Deo Socratis. Homines etiam electi vocetenus contra eos testificabuntur. Sententia etiam definitiva non tantum mentaliter, sed etiam vocaliter referetur; ut patet Matth. 25. D

Ad primum dicendum quod illud verbum debet intelligi de voce excusationis, quia erunt inexcusabiles, & sic exponit gloss. ibidem. Ad secundum dicendum quod August. non dicit quod fiet sine sermone, sed dicit sine sermonis prolixitate.

Utrum disceptatio erit de solis operibus misericordiæ?

ARguitur quod non, quia dicitur Matth. 12. *De omni verbo otioso quod locuti sunt homines, reddent rationem de eo in die judicij*. Item omnia debent versari in judicio pro quibus est sententia ferenda; sed sententia contra reprobos non solum proferetur pro defectu operum misericordiæ tantum; sed etiam pro aliis criminibus: ergo non tantum erit disceptatio, &c. E

In contrarium habetur Matth. 25 ubi Salvator non dicit aliquam disceptationem futuram nisi de operibus misericordiæ. Respondetur quod multa sunt alia opera illis præstantiora, ut opera misericordiæ spiritualia, Martyrium & alia: nec est ratio cur minus laudabilia discutiantur aliis silentio præteritis. Tamen in judicio erit disceptatio mentalis & vocalis. Prima erit de omnibus operibus non tantum in speciali, sed etiam in singulari. Utrum autem de aliis

operibus quam de operibus miſericordiæ ibi vocalis aliqua diſceptatio ſit futura, certum non eſt apud omnes, quamvis ſatis certum ſit quod fiet præcipuè de illis, ut appareat omnibus manifeſtè, quod qui peccata per opera miſericordiæ non redemerunt, indigni ſunt miſericordia. Iuxta illud Iacobi 2. *Judicium ſine miſericordia* ſcilicet ſalvante, *illi qui non fecerit miſericordiam*. In hoc tamen peculiaris eſt opinio Leonardi Leſſij lib. 13. de perfectionibus divinis, quod Chriſtus Matth. 25. formam judicij deſcribens memineric potius operum miſericordiæ, quam aliorum, ut homines, præſertim plebeios, qui ad ſpiritualia & majora parum ſunt comparati, excitaret, ut quæ ſint utiliſſima ad obtinendam remiſſionem peccatorum: hanc autem rationem in judicio ceſſaturam in quo etiam innumeri ſalvabuntur qui talia opera non fecerint, ut infantes, Religioſi & panperes.

Nec quidquam argui poteſt in Leſſij verbis, ſed in hæc parte Proteſtantes in Dei juſtitiam & in ipſo ingenitum odium peccati, impiiſſimi plane inveniuntur. Volunt enim nullum ſcelus, infidelitate excepta, fidei juſtitiam & gratiam adoptionis expellere. Quamobrem quando ad tribunal ſupremum homines ſiſtendi, tunc ſecundum eorum ſententiam, inquiret ſolum Deus an crediderint nec ne: reliqua ad impletionem mandatorum ipſius adeoque ad obſervantiam juris naturalis pertinentia diſſimulanter aut ignoranter relinquet, minime ea examinaturus aut judicaturus. Enim vero blaſphemum affirmare puritatem divini judicij tam in hac vita quam in altera, non proſequi odio animam & propter fidem ſuperſtitem non imputare credentibus alia peccata: quando quidem fidei præſentia ea potius exhibeat in oculis Dei turpiora pœniſque majoribus digniora. Hujuſmodi Dei judicium mancum certe vel uni hominum operi dempe fidei adſtrictum, quod Proteſtantes tamen nefario dogmate Deo permittunt: affirmantes ipſum non proſequi odio adulteros ac rebelles in ſuos principes ſi modo credant: non tranſcripturum ſimiles ad pœnas æternas, ſi credentes ſolum invenerit. An Dalilæ iſtæ unquam cœleſtem Samſonem demeutabunt vel cæcum exhibebunt, quo minus ipſorum horrenda dogmata flagitiaque ab alto deſpiciat?

Argumenta ad partem primam procedunt de diſceptatione mentali; Argumentum vero ad partem ſecundam de vocali.

Vveſtmonaſt. l. 5. de mor. relp.

An excuſatio dicentium ſibi gratiam defuiſſe, in judicio à Chriſto admittenda?

NOſtrorum temporum infelicitas inducit hanc quæſtionem. Cum enim non paucis iſque ſcientiæ nomine commendatis videatur gratiam ſufficientem ac multo magis efficacem ſine quibus nullum bonum ſalutare perficitur, omnibus non dari adultis ac ratione utentibus, ſed has gratias ex mero Deiplacito his non illis diſtribui prout Deus voluerit: nec ullum medium ordinarium à Deo inſtitutum eſſe ad has gratias acquirendas, quaſi eſſent gratiæ gratis datæ quæ ad aliorum utilitatem dantur quaſi ſorte quadam, iis quibus inſpirat Spiritus S. prout vult: inde colligi poſſe videtur reprobes in judicio à quibus exigetur ratio defectus ac inopiæ bonorū operum, exceptione legitima uti poſſe, dicendo ſibi gratiam aut ſufficientem aut efficacem non ad fuiſſe, nec in eorum poteſtate ſitum fuiſſe ut haberent. Enimvero ſicut ſi exigeretur ab homine ratio cur non prophetaverit, miracula ve non patrarit; legitima eſſet excuſatio, dicendo gratias gratis datas ad hæc peragenda, non dari omnibus: ita profecto de bonis operibus minime adimpletis dici poſſet, gratias gratum facientes ut ſufficientem & efficacē non dari omnibus ad bona opera perficienda: ſibi ergo non magis imputari poſſe ad reatum & damnationem defectum bonorum operum non conceſſis ſibi gratiis gratum facientibus ad ipſa exequenda, quam defectum miraculorum aut prophetiarum non conceſſis ſibi gratiis gratis datis quibus hæc patrantur.

Et certe propter hanc rationem non exquiretur in judicio ab omnibus cur miracula non patrarint, nec erit iſta cauſa condemnationis eorum quibus hæ gratiæ gratis datæ non impertitæ ſunt: cur ergo exquiratur ratio de defectu bonorum operum ab iis quibus denegatæ fuerunt gratia ſufficiens aut efficax quocumque nomine cenſeantur? Unde patere poteſt quantum imminuant fidem judicij generalis, hujus doctrinæ aſſertores: cum juſtitia Dei non appareret in hoc judicio niſi impij durante vita potuiſſent bene operari auxilio talis gratiæ, quam ideo aſſerunt omnes ſcripturæ.

Quod inde oriatur confuſio impiis.

REſpondetur quod provt ex ſactis colligere poſſumus ſcripturis. Primo ſeparabuntur ab invicem boni à malis, ac ipſis malis in terra remanentibus, electi elevabuntur in aëra, ſicut dicitur Matth. 25. *Separabis eos ab invicem ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris, hædos vero à ſiniſtris.* Deinde reprobos iterum ſecundum impiorum demerita in diverſis acibus coarctabunt Angeli, ſecundum quod dicit Salvator Matth. 13. *Tempore meſſis dicam meſſoribus; colligite primum zizania & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Et ibidem. *Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum.* Secundo reprobi videntes electos rapi glorioſe in aera turbabuntur: dicentes illud Sap. 5. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei: nos inſenſati vitam illorum eſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Quid nobis profuit ſuperbia, jactantia, divitiarum copia quid contulit nobis? tranſierunt omnia ſicut umbra.* Tertio reprobi flebunt fletu magno univerſaliter. Zach. 12. *Plangent terra, familiæ & familiæ ſeorſum*, & Matth. 24. *Et plangent ſe omnes tribus terræ.* Quarto reprobi vallabuntur undique. Unde Greg. O quam anguſtæ erunt viæ reproborum undique! ſuperius erit judex iratus, inferius horrendum chaos, à dextris peccata accuſantia, à ſiniſtris dæmonia infinita ad infernum trahentia, intus conſcientia urens, exterius mundus ardens, latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. Quinto judex feret ſententiam pro electis, in qua quatuor continentur, provt dicitur Matth. 25. Primum invitatio amoroſa; ibi, *venite*. Secundum commendatio dulcoroſa; ibi, *Benedicti Patris mei*. Tertium remuneratio copioſa; *ibi, poſſidete paratum vobis regnum*. Quartum perpetuatio glorioſa: ibi, *quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi*. Et concludit rationem dicens. *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*, &c. Sexto in ſententia reproborum ſimiliter continebuntur quatuor. Primum, ſeparatio, ibi, *diſcedite*. Secundum exprobratio, ibi, *maledicti*; ubi Chryſoſt. dicit quod multa reprobis tunc Iudex objiciet dicens: Creavi vos ad imaginem & ſimilitudinem meam, & vos eam nequiter prophanaſtis: Angelorum meorum cuſtodiam dedi vobis, & vos eorum monita contempſiſtis; Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos miſi vobis, & eos audire noluiſtis. Inſuper homo factus ſum pro vobis, triginta annis ſerviens vobis ſalutem veſtram procurando, diſcurrendo, jejunando, prædicando, in oratione pernoctando, at mea monita deriſiſtis, neglexiſtis, contempſiſtis. Inſuper pro vobis venditus ſum, ligatus, conſputus & flagellatus, crucifixus, felle & aceto potatus, mortuus ſum, ubi eſt tantarum mearum injuriarum fructus? Ego paradiſum vobis aperui, gratiam meam obtuli, ſem-

Quidam tribuunt D. Anſelmo.

per juvare paratus fui, regni mei gloriam vobis repromisi, non coegi vos, sed libertatem spiritus vobis dedi, amorem solummodo & voluntatem bonam à vobis requisivi. Quid ultra debui facere & non feci? ecce ista columna ad quam pro vobis ligatus fui; ecce flagellum quod me cecidit, ecce hoc caput quod pro vobis spinis coronatum est, ecce crux in qua pro vobis pependi, vos autem contempsistis & res terrenas plusquam meam justitiam amastis. Insuper videbatis me in membris meis per domos circumire & esurire, & non dabatis manducare, corda vestra indurantes. *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Tunc clamabunt & dicent, *quando vidimus te, &c.* Tertio in sententia reproborum continetur inflictio pœnæ, cum dicitur *in ignem.* Quarto in illa sententia continetur irrevocabiliter pœnæ perpetuatio; cum dicitur, *æternum.* Et quis poterit habitare cum ardoribus æternis?

Nec tam cito lata erit sententia quin eam sequatur exequutio: quia cum Judex sit omnipotens, sermo ejus ita erit efficax, ut ignis quo mundus ardebit irruat in miseros eosque undique involuat, simulque terra sub eorum pedibus ad inferos usque maximo hiatu se aperiat, ut tota multitudo damnatorum cum igne involuente, videntibus sanctis omnibus, præcipitetur. Quod totum fiet cum immenso fragore & strepitu, tum ignis corripientis, tum terræ dissultantis, tum hominum cadentium, gementium, ululantium, exclamantium. Quæ colligit Lessius lib. 3. *de perfect. divin.* cap. 24. ex his scripturæ locis Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, nimirum post latam sententiam. Psalm. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.* Cadent, quia ex alto vi sententiæ judicis in eos ignis cum carbonibus ardentibus immitteretur, quo in ignem inferni dejicientur. Psal. 91. *Mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.* Ubi loquitur Propheta de extrema illa fovea, in qua cadent omnes peccatores in die judicij.

Quanta futura sit majestas Præsidis hujus generalissimi Concilij?

Et vidi, ait D. Ioannes Apoc. 20. *Thronum magnum & candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit Terra & Cœlum, & locus non est inventus in eis.* Si litteram spectes vix poterit intelligi quo pacto Cœlum & Terra fugiant à conspectu throni, in quo sedebit Christus in judicio. Ideo quidam dixerunt, quod Christus in judicio adeo lucidus, adeo sanctus & perfectus apparebit, ut omnis perfectio quæ inveniri potest in Cœlo & in Terra, desit, in Angelis & hominibus, nihil prorsus æstimari debeat: sicut enim adveniente sole & superlucente in hemisphærio nostro, statim lux stellarum evanescit, quæ nihil est in comparatione fulgoris solis, & quasi dictæ stellæ videntur fugere & non habere locum, imo desinere esse in præsentia luminis: ita in judicio in conspectu Christi, omnis species & sanctitas tam Angelorum quam hominum quasi æstimabitur nulla comparativè ad speciem, pulchritudinem & sanctitatem Christi: unde dicitur fugere Cœlum & Terram à conspectu ejus & non esse eis locum. *Michael Arelatensis in Apocal.*

Malim dicere hic figuram esse sanctæ rhetoricæ qua utitur scriptura ad denotandam & depingendam paucis verbis majestatem Christi in judicio ultimo, ac quam terribilis erit, à cujus primo intuitu Cœlum & Terra fugam arripiunt non audentes in conspectu ejus stare aut permanere. Quid ergo miselli homunciones, rei ac plurimorum peccatorum sibi conscij? audiendus Tertullianus librum *de spectaculis*, his verbis concludens, descriptione extremi judicij in quo spectaculum exhibebitur cui nullum aliud par aut simile unquam extitit. *Tertullianus de judicio.*

Atenim, inquit, *superfunt alia spectacula, ille ultimus & perpetuus dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas & res ejus nativitates uno igni haurientur. Qua tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? ubi gaudeam, ubi exultem, spectans tot ac tantos reges qui in Cœlum recepti nuntiabantur, cum ipso Jove, & ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes? item præsides persecutores Dominici nominis sævioribus quam ipsi flammis sævierunt, insultantibus contra Christianis liquescentes? quot præterea sapientes illos philosophos coram discipulis suis una conflagrantibus erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant: etiam Poetas non ad Rhadamanti nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes? tunc magis tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate: tunc histriones cognoscendi solutiores multo per ignem: tunc spectandus auriga in flammea rota totus ruber: tunc Athletici contemplandi non in gymnasiis sed in igne jaculati, nisi quod nec tunc quidem illos vellem vivos, ut qui malim ad eos potius conspectum insatiabilem conferre, qui in Dominum desævierunt. Hic est ille (dicam) faber aut quæstuarij filius, sabbati destructor, Samarites & dæmonium habens. Hic est quem à Juda vendidistis, hic est ille arundine & colaphis verberatus, sputamentis dedecoratus, felle & aceto potatus. Hic est quem clam discentes subripuerunt, ut resurrexisse dicatur, vel hortulanus detraxit, ne lactuca sua frequentia commeantium laderentur. Ut talia spectes, ut talibus exultes quis tibi prætor, aut consul, aut quæstor, aut Sacerdos de sua liberalitate præstabit? & tamen hæc iam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata. Cæterum qualia illa sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? credo circo & utraque cavea & omni fidelis gratiora.*

Probatur Gratia Sufficiens ex libris Novi Testamenti pro asserenda æquitate judicii ultimi.

AC primo probatur ex cap. 3. Apocalypsis, *Ego sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum.* Hic enim Dei impulsus fit per Gratias prævenientes seu excitantes quas nos sufficientes vocamus, quibus incitatur voluntas ad consentiendum bono operi. Quomodo vero diceret, *si quis aperuerit intrabo*, si non esset in potestate cujuslibet aperire? ducta quippe est similitudo ab iis qui clausis foribus domi reclusdungur, qui interdum pulsantibus aperiunt, nonnumquam dissimulant, ad quod alludens sponsa dixit, Cant. 5. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.* Sed si plura exoptas in hunc locum Apocalypsis, suppeditabit abunde Sherlogus in cap. 2. Canticorum *versic.* 22. *in explanat. Mystica sect. unica.*

Secundo probatur ex epistolis Canonicis, ex cap. 3. epist. 2. D. Petri. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* An expectat quispiam ab aliquo, quod probe scit eum præstare non posse? quomodo ergo excæcatos aut obduratos expectaret Dominus ad pœnitentiam, si non haberent auxilium sufficiens, quo possent ad pœnitentiam reverti?

Tertio probatur ex epistolis D. Pauli: ex cap. 2. epist. 1. ad Timotheum: ubi hortatur Apostolus ut orationes ad Deum fundantur pro omnibus hominibus, *Quia*, inquit, *hoc bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus, unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro*

omnibus. Quæ ſententia pluries repetitur ab Apoſtolo, ut intelligamus Chriſtum omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem impetraſſe, quandoquidem pro omnibus redemptionem ſe obtulit, ut omnibus quantum eſt ex parte ſua ſalutem procuraverit, cupiens omnes ſalvos fieri, ſi non apponerent obicem. Quod etiam Divus Auguſtinus ſenſit tractans hunc locum Apoſtoli, de Spiritu & littera cap. 33. etſi alias varie philoſophetur. Sed & Theophilactus verſans ſimilem locum Apoſtoli ad Hebræos 2. *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem:* ſic explicat ejus mentem: Deus enim non ex debito, ſed ex gratia filium ſuum nobis dedit in mortem, non pro fidelibus tantum, ſed pro univerſo terrarum orbe: *etſi enim omnes non ſunt ſervati, ipſe tamen quod ſui officii erat implevit.* Scilicet Redemptoris omnium, cui incumbebat media ſufficientia ad ſalutem omnibus acquirere: unde connexæ ſunt inter ſe aſſertiones de morte Chriſti pro omnibus, & de gratia ſufficiente, ut qui unam admittit, alteri ſubſcribat neceſſe ſit: unde nec induratos eximit Apoſtolus, quin auxilium à Deo ſufficiens ſibi paratum habeant, cum ſcribit ad Rom. 2. *Ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te expectat?* Non enim aliter patientia exerceretur à Deo erga induratos, ſi non poſſent ad pœnitentiam gratiarum excitantium ſubſidiis ſe flectere, ſicut non exercetur erga dæmones & damnatos, qui privati ſunt omni gratiæ ſubſidio, ut ſe ad Deum convertant.

Probatur Gratia ſufficiens ex libris veteris Teſtamenti pro aſſerenda æquitate judicii ultimi.

IMpugnatorum gratiæ ſufficientis antiſtes Rever. Yprenſis in titulo capitis 8. lib. 3. tom. 1. ait ſtatum veteris Teſtamenti figurativum & propheticum non attuliſſe Judæis gratiam ſufficientem, ſed potius impedientem. Quaſi vero ſine injuria Chriſti dici poſſit, ullam gratiam ab eo profluxiſſe, quæ fuerit impediens. Quod minus convenienter dictum impulit nos ut à novo Teſtamento ad vetus procedamus, præſuppoſita tamen partitione illius in quatuor partes, ut methodice docet Doctor Lyranus *Prologo in Geneſim*, videlicet in libros legales, hiſtoriales, ſapientales & prophetales: nam quia vetus & novum Teſtamentum ſe habent ſicut rota in medio rotæ, ut habetur Ezech. cap. 1. vetus in totidem partes, quot novum dividitur, quæ correſpondent ſibi, ſcilicet Evangelium libris legalibus, epiſtolæ libris Sapientialibus, Acta Apoſtolorum hiſtorialibus, & Apocalyſis Propheticalibus: unde ſicut ex libris novi Teſtamenti teſtimonia produximus pro Gratia Sufficienti, idem præſtabimus ex his quatuor claſſibus librorum veteris Teſtamenti, ut exinde appareat traditionem Gratiæ Sufficientis fere ab ipſo mundi exordio inchoatam & ex illo tempore in quo in Adamo vitiatum eſt genus humanum, ut loquitur D. Auguſtinus epiſt. 157. ad noſtrum ævum prorogatam eſſe, ut non omnes veteris Teſtamenti filij gratiæ prorſus ignari dici debeant, licet illius plures fuerint contemptores.

Quem in apparatu huius ſummæ ſequi ſumus.

Primum igitur ex libris propheticalibus Oſeas, cap. 13. prodit, ubi ſic Deus loquitur, *perditio tua ex te Iſraël, ex me tantum auxilium tuum.*

Poſt Oſeam duos ex majoribus Prophetis maxime inſignes ſeligimus apud quos hæc veritas comprobatur: ſic enim loquitur Deus Ezechielis 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum & Spiritum novum: & quare moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini & vivite.* Quæ verba illuſorie dicerentur à Deo, ſi non eſſet in poteſtate peccatorum ad eum ſeſe convertere, carentque auxilio ad converſionem ſufficienti, quam conſequentium pij abhorrent, ſolus Calvinus admittit lib. 3. Inſtit. cap. 24. his verbis. *Ecce verbum ad eos dirigit, ſed ut magis obſurdeſcant; lumen accendit, ſed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, ſed qua magis obſtupeſcant; remedium adhibet, ſed ne ſanentur.*

Aliter textus eſt apud Iſaiam ubi Deus conqueritur cap. 5. contra Iſraelitas, *Quid ultra debui facere vineæ meæ & non feci? an non expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* quibus ſatis Deus demonſtrat ſe ex parte ſua non defuiſſe Iſraelitis prævaricatoribus: at quo pacto, ſi ne quidem auxilium ſufficiens ſuppeditavit? hoc regerere poſſent Judæi: caruimus omni auxilio ſufficienti, quare non eſt æquum quod deficiente circa nos cultura ſufficienti vuas expectares, & ſterilitatem nobis improperes: an expectant ſapientes de tribulis ficus, & de ſaxis oleum? quid ſumus abſque gratia tua niſi tribuli, & ſaxa duriſſima? expectaſne ut quod nobis eſt impoſſibile præſtemus, cum imperfectum noſtrum videant oculi tui?

Nec juvat eos ſolutio ridicule aſſerentium auxilium iſtud ſufficiens dediſſe in Adamo, cum eſſet in ſtatu innocentiæ, ad quem Deus reſpexit hæc improperans Judæis. Neque enim hæc exprobratio ad Judæos magis attineret quam ad barbaros quoſlibet qui in Adamo eodem favore & gratia donati ſunt. Legi poteſt inter cæteros D. Baſil. magnus in hoc cap. Iſaiæ.

Sed quoniam inter libros Prophetarum reponuntur Pſalmi, juvat expendere verſus illos ex Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus: & occurſus eius uſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſondat à calore eius.* Quam Prophetiam egregie de Chriſto explicat D. Thomas Commentariis in hunc Pſalmum, atque idem contingere de Spiritu ſancto quod de ſole materiali. *Multi autem*, inquit, *poſſunt ſe abſcondere & non recipere calorem ſolis, ſed ſol ex parte ſua, ſe exhibet omnibus: ſic Spiritus ſanctus effunditur ubique & petit ab omnibus recipi, niſi aliquis ſe per malitiam abſcondat.* In quem D. Th. conceptum collineat Caſtanæus Epiſc. Pictavienſis, qui quondam uſus præceptore, uno ex Coriphæis doctrinæ contrariæ, ab eo tamen numquam adduci potuit ut Gratiam Sufficientem negaret, quare ſic ſcribit in hunc Pſalmum. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, in ſole, Chriſto, &c. *à ſummo cœlo egreſſio eius* gratiæ quæ homines beat, cum à Deo proficiſcatur, *& occurſus eius*, dum libero arbitrio obviam properat, *uſque ad* ſummum immenſæ bonitatis *eius*, qui tantum donum largitur: vel extenditur occurſus iſte uſque ad ſummum gratiæ, quatenus unicuique ſufficiens tribuitur; *neque eſt qui ſe abſondat* à cœleſti *calore eius*, cum neminem præteriat.

Caſtanæus in ſtaviensis Epiſc.

Nec ab iſto ſenſu abludit Baptiſta Folengius Pſalmorum interpres non ignobilis. Et ante ipſum Remigius Altiſiodorenſis Epiſcopus in eumdem Verſum. *Non eſt qui ſe abſondat, ideſt, excuſare poſſit, à calore eius, ideſt, à cognitione vel à munere. Sicut enim magnus ignis calet & ſplendet, ita Chriſtus calet, quia nullus eſt qui non habeat aliquod munus ſuæ gratiæ quo eum poſſit agnoſcere, nec etiam paganus aliquis*, &c. Sed & hoc ipſum intellexit ipſe D. Auguſtinus cum ſcribit lib. de Paſtoribus cap. 14. Non habebis quid reſpondeas judici tuo quem non viveſſe Paſtorem tuum. Non habebis inquam quod reſpondeas judici tuo, non vidi, non audivi. Quid eſt quod non ſciſti? *Nec eſt qui ſe abſondat à calore eius.* Et in eumdem Pſalmum D. Auguſtinus: cum autem verbum etiam caro factum eſt & habitavit in nobis, non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis. *Ipſum enim penetravit verbi calor.*

Inexcuſabilis peccator in judicio.

2. Eadem veritas confirmatur ex libris Sapientialibus, quales ſunt illi qui vulgo Salomonis eſſe dicun-

tur. Ac maxime ex cap. 15. Eccles. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui: adiecit mandata ac præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* verſ. 18. *appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* In quibus verbis apertiſſime videmus expreſſum humanæ voluntatis arbitrium tum ad bonum tum ad malum. Et cum ad bonum extendi non poſſit, niſi ſufficientibus gratiæ auxiliis donata ſit, conſequenter colligimus gratiam ſufficientem ſine qua homo quivis bonum amplecti non poſſet. Nec dubium eſt, inquit Janſenius Gandavenſis, hæc cuivis hominum dici, non ſoli Adamo in ſtatu innocentiæ conſtituto: ſicut & Deuteron. 30. ſimilia dicuntur, unde veriſimile eſt hujus libri Auctorem hæc deſumpſiſſe. Sic enim ibi dicitur *conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum*, &c. & ſubdit ad verſum 17. Porro mandata quæ hic adjecta dicuntur, non tantum ea intelligenda ſunt, quæ in ſcriptura Geneſis expreſſe primo homini data leguntur, de manducando vel non manducando fructu paradiſi, ſed mandata naturalis legis, quæ & Adamo & ſucceſſoribus ejus impreſſa eſt & cordi infixa. Quæ mandata exprimuntur mox cap. 17. cum dicitur: *& dixit illis, attendite ab omni impio: & mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Hæc Gandavenſis. Quibus præoccupat quæ adverſarij retorquere ſolent; illa intelligi de homine in ſtatu innocentiæ & nondum corrupto, degenti.

Janſenius Gandavenſis.

Sed & manifeſtius Sapientiæ liber loquitur cap. 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt & nihil odiſti eorum quæ feciſti: parcis autem omnibus, quia tua ſunt, Domine, qui amas animas.* In qua ſententia quot verba tot fere argumenta pro gratia ſufficienti. Quid enim eſt miſereri omnium, ut bene perpendit Leſſius in tract. de Prædeſtinatione & reprobatione Angelorum & hominum ſect. 6. niſi omnibus præbere opem ut à miſeria reſurgant: *& diſſimulare peccata hominum propter pœnitentiam*, niſi non punire privando vita, ut pœnitentiam agere queant, quam ſine auxilio ſufficienti agere nequeunt? *Diligis enim omnia.* Ad quid niſi ad bonum ſalutis, &c. *& nihil odiſti eorum quæ feciſti*, denegando eis illud ſine quo neceſſe eſſet in perditionem abire. *Parcis autem omnibus quia tua ſunt, Domine, qui amas animas.* Potuiſſetne ſcriptura clamoribus verbis ſinceritatem divini amoris & viſcera paterna erga omnes aperire, cum omnes creaturæ Dei ſint, qui ſalutem animarum exoptat. *Ecce*, inquit, Ezechielis 18. *omnes animæ meæ ſunt, ut anima patris, ita & anima filii mea eſt.* Unde certe colligas Deum unicuique animæ auxilium aliquod dare ſufficiens ad ſalutem, quomodo enim aliter ejus amor ergo animas ſpirituales ad æternitatem paradiſi creatas, patefieret?

Quod idem adhuc expreſſe denotatur cap. 12. *O quam bonus & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! ideoque eos qui exerrant partibus corripis: & de quibus peccant admones, ut relicta malitia credant in te Domine.* Nec iſtis obſtat textus Eccleſiaſtes 11. *conſidere omnia opera Altiſſimi, quod nemo poteſt corrigere quem ille deſpexerit.* Quia intelligitur de eo quem Deus in hora mortis deſpexit per damnationem ex qua non eſt exitus. Vel ſi intelligatur de deſpectione illa quæ fit per ſubſtractionem abundantioris piorum motuum ac impulſuum copiæ, idem eſt ac ſi diceret, illud eſſe valde difficile, quod in moralibus pro impoſſibili dici ſolet, ſicut ejuſdem lib. cap. 1. dicitur *perverſi difficile corriguntur*, ubi difficile vocat quod hic impoſſibile. In Hebræo quippe utrobique eadem ſunt verba, ut annotavit Cornel. a Lapide in hoc cap. 7. Eccleſiaſtes.

3. Eadem veritas luculenter adhuc demonſtratur ex libris Hiſtorialibus veteris Teſtamenti, quales ſunt libri Joſue, Judicum, Ruth, libri Regum, Paralipomenon & alij. Hi ſiquidem libri omnes maxime nobis exhibent divinas correctiones ac punitiones contra illos homines qui mandatorum Dei prævaricatores extiterunt. Hinc tam ſæpe proponuntur in his libris ſtrages populi Iſraelitici ac cædes regum. Ex quibus pervium eſt intelligere mandata divina illis impoſſibilia ad ſervandum non fuiſſe. Et conſequenter gratiam illis non fuiſſe denegatam qua eſſent poſſibilia, cum vires naturæ eis adimplendis impares ſint. Si ergo Deus mandata dedit hominibus, eorumque inobedientiam ſeveriſſime caſtigavit, ut horum librorum fideli narratione conſtat, data erat illis gratia ſufficiens cui illi reſiſtendo reos ſe conſtituerunt. Quis enim, veriſſime ſcribit D. Auguſtinus lib. de fide cap. 9. non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, *cui non fuit poteſtas injuſſa complere?* Nec juvat adverſarios, quod hic poſt Calvinum lib. 2. Inſtit. cap. 5. ſolent reſpondere, impotentiam ſervandi præcepta non excuſare à peccato, nec à peccati pœna: quia nimirum ex originali peccato derivata eſt illa impotentia, & ex ea naturæ corruptela qua ultro Adam ſe diaboli tyrannidi addixit, Dei mandatum in paradiſo prætergrediens. Unde factum eſt ut illa impotentia ſit pœna peccati, nec à peccato excuſet quemquam. Sed cum nonobſtante hoc Calvini effugio damnata ſit propoſitio Calvini, in Trident. Seſſ. 6. cap. 11. ubi decretum eſt Deum impoſſibilia non jubere, per latus Calvini conſoſſum eſt dogma Janſenianum quod omnino rationi repugnat. Niſi velit, Deum poſt peccatum præcipere poſſe homini, ut nunquam ægrotet, nunquam ſeneſcat aut morticedat, & his præceptis ſi non obtemperaverit, æternis eum addicat ſuppliciis. Tam enim orta eſt impotentia hæc ſervandi ex peccato, quam impotentia ſervandi præcepta decalogi. Quare ſi injuſte toties populus Iſrael in libro Joſue, Judicum, Regum, & aliis, adverſariorum ſuorum poteſtati, fuſo prius exercitu, traditus eſt, ob prævaricationem Legis divinæ; ſi reges ipſi Iſrael ob eandem cauſam toties à Deo mulctati ſunt, & tranſgreſſionem Legis, & tranſgreſſionis pœnam cavere poterant; & cum id aliter fieri non poſſet etiam ex adverſariorum mente quam per gratiæ auxilia, & hæc illis præſto fuiſſe, & his illos reſtitiſſe concludendum eſt.

Libri Hiſtoriales.

Sed fortaſſis probationem iſtam generalem eſſe & convenire poſſe omnibus ferè ſcripturæ libris conquerentur, nec eſſe ſpecialem iis libris in quibus Hiſtoriæ Sacræ delineantur. Agamus ergo & pro eorum voto, aliquid ſpecialius eis exhibeamus ex iiſdem libris depromptum. Mulier ſapientis titulo donata, Thecuitis ſimilitudo, illud nobis ſuppeditabit, 2. Reg. cap. 14 quæ cum vellet fortiſſimo quodam argumento inducere Davidis animum ad miſericordiam erga filium Abſalonem, jampridem ab illo ejectum propter fratricidij crimen, *Omnes morimur*, inquit ad illum, *& ſicut aqua dilabimur in terram quæ non revertuntur: nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitat ne penitus pereat qui abjectus eſt.* Quaſi diceret ad David, tu Rex imago Dei es in terra, ad te ſpectat potiſſimum Dei virtutem & magnificentiam imitari. Ille non vult vel unum ex omnibus mortalibus vita æterna privari, ſed quantum eſt in ſe vellet omnes ad conſpectum ſuum in æterna beatæ viſionis requie aliquando admitti: cur ergo tu filium tuum Abſalonem tamdiu exulem ab aula tua & à facie tua, non in gratiam recipis? Etenim verba illa, *qui non vult animam perire*, intelligunt Angelomus & Toſtatus ad illum locum, de perditione animæ per damnationem æternam, à qua Deus vellet omnes & ſingulos liberari, ſi gratiæ ejus ad pia opera

Mulier Thecuitis.

vocanti obſequi vellent ex animo. At ſapientis iſtiur argumentum inſipiens eſſet, ſi tunc temporis Ianſenianum dogma viguiſſet. Ex illo enim reſpondere potuiſſet David: Falſum eſt quod Deus neminem velit perire, imo verò paucos admodum ad ſalutem promovet, ejectis cæteris à ſua cura & providentia: quare ſi filium Abſalonem reduci non patiar, faciam quod Deus agit erga innumeros homines. Quod cum factum non ſit, non ſolum ſapientis illius Thecuitis, ſed & ipſius pij regis mentem fuiſſe hanc ſentire debemus, quod Deus erga ſingulas animas pia viſcera gereret ad earum ſalutem, ſi ex parte ſua non deeſſent.

Libri legales.

4. Probatur id ipſum ex libris legalibus, ideſt ex Pentateucho & quinque libris Moiſi, qui idcirco legales dicuntur, quod primarium eorum argumentum ſit lex data in monte Sinai. Etſi enim totus liber Geneſis ac fere media pars Exodi exordia mundi ac primorum hominum geſta delineent, id tamen in ordine ad legem ipſam ordinatur, ut ad eam audiendam ac ſervandam præparentur homines ac excitentur, per exempla bonorum ac malorum, dum his vident bene ceſſiſſe ob exhibitum Deo cultum debitum: illis contra adverſa omnia accidiſſe ob numinis contemptum: ſicut obſervavit Guillielmus Pariſienſis *de leg.* Probatur autem ex Deuteronomio cap 30. *Mandatum quod ego precipio tibi hodie, non ſupra te, neque procul poſitum, ut poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cælum aſcendere ut referat illud ad nos, ut audiamus & opere compleamus?* Convenio hic adverſarios. Qua via mandatum Dei toti populo facile eſt, ſi non habeat vim & in illo non ſupponatur gratia ſufficiens ad illud opere complendum? Sciunt enim ipſi qua infirmitatis plaga perculſum eſt genus humanum, non poſſet ergo quis ſincere dicere homini, facile tibi eſt miracula patrare, ſi gratia aut donum miraculorum in eo non exiſteret: idem eſt penitus, de adimpletione mandatorum divinorum ſi exulet gratia, qua corroboretur voluntas ad eorum exſequutionem.

Sed ad mundi ipſa primordia accedamus propius atque in iis gratiam ipſam ſufficientem inſpiciamus. *Geneſ.* 3. nimirum ubi Deus loquitur ad Cain primogenitum peccatorum ac reproborum. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ubi Targhum vertit. *Verumtamen in manum tuam tradidi poteſtatem concupiſcentiæ tuæ, & tu dominare ei ſive ad bonum ſive ad malum.* Inſignis plane hic locus ad demonſtrandam tum humanam libertatem, tum gratiam ſufficientem eidem adjunctam, quam Deus ipſe in Caino aſtruit, ut Dominus eſſet ſuarum paſſionum tam in malum ſine gratia, quam in bonum gratiæ beneficio. Ac quoniam hoc loco convincuntur hæretici, mirum eſt quantū hic impudenter ac temere nugentur, contra quos plures erudite ac luculenter ſcripſerunt. Ut inter cæteros Bellarminus *de gratia & libero Arbitrio* lib 5. cap. 22 Etſi enim verba illa divina ad Cainum directa varias pari poſſint explicationes, illa tamen probandæ eſt & ad fidei dogmata aſtruenda valet, quæ pluribus ex ſanctis Patribus placuit, ex quibus legitimum ſcripturæ ſenſum venari debemus, ut docet Concilium Tridentinum Seſſ. 4. quare etſi varios conceptus Patres habuerint ad iſta verba, quos collectos videre eſt apud Procopium Gazæum in Geneſis hoc caput, & apud P. Ioannem *de la Haye*, commentariorum in Geneſim tom. 1. Non ſoluitur difficultas afferendo aliam interpretationem quorumdam Patrum: illa enim quæ pluribus Patribus arriſit legitima erit, nonobſtante alia explicatione, cum plures ſenſus poſſint eſſe unius & ejuſdem loci Scripturæ ſacræ, quod ejuſmodi ſenſuum ubertas & Dei ſcripturarum conditoris majeſtatem & ipſius ſcripturæ excellentiam ſupra cæteros libros ſummopere commendat.

Quare vanum eſt, quod Calvinus lib. 4. adverſus Pighium cum magno contemptu ac faſtidio locum hunc & ſimiles alios non multum negotij poſſe faceſſere etiam mediocribus ingeniis aſſerit, ſub prætextu alterius explicationis, quæ textui etiam quadrare poſſit. Eſto enim, admittatur hæc explicatio, ſed & propter hanc, illa non eſt repudianda, cui plures Patres à Bellarmino laudati ubi ſupra, adſtipulantur. Quibus addi poteſt Hugo de ſancto Victore parvus Auguſtinus dictus, ad hunc locum Geneſis, & Alcuinus interrogatione 84. in Geneſim, & D. Thomas in expoſitione illa aurea in eamdem Geneſim quæ inter ejus opera adſcribi ſolet, atque alij plures.

Hic mihi ſtatuendum eſſe ſignum deliberabam, cum occurrit difficultas non modica aſſerentium, non minori ſtultitia quam fatuos ob dementiam incarceratos, laborare eum oportere, qui ſibi imaginaretur Tiberios, Caligulas, Nerones, & Domitianos motos fuiſſe ſecreto quodam inſtinctu ad implorandam Dei gratiam, cum corruptiſſimis ſuis paſſionibus ac deſideriis indulgerent; nec perditos homines experiri ſe habere piam intellectus cogitationem ac voluntatis affectionem, dum in ſcelera ruunt præcipites: inde etiam infert tanquam ex certa demonſtratione, deſtructionem opinionis communioris & minus ſubtilis cæterorum Moliniſtarum de Gratia ſufficiente. Quia plures non ſentiunt ſe habere cogitationem ac affectionem illam: ergo carent gratia ſufficiente. Quod firmat authoritate Bellarmini lib. 2. *de Gratia & Libero Arbitrio* cap. 6. Quod dicat *non ſemper adeſſe auxilium ſufficiens ad converſionem, ut vel experientia ipſa teſtatur, non enim ſentimus aſſidue nos illuminari, aut immitti bona deſideria quibus excitemur ad converſionem.* Quod dictum Bellarmini ex paritate rationis extendit ad deſtructionem gratiæ ſufficientis in caſu alicujus tentationis, quoniam neque nunc plures ſe ſentiunt illuminari ac pio tangi deſiderio. Tum provocat, quotquot in Univerſo exiſtunt, Moliniſtas. Inquirant quantum voluerint, certus ſum, ait, hoc argumentum infirmius non eſſe argumento Cardinalis Bellarmini, aut illo minus invictum, nec utriuſque inveniri poſſe ullam ſolutionem rationi innixam.

Atreus carnerit gratia ſufficiente.

Uerum, cum non ita coerceamus intra limites ſolius orationis, gratiam ſufficientem, quin etiam, cum Deo ita placuerit, eam extendamus ad quamlibet cogitationem ac affectionem mali alicujus virandi ac boni exercendi, tota hæc ratiocinatio collabitur, ſi demonſtremus quoſlibet etiam depravatiſſimos, non carere piis iſtis cogitationibus ac affectionibus, etſi illas non ſentiant, quia non reflectunt ſe ſuper ſe. Prius tamen quibuſdam præmiſſis de dictis à Bellarmino, qui ibidem expreſſe aſſerit auxilium ſufficiens ad reſurgendum à peccato nemini deeſſe loco & tempore. Licet non detur omni momento, quia ſcilicet præceptum reſurgendi à peccato non obligat ſub pœna novi peccati incurrendi, omni momento & tempore. Et ſatis eſt ſi detur eo tempore quo obligat præceptum pœnitentiæ: ſicut datur cum eſt neceſſarium ad vitandum novum peccatum in periculo gravis tentationis. Unde etſi in utroque caſu auxilium Dei ſit neceſſarium, non tamen in omni momento neceſſarium eſt: quia, ut non ſemper obligat præceptum pœnitentiæ ad reſurgendum à peccato: ſic in periculo ex tentationibus proveniente, ſatis eſt ut iis non vincatur homo, ſi vires adverſarij minuantur, vel removeatur occaſio, vel aliquid magis alliciens offeratur, abſque eo quod extra caſum neceſſitatis habeatur aut ſentiatur inſpiratio gratiæ ſufficientis.

Gratia non datur omni momento.

Sed ne quemquam terreat nomen Neronum, Caligularum, & aliorum hujuſmodi perditiſſimorum hominum, qui non fuerunt deteriotis conditionis quam Caini, Pharaones ac Sardanapali, in quibus gratiam ſufficientem non defuiſſe alias diximus; etiam ipſum Antichriſtum hominem peccati &

lium perditionis, ut vocatur ab Apostolo 2. ad Thessalon. 2. in medium producimus, cui Deus committeret Angelum custodem, qui ejus saluris curam habeat, & si ad bonum aliquod inducere non possit propter exquisitam ejus malitiam, a malis tamen plurimis deterreat. At credi non potest Angelos custodes eos velle ad salutem promovere, quibus id esset impossibile ob inopiam auxilij sufficientis. Unde non leve argumentum est Deum eorum salutem curasse quibus Angelos custodes destinavit. At Angelum custodem ipsi Antichristo delegaturus est.

Antichristi Angelus custos.

Id testatur D. Thomas 1. part. quæst. 113. art. 4. ad 3. Dicendum, inquit, quod sicut præsciti & infideles non privantur interiori auxilio naturalis rationis: ita etiam non privantur exteriori auxilio totius naturæ humanæ divinitus concesso, scilicet custodia Angelorum, per quam, etsi non juvantur, quantum ad hoc quod vitam æternam bonis operibus mereantur, *juvantur tamen quantum ad hoc quod ab aliquibus malis retrahuntur*, quibus & sibi ipsis & aliis nocere possent. Idem sentit D. Bonaventura in 2. sent. dist. 11. art. 2. quæst. 1. asserens bonum Angelum nec obstinatos nec Antichristum deserere, quantum ad actum custodiæ, qui respicit malum, quia semper retrahit hominem, ne labatur in pejus.

Consentit Tostatus Abulensis in cap. 18. Matthæi quæst. 62. ubi ob varias rationes Angelum custodem dandum esse Antichristo demonstrat, præcipuè vero quia licet Antichristus nunquam assentiret Angelo custodi ad hoc quod bonum agat, aut ad hoc quod malum caveat, saltem in desiderio, impediet tamen Angelus custos Antichristi Sathanam, ne ad tanta mala sollicitet Antichristum, immittendo ei pravas cogitationes, incendendo ad malum: & dato quod interdum permittat istas cogitationes immitti, non permittet eas exequutioni tradi, &c. etiam ipsi Antichristo indirectè proderit custodia Angeli, *quia suadente Diabolo plura mala committeret Antichristus, nisi custos Angelus impediret Sathanam ut dictum est*: & tamen quanto pauciora fuerint peccata ejus, tanto minus punietur. Si autem sine Angelo custode relinqueretur, committeret plura mala & puniretur gravius. Subscribit Suares tom. 2. ad 3. partem D. Thomæ disp. 54. sect. 3. ubi addit Deum non denegaturum Antichristo gratiam suam sufficientem quantum est ex parte sua, quamvis propter malitiam vix unquam det ipse locum alicui bonæ inspirationi aut effectui spirituali custodiæ Angelicæ aut divinæ gratiæ. At si ita est de Antichristo, quanto magis de aliis?

Ingratitudo plurimum ad Angelos custodes.

At, inquiunt, sentirent id peccatores ac experirentur se illuminari & accendi. Sed hoc magis non est necessarium, quam ut sentiatur operatio custodiæ Angelicæ. De qua loco præcitato sic Doctor Seraphicus: Credendum est quod multis modis Angeli qui nos custodiunt, & studeant promovere ad bonum, & studeant retrahere à malo, quamvis hoc non percipiat hebetudo spiritus nostri; propter quod multi superbiunt, multi sunt ingrati, & frequenter sibi attribuunt quod est ex beneficio Angelico, & ex hoc minus efficiuntur digni ut ab Angelis adjuvantur. Quæ non incongrue de Gratia sufficienti dicerentur, quæ tot modis operatur circa hominem, ut mirum sit aliquem qui attendat, de ea nihil experiri. Quis enim Nero (de quo testis est Suetonius) insigni aliquo crimine se polluens, qui continuo Syndereſi remordente, non torqueatur, si supra semetipsum sese reflectat? Iussit enim Dominus, & sic est, ut sibi ipsi pœna sit omnis animus inordinatus. Et de semetipso testatur D. Augustinus lib. 7. *Confessionum* cap. 8. dum vitam nefandam duceret, inter ipsas voluptates conscientiæ stimulis lancinatum pectus habuisse; quod refert ad misericordiam divinam, *qui placuit in conspectu tuo reformare deformia mea & stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem ad spectum certus esset.*

Remorsus conscientiæ in peccatoribus gratia est.

Quod alibi luculentius asserit idem D. Augustinus ut cum in Psalm. 36. concione 2. scribit malum hominem in conscientia nullum habere solatium. Cum in Psalm. 53. & 55. malam conscientiam malam uxorem vocat, litigiosam scilicet cum qua nulla est pax. Cum in Psal. 45. conscientiam tribulationem vocat, qua nulla major, ei adaptans verbum Regij Prophetæ, *adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis*; & cum in Psalm. 57. ait, judicis tribunal est in mente tua, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor. Quod ipsum magno consensu firmant Patres Ecclesiæ, necnon etiam ipsi infideles, quibus ita aperta fuit ista veritas, ut propterea crederent quasdam esse furias quibus scelerati quique post admissum crimen torquerentur.

Nec ejusdem veritatis obscura est aut dubia in scripturis sacris probatio, quid enim aliud denotat scriptura Genes. 3. cum postquam primi parentes peccaverunt dicit, *& aperti sunt oculi amborum*? quid aliud cum Deus Cain alloquitur Genes. 4. *Nonne si bene egeris recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit*? ac si diceret, actuum delicti admissi pœna te dies noctesque immani quadam carnificina lancinabit. Aderit enim conscientia criminis, & suo tuam mentem satellitio circumdabit, supplicium à te patrati sceleris expoſcens; tanquam Cerberus pro foribus excubans animæ oblatrabit, dentes exeret, morsum minabitur: at tu miser nec intus in mentis secessum ingredi poteris, quin in tuorum facinorum furiales pœnas incidas, ut paraphrastice & eleganter in cap. 4. *Genes.* Sect. 7. exaggerat Benedictus Fernandius, qui & in cap. 3. ejusdem Geneſis Sect. 18. in remedium peccati admissi datam esse conscientiæ carnificinam ait: quare Procopius sic optimè disserit in Genes. cap. 3. si quis vel parum se peccato dederit, redarguitur clam à communibus animi conceptibus, quos Deus animo hominis impressit. Hi enim semper insonant sic volente Deo: *homo quid fecisti quod fœdissimo te mancipasti peccato*? Quibus addit D. Ioannes Chrysostomus in catena Barbari Achileiensis ad versum 15. Psalmi 7. *Simul ac quispiam de malo cogitavit, etiam priusquam in cogitatione concreverit; tumultus ac perturbatio est in cogitatione.*

Atque in eam rem plura suppeditat Celada in Iudith. cap. 11. versu 5. §. 16. tum ex scriptura, tum ex Patribus, quæ hic congerere non libet, cum res sit manifestior quam quæ pluribus elucidari debeat. At obmurmuratio ista conscientiæ improbæ & partus peccati vipereus erat in Nerone & Heliogabalo & aliis hominum monstris, velut auxilium quoddam saltem remorum, ad illud detestandum & de eo pœnitendum, & erat quædam bona mentis cogitatio, simulque voluntatis aliqua motio divinitus immissa: Nec enim solum innata est synderesis, sed etiam acquisita secundum rationem icitorum, ut solerter advertit magnus Albertus *in summa Theol. p. 2. tract. 16. membro 3. art. 1.* imo & quandoque infusa à Deo eadem ratione. Unde in hac vita possent illi dicere Dei gratiam profitentes, *adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis*. Non igitur omni auxilio interiori destituti censendi, & si solum istud habuissent, sed & aliud habuerunt, etsi semper non adverterint.

Nam & probi homines, ut ad hominem hic argumentemur, gratia medicinali, qualem solam pro efficaci gratia admittit R. Yprensis lib. 4. *de Gratia Christi Salvat.*, non sunt privati, etsi non sentiant delectationem cœlitus immissam, in qua illam totam constituunt, dum bene quidpiam operantur. Namque & mysticorum Theologorum doctrina est, qui penitius res spirituales discutiunt, perfectissimas animas vix supra suos actus se reflectere, imo & hanc reflexionem quamdam esse in vita eminentiori spiri-

tualium ſpeciem imperfectionis, qua anima à Deo unice dilecto avertit ſe, dum actui ſuo creato inſpiciendo intendit. Sic quippe delicata eſt eminentioris vitæ ſpiritualis perfectio, ut diſtractionem reputet hanc introverſionem, qua aliud quam Deum ipſum reſpicit. Et tamen cœleſtes illæ animæ inter cæteras gratia Chriſti abundant, etiam inter ipſas ſteriliates quibus omni ſolatio ſic ſibi deſtitutæ apparent, ut cum Chriſto moriente exclament gemebundæ, *Deus Deus meus ut quid me dereliquiſti?* Si igitur invalida eſt conſequutio quod probæ animæ gratia medicinali careant, quia non experiuntur ſuavitatem cœleſtem in qua illa ſita ſit tota, ut putant: & iners erit illa ratiocinatio, qua ſimiliter concludunt, flagitioſorum maximos carere ſufficienti gratia, quia non ſentiunt ſe illuminari aut moveri ad bonum.

Sed hæc ſatis, ut agnoſcamus hanc gratiam ſufficientem non defuiſſe Neroni, cui etiam D. Petrus adfuit ut converteretur ad fidem ſicut cæteri: ac Antichriſto, cui ipſe Elias non deerit viam juſtitiæ prædicans, media ſalutis non defutura, & in judicio inexcuſabiles fore ac juſte cum cæteris reprobis anathemate in maledictione æterna percutiendos, ut dicant omnes: *juſtum eſt judicium tuum Domine.*

Quomodo præſuppoſita gratia ſufficiente & non aliter ſtandeat juſtitia & æquitas in judicio.

Proteſtans de moribus reipub. l. 5. c. 4.

HAnc rem expendit probus Scriptor contra hæreticos diſputans. Nos porro admiſſa in homine & Angelo libertate agendi, conſequenter attribuimus Deo poteſtatem judiciariam: eam nempe, quæ eorum virtutes præmiat, delicta vero caſtigat. Dignus ſi quidem præmio, qui ſic actioni virtutis incumbit, ut potuerit ejus officium deſerere. Pariter ob demeritum dignus ſupplicio, qui ita crimen operatur, ut valuerit illud à ſe depellere. Duo præcipue ſpectanda, quod ad hæc, in divina providentia: Primum, quo jubet Deus bonas actiones, juxta ac malas vetat. Alterum, quo illas remunerat, has vero punit. Prius omnino connexum eſt cum libero arbitrio. *Quomodo jubet Deus*, inquirit ſanctus Auguſtinus, *ſi non eſt liberum arbitrium? neque enim præciperetur, niſi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis præceptis obediret.* Poſterius pariter omnino eſt cum libero arbitrio copulatum. Hoc egregie docet ſanctus Cyrillus, contra Julianum Apoſtatam affirmantem, Deum ſingulis gentibus mentes quaſdam indidiſſe, quæ ipſis fatalem neceſſitatem, quod ad ſuas actiones injicerent: *quo ſemel admiſſo*, inquit, *neceſſario reiicimus bonorum laudes, & eorum, qui non ſunt tales, in iſthoc ipſo corruptiones.* Sanctus Auguſtinus, iſtis Deum alloquitur: *ſi non dediſſes liberum arbitrium, & per hanc rationem, peccare me non faceres meliorem, non me ſequeretur damnatio juſta peccantem.*

Auguſt. de nat. & lib. arbit. c. 84.

l. 4. contra Julian.

Auguſt. in Pſ. 91.

Proteſtantes nihilominus liberum homini adimentes arbitrium, non plus dijudicandum in hominibus Deo relinquunt, quam ſi bruta eſſent, nec ad altiorem finem quam ipſa inſtituti. Quam hæc ipſorum hæreſis nefaria non modo in hominum mores, quin etiam in Dei ipſius providentiam, ejuſdem majeſtatem, ſimul ac juſtitiæ conſpicuum tribunal? an non ille ſummo jure judicabit homines, qui in eis omnem judiciariam excitavit poteſtatem, & cujus dono ipſi judicum ſententias dicunt?

Catholici ideireo non ſolum in Deo poteſtatem homines judicandi agnoſcunt, quin imo eam miſericordem ac juſtam fatentur: qui enim recte in hac vita ad rationis ac divinæ legis normas ſeſe gerunt, ij id totum præſtant divinæ gratiæ ſubſidio adjuti, cui tamen reſiſtere potuere. Pariter qui à ratione recta Deique legibus agendo aberrarunt, illi aliter valuere mores ſuos componere, ſeque à factis turpibus abſtinere virtute illius cæleſtis ſubſidij, quod aut retinuerunt, aut obtinere illis fuit poſſibile. Ex quo ſequitur, præmium æquiſſimo jure honeſte viventibus decernendum à Deo, male autem, ſupplicium. Verum quod ad utraque, horrendam quandam falſæ juſtitiæ ſpeciem Deo affingunt Proteſtatores: aiunt enim, Deum hominum peccata, qualia reputant omnia vel optima juſtorum opera, æternis pœnis licet digna, præmio tamen in cœlis exornare, juxta ac eis delictis perpetuum in inferno cruciatum rependere, quæ rei, dum in vivis agerent, defugere nequiverint; adeoque in quæ ipſemet Deus eos fatali quadam neceſſitate ac ſuo opere adegerit. Qualem tandem Deum nobis excudunt in ſuis officinis Proteſtantes! imo potius quale Idolum cacadæmonis tanta blaſphemia orbi obtrudunt venerandum? citius ſane humana ratio Deum eſſe negabit, quam ut ad idæam proteſtanticam, Deum adeo enormiter iniquum, tam immaniter tyrannum, qualem illi eum reddunt, umquam agnoſcat vel veneretur. Hoccine eſt pro Deo proteſtari, & non potius pro diabolo juxta novam fidem proteſtanticam denovere, profiteri? Conatus omnes, vel juſtorum, virtutibus impenſos, ob corruptionem, quam ab innata concupiſcentia attrahunt; juxta ac ob defectum illius gradus, quod ad perfectionem, ad quem attingendum vi legis divinæ tenebantur, mortalia peccata eſſe vociferantur. Ne tamen dicere viderentur, Deum nulla prorſus hominum opera præmiare, ac eodem apertiſſime ſcripturis adverſari, abſurde, impieque ſtatuunt, ipſum peccata, morum ſcilicet ſordes, à diabolo fatos, emiſioſque fructus, pannumque monſtruatum, præmio afficere. Pariter malefactis neceſſitatem, exacta omni libertate, imponentes, ſimili blaſphemia dicunt; quod nullo tamen Dionyſio vel Phalaridi, imputarent, Deum miſeros homines ob delicta, quæ ipſi evitare haud potuerunt, & in quæ ipſe eos præcipites ſumma neceſſitate & ſua opera dederit, horrendis perpetuiſque infligere doloribus ſuaſſententia cruciare. An hoc ex lumine Evangelico ſtatuere in Theologicis, & non potius Numinis providentiam ad libidinoſi erroris in hominibus æſtum ac fumũ, indigniſſime deformare, denigrare? Hæc & plura Scriptor ille eloquens & eruditus: quibus ſubjungo Chriſti ipſius verba ex capite lviii. l. 1. revelationum S. Brigittæ, quæ ſpiritu prophetico hæreſes noſtrorum temporum haud obſcure prævidit & confutavit. Amarus ſum, inquit Chriſtus, amator, amariſſimus. Amarus ſum illis qui dicunt me creaſſe multa ſine cauſa qui blaſphemant me creaſſe hominem ad mortem non ad vitam. O miſera & inſenſata cogitatio. Num quid ego juſtiſſimus & æquiſſimus Angelos creavi ſine ratione? Num quid ego tanta bonitate ditaſſem hominem, ſi creaſſem eum ad damnationem? nequaquam. Ego quippe omnia bene feci, & ex charitate omne bonum dedi homini. Ipſe autem omnia bona vertit ſibi in malum. Non quod ego aliquod malum fecerim, ſed quia ipſe homo aliter quam ſecundum divinam conſtitutionem movet voluntatem ſuam, hoc eſt ad malum.

Si deſuerit gratia ſufficiens, ubi juſtitia?

Spiritus propheticus in B. Brigitta.

His autem ſum amarior, qui dicunt me liberum arbitrium dediſſe ad peccandum & non faciendum bonum. Qui dicunt me injuſtum eſſe, eo quod alios juſtifico. Qui imputant mihi quod mali ſunt, quia ſubtraho eis gratiam meam.

His vere ſum amariſſimus, qui dicunt legem & mandata mea difficillima & neminem poſſe implere ea: qui dicunt paſſionem meam eis nihil valere, ideo & pro nihilo reputant eam. Propterea juro in vita mea, ſicut olim jurabam prophetis, quod excuſabo me coram Angelis & omnibus ſanctis meis: & probabunt hi quibus amarus ſum, me omnia rationabiliter & bene creaſſe, & ad utilitatem & eruditionem hominis, nec minimum vermem ſine cauſa ſubſiſtere.

ſſtere. Hi vero qui me amatiorem habent, proba-
bunt me liberum arbitrium pro bono homini ſapien-
ter dediſſe. Scient & me eſſe juſtum, qui bono ho-
mini do æternum regnum: malo vero æternum ſup-
plicium. Non enim deceret diabolum, qui à me be-
ne factus eſt & ex malitia ſua lapſus, ut cum bono ha-
beret conſortium. Probabunt etiam mali homines
non eſſe propter meam culpam quod ipſi mali ſunt,
ſed propter ſuam culpam propriam. Ego enim ſi
poſſibile eſſet libenter pro unoquoque homine ta-
lem pœnam exciperem, qualem ſemel in cruce pro
omnibus recepi, ad hoc ut ad promiſſam hæredita-
tem redirent. Sed homo voluntatem ſuam ſemper
habet mihi contrariam. Cui ideo dedi libertatem ut
ſerviret mihi ſi vellet, & haberet æternum præmium:
ſi autem nollet haberet ſupplicium cum diabolo, pro-
pter cujus malitiam & ejus ſequacium infernus fa-
ctus eſt. Ego enim quia charitativus ſum nolo ut ſer-
viat mihi homo ex timore vel coactus quaſi animal
irrationale, ſed ex divina charitate, quia nullus vi-
dere poteſt faciem meam qui invitus ſervit mihi ex
timore pœnæ.

Amor Chriſti.

Illi vero quibus amariſſimus ſum intelligent in
conſcientia ſua legem meam fuiſſe leviſſimam & ju-
gum metum ſuaviſſimum, & dolebunt inconſolabili-
ter, quod ſpreverunt legem meam & dilexerunt
magis mundum, cujus onus grave eſt & difficilius
multo quam meum.

At hæc Chriſti verba ſpectant ad tempus judicij in
quo coram Angelis & ſanctis omnibus apparebit
quam vanæ ſunt quam erroneæ cogitationes Luthe-
ranorum, Calvinitarum & eorum, ſi qui tamen in
Eccleſia aliqui adhuc tales extent, defenſores ac
fautores illius vltimæ hæreſeos, quam ultimi Ponti-
fices damnaverunt. *Populi populi in valle conci-
ſionis*, dicebat Deus per Ioelem c. 3. Lutherani Lu-
therani in valle Joſaphat; Calvinitæ Calvinitæ &
quicumque dogmata ipſorum ſectati eſtis, in valle
Joſaphat, *in valle conciſionis*. Ibi docebit vos Chri-
ſtus, ſi gratia ſufficienti reſtituti fueritis, ſi libero ar-
bitrio caueritis ad bene agendum, ſi non pro omni-
bus ſanguinem fuderit, ſi legem impoſſibilem dede-
rit, ſi vos ad malum præmoverit, ſi bona opera ſor-
des & ſtercora fuerint, *populi populi in valle conci-
ſionis*. In hoc Concilio errores veſtros agnoſcetis,
de quibus fruſtra & irrito conatu toties moniti eſtis
per Eccleſiam catholicam quam ſpernitis. Videbitis
aliud ibi agitari & inquiri quam an fidem habueritis,
& non unica fide cœlum à nobis comparandum fuiſ-
ſe: excuſabit ſe judex nec vos excuſabit. Sed ſcietis
tunc quam ignorantes veræ ſapientiæ, in quibus te-
nebris errorum & turpitudinum omni ſapientia caſſi
verſati eſtis, *ſtulti principes Taneos, ſapientes conſi-
liarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.*

Iſai. 19.

*Quod non minus repugnet articulo fidei de judicio
opinio de prædeſtinatione & reprobatione ex me-
ro Dei beneplacito, & alij hæreticorum errores.*

NE ſolus ſapere videar in re tanti momenti ſub-
jungo verba aliquot ex pluribus, Thomæ Cam-
panellæ Doctoris Hiſpani ex Ordine addicto hujuſ-
modi doctrinæ, quaſi eſſet ad mentem Doctoris An-
gelici, qui tamen felicitate ingenij emerſit de hoc
fundo, verius mentem ſui Doctoris aſſecutus. Sic
ille in *Centone Thomiſtico* de prædeſt. & reprob. in
præfat. art. 1. Poſtquam duo Ioannes Wicleff & Hus,
eoſque ſecuti Lutherus & Calvinus contra fidem
Catholicam extulerunt caput: ac eorum qui pugnant
contra eos nonnulli quaſi colludere, non quidem
malitia, ſed difficultate impulſi, videntur, mundus
Atheiſtis repleri cœpit: qui proprio ſenſu abſque ra-
tione ducti, ut impune quidlibet facere poſſint, op-
tant judicem Deum non extare bonorum atque ma-
lorum; ſi enim non eſt, noſtris appetitibus explen-

Doctrina prædeterminantiũ repugnat articulo de judicio.

diſper vim, per ſophiſma & per hypocriſim nos
incumbere oportet. Si autem eſt, vel nos præordina-
vit ad vitam æternam ante præviſionem meritorum
decreto invincibili, aut reprobavit ad mortem æter-
nam, ut dicunt Dei aſſertores, & hæc diſiunctiva ve-
ra eſt omnino, ergo non erit amplius judicium: naſ-
cimur enim judicati & non judicandi. Et quidem ne-
que bona opera minuere pœnas præmiaque augere
poſſunt, neque mala augere pœnas præmiaque mi-
nuere valent: cum non interveniant niſi ſicut effe-
ctus abſolutæ prædeſtinationis & reprobationis; imo
æque prædefinita ac finis ipſe. Falſa ergo omnis lex
exhortatioque metu gehennæ & ſpe gloriæ dirigens
in bonum. Namque nec ipſe Deus mutare poteſt
ſententiam. Agit enim neceſſitate ſuppoſiti decreti
æterni, imo etiam in nos aiunt & nobiſcum tempo-
raliter ita agit, ut aliter agere nos, imo nec aliter
velle non poſſimus. Efficax enim ejus eſt motio om-
nis: ergo ad actus pios ita atque ad peccaminoſos nos
movet, ſicut ante præviſa merita ab æterno conſti-
tuit: omnia igitur opera noſtra ſunt Dei æternaliter
decernentis, & temporaliter efficaciter præmoventis.
Unde ſequitur judicium eſſe nullum quod expecta-
mus, &c. Et licet Catholicorum pars dicat, nos
moveri libere, quia Deus in cauſis neceſſariis neceſ-
ſario, in contingentibus contingenter, in liberis li-
bere agit, & cooperatur; ex hoc tamen ſequitur
quod neceſſariò, ſeu mavis inevitabiliter homo ad
pœnas aut præmia ibit, licet liber. Quod non eſt li-
bertas, ſed ſpontanea deceptio: neque enim ex hac
libertate, quæ non ſibi umquam, ſed moventi ſer-
vit ſemper, quippiam lucratur homo, ſed excuſatur
Deus, ne videatur præter rationem contra juſtitiam
& *à capritio* homines judicare aut judicaſſe. Unde
conſcientia nullam pacem habet. Plura addit Scrip-
tor ipſe, ut quod ſi Deus prædeſtinet ac reprobet
poſt prævisos actus ex ſerie quadam rerum ortos, non
ex ipſa libertate, quod peccatum nihil ſit niſi ex opi-
nione, cum ad ipſum impellamur à Deo, & effe-
ctus cauſarum magis tribui debeant potentiori quam
debiliori, etiam ſi abſque hoc non fiant. Quare nar-
rat præfatus Auctor pollicitum ſe fuiſſe Centonem
Thomiſticum efficere ad evertendos prædictos er-
rores per ipſum D. Thomam, cum videret Urba-
num VIII. qui valde anxiaretur & arderet contra
tantum noſtri temporis malum. Quod fideliter præ-
ſtitit in dicto Opere quod fulciunt approbationes
Doctorum Pariſienſium ſui Ordinis.

Urbanus VIII. valde acerbe ferebat malum hujus doctrinæ.

At non ſolus ille Thomas: Alij etiam iſtam cum
veritate judicij divini contradictionem in doctrina
hæreticorum Lutheranorum & Calviniſtarum de-
prehenderunt, ut ex Concilio judicij generalis ma-
gis convinci poſſint de erroribus, quam ex Concilio
Tridentino aut alio quocumque. Unus præ cæteris
Fridericus Bartheius S. I. in Evangelia Adventus
(editus liber eſt Cracoviæ anno 1607.) id erudite
exaggerat oſtenditque Miniſtros hæreticos articulum
de extremo judicio Chriſti extreme deformaſſe &
quantum in ipſis eſt enervaſſe. Verba ejus etſi pluſ-
cula attexam ex ſermone in Dominica prima adven-
tus: Si enim id legant hæretici, pœnitebit eos erro-
rum ſuorum, niſi omnino ſint obdurati.

*Si, vel omnia opera hominum, etiam piorum peccata
ſunt, vel nulla juſtitia propria cujuſquam, ſed ſola
imputata Chriſti: nullum ergo Judicium extremum
Chriſti de operibus bonis piorum fieri poteſt.*

AT vero his poſitis luce clarius conſequitur,
nullum primum bonorum operum judicium
vel fore, vel eſſe omnino poſſe, particulariter vero
id quod paulo ante, primo loco diximus, nullam re-
gni cœleſtis partem ſecundum [illegible] in judicio extremo
bonis cujuſque operibus adjudicandam, idque ex
utroque iſtorum, quod adduximus fundamento.

Inane omne judicium operum quæ nulla sunt.

Primum enim, ad quid operum bonorum examen, si certum est ex ipsis fidei Christianæ elementis seu principiis primis, ut illi volunt, nullum omnino, nec existere re ipsa, bonum opus in toto hominum genere, nec esse omnino posse? Quomodo enim ei adjudicabitur mercedis nomine quidquâ vitæ æternæ, quod nunquam fuit, nusquam est, nullibi potuit esse? Imo vero quomodo non omne judicium illud, quo ad talia, inane? non supervacaneum? non consequenter apud prudentes nullum? An quisquam unquam, etiam inter homines judices (nisi plane stultissimus) judicium indixit de facinore aliquo, sive ad præmia ei decernenda, sive ad supplicia, quod certum tamen & ipsi erat, & mundo toti, neque unquam admitti à quoquam omnino potuisse? Ludionum quidem ludicra nobis imaginari talia possumus, aut hystrionum comœdias, ut si quis tribunal conscendat, ut ei, qui vel Danubium epotaverit, vel Oceanum ipsum exhauserit deficeritve, vel Alpes omnes undiquaque coæquarit, suam mercedem constituat; aut si quis Pygmæum aliquem in Judicium vocet, quod digito solem contigerit contaminaveritve; aut Icaromenippum illum Luciania, quod alis sibi aquilarum adaptatis, ad Lunæ Solisve domicilia usque convolando, communem rerum cursum inverterit, aut alia qualia quævis his similia otiosorum hominum figmenta. At vero in Dei judicio, illo præsertim extremo, & toti rerum naturæ adeo formidabili, quis talia audeat vel nominare?

Et quem tandem ob finem Christus bonorum hujusmodi operum, secundum Evangelistam inquam doctorum horum, æstimatorum, examen ad judicium suum advocabit? Num ut mercedem iis retribuat? Verissimum id quidem juxta Catholicam, ut vidimus, veritatem: at mane secundum Ministros nostros, cum nihil reperiri talium bonorum uspiam queat, nihil quod non, ut Calvinus loquitur, justam mereatur opprobrij mercedem. Quid ergo? an forte, ut resciat ipse Christus, si forte aliquo saltem in angulo mundi extremo, quidquam boni latuerit, quod illuc usque omnium effugerit conspectum? At si etiam Ministri nostri ex doctrina Evangelij Christi, se certissimos esse dicunt, nil usquam tale inveniri posse, ut quid inani labore Dominus se fatigaturus credatur? Ut quid, inquam, illud inquirat Christus indicto ad id judicio omnium hominum universali, quod inveniri nusquam posse, jam ipsis istis Ministris, ut fide indubitata credendum revelavit? Quid ergo? An forte propter nos homines totum id examen instituetur, scilicet, ut ostendat toti mundo Deus, quam nihil penitus in operibus ullis humanis fuerit integrum, nihil bonum? At primum, ne tali quidem jam manifestatione opus esse potest secundum istos, si sola quæritur. Jam enim docent Ministri idipsum per scripturas sacras pridem mundo toti declaratum, omnia, scilicet, omnino opera bona, etiam sanctissimorum hominum, similia esse panno menstruatæ mulieris. Idque scire fideles jam omnes, & qui credunt. Porro infidelis, *& qui non credit, jam judicatus est*, ut inquit Dominus. Deinde vero nihil ad propriam judicij formam tuendam, de qua nos loquimur, facere talis manifestatio potest. Certe enim longe aliam, judicij illius, in operum bonorum examine nobis describunt rationem scripturæ, uti vidimus, quam quæ in sola illa defectuum, qui in iis forte fuissent, manifestatione consistat. Etiam enim mercedem piis reddendam à Christo unicuique juxta opera sua, uti docuimus, literæ sacræ testantur.

Joan. 3. 18.

17. Unum vero hic etiam restat, quod dicere forte queant, sed & illud tale, quod ne ipsum quidem quidquam ad rem faciat. Nempe licet bona justorum opera revera immunda sint omnia, ideoque secundum justum Dei judicium (quia mortalia etiam peccata) non præmio digna ullo, sed solo supplicio sempiterno: attamen ex singulari Dei misericordia, ac propter imputatam piis Christi justitiam venialia facta, imo etiam suam eo intuitu mercedem habitura. Atque eam ob causam merito etiam in judicium à Christo extremum adducenda. At quidquid tandem sit de tali virtutum Christi imputatione, illud certum est, non amplius in ullo justo judicio consequi inde posse, quam ut ne pœna piis ex defectu tali operum ipsorum decernatur. Nullo vero pacto ut præmium etiam iis æternum pro ipsis attribuatur.

Iis quæ vere peccata sunt nullo jure præmium decerni potest.

Id quod ex simili humanorum judiciorum cursu fit clarissimum. Fieri enim potest in judicio aliquo supremo, reum quempiam sive furti, sive adulterij, sive homicidij, sive quorumcunque aliorum scelerum, in gratiam boni alicujus viri à debita sceleribus pœna absolvi: ut si Rex, vel ad Filij sui unici, vel cujusvis principum suorum, optime de se meriti intercessionem, eam gratiam cuiquam faciat. Ita fieri potest, ut ob insigna aliqua majorum in Remp. merita, posterorum delictis quibuscunque venia aliqua detur. Tali in casu verum foret, & absque ulla injuria quandoque fieri posset, ut merita justi unius, alteri impio imputarentur, atque in judicio subvenirent. Sed ut propter ullam talem alienæ virtutis imputationem, etiam ipsa illa rei illius furta, adulteria, homicidia, & similia scelera, præmio digna censeantur, & re ipsa remunerentur ita ut pro pluribus quidem sceleribus, furtis, inquam, adulteriis, homicidiis, similibusque excessibus, plura ac majora præmia assignentur, pro paucioribus minora, cum ex se, ut in confesso est, non nisi justam opprobrij mercedem omnia meruerint, id vero in nullo judicio, nisi forte iniquissimo usu venire posset. Quanto ergo minus de justissimo Christi in extremo illo die judicio, & quod totum, ut Paulus loquitur, fiet secundum veritatem, id affirmari debet? Etenim assimilari quidem hoc in genere solent opera piorum annulo cuipiam aureo, suopte genere non adeo pretioso, qui tamen dum pretiosissima illi aliqua innectatur gemma, ad immensum quoddam precium possit assurgere. Eodem enim modo cum bona electorum opera ex ipsa ratione sui, non nisi humana sint, nec digna oculis divinæ majestatis: attamen propter inhabitantem pios Christum, ac cooperantem ejus gratiam, in maximam dignitatem provehuntur, utpote meritorum Christi, quorum infinitum est pretium, partem jam eo ipso sortita. Unde illud porro consequitur, nihil alienum esse à ratione, quod secundum Catholicam veritatem, etiam rigido ac justissimo judicio Christi, vitam æternam iis pro præmio adjudicandam credamus.

Rom. 8.

Opera Catholicorum filio annulo & gemmæ.

Simile.

At vero secundum impium istum Ministrorum Evangelismum, nil tale asseri omnino potest, sic enim opera ipsorum omnia, non modo parui alicujus valoris non sunt, qui additione majoris cujuspiam amplificari possit, sed & suapte natura nullius, quin demeriti etiam infiniti (utpote mortalia peccata omnia & gehennæ incendio digna) quæ propterea nulla admixtione meritorum quorumcunque reddi pretiosiora ipsa possunt: Fimus, inquam, sunt in oculis Dei, spurcissimus ex ipso genere suo, non aurum. Unde quamcunque iis gemmam adnectas, eam quidem tali innexione deturpare poteris, at illum nunquam insigniter exornare. Sentina sunt, lacunave fœtidissima, non ungentum; unde quoscunque iis offundas odores, ut mitigare forte possis fœtorem illum, quominus officiat, attamen ut illa ipsa fœditas gratum spiret odorem, nunquam efficies, abominationes sunt in oculis Dei, & Angelorum omnium, sterquilinia sunt, non gratus quispiam animorum decor aut ornatus. Unde panno aliquo quidem pretioso obtegere ea possis, atque ex oculis intuentium subtrahere: at ut ipsa propterea etiam turpitudo eorum specioſa reddatur, nunquam præstare. Nimirum quæ ex ipsa natura sua mala sunt, atque corrupta, nisi prius ipsa emendentur in seipsis, atque ab intrinseca

Opera Ministrorum similia sunt gemmæ.

Simile.

illa ſua corruptione reſtituantur, nulla adjunctione extrinſecus facta, reddi bona ipſa poſſint. Ita & opera bona iſtorum omnia, cum radicitus peccata ſint; ut intelligi poſſit, quod obtegi aliqua meritorum Chriſti imputatione queant, ne imputentur ad damnationem, attamen ut ipſa quoque propterea mercede cenſeantur ſempiterna digna, & tali quæ ab ipſo juſtiſſimo judice Chriſto, in extremo ipſius judicio omnium æquiſſimo, iis jure adjudicetur, fieri nullo pacto poteſt. Sed hæc quidem hactenus de primo illo iſtorum Evangeliſmo, quo omnia omnino etiam juſtorum opera, in mortalium peccatorum numerum rejecere.

Neque vero multo minus extremo examini illi, quo ad bonorum operum judicium, vulnus, altera illa doctrinæ ſuæ parte, de Imputativa ſola juſtitia impoſuere, imo vero etiam ex ea articulum iſthunc penitus labefactavere. Etenim non niſi juſtitiæ deberur corona juſtitiæ (ut eam Paulus nominat) quam juſtus judex in illa die attribuet reddetve piis. Qualis igitur juſtitia, talis & juſtitiæ merces: Propria, inquam, illic qui cum juſtitia apparebit, propriæ etiam juſtitiæ ſuæ accipiet mercedem: propriam qui habuerit nullam, ſed alienam ſolam ſibi imputatam; propriæ accipiet mercedem nullam, ſed alienæ ſolius ſibi imputatæ.

Juſtitia corona. 2. *Tim.* 4.

At vero ſecundum iſtos, nulla cuiquam propria & inhærens juſtitia eſt, ſed ſolius Chriſti propria, quæ inde per fidem apprehenſa, ſingulis accepta feratur. Chriſti, inquam, humilitas, Chriſti patientia, Chriſti caſtitas, Chriſti obedientia, Chriſti virtus omnis. Solius igitur & Chriſti virtus & juſtitia, illic ſuam ita coronæ retributionem accipiet, & non opera propria cujuſquam. Secundum opera, inquam, juſta Chriſti tantum, ita judicabitur juſtus omnis, & non ſecundum propria ſua opera quiſquam, cum ita propria ſua juſta ac bona opera, non habeat quiſquam.

Juſtitia imputata aliena eſt.

Dicent forte ſecundum ſua quemque propria juſtitiæ opera judicari, dum ſecundum imputatam Chriſti juſtitiam judicatur; eo quod poſtquam fide talis juſtitia nobis applicata eſt, noſtra jam vere facta ſit propria ipſa juſtitia Chriſti. At id nihil ad rem eſt, de qua agimus. Ut ut enim hoc concedatur, quod de imputata tali ratione juſtitia aſſerunt (de quo certum nobis eſt falſiſſimum eſſe, ſed hic non eſt diſputandi locus) tamen id longiſſime abeſt ab ea fide, quam ſupra docuimus in ſcripturis ſacris de hoc judicij articulo planiſſime contineri. Nunquam enim certe fieri poteſt vlla imputatione, ut quæ revera alius fecerit non ego, ea ita mea fiant, ut geſſiſſe ipſa ego ſentiar in veritate, non alter ille. Licet enim tali ratione præmium mericumve alieni operis, alteri poſſit referri acceptum, atque eatenus etiam opus alienum ei reputari in bonum: nunquam tamen ipſum opus alienum ac perſonale, eo pacto alterius fieri proprium ac perſonale poteſt. At ſcripturæ ſacræ non aliam agnoſcunt judicij illius ultimi legitimam formam, quam ut in ea propria cujuſque ac perſonalia opera, ſive bona illa, ſive mala, in quæſtionem vocentur. Secundum opera, inquam, ſua quemque propria judicandum ere docent, non Chriſti: hoc eſt, ut B. Paulus loquitur, ſecundum *propria corporis ſui, prout geſſerit quiſque ſive bonum, ſive malum*, non ſecundum ea quæ geſſit Chriſtus: vel ut alio in loco loquitur, Prout quiſque ipſe ædificaverit ſuper *fundamentum* fidei in Chriſtum, vel aurum, vel argentum, vel lapides pretioſos, aut contra, lignum, fœnum, ſtipulam; non prout ea ædificavit in vita ſua Chriſtus. Id quod & ipſe expreſſius Dominus explicat, dum ſe tandem piis regnum à Patre paratum addicturum dicit quia ipſi eſurientes paverint, egenteſve omni miſericordiæ genere proſecuti fuerint: non autem quia judex ipſe talis olim in egenos fuerit, cujus pietatem per ſi-

Judicium extremũ perſonalia opera cujuſque examinat.

2. *Cor.* 5. 10.

1. *Cor.* 3. 12.

Matth. 25.

dei juſtitiam imputatam, ſuam fecerint ipſi Confitmatur vero id etiam inde magis, quia dum ſcriptura teſtatur, unicuique ibi reddendam ſecundum opera ſua mercedem: non minus id de bonis ſecundum opera ſua bona, atque de malis, ſecundum opera ſua mala, intellectum cupit. Uno enim eodemque tenore loquitur, & de bonis, & de malis: *Reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Uno eodemque tenore apud Paulum: Ut qui ædificavit ſupra Chriſtum aurum, argentum, lapides pretioſos, mercedem accipiet: ita qui ædificavit lignum, fœnum, ſtipulam, detrimentum patietur. Atqui mali non damnabuntur, niſi ſecundum opera quiſque ſua, & propria mala, non imputata aliorum. Neque enim portabit in juſtiſſimo illo judicio quiſquam peccata non ſua, ne patris quidem iniquitatem filius, aut filij parens: (niſi forte ejuſdem peccati ſimul uterque fuerit complex) ſed ſumma æquitate quiſque ibi onus proprium ſuum feret. Id quod etiam ratio dictat juſti judicij ac veri cujuſvis: (*Scimus autem*, inquit Paulus, *quia judicium Dei, eſt ſecundum veritatem in eos qui male agunt.*) Et Chriſtus in extrema ſua ſententia, ſeu damnatione malorum, diſerte exprimit. Ergo idem judicium eſt etiam de piis.

Rom. 2.

Atque hoc idem illud eſt, quod etiam D. Ioannes confirmat, dum in Domino morientes beatos prædicat, ut vidimus, eo quod à modo jam conquieſcere debeant à laboribus, non Chriſti fide apprehendendis, ſibique applicandis, ſed propriis ſuſtinendis atque exant landis; eo quod opera ipſorum, (illuc uſque nimirum elaborata, non à Chriſto, ſed ab ipſiſmet) ipſos conſequantur. Manet ergo tandem concluſum, etiam ita ſecundum novos Doctores iſtos extremi ludicij articulum, quod ad bonorum operum remunerationem attinet in electis, penitus fœdatum, imo ſublatum eſſe: cum quale propriæ cujuſvis juſtitiæ inſtituendum examen veritas docet divina, iſti omnino non ferant, imo ipſis primariis confeſſionis ſuæ articulis, penitus excludant. Cumque ea pars judicij illius primaria longeque maxima futura ſit, utpote ipſos Dei electos omnes communiter concernens, quanta vel in eo ſolo deformatio articuli hujus totius erit cenſenda?

Apoc. 14. 13.

Ea Judicij extremi pars, quæ eſt circa opera mala reproborum, admodum deformata eſt à Miniſtris: dum docent, partim non niſi ſervum arbitrium in homine iam ſupereſſe; partim Deum omnia dirigere operari in reprobis opera eorum, etiam mala.

AT vero, ne alteram quidem illam Iudicij partem, & quæ damnatos potiſſimum attingit de malorum operum condemnatione ſatis integram ſibi reliquere. Iudicabit Dominus impium quemque in judicio illo ſecundum impietatem ſuam, ut reddat ei malum, ſecundum quod opera ejus mala promeruere: *Iudicabit vero in æquitate*, ut Paulus inquit, reddens unicuique quod ſuum eſt, ſive *ut iuſtus iudex*, ut alibi idem. At ea Miniſtrorum doctrina eſt, quam Evangelicam ipſi vocant, de operibus hominum malis; ut nullo eis juſto judicio vlla decerni pœna poſſit, nedum judicio filij Dei, quod omnium juſtiſſimum æquiſſimumque eſt futurum.

Iuſtus Iudex Deus.

Act. 17. 31.

2. *Tim.* 4.

Etenim nil Miniſtri hominibus reſiduum fecere in operibus ipſorum, vel peſſimis ac maxime pudendis, quod revera pœnam ullam jure mereri poſſit. Quod ſi verum eſt, neque in judicium ergo Chriſti ullum opus tale, hoc eſt, juſta pœna condignum venire poterit, neque ulli ita hominum quicquam mali, ſecundum demeritum operum ejus reddi. Magnum eſt, quod dicimus de Evangeliſmo iſtorum, ſed idem verißimum, id quod cuivis etiam manifeſtum fieri facile poterit, modo rem ipſam expendere libeat paulo nobiſcum exactius.

Nil iure damnabile in operibus, ſi Miniſtris credimus.

Nimirum duo quædam habent Miniſtri iſti, vel

Miniſtrorum ſententia.

omnes, vel magna certe ex parte, inter prima doctrinæ ſuæ capita, ex quibus omnis operum humanorum omnium ad pœnam reatus, ruat neceſſe eſt. Quod ſi pœnæ reatus in iis eſt nullus, certe ne judicium eorum quidem ullum in damnationem inſtitui juſte poteſt. Primum illud in eo eſt, quod nullum ſupereſſe velint homini, etiam gratia Dei adjuto, liberum arbitrium, ad nulla, vel bona, vel mala facienda coram Deo. Alterum vero in eo, quod Deum, ita plenum in actus humanos omnes ſibi reſervaſſe docent dominium: ut in peſſimis etiam hominum facinoribus nihil prorſus fiat, quod non ipſe Deus, & antequam fiat, ita ab æterno fieri voluerit decreveritque; & cum jam in executionem ventum eſt, non impetet operetur plane idem ipſe; non ſolùm animum humanum ad id inclinando, ſed & opus ipſum malum exequendo per hominem, eodem modo, quo artifex quivis, per inſtrumenta artis ſuæ, perficit opera ſua.

Libertas arbitrij omnis negata à Miniſtris.

Primùm illud docent communiter omnes primarij Evangeliſmorum Miniſtri. Ita enim Lutherus lib. de ſervo hominis arbitrio. Ita Melanchton in Loc. com. de libero arbitrio. Ita Martinus Kemnicius in examine Concilij Trident. Seſſ. 6. Ita alij ejuſdem farinæ Miniſtri.

Etiam mala opera in malis operatur Miniſtris Deus

Alterum vero etiam ipſe quidem olim Lutherus cum ſuis invexit, ut videre eſt in aſſertionibus articulorum ejus art. 36. itemque apud Melanchtonem in octavum cap. ad Romanos, primæ editionis: Sed Calvinus poſtmodum cum Symmyſtis ſuis, longe etiam clarius conſtantiuſque aſſeruit, propagavitque atque in hunc etiam diem ſtudioſe tuetur. Legat de his, qui fuſe ſententiam iſtorum explicatam deſiderat, quæ ea de re, ex ipſorummet publica confeſſione varie affert Illuſtr. Cardinalis Bellarminus Tom. 3. Controverſiarum, ubi de peccatis agit lib. 2. de peccati, ſcilicet, cauſa in genere, cap. 30.

Unum ſolum illud obſervetur hac in quæſtione diligentius, cum ſecundum Miniſtros hos, longe aliud ſit, quærere utrum revera Deus, eo modo, quo diximus, operetur omnia in omnibus, etiam mala in malis; & utrum propterea Deus, vel ipſe peccet, vel peccati debeat author dici: hoc ſecundum quidem penitus omnes negare, atque omnibus modis à ſe ſuſpicionem eam doctrinæ annoliri, ſe ſcilicet, peccatorum Deum authorem facere, primum tamen illud libenter concedere pleroſque quos nominavimus omnes. Itaque Zuinglius primum de his: *Verum*, inquit, *atque idem facimus, quia adulterium, aut homicidium, quantum Dei eſt authoris, motoris, impulſoris, opus eſt, crimen non eſt; quantum autem hominis eſt, crimen eſt, ſcelus eſt.* Ita Calvinus. *Cum iuſta de cauſa licet nobis ignota, à Domino procedunt, quæ ab ſceleratis hominibus maleficia perpetrantur, etiamſi rerum prima cauſa ſit eius voluntas, peccati tamen eſſe authorem nego.* Idem vero alterum illud de plena Dei, etiam in malis operatione in Inſtitut. clariſſime aſſerit, ubi hæc inter alia ſunt ejus verba: *Ubi in memoriam revocant pij, totam improborum cohortem, ſic omnibus partibus manu Dei tanquam freno cohiberi, ut nec concipere ullum adverſus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum, ſi maxime moliantur, digitum movere queant, niſi quantum ille permiſerit, imo niſi quantum ille mandaverit, nec compedibus eius tantum teneri ligatos, ſed etiam ad obſequia præſtanda freno cogi, habent unde ſe prolixe conſolentur. Nam ut Domini eſt illorum furorem armare, & convertere, deſtinareque quo libuerit, ita & modum finemque statuere, ne pro ſua libidine licentioſe exultent.* Hæc ille, æque Domino tribuens continere à malis, atque in mala ſceleſtos armare, convertere, deſtinare, mandare, &c. Ita Beza eadem de re agens, cum diſſeret homines, *mera eſſe inſtrumenta Dei, & facere omnia quæcunque faciunt etiam mala, ex æterna*

Zuingl. l. de provident. ad Princ. Catterū Philip. art. 30.

Cal. lib. de æter. Dei prædeſtin. Lib. 1. Inſtitut. 17.

Beza reſponſione ad Sebaſtian. Caſtal. de æterna

Dei prædeterminatione: tandem Dei operationem in iis explicans (Aphoriſmo 12.) *Sic quidem agit*, inquit, *per illa inſtrumenta*, (homines ſcilicet) *Deus, ut non tantum ſua illa agere, nec tantum moderetur eventum, ſed etiam excitet, impellat, moveat, regat, atque adeo, quod omnium eſt maximum, etiam creet, ut per illa agat, quod conſtituit. Quæ omnia, ait, recte agit Deus, & ſine ulla injuſtitia.*

prædeterminat. Dei.

Porro quod ad eam quæſtionem attinet, quam nos hic tractamus, ſatis nobis eſt accipere hoc ipſum quod dant iſti, confiteturque ſe docere. Nequeenim ad rem eam, quam hic agimus quicquam pertinet illud concludere, ſitne propterea author peccati Deus, peccans ipſe in hominibus, an ſecus? Illud ſolum concludendum nobis eſt, nullo judicio pœnas pro malis hominum operibus, ſecundum iſtos, ullas a Deo poſſe irrogari, id quod etiam abſque altero illo clariſſime inde, ut videbimus, evinci poteſt: ſed ſingula iſta expendamus.

Si nulla pollent arbitrij libertate homines coram Deo, nullum poteſt eſſi eorum peccatum, quod iuſtam ab ipſo iudicij damnationem mereatur.

Nil pœnæ dignum eſt, quod ex arbitrio non fit.

Dico primum: ſi liberum arbitrium in moralibus nullum eſt, ne pœna quidem ulla coram Deo dignum opus quodvis, nedum à Deo ipſo inflicta pœna eaque æterna dignum eſſe poſſe. Ideoque ne judicium quidem de iis fore divinum, quia id non niſi iniquiſſimum inſtitui poſſet. Facile hoc intelliget, qui illud primum conſiderat, nulli delicto in humanis deberi pœnam ullam, niſi quod cum ratione potuerit declinare homo, nec tamen declinarit. Talis enim demum error, crimen proprie eſt, & in tali igitur demum proprius pœnæ reatus. Patet id ex communi omnium rerum humanarum curſu.

Homo errans.

Ruit forte homo quiſpiam ex alta aliqua ſpecula, & ſocium hominem ſuo lapſu opprimit, nemo eum ture propterea homicidij reum agat, & pœnæ homicidium conſequentis, nempe quia non ratione peccatum ab eo fuit, ſed caſu.

Puer peccans.

Ita eripit rem alienam puer infans, ac nec dum rationis compos. Nemo eum propterea furti accerſat ſciens, nemo ad ſuſpendium poſtulet, nemo laqueo ſuffocandum pronunciet, nempe necdum capax doli eſt, ut arbitrio ſuo fugere malum potuerit. Si qua ei flagellatio imponenda; id cautelam magis in futurum impenetur, quam ut præteriti peccati pœnam luat.

Amentes delicta.

Idem judicium de iis eſt, qui vel emotæ ſunt mentis per inſaniam, vel in morbo graviore rationis uſu, per phreneſim privati. Nemo tales ob quodcunque erratum ad judicium jure advocat, nemo pœnam graviorem infligit. Tanta duntaxat talibus adhibetur caſtigatio, ſive vinculis illata, ſive flagris, quanta ſatis eſſe poſſit ad ſimiles, in futurum arcendos exceſſus.

Beſtiæ errata.

Idem denique judicium in beſtiis eſt. Quis enim unquam judicum humanorum ad ſuum paſſus ſit adcitari tribunal lupum, quod in publica via hominem laniarit, ut prædonum latronumque publicorum in eum ſupplicium ſtatueret? Quis canem quantumvis ex ipſis divorum aris ſacrificiorum partem abripuiſſet, ſacrilegij nomine deferri admiſerit, ut eadem qua ſacrilegia inter homines pœna ſolet, mulctaretur? Quis beſtiam aliam quamvis, ob quamcunque vel incurſionem violentam, vel verſutam fallaciam accerſiri pateretur: ut certam ei aliquam ex jure imponeret mulctam? Nemo profecto.

Nec ulla tamen rei hujus cauſa eſt alia, quam quod rationis arbitrio nullo utantur beſtiæ, quo cohibere ſuos ipſæ naturales impetus poſſint. Unde ſiquidem quandoque è medio tolluntur, non aliud eo ſpectatur apud cordatos, quam ut ne amplius noceant, non vero ut commeritam pœnam præterito-

rum solvant. Cujus illud satis evidens argumentum est. Primum, quia eædem illæ bestiæ, quæ natura sua noxiæ sunt, non minus ante omnem noxam, si capi possunt, exitio dantur, quam post damnum illatum. Æque, inquam, occiditur lupus, captus in specu suo, ac vel in nido suo, antequam ovem rapuerit, imo vel rapi potuerit; æque ursus antequam jumentum occiderit; æque canis rabidus, antequam hominem læserit, quam post omne homini nocumentum illatum. Id quod nullo justo judicio fieri posset, si nomine pœnæ præteritorum, talia infligerentur: sed tolluntur è medio nocentes bestiæ, ne in posterum inferant damnum. Deinde quia nulla certa forma supplicij ullo judicio iis constituitur, quemadmodum in criminibus ab homine ratione utente commissis, sed quacunque possunt ratione, etiam crudelissime extinguuntur. Non iis rotæ, non crucis fragra, non enses, non flammæ, non laquei, non cruces sunt decretæ, quantumvis similia admitterent, ob qualia hominibus hujusmodi suppliciorum genera constitui solent: quia nimirum nullius talis demeriti capaces sunt.

Solus homo, quia ratione peccare potest, talibus pro admissis ad pœnas damnari potest, quia solus homo propterea in crimen damnabile cadere potest, quod ratione utatur, & ita avertere animum, si velit, à noxa possit. Quod dum non facit, ex proprio arbitrio delinquit, ideoque meritam incurrit pœnam. Tam quidem certa sunt illhæc homini ratione utenti, ut ea ne possit quidem negare, nisi insanire cum ratione velit. At vero si liberum arbitrium in mortalibus nullum superest coram Deo, eadem prorsus ratio est in omnibus delictis ipsorum coram eo, qualis vel puerorum est, vel dementium, vel bestiarum coram hominibus in erratis suis. Nihilo, inquam, secius sic coram Deo subjecti sunt omni naturæ impressioni, quam vel amentes, vel bestiæ coram hominibus; nihilo liberiores sunt ad quemcunque peccatorum impetum evitandum, quam vel amentes, vel bestiæ; nihilo secius in mentis suæ applicatione ab objecto quocunque oblato pendent toti, quam vel amentes, vel bestiæ illæ. Nihilo ergo secius & ipsi ab omni pœnæ demerito immunes coram Deo, quam coram hominibus illi.

Substantia falli. Nam & alioqui, unde tandem justus hic in homine taliter affecto, pœnæ reatus? An forte ex ipsa is errati cujusvis substantia procedit? At si ita: ubicunque esset factum idem, idem etiam consequeretur pœnæ reatus, quia eadem sit causa. Nunc vero quantumvis æque occidas hominem, vel bestia, vel amens, atque homo doli capax: tamen illi à noxa eximuntur, hic in noxa est. Non igitur inde. Unde ergo?

Delectatio falli. An forte quia sponte, hoc est, naturali quadam cum delectatione adjuncta, & proprio naturæ impetu atque inductione admittitur? At quantumvis æque sponte sua, & motu naturali, & maxima etiam sua cum voluptate admittent bestiæ, amentesque homines adeo ipsi, varie se peccare quandoque somniantes; atque homo rationis capax: nihil tamen simile in iis demeriti cadit. Simile autem id omnino foret, cum similis sic causa demeriti utrobique interveniret. Sed ea de re paulo post etiam fusius.

Legis transgressio. Quid ergo tandem propriè in pœnæ causa est? An quia contra legem positam admitteretur error, inde omnis noxa est? At quantumvis eadem lex poneretur vel bestiis, vel amentibus, attamen ne hi quidem si contra facerent, incurrerent in reatum. Nimirum, quia æque ac reatus, ita ne legis quidem justæ ullius capaces sunt, qui à ratione, & omni arbitrij libertate sunt alieni. Ideoque non alia tandem vel legis justæ origo, vel criminis in eam admissi ratio, vel pœnæ denique ob crimen admissum incursæ radix, inveniri potest ulla: quam quod rationis usui atque arbitrij libertati ista objiciantur. Ubi ea non sunt, nec lex justa ulla, nec criminis noxa ulla, nec pœnæ meritum justum ullum, habere locum potest: illic vero solum habent locum ea suum, ubi illa inveniuntur.

Cum igitur in rebus divinam legem concernentibus omne illud arbitrium sustulerint infœlices Ministri, in solis vero rebus naturalibus atque humanis, utcunque id reliquum faciant, eorum nonnulli: in solis ergo rebus humanis utcunque æquitatem legum ac pœnarum forte tueantur tales, in coram Deo, omnem prorsus proprium pœnæ reatum, una cum ipso arbitrio sustulere, atque ita quod consequens est, omne etiam justum judicium talium in condemnationem. Et hæc quidem hactenus generalis est ratio omne pœnarum demeritum proprium, ex operibus humanis in æquo judicio quovis eatenus tollens, quatenus ex iisdem arbitrij libertas sublata est.

Peccata hominum sine arbitrio ad Deum comparata. Sed longe etiam hæc elucere possunt magis, si conditionem operum nostrorum omnium, arbitrio iis libero jam detracto, cum Deo ipso legibusque eius, nec non & judicij illius, quod pro iis ipse indixit, ratione ac forma propius componamus. Etenim *cognovit Dominus figmentum nostrum*, inquit Regius Prophera, idque intime dubio procul. Et illhd quoque ergo agnovit, si arbitrium nullum est: fieri aliter non posse, quam ut quamcunque acceperit animus humanus impressionem, etiam contra legem Dei sive in vetitis, circa vel concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitæ; sive in mandatis; circa vel Dei ipsius cultum, vel proximorum dilectionem, undecunque ipsi alioqui obveniat tentatio; sive à carne, inquam, propria; sive à mundo; sive à Sathana tentatore; ei necessario succumbat, cum avertere se ratione à nullo, quantumvis illicito impetu, animus ipse, ne gratia quidem adiutus divina queat: nihilo magis quam irrationales bestiæ, dum ab objecto quovis placito, in cupiditatem quamcunque illiciuntur. *Psa.* 102. 14. 1. *Joan.* 2. 18.

Lex divina. Posuit nihilominus leges eas homini Deus, quæ eum undique constringerent laqueis quasi quibusdam, irretitumque tenerent, tam strictas, inquam, illas, iuxta impium Ministrorum Evangelium, uti initio vidimus, ut se vertere nusquam posset, ac ne minimam quidem cogitationem suscipere, quin sese implicaret, atque aliquam earum transgrederetur. Illam quidem certe, *Non concupisces*, aut aliam illam *de diligendo ex toto corde, anima & viribus, Deo.*

Permissio divina. Adhæc reservavit etiam ita sibi plenissime Deus omnem illam potestatem, uti in cætera creata à se omnia, ita & in omnes hominum conatus, seu probos illos, seu flagitiosos, ut nil moliri possit homo quisquam ullpiam in omni operatione sua, nil exequi abique peculiari sua permissione laxatione que, ut, inquam, ne quidem pilum quempiam unum minuat cuiquam, per injuriam. Id quod certissimum est omnibus Christianis. Alioquin enim, quis ejus resisteret voluntati, dum is quid ne quidem vellet permitteret? *Luc.* 21. 18. *Rom.* 9. 19.

Judicium permanens. Denique post omnia illa, iuxta infallibilem fidei Catholicæ veritatem, constituit diem iudicij extremum omnibus, in quo oporteat omnes homines manifestari ante tribunal Christi, strictissimum subituros examen de omnibus iis, quæ unquam ita à se laxati admisere in corpore contra leges illas, adeo ut ne verbum quidem otiosum ullum potuerint eloqui unquam, quin ratio ejus ibi veniat reddenda. Sententia porro damnationis ad extremum ea in reprobis, pro iis ipsis talibus erraris consequetur irrevocabilis, ut in gehennæ conjiciantur voraginem immensam, ob hujuscemodi sua delicta, flammantibus illic terrendi ignibus perpetim, tanto cum rigore, ut quadrantem quidem nullum, ac ne minimum quidem minutum erratorum horum impune sint lacturi. 2. *Cor.* 5. *Matt.* 5. 27. *Luc.* 12. 58.

At vero his positis, intelligine omnino potest, ut idem Deus in iustissimo iudicio suo tale, operum humanorum, operum talium, iure instituat examen? Capere-ne autem ulla ratio humana potest, ut iuxta æquitatem ita iudicentur prævaricantes, utque nihilominus occinatur iudici ipsi tali in veritate *Justus es tu Domine, & rectum iudicium tuum*? Nullo quidem pacto. Sed in simili ista videamus.

Psal. 118.

Simile canem effratum solventis.

Pono canem quempiam catena detentum, ita irritari obiecto quovis, ut non possit, non toto in illud appetitu ferri, puta si vel fame macerato diuturna, offam ex opposito objicias alienam, mirifice alioqui palato eius arridet, vel in prætereuntem quenquam toto furore irritatum concites. Pono interim te ipsum esse, quisquis hæc consideras, qui taliter excitatum vinculis exsoluas, unde certissimo fiat, quandoquidem suiipsius ille potens non est, ut toto impetu feratur in objectum, & vel offam hauriat alienam totam, vel hominem lædat graviter, vel quidvis aliud peccet, naturali illi cupiditati suæ obsecundans. Pono vero teipsum tandem iudicare debere, ecquid hic pœnæ meritum? Vllumne propterea supplicium cani tali, iure tu decerneres? Iure profecto nullum. Tu quidem certe, quia naturæ suæ obsecutus est, nec potuit aliter, utpote nulla prædita ratione, nulla arbitrij libertate, quo refrænare naturæ concitationem potuisset. Quod si quis forte hic pœna dignus, nemo quidem, tu æque ac tute ipse, qui vel irritasti ipse, vel taliter irritatum exsoluisti, proposito primum tanto illectamento malorum.

Id quod non ratio nobis sola suggerit, sed & ipsemet iudicijs suis confirmavit Deus. Hoc enim est certe, quod in Exodo, iustissimo Dei decreto, si forte bos quispiam cornupeta (quem dominus suus sciviſſet esse talem) laxatus hominem occidisset, non ipse solum bos occidi iubetur, sed & dominus ipsius, eo quod eum laxasset, quem vel probabiliter sciviſſet damnum illaturum. Atqui secundum Ministros hos, hæc ipsissima est conditio omnium, quæ ab hominibus usquam admittuntur malorum, si iusto iudici Christo comparentur. Homines, inquam, absque libero arbitrio, vel cani illi, vel bovi cornupetæ simillimi, in omni tentatione sua ad peccandum. Christus vero is qui habenas ipsis laxat, ut suæ satisfaciant tentationi in peccatis.

Exod. 21.

Dicent fortasse ne secundum Catholicam quidem veritatem, magnam esse horum differentiam, cum secundum eam etiam illud sit indubitatum, absque Dei permissu nihil usquam admitti mali, nec tamen propterea dubitet Catholicorum quisquam, iuste puniri adversus leges commissa. Imo vero dico diversissima hic ratio est; licet enim æque verum sit sic quoque nil posse homines præstare, etiam malos, misi quantum iis Deus in id habenas remiserit. Attamen simul verissimum & illud, etiam habenis laxatis, posse se in impiis conatibus suis homines cohibere: Nec minus verum & illud, ad liberam virtutis exercitationem, etiam in malis, optimo iure huiusmodi licentiam homini concedi. Merito enim vult Deus uti hominem rationis suæ, atque ea, qua pollet, arbitrij facultate. Ideoque etiam occasionem eum habere exercendæ huiusmodi libertatis par est, præsertim, cum si alicubi ea propter nimiam sui imbecillitatem forte non sufficiat, illic gratiam præterea offerat & auxilium suum Deus (id quod nulli, petenti præsertim, negavit unquam sufficiens) ut possit resistere tentationi. Atque hinc est quod secundum Catholicam veritatem iure optimo, & præmia tandem decernat sua piis, pro recte factis, & supplicia impiis pro malis: quia libere utrique & voluntate sua, vel bona egere, gratia utentes ad id sibi oblata, vel mala, eandem repudiantes. Manet itaque conclusum illud quod voluimus, negata omni arbitrij libertate in divinis, nullo iure posse vocari in iudicium flagitia ulla a De, eo quod ipsa arbitrij seruitus, ab omni pœnæ demerito, omne admissum absolvat, &c.

Iure permittit Deus homines peccare, & punit.

Si directe operatur omnia etiam peccata in reprobis Deus: iudicium de iis in damnationem nullum iustum instituere potest.

Quod si ita est, uti cum ratione negari nullo modo potest, quanto magis ex altero illo capite, quod de absoluta Dei, in omnibus hominum, etiam malefactis, operatione, turpissime sunt commenti Ministri, affirmandum est, omne iustum iudicium scelerum humanorum, esse sublatum? Ex eo enim non iam illæ solum sunt Dei, in peccatis omnibus, partes, quas diximus, puta quod leges posuerit iis, qui nullo voluntatis arbitrio possent earum transgressionem evitare; quod easdem gravissimas iis posuerit, & ipso genere suo impossibiles observatu; quod ipse denique relaxet fræna necessaria iam peccantibus solus, cum cohibere posset, absque qua laxatione, peccatum nullum usquam admitteretur. Sed longe etiam illæ graviores, atque omnino intolerabiles, nempe super hæc omnia, ipse etiam Deus est, qui opus ipsum iniquum totum, per transgressoris animum tanquam per instrumentum quoddam proprium, operatur. Ipse, inquam, est, qui secundum impios istos Evangelismos, non minus fuit author, vel adulterij Davidis, vel proditionis Iudæ, quam vocationis Pauli, quod impie aliquando asseruit Melanchton in 8. ad Rom. Ipse, qui ab æterno creat homines ad peccandum, ea quæ peccant, ipse qui postmodum occasiones subministrat peccandi, qui tentationes excitat, urgetque, qui author, motor, impulsor est operis mali, qui ad obsequium sibi tale præstandum improborum cohortem totam, etiam cogit (prout hæc omnia iam ex doctrina ipsorum in superioribus vidimus) adeo, ut mera quædam instrumenta in manibus omnipotentis Dei sint impij, in peccatis suis; eodem modo, quo malleus est in manu ferrarij, securis in manu lignarij, similis apparatus quivis in manu artificis cujusvis, quem versat opifex ad omnem nutum suum, in quamcunque sibi libuerit partem: hac sola differentia, quod cum omnipotens sit Dei manus, longe etiam efficacius certiusque moveat omnem naturam sibi subjectam, quam quisquam hominum instrumenta sua, quæ sæpe ob virium imbecillitatem satis habere obtemperantia non potest.

Quid sit Ministris, etiã mala operari in impios Deũ.

At verò tantis blasphemiis pro certo atque indubitato Evangelismo admissis, quo tandem iure talia peccata ad supplicium quæri, ab eodem Deo, alioqui Optimo Maximo concedemus? An quisquam artificum omnium, cum ratione ab instrumento suo pœnam deposcat, quod ipse eo ictum quemcunque fecerit ad nutum suum? An canem suum iure ullo mulctavit venator, quod feram apprehenderit eam, in quam ipsemet ei author, motor, impulsor fuerit incurrendi? Quid? Apprehendat sicarius quispiam manum tuam, eique ficam implicet, sicque robore quodam suo nimio eandem adigat, ut iugulum transfigas hominis. Ipse, inquam, indat gladium manui tuæ, ipse manum implicet, ipse ducat, impellatque, ipse ex adverso positum hominem tua ita manu configat. Idem ne ullo iure te postmodum ad tribunapostulet suum? iure te homicidij reum agat? iure ense, rota, cruciatagio in mortem pro scelere dedat? Quæ vero tandem id capere ratio humana potest? quæ mens vel Angelica probare? Imo quis non amentum etiam quorumvis, tantum non intelligat, ut tale iudicium nullo prorsus iure usquam institui possit confirmet?

Quæ quæ ipse directe operatur, nullo iure punit.

An voluptas, quæ in peccato est, in se sit damnabilis.

Et quo tandem titulo, vel ficto illo, modo in speciem probabili, intelligemus supplicium de impiis ullum, tanta ipsis iam imposita necessitate peccandi sumi posse? Respondere solent acuti isti blaspheme

niarum inventores, merito improbos puniri. Quia licet abſoluta Dei potentia, etiam in ipſis malis ſuis urgeantur, nec poſſint omnino aliter facere, quam faciunt: attamen dum mala perpetrant, libenter ea ex titillatione ac ſenſu quodam voluptatis, quam inde hauriunt, patrant. Luant ergo quod ſponte & voluntarie delectabiliterque etiam, licet neceſſario, admiſere.

At vero ne id quidem quicquam ad rem facit, quia nimirum primum, ipſam etiam illam peccati voluptatem per naturam, tanquam per inſtrumentum quoddam ſuum proprium operatur ſecundum ipſos directe Deus. Iurene autem ipſam ſuam operationem propriam condemnet in quopiam Deus? Ita certe & quod gravia tendant deorſum in aqueis, terreiſque legitime puniret; & quod levia in aëreis atque igneis aſcendant ſurſum; & quod plantæ vivant ac nutriantur; & quod iumenta ſentiant ac delectentur; & quod homines intelligant ac ratiocinentur; & omnem denique naturæ vim efficacitatemque aliam in actum ſuum deductam.

Sola delectatio damnabilis eſſe nequit.

Deinde nulla voluptas ſola, dum aliunde non conſtet criminis ratio, damnari ad ſupplicium poteſt. Talis vero delectatio peccati, poſito actu iam peccandi à Deo ipſo abſoluta poteſtate conſummato, non poteſt non naturali iam deductione, & abſque nova noxa omni conſequi. Itaque nulla in beſtiis iucunditas, quam objiciendo eis vel cibum vel illecebroſum aliud quidvis ipſe cauſatus ſis, vere à te puniatur. Nulla in homine ſomniorum per illuſionem immiſſorum oblectatio, quantumvis illa ſenſualitati maxime complacens, ubi aliunde non acceſſit peccati culpa; iure ex ſeſe damnabilis cenſetur. Nulla ſuavitas ciborum vetitorum, dum vel porcinæ, aut ſimilia in antiquo teſtamento in os ingerebantur invitis, vel quæ idolis immolata fuerant in novo, quantumvis abſque ſenſu voluptatis aliquo percipi minime poterant, obnoxios pœnis ullis reddebat. Eademque eſt ratio ſimilis omnis, quantumvis maximæ iucunditatis. Sed ex ſimili tandem totum iſthoc quale ſit, etiam dilucidius intelligamus.

Matt. 6.

Simile pueri aliens ductu turpia pingentis.

Frequens eſt in pueris, qui à Pædagogis ſuis eruditur, in primis litterarum formandarum exercitiis, manu eorundem Pædagogorum dirigi. Quando quidem ita & calamus ipſe digitis aptatur pueri, & manus tota componitur, & Pædagogi denique manu comprehenſa dirigitur deduciturque: ut non poſſit ullum ductum linearum puer facere, niſi quem Pædagogi ipſum dirigentis manus conſtituerit. Pono ergo Pædagogum quempiam certo conſilio ſuo, ita manum pueri dirigere, ut nullam prorſus iuſtam lineam faciat, nullum ductum litteris aptum, ſed intorta omnia, indirecta, inepta, in formas etiam declinantia vel turpes, vel ridiculas, utpote ſi ſimiarum aſinorumve ille ita depingat capita, vel quidvis ſimile, omni etiam turpitudine deformatum. Iam hic quidem omnino in genere litterarum peccatum erit, cum longe à forma conſtituta deflexum fuerit, adeoque & oleum, & opera perdita. Iurene autem Pædagogus hujuſmodi, examen in puerum inſtituere, errorum accuſare, pœnas ullas (nedum necem afferentes, eamque acerbiorem) repoſcere poſſet; quod tempus perdiderit, quod chartam conſpurcarit, quod à iuſto charactere aberraverit, quod turpiſſima quæque depinxerit? Nullo profecto iure poſſet, eſſetque omnino iniquiſſimus, ſi faceret, & eo ſemper iniquior, quo graviorem pœnam errato tali definiret. Quia licet revera erratum ſit in eo genere varie; nulla tamen pueri noxa id factum, quæque ex ejus parte ullum ſupplicium potuerit promereri, ne quidem, ſi vel maxima ipſius recreatione totum fuerit factum, admirantis ductus varios & formas, vel riſu vel admiratione dignas. Quia nimirum neque ipſius id conſilio factum, neque arbitrio ductuve: cum aliter ipſe omnino facere nequiverit, fortiore manu detentus deductuſque. Nequo enim refert hic quicquam, an cum voluptate ſua talia fecerit puer, an ſecus. Quantumvis enim, quæ tali ductu Pædagogi inchoarit, ſumma etiam cum recreatione ſua perficiat, ſummaque perfundatur ſuavitate ex ipſa illa figurarum varietate: non propterea tamen iure ullo mulctaretur à Pædagogo, eo ipſo quod nil in iis conſilio ſuo proprio conatuve admiſerit, totum vero ex deſtinatione atque opera Pædagogi ipſius fit confectum.

Atqui ſecundum impios iſtos Miniſtrorum Evangeliſmos, hæc ipſiſſima eſt conditio, omnium quæ ab hominibus uſpiam admittuntur malorum, ſi iuſtiſſimo iudici Chriſto componantur: quomodo ergo ob ea ullo modo, vel in iudicium propterea vocandi homines, nedum ad æternas pœnas iure condemnandi? In omnibus, inquam, flagitiis hominum vel perditiſſimorum, ſecundum inauditum iſtud à ſeculis Evangelium, nullæ aliæ ſunt hominum, partes; quam quæ in picturis illis, quas diximus pueri illius erant. Chriſtus ipſe, ut Deus verus, Pædagogus ille, pueri ductitans manum. Quas ergo iuſtiſſimo illo extremo iudicio, iudicis idem agat partes, ut pœnas iis conſtituat, & quidem eas ex ipſo genere ſiro tantas, & ipſas quoque ſempiternas? Nullas profecto iure ullo, nedum æquiſſimo ſuo divino. Videnturque hæc tam manifeſta hactenus, impiis illis poſitis Evangeliſmorum fundamentis, ut qui ea negarit, non tam argumentis videatur opus habere pluribus, quibus convincatur: quam helleboro quo perpurgetur, ne amplius pergat cum ipſa ratione bellum gerere. Itaque finem tandem probationum noſtrarum hunc faciamus.

PARÆNESIS AD EVANGELICVM dictum Lectorem.

Quam turpis, pernicioſus, plenus periculi ſit talis Miniſtrorum de Iudicio error, quamque merito propterea Miniſtri ipſi fugiendi.

Magni momenti articulus de Iudicio.

AD te hic iam convertor Lector amice, maxime quiſquis hactenus inanes iſtos Miniſtrorum Evangeliſmos, tanquam ipſiſſimum Dei verbum conſectatus es; te compello, ut te ex tota hac diſputatione noſtra, eum quem par eſt fructum referre moneam, te animum his advertere volo. Maximi momenti eſſe articulum hunc de iudicio Chriſti extremo, ne tu quidem ipſe ambigis puto: & ſi forte vel maxime ambigeres; vel ipſum tamen ſolum Evangelij hodierni exordium, omnem tibi facile eam eximeret ambiguitatem: ut quod tale illud futurum deſcribat, ut omnis rerum natura in ſummam ſit confuſionem propterea delapſura: *Erunt enim*, inquit, *ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium pra confuſione ſonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus, pra timore & expectatione eorum quæ ſupervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem, &c.*

Luc. 21. 25.

Attende vel modice, & facile intelliges, non cœlum, non terram, non maria, non aërem, non quicquam denique eorum, quæ vel infra cœlorum, vel ſupra terræ ambitum contineantur, extra ſummam perturbationem fore, ſed homines in primis, ut quos potiſſimum omnis illa iudicij illius moles ſit petitura preſſuraque. Nemo noſtrum abeſſe ab eo iudicio poterit, nemo declinare examen, nemo iudicis manum effugere. Non tu, non ego, non ullus filiorum Adam omnium, ſeu vivorum, ſeu mortuorum. Inane ibi robur omne, inanis ſcientia, inanis aſtus, inanis poteſtas, inanes divitiæ, inanis omnis denique vel cogitatio, vel conatus humanus in contrarium. Omnes nos ſtare oportet ad tribunal Chriſti, omnes ibi manifeſtari, cum omnibus quæ unquam

Rom. 14. 10.

8. Cor. 5. 10. vel bona deſignaverimus, vel mala. Non ibi vel calix unus aquæ frigidæ præteribitur in bonis. Si quem forte aliquando dederis, in vera charitate pro nomine Christi: vel verbum ociosum unum in malis, si quod forte aliquando locutus fueris, oblitus Christi. Excipiet examen sententia, sententiam executio, executionem æternitas, quæ nullam unquam iam admittere possit commutationem. Ibunt enim recta inde boni omnes, propter ipsa bona opera sua in vitam æternam; uti contra mali omnes, propter vel ipsa mala opera sua, vel certe defectum bonorum operum, in supplicium æternum. Manetque etiam te, quisquis es benigne Lector, necessario alterutra conditio istorum, ex uno iudicio isto tota dependens. Tanti, inquam, momenti articulus iste.

Matth. 10. 42. Matth. 12. 6.

Matth. 46.

Si igitur in eo quoque turpissime lapsos deprehendas Ministros tuos, & quidem sub ipsa Evangelij veri pollicitatione lapsos; an non merito in posterum aspernere omnem Evangelismum ipsorum? Si vero non turpissime solum, sed & pernicioſissime lapsos invenias, nonne longe magis aversere? Quod si ad extremum etiam dolosissime periculosissimeque lapsos agnoscas: an non tum merito eos etiam longe studiosissime devites, ac detestere? Merito quidem omnino, si sapis. Atqui ita res omnino habet, turpissime, pernicioſissime, periculosissime, & errarunt ipsi, & in errorem induxere omnes in hoc articulo credentes suos.

Turpissimus hic error Ministrorũ.

1. Quia circa ipsam iudicij essentiam.

Turpissime, inquam, quia quantum in se est, totam iudicij illius substantiam sustulere, nec potest circa rem ullam esse gravior error, quam si ipsa eius etiam essentia negetur. Sustulere, inquam. Namque bonorum operum iudicium nullum prorsus fecere reliquum, uti vidimus, dum partim in tota hominum natura ulla posse opera reperiri negant, quæ comparere in iusto illo iudicio queant; partim non nisi propter imputatam Christi iustitiam, cuiquam salutem pollicentur: & malorum contra operum iudicium fecere iniquissimum; ideoque eo ipso nullum; & quale ne inter homines quidem iudex ullus, qui iustitiæ aut æquitatis haberet rationem aliquam, susciperet; dum partim nihil amplius supereſſe liberi arbitrij in homine ad mala etiam fugienda opera, confirmant; quam bestiæ cuivis, aut cani ad appetitum quemvis suum naturalem refrænandum: partim haud secus incumbere in omnia etiam mala hominum opera, Dei omnipotentem manum asserunt. atque si quis pueri alicujus scribentis, pingentisve, digitos manu sua efficaciter in omnem errorem abduceret; ipsum vero Deum simillimum faciunt, ac si vel rabidum quis canem talem vinculis laxaret, ut in vetitum aliquod objectum irrueret, vel pueri illius manum adeo aberrantem gubernaret. Vidimus hæc superius nos, & quidem ita vidimus, ut si quidem, & tute rem tecum velis expendere attentius, ratio ipsa facile te convincere possit, injustissimum plane iudicem futurum Deum, si talibus fundamentis positis, nihilominus omnino ad iudicium suum, eo quo scriptura id describit modo, credatur processurus.

2. Quia circa ipsa fidei elementa

Hebr. 5. 12.

Hebr. 6. 2.

Increscit vero erroris hujus turpitudo non mediocriter, ex eo quod fidei articulus iste, ad ipsa fidei nostræ primordia, ac quasi prima elementa in sacris referatur. Lege Paulum ad Hebræos scribentem, invenies manifesto, eum, cum paulo ante ipsos reprehendisset, eo quod cum deberent esse magistri aliorum in rebus fidei, secundum tempus; rursum indigerent, ut docerentur ipsi quæ essent elementa exordij sermonum Dei, tanquam parvuli, scilicet, & expertes sermonum iustitiæ: paulo post hujusmodi elementa enumerando, etiam resurrectionis mortuorum, ac iudicij æterni confessionem, inter eadem reponere. Vbi vero uspiam turpius in ulla arte, quam circa ipsa artis prima elementa erratur? Tantundem scilicet est, ac si à ianua ipsa domus quis aberret. Ita enim isti hic ab omni ianua salutis.

Sed maxime omnium isthæc in eo turpitudo deprehenditur, quod in ipsis primariis Evangelismorum suorum partibus, tantum istum errorem tibi inclusum propinent. Nihil habent maius omnes Ministrorum scholæ, & in quo sibi suisque blandiantur magis, quam quod uni ipsi sint, qui unius ac solius fidei iustitiam, quæ in Christi meritis homini imputandis consistat, ex tenebris eruerint, quodque propriam peccati vim, propriam legis, omnia maledictioni suæ subjicientis, naturam; propriam servi arbitrij ineptitudinem in rebus divinis, soli ac primi post tot sæcula mundum docuerint. Hæc, inquam, maxime omnium omnes iactitant Evangelismi istorum. Calviniſtæ vero etiam peculiariter in illa, quam diximus, efficaci omnium operum humanorum, etiam malorum, divina operatione gloriantur. Si dubitas forte de hisce, ab ipsis Ministris tuis require, ecquid ipsi censeant in tota sua confessione potissimum, facile invenies, vel aliqua eorum, vel omnia, quæ diximus, inter prima & maxima sua firmamenta reponere. Atqui, ut vidimus, ex iis ipsis, omnis iste, de quo agimus error, omnis extremi illius, ac divinissimi iudicij depravatio necessaria consecutione deducitur.

3. Pernicioſissimus Ministrorũ error.

Turpissime ergo hic errant infælices Magistri isti, nec minus certe pernicioſe; imo adeo, ut vix queant pernicioſe magis. Ex rerum de quibus agitur momento summo, & quo maius nullum esse queat, id existimari potest. Citaris ad supremum istud Christi tribunal, ut causam agas tuam, coram omni Angelorum, & dæmonum, & hominum denique, qui fuerunt uspiam, qui sunt modo, quique erunt unquam, universitate. Causam, inquam, non facultatum tantum, aut fortunarum tuarum, non famæ tantum aut existimationis tuæ; sed causam capitis, & salutis æternæ, qua si cadas, in æternos sis certissimo dejiciendus ignes, quibus torreare iam inde absque omni refrigerij spe, in omnem sempiternitatem; sin superior evadas, in ipsum cœlorum regnum, cum omni gloria ejus, tanquam in proprium quoddam, atque æternum peculium tuum, intromittare. Prodeunt interim Magistri isti, tanquam singulares quidam causarum agendarum patroni atque advocati; & consilium promittunt, nec viam solum evadendi periculum hic omne ostendunt: sed propriam etiam vincendi rationem offerunt, quam si acceptes, certissimam victoriam pollicentur.

Ministrõ 1. factum ipsum causæ invertentes

Et ecce dum ad rem veniendum est, primum quæstionem ipsam examinis illius totam invertunt; atque alienam substituunt; haud secus ac si cum causa capitis alieni indicta foret, impius quispiam causidicus de solis stillicidiis, aut fundorum terminis, aut domorum areis, similibusve minimis facultatum fortunis in iudicio illo respondendum reo suo persuaderet. Cum enim, uti vidimus, revera tota illic controversia, circa vel bona opera tua agitanda sit, ut propter illa tibi iusto iudicio constituatur æternum præmium; vel mala, ut supplicium: isti ne cogitare quidem te patiuntur, posse eo usque pertingere ullum opus bonum, quod in iudicio illo consistat, propterea totam fore quæstionem docent, ecqualis tua fides, in Christi meritis apprehendendis fuerit, vel incredulitas. Nam si vel sola illa satis firma fuerit, ac constans, iam de reliquo nullum tibi periculum salutis fore. Quid vero est statum totum quæstionis alicujus invertere, si hoc non est?

4. Omnia causæ firmamenta depravãt.

Nec tamen hic sistunt insignes Magistri isti, verum ubi ita statum primum ipsum iudicij totum corrupere; pergunt inde etiam ad omnia causæ firmamenta depravanda. Cum enim in unum illud te impellere deberent toti, ut eleemosynis, orationibus, jejuniis, thesaurum tibi in cœlis indeficientem comparares, qui tandem propter hujusmodi pietatis opera decerni tibi, ac tanquam corona quædam iustitiæ

à

2. Tim. 4. 8. à iusto iudice, ut Paulus loquitur, reddi posset; isti iis omnibus in ordinem redactis, atque in solius fidei testimonium, inter homines qualibus qualibus requisitis, varias interim & solas consolationes scripturarum conquirunt, quibus te communiant, ac certissimo salvum fore, sola fidei constantia persuadeant, modo indubitanter credas id ita fore, nec ullam in ea re hæsitationem admittas.

Denique eo usque progrediuntur fallaciæ, ut cum in sola fide doceant posita esse omnia, tandem tamen ne ipsam quidem istam fidem rite tibi definiant. Neque enim omnes ad eam constituendam fidei articulos requirunt, sed unum illum maxime (& eum quoque depravatum) propter unam Christi passionem, ac merita tibi imputanda, Deum certo tibi propitium fore ac regni cœlestis hæreditatem per Christum adjudicaturum. Quæ vero poterat vel excogitari pernicies major, quam ista hæc deceptio talis? Nempe eo te recta deducunt infælici Evangelismo isto suo, ut cum tandem ad terrificum illud iudicium deveneris: ibi quoque, ubi te instructissimum ad rationem reddendam, iuxta fallacem istam institutionem putaveris, tandem tamen deprehendare deficere totus, imparatissimus inquam totus, & qui ne agnoveris quidem præparationem veram, nedum ut eam unquam rite fueris consectatus. Cum enim iustissimus ille iudex de operibus te sit examinaturus, tu inanissimas interim solius fidei tuæ consolationes ipsi es oppositurus; quibus iam nil aliud lucrere, quam ut illa tibi respondeat iudex, ne fidei quidem ipsius etiam nomen rite didicisse, pergatque adeo illa tibi ingeminare Evangelij: *Quia nunquam novi vos, nec scio unde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Ex quid ibi? *Ibi*, inquit, *erit fletus, & stridor dentium. Non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cœlis est.*

Luc. 11. 28.

Matth. 7. 21.

Ecce ergo pernicioſissime lapsos Ministros istos, & quomodo tantam tu pestem non averseris? Qua enim in causa omnis ista ipsorum corruptela est, ac quanta? qua nulla tibi ne possit quidem intentari major. Si iis tibi aliqua de omnibus fortunis tuis intenta foret, ei-ne causidico causam eam committeres, quem compertum haberes non aliter, quam istos hic demonstravimus, solere causas quasvis agere? An non, quem talem semel deprehendisses impostorem, perpetuo detestarere? Quid vero, si non de fortunis solis, sed tota simul existimatione ageretur, an non multo etiam magis, hominem fraudulentum refugeres? Quid vero, si præterea de ipsa etiam vita, ac capite tuo? Nonne longe maxime? Atqui lusus est, quicquid uspiam causarum, in ullum venire iudicium potest in mundo hoc, si cum extremo isto Domini iudicio conferatur; cumque æternitate illa, vel regni cœlorum, vel gehennæ ignis, de qua in eo tandem pronunciandum erit. Quanto ergo hic tantam perniciem per istos tibi Ministros intentatam execrabere magis?

Periculosissimus error Ministrorũ.

Ad extremum etiam periculosissime decipiunt hic fallaces Ministri isti; quia tum quoque, cum tantæ perniciei fecerint suos proximos, haud secus tamen ac blandi Syrenum cantus, suavissime interim demulcent ac detinent, certa salutis promissione, animos ipsorum: ut tum quoque nihil minus, quam de tam præsenti periculo cogitare iis liceat. Itaque etiam in hodierno hoc Evangelio, quo vel maxime ad iustum Dei timorem excitare, nomine terrifici istius iudicij, deberent homines: potius blandissime consolantur suos, tanquam ad ipsos, utpote fideles, nihil iam terrores illi pertineant, quin proprie illa spectet Christi, propter fidem ipsorum Evangelicam consolatio, Apostolis hic prædicata: *His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Non attendentes interim, ista iis dicta, qui iam pridem propter Christum reliquerant omnia, eique uni se totos tradiderant in servos, quique non ita multo ante, quam ista hæc Dominus prædiceret, fidenter Domino ipsi illa proposuerant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* quique etiam propterea responsum ab eodem acceperunt: *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, &c. sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israël.* Docerent itaque etiam suos Ministri, vel facere similia (vel sapere certe, ac totis desideriis sibi exoptare, si ne ipsa ea assequi nequeant) & paratam ipsis consolationem merito denunciarent. Nunc vero fidere docent se perpetuo ac securo esse de salute tua animo, tum quoque cum extra omnem salutis tramitem, quam longissime te posuere.

Luc. 21. 28.

Mat. 18.

Sed agnosce tandem fraudes, si sapis ô bone, ac longissime refuge deceptores hosce. Declina, inquam, iuxta Pauli monita ab hisce, *qui per dulces sermones, ac benedictiones seducunt corda innocentium.* Revertere vero, ad unam sanctam Catholicam Ecclesiam Christi. Ea te & timorem Domini docebit verum, & unde solidam petas, pro tremenda illa die, consolationem, ostendet, ac denique ad certissimam una traducet viam salutis. Hæc tu igitur meditare, in his esto. Et quidem absque omni cunctatione aut mora longiore. Hora enim profecto est, ut hodiernæ diei Epistola monet, iam te de somno surgere, quoniam nox tantorum errorum in te eo usque processit, ut dies iam merito dici possit tibi appropinquasse: *Ergo abjiciamus tandem opera tenebrarum* (una cum ipsis istis tenebrionibus tenebrarum Magistris) *induamur vero arma lucis, ac sicut in die honeste* in posterum *ambulemus.* Sin cessas: illi Pauli merito tibi timenda existima; ubi, *Scimus,* inquit, *qui dixit, quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei vivorum.*

Rom. 16. 18.

Rom. 13.

Heb. 10. 30.

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Non potest non gravissima Ministros in Iudicio extremo, & confusio manere, & condemnatio, propter hujusmodi iudicij corruptelas; unde merito resipiscant & ipsi in tempore.

AT vos interim, ô omnium hominum, quos sol aspicit, infortunatissimi Ministri, quid ad ista? quæ mens hic vobis? quis animorum sensus? Consciine vobis estis, & vos, tantæ istius, quam diximus, corruptelæ? Minime quidem conscij, diceris: Nam nostros continuo hortamur, ut per dignos pœnitentiæ fructus, omnemque vitæ sanctimoniam, ad iudicium illud divinum se comparent. Audimus, nec dubium est nobis ullum, quin talia non raro exaggeretis etiam in prædicationibus vestris. Verum quid iuvat verbis colorare, quæ re ipsa interim extreme & deformastis & deformatis? Age enim, quid ad illa superius numerata Evangelismorum vestrorum capita dicitis? Ergone opera iam nostra bona esse ulla posse creditis, quæ apparere in iudicio illo divino possint? Ergone iam propriam aliquam iustitiam inesse conceditis cuivis, præter imputationem illam Christi, qua iustus quis in judicio illo, ac præmio dignus censeatur? Ergone liberum iam arbitrium, in rebus etiam moralibus, ac divinis, homini restituistis? Ergone, non iam Deus operatur in hominibus absolute omnia, etiam mala, sed propria singuli sua? At nihil quidem istorum omnium vos. Permaneris in iisdem omnibus, in quibus olim, Evangelismis vestris. Itaque negare nullo modo potestis, uti nos supra demonstravimus, re quidem ipsa vos, licet non verbis, Iudicij extremi articulum extreme, & depravasse, & pergere etiamnum quotidie depravare.

Ministri pergunt in corrup. telis suis.

Confusio Ministrorum in

At vero, si hæc ita habent, quomodo non horretis terribilem illam diem, quæque in ea vos manet,

Judicio ab iis quos seduxere.

confusio primum intolerabilis, deinde vero etiam condemnatio omni humana cogitatione major? Infinitos mortalium ista depravatione vestra in eam fraudem induxistis, unde necessario causa cadant in tremendo examine illo. Eos medios inter, tum vos quoque assistetis iudicandi, idque universo mundo spectante. Deprehendetis tum demum miserrimi, & deprehendemini, & quanto in errore fueritis ipsi vos, & in quantum alios miseritis errorem. Et quibus tum putatis oculis mutuo vos intuebimini? qua animorum affectione vos consalutabitis? quibus benedictionibus prosequemini? Vos, inquam, infælices discipulos vestros: Contraque infælices discipuli vestri, vos? An non iidem illi, quos modo beatos prædicatis totos, quique vos propterea vicissim tantum non manibus gestant suis, fraude tunc, sero licet, serio tamen intellecta: extreme vos execrabuntur, tanquam exitiosissimos salutis suæ proditores? Ex simili istud, longissime licet dispare, ac inferiore æstimare discite.

Ponite enim non jam in causa animarum omnium maxima: sed in causa quavis capitali mundi hujus, vos simili fraude causidicos egisse, hoc est, cum miseri aliqui clientes vestri in judicium accersiti, ac de maximis criminibus respondere jussi fuissent, unde de tota rerum suarum summa, capiteque ipso periclitarentur, vos tamen illis persuasisse, quidvis aliud potius ibi quæstum iri, puta de latifundiis, vel stillicidiis, vel similibus nugis, unde postmodum, qui alioqui, si rite fuissent instructi in tempore, facilem invenissent aliquam evadendi viam, tunc causa cadentes, eam solam ob rem, quod vobis sese concredidissent, recta jubeantur in acerbissimam aliquam mortem abripi. Ponite, inquam, in vestro conspectu illos duci, vobisque astantibus vel in crucem suffigi, vel in rogum conjici. Obsecro vos tali in casu, quas ab illis vos gratiarum actiones expectaretis? quas non diras, quas non extremas maledictiones, imo amarulentissimas contra vos amaritudines animorum ac blasphemias? Vos, illi, certe proditores capitis sui, vos pestes domus suæ proclamarent, in vos Deos Deasque omnes, in vos cœlum, terram, abyssos, invocarent. Vos ad extremum usque halitum extreme execrarentur. Nec immerito quidem. Vere enim in eam calamitatem, non tam scelera ipsorum, quibus si per vos non stetisset, aliunde remedium invenissent; quam vos ipsi illos potissimum tandem tali in casu detrusisseris. Ecce similitudinem vestri.

Et tamen vere locus iste talis omnis, præ illa illa die, præ illa illa deceptione judicij illius, quæque ex ea consequetur, terribili condemnatione, præ illa animarum clientium vestrorum multitudine, quas fraude vestra tali prodidistis, & præ illa igitur tandem nimia etiam animorum exacerbatione, qua contra vos tum insurgent infelices illi universi. Nimirum scintillantibus in vos, & sanguineas partim lachrymas, partim iracundiæ flammas jacientibus oculis, vos persequentur, dentibus in vos frendebunt, corde toto ita affecti, ut unguibus ipsis, si possent, vos discerperent, molaribus si possent commanderent, manibus si possent contererent, dumque cætera iis desunt omnia, ore certe jam maledicant perpetim, & detestentur, & diris simis omnibus devoveant diris. Et vos interim ô perpetuis assueti, eorundem applausibus ac benedictionibus, qua ista tum fronte feretis? quibus animis excipietis?

Damnatio M. ex articulo judicij corrupto.

Et ecce minimum quodque id adhuc est, præ ea quæ ab ipso severissimo judice, tum vos manet damnatione. Tanti fecit primum judex ipse Christus articulum hunc de judicio (de quo nobis sermo est) ut in hoc ipso hodierno Evangelio particulariter de eo loquens, dicat: Cœlum & terram transitura citius, quam quæ ipse de eo prædixerit, aliter quam prædixerat, sint eventura. Vos nihilominus eum, quantum in vobis est, extreme deformare, imo quo ad propriam ejus substantiam, tollere penitus nisi essis? & quo id animo judicem laturum putatis? qui cœlis ipsis ac terræ parciturus non erat præ mysterio hoc, vobis tam extremam ei molientibus deformationem, ullo modo parcet?

Corollarium de frequenti meditatione judicii.

EX his vero ita dissertis intelligi poterit ex duobus maxime causis tot hæreses & opiniones ipsis affines tanto tempore inter homines Christiani nominis grassari. Una est quod errant circa providentiam divinam cujus pars est prædestinatio & reprobatio hominum: Ut enim error in primis principiis Metaphisicæ magnam multitudinem errorum invehit per omnes alias scientias: sic est de errore circa providentiam qua Deus respicit & regit homines, dato uno absurdo circa illam plura alia sequuntur. Atque ut non agnoscunt hæretici providentiam illam statuisse auctoritatem supremam in Ecclesia ad finiendas lites religionis & doctrinæ fidei, sed auctoritatem Pontificis Rom. ac Conciliorum respuunt, soli spiritui proprio fidentes, non est finis erroribus ipsorum durante vita, ex qua obcæcati propria malitia exeunt, oculos aperturi in inferno, sicut dives ille Evangelicus. Altera vero causa est defectus meditationis & oblivio judicij divini, posito quod illud credant. *Vtinam enim saperent, intelligerent ac novissima providerent*, non tam fœde & turpiter à vero deflecterent cum interitu animarum sempiterno. Satis enim evidenter demonstratum cum articulo judicij divini non quadrare ea quæ sapiunt. Quare quam futurum sit terribile ipsorum menti repræsentare utilissimum. Prodest enim consideratio judicij non tantum ad mores componendos, sed etiam valet plurimum ad hæreses exstirpandas & rectam fidem addiscendam ac retinendam. Ideo ab exordio mundi articulus iste judicij magis expresse propositus est ad credendum, & totum testamentum novum nihil tam sæpe inculcat hominibus ad eorum omnem insolentiam comprimendam ac quoslibet eorum sanandos seu circa mores seu circa fidem errores. Damus idcirco septem puncta de judicio ut per singulos dies hebdomadæ unum ex his animo revolvas, & tibi idem beneficium contingat, si forte lepra peccati aut erroris fœdatus es, quod Naaman Syro magno principi contigit, cum illi significatum ex parte Elisæi Prophetæ & totus salvus erit Reg. 4. *Vade & lavare septies in Jordane*, significat enim Jordanis rivum judicij, in hoc tivo si quis septies se lavet, idest, per singulos dies hebdomadæ illius meditationi mentem suam immergat, restituetur, caro illius sicut hæresis purgabitur.

Duæ causæ hæreseon hujus temporis.

Deut. 32.

Processus hujus Concilij ex Libro præcordialis Sacerdotum.

MEditare, ô homo, à memoria tua numquam recedat illud durum, terribile, & districtum extremum judicium, ut ex ejus amara memoria amarescant omnia dulcia. Cogita igitur, quantus timor, quantus clamor, quantaque turbatio: cum tuba Angelica sonuerit, cum fulgura terribilia splendescent, tonitrua mugient, cum ad terrendum peccatores sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum, cogita quantus timor peccatorem invadet: cogita qualiter universi mortui resurgent, trahentes unusquisque secum, quod boni egit vel mali, & boni quidem cum ineffabili lætitia expectabunt judicem: injusti autem indicibili terrore timebunt de adventu & facie judicis, dicentes illud Luc. 23. *Montes cadite super nos, & operite nos à facie judicis.* Deinde speculando occurre, & vide judicem venientem cum potestate magna, cum senioribus populi, comitantibus Angelis universis, & sanctis. Deinde revolve amarum illud divortium cum separantur oves ab hædis. Transfor-

ma in te affectum eorum qui à ſiniſtris ſunt, quibus dicetur: *ite maledicti, &c.* Et conſidera judicis inflexibilem ſeveritatem, judicandorumque miſerabilem calamitatem. Unde judicis ſeveritas tanta erit, quanta nec verbis exprimi, nec mente poterit excogitari. Omnia enim judicia ab origine mundi ſuper genus humanum habita, ſunt quaſi ſtillæ ſitulæ reſpectu furoris, & ſeveritatis quæ in judicio exhibebitur: fuerunt tamen nihilominus magna. Nonne magnam ſeveritatem exercuit, quod pro morſu pomi Adam de Paradiſo expulit? Item, totum mundum, exceptis paucis, diluvio delevit, multa millia hominum pro una blaſphemia occidit. Dathan, ac Abiron cum ſuis complicibus pro murmure terra abſorpſit, & multa ſimilia. Hæc tamen omnia in ſcriptura nominantur quaſi ſtillationes furoris reſpectu illius abyſſi, qua ſe totum in furorem & ſeveritatem effundet, quæ tantum inter ſe diſtant, quantum guttula roris ad abyſſum maris. Ideo 2. Paralip. 34. dicitur, *Stillabit furor meus ſuper locum iſtum.* De hac ſeveritate dicitur Eſa. 3. *Ecce nomen Domini veniet de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum, labia ejus repleta ſunt indignatione, lingua ejus quaſi ignis devorans, & ſpiritus eius velut torrens inundans uſque ad medium colli ad perdendas gentes uſque ad nihilum.* Hunc furorem prævidit Job. 14. dicens: *Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* De hujus diei tremore dicit Sophonias 2. cap. *Dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustiæ: dies calamitatis & miſeriæ: dies tenebrarum & caliginis: dies nebulæ & turbinis. Dies tubæ & clangoris.* Super quod Gregorius. Penſate, fratres chariſſimi, extremi diem judicij, ſuper corda reproborum quanta aſperitate vidit Prophera amareſcere, quem tot appellationibus non valet explicare. Hujus furoris, & indignationis Dei ira adeo inflexibilis erit, quod omnium Sanctorum uſque ad effuſionem ſanguinis ſupplicatio non valeret, unam guttulam gratiæ impetrare. Hujus autem rigoris triplex cauſa eſt; ut videlicet veritas conſervetur, ut juſtitiæ non derogetur, & ut judicis ſententia approbetur.

Severitas Chriſti in judicio.

Triplex cauſa ſeveritatis in judicio.

PRimum patet, quia veritas duplex juramentum fecit in veteri & novo Teſtamento, ut incaute ad judicium venientibus gratiam non exhibeat. Unde Eſaiæ 45. dicit Dominus: *In memetipſo juravi: egredietur de ore meo juſtitiæ verbum, & non revertetur.* Gloſſ. jurat Dominus per ſemetipſum, ne omne verbum, quod loquitur firmum ſtet, & firmum permaneat in irrefragabili veritate. Item Jerem. 11. *Noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Idem 15. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me* (nomine illorum duorum omnem cœtum volens intelligi) *non eſt anima mea ad populum iſtum: Vade Dominus, ejice illos, à facie mea egrediantur:* ſimilia multa alia. Similiter in novo Teſtamento juramento ſe conſtrinxit dicens Matth. 5. *Amen dico vobis, non recedent inde, donec reddant novissimum quadrantem.* Si ergo veritas, quæ Deus eſt, mentiri non poterit: quanto tempore veritatis juramentum Dei exiſtat, conſideret qui poteſt.

Secundo ex hoc ira Dei inflexilis patet: ne juſtitiæ derogetur. Habet enim juſtitia Dei tempus debitum, ut futurum, ſicut miſericordia præſens. Et ſicut nulli manenti in corpore in præſenti tempore negatur miſericordia debite petenti: ſic juſtitia in tempore juſtitiæ omnibus exhibetur. Pſalm. 73. *Cum accepero tempus, juſtitias judicabo.* Unde quidam Sanctus: Quære miſericordiam, ſi non vis ſentire juſtitiam, propter quod dicitur Eſaiæ 55. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.* Gregor. Nequaquam in tempore juſtitiæ veniam inveniet, qui in tempore miſericordiæ veniam non quæſivit.

Tertio. Deus judex non flectitur, ut ſententia ab eo tam ſolemniter prolata ab omnibus approbetur. Unde Dominus qui in Exod. 24. præcepit: *Pauperis non miſereberis in judicio:* neceſſe eſt, ut primus faciat, quod præcepit: judex enim in quantum judex precibus non flectitur, nec munere corrumpitur, nec miſericordia mollitur, ſed juſtum judicium judicabit. De judicandorum miſerabili calamitate, quæ ex his claret, dicit Aug. item Gregor. in Homilia. Quam angustæ erunt viæ reprobis undique! ſuperius erit judex iratus; ſubtus vero horrendum chaos: à dextris peccata accuſantia: à ſiniſtris infinita Dæmonia ad ſupplicium trahentia. Intus urens conſcientia, foris mundus ardens. Retro vita deteſtabilis. Ante judicium ſine miſericordia. Miſer peccator ſic deprehenſus quo effugies? apparere erit intolerabile, latere impoſſibile. O quantus eorum tunc erit planctus, quanta afflictio, quantuſque mœror, cum videbunt multitudinem electorum. Tunc, ut Sapient. 5. dicitur: *Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe angustiaverunt, & abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitationem inſperatæ ſalutis, &c.* & nota quod tria augent eorum calamitatem miſerabilem; videlicet accuſatio, teſtificatio, arctatio: Tres erunt accuſatores.

Primus, diabolus, qui dicet: Æquiſſime judex, judica iſtum eſſe meum, qui noluit eſſe tuus. Tuus erat per naturam, meus factus eſt per malitiam. Meus per culpam, quia noluit eſſe tuus per gratiam. Apoc. 12. *Accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte.* Tunc cognoſcent miſeri peccatores & fatui quam graviter peccaverunt acquieſcendo diabolicis perſuaſionibus.

Calamitas peccatorum in judicio ex tribus.

Secundus accuſator erit proprium ſcelus. Nam ut inquit Richar. in 4. diſt. 43. in judicio cognoſcet quilibet homo peccata, quæ fecit, tam juſti, quam reprobi. Mali ut amplius crucientur, quia non pœnituerunt: Boni vero conſolabuntur, & hoc ex cogitatione remiſſionis & indulgentiæ, quia pœnituerunt, & ſic divinam miſericordiam collaudabunt. Non ſolum autem ipſis, ſed ſigillatim unicuique manifeſta erunt omnia bona & mala. Tunc illuminabuntur abſcondita cordium, tunc libri pandentur conſcientiarum, & ipſe aperietur, qui dicitur Liber vitæ, quo fiet, ut ſimul, & in inſtanti omnium omnia ſecreta omnibus tanta certitudinis claritate patefiant, ut contra teſtimonium veritatis in Chriſto loquentis, conſcientiæ cujuſcumque pariter conteſtantis, nullus prorſus inficiandi, defendendi, excuſandi, ſubterfugiendi locus pateat; quando recipiet unuſquiſque juxta opera ſua. O quanta confuſio peccatorum! Sed notitia illa peccatorum, quæ fecerunt electi, non generabit eis pœnam, vel ignominiam, nec confuſionem: quin imo cedent ad eorum gloriam propter pœnitentiam. Manifeſtatio ergo peccatorum, quantum ad reprobos, non quantum ad juſtos erit accuſatio.

Tertius accuſator erit totus mundus. Unde Chryſo. ſuper Matth. In illa die altionis nihil eſt quod reſpondeamus: ubi Cœlum, & terra, aqua, Sol, & Luna, dies, & noctes, & totus mundus ſtabunt adverſum nos in teſtimonium peccatorum noſtrorum. Sapient. 16. *Creatura tibi Creatori deſerviens exardeſcet in tormentum,* contra injuſtos. Ejuſdem 5. *Armabit creaturam in ultionem inimicorum.* Unde cum omnis creatura creata ſit ad nobis ſerviendum, eadem nos perſequetur ad Creatoris ſui injuriam ulciſcendam.

Secundum, quod auget calamitatem, eſt teſtificatio.

Tres enim teſtes habebit contra ſe peccator. Unum ſui ipſius ſe, Deum, cui omnia nuda & aperta ſunt. Ad Hebr. 4. Secundum contra ſe, ſcilicet conſcientiam,

Tres teſtes ipſius.

tria peccatorem.

quæ etiam omnia cognoſcet, ut patuit. Tertium juxta ſe, ſcilicet proprium Angelum ſibi ad cuſtodiam deputatum, qui tamquam conſcius omnium, quæ fecit, contra eum teſtimonium perhibebit. Job. 20. *Revelabunt Cœli*, ideſt, Angeli, *iniquitatem ejus.*

Tertium eſt arctatio, arctæ enim erunt tunc, & ſtrictæ viæ omnium peccatorum, quando non poterunt negare, non excuſare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam. O quam flebilis erit tunc damnatorum conditio! Non valebunt preces, non clamores, non gemitus, non parentes, non amici, nec quidquam aliud. Bernard. Veniet dies judicij, ubi plus valebunt pura corda, quam aſtuta verba, plus conſcientia bona, quam marſupia plena. O quantum contriſtabuntur propter ſententiam, quando audient tonitruum illud grande, & formidabile; vocem ſcilicet Chriſti indignantes dicentis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Job. 6, *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Cogita, ô homo, quid amaritudinis, quid horroris, quid doloris contineat ſententia illa, ex qua ſeparabuntur injuſti à conſortio juſtorum, & à viſione Dei: ibuntque damnati ejulantes, & querulantes in ignem æternum. Quis hæc intimo corde ruminans non provocetur ad fletum, & vitam ſuam non emendabit? puto nullus ſanæ mentis.

Decreta duo primaria hujus Concilii.

PErtracta non minus quid dulcedinis, quid admirationis & gaudij, quid jubili habeat vox illa: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Ubi tria ſuaviſſima verba loquitur Chriſtus electis. Primum erit dulcis vocationis: quando facie læta, & vultu hilari ad dexteram partem ſe vertens, aſpiciet ſuam dulciſſimam matrem, quam primo alloquitur enumerando ſervitia ſua ſibi impenſa, & merita per totam vitam ſuam. Deinde Apoſtolos, quos nominat fratres, vocat & amicos, qui propter ipſum omnia reliquerunt, & ipſum ſunt ſecuti. Deinde Martyres, qui fortiter tormenta tulerunt, & Confeſſores, Virgines, & omnes electos, enumerando opera miſericordiæ, quæ impleverunt. Matth. 25. ad quos omnes dicet: *Venite*, ô dulce venite, ô vox dulcior ſuper mel, & manna! Secundum verbum ſuaviſsimum eſt benedictionis, *Benedicti.* Nam poſt vocationem ſubjunget eis benefactionem ſuam, primo Matri ſuæ, deinde omnibus alijs electis. O quam grata erit benedictio illa omnibus illis! O quam gravis erit damnatis, qui tunc intelligent quantum profuit benefacere & amare Deum & odiſſe peccatum. Tertium verbum ſuaviſsimum dicitur remunerationis, quando ſubjunget: *Poſſidete vobis paratum regnum à conſtitutione mundi.* De quo regno habetur memoria dominicis diebus. O nos peccatores inſenſati! cur non conamur totis niſibus prædicta mala evitare, regnum illud acquirere, cui totus mundus cum omnibus bonis ſuis non poteſt comparari.

Tria ſuavia verba Chriſti electis.

Colligе ex his quam erit diverſa ſors, quamque erunt diverſi fines bonorum & malorum. Juſti, ait Aluares de Paz medit. ſacr. part. 1. cap. 5. Medit. 7. perpetuo regno donati ex totis præcordiis Chriſto gratias agent, eius miſericordiam & juſtitiam prædicabunt, ſibi invicem gratulabuntur, Beatæ Virgini & ſanctis quorum ope tantum bonum aſſequuti ſunt gratiſſimos ſe oſtendent, & quiſque ſua opera quæ fecit, & moleſtias ac preſſuras quas propter Deum paſſus eſt, quibuſque tam eximiam gloriam acquiſivit, in ſummo pretio habebit.

Impijs quibus væ in hac vita paratum eſt & in futura, omnia hæc à contrario ſuccedent. Nam Iudex Chriſtus vultu indignabundo & quaſi fulmina vibrante converſus ad illos dicet. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Diſcedite, inquam, à me qui ſum ultimus finis veſter, & omne bonum veſtrum ut in æternum puniamini. Diſcedite à domo mea, ab Angelis & ſanctis meis, ut eorum ſocietate nunquam fruamini: diſcedite ab omni eo quod vos tueri poteſt, ut in omnimoda ſolitudine bonorum conſtituamini. *Maledicti* omni maledictione repleti corpore & anima, & in omni loco & tempore, malis & execrationibus ſuſtinendis deputati. *In ignem æternum* ut pœnam ſenſus & cruciatus intolerabiles per omnem æternitatem ſentiatis, quod paratum erat (vobis ſcientibus ut emendaremini) non quidem vobis, quos ego (quod ad me attinet) ſaluare volebam, ſed dæmonibus cum quibus in æternum puniemini.

Qualis erit iniquorum animus dum ſe videbunt à Chriſto contemni & in barathrum malorum deturbari? Concipient ſine vlla menſura triſtitiam & dolorem. Hoc teſtabuntur maledictionibus in ſe iactatis. Tunc, ut loquitur Chriſtus, væ eis erit in corpore & anima. Væ quia vivi in mundum venerunt & in mundo vixerunt. Uæ quia modica fuit eorum voluptas & adhuc illa vana, & cruciatus eorum erit perpetuus. Tunc ſentient quod nunc credere contemnunt, quod verba mea fuerunt charitatis: tunc intelligent quod quaſi pater monui eos, & me noluerunt audire. Time, ô homo, ne ex iſtis ſis futurus, & ita vitam tuam nunc corrige, ut in Concilio malignantium non ſedeas, & in illa die tremenda abſolutus evadas. *l. 1. Revel. S. Brigit. cap. 16.*

Deus, Verbum Incarnatum Ieſu Chriſte, qui judicaturus es ſæculum per ignem, doce nos per Spiritum ſanctum, bonis operibus certam facere vocationem noſtram, & ita nos ipſos iudicare, ut non cum hoc mundo damnemur: ſed in die illo noviſſimo ab auditione mala ſecuti, te iudicem adſpiciamus nobis propitium, & benignis miſericordiæ oculis nos adſpicientem, & ad Cœlum nos vocantem cum electorum tuorum concilio, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

An indicium univerſale magis metuendum quam particulare, quod ſit quaſi clauſis foribus, vertitur in dubium.

DE utroque verificatur quod ſcribit Apoſtolus ad Hebr. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Porro particulare iudicium, quantum ad aliqua poteſt horribilius reputari, ait Dionyſius Carthuſianus in tract. *De iudicio animarum*, art. 12. tum quia propinquius imminet. Unde & Iacobus Apoſtolus ait: *Ecce iudex ante januam aſſiſtit*, cap. 1. tum quia pericula ſingularia ac propria ſolent amplius formidari, quam generalia, atque communia tum quoniam qui in particulari ſuo iudicio ſententiam damnationis evaſerit, in iudicio illo generali erit ſecurus.

Verumtamen abſolute loquendo, videtur generale iſtud iudicium formidabilius eſſe ob multa quæ quiſque faciliter poteſt perpendere: quoniam coram univerſis rationalibus, ac intellectualibus creaturis agetur, ſingulorumque vitia ſingulis innoteſcent, & tam iudex quam Angeli viſibiliter apparebunt, ſtabitque mundus in igne conflagrationis, & reprobi qui nunc quantum ad animam inferno adjudicantur, tunc quoad corpus & animam damnabuntur, tartareum quoque chaos patebit. Hinc ſancti Patres de terribilitate illius iudicij ſunt copioſius locuti.

Utrumque tamen ineffabiliter eſt horribile ac pavendum. Primo ex parte Summi Iudicis, cujus innocentiæ nullus poteſt reſiſtere, cujus ſapientiam nihil valet latere, cujus juſtitia nunc flecti nequibit qui & reprobis iratus ac terribiliſſimus apparebit. Secundo ex parte iudicandorum, qui comparatione iudicis tanti, nullius ſunt momenti, neque tunc poterunt appellare, nec vllo ſe modo poterunt excuſare: imo

Mat. 25.

& accusabuntur acerrime. Tertio ex parte sententiæ, quæ impiis acutissima & pœnosissima erit. Quarto ex parte retributionis, quæ in generali iudicio erit vel infernalis damnatio, aut sempiterna saluatio. Quinto ex parte circunstantium ipsum iudicium, quoniam particulare iudicium in præsentia non sit multorum, generale autem in conspectu universorum elementis ardentibus, circunstantibus Angelis, imo & omnibus sanctis. Si metuendum est iudicium creaturæ mortalis, quam expavendum est judicium Dei omnipotentis? Si sententia temporalis mortis est formidanda, quam formidolosa est æternæ damnationis sententia? Si confusibile est, & pœnale coram paucis hominibus increpari, & secretorum vitiorum denudationem audire, quam confusibilissimum, pœnalissimumque consistet coram universis & singulis Angelis sanctis, civibusque supernis, atque dæmonibus manifestari de omni peccato quantumlibet parvo, de magno, fœdo & turpi, enormi ac erubescendo.

Hinc nimirum vox illa unius Religiosi alteri post mortem se visibilem demonstrantis, prout inter vivos inter se condixerant, *nemo credit, nemo credit, nemo credit:* ad quem cum responsum fuisset, *quid est illud quod nemo credit?* Dixit, *quam severa sunt & districta iudicia Dei.* Prout narratur in magno speculo exemplorum ex Iacobo de Paradiso Carthusiensi altero. *Vide ergo bonitatem & severitatem Dei*, ait Apostolus ad Rom. 11. ratio est quia iudicium Dei erit secundum veritatem malitiæ quam in peccato ipse agnoscit: at ipse longe aliter malitiam peccati penetrat quam cogitant illam homines. Alia momenta malitiæ peccati exaggerat, quæ homines non percipiunt & non ponderant. Alias habet cogitationes à cogitationibus ipsorum: ideo iudicia eius abyssus multa, & ut dicitur Psal. 65. *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Sed & cum tam pauci inter homines fidem istis adhibeant, non mirum si plures adhuc teterrima eorum omnium cœpit oblivio, imo & contemptus etiam apud litteratos ac gregum duces. Refert de seipso Ratherius Veronensis Episcopus in tract. *de contemptu Canonum*, quod in fluvio Rheni, fluctibus ebullientibus ad instar collium magno pavore ne navis mergeretur percussus, dum vidit Nautas fiducia navigandi iocantes, audaciam non modicam sumpserit. Idem est de sæcularibus hominibus, dum metus incutitur iudiciorum Dei, videntque aliquot magistros in Theologia ac Rectores Ecclesiarum, ipsos quoque Prælatos majores vix ad ista attendere, aut ridendo talia legere aut audire, rebellione contra Deum fere publica obduratos, ipsi etiam metum excutiunt ac simul recordationem.

Hos certe terrere deberet historia Archiep. Magdeburgensis.

TErribilis est hæc synodus & tremenda quam ob oculos sibi proponens D. Carolus Boromæus Archiep. Mediolanensis ad opera pœnitentiæ excitabatur. Narratur de Udone Episcopo Magdeburgensi in Saxonia, quod cum annos permultos aërem mundumque suis sceleribus infecisset, nocte vocem hanc terribiliter insonantem audivit pluries, *cessa de ludo, quia satis lusisti Vdo.* Quod cum primo cachinnans tanquam fictitium contemneret, deinde metuens aliquantum ingemuisset, & emendationem aliquam proponeret, numquã tamen exequeretur, quadam nocte visi sunt duodecim Apostoli in Ecclesiam ingredi, in quorum medio gradiebatur Christus sole splendidior, qui omnes judicaturi sederunt, cum prius Pugil quidam strenuus gladium enaginatum tenens, eandẽ Ecclesiam ingressus fuisset & magna voce clamasset, *Omnes sancti quorum hic habentur reliquiæ, surgite & venite ad judicium*: quibus dictis maxima multitudo utriusque sexus apparuit, pluresque Pontificalibus insulis insigniti, quin etiam visus est S. Mauritius Ecclesiæ patronus cum sua legione 666. millibus, qui unanimiter se coram Christo prosternentes dixerunt, Æquissime judex da judicium: quibus Dominus respondit, *Beati mei quid quæritis*; & adjecit, *portate Vdonem Episcopum*. ac cõtinuo quidam ex adstantibus abierunt, & miserunt, Udonem de latere Abbatissæ trahentes miserabiliter adduxerunt. Quem S. Mauritius severius intuens, dixit: *Domine mi judica: Ecce iste Vdo non Episcopus, sed Lupus: non Pastor, sed raptor, maculator & devorator gregis tui. Iste est cui domina mea Mater tua scientiam donavit, cui hanc Ecclesiam ad honorem nominis mei sociorumque sacram commendavit, prædicens ei si bene eam regeret vitam æternam, si autem male, mortem in corpore & in anima mereretur. Iste miser est qui admonitus semel & iterum & tertio se corrigere noluit. Et non solum hanc Ecclesiam sed etiam se & omnia sibi commissa prophanando ad nihilum redegit, imo sponsas tuas semper & ubique turpiter & temere violavit. Ergo indica de eo Iudex æquissime.* Et judex: *Caput amittere meruit, qui sine capite tempus consumendo in sordibus computruit.* Quo dicto Pugil præcepit Udoni, cervicem tenderet, ac ipsum decollavit, totaque multitudine disparente, mane inventum est corpus ipsius in Ecclesia in proprio sanguine volutatum, dum anima misera à dæmonibus miserabilem in modum cruciari visa est. *Sententia contra Vdonem.*

Hæc historia fusius explicatur in Magno speculo exemplorum, verbo *iudicium* exemplo IX. brevius vero apud Gononum *in chronico Decpara* sæculo nono, anno Christi 985. quo contigisse narratur: nec non in *negotio sæculorum* P. Courcier ad eumdem annum. Alij referunt ad tempora Henrici III. Imp. Ab his autem plures citantur assertores ejusdem, Naucletus in chronico generatione 34. Trithemius in *chronico Hirsaugiensi*. Post quos plures alij recentiores in eadem deploranda Udonis catastrophe depingenda laborarunt, ut appareat quam horrendum sit Beneficia à Dei Matre susceptа vitæ turpitudine maculare: sicut hic ac ipsa facilitatem ingenij cum esset natura tardior acceperat: aut sibi impositum onus animarum infideliter gerere. Quod vero quidam objiciunt non inveniri in sede Magdeburgensi, alias Parthenopolis ob præcipuum Virginis cultum, qui ibi vigebat ante Lutheri Apostasiam: hoc nihil derogat, cum sub alio nomine regimen Ecclesiæ tenere potuerit. Et non absimiles historiæ legantur, ut in revelat. S. Brigittæ lib 3. cap. 4. ubi refertur judicium Dei interpium Canonicum plorantem Episcopi sui excessus & ab ipso derisum, & ipsum Episcopum, cui Deus sapientiam dederat. Sic enim Fridericus Canonicus Magdeburgensis erga Udonem se habebat, qui totam ipsius tragœdiam adspexit & primus retulit.

Acclamationes Sanctorum finito Iudicio.

VT in Conciliis fiunt multæ acclamationes quibus Pontifex cum lætitia & honore excipitur ab omnibus pro fine impositio Concilio, sic finito iudicio innumeris lætitiæ vocibus sancti omnes Christo congratulabuntur. Vivat in sæcula iustus Iudex, vivat Redemptor in sæcula qui omnibus iuste retribuit. Ac sic post spectaculum descensus impiorum ad inferorum profunda, cum Christo iterum ad Cœlos ascendente, agilitatis gloriosæ pennis sublevati cum canticis lætitiæ quasi parta victoria lætabundi & ipsi ad eosdem Cœlos conscendent. Quam beatam ascensionem sic describit vir eximiæ pietatis & eruditionis Ioannes Carmelita in *stimulo compunctionis* cap. 10. Sæpe recordor, fili Dei altissimi, Ecclesiæ tuæ magnæ ascensuræ in Cœlum, ubi percipiet regnum quod ab origine mundi præparavit ei clementissimus Pater tuus. Et videor mihi videre exercitus victorum candidatos & configuratos tibi, Rex pacifi-

Aſcenſus prædeſtinatorum in cœlum quam gloriosus.

ſice, aſcendentes de mundo quem vicerunt, & de morte quam calcarunt, feſtinantes per aërem & penetrantes Cœlos tuos cum tanta majeſtate & tam inæſtimabili gloria, ut fortiſſime trahatur poſt illos anima mea. O ſuprema victoria & intima cordium lætitia, quis poterit dicendo aſſequi te, &c. qualis erit, dulciſſime Deus cordis mei, aſcenſus ille, quando abſoluto iudicio, quod dedit tibi P. quia filius hominis es, incipient elevari ſurſum caſtra tua formoſiſſimis corporibus ſplendentia ſuper ſolem, & ſuaviſſimo decore celebrantia æternas miſericordias? brati ſervi tui Domine, in quibus quod mortale eſt abſorbebitur à vitaliſſima vita tua, &c. Dux aſcendentium eris, ô fortiſſime, proſpereque procedes & regnabis ſpecie tua ſuper electiſſimum populum tuum, qui cantabit tibi antiquas miſericordias totis viribus & viſceribus abſque fine. Stantes ergo erunt poſt aſcenſum pedes victorum tuorum in atriis ſpecioſiſſimæ Ieruſalem quæ nunc ædificatur ut civitas, cujus participatio pretioſior & deſiderabilior eſt, quam univerſi mundi imperia & conſolationes filiorum Adæ, quamvis durarent in æternum. Propter quod anima mea fertur ad elegantiſſimam formam ſponſæ tuæ, Rex Salomon, cujus vultum deſiderat univerſa terra. Oro ergo te, dulciſſime fili Dei, cujus miſerationum non eſt pondus aut numerus, ut poſt labores quibus vexor in terra aliena, aſcendam tecum & cum beatiſſimo populo tuo ad excelſam & ſolidiſſimam terram viventium, ubi requiescam in arctiſſimo complexu dexteræ tuæ.

De memoria habenda decretorum hujus Concilij generaliſſimi.

OBlivio & contemptus Canonum in Conciliis ſtatutorum eſt ingens malum: & in Eccleſia nec minus malum eſt oblivio eorum quæ decernenda ſunt in generaliſsima Synodo iudicij ultimi. Quare ad ejus memoriam ſcriptura hortatur & Patres Eccleſiæ: nam dicitur Eccleſ. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Unde D. Baſilius orat. *de futuro judicio*: Siquando peccatum aliquod perpetraturus ſis, revolue quæſo prius animo tuo horrendum illud atque intoleradum Chriſti iudicium, in quo quidem iudex in alto præſidebit throno, adſtabit autem omnis creatura tremebunda coram glorioſo & illuſtri ejus confeſſu, &c.

Ratio tantæ utilitatis petitur ex hoc quod nemo peccat, niſi ſuadente appetitu ſenſitivo qui bonum aliquod ingerit ſenſuale phantaſiæ quæ offert intellectui, qui mox voluntati repræſentat, unde fit ut voluntas ad illam rem effundatur, & parum curans Deum incurrat in peccatum. Pro remedio autem erit, ſuggerere phantaſiæ alia ſimulacra, quibus illecebræ ad peccandum provocantes expuguentur: talia ſunt inter alia, ſimulacra illa horrenda pœnarum quæ in judicio decernentur. Famelicus abſtinebit à cibo, ſi fixum habeat phantaſiæ, ipſi virus mortiferum ineſſe: ſic homo à conſenſu in rem noxiam, ſi mente revoluat diem judicij. Sigiſmundus Poloniæ Rex, ut ſanctior evaderet, excuſsit pro Symbolo, quod ſæpe intuebatur, lampadem accenſam incumbentem capiti emortuo, cui ſubſtratus erat liber, hoc lemmate, adjecto *ius omne vivens poſcit*. Intendebat ſibi ipſi ſuggerere, Lampade, id eſt, vita extincta, erit caput tuum inanimum, & aperietur tunc liber conſcientiæ tuæ unde proferetur ſententia propitia aut læthalis. Ideo impia deteſtare, Deus vivens per ſæcula ius omne poſcit, ſancta omnia à Chriſtiano requirit. Refert hoc Marcellinus de *Piſa* ſerm. de feria 2. poſt dominic. 1. quadrag. ex Tuxio lib. *numiſmatum*.

Memoria illius, diei ait Raimundus Toloſanus in libro *creaturarum* ſub finem, eſt ſtimulus pungens & ſtimulans hominem ad bene operandum. Omnis enim artifex cum cogitat quod opera ſuæ artis venient ad iudicium & examen aliorum, tunc operabitur meliori modo quo poterit: ſic homo cogitans illum diem in quo omnia opera ſua iudicabuntur & examinabuntur, operabitur meliori modo quo poterit, aliter erit piger & negligens. Nam opera eius non examinabuntur ab aliquo qui poſsit errare, ſed à Summo Iudice qui novit cogitationes hominum, & qui non poteſt in aliquo numero errare. Et ſic memoria illius diei eſt maximæ influentiæ & maximæ virtutis ad bene operandum, & ſecundum quod erit major vel minor memoria hominum, ſecundum hoc vel plus vel minus influit. Item illa dies debet eſſe continua in memoria, quia erit maxima & ſolemniſsima inter omnes dies, & erit dies Domini pura: & iam digna eſt haberi in memoria, aliter eſt maximus contemptus Dei, ſi homo non habuerit in continua memoria diem ſuum & de illo ſummo opere quod faciet circa genus humanum. Sed & omnia opera hominum reſpiciunt opus illius diei & illum expectant, quia neceſſe eſt omnia opera hominum conjungi cum opere illius diei, ſicut corpus cum anima & materia cum forma. Ratio eſt, quia opera cætera hominum ſunt opera demeriti aut meriti, & opus illius diei eſt opus tetributionis & præmij, approbationis & reprobationis: opus autem demeritorium recipit complementum ſuum cum pœna competens ei decernitur: ſicut opus meritorium, cum merces debita ei aſsignatur. Ideo dies illa iudicij complebit ac perficiet omnia opera hominum, ſicut forma complet materiam: omnia ergo opera hominum reſpiciunt opus illius diei, & idcirco dies illa continue debet eſſe in memoria in omni opere cujuſlibet diei. Et cum homo ſit liber ad operandum bonum vel malum, & non operetur ex neceſsitate, & magis inclinetur ad malum quam ad bonum, neceſſaria eſt in eo continua memoria illius diei, ut excitetur uſque ad ultimum de potentia ad operandum bonum & fugiendum malum, omnemque teporem à ſe excutiendum.

Dies iudicii comm. plebis omnia.

Duplex eſt autem dies Domini ſic nominatus; unus in quo dicitur, Deum requieviſſe ab omni opere ſuo, alter eſt in quo perficiet omne opus ſuum, & coronabit omnia opera ſua, cum operibus iuſtorum quæ ex gratia antecedente profluxerunt, debitam mercedem adjungèt, ſine qua eſſent mutila & imperfecta: at ſi tantopere commendarur nobis memoria diei illius in qua Deus requievit ab opere ſuo, quanto magis commemoratione digna eſt memoria illius diei in quo adimplebit opus ſuum? Eſt certa dies illa finis & perfectio omnium aliarum dierum, & omnes alij dies currunt ad illam diem ſicut ad ſuum finem & complementum: & ſicut grave naturaliter deſiderat centrum & omnes partes terræ, ita omnes dies tendunt ad unum ultimum diem qui eſt dies iudicij, & omnes alij dies eſſent fruſtra & vacui ſi non veniret illa dies, quæ eſt omnium dierum finis & conſummatio, & dies retributionis & quietis. Quare & dies illa erit dies lætitiæ & exultationis & gloriæ pro omnibus ſanctis, qui de ſalute ſecuri erunt. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, ideſt, in corporibus ſuis glorificatis, in quibus tunc requieſcent. *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Nam ibi corpora glorificata veras voces formabunt, quibus commendabunt iuſtitiam Chriſti & vindicativam contra impios, & remunerativam pro iuſtis, ejuſque triumphum celebrabunt. Hæc ſunt quæ quotidie Chriſtianum meditari decet. Unde D. Chryſoſtomus Homil. 2. in Epiſt. ad Teſſalonicenſes. *Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium iudicium effugiet.* Inde enim multis damnatio ſine fine, quod judicium non recogitant, ut merito planxerit vir pius. *Pſ. 149.*

Sic vivunt homines tanquam mors nulla ſequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Fructus maximus hujus Concilij generaliſſimi, Eccleſia triumphantis perfectio, complementum operis redemptionis & victoria ultima verbi Dei.

VT Eccleſia duplicem Chriſti adventum agnoſcit, unum iam factum & alium qui futurus eſt: ſic inter utrumque convenientias non paucas confitetur.

1. Quod in utroque adventu is qui venturus eſt, ſit Deus & homo.

2. Quod uterque adventus futurus eſt per veram & realem Chriſti præſentiam.

3. Quod in utroque adventu ſibi regnum comparet Chriſtus, regnum non de hoc mundo, ſed ſpirituale, ſcilicet regnum Eccleſiæ vel militantis in terra vel triumphantis in cœlo. Quod quia in primo adventu perfecte non obtinuit & ex omni parte, neque de hoſtibus ſuis viſibiliter ac manifeſte triumphavit, ideo in ſecundo adventu obtinebit plenam ac completam proprietatem & poſſeſſionem hujus regni, non ſolum ſpiritualem, ſed etiam ut loquitur Suares ad quæſt. 59. partis 3. D. Thomæ, diſp. 53. art. 2. quodammodo corporalem & viſibilem & æternam: ſicut ſcribitur Danielis 7. *dedit ei poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & lingua ſervient ipſi.*

4. Quod uterque adventus eſt ad redemptionem ſalutemque hominum. Nam in primo adventu redemit homines ab impotentia ſalutem conſequendi, quæ fuerat invecta per peccatum Adami in totum genus humanum, ſubminiſtrando omnibus auxilia nedum ſufficientia ſed etiam efficacia, quantum eſt ex parte ſua. Redemit quoque à peccato per juſtificationem quotquot receperunt eum & mediis ab ipſo paratis bene uſi ſunt: quin etiam ex parte redemit ab omni miſeria animæ per glorificationam quotquot in acceptaſ ſemel juſtificatione perſeveraverunt uſque ad mortem corporis. In ſecundo vero adventu perficiet iſtam redemptionem vivificando corpora & ſimul cum animabus gloria immortali donando, ab omnique metu & terrore adverſariorum liberando. Unde magnum iſtud Concilium perficiet Eccleſiam triumphantem, cum alia ad Eccleſiam militantem reformandam intenderint. Quapropter ſcriptura ſacra non minus ipſum Redemptorem ac ſalvatorem vocat in ſecundo adventu quam in primo Luc. 22. *Surgite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra* ad Phil. 1. *Salvatorem expectamus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, & ad Titum 2. *expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

Quæ & ſi ad juſtos proprie pertineant, non tamen injuſti & qui in peccato mortui ſunt omnimodo excludentur ab aliqua per Chriſtum redemptione, in illo adventu, quamvis ad majus dedecus & tormentum illis ceſſura ſit, ex propria ipſorum diſpoſitione. Redemptor quippe fuit prædeſtinatus ac miſſus Chriſtus Deus homo pro omnibus ad bona naturalia inſtaurandis abſolute & reipſa ex virtute Incarnationis & Reſurrectionis: Idemque eſt liberator per mortem ſuam à morte temporali & æterna pœna pro peccatis debita: quoniam & quatenus omnes ſunt Chriſto conformes in naturalibus; & ideo omnes reſurgent ad incorruptionem & integritatem corporis, dicente Apoſtolo *ſicut in Adam omnes moriuntur ſic in Chriſto omnes vivificabuntur*: non autem miſſus eſt ad ſupernaturalia bona, niſi cõditionate ac ſufficienter, ſi modo conformentur ipſi, etiam in ſupernaturalibus per Sacramenta in re, vel in voto ſuo, vel parentum vel aliorum (quamvis & de hoc ultimo lis aliqua ſuperſit) virtute paſſionis Chriſti conferentis ſupernaturalem gratiam: à qua qui excludentur reprobi ſunt damnati, non defectu Dei aut auxilij divini, ſed ſuo: de quibus Thomas Campanella in præfatione libri *de Prædeſt. & Reprob.*

In hoc vero ſplendebit tunc perfecte victoria Uerbi Dei, quod facilitate maxima impios omnes cum Diabolo & Angelis ejus præcipitaturus eſt in abyſſum gehennæ, quamtumvis magnus ſit eorum numerus juxta illud Iob. 40. *& videntibus cunctis præcipitabitur.*

Si enim adhuc paſſibilis & mortalis continuoque paſſurus & moriturus cohortem præſidis, Pontificũque & Phariſæorum miniſtros ſolo intuitu dejecit, ut enim *dixit eis ego ſum, abierunt retrorſum*: Si inquam judicandus hoc fecit, quid non faciet judicaturus? quod amplioribus argumentis probat Rupertus Abbas l. xiij. de *Victoria verbi Dei*, cui & hanc coronidem imponit, quam cum ipſo habere communem deſideramus, qui ad eumdem ſcopum, quem ipſe in his libris ſpectavit, toto hoc opere intendimus.

Quid poſt-hæc erit niſi ſempiterna feſtivitas triumphi, & nunquam habitura finem lætitia Dei lætantis in operibus ſuis? qualis triumphator Deus verbum, Deus & homo Ieſus Chriſtus in majeſtate ſua ſedebit? qualis circa illum procerum ejus, militum ejus emeritorum conſeſſus erit? quali ſplendore tota triumphalis ejus curia ſplendebit? prædicat id Eſaïas, *quia Deus iudicij Dominus, beati omnes qui expectant eum ... a. & erit lux luna ſicut lux ſolis & lux ſolis ſeptimpliciter, in die qua alligabit Dominus vulnus populi ſui & percuſſuram plaga ejus ſanaverit.* Quid rogo eſt vulnus populi Domini, & quid percuſſura vel plaga ejus, niſi vulnus mortis animæ, id eſt, peccati, & percuſſura vel plaga mortis corporeæ, qua de corpore recedit anima? & illius mortis vulnus & hujus mortis plagam ſive percuſſuram tunc Dominus ad perfectum ſanabit quando dicet *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Tunc erit lux lunæ ſicut lux ſolis: luna Eccleſia, ſol ipſe Chriſtus eſt. Nunc in præſenti ſæculo non eſt lux lunæ ſicut lux ſolis, ideſt non eſt claritas Eccleſiæ, ſicut claritas Chriſti, quia videlicet Chriſtus ſemper & indeficienter ſuo lumine fulget. Luna autem Eccleſia nunc incrementis gaudet, nunc defectum ſuſtinet: tunc autem ſemper fulgebit, quia Chriſtum in manifeſta viſione ſemper habebit: hoc erit eſſe lucem lunæ ſicut lux ſolis: *ſcimus enim*, inquit Ioannes *quia cum apparuerit ſimiles illi erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt, &c.* Et lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum: qualis vel quanta eſt lux ſeptem dierum.

Rupertus Abbas.

Eſa. 30.

1. Ioan. 3.

Sic igitur toto hoc tomo primo de Chriſto Prophetia, *inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius, & ipſum conteret caput tuum*, manet elucidata: & definitio ſcripturæ ſacræ in capite Apparatus allata, toto decurſu hujus voluminis probata fuit. Omnia cum debita ſubmiſſione ad Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam & Romanam, in cujus ſinu & pace perſeverare deſidero, ad ſalutem animæ & majorem Dei gloriam, cui ſit laus & jubilatio & adoratio in ſæcula.

Geneſ. 3.

Ex his tandem quæ per omnes partes hujus voluminis inſinuata ſunt, intelligi debet potiſsimum quanta habenda eſt æſtimatio myſterij redemptionis humani generis, quam redemptionem Deus ab æterno deſtinavit quam ab initio mundi promiſit, ujus promiſsionem per omnia ſæcula veteris teſtamenti confirmavit vaticiniis Prophetarum, cujus executionem Dæmon pluribus modis impedire molitus ne ex genere Jacob naſceretur Chriſtus, ſed irrito conatu, cum in plenitudine temporis natus eſt redemptor ille qui ſalutem noſtram operatus eſt in medio terræ, & ut nos liberaret à triplici ſervitute

peccati, dæmonis & corruptionis mortis ſanguinem ſuum dedit in pretium, & in fide viva hujus myſterij ſalutem ſitam eſſe voluit. Quam fidem omnes hæreſes interpolare quoquomodo ac deſtruere molitæ ſunt, & Concilia omnia generalia propugnarunt. Quam denique redemptionem conſummabit perficietque in Concilio & congregatione juſtorum totius orbis, cum ſederit judicaturus in ſede majeſtatis ſuæ, congregatis ante ſe omnibus gentibus. Propterea enim dicebat Lucæ 21. *Aſpicite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra,* cum non ſolùm ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus totus homo ſalvabitur: ita ut tunc civitates duæ, una diaboli altera Chriſti, urſa malorum altera juſtorum fines ſuos habituræ ſint, utraque tamen hominum & Angelorum ſimul, illis in æterna miſeria ſine fine durantibus, iſtis in æterna fœlicitate ſine fine viventibus: ſed in Beatitudine iſti alius alio præſtabilius, in miſeria vero illi alio alius tolerabilius permanebunt: ſicut enim in regno cœlorum manſiones diverſæ ſunt, ideſt, præmiorum differentiæ, ſic in gehenna ſuppliciorum ſpecies variæ ſunt, cum in illa Deus etiam regnaturus ſit per juſtitiam & ſic dæmonem coërcituros, ut non tanquam rex ſe habeat, ſed ut tortor qui non poteſt ad pœnam addere aut minuere, ſed omnia facit ad judicis arbitrium, ne alioquin ex odio & crudelitate ſæviens ſupra condignum miſeros torqueret. Ah quam A erit nihilominus eorum triſtitia, una cum Lucifero in baratrum præcipitari! At contra, ô Eccleſia magna juſtorum, Eccleſia victrix, Eccleſia triumphatrix quam ineffabilis tunc erit lætitia tua, quanta erit jubilatio filiorum tuorum omnium, cum finito judicio Redemptorem tuum regredientem ad Patrem ſuum ſecutura es, cum illo aſcenſura, ut te eidem Patri ſuo exhibeat non habentem maculam. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, quam dilecta tentoria tua ô Iſraël! ô ſuprema victoria Verbi Dei & electorum tuorum, non eſt mortalis hominis explicare inæſtimabilem triumphũ illum tot aſcendentium ad æternã requiem beatiſſimi regni: ô miſericordia magna & mirabilis valde nimis! ô conſummatio laborum qui coronantur tanta felicitate! quis ergo digne exiſtimet beneficium redemptionis quam operatus es, ô Verbum Dei, delitiæ Patris æterni, & objectum ſempiternum complacentiæ ipſius, carnem aſſumendo & ſanguinem in pretium captivorum effundendo. Cujus cor non arderet vivo igne dulciſſimi amoris tui, ſi in illo eſſet digna æſtimatio ſanguinis tui? quis ſtrictiſſimo iure totum tibi deberi ſe, non cogitaret, ſi iſta recogitaret? ô ſapientes recondite hæc in latibulo cordis veſtri tantiſper dum hæc vita labitur, & quotidie accedit judicij tempus. Amen. B

INDEX
RERUM ET VERBORUM

OBSERVABIT LECTOR BENEVOLUS, LITTERAM, a. vel b. cùm nullus niſi Pagina numerus præcedit, primam vel ſecundam columnam denotare: cùm verò poſt Pagina numerum ſequitur alter, 1. ſcilicet vel 2. & poſt alterutrum aliqua ex his litteris, a, b, c, d, e, per numerum columnam, per litteram columnæ partem ſignificari.

A

AARON figura Chriſti, 7. b. 60. 61
Aaron cur à Deo ſummus ſacerdos inſtitutus, 48. b
Abbas non debet uſurpare officeum Epiſcoporum, 426. 1. c. 2. a
Abbatis in Monachos poteſtas, 100. b
Abbatiſſæ, quæ & quomodo eligenda, 703. 2. b
Abbatiæ ex mala eorum quibus commiſſæ fuerant adminiſtratione, non tevia tam in ſpiritualibus quam in temporalibus paſſe ſunt detrimenta, 705. 2. A
Abdias propheta quid de Chriſto prædixerit, 39. b
Abiatar ſummus ſacerdos, 117. a & b
Abimelech ſummus ſacerdos, 117. a
Ablativus conſtruitur in habitudine alicujus cauſæ, 155. b
qui Abominationem in nuptiis, carnibus & vino criminantur, damnati, 141. a. b.
contra Abortum procurantes, 542. 1. c
Abraham figura Chriſti, 7. a
Abrahæ facta promiſſio quomodo intelligenda, 51. a & ſeq. 53. a
Abſinthium. Vide Stella,
in Abſolvendis hominibus à peccato quæ cura adhibenda, 343. 1. a. b
Abſolutio in pœnitentia, quid, 729. 1. b
in Abſolutione Sacerdotis an duntaxat tollatur reatus peccati, 764. 1. a. b
de Abſtractis quænam concreta prædicentur in Divinis, 160. b
Abyſſi vocabulo quid figuretur in Apocalypſi, 68. a
Abyſſum invocare abyſſum quid ſit, 23. b
Academiarum inſtitutio ad quem pertineat, 92. b
Acatius Epiſcopus centum & decem annorum, 229. a
Accuſatio Prælatorum non facile admittenda, 419. 1. d
Acephali hæretici variis nominibus nuncupati, 291. b
Acceſius Conſtantinopolitanus Epiſcopus & Novatianus hæreticus, 177. b
Acta ſcribenda ut probari poſſint, 424. 1. a
de Actibus Apoſtolorum: & an magni ſit momenti librum iſtum diligentius excutere, qui totus hiſtoria eſt, 48. a. b. & ſeq.
Actiones ſunt ſuppoſitorum, axioma Philoſophicum & quare prolatum in Concilio Florentino, 560. 1. d
Adam primus & ſecundus, 23. a. b
Adami primi levitas. 5. a. Adam figura Chriſti, 7. a
Adam ut imago Dei honore proſequendus, 339. aliàs. 349. 2. b
Adaptari aliquid alicui, quidnam ſit, 565. 1. e
Additio ad Symbolum quid ſit, 549. 1. b
ante tertiam Synodum vetita, 550. 1. b. e
de Additione ad Symbolum plura & notanda, 525. 2. e. & ſeq.
Adelphiani hæretici quinam & quænam eorum hæreſes & dogmata, 218. b
Adjectiva denotant ſuppoſita ſubſtantiva naturarum, 160. b
Adoleſcentium ætas niſi probe inſtituatur, prona eſt ad mundi voluptates ſequendas, 691. 1. a
de Adoratione Chriſti, 241. 1. a. b. & ſeq.
Adoratio. Quam multa hæc vox ſignificet, 37. 2. b
de Adoratione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ nunquam non obſervata, 107. a
Adriani Papæ ad Conſtantinum Imperatorem & Irenem ejus matrem, epiſtolæ fragmentum, 360 1. d. & ſeq. ejuſdem ad Taraſium Conſtantinopolitanum Patriarcham Epiſtola, 361. 2. a & ſeq.
Adventum Chriſti omnibus fuiſſe ſalutarem, 28. b
in Adventu Chriſti novus ſpiritus, nova anima datur hominibus, 40. b
de ſecundo Adventu Chriſti longè plura & notanda. 69. a. & ſeq. ordo duplicis Adventus, 72. a. Vide Iudicium.
Ægyptii in mari rubro ſubmerſi quid præſignificaverint, 7. b
in Ægypto patrata mirabilia, Chriſti mirabilium liberantis humanum genus à ſervitute peccati, typus, 29. b
Æneas Sylvius qui poſtea Pius ſecundus, & ex eo excerpta quædam de authoritate ſummi Pontificis & Concilii, 504. 2. c. 505. 1. a. & ſeq. Vide Pius II. Papa.
Æqualitas in divinis an ſit Relatio realis, 158. a
Affectus. Vide Pedes.

INDEX

Affinitatis ſecundus gradus nuptiis contrahendis an ſit prohibitus, 331. 1. d
de Afflictione bonorum graviſſima quæſtio, 26. b
Africani Patres quid de cœlibatu Presbyterorum olim cenſuerint, 101. b. *& ſeq.*
Agapes in Eccleſia non faciendæ, 340. 2. c.
A341. 1. A
gathomis Papæ ad Conſtantinum, Heraclium & A Tiberium Imperatores, Epiſtola, 296. a
Agere activè & paſſivè quid ſit, 727. 1. d
ggæus Propheta, an aliquid de Chriſto prædixe- Arit, 40. b
ggravationes & reaggravationes excommunicationum, unde. 137
Agno Paſchali quid fuerit præfiguratum, 7. b
Alberti Magni circa privilegium audiendi confeſſiones, opinio, 433. 2. b
Albertus Pigh. Vide Pighius.
Albigenſium hæreticorum varia nomina, 410. 1. A
de Albigenſium de erroribus plura, 431. 1. E. *& ſeq.*
contra Albigenſes & graſſatores milites, 410. 1. a. *& ſeq.*
Alea Clericis prohibita, 140. a
Alienus. Vide Vita
ab Alio eſſe, multis modis dicitur, 555. 2. c. d
Aliunde non eſſe, quid importet, 557. 1. c. d
Alogi hæretici Evangelium D. Ioannis impugnantes, 46. b. 47. a
ſine Altari non fit ſacrificium, 106. a
ad Altare quid ad benedictionem ſimplicem debeat exhiberi, 131. b 136. a
eres Altitudines quas in Deo miratur D. Paulus, 52. b
de Amalrico de Bena ejuſque inſaniis, 432. 1. a. *& ſeq.*
Ambitus in bona Eccleſia quoid ſit principium, 396 b
Ambroſii de duplici in Chriſto voluntate locus, 298. 1. a. 304. 1. c
Ambroſius interpres Epiphanii, 578. 2. a
Ambroſius Mediolanenſis adhuc catechumænus factus Epiſcopus, 145. a
de Amedæo Sabaudiæ Duce in ſummum Pontificem electo, 497. 1. c. 1. A. *& ſeq.*
de Amentiæ delictis, 812. 2. d
Aminadab, populus ſpontaneus, 15. b
Amorem Chriſti ad Eccleſiam quomodo ſub involucro amoris carnalis potuerit Spiritus ſanctus exprimere in Cantico Canticorum, 11. b
Guillelm. de ſancto Amore, ejuſque errores damnati, 431. 2. c. 433. 1. A
Amos boum paſtor & Propheta, an Chriſtum agnoverit, 39. a. b
Anabaptiſtæ conqueruntur multa in Evangelio D. Ioannis ſuperaddita, 47. a
Ananias. Vide Saphira.
Ananiæ & Saphiræ ſacrilegium, quàm ſeverè mulctatum, 48. b. 49. b
Anaſtaſii Presbyteri Conſtantinopolitani, nefanda in ſacram Virginem blaſphemia, 204. a
Anathema in hæreticos, 370. 1. c. quid ſit Anathema, 571 1. d
ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Leonis Papæ Epiſtola, 264. 1. d. e. *& ſeq.* Anatolii item ambitio, *ib.* 2. d
Andræas Coloſſenſis Præſul Eccleſiæ Romanæ Orator in Concilio Florentino Ferrariæ celebrato, 521. 2. c. d. *& ſeq.* 529. 1. b. *& ſeq.*
Angelorum imagines, 371. 1. C
de Angelorum concilio, ubinam fuerit celebratum, & quis illi præfuerit, 114. b. 115. a. b Vide Cuſtodes. Creaturę.
Angelos eſſe ſpirituales, an ſit de fide, 438. 1. c. *& ſequ*
Angeli an ſint corporei diſputatur, 556. 1. e
Angelis an quidquam per Eccleſiam innoteſcat, 58. a
Angeli an poſſint appellari Epiſcopi, aut ſacerdotes, 116. a
Angeli boni quo fructu laborent pro animabus, 66. b
Ad Angelos cuſtodes plurium ingratitudo, 807. 1. d
Anima rationalis verè ac per ſe humani corporis forma, 461. 2. a. b
de duabus Animabus opinio, Redemptionis negotio adverſatur, 783. 1. A
Animæ quas D. Ioannes vidit ſub altari, quænam ſint, 66. b
Animæ infirmi prius providendum quàm corpori, 421. 2 c *& ſeq*
Animam hominis eſſe unicam, 388. 2. c. d
Animarum ſtatus poſt mortem Chriſti, 36. b
de Anima Salvatoris, 319. 1. c. 2. a
Animalia pennata, plena oculis ante & retro, quænam ſint, 460. 1. A
Anniverſariorum nomen unde invaluerit, 108. a
Anomæi Hæretici diſcipuli Ætii, & cur ſic dicti, 194. b. Luxuriæ fautores, *ib.*
Anthimus hæreticus, 304. 2. d
de Antichriſto in benedictione Dan filii Iacob, 31. b
Antichriſti tempore Eccleſia in deſertis abſcondenda, 16. b
Antichriſtus ſub figura beſtiæ horribilis quæ de mari aſcendit deſcriptus, 68. a. b
Antichriſti Angelus cuſtos, 807. 1. a
Antichriſtus paſtor ſtultus, 41. a
Antidota nova adverſus nova venena neceſſaria ſunt, 219. a
Antimaritæ, & unde ſic dicti, 512. 2. c. d
Antiquus dierum quis dicatur? 18. a
S. Antonii ſommum de Arianis, 182. b
Apathia ſtoica ab Origene & Evagrio admiſſa, 290. a
Apocalypſis recapitulatio, 68. a. b. 71. a
Apocalypſis commendatio, ſcopus & partitio, 65. b. *& ſeq.*
Apocryphorum librorum quatuor genera, 65. a
Apollinaris anathematiſandus, 285. b
Apollinaris vir alias magnus, ſi non hæreticus, 192. a. ejus errores, 195. a
Apollinaris animam rationalem Chriſto detrahens, 64. a
de Apollinaris damnatione ad Orientales Damaſi Papæ epiſtola 198. b. contra eum Concilium Romanum, 199. a
Apollinarius antiſtes improbitatis, 332. 2. e
Apollinariſtarum errores, 291. b
Apoſtolorum miſſio, 20. b. 24. a
Apoſtoli annuntiant ſecundum Chriſti adventum, 30. a
Apoſtolorum victoriæ in converſione gentium Euchariſtiæ attributæ, 41. a
Apoſtolorum quatuor præcipua Concilia, 130. a. b. *& ſeq.* Vide Diviſio Canones.
Apoſtolos nunquam deſerebat Spiritus ſanctus, 127. b
Apoſtolis quomodo nota fecerit Chriſtus quæcumque audivit à Patre, 47. b
Apoſtoli, montes, & duces gregum qui pabulis montium opimantur, 30. b
Apoſtolis ad prædicandum miſſis tria injunxit Chri-

ſtus. 419. 1. c
in his quæ ſunt de Apoſtolorum inſtitutione, an poſſit Papa diſpenſare, 96.b
de Appellationis cauſa exprimenda, 423. 2. C
Appellatio ad Romanum Pontificem more antiquo uſitata, 186.a. b
Aqua miſtum vinum in ſacrificio debet offerri, 337. 1. A
de Aqua vino miſcenda miſſæ ſacrificio, 74.a
Aquila ad volandum alis inſtructa prædeſtinatorum typus, 53 b
Aquila ſacrę Scripturæ interpres, ex gentili Chriſtianus & ex Chriſtiano Iudæus, 120. b
per Aquilonem ventum frigidum deſignatur Spiritus ſanctus, 14. b
Arbitrium. Vide Libertas.
Arca à Philiſthæis capta, quid præſignaverit, 9. a
ne Archiepiſcopi viſitationis prætextu Suffraganeos gravent, 388.1. Vide Epiſcopus.
Archimandritæ hæretici petunt reſtitui Dioſcorum, 248. 2. c. 249.1. a
Archimandrita beſtia perterrita, 317. 2.b
Ariſtoteles, cur petierit & obtinuerit ab Alexandro magno, ut ſuperiorum Philoſophorum libri omnes exurerentur, 289.a
Arius elati & ambitioſi, non minus quàm fucati vir animi, 162. a. de eo item plura & notanda, *ibid. & ſeq.*
Arii duplex fidei confeſſio, 178.a
Aris ſymbolum ad Conſtantinum Imperatorem miſſum, 176.a
Ario dignitas Sacerdotalis abrogatur in Concilio Nicæno, 171.b
Arius anathematiſatus, 172. b
Arius æqualitatem cum Patre, Chriſto detrahens, 64. a. 67. a
Arius diviſor atque partitor ſanctiſſimæ Trinitatis, 317.1. c
Arii doctrinæ examen & damnatio, 164.a.b
Arius anathematiſandus, 283. b
Arii doctrina quænam, 173.a. 174. b
Arianorum Epiſcoporum audacia contra Romanum Pontificem, 190 a. eorum fidei formula ſubdola, 190. b
Ariani quantum erga Catholicos duri, 200. a
Arianorum excommunicatio, 184. b
Arianorum arrogantia 173. a. probationes ex Scriptura contra fidem Nicænum, 174.a
de Arianis ſomnium Sancti Antonii, 182 b
Arianorum acta crudelia, 183. a. b. eorum ex Sardica fuga, 184.a
Ariani dicti Porphyriani, 175.b
Ariani in tres ſectas diviſi, 191. a
Arma ad Infideles non deferenda, 409.2. b
Armenorum unio cum Romana Eccleſia, 515. 2. c. d
Armenorum inſtructio, 593.1 c. d. *& ſeq.* 594. 1. c. *& ſ.q.*
Arnaldi Ciſtercienſis Abbatis & Archiepiſcopi Narbonenſis notandum dictum, 431.c. *& ſeq.*
Arnaldus de Brixia Petri de Bruis ſectator, 400.2.b. c. 403. 2. b. illius obitus, 404.1.b
Arreptitii qui à Dæmone vexantur ad Clericatum non promovendi, 145.a
Aſcolinus Theſſalonicenſis Antiſtes, Concilii primi Conſtantinopolitani Præſes, 102.b
Aſmodæus dæmon omnis impudicitiæ incentor, 67. b
propter Aſſumentem venerabatur aſſumptum Neſtorius, & propter inviſibilem adorabat viſibilem, 122.b
Athanaſii de duplici in Chriſto voluntate locus, 297. 2.c.301 2.c.d. *& ſeq.* 304. 1. e
Athanaſius à Concilio Antiocheno condemnatus, 565.1 b. Illius ſenſus excutitur, 567. 2. c. 570. 2. C
Athanaſii de duabus in Chriſto voluntatibus ſermo, 313. 1. a
Athanaſius adhuc Diaconus, Alexandri Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi in Concilio Nicæno comes, 162. a. ejuſdem Concilii defenſor invictus, 364. b
Atticus orthodoxæ fidei egregius doctor & ea in re B. Ioannis ſucceſſor, 225.b
Avaritia quorundam Sacerdotum, 41. b
Avaritia qua nullum vitium eſt tetrius: à domo Dei prorſus tollenda, 795. 1. D
in Avaros divites & immiſericordes, 30.a.b
D. Auguſtini de ſummo Pontifice & Eccleſia quænam fuerit mens, 86.b
D. Auguſtinus quantum Conciliis detulerit, 108. b. 109. a
D. Auguſtini notanda modeſtia, 732. 2. a.b
Auguſtini de Ancona opinio circa poteſtatem Epiſcopi in parochiis ſuæ Diœceſeos, 434. 1. d. e
Auguſtini de duplici in Chriſto voluntate locus, 298. 1. 2
S Auguſtinus an impugnaverit traditiones, quidque de iis verè ſenſerit, 74.b. 75.a
Aulam Imperatoriam, vel regiam an Epiſcopis liceat adire, 187. b. *& ſeq.*
per Auſtrum ventum calidum deſignatur Spiritus ſanctus, 14.b
Axes agricolationis errare facere, 369. 1. a
Azyma Iudæorum non licet fidelibus comedere, 334. 2. d

B

BAbylon, Romana civitas Idololatriæ dedita, 68.a
Baculus Epiſcopi cur ſit curvus, 97.a. an eo utatur Papa, *ibid.*
Baji 78. theolgecarum propoſitionum ad tria capita reductio, 738.1.c.& ſeq. de iis longè plura & notanda, 749. a. b. 15. & ſeq.
à Bajo gratia ſanctificans excluſa, 746. 1. d
Balaam. Vide Hæretici.
linguæ Balaam quis fuerit motor, 116. b
Theodor. Balſamon ſchiſmaticus. 101. b
non Baptiſent Epiſcopi intra domos, 337. 1. a
de Baptiſmate, 596. 2. a
de Baptiſmo hæreticorum iterando ex mente Cypriani, quid decreverint Concilia, 110.a. b
de Baptiſmo Parvulorum, Viennenſis Concilii ſecundi Canon, 461. 2. c
Baptiſmus quomodo non ſalvet omnes qui crediderunt, quamvis dictum ſit à Chriſto, *Qui crediderit*, &c. 46. a
Baptiſma chriſtianum quomodo conſiderandum, 181.b
Baptiſmus in Eccleſiis tantum celebrandus, 339. 2. c
de Baptiſmo ab hæreticis collato, 140. a. item & à Catholicis, ibid.
in Baptiſmi ſacramento an duntaxat tollatur reatus peccati, 764. 1. a.13
de Baptiſmo, Concilii Tridentini Canones, 651. 1. c.
de Baptiſmo Ioannis, ibid.
Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramenta in quibus differant, 666.2. b. c
in Barbaricis gentibus eccleſiæ conſtituræ quomodo gubernandæ, 196. a
Baronii zelus pro ſummo Pontifice, 326.1. c.d
Barſumæ Monachi facta nefanda, 252. 1. d. e
Baſileenſe Concilium univerſale, ex parte reprobatum, & de eo plura & notanda, 491. 1. a. 13. & ſeq. xlv. Hujus Concilii ſeſſionum ſumma, ibid. 2. e. & ſeq.

INDEX

Affinitatus ſecundus gradus nuptiis contrahendis an ſit prohibitus, 331. 1. d
de Afflictione bonorum graviſſima quæſtio, 26. b
Africani Patres quid de cœlibatu Presbyterorum olim cenſuerint, 101. b. *& ſeq.*
Agapes in Eccleſia non faciendæ, 340. 2. c. 341. 1. A
gathomis Papæ ad Conſtantinum, Heraclium & A Tiberium Imperatores, Epiſtola, 296. a
Agere activè & paſſivè quid ſit, 727. 1. d
ggæus Propheta, an aliquid de Chriſto prædixerit, 40. b
ggravationes & reaggravationes excommunicationum, unde. 137
Agno Paſchali quid fuerit præfiguratum, 7. b
Alberti Magni circa privilegium audiendi confeſſiones, opinio, 433. 2. b
Albertus Pigh. Vide Pighius.
Albigenſium hæreticorum varia nomina, 410. 1. A
de Albigenſium de erroribus plura, 431. 1. E. *& ſeq.*
contra Albigenſes & graſſatores milites, 410. 1. a. *& ſeq.*
Alea Clericis prohibita, 140. a
Alienus. Vide Vita
ab Alio eſſe, multis modis dicitur, 555. 2. c. d
Aliunde non eſſe, quid importet, 557. 1. c. d
Alogi hæretici Evangelium D. Ioannis impugnantes, 46. b. 47. a
ſine Altari non fit ſacrificium, 106. a
ad Altare quid ad benedictionem ſimplicem debeat exhiberi, 135. b 136. a
tres Altitudines quas in Deo miratur D. Paulus, 52. b
de Amalrico de Bena ejuſque inſaniis, 432. 1. a. *& ſeq.*
Ambitus in bona Eccleſia quod ſit principium, 396 b
Ambroſii de duplici in Chriſto voluntate locus, 298. 1. a. 304. 1. c
Ambroſius interpres Epiphanii, 578. 2. e
Ambroſius Mediolanenſis adhuc catechumænus factus Epiſcopus, 145. a
de Amedæo Sabaudiæ Duce in ſummum Pontificem electo, 497. 1. c. 1. A. *& ſeq.*
de Amentiæ delictis, 812. 2. d
Aminadab, populus ſpontaneus, 15. b
Amorem Chriſti ad Eccleſiam quomodo ſub involucro amoris carnalis potuerit Spiritus ſanctus exprimere in Cantico Canticorum, 11. b
Guillelm. de ſancto Amore, ejuſque errores damnati, 431. 2. c. 433. 1. A
Amos boum paſtor & Propheta, an Chriſtum agnoverit, 39. a. b
Anabaptiſtæ conqueruntur multa in Evangelio D. Ioannis ſuperaddita, 47. a
Ananias. Vide Saphira.
Ananiæ & Saphiræ ſacrilegium, quàm ſeverè mulctatum, 48. b. 49. b
Anaſtaſii Presbyteri Conſtantinopolitani, nefanda in ſacram Virginem blaſphemia, 204. a
Anathema in hæreticos, 370. 1. c. quid ſit Anathema, 371 1. d
ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Leonis Papæ Epiſtola, 264. 1. d. e. *& ſeq.* Anatolii item ambitio, *ib.* 2. d
Andræas Coloſſenſis Præſul Eccleſiæ Romanæ Orator in Concilio Florentino Ferrariæ celebrato, 521. 2. c. d. *& ſeq.* 529. 1. b. *& ſeq.*
Angelorum imagines, 371. 1. C
de Angelorum concilio, ubinam fuerit celebratum, & quis illi præfuerit, 114. b. 115. a. b Vide Cuſtodes. Creaturę.
Angelos eſſe ſpirituales, an ſit de fide, 438. 1. c. *& ſequ*
Angeli an ſint corporei diſputatur, 356. 1. e
Angelis an quidquam per Eccleſiam innoteſcat, 58. a
Angeli an poſſint appellari Epiſcopi, aut ſacerdotes, 116. a
Angeli boni quo fructu laborent pro animabus, 66. b
Ad Angelos cuſtodes plurium ingratitudo, 807. 1. d
Anima rationalis verè ac per ſe humani corporis forma, 461. 2. a. b
de duabus Animabus opinio, Redemptionis negotio adverſatur, 783. 1. A
Aniniæ quas D. Ioannes vidit ſub altari, quænam ſint, 66. b
Animæ infirmi prius providendum quàm corpori, 421. 2 e *& ſeq*
Animam hominis eſſe unicam, 588. 2. c. d
Animarum ſtatus poſt mortem Chriſti, 36. b
de Anima Salvatoris, 319. 1. c. 2. a
Animalia pennata, plena oculis ante & retro, quænam ſint, 460. 1. A
Anniverſariorum nomen unde invaluerit, 108. a
Anomæi Hæretici diſcipuli Ætii, & cur ſic dicti, 194. b. Luxuriæ fautores, *ib.*
Anthimus hæreticus, 304. 2. d
de Antichriſto in benedictione Dan filii Iacob, 33. b
Antichriſti tempore Eccleſia in deſertis abſcondenda, 16. b
Antichriſtus ſub figura beſtiæ horribilis quæ de mari aſcendit deſcriptus, 68. a b
Antichriſti Angelus cuſtos, 807. 1 a
Antichriſtus paſtor ſtultus, 41. a
Antidota nova adverſus nova venena neceſſaria ſunt, 219. a
Antimaritæ, & unde ſic dicti, 518. 2. c. d
Antiquus dierum quis dicatur? 18 a
S. Antonii ſommum de Arianis, 182. b
Apathia ſtoica ab Origene & Evagrio admiſſa, 290. a
Apocalypſis recapitulatio, 68. a. b. 71. a
Apocalypſis commendatio, ſcopus & partitio, 65. b. *& ſeq.*
Apocryphorum librorum quatuor genera, 65. a
Apollinaris anathematiſandus, 285. b
Apollinaris vir alias magnus, ſi non hæreticus, 192. a. ejus errores, 195. a
Apollinaris animam rationalem Chriſto detrahens, 64. a
de Apollinaris damnatione ad Orientales Damaſi Papæ epiſtola 198. b. contra eum Concilium Romanum, 199. a
Apollinarius antiſtes improbitatis, 532. 2. e
Apollinariſtarum errores, 291. b
Apoſtolorum miſſio, 20. b. 24. a
Apoſtoli annuntiant ſecundum Chriſti adventum, 70. a
Apoſtolorum victoriæ in converſione gentium Euchariſtiæ attributæ, 41. a
Apoſtolorum quatuor præcipua Concilia, 130. a. b. *& ſeq.* Vide Diviſio Canones.
Apoſtolos nunquam deſerebat Spiritus ſanctus, 127. b
Apoſtolis quomodo nota fecerit Chriſtus quæcumque audivit à Patre, 47. b
Apoſtoli, montes, & duces gregum qui pabulis montium opimantur, 30. b
Apoſtolis ad prædicandum miſſis tria injunxit Chri-

ſtus. 429. 1. c
in his quæ ſunt de Apoſtolorum inſtitutione, an poſſit Papa diſpenſare, 96.b
de Appellationis cauſa exprimenda, 423. 2. C
Appellatio ad Romanum Pontificem more antiquo uſitata, 186.2. b
Aqua miſtum vinum in ſacrificio debet offerri, 337. 1. A
de Aqua vino miſcenda miſſæ ſacrificio, 74.2
Aquila ad volandum alis inſtructa prædeſtinatorum typus, 53 b
Aquila ſacræ Scripturæ interpres, ex gentili Chriſtianus & ex Chriſtiano Iudæus, 120. b
per Aquilonem ventum frigidum deſignatur Spiritus ſanctus, 14. b
Arbitrium. Vide Libertas.
Arca à Philiſthæis capta, quid præſignaverit, 9. 2
ne Archiepiſcopi viſitationis prætextu Suffraganeos gravent, 388.1. Vide Epiſcopus.
Archimandritæ hæretici petunt reſtitui Dioſcorum, 248. 2. c. 249.1. 2
Archimandrita beſtia perterrita, 317. 2.b
Ariſtoteles, cur petierit & obtinuerit ab Alexandro magno, ut ſuperiorum Philoſophorum libri omnes exurerentur, 289.2
Arius elati & ambitioſi, non minus quàm fucati vir animi, 162. 2. de eo item plura & notanda, *ibid. & ſeq.*
Arii duplex fidei confeſſio, 178.2
Aris ſymbolum ad Conſtantinum Imperatorem miſſum, 176. 2
Ario dignitas Sacerdotalis abrogatur in Concilio Nicæno, 171.b
Arius anathematiſatus, 172. b
Arius æqualitatem cum Patre, Chriſto detrahens, 64. 2. 67. 2
Arius diviſor atque partitor ſanctiſſimæ Trinitatis, 317. 1. c
Arii doctrinæ examen & damnatio, 164.2.b
Arius anathematiſandus, 283. b
Arii doctrina quænam, 173.2. 174. b
Arianorum Epiſcoporum audacia contra Romanum Pontificem, 190 2. eorum fidei formula ſubdola, 190. b
Ariani quantum erga Catholicos duri, 200. 2
Arianorum excommunicatio, 184. b
Arianorum arrogantia 173. 2. probationes ex Scriptura contra fidem Nicænum, 174.2
de Arianis ſomnium Sancti Antonii, 182 b
Arianorum acta crudelia, 183. 2. b. eorum ex Sardica fuga, 184.2
Ariani dicti Porphyriani, 175.b
Ariani in tres ſectas diviſi, 191. 2
Arma ad Infideles non deferenda, 409.2. b
Armenorum unio cum Romana Eccleſia, 515. 2. c. d
Armenorum inſtructio, 593. 1. c. d. *& ſeq.* 594. 1. c. *& ſ.q.*
Arnaldi Ciſtercienſis Abbatis & Archiepiſcopi Narbonenſis notandum dictum, 431.c. *& ſeq.*
Arnaldus de Brixia Petri de Bruis ſectator, 400.2.b. c. 403. 2. b. illius obitus, 404.1.b
Arreptitii qui à Dæmone vexantur ad Clericatum non promovendi, 145.2
Aſcolinus Theſſalonicenſis Antiſtes, Concilii primi Conſtantinopolitani Præſes, 202.b
Aſmodæus dæmon omnis impudicitiæ incentor, 67. b
propter Aſſumentem venerabatur aſſumptum Neſtorius, & propter inviſibilem adorabat viſibilem, 222.b
Athanaſii de duplici in Chriſto voluntate locus, 297. 2.c.301 2.c.d. *& ſeq.* 302. 1. e
Athanaſius à Concilio Antiocheno condemnatus, 565.1 b. Illius ſenſus excutitur, 567. 2. c. 570. 2. C
Athanaſii de duabus in Chriſto voluntatibus ſermo, 313. 1. 2
Athanaſius adhuc Diaconus, Alexandri Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi in Concilio Nicæno comes, 162. 2. ejuſdem Concilii defenſor invictus, 364. b
Atticus orthodoxæ fidei egregius doctor & ea in re B. Ioannis ſucceſſor, 225.b
Avaritia quorundam Sacerdotum, 41. b
Avaritia qua nullum vitium eſt tetrius : à domo Dei prorſus tollenda, 795. 1. D
in Avaros divites & immiſericordes, 30.2.b
D. Auguſtini de ſummo Pontifice & Eccleſia quænam fuerit meus, 86.b
D. Auguſtinus quantum Conciliis detulerit, 108. b. 109. 2
D. Auguſtini notanda modeſtia, 732. 2. 2.b
Auguſtini de Ancona opinio circa poteſtatem Epiſcopi in parochiis ſuæ Diœceſeos, 434. 1. d. e
Auguſtini de duplici in Chriſto voluntate locus, 298. 1. 2
S Auguſtinus an impugnaverit traditiones, quidque de iis verè ſenſerit, 74.b. 75.2
Aulam Imperatoriam, vel regiam an Epiſcopis liceat adire, 187. b. *& ſeq.*
per Auſtrum ventum calidum deſignatur Spiritus ſanctus, 14.b
Axes agricolationis errare facere, 369. 1. 2
Azyma Iudæorum non licet fidelibus comedere, 334. 2. d

B

BAbylon, Romana civitas Idololatriæ dedita, 68.2
Baculus Epiſcopi cur ſit curvus, 97.2. an eo utatur Papa, *ibid.*
Baji 78. theologicarum propoſitionum ad tria capita reductio, 738.1.c.& ſeq. de iis longè plura & notanda, 749. 2. b. 15.& ſeq.
à Bajo gratia ſanctificans excluſa, 746. 1. d
Balaam. Vide Hæretici.
linguæ Balaam quis fuerit motor, 126. b
Theodor. Balſamon ſchiſmaticus. 101.b
non Baptiſent Epiſcopi intra domos, 337. 1. 2
de Baptiſmate, 596. 2. 2
de Baptiſmo hæreticorum iterando ex mente Cypriani, quid decreverint Concilia, 110.2. b
de Baptiſmo Parvulorum, Viennenſis Concilii ſecundi Canon, 461. 2. c
Baptiſmus quomodo non ſalvet omnes qui crediderunt, quamvis dictum ſit à Chriſto, *Qui crediderit*, &c. 46. 2
Baptiſma chriſtianum quomodo conſiderandum, 181.b
Baptiſmus in Eccleſiis tantum celebrandus, 339. 2. c
de Baptiſmo ab hæreticis collato, 140. 2. item & à Catholicis, ibid.
in Baptiſmi ſacramento an duntaxat tollatur reatus peccati, 764. 1. 2.15
de Baptiſmo, Concilii Tridentini Canones, 651. 1. c. de Baptiſmo Ioannis, ibid.
Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramenta in quibus differant, 666.2. b. c
in Barbaricis gentibus eccleſiæ conſtitutæ quomodo gubernandæ, 196. 2
Baronii zelus pro ſummo Pontifice, 326.1. c.d
Barſumæ Monachi facta nefanda, 252. 1. d. e
Baſileenſe Concilium univerſale, ex parte reprobatum, & de eo plura & notanda, 491. 1. 2.13. & ſeq. xlv. Hujus Concilii ſeſſionum ſumma, ibid. 2. c. & ſeq.

in Basileensi Concilio acta & gesta per Bullam Nicolai Papæ V. approbata, 499. 2. E. 500. A. & seq. contra Basileenses Eugenii Papæ IV. Bulla, 599. 1. & seq.
Basilii locus de Spiritu sancto, 536. 2. b. explicatus, 559. 1. b. 566. 2. c. 569. 1. a. Ejusdem encomium, 561. 2. 2. Codices item corrupti, 563. 1. b
Basilii prius hæretici confessio Catholica, 346. 1. e. illius anathematismi, *ibid.* 2. 13
Beatitudo essentialis, seu visio beatifica, sub duplici typo descripta, 69. 2. de ea Christi sermo, *ibid.*
Begardorum & Begninarum varii errores, 466. 1 2. *& seq.* de iisdem annotatio, *ibid.* 2. b. varia eorum nomina, *ibid.*
Bellarminus. Vide Potestas spiritualis.
Bella olim gessisse privatos homines, non ex consensu Regis, 409. 1. c
Bellum ubi nulla invenitur in congressione victoria, 286. a
Bellis qui præsideant soluti quatuor Angeli mali, 67. b
Bena territorii Carnotensis villa, 432. 1. a
Amalerici de Bona insaniæ, 432 1. a. *& seq.*
Benedictus 12. an fuerit Antipapa, 507. 2. a. b
Beneficia Dei in hominem tria, 4. b. 5. a
de Beneficiorum pluralitate, 459. 2. c. Vide Pluralitas.
Beneficiorum pluralitas prohibita, 459. 2. b. c. *& seq.*
de unius Beneficii singularitate, 408. 1. a. & 2. a. b. Vide Sæculares.
de Beneficiorum intra tempus provisione, 406. 2. e
Beneficiariis divitibus dictum attendendum, 475. 2. b. c
de Beneficiatorum moribus, 459. 1. B. *& seq.*
S. Bernardinus Senensis Græcæ linguæ nescius Græcè tamen per miraculum concionatur, 515. 2. b. c
Bestiæ horribiles de mari & de bestia ascendentes, de quibus in Apocalypsi, quid denotent, 68. a
de Bestiarum erratis, 812. 1. D. E
in Bethleem quare Christus voluerit nasci, 112. b. *& seq*
Biblia Criticorum nupera, 48. b
Bibliorum vulgatæ Editionis authoritas 724. 2. b. Eorumdem hæreticæ versiones, *ibid.* c. *& seq.*
Bibliorum versio ab hæreticis depravata, 102. b
Bigami ad Clerū non admittendi, 137. b. cum Bigamo ut promoveatur, an possit dispensare Papa, 96. a. b
Blondellus unus et Calvini catulis, multis latratibus Iulii Papæ epistolam exagitans, 185. a
de Bohemis in Concilio Basileensi, plura & notanda, 510. 2. A. *& seq.* eorum articuli in Concilio propositi diriminuntur, 511. c
D. Bonaventuræ præclarum elogium, 451. a
D. Bonaventuræ mens circa Angelos, 430. 1. c. Vide D. Thomas.
D. Bonaventuræ obitus, 451. 1. a. de eo iterum, *ibid.* 2. a
Bona Ecclesiæ cujus sint, 470. 1. e
Bonum hominis maximum in hac vita, 58. a
per Bonum Christi de quo Oseas & Zacharias prophetæ, quid sit intelligendum, 39 2. 41. 2. *& seq.*
Francisc. Bosquetus Episcopus Montis-Pessulani, 389. 2. E
à Brentio Apostolorum traditiones cabalisticis Rabinorum nugis comparatæ, 75. b
Arn. de Brixia Petri de Bruis, Hæresiarchæ sectator, 400. 2. b. c. 403. 2. b. *& seq.* illius obitus, 404
Petr. de Bruis fons hæreseon in Occidente, 400. 2. a. 403. 2. b.
Brumalia quænam olim apud Gentiles, 240. 2. b
Bruno Signensium Episcopus Investituræ hostis, 399. 1. D
Brovius de quibusdam erroribus arguitus, 456. 1. d. e

C

Cabala apud Iudæos quidnam sit, 75. a
Cabala, sive lex ore tradita, senioribus apud Iudæos commissa, 116. b. 81. b
Cælestini Papæ ad Nestorium Epistola in Ephesina Synodo approbata, 225. 6. *& seq.* item ad Synodum Ephesinam, 227. 2. *& seq.*
Cælestinus Papa Ephesinæ Synodi præses, 238. 2. a
Cain. Vide Hæretici.
Caina hæresis à quo exordium sumpserit, 107. b
Caiphus an ex instinctu Spiritus sancti, an ex dæmonis suggestione, prophetaverit, 126. b. de eo item plura, *ibid. & seq.*
Caiphas homo nequam, tamen quia Pontifex prophetat, 289
Caiphas animi malitia Christum occisum cupiebat, at ignorantia veritatem dicens, servatorem illum humani generis confessus est, 362. 2. b
Calamitates absque demeritis hominum non contingunt, 498. 1. c. 2. a
Calix retributionis quis sit, 26. b
Calicis usus an debeat concedi laicis, 731. 2. b
Calvinus quid sentiat de descensu Christi ad inferos, 108. a
Calvini captiunculæ sophisticæ apertæ, & calumniæ refutatæ, 75. b
Calvinus consensui catholico omnium antiquorum ausus adversari, 104. b
Calvinus in Acta Apostolorum plura scripsit, 48. a
Calvinistæ cum Græcis conspirantes, 454. 1. b
in Canali constituti Episcopi qui nam olim dicebantur, 188. b
Candidianus Imperatorum Theodosii & Valentiniani in Synodo Ephesina legatus, & quàm perfidè ibidem se gesserit, 226. b. 227. a. 232. 2. b
Canones qui dicuntur Apostolorum, & de iis plura & notanda, 133. b. 134. a. relati & descripti, 135. a. *& seq.* 148. a
Canon clandestinus & subreptitius Concilii Chalcedonensis, 258. b. c. *& seq.*
de Canonibus sextæ Synodi, in quibus multos errores se reperire falsò jactitant Hæretici, 110. a. *& seq.*
de Canonum universalium & localium Synodorum observatione, 587. 1. d
Canonicorum abusus, 460. 2. d
de Canonicorum filiis non instituendis cum patribus, 423. 1. c
in Canonizatione Sanctorum an possit errare summus Pontifex, 95. a
Canonizavit multos Ecclesia qui usque ad mortem perseverarunt in erroneis opinionibus de fide, quas postea reprobavit tanquam hæreticas eadem Ecclesia, 288. a
Canticum Canticorum quid vocetur, 12. b. an sit historia vel ficta narratio, *ibid.*
de Cantico Canticorum iterum plura & notanda, ejusque singulorum Capitulorum expositio, 13. a. *& seq.*
Canticum novum cur velit decantari Propheta Regius, & quænam sit illius Cantici materia, 34. 2. b
Cantores an possint sint uxorem ducere, 334. 1. c
Cantores Ecclesiastici modulatione inordinata non debent uti, 341. 1. a
Capitulum in quot & quibus casibus possit exercere Iurisdictionem Episcopalem, 464. 1. c. d
de Capituli potestate sede vacante, 699. 1. d
triam Capitulorum in secunda Synodo Constantinopolitana ultima damnatio, 282. a
Caput exterum visibile debetur Ecclesiæ, 99. b
Capite cooperto viri olim apud cooperto, mulieres sparsis crinibus orabant, 14. b
Caput dupliciter influit. 89. a
Caracter qui imprimitur in Ordinatione, est indelebilis, 542. a

Cato, subjectum concupiscendi, 601.b
inter Carnis opera cur Paulus plura enumeret, quæ nihil habent voluptatis carnalis, 57.a
Carnis voluntatem in Christo oportebat moneri, sed subjici voluntati divinæ, 314.1.c
de Carne Christi quædam notanda, 306.2.a
Caro Christi vivifica, 215.b. 222.b
Carnis vocabulum duobus modis in sacris eloquiis nominatum, 310.1.a
Carolus Magnus quantum coluerit Hadrianum Pontificem, 111. a. libri dicti Carolini, *ibid.*
Caseũ an liceat comedere in Quadragesima, 339.2.2.b
Castalionis Bibliorum versio meretricia, 725.1.b.c
Castanæus Pictaviensis Episcopus nunquam adduci potuit, ut Gratiam sufficientem negaret, 804.2.c
de Castitatis dono, 734.2.d
pro Castitate cautela, 116.a
de Castitate sacerdotum, 407.2.c
Castratio spontanea sui ipsius, irregularẽ efficit, 138.a
Casus sibi reservare an competat Episcopis, 729,1.c. *& seq.*
Catharinus quid sentiat de prædestinatione, 791.2.a
Cathari. Vide Albigenses.
de Catharis cum ad Ecclesiam revertuntur, 167.b
Cathedræ vocabulum, præter grammaticalem significationem in vario sensu à probatis autoribus usurpatum, 85.a. *& seq.*
Cathecumenorum opera ante remissionem peccatorum facta, an & quomodo sint vitæ æternæ meritoria, 748.2.a.b. 755.1.a
de Catechumenis lapsis, 170.a
de in Cathedralibus præficiendo magistro, 408.2.c
Cathedralis vel regularis Ecclesia ultra tres menses non debet vacare, 422.1.b
Catholicæ nomen quam invincibiliter obtinuerit Romana Ecclesia, 87.a
contra Catholicos falsæ Arianorum accusationes, 184.a
Caupona, præterquam in via propter necessitatem, Clericis vetita, 141.b
Cauponariam exercere Clericis vetitum, 334.2.c
in Causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus quomodo procedendum, 700.2.b
Causa pro principio, 569.1.b
per Causalitatem intellecta generatio, 578.2.b
Cedere compellendi qui postulaverunt licentiam cedendi, 412.2.d
Celeritas sponsi Christi ad opem ferendam Ecclesiæ in Cantico Canticorum designata, 14.a
cum Celestio sentiences in concilio Ephesino condemnati, 217.a
Celestius consangoinem Nestorii, 217.b
Cella vinaria de qua in Cantico Canticorum, quid sit, 14.a
Censuræ cujusnam violatio inducat irregularitatem, 80.a
Centurio pro Mago centum calculis Magiam exercente, 340.1.a
Centuriatores. Vide Magdeburgenses.
Cerva quam simplex animal, & cur illi Christus compaletur, 21.a
Cetus in quem receptus fuit Jonas, sepulchri in quo Christus per triduum jacuit, typus, 29.b
Chalcedonensis Synodus ab Eutychianis nunquam habita fuit pro generali & legitima, 489.2.E
Chalcedonense Concilium, seu quarta Synodus œcumenica, 244.2.B. *& seq.*
Chalcedonensis synodus an à Leone summo Pontifice fuerit reprobata, 109.a
Chalcedonensis Concilii Decretum, 253.1.a. Canones, 254.1.a. *& seq.*
Charitii symbolum, 544.2.a. *& seq.* non improbatum, 546.2.b. *& seq.*
Charitatem qua deus amatur & proximus, gratiis gratis datis excellentiorem esse, 55.a
Charitas Dei magna, major, maxima, 57.b
pro Charitate erga Christum decem D. Pauli argumenta, 53.a.b. *& seq.*
Charitas Christi docetur in Cantico Canticorum, 12.b
ubi Charitas perfecta, ibi nulla cupiditas, 771.2.a
de duobus Cherubim à Moyse super arcam Testamenti positis, 348.2.a.b. *& seq.*
Chori ingressus Laïcis prohibitus, 340.1.b
Chrisma sub sera conservandum, 421.2.c
de sacro Chrismate Confirmationis, 652.1.c
Christophorus sedis Apostolicæ invasor, 507.2.a
Christus quomodo Pontifex & Apostolus confessionis nostræ, 215.a. & b. 223.a
in Christum omnes ex amore conspirare bonum est, 52.b
Christi progressûs tres gradus, 18.b
de Christi justitiæ & temperantiæ operibus, 748.2.c
de Christo in extremi die judicii longe plura & notanda, 799.2.b. *& seq.*
Christus secundum quid omnes amaverit, 780.2.d. e. 808.1.a.
Christum negare quid sit, 785.2.b
Christus debuit esse sine peccato, 19.a.b
Christi vitæ historia cur dicatur Evangelium, 44.b
Christus non defuit Ecclesiæ in necessariis, 88.a
Christi corpus in sacrario olim asservatum, 106.a
Christi verba non audire, quam sit terribile, 7.b
Christi omnis actio est instructiva, 44.b
Christus quantum præcellat D. Petro, ratione capitis & fundamenti Ecclesiæ, 48.a
sine Christo mala hujus vitæ essent intolerabilia, 31.b
de Christi adoratione & sacerdotio, 241.2.a.b. *& seq.*
Christus an prosperè egerit quando à Judæis occisus est, 18.b
Christus sacerdos & victima, 244.1.a
Christum ex duabus & in duabus existentem naturis, Apostolica confitetur Ecclesia, 297.b
Christus qua virtute miracula patraverit, 215.a
Christi triplex petitio, 26.a
de Christo quod dictum est apud D. Marcum, *non poterat ibi virtutem ullam facere*, quomodo intelligendum, 45.b
in Christo quomodo intelligendum quod sit una persona, 239.1.c.2.a. *& seq.*
Christi potentiæ quomodo accesserit gloria Unigeniti, 214.b
Christi excellentiæ à fidelibus Davidis exemplo exaltandæ, 33.b. Vide Canticum. Passio.
Christi regnum in medio paganorum, Judæorum, hæreticorum, falsorum fratrum, 30.a
Christus animarum sanctissimus director, 25.a
Christus vir & quasi anima cordis humani, 58.a. Vide Scientia.
Christi ingressus miraculosus in hunc mundum, progressus virtuosus, egressus dolorosus, regressus in cœlum glorious, 43.a. *& seq.*
Christus cur se asserat sicut columbam, 25.a
Christi resurgentis gloria in Psalmo 91. denotata, 28.b. Vide Judicium. Gloria.
Christus sacerdos à momento incarnationis, 61.a.b. Vide Sacerdotium.
de Christo Deo & homine quid sit credendũ, 282.a.b
Christus cum Platone Manichæo, &c. à Theodoro Mopsuesteno comparatus, 284.a
Christus alter Adam, 212.a
Christus est caput omnium, sed secundum diversos gradus, 310.1.a. an ignoraverit diem Judicii, *ibid.* C. *& seq.*
per Christum liberati sunt homines à lege Mosayca, & à lege concupiscentiæ, 52.a. Vide Spiritus.
Christi nomen negans Clericus, expellendus, 142.b
de Christo plura ex mente Nestorii, 224.2. *& seq.*

Chriſti providentia ſuper univerſas orbis Eccleſias, 65. b
Chriſti in cruce paſſi memoria inſtar omnium armorum, 63. b
Chriſtus ex parte ſua ſemper ad judicandum paratus, *ibid.*
Chriſtus ex omni parte perfectus, 15. a
Chriſti ſupra Angelos, Moyſen & Pontifices excellentiæ, 60. b
de Chriſto quæ dicantur in Geneſi, 5. b. 6. a. Iacobi Patriarchæ prophetia, *ibid.* quid in libris Exodi, Levitici, Numerorum & Deuteronomii, *ibid.* b. Chriſtus in Adamo prefiguratus, 7. a. ut & in Patriarchis, &c. *ib.* in Iudicibus Iſraëlis, &c. 8. b. 9. a. *& ſeq.*
in Chriſto vita hominum, 115. a
Chriſtus à Neſtorio iniquis calumniis impetitus, 217. b
de Chriſto & ubi naſceretur, Iudæorum concilium, 122. a. *& ſeq.* Vide Meſſiæ.
de Chriſti generatione fidei definitio, 184. b
Chriſti operationum aliæ Deo decibiles, aliæ humanæ, aliæ medium quendam gradum obtinent, 308. 2. a. Chriſtus ſine peccato. *ibid.* c. & 309. e
circa Chriſtum exultandum corde, cantandum voce, pſallendum opere, 20. a
de Chriſti corporis feſto celebrando, 465. 2. c
Chriſtus unus idemque, ſecundum aliud & aliud divina geſſit & humana, 307. 2. a
Chriſtus quo ſenſu dicat ſe clarificandum à Spiritu ſancto, 123. a. & b
Chriſtus ſecundum carnem ſanctiſſimæ ſuæ matri verè conſubſtantialis, ut ſecundum deitatem Patri, 512. 2. b
Chriſtus cur non dicendus deifer. 214. a
de Chriſti morte duo Concilia, Divinum & Humanum, 118. b. 119. a
per Chriſti mortem bona hominibus collata prevalent malis omnibus per Adamum invectis, 50. b
Chriſtiano non ſufficit ad veram fidem, Symbolo utcumque ſubſcribere, 211. b
Chronologia illud eſt in Hiſtoria quod oſſa & nervi in corpore, 80. b. 81. a
per Chryſtallum de qua in Pſalmo 147. quid intelligatur, 34. a
Cibaria in lege veteri prohibita, poſt Chriſtum conceſſa, 124. a
Vincent. Cigaldi opinio de bonis Eccleſiæ, 470. 1. d
Cingulum militiæ honorificum, 169. 2. b
Circumciſio Chriſti in carne octava die, quid denoret, 69. a
Circumincеſſio in divinis, quid ſit, 158. b
de Circumſtantiis peccatorum, 730. 2. a
de Civitate in aliam civitatem tranſire an liceat Epiſcopo, 185. b. 186. a
de Civitate nova & quam debeat habere dignitatem, 337. 2. C
Claritas quam dedit Chriſtus Apoſtolis, quænam ſit, 47. b
Clavis David quid ſit, 18. a. b
Clavis abyſſi quid deſignet, 68. a. Vide Stella.
Clavium poteſtate an poſſit uti Papa in quemlibet de Eccleſia, 91. b. an & poſſit illam concedere erga ſeipſum tam in foro interiori, quàm in exteriori, 92. a
Clemens. Vide Canones.
Clementis conſtitutiones an ſint admittendæ, 333. 2. a
Clericus ſine cauſa fidelitatem laïco non faciat, 424. 2. a. b
Clericorum varii gradus, 100. a
Clerici pro criminibus damnati, an ſint communione privandi, 138. a. quinam item ex iis poſſint ex conſtitutione Apoſtolorum conjuges accipere, *ibidem* & b. Clerici damnati à quo recipiendi, *Ibidem.*
Clericorum incontinentia quomodo punienda, 420. 2. c. item & de eorum ebrietate plectenda 421. 1. b. de iis iterum plura, *Ibid. & ſeq.*
Clerici promoti ob pecuniam, deponendi, 136. 1. d
Clericorum corrupti mores, 460. 2. c
Clericorum honor vindicatus, 400. 2. d. e
Clerici intra domos non baptiſent ſine Epiſcopi licentia, 337. 1. a
Clericis alea interdicta, 339. 1. a
Clerici qui præter canonicas ſanctiones uxores duxerint, qualiter puniendi, 333. 2. d
de Clerico item vitiante Monacham, 534. 1. b
de Clericorum excommunicatione, 189. a
intra domos Clerici non baptiſent ſine Epiſcopi licentia, 337. 1. a
De Clerici ad propriam Eccleſiam reditu, 335. 2. E
Magiſtratum gerere vetitum Clericis, 145. b
Clerici Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum contumelia afficientis, pœna, 142. a
Clerici à quo ordinandi, 135. a
In Clericorum accuſatione quid primò inquirendum, 181. a
Clericus de civitate in civitatem non tranſirendus, 170. a
Clerici proprias Eccleſias relinquere prohibiti, 157. a
Clerici ſacri Ordinis, celeſtium typi & imagines eſſe debent, 181. b
egenorum Clericorum cura ditioribus item Clericis ſub interminatione commendata, 141. a
ad Clerum non admittendus qui viduam vel ejectam, vel meretricem acceperit, 137. b. item qui duas ſorores, vel filiam fratris, 137. b
De his qui ad Clerum applicantur ſtatim poſt baptiſmum, 165. b
Iodoc. Clictoneus B. Virginis Immaculatæ Conceptionis defenſor acerrimus, 512. 1. c. *& ſeq.*
Coadoratio prototypi & imaginis quomodo intelligenda, 381. 1. d
Codicum Græcorum & Latinorum, in his quæ ad fidem de Spiritu ſancto ſpectant, diſcrimen, 569. 2. A
de Cœlibatu miniſtrorum Eccleſiæ, 85. a
de Cœlibatu hominum Deo Sacrorum, 100. b. 101. a. *& ſeq.* 108. b
de Cœlibatu Clericorum plura & notanda, 330. 1. b. c. *& ſeq.*
Cognationis ſpiritualis ordo adſervandus, 339. 1. d
de Cognationis gradibus in matrimonio, 425. 2. e. 426. 1. a. *& ſeq.*
Collegia generalium ſtudiorum an poſſit compellere Papa, ut ad eorum ſocietatem Religioſi admittantur, 92. b
de ad Coloſſenſes D. Pauli epiſtola, 59. a
de Comeſtione morticinii, vel carnis in ſanguine, 142. b
Comitatus. Vide Aula.
de Commendatitiis Epiſtolis, 137. a. 139. a
Communicandi olim in Eccleſiis varius uſus, 107. b
Communicatio cum excommunicatis prohibita, triplex, 137. a
de Communione Miniſtrorum Altaris poſt oblationem celebratam, 136. b. Item & fidelium Laïcorum Eccleſiam ingredientium, 136. b
de Communione ſub una ſpecie, 490. 1. e. *& ſeq.*
Communionis ſub utraque ſpecie neceſſitas, an aſtruatur in Evangelio D. Ioannis, 47

de Communione ſub utraque ſpecie Tridentini Concilii doctrina, 676. 2. c. 680. 1. a. 2. c.
ad Communionem ſacramentalem parvulos non obligari, 680. 2. a
Comparatio blaſphema, 284. a
Compediti de quibus in Pſalmo 43. quinam ſint, 124. a
de foro Competenti plura & notanda, 463. 1. c. 2. a. *& ſeq.*
Compulſio moralis quid ſit, 727. 2. a
de Conceptionis B. Virginis feſto plura, 497. a. b. *& ſeq.*
circa Conceptionem B. Virginis controverſiarum origo, 511. 2. a. *& ſeq.* an ſit de fide hanc Conceptionem eſſe immaculatam, 512. 1. a. *& ſeq.*
Concilia vetera an ultimis præferenda, vel ſecus, 98. a. utriſque præſidet Spiritus ſanctus, *ibidem & ſeq.* ultima præclarè defenduntur, *ibidem* b
Concilium univerſale an debeat Papa congregare quotieſcumque de fide habet aliquid determinandum, 95. b. Item & an in Concilio univerſali poſſint Patres aliquid ſtatuere ſine authoritate Papæ, *Ib.* & 96. a
adverſus Concilia, Hæreticorum objectiones diſſolutæ, 108. b
Concilium ſextum. Vide Canones.
de Concilio Ieroſolymitano ſub Caipha Pontifice & Imperatore Tiberio longe plura & notanda, 126. a. *& ſeq.* ſententiæ ibidem prolatæ, *Ib.* & 127. a. Hujus concilii plura bona & mala, *Ibidem* & 128. a
Conciliis an præter Scripturam & traditiones ſit opus, 76. a. quid ſit Concilium in genere & quotuplex, *Ib.* b. & 79. a. unde origo celebrandi Concilia, *Ibidem.*
Concilium hæreticorum, 372. 2. b. c
Conciliorum generalium quodnam fuerit primum, 130. 2. b
in Conciliis proferendi ſententiam quis ſit mos & ordo, 561. 1. b. c
Concilia an ſint æqualis poteſtatis, 523. 1. b
Concilia non ſemper neceſſaria, 217. c
Concilium quando dici debeat generale, 490. 1
Concilii decreta abſque Romani Pontificis conſenſu, irrita, 28. b
extra Concilia generalia nulla ſit certa definitio in rebus fidei, 81. b. *& ſeq.*
Concilia generalia eſſe infallibilia, 78. a. Vide Papa.
de in ſacro Concilio procedendi modo, articuli legitimi & approbati, 500. 2. d. e. *& ſeq.*
Concilii ſuppoſitorum, eorumque familiæ reformatio, 502. 1. B. *& ſeq.*
de Concilii & Papæ authoritate plura & notanda, 503. 2. d. e. 504. 1. 2 *& ſeq.*
in Conciliorum generalium publica ſeſſione modus obſervandus, 472. 2. b.
Concilii generalis ſententia totius Eccleſiæ judicium eſt, 793. 2. b
Concilia Epiſcoporum bis in anno, & quanta ex eorum defectu mala emerſerint, 139. b. 148. a
Concilium ſacerdotum Spiritus ſancti præſentiam declarat, 227. a
in Conciliis quid præſtiterint Imperatores, 170. b
Conciliis an ſumne Pontificis authoritas ſit neceſſaria, 201. b
in Conciliis maximè attendenda eſt concluſio & finis, 244. 2. a
in Conciliis quæ geruntur abſque ſedis Apoſtolicæ legatis, eſſe invalida, 251. 1. d. e
de Conciliis innumeræ quæſtiones, 79. a. Vide Doctrina,
de Conciliis Provincialibus, 418. 2. C
Concilia Provincialia an poſſint de fide ac de jure divino quicquam determinare, 80 b. Vide Chronologia.
Concilii congregandi difficultas, 118. a
ad Concilia generalia quinam neceſſariò ſint vocandi, 77. a. quinam & poſſint vocari, *Ib.* Vide Infallibilitas.
Conciliorum non eſt diſputare, 252. 1. c
prima Concilia à Romanis Pontificibus congregata, 317. 1. e
Concubinarum apud antiquos duo genera, 110. a
Concubinariorum publicorum pœna, 494. 2. e
de Concupiſcentia & pravis ejus deſideriis, 761. a. b. Vide Charitas.
Confeſſio quænam ſufficiat, 169. a
Confeſſio peccatorum prævia pœnitentiæ, ſeu ſatisfactioni, 103. a. 104. a
Confeſſio facta excommunicatis an valeat, 489. 1. d
Confeſſiones fidelium an poſſit audire delegatus à Papa, ſine conſenſu ſacerdotum parochialium, 92. a. b
de Confeſſione Paſchali facta privilegiatis, 431. 2. b. *& ſeq.*
circa Confeſſiones audiendi privilegia, diſputatio, 433. 1. c. d. 2. e. *& ſeq.*
de Confeſſionum audiendarum privilegio Alberti magni ſententia, 433. 2. b
de Confeſſione facienda & non revelanda à ſacerdote, 421. 2. c
de Confeſſionis ſacramento plura & notanda ex Concilio Tridentino, 667. 1. c. *& ſeq.*
de Confirmationis ſacramento, 104. a
de Confirmationis ſacramento, 596. a. d. e. *& ſeq.*
de Confirmationis ſacramento Concilii Tridentini Canones, 652. 1. b. *& ſeq.*
Conflictus inter bonos & malos, 12. a
Confuſio impiorum in die judicii, 802. 2. b
de Conjugiis clandeſtinis, vel interdictis, 416. 1. c. *& ſeq.*
Conſcientiæ remorſus. Vide Locuſtæ.
Conſcientiæ remorſus in peccatoribus gratia eſt, 807. 2. A
Conſcientiæ bonum teſtimonium fundatur in fide crucis Chriſti, 57. a
Conſecratio quo tempore facienda, 339. 1. c
Conſtantienſe Concilium Oecumenicum, 472. 1. c. d. *& ſeq.* Illius Canones & decreta, 482. 1. a. *& ſeq.*
de Conſtantienſi Concilio quædam controverſa, 484. 1. e. *& ſeq.* Illiustres ſtatus, 485. 1. e
Conſtantienſis Concilii commendatio, 490. 1. c
Conſtantini Magni converſionis origo 357. poſt 346. mendoſè, 2. b. *& ſeq.*
Conſtantini Imperatoris religio, pietas, affectuſque erga Eccleſiam, 162. a. b
Conſtantini circa Arium prudens concilium, 176. a
Conſtantinus Imperator inter Scriptores Eccleſiaſticos à Bellarmino annumeratus, ejuſque oratio in Concilio Niceno habita, 163. b. 164. a
Conſtantini Imperatoris decretum in libros Arii, 171. b
Conſtantinus Antipapa de Eccleſia ejectus, 507. 2. A
Conſtantinus Copronymus Imperator, omnium ſceleſtiſſimus, 110. b
Conſtantinus Pogonatus Imperator orthodoxæ fidei

professor & asserror, 292. b
Constantinus an fuerit præses in Concilio Nicæno, 177. a
Constantini Imperatoris modestia in Concilio Nicæno, 177. b
Constantinopolitanæ Ecclesiæ primatus post Romanam delatus, 194. a. b. 196. a
de Constantinopolitanæ sedis privilegiis, 337. 2. a
Constantinopolitani Patriarchæ privilegia, 251. 1. A. B
Constantinopolitanus Patriarchatus quando & ubi institutus, 167. b
Constantinopolitano Patriarchatui restitit Leo Papa, 264. 2. B
ad Constantinopolitanum Clerum & populum, de Nestorii depositione Synodi Ephesinæ epistola, 231. b. & seq.
Constantinopolitanum primum Concilium, 191. b. 192. a. & seq. ejus Symbolum, 197. b. 198. a
de Constantinopolitana Synodo prima quædam dubia, 201. a. & seq.
Constantinopolitana secunda Synodus an sit œcumenica, 286
Constantinopolitanum tertium Concilium contra hæreticos Monothelitas tempore Constantini Pogonati celebratum, 292. b
Constantinopolitani tertii Concilii acta, 294. b 2 5. a. & seq.
in Constantinopolitano tertio Concilio, acclamationes & anathemata, 314. 1. d. e
de Constantinopolitana tertia synodo notanda controversia, 553. 1. d. & seq.
Constantinopolitanæ Synodi ad Damasum Papam, & ad Episcopos in Synodo Romana congregatos, Epistola, 99. b. & seq. ad Imperatorem, 201. b
Constantinopolitanum Concilium IV. seu octava Synodus, 382. d. e. & seq.
Constitutiones diversas edi pro temporum & hominum diversitate, non est absurdum, 110
Consubstantialis nomen hæretici Ariani criminantur, 146. b
Consubstantiale vel ὁμοούσιον quid nam sit, 171. b
Consuetudo mala non minus eradicanda, quam perniciosa corruptela, 18. b
Consuetudo habet vim legis, 219. a
ex Contentione particulari non solum unitas fieri non potest, sed magis malum accrescit, 293. a
Continentia. Vide Votum.
Continentiæ ut obtineatur integritas, multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus resistendum est, 264. 2. a
per Contritionem cum charitate perfecta & voto suscipiendi Sacramentum, an remittatur crimen sine actuali susceptione sacramenti, 769. 2. a. & seq.
Contritionis motus quovis tempore fuit necessarius, & de eo plurà & notanda, 667. 2. a. b. & seq.
Contumelia in Principes vetita, 146. a
Conventus publici à sacerdotibus Ægyptiis agi soliti. 78. a. Idem apud Magos Persicos, apud Græcos, & apud Druidas. ibid.
Conversio populorum ad fidem per exitum ex Ægypto intellecta, 30. b
Conversio Israëlitarum ad Christum circa tempora proxima judicio, 39. a. b
Convocatio Conciliorum an ad Papam an ad Imperatorem pertineat, 177. a
Copronymi gesta crudelia, 344. 1. a. Infelix illius exitus & testamentum, ibid. d
Core. Vide Hæretici.
Corinthiorum errores, & de quibus ad eos scribit D. Paulus, 54. a. & seq.
de Christi Corporis festo celebranddo, 465. 2. Q
Corpus compactum & connexum, de quo D. Paulus, quodnam intelligendum, 58. b
in Corpore nihil sequitur nisi quod præcessit in capite, 292. b
Correctionis modus pro ratione peccati adhibendus, 57
Correctio fraterna an se extendat ad Papam, 97. b. & ad alios Prælatos, ibid.
de Correctione excessuum, 418. 2. d. e
Creati quomodo tribuatur Verbo & Spiritui sancto, 158. b. & seq.
de Creatione simulta ex mundi & Angelorum, 430. 1. a
Creaturæ quotquot sunt omnes ad laudandum Deum invitatæ, 54. a
Creaturæ cuilibet an præsint custodes Angeli, 115. b
Creaturæ ad Deum obligatio, 743. 2. c. & seq.
Credendum quid sit ex necessitate salutis, 288. b
aliud pie Credere, aliud de necessitate salutis credere, 289. a
Crines calamistrati quam strictè prohibiti, 342. 2. a. b
Crux Christi fons est omnium benedictionum spiritualium, 57. a
Crux altare Christi super quod fieric statione difficillima, 59. a
Crux in Trisagio non apponenda, 342. 1. e
Crucis figura in pavimento non facienda, 340. 2. e
sub Crucis arbore redempta Ecclesia & à lapsu peccati erecta, 16. b
de Crucis signo quo se signant Christiani, 74. a
in Crucis verbo quinam pereant, 28. b
de Cultu Dei interno, 242. 1. d. quod sit in minoritate situs, ibid. 2. e. Cultus summus quis sit, 243. 1. d
Cultus Imaginum respectivus, 358. alias 348. 1. d. e. 354. 1. a
cum Cura annexa duo beneficia non habenda, 422. 2. d
Curatorum jurisdictio unde & qualis, 435. 1. d.
Curati, minores Ecclesiæ Principes nuncupati, 98. a.
Curatorum jurisdictio, unde & qualis, 435. 1. d
Curatus proprius quis, ib. 2. e
Custodum Angelorum indefessa sollicitudo, 115. b
de S. Cypriani Concilio, in quo de rebaptisandis iis qui ab Hæreticis sunt baptisati, 210. a. & b.
Cypri Ecclesia, Metropolis, 337. 2. D
de D. Cyrillo quædam notanda & quam male habitus in Concilio Ephesino, 228. a. & b. contumeliosè dictus Ægyptius, 229. a. adversus illum & illius anathematismos Orientalium relatio, Ibidem. Illiusmet Ephesini Concilii mandatum ad ipsum D. Cyrillum à condemnatione ac depositione liberandum, Ibidem b. Cyrillo Imperatores addicti. Ibidem D. Cyrilli innocentia, 230. b
Cyrillus Cœlestini Papæ in Concilio Ephesino Vicarius, 233. 2. b. 234. 2. d
Cyrilli de duplici in Christo voluntate locus, 297. a. 2. e. 298. 1. a. 304. 1. d
D. Cyrilli epistola ad Nestorium missa, 220. b. & seq.
de Cyrilli Alexandrini & Ioannis Antiocheni discordia, 208. b. 230. b
Cyrus solvens captivitatem populi Israëlitici, typus Christi liberantis homines à peccato, 55. b

D

Dæmonis in Christum odium, 122. a
Dæmoni quid sit maximè studiosum atque officiosum, 318. 2. e

Dæmon non fine ordine veritatem catholicam in Symbolo contentam oppugnans, 112. ab
Dæmones in hoc aëre habitantes, eorumque diversa ministeria, 59. a
Dæmonum nonnullæ synodi, 116. a
Dæmon hostis redemptionis, 332. 1. b
Dæmoniacum se fingentis pœna, 359. 2. d
de Damnatione alicujus facilè non est judicandum, 288. a
Dan. Vide Antichristus.
Dan, urbs eadem ac Paneas, vel Cæsarea Philippi, 125. b
Danielis prophetiæ idæa, 38. a. b
David inter omnes manifestior Christi figura, 9. a. & b
David in suis persecutionibus prævidens persecutiones quas passurus erat Messias, 46. b. Vide Psalmi.
David quem sibi finem proposuerit in conscribendis Psalmis, 18. 2. Vide Psalmi.
Decepcionis impudentia verbo recto imprimitur, 364. 1. c
Decimas si à Clericis exigat Papa, an teneantur dare, 97. a
Decimas Ecclesiis ob venientes qui variis artibus subtrahere moliuntur, non sunt ferendi, 709. 1. d
in Decimarum fraudem prædia aliis excolenda non debent dari, 416. 2. B
Decimas ante tributa solvendæ, 416. 2. c
Decimæ de terris acquirendis nonobstantibus privilegiis dandæ, 426. 2. d
Decimas propter pactum aliquorum non debet amittere Presbyter parochialis, 426. 2. e. & seq.
Declaratio an sit additio, 541. 2. e. Vide Additio.
Decretalis in Concilio Lugdunensi 11. promulgata, 451. 2. d. e. & seq.
ad benè Definiendum media necessaria, 77. b
Definitio Ecclesiæ est conclusio fidei, non scientiæ, 78. a
Deifer non dicendus Christus, 214. a
de nomine Deiparæ plura, 240. 2. a. & seq.
Deiparæ vocem usurpantibus anathema dictum à nonnullis hæreticis, 204. a
Delectatio sola an possit esse damnabilis, 815. 1. b
Delegare ubique Confessarios an possit Papa, 605. 1. b
Delegare an possit à Papa qui audiat confessiones fidelium irrequisitis propriis sacerdotibus parochialibus, 91. 2. b
Delicta quædam quæ cum morte non extinguuntur, 287. a
de Denunciationibus Matrimonii, 693. 2. c. & seq.
Descensui Christi ad inferos quam infensi sint hæretici, 108. a
Desideratus cunctis gentibus cur vocetur Christus, 40. b
Desideria prava quibus ratio non consentit & homo invictus patitur, an sint prohibita præcepto *Non concupisces*, 761. 1. e. & seq. 2. c. d. & seq. 771. 1. b
Deus quomodo sit unus numero, 160. a
de Dei cultu interno & externo, 242. 1. d
ad Dei gloriam quæcumque fiunt, Deo displicere non possunt, 358. al. 348. 2. a
Deus unus in essentia, trinus in personis, 415. 2. d
Deus cum sit ignis quæ de Deo sciri prodire expedit, debent esse ignea, 30, a
nomen, Deus, sumptum multiplicit er, 16
Deus per Christum agnitus, 47. b
Dei via ut veniat ad hominem, 27. b
in Deuteronomii libro quid describatur, 6. b
Dextrum latus an sit nobilius sinistro, 295. a
Diabolus propter malitiam draco, propter versutiam serpens, &c. 68. b. nescit qui sint electi aut præsciti, ibid.
Diaconi quibusnam conditionibus ordinandi, 690. 1. e
de quibus Diaconibus loquatur liber Actuum Apostolorum, 535. 2. a. b
de Diacono in aulam mittendo pro Episcopi negotiis, 188. a
Diaconi non debent sedes loco honoratiori quam Presbyteri, 334. 1. d
Diaconis an liceat Eucharistiam porrigere, 170. b
Diaconi à quo ordinandi, 135. a
de Diaconissis quæ ex bonis Ecclesiæ publicis alebantur, 170. 2. & b
de Diademate quo Salomonem coronavit mater sua, 123. a
Dierum in Scriptura sacra multæ trinitates, 123. b
Dies malorum triplex, 22. a
Dies mali de quibus D. Paulus, quinam sint, 58. b. 59. a
tria Difficilia de quibus Salomon, quænam sint, 27. a
Diffidentiæ filii de quibus D. Paulus, quinam sint, 57. b. 58. a
de Digamis in Clerum non admittendis, 101. a
de Dignitatibus in Ecclesiis præsertim Cathedralibus instituendis, 697. 2. e. & seq.
Dignitatem non potest præbere qui dignitatem non habet, 393. 2. C
Dignitatis æqualitas non unit naturas, 221. a
Dii de quibus in Psalmo 81. quinam sint, 27. b
Dii fortes terræ quinam sint, 24. a
Dilectione quæ per fidem est ad Deum, nihil propius ad Deum pertingit, 319. 2. d
Dilectionis quos Dominus habuerit imitatores, eos faciet participes æternitatis, 32. b
Dimensiones Dei, 58. 2. b
de Dimissoriis Episcopi, 335. 2. a
Dionysius præfectus prætoria, 219. a
Dionysii Arcopagitæ de duplici in Christo voluntate locus, 197. 2. d
contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum & Eutychem Abbatem, habitum Concilium Chalcedonense, 244. 2. b. & seq.
Dioscorus de multis accusatus, 247. 2. b. & seq. privatus Episcopali dignitate, 248. 1. a
Dioscori tergiversationes, accusationumque in eum capita, 251. 2. a. b. & seq.
Disceptatio vocalis an erit in extremo judicio, 801. 2. a
Dispensare. Vide Votum.
Disputationes Christi variæ cum hominibus, mulieribus, Discipulis, Pharisæis, &c. ut omnes lucrifaceret, 44. a
Disputationes periculosæ, 192. b
Disputationis callidæ atque fluctivagæ argumenta scopulosa, intra tela piscatorum collesa, 310. 2. b
Divina omni mole corporis carent, 221. a
Divinitati unita caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, discretè atque inconfusè, 309. 1. d
Divisio Apostolorum quo anno post Christum contigerit, 131 b. 133. a. b.
Divites mali, 24. a
Divitiæ Ecclesiæ, 396. 1. b

INDEX

Docere. Vide Vox.
Docere publicè an liceat Laico ; 540. 1. d
Doctorum concordia in Cantico Canticorum præsignificata, 14. b
Doctori nan minus honorificum est ministerio suo tradita custodire, quam propria subministrare, 217. b
Doctores cum Ecclesia recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debent Catholici, 289. a
Doctrina quid profit in Conciliis, 79. b.
Doctrina rigida in multa fluenta à Christo divisa, 30. b
Doctrina illius despicitur cujus vita contemnitur, 55. a
Doctrina lacti comparata, 59. a
de M. Ant. de Domini, 81. b. illius errores à sacra facultate Parisiensi damnati, 82. a. b. *& seq.* & quinam illi, *Ibid.* & 84. b
Dominium in Christo quatenus fuerit, 470. 1. a
Dona quænam hominibus dederit ascendens in cœlum Christus, 58. b
nomen Doni an rectè attribuatur Spiritui sancto, 155. b. 159. b
per Dona quæ nec data nec accepta sunt secundum Deum, Christianitas corrupta, 460. 2. b
Dormire & cor vigilare quid sit, 15. a
Draco pro dæmone Ecclesiam persequente, 67. b. 68. b
Ioann. Driedo insignis Theologus, 621. 2. a
de Druidibus Gallorum sacerdotibus, 78. a
Druidæ Gallorum gentilium olim sacerdotes, 189. b
Duelli judicium Clericis prohibitum, 421. 1. a
Duo in unum condita, & quænam sint, 31. a
Durandi sententia circa Episcopi potestatem in sua Diœcesi, 434. 2. d
Durandus Episcopus Mimatensis, dictus Speculator, 455. 1. a
Durandi de Confessionibus audiendis sententia, 434. 2. d
Duris dura debetur responsio & ultro, 226. a
Andr. Duvallius Theologicæ facultatis Parisiensis decanus, ejusque de suprema Romani Pontificis authoritate Tractatus, 491. a. d. quid senserit de Immaculata Conceptione, 514. 1. a
Duvallii tractatus contra Vigorium Iurisconsultum, 620. 2. c
Dydimus in Synodo Constantinopolitana 2. damnatus, 290. a
Dydimi error, animas ante corpora esse productas, 309. 1. a

E

EBrietas Clericis sub interminatione prohibita, 140. a
Ecclesia sponsa Christi dilatat palmites suos per universum fœcunda multitudine prolis, 32. a
ab Ecclesia quidquam auferentis pœna, 144. b
de in Ecclesiis institutendorum idoneitate, 425. 1. a
Ecclesiam Dei esse unam, 182. a
in Ecclesia an sint alii prælati à Papa necessarii, 89. b
cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debent Catholici, 289. a
Ecclesiæ Romanæ jura violata, 360. 2. a
Ecclesia an possit errare in iis quæ ad particularia facta pertinent, 289. a
Ecclesiæ bona cujusnam sint, 97. a
adversus Ecclesiam quæ suscitaturus Dæmon prælia ultima, 67. b
de Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis, plura & notanda, 698. 2. a. *& seq.*
Ecclesiæ fœda facies, à propriis, non ab alienis vastata, 181. b
Ecclesiæ privilegia, 27. b. 28. a
de Ecclesiarum exemptione, 408. 2. a
Ecclesia catholica nunquam defecit in fide, 297. a
Ecclesiæ universalis authoritas in determinatione fidei, an in Papa principaliter resideat, 95. a
Ecclesia. Vide Regnum.
Ecclesiæ interior pulchritudo & celeritas, 13. b
ad Ecclesiæ unionem quid requiratur, 87. b
Ecclesiæ determinatio, vox est divina, 76. b. Vide Scriptura.
de Ecclesiæ authoritate quænam fuerit mens D. Augustini, 86. b. & D. Thomæ, 87. a. b. 88. a. b. *& seq.*
vox Ecclesiæ explicatior & manifestior quam Scripturæ sacræ, 79. b
Ecclesia militans à triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur, 38. a. Vide Caput.
Ecclesiæ ad ferendas leges potestas, 736. 2. a. *& seq.*
Ecclesia cathedralis vel regularis ultra tres menses non debet vacare, 422. 1. b
Ecclesiæ status nunquam magis concutitur, quàm per Antipapas, 607. 2. c. *& seq.*
Ecclesia non inferior Synagoga, ut hæc summum Sacerdotem habuit, sic & summum Pontificem habet jure divino, 48. b
Ecclesiam judicem recusare est, hæreticum, 721. 2. d
Ecclesia, fortis mulier, 12. a
Ecclesia, corona Christi ex vivis lapidibus constans, 21. a
Ecclesia an credenda & agenda non habeat nisi quæ in Scriptura sacra continentur, 73. b. *& seq.*
Ecclesia an sit prior scriptura sacra, vel secus, 3. b. 4. a
Ecclesia seculari potentia non pervadenda, 138. b
Ecclesiam ut non erret Spiritu sancto dirigit divina providentia, 188. b
Ecclesiæ mundanis supellectilibus non exornandæ, 421. 2. a b
de Ecclesia plura & notanda, 14. a. *& seq.*
Ecclesiæ universalis judicium errare in iis quæ ad fidem pertinent, est impossibile, 281. b
Ecclesiæ divitiæ, 396. 1. b. c
Ecclesiastici liber cur sic dictus, quænam illius partitio, & quid habeat de Christo, 17. b
de Ecclesiastis libro, 11. a
Ecclesiasticorum negotiorum cura Episcopis demandata, 139. b. 140. a
Ecclesiastici à propria Ecclesia recedentes, in alia non recipiantur, 170. a
super Egenum & pauperem intelligere quid sit, 23. b
Egressus Christi è mundo dolorosus, & quæ ad eum spectant, 44. a
Eleazarus summus Iudæorum Pontifex. Vide Iosue.
Electio per dolosam & machinosam conspirationem celebrata, 430. 1. a. b
Electio per scrutinium, vel per compromissum facienda, 422. 1. c facta per sæcularem potestatem, an valeat, *ibid.* c
de Electionem indignè confirmantis pœna, *Ibidem & seq.*
de Electione quorundam ad salutem, 51. b. 52. a. *& seq.*
de Electionibus longe plura, 422. c. *& seq.*

de Electione Papæ, 405.1.e. & *seq.*
ad Electos in extremo judicio tria Christi suavia verba, 820.1.b.c
Elias quasi viva & spirans Christi imago, 9.b
Elias cùm venerit quomodo restituet omnia, 45. a
Elibertini Concilii rigor circa morientes, 169.b
Eliphilus, libri ab hæreticis emissi nomen, 111. a
Elizabetha Angliæ regina Tridentino Concilio infensa, 118. b
Elizæus à pueris insultantibus irrisus, Christi in Calvaria à Iudæis irrisi typus, 9. b
Emmanuel dum unus est & Deus & homo, quæ divinæ & humanæ sunt naturæ, naturaliter gessit, 307 1. e. 308. 1. a & *seq.*
Emmanuelem secundum veritatem esse Deum, 212. a
de libro Enoch de quo & in Epistola S. Iudæ Apostoli, 65 a
Enthusiastæ hæretici unde sic dicti, 218. b
ad Ephesinam Synodum Theodosii & Valentiniani Imperatorum epistola, 226 b. & *seq.*
Ephesina Synodus hæretica à Pelagianis dicta, 230. a. illius ad Imperatores Theodosium & Valentinianum de Nestorii depositione relationes, 230. a. b. & *seq.*
in Ephesina Synodo notanda dissidia, 228. a. b. 229. a
Ephesinæ Synodi mandatum ad suos legatos Constantinopolim proficiscentes, 229. b
Ephesina secunda Synodus damnata, 247. 1. a
Ephesina Synodus à Nestorianis nunquam habita fuit pro legitima & generali, 289. 2. e
Ephesina Synodus prædatoria, 78. b
ad Ephesinam Synodum Theodosii & Valentiniani Imperatorum Epistola, & Synodi ad illos responsio, 232. a. b. & *seq.*
Ephesinæ Synodo illata contumelia, 237. 1. d. de ea quædam controversa, 238. 2. a
Ephesinum Concilium contra Nestorium alioſque hæreticos, 202. b. & *seq.* cur dictum Marianum, *Ibid.*
Ephesini Concilii secunda pars, 220. b. & *seq.*
ad Ephesios epistola quid contineat, 57. a
Epiphanii [illegible] Episcopi de duplici in Christo voluntate & operatione, locus, 304. 2. b
ad Episcopatum suscipiendum an possit cogere summus Pontifex, 90. b
Episcopus quomodo ordinandus, 235. a
Episcopi commissum sibi populum debent docere, 336. 1. a. non verò in aliena civitate, *Ibidem* b. c
Episcopi ad sedem Romanam appellantis loco alius non ordinandus, 186. b. 187. a
Episcopus à vicinæ Provinciæ Episcopis quo casu ordinandus, 187. a
Episcopus extra suam Ecclesiam non potest ordinare, 219. b
de Episcopi à propria civitate expulsi jurisdictione, 464. 1. a. & *seq.*
Episcopi membra Romani Pontificis dicti, 200. a. 201. b
Episcopus an possit curam Episcopalem deserere authoritate solius Papæ, 93. b
Episcopi defuncti spolia successori servanda, 337. 1. e
de Episcopi eligendi quoad corpus qualitate, 145. a. & *seq.*
Episcoporum judicialis condemnatio, 144. a. b
Episcoporum potestas circa Sacramenta, 419. 2. e. per se debent prædicare, 420. 1. a
Episcopos ex omni gente non convenire nisi in Conciliis Catholicis generalibus, 78. a. b
supra Episcopos an aliquis dandus sit superior in Ecclesia, 87. b. 88. a
sine Episcopi licentia Clerici intra domos non baptisent, 337. 1. a
qui Episcoporum catalogo ascriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere, nefas est, 226 b
Episcopi urbe Episcopali privati, an sua amittant privilegia, 337. 2. b
Episcoporum sex officia de quibus Timotheum & Titum instruit Apostolus, 59 a. b
de Episcopi in Parochiis suæ Diœcesis potestate, 433. 2. e. & *seq.*
de Episcoporum post Patriarchas & Primates ordine, 100. a
de Episcoporum qualitatibus, 405. 1. c. d. & *seq.*
Episcoporum authoritas, 397. 1. c
Episcopus accusatus & indicatus à Comprovincialibus, an possit adire summum Pontificem interjecta appellatione, 180. b
Episcoporum Europæ authoritas, 218. b. 219. a
Episcopi Clericum alienum suscipientis pœna, 137. b
de Episcopi à propria Civitate expulsi jurisdictione, annotatio, 464. 1. a
in Episcopis accusandis quinam ordo sit servandus, 196. b. 197. a.
Episcoporum potestas circa sacramenta, 412. 2. e
de Episcopis non receptis, 139. a
de Episcopis item plura, 375. 1. a. & *seq.*
Episcopi à propriis uxoribus debent secedere, 334. 2. d. e
plures Episcopos in una civitate esse non debere, 167. b
Episcopi uxor in Monasterio reponenda, 338. 2. e
Epistolæ Catholicæ cur ita dicantur, 62. b. cur & Canonicæ, & quotnam sint, *ibid.*
in suis Epistolis quem scopum habuerit D. Paulus, 50. a
per Equos Imperia & Imperatores designati in Apocalypsi, 96. a. b
Errorum tria genera quæ se in Conciliis observasse fingunt hæretici, 111. b
Error magistri tentatio populi. 289. a
Esaü. Vide Iacob.
Esdras. Vide Ezras.
Esdras liber canonicus, & quid in eo referatur, 8. b
Essentia sive natura, quam difficilè distinguatur ab hypostasi, seu persona, 239. 1. b
Essentiarum differentiam ex differentia operationum, insitum est comprehendere, 308. 1. b
Esther & illius historia, 8. b. 9. b
Et copulativa pro *vel* disjunctiva, 47. a
Ethica. Vide Iudæi.
Evagius in Concilio Constantinopolitano notatus, & à Hieronymo notatus, 290. a
Evagrii error, animas ante corpora esse productas, 309. 1. a
Evangelium breve est & prolixum, amplum & magnum, rursusque compendiarium, 44. b
Evangelii prædicatio in Psalmo, 147. præfiguratæ, 34. a
Evangelia cum cruce: 383. 2. d
Evangelia, prima & nobilior pars Novi Testamenti, 42. b. an inter se consentiant quatuor Evangelia, *ibid* quare quatuor, *ibid.*
Evangelium secundum Thomam à Manichæis invectum, 360. 2. a
Evangelia sive singillatim, sive conjunctim spectata, in capita quatuor divisa, 43. a
Evangelicæ voces de Christo, tam secundum divinitatem, quam secundum humanitatem, uni illius personæ adaptandæ, 213. b. 214. a. 222. b
Evangelicæ historiæ cur in Templis pingantur, 338.

aliàs, 348. 1.a.
Evangeliſtæ per quatuor animalia ſignificati, 42. b. 43. a. illorum ſcopus, 42. b. de illis iterum plura & notanda, *ibid. & ſeq.*
in iis quæ Evangeliſtæ narrant de Chriſto, an ſolum ſit ſpectandus ſenſus litteralis, 44. b
Sacramentum Evangeliſtæ ſagittæ Dei, 20. b. 24. a
Euchariſtia. Vide Bonum, Sion.
Euchariſtia ſub ſera conſervanda, 421. 2. c
Euchariſtia mortuis non danda, 341. 2. c
circa Euchariſtiam Corinthiorum olim error à D. Paulo refutatus, 54. b. 55. a
Euchariſtiæ ſacrificium Deo fore gratiſſimum, prædictum à Malachia propheta, 41. b
Euchariſtia quo tempore à Chriſto inſtituta, 603. 1.a. *& ſeq.*
pro Euchariſtiæ adminiſtratione nihil exigendum, 336. 1. d
de Euchariſtia in extremis danda, 769. b.
ad Euchariſtiam quo geſtu oporteat accedere, 341. 2. e
de ſacroſancta Euchariſtia, 597. 1. b. c
de Euchariſtia & pane azymo, 602. 2. c. *& ſeq.*
de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, 105. 2. *& ſeq.* 107. 2. *& ſeq.*
Euchariſtia in Pſalmo 22. deſignata 21. b
circa Euchariſtiæ Sacramenti diſpenſationem Eccleſiæ poteſtas, 680 1. e
Euchitæ. Vide Euthuſiaſtæ.
Euchitæ ab Eſſæis propagati, 218. b
Eudoxiani hæretici quinam fuerint, 195. 2. b
Eugenii Papæ decretum, quo continetur inſtructa Armenorum, & eorum unio cum Eccleſia, an ſit pars Concilii Florentini, 602. 2. a. ad eundem Papam Æthiopum litteræ, *ibid* c
ad Eugenii Papæ decretum de Concilio Florentino, additamentum, 606. 1. c. 2. a. *& ſeq.*
Eunomius vir corpore & animâ leproſus, & interius exterioſque morbo regio correptus, 191. b
Eunomii hæretici de Spiritu ſancto ratiocinium, 569. 2. b. 570. 1. c. artificioſi ac ſophiſtici ſermones, 575. 1. d
Eunomius anathematiſandus, 283. b
Eunomiana hæreſis cur damnata, 107. b
Eunuchus quibus caſibus admittatur & non admittatur ad Epiſcopatum, 138. a
de Eunuchis & iis qui ſeipſos abſcindunt, 165. b
S. Euphemiæ templum, Concilium Epheſini locus, 246. 1. d
de ſancta Euphemia hiſtoria dubia, 252. 2. d. e. 263. 2. d
Euphemii Anthiochiæ Epiſcopi, de duplici in Chriſto voluntate & operatione locus, 304. 2. b
Europæ Epiſcopi ſingulatim alios ſub ſe habuere Epiſcopos, 218. b. 219 a
Euſebii Nicomedienſis Epiſcopi pœnitentia, 175. b
Euſebii de damnatione Arii & Arianorum in Concilio Nicæno, nullam mentionem facientis, calliditas refutata, 179. b
Euſebianorum facta crudelia, 190. b
ab Euſtathio Cæſina hæreſis renovata, 107. b
Eutichetis Abbatis caſus & errores, 67. a.
Eutyches imperitus aſſeritur, 260. 1. b. c. myſterium Redemptionis impugnat, 261. 2. d. obſtinatus, 262. 1. b
de Eutyche & Eutychianis, 290. b. *& ſeq.*
Eutychetis delirans inſania, 317. 2. a. b
Eutyches deſipiens, & ignorans. 306. 2. c d. *& ſeq.*
Eutyches anathematiſandus, 283. b
Eutychis errores in Chalcedonenſi ſynodo damnati, 90. a
Eutychianos ex mala intelligentia vitæ ſpiritualis aberraſſe, 191. a
Euzoii & Arii epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, 177. b. 170. a
non Exaltaſſe cur ſuum, cui proprìè competat, 52. a
de Examine Graduatorum, 619. 2. b. *& ſeq.*
ſine Examine non conſtituendi Presbyteri, 168. a
injuſtè Excommunicantis quænam ſit pœna, 425. 2. d
Excommunicationis ſententia quomodo ferenda, 425. 1. b
Excommunicatione abutentes quidam Archidiaconi, rurales Archypresbyteri & Decani, 458. 1. c
Excommunicationis abuſus, 458. 1. c
in Excommunicatione forma ſervanda, 442. 2. d
Excommunicationis ſententia quomodo promulganda, 425. 1. b. c
Excommunicatio non ſemper ligat, 488. 2.
Excommunicatio impropria & ſecundum quid, 287. a
Excommunicatio ſolemnis, 442. 2. c
in Excommunicatione forma ſervanda, *ibid.* 2. d
Excommunicationis gladius Eccleſiaſticæ diſciplinæ nervus, & quam ſobriè quantaque circumſpectione ſit exerendus, 708. 2. c
de Excommunicatis Clericis qui finitimos Epiſcopos interpellant, apud eos audiendis, 179. a. b
Excommunicati an ſint ubique vitandi, 166. b
Excommunicati quinam vitandi, 487. 1. c
de Excommunicatis vitandis, 136. b. 137. a. 137. a
Exiſtentia tantum unica an detur in Deo, an verò plures, 152. a
in Exodi libro quid deſcribatur, 6. b. Catechiſmus quidam eſt Religionis Chriſtianæ, 7. b
Exomologeſis Eccleſiæ primis temporibus varii ritus, 103. a
Expectatio gentium quidnam ſit, 6. b
Ezechiæ regis pietas in ipſomet primo regni ſui exordio, 118. a
Ezechielis prophetæ tres partes, 37. a. b. quomodo legendæ, *ibid.* a
Exras ſacerdos. Vide Scriptura.

F

Facies non invocanda niſi in homine, 21. b
Fauſtus Manichæus cur Evangelium D. Ioannis corruptum dixerit, 47. a
Felix V. Antipapa, & de eo nonnulla, 498. 1. b. *& ſeq.*
Felix Papa V. creatur, 515. 1. c. Vide Amedæus.
Ferdinandus Imperator ſe Ferdinandum à ſe Imperatore diſtingueus, 118. b
Feſta qualiter à fidelibus celebranda, 340. 1. c. 2. a
Feſta gentilium non celebranda, 340. 1. b
Feſtis diebus quo caſu à carnibus & vino non ſit licitum abſtinere, 141. b. 144. a
Feſtorum in obſervatio notata, 458. 1. a
Ficulneæ non habentis fructus maledictio quomodo intelligenda, 45. b
Fidei catholicæ profeſſio per Damaſum Papam miſſa, 199. 2. b
Fidei actus duplex, 429. 2. a
ad Fidei actum generandum quid ſit neceſſe, 78. a
Fide nihil ſublimius ad lætandum, 263. 1. c
Fidei novos articulos an poſſit facere Papa, vel editos removere, 94. b
de fide viva in Chriſtum, 49. b. 50. a
Fides vera tunc fructuoſiſſimè defenditur, quando etiam à ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur, 262. 1. c
Fides viva, cui bona virtutum opera ſuperſtruantur, 64. a
Fides non contrariatur vero, 609. 1. c
Fidem ſequenti non ponenda plura quam quæ veritas fidei requirat, 430
circa res Fidei authoritas Eccleſiæ, 452. 1. c
Fidem ſuam nemo vetatur explicare, 547. 1. c. 2. c
Fidei ſinceritas quomodo debeat retineri, 220. b
in rebus Fidei an nulla ſit certa definitio extra Con-

cilia generalia; 84. b. *& ſeq.*
Fidei Chriſtianæ quanta ſit neceſſitas, 131. a
Fides ſola Chriſtianorum ſubſtantia, 199. 1. c
ad Fidem præparatio, 12. a
Fides in Chriſtum, ſeminarium omnis boni meriti, 56. b
in iis quæ ad Fidem pertinent errare judicium Eccleſiæ, impoſſibile eſt, 188. b
Fidem ſequenti non ſunt ponenda plura de fide, quàm Fidei veritas requirat, 430. 1
in Fide nunquam defecit Eccleſia Catholica, 297. a
de Fide Catholica, 415. 2. c. d. *& ſeq.*
Fidei qui quippiam appoſuit, vel ex ea quippiam ſuſtulit, anathemate dignus, 225. b
Fidei ſimplicitas quantam habeat virtutem, 163. a
Fides Chriſtiana pluribus diviſionibus ſciſſa, 621. 2. a
in Fidei propoſitionibus definiendis, tribus Eccleſia uti ſolet Regulis. 514. 1. b
de Fide Catholica Viennenſis Concilii ſecundi Canones, 461. 1. b. c. *& ſeq.*
bona Fides multos excuſat, 488. 1. b
Fidejubere, an Clerico ſit peccatum, 137. b
Filium à ſubſtantia & divinitate Patris ſeparantes, ſeparari ab Eccleſia Catholica convenit, & alienos eſſe à nomine Chriſtiano, 184. b
per Filium ſine additamento quis intelligendus, 19. b
de Filio in divinis Fides catholica, 185. 2
per Folium intelligitur verbum, 18. b
de particula *Filioque* omiſſa in Epiſtola Agathonis & Conc. Rom. 199. 1. c. 2. a
Filii in divinis proceſſio cur ſit generatio, 149. 2
de illius perſona, 153. b. *& ſeq.*
Filii Dei & Filii hominum diverſis uſi ſymbolis, 132. a
Filii hominum de quibus in Pſalmo 48. quinam ſint, 123. b
de Fine hominis controverſia multoties agitata, 69. a
Flavianus Antiochiæ Epiſcopus, 200. b
Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Leonem Papam Epiſtola, 259. 1. d. e. *& ſeq.* & ad eum illiuſmet Papæ reſponſio, 260. 1. a. b. *& ſeq.*
Florentinum Concilium præſente Ioanne Palæologo Conſtantinopolitano Imperatore, 514. 2. b. *& ſeq.* illius Acta, 516 1. c. *& ſeq.* Ferrariam tranſlatum, 517. 1. a.
Florentinum Concilium conforme Baſileenſi quoad primatum Papæ ſupra Concilium, vel Concilii ſupra Papam, 541. 1. c. d.
Florentiam tranſlatum ob peſtem Ferrariæ graſſantem, 552. 2. a. *& ſeq.*
circa Concilium Florentinum quædam controverſa, 598. 2. d. e. *& ſeq.*
Fontes aquarum qui apparuerunt & de quibus in Pſalm. 17. quinam ſint, 20. b. 25. a
Forma utraque in Chriſto agit quod ſibi proprium eſt, cum alterius communione, Verbo operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt, 315. 2. a
Formatæ. Vide Literæ.
de Formoſi Papæ actis abrogatis & receptis, 111. a
Fornicatio non adeo magnum malum à Corinthiis exiſtimata, quod refellit D. Paulus, 54. b
de Foro competenti, 463. 1, e. *& ſeq.*
Fortitudo ſacerdotibus convenit, 238. 1. a
de Franciæ beneficiis Concordatum, 611. 1. d. e
Franciſcus I. Franciæ Rex, Vide Leo X. ſummus Pontifex.
de Francofordienſi Synodo, & an ſit legitima, 110. b. 111. a
in Francofordienſi Concilio an ſit reprobata ſeptima Synodus, 381. 1. c. d
Frapaulus. Vide Petr. Suavis, vel Paulanus.
Fridericus Daniæ Rex de Concilio Tridentino parum ſollicitus, 218 b
Fridericus Imperator. Vide Lugdunenſe Concilium primum.
Friderici Imperatoris excommunicati ira & furor, 442. 2. c. 443. 1. a
Fulgura Dei quænam ſint, 20. b
Fures cur dicantur qui venerunt ante Chriſtũ, 47. a. b
Fures & latrones de quibus Chriſtus in Euangelio, quinam ſint, 753. 1. b. 2. b. c
Furti ſubſtantia & delectatio in actu peccati, 813. 1. d

G

GAlatæ per D. Paulum ab errore revocati, 55. a. b
in Gallia ſacerdotii Chriſtiani quantum vigeat religio, 89. b
Gamalielis conſilium de quo in Actibus Apoſtolorum, 49. b
Gaudii cæleſtis contemplatio, finis Sinagogæ, ſicut & omnium hominum, 39. b
Gedeon figura Chriſti, 8. b
à Genealogia Chriſti cur D. Matthæus ſuum incœperit Evangelium, 44. b. quomodo conveniat cum D. Luca qui plures quàm ille Chriſti proavos refert, *ibid.* & 45. a
Genebrardus Origenis apologus, 289. a
Generatio an poſſit aſcribi divinæ ſubſtantiæ, 560. 2. d
Geneſis liber primus librorum ſacrorum; & quæ in eo notanda, 4. a. b. *& ſeq.*
Gentes omnes in Deum creditura, 124. a
Gentium vocatio per nivium vellera figurata, 34. a
Gentes quæ legis ſunt naturaliter facere, ex Apoſtolo, quomodo intelligendum, 750. 1. 2. *& ſeq.*
Gentiles bonæ olivæ Religionis rami adventitii & inſiti, 52. b. 54. a
Gentilitas prius ſterilis, jam fœcunda mater, 30. b
in Gentiliaco villa habita Synodus Romanos inter & Græcos, 111. a
Genua in die dominico cur non flectenda, 171. a
Genua cur flectebat Apoſtolus ad Patrem Ieſu Chriſti, 58. a
Genua diebus dominicis in Eccleſia flectere, olim vetitum, 98. b
Georgii hæretici lingua in Spiritum ſanctum ſacrilega, 317. 1. c. 2. a
Gerſonis Cancellarii Pariſienſis defenſio, 486. 1. c. *& ſeq.* obitus, 487. 1. c
Glacies. Vide Chryſtallus.
Gladium cur venerit Dominus mittere in terram, 34. b
Gladio bis acuto verbum fidei ſimilatur, 319. 2. c
Gloria Chriſti ad judicium extremum deſcendentis, 28. b
Gloria Dei in quo ſita ſit, 791. 1. a
Gloria primus gradus eſt domum divinæ miſericordiæ, 51. b
Glorificationis Dei deſiderium, 20. b
de Gradibus matrimonium contrahendum impedientibus, 694. 1. c. Vide Matrimonium.
Graduatorum quale eſſe debeat examen, 619. 2. b. *& ſeq.*
de Graduatis qui ſunt Nobiles, 611. 2. e
Græci à ſexta Synodo refutati, 545. 1. 2. b. *& ſeq.*
Græcorum adverſus Spiritus ſancti proceſſionem ex Patre & Filio, argumentum, ejuſque vis quænam ſit, 539. 1. d. e. *& ſeq.*
Græcorum à Romana Eccleſia diſceſſio quando contigerit, 446. 1. d. e
Græcorum fidei profeſſio, 448. 2. d
Græci profitentur fidem ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, 450. 1. a. Illorum ſacramenta, *ibid.* b
Græcorum cum Latinis conſenſus circa Euchariſtiam, 602. 2. c. d. *& ſeq.*

Græcorum plures errores in Florentino Concilio non examinati, 599. 1. b
Græci ad Concilium Tridentinum vocati, 795. 2. d. e
Græci inter ſe diviſi in Concilio Florentino, 582. 2. c. 588. 1. 2. 593
de Græcorum ſchiſmate plura & notanda, 446. 1. e. & ſeq. Illorum fidei profeſſio, 648. 2. d
cum Græcis conſpirant Calviniſtæ, 434. 1. b
Græcus Preſbyter ſchiſmaticus an validè poſſit abſolvere ſuos ſubditos, 487. 1. a
de Græcorum contra Latinos ſuperbia, 418. 1. 2. & ſeq.
Græci. Vide Latini.
Græci cum profeſſione fidei Latinorum petunt in Concilio Lugdunenſi II. ut illis liceat ſuo ſymbolo & ritibus uti, 449. 2. c. profitentur fidem ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, 450. 1. & 2. 2. Illorum ſacramenta, *ibid.* b. Vide Spiritus.
Græcorum adverſus Latinos querimonia de additione ad Symbolum, 525. 2. c
Græci vocati ad Concilium Lateranenſe III. 410. 2. c
in Græcorum de Spiritu ſancto hæreſim notandum dictum, 223. b
adverſus Græcos terribile Dei judicium, 514. 2. c. de iis iterum, *ibid.* & ſeq.
de Græcorum ordinationibus plura & notanda, 605. 1. c. d. & ſeq.
Græcorum Patrum de Spiritu ſancto authoritates, 453. 1. b. c
Græci, quantum Latinis in feſti, 418. 1. b. eorum unio cum Rom. Eccleſ. *ibid.* c
de Græcorum ſacerdotum cœlibatu & uxoratu, 330. 2. a. & ſeq.
Gratia cur ſic appellata, 462. 1. c
de Gratia ſufficienti Ordinum Religioſorum decreta, 769. 2. c. d. & ſeq. Vide Prædeſtinatio.
Gratia non datur omni momento, 806. 2. d. e. de ea iterum, 808. 1. b. & ſeq.
Gratias ſpirituales provenire ex mero Spiritus ſancti beneplacito, 55. a
de Gratia vel illuminatione ſufficienti, 47. a
Gratia ſanctificans à Bajo excluſa, 746. 1. d. & ſeqq.
Gratiæ ſupernaturalis neceſſitas ad meritum vitæ æternæ, 742. 1. c. 2. a. & ſeq.
Gratiæ nomine ſecundum uſum ſactæ ſcripturæ quid intelligatur, 745. 1. b
Gratia Philoſophica & Theologica, *ibid.* d
cum Gratia juſtificante nulla manent peccata, 29. b
Gratiam amitti per peccatum mortale, non fidem, 648. 1. b
Gratia univerſalis cur à principio erat in Chriſto, 113. a
de Gratia prima quæ datur ex meta miſericordia, 51. b
Gratiæ influxus interior non eſt ab alio quàm à Chriſto, 89. a
Gratia ſemper poteſt augeri, 467. 1. b
Gratia ſufficiens probata ex libris Novi Teſtamenti, 803. 2. c. & Veteris, 804. 1. b
Gregorius Nazianzenus. Vide Nazianzenus.
de D. Gregorio Nazianzeno plura & notanda, 192. 2. b. & ſeq.
Gregorii Nazianzeni de duplici in Chriſto voluntate locus, 298. 1. a
Gregorii Nicæni de duplici in Chriſto voluntate locus, 298. 1. b
Gregorius agnomento Deiloquus, 319. 1. e

H

HAbacuc Propheta quid de Chriſto prediterit, 40. 2. b
Habitus pravi in renatis relapſis in peccatum mortale, an ſint peccata, 770. 2. d. & ſeq.
Habitus vilior an deceat ſummum Pontificem, 97. a
Hæreſis ſub velamine majoris alicujus devotionis habere ſolet initia & progreſſus facere, 291. a
Hæreſeos damnati ſeptem ſimul Pontifices, 318. 2. e. & ſeq.
Hæreſis quantum malum & quam ſubtile, 191. b
Hæreſes prius à Papa quàm à Conciliis damnantur, 722. 1. a
ad Hæreſim detegendam interrogandi modus, 481. 1. 2. & ſeq.
Hæreſis gangræna Eccleſiam Hactenus depaſcens, 572. 1. c
Hæreſeon hujus temporis duæ cauſæ, 818. 2. b
Hæreſes noviſſimæ an per antiqua Concilia damnatæ, 98. b
Hæreſeon origo, 650. 1. d
ab Hæreſi redeuntes quomodo recipiendi, 197. a
Hæreſis non tantum in verbis, ſed etiam in rebus conſiſtit, 399. 2. e
Hæreſis turpiſſima & erubeſcenda, 58. b
Hæretici Catholicorum ſimiæ, & ſatanæ Chriſtum tentanti ut ſe è pinnaculo templi demitteret, ſimiles, 225. a
Hæretici turpitudinem erroris & fraudis rectis verbis prætexunt, 363. 2. e
Hæreticis proprium eſt mutilatas exquirere ſententias, 361. 1. e
cum Hæreticis orare non debent Clerici, 140. a
in Hæreticos anathema, 370. 1. e
Hæreticorum fere omniam quæ ſit petra ſcandali, 244. 1. e
Hæreticorum Incarnationis Chriſti myſterium confundentium & dividentium furor, 297. b
Hæreticorum notata inſcitia, 109. b. 110. a
Hæretici condemnati & anathematiſati, 417. 1. c
Hæreticorum ſtupiditas, 380. 1. c. d
Hæreticorum inſolentia, 511. 1. b
Hæreticorum ſimulata innocentia, 208. b
Hæreticorum imago in contentione jam tunc à primordio mundi erumpente, 152. a
Hæretici quam ſint maledici, 567. 2. c
Hæreticorum Concilia an ſint legitima, 81. 2. b
in Hæreticorum caſtris brevi multa comparatur utilitas, 184. a
Hæretici ad Eccleſiam revertentes qualiter ſuſcipiendi, 342. 1. c. 2. a
Hæreticos Conciliis reſiſtere, quam ſit abſurdum, 79. a
Hæreticorum clypeus adamantinus & umbo ferreus, 73. a
in Hæreticos veteris Eccleſiæ diſciplina & ſeveritas, 218. a
Hæreticorum res omnes & ſermones diſcutiendi, 218. b
Hæreſiarchæ per vulpes, hæreticorum diſcipuli per vulpeculas deſignati, 14. a
Hæreticis innatum nullam Synodum amplecti, niſi per eam vel jure, vel injuria obtineant quod cupiunt, 489. 2. e
in Hæreticorum damnatione; ipſos deſignando in ſpeciali, an poſſit errare Eccleſia, 289. a
Hæreticorum in Concilium Tridentinum dicteria, 726. 1. d
Hæreticorum ſpes fallaces, 86. b
Hæretici quædam quæ ore negant, opere admittunt, 74. b

Hæreticus quis esse non potest, 188. a
Hæreticorum cum Cain comparatio, 64. a. an & hæreticis hodiernis conveniant quæ de veteribus & primis asseruntur in Epistola D. Iudæ, *Ibidem* & b
Hæretici audent damnare & anathematisare, quamvis ipsi sint damnandi & anathematisandi, 218. a
Hæreticorum scripta puerilia, quia sunt solutu facilia, ut puerorum ludibria, 375. 1. b
Hornus Hæreticus ejusque objectiones de Concilio Nicæno, quibus respondet Stapleto, 177. a. b. *& seq.*
Hæreticorum quanta sit pervicacia, 121. b. 122. a
Hæretici se montes præ superbia existimant, & alios pulveres, 19. b
Hæreticorum vana fiducia retunditur, 70. b
70. Hebdomades Danielis quam sint intellectu & explicatu difficiles, 38. a. b
ad Hebræos D. Pauli epistola, cur omnium ultima, 60. a. quis illius scopus, *Ibidem*
Hebræorum ad fidem conversorum quinque difficultates quas à suis patiebantur, & quid de iis D. Paulus, *ibid. & seq.*
Hebræorum elementa quibus jam olim hodieque Iudæi utuntur, quænam sint, 119
Heli summus sacerdos reprobatus, 9. a
Henricus Imperator. Vide Investitura.
Heraclius Imperator post domitos Persas & recuperatam Terram sanctam quomodo in hæresina Monothelitarum lapsus fuerit, 291. b
Herodes præcipuus diaboli filius, 121. a
Herveus Brito ex fratre Laico in Ordine sancti Dominici, Magister Generalis totius Ordinis, ejusque de potestate Papæ liber, 435. 1. b
Hierarchæ hæresiarchæ, 570. 1. d
D. Hieronymus quid senserit de Traditionibus, 75. a. b
Hilarii de duplici in Christo voluntate locus, 297. 2. c
Hincmari Rhemensis patrocinium agit Celotius, 389. 1. d
Hispaniæ antiquiorum Regum notanda maximè in Conciliis modestia & humilitas, 177. b
Historiæ in describendis, Conciliis necessitas, 83. a
in Historicis Scripturæ libris quid contineatur, 8 a. b. an & in illis sit aliquid ad prænuntiationem Christi pertinens, *Ibidem.*
primus Homo an non potuerit creari à Deo sine justitia naturali, 772. 2. c. d
Homine post lapsum Adami nihil cristius & abjectius, 29. b
Homo in initio creationis an fuerit supra conditionem naturæ exaltatus, ut Deum supernaturaliter coleret, 750. 1. c. 2. a d. *& seq.*
Homines jure permittit Deus peccare & punit, 814. 1. d
Hominis diversi status distinguendi, 772. 1. a
Hominis salus & commoditas præ omnibus æstimanda, 342. 1. a
Homo in statu naturæ corruptæ dupliciter consideratus, 763. 1. b. c
Hominem an potuerit creare Deus talem qualis nunc nascitur, *Ib.* 2 a. 769. 2. c
Hominis non sola substantia, sed & voluntates & operationes peccato sunt fœdatæ, 252. b
Hominis totum bonum à Christo est, 31. b
Homicidii reus Clericus, quomodo plectendus, 142. b
Honor Clericorum vindicatus, 400. 2. d
de Honorio summo Pontifice, deque ejus sententia quoad unam, vel duas Christi operationes, 311. 2. c. 312. a. *& seq.* 319. 1. b
de Honorii Papæ causa in tertia Synodo Constantinopolitana, 324. 2. d. e. 325. 1. a. *& seq.*
Honorius Imperator in honore apud Monothelitas, 294. a
Horæ numnariæ, 460. 2. d
Horas Canonicas qui non recitaverint privati beneficiis, 610. 1. d
Hortationis modus imprimis notandus, 116. b. 117. a
Hortus conclusus quid sit, 14. b
Hosius Papæ nomine Præses in Concilio Sardicensi, 185. a

I

IAcob Patriarcha figura Christi, 7. b
Iacob in quo maximè dilexerit Deus, 41. a
Iacobi Patriarchæ de Christo Prophetia, 6. a
Iacob quo sensu dicatur à D. Paulo dilectus, & Esau odio habitus, 51. a
D. Iacobi Epistola cur prior inter Catholicas, quid tractet, & qua occasione scripta sit, 62. b
D. Iacobus an dissenserit à B. Petro in Concilio Ierosolymitano, 109. 111. b
de Iacobitis, 601. 2. b
Iahel. Vide Zahel.
Ianseni doctrina jam à multo tempore per Pontifices & per Concilia, etiam Basileense exagitata, 510. 1 c
Ianseni Iprensis Episcopi doctrina, an consonet Concilio Tridentino, 775. 1. a. de septem illius propositionibus quæ exponuntur definiendæ facultati Theol. Parisiensi, *Ibidem* 2. a. *& seqq.*
Ianssenius Gandavensis, 805. 1. a
Ianuæ cœli quas aperuit Dominus, quænam sint, 27. a
Iapones quo more reverentiam exhibeant, 245. 1. a
Ibas Edessenus Episcopus in Concilio Chalcedonensi accusatus, & quid inde, 250. 1. d. e. 2. a. *& seq.*
Ibæ epistola & errores damnati, 284. a. 287. a
Iconoclastarum crudelitas, 362. 1. b
in Iconomachos, seu Imaginum sanctarum hostes, 343. 2. b. c. *& seq.*
Idola gentium, quia imagines erant Dæmonum, Deus ejecit & condemnavit, 359. alias 349. 3. e
Idolothita comedere an sit licitum, 54. b
in Ieiuniis delectus ciborum observandus, 711. 2. a. b
à Ieiunio quis possit dispensare, 88. b
Ieiunium diei passionis Dominicæ, 342. 1. a. b
Ieiunium diei Dominicæ & Sabbati, an sit prohibitum, 142. b. 143. a. item de Ieiunio quadragesimali plura & notanda, 143. b. *& seqq.*
Ieiunium non solvendum feria quinta in cœna Domini, 336. 2. c. d
de Ieiunio dierum sabbati & dominicæ in quadragesima, 339. 1. a
Ieiunii indictio non est laqueus, ut eam vocant Lutherani Magdeburgenses, 147. a
Iephte typus Christi, 9. a
Ieremias Propheta quid de Christo prædixerit, 15. b. iterum de eo & ejus Threnis, 30. a
Ieremias Propheta an falso citetur à S. Matthæo, 45. b
Ierosolymitana Ecclesia an Patriarchalis, 167. a

Ierosolymitanum Concilium. Vide Caïphas. Concilium. Lazarus.
ab Ierusalem incipit virtus & potestas prædicationis Evangelicæ, 30. a
Ierusalem, ejusque undecim privilegia & excellentiæ quas amisit in excidio quod perpessa est à Babyloniis, 36. a
Iesus ipso nomine salutaris est, 24. b. 33. b
sacrum Iesu nomen Christo impositum, quomodo secundum ejus adventum designet, 69. a
Iesum à verbo Dei tanquam hominem actum & impulsum non esse, 214. b
Ignis quomodo ante Christum præcedet in extremo Iudicio, 28. b. de Igne, 50. a
in Igne quomodo baptizaverit Christus, 45. a
Ignorantiæ caligo ad cinerem pœnitentiæ confugit, 34. a
Ignorantia an excuset ab obedientia debita summo Pontifici, 90. b
Ignorantia non impedit quis à veritis Presbyteri abstinere teneantur, 336. 1. a
Illuminare Christum omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodo sit verum, 47. a
Imagines qualiter adorentur à fidelibus, 356. 2. d e
Imagines qui rejiciunt contra naturam agunt, 359. 1. b
Imaginum sacrarum in Ecclesia utilitas, 367. 2. d e
de Imaginibus quid decretum in septima Synodo, 380 1. c. & seq.
Imagines turpes non pingendæ, 342. 2. d
Imaginum sanctarum cultus respectivus, 358. alias 348. 1. 2. 354. d. e. & seq
Imaginum usum à primis nascentis Ecclesiæ primordiis viguisse, 108. a. 110. b. 111. a
de Imaginum observatione quid decretum in Concil. Const. IV. 387. 2. a
de Imaginum veneratione, 387. 2. a
Imagines sacræ an adorentur cultu Latriæ, 369. 2. b
pro Imaginibus Patrum testimonia, 359. alias 349. 1. a. 359. 1. a
Imitationis Dei vestigia, 27. b
in Imitatione crucis Christi fundatur gloria in infirmitatibus, 57. a
de Immortalitate animæ rationalis, 609. 1. 2. b
de Immortalitatis primi hominis beneficio, 772. 1. d
Immunditia quid sit, & cur eam fornicationi jungat D Paulus, 58. b
Impeccantia in hominibus ab Origene admissa, 290. a
de Impedimentis Matrimonii tam prohibentibus quam dirimentibus, 694. 1. c. & seq.
ad doctoratum quales impensæ faciendæ, 465. 2. d. e
Imperatores per equos designati, 66. a. b
Imperatores quid præstiterint in Conciliis, 176. b
Imperatoris & summi Pontificis sedilia in Concilio Florentino, 516. 2. b. c
Imperatorum pro investitura cum summis Pontificibus dissidia, 396. 2. a
Imperator seductus, 235. 2. a
Imperatorem an possit deponere Papa vel Concilium, 443. 1. b. & seq.
ab Imperatore cur petatur Concilii primi Constantinopolitani confirmatio, 201. a
Imperiorum utilitas, 395. circa med. p.
Impietas in stricta discussione non facienda, 180. b
Impius quomodo justi ficetur in statu gratiæ, 643. 2. d. e. & seq.
Impium per fidem & gratis justificari, 644. 2. c. d
Impositio manuum. Vide Manuum impositio.
ad Imposituram tegendam sunt astuti qui diversa à recta fide sentiunt, 232. b
Improbitas inexpugnabilis & contentionis maximè studiosa, 121. b
Incarnatio quid sit, 239. 2. d. e. de ea plura, ibid. & seq.
Incarnationis fructus, 31. b
de Incarnationis mysterio malè sentientium, illudque confundentium hæreticorum furor, 297. 2 b
de Incarnatione Sophronii Hierosolymorum Episcopi locus notandus, 306. 1. b. & seq.
Incarnationis explicatio, 216. a. & b. 220. b. & seqq.
de Indice librorum de quo in Concilio Tridentino, 711. 2. c
Indulgentia an possit dici absolutio, 765. 2. b
Indulgentiæ satisfactionum à primis Ecclesiæ temporibus, 103. b
Indulgentiarum ex Lutheri definitio, 614. 2. e
Indulgentiæ indiscretæ & superfluæ, 427. 2. e
Indulgentiarum antiquitas, 736. 1. b
Indulgentias plenarias an solus Papa possit concedere, 94. b
de Indulgentiis Tridentini Concilii decretum, 711. 1. c. & seq. 735. 2. c. & seq.
de Inductione Pharaonis & Iudæorum, 47. b
Infallibilitas Ecclesiæ in Conciliis, circa quæ versetur, 77. b. 78. a
Infallibilitas an sit necessaria in iis quibus debetur obedientia, 85. b
Infallibilitas Romani Pontificis à quibusdam asserta, 604. 1. d. e. & seq.
Infamis ad susceptionem Ordinum non est admittendus, 137. b
per Infantes de quibus in Psal 8. quinam intelligantur, 19. b
de Infantium communione, 732. 1. e. & seq. Vide Parvuli.
ad Infideles arma non deferenda, 409. 2. b
Infidelium omnia opera an sint peccata, 751. 1. c. d
Infidelitatis Ephesiorum pristinus status, cur tantopere à D. Paulo exageratus, 58. a
Infidelitas negativa, seu privativa, an sit peccatum, 708. 2. a. b
de Inferno quid nihil possent dicere mortui, quod sufficienter expressum non sit in Scriptura, 46. b
Infirmi animæ prius providendum, 1. c. quam corpori, 421. 2. c. & seq.
Infirmitas. Vide Imitatio.
Infirmitas corporis nonnumquam ex peccato procedit, 421. 2. a
Ingratitudo erga Pastores, & eos qui spiritualia seminant, vitanda, 57. a
Ingressus Christi miraculosus in mundum, & quæ ad eum spectant, 43. a
Iniquitas calcanei quænam sit, 24. a
Iniquitatis via est via derisionis, 33. a
in statu Innocentiæ an locum habuerit gratia supernaturalis, 745. 1. b
de Inquisitionibus, 419. 1. b
Insaniæ immensitatis & satyricorum tumultuum larvationes, 365. 2. c
Integritas primæ creationis an fuerit indebita naturæ humanæ, vel naturalis ejus conditio, 751. 2. c. d. & seq.
Intellectus quomodo, & quare in opinando non sit liber, 769. 1. d
de Intercessione apud Iudices in favorem reorum, 187. b
Invenire Deum quid sit, 14. a
pro Investitura Paparum & Imperatorum dissidia, 396. 2. a. de ea controversia, 388. 2. c
Investiturarum restitutio ab Henrico Imperatore facta, 398. 1. d
propter Invisibilem adorabat visibilem, & propter assumentem venerabatur assumptum Nestorius, 212. b
Ioachim Abbas Florensis temere arguit Petrum Lombardum

Lombardum Magiſtrum ſententiarum, 411. 2. d. de eo, 415. 2. 2, 416. 1. d. e. *& ſeq.* 429. 2. b. 437. 2. e. *& ſeq.* ejus Apologia, 438. 1. d
Ioachim Abbatis error de unitate ſeu eſſentia ſanctiſſimæ Trinitatis condemnatus, 416. 1. d. e
Ioachimi Abbatis dicta, & de eo plura, 437. 2. e. illius Apologia, 438. 1. d. Vide Lateranenſe Concilium IV.
D. Ioannes Baptiſta à Malachia Propheta prædictus, 41. b
D. Ioannis Baptiſtæ quomodo major & minor ex ore Chriſti, 45. a
Ioannes Baptiſta Chriſti præco, dictus Angelus, 113. b
de D. Ioannis quarto Evangelio, 46. b. à quibus impugnatum, *ibid. & ſeq.*
D. Ioannis trium Epiſtolarum quodnam ſit argumentum, 64. b
Ioannis XII. geſta diverſimodè narrant diverſæ hiſtoriæ, 507. 2. b. c
Ioannis Antiocheni cum D. Cyrillo diſcordia, 208. b. 230. b. 232. b
Ioannes Antiochenus à Concilio Epheſino excluſus, 233
de Petr. Ioannis Minoritæ opinionibus controverſia, 461. 2. e. 462. 1. 2. *& ſeq.*
Ioannes Provincialis Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, ejuſque oratio in Concilio Florentino Ferrariæ celebrato, 541. 2. 2. *& ſeq.*
de Ioanne Hieroſolymitano quid ſenſerit recens octo Synodorum Orientalium ſcholiaſtes, 290
Ioannes Coriſpitenſis Petri Lombardi quondam diſcipulus, 411. 1. d
de Ioannis Antiocheni & Cyrilli Alexandrini diſcordia, 208. b
Ioannes Grammaticus, cognomento Philoponus, imò Mathoponus, 309. 1. c
Ioannis Comitis Sacrenſis Epiſtola ad Reges, quâ docet quid egerit in Concilio Epheſino, 228. 2
Iob, deque ejus libro Canonico plura & notanda, 10. 2. quomodo Chriſti typum geſſerit, *ibid.* b. & 11. 2. *& ſeq.*
Ioël propheta & quid de Chriſto prædixerit, 39. 2
Ionam inter & Chriſtum ſimilitudines, 39. b. prophetavit, non lingua & calamo, ſed geſtis & hiſtoria vitæ ſuæ, 39. b
Ioppe ſignificatione pulchra, quid denotet, 39. b
Iordanis an reverſus fuerit retrorſum, vel ſteterit, 30. 2
Ioſeph Patriarcha à patre præ cæteris dilectus, Chriſti figura, 7. b
de Iosuë ſcriptura canonica, 8. 2
Iosuë judice, ſenioribus aſſidentibus, de prohibenda ſocietate cum gentibus, de auferendis diis alienis, & de oſſibus Ioſeph ſepeliendis, Iudæorum concilium, 116. b
Ioverii amica velitatio in Albertum Pighium, 324. 2. b
ejuſdem Ioverii de Canonibus ſextæ Synodi altera relatio, 329. 1. e. 2. 2. *& ſeq.*
Ioverii ad argumenta Pighii de Honorio Papa reſponſio, 318. *& ſeq.*
Ioverii ad argumenta Pighii de VI. & VII. Synodis reſponſio, 379. 1. c. *& ſeq.*
Iracundiæ divinæ in civitate Ieruſalem implacabilitas, 36. 2
ad irregularitatem ferendam an ſufficiat jus particularis Diœceſis, Provinciæ, aut Nationis, 80. 2
Irriſio Clericis & Latinis vetita, 142. 2
de Iſaya Propheta, & quænam de Chriſto magis expreſsè doceat, 35. 2. b
Iſraëlitæ duplicis generis, 51. b
de S. Iudæ Apoſtoli epiſtola, 64. b. 65. 2
de Iuda proditore Domini in Pſalmo 108. prophetatum, 30. 2
Iudæi à Chriſtianis in habitu diſcernendi, 428. 2. b
publicis officiis non præficiendi, *ibid.* e. converſi ad fidem veterem ſuum ritum non debent retinere, *ibid.* e. *& ſeq.*
Iudæi in ſceleribus & malitia gentibus à D. Paulo æquati, 53. 2
Iudæorum converſio unde ſit difficilis, 125. 2. & de iis plura, *ibid. & ſeq.*
Iudæis quæ mala corporaliter acciderunt, figura malorum ſpiritualium quæ ſunt in pleriſque mortalium, 36. b
Iudæi inſtar aquæ defluentis inſtabiles, 25. 2
Iudæorum in Meſſiam odium quantarum illis calamitatum fuerit cauſa, 124. b
Iudaiſmi execranda malitia, 61. 2
de Iudæis & Saracenis plura, 428. 2. 2. *& ſeq.*
Iudæorum abjectio gentibus fuit occaſio fidem capeſſendi, 54. 2
Iudæi an aliquid habuerint ante Chriſtum quo gloriarentur de ſanctitate contra gentiles, 50. b
Iudæorum azyma fidelibus non licet comedere, 534. 2. d
Iudæi Chriſto tripliciter ſteriles, 23. 2
Iudæos ad fidem adducere, arduum & maximum opus Eccleſiæ in fine ſæculi, 16. b
Iudæi Deo mentiti, & in quibus, 27. 2
Iudæi rami naturales bonæ olivæ Religionis, 52. b. 53. 2
Iudæorum ſummus Pontifex an fuerit infallibilis cum ſuo Concilio in controverſiis fidei & religionis, 129. b
Iudæi per orbem vagi ad credendum in Chriſtum invitati, 28. b
Iudæorum Concilium cui præerat Caïphas, an fuerit legitimum, 109. 2. 1 1. b
Iudæorum in labiis labor, unde & quomodo, 53. 2
Iudæorum reprobatio propter defectum fidei in Chriſtum, 53. b
contra Iudæos & Saracenos, 409. 2. d
Iudæorum Ethica, 58. b
Iudex quomodo recuſetur, 425. 2. 2
Judices Iſraëlis, 8. 2. dicti ſalvatores, 9. 2
Iudicum hiſtoria, ſcriptura canonica, & quid in illa tractetur, 88
Iudicium quod nihil habet in ſe quod ſit canonicum & juſtum, nihil eſt niſi convicium, 233. 2. e
circa Iudicii normam reſolutio neceſſaria, 723. 2. 2
de Iudiciorum reddendorum modo, occaſione Concilii Hieroſolymitani de Chriſti morte, plura & notanda, 127. b. 128. 2
Iudicium ultimum quàm pulchrè in Cantico Canticorum deſignatum, 17. 2
Iudicium duplex, diſcuſſionis & diſcretionis, 24. b
Iudicium rectum Dei cultui mancipandum, 31. c. 2. e
Iudicium primum cur per aquam, & ultimum cur per ignem, 64. 2. b. 65. b
Iudicium Eccleſiæ univerſalis errare in iis quæ ad fidem pertinent, eſt impoſſibile, 288. b
Iudicium univerſale an magis metuendum quam particulare, 820. 1. c. d. *& ſeq.* 822. 1. c. 823. 1. 2
in Iudicio extremo quanta erit Chriſti judicantis majeſtas, 28. b. quomodo fiet, *ibid.* & 29. 2
Iudicium ultimum Redemptionis complementum, 114. 2
Iudicium ultimum à Malachia Propheta prædictum, 42. 2
Iudicii diem quomodo Chriſtus dicat ſe neſcire, 45. b
Iudiciorum Eccleſiaſticorum ordo, 180. b. 181. 2
Iudicii univerſalis ſuper omnia hominum opera, Concilium generale ultimum, & de eo longè plura & notanda, 796. 2. d. e. *& ſeq.*
Iudicialis procedendi modus, 419. 2. 2
de Iudith hiſtoria, 8. b. 9. b. 10. 2

INDEX

Iuliani Cardinalis ad Græcorum Imperatorem argutum dictum, 515. 2. e. memoria, 551. 2. a. & e
Iuliani Imperatoris odium apostaticum, 172. b
sub Iulio III. Pontifice Maximo, Concilii Tridentini resumptionis bulla, 656. 2. b. *& seq.*
Iuniores in quo debeant esse subditi senioribus, 65. b
Iuramenti dispensatio, vel commutatio, vel relaxatio, ad quem maximè pertineat, 93. b
in Iure divino & positivo humano an possit dispensare Papa, 96. 2. & b
Iuris professores à quibus debeant cavere, 340. 2. c
Iurisdictionis Ecclesiasticæ potestas, penes quem sit, 83. b
Iurisdictionis Ecclesiasticæ limites quam diligenter & inviolabiliter debeant observari, 195. b
de Iurisdictione Episcopi à propria civitate expulsi, 464. 1. 2. *& seq.*
Ivo Carnotensis Investituræ defensor, 399. 1. c
Iustificatio post lapsum humani generis in Adamo nemini contigit nisi per fidem in Christum, 50. 2
de Iustificatione Concilii Tridentini decretum, 645. 1. d. 2. c. d. e. *& seq.* Canones, 646. 1. c. d
de Iustificatione quàm maturè deliberatum in Concilio Tridentino, 656. 1. b. c
de Iustificatione doctrina per Concilium Tridentinum elucidata, 727. 1. a. b. *& seq.*
Iustiniani Imperatoris de duplici in Christo voluntate & operatione, testimonium, 504. 2. 2
Iustini Episcopi & Martyris, de duplici in Christo voluntate & operatione, locus, 304. 2. 2
Iustitia hominis prima quænam sit, 27. b
Iustitiæ naturalis constitutio an contineatur in promissione vitæ æternæ facta primo homini & Angelo, 743. 2. d. e
Iustitiæ duplicis distinctio, 766. 2. 2
de Iustitia sæculari, 424. 2. 2
Iustitia distributiva ab Episcopis erga varias personas servanda, 59. 2. b
si nulla est Iustitia propria cujusquam, nec est judicium extremum, 809. 2. e. *& seq.*
Iustitiæ qua justificatur per fidem impius, in quo consistat formaliter, 758. 2. d
Iuvenalis Episcopus Christi figura eximia, 346. 2. e
Iuvenalis Episcopi Hierosolymitani ad obtinendum primatum totius Palestinæ contra jura Cæsariensis Metropolitani, ambitio, 220. 2

K

KEmnitii mendacium ab Arcudio notatum, 602. 2. d

L

LAborare non esse vetitum Christianis, 181. b
Lac an liceat offerre ad altare, 339. 2. b
Lactens. Vide Infans.
in Lacum duplicem descendebant homines ante resurrectionem, 22. a
Laïcus quibus gradibus in Episcopum ordinandus, 188. b
Laïci quicumque Episcopis subjecti quoad spiritualia, 81. 2
Laïcorum hæresis, 399. 2. c
de Laïco suam uxorem pellente, 140. b
Laïcorum in bona Ecclesiastica nulla potestas, 424. 2. c
Laïci semetipsum abscindentis pœna, 138. 2
Laïcorum hæresis circa investituras, 399. 2. c
Lamentatio triplex Ieremiæ, 36. a b
Lanam sicut nivem dare, de quo in Psalmo 147. quidnam sit, 54. b
Laodicenum Concilium an rejecerit libros aliquos qui nunc in Canone reperiuntur, 110. 2
Lapis ab ædificantibus reprobatus, quomodo factus in caput anguli, 31. 2
Lapsi an ad Clericatus ordinem possint promoveri, 168. 2
de Lapsis & eorum reparatione, 645. 2. d. *& seq.*
Lateranense Concilium I. Generale IX. 396. 1. 2. *& seq.* Illius Canones, *ibid.* 2. d. *& seq.*
Lateranense Concilium II. Oecumenicum X. 400. 1. b. *& seq.* Illius Canones, 401. 1. 2. *& seq.*
Lateranense Concilium III. Oecumenicum XI. 404. 2. 2. *& seq.* Causa hujus Concilii, *ibid.* 2. e. de eo controversia, 410. 1. e. *& seq.*
Lateranense Concilium IV. Generale XII. contra Albigenses & Almarici errores, &c. 453. 1. 2 *& seq.*
Lateranense Concilium quintum pro reformatione & pacificatione Ecclesiæ, 607. 2. 2. *& seq.* de eo controversiæ, 615. 2. e. *& seq.*
Latinos inter & Græcos dissensionis origo, 111. 2
Latinorum adversus Græcos quatuor propositiones in Concilio Florentino Ferrariæ celebrato, 537. 1. c. d. eorum probationes excutiuntur, 538. 1. c. d
Latriæ cultus Eucharistiæ debitus, 728. 2. 2
ad Latrocinium Basileense totius orbis dæmonia confluxisse, 600. 2. c
Lavari cum mulieribus vetitum Clericis & Laïcis, 341. b
Laudare seipsum an quis possit inculpabiliter, 55. 2
ex Lazari suscitati occasione Concilium Ierosolymitanum, 126. 2. & b
Lectio Scripturæ quantum sit damnosa hæreticis, 630. 2. c
Lectores an possint uxorem ducere, 334. 1. c
Legalium abrogatio multis argumentis à D. Paulo probata, 55. b
Legalia viva, mortua & mortifera, 56. 2
Legatis Papæ honor delatus in tertia Synodo Constantinopolitana, 323. 2. c
Legati Imperatoris officium in Synodo, 226. b. *& seq.*
S. Leo damnatus à Dioscoro in Concilio Ephesino, 600. 2. c
Leonis Papæ de duplici in Christo voluntate locus, 298. 1. b
Leonem X. summum Pontificem inter & Regem Franciæ, Concordata, 611. 1. e. 2. a. *& seq.* 616. 2. c. *& seq.*
Leontii Episcopi Neapoleos Cypri de sacris Imaginibus authoritas, & cum Iudæo dialogus, 353. 2. c. d. e. 354. 1. 2. *& seq.*
ad tribum Levi sacerdotium translatum, 48. b
in Levitici libro quid describatur, 6. b
Levitæ in varias classes in ministerium templi olim distributi, 117. 2. b
Lex nova est veritas, 27. 2
de Lege à Moyse promulgata, 7. b
sub Lege veteri quam miles fuerit hominum status, 50. b. 51. 2
Leges variantur secundum varietatem temporum, 425. 2. c
Legum initia ad terrorem incutiendum severiori vindicta mulctantur, 49. b
Leges ad institutionem morum pertinentes tolli possunt pro temporum varietate, 111. 2
de Legis ad justificando homines imbecillitate, 643. 2. 2
Legem inter novam & veterem differentia, 96. b
Legis antiquæ in novam mutatio, 24. b
Legis primi transgressus acriùs punitî, 5. 2
quid de Legis antiquæ ritibus & ceremoniis decretum fuerit in concilio Apostolorum Ierosolymitano, 109. 2. b
Legis vinculum quandoque relaxare, publicè expedit, 708. 1. 2
Legis vim habet Consuetudo, 219. 2

Libelli pro ſubſcriptionibus orthodoxis, 197.b
Liber ſignatus ſigillis ſeptem, 66.b
Liber de periculis noviſſimorum temporum, damnatus, 435.1.e
Libri ſacri quam reverenter tractandi, 340.2.b
Libri in Oriente ab Arianis corrupti, 565.1.b
de Librorum ſacrorum canone duce Nehemia, iiſque in tres claſſes diſtributis, 119.a
de Libris Canonicis, 607.1.c.d. *& ſeq.*
in Libris evulgandis hæreticorum aſtus, 192.a
Librorum ſcripturæ ſacræ præ aliis libris excellentia, 2. a. partitio, 4. a. de quinque libris Moyſis, 6. b
per Librum in ore D. Ioannis dulcem & in ventre amarum, quid denotetur, 67. b
de Librorum ſacrorum editione & uſu Tridentini Concilii decretum, 640 1.b
Libri olim approbati à ſummo Pontifice, 412.2.d
Libri impiorum in Eccleſia publicari prohibiti, 142. a
Liber Ianſenii Iprenſis titulo *Auguſtinus*, ejuſque ſcopus. Vide Bajus. Ianſenius.
Libri Conciliorum & Sanctorum Patrum ab hæreticis corrupti, & ob id anathematiſati, 312. 2. d. e
Libri in judicio extremo aperti, quid denotent, 68. b
Liber unicus vitæ, plures reprobationis, *Ibidem* & 69. a
Liberationis per Chriſtum quis ſit finis, 25. a
Libertas arbitrii an ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valeat, 752.1. c. an valeat ad aliquod peccatum vitandum, *Ibid.* 2. c. d
in Libertate arbitrii an poſſit admitti uſus aliquis bonus, ſine non malus, 767.1.c.d. *& ſeq.*
à Libertatis Chriſtianæ primordio annorum computatio incœpta, 180. a
Libertate hominis naturali, an ſola repugnet violentia, 767.2.c. *& ſeq*
Libertatis nomen quo ſenſu reperiatur in Scripturis, 758. 2. a
Lilius bonorum operum paſcitur ſponſus Chriſtus, 15. b
Lingua doloſa de qua in Pſalmo, 119. quænam ſit, 11. a
Lis quando incipiat pendere, 464. 2.e
de Litibus quas Epiſcopi habent inter ſe, 186.2
Literarum formatarum certa quædam ſcribendi forma ac ratio, 180. a
de Literis dimiſſoriis, 100. a
de Literis non impetrandis ultra duas dietas & ſine ſpeciali mandato, 423. 2.e
Locationes bonorum Eccleſiæ anticipatis ſolutionibus, in præjudicium ſucceſſorum non valent, 709.1. c
per Locuſtas Scorpionum capiti habentes, de quibus in Apocalypſi quid denotetur, 67. a
de Petr. Lombardis Magiſtri ſententiarum errore, 411. 1. 2. idem temerarie argutus à Ioachim Abbate Florenſi, *Ibidem* 2. d. de eo iterum 412. 1. a
Petr. Lombardus ab Abbate Ioachimo redargutus, 419. 2. b
Loqui ex cathedra, quidnam ſit, 85
S. Lucæ Evangelium cur ſic dictum, cùm D. Paulus illud ſuum nominet, 46. a. de eodem plura & notanda, *Ibid. & ſeq.*
de Lucifero Sardorum Epiſcopo quid ſenſerit recens ſynodorum Orientalium Scholiaſtes, 290
Lugdunenſe Concilium & Generale XIII. in cauſa Friderici II. Imperatoris, expeditionisque in terram-ſanctam celebratum tempore Innocentii IV. 438. 2. a. *& ſequ.* illius controverſia, 443. 1. b
Lugdunenſe Concilium eſt Generale XIV. contra Græcorum errores ac pro recuperetione Terræſanctæ, 446.d.c. *& ſeq.*
Raim. Lullus, treſque ejus propoſitiones in Concilio Viennenſi, 456. 1.c
Lumbi magis expoſiti ad obediendum diabolo, 23. a
de Lumine gloriæ quid fide ſit tenendum, 467. 2. b
Lutheri caſus in Apocalypſi prædictus & adumbratus, 67. a
Lutherus quid arguat in Concilio Apoſtolorum Ieroſolymitano, 111. b.112 a
à Luthero myſterium Redemptionis impetitum, 621. 2. b. de eo iterum plura, 622. 2. d. *& ſequ.*
Lutherus Monachus ſcrupuloſus, 613. 1. a. illius initia, *Ibid.* 2. b. initio ſubmiſſus & humilis, *Ib.d.* c. illius diſputatio cum Eccio doctore Catholico, 624. 1. c. libri *Ibid.* 2. d. illius propoſitiones cum cenſura facultatis Pariſienſis in eaſdem, 625. 1. d. *& ſeq.* 629. 2. e
de Lutheri doctrina primum judicium, 790. 1. b
Lutherani. Vide Magdeburgenſes.
Lutherani Naumburgi congregati quid ſenſerint de Concilio Tridentino, 117.b
Lutheranorum prætextus ſpecioſi, 621. 1
Lux peccatorum correctiva, viatorum directiva, adverſorum lenitiva, quænam ſit, 13. b
de Luxuriæ peccato quæ ubique ſpargitur mala fama, fumo comparata, 67. a
in Lymbo Patres expectabant Chriſti reſurrectionem, 33. b
de Lymbo patrum, 123. b

M

MAcarius Antiochiæ Archiepiſcopus in ſua hæreſi quantum obſtinatus, 101. 1. b. c. 2. b. 302. 1. d. 2. c. *& ſeq.* Ejuſdem depoſitio, 304. 1. a
Macarii Antiocheni damnatio, 311. 1. *& ſeq.*
Macedonii error in Synodo Conſtantinopolitana damnatus & confuſus, 99. a
Macedonius anathematiſandus, 283.b
Macedonii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani caſus, 67. a
Macedonius quid ſenſerit de Spiritu ſancto, 191. b. ob Macedonium præſertim celebratum Concilium Conſtantinopolitanum primum, *Ibidem* 193. a. *& ſeq.*
Macedonianæ hæreſis condemnatio in primo Concilio Conſtantinopolitano, 201.a.b
Machabæorum nova bella, 8.b.10. a
Macula peccati poſt actum peccaminoſum, præter reatum, 763.2.d.764. 1.a. *& ſeq.*
D. Magdalenæ pius erga Chriſtum amor & quotuplex, 46. b
Magdeburgenſium Lutheranorum objectiones in Canones Apoſtolorum ſolutæ, 146.b. *& ſeq.*
Magiſtri error, tentatio populi, 289.a
de Magiſtris Scholaſticis, 420. 1. c
Mahumetis Turcarum pſeudo prophetæ damnoſa initia, 292.a. illius ſectæ augmentum in Chriſtianæ Religionis opprobrium, *Ib.d.*
Malachias propheta quid de Chriſto prædixerit, 41. a
Maledicorum virus & moleſtiam nemo poteſt vitare, quamvis rectiſſimè vivat, 220. b
Malum precari juſtitiæ amore, peccatum non eſt, 56. b
Malum opus ex natura ſua mortis æternæ meritorium, d.742.2.c

INDEX

Mandatis hominum an semper & quomodo obediendum, 45. a
Mandata post hanc vitam observatu impossibilia, 46. b
de Mandatorum observatione, deque illius necessitate & possibilitate, 645. 1. c. *& seq.*
Mandragoras dare odorem suum, quid significet, 16. b
per Manedies gratiæ significatur, 18. b. per Matutinum quid, 29. a
Manichæus humanitatem Christo Domino detrahens, 64. a
Manichæorum hæresis, 383. 2. b
Manna è cœlo decidens quid præsignificaverit, 7. b
ad Manus impositionem non genus attendendum, sed mores, 337. 1. c. d
Manuum sola impositio, an possit esse sufficiens materia essentialis sacramenti Ordinis, 605. 2. c. *& seq.*
Petr. de Marca Archiepiscopus Parisiensis, 389. 2. d
Marcellinus Papa propter scelus Idololatriæ, an Concilii judicio ejectus fuerit à Papatu, 507. 1. c. d
Marcionis hæretici de Evangelio Lucæ sententia, & quænam illius hæreses, 48. 2
Marcion hæresiarcha author Anabaptismi, 140. b
de D. Marci Evangelio plura & notanda, 45. b. an illius ultimum Capitulum sit canonicum, 46. a
Marcus Ephesinus Episcopus, Imperatoris & Græcorum Orator in Concilio florentino Ferrariæ celebrato, 521. 2. a. b. *& sequ.* illius mendacia, 528. 2. d
Mariæ sanctissimæ Deiparæ Virginitas ex Scripturis probata, 123. a
Maria virgo sanctissima immunis à peccato originali, 770. 1. c. 2. a
Mariam sanctissimam esse matrem Dei negarunt plures hæretici, 240. 2. d
Maria Virgo in numero redemptarum per gratiam Christi collocanda, nec tamen originali peccato maculata, 744. 2. c
Maria sanctissima sine peccato, 306. 1. c. e
de Maronitis & Chaldæis, Syris & Indis, Eugenii Papæ decretum, 602. 1
ad Martianum Imperatorem Leonis Papæ Epistolæ, ejusdemque Imperatoris ad illum met Papam responsio prima & altera, 261. 1. c. 2. c. d. *& sequ.*
Martinus Papa ob Ecthesim Heraclii Imperatoris damnatam, relegatus, lento quodam Martyrio Pontificatum suum illustrat, 192. b
Martyrum historiæ à Gentilibus scriptæ, an recipiendæ, 340. 1. c. d
Martyrem qui colit, Deum ipsum colit, 355. 2. c
Matris Dei quanta sit dignitas, 241. 1. c
Matrem Dei qui adorat Deo honorem assignat, 355. 2. c
de Matrimonii Sacramento, ejusdemque reformatione, Tridentini Concilii doctrina, Canones & decretum, 692. 1. d. 2. c. 693. 2. a. *& sequ.*
de Matrimonii restricta prohibitione, 425. 2. c
Matrimonia clandestina contrahentium quænam sit pœna, 426. 1. b
in Matrimonii causa reprobandum testimonium de auditu, 426. 1. d
de Matrimonii dissolutione ob Religionis ingressum, 734. 2. b. causæ matrimoniales, *Ibid.* c
de Matrimoniis clandestinis, 735. 1. a
materia sacramenti Matrimonii, an immutata per Concilium Tridentinum, *Ibid.* d. e
de Matrimonii sacramento, 598. 1. b. c
Matrimonium ratum licet illicitum, 341. 2. d
Matrimonia dissolvendi consuetudo apud Græcos, 595. 1. d. 2. a
de sancti Matthæi Evangelio plura & notanda, 44. b. 45. a
Maximus Philosophus Cynicus Iudam æmulatus, 196. a
Maxime Philosophi ordinationes irritatæ, 202. a
Mel an sit offerendum ad altare, 539. 2. b
Melchisedecti Rex Salem quare excellentior Aarone, 61. a
Melchisedech dictus à Rabinis filius Noë, 114. 2
Melchisedech panis & vini sacrificium offerens, 7. a.
Meletius Lycopolitanus Episcopus, ejusque inconstantia, 1-5. a
Meletius Patriarcha Constantinopolitanus hominum mansuetissimus, 202. a
Memnon Episcopus quam malè habitus in Concilio Ephesino, 228. a. b. illius Concilii mandatum ad eum à condemnatione ac depositione liberandum, 229. b. *& seqn.* illius innocentia, 230. b
sancti Mennæ Archiepiscopi Constantinopolitani liber ab Hæreticis falsatus, 295. b
de Mensa divina, & de eo quod in ipsa est, 181. b
Merces justorum, an erit amplior eorum meritis in die judicii, 747. 1. a. b. *& seq.*
Mercimonia intra Ecclesiarum ambitum non exercenda, 341. 1. b
Meretricium sub prætextu hospitalitatis religiosæ, 403. 1. c. d
Meriti ratio in quo consistat, 747. 2. b
de Merito bonorum operum, & de illius meriti ratione, 646. 1. c. *& seq.*
Merita Angeli & primi hominis adhuc integri, an rectè vocentur gratia, 742. 1. c. 2. a
de trina Mersione in baptismo, 141. a
Messaliani hæretici & unde sic dicti, 218. a
Messalianitarum contaminatissima hæresis, 218. a
Messiæ promissio Davidi facta, 32. b
de Messia & quomodo quæ de illo sunt prædicta, conveniant, 122. b. *& seq.*
de Metropolitanorum ordine, 99. b
de Metropolitanorum Episcoporum primatu, 146. b
S. Michaël. Vide Moyses.
Michæas Propheta quid de Christo prædixerit, 40. a
contra Milites glassatores, 410. 1. a. *& seq.*
Militiæ cingulum de quo in Concilio Nicæno, quomodo intelligendum, 109. b. 110. a
Militia quænam inter peccata deputetur, 160. a, & b
Mille cur in Psalmo 90. dicantur casuri à latere, 28. a
per Mille annos totum tempus ab Incarnatione ad adventum Anti Christi designatum, 68. b. designata & æternitas, *Ibidem*
Mimi vetiti eorumque spectacula, tam Clericis, quam laicis, 339. 1. b
Minister Ecclesiasticus in aliena Parochia non ordinandus, 189. b
Ministrorum hæreticorum opera, quibus similia, 810. 2. e. de iis & eorum circa Iudicium extremum doctrina longè plura, 811. 2. d. e. *& seqn.* 814. 2. c. 816. 1. b. *& seq.* 817. 1. d. 2. d. c. 818. 1. e
Ministerium sibi olim commissum Clericus damnatus

non debet uſurpare, 138. b
Minor authoritate, an non poſſit ſuperare majorem ſapientia & prudentia, 56. a
de Fratrum Minorum paupertate annotatio, 469. 1. d. e. *& ſeq.*
Miracula à Chriſto patrata, 43. b
Miracula per ſacras imagines, 553. 2 b
Mirandulanus. Vide Picus.
Miſericordiæ Dei mirabiles, 20. b
de Miſericordiæ ſolis operibus an erit diſceptatio in die extremi judicii, 801. 2. e. *& ſeq.*
Miſericordia Dei quando fuerit confirmata, 31. a.
de Miſſæ ſacrificio plura & notanda, 105. a. b. *& ſeq.* 107. b
de Miſſæ ſacrificio, deque in Miſſa obſervandis & evitandis, Tridentini Concilii Canones & decretum, 684. 1. b. 2. c. *& ſeq.*
Miſſæ ſacrificium quâ ratione ſit ſacrificium, 759. 2. c. *& ſeq.*
Miſſæ in vulgari ſermone prohibitio, 732. 1. d. e.
de Miſſione Divinarum perſonarum, 159. b. *& ſequ.*
Molinæus Advocatus Pariſienſis altum, non ad ſobrietatem ſapere exiſtimatus, 737. 2. d. e
Molinæi Iuriſconſulti mendacia, 186. b
Monachatus quando in cœperit, 100. a
Monachatus ætas, 338. 1. a. qui illum profitentur quomodo probandi, *Ibidem c.* an ab illo poſſit quis arceri propter crimen antea commiſſum, 338. 2. a.
Monachus ſine clauſtro caret vita, ſicut piſcis ſine aqua, 458 2. a
Monachus fornicator jure communi punitur, 333. 2. b.
Monachi creati Epiſcopi non mutant veſtis rationem, 391. 1. e
Monachi quando in Clerum ad ſciti, 100. 2. b. quænam vota olim emittebant, quæque erat in illos Abbatis poteſtas, *Ib.* habitu diſtincti olim à ſæcularibus, *Ibidem*
Monachi nomen unde ſumuatur, 93 b
Monachi prædicatores ſunt Epiſcoporum cocheratotes, 420. 1. b
Monachi creati Epiſcopi, an mutent veſtis rationem, 391. 1. e
de Monachorum communibus capitulis, 420. 1. e.
de Monachis & Monaſteriis, 338. 1. a
Monaſteria ſemel Deo dicata, ad profanos uſus non accommodanda, 339. 1. a
Monaſteria duplicia quænam ſint, & an ſint conceſſo, 376. 2. e
de Monaſteriorum conſecratione, 100. b.
Monaſteria quomodo debeant reformare Epiſcopi Diœceſani, 420. 2. c. d
Monaſtriæ futuræ pretioſis veſtibus non induendæ eomet die quo ingreduuntur Monaſterium, 338. 2. b. nec è Monaſterio exire niſi ſub certa forma, *Ibidem. d*
Monarchia in Eccleſia, 81. b
Moniales cum pretio non admittendæ, 428. 1. b. c.
de Monialium ætate pro voto emittendo variæ conſtitutiones, 100. b
de Monialibus, plura & notanda ex Concilio Tridentino, 701. 2. b
de Monitionibus præviis cenſura, 406. 1. d
Monothelitarum error & mens, nominiſque illorum nomenclatura, 290. b
Monothelitarum hæreſis in quo ſita, 291. a
pro Monothelitis pſeudo Synodus, 292. a. ab iiſdem myſterium Redemptionis impugnatum, 292. b
Montes pietatis an ſint liciti, 610. 1. e. 2. a. *& ſeq.* 616. 1. c
de Mora extra ſuam civitatem Clericis conceſſa, 189. b
omne Morale fundatur in aliquo Phyſico, 243. 2. e.
Mors triplex primi præcepti tranſgreſſioni impoſita, 5. a. b
Mortalitas hominis per herbam quæ mane tranſit, indurat & areſcit, deſignata, 28. a. 29. a
de Mortuis ſubſcribentibus in Concilio Nicæno miraculum, 171. b
Mortui an poſſint excommunicari, 286. b. & 287. a
Motus localis & originalis, 452. 2. d
Moyſis quinque libri cur dicantur legales, 6. b. Moyſes Chriſti figura, 7. a. *& ſeq.*
Moyſes mediator ad impedienda plura peccata, 56. b.
de Moyſi corpore altercatio inter Michaelem Archangelum & diabolum, 65. a
Mulier amicta ſole & Lunam habens ſub pedibus, quid denotet, 67. b. item quiſnam ſit illius partus, de quo dicitur; *Clamat Parturiens, & cruciatur ut pariat*, *Ibid. & ſeq.*
Mulierem ſub introductam habere, vetitum quibuſcumque Clericis, 106. b
Mulierem extraneam ſecum habere vetitum Clericis, 344 b
Mundus per providentiam factus, 182. a
Munera primæ creationis, an fuerit merita primi hominis integri, 744. 2. a. *& ſeq.*
Myrrhæ mons & collis thuris quid ſignificent in Cantico Canticorum, 14. b

N

Aham Propheta, quid de Chriſto prædixerit, 40. a
Nativitas Chriſti duplex apud Michæam Prophetam, 40. a
de Nativitatis B. Virginis Octava, 439. 2. e
Natura quot modis poſſit intelligi ex mente Ariſtotelis, 366. 2. b
circa Naturam innocentem, lapſam & reparatam, Baji errores. 738. 2. a. c & e
Naturæ corruptæ ſtatus eſt mixtus cum ſtatu liberatæ, 739. 2. b
Natura ſeu eſſentia quam difficilè diſtinguatur ab hypoſtaſi, ſeu perſona, 239. 1. b
Naturæ unitas in Chriſto à Monothelitis aſſerta, 291. a
Naturæ humanæ ſublimatio an poſſit dici naturalis & non ſupernaturalis, 749. 2. c. *& ſeq.*
de Naturis duabus in Chriſto quid ſit credendum, 283. a. b
Natur integra an ſibi ſuffecerit ad promerendum vitam æternam ſine adminiculo gratiæ ſupernaturalis, 742. 2. a
Naturæ Concilium, 247. 1. b
Natura utraque, divina & humana, in Chriſto, ſicut indiminutè proprietatem ſuam cuſtodit, ita operatur utraque forma quod proprium habet cum alterius communione, 307. 2. a. b
Naturarum in Chriſto adunatarum differentia, ſola contemplatione diſcernitur, 299. 2. c
Natura utraque, divina & humano, in Chriſto perfecta, 297. 2. c
Naturæ corruptæ & peccati ſtatus, 5. b
cujus Naturæ ſit quod geritur, per propriam operationem inſinuat, 308. 1. e
Naturæ puræ ſtatus, licet fuerit poſſibilis, nunquam extitit 772. 1. c
Naturæ duæ in una radiantes ſubſiſtentia, 315. 2. b

de Naturę ad justificandos homines imbecillitate, 643. 2. a
Naturę humanę à Verbo assumptæ vox, 31. a
Nazianzenus an improbaverit Concilia, 108. b
Nazianzeni de duplici in Christo voluntate locus, 298. 1. b
per Nebulam de qua in Psalmo 147. caligo ignorantiæ, quæ ad cinerem Pœnitentiæ confugit, figuratur, 44. a
Nectarius Constantinopolitanus Episcopus, 200. b. 202. a
Nectarius Abbas, legatus Græcorum schismaticorum in Concilio Lateranensi III. 410 2. c
à Negativis argumentum non valet, 578. 2. a
Nehemias. Vide Esdras.
Neophiti an ordinandi, 166 a
Nero an carnerit gratia sufficienti, 706. 2. b
Nestorius Pelagii soboles, 67. a
Nestorius Iudęos imitatur, 235. 1. c. *& seq.*
Nestorius furens, & ignorans, 306. 2. c. d
Nestorius anathematisandus, 285. b
Nestorius depravavit magnam partem Orientis, 60. 2. c
Nestorius impius Pauli Samosateni, nepos, 205. Ejus hæreses & cur dictus sit urbis incendium, 204. a
Nestorius depositionem passus dignam eo qui Christum blasphemavit, 274. 1. c
an Nestorius erraret circa Eucharistiam, 241. 2. d. illius item error circa sacerdotium Christi, 242. 1. a
Nestorii ad Cyrillum epistola in Ephesina Synodo improbata, 224. a. *& seq.*
Nestorii errores in Ephesina Synodo damnati, 99. a
Nestorius à Symbolo sustulit quæ totam vitę salutisque spem pollicentur, 225. b
Nestorii dicta impia, 204. a. 205. castus, 205. b. de eo plura, *ibid.* Illius erant horationi & condemnationi subscribunt plusquam ducenti Episcopi, 206. b
à Nestorio iniquis calumniis Christus impetitus, 227. b
Nestorius propter assumentem venerabatur assumptum, & propter invisibilem adorabat visibilem, 222. b
de Nestorii depositione & damnatione ad Imperatores Cyrillum & Valentinianum Ephesinæ Synodi relationes, 130. a. b. *& seq.*
Nestorii cœnolenta exfluentia, 308. 1. c
Nestorii circa Christi sacerdotium errores, 215. a
Nestorii plures errores notati, 223. b
Nestorii opinio de Incarnatione explicata, 214. a
in Nestorii dogmata duodecim Anathematismi, 212. a. *& seq.*
Nestorii punitio, 210. a
Nestorius beatæ Virginis hostis perpetuus, *ibid.* b.
Nestorii blasphemiæ in Divum præcipue Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum confictæ, 211. 2. & b
Nestorii symbolum, *ibid.* b. *& seq.*
contra Nestorium quid præcisè sit definitum, difficilè est explicare, 239. 1. b
Nestorianorum errores, 291. b
Nestorianum symbolum, 548. 1. a
Patrum qui Niceæ iterum congregati sunt, Canones, 373. 1. a. *& seq.*
Nicæna synodus ab Arianis nunquam habita pro generali & legitima, 489. 2. c
Nicæna Synodus an sit & quomodo dici possit Generalium synodorum prima, 131. a
in Nicæno Concilio quinam præsides fuerint, 148. a. circa illud quorumdam authorum errata arguuntur, *ibid.* b. illius vera Acta deperdita, *ibidem & seq.*
propter Nicænum Concilium orbis Christianus variis commotus dissidiis ac tumultibus, 172. a. ejus tamen fides firmata, *ibid.*
Nicænum Concilium II. 343. 2. b. c. *& seq.*
in Nicæno Concilio ita effusa in omnes gratia, ut vix ulla avitæ disciplinæ deprehendantur vestigia, 169. b
in Nicæno Concilio quid decretum contra Arium, 174. b
Nicænorum Canonum numerus quam incertus, 180. a. b. *& seq.*
Nicolaus Mirhæ Episcopus Ario adversus, 161. a
Ninivitæ ad Ionæ prophetæ prędicationem converti, 40 a
Nix. Vide Lana.
de Nobilibus graduatis, 612. 2. c. *& seq.*
Nocte quomodo nos gerere debeamus, 14. a
Noë figura Christi, 7. a
à Noë ad Abraham quot numerentur generationes, tam à Moyse quàm à D. Luca, 46. a
Nomina quanto magis specialia sunt, tanto determinant modum convenientem creaturæ, 160. a
de Nominibus abstractis, concretis, substantivis, Adjectivis, tam essentialibus quam nominalibus, & quomodo iis utendum in divinis, 261. 2. b
Nominari ad Beneficia quinam possint, 619. 1. a
Nominatio Regia ad beneficia, 611. 2. a
Nominatio scholastica ad Beneficia, 612. 1. c
inter Nominatos ad Beneficia quinam præferendi, 611. 1. c
in Nominatorum ad Beneficia causis quinam sint judices, 614. 1. a
de Notionibus in divinis, 152. a. quot sint, *ibid.* b. 156. 157. a
Notitia duplex in Deo, 158. b. 159. a
in Novilunis, rogi Gentilium ritu non accendendi, 340. 1. c
Nucibus comparatæ nationes apostatrices, 15. b
Numerabile quod refugit numerum, 505. 2. c
in Numerorum libro quid describatur, 6. b
Secundæ Nuptiæ, an & quo sensu in Concilio Neocæsariensi prohibitæ, 109. b
Nuptiæ an possint contrahi in secundo affinitatis gradu, 331. 1. d
Nuptiæ quibus temporibus celebrari prohibitæ, 695. 1. c

O

OBduratio infidelium quomodo solvatur, 34. a
Obedientia summa, 383. 1. d
Obedientia legis vera an possit esse sine charitate, 747. 2. c
In Obedientiæ voto an possit Papa dispensare simpliciter cum Religioso, 94. b
*si in Obedientia permansisset primus homo, an illi conciliasset immortalitatem, 744. 1. b. *& seq.*
Obedientia legis an sit id quo formaliter justificantur impii, 768. 1. d. e. 769. 1. a
Obscuritas sacrarum Scripturarum unde, 2. a. & b
de Observatione mandatorum, deque illius necessitate & possibilitate, 645. 1. c
Occasus Christi, Passio Christi, 29. b
per Occidentalium libellum quid intelligatur in Concilio Constantinopolitano primo, 196. b. 199. a
October. Vide Hyperboretheus.
per Oculos intelligenda est Ecclesiæ perspicacitas in Cantico Canticorum, 13. b
Oculi interiores credentium, sperantium, diligentium, 31. a
de Oeconomo sede vacante instituendo, 699. 1. d
Officia ecclesiastica pecunia non obtinenda, 138. b
Olivæ nomen Gentili populo converso ad fidem attributum, 24. b

de Petr. Ioann. Olivi Minoritæ opinionibus, controversia, 461. 2. e. *& seq.*
terminus *Omnia* in Scripturis sæpe sumitur pro plurimis vel primoribus, 49. a
Operationes duæ naturales inconfusæ & indivisæ an sint in Christo, 295. b
Operationes duæ naturales in Christo, 297. c. d
Operationum divisiones multæ, 310. 1. c. 2. a
Oppositа alternis vicibus plerumque se excipiunt, 225. b
Opus bonum an sit ex natura sua vitæ æternæ meritorium, 742. 2. c. d. *& seq.*
Opus bonum an rectè bifariam distinguatur, 766. 1. b
inter Opera Dei de quibus in Psalmo 110. Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta numerantur, 30. a
de Operum bonorum merito, & de ipsius meriti ratione, 646. 1. c. d
Opera bona quæ fiunt ab homine justificato esse justum & æquale pretium pro redemptione pœnæ temporalis quæ remanet post absolutionem, 765. 1. b
Opera omnia infidelium an sint peccata, 751. 1. c. d
Opera bona sine imperio charitatis, an mereantur incrementa virtutum, 759. 2. b
Orare quomodo deceat tam viros quam mulieres, 54. b
Orationis portæ apud Iudæos olim clausæ, sed conversionis semper apertæ, 125. a
Ordo secundum naturam & ordo naturæ, an idem significent, 571. 2. d
de Ordinis sacramento, 598. 1. a
Ordinum interstitia, 388. 1. a
Ordines quam circumspectè conferendi, 458. 1. d. e
Ordines duo in Ecclesia à Deo instituti, 92. b
de Ordinibus minoribus, 733. 2. e
de Ordinis Sacramento Concilii Tridentini doctrina & Canones, 687. 1. b. c. 2. d. e. *& seq.*
de Ordinandorum ætate, 335. 1. e
de Ordinandorum institutione, 422. 1. c
Ordinandorum Examen, 373. 2. a
Ordinare non licet Episcopo in aliena Provincia, 139. a
Ordinationibus contrariis usu detrahendum iis quę bene constituta sunt, 707. 1. c
Ordinatio an sit rata etiamsi quæ ad celebritatem pertinent in ea, non sint observata, 393 2. b. c. *& seq.*
in Ordinatione prohibita cum essentialia fuerunt adhibita, an ordinationis sit necessaria reiteratio, 394. b. *& seq.*
Ordinationes non iterandę, nisi ab hęreticis collatę, 141. b
de Ordinationibus, 408. 1. e
de Ordinationibus Græcorum plura & notanda, 605. 1. c. d. *& seq.*
cum Ordinatis ab alieno Episcopo difficilè olim dispensabatur, 392. 1. e. d
de Ordinatis ab intrusis Pontificibus, 405. 2. b
de Ordinatis sine titulo, 406. 1. d
Orientales ad libidinem quantum proclives, & quantum cœlibatui Clericorum se opposuerint, 101. a. b
Orientalium Ecclesiarum distributio, 196. a
Orientalium adversus Divum Cyrillum & illius Anathematismos ad Imperatores Epistola, 229. a
Origenes qualis & quantus, 289. b
Origenes cur de perperam susceptа ordinatione fuerit accusatus, 138. a
Origenis errorum damnatio à quibusdam revocata, 290. a
Origenis error, animas ante corpora esse productas, 309. 1. a
Origenes anathematisandus, 283. b
Origenis errores & absurda dogmata, 285. a. b. pro illo apologia Pici Mirandulani, 287. b
de Origenus damnatione infernali notanda visio, 289. a. item de illo Vincentii Lirinensis judicium, *ibid. & seq.*
de Origene quid senserit recens octo Synodorum Orientalium Scholiastes, 290. a
Origenis pœnitentia, 288. a
Originale peccatum, 3. b. 19. a. 24. b
Originale peccatum an sit voluntarium in infantibus, 760. 2. b. c. *& seq.* 761. 1. a
Originalis peccati transgressio an sit æqualis in omnibus nascentibus, 762. 1. a
de Originali peccato, Tridentini Concilii decretum, 640. 2. d. *& seq.*
in Orthodoxos calumnia, 191. a
Osculum hebraicè, idem quod eruditio, 13. b
Oseas Propheta & quid de Christo prædicat, 39. a
Ova an liceat comedere in quadragesima, 339. 2. a. b.

P

PActum Dei cum homine à S. Patribus agnitum, 5. b
de Pædagiis, 409. 1. d
Ioann. Palæologus. Vide Florentinum Concilium.
Palladius hæreticus in Aquileiensi synodo damnatus, 99. a
in Palmam ascendere & apprehendere fructus ejus quo sensu dicatur de Christo, 16. a. b
Panis. Vide Sacrificium.
de Pane azymo & fermentato, 591. 1. c
de Pane azymo & Eucharistia, 602. c. *& seq.*
Panoplia Lindani commendata & descripta, 75. b
de Papæ electione quid fuerit statutum in sessione 23. Concilii Constantiensis, 495. 2. a. *& seqq.*
Papa an subjiciatur statutis Conciliorum, 96. a. item an eadem statuta possit mutare, *ibid.*
ad Papam an pertineat determinare ea quæ sunt fidei, 94. b. Vide Ecclesia.
Papæ Iurisdictio, à quo, 435. 2. c
Papæ quodnam sit munus, 326. 2. a
ad Papam pertinere Concilium generale convocare, ac in illo præsidem agere, probatur, 76. b. 77. a. 79. a
Papa prius damnat hæreses quàm Concilia, 722. 2. a
de Papæ & Concilii authoritate plura & notanda, 503. 2. d. e. 504. 1. a. *& seq.*
contra Papæ authoritatem objectionibus respondetur, 505. 2. d. *& seq.*
Papæ authoritas in Concilio Chalcedonensi, 246. 1. d. e
Papæ Romani authoritas ex Concilio Nicæno, 565. 1. a. 589. 1. e. 2. c. d. 591. 1. e. 603. 2. a. *& seq.*
de Papæ & Conciliorum authoritate, tres notandæ propositiones, 600. 2. b. damnatæ, 601. 1. c
de Papa & ejus authoritate quænam fuerit mens D. Augustini, 86. b. & D. Thomæ, 87. a. b. 88. a. b. *& seq.* Vide Salus.
Papa an succedat B. Petro in perfectione potestatis & dignitate vicariatus Christi, 90. b. Vide Claves.
Papārum & Imperatorum dissidia pro investitura, 396. 2. a
Papæ potestatis plenitudo circa corpus Christi mysticum, non circa verum, 94. a
Papa an sit prælatus immediatus cujuslibet fidelis, 92. a

Papæ de iis quæ in Concilio acta sunt, ratio reddenda, 236.1.e
Papatus D. Petri in quinque occasionibus executio, 48. b
de Papatu Lutheri dicteria, 624.1.e
Paphnutii de cœlibatu sacerdotum sententia, 101.2. 108 b
Parabolæ à Christo propositæ, 43.b
Paralipomenon libri, supplementum historiæ Regum, & quid in iis tractetur, 8. a. & b
Pares Chrysopolitanus Episcopus ejusque de Immaculata Conceptione sacratissimæ Virginis sententia, 514.1.c
Paries quem soluit Christus, quis sit, 58.a
Parochiæ cujuslibet proprius sacerdos, an possit dici Papa, 92 a
de Parochiis urbium nominatarum, 613.2.a
Parochiæ diversæ cur in Ecclesia constitutæ, 24. a
de Parochiis instituendis, 409.1.e
Parochia aliena ab Episcopis non pervadenda, 137. a
de Parochis Ecclesiarum Parochialium, 699. 2. à. Vide Curatus.
de Parochorum residentia, 407. 1.c
Partus sanctissimæ Virginis citra ullum dolorem, 341.1. e
Parvulis ad petram allidendi ex Psalmo 136. quinam sint, 32.b
Parvulos non obligari ad Communionem sacramentalem, 680.2.a. &c.
Ioann. Parvi Minoritæ doctrinæ perversitas à Gersone expugnata, 487.1.a
ex Parvis magna facit Christus instar Regis, 30. b
Pascendi animas modus triplex, 63.b
de Paschatis celebratione, 136.a.147.a
de Paschatis die celebrando, 175. a
Pascha triplex, 414. 2.c
de saltem in Pascha communicando, 421. 2.c
Paschale tempus cur non determinatum pro Confessione, sicut pro Eucharistia suscipiendo, 437. 1. e
de Confessione Paschali facta privilegiatis, 432.1. b. c. & seq.
Passio Christi atrocissima requirebatur, ut convenientiori modo repararetur genus humanum, 36. a. ejusdem graphica descriptio ex Threnis Jeremiæ, ibid. & b
de Passione Christi mira prædictio apud antiquos Hebræos, 224.b
Passio Christi secundum Davidem, 21. b
Passionis Christi historiam magis sonat Psalmus Christi quam propheciam, 21 a
Passivè & activè agere, quid sit, 727.1.d
Pastor. Vide Pasco.
Pastoris potestas triplex, 444.2.d.e
Pastoris Ecclesiæ gubernandæ quinam eligendi, 695. 1.d.e. 2.a. & seq.
Pastorum successio una è notis Ecclesiæ, 13.b
Pastorum tam spiritualium quam corporalium labores, 352.1.c
Pastor instar lupi gregem dispersens, 226.a
Pastoris in spiritualibus potestas triplex, 444. 2. d. e
Pater in Divinis unicum principium Spiritus sancti, 580.2.b.c
de Patris persona in Divinis, 153. a
Paterini. Vide Albigenses.
Patriarcharum ordo quando in cœperit, 99.b
de Patriarchæ universalis titulo, 379. 1. e. & seqq.
de Patriarcharum dignitate, 418 2.a
Patriarchis, an sit prælatus Pontifex Romanus, 88.a.& b
Patriarchæ titulum à tempore Chalcedonensis synodi semper usurparunt,
an in Patriarcham eligi liceat de senatoria dignitate, vel de aliquo Laicorum ordine nuper tonsum, 387. 2. d
jus Patronatus quomodo acquiratur, 673. 2.c.708. 1.d. & seq.
Patroni competentem portionem Clericis debent dimittere, 423.1.c
Patronus Clero Ecclesiæ injurius, Patronatu privandus, 424. 2.c
Plani in Concilium Tridentinum objectiones subdolæ, 724.1.a. & seq. 730. 1. c. 731. 2. a. mositatis arguitus passus, 733. 1. b. & c. & seq.
de D. Pauli quatuordecim Epistolis plura & notanda, 49. b. 50.a. & seq.
D. Paulus à Porphyrio apostata redargutus, 56. a
D. Paulus in quo fuerit par D. Petro, 97. b
Paulus Samosatenus, 204. b
Paulus hæreticus, 305.1.a
Paulianistæ quinam sint & an ad Ecclesiam redeuntes, baptisandi, 170. b. 171.a
Paulianistæ iidem qui Photiniani, 295.a
Pauper. Vide Egenus.
pro Pauperum dispensatione rerum Ecclesiasticarum potestatem habeat Episcopus, 140. a
in Paupertate cur venerit Messias, 124. b
de Paupertate fratrum Minorum annotatio, 469.1.d. e. & seq.
Pax inter exercitus, 396.1.c
Pacem & charitatem plus omnibus diligit Deus, 313. 2. d
Peccantes justitia debet coercere, conversos misericordia non debet repellere, 262.1.c
Peccatores, verè terra oblivionis, 28.a
Peccator an in suis omnibus actibus serviat dominanti cupiditati, 758. 1. a
Peccator in judicio inexcusabilis, 804. 2. e
Peccatum originale, 5. b
Peccati & naturæ corruptæ status, 5. b. *Vide* Ægyptii.
de Peccato Originali. Vide Originale peccatum,
an sit peccatum damnabile in eo quod sit necessario, 768.1. c. & seq
Peccatum omne an sit mortale, & nullum veniale ex natura sua, 749.1.c.d. & seq.
Peccati miseriæ in Psalmo 101. expressæ, 29. a. b
Peccata hominum non jam super humeros, sed sub pedibus Christi, 40.a
Peccata parentum an traducantur ad filios, 762. 1. b. c
per Peccatum quot & quanta mala incurrerit natura humana, 36. a
Peccatum an sit omne quod agit peccator, vel servus peccati, 755. 2.d
de Peccato occulto privata olim celebrata pœnitentia, 104.a
Peccatorum in judicio calamitas ex tribus, 819. 2. b. c
in Peccatis varios situs & status habere homines, 57. b
Peccata hominum sine arbitrio ad Deum comparata, 813. 1. b
Peccatum an expellat gratiam physicè & formaliter, an verò tantum moraliter & demeritoriè, 769. 1. d
an in Peccati vindictam homines quibus libet tribulationibus impetantur, 769. a. d. e. 770. 1. d. e

Peccatorum circumstantiis, 730. 1. a. b. *& seq.*
Peccatis propriis potius irasci quam alienis, quam sit justum, 19. a
Pelagius & ejus hæresis, 67. a
Pelagius damnatus, 237. a. c
Pelagiani cum Nestorio damnati, 217. b
Pelagianis similes qui contraria pietati sentiunt, 233. 1. a
Pelagianismus damnatus, 725. 2. a
Pepuziani hæretici, quinam, 197. b
liber de Periculis novorum temporum damnatus, 433. 1. e
Persecutio malorum adversus justos, ludus est, 56. b
Persecutiones Ecclesiæ usque ad tempora Constantini, in Psalmo 59. descriptæ, 25. b. 26. a
qui Persecutionem patitur, durum est eum non recipi, 190. a
de Perseverantiæ munere, 645. 2. c
Persona quid importet, 557. 1. a
Persona multiplicat personas, 558. 1. a
Persona una SS. Trinitatis in visione beatifica, an possit videri sine alia, 47. b
Personæ ratio an conveniat Patri, Filio & Spiritui sancto, 151. b
de Personis divinis in ordine ad Relationes, 156. a. de iisdem in ordine ad actus notionales, *Ibidem* b. item & de iisdem in ordine ad se invicem, 157. b
Petitio. Vide Christus.
Petra quam non vincunt superborum inferorum portæ, quænam sit, 86. b
D. Petrus. Vide D. Iacobus.
D. Petrus quando, ubi, & quomodo in Christi Vicarium & Pontificem totius Ecclesiæ designatus, 115. b
D. Petri primatus, 352. 2. a
D. Petri epistola prima quid tractet, & qua occasione scripta sit, 63. a
D. Petro cur dicat Christus singulariter, *Pasce oves meas*, &c. 47. b. 48. a
D. Petri inter Apostolos primatus assertus, 99. b.
D. Petrus, an sederit Antiochæ & Romæ, 83. b
D. Petri primatus juris divini. 48. b. quot ejus miracula narrantur in Actibus Apostolorum, *Ibid.* & 49. a
D. Petrus de Bruis fons hæreseon in Occidente, 400. 2. a. 403. 1. b. & 2. b. Illius obitus, 404. 1. c.
sub Pharaonis jugo durissimo populi Hebraici captivitas quid præsignificaverit, 7. b
Pharisæorum & Saducæorum discrimina & hæreses, 121. b
Phialæ iræ Dei plenæ, quid denotent, 68. a
ad Philemonem D. Pauli epistola & illius argumentum, 60. a
Philippenses ad quid hortetur D. Paulus in sua ad eos scripta epistola, 59. a
Philippicus Imperator cur damnatus à Synodo Romana, 108. a
Philippus Imperator, primus Romanorum Principum Christianus, 289. b
Philo Iudæus, an sit author libri Ecclesiastici, 17. a
Philosophiæ præceptoribus imperatum ut discipulis suis ostendant & declarent veritatem Religionis Christianæ, 609. 1. c
Philosophi cujusdam eruditissimi & argutissimi in Concilio Nicæno notanda conversio, 163. a
Philosophorum virtutes, an sint vitia, 751. 1. c. d
Photius schismaticorum dux, 86. a
Photius qui plures devoravit Bibliothecas, 148. b
Photii ambitio & malitia, 382. 2. a. &c. 393. 1. c. ejus liber crematur in Concilio quarto Constantinopolitano, 383. 1. c
Photii silentium in Concilio IV. Constantinopolitano, 388. 1. b. de eodem longè plura, *Ibidem & seq.*
Photius anathematisatus, 388. 1. b. illius hæresis, *Ibid.* 2. c. d
Photius ex neophyto factus Patriarcha Constantinopolitanus, 145. b
Photium neophytum videri nunquam fuisse Episcopum, 387. 1. b
Photinianorum error idem ac Pauli Samosateni, unde & Paulianistæ dicti, 195. a
Picturæ impudicæ prohibitæ, 351. a
Pictura sacra ad recordationem temperantiæ & continentis vitæ facit, 368. 1. a
Picus princeps Mirandulæ non modicum ingenii sui specimen exhibuit in defendendo Origene, 288. b
Pietas floret sub bonis Regibus, 118. b
Pietas fructus est misericordiæ, 320. 2. d
ad Pietatem & Dei cultum quid maximè instruat, 685. 1. d
sub Pietatis prætextu Eutychetem Ecclesiam conturbasse, 291. a
Pighii de Honorio summo Pontifice sententia, 378. 1. e 2. b. *& seq.*
Pighii de Conciliis Generalibus VI. & VII. opinio & argumenta, 378. 1. c. *& seqq.* ad illa Ioverii responsio, 379. 1. c. *& seqq.*
Piscatorum discipuli per Philosophiam & inanem fallaciam non decipiendi, 310. 2. b
Pii Papæ II. retractationes eorum quæ pro Concilio Basileensi contra Eugenium IV. scripserat, dum esset adhuc in minoribus, modestia item & pœnitentia, 508. 1. c. 2. b. *& seqq.*
sub Pio IV. Pontifice Maximo Concilii Tridentini celebrationis Bulla, 676. 1. b. *& seq.* item & Confirmationis, 719. 2. a
Placere Deo, finis liberationis per Christum, 25. a
Plenitudo legis an sit semper cum remissione peccatorum, 754. 2. a
de Pluralitate beneficiorum, 422. 2. c. 423. 1. a
Pneumatomachorum astutia, 192. 2. 194. b
ad Pœnam obligant peccata, 31. b
Pœnæ temporalis quæ peccato dimisso sæpe remanet, solutio, cui adscribenda, 745. 2. a. *& seq.*
Pœna nihil dignum est, nisi fiat ex arbitrio, 812. 2. b. c
Pœnitens quid recipiat à Sacerdote absolvente, 764. 2. a
Pœnitentes quandoque maxima affici lætitia de peccatis, Incarnationis fructus, 31. b
in Pœnitentibus an sit vera justificatio separata à remissione peccatorum, ante Sacramentum absolutionis, 759. 1. b. c
Pœnitentiæ tribunal in justitia & æquitate judicat, 29. a
de ad Pœnitentiam revertentibus recipiendis, 141. a
de Pœnitentiæ Sacramento, 597. 2. c
Pœnitentia seu satisfactio olim duplex, publica & privata, 103. a
Pœnitentiæ item publicæ gradus, *ibid.*
de sacramenti Pœnitentiæ necessitate & utilitate, aliisque ad illud spectantibus, plura & notanda ex Concilio Tridentino, 666. 1 d. *& seq.* Ca-

nones, 670
ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutio, 730. 1. c. d
Pœnitentiæ canonicæ quatuor gradus, 168. a
Pœnitentia falſa, 402. 2. e
Pœnitentia duplex, canonica & ſacramentalis, 168. b
Pœnitentia, ad quam dicit D. Paulus eſſe impoſſibile renovari eos qui poſt illuminationem prolapſi ſunt, quænam ſit, 61. b. 62. a
de Pœnitentiariis in Cathedralibus Eccleſiis inſtituendis, 697. 1. d. e
Pœnitere qualiter debeant qui ſponte lapſi ſunt, 168. a
Poëſis ſtudio incumbere, in ſacris Ordinibus conſtitutis prohibitum, 609. 1. d. e
de Pollutionis peccato, de quo & turpis ac erubeſcenda hæreſis, 58. b
Polychronii contendentis ſuſcitare mortuum ad probandam hæreticam ſententiam, inſania, 513. 1. a. b. ejuſdem fidei formula, *Ibidem.*
Polychronius infantilis intelligentiæ delirus ſenſu, 318. 1. b. prævaricationis inſtructor, 319. 2. c.
de Pontificis dignitate, 139. b
erga Pontificem Romanum reverentia, 590. 2. c. d
ſummi Pontificis & Imperatoris ſedes in Concilio Florentino, 516. 2. b. c
de Pontificis Romani authoritate, 603. 2. a. *& ſeq.*
de ejuſdem infallibilitate, 604. 1. d. e
ad ſummum Pontificatum aſſumptio, opus eſt non mere humanum & naturale, 85. b
Populi eſt tentatio, error magiſtri, 289. a
Porphyrius apoſtata D. Paulum arguens refutatur, 56. a
Porphyrii de Origene teſtimonium, 289. b
Portæ Eccleſiæ quænam ſint, 278 b
Portæ juſtitiæ de quibus in Pſalmo 117. quænam ſint, 31. a
non Poſſe, quam aliquando deſignet impoſſibilitatem, 47. b
de vera Poſſeſſione, 424. 1. d
de Poſſeſſione triennali, 614. 1. e
tres Potenciæ à Chriſto in illius adventu diſſipatæ, 22. b
Poteſtas cuſtos eſt diſciplinæ, 320 2. d
Poteſtas Ordinis & poteſtas juriſdictionis, 90. b
Poteſtas ſuprema cur Pontifici Romano conveniat potius quam Antiocheno, aut Conſtantinopolitano, 604. 1. b
Poteſtas Romani Pontificis circa Concilia, 614. 2. e. 610. 1. b
de Poteſtate ſpirituali & temporali plura, 443. 1. b. *& ſeq.*
Poteſtatem inconfuſam & impartibilem in divinis & humanis habuit Chriſtus, 307. 2. a
Poteſtas tam ſæcularis quam ſpiritualis, an reſideat in Papa, 96. b
Poteſtatis plenitudinem an habeat in Eccleſia ſummus Pontifex, 91. a. & b
Poteſtati majori magis eſt obediendum quam minori, 434. 1 e
de Præbendis Theologalibus, 612. 1. d
ſub Præcepti nomine quid intelligatur, 18. b
Præceptorum Chriſti tria genera Chriſtianis intimanda, 429. 1. d
Præcepti modus an cadet ſub præcepto, 166. 1. 2
de Prædeſtinatione locus notandus, 49. b. 51. e
Prædeſtinationem ſine præviſis meritis ex gratia Dei, an aſſerat D. Paulus, 52. a. 57 b
Prædeſtinationis cavenda præſumptio contraria, 645. 2. b
Prædeſtinationis explicatio fidei conſona, 790. aliàs 791. d. e. *& ſeq.*
Prædeterminantium doctrina repugnat articulo fidei de extremo judicio, 809. 1. c. *& ſeq.*
ad Prædicandum tria Apoſtolis à Chriſto injuncta, 429. 1. e
Prædicatio Chriſti deſignata, 23. b
de Prædicationis munere, 696. 2. c. *& ſeq.*
Prædicatio apoſtolica verbum conſummans & verbum abbrevians, 52. a
ad Prædicatores notandum monitum, 54. a. b
Prædicatoris inſtructio, 59. b. cur dicatur Agricolæ ſimilis, *Ibid.*
Prædicatoribus quænam prædicare prohibita, 611. 1. a. b
Prædicatores qui propria authoritate prædicent, an Papa poſſit inſtituere, 92. b
de Prædicatoribus inſtituendis, 429. 2. c. d
de Præjudiciis Concilii Tridentini, de quibus conqueruntur hæretici, 722. 1. b
Prælati an correcti à ſubditis, poſſint, aut debeant corrigi per correctionem pœnalem, 97. b
de Prælatorum confeſſionibus & negligentia ſuper divinis officiis, 421. 1. d
Præmonſtratenſium exemptiones & immunitates approbatæ, 300. 2. c
Præpoſituræ. Vide Abbatiæ.
nulla Præſcriptio, tam canonica quam civilis, valet abſque bona fide, 424. 1. e
Præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, an deſtruatur his verbis: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*, 47. 2. b
de Præſentiæ realis corporis Chriſti in Euchariſtia, modo, tres opiniones, 430. 2. d
Præſidentium integritas ſalus eſt ſubditorum, 460. 1. e
Præſules Eccleſiaſtici abſtinent à curis ſæcularibus, & vacant orationi & lectioni, 391. 1. b. c
Præſumptio quorundam Sacerdotum, 41. b
propter Prævaricationem Adami nullius fere peccato, 33. b
Pragmatica ſanctio abeletur, 615. 1. e
Preſbyter principatus amator deponendus, 138. b
Preſbyteri parochiales Epiſcopis ſuſditi, 397. 2. e
Presbyteri à quo ordinandi, 135. a
Presbyterorum Synodus, 491. 2. b
Presbyter Græcus ſchiſmaticus an valide poſſit abſolvere ſuos ſubditos, 487. 1. e. *& ſeq.*
Primates unde ſic dicti, & quando, 99. b
Primatum in terra quicumque deſideraverit, confuſionem inveniet in cœlo, 460. 1. d
Primatum Romani Pontificis eſſe juris divini, probatur, 179. b
de Primatu Epiſcoporum, 139 a
Primogenitos in lege naturæ cur ſacerdotium gerere Deus voluerit, 48. b
Principum conſtitutiones Eccleſiis non debent præjudicare, 424. 2. b
Principis officium in controverſiis fidei, 191. b
Principum quatuor ſuperiores, & quinam ſint, 98. a
Principatus, mundi rectores tenebrarum harum, de quibus D. Paulus, quinam ſint, 59. a
Principium cujuſque rei quam ſit difficile, 319. 1. c
Prioratus. Vide Abbatiæ.
Prioritatis varii modi apud Dialecticos, 116. a
de Privilegiis Regularium longè plura, 427. 1. a. *& ſeq.*

de Privilegiorum verbis interpretandis, 427. 1. d. e
circa Privilegia audiendi Confessiones notanda disputatio, 433. 1. c. d. & seq.
de Privilegiatorum contra Episcopos excessibus, 407. 1. 2. b. & seq.
de Privilegiatorum excessibus & injuriis, 458. 2. c. d. 459. 1. a. b.
de Probationibus in Judiciis, 424. 1. a. b
de Processionibus divinis, 138. b
Processio in divinis qualis sit motus, an localis, an originalis, 452. 2. d
Processionis verbum duo significat, 555. 1. a. & c
Processio Spiritus sancti à Filio, quanti sit momenti, 454. 1. d
Procurationes sine visitatione non accipiendæ, 425. 2. a
Progressus Christi in mundo virtuosus, & quæ ad eum spectant, 43. b
Propassiones in Christo, non passiones, 310. 1. b
Prophetæ quare alii majores, alii minores dicantur, 34. b. de iis iterum plura & notanda, *Ibidem* & 35. a
Prophetis familiare ut primum aliqua Dei visione donarentur antequam Prophetarent, 37. a
de 12. Prophetis minoribus, 38. b. quod argumentum tractent, *Ibid.*
Prophetarum circiter quadringentorum qui omnes erraverunt, Concilium à Calvino notatum, 111. b
Prophetales libri quinam sint, 17. b
Prophetia de futuris intelligenda in sacris Scripturis, ubi de præteritis non constat historia, 30. b
7. Propositiones nuper damnatæ. Vide Ianssenius.
tres Propositiones de vi & authoritate Papæ & Conciliorum, notandæ, 600. 2. b
Propositiones quænam usurpandæ, & quænam non usurpandæ in Divinis, 161. a. b
de Protestantibus, eorumque in Tridentinum Concilium querelis, 721. 1. d. 723. 1. c. & seq.
Proverbium obscurum, 369. 1. a
Proverbiorum in Scriptura liber quid proponat, & quomodo dividatur, 11. b. & 12. a. de eodem plura, *Ibid.* & seqq.
contra Providentiam divinam quorundam Sacerdotum verba, 41. b
de Provincia in Provinciam transire an liceat Episcopo, 186. a
de Provisione beneficiorum, 423. 1. a. b. & seqq.
Psalliani hæretici quinam & unde sic dicti, 218. b
Psalmorum libri quis sit author, quæ materia, quæ divisio, & an omnes de Christo possint intelligi, 17. b. 18. a. de iisdem pluratam generatim quam singulatim, *Ibidem* & seq.
Psalmus 19. Iudeis exosus, 21. a
Pseudo-Propheta Antichristi socius, 68. a. b
Ptolemeus Philadelphus rex Ægypti Librorum & Bibliothecæ quantum studiosus, 120. a b
coram Ptolemeo Philometore Iudæorum contra Samaritanos disputatio, 120. b. 121. a
Publicani. Vide Albigenses.
de Purgatorio Latinos inter & Græcos notanda disceptatio in Concilio Florentino Ferrariæ celebrato, 517. 1. d. e. 518. 1. a. & seq.
de Purgatorio Tridentini Concilii decretum, 701. 1. d. & seq.
de Purgatorio in Concilio Florentino agitatum, 589. 1. a. 2. d. 591. 1. c. d

Q

Quadragesima ab Apostolis instituta, 143. b. 144. a. 147. a
Quæstiones Græcis in Concilio Florentino propositæ, 593. 1. a
de Quinisexta Trullana Synodo nonnulla, 101. b. 102. a

R

Rationem sequenti non sunt ponenda plura, quàm quæ ratio naturalis concludit, 438. 1. d
Ratisbonensia comitia, 378. 1. e
de Raymundo Lullo nonnulla, 456. 1. c. d.
Reconciliatio canonica & cæremonialis, 169. a.
Redemptio, Petra scandali hæreticis, 244. 1. c.
Redemptionis mysterium impugnatum à Nestorio & Pelagio, 217. b
Redemptionis mysterium confirmatum, 286. b
Redemptionis negotio adversatur opinio de duabus animabus, 38. 1. a
Redemptionis tres gradus contra Iansenium, 22. a
pro Redemptionis mysterio debita gratitudo, 514. 2. c. 515. 1. a
Redemptionis opera, per opera creationis adumbrata, 29. b
Redemptionis mysterium à Luthero impetitum, 621. 2. b
Redemptionis mysterium vindicatum in Concilio Lateranensi quinto, 608. 1. b
Redemptionis humanæ mysterium Conciliorum omnium argumentum fere perpetuum, 113. b. 114. a
Redemptio à primis hæreticis impugnata, 317. 2. e
Redemptionis mysterium impugnatum à Monothelitis, 292 b
Redemptionis Christi mysterium, sive à fronte, sive à latere impugnant ferè omnes Hæretici, 54. b
Redempti de quibus in Psalmo 106. quinam dicantur, 29. b
in Redemptis per meritum Christi an nullum inveniri possit bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum, 744. 2. d. e. & seq.
de Reformatione Tridentini Concilii decretum, 641. 2. c. d. & seq. 671. 2. d. e. & seq. 649. 1. a. & seq. & *alibi passim.*
Reges in spiritualibus Papæ subditi, 89. b
de Regibus Orientis qui ad Regem Messiam adorandum venere, 123. b
Regum adoratio cum muneribus quid præsignificaverit, 69. a
Regum liber canonica scriptura, & quid in illo tractetur, 8. a
per Regem & Deum simul junctos in Scriptura quid intelligatur, 19. a
in Reges potestas Papæ, 98. a
Regia nominatio ad Beneficia, 611 2. a
Regimen optimum multitudinis, quidnam sit, 88. a
Regio vivorum de qua in Psalmo 114. quænam sit, 30. b
Regnum in David commutatum, reprobato Saüle, 5. a
sine Regno neque pax Ecclesiæ, neque Regno salus poterit provenire nisi per Ecclesiam, 443. 2. d
Regressus Christi in cœlum gloriosus, & quæ ad eum spectant, 44. a. b
sub Regula esse, sub regula constitutum existere, & à regula esse alienus, quidnam sit, 170. a. b
de Regularium clausura, 458. 2. a

Regularium approbatio, 406.2.b
de Regularibus, plura & notanda ex Concilio Tridentino, 702. 2. b. *& seq.*
Regularis vel cathedralis Ecclesia ultra tres menses non debet vacare, 422. 1. b
de Relationibus divinis, an dentur, an sint idem cum essentia vel ab ea distinguantur, & quot sint, 150. a.b. *& seq.* 151. 2
Relatio sola multiplicat personas, 538. 1. a
Religio quæ & quanta requirat pro debito cultu, 243. 2. d
Religionis Christianæ communitas, an teneatur providere Papæ de necessariis ad regimen Ecclesiæ, 97. a
Religio, Concilii Naturæ præses, 242. 1. b
Religionis Christianæ quatuor conditiones, 396. 1. d. e
Religionis Christianæ veritas discipulis à Philosophiæ præceptoribus ostendenda & declaranda, 609. 1. c. d
novæ Religiones prohibitæ, 420. 2. d
Religionis quodnam sit primarium fundamentum, 85. b
Religionis ut non sit qui professus est religionem, an possit facere Papa, 93. a
Religiosi, populus pauper & egenus, qui sperat in nomine Domini, 40. b
Religiosorum inordinationis causa, 116. a
Religiosi in quibus sint subditi Episcopis, 397. 2. d
Religiosus non debet fidejubere sine licentia Abbatis & Conventus, 427. 1. d
Religiosi decimas non debent accipere de manu laïcali, 427. 2. a
Reliquiæ sanctorum virtute potentes, 353. 1. b
Reliquiarum cultu nihil est in Ecclesia quod vetustas magis commendet, 107. b
Reliquiæ Sanctorum quomodo ostendendæ & recipiendæ, 427. 2. b. 465. 2. c
sine Remissione peccatorum an possit esse charitas perfecta, tam in Catechumenis, quàm in Pœnitentibus, 754. Vide Plenitudo, 755. 1
Reprobatio. Vide Prædestinatio.
de Reservatione casuum; & an res sit perspicuæ veritatis, 728. 2. b. c. 729. 1. c. 2. a
de Residentia Episcoporum in suis Ecclesiis, 188. b. 189. a
particula *Respectivè* quid significet in Bulla Pii V. contra Iansenii & Baji doctrinam, 740. 2. b. c
Restitui non debere quos sancta Synodus damnavit, 218. a
de Restitutione danda contra possessorem, 424. 1. c
Resurrectio corporis, an solis Christi meritis sit adscribenda, 745. 2. a
per Resurrectionem primam quid sit intelligendum, 68. b
Resurrectio mortuorum quomodo per hominem facta sit, 222. b
Resurrectio mortuorum negata ab Origene, Dydimo & Evagrio, 309. 1. a
Resurrectionem qui non credunt, pejoris sunt quàm pecudes conditionis, 71. a
de Resurrectione à mortuis, 181. a
Resurrectio Christi & quænam fuerit ejus causa, 19. a
Resurrectio Christi opus misericordiæ & justitiæ divinæ, 25. a. 28. a. b. 39. a. 40. b
Retinendi peccata potestas, 733. 1. b
Retrosum reverti bonum est ei qui aversus creatorem suum deseruit, 30. b
Reus convictus ad Clerum non admovendus, 142. b
Richelæi Cardinalis de Concilii Tridentini in Gallia receptione sententia, 737. 2. b
de Ritibus in eadem fide diversis, 419. 2. b
Roma cur dicatur Babylon à D. Petro; 64. a. 68. b
Romæ sedes apostolica & primus Episcoporum, 229. b
Aug. de Roma Episcopus Nazarenus, Ordinis D. Augustini, ejusque errores, 495. 1. c. *& seq.* & damnatio, 509. 2. c d. *& seq.*
Romana Ecclesia pacis cum Græcis studiosa, 522. 2. c. d
de Romanæ Ecclesiæ supra cæteras authoritate, 83. a. b
Romanæ Curiæ abusus circa beneficia, 459. 2. e. 460. 1. a
ad Romanos scribere quid impulerit D. Paulum, 49. b. 50. a
Romani imperii majestas, 164. a
Romanus Pontifex solus est princeps Christianæ Diœceseos, 255. 2. d
de Romani Pontificis authoritate, 603. 2. a. *& seq.* de ejusdem infallibilitate, 604. 1. d. e
Romani Pontificis primatus, 560. alias 550. 2. d. e
Romanos inter Pontifices & sedem Romanam, quid sit distinguendum, 324. 325. 326
Romanus Episcopus non judicatur à quoquam nisi in casu hæresis, 586. 2. b
de Romani Pontificis primatu, 116. b
de Romani Pontificis authoritate, 186. b
Rosariorum usus ab hæreticis impugnatus, & vendicatus, 147. b
Rudium, id est gentium paganarum institutio in Cantico Canticorum designata, 16. b
Ruffinus arguitur & castigatur, 179. a
Rupertus Abbas, cui multa ex divino Spiritu creduntur revelata in Scripturarum sacrarum interpretatione, 11. b. 12. a
Ruthatavia Regis David, 8. a

S

Sabbata olim tria apud Judæos, 46 b
Sabbatiani hæretici cur sic dicti, 197. b. cur item & Siniştri, *ibid.*
Sacerdotes cum lætitia debent celebrare, 23. b. 24. a
Sacerdotem Domini, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, 264. 2. a
Sacerdos an ex dispensatione Papæ possit non indutus sacris vestibus consecrare, 95. a. b
Sacerdotum principes, de quibus apud Matthæum, quinam olim fuerint, 122. a
Sacerdotes summi duo simul regnante Davide, 117. a. & b
Sacerdotum tria capitalia vitia, 250. 1. e
Sacerdos proprius. Vide Parochias.
Sacerdos dupliciter potest impediri audiat ne confessionem, 92. b
Sacerdotis Turcæ cujusdam notandum & dolosum consilium, 464. 2. c
Sacerdotum sex peccata à Zacharia Propheta enumerata & reprehensa; 41. a. b
in decretis de Sacerdotibus uxoratis an Arelatense Concilium Gangrensi & Niceno sit contrarium; 109. b
Sacerdotum concilium Spiritus sancti præsentiam declarat, 227. a
Sacerdos proprius quis sit, 436. 1. a. Ea de decretum facultatis Parisiensis, *ibid.* c. item & sententia Ioannis de Annosis, *ibid.* d
Sacerdotes barbarici cum ordinantur uxores possunt relinquere, 336. 2. d
Sacerdotii Christi prærogativa, 62 a
Sacerdotii gratia post adventum Messiæ mirabiliter ampliata, 114. b
Sacerdotium in Samuelem commutatum reprobat Heli, 9.

Sacramenta liberè & sine pretio conferenda, 428. 1. c. & seq.
de Sacramentis Ecclesiæ Tridentini Concilii Decretum & Canones, 650. 1. c. d. & seq.
propter Sacramentorum institutionem omnes ad laudandum Deum invitati, 22. a
Sacramenta sibi non potest Laicus ministrare, 339. 2. c
circa Sacramenta potestas Episcopi. 419. 2. e
Sacramenta quænam aperiant viam justitiæ, 31. a
omnia Ecclesiæ Sacramenta ipse Christus perficit, 88. a
de sanctissimo Sacramento, Concilii Tridentini decretum plura continens capita illustrans Sacramentum spectantia, & Canones, 661. 2. 1. & seq. 663. 2. 2. & seq. 665. 2. 2. & seq. 718. 1 2. & seq.
Sacrificium Altaris, an sit unicum vel plura, 62. b
Sacrificium incruentum corporis & sanguinis Christi, 215. b
Sacrificia animalium vetera & cruenta, quid præsignificaverint, 7 b
in Sacrificio Altaris quid sit offerendum, 335.
Sacrificium panis & vini, & de eo plura & notanda, 621. a
Sacrificii nomine quid propriè significetur, 241. 2. c
Sacrificii incruenti dignitas, 41. b
in Sacrificio vinum aqua mistum debet offerri, 337. 1. a
Sadoch summus sacerdos, 119. a
de Saducæis hæreticis sub Juda Machabæo, 121. b
Sæculares à Beneficiariis non distandi, 408. 1. c
Salomon an author quinque librorum Sapientalium, 21. b
Salomonis sapientia longè inferior Christi sapientia, 9. b
Salomon docet fidem, spem & charitatem erga Christum, 12. a
Salomonis lectulus & ferculum, quid? 14. a
sub Salomonis typo plures Christi excellentiæ exhibitæ, 26. b
Salvandorum paucitas præfigurata primo tempore legis naturæ, ut & tempore legis Mosaicæ, ac per Christum expresè annunciata, 63. b
Salus ubinam ita certò reperiatur ut alibi non possit reperiri, 87. a
Salutis duo gradus, & quinam sint, 13. b
de Salutis necessitate an sit, subesse Romano Pontifici, 89. b. 90. a
ex Salutis necessitate quid sit credendum, 288
Salutare Israël quidnam sit, 20. a. 32. b
Samson Nazaræus, typus Christi, 9. a
Samüel, deque ejus sacerdotio, 9. a
Sancteli Ebroicensis Episcopi de Constantiensi Synodo judicium, 489. 2. d
Sanctio Pragmatica aboletur, 615. 1. b
Sanctuarium Dei, de quo in Psalmo 72. quodnam sit, 26. b
Sancti ut filii Dei colantur, 353. 1. b
Sanctorum in fine extremi judicii acclamationes, 821. 2. d. e. & seq.
de Sanctorum invocatione, veneratione & Reliquiis, Tridentini Concilii doctrina, 701. 2. b. & seq.
de Sanctorum cultu & quam dudum ab Ecclesia fuerit receptus, 107. b
Sanctis propria est laudatio Dei ob exaltationem Jesu Christi, 34. a
de Sanguinis Christi merito quicquid ad salutem & pietatem pertinet, promanat, 57. a
sine Sanguinis effusione quomodo fiat remissio, 62. a
viri Sanguinum, de quibus in Psalmo 138. quinam sint, 33. a
Sanguinis judicium Clericis prohibitum, 421. 1. e
Sapere aliter quam res se habet, humana tentatio est; 87. a
Sapientiæ liber cur sic dictus, 17. a. quis ejus author, *ibid.* cur inter libros Salomonis reponatur, *ibi. l.* b. quæ hujus libri partitio, *ibid.* quid de Christo habeat, *ibid.*
Sapientia mundi Christi præscientiæ comparata, manis est, 33. a
Sapientia mundi multiformis ac multifaria, 58 a
Sapientiæ liber à Salomone compositus cur non relatus in canonem ab Esdra, 120. a
de Sapientalibus Scripturæ libris, 11. 12. & seq.
contra Saracenos pugna, pro pœnitentia olim imposita, 402. 2. d
contra Saracenos item & Judæos, 409. 2. d
de Saracenis & Judæis plura, 428. 2. a. & seq.
Sardanapalus Ninivitarum Rex ad Jonæ prædicationem conversus, 40. a
Sardicense Concilium, seu Appendix Concilii Nicæni, 181. b. & seq.
Sathanæ perversitas, fortitudo, crudilitas, sollicitudo, 63. b
Satisfactio quæ duobus modis potest fieri, 63. a
Satisfactio pro pœnitentia, 104. b
de Satisfactionis in sacramento Pœnitentiæ necessitate & fructu, 668. 2. & seq.
de operibus Satisfactionis, 669. 1. 2
Satisfactiones justificatorum an valeant expiare condignè pœnam temporalem restantem post culpam condonatam, 771. 2.
Satirnin. errores ab ipsis Apostolorum temporibus, 24. b
Schisma teterrimum ex Cardinalium discordia, quod multos annos vexavit Ecclesiam, 404. 2 c
Schismatis tempore quid agendum, 487. 2. a
Schisma Græcorum. Vide Græci.
ob Schismata quæ & quot Concilia congregata, 607. 2. d
Schismaticorum fragilis invidia, 86. b
de Scholis juxta cathedrales & metropolitanas Ecclesias instruendis, 691. 1. a. & seq.
de Scholasticis magistris, 410. 1. c
Scholastici nominatio ad Beneficia, 611. 1. e
Scientia Christi superemnens, 38. b
de Scientia Christi plura & notanda, 510. 1. c. & seq.
Scientia Christianorum perfecta quænam sit, 199. 1. e
Scoti judicium de Scripturis, 430. 2. de processione Spiritus sancti, 453. 2. a
quid senserit Scotus de Immaculata Conceptione sacratissimæ Virginis, 513. 2. b
Scoti judicium de præsentia realis corporis Christi in Eucharistia modo, 430. 2. a
Scotistarum sententiæ de partibus Pœnitentiæ, 728. 2. e. 729. 1. & seq.
Scriptura vox Dei, sed non simpliciter, nec semper, 79. b. Vide Spiritus sanctus
Scriptura sacra veteris Testamenti universa, quæ perierat in Babylonica captivitate, quomodo instaurata, 119. b
Scriptura sacr. an sit prior Ecclesia, vel secus, 3. b. 4 a
Scripturæ lectio quantum sit damnosa hæreticis, 630. 2. c
Scripturæ sacræ à Judæis corruptæ, 35. b
de Scripturis Canonicis Tridentini Concilii decretum, 635. 2. a. b & seq.
Scripturæ sacræ eo Spiritu expositæ sunt quo conditæ, 450. 2. e
Scripturarum scientia apud homines in medio gentium viventes, & de labore corporis quotidianum victum quærentes non potest inveniri, 296 b
Scripturæ sensus à communione Sanctorum perendus, & non à singulorum interpretatione, 99. a. catholico consensu firmatus, paris semper authoritatis atque ipsemet Scripturæ contextus, *ibid.*

Scripturæ sacræ definitio & divisio, 1. a. illius œconomia, *ibid.* b. & 2. a. an illius novam interpretationem liceat afferre, 3. a. quo animo debeat legi, *ibidem.*
Scripturæ eo spiritu sunt expositæ quo sunt conditæ, 430. 2. c
de Scripturæ libris Hæreticorum objectiones, quibus respondetur, 724. 1. c. *& seq.*
sacræ totius Scripturæ scopus, 72. a. illius Ecclesiasticus & Apostolicus sensus ubi requirendus, *ibid.*
à sacra Scriptura an pendeat omnino & in universum divini juris authoritas, 73. a. b. *& seq.*
Scriptura an majoris sit authoritatis, quam Ecclesiæ definitio, 79. b
Scripturam à scriptura probari, non est necesse, 65. a
Secretarium quid olim dictum, 106. b
Sedere est humiliari; surgere, exaltari, 33. a
Semita, de qua Isayas cap. 35. intelligenda de iis qui servant consilia Evangelica, 35. b
erga Senem ineptum Ephesinæ Synodi Patrum pietas, 238. 1. b
uum, Literalis, Moralis & Anagogici, an sit habenda ratio in sacris Scripturis, 3. b
as compositi & divisi distinctio, 791. 2. c
entiam suam dicere in rebus quæ non sunt d-, & de quibus nulla est prohibitio per legitimam potestatem, sapientibus & eruditis viris sæpe licuit, 210. 2
ntentiam executoriam & comminatoriam an possit idex revocare, 413. 2. d
Septuaginta duorum interpretum versione, 120. 1
mo potabilis, 30. b
mones Christi de virtutum actibus & contra vitia, 44. a
os in Clerum provehi an liceat, 145. b
itus Doctor ejusque de Indulgentiis sententia, 36. 1. c. d
erus hæreticus, 304. 1. d
verus Antiochenus Episcopus sacris imaginibus infensus, 108. a
gillorum septem de quibus in Apocalypsi, apertio, 66. 1
Silere nihil aliud quam verbum subtrahere, 22. a
ad Silvestrum Papam I. Nicenæ Synodi Epistola, 176. a. ejusdem ad eam responsio, *ibid.* b. ambæ suspectæ fidei, *ibid.*
de S. Silvestro Imperatorem Constantinum baptisante, 357. post 46. *vendosè*, 2. b. *& seq.*
S. Silvester an interfuerit Concilio Niceno, 522. 1. b
Similitudines à Christo propositæ, 43. b
Simon Magus pessimis hæresibus pessimus & primus principiavit, 309. 1. c
Simoniam an possit committere Papa, 97. a
de Simonia, 428. 1. a. iterum de ea circa Monachos & Sanctimoniales, *ibid.* b. item circa illicitam pecuniæ extorsionem, *ibid.* item circa cupiditatem Clericorum, *ibid.* c
de Simonia vitanda in rebus sacris, 406. 1. b. c. item & in Religionis ingressu, 407. 1. a
de Simonia iterum in ingressu Religionis, 437. 2. a. b. *& seq.*
contra Simoniacos Constitutionum innovatio, 610. 2. a
mons Sina quomodo conjuncta Ierosolymis, 56. b.
Sinistrum latus an sit nobilius dextro, 295. a
ad Sion cœlestem perveniendi mediam, 32. b
Sisinnius vir & vitæ sanctitate & fidei simplicitate clarus, ejusque quam compererat religionis præconium, 225. b
Socordia Clericorum damnata, 142. a
particula *Solus* quomodo addi possit terminis notionalibus divinarum personarum, 180. b
Sophronii Hierosolymorum Episcopi de professione suæ fidei Synodica & notanda epistola, 305. 2. b
de Sortilegis damnandis, 339. 2. d. e
de sub utraque Specie Communione Tridentini Concilii doctrina, 679. 2. c. *& seq.* 680. 1. a. 2. c
Spes in Deum quam honorificè celebretur in Psalmis, 22. a. b
Spes in Christum, 11. a. b. 28. a
per Spinas de quibus in Psalmo 57. quinam intelligendi, 25. a
Spiratio activa quomodo distinguatur à paternitate & filiatione, 155. a
Spiritus sanctus in initio Ecclesiæ visibilibus signis datus, 55. b
de Spiritus sancti ex Patre & Filio processione. Vide plura & notanda in Florentino Concilio.
Spiritum sanctum accipere esse à Filio, probatur, 555. b. & c.
Spiritus sancti processio à Filio, quanti sit momenti, 454. 1. d
à Spiritu sancto Scriptura sana quoad sensum & verba; Ecclesiæ definitiones, quoad sensum, non quoad verba, 80. a
à Spiritu sancto Christum clarificandum quomodo debeat intelligi, 223. a. & b
Spiritus sanctus qualis ignis, 45. a
de Spiritus sancti processione, 452. 1. a. b. de ea Græcorum argumenta, *ibid. & seq.* triplici via probatur, 453. 1. c. d. 2. e
Spiritus sancti missio à Filio, 581. 2. a
de Spiritu sancto quomodo loquantur Græci, 305. d
Spiritus sancti præsentiam declarat Sacerdotum concilium, 227. a
Spiritus sancti processio disputatur in Concilio Lugdunensi secundo, 452. 1. a. b. *& seq.* triplici via probatur, 453. 1. c. d
Spiritus sancti unum principium, Pater & Filius, 453. 2. e
de Spiritus sancti persona & processione, 154. b. *& seq.*
Spiritus sancti divinitas declarata & explicata, 194. a
Spiritus Christi virtus & excellentia, 53. a. b
Spiritus de quo in fine ultimi Psalmi, quisnam intelligendus, 34. b
de Spiritibus quos D. Petrus dicit in carcere fuisse tempore mortis Christi, quid sentiendum, 63. a
de Spiritibus Angelicis an sint & corporei, 430. 1. b. c. *& seq.*
Spiritualium quorundam abusus, 467. 2. c
Spoliationis quatuor modi quibus afflicta est civitas Ierusalem, 36. a
Spondere pro amico quid sit ex mente Carthusiani, 137. b
de Sponsalibus Matrimonii, 694. 1. c
Sponsus universalis Ecclesiæ quis dicendus, 89. a
Stapletonis laudata commentaria in Acta Apostolorum, 41. b
Stella cui data est clavis putei abyssi, quænam sit, 67. a
Stella absinthium dicta, de cœlo religiosi status cadens, quænam sit, 67. a
de Stephano Macarii Antiocheni Archiepiscopi discipulo & hæretico, 303. 2. c. 304. 1. a
Sterilis. Vide Iudæi.
Sterilitatem manibus congregare, 569. 1. a
Stigmata Christi quomodo sint ferenda, 57. a
Petr. Suavis in Concilium Tridentinum obje-

Sobolis ſubdolæ, 714. 1. 2. *& ſeqq.* 730. 1. c. 731. 2. a
Suavitas Dei quam guſtare hortatur David, in quo ſita, 22. b. 36. b
ad Subdiaconatus Ordinem quinam admittendi, vel non admittendi, 690 1. d
de Subdiaconorum uxoribus, 335 1. e
Subditi non gravandi ſub prætextu ſervitii alicujus, 422. 2. b
Subſiſtentia abſoluta an detur in Deo, 151. b. *& ſeq.*
ſecundum Subſiſtentiam ad invicem uniuntur in Chriſto natura divina & humana, 306. 2. c
in Subſiſtentia una & eadem, naturalis differentia, 315. 2. b
de Subſiſtentiæ nomine notanda diſputatio, 285. b
Subſiſtentiæ in Chriſto poſt factam earum unionem non dividendæ, 213. b. 223. a
Subſiſtentia unica in Chriſto Deo & homine, 281. b
Subſtantia duobus modis intelligitur, 361. 2. c
Succeſſorem ſibi eligere, vetitum Epiſcopo, 144. c. 145. a
Sudori, Chriſti in horto hiſtoria deeſt in quibuſdam codicibus, & quid inde, 46 b
de Suffragiorum in Conciliis numero, 721. 2. c
Suggeſtum an poſſint aſcendere laici, 181. b
Sui ipſius laudatio an ſit licita, 51. b
Sulamitidem reverti, quid ſignificet in Cantico Canticorum, 15. b. 16. a
Superbia initium tranſgreſſionis & origo peccati, 264. 2. b
Supponere an poſſit aliquid pro eo de quo prædicatur, 161. b
Suſpenſionis violationi an ſit annexa irregularitas, 80. a
Sycophantia Arianorum deſcripta, 184. a
de Symbolo Apoſtolorum nonnulla, 74. a
Symbolum Conſtantinopolitani primi Concilii, 197. b. 198. a
Symbolum Concilii Lateranenſis IV. 429. 1. b
Symbolum ordinare an pertineat ad ſummum Pontificem, 94. b. 95. a
Symbolum Concilii Lateranenſis, 429. 1. b
Symbolum compoſitio dictum, 570. 1. d
Symbolum Neſtorianum, 148. 1. a
Symbolo ut cumque ſubſcribere, Chriſtiano ad veram fidem non ſufficit, 221. b
Symbolum Clariſii, 544. 2. a. *& ſeq.* non improbatum, 546. 2. b *& ſeq.*
Symbolum explicandi facultas in Eccleſia, 538. 1. c. *& ſeq.*
Symbolum & ſcriptura, 540. 1. e
Symbolum Conſtantinopolitanum cur dicatur & Nicænum, 183. a
Symbolum Nicænę Synodi, 164. b
de Symbolo fidei in Concilio Tridentino, 638. 2. a. b
à Symbolo quæ totam vitæ ſalutiſque ſpem pollicentur, ſuſtulit Neſtorius, 225. b
de Symbolo Apoſtolorum plura & notanda, 231. a. b. *& ſeq.* Vide Filius.
Synagoga Eccleſiæ ſoror parvula, 16. b. 17. a
Synagoga Eccleſiæ figura, 143
Synagoga in Eccleſiam transplantata, 27 a
Synagogæ Iudæorum vel hæreticorum ingreſſus prohibitus, 142 b. 144 a
Syndereſis. Vide Conſcientia.
Synodorum octo Orientalium recens ſcholiaſtes, quid ſenſerit de Tertulliano, Origene, Lucifero Sardorum Epiſcopo, Ioanne Ieroſolymitano, 290. a
Synodi provinciales quot annis faciendæ, 314. 2. a. b
circa Synodum Romani Pontificis authoritas, 286. a
Synodus Presbyterorum, 491 2. b
in Synodo quod ſit officium legati Imperatoris, 216. b. *& ſeq.*
Synodus non eſt vera quæ caret authoritate ſummi Pontificis, 357. 1. b
Synodi pſeudoſeptimæ refutatio, *ibid.*
Synodorum ſex univerſalium approbatio, 369. 1. c
Synodus cur ſit ſemper neceſſaria, cùm occurrit aliqua controverſia de fide, 87. a
Synodi pſeudoſeptimæ Canones & illorum confutatio, 363. 1. b. c. *& ſeq.*
Synodorum finis, 539. 1. d
de Synodo ſeptima notanda controverſia, 378. 1. d. e. *& ſeq.*
Synodus prædatoria, 245. 2. b. c

T

Tædium. Vide Vota.
Talliæ à Clericis non exigendæ, 424. 2. a
de Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano, 350. alias 360. 2. c. *& ſeq.*
Tartarorum Legati in Concilio Lugdunenſi ſecundo, 450 1. c. Baptiſantur, 451. 1. a
Tau antiqua Hebræorum littera, ab Ezra non mutata, 149. a
Templa per Sanctorum reliquias conſecrare, mos Eccleſiaſticus, 374. 2. d
de Templorum ſolemni olim conſecratione, 166. b
à Templis rejiciendi qui ea prophanant, 542. 2. c
de Templariis ſublatis & extirpatis, 454. 2. d. e. 455 1. d. 456. 2. d
de Templariis varia judicia, 471. 1. d. e. illorum origo & primævum inſtitutum, *ibid* illorum item accuſatio impia, *Ibid.* a. b. c. Ordinis everſio, 472. 1. a
Tempus redimere quid ſit, 58. b
Tentatio eſt populi error magiſtri, 289. a
Tentationum diverſa genera, 59. a
Tentationi an poſſit homo reſiſtere ſine gratiæ adjutorio, 753. 2. b
Terra manſuetorum & humilium quænam ſit, 182. a
Terræ - ſanctæ ſubſidium, 438. 2. a. 457. 1. c.
Terrigenæ de quibus in Pſalmo 48. quinam intelligendi, 123
Tertia pars mundi converſa ad fidem ut ſuppleat tertiam partem Angelorum apoſtatarum, 41. a.
Tertullianus errore Montani contaminatus, in Pontificem Maximum bacchatur, 103. b. illius error damnatus, 104. a
de Tertulliano quid ſenſerit recens octo Synodorum Orientalium Scholiaſtes, 290. a
Teſſeradecatitæ hæretici cur ſic dicti, 197. b
Teſſeradecatitæ hæretici per Aſiam, Lybiam & Cattiam ſparſi, 204. a
Teſtamentum Vetus & Novum, 1 b. 2. a
Teſtamentum vetus, occultatio novi; novum manifeſtatio veteris, 27. a
Teſtamenti veteris Synodus ultima, dignior nomine Pſeudoſynodi, ac Concilii malignantium, ſeu conciliabuli impiorum, 129. a. Vide Caïphas. Concilium. Iudæi.

INDEX

Teſtamentum novum quid ſit, 42.b
Teſtamentum novum, quàm ſit verum Chriſtum judicem ſpectare, 64.b
Teſtamenti novi libros ſpecialius annunciare ſecundum Chriſti adventum in gloria, 69.a. *& ſeq.*
Teſtamentum de quo in Pſalmo 105. quodnam ſit, 29. b
Textus Hebraici aut Græci quænam ratio habenda, & quænam ex iis utilitas poſſit percipi, 3. b. 3. a
Tharaſius ex Laicorum ordine à caliga militari factus Patriarcha Conſtantinopolitanus, 145.b
Tharſis, quaſi contemplatio gaudii, unde egreſſus Jonas, quid denotet, 39.b
per Theandricam actionem quid intenderit D. Dyonyſius, 317.2.c.328.1.a. *& ſeq.*
Theatralibus ludis intereſſe, vetitum Clericis & Monachis, 33<.1.e
Themiſtius hæreticus, 304 2. c
Themiſtius ignorantiæ pater, & genitor atque ſeminator nefandiſſimus, 309.1. c
Theodoretus cogitur dicere Anathema Neſtorio, 249.2.a
de eodem Theodoreto plura, *ibid.* b.c. ejus præclara facta, 250 1. b
Theodoreti ſcripta impia, 284.a. 28<.a
Theodorus Pharanitę Epiſcopus hæreſis Monotheli-tarum author habitus, 290.b
Theodorus vir in plurium opinione incorruptibilis, tamen à quinta Synodo damnatus, 290. a
Theodorus hæreticus, 305. 2
Theodorus Presbyter quare in Synodo Toletana damnatus, 21. a
Theodorus Mopſueſtienſis, hæreticus, ejuſque de Cantico Canticorum ſententia, 13. a
Theodori Mopſueſteni errores, 283. b
Theodorus Mopſueſtenus, 204. a
Theodoſius Imperator amabilis 200
Theodoſii Imperatoris in Concilio Conſtantinopolitano primo, prudentia & pietas, 193. b. & *ſeqq.*
Theodoſius hæreticus, 305.1.a
Theognii Nicæni Epiſcopi pœnitentia, 175.b
Theologiam ſcholaſticam non eſſe inutilem, 394.1.b. *& ſeq.*
Theologi quidam myſtici de errore Eutychianorum ſuſpecti, 291.a
Theophili Alexandriæ Patriarchæ de operibus Origenis ſententia, 289. a
Theſſalonicæ Epiſcopus Vicarius ſummi Pontificis, 190. a
ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ à D. Paulo duæ Epiſtolæ, & de quibus in iis agatur, 59.a
S. Thomæ Aquinatis de canonizatione ſanctorum ſententia, 289.a
ex D. Thomæ ſententiis ſolutio ſeptuaginta trium quæſtionum de poteſtate & authoritate Papali, 87. b.88 a.b. *& ſeq.*
D. Thomæ & D. Bonaventuræ mira conjunctio, 446.2.b.45<.2.c
S. Thomas quid ſenſerit de Immaculata Conceptione ſacratiſſimæ Virginis, 513.2.a
Thomiſtarum opinio circa partes pœnitentiæ, 729. 2.d.e
de Threnis Ieremiæ Prophetæ plura & notanda, 35. b.36.a.b
Timendum magis quam privatæ intelligentiæ acumini innitendum, 225.b
Timotheum quid doceat D. Paulus in ſuis ad eum duabus Epiſtolis, 59.a.b
de Titulis Pſalmorum, 18.a
Titum Cretenſem Archiepiſcopum quid doceat Paulus in ſua ad eum Epiſtola, 59.b
de Tobia hiſtoria, 8.b.9.b
primâ Tonſurâ non initiandi qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, &c. 689. 2. c.
de Torneamentorum prohibitione, 408.1.b
Traditionis definitio & diviſio, 72.a.b. quibus argumentis probetur, 73. a
contra Traditiones quędam hęreticorum objectiones, & ad illas reſponſio, 74. b
de Traditionibus hęreticorum objectiones. quibus reſpondetur, 724. 1 c. *& ſeq.*
Traditio Patrum de ſacris Imaginibus, 352. 2 d
Traditiones aliæ præter veritatem fidei Chriſtianæ, mendacia ſunt, 31.a
Tranſubſtantiationis nomen de quo in Concilio Lateranenſi, reprehendunt Calviniſtæ, 164.b
Tranſubſtantiatio & ane vox ſit apta exprimendę converſioni ſpecierum panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, 718 1.a
de Tranſubſtantiatione an ſit actum in Concilio Niceno, 180. a. & b
de Tranſubſtantiatione plura, 450.2.a. *& ſeq.* Orientalibus non cognita, 431.1.a
Treuga fideliter obſervanda, 409.1.c
omnis Tribulatio an ſit ob peccatum, 769. 2. d. e
de Tridentino Concilio quam malè ſenſerit Antonius de Dominis, 85.a
in Tridentinum Concilium Hæreticorum objectiones, 111.a.b
Tridentinum Concilium circa Redemptionis myſterium à propoſitionibus Baji vindicatum, 758. 1. a
Tridentini Concilii Hiſtoria, 621.1.a. b. *& ſeqq.* difficultas in aſſignando illius celebrandi loco, *ibid.* 2. c
Tridentini Concilii Indictionis Bulla ſub Paulo III. Pontifice Maxim. 631 1.d
Tridentina civitas ad Concilium in ea celebrandum electa, 633. 1.c.657. 2. a. Vide Iulius III.
contra Tridentinum plures ſcripſere, 736. 2. e. de ejus receptione in Gallia, 737.1. in illud commentaria quænam prohibita, *Ibid.* e
de Tridentini Concilii decretis recipiendis & obſervandis, 711.1.e. *& ſeq.* de illius confirmatione, 719. 2. a. *& ſeq.* ejuſdem controverſiæ ac Apologię, 721. 2. c. *& ſeqq.*
de Triennali poſſeſſione, 614.1.e
ſanctiſſima Trinitas cur dicatur ſumma, 429. 1. e
ſanctiſſimæ Trinitatis de ſalute hominis per Chriſtum, ſynodus, 211.a.b. *& ſeq.*
de ſumma Trinitate Viennenſis Concilii Canon, 461. 1. b. c
de ſumma Trinitate quod declaravit Concilium Lateranenſe IV. controverſia illuſtratum, 429.1.a. *& ſeq.*
ſanctiſſimæ Trinitatis invocatio in baptiſmate omnino neceſſaria, 140.b.141.a
ſanctiſſimæ Trinitatis unitatem qui ſolvebant, Trinitatis vinculum deſtruxit, 317.
de Trinitatis myſterio quid credendum, & in illud hæreſes, 200.a. & b
Trinitas ſumma quænam ſit, 429.1.e
S. Trinitas pluribus teſtimoniis in veteri & novo Teſtamento prædicata, 181. a
Trinitas perſonarum in Divinis an poſſit cognoſci naturaliter ab homine, 152. a. b
de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio relectio Scholaſtica, 148.b. *& ſeq.*
de ſanctiſſima Trinitate quomodo ſit loquendum, 160. a. *& ſeq.*
de ſanctiſſima Trinitate quid ſit credendum, 282. a

de

de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio, actum in Concilio Nicæno, 171.b. 173.b
in Trinitate ſanctiſſima ſubſiſtentiarum Trinitas, & eſſentiæ ſingularitas, 305.2.c. *& ſeq.*
Troilus ab Antiocheno Clero multa paſſus, 219.a & b
de Trullana ſynodo nonnulla, 101.a. *& ſeq.*
de Trullanæ Synodi ſymbolo, 314.2.d
de Trullana Synodo, & unde ſic dicta, 292.b
Trullani canones, 136.a
Trullani Canones controverſi, 328.1.c.2.a. *& ſeq.*
Turcæ ſacerdotis pravum conſilium Solimano Imperatori datum, 464.2.c

V

Vaſa fictilia cordat terena, 18.b
de Vaſis ſacris & eorum cuſtodibus, 106.a
Vaſa ſacra in uſum profanum non convertenda, 144.c.147.a
Vates pro palmæ inſpectoribus, 340.1.a
de Vaſorum iræ à Vaſis miſericordiæ ſeparatione, 727.2.b
Ubera ſponſæ botris aſſimilata in Cantico Canticorum quid ſignificent, 16.2.b
Udonis Archiepiſcopis Magdeburgenſis hiſtoria notanda & formidanda, 820.1.d. *& ſeq.*
Vellus. Vide Lana.
adverſus Venena nova, neceſſaria ſunt novaantidota, 229.a
Venialium peccatorum expiatio, 47.b
Venter ſponſæ ſicut acervus tritici, quid ſignificet in Cantico Canticorum, 16.a
Ventilabrum quid ſit & quid deſignet, 69.a
Ventus. Vide Aquilo & Auſter.
Verberare fidelem malè agentem, an liceat cuilibet Clerico, 118.b
Verbum Dei carne eſſe paſſum, carne crucifixum, &c. 215.b. & 216.2.a.b
Verbum quod ſemper eſt, initium non habet, 185.a
Verbum primò hunc hominem aſſumpſit in unitate ſuppoſiti, ſecundò Chriſtus aſſumpſit Eccleſiam in unitate corporis myſtici, 26.a
Verbum à Patre alienantes, ſeparari ab Eccleſia Catholica convenit, & alienos eſſe à nomine Chriſtiano, 184.b
Verbum quaſi Angelum à Deo miſſum & magna quolibet fuiſſe operatum donec tandem carnem aſſumeret, Arianorum Theologia, 179.b
Verbi divini natura divina ab Ario impugnata, 164.a. *& ſeq.* ad 165.b
Verbum divinum natum è ſancta Virgine ſecundum carnem, 213.a
Verbi incarnati nomen duplex, 24.b
de Verbi divini per intellectum proceſſione plura & notanda, 148.b. 149.a.b. 153.b. *& ſeq.* Vide Filius.
Verbum quod ex Deo Patre eſt, Chriſti Deus ac Dominus dici non debet, 214.b
Verbi Dei duæ nativitates, 282.a
Verbum bonum, de quo in Pſalm. 44. quodnam ſit, 24.a
Verbum Chriſti quomodo non deſinat, 78.b
Verbum Dei definitum an ſit aliud à verbo Dei ſcripto aut tradito, 76.a. circa verbum Dei tria revocari ſolent in dubium, & quænam illa ſint, 76.a
Vergilius in Valle-Telina concionator, 734.1.e
Veritatis virtus nulla unquam ſermonum falſitate poteſt extingui, 228.a
Veritas ubi defecit, ibi neceſſe eſt ut abundet vanitas, 19.b
Veritas hæreſi antiquior, 107.b
Veritatis lumen in communibus diſceptationibus mendacia expellit, cum proponuntur quæ utraque parte diſcutienda ſunt, 281.b
à Veritate defectio, mentis & animi excruciatio eſt, 366.1.d
Veritas Deo chara, 291.b
Verſio ſacræ Scripturæ quænam aliis præferenda, 2.b
de Veſtibus ſacris notandæ authoritates, 106.a.b
Via. Vide Deus.
per Viam immaculatam de qua in Pſalmo 100. quid intelligatur, 29.a
Via, de qua Iſayas cap. 35. intelligenda de iis qui viam mandatorum Dei currunt, 35.b
de Viatico omnes ferè Synodi mentionem fecerunt, 106.b. 107.a
de Viatico ultimo & neceſſario, 269.b
de Vicariis generalibus & ſpecialibus, 437.1.a.b
Victimarum plurium unde olim neceſſitas, 62.a
Victimæ deſtructio neceſſaria, 243.2.a
Victima ſacrificii cujuſcumque unde habeat qualitatem capitis reſpectu omnis creaturæ, 244.1.d
Victima, caput omnium, 244.1.c
per Vicos non ordinandi Epiſcopi, 187.a
Viennenſe Concilium primum, Generale XV. 454.d.e. *& ſeq.* ad illud Additio, 455.2.c. *& ſeq.* illius Canones, 462.1.b. *& ſeq.*
Viennenſe Concilium ſecundum, Generale XVI. ſub Clemente V. tempore Philippi Pulchri Galliarum Regis celebratum anno 1311. additio, 455.1.b. *& ſeq.*
Viennenſis Concilii ſecundi Canonum breviatio, 461.1.b.c. *& ſeq.* Controverſia, 411.1.a
Vigilius Papa an fuerit Eutychianus, 286.b
Sim. Vigorius in magno Conſilio Regio conſiliarius, ejuſque opera an orthodoxa, 98.b
Vincentii Lirinenſis de Origene judicium, 289.a
Vinum. Vide Sacrificium.
Vinum merum bonis, mixtum malis propinatum, 26.b
Vinum Clerici ſibi temperent, & ſe vino, 140.a
Vinum aqua miſtum in ſacrificio debet offerri, 537.1.a
quodnam Vinum intellexerit Chriſtus, cùm dixit: *Non bibam amodo*, &c. 46.b
Vinum conſecretum in ſacrario nunquam aſſervatum, 107.b
Violentia facta in latrocinali Epheſina, & quomodo intelligenda hæc verba, 246.2.d.e
Viperæ duæ quæ ex Aſpide ariana prodierunt, 184.b
Vir in monaſterio mulierum non debet dormire, nec mulier in monaſterio virorum, 338.2.e
de Viro qui relicta uxore aliam ducit, 341.2.e
per Virgam ferream de qua in Pſal. 2. quid intelligatur, 18.b
de Virga cujus ſummitatem adoravit Jacob, 558. alias 548.2.b. 514.1.e
Virgo ſanctiſſima cur & quo ſenſu dicatur Deipara, 212.b. 213.a. 223.b. 229.b. 283.a
B. Virginis plura privilegia, 512.1.e. *& ſeq.* 514.1.d
B. Virginis in Chriſti paſſione fletus, & in Reſurrectione lætitia, 22.a. humilitas, 32.a
de Virginis alicujus violenta defloratione, 141.a
tres Virtutes Theologicæ à D. Ioanne commendatæ, 64.b
Virtutum octo gradus, quibus aſcenditur in cœlum præeunte fide efficaci & operoſa, 64.a
Virtutes Philoſophorum an ſint vitia, 751.1.c.d
Viſibilem propter inviſibilem venerabatur Neſtorius, & propter aſſumentem venerabatur aſſumptum, 222.b
de Viſitatorum moderandis expenſis, 406.1.a
Vita Dei de qua D. Paulus, quadruplex, 58.b. quinam ab ea ſint alieni, *ibid.*

Vita æterna quo intuitu promissa fuerit Angelo, & primo homini integro, 743. 1. e. 2. a. *& seq.*
Vita æterna an possit acquiri mediis naturalibus, 745. 2. d. & 746. a. *& seq.*
Vitam hanc quid maximè possit reddere tædiosam, 51. a
Vitia magna citra magnam molestiam facilè curari non solent, 225. b
Vitium paupertatis prætextu palliatum, 418. 1. c
Vitia sunt prius extirpanda, quam virtutes inserendæ, 457. 2. d
Vivificationis duplicis distinctio, 766. 2. d. e
Umbiculus sponsæ crater tornatilis, quid significet in Cantico Canticorum, 16. a
de sacra Unctione qua Ecclesiæ utitur in sacra Ordinatione, 688 1. c
de Unctione Papæ, 405. 1. e
de Unctione extrema, 59. 2. d. e *& seq.*
de Unctionis Extremæ sacramenti institutione, effectu, ministro, &c. 669. 1. b. *& seq.* 671 2. a. *& seq.*
Unigeniti gloria quomodo Christi potentiæ accesserit, 214. b
Unio incognoscibilis unionem non admittit, n. 305. 1. a
Unionis Ecclesiarum Græcæ & Latinæ, quanta difficultas, 586. 1. b
sanctæ Unionis Latinorum cum Græcis litteræ, 590. 1. c. d. *& seq.*
Unitas Ecclesiæ à Sophonia Propheta repræsentata, 40. b
ad Unitatem Ecclesiæ servandam quid exigatur, 87. b. 88. a
contra Unitatem Ecclesiæ an peccent qui Romanum Pontificem negant plenam habere in Ecclesia potestatem, 91. a. & b
Unitas collectiva, 429. 2. c
Unitatis ratio non ignorat differentiam, sed divisionem prorsus expellit, 367. 1. a. b. *& seq.*
Unitas naturæ in Christo à Monothelitis asserta, 290. b. 291. a. item & voluntatis, *ibid.*
de Unitate beneficiarii in singulis beneficiis, 408. 2. a. b
de Unitate beneficii quid senserit Concilium Tridentinum, 737. 1. d
Unitio Verbi Dei ad hominem quomodo sit facta, 282. b
titulus Universalis an conveniat Romano Pontifici, 88. b. 89. a
Universalis titulus à Constantinopolitano Patriarcha usurpatus, 360. alias 350. 2. c
de Universalis Patriarchæ titulo, 379. 1. c. *& seq.*
Universitatum & studiorum ordinatio, an pertineat ad Papam, 92. b
Unum quod extra unum est, 305. 2. e
Unus & unum quid significent in Divinis, 160. a. b
Voluntariè quod sit, an fiat liberè, etiamsi necessariò, 757. 1. a
Voluntarium an sit de ratione & definitione peccati, 760. 1. d. e
Voluntates tres naturales an possint dici in sanctissima Trinitate, 297. 2. d
de Voluntate in Christo duplici Scripturarum testimonia, 298. 1. d. *& seq.*
de una duntaxat Voluntate in Christo, hæreticorum à Monothelitis citata testimonia, 304. 2. c. *& seq.*
Voluntatis unitas in Christo à Monothelitis asserta, 290. b. 291. a
Voluntatem carnis in Christo oportebat moveri, sed subjici voluntati divinæ, 315. 1. c
Voluptas quæ in peccato est an in se sit damnabilis, 814. 2. e
ad Vota secunda nisi mors conjugis sit, certa non transeundum, 342. 1. d
Votorum dispensationis potestas penes quem resideat, 93. a. 94. a
de Voto solemni Monachorum, 83. a
pro Votorum religiosorum renovatione concio, 116. b. 117. a
Votum determinatum cujuslibet habet cadere sub certo, 468. 2. e
Vox. Vide Evangelicæ voces. Natura.
Vox docentis non minus efficax est instrumentum ad docendum sacræ fidei & morum rudimenta, quam manus scribentis, 274. a
Vox multæ significationis, 377. 2. b
Voces septem Christum ad mortem acclamantes, 128. b
Usuræ Clericis retitæ, 140. a. 170. a. 334. 2. c. d
de Usuris Judæorum, 418. 2. a
contra Usurarios, 409. 2. e
Uterus Synagogæ, Pharisæi, 56. a
Uva non distribuenda simul cum Eucharistia, 336. 2. b. c
Vulgatæ Bibliorum Editionis authoritas, 724. 2. b
Vestoni Doctoris Angli, de infallibilitate Romani Pontificis, sententia, 604. 2. b
Vicleffi erroribus notæ affixæ quid significent, 489. 1. e
Vulnera quæ tolerari alioqui non possunt, maturè excindenda sunt, 225. b
Uxore adultere vivente an liceat aliam ducere, 45. 2. b
de Uxoribus Episcoporum aut Presbyterorum, 136. a

Z

Zacharias propheta an & quid de Christo prænuntiaverit, 41. a
Zahel tempora Sisaræ ligno transfigens, typus Christi, 9. a
Zelus præposterus, 281. a
Zenon Cypri Episcopus, 219. 2. & b
Zuinglii doctrinæ articuli, 790. 2. e. 791. 1. a.

FINIS.

598140

Digitized by Google

Digitized by Google

Prem. Legatoria Artistica
ACHILLE FIORE
Via Grande Archivio, 3 - Napoli

Digitized by Google

Digitized by Google